DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
Æ. C. N.




# ANNALIVM ECCLESIASTICORVM,

POST

ILLVSTRISS. ET REVEREND. DOMINVM, D. CÆSAREM BARONIVM.

*S. R. E. Cardinalem Bibliothecarium*,

## Tomus XIV.

*RERVM IN ORBE CHRISTIANO AB ANNO Domini 1300. vſq. ad Annum Dom. 1378. geſtarum narrationem complectens.*

AVCTORE

R. P. F. ABRAHAMO BZOVIO POLONO, SS. Theol. Doctore, Ordin. Prædicat.

*Opus recognitum, maximè qua de imperio Ludouici V. Cæſaris diſſeritur beneficio monumentorum ſeriùs inuentorum.*

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud Antonij Boëtzeri hæredes.

ANNO M. DC. XXV.

*Cum gratia et priuil. Sum. Pontif. Sacræ Cæs. Maiestatis et Christianissimi Regis Francorum, etc.*

es de la libreria del colegio real mayor de granada

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
*Reunido de Santa Cruz, y Santa Catalina.*
Æ. C. N.



# ANNALIVM ECCLESIASTICORVM,

POST
ILLVSTRISS. ET REVEREND.
DOMINVM, D. CÆSAREM BARONIVM.
*S. R. E. Cardinalem Bibliothecarium,*

## Tomus XIV.

*RERVM IN ORBE CHRISTIANO AB ANNO Domini 1300. vſq; ad Annum Dom. 1378. geſtarum narrationem complectens.*

AVCTORE
R. P. F. ABRAHAMO BZOVIO POLONO,
SS. Theol. Doctore, Ordin. Prædicat.

*Opus recognitum, maxime qua de imperio Ludouici V. Cæſaris diſſeritur beneficio monumentorum ſerieſ[illegible]*

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Antonij Boëtzeri hæredes.
ANNO M. DC. XXV.

*[Cu]m gratia et priuil. Sum. Pontif. Sacræ Cæs. Maiestatis et Christianiſsimi Regis Francorum, etc.*

es de la libreria del colegio real mayor de granada

# PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

MATTHIAS Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Agnoſcimus & notū facimus tenore præſentium vniuerſis. Quod cum demiſſe Nobis exponi curarit noſter & Sacri Imperij fidelis dilectus Antonius Boetzerus, Ciuis & Typographus Colonienſis, ſeſe publico Litteratorum, & vel maxime eorum commodo, quibus Theologiæ ſtudium & Hiſtoriarum cognitio cordi eſt, Opera omnia Patris M. Abrahami Bzouii Ordinis Prædicatorum, quæ ſcripſit, quæque in poſterum ſcripturus ſit, prælo ſubiicere, ſumptibuſque & typis ſuis in publicum edere decreuiſſe. Vereri autem, ne, quod ſubinde accidiſſe malò ſuo didicerit, æmulorum fraude, qua lucri captandi cauſa primas iſtiuſmodi editiones imitari, atque ita ex alienis ſudoribus quæſtum facere conſueuerint, ipſe ſperato laboris & impendii ſui fructu ad alios translato inique fraudetur. Ac proinde ſupplex Nos rogarit, vt indemnitati ſuæ hoc loco conſulere, ipſumque aduerſus quorumcunque machinationes ſupradictas Priuilegio noſtro Cæſareo clementer munire dignaremur. Nos pro benigna animi noſtri in rem Litterariam affectione, precibus iſtiuſmodi haud grauatim annuerimus, vti vigore præſentium annuimus. Ac proinde omnibus ac ſingulis Typographis, Bibliopolis, & aliis quibuſcunque negotiationem librariam exercentibus ſerio inhibemus, & vetamus, ne quiſquam prædicta Opera quocunque modo, charactere, aut forma, ſiue integra ſiue aliquam eorum partem, citra memorati Antonii Boetzeri, eiuſue heredum voluntatem & aſſenſum, intra decennium à prima editionis die computandum recudere, aut alii recudenda dare, ſiue alibi etiam impreſſa intra Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum noſtrorum hereditariorum fines apportare, vendere, vel diſtrahere audeat ac præſumat. Si quis autem Edictum hoc noſtrum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehēdatur, eum non ſolum eiuſmodi Libris perperam recuſis & apportatis, quos dictus Antonius Boetzerus, eiuſue hæredes vbicunque inuenti fuerint, ſiue propria ſiue Magiſtratus ibidem authoritate atque auxilio ſibi vendicare poterunt, priuandum, ſed & pœna decem Marcharum auri puri, cuius ſemis prædicto Boetzero, eiuſue hæredibus, alter vero ſemis fiſco noſtro Imperiali fraudis vindici toties, quoties contrafactum fuerit, omni ſpe veniæ ſublata, mulctandum decernimus, Dummodo tamen eiuſmodi opera nihil in ſe ſcandaloſum, aut orthodoxæ Religioni Catholicæ, Sacrique Romani Imperii conſtitutionibus aduerſum, vel bonis moribus contrarium, ſiue in pręfatione ſiue in contextu, ſeu alias quocunque modo contineant, & Boetzerus ipſe terna vt minimum dictorum Librorum exemplaria ſuis ſumptibus quamprimum ad Cancellariam Imperialem Aulicam tranſmiſerit. Mandamus ergo Vniuerſis noſtris, & Sacri Rom. Imperii, Regnorumque ac Ditionum noſtrarum hæreditariarum ſubditis, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis aut dignitatis exiſtant, tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus, præſertim vero iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel proprio vel ſuperiorum nomine & loco Ius ac Iuſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quenquam Priuilegium hoc noſtrum Cæſareum temere & impune tranſgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, ſi quos forte compererint, præſcripta pœna mulctari, aliiſque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam euitare voluerint. Harum teſtimonio litterarum, manu noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli noſtri Cæſarei impreſſione munitarum. Dat. in Arce noſtra Regia Pragæ, die 17. Menſis Ian. Anno Dom. M.D.C.XVII. Regnorum noſtrorum, Romani V. Hungarici IX. Bohemici vero VI.

*Matthias.*

*Vt. HL.* von Vlm.

*Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Maieſtatis proprium.*
Ioan. Baruitius.

EX mandato Reuerendiſs. P. F. Seraphini Sicij Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis, recognouimus Tomum XIV. Annalium Eccleſiæ P. F. Abrahami Bzouij S. T. Magiſtri eiuſdem Prædicatorum Ordinis, & viſum eſt nobis eximiæ eloquentiæ, ac ſummæ diligentiæ opus, atque adeo ad commune Reipublicę Chriſtianę bonum pertinere cenſemus, vt typis mandetur; cum nihil etiam contineat, quod ab orthodoxa fide, aut morum regula & ſaniore doctrina ſit alienum.

*Fr. Dominicus Francuccius S. T. Magiſter, & Collegij Græcorum Regens.*
*Fr. Antoninus de Granatis à Floriano artium & Sacræ Theologiæ Lector.*
*Fr. Zenobius Medices Philoſophiæ in Collegio Græcorum Lector.*

BZOVIANORVM *Annalium primum atq; alterum volumen ſi quis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ non imperitus diligenter euoluat, admirabitur proculdubio ſummam Auctoris in rerum indagatione diligentiam, in delectu iudicium, in explicatione facilitatem & copiam. Idem, ſi ſciat, quot in curas longè diſſimilium cogitationum diſtractus diurnis, ac nocturnis operis breuiſſimum intra tempus tantum laboris indefeſſus exhauſerit, vltro fatebitur, habere noſtram quoque ætatem nouum Didymum Chalceat. cuius doctrinâ, ac monumentis innumeris glorietur.*

Ant. Quærengus Vtr. Sign^ræ Refer^s & Sacræ Theologiæ Doctor.



*SS. D. N.*

# PAVLO QVINTO BVRGHESIO

## Pontifici

*Verè Maximo, verè Optimo.*

*FR. ABRAHAM BZOVIVS POLONVS, SS. Theolog. Magiſter, Ord. Præd.*

*F. P.*

VETERIS inſtrumenti Depoſitorium, Tabulis Moſaycis, Virga Aaronis, & Manna cœleſti diues erat. Duræ ceruicis, & ingratæ mentis populum admonebat, meminiſſet; Decalogum, non humano ſed diuino pollice ſcriptum, Sacerdotium non gentilium, ſed ſupremi Dei inuentum, miraculis illuſtratum, nec non manna panem Angelorum, omne delectamentum ſuauitatis in ſe habentem, ſuperum beneficio, olim accepiſſe; doctrinæ, maieſtati, felicitati. Iſtud in re. In figura, cum in figura omnia illis contingerent, indicabat, apud Sanctioris Teſtamenti Antiſtitem, ditius repoſitorium ſedis & mentis fore, Legis, Diſciplinæ, Bonitatis. Si labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam; ſi de eius ore, quod Angelus Domini exercituum eſt, legem requirant inferiores; ſi denique huic incumbit exemplo Samaritani Euangelici, vinum & oleum ſanctioris ſcaturiginis, reducibus ad ſtabulum Eccleſiæ infundere: longe amplius par eſt; Summum Hierarcham, Legislatoris, & Iudicis, ſed benignioris officio defungi, quod ex ſenſu Dionyſij Magni, ſit *Sacerdotum Summus Apex, ſimilis Chriſto Pontifex, ijs quæ illi de Patris iuſtitia enunciata ſunt in terris interpres atque portitor, qui Deo charos admittat, & impios excludat.* (c. 3. de Diuinis nominibus.) Præſtat dignitate; præſtare debet & affluentia alterutrius vberis; dexterioris, vt viſcera miſericordiæ calamitate feſſis adaperiat; Secioris, vt femur diſcingat, *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos,* etiam, *Reges eorum in compedibus, & nobiles in manicis ferreis, vt faciat in eis iudicium conſcriptum.* Apud Apoſtolorum Principem in eius condo promo, non alias diuitias aſpicio, quam Legis, Diſciplinæ, Clementiæ inſtrumenta. Magno enim Principi Paſtorum in curam Paſtoralem ſuccedens, ſanctiora Legis nouæ decreta, vel ex conſilij ſententia, vel ipſe ſolus ſanciebat; virgam virtutis ſuæ partim in Sion, partim in excelſa vrbe, in voti reos, inque Spiritui Sancto iniurios, diſtringebat, manum benigniorem in miſerè afflictos porrigebat: illos vel ex dimidiato pretio, vel ex turpi ſacrilegoque mercatu, vel ex temerario volatu gloriolam captantes, Spiritu oris percutiebat; in hos vero ampliſſima beneficia, vel ab vmbratili imagine conferebat; nec alio, quam ſcientiæ, diſciplinæ, & bonitatis flatu omnes animabat, docens miniſtrare, *in fide virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.* cum qua, diei Domini qui *adueniet vt fur,* non obliuiſcerentur, ſed perpetuo cogitarent, *quales oporteret eſſe in ſanctis conuerſationibus & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent.* ſcilicet Bonitatem, & diſciplinam & ſcientiam doctus, eoſdem latices ſalutis, Chriſt tyronibus affundebat, re, ore, exemplo. Iam & Coapoſtolus eius Paulus, fere non alium Spiritum, ab animi diuitiis exſpirabat. Nam vel abrogatam Legem antiquabat, vel recens traditam, in tabulis cordis carnalibus inſcribebat, Legis doctus vel in virga, vel in charitate, & manſuetudine, vt veniret, in arbitrio reponebat; vel filiolos chariſſimos, quos iterum parturiret, vel inſenſatos Galatas, quos neſcio quis faſcinaſſet, appellabat, vel minis deterrebat, ne cum præſens eſſet durius ageret, *ſecundum poteſtatem, quam,* inquit, *dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem;* vel pectus

patrium maternumq; oſtendebat, cupiens etiam *anathema eſſe pro fratribus ſuis*: vel denique obiurg... aut Satanæ tradebat, hos qui per flagitia demeruerant contumaces; vel cum infirmis ægrotabat, ... in ſcandalizatis vrebatur, omnibus omnia factus, natuſque vt diceret: *Ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris, licet vos plus diligam minus diligar.* Benignitatis, & diſciplinæ oleum & vinum infundebat, cum morte Apoſtolorum, non exhauſtum eſt, Apoſtolicum ſacrum penum: Sed hæreditario iure Rom. Pontificibus quaſi per manus datum; in Eccleſia Romana perennauit. vel hoc ſeculo XIV, magna nomina, Bonifacius VIII. Clemens V. Ioannes XXII. Benedictus XI. & XII. Clemens VI. Pontifices Maximi teſtantur. Quam ſcientes illi legum Eccleſiaſticarum interpretes, conditores, Adminiſtri! Quam acres, fortes, & interriti, legis, gregis, & ouilis Dominici, aduerſum Principes & poteſtates defenſores! Quam conſtantes contra minas! Quam infracti periculis! Iam quæ illis, ac Innocentio VI. Vrbano V. & Gregorio XI. innocentia, benignitas, vigilantia, clementia! Sciebant parcere proſtratis, non minus quam debellare ſuperbos: & quemadmodum ardorem ſuum ipſi mirati ſunt, in vindiciis, pro Eccleſia, in refractarios decernendis; ita erga humanum genus vice Dei functi, oculi dexterioris radio omnia temperabant: quà terrorem ſæcularem non paludamento Pontificio magis, quam robore pectoris reprimentes; quà ſeditionum diſcordiarumque orbis Europæi cauſas creberrimas, antiquo & minime corrupto more cohibentes; quà vetus nonnullis funebre malum vbi priuato vſui bonum publicum poſtponitur, ardentioris zeli cura ſuperante, quà in pleroſque, exitio Eccleſiæ, non minus noſcibiles, quam flagitiis infames Ædilium cenſoriam notam exercentes; quà denique à vitiis deterrentes, ad virtutem inflammantes, improbis ſupplicia, probis autem laureas; memores illius veteris; *Vbi male conſultis impunitas, recte factis nullum præmium, illic iniquitatis ſpoliarium, non iuſtitiæ lararium*, decernentes, atque æquitatem non in ſupremo ſupercilio, clementiam vero & bonitatem non in fronte tantum exporrecta oſtentantes, meruerunt ab his notis indigetari; *Apoſtolici depoſiti, Seruatores veri*: docti docere, corrigere, miſereri & parcere, Tabulas explicare, virgam imponere, & manna depromere, vbi opus, quando opus, cui opus, quantum opus. Hæc auro pretioſiora decora, quod Tu B[me]. Pater, verus hæres Apoſtolorum, in Tuo mentis & Sedis ærario fideliter cuſtodis, atque legibus ſanctiſſimis membra Eccleſiæ in ædificationem conformas; animos hominum à ſcelerum contagione, ad cogitationes bonas & honeſtas conuertis; ad virtutis ſtudium diligentia Tua excitas; pietatem pietate Tua accendis, vel ſola reuerentia Tua, quæ vix terror valuiſſet efficere, impudentiam multo rubore ſuffundis; nulli iracundiæ, nulli impietati, nulli furori hoſpitium locas, ſeueritatis cuſtos acerrimus, inſolentium conatus, vel ſurdo, vel vocali ferro debilitas, ſeueritatem facilitate, grauitatem ſimplicitate, maieſtatem humanitate, iuſtitiam benignitate commiſces, publica inſtituta & commoda, priuatæ pietati anteponis; Eccleſiaſticam libertatem iuſta animaduerſione vindicas; pacem inter recrudeſcentia arma componere quæris; humeris Tuis ſalutem Orbis Chriſtiani ſuſtentare pergis; Petrum manu, Paulum Apoſtolum pectore, & Solem Clementiæ ac Bonitatis totius fontem, qui radios beneficentiæ, & ſcientiæ non minuatim, ſed toto Orbe, toto faſce, tota lance, non in vnum aut alterum ſed in omnes, in commune profert, tota contentione repræſentas; adeo vt in Tuo ſinu ac Tutela ſerenus tranquilluſque Beatæ pacis Eccleſiæ ſtatus acquieſcat: quod, inquam, Depoſiti Apoſtolici ſis verus Promus, hos Seculi XIV. ante natos Tuos, meo calamo exumbratos, Tuo faſtigio volui repræſentare: vt in eis aſpicias imaginem Felicitatis, quæ Tibi, Eccleſiæ & Orbi Chriſtiano, ab hoc promptuario inexhauſto, voueo, vt omnia quæ facis, quæque in poſterum facies, feliciter eueniant, Tibi, Eccleſiæ, Orbi Chriſtiano. Romæ 20. Auguſti M. DC. XVII.



# SCIPIONI COBELLVTIO.

S. R. E. tit. S. Suſannæ presbytero Cardinali Ampliſſimo, Domino D. Colend[mo].

C. *Auguſto ſempiternam laudem conciliauit, illud ſingulare & vnicum; quod cum omnium Principum mos ſit præcipuus præſentia contemnere, vetuſta mirari, ipſe vnus, quamquam grauiſſimis bellorum ſtudiis obſeſſus, ætatis ſuæ ingeniis fauit. Amauit Varronem, Ciceronem, Salluſtium, Liuium, Polionem, Maronem, & reliquos eloquentiæ vel doctrinæ elegantioris gloria præſtantes: vel in inferiore gradu, Illuſtriſſime Cardinalis, magno animo æmulatus es, & nunc tanto mage imitari pergis, magni illius mentem. His totis ſex annis, quibus ſacrum hunc puluerem* Romanum *triui, non alios frequentiores apud te, in cubiculo, menſa, contubernio, fauore, adiutorio vidi, quam huius noctis ſtellas, Scribanios, Lorinos, Iuſtinianos, Bozios, Spondanos, Barclaios, Alemannum aulæ iſtius doctum modeſtumque decus; & qui alios numeraret? Firmum tibi, in hos quãquam illuſtres, & Tuæ, & Pontificiæ benignitatis, apud quem vales, radium corriuare; & ab his bonitatem, diſciplinam, ſcientiam publicam, & cæteras artes, quibus Summo Hierarchæ, in hoc difficillimo adminiſtrationis ſtatu, (ad quem Tibi præter innocentiam, & integritatem, Amor ingeniorum gradum fecit) præſto ſis, condiſcere. Eius luminis, cum me quoque, præter meum meritum, non ſemel, nec paucis ſtricturis præſtrinxeris; & quà apud SS. D. N. Paulum V. in patrocinio habueris: quà onus ſcriptionis Annalium præ magnitudine laboris ſuffugientem ad opus excitaueris, & animaueris, vtque in quali quali cenſu (maximo, meo iudicio) apud Te & huius Sacri Collegij Myſtas eſſe volueris, ingratus mortalium forem, ſi in partem vel minimam mearum Lucubrationum Te meum auctorem non vocaſſem. Accipe, qua ſoles humanitate, id quicquid eſt ſcriptionis, à maximo in Te animo, ſat exile ſignum: & hoc benignitatis ſtudio quo æternitati Tuæ præis, benemereri de Eccleſia vniuerſa perge: memor illius quod aliquis ſuperiorum Pontificum dixit*: Non eſſe tunc temporis quod Eccleſia quemquã hoſtium vereatur, cum habebit aliquot myriadas litteratorum hominum, quos conatibus improborum poſſit opponere. *Callixt. 3.*

# LECTORI CANDIDO S.

*CÆSAR APVD SALLVSTIVM.*

NOn ſolum, qui de rebus dubiis conſultant, ſed etiam qui rerum geſtarum memoriam prodũt, eos ab odio, amicitia, ira, miſericordia vacuos eſſe conuenit. Haud facile animus verum prouidet, vbi illa officiunt.

*SANCTÆ RECORDATIONIS*

*Illuſtriſſimi Cardinalis,*

## CÆSARIS BARONII, PII MANES, AD REVERENDVM PATREM ABRAHAMVM BZOVIVM, SVVM IN CONTINVANDIS ECCLESIASTICIS Annalibus ſucceſſorem.

Ἐν μερόπεσσιν ἐών, καμάτοις ἀδάμαστος ἀνέτλην,
Ψώβιε. μοι τε δόναξ ἔπτε λῆξε γράφων.
Πάντας ἀν' Ἀρχιερεῖς, ἀνὰ Καίσαρας, ἄχρις ἐμεῖο
Τοῦ θανάτου, χρονικὰς ἐξεπόνησα βίβλους.
Ἀλλ' ἀτελὲς τοὔργον, μετ' μόρσιμον ἦμαρ, ἀφῆκα.
Ἐστὸ λιπεῖν σε χαρεὶς ἐργολάβον αὖτε λαχεῖν,
Ὀτραλέως ἀρετὴν, ἧς ἔμμορες, ὦγαθὲ κόσμει.
Μηδὲ τ' ἄκαρπον ἔα σὸν τὸ τάλαντον ἐμόν.
Σοὶ μὲν ὀπηδήσει μεγαλώνυμον εὖχος ἐπ' αἴης,
Μεσσόθι δ' οὐρανίων αἰὲν ἐοῦσα χάρις.
Ζῆθι πολυχρόνιος κλῆσίν τε Βαρώνιος ἔσσο
Δεύτερος ἠδ' ἔσομαι δευτερόπρωτος ἐγώ.

Goth. Mylander, indignus Sacerdos, Eccleſiæ Metropolitanæ Colonienſis.





*ANNALIVM ECCLESIÆ*

# EX SVMMORVM PONTIFICVM, ILLVSTRIVMQVE VIRORVM, ECCLESIASTICIS HISTORICISQVE MONVMENTIS.

## Tomus XIV.

AVCTORE

*F. ABRAHAMO BZOVIO POLONO, S.T. Magiſtro, Ordinis Prædicatorum.*

## IESV CHRISTI Annus 1300.

### BONIFACII PAPÆ VIII. Anno 6.

I. Bonif. Pp. ſeculare iubilæum natalitiorum Saluatoris Romæ ſolenniter celebrat. *In obus ad velum. aureum tit. S. Georg. Diac. Car. in opuſc. de Iubilæo Bonif. M.S. Vatic. n. 4877.* Scribit encyclicam de celebritatis huius indictione.

OMNIBVS retro ſeculis, ſolemne Pontificibus Romanis fuerat, Natalitios Saluatoris dies, anno ſeculari recurrente, ſolemnius celebrare. Iſtud cum Bonifacius ſummus Antiſtes, in mentem reuocaſſet, totius orbis Chriſtiani populos ad eam celebritatem inuitauit, annumque præſentem ſecularem illuſtrem reddidit, inſtitutione Iubilæi; quo ſeptem primariorum vrbis delubrorum frequentatione, plenam omnium delictorum indulgentiam conſequerentur: omnes quicunque corde contrito, ſacra exomologeſi rite expiati, nec non Euchariſtico pane recreati, acceſſiſſent. Præſtat vero iſtud ex encyclica illius cognoſcere, cuius verba ſunt quæ adiungo.

Bonifacius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. *Ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum. Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de vrbe conceſſæ ſunt remiſſiones magnæ & indulgentiæ peccatorum. Nos igitur qui iuxta officij noſtri debitum ſalutem appetimus & procuramus libentius ſingulorum, huiuſmodi remiſſiones & indulgentias omnes & ſingulas ratas & gratas habentes; ipſas auctoritate Apoſtolica confirmamus & approbamus, & etiam innouamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Vt tamen Beatiſſimi Petrus & Paulus Apoſtolico amplius honorentur, quo ipſorum Baſilicæ de vrbe deuotius fuerint à fidelibus frequentatæ, & fideles ipſi ſpiritualium largitione munerum ex huiuſmodi frequentatione magis ſenſerint ſe refectos: nos de omnipotentis Dei miſericordia & eorundem Apoſtolorum eius meritis & auctoritate confiſi, de fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, omnibus in præſenti anno milleſimo treceenteſimo à feſto natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti præterito proximè inchoato, & in quolibet anno centeſimo ſecuturo, ad Baſilicas ipſas accedentibus reuerenter, vere pœnitentibus & confeſſis, vel qui vere pœnitebunt & confitebuntur, in huiuſmodi præſenti, & in quolibet centeſimo ſecuturo annis, non ſolum plenam ſed largiorem, imo pleniſſimam omnium ſuorum concedimus veniam peccatorum. Statuentes, vt qui voluerint huius indulgentiæ à nobis conceſſæ fore participes, ſi fuerint Romani, ad minus triginta diebus continuis vel interpolatis, & ſaltem ſemel in die; ſi vero peregrini fuerint aut forenſes, modo ſimili, diebus quindecim ad Baſilicas eaſdem accedant. Vnuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas amplius & deuotius frequentabit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, innouationis, conceſſionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.* Datum Romæ apud ſanctum Petrum octauo Calend. Martii. Pontificatus noſtri anno ſexto Hactenus bulla Indictionis Iubilæi.

II. Alio diplomate omnes Eccleſiæ hoſtes a communione ſanctorum et indulgentiis excludit.

Cæterum quod ſciret Bonifacius, multos Eccleſiæ hoſtes, Romam ad participium eius gratiæ ſpiritualis adfuturos, alio diplomate in eam rem dato, eos à communione ſanctorum excluſit, indignoſque ea indulgentia pronunciauit, his ipſis verbis, quæ ſequuntur.

Bonifacius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. *Ad perpetuam rei memoriam. Nuper per alias noſtras literas omnes remiſſiones & indulgentias peccatorum conceſſas accedentibus ad honorabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de vrbe ratificandas & approbandas duximus, & etiam innouandas. Vt tamen Beatiſſimi Petrus & Paulus Apoſtoli eo amplius honorentur, quo ipſorum Baſilicæ de vrbe deuotius forent à fidelibus frequentatæ, & fideles ipſi ſpiritualium largitione munerum ex huiuſmodi frequentatione magis ſe ſentirent refectos. Nos de omnipotentis Dei miſericordia, & eorundem Apoſtolorum eius meritis & auctoritate confiſi, de fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis omnibus in præſenti milleſimo tracente-*

*ſimo, a feſto Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti præterito proxime inchoato, & in quolibet alio centeſimo ſecuturo anno ad Baſilicas ipſas accedentibus reuerenter, vere pœnitentibus & confeſſis, vel qui vere pœnitebunt & confitebuntur, in huiuſmodi præſenti & quolibet centeſimo ſecuturo annis, non ſolum plenam & largiorem, imo pleniſſimam omnium ſuorum conceſſimus veniam peccatorum: prout in ipſis aliis noſtris literis continetur. Verum quia multi indulgentiarum huiuſmodi gratia ſe reddũt indignos, declaramus expreſſe ac dicimus manifeſte, quod illos falſos & impios Chriſtianos, qui portauerunt, vel portabunt merces ſeu res prohibitas Saracenis, vel ad terras eorum reportauerunt, vel reportabunt ab eis. Nec non Fridericum natum quondam Petri olim Regis Aragonum, ac Siculos, nobis & Eccleſiæ Romanæ hoſtes; inſuper Columnenſes damnatos per nos, noſtros & Apoſtolicæ ſedis rebelles, & qui receptabunt Columnenſes eoſdem; & generaliter omnes & ſingulos publicos hoſtes, & rebelles præſentes & futuros Eccleſiæ memoratæ, & impugnatores ipſius, & qui dabunt ſcienter ſupradictis vel eorum alicui ſeu aliquibus auxiliũ, conſilium, vel fauorem, publice vel occulte; dum in ſua malitia perſtiterint, nec ad dictæ ſedis mandata redire curauerint, indulgentiarum huiuſmodi, cum non ſint capaces, nolumus eſſe participes; ipſoſque penitus excludimus ab eiſdem. Nulli ergo hominũ omnino liceat hanc paginam noſtræ declarationis, voluntatis & excluſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.* Datum Romæ apud S. Petrum 8. Cal. Mart. Pont. noſtri anno 6.

III.
ALIÆ EIVSDEM LITERÆ PRO INDVLGENTIIS CONCESSIS PLENE PROMERENDIS.

Præ inſertis literis, has quoque alias publicas, Bonifacius adiunxit, iam in fine Iubilæi.

*Ad honorem Dei & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, attendens Dominus noſter, Dominus Bonifacius Papa VIII. deuotionem quam vidit in populo Chriſtiano, feruorem fidei, viarũ tædia, perſonarum labores, & onera expenſarum, vult idem Dominus noſter; quod omnes forenſes, qui hodie, ſi in die Natiuitatis Domini, ſunt in vrbe, licet non compleuerint indulgentiam, vt læti reuertantur ad propria, plenam indulgẽtiam conſequantur.*

*2. Item placet ipſi Domino noſtro ſummo Pontifici, & vult, quod omnes illi qui venerunt ad indulgentiam conceſſam per eum & mortui ſunt in via vel in vrbe, numero dierum taxato in ipſa indulgentia nondum decurſo, plenã indulgentiam conſequantur.*

*3. Item vult idem Dominus noſter ſummus Pontifex, quod omnes illi qui arripuerunt iter ad iſtam indulgentiam animo cõplendi eam, & iuſto impedimento impediti, vel non peruenerunt, vel peruenientes non compleuerunt eandem, plenam indulgentiam conſequantur.*

*4. Item quia annus iſte Iubilæus finitur hodie, volens idem Dominus noſter velut pius pater prouidere ſaluti animarum, omnibus illis qui ſunt vere confeſſi, ſecundum formam indulgentiæ ſuæ, & non ſatisfecerunt de alieno infra annum, nec poſſunt commode ſatisfacere propter temporis breuitatem, prorogat terminum ad ſatisfaciendum duntaxat vſque ad feſtum Reſurrectionis Dominicæ proxime venturum.*

IV.
QVAM INGENS POPVLI MVLTITVDO AD EAS PROMERENDAS ROMAM CONFLVXERIT, QVANTAQVE IBI PATRATA MIRACVLA.

Superioribus literis indictionis Iubilæi promulgatis, tanta multitudo populorum ex vniuerſo terrarum orbe Romam hoc anno confluxit, vt aliquando ad CC.M. hominum in dies ſingulos numerarentur, præter indigenas. Miraculi loco prædicabat, Iacobus Cardinalis, qui de Bonifaciano Iubilæo opuſculum ſcripſit, quod tanta annonæ copia in vrbe fuerit, vt quo magis populus multiplicaretur, eo amplius alimentorum prouentus redundaret & viliſſimo precio, omnia ad victum neceſſaria haberentur. Porro iſtud inter miracula certiſſima reponebat Cardinalis quia aſpexit. Quia anno præſenti in Diuorum Apoſtolorum Baſilicis, à languoribus diuerſis quam plures curati fuerint. Exibant pariter dæmonia, à multis, clamantia, & dicentia, quod non ſolum Petrus & Paulus Apoſtoli, eos de corporibus quæ inuaſerant, eiiciebant, ſed multitudinem animarum populi Chriſtiani, qui eorum facientibus peccatis laqueis diabolicæ fraudis ſeſe tradiderant, impetrauerint à Ieſu Chriſto, ab eorum faucibus liberari. Inſuper publice clamabant, quia dictorum Apoſtolorum meritis, omnes animæ in Purgatorio, non ſolum à pœnis fuiſſent liberatæ, ſed æternam quoque gloriam conſecutæ. Aliquem etiam clericum, ſuæ, ad velum aureum S. Georgii Eccleſiæ, Cardinalis narrabat, ſecundum quietem vidiſſe, Diuam Deiparentem Mariam, filio paruulo in vlnis onuſtam, in quodam talamo reſidentem: facie quidem venuſta, veſtibus autem fulgentiſſimis; corona vero ſtellata caput ornatam. Eam cũ in terram demiſſo genu clericus adoraſſet, huic pietatis mater inquit: *Omnibus miſerans indulſit Deus.* Cum autem is requireret, *Num mihi?* ſubticuit mater; rurſuſque poſt morulam interiectam inſit: *Omnibus miſerans indulſit Deus, viuis & mortuis.* Proſtratus iterum ille; *Num mihi?* Cui nec tum dato reſponſo, ſed paulo poſt, ait: *Indulſit omnibus mortuis, & viuis, miſerans Deus; atque tibi.* Experrectus, quæ aſpexerat Cardinali retulit; Cardinalis autem, memoriæ commendauit, & poſteritati palam fecit.

V.
QVID BONIFAC. PP. CVM PRÆGNANTE VXORE AGAPETI COLVMNENSIS.

Ridiculum etiam quiddam tunc accidiſſe narrauit Franciſcus Petrarcha. Nunciatum fuerat interea Bonifacio, Agaperi Columnenſis vxorem, quæ ſanguine illum contingebat eſſe prægnantem. Senſit hoſtem ſuum Romæ fuiſſe, & accenſus ira atque odio, perduci ante pedes ſuos mulierem iuſſit. Venit illa, verecunde, & ventrem ſtudio tegens. At ille, vt erat in ſermone acer: Dimitte, inquit, pallium meretrix. Quis te grauidam fecit? Loqui coacta: *Pater ait, ſanctiſſime, tu mihi virum meum abſtuleras. Quid facerem? quod ætas, & formæ ſuaſerunt, conſilium cœpi. Inter innumerabiles peregrinos quos hic ſacer annus in vrbe hac congregauit, conſpiciens vnum viro meo ſimilimum, notaui. Placuit oculis meis ille, & in exulantis viri memoriam ſuſceptus eſt, per noctem, mane abiens, qualem cernis me dimiſit.* Hæc autem alludens ad viri habitum dicebat, qui ſub veſte peregrini ignotiſſimus, ad vxorem penetrauerat. Riſit Bonifacius, & muliebri facundia mitigatus eſt aliquantum. Sed non contra Fridericum Regni Siciliæ inuaſorem, neque contra Siculos rebelles, neque contra Genuenſes belli contra Eccleſiam & Carolum ſuſcepti ſocios. Hos namque Columnii hinc inde diſperſi, ad arma exciuerant, vt Pontifici Bonifacio, quibuſcumque modis poſſent, incommodarent.

VI.
BONIFAC. FRIDERIC. ARAGON. ALIOSQVE REBELLES DIRIS DEVOVET, ET SICILIAM INTERDICTO SVPPONIT.
*ep. 13 & 14.*

Itaque Bonifacius hoc ipſo anno, apud Lateranenſem Baſilicam, die cœnæ Dominicæ, tam Fridericum Aragonum, quam Siculorum proceres, nec non & Genuenſes belli ſocios, ex proceſſu iudicario, diris deuouit, vniuerſæque Siciliæ ſacris interdixit: cum illos fruſtra ante monuiſſet, vt arma deponerent, & Carolum Regem Siciliæ, ad regnum capeſcendum admitterent. Nihil etiam non egerat, vt Genuenſes à Friderico & Siculis diſſociaret. In eam enim rem Philippo Regi Galliarum ſcripſerat, iniunxeratque, qui per literas, vel per Nuncios Genuenſibus ſuaderet, ne Friderico & Siculis iungerentur, neue eis triremes, arma, commeatum, milites, & reliquas belli gerendi ſuppetias ſubmitterent. Cumque nihil orando monendoque proficeret, & illi anathemate prolato exacerbati, multo grauiora tentarent; maxime cum per diſceſſum Aragonii Regis à Carolo Siciliæ Rege, viderent plurimos Aragonum, Catalanorumque, ſiue iubente, ſiue conniuente Iacobo Rege, in aciem conuolare, claſſemque Friderici augere: ideo nouas rationes Caroli iuuandi & Siciliæ tuendæ aggreſſus, inprimis Iacobo Maioricarum Regi, vt eos qui ex regno Iac. Aragon. Regis, vel aliunde, in auxilia Friderici, triremes, arma, equos, milites, victualia mitterent, obſeruaret; & quoſcunque comprehendere poſſet, in vincula coniiceret, rebus ſpoliaret, & ſeuerius caſtigaret, iniunxit. Deinde Carolum Comitem Andegauenſem, Gallorum Regis Philippi fratrem, in auxilia euocauit; eaque de cauſa, omnium Eccleſiaſticorum, in prouinciis Lugdunenſi, Viennenſi, Biſuntina, Tarantaſienſi, & in vniuerſo Regno Galliarum, prouentuum decimam partem, in ſumptus belli eidem conceſſit. Porro ne Carolus Rex Siciliæ, aut Robertus Dux Calabriæ, inter hæc temporis, dum Carolus Comes Andegauenſis ſuppetias colligebat, de ſumma rerum cum Friderico componerent, neue præter ſcitum voluntatemque Apoſtolicæ Sedis, de Regno Romanæ Eccleſiæ hæreditario paciſcerentur, vtrique ſeueriorem in modum interdixit. Ne etiam Iacobus Aragonum Rex, prætextu ſtipendiorum quæ annis ſuperioribus in claſſe comparata meruerat, aliquid nouaret, ipſi quoque in ſupplementum expenſarum, decimas omnium redituum Eccleſiaſticorum, in regno Aragoniæ, ad duos annos ſubſequentes conceſſit. Vt tamen militibus Hieroſolymitanis, bona per miniſtros Regios erepta, reſtituere vellet, ſerio edixit.

GENVENSES A FRIDER. ET SICVLIS ABSTRAHERE SATAGIT; SED FRVSTRA.
*ep. 4. Later. Kal. Febr.*
IACOBVM MAIORIC. REGEM AD SVPPETIAS FRIDER. ARAGON. FERENTES COERCENDOS INVITAT.
*ep. 6. Lat. Kal. Febr.*
CAROLVM COMITEM ANDEGAVENSEM CONTRA FRIDERIC. PRO CAROLO SICILIÆ REGE IN AVXILIA EVOCAT.
*ep. 214. Anag. 2. Non. Aug. & ep. 52. Lat. 2. Kal. Dec. ep. 8. & 9. Lat. Kal. Febr.*





VII.
DISSIDIA INTER CAROL. REGEM SICVLVM ET PHIL. THVSSIACVM COMITEM OCCASIONE CONIVGII CONTRACTI CVM ALEONORA.
*ep. 134. Anagn. 4. Kal. Maii & ep. 152. Lat. 3. Id. April. Summont. lib. 3.*

Vnum adhuc impedimento fuerat rebus Siculis ſiue conquirendis, ſiue conſeruandis. Nimirum Philippi Tuſciaci Comitis Terzani præpoſtera cupiditas, quæ illum ad ſeditionem ciendam exciuerat. Animos ille contra Carolum Regem Siciliæ ſumpſerat, ab affinitate, quam recens cum eo contraxerat, deſponſa ſibi Aleonora eiuſdem Regis tertio loco genita. Diſſoluendum Regio commodo fuerat. Cumque aliæ rationes non eſſent exponendæ, hanc Carolus prætexuit. Aleonoram Bonifacio ſupplicem fecit, quæ ſe vndecimum annum nondum natam, adeoque matrimonio deligendo, pactiſque ſanciendis nondum potentem affirmaret, & ex fide publica oſtenderet; proinde, illo vinculo ſeſe exſolueret. Audiuit poſtulantem Bonifacius Pontifex. Idque negotii Philippo Archiepiſcopo Neapolitano, datis Laterani 6. Kalendar. Februar. litteris, commiſit, qui in ætatem Aleonoræ inquireret, & ex lege decerneret. Ad diem 13. Maii, ille controuerſias partium exacte cognouit, idque matrimonii vinculum auctoritate Bonifacii diſſoluit.

VIII.
BARBARÆ CRVDELITATIS ABVSVM IN DEFVNCTORVM CORPORA PROMVLGATA CONSTITVTIONE ABROGAT BONIFAC.
*Extrauag. commun. tit. 6. de ſepult.*

Cum autem Bonifacius, iſthæc pro Carolo Rege Siciliæ faceret, ex occaſione, quam ſubiungam, conſtitutionem ſequentem ſanxit, Laterani 12. Kalend. Martii. Non pigebit eam legiſſe, propter atrocitatem quam narrabo. Ita habet.

*Deteſtandæ feritatis abuſum, quem ex quodam more horribili nonnulli fideles improuide proſequuntur, nos piæ intentionis ducti propoſito, ne abuſus prædicti ſæuitia vlterius corpora humana dilaceret, menteſque fidelium horrore commoueat, & perturbet auditum, digne decreuimus abolendum. Præfati namque fideles huius ſuæ improbandæ vtique conſuetudinis vitio intendentes, ſi quiſquam ex eis genere nobilis, vel dignitatis titulo inſignitus, præſertim extra ſuarum partium limites debitum naturæ perſoluat, in ſuis vel alienis remotis partibus ſepultura electa, defuncti corpus ex quodam impiæ pietatis affectu truculenter exenterant, ac illud membratim, vel in fruſtra immaniter concidentes, ea ſubſequenter aquis immerſa exponunt ignibus decoquenda. Et tandem ab oſſibus tegumento carnis excuſſo, eadem ad partes prædictas mittunt, ſeu deferunt tumulanda. Quod non ſolum diuinæ maieſtatis conſpectui abominabile plurimum redditur, ſed etiam humanæ conſiderationis obtutibus occurrit vehementius abhorrendum. Volentes igitur (prout officij noſtri debitum exigit) illud in hac parte remedium adhibere, per quod tantæ abominationis, tantæque immanitatis & impietatis abuſus penitus deleatur, nec extendatur ad alios: Apoſtolica auctoritate ſtatuimus & ordinamus, vt cum quis cuiuſcumque ſtatus aut generis, ſeu dignitatis extiterit, in ciuitatibus, terris, ſeu locis, in quibus Catholicæ fidei cultus viget, diem de cætero claudet extremum, circa corpora defunctorum huiuſmodi abuſus, vel ſimilis nullatenus obſeruetur, nec fidelium manus tanta immanitate fœdentur. Sed vt defunctorum corpora ſic impie ac crudeliter non tractentur, deferantur ad loca, in quibus viuentes elegerint ſepeliri, aut in ciuitate, caſtro, vel in loco vbi deceſſerint, vel loco vicino Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradantur ad tempus, ita quod demum incineratis corporibus, aut alias, ad loca vbi ſepulturam elegerint, deportentur & ſepeliantur in eis. Nos enim ſi prædicti defuncti executor, vel executores, aut familiares eius, ſeu quiuis alij cuiuſcunque ordinis, cõditionis, ſtatus, aut gradus fuerint, etiam ſi Pontificali dignitate præfulgeant, aliquid cõtra huiuſmodi noſtri ſtatuti & ordinationis tenorem præſumpſerint attentare, defunctorum corpora ſic inhumaniter & crudeliter pertractando, vel faciendo pertractari, excommunicationis ſententiam (quam ex nunc in ipſos proferimus) ipſo facto ſe nouerint incurſuros; à qua non niſi per Apoſtolicam Sedem (præterquam in mortis articulo) poßint abſolutionis beneficium obtinere. Et nihilominus ille, cuius corpus ſic inhumane tractatum fuerit, Eccleſiaſtica careat ſepultura.* Hæc in barbaram immanitatem Bonifacius Pontifex ſanciebat: pro modeſtia tamen Pontificia, non ſatis probra nationis cuiuſdam reuelabat: quæ Fazellus memorabat. Res eſt, vel ad execrationem memoranda.

IX.
QVA FRAVDE BELLO FRANCOS DEVICERIT FRID. SICILIÆ INVASOR.
*Fazellus Dec. 2. li. 9.*

In eo prælio, quod Fridericus Aragonii Regis frater, contra Carolum Regem Siciliæ & Robertum ac Philippum eius filios gerebat, fraude circumuenti plurimi, interceptique mortem incurrerunt, ad hunc modum. Erat inter Friderici familiares Montanerius Soſa, qui in Galliani oppidi arce, cui ipſe præerat, Carolum Marolettum Francum genere virum nobilem ex iis; qui cum Philippo Principe apud Falconaram ſuccubuerant, captiuum habebat. Hunc ille ſubornatis verbis, quæ cum Blaſco Alagona compoſuerat, eo perduxit, vt literas ad Ducem Robertum Catanam daret, quibus à Montanerio arcem Galliani munitiſſimam & inexpugnabilem ei citra bellum traditum iri ſignificabat.

Robertus Dux literarum fide cum Legato Bonifacii & proceribus, in conſilio diſcuſſa, ne forte fraus aliqua ſcriptis ſubeſſet, memor monitorum Rogerii Auriæ, ipſum Montanerium Catanam ad ſe mitti, quo res accuratius tranſigeretur reſcripſit. Montanerius nepotem ſuum virum & fraude & aſtu non imparem Catanam remiſit. Cuius verbis Dux allectus Gualterium Brennæ Comitem, Gotfredum Mili, Thomam Prochitam Galliani antea Dominum, multoſque alios Optimates cum electis militibus ſub dicti nepotis ductu, ad facinus patrandum expediuit. Quæ cum per Montanerii Nuncios Blaſcus cognouiſſet, confeſtim cum Guillelmo Calcerando militem collegit, exercitum inſtruxit, ac in latebris Francis tranſituris inſidias poſuit.

Iam Franci ad locum ferme aduenerant, quibus nepos; ne forte, inquit, ſubitus veſter aduentus exitio ſit Montanerio, aduentum veſtrum vt illi prænuntiem neceſſe eſt. Dimiſſuſque Blaſco aduentum hoſtium inſinuauit. Blaſcus indecorum ſibi per inſidias vincere ratus, exorto ſole ſigna mouit: Franci viſo Blaſco, & ipſi aciem præpaparunt. At ille qua parte Solis radii micaturi erant exercitum direxit, nec bellum intulit, ſed diſpoſitis hinc inde in ſepis modum Almugaueris, aliiſque peditibus, temerarios Gallorum auſus, quos iam prænouerat, expectauit.

Franci eminentem locum vnde tutius fuerant conflicturi deſerentes, curſu præcipiti ſigno dato in Siculos irruperunt. Siculi pedites in equites Francos intenti, miſſilibus magnam illorum ſtragem ediderunt, equis vulneribus in ferociam actis ſeſſores in terram proſternentibus. Sed & lapidibus quoque à Siculis proiectis magnam occiſionem Francorum ediderunt. Ex pugnatoribus ſolus Brennæ Comes, cum paucis euaſit, cum gladium deditionis indicem Blaſco tranſmiſiſſet. Hunc Blaſcus compedibus vinctum, in Menei arce, carceribus addixit.

MONTANERII SOSÆ IN FRANCORVM CADAVERA IMMANITAS.

Montanerius autem voti compos factus, occiſos Gallos vendere inſtituit, quos ſua calliditate viuentes paulo ante deceperat. Coxit namque Gentilium more eorum cadauera, quorum reliquias agnati pretio ingenti redemerunt. Eam immanitatem Bonifacius Pontifex deteſtatus, diris eum & complices deuouit, Conſtitutionemque quam præmiſimus in naturæ tortores promulgauit.

Porro quam pius fuit Bonifacius in pie defunctos, ne cadauera illorum impie lancinarentur, tam Seuerus extitit, in damnatæ memoriæ hæreticos, ne communem cum reliquis Chriſti fidelibus ſepulturam haberent.

X. BONIFAC. PP. HERMANNVM PONGILVPVM FERRARIENS. IMPIETATIS ET HÆRESIS CONVICTVM EXHVMARI POST OBITVM PRÆCIPIT. *ep. 306. Lat. 13. Kal. Ian. Prateol. in elencho hæreſ. lib. 8.*

Eodem enim anno, Fratri Guidoni Vincentino Ordin. Præd. hæreticorum in Lombardiæ Prouincia Inquiſitori iniunxit, vt in Hermanum Pongilupum Ferrarienſem, olim defunctum, & in Eccleſia ſepultum inquireret, atque ex lege Eccleſiaſtica decerneret. Erant qui perfidum accuſaſſent, quod is duobus hæreticorum in impietatis contumacia mortuis cultum impendiſſet, eorumque non tantum memoriam, ſed & putentia cadauera adoraſſet. Deinde de glorioſo Chriſti in Euchariſtia corpore, quamplurima opprobria protuliſſet, multaſque blaſphemias tum in Deum, tum in ſanctos, tum in Eccleſiam vomuiſſet. Inſuper, coram FF. Aldobrandino & Ægidio Ord. Præd. olim Inquiſitoribus impietatis conuictus, damnatuſque, poſtquam hæreſim eiuraſſet, per errorum abrupta ad vomitum rediiſſet, multa ſcelerata in iniuriam ſacrorum dixiſſet, ſparſiſſetque, & per ſpeciem ſanctæ conuerſationis multis impoſuiſſet, multoſque decepiſſet; adeo vt Archipresbyter Ferrarienſis illum Eccleſiaſtica ſepultura dignatus fuiſſet, & Aldobrandino Inquiſitori monenti, vt perfidum exhumaret, & in ſterquilinio proiiceret, quamquam propter contumaciam anathemate damnatus obtemperare recuſaſſet, neque quicquam penſi, etiam Eccleſiaſticum interdictum, quo Aldobrandinus Ferrariam mulctauerat, duxiſſet. Fatigauerat iſtud negotium Gregorium Decimum, Nicolaum Tertium, & Honorium Quartum Pontifices, quorum iudicium Archipresbyter interpellauerat, & F. Florius Inquiſitor, Aldobrandini ſucceſſor, pro ſanctitate Domus Dei & puritate fidei contendens, auxilium contra pertinaces poſtulauerat.

His autem vita functis, cum Guido Inquiſitor Florio ſuccedens, ad Bonifacium ſeſe contuliſſet, & controuerſia propoſita iudices poſtulaſſet, & Procurator ab Archipresbytero derelictus fugam arripuiſſet, & tandem tam Archipresbyter, quam Capitulum Eccleſiæ Ferrarienſis ad Sedem Apoſtolicam ab Epiſcopo Ferrarienſ. euocati, neque famam, neque dogmata Hermanni tueri voluiſſent, & Bonifacius Iohanni tituli SS. Marcellini & Petri presbytero, atque Nicolao Oſtienſi & Veletrenſ. Cardinalibus cauſam cognoſcendam commiſiſſet, Hermannumque impietatis reũ cognouiſſet, damnaſſet, exhumarique præcepiſſet, exhumationiſque negotium Iohanni Epiſcopo Bononienſi, & Fratri Ramberto Ordin. Præd. Bononienſi, iniunxiſſet, id quidquid hactenus contra Hermannum actum fuerat, Fr. Guidoni Inquiſitori perſcripſit.

XI. HERMAN. HÆRESIS ET SECTATORVM EIVS IN BONIFAC. ET ROM. PONTIF. CALVMNIÆ.

Exhumato, flammiſque exuſto Hermanno, non tamen eius hæreſis omnino extirpari valuit. Eius ſectatores dicebant, nec Bonifacium, nec quemquam eius ſucceſſorem, iure & ordine creatum eſſe Pontificem. Vnde & clam conuenticulis celebratis, Summis Pontificibus aduerſari cœperunt; quamquam magis luxuriæ & libidinis blandimenta ſequi viderentur, quam iuris Pontificii quatere fundamenta.

XII. HORRENDÆ TVRPITVDINES GVILLEL ET ANDR. SERAMITÆ HÆRETICORVM MEDIOLANENSIVM DETECTÆ. *Chron. Boſſian & Bernard. Corius hiſt. Mediol. p. 2.*

Eodem anno Mediolani, hæretica quædam occulta Guillelma nomine, quæ religioſiſſimam atque ſanctam monſtrabat ducere vitam, cum quodam Andrea cognomento Seramita, ſub ſpecie bonorum operum in eorum Synagoga ſubtus terram ſita, hæretico vtebantur, & vti faciebant opere. Ibi in matutinis ante diem, de eorum quos ordinauerant conſortio, ibant mulieres nuptæ & viduæ, quæ occulte ipſius mulieris mandato erant clericatæ. Ibant etiam iuuenes & viri, dum ipſa maledicta Guillelma ad modum presbyteri induta, in ipſa Synagoga, iuxta altare ſuas conſuetas orationes funderet. In fine ſuæ myſtagogiæ aiebãt; *Adunamini, adunamini, & lumen ſub ſextario ponite; & quæ natura ordinauit, facite.* His edictis, tali modo certis diebus ordinatis, occulte ſtuprum committebant. Guillelma defuncta, & à Monachis Claræuallenſibus pro ſancta ſepulta, Andreas Seramita, initiationes & ſacra execranda obibat; donec à Conrado Cuppa mercatore ditiſſimo, deprehenſus proderetur. Is enim, cum eius vxor frequentius horis matutinis ſurgeret, cupiditate ſciendi, quo iret illa, ſuccenſus, vna vice ſurgens, occulte, extra domum vxorem prodeuntem ſecutus eſt. Ad Baſilicam quoque ſubterraneam ingreſſus, conſortio reliquorũ ſeſe permiſcuit: & poſito de more ſub ſextario lumine, vxorem ſuam ſecundum morem aliorum fortuito cœpit, & cum ea incognitus rem habuit; ſed annulum ſaphyro inſignem, ei ex digito detraxit, ac occulte ante alios exiuit. Poſt aliquot dies, annulum ab vxore poſtulauit. Illa vero quærere ſe finxit, & tandem ſe perdidiſſe, timide reſpondit. Ille conſanguineis, amicis, & vicinis conuiuium præparauit: & vxores quas in dicto conſortio cognouerat eorum inuitauit. Qui cum veniſſent, antequam pranſuri eſſent, ait: Quilibet faciat vxori ſuæ ſolatium, quod ego meæ facturus ſum, & poſtea cauſam rei reuelabo. Omnib. promittentibus, ligaturam de capite vxoris detraxit, & clericatam oſtendit. Ab exemplo illius reliqui, velamen è capitibus vxorum detrahentes, clericatas repererunt. Ibi Conradus, rem vt acciderat, reuelauit; & quæcumque indidem aſpexiſſet, reipſa ſignificauit. Quibus ad Matthæum Mediolani Principem delatis, & Iudicio Inquiſitoris ſubiectis, Andreas Seramita vna cum famulis captus, interrogatus, tormentiſque adactus, cum totis vndecim annis ſe huic libidinationi operam dediſſe, & ſtuprorum Gymnaſium inſtituiſſe aperuiſſet, ex lege capitis damnatus, impietatis pœnas luit. Mulieres adulterio pollutæ repudii libellum tulerunt aliiſque pœnis addictæ ſunt: Guillelma vero ſacrilegii conuicta, exhumata, ignibuſque exuſta eſt.



GVILLEL. DEFVNCTA EXHVMATVR IGNEQVE EXVRITVR, ET ANDREAS CAPITE DAMNATVR.

XIII. GERARD. SEGAREL. HÆRESIARCHA FLAMMIS DEVOTVS. *Bernard. Lucenburg. in cat. hæret.*

Fere etiam eiuſdem ſectæ Gerardus Segarellus Parmenſis, Parmæ à Fratre Manfredo Ordin. Præd. Inquiſitore hæreticæ prauitatis, hoc anno hæreſis conuictus, flammiſque deuotus eſt. Hæc in negotio conſeruandæ fidei, iſto anno authoritate Bonifacii Pontificis geſta.

XIV. BONIF. PP. SEVERITATEM ECCLESIAST. EXERIT IN LEVCIVM EPISC. BOTONTIN. ET ALBERTVM HABSPVRGENSEM. *ep. 403. Lat. 3. Id. Iun. Franciſc. Baudimontius ex Naucler. gen. 44.*

Non intermiſit etiam Bonifacius reliqua diſciplinæ Chriſtianæ opera, pro vigilantia Paſtorali, curare. Leucium Epiſcopum Botontinum, multorum criminum reum, Canonici illius Eccleſiæ apud Sedem Apoſtolicam accuſarant. Commiſit Bonifacius Epiſcopo, & Priori Ord. Præd. Grauino, qui nomine ipſius, coram Iudicio Romanæ Sedis, Antiſtiti reo; diem ad dicendam cauſam indicerent, eumque ad comparendum compellerent. Pari auctoritate vſus eſt Bonifacius, in Albertum Habſpurgenſem, in Romanorum Regem à Principibus electoribus deſignatum.

Cum enim is ad Pontificem Oratores miſiſſet, rogatum, vti electorum ſuffragia confirmare non grauaretur; ille conſtantia Apoſtolica, non tantum id facere recuſauit, verum etiam Alberto diem apud ſubſellia Apoſtolicæ Sedis dixit, quod is Dominum ſuum Adolphum Regem Romanorum immaniter occidiſſet. Poſtulantibuſque iterum Legatis, ne Alberto dignitatem denegaret, reſpondit; *Non ſibi eum videri tanto honore dignum, qui Imp. nuper interfeciſſet.*

XV. CONCIL. ROMÆ CELEBRAT PRO EXPEDITIONE IN TERRAM SANCTAM, AD EAMQVE REGES ET PRINCIPES INVITAT. *P. Æmil. in Philip. Pulchro, & Sammont. lib. 3.*

Grauior illi cauſa, ſeueritatis Eccleſiaſticæ exerendæ, in Philippum Regem Galliarum. Hic enim maieſtatis, auctoritatiſque Pontificiæ contemptor, iuſtam illius iram in ſe prouocauerat per hos dies. Res eſt. Caſſanus Scytha, ducta in matrimonium Regis Armeniorum Chriſtiani filia, religionem Chriſtianam & ipſe profeſſus, Perſis deuictis, pulſoque Ægyptiorum Imperatore, Syriæ iura dabat.

Cum autem defectione Perſarum reuocaretur præter alios Oratores, Guiſcardum Nuncium ad Bonifacium Pontificem, atque Reges Chriſtianos miſit, cum Latinis proceribus fœdus facturus, vt communi animo conſilioque Sacrum Regnum recuperaretur, & à barbaræ religionis vi defenderetur. Bonifacius rurſus amplum magnificumque ſibi exiſtimans, ſe Pontifice recipi, quæ ſuperioribus temporibus amiſſa fuiſſent; inprimis exemplo anteceſſorum ſuorum Romanorum





Pontificum, Concilium Romæ indixit, adque illud omnes Principes Chriſtianos, & præſertim ex Clero inuitauit; & interim in vſus ſacri belli, Clero quidem decumationem prouentuum impoſuit, à reliquis autem Chriſti fidelibus ſubſidia poſtulauit: miſſis vero vndequaque ſacræ militiæ præconibus, exercitum ex Cruce ſignatis conſcribi curauit.

AD EANDEM QVOQVE INVITATVS PHILIPPVS GALLIAR. REX, IPSAM IMPEDIRE CONATVR, ET IN SEDEM APOSTOLICAM REBELLAT.

Præter alios, in Franciam quoque literas ad Philippum Regem dedit, nunciumque Ariminenſem Epiſcopum deſtinauit, qui illum moneret, vt cum amplo exercitu, in Paleſtinam contra Saracenos traiicere non differret: collectam & decimas impoſitas exigi toleraret; & hactenus exactas, menſariis Apoſtolicæ Sedis numeraret; populoſque ad Sacri iubilæi participium, Epiſcopos vero ad Concilii indicti conuentum ire, ſiue iuberet, ſiue permitteret. Philippus eo tempore, bello Flandrico diſtractus, cum & ipſe tum militia, tum pecuniis indigeret; tum vero inprimis ægre ferret, nouam Regno ſuo contributionem, præter eam quam Carolo fratri in Italiam, contra Fridericum Aragonium properanti Bonifacius in Regno Galliarum impoſuerat, indici, tum deinde in rem aliam, Carolum fratrem, à Pontifice Bonifacio euocari ſuſpicaretur; ac, quod fomes odii fuerat, à Sarra Columnio apud ſe perfuga, in odium Pontificis per varias criminationes inflammaretur; nullam Legato, non modo in Aſiam proficiſcendi, ſed ne quidem aut militis conſcribendi, aut ſubſidii colligendi ſpem reliquit. Quin etiam neque collectas pecunias reſtituere voluit, & ſubditis, ne Romam, vel ad indulgentias promerendas, vel ad Concilium celebrandum, pergerent, graui edicto interdixit. Addidit inſuper alia multa facinora perpetrare. Nam Epiſcopiorum, per mortem Antiſtitum vacantium, fructus ſuos faciebat, Epiſcoporum defunctorum relicta vſurpabat, Eccleſias viduatas quibus liberet collocabat, adeoque Eccleſiaſticam libertatem non modo violabat, ſed & opprimebat. Acceſſit & illud, quod cum Apameenſis Epiſcopus, vel ſolus inter reliquos Antiſtites, illum graui oratione reprehendiſſet, officiique erga Sedem Apoſtolicam, & vniuerſam Eccleſiam admonuiſſet, is eum velut in coſtodiam Archiepiſcopo Narbonenſi tradiderit, vt de eo ſe conſulto ſtatueret.

XVI. CENSVRAM ECCLESIAST. IN IPSVM DISTRINGERE, QVARE DISTVLERIT BONIFAC. *P. Æmil. ſup.*

Non iſtud ferendum ſibi putauit Bonifacius Pontifex. Quamobrem monendum ſibi primum Regem conſtituit: huicque rei ad illum Archidiaconum Narbonenſem ire iuſſit. Quamuis autem tunc Philippus nihil è ſententia deceſſiſſet, neque monenti Pontifici obtemperaſſet, non tamen Bonifacius cenſuram præcipitauit, ſed patienter in ſpiritu lenitatis, ſi forte is ad officium reuerteretur, fruſtra tamen expectauit: Philippo in rem Belgicam intento, & tum à Sarra magis inflammato, tum ad corradendas Sacras pecunias nimis accenſo. Erat, quod id bellum ſuſciperet, ex hac cauſa. Superiore anno Carolus Valeſii Comes, Flandria cum exercitu repetita, quicquid præcedente bello reliqui fuerat quod non caperetur, tunc partim vi, partim metu recepit. Vido Comes & ab Anglis, & à Germanis deſertus cum tutandi ſe nulla ſpes ei oſtenderetur, cum duobus filiis Roberto ac Hilermo ſe Carolo permiſit. Luteriam miſſi, appoſitis cuſtodibus aſſeruandi.

FLANDRIA RECVPERATA A CAROLO VALESIO HONORIFICENTISSIMO APPARATV FRANCOS SVSCIPIT.

Tota Flandria Francis parebat. Pulcher Rex Regio comitatu celebritateq; eo ſe contulit, exceptuſque eſt magnificentiſſime, apparatiſſimeque. Venerabundi enem omnis generis, & cuiuſque ordinis mortales cum liberis occurrerant, mœnibus admiſerant, fauſtis ominibus, lætis acclamationum vocibus plauſibuſque ac effuſiſſimis ſtudiis, immodico gaudio patefactis templis, hymnoſque concinnentibus, campano tinnitu, ornatu viarum arearumque, ludis feſtis, matronis virginibuſque cum ampliſſima veſte mundoque proſpectantibus, ſpecioſiſſimis magnificiſque rebus expoſitis. Nec domeſticis modo publice priuatimque ſtudiis, hilaritate, feſtiuitate, ſumptu, cultu, oſtentatione certabant inter ſe Flandri, vt recenti deditione Regi Franciſque voluntatem ſuam, animum, fidem obſeruantiamque illuſtri teſtificatione probarent: ſed ad rumores famamque longe lateque peruulgatam noui inſolitique apparatus, excita finitimarum ac paulo remotiorum gentium iuuentus, ſuum quæque in morem exculta confluxit. Inprimis ex Anglia, Germaniaque permulti proceres honoris gratia aduenere. Omnis ex propinquo nobilitas præſto affuit; militarium equeſtriumque certaminum ſimulachra commiſſa, præmiaque victoribus data; nihil honoris officiive excogitari potuit, quod tunc fuerit prætermiſſum. Nunquam Flandria amantior, obſeruantiorque Francici nominis viſa.



XVII. FLANDRI TRIBVTIS NIMIVM ONERATI BRVGIS SEDITIONEM CONCITANT ET FRANCOS CRVDELITER NECANT.

Sed effuſam iſtam lætitiam, mox aduerſis rebus commutauit, & occaſionem belli repetendi Gallo Regi dedit. Luteriam enim Philippo reuerſo, cum Regius in Flandria præfectus, ipſe nobilis ac locuples, nobilitatem Flandricam locupletioreſque coleret, minore humillimæ plebis cura, quam grauiſſimis tributis onerabat; id adeo dolenter populus tulit vniuerſus, vt ſimul in primores ſuorum Francoſque vim pararit. Brugis audaciæ initium ortum. Ea in vrbe plebis homines, Petrum quemdam humillima ſtatura ſenem, qui textrinulam fecerat, altero oculo captum, è carcere, quo ob liberiorem, & in caſu plebis, non infacundam, vt in illius gentis quæſtuſque homine linguam, eum Regius præfectus coniecerat, rapuerant, eoque duce, ac Bridano Canio audacia & viribus corporis inſigni, cædem Francorum & ſuorum procerum facere conati ſunt. Vbi vero ſe illi ferro egregie defendiſſent, veriti ne pœnas audaciæ darent, magna pars ſeceſſionem fecerat. Dammum, Ardiburgum & Malam oppida vicina inuaſerant, ibique cædem Regiorum nobilitatiſque perpetrarant. Eam ſeditionem, cum Rex ex ſuis apud Brugas præfectis intellexiſſet, Iacobum Comitem Fani Pauli, cum mille quingentis equitibus, ad caſtigandos compeſcendoſque ſeditioſos deſtinauit. Credebatur, ſupplicium de ſontibus ſumpturus. Cæterum plebs quæ Brugis remanſerat, & ipſa capiti ſuo extrema metuens, coniurationem clam cum extorre fecit: atque noctis ſilentio, quæ diem aduentus Iacobo excepit, cum Franci per hoſpitia diuiſi quietem caperent, qui ſeceſſerant ducibus Petro & Bridano, ac conſiliorum conatuſque ſociis intra mœnia, eos qui ſeceſſerant recepit, ac truci clamore ſublato, cuncta terribili tumultu, formidineque impleuit, & ſimul quem quiſque plebeius Francum hoſpitio acceperat, quieſcentem circumſtetit, necauitque. Iacobus prætor fide virtuteque hoſpitis nobilis viri cum paucis integer illæſuſq; abiit, reliqui occiſi. Viæ enim continuo à plebe tranſmiſſis cancellatiſque trabibus interſeptæ, omnibus effugium præcluſerant.

XVIII. PHILIPPVS REX VINDICTAM SVORVM COGITAT ET QVAM CAVSAM AMARITVDINIS HABVERIT IN BONIFAC.

Ea clade ſuorum conſternatus Philippus, vindicias cogitabat, & ad octuaginta millia bellatorum coegerat ſuomet ipſius ductu imperioque illud bellum, contra Flandros & Anglos geſturus. Anglus enim Rex, Flandriam in tutelam receperat. In eam itaque belli recens exorti expeditionem cum milite, armis, pecunia, commeatuque reliquo indigeret committere noluit, vt Regnum ſuum, & populis, & pecuniis in auxilia externa belli ſacri exhauriretur. Præſertim cum anno nondum elapſo, Bonifacius decimas in regno Galliæ, Carolo Comiti Andegauenſi, in Italiam venienti, in ſubſidia Eccleſiæ Romanæ contra Fridericum Aragonium decreuiſſet.

Iſtud fere ſeminarium odii erga Bonifacium Summum Pontificem Philippus habuit. Quamquam & illud ægerrime tuliſſet, quod Bonifacius Apameam prouinciæ Narbonenſis oppidum, per hos dies in libertatem Eccleſiaſticam vindicaſſet, & ciuitatem eſſe iuſſiſſet, ſuumque illi Pontificem, ac Sedem, inuito ſe dediſſet.

XIX. Eodem anno Bonifacius, ad ſedandos Etruriæ tu-

GIBELLIN GVELFORVMQVE SEDITIONEM IN HETRVRIA EXORTAM SEDARE SATAGIT BONIFAC. *P. Æmil. ſup. Franciſc. Baudimon. in hiſt. ex Ioann. Villaneo.*

multus, per factiones ciuium excitatos, Legatum Florentiam ire iuſſit. Vt enim apud antiquos Venetæ Praſinæque factiones ludicris certaminibus Circenſibuſque celebrabantur; ita tunc parum malorum videbatur, in Gibellinorum Guelforumque partibus nominibuſque niſi rurſus hi bifariam diuiſi, ac in contraria ſtudia abeuntes, inteſtinis odiis armiſque inter ſe contendiſſent. Alii enim eorum Albi, alii Nigri vocabantur, ab hac radice nati. Piſtorii, quod eo tempore, quantum vel alia Hetruſcorum ciuitas florebat, virulenta Cancellariorum ſeditio, è ſtygiis pene hauſta paludibus, emerſit. Erat ea familia, non longa quidem maiorum vetuſtate nobilis; ſed tantummodo felicitate opulentiſſimi mercatoris, ante paucos annos enata.

GAVSA ET ORIGO HVIVS FACTIONIS.

Hic ex diuerſis nuptiis diuerſos vtique filios ac nepotes ſuſtulit: qui ſenſim in diſcordias dilapſi, nulli vmquam vel auctoritate vel potentia cedere volebant. Vnde primum atrocibus inter ſe ſæuire armis, ac tum ciuitatem diſſidiorum inuoluere turbinibus cœpere, inque factiones diuiſi, Nigros hi, alii Albos ſe appellauere. His cum apud Piſtorienſes nuſquam locus pateret, Florentiam abire viſum. Vbi hoc malum licentioſe ſerpens, ita omnium animos ſubito infecit, vt maxima ex parte Gibellinorum & Guelforum peſtifera vocabula, obrepentibus nouis Alborum Nigrorumq; nominibus abuſu declinarint. Nam quotquot per vniuerſam ciuitatem aliqua factione laborabant, ſe Albis vel Nigris adiunxerant. Ita florentiſſima Florentinorum reſpublica conquaſſari paulatim, ciuilibuſque ardere diſcordiis cœpit, vt coacti fuerint Optimates Bonifacium per Oratores rogitare, vt ad ſe Purpuratum Legatum pacis inter eos domeſticæ componendæ cauſa mitteret. Miſſus eſt Fr. Nicolaus Boccaſinus Ord. Prædic. Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, qui tum conſilio, tum ſanctitate nominis iras ſedaret.

Cæterum tantis animorum odiis inter ſe ciues exarſerant, vt is nihil omnino efficere potuerit: ſed anathematis ſententia primores ſeditioſorum percellere, vrbem autem Eccleſiaſtico interdicto mulctare coactus fuerit.

XX. SARACENI NVCERINI ITALIAM PERTVRBANTES COERCENTVR A CAROLO REGE *P. Æmil. ſup.*

Præter hos factioſos ciues, Saraceni quoque Nuceriam incolentes, pacem Italiæ perturbabant. His, quod Conradini bello, à Carolo Rege deſciuiſſent, Carolus filius Rex Siciliæ duplex vectigal, quam quantum pii iidemque veteres ciues Nucerini penderent (mixti enim incolebant) impoſuerat, ac deinceps ſeruorum prope numero habuerat: vt ſuperſtitioni Mahometicæ adhuc deditos, tandem, quod optabat, pios efficeret. Fruſtra conatus eſt. Nam cum induſtria frugalitateque ad maiores diuitias perueniſſent, quam tunc poſſiderent, cum gratia authoritateque apud Manfredum Regem, Fridericumque Cæſarem valuiſſent, non obſcure Friderico Aragonio, contra Carolum Cunctatorem adhærebant, vt viribus vtriuſque fractis, vel ſaltem diſtractis, Saracenos rerum in Ægypto & Syria potentes, in perniciem amborum adducerent. Vidit aſtum illorum Bonifacius, & Carolum Regem doli admonuit. Is porro auctoritate Pontificia motus, quod ex vſu erat, exequi non diſtulit, ſed omnibus Mahumeti eiurationem propoſuit.

Tunc iuſſi ſuperſtitionem Mahometicam deſerere, & Chriſtum agnoſcere, aliquot lauationem ſacram petiuere: cæteri, contentione animi peruicaces, ne ſeruilibus quidem cruciatibus cogi potuere, vt vtrique ſaluti ſuæ conſulerent.

XXI. IMAGO CHRISTI CRVCIFIXI SAXO PERCVSSA INGENTI MIRACVLO COPIOSVM SANGVINEM STILLAT. *Summont. lib. 3.*

Dum hæc Nuceriæ agerentur, ingens miraculum Neapoli accidit ad ſuffundendos Saracenos, qui Chriſtum Cruci ſuffixum blaſphemabant. Aliquis Ciuium Neapolitanorum Compatri ſuo pecuniam nonnullam mutuo dederat; & hic perfidus, cum ſolutionem poſceretur, nihil ſe ab illo accepiſſe aſſerebat. Re inter duos acta, cum non probari poſſet, creditor debitorem, ante eam imaginem Chriſti Cruci ſuffixi, coram qua pecuniam illi numerauerat, nactus, Chriſtiana ſimplicitate; Is, inquit, qui pro noſtra redemptione ſemetipſum lytron dedit, mihi teſtis eſt, me tibi mutuo eam pecuniam dediſſe; neque exegiſſe. Mirum viſu. Imago Chriſti crucifixi caput, quaſi veritati creditoris annueret, inclinauit. Perditus autem debitor furore percitus, ſaxo quodam arrepto, in faciem imaginis iecit; ea vero ſanguinem copioſum ex vulnere ſtillauit; ſcilicet, in deteſtinationem perfidiæ, & aſebiæ. Eius rei memoria in eadem Eccleſia legitur, his ipſis verbis.

ANNO D. M. CCC.

Regnante Carolo II. Sacra hæc imago Crucifixi, dum pro mutuata pecunia Compatres inuicem altercarentur, diuino ſplendore fulgente verbo facti veritatem aperuit. Quod alter indigne ferens, debitorem ſe eſſe negauit, duriſſimaque petra imaginis faciem continuo percuſſit. Qua ſtatim liquore conſperſa miraculum omnibus enituit; atque ſacrilegus ipſe tanto crimine immobilis factus, creditoris precibus Deo fuſis, iterum incolumis redactus, quamdiu vixit pœnitentiam egit.

XXII. VLADISLAVS LOCTICVS POLONIÆ PRINCEPS OB DESIDIAM SVORVM ODIVM INCVRRENS REGNO DEPONITVR. *Crom. r. lib. 11.*

In Polonia, quid hoc anno acciderit, non illibet memorare. Principatum obtinebat Vladiſlaus Locticus: à cubitali magnitudine ſatis ei genti notus. Is poſt Sileſicam expeditionem, in maiorem Poloniam cum copiis profectus, quieti ſe & ocio voluptatibuſque dedit: quæ res ei pernicioſa fuit. Etenim milites in bellis rapto viuere aſſueti, ne in pace quidem ab iniuriis atque vexationibus tenuiorum & Eccleſiaſticorum bonorum direptionibus, ingenuarumque matronarum & virginum ſtupris ſibi temperabant. Eam licentiam ille non modo non coercebat, ſed indulgentia magis etiam alebat. Cætera quoque boni & vigilantis Principis munera negligentius obibat, mulierculamm amoribus irretitus: ita vt externi quoque & finitimi ſaxones, pleraſque Poloniæ & Pomeraniæ oras impune latrociniis infeſtarent. Quibus de rebus cum fruſtra admonitus & reprehenſus eſſet aliquoties ab Andrea Poſnanienſi Epiſcopo; cumque nihilominus Eccleſiaſtica bona vexarentur, Epiſcopus toti diœceſi ſuæ Sacris interdixit. Et quamuis ſatis fecerit Epiſcopo Vladiſlaus, tamen odium eius ita alte radices egerat in animis hominum, vt Comitio apud Poſnaniam habito, Regnum ipſi, poſt tertium annum abrogarint. Quo anno cum Conradus Gibboſus, Stinauienſis Dux, Præpoſitus Collegii Eccleſiæ Cathedralis Vratiſlauienſis, ad Archiepiſcopam Salisburgenſem euocatus fuiſſet, & in itinere apud Viennam accepiſſet, cereuiſiæ vſum ibi non eſſe, repudiata Archiepiſcopa reuerſus eſt; homo ſtolidus, ſi nihil aliud eum mouit. Quaſi vero ne frumentum quidem ibi naſceretur nec poſſet illuc tantopere concupitæ cereuiſiæ coquendæ artifices deducere.

CONRAD. GIBBOSVS STINAV. DVX SALISBVRG. ARCHIEP. OB CEREVISIÆ INOPIAM STOLIDE REPVDIAT

Reuertens autem à Fr. Henrico Duce Glogouienſi compedibus vinctus, ſuorumque vi & ope liberatus, paruo tempore vixit.

XXIII. LITVANI ET RVSSI CRVCIGEROS IN LIVONIA ET PRVSSIA AFFLIGVNT. *Crom. ſup.*

Per hæc tempora Lituani cum reliquis Pruſſorum aſſiduis excurſionibus Crucigeros in Pruſſia & Liuonia affligebant. Nihilo tamen magis ii inſectandi ſuos Epiſcopos, & in bona munitioneſque eorum inuadendi ſtudium remiſerunt. Itaque & Fridericum Darbatenſem Epiſcopum eiecerunt, & Rigenſem Archiepiſcopum Ioannem patronum ſuum, quo facilius Rigam ipſi auferrent, in vincula coniecerunt.

XXIV. OTTON. I. TVRCICVM IMP. FVNDAT. *Genebrard. lib. 4.*

Per eadem quoque tempora Ottomanus quiſpiam obſcuro loco natus apud Turcas dominatum arripuit, & res magnas geſſit, ac poſteris ſuis regnum & nomen Turcici imperii condidit & reliquit. Etſi n. quingentis ante annis, Turcas è Scythia profectos, Sedes in Aſia collocaſſe compertum ſit; verum neque Regem, neque Imperatorem habebant, diuiſi per Tetrarchias





& regulos duntaxat. Niſi quod metu Gothfredi Bulonii, Solymanum tumultuarium olim ducem creaſſent.

XXV. ÆDES D. VIRGINIS LAVRETANA MIRACVLIS ILLVSTRIS FREQVENTIBVS PEREGRINATIONIBVS NOBILITATVR. *Turſelin. Lauretan. hiſt. lib. 1. c. 15. 16.*

Eodem hoc ipſo anno, quo Bonifacius Pontifex Max. ad auertendam cœleſtem iram; ſalubri conſilio ſæcularem annum vel inſtituiſſet, vel inſtauraſſet, plurimi mortalium qui Romam ad Apoſtolorum Petri & Pauli limina viſitanda perrexerant, miraculorum ab ope Diuæ Deiparentis excitatorum fama exciti, ad Ædem quoque Lauretanam viſendam diuerterunt, teſtes ac nuntii ſuis quiſque popularibus futuri, eorum omnium, quæ de inaudita translatione, inuſitatoque miraculo, nō tam aliorum ſermonibus accepiſſent, quam ſuis ipſimet oculis hauſiſſent. Inter hæc Recinetenſes tantis populorum concurſibus accenſi ſacroſanctum Sacellum Angelicis manibus eo loci translatum impenſius colere, tutarique inſtiterunt. Videbant parietes & tenues, & perantiquos totiam ſæcula ſtare ſine vllo penitus fundamento.

QVAMVIS RVINOSA OPEM HVMANAM ASPERNATVR.

Ingens ergo eos inceſſit cura veritos, ne paulatim temporum iniuria, procumbentibus parietibus, auguſtiſſima orbis terrarum Sedes virginis peſſum iret, rueretque. Itaque optimum factu rati, ædem ſpecie ruinoſam (quod humana arte atque induſtria valerent) vndique communire, iactis quantum res ferebat, fundamentis, lateririo eam pariete circumdant. Fama eſt haud dubiis vulgata auctoribus, nullo modo potuiſſe nouam ſubſtructionem cum Sacris parietibus cohærere. Diceres, Sacram domum diuina vi ſubnixam aſpernari humanam opem. Quin etiam procedente tempore, noui illi parietes veteribus pro fulcimento adiecti, paulatim receſſerunt adeo, vt inter vtroſque parietes, quoties opus foret, puer cum incenſa face diſcurreret; quo diſiunctorum parietum fidem explorantibus faceret. Fama etiam tenet, antiquiſſimam Chriſti Crucifixi imaginem ſimul cum domo aduectam, multiplici per eadem tempora miraculo inſignem extitiſſe. Nam cum eam efferri, & in Sacello ad id exornato, vt maiore honore coleretur, reponi Recinetenſibus & Epiſcopo placuiſſet, translatam ſubinde in ſacram remigraſſe domum, & in ſuam Sedem ſe recepiſſe. Itaque illos, re nequicquam ſæpe tentata, irrito demum incepto deſtitiſſe.

MAGNIFICIS STRVCTVRIS PRO EXCIPIENDIS ADVENIS AVGETVR.

Exin alio Recinetenſium curæ verſæ. Nondum excipiendæ aduenarum multitudini ſatis, ſiue tectorum, ſiue tuguriorum erat. Nec iam ſupererat in Sacra æde locus votiuis ſimulachris, doniſque. Itaque ne peregrini, quorum plerique tectis excluſi, quaſi in ſtatione pernoctabant, ſub dio eſſe cogerentur; neue votiua dona iniuriis temporum expoſita interirent: circa Sacellum ſatis amplas porticus extruunt, vel aduenarum receptacula, vel donorum. Ara quoque Sacello extrinſecus adſtructa; vt aduenæ Sacelli anguſtiis excluſi, operantem inibi Sacris Sacerdotem proſpectare poſſent. His adiecta fuerunt tecta, vbi Sacerdotes, cuſtodes, miniſtri ſacroſanctæ cellæ habitarent. In parietibus porro, quibus porticus applicatæ erant, præcipua Sacræ domus myſteria, ac multiplex eiuſdem migratio coloribus expreſſa egregii illa tempeſtate pictoris manu.

XXVI. EA QVOTANNIS IPSA NATALI B. MARIÆ VIRGINIS DIE, COELESTI FLAMMA ILLVSTRARI SOLITA.

Interim mira dictu, viſuque res diuinitus oblata mortalibus oſtendit, quo potiſſimum tempore cordi foret Deiparæ Virgini, Natalem domum ſuam eximio cultu celebrari. Paulus erat homo ſolitarius, abſtinentiæ & ſanctimoniæ miraculo venerabilis, cui à ſylua vbi, inde vſque à primo Sacræ domus in Italiam aduentu habitabat, cognomen fuit. Is igitur poſt ſanctæ domus è ſylua migrationem, ſibi quoque migrandum ratus, in proximo nemore, oportuno loco ſtruxerat caſam; vnde ſacroſancta Ædes, & conſpiceretur facile, & adiretur. Eam quippe veteri inſtituto adibat quotidie adoraturus Deum cum eius matre, *in loco vbi ſteterant pedes eius*. Paulus ergo intra tugurium, in ſacroſancti Sacelli, velut in B. Mariæ conſpectu precibus, cœleſtiumque rerum meditationi de more inſiſtens, notauit ſæpius, cœleſtem flammam longe lateque diffuſam, inſtar ingentis cometæ, quæ B. Virginis cellæ incumberet. Rem ac tempus intentius obſeruans comperit, 5. Idus Septembris hoc eſt ipſo natali B. Virginis die, quotannis quarta ferme Vigilia, plurimum de cœlo labi ignem, & æquabili tectum ædis ſplendore operire; nec ita multo poſt ſublimem vnde venerat, recipere ſeſe. Stupere Paulus ad tam præclarum ſpectaculum ingenti voluptate perfuſus. Atque, vt erat homo antiqua ſimplicitate, exiſtimebat B. Virginem ipſam in ſuam Natalem domum flammæ ſpecie delabi cœlo, ad ſua incunabula celebranda. Itaque tantæ rei propius ſpectandæ auidus, cœpit opportunitatem temporis captare. Nihil illi longius eo die videri. Demum vertente anno, ſimul ac cœleſtis flamma ſe oſtendit, impigre accurrit, cœleſtem ſcilicet Reginam ſuperum comitatu ſeptam conſpecturus oculis, vt credebat, & impenſe ſalutaturus. Cæterum appropinquanti, quo propius ſpes admouebatur, hoc magis res ac flamma primum extenuari, ad vltimum euaneſcere, elabique ex oculis, credulo ſpectatore ſpei irrito relicto. Eius itaque animus, quaſi illum in ſe totum transfudiſſet ignem, ardentiore deſiderio curaque æſtuabat, ignatus quid tandem cœleſtis illa flamma portenderet. Et iam inſequentibus annis decennium abierat, cum quotannis eodem ſemper die, cœleſtis ille ignis Sacro tecto incubans, viſentiſque ſpem fallens pium accenderat pectus. Ad vltimum cœleſti numine precibus exorato, fit compos voti. Inquiete per noctem cœleſti iudicio diſcit, Natali Deiparæ Virginis die, domum eius Natalem anniuerſaria inſigniri flamma: propterea quod ei cordi eſſet, eum inibi diem inſigni cerimonia agitari colique. Igitur Paulus, qui admirabile illud ſpectaculum confirmato ad eam diem ſilentio texerat, ſiue religione tactus, ſiue, vt creditum eſt, B. Virginis per quietem ſubactus imperio, Recinetum ſtrenue tendit: ſacrorum Antiſtiti primoribuſque ciuitatis rem omnem enunciat.

Erat Paulus ab opinione ſanctitatis eximiæ, grauis quamuis magnæ rei author. Antiſtes ergo ſimul authoritate viri ſimul rei ac temporis cōgruentia motus, cœleſtia ſigna haud vana credidit. Extemplo res in vulgus edita Recinetenſes perpulit, vt auguſtiſſimam Virginis cellam ipſo eius Natali die præcipuo celebrarent cultu, rituque. Quo factum eſt, vt finitimi deinceps, ac longinqui etiam populi, ſiue Recinetenſium exemplum, ſiue miraculi famam ſecuti Septembri potiſſimum menſe Lauretum accenſis animis confluant, ad agitandum Natalem B. Mariæ diem. Et inflammauit deinde ſtudia populorum noua Pontificum largitas, qui illud maxime tempus indulgentiis ampliſſimis cumularunt.

Talia porro cœleſtium ignium ſpectacula complures non annos modo, ſed ætates tenuere. Noſtra memoria circa annum Domini 1577. cum Recinetenſium plures non minus probitate quam ætate conſpicui, narrarunt; ſub Natalem Virginis Deiparæ diem, nocturnos ignes de cœlo ſuper Lauretanum tectum labi viſos ſua memoria, inſpectante Recinetenſi ciuitate vniuerſa: nec ſemel ab ipſiſmet cum incredibili animi lætitia eſſe conſpectos. Simul addebant, Pridie eius diei ſub noctem intendentibus ſe tenebris, Recinetenſes vulgo concurrere ſolitos, ad tam gratum iucundumque ſpectaculum: vt ex mœnibus tectiſque, vnde modo Lauretana ædes conſpici poſſet, admirabili illa cœleſtis flammæ ſpecie oculos, atque animos paſcerent.

Tenet fama anniuerſarium hoc ſpectaculum, ad Pauli III. Pontif. Max. tempora duraſſe. Nec ferme ex Lauretanis rebus res eſt alia nobilior. Itaque id non tantum hiſtorici memoriæ prodidere, ſed etiam Nouidius Poeta minime obſcurus, in egregio carmine quod dicauit Paulo Tertio Pontif. Max. mandauit verſibus, quos huic narrationi ſubiungere pretium

operæ duximus. Is igitur B. Virginem laudibus effe-rens ita canit.

*Euenere igitur, tot ſtant tibi templa quot aſtra,*
*Quotque ſibi gentes maximus orbis habet.*
*Stent licet, illa placent quibus eſt hac orta, iuuatque*
*Dicere, in hoc ingens eſt Dea nata loco.*
*Scilicet illius, viſu mirabile, in auras*
*Parthum exoſa domus vulſa receßit humo.*
*Cumque locis diuerſa foret, tituloſque referret,*
*Vltima Piceni nomina gentis habet.*
*Neue ſequens ætas mendacia credat, Olympi*
*Hac in nocte illam lambit ab axe iubar.*

XXVII. MATRIMONII CONIVNCTIO INTER ÆQVALES QVANTVM RELIGIONI CONDVCAT. *Raphael. Volateran. Geograph. lib. 4.* DE IRENE FILIA GVILLEL. MAGNI THESSAL. REGIS ET ANDRON. EIVS CONIVGE GRÆCORVM IMP. *Nicephor. Gregor. l. 7. hiſt. Rom.*

Per id temporis, à duobus vel tribus exemplis illu-ſtribus apparuit, quantum ad religionem ſiue augendam, ſiue conſeruandam interſit, quidue ad matrimonii neceſſitudines integre præſtandas, momenti adferat, coniunctio æqualium vel inæqualium, ſimilium vel diſſimilium gente, gradu, religione. Narrabo res non indignas, neque iniucundas.

Guillelmo cognomento Magno Regi Theſſaliæ, ex Beatrice Regis Hiſpaniarum filia, præter Iohannem Marchionem Sabaudiæ, qui patrio imperio Vercellas aliaque oppida adiecerat, tres filiæ fuere. Ex eis maiorem natu Irenem, Andronico Græcorum Imperatori, alteram Alfonſo Caſtellæ Regis filio, tertiam Agnetem Poncello Vrſino Vrſi filio, Romanorũ Procerum abſque controuerſia Principi, in matrimonium collocarat. Sed exitu longe diuerſo. Irenes maritum Imperatorem, à communione Catholicæ Eccleſiæ abhorrentem nacta, non modo nihil effecit, vt obſtinatum propoſiti, ad Romanæ Orthodoxiæ ſocietatem adduceret, ſed propter inſignem pietatem, iuxta ac virtutem, zelumque quo ardebat Eccleſiarum vnionis, tum Andronicum maritum à ſe alienauit, tum ſchiſmaticorum hiſtoriographos in ſe concitauit, vt in eam ſtylum acuerent, iiſque probris ad perpetuam rei infamiam aſpergerent, quæ Nicephorus Gregoras bile atra exæſtuans innocentiſſimæ atque ſanctiſſimæ Imperatrici affinxit, quaſi illa ambitioſo ingenio mulier, filios liberos & poſteros per multas ætates Imperii Romani ſucceſſionem tenere, & immortalem ſui memoriam in poſterorum nominibus permanere cuperet, &, quod inſolentius fuiſſet non ratione Monarchiæ, vt Romanis ab antiqua memoria receptum fuit, ſed Latino (quemadmodum is appellat) more, cuique filio ſuas prouincias & vrbes aſſignaret, quæ à patribus more plebeio ad filios & nepotes deſcenderent. Sed placuit hæc omnia ipſiſſimis calumniæ verbis deſcripta, hic referre. Ad eum modum affingebat.

GRAVISSIMIS CALVMNIIS ET PROBRIS IGNOMINIOSE LACERATVR A NICEPHORO GREGORA.

Nam cum, inquit, Latina ſtirpe orta eſſet, nouum etiam hunc morem ab illis acceptum, ad Romanos tranſferre inſtituebat. Maxime autem ad eum conatum nouercali odio Michaelis Imperatoris impellebatur, ex Hungariæ Regina procreati. Hunc enim & Conſtantinum Deſpotã ex ea ſuſceperat: ex Irene vero hac Lõgobardica, filiam vnam Simonidem, quam Crali Seruiæ Regulo nuptum miſit; filios vero tres, Iohannem, Theodorum, Demetrium, quos illa omnes deſignare Imperatores ſtudebat: qui ſecundum quidem locum à priuigno Michaele, tum dignitatis, tum diſtributionis Imperii tenerent; ſed ſui tamen iuris eſſent, & ipſi rerũ ſuarum potirentur, nec vlli parerent. Cum igitur maritum intueretur, quippe à quo plus quam coniugali amore diligeretur, ſe voti compotem futuram ſperabat; eique clam noctu atque interdiu inſtabat, alterutrum conſecutura: vt vel Michaeli abrogaretur Imperium, idque inter ſuos filios diuideretur; vel hos illi participes & conſortes Imperii redderet. Reſpondente autem Imperatore, iſta ob vetuſtiſſima Romanorum inſtituta nequaquam poſſe fieri, illa ira inflammabatur: & varios erga maritum geſtus præſeferebat, nunc mœrens, ſeque morituram dicẽs, niſi filios vitta Imperatoris inſignibus ornatos cerneret: nunc cum faſtu & deliciis marito obſequẽs, & veluti venalem ſui copiam faciens, ſi conſilium ſuum de filiis ratum faceret. Quæ cum ſæpe, nemine alio conſcio, fierent; ab Imperatore perpetuo ferri non poterant. Itaque ardor ille amoris iam paulatim langueſcebat; & acris contentio, ſed pleriſque ignota, ſuccedebat.

Tandem etiam eiuſdem lecti ſocietatem peroſus eſt. Proinde mulier præter expectationem ſpe ſua fruſtrata, hoſtili odio in maritum exarſit, vlciſci quidem illum cupiens; ſed cum id non poſſet, Theſſalonicam abiit, Imperatore non admodum volente: quippe qui verebatur ne domeſtica incommoda vulgo innoteſcerent. Illa vero vt maiore probro Imperatorem afficeret, & publica, & occulta Imperatoris crimina traducebat: id ſolum cauens, ne in publico & pro concione illa referret; auribus vero & virorum & mulierum quibus fidebat, ſine vlla verecundia illa inſuſurrabat, cum alioqui magnam grauitatem ſimularet. Indignabatur, inſaniebat, lenitatem illius deſpiciebat, neque Deum timens, neque homines verens; multa naturæ & coniugis, & ſua arcana audax atque impudens mulier retegebat, quæ vel impudiciſſimum ſcortum ſine rubore haud dixeret. Nunc apud alios atque alios monachos pro libidine ſua maritum accuſabat: nunc apud nobiles matronas, à quibus adibatur, eadem & plura recenſebat: nunc ad Cralem Seruiæ Regulum, generum ſuum ea ſcribebat, quæ vel dicere nefas eſt; quauis ratione dignitatem & modeſtiam ſuam aſſerendo, maritum vero omnibus contumeliis afficiendo. Nihil enim concitatius eſt muliebri animo; nihil æque promptum ad probabiles calumnias ſtruendas, & ſua mala in inſontes conferenda.

Cum inuiſa eſt mulier, ſe odiſſe ait: cum amat, amari: cum furatur, ſe compilari queritur; ac experti quidem ſe profitetur, ſed ea eſſe modeſtia, vt amatorem execretur. Et huiuſmodi rebus gloriari & ſuperbire non dubitat, nihil verita ne coarguatur, ſed cum talia facile excogitari poſſe, & iucunda petulantium hominum auribus eſſe norit, tintinnabulo ſonantiorem linguam exerit, audacterq; peierat, cœlumque terræ miſcet. Quod ſi nobilitate & potentia eminet, quæ quouis modo cognitioni veritatis obſtãt, tum propitio Deo eſt opus, & magno mari ad eluendas contumelias & calumnias ei miſero, contra quem improba linguam ſuam exacuit. At Imperator miti vir ingenio alioqui cum linguam ipſius, tum vero illud etiam metuens, ne generum ſuum Seruiæ principem Cralem ad bellum Romanis inferendum concitaret; quouis modo illam placabat, & poſtulationibus eius tum publicis tum priuatis de rebus locum dabat: & plus ei poteſtatis impertiebat, quam dominæ conueniret, vt offenſæ quæ interceſſerant, laterent.

Illa vero cum ea quæ ſola pro filiis contra officium petierat, deſperaſſet, quicquid ad priuatam ſuam potentiam ſpectaret, meditabatur. Cum igitur audiuiſſet Ducem Athenienſem habere filiam virginem, per Legatos petit, vt ea filio ſuo Theodoro deſpondeatur, iis conditionibus, vt ipſa hinc, ille inde Pelaſgorum & Theſſalorum principi communib. auxiliis bellum inferrent; nec prius deſiſterẽt, quam Theodor. filius perpetuum principatum haberet. Et quidem cum illud non ſucceſſiſſet illum in Italiam miſit. Namq; hoc vnicum conabatur, ne Theodor. & eius poſteri apud Romanos priuigno ipſius Imperatori ſeruirent. Maluit enim, vt Latinorum ibi religionem coleret, & peregre minore dignitate eſſet, q̃ vt domi illuſtris inuiſo priuigno, eiuſq; poſteritas illius poſteritati ſeruiret: vna v. etiam aceruos Romanæ pecuniæ miſit: atq; ita incitatam ſuam cupiditatem, marito aduerſata, in vno ſaltem filio Theodoro Marchione expleuit. Tantam etiam pecuniam Crali genero partim miſit, partim Theſſalonicam accerſito dedit, quanta vel 100. triremes in perpetuum Rom. præſidiũ inſtrui poſſent. Neq; attinet, quæ noua commẽta & prius inaudita intempeſtiua mulieris ambitio excogitarit, cõmemorare. Nam cum ſuam filiam





Imperatoriis inſignibus ornare vellet, vt ne quid ei deeſſet earum rerum, quibus Imperatrices Romanorum inſtitutis ornandas eſſe viſum eſt, nec aliter voti compos fieri poſſet, calyptram pretioſis gemmis & margaritis capiti Cralis prius impoſuit, Imperatoria non multo inferiorem: atque inde auſpicata, priore ſubinde pretioſiorem quotannis illi miſit. Immenſa vero pretia ſplendoremque veſtium, quibus & generum & filiam donabat, nullus enumerarit, præter Imperatoria ornamenta, quæ Romanis erepta in Cralem Seruium, ſimul & lenitati Imperatoris illudens, & ſuam libidinem explens conferebat.

Ea vero erat, fiſcum Imperatorium in liberum ſuorum, præſertim Cralenæ ſinum exhaurire: è qua nepotes ſe viſuram cum ſperaret, tempus illud occupans, theſauros illis reponebat, quibus tandem per occaſionem, Romanam imbecillitatem inuaderent & imperium, quod votis Romanis non ſortiti eſſent, iiſdem inuitis eriperent. Verum non animaduertit, ſe humana cum animo ſuo cõſilia agitaſſe, Deum vero nunquam in conſilium adhibuiſſe. Cuius inimicitias quiuis ſuſcipiat, qui homo cum ſit, faſtu animi conditionis humanæ modum excedit, ſuorumque conſiliorum & actionum exitum & ſucceſſum ad Deum non refert. Ecce enim hæc Imperatrix Irene, magna ſpe in liberis ſuis collocata, humana prudentia ſine Deo res adminiſtrabat, & Romanas opes in Romanorum hoſtes erogabat.

Res autem non ex illius ſententia ſuccedebant, ſed inanes illius conatus arguebant; diuino vtique iudicio labefactatos. Crales enim quadragenario maior, cum puella octo annos nata congreſſus, matricem eius læſit, vt fœtum nullum edere poſſet. Igitur inquieta mulier etiam hac ſpe fruſtrata, ad aliam ſe conuertit, & Crali multis atque innumerabilibus donis perſuadet, deſperato iam ex coniuge hærede, vt alterum è Cralenæ fratribus Triballorum principatus hæredem inſtitueret. Hi Demetrius erant & Theodorus Marchio; quorum alter nondum ex ephebis exceſſerat, alter in Longobardia iam etiam liberos ſuſceperat: quo à matre vt generis reliquiæ extarent, miſſus fuerat. Ac primum Demetrium cum magnis opum delitiis & faſtu ad Cralem mittit, qui ſucceſſor Principatus deſignaretur. Qui quamuis humaniter, ab illo ſuſceptus, tamen aſperitate loci offenſus, diutius ibi manere noluit. Eo igitur matre paulo poſt reuerſo, alterum è Longobardia filium Theodorum Marchionem accerſit, qui raſam barbam afferebat: eodemque modo & illum, quo Seruiani Principatus ſucceſſor eſſet, allegauit. Cæterum ne hic quidem benigne & ipſe acceptus inſolitam loci aſperitatem diutius ferre potuit; ſed ad ſalutandam matrem, præter ſpem omni ſpe deſtitutam, reuerſus, in Longobardiam ad vxorem ſuam rediit. Hæc Nicephorus Gregoras in Principem Innocentiſſimam, nihil ex Imperatorio connubio deſiderantem, quam ſi quomodo Eccleſiarum vnitas reſarciretur; arma Chriſtianorum per mutuas diſſenſiones hactenus diuiſa, in barbarum hoſtem vnirentur: ac Imperii maieſtas per Græcorum ſchiſmata, & per Turcarum inſultus imminuta, ex re Chriſtiani nominis, bono publico à Maleſanis Græculis vindicaretur.

AB IIS INNOCENS DEFENDITVR.

Huic enim rei, cum Andronicus Imperator & coniunx, ab vnitate Eccleſiæ Romanæ, adeoque ab vnione ſeu communione fidei atque Sacramentorum ſeſe per periurii crimen ſubduxiſſet, pientiſſima fœmina ſui officii eſſe putauit, ſi vel ſeceſſione à thoro, vel profuſione in liberos communes, vel aperta in Latinorum genti amicos Seruiorum Principes inclinatione, Andronicum Imperatorem maritum officii admoneret. Hac ſola, ſola, ac vnica re infelix, quod ab ea cura, nihil niſi inuidiam ſibi, ſuis liberis, & Latino nomini, apud maritum, ac Principes Græcos conflauerit.

XXVIII. AGNETIS SORORIS IRENIS IMPERATRICIS LAVDES ET OBITVS. *Volat. ſup. & Annal. Vrſin. & monument. Baſil. Vat.*

Longe felicior Agnes eius ſoror, quæ Poncellum Vrſinum, Romanæ nobilitatis facile Principem virum nacta, & ab eius conſuetudine, pietatem, moderationem animi, benignitatem in pauperes, comitatem in famulos, æquanimitatem in exteros, & cæteras alias principe dignas virtutes docta, non tantum Soboli Vrſinorum quam numeroſam reliquit, ſed & vniuerſæ ampliſſimæ familiæ, quam Monarchis Chriſtianis per matrimonia inſertam aſpexerat, exemplar probitatis & caſtitatis æternum dedit. Septimo Nonas Februar. Romæ fatis functa, & in Baſilica Principis Apoſtolorum, quam viuens ſingulari deuotione coluerat, & moriens aliquorum bonorum hæredem ſcripſerat, condita eſt. Poſtquam Poncello coniunctiſſime multis annis parem amoris affectum reddidiſſet, & virtutũ ornamentis vrbi Romanæ præluxiſſet.

XXIX. DOMINICI LVSITANI MONACHI DOMINICANI OBITVS. *Michael. Pius lib. 1. de viris illuſtrib. Ord. Præd.*

Hoc anno cœlitibus adiuncti ſunt, aliqui viri illuſtres religionis Diui Dominici. Dominicus vnus fuit, Luſitanus, Cœnobio Scarenſi ſumma cum laude præpoſitus. Is ea cura exſolui cupiens, cum à Patribus in Comitio Prouinciæ congregatis, nihil obtinere potuiſſet, illud memorandum dixit: Illi qui dem me miſſum ab hoc officio facere noluerunt; cæterum Summus Præſes Paſtorum Deus, me nunc primum & hac cura, & mortali vita abſoluet. Dixit, in ægritudinem incidit, Diuam Deiparentem Ieſum paruulum in brachio geſtantem moriturus aſpexit, & ex hac corruptionis carne diſſolutus, cum ad cœlos emigraſſet, cuidam ex fratribus apparuit, mortuumque ſe mundo, at viuentem Deo, conſtantiſſime affirmauit.

XXX. ITEM GVALTHERI THEVTONICI ET F. HERMAN. PRÆDICATIONE AC PROPHETIA ILLVSTRIS.

Secutus eſt Dominicum, Gualterus Theutonicus, Baſilienſi Conuentui aliquando, magna cum opinione ſanctitatis præfectus. In eius felici obitu, Lector quidam Cœnobii Argentini, Angelos audiuit concinnentes illud canticum in tranſlatione Diui Dominici ſolemne; *In odoris mira fragrantia.* Cumque vnum ex Beatis ſpiritibus quæſiiſſet, cui nam recinerent; atque is Gualtero eadem hora defuncto, renunciaſſet, paucis poſtea diebus elapſis didicit, eodem momento illum fatis functum eſſe. Gualtero Comitem ſeſe adiunxit Fr. Hermannus, gratia prædicationis & ſpiritu Prophetiæ illuſtris. Qui diem exitus ſui longe ante prædixit, & ſacra hoſtia in altari conſecrata, maxima cum deuotione expirauit.

Viſa eſt ipſo momento ſuper Eccleſiam cœnobii, ingentis magnitudinis & ſplendoris admirandi Crux aurea, index diuinitus apparens ſummæ illius ſanctitatis. Non impar ſuperioribus Fr. Hecchardus S. Theolog. Magiſter, qui etiam ſtatim ab obitu Fratri Henrico diſcipulo apparens, ſe in conſpectu Sacroſ. Trinitatis viuere, cœleſtibuſque gaudiis perfrui ſignificauit.

XXXI. FLORENT. BONINSEGNA ET ANDR. PERVSINVS ETRVSCI MARTYRES.

Præcellunt laude martyrii duo Etruſci, alter Florentinus Boninſegna, alter Peruſinus Andreas. Boninſegnæ pro fide Catholica certanti, caput medium vſque ad auriculas ſerra diſſecuerunt. Andream vero Tartari apud ſe non ſine ingenti fructu concionantem, poſt multos cruciatus quos inuicta patientia tolerauit, in illis verbis hymni Eccleſiaſtici, *Te martyrum candidatus laudat exercitus*; immaniter trucidarunt. Supra occiſi cadauer inſepultum, lumina cœlitus demiſſa apparuerunt, odoreſque ſuauiſſimi ex integerrimo corpore diuinitus emanarunt.

XXXII. B. ANGELÆ A FRATRE AD VITAM REVOCATÆ ASPERRIMA POENITENTIA ET OBITVS.

Eorum conſortium in cœlis exambiens, Beata Soror Angela, Tolomei, Senenſis, digna eſt quæ in hoc theatrum producatur. Mortuam, Beatus Frater Iohannes Baptiſta Tolomei, eius Germanus, ſola oratione ad vitam reuocauerat: antequam ſepulturæ inderetur. Vitæ mortali recens reſtituta, cum ea conditione à mortuis reuixiſſet, vt voluntario purgatorio maculas emacularet, incredibili aſperrimaque pœnitentia ſeſe diſcrucidabat. Aliquando in globis ni-

nium volutabat ſeſe, nonnunquam in ignem inſiliebat, frequentiſſime in cauernas & abdita receptacula ſe occultabat: dolores acutiſſimos, & præſertim dentium, ſumma patientia patiebatur: donec iterum in humanis eſſe deſiiſſet, & terrenæ labis expers, ad cœlos euolaſſet.

XXXIII. AGNETIS POLITIANÆ VIRGINIS NATALIS ILLVSTRIS, VITÆ INSTITVTVM ET SANCITAS. *Ex orat. Bernardini Stephonii Soc. Ieſu, quam ad Cardinales in templo B.M.V. ſuper Mineruam Nonis Iunii 1601. habuit, quo die primum S. Agneti publicè ſacri ibidem honores haberentur.*

Eadem tempeſtate floruit, Beata Agnes Politiana, idem vitæ genus quod B. Angela, ſub ſignis Diui Dominici complexa. Hanc vnicam virginem, in ampliſſima Dominici diſciplina partes omnes expleſſe pulcherrimæ, præſtantiſſimæque virtutis adeo clarum eſt, vt propterea illa in pauciſſimis numerari fas ſit, cuius immortalitatem nominis templis commendatam, ob innumerabiles & maximas vtilitates ex eius felicitate profectas recordari iucundiſſime, deque ſingulari eius ſanctitate Chriſtiana Reſpub. debeat quam diutiſſime gloriari. Ea cum ex vtero materno naſceretur, puerperium lætum ac ſplendidum matri attulit, cereis facibus compluribus circum puerperæ thalamum, ſuperum, vti credi fas eſt, opera diſpoſitis, & ad multas horas collucentibus. Aderant matronæ complures nobiles, puerperæ, difficillimo eius tempore opitulantes, imminenteſque aere clariſſimo ſplendore faces conſpicatæ mirabantur omnes. Manifeſta res erat; dubitari non poterat: vera cernebant: ſed vnde penderent, aut vnde prolatæ fuiſſent, ambigebant. Dumque nihil dignum aut veriſimile reperirent, cœlitus eſſe promiſſas arbitrabantur. Suſpicantes, cœleſtibus curæ fuiſſe, natalem vt puellæ diem illuſtrarent. Sane adlubuit ſponſo virginum, ortum ſponſæ futuræ cœleſti ſplendore diffuſo colluſtrare, cui quoque ipſi naſcenti nouum ſidus, nouaque flamma olim præluxerit. Vix trimula Agnes, precationis formulam à Chriſto traditam, & ſalutationem Angeli, non arripuit ſolum (quod in illa tamẽ ætatis imbecillitate mirum eſſet) ſed etiam identidem, ſicvt omnino ſapere videretur, ab æqualium colluſionibus in ſolitudinem vſpiam ſeducta, memoriter, ſuppliciter, diligenter vſurpabat, opem expoſcens à cœli Rege. Atqui hanc virginis pietatem, non, vti dicitur, in cuti fuiſſe, nec in ſpecie tantum honeſtam, aut ex leuitate puerili, declarauit id quod poſtea conſecutum eſt.

Nec enim ita multo poſt amoris tæda vehementiore tacta, maioreque inflammata ſpecie ſanctitatis, cœlum mente complexa, voluntaria ſponſione florem virginitatis Deo addixit. Præceſſit conſtantiæ iſtius in eius pueritia, non vnus index, cum paruula ſupra modum ætatis ingenio ſeuera, miſſa paulo ante nutrici mamma, diuinæ ſapientiæ velut vber auidius appeteret; à ſororiis, ſobrinarum & conſobrinarum luſionibus abſtineret; pedem extra conclaue maternum, nunquam, niſi iuſſa, efferret; viciniam omnino neſciret: publico libentiſſime careret; raro puerilibus cœtibus aggregaretur; ſeueris ſermonibus aures animumq; diligentius aduerteret; plurimum in publicis Eccleſiæ ſacrificiis precibuſque ac concionibus verſaretur; ex iis, quæ digna ſcitu iudicaſſet animo combiberet, memoria ſepiret, rebus in actum fideliter prouocaret. Tum hæc omnia non aſpero, neque agreſti, nec pertinaci more retineret mordicus, ſed interdum prudenter remitteret, & illam quaſi mæſtitiam exhilararet verecunde, ſeueritatemque morum obſequenti facilitate quadam, atque ingenii feſtiuitate condiret. Animus illi integer & intentus, cœleſtium capax, obſequio promptus, officii gnarus, iuſtitiæ tenax, docilis, impiger, conſtans, ſui compos & rector, humana contemnens; &, quod illi primum ſemper erat, apprime caſtus. Cum frequentiſſime in intimum cubiculum, ad aram domeſticam orandi gratia ſecederet: hic, excepto genubus corpore, palmiſque ſuppliciter aut ad pectus admotis, aut ſupinis, aut duplicatis, animum à ſenſibus auocabat, & ſpem omnem, amoremque quoad poſſet transfundebat in Deum. Ab orationum frequentia, multa præclara ab illa cogitabantur, officiorum rationes, honeſtatis fines, admonitiones temperantiæ, iuſſa prudentiæ, verecundiæ leges, modeſtiæ præſcriptiones, decreta ſapientum, ornamenta virtutum, hortamenta probitatis, exempla meliorum, incitamenta beneuolentiæ, diuinæque monumenta charitatis. Propter quæ Agnes in omnium auribus, oculis, animis habitabat. Nonum annum vix attigerat, cum multis precibus tandem parentes exorauit, vt Patrum Dominicanorum diſciplinæ, quæ tum, vt ſemper, ex omnibus vna numerabatur excellentiſſimarum officina virtutum, & nomen daret, & reliquum omne tempus ætatis addiceret. Religioni inter ſacras virgines adſcripta, ſeipſa melior indies, & ad ſpem immortalitatis erectior euadebat: adeo vt poſt quinquennium cæteras docere diligentiſſime cœperit, quod ipſa diligentius didiciſſet. Quintum enim & decimum annum nondum exegerat, cum Porſennii (oppidum, id eſt, in Hetruria ad Cluſinas paludes, à porſenna, vt ferunt, Hetruſcorum Rege conditum) cœnobium virginum à ſe conſtitutum cœpit iam cæterarum magiſtra moderari, Porſennii, quod ætatis fuit, non tam vitæ, quam virtutis ætas fuit. Hic acerrimum quindecim annorum ieiunium inchoauit, ac perpetuo aduerſariam ſenſibus mentem cuſtodiuit, & cœleſtium appetentiſſimã diuinæ voluptatis vbertate ſaturauit: neque ſine ingenti victoria adepta de Sathana. Ad oppidi pomærium collis eſt, in tumulum aſcenſu facilem ſenſim elatus. In eo fœdæ paſſim cellæ meritoriarum muliercularum iuuentutis Euripi, pudicitiæ Syrtes erant. Ex hoc vitiorum omniũ diuerſorio, coruorum ingens examen deuolans, ſuccedentem oppido puellam aliquando certatim acceſſu deterrere conabatur; & conglobatis vndique roſtris, atque vnguibus appetebat. Fœda viſu res, inuolantes in oculos coruos abigere virgo, ſeque illa peſte explicare non poterat. Obſcenas aues, mali dæmones, loci cuſtodes aut immiſerant, neſcitur vnde concitas, aut ipſi ſeſe teterrimarum auium imaginibus occultauerant: qui virginem flagitioſiſſimis omnium ſcelerum auctoribus inimiciſſimam vexarent: veriti nimirum, ne quam oppidi partem luparum ipſi ganeis polluiſſent, eam huius virginis aliquando ſanctitas expiaret. Neq; ſecus, atque coniectura erat, euenit. Politianum enim Porſennio regreſſa Agnes, peſſimis mulierculis aut eiectis, aut ad relictam pudicitiam reductis, infamem illum adoleſcentiæ naufragiis locum perpurgauit, continuoque templum ibidem Maximæ Virgini collocauit, vt vbi perditiſſimæ corruptelæ veneficiis pudor antea conflictebatur, ibi Sacrarium pudicitiæ religioſiſſimũ cerneretur. Ingentia alia facta rebus oſtendit, quæ paulo poſt narrabimus.

INGENTI CORVORVM EXAMINE A SATHANA VEXATVR.

XXXIV. PRODIGIVM COLVMBARIÆ IN GERMANIA.

Hoc anno, III Non. Iul. Columbariæ in Germania, in ipſo crepuſculo, pluribus viris ac mulieribus, apparuit ſub Luna, maieſtas Dei in cathedra ſedentis, quaſi in iudicio extremo, gladio ex ore, vtraque parte acutum vibrans, atque populum ſeuere iudicans. *Annal. Colmarienſ.*





# IESV CHRISTI
## Annus 1301.

### BONIFACII PAPÆ VIII.
### Anno 7.

I. BONIFAC. CAROLVM COMITEM ANDEGAVENSEM IN AVXILIVM CAROLI SICILIÆ REGIS CONTRA FRIDER. ARAGON. SPE NVPTIARVM EVOCAT.

Rebus Siculis componendis, atque Eccleſiaſticæ libertati vindicandæ, operam diligentem, hoc anno Bonifacius VIII. impendit. Fridericus Aragonius, inprimis Siciliam cis & vltra pharum infeſtare non deſinebat. Contra quem cum non ſatis virium haberet Carolus Rex Siciliæ, qui ſuperioribus menſibus claſſem & filium vna cum multis proceribus amiſerat, in eius auxilium Bonifacius Pontifex, Carolum Comitem Andegauenſem Philippi Regis Galliarum fratrem euocauit. Eum vt tanto amplius ad iura Eccleſiæ vindicanda inflammaret, matrimonium illi Catharinæ Balduini vltimi Imperatoris Conſtantinopolitani ex Philippo filio nepotis oſtentauit, inque ſpem recuperandi Imperii Orientalis titulo conſanguinitatis atque ſucceſſionis erexit. Præſertim cum non difficile illud poſſe obtineri, Andronico obiectæ difficultates, indicarent. Is enim qua domeſtico tum à Catholicis, tum ſchiſmaticis inter ſe tumultuantibus, qua ab externo bello tum à Turcis, tum à Catalanis excitato deſtinebatur, ne ſecura poſſeſſione frueretur. Facile ſibi perſuaderi paſſus eſt Carolus, vt exercitum conſcriberet, & in Italiã ad omnia vndequaq; ſpecioſa properaret; præſertim ære ſacro ex Gallicanis, & vniuerſæ Italiæ Eccleſiis collecto adiutus. Per id enim tempus Bonifacius Pontifex impoſuerat in ſumptum belli Siculi ſacratis viris omnibus Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Cypri, Principatus Achaiæ, Ducatus Athenarum, finitimarumque Inſularum decimationis tributum, eiuſque collectioni in Flaminia Ioannem Dominicani Ordinis religioſum ex Paduano Epiſcopum Bononienſem præpoſuerat.

*Rubeus hiſt. Rauen. lib. 6.*

Cæterum poſterioribus ad eum 3. Kalend. Octob. Anagnia ſcriptis literis, declarauit tributum nequaquam eſſe ab Hoſpitalibus domibus exigendum, quæ egentes, leproſos, cæteroſque ægrotos alerent: neque à religioſis viris, qui cum viuant communi regula, templorum tamen fructibus ali ſuſtentarique non poſſunt. Ex ſyluis etiam quæ vendi non conſueſſent, idem de paſcuis ipſarum, de ſtagnis, piſcinis, venationibus, quæ ſi venderentur, decumas darent. Quas autem procurationes appellant, & ſolui, etiam ſi nõ viſitarent, conſueuerant, decimas quoque accipere præcepit. Ex his ingentibus pecuniis conflatis, Carolus non contemnendum exercitum ſcripſit, & Alpibus ſuperatis, ad 18. diem Iulii Mediolanum, ad initium vero Septembris Romam, & poſtea Anagniam ad Bonifacium venit. Ab eodem maximo cum honore exceptus, ad matrimonium cum Catharina ineundum inprimis allectus eſt. Duo obſtare videbantur, ne ſeſe eo vinculo illigaret. Alterum propinquitatis tertius gradus alterum quod ad præſtitutum nuptiarum tempus, quod elapſum fuerat, non veniſſet. Vtrumque impedimentum diſſoluit Bonifacius, cum & lege affinitatis eos ſoluiſſet. & dilationem aduentus Caroli nihil incommodi adferre declaraſſet, quo minus ſancto fœdere iungerentur.

*Bernard. Corius hiſt. Mediol.*

*Ep. 67. Anagn. 4. Non. Sept.*

II. MISSVS A BONIFAC. IN ITALIAM CAROLVS, FELICITER ILLI PACEM RESTITVIT,

Porro cum præſentes Eccleſiæ neceſſitates, operam Caroli in Æmilia, Etruria, & reliqua Italia, poſtularent; eum primo ad has prouincias Bonifacius ire iuſſit; & tum Capitaneum Generalem S. R. Eccleſiæ, tum Rectorem Marchiæ Anconitanæ, Æmiliæ, Comitatus Bretonorii, Ducatus Spoletani, Maſſæ Trebariæ, & terræ ſanctæ Agathæ, pro Romana Eccleſia conſtituit. Inſuper, Romano Imperio per id temporis vacante, eundem Romani Imperii in Etruria Vicarium auctoritate Apoſtolica creauit. Scilicet opus erat, vt Etruſcos per factiones Alborum & Nigrorum paſſim vbique diſſidentes conciliaret, & aliquos Vmbros, Marchianos ac plures alios Sedi Apoſtolicæ refractarios ad officium reuocaret: poſtquam hi Legatorum à Latere auctoritatem floccipendere viderentur. Ceſſit feliciter negocium Carolo Straboni. Conuentu enim Cæſena habito, omnes ciuitatum proceres & procuratores præſentes, ad Sacramentum Romanæ Eccleſiæ præſtandum adegit, vt fidem ſuam obſtringerent, Romanæ Eccleſiæ ſe, illiuſque adminiſtris obedituros. Aderat vna cum Carolo Rectore, Mattheus Aquaſpartanus Cardinalis Legatus, qui præter alia in rem Eccleſiæ Romanæ in Æmilia geſta, Iacobum Paganum Epiſcopum Aretinum, ob male indidem adminiſtratam prouinciam, iubente Bonifacio Pontifice, Epiſcopatu mulctauit. Atque hæc quidem Bonifacius pro Italiæ pace, & in ea iuribus Eccleſiæ tranſegit. Ad regnum quoque Hungariæ tum pacificandum, tum ab iniuria vindicandum, animos conuertit.

ET REFRACTARIOS ROMANÆ ECCLESIÆ CONCILIAT. *Ep. 69. 70. & 71. datum vt ſup. Rubeus vbi ſup.*

III. FACTIOSI VNGARI CAROLO ROBERTO REGI REGNVM ABROGANT, ILLVDQVE IN VVLADISLAVM WENCESLAI BOEMIÆ REGIS LAVDATISSIMI FILIVM CONTRA AVCTORITATEM SEDIS APOSTOLICÆ CONFERVNT. *Dubrauius hiſt. Boem. lib. 18.*

Viuebat per id temporis apud Boemos Rex Wenceslaus, propter ſanctitatis opinionem, à finitimis regnis expeditus. Non indigna ſunt, quæ de eius in rebus diuinis pietate feruntur. Tali ſcilicet ſedulitate quotidie protectioni Dei ſe commendabat, vt nullum plane diem tranſire paſſus fuerit, quo non diuina ſacrificia cum Dei Sacerdote celebrauerit, talique animi intentione, vt nullius interpellatione preces ſuas interruperit: ac tanta inſtantia, vt ſæpius cum domum orationis primus ingreſſus eſſet, vltimus poſt ſacra omnia peracta egrederetur.

Duos vero ante matrimonium continuos annos, cilitium, quod caſtigandi corporis gratia induerat, non exuit. Ieiunium, qua cœpit abſtinentia, etiam maritus perpetuo ſeruauit. Reliquias ſanctorum aſſidue circumtulit; & alia plura indicia ſanctimoniæ dedit, propter quam Hungari, relicto Carolo Roberto, quem titulo ſucceſſionis paternæ, Bonifacius Hungaris Regem deſtinabat, Regnum ſuum ei detulerant, Legatoſque ad euocandum illum dimiſerant. Et quidem Wenceslaus, qua præditus fuerat animi moderatione Regium honorem delatum ſuſcipere noluit: cæterum poſtulantibus Hungarorum Legatis Vuladislaum filium Regem conceſſit. Quem paulo poſt in Hungariam miſſum, Archiepiſcopus Colocenſis indictis comitiis ſolemni ritu inaugurauit.

IV. EIVS AD CONCORDIAM REDVCERE SATAGIT BONIFAC. *Ep. 77. Lat. 16. Kal. Nou. & ep. 88 6. dus Nouemb.*

Oſtendit ea res Bonifacium Pontificem, vel maxime tum quod regnum Hungariæ Sedis Apoſtolicæ fiduciarium eſſet, neque quiſquam inuito Romano Pontifice illud vſurpare poſſet; tum quod Carolo Roberto ius propinquitatis magis quam Wenceslao aut Vuladislao competeret; tum quod Archiepiſcopo Strigonienſi non Colocenſi poteſtas indicendi comitium, renunciandique atque inaugurandi Regem Hungariæ, à Sede Apoſtolica collata eſſet: tum quod rebus Orientalibus, ſiue recuperandis, ſiue defendendis, potius Caroli ſucceſſio, quam Boemi alicuius electio conferre videretur. Itaque Wenceslaum Regem datis literis admonuit, vt ea quæ in præiudicium Sedis Apoſtolicæ in coronando filio admiſerat corrigeret, Vuladislaum ex Hungaria in Boemiam reuocaret, bellis & cædibus per diſcordiam procerum exortis ne materiam ſubminiſtraret, quin potius & auferret, & anteuerteret, & prohiberet: Cardinalique Legato opem ferret, ad pacem regni ſtabiliendam, & iurarum Eccleſiæ Romanæ, tum Carolo ſucceſſori conſeruanda. Quod ſi aut ipſe, aut eius filius quippiam iuris in eo acquiſiuiſſe exiſtimaret, id totum ad ſubſellia Apoſtolicæ Sedis deferret, & ab eadem ſententiam expectaret.

V. PERCEL-

Cæterum vt eo potentius rem Caroli in Vngaria peturgeret Bonifacius Papa, alterum ab vrbe Le-

LVNTVR CENSVRA ECCLESIASTICA EORVMQVE REGNVM INTERDICTO SVPPONITVR. *Bonfin. dec. 11. lib. 9.*

garum miſit, Cardinalem Oſtienſem F. Nicolaum Teruiſinum Ord. Præd. vt Vngaros Carolum pertinacius recuſantes anathematis ſeueritate corriperet, Eccleſiaſtica cenſura percelleret, animaduerteretque in gentis aſperitatem & pertinaciam, niſi Pontificio obſequeretur Imperio. Nam ſuffragantibus Caroli amicis, ſperabat haud difficulter hac ope ipſum regnum impetraturum. Legatus Budam profectus, nil aliud per dies aliquot diligentiſſime curauit, quam Antiſtitum & optimatum diſſidentes animos ad cōcordiam reuocare: quos ita diſcordes offenderat, vt rem continuo deſperarit: Multi etſi ſe Carolo infeſtos diſſimulabant, & Pontificis mandata obſeruaturos pollicebantur, tamen re acerrimos aduerſarios ſe præſtabant. Tam varias hominum mentes mirabatur Legatus; ex quibus tandem, quid intra ſentirent, nunquam intelligere poterat: quoque magis eorum animos percontabatur, eo plus verborum ſibi dari nouerat Suam demum operam fruſtratus, non prius abire voluit, quam Budenſibus templis, & ſacris omnibus totius regni, opera & auctoritate ſua fuiſſet interdictum.

PSEVDOPRESBYTERORVM VNGARIÆ IN BONIFACIVM CÆTEROSQVE ANTISTITES CATHOLICOS EXECRANDA EDICTA.

Hinc apud Hungaros præ indignatione frementes, immane facinus, execrandaque abominatio exorta eſt. Nam cum Sacerdotes interdicta ſacra ſeruarent, pontificiæque cenſuræ obtemperarent, tunc plerique inſurrexere Pſeudopresbyteri, qui vt ſummo Pontifici parem vicem redderent, cæteroſque à vero & vnico Eccleſiæ Catholicæ Paſtore diuerterent, prophano execrabilique edicto ſummum Pontificem cum cæteris Antiſtitibus Vngariæ, non mode ſacris, verum etiam aqua & igni publice interdixere; alta voce hos omnes prophanos, & humana conſuetudine indignos prædicantes.

VI. GOTIVS VRBEVET. WENCESLAVM BOEMIÆ REGEM AD LEGES SCRIPTIS TRACTANDAS INVITAT. *Dubrauius ſup.*

Per hanc occaſionem Legati ad Regem Boemiæ & Hungaros euntis, ex Italia Gotius quidam Vrbeuetanus, legum peritiſſimus venerat in Boemiam. Hic miratus Boemos iudicia multis ſcriptis tractare legibus, ſed ex opinione quemque ſua dicere ſententias, ſæpe inconſultas inconſtanteſque propter legum & iuris ignorantiam, Regem ſubmonuit, vt morem iudiciorum corruptum reformandum ſuſciperet. Simulque operam ſuam illi pollicitus eſt ad deſcribendas leges, quibus ciuiles atque criminales actiones, iuſte ac ſine vlla varietate diiudicari poſſent. Hæc Rege ad Proceres nobilitatis referente, maior numerus meliorem vicit; ne quid de vetere conſuetudine in iudiciis immutaretur. Id porro inconcinnius agreſtiuſque ab illis factum, quod odio literarum, quibus ingenui adoleſcentes ad virtutem & humanitatem finguntur, impedimento fuerint, quo minus Rex à Legato Nicolao perſuaſus, quemadmodum deſtinauerat, Gymnaſium literarum Pragæ excitaret. Sed hæc per accidens enarrata, ex occaſione Hungarorum peruicacium Sedi Apoſtolicæ, in ſuſcipiendo Carolo Rege, cui Bonifacius Pontifex iure merito fauebat.

VII. BONIFAC. PHILIPP. GALLIARVM REGEM SEDI APOSTOLICÆ REFRACTARIVM ANATHEMATIS COMMINATIONE DETERRET.

Non magis æquiorem, hoc anno, Bonifacius, Gallorum Regem Philippum expertus eſt. Is anno ſuperiore, Ariminenſem Epiſcopum, Sedis Apoſtolicæ, pro expeditione in terram ſanctam, internuncium deſtinatum, in vincula coniecerat; & neque rebus Syriacis afflictis, auxilium ferre, neque pecuniam ſacram toto triennio in vſus belli Syriaci authoritate Pontificia collectam, in fiſcum autem Regium illatam, poſtulanti Bonifacio reſtituere voluerat: nec non Apamienſem Epiſcopum calumniis intolerandis oppreſſum, quod audaciam palatinam paulo animoſius increpuiſſet, officiique erga Romanam Eccleſiam Regem & aulicos libere admonuiſſet, in ergaſtulum concluſerat: neque omnino ad ſummum Pontificem prouocantem, dimittere voluerat. Erant & aliæ complures iniuriæ, quibus ille maieſtatem Pontificiam offenderat, & libertatem Eccleſiaſticam oppreſſerat: quarum notæ, ne in regeſtro Bonifaciano in perpetuum proſtarent, ne-ue voce pluſquam publica publicarent Gallici nominis & ſanguinis tam execrandam in ſummum Antiſtitem, atque Eccleſiam Romanam abominationem commiſſam, aliquis eiuſdem nominis ſtudioſus probri occultandi cauſa, ex libro eraſit Bonifacii literarum, eam epiſtolam quam is ad Philippum Regem Nonis Decembris Laterani dedit, ſignatam in ordine, numero 101. pagina 135. expeditionum Bonifacii Pontificis anno 7. Vidimus raſuram & ingemuimus, ad tam projectam audaciam eius, qui ſicut nouacula acuta fecit dolum, in eo libro, ex quo plura ſcribendo excepimus. Tam atrocibus porro contumeliis Bonifacius exagitatus, ſententiam quam iuſte diſtringere poterat, non præcipitauit, ſed in omni patientia & benignitate, Regem ad calcitrandum pronum, tam beneficiis deuinciendum, quam admonitione flectendum eſſe putauit.

*Epiſt. 101. Lat. Non. Decemb.*

*Ep. 6. Lat 2. Cal. Mart. & ep. 123. Lat. 4 Id. Ian. Ep. 117. Lat. 17. Cal. Ian.*

Quamobrem Ludouico eius filio, vt cum Margarita Philippi Comitis Attrebatenſis filia, & Philippo alteri eius nato, vt cum Margarita Roberti Ducis Burgundiæ genita, in tertio & quarto ſanguinis gradu coniungerentur, auctoritate Apoſtolica indulſit. Deinde Iacobum de Normandis Archidiaconum Narbonenſem ad illum deſtinauit, ſcripſitque, ne captiuos Epiſcopos detineret, ne bona Eccleſiarum vſurparet, ne libertatem Eccleſiaſticam opprimeret, ne communem vtilitatem omnium Chriſtianorum in expeditione terræ ſanctæ præuerteret; neue ſe hoſtili in Eccleſiam animo peſſumdaret. Iniunxerat Bonifacius Iacobo, vt quam modeſtiſſime cum Rege ageret. Quod ſi contumacem, præuaricatoremque comperiſſet, non dubitaret, neque differret, virgam cenſoriam in illum explicare; & tam illum quam complices conſiliarios anathemate ferire, atque vniuerſo Regno ſacris omnibus priuatis iuxta ac publicis interdicere. Iuit Iacobus, literas Bonifacii præfracto Regi dedit, verbis ex præſcripto Apoſtolico quam modeſtiſſimis eum officii admonuit. Sed tamen nihil præter contumelias verborum, & iniurias atroces repoſitas retulit. Quandoquidem Comes Artenſis literas Bonifacii in ignem, vidente Iacobo, conieciſſet, neque reliqua edicta publicari Rex voluiſſet, & tum inprimis ſerio apoſtaſiæ ſcelere ſeſe contaminaſſet.

*Naucler. generat.*

VIII. ADAM MONACHVS VALLIS SARNARII TERRIBILEM DÆMONVM VISIONEM ACCIPIT. *Gaguin. lib. 7.*

Dum hæc in Galliis inter Pontificem & Philippum agerentur, aliquid mirandum accidit, in Pariſienſi agro. Erat Adam de monaſterio vallis Sarnarii Conuerſus, cui villa Creches ad ipſum monaſterium pertinens, ab Abbate loci fuerat cōmiſſa. Hic paucos ante Chriſti natalem dies, ad villam ſibi creditam, ex cœnobio, ante diei exortum proficiſcens, vno ſeruo tantum comitatus, videt in via proceram arborem pruina geluque albeſcentem, ad ſe ociſſime concedere. Quare equus cui inſidebat Adam terrefactus, è via proſiliens, vix potuit à Conuerſo ad viam reflecti, eodemque metu affectus ſeruus, nutare cœpit, ita vt pedibus ſtare & ambulare difficile poſſet. Propior Conuerſo facta arbor, cum homini nihil nocuiſſet, euanuit, acrem & ſulphureum odorem relinquens. Suſpicatus propterea Conuerſus, aliquid illuſionis à dæmone ſibi fuiſſe obiectum ad ſuperos animum conuertens, Diuæ Mariæ Deiparæ laudes recitat: moxque pone ſe hominis nigri equitantis effigiem conſpicit, & indignans: Cur, inquit, infelix mihi audes inſultare; cum mihi in monaſterio habeam comprecatores fratres, quibus cura ſedula eſt, me & reliquos à cœnobio abſentes, Deo & Diuæ Mariæ commendare? Abi: quandoquidem nulla tibi pars mecum eſt. Diſcedens inde ad paucolum tempus dæmon, protinus Conuerſo adſtitit, forma hominis quam maxima, cui prolixum & gracile collum erat. Quem ſe infeſtantem Adam fruſtra pugione repellere conatus, videt confeſtim illum, mutata effigie, mediocri ſtatura eſſe, & monachi, inſtar cuculla faciem velare, cuius oculi, ſicuti æs candens, rutilabant. In quos dum Conuerſus gladiolum incaſſum vibrat,





pecudis ſimilitudine viſus dæmon, non minor quam aſinus auritus apparuit. Vnde magis timens ſeruus, Domine, inquit, deſcribe in ſolo orbem, atq; in medio Crucem Chriſti inſculpe. In circo enim ſtantibus nobis, nihil aduerſabitur inimicus. Fecit igitur Conuerſus, ſicut à ſeruo fuerat admonitus, nec ſic deſtitit impius aduerſator. Nam aſininas aures in cornua cōmutauit; atq; ad circulum concedens, opprobriis eſt à Conuerſo reprobatus, & ſputis contaminatus. Cumque à ſeruo doctus Conuerſus, Cruce ſe ſignaſſet, dæmon in dolii ſpeciem figuratus, ſe Molerias vicum verſus in rotæ ſpeciem circumegit; Conuerſo illæſo relicto. Huius tam mirandi euentus indicia extiterunt. Abbas in primis vallis Sarnarii, à Conuerſo fidem rei quæſiuit. Scriptor præterea hiſtoriæ; loci, vbi hæc geſta ſunt, inſpector: qui equum prius, manſuetū, calcitrantem poſtea atque ferocientem ſe vidiſſe profitetur. Languor item ſerui diuturnus & veſtium Conuerſi intolerabilis fætor; & vocis, donec zinziber deſumpſit, difficilis emiſſio. Quod vero, à ſpiritu maligno non eſſet Adam interemptus, Diuæ Deiparentis interceſſio, effecit.

IX. BONIFACII. PP. GESTORVM HVIVS ANNI SVMMARIVM.

Sed nos ad Bonifacium reuertimur, qui hoc anno 1. Sancio Iacobi Maioricarum Regis filio, vt Eleonoram Caroli Siciliæ Regis filiam, quarto gradu ſanguinis coniunctam ſibi coniungere poſſet, conceſſit. 2. ab Edouardo Rege Angliæ, cenſum ille marcharum argenti ſterlingorum, totis vndecim annis non ſolutum exegit. 3. Ferdinandum, Petrum, Philippum, Iſabellam & Beatricem, Sancii Regis Caſtellæ, ex Maria relicta liberos, propter gradum iure prohibitum ex illicita conſuetudine natos, titulo filiorum legitimorum donauit, atque ad omnes gradus & actus legitimos admitti poſſe indulſit. 4. Ferdinandum Regem Caſtellæ, vt in pace regnum ſibi concreditum adminiſtraret, Matrem Eccleſiam veneraretur & coleret, abuſus contra Eccleſiaſticam libertatem introductos tolleret, iniuriarum nomine Eccleſiis illatarum ſatisfaceret, errores pietati Chriſtianæ aduerſantes extirparet, Alfonſum & Ferdinandum patrui ſui filios ſibi reconciliaret, prælatis Eccleſiarum honorem debitum impenderet, populis ſibi ſubiectis quietem, pacem & affluentiam omnium bonorum redderet admonuit: ac internuncios illius & Mariæ eius Matris benigne tum audiuit, tum dimiſit. 5. Mariæ Siciliæ Reginæ, vt in Monaſterio S. Petri apud Neapolitanam vrbem ſanctimoniales Diui Dominici inſtitutum profeſſas introduci poſſent, conceſſit, eiuſque rei poteſtatem Archiepiſcopo Capuano fecit. 6. Tarentinæ ciuitati F. Gregorium Ord. Præd. Archiepiſcopum præfecit, eique comitem Theodoricum ciuitatis Papalis, quam in loco Præneſtinæ ciuitatis deſtructæ extruxerat, Epiſcopum dedit. 7. Abuſus in Ducatu Britanniæ, circa exactionem certi pretii, in ſepeliendis cadaueribus introductos, edicto publicato ſuſtulit. 8. Ne cuiquam, à ſede Apoſtolica ſe eſſe vel miſſum, vel ſacris initiatum dicenti, abſque litteris ab eadem ſede datis fides adhiberetur, hanc quæ ſequitur conſtitutionem ſanxit. Ita habet.

*1. ep. 252. Lat. 12. C. Nou.*

*2. ep. 8. Lat. 11. C. April.*

*3. ep. 80. Anagn. 8. Cal. Sept.*

*4 ep. 81. & 84. Anagn. 16. C. Oct.*

*5 ep. 50. Lat. 5. C. Mart.*

*6. ep. 259. Lat. Idib. Nouemb.*

*7. ep. 193. extra. 8. titul. 3. de elect.*

EIVSDEM CONSTITVTIO DE NON ADHIBENDA FIDE ABSQVE LITTERIS A SEDE APOSTOLICA MISSIS.

*Iniunctæ nobis debitum ſeruitutis, expoſcit, vt qui ad reformandos in Clero mores & actus, (prout nobis ex alto permittitur) ſolertius intendimus, ibi præcipue reformationis accommoda remedium apponamus, vbi maius reſpicimus periculum imminere. Sane quam periculoſum exiſtat, quod aliquis in officio, dignitate vel gradu fore ſe aſſerat, & pro tali etiam habeatur, niſi prius ipſe quod aſſerit, legitimis oſtenderit documentis: tam ex ciuilibus quam ex canonicis inſtitutis colligitur euidenter. Aſſerenti namque cum mandatis Principis ſe veniſſe, credendum non eſt, niſi hoc ſcriptis probauerit. Nec ſimiliter creditur ſe aſſerenti Legatum. Nunquam enim Apoſtolicæ ſedis moris fuit abſque ſignatis apicibus vndecunque Legationem ſuſcipere. Sed nec dicendi ſe delegatum ſedis eiuſdem, creditur vel intenditur, niſi de mandato Apoſtolico fide doceat oculata. Similiter Clerici ad alienam diœceſin ſine ſuorum ordinariorum litteris venientes, nec in ſuis recipiantur ordinibus, nec ad ſuperiores aſcendant. Clerici quoque & monachi, qui de ſuis ciuitatibus ad alienam vrbem proficiſcuntur (niſi muniti veniant ſuorum litteris prælatorum) non ſunt Clerici vel Monachi reputandi. Si quis præterea in clerum electum ſe dicat; Si ſacerdotem ſeſe nominet, hoc ſcrutandum eſt: quia non ſine periculo eſt in talibus communicatio indiſcuſſa. Quod autem in illis, qui ſe Epiſcopos vel ſuperiores prælatos, aut etiam Abbates, Priores ſeu alios Monaſteriorum Rectores, quocunq; nomine cenſeantur, appellant, ſit diſcuſſio celebris & diligens facienda, luculenter apparet, ſi ſcandala & pericula grauia, (quæ ipſorum parere poſſet communicatio indiſcuſſa) diligentius attendantur. Hinc nos euidens euocat ratio, vt cum præmiſſis aliis caſibus, qui minoris exiſtunt periculi, ſit ex Conſtitutionibus editis iam prouiſum; Hunc vltimum, qui pericula grauis tra minatur, nequaquam ſine prouiſionis opportunæ remedio relinquamus. Præſenti itaque perpetuo valitura Conſtitutione ſancimus, vt Epiſcopi & alii Prælati ſuperiores, nec non Abbates, Priores, & cæteri Monaſteriorum regimina exercentes, quocunque nomine cenſeantur, qui apud dictam ſedem promouentur, aut confirmationis, conſecrationis vel benedictionis munus recipiunt, ad commiſſas eis Eccleſias, & Monaſteria, abſque dictæ ſedis literis, huiuſmodi eorum promotionem, confirmationem, conſecrationem ſeu benedictionem continentibus accedere, vel bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem accipere non præſumant: nullique eos abſque dictarum litterarum oſtenſione recipiant, aut eis pareant, vel intendant. Quod ſi forſan contra præſumptum fuerit; quod per Epiſcopos, Prælatos, Abbates, Priores, & alios Monaſteriorum regimina exercentes prædictos, medio tempore actum fuerit, irritum habeatur: nec quicquam interim iidem Epiſcopi, vel Prælati, Abbates, Priores, vel regimina exercentes, de Eccleſiarum vel Monaſteriorum prouentibus percipiant eorundem. Capitula vero, & Conuentus Eccleſiarum & Monaſteriorum ipſorum, & alii, quicunque ipſos abſque huiuſmodi dictæ ſedis litteris recipientes, vel obedientes eiſdem, tamdiu ſint à beneficiorum ſuorum perceptione ſuſpenſi, donec ſuper hoc eiuſdem ſedis gratiam meruerint obtinere. Similiter quoque Epiſcopi, Prælati, Abbates, Priores, & alii Monaſteriorum regimina exercentes prædicti, ſolito fidelitatis & obedientiæ iuramento non præſtito. Illi etiam Pontifices quos apud prædictam ſedem pallium continget recipere, abſque litteris traditionis ipſius pallii, nequaquam ab eadem ſede diſcedant: diſcedentes vero (quouſq; huiuſmodi iuramentum præſtiterint, & litteras obtinuerint) nihil de ipſarum Eccleſiarum & Monaſteriorum prouentibus percipiant; & quicquid interim per eos; (vt de aliis prædicitur) factum fuerit, viribus non ſubſiſtat.* Hæc quidem Bonifac. bono publico, ſanciebat.

X. CONTROVERSIAS INTER ECCLESIARVM PRÆLATOS ET RELIGIOSOS DE SACRAMENTORVM ADMINISTRATIONE ENATAS ALIA CONSTITVTIONE DIRIMIT. *extr tit. 6. de ſepult.*

Cum autem per idem temporis, nonnullæ controuerſiæ inter eoſdem Eccleſiarum Prælatos, & Regulares aliquos exortæ fuiſſent, plurimis vſurpata, temeritate aſſerentibus; non licere Religionis Chriſti fidelium aut confeſſiones excipere, aut cadauera ſepelire, aut eis vel ſacramenta miniſtrare, vel ſalutis verbum prædicare: Hanc inter eos litem publico ſcandalo enatam, Bonifacius diremit, eamque ſequentem Conſtitutionem promulgauit: quam poſtea Clemens ſummus Pontifex innouauit. Ita habet

*Super cathedram præeminentiæ Paſtoralis diuina diſponente clementia conſtituti, & ſi multis & arduis, quæ in amplum Romanæ Curiæ alueum vndique confluunt quaſi torrens, prægrauemur negotiis, curis excitemur innumeris, cogitationibus plurimis diſtrahamur: circa id tamen feruentibus votis intendimus, vacamus inſtantius, ac operoſæ ſtudium ſolicitudinis impartimur, vt ad diuini nominis gloriam, exaltationem Catholicæ fidei, & profectum fidelium animarum (præciſis radicitus diſſidiorum vepribus, & litigioſorum anfractibus omnino ſubductis) inter Eccleſiarum Antiſtites, ad curam & regimen gregis Dominici deputatos, cæteraſque perſonas, quas ordo clericalis includit, pacis tranquillitas vigeat, feruor charitatis exæſtuet, inualeſcat concordiæ vnitas, animorum identitas perſeueret. Scimus enim, & ex euidentia facti colligimus, quod non niſi in pacis tempore, bene colitur pacis auctor: nec ignoramus, quod diſſenſiones & ſcandala prauis actibus aditum præparant, rancores & odia ſuſcitant, & illicitis moribus auſum præbent. Ab olim ſiquidem inter Prælatos & Rectores, ſeu Sacerdotes ac clericos parœcialium Eccleſiarum per diuerſas mundi prouincias conſtitutos ex vna parte, & Prædicatorum & Minorum Ordinum fratres ex altera; (pacis æmulo*

ſatore Zizaniæ procurante) grauis & periculoſa diſcordia extitit ſuſcitata ſuper prædicationibus fidelium populis faciendis, eorum Confeſſionibus audiendis pœnitentiis iniungendis eiſdem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui apud Fratrum ipſorum Eccleſias, ſiue loca noſcuntur eligere ſepulturam. Nos autem (pii patris more laudabili) moleſte ferentes incommoda filiorum, reducentes ad exactæ conſiderationis examen, ac intra pectoris clauſtra ſolicite reuoluentes, quam ſit plena periculis, quam onuſta diſpendiis, quamq; in Diuinæ maieſtatis conſpectu reddatur exoſa diſcordia ſupradicta; & propterea intendentes paternæ ſolicitudinis ſtudio illam prorſus euellere, ac omnimode ſubmouere, nullis vnquam futuris temporibus fauente Domino ſuſcitandam: grandi quoque deſiderio cupientes, vt huiuſmodi negotium, quod potiſſime inſidet cordi noſtro finem ſalubrem & celebrem per Apoſtolicæ ſolertiæ ſtudium conſequatur: diligenti cum fratribus noſtris deliberatione præhabita ſuper eo, ad honorem Dei, & exaltationem Catholicæ fidei, quietum ſtatu partium prædictarum, ac ſalutis animarum fidelium incrementum, de ipſorum fratrum conſilio authoritate Apoſtolica ſtatuimus & ordinamus, vt dictorum Ordinum fratres in Eccleſiis & locis eorum, ac in plateis communibus libere valeant Clero & populo prædicare ac proponere verbum Dei. Hora illa duntaxat excepta, in qua locorum prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari, in qua prædicare ceſſabunt: præterquam ſi aliud de prælatorum ipſorum voluntateproceſſerit, ac licentia ſpeciali.

In ſtudiis autem generalibus, vbi ſermones ad clerum ex more fieri ſolent, diebus illis, quibus prædicari ſolemniter conſueuit, ad funera etiam mortuorum, & in feſtis ſpecialibus, ſiue peculiarib. eorum fratrum, poſſunt iidem fratres, & liceat eis libere prædicare: niſi forte illa hora, qua ſolet ad clerum in prædictis locis Dei verbum proponi, Epiſcopus vel Prælatus ſuperior Clerum ad ſe generaliter conuocaret, aut ex aliqua ratione vel cauſa vrgente clerum ipſum duceret congregandum.

In Eccleſiis autem paræcialibus fratres illi nullatenus audeant vel debeant prædicare, vel proponere verbum Dei, niſi fratres prædicti à paræcialibus ſacerdotibus inuitati fuerint vel vocati: & de ipſorum beneplacito & aſſenſu, ſeu petita fuerit licentia & obtenta; niſi Epiſcopus vel prælatus ſuperior, per eoſdem fratres prædicari mandarit.

Statuimus etiam & ordinamus authoritate prædicta, vt in ſingulis ciuitatibus & diœceſibus, in quibus loca fratrum ipſorum conſiſtere dignoſcuntur, vel in ciuitatibus & diœceſibus locis ipſis vicinis, in quibus loca huiuſmodi non habentur, Magiſtri Priores Prouinciales Prædicatorum, aut eorum vicarii, & generales & prouinciales Miniſtri & cuſtodes Minorum ordinum prædictorum, ad præſentiam Prælatorum eorundem locorum ſe conferant, per ſe vel per fratres, quos ad hoc idoneos fore putauerint, humiliter petituri, vt fratres, qui ad hoc electi fuerint, in eorum ciuitatibus & diœceſibus confeſſiones ſubditorum ſuorum confiteri ſibi volentium audire libere valeant, & huiuſmodi confitentib. (prout ſecundum Deum expedire cognouerint) pœnitentias imponere ſalutares, atque eis beneficium abſolutionis impendere de licentia, gratia & beneplacito eorundem. Ac deinde præfati Magiſtri Priores Prouinciales, & Miniſtri Ordinum prædictorum, eligere ſtudeant perſonas ſufficientes, idoneas, vita probatas, diſcretas, modeſtas atq; peritas, ad tam ſalubre miniſterium & officium exequendum: quas ſic ab ipſis electas repræſentẽt, vel faciant præſentari Prælatis, vt de eorum licentia, gratia, & beneplacito in ciuitatibus & diœceſibus eorundem huiuſmodi perſonæ ſic electæ confeſſiones confiteri ſibi volentium audiant, imponant pœnitentias ſalutares, & beneficium abſolutionis impendant, prout ſuperius eſt expreſſum: extra ciuitates & diœceſes, in quibus fuerint deputatæ, per quas eas volumus, & non per prouincias deputari, confeſſiones nullatenus audituræ.

Numerus autem perſonarum aſſumendarum, ad huiuſmodi officium exercendum eſſe debet, prout vniuerſitas Cleri & populi, ac multitudo vel paucitas exigit eorundem. Et ſi iidem Prælati petitam licentiam confeſſionum huiuſmodi audiendarum conceſſerint, illam præfati Magiſtri, Miniſtri & alii cum gratiarum recipiant actione: dictæque perſonæ ſic electæ commiſſum ſibi officium exequantur.

Quod ſi forte iam dicti Prælati, quemque ex dictis fratribus præſentatis eiſdem ad huiuſmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum; eo amoto, vel ſubtracto, loco ij ſius ſimiliter præſentandus prælatis poſſit & debeat alius ſubrogari. Si vero iidem Prælati præfatis fratribus ad confeſſiones (vt præmittitur) audiendas electis huiuſmodi exhibere licentiam recuſarint, nos extunc ipſis, vt confeſſiones ſibi confiteri volentium libere liciteq; audire valeant, & eaſdem pœnitentias imponere ſalutares, atq; eiſdem beneficium abſolutionis impartiri gratioſe concedimus, de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis.

Pro huiuſmodi autem conceſſionem, nequaquam intendimus perſonis ſeu fratribus ipſis, ad id taliter deputatis, poteſtatem in hac impendere ampliorem, quam in eo Curatis, vel Paræcialibus ſacerdotibus eſt à iure conceſſum; niſi forſan eis Eccleſiarum Prælati vberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter ducerent faciendam. Huiuſmodi quoq; ſtatuto & ordinationibus noſtris adiicimus, vt fratres dictorum ordinum in Eccleſiis vel locis ſuis, vbilibet conſtitutis, liberam (vt ſequitur) habeant ſepulturam. Videlicet, quod omnes ad eam recipere valeant, qui ſepeliri elegerint in locis & Eccleſiis memoratis.

Verum ne paræciales Eccleſiæ, & ipſarum Curati ſiue Rectores, qui miniſtrare habeant Eccleſiaſtica ſacramenta, quib. noſcitur de iure competere, prædicare ſeu proponere verbum Dei, & cõfeſſiones audire fidelium debitis & neceſſariis beneficiis defraudentur: cum operariis mercedis exhibitio debeatur, authoritate Apoſtolica conſtituimus & ordinamus eadem, vt dictorum ordinũ fratres de obuentionibus omnib. tam funeralibus, quam quibuſcunq; & quomodocunq; relictis, diſtincte vel indiſtincte, ad quoſcunq; certos vel determinatos vſus, de quibus etiam quarta ſiue canonica portio dari, ſiue exigi non conſueuit, vel non debet de iure, nec non de datis vel qualitercunque donatis in morte, ſeu mortis articulo in infirmitate donantis vel dantis, de qua deceſſerit quomodocunque, directe vel indirecte fratribus ipſis, vel aliis pro iiſdem, quartam partem (quam authoritate Apoſtolica taxamus, & etiam limitamus) paræcialibus ſacerdotibus & Eccleſiarum Rectoribus, ſeu curatis largiri integre teneantur; facturi & curaturi, quod nec alii, nec aliis à quibus quarta huiuſmodi minime deberetur, ad ipſorum fratrum vtilitatem, vel commodum, huiuſmodi fiant relicta, aut in eos taliter data vel donata procedant, ſeu quod in morte, vel ab infirmis huiuſmodi dandum vel donandum fratribus ipſis exiſteret, in eorundem dantium vel donantium ſanitate ſibi dari vel donari procurent.

In quibus per ipſos vitandis eorum intendimus conſcientias onerare, vt ſi (quod abſit) per fratres ipſos dolo vel fraude, quicquam in hac parte agi fortaſſe contigerit (præter id, quod eos propterea dictis ſacerdotibus, Rectoribus, & Curatis teneri volumus) etiam diſtricta ratio in extremi iudicii examine requiratur ab eis. Vltra portionem autem huiuſmodi nihil valeant paræciales Rectores, Curati & prælati exigere ſupradicti, neque illi dicti fratres amplius impendere ſint adſtricti, neque ad id à quoque poſſint aliqualiter coerceri. Nos etenim (vt in cunctis æqualiter & pacifice fauente Domino procedatur) vniuerſa priuilegia, gratias, indulgentias, verbo ſeu ſcripto, ſub quacunque forma vel expreſſione, ſeu conceptione verborum, à nobis vel prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus cuicumque ordinum prædictorum conceſſa, nec non conſuetudines, conuentiones, ſtatuta & pacta in quantum ſunt præmiſſis, vel alicui præmiſſorum contraria, ea penitus reuocamus, vacuamus, caſſamus, & irritamus: quin imo caſſa, vel vacua, & irrita nunciamus, & decernimus nullius prorſus exiſtere firmitatis. Cæterum vniuerſos Eccleſiarum Prælatos, cuiuſcumque præeminentiæ, ſtatus vel dignitatis exiſtant, ac ſacerdotes paræciales & Curatos, ſiue Rectores prædictos præſentium tenore rogamus, & hortamur attente, nihilominuſque eis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus per diuina & Apoſtolicæ ſedis reuerentia prædictos ordines, & profeſſores eorum habentes affectu beneuolo commendatos fratribus ipſis non ſe difficiles, graues, duros, aut aſperos, ſed potius fauorabiles, propitios ac benignos, piaque munificentia liberales ſe ſtudeant exhibere. Sic eos in prædicationis officio & propoſitionibus verbi Dei, ac in omnibus aliis ſupradictis, tanquam cooperatores eorum idoneos, & laborum ſuorum participes, prompta benignitate recipiant, ac affectuoſe admittere non omittant: vt proinde illis æternæ beatitudinis præmium augeatur, & animarum ſalutis incrementa felicia procurentur.

Nec ipſos lateat, quod ſi ſecus ab eis agi fortaſſe contigerit in hac parte, Apoſtolicæ ſedis benignitas, quæ ordines & profeſſores eoſdem vbere fauore proſequitur, & gerit in viſceribus charitatis





contra eos non immerito turbaretur: nec eadem æquanimiter pati poſſet, quin ſuper hoc prouiſionis opportunæ remedium adhiberet: ipſoſque nihilominus cœleſtis indignatio Principis digna pro meritis rependentis, cuius obſequia fratrum ipſorum ſedulitas curioſa proſequitur, minime præteriret. Nulli ergo omnino.

XI. PACEM INTER VRSVM ET FLORAM COMTEM COMPONIT.

Hactenus Bonifacius Pontifex pro controuerſiis inter Curatos & religioſos dirimendis ſtatuebat, quæ poſtmodum à ſuccedentibus Romanis Pontificibus, & à Sede Apoſtolica, & à Patribus Concilii Tridentini; & à Cardinalibus ſacrarum congregationum, authoritate Apoſtolica temperata ſunt in fauorem Religioſorum omnium promiſcuæ.

*Franciſc. Baudimont ex Cypriano manenii.*

Eodem anno Bonifac. Pontifex ad minores quaſdã in Italia controuerſias pacificandas curam adhibuit. Vrbeuetani Duce Gentili Vrſino in gratiam Vrſi familiæ Vrſinorum principis, quem S. Floræ Comes continuis bellorum molibus fatigabat, centum equites auxilio miſere. His & aliis copiis Vrſus fretus, ſuperior aliquanto videbatur: haudq; dubio Comitem auxiliarib. militibus oppreſſiſſet, niſi Bonifacius auctoritate Pontificia intercedens, vtrique arma deponere, & arbitrariam Sedis Apoſtolicæ ſententiam expectare iuſſiſſet. Eo pariter Pontifice iubente, ipſo pariter tempore pax inter Vrbeuetanos & Tudertinos inita fuit.

Radicofanum id temporis Eccleſiaſticę ditionis propugnaculum, ad rebellionem de integro ſe conuerterat. Quamobrem Bonifacio eodem præcipiente, Hermannus Monaldenſis reliquum militiæ agmen, quod à vicino proxime bello ſupererat, cum infinita Vulſinienſis agri multitudine, aliiſque præterea ad Paliæ & Clanis ſinus collectis militibus contra Gibellinos vlciſcendi ſtudio flagrans, ad Radicofanæ arcis radices, ingens in ſubiectas paſſim ditiones inferens damnum peruenit. Sed fruſtratus ob loci ſecuritatem expugnatione, vrbem veterem exauthoritatis copiis repetiit.

*Annal. Francorum*

Hoc anno, menſe Nouemb. die Mercurii ante ferias D. Clementis, vacante ſede Moguntinenſi, coacta eſt apud Compendium Synodus Prouincialis per Archiepiſc. Rhenorum, in qua excommunicantur Laici Magiſtratus, prohibentes ne laici in foro Eccleſiaſtico conuenirentur, decretumq; vt vbicunq; à iudice ſæculari clericus caperetur ibi à diuinis officiis ceſſaretur.

*Chron. Hirſaug.*

Eodem anno in die S. Mariæ Magdalenæ, Henricus Comes Lutzemburgenſis, ciuitatem Treuerenſem cum magna pugnatorum turba debellaturus, exercitum retro ciuitatem iuxta Eccleſiam S. Crucis collocauit, omneſq; in circuitu villas, domos, vineas, pomeriaq; deuaſtauit. Vlterius progreſſurus, niſi Omnipotens Deus meritis Sanctorum ſuorum apud Treuerim quieſcentium, in ipſa nocte vndecima poſteaquam aduenerant, ſpiritum in eos vertiginis miſiſſet, adeo vt ſeſe mutuo percutientes fugerent, nemine perſequente.

*Chron. Ioannis Philippi Meſſanen.*

Hoc anno terræmotus in Creta inſula permaximus mare adeo concuſſit, vt aquas maris impulerit intra ciuitatem Candiæ tanto impetu, quod omnia ædificia proſtrauerit, & omnes fere homines demerſerit. Mox adeo retroceſſit mare ex portu vrbano, vt vbi aqua profunda fuerat, tunc nulla videretur: & vbi nauigia luſerant, ibi arenæ fundi maris oculis omnium parerent. Eodem pariter terræmotu, totus Adriaticus ſinus concuſſus eſt, ingente portento futuræ calamitatis, quæ Bonifacio Pontifici, & poſt eius mortem Eccleſiæ & Vrbi Romanæ accidit.

*Leander l. 5. de viris illuſtribus Ord. Præd.*

Hoc anno rebus humanis exemptus eſt B. Iacobus, apud Meuaniam Etruriæ ciuitatem, Blancorum illuſtri familia, ante octuagiata annos, neq; ſine prodigio natus. Ea enim nocte, qua illum mater enixa eſt, tres Lunę cœlo apparuere, continentes ſingulæ imaginem viri veſte Prædicatoria amicti. Illuceſcente mox die ſequenti, viſus eſt infans quidam ciuitatem percurrere, alioſq; pueros, voce hac edita, *ad Scholas, ad Scholas* inuitare: cauſamq; poſcentibus reddere: Hac nocte natos eſſe præceptores, quos mundus vellet audire.

Aliquis etiam viderat eadem nocte omnẽ terram in modum veteris rubi flammis ardere, neq; tamen aduri. Andreas etiam Iac. frater, ſecundum quietem aſpexit, matrem peperiſſe ſub habitu prædicatorio infantem, cuius doctrina plurimam mortalium turbam ad ſe cõgregabat. Eandem viſionem, & mater in ſomnis conſpexit, atque marito renunciauit. Decimumſextum ætatis annum Iacobus natus, cum Meuaniam duo Prædicatorii inſtituti Concionatores ad Quadrageſimæ dies aduenissent, ciuitatemque verbi Diuini gratia recrearent, eos ille cœpit ſedulo obſeruare, ſubſequi, eorum monita & audire, & exſequi. Horum vni errata vitę confeſſus, cum ſacro dominicæ cœnæ die ſanctam Euchariſtiam ſumpſiſſet, & pſalmorũ libro forte ſibi oblato; ad illum verſiculum oculos conieciſſet: Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum: confeſtim diuino ſpiritu afflatus, Petrum Dominicanum conuenit, & ſe à Deo admonitum, ad ſæculi renunciationem faciendam renunciauit. Audiuit Petrus iuuenem, & vt eo die tum ieiunio, tum orationi incumberet inſinuauit: ſi forte Deus aliquid certius ei indicaret. Indicauit ſane. Nam nocte ſequenti Diuus Dominicus Iacobo apparuit, cumque ad propoſitum explendum hortatus eſt: ſe ei nunquam defuturum affirmans. Spoletum itaque cum Patribus venit, & inuitis parentibus Diui Dominici inſtitutum complexus, in virum ſanctiſſimum euaſit. Eam ſanctitatem illius miraculis ingentibus Deus illuſtrauit. Quo enim tempore in ciuitate Meuaniæ Eccleſiam S. Georgii pro religione Prædicatoria obtinuiſſet, & cœnobio extruendo ſedulam operam nauaret, vinum pro artificibus neceſſarium bis mirum in modum augeri à Domino precibus impetrauit. Panem quoque ad vſum eorum, eodem vſus conſilio comparauit. Iuueni cuidam de arbore lapſo, membriſque omnibus comminuto, fuſis ad Deum precibus ſubitariam plenamque reddidit ſoſpitatem. Fratrem ſuum & alium quendam, ſola oratione vinculis & carcere exemit. Oleo, vino & aqua benedicta nec non aqua ablutionis manuum ſuarum plurimos ægrotantes ſanauit. Occulta cordium ſancto ſpiritu edocente cognouit; Hæreſin quandam contra fidei veritatem in ſua ciuitate Meuaniæ inſurgentem, tum doctrina tum miraculorum operatione extinxit. Optabat aliquando noſſe, an & ipſe ex eorum numero eſſet futurus, qui pollicita in cælis fœlicitate potituri eſſent. Qua de re cum enixius ad Deum preces fudiſſet, Saluatoris Crucifixi imago, quam ille ſumptib. à matre in vſum veſtium impetratis erexerat, coram qua procumbens orabat, edita voce: Sanguis ait, iſte ſit tibi in ſignum. Moxq; mira res, continuo proſiliit de loquentis imaginis latere copioſus ſanguis, & tum faciẽ illius, tum veſtes Iacobi ad eum modum reſperſit, vt rubentes guttæ non niſi poſt multum temporis elui poſſent. Eius inſuper ſanguinis guttulæ aliquot in eius labia defluxere à quibus ita edulcatus eſt eius animus, vt ex ea die ſemper optarit diſſolui & eſſe cum Chriſto. Morituro Redemptor noſter Ieſus, cũ Virgine Matre Maria; ac Diuis Dominico & Georgio martyre viſus eſt, intra octauũ diem eum ad felicitatem æternam euocandum eſſe dicens. Decumbẽtem cum vini nigri cupido inceſſiſſet, aquam è puteo hauſtam, ſemel ſecundo & tertio, ſolo crucis ſigno vinum fecit: Octauo demum die, cum ſacramenta Eccleſiæ magna cum deuotione ſuſcepiſſet, & iterum Sanctum Sanctorũ, illis Sanctis circumdatum ſeſe vocantem aſpexiſſet & audiſſet, ſancto fine quieuit, ipſo die Aſſumptionis Diuæ Deiparæ: Aliqua pia matrona apud Vrbem veterem ſacris procurata, eodem die quo Sanctus carne ſolutus eſt, ipſum longe poſita, in viſione ſibi apparentem aſpexit. Mortuum illum miracula ſecuta ſunt. Alicuius ciuis Meuanienſis, filiolus ſub molendinarias molas rapido flumine merſus, eius meritis vitę redditus eſt. Iuuenis quidam ex ſagittæ ictu occiſus illico reuixit. Alius Fulginas ad patibulum damnatus, per miraculum libertati reſtitutus eſt. Ramicoſi ſeu Hernioſi, quã plurimi ſanati. Poſt aliquot menſes cor-

pus eius refoſſum adeo integrum & incorruptum apparuit, ac ſi vel ante horam ſepultũ fuiſſet. Eo tempore quo Fratres funus eius curantes, ſolemnia officii ex more Eccleſiaſtico recitarent, vox de cœlis audita eſt, ne pro eo orarent, ſed magis orationes ipſius implorarent.

*Michael pius in lib. de viris ill. Ord. Præd.*

Eodem anno Valentiæ in Arragonia ſatis functus eſt F. Ioannes Puiguentius, Ord. Præd. poſtquam in conuertendis Mauris Petro Aragonum Regi multam operam nauaſſet, diuturno tempore Arabicam linguam magno cum fructu docuiſſet, & fidem Chriſtianam inſignibus miraculis illuſtraſſet. Edixerat Petrus publicis literis, vt Mauri ad eius conciones audiendas conuenirent, quod ſi contemnerent, pœnas ſtatutas reciperent.

# IESV CHRISTI
## Annus 1302.
### BONIFACII PAPÆ VIII.
### Anno 8.

I. BONIFACIVS PP. VVENCESLAVM BOEMIÆ REGEM POLONIÆ ET HVNGARIÆ REGNA SIBI ARROGANTEM COERCET. *Epiſt. 27. Anag. 4. Idus Iun.*

NOn vnam, ſed alteram Venceslai Boemorum Regis audaciam, frangendam ſibi hoc anno deſtinauerat, Bonifacius Papa. Polonorum inprimis Regem ſe dicebat, paucorum ſcilicet factione ad ſpem regni illius excitatus: cum Vuladislaum Lociicum maior & melior pars ſenatus atque nobilitatis, Regem ſalutaſſet, & ex vicina Hungaria, ad quam ſe propter hoſtiles Boemorum copias receperat, ad Regnum capeſſendum euocaſſet. Re cognita Bonifacius, Vuenceslaum admonuit, ne in præiudicium legitimi Poloniæ Regis Vuladislai, eam dignitatem vſurparet, aut præfracta temeritate titulos inanes ſibi arrogaret. Hungarici quoque regni retinendi, Venceslaus, maximo deſiderio tenebatur. Et quamquam is ipſe ſibi delatum recuſaſſet, filium tamen Vuladislaum Hungaris regnare volebat. Domeſticis factionibus & ſeditionibus interim Hungari diſſidebant, adeo vehementer, vt apud eos Vuladislaus præter nomen Regis inane, vim regnandi nullam obtineret: partim ob teneram adhuc ætatem, multo magis ob quorundam procerum præpoſteram ambitionem, quorum videlicet quilibet plus regnare quam Rex cupiebat. Acceſſerat etiam vita Vuladislai diſſolutior, quam inerti otio, vinoque & prodigioſis epulis fere quotidie tranſigens, odium frugalis gentis aduerſum ſe concitarat. Carolus quoque Rex exercitu conſcripto, ius & titulum regium iure hæreditario & approbatione Pontificia ſibi debitum armis repetens, æmulo imminere videbatur; vt niſi ei per tempeſtiuum in Hungariam aduentum parens ſubueniret, actum de illius vita eſſet. Hæc omnia grauiſſima quamquã Vuenceslao metum vehementiorem incuſſiſſent, vt de filio ex Hungaria reuocando cogitarit, ei tamen iniunxit; ne Danubium è Budana arce traiiceret, neue in conſpectum ſuum appareret, niſi coronatus corona illa, quam Hungari Sanctam vocabant. Cum iuſſa feciſſet filius, allatamque coronam ſuo capiti accommodaſſet, & ita demum ad oſculum & complexum parentis veniſſet, tunc Vuenceslaus Bonifacio ſummo Pontifici ſcripſit, vt ſui & filii rationem haberet, & inaugurationem ipſius confirmaret. Negauit iterum Bonifacius, quicquam facere. Cum non integrum ſibi fore diceret, aliquid contra ius Caroli Regis & Mariæ Reginæ cuipiam concedere, inque poſſeſſionem alieni Regni quemquam per ſummam iniuriam admittere. Monuit itaque ſecundo Vuenceslaum, vt filium Regno excedere, Regiumque diadema deponere, ac proceribus Regni Hungariæ reſtituere iuberet: niſi ſeueritatem Apoſtolicæ ſedis damno ſuo experiri mallet. Porro ſi quid iuris in illud Regnum ſe habere putaret, ad tribunal Romani Pontificis deferret, & ex controuerſia partium ſententiam expectaret.

*Dubrau. hiſt. Boem. lib. 8.*

TVRBÆ IN HVNGARIA OB SVCCESSIONEM REGIS.

II. SICILIA QVIBVS CONDITIONIBVS PACI RESTITVTA. *Laterani 16. Calend. Maii. Fazellus dec. 2. lib. 9.*

In Sicilia, hoc anno bellici tumultus tandem quieuere, Bonifacio auctoritatem Pontificiam interponente. Ingentem exercitum, erogatione indulgentiarum & priuilegiorum, quæ Cruce ſignatis pro recuperatione terræ ſanctæ pugnantibus ſolent impartiri inuitatum, conſcripſerat Carolus Comes Andegauenſis, Regis Galliarum frater. Hunc claſſi numeroſæ impoſitum, in Siciliam ad regionem Mazaræ expoſuerat copiis ſimul iunctis cum Roberto Duce Calabriæ, & Carolo Rege Siciliæ. Interea Iolanda Ducis Roberti Vxor, & Friderici Regis ſoror, quę inter maritum & germanum fratrem pacem tractabat, apud Thermas oppidum immatura, & vtrique lachrymabili morte deceſſit. Sæua præterea, ac dira peſtis è corrupto aere Francorum equos, vniuerſumque exercitum inuaſit. Fridericus Aragonius commodam ſibi victoriæ occaſionem non negligens, hoſtibus defatigatis bellum facere decreuerat, exque nouo Caſtro & aliis oppidis vicinis, comparatis militibus magnum exercitum inſtruxerat. Ea re cognita Carolus Gallici exercitus ductor, attendenſq; quod vel obſidionem ſoluere, vel cum maximo ſuorum periculo bellum intra caſtra expectare neceſſarium ſibi foret, quod vtrumque propter agnationis iura nihil niſi miſerandum euentum portendebat, cum etiam ſibi ad repetendum Conſtantinopolitanum imperium tempus inſtare conſideraret, pacem inter Carolum Regem & Robertum Calabriæ Ducem ex vna, & ex altera inter Fridericum Aragonium in prædio quodam inter Calata bellotam & Iaccam, vbi Mapalia erant, Friderico & Carolo ipſo vtroque centeno cum milite, ac Roberto Duce, Rogerio Auria, Vinciguerra Palicio, ac cæteris vtriuſque partis proceribus conuenientibus, his conditionibus firmauit. Vt Fridericus Aleonoram Caroli Regis filiam vxorem duceret; Siciliam cum adiacentibus inſulis dum vixiſſet, poſſideret: Calabria omnis, Apulia & Campania Carolo libere cederet, Hincinde in vtroque regno capto oppida proprio Regi reſtituerentur: Philippus Princeps Tarenti, & alii bello vtrimque capti libertate donarentur: Comites, Barones, cæteriq; Proceres qui ad hoſtem defecerant, vt agnoſceret poſteritas præmia, quæ debentur iis, qui fidem ſuis principibus frangere non verentur, rebus ac bonis omnibus, quibus in violatis Regnis potiebantur, perpetuo priuarentur: Rogerio tantum Auriæ Caſtrum Acis in Sicilia, & Vinciguerræ Palicio oppidum Calannæ, Mottam Mori, & Maſſam in littoribus Calabriæ tenere liceret: Fridericus titulo Regis Trinacriæ, ornaretur: omnia vero ſummus Pontifex rata grata habere vellet.

III. EAM PACEM INITAM CONFIRMAT BONIFACIVS PP. *Lateran. 8. Idus Dec. pag. 288.*

Iis conſtitutis, Fridericus Aragonius, Guilelmum Gazeranum, Damianum Palicium, & Cathaldum Rubeum Meſſanenſem Nuncios ad Bonifacium Pontificem deſtinauit, qui reconciliationem cum ſede Apoſtolica, & confirmationem pacis initæ poſtularent: ac nomine illius, Bonifacio & Romanæ Eccleſiæ omnia pollicerentur. Maxima cum animi voluptate Bonifacius Oratores Friderici audiuit: ſed quod non omnes conditiones ſtabilitas probare poſſet, excuſauit. Aliquas enim rei Eccleſiaſticæ, & Maieſtati Pontificiæ repugnare, neque ex dignitate ſedis Apoſtolicæ, aut ex æquitate iuris eſſe reſpondit. Spem tamen non modicam oratoribus oſtendit, ſi eæ conditiones ex bono, æquo, & decoro temperarentur, illas velle amplecti, laudare, & approbare. Iis rebus ad optatum finem deducendis, miſit Bonifacius Internuntios Guilelmum Salernitanum Archiepiſcopum, Hubertũ Bononienſem electum, & Nobilem virum Iacobum Piſanum familiarem ſuum: ipſe vero interim anathemate illigatos Principes exſoluit, Sacra regno Siciliæ interdicta reſtituit; matrimonii inter Aleonoram Caroli Regis filiam & Fridericum Aragonium ineundi poteſtatem, legibus propinquitatis ſolutis, conceſſit: vtque tandem arma deponerent imperauit.

IV. PHILIPPI GALLIARVM REGIS EXECRANDA FLAGITIA IN BONIFACIVM PP. ET ALIOS ANTISTITES CATHOLICOS. *Maſſon. in Bonifacio.*

Dum hæc in Siciliæ inſula in rem Gallici ſanguinis à Bonifacio agerentur, Philippus Rex Gallorum hoſtili animo in eundem Pontificem exardeſcens, prorſus





execrandis facinoribus ſeſe impiauit. Enimuero neque Ariminenſem, neque Apamienſem Epiſcopos in carcerem per ſummam iniuriam coniectos, iudicium & opem ſedis Apoſtolicę implorantes dimittere voluit. Pecuniam ſacram in vſum belli Syriaci collectã è Gallia Romam deferri prohibuit; Nuncio ſedis Apoſtolicæ literas ereptas, in flammas iniici patienter ſuſtinuit; eũdemq; Galliæ finibus ſtatim excedere iuſſit: Calumniarum in Bonifacium capita à maleuolentibus conficta. Lutetiæ in templo virginis pronunciari per Petrum Flotam conſiliarium imperauit: contra eundem Pontificem tum conciliabulum profanum, aliquot Epiſcoporum & Prælatorũ Regni ſui conuocauit, tum à comminatoriis Bonifacii ſententiis, ad ſententiam, illius vel alterius Concilii prouocauit: multaq; alia indigna Rege, qui Chriſtianiſſimi nomine gloriabatur, admiſit. quæ Bonifacium iure merito permouerunt, vt ſententiæ, quã vocant definitiuæ, in regem regnumq; ferendæ conſilio, omnes regni Antiſtites Theologoſq; & Iuriſconſultos celeberrimos, vt Romam proficiſcerentur publice citauerit, cum prius illam celebrem Conſtitutionem promulgauiſſet, dignam quæ pro innocentia Bonifacii iſthic inſeratur. Ita habet.

DECRETALIS BONIFACII DE VNITATE ET POTESTATE ECCLESIÆ. *Extra tit. de maiorit. & obed. tit. 8. ep. 52.*

*Vnam Sanctam Eccleſiam Catholicam, & ipſam Apoſtolicam, vrgente fide credere cogimur & tenere. Noſque hanc firmiter credimus & ſimpliciter confitemur; extra quam nec ſalus eſt, nec remiſſio peccatorum: Sponſo in Canticis proclamante; Vna eſt columba mea, perfecta mea. Vna eſt Matri ſuæ, electa genetrici ſuæ; quæ vnum corpus myſticum repræſentat; cuius caput Chriſtus, Chriſti vero Deus. In qua vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Vna nempe fuit diluuii tempore arca Noe, vnam Eccleſiam præfigurans, quæ in vno cubito conſummata, vnum (Noe videlicet) gubernatorem habuit & Rectorem, extra quam omnia ſubſiſtentia ſuper terram legimus fuiſſe deleta. Hanc autem veneramur & vnicam, dicente Domino in Propheta: Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam. Pro anima enim, id eſt, pro ſeipſo capite ſimul orauit, & corpore, quod corpus vnicam ſcilicet Eccleſiam nominauit, propter ſponſi, fidei, ſacramentorum & charitatis Eccleſiæ vnitatem. Hæc eſt tunica illa Domini inconſutilis, quæ ſciſſa non fuit, ſed ſorte prouenit. Igitur Eccleſiæ vnius & vnicæ, vnum corpus, vnum caput, non duo capita quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet & Chriſti Vicarius Petrus, Petrique ſucceſſor: dicente Domino ipſi Petro; Paſce Oues meas, meas inquit, & generaliter non ſingulariter has vel illas; per quod commiſiſſe ſibi intelligitur vniuerſas. Siue ergo Græci, ſiue alii ſe dicant Petro eiuſque ſucceſſoribus non eſſe commiſſos, fateantur neceſſe, ſe de ouibus Chriſti non eſſe; dicente Domino in Ioanne; vnum ouile, & vnicum eſſe Paſtorem. In hac eiuſque poteſtate duos eſſe gladios ſpiritalem videlicet & temporalem, Euangelicis dictis inſtruimur. Nam dicentibus Apoſtolis: Ecce gladii duo hic: in Eccleſia ſcilicet; cum Apoſtoli loquerentur; non reſpondit Dominus, nimis eſſe, ſed ſatis. Certe qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, male verbum attendit Domini proferentis: Conuerte gladium tuum in vaginam. Vterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ ſpiritalis ſcilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Eccleſia, ille vero ab Eccleſia exercendus. Ille Sacerdotis, is manu Regum & militum, ſed ad nutum & patientiam Sacerdotis. Oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem authoritatem ſpiritali ſubiici poteſtati. Nam cum dicat Apoſtolus: Non eſt poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt: non autem ordinatæ eſſent, niſi gladius eſſet ſub gladio: & tamquam inferior reduceretur per alium in ſuprema. Nam ſecundum Beatum Dionyſium lex diuinitatis eſt, infima per media in ſuprema reduci. Non ergo, ſecundum ordinem vniuerſi, omnia æque ac immediate, ſed infima per media, & inferiora per ſuperiora ad ordinem reducuntur. Spiritualem autem, & dignitate, & nobilitate terrenam quamlibet præcellere poteſtatem, oportet tanto clarius nos fateri, quanto ſpiritalia, temporalia antecellunt. Quod etiam ex decimarum datione, & benedictione, & ſanctificatione, ex ipſius poteſtatis acceptione, ex ipſarum rerum gubernatione claris oculis intuemur. Nam veritate teſtante ſpiritalis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet, & iudicare ſi bona non fuerit: Sic de Eccleſia & Eccleſiaſtica poteſtate verificatur vaticinium Hieremiæ Prophetæ: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna; & cætera quæ ſequuntur. Ergo ſi deuiat terrena poteſtas, iudicabitur à poteſtate ſpiritali; Sed ſi deuiat ſpiritalis minor, à ſuo ſuperiori. Si vero ſuprema, à ſolo Deo, non ab homine poterit iudicari; teſtante Apoſtolo: Spiritalis homo iudicat omnia, ipſe autem à nemine iudicatur. Eſt autem hæc authoritas (& ſi data ſit homini, & exerceatur per hominem) non humana, ſed potius diuina, ore diuino Petro data, ſibique ſuiſque ſucceſſoribus in ipſo, quem confeſſus fuit petra firmata; dicente Domino ipſi Petro: Quodcunque ligaueris, &c. Quicunque igitur huic poteſtati à Deo ſic ordinatæ reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, niſi duo (ſicut Manichæus) fingas eſſe principia; quod falſum & hæreticum iudicamus, quia teſtante Moyſe; non in principiis, ſed in principio cœlum Deus creauit & terram. Porro ſubeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* Datum Laterani Pontificatus noſtri anno 8.

V. PHILIPPVS CENSVRAM ECCLESIASTICAM IN SE FERENDAM QVOMODO IMPEDIRE CONATVS SIT. *Maſſonius ſup.*

Ex hac Bonifaciana Conſtitutione facile coniicere quiuis potuerit, quinam vngues vlceratum Philippi animum peterrarint. Verebatur ſubinde Philippus, ne Bonifacius cẽſuras Eccleſiaſticas in ſe regnumq; ſuum, Romæ propter contemptum maieſtatis Pontificiæ publicatas, in Gallias tranſmitteret. Quamobrem, & edicto vbique prouulgato interdixit, ne aliquis Epiſcoporum aut prælatorum, vel etiam clericorum Romam accederet, & cuſtodiis vbilibet locorum in finibus Regni diſpoſitis curauit, ne quis aliquid litterarum Pontificiarum ex vrbe in Gallias inferret, aut ſe inuito & inſcio diuulgaret, capitis & fortunarum propoſita pœna in eos qui contra iuiſſent.

VI. EPISTOLA PRÆLATORVM ET PROCERVM GALLIÆ AD BONIFACIVM PAPAM IN CAVSA PHILIPPI.

Placet iſthic epiſtolam ad Bonifacium Pontificem, datam à Prælatis & Proceribus Galliarum adſcribere; vt quã toto cœlo, in ſenſu & intellectu Decretalis Bonifacianæ, Philippus Rex errauerit, quamue turpi calumnia Bonifacio innocenti impoſita, illos ſiue incautos deluſerit, ſiue iuſto plus timidiores oppreſſerit, adque eam doloris & quærimoniæ plenam exprimendam compulerit. Ita habet *in MS. Biblioth. Vatican. n. 4177.*

SanctiſſimoPatri & Domino ſuo chariſſimo, Domino Bonifacio Diuina Prouidentia Sacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, ſui humiles ac deuoti Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores Conuentuales, Decani, Præpoſiti, Capitula, atq; Collegia Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum, Regularium & Secularium totius regni Franciæ, Pariſiis congregati, deuotiſſima pedum oſcula Beatorum.

*Non abſque dolore cordium, & amaritudine lachrymarum, Beatitudini veſtræ ſignificare compellimur, quia Sereniſſimus Princeps, Dominus noſter chariſſimus Philippus Dei gratia Francorum Rex illuſtris, auditis quæ per venerabilem virum Archidiaconum Narbonenſem, Notarium & Nuntium veſtrum, nuper ſibi ex parte veſtra relata fuerunt, ac inſpectis Apoſtolicis litteris clauſis, ei per eundem Archidiaconum præſentatis, & quibuſdam, licet paucis de Baronibus ſuis tunc ſibi aſſiſtentibus earum communicato tenore, ex his tam Dominus Rex, quam Barones ipſi, ex ingenti admiratione & vehementi turbatione commoti, ſtatim idem Dominus Rex, de Baronum ipſorum conſilio, Barones cæteros tunc abſentes, ac nos, videlicet Archiepiſc. Epiſc. Abbates, Priores Conuentuales, Decanos, Præpoſitos, Capitula Conuentus, atq; Collegia, tam Cathedralium, quam Collegiatarum, Regularium & Sæcularium, nec non vniuerſitates & communitates villarum regni ſui, ad ſuam mandauit præſentiam euocari, vt Prælati, Barones, Decani, Præpoſiti, ac duo de peritioribus vniuſcuiuſque Eccleſiæ Collegiatæ vel Cathedralis perſonaliter cæteri vero per Oeconomos, ſyndicos, ac procuratores idoneos, cum plenis & ſufficientibus mandatis, ſtatutis loco & termino comparerent. Porro nobis, cæteriſq; perſonis Eccleſiaſticis ſupradictis, nec non & Baronibus, Oeconomis, Syndicis & Procuratoribus Communitatum, & villarum, & aliis ſic iuxta præmiſſæ vocationis formam ad mandatum Regium, hac die Martis, decima præſentis menſis Aprilis, in Eccleſia B. Mariæ Pariſienſis, in præfati Regis præſentia cõſtitutis, idem Dominus Rex, proponi fecit cunctis audientibus palam & publice ſibi ex parte veſtra fuiſſe inter alia, per prædictos Archidiaconum & litteras*

intimatum, quod de Regno ſuo, quod à ſolo Deo, ipſe & prædeceſſores ſui tenere hactenus recognoſcunt, temporaliter vobis ſubeſſe, illudque à vobis tenere deberet. Nec contenti verbis huiuſmodi ſic mirabilibus, ſicque nouis & inauditis à Stylo apud incolas dicti Regni, ſed ea producere ſatagentes executionis in actum, Prælatos prædictos ac Magiſtros in Theologia, & profeſſores vtriuſque iuris oriundos de Regno prædicto, pro corrigendis exceſſibus; nec non, & pro culpis, inſolentiis, iniuriis, atque damnis, quæ Prælatis, Eccleſiis, Eccleſiaſticiſque perſonis, regularibus & ſæcularibus, in Regno conſtitutis eodem & alibi, per ipſum Dominum Regem ac Officiales, ſeu balliuos ſuos, atque à Patribus, Comitibus, Baronibus, aliiſque Nobilibus, vniuerſitatibus, & populo dicti Regni illata prætenditis, emendandis, ad veſtram præſentiam euocaſtis, vt ſic Regnum præfatum pretioſis iocalibus incomparabilibuſque theſauris, clypeis fortium præferendis ſapientia videlicet Prælatorum, & ſapientum etiam aliorum, quorum fidelis maturitate conſilii, ac prouidentia circumſpecta, regi & dirigi Regnum ipſum, firmari fides, Sacramenta Eccleſiaſtica exhiberi, miniſtrari iuſtitia; & per eos facultatibus & diuitiis vacuatum penitus & exhauſtum, dubii caſus euentibus, mirabilis ruinæ periculis, & deſolationis extremæ diſpendiis exponetur. In quibus, & aliis diuerſis grauaminibus, quæ per vos & Rom. Eccleſ. ſibi, Regno, & Eccleſiæ Gallicanæ, tam in reſeruationibus & ordinationibus voluntariis Archiepiſcopatuum, & collationibus beneficiorum inſignium dicti Regni perſonis extraneis & ignotis, & nonnunquam ſuſceptis nullo tempore reſidentibus in Eccleſiis, vel beneficiis ſupradictis; ex quibus diuini cultus diminutio ſequitur, piæ fundantium vel donantium voluntates, propulſo pietatis officio defraudantur: pauperibus dicti Regni, eleemoſynarum largitio conſueta ſubtrahitur; Regni depauperatio prouenit. Eccleſiæ iacturam deformationis incurrunt, dum ſtipendiorum perceptione ſubtracta, obſequiis deſtitutæ remanent, ſeruitorum, earum prouentibus exterorum commoditatibus deputatis, & prælati, dum non habent, quid pro meritis retribuant nobilibus, quorum progenitores Eccleſias fundauerunt, & aliis literatis perſonis, non inueniunt ſeruitores; ac ex cauſis huiuſmodi deuotio tepeſcit fidelium, nec eſt qui ad Eccleſias manum liberalitatis extendat, & alias in præmiſſis pernitioſum probetur exemplum, nec non penſionibus nouis, & cenſibus Eccleſiis de nouo impoſitis, immoderatis ſeruitiis, aliiſque exactionibus, & extorſionibus variis, præiudicialibus ſiquidem & damnoſis: ex quibus generalis ſtatus immutatur; prælatis ſuperioribus dandi coadiutores ſuffraganeis, quæ ad ſuum ſpectant officium exequendi facultas adimitur: vt pro eis ad Apoſtolicam ſedem cum muneribus recurratur aliiſque diuerſis caſibus, & nonnullis articulis, à longe retrolapſis, & veſtris præſertim temporibus illata fuiſſe, & continue inferri conqueritur: ſuam & ſuorum ſucceſſorum & Regni exhæredationem tam enormem & grauamen, tamque manifeſtum ſui, & Regni honoris diſpendium & eius detrimentum, non intendens, ſicut non poterat, diutius tolerare: & ſe certum aſſerens quod in temporalibus ſuperiorem, ſicut nec ſui progenitores habuerant, prout eſt toti mundo notorium; non habebat fouere, in præſenti negotio, ſicut Doctorum in Theologia, Magiſtrorum in vtroque iure de Regno ſuo oriundorum, & alias qui inter Doctores alios & peritos orbis peritiores & famoſiores habentur relatione concordi, habuerat iuſtam cauſam, nos vniuerſos & ſingulos tam Prælatos, quam Barones, & alios inſtantius requiſiuit, præcepit vt Dominus, rogauit & precibus inſtitit vt amicus, vt eum ad conſeruationem libertatis antiquæ, honoris, & ſtatus Regni prædicti, & incolarum ipſius releuationem grauaminum prædictorum, reformationem Regni Eccleſiæ Gallicanæ, Dei vero & Baronum conſilio, ad laudem diuini nominis, exaltationem Catholicæ fidei, honorem vniuerſalis Eccleſiæ, & diuini cultus augmentum, ſalutaria diſponat inire conſilia, & efficacem operam adhibere. Præſertim circa grauamina per officiales ſuos ac alios in regno prædicto, Eccleſiis Eccleſiaſticiſque perſonis illata: ſuper quibus debita correctionis remedium, ante aduentum præfati Archidiaconi ordinauerat adhibere; quod iam duxiſſet in executionis officium, niſi quod id ex metu, vel ad mandatum veſtrum feciſſe forſan aliquibus videretur, idque vobis aſcribere non poſſetis: & ad hoc non ſolum omnia quæ in bonis forent ipſius, ſed & perſonam, liberos, ſi caſus exigeret, exponendo. Similiter nos in his in quibus ſingulariter omnium, & generaliter ſingulorum res agi dignoſcitur, cauſa prouehitur, & proprium vniuſcuiuſque tangitur intereſſe prout, ex debito fidelitatis aſtringimur, curaremus adeſſe conſiliis & auxiliis opportunis, petens ſibi ſtatim ſuper his ab vniuerſis & ſingulis præciſe ac finaliter reſponderi. Barones vero cum Syndicis, & Procuratoribus ſupradictis ſecedentes in partem, ac demum deliberato conſilio redeuntes, præfato Domino Regi de huiuſmodi ſuo laudabili propoſito, & beneplacita voluntate, ad multa laudum præconia & gratiarũ actiones exuberes aſſurgentes, vnanimiter reſponderunt, ſe ad ea paratos nedum exponere res & bona, quæ extunc totaliter offerebant, ſed & perſonas vſque ad mortis ſupplicium, tormentorum quorumlibet genera non vitanda; adiicientes expreſſius vna voce, quod & ſi præfatus Dominus Rex præmiſſa, quod abſit eligeret tolerare, vel ſub diſſimulatione tranſire, ea ipſi nullatenus ſuſtinerent. Itaq; ſubſequenter à nobis reſponſione petita, licet longiores inducias poſtulantes, ipſum Dominum Regem & maiores ex Baronibus memoratis, quod non ea intentione ad eundem Dominum Regem Apoſtolicæ literæ proceſſiſſent, vt veſtræ voluntatis exiſteret, regni præfati libertatem infringere, vel quidcunque honori regio contrarium in hac parte, vel quomodolibet inthronare, multa lenitate, verborum perſuaſionibus ſtudioſis, & multiplicatis excuſationum præſidiis niſi fuerimus informare: ipſum Regem ad ſeruandum ſpirituale vinculum vnionis, quod inter Sanctam Romanam Eccleſiam, & prædeceſſores ſuos, & ipſum Regem ad hæc vſque tempora viguiſſe dignoſcitur, multipliciter inducendo. Vlteriori tamen delatione negata, ac prædicto patenter & publice vniuerſis, quod ſi quis voluntatis contrariæ appareret, extunc pro inimico Regis, & Regni notorie habebatur: conſultius attendentes, & conſpicientes apertius, niſi Dominus Rex, & Barones prædicti ex noſtra forent reſponſione contenti; præter alia pericula & ſcandala grauia, quorum non eſſet numerus, neque finis, tam Romanæ, quam Gallicanæ Eccleſiæ, deuotio & obedientia omnimoda & laicorum, & totius populi extunc irrecuperabiliter tollebatur, non ſine multa prolixitatis anguſtia ſic duximus reſpondendum. Quod ipſi Domino Regi, in conſeruatione perſonæ ſuæ, ſuique terreni honoris, ac libertatis, & iurium dicti Regni prout quidam noſtrum, qui Ducatus, Comitatus, Baronias, Feuda, & alia membra nobilia dicti regni tenemus ex forma iuramenti, & cæteri quaſi omnes debito fidelitatis ſumus adſtricti, adhæremus eidem debitis & opportunis auxiliis. Eidem Domino Regi humiliter ſupplicantes, vt cum ad Apoſtolicæ ſanctitatis obedientiam teneamur, ad benedictionis veſtræ pedes, iuxta præmiſſa vocationis veſtræ tenorem, permitteret nos conferri. Ex parte cuius, & Baronum eſt ſecuta reſponſio; quod nullo caſu permitteret abire, & regnum periculoſe, ſic deformiter, ſic irrecuperabiliter vacuari, quin potius exhauriri totaliter nullatenus ſuſtineret. Conſiderantes igitur tam vehementem commotionem, turbationem tam periculoſam, & grauem, imo grauiſſimam Regis, Baronum, & aliorum Laicorum Regni prædicti; & iam cognoſcentes apertius, quod antiqui hoſtis pacis æmuli Zizaniæque ſatoris qui à ſuæ principio ruinæ conatus, vt Eccleſiaſticæ vnitatem pacis turbatione reſcindat, charitatem vulneret, ſanctorum dulcedinem operum inuidiæ veneno fellis inficiat, humanumq; genus euertat omnibus modis, & perturbet faciente nequitia annalis fœderis, vnitatis & amicitiæ ſingularis, quæ inter ſæpe dictam Romanam Eccleſiam, ac præfatum Dominum noſtrum Regem, ac prædeceſſores ipſi & regnum & laudem altiſſimi, fidei Chriſtianæ profectum, & tam Eccleſiæ, quam Regis, & regni honoris & exaltationis incrementa felicia hactenus viguerunt, diſſolutioni & ſeparationi flebili & lugubri proh dolor orta patet, ac inſurgunt vndique frementia ſcandala, creſcunt anguſtiæ Eccleſiis Eccleſiaſticiſque perſonis, expoliationis, ac bonorum & rerum direptionis pericula imminentur, & cum abhorreant laici & prorſus fugiant conſortia Clericorum, eos omnino à ſuis conſiliis & actionibus abdicando ac ſi contra eos proditoriæ factionis conſcii vel participes extitiſſent, & ad contemnendum cenſuram Eccleſiaſticam & proceſſus, ſe quauis auctoritate fierent contra ipſos, iam ſeparant & muniunt, in graue periculum animarũ & alia varia & diuerſa pericula, quæ nec lingua referre ſufficeret, nec poſſet ſcriptura diſſerere, ſunt in promptu, ad ſanctitatis veſtræ prudentiam circumſpectam, in hoc ſummæ neceſſitatis articulo prouidimus recurrẽdum flebilibus vocibus & lachrymoſis ſingultibus paternam clementiam implorantes, ac ſupplicantes humiliter, quatenus ſalubre remedium in præmiſſis, per quod firmata fides tam longi decurſu temporis inter ſacram Eccleſiam, Regem & Regnum ſra-

ctuoſ.æ



ctuoſæ vnionis & mutuæ dilectionis integritas, in antiquæ charitatis dulcedine, conſuetus ſtatus Eccleſiæ Gallicanæ, in pulchritudine pacis & quietis optatæ remaneat, proſpiciatur nobis noſtriſque ſtatibus, citra veſtræ prædictæ vocationis edictum, ac prædictis periculis & ſcandalis obuietur, Apoſtolicæ prouidentiæ ſtudio, ac paternæ pietatis officio dignemini prouidere. Conſeruet altiſſimus Beatitudinem veſtram Eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora longiora. Dat. Pariſiis die prædicta.

Hæc Prælati Galliarum, Bonifacio Pontifici exponebant tunc cum Philippus Rex, ex falſo intellectu literarum Pontificiarum, quam plurima Bonifacio imponebat, & vnum ex alio connectens, falſa grauamina prætendebat. Res eſt. Collationem & adminiſtrationẽ beneficiorũ Eccleſiaſticorũ, ad ſe, Philippus trahebat.

VII. ALIA PHILIPPI IN BONIFACIVM AMARITVDO ET FACINORA.

Nihil in ea, ſummo Pontifici, iuris eſſe aſſerebat. Ro. impetus ne accederent detinebat, adeoq; impediebat. Fructus beneficiorum vacantium, rapiebat. Prælatos Eccleſiarum, ne gladio ſpirituali vterentur, prohibebat. Legatos & nuncios, non poſſe quoquam à Romano Pontifice deſtinari, affirmabat. Lugdunenſis Eccleſiæ vrbem atque bona, occupare conabatur. Literas Pontificias vna cum imaginibus SS. Petri & Pauli Apoſtolorum exuſſerat. Monetariam, in damnum Eccleſiarum exercebat: aliaque multa malefacta, & exceſſus commiſerat: propter quæ ſeueritatem Eccleſiaſticæ diſciplinæ fugiebat. Hi vngues in vlceribus Philippi, animum illius vehementius excruciabant. Vt & eas quærimonias falſimoniis refertas propoſuerit, & Epiſcopis, atque Prælatis, *ne ad ſedem Apoſtolicam ſe conferrent edixerit. Ex formula præſcripta Cardinali Legato, à Bonif. in regiſtro.*

VIII. EDOVARDVS REX ANGLIÆ PRO FLANDRIS ARMIS AGIT CONTRA PHILIPPVM. *ep. 33. Lat. 4. Id. Mart. ep. 212. Anagn. 4. Id. Aug.*

Rex Angliæ Edouardus, in eadem cum Bonifacio Pontifice cauſa contra Philippum fuit. Nam & arma per id temporis pro Flandrenſibus quos Philippus opprimere conabatur, aſſumpſerat. Itaq; in ſumptus eius belli, Bonifacius in tres annos decimari iuſſit, omnes redditus Eccleſiarum Angliæ atque Hiberniæ, cuius quidem ſacræ pecuniæ pars vna Edouardo numeraretur, altera vero ſedi Apoſtolicæ dependeretur, à Collectoribus ad id deputatis Epiſcopo Londonienſi, & Magiſtro Bartholomæo Florẽtinate Canonico Lõdonienſi.

Porro vt etiam ab affinitatibus Rex Edouardus ſuppetias habere poſſet. Bonifacius authoritate Pontificia indulſit, vt Humfredus Comes Erefordienſis, Eliſabetham eius filiam Ioannis Comitis Holandiæ relictam, matrimonio ſibi coniungeret. Nullo impedimento obſtante ex quouis conſanguinitatis gradu.

IX. PAX INTER VRSVM ROMANOS PRINCIPES ET COMITEM S. FLORÆ STABILITVR. *Franciſ. Baudimen. in hiſt.*

Eodem anno Vrſus ac cum eo Gentilis Vrſinus vterque Princeps Romanus fauente equitatu Vrbeuetano bellum Comiti ſanctæ Floræ ex ſtirpe Ildibrandina, factione Gibellina, iterum indixit. Eo quod eius impulſu, ab imperio Vrſini Pitilianẽſes, Sorani, & Soanicolæ, nonnihil ante deſciuiſſent. Bonifacius ea re cõperta. Theodoricum Cardinalem confeſtim ad tranſigendas inter eos contentiones miſit. Pace demum compoſita, Comes ad Bonifacium profectus, & ab eo in integrum reſtitutus, liberam dominiorum iuriſdictionem intra paucos dies morte præuentus amiſit.

X. BONIFACIVS PP. OFFICIVM INQVISITIONIS FRATRIBVS ORD. PRÆDICATORVM DELEGAT. *ep. 407. Lat. 11. Cal. Febr.* EIVS CONSTITVTIONES CONTRA HÆRETICOS. *Lib. 5. tit. 2. 6. hæret.*

Ipſo etiam anno Bonifacius Pontifex, officio Inquiſitionis Fratres ord. Minorum in Ciuitatibus & diœceſibus Patauina & Vicentia priuos fecit, iſtudq; muneris Fratribus Ord. Prædicatorum delegauit, cum prius aliquas Conſtitutiones contra hæreticos pronunciaſſet, quarum aliquas in fauorem fidei Catholicæ placuit inſerere. Ita habent, quæ ſequuntur.

1. *Vt commiſſi vobis officii debitum vtilius & vberius exequamini, ſanctæ memoriæ Innocentii, Alexãdri, & Clemẽtis prædeceſſorum noſtrorũ veſtigiis inhærentes, vobis & veſtrum ſingulis committendi citationes & denunciationes ſententiarum, quas in quoslibet hæreticos credentes, receptatores, defenſores & fautores eorum tuleritis. Aduocandi quoque prout expedierit peritos quoslibet vt vobis aſſiſtant, & in huiuſmodi ferendis ſentẽtiis præbeant conſilium opportunum, ac eis quod ſuper his vobis humiliter pareãt in virtute obedientiæ iniungendi. Conuocandi etiã clerum & populum ciuitatum, caſtrorum, aliorumq; locorũ, prout dicto negotio fidei videritis expedire. Et contra illos, quos in prouincia, in qua vobis Inquiſitionis officium eſt commiſſum hæreſis crimen conſtiterit commiſiſſe (licet ad alias partes ſe transferendos duxerint) procedendi. Nec non faciendi à quibuslibet aſſignari vobis libros, ſeu quaternos, & alia ſcripta, in quibus inquiſitiones factæ, ac proceſſus per quoſcumque authoritate ſedis Apoſtolicæ vel Legatorum eius habiti contra hæreticos continentur; & illorum, qui veſtris mandatis obedientes humiliter ſtant propter hæreſin in carcere, vel muro recluſi, pœnam vnam cum prælatis, quorum iuriſdictioni ſubſunt mitigandi vel mutandi, cum videritis expedire. Priuandi præterea, vel priuatos nunciandi dignitatibus, ac aliis beneficiis Eccleſiaſticis de diœceſanorum, vel eis abſentibus Vicariorum ſuorum conſilio, & officiis publicis, ac honoribus quibuſcumque, eoſdem hæreticos, credentes, receptatores, & defenſores ipſorum, eorumque filios & nepotes plenam concedimus facultatem. Sunt autem diœceſani, in priuando tales, vel nunciando priuatos beneficiis & huiuſmodi requirendi. Niſi forte conſtaret legitime, quod iidem ſcienter huiuſmodi perſonis eadem beneficia contuliſſent. Tunc enim eos in his requirendos non eſſe credimus, ſed potius à ſuo iudice puniendos.*

2. *Contra Chriſtianos, qui ad ritum tranſierint vel redierint Iudæorum (etiamſi huiuſmodi redeuntes, dum erant infantes, aut mortis metu, non tamen abſolute aut præciſe coacti baptizati fuerunt) erit contra hæreticos, ſi fuerint de hoc confeſſi, aut per Chriſtianos ſeu Iudæos conuicti, & ſicut contra fautores, receptatores, & defenſores hæreticorum; ſi contra fautores, receptatores, & defenſores talium eſt procedendum.*

3. *Decreuit felicis recordationis Innocentius Papa quartus, quod propter hæreſin maritorum, vxorum Catholicarum dotes non debeant confiſcari. quod intelligendum fore cenſemus: Niſi forte mulieres ipſæ cum viris matrimonia contraxiſſent, quos hæreticos tunc ſciebant.*

4. *Statutum felicis recordationis Innocentii & Alexandri prædeceſſorum noſtrorum; ne videlicet hæretici, credentes, receptatores, defenſores, & fautores eorum, ipſorumque filii v. quæ ad ſecundam generationem ad aliquod beneficium Eccleſiaſticum, ſeu publicum officium admittantur; quod ſi ſecus actum fuerit, ſit irritum & inane: primum & ſecundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus: per maternam vero ad primũ dumtaxat volumus hoc extendi. Hoc ſane de filiis & nepotibus hæreticorum, credentium & aliorum huiuſmodi, qui tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probantur, intelligendum eſſe videtur: nõ autem illorum, quos emendatos eſſe conſtiterit, & reincorporatos Eccleſiæ vnitati, & pro culpa huiuſmodi ad mandatum Eccleſiæ pœnitentiam recepiſſe: quam ipſi vel iam perfecerunt, vel humiliter perſecutioni eius inſiſtunt, vel parati fuerint ad recipiendam eamdem.*

5. *Inquiſitores hæreticæ prauitatis ab Apoſtolica ſede, ſeu alio vel aliis quibuslibet deputati, de huiuſmodi crimine inquirere cõtra Epiſcopos nequeunt, aut eius prætextu procedere contra eos. niſi in literis commiſſionis Apoſtolicæ quod hoc poſſint, contineatur expreſſe. Si tamen Inquiſitores ipſi Epiſcopos vel alios ſuperiores prælatos ſciuerint, vel inuenerint circa crimen hæreſeos commiſiſſe, aut eos de hoc diffamatos exiſtere vel ſuſpectos; id tenebuntur ſedi Apoſtolicæ nunciare.*

6. *Per hoc, quod negotium hæreticæ prauitatis alicui, vel aliquibus ab Apoſtolica ſede generaliter in aliqua prouincia, ciuitate vel diœceſi delegatur, diœceſanis Epiſcopis, quin & ipſi authoritate ordinaria vel delegata (ſi habent) in eodem procedere valeant, nolumus derogari. Verum vt dictum Inquiſitionis negocium efficacius, melius, vtiliuſque procedat, concedimus, quod per Epiſcopos ipſos & per inquiſitores de facto eodem inquiri valeat communiter vel diuiſim: & ſi diuiſim proceſſerint, teneantur ſibi inuicem communicare proceſſus, vt per hoc poſſit melius veritas inueniri; & niſi hoc caſu Inquiſitores in ſententiæ prolatione diœceſanis, vel è contra duxerint deferendũ, per vtroſque ſimul ſententia proferatur; in qua ferenda, ſi non conuenerint, per vtroſque negotium ſufficienter inſtructum, ad ſedem Apoſtolicam remittatur. Siue autem ordinaria, ſiue delegata Epiſcopi poteſtate procedant, illum in procedendo modum obſeruent, quem Inquiſitores poſſunt & debent per iura communia, vel per ſpeciales conceſſiones ſeu ordinationes ſedis Apoſtolicæ obſeruare.*

7. *Vt Inquiſitionis negotium contra hæreticam prauitatem, ad Dei gloriam & augmentum fidei noſtris temporibus pro-*

ſperetur, leges quaſdam per Fridericum olim Romanorum Imperatorem, tunc in deuotione Romanæ perſiſtentem Eccleſiæ promulgatas (quatenus Dei, & Eccleſiæ ſanctæ ſuæ honorem promouent, & hæreticorum exterminium proſequuntur, & ſtatutis Canonicis non obſiſtunt) approbantes, & obſeruari volentes, vniuerſos ſeculi poteſtates & Dominos temporales, ac prouinciarum, terrarum, ciuitatum, aliorumque locorum Rectores, quibuſcumque dignitatibus, vel officiis, aut nominibus cenſeantur, requirimus & monemus, vt ſicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defenſione fidei diœceſanis Epiſcopis & Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, à Sede Apoſtolica deputatis, aut in poſterum deputandis pareant, & intendant, in hæreticorum, credentium, fautorum, receptatorum, & defenſorum ipſorum inueſtigatione, captione, ac cuſtodia diligenti, cum ab eis fuerint requiſiti: Et vt præfatas perſonas peſtiferas in poteſtatem, ſeu carcerem Epiſcoporum, aut Inquiſitorum dictorum, vel ad locum, de quo ipſi vel aliqui ex eis mandauerint, intra eorumdem Dominorum poteſtatem, vel Rectorum diſtrictum ducant vel duci faciant ſine mora: vbi per viros Catholicos à præfatis Epiſcopis, ſeu Inquiſitoribus, vel eorum aliquo deputatos ſub arcta & diligenti cuſtodia teneantur, donec eorum negotium per Eccleſiæ iudicium terminetur. Vtque de hæreſi à diœceſano Epiſcopo vel Inquiſitore, ſeu Inquiſitoribus condemnatos, præfati poteſtates, Domini temporales, ſiue Rectores, vel eorum Officiales, ſeu Nuncii, ſibi relictos ſtatim recipiant indilate animaduerſione debita puniendos. Non obſtantibus appellationibus, ſeu proclamationibus prædictorum nequitiæ filiorum: cum tam ſecundum ordinationem prædeceſſorum noſtrorum, quam ſecundum legem Imperialem, appellationis & proclamationis beneficium expreſſe ſit hæreticis & credentibus, ac eorum receptatoribus, fautoribus, & defenſoribus interdictum. Prohibemus quoque diſtrictius poteſtatibus, Dominis temporalibus, & Rectoribus, eorumdemque Officialibus ſupradictis, ne ipſi de hoc crimine (cum mere ſit Eccleſiaſticum) quoquo modo cognoſcant vel iudicent, ſiue captos pro eodem crimine abſque dictorum Epiſcoporum, ſiue inquiſitorum, aut ſaltem alterius eorumdem licentia, vel mandato, à carcere liberent, aut executionem, ſibi pro huiuſmodi crimine à diœceſano vel Inquiſitoribus ſeu Inquiſitore iniunctam, prompte (prout ad ſuum ſpectat officium) facere ſeu adimplere detrectent, vel alias diœceſanorum, aut Inquiſitorum iudicium, ſententiam, ſeu proceſſum, directe, vel indirecte impedire præſumant. Si quis vero de prædictis poteſtatibus, Dominis temporalibus, Rectoribus vel eorum officialibus, ſeu Balliuis, contra prædicta fecerit, aut præfato fidei negotio ſæpefatis diœceſano Epiſcopo vel Inquiſitoribus incumbenti ſe opponere forte præſumpſerit, vel ipſum aliquatenus impedire, nec non & qui ſcienter in prædictis dederit auxilium, conſilium vel fauorem, excommunicationis ſe nouerit mucrone percuſſum: quam ſi per annum anno ſuſtinuerit pertinaci, extunc velut hæreticus condemnetur.

8. Cum ſecundum leges ciuiles nefarias, natura contrarias inceſtas nuptias contrahentes, eo ipſo ſuarum dominium rerum perdant; & mulier humanam legem tranſgrediens, & (præſertim parentibus ſuis non conſentientibus) raptoris nuptias eligens bona omnia, quæ per legem ſibi obuenerant à raptore ac aliis conſortibus raptus; ipſo iure amittat: certoque caſu deferantur in fiſcum, ac etiam illicitas ſpecies tranſuehens, aut rerum vectarum profeſſionem omittens, earumdem ſpecierum & rerum proprietate hoc ipſo priuetur: & fiſco rerum & ſpecierum dictarum proprietas acquiratur. Bona hæreticorum, qui grauius, horribilius ac deteſtabilius, quam prædicti delinquunt, ipſo iure de fratrum noſtrorum conſilio decernimus confiſcata. Confiſcationis tamen huiuſmodi executio, vel bonorum ipſorum occupatio fieri non debet per principes, aut alios dominos temporales, iuxta Gregorii Papæ prædeceſſoris noſtri declarationem antequam per Epiſcopum loci, vel aliam perſonam Eccleſiaſticam, quæ ſuper hoc habeat poteſtatem, ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata.

9. Statuta quadam felicis recordationis Innocentii, Alexandri & Clementis prædeceſſorum noſtrorum, quibuſdam declaratis & additis recenſentes: concedimus, quod in Inquiſitionis hæreticæ prauitatis negotio procedi poſſit ſimpliciter, & de plano, & abſque aduocatorum ac iudiciorum ſtrepitu & figura. Iubemus tamen, quod ſi accuſatoribus vel teſtibus in cauſa hæreſis interuenientibus, ſeu deponentibus, (propter potentiam perſonarum, contra quas inquiritur) videant Epiſcopus vel Inquiſitores graue periculum imminere, ſi contingat fieri publicationem nominum eorumdem, ipſorum nomina non publice, ſed ſecreto, coram diœceſano Epiſcopo, vel eo abſente ipſius Vicario, quando Inquiſitores procedunt; quando vero procedit Epiſcopus, coram Inquiſitoribus, ſi haberi commode poſſit copia eorumdem, ac nihilominus, ſiue Epiſcopus, ſiue Inquiſitores proceſſerint, aliquibus aliis perſonis prouidis & honeſtis, iuriſque peritis (quas ad hoc vocari, & eis per totum proceſſum ſuper quo deliberandum eſt serioſe manifeſtari, ac integraliter explicari, & de ipſorum conſilio ad ſententiam vel condemnationem procedi volumus) exprimatur, ſicque (non obſtante; quod illis contra quos huiuſmodi depoſuerunt, nomina ipſorum non fuerint publicata) adhibeatur ad cognitionem iudicis inſtruendam plena fides depoſitionibus teſtium eorumdem. Et vt eorumdem accuſatorum & teſtium periculis efficacius occurratur, & cautius in inquiſitionis negotio procedatur, præſentis Conſtitutionis authoritate promittimus, quod Epiſcopus vel Inquiſitores ſecretum poſſint indicere illis, quibus (vt præmiſſum eſt) proceſſum huiuſmodi explicabunt: & in eos, ſi arcana conſilii, ſeu proceſſus, ſibi ſub ſecreto ab eiſdem Epiſcopo, vel Inquiſitoribus patefacta, præter eorum licentiam aliis patefecerint, excommunicationis ſententiam, quam ex ſecreti violatione ipſo facto incurrant (ſi eis expedire videbitur) promulgare: ſic tamen, quod Inquiſitores Epiſcopum, vel Epiſcopus Inquiſitores non excommunicent hac de cauſa, ſed Epiſcopi ex iniuncto exnunc à nobis ſub virtute Sanctæ obedientiæ diſtricto præcepto ad ſecretum huiuſmodi teneantur. Ceſſante vero periculo ſupradicto, accuſatorum & teſtium nomina (prout in aliis fit iudiciis) publicentur. Cæterum in his omnibus præcipimus, tam Epiſcopos, quam Inquiſitores puram & prouidam intentionem habere, ne ad accuſatorum vel teſtium nomina ſupprimenda, vbi eſt ſecuritas, periculum eſſe dicant, nec in eorum diſcrimen ſecuritatem aſſerant, vbi tale periculum immineret, ſuper hoc eorumdem conſcientias onerantes. Conſtitutiones vero, ordinationes & mandata alia prædeceſſorum noſtrorum in negotio hæreticæ prauitatis facta, conceſſa ſeu etiam ad conſulta reſponſa, quæ Conſtitutionibus ſupraſcriptis ſuper eadem editis prauitate non obuient, in ſuo volumus robore permanere. Et hæc quidem Bonifacius contra hæreticam prauitatem ex variis occaſionibus ſanciebat.

XI. Ex imagine B. Mariæ virginis ab impio violata, ingenti miraculo lac cum ſanguine fluit. *Chron. Sponheim.*

Hoc anno in diœceſi Moguntina, mirum mi ā ſum in Diuæ Dei parentis imagine ab impiis quibuſdam violata accidit. Huius rei originem & ſeriem placet referre ipſis Trithemii verbis, qui ex fide ſcripſit. Ita habet.

Eodem quoq; anno Gerardus Archiepiſcopus Moguntinus, Dietherus Archiepiſcopus Treuirenſis, Henricus Archiepiſcopus Colonienſis, & Rudolphus Comes Palatinus Rheni Bauariæq; Dux in vnum coniurantes, pacem inter ſe fœduſque perpetuum fecerunt. Iſtud valde diſplicuit Alberto Regi Romanorum, vnde cum magno exercitu inopinate veniens terrã præfati Comitis Palatini primum inuaſit. quã vaſtata miſerabiliter, ad deditionem eam coarctauit. Deinde mouens exercitum contra Archiepiſcopum Moguntinum, inter alia damna & incendia regioni illata, oppidum Bingen, quod ad iuriſdictionem Eccleſiæ Mogũtinæ pertinebat, obſedit. Moniales cœnobii S. Ruperti, præfato oppido ab alia parte Nahi fluminis proximum audito Regis aduentu oẽs fugientes, in Ibingen ſe receperũt, receptis ſecum priuilegiis, reliquiis, clenodiis, & quicquid pro anguſtia temporis abducere potuerũt. Veniens ergo ad oppidum Bingionum rex Albertus, machinas bellicas & partem exercitus in prædictũ cœnobium S. Ruperti locauit, & fecit ex domo Dei famulantium ſtabulũ equorum, cæpitq; fortiter impugnare oppidum, quod etiam elapſis paucis diebus in ſuam ditionem accepit. Cernens autem Archiepiſcopus præfatus ſe Regis potentiæ nequaquam poſſe reſiſtere veniã ab eo petiit, & gratiam impetrauit, reſignatis in manũ & poteſtatem ipſius Regis oppidis Lonſtein & Bingen, cum Caſtellis Clop, Ehrenfels, & Schaffenſtein cum cæteris aliis conditionib. Interea dum Archiepiſcopus cum Rege in ipſo oppido Bingen cõſtitutus, de conditionibus pacis tractaret, omneſque qui in Monaſterio S. Ruperti vltra Nahum manſionem habuerã, oppido iam capto ſeſe in illud contuliſſent, cœnobio dimiſſo vacuo & omnibus rebus ſpoliato, duo nequiſſimi viri, qui præ inopia ſequebantur Regis exercitũ, præfatum cœnobium S. Ruperti intrarunt animo & intentione, ſi quid inueniſſent, auferendi. Luſtratis autem omnibus locis & angulis monaſterii diligentiſſime, nihil inuenerunt. Omnia enim prius ablata fuerunt per eos, qui locum dieb. obſidionis occuparant. Exeuntes ergo clauſtrum perſcrutabantur Eccleſiam, ſi forte in ea aliquid relictum inuenerẽt. Erat autem eo tempore in ipſa Eccleſia ante introitum chori, qui fuit in inferioribus ſuper terram, non eleuatus (vt modo) ad meridiẽ verſus, clauſtrum, altare in honorem S. Catharinæ virginis & Martyris conſecratum: ſuper quod in muro arcualiter excauato, imago Beatiſſimæ Deigenitricis & virginis Mariæ ſatis decenter fuit depicta, coronam habens in capite qua erãt quatuor lapides criſtalli, muro & coronæ artificialiter infixi, & quintus in pectore ipſius imaginis. Cũ ergo fures illi nihil in Eccleſia repeiiſſent, vnus eorum, ne omnino vacuus abiret, altare prædictũ aſcendit, & effodere de corona virginis ipſos criſtallos cœpit. Huic alter increpãdo, dixit: *Quid facis ô miſer? Deſine ſpoliare Matrem miſericordiæ, per quam, ſi nobis ſalus contingere debet, & non per aliam gratiam poterimus inuenire.* Huius increpationem ſacrilegus & impius ille contemnẽs, poſteaquam criſtallos de corona effoderat quatuor, ẽt quintum de pectore ſacræ virginis effodere cœpit. Mira res accidit: mox vt impius ille ſacrum pectus violare præſumpſit, imago ſudare per totum cœpit. quo viſo ſacrilegus, aliquãtum horruit; ſed obduratus in malitia, à cœpto crimine non ceſſauit. Euulſit ergo de ſacro pectore imaginis lapidem; quo auulſo, mox ſanguis lacte mixtus de ipſo vulnere in magna copia ſequutus erupit, quo viſo infelix ille totus inhorruit, proſilienſq; de altari, puluerem in Eccleſia collegit, & vulnus imaginis, ne flueret ſanguis cum lacte, obſtruere cæpit. Quãto autem obſtruere ſacræ virginis pectus vulneratum amplius conabatur, tanto maiori exuberatione lac cũ ſanguine emanauit. His viſis impius ille, de Eccleſia curſim exiit, & currens ad Nahum fluuium, velut amẽs factus, præcipitans ſemetipſum ſubmerſit. At vero ſocius eius confeſtim aufugit; qui tamen poſtea reuerſus, rei ordinem Magiſtræ ac monialibus dicti cœnobii narrauit. Superueniens autem ſacerdos quidam, qui eodẽ die ibidem celebrauerat, & videns miraculum tantæ nouitatis, corporale ante imaginem explicuit, & lac cũ ſanguine profluente collegit. Hunc vero ſanguinẽ cum lacte in vitreo vaſe conſeruatum vſque in præſentem diem in ſæpe dicto cœnobio vidimus, quem etiam manibus propriis ad petitionem Abbatiſſæ de veteri vaſe confracto, in vitrum nouum tranſpoſuimus. Publico autem cõfeſtim miraculo Rex Albertus, qui adhuc fuit in oppido Bingen, cum cæteris Principibus ad Monaſterium S. Ruperti acceſſit, videnſque tam horrendum facinus obſtupuit; & pro reſtauratione cœnobii in honorẽ Beatæ Virginis multa dona dedit. In memoriam vero huius miraculi Capella in honorem Deigenitricis ibidem conſtructa eſt; in qua imago ſuper altare, ſæpius interea renouata, cernitur. Nicolaus Serrario libro V. Moguntiacarum, eandem rem paucis complexus eſt his ipſis verbis, quæ adiungo.

XII. Alia eiuſdem miraculi narratio.

Hoc anno cum Albertus Auſtriacus, ſeſe Regi Francorum Philippo tertio affinitate iũxiſſet, ducta in vxorem filia eius Blancha, cœpit potentia eius omnib. eſſe formidabilis; adeo vt Gherardus Moguntinus, Henricus Colonienſis, & Dietherus Treuirenſ. Archiepiſcopi, Rudolphus Palatinus Rheni aliiq; Principes fœdus inter ſe quoddã inirent; quod in ſuę maieſtatis diminutionem interpretans Albertus, magnis cum copiis Palatinum fregit, Bingamq; obſedit. In eius obſidione illud accidit mirabile, quod ea cũ ſolueretur, milites duo in S. Ruperti Monaſterio, ſacrilegas, B. Virginis ſigillo cuidam, vt pretioſi neſcio quid ornatus ei detraherent, manus intulerunt. E capite coronam, è pectore gemmã auferre volebat eorum vnus: & ſudare ſigillum totum cœpit, lactereq; aperto, ſanguinis lactiſq; non parũ fundere. Alter, quaſi latronem malum, bonus, monebat: *Deſine matrem miſericordiæ, quæ tot animabus Diabolum ſpoliat, ſpoliare. Nos ſi gratiam vnquam merebimur, hac mediante, oportet, fiat.* Sed in ſacrilegio pergebat ille, quoad fluxu illo tanto, quem obſtruere fruſtra tentauit, cõterritus, è templo ſe proripuit, ac ſtatim in ſublabente *Noha* fluuio, furiata ſeipſum mente ſubmerſit. Seruantur adhuc illo in templo rei huius ſigna nonnulla, & in ſacello S. Catharinæ tabella, quæ Albertum Regem, vbi quod geſtum erat certo comperit, multa & magna ei loco dona largitum indicat. *Serrarius Moguntiac. 5.*

XIII. Diuina vindicta in Ioannem quendam ordinis equeſtris, Vvalterum Merciorum Epiſcopum falſo homicidii accuſantem. *MS. rerum Ang. Biblioth. Vatic. Lou. 5. 86.*

Per id temporis Deus manifeſto indicio oſtendit, ſæpe ſæpius euenire, vt quam quis proximo innocenti fodit foueam, ipſe iuſto Dei iudicio incidat in eam. In Anglia viuebat Vualterus Langtonius Merciorum Epiſcopus, magna quadam, tam apud ſummum Pontificem Bonifacium, quam Edouardum Regem gratia florens. Offenderat interim Robertum Cantuarienſem Archiepiſcopum, quod Roma reuertens, extra Angliam initiatus fuiſſet, ex ſummi Pontificis diplomate; quamquam in ea Epiſtola cautio diſertis verbis adiecta eſſet, ne id Cantuarienſi Eccleſiæ ius & prærogatiuam in poſterum minueret. Acceſſerat & illud ad inuidiam conflandam, quod enixe atque accurate apud Bonifacium egiſſet, vt ſe à iuriſdictione & poteſtate Cantuarienſis ſedis eximeret. Offenſus Robertus, aperte iam coram omnibus, indiciis manifeſtis mõſtrabat, Vualteri præpoſteram ambitionem non poſſe amplius tolerare. Inter hæc à quodam maleuolente, atroces aduerſus eum apud Bonifacium criminationes delatæ ſunt: qui datis ad Cantuarienſem litteris mandauit, vt Walterum Romam ad ea crimina diluenda ire iuberet, diemq; ei intra tres menſes deſignaret. Niſi enim ad tempus præſcriptum Romæ præſens eſſet, nihil aliud expectaret, quam vt dignitate Pontificia exueretur. Adfuit ad præſcriptum diem Walterus, nec tamen cauſa explicata, aut expedita. Illoque domum remiſſo, nouas ad Cantuarienſem Bonifacius dedit litteras, vt ille accurata inquiſitione de intentis criminibus excuteret atque ex teſtimoniis hominum integrorum, omnique exceptione maiorum, exquiſite de vita, moribus & exiſtimatione Walteri exploraret. Hæc cum Romam tranſmiſſa eſſent, Walterus Romanum iter repetiit, neque tota per Bonifacium diligenter cognita, ſecundum eum & pro innocentia illius ſententia pronũciata, famæ priſtinæ, abſterſa omni macula, quæ per maleuolos nomini illius inſederat, reſtitutus eſt. Huius totius accuſationis concinnator, calumniæque architectus fuit, Ioannes quidam homo equeſtris ordinis, qui cum inter alia, Epiſcopum homicidii falſo accuſaſſet, inſimulaſſetque, ipſe non ita multo poſt, veri homicidii & aliorum piaculorum idoneis & iuſtis probationibus conuictus, vt ſe præſenti periculo eximeret coactus eſt eo fugere, vt beneficium Cleri (cui ſe olim aſcriptum dicebat) imploraret. Etſi enim vxorem haberet, ſe tamen ante matrimonium fuiſſe ſacro Diaconatus gradu ornatum aſſerebat. Cum de criminibus liqueret, Regii Tribunalis Iudices Ioannem damnarũt. Ordinis tamen reuerentia, & Antiſtitibus id poſtulantibus, à Regio ad Pontificium carcerem, quo vitæ illius ex Canonum ſcitis parceretur, traductus eſt: vbi non amplius quinque dies ſuperuixit: cum à Diuina vindicta id capite ſuo recepiſſet, quod in Epiſc. parauerat.

Eadem etiam tẽpeſtate, duo viri illuſtres, magna exempla ſanctitatis, alter humilitate, rerumq; humanarũ inſigni contemptu: continentia, rerumq; Eccleſiaſticarum prudentiſſima adminiſtratione, Orbi reliquere: Prior Georgius fuit, Morauiæ Comes, nobiliſſima Ducum ſtirpe propagatus. Is in primo flexu iuuentutis, rectam Pythagoricæ litteræ lineam ingreſſus, improperũ

Crucis Chriſti, pluris theſauro Ægyptiorum æſtimauit, patriiſq; ædib. derelictis, Caſſinum profectus, religioni Benedictinæ nomen dedit. In eo cœnobio ignotus, cum inter humiliora capita occultus viuere decreuiſſet, tandem famæ veſtigiis indicatus, literis ſuorum ad Principatum adminiſtrandum vocabatur. Has cum ille humilitatis amator accepiſſet, vt erant ſigillis obſignatæ in flammas iniecit, neque ſe comitem Morauiæ eſſe, conſtanti animo dixit. Clam deinde Caſſino elapſus, vt honorem dignitatemq; ſubterfugeret, Auguſtam Vindelicorum perinde ignotus venit, inque Diui Vdalrici & Afræ religioſiſſimo cœnobio, nonniſi Margaritæ Bauariæ illuſtriſſimæ Principi (cuius ille Confeſſiones excipiebat) cognitus, aduſque vitę extremum, per omnes virtutum gradus decurrit. Cum exinde quamplurimi, nobiliſſimum illum fore exiſtimarent, adeoque quis, aut vnde eſſet, ſolicite inquirerent; hos ille iocundæ ironiæ reſponſis facillime eludebat. Defuncti cum magna laude ſanctitatis nomen, religioſa illa Princeps renunciauit, Deus autem animam illius inter cœleſtes ſpiritus annumerauit. Georgio ſuperior dignitate vixit, Fridericus Lichtenbergius Argentinenſis Epiſc. doctrina, integritate & virtutum amore commendatus. Eo tempore ſacerdotes concubinas alere, atq; peſſimo exemplo ſcortatores exiſtere cõſueuerant. Itaq; Frideric. magna pœna propoſita, meretrices & ſuſpectas mulieres omnibus ademit, & in eo flagitio poſtea deprehenſos vel ſacerdotiis mulctauit, vel ex diœceſi atq; omni ſua ditione profligauit. Religiosos vt exemplo religioſorum in officio contineret, Willelmitarum ordinem in vrbem recepit. Ornamenta quam plurima in cultus Diuini maieſtatem, domuſque Dei decorem conquiſiuit, cumque vrbis Magiſtratus, altiſſimam illam turrim Cathedralis Eccleſiæ, prodigioſo opere extrueret, ipſe quoque partem ſumptus dedit. Tandem cum per ſeptẽ annos rebus præfuiſſet, & præclaræ ſanctitatis indicia non pauca reliquiſſet, immatura morte omnium luctu ſublatus eſt anno Domini 1306.

## IESV CHRISTI
### Annus 1303.
### BONIFACII PAP. VIII. ANN. IX.
### Alberti Roman. Regis. Anno 1.

I. BONIFACII PP. STVDIVM PRO PACE SICILIÆ.

REbus Siculis ad extremum componendis, hoc anno Bonifacius Pontifex, poſt internuncios anno ſuperiore miſſos, Gerhardum Cardinalem Legatum ad Carolum Regem Siciliæ, & Fridericum Aragonium deſtinauit, qui nonnulla in præiudicium Romanæ Eccleſiæ inter pacta à partib. poſita reſcinderet; capitula vel tẽperaret, vel noua interponeret; atq; id omne quod ex æquo & honeſto tranſigeretur, auctoritate Apoſtolica ſtabiliret. Conuenit, vt Fridericus XV. M. florenorum tributum in ſingulos annos Eccleſiæ conferret, proprii iuris ac dominatus Siciliæ regni & Inſularum adiacentium cauſa, quib. in vita tantũ potiretur: vtq; ex fœdere non Siciliæ, ſed Trinacriæ Rex appellaretur, atq; iuramentũ fidelitatis ſummo Pontifici præſtaret, liberamq; in res ſpirituales & Eccleſiaſticas Pontif. Rom. plenariã poteſtatem in Eccleſiis Siciliæ & adiacentib. haberet: poteſtatem vero & adminiſtrationem rerum in ea inſula temporalium & ſæcularium Fridericus à ſede Apoſtolica ſibi conceſſam eſſe, ex præſcripto iuris fiduciarii teſtaretur. Eam pactionem in Collegio Cardinaliũ propoſitam, Bonifacius Pont. confirmauit; Matthæo Ruſſo Vrſino S. Mariæ Porticu Diacono Cardinali contra tendente atque repugnante. Pace ad eum modum cõfirmata, Fridericus Rex ſalutatus. Sacramento coram Gerardo Cardinali Legato, fidem & obedientiam Romano Pontifici obligauit: Carolus autẽ Aleonoram filiam Friderico ſpõſam Regio apparatu terreſtri itinere Meſſanam miſit. His ad eum modum in Sicilia conſtitutis, Bonifacius, vt manifeſtum orbi faceret, ſe Gallici

ep. 20. Anagn. 12. Cal. Iun. Surita li. 2. Fazell. dec. 2. lib. 9.

nominis ſtudioſum eſſe, Regnũ quoq; Hungariæ, Carolo Straboni Caroli Regis Siciliæ primogenito decreuit. Dixerat diem Wenceslao Regi Boemiæ, & Vladislao eius filio, qui auſu temerario diadema ſanctum eius regni ſuo capiti impoſuerat, vt iura ſi quæ ſe habere exiſtimaret, coram ſede Apoſtolica proponeret, & à Rom. Pont. ſententiã expectaret. Cõtumax vterq;, authoritatẽ Pontificiam contẽpſit, neq; quicquã ſcripſit, neq; legitimos Procuratores miſit: cum Maria Vngariæ Regina, vna cum nepote ad diem deſignatũ veniſſet, & totius controuerſiæ ſummam, iudicio Bonifacii Pont. permiſiſſet. Re itaque in pleno Patrum conſeſſu examinata, Bonifacius ex ſententia ſacri ſenatus, Regnum Hungariæ Carolo Straboni tamquam legitimo hæredi decreuit: omnibuſq; eius regni procerib. vt Vuladislao repudiato, Carolum Regẽ admitterẽt imperauit. Porro ne Hungari quicquam de clementia aut integritate Caroli aut Mariæ dubitarent, illum quidem, vt in tenera ætate conſtitutus, in regno ab Apoſtolica ſede decreto, iuſtitiam, pacem & cæteras virtutes Regias cõſectaretur, hanc vero vt curam & cuſtodiã haberet nepotis, eumque in timore Domini & reuerentia ſedis Apoſtolicæ educaret, admonuit. Ne autẽ Caroli infantiam, & Mariæ Reginæ imbelliam Hungari contẽnerent, & illũ & iſtã Alberto Regi Rom. & Rudolpho eius filio Duci Auſtriæ commendauit, vt opib. conſiliis, armis, & quibaſcumq; rationib. ambos iuuarent, ad Regnum Boemiæ obtinendum. Quod Albert. Roman. Regem attinet: cum is cæſi Adolphi Regis, & violatarum Eccleſiarum, ſe reum coram ſede Apoſt. per literas dixiſſet, eiuſque facinoris condonationem humiliter poſtulaſſet: ac iniuriarum nomine, omnib. ſe ſatis facturum velle ſpopondiſſet: & cum iuramento fidelitatis, ex more aliorũ Regum Roman. Romano Pontifici ſeſe obſtrinxiſſet. tum diplomatibus datis & manu propria ſignatis, omnia priuilegia à ſuperioribus Regibus & Imperatoribus Romanis, Romanæ Eccleſiæ conceſſa, approbaſſet, innouaſſet, conceſſiſſet. omniaque eiuſdem Eccleſiæ iura & bona, integra inuiolataq; eſſe, ex ſacramẽto coram Legatis dato, & in duob. publicis ſcriptis poſtmodum ſignato pollicitus fuiſſet; atque Sacroſancto iuramento iuraſſet: Bonifacius Pontifex ex Purpuratorum Eccleſiæ conſilio, omnes defectus qui in eius electione interuenerãt aut tulit, aut authoritate Apoſtolica ſuppleuit; id quicquid in Adolphum & Eccleſias peccauerat, benignitate Pontificia indulſit: eius electionem & inaugurationem ante annos quinque Aquiſgrani ſecutam, de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ approbauit; ea quæ totis quinque annis, in adminiſtratione Regni Romanorum ex bono & æquo geſſerat, rata & grata habuit; & tũ Archiepiſcopis Moguntino, Treuerẽſi, Colonienſi, Regi Bohemiæ, Duci Saxoniæ, Duci Bauariæ Comiti & Palatino Rheni, & Marchioni Brandeburgico, ea quæ in Albertum contulerat perſcripſit: tum omnes Principes & populos Imperii, vt Alberto obtẽperarent, admonuit: tum omnes vniones, confœderationes, Societates, & pactiones cũ quibuſcumq; Regib. aut Principibus, in præiudicium Romanæ ſedis & Imperii ab eodem Alberto factas, vel etiam iuramento firmatas reſcidit, irritauit, nullas eſſe declarauit, ac iuramenta quæcumq; quibuſcumq; verbis concepta relaxauit. Faciebat propter Philippum Galliarum, & Wenceslaũ Boemorum Reges, quos præuaricatores & præceptis Pontificiis contumaces, caſtigare cogitabat.

II. REIECTIS VVENCESLAO REGE BOEMIÆ ET VVLADISLAO EIVS FILIO, CAROLO STRABONI HVNGARIÆ REGNVM DEFERT.

ep. 33. Anagn. 2. Cal. Iun & ep. 36 37. 38. ibi 3. Non. Iun.

ep. 33 Anagn. 3. Id. Iun.

III. ALBERTVM ROMANORVM REGEM SVPPLICEM FACTVM IN GRATIAM RECIPIT, EIVSQVE ELECTIONEM CONFIRMAT.

ep. 21. Lat. 2. Cal. Iun.

epiſt. 22. ib.

IV. PHILIPPI PVLCHRI ALIA SCELERA.

Philippus Pulcher ſane meruerat. Huius quæ ſcelera, intolerãda Bonifacio fuerint, præterea quæ ſuperius attigimus Maſſonius ex Nangio enarrauit. Scilicet. Ante paucos annos, inuito Põtifice, à laicis & clero Regni, omnium bonorum centeſimã, mox quinquageſimam, in ſumptus belli Anglici, quod Bonifacius diremptum eſſe volebat, exegerat. Cumq; Bonifacius, ne huiuſmodi exactiones in ordine Eccleſiaſtico fierent, ſanctione edita vetuiſſet, ac per Legatos Regem officii admonuiſſet, ſique priuilegia aliqua per dolum & fraudem aut

Maſſonius in 3 lib. po ex Nangio & ep. epiſt. Bonifacii, quas integras ſe habuiſſe teſtabatur. Nam ea quæ in Conciliis ſcanno ſunt litera.

ſubrepta.



ſubrepta, aut per interpretationem fallacem vſurpata, ſuæ auaritiæ Rex obtenderet, eadem authoritate Pont. quantum ad extorſiones iniquas pertinet, abrogaſſet; Philip. nõ modo nõ obtẽperauerat, ſed & multas contumelias, in Bonif. & Rom. Pont. peſſimo exemplo reiecerat. Non obediẽti cum poſtea qui Iac. Normanum Notarium ſuum, literas Apoſt. pectore dignas miſiſſet, plurimaq; ab illo cõtra æquitatem & iuris ordinẽ fieri, plebẽ & clerum exactionib. opprimi. Eccleſiaſticas dignitates præpoſtere conferri, bona ſacerdotum occupari, iuriſdictionẽ ſuam illis eripi, Lugdunenſ. nobilem Eccleſiam, in qua ipſe Bonif. in minori fortuna canonicus fuiſſet, ad inopiam pene redactã, annuos fructus ſedium vacãtium fiſco inferri, monetę deprauatione ſubditis atq; extraneis damna inferri, in memoriam reuocaſſet, & officii Regii monitũ eſſe voluiſſet; Philip nuncium illũ qui literas attulerat, male acceptum, vix tandem dimiſit. Interim Pontifex Ioh. tituli SS. Marcellini & Petri presbyterũ Cardinal. Legatũ genere Gallum, in Galliã ire iuſſit, qui illũ verbis amicis beneuole moneret, vt Romanæ Sedi merito ſuccenſenti vltro audiens eſſet. Cæterum hi ſunt articuli, quos Bonif. Põtif. Philip. Regi iuſſit exponere & ad ſubſcribẽdum inducere.

Articuli à Bonifacio ... ad Philippum Regem miſſi.

*1. Super reuocatione conſtitutionis, prohibitionis, præcepti, & impedimenti cuiuslibet præſtitorum directe vel indirecte, per magnificum Principem Philippum Francorum Regem illuſtrem, & per ſeneſcallos, balliuos, officiales, & familiares ſuos venientib. ad Romanam Curiam, ſeu redeuntibus ab eadem ſpecialiter venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſc. & dilectis filiis electis, Abbatibus, & Capitulis Eccleſiarũ Cathedralium, & Magiſtris in Theologia, & in iure Canonico & Ciuili & aliis perſonis Eccleſiaſticis dicti Regni vocatis à nobis, quod in Cal. Nouem. proxime præteritis noſtro ſe conſpectui præſentarent; & ſuper amotione cuiuslibet occupationis factæ per eum, vel de mandato eius, aut aliquem prædictorum & ſatisfactione plenaria impendenda. Non obſtantibus quibuſcumque pœnis, multis comminationibus ſeu proceſſibus per ipſum Regem factis, vel auctoritate ipſius:*

*2. Item ad denunciandum eidem, quod in quibuſcumq; Eccleſiaſticis beneficiis conferendis vacantibus in Curia vel extra Curiam, Romanus Pontifex legitimam & potiorem obtinet poteſtatem, & poſt collationem cuius beneficii collati, in ipſis vel eorum aliquo, non poteſt alicui ius acquiri, ſine auctoritate vel conſenſu Apoſtolicæ ſedis tacitis vel expreſſis. 3. Item ad denunciandum, vel declarandum eidem, quod Romanus Põtifex Legatos de Latere, ac Nuntios libere mittere poteſt, ad quæuis imperia, regna, vel loca prout vult, abſq; petitione cuiuslibet vel conſenſu, vſu vel conſuetudine contrariis nequaquam obſtantibus. 4. [illegible] n, quod Eccleſiaſticorum bonorum & prouentuum adminiſtratio, non quibuſuis Laicis, ſed perſonis Eccleſiaſticis noſcitur attributa: & quod ſumma poteſtas adminiſtrationis & diſpenſationis eorum, ad Apoſtolicam ſedem ſpectat: & quod ipſa ſedes nullorum requiſitis aſſenſibus de illis diſponere poteſt, & nunc centeſimam, nunc decimam, ſeu quamuis quotam imponere, petere & exigere, prout viderit expedire. 5. Item quod ipſi Regi, aut aliis Principibus ſeu laicis quibuſcunque, non licet cenſere, vel occupare bona Eccleſiaſtica, vel iura, in caſibus non conceſſis ab homine, vel à iure, vel Prælatos, ſeu alias perſonas Eccleſiaſticas, ſuper perſonalibus actionibus iuribus, ſeu immobilibus bonis, quæ ab eis non tenẽtur in feudum, ad ſuum iudicium trahere, & arctare, aut inqueſtas facere fieri, ipſaſque quomodolibet detinere. 6. Quomodo etiam impeditur ſpiritualis gladius Prælatorum, vt eo libere vti non poſſint, & ſpecialiter in Monaſteriis ſiue locis quorum gardam Rex ipſe recipit, aut prædeceſſores ipſius. 7. Item quod in præſentia dicti Regis, nec ſicut potuit prohibentis, multis præſentibus, bulla noſtra, & literæ, quibus erat appenſa cum imaginibus Beatorum Petri & Pauli, & nomine noſtro ſculpto in ipſa, combuſtæ & deſtructæ fuerunt, in dictæ ſedis contumeliam & contemptum, per Procuratorem idoneum, cum ſufficienti mandato, compareat coram nobis, ſuam ſi poterit innocentiam oſtenſurus, & noſtris pariturus beneplacitis & mandatis. & quomodo nos concepimus reuocare omnia priuilegia bullata, & prædeceſſorum noſtrorum, ſibi liberis, fratribus & poſteris aut officialibus ſuis conceſſa, vt pœna tanti facinoris tranſeat poſteris in exemplum. 8. Item, quod Gardæ & cuſtodiæ Eccleſiarum Cathedralium vacantium, quas vocant regalia per abuſum, non abutatur, nec vacationis tempore extendat manus ad cædẽdas Syluas non cæduas, vel ad vacuanda ſeu deſtruenda vinaria, & ad alia illicita, Eccleſiis ipſis damnoſa, quodq; habitationes, domus, & maneria, non depereant, ſed in ſtatu congruo conſeruentur, & Maſſariæ ouium, & aliorum animalium debito teneantur in ſtatu: & deductis expenſis opportunis neceſſariis & moderatis ad cuſtodiam, ſeu guardiam; & perceptionem prouentuum, quod reſiduum fuerit reſeruetur futuris Prælatis reſignandum: & quod qui ſecus fecerit, nõ ſolum coram competenti iudice, ſed etiam in tremendo iudicio cogetur reddere rationem. 9. Item de gladio ſpirituali reddẽdo Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis. Non obſtantibus priuilegiis ſibi, liberis, fratribus & poſteris ſuis, aut officialibus ſuis conceſſis cũ nõ obſtantibus & clauſulis opportunis. 10. Item aperiendi ſunt oculi Regis, ſuper mutatione monetæ bis à tẽporib. paucis factæ, in magnum damnũ Prælatorũ Eccleſiarum, Baron. & Eccleſiaſticarum perſonarum & ſæcularium. & quomodo ad reſtitutionẽ tenetur, & quod faciet emendari. 11. Itẽ reuocanda eſt memoria, ſuper ſuis & ſuorum malefactis, & exceſſib. de quib ſit mentio in litera noſtra clauſa, quam portauit dilectus filius Iacobus Notarius noſter. 12. Item quod nos teſtamur; non tantum vt priuata perſona, ſed etiã Papaliter decernimus huiuſmodi noſtro dicto, & teſtimonio eſſe ſtandum, quod ciuitas Lugdunenſis eiuſq; ſuburbia, & cõtingentia ædificia ſiue horti, non ſunt infra terminos, fines & limites Reg. Franc. conſtituta: nec etiam Eccleſia & villa S. Irenæi, nec etiam locus qui dicitur S. Iuſtus, ſupra, ſeu prope Lugdunum. Et quod prædicta Ciuitas, Caſtra, terræ, poſſeſſiones, ad dictam Lugdunenſem Eccleſiam pertinentia, merum & mixtum imperium, & iuriſdictio in eiſdem, ſunt iuris & proprietatis præfatæ Eccleſiæ Lugdunenſis, & pertinet ad eamdem. quodque Rex ipſe, & quiuis alii Reges Franciæ, nõ habent, nec habere debent in ipſis, vel eorum aliquo ius aliquod, vel reſcriptum, & quod dictæ ciuitatis vniuerſitas, communitas ſiue ciues ſingulares, vel ſpeciales perſonæ ipſius, nec merum, nec mixtum imperium, nec iuriſdictionem habent in ciuitate, ſuburbiis, hortis, vel ædificiis contingentibus, aut in caſtris, bonis, poſſeſſionibus prædictis, nec etiam in Eccleſiis, ſeu villis, vel locis ſancti Irenæi, vel ſancti Iuſti præfatis. Et quod per conceſſionem, vel commiſſionem, qualitercumque ipſis vel eorum alicui præfato Regi Franciæ factam, ſub quauis forma, vel conceptione verborum, aut etiam faciendam, mero, aut mixto imperio, ac iuriſdictione in prædictis, ciuitate, ſuburbiis ædificiis contingentibus territorio ſeu diſtrictis, caſtris, villis, poſſeſſionibus, terris ſeu bonis, aut ipſorum aliquo nullatenus vti poſſint: ipſaſque, vniuerſitatem, communitatem, ciues ſingulares, & ſpeciales perſonas Lugdunen. commiſſione vel conceſſione huiuſmodi, vel quauis alia non poſſe, ſeu ipſa, vel ipſorum aliqua, vel aliquod exerceri quibus etiam omne ius, omnemque poteſtatem condendi ordinationes, & ſtatuta municipalia, nos penitus interdicimus, maxime cum ſpeciales perſonæ ciuitates eiuſdem ſint excommunicationis ſententiæ innodatæ: & ciuitas ipſa Eccleſiaſtica ſuppoſita interdicto. Et quod Archidiacono, & capitulo Lugdunenſi, clericis & vaſallis ſeu hominibus ipſorum, de damnis & iniuriis eis illatis ſatisfactio plena fiat: nec impedimentum præſtetur, quominus auctoritate Lugdunenſis Eccleſiæ, merum, & mixtum imperium, & iuriſdictio, in dictis, ciuitate, ſuburbiis, villis, caſtris, terris, poſſeſſionibus bonis & locis valeat exerceri. 13. Item expreſſe denunciandum eſt Regi per Cardinalem eumdem, quod ſi Rex prædicta non correxerit, & emendauerit taliter infra certum tempus, quod & nos, & Apoſtolica ſedes merito contentemur, quod à Nobili viro Carolo Andegauiæ Comite fratre eius & ab eiuſdem Regis nunciis, datum eſt nobis intelligi, extunc nos, & ſedes eadem ſuper præmiſſis prouidebimus, ſtatuendo, ordinando, declarando, & procedendo ſpiritualiter & temporaliter prout & quando videbimus expedire.* Hæc Bonif. Pont. Cardin. Legato, vt Regi Philip. denũciaret, proponebat. *ex MS. bibl. vat. n.* 4177. Philip. porro datis cuſtodib. hunc obſeruari iuſſit. Inſuper mandauit, ne quis cum eo colloqui, ne cui literas dare, aut accipere à quoquam poſſet. Eã Legato contumeliã illatã cum non ferendã ſibi eſſe propter dignitatem Romanæ ſedis, Bonifacius exiſtimaſſet, atq; per Nicolaum Benefactum Cardinalis famulum, literas, quibus mandabat Regi denunciari, ſacris ipſi interdictũ eſſe, miſiſſet, Philippus, Nicolaum, antequã literas Domino ſuo potuiſſet dare, cõprehẽſi,

V. ANATHEMATE PERCVSSVS A BONIFACIO, QVID IN EVM MACHINATVS.

atque

atq; in carcerem detrudi imperauit; Cardinali, fruſtra, vt dimitteretur, petente. Tandem cum Bonifacius Eccleſiaſtica pœna in contumacē vſus eumdem anathemate damnatum pronūciaſſet, ſacris ei & vniuerſo Regno interdixiſſet, ſubditoſq; eius oēs ſacramento ſolutos declaraſſet, renunciaſſetq; ; Philippus vocatis Lutetiam ad Concil um prophanum procerib. Regni, & Epiſc. Abbatibus, Prælatis, ac Oeconomis templorū, coram eis primum friuole ſe excuſauit. deinde iniqua re criminatione vſus, ſole ipſo ad audaciam & impudentiam erubeſcente, per Willelmū Nogaretū Franciæ Cancellarium, hominem ex Paterenis hęreticis natum, eorumq; morib. imbutum, in Bonifacium Pōtif. innocentē, multis criminib. auaritiæ, rapinę, Simonię, & hæreſis cōfictis, voce Willelmi Pleſiani proteſtatus eſt à Bonifacio ad eius ſucceſſores aut futurā Synodū prouocare: eiq; appellationi oēs Eccleſiaſtici ordinis viros adhęrere coegit: Abbate Ciſtercienſi, qui factum non probaret, Lutetiæ detento. Ea omnia cum intellexiſſet Bonifacius, & in publico Patrum conſeſſu, ea oratione cuius initium eſt: *Refulſit ſol qui erat ſub nubibus*, multa in arrogantiam Philippi dixiſſet, atq; iureiurando interpoſito, de obiectis ſibi falſo criminibus ſe purgaſſet, inſontemque ſe calumniarum omnium oſtendiſſet, ex conſilio Sacri Senatus, Regem impium iterum diris deuouit, Regno Sacris interdixit, plures Galliæ Antiſtites exauctorauit, poteſtatem creandorum Doctorum Academiæ Pariſinæ ademit, Academiam ipſam Pariſinam iure docendi priuauit, inq; eos qui vel docere, vel docētes audire, vel Vniuerſitatē adire præſumerent anathema ſtrinxit; fœdereq; cū Flādris percuſſo, Albertum Regem Romanorum, ad bellum Philippo inferendum hortatus eſt. Cum hoc anno Romanam Academiam quod pro dignitate Pontificia cōtra Philippum conſtantiſſime ſteterat: datis XII. Cal. Maii literis, multis priuilegiis ornaſſet; Edouardumq; Anglorū Regem ab Epiſc. Vintonienſi, Conuentrenſi, & Linchefeldenſi, multorū criminum accuſatum, ſatisfactionem pollicentē & benignitatem Apoſt. implorātem, datis Anagnię 6. Id. Iun. literis, in gratiam recepiſſet, & cōtra Philippū Pontif. authoritate excitaſſet.

VI. ALII EIVSDEM CONATVS CONTRA BONIFACIVM

*Maſſonius in Bonif. & Philippo. Ciacon. in Bonif.*

Philippus porro furiis inuectus, in id omni ſtudio & vigilātia incubuit, vt Bonifacio Pontifici omnib. quib. poſſet modis incommodaret. Aderat forte in Galliis Steph. Columna, anathemate à Bonifacio percuſſus, patria extorris. Is cognito Philippi in Bonifaciū odio, ad Regem acceſſit, humaniterq; ſuſceptus, Conſilium hoſtis Bonifacii capiendi ei dedit, ducemq; ſe atq; auctorē facti exhibuit. In eam rem à Philippo ſocios accepit, Willelmum Nogaretum, Aquitanici generis nobilem militem, calliditate & aſtutia præſtantem vna cum Muſciato Franceſio ciue Florentino. Iſtis Rex Philippus, literas ad Petrucios Florentinos menſarios dedit, vt quantum pecuniæ ad Regia negotia poſtularēt, illis numerarent. Staggię, quod erat Muſciati in Hetruria caſtellum aliquot dieb. conſedere; ac per occultos nuncios coniurationē promouere: multo auro corruptis Ceccano & Suppino Procerib. ex ipſaq; Anagnienſi ciuitate Maffei viri potentis liberis, & pluribus aliis ex Gibellina factione nobilibus viris. Fama eſt, aliquot Cardinalium Gibellinæ factionis, eius coniurationis conſcios, per conniuentiam ſeſe multo ſcelere cum parricidis impiaſſe. Dux coniuratorum fuit Sarra Columnius, & ipſe Bonifaciano anathemate aſtrictus. Is ad Bonifacium capiendum, menſe Septembri, trecentos equites, & peditum aliquot cohortes, ſummo mane, Anagniam, vbi Bonifacius reſidebat, duxit, eorumque primo impetu Pontificias ędes inuaſit. Bonifacius in ea perturbatione, & ſi à quibuſdā domeſticis & familiarib. ſuis ſe eſſe proditū videret, fortē tamen ſe præbuit, &: *Si proditione*, inquit, *capior, vt Ieſu Chriſto contigit; ſiq; in manus inimicorum trador, vt occidar, Pontifex Maximus mori deſidero & cupio.* Hæc dixit, & Cardinalib. ac miniſtris metu dilapſis, Pontificiam veſtem induit, coronā

*Bonifacii fortitud. in periculis ſubeundis eodem q; paſſionis & captiuitas*

Conſtātinianam ſuo capiti impoſuit, claues & Crucē, & reliqua ſummi Pontificis ornamēta accipiens, ſoliū Pontificium inſedit: & Petro Hiſpano Sabinēſi & Nicolao Oſtienſi Epiſc. circumſtantibus, conſtantiſſime coniuratos expectauit. Hi porro per vim effractis foribus ingreſſi, furore audaciam excitante, per contumeliā eum inprimis irriſere. Willelmus Nogaretus erat qui illuſerat, quiq; mirabatur, ſe illū in Galliam pertractarum, vt dignitate Pontificia, Lugduni, in conſeſſu Patrum ſpoliaretur. Huic infracto animo Bonifacius reſpondit: *Patienter pro Eccleſiaſtica libertate feram, me Catholicum, & legitimum Pontificem & Chriſti Vicarium condēnari & deponi per Paterenos. Cupio, pro Chriſti fide & Eccleſia mori.* Patereni autem vox, hæreticum hominē ſignificabat, cuius criminis reus Nogareti auus, ignibus fuerat exuſtus. Iſto reſponſo Willelmi ferociam fregit, cæteroſq; Maieſtate Pōtificia ad eum modum præſtrinxit, vt toto triduo, quo eum cōiurati in ædibus iiſdem circumdatum ſub honeſta cuſtodia obſeruabāt, nullum ei aliud malum intuliſſent, præterquā eius theſauros diripuiſſent: non permittentib. ſuperis, Vicarium Chriſti pro Eccleſia decertantem, grauioribus iniuriis violari. Triduum in manib. execrādorum fuit, donec Anagnini nullius precibus adducti ſed ſola miſeratione moti, ac infamiæ dedecoriſque metu, ne Romanum Pontificem, ciuemq; ſuum publico conſenſu prodidiſſe dicerentur, perculſi, repente arma corripuerunt, multiſq; cæſis, multis interceptis Saram & coniurationis ſocios ciuitate expulerunt: vexilla regis Galliarum per terrā turpiter traxerunt, prædam recuperarūt, captiuos Bonifacii ex fratre nepotes & reliquos liberarunt. Interim ēt Rom. quadringenti ciues equites, Ducib. Matthæo & Iacobo Vrſinis ad Pontificē eliberādum aduolarunt, quibus ille ſtipatus Romam inuicto animo rediit, Concilium aduerſus Philippum & coniuratos celebraturus iniuriamq; acceptam grauiſſime vlturus.

VII. EIVS OBITVS.

Romam reuerſus, populi concione aduocata, Regi Francorum publice maledixit, cæteris qui in ſe deliquerant pepercit. Captiuos ab Anagninis liberauit, neq; de quoquā ſupplicium ſumpſit: mox aliquot interiectis diebus, cum Columnienſium primarios ad conſpectum ſuum admittere, neq; diris exſoluere voluiſſet, & vim maiorem ab aduerſariis, grauiora comminantibus, & vt cum eo agendum præſeferentibus metueret, primo ad Carolum, vt ſe ab vrbe eliberaret, perſcripſit, deinde cum literas ab hoſtibus interceptas eſſe intellexiſſet, & milites à Philippi fautoribus ad ſe occidendum ſubmiſſos fuiſſe didiciſſet, ex dolore animi in morbum incidit; in quo Sacris ex more procuratus, in Palatio Vaticano animam Deo reddidit, die 12. Menſ. Octobr. apud D. Petrum, ſecus altare S. Andreæ more Pontificio ſepultus. Falſum eſt, quod in Regis Philippi atq; Columniorum gratiam aliqui impoſtores confixere, quaſi Bonifacius in tam violentum morbum inciderit, vt ſibi ipſe manuum extrema eroſerit, ac furenti ſimilis, capite parieti illiſo deceſſerit. Nā me in vrbe an. Dn. 1606. Prouinciæ Poloniæ negotiorum cauſa apud SS. D. N. Paulum Pap. V. præſente, cum Baſilica D. Petri antiquior, iuſſu eiuſdē Paul. V. Pont. Max. nouæ cōſtruendæ gratia, dirueretur, & ſepulturæ Summorū Pont. in alia loca transferrētur; Bonif. VIII. ſepulchro aperto, tota vrbe ad ſpectaculum cōcurrēte, repertum eſt eius corpus, Pontif. veſtibus indutum; adeo integrū, incorruptumq; vt nonniſi extremū naſi deſideraretur. Porro manus, quas eroſas aduerſarii mētiuntur, tam viuidæ, tā integræ, omnibuſq; digitis integris conſtantes, vt etiam venæ & nerui, pelle & carnibus operti, extuberārēſq; viſæ fuerint. In earum vnius digito erat annulus Pontif. Saphyro diuerſquē Cardinalis Caietanus pretio 100. aureorum dato redemit.

REFELLITVR IMPOSTVRA DE EROSIS SVIS DIGITIS.

VIII. INVENTIO IPSIVS CORPORIS QVANDO FACTA.

Mirum obſeruationeq; non indignum eſt, eadem ipſa die, qua Bonif. fatis conceſſerat, ſcil. 5. Id. Oct. poſt tertium & trecenteſimum annum, illius corpus in ſarcophago repertum, reuelatumque, lucem aſpexiſſe.

Hæc



# HOC EST TESTIMONIVM NVPER FACTVM, INVENTIONIS EIUS INTEGERRIMI CADAUERIS.

*Aperitio Sepulchri Bonifacii VIII.*

IN Nomine Domini Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem Domini Dei noſtri Saluatoris Ieſu Chriſti Milleſimo Sexcenteſimo quinto, Indictione tertia, die vero Martis vndecima mēſis Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Pauli Diuina prouidentia Papæ Quinti, anno eius primo. Cum fuerit & ſit, quod diebus proxime elapſis, die ſcilicet Lunæ 26. Septembris memorati anni in Conſiſtorio habito in Quirinali Palatio Sanctiſſ. Dominus noſter de venerabilium Fratrum conſilio decreuerit veterem Baſilicam S. Petri à Magno Conſtantino olim exſtructam, ſiue dimidiam partem, quæ ſuperfuit alteri, ſub Iulio Secundo, Anno Milleſimo Quingenteſimo ſexto demolitæ, cum vndiq; experitiſſimorum Architectorum fide in ſcriptis exarata ob parietes maioris nauis ad perpēdiculum palmis quinque ab imo ad culmen vſque inclinatos, & rimoſos, ac trabes tectumque iam vetuſtate conſumptum, vt ad proximam ruinam accederet; cōſulto quidē decreuerit fore, & eſſe demoliendam. Hanc ob rem die Mercurii 28. eiuſdem menſis Illuſtriſſimus & Reuerendiſſ. D. D. Euangeliſta Pallottus Sacroſanctæ Rom. Eccleſ. Presbyter Cardinal. Cuſentinus memoratæ Baſilicæ Archipresbyter ex Illuſtriſſ. Dominis Cardinalibus congregationi fabricæ eiuſdem Baſilicæ deputatis primus volens voluntatem Sanctiſſimi Domini noſtri, & Sacri Collegii executioni demandare, vt tandem Deo opitulante ampliſſimum Vaticanum templum ad optatum finem perducatur; iuſſit aſportari Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentū in Sacellum Gregorianum, & altaria in Maiori Naui ſita penitus auferri. Deiecto igitur Sanctiſſimi Sacramēti ſiue SS. Simonis & Iudæ antiquiſſimo ſacello, ac Beatiſſ. Virginis ad Columnam, deuentum eſt ad Cappellā Illuſtriſſimæ familiæ Caietanæ, ſub inuocatione S. Bonifacii Papæ Quarti Confeſſoris, cuius corpus in eadē Ara aſſeruatur, cum multis Sanctorum ac Sanctarum reliquiis, quam felicis recordat. Bonifacius Papa VIII. in honorē eiuſdem Sancti conſecrari fecit, ciboriumq; cuſpidatum Germanici operis è marmore ſuperpoſuit; ſepulchrum ſibi viuens marmoreum cum inſigni eius gentilicio parieti coaptauit; ita vt dum Sacerdos Miſſæ ſacrum perageret, tumulum ipſius Bonifacii conſpiceret. Sacelli præfati Architectus fuit Arnulphus, cuius nomen inibi inciſum erat. Imaginem vero Deiparæ Virginis, ac Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Petri in dextera & Pauli in ſiniſtra, nec nō S. Bonifacii Quarti. ac etiam Bonifacii VIII. quem Princeps Apoſtolorū offert B. Virgini. Pinxit vermiculato opere Iacobus Torriti, vt in libro picturarum in hac Baſilicæ demolitione conficiendo clarius videre licet. Sublato itaque Ciborio, cum tantum ſepulchrum demolitioni ſupereſſet, placuit R. P. D. Vicario ac Canonicis ſignificare hanc corporis inſpectionem Illuſtriſſ. Dominis Caietanis infra ſcriptis pro ſupradicta die 21. Octob. Volētes vero iidem Domini Vicarius, Canonici & Caietani, vt perpetuis futuris temporibus quæ ſequuntur publico appareāt inſtrumento. Hinc eſt quod anno, &c. in mei præſentia perſonaliter cōſtituti viderunt. Reuerendiſſimus in Chriſto Pater Dn. D. Antonius Victorius Romanus vtriuſq; ſignaturæ, Sanctiſſimi D. N. Papæ, Reuerēdarius, ac Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi DD. Archipresbyteri prædicti Vicarius generalis, RR. DD. Paulus Bizonus Maior Camerarius, Pōponius de Magiſtris, Altariſta, Tiberius Ricciardellus maior Sacriſta, & Paris Pallottus exceptor. Camerarius, omnes Canonici eiuſdem venerabilis Baſilicæ, ac præſentibus Illuſtriſſimis & Reuerendiſſ. Dominis Antonio Archiepiſcopo Capuano, & Bonifacio Epiſcopo Caſſanenſi, ac Excellētiſſimo Petro Duce Sermineti germanis fratribus è nobiliſſima familia Caietana. Amota enim ſtatua Bonifacii inſtar defuncti quieſcentis cum thiara tribus coronis ornata, aliiſq; Papalibus infulis, & tabula marmorea, quæ arcam cum ſtemmatibus eiuſdem Bonifacii vndarum ſcil. duarum cærulei coloris per obliquum in campo aureo tegebat; reperta fuit capſa lignea ex abiete intus, in qua erat corpus ſupradicti D. Bonifacii Papæ Octaui, alta à terra palmis decem, in maiori naui inter portas Rauennianam, & Iudicii. Capſa ipſa lignea lōga palm. 8½. lata palm. 2. & vnc. 5. delata fuit in ſacrarium vbi præſentibus ſupradictis Dominis Vicario, Canonicis, Archiepiſcopo, Epiſcopo, & Duce, ac magno populo, meque Notario, &c. fuit aperta, & viſum ab omnibus corpus ipſius recolendæ memoriæ Bonifacii Octaui adhuc integrum, & incorruptum ſacris veſtibus ornatum, vt inferius dicetur. Inſpecto igitur corpore clauſa fuit capſa, & munita ſigillis Illuſtr. D. Cardinal. Archipresbyteri, & eo modo quo reperta fuit cum corpore memorati Pontificis, iuſſu eorūdem RR. DD. Vicarii. & Canonic. data, vt aſſeruaretur in eodē ſacrario R. D. Tiberio Ricciardello Maiori ſacriſta præſenti &c. & pro eo Dominis Sacriſtis minoribus, quouſq; deferretur in ſepulchrum in Noua Baſilica, vbi de ord. & M. S. Dn. N. ſtatutum foret concedendum. Contigit autē, & caſu quidem hoc notatu dignum, vt eadem die nēpe XI. Octob. qua ab hac luce ſubtractus eſt Bonifacius annis iam ante trecentis & duobus, hac ipſa die vndecima eius corpus ſanum & incorruptum lucem aſpiceret. Quæ vero de corpore, & indumentis ipſius vtpote memoratu digna à me ſeruata ſunt, infra apponere libuit. & Primo de ipſius ſtatura.

Bonifacii VIII. corpus menſuratum eſt in longitudine à vertice capitis ad plantam pedis palmorum ſeptem & quartorum trium.

Caput in rotunditate palmorum duorum & quarti vnius, & vt periti medici ac chirurgi affirmarunt ex maiori parte caluum erat, præſertim in ſummitate.

Cutem capitis, nec non membranas ſuperiores, & inferiores tegentes oculos, genas pingues, frontem latam, mentum ſine barba (nam viuus raſus erat) cartilagines aurium mediocres foris prominentes habebat. Facies (quamuis naſus de labia corrupta) ſeueritatem magis quam hilaritatem oſtendebat. Dentes omnes, & quidem magnos & firmos præter duos ſub labio ſuperiori, cui viuenti deerant, habebat, ſano ac robuſto fuit corpore, vt periti iudicarunt.

In cingulo palmorum trium cum dimidio.

Manus habebat longas, & pulchras palmi vnius breuis cum vnguibus, longis ſignis venarum & neruorum, adeo vt videntibus ſummam iniiceret admirationem, quomodo per tot annorum curricula tam integræ & incorruptæ conſeruatæ fuiſſent.

Pedum quilibet palmum vnum continebat.

Genua, tibiæ, & reliqua corporis cum carne exſiccata ſana & incorrupta cernebantur.

Veſtimenta hæc erant.

Fæmoralia tibialibus coniuncta coxas ſtringentia, quibus Antiqui vtebantur ex inuerſo rubro cum zona ſerico rubro ſuper corio cooperta, in cuius ſummitate erant punctales argentei, ſiue fibulæ; ſed quia erant ex lana, iam fere conſumpta videbantur.

Tunica interior, quæ ſubtana dicitur ex inuerſo albo.

Rochettus lōgus erat palmis ſex & quarti vnius vſq; ad talos, ex tela Cameraci, quæ Cambraia dicitur, qui cingebatur cingulo ex corio ſerico rubro cooperto in modum zonulæ cum quatuor cordulis ſericeis rubris ante pendentibus, ſtringentibus zonam.

Alba quę & Camiſum dicitur, erat ex tela ſubtili Cameracenſi, cum fimbriis ante, & poſt tibias, nec non ad manus, & pectus, quæ fimbriæ ante, & poſt tibias ſingu-

larum ipſarum habet in latitudine palmos tres cum dimidio, in longitudine palmum vnum, in quibus, auro, & ſerico acu pictę (vt vulgo dicitur Riccamo) infra ſcriptæ habentur hiſtoriæ. In fimbria ante tibias ſunt in primo ordine hiſtoriæ Annũciationis, Viſitationis Natiuitatis, Apparitionis Angelorũ ad Paſtores, quãdo Magi veniunt Ieroſolymam; quando loquuntur cum Herode, & cum Angelus admonet illos, vt reuertantur per aliam viam. In ſecundo ordine eiuſdem fimbrię habentur: Concilium Herodis ſuper occiſione Innocentium, occiſio ſubſecuta; apparitio vt Ioſeph fugiat in Ægyptum, fuga ſubſecuta; obitus Herodis; Circumciſio Chriſti, Diſputatio inter Doctores; & cum inuenitur à matre, *Fili quid feciſti nobis ſic*. In fimbria vero retro tibias Concilium Sacerdotum vt caperent Ieſum, captura Chriſti, & amputatio auriculæ; flagellatio Chriſti; baiulatio crucis, Crucifixio, Obitus in Cruce, & militis percuſſio, ſepultura ac Reſurrectio. In ſecundo ordine deſcenſus ad inferos, *noli me tangere, valde mane vna Sabbatorum*, tres aliæ hiſtoriæ Reſurrectionis; quando dicit Thomæ, *Infer digitum tuum huc*; & Aſcenſio in cœlum; quas tres hiſtorias ſubter corpus poſitas excipere non valui.

Alba longa erat vſque ad pedes, & in pectore aderat fimbria cum imagine Annunciationis.

Stola ſtricta & longa erat palm. VI. & quart. 3. vſque ad floccos ex broccato intertexto argento & ſerico nigro opere Turcico.

Cingulum Pontificale ex ſerico rubro & viridi, pulchre quidem intertextũ cum ſuis cordulis ſericeis ante pendentibus, ſuiſque globulis & floccis.

Manipulum ſtrictum auro, argentoque intertextum opere ad vndas cum ſerico nigro & violaceo, duplum erat pendens à tunica longum pal. 3.

Gandalia nigri coloris acuta, & cuſpidata more Gothico ſine cruce, ex ſerico nigro ad flores paruos auro intertextos, longitudinis pal. vnius, & quarti vnius.

Tunica Pontificalis ex ſaia de ſerico nigro cum maniçis, quæ ſuis modulis ſtringebatur prope manus, & erant ſtrictæ inſtar manicarum veſtis. Tunica longa pal. V. & ſemis, in extremitate lata palm. 4. & ſemis. Fimbrię ante & poſt in longitudine palm. 1. in latitudine pal. 3. ex broccato in campo violaceo cum leonibus auro & ſerico intextis.

Dalmatica ex ſaia de ſerico nigro, long. pal. 6. lata in fine palm. 5. & ſemis, in extremitate ante & retro erant fimbriæ latæ pal. vnius ſemis, longæ palm. 3. ex broccato aureo in campo nigro opere Turcico vel Perſico, & quidem pulcherrimo, propter ſplendidiſſimum aurum elaboratæ certis roſis biniſque canibus rectis cum manicis latis, in quarum ſummitate prope manus erant aliæ fimbriæ eiuſdem broccati in circuitu foderatæ ſerico croceo.

Caligæ Pontificales ex ſerico nigro, quod Ormiſinum dicitur, cum ſuis ligulis, quibus necterentur.

Caſula ſiue Plantea lata, vt antiqui vtebantur, in lõgitudine ante, & retro palmorum ſex, & quarti vnius ex ſaia de ſerico nigro, cũ aurifrigio auro intexto in campo violaceo ad ſportas, opere Mauro mirifice ſolideq; confecto, vt viſu mirum eſſet, tum ob ſoliditatem dictę caſulæ, tum reliquorum indumentorum: limbus caſulæ paulum vltra manus veniebat.

Habebat fanonem circa collum & humeros eo modo, quo hodie Summi Pontifices vtuntur: nempe pars ſupra Albam, & pars ſupra Planteam ex puro ſerico velo albo ſubtiliſſimo, ſine auro & aliquo ornatu, inuolutum pluries primum circa humeros ſuper Albam: deinde inuerſum ſuper caſulam circa collum. Super Alba duplex magis erat in parte dextera, quam in ſiniſtra.

Supra fanonem erat pallium, ſed quia ex lana conſutum erat, præter quandam particulam ſupra tibias, vſq; ad crura longum, & plumbum ante & poſt terga pendens ſerico nigro coopertum, extremitati pallii poſitũ, quadra forma cernebatur.

Cruces pallii ſerico nigro, vt hodie Summi Pontifices vtuntur, nec non ſpinulæ aureæ Saphyris pretioſis ornatæ; quorum vna in medio pectoris, altera in armo ſiniſtro aderant, integræ adhuc extabant.

Chirothecæ ex ſerico albo ad acum cum frigio pulcherrimo ad perlas in longitudine pal. vnius & quarti.

Manus complicatæ in modum crucis, dextera ſuppoſita ſiniſtræ, in cuius dexteræ annulari digito, ſuper ipſis chirothecis aderat annulus aureus pulcherrimus cum vno Saphyro ouato pretioſo ac magno, & perforato non modici valoris.

Mitra alba ex tela Damaſchina intexta ad ſportas, foderata corio albo in forma parua, nempe longa palmũ vnum, lata palmum vnum. Hæc de Bonifacii VIII. corpore ſeruata ſunt. Princeps magni & inuicti animi, ac de Rep. Chriſtiana optime meritus: quippe qui doctrinæ ſuæ clariſſimis monumentis Dei Eccleſiam maxime illuſtrarit, ac de memorata Baſilica, in qua Canonicos 8. tres Beneficiatos, & viginti Clericos, optimis attributis prædiis de nouo plantauit, & in ipſa in minoribus Canonicus fuit; non ſatis quidem in æuum omne laudandus. Super quibus omnibus & ſingulis petierunt à me Notario publico infra ſcripto, vt publicum, ſeu publica conficerem Inſtrumentum, ſeu Inſtrumenta.

Acta ſunt hæc Romæ in Baſilica S. Petri, & in Sacrario eiuſdem reſpectiue templo *ſcil.* rotundo, quod antiquitus dicebatur S. Andreas, hora XXIV. die, anno, menſe, indictione ac Pontificatu de quibus ſupra. Præſentibus ibidẽ RR. DD. Horatio Maluicino, memoratæ Baſilicæ Beneficiato. V. I. D. necnon Dominico Longo Fulginatenſi cuſtode altaris maioris Iacobo Palatio Romano Subſacriſta, ac DD. Ioanne Belluccio quõdã Franciſci de Maſſa Carroriæ factore fabricæ S. Petri & Paulo Bacciocco q. Franciſci de Vibeueteri teſtibus, ad prædicta omnia & ſingula vocatis, habitis atq; rogatis.

Et ego Iacobus Grimaldus. q. Dominiçi filius Preſbyter Bononiẽſis publicus Apoſtolica auctoritate Notarius in Archiuo Romanæ Curiæ deſcriptus, quia prædictis omnibus & ſingulis præſens fui, eaque ſic fieri vidi & audiui, ideo hoc præſens inſtrumentum exinde confeci, ſubſcripſi & publicaui, & ſolito meo ſigno ſignaui rogatus.

locus ſigilli.

CRIMALDVS.

I. G.

Hæc de Bonifaciana vetuſtiore ſepultura, ab ipſa fide publica contra impoſtores, cum hæredes tanti Pontificis Caietani Duces, iſtud quod ſequitur epitaphium, arcæ nouę inſculpſiſſent.

IHS.

*Corpus Bonifacii VIII. Caietani Pont. Max. ex veteri in nouam Baſilicam tranſlatum hic repoſitum iacet. De quo illud memorabile accidit, quod eodem die quo obiit, Quinto ſcilicet Idus Octobris, iam inde trecentum & duobus elapſis annis, integrum atque incorruptum repertum fuit, Anno Domini M. DC. V.*

Voluit Deus teſtatum orbi vniuerſo facere, Bonifacium Pontificem, nonniſi per calumnias & mendacia à maleuolis conficta, male apud poſteritatem audiuiſſe: illumque pro Eccleſiæ iuribus, ex Apoſtolico munere decertantem, per ſummam iniuriam, multis contumeliis affectum fuiſſe. Sane Dantes Aligerius Florentinus, quamque odio Guelfæ factionis exæſtuans, & in alios Romanos Pontifices Gibellinæ factioni aduerſos nimis procax, non potuit tamen ſacrilegam coniuratorũ audaciam, non perſtringere, his verſibus.

*Veggio in Anagnia intrar lo fior daliſo*
*Et nel vicario ſuo Chriſto eſſer catto.*
*Veggiolo vn' altra volta eſſer deriſo.*
*Veggio rinouellar l'aceto el fele*
*Et tra viui Cadroni eſſer anciſo*
*Veggio' l nouo Pilato ſi crudele.*
*Che cio nol ſatia, ma ſenſa decreto*
*Porta nel tempio le cupide vele.*

Scelus



IX. SCELVS ADMISSVM IN BONIFACIVM DIVINA VLTIONE PVNITVM. *Alexand. Bononien. in deſcriptione Latii. Maſſon. in Bonifa. 8.*

Scelus in Bonifacium admiſſum, Deus ſeueriſſime vltus eſt. Nam Anagnia, poſt Bonifacii capturam, quẽadmodum & ipſi ciues interrogati confitebantur, vſq; in præſens, variis occaſionibus iuit in præceps. adeoque bello, peſtilentia, fame plurimum vero ciuilibus odiis, in maximam calamitatem redacta eſt: cum inteſtinis contentionibus alii alios eiicerent, & pulſorum ædificia incenderent atque diruerent; viciſſimque illi reſumptis ſpiritibus, eandem in aduerſarios belli rationem refunderent. Hanc ob rem non pridem, cum à paucis qui ſupererant ciuibus, in cœtu conſilioque communi de malorum cauſa anxie quæſitum eſſet: tandem hanc ipſiſſimam occurriſſe, quod maiores illorum, Bonifacio prodito, ſe grauiſſimo ſcelere deuinxiſſent, idque quoniam hactenus expiatum non fuerat, ideo Clemente VIII. Ponif. obteſtato, vt Epiſcopum ad ſe mitteret aliquem, qui populum ab illorum malorum noxa liberaret, expurgaretque, hoc demum precibus ac votis rite pro incolis factis, vt ab anathemate, quo ob manus Pontifici Maximo violenter iniectas, adhuc erant obſtricti, abſoluti Deo haberentur, executum. Anagninis autem ad eum modum, multatis, neq; reliqui à vindicta Diuina immunes fuere. Nogaretus enim, paulo poſt morte intempeſta interiit; Sarra Colũnius ſempiterna infamiæ nota inuſtus: cæteri coniurati à Cathellanis militibus ad vnum interfecti; Rex Philippus præpoſtera ratione defunctus, treſque eius filii propter matrimonia infeliçes. Id enim calamitatis ei & familiæ ipſius prædixerat Epiſcopus Morianenſis, ad primum nuncium, Bonifacii Pontificis, iuſſu Philippi Regis intercepti.

*S. Antonin. p. 3. tit. 20. c. 8. §. 21.*

PROPHETIA DE CALAMITATE PHILIPPI EIVSQVE FILIORVM OB CAPTVM BONIFACIVM.

Cæteris ſiquidem Philippo congratulantibus, atq; adeo ſumma lætitia propter capturam Bonifacii exultantibus, cum hæc Epiſcopus religioſæ & ſanctæ conſuetudinis audiuiſſet, Spiritu Prophetico dixit: *Iſta res quidem Regi Franciæ dabit gaudium magnum: ſed extrema gaudii luctus occupabit. Nam propter iſtud ſcelus, nobile Dei iudicium ſuper eum & progeniem illius adueniet. Magnas luet pœnas; multa aduerſa patietur: & plurimi contra eum eiuſque filios inſurgent.* Secuta eſt vindicta ab vltore Deo, vt hoc exemplo cæteri obſeruent illud oraculum: *Nolite tangere Chriſtos meos. Qui enim vos tangit, tangit pupillam oculi mei.*

X. BONIFACII PP. RERVM GESTARVM BREVIS SYNOPSIS.

Fuit Bonifacius Pontifex doctrina, prudentia, & rerum experientia præſtans; ingenio, memoria & acri iudicio præditus, magno & excelſo animo ornatus, iurium ac libertatis Eccleſiaſticæ conſtantiſſimus & intrepidus aſſertor, qui Sacram Eccleſiæ ditionem tum amplificauit, tũ defendit, Sacrilegos & Maieſtatis Pontificiæ violatæ reos fregit, ſchiſma vniuerſæ Eccleſiæ enaſcens, ingentibus auſis præuertit, inque ipſo ſemine reſtrinxit. Baſilicam Vaticanam in qua condi voluit, plurimum ornauit. 24. clericos in ea locauit; canonicorum numerum auxit; In Sacello ab ſe S. Catharinæ dicato, tres presbyteros qui ſacris vacarent perpetuo cõſtituit: eidem Baſilicæ prægrandem aureum calicem, pretio trium millium florenorum donauit; oppidaque, agros, gratias & indulgentias largitus eſt. Idem marmoreum ſuggeſtum cum porticu apud Baſilicam Conſtantinianam Laterani condidit, ex quo, in die Cœnæ Dominicæ, & alio tempore, in Columnenſes, & Philippum Regem Francorum anathemata promulgauit: eaque re aduerſariorum animos, manus, linguas, & calamos in ſe exacuit. Prodiderunt, qui ex vero de rebus Bonifacianis ſcripſerunt, quod cum Columnenſes de illatis ſibi à Bonifacio iniuriis, ad Reges Principeſque omnes Chriſtianos ſcripſiſſent, eumque arrogantiæ, ambitionis, ac malignitatis inſimulaſſent, neque legitimum eſſe Pontificem, & mortis Cœleſtini anteceſſoris reum eſſe infamaſſent, eorum litteras vt impias & blaſphemas, nemo ſuſceperit: quod ſcirent omnia ab illis cõficta, inter impoſturarum & calumniarum Strophas, reiicienda eſſe.

XI.

Bonifacii tempore noua obrepſit hæreſis ſecta, res ſuo ortu læta, ſed exitu deteſtabilis ac triſtis. Fraterculi nuncupati ſunt, qui noctu ſacra operari conſueuerant. Fuitque à principio, vt credere eſt, mens eius ſacri inuentoribus nõ aliena à pietate, cæterum tempus ipſum & loci licentia, (nam in abditis ea ſacra fiebant) omnia in peius vertere.

FRATERCVLORVM HÆRESIS ORIGO.

Canebãt illi Deo nocturnos hymnos vt aliquo pietatis prætextu ſuum tegerent flagitium; confluebant mulieres ad orgia illa verius quam ſacra, cæremoniaq; peracta Sacerdos pronunciabat, vt extinctis luminibus omnes almo ſpiritu inuocato promiſcue coirent: matronæ, viduæ: virgines ſine diſcrimine, vt ad huius vel illius manus veniſſent. Vnde indiſcreto concubitu fœdabantur. Partus per hunc modum conceptus tamdiu per manus in orbem ſtantium iactabatur, in ipſo antro, doneç exhalaret. Is in cuius manibus expiraſſet, Pontifex Maxim. çreabatur. Cremabant adhæc Sacerdotes, vnum aliquem ex infantibus ita procreatis, cineres in cadum coniiciebant, vinoque ſuperinfuſo, quo nouitii initiabantur, omnes inebriabant. quæ cerimoniæ ratio videtur mihi non multum diuerſa ab ea fuiſſe, quæ à bacchanalibus eſt olim vſurpata.

EORVM PRODIGIOSÆ TVRPITVDINES.

Iſtud malum à Græcis in Italiam emanauit, ac breui tempore fere vniuerſam Æmiliam ac Liguriam occupauit adeo vt Bonifacius habuerit neceſſe, aliquot eius ſectæ homines, quos ſeducti pro Sanctis coluerant exhumari & flammis exuri iubere; vniuerſamque ſectam decretis publicatis, impietatis damnare. Quo argumẽto ſatis poſteritati teſtatum reliquit, ſe longe à crimine hæreſis alienum eſſe; quam ipſe & Conſtitutionibus editis damnaſſet, & Inquiſitores ac Epiſcopos vna cum magiſtratu ſęculari in eam incitaſſet, & tum gladios, tum flammas non ſemel in hæreticos, etiam fatis functos, ex lege Eccleſiaſtica expediuiſſet.

XII. ALIA BONIFACII PP. LAVDABILIA FACTA. *ã, ep. 14.*

Præter alia quæ bono publico, Bonifacius tempore ſui Pontificatus, aut geſſit, aut vidit, fuere. 1. Pax inter Regem Siciliæ & Ianuenſes per Legatos ab eo miſſos conciliata. 2. Iacopitarum Orientalium Eccleſia, Romanæ Eccleſiæ, in vnitatem Fidei & Sacramentorum adiuncta. Eorum etenim nomine Dionyſius Epiſcopus Tarruſii Bonifacio Pontifici conceptis verbis fidem & obedientiam, coram Patrum ampliſſimo conſeſſu ſpopondit, & recepto ex more ſymbolo fidei Eccleſiæ Catholicæ, ad communionem Ouilis Dominici admiſſus, eam gentem Romanæ orthodoxiæ inſeruit. 3. Albertus Romanorum Imperator electus, datis ad Bonifacium, Norimbergæ, Anno Domini 1303. Indict. 1. die XVI. Cal. Auguſti, Regni ſui Anno 5. litteris, cum exemplo Rudolphi patris Regis Romanorum, Romanum Imperium à Græcis in Gallos, & ab his in Germanos, non ſucceſſione, neque ceſſione, neque alia humana ope aut ratione, ſed ſola auctoritate Romani Pontificis tranſlatum, ſeptemque electores imperii, non procerum aliquorum, ſed ſolius Romani Põtificis deſignatione inſtitutos eſſe, diſertis & clariſſimis verbis in diplomate deſcriptis, teſtatum orbi reddidiſſet, omnia priuilegia ſuperiorum Imperatorum Romanis Pontificibus & Eccleſiæ Romanæ conceſſa, approbauit, innouauit, conceſſit, dedit, donauit, & ſacramento prolato ratificauit: huiuſque rei diploma ſignatum, in archæo Romanæ Eccleſiæ proſtare voluit, perpetuum pignus ingentis erga Sedem Apoſtolicam propenſionis.

*extat in caſtro S. Angeli.*

XIII. BENEDICTVS XI. CREATVR ROMANVS PONTIFEX. *1. Bened. XI. & Maſſon. & Leand. lib. 3.* EIVS PRIMORDIA.

Nouemdialibus mortui Bonifacii ex lege recepta abſolutis, cum Patres ad XII. Cal. Nouembrium conclaue ingreſſi, Sacra Spiritui S. celebraſſent, XI. Cal. Nouemb. vnico facto & publicato ſcrutinio, Pontificem Maxim. renunciarunt, Magiſtrum F. Nicolaum Bocaſiũ, ex Epiſcopo Oſtienſi Cardinali, Is Taruiſii infimo genere natus, & Venetiis Quirinæ familiæ liberis inſtituendis pædonomus datus, poſtea ordinem Diui Dominici fuerat profeſſus. In eo diuinis humaniſque ſtudiis 14. annis vacauit, totidem ſumma cum laude



docuit,

PROGRESSVS ET STVDIA.

docuit, totidem denique per omnes ordinis gradus in religione propter morum ſanctitatem præfuit, atq; ad Generalis Magiſterii apicem ſola virtuti & pietatis cõmendatione aſcendit: ex quo poſtmodum propter vitam honeſte ſanctèque actam, à Bonifacio Pontifice inter graues illius ætatis viros Cardinalitio honore donatus, omnium collegarum libera voce & vnanimi conſenſu Romanus Põtifex dictus eſt. Sexto Cal. Nouem. Benedicti nomine aſſumpto, inſignia Pontificatus, in Baſilica S. Petri, à Matthæo Rubeo gẽte Vrſino S.R.E. Archidiacono tit. S. Mariæ in Porticu Cardinali aſſumpſit.

## BENEDICTI XI. PAPÆ
### Anno 1.

XIV. LAVDABILI FACTO MATREM SVAM SPLENDIDE VESTITAM REPVDIAT QVAM POSTEA PANNOSAM SVSCIPIT. *ep. 1. ad Archiep. Mediolan. & Suffragan. Leand. li. 3.*

Aſſumptus ad Pontificatum Benedictus, cum ſecundo Cal. Nouemb. datis literis, omnes Proceres Eccleſię aſſumptionis ſuæ admonuiſſet; quam frugi Pontifex eſſe vellet, inſigni facinore edito declarauit. Mater illius dum adhuc in minoribus ageret, veſtimenta Fratribus Prædicatoribus abluens, exinde victum quærebat. Ea cum filium Pontificem renunciatum eſſe intellexiſſet, ſuaſu & ope amicorum in Vrbem properauit, cupida illum videre. Cumque primum Romam adueniſſet, matronæ illam, vt Pontificis genitricem ſummo honore acceperunt, proque magnificentia ſummi Principatus veſtibus pretioſis induerunt, & carpento impoſitam in conſpectum Pontificis produxerunt. Ibi Pontifex eam ſe non agnoſcere ſimulauit, matremque ſuam neque primariam, neq; nobilem, neque auro illuſtrem fœminam, ſed modica & paupere veſte indui ſolitam, quæque aduerſus paupertatem pugnare conſueuiſſet, dixit: ſique illa talis in ſuum conſpectum prodiret, ſe illam probe agniturum aſſeuerauit. Erubuere vniuerſi, quod matrem ſuffudiſſe videretur. tandem ab eo reuerſi, pannoſas mulieri veſtes reddiderunt, & ita demũ ad Pontificem reduxerunt. Tum Benedictus confeſtim occurrens, genitricem amplexatus; Hæc vero mihi, inquit, longe chariſſima eſt parens. In iſto veſtium apparatu eam reliqui: in eodem recipio. Dixit, & tum deinceps ingenti gaudio acceptam honorifice habuit.

Ea re apud omnes diuulgata, animos illi Principum Chriſtianorum maxime conciliauit, ita vt ſtatim initio illius Pontificatus, & literis perſcriptis, & oratoribus deſtinatis, ſummam ei dignitatem gratularentur.

XV. PHILIPPVS GALLIARVM REX AB IPSO EXCOMMVNICATVS SCRIBIT EI GRATVLATORIAM. *Maſſ. n in Bened.*

Inter primos Philippus Rex Galliarum eſſe voluit, qui virga cenſoria à Bonifacio Pontifice percuſſus, & à Sacrorum communione excluſus, eam quæ ſequitur gratulatoriam Benedicto ſcripſit, eiuſque virtutibus collaudatis benignitatem Pontificiam implorauit. Ita habet:

Sanctiſſimo Patri in Domino Benedicto diuina prouidentia Sacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Philippus Dei gratia Francorum Rex deuota pedum oſcula beatorum.

*Benedictus Dominus DEVS Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ: & erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui. Qui facit mirabilia magna ſolus: qui cœleſtia pariter & terrena ſalubri moderamine dirigens, ac perpetua ratione gubernans, in hac valle miſeriæ, miſerationes innumeras liberalis in gratiis, & in miſericordia copioſus exercet: ipſe quidẽ circa Eccleſiam ſuam ſanctam Petri nauiculam, Matrem fidelium, Chriſti ſponſam, quam à fundationis initio ſplendore virtutum mirabiliter illuſtrauit, pie ſemper continuans miſerationis affectum & paternæ exequens pietatis officium; licet eam in pelago mundi huius intumeſcentium vndarum fluctibus agitari, & procellis concuti patiatur, ad tempus ipſam ſubmergi vel periclitari naufragio non permittat, continuum ſemper impendens in tribulatione ſolatium, in turbatione pacamen, & in aduerſitate ſuccurſum, ſicut rerum euentus, ac ſuccedentium experimenta temporum manifeſte declarant. Cum enim Eccleſia ipſa diebus nuper prætermitis poſt oppreſſiones & afflictiones multimodas, & graues quaſi parturientis anguſtias quas ex malitia præſidentis in ea mercenarii ſub vmbra paſtorum longo tractu temporis diſcriminoſi pertulerat, quam proſtrata & naufragio proxima videretur propria virtute deficere. Ipſe Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis ab ipſius ſtatum miſerabilem, & lugubrem piæ dirigens compaſſionis affectum, & ad reuelationem ipſius ſuæ potentiæ dexteram clementer extendens, ipſam ab opprobrioſæ captiuitatis ærumnis dignanter eripuit, à deplorandæ viduitatis incommodis miſericorditer liberauit, dato ſibi cœlitus noui ſponſi ſolatio Benedicti, qui vt nomini rem conformet, & præteritis futura continuet, opera Deo grata ſperata & hominibus placitura facturus. Exultet igitur eadem Sacroſancta mater Eccleſia, & in iubilum ſupernæ laudis aſſurgat, tenebrarum ſemota caligine ſe nouæ lucis radio illuſtratam, & abiecto iugo tyrannicæ ſeruitutis ſtatus debiti & priſtinæ libertatis reſumpſiſſe decorem iocundetur depoſito vidualis deſolationis iubilo lætitiæ nuptialis illuxiſſe ſerenum, nouum adepta paſtorem, ſuæ ſterilitatis & opprobrii redemptorem. Exultet præcipue ſacer Prædicatorum Ordo ſe talem & tantum filium peperiſſe, alumnum nutriuiſſe tam inclytum, tam præclarum, quam Patrem Orbis & Fidei Succeſſorem Petri, CHRISTI Vicarium in ſupremo ſedere iuſtitiæ ſolio gloriatur. Lætetur & iubilet, quod ex eius horto arbor iſta fructifera prodiit, quæ in domo Domini feliciter complantata, fructum datura creditur ſuo tempore gratioſum. Lætetur inſuper, totum Orbem ex eius gremio ſuſcepiſſe Nouum Patrem pauperum, & diſpenſatorem prouidum fidelium animarum, qui ſicut multum apud Deum, ſic apud homines proficit in honore. Lætabundus exultet chorus fidelium, Fidei Orthodoxæ cultorum, atque fides ipſa, quo ex nefandis prædeceſſoris actibus, deteſtandis operibus & pernicioſis exemplis obnubilata ſui luminis claritate, quæ minabatur excidium, per ſanctitatis & vitæ merita & virtutum exercitia laudabilia ſucceſſorum quibus ab omni clareſſe dignoſcitur, reformationis accommodæ incrementa ſalubria ac fulgorem ſolitæ claritatis reditur reſumptura. Læteturque pacis optatæ dulcedinem, quam per iniquos exceſſus potius quam proceſſus temerarii abuſorum quaſi extra terminos exulabat. Iſte fidelis teſtamenti Dominici executor ad priſtinum ſtatus ſolum procurationem totique mundo ſpiritualis & temporalis commoda quietis afferre probabiliter exiſtimatur. Nos autem pro bonis affectibus exultamus, qui meretricalia deliramẽta perplexa diutius patrem confidimus ſucceſſiue beneuolum, qui prædeceſſoris erronea corrigat, malefacta reformet, pacem nutriat, iuſtitiam foueat, & diligat æquitatem; in cuius affectione ſincera deuotionis filialis, in cuius deuotione filiali paterna benignitas conquieſcat. Sed ex eo præcipue materia nobis gaudii & exultationis accreſcet, quod regiminis noſtri tempore in Apoſtolica Sede virum ſedere conſpicimus, bonorum omnium, ſicut fama teſtatur & publicat nitore conſpicuum, virtutum ſpeculum & ſanctitatis exemplar: virum vtique ſecundum cor noſtrum, qui non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Dei, ad Catholicæ fidei & vniuerſalis Eccleſiæ bonorum & exaltationis incrementa felicia, ac ſtatum proſperum & quietum totius populi Chriſtiani, & promotionem felicem negotii terræ ſanctæ ducitur puro zelo. Igitur pro tam dignæ, tam ſalubris & vtilis prouiſionis euentu bonorum omnium largitori ad laudes & gratias in humilitatis ſpiritu aſſurgentes, eius imploramus deuote clementiam, vt qui vos ad regimen Eccleſiæ Sanctæ, ad dandam ſalutis ſcientiam plebi ſuæ, ad ſupernæ dignitatis honorem pia miſeratione prouexit, ſic credita vobis multiplicatione talenta concedat; ſic in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo & in viam pacis dirigat greſſus veſtros, quod poſt regiminis præſentis excurſum ad cœleſtis gloriæ ſolium vna cum grege vobis commiſſo clementi pietate perducat iudicaturum cum cæteris Sanctis ſuis omnis orbis terræ finium nationes. Cæterum nos & Regnum cuius Moderamini diſponente Domino præſidemus, & Eccleſiam Gallicanam ſanctitatis veſtræ fauoribus fiducialiter commendamus, & ad exponendum perfectius & plenius exhibendum beatitudini veſtræ omnimodæ reuerentiæ & deuotionis indicia, ecce dilectos & fideles Bernardum Dominum Mercolii. Magiſtrum Petrum de Bellapertica Canonicum Carnotenſem, & Guillelmum de Pleſſiaco militem Nuncios noſtros ad ſanctitatis veſtræ præſentiam deſtinauimus: quos benigne recipere, ac eorum relatibus paterna clementia audientiam præbere placidam, & fidem non dubiam adhibere dignetur.* Hæc Philippus Benedicto Pontifici, nimis iniquus Bonifacio anteceſſori; à cuius cenſuris abſolutionem, per Oratores flagitabat.





XVI. BENEDICTVS AB INSIBRAXIMO PATRIARCHA ORIENT. ET TATTARIS LEGATIONES ACCIPIT. *Genebr. in Chronol. & MS. bibl. vatic. num. 3535. Leand. l. 3.*

Eodem anno Benedictus Pontifex, Inſibriami Patriarchæ Orientalium Chriſtianorum, litteras accepit & Nuncios audiuit. In ea litterarum formula, Chaldęo idiomate concepta, Romanam Eccleſiam Matrem & Magiſtram omnium Eccleſiarum, ſummum vero eius Pontificem, Chriſti Vicarium, Petri ſucceſſorem, omnium Orthodoxorum Patrem, Paſtorem, Doctorem, & Iudicem profitebatur, eamq; fidem Catholicam & Apoſtolicam ſe credere aſſerebat, quam tenet, credit, & docet Romana Eccleſia. Tattarorum quoq; qui Syriam & Palæſtinam, iuuandorum Chriſtianorum cauſa ingreſſi fuerant, Oratores Benedictus audiuit. Horum proceres, cum per diſcordiam Chriſtianorum militum, impares eſſent Sarracenis expellendis, & Dominico ſepulchro eripiendo, poſtulabãt, vt Benedictus, ad pacandam Chriſtianam rempubl. quam inteſtinis odiis maxime agitatam cognouerant, animum apponeret, conciliatiſque diſſidentium affectibus, eas quas poſſet Sacris militibus ſuppetias ferret; quo fieret, vt Sancto Domini monumento, iterum noſtri potiri poſſent.

XVII. SATAGIT RESTITVERE PACEM HETRVRIÆ. *Ioan. Villan lib. 8. & Leonar. Aret. hiſt. Florent.*

Gratia fuit ea Legatio Tattarorum Benedicto. Is enim pro eo quo ardebat deſiderio, amplificandæ rei Chriſtianæ, inprimis ad diſcordes animi reconciliandos, ſanctioreq; fœdere iungendos conatum adhibuit. Ardebat bello inteſtino flos totius Hetruriæ Florentia, ex qua viros, arma, commeatum, pecunias, bello ſacro gerendo ſe poſſe colligere maiores quam alicubi locorum putabat Benedictus. Eam itaq; ciuitatem vt in cõcordiam reuocaret, F. Nicolaum Pratenſem, ex Ordin. Prædicatorio Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem Legatum à Latere deſtinauit, qui tum plebem nobilitati conciliaret, tum exules Albæ & Nigræ factionis in gratiam atq; in ciuitatem reduceret. Metuebant vehemẽtius, tum plebii, nobilitatis potentiam; tum ciues intranei, extorrum, ſi redirent, ferociam. Quamobrem Legatus, vt erat vir ſagax, vt plebem ab Optimatum iniuriis vindicaret, Vrbem in viginti partes æquales diſtribuit; cuique vero parti vexilliferum ex plebe præfecit; qui in caſu recens emergente, vexillum è domo ſua explicaret, ad quod armati ſuæ partis confluerent, vim nobilitatis, ſi immineret, repreſſuri. Porro edicto promulgato conſtituit, ne quis Nobilium domo pedem efferret, eo tempore, quo vexillum populare panderetur. Cauit vero, ne alia occaſione, quam iniuriæ ab aliquo nobilium impendentis depellendæ cauſa, proferretur.

Ad eum modum plebe à potentia Optimatum vindicata, ad exules reuocandos animum adiecit. Sed per maligna aliquorum ſtudia, nihil ex re fecit. Cum enim hi qui rerum domi potiebantur, ſibi ab extorribus, ſi reducerentur, metuerent, nihil non egerunt, vt Legati conſilia fruſtrarentur. Nomine itaque Legati literas diſperſerunt, quaſi is omnes promiſcue, atque ſine delectu in Ciuitatem reuocaret; atque ii iam fere in portis vrbanis, cædem & incendia minitantes imminerent. Diſperſa in vulgus ea fabula, Legatum quiſque quaſi non ex fide ageret, accuſare, ciuitas vero ad arma ruere cœpit. Ibi Nicolaus omni ſpe pacis depoſita, auctores fabulæ & tumultus anathemate percuſſit, exque vrbe excedens, Ciuitati Sacris interdixit. Pratum deinde ciuitatem Hetruriæ ingreſſus, cum eadem quæ Florentiæ tentaſſet, & à tumultuantibus ciuibus, magno cum probro eiectus eſſet, ex eadem diſciplina Eccleſiaſtica, Pratenſibus anathema dixit, & omnium Sacrorum vſum tulit.

XVIII. DANTHIS ALDIGERII ELOGIVM.

Inter exules numerabantur, præcipue, Petrarcha Franciſci pater, & Dantes Aldigerius Poeta: cui Paulus Iouius iſtud elogium ſcripſit.

*Primus Italorum Danthes Aldigerius, non inſtituto vetuſtatis ordinẽ tantum, ſed præcellenti grauis ingenii fœcunditate, primum locum inter imagines meritus, optimo iure conſpicitur. Hunc Florentia, factioſa eo ſeculo ciuitas protulit, ab altaque mentis indole cognitum, Octouirali ſupremæ poteſtatis Magiſtratu inſignem fecit; vt mox fatali conuerſa turbine, & ſummum ciuem, & Etruſcæ linguæ conditorem tamquam ſæua & ingrata patria proſcriberet. Sed exilium, vel toto Etruriæ principatu ei maius, & glorioſius fuit; quum illam ſub amaræ cogitatione excitatam, occulti, diuinique ingenii vim exacuerit & inflammarit. Enata ſiquidem eſt in exilio comœdia triplex, Platonicæ eruditionis lumine perilluſtris; vt abdicata patria, totius Italiæ ciuitate donaretur. Plenus ideo gloria perenni, quum ea quæ piis mortalibus expetitur, cœleſtis auræ felicitatem, tanto ore, tantoque ſpiritu decantatam contemplaretur. Nulla adhuc oborta canitie, Rauennæ, morbo interiit, adeo mentis compos, vt ſex verſus ſepulchro incidendos componeret. Nec Rauennates in apparatu funeris publico totius Italiæ ciui defuerunt. Quum enim ſepulchrum è marmore condidiſſent, non obſcure exprobrata Etruſcis acerbitate, nouam ſibi claritatem glorioſa pietate vendicarunt.*

Tumulum vetuſtate collabentem, Bernardus Bembus, Petri Bembi Cardinalis pater, opere cælato & concamerato, additoque hoc epigrammate luculenter exornauit:

*Exigua tumuli Dantes hic ſorte iacebas,*
*Squallenti nulli cognite pene ſitu.*
*At nunc marmoreo ſubnixus conderis arcu*
*Omnibus & cultu ſplendidiore nites.*
*Nimirum Bembus Muſis incenſus Etruſcis*
*Hoc tibi, quem inprimis hæ coluere, dedit.*

Porro ipſius Danthis carmina hæc ſunt, quæ moriẽs ſibi ſcripſit.

*Iura Monarchiæ, Superos, Phlegetonta, Cacuſque*
*Luſtrando cecini, voluerunt Fata quouſque.*
*Sed quia pars ceſſit melioribus hoſpita caſtris*
*Actoremque ſuum petiit felicior aſtris*
*Hic claudor Danthes patris extorris ab oris*
*Quem genuit parui Florentia mater amoris.*

## IESV CHRISTI
### Annus 1304.

### BENEDICTI PAP. XI. ANNO 1. ALBERTI Regis Romanorum Anno 2.

I. BENEDICTVS PP LABORAT PRO EXPEDITIONE IN TERRAM SANCTAM MITTENDA. *epiſt. dat. Perus. 9. Cal. Iul. Later. 15. C. Mart. & 3. idus Febr.*

CVram recuperandæ terræ Sanctæ, hoc anno, Benedictus Pontifex non tantum non intermiſit; verum etiam maioribus ſtudiis in id incubuit, ſi qua ratione diſſidentes Principes Europæos conciliaret, & ab eis ingentia auxilia in Syriam tranſmitteret. In eam rem Exactores ſacræ pecuniæ, ad omnia Regna deſtinauit, qui decimas à Bonifacio Octauo vbique terrarum impoſitas, colligerẽt; atque menſariis Romanæ Eccleſiæ, in ſumptus belli Orientalis numerarent. In Germaniam, ad Prouincias Moguntinam, Treuerenſem, Colonienſem, Bremenſem, Magdeburgenſem, Saltzburgenſem, Eiſtetenſem, & Bambergenſem, Gabriel Paræcus Valentanus iuit: in Scotiam, Angliam, Hiberniam, Vualiam & Sueciam, Gerardus à Pecoraria Canonicus Rhemenſis diſceſſit: in Regnis Poloniæ, Boemiæ, Hungariæ & prouinciis adiunctis, Bonauitus Caſentinus Aquilegiẽſis Canonicus; alii alibi locorum & regnorum deſignati, atque regibus ac Principibus per literas Apoſtolicas commendati; ne impedimento forent adeo Sanctæ expeditioni; quam nonniſi communibus collectis, poſſe iuuari perſpectum habebat. Nonnihil pecuniarum ad rationes Eccleſiæ pertinebat, ex ea decumatione, quam pro negotio Siciliæ eliberandæ, Bonifacius, in regno Neapolitano indixerat. Cuius partem non exiguam cum ad ſe trahere videretur, Ioannes Archiepiſcopus Capuanus, à Sede Apoſtolica deſignatus Exactor: huic dum Benedictus Pontifex

epiſt. dat. Lat. 18. Cal. Febr.

apud Subſellia ſua, ad calculos ſubducẽdos, & ad ſatiſfaciẽdum Eccleſiæ, intra duos menſes dixit. intra quorum lapſum, ſi non ſatis dediſſet, depeculati ſacriærarii reus decerneretur, & ex præſcripto legum damnaretur.

II.

IN CHRISTIANOS CVM SARACENIS CONFOEDERATOS ANATHEMA STRINGIT.

Quod autem non ignoraret Benedictus, aliquos perditos Chriſtianorum, in cædes & damna Cruceſignatorum, cum Saracenis fere conſpiraſſe; eiſq; arma & reliqua bello gerendo neceſſaria miniſtraſſe; in eos grauiſſimum anathema ſtrinxit, atque inimicos Crucis Chriſti eos fore renunciauit, publicato contra eos proceſſu, ad Septimum Idus Iunii, Peruſii. Paulo ante, ſcilicet Octano Idus Ianuarii Iacobũ Cardarelum Narnienſem, electum Cephalonidienſem, Nuncium ad Fridericum Regem Trinacriæ deſtinauerat, qui illum inprimis ad Sacram militiam hortaretur: tum vero ſecundo loco perſuaderet, ne Corrado Auriæ, Romanæ Eccleſiæ claſſis contra Saracenos Præfecto, quem Ammiralium nuncupare ſolent, conditiones ſacramento in pactis approbatas violaret, quin potius ea omnia quæ pollicitus fuerat, rata grata haberet, vt is tanto alacrius contra hoſtes fidei Chriſtianæ vires & opes expediret. Videbatur etiam Fridericus, Carolo Regi Siciliæ, non ſatis æquus eſſe; cum titulo Regis Trinacriæ minime contentus, etiam Regni Siciliæ exambiebat, ac perinde vſurpabat. Eum itaque huius quoque rei Benedictus admonuit: ne contra iuſiurandum datum, inconceſſa nomina præſumeret; neue inuito Romano Pontifice, Sedis Apoſtolicæ in Regnum Siciliæ iura, ſibi arrogaret. Cumq; is dicto obtemperaſſet, ab eo iuramentum homagii titulo nuncupatum recepit, Regemq; Trinacriæ ex cenſu eſſe iuſſit. Hoc ipſo anno, Benedictus Põtif. Bartolomeum ex Nouarrienſi Tridentinum Epiſcopum, ad Albertum Regem Romanorum ire præceperat. Plurima Tridentinæ Eccleſiæ bona occupauerãt, Otto, Ludouicus, & Henricus Duces Carinthiæ. Ad ea reſtituenda, vt illos Regia auctoritate iuxta ac poteſtate compelleret Albertus, eum Benedictus flagitauit: diraſque in contumaces oſtentauit. Sed & ipſum pariter Albertum Regem Pontifex redarguit. Is enim quoque Moguntino Archiepiſcopo iniurius, ingẽtes poſſeſſiones ad Eccleſiam illius ſpectantes eripuerat, neque Bonifacio anteceſſore monente, vt iniuriarum damnorũque nomine Archiepiſcopo ſatisfaceret, quicquam pẽſi habuerat. Illum itaq; officii admonuit, iſtudque in literis addidit; non difficile ſibi fore, ex diſciplina Eccleſiaſtica, in refractarium aduertere.

ep. 131.

ep. dat. 4. Id. Ian. Lat.

epiſt. dat. Lat. 5. Id. Mart.

III.

EIVS ANIMI MAGNITVDO ET IN REFRACTARIIS AC PARRICIDIS EXCOMMVNICANDIS CONSTANTIA.

ep. & proceſ. Peruſii 7. Id. Iun.

Sane quod magnitudinem animi attinet, eam vel maximam ſibi infuiſſe præſe ferebat Benedictus, quanquam & humili loco natus, & inter clauſtrales parietes educatus. Eam vel in cauſa Bonifaciana ſatis ſuperque oſtendit, cum neque factioſorum turbinibus deterreri potuerit, neque potentiam Philippi Regis Galliarum exhorruerit, quominus ex lege ageret, in atroces parricidas illos qui Bonifacium Pontificẽ inuaſerant, contumeliis ſub cuſtodia habuerant, & cum theſauros Eccleſiæ apud illum diripuerant, tum perneceſſarios illius violauerant. Inito enim Pontificatu, omnes eius tragœdiæ actores Guilelmum de Negareto, Reginaldum de Suppino, Thomã de Morollo, Robertum filiũ Reginaldi, Petrum de Genuazano, Stephanum eius filium, Adenulphum & Nicolaum natos quondam Matthiæ, Gyffridum Buſſam, Orlandum & Petrum de Luparia ciues Anagninos milites. Sciarram de Columna, Ioannem filium Landulphi, Gothfredum natum Ioannis de Ceccano, Maximum de Trebiis, & alios qui cum his in Bonifacio capiendo conſenſerant, citatos antea ad iudiciũ, nec apparentes affixis ad oſtia baſilicæ Lateranenſis literis grauiſſimo anathemate damnauit. Ioannem poſtea tantũ & Iacobũ ac reliquos Columnios & præcipue Cardinales, ad pœnitentiam reduces in gratiã recepit: ſed nõ niſi ex formula, quã ſubiungo. Ita habet.

Extra de ſchiſmat. lit. 4.

*Dudum bonæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter, contra Iacobum, Petrum, & Ioannem de Sancto Vito, Ottonem quondam, Agapitum, Stephanum & Iacobum Sciarram nepotes memorati Iacobi, & filios olim Ioannis de Columna, & poſteritatem eorum; nec non contra Richardum, Petrum & Ioannem de monte nigro, ac adiutores fautores, & receptores eorũ cuiuſcunq; ſtatus etiamſi Imperiali vel Regali dignitate fulgerent, contra ipſam inſuper Præneſte, dum vixit, varios fecit proceſſus, ſententias, graues pœnas habentes & mulctas, prout in eiſdem proceſſibus continetur. ex quibus ſic paucas ex multis & prolixis breuis exprimimus, quod intelligi volumus ſpecialiter ſingulas numeratas, & nominatim expreſſas. Inter cætera ſiquidem depoſuit dictos Iacobum atq; Petrum à Cardinalatibus S. Romanæ Eccleſiæ, reddens eos & filios dicti Iacobi, & poſteritatem eorum inhabiles ad Apoſtolicæ dignitatis apicem, & Cardinalatus honorem: ipſos, eoſdemque Iacobum, Ottonem, & Richardum beneficiis Eccleſiaſticis, & Eccleſiis cunctis priuauit, eoſq; & Agapitum, Stephanum, & Sciarram prædictos banniuit ab vrbe, & ita Eccleſiæ ſupradictæ ipſorum confiſcauit bona, & iura. plurium excommunicationum ſententiis innodauit, addixit infamiæ, capiendos expoſuit, iudicauit ſchiſmaticos, & tanquam hæreticos puniendos, ab adminiſtrationibus & officiis, iuriſdictionibus, exercitio, & dignitatibus in vrbe & circa, in Rom. Eccleſia & Curia, ac ipſorum poſteros perpetuo, & in terris Rom. Eccleſiæ, vſque in quartã generationem per maſculinum, & fœmininum ſexum coercuit, eis incolatum, ciuilitatem, & habitationem vrbis, circumpoſitæ regionis & terrarum ſubiectarum Eccleſiæ interdixit, & inteſtabiles fecit. Nos itaq; qui eius vices in terris gerimus, cuius eſt proprium miſereri & parcere: eorum miſeriis & ærumnis compatimur, ad clementiam pro eis cõmouemur, ipſis pietatis noſtræ aperimus viſcera, & manſuetudinem non negamus, miſericordes ab eis nõ auertimus oculos, illiſq; pium animum exhibemus. Ideoq; omnes prædictas depoſitionis à Cardinalatibus, priuationis à beneficiis & Eccleſiis, inhabilitatis ad Papatum Rom. & bonorum, & iuriũ, quæ certis nobilibus Romanis ciuibus, & aliis conceſſa ſunt (confiſcationibus exceptis, in quibus nihil immutamus ad præſens) ſententias, pœnas & mulctas & alias quæ in proceſſibus memoratis, ſiue alibi continentur, verbo etiam in vita ipſius, vel in morte in eos latas & inflictas, ſeu confirmatas & innouatas, per prædeceſſorem eundem, ſicut ſi (vt prædicitur) eſſent per nos ſpecialiter numerata, & nominatim expreſſæ, tam ad prædictos Iacobum & filios dicti Ioannis de Columna maſculinam & fœmininam prolem eorundem Ioannis & filiorum, & per vtrumq; ſexum poſteritatem deſcendentem. ab eis Petro & Richardo & Ioanne de Monte Nigro præfatos, quam ad coadiutores fautores receptatores, ſuſceptores & ſequaces eorum quoslibet alios, penitus tollimus & viribus vacuamus. Ita quod, nec etiam pro præterito tempore poſſint ſuper eis aliquæ perſonæ impeti, quæ incurriſſent eas, aut contra ipſas aliquem effectum habere. eiſque, quod quæuis alia quam præfatarum depoſitionis à Cardinalatibus, priuationis beneficiorũ & Eccleſiarum, confiſcationis bonorum & iurium, quæ (vt præmittitur) dictis ciuibus, ſeu aliis ſunt conceſſa, & inhabilitatis ad Papatum ſententia ſiue pœna abſtulit, reddimus. Et irregularitatem, ſi quam quoquomodo contraxerint, remouemus, & notam abolemus ipſius. Inhibentes, ne iam dicta Præneſte cum monte ſuo reædificetur, vel muniatur, aut ciuitatis nomen, ſiue Epiſcopatum recuperet, abſque noſtra licentia ſpeciali. Non obſtantibus quibuſcunque Conſtitutionibus, proceſſibus, inhibitionibus, decretis, priuilegiis, indulgentiis, & litteris Apoſtolicis, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter nõ inſerta, earum effectus poſſit quomodolibet impediri; & de quibus quorumq; totis tenoribus, debeat de verbo ad verbum in noſtris litteris fieri mentio ſpecialis.*

FORMVLAM PRO RECIPIENDIS EXCOMMVNICATIS PRÆSCRIBIT.

IV.

BONIFACIANAM CONSTITVTIONEM TEMPERAT.

ext. de immunit. Eccl. tit. 13.

Hactenus Benedictus Pontifex in fauorem Columnenſium, quos pœnitentia ductos, in gratiam Sedis Apoſtolicæ, Philippo Rege Galliarum intercedente, recepit. Nam & hunc anathemate exſoluit; & Regno vniuerſo Sacra reſtituit; & Bonifacianam Conſtitutionẽ ad hunc qui ſequitur modum temperauit. Ita habet.

*Quod olim per felicis recordationis Bonifacium Papam Octauum prædeceſſorem noſtrum contra laicos exigentes, ſiue recipientes à Clericis & Eccleſiaſticis perſonis tallias, decimam, vel aliam quotam ſeu quantitatem aliquam de prouentibus bonorum ſuorum, aut Eccleſiarum; nec non aduerſus ſoluentes, aut promittentes, vel conſentientes ſe ſoluturos, pœnis adiectis ſtatutum eſt, quantum ad pœnas ipſas ex cauſa, de conſilio Fratrum noſtrorum reſtringimus ad exigentes tantummodo, & ad exigendum dantes auxilium, conſilium vel fauorem; non autem,*





*quo ad eaſdem pœnas in ſoluentibus aut recipientibus à ſponte dantibus deinceps vendicet ſibi locum. Cæterum attendant ſolicite Eccleſiarum prælati, & alii Clerici, Lateranenſe Concilium, quod in huiuſmodi ſubuentionibus ſolum caſum neceſſitatis, aut communis vtilitatis, vbi laicorum ad id non ſuppetant facultates, deliberatione prouida noſcitur excepiſſe: & deinde generale ſtatuiſſe Concilium propter quorundam imprudentiam, etiam in hoc caſu Romanum Pontificem (cuius intereſt communibus prouidere vtilitatibus) primitus conſulendũ. Attente igitur caueant, ne prædictorum Conciliorum tranſgreſſores exiſtant, aliquid in caſu prædicto, & multo magis, ſi caſus ipſe non ſubſit, quoquo modo vel titulo, inconſulto Romano Pontifice occaſione ſubuentionum dictarum concedendo laicis, vel etiam promittendo. Alioqui tanquam canonum & tam ſolemnium Conciliorum temerarii tranſgreſſores, quas proculdubio (Deo propitio) idem infliget Pontifex, grauiſſimas pœnas poterunt merito formidare. Nulli ergo omnino hominum &c.*

V.

PHILIPPO GALLIARVM REGI RECONCILIATVR.

Æmil. in Philipp. pulchro.

Iſta quidem omnia, Bonifacius, Pontificibus Gallis poſtulantibus moderatus eſt. Nam per id temporis, vna cum Legatis Regis, etiam ſuos ad Pontificem ire iuſſerãt, vt Philippo Regi, Sacro ordini, Academiæ Pariſienſi, & vniuerſo populo ſacris interdicto, gratiam Apoſtolicæ Sedis & cõmunionem ſacrorum impetrarent. Itaq; Benedictus Pontifex Regem Philippum per Oratores purgantem ſe, nihilque durius ſe ſtatuiſſe cogitaſſeue in Bonifacium, quam vt Concilium appellaret, nec ſe authore vim factam, contendentem, Eccleſiæ Sanctæ reconciliauit, Franciamque interdicto ſoluit; cum etiam Petrum & Iacobum Cardinales expertes ſe eius ſceleris edocentes, in gratiam recepiſſet, ex ſanctione tamẽ Bonifacii rubro pileo vti vetuiſſet: cæteros vero Anagninorum, cum die dicta non adeſſent, abſentes, Sacræ Maieſtatis parricidiiq; dãnatos, execratus eſſet. Authorem habeo grauem, qui aſſerit. Regem Philippum, etiam ad Bonifacium Pontificem, fere ſub id temporis, quo coniurationem impii illi inibant, Epiſcopum Altiſiodorenſem Epiſcopum Oratorem miſiſſe; inſuper, Epiſcopos & Patres Francos communem Legationem tribus ſui Ordinis Patribus permiſſu Regio ire iuſſis, ad eundem Bonifacium, eo ipſo quoq; tempore deſtinaſſe, qui Pontifici ſatisfacerent, purgarentq; reliquos Patres, quod Flandrico bello retenti in Francia, in Vrbem ire iuſſi, dicto audientes eſſe non potuiſſent. Iſtud certũ eſt, Robertum Comitem Atrebatenſem, quod litteras Apoſtolicæ Sedis, per contumeliam, igni inieciſſet exuſſiſſetque, Deo vltore maieſtati Pontificiæ meritas dediſſe pœnas. Contra Belgas enim profectus, cum temere in hoſtem exiliuiſſet, miſerandum in modum cæſus eſt, duodecim millibus Gallorum amiſſis. In eius corpus etiam exanime, ſæuitum eſt.

VI.

SVMMARIVM EIVS GESTORVM MIRACVLA ET OBITVS.

1. ep. dat. Peruſ. 6. Cal. Iun.

2. ep. dat. Lat. 17. Cal. April.

3. epiſt. dat. Peruſ. 7. Id. Maii.

4. ep. dat. Lat. 16. C. Dec.

Eodem anno, Benedictus Pontifex, 1. Epiſcopum Firmanum Legatum Venetias miſit, qui Ducem, Senatum & populum Venetiarum, cum Patauinis diſſidentem, conciliaret. 2. Gentili Vrſino & Lucæ Sabello, Senatoribus Romanis, vt bona mobilia & immobilia, intra & extra vrbem poſſent iuſto pretio emere, indulſit. 3. Roberto Duci Calabriæ primogenito Regis Siciliæ, vt Sanciam Iacobi Maioricarum Regis filiam, propinquitatis gradu non obſtante, in matrimonium coniungeret, conceſſit; 4. Idemque priuilegium Rudolpho Duci Saxoniæ, & Iuttæ Ottonis Longis Marchionis Brandeburgenſis genitæ dedit. 5. Alberto & Eliſabethę Regibus Romanorum multa priuilegia Eccleſiaſtica impartitus eſt. 6. Contra hæreticos Conſtitutiones Bonifacianas partim innouauit, partim declarauit. Inquiſitoresque fidei Carolo Regi Siciliæ commendatos fecit. 7. Florentinos, Lucanos, & Pratenſes, quod Legatum Sedis Apoſtolicæ Nicolaum Pratẽſem Cardinalem violaſſent, proceſſu Peruſii ad XI. Cal. Iulii publicato, anathemate damnauit. Regulam Ordini Seruorũ confirmauit, Nicolaumque Pratenſem Cardinalem eis Protectorem dedit. 8. Legatum in Angliam, Scotiam & Hiberniam, ad conciliandos Reges & principes ire iuſſit. Cumque maiora in commodum totius Chriſtianæ reip. cogitaret, octauo Pontificatus ſui menſe die 17. extinctus eſt, vir longe optimus atq; ſanctiſſimus. Cum enim Peruſii, non procul à lacu Traſimeno, vbi Annibal Romanos olim vicit, vir pius menſæ accumberet, iuuenis quidam mentitus fœminam ſe eſſe, & ancillam Abbatiſſæ virginum Diuæ Petronillæ, triclinium ingreſſus cum argenteo vaſe, ficus recentes & varia florum genera illi oblita veneno obtulit. In oblatis ficubus, nihil mali ſubeſſe ratus, cum illos auidius comediſſet, fato ſublatus eſt, in Eccleſia ſui Ord. Præd. ſepultus. Miracula per eum poſt mortem facta, declarant illum virum optimum & Sanctiſſimum fuiſſe: ac præcipue in expellendis è corporibus obſeſſorum dœmonibus. Ita enim vixit; (vt Platinæ verbis vtar) vt poſt mortem inter Beatos merito cenſeatur.

Masſon. in Bened. XI.

Leand. lib. 3.

Ipſa die qua ad cœlum migrauit, vir ſanctus, tantus fuit populi concurſus ad eum videndum, vt agminatim Ciues & inurbana plebs totas vias complerent, vt vix è palatio in Templum Prædicatorum deferri potuerit, poſteroq; die ſepelitur. Porro aduitebantur omnes Sancti viri pedes exoſculari, rati ſe oſculo veniam eius meritis à Domino facilius criminum ſuorum poſſe obtinere. Et cum ſcriptum didicerimus; *qui ſe humiliat, exaltabitur*, iſtud huic Sanctiſſimo viro contigit. quippe Deus illum miraculis illuſtrauit, quæ hinc inde paſſim prodire videbantur.

Extemplo mulier quędam per annos quindecim capitis dolorem paſſa, votis Sancto viro factis, ſoſpes receſſit. Cuiuſdam filius paruulus, qui æger cibo potuque tribus dieb. abſtinuerat, & à medicorum cura deſperatus fuerat, voto ad Beatum Pontificem & precib. emiſſis, ſanitatem recepit, vt continuo pedibus ipſe ſuis domum reuerteretur, qui paulo ante ad tumulum viri Dei veluti mortuus erat delatus. Mulier quædam altero brachio capta, inuocato Benedicti nomine, mox ſanum recepit. Alia cum quodam puero, viſu priua, eundem meritis Sancti Pontificis recuperauit. Mancipium Vicecancellarii alterum brachium debilitate oppreſſum habens, cum audiret miracula quæ meritis viri Dei in Templo Prędicatorum fiebant, fiducia plenum, extemplo brachii libertatem precibus obtinuit. A fluxu ſanguinis, mulierem, quæ per annum paſſa fuerat, liberauit.

Puero ad ambulandum impotenti, pedibus & tibiis capto, in frequenti populo greſſum largitus eſt. Mulier à Diabolo obſeſſa ad tumulum viri Sancti perducta eſt paulo poſt eius deceſſum, vt eius precibus liberaretur à ſpiritu quo ſic agitabatur, vt interdum ingentes ac horridas voces emittere compelleretur, quoque fiebat, vt aſpicientes in ſui admirationem commoueret: præſertim cum miſere torqueretur, & interdum ore miſellæ Spiritus tam eleganter latino idiomate loqueretur, vt omnes admirarentur. Igitur hęc mulier ad tumulum viri Dei Benedicti adducta, cum in frequenti clericorũ & laicorum cœtu, cæteris orantibus, vnus ex Patribus Ordinum Prædicatorum, exorciſmos ſuper obſeſſa diceret; atque his verbis Satanam compellaret: Adiuro te ex parte Dei & ſerui ſui Benedicti, vt hinc exeas, mulieremque iſtam Dei facturam relinquas: Latino ſermone diſerte reſpondit; *Mene putas poſſe à Benedicto expelli, quem non potuit eiicere Franciſcus?* Porro antea mulier Aſſiſium ad Diui Franciſci ſepulchrum adducta fuerat. At venerandus Pater; *Scio*, inquit, *à DEO Opt. Max. tanta poteſtate Sanctum Franciſcum donatum, vt te hinc profligare poſſit: Sed tamen non ignoro, quod poteſt hanc Deus Sancto viro Benedicto reſeruare promittere facultatem, quam Dicto Franciſco non dedit.* Ibi malignus Spiritus dixit: *Te rogo atque obteſtor, ne me amplius vexes aut inferas bellum: eo quod in hac muliere ſexdecim annis permanſi.* Verum ille Pater eius dicto non audiens, iterum nomine Benedicti eum vrgere acriter perſtitit; & tandem cum diceret: *Et Verbum caro factum eſt.* (forte Euangelium illud legerat) mox diabolus euanuit, veluti mortuam mulierem dimittens. Sic enim eius corporis vires attriuerat,

vt diu non ſolum loqui, ſed vix hiſcere potuerit. Tandem viribus reſumptis, gratias Deo & Sancto Benedicto egit, neque amplius latino ſermone, quem numquam antea didicerat, locuta eſt. Ioanna etiam Petri de Francia, precibus Sancti viri, à fluxu ſanguinis quem menſibus ſex paſſa fuerat, oratione ad eius tumulum porrecta, protinus obtinuit ſoſpitatem. Et Viuiano Bon Ioannis de ponte montis Caſtelli, tacto viri Dei tumulo, præmiſſo voto, lumen oculorum reſtitutum fuit, quo pro maiori parte ante caruerat. Naldus ex oppido Montepolitiano morbum Comitialem paſſus annis ſeptem, tandem ante eius ſepulchrum ſanitate donatus eſt. Gerundiſia capta manibus & lacertis, cum matre ſua ad Benedicti tumulum accedens, eius meritis receſſit incolumis. Brunoſa à paralyſi curata. Garnerius telo vulneratus, voto ad eum emiſſo, Sanus effectus eſt. Martinus altero captus teſticulo, ad eius tumulum à patre adductus, ſanus receſſit. Bonazagus huiuſmodi ægritudine laborans, promeruit ad eius ſepulchrum ſoſpitatem. Ioannellum inteſtinorum doloribus conflictatum, & ad eius tumulum ſanitatem efflagitantem, voti compotem Sanctus vir reddidit. Bruna de Caſentino annis 14. à diabolo vexata meritis viri Dei ab eius tumulo libera receſſit.

Cæteri qui à diabolo obſeſſi, Angelucia Roſa per XXV. annos Guillelma Cæſenas annis VII. Vaniola diebus XII. quidam iuuenis de Cortonio III. annis, ii omnes à diabolo inſeſſi, meritis & precibus viri Dei Benedicti plene liberati ſunt.

VII. DECRETO CONFIRMAT PRIVILEGIA ORDINVM MENDICANTIVM. *ext. de priuileg. tit.7.*

Obiit Beatus Benedictus, Sexto Calend. Auguſti, cum prius priuilegio tenoris ſubſequentis Ordines Mendicantium exornaſſet; & à multis Epiſcoporum grauaminibus exemiſſet. dignum quod pro gloria Sacrarum Religionum legatur. Ita habet; inter decreta Pontificia inſertum.

*Inter cunctas ſolicitudines noſtras, quibus nos Paſtorale premit officium, & debitum Apoſtolicæ ſeruitutis aſtringit, illa debet eſſe præcipua, vt gregi Dominico nobis ſuperna diſpoſitione commiſſo animarum cura non deſit, ne illum lupus rapax antiquus ſerpens humani generis inimicus inuadat, eiuſque ſanguis de noſtris (quod abſit) clamante propheta manibus requiratur. Debemus inſuper quantum ex alto permittitur, pacem inſerere, remouere ſcandala, iurgiorum amputare materiam, & intelligere ſuper egenum & pauperem: quia non in finem obliuio erit pauperis, & patientia pauperum non peribit in finem. Sane dudum bonæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter quandam ſpecialem inter Prælatos, Rectores, ſeu Sacerdotes & Clericos Paræcialium Eccleſiarum ex parte vna, & Prædicatorum ac Minorum Ordinum Fratres ex altera, ſuper faciendarum prædicationum, audiendarum Confeſſionum per eoſdem fratres, ac de eis relictis, & de funeralibus Canonicæ portionis articulis Conſtitutionem edidit, certum his modum imponens, prout in eadem Conſtitutione plenius continetur. Sed pro ea, quam intendebat quiete, turbatio nata eſt: pro concordia, ſunt ſuborta diſſidia: & pullulatæ inquietudines pro tranquillitate noſcuntur: ſicque dum anſam ſoluiſſe ſe credidit, nodum ligaſſe videtur: & ſeptem, vno hydræ amputato capite, ſuſcitaſſe. Nec mirum: quia plerunque pariunt nouitates diſcordiam; præſertim dum ab eo, quod diu æquum viſum eſt, per nouam Conſtitutionem receditur: nec quare recedatur, vtilitas euidens, vel alta cauſa ſubeſt. Ideoque cupientes, vt ipſi gregi cura noſtra eo plenior impendatur, quo amplior in agro Domini operariorum numerus operetur, ſuper egenum intendentes & pauperem, ac nouitatem remouentes per eandem Conſtitutionem inductam; ſtatuimus de Fratrum noſtrorum conſilio, vt priorũ Ordinum fratres, qui ad hoc deputati fuerint, in Eccleſiis ac locis ipſorum, quæ in præſentiarum habent, & in poſterum obtinebunt, ac in plateis communibus ſeu publicis, libere, abſque diœceſanorum, & aliorum Prælatorum petita licentia valeant Clero & populo prædicare, eisque proponere verbum Dei. Caueant tamen omnino, ne hora in qua diœceſani prædicti prædicarent, vel coram ſe facerẽt prædicari, prædicent iidem Fratres. Putamus enim dignum, vt maiori minor, & ſuperiori inferior deferat, in hac parte, niſi forſan aliud circa hoc facerent de voluntate diœceſanorum ipſorum; aut in ſtudiis Generalibus prædicarent diebus illis duntaxat, quibus ad clerum ſermones fieri ſolent, & ſolemniter prædicari, ſeu mortuorum funeribus, vel eorundẽ Fratrum feſtis ſpecialibus ſeu peculiaribus; quia in his caſibus cum diœceſanis in prædicatione concurrere poterunt. Vbi vero iidem diœceſani vocarent generaliter ad ſe Clerum aliqua ratione, vel vrgente cauſa illum ducerent congregãdum, ea hora in ſtudiis, memoratis diebus, ſæpe dicti fratres ab huiuſmodi prædicatione ceſſabunt. In Eccleſiis autem Paræcialibus, fratres ipſi, inuitis eorum Rectoribus ſeu Sacerdotibus (niſi iuſſi à ſuperioribus eorundem) non audeant prædicare.*

*Sed quia multoties propoſitum Verbum Dei audientem à peccato non retrahit, idcirco poſt prædicationem neceſſarium eſt pœnitentiæ Sacramentum: circa quod (niſi articulus neceſſitatis occurrat) Sacerdoti facienda oris confeſſio (prout ſcriptum eſt;* Corde ad iuſtitiam creditur, ore autẽ fit cõfeſſio ad ſalutẽ) *exigitur: alias fruſtra eſſet in Sacramento eodem Sacerdotis, qui inter lepram & leprã debet diſcernere, miniſterium inſtitutum. Electi igitur ab eiſdẽ Fratrib. ad audiendas confeſſiones & pœnitentias iniungendas, libere authoritate Apoſtolica, abſque licentia diœceſanorũ & aliorũ Prælatorũ inferiorum, exemptorũ & non exemptorũ, quibus ſubſunt, qui ad confitendũ accedunt, audiant, eis peccata ſua cõfiteri volentes. Non religioſos, qui ſecundum ſtatuta ſuorum Ordinum propriis Prælatis cõfiteri debent, aut ab eis, ne confiteantur aliis, prohibentur, abſoluant: ipſiſque pœnitentias ſalutares iniungant, intra ſibi deſignatos terminos ad huiuſmodi exercendũ officium cõſtitutos. Excommunicationis vero, vel alias ſententias, per prælatos latas contra hoc, vel in eius fraudẽ, denunciamus irritas & inanes: nec confeſſi fratribus iſtis peccata illa, de quibus confeſſi ſunt eis, & abſoluti pœnitentes, de illis Sacerdotib. propriis teneantur (ſicut & non tenentur) iterum confiteri. Non obſtante Conſtitutione Generalis Concilii, quæ ſano intellectu (ne ſequatur abſurdũ, quod per pœnitentiam dimiſſa peccata, quis cõfiteri debeat: & quod liberatus debitor, adhuc ad ſoluendũ remaneat obligatus) intelligenda eſt (vt ex ea patet) de illis, qui peccata ſua confiteri aliis neglexerunt. Sed Sacerdotes ipſis taliter confeſſis & abſolutis adſtricti ſint miniſtrare Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis & Sacramentum. Super confeſſione autẽ facta Fratrib. memoratis, cum de confitentis ſolius præiudicio (ſi falſum dicat) agatur in iudicio animæ ſeu pœnitẽtiæ foro, ſtabitur ſimplici verbo illius, qui Sacramenta petit prædicta, & dicit Fratribus ſe confeſſum. Duos tamen caſus excipimus; ſcil. ſi Sacerdos aſſerat eum excommunicatum, aut notorie peccatorẽ. Sed videat, ne id dicat mendaciter, aut in dolum, vel in fraudem: quia ſi hoc egerit, à delicto tali, niſi plene ſatisfecerit (præterquam in morte) abſolui nequeat, nec de illo ad pœnitentiam aliter admittatur.*

*Vt autem diœceſanis honor debitus reſeruetur, præcipimus, vt Prouinciales Priores Prædicatorũ, & Miniſtri Minor. Ord. præfatorum per ſe, vel alios, verbo vel ſcripto eis ſignificent ſe Fratres ad huiuſmodi confeſſionum audiendarum, & pœnitentiarum iniũgendarum officium elegiſſe; & non nominando, aut coram ipſis ſiſtendo eos, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter à diœceſanis eiſdem, quod iidem electi Fratres de ipſorum beneplacito, & licentia dictum poſſint in eorum Ciuitatibus, & diœceſib. intra eis determinatos fines officium exercere. Quod ſi denegẽt, vel intra triduũ non concedãt, extunc iidem Fratres nihilominus authoritate eadẽ huiuſmodi officium exequantur. Datã vero licentiam, per diœceſanorum mortẽ nolumus terminari. Per hoc autẽ non intendimus, quod ſæpedicti Fratres, qui ad hoc eligentur officiũ exercendum, plus habeant in audiendis Confeſſionib. & pœnitentiis iniungendis; quam paræciales ſacerdotes noſcuntur habere. Sicque de Caſib. Epiſcopis & ſuperioribus, quos inferius annotamus, ac Sedi Apoſt. reſeruatis, ſe nullatenus intromittãt. Obſeruẽt ergo ſolicite dicti Fratres, ne ad cõfeſſiones recipiãt criminoſos criminib. pro quibus ſolennis eſt pœnitentia indicenda. Modo eodem, excõmunicatos reſpuant, & Clericos, qui propter delictũ irregularitatẽ aliquam incurrerunt. Inconueniens .n. exiſtimamus, vt à peccato abſoluat, qui pœnitentiam et debitã imponere, aut irregularitatis pœnã peccati ſequelã; vel excõmunicationem, quæ infligitur maxime à iure quandoque pro crimine, quæve quẽ ab Eccleſia, & per conſequens à participatione Eccleſiaſticorũ Sacramentorũ excludit, remouere non poteſt. Incendiarios, eoſque, qui tam enormib. ſunt irretiti peccatis, quod ea rationabilis cõſuetudo præſcripta canonice in Epiſcopatib. aliquib. reſeruauit Epiſcopis, ſimiliter nõ admittant. quã conſuetudinem (ex cauſa, quæ iuſte ad id animũ noſtrum mouit) ſolummodo circa voluntarios homicidas, fal-*

ſarios,



*ſarios, Eccleſiarum immunitatis & libertatis Eccleſiaſticæ violatores, & ſacrilegos approbamus. Quod ſi forſan, antequam ab eo qui poteſtatem habet, abſolui poſſint, mors talium confiteri volentium veriſimiliter timeatur; etiam in prædictis caſibus ſæpe facti Fratres eos confiteri volentes audiant, ipſiſque beneficium abſolutionis impendant: ſed ſubeant iuramentum, quod liberati, ſe ſuis Epiſcopis, & excommunicatoribus præſentabunt: excommunicantium ſuper his, pro quibus ab eis excommunicati erant, & Epiſcoporum pro peccato huiuſmodi pariturí mandatis.*

*Verum quia poſt baptiſmum, inter cætera magis ad ſalutem neceſſaria eſt propoſitio verbi Dei, quo audientes illud, quod eſt victoria noſtra, inſtruuntur in fide, docentur fugienda fugere, & ſectanda ſectari; à quo per peccatum lapſi reſurgunt pœnitentiæ Sacramentum perficiunt; grandis nobis ſolicitudo incumbit, vt tales adhæc promoueantur Fratres, qui oleo dulcedinis verbi eiuſdem noſtros foueant ſubditos, à peccatis prohibeant, increpationis vino peccatorum ſuorum mordeant vulnera, eoſque ad illa pœnitẽtiæ acrimonia purgandum & tergendum prouocent & inducant. Ad id vero exequendum ſententia diuinæ legis expoſcitur, deſideratur ordo, & vitæ integritas etiam poſtulatur. Scriptum eſt enim: Tu ſcientiam repuliſti; & ego te repellam, ne ſacerdotio fungaris mihi, quia labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirunt ex ore eius. alias, prout ad eum pertinet, inter peccatum & peccatum non poſſet diſcernere; nec peccator exiſtens, Dei deberet narrare iuſtitias & teſtamentum illius aſſumere per os ſuum. Nam cuius vita deſpicitur, conſequens eſt, vt eius prædicatio contemnatur. Quare decernimus, vt Priores & Miniſtri Generales & Prouinciales Prædicatorum & Minorum Ordinum præfatorum, vel eorum Vicarii de diſcretorum conſilio, ad tam ſalubre officium Fratres Diuina ſcientia doctos, diſcretione vigentes, vita probatos, & expertos moribus (alioquin diſtrictam reddent in futuro examine rationem) eligant, & aſſumant. Sic enim, quod prædicabunt, facient; quæ arguent, operari ceſſabunt: & in eis ædificabitur populus verbo pariter & exemplo.*

*Cæterum, licet (ſicut prædicitur) de neceſſitate non ſit iterum eadem confiteri peccata: tamen quia propter erubeſcentiam, quæ magna eſt pœnitentiæ pars, vt eorundem peccatorum iteretur confeſſio, reputamus ſalubre: diſtricte iniungimus, vt Fratres ipſi confitentes attente moneant, & in ſuis prædicationibus exhortentur, quod ſuis Sacerdotibus ſaltem ſemel confiteantur in anno: aſſerendo id ad animarum profectum proculdubio pertinere.*

*Porro, vt circa ſepulturam apud loca eorundem Fratrum eligentium ſepeliri, & portionem canonicam de relictis eiſdem Fratribus minime detrahendam, nequeat in poſterum dubitari: iubemus, vt corpora defunctorum, qui apud eorundem Fratrum loca elegerint dum viuerent ſepulturam, proceſſionaliter cum Cruce, thuribulo, & aqua benedicta, cantando ſeu legendo officium mortuorum, vel pſalmos, & alienas ingredientes paræcias poſſint aſſumere, & ad ſuas deferre Eccleſias tumulanda. De quibuſcunque vero relictis præfatis Fratribus in communi, vel ſingulis vltimis decedentium voluntatibus, ſiue apud eos ſepeliendi ſint, ſiue alibi, nulla per Paræciales Sacerdotes morientium, à qua Fratres ipſos liberos eſſe volumus, canonica portio, vel multo minus per Epiſcopos Epiſcopalis quarta omnino, cum eis tanquam exempti non ſubſint, nec etiam debita iure paræciæ, ſi forſan Cathedralis defunctorum eſſet paræcialis Eccleſia detrahatur. De funeralibus autem medietatem, ſi commode diuiſionem recipiant; alias eiuſdem medietatis æſtimationem ſoluant paræciali Eccleſiæ & Sacerdotibus antedictis. Funeralia vero intelliguntur hoc caſu, quæ cum funere deferuntur. De candelis vero, quas Fratres portant, portio non petatur. Moneant autem iidem Fratres, & pro poſſe inducant Confitentes ſibi, vt de propriis bonis ſuis, paræcialibus Eccleſiis eorumque Sacerdotibus competenter relinquant; & quæ eis debent, paræcialia iura reddant. Ad hoc non murmuret quæſumus, ſæcularis Clerus: non ferant moleſte Prælati, quod circa præmiſſa ſic duximus prouidendum. Attendant quanta ex iis, quæ in primis duobus articulis ſtatuta ſunt, ſalus animarum proueniat. Aduertant, quanta tollantur iurgia, & patenter conſiderent, quod eorum onera cum aliis, noſtro beneficio, ſalubriter, & quaſi neceſſario partiuntur.*

*Circa tertium vero articulum diligenter intelligant, quod Fratres ipſi hoc per priuilegia Romanorum Pontificum eis benigne conceſſa ante conſtitutionem eandem hactenus habuerunt. quodque ſunt pauperes nil habentes ſinguli, in communi, ruſticæ prædia, imo nec vrbana, vel mobilia: eorum alteri, vel etiam vniuerſi mendicant victum, quærunt veſtitum, & eatenus ſuſtinere poſſunt, quatenus vel viuorum pietas, aut morientium charitas eis neceſſaria ſubminiſtrat. Quis ergo non miſereatur eorum, qui omnia, voluntatem etiam habendi reliquerunt? Quis non compatiatur eiſdem operantibus tam vtiliter in agro prædicto? Certe nullus, niſi qui triturantis bouis os impie alligare velit, aut eos ſubtractis alimentis necare. Inopes patrimonii onera, ipſa non habendi neceſſitate non ſuſtinent, & à curialibus res Eccleſiis vel piis locis donatas, à quarta præſtatione, ſeu lucratiuorum inſcriptionibus lex facit immunes. Relicta pauperibus, non patiuntur Falcidiam. Et legata ad fabricam, vel ornamentis Eccleſiæ, aut ad diuinum cultum perpetuum ſolutionem non ſubiacẽt canonicæ portionis. Pauperes autem (vt dictum eſt) ſunt fratres & quod eis relinquitur, aut in ſua alimenta erogant, aut in fabricam, ſiue in cultum Diuinum, & Eccleſiæ ornamenta conuertunt. Propter quod nos, qui debemus intelligere ſuper egenum & pauperem, & non obliuiſci eorum; cum humanitatis ſit etiam ſæcularis Principis proſpicere egenis, & dare operam, vt pauperibus alimenta non deſint; non tam pie, quam quodammodo iuſte in eodem articulo egimus, egenos eoſdem (vt præmittitur) reddendo ab onere canonicæ portionis exemptos. Hæc autem (dicta Conſtitutione, quæ incipit: ſuper cathedram, quam penitus reuocamus, aliiſque quibuſcunque Conſtitutionibus ſpecialibus & generalibus ſtatutis, priuilegiis, indulgentiis, ſub quacunque forma verborum conceſſis; etiam ſi de ipſis de verbo ad verbum vel aliquorum nominibus in noſtris literis oporteret fieri mentionem, conuentionibus, pactis, iuramentis, ſententiis, conſuetudinibus contrariis, nequaquam obſtantibus) inuiolabiliter obſeruari ſancimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, noſtrorum ſtatuti denunciationis exemptionis, præceptorum, approbationis, iuſſionis, voluntatis reuocationis & ſanctionis infringere. Si quis autem, &c.* Hæc Benedictus Pontifex, in rem religioſorum, quorum inſtitutum aliquando profeſſus, cum Bonifacii VIII. literas in Narbonenſi cœnobio accepiſſet, quibus omnino mãdabatur, vt Cardinalatum admitteret, eas pene lachrymis deleuit, neque iis tamen non parere potuit. Vere magnus Sacerdos, qui temporis Pontificii ſui breuitatem, ingentibus factis impleuit: cum multa breui ſalubriter ordinaſſet, decreuiſſet, ſtabiliuiſſet, crudaque vulnera reipublicæ Chriſtianæ, mira celeritate perſanaſſet: & quod de eo viuente ac vita functo, in vulgo iactabatur, praua in directa, & aſpera in vias planas commutaſſe: longiore æuo dignus.

VIII. INGENS MIRACVLVM CIRCA RESTAVRATIONEM ÆDIS LAVRETANÆ. *Turſellinus hiſt. Lauret. lib.1. c.16.*

Eo viuente, Domus Sacra Lauretana, myſterio incarnationis Dominicæ illuſtris, per inſigne miraculum ornata eſt. Maximi concurſus populorũ, pene ex omnib. Europæis Regnis ad ædem Sacram fiebant. inter quos Recinetenſes ciues ardentiore pietate inflãmati, Sacroſanctum ſacellum impenſius colere tuerique inſtituerũt. Videbãt parietes, & tenues, & per antiquos tot iam ſecula ſtare ſine vllo penitus fundamẽto. Ingens erga eos cura inceſſit veritos, ne paulatim temporũ iniuria, procumbentib. parietibus, anguſtiſſima orbis terræ Sedes virginis peſſum iret, rueretque. Itaque optimum factu rati, ædem ſpecie ruinoſam (quoad humana arte atque induſtria valerent) vndique communire, iactis quantum res ferebat, fundamentis, lateritio eam opere circumdant. Fama eſt haud dubiis vulgata authoribus, nullo modo potuiſſe nouam ſubſtructionem cum ſacris parietibus cohærere. Diceres Sacram Domum diuina vi ſubnixam aſpernari humanam opem. Quin etiam procedente tẽpore, noui illi parietes veterib. pro fulcimento adiecti paulatim receſſerũt adeo, vt inter vtroſque parietes, quoties opus foret, puer cum accenſa face diſcurreret: quo diſiunctorum parietum fidem explorantibus efficeret. Nec vetus eſt eius rei memoria, Viuebant nõ multis ab hinc annis viri probi piique cõplures, qui diſcurrentẽ inter parietes puerũ ſæpius ſe vidiſſe narrarũt: Raphael Rieræ homini ſpectatæ virtutis, à quo hæc habuit ſcriptor religioſiſſimus hiſt. Lauretanæ, Huic & Rieræ Raynerius Nerucius Architectus egregius, ædificationi Lauretanæ præpoſitus pro familiaritate cõmemorauit, ſe Clemẽt. 7. P. M. iuſſu, demoliendis lateritiis illis parietib. præfuiſſe

cum

cum marmoream cruſtam, quæ hodie cum omnium admiratione viſitur, ſubſtituere moliretur: ac tum admirabundum reperiſſe parietes illos contra omnem Architecturæ rationem, à Sacro cubiculo dimotos, neque tam vetuſtate, quam arcano quodam conſilio ruinoſos: vt ſatis appareret, Dei parentem ad ſuſtentandam ſuam domum excludere hominum induſtriam voluiſſe, quo diuina vis inſignior foret, ſi tectum longe antiquiſſimum ſine fundamentis, vlloue humano auxilio per tot ſæcula conſiſteret. Fama etiam tenet, antiquiſſimam Chriſti Crucifixi imaginem ſimul cum domo aduecta, multiplici per eadem tempora miraculo inſignem extitiſſe. Nam cum eam efferri, & in Sacello ad id exornato, vt maiore honore coleretur, reponi Recinetenſibus & Epiſcopo placuiſſet; translatam ſubinde in Sacram remigraſſe Domum, & in ſuam Sedem ſe recepiſſe. Itaque illos, re nequicquam ſæpe tentata, irrito demum incepto deſtitiſſe. Exinde alio Recinetenſium curæ verſæ. Nondum excipiendæ aduentarum multitudini, ſatis ſiue tectorum, ſiue tuguriorum erat. Nec iam ſupererat in Sacra æde locus votiuis ſimulachris, doniſque. Itaque ne peregrini, quorum plerique tectis excluſi, quaſi in ſtatione pernoctabant, ſub dio eſſe cogerentur; neue votiua dona iniuriis temporum expoſita interirent, circa ſacellum ſatis amplas porticus exſtruxerunt, receptacula vel aduenarum, vel donorum. Ara quoq; Sacello extrinſecus adſtructa; vt aduenæ Sacelli anguſtiis excluſi, operantem inibi ſacris ſacerdotem proſpectare poſſent. His adiecta fuerunt tecta, vbi Sacerdotes, cuſtodes, Miniſtri ſacroſanctæ cellæ habitarent. In parietibus porro, quibus porticus applicatæ erant, præcipua ſacræ domus myſteria, ac multiplex eius migratio, coloribus expreſſa egregii illa tempeſtate pictoris manu. Adiecere poſtmodum pagum Lauretanum, cum innumerabiles populi, virginis colendæ ſtudio, eo properarent: miraculis pellecti fere omnibus diebus patratis.

IX.
VLTIO DIVINA IN BIRGERVM REGEM SVECIÆ ET TVRGILLVM CANVTI PRINCIPEM ECCLESIARVM VIOLATORES. *Olaus hiſt. Goth. l. 20.*

Per id temporis, Deus, manifeſto indicio oſtendit, quanta ſeueritate vlciſcatur iniuriam, Sacris rebus vel perſonis, à prophanis principibus illatam. Apud Suecos regnabat hoc anno Birgerus primus Rex, qui Turgilli Canuti Principis ſuggeſtione Eccleſiam regnorum Gothiæ & Suetiæ, exactionibus, tributis atq; oneribus grauare non verebatur: Archiepiſcopumque Vpſalenſem Nicolaum, & reliquos Epiſcopos pro libertate Eccleſiaſtica reſiſtentes, eodem authore cœpiſſet, maleq; habuiſſet, niſi ſe ad loca tutiora à conſpectu tyranni ſtatim recepiſſent. Id tandem vtilitatis aſſecutus eſt, ex rebus Deo pridem conſecratis, & poſtea in fiſcum Regũ Sacrilega audacia translatis, vt ad pericula inſuperabilia deiectus, ſe, & omnes ſuos, atque vtrumque regnum ad extremam ruinam præcipitarit, & tandem poſt vitã ſumma cum infamia exactam, infami morte perierit. Erant Birgero duo fratres, Valdemarus & Ericus. Hi peſſime à fratre Birgero habiti, vtpote nec iuſte, nec humaniter poſſeſſionibus exuti, & à Regno proſcripti, cum ad Haquinum Noruegiæ Regem profugiſſent, accepto in feudum Caſtro & oppido Cungella, proxime vicinos Birgeri ſubditos armis infeſtis adeo moleſtabãt, vt Birgerum in prælium exciuerint. Pace interim intercedentibus proceribus inter eos & Birgerum conciliata, cum palam eſſet, Turgillum Canutum eam diſcordiam inter fratres ſeminaſſe, iuſſu eorũ in villa Veſtrogothorum Lena interceptus, compedibus ferreis conſtrictus, & Stocholmiam in regiam ductus, atq; capite imminutus, etiam Eccleſiaſtica caruit ſepultura, donec ad petitionem Regis Nicolaus Archiepiſcopus Vpſalenſis, accepta nomine damnorum quæ Eccleſiis intulerat, ingenti pecunia, eum anathemate exſoluiſſet, & in æde minorum ſepeliri toleraſſet. Eum vitæ exitum habuit prophanus, author violatarum Eccleſiarũ. Neq; Birgero diuturna felicitas fuit. Paulo enim poſt, Fratres altum pectore odium ſpirantes, Regem nihil tale metuentem, vna cum Regina, & duobus filiis, ac vna filia, atque præterea Nicolaum Epiſcopum Aroſienſem duoſque & viginti nobiliſſimos Sueonum, per inſidias cœperunt, & regno exutum, in oppido Nicopenſi arctiſſimæ cuſtodiæ tradiderunt. Ex qua cuſtodia, cum poſtea liberatus eſſet, duaſque partes Regni fratribus ex pactis, ipſe vna contentus, conceſſiſſet, immaniſſimo ſcelere quod in eoſdem fratres homo omnium ingratiſſimus aliquanto poſt admiſerat, Proceribus Regni vtriuſque occaſionem dedit, qui illum Regno eiicerent, ad extremam omnium calamitatem coniectum. Nicopiam fratres inuitauerat, venientibuſque omnia humanitatis officia exhibuerat; adeo vt oſculorum, amplexuum, obſequiorum, nullus eſſet modus. In conuiuio præterea, nullus in apparatu menſæ, aut ferculorum numerus aut menſura; quicquid oblectamenti pro gula, pro viſu, pro auditu exoptari poterat, abunde ſubminiſtrari iuſſit. Sed erat immanis feritas, quam Brigerus & ſui, ſub tam inſolitis blandimentis, & inſidiarum plenis obſequiis occultabant. Siquidem nocte adueniente, in quoddã cubiculum ducti, atque exinde, ſanguinario Rege iubente, detrudenteque in profundiſſimam & teterrimam totius arcis turrim præcipites iniecti, multaq; & inaudita crudelitate excruciati, tandem concluſi ſunt; cum Brigerus claues ergaſtuli etiam in profluentem ieciſſet, iuraſſetque, ſe nequaquam permiſſurum, vt ab illo carcere viui extraherentur. Fama perfidię & crudelitatis in Duces perpetratæ, vbique diſperſa, Proceres Regni conſpiratione facta, cum iuramento ſeſe aſtrinxiſſent, ſe nunquam paſſuros tam perfidum cruentumque ſanguinarium in Regni ſolio reſidere, regno illum expulere, & aliquot eius conſiliorum ſocios, captos, rotis impoſitos, diro mortis genere interemerunt, cum etiam interim, Nicopienſes præſidiarii, corpora Ducum in carcere mortuorum, extra portam arcis eieciſſent: atque nonniſi vitam pacti, arcem obſidentibus dedidiſſent; quam illi enormitate parricidii permoti, funditus diruerunt. Ad hunc modum Deus vltus eſt iniuriam Sacrorum, quæ impius Birgerus, à Turgilli perſuaſione violaret.

---

# IESV CHRISTI
## Annus 1305.

### CLEMENTIS PAP. V. ANNO I. ALBERTI Regis Romanorum Anno 3.

I.
DISSENSIO DE ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS.

BENEDICTO Pontifice cęlitibus adiuncto, Cardinales pro electione Summi Antiſtitis congregati, fere vndecim menſes in vanum exegere, in partes diuiſi, priuſquam ſucceſſorem nominarent. Matthæo gente Vrſino, & Franciſco Caietano Bonifacii ex fratre nepoti, memoria iniuriarum Bonifacio illatarum, animo ſedebat: Neapoleon Vrſinus cum Fratre Nicolao Epiſcopo Oſtienſi amicitiam Philippi Gallorum Regis, præ libertate Eccleſiaſtica ponebant colebantque. itaque illi Pontificem optabant, qui in Sacrilegos parricidas pro ſeueritate Apoſtolica vindicaret; hi vero qui Philippo Regi, Columnenſibus, & reliquis conſociis conniueret.

Nono menſe poſtquam fuerant incluſi, conuenit, vt ſectio Matthæi tres Gallos idoneos ad Pontificatum homines; extra Collegium nominaret: è quibus pars altera infra quadrageſimum diem vnum eligeret. Data acceptaque vtrimque fide, Matthęus edidit nomina trium Archiepiſcoporum Gallici generis, quos Bonifacius creauerat, quiq; Philippi Regis non latis amicitiam expendebant. In illo numero erat Bertrandus Gottus Archiepiſcopus Burdegallenſis, alieno prorſus animo à Rege, propter vexatos à Carolo Valeſio agnatos & conſanguineos, per occaſionem Aquitanici belli. Eum cũ Pratenſis noſſet ambitioni deditũ & Aquitaniã

BERTRANDVS BVRDEGALLENSIS EPI-





SCOPVS PHILIPPVM REGEM PRO PONTIFICATV IMPETRANDO SOLLICITAT.

id eſt cupidiſſimum natura, quique ſpe Pontificatus iniecta facili negotio Regem in gratiam reciperet, nominandum exiſtimauit. Quod porro antequam faceret, pacta Cardinalium electorum, & animi ſui propoſitũ, clam Regi perſcripſit, & per excurſores fidiſſimos literas miſit: obſecrans, vt ſi ſuum decus, & Columnẽſium nomen amaret, Bertrandum Burdegallenſem Archiepiſcopum ſibi conciliaret: in quem ſectio contraria, inclinaret, propter odium quo Regem proſequi exiſtimabat. Vndecimo die, continuatis noctu ac diu itineribus, veredarii litteras Philippo reddiderunt, qui nihil cunctandum ratus, ad Bertrandum expeditos nuncios deſtinauit, qui rogarent, vt ſibi in Sandonibus ad Angelinam oppidum occurreret, velle enim, de re, ambobus vtili & neceſſaria, cum eo colloqui. Ad fuit Bertrandus pauciſſimis ſecum aſſumptis, ſexto die. Ibi ambo in proxima ſylua collocuti, ad Monaſterium Sacramenti cauſa iuere, & coram Chriſtiana hoſtia mutuam fidem pacti ſunt. Tunc Rex: In mea poteſtate eſt, ait, Pontificatus maximi honorem tibi deferre. Productiſque Nicolai Pratenſis litteris, vt fidem faceret: lege, inquit. Cum perlegiſſet, lætitiæ ac ſpei plenus Regi ad pedes procubuit. Sequeilli perpetuo amicum, atq; adeo obſequentem fore teſtatus eſt, ſi illius opera Pontificatum adipiſceretur. Surgere iuſſum exoſculatus, capita quæ ſequuntur ab illo ſtipulatus eſt.

1. *Vt ampliorem veniam capiti Bonifacii, læſæq; Pontificiæ maieſtatis obtineret.*

2. *Vt ſocii, & fautores quos habuiſſet, in gratiam reſtituerentur.*

3. *Vt decimas, in annos quinq; exigere permitteretur.*

4. *Vt Pontifex, Bonifacii memoriam condemnaret.*

5. *Vt Iacobum & Petrum Columnios Cardinales, priſtino honori reſtitueret, & aliquos ex Regis amicis, inter Cardinales recenſeret.*

CLEMENS PP. V. ELIGITVR.

Sextum caput: tempore & loco ſe dicturum promiſit. Bertrandus ſpe obtinendi Pontificatus adductus, illico odium quo in Regem flagrabat, in amicitiam conuertens, omnia nullo negotio pollicitus, iureiurando ſe aſtrinxit, dedit que obſides, fratrem, ac duos nepotes, quos Rex Lutetiam adduxit: & amicis Cardinalibus inſinuauit, vt Bertrandum Gothum Pontificem crearent, cuius fratrem meminiſſent, Beraldum Albanenſem Epiſcopum & Cardinalem ex Archiepiſcopo Lugdunenſi factum, atque à Bonifacio VIII. in Gallias miſſum Legatum. Triceſimo quarto die Nuncius Peruſium rediit, & Pratenſi clam litteras dedit, qui confeſtim Cardinales congregauit, & Bertrandum Philippo conciliatum Pontificem deſignauit, quem ſectio aduerſaria adhuc inimicum exiſtimauerat.

II.
ACCIPIT LEGATIONEM A PATRIBVS PRO CONFIRMATIONE IPSIVS ELECTIONIS.

Quarto Nonas Iulias, conclaue Patres egreſſi, nobilem legationem cum electionis decreto, atque litteris Collegii, ad eum in Aquitaniam deſtinauerunt, quarum porro litterarum exemplar ita habet.

Sanctiſſimo Patri Domino & Dn. Bertrando Archiepiſcopo Burdegalenſi, diuina prouidentia in ſummum Pontificem electo, miſeratione Diuina Chriſti presbyteri & diaconi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, pedum oſcula beatorum.

*Recordatus eſt Dominus miſericordiæ ſuæ, & plebem ſuam non deſpexit in finem: quia dum prolixæ vacationis Romanæ, & per conſequens quodammodo vniuerſalis Eccleſiæ reſpexiſſet incommoda, & longa illius ex variis cauſis ſuſpiria cognouiſſet, in tempore accepto exaudiuit eam, & in die ſalutis miſeratus eſt eius. Sanauit quidem, quia commota erat; contritiones eius, & vidua per electionem canonicam generoſo ſponſo oblata ſpecioſa facta eſt, & ſicut crapulatus à vino à ſomno dormiens excitata ſurrexit: & vbi deſperabat magis, vt Lucifer eſt exortus, vnde ſerenus dies illuxit nobis, & Sancti Spiritus ardore illuſtratis populis, qui orbati patre gradiebantur in tenebris, tanquam ſidus quoddam apparuit, quod fulgore proprio velut ſtella matutina coruſcans cunctos fideles irradiat ſuo lumine claritatis. Dudũ ſiquidem eadem Romana Eccleſia per mortem Sanctæ memoriæ Domini Benedicti patris, reuerendi paſtoris ſolatio deſtituta, de vobis, ſicut per electionis ipſius decretum, quod Sanctiſſimæ Paternitati veſtræ, vna cum præſentibus litteris per prouidos & diſcretos viros Fratrem Guidonem Abbatem Monaſterii Bellilocí Cluniacenſium Ordinis, Virdunenſis diœceſis Apoſtolicæ Sedis, & Magiſtros Petrum de Montegiſllo Sacriſtam Eccleſiæ Narbonenſis noſtris communibus, ac Andream de Hugugio Canonicum Catalaunenſis eiuſdem Sedis in Romana Curia obſequiis inſiſtentes, noſtros ad id ſpeciales tranſmittimus Nuncios, liquere poterit, eſt nuper ad Summum Pontificatum electio celebrata. Igitur, Pater, vos ſuppliciter exoramus, vt ad locum prædictæ Sedis, & ad partes terrarũ ipſius, exemplo felicis recordationis Clementis Quarti, & Sanctæ memoriæ Gregorii Decimi Romanorum Pontificum accedentes præſentia veſtra, ſicut noſter æternus medicus qui præſens iacentem mundum erexit, & curauit infirmum, Eccleſiæ laboribus conſolatis. Fluctuat namq; Petri nauicula, ſagena rumpitur Piſcatoris, pacis ſerenitas in nubilum verſa eſt, ac Eccleſiæ Romanæ terras, & nonnullas adiacentes prouincias vaſtat bellorum calamitas, & in eis ſagittæ zizaniam ſeminantis ardentibus eſſ ctæ complentur; ex quibus rerum, perſonarum, & animarum, quod grauius eſt, pericula ſubſequuntur. Soldanus inſuper Babylonicus hoſtis inſultat, & poſt clades miſerabiliter Chriſti fidelibus partium illarum inflictas, & Vrbium Chriſtianarum excidia deteriora minatur; & reſiduum, quod ibi Chriſtiani poſſident, vt ſingularis aper exterminare ſatagit, & hiatu terribili nititur deuorare. Succurrite, inquimus, ſuccurrite pater, & ſauciatorum vulnera præſentialiter purgate, & vario purgata oleo confouete. Non dubium quippe, quod in Sede Petri reſidebitis fortior, lucebitis clarior, in terra eius vinetis quietior; & remotis Regibus, Principibus atq; populis admirabilior eritis; & ipſorum deuotionis & obedientiam plenius acquiretis. In ſua namq; domo eſt vnuſquiſq; planeta potentior. In Eccleſia propria quieſcere, quid dulcius? Viſa frequenter ſpernũtur, ſæpius ac facilius adita velati quæſita quieſcunt. Venite ergo, atq; noſtris in hac parte votis aſſentiat benignitas veſtra, quam bene diuq; valere cupimus, iterum ſupplicamus. Vt autem adhibeatur his noſtris plena fides, eas ſigillorum noſtrorum munimine roborari fecimus, & muniri.* Datum Peruſiis Anno Domini 1305. Ind. 3. ſexto Iunii. Decem & octo Cardinales his litteris, atque decreto electionis nomina ſua ſubſcripſere, ac ſigilla appendere: quæ omnia Bertrandus, viſitationi Prouinciæ ſuæ tunc temporis intentus, ſumma cum voluptate accepit, Burdigalamque inprimis citato itinere contendens, in Templo Diuo Andreæ Sacro, aſſumptionem ſuam ad Summum Pontificatum renunciauit, mutatoque Bertrandi nomine, Clemens Quintus voluit appellari ad XII. Cal. Auguſti.

III.
PROFECTVS LVGDVNVM AD INAVGVRATIONEM CARDINALES EODEM ACCERSIT.

Ineunte Auguſto menſe, Lugdunum acceſſit, cunctoſque Cardinales coronationis peragendæ ſolemnibus, ex Italia properare in Gallias iuſſit; tum etiam Reges Galliarum. Angliæ, & Aragoniæ, alioſque Principes Tranſalpinos, ad eandem feſtiuitatem acciuit.

Dolebat maiori, ac meliori parti Cardinalium, ea Clementis Pontificis diſpoſitio; non tam quod ſe contemni, preceſque ſuas nihili fieri arbitrarentur, quam quod viderent libertatem Eccleſiaſticam oppreſſum iri; & quandoque pernicioſum ſchiſma in Eccleſia exoriturum, ingenti damno totius Chriſtianitatis, ex tranſlatione Sedis in Gallias. Vbi Summus Pontifex, apud Regem prophanum, quaſi in poteſtatem ſæcularium redactus, omnia & dicere, & facere, & iubere cogeretur, non ex maieſtate Pontificia, neque ex poteſtate plenaria, ſed neque ex iuſtitiæ præſcripto, ſed vt Rex & Proceres vellent, adeoque mandarent. Hæc vniuerſa cum acri oculo perſpicerent, ſeque oppido proditos, Cardinales, atque libertatem Eccleſiaſticam perditam dolerent, obedientes tamen dicto fuere, & in Gallias aduolauere. Pridie Idus Nouembris, die Dominico ante fores Baſilicæ Sancti Iuſti, Lugduni, extra muros, inſignia Pontificatus Clemens Quintus accepit, à Matthæo Rubeo Vrſino S.R.E. Archidiacono. Præſentibus Cardinalibus, Epiſcopis; & innumera Cleri ac populi multitudine: cum pompam inaugurationis exornarent, aſſiſtentes, Rex

OMNIA DE INFELICI EIVS ELECTIONE.

Philippus, Carolus Comes Valeſii, & Ioannes Britanniæ Dux, vna cum multis proceribus Chriſtianis. Infauſtum omen eam ſolennitatem excepit. Muri cuiuſdam ruina Ioannem Ducem cum duodecim aliis oppreſſit, Carolo Philippi fratri pedem luxauit, Pontificemque ſummum ex equo deturbauit; in quo caſu ex diademate Pontificio decidente, carbunculus, ſex millium florenorum pretium, deſideratus eſt. Hac ratione Romana ſedes infauſto omine, à præpoſtera quorundam ſagacitate, in Gallias tranſlata eſt: vbi ad ſeptuaginta amplius annos diram ſeruitutem ſeruiens pene oppreſſa remanſit, cum inæſtimabili omnium Chriſtianorum incommodo, Eccleſiæ dedecore, vrbis detrimento, Italiæ deuaſtatione, & Orientalium regnorum irreparabili iactura. Sane in vrbe, templa auguſtiſſima, magna ex parte propter ſolitudinem corruere, eorumque redditus ſublati fuere, abſentibus iis, quorum munus erat ipſa conſeruare integra, deſolata reſtituere, reſtitutorum iura tueri, vel etiam amplificare. Rediit autem ſeptuaginta annis poſt, ſed non ſine diri ſchiſmatis, quinquaginta annis protracti exitiabili appendice. Eam rem futuram, conqueſtus eſt Matthæus Rubeus Viſinus, quum hoc facinus Cardinali Oſtienſi exprobraret.

IV.
QVIS EIVS ANIMVS ERGA BONIFACIVM PP. ET QVÆ PONTIFICATVS INITIA.

Statim atque Pontificatum adeptus eſt Clemens, quo animo erga memoriam Bonifacii afficeretur, declarauit. Ex pacto enim antea inito, Philippum in gratiam recepit, omniaque fere ei ex voto conceſſit. Inſuper decreto publice promulgato, teſtatus eſt, ſe non tantopere honorem anteceſſoris, quam regiam amicitiam curare. Cumque non deeſſent plurimi, qui Bonifacium calumniarentur, quaſi is edita illa famoſa Conſtitutione, *Vnam Sanctam*, in Regem Regnumq; Franciæ plus quam par eſſet iuris, ſibi, Romaniſq; Pontificibus vendicaret: cumq; alios non puderet fingere, referre, & ſcribere, quaſi Bonifacius diademate & paludamento Imperatorio ornatus, gladioque accinctus, in theatrum prodiiſſet, Imperatoremq; ac Pontificem Supremum ſeſe nuncupaſſet, & in poteſtate ſua eſſe, regna dare & auferre, gladiumque pro arbitrio in quemuis ſtringere, dixiſſet: Clemens vt eo errore ac ſcrupulo Philippum liberaret, eam quam ſubiungo declarationem euulgauit, his ipſiſſimis verbis.

EIVS DECLARATIO DE CONSTITVTIONE BONIFACIANA.

*Meruit chariſſimi filii noſtri Philippi Regis Francorum illuſtris ſynceræ affectionis ad nos & Eccleſiam Romanam integritas, & progenitorum ſuorum præclara merita meruerunt. Meruit inſuper Regnicolarum puritas ac deuotionis ſynceritas, vt tam Regem quam Regnum fauore beneuolo proſequamur. Hinc eſt, quod nos Regi & Regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit,* Vnam Sanctam, *nullum volumus vel intendimus præiudicium generari. Nec quod per illam Rex, Regnum, & Regnicolæ prælibati amplius Eccleſiæ ſint ſubiecti Romanæ, quam antea exiſtebant. Sed omnia intelligantur in eodem eſſe ſtatu, quo erant ante definitionem præfatam: tum quantum ad Eccleſiam, quam etiam ad Regem, Regnum & Regnicolas ſuperius nominatos.* Hæc Clemens in gratiam Philippi, contra tortores definitionis Bonifacianæ; quibus pronum fuerat, Regias aures per id temporis, & poſtea poſteritatis ſuccedentis animos, falſimoniis in Bonifacium ex triuio impudentiæ productis inpiare, candidaſque chartas, atro atramento anilium fabularum ac turpium mendaciorum inatrare.

V.
AGIT PRO MITTENDIS SVBSIDIIS CRVCE SIGNATIS MILITIBVS.
*Ep. dat. Lugd. 4. Id. Decem.*

Rebus Gallicis vtcumque compoſitis, Clemens ad auxilia opportuna, Chriſtianis in Palæſtina à Saladino Ægyptio oppreſſis ferenda, animum aduertit. Inprimis, itaque Antonium Patriarcham Hieroſolymitanæ Sedi Præfectum in Syriam ire, nonnullaſque pecunias interim collectas Cruce ſignatis militib. ferre iuſſit. Deinde Carolo Regi Siciliæ ſerio præcepit, ne Hieroſolymitanis S. Ioannis militibus impedimento eſſet, quo minus ex Regno Siculo commeatum & ſuppetias bello in Syria gerendo conquirerent, & in Palæſtinam euherent.

VI.
B. IOACHIMI SENENSIS CONFESSORIS VITA ET INSTITVTVM MIRACVLA ET OBITVS.
*Ex vita à Paulo V. Pont. Max. ex decreto S. Rituum Congreg. approb.*

Hoc anno in cœlos abiit B. Ioachim Senenſis Confeſſor religioſiſſimi Ord. Seruorum B. Mariæ. Is in vrbe Senenſi natus, inuitis parentibus, non maior XIII. annorum, Ordinem Seruorum ingreſſus, eximia vitæ ſanctitate floruit. Mira fuit in eo humilitas, obedientia inſignis, & aſſidua laborum perpeſſio. Viliſſima quæque munia in Monaſterio libens obibat: afflictis & infirmis maxime compatiens, alacriter ſeruiebat. Ardentiſſima namque erga proximos præditus erat charitate; cuius rei non mediocre illud fuit argumentum, cum Aretium ex obedientia proficiſcens in itinere apud quendam, qui morbo epileptico affligebatur, diuerſatus, illum ad patientiam fruſtra hortatus, Deum precatus eſt, vt morbum illum in ſe transferret. Quare vix cōpleta oratione illico ægrotus ille ſanatus eſt; ipſe vero eo morbo, vſq; ad mortem laborauit. Aretii in feſto Aſſumptionis B. M. Virginis celebranti Sacerdoti miniſtrans, morbo comitiali correptus corruit; cereus tamē, quem ille ad eleuationem Sanctiſſimę Euchariſtię manu tenebat, ſtupentibus qui aderant, in aere ſuſpenſus diuinitus manſit. Reuerſus Senas cum ex eodem mormo cadens, menſam cibis inſtructam ſecum traxiſſet; nihil tamen in ea, aut confractum, aut loco deturbatū eſt. Cum in eadem vrbe ab ægroti cuiuſdam viſitatione noctu domum rediret, nec ianitorem excitare potuiſſet; ſtatim vt orare cœpit, portam Monaſterii vltro apertam vidit. Frequens erat in choro, in quo caput illius aliquando à Fratribus viſum eſt ſplendore quodam coruſcare. Adeo patiendi cupidus erat, vt Deum oraret, quo ſibi alii cruciatus adderentur. Quapropter nouum genus morbi illi immiſſum fuit, quo caro illius ab exortis vermibus abſumebatur: neque tamen à medicis curari, aut Deum, quem pro aliis infirmis orabat, rogare voluit: illud Apoſtoli vſurpans: *Cum infirmor, tunc potens ſum.* Cum ea die, qua Chriſtus pro mundi ſalute Cruci affixus eſt, mori, à Deo poſtulaſſet, in die Cœnæ Domini Sacra refectus communione, Fratres orare cœpit, vt pro ſe ad Deum preces effunderent, quo ſecurior ſequenti die emigraret. Itaque dum illo in die Paraſceues Dominicam Paſſionem cantantes, ea verba, *& inclinato capite tradidit ſpiritum*, pronunciaſſent, & ipſe annos natus 47. ſuum Deo reddidit ſpiritum. Ad eius tumulum complura miracula patrata ſunt: ex quibus hæc pauca. Puer ſexennis in lacuna ſuffocatus, dum mater illum Beato Ioachimo commendaſſet, reuixit. Quidam Maſſanus iam morti adiudicatus, cum opem ab eo imploraſſet, carcere & vinculis diuinitus reſeratis, mortem euaſit. Comitiali morbo plures afflicti, eius interceſſione liberati ſunt. Senenſes publico ciuitatis decreto, ad illius tumulum quouis anno veniunt & dona ferunt. Paulus vero Quintus Pont. Maxim. cognita viri ſanctitate, vt in toto Ordine Seruorum die 16. Aprilis officium de eo vnius Confeſſoris non Pontificis recitetur, Apoſtolicis litteris conceſſit. Hæc eſt vita D. Viri, in lectiones officii matutini, probante Paulo V. diducta.

Ioachimus Senis ex Pellacana familia natus, à prima ætate Deigenitricem Mariam præcipue colens, ſeq. in operibus charitatis exercens, omnia, quæ ex paterna domo habere poterat, pauperibus erogabat. Annos tredecim natus, ab ipſa Deigenitrice in ſomnis admonitus, in Ordinem Seruorum inuitis parentibus à Beato Philippo eiuſdem Ordinis Generali recipitur. Mira erat in eo humilitas, inſignis obedientia, & laborum perpeſſio: nam munia quæque in monaſterio viliſſima obibat; nec tamen ab oratione, quoties licebat, per occupationes vacabat. Afflictis & infirmis, quibus modis omnibus inſeruiebat, maximopere compatiebatur: cuius rei illud maximum argumentum fuit, quod Aretium obedientię cauſa proficiſcens, ęgrotum comitiali morbo diuturno laborantem, & conquerentem ad patientiam cohortatus, cum is facilius eſſe hortari, quā ferre reſpondiſſet, Ioachimus Deum, vt morbum illius in ſe trāsferret, precatus, vix (mirabile dictu) orandi



orandi finem fecit, cum, ægroto illo repente ſanato, ipſe à morbo comitiali (ex quo vſque ad mortem laborauit) correptus eſt.

Aretii dum Celebranti in die Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis miniſtrabat, morbo memorato ſtatim oppreſſus corruit, cereus tamen, quem ipſe ad eleuationem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ dextera manu tenebat, cunctis, qui aderant, mirantibus, ſuſpenſus in aere diuinitus manſit. Senas reuerſus, totus erat in oratione & meditatione in ſpecu, quæ deuotionis officio adhuc à Senenſibus viſitur. Eius ſanctitatem Deus multis ſignis comprobatam eſſe voluit. Nam, cum ab ægroti viſitatione noctu domum rediret, nec poſſet ianitorē, qui ſibi aperiret, excitare, ad orationem confugiens, portam monaſterii vltro apertam inuenit. Cum ex eodem morbo cadens, menſam cibis inſtructam in terram ſecum traxiſſet, nihil tamen in ea aut confractum, aut de loco deturbatum eſt. Dum orabat in Choro cum cæteris fratribus, caput eius flamma, ſeu ſplendore quodam aliquando coruſcare viſum fuit. Patiendi cupidus, vt alios ſuæ ægræ valetudini cruciatus adderet, quo paſſionis Dominicæ magis particeps eſſet, Deum orabat: quare nouum morbi genus, quo caro eius ab exortis vermibus abſumeretur, ei immiſſum fuit; nec tamen à medicis vnquam viſitari, aut Deum, quem pro aliis infirmis orare ſolitus erat, vt à ſe morbum depelleret, rogare voluit, illud Apoſtoli ſæpe vſurpans: Cum infirmor, tunc potens ſum.

Cum ex hoc carcere, quo die Chriſtus pro mundi ſalute cruci affixus eſt, educi à Deo poſtulaſſet, Feria Quinta in Cœna Domini ſacra communione refectus, fratres, qui ad ipſum viſitandum venerāt, orauit, vt pro ſe preces ad Deum funderent, quo ſecurior in ſequenti die migraret; itaque dum illi in Eccleſia in die Paraſceues (quæ fuit decimo ſexto Kalendas Maij) paſſionem Domini de more cantantes ea verba: Et inclinato capite tradidit ſpiritum, pronunciabant, ipſe annos 47. natus, ſuum Deo reddidit ſpiritum, anno ſalutis 1305. Ad cuius tumulum miracula aliquot ſubſecuta ſunt. Nam puer ſexennis in lacuna ſuffocatus, à matre B. Ioachimo ſuppliciter commendatus; reuixit. Quidam etiam Maſſanus morti inſons adiudicatus, ope ab eodem implorata, carcere diuinitus reſerato, ac vinculis reſolutis, fugiens mortem euaſit. Multa etiam in dies ſuper comitiali morbo laborantibus ſigna fiūt. Quamobrem Senenſes ex publico Ciuitatis decreto quotannis in die depoſitionis illius ad Eccleſiam Seruorum, in qua corpus eius pie aſſeruatur, & colitur, ad illud venerandum veniunt, & dona ferunt. Paulus vero Quintus Pont. Max. cognita viri ſanctitate, vt de eo Officium Diuinum in Eccleſiis Ordinis Seruorum vbique recitetur, anno milleſimo ſexcenteſimo nono indulſit.

VII.
PETRI BONHOMII ALESTENSIS MONACHI ET PETRI PODIENSIS SANCTITAS AC OBITVS.
*Leand. li. 5.*

Eodem anno rebus humanis exemptus eſt Petrus Bonhomius Cænobii Aleſtenſis Ord. Præd. re bonus & nomine. Hic vir maximæ obſeruantiæ, captus ingenti ægritudine ex qua etiam deceſſit, cum ad tantam debilitatem deueniſſet, vt cibum ſumere non poſſet, acceſſit ad eum frater requirens, quem ſibi cibum parari vellet. Ille porro reſpondit, nullum alium cibum optare, niſi perdicem, quæ tamen illo in loco illoque tempore videlicet in quadrageſimæ diebus raro audiri, rarius aut numquam inueniri conſueuit. Sed Deus qui ſubminiſtrat eſcam omni carni, quique coturnicū multitudinem populo Iſraelitico in ſolitudine præparauit, & ſicut puluerem carnes pluit; continuo ſeruo ſuo de perdice prouidit, & quod Fratribus impoſſibile videbatur, facile obtulit. Quippe fratre infirmorum miniſtro per impluuium nocte ambulante, perdix ante pedes eius aduolauit, ac ſeſe capi permiſit. Hanc veluti à Deo ſubmiſſam, Frater ille cepit, & infirmo deſideranti cibum miniſtrauit. Eam porro diuturnam corporis ægritudinem inuicto animo Petrus tolerauit, donec ad XV. Kalend. Nouembr. ſpiritum innocentem Deo reddidiſſet. Par huic alter Petrus eiuſdem inſtituti in Cœnobio Podienſi profeſſus, vir valde religioſus, mitis & deuotus. Hic morti appropinquans orantibus Fratribus cæpit reuerenter inclinare caput, palmas iungere, & Beatiſſimam Virginem Mariam deuotiſſime ſalutare. Cumque Fratres inquirerent, cur hoc faceret; reſpondit: Nonne Sanctiſſimam Matrem Dominam noſtram videtis, quæ me ſui gratia commodauit? hiſque dictis in Domino feliciter obdormiuit.

VIII.
CRVDELE IVDÆORVM PRAGENSIVM FACINVS IN CHRISTIANVM.
*Dubrau. lib 8.*

Apud Boemos, hoc anno, Iudæi Pragenſes, ſacra die Paraſceues facinus atrociſſimum in hominē Chriſtianum deſignarunt. Nempe in locum abditum pertractum in Cruce nudum ſuſpenderunt, circumſtanteſque, alius in illum expuere, alius pugnis os verberare, alius virgis cædere, alii denique cuncta in illo repræſentare, quæ Chriſtus quondam agente illa immaniſſima atque impiiſſima paſſus eſt. Hanc Iudæorum carnificinam, cui ad crudelitatem odiumque in Chriſtianos nihil adiici poteſt, populus Pragenſis non expectato etiam Rege, qui in puniendis delictis, hoc verbo vti ſolitus fuerat, *quum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*, quanta crudelitate valuit, nouis item ſuppliciis excogitatis vltus eſt, monumentumq; nouo Martyri, ex Iudaicis ſpoliis collocauit ac exornauit.

WENCESLAVS BOEMIÆ REX MORITVR ET PIA IPSIVS AD OBITVM PRÆPARATIO.

Paulo poſt Vuenceſlaus Rex Pragam reuerſus, ex tuſſi & pituita, quæ moleſta acceſſerat, finem vitæ appropinquare præſentiēs, ad deliberandum ſe de regno Dei, quod intra nos eſt dum adhuc viuimus, dedit. Accerſitis igitur, vti Diuus Iacobus admonet, presbyteris Eccleſiæ, vt orarent ſuper ſe, vngentes oleo in nomine Domini, iuſſit obſecrationes ſuper ſe ex more Eccleſiæ fieri, vt Deus ſaluū ipſum peccatis remiſſis redderet. Vocauit deinde filiū, pauciſque eum coram Ioanne Pragenſi & Theodorico Olomucenſi præſulibus, admonuit, vt Deum timeret, atque bonorum conſilio pareret; neque malorum ſtultorumq; perſuaſionibus, qui niſi noxia ſuadere neſciūt, auſcultaret; tum denique ne ſibi placeret, ſuæque tantum prudentiæ inniteretur, cum nemo mortalium horis omnibus ſapiat; porro ſtultitiæ comites ſint infelicitas & calamitas, à quibus vt iuuenis erueretur, ſuadebat moribundus pater, vt coleret & ſectaretur diſciplinam prudentium, qui docerent iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem, quibus artibus, pluſquam vllis armis, nō ſolum parta regna ſeruantur, ſed noua inſuper acquiruntur. Hæc & alia nonnulla cū Vuenceſlaus filio in præceptis dediſſet, vale illi & omnibus circumſtantibus dicto, Sacramentis Eccleſiæ Catholicæ receptis rurſus ad deprecandum Deum cum presbyteris ſe conuertit, & ad extremam vſque horam orans ſpiritum Deo reddidit.

PRODIGIVM DE MISERANDO CASV VLADISLAI WENCESLAI REGIS FILII.

Pro eius anima, cum Albertus Rex Romanorū Sacris in maiori Eccleſia Spirenſi operari iuſſiſſet, atque ipſe vna cum Epiſcopis, Abbatibus ac Proceribus Miſſæ Sacrificio intereſſet, aliqua campana ex alta turri decidit, & duab. fornicibus perruptis, in duas partes & ipſa dirupta, portendit, caſum Vuenceſlai, quem alii Vuladiſlaū appellauere, filii demortui Regis. Is enim biennio poſt cæſus interiit, quemadmodū ſuo loco dicemus. Mortuus Vuenceſlaus, quemadmodum iuſſerat, in aula Regia, quod cænobium ipſe viuens ædificauit, conditus eſt; funus eius omnibus ordinibus atque ætatibus ingenti luctu proſequentibus.

IX.
CAROLVS ADOLESCENS CONTRA VVLADISLAVM IN HVNGARIÆ REGNVM ELECTVS PAVLO POST EIICITVR.
*Bonfinius dec. 2. lib. 9*

Interim autem Vuenceſlao iuniore, regni Boemiæ adminiſtrationi prælato, cum Hungariæ proceres illū propter ignauiam contemptui haberent, neque vero aliqui eorum ex voluntate Pontificia, Carolo adoleſcenti parere in animum inducerent, coniuratione per ſeceſſionē ab iis qui ſummi Pontificis iuſſa velut ſacra obſeruabant, facta, Othonem Bauariæ Ducem loco Regis in Hungariam hoc anno duxerunt. Hic vbi Regum ingreſſus eſt, coronam, quam à Vuenceſlao datam, & hac electione precario impetratam ſecum attulerat, Albæ, populis ac Pontificibus oſtendit, quam vbi omnes conſpexere, velut aliquo numine adacti, in Othonis partes conceſſere. Quod vt facerent, partim

nouitate rerum, qua vulgus mirifice ſemper oblectatur, partim Pontificis infeſtatione ac odio impulſi ſunt. Proinde anno à Dominica ſalute treceteſimo quinto ſupra milleſimum, à Benedicto Veſprimienſi, & Antonio Chanadienſi Antiſtite, Regiis inſignibus initiatus & coronatus eſt. Mox Budam veniens, ac ſacrum diadema geſtans, cum equitatu maximò ſe per plateas & compita populo ſpectandum exhibuit, ſe Regem etiam per vicos & ſuburbia paſſim oſtentauit, vir vſquequaque glorioſus, futilis, & conſilii parum compos. Inde Tranſſyluaniam ac cæteros appendices Regni luſtrare conſtituit, vt ſe legitimum principem, ſua etiam præſentia teſtaretur. In Tranſſyluaniam cum veniſſet, pœnas temeritatis & vſurpati Regni dedit; à Ladislao præfecto, quem Vaiuodam dicunt, haud citra dolum captus, in vincula coniectus, & ſolio deturbatus. In captiuitatem miſere abductus, non prius ſe ab ea potuit expedire, quã poteſtati Regiæ renunciaſſet, Regnumque deſeruiſſet. Inde turpiter eiectus, inque Bauariam reuerſus, exemplo ſuo didicit, decreta ſummi Pontificis non parui facienda eſſe; neminemque temere ſe magnis cœptis & illegitimis committere oportere.

X. ALIVD PRODIGIVM DE IPSIVS CORONA.

Neque illud quidem prætermittendum eſt, quod in coronæ caſu obtigiſſe affirmant: ne quis hanc diuina tutela carere arbitretur. Othonem, aiunt, quum regnum aditurus eſſet, ne quo fortaſſe dolo corona ſubriperetur, eam tornata incluſiſſe lagena; fideliſſimo commiſiſſe cubiculario, neque quid intus conditum eſſet, ſignificaſſe. Dum iter omnes facerent, lagena tanti momenti, quæ ex equeſtri ſella pendebat, ſoluto loco, inſcioque famulo decidit; neque niſi ad ſerum vſq; tempus, iam viginti millia paſſuum emenſus cubicularius, quam iacturam feciſſet aduerterat. Sed vbi illam amiſiſſe intellexit, relato mox pede, poſtero die in media hanc via reperit; retulit ad Othonem vaſculum ab eo tantopere commendatum. Multi eadem via, quamuis fecere iter à nemine tamen viſam fuiſſe ferunt. Prodigium homines interpretabantur, Othonem perbreui regno potiturum, mox vero repertam ideo dicebãt, quia Hungaris abalienari ſanctum ac pene diuinum diadema non poſſet.

XI. LADISLAVS VERNERII FILIVS SVPPLICIVM SVMIT DE REBELLANTIBVS ADVERSVS SEDEM APOSTOLICAM.

Othone eiecto, atque Vuenceslao defuncto, cum Ladislaus Vernerii filius, qui pro maieſtate Pontificia & Caroli Regis iuribus dimicans, Pragam captiuus ductus fuerat, poſt triennium liberatus, & in arcem Budenſem admiſſus, cum ex aliis anathemate damnatis ſupplicium ſumpſiſſet, duos ex decem viris, Pontifici, Carolo & ſibi infeſtiſſimos, quorum alterum Martimherman, Martinum alterum appellabant, equorum caudis alligari iuſſit, perque plateas & vicos trahi, deinde crudeliter diſcerpi, diſcerptoſque rogo imponi præcepit, fortunaſque demum eorum omnes occupauit. Paulo minore ſæuitia in prophanos Sacerdotes animaduertit; qui contra fas & æquum, execrabili interdicto læſerant Pontificiam maieſtatem. Hos enim manicis pedicisque vinctos, Thomæ Strigonienſi Metropolitæ puniendos tradidit: qui vt in eos ex lege animaduerteret, omnes & inedia, & perpetuo carcere confecit. Grauiter porro in hos Ladislaus ſæuiendum eſſe ſtatuit, vt hac ſeueritate ab impedienda Caroli dignitate cæteros deterreret: clerumque doceret, non ſpernendam eſſe ſupremam Romani Pontificis poteſtatem.

XII. MICHAELIS PALÆOLOGI GRÆCORVM IMP. OBITVS ET TVRBÆ ORIENTALIVM. *Gregoras lib. 8. P. Æmilius in Philippo 4.*

Hoc pariter anno Michael Palæologus Græcorum Imperator fatis conceſſit, relicto Imperii conſorte Andronico filio. Ab eius morte multæ inter Orientales turbæ, cum Schiſmatici ex more omnia miſcerent, Catholicæque communionis hominibus plurimum incommodarent. Occaſionem tumultuandi Græcis, aliqui Latinorum poſt bellum Siciliæ confectum in Græciam transfretantes, obtulerant. Enimuero pace illa Italiæ parte in præſens compoſita, aliquot Emporitanæ aliarumque promiſcue gentium naues bello viuere aſſuetæ, Rogerium Templarium ſibi præficientes ex Apulia in aduerſam oram tranſmiſerant, Salonas expugnarant; atque diripuerant; mare infeſtum littoraque faciebant, vndique prædas, Conſtantinopolim vſque faciebant. Piraticum bellum erat; ac ne illud quidem, vt (quod facere n[o]biles latrones ſolent) duci ſuo obſequentes eſſent. Rogerium enim occiderunt, nec eum tantum, ſed cum nec iuſtum, nec iniuſtum pati poſſent imperium, alios atque alios creabant, occidebantque Duces. Et quod mirum ſit, ſublata imperandi parendique diſciplina, duodecim tamen annis hoc bellum tenuit; cum viginti omnino triremes, & aliquot minora nauigia ipſi haberent; ſed conſociantibus ſe illis etiam exulibus Græcis. In terram igitur Atticam delati, Athenarum Ducem Brennæ nobilitatis virum occiderunt, vrbemque cœperunt; & in Peloponeſum retroacti, eam occuparunt; occiſiſque Francis proceribus, qui ea magna ex parte potiebantur, illorum domos, vxores, opeſque ſibi vendicarunt, locumque ſibi eum domicilio delegerunt; in mores finitimorum paulatim abituri, prædonum tandem quandoque depoſituri. Et quidem hæc Latinorum confluges tum in Græcos, tum in Gallos, cum etiam Veneti, per id temporis Genuenſibus apud Peram & Chium infeſti, non poſſent contineri, quin & Græcos laceſſerent. Iſtis vellicationibus, Græcorum proceres irritati, cum ex integro imperium Andronico detuliſſent, in Latinos quoque non æquiores erant. præſertim cum ſubito rumore ſparſum eſſe intellexiſſent, Carolum Valeſii Comitem, à Clemente Quinto Pontifice & Philippo Rege Galliarum incitari, vt Imperium Conſtantinopolitanum, Catherinæ Balduini nepti iure hæreditario addictum, armis recuperare curaret.

XIII. GHERARDI MOGVNTINI ARCHIEP. OBITVS ET PETRI AICHSPALDII CREATIO, RES GESTÆ ET OBITVS. *Annal. Arch. Epiſcop. Mogunt. ex Trithemio in Chron. Hirſaugien.*

Per id quoque temporis in Germania, ex humanis abiit Gerhardus Archiepiſcopus Moguntinus, ſubitanea morte, in conclaui ſuo, ſellæ inſidens defunctus. Huic ex hac occaſione ſucceſſit, Petrus Aichſpaldius Treuirenſis, honeſtis, ſed tenuis fortunæ parentibus natus, Henrici Comitis Lucelburgenſis nondum Imperatoris, Medicus, Canonicus Moguntinus, & ab Honorio IV. Pontifice Baſileenſis Epiſcopus. Ablegauit eum hoc anno Henricus Pictauos, ad impetrandum à Clemente Romano Pontifice, Comiti Balduino fratri ſuo, XVIII. annorũ adoleſcenti, Archiepiſcopatũ Moguntinum. Quod cũ Petrus Epiſcopus, poſt multas petitiones apud Pontificem Clementẽ V. obtinere non poſſet, & ipſe iam infecto negotio in Germaniam reuerti decerneret, accidit, vt ſubito in magnum morbũ incideret Clemens. Audiens Epiſc. medendi eſſe peritum, ad ſe accerſitum conſuluit. Petrus vt erat medicinæ gnarus, intra triduum Pontificem integræ valetudini reſtituit. Pontifex ſanitate recuperata, vt grati animi officium redhiberet, Petrum ad ſe vocatum allocutus; Quia, ait, felix adeo eſſet corporum curator, maxime cõuenire, vt & inſignis conſtituatur animarum paſtor, curator & medicus. Conferre ſe igitur ei in recompenſationem, tam facile ſibi reſtitutæ priſtinæ valetudinis, clauũ ac gubernaculum Moguntini Archiepiſcopatus; quem hoc tempore, puero gubernandum committere omnino nõ poſſet. Recuſabat oblatam dignitatem Petrus, atque Balduino petere pergebat. Verum Clemens prudens, nihilominus conferebat, putabatq; æquum eſſe, vt tanta prudentia & doctrina ornatus, Medicus corporis & animæ deſignaretur. In eum modum Petrus, à Clemẽte Quinto, Eccleſiæ Moguntinæ prælatus, cum in Germaniam reuertens Moguntinam ſe contuliſſet, ab omnib. magna gratulatione ſuſceptus, eum honoris gradum per XVI. fere annos magna gloria obtinuit, & cuncta fideliter in ſua ditione adminiſtrauit. Fundauit & extruxit inſignem Carthuſiam Moguntinã. Effecit apud Electores, vt Henric. Lucelburg. Imperio perficeretur. Ioannem eius filiũ in Regẽ Boemiæ inaugurauit, atq; ab eo ſellã aureã gemmis diſtinctã, quã nunc Diui Martini vulgo appellant, reportauit.





Tandem plenus dierum, cum honeſto virtutum elogio mortuus, in die S. Bonifacii, in Cathedrali Moguntina Eccleſia ſepultus eſt. anno Dom. 1320.

XIV. DISSENSIONES ET INTESTINA BELLA IN HETRVRIA. *Leonard Aretin. hiſt. Florentin.*

Dum hæc alibi locorum contingerent, per id temporis, Etruria, diſſenſionibus inteſtinis laborabat, quibus conciliandis Clemens Papa, inito ſtatim Pontificatu, ea qua par fuerat contentione intentus fuit. Rem narrabo, ex Aretino, qui deſcripſit. Poſt receſſum Nicolai Pratenſis Cardinalis in Hetruria Legati, magnæ contentiones apud Florentinos ſecutæ fuerunt. Pars enim quædam nobilitatis, ſtante non ita pridem in vrbe Legato, ſeſe illi coniunxerat, ac reductionem exulum intemperanter concupiſſe viſa fuerat. Erat vero ex his familiis, quæ ab Albarum parte inclinare putabatur. Ea de cauſa, in ſe odia contraxerat reliquarũ familiarũ. Poſtquam ergo abiit Legatus, reliqua omnis nobilitas in illos ſurrexit, præter Curſium Donatum, qui amicis infenſus contra naturam ſuam quieſcebat. Horum popularium duæ inſignes familiæ Nigrarum partium aſſertrices ſectabantur, Iunii & MEDICES. Creſcentibus contentionibus, pugna tandem conſeritur: donec Nerius quidam Abbas diabolico plane conſilio, delatum ignem in gentilium agnatorumq; ædes inieciſſet, & inde cum eadem face diſcurrens, aliorũ tecta inflammaſſet. Medicatum fuiſſe ignem vulgo creditum eſt. Nam præter ligneam & aliam vſtibilem materiam, etiam parietes & lapides ipſos exuſſit. Mille & ſeptingẽtæ ædes arſiſſe feruntur: tabernæ quoq; rerum venaliũ & horrea frumentorum cõflagrarunt. Vrbs eodem tempore ardebat, & vicatim oppugnabatur, non ſecus ac ſi hoſtis inuaſiſſet. Eam Florentiæ vaſtitatem, ſecutum eſt bellum atrox, cũm ciues patria extorres, multorum auxiliis conquiſitis, vrbicos habitatores ſibi ad oppugnãdum deſignaſſent: Vrbici vero ſocietatem cum aliis Etruriæ ciuitatibus iniuiſſent, ſiue adeo renouaſſent.

XV. CONFOEDERATI SIBI DVCEM ELIGVNT ROBERTVM CAROLI SICILIÆ REGIS FILIVM.

Inter confœderatos numerabantur Lucenſes, Volaterani, Senenſes, Pratenſes, Geminianenſes, Collenſes, atque Trifernates. Omnes hi ſimul vno fœdere colligati, Ducem ſibi præficere aliquem maioris auctoritatis ſtatuerunt, cuius auſpiciis bellum inferrent. Robertus erat per id temporis filiorum Caroli Regis Siciliæ in Italia maximus, iuuenis magnæ indolis atque ſpei. Hunc placũit Ducem eligere. Eius rei gratia miſſi Neapolim duo Oratores, Raynerius Foreſii, & Borghus Raynaldi, alii quoque præterea à Lucenſibus atq; Senenſibus deſtinati. Hi primo Regem Carolum, deinde Ducem Calabriæ Robertũ allocuti, tandem vt in Hetruriam veniret, impetrarunt. Conditiones porro illi propoſitæ, hæ fuere. Robertus in Hetruriam veniret. Florentinorum, ſociorumq; exercitum ductaret. Nullã in vrbibus oppidiſque, poteſtatem haberet. In exercitu, animaduertendi in eos qui ſibi non parerent, ius obtineret. Pecuniaria pœna ſi quem mulctaſſet, eam in ærarium Ciuitatis aut oppidi, cuius ille damnatus incola eſſet, inferret, neq; ſibi vſurparet. Annum integrum in Etruria bello gerendo perſtaret: neq; inde recederet, niſi aut euidens regni paterni neceſſitas euocaret, aut iuſſio ſummi Pontificis pro tempore impedimentum adferret. Florentini, ac Socii, Roberto, familiæ illius, & equitibus, his quidem per ſingulos menſes, illis vero diurnam penſionem darent. Maiorem partem Florentini, proximam Lucenſes, pauciorem Senenſes, alii vero pro proportione in ſtipendia contribuerent.

XVI. ROBERTVS PISTORIVM OBSIDENS ANATHEMATIS COMMINATIONE À CLEMENTE PP. DETERRETVR.

His ad eum modum compoſitis, Robertus hoc anno in Hetruriam venit, manumque electam equitum ſecum duxit. Piſtorium imprimis, coniunctis copiis circumdederunt. In cuius obſidione cum aliquantum morarentur, Clemens Quintus recens electus Pontifex, hortatu Nicolai Pratenſis Cardinalis duos ſimul Legatos Cardinales in Hetruriã deſignauit. Hi quarto fere menſe, poſtquam obſidio cœpta eſſet, cũ in caſtra veniſſent, Roberto Duci, exercituiq; vniuerſo authoritate Pontificis edixerunt, vt & obſidionem ſoluerent, & ab armis diſcederent. Iſtud niſi facerent, grauiſſimas Eccleſiæ cenſuras metuerent. Robertus Dux dicto Pontificis obediens fuit. cæteri populi longiorem militiam metuentes deſtiterunt. Soli Florentini ac Lucẽſes obſtinatis animis obſidionem proſecuti ſunt; conſcii non tam ex animo Pontificis, quam ex ſuggillatione aduerſariorum præcepta illa comminationeſque Apoſtolicas prodire: ac paulo ante in Principibus experti ciuium, nihil neq; firmi, neq; ſynceri curam habere. Ea indignatione Legatorum iuſſa contemnere, nec tantis laboribus cæptam protractamque obſidionem ſoluere ſtatuerant. Legati Cardinales, quoniam dicto non parebatur, in Florentinorum, Lucenſiumque Præſides ſententiam tulerunt, vrbibuſque eorum Sacra interdixerunt. Robertus relicta apud Piſtorium magna parte equitatus, quam in Hetruriam veniens adduxerat, ipſe tenui comitatu in prouinciam primo, mox in Galliam tranſiuit, gratulaturus Clementi aſſumptionem ad Pontificiam Sedem. Florentini vero & Lucenſes in obſidione perſeuerãtes, Piſtorium indies arctius oppreſſerunt, donec vere inſequentis anni 1306. ad Quint. Id. April. potiti eſſent.

PISTORIVS CAPITVR ET DIRIPITVR A FLORENTINIS.

Poſtquam ad vndecimum menſem obſidionem protraxiſſent. Tam longa obſidione domiti Piſtorienſes in poteſtatem venerũt, exulibus qui intus erant incolumibus abire pactis. Ciuibus autem impunitate conceſſa, ſtatim atque vrbem in poteſtatem Florentini atque Lucenſes accepiſſent, mœnia vndequaque diruerunt: agrum & regionem inter ſe partiti ſunt; Vrbi vero afflictæ & ſemirutæ imperitauerunt.

XVII. MEMORANDA PRODITIO ET SVPPLICIVM IOANNIS CVMEIN A ROBERTO IN REGEM SCOTIÆ ELECTI. *Hector Boethius Scot. hiſt. lib. 14*

Claudebam hunc annum, mortibus & caſibus Tragicis nobilem, ſed pro coronide inſeri poſtulat, memoranda proditio, inſtructa apud Edouardum Anglum, Roberto Bruſio Scoto. Poſtquã Edouardus Rex Angliæ *Scotos in miſeram ſeruitutem ſubieciſſet*, Robertus Bruſius & Ioannes Cumein Red cognomento, quæſti inter ſe de miſera Scotiæ oppreſſione, tandem vbi vterque animum gemitibus ac ſuſpiriis alteri indicaſſet, Robertus Bruſius Ioanni Regnum, ſi vellet, obtulit, pollicens ſe omni diligentia, omnibuſque viribus quod in eam rem poſſet anniſurum: aut ſi eam conditionem maiorem quam pro ſe putaret, quoniam ipſemet merito Regnũ ex hæreditate poſſidere deberet, ſibi id relinqueret. Pulſis vero regno Anglis hæreditatẽ omnem eum retenturum cum magnis præmiis, ac perpetuo ſecundum à Rege fore. Quod vbi litteris ac iureiurando confirmatum fuit, mox Robertus in Angliam reuerſus eſt. Nam eo quod regni hæres eſſet, *ſuſpectus* Regi erat, nec diu illi in Scotia commorari fuit integrum. Iampridem enim vita priuatus à Rege fuiſſet, ſi qua occaſione fratres eius omnes in vnum congreſſos deprehendere potuiſſet. Ibi Cumein facta coniuratione, ſeu metuens ne cæpta non bene poſſent procedere, comparans vires ſuas, cum tam potẽte Rege, ſeu occaſione oblata, qua vno omnium in Scotia potentiſſimo è medio ſublato ipſe cæteros omnes excelleret, ac Regno proximus eſſet, nũcium fidelẽ ſibi ad Regẽ Edouardum cum literis coniurationis mittit, ac inita conſilia aperit, vt conuictus mox Robertus ſumpto ſupplicio tolleretur. Quibus inſpectis Edouardus, non omnino credens vera eſſe, ſed ex inuidia æmulatione potentiæ proficiſci; attamen metuens ac prorſus ambiguus Robertum ad ſe vocauit, literas oſtendit, quæſiuitque, num manum ſuam agnoſceret. Ille magnopere ſe literas agnoſcere diſſimulans, aſſeuerabat certo ſcire eam ſibi fraudem ab Ioanne confictam ex veteri odio inuidiaque eſſe. Poſcere itaque vt vnam ſaltem noctem literas libere inſpicere liceret; ſe enim facile demonſtraturum falſas eas & commentitias eſſe; obſidem, comitatum ſuum & quicquid vbiq; haberet, dare. Rex quia crimina haud ſimilia veri eſſe iam antea putauerat, facile ſed profecto ſtolide aſſenſus eſt. Nam licuerat eum in cuſtodia firma quæcumque vellet agentem ſine magno habuiſſe negotio. Sed ita in fatis erat, Regnum Scotiæ Robertum aliquando compara-

turum. Igitur Robertus vbi primum à Rege diſceſſiſſet, vocato Fabro ferrario, ac ex omnibus equis electis tribus quam velociſſimis (nam fugæ conſilium Comes Glomerenſis dare, miſſis duobus calcaribus cum duobus aureis videbatur) inuerſe ac præpoſtere ferrea pedum munimenta equis affigenda curauit, ne fugæ locum ex veſtigiis equorum deprehenderent perſequentes. Media itaque nocte cum duobus ſociis fidelibus fugam arripuit, & nix forte tum cœlo denſa cadebat, vt veſtigia cōtinuo niue oppleta, etiam ſi ferrei equorum calcei non præpoſteri fuiſſent, deprehendi non potuiſſent. Edouardus quum de fuga Roberti certior factus eſſet, ſupra modum ſibi iratus, emiſſis ad inueſtigandum non quiuit tamen veſtigia ob niuem deprehendere. Robertus autem ſeptimo die in hæreditarium caſtrum veniens, cum fratrem Dauidem ſibi adiunxiſſet, & indice fidiſſimo adoleſcente Roberto Flemein, nuncium à Ioanne Cumein literas ad Edouardum, vt quam citiſſime Bruſius interficeretur, ferētem intercepiſſet, proq; mercede capite truncaſſet, Dumfrenſium profectus, Ioannem Cumein in choro Fratrum Minorum deprehendit, deque fide prodita increpatum exempto gladio in ventrem configit, atque mox ex templo ſeſe proripuit. Acceſſere interim duo amici Bruſii ad Ioannem, & vbi ab eo vulnus poſſe curari ſi chirurgus adeſſet, intellexiſſent, tribus inſuper aut quatuor ictibus proditorem interimerunt. Perpetrato facinore Robertus, audendum maius aliquid ratus, quo manus Edouardi deuitaret, aut poteſtatem aliquam qua poteſtati eius reſiſtere valeret, ſibi compararet, impetrata prius à Clemente Quinto Pontifice Sacri templi violati atque cædis venia, auxilio amicorum Scotiam profectus, diadema Regni Scotiæ ſumpſit, atque maximas quam potuit copias, ad bellum aduerſus Anglum mox gerendum comparauit. Hunc exitum habuit Ioannes, violatæ fidei reus, Regno Scotiæ in Robertum iure merito translato.

# IESV CHRISTI
## Annus 1306.

### CLEMENTIS V. PONTIFICIS ANN. I. ET 2. Alberti Romanorum Regis anno 4.

I. CLEMENTIS PP. CONATVS PRO IVVANDIS AFFLICTIS REBVS SYRIACIS. *ep. ann. 1. pag. 53.* CAROLO VALESIO AD CONSTANTIN. OBTINENDVM IMPERIVM AVXILIA PRÆSTAT. *ep. dat. Lug. 3. Non. Iun. a. 1.* *ep. dat. Lug. Cal. Febr. a. 1. & Sabelli. Ennead. 9. lib. 7.*

CHriſtianorum in Syria reſidui, nihil magis à Clemente Pontifice, ac principibus Chriſtianis, quam opem & auxilia poſcebant. His itaque vt omni ratione Clemens ſuccurreret, Antonium Patriarcham Hieroſolymitanum profectionem maturare, & ad Reges Romanorum, Aragoniæ, Hungariæ, Cypri, & Armeniæ diuertere in itinere iuſſit; vt adiutoria laborantibus impetraret. Quæ vt tanto libentius præſtarent Reges & Principes, literis ad eos Lugduno ad Quart. Cal. Mart. datis, Antonium & cauſam à Saracenis oppreſſorum commendauit. Exegerat per id temporis Maria Franciæ Regina, à Iudæis non contemnendas pecuniarum ſummas. Cæterum cum per ſummam iniuriam illas ab immerentibus extortas exiſtimaret, eamque ob rem vehementer angeretur: conſulenti illi Clemens reſcripſit, vt eas omnes pecunias quantæ quantæ eſſent, in Sacri belli Syriaci expeditionem numeraret, eoque modo conſcientiæ ſuæ ſcrupulum eximeret. Cum autem Clemens rebus Syriacis iuuandis intentus, perſpectum haberet, eas maiorem in modum poſſe iuuari, ſi Carolus Valeſius, iure hæreditario per Catharinam coniugem, ad ſe pertinens Imperium Conſtantinopolitanum recuperaret, illum ipſum non tantum ad id hortatus eſt, ſed tum conſiliis, tum opibus etiam iuuit, Venetoſque terra marique potentes, ad auxilia illi ferenda excitauit. Ita vt illi cum Carolo, in Paleologum iuniorem, qui tum Conſtantinopoli imperabat, fœdus percuſſerint. Ab ea confœderatione, cum ſibi non parum Rex Raſciæ, nunc Deſpotum appellant timeret, ad Clementem Pontificem Oratores miſit, qui Legatos à Sede Apoſtolica depoſcerent; quibus ſeſe & populos ſibi ſubditos dedere ſpondebat, in Catholicæ Eccleſiæ communionem. Nam hi Græcanico ritu viuentes, ante hæc tempora, ab vnitate Orthodoxa abhorrebant.

II. AD ITALIAM PACANDAM NEAPOLEONEM LEGATVM MITTIT. *Rubeus hiſt. Rauenn. lib. 6.*

Ad Italiam deinde pacandam, Clemens Pontifex animum aduertit. Quamobrem Neapoleonem Vrſinum Romanæ nobilitatis Principem, S. Hadriani Diaconum Cardinalem Legatum ad Prouincias Tuſciæ, Romandiolæ, Marchiæ Triuiſinæ, Patriarchatum Aquileienſem & Grandēſem, Archiepiſcopatum & prouinciam Rauennatem, Ferrariam Ciuitatem & Diœceſim, Archiepiſcopatum Ianuenſem, ad Inſulas quoque Sardiniæ ac Corſicæ, & Venetiarum dominia, & ad alias partes circumadiacentes deſtinauit, vt tumultibus ab Albis & Nigris temere excitatis finem imponeret, ac inſulas illas à Piſanorum incurſibus vindicaret. Is ad Quintum Calend. Maias Bononiam venit inque ſuum & familiæ ſumptum, annuum ſtipēdium Archiepiſcopo Rauennati, & cæteris ſacratis viris Ciuitatis, diœceſiſque etiam immunibus impoſuit. Cæterum cum pacificatoris munus aggreſſus, concordiam inter Bononienſes conciliare ſtuderet, nec quicquam aſſequeretur, per Marchionis Senatoris factionem, ad extremū à maleferiatis quibuſdam ciuibus, contra ius gentium violatus fuit. Ad X. enim Cal. Iunias, ad Epiſcopium Bononienſe, in quo hoſpes diuerterat, armati accurrentes, clamore excitato, proditorem Legatum appellantes, vt quamprimum moreretur, contendebāt. Iamque fores palatii effregerant, cum Bernardinus Polentanus Prętor accurriſſet, & procerib. factioſis benigne compellatis, eos mali quod immineret admonuiſſet, tandem tumultum ſedauit, & armatos ſecedere iuſſit. Non tamen furorem quo flagrabant, extinguere quiuit: quin in Neapoleonem Bononia diſcedentem effunderent. Forum Cornelii per deuia properabat: cum aliqui ex vrbe erumpentes, cognita ex multorum ſtragulis eius ſuppellectili quam ferebant, agaſonibus dilapſis omnes ſarcinas diripuiſſent.

BONONIENSIVM IN NEAPOLEONEM INIVRIÆ ET FVROR.

III. NEAPOLEO PERDVELLES CONTVMELIOSOS ANATHEMATE FERIT.

Non ferenda fuerat Legato, tum atrox contumelia illata. Forum itaque Cornelium veniens, eos Bononienſes qui inſultus auctores fuerant, quique plurimum in ciuitate poterant, anathemate damnauit, Gymnaſio priuauit, honoribus & priuilegiis mulctauit. Eam etiam ob rem relegati quamplurimi, eorumque domus euerſæ: auditores fere omnes ac Doctores Patauium abiere. Inde etiam ad X. Cal. Iul. ad Rauennates, omneſque Legationis ſuæ ciuitates dimiſit, quibus iubebat, ne Bononienſium conſuetudine vterentur, neue illos auxilio iuuarent; magna eſſe & nefaria crimina, Prætoris, Præfecti, Defenſorum, Proconſulum, Antianorum, eorumque Vicariorum, ac cæterorum adminiſtrorum Senatus, & Vniuerſitatis Bononiæ, in Diuinæ maieſtatis offenſionem, in Apoſtolicæ Sedis iniuriam, ac Eccleſiaſticæ libertatis detrimentum. Sc. quod cum Florentinis Eccleſiæ Romanæ perduellibus fœdera iniiſſet; Religioſos viros ſpretis Neapoleonis ipſius atque adeo Sedis Apoſtolicæ mandatis, præſertim nonnullos fratres tertii Ordinis Humiliatorum, & S. Mariæ Gaudentium, contra priuilegia Pontificia, tributis impoſitis oppreſſiſſent; Albizum & Franciſcum Vbaldinos germanos, Eccleſiæ Bononienſ. Canonicos exilio mulctaſſent; Archipresbyteri S. Laurentii in collina domos ſolo æquaſſent; Neapoleonis Legati, ſeu verius ſummi Pontificis literas, quibus iubebat vt iis iniuriis abſtinerent. Epiſcopo Bononienſ. & Dominicanorum, Franciſcanorum Eremitarum, Auguſtinianorum, Bononienſium Prælectis, qui eas Bononienſibus reddiderant, referentibus

ſpre-



ſpreuiſſent: omniaque denique Diuina ac humana iura temere conculcaſſent. Hæc cum Neapoleo contra Bononienſes egiſſet, ſcripſiſſetque, Quarto Non. Sextil. Rauennam ingreſſus, magna omnium gratulatione exceptus eſt. Rauennæ integro menſe commoratus, Fauentiam rediit, inde Forliuium ſe contulit, habitoque ibidem Conuentu, ac recitatis de ſua Legatione Pontificiis literis, cum è Campania milites tercentum quinqaginta, pedites centum adueniſſent, Forum Cornelii reuertit. cum antea Florentini eum recipere noluiſſent, ideoque iuſtam eius indignationem in ſe prouocaſſent; adeo vt primores Ciuitatis, anathemate percuſſerit, & Florentinæ vrbi ſacra interdixerit.

IV. CLEMENS ADVERSVS PISANOS SARDINIAM ET CORSICAM INFESTANTES IACOB REGI ARAGONVM FERT SVPPETIAS. *MS. Colum. Bibl. Vaticana.*

Piſani etiam per id temporis, pyraticam exercentes, Sardiniam & Corſicam inſulas, ad Eccleſiam Romanam ſummo iure pertinentes, armis infeſtis inquietabant. Eas cum iure beneficiario in feudum Iacobus Rex Aragonum à ſede Apoſtolica obtinuiſſet, neque illis Pacifice potiri potuiſſet, auxilium à Clemente Pontifice poſtulauit. Clemens itaque Friderico Aragonio Regi Trinacriæ, auctoritate Apoſtolica iniunxit, vt eas quas ex pactis iuramento confirmatis Romanæ Eccleſiæ tenebatur triremes ſubmittere, claſſemque Pontificio nomine inſtructam, armis & milite augere, quamprimum contra Piſanos educeret, eorumque temeritatem caſtigaret, atque Iacobum fratrem Regem Aragonum, in poſſeſſione earum inſularum ſiue recuperanda, ſiue retinenda adiuuaret.

V. IACOBVS ARAGONVM REX LEGATOS MITTIT CLEMENTI PP. AD PRÆSTANDVM EI IVSIVRANDVM ET OBEDIENTIAM. *Surita li. 2.*

Hoc anno ad X. Calend. Maij. Iacobus Rex Aragonum, ſanctioris ærarii Eccleſiæ Valentinæ Maioris Balearium Præfectum, & Petrum Martinium Gororum Oratores ad Clementem Quintum deſtinauit, qui Pontifici Maximo de more iurium Inſularum Sardiniæ & Corſicæ, ratione iuſiurandum, obedientiamque præſtarent, ac fidem ex formula præſcripta, nomine Regio pollicerentur. Cum Burdigalæ Pontificem conueniſſent, ad V. Cal. Iun. honorifice recepti, iuſiurandum verbis conceptis ſanxerunt; ac literis Regiis confirmarunt.

VI. CLEMENS EDOVARDI ANGLIÆ REGIS LEGATOS ROBERTVM CANTVARIENSEM ARCHIEPIS. REVM PERAGENTES AVDIT. *MS. Bibl. Vat. de reb. Angl.* ROBERTVM AB OFFICIO REMOVET. CAPITA GRAVAMINVM AB EDOVARDO REGE ANGLIÆ CLERO ET ECCLESIIS ILLATA.

Ex Anglia quoque hoc anno à Rege Edouardo Nuntii aduenerunt ad Clementem. Inter reliqua negotia quæ ſummo Pontifici expoſuerant, Robertum Cantuarienſem Archiepiſcopum reum peragebant, quaſi is Rege in Flandria abſente, quædam contra fidem ac officium molitus eſſet, quodque illos, qui Regi à Sacris erant & in expeditione illum comitabantur, nihil moratus aut Regis preces, aut ipſorum appellationem, Sacerdotiis ſpoliaſſet, Itaque Rex illum detulit quaſi reipublicæ & Regni perturbatorem. Robertum, Pontifex, ad ſe Burdegalam accerſiuit, & ab officii ac muneris adminiſtratione remouit, quoaduſque obiecta crimina diluiſſet. Res eſt. Offenderat Edouardum Regem, Robertus Archiepiſcopus, quod cum illo, de immunitatibus, prærogatiuis, priuilegiis, & libertatibus Eccleſiæ, ex præſcripto Canonum, atque adeo Guilelmi primi Regis, & magnæ, vt appellant chartæ, conſeruandis libere egiſſet: eaque valde labefactata & imminuta queſtus eſſet. Iſta fuere capita grauaminum.

*1. Iudices Regij in cauſis Legatorum & teſtamentorum, rationumque ab hærede reddendarum & decimarum, cum petitarum æſtimatio quartam partem annui redditus beneficij conſiceret, & de vicariarum iuris patronatu ſeſe immiſcebant.*

*2. Clerici, Prælati, Cænobiarchæ, Epiſcopi tributis & vectigalibus onerabantur; equi & currus Eccleſiaſticorum ad publicas & Regias tranſuectiones, contra immunitates abducebantur. Molendini Regiis ſumptibus recens conſtructi decimæ, ex Regio reſcripto, hac fruſtratione, quod hactenus nullæ decimæ ſolutæ eſſent, intercipiebantur ne Epiſcopi ad officium & præſentiam ſui faciendam cogerent eos Sacerdotes, qui Sacerdotia & plebem ſuam ſua præſentia contra inſtituta Canonum deſtituerent, impediebantur. Vt Sacerdotes in ærario Regis quod ſtatarium appellabant, negotiis Regiis operam darent, compellebantur. Clericorum defunctorum bona, qui rationibus Regi reddendis obnoxij erant, à Rege ita occupabantur, vt hæredibus aut adminiſtratoribus non liceret ea ex voluntate defuncti erogare. Cum Epiſcopatus ac cœnobia vacarent, domos, viuaria, piſcinas, molendina, nemora, & alias Eccleſiæ poſſeſſiones luculentis damnis imminuebantur; culpa eorum qui cuſtodes à Rege aut aliis præſcripti erant. Cumque agri negligenter & tenuiter colerentur, & rara ſemina iacerentur, ſucceſſores tamen grandes ſummas pendere cogebantur, quaſi iuſta cultura impenſa fuiſſet, & agri pleno ac iuſto ſemine conſerti eſſent.*

*3. Clerici per laicos nonnumquam, præſertim in illis quæ liberæ capellæ dicuntur, in poſſeſſionem introducebantur.*

*4. Iudices Regii nonnunquam in cognoſcendo de vſuris, de infamantibus, de vim ſacris hominibus inferentibus, de Sacrilegio, de oblationibus, de cœmeteriis non clauſis, de mortuariis (vt appellabant) iuriſdictionem ſibi quam non habebant, prorogabant.*

*5. Ad impediendam Eccleſiaſticam cognitionem, prodibant Regia reſcripta (quæ prohibitiones appellant) quæ cauſam à foro ſacro ad Regium tribunal adducebant. Cumque tandem liquido appareret litem nihil habere cum foro Regio commune, aduerſario tamen per fruſtratorem ita vexato conſuli, ad ſumptus reſarciendos non potuit, quod reſcriptum impetrantis nomen non complecteretur.*

*6. Deferebant etiam multi Epiſcoporum & Sacerdotum nomina, multaque ſæpe illis crimina in foro Regio obiectabant, quæ cum illi infirmaſſent & excluſiſſent, nullis tamen calumniatores illi pœnis mulctabantur.*

*7. Clerici à laicis comprehenſi, depoſcentibus eos Epiſcopis, aut non tradebantur, aut grauatim, & cum oneroſis conditionibus tradebantur.*

*8. Cum Clerici de criminibus, quorum in illos ſuſpicio cadebat, idonee in ſacro foro forent purgati, rurſus tamen in Regio ob eamdem cauſam irretiebantur; neque tamen ſic purgatis ablata bona reſtituebantur.*

*9. Confugientes ad Eccleſiam, ibi quaſi in arce ab apparitoribus obſidebantur.*

*10. Deferebantur Regia ad Epiſcopos reſcripta, vt cautione accepta etiam ante ſatisfactionem implicitos anathemate liberarent. quique per 40. dies in eo hæſiſſent, & ideo in carcerem miſſi, per Vicecomites tamen, plateas & ciuitatem obire permittebantur. & coloni, atque tenentes vt appellant Regis anathema, in quo iam 40. dies pertinaciter permanſiſſent, eo prætextu eludebant, quod extra Parochiam euocari non deberent, neque contra huiuſmodi fruſtratores reſcriptum Regium de capiendo (vt appellant) excommunicato dabatur. Cumque alij vi illius reſcripti comprehendi deberent, dicebant ſe ab Epiſcopo prouocaſſe, aut non eſſe ex diœceſi Epiſcopi: magiſque illis fides adhibebatur, quam Epiſcopo neganti huiuſmodi appellationem interpoſitam, aut affirmanti reum eſſe ſuæ iuriſdictionis.*

*11. Non permittebatur Clericus à Clerico mutuo datam pecuniam in foro Eccleſiæ repoſcere.*

*12. Epiſcopi cogebantur Clericos ſuos in foro Regio ſiſtere, quos commode ſiſtere non poterant, nec excuſare ſe poterant, licet dicerent, omnem ſe operam, quo illos ſiſterent, ſe dediſſe.*

*13. Propter negligentiam & Præfecti, & Præſidis, ad biennium ceſſantis redditus, aut certam penſionem debitam Eccleſiæ ſoluere, excidebat Eccleſia rei dominio.*

*14. Quæ ſe flammeo virgineo velaſſent, poſſeſſiones tamen defunctorum ipſis neceſſitudine & cognatione iunctorum in foro profano vindicabant.*

*15. Eccleſiarum Præſides, qui priuilegiis quibuſdam nitebantur, iuſſique vt ſcripta, quibus ſe muniebant proferrent, interim poſſeſſione iuris ſui ſpoliabantur.*

*16. Vicecomites & Proceres, Præſidibus Eccleſiæ, iiſque quibus illi cauſas fori Eccleſiaſtici mandauerant, moleſtias ſæpe irrogabant, ſeque ad eum modum opponebant, vt cauſas non poſſent cognoſcere.*

*17. Cum Sacerdotio donatos, Epiſcopi quaſi inidoneos illi muneri, vel propter morum & vitæ deprauationem, vel doctrinæ inopiam repellerent; laici tamen ſæpe ſæpius, vtrum idonei aut inidonei eſſent, cognitionem ſibi arripiebant.*

18. *Illi quorum Maiores Cœnobia conſtruxiſſent, aut Vicecomites, frequentius iuſto cum familia & equis ad ea diuertendo, nimiis ea ſumptibus exhauriebant.*

19. *Laici cognitionem bigamiæ, & an aliquis eſſet legitimis natalibus ortus, ſi ſub illa verborum formulæ quæſtio proponeretur, vtrum eſſet quis legitimus, ad ſe rapiebant, at ſi ita conciperetur, vtrum (vt appellabant) baſtardus, tum ſuperſedebant.*

20. *Sacerdotia quæ Rex conferre ſe debere dicebat, lite iuriſpatronatus pendente, nonnunquam quinque aut ſex annos, Paſtore, contra ſcita Canonum, quæ intra ſex menſes orbatis Eccleſiis prouideri præcipiunt, deſtituebantur.*

21. *Edicto de poſſeſſionibus, ad manum mortuam non transferendis, maiorem in modum Eccleſiæ & vniuerſi ex Clero opprimebantur.*

De his & aliis compluribus grauaminibus Clero & Eccleſiæ illatis, cum Robertus Archiepiſcopus pro munere ſibi iniuncto, cum Edouardo Rege atque Proceribus expoſtulaſſet, inuidiam ſibi grandem conflauit, ex qua criminibus variis per calumniam oneratus, apud Clementem Quintum Pontificem Max. cauſam dixit.

VII. IOANNES CORVINVS MINORITA CAMBALANENSIS CREATVR ARCHIEPISC. *Thom. Boz. lib. 4. c. 2. & ep. 19. Clement.*

Eadem tempeſtate Clemens Quintus, Ioannem à Monte Coruino, è familia Minorum, Archiepiſcopum Cambalenſem in Oriente creauit, nouemque ex eadem familia fratres, Epiſcopos, vt vocant ſuffraganeos conſecrauit, palliumque eidem conceſſit, facta prouiſione, qui illi propter diſtantiam loci, ſuccederet; quique Fratres ad conuerſionem gentilium Orientalium, cum poteſtate ampliſſima deſtinaret.

VIII. PHILIPPVS GALLIARVM REX OMNES IVDÆOS REGNO SVO EIICIT.

Hoc anno Philippus Rex Galliarum, omnes Iudæos Regno eiecit, bonaque eorum publicauit. Alphonſus Spina, cauſam aſſignabat iſtis verbis. Eo, inquit, tempore quo ſordidus Iudæorum populus in opprobrium ſempiternum cunctis gentibus à Deo datus, ſua cõtagione Chriſtianiſſimum Franciæ Regnum fœdabat, quidam ipſorum, vt ſolent, publice vſuram exercebat. Mulier igitur quædam Pariſienſis neceſſitate compulſa, vnam quam ſolam retinuerat, pretioſam veſtem Iudæo illi fœneratori in pignus dedit. Die vero Sanctæ Reſurrectionis appropinquante, mulier non habens vnde veſtem ſuam redimere poſſet, multis blanditiis circumuenire fœneratorem tentauit, iurans illi & promittens, vt ſi ſuam illi in die Sancto Paſchatis vſui præſtaret veſtem, in craſtinum eam ſuperaddito fœnore reſtitueret. Vnde proditor afflictionem mulieris conſiderans, quánquam lucri cupidus foret, mente tamen concipiens facinus, renuit aſſentiri pollicitationi mulieris, ſed decipere illam cupiens, in hæc verba prorupit. *Scio te tua in lege mulierem honeſtam & abundantem à tuis vicinis reputari. Scio etiam te multas habere æmulas, quæ ſi in die feſto te tua veſte adornatam non viderint, excipient te riſu, & cachinnis. Porro ſi conſiliis meis acquieſcas, veſtem tuam reddam, & pecunias duplicatas dabo.*

INGENS MIRACVLVM DE SS. EVCHARISTIA A IVDÆO IN BVLLIENTEM AQVAM IACTA.

Poſcente illa, quid à ſe vellet; Hebræus ait: *ſi mihi iures illum quem adoras pro Deo tuo, & quem in Paſchate è manu Sacerdotis percipies ad me allaturum, tuam tibi veſtem reſtituam, & pecunias duplicabo.* Detrectauit primo mulier; atque tandem poſt multa acquieuit tam nefando crimini, veſtemque reportauit: pactam pecuniam expectatura. Aduenit Sacrum Paſcha, mulier Sacram hoſtiam in os aſſumptam non deglutiuit, ſed ſudariolo inuolutam Iudæo repræſentauit, pecuniamque ex pacto recepit. Iudæus vero flammam ingentem domi in camino accendit, & vrnam aquæ non modicam igni admouit: mox Euchariſtia correpta; *& eſne tu Deus Chriſtianorum, quem illi adorant? Tunc ille, quem de virgine natum ſtulta credulitas iactat? Ecquid ne potes te de manibus meis eripere? Agedum: ſi te Maiores mei Cruci affixerunt, ego tuam potentiam ignibus examinabo.* Hæc & alia ſcelerato ore vomens, corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti in medium bullientis aquæ iactauit: vbi confeſtim ſpetioſus forma præ filiis hominum puer apparuit, perambulans ſuper aquas bullientes. Quem videns Iudæus, non tamen tanti ſigni & miraculi nouitate ad Dominum conuerſus, ſed Iudaica obſtinatione pertinax, puerum inſtar ſolis rutilantem, cum eo inſtrumento ferreo quod in manibus geſtabat, iteratis vicibus in vrnam bullientem demergere tentauit, necquicquam vero efficere potuit, puero ab ea parte qua Iudæus ferrum vibrabat, in alteram declinante. Viderunt forte iſtud pueri Hebræi, & quid pater faceret, matri renunciarunt. Cumque illa ad ſpectaculum accurriſſet, illi in plateam euadentes, crudelitatem paternam populo diuulgarunt. Accurrentes multi ex Chriſtianis, Iudæum cum puero colluctantem aſpexerunt, atque Epiſcopo Pariſienſi facinus retulerunt. Aduenit ille cum vniuerſo clero, & in medio aquæ bullientis hoſtiam mundiſſimam illæſam & integram reperit, inque Eccleſiam S. Ioannis de Grauia, ſumma cum veneratione portauit. Pueri cum matre, ab eo ſpectaculo fidem Chriſti complexi ſunt. Iudæus in ſua obſtinatione manens, flammis addictus fuit. Ad quam cum duceretur, librum Thalmudi ſe penes habere deſiderauit, futurum dicens, ab eius geſtatione, ne flammis vreretur. Allatus ei codex quem optauerat: nihil tamen effecit; igne in librum & perfidum magis potente. *M. Chron. Belg. ex lib. 3. Fortalitij.*

IX. CONRADI OFFIDANI MONACHI ORD. S. FRANCISCI SANCTITAS MIRACVLA ET OBITVS. *Toſſignian. lib. 1.*

Hoc anno in cœlos abiit, B. Conradus Offidanus Picens, Euangelicæ perfectionis & Regulæ S. Franciſci Zelator feruens ſanctitate inſignis, qui mortuos quinque fertur ſuſcitaſſe: cuius tunica deuotionis cauſa ſeruatur in ſacro Aluernæ loco. Hic cum adhuc in ſæculo exiſteret, ante datam indulgentiam Portiunculæ fuit ei reuelatum. Semel vidit B. Virginem inæſtimabili claritate circumfuſam, dum ipſe oraret ante altare S. Mariæ de Anglis. Sumpſit habitum S. Franciſci ætatis ſuæ annum agens XIV. qui veſtigiis Chriſti firmiter inhærens, quinquaginta annos vili tunica contentus, præter chordam & femoralia nihil aliud ſibi proprium habere voluit: nudis incedebat pedibus, nuda humus paleis ſtrata fuit ei lectus, aſſidua abſtinentia ſe affligebat, omnes quadrageſimas ad exemplum S. Franciſci ieiunabat, ad eumque modum viuebat, vt ſocii eius exiſtimarent ſe alterum Franciſcum videre. Magnis fuit præuentus gratiis: viſus pluries à terra ſubleuari. Cum ſemel iuiſſet ad locum Offidæ, fratres rogauerunt eum, vt quemdam fratrem iuuenem ibi manentem admoneret & corriperet: qui propter inordinatam & diſſolutam vitam ſuam omnes conturbabat, & de horis canonicis, & aliis regularibus diſciplinis quaſi nihil curabat.

APPARET EI FRATER DEFVNCTVS EIVSQVE SVFFRAGIIS IVVARI PETIT.

His ille compatiens, & illum fratrem diſcolum ſeorſum aduocans tam efficaciter exhortatus eſt, vt ſtatim facta manu Domini ſuper eum, mutatus fuerit in virum alterum: & factus ita obediens, benignus, ſolicitus, deuotus, & obſequens. Is intra paucos dies defunctus, apparuit B. Conrado oranti dicens; *Ora pro me F. Conrade, quia oratio tua eſt grata Deo, & ſanctis eius.* Cumque hic centum orationes Dominicas pro anima illius oraſſet, rurſus ei apparuit, dixitque: *Gratias ago Domino Deo, & tibi pater chariſſime, quia propter tuas orationes à pœnis omnibus ſum liberatus.* Tandem ipſe, cum apud inſulam Romanam, quæ Baſtia dicitur, concionaretur, ſancto fine quieuit. Corpus eius Peruſiam tranſlatum, ibique in Sacrario Eccleſiæ S. Franciſci conditum, crebris coruſcabat miraculis.

X. S. NICOLAI ORD. S. AVGVSTINI PROPHETIIS ILLVSTRIS. *Sur. 10. Septemb.*

Eodem anno ex hac vita exceſſit, Tollentini in Piceno, Sanctus Nicolaus Confeſſor Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini. Placet eius ortum, progreſſum, & actiones recenſere.

In caſtro Sancti Angeli, territorii Firmanæ ciuitatis, apud Picẽtes, honeſta quædam matrona Amata nomine, multo tempore ſterilitatis opprobrio obnoxia cum marito ſuo vixerat; nullis interim non precibus ac





lachrymis à Domino poſtulans, vt prolem largiri dignaretur, quam perpetuo ipſius obſequio conſecrare poſſet. Hæc illa aſſiduo precante, nocte quadam Angelus Domini vtriq; parenti aſtitiſſe dicitur; eiſque mandaſſe, vt ad ſanctum Nicolaum Barenſem properarent, illi cogniturí, quis ex eis propediem naſciturus eſſet. Ea viſione mirifice exhilarati, nihil de Angelica promiſſione hæſitantes, ſanctum arripiunt iter, ac peregrinorum inſtar ad Barenſem Diui Nicolai perueniunt Eccleſiam. Vbi cum ante altare preces ac munera obtuliſſent, ex longo feſſi itinere dulci ſopore corripiuntur. Et ecce mox in habitu Pontificis viſus eſt illis adeſſe S. Nicolaus, cuius precibus ac meritis innixi, in ſpem concipiendæ prolis veniebant. Is vero diuturnum eorum mœrorem conſolans, naſcituri pueri prædicit ſanctitatem, hortaturque vt diſciplinis & exemplis pia eius ſtudia promoueant.

XI. EIVS INFANTIA ET PRÆCLARA PVERITIA. *In vita S. Nicolai Tolentin.*

Itaque parentes pleni gaudio & exultatione domum redeunt, moxque Amata grauida facta, tandem parit filium: qui *Nicolaus* appellatus, & literarum ſtudiis adhibitus, vultu & moribus, & rara quadam animi prudentia, magnum futuræ ſanctitatis, de ſe ſpecimen præbebat. In Eccleſia, adeo pium & deuotum in Deum erigebat animum, vt corporeis etiam oculis Chriſtum conſpexiſſe credatur. Iacobus Albericus Bergomas, eam viſionem his verſibus narrauit.

*De puero memorant opus admirabile, magnum*
*Argumentum animæ iam Diuum in regna receptæ*
*Candida monſtraret cum libamenta ſacerdos*
*Murice fulgentes attollens altius vlnas*
*Apparebat ei non paruo candidus orbe*
*Panis, vt apparet nobis, ſed paruulus infans*
*Aut ſpecie puer eximia qui ſancta mouebat*
*Ora, manus, oculos, ſolitus myſteria quædam*
*Ad puerum diuina loqui, quæ audire profani*
*Non poterant ſi vt cum parua foramina ſolis*
*Ingreditur radius non aera permeat omnem*
*Sed fluit anguſtam ſignans in puluere lucem*
*Sic ea vox ſolas pueri veniebat ad aures.*
*Eſſe à ſecretis ætas innoxia Chriſto*
*Cœpit, & adſciri ſancta in conſortia Diuum.*
*Ac ſuperum fungi officio: quod Eliſabeth olim*
*Vnica progenies teneris accepit ab annis.*

XII. ADOLESCENTIA ET VITÆ INSTITVTVM.

In adoleſcentiæ flexu, Nicolaus, cũ propter inſignes virtutes cunctis mirifice charus eſſet, in Eccleſia S. Saluatoris haud ignobili ſane, Canonico, vt vocant, beneficio honoratus, ad dignitates & opes paulatim venit. Sed qui incredibili deſiderio noctes atque dies de ſolis cœleſtis patriæ opibus cogitabat, aliud vitæ inſtitutum iam animo erat complexus.

Accidit interim, vt quidam Prior Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, vir vitæ meritis & doctrina eximius, in platea publica concionem ad populum de mundi vanitate atque contemptu haberet. Hæc animum iuuenis adeo penetrauit, inflammauitque, vt mox à concione eumdem adierit Priorem, & ſummis infimiſque precibus in eamdem vitæ ſocietatem admitti poſtularit. Fuit eius poſtulationi, explorata tamen prius parentum voluntate, ſatis benigne factum. Itaque in religioſæ vitæ ſtadium admiſſus, mox ardua quæq; ſanctitatis moliri opera, carnem longa atterere inedia, precibus ac lachrymis inſiſtere, cœleſtium commentatione rerum mentem ad æternitatis ſtudia aſſiduo excitare, denique alia inſtanter agere, quæ ægre admodum veterani religioſi aſſequi potuerant.

XIII. SACERDOTIO INITIATVR ET ADMIRABILEM VISIONEM ACCIPIT.

Cum autem hiſce ſanctitatis operibus vitam præclare exornaret, ſacerdotio initiatus, ad eremum Vallimauenſem, quæ iuxta Piſas eſt, tranſmiſſus fuit: vbi præcipua quadam deuotione ſibi, ſuiſque, ac toti denique Eccleſiæ, quotidiano Miſſæ ſacrificio conſulere ſtuduit. Cum vero nocte Dominicæ proxime ſequentis, hebdomadarias ſacerdotii ſui vices de more inchoaturus eſſet, in ſomno audiuit ſpiritum quemdam, miſerando valde eiulatu exclamantem: *Nicolae frater, reſpice in me.* Illo autem reſpiciente, & ocyus, quiſnam eſſet percunctante, Spiritus reſpondit: *Ego ſum anima peregrini Auximienſis, quem viuentem noſti ſeruum tuum: crucior que in hac flamma. Purgatoriis namque pœnis miſericorditer à Deo deputatus, qui æternas merueram, tuis ſane precibus ac miſſæ ſacrificio liberari potero, ſi tu hoc charitatis officium præſtare volueris.* Cui Nicolaus: *Adiuuet te ſaluator meus, cuius ſanguine redemptus es. Ego enim qui ad ſummum ſacrificium ſolemniter faciendum, hoc præſertim Dominico die, cuius officium mutare non licet, deputatus ſum, Miſſam pro defunctis celebrare non poſſum.* Tum ille: *Veni*, inquit, *venerande Pater, & vide: num te deceat precibus tantæ, tamque miſeræ multitudinis à qua miſſus ſum, aſſenſum negare, meque miſerum tam inhumaniter repellere.* Duxit ergo eum ad alteram eremi partem, paruamque illam apud Piſas planitiem ei oſtendit: in qua Nicolaus aſpexit promiſcui ſexus, diuerſæ ætatis & Ordinis, innumeram multitudinem, lachrymabili admodum voce eius preces & ſuffragia, ac Miſſarum præcipue oblationes poſtulantem. Euigilans autem vir ſanctus, totus præ commiſeratione lachrymis infuſus, omnium ſaluatorem pro eis precatus eſt. Inde mane facto Priorem loci illius adiens, viſionem pro parte expoſuit, petiitque, vt bona ipſius venia, tota illa hebdomada pro defunctis Miſſas celebrare liceret. Annuit eius petitioni Prior, & alio in eius locum ſubſtituto, ipſe animarum iſtarum patrocinium ex fide ſuſcepit, bonamque illarum partem è flammis Purgatorii liberauit. Tranſacta enim hebdomada, ſupradicti Spiritus peregrini pro impetrata miſericordia gratias acturus rediit, magnamque illius multitudinis partem è pœnis acerbiſſimis ereptam dixit.

XIV. GRAVISSIMAS DÆMONIS TENTATIONES DIVINITVS SVPERAT ET IEIVNIIS AC VITÆ ASPERITATE SESE AFFLIGIT.

At vero tam præclaræ ſanctitatis initiis hoſtis antiquus inuidens, vt olim primum hominem per Euam, ita ſanctum virum per eius conſobrinum euertere conatus eſt. Erat is conſobrinus, monaſterii cuiuſdam, quod *Sancta Maria Iacobi* appellatur, prope Firmanam vrbem Præfectus. Hic dolens Nicolai vicem, quod inedia, inſomniis, ac vitæ auſteritate exhauſtus eſſet, eum ad monaſterii iſtius bonis ſecum libere fruendis, inuitabat. Sed vir ſanctus fraudulenti dæmonis inſidias pertimeſcens, in eius monaſterii Eccleſia ad deprecandum Dominum totum ſe contulit. In oratione cum eſſet, vidit viginti iuuenes in duos diſtributos choros, qui albis induti veſtibus, rutilanti ſplendore illuſtres, ter vna voce clamarunt: *Tollentini, Tollentini, Tollentini, erit finis tuus. In ea vocatione, qua vocatus es, permaneas: in ea namque erit ſalus tua.* Ea viſione vir Dei admonitus, repudiatis illico conſobrini blandimentis, Tollentinum properauit, vitæque aſperitatem, inediam, nuditatem, cæteraſque corporis afflictiones tanta contentione reſumpſit, vt triginta & amplius annis nunquam carnes, oua, piſces, immo nec poma, ſiue ſanus, ſiue æger comederit: quin & præter eum vitæ rigorem, ſecunda, quarta, & ſexta feria, & in honorem Beatiſſimæ virginis etiam Sabbatho, ſolo pane & aqua, idque modiciſſime deſumptis, victitabat. Pœne prætermiſeram, quod à ſeptimo ætatis anno, antequam religioni nomen dediſſet, tribus cuiuſcunque hebdomadæ diebus, noluit cibum ſumere: ſanctum Nicolaum Pontificem imitatus, qui quarta & ſexta feria materna vbera recuſabat.

XV. CORPORIS DISCIPLINAM EXERCET.

Nec vero ieiunio duntaxat & inedia, ſed etiam verberibus & cruciamentis corpus ſuum in ſeruitutem redigebat. Corporis enim deliciis valere iuſſis, ferrea carnem domabat catenula, & vigiliis attenuabat: adeo vt à primis tenebris, precibus ſine intermiſſione incumbentem, ſol matutinus ſæpe deprehenderet. Eius orationis ſtudio tartareus dæmon inuidens, infeſto incurſu ſæpe eũ impedire, ac horribilib. interdũ formis, duriſq; verberib. fatigare conabatur: ita vt per multos etiã

dies vulnerum veſtigia toto eius corpore non raro cernerentur.

XVI. ITEMQVE OPERA CHARITATIS.

Neque autem ſolis precibus Deo placere vir ſanctus ſtuduerat. Nam vbi res poſtulabat, proximo cuilibet charitatis operibus gratificaturus intererat. Ægrotis quaſi perpetuam operam nauabat: eorumque refouendis corporibus animiſque, omni cura ac diligentia totum ſeſe impendebat. In peregrinis ac fratribus præcipue hoſpitio excipiendis, mira fuit benignitate. Non enim ſuum illis obſequium, vt hominibus, ſed tanquam Angelis exhibebat.

XVII. INGENTIA AB IPSO PATRATA MIRACVLA ET INSIGNIA IPSIVS SANCTITATIS DOCVMENTA.

Fertur præclarum quoddam admirandæ illius ſanctitatis documentum cœlitus exhibitum fuiſſe, multo ante, quam ex hac vita emigraſſet. Nam eo in loco, qui poſtea ipſius monumento cum primis honoratus fuit, radiantiſſimum quoddam ſidus apparebat, quotieſcunque ibi precibus vel rei diuinæ incumberet. Luxit autem in Nicolao, non modo egregius ſanctitatis ſplendor, ſed & admodum illuſtris gloria miraculorum quæ patrabat. Inter alia ſane, fœmina quædam ſanguinis profluuio annis quinque miſere laborans, ſigno Crucis ab eo curata fuit. Paruulus quidam in ignem lapſus, & luminibus ab aduſtione orbatus, priſtinæ ſanitati per eum reſtitutus fuit. Alios præterea non paucos vtriuſque ſexus homines edito Crucis ſigno à diuerſis perſanauit morbis: atque languentes etiam animas, & peccatorum contagione fœdatas, ſuauiſſimis pietatis ſuæ fomentis ad integritatem reuocauit. Lampadam à maligno ſpiritu iam effractam, in formam integram reſtituit, atque extinctam ſine igne pius Nicolaus orans accendit. Gentilem conſobrinum ſuum, pœnis inferni per ſententiam interlocutoriam addictum, oratione liberauit. Fontem aquæ viuæ intra clauſtrum cœnobii vnius, ſola oratione elicuit, medicamque virtutem ad perſanandas complures ægritudines aquæ illi impetrauit. Aquam in vinum Crucis ſigno conuertit. Perdicem ſibi ægrotanti aſſatam à quodam amicorum allatam, ne carnium eſu etiam in ægritudine ieiunium diſſolueret, facta benedictione redanimauit, atque euolare fecit. Aliquando in lembo veſtis panes egenis ferrentem, Prior cœnobii, quid abſconderet interrogauit: cumq; Nicolaus roſas & alios flores ferre ſe aſſimulaſſet, veſtiſq; laciniam reuelaſſet, mirum viſum, Prior qui ſciebat panes efferri, roſas, lilia, & alios venuſtiſſimos fragrantiſſimoſque flores aſpexit. Aliquando grauiſſima febri afflictato, Beatiſſima Virgo Maria ſe conſpicuam exhibuit, ac blandis verbis admonuit, vt à quadam vicina religioſa fœmina recentem panem, in nomine Filii ſui Ieſu Chriſti poſtulare, aqua intingeret, comederet, & ab illo ſanitatem expectaret. Iſtud cum Nicolaus feciſſet, & panem acceptum aqua intinctum deguſtaſſet, ſtatim febris abſceſſit: quo etiam pane multis aliis ſanitatem obtinuit. Conſuetudo poſtmodum apud patres Auguſtinianos obtinuit ſimili ritu quotannis panem ſacrare, & plebi donare.

*——cum ſancta reuerſo*
*Natali ſunt feſta die: medicamine tali*
*Morborum omne genus fugant, ſic dæmones arcent,*
*Sic ſteriles curant vteros, ſerpentia ſanant*
*Vlcera, reſtituunt oculos, ſic fulmina pellunt,*
*Æreas tempeſtates, irataque ſedant*
*Æquora, deprenſos ſeruant à turbine nautas,*
*Cæteraque humanæ cohibent incommoda vitæ.*

MORITVR MIRACVLIS ILLVSTRIS.

Sex ante obitum ſuum menſibus Nicolaus, qualibet nocte dulciſſimas Angelorum voces, & cœleſtem quãdam harmoniam audiuit, adeo delectabilem, vt aſſidue corporis ſui diſſolutionem profuſis lachrymis à Domino imploraret, illud frequentiſſime repetens: *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Hanc illi Dominus tanto illius gaudio & animi exultatione conceſſit, vt nihil dubitarent Fratres, quin recta è corporea compage, ad cœleſtia regna migraret. Cum imminente mortis hora ab omnibus & ſingulis dilectis ſibi fratribus, tanquam multorum criminum reus veniam poſtulaſſet, & diuinorum iudiciorum abyſſum vehementer formidaret, omnium peccatorum abſolutionem, & Eccleſiaſtica Sacramenta ſibi miniſtrari à Monaſterii Præfecto humiliter flagitauit. His eximia deuotione perceptis, cum plenus ſpe, Domini miſericordiam ſine intermiſſione imploraret, ecce ſubito vultu hilari & iucundo inſolitã quamdam præ ſe ferre lætitiam viſus eſt. Hac animaduerſa Fratres, rogarunt, quæ nam res tantopere animũ vultumq; illius exhilarauerit: quibus ille attonitus ſane, iunctis ſurſum manibus, & oculis ſtupenda quadam pietate ſublatis: Ecce, inquit, ecce Ieſu Chriſti Domini noſtri præſentiam, qui me indignum famulum ſuum ad ſempiterna regni ſui gaudia inuitat. Octo diebus, antequam excederet, iuſſit ob oculos poni ſibi deuotã imaginem, Chriſti è ſepulchro vmbilicotenus emergentis, quam, Pietatis, vulgus appellat. In eam ſemper intentus, copioſum lachrymarum imbrem ſpargebat, deprecans, vt ab insidiis inimici, calcaneum vitæ illius, obſeruantis, tutus eſſet.

In ea oratione cum eſſet, & cumprimis Redemptorem orbis & Diuam Deiparentem, ac ſanctum Auguſtinum aſpexiſſet, tandem vocem cœleſtem audiuit, quæ diceret: *Exaudita eſt oratio tua.* Cum autem iam extremum vale, Fratribus dixiſſet, Crucifixi imaginem cõplexus: *Domine*, ait, *in manus tuas commendo ſpiritum meum*: & tandem animã, innocentiæ & virginitatis candore nitam, Deo præpotenti dedit. Ab obitus illius die, annis admodum viginti continuis, innumera miraculorum genera ad eius monumentum coruſcarunt, operãte eo qui in ſanctis mirabilis, facit mirabilia magna ſolus. Quadrageſimo poſt eius obitũ anno, iſtud mirum mirandum accidiſſe, verbis ipſis auctoris qui deſcripſit, volui referri. Sacrum furtum pius latro aliquis excogitauerat, vt Alemannam patriam ſuam illuſtraret. Itaque brachia ſcidit, ſacro à corpore Diui Nicolai quadrageſimo ſui obitus anno cruor exiuit: dumque ea mundo linteamine inuoluit, manna vbique ſpargitur. Magno ac nocturno itinere defatigatus, dum procul à Tolentino ſe eſſe credit, arte diuina deluditur. Intra ſepta monaſterii clara luce cernit ſe deprehenſum, audax facinus accuſans ac deplorans, veniam popoſcit benignam. Argenteis deauratis gemmatiſq; hic vaſis pretioſum redditum furtum colitur, tribus miraculis, cunctis ſeculis admirãdum. Aliqua ex miraculis poſt mortem à Nicolao factis, Eugenius Quartus Pont. Max. qui eum Cathalago ſanctorum aſcripſit, recenſuit. Primum eſt iſtud. Cum puer quidam annorum quatuor in canalem Molendini Ciuitatis Maceratæ cecidiſſet, & intra rotã & aquam per ſpatium temporis, quo cõmuniter bene ambulans miliario ambulaſſet, continuo iacuiſſet, inde tandẽ laborioſe extractus mortuus, & pro mortuo reputatus, emiſſo prius per matrẽ voto, quod ſi reſtitueretur vitæ auxilio Beati Nicolai, illum ſupra ſancti tumulum habitum religionis indueret adiuuante ſancto prædicto viuus apparuit. Vir inſuper quidam inuentus in domo ſua ſuſpenſus & mortuus, precibus & voto per eius vxorem ad Beatum Nicolaum emiſſo, factus eſt viuus, & extunc diutius ſuperuixit. Quamplurima alia miracula tam in vita, quam poſt mortem Nicolaus fecit, pluresq; homines vtriuſq; ſexus à morte ſuſcitauit, cæcos illuminauit, & ab oculorum infirmitatibus liberauit. Cõtractos & pertractos membris, & claudos erexit, paraliticos à membrorum impotentia ſanauit: & à tremore capitis ac membrorũ, dæmoniacos, captiuos, incarceratos, cum apparitionibus & reuelationibus liberauit. Cadentes & alliſos, à naufragiis, à captiuitate perſonæ, à perditione bonorũ, à febribus, ab Hectica, ab hidropiſi, à podagra, à doloribus iliorũ, & ſtomachi, ac cordis, aliiſq; infirmitatibus liberauit, priſtinæq; ſanitati reſtituit. Quartũ diem Id. Sept. eius feſtiuitati anniuerſariæ, Eugenius Papa deſignauit: dato diplomate Romæ A.D. 1446. Cal. Febr. Pontificatus anno 16.

*Ex bulla Canoniz. ab Eugenio 4. data.*

XVIII. IOANNIS

Eodem anno Cœlos exornarunt duo lumina, ex Ordine



PARISIENSIS EPISC. ET IOANNÆ VRBEVETANÆ VIRGINIS SANCTITAS MIRACVLA ET OBITVS. *Pius l. 1. de viris illuſtrib. Ord. Præd.*

dine Prædicatorum aſſumpta, Beatus Ioannes Aurelianenſis, meretur hoc nomine nuncupari. Namque vitæ ſanctimonia, & doctrinæ præſtantia, tum olim Canonicus & Cancellarius Pariſienſis, tum poſtea religionem Diui Dominici viginti ſex annos profeſſus, Orbi præluxit. Canonicus cum eſſet, ſummus Pontifex illum Eccleſiæ Pariſienſi, defuncto Epiſcopo præfecerat. At is timore Diuino percuſſus, cum ſe indignum tanto munere exiſtimaret, re nemini quam Ieſu arbitro conſiliorum ſuorum communicata, ad Cœnobium Prædicatorum profectus, ſacram togam eius inſtituti induit in qua mundo mortuus, & Chriſto confixus, vſque ad extremum vitæ perſeuerauit. Beata ſoror Ioanna Vrbeuetana, illo ſuperior, innocentiæ, virginitatis, & ſanctitatis non vulgaris laude inſignis. Ea cum à parentibus aufugiſſet, Diui Dominici habitum inter ſorores Tertii Ordinis induta, adeo vehemẽtem in modum Dei amore arſit, vt in oratione poſita, etiam hyberno tempore depoſitis veſtibus in ſudorem eliquaretur. Quotieſcunque paſſionis Dominicæ memoria incideret, toties in extaſim rapiebatur: in qua adeo inſenſibilis perdurabat, in modum Cruci affixi diſtenta, vt membratim prius diſſecari potuerit, quam ab extaſi excitari. Aliquando infirma, cum non poſſet vna cum aliis ſororibus ſacræ communioni intereſſe, apparuit illi Redemptor Orbis & Diua Virgo Deipara, dixitque: Iſtud tibi, filia ſuffecerit, cum me tibi per gratiam præſentem habeas. Semel tamen illi miraculoſe fuit ſacra hoſtia delata, cui illa ingenti cum deuotione communicauit. Altero quoque die Chriſtus illam cibo quodam admirando refecit, atque cœleſti liquore refocillauit. Omnium bonorum teterrimus hoſtis, diuerſis aſſumptis formis, quandoque fœminæ alicuius, aliquando iuuenis ſpecioſi, alias æthiopis nigerrimi, aut ſerpentis vel draconis tortuoſi, illi ſeſe obiiciebat, variiſque modis vel illudere, vel perterrefacere virginem conabatur. Hunc tamen illa animo excelſo profligauit, & glorioſa trophæa de conculcato aduerſario reportauit. Spiritu prophetico dotata, miracula quæ poſt mortem factura erat prædixit. Viuens, orationis ſuffragio multis ægrotis ſanitatem impetrauit: Panis in eius gremio, in roſas & alios flores, conuerti viſus eſt. Ignis innoxii luminis cælitus ſuper domunculam illius deſcendebat. Odorem ſuauiſſimum, eo tempore quo ſacrificio incruento intereſſe conſueuerat, ſæpe ſæpius à cœlitibus diffuſum olfaciebat. Iniurias & contumelias plurimas patienter ſuſtinebat & pro inimicis preces effundebat. Quadrageſimum ſecundum annum nata, migrauit ad cœlum, ſuauiſſima fragrantia ex corpore defunctæ diffuſa. Apud Vrbem veterem ſepulta, multis glorioſa apparuit. Poſt aliquantum temporis ſepultura effoſſa, integerrimo corpore, odorem inſolitum ſpirãte reperta eſt. Caput eius manna cœleſti reſperſum fuit: ex quo & ex pedibus oleum ad inſtar balſami pretioſi ſcaturiebat. Veſtimenta autem quæ latus eius tegebant, ſanguine rubicundo tincta fuere.

XIX. ANDRONICVS GRÆCORVM IMP. THEODORVM FILIVM ITALIS MITTIT.

Hac tempeſtate Palæologorum genus in Italiam corriuatum eſt, ex hac occaſione, Ioannes Marchio Montisferrati, nulla virili aut fœminea ſtirpe relicta moriens, vnum Violantilis ſororis filium, quemcunque Andronicus ſenior Conſtantinopolitanus Imper. pater voluiſſet, ſucceſſorem & heredem ſcripſit. Iam Andronicus Theodorum filium primum ab vltimo in Italiam mittere parabat: niſi illum nuncii retardaſſent, qui à Monteferrato venientes affirmarunt, Ioannis vxorem poſt viri obitum aliquid in vtero ferre: & proinde filium Conſtantinopoli retineret, quando legitimus rerum ſucceſſor ſperari poſſet. Miſſi in Italiam Legati, ementitam de conceptu fœminæ fabulam Andronico renunciarunt. Is porro Theodorum filium in Ligures miſit, & ope Genuenſium Montisferrati poſſeſſionem illi vindicauit: cum ei iuueni Opicimus Spinula Genuenſis Argentinam filiam in Matrimonium collocaſſet. *Georg. Merula l. 6. Antiquit. Vicecomit.*

XX. MAXIMA AQVÆ INVNDATIO. *Chron. Hirſaug.*

Hoc anno, in die Purificationis B. Mariæ ſemper virginis, glacie ac niuibus reſolutis, maxima circa Rhenum & Moganum inundatio aquarum facta eſt, quæ pene infinita hominibus circummorantibus damna intulit, euertens domos & habitacula multa, hortos & vineas, agroſque & prata incredibili furore deuaſtans. Pontem ſuper Moganum Francofordiæ nimio ſuo impetu deiecit, muros Moguntinos in parte ſubuertit, duas in muro Colonienſi turres funditus euertit, & multos in diuerſis locis homines demerſit: cum etiam ante quatuor menſes, die S. Remigii, ad oppidum Vredeland veteris Marchiæ, in ſolo Vandalico, grando de cœlo cecidiſſet, in qua igniti lapilli, qui plurima excitauerunt incendia, vbi ſtramina, & paleas, aut aliam arſuram materiam inciderunt. Nihil fuit innoxium, quod illis contingebatur. Tecta ruſticarum domorum, frumentum & fœnum in horreis crematum fuit. Ipſa etiam in agris pecora lædebantur. Res prioribus ſeculis incomperta.

*Crant. 1. Vandal. l. 7. 46.*

---

# IESV CHRISTI

## Annus 1307.

### CLEMENTIS PAPÆ V. ANNO 2. ET 3. ALberti Regis Romanorum Anno 5.

I. CAROLVS VALESIVS ARMA PARAT IN ANDRONICVM, EVMQVE EXCOMMVNICAT CLEMENS PP. *ext. l. 5. de ſent. excom. tit. 10.*

CArolo Valeſio ac Venetis, ſocialia arma in Andronicum Græcorum Imperatorem expedientibus, Clemens quoque Pontifex voluit gladium ſpiritualem in Schiſmaticum exerere. Itaque ex ſacri ſenatus ſententia anathema in illum ipſum ex formula, quam ſubiungo, ſtrinxit.

*Clemens Papa Quintus. Ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum, Andronicum Paleologum, qui Græcorum Imperatorem ſe nominat, tanquam eorundem Græcorum, antiquorum Schiſmaticorum, & in antiquato Schiſmate conſtitutorum, & per hoc hæreticorum, & hæreſis ipſorum ac Schiſmatis antiqui fautorem, de Fratrũ noſtrorum conſilio denunciamus excommunicationis ſententiam latam à Canone incurriſſe, ac ipſius fore ſententiæ vinculo innodatum. Cæterum vniuerſis & ſingulis, Regibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & cæteris omnibus cuiuſcunque præeminentiæ, conditionis, ſtatus, necnon vniuerſitatis Ciuitatum, caſtrorum & aliorum locorum diſtrictius inhibemus, ne cum eodem Andronico Paleologo in huiuſmodi excommunicatione manente, ſocietatem vel confœderationem aliquam contrahere ſub quouis ingenio, vel machinatione præſumant: vel ei alias in his, quibus excommunicatus eſt denunciatus à nobis præſtare conſilium, auxilium vel fauorem publicum vel occultum. Et ſi ſecus præſumptum fuerit, omnes ſingulares perſonas contrarium præſumentes (non obſtante qualibet indulgentia ſub quacunque forma verborum, vel expreſſione ipſis ab Apoſtolica ſede conceſſa, vel in poſterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere) ſententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipſos ferimus incurrere volumus ipſo facto. Terras ipſorum & vniuerſitates prædictas, quæ ſecus attentare præſumpſerint, prout expedire videbimus, Eccleſiaſtico curabimus ſubiicere interdicto. Ad priuationẽ omniũ bonorũ quæ à quibuslibet tenent Eccleſiis, & ad pœnas ſpiritales & temporales, prout vtile putabimus proceſſuri. Et nihilominus Societatem & confœderationem ipſas (etiam ſi pœnarum & iuramenti additione vel quacunque fuerint alia firmitate vallatæ) decernimus irritas & inanes.* Datum Pictauis 3. Non. Iunii, anno ſecundo.

II. CLEMENS CONTRA EVNDEM INCITAT REGEM RASCIÆ.

Hactenus Clemens contra Andronicum, cũm quo per id temporis Ianuenſes contra Venetos confœderati, multum incommodabãt Carolo, & Venetis, ne hos quos intendebant progreſſus in recuperando imperio Orientali poſſent facere. Rex Raſciæ deſciuerat ab Andronici ſocietate, ſuperioreque anno Legatos ad Clemen-

mentem miſerat, qui illum Orthodoxiæ cupientem, ac proinde Latinorum fœderationem exambientem renunciarent. Ad hunc itaque in propoſito confirmandum, & tum ad vnionem Eccleſiaſticam illi perſuadendam, tum ad arma cum Carolo & Venetis coniungenda, tum ad Schiſmaticos illius ſubditos inſtruendos, atque ad communionẽ Eccleſiæ Romanæ alliciendos, Clemens Pontifex miſit Legatos, F. Egidium Patriarcham Gradenſem, & procuratores Generales Ordinis Prædicatorum ac minorum cum etiam hoc anno, ad eumdem Clementem Pictauis hærentem, Hayto Armeniæ Regis conſanguineus veniſſet, iuſſuque Pontificis de viribus & potentia Orientalium Principum, volumen egregium Nicolao Falconi interpreti ſuo dictaſſet: quo quidem libro, Apoſtolum Clementem Quintum (ſic enim Epiſcopum Romanum appellabat) magno ſtudio in id incumbere prædicauit, vt Syria Palæſtinaque & cæteræ prouinciæ à Mahometanis principibus occupatæ excuſſo tandem iugo liberarentur. In eam enim rem Clemens, præter alia Carolo Regi Siciliæ, tertiam partem cenſus hoc anno ex nõ ſolutis 366. millibus vnciis auri remiſit, ea conditione, vt is ex pactis, iuramento firmatis vel ipſe iret, vel filium ſubmitteret, cum trecentis militibus phaleratis, & 40. triremibus armatis, in ſubſidium terræ ſanctæ. Extat formula Sacramenti, ex qua Oratores Caroli Regis, apud Pictauos, Clementi Pontifici iuramentum præſtitere: quo ille in publico Patrum conſeſſu audito diploma remiſſionis tertiæ partis earum pecuniarum Regi dedit Pictauis, Pontificatus anno ſecundo. Aſtringebat Clemẽs Carolum, vt in ſingulas triremes, ſingulis menſibus, centum auri vncias impenderet.

*Bernard. Guido in Clem. V.*

*Maſſonius in Clem. V.*

*MS. Columnenſ.*

III. PHILIPPVS REX GALLIÆ BONIFACII MEMORIAM CONDEMNARI PETIT. *Maſſon. lib. 3. in Philippo.*

Eodem anno, menſe Iunio, Philippus Rex Galliarum Pictauos ad Clementẽ venit, rogatum, vt memor Sacramenti ſui, memoriam Bonifacii condemnaret, oſſaque eius ignibus exuri iuberet. Perculit ea petitio vehementer Pontificem, namque ſciebat, anteceſſorem ſuum nunquam à Catholica fide receſſiſſe, & tria ſupra quadraginta capita hæreſeos, quæ rex à iuriſconſultis ſuis in mortuum ſcribi curauerat, malitioſe à malignis conficta fuiſſe. Ceterum ne Regis animum ab ſe alienaret, conſilio F. Nicolai Pratenſ. Cardinalis Oſtienſ. vſus eſt. Is dicebat Bonifacium damnari non poſſe, quin eadem opera Cardinales abdicarentur ab eodem promoti: porro eoſdem eſſe, à quibus Clemens in Pontificem lectus fuiſſet. Itaque Clementi inſinuauit, Regem moneret, damnari Pontificem Maximum non poſſe, niſi ab Oecumenica Synodo accuſatum ac conuictum. Huic porro rei, Synodum Viennæ, extra Regiam iuriſdictionem indiceret, vbi Epiſcopi ex omni Europa adunati Pontificis Bonifacii memoriã hæreſeos damnaturi non eſſent. Hoc reſponſo vtcumque Regi ſatisfactum eſt, cum Pontifex ſimularet ſe effecturum induſtria ſua, vt oſſa Bonifacii defuncti ex Synodi ſententia igni traderentur. Interim etiam literas Encyclicas tum ad omnes Antiſtites & Prælatos Eccleſiarum, tum ad Reges Chriſtianos, Albertum Romanorum, Philippũ Galliarum, Edouardũ Angliæ, Carolum Siciliæ, Carolum Hungariæ, Iacobum Aragoniæ, Ferdinandum Caſtellæ, Iacobum Maioricarum, Ludouicum Nauarreũ, Dionyſium Portugaliæ, Henricum Cypri, Fridericum Trinacriæ, tum deinde ad Reges Boemiæ, Daciæ, Noruegiæ, ac Sueciæ, atque reliquos principes Chriſtianos dedit, obſecrans, vt vel ipſi venirent, vel Legatos Viennam mitterent, quo de rebus grauiſſimis reipub. Chriſtianæ in commune conſulerent.

IV. ACCVSAT ORDINEM TEMPLARIORVM APVD EVNDEM CLEMENTEM. *Maſſon. ſup.*

Cum autem adhuc Pictauii Clemens eſſet, Rex Philippus (quemadmodũ ferebatur) aulicorum perſuaſionibus, & ſpe lucri ordinem Templariorum accuſauit: initio mali orto à Priore Monfalconis in agro Tholoſano, & Noffo exule Florentino, quorum hic à Prætore Pariſienſi multorum criminum reus cõiectus fuerat in carcerem: ille ex cauſa hæreſis & ſceleratæ vitæ indicio Magiſtri Templariorum perpetuo carceri addictus. Hi



de ſalute & libertate ſolliciti, crimina illa, vt aiebant, finxerunt, propter qua Ordo Chriſtiano nomini vtilis euerſus eſt: ipſi quoque ex carcere dimiſſi, infelicem vitæ exitum habuerunt: Noffo ex alia cauſa à carnifice ſtrangulato, Priore, proditione occiſo. Cum ſceleratiſſimi viri crimina inaudita commenti eſſent, viros maxime pios accuſarunt. Accuſationis capita Procurator fiſci ad Regem ſcripta Pictauium miſit, quæ ille auaritia motus pro veris habuit, delatoribus venia & libertate donatis: effecitque apud Pontificem, vt Ordinis illius euerſionem polliceretur. Vna literarum ſignificatione, Veneris die, tota Francia comprehenſi ſunt, & Fiſcus in eorum fundos reſque manentes manum iniecit. Lutetiæ Magiſter Templi Iacobus Mola Burgundus, cum nouem & quinquaginta equitibus ſociis captus fuit. Arguebantur hæreſeos, auerſæ libidinis, contemptæ Crucis, læſæ maieſtatis. Sæpe torſi nihil huiuſmodi de ſe ac ſociis ſunt confeſſi, quin inſontes ſeſe, pioſque Templarios equites conſtantiſſime teſtabantur. Macerati longo carcere ſex & quinquaginta totidem modice diſtantibus palis alligati, ac lento igne toſti ſunt: profeſſi ſe inſontes mori, amicis & conſanguineis eorum fruſtra monentibus ſpem vt veniæ, ſi crimen agnoſcerent, ab Rege propoſitam amplecterentur. Ad 17. Cal. Nouemb. Nuncii ab eodem Francorum Rege in omnes Chriſtianorum Principum regiones dimiſſi, expoſtulabant, vti in ſua quiſque ditione, fidei Catholicæ aſſerendæ cauſam, aduerſus eoſdem qui Templi Hieroſolymitani ſacris addicti erant, ſuſciperet. Ad 3. Non. Decemb. Rex Aragoniæ omnes eius religionis homines capi, bonaq; conſcribi imperauit. Ioannes Lorgerius ex Prædicatorum inſtituto, de fide Catholica iudex, & generalis in Aragoniæ Regnis Quæſitor ab Apoſtolica ſede conſtitutus, ſumma in iure dicendo ſeueritate vſus, ſtudioſos & fautores reorum coercuit. Bona eorum pars in muniſſimas Carthaginis veteris Ilergaonum oppidi, Montionis, Miraueti, Villeli, atque Aſſambræ arces confugerant, quibus facile repugnari, atq; obſiſti poſſe ſperabant: ne indicta cauſa in ſe animaduerteretur. Eodem in Catalonia, cum ſpes reliqua nõ eſſet, vſi ſunt perfugio. Cæterum Iacobus Rex eos vi oppugnari imperauit. Sunt qui referãt Templarios ad id apoſtaſiæ proruiſſe, atque ea immanitate execrandos fuiſſe: vt ſimulachrum humana indutum pelle, in adytis habuerint: cui ordinem ingreſſi, rationẽ vitæ profeſſi fuerint, atq; ſacrificia crudeliſſima, humano ſanguine obtulerint: inſuper eodem cruore hauſto, ad tanti ſceleris immanitatem ſe adhortari ſoliti fuerint. Illud etiã memoriæ aliqui prodiderunt, quod cum Clemens Pontifex, executionem cõtra aliquos Templarios, in Germania, Moguntino Archiepiſcopo cõmiſiſſet, atq; is Synodũ Moguntiæ cõuocaſſet, & in domo Capitulari cũ Clero ſibi ſubiecto, ad publicationem proceſſuum cõſediſſet, Hugo Comes Sylueſtris, cum viginti militibus Confratribus ſuis ingreſſus, in ſignum innocentiæ ſuæ, pallis carbones ignitos receperit quæ tamen cum ſigno Crucis nullam exuſtionem aut corruptionẽ paſſa ſunt. Vtut eſt: Clemens tamen Pontifex, datis eodẽ die, quo Concilium Viennenſe indicebat, ad eoſdem Principes Eccleſiaſticos vbique terrarum literis, iniungebat, vt in crimina per infamiam & delationem ſedi Apoſtolicæ cognita, è propinquo inquirerent, ac omnia quæcunq; comperiſſent, ad Concilium deferrent.

*Surita l. 2.*

*Naucl. r. Gen. 44.*

*Iacobus de Moguntia de ſuis temporib.*

CONCILIVM VIENNENSE EIVS REI CAVSA INDICTVM A CLEMENTE PP.

V. QVANDO PHILIPPVS IMPERII DIADEMA SVSCEPERIT. *Antoninus.*

Erat & alia Philippo cauſa, cur omnibus filiis & Principibus Regni ſui ſtipatus, exercitu & conſcripto, Clementem Pontificem cõuenerit. Imperii capeſſendi cupiditate æſtuabat, quod hoc anno, per mortem Alberti Regis Romanorum occiſi ſpem ei aliquantam oſtentauit. Non aſſentior his, qui in annum inſequentem reiiciunt cædem Alberti eo quod extet epiſtola Clemẽtis Quinti Pontificis, data Pictauis 11. Idus Auguſti. Pontificatus anno 3. & incarnationis Dominicæ anno 1308. ad Henricum Regem Romanorum, qua inuitatur ad Concilium Viennenſe. Itaque oportet aſſerere, illum

ele-



electum eſſe hoc anno 1307. in vigilia Diuæ Catharinæ Martyris, quemadmodum auctores de die electionis conueniunt: ac perinde hoc ipſo anno 1307. cæſum fuiſſe Albertum. Cauſam porro, & modum occiſionis Alberti Regis, in hunc modum recenſebat Nauclerus.

ALBERTVS REX ROMANORVM CONIVRATIONE IOANNIS DVCIS NECATVR, ET QVIS EIVS PERCVSSORVM EXITVS. *Naucl. ſup. Æmil. in Philippo. 4.*

Ioannes Dux fratruelis Alberti Regis, quem Rex in Curia cum filiis ſuis educauerat, aſſeruit munitiones dominii Ciburgæ, ad ipſum nomine matris ſuæ pertinere. Itaque ſæpe ſæpius Alberto ſupplex fuerat, vt præter fas oppidum occupatum ſibi reſtitueret, vel ſaltem aliquod aliud aſſignaret. Cum autem Albertus nequicquam concedere vellet, Ioannes coniuratione paucorum procerum facta, in traiectu Rheni fluminis, ad Scafuſam oppidum, e nauicula in ripam egredientem ferro excepit. Capita coniurationis fuere, Rudolphus de Warth, Waltherus de Eſchelbach, & Vlricus de Palma. Ioannes Dux, primus cultrum collo Regis infixit, Rudolphus gladio confodit, Vlricus caput gladio diſſecuit, ipſis Maij Calendis. Non tamen impune occiſoribus ceſſit. Vlricus à Lupoldo Alberti filio, in quodam caſtro obſeſſus, ex mœrore & pauore mox obiit. Caſtro intercepto, quinquaginta eius milites, capite ſunt imminuti. Waltherus amiſſis omnibus bonis, vix fuga mortem euaſit: inque terra Comitis Wirtembergenſis, quinque & triginta annos, paſtoris habitu ſumpto, paſcendis pecoribus intentus, incognitus vaguſque, inopem ac miſeram vitam duxit. Rudolphus ad ſedem Apoſtolicam vadens, per proditionem captus, iuxta locum occiſionis ductus, ad caudam equi ligatus & diſtractus, poſtea rotæ implexus, pœnas dedit. Ioannes qui patruum Cæſarem occiderat, parricidii pœnitentia permotus, Clementem Pontificem adiit vt expiaretur, ac quas iuberet Pontifex, pœnas ſuſtineret. Reiecit illum, à crimine abſolutum, Pontifex, ad Henricum, vt adiret illum, conſuleretque, quodnam piaculum expetendum videretur. Arbitrio enim Cæſarii, percuſſorem Cæſaris luere oportere. Iuſſit eum poſtea Henricus Eremitarum ſepto apud Piſas clauſum, quicquid reliquæ vitæ foret exigeret. Itaque in Ordinem Fratrum Eremitarum S. Auguſtini intruſus, poſt Imperatoris mortem pluribus annis in eodem apud Piſas manẽs, tandem ibidem ſepultus eſt.

VI. PHILIPP. REX à CLEMENTE PP. IMPERII CORONAM PETIT.

Porro ad eum modum occiſo Alberto, Philippus adueniſſe tempus & occaſionem exiſtimans, vt Imperii adminiſtratio à Germanis ad Gallos poſtliminio tandem reuerteretur, Pontificem Clementem ſerio officii admonuit, vt Electoribus Imperii neceſſitatem imponeret, vel ipſo tandem iis refragantibus, dignitatem imperii Occidentalis Carolo fratri vel potius ſibi conferret. Ea res vehementius angebat Clementem, quod certo peruideret, ſi Philippus Rex titulum Imperatoris conſequeretur, omni diuino humanoque metu atque pudore reiecto, tum Eccleſiam vniuerſam opprimeret, tum ſeſe ad damnandam Bonifacii memoriam omnibus modis compelleret, tum effuſis habenis ſe in omne flagitium, atque inprimis ad tyrannidem exercendam præceps daret. In conſilium igitur aduocauit F. Nicolaum Pratenſem Cardinalem Oſtienſem, vt iis quid facto opus eſſet, decerneret. Ex re viſum eſt, vt Pontifex omnia officia honoris Philippo exhiberet, & quantum in ſe foret, benigne omnia ei auxilia oſtenderet: cum interim Nicolaus, Petrum Moguntinum Archiepiſcopum, & reliquos electores, literis priuatim per celerrimos veredarios clam ſubmiſſis admonuit, quantum periculi interſit reipublicæ Chriſtianæ, & inprimis quid dedecoris & probri afferat nobilitati Germanæ, ſi Philippus in Regem Romanorum vel ſuffragiis eligeretur, vel armis, quod exercitu conſcripto præ ſe ferebat, ſibi vindicaret Regnum & Imperium Romanorum. Rem etiam non procraſtinandam, neque ſuffragia per diſſenſiones diſtrahenda eſſe, ſi ſalutem Romani Pontificis, Eccleſiæ, Imperii, & cumpri-



mis Germaniæ iura, dignitates, libertatem, pacem, ac cætera quæ optari poſſunt deſiderarent, inſinuauit: Henricumque Comitem Lucelburgenſem dignum ea dignitate fore oſtendit. Proinde illi electionem quantocyus maturarent: ſibi reliqua curæ eſſe. Ea omnia tam ſecrete peracta ſunt, vt prius Nuncium, Philippus & Cardinales, atque Proceres acceperint, Henricum in Regem Romanorum communi omnium ſuffragio lectum fuiſſe, quam quo conſilia Nicolai Pratenſis, animum Pontificis inclinaſſent. Electus Henricus Ducem Bauariæ, & Guidonem Comitem Namurcenſem, Oratores ad Clementem Pontificem deſtinauit, qui fidem & obedientiam Regis electi erga ſedem Apoſtolicam verbis conceptis teſtarentur, & tum Sacramento dato, tum literis ſignatis, omnia ex more priſco. Romanæ Eccleſiæ iura ac bona inuiolata, integraque fore pollicerentur: ac denique confirmationem eius electionis à Clemente obtinerent. Continuo id Clemens comprobauit confirmauitque: ſimul nulla mora interpoſita, Henricus primam coronam à Pontifice Agrippinenſium accepit: ac ne quid eius amplitudini deeſſet, iuſſit eum intra Biennium in Italiam proficiſci, ac alteram & tertiam coronam à Cardinalibus, quibus eam prouinciam demãdabat, accipere. Interim autem omnibus Imperii Principibus ac populis perſcripſit, vt Henrico Romanorũ Regi electo obtemperarent.

HENRICVS LVCELBVRGENSIS COMES ADVERSVS PHILIPPVM IN REG. ROM. ELIGITVR.

VII. CLEMENS PP. HENRICVM ET ALIOS AD DISCORDIAS ITALIÆ SEDANDAS MITTIT. *Blond. dec. 2. l. 9.*

Erat autem cauſa, cur Henricum Clemens perurgeret, vt in Italiam quamcitius properaret. Cupiebat etenim tum diſcordiis laborantes prouincias, cum conſiliis & legationibus non poſſet, armis coercere: tum in contemptores clauium Eccleſiæ acrius vindicare. Inter alios Florentini, Neapoleonem Vrſinum Cardinalem Legatum, anathemata & interdicta ſtringentem, contempſerant. Tantum enim abfuit, vt eas cenſuras metuerint illi, vt religioſos Eccleſiaſticoſque ſuorum locorum, maioribus quam poſſent conferre tributis grauatos ab exactoribus crudeliſſime vexari exhauririq; permiſerint. Sed tamen propterea, ingentem ſibi calamitatem à Deo vltore acceperint. Vt enim Curſium Donatum ciuem ampliſſimum patria eiicerent, per mutuas cædes ac incendia viciſſim alteri in alteros ſæuierunt, vrbemque maiore ex parte deformarunt. Curſius quoque Donatus furorem populi, de quo bene meruerat, fugiens in fuga confoſſus interiit. Aliæ quoque Prouinciæ partim inter ſe digladiabantur, partim imperium Romanæ Eccleſiæ detrectabant. Ad eas itaque in ordinem redigendas, Clemens Pontifex tres Purpuratos Legatos, cum liberis mandatis miſerat, eiſque tum belli, tum pacis, ac maximarum rerum ius arbitriumque conceſſerat. Horum auctoritatem cum nequicquam, præcipue vero aliqui Picentium, magnificarent, inprimis Carolum Regem Siciliæ, vt auxilia Rectoribus Marchiæ contra Anconitanos, Eſinos, & alios Eccleſiæ Romanæ rebelles, ſubmitteret: deinde Robertum Calabriæ Ducem, & Philippum Principem Tarentinum, vt trecentos milites in ſubſidium ſedis Apoſtolicæ ex pactis, in conceſſione Regni Siciliæ, à Carolo patre expreſſis, ac Romano Pontifici iuramento firmatis, quamprimum ire iuberent, adeoque expedirent, ad pertinaciam refractariorum frangendam. Dedit ea de re literas CLEMENS Nono Calend. Nouembris apud Laureum montem Burdegallenſis diœceſis.

*Æmilius ſup.*

VIII.

Hæc omnia cum & per Legatos, & per Carolum Regem, ac reliquos Principes Clemens curaret: non tamen efficere potuit, vt ſubditi Romanæ Eccleſiæ morem Rectoribus gererent, ac reliqui Proceres tum Romani, tum Etruſci diſſidentes arma deponerent, & in gratiam redirent. Opus erat HENRICVM Imperatorem electum euocare: qui Italiam pacificaret, & renitentes ſedi APOSTOLICÆ ſine

caſti-

caſtigaret, ſiue obſequentiores redderet. Quamquam, & ad hæreſim extirpandam opus erat ferro Cæſareo.

*Dulcinus et Margarita coniuges hæresiarchæ scelestissimi emergunt. Blond. ſup. Eorum horrendæ turpitudines. Bernard. in Cathal. hæretic.*

Per id enim temporis, Dulcinus quidam & Margarita vxor ſua hæreſiarchæ, apud vrbem Lombardiæ Nouariam ſectatores vtriuſque ſexus ad mille nacti, virus diffundere cœperant, eo pernicioſius, quo ſacerdotes & religioſos in populorum inuidiam adductos ſpernentes, ſimulatam puritatem quandam, & innocentiam vitæ proponebant, ſecundum quam immixti fæmellis mares laſciuia ad libitum promiſcue debachabantur. Bernardus Lucemburgenſis auctor eſt, quod Dulcinus tam pudendæ ac effrenatæ libidinis extitit, vt ad ſex millia vtriuſque ſexus ſub charitatis ſpecie cohabitare docuerit, & Blandiloquentia quadam atque ſuadela, ad promiſcuos congreſſus impulerit. Hi alpes incolentes, in omnem luxuriam prolabebantur, adeo quidem, vt hæc peſtis per duorum aut trium annorum ſpatium multos corruperit: tanta quidem vi, vt Clemens Pontifex hoc anno coactus fuerit, Ordinis Prædicatorum Inquiſitores illuc mittere: qui Dulcinum & ſuos complices à tam nefario ſcelere, aut reuocarent, aut diligenti & accurata diſquiſitione facta, ad ſedem Apoſtolicam referrent: Num ita res haberet, quemadmodum fama, & renunciatio multorum vulgauerat. Cum Inquiſitores, nihil monendo, aduerſus tantam multitudinem, quanta Alpes incoluerat, profeciſſent, aduerſus eam impietatem, ſacram militiam Cruce ſignatorum Clemens Inquiſitoribus prædicari imperauit: indulgentiaſque eas conceſſit, quas ſolent conſequi, qui contra perfidos Saracenos vel contra alios hoſtes fidei dimicationem ſuſcipiunt. Totius belli ſacri curam, Legato ſedis Apoſtolicæ aduerſus eos miſſo Clemens commiſit: qui conſcripto exercitu, eos in abrupta alpium fugauit, & partim armis, partim frigore ac inedia oppreſſit. Dulcinus & Margarita, cum aliquibus huiuſce ſceleratæ atque contaminatæ factionis capti, prius membratim conciſi, ad poſtremum exuſti, & in cineres redacti ſunt.

*Iussu Clement. Pp. flammis exuruntur. Oſea 4.*

Hæc cum Legatus & inquiſitores egiſſent, non tamen hæc peſtis potuit omnino deleri aut extirpari, ſed in Tridentinis montibus, vbi Dulcinus ſuæ hæreſis initium dedit, eius reliquiæ remanſerãt: vbi profani, quod Oſeas futurum præuiderat: *cum meretricibus conuerſabantur, & cum effœminatis ſacrificabant.*

IX.
*Item alii hæretici a Lolhaldo exorti. Chron. Hirſang.*

Per idem fere temporis multi hæretici, quorum auctor erat Lolhaldus quidam nomine Waltherus, iubente Clemente Pontifice, ab Inquiſitoribus combuſti ſunt, in ciuitate Cremſenſi Ducatus Auſtriæ, & aliis in locis: quod dicerent inter alios errores, Miſſam, Baptiſmum & extremam vnctionem nihil prodeſſe: Luciferum iniuſte Cœlo pulſum fuiſſe, & tandem quandoque reſtituendum ad cœlos eſſe: omnes Angelos & ſuæ ſectæ aduerſarios deputandos æternis cruciatibus fore:

*Impia horum et Dulcini dogmata.*

Diuam Deiparentem Mariam Virginem poſt partum non manſiſſe: Dominicum corpus in Sacramento eſſe Deum fictitium: matrimonium eſſe iuratum meretricium: Deum neque ſcire, neque punire mala quæ hic in mundo fierent. Hi præterea prætextu charitatis coibant in locis ſubterraneis promiſcue: carnes quouis tempore edebant: dies feſtos non obſeruabant: merita & interceſſiones ſanctorum irridebant: & alia multa eiuſmodi erronea profitebantur adeo pertinaciter, vt cuiuslibet eſſent ætatis ac ſexus, mallent mori quam conuerti. Tam vehementer illos Sathan faſcinauerat. A Dulcino hæreſiarcha originem traxiſſe videntur. Porro Dulcinus nullum ordinem ſacrum profeſſus, ſe verum Chriſti diſcipulum eſſe affirmabat: in Clericos, quaſi ii mandatorum Dei contemptores eſſent inuehebatur: ſeque futurum legitimum Papam, Pontificii Romani euerſorem aſſerebat.

X.
*Dietheri Trever. Archiepiscopi obitus et Balduini Henrici Rom. Reg. fratris inauguratio. Chron. Hirſang.*

Hoc anno Dominicæ natiuitatis 1307. Indict. 5. cum Dietherus Naſſauius, Archiepiſcopus Treuerenſis, homo inquietus & bellicoſus, propterea quod bona plurima Eccleſiæ, in ſumptus bellicos factis ingentibus ſumptibus, vt plurimum alienaſſet, deferentibus cum Clericis ſuis ad iudicium Apoſtolicæ ſedis, in Galliam à Clemẽte Pontifice citatus eſt. Sed priuſquam dies deſignatus comparandi aduenisſet, morbo correptus, ad diem 23. Nouembris ex hac vita migrauit, ſepultus in ciuitate Treuerenſi in Eccleſia Fratrum Prædicatorum, quorum Ordinis & profeſſionis antea extiterat. Diethero demortuo Petrus Archiepiſcopus Moguntinus tantum apud Clementem Pontificem Max. & potuit & egit, vt Balduinum fratrem Henrici Lucemburgenſis iuuenem tres & viginti annos natum, cui Moguntinam Eccleſiam, antea propter multas cauſas denegauerat, in Archiepiſcopum Treuerenſem inaugurauit: qui ſex & quadraginta annis, atque menſe vno eam Eccleſiam optimi Paſtoris more adminiſtrauit, & quæcunque alienata fuerant, recuperauit.

XI.
*Summarium gestorum Clem. Pp. huius anni.*

Per idem temporis Clemens Pontifex 1. Reginam Seruiæ in protectionem ſedis Apoſtolicæ recepit. 2. Regi Galliarum Philippo ius præſentandi in capellis Regiis conceſſit. 3. pallium Archiepiſcopo Strigonienſi miſit, vtque partes Caroli Regis tueretur præcepit. 4. Regi Aragonum in Sardinia & Corſica, Maioricarum vera in regno ſuo, decimam in ſumptus belli cõtra Saracenos permiſit. 5. Epiſcopo Syluanectenſi, vt omnes decimas, legata, redemptiones votorum, aliaſque obuentiones pias in Regno Galliarum exigeret, & Carolo Andegauenſi pro recuperatione, atque à Turcarum armis defenſione Imperii Conſtantinopolitani numeraret præcepit, inque eandem rem, decimationem bonorum Eccleſiæ in Regno Siciliæ indixit. 6. vniuerſitatem Aurelianenſem, in qua Doctoris lauream olim ſuſceperat, multis priuilegiis ornauit. 7. Inducias inter Comitem Sabaudiæ & Delphinum Viennenſem, primum conciliauit, ac poſtea conditionibus pacis propoſitis in concordiam redegit. 8. Iacobum Columnium Cardinalem, Baſilicæ S. Mariæ Maioris Vrbanæ, cum titulo Archipresbyteri præfecit: cumq; eius munificẽtiam, quod in ſumptus eius Templi, pro ædificiis inſtaurandis, multas pecunias effudiſſet, & multis poſſeſſionibus illius redditus amplificaſſet, ſatis ornatis verbis collaudaſſet, vt ei omnes quocunque modo eidem baſilicæ adſcripti obtemperarent, præcepit. 9. Petro quoq; Columnio Cardinali, baſilicã Lateranẽſem quã caput omnium Eccleſiarum cœleſtis diſpenſator conſtituerat, cum dignitate Archipresbyteratus collata, commiſit. 10. Archiepiſcopo Cantuarienſi, ius conſecrandi Regis Angliæ: & titulum Primatis confirmauit. 11. Comitatui Vrbini, Ducatui Spoletano, Marchiæ Anchonitanæ, & reliquis Romanæ Eccleſiæ ditionib. Rectores in Italia præpoſuit. 12. Ducem ac Senatũ Venetum, vt Conſtitutionem contra deferentes ad Saracenos prohibita, promulgarent, atq; ex eius præſcripto in tranſgreſſores animaduerterẽt, admonuit. 13. Ad petitionem Iacobi Aragonũ Sardiniæ & Corſicæ Regis, qui neceſſitate quadam coactus, bona quædam militibus Hieroſolymitanis vili pretio vendiderat, venditionis contractum reſcidit, vtque recuperato pretio, milites illi omnia bona reſtituerent, eis mandauit. 14. Vroſio Regi Raſciæ, formulam Fidei Orthodoxæ, quam per Legatos poſtulauerat, ex Canonum præſcripto cõceptam, deſtinauit, vtque ex eadem ille vna cum populis ſibi ſubiectis profiteretur ac crederet, ordinauit. 15. Regem Tartarorum ad veritatis agnitionem, ſcriptis literis, & miſſis internunciis hortatus eſt.

*1. ep. 193. 2. ep. 85. 3. ep. 197. 4. ep. 206. & 287. & 408. 5 ep. 222. 223. 6. ep. 263. 7. ep. 750. 8. ep. 758. 9. ep. 759. 10. ep. 280. 11. ep. 283. 12. ep. apud montem Laur. 4 Id. Octob. 13. ep. dat. 16. Cal. Mart. 14. ep. 21. 15. ep. 11.*

XII.
*Ope S. Petronii multi a febribus solo aquæ haustu sanati. Carol. Sigonius l. 3. de Epiſc. Bononienſ.*

Hoc anno Bononienſis Epiſcopus Hubertus Placẽtinus, maximum voluptatis fructum ex repentina quadam populi religione cœpit. Cũ enim multi paſſim in vrbe languerent, forte aquã ſedandæ ſitis cauſa ex proximo puteo, qui eſt ſub altari S. Petronii in æde S. Stephani, haurire cœperunt. Inde in die Pentecoſtes plerique qui ex ea biberant, febribus ſuis repẽte ſoluti ſummæ omnibus admirationi fuerunt. Itaq; ea re animaduerſa magnus inde ad hauriendum puteum concurſus populi factus: multiſque ſubinde ſanatis, priſca erga S. Petronium ciuitatis religio inſtaurata. Ea fuit ſumma





occaſio, magnifici poſtea templi illi in foro conſtruendi.

XIII.
*De Gualthero Brugensi defuncto schedam appellationis manu continente, admiranda historia. S. Anton. 3. part. tit. 24. c. 9. § 8.*

Eodem ipſo anno, mirum mirandum quoddam contigit, in fratre Gualthero Brugenſi, inſtituti Franciſcani. Ego non auderem referre, niſi grauiſſimi ſcriptores prodidiſſent. Verbis ipſis Diui Antonini dabo, quod accidit. Sub Generali Bonagratia Religionis Minorum Frater Gualtherus de Brugis Magiſter in Theologia tunc Miniſter Prouinciæ Thuronenſis, fuit per Dominum Papam Nicolaum III. compulſus (illo totis viribus vſque ad peccatum inobedientiæ renitente) recipere Epiſcopatum Pictauenſem. Et quamuis Generalis ille ſupplicauerit, ne ille Pater auferretur illi Prouinciæ, præualuit tamen voluntas Vicarii Chriſti. Erat enim Gualtherus omni virtute ornatus, & in adminiſtratione valde vtilis. Tantæ porro ſanctitatis fuit, vt aliquando columba candidiſſima viſa fuerit ſuper caput eius. Et contractum magnum debitum pro indumentis pauperum, cum mercatore quodam, qui Angelus Dei creditur in forma Procuratoris, exſolui fecit & cancellari illud debitum, eo ignorante.

Hic cum diu in Archiepiſcopatu Burdegallenſi, coram Clemente Pontifice, olim Bertrando Archiepiſcopo, pro iuribus Eccleſiæ ſuæ litigaſſet, & tandem ab eodem Clemente ab Epiſcopatu depoſitus, & ad clauſtrum reuocatus eſſet, conſcius, ſe ex ſiniſtris rumorib. in ordinem redactum fuiſſe, tandem ad extrema deueniens, quandam ſchedulam in qua continebatur, quod ipſe appellabat à ſententia Domini Papæ Clementis ſuper depoſitione ſua ab Epiſcopatu ad iuſtum iudicium Dei: & ipſam ſchedulam in manu ſua dextera concluſit, cumque ea voluit ſepeliri. Quod factum eſt. Ipſe vero erat clarens miraculis, & præcipue à quartana liberans.

Cum autem poſt duos annos vel circa, Papa Clemens cum Curia ſua veniſſet Pictauium, & ibi moram traheret, audito quod Frater Gualtherus cum ſchedula in manu clauſa ſuam appellationem continente ſepultus fuiſſet, voluit hoc videre. Vnde mandauit illum exhumari, & illam ſchedulam ſibi afferri. Mira res. Manus eius aperiri non potuit, neque ſchedula haberi, niſi facta prius promiſſione, quod ſibi poſtea reſtitueretur. Quo facto, ſtatim aperiri permiſit manum, & ſchedulam ſumi. Quam cum Papa Clemens legiſſet, miratus eſt, & reddi eam illi defuncto iuſſit.

XIV.
*Vvenceslaus Rex Boemiæ ob varia crimina in extremam inopiam redactus divino iudicio misere necatur. Dubrauius hiſt. Boem. lib. 19.*

Per idem temporis Deus manifeſto indicio ſeu exemplo oſtendit, quod Regna de gente in gentem tranſferat, propter iniuſtitias, & varios dolos. Narrabo miram ac citam conuerſionem Regni Boemorum ex his cauſis, vt exinde Reges alieno periculo apprehendant diſciplinam, ne quando ad iracundiam prouocent Deum; & pereant de via iuſta. Annum Wenceslaus ſextum decimum agebat, cum patri in Regno Boemiæ ſucceſſiſſet. In ea ætate potius ad regendum quam ad regnandum aptiore, non aliud quam Vrbanas delicias, luſus, conuiuia, compotationes, & quod magis pudendum eſt, ſcortationes, non cogitabat modo, ſed exercebat.

Nactus vitæ Rectorem Dobeſſium à Bechina, cum ab eo, quod mœroris inſignia ante tempus exuerat, ſatiſque intempeſtiue veſtem mutauerat, ad luctuoſum habitum reſumendum admonitus fuiſſet, correptionem non ſuſtinens, nihil quidem iuuenis ſeni reſpondit, ne palam cenſuram illius contempſiſſe videretur, protinus tamen ab eius oculis, atque à tota vrbe Pragana ſe procul remouit; & ad arcem quandam ſecluſiorem profectus, nouis illis induuiis ornatus, ibi lætos cum æqualibus, & à ſeuerioribus arbitris liberos dies per conuiuia, compotationes, & reliqua ſubſeciua quibus in Hungaria inſueuerat, conſumebat. Interim etiam lurconibus & helluonibus ſuis, nihil quod poſcerent negabat; ſed agros, pagos, caſtra, oppida, ciuitates, & adeo prouentus Regios inter compotandum facile donabat: cum illi ſibi non deforent, ſed captato temulentiæ tempore, alius aliud quod placebat à Rege parum ſobrio impetraret.

A prodigalitatis profuſione, fere ad inopiam redactus, vt omnibus perinde atque antea afflueret, multa à ſubditis partim per exactiones iniquiores emungebat, partim per ſpeciem emptionis, non tamen ſoluta pecunia, conquirebat, æſque alienum ingens contraxerat. Sera tandem parſimonia in fundo admonitus, ſerius ſapere voluit; viam tamen ſibi ad necem, Germanis vero ad occupandum Boemiæ Regnum, fatali neceſſitate aperuit: cum eos quos antea multis bonis obruerat, repetundarum condemnaret. Ad eum modum res ſucceſſit. Ibat Wenceslaus frequenter venatum, & illo in itinere arcem ſuam, aliam in alio, ſed ab alio poſſeſſam, præteribat.

Applicauit ſe interim vnus & alter ex comitibus, atque vterque cum dolore in aures Regias inſuſurrauit, quærens quod tam nobili arce Rex careret, & alius illam priuatus obtineret, pro qua nullam, aut viliſſimam dederit pecuniam. Rex dicta eorum tunc diſſimulans, reuerſus domum, ollas complures afferri, & in ordinem diſponi locarique iuſſit, ac in conſpectu illorum amborum comitum, vnamquamque nomine illius ciens, qui arcem aliquam oppignoratam ſibi haberet, ſingulas bacillo confringebat, inſultans: *Redde Regi quod Regium eſt; alioquin tergiuerſanti caput ad hunc modum comminuetur.*

Hæc quidem Rex clam eſſe cupiebat; ſed quod duo ſciunt tres, mox quatuor, deinde omnes ſciunt: & prout quemque res afficit, in bonam aut malam accipiunt partem. Nihilominus Rex ludicrum hoc in ſerium vertit, occupatoribus duobus arcibus ademptis; alteri Gradecam cum oppido lauto ad Albim ſito, alteri, quam Zuicouiam appellant. Hermanno quoq; Marchioni Brandenburg. totam in Miſnia regionem, quam nuper magno ære parens redemerat, per vim ademit: eoſque de quibus antea bene meruerat, in odium ſui concitauit.

Iſtud ipſum maiorem in modum inflammauit, cum bellum in vicinos Polonos facturus, inter Proceres, inter quos fuerant plerique malæ fidei poſſeſſores, inopia ærarii coactus exclamauerit; *Reſtituite*, inquit, *nobis equũ, ſi deſideratis vt in Poloniam equo vehamur. Nunc enim præter ſellam, atque eam male ſartam, maleque tectam, quid aliud nobis reliquiſtis? Adeo enim vehementer opes & reditus noſtros exhauſiſtis, vt ne aulam quidem ex dignitate alere, nedum militem conſcribere queamus.*

Offendit ea oratio omnes, quos pupugit. Itaque cum ſibi quiſque metueret, ne ſeria repetitione, eorum quæ hactenus poſſederant, ad extremam egeſtatem redigerentur, de Rege è medio tollendo cogitarunt, atque poſt paucos dies, vadentem in Poloniam interemerunt. Olomutium in itinere, ad domum ſuburbanam, quæ Decani vocabatur, ad captandam auram frigidiorem, diuerterat. Erat enim dies æſtatis calidiſſima. Ibi exutis vſque ad tunicam lineam veſtibus omnibus, dum extra cubiculum ſolus per conclaue ambularet, repente aliquis in eum irruit, nudumque & inermen adoleſcentem tribus lethalibus vulneribus confodit. Cum gladio cruento, Conradus quidam natione Duringus in ſcalis comprehenſus eſt. Sed is ab aulicis ante diſcerptus eſt, quam vt vel agnoſcere parricidium, vel edere authores, conſciosque cædis poſſet.

XV.
*Regnum Boemiæ penitus exhaustum a Boemis ad Germanos transfertur.*

Occiſo Wenceslao, & Præmislai primi Boemiæ Principis ſtirpe extincta, non tam conſenſu Procerum, quam potentia Regum Romanorum, imprimis in Rudolphum Alberti Cæſaris filium; & hoc in caſtris; ex nimio eſu fructuum æſtiuorum fluoribus ventris contractis mortuo, in Ioannem Comitem Lucelburgenſem Henrici ſeptimi recens renunciati Regis Romani natum, numine varia flagitia in Sobole Præmiſlai vl-

ciſcente, in Germanos Regnum tranſlatum eſt. Sed tam exhauſtum, vt cum Eliſabetha Wenceslai cæſi ſoror, Spiram anno ſubſequente ad Henricum Regem, vt Iohanni in matrimonium deſponſaretur, adducenda foret, mundum muliebrem, & reliqua itineri faciendo neceſſaria, emendicato conquirere opus eſſet.

IOANNES HENRICI ROM. REGIS FRATER REX BOEMIÆ ELIGITVR. EIVS REGNI EXTREMA EGESTAS.

Nullum enim puella mundum, nullumq; viaticum habebat, quo inſtructa, ornataque in tam longam vlam ſe dare, atque ex dignitate ſua ante conſpectum Cæſaris apparere poſſet. Eius præſens inopia vt ſubleuaretur, ventumque ad conferenda ſymbola fuiſſet, Præſul Pragenſis equum candidum tolutim gradientem, & duos argenteos cyathos bene inauratos donum puellæ miſit: Henricus à Lyppa rarum monile; Vartembergus torquem aureum: alii deinceps veſtes purpureas, alii holoſericas, & omnes pro viatico pecunias de ſuo contulerunt, aut mutuo à mercatoribus acceperunt.

Ea tam generoſo animo fuit, vt extrema quæque perpeti, quam impari coniugio nobilitatem generis imminuere, maluerit. Et iſtud quoque non iniucundum, enarrabo.

XVI. HEN. DVX CARINT. ELISABETHAM VVENCESLAI REGIS FILIAM DE NVPTIIS PERTENTAT.

Eo tempore, quo per matrimonia filiarum Wenceslai, Regnum Boemiæ, Principes externi ambiebant, Henricus Dux Carinthiæ Regni adminiſtrator, metuens, ne ſi alicui externo Principi Eliſabetha in matrimonium collocaretur, ipſe æmulum Regni ſe olim fortiorem nanciſceretur, excogitauit, illam tali marito coniungere, qui præ illo regnum petere erubeſceret. Mox communicato cum vxore conſilio, Hinconem à Queren, iuuenem nobilitate & opibus clarum, ſponſum puellæ delegit.

Reliquum fuerat, vt animus & voluntas puellæ ipſius exploraretur. Ea in arce Pragenſi, apud Diuum Georgium, in contubernio virginum Veſtalium educabatur, virgo ſane inter virgines commodiſſimo in loco. Hanc Henricus ducta ſecum vxore, adire non eſt grauatus. Et dum alios familiares, puellareſque fereret ſermones, matrimonii quoque fecit mentionem, nominauitque maritum, quem dare vellet, nempe Hinconem. Tum virgo generoſa, memor generis Regii, cum perſpexiſſet, quam infauſto pronubo matrimonium inter impares coniuges concilietur, neque fere vnquam bene talibus conueniat; *Vtinam prius*, inquit, *cum honore vitam præſentem amittam, quam vt impares nuptias ſubeam.*

Vrgebat Henricus obſtinatam preſſius, blanditiis, promiſſis, deinde terrore etiam carceris, niſi rigidum flecteret animum. Illa tamen in carcerem alterius arcis, quam Vicegradenſem vocāt, ire, quam ab inſtituto dimoueri, maluit. Hæc quidem apud Boemos per hos annos acciderunt.

XVII. VVANDAL. BARBARIES ET IN PARENTES IMPIETAS. *Crantz. Vand. lib. 7. c. 48.*

Apud Wandalos, rem à multis ſæculis retro commemoratam, de barbarie, in qua vetuli etiam parentes à filiis mactabantur, & ſenes iam labori inutiles ad mortem vrgebantur, hac tempeſtate, quidam ex ruſtica eorum gente (qui in duriſſima ſeruitute, omni labore & ſudore quotidiano, vix atrum panem excudunt) comprobauit. Placuit caſum enarrare.

Nobilis Domina, vxor Comitis Manſueldii, filia Comitis de Luchoro, quum ſemel parentes aliquando inuiſere conſtituiſſet, iter faciens per ericam Luneburgenſem, in vicino fruticeto audiuit vocem gementis & miſeribiliter deprecantis. Miſſoque vno ac altero ex familia, iuſſit contemplari quid eſſet; neque demorata reditum, quum moram facerent, ipſa aditura iuſſit aduerti carpentum.

Ibi conſpexit ſenem iam annis preſſum, labori inutilem, ligatis manibus eiulantem, orare vt vitæ eius parceretur. Iuxta vidit virum ſcrobem effodere; quem interpellans rogauit; quid moliretur. Ille nihil ratus illicitum, plane confeſſus eſt; patrem ſuum iam labori defunctum & inutilem, quique panem ſuum quærere non poſſit, ſepulturum. Illa redarguit impium, quod parenti non parceret: *Non times*, inquit, *improbe Deum, cuius eſt de honorandis parentibus, & de nemine, præſertim patre occidendo, mandatum?* Ad hæc ille ſuſpiciens: *Non poſſum*, inquit, *ô Domina, auferre panem paruulis, quos multos alo domi, & dare inutili ſeni. Vtriſque autem enutriendis, miſer ego ſolus, non ſum potis. Quid faciam?* Tum ingemiſcens Domina, reſpexit in ſuos, dixitque: *Videtis quæ ſit horum pauperum conditio, quibus nemo miſericordiam impendit; magis autem eorum ſanguinem quiſque emungit?* Tum prolatis aliquot argenteis, erogauit filio, vt patri vitam permitteret.

Pollicitus fuit ille, tantiſper, quoad durauiſſent argentei, patri proſpecturum. Illa tandem abiens, miſeræ plebis ruſticæ oppreſſionem ſecum expendens, ab eo tempore pauperum ſortem magis miſerata, ampliores eleemoſynas in inopes erogare, ac ſuper egenum & pauperem ſtudioſius intelligere cœpit.

---

# IESV CHRISTI
## Annus 1308.

### CLEMENTIS PAP. V. ANNO 3. & 4.
### Henrici Regis VII. Romanorum
### Anno 1.

I. PHILIP. GALLIAR. REX DENVO VRGET CLEMENT. PP. DE BONIF. MEMORIA DAMNANDA ET TEMPLARIIS EXTINGVENDIS.

EANDEM quam primo de Bonifacii memoria damnanda, & de Templariis extinguendis Philippus Rex Galliarum Clementi Maximo Pontifici Cantilenam ſuccinebat. Porro Clemens eadem qua prius conſtantia, ſe abſque Concilii vniuerſalis ſententia, de rebus tam grauiſſimis decernere non poſſe aſſerebat. Vrgebat Philippus Concilii ſeriam indictionem. Clemens vero, & vt ſuam fidem eliberaret, & tandem moleſtias à Rege importuno, pariter ac impio, quotidie miniſtratas effugeret, tandem ſerio datis ad Henricum Regem Romanorum alioſque Principes Chriſtianos, atque inprimis ad Pontifices & Prelatos Eccleſiarum, 11. Idus Auguſti literis, eos omnes intra biennium, Concilio Viennæ indicto, adeſſe iuſſit.

II. CLEM. PP. PER LITERAS OMNIBVS EPISC. INQVISITIONEM ADVERSVS TEMPLARIOS DE VARIIS CRIMINIB. ACCVSATOS COMMITTIT. *Apud Rubeum hiſt. Rauen. lib. 6.*

Cæterum quod Templarios attineret, cum Galliarum, Hiſpaniarum & Angliæ Reges, apud quos ii extruſi terra ſancta demorabantur in eorum Regnis, conſonantibus quærimoniis ac teſtimoniis eos apud Sedem Apoſtolicam opprimerent, ideo vt res fieret conſpectior, neue, quod multi fabulantur, propter prædia & arces quas in regnis tenuerant, Reges in eos conſpiraſſe aut viderentur, aut dicerentur, ideo Clemens Pontifex omnibus fere totius orbis Chriſtiani Epiſcopis ac Prælatis, eorum criminum quorum à Regibus accuſabantur, inquiſitionem commiſit, datis literis ex formula fere eadem, ex qua Rauennati Archiepiſcopo ſcripſit. Ita habet.

Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Rauennaten. & Piſano Archiepiſcopis, & Florentino & Cremonen. Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Faciens miſericordiam cum ſeruo ſuo Dei filius, Dominus Ieſus Chriſtus, ad hoc nos voluit in ſpecula eminenti Apoſtolatus aſſumi, vt gerentes, licet immeriti, vices eius in terris, in cunctis noſtris actibus, & proceſſibus, ipſius veſtigia, quantum patitur humana fragilitas, imitemur. Sane dudum circa noſtræ promotionis ad apicem Summi Pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, vbi recepimus noſtræ coronationis inſignia, veniremus, etiam poſt tam ibi, quam alibi, ſecreta quorundam*





*dam nobis intimatio inſinuauit, quod Magiſter, Præceptores, & alii fratres Ordinis militiæ templi Hieroſolymitani, & etiam ipſe Ordo, qui ad defenſionem patrimonii eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti fuerant in tranſmarinis partibus deputati, contra ipſum Dominum, in ſcelus apoſtaſiæ nefandum, deteſtabile idololatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hæreſes varias erant lapſi. Quia vero non erat veriſimile nec credibile videbatur, quod viri tam religioſi, qui præcipue pro Chriſti nomine ſuum ſæpe ſanguinem effundere, ac perſonas ſuas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa etiam magna, tam in Diuinis officiis, quam in ieiuniis & aliis obſeruantiis, deuotionis ſigna frequentius prætendebant, ſuæ ſic ſalutis eſſent immemores, quod talia perpetrarent, huiuſmodi inſinuationi ac delationi ipſorum, eiuſdem Domini noſtri exemplis, & Canonicæ ſcripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare. Deinde vero chariſſimus in Chriſto filius noſter, Philippus Rex Francorum illuſtris, cui eadem fuerant facinora nunciata, non typo auaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil ſibi vendicare, vel appropriare intendat, imo ea per deputandos à nobis ſuper hoc generaliter, & per Prælatos Regni Franciæ in ſuis diœceſibus adminiſtranda, & gubernanda in Regno ſuo dimiſit, manum ſuam exinde totaliter amouendo; ſed fidei Orthodoxæ feruore, ſuorum progenitorum veſtigia clara ſequens, accenſus, de præmiſſis quantum licite potuit, ſe informans ad inſtruendum, & informandum nos ſuper his, multas & magnas nobis informationes per ſuos nuncios & literas deſtinauit. Infamia vero contra Templarios ipſos increbreſcente validius ſuper ſceleribus antedictis; & quia etiam quidam miles eiuſdem Ordinis magnæ nobilitatis, & qui non leuis opinionis in dicto Ordine habebatur, coram nobis ſecreto, iuratus, depoſuit; quod in receptione Fratrum præfati Ordinis, hæc conſuetudo, vel verius corruptela ſeruatur, quod ad recipientis, vel ab eo deputati ſuggeſtionem, qui recipitur, Chriſtum Ieſum negat, & ſuper Crucem ſibi oſtenſam ſpuit, & in vituperium Crucifixi, & quædam alia faciunt, recipiens & receptus, quæ licita non ſunt, nec humanæ conueniunt honeſtati: prout ipſe tunc confeſſus extitit coram nobis; vitare nequiuimus, vrgente nos ad id officii noſtri debito, quia tot ac tantis clamoribus accommodaremus auditum. Sed cum demum fama publica diferente, ac clamoſa inſinuatione dicti Regis, nec non & Ducum, Comitum, & Baronum, & aliorum nobilium, Cleri quoque ac populi dicti Regni Francorum, ad noſtram, propter hoc, tam per ſe, quam per Procuratores & Syndicos, præſentiam venientium, quod dolenter referimus, ad noſtram audientiam perueniſſet, quod Magiſter, Præceptores & alii Fratres dicti Ordinis, & ipſe Ordo præfatus, etiam pluribus aliis erant criminibus irretiti, & præmiſſa per multas atteſtationes, Confeſſiones, & depoſitiones, præfati Magiſtri, & plurium Præceptorum & Fratrum Ordinis prælibati, coram multis Prælatis, & hæreticæ prauitatis Inquiſitore, in Regno Franciæ factas, habitas, & receptas, & in publicam ſcripturam redactas, nobiſque ac Fratribus noſtris oſtenſas, probari quodammodo viderentur; ac nihilominus fama & clamores prædicti in tantum inualuiſſent, & etiam aſcendiſſent, tam contra ipſum Ordinem, quam contra ſingulares perſonas eiuſdem, quod ſine graui ſcandalo præteriri non poterant: nec abſque immenſo periculo tolerari: Nos illius, cuius vices, licet immeriti, in terris gerimus veſtigiis inhærentes, ad inquirendum de prædictis ratione præuia duximus procedendum, multoſque de Præceptoribus, Presbyteris, Militibus, & aliis Fratribus dicti Ordinis, reputationis non paucæ, in noſtra præſentia conſtitutos, præſtito ab eis iuramento, quod ſuper præmiſſis interrogauimus, & plenam nobis dicerent veritatem. Super præmiſſis interrogauimus, & meram vſque ad numerum ſeptuaginta duorum, multis ex Fratribus noſtris nobis aſſiſtentibus, diligenter, eorumque confeſſiones per publicas manus, in autenticam ſcripturam redactas, illico in noſtra, & dictorum Fratrum noſtrorum præſentia, ac deinde, interpoſito aliquorum dierum ſpatio, in Conſiſtorio legi fecimus, coram ipſis, & eas, in ſuo vulgari, cuilibet eorum exponi. Qui perſeuerantes in illis, eas expreſſe, & ſponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt. Poſt quæ --- & præcipuis Præceptoribus præfati Ordinis, intendentes ſuper præmiſſis inquirere, per nos ipſos, ipſum Magiſtrum, & --- Franciæ, terræ vltra marinæ, Normanniæ --- Aquitaniæ, ac Pictauiæ præceptores maiores, nobis Pictauis exiſtentibus, mandauimus præſentari. Sed quoniam quidam ex eis ſic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad noſtram præſentiam quoquo modo adduci; Nos cum eis ſcire volentes de præmiſſis omnibus veritatem, & an vera eſſent, quæ continebantur in eorum confeſſionibus, & depoſitionibus, quas coram Inquiſitore prauitatis hæreticæ in regno Franciæ, præſentibus quibuſdam Notariis publicis, & multis aliis bonis viris, dicebantur feciſſe; nobis & Fratribus noſtris per ipſum Inquiſitorem ſub manibus publicis, exhibitis & oſtenſis, dilectis filiis noſtris Berengario tituli SS. Nerei & Achillei, & Stephano tituli S. Cyriaci in thermis, presbyteris, & Landulpho S. Angeli Diacono Cardinalibus, de quorum prudentia, experientia, & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus commiſimus & mandauimus, vt ipſi cum præfatis Magiſtro & Præceptoribus inquirerent, tam contra ipſos & alias ſingulares perſonas dicti Ordinis generaliter, quam contra ipſum Ordinem ſuper præmiſſis cum diligentia veritatem, & quicquid ſuper his inuenirent, nobis referre, ac eorum confeſſiones & depoſitiones per manum publicam in ſcriptis redactas, noſtro Apoſtolatui deferre, & præſentare curarent, eiſdem Magiſtro & Præceptoribus abſolutionis beneficium à ſententia excommunicationis, quam pro præmiſſis, ſi vera eſſent, incurrerant, abſolutionem humiliter ac deuote peterent, vt debebant, iuxta formam Eccleſiæ impenſuri. Qui Cardinales, ad ipſos Magiſtrum & Præceptores perſonaliter accedentes, eis ſui aduentus cauſam expoſuerunt. Et quoniam --- perſonæ --- ipſorum & aliorum Templariorum in Regno Franciæ conſiſtentium, nobis traditæ fuerant, quod libere abſque metu cuiuſquam plene ac pure ſuper præmiſſis omnibus, ipſis Cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate Apoſtolica iniunxerunt. Qui Magiſter & Præceptores Franciæ, terræ vltramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictauiæ, coram ipſis tribus Cardinalibus præſentibus quatuor tabellionibus publicis, & multis aliis bonis viris, ad ſancta Dei Euangelia, ab eis corporaliter tacta, præſtito iuramento, quod ſuper præmiſſis omnibus meram & plenam dicerent veritatem, coram ipſis ſingulariter libere ac ſponte, abſque coactione qualibet, & terrore depoſuerunt, & confeſſi fuerunt, inter cætera Chriſti abnegationem, & ſpuitionem ſuper Crucem, cum in ordine templi recepti fuerunt: & quidam ex eis ſe ſub eadem forma, ſcil. cum abnegatione Chriſti, & ſpuitione ſuper Crucem, fratres multos recepiſſe. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia & inhoneſta confeſſi, quæ, vt eorum ad præſens parcamus verecundiæ, ſubiicemus. Dixerunt præterea, & confeſſi fuerunt eſſe vera, quæ in eorum confeſſionibus & depoſitionibus continentur, quas dudum fecerant coram Inquiſitore hæreticæ prauitatis, quæ confeſſiones & depoſitiones dictorum Magiſtri & Præceptorum, in ſcripturam publicam per quatuor tabelliones publicos redactæ, in ipſorum Magiſtri & Præceptorum, & quorundam aliorum bonorum virorum præſentia, ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio, coram ipſis eiſdem lectæ fuerunt, de mandato, & in præſentia Cardinalium prædictorum, & in ſuo vulgari expoſitæ cuilibet eorundem: qui perſeuerantes in illis, eas expreſſe ac ſponte prout recitatæ fuerant, approbarunt, & poſt confeſſiones & depoſitiones huiuſmodi ab ipſis Cardinalibus, ab excommunicatione, quam pro præmiſſis incurrerant, abſolutionem, flexis genibus, manibusque complexis humiliter & deuote, ac cum lachrymarum effuſione non modica petierunt. Ipſi vero Cardinales, quia Eccleſia non claudit gremium redeunti, ab eiſdem Magiſtro, & Præceptoribus hæreſi abiurata expreſſe, ipſis ſecundum formam Eccleſiæ, auctoritate noſtra, abſolutionis beneficium impenderunt, ac deinde ad noſtram præſentiam redeuntes, confeſſiones & depoſitiones prælibatorum Magiſtri & Præceptorum, in ſcripturam publicam, per manus publicas, vti eſt dictum, redactas, nobis præſentauerunt, & quæ cum dictis Magiſtro & Præceptoribus fecerant, retulerunt. Ex quibus confeſſionibus, & depoſitionibus, ac relatione, iniicimus ſæpe fatum Magiſtrū & Fratres in præmiſſis, & circa præmiſſa; licet quoſdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus grauiter deliquiſſent. Verum quia in vniuerſis mundi partibus, per quas idem Ordo diffunditur, & fratres degunt ipſius, ſuper his non poſſumus inquirere per nos ipſos, Fraternitati veſtræ, de quorum circumſpectione ſpecialem fiduciam gerimus, de Fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad Aquileienſem ciuitatem, Diœceſim, ac Prouinciam perſonaliter accedatis, & per publicum citationis edictum, per vos faciendum, in locis in quibus viſum fuerit expedire, vocatis, qui fuerint euocandi, ſuper articulis quos vobis ſub bulla noſtra incluſos tranſmittimus,*

*ac ſuper aliis, de quibus prudentiæ veſtræ videbitur expedire, inquiratis, ac auctoritate noſtra contra dictum Ordinem, nec non & contra magnum Præceptorem dicti Ordinis, in partibus Lombardiæ conſtitutum, cum diligentia, veritatem, quam ſuper præmiſſis inueneritis, fideliter in ſcriptis publica manu redacta, ſub veſtris ſigillis, ad noſtram præſentiam delaturi, ſeu etiam tranſmiſſuri. Teſtes autem ſi qui à vobis requiſiti, ſeu admoniti, vel citati, vt ſuper dictis articulis ferant veritati teſtimonium coram vobis, ſi prece, vel pretio, gratia, timore, odio, vel amore, à ferendo teſtimonio ſe ſubtraxerint, nec non fautores, receptatores, & defenſores prædictorum Fratrum, qui à vobis citati, vel vocati, vt præmittitur coram vobis non comparuerint; eos inſuper qui prædictam veſtram Inquiſitionem, directe, vel indirecte, publice vel occulte, per ſe vel per alium, ſeu alios, vel alias, quoquomodo præſumpſerint impedire, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcatis, inuocato ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Quod ſi non omnes, his exequendis potueritis intereſſe, tres aut duo, ſeu vnus veſtrum ea nihilominus exequatur.*

Datum Pictauis 2. Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno 3. In eum modum Clemens Pontifex reliquis Archiepiſcopis, Epiſcopis & Prælatis Inquiſitionem contra Templarios committebat.

III. QVIBVSNAM DEMANDATVM FVERIT MVNVS INQVISITIONIS. *Ex autographo eorum ad Clement. V. miſſo, M.S. bibl. Vatic. nu. 4011.* PRÆCIPVA CAPITA TEMPLARIORVM HORRENDÆ IDOLOLATRIÆ, HÆRESIS BLASPHEMIÆ ET PROPVDIOSÆ LIBIDINIS.

His literis inter alios acceptis Fr. Ioannes Archiepiſcopus Piſanus, Antonius Epiſcopus Florentinus, & Petrus Iudicis de vrbe Canonicus Veronenſis ac Inquiſitores contra Ordinem militiæ Templi & ſingulares perſonas & fratres ipſius in partibus Lombardiæ & Tuſciæ à Clemente Pontifice inſtituti, inprimis die Lunæ 20. Septemb. 9. Indict. in Eccleſia Sancti Egidii de Florentia, & poſtea die 24. Septemb. die 27. Sept. die 5. Octob. 10. Indict. die 11. Octob. die 16. Octob. in eodem loco, & ad extremum die 23. Octob. Lucæ in Palatio Epiſcopali congregati, Inquiſitione ſuper commiſſis, iuxta articulos à Clemente Pontifice tranſmiſſos, ex formula iuris facta; ex depoſitione teſtium, partim ex viſu, partim ex auditu proprio, partim ex fama publica, partim ex aliis facti circumſtantibus indiciis, denunciantium, hæc infra ſcripta capita horrenda ac pudenda, idololatriæ, hæreſis, blaſphemiæ, atque propudioſæ libidinis, inter Templarios promiſcue perpetrata, in ſcripturam publicam redegerunt, & ſigillis Inquiſitionem ſignatam, Clementi Pontifici tranſmiſerunt. Erant autem iſta.

I.

Tyrones, qui primo Religionem Templariorum ingrediebantur, Deum blaſphemabant, & Chriſtum, Beatam Deiparentem Mariam, & omnes ſanctos abnegabant. Super Crucem & imaginem Ieſu Chriſti ſpuebant, eamque pedibus conculcabant. Chriſtum falſum fuiſſe Prophetam, neque pro redemptione generis humani paſſum, aut crucifixum eſſe, affirmabant.

II.

Caput quoddam, faciem albam quaſi humanam præſeferens, capillis nigris & criſpantibus, & circa collum deauratis ornatum, quod quidem nullius ſancti fuerat, cultu latriæ adorabant, orationes coram eo faciebant, & cingulis quibuſdam illud cingentes, illis ipſis, quaſi ſalutares forent, ſeſe accingebant.

III.

Verba conſecrationis in Miſſæ ſacrificio omittebant.

IV.

Tyrones receptos oſculis in ore, vmbilico, & membris quæ pudor occuluit, in loco Capitulari, mox atque habitum induiſſent, fatigabant.

V.

Auerſa libidine, omnes promiſcue ſeſe inquinabant.

VI.

Nemini ea reuelare, quæ vel in aurora, vel primo crepuſculo agerent, iuramento præſtito promittebant, aliaque nefanda perpetrabant.

Præſtat autem ipſa quæſtionis capita, à Clemente Pontifice præſcripta inſinuare, quorum plurimi Templariorum, rei eſſe dicebantur. Sunt autem iſta.

I.

Cum in Ordinem cooptabantur, in ipſis ſacrorum ſuorum initiis, Chriſtumne, aut Deum, aut virginem Deiparam, aut Diuos abiuraſſent, vel vt abiurarent moniti fuiſſent, alioſve ipſi ad abiurandum incitaſſent.

II.

An Chriſtum, vel Ieſum, Crucive ſuffixum, verum Deum eſſe, vel paſſum, pro humano redimendo genere negaſſent.

III.

An fuiſſe Pſeudoprophetam, & pro ſuis ipſis afflictum criminibus affirmaſſent.

IV.

An Ordinis Magiſtrum, qui nullis erat ſacris initiatus, crederent, per pœnitentiæ Sacramentum, eluere animæ ſordes, & peccata poſſe, & an ipſe id feciſſet.

V.

An quæ occulta habebantur in eorum legibus, ea Orthodoxæ Romanæ Eccleſiæ vituperationi eſſe, criminaque ac errorem fouere putarent.

VI.

An in ipſo Ordinis ingreſſu edocerentur, poſſe interſe luxurioſe commiſceri, idque eſſe faciendum, neque vllum ob id perpetrari flagitium, & an hæc Tyrones etiam docerent.

VII.

An ordinis ſui amplitudini ſtudere, vel contra, quam fas eſſet, iuraſſent, ad idque iurandum alios induxiſſent.

VIII.

An qui cooptabat eos in Ordinem, ne ſpem ſalutis ſuæ in Chriſto Deo poſitam haberent, illis ediceret.

IX.

An conſpuiſſent Crucem, imaginemue Chriſti Dei, aut pedibus protriuiſſent, ac conculcaſſent, & die Veneris ſancto, vel alio in eam minxiſſent.

X.

An cattum, craniumve, aut ſimulachrum quodpiam, & idolum huiuſmodi fictum & commentitium diuina veneratione coluiſſent, in Magnis Comitiis, alio ve fratrum loco; diuitiaſque ab eo, & terrarum arborumque vberes fructus ſperauiſſent.

XI.

An quo cingulo, interulam, carnemve cingebant, eo idolum quodpiam huiuſmodi tetigiſſent.

XII.

An tyrones, adoleſcentulos præſertim, libidinoſe, intemperanterque, atq; alia, quam deceat, parte oſculati fuiſſent.

XIII.

An, dum rem diuinam facerent, ſacra myſteriorum, & conſecrationis verba omiſiſſent.

XIV.

An ſceleſtum & nefarium facinus ducerent, hæc committere.

Hæc præcipua capita fuere, quorum ſe reos pleriq; Templariorum coram ſupraſcriptis Commiſſariis confeſſi, alii negantes conuicti ſunt. Alibi quoque locorum tum ab Epiſcopis, tum ab Inquiſitoribus prauitatis hæreticæ, in eoſdem eſt iudicium inſtitutum iſto anno. Iohannes & Nicolaus Quæſitores ex Ord. Prædi- *Rubeus ſ.*

cato-



catorum, Bononiæ, Fauentiæ, & in aliis ciuitatibus Æmiliæ, ſtrenuam in indaganda veritate operam poſuerunt. Otho quoque Mediolanenſis, eiuſdem Ordinis Dominicani Quæſitor in hæreticos, in Gallia Ciſalpina, Marchia & Genua, Lunato Bazano præcepit, & Vgoni Garilio, pœna Eccleſiaſticæ deteſtationis, niſi parerent, propoſita, iniunxit, vt Ioannem Bazanum, Petrum Garilium, Manfrædum è Viteo fratres Templarios, in conſpectum Coſpadi è Cata, Caſalis Prætoris producerent. Aderat tum Vbertinus Dominicani item Ordinis profeſſor, Andreæ Comitis Frix. filius, cum eodem die præſentes, tanquam in manum dati eſſent, Franciſco Corrigiatio ſpectante.

IV. IAC. REX ARAGON. CONTRA EOSDEM TEMPLARIOS INFELICITER PVGNAT. *Surita l. 2.* *MS. Angl. rerum Bib. Vatic.* QVOMODO EORVM SCELERA DETECTA.

In Regno Aragoniæ, Rex Iacobus, contra eoſdem Templarios, qui armis præfidentes in armis erant, bellum mouit; minoreque, quam fuerat veritus, dimicatione perfecit. Captus Bartholomæus Beluiſius, Templariorum Dux, vna cum aliis plurimis: in quos vt Valentinus Epiſcopus Regius Cancellarius, cognita cauſa ſtatueret, Clemens Pontifex datis ad eundem literis, præcepit. Reperiuntur etiam eiuſdem Clementis Pontificis ad Robertum Cantuarienſem Archiepiſcopum, & ad alios Antiſtites Angliæ, contra eoſdem Templarios literæ, in quibus ille ſignificat, cum primum ad eam dignitatem vocatus eſſet, tam grauia & deteſtanda ad ſe contra Templariorum Ordinem crimina delata fuiſſe, vt fidem huiuſmodi delationi nulla ratione adhibuerit. Sed cum infamia illorum, & accuſatio indies ingraueſceret, & Philippus Galliæ Rex rem eam valde vrgeret, (qua tamen in re nullum ſuum commodum ſequebatur, cum nihil de ipſorum bonis ſibi intercipere cogitaret. Quippe qui omnia quæ in ipſius ditione reperirentur, Romanæ Sedis arbitrio adminiſtanda atque collocanda permiſerat) cœpiſſe ſe ſerio de cauſa cognoſcenda cogitare. Acceſiſſe ad ſe proinde quendam conſpicuæ apud eos auctoritatis & claris parentibus ortum, qui iureiurando conſtrictus immania quædam crimina detegebat. Accerſiſſe & ſeptuaginta duos alios, eorumque confeſſionem eodem recidiſſe, mandaſſe deinde, vt Magiſtri & Præceptores Ordinis ex Normania, Aquitania & Pictauia ad ſe euocarentur.

Cæterum quoniam quidam eorum tam graui ægritudine laborarent, vt equos aſcendere nequirent, tres Cardinales miſit, qui de tota re accurate ab eis inquirerent. Qui & ipſi tam à ſe, quam à ſociis ingentia piacula, per libidinem præpoſteram & execrandam, propter Chriſti Crucem à ſe conſputam, ipſamque Chriſti fidem clam à ſe eiuratam admiſſa fatebantur. Quorum veniam atque indulgentiam ſubmiſſi in genua, manibus comploſis, magnaque lachrymarum effuſione ſupplices poſtulabant, vtque Eccleſiæ ac fidei, quam perfidia prodiderant, ab anathemate, in quod ſuo ſcelere ceciderant, liberati redderentur.

Mandabat itaque vt Robertus & cæteri Epiſcopi quamprimum ad Synodum coirent, omni diligentia de tanta re deliberaturi; vtque ſolerti & acri inueſtigatione Templarios omnes in Anglia excuterent, & de huiuſmodi facinoribus accurate inquirerent, omniaq; interim tam bona mouentia, quam Templariorum poſſeſſiones ad ſuam cuſtodiam reuocarent, aut illis (ſi innocentes reperirentur) reddenda, aut Sacræ Terræ vſibus, ſi huiuſmodi in illis crimina hærerent accommodanda & attribuenda.

Significauit etiam ſe in Scotiam, Hyberniam, Noruegiam & Daciam, ob eandem cauſam literas & Nuncios ſuos miſiſſe. Et quoniam res tanti eſſet momenti, & iuſtum aliquod tempus, vt omnia mature, recte atq; idonee fierent, poſtularet, & ne tam grauem cauſam inconſulta aliqua facilitate præcipitaret, biennio poſt apud Viennam Galliæ ſe Oecumenicam Synodum indicere, ſcripſit.

In qua omnium ſententiis ac iudiciis auditis & perpenſis, totaque re explorate & exquiſite cognita, ſe quod Chriſti religio & rei æquitas flagitaret, conſtituturum dixit. Cui Synodo Archiepiſcopos Cantuarienſem & Eboracenſem, Londinenſem, Vindonienſem, Sarisburienſem, Vigorinenſem & Lincolnienſem Epiſcopos, vt omni excuſatione remota intereſſent præcepit. Conuenit itaque poſtea Londini frequens Synodus. Sed quid ibi actum ſit, non ſatis explicatam recenſionem adhuc reperio. Sed cum has Clemens literas Auguſto menſe, tertioq; Pontificatus ſui anno miſiſſet, Iulioque prius Rex Edouardus in fata conceſſiſſet; Ianuario ſequenti omnes per Angliam vno eodemq; die Templarii comprehenſi, variis cuſtodiis paſſim attributi ſunt.

V. CLEMENS FRATRIB. ORD. PRÆD. INQVISITIONIS COMMISSIONEM CONFIRMAT. *ep. 568.*

Porro quod extraordinariam hanc contra Templarios, Cardinalib. ac Epiſcopis commiſſionem attinet, tantum abeſt vt Clemens Pontifex Ordinarios Fidei Quæſitores Fratres Ordin. Prædicatorum, à poteſtate inquirendi contra eos arcuerit, vt etiam ad perpetuam rei memoriam decreuerit, per quamcunque, & quibuſcumque, etiam S.R.E. Cardinalibus factam inquirendi ſuper hæretica prauitate poteſtatem, nulla ratione derogari iuribus & auctoritate Inquiſitorum eius loci; quinimo eos & poſſe officio ſuo libere defungi, & debere à Cardinalibus Commiſſariis, in cauſis emergentibus aſſumi, ad tam ſanctum negotium peragendum.

VI. CLEM. PP. MISSO LEGATO CARDINALI, VNGAROS AD CAROL. IN REGEM SVSCIPIENDVM ANATHEMATIS COMMINATIONE IMPELLIT. *Bonfin. de. 2. lib. 9.*

Eodem anno trecenteſimo octauo ſupra milleſimum, Clemens Quintus in Hungariam Cardinalem Legatum in cauſa Caroli Regis Hungariæ deſtinauit. Fuit is Cardinalis profecto grauiſſimus, & conſilii ac virtutis compos non mediocris, nomine Gentilis. Ibidem annum vnum diuerſatus, dum Optimatum rimaretur, & penitius inſpiceret animos, antequam ſeuerius aliquid adortus eſſet. Poſt vbi diuerſos nonnullorum animos in Pontificis obſequium direxiſſet, & Optimatum Principes in ſententiam ſuam traduxiſſet, ratus iam inſtare tempus, quo tutius aliquid ad tranſigendam rem audere poſſet, ſeuerum anathematis edictum in pertinaces Caroli aduerſarios promulgauit: *Quicunque potens, nobiliſque Vngarus, Antiſtes pariter, ſacerue quiuis, Carolo Regi legitimo, aut iuſtum obſequium, aut ius Regium non reddiderit, aut Regem appellare recuſarit, aut quid negotii fecerit, aut ſuper ea re Apoſtolici Senatus conſultum auctoritatemue interpellarit, ei Sacris omnibus, conſuetudine fidelium, item honore ſepulturæ, ac aqua & igni interdictum eſto. Inimicus Chriſtianæ reipublicæ, haud aliter ac ſi aris ac focis ignem iniecerit, vbique gentium habetor. Carolus, Caroli Regis Siciliæ filius, hæreditario iure matris, vniuerſæ Vngariæ legitimus Rex eſto: Orthodoxam fidem propugnato: Pontifici Senatuique Romano vſquequaque pareto: Romanam Eccleſiam, vt fas eſt, defendito.*

Hæc vbi Cardinalis edixiſſet, in Ladislaum quoque Vaiuodam (quemadmodum vocant) Tranſſyluaniæ ſeueram tulit rogationem, quando coronam, quam ab Othone Rege quem cœperat in Tranſſyluania, eripuerat, Carolo reddere recuſabat; neque precibus, neque donis, neque minis, & vi aliqua vt reſtitueret, hactenus poterat adduci. Quin etiam filiam, Stephani Regis Macedoniæ filio, quam Seruiam nunc appellant, quamuis ſchiſmaticum eſſe intelligeret, nulla tamen veræ fidei habita ratione, legitimo matrimonio copularat.

Hunc igitur Legatus, duplicem hanc cauſatus anſam, grauiſſimo anathemate mulctauit. Spectantes hęc ſibi interdicta commoda Vngari, ſine quibus nemo fidelium vitam ręcte ſancteque tranſigere poteſt, & cadaverib. paſſim ſepulchra inhiberi, æque omnes commoti, Regalia in campo Comitia, quem Racon circa Peſthum appellant, vno conſenſu haberi oportere cenſuerunt. Quo poſtquam omnes Optimates ac nobiles conueniſſent, cum decuriis conuentuum, quos Comitatus appellant, cunctis ſuffragiis, atque mira



concor

concordia Carolum Regem crearunt, & octauo poſt D. Stephani ſolemnia die, in Alba Regali, Sacro diademate, quod Ladislaus Vaiuoda paulo ante reddiderat, anno Domini 1310. coronarunt.

VII. CLEM. PP. GESTORVM HVIVS ANNI SVMMARIVM. 1. ep. dat. apud S. Æmil. Burdeg. Diæc. 12. C. Oct. 2. ep. dat. Toloſa. 3. Cal. Ian. 3. Pictau. 3. Id. Iul.

Eodem anno Clemens Pontifex, 1. Philippum Regem Galliarum, vt militibus Hieroſolymitanis in terram ſanctam auxilia ſubmitteret, eiſq; omnia bello gerendo neceſſaria ex Regno ſuo in Syriam conducere permitteret, admonuit. 2. Regib. ac Inquiſitoribus, Maioricarum, Siciliæ, Nauarræ, Daciæ, Sueciȩ, Portugaliȩ, Cypri, Vngariæ, Trinacriæ, Noruegiæ, Boemiæ, Aragō. Caſtellæ, Comiti Sabaudiæ Delphino Viennenſi, Duci & Senatui Venetiarum, vt ſi qui adhuc Templariorum capti non eſſent, eos caperent, & tum loca, tum bona eorum in cuſtodia fideli, vſque ad Sedis Apoſtolicæ diſpoſitionem retinerent, commiſit, adeoque præcepit. 3. Carolo Comiti Andegauenſi, & Mathildi filiæ Guidonis, Comitis S. Pauli, vt in tertio gradu vel quarto propinquitatis matrimonium contrahere poſſent indulſit. 4. Hacquino Regi Noruegiæ, vt Præpoſitus Capellæ duodecim Apoſtolorum Bergenſis pro tempore futurus, omnibus Capellanis in capellis ab eodem Rege, & à Magno Patre, & auo Hacquino fundatis præſit, voceturque Magiſter Capellarum Regni, & vt in eadem Capella, rem diuinam in præſentia Regum Noruegiæ pro tēpore exiſtentium faciens, pedo Pontificio, mitra & annulo vti, necnon quouis Antiſtite abſente, benedictionem more Pontificum impendere poſſit, priuilegio peculiari conceſſit. 5. Archiepiſcopo Bracarenſi & Epiſcopo Colimbrienſi, vt Studium Vlyſſipona Collimbriam transferrent præcepit, Regemque Portugaliæ Dionyſ. vt prouentus ſex aliquarum Eccleſiarum Regni ſui, vſibus eiuſdem Studii deputaret, admonuit. 6. Integram delictorum remiſſionem, & ſolidam animorum expiationem, tum Clericis, tum laicis proficiſcentibus in auxilium Terræ ſanctæ, atque in ſubſidium militum Hieroſolymitanorum, qui per id temporis Cypri inſula relicta, Rhodum Turcis nequicquam obſiſtentibus occupauerant, Pontificio diplomate ac edicto indulſit. 7. Venetos, qui per idem temporis Ferrariam ciuitatem, ad Eccleſiam Romanam ſpectantem interceperant, vt eam quam primum reſtituerent, & à finibus bonorum Sedis Apoſtolicæ recederent, propoſito anathemate, aliiſq; grauiſſimis cenſuris, niſi intra certum diem reſtituiſſent, & receſſiſſent, hortatus eſt.

4. ep. dat. Pictauis Non. Febr.

5. ep. 384 & 346. Pictauis 5. Cal. Mart.

6. ep. 625.

7. ep. dat. Lectore ap. S. Vedaſt. 2. Non. Dec.

Bernard. Corp. p. 2.

Hoc enim tempore Azone Eſtenſe Ferrariæ Principe ſine legitima prole fatis functo, cum acris contentio inter ipſius fratres de Principatu orta eſſet, Veneti Friſcum eius nothum, eo quod apud illos natus fuerat, ad Ferrariam obtinendam adiuuandam ſibi deſignarant, adeoque armis & milite eandem, primum eius nomine, deinde illo expulſo, nullo iure occuparant. Quamobrem Clemens, illos, primum ex officio præmonuit; deinde cum vrbem ditionis Eccleſiaſticæ non reſtituerent, anathemate eos primo notauit, Sacris omnibus in toto dominio interdixit, bellum in eos & decreuit, & ſuſcepit, eoſque omnes pro mancipiis, bonis eorum vbique Regnorum direptis haberi iuſſit. Ad eos debellandos, Arnaldum Pelagruam ſuum affinem, tituli S. Mariæ in Porticu diaconum Cardinalem Legatum miſit: qui inito cum Longobardis, Bononienſibus, & Florentinis fœdere, Venetis inſigni prælio ad Francolinum ſuperatis, & ſex millibus interfectis, Ferrariam pro Eccleſia, recuperauit, & vrbem Imperio Eccleſiaſtico iterum ſubiecit. Inde in Etruriam abiens, beneficii à Florentinis in recuperatione Ferrariæ accepti memor, eos interdicto & anathemate ſoluit; quo Neapoleo Cardinalis Vrſinus Legatus eos ſupplices propter contumaciam & contumeliam percuſſerat.

VIII. HENRIC. IN REGEM ROM. IN-

Hoc anno cum in feſtiuitate Epiphaniæ Dominicæ, primam coronam à Pontifice Agrippinenſium Henricus accepiſſet, ſerio cogitare cœpit, in Italiam pedem mouere, vt antiqua Imperii decora reſtitueret, alterumque & tertium diadema ex ritu ſolemni acciperet. Inprimis iſtud à Clemente Pontifice, in mandatis expreſſum fuerat, vt is intra biennium Romæ eſſet. Quod enim nulli vnquam Cæſarum datum eſt, id illi vltro oblatum.

AVGVRATVS ROMAM VOCATVR A CLEM. PP. P. Æmil. in Philippo Pulchro.

Itaque Henricus, cum proximorum Cæſarum conſilia, qui vel per ignauiam timiditatemq; vel per alias cauſas Italiam ingredi non fuiſſent auſi, vituperaſſet, id ſibi vnum elaborandum propoſuerat, vt ad priſcum decus, nomen Cæſarum rediret, reuiuiſceret, recoleretur.

AVSTRIÆ DVCATVM OCCVPARE COGITAT.

Duo remorari videbantur, vel tria emergentia, ne tam cito iter arriperet. Inprimis Auſtriæ Ducatum, in animo habebat occupare. Cæterum cum hæc ipſius cupiditas, Proceres Gentis Germanicæ, & inprimis Alberti Cæſaris defuncti perneceſſarios non latuiſſet, liberrimis vocibus illum à conſilio deterruerunt, memorantes; Ob vnum Auſtriæ Ducatum quinque Cæſares interemptos. Verendum itaque illi, ſi pergeret opes alienas appetere, ne ſextus Cæſarum numeraretur, Auſtriæ cauſa interemptorum. Ita permotus, Fœdericum Alberti filium Ducem appellauit, in verba ſua iureiurando adactum, ac iuſſum apud ſe Italico bello militare, cum ducentis cataphractis equitibus. Alterum eſt quod eum detinebat; in Germania Comites Wittembergenſes, Imperio non parebant, fiducia duum & ſeptuaginta oppidorum, quibus ipſi imperabant. Erant & alia indidem, multa ſecus ac oportuerat facta, diſſimulataque. Ad illos ad officium reuocandos, hæc vero in ordinem redigenda, tempore, ac milite, opus fuit.

EXERCITV IN BOEM. DVCTO HENRIC. CARINT. DVCEM A REGNI ADMINISTRATIONE DEIICIT, ET IOHAN. FILIVM CVM ELISABETHA EIVS CONIVGE REGES CORONAT. Dubrauius hiſt. Boem. lib. 20.

Tertium eſt, quod Henricum impediebat, ne tam cito itineri ſeſe accingeret. Filio eius Iohanni quatuordecim annos nato, nupſerat Eliſabetha Wenceslai Boemorum Regis, nullis liberis ſuperſtitib. defuncto, ſoror, & Regni Boemiæ hæres. Cumque ad ſponſum Ioannem occaſione eiuſdem Regnum Boemiæ attineret, non perdendum ius acquiſitum exiſtimans Henricus, exercitum in Boemiam quoque cum filio mittere habuit neceſſe. Namque Henricus Carinthiæ Dux regnum illud titulo adminiſtratoris occupauerat. Iuit in Boemiam, ad regnum dotale, armis de Henrico Carinthiæ Duce recipiendum Petrus Pontifex Moguntinus, cum Iohanne. Atq; non multa difficultate Henrico eiecto, Praga recepta, Iohannem atque Eliſabetham regio diademate inaugurauit. Dies purificationis Diuæ Virginis Mariæ conſecratus fuit, quo ipſe Archiepiſcopus ſuffragantibus ſibi Iohanne Pragenſi, & Petro Lamnicio Olomucenſi Præſulibus, in præſentia omnium Regni Ordinum, manibus ſuis caput vtriuſque regia corona redimiuit, habuitq; orationem aut potius deprecationem loco & tempori accommodatiſſimam, qua tum ſingulos, tum vniuerſos magnopere orabat, ne ſimultatib. inter ſe & factionibus diſtraherentur, neue diuerſa à Rege ſuo ipſi ſeorſum ſibi conſilia haberent; ſed cum oporteat aliquam inter Regem, & illi ſubiectos, regni adminiſtrandi eſſe ſocietatem, vt ad communem Regni vtilitatem prouehēdam, communi ſtudio ac voluntate, conſilioque cum Rege conſpirarent; non ignorantes quam tutiſſima ſit mutua defenſio, quȩ tamen niſi mutuo de regno & inter ipſos conſenſu, non conſtaret. Quare, ſi quid adhuc diſſenſionum, offenſionumq; vel priuatim vel publice contractarum ſupereſſet, omnem illarum dolorem vt ex memoria deponerent, & in priſtinam concordiam redirent, vehementer deprecari.

Hoc vero nomine Regis, aduerſæ quoque factionis Ordinibus ſignificauit, quod ipſe Rex illis omnium iniuriarum per tumultum ſibi præſentem illatarum, plenam gratiam concederet. Idem etiam Petrus Regem quoque ſeorſum hortatus eſt, vt quemadmodum & paternæ magnitudini, & dignitati ſuæ in regali iam faſtigio collocatæ, conueniret, ita Regnum, curarum licet & moleſtiarum plenum, forti ac magno animo capeſſeret;



peſſeret; idque inprimis caueret, ne vllum ſubditis ſignum oſtenderet, tanquam impar eſſe propter ætatem ſuſcepto oneri videretur; ſed ſi qua tempeſtas grauior ingrueret, ad parentem velut ad Sacram ancoram confugeret.

IX. EDOVAR. ANGLIÆ REGIS OBITVS, ET AD INFEROS DAMNATIO. Hect. Boet. hiſt. Scot. lib. 14. DE EIVS INTERITV DVBIÆ NARRATIONES.

Rebus Boemicis ad eum modum, Henricus, compoſitis, adhuc aliquantum angebatur, ne res Anglicanæ & Belgicæ per id temporis turbatæ, nonnihil ſtatum Germaniæ concitarent. Hoc enim anno Edouardus Rex Angliæ, rebus humanis exceſſerat, Scotorum Proceribus in ſe excitatis. Authorem habeo, qui prodidit Edouardum obiiſſe morbo repentino, nullo pœnitentiæ ſigno dato, neque Sacramentis ex more receptis.

Fama etiam tenuit, equitem quendam Willelmum Baniſtrum hora mortis eius in exſtaſi vidiſſe Edouardum à dæmoniorum turba correptum, grauiterq; flagris cæſum, ad Tartara detractum; eumdemque quum ad ſe rediſſet mirandum in modum exterritum, ac paulo poſt in morbum incidiſſe, nec deinceps vnquam viſa ex animo deponere potuiſſe. Itaque etiam vbi conualuiſſet ex morbo mutata vita, pœnitentiam ad vltimam vitam egiſſe. Porro non incredibile eſt Edouardum, iis pœnis deputatum fuiſſe, qui etiam ſub extremam horam cædibus ac tyrannide ſeſe impiauerit. Priuſquam enim extremam diem obiiſſet Edouardus, adducti ad eum ſunt animam iam trahentem quinquagintaquinq; nobilium Scotorum liberi, impuberes fere omnes, quos Kildrummi caſtello aliquamdiu oppugnato ea lege tandem in deditionem acceperant, vt quod Edouardo Regi videretur, id illis fieret. Itaque vbi adducti in cubiculum iam ferme morientis, rogaretur quidnam faciendum de illis cenſeret, nihil ætatis innocentia commotus, toruo omnes vultu intuitus, crudeliſſimam de illis ſententiam ipſe mox ac iuſtiſſimi Iudicis ſubiturus iudicium, tulit; *Trucidentur*, inquiens, *ad vnum omnes à furca ſuſpenſi.*

EIVS EFFERA CRVDELITAS. EDOVARDVS EDOVARDI FILIVS PATRI SVCCEDIT IN REGNVM ANGLIÆ.

Quod & extemplo factum eſt à tyrannidis ipſius adminiſtris. Mortuo Edouardo, filius Edouardus in Regnum ſucceſſit. Qui quod Spiritus paternos gereret, & tum Scotis, tum Belgarum aliquibus bellum oſtentaret, metuebat Henricus, ne ab Aquilone aliquod ei malum panderetur. Porro nihil eorum omiſit, quæ ad futuram, ad Imperii faſtigium aſſumptionem, pertinere videbantur.

X. CLEM. PP. LITERÆ DE REBVS HENR. ROM. REGIS ANTE ET POST ELECTIONEM GESTIS ET IVRAMENTIS PRÆSTITIS. Clem. lib. 2. tit. 9. de iureiurand.

Itaque modis omnibus Clementem Pontificem demereri volens, ea omnia quæ Catholici Reges & Imperatores ſolerent, ſolemniter præſtitit. Hæc vero operæ precium eſt cognoſcere, ex ipſius Clementis Pontificis literis, quas coactus eſt orbi vniuerſo promulgare, paulo poſt, cum Henricus beneficiorum à Sede Apoſtolica collatorum oblitus, calcaneum contra Romanam Eccleſiam & vrbem leuaſſet. Ita habent:

*Romani Principes Orthodoxæ Fidei profeſſores, ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, cuius caput eſt Chriſtus Redemptor noſter, ac Romanum Pontificem eiuſdem Redemptoris Vicarium, feruore fidei & claræ deuotionis promptitudine venerantes, eidem Romano Pontifici, à quo approbationem perſonæ, ad imperialis celſitudinis apicem aſſumendæ, nec non vnctionem, conſecrationem & Imperii coronam accipiunt, ſua ſubmittere capita non reputarunt indignum, ſeque illi & eidem Eccleſiæ, quæ à Græcis Imperium tranſtulit in Germanos, & à qua ad certos eorum Principes ius, & poteſtas eligendi Regem, in Imperatorem poſtmodum promouendum peruenit; adſtringere vinculo iuramenti, prout tam mos obſeruationis antiquæ temporibus nouiſſimis renouatæ, quam forma iuramenti huiuſmodi Sacris inſerta canonibus manifeſtant.*

*Dudum ſane inter quondam Henricum Imperatorem, tunc Romanorum Regem, & chariſſimum filium noſtrum Robertum Siciliæ Regem, graui diſcordia ſuſcitata: nos multis grandibuſque periculis, quæ exinde prouentura veriſimiliter timebantur, intendentes celeri & opportuno remedio obuiare, quibuſdam ex Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus exiſtentibus, tunc in vrbe pro reformanda pace, & ſolidanda concordia inter Reges eoſdem literas noſtras, ſub certa forma duximus deſtinandas: inter alia inſerentes in eis, quod cum ipſi Reges eiuſdem Eccleſiæ ſpecialiſſimi filii, ſibi iuramento fidelitatis, & alias multipliciter eſſent adſtricti, ipſius Eccleſiæ debeant eſſe promptiſſimi defenſores.*

*Dictis autem literis in notitiam dicti Henrici ad Imperium iam promoti ſic deductis, idem Henricus ab eiſdem Cardinalibus requiſitus, vt ſuper contentis in illis ſuum propoſitum reſponderet; quaſi moleſte tuliſſet, quod de iuramento fidelitatis huiuſmodi, per eum præſtito, in dictis literis mentio haberetur, non familiariter, nec ſecrete, vt tractandæ pacis qualitas exigebat, ſed multis tabellionibus accerſitis & requiſitis ab eo, quod de reſponſionibus ſuis conficerent publica inſtrumenta, inter cætera publice (præſente multitudine hominum copioſa) reſpondit, ſe non fore cuiquam ad iuramentum fidelitatis aſtrictum; & quod nunquam fecerit iuramentum, propter quod foret ad iuramentum fidelitatis alicui obligatus; & quod ipſe neſciebat, quod anteceſſores ſui Romani Imperatores vnquam iuramentum huiuſmodi præſtitiſſent: ſimulans ſe immemorem iuramentorum, quæ nobis ante coronationem ſuam præſtiterat, & poſt coronationem etiam innouarat.*

*Nos itaque attendentes quod huiuſmodi reſponſio, ſi ſub diſſimulatione pertranſeat, vel ſilentio pallietur, poſſet in magnum & euidens præiudicium Romanæ Eccleſiæ redundare, dignum admodum & opportunum fore proſpeximus, vt de iuramentis huiuſmodi conſtitutioni præſenti aliqua breuiter annectamus.*

*Dictus namque Henricus, quamprimum fuit in Regem Romanorum electus, ſolennes ad nos Nuntios deſtinauit, dans eis per ſuas patentes literas plenum & ſpeciale mandatum exponendi nobis pro eo deuotionem ipſius & reuerentiam filialem, quam ad nos & Romanam Eccleſiam ſyncero gerere ſe dicebat affectu: nec non petendi & impetrandi à nobis fauorem & gratiam conſuetos: offerendi quoque nobis & præſtandi pro eo, & in ipſius animā debita nobis, & Eccleſiæ fidelitatis, & cuiuslibet alterius generis iuramentum; ac nihilominus petendi à nobis per noſtras ſibi manus impendi vnctionem, conſecrationem, & Romani Imperii diadema. Præfatis itaque Nunciis in noſtra & Fratrum noſtrorum præſentia conſtitutis, ac ſecundum dicti tenorem mandati, Auinione, vbi tunc eramus cum noſtra curia reſidentes, in publico cōſiſtorio, in quo erat Prælatorum, & aliorum tam Clericorum quam laicorum non modica multitudo, præmiſſis per eos coram nobis expoſitis ſupplicando penitus humiliter & oblatis; Nos eodem mandato & decreto electionis eiuſdem Henrici ex parte Principum tam Eccleſiaſticorum, quam ſæcularium, qui eundem elegerant, nobis per dictos Nuncios præſentatis, plena cum eiuſdem Fratribus deliberatione diſcuſſa, factaque nobis de electione huiuſmodi concordi & legitima, plena fide, examinata quoque perſona ipſius Henrici, prout abſentia patiebatur eiuſdem, & de ipſius fide, probitate, & aliis, quæ in perſona Imperatoris ſunt merito requirenda; cum pluribus Prælatis & aliis magnæ auctoritatis viris, qui eiuſdem Henrici mores, conditionem & ſtatum plenius nouerant, inquiſito, eiuſque perſona, cuius etiam nos & Fratres noſtri aliqualē prius notitiam habebamus, propter quod facilius tranſiuimus in examinatione huiuſmodi idonea reputata, ipſum nominauimus, denunciauimus, & declarauimus Regem Romanorum, ipſius approbantes perſonam, eumque ſufficientem & habilem declarantes ad ſuſcipiendam Imperialis celſitudinis dignitatem; ac decernentes vnctionem, conſecrationem, Imperiiq; Romani coronam, ſibi per manus noſtras debere concedi. Et ſubſequenter à præfatis Nunciis ſufficiens ad hoc, ab eo, (vt præmittitur) mandatum habentibus, ſecundum formam in decretis, quæ incipit:* Tibi Domino, *comprehenſam, fidelitatis recepimus iuramentum. Poſtq; idem Henricus conſecrationis & coronationis ſuæ tempore aliud eiſdem Cardinalibus, quos ad impendendum ſibi huiuſmodi conſecrationis & coronationis inſignia miſeramus ad vrbem, illud nomine noſtro recipientibus iuramentum præſtitit corporale: quod in libro Pontificali Romano præſtandum Pontifici per Imperatorem coronationis ſuæ tempore continetur: cuius tenor dinoſcitur eſſe talis.*

Ego Henricus Romanorum Rex annuente Domino futurus Imperator, promitto, ſpondeo, & polliceor, atq; iuro coram Deo & B. Petr. me de cȩtero protectorem, procuratorem, & defenſorem fore Summi Pontif.

& huius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in omnibus neceſſitatibus & vtilitatibus ſuis, cuſtodiendo & conſeruando poſſeſſiones, honores & iura eius, quantum diuino ſuffultus adiutorio fuero, ſecundum ſcire & poſſe meũ recta & pura fide, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

*Cæterum, quin iuramenta huiuſmodi fidelitatis exiſtant, à retro Romanis Principibus, non fuit hactenus hæſitatum: imo tam quondam Albertus Rex Romanorum, immediatus prædeceſſor memorati Henrici Bonifacio Papæ octauo prædeceſſori noſtro, tempore approbationis eiuſdem Alberti, quam Rodolphus pater ipſius, & alii prædeceſſores eiuſdem Romanorum Reges diuerſis noſtris prædeceſſoribus iuramentum fidelitatis & obedientiæ præſtiterunt: idemque Bonifacius memoratum Albertum iuramento huiuſmodi ab eo recepto, de fratrum ſuorum conſilio (præſente Prælatorum & aliorum multitudine copioſa) authoritate Apoſtolica recepit in ſpecialem ſuum filium, & Eccleſiæ memoratæ, ipſumque in Regem Romanorum aſſumpſit, in Imperatorem poſtmodum promouendum. Verum quia ſæpefatus Henricus, qui in proximis diebus fuit de hac luce ſubtractus, non virtutem & mentem, ſed nudum verborum inſectans corticem, ſenſumque confundens, iuramenta reſtringendo prædicta, curioſe videbatur aſſerere (vt præfertur) illa ad debitum fidelitatis huiuſmodi non extendi; nouo modo curioſitatis, huius luculentæ veritatis antidotum ipſius declarationis oraculo prouidimus apponẽdum. Quia ergo capitulis iuramento fidelitatis contentis, ſolicita meditatione penſatis, ipſa capitula in præfatis Imperatoris iuramentis, quantum ad effectum, mentem & virtutem ipſorum non eſt dubium contineri. Nos præmiſſis, & aliis rationibus, ne quis in Romanum aſſumptus Principem, vel in poſterum aſſumendus, an iuramenta huiuſmodi per dictum Henricum Imperatorem præſtita, & per ſucceſſores ipſius in futurum præſtanda fidelitatis exiſtant, in dubitationem deducere audeat, vel ſuper his contrarium aſtruere veritati: authoritate Apoſtolica de fratrum noſtrorum conſilio, declaramus illa iuramenta prædicta fidelitatis exiſtere, & cenſeri debere.*

*Porro præter iuramenta prædicta, idem Henricus ſuorum inhærens prædeceſſorum veſtigiis, priuſquam ingrederetur Italiam, vel ibidem iura aliqua exerceret, ſub teſtimonio ſuarum patentium literarum, in manibus dilecti filii Ioañis de Mollianis ſcholaſtici Eccleſiæ Talenſis Capellani noſtri ad hoc ſpecialiter per nos miſſi, noſtro & præfatæ Eccleſiæ nomine recipientis promiſit, & tactis ſacroſanctis Euangeliis iuramento firmauit, quod eamdem Eccleſiam & fidem Catholicam pura fide, totiſque viribus conſeruaret reuerenter, & etiam defenſaret: omnemque hæreſim, ſchiſma, & hæreticos quoslibet, fautores, receptatores, & defenſores ipſorum exterminaret pro poſſe: ac numquam cum Saraceno, pagano, ſchiſmatico, ſeu alio quolibet, communionem Catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo alio præfatæ Eccleſiæ inimico, vel rebelli, ſeu eidem manifeſto ſuſpecto vnionem quamlibet, ſeu parentelam aut confœderationem iniret: ſed tam noſtram, quam ſucceſſorum noſtrorum perſonas, honorem & ſtatum manu teneret, defenderet, & conſeruaret contra quoſcumque homines cuiuſcumque exiſterent præeminentiæ, dignitatis vel ſtatus. Eidem etiam adiiciens iuramento, quod manuteneret ſemper atque ſeruaret priuilegia omnia per prædeceſſores ſuos Reges ac Imperatores Romanos, præfatæ Romanæ & aliis quibuslibet Eccleſiis quocumque conceſſa tempore, & continentiæ cuiuſcunque. Ipſaq; omnia & ſpecialiter ac præcipue per claræ memoriæ Conſtantinum, Carolum, Henricum, Ottonem IV. Fridericum II. atque Rodolphum, prædeceſſores ipſius, ſuper conceſſione, recognitione, aduocatione, annotatione, quittatione, & libera dimiſſione terrarum & prouinciarum Romanæ Eccleſiæ vbi libet poſitarum: quarum etiam multas nominatim expreſſit, Sedi Apoſtolicæ Romaniſque Pontificibus ſuper quocumque tenore conceſſæ recognouit, confirmauit, & ex certa ſcientia innouauit, ac etiam de nouo conceſſit: & terras ipſas atque prouincias recognouit ad ius & proprietatem ipſius Eccleſiæ pleniſſime pertinere; eaſque nihilominus ex abundanti de nouo Eccleſiæ ſæpe fatæ donauit; ſub prædicto ſe obligans iuramento, quod ipſas, aliquamve ipſarum partem nullo vnquam tẽpore occuparet, ſeu (quãtum in eo eſſet) ab alio permitteret occupari. Nec in eis aut aliqua parte ipſarum iura aliqua, poſſeſſiones aut tenutas haberet, ſeu quomodolibet poſſideret, nec in eis etiam poteſtariæ ſeu cuiuſuis capitaniæ, aut iuriſdictionem quamcumque per ſe, vel per alium exerceret; quodque (vt princeps Catholicus, & ſæpe dictæ Eccleſiæ aduocatus atq; defenſor) ipſam iuuaret, & conſiliis, & auxiliis illi adſiſteret opportunis, contra quoſcumque inobedientes & rebelles eidem; & præcipue contra occupantes, ſeu turbantes terras prædictas, ſeu prouincias, vel partem quamlibet earundem.*

*Sub eodem etiam iuramento promiſit, quod tam ipſam Romanã Eccleſiam, quam alias Eccleſias, libertatem Eccleſiaſticam, bona, iura, prælatos, & miniſtros Eccleſiarum ipſarum manuteneret, conſeruaret, atque defenderet ſuo poſſe. Et quod Eccleſiæ Romanæ vaſallos contra iuſtitiam nullatenus offenſurus, deuotos ac fideles Eccleſiæ etiam in Imperio conſtitutos benigne tractaret, nec eos opprimeret contra iuſtitiam, aut (quantum in eo eſſet) per alium opprimi ſuſtineret, ſed in ſuis potius iuribus & iuſtitiis cõſeruaret. Hoc quoque iuramentum, & etiam priſtinum pro eo nobis per ſuos nuncios (vt præmittitur) præſtitum receptis ſuæ coronationis inſigniis innouauit, prout in patentibus ante coronationem ipſam eius Regio magno ſigillo, & aliis poſt coronationem eandem eius imperiali bulla munitis, inde confectis literis (quas in archiuis Romanæ Eccleſiæ reponi, & diligenter conſeruari fecimus) plenius continetur.*

Hactenus Clemens Pp. commemorabat ea omnia, quæ Henricus Imperator ſtatim atque electus erat, & poſtea ſuccedentibus temporibus ſiue egiſſet, ſiue conceſſiſſet; quæ ideo volui ſubiungere, vt omnium notitiæ velut in ſumma quadam haberetur.

XI.
ROBERT. CANTVARIENSIS ARCHIEP. AB EDOVARDO INIVSTE EIECTVS, POST EIVS OBITVM RESTITVITVR A CLEMEN. PP.
*MS. rerum Angl. B. bl. Vatic.*
EIVS LAVDES ET CONSTANTIA.

Per id temporis in Anglia Canthuarienſi Eccleſiæ præerat Robertus Archiepiſcopus inſignis vindex Eccleſiaſticæ libertatis. Seuerus & acer fuit Robertus in peccatis vindicandis, eoſque qui ſtupris vel adulteriis ſe contaminaſſent, fuſtibus palam cædi mandabat. Priuilegia etiam non ſolum Canthuarienſis verum & aliarum Eccleſiarum acerrime defendebat. Inter quæ erat, ne vſufructuarii, aut tenentes vectigalia (vt appellant) aut telonea vlla ſoluerent. Anathema etiam illis inuſſit, qui Cantuariæ aut aliarum Eccleſiarum prærogatiuas aut immunitates conuellerent. Reliquoſque Epiſcopos ad eas cenſuras quas ipſe tulerat denunciandas hortatus eſt.

Diligenter quoque prohibuit, ne mercaturæ, negotiationes, aut lites in cauſis prophanis, in templis aut cæmeteriis exercerentur; neue iuſiurandum in litibus huiuſmodi per iuſtitiæ præfectos in Quadrageſima, aut iis diebus qui præcedunt Chriſti natalem deferretur. Quamquam nonnunquam ob vrgentes cauſas præfectis permiſerit, ſpeciali ſcriptiſque comprehenſa licentia. Defuncto autem Edouardo Rege, cum Robertus Auinione ſe ſiſteret, vt crimina ſibi ab Edouardo intentata dilueret, Clemens Pontifex Nuncios ad Edouardum filium miſit, rogauitq; an ille criminationem contra Robertum à patre inchoatam perſequi contenderet.

Hic porro reſpondit, ſe Robertum velut patrem eximium reuereri, neque ſcire grauius aliquod crimen quod illi vitio verteret, multoque ſe malle illum domi, vt ſuſcepto officio ac munere defungeretur, quam alibi locorum in exilio manere. Abſoluit itaque Robertum Clemens, & tum famæ, tum poſſeſſionibus reſtituit.

Cui cum ille propter clementiam ingentem, gratias quam plurimas officioſiſſime peregiſſet, in Angliam reuerſus, paulo ante obitum auctor Principum concilii cogendi Edouardo fuit. In quo cum multa alia è republic. vſu, tum illud ſancitum, vt Spenſerii & alii quos adoleſcens Rex in delitiis habuit, & qui omnia illius facta gubernabant, quique perditis conſiliis adoleſcẽtem nefarie deprauabant, profligarentur, aliique moderati & prudentes homines Regem & rempublicam adminiſtrarent.

Roberti potiſſimum opere atque perſuaſione Rex iuramento promiſit, ſe iis omnibus pariturum, quæ in Comitio decreta eſſent. Sed cum ſi-

dem



dem deinceps fefelliſſet, in certam poſtea perniciem inconſulta leuitate præceps ruit. Auctorem habeo, qui Roberti Archiepiſc. conſtantiſſimum in eo Concilio factum, ad exemplum poſteritatis narrauit. Edouardus Rex in ſumptus belli contra Scotos relicti, auxilium non tantum à populo, verum etiam ab vniuerſo Clero nimis auide poſtulabat; atque adeo vigeſimam partem fructuum extorquebat. Et quidem proceres & populi non grauate contulere, & Epiſcoporum aliqui vt ex ſuis diœceſibus clerici contribuerent, Regi præſenti conceſſere: cum Robertus Archiepiſcopus libertatis Eccleſiaſticæ cauſa, ſpiritu tanto Pontifice digno vehementer obſtitit, & tum Conſtitutionem Bonifacianam Regi auaro oppoſuit, tum meticuloſis Epiſcopis illud Principis Apoſtolorum ad mentem reuocauit; *Oportet magis obedire Deo, quam hominibus*: atque adeo fere omnes ab oppreſſione iniquiore in libertatem aſſeruit: nec quicquam Rege contendente, & Proceribus frementibus.

*Polydor. Virg. hiſt. Angl. lib. 16.*

XII.
CLEMENS BASILC. ROMÆ FORTVITO INCENDIO CONFLAGRATAS REFORMAT.
*Platina in Clem. V.*

Hoc anno, Romæ, fortuito incendio tectum Baſilicæ Lateranenſis, Porticus & Patriarchium, & omnes ædes circumuicinæ igne exuſtæ ſunt, maximo cum Eccleſiæ Romanæ detrimento. Sola ſancta ſanctorum ædicula ſuperfuit, in qua Capita Apoſtolorum, & alia ſanctorũ pignora erant recondita. Clemens Pontifex hunc caſum cum doluiſſet, pecunias ingentes ad eorum omnium reſtitutionem miſit, & magnas indulgentias iis conceſſit, qui iis fabricis reſtituendis pecunias erogaſſent. Carolo quoque Regi Siciliæ iniunxit, vt ex regni Eccleſiæ ſyluis, ligna & trabes in reparationem excindi atque Romam conuehi iuberet. Miſit etiam clero & populo Romano alias pecunias; licet eo anno tanta caritate & penuria rerum laboratum in regno ſit, vt vix ad cibum & potum, & ad vitam ex dignitate Pontificia viuendam, ſatis facultatum haberet. Hæc mala & frequentes Solis eclipſes, & cometæ portendebant, & ipſa peſtis, qua fere vbique terrarum hoc anno eſt laboratum.

XIII.
WICHARDVS SALISBVRG. EPISCOP. ERVDITIONE ET PIETATE FLORET.
*Auentin. in Chron.*

Eadem tempeſtate in Germania viuebat Wechardus Archiepiſcopus Salisburgẽſis, merito illuſtrib. Germaniæ viris, propter eruditionem & pietatem annumeratus. Natus ex illuſtri familia Baronum Bolheimiorum, cum à teneris annis operam literis dediſſet, & vitæ integritate omnibus eſſet conſpicuus, communi Canonicorum conſenſu ad eam dignitatem electus fuit. Is inter alios libros, etiam Chronicon Auſtriæ ad ſua vſque tempora compoſuit, atque bonas literas egregie fouit.

XIV.
S. CLARÆ RELIGIOSISSIMÆ VIRGINIS PARENTES PATRIA SANCTITAS, ET VITÆ INSTITVTVM.
*Iſidorus Moſconius in Comp. vitæ, miraculorum & reuelat. B. Claræ, ad Cardinal. Montalperum.*

Apud Montem Falconem in Vmbria, ad cœlos hoc anno emigrauit, Clara religioſiſſima virgo, cui ardens in Chriſti Crucem amor, cordiq; Crucis impreſſa myſteria, de Cruce cognomen dedere. Nata eſt in eo oppido piis parentibus Damiano & Iacoba, ſedente in Romana Sede Clemente Quarto Pontifice. Quatuor annorum puella, ita pietati dedita eſſe cœpit, vt orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, multaſq; alias precationes flexis genibus, manibus complicatis, facieque ad Deum, tanta animi deuotione recitaret, vt omnibus admirationi eſſet. Precationibus crebra ieiunia, iam à prima ætate iungebat. Vt autem ſanctiorem precandi formam addiſceret, Iohannam ſororem natu maiorem, Chriſtianæ pietatis officiis maxime deditam frequenter adibat, atque cum ea diutius orare conſueuerat.

GRAVISSIMAM DÆMONIS TENTATIONEM FORTITER SVPERAT.

Eam porro orandi frequentiam ita in tota vita retinuit, vt teterrimo humani generis hoſti vehementer eſſet inuiſa. Is vt puellam ab incœpto cœleſtis vitæ tramite ſeduceret, ſæpius apparens, interdum blandis ſermonibus, interdum terroribus, interdum variis phantaſmatibus ſpectriſq; confictis, eam ab orandi conſuetudine deterrere conabatur. Aliquando muliebri ſpecie aſſumpta facieq; laruata, ſic puellam allocutus eſt; *Caue tibi, caue tibi Clara. Si in poſterum cum Ioanna ſorore tua ad orandum acceſſeris, velut ſororem tuam Theodorutiam* (vix nata, obierat) *morte tu mulctabo.* Has dæmonis technas deſpiciens Clara, maiore ſtudio, acrioreque contentione, orationibus, vigiliis, ieiuniiſque operam dabat. Somni adeo continens fuit, vt raro lectulum dormitura conſcenderet, nec niſi humi cubaret, ſi quando eam ſomni neceſſitas oppreſſiſſet. Lautioribus Epulis nunquam veſcebatur, ſed inediam pane hordeaceo tolerabat, ſitim vero aqua frigida extinguebat. Studio maioris pietatis inflammata, nullum non mouit lapidem vt in monaſterium ſacrarum virginum, in quo optimi mores colebantur, & vitæ probitas ſanctitaſque eſſloreſcebat, admitteretur. Præerat virginibus Ioanna eius ſoror, neque prius puellam in ſacrum cœtum admiſit, quam poſt multas repulſas, animum illius conſtantiamq; exploraſſet, atque aurum illius flamma tentationis probaſſet.

XV.
EIVS ADMIRANDA CASTITATIS CVSTODIA.

Sacrum flammeum, à Thoma Spoletano Epiſcopo, cum accepiſſet, vt pro tanto beneficio Deo gratias perſolueret, vnius integræ hebdomadis ieiunium ſibi indixit, neque aliud quicquam, præter dimidiatum panem cum pomo vnico deguſtauit. Adiecit ieiuniis frequentiores ad Deum preces, in quibus ſpiritu ſupra quam cuiq; credibile eſt efferueſcebat, neque aut virium imbecillitate, aut aliquo labore à conſuetudine cum Deo auellebatur. Aliquando in oratione defeſſa, cum in ſomnum incidiſſet, atque dormiens, pedis partem neſciens dctexiſſet, ob eamque rem quaſi pudori non ſatis conſuluiſſet, ab Ioanna ſorore Præſide reprehenſa fuiſſet, tantum ex ea re, vix nouem annos nata, mœrorem concepit, vt exiguam hanc conſcientię labem, perinde ac ſi data opera accidiſſet, multis lachrimis ac gemitibus expiaret. Ex ea occaſione in poſterum hoc ſemper dormitura obſeruauit, vt tunicam inter crura, ne caro carnem tangeret, interiiceret, tunicamque ad ipſos talos reuinciret. Nulli vnquam monialium, vt ſibi manus tangerent permiſit. Si quam autem illarum ſuccinctam videret, impudẽtiæ eã arguebat dicens; Ne in obſcuro quidem loco decere vllas corporis partes nudare, ſed in omni loco turpitudinem fugiendam, honeſtatem vero conſeruandam eſſe. Iſtud ipſa ad eum modum obſeruauit, vt ne medico quidem vllam partem corporis detegere vnquam voluerit. Viſum enim plurimorum malorum fontem eſſe dicebat, quia oculorum ſenſus acerrimus eſt animæ hoſtis. Ideo id aſpiciendum non eſſe, quod expetere non liceret.

XVI
MODESTIA ET VIRTVTES.

Inter orandum ſæpius locus in quo oraret, miro fulgore reſplendebat. Cum autem mala valetudine laboraret, frequenter ab Angelico concẽtu quem audiebat vires priſtinas recuperabat. A quotidianis ſermonibus tantum abhorruit, vt ſemel modo fregiſſe ſilentium conſtet, idque nonniſi gratia matris Iacobæ, quæ ipſam colloquendi gratia adiuerat. Quo quidem veluti grauiſſimo ſcelere ſe impiatam exiſtimans, grauius doluit, & id ſibi magni loco ſupplicii accidiſſe cenſuit. Idcirco in pœnam admiſſi criminis, in ſummo frigore, aſperrimaque hyeme, gelidas niues nudis pedibus comprimens, centenis vicibus precationem Dominicam recitauit. Fuit Clara ſimplex, pura, Dei metuens, modeſtiæ & temperantiæ amans, à fraudibus, mendaciis, & obſcœnis voluptatibus, tanquam à peſtifero veneno abhorrens, vtpote quæ ita rationi ſubegiſſet partem eam, quæ variis motuum perturbationibus agitatur, vt nihil in ea deprehenderetur reprehenſione dignum, plurima vero commendationis laude inſignia reperirentur.

XVII.
IEIVNIA ET MORTIFICATIONES, &c.

Inter ſanctimoniales, regulam S. Auguſtini profeſſa, cum defunctæ Ioannæ ſorori, in officio Abbatiſſæ ſucceſſiſſet, ingens exemplum ſanctitatis reliquis virginib. dedit. Ieiunia illi quotidiana, cilicium aſperrimum, diſciplinæ nocturnæ vſq; ad cruentationẽ, lecti durities, vigiliæ continuatæ, veſtitus vilis, humilitas demiſſa, cuſtodia ſenſuum ſolers, frequentiſſimus vſus Sacramentorum, contemplationis ſtudium indefeſſum: prudentia in peruidendis aſtutiis cacodæmonis tam ſagax, vt nullis eius artib. aut fallaciis deludi potuerit, enãſi ille

nihil

nihil intentatum vllo loco, aut tempore relinqueret, quo ſanctiſſimam virginem à curſu virtutis retardaret. Aliquando veterator ille, vt libidinis igniculos in ea conſopitos excitaret, Crucifixi imaginem pulchritudine prope incredibili, & eleganti corporis ſpecie in pariete expreſſit. Verum enim vero nihil ſubdolis artibus profecit, Clara ad ſui cuſtodiam vigilante. Pauperum tanta charitate flagrabat, vt ſæpenumero ſuis ſe exuens veſtibus, illis tribuerit. Infirmarum ſororum tam aſſidua cura, vt nihil ad ſubleuandam ęgritudinem corporis, ac mẽtis mœrorem depellendum omiſerit. His virtutibus ornata, dum ipſa in penetralibus Oratorii ſui preces ad Deum effunderet, collum eius & caput elegãtiſſimis violarum ſertis exornatum, à multis Monialibus conſpectum eſt.

XVIII. IN MONASTERII ADMINISTRATIONE MIRA VIGILANTIA.

In adminiſtratione Cœnobii, tanta ſolicitudine pudorem Virginum ſibi commiſſarum cuſtodiuit, vt earum nomina, ne Confeſſario quidem nota eſſe voluit; ne ſcilicet mutuæ beneuolentiæ anſa præberetur. Dicebat illis ſæpius: Fugiat virginitas congreſſus virorum, ſocietateſque corruptarum; alioquin in diſcrimen adducetur.

Eam porro corporis integritatem ſummis laudibus extollens, aiebat; hanc in mortali vita, immortalem referre gloriam: eandemque inſtar bene olentis balſami eſſe, quo cadauera incorrupta ſeruantur? quaue tanquam diuina cuſtode munitam animam, non poſſe ab hominibus vllo modo lædi; cum virginitas ſit candor lucis æternæ.

XIX. ALIÆ IPSIVS VIRTVTES ET GESTA.

Cum inter Trebiates, ac ſuos oppidanos, non modica eſſet diſſenſio, pacem inter eos, ac Peruſinos, Aretinos & Spoletinos conciliauit. Vicarium Spoletani Epiſcopi à captiuitate in libertatem vindicauit. Gualterium Magiſtrum è manibus inimicorum eripuit; omnibuſque opem & operam indigentibus exhibuit. Eam præterea conſuetudinem inſtituit, vt dum panes domi pinſerentur, duodecim in Apoſtolorum honorem fierent, atque pauperibus diſtribuerentur. In puellis, in Monialium numerum referendis, non dotes, non generis aut formæ præſtantiam, aſpiciebat, ſed propenſæ ſolummodo ad Deum pie colendum voluntatis rationem habebat. Accidit interdum, vt Moniales, ſe inſcia, in conuictum quandam puellam admiſerint, cuius pater cœnobii familiaris fuerat. Inde Clara grauius commota, puellæ patruum, cuius gratia illam ſuſceperant, fore aliquando Monaſterii hoſtem acerrimum turo prædixit. Cumque id poſtea accidiſſet, eaſdem admonuit, ne alicuius humani commodi ſpe accenſæ tale quid in poſterum auderent; affirmans, non conſanguinitatis aut amicitiæ cauſa, ſed pro cuiuſque meritis & indole ſpiritualia eſſe exhibenda.

XX. IPSIVS DISPVTATIONES PRO FIDE CATHOL. PROPHETIÆ VISIONES ET SANCTISSIMVS OBITVS.

Fidem quoque Catholicam ſummo ſtudio aliquoties Clara defendit, & falſa hæreticorum dogmata perſæpe differendo confutauit. Futuras hominum actiones, quaſi præſens eſſet præuidit, & hominibus prænunciauit. Intima cogitationum prouidit atque reuelauit. Prophetico ſpiritu inſignita, multa euentura prædixit. Et in his Iacobo Columnio S.R.E. Cardinali longe venturam calamitatem, & ſuccedentem tranquillitatem præſignificauit; & ab eo digitum S. Annæ recepit. Antiſtiti Spoletano futuram dignitatem Cardinalitiam præſignauit, foreque Oſtienſem Epiſcopum dixit. Monialibus ſuis quam ſæpiſſime occultas conſuetudines, ſermones, animique ſenſus detexit, omnemque laborem impendit, vt ab huiuſmodi erroribus eas auerteret. Vnam inter cæteras, à dæmone inſectatam vidit, vtque labem occultam qua conſcientiam inquinauerat elueret, admonuit. Aliquando ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, à Saluatore ipſo oblatum, manibus propriis contingere meruit, tunc quando vna cum aliis ſororibus menſæ Dominicæ intereſſe nequiuiſſet.

Acerbiſſimas Ieſu Chriſti pœnas attenta mente perſæpe cogitabat, ſummiſque precibus Deum orabat, vt quæ mentis oculis, corporeis quoque aſpiceret. In ea oratione cum ſpiritum intendiſſet, vocem cœlitus delapſam audiuit, quæ dicebat; *Quid eſt tibi Clara gratius, aut optatius, quam dolorum cruciatuumq; meorum fieri participem?* Hinc ex eo tempore, in ea cogitatione ita tenaciter perſtitit in poſterum, vt fellis amaritudinem, dolorumque acerbitatem etiam in cibis ipſis guſtare videretur. Semel Chriſtus ſuſcepta peregrini forma, candido veſtitus amictu, humeris Crucem ferens, blandis eam verbis ſalutauit dicens: *Salue filia. Cogitanti mihi iamdiu quidnam potiſſimum tibi offerrem ad ſummam animi iucunditatem: occurrit Crux iſta quam fero. Eam in tuum amplexum admittito, mihique cor præbeto, vt in Cruce moriaris.* Hic ſermo tam vehemens extitit, vt cor eius penetrarit, atque Dominicæ paſſionis myſteria in eo impreſſerit. Aliquando etiam contemplationi dedita, ſingulari quodam Dei beneficio arcana incarnationis per occulta vidit, Angelos canentes, paſtores vigiles, Magos accedere ſupplices, denique in humili præſepio repoſitum infantem. Iudicii quoque extremi ſchemata, & tum impiorum ſupplicia, tum piorum felicitatem aſpexit: ac ſuauiſſimam è cœlis vocem audiuit; *Veni Clara; tuus enim aduentus iucundiſſimus expectatiſſimuſque mihi erit.* Cum autem illa quantocyus diſſolui, & eſſe cum Chriſto cuperet, aliam vocem audiuit, quæ diceret; *Parumper expecta: nondum enim dies tuus venit.* Alia die imaginem Chriſti Domini ſua magnitudine cœlum terramque implentem, ac fulgore qui Solis ſplendorem antecelleret, vniuerſum orbem illuſtrantem, & manu extenta tum Monaſterium, tum præcipuos Spoletanæ vrbis locos ſanctis benedictionibus ſignantem vidit, ac mortis horam eodem reuelante præuidit. Qua cum ex morbo ſuperueniente premeretur, Angelum cuſtodem ſuſpexit, eumque iſtis verbis compellauit; *Angele Dei nuncia ſanctiſſimæ virgini, vt me in cœleſtes ſedes recipiat.* Dæmonem quoque in agone ſibi apparentem profligauit dicens: *Quid à me cruenta bellua petis? Exi maledicte hinc, & euola, in locum æterni tui cruciatus.* Cum autem aliqua ex ſororibus metueret, ne Claram malignus ſeduceret, atque Crucis effigiem illi opponeret, illa; *Si,* inquit, *Chriſti Crucem quæris, accipe cor meum, in quo Chriſtum Cruci affixum reperies.* Appropinquante hora mortis, cum ſacramentis ſumma cum deuotione ſeſe muniuiſſet, ac ſororibus tum præcepta viuendi dediſſet, tum benedictionem impendiſſet, die 16. Kalend. Septemb. in his verbis expirauit: *Nimium, nimium, nimium tuæ gloriæ præmium mihi eſt Domine.* Tum ad ſorores conuerſa; *Ducite me,* aiebat, *ad ſponſum meum. Video enim cœlum apertum, & S. Apoſtolos ac Dei virgines me ſummo gaudio expectantes. Venit iam hora, qua ex his corporis vinculis, ad Deum meum euolare debeo.*

XXI. EFFIGIES, ET QVÆ IN SINGVLIS EIVS CORPORIS PARTIBVS REPRÆSENTATA MYSTERIA?

Mortuæ facies præter conſuetudinem eluxit, indiciamque ſororibus certiſſimæ illius gloriæ dedit. Cor eius exenteratum, & nouacula diuiſum, repræſentauit in ſe expreſſa myſteria Dominicæ paſſionis. Cum enim ad magnitudinem capitis puerilis præter conſuetum naturæ ordinem excreuiſſet, adeo examuſſim omnia ea præſetulit, vt exſculpta eſſe viderentur. In parte eius dextera, Ieſu Chriſti crucifixi imago, magnitudine muliebris pollicis, licet aliquanto longior, extenta tenens brachia aliquantulum ſublata; caput extra humeros decline, & deflexum. Pars dextra corporis, in qua vulnus ſitum eſt, liuidum colorem gerebat, ſanguine infecta. In ſiniſtra vero vidiſſes Syndonem minutis ſanguinis guttulis aſperſum. Vulnus in latere multo cruore manabat. In hac eadem parte circulus è neruiculis confectus ſpineam delineabat coronam, quæ hirſutis ſpinis, tortuoſiſque conſtabat aculeis: ibidem tres neruiculi, veluti tria fila, in vna parte pendebant, in quorum extremo deuincti, pendebant ferrei claui, cuſpidis acutæ, nigri, tactu duriores carne; quorum duo breuiores, breuiori etiam reuinciuntur filo; alter maior, filo maiore pendebat; ſub quorum loco clauorum alter aderat neruiculus lanceam deſignans, cuius e at cuſpis a-





cuta ſane, coloris ferruginei, & duritiei, quam attingens Berengarius quidam, quaſi ſtimulis acutis ſenſit manum pungi. Erat idem à ſuperficie erectus, ac ſi ex ſuo latere cuſpis exiret. Fuit itidem hac in parte neruiculorum confuſa quædam congeries rubei coloris, cuius forma incerta erat: illam autem in arundine ſpongiam interpretabantur. In ſiniſtra parte cordis erat flagellum ex quinque flexis neruiculis, nodiſque pluribus reuinctum, pendens particula carnis mollis, graciliſq; cæterum, quo flagellum ſuſpenditur referebat. Poſt eam matica carnea, ſed ligno ſimilis ſequebatur, eodemque modo funiculi, erant atro ſanguine tincti, & à carne elati, & ſuperati, quæ omnia vel hodie in ipſius Claræ ſepulchro oſtenduntur. Prope erat alter neruiculus, columnam rectam, flexis & exiguis funiculis circumſeptam, notabat. Pars eiuſdem ima carni annexa erat, & tales neruiculi, qui veluti funes mediam columnam cingebant ſanguinei coloris. Hic omnia diſcerpto corde integra remanſerunt. Porro ea ſimulachra, quæ Dominicæ paſſionis myſteria referebant, licet carnea eſſent, tamen colorem & duritiam earum rerum habebant, quarum exempla erant. Quæ Moniales cum ſæpe ſæpius inſpexiſſent, Epiſcopo Spoletino renunciarunt. Is vero Berengario Africano Vicario, vt in rei veritatem inquireret, commiſit. Qui cum omnia ſupraſcripta comperiſſet, tum Epiſcopo, tum Ioanni XXII. Summo Pontifici ſignificauit. Hic autem Neapoleoni Vrſino ſancti Adriani Diacono Cardinali iniunxit, vt de ſanctitate vitæ, ac miraculis Beatæ Claræ, inquiſitionem inſtitueret, & omnia ex fide ad Sedem Apoſtolicam referret.

Dedit ea de re literas Ioannes Pontifex, venerabilibus Fratribus Peruſino & Vrbeuetano Epiſcopis, & Magiſtro Reginaldo de ſancta Arthemia Canonico Petragoricenſ. Capellano ſuo. Auinioni 8. Kalend. Nouemb. Pontif. anno 1. & alias 11. Kalend. April. Pontif. anno 2. Cor autem illud Claræ, velut ſanctiſſimum. Moniales diligentia conſeruarunt ſingulari. Sanguinẽ item, qui effluxerat, in ampulla vitrea collectum, in eius ſepulchro poſuerunt, qui mirificum efflat odorem, ac ſi quod graue Eccleſiæ Dei immineat periculum, ſua ebullitione prædicit.

In eius quoque felle, tres rotundi globi ſolidi, vt cineres colorati inuenti ſunt, imagine, colore, pondere pares, & in ipſa ciſtella fellis ita diſpoſiti, vt trianguli formam efficerent; à quibus (vt ante mortem Clara referebat) Trinitatis ſacratiſſimæ arcana repræſentantur. Siquidem communi conſenſu fertur, orbiculos ipſos inter ſe eſſe æquales, & pares pondere, non modo ſi ſeparatim quiſque accipiatur, verum etiam (quod humanum ſuperat captum) ſi vnus cum duobus, aut vnus vni, aut omnes ſimul apponantur, æquale pondus reperiatur.

Neque vero illud omittendum exiſtimo, quod ſuperioribus annis Patrum memoria accidit. Cum à Catholica fide Gallia deficeret, hæreſeſque ſectaretur, in partes aliquot vnum ex iis eſſe confractum: cum antea velut adamantes duri, nullis malleis aut ictibus frangi poſſent. Prænunciauit hic orbiculus, eam Eccleſiæ Gallicanæ calamitatem, quam his temporibus paſſa eſt, & ſub qua hucuſque ſuſpirabat.

XXII. MIRACVLIS POST OBITVM ILLVSTRATVR.

Statim atque Clara mortua eſt, miraculis ingentib. ſanctitatem eius Deus declarauit. Andriola Monialis mortua, eius interceſſione ad vitam reuocata ſurrexit. Arenarius quidam nomine Paganicus mole arenæ obrutus, ad vitales auras à morte eiuſdem meritis rediit. Innumerabiles valetudine aduerſa ex morbis grauiſſimis conflictati, Clara opitulante, ſanitatem recuperarunt. Quæ omnia poſtmodum Ioannem XXII. Pontif. Max. permouerunt, vt de Clara in ſanctorum numerum referenda ſerio cogitarit, eiuſque vitæ ac miraculorum inquiſitionem, poſt Neapoleonis Vrſini Cardinalis relationem, Epiſcopis Peruſino ac Vrbeuetano, datis ad eos literis commiſerit. Eius cor & corpus ad hæc vſque tempora incorruptum apud Montem Falconem viſitur, & pia deuotione populorum colitur.

XXIII. AVGVST. TERANI PRIMORDIA, VITÆ INSTITVTVM, PROGRESSVS, SANCTITAS, MIRACVLA ET OBITVS. *Iordan. in vit. Patr. Sparſim.*

Eiuſdem Auguſtiniani inſtituti, per id temporis in Italia florebat, Beatus Auguſtinus Teranus, doctrinæ ſplendore, & ſanctitate vitæ illuſtris. Is poſtquam Boniæ tum diſcendo, tum docendo vitam iuuenilem tranſegiſſet Manfredo poſtmodum Friderici Imperatoris filio, Regnũ Siciliæ inuadenti, militauit. Manfredo Rege à Carolo Andegauenſi ſuperato, cum Auguſtinus ex acie aufugiſſet, tandem in Siciliam ignotus conceſſit. Indidem graui ægritudine correptus, cum mortem vehementius timeret, votum Religionis alicuius ſuſcipiendæ concepit, ſi valetudinem recuperaret. Sanitati reſtitutus, Prædicatorum inſtitutum amplecti cogitauit, eiuſq; rei cauſa duos ex famulis miſit, qui aliquem huius Ordinis Fratrem accerſerent; vt ex eo totius vitæ rationem perciperet. Exeuntes illi, forte obuios habuerunt duos religioſos eremitas Ordinis S. Auguſtini; cumque eos eſſe Dominicanæ familiæ arbitrarentur, ad Auguſtinum adduxerunt. Indignatus ille, quod non hos deſideraſſet; ſecundo miſit, formamq; & colorem habitus Prædicatorum delineauit, ex quo cognoſcerent, & ad ſe venire Dominicanos iuberent. Iuerunt iſti; & ſecundo, duos alios inſtituti eremitani caſu in itinere repertos, exiſtimantes illos ipſos quos Auguſtinus delineauerat eſſe, ad hoſpitium acciuerunt.

EIVS ADMIRANDA VOCATIO.

Excanduit Auguſtinus; & tum demum ad Monaſterium Prædicatorum, vt Priorem aduocarent, ablegauit; ſed illi Angelo duce, ad cœnobium eremitarum adducti, Priorem non tamen Dominicanæ, ſed Auguſtinianæ familiæ, Auguſtino repræſentarunt. Illum cum Auguſtinus aſpexiſſet, diuinamque eam eſſe vocationem, non vero famulorum merum errorem intellexiſſet, propoſitum vitæ ei aperuit, atque omnibus quæ habuerat in pauperes diſtractis, mundo valedicens, habitum religionis Auguſtinianæ induit. In eam admiſſus religionem, inprimis humilitatem profundam amplexus, tum ſcientiæ claritatem, tum generis nobilitatem, tum virtutum maximarum decora occultare decreuit; ne vel inanem gloriolam exinde captaret, vel à ſcientibus in aliquo pretio haberetur. Itaque inter Fratres ſtultitiam ſimulabat, viliora quæque officia lubentius obibat, ſimplicitatemque & contemptum ſui in omnibus actionibus ſuis præſeferebat. Donec volens, nolẽs à quibuſdam proditus cognoſceretur. Miſſus fuerat ad ſanctæ Barbaræ eremitorium in Senenſi Prouincia, vt ibidem ſecretius ſoli Deo vacaretur. Inde non multo poſt, ad Roſiæ Cœnobium, volũtate ſuperiorum tranſlatus eſt.

Contigit tunc, vt Iacobus Pagliareſius, auaritiæ ſtimulis incitatus, ei Monaſterio poſſeſſionem quandam non contemnendam eripere conaretur, eiuſq; rei cauſa Fratres eiuſdem Monaſterii ad ſubſellia Sedis Apoſtolicæ euocaſſet. Erat quod timerent Fratres, ne ea poſſeſſione deciderent; tum quod aduerſarium ſatis potentem nacti eſſent, tum quod iuris quo ſe tuerentur prorſus ignari fuiſſent, neque facile inuenirent, qui non minus acri quam verſuto hoſti reſponderet. Cumque animi penderent, & magis diuina quam humana auxilia inquirerent, Auguſtinus, chartam, atramẽtum, & calamum poſtulauit, inque defenſionem iuris Cœnobii, pauca quidem, adeo vero ſolida perſcripſit, vt Iacobus, cui ſcriptura porrecta eſt, verborum breuitate & ſententiarum pondere oppreſſus, ſe iure ſuo decidiſſe teſtatus fuerit, dixeritque; aut Angelum, aut Matthæum de Terano (iſtud erat nomen Auguſtino in ſæculo) quocum in Academia Bononienſi olim verſabatur, & quem in prælio contra Manfredum occidiſſe exiſtimabat eam iuris defenſionẽ ſcripſiſſe. Cum aũt Prior Cœnobii, quendam Fratrem ruſticum ea omnia exaraſſe pronunciaſſet, atq; Iacobo cognoſcere cupienti illum oſtendiſſet, Iacobus, poſtquam eius humilitatem admiratus eſſet, in eius amplexus corruens, dixit; *Fratres, habetis theſaurum occultum; hic enim melior eſt homo mundi.*

Perculit ea res animum Auguſtini, cui in ſimplicitate cordis Deum exquirere definitum erat. Cæterum Deo libitum fuit, lucernam de ſub modio extrahere, & candelabro Eccleſiæ imponere, ad vtilitatem publicam fidelium. Nam paulo poſt Nicolao Quarto Summo Pontifice auctore, intra numerum eorum qui Sacris pœnitentiæ cum poteſtate plenaria præſunt, connumeratus; & ex eo munere ab omnibus Patribus Ordinis in Comitio Generali, ad Summum religionis ſuæ Magiſterium quamquam reluctans, euectus, prudentia, ſanctitate, zelo iuſtitiæ, bonique communis ſtudio, operam ſuam, non tantum Ordini ſuo, ſed & Summo Antiſtiti & vniuerſo collegio purpuratorum probauit; humilis in exhortando, ſeuerus in corripiendo, benignus in audiendis pœnitentibus, acer in caſtigandis contumacibus. In adminiſtratione rei communis, cum à contemplatiuæ vitæ, quam prælegerat, otio diſtraheretur, ei officio ante annum renunciauit; & nec patribus eum hoc munere dignantibus acquieuit, neque Bonifacii VIII. Pontif. Maximi, qui ad Curiam Auguſtinum reuocabat, precibus obaudiuit; ſed ſtatim omnibus omiſſis, ad eremitorium S. Leonardi reuerſus, in deſideratam ſolitudinem cum paucis Fratribus ſeceſſit, & in vmbra diuinæ contemplationis conquieuit; volens indidem mundo latere, vt mente conuerſaretur in cœlo. Verumtamen neque in eo ſeceſſu potuit euitare, quin ab innumerabilibus, qui eius opem & conſilium implorabant, frequentaretur. Quamobrem neceſſe habuit venientes, & ſpiritualibus recreare ſermonibus, & poſcentibus auxilia non deeſſe. Aliquis à morte matris ſuæ afflictus, ad Auguſtinum venerat, conſolationis alicuius impetrandæ cauſa. Quam cum ſatis ſuperque affluentem recepiſſet; dixit: *Ego vero iam nollem matrem meam habere viuam, vt tantam conſolationem ab iſto viro reciperem.* In his & aliis pietatis operibus cum exerceretur, extrema tandem tum ægritudine, tum ſenectute confectus, receptis deuotiſſime Eccleſiaſticis Sacramentis, ad cœlos euolauit; cum fratribus agonizanti aſſiſtentibus, non modica ſigna oſtendiſſet futuræ ad quam vocabatur felicitatis. Eius obitum F. Petrus Camerata, eadem ipſa hora à longe aſpexit: cum quatuordecimo milliari à loco in quo is deceſſit abfuiſſet. Mortuus miraculis illuſtratus fuit. Inter quæ iuuenem quẽdam in foſſa laborantem, terra obrutum, à morte ad vitam reuocauit; cum ſoror defuncti votum ſpopondiſſet, ad monumentum Auguſtini pedibus diſcalceatis venire, & vnam imaginem pulchram & tam altam quam Auguſtinus fuerit, erigere. Quamdam quoque puellam, in foueam aqua plenam decidentem & in aquis præfocatam, poſt vota à parentibus Auguſtino facta viuam reſtituit. Alicui etiam in campo dormienti, ſerpens per os in corpus irrepſerat. Quem cum nulla medicorum arte potuiſſet, poſt vota B. Auguſtino concepta, eiecit.

XXIV.
ORDINEM S. PAVLI I. EREMITÆ CONFIRMAT CLEM. PP.

Eodem anno Gentilis Cardinalis in Hungaria Legatus, ordinem S. Pauli I. eremitæ, ſub regula S. Auguſtini viuere ſpondentem, auctoritate Clementis Summi Pontif. Confirmauit. *Ciaccon. in Clem. V.*



# IESV CHRISTI
## Annus 1309.

### CLEMENTIS PAPÆ V. Anno 4. & 5. HENRICI REGIS Rom. Anno 2.

I.
MEDIOLANENSES ET FLORENT. REBELLANT ADVERSVS HENRIC. REGEM ROM. EIQVE TRANSITVM IN ITALIAM ABNEGANT. *Chron. Boſſiana.*

REbus in Germania conſtituendis intentus, Henricus Romanorum Rex deſignatus, Nuncios Auinionem ad Summum Pontificem miſit, qui Conſtantiæ ad 4. Non. Iunii conceptum iuramentum & priuilegia Sedi Apoſtolicæ referrent. Ad 26. diem Iulii huius anni, in ædibus Prædicatorum Pontifice Comitio præſidente Nuncii iuſſa præſtiterunt, & in præſentia Sifridi Epiſcopi Curienſis, Amadei Allobrogum Ducis, Ioannis Delphini Viennenſ. Guidonis Comitis Flandriæ, Ioannis Comitis Serrapontii, ex ore Neapoleonis Cardinalis formulam inaugurationis Henrici audierunt, & ſcriptam acceperunt, in ſe recipientes, vt Henricus futurus Imperator verba quędam in præiudicium Apoſtolicæ Sedis & omnium Eccleſiarum prolata antiquaret. Nec enim primum ei poteſtas in Italiam penetrandi conceſſa eſt. Itaque cum à Clemente Pontifice liberum ſibi fore in Italiam tranſitum accepiſſet, ſpei plenus, Legatos per vniuerſam Italiam, qui felicitatem Imperatoris Proceribus & populis denunciarẽt, deſtinauit. Hi primo Mediolanum appellentes, Guidonem Turrianum vrbis Præfectum poſtularunt, vt quando Henricus in Imperatorem electus, atq; à Summo Pontifice confirmatus eſſet, daret operam, vt ab Archiepiſcopo quoq; Mediolanenſi coronaretur. Guido primum deliberandi ſpatium petiit; deinde propalam amicitia Imperatoris ſpreta, ſe nequaquam paſſurum, vt Mediolani vnquam Imperatorium diadema ſuſciperet, reſpondit. Cum autem plurimi ciuium, Guidonis reſponſum improbarent, is in præſentia Legatorum magis excanduit, percituſque furore per palatium diſcurrens; *Nunc*, inquit, *nobis ſuperos infenſos perſpicio, quando omne conſilium perdidimus.* Cæterum cum dubitaret, ne Caſtonus Archiepiſcopus, potentia Vicecomitum fretus, aliquid pro Henrico Rege tentaret; eumdem Kalendis Octobris, in teterrimum carcerem, eiuſque tres fratres, Paganinum, Edouard. & Muſchinum Angleriæ coniecit. Sed paulo poſt vinculis exſoluit; reddita tamen prius arce Tricii, quam Raynaldus Turrenſis Archiepiſcopi frater occuparat. Hæc res cum Turrianorum familiam concordi hactenus coniunctione vnitam in geminam diuiſiſſet, ſpem Legatis fecit, facile Henricum, Mediolani rebus deſideratis potiturum. Florentiam quoque Oratores Henrici acceſſerunt. Cum enim Imperator initio creationis ſuæ apud Francofordiam, à plurimis Gibellinorum intellexiſſet, Florentinos præ cæteris omnibus Italis, Imperatorii nominis hoſtes eſſe, illos ſibi flectendos deſignauit: futurum credens, ſi eos ſibi adiunxiſſet, magnam victorię & amplitudinis partem, ſe nullo negotio conſecuturum. Gibellinorum extorres patria expulſi, qui nouam deligendi creationem Francofordiæ expectauerant, maiores quam par erat ſpiritus Henrico fecerant. Itaq; ex eorum præſcripto, datum mandatum Oratoribus quid agerent, prouiderent, ac peterent; tria præcipue Florentinis propoſuerunt. Inprimis vt numeroſum variarum gentium militem, ſub ſignis Henrici Regis militantem, per mediterranea ſua tranſire ſinerent. Deinde vt venientem Imperatorem pari ac merebatur honore, intra Florentiam admitterent.

*Blond. dec. 2. lib. 9.*

Poſtremo, vt ab iniuriis vicinorum, præſertim Aretinorum ceſſarent, Florentini inſolentiam Germanorum metuentes, cum primum exercitum Imperatoris ex barbaris gentibus collectum eſſe, per contumeliam dixiſſent, reſponderunt; ſibi non poſſe de ſapientiſſimo Imperatore perſuaderi, qui vellit





in pacatam vrbem, tam numeroſas phalanges immittere, fortunaſque eorum & omnia chariſſima, auaritiæ & libidini militari exponere. De receptu, quid expediat decernere, poſthac & in tempore reſponſuros eſſe; Aretini porro ceſſationem belli contra Imperatoris officium poſtulari: cuius inprimis partes ſint, eiectos patria, vt reducat eniti. Iſtud vero nec aliud, in eo bello quærat Florentinus. Profecti Florentia Oratores Aretium peruenerunt & firmos per ſe Tarlatos, Fagiolanumque in ſpem opis Imperatoriæ erectos, firmiores reddiderunt. Nam per id temporis Florentini ex agro Aretino copias deduxerant, cum in auxilium Neapoleonis Vrſini Cardinalis Legati, quem illi Aretii obſederant, Montefeltrius, cum Foroliuianis, Cæſenatibus & Ariminenſibus accurriſſet, & opem Legato attuliſſet. Itaque Oratores facile intra ciuitatem admiſſi, concilliante Vrſino Cardinale, omnia ex voto ab Aretinis audiuerunt.

*Rubeus hiſt. Rauennat. li. 6.*

II.
AD EOS CONC: LIANDOS CLEMENS PP ROBERTVM CALABRIÆ DVCEM IN GALLIAS EVOCAT.

Diſtrahebat ea res Clementis animum, quod manifeſte peruideret, ſemina recentis belli inter Imperatorem & Italos proceres, non præparca manu à Mediolanenſibus & Florentinis ſparſa, breui tempore in manifeſtam Italiæ perniciem euaſura. Quamobrem vt ea prudenti conſilio magis quam armis obrueret, bellũque pluſquam ciuicum aliqua ratione præuerteret, Robertum nuper Ducem Calabriæ in Gallias euocauit; tum vt cum eo de rebus Italiæ conſeruandis conferret, tum vt eum Regno Siciliæ præficeret, tum vt cum eo pacta conuenta in conceſſione Regni Siciliæ, ex formula iuris beneficiarii ſtabiliret, ſacramentumque homagii exauditet.

Quamquam & res Ferrariæ, hactenus à Venetis occupatæ, opem à Clemente Pontifice poſtularent. In eos anathema ex iſta formula tulit.

III.
ANATHEMA STRINGIT IN VENETOS CIVITATEM FERRARIENSEM EIVSQVE COMITATVM INVADENTES ET OCCVPANTES. *Formula huius excommunicationis ac interdicti.*

Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad futuram rei memoriam.

*In omnem terram vocis Apoſtolicæ ſonus egreditur, vt clamor patris à filiis audiatur, & ad ſtuporem patratorum exceſſuum, cunctorum corda fidelium excitentur. In voce quidem virtutis Altiſſimi vocauimus populum noſtrum ex Ægypto, vt colonus eſſet nobis, & Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum: populum Ferrarienſem, populum peculiarem, populum antiquæ acquiſitionis matris Eccleſiæ, & populum in ſacrario pectoris Apoſtolici præ dilectione nimia recumbentem, flagellis attritum, ſcorpionibus cæſum, & dura ſeruitute afflictum, quaſi nouam prolem Dominicam de manu fortiorum more pii patris vocauimus, vt de iugo ſeruitutis ereptus, de lacu miſeriæ & de luto fæcis, noſtræ virtutis miniſterio liberatus, eandem Eccleſiam ſicut matrem & dominam coleret, ſub alarum ipſius velamine quieſceret, & libertatis perpetuæ gloria potiretur. Sed Dux, Conſilium, & Commune Venetiarum, quos ſemper Romana mater Eccleſia dilexit vt filios, & multis priuilegiis & gratiis inſigniuit, in Aſſur calumniam aſſurgentes, & oſtendentes ſuæ indignationis baculum contra eam, virgamque ſui furoris eleuantes deteſtandis auſibus ſupra mare ipſum, in vocatione qua ſunt per eamdem Deo miſerãte vocati, permanere non ſuſtinent, quinimmo elationis ſuæ currum damnabiliter aſcendentes, eumdem populum opprobriis nituntur afficere priſtinæ ſeruitutis, ignorantes forte, quod eſt, nec eſſe deſiit, qui proiecit in mare currum & exercitum Pharaonis. Sane vt noſtra & Eccleſiæ Romanæ iuſtitia, & Venetorum inſolentia & iniuſtitia pateat euidentius, vniuerſis facti ſeriem duximus præſentibus breuiter inſerendam. Eſt enim certo certius, quod ciuitas Ferrarienſis cum ſuo Comitatu & Diſtrictu, & omnimoda iuriſdictione ac iuribus & pertinentiis ad ius & proprietatem Eccleſiæ Romanæ in temporalibus pertinet, & pertinuit ab antiquo, licet tyrannica rabies Ciuitatem ipſam, Comitatum, Territorium, Diſtrictum & habitatores eiuſdem aliquibus temporibus oppreſſerit violenter, qua perſecutione DEO, cuius eſſet negotium, inſpirante, ceſſante, eadem Romana Eccleſia fuit in poſſeſſione, vel quaſi pacifica & quieta: ſed ab octo menſibus circa principium menſis Aprilis vel circa inceperunt nos & Eccleſiam Romanam in poſſeſſione antiqua prædictorum indebite moleſtare, & temere impedire. Et quia dilectus filius Arnaldus Abbas Monaſterii Tatellenſis, diœceſis Lemoui-*





*cenſis, & Magiſter Honuphrius Eccleſiæ Meldenſis Decanus, Cappellani noſtri, & Nuntii ad partes illas à nobis & Eccleſia Romanæ propter hoc ſpecialiter deſtinati, Ciuitatem, Comitatum & Diſtrictum prædictos ſub noſtro & Eccleſiæ Romanæ dominio in temporalib. plenarie, quiete & pacifice poſſidebant tẽpore quo dicti Veneti præfatũ impedimentũ præſtiterũt, & inter cetera ex ſuperabundanti coram prædictis Nuntiis populus vniuerſus prædictorũ Ciuitatis, Comitatus atque Diſtrictus pluries & publice recognouit illos ad ius & proprietatem Eccleſiæ Romanæ in temporalibus pertinere, eamdem Ciuitatem fore Eccleſiæ Romanæ Cameram ſpecialem, ad inſtantiam populi ſupradicti Poteſtates & Capitaneos in dicta Ciuitate nomine noſtro & Eccleſiæ Romanæ præfati Nuntii ponebant prout & quando eis expediens videbatur, & tam prædicti Poteſtates & Capitanei, quam Antiani Conſilii, ceterique officiales Ciuitatis eiuſdem, quando denuo mutabantur, ipſis Nuntiis nomine noſtro & Eccleſiæ Romanæ recipientibus, iurabant officium ſuum ad mandatum ipſorum bene & fideliter exercere: Claues quoque dictæ Ciuitatis dictis Nuntiis noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine recipientibus tradebantur, qui eas commendabant certis perſonis, quæ ipſas nomine noſtro & Eccleſiæ Romanæ cuſtodirent ad mandatum & voluntatem noſtram, ſeu Nuntiorum ipſorum: Imponebant etiam dicti Nuntii, nomine quo ſupra, Cuſtodes in portis Ciuitatis eiuſdem: per bullatas litteras ipſorum Nuntiorum in Ciuitatem ipſam intrabant homines, & exibant: Sindicus inſuper Ciuitatis ipſius ad hoc ſpecialiter conſtitutus præſtitit dictis Nuntiis nomine noſtro & eiuſdem Eccleſiæ recipientibus, fidelitatis debita iuramentum: & idem fecit maius Conſilium, quod fuit quingentorum hominum: capita quoque Societatum, & quilibet de Societate, ſicque omnes de Ciuitate dictis Nuntiis noſtris nomine quo ſupra recipientibus, iuramentum ſimile præſtiterunt. Ponebant etiam præfati Nuntii noſtri nomine noſtro & Eccleſiæ Romanæ Poteſtates in Maſſa Fiſcalia, & aliis locis Comitatus, ſeu Diſtrictus prædicti, & edicta banniri & proponi faciebant nomine quo ſupra per Ciuitatem eamdem, & de appellationum cauſis ad eos interpoſitarum, à Poteſtate dictæ Ciuitatis noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine cognoſcebant: in Conſiliis dictæ Ciuitatis præfati Nuntii prout & quando eis placebat erant præſentes, & definitio Conſilii fiebat ipſis præſentibus, & ordinabant ipſi nomine noſtro & Eccleſiæ Romanæ prout ipſis expediens & rationi conſonum videbatur: & prædicta omnia & iis ſimilia ad dignitatem & iuriſdictionem dictæ Ciuitatis & ſui Diſtrictus ſpectantia præfati Nuntii noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine publice & ſolemniter faciebant & exercebant ſine reſiſtentia & contradictione cuiuſcumque; & de prædictis omnibus erant nomine noſtro & Eccleſiæ Romanæ in poſſeſſione, vel quaſi, pacifica & quieta, tempore quo Ioannes de Superantiis Venetus nomine Venetorum in iniuriam & præiudicium noſtrum & Eccleſiæ Romanæ pro Poteſtate ciuitatem Ferrarienſem intrauit. Cum præfati Nuntii noſtri audiuiſſent & intellexiſſent iamdiu ante aduentum dicti Poteſtatis pro Venetis, quod Dux & Conſiliarii & Commune Venetiarum ad impediendam & perturbandam prædictam Eccleſiæ Romanæ poſſeſſionem, vel Ciuitatis, Comitatus & aliorum iurium prædictorum ſeparabant, eoſdem Duces, Conſiliarios & Commune dicti Nuntii auctoritate Apoſtolica per ſuas literas & nuntios primitus monuerunt, & ſubſequenter per venerabilem fratrem noſtrum Caſtellanenſ. Epiſcopum loci Diœceſanum Canonice moneri fecerunt, ne Eccleſiam Romanam in poſſeſſione vel quaſi prædictorum, per ſe vel per alios impedirent, aut turbarent: dictuſque Abbas Tutellenſis propter hoc Venetias perſonaliter accedens, Ducem, Conſiliarios, & Commune prædictos auctoritate Apoſtolica monuit, vt à prædicto impedimento ceſſarent, & penitus abſtinerent: in iniuriam autem dictæ Sedis Apoſtolicæ & contemptum, Veneti contra dictam Abbatem & Eccleſiæ Romanæ Nuntium publice clamauerunt, Moriatur Legatus: & contra eum & ſuos familiares multos lapides proiecerunt, ac ſpretis monitionibus antedictis, Dux, Conſiliarii & Commune prædictum ad iura ipſius Romanæ Eccleſiæ manus auidas extenderunt, & Ciuitatem Ferrarienſem peculiarem eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Cameram & peculium ſpeciale in ipſius Eccleſiæ iniuriam manifeſtam & offenſam, & totius Prouinciæ ſcandalum, temerariis auſibus cum machinis, baliſtis, & aliis armorum generibus impugnantes, ac violantes treugas initas inter eos, Caſtrum ſeu fortalitium Thedaldi eidem Ciuitati conti-*

guum, Burgum Ciuitatis ipſius, Pontem ſupra flumen Padi iuxta Ciuitatem eamdem, & Turrim iuxta ipſum pontem poſitam nequiter occuparunt, & in dictam Ciuitatem & ciues ipſius Romanæ Eccleſiæ fideles quaſi flamma vorax furore indignationis accenſi, deteſtabiliter irruentes, quamplures domos, & nauigium valde magnum & pulchrum Ciuitatis eiuſdem, & multa bona ciuium prædictorum incendio concremarunt, & laxatis impietatis habenis, ætati vel ſexui non parcentes, ex fidelibus ipſis nonnullas mulieres & pueros diræ mortis ſupplicio tradiderunt, & alimenta dictis Nuntiis noſtris & Eccleſiæ Romanæ fidelibus inhumaniter ſubtraxerunt: & venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum Ceruienſem in dictorum Nuntiorum noſtrorum adiutorium aduenientem, hoſtiliter, Dei timore poſtpoſito, & abiecta Sedis Apoſtolicæ reuerentia, inuadentes, rebus propriis ſpoliarunt, & familiares ipſius carceri manciparunt. Propter quod dicti Nuntii noſtri & Sedis Apoſtolicæ præfatos Ducem, Conſiliarios, & maiores Venetiarum, qui dicta maleficia fieri fecerant, necnon omnes & ſingulos qui ea fecerant, ſeu commiſerant, vel perpetrauerant, ſiue ad ea facienda conſilium, auxilium vel fauorem dederant, legitima monitione præmiſſa, auctoritate noſtra excommunicationis vinculo innodarunt, & Terram & vniuerſitatem Venetiarum & Ciuitatem Caſtellanen. ſuppoſuerunt Eccleſiaſtico Interdicto, ad pœnas alias contra ipſos, creſcente contumacia & malitia procedentes. Nos inſuper prædictis exceſſibus intellectis; ignorantes tamen à prædictis Nuntiis noſtris excommunicationis & Interdicti ſententias propter hoc promulgatas, & quod prædictus Ioannes vt Poteſtas veniſſet Ferrariam pro Venetis neſcientes, prædictis Duci, Conſiliariis & Communi paterna ſollicitudine compatientes, quod per hoc * in decoris ſingula maculam poſuiſſent, & deuotionis ſententiam habuiſſent: quia nos Eccleſiæ Romanæ iura, iuriſdictiones & bona oportet ex debito Paſtoralis officii defenſare, eoſdem Ducem, Conſiliarios, & Commune Venetiarum per noſtras litteras monuimus & requiſiuimus gratioſe, ipſiſque per Apoſtolica ſcripta mandauimus, quatenus à quibuslibet occupationibus, moleſtiis, impugnationibus, iniuriis, violentiis atque damnis dictæ Ciuitatis Ferrarienſis, eiuſdem Comitatus, Territorii & Diſtrictus, & perſonarum ipſarum, per ſe ac per alios ceſſarent omnino, ac deinceps à ſimilibus abſtinerent: Caſtrum, ſeu fortalitium, Burgum, Pontem, & Turrim prædictam, & quælibet alia bona & iura, quæ ad dictam Ciuitatem Ferrarienſem contingere quomodolibet dinoſcuntur, præfatis Abbati & Decano Capellanis noſtris & Nuntiis, vel ipſorum alteri, vel alii, aut aliis ad mandatum ipſorum, vel alterius eiuſdem, vocatis expreſſe omnibus per quos prædicta faciunt detineri, vacua, libera, & penitus expedita infra certum temporis ſpatium in ipſis litteris comprehenſum, totaliter dimittentes, Ciuitatis, Comitatus & Caſtri, aliorumque prædictorum quolibet impedimento ſublato, vel quaſi, permitterent eoſdem Nuntios noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine libera & pacifica ac quieta poſſeſſione gaudere, nullam ſuper prædictis & Eccleſiæ Romanæ, ſeu præfatis Nuntiis noſtris moleſtiam illaturi: alioquin diſſimulare non poſſemus, quin ſpiritualiter & temporaliter contra eos procedere curaremus, ſicut nobis expediens videretur, & iuſtitia ſuaderet: Ac per venerabiles fratres noſtros Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcham, qui de terra dictorum Ducis, Conſiliariorum & Communis oriundus exiſtit, & quem paulo ante ad magnam eorumdem inſtantiam & ſuis exigentibus meritis Conſtantinopolitanæ præfeceramus Eccleſiæ Patriarcham, & per Caſtellanen. loci Diœceſanum, & per Paduanum eiuſdem Vicarium, Epiſcopos, necnon per chariſſimos in Chriſto filios noſtros Siciliæ & Trinacriæ Illuſtres Reges, in quorum Regnis & Terris quamplures ex Venetis commorantur, ſua negotia & mercimonia exercentes, ad prædicta facienda eoſdem Ducem, Conſilium & Commune Venetorum moneri efficaciter mandauimus: & per ipſos inſuper Nuntios, & per venerabiles fratres noſtros Archiepiſcopum Rauennatenſem, Epiſcopum Ferrarienſem, & alios quamplures Prælatos & Religioſos præfati Veneti ſuper prædictis pluries requiſiti fuerunt: Ipſi vero ſpiritu ſuperbiæ inflati, mala malis accumulantes, & peiora prioribus committentes, ad prædictam ciuitatem Ferrarienſem cum ingenti armorum multitudine venientes, & in eam & noſtros Nuntios præfatos, qui Ciuitatem ipſam, Comitatum atque Diſtrictum cum ſua iuriſdictione & aliis iuribus & pertinentiis ſuis noſtro nomine poſſidebant, & ciues & habitatores Ciuitatis atque Diſtrictus & Comitatus ipſorum per terram & per aquam cum machinis, baliſtis, & aliis diuerſis armis hoſtiliter irruentes, non parcentes Eccleſiis & aliis piis locis, nec ſexui vel ætati, Ciuitatem ipſam, Comitatum & diſtrictum, & domos eorum in magna parte incendio & machinis, & interdum aquarum decurſibus conſumpſerunt, & perſonas eorum nequiter peremerunt, & tandem Ciuitatem ipſam, & Palatium noſtrum & Eccleſiæ Romanæ iuriſdictionem, & dominium Ciuitatis, Comitatus, Diſtrictus, & Territorii prædictorum per violentiam occuparunt, & detinent occupata, ſubiicientes ſeruituti & ditioni ſuæ homines ipſius Ciuitatis, licet inuitos & contradicentes, de iure Romanæ Eccleſiæ publico proteſtantes: Poteſtatem ipſum & alios Officiales, qui nomine Eccleſiæ ipſam regebant Ciuitatem, Comitatum atque Diſtrictum, & cum iuriſdictione, aliiſque iuribus & pertinentiis plene & pacifice poſſidebant vel quaſi, eadem poſſeſſione vel quaſi per violentiam ſpoliarunt. Ecce videant Eccleſiæ Romanæ fideles & filii an exaggerari, & exaggerata ſi puniri meruit tanta temeritas offenſorum. Quis enim niſi ferreum pectus habens, vel caput ſaxeum, vel cor gerens duriſſimi adamantis eidem Terræ deſtructioni expoſitæ non aperiat viſcera pietatis? Quis non prouocetur ex intimis, quis non accendatur ad iram, & quis non animetur ad actum debitæ vltionis? Certe clamare poteſt mater Eccleſia, in voce lamentationis prorumpens: Filios enutriui & exaltaui, ipſis multas gratias & priuilegia concedendo, ipſi autem ſpreuerunt me dotem meam pretioſam & charam contra Eccleſiæ monita ſuperbe mihi & contumelioſe per apertam iniuriam auferendo. Attendere debuerant Veneti, quod Lucifer perfectionem, ſublimitatem, dignitatem, & excellentiam habuit ſuper omnes alios Angelos ante lapſum, & quia in ſuperbiam ſe voluit exaltare, humiliatus & depreſſus eſt vſque ad profundum abyſſi: & quod primi parentes de Paradiſo deliciarum, vbi à Domino collocati, ante caſum bonorum opulentiam & omnis mali carentiam obtinebant, propter inobedientiæ vitium eiecti fuerunt, expoſiti periculis, inediis, laboribus & ærumnis.

Sed nec illud eſt omittendum, quod Dathan & Abiron eo quod inſurgebant contra Moyſen & Aaron typum Eccleſiæ principum gerentes, terra eos viuos abſorbuit cum tabernaculis & tota ſubſtantia eorumdem, & in profundum abyſſi ſunt demerſi. Ex eadem quoque cauſa quatuordecim millia & ſeptingenti, præter illos qui perierunt in ſeditione Core, contra Moyſen diuino miraculo per incendium perierunt. Propter ingratitudinem inſuper, quam contra Moyſen rectorem populi Iſraelitici, qui eos de Ægyptiaca eduxerat ſeruitute, & eis contulerat multa bona, ipſi temere commiſerunt, fuerunt ex eis diuino iudicio quaſi viginti millia interfecti.

Quid vero contigerit Abſaloni propter ingratitudinem commiſſam contra Dauid patrem ſuum, libri Regum lectio manifeſtat. Sed attendant, quæſumus, Veneti, quis dixerit verbum illud: Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare? & certe verbum fuit Domini noſtri IESV CHRISTI, cuius vices in terris, licet immeriti gerimus, ad Saulum perſecutorem populi peculiaris eiuſdem. Vnde non volentes vlterius tam temerarios & notorios exceſſus, nec tantum & tam manifeſtum Eccleſiæ Romanæ opprobrioſum præiudicium, & præiudiciale vituperium ſub diſſimulatione tranſire, licet abſque alia monitione vel dilatione qualibet iuſte poſſemus procedere in Ducem, Conſiliarios, & alios malefactores & Commune prædictos; volentes tamen probare adhuc de ſolito Sedis Apoſtolicæ benignitatis affectu, ſi aliqua in eis ſcintilla deuotionis remanſerit; volentes etiam oues errantes ad ouile humilitatis humeris reportare; ipſos Ducem, Conſiliarios & Commune Venetiarum, vniuerſaliter ſingulos & ſingulariter vniuerſos, & nominatim dictum Ioannem Superantium ciuem Venetorum, qui exercitum Pharaonis, hoc eſt, Ducis & Communis Venetiarum contra nos & Eccleſiam Romanam, ciuitatemque Ferrarienſem prædictam collegit, & dux & Capitaneus fuit pro Venetis in eadem Ciuitate in magnum noſtrum & Eccleſiæ Romanæ præiudicium & iniuriam manifeſtam, & pro Poteſtate ſe geſſit, Vitalem Michaelem qui nunc ſe gerit, omniſque auctoritate vel nomine Venetorum Capitaneus, vel aliud quodcumque gerit officium, vel geſſerat eorumdem Venetorum nomine in Ciuitate prædicta, vel aliqua parte





Comitatus, vel Diſtrictus eiuſdem, ac alios etiam, qui Palatium Ferrarienſe, Caſtrum ſeu fortilogium Thedaldi, Pontem Ferrariæ ſupra Padum, & Turrim eidem Ponti contiguam, vel Ciuitatem & Comitatum prædictos in totum, vel in partem præter voluntatem noſtram & prædictorum Nuntiorum noſtrorum detinuerunt, & detinent per ſe, vel per alium, ſeu alios, & omnes alios, qui prædictas ſpoliationem, ſpoliationes, deprædationes, moleſtias, iniurias, violentias & exceſſus vel inſultus fecerunt per ſe, vel per alium ſeu alios fieri fecerunt, ſeu mandauerunt, ſeu factos ratos habuerunt, ſeu ad faciendum dederunt conſilium vel fauorem, publice vel occulte; hortamur in Domino & monemus, & ipſis per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quod ipſi Dux, Conſilium & Commune Venetiarum, dictuſque Ioannes de Superantiis, Vitalis Michael, & alii qui pro dictis Venetis Ferrariæ, vel in eius Comitatu ſeu Diſtrictu commorantur, prædictos Ciuitatem, Comitatum atque Diſtrictum, Palatium ſeu Pontem, Turrim cum ſuis iuribus & pertinentiis, & quæcumque alia bona & iura, quæ dictam Ciuitatem, vel eius Comitatum quomodolibet contingere dinoſcuntur, præfatis Abbati & Decano Capellanis & Nuntiis noſtris, vel ipſorum alteri, aut alii vel aliis ad mandatum ipſorum, ſeu alterius eorumdem, plene & integre reſtituant, & ea omnino dimittant, vel dimitti faciant, reuocatis & excluſis omnino cunctis, per quos detinentur, prædicta ipſa vacua, libera & penitus expedita prædictis Nuntiis vel ipſorum alteri totaliter dimittentes, ita quod Ciuitatis, Comitatus, Diſtrictus, Palatii atque Caſtri, ac aliorum prædictorum quomodolibet impedimento ſublato, poſſeſſione vel quaſi præfati Nuntii noſtri nomine noſtro & Eccleſiæ Romanæ poſſint gaudere libere & quiete, nullam ſuper iis vel aliorum aliquo nobis vel Eccleſiæ Rom. ſeu Nuntiis noſtris ſæpefatis turbationem, moleſtiam, ſeu violentiam illaturi. Deinceps quoque de illatis iniuriis atque damnis nobis & Eccleſiæ Romanæ, ſeu præfatis Nuntiis noſtris, vel eorum alteri, necnon hominibus ſeu habitantibus prædictam ciuitatem Ferrarienſem & eius Comitatum & Diſtrictum plenariam ſatisfactionem impendant.

Quod ſi prædicti Dux, Conſiliarii & Commune Venetiarum, dictuſque Ioannes Superantius, Vitalis Michael, & alii qui ſupra hæc habent pro Venetis poteſtatem, dictis Nuntiis noſtris, aut alii, vel aliis ad mandatum ipſorum, vel alterius eorumdem infra triginta dierum ſpatium poſtquam præſens mandatum ad eorum notitiam peruenerit, ſeu per eos ſteterit quo minus peruenerit, vel potuerit perueniſſe, prædictos Ciuitatem, Comitatum, Palatium, Caſtrum & Turrim cum ſuis iuribus & pertinentiis, & quæcumque alia bona & iura, quæ eius Ciuitatem, Comitatum atque Diſtrictum quomodolibet contingere dinoſcuntur, plene & integre non reſtituerint, & ea libera, & penitus expedita non dimiſerint, vel dimitti fecerint, reuocatis & excluſis omnino cunctis per quos detinentur prædicta, ſic quod ex tunc Ciuitatis, Comitatus, atque Caſtri & aliorum præfatorum, quolibet impedimento ſublato, poſſeſſione, vel quaſi, præfati Nuntii noſtro nomine & Eccleſiæ Romanæ poſſint gaudere libere, pacifice & quiete, nullam deinceps ſuper prædictis, vel eorum aliquo, nobis ſeu Eccleſiæ Romanæ, vel Nuntiis noſtris ſæpefatis turbationem, moleſtiam, ſeu violentiam illaturi, Ducem, Conſiliarios, & ſingulares dicti Communis perſonas facto, verbo, auxilio, vel conſenſu, aut fauore, culpabiles in prædictis, ac Ioannem, Vitalem Michaelem prædictos, & alios qui à præfatis Venetis dictam reſtitutionem ac dimiſſionem faciendi habeant poteſtatem, de fratrum noſtrorum conſilio excommunicationis ſententiam incurrere volumus, à qua nullus præterquam in mortis articulo ab alio quam à Romano Pontifice numquam poſſit abſolutionis beneficium obtinere: & ſi aliquis de prædictis à dicta ſententia in mortis articulo fuerit abſolutus, licet ſuper hoc fuerit de iure prouiſum, nec tamen prætextu ignorantiæ ſe ſatagat excuſare; volumus tamen & declaramus, quod taliter abſolutus, niſi poſtquam ad conualeſcentiam peruenerit, quamprimum commode poterit, de prædictis commiſſionem, reſtitutionem, ſatisfactionem fecerit, vt dictum eſt, in excommunicationis ſententiam recidat ipſo facto.

Et nihilominus ciuitatem Caſtellanenſ. & Terram ſeu locum Venetiarum, ac Vniuerſitatem Venetorum, necnon & alias Terras, Caſtra, Ciuitates & Vniuerſitates dictis Duci & Communi Venetiarum ſubiectas, ad pœnam ipſorum Eccleſiaſtico ſupponimus Interdicto.

Et quia eſurienti panis tollitur vtilius; quam ſi de cibo ſecurus iuſtitiam vilipendat, eo caſu Duci, Conſilio & Communi Venetorum communionem, participationem & commercium quorumlibet Chriſti fidelium ex nunc pro vt ex tunc interdicimus & prohibemus omnino, ita videlicet, quod nullus eis bladam, vinum, carnes, pannos, vel quaſcumque alias res vel merces deferre, portare vel vendere, aut quocumque alio modo in eos transferre valeat, vel emere ab eis, vel ſuſtinere quod hæc fiant, ſi potuerint prohibere: & ſi perſona fuerit ſingularis, quantacumque præfulgeat dignitate, excommunicationis, ſiue ſi fuerit Caſtrum, Villa ſeu Vniuerſitas, Interdicti incurrant ſententiam ipſo facto, à qua quidem ſententia ab alio quam à Romano Pontifice numquam valeant liberari, niſi in mortis articulo, vt in caſu alio ſuperius eſt expreſſum. Et quia beneficia propter ingratitudinem merito reuocantur, ipſos Ducem, Conſilium, & Commune & alios ſupraſcriptos, Ciuitatem ipſam & Vniuerſitatem omnibus priuilegiis, libertatibus & immunitatibus ſub quacumque forma verborũ ab Apoſtolica Sede conceſſis, necnon & feudis & bonis, quæ à Romana, vel aliis tenent Eccleſiis, ex nunc prout ex tũc ſententiando priuamus, omnes vaſallos & homines earumdem iuramento fidelitatis, & quacumque obligatione qua tenebantur eiſdem, penitus abſoluentes.

Volumus inſuper & ſtatuimus, quod ex nunc ſint, fiant & habeantur infames; ita quod nec ad teſtamentum, nec ad alios actus legitimos admittantur: fiant etiam inteſtabiles, ſic quod non poſſint condere teſtamentum, nec ad cuiuſcumque ſucceſſionem ex teſtamento ſeu ab inteſtato aliquatenus admittantur.

Nullus præterea ipſis ſuper quocumque negotio reſpondeat, ſed ipſi aliis reſpondere cogantur, nec cauſa ad eorum notitiam perferantur ſi iuriſdictionem habeant, non valeant eorum ſententiæ, vel proceſſus: nullus eis quacumque cauſa nel negotio patrocinium præſtet, nec ipſi ad patrocinandum ab aliis admittantur: & ſi qui eorum Tabelliones fuerint, inſtrumenta facta per eos non valeant, ſed cum auctore damnato damnentur: filii quoque ipſorum & nepotes vſque ad quartam generationem ad nullos honores Eccleſiaſticos & mundanos, ad nullas dignitates, & ad nulla beneficia vel officia Eccleſiaſtica admittantur. Quod ſi ſecus actum fuerit, illud carere volumus omni robore firmitatis.

In pœnam inſuper prædictorum Ducis, Conſilii & Communis Epiſcopo Caſtellanenſ. Abbatibus, Prioribus, Canonicis, Monachis, necnon vniuerſitatibus & ſingulis Ordinum, Fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, Carmelitarum, & aliorum quorumcumque Ordinum & Religioſorum Prioribus, Cuſtodibus, Guardianis, & Fratribus, & aliis Clericis ſæcularibus & regularibus quibuſcumque nominibus cenſeantur, in ciuitate Caſtellanenſ. vel loco Venetiarum vel circa ad decem milliaria commorantibus, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus infra decem poſt prædictos triginta dies immediate ſequentes exeant de Terra, ſeu Ciuitate Caſtellanenſ. & Venetiarum, & eius Diſtrictu, ad locum ipſum minime reuerſuri, donec dicti Veneti gratiam dictæ Sedis obtinuerint, & à nobis aliud receperint in mandatis. Quod ſi quis prædictis contrafecerit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto, à qua non poſſit abſolui ab alio quam à Papa, niſi in mortis articulo, vt in alio caſu eſt iam dictum, quocumque priuilegio non obſtante.

Concedimus tamen quod in Eccleſiis & domibus pro ipſa cuſtodia, Cathedrali, vel aliqua Collegiatis & non collegiatis, Prædicatorum & Minorum, & aliorum Religioſorum & ſæcularium, vnus, duo, tres, quatuor, quinque vel ſex ſecundum magnitudinem vel paucitatem earum Eccleſiarum vel domorum, conuerſi & illiterati, vel Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti, & in Eccleſiis parochialibus, Parochiales Presbyteri pro miniſtrandis Baptiſmate paruulorum, pœnitentiis morientium, & aliis Sacramentis Eccleſiaſticis, quæ miniſtrantur tempore Interdicti, de iure licite valeat remanere.

Veruntamen quia creſcente malitia, pœna debet augmentari: ſi Dux, Conſiliarii, Commune prædicti per triginta dies poſt alios triginta dies immediate ſequentes in contumacia perſiterint

*ſint ſupradicta, ipſum Ducem à dignitate Ducatus, & alios ſupradictos in dignitatibus conſtitutos, ſeu publicis officiis & dignitibus ex nunc prout ex tunc deponimus, & per ſententiam remouemus, & eos inhabiles reddimus ad publica officia, ad conſilia, & honores quoſcumque: & ne ipſorum temeritas tranſeat præſumptoribus in exemplum, bona ipſorum mobilia & immobilia de ipſorum fratrum conſilio confiſcamus, & perſonas ipſorum Ducis, Conſiliariorum, & Communis Venetiarum & aliorum Venetorum, exponimus fidelibus capiendas; bonorum immobilium, quæ ipſi Dux & Commune & ſingulares perſonæ Venetiarum habent, & habere dicuntur in Romaniola, & alibi vbicumque, diſpoſitione & ordinatione nobis & noſtris ſucceſſoribus ſpecialiter reſeruatis. Illud inſuper prædictos Ducem & Commune nolumus ignorare, quod contra eos vniuerſorum Regum, Principum, & Vniuerſitatum & aliorum fidelium quorumcumque proponimus ſubſidium inuocare, & per omnem modum & viam, per quos cum honore Eccleſiæ poterimus, ipſorum ſuperbiam, ingratitudinem, proteruiam & rebellionem domare, ſic quod illis reatus ſuos pœnarum acerbitate deflentibus, pœnales ipſorum fletus cedant perpetuo ipſorum poſteris ad terrorem. Et ſi prædicti Dux, Conſilium & Commune, Ioannes, Vitalis Michael, & alii ſupradicti, necnon & alii quicumque, qui prædictas moleſtias, iniurias & offenſas, violationes, deprædationes & incendia, homicidia ſeu maleficia contra nos & Eccleſiam Romanam commiſerunt, ſeu perpetrauerunt, vel qui ad ea facienda dederunt conſilium, auxilium vel fauorem, infra tres menſes computandos à tempore quo præſens mandatum ad eorum notitiam peruenerit, vel per eos ſteterit quominus poßit vel potuerit perueniſſe, nobis & Eccleſiæ Romanæ, Nuntiis & fidelibus dictorum Ciuitatis, Comitatus & Diſtrictus Ferrarienſis plene non ſatisfecerint de damnis & iniuriis irrogatis: & quicumque cum dictis Venetis contumacia durante, confœderationem, colligationem, ſocietatem ſeu ligam fecerit, vel inierit, ſeu conſilium, auxilium dederit vel fauorem, directe vel indirecte, publice vel occulte præfatis Venetis in detentione Ciuitatis & Comitatus prædictorum, vel ne Veneti & alii ſupradicti reſtitutionem & ſatisfactionem faciant nobis & Eccleſiæ Romanæ & fidelibus noſtris prædictis de ciuitate Ferrarienſi, & eius Comitatu atque Diſtrictu cum ſuis iuribus & pertinentiis vniuerſis, & de iniuriis atque damnis, vt ſuperius eſt expreſſum; ſi ſingulares perſonæ fuerint, quantacumque præfulgeant dignitate, anathematis. ſi vero Ciuitas, Caſtrum, Villa, aut Vniuerſitas, Collegium ſeu Communitas, Interdicti ſententiam incurrant ipſo facto, à quibus vel eorum aliqua nullus abſolutionem, remißionem & relaxationem valeat obtinere, præterquam in mortis articulo, vt in caſu ſuperius iam eſt dictum: Colligationes autem, confœderationes, pactiones, conuentiones, ſocietates, ſubmißiones & quaſcumque factas inter ipſos Venetos & Ferrarienſes, & ipſos Venetos & alias Ciuitates, Vniuerſitates, vel Communitates quaſcumque, & ſi ſint iuramento, promißione, perſonarum adiectione, vel alia quacumque firmitate vallatæ, annullamus, caſſamus, & penitus irritamus, & eas haberi volumus pro infectis.*

*Ceterum quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent, nullus vano decipiatur errore, vt infra tempus ſui regiminis prædictas pœnas vel aliquam earum ſuſtineat, quaſi poſt illud non ſit ad ſatisfactionis debitum compellendus: nam & ipſum, qui ſatisfacere recuſauerit infra quindecim dies, remanere decernimus eiſdem pœnis concluſum, & per omnia & in omnibus obligatum.*

*Ne vero circa ſcientiam, notitiam vel auditum huiuſmodi proceſſus Veneti poßint ignorantiam allegare, neve alii quibus prohibuimus nec Venetis bladum, vinum vel quaſcumque alias res deferant, vendant, ſeu quocumque modo transferant, vel ab eis aliquid emant, ſeu ne ipſis faueant in prædictis, vel contra prohibitiones noſtras prædictas in aliquo veniant, prætextu ignorãtiæ contra prohibitiones huiuſmodi velamen excuſationis aſſumant, ipſum Auinione in platea quæ eſt ante Eccleſiam Fratrum Prædicatorum dicti loci, in quorum domibus ad præſens habitamus, in die Cœnæ Domini qua Romani Pontifices prædeceſſores noſtri conſueuerunt ſuos ſolemnes publicare proceſſus, præſente Clericorum & aliorum fidelium multitudine copioſa fecimus publicari, & membranas proceſſus huiuſmodi continentes, Eccleſiæ Cathedralis Auinionenſis & Prædicatorum prædictorum oſtiis ſeu ſuperliminaribus appendi vel affigi, quæ plenius proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicabunt: ita quod ii, quos proceſſus ipſe contingit, nullam poßint poſtea excuſationem prætendere, quod ad eos talis proceſſus non peruenerit, vel quod ignorarint eumdem, cum non ſit veriſimile remanere quo ad ipſos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Auinione in dicto loco, ipſa die Cœnæ Domini, Pontificatus noſtri anno 4.*

*Clement. ep. Auinione 4. Cal. Iunii.*

IV. CAROLO CVNCTATORE MORTVO ROBERTVM EIVS FILIVM SICILIÆ REGEM CREAT.

Quamuis autem Clemens hoc anno, die cœnæ Dominicæ, & feſto Aſcenſionis Redemptoris noſtri, Venetos ex formula concepta, publico anathemate damnaſſet, & tum ſacris omnibus vrbi & prouinciis eorum interdixiſſet, tum Roberto Regi deſignato Siciliæ, Dionyſio Portugalliæ, Iacobo Aragonum, Ferdinando Caſtellæ, Friderico Trinacriæ, Iacobo Maioricarum, Edouardo Anglorum, Philippo Galliarum cæteriſque Regibus Chriſtianis, vt Venetorum bona apud quoſcumque ſuorum inuenta caperent, atque ſua facerent ſcripſiſſet, tum Arnaldum Pelagruam Cardinalem Legatum, Cruceſignatorum conſcripto exercitu, contra Venetos miſiſſet, illi tamen vſque ad menſem Auguſti nequicquam aut arce Thebaldi, aut Ferraria ipſa excedere volebant. His itaque caſtigandis depellendiſque, Clemens Robertum Regem Siciliæ deſignatum ad ſe venire iuſſit. Is namque ex filiis Caroli Regis Siciliæ natu maior, virtutem ſuam non ſemel Eccleſiæ probauerat, vt non alteri quam ei, tum regnum Siciliæ, tum ſedis Romanæ poſſeſſionum tutelam, prona voluntate clemens concedere voluerit. Itaque hoc anno, ad III. Non. Maii, Carolo Cunctatore Rege Siciliæ, eius patre fatis functo, Calendis Auguſti, Clemens Pontifex, Robertum Caroli Regis filium, Siciliæ, & Hieroſolymorum Regem, & Sanctiam eius vxorem Reginã, renunciauit & magna cum celebritate, regio diademate & aliis inſignibus decorauit; cum prius hic ligium homagium Romanæ Eccleſiæ iuraſſet, atque cenſus nomine, ex pactis deſignatum auri certum pondus ſingulis annis Romanæ Eccleſiæ ſe ſoluturum recepiſſet, datoque regio diplomate affirmaſſet.

*Surita li. 2. MS. Coll. Biblioth. Vatic. & ep. Clem. nu. 977. huius anni.*

V. IACOBVS REX ARAGONVM FRVSTRA ROBERTVM AD REGNI HIEROSOLYMITANI EIVS NOMEN DEPONENDVM INVITAT.

Iacobus Rex Aragoniæ miſerat ad Robertum, Auinioni apud Pontificem agentem, vt ius, regiumque nomen Hieroſolymitani Regni ad Fridericum Trinacriæ Regem transferret; quod is bellum ſacrum contra Saracenos ſuſcipere cogitaret: ſi modo Robertus eam pecuniarum ſummam, quam ſibi cauerat, ſi Siciliæ Regno deceſſiſſet numeraret, & theſauri ſacro bello Hieroſolymitano dicati, decumæque Italicæ & adiacentium inſularum, in eam expeditionem ſibi concederentur. Negauit, annuente, Pontifice Robertus, cum neque decorum neque iuſtum cenſeret, tanti decoris ſplendorem amittere aut Siciliæ Regibus Hieroſolymitanum quoque adiunctum, torque annorum poſſeſſione confirmatum abrogare. Quod Hieroſolymitanam expeditionem attinet, ſibi quoque in animo ſediſſe, militem & arma parare, in auxilia Chriſtianorum in Palæſtina oppreſſorum: præſertim cum iſtud negotii ex pactis iuramento ſedi Apoſtolicæ confirmatis, in ſe ſuſcepiſſet, & Clemens Pontifex nonniſi eo reſpectu, illum à ſolutione ſexaginta millium marcharũ ſterlingorum quas noui Reges Siciliæ, cumprimum eius Regni diadema ſuſciperent, ſedi Apoſtolicæ pendere tenebantur, liberum pronunciaſſet, datis Auinione litteris ad VII. Cal. Septemb. cum etiam Robertus, poſtridie, ſcilicet ad VI. Calend. Sept. VII. Indict. Anno Dom. Incarnationis 1309. Regni I. iuramentum fidelitatis & homagii dato ſignato diplomate, Eccleſia Romanæ expreſſiſſet.

VI. INDVLGENTIIS AD MILITIAM SACRAM CLEMENS PP. QVOSLIBET INVITAT.

Cæterum Clemens Pontifex, vt Chriſtianorum in Syria gementium cauſa, bellum ex animo conficere poſſet, omnibus omnium Religionum Prælatis, auctoritate Apoſtolica iniunxit, vt tum pecuniarum ſubſidia colligerent, tum zelo charitatis gemellæ flagrantes





magis inflammarent, ad ſacram militiam ineundam cuius adiutores ac milites, pia largitione indulgentiarum atque gratiarum ditabat. Dedit ea de re epiſtolas, Auenione ad V. Id. Iun.

*ep. 967. Surita li. 2.*

VII. PETRVM MARSILIVM ORATOREM A IACOBO REGE ACCIPIT LEGATVM.

Hoc anno, cum Iacobus Aragoniæ Rex, ſacrum Almerienſe bellum, contra Saracenos non infelici progreſſu gereret, Petrum Marſilium ex inſtituto Prædicatorum, eius expeditionis proſequendæ cauſa ad Pontificem Max. Oratorem deſtinauit. Hunc Clemens Pontifex, cum indignae, ne dicam temere atque arroganter, legationis munus obiret, neque Pontificis maieſtatem, vti par erat, reueritus eſſet, vinctum relegauit.

VIII. SVMMARIVM EIVS GESTORVM HVIVS ANNI.

*1. ep. 981. 2. ep. dat. Auin. 12. C. April. 3. ep. dat. Auin. 4. Auin. 5. Id. Nou.*

Eodem anno Clemens Pontifex 1. diſcordias inter Philippum Gallorum Regem, & Comitem Flandriæ, auctoritate Apoſtolica diremit, diſſidenteſque animi conciliauit. 2. Iacobo Aragoniæ Regis primogenito, vt Eleonoram Ferdinandi Caſtellæ Regis filiam quarto vel tertio gradu ſanguinis ſibi propinquam, matrimonio coniungeret, conceſſit. 3. Ferdinandum Caſtellæ Regem, ad ſacrum bellum contra Saracenos Granatenſes ſuſcipiendum, datis Auinione XVI. C. Iun. literis excitauit, eumque in protectionem ſedis Apoſtolicæ ſuſcepit. 4. Ad Robertum Regem Siciliæ Bernardum Archidiaconum Nemauſenſem, & Guillelmum Babietum Canonicum S. Attyrii Petragoricenſis Diæceſis, nuncios deſtinauit, vtque eos ab omnibus Regni Prælatis, tam vltra quam citra Pharum, ſubſidium, ad præſentes ſedis Apoſtolicæ difficultates ſubleuandas impoſitum exigentes, & in refractarios cenſuras Eccleſiaſticas ſtringentes, adiuuaret, admonuit. 5. Orantibus pro anima Caroli Regis Siciliæ defuncti, atque pro Regina Romanorum quinquies orationem Dominicam & ſepties ſalutationem Angelicam recitantibus indulgentias complures conceſſit. 6. Reginæ Hungariæ, vt ſanctimonialibus & aliis religioſis perſonis quibus ex regula vel ex Conſtitutionibus eſus carnium interdictus eſt, ad ſe venientibus, carnes ad veſcendum concedere poſſet indulſit. 7. Regem Angliæ Edouardum, vt reliquos Templariorum caperet hortatus eſt. 8. Regi Nauarræ Ludonico, vt ſuus eleemoſynarius, vna cum duobus fratribus ſui ordinis, carnes in diebus licitis comedere poſſet, permiſit. 9. Epiſcopo Fridentino, vt cum Vualramo Luzenburgenſi Comite, ſuper obſeruatione ieiuniorum diſpenſaret, poteſtatem fecit. 10. Inter prælatos Britanniæ ac Ducem & alios proceres eiuſdem Ducatus diſcordias vertentes compoſuit, libertatique Eccleſiaſticæ pro officio paſtorali conſuluit. 11. Archiepiſcopis & Epiſcopis, vt presbyteros; clericos & religioſos, ad orationes pro Chriſtianis vltramarinis in celebratione diuinorum officiorum fundendas hortarentur, adeoque impellerent, iniunxit. 12. Præceptores & Fratres Hoſpitalis ſanctæ Mariæ Theutonicorum, in Rigenſi, Liuoniæ & Bruſſiæ prouinciis, vt Eccleſias atque perſonas Eccleſiaſticas alioſve Catholicæ fidei profeſſores, vallo fortitudinis munientes ipſos à paganorum & ſchiſmaticorum tuerentur incurſibus. & ad fidei Catholicæ nomen & cultum ibidem dilatandum iugiter elaborarent, admonuit. 13. Eccleſiam Burdegalenſem, quam olim Canonici regulam ſancti Auguſtini profitentes incolebant, presbyteris Canonicis attribuit inque ea Pœnitentiarios quos vocant inſtituit, ac eis eamdem, quam pœnitentiarii minores ſeu inferiores, præterquam in caſu excommunicationis, tempore indulgentiarum habent poteſtatem, impertiit. 14. Ab Archiepiſcopo Burdegalenſi, quem ex Epiſcopo Pictauenſi ad eam dignitatem euexerat, iuramentum fidelitatis audiuit. 15. Toloſatibus & Londonienſibus, ne ad quæcumque ſubſellia extra diœceſim ſuam traherentur, priuilegio peculiari donauit. 16. Ordini Ciſtercienſium, priuilegia à Sede Apoſtolica, plenaria poteſtate confirmauit. 17. Oratores Caroli Regis Vngariæ, in conſeſſu Cardinalium & aliorum audiuit. Poſtulabant illi à Clemente Pontifice, Carolo ſuo Regi Regnum Siciliæ quod dicerent illud ad eumdem, velut ad primogenitum Caroli Martelli iure plenario pertinere.

*5. ep. 206. & 436. 6. ep. 848. 7. ep. 850. 8. ep. 775. 9. ep. 789. 10. ep. 985. 11. ep. 964. 12. ep. 412. 13. ep. 115. & 821. 14. ep. 238. 15. ep. 336. & 130. 16. ep. 678. 17. Sũmont. lib. 3. c. 3.*

Cæterum cum illud ipſum Regnum, non ſucceſſione hæreditaria deuoluebatur in poſteros, ſed mera cõceſſione Romani Pontificis, ad cuius Eccleſiæ hæreditatem & dominium toto iure pertinebat ac pertinet, noluit quicquam Carolo Clemens concedere. Præſertim cum ei Regnum Vngariæ ſufficere exiſtimaret, at Robertum tunc Auinioni præſentem, hominem pacis & belli artibus inſtructum, magis ex re Eccleſiæ & reipublicæ Chriſtianæ videret, ſi ei Regnum Siciliæ iure fiduciario concederet. Extat diploma inueſtituræ eius regni in Neapolitano Archiuio I. lib. I H. 1309. Indict. 7. fol. 1. in quo Robertus Rex Siciliæ, in ſe recepit, ſingulis annis, die feſto ſolemnitates Principis Apoſtolorum, octo millia vnciarum auri, titulo feudi, numerare Romano Pontifici pro tempore ſuperſtiti.

Adiecit in pactis, vt Beneuentana ciuitas, pleno iure ad Eccleſiam Romanam pertineret, ex qua ſummus Pontifex omnes fructus ac emolumenta reciperet, & quam pro arbitrio ſuo adminiſtraret, neque Rex Siciliæ quicquam in eadem ſibi aut ſucceſſoribus ſuis vſurparet.

Hoc etiam ipſo anno, Clemens, Comitatui Venayſino Rectorem præfecit, ad quem iſta extat epiſtola.

IX. VENAYSINO COMITATVI RECTOREM PRÆFICIT RAYMVNDVM; EIQVE SCRIBIT LITERAS.

CLEMENS EPISCOPVS SERuus ſeruorum Dei. Dilecto filio nobili viro Raymundo Guillermi Domino de Rudos in temporalibus Comitatus Venayſſini Rectori ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*ETſi debito exigere te paſtoralis officii de ſtatu terrarum omnium ad Roman. Eccleſiam pleno iure ſpectantium proſpere conſeruando teneamur ſollicite cogitare certa, ſtatum tamen Comitatus Venayßini qui eſt ipſius Eccleſiæ ſpeciale dominium intentis ſtudiis vigilamus, & miniſterium Apoſtolica ſollicitudine liberatis impendimus, vt Comitatus ipſe per noſtræ prouidentiæ ſtudium dirigatur proſpere, & ſalubriter gubernetur: ad te igitur quem nouimus circumſpectione prouidum, & ſollicitudine circumſpectum, cuiuſque fidelitatem ab experto cognouimus noſtræ conſiderationis dirigentes intuitum, & ſperantes quod per te in hac parte ſati fieri poterit plenarie votis noſtris Rectoriam prædicti Comitatibus in temporalibus per te vel alium ſeu alios, quem vel quos adhoc deputandum, vel deputandos duxeris exercendum Apoſtolica tibi auctoritate vſque ad Apoſtolicæ ſedis beneplacitum ducimus tenore præſentium committentes diſponentes, & ordinantes percipientes. ſtatuentes punientes, & diffinientes excipientes & facientes, in eodem Comitatu quicquid ad eiuſdem Rectoriæ ſpectat officium, ac honori & commodo Eccleſiæ prædictæ & proſpero ſtatui fidelium Comitatus eiuſdem noueris expedire. & contradictores & rebelles temperati diſtinctione, appellatione poſtpoſita compeſcendo tibi concedentes plenam & liberam poteſtatem, tibi ac illis vel illis, quem vel quos ad regimen eiuſdem Comitatus, vt prædicitur. duxeris deputandum vel deputandos, & tuis ſeu illorum Officialibus genere alienatis. Cuiuſlibet bonorum iurium, iuriſdictionum & honorum quorumlibet, quæ in eodem Comitatu dicta Roman. Eccleſia obtinere dignoſcitur, quam ex nunc ſi ſecus actum fuerit decernimus, irritum & inane penitus interdicto. Ideoque nobilitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus onus regiminis Comitatus eiuſdem deuote ſuſcipiens ſi illud prudenter geras, & laudabiliter proſequeris quod tuum honoris augmentum proueniat, ac noſtram & præfatæ ſedis benedictionem & gratiam proinde vlterius merearis. Nos enim proceſſus & ſententiæ ſiue pœnæ, quas*

*temporaliter rite feceris, tuleris vel ſtatueris in rebelles ratos habebimus & faciemus authore Domino vſque ad ſatisfactionem condignam, appellatione remota inuiolabiliter obſeruari, non obſtantibus à quibus, priuilegiis vel indulgentiis aut literis Apoſtol. quibuſcumque perſonis ſecularibus communitatibus vniuerſitatibus & locis ab eadem ſede cõceſſis, per quæ tuæ in hac parte iuriſdictionis executio poſſit quomodolibet impediri, de quibus fieri debeat in noſtris literis de verbo ad verbum mentio ſpecialis.* Dat. in Prioratu de Grarſello prope Malaucenam Vaſioniſſi diœ. Ibid. Sept. Pont. noſtri anno quinto.

X. De Raymundo Comite Tholoſano huius Comitatus q. poſſeſſore.

Quod Comitatum Venayſinum attinet, fuit is olim Raymundi Comitis Tholoſani, eius contra quem D. Dominicus Prædicatorum Ord. Conditor, vna cum Simone Montfortio, ſacram militiam pugnabat. Albingenſium hæreticorum patronum & fautorem Innocentius III. diris deuouerat, eique ſubditos omnes, vinculo Sacramenti exſoluerat: inſuper & Cruceſignatorum exercitum contra refractarium ſubmiſerat. Feliciter piam militiam profeſſis ſucceſſerat. Namque nullis victoriis diuinitus partis, plurima de eo receperant.

Illo extincto filius cognominis ſucceſſit. cum quo tandem pace per Cardinalem S. Angeli Legatum Anno 1228. menſe Aprili inita, conuenit, vt Raymundus iunior, omne ius quod vltra Rhodanum in Regno Galliarum potuiſſet prætexere, & in his Comitatum Tholoſanum, prouinciam linguæ Occitanæ, Comitatum Venayſinum, ſedi Apoſtol. reſignaret: inque manibus Ludouici Regis Galliarum deponeret; qui eas Prouincias & comitatus, nomine Apoſt. ſedis adminiſtraret. Fuerunt ea omnia in poteſtate Roman. Pontificis, ſed à Regibus Galliarum adminiſtrata, vſq; ad Gregorii X. Pontificatum. Qui Concilio Oecumenico Lugduni conuocato, cum cætera pro dignitate & libertatibus Rom. ſedis ex ſententia Patrum egiſſet, tum præcipue Comitatum Venayſinum, Eccleſiæ Rom. addictum à Rege Galliarum vindicauit.

Cui hoc anno Clemens Papa Rectorem præfecit, & anno ſubſequente, eas quas adiungo literas Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & reliquis, vt Rectori obſequerentur dedit, quorum iſte eſt qui ſequitur tenor.

XI. Literæ Clementis ad Comites, Barones, Nobiles et reliquos eiuſdem Comitatus Venayſiniensis incolas.

Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectus filiis vniuerſis Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Cõmunitatibus, Vniuerſitatibus, ac populis, cæteriſque perſonis ſæcularibus Ciuitatum, Caſtrorum, & aliorũ locorum per Comitatum Venayſſini conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Etſi debito exigentiæ paſtoralis officii de ſtatu terrarum omnium ad Rom. Eccleſiam pleno iure ſpectantium proſpere conſeruare tenemur ſollicite cogitare, circa ſtatum tamen Comitatus Venayſſini, qui eſt ipſius Eccleſiæ ſpeciale Dominium intentis ſtudiis vigilamus, & miniſterium Apoſtolicæ ſolicitudinis libenter impendimus, vt Comitatus ipſe per noſtræ prouidentiæ ſtudium dirigatur, proſpere & ſalubriter gubernetur. Ad dilectum igitur filium nobilem virum Raymundum Guillermi de Rudos in tẽporalibus Comitatus Venayſſini Rectorem quem nouimus circumſpectione prouida & ſolicitudine circumſpectum, cuiuſque fidelitatem ab experto cognouimus noſtræ conſideratione dirigentes intuitum & ſperantes, quod per ipſum in hac parte ſatisfieri poterit plenarie, votis noſtris Rectoriam prædicti Comitatus in tẽporalibus per ſe, vel alium ſeu alios, quem vel quos adhac deputã. vel deputan. duxerit exercendũ Apoſt. tibi auctoritate, vſq; ad Apoſt. ſedis beneplacitum duximus committendum, diſponen. ordinan. præcipien. ſtatuen. punien. & diffinien. excipien. & facien. in eodem Comitatu quicquid ad eiuſdem Rectoriæ ſpectat officium, ac honori ac commodo Eccleſio prædictæ, & proſpero ſtatui fidelium Comitatus eiuſdem nouerit expedire; Et contradictores & rebelles temporali diſtrictione, appellatione poſtpoſita compeſcendo, & ſibi concedentes plenam & liberam poteſtatem ſibi ac illi, vel illis, quem vel quos ad regimen eiuſdem Comitatus, vt prædicitur, duxerit deputand. ſeu deputan. & ſuis ſeu illorum Officialibus genere alienat onis cuiuslibet iurium, iuriſdictionum & bonorum quorumlibet, quæ in eodem Comitatu dicta Rom. Eccleſ. obtinere dignoſcitur, quam ex nunc, ſi ſecus fuerit, decernimus irritum & inanem penitus interdicto. Quocirca vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eundem Rectorem deuote ſuſcipientes, & honorifice pertractantes eidem tanquam Rectori Venayſſini prædicti plene in omnibus intendere & efficaciter obedire curetis, alioquin proceſſus & ſententias ſiue pœnas, quas temporaliter rite fecerit & tulerit. ſiue ſtatuerit in rebelles reatos habebimus, & faciemus auctore Domino, vſque ad ſatisfactionem condignam, appellatione remota inuiolabiliter obſeruari, non obſtantibus aliquibus priuilegiis, vel indulgentiis aut literis Apoſtolicis quibuſcunque perſonis ſæcularibus, Communitatibus, & vniuerſitatibus & locis ab eadem ſede conceſſis, per quæ ſuæ in hac parte iuriſdictionis executio poſſit quomodolibet impediri, & de quibus fieri debeat in noſtris literis de verbo ad verbum mentio ſpecialis.* Dat. in Prioratu de Grarſello, prope Malaucenam Vaſionen. diœceſis. Idib. Sept. Pontif. noſtri anno VI.

XII. Concilia Prouincialia plurima celebrata in cauſa Templariorum, et celebrandi Concilii Generalis. *Rub. hiſt. Rauen. li. 6.* G. *Carol. Sigõ. Bon. li. 3.*

Hoc anno, iubente Pontifice Clemente, fere vbiq; locorum Concilia Prouincialia & Diocæſanæ Synodi, à ſacratis viris celebrabãtur. Inſtituebatur in illis contra Templarios inueſtigatio, eorum quib. onerati fuerant criminum. Bona eorum à Commiſſis Pontificũ occupabantur, & pecuniæ ex eorum elocatione, in Eccleſiæ Romanæ ærarium pro neceſſitatibus publicis inferebantur. In commune etiam à Patribus conſulebatur, qua ratione in Concilio Generali proxime celebrando, diſciplina Eccleſiaſtica ex præſcripto canonum reuocaretur, & quantum opus eſſet bono publico innouaretur. Procuratores inſuper deſignabantur, qui vel Epiſcoporum, eorum qui commode nõ poterant proficiſci, vel Eccleſiarum Cleri tum perſonas in Concilio indicto repræſentarent, tum ampliſſimo Patrũ conſeſſui negotia exponeret. Raynaldus Archiepiſcopus Rauennas ad VI. Id. Octob. Cæſenæ in Epiſcopio ad eam Synodum Prouincialem Antiſtitibus, Rectoribus & ſacratis aliis viris conuocatis, literas indictionis Cõcilii Viennenſis recitauit, aliaq; à Clemente Pont. iuſſa mandata propoſuit. Idem paulo poſtea Bononiæ reliquis congregatis, magna cum diligentia fecit, inque Templarios inquiſitionem inſtituit. Idem ius in eoſdẽ milites omnibus Quæſitoribus in hæreticos etiam conceſſum, illi ipſi pari ſolicitudine exercebant. Præſertim cum Raynaldus hac de re Pontificias literas, omni Gallia Ciſalpina, Tuſcia atque Iſtria diuulgaſſet.

XIII. Variæ clades diuinitus immiſſæ. *MS. Angl. Bibl. Vatic.*

Per id temporis Clemens Pontifex, Eccleſiæ Sariſburienſi in Anglia, Simonem cognomẽto Gandauum Antiſtitem præpoſuit, præſtantia eius doctrinæ, & morum integritate permotus. Scripſit is inter alia de vita ſolitaria libellũ ad Terentinas ſuæ diœceſis, virgines ad quæ tempora, magna pleriſque locis præſertim in eius diœceſi menſe ſeptembri damna & detrimenta immane fulgur dedit, adeo vt arbores exuſtæ exaruerint; Monachis in Middletonio Cœnobio Dorſetenſis Comitatus matutinis laudibus noctu vacantibus, Eccleſia conflagrarit, & ab iſto incendio campanile, vt appeliãt, cum campanis, libri, Ornamenta & alia ſuppellex Eccleſiæ inciderit. Eodem etiam menſe ventorum magnitudo, aliquot Eccleſiarum turres concuſſit & euertit. Menſe vero proximo Februario, mira aquarum poſt Maximum gelu inundatio & copia fuit, quæ ita principem Sariſburienſem Eccleſiam obruit, vt biduo à Miſſarum ſacrificio ceſſatum ſit.

XIV. Vltio diuina in Edouardum Regem Angliæ et Petrum Ganeſtonem eius conſiliarium, ob impietatem eorum et ſcelera.

Eam diuini furoris vindictam, inter alios, Rex ipſe adoleſcens Edouardus prouocauerat. Is n. ſtatim atque regni habenas moderandas accepit, frenis inſolentiæ laxatis, ſe in omne flagitiũ dedit, & propterea in ſummas rerum anguſtias miſeriaſque ſe coniecit: nec alia magis de cauſa, quam quod malis & improbis conſiliariis totũ ſe permiſiſſet, & cumprimis Petro Ganeſtoni homini quidem Italo, magniſq; ornamentis ingenii & corporis prædito, ſi ea ille quidẽ ad Regis reipublicæq; ſalutem & commodũ accõmodaſſet. Olfecerat pro ſua prudẽtia pater illum futurũ aliquando ſe mortuo, magnam aliquam filii & reip. peſtem, atq; ideo illũ proſeri-





pſerat, & grauiſſima moriturus filio mandata dederat, ne vllum vnquam gratiæ & familiaritatis aditum illi aperiret. Hæc vero tam leue pondus apud iuuenem habuere, vt poſt patris obitum, nihil ſibi ad omnem celeritatem reliqui in illo reuocando fecerit, ſecumque è Gallia (quo profectus erat, vt Iſabellam Philippi Pulchri filiam ſibi aſciſceret) in Angliam reduxerit, neptemque ex ſorore Ioannem Glocestriæ Comitiſſam in matrimonio illi collocarit, hominemque præterea Cornubiæ comitatu & Monæ inſulæ Præfectura ornauerit. Quamquam & huic non diuturna felicitas fuit, vlciſcente numine, quod egregium adoleſcentem corruperit. Occidit inuidia nobilitatis, quam etiam ex hac occaſione inflammauit. Edouardus Rex, ab Henrico Vintonienſi Epiſcopo (Robertus enim Cantuarienſis ab exilio nondum redierat) diadema regium Vintoniæ ritu ſolemni oblatum ſuſcipiebat. Hæc ſolemnia, & ſi Carolus Valeſius Philippi frater, aliique proceres tum Galli tum Angli ſua præſentia, omnique cultus & apparatus ſplendore honeſtaſſent, Petrus tamen totius magnificentiæ amplitudine cæteros ſuperauit: quæ res in maiorem eum apud proceres inuidiam vocauit. Verum illa vehementius indies aduerſus eum ingraueſcebat, cum aut conniuente, aut potius frigidam illo ſuffundente, Rex deliciis, ac voluptatibus totus afflueret, & repudiatis aptis & idoneis hominibus, cum paraſitis, muſicis, citharœdis, nepotibus, combibonibus, Epicureis, ſcurris, velitibus, aliiſque abiectiſſimis nulloque numero hominibus, totos dies noctesque intemperantes tranſigeret; Petrus vero interim omnem fere totius regni ad ſe procurationem traheret; neque in ea quidem ita verſaretur, vt Regis, reipublicæ, aut ſuæ dignitati atque gloriæ ſeruiret, ſed parum caſte atque integre, & oppido quam ſordide. Hac eius, Proceres, impotenti cupiditate faſtuque, & tanta rei indignitate exacerbati, inſtabant & vrgebant apud Regem, ne veteris vernaculæ regni adminiſtrationis omnis imago, quæ domeſtica nobilitate reiecta apud exterum reſidebat, ita excuteretur. Hos cum Rex ad tempus traheret, nunc illum in Hiberniam, nunc in exilium amandando rurſus tamen in priſtinam gratiam locumque poſtea recipiendo ludificaretur, promiſſaque ſemper reſcinderet, aureſque eius in audiendis huiuſmodi contra Petrum querelis tritæ quaſi obſurdeſcerent, non illi prius quieuere, quam Thoma comite Lanceſtriæ Anteſignano, inſolentem hominem è medio ſuſtuliſſent. Is finis fuit conſultoris peſſimi, in exemplum aliorum, vt diſcant & exteri in alieno ſolo modeſte fortunam habere, & quia latere Principem alienam mentem ac aurem conſilio pernicioſo non deprauare, cum Deus vindex malorum neque inſolentiam animorum, neque corruptelam morum ferat: ſed illam frangat, hanc caſtigare ſoleat: & tam auctorem, quam fautorem, ſeu incentorem criminum, pari vindicta excipiat.

XV. Miraculoſa Scotorum de Anglis victoria. *Hector Boethius Hiſt. Scot. li. 14.*

Enimuero neque Edouardo Regi impune fuit aurem Petro dediſſe, & maieſtatem Regiam tantis criminibus impiaſſe. Vnicam cladem commemorabo, quam per id temporis Anglus paſſus eſt, conſcripto exercitu numeroſo, contra Scotos. Ad ſe Edouardus regnum Scotiæ pertinere putabat, quod Edouardus patre non ita pridem, nec quicquam prohibentib. Romanis Pontificibus armis ſuum facere conabatur. Itaque ingentibus copiis vndequaque contractis in aciem aduerſus Scotos eduxit. Idem fecit Robert. Bruſius Rex Scotorum ſalutatus, ſed longe diuerſis initiis, ac exitu. Nam iuſtiſſimæ cauſæ præfidens, & nonniſi à Deo victoriam ſperans, multis victoriis inſolentes Anglos proſtrauit: neq; ſine miraculis, neq; ſine manifeſtis futuræ triumphationis à Deo, quem religioſe coli voluerat, præoſtenſis. Digna eſt res, quæ enarretur, vt Reges atque Duces exercituum, diſcant, à quo debeant vires contra hoſtes obtinere. Robertus Bruſius, cum arma in Anglos expedire cogitaret, iuſſit vnumquemque Deo ſeſe præparare, confiteri ſacerdotibus delicta, atque à Deo veniam orare, vt in poſterum diem re ſacra audita, ac ſumpto Chriſti corpore, idonei prælium conſerere, ac victoria potiri poſſent. In caſtris hoſtium ampliſſimas ſibi quiſque ſperabat, vnius diei labore exiguo diuitias ingentes & agros ampliſſimos habituros, nihilque facilius effecturos, quam primo impetu hoſtes protererere:

Roberti Bruſii pia ad expeditionem contra Anglos præparatio.

Robertus è contra vereri, optime tamen ſperare in diuina benignitate. Nocte autem quum de rebus ſuis ſolicitus, quietem nullam prope corpori daret, precibuſque vacaret, atque omnia alia mente euolueret, intento eo cum quibuſdam in preces conuerſo (orabat autem Deum ac ſanctum Philanum, cuius brachium inclusum argento in exercitu ſe habere credebat, vt victoriam propitii dare vellent) viſum eſt brachium argenteum, cui incluſum verum fuerat, repẽte apertum, ac rurſum in nictu oculi clauſum nullo accedente, nec ſe quopiam mouente. Quod quum mirandum videretur, Sacerdos ad altare acceſſit, quid actum eſſet inſpecturus. Vbi vidit verum brachium ineſſe, exclamãs, vere Numen adeſſe diuinum, factum ſuum Regi confeſſus eſt, quod roganti brachium ſancti Philani capſulam tantum argenteam, veritus ne in tumultu perderetur, exempto vero brachio, vacuam dediſſet. Plenus igitur ſpei Robertus, reliquum noctis in precib. ac gratiis agendis perſeuerauit. Poſtero die præparatis omnibus ad rem ſacram milites conuocauit, iuſſitque omnes Chriſti corpus, quo robuſtiores ſpiritu eſſent, percipere. Erat in exercitu Abbas inſulæ Miſſarum, nomine Mauritius, qui ex editiuſculo loco tum rem diuinam faciebat, Is Roberto Regi ac nobilioribus ſacram Euchariſtiam, reliqui autem ſacerdotes cæteris militibus adminiſtrarunt. Omnibus ex more Chriſtiano procuratis, cum extemporanea oratione, Robertus, omnes animaſſet, omnes ex equis exſcendere, atque pedes pugnare iuſſit. Ante agmen & ſigna militaria proceſſit Mauritius Abbas, arreptamque duabus manibus Crucem, in qua Chriſtus affixus pendebat, militibus oſtentauit, vtque eius nomine bono animo patriam defenderent, inque eo ſolo confiderent, perſuaſit ac in pugnam eductos, vbi aliquantum adhuc acies vtrimque abeſſent, Deo ſeſe cunctos in terram proſtratos commendare iuſſit. Iſtud vbi hoſtes videre, deditionem eos ſupplices facere conclamarunt vniuerſi. Sed mox vbi conſurgentes maximo impetu in ſeſe omnes incurrere viderent, conuerſo metu, mox trepidare, poſt terga vertere cœperunt. De monte deſcendentes Scoti terribiliorem hoſtibus aſpectum præbuere. Pars alium aduentare inſuper exercitum rati, cum iſtos vix ſuſtinerẽt, alii Angelos de cœlo Scotis ſubſidio venientes arbitrati fugam arripuere. Itaq; ſtrages ibi maxima fuit, aliis ſuper alios ex trepidatione incumbentibus, aliis in foſſas præparatas incidentibus, aliis ferro hoſtili interemptis. Cecidere eo prælio ab Anglis millia quinquaginta, equites aurati ducenti cum duce Glouerniæ; Rex Edouardus vnica ſcapha vix euaſit: cum duo tantum Scotorum equites aurati ſint deſiderati. Præda ingens ex Anglis recepta; adeo vt ex ſpoliis auri & argenti, ac reliquæ ſuppellectilis, omnes affluentes euaſerint. Tapetes quos multos ex Regio cœperat tentorio, ex byſſo pretioſiſſima auro intextos, Robertus Rex, Cœnobiis Prædicatorum per Regnum diuiſit, vt inde ad ſacrorum vſum ornamenta pararentur.

Visiones eius victoriæ prænunciæ.

XVI. Alia circa hanc victoriam miracula.

*Miracula alia huic prælio quidam adiciunt.* In Glaſſimbri pridie Sancti Ioannis ad Abbatem duo viri inſignes armis venere, hoſpitium illius noctis poſtulantes. Qui benigne excepti rogatique, quonam proficiſcerentur, *reſponderunt ſe ad Bannocborn auxilio* Scotis in poſterum diem ituros. Sed inde in conclaue ducti, quum ſummo mane Curator hoſpitum inſpectum eos, vt fit, veniſſet, quoniam nemo comparuit, grabataque compoſita manſere, ideo creditum eſt Angelos è cœlo miſſos, ac ſingulare Dei auxilium eo die

Scotis adfuiſſe. Quo die autem pugnatum fuit, eques quidam fulgentib. armis Aberdoniam tranſiens, victoriam Scotorum maximam nunciauit: idemq; viſus eſt Pictorum Boſphorum equo traieciſſe. Vulgo autem habitus fuit Diuus Magnus Orcadum quondam Princeps. Robertus Bruſius fama illius rei motus Orcadenſe templum quinq; libris ſterlingiis ex portoriis & vectigalibus Aberdonenſibus quotannis recipiendis donauit, ad panem, vinum, ceramq; ſacris faciendis comparanda. Ferunt duos Brabantini ſanguinis equites ab Edouardo amice ad commilitium compellatos, pridie quam concurrerent acies, quum audirent in Anglorum caſtris, infinita prope conuitia, non abſq; multa detrectatione in Robertum Regem iactari, orta commiſeratione ei felicitatem in futura pugna publice comprecatos, & ea re ad Anglum delata eo iubente pulſos caſtris, atq; ad Robertum, vt eius partes ſequerentur, per fæcialem ductos, publiceq; edictum: vt qui alterius ipſorum caput confecto prælio ad Regem Edouardum detuliſſet, centum argenti marcas pro munere acciperet. Poſtridieque Scotis victoria cedente, eoſdem equites prætereа ingenti prędа potitos, eamq; omnem eos amplis donatos muneribus, Rege Roberto permittente in Brabantiam aſportaſſe, ibidemque poſtea diuerſorum Scotiam nomine (quod Antuerpiæ vel hac cernimus ætate) Bruſii effigie notiſſimum ingenti ſumptu ad Scotorum vſum ædificaſſe, monimento perpetuo grati ac memoris animi in Robertum Regem eiuſq; gentem. Neq; hoc prętereundum ſilentio, Carmelitanum eum, quem Edouardus Rex ad victoriam & Scotiæ deſtructionem conſcribendam adduxerat, cum viuus in poteſtatem Roberti veniſſet, eiuſdem iuſſu, conuerſo ſtylo Scotorum victoriam poſteritati tradidiſſe, carmine barbaro quidem illo ſed illo ſæculo nequaquam contemnendo, vt ſciant Principes, ante Victoriam, non eſſe meditandos triumphos.

XVII. CLEMENS PP. OMNES PRINCIPES ADVERSVS REBELLANTES VENETOS COMMOVET EORVMQVE BONA PVBLICAT. *Sabellic. enneade 9. lib. 7.*

Eodem anno, cum Clemens Pontifex, Ferrariam Vrbem Romanæ Eccleſiæ vectigalem, à Venetis hoſtiliter oppugnatam, ac nouiſſime incenſam & quod reliquum fuerat occupatam intellexiſſet, ac propterea Venetos anathematis ſpiculo defixiſſet, propoſitoque edicto, vt hos piorum cætu eiectos, Romanæque Eccleſiæ hoſtes iudicatos, fas eſſet vnicuique volenti iure & iniuria afficere, & non tãtum bona illorum fiſco addicere, ſed & perſonas vbique terrarum in mancipiorum numerum redigere; omnes Reges & Principes in eorum fortunas & capita armaſſet; ad eius edicti famam, omnibus fere Galliæ, Luſitaniæ, & aliorum regnorum emporiis, Principum permiſſione, Venetorũ bona direpta ſunt. Eadem iniuria accepta eſt, circa maritima Calabriæ & Apuliæ loca. Rebus ad eum modum amiſſis, Veneti vbique male habiti ſunt, quidam etiam ex his interfecti, omnes vero promiſcue, ab omni externo commertio, propter execrationem Pontificiam, euitati ac excluſi. Neque vero Pontificius Legatus Cardinalis Palegora, in Ferraria recipienda quicquam operæ aut induſtriæ prætermiſit. Erat is Bononiæ, vnde Gallos Cruce ſignatos, & aliam ex Italico delectu manum, miſit in Venetos & Ferrarienſes. Ad primam vrbis oppugnationem Ciuitas ad Gallos defecit, ſimulque ſunt hi in vrbem recepti: Veneto præſidio cum multa cęde in caſtrum Thealdum compulſo: & paulo poſt exinde expulſo:

XVIII. PERSISTENTES II IN CONTVMACIA POENIS SVBIICIVNTVR.

Inter hæc cum Veneti anathemata Pontificis non valde curarent, vlciſcente numine, conſternatã eorum vrbem atrox coniuratio eſt domi adorta. Certatum in publico eſt aduerſus concitatos ciues. Stetit victoria vnde debuit: cum ad Pontificem placandum ſupplices Legatos deſtinare, ereptaq; bona Eccleſiæ reſtituere decreuiſſent. Sumptum de ſontibus ſupplicium, ex quibus alii in exilium acti, alii ad tempus relegati. Extat certum rei geſtæ monumentum, quod Idibus Iuliis, quo die libertas à cõiuratione illa ſeruata eſt, Princeps & Patres quotannis inuiſunt Viti martyris phanũ, publicam ſalutem ſupplicatione inſtituta Diuo gratulaturi.

XIX. RHODVS INSVLA CELEBERRIMA A TVRCIS DIVICTA RECVPERATVR PER CHRISTIANOS.

Eratque tunc is rerum ſtatus in Venetis, quum Rhodus inſula ex hoſtibus recepta, Clementis Pontificis iuſſu, Rhodianæ militiæ viris, qui eam à Turcorum imperio armis vindicauerant, data eſt tuenda. Hi Hieroſolyma amiſſa, Templariiſque in Syria deletis, ex ea inſula Turcorum arma eiecerunt. Horum militia Deo optimo & Ioanni Baptiſtæ conſecrata, crucem in nigro pallio cãdidam, militibus ſuis pro ſymbolo aſſignauit. Ingens eorum numerus, Magiſtrum habet militiæ, qui in vniuerſum ordinem obtinet imperium. Cum Turcis perpetuum bellum gerunt, atque ex proximo hoſtiliter infeſtant; ſępe & ipſi bello petiti, atque ſumma opera Turcorum Imperatore oppugnari, etiam noſtra memoria. Cauſam affirmant fuiſſe, eam vel potiſſime, cur Inſulam Rhodum occupare tentauerint, Henricus Rex Cypri, multis eos milites incommodis afficiebat: metumq; cunctis ſeu ſuſpicionem iniecerat, eos exemplum Templariorum ſecuturos. Hi porro cum & ſibi metuerent, & rem tamen Chriſtianam contra Turcos & Saracenos non deſerendam: ſed viribus omnibus tuendam eſſe ſibi deſignarent, Cypriam quidem ſtationem deſerere, ſed aliorſum ſtatiua conſtituere decreuerant. Rhodum inſulam Græcorum aliqui occupauerãt, & ab imperio Conſtantinopolitano defecerant, Saracenorum & Turcarum præſidiis euocatis. Folcus Villaretus eius militiæ Magiſter, cum eam rem probe intellexiſſet, primum Conſtantinopolim ad Andronicum Imperatorem, deinde acceleratis itineribus, ad Clementem Pontificem in Gallias conceſſerat, vt ab illo poteſtatem eiiciendi ab iſto vero auxilia contra Saracenos impetraret. Imperator Andronicus facile omnia Fulconi poſtulanti conceſſit, eamque inſulam eidem & militibus Hieroſolymitanis, ſi illam ex hoſtib. reciperent, deſtinauit: Clemens porro elargitione indulgentiarum aç priuilegiorum tum multa auxilia pecuniaria conquiſiuit, tum Pleroſque Principum ad ſacrum bellum excitauit, ac ſub ſignis Magiſtri eſſe iuſſit: tum denique eam inſulam iis militibus ſi ea potirentur attribuit, Archiepiſcopumque, ſi Eccleſia Rhodiana tunc vacaret, nominandi, Magiſtro eorundem conceſſit. Hi porro cum primum omnem ſuppellectilem ſuam quam in Cypro poſſederant conuaſaſſent, & triremibus, ac aliis nauigiis partim à Venetis, partim ab aliis adductis impoſuiſſent, felicibus auſpiciis Diuę Deiparentis Mariæ, anno Domini 1309. die feſto Aſſumptionis eiuſdem ſacroſanctæ Deiparæ, inſulam Rhodum, ei ex hoſtibus aſſeruere, quæ eſt, *Quaſi plantatio roſæ in Hiericho.* Namque ea inſula, à roſis cognomen obtinuit: quod in fundamentis Ciuitatis Rhodiæ primum iaciendis, roſæta quamplurima reperta fuiſſent. In ea inſula tanta eſt cœli ſerenitas, vt nunquam tanta nubila obducantur, quin aliqua hora ſol cernatur. Antiqui, ſoli conſecratam fuiſſe aſſerunt, in eaque nobilem illum ſolis, inter ſeptem mundi admiranda, coloſſum, qui nongentos camelos in fruſtra comminutus onerauit.

*Iacobus Boſſius li. 1.*

*Plin. li. 2. c. 63.*

XX. FERRARIENSES TVMVLTVANTES INSIGNI CÆDE COMPRIMVNTVR. *Sabellic. ſupra.*

Dum hæc in Oriente aguntur, Robertus Rex Sicilię, ex Galliis ad regnum capeſſendum properans, cum Bononiam applicuiſſet, à Pelagora Cardinale Legato rogatus eſt, vt Ferrariæ nuper à Venetis receptæ tantiſper pręſideret, donec eius ciuitatis ſtatus pacaretur. Properabat iuuenis, regnum ſibi à Clemente Pontifice aſſignatum, quam citiſſime adire. Degum itaq; virum impigrum, ad præſidium reliquit; cum ala vna equitum, Neapolim ipſe profectus. Neque Ferrarienſes diu quieuere, quin ſeditionibus & domeſtica diſcordia inſolentius ſæuirent, neque Regis hortatus, aut minas audirent. Tum Degus ciuitati iratus, armatos equites ex arce miſit; qui inſignem cædem ediderunt, octo & viginti ex primorib. interfectis, qui præcipue Venetis atq; Atteſtinis fauebant, cum etiam Clemens Pontifex, tum Roberto præfecturam Aemiliæ confirmaſſet,

tum



tum ab eo præſidiariis collocatis, omnem in refractarios vindicandi poteſtatem conceſſiſſet.

XXI. IACOBVS ARAGONVM ET FERDINANDVS CASTELLÆ REGES, MAVROS INSIGNI VICTORIA PROFLIGANT. *Mariana lib. 15. c. 9.*

Eodem anno Iacob. Aragonum & Ferdinandus Caſtellæ Reges, cõmunicato conſilio, & tum benedictione, tum ſubſidio ex decumatione bonorum Eccleſiaſticorum, à Clemente ſummo Pontifice acceptis bellum contra Mauros Granatenſes non infeliciter geſſerunt. Ipſo die profeſto Diui Bartholomæi, cũ Robertus Tarraconenſis, & Raymundus Valentinus Epiſcopi, ſacris operati, iiſdem exercitum Chriſtianũ communicaſſent, in cõſpectu Almeriæ, pugnæ ab Aragoniis initio facto, hoſtes profligati, fœdaq; eorum fuga facta. Vicinæ ſyluæ multis perfugio fuerunt. Algeziram poſtea mari terraq; oppugnatam, per deditionem hoſtium receperũt. Mauris datum, vt incolumes in Africam abirẽt, bonaq; ſecum efferrent. In eo numero confecta ætate Maurus quidam, Regi, cum diſceſſionem pararet, in hæc verba locutus fertur: *Quo meo fato, genii mei infelicitate, meiſue malis meritis factum putem, vt per omnem ætatem profugus agar, ſedeſq; mutare identidem compellar, & quaſi omnes vrbes mea calamitate luſtrare? A proauo tuo Ferdinando Hiſpali pulſus, Cæſarianum abii. Inde vrbe capta Alfonſus auus Tariſſam migrare compulit. Ex ea vrbe Sanctio Rege patre tuo Heracleam profugi. Nunc quo tempore mala finem cœpiſſe videbantur, mortemque veluti ærumnarum portam expectabam, denuo fugam captare cogor. In Africam nauigare ſtatuo, ſi longinqua fuga extremam ſenectutem tueri poſſim, & tantulum vitæ quietus ſecuruſq; peragere.* Ita calamitatem ſuam coram Ferdinando Maurus deplorabat, cum Rex & naues proficiſcentibus dari iuſſiſſet, & cuſtodias militum, ne à quoquam violarentur, eis dediſſet, & nihil eorum omiſiſſet, quæ à victore, qui inter triumphos clementiam ponit, deſiderari poſſunt.

FERDINANDI LAVDIBILIS IN HOSTES CLEMENTIA.

Erat Ferdinando ingenium cãdidum, pudor ingenuus, vultus modeſtia, compactum corpus, magnus animus, ſed Clemens. Accidit aliquando, vt ipſo natali Chriſti die, vir primarius, quem Caſtellæ rebus præfecerat, in prouinciam diſceſſurus, ad ſalutandum accederet. Ibi Rex abiectis teſſeris, quibus forte ludebat, monuit pręfectum in Calæcis plures viros nobiles tumultuari; caueret tamen ſupplicium, quãuis meritis irrogare. Vinctos modo ad ſe mitteret, bello ſacro vtiles futuros. Efferebat ille ad cœlum Clemens Regis conſilium: quod ſpecie temerarium, exitu felix fuit. Nulli enim illis, in bello Maurico fortiores fuerunt; cum eos ignominiæ demendæ cupido, Regiq; gratificandi voluntas incitaret. Fortia eorum facta in paucis latere non poterant, dum cum hoſte odio implacabili, inter ſe virtutis æmulatione certarent.

XXII. CONSTITVTIO CLEMENTIS PP. CONTRA CHRISTIANOS FAVTORES SARACENORVM.

Cæterum cum Clemens Pontifex, non ſine graui dolore intellexiſſet, aliquos Chriſtianorum interdicta Saracenis deferre, eoſque contra alios Chriſtianos armare, ideo conſtitutionem quam ſubiungo contra eos promulgauit: quæ ita habet.

*Multa mentis amaritudine concitamur, grauiſq; doloris aculeus, perfodit mentem noſtram intelligentes, quod renati fonte baptiſmatis in deuium oberrantes, qui deberent opprobrium illatum Domino in terram hæreditatis ſuæ totis viribus vindicare, potius iniuriatoribus ſuis fauent, Saracenorum videlicet horribili & perfidæ nationi: & degenerantes miſerabiliter à ſtatu fidelium, famæ propriæ immemores, & ſalutis obliti, inimicis Crucis Chriſti contra ipſius negotium, ferrum, equos, arma, & alia vetita, necnon victualia, & mercimonia in Alexandriam, & ad alia loca Saracenorum terræ Ægypti deferre præſumunt. Ex quo manifeſte apparet, quod Chriſtianos, qui ad defenſionem hæreditatis Domini ibidem pro fide remanſerunt, talibus adiuti ſubſidiis irreuerenter impugnant: propter quod fidei negotium ibidem quodammodo noſcitur deperire. Nos igitur, qui ad liberandam terram ipſam operam dare intendimus (cum Dei adiutorio) efficacem, tam graues tranſgreſſus vlterius ſuſtinere nolentes felicis recordationis Nicolai Papæ IV. prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, præſentium tenore ſtatuimus, vt nullus arma, equos, ferrum, lignamina, victualia, & alia quæcunque mercimonia in Alexandriam, vel alia loca Saracenorum terræ Ægypti deferre, mittere, vel portare, ſeu de portibus eorum vt eiſdem deferantur extrahere, vel extrahi permittere, aut eis alias auxilium vel fauorem præſtare quoquomodo præſumat. Nos vero illos, qui contra huiuſmodi Conſtitutionem noſtram auſu temerario venire præſumpſerint, eo ipſo excommunicationis ſententiæ decernimus ſubiacere: à qua abſolui nequeant, niſi tantum de bonis propriis in dictæ terræ ſubſidium conuertendum exſoluerint, quantum ad partes prædictas detulerint vel miſerint, aut deferre, vel de ipſorũ portibus extrahi permiſerint deferendum: nec tunc etiam ab eadem (præterquam in mortis articulo) abſoluantur ſententia, abſque mandato ſedis Apoſtolicæ ſpeciali. Et nihilominus, ſi perſonas eorum capi contingat, in ſeruitutem & capturam illorum eſſe volumus, in quorum ceciderint captionem. Authoritate inſuper Apoſtolica ſtatuentes, vt illi, qui contra huiuſmodi ſtatutum noſtrum quomodolibet venire præſumpſerint, præter pœnas prædictas quas ipſo facto incurrant, perpetuo ſint infames, & inteſtabiles habeantur: ita quod nec teſtari, nec legata eis ſeu relicta percipere valeant, & inſuper ad ſucceſſiones, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato ſint prorſus, & reddantur inhabiles, nec ad publica quælibet admittantur officia, ſintque illis omnes actus legitimi penitus interdicti, & tanquam excommunicati, hoſteſq; Catholicæ fidei (poſtquam de ipſorum huiuſmodi temeritate conſtiterit) diebus Dominicis & feſtiuis publice nuncientur, & in fiſcum bona eorum omnia deuoluantur.*

XXIII. QVÆ CAVSA SANCIENDÆ HVIVS CONSTITVTIONIS. *MS. Columnenſ. biblioth. vaticana.*

Hæc quidem Clemens V. ſanciebat, occaſione forte data à quibuſdam Venetorum atq; Piſanorum, qui tũc marium potentes. Neque enim ex nihilo, tum Bonifacius VIII. tum Benedictus XI. tum Clemẽs ipſe ſucceſſor, Ducem Senatumque Venetum frequentiſſime admonebant, vt leges Eccleſiaſticas, contra deferentes prohibita Saracenis, in Tabulas & ſcita publica referrent, & ex illis contra ſontes aduerterent. Sed & non ex vano Clemens V. hoc anno, Piſanos, tum orbe, tum Ilua maris mediterranei inſula mulctauit & tum ciuitatem Piſanam, tum eam inſulam Iacobo Regi Aragonũ in poteſtatem dedit. Quanquam & iſta quoque cauſa eſſet cur eos anathemate damnauerit, eorumq; vrbem & reliqua publicauerit, quod ii Sardiniam inſulam iuris Eccleſiæ Romanæ propriam, Regi Iacobo iure beneficiario conceſſam, armis infeſtaſſent, ſuiq; dominii eſſe voluiſſent. Illam itaq; vt Iacobus recuperaret, Clemens Pontifex iniunxit.

XXIV. PLVRIMI PLEBEI VLTRO CRVCEM CONTRA SARACENOS SVSCIPIVNT.

Per æſtatem huius anni innumerabiles pene plebeii ex Anglia, Picardia, Flandria, Brabãtia, Alemania conuenientes, ſeipſos abſq; Pontificum aut Principum auctoritate Cruce armantes, ad Curiã Romanã, quæ tunc Auenione erat, profecti ſunt, conſilium, conſenſum & auxilium Pontificis & Cardinalium, contra Barbaram religionem, in Syria depugnandi poſtulantes. Cum vero nullos inſignes Duces haberent, nihil eis Clemens Pontifex conceſſit. Ita imprudens & incondita multitudo diſgregata nullo operæpretio facto domum reuerſa eſt. quo anno Brugis in æde Diui Baſilii, ſacer ſanguis Chriſti ex eius imagine hactenus fluidus, decimoquarto Calendas Maii fluere ceſſauit; non nimis fauſto aut feſto prodigio. *Annal. Flandr.*

XXV. SEBERTHI ANGLORVM REGIS RELIQVIÆ INTEGRÆ INVENTÆ.

Per idem temporis in Anglia, cum Religioſi Vueſtmonaſterienſes vellent oſſa Seberthi Regis Anglorum, qui primus Regum, Eccleſiam in Anglia Diuo Petro principi Apoſtolorum extruxerat, è veteri Baſilica in nouam transferre: eiuſq; rei cauſa magno cum deuotionis ardore aperuiſſent ſepulchrum, inuenerunt manũ eius dexteram integram in carne, cute, vnguibus & oſſibus compactis, vſque ad medium brachii; cum tamen in eodem mauſoleo annos circiter ſeptingentos iacuiſſet. *Thomas Vualſing. hiſt. Angel. in Edouardo 1.*

XXVI. B. ANTONII VITERBIENSIS PIVS OBITVS ET GESTA.

Hoc anno, die Quarta menſis Auguſti in cœlos abiit Beatus Antonius Viterbienſis, Ordinis S. Mariæ Seruorum. In Syriam & Palæſtinam, vt loca veſtigiis Redemptoris noſtri calcata, pia deuotione inuiſeret, profectus, à Nicolao IV. ſummo Pontifice, Vicarii Apoſtolicæ ſedis dignitatẽ aſſecutus, cum in Candia ſubſtitiſſet, & tũ concionibus, tum miraculis, tũ ſancta conuerſatione inſulanos illos recreaſſet, magna cum opinione ſanctitatis deceſſit. cum prius ſola manus impoſitione

luna-

lunaticum quendam curaſſet. *ex monumentis Ord. Seru.*

XXVII. INGENS PRODIGIVM IN AERE ITALICÆ PERTVRBATIONIS PRESAGIVM.

Hoc ipſo anno, die 10. Maii, nocte concubia ingens flamma ad modum triremis inſtructæ, in aere apparuit; neque vno in loco conſtitit, ſed ab Aquilone, verſus meridionalem plagam ferebatur, tanto ſplendore, vt & ab Italis, & à Germanis, & à Galliarum populis cerneretur. portendebat Italiæ præcipue perturbationem, qua ab Henrico recens electo Imperatore, qua à Venetis Ferrariæ deſiderio omnia miſcentib. maxime quod ii ad iniuriam pertinere arbitrarentur, quod ad XIII. Cal. Octobr. Pontificis maximi Nuncius, Apoſtolicis litteris Iacobum Regem Arragonum cohortatus fuiſſet, vti Venetis omnibus, in regno Aragoniȩ & Maioricis & Minoricis inſulis commorantibus, perduellionis actionem intenderet, quod Ferrariam Eccleſiaſtici iuris vrbem, Dux ſenatusque Venetus occupare niterentur; & in arcem Thebaldi, & alia vrbis propugnacula copiæ eorum militares irrupiſſent, cum Ferrarienſes ciues Eccleſiæ dominatui obtemperantes Freſchum Azonis Eſtenſis Marchionis filium, qui parentem in cuſtodiam intruſum necauiſſet, vrbe exterminaſſet. Neq; iſto longe minus irritabantur, quod die ſacro cœnæ Domini Pōtifex Auenione dirarum imprecatione Venetos eius culpæ noxa contaminatos deuouerat, & eorum bona publicarat, ac ſacrum bellum contra eos indixerat. Et iſtud non minus Venetos excitabat, quod Rex Arragonius operam ſe daturum reſpondiſſet, vt Veneti Regiis ditionibus expellerentur, & Arragonii mercatores eorum finibus excederent, neq; quicquam in poſterum commune cum illis haberent. *Ioan. Villam. l. 8. c. 109. Surita in Indicib.*

XXVIII. CAROLI CVNCTATORIS RES GESTÆ ET OBITVS.

Eodem anno, in humanis eſſe deſiit Carolus Cunctator, cognomento Claudus, Neapolitanorum Rex, pietate imprimis, numeroſa ſobole, rebusque præclare geſtis, ad immortalitatem illuſtris. In eius laude hiſtorici ponunt, quod Sanctum Ludouicum Toloſanum Epiſcopum, non tantum procreaſſet, ſed etiam ad tantum ſanctitatis faſtigium educaſſet. Inter reliqua magnifica quæ geſſit opera, vrbē Neapolitanā in XXXVI. plateas diſtinxit, Aedem Archiepiſcopalem Neapoli ac Diuis Dominico, Petro nouo martyri, Auguſtino, Laurentio, Martino Baſilicas, & Monaſteria, Regio plane ſplendore ædificauit; duodeuiginti alia templa, Domum Prætoriam, & Molem mari inſilienti oppoſitam, vna cum aliis ædificiis publicis extruxit: Viros Doctiſſimos iuris & Theologiæ ſcientes, magno propoſito præmio, Neapolim ad docendum euocauit: adminiſtrandis rebus publicis, non niſi doctrina & integritate præſtantes præpoſuit: & in his Magiſtratum iuſtitiæ, Romanello Vrſino Soani Comiti Gentilis Vrſini filio, collocata ei in matrimonium ſua affini Anaſtaſia, Guidonis Montfortii & Nolani comitis filia, viro omnibus ornamentis animi exculto conceſſit: Beneficentia & Clementia, atq; magnanimitate, cognomen Alexandri Magni ſecundi viuus adhuc promeruit: Poſt hominum tunc memoriam, nullius principis funus, effuſioribus lachrymis populi extulerunt, quam Caroli Cunctatoris. Corpore in Prouinciam Prouinciæ, ad Monaſterium Diuæ Virginis Nazarethanæ, Sanctimonialibus Diui Dominici ab ipſo viuente ædificatum, ſolemni pompa à Roberto Rege translato, cor exenteratum vrnæ eboreæ inditum, FF. Prædicatoribus quos vnice dilexerat Carolus, in Diui Dominici Baſilica Neapolitana reliquit Robertus. Hac inſcriptione vrnæ inſculpta.

*Conditorium hoc eſt Cordis Caroli II. Illuſtriſſimi fundatoris Conuentus, Anno Domini 1309.*

Aliquis etiam ſimulachro Caroli indidem erectæ, iſtos verſus ſubſcripſit.

*Carolus extruxit, cor nobis pignus amoris.*
*Seruandum liquit: cætera membra ſuis.*
*Ordo colet noſter, tanto deuictus amore*
*Extolletque virum laude perenni pium.*

Obiit Carolus die IV. Maii anno 1609. Ætatis LXI. Regni XXV. m. II. D. XXVII. *Summontius hiſt. Neapol. l. 3.*

XXIX. D. ELISABETHÆ PETRI ARAGONVM REGIS FILIÆ NATALIS, EDVCATIO PIETAS ET VIRTVTES.

Hac tempeſtate viuebat in Hiſpaniis, Diua Eliſabetha Petri Aragonum Regis filia, Dionyſii Luſitaniȩ Regis coniux, magna ſanctitatis laude inſignis. Petrus & Conſtantia puellæ parentes, & Iacobus auus, illud infanti olim natæ nomen facere voluerāt, quod eius mores deceret, & maxime futuræ magnitudini virtutis atq; laudis conueniret. Vix Eliſabetha primæ ætatis crepundia depoſuerat, cum Iacobus auus non minore vitæ rectæ laude, quam potentia Rex domum abductā, vnā ex omnib. Petri liberis apud ſe voluit eſſe, vt eam ad pietatem & religionē Chriſtianam, honeſtatemq; informares. Diuinum namq; hominē Iacobum Regem omnes exiſtimabant, qui res maximas cœleſtib. magis auxiliis, quam humanis opibus geſſerat, cuiuſque ſalutem exercitus ipſi cœleſtes, formidine hoſtibus immiſſa tuebantur; ac pietatem erga Deum, erga ſuos manſuetudinem ipſius & Clementiam admiratæ gentes, cum tanquam è cœlo delapſum intuebātur. In huius clariſſima ſanctiſſimæ diſciplinæ luce Eliſabeth ab initio ætatis verſata, cum nihil in illo tam excellenti viro niſi magnū, laudabile & diuinū aſpexerit nulla malorum motū, nulla errorum prauitate corrupta, ita religionem & pietatē aui præſtātiſſimi aſſecuta eſt, vt eam hoēs cum viderent nō ſe neptē videre, ſed quandam eius effigiē, non hominū manib. ſed imitationis ardore, non ſtatuariorū ingenio & artificio, ſed ſtudio ipſius & diligentia expreſſam arbitrarentur. Eminebat iam tum atq; apparebat in eius teneris annis, maior quædā ad virtutē indoles; & ipſi illi ſimplices mores illius ætatis iam ſatis ſignificabāt, quæ ſanctitatis eſſet futura maturitas, & ſpem magnā omnibus ſummæ ſapientiæ ac ꝓbitatis afferebant. Quamobrem Iacob. auus, propter grauitatē & prudentiam, facilitatē & modeſtiā, omnesq; iuuandi ac ſubleuandi ſtudiū, ac rerū omnium modū, quem Eliſabetha tenebat, quodam quaſi futurarū augurio ſæpe dicere ſolebat, illam ſuam neptem ſanguine, alumnā educatione, inſtitutione diſcipulā, fore decus aliquando ac lumē fœminarū omniū, quæ vnq̄ ex Arragoniæ nobiliſſima domo extitiſſent. Nonū agebat annū, cum Iacob. auus terras reliquiſſet, & ipſa domū à Petro patre Rege reducta eſſet; vbi nihil de ſummo virtutū ſtudio, & acerrima animi contentione remiſit. Nullæ ei in victu deliciæ, nulla mollicies in morib. nulla in veſtitu luxuria; quicq̄d nāciſcebatur otii, vel in corporis labore, vel in animi contentione, ſacris precationib. cōmentationibuſq; rerū diuinarū collocabat. Reſpuebat voluptates corporis, ludos æqualiū & ſtudia deſerebat: non cōuiuiis, nō frequētia & celebritate delectabatur. Reiiciebatur ab ea omnis inſignis gemmarū & margaritarū ornatus: nulla calamiſtra, nulli cincinni adhibebantur: fucati medicamēta cādoris & ruboris omnia repellebātur; ſola munditiæ in corporis cultu remanebat. Caſtigabat inedia corpus innocēs, ſuiq; victrix ne occultis & tectis ſuperaretur inſidiis, hoſtē omnium teterrimū inopia cibi & tenuitate deprimebat: in omni deniq; genere virtutis, ſupra ætatē & vires prȩſtare cȩteris & antecellere conabatur. Itaq; tanti iam eius in omni vita conſtātia, & diſciplinæ ſeueritas fiebat, vt ipſe pater Aragoniæ Rex q̄cquid proſpere cecidiſſet, & ex animi ſententia geſtū eſſet, id puellȩ continentiæ atq; probitati referret acceptum: ſæpeq; multis audientib. profiteretur ac prædicaret, ꝙ opes Regnorum ſuorū florerent, ꝙ in dies ꝓpagarētur latius fines imperii, ꝙ multa prȩlia ſecunda fierent cum hoſtibus infeſtiſſimis Chriſtianæ religionis, ꝙ pax recte domi, bellū foris adminiſtraretur, omnia Eliſabethæ vnius eſſe tribuenda ſanctitati. Dionyſio Luſitaniȩ Regi, non tam nubendi deſiderio, q̄ patri morem gerēdi voluntate, in matrimonium adiuncta, non leges nuptiarum, non dignitatem Regiam, non amplitudinem maieſtatis, non fluctus negotiorum, non imbecillitatem naturȩ, non valetudinis tenuitatem, non alias cauſas honeſtas prætendebat inertiæ: omnia vincula & laqueos ignauiæ deſidiæque facile perfregit, atque perrupit. *Nupta ſum* ita ſecum expendebat: *matrimonii*

legibus



*legibus parendum eſt! Sed ita, vt me ſponſam meminerim eſſe Chriſti. Perueni ad ſupremum honoris & dignitatis gradum! at omnium Regi ac Domino me dicto audientem eſſe neceſſe eſt; & maiorem in modum metuendum, ne quam diuina benignitas ad ampliſſimos honores extulit, ſuperbia & arrogantia deprimat ad ſupplicia ſempiterna. Impendit vndique magna curarum moles & negotiorū! at mihi nihil diligentius curandum eſt, quam id, ex quo mea vera vita ſaluſque pendet.* His & aliis verbis, ad virtutes ſeſe excitabat Eliſabetha. Quod pietatē illius attinet, ſingulis illa dieb. diebus preces ad omnes horas, Pontificum inſtitutis comprobatas, ſeptemq; Pſalmos mira quadam religione recitabat. Adiiciebat ſolemnes Sanctæ Mariæ precationes & exequiarū. Proſequabatur præterea multorum ſanctorum memoriam, quorū ſanctitatem maiore quadā colebat deuotione. Veniebat frequentiſſime in ſacellū, quod mirifice ſemper habuit ornatum. Intererat rei diuinæ ſtudioſiſſime ac veſpertinis precationibus: reliquum omne diei tempus in opere partim faciundo partim imperando, conſtituendaq; re domeſtica ponebat. Sacerdoti ſacrificanti cum maxima humilitate aſſiſteret, atq; is recitato fidei ſymbolo in gradib. arȩ ſubſiſteret, illa corpore quidē erecta ſed mente atq; animo tremens accedebat, procūbebat ad eius pedes, ingenua manum exoſculabatur, atq; pro tempore dieq; tantum offerebat, iuxta conſuetudinem ſacrorum. Omnibus diebus Aduentus, totoq; Quadragenario ieiunio, & S. Mariæ Apoſtolorumque peruigiliis, non ſolum à carnibus, cæteriſq; vetitis epulis abſtinebat, neq; erat cōmuni continentiæ more contenta, omnes cibos lautiores remouebat, nihil adhibebat obſonii: pane tantum & aqua vitam ægre tolerabat. Idem à die natali S. Ioannis Baptiſtæ, vſq; in ante diem duodevigeſimum Cal. Sept. qui dies eſt religione publica Virgini Mariȩ conſecratus: idem ab eo die rurſus, vſque ad diem tertium Cal. Octob. qui dies eſt Archangelo Michaeli ſacer: idem dieb. Veneris & Saturni faciebat: idem multis aliis diebus, quos ipſa priuata quadā religione, propter certorum ſanctorum merita ſolebat obſeruare: & præter hæc ſtata definitaq; anni tempora, tribus hebdomadæ cuiuſq; dieb. à cibo ſe continebat, Et in hac tam aſpera, auſteraq; vitæ diſciplina, nulla triſtitia, nulla frontis contractio, nullum ſupercilium, nullus horror, ſed incredibilis quædam ei inerat humanitas & comitas. Scil. ea ratione non tantum omnem frenauit animi laſciuientis petulantiam, extinxitq; incendiū cupiditatis, verumetiam omnium vitiorū cōpeſcuit appetitiones contra rationē vehemētius incitatas, omneſq; turbulentos motus & quaſi incentiua triſtitiæ repreſſerat, ſedatiſq; fluctib. perturbationum, ea trāquillitate, integritateque mentis fuit & corporis, ea moderatione conſilii, ea iniuriarum patientia, non vt animū aſſidua commentatione ſevocatum & abductū à ſocietate corporis habere, ſed vt ipſum corpus in mētis vim & naturam plane mutatum & conuerſum eſſe videretur. Sed hæc de Eliſabetæ virtutib. eatenus ſufficiant; alio in loco in theatrum hiſtoricum rebus eius geſtis producendis. *ex Petro Perpin. Soc. Ieſu. laud. 1. in Eliſabetham.*

XXX. BARLAAMVS HIERACENSIS EPISCOPVS FLORET.

Per id temporis, in magna Grȩcia, floruit Barlaamus Epiſc. Hieracenſis. Is ꝙ videret Græcos, pertinaci odio ab Eccleſ. Rom. diſſidere, ꝓ ea qua pollebat doctrina atq; eloquentia, multas ad eos de vnione cū Eccl. Rō. ſcripſit epiſt. quas edidit *Henricus Caniſ. n. 6. antiq. lection.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1310.

CLEMENTIS PAP. V. Anno 5. & 6. HENRICI. REGIS ROM. Anno 3.

I. S. HVMILITATIS VITA: INSTITVTVM VIRTVTES, MIRACVLA ET OBITVS.

HOc anno Cœlos illuſtrauit, Sancta Humilitas, veræ humilitatis, atque totius ſanctitatis exemplar. Ea, Fauentiæ, honeſto loco nata, ab ineunte ætate, ſanctiſſimæ Deigenitricis cultui addicta fuit. Ab aliarum puellarum ſæculo deditarum, conſuetudine abhorrebat. Humili amictu induebatur. In matrimonium propter formæ præſtantiā expetita, primo recuſauit: quod non alium, præter Ieſum Chriſtum ſponſum ſe cupere prætuliſſet. Inuita poſtmodum cum à propinquis coniugio deuincta eſſet, & ex eo matrimonio duos filios ſublatos proxime amiſiſſet, marito auctor fuit, vt in monaſticam vitā ſecederet: cuius etiam ipſa vehementiore deſiderio tenebatur. Itaq; illo in monaſterium virorum concedente, ipſa quoq; in cœnobio S. Perpetuȩ, prope Fauentiam caſtitatem 24. annum agens profeſſa, Humilitatis nomen aſſumpſit: cum antea Roxanes appellaretur. Nomini impoſito, virtutibus reſpondebat, cæteraſq; ſodales, humilitate, abſtinentia, & regulȩ obſeruatione anteibat. Cum vero ſolitudinis deſiderio æſtuaret, quadam die in extaſim rapta, ſe extra monaſterium apud Anemonem fluuium reperit, & apud Patruū diuerſata, in cellula ſibi apud Eccleſiam S. Apollinaris extructa, recluſa habitauit: cuius recluſioni Abbas S. M. Criſpini Ordinis Vallis vmbroſæ, tota pene ciuitate præſente interfuit. Poſt aliquot annos fama ſanctitatis eius prouolante, perſuaſione Prælatorum ſolitudinem reliquit, ac monaſterii virginum S. Mariæ prope ciuitatem ædificati, curam Abbatiſſā ſuſcepit. Spiritu cognoſcendi ſecreta atq; futura claruit. Nam & Monialem, quæ præ verecundia peccatū in confeſſione reticuerat, & Capellanum in peccato celebrare volentem ſecreto admonuit. Cuidam ſanguinis è narib. fluxum, cum humana remedia haud profuiſſent, ſigno crucis cohibuit. Strumas à mulieris gutture ſolo ſigno Crucis abegit: aliaque plura miracula in eodem cœnobio fecit: donec S. Ioannis Euangeliſtæ, ſibi apparentis iuſſu, Florentiā ad Monaſterii recens extructi adminiſtrationem emigraſſet. Vbi etiam apud Munionem amnem, iuxta quē fuerat cœnobium cōſtructum, puerum cuiuſdam ciuis Florentini, qui in itinere dum ſanādus ad ipſam deferretur fuerat defunctus, vitæ reſtituit. Equitē Florentinum Bernardum ex Rubeis nomine, qui ad eam viſendam aduenerat, vt ſaluti ſuæ conſuleret, quod proximo Iouis die moriturus eſſet admonuit; ſicq; vt prædixerat, euenit. Denique ipſa multis piis laboribus confecta, in die S. Luciȩ febri correpta, amiſſa loquela, vſque ad XI. Cal. Iunii, qua die in cœlum migrauit, morbum admiranda conſtantia tulit. Colitur Fauentiæ, in propria Eccleſia, ei cum cœnobio Virginum dicata. *ex vitt. SS. & Beatorum Ord. Vall. Vmbroſ. Florentiæ edita an. 1582.*

II. B. ALEXII FALCONERII RES GESTÆ ET OBITVS.

Eodē anno, die XVII. Aprilis, Cȩlitibus ſe adiunxit B. Alexius Falconerius Florentinus, vnus ex ſeptē viris, qui Religionem ſeruorum B. Mariæ condiderunt. Ex centum & decem annis, ſeptuaginta ſeptē in Religione vixit, profundiſſima humilitate, & aſperrimo viuendi genere præcipue commēdatus. Ab illius virtutis ſtudio, omnia abiectiora monaſterii officia ambiuit; ab hac vero reſtricta cōſuetudine, frequētiſſimis ægritudinib. conflictatus in lecto ſæpius decubuit. donec ſenectute, laboribuſq; confectus, in cœleſtem patriam euolaſſet. Morienti apparens Saluator mundi Ieſus in forma venuſtiſſimi infantis, ſertū ex variis odoratis florib. contextum capiti eius impoſuit, cum etiā Angeli in ſpecie columbarum candidarum aduolaſſent, & diuerſo genere florum, totum decumbentem, inque verbis illis ſancti ſenis. *Nunc dimittis Domine ſeruum tuū in pace* moribundum, exornaſſent. *ex monument. Ord. FF. Seruorum.*

III. PHILIPPVS REX GALLIÆ DENVO CLEMENTEM PP. AD DAMNANDVM BONIFACIVM VRGET.

Hoc anno Clementi Pontifici, iterum pugnandum fuit, cū Philippo Rege Galliarum. Hunc enim poſtquā ſemel cupido inceſſit Romani Imperii, ſatiſq; perſpectū haberet, artibus Nicolai Pratenſis Cardinalis, Henrico Luzemburgenſi illud à Clemente delatum fuiſſe, in id, ab ipſa ꝙ aiunt radice, incubuit, vt quicquid in re tanti momēti actum erat, inficeret. Itaq; exiſtimabat opportunum, Bonifacii memoriā iis infamiis oblitterare, quæ quidē illi ipſi Pontificatū non infuiſſe oſtenderēt, & ab ipſo ad purpureā dignitatē aſſumptos, inter laicos deiicerint: neq; poſſe inter ſuffragatores ſeu electores Pontificis Romani numerari, ac perinde neque Clementem rite aſſumptum, neque ab eo Henricum legitima

poteſtate

poteſtate factum Imperatorem conuincerent. Quamquam igitur Clemens, ſe ea de cauſa Viennæ Conciliũ indixiſſe præ ſe ferret, vt Philippi poſtulationibus aurem daret, tamen Philippus id quicquid interceſſerat temporis, mille annis computabat, neque aliud & ſomniabat, & curabat, quam vt Bonifacii memoria damnaretur, oſſaque illius igne cremarentur: ac perinde acta eius omnia reſcinderentur.

*Maſſon. in Clemẽt. V.*

IACOBVS REX ARRAGONIÆ EA DE CAVSA LEGATOS AD CLEMENTEM MITTIT.

*Surita in Indic.*

Moleſtum id accidit omnibus Principibus Chriſtianis. Tantum ſcilicet audere hominem profanum, vt neq; calamitate atrociſſima, neq; morte præpropera Bonifacii exſatiaretur, quin & in ipſos manes, & in famam ſummi omnium Paſtoris, impio conatu deſæuiret. Rex Aragonius Maio menſe decurſo, cum hæc intellexiſſet, Bernardum Fonollarium ad Clementem Pont. ablegauit, commiſitq;, vt vna cum Ioanne Nunnio Larenſi, ſuo ac Caſtellæ Regis nomine obſecraret, ne permitteret rem maxime atrocem, & indignam, vt in demortui Bonifacii Pont. Max. memoriam, famamq;, iudicii periculum intendatur, aut aliquid acerba ſeueritate ſtatuatur; cum id nec ius, nec fas eſſe videatur. *Maſſon in Clemente V. Surita in Indicib.*

IV.

HENRICVS IMPERATOR ACCLAMATVR IN ITALIAM PERGIT, IBIDEMQVE A GVELFIS ET GIBELLINIS EXCIPITVR.

Cæterum non tantum contra Philippum Galliarum Regem fuit certandum Clementi: ſed & Imperatoris Henrici, ad libertatem Eccleſiæ Italiæque opprimendam non aſpirantis modo ſed ruentis audaciam præuertere opus habebat, quod intelligeret ab omnibus non ex vano portenti loco habitam fuiſſe; bolidem ardentem toto cœlo anno ſuperiore circumlatam; Sed vim & arma atq; turbas ab Henrico imminere. Sane in Italiam properanti illi, obuiam proceſſere Legati partium Gibellinarum, aduentum felicem & reſtitutionem priſci imperii gratulantes nec niſi oppreſſionem illorum qui à partibus Eccleſiæ ſtabant ſpirantes. Romanorum, Piſanorum, & aliarum Vrbium Gibellini Lauſanam vſque excurrerunt, ac omnia proſpera adprecati, vt quantocyus aduolaret, obſecrarunt. Circiter Calendas Octob. cum ad ciuitatem Aſtenſem perueniſſet, Thebaldus Bruſſatus Brixianus exul, Philipponus Comes Languſti Papiæ Dominus, Antonius Phicilaga Laudenſis Dominus, illi præſto affuere, ſe, patriã, fortunas omnes offerentes. Matthæus quoq; Vicecomes, qui patria extorris in territorio Brixienſi priuatam agebat vitam, cumprimum de Imperatoris aduentu certior factus eſſet, manipulum Gibellinorum ſecum trahens, ad Henricum aduolauit, & in conſpectum admiſſus, aperto capite, chlamideque poſt terga reiecta, in faciem cadens, Imperatoriſque pedes ac genua lachrymans cõplexus, identidem clamitabat: *Veniſti tandem vnica miſerorum ciuium exulum Gibellinorum ſalus. Per hæc ego te genua Orbis terrarum victricia inuictiſſime Imperator imploro; miſerere infeliciſſimorum ciuium miſeriæ: ne patiare innocuos homines, ſcelere ac dolo inimicorum, patria ac bonis eiectos, per alienas vrbes in luctu ac ſqualore verſari.* Hæc Matthæus orabat, obteſtabaturq; Imperatorem tamdiu, vt Mediolanum properaret, donec propuleril. Aduentanti, Gibellini vndique omnes occurſabant, ingreſſumque gratulabantur. Guido Turrianus quamquam Guelfarum partium eſſet, neceſſitate non voluntate adductus, Imperatori iam propinquo vrbi, ſublato in altum vexillo obuiam egreſſus, vbi in conſpectum venit, equo deſiliens eius pedem oſculatus eſt. Imperator porro Gibellinorum confluentium numero adauctus, rebus ſuis melius fideles, nec niſi Gibellinos, inter ſuos habere cœpit. Quamobrem Mediolanum ingrediens, ſequentes ſe exules Caſtonum Turrenſem Archiepiſcopum, Matthæum Vicecomitem, compluresque alios introduxit, Idibus Decembris, Mercurii die. *Chron. Boßiana.* Piſani quo ſeſe Gibellinarum partium, atque adeo Cæſarei nominis quam maxime ſtudioſos Henrico, in ipſo Italiæ ingreſſu comprobarent, domum Regi aureorum millia XL. ſubmiſerunt. Aliarum quoque ciuitatum Italiæ Legati frequentes gratulatum acceſſerunt, ita vt tota paſſim Auſonia, Bononiam & Paduam excipio, Vicarii Auguſtales dimitterentur.



V.

DISSIDIA INTER GVELFOS ET GIBELLINOS IN SVSCIPIENDO HENRICO IMP.

Inter hæc Guido felicitatem Matthæi exoſus, & ſeruitutem illiberalem non diſſimulanter Italiæ accerſiri intelligens, quibuſcumq; rationibus poterat, in libertatem omnes vindicare moliebatur. ac niſi fraude Vicecomitis, Turriani cœptis fuiſſet occurſum, maximus in ciuitate tumultus extitiſſet, non partib. modo noxius, ſed & formidoloſus Henrico, qui iam ſecurior, bonam exercitus partem, per finitima loca neglectim diſperſerat. Sunt qui dicant, Matthæum, quo certius animum Turriani pernoſceret, ſimulaſſe ſocietatem partium, accuſauiſſeque multis modis ſupercilium Cæſarum, quod id genus reipub. principatum nomine, ſeruitutem reipſa præſeferret. Satius eſſe æquabilem libertatem, omnibus viribus propugnare, quam ingenuos & fortes animos, Germanico iugo ſupponere. Reciperet modo animum, ſeque in priſcam Præfecturam ipſe reponeret, nec detrectaturum populum, ne nunc quoq; gubernacula quondam ſibi cognita. His atque eiuſcemodi dictis peruictum Guidonem cuncta ſimpliciter credidiſſe, promiſiſſeque Matthæo & vafro aduerſario, & recepto in gratiam, quem impenſe cauendum eſſe, veteri docebatur adagio. Illum, Guidone prodito, fabulam omnem denarrauiſſe Henrico: neque defuiſſe impiæ criminationi fidem, ita vt die dicta, Guidoneque adeſſe iuſſo, cognitio pararetur. Sed is iudicio conſiliorum intellecto, furtim ad Guelfos tranſiit. Cuius exactione comperta, Cremona vrbs, ſimulque Florentinorum adducta inſtinctu, Henrici imperium non admiſit. Maxime quod audiret, videretque, ab eius aduentu pacem Italiæ turbari. Namque Gibellini fama ſucceſſum Henrici excitati, Guelfos vbique exagitare, & patria exigere voluerunt. Brixiæ & Parmæ factum. Venetiis conſimili exitu tentatum, vbi Quirina gens vetus iuxta ac nobilis vna cum aliis vrbe pulſa, palatia eorum nondum audito exemplo diruta, aliqui primorum capite imminuti. Ex quibus duo nobiles Florentini, alter Ademaria, alter Sizia familia. Hæc autem paſſim in Guelfos Gibellini patrabant, Henrico ſiue conniuente, ſiue etiam adeo iubente: quamquam is authoritate Pontificis, & creatus, & acclamatus, & in Italiam Imperator admiſſus fuiſſet. Namque nulla ratione Mediolanum introiuiſſet, niſi Cardinalis Fliſcus, tũ Apoſtolicus Legatus, Clementis mandata conficere cupiens, Luceburgium & inuitaſſet, & adiuuiſſet. *Conradus Vecerius de Henrico VII. Imp. Ioan. Villan. l. 9 c. 2.*

VI.

HENRICVS IMP. CONTRA IVSIVRANDVM TVRBAT PACEM ITALIÆ.

*Codex Colum. Biblioth. Vatic.*

Ita omnia, cum in Italia agerentur, atque grauiora timerentur, Clemens Pontifex, à Florentinorum, & aliarum Vrbium Legatis admonitus, Henricum Imperatorem officii & iuramenti poſtulauit. Enimuero in ſe Henricus receperat, pacem inter diſſidentes Guelfos & Gibellinos omni ratione ſe curaturum, & vtrique parti ſe æquum futurum: neque quicquam admiſſurum, aut toleraturum, quo res pacatæ turbarentur, vel turbatæ magis mouerentur; præſertim cum periculo oppreſſionis eorum, qui Eccleſiaſtica iura & bona, armis contra tyrannos defendiſſent. Luſanæ, in ipſo fere limine Italiæ, coram Nuncio Clementis Pontificis, eam ſibi neceſſitatem impoſuerat, ſeque iureiurando aſtrinxerat, ex formula præſcripta, & diplomate luculentis verbis Romanæ Eccleſiæ dato, libertatem Eccleſiæ & Italiæ inuiolatam ſeruare; & Aduocati Defenſoriſque Eccleſiæ partes agere, non vero illam, aut illi addictos clientes vel ſocios armis infeſtare, aut ſeruituti addicere. Surdo fabulam narrabat, Clemens. Etenim Henricus fidei Sacramento cõfirmatæ haud memor, pacarii quidem & Aduocati Eccleſiæ perſonam mentiebatur: re autem ipſa ad Italiam Eccleſiamque deprimendam totis neruis contendebat: & tum Vicarios Imperatorio nomine Vrbibus imponebat, tum vectigalibus inconſuetis fortunas ciuium exhauriebat, & quod deterius eſt, partes feralibus odiis ſe interferuẽtes, non ſine euidenti iudicio affectatæ tyrannidis committebat. Vrbi quoque Romanæ tantiſper donec ipſe accederet, Vica-





rios imperii præfecerat, Comites Sabaudiæ & Flandriæ. quamquam pari Sacramento Clementi Pontifici addixiſſet, vel nullum, vel non niſi fidelem addictumq; Romanæ Eccleſiæ, eumque ex ciuibus Romanis vel Italis collocaturum.

VII.

EAM COMPONERE STVDET CLEMENS PP. FLORENTINI STANT PRO PARTE PONTIFICIA CONTRA FACTIONEM CÆSARIAM.

Itaque Clemens, vt rem Eccleſiaſticam inprimis cõtra auſus temerarios tueretur, deinde ſociorum clientumque ſalutem & fortunas non negligeret, Roberto Regi Siciliæ Præfecturam Æmiliæ ſiue commiſit, ſiue confirmauit: cum etiam iſipſe Robertus, Arnaldo tit. S. Mariæ in Porticu Cardinali Legato præſente, audiẽteque fidelem adminiſtrationem, tutelamque iurium ac bonorum Eccleſiæ Romanæ ſanctæ iureiurãdo ſpopondiſſet. Torquebat tunc plurimos Cæſarũ Germanorum memoria, qui in Italiam venientes ſemper bella conciuerant, & rationem tuendæ publicæ libertatis inuerterant. Friderici Ænobarbi odium, Friderici nepotis impietatem meminerant: & horum fauore firmatos vbique tyrannos, à recentibus exemplis exhorrebant. Florentini cumprimis, vti ſemper Pontificiæ factioni fauẽtes, ita Henrici mentem & bellicos apparatus metuentes, parum habuerant Bononienſes & Patauinos in fœdus trahere, atque pulſis ex vrbe Cæſarianis inter infenſos vbique populos vexilla pro libertate tuenda explicare, niſi etiam Robertum Regem Siciliæ in partem vocarent; eumque ſibi Ducem crearent. Is ad vltimos dies Septembris Florentiam veniens, totis viginti quinque diebus quibus in vrbe hæſit, inprimis conciliandis inter Guelfos diſcordes animis incubuit; deinde qua ratione Imperatorem mœnibus non admitterent, atque tota Italia exigerent, rationes in commune contulit: & ad extremum multa pecunia à Florentinis oneratus, eos & omnes Fœderatos bene ſperare iuſſit. *Ioan. Villan. li. 9. Conrad. Vecerius de Henrico VII. Imp. Leonard. Aretin. de reb. Etrur.*

VIII.

SOLLICITATVS A VARIIS REGIBVS ET PRINCIPIBVS CLEMENS PP. CONCILIVM INDICIT IN CAVSA TEMPLARIORVM.

Sed neque ex iis tantum cauſis, ſolicitudinem Paſtoralem Clementis Pontificis, Eccleſia depoſcebat, Templariorum quoque negotium maiorem in modum illius animum diſcruciabat; cum Principes Chriſtiani, maxime Hiſpaniarum, Galliarum & Angliæ Reges, ſiue cupiditate in facultates eorum, ſiue Zelo Eccleſiaſticæ diſciplinæ inflammati, criminationes multiplicarent, & iudicium in reos poſtularent. Non neglexit Clemens, id quod erat diligentis Pontificis. Et quamquam Concilio indicto Viennę diem prorogaſſet: non tamen omiſit, ſecundo datis ad omnes Eccleſiaſticos & Polyticos Principes literis, eos omnes euocare, vt in annum ſubſequentem adeſſent Concilio, in quo tum de aliis rebus grauiſſimis, tum vero de Templariis ſiue caſtigandis, ſiue euincendis ageretur. Ex ea quam adiungo formula, data Abbati Monaſterii Ciſtercienſ. Cabilonenſ. Diœceſis, reliquis aliis Clemens ſcribebat, cauſaſque indictionis Concilii inſinuabat. Ita habet.

EIVS EPISTOLA AD ABBATEM CISTERCIENSEM ET ALIOS, DE COGENDA SYNODO VNIVERSALI.

*Regnans in cœlis triumphans Eccleſia, cuius Paſtor eſt Pater æternus, cui ſanctorum miniſtrant agmina, & laudis gloriam Angelorum chori decantant in terris ad ſui ſimilitudinem & repræſentationem conſtituit Eccleſiam militantem vnigenito Filio Dei viui Domino Ieſu Chriſto ineffabili commercio copulatam, in qua idem vnigenitus Dei Filius à Patre progrediens, per illuſtrationem paracleti procedentis pariter ab vtroque, ſtatuit fidei fundamentum. Sancta Romana Eccleſia Mater alma fidelium caput eſt, diſponente Domino, Eccleſiarum omnium aliarum & Magiſtra, à qua veluti à primitiuo fonte ad ſingulas Eccleſias eiuſdem Fidei riuuli deriuantur; ad cuius regimen voluit Chriſti clementia Romanum Pontificem vice ſui deputare miniſtrum, vt inſtructionem ad doctrinam ipſius eloquio veritatis Euangelicæ traditam cuncti renati fonte baptiſmatis teneant, & conſeruent; & qui ſub hac doctrina curſum vitæ recte peregerint ſalui fiant; qui vero ab ea deuiauerint, condemnentur. Ipſa nempe Romana Mater Eccleſia iuxta exigentiam poſſibilitatis ipſius, ad cunctas Orbis Prouincias, in quibus diuini nominis cultus viget, fideique Catholicæ obſeruantia rutilat, intuitum ſedulæ conſiderationis extendens, & ſubiiciens, ab olim ſuæ conſiderationis exa-*





*mini diuturnæ calamitatis anguſtias, illius ſpecialis hæreditatis, Dominicæ videlicet Terræ ſanctæ ab infidelibus miſerabiliter conculcatæ, in qua idem Patris æterni Filius noſtræ carnis indumento contectus, ſalutem humani generis pietate ineffabili extitit operatus, quamque ſua ipſe voluit corporali inſignire præſentia, & proprij aſperſione ſanguinis conſecrare multa ſollicitudine ſtuduit eidem Terræ, retroactis temporibus, quibus potuit remediis, vt eriperetur ab ipſis impiis, ſubuenire. Et quia inter cæteros, quos profeßio Chriſtianæ Religionis includit milites, & Fratres Domus militiæ Templi Hieroſolymitani, ſicut eſt toti Orbi notorium, tamquã ſpeciales Fidei pugiles, & iam dictæ Terræ præcipui defenſores, ipſius Terræ negotium principaliter gerere videbantur, ipſos & eorum Ordinem præfata Eccleſia ſpecialis fauoris plenitudine proſequens, eos aduerſus Chriſti hoſtes, Crucis armauit ſignaculo, multis exaltauit honoribus, ditauit facultatibus, ac diuerſis libertatibus, & priuilegiis communiuit. Hinimirum cum crederentur in Domini ſeruitio, ſub regulari habitu fideliter militare, ſibi quaſi manus cunctorum fidelium cum multiplici erogatione bonorum ſentiebant multifarie multiſque modis propterea adiutrices. Sed, proh dolor, noua & calamitoſa vox de malignitatis Fratrum ipſorum enormitate progrediens noſtrũ repleuit, immo verius perturbauit auditum. Hæc enim vox nuntia lamentationis & gemitibus, audientibus horrorem ingerit, commouet animos, mentes turbat, & cunctis fidei Chriſtianæ cultoribus nouum ineffabilis amaritudinis calicem ſubminiſtrat, & dum facti ſeriem eius neceßitate poſcente depromimus, noſter attenuatur, præ anguſtia ſpiritus valetudinis, fatigata confractibus membra ſingula præ nimio dolore tabeſcunt. Dudum ſiquidem, circa noſtræ promotionis ad apicem ſummi Pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, vbi recepimus noſtræ coronationis inſignia, veniremus, & poſt tam ibi, quam alibi ſecreta quorumdam inſinuatio nobis intimauit, quod Magiſter, Præceptores, & alij Fratres Ordinis dictæ militiæ Templi, & etiam ipſe Ordo, qui ad defenſionem Patrimonij ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti, fuerant in tranſmarinis partibus deputati, contra ipſum Dominum in ſcelus Apoſtaſiæ nefandum, deteſtabile idololatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hæreſes varias erant lapſi. Sed quia non erat veriſimile, nec credibile videbatur, quod viri tam Religioſi, qui præcipue pro Chriſti nomine ſuum ſæpe ſanguinem effundere, ac perſonas ſuas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna tam in diuinis officiis, quam in ieiuniis & aliis obſeruantiis deuotionis ſigna frequentius prætendebant, ſuæ ſic eſſent ſalutis immemores, quod talia perpetrarent; huiuſmodi inſinuationi ac delationi ipſorum, eiuſdem Domini noſtri exemplis, & canonicæ ſcripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare. Deinde vero chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francorum Illuſtris, cui eadem fuerant facinora nuntiata, non typo auaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil ſibi vendicare, aut appropriare intendat, imo ea nobis, & Eccleſiæ per deputandos ſuper hoc à nobis adminiſtranda, gubernanda, conſeruanda, & cuſtodienda liberaliter, & deuote in Regno ſuo dimiſit, manum ſuam exinde totaliter amouendo; ſed fidei Orthodoxæ feruore ſuorum progenitorum veſtigia clara ſequens accenſus, de præmiſſis quantum licite potuit ſe informans, ad inſtruendum & informandum nos ſuper his, multas & magnas nobis informationes per ſuos nuncios, & literas deſtinauit. Infamia vero contra Templarios ipſos increbreſcente validius, ſuper ſceleribus antedictis, & quia etiam quidam miles eiuſdem Ordinis magnæ nobilitatis, & non leuis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis ſecreto iuratus depoſuit, quod in receptione Fratrum præfati Ordinis, hæc conſuetudo, vel verius corruptela ſeruatur, quod ad recipientis vel ab eo deputati ſuggeſtionem, qui recipitur, Chriſtum,* & reliqua, vt in priore Epiſtola ſcripta anno tertio, vſque ad verba illa: *prædictum tempus ad id duximus deputandum; & demum illud ex certis, iuſtis & legitimis cauſis, quas præſentibus inſeri non oportet, vſque ad alias Calendas Octobris proxime futuras, de prædictorum fratrum conſilio duximus prorogandum. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omni negligentia relegata, cunctis, prout talis & tanti negotij qualitas exigit, diſpoſitis, & paratis ſic medio tempore te accingas ad iter, quod in huiuſmodi prorogato termino, quem tibi & aliis peremptorie aſſignamus, in Viennenſi ciuitate noſtro te conſpectui repræſentes. Non obſtantibus quibuslibet pri-*

*uilegiis, ſeu indulgentiis quibuſcunque perſonis, Ordini, Dignitati, ſeu Collegio, ſub quacunque verborum forma, vel expreſſione à prædicta ſede conceſſis, per quæ poſſit effectus huiuſmodi mandati noſtri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari. Interim quoque per te, & alios viros prudentes, Deum timentes, & habentes præ oculis omnia, quæ correctionis & reformationis limã expoſcunt, inquirens ſubtiliter, & conſcribens fideliter, ea ad ipſius Concilij notitiam deferas & nos nihilominus variis modis, & viis ſolers ſtudium & efficacem operam dare proponimus, vt omnia talia in examen huiuſmodi deducta, Concilij correctionẽ & directionem recipiant oportunam. Et ſi inobedientiæ notam, & canonicæ vltionis acrimoniam vitare deſideras, nequaquam fallacium excuſationum velamento te munias, vel ex impedimentis itinerum, quæ Domino praua in directa, & in vias planas aſpera, ſua omnipotentia conuertente, ceſſabunt. friuolæ allegationis munimenta confingas, vt à tam ſancti proſecutione operis te ſubducas: ſed voluntarius occurras ad id, quod & diuinæ congruit voluntati, & ſalutem animarum, ac vtilitatem reſpicit ſingulorum.* Datum Auenione X. Cal. Decemb. An. VI.

In eundem modum ſcripſit Clemens, vallis vmbroſæ, S. Antonii Viennenſ. & Cluniacenſ. Abbatibus; nec nõ Prædicatorum, Minorum, Heremitarum generalibus Magiſtris, ac plurimis aliis variorum Ordinum Prælatis: vt Viennam conuenientes, in commune conferrent quicquid bono publico eſſe exiſtimarent.

IX. Alia eiuſdem ad Philippum Regem Galliarum in eadem cauſa.

Porro cum in his literis, Clemens aliarum quoque ante tres annos Regibus & Principibus Chriſtianis datarum meminerit, multaque ex eis inſeri atque in his legi voluerit, operæ pretium eſt illam quoque quam Philippo Regi Galliarum ſcripſit epiſtolam, iſthic ſubiungere. Ita habet.

Chariſſimo in Chriſto filio Philippo Regi Francorum illuſtri.

*Regnans in cœlis triumphans Eccleſia, cuius Paſtor eſt Pater æternus, cui ſanctorum miniſtrant agmina, & laudis gloriam Angelorum chori decantant in terris ad ſui ſimilitudinem & repræſentationem conſtituit Eccleſiam militantem vnigenito Filio Dei viui Domino Ieſu Chriſto ineffabili commercio copulatam, in qua idem vnigenitus Dei Filius à Patre progrediens, per illuſtrationem paracleti procedentis pariter ab vtroque, ſtatuit fidei fundamentum. Sane Romana Eccleſia Mater alma fidelium caput eſt, diſponente Domino, Eccleſiarum aliarum omnium & Magiſtra, à qua veluti à primitiuo fonte ad ſingulas alias eiuſdem Fidei riuuli deriuantur; ad cuius regimen voluit Chriſti clementia Romanum Pontificem vice ſui deputare miniſtrum, & inſtructionem & doctrinam ipſius eloquio veritatis Euangelicæ traditam cuncti renati fonte baptiſmatis teneant, & conſeruent; vt qui ſub hac doctrina curſum vitæ recte peregerint ſalui fiant; qui vero ab ea deuiauerint, condemnentur. Ipſa nempe Romana Mater Eccleſia, iuxta exigentiam poſſibilitatis ipſius, ad cunctas Orbis Prouincias, in quibus diuini nominis cultus viget, fideique Catholicæ obſeruantia rutilat, intuitum ſedulæ conſiderationis extendens, ac ſubiciens, ab olim ſuæ conſiderationis examini diuturnæ calamitatis anguſtias, illius ſpecialis hæreditatis, Dominicæ videlicet Terræ ſanctæ ab infideibus miſerabiliter conculcatæ, in qua idem æterni Patris Filius noſtræ carnis indumento contectus, ſalutem humani generis pietate ineffabili extitit operatus, quamque ſua ipſe voluit corporali inſignire præſentia, & proprij aſperſione ſanguinis conſecrare multa ſollicitudine ſtuduit eidem Terræ, retroactis temporibus, quibus potuit remediis, vt eriperet ab ipſis impiis ſubuenire. Et quia inter cæteros, quos profeſſio Chriſtianæ Religionis includit milites, & Fratres Domus militiæ Templi Hieroſolymitani, ſicut eſt toti Orbi notorium, tamquam ſpeciales eiuſdem Fidei pugiles, & iam dictæ Terræ præcipui defenſores, ipſius Terræ negotium principaliter gerere videbantur, ipſos & eorum Ordinem præfatum Eccleſia ſpecialis fauoris plenitudine proſequens, eos aduerſus Chriſti hoſtes, Crucis armauit ſignaculo, multis exaltauit honoribus, ditauit facultatibus, ac diuerſis libertatibus, & priuilegiis communiuit. Ii nimirum cum crederentur in Domini ſeruitio, ſub regulari habitu fideliter militare, ſibi quaſi cunctorum manus fidelium cum multiplici erogatione bonorum ſentiebant multifarie multiſque modis propterea adiutrices. Sed, proh dolor, noua & calamitoſa vox de malignitatis Fratrum ipſorum enormitate progrediens noſtrum repleuit, immo vero perturbauit auditum. Hæc enim vox nuntia lamentationis & gemitibus, audientibus horrorem ingerit, commouet animos, mentes turbat, & cunctis fidei Chriſtianæ cultoribus nouæ & ineffabilis amaritudinis calicem ſubminiſtrat, & dum facti ſeriem eius neceſſitate poſcente depromimus, noſter attenuatur, præ anguſtia ſpiritus, & valetudinis, fatigata confractibus membra ſingula præ nimio dolore tabeſcũt. Dudum ſiquidem, circa noſtræ promotionis ad apicem ſummi Pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, vbi recepimus noſtræ coronationis inſignia, veniremus, & poſt tam ibi, quam alibi ſecreta quorundam nobis inſinuatio intimauit, quod Magiſter, Præceptores, & alij Fratres Ordinis dictæ militiæ Templi, & etiam ipſi Ordo, qui ad defenſionem Patrimonij ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti, fuerant in tranſmarinis partibus deputati, contra ipſum Dominum in ſcelus Apoſtaſiæ nefandum, deteſtabile idololatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hæreſes varias erant delapſi. Sed quia nõ erat veriſimile, nec credibile videbatur, quod viri tam Religioſi, qui præcipue pro Chriſti nomine ſuum ſæpe ſanguinem effundere, ac perſonas ſuas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna tam in diuinis officiis, quam in ieiuniis & aliis obſeruantiis deuotionis ſigna frequentius prætendebant, ſuæ ſic eſſent ſalutis immemores, quod talia perpetrarent; huiuſmodi inſinuationi ac delationi ipſorum, eiuſdem Domini noſtri exemplis, in canonicæ ſcripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare. Deinde vero tu cui eadem fuerant facinora nunciata, non typo auaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil tibi vendicare, vel appropriare intendas, imo ea nobis & Eccleſiæ, per deputandos ſuper hoc à nobis adminiſtranda, gubernanda, conſeruanda, & cuſtodiẽda liberaliter & deuote in Regno tuo dimiſiſti, manum tuam exinde totaliter amouendo, ſed fidei Orthodoxæ feruore tuorum progenitorum veſtigia clara ſequens accenſus, de præmiſſis quantum licite potuiſti te informans, ad inſtruendum & informandũ nos ſuper iis multas & magnas nobis informationes per tuos nuntios, & literas deſtinaſti. Infamia vero contra Templarios ipſos increbreſcente validius, ſuper ſceleribus antedictis: & quia etiam quidam miles eiuſdem ordinis magnæ nobilitatis, & qui non leuis opinionis in dicto ordine habebatur, corã nobis ſecreto iuratus depoſuit, quod in receptione fratrum præfati Ordinis hæc conſuetudo vel verius corruptela ſeruatur, quod ad recipientis, vel ab eo deputati ſuggeſtionem, qui recipitur, Chriſtum Ieſum negat & ſuper Crucem ſibi oſtenſam ſpuit in vituperium Crucifixi, & quædam alia faciunt recipiens, & receptus, quæ non ſunt licita, nec humanæ conueniunt honeſtati, prout ipſe tunc confeſſus extitit coram nobis, vrgẽte nos ad id officij noſtri debito, vitare nequiuimus, quin tot, & tantis clamoribus accommodaremus auditum; Sed cum demum fama publica deferente, ac clamoſa inſinuatione tui, nec non & Ducum, Comitum & Baronum, ac aliorum nobilium, Cleri quoque ac populi dicti Regni tui ad noſtram propter hoc tam per ſe, quam per Procuratores, & Syndicos præſentiam venientium (quod dolenter referimus) ad noſtram audientiam peruenisſet, quod Magiſter, Præceptores, & alij Fratres dicti Ordinis. & ipſe Ordo, præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti; & præmiſſa per multas confeſſiones atteſtationes, & depoſitiones præfati Magiſtri, & plurium Præceptorum, & Fratrum Ordinis prælibati, coram multis Prælatis, & hæreticæ prauitatis Inquiſitore in Regno Franciæ factas, habitas & receptas, & in publicam ſcripturam redactas, nobiſque & fratribus noſtris oſtenſas probari quodammodo viderentur. ac nihilominus fama, & clamores prædicti in tantum inualuiſſent, & etiam aſcendiſſent, tam contra ipſum ordinem, quam cõtra perſonas ſingulares eiuſdem, quod ſine graui ſcandalo præteriri non poterat, neque abſq; eminenti periculo tolerari: Nos illius, cuius vices licet immeriti in terris gerimus veſtigiis inhærentes, ad inquirendum de prædictis ratione præuia duximus procedendum, multoſque de præceptoribus, presbyteris, militibus, & aliis Fratribus dicti Ordinis reputationis non modicæ, in noſtra præſentia cõſtitutos, præſtito ab eis iuramento, quod ſuper præmiſſis meram, & plenam nobis dicerent veritatem, ſuper prædictis interrogauimus & examinauimus vſque ad numerum ſeptuaginta duorum, multis ex fratrib. noſtris nobis aſſiſtentibus diligenter, eorumque confeſſiones per publicas manus in authenticam ſcripturam redactas, illico in noſtra & dictorum Fratrum noſtrorum præſentia, ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio, in Conſiſtorio legi fecimus corã*





*ipſis, & illas in ſuo vulgari cuilibet eorum exponi. Qui perſeuerãtes in illis, eas expreſſe & ſponte prout recitatæ fuerant approbarunt. Poſtquam cum Magiſtro, & præcipuis Præceptoribus præfati Ordinis intendẽtes, ſuper præmiſſis inquirere per nos ipſos ipſum Magiſtrum, & Franciæ, Terræ vltramarinæ, Normandiæ, Aquitaniæ, ac Pictauiæ Præceptores maiores, nobis tunc Pictauis exiſtentibus mandauimus præſentari. Sed quoniam quidam ex eis ſic infirmabãtur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad noſtram præſentiam quoquomodo adduci, nos cum eis ſcire volẽtes de præmiſſis omnibus veritatem, & an vera eſſent quæ continebantur in eorum confeſſionibus, & depoſitionibus, quas coram inquiſitore prauitatis hæreticæ in Regno tuo præfato, præſentibus quibuſdam Notariis publicis, & multis aliis bonis viris dicebantur feciſſe, nobis & Fratribus noſtris per ipſum Inquiſitorem ſub manibus publicis exhibitis, & oſtenſis dilectis filiis noſtris Berengario Tituli Sactorum Nerei & Achillei, & Stephano Tituli ſancti Cyriaci in Thermis, presbyteris, ac Landulpho S. Angeli Diacono Cardinalibus de quorum prudentia, experiẽtia, & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, cõmiſimus & mandauimus, vt ipſi cum præfatis Magiſtro, & Præceptoribus inquirerent; tam contra ipſos & alias ſingulares perſonas dicti Ordinis generaliter, quam contra ipſum Ordinem ſuper præmiſſis cũ diligentia veritatem; & quidquid ſuper his inuenirent, nobis referre, ac eorum cõfeſſiones, & depoſitiones per manum publicam in ſcriptis redactas noſtro Apoſtulatui deferre, ac præſentare curarent, eiſdem Magiſtro & Præceptoribus abſolutionis beneficium à ſententia excommunicationis, quam pro præmiſſis, ſi vera eſſent, incurrerant, ſi abſolutionem humiliter ac deuote peterent, vt deberent iuxta formam Eccleſiæ impenſuri. Qui Cardinales ad ipſos Magiſtrum & Præceptores perſonaliter accedentes, eis ſui aduentus cauſam expoſuerunt: & quoniam tam perſonæ, quam res ipſorum, & aliorum Templariorum in dicto Regno tuo conſiſtentiũ in manib. noſtris erant, quod libere abſque metu cuiuſq; plene, ac pure ſuper præmiſſis omnib. ipſis Cardinalibus dicerent veritatẽ, eis auctoritate Apoſtolica iniunxerunt. Qui Magiſter, & Præceptores Franciæ, Terræ Vltramarinæ, Normandiæ, Aquitaniæ, ac Pictauiæ coram ipſis tribus Cardinalibus præſentibus, quattuor Tabellionibus publicis, & multis aliis bonis viris ad ſancta Dei Euangelia ab eis corporaliter tacta, præſtito iuramẽto quod ſuper præmiſſis omnibus meram & plenam dicerent veritatem, coram ipſis ſingulariter libere, ac ſponte abſque coactione qualibet, & timore depoſuerunt, & confeſſi fuerunt inter cætera Chriſti abnegationem, & ſputitionem ſuper crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt; & quidam ex eis ſe ſub eadem forma, ſcil. cum abnegatione Chriſti, & ſputitione ſuper Crucem fratres multos recepiſſe. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia & inhoneſta confeſſi, quæ, vt eorum ad præſens parcamus verecundiæ, ſubticemus. Dixerunt præterea, & confeſſi fuerunt eſſe vera quæ in eorum confeſſionibus & depoſitionibus continentur, quas dudum fecerant coram inquiſitore hæreticæ prauitatis; quæ confeſſiones, & depoſitiones dictorum Magiſtri & Præceptorum in ſcripturam publicam per quattuor publicos Tabelliones redactæ, in ipſorum Magiſtri & Præceptorum, & quorumdam aliorũ bonorum virorum præſentia, ac deinde interpoſito aliquorum dierũ ſpatio coram ipſis, eiſdem lectæ fuerunt de mandato, & in præſentia Cardinalium prædictorũ, & in ſuo vulgari expoſitæ cuilibet eorundem. Qui perſeuerantes in illis, eas expreſſe, ac ſponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt, & poſt confeſſiones & depoſitiones huiuſmodi ab ipſis Cardinalibus, ab excommunicatione, quam pro præmiſſis incurrerãt, abſolutionem flexis genibus, manibuſq; complicatis humiliter & deuote, ac cum lachrymarum effuſione non modica petierunt. Ipſi vero Cardinales, quia Eccleſia nõ claudit gremium redeunti, ab eiſdem Magiſtro & Præceptoribus hæreſi abiurata expreſſe ipſis ſecundum formam Eccleſiæ auctoritate noſtra abſolutionis beneficiũ impenderunt, ac deinde ad noſtrã præſentiam redeuntes, confeſſiones & depoſitiones prælibatorum Magiſtri, & Præceptorum, in ſcripturã publicam per manus publicas, vt eſt dictum, redactas, nobis præſentauerunt; & quæ cum dictis Magiſtro & Præceptoribus fecerant, retulerunt. Ex quibus confeſſionibus, & depoſitionibus ac relatione inuenimus ſæpe fatos Magiſtrum & Fratres in præmiſſis, & circa præmiſſa, licet quoſdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus grauiter deliquiſſe. Attendentes aũt, quod ſcelera tam horrenda tranſire incorrecta abſq; Dei Omnipotentis, & omnium Catholicorum iniuria non poterãt, nec debebant, decreuimus de Fratrũ noſtrorum cõſilio per Ordinarios locorum, ac per alios fideles & ſapientes viros ad hoc deputandos à nobis contra ſingulares perſonas ipſius Ordinis, nec non contra dictũ Ordinẽ per certas directas perſonas, quas ad hoc duximus deputãdas ſuper præmiſſis criminib. & exceſſib. inquirendũ. Iis nempe, quæ magis flere cogimur quã narrare cor noſtrũ paſſione nimia cruciatur. & cum tanta proinde nobis immineat gemẽdi materia fletũ non poſſumus declinare. Quiſnam Catholicus hæc audiens, nimis non doleat, & prorumpat in luctum? Quis fidelis huiuſmodi ſiniſtrũ euentum intelligens amara nõ emittat ſuſpiria verbaque lamentationis, & mœſtitudinis non eructet, cum tota Chriſtianitas huiuſmodi doloris ſit particeps, & hic caſus fideles percutiat vniuerſos: Ex his etiam dum miniſterio debitæ conſiderationis, noſtræ mẽtis præſentatur obtutibus, ignis in noſtris meditationib. exardeſcit. & ad tanta diſcrimina releuanda ſuſpirat affectus, Zelus accenditur, & ſpiritus anxiatur. ad quod cum nos ſufficere cõmode non poſſe ſciamus, leuamus oculos noſtros ad montẽ, montem quidem Dei montem vberem, montẽ pinguẽ, vnde opportunum nobis prouenire auxilium, & humiliter petimus. & deuote ſperamus. Et quia ſalubre in his adhiberi remedium, intereſt generaliter omnium, nos cum eiſdem fratrib. noſtris, aliiſq; viris prudẽtibus, exacto ac frequenti tractatu præhabito, prout tantæ neceſſitatis inſtantia exigebat, de ipſorum Fratrum conſilio, vniuerſale Concilium ſicut imitatione digna ſanctorum Patrum cõſuetudo laudabilis longæuæ obſeruationis exẽplo nos inſtruit, à proximis Calend. Octob. ad duos annos immediate ſequentes decreuimus cõgregandum; vt in eo, tam circa dictum Ordinem, & perſonas ſingulares, & bona eiuſdem, & alia quæ ſtatum tangunt fidei Catholicæ, quam circa recuperationem, & ſubſidium terræ ſanctæ, ac reparationem, ordinationem & ſtabilitatem Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum, & libertatum eorum, illa Deo auſpice communi conſilio inueniatur prouiſio & eiuſdem approbatione Concilij roboretur, per cuius ſalutiferam executionem virtus Altiſſimi eliminatis erroribus, roborata fide ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata eiuſdem fidei vnitate, extirpatis vitiis virtutibuſque plantatis, correctis exceſſibus, morib. reformatis, repreſſis oppreſſionibus, libertate ſolida ſtabilitate munita, recuperatis deperditis, & eiuſdem Terræ ſtatu proſpero reparato, occupata reſtituat, vaſtata reſtauret, & reſtaurata conſeruet, nobiſq; viam aperiat idem ipſe qui nouit, & facultatem tribuat ipſe qui poteſt: vt ſic in præmiſſis iuxta intenſum animi noſtri deſiderium ſibi miniſtrare poſſimus ſalubriter, quod idem verus eiuſdem vniuerſalis ſponſus Eccleſiæ, ipſam dilectam ſuam purgatam maculis, munitam virtute, ac monilibus ornatam, vnam ſemper habeat & formoſam, ad ſui nominis laudem & gloriam: ad animarum profectum, robur fidei, pacẽ & exaltationẽ populi Chriſtiani. Quia vero proſecutio tanti propoſiti tempore indiget vt deductũ maturius facilius auctore Domino effectũ debitum ſortiatur, prædictum tempus ad id duximus deputãdum. Vnde venerabilib. fratrib. noſtris Archiepiſc. Epiſc. ac dilectis filiis electis, Abbatib. Priorib. Decanis, Præpoſitis, Archidiacon. Archibresbyteris, & aliis Eccleſiarũ Prælatis, exemptis & non exemptis, eorumq; Capitulis & Conuentibus per alias noſtras litteras præcipiendo mandamus, vt iidem Arch. epiſcopi, necnon & cæteri Epiſcopi per ipſorum Archiepiſcoporum Prouincias conſtituti in eiſdem literis nominati, reliquis ipſorum Epiſcoporũ in dictis Prouinciis remanentibus, ad ea quæ Pontificale officium exigunt, tam in ſuis quã illarũ dictarũ Prouinciarum, qui ad huiuſmodi Concilium vniuerſale acceſſerint, Ciuitatibus & Diœceſib. exercenda, omni negligentia relegata, cunctis, prout talis & tanti negotij qualitas exigit diſpoſitis, & paratis, ſic medio tempore ſe accingãt ad iter, quod in huiuſmodi decreto termino, quem eis, & aliis peremptorie aſſignamus in Viennenſi Ciuitate iidẽ Archiepiſcopi & Epiſcopi taliter nominati pſonaliter, alij vero remanentes Epiſcopi, Electi, Abbates, Priores, Decani, Præpoſiti, Archidiaconi, Presbyteri, & Prælati, Capitula & Conuentus, p eoſdem Archiepiſc. & Epiſc. ad prædictũ Concilium acceſſuros, quib. ad omnia quæ in eodem Concilo ſtatuẽtur, fient & ordinabuntur, & fuerint opportuna, concedant plenariam poteſtatem, de qua ſufficienter cõſtet per publica documẽta noſtro ſe conſpectui repræſentent. Quod ſi forſan ipſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis acceſſuris huiuſmodi noluerint concedere poteſtatem, eo caſu venire, vel alios procuratores idoneos cum poteſtate ſimili ad idem teneantur Concilium deſtinare. Non obſtantib.*

*quibuslibet priuilegiis, ſeu indulgentiis quibuſcumq; perſonis, Ordini, dignitati, ſeu Collegio ſub quacumq; verborum forma, vel expreſſione à prædicta Sede conceſſis, per quæ poſſit effectus huiuſmodi mandati noſtri quomodolibet impediri aut eidem in aliquo derogari. Mandauimus inſuper, vt iidem Archiepiſcopi, & Prælati, per ſe, vel alios viros prudentes, Deum timentes, & habentes præ oculis omnia, quæ correctionis & reformationis limã expoſcunt, inquirẽtes ſubtiliter, & cõſcribentes fideliter, eadẽ ad ipſius Concilij notitiam deferant. Et nos nihilominus variis modis & viis, ſolers ſtudium & efficacem operam dare propoſuimus, vt omnia talia in examiẽ huiuſmodi deducta Concilij, correctionem & directionem recipiãt oportunam. Hoc etiam in eiſdem noſtris litteris adiecto, vt nullus inobedientiæ notam, & canonicæ vltionis acrimoniam vitare deſiderãs fallacium excuſationum velamento ſe muniat, vel ex impedimentis itinerũ, quæ Domino praua in directa, & in vias planas aſpera ſua omnipotentia conuertente ceſſabunt, friuolæ allegationis munimenta cõfingat, vt à tã ſancti proſecutione operis ſe ſubducat; ſed occurrãt ſinguli voluntarij ad id, quod & diuinæ congruit voluntati, & ſalutẽ animarum, ac vtilitatẽ reſpicit ſingulorum. Cæterum quia multipliciter expedit, vt tam celebre Concilium, Tua & aliorum Catholicorum Principum decoretur præſentia, vt ſalubri conſilio & auxilio fulciatur, ſerenitatem Regiam rogamus, & hortamur attentius in remiſſionem tibi peccatorum ſuadentes, ꝙ præſcriptis loco & termino in eodem Concilio, captata interim ad hoc opportunitate ſtudeas perſonaliter intereſſe: meditatione prouida prudenter attendens, quod in hoc non ſolum labor, quem ad tam ſancti & vtilis negotij promotionem aſſumes, tibi cedet ad meritum, verum etiam aliorum, qui ad veniendum ad idem Conciliũ efficacius tuo inducentur exemplo, & nihilominus vota tua nobis poteris familiarius aperire, quæ in omni beneuolentia libenter ad exauditionis gratiam, quantum cum Deo, ac Eccleſiæ honore poterimus, admittemus.* Datum Pictauis ſecundo Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno Tertio. Eodẽ modo ſcripſit Edouardo Angliæ, Carolo Sicilæ, Carolo Hungariæ, Iacobo Aragonum, Ferdinãdo Caſtellæ, Iacobo Maioricarum, Ludouico Nauarræ, Dionyſio portugaliæ, Henrico Cypri, Friderico Trinacriæ, Henrico Romanorum, nec nõ aliis, Boemiæ, Daniæ, Noruegiæ, ac Sueciæ Regibus: vt & ipſi venirẽt, & prælatos Eccleſiarum ſuarum venire iuberent, ad Concilium indictum.

X. TEMPLARIORUM ORDINIS ORIGO, ET OFFICIUM. *Ex 4. tomo Concil.*

Quod Templarios, & alias neceſſitates cõuocandi Concilii attinet, non abs re putauerim, iſthic breuem Concilii hiſtoriam proponere.

In Hieroſolymitana vrbe erat Religioſorum Militũ Ordo inſtitutus, qui cum iuxta Templum Domini cohabitarent, Templarii dicti ſunt. Horũ munus, & officium fuit tueri fines ac vias Hieroſolymitanæ ditionis ab incurſionibus hoſtium, & latrociniis; vt aduenæ, & peregrini, ad ſancta illa loca inuiſenda tuto poſſent accedere. Ex hiſce militibus Multi olim Chriſti cauſa, & ſanguinem profuderunt, & frequenter vitæ diſcrimen adierunt. Verum deinde à ſancto hoc inſtituto recedẽtes, Patriarchæ Hieroſolymitano, à quo prima beneficia acceperant, obedire renuerũt, Eccleſiis Decimas & primitias ſubtraxerũt, atq; omnib. redditi ſunt infeſti.

EORUM CAUSA INDICTUM CONCILIUM A CLEMENTE PP.

Aſſyſſinorum, etiam Legatum, à Templariis contra ius gentium fuiſſe occiſum, ſcribit Vuillelmus Tyrenſis. Præterea, quemadmodum in bulla indictionis Concilii Clemens memorabat, ad ſedem Apoſtolicam multi Principes viri detulerunt, eos in hæreſim, Apoſtaſiã, aliaque nefanda vitia incidiſſe. Pontifex Clemens V. itaque, an hæc vera eſſent diligẽter inueſtigauit; & quibuſdam Cardinalibus, vt ipſi quoque inueſtigarent præcepit; ac tum Magiſtrũ Ordinis, tum cõplures alios in ea nefanda vitia eſſe prolapſos reperit. Cumq; Templariorum Religio eſſet toto iam ſere Orbe Chriſtiano proſeminata atque diſperſa, Clemens, vt remedium aliquod huic tanto malo poſſet adferre, Concilium conuocandum ſibi eſſe exiſtimauit, atque indixit.

XI. PETRI IOANNIS HÆRESIARCHÆ IMPIA DOGMATA. *Guido Carmelita in ſumma de hæreſ.*

Per idem quoq; tempus, peruerſi quidam homines hæreſes diſſeminabant, vt Petrus Ioannis, qui animam rationalem formã eſſe humani corporis negabat; gratias & virtutes in baptiſmo nõ infundi aſſerebat, Chriſtumque adhuc viuentem fuiſſe lancea vulneratum.

XII. BEGUARDORUM ET BEGUINARUM SCELESTISSIMORUM HÆRETICORUM ORIGO ET BLASPHEMIÆ.

In Alemannia quoq; ſurrexerant Beguardi homines peſſimi, ac Beguinæ infideles ac peruerſæ fœminæ: qui primum quidẽ aſſeuerabãt, hominẽ in hac vita quoq;, tantum ac talem perfectionis gradum conſequi poſſe, vt penitus impeccabilis reddatur, neq; amplius in gratia ꝓficere poſſit. Secũdo, nec ieiunare, nec orare quẽquam oportere, vbi fuerit gradum perfectionis huiuſmodi cõſecutus. Tertio, eos qui ſunt in hoc perfectionis gradu, & ſpiritu libertatis, non eſſe humanæ ſubiectos obedientiæ, neq; vlla pcepta Eccleſiæ ſeruare debere. Quarto, poſſe hominem ita finalem beatitudinẽ iuxta omnem perfectionis gradum in hac vita adipiſci, vt eam in vita beata obtinebit. Quinto, quãlibet intellectualem naturã in ſe ipſa naturaliter eſſe beatã, neq; animam indigere lumine gloriæ ipſam eleuãte ad Deũ videndum, & eo beate fruendum. Sexto, ſe in artibus exercere virtutũ, eſſe hominis imperfecti quia anima perfecti dimittit à ſe virtutes. Septimo mulieris oſculũ (cum adhoc non inclinet natura) eſſe mortale peccatũ; actum autem carnalem, cum ad hoc inclinet natura, nõ eſſe peccatum, maxime cum tentatur exercẽs. Octauo, in eleuatione Corporis Ieſu Chriſti, ab huiuſmodi perfecto homine aſſurgendum non eſſe, aut ei reuerentiã exhibendam. aſſerebãt enim fore imperfectionem eidem, ſi à puritate & altitudine ſuæ cõtemplationis tantum deſcenderet, vt de ſacramento Euchariſtiæ, aut de paſſione humanitatis Chriſti, quidquam cogitaret. De quo iſta *Gregorius Merula in Hiſt. Viceconitũ* ſcribebat *li. 6.*

XIII. DULCINI HÆRESIARCHÆ EIUSQUE SECTATORUM PRIMORDIA, PROGRESSUS, PROPUDIOSÆ LIBIDINES, ET EXITUS.

Per ea tempora facinus terrum & memorabile in Longobardis accidit. Dulcinus homo nefarius, & ſupra quam dici poſſit temerarius atq; audax, cũ Margarita, ſiue ea vxor, ſiue amica erat, criminari primum ſacerdotum abundantes diuitias & voluptates cœpere: tum priuatim ab illorum principibus maledicta orſi, ſine diſcrimine nobiles & humili loco natos nõ per virtutem, aut popularium ſuffragiis, & alio quouis merito, ſed largitione & gratia ſacerdotia capeſcere, ſordidiſſimum quemq; nunc diuitiis, atq; interim lenocinio & flore ætatis primorib. Sacerdotũ conciliari. atq; inde ad ſummas dignitates & honorũ faſtigia ꝓmouentium ꝑ luxũ atq; libidinẽ ingẽtes Sacerdotii redditus ad templorum ornamenta, ſuſtentandoſq; pauperes olim deſignatos turpiter diſſipari atque abſumi. Hæc atq; talia identidem iactantes, ceu noui ſacri & perfectionis cuiuſdam religionis Antiſtites, multorũ animos errorib. imbuere. Vbi vero vulgata res fuit, viri ac mulieres innumerabiles coiuere. Voluptates tunc habitę, non ſolũ vini & epularũ, ſed ꝓmiſcui & nefandi cõcubitus, mares paſſim fœminis miſcebãtur; nullũ pudoris diſcrimẽ erat; omnia conceſſa q̃ ad exſaturandã libidinem conuenire videbantur. Iamq; multitudine ipſa defenſi propalã diſciplinam ꝓfiteri: conuenticula in vrbib. & agris haberi: deniq; in omnib. conciliabulis multa in contumeliã Sacerdotũ iactari. Secta deinde excitatur, legeſq; Sectatorib. ꝓpoſitæ magna non morũ tantũ, ſed & ſacrorũ corruptela. finitimi hac velut contagione infecti, tum etiam licentia & illecebris adducti, Romano Sacerdoti fortiter & palam cõtradicere cœperũt. Ad nouos ritus nefariaq; inſtituta tollenda Clemens V. Pontifex primũ per nũcios nefandi facti auctores, & peſtiferæ ſectæ Magiſtros & diſſeminatores admonuit: tũ grauius increpare cœpit: & ꝓpoſitis diris execrationibus ad ſanitatẽ reducere conatus eſt. Vt ſc. relictis propudioſis ſacris Romano Pontifici ſe obnoxios & dedititios ꝓfiterentur. Ingens erat turba, atq; eo vecordiæ & temeritatis ventũ, vt niſi vi & armis coacti, ad reuerentiam Romani Sacerdotis, Patrumq; recta inſtituta cõuerti vix poſſẽt. Quare iuſſu Pontificis ſublata crux fuit, ad ꝙ ſignũ innumerabilis multitudo arma continuo cœpit. Nam pleriq; omnes Alpini, quiq; Padũ ac Ticinum accolunt, Chriſtianã fidem pollui, nefandos ritus induci, & maieſtatẽ Pontificiã violari, indigne ferebãt. Expectauere nefarii & audaciſſimi homines, ve-

nien-



nientẽ aduerſus ſe exercitum. tandem abundante Cruciferorum multitudine exterriti, in montana Nouarienſium refugerunt, vt anguſtiis montium & difficultate viarum, impeditoque ſaltu ſe aliquandiu tegerent. Sed vndique circumſeſſi, neque inopia rei frumentarię, nec vrgente fame ad deditionẽ compelli potuere. Vix credibile, quanta contumacia alpina frigora & diuturnam inediam pertulerint. Omnibus tandem alimentis defecti, occidione miſerãdum in modum interire maluerunt, quam pœnitentes facti in manus Pontificis, etiam promiſſa venia, venire. Dulcinus & Margarita viui capti ſunt, & Vercellas perducti, atque membratim diſcerpti, cremati ſunt: cineribus diſperſis.

In Italia quoq; apud Inſubres Dulcini hæreſes pullulabant.

XIV. ARNALDI VILLANOVANI HÆRESIARCHÆ ORIGO ET DOGMATA. *Ioann. Villani lib. 9. c. 3. Prateol. lib. 1. Eymericus in direct. Inquiſit. parte 2.*

In eundem annum Ioannes Villaneus refert, Pariſiis vixiſſe, multaſq; hæreſes tum verbo, tũ ſcriptis docuiſſe Arnaldum Villanouanum, gente Catellanum, profeſſione medicum, exercitio Alchimiſtam, conſortio dæmonum execrabilem: à quorum doctus præſtigiis, oſtendebat, ſe poſſe laminas æreas, in aureas commutare. Inter errores quos ſpargebat, hi fuere præcipui.

1. Natura humana à Deo verbo aſſumpta, eſt æqualis Deo in omnibus bonis ſuis, adeo vt tanta ſit humanitas Chriſti, quanta eſt eius Diuinitas, & tantundem poſſit & valeat.

2. Quamcito anima Chriſti fuit vnita Diuinitati, ſtatim ipſa anima ſciuit omnia, quæ Deitas ſcit: quia alias (vt dicebat) non fuiſſet cum ea vna perſona; præcipue quia ſcire eſt circumſtantia pertinens ad ſuppoſitum indiuiduale, & non ad naturam.

3. Diabolus ingenioſe fecit vniuerſum populum Chriſtianum à veritate Domini Ieſu Chriſti deuiare; adeo quidem, vt eius fides nihil diſcreper ab ea quæ dæmonum eſt; ſicque totus populus Chriſtianus ad infernum deducitur.

4. Omnes clauſtrum incolentes, ſunt extra charitatem, & ideo damnãtur; & quod omnes quotquot ſunt religioſi, doctrinam Chriſti falſificant.

5. Omnes Theologi qui Philoſophiam ſuis operibus immiſcuerunt, non recte hac in re fecerunt, omnẽ enim philoſophiam prorſus condemnabat.

6. Reuelatio facta Cyrillo, eſt pretioſior cunctis ſacris ſcripturis.

7. Opus miſericordiæ & medicinæ, gratius atque acceptius eſt Deo, quam ſacrificium altaris.

8. Quiſquis poſt mortem miſſas celebrare facit, aut Capellanias ad celebranda ſacra inſtituit, Charitatis opus non perficit, neq; proinde meretur vitam æternã.

9. Qui in vita ſua ſcit multitudinem indigentium, & maxime amicorum Dei, & congregat, & retinet ſuperflua ad conſtituendas Capellanias, vt miſſarum ſacrificia poſt mortem perpetuentur, cadit in æternam damnationem.

10. In altaris ſacrificio Sacerdos offerens, nihil Deo offert, nec ſuam quidem voluntatem.

11. Eleemoſynarum largitione magis repræſentatur & exhibetur Chriſti paſſio, quam in ſacrificio altaris.

12. In miſſæ oblatione tantum ore, non autem opere Deus collaudatur.

13. In Decretis, Canonibus, atque Conſtitutionibus Papalibus, nulla ſubeſt ſcientia, ſed mera tantum ſunt opera humana.

14. Nunquam Deus comminatus eſt peccantibus æternam damnationem, niſi iis tantum qui ſunt aliis malo exemplo & offenſioni.

15. Anno ab incarnatione Domini milleſimo trecẽteſimo trigeſimo quinto, mundi finis futurus eſt.

Has & ſuperiores hæreſes, cum paſſim pullulare intellexiſſet Clemens, ad eaſdem condemnandas, & propter Templariorum cauſam, ac recuperationẽ Terræ ſanctæ Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum ſtabilitatem atque libertatem, atq; ad deprauatos mores hominum corrigendos Concilium indixit.

XV. CLEMENS PP. VENETOS SUPPLICES OPERA FRÃCISCI DANDULI INTERDICTO EXSOLVIT.

Inter hæc, dum Pontifex Concilii tempus expectaret, Venetis hoc anno ſupplicibus, ſacraq; interdixerat, reſtituit. Franciſcus Dandulus, qui in Galliam ad eam culpã deprecandã Legatus publice acceſſerat, & ſi ſerio ad Pontificis tamen conſpectum admiſſus, illuſtri exemplo priuatæ pietatis in patriã, publicæ in religionem, catena ferrea collo iniecta, ad eius menſam tamdiu proſtratus iacuit, donec expugnata Clementis ira, ignominioſam notã patriæ ademerit. Ab eo humilitatis *indicio ſuit* Dandulo poſtea *canis cognomẽ inter ſuos,* quia vt canis ad Pontificiam menſam ꝓiectus iacuiſſet. Cauſa fuit, cur Clemens Pontifex Ciuitatem ſacro interdicto damnaſſet, adeoq; durus in Venetos extitiſſet, quod hi in oppugnãda Ferrarienſi Vrbe, in iura Eccleſiæ inuolantes, necquicquã mandata Clemẽtis audiuiſſent. Anno ſuperiore ea potiti, caſtrum quoq; Thedaldum eripuerãt, in re manifeſta Romano Pontifici iniurii. *Belli origo ex hac cauſa enata eſt.*

OB EXPUGNATAM FERRARIAM INTERDICTO ANTEA DAMNATI VENETI.

Eſtenſes aliquanto antea beneficio Romanorum Pontificum Ferraria potiti, freno Mutinę aliiſq; locis Ferrarię finitimis iniecto, eo vſque excreuerant, vt Carolus Calabriæ & Apuliæ Rex, Beatricem filiam Accioni ſeu Azoni ea tempeſtate florenti, in matrimonium coniunxerit. Hunc Friſcus ex aliena coniuge, vt ipſe dicere ſolebat, filius in poteſtatem redactum vinctumq; in carcerem coniecerat; vbi Accius non multo poſt mœrore an vi, nõ habeo dicere, morte cõſumptus eſt. Ex Accionis interitu Friſcus principatum parricidio quæſitum inuaſerat; ſed excludebatur arce & ea parte vrbis, quæ ad flumen obuerſa eſt. Itaque cum fluuialibus auxiliis opus haberet, impetrauerat claſſem à Venetis, magnaq; ex parte oppugnauerat vrbẽ. Fuit id certamen eo difficilius, quod medio pugnæ ardore ſuperueniſſent ex Bononia ab Apoſtolico Legato, qui edicto vetarent vrbem oppugnari; quorum præſentia freti Ferrarienſes, qui iam Friſcum in vrbem recipiebãt, ſubita defectione rebellarũt. Quæ res effecit, vt iuuenis vrbe & arce vi potitus, equites ſubito immiſerit ad vrbem haud vno loco inflammandã; eſtque in primis mandatum, vt illorum domus incenderent, qui rebus nouis præter cæteros ſtuderent. Ferrarienſes inter ignẽ & ferrum deſtituti, in Friſcũ arreptis armis ſurrexerant, Venetorumq; fidem implorauerãt.

QUÆ CAUSA BELLI INTER VENETOS ET FERRARIENSES.

Secundum eam deditionem continuo eſt ab iniuria tẽperatum. Veneti & ſi vrbem in fidem receptam, ſuis armis tueri in animo haberent, ne publicam fidem prodere viderentur, Friſcum extorrem fieri non permiſerunt, eſtque horum conſilio & opera in vrbe retentus. Clemens Pontifex qui in Gallia erat, audito Ferrarienſium caſu, vehementer excanduit, quod vrbs Eccleſiæ Romanæ vectigalis, tyrãni cauſa hoſtiliter eſſet oppugnata, ac nouiſſime incenſa, alienæque ditionis facta. Itaque cõfeſtim Venetos anathematis ſpiculo defixit, propoſito edicto, vt hos piorum cœtu eiectos, Romanæque Eccleſiæ hoſtes iudicatos, fas eſſet vnicuiq; volenti iure & iniuria afficere. Ad eum modum tũc ſacris Venetis interdictum, additumque nihil impie facturũ, qui eius nominis hominem in ſuã poteſtatem redactũ pro mancipio haberet. Ad Pontificiæ execrationis edicti famam, omnibus fere Galliæ emporiis Venetorum res ſunt Principum permiſſu direptę, eadem iniuria accepta eſt circa maritima Calabriæ & Apuliæ loca. Veneti rebus amiſſis vbiq; male habiti, quidã etiam ex his necati, omnes vero ab omni commercio vbique locorum excluſi. Nec interea Pontificius Legatus (Pelaguræ fuit illi nomen) in Ferraria recipienda quicquam operæ aut induſtriæ prætermiſit. Erat is Bononiæ, vnde Gallos Cruceſignatos, & aliam ex Italia delectam manum, miſit in Venetos & Ferrarienſes. Ad primã vrbis oppugnationem Ciuitas ad Gallos defecit, ſimulque ſunt hi in vrbem recepti, Venetum præſidium cũ multa cæde in caſtrum Thealdum compulſum: & exinde non multis diebus interiectis eductum: cum ad Pontificem miſiſſent, qui de vrbis reſtitutione agerẽt, ne maiorem aliquam reſpublica ea de cauſa cladem adiret. Ita



hoc

hoc anno ciuitas Pontificis interdicto, cui ad tempus fuerat obnoxia, vnius Franciſci opera ſoluta eſt: maxima eius & immortali gloria: vt qui nuper in ſquallore & ſordibus pro patria conſpectus eſſet, ex ea legatione reuertens, magno omnium ordinum fauore Princeps ciuitatis factus, ſublimi loco conſpiceretur, auro & purpura conſpicuus. *Sabellic. Ennead. 9. lib. 8.*

XVI. FORMVLA MANDATI PROCVRATORII VENETORVM PRO IMPETRANDA ABSOLVTIONE EXCOMMVNICATIONIS

Iſtud eſt Mandatum procuratorium Ducis, Concilii, & Communis Venetiarum, ad petendum à Clemẽte Papa V. abſolutionem ab excommunicatione & cẽſuris contra eos prolatis.

*In Chriſti nomine Amen. Anno eiuſdẽ Natiuitatis M.CCCX. Indictione octaua, die decimonono menſis Martij. Præſentibus Petro Nanno, filio D. Marci Raſi de Tergeſto, Petro Longo notario de Tergeſto, Rodulfo Bayardi notario de Tergeſto, Ottone de Alba ciue Tergeſtenſi, Paſchale de Coya de Tergeſto, teſtibus rogatis, & ad hac ſpecialiter conuocatis, & aliis. Congregato maiori & generali Concilio Ciuitatis Venetorum in ſala maiori Ducatus Venetiarum per ſonum campanæ, & voces præconum, vt moris eſt in ciuitate Venetiarum, coram magnifico & excellentiſſimo viro D. Petro Gradenico, Dei gratia Venetiarum & Dalmatiæ atque Græciæ Duce inclyto, & Domino quartæ partis & dimidiæ totius Imperij Romani, & eius Conſiliariis, & eiuſdem domini Ducis voluntate, & auctoritate: In quo Conſilio fuerunt congregatæ duæ partes Conſiliariorum ipſius maioris & generalis Conſilij, & qui omnes ipſum maius & generale Conſilium, & homines ipſius maioris & generalis Conſilij, cum ipſo Domino Duce & eius Conſiliariis: & ipſe Dominus Dux & eius Conſiliarij cum ipſo maiori & generali Conſilio, plena & vnanimi voluntate, ac nemine diſcordante, nomine ſuo, tanquam ſingularium perſonarum, & vice & nomine Communis, Vniuerſitatis, & hominum Venetorum, & totius diſtrictus, & ſingularium perſonarum dicti Communis, Vniuerſitatis, & Diſtrictus, ac ſubditorum & fidelium ipſorum adhærentium, coadiutorum, valitorum, & fautorum, & cuiuſque ipſorum: Cupientes ſuorum imitari veſtigia antiquorum, & in ſinceritatis fide, deuotione atque gratia ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris eorum, & ſanctiſſ. & beatiſſimi in Chriſto Patris & Domini, D. Clementis diuina prouidentia Papæ Quinti, omni mentis puritate conſiſtere, fecerunt, conſtituerunt, & creauerunt, & ordinauerunt, nobiles & ornatos viros, Dominos Carolum Quitinum, & Franciſcum Dandulum, ciuitatis Venetiarum ciues, licet abſentes, tamquam præſentes, & quemlibet eorum in ſolidum, ita quod non ſit melior conditio occupantis, ſed quod vnus eorum inceperit, alter proſequi valeat, & finire, ſuos & dictorum Communis vniuerſitatis, & Diſtrictus, & ſingularum perſonarum, ipſorum & cuiuslibet eorumdem, veros & legitimos Syndicos, Procuratores, auctores, factores, & nuntios ſpeciales, ad ſe præſentandum ad pedes ſanctiſſimi Patris & Domini, D. Clementis diuina prouidentia Papæ Quinti & ſanctitati ac clementiæ ſuæ omnem reuerentiam exhibendam, & ab eius benignitate veniam, gratiam, & miſericordiam humiliter implorandam, & ad ſupplicandum eidem humiliter, vt abſolutionis beneficium ſecundum formam Eccleſiæ, à quibuſuis excommunicationis ſententiis, & à culpis, offenſis, exceſſibus, iniuriis, expenſis, & damnis datis, & aliis quibuſcunque violentiis perpetratis, commiſſis, & illatis per dictos dominum Ducem & Venetos, & perſonas quaſcumque ciuitatis Venetiarum & Diſtrictus, & ſingulares perſonas ipſius Ciuitatis & diſtrictus, eorumque valitores, auxiliatores, complices, & fautores, vel alias de mandato ipſorum in ciues & ciuitatem Ferrarienſem, Comitatum & Diſtrictum eorum, ipſorumque auxiliatores, valitores, defenſores, & quemlibet eorum, & bona ipſorum mobilia & immobilia, nec non ſuper his omnibus & ſingulis, & ſuper aliis quibuſcumque ab his dependentibus, & connexis eiſdem, & ipſorum circumſtantiis vniuerſis, & ſuper quibuſcumque offenſis & damnis, quæ ſint, vel dicantur ab ipſis, vel ipſorum aliquo illata, vel data, ſcienter vel ignoranter quomodolibet, aduerſus Dominum Papam, ſeu Legatos vel Nuntios ipſius, ac homines & vaſallos eiuſdem, vel alias contra ipſam Romanam Eccleſiam quoquomodo; dignetur eis, & cuilibet eorum, nomine prædictorum, & ſingularium perſonarum ipſorum, impendere miſericorditer & largiri: Et ad petendum humiliter Eccleſiaſticum Interdictum poſitum tam in ciuitate Venetiarum, ſeu in perſonis ciuitatis ipſius, quam in aliis quibuſcumque perſonis, & Terris ac locis, eis ſubiectis, vel aliis eorum occaſione, de gratia & iuxta formam Eccleſiæ relaxari, & à ſententiis excommunicationum abſolui, & nomine quo ſupra, ad implorandum, petendum, & obtinendum beneficium reſtitutionis in integrum, & ſe, & quemlibet de prædictis, aut de conciuibus, & diſtrictualibus, vel ſubditis ſuis, adhærentibus; coadiutoribus, valitoribus, & fautoribus, qui ob dictas D. Papæ, vel aliorum quorumcumque ipſius auctoritate ſententias, vel proceſſus, pœnas, infamiam, inhabilitatem, vel notas, ſeu defectus aliquos incurriſſent, in integrum reſtitui, & ipſas omnes ſententias priuationum, publicationes bonorum, inhabilitates, notas, infamias, defectus, reſeruationes, etiam aggrauatorias, & alios quoſcumque proceſſus, & ſententias, ac pœnas, tam ſpirituales, quam temporales, etiam ſi ſuper abſolutione aliquorum ab homagiis, iuramentis, vel aliis latæ fuerint, ac etiam aggrauationes, & alios quoſcumque proceſſus & ſententias, cuiuſcumque formæ verborum extiterint, vel tenoris, etiam ſi ab aliis quibuſcumque auctoritate Apoſtolica fuerint prolati, vel prolatæ, de gratia reuocari, caſſari, tolli, & annulari, & ſe in priſtinum ſtatum ſuum, & ſinum dicti Domini Papæ ac Romanæ Eccleſiæ reſtitui, reponi reintegrari, & conſeruari, & reſtitutionem bonorum, quæ vbicumque & à quibuſcumque fuiſſent vel ſint occupata, inuaſa, vel detenta, ſeu habita petendum, etiam ſi ſuper eis, vel eorum retentione, vel poſſeſſione fuerit ab ipſo Domino Papa, vel aliis ipſius, vel alia quauis auctoritate, lata ſententia, vel factus proceſſus, & eorum captiuos, vbicumque, & in quibuſcumque locis & guerris capti fuerint, relaxari: Et ad petendum humiliter, pacta quæ habuerunt & habent cum quibuſcumque perſonis, Terris, locis, Collegiis, & Vniuerſitatibus, & priuilegia, honores, & iuriſdictiones ipſorum Domini Ducis, Communis, Vniuerſitatis, & Diſtrictualium ipſorũ ampliari, maiorari, gratificari, & gratioſiora concedi, & ſuper iis quaſcumque litteras impetrandum: Dantes præfati Dominus Dux & Conſiliarij nihilominus modo quo ſupra, præfatis duobus Syndicis & Procuratoribus ſuis, & eorum cuilibet, plenam & liberam poteſtatem, ac ſpeciale mandatum in ipſorum animas iurandi, ac iuramentum præſtandi de parendo mandatis ipſius Domini Papæ, & Romanæ Eccleſiæ ſuper omnibus & ſingulis ſupradictis, & quolibet præmiſſorum, ſatisfaciendi etiam ipſi Domino Papæ, & Eccleſiæ Romanæ, & eius ſubditis & vaſallis, valitoribus etiam, & fautoribus, de iis omnibus & ſingulis, pro quibus præfatæ ſententiæ ac proceſſus huiuſmodi latæ & facti fuerint, obediendi, quoque & parendi ſuper iis omnibus & ſingulis, & ſuper aliis quibuſcumque tam dependentibus vel connexis eorum, quam circumſtantiis vniuerſis, ipſius Domini Papæ & Apoſtolicæ Sedis beneplacitis & mandatis, & promittendi nomine quo ſupra, ſe & ipſos, ipſa mandata & beneplacita recipere ac ſeruare, & firma ac rata ſemper habere, ac tenere, & numquam contrafacere, vel venire: faciendi inſuper cum ipſo Domino Papa, & Eccleſia Romana, pacta, tranſactiones, conuentiones, & ordinationes, tractatus, collationes, informationes, & ſuaſiones, de quibus ipſi Domino Papæ, & ipſius Procuratoribus, vel eorum alteri, videbitur expedire, & illos ac illas in firmitatem reducendi, complendi, & firmandi, & effectui mancipandi, & tam ipſas, ſeu illas, vel illa, quam præmiſſa mandata & beneplacita Domini Papæ vallandi, promiſſionibus, obligationibus, acceptilationibus, pœnarum adiectionibus, renuntiationibus, & cautelis quibuslibet ſpiritualibus & temporalibus, de quibus ipſi Domino Papæ & Eccleſiæ Romanæ placuerit, & omnia pro ipſis & ſingulis prædictis ex eis ſtipulandi, & ſtipulationes & obligationes faciendi, recipiendi, & ſuper prædictis, & quolibet prædictorum, & infra ſcriptorum, & aliis circumſtantiis quibuſcumque celebrandi, nomine quo ſupra, vnum vel plures, contractum & contractus, valandum & valandos promiſſionibus, obligationibus, ſtipulationibus, pœnarum adiectionibus, renuntiationibus, & omnibus & ſingulis clauſulis quibuſcumque: & obligandi pro prædictis & infraſcriptis omnibus & ſingulis, & quæ per ipſos Syndicos, vel eorum alterum in hac parte prædicto nomine fieri contingent, firmiter obſeruandis, attendendis, complendis, & inuiolabiliter adimplendis, tam prædictorum nominatorum & expreſſorum ſpecialiter, quam dicti Cõmunis & Diſtrictus, & ſingularium perſonarũ ex eis & dicti Cõmunis & diſtrictus, bona omnia mobilia & immobilia, præſentia & futura & ex ſuperabundanti agendi, defendendi, libellum dandi, & recipiendi, litem conteſtandi, de calumnia & de veritate dicenda in animas ipſorum iurandi, & præſtandi cuiuslibet alterius generis iuramentum, cum eis omnibus & ſingulis, quæ in agendo & defendendo requiruntur, coram ipſo Domino Papa, & eius auditoribus & in eius Curia: Ac generaliter omnia & ſingula alia faciendi, tractandi, firmandi, complendi, ſupplicandi, gerendi, & exercendi, quæ in prædictis, & circa prædicta & infraſcripta, & eorum quolibet fuerint oportuna, ſeu eis, vel eorum alteri viſa fuerint expedire, quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, mandatum exigant ſpeciale, etiam ſi illa non expreſſa maiora eſſent, quam hic poſita vel expreſſa, atque ipſi met facere poſſent, ſi perſonaliter intereſſent: Supplicandi præterea eidem Domino Papæ, & volendi & conſentiendi, quod idem Dominus Papa omnem defectum, ſi quis ex quauis cauſa, vel ratione in huiuſmodi Syndicatu vel Procuratorio eſt, vel eſſe poſſet, dignetur ſupplere, & ſuppleat de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis: Dantes nihilominus eis & cuilibet eorum in præmiſſis, & quolibet præmiſſorum, & ea contingentibus, plenum & generale mandatum, cum plena, libera, & generali adminiſtratione, ac promittentes ex nunc mihi Bonfanti notario infraſcripto, tamquam publicæ perſonæ ſtipulanti & recipienti vice & nomine dicti Domini Papæ, & Apoſtolicæ Sedis, ac omnium & ſingulorum aliorum, quorum intereſt, vel intereſſe poterit, ſe ſuoſque ſucceſſores, & dictum Commune ac Diſtrictum, & ſingulares perſonas dicti Communis & Diſtrictus, firmum, ratum & gratum perpetuo habituros totum & quicquid per dictos eorum Syndicos, Procuratores, auctores, & nuntios, ſeu eorum alterum, actum, geſtum, & procuratum, atque promiſſum fuerit, in præmiſſis, & circa præmiſſa, & quolibet præmiſſorum, & ea quæ ab ipſis, vel altero ipſorum promiſſa fuerint, obſeruare & adimplere, & non contrafacere, vel venire: & ex ſuperabundanti, de iudicio ſiſti, & iudicatum ſoluendo, cum omnibus ſuis clauſulis, ſeu hypotheca & obligatione omnium bonorum ſuorum, & dicti Communis, Vniuerſitatis, & Diſtrictus. Quod quidem Inſtrumentum Syndicatus & Procurationis fieri voluerunt, & Ducali bulla plumbea pendenti muniri, eorum nomine.*

*Ego Bonfante q. Vitalis, laicus Taruiſinus, Apoſtolica auctoritate Notarius publicus, prædictis omnibus interfui, & rogatus ſcripſi.*



XVII. CRVCIGERI MAXIMIS INIVRIIS VARIOS AFFICIVNT.

Per id temporis, Crucigeri, in Regno Poloniæ, Cõditoribus ſuis ingrati, iniuriique fuere. Pomeraniam Vladislao Principi eripiebant, indignaſque conditiones pacis proponebant. A Vuladislao, quod irrideri etiam ſe vltro ab eis exiſtimabat, cum petitionibus reiecti, vt aliquem duntaxat in ſpeciem iuſtum titulum ſceleri ſuo prætexerent, Marchionibus Brandenburgenſibus decies mille marcas, emptionis Pomeraniæ nomine numerauerant, eamque fictam emptionem ab Henrico Rege Romanorum electo ſibi confirmari curauerant.

Neque diſſimili ſcelere Liuonienſes quoque Crucigeri eodem fere tempore Rigam vrbem atque territorium Archiepiſcopo, à quo ante centum annos, vt contra paganos opem ferrent in Liuoniam fuerant adducti, per ſummam iniuriam vſurpabant. Multa præterea nefaria vtrique Crucigeri in Pruſſia, Liuonia, ac Lituania quoque deſignabant: vnde appareret eos delendæ potius, quam propagandæ apud barbaros religionis Chriſtianæ curam habere.

Ad prouocationem Regni Procerũ, atque Archiepiſcopi, Clemens Pontif. Max. Ioanni Archiepiſcopo Bremenſi, & Magiſtro Alberto Canonico Rauennati, cognitionem earum rerum delegauit. *Cromer. lib. 11.*

XVIII. CLEMENS PP. INDVLGENTIIS PLVRIMOS AD CRVCEM SVSCIPIENDAM PROVOCAT.

Vt autem negotium terræ ſanctæ, tanto facilius in Concilio generali promoueret, Cardinalem Legatum hoc anno Lutetiam, vicinaſque regiones deſtinauit, vt ad expeditionem Hieroſolymitanam generoſos Gallorum & Anglorum animos incitaret. Is porro tantum oratione promouit, vt Rex Philippus, gener eius Edouardus Rex Angliæ, treſque eius ſororii Crucem belli ſacri ſignum ſuſceperint, atque innumeros ex vtroque populo equites ac nobiles viros ſibi ad ſacram militiam adiunxerint. Præſertim quod Clemens, tum iis qui ad id bellum proficiſcerentur, tũ aliis qui ire nõ poſſent, aut nollent, modo vnius viri militaris, expeditionem illam ſuſcipientis ſumptus repræſentarent, plenam delictorum remiſſionem, reliquis autem pro quãtitate æris collati, alias gratias ſpirituales indulgeret, eaque liberalitate bonorum ſpiritualium omnes ſub vexillum Crucifixi prouocaret. *Ciaccon. ex regeſt.*

XIX. IACOBO ARAGONIÆ REGI DECIMAS EXIGERE VETAT, EIVSQVE FILIVM ECCLESIÆ TOLETANÆ PRÆFICIT. *Mariana. lib. 15. c. 9.*

In Regno Aragoniæ, hoc anno cum Iacobus Rex per occaſionem poteſtatis ſibi à ſede Apoſtolica factæ, vt ex omnibus Eccleſiaſticis ditionibus Regnorum & prouinciarum ſuarum decimas, ad eiiciendos è regno Granatenſi Saracenos exigere poſſet, nimis nimia extorſione viros Eccleſiaſticos opprimeret; Clemens Põtifex eidem, ne abſque nouo ſedis Apoſtolicæ mandato eas decimas aut exigeret, aut pecunias depoſitas exinde acciperet, ſeuerius præcepit. Datis ea de re literis Auinioni 2. Calend. Maii. Vt autem aliqua in re eidem Regi pro fide Catholica depugnanti gratificaretur, Ioannem eius filium Eccleſiæ Toletanæ præfecit, eumque propriis manibus inter Clerum conſecrauit, prima quam vocant tonſura illi ipſi collata in Prioratu Crauſelli tertio Idus Iunii hoc anno.

Indidem ad XVI. Calend. Auguſt. Ferdinando Regi Caſtellæ, Maurico bello nimis occupato, decimationem omnium prouentuum Eccleſiaſticorum in eius regnis & prouinciis ad ſubſidium belli ſacri poſtulante Ioanne Lara Regio Legato conceſſit; Nec nõ Archiepiſcopis Hiſpalenſi & Compoſtellano, vt contra turbatores regni, perduellioneſque illius ex formula iuris Eccleſiaſtici animaduerterent, mandauit.

Eodem loci Clemens Pontifex perſeuerans, Calend. Auguſti, Vicario Generalis Magiſtri Ordinis Prædicatorum in Africa indulſit, vt Eccleſiæ Marochitarum Petrum Epiſcopum iterum poſſet præficere.

Voto ille ſeſe obſtrinxerat, cathedra illa exſcẽdere, Religioni Prædicatoriæ nomen dare, & in eo Ordine, Chriſto ad vſq; finem vitæ militáre. Admiſit Pontifex Petri ceſſionem. Cæterum Vicario iniũxit, habitu Prædicatorio Petrum indueret, profiteri ſtatim volentem audiret, iterumq; Cathedræ Marochitarũ imponeret.

XX. AFFLICTVS STATVS ANGLIÆ PROCERVM CONSILIIS CORRIGITVR.

In Anglia, cum res totius Regni, & præſertim Eccl. per ſummam Petri Gauerſtonii improbitatem peſſum irent, omneſq; Proceres ſub inſolentia Petri ſuſpirarẽt, parum aberat, quin Regi Edouardo periculum crearẽt. Saniore tandem conſilio vſi, Regem ſine ſtrepitu adeuntes poſtularunt, vt Baronum ſuorum conſiliis regni negotia tractare velit, quibus è periculis ſibi & regno imminentibus, non ſolũ cautior, ſed tutior eſſe poſſet. Votis Principum Rex annuit, ad Comitium omnes euocauit, poſtulantibus poteſtatem fecit diſponendi quoſdam articulos reipub. & Eccleſiæ Anglicanæ perneceſſarios. Iuramento ſe deinde ad extremum aſtrinxit, ſeruaturum omnia quæcumq; illi ipſi decreuiſſent. Inter hæc Proceres, ſex Epiſcopos, & plures ex Clero viros prudentes, ſibi adiunxerunt, & ex communi conſilio, tenores magnæ chartæ & de Foreſta, pro libertatibus Eccl. ſiue innouarunt, ſiue amplificarunt: vt ab oppreſſione Eccleſiaſt. vindicarent. *Thom. Vualſingus hiſt. Angl. in Edouardo 11.*

XXI. BLANCÆ ARAGONVM REGINÆ LAVDATISSIMÆ OBITVS ET LIBERI.

In Aragonia Barcinone Blanca Aragoniæ Regina deceſſit pridie Idus Octobris, pudicitiæ laude & cæteris virtutibus clara, fæcunda prole. Iacobum, Alphonſum, Ioannem, Petrum & Raymundum enixa Regi eſt; filias totidem, Mariam, Conſtantiam, Iſabellam, Blãcam, Violantem. Blanca in Xixenæ cœnobio vitam exegit Virginibus præfecta: cæteræ variis coniugiis magnorum principum ſanguinem regiæ Aragonum familiæ propinquitatibus inſeruere. Defunctæ Reginæ corpus ad S. Crucis tumulatum eſt, nobile in Catalaunis cœnobium. Inferiæ regio apparatu magnifice datæ. *Marian. lib. 15. c. 9.*

XXII. MILITVM

In Oriente, milites S. Ioannis Hieroſolymitani, au-

S. IOANNIS HIEROSOLYMITANI INSIGNIS DE TVRCIS VICTORIA. TVRCICI IMPERII INITIA, PROGRESSVS ET PRIMI EIVS IMPERATORES.

xilio Magni Amædei Allobrogum Ducis, victoriam ingentem de Turcis Rhodum inſulam obſidentibus retulerunt. Non illubet Turcici imperii initia, repetere, ſtatumque imperii Orientalis hoc ſæculi auſpicio aſpicere.

Græcorum imperium per hæc tempora Andronicus obtinebat, Michaelis Palæologi filius, notum perfidia & impietate nomen, Diuis hominibuſq; inuiſum. Romana Religione eiurata, quæ à Græcis ſuperioribus annis ſuſcepta erat populariter, patrem in impiorum numero habuit; funeris honorem, iuſque ſepulturæ defuncto denegauit. Id imperii initium fuit, fauſtum ſcilicet atque præclarum: tanto in Latinam gentem odio, vt iuſta matrimonia non haberentur, Græcos inter Romanoſque iuncta, niſi prius à parte altera patriis ſacris abdicatis. Multi fidei damnati crimine grauiſſimo, apud Græcos ea tempeſtate. Iis ſceleribus vindicandis, Turcæ, hoc ipſo tempore certiſſima numinis ira excitati, gens eatenus obſcura, nunc noſtris cladibus illuſtris fama, ignauia magis Principum qui naſcenti incēdio occurrere potuiſſent, quam ſua ipſorum virtute. In Scythiæ ea parte, quam Volga flumē interfluit, eius gētis ſedes olim fuere. Inde ſalutis anno ſeptingenteſimo ſexageſimo, magno ſe numero in Europam infunderunt; prælioque cum Hungaris rerum potientibus cōmiſſo male accepti, in Aſiam tranſmiſerunt, locorum fertilitate inuitati, gentiſque ignauia, quam voluptates locorumque amænitates emollierant.

Iis in locis, montibus Turcæ occupatis, eorum munitione magis quam armis tuti, diu incolumes perſtiterunt, nulla celebres fama, nullo magni nominis Duce, latrocinio viuentes, ſtipendiaque facientes militia venali vnde maior ſpes oſtenderetur, cū à vicinis Principibus ad ferendam opem inuitabantur, præſertim ab Aegypti Sultano, iniuriæ opportuni, ſi fuiſſent, qui cōmunibus reipublicæ malis mouerentur. Sed præterita reprehendi magis, quam retractari poſſunt. Bello ſacros quod Gotifredi virtute in Syria ſuſceptum geſtūque eſt, nobiliores eſſe cœperunt ob eas clades, quas Chriſtinæ genti intulerunt, acceperuntque ipſi mutuo, diuiſi in plura imperia, reguloſque; donec hoc tempore Othomanus quidam Zichi filius, obſcuro quidem loco, cæterum animi magnitudine roboreque præſtās, aliis ſublatis oppreſſiſque magna ex parte Turcarum Ducibus, fuſam gentem palantemque Numidarum more, ſub vno imperio deuinxit.

Hic imperii Turcici noſtra tempeſtate latiſſimi, cōditor primus Othomanorum familiæ cognomen dedit. Ab hoc perpetua ſerie Turcarum Imperatores deducti, filii plerumque patribus, raro inter ſe fratres ſuccedentes, non ſemel Chriſtianos ſub iugum miſerunt. *Mariana lib.15.c.13.* Is Othomanos, cum anno ſuperiore Rhodum inſulam Turcis à militibus Hieroſolymitanis ereptam, indignante animo ferret, claſſe ingenti cōparata, omne robur exercitus, obſidendæ nec dum ad plenum inſtauratæ vrbi Rhodiorum admouit. Forti animo eam obſidionem milites tulerunt, donec Amædeus Cruceſignatorum copiis auctus adnauigaſſet. quo cum illi viribus iunctis erumpētes, Othomani claſſem diſiecerunt, pars in mare demerſis, pars in fugam coactis hoſtibus nominis Chriſtiani. Ab ea menſe Auguſto, & alia proximis diebus de Turcis parta victoria, Amædeus Magni cognomentum accepit, proque inſigni has quatuor literas ſibi adſcripſit, F. E. R. T. quod Fortitudo Eius Rhodum Tenuiſſet, ne iterum in manus Turcorum veniret. Cumq; prius Aquilarum imaginibus clypeos ſuos exornarent, has in Crucem candidam, rubenti in campo nitentem mutarunt. Quod non tam humanis viribus, quam ope Diuina hoſtem triumphaſſent. Ea victoria omnibus ſæculis memorāda, cum Regi Galliarum, ac aliis Principibus Chriſtianis ingentem voluptatem attuliſſet, tum vero ipſi Clementi Pontifici, per maximam, cui præ cæteris curæ fuerat vires Chriſtianorum contra Saracenos, & reliquos Chriſtiani nominis hoſtes coniungere atque opponere. *Boſſius parte 2. lib.1. hiſt.milit.Hieroſolymit.*

# IESV CHRISTI

## Annus 1311.

CLEMENTIS PAP.V. HENRICI ROMANORVM REGIS
Anno 6.& 7. Anno 4.

I. VIENNENSE CONCILIVM SVB CLEM. PP.

AD diem Calendarū Octobrium, Clemēs ſummus Pontifex Viennam Allobrogum venit. Amplius q̄ trecenti Epiſcopi, Patres atq; Prælati, præter Cardinales, & Alexandrinū, Antiochenumq; Patriarchas ex variis Orbis partibus ad Conciliū celebrandū acceſſere. Guillelmus Epiſc. Mimatenſis, alter ab illo qui Innocētii IIII. temporibus vixit, iubente Clemente libellum de rebus in Concilio definiendis præſcripſit.

II. GVILLELMI MIMATENSIS EPISCOPI LIBELLVS DE REBVS IN CONCILIO DEFINIENDIS.

Porro placet ſententiam Epiſcopi eiuſdem ſiue alterius fuerit cuiuſdam Prælati, in eodem Concilio ſuper articulis à Clemente Pontifice propoſitis audire: & ex ea tum actiones Concilii, tum ſtatum Eccleſiæ huius temporis, & præſertim Gallicanæ cognoſcere. Ita habet ad verbum, *in MS. Biblioth. vatic. nu.* 4177.

In nomine Domini amen. Anno Dom. 1311. Congregato Concilio Generali Viennæ, per ſanctiſſ. Dominū Clementem Papam quintum, menſe Octobri in prima ſeſſione ſua, quæ fuit decima ſexta die ipſius mēſis, primo propoſito verbo Domini, aſſumpto themate, *In cōſilio iuſtorum & congregatione; magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius.* Expoſuit dictus Papa tres cauſas, propter quas ipſe duxerat Concilium congregandum.

CAVSÆ COGENDÆ SYNODI.

Prima fuit, pro negotio Templariorum, & ordine eorum, qui ſuper variis hæreſibus, & nefandis errorib. fuerūt grauiter & multipliciter infamati, & multi proceſſus & inquiſitiones contra eos factæ.

Secunda, propter ſuccurſum, & ſubſidium Terræ ſanctæ.

Tertia, pro reformatione morum, & reformatione ſtatus Eccleſiaſtici.

De primo, ſc. de articulo Templariorum variis varia ſentientibus; aliis dicentib. & aſſerentibus, quod dicto ordini danda erat defenſio; nec debere tam nobile mēbrum Eccleſiæ, à corpore eiuſdem abſq; iuris rigore, & magna diſcuſſione truncari: aliis vero opinantibus, dictum ordinem deſtruendum, ſine aliqua tarditate. tum propter graue ſcandalum, contra dictum ordinem in tota Chriſtianitate exortum: tum quia contra ipſum multi errores & hæreſes per dictos proceſſus & inquiſitiones, pluſquam per duo millia teſtium reperiebantur eſſe probati. Quid autem ſenſerim circa dictum articulum, ſequitur in hæc verba.

Quamuis infirmitas proprii corporis, qualitaſq; loci ac temporis me grauiter affligentes, auferāt opportunitatem deliberandi plenius & ſtudendi, circa ea pro quib. Domin. noſter ſummus Pōtif. prout in ſua prima ſeſſione prædicta ſenatui expoſuit decreuerat: iſtud ſacrum Concilium celebrandum, tamen prout paruitati mei occurrere poteſt ingenii, mihi videbitur, ſalua ſemper auctoritate maiorum: quod quantum ad negotiū Templariorū & ordinis Templi attinet, Eccleſiæ Dei, & toti fidei Chriſtianæ mirabiliter expediret quod idē Dominus noſter, ſiue de rigore iuris ſiue de plenitudine poteſtatis, iſtum ordinē diffamatiſſimum, qui, vt ita dicam, odorem nominis Chriſtiani, quantum in ſe fuit apud incredulos & infideles fætere iam fecit, & nonnullos fideles in ſtabilitate fidei titubare, ſine tarditate aliqua, reiectis friuolis & calumnioſis allegationib. ſuper defenſione tollēda, ex officio ſuo omnino tolleret: bonis eius ordinis, diſpoſitioni ſedis Apoſtolicæ reſeruatis; & ſine tarditate dico: etiamſi à prima ſua inſtitutione fuerit ordo bonus. Cum dicat ſcriptura di. C. veterum. Quod ſi nonnulli ex prædeceſſoribus noſtris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerūt eſſe ſine culpa, & poſtea vertuntur in errorem, & ſuperſtitionem, ſicut de dicto ordine apparet, ſine tarditate aliqua, &

eius



eius magna auctoritate à poſteris deſtruantur: ſicut tam ibi, quam 4. Reg. XVIII. c. de Ezechia legitur, quod cōfregit æneum ſerpentem, quem Moyſes Domino iubente conſtruxit.

Et iterum bene dico, ſine tarditate; ne ex tarditate moroſa, ſcintilla huius erroris protumpat in flammam, quæ poſſet incendere totum orbem, & Fidem Catholicam non modicum denigrare, & accidat quod dicit Hieronymus, quod Arius vna ſcintilla fuit in Alexandria; ſed quia ſtatim oppreſſus non extitit, flamma eius totum Orbem populata. XXIIII. q. III. ſecundæ.

REFELLITVR CONTRARIA OPINIO.

Nec multum mouere debet Dominum noſtrum quod dicunt aliqui prædictum ordinem, qui Eccleſ. videtur eſſe membrum tam nobile, non debere ſine iuris ordine, & plena diſcuſſione truncari: cum, ſalua pace dicentium, & propter graue ſcandalum, quod in Eccl. Dei ex hoc Ordine iam eſt ortum, & ſemper vbiq; terrarum ex moroſa dilatione crebreſcit, non videtur tanta diſcuſſio requirenda, Veritate dicente Matt. 6. & 18. Si oculus tuus dexter, vel brachium dextrum ſcandalizant te, erue eos, & proiice abs te. Expedit enim vt vnū membrorum tuorum pereat, quam totum corpus. Itē etiam expedit dictum ordinem tolli alia ratione: videlicet ne eo remanente ſemper indigna facti memoria refricetur. Vnde ſuper illud Leuitici XX. Mulier quæ acceſſerit ad omne pecus, aſcendi ab eo, mulierem interficietis, & pecus morte moriatur: dicit Auguſtinus; Inde credendum eſt pecora iuſſa interfici, non quia peccauerunt, cum ſint irrationabilia, ſed quia tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam. Et eſt decretum XV. q. I. c. Mulier.

IV. EXAMINATVR SECVNDA CAVSA DE SVBSIDIO TERRÆ SANCTÆ.

De ſecundo, videlicet ſubſidio terræ ſanctæ: licet ad ſapientiſſimos viros in mundanis, & expertiſſimos in rebus bellicis, tractatus huiuſmodi amplius pertineat; quia tamen Dominus Papa circa hoc Prælatorum conſilium & deliberationem cum inſtātia requiſiuit, mihi licet imperito, & in tā arduis negotiis inexperto, quid prima facie videtur, propter bonum obedientiæ reformari, ſalua ſemper in omnib. authoritate maiorum, & conſilio ſaniorum. Quamquam n. dubitem nondum adueniſſe vel inſtare tempus liberationis Hieruſalem, cum videam tempora moderna, tum propter ſcelera & tranſgreſſiones populi Chriſtiani qui legem habent, & nihil de ea ſeruant, & qui leges ſapiunt ac faciunt, nec lege vtuntur: tum propter diſſenſiones, æmulationes & ſchiſmata, quæ & quas video inter ſe Chriſtianos habere, non fore multum bene diſpoſita: quia tamen non eſt noſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater in ſua poſuit poteſtate; & quia deuotio Templi, & maxime Domini ſummi Pontificis, cuius cordi iſtud negotium multū noſcitur inſidere, non eſt retrahenda in hac parte, ſed potius excitanda; idcirco in primo mihi videtur ꝙ ex tunc præfigendus eſſet terminus paſſagii generalis ad decem vel duodecim annos, prout ipſi Domino ſummo Pontif. & aliis ſapientib. videtur. Et ꝙ interim Crux, per prælatos, & alios viros idoneos per totam Chriſtianitatem prædicetur efficaciter & feruēter; conceſſa Cruce ſignandis indulgentia copioſa. Itē quod bona ordinis Templi, quæ adhoc ſpecialiter deputata fuerunt, adminiſtrentur interim, & recipiantur per Prælatos, videlicet per quemlibet in ſuis Ciuitate & diœceſi, vel per alias perſonas Eccleſiaſticas idoneas, ab ipſis deputandas ita libere, quod Reges, & alii Principes ſæculares, nullo modo de his ſe intromittāt; ſententiis latis in contrarium facientes.

Item, quod omnibus eleemoſynas & ſubſidia præbētibus ad ſubſidium & liberationem terræ ſanctæ, prædictæ, conferat Dominus noſter talem indulgentiam, qualem conceſſit Pictauiis pro Hoſpitalariis duraturā, vſque ad tempus paſſagio præfigendum. Et quod eleemoſynæ prædictæ faciendæ & ponendæ in truncis prędictis, iam per Hoſpitalarios factis & poſitis, quod omnia quæ iam in truncis prædictis ſunt poſita, interim recipiantur per Prælatos, vel alios deputādos ab ipſis. Item, ꝙ concedatur & ſoluatur quolibet anno vſq; ad tempus prædictū, de ꝓuentibus & redditib. Eccleſiaſticis dimidia decima, colligēda per prælatos, per quēlibet in ſua ciuitate & diœceſi: ita ꝙ ad hæc nullo modo aduocetur brachiū ſæculare: ex quo in caſu ſimilis Eccl. temporibus retroactis multum damnificatæ fuerunt. Ita quod durante dicto tempore, Eccleſiis vel perſonis Eccleſiaſticis non imponatur per ſedem Apoſtolicam, ſimilis vel alia quota ſoluenda de ſuis redditib. & prouentibus Eccleſiaſticis, pro ſubſidio terræ ſanctæ: vel alicui Regi aut Principi, hac de cauſa; vel alias ipſi Reges aut Principes dicto tempore hoc nō petāt, vel exigant, iure antiquo, vel conſuetudine, ſeu indulgentia ſibi conceſſa, vel concedenda. Et quod contrarium facientes compeſcantur per remedia opportuna ex nunc ad hoc adhibenda: alioquin extunc, à ſolutione dictæ dimidiæ decimæ ceſſaretur: cum Eccleſ. variis decimarum, & aliarum impoſitionum exactionibus, & in modis exigēdi eaſdem adeo grauatæ fuerunt tempore retroacto, quod maiorem impoſitionem non poſſunt æquo animo tolerare. Nec videatur ad pręſens iſtud ſubſidium nimis paruum; cū reperiatur alias in caſu ſimilis ſubſidii terræ ſanctæ, viceſima tantum conceſſa in alio Concilio Generali: cum nolint iura, propter ſuccurſum terræ ſanctæ Eccleſias enormiter aggrauari. Et credo, quod minor quantitas data, grata & hilari voluntate magis proderit, & efficacior erit ad dictum opus quā maior exacta à nolentibus, triſtibus & inuitis.

Item, quod quilibet Prælatus teneatur ſecum afferre, vel mittere ad Concilium Prouinciale quolibet anno celebrandum, in aliqua certa Ciuitate Prouinciæ, omnia quæ receperit, tā de bonis dicti ordinis, & eleemoſynis prædictis, quam dictam dimidiam decimam: & totum adunatum, reponatur in Eccleſia Cathedrali illius Ciuitatis, in bona & ſecura arca; cuius arcæ, Metropolitanus, & ſinguli ſuffraganei habeant ſingulis claues: & de depoſito fiat publicum inſtrumentum, Camerario Domini Papæ mittendum.

Item, quod aliquid de præmiſſis nullo modo aſſignetur, vel tradatur alicui cuiuſcunq; conditionis, aut ſtatus, ſiue dignitatis exiſtat, ſine literis ſedis Apoſtolicæ bullatis. Et quod Dominus noſter optime caueat, per ſententias, aliaſque, aduerſus quoſcunque, qui bona huiuſmodi ſiue poſtquā depoſita fuerint in æde ſacra, vel ante, per ſe, vel per alium, ſeu alios præſumpſerint occupare, vel Prælatos hac occaſione moleſtare.

V. TERTIVS ARTICVLVS DE REFORMATIONE MORVM ET DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ.

Tertius articulus eſt, ſcilicet de reformandis in Eccleſia Dei; altiorem & prolixiorem requirit tractatum; cum ſint infinita, adeo quod eorum non eſt numerus, nec finis.

Circa quæ ſcripſi aliqua, quæ videri & legi poterunt, locis & temporib. opportunis; & circa quæ ſi apponeretur remedium congruum, multum iudicio meo reformaretur & rectificaretur ſtatus vniuerſalis Eccleſiæ, & honeſtaretur Chriſtianæ religionis cultus, ac totius fidei Orthodoxæ.

Et licet iſte tertius articulus ſit vltimus in ordine, tamen præcedere debet ſecundum in executione. Quia prius extirpanda ſunt vitia, quam inſerēdæ virtutes; & prius placandus eſſet Deus & poſtea eius auxilium implorandum: quia ſcimus, quod Deus peccatores non exaudit.

Zelus Domus Dei, pariterque Chriſti charitas, mandatique Apoſtolici, (cui ſummopere obediendum eſt) vrgens neceſſitas, quædam ſubdere annexa, quæ iudicio meo in Eccleſia Dei per orbem terrarum longe lateque diffuſa, correctionis & reformationis, vt Domini ſummi Pontificis verbis vtar, curam expoſcunt, rudi ſtilo ſed fideli iuxta modulum ſcientiæ & ingenii paruitatem ſcribere me cōpellunt: vt eadem Domini ſummi Pontificis prouidentia, ſacro, approbante Concilio correctionem & directionem recipiant opportunam. Si aūt in ſcribēdis aliqua errore, ſeu erronee vel minus perfecte ſeu inſufficienter reperientur eſſe

dicta,

dicta, ſimplicitati & ignorantiæ ſcribendis, bonum zelum (nouit Deus) ſed forte non ſecundum ſcientiam habentis, non infidelitati vel malitiæ aſcribatur. quia in omnibus & per omnia ſidei Caholicæ, quam S. Romana tenet, docet & prædicat Eccleſia, etiam vſque ad ſanguinis effuſionem aſſentiens, correctioni & mandato ipſorum dicti Domini ſummi Pontificis, & Cõcilii tanquam filius obedientiæ me ſubiicio reuerenter.

VI. PROPONVNTVR VARII ABVSVS ET VITIA DIVERSARVM NATIONVM AC PERSONARVM IN ECCLESIA REFORMANDA.

In plerisq; Regni Francorum partib. irreligioſa conſuetudo, quin reprobandus inoleuit abuſus, videlicet, quod in dieb. Dominicis, & aliis præcipuis anni feſtiuitatibus maieſtati Altiſſimi dedicatis, in quibus populi Chriſtiani deberent ab operibus ſeruilibus ceſſare, ad Eccleſias conuenire, ſeruitio Diuino vacare, pabulum Dei permaxime ſibi neceſſarium à Prælatis & aliis quibus conceſſum eſt percipere, mercata & nundinæ, placita & aſſiſiæ celebrantur. Ex quo accidit, quod fideles populi magis carnalia quam ſpiritualia ſapientes, relictis Eccleſiis & diuinis ſeruitiis ibidem conueniunt, ſua mercimonia & litigia exercentes. Ex quo fit, quod illis ſacris diebus in quibus præcipue colendus eſſet Deus, colitur diabolus, Eccleſiæ remanent vacuæ, prætoria, tabernæ & ergaſteria, rixis, contumeliis, tumultibus, blaſphemiis, periuriis reſonant: ibidemque fere omnium generum ſcelera perpetrantur. Ex quibus ſequitur, quod lex Dei, articuli fidei, & alia quę ad religionem fidei Chriſtianæ, & ſalutem animarum pertinẽt, à fidelibus quaſi totaliter ignorãtur. Ex hoc Deus blaſphematur, diabol. reueretur, pereunt animæ, fides Catholica ſauciatur. Vnde ſuper tantis errore & abuſu perneceſſarium eſſet ſalubre remedium adhibere.

2. In nonnullis etiam eiuſdem Regni regionib. alia non minus damnabilis inoleuit cõſuetudo, imo potius corruptela; videlicet, quod Archidiaconi rurales Archipresbyteri, & Decani, iuriſdictionẽ Eccleſiaſticam exercentes, tam per ſe, quam per quoſdam ſubſtitutos viles, inſcios, & ignaros, Regni cœleſtis clauib. enormiter abutentes, homines pro paruis & leuib. cauſis, imo multotiẽs ſine cauſa, ſentẽtia excommunicationis percellunt; quæ cum ſecundũ Canones ſit æternæ mortis damnatio, & qua pœna nulla maior eſt in Eccleſia, nõniſi ꝑ mortali crimine, & à maiori iudice Epiſc. cũ maturitate promulgari deberet. Ex qua erronea corruptela, tantum excommunicationum inundat diluuium, ꝙ communiter in vna parochia, triginta, vel quadraginta, vt non dicamus ſeptuaginta (ſicut oculata fide vidi) reperiuntur, per tales iudices, poteſtatem clauiũ ignorãtes, variis, & vt plurimum iniuſtis excõmunicationum ſententiis irretiti. Ex quo accipitur, quod homines, cũ effrenata & monſtruoſa ſententiarum multitudine aſſueti tales ſententias omnino cõtemnunt, poteſtatem clauium vilipendunt, verba blaſphema & ſcandaloſa, contra Eccl. & miniſtros eius proferunt. Vnde iudices (quod grauiter eſt ferendum & cũ cordis amaritudine referendum) innumerabiles populos cateruatim ad barathrum ſecum trahunt; ſuper quo nihilominus ad obuiandum blaſphemiis, & ſcandalis, & animarum periculis eſſet per Eccl. remedium adhibendum.

3. Cum vero ſecundum Apoſtolum, *nõ ſit manus cito alicui imponenda*; Ex tranſgreſſione huius verbi, magnus hodie error reperitur in Eccleſia, dum innumerabiles perſonæ contẽptibiles, & abiectæ vita, ſciẽtia & morib. indignæ ad ſacros ordines, & maxime ad ſacerdotium ꝓmouentur. Ex quo fit, ꝙ totus ordo Eccleſiaſticus dehoneſtatur, miniſteriũ Eccleſiaſticum vituperatur, Eccleſia ſcandalizatur, dũ effrenata multitudo ſacerdotũ, maxime indignorũ, in Eccleſia, à laicis populis cõſideratur. Ex quorũ execrabili vita, & pernicioſa ignorãtia infinita ſcandala oriũtur, ſacramẽta Eccleſiaſtica à laicis contemnuntur. Vnde in prerisq; partibus apud laicos, ſacerdotes Iudæis viliores & contẽptibiliores habẽtur. Et licet circa tam leuem manuum impoſitionem, multa iura prouiderint; iudicio tamẽ meo adhuc prouiſione opus eſt: quia dicta iura peſſime obſeruantur.

4. Cum autem ſecundum Canones, quib. etiam in hac parte ciuilia iura cõcordant, Monachi mũdo mortui, Deo aũt viuentes nullatenus ſe debeãt, iuxta Apoſtolum, ſæcularib. negotiis implicare, ſed clauſtro ſuo contenti (ſicut n. piſcis ſine aqua, ſic ſine clauſtro Monachus caret vita) iuxta nominis ſui interpretationem, ibidem ſoli & triſtes debeãt ſedere, & officio ſuo vacare; multi prohdolor nomine & habitu tantum monachi, de re autem & vita monachali in ſe nihil habentes, magis cum ſæculo mori, quam cum Chriſto in clauſtro viuere cupientes, in Prioratibus ruralibus, & alibi, bini vel trini malunt, quam in congregatione ſui Monaſterii cõuerſari. Qui poſiti extra clauſtra, ſicut equus effrænis abiecta obſeruãtia regulari, & diuinis officiis penitus prætermiſſis, per mercata & nundinas diſcurrẽtes, negotiationes & mercationes ſicut laici mercatores exercẽt, multaq; alia enormia, de quib. loqui verecundum eſt & turpe, ad deteſtationem ſui ordinis, & graue ſcandalum populorum cõmittere non verentur. Quare Eccleſiæ Dei, & eorum religioni pertinere iudicarẽ, vt oẽs tales Monachi, ſic per orbẽ diſperſi, & vagantes, reuocarẽtur ad clauſtrum; vel ſaltem de paruis Prioratib. dicti Monachi, vel plures congregarentur in vnũ; in quo iuxta illud, Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum; ſicut in principali Monaſterio regulariter, & illico ſe Domino famulari profiterentur. redditib. illorum paruorum Prioratuũ, principali Monaſterio, vel illi loco in quo adunarentur, vt præmittitur, applicatis. Sed vnum præmiſſis obuians, proculdubio impedit tantum bonum. Cum n. Prælati tales monachos, vel monachas, in quibus adhuc maius periculum vertitur, ad clauſtrum reuocare, aut in vnũ, vt dictum eſt congregare nituntur, fundatores illorum paruorum Prioratuũ, eorum bona in manu ſua capiũt, occupant, & inuadunt: aſſerentes ſe & prędeceſſores ſuos qui dicta loca, ob animarum ſuarum ſalutem & remedium fundauerunt, nolle ſeruitiis & ſuffragiis debitis defraudari. Circa ꝙ eſſet ſalubri remedio ꝓuidendũ.

5. De exceſſibus Exemptorum, & iniuriis, & præiudiciis, quę, & quas Pręlatis, & perſonis Eccleſiaſticis & aliis inferunt, in graue præiudicium animarum, non eſt ſub ſilentio tranſeundũ. Ipſi enim, (licet ſuper hoc per ſanctiſſimum Patrem Dominum Bonifacium ſummũ Pontificem pro parte ſit prouiſum) publice excommunicatos à ſuis Ordinariis, ad ſacramenta, & ſacramentalia admittunt, in ſuis Eccleſiis & Capellis. In eiſdem ẽt, diſpẽſationes clandeſtinas & benedictiones, quãdoq; inter perſonas excommunicatas, aut conſanguinitate vel affinitate coniunctas, ſeu aliis perſonis matrimoniali vinculo confœderatas celebrare non verentur, quod ſæpe vidi referri. Dum enim cauſa matrimonialis inter aliquas perſonas corã Ordinario verteretur, cauſa recte examinata & diſcuſſa, iamque in ianuis ſententiæ exiſtente, & vna ab alia perſona de iure ſeparari nõ debente, illa cui matrimonii conditio non placebat, cũ alia perſona damnabiliter contrahebat, & in capellis aliquorum exemptorum benedictionem nuptialem clandeſtine fieri procurabat. Et dum de talibus exceſſibus, & aliis enormibus flagitiis, de quibus non eſt dicendum per ſingula, ab Ordinariis arguuntur, de ſua exemptione confiſi, reddunt pro verbis humilibus, verba tumida & ſuperba. Et perſonæ ſic quidem, vt dictum eſt, cum graui animarum periculo, & ſcandalo plurimorũ, ſuo incæſtuoſo, ſiue adulterio, vel adulterino connubio permanentes, tandem ad barathrum delabuntur, & vt breuiter concludam; Non eſt qui eos corrigere valeat, confidenter delinquunt, & ad multa facinora eis frena laxantur.

Item penſiones, & procurationes antiquas, quas ex antiqua conſuetudine, vel inita conuentione cũ Prælatis, exhibere tenentur eiſdem, contumaciter ſoluere contradicunt.

Item, res & iura Eccleſiarum, & aliarum perſonarũ, maxime Eccleſiaſticarum quotidie occupant, vſurpãt,

&



& inuadunt. Et dum dicti Prælati, aliæq; perſonæ, maxime Eccleſiaſticæ; coram quo agant, non habeant: dũque per cenſuram Eccleſiaſticam eos coercere nõ poſſunt, iura ſua amittere compelluntur. Cum tædioſum ſit & oneroſum quotidie cõtra ipſos ad ſedẽ Apoſt. habere recurſum. Itẽ, cũ Priores maiores Monaſt. per diuerſas Prouin. & diœceſes conſtituti, de antiqua & inueterata cõſuetudine, cuius memoria non exiſtit, Prælatis Ordinariis locorum, procurationes ſeu penſiones loco procurationũ exhibere cõſueuerunt; denuo prætextu cuiuſdam priuilegii à Domino Bonifacio, vt aſſerebant cõceſſi, cum tacita veritate, & falſitate ſubiecta, vt à multis creditur interpretari, eaſdẽ ſoluere cõtradicunt: & Prælatis ad Prioratus ſuos accedentibus iuxta morem, vi armata, & armati cum ſuis complicibus reſiſtẽtes, eiſdem Prælatis, & ſuis ſequacibus, auſu temerario, imo furioſo mortẽ inferre conãtur, ſicut in plurib. eſt compertum: quod ſcio Dominum ſummum Pont. non latere, qui dum in minori ſtatu ageret, talia ſæpe vidit; & quid bonæ memoriæ Dominus Bonif. ſuper hoc ſenſerit & declarauerit, magis nouit.

6. Quia multi vita & morib. deteſtabiles, de diuerſis mundi partib. ad ſedem Apoſt. concurrentes, tam in forma pauperum, quã alias, beneficia cum cura, vel ſine cura quotidie impetrare noſcuntur, maxime in locis in quib. de vita eorum & morib. non habetur notitia: & à Prælatis, tamquam filiis obedientiæ mandato ſedis Apoſtolicæ obtemperantibus venerentur, inſtituti vel admiſſi ita deteſtabilem vel deformem vitam ducunt, quod ob hoc Eccleſiæ deſtruuntur, populi ſcandalizãtur, Dei Eccleſia blaſphematur, Prælati nõ poſſunt hodie bonis perſonis de beneficiis, nec beneficiis de bonis perſonis obſtante numeroſa multitudine talium impetrantium, prouidere. Ex quo fit, quod dicti Prælati, dum non habeant quid ꝓ meritis retribuant literatis perſonis, non inueniunt ſeruitores; ſine quib. prælationes ſuas recte adminiſtrare non poſſunt. Scio Cathedralem Eccleſiam tantum triginta præbẽdas habentẽ, in qua triginta quinq; vel plures, à viginti annis citra vacauerũt, de quib. Epiſc. qui dictis viginti annis & amplius, nõ abſq; magnis laborib. anguſtiis & tribulationibus Epiſcopatum rexerat, obſtãte impetrantiũ à ſede Apoſtolica multitudine, contulit tantũ duas, & adhuc ſunt in dicta Eccl. expectantes. Inſuper oẽs dignitates quæ in dicta Eccl. dicto tempore vacauerunt, contulit dicta ſedes maxime perſonis abſentib. qui nunquam ipſam Eccl. intrauerunt; & adhuc ſunt duo expectantes dignitates. Quid plura? Paruæ Eccl. Collegiatæ, in quibus ad Epiſc. collatio pertinet præbẽdarũ, quin ẽt Eccl. Parochiales impetrantib. adeo ſunt obiectæ; quod bonis clericis patriæ, peritis in diuerſis facultatib. nõ põt idem Epiſc. de beneficiis, nec magnis, nec mediis, nec minimis prouidere. Et cum ſint pauperes, nec ſubſidiũ ab Eccl. habere valeant, poſt prolixa ſtudiorum exercitia immenſoſq; labores; & qui amore ſciẽtiæ aliquando ſua patrimonia deſtruxerunt, vrgẽte neceſſitatis articulo, & paupertatis ergaſtulo, ſpe fraudati, deſperati, aut matrimonia contrahere, aut ad Curias ſæculares & conſilia Principum, in graue Eccleſiæ detrimentum ſe transferre coguntur: & iſti ſunt, qui Eccl. & Eccleſiaſticas libertates, quaſi contempti ab eis acrius perſequũtur. Heu, mittuntur ad Eccl. vel perſonæ milites, peregrinæ linguæ, barbaræ nationis: vel ſi ſunt bonæ perſonæ & vtiles, nunquam in eiſdem reſident Eccleſ. ſed in Rom. Curia, aut Regiis, aut Principum Curiis cõmorantes, per priuilegia fructus beneficiorum percipiũt: qui eiſdem Eccl. de nihilo ſeruiunt, ſed fruſtra panem doloris comedentes, exquiſitis coloribus ab ipſis Eccl. ſe abſentãt: de quorum numero ſunt quamplures, qui nunquam viderunt Eccleſiarum in quib. obtinent beneficia Crucifixum. Vnde hodie iuxta illud, ſcriptũ eſt, *relinquitur ſola Sion ſicut vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario*. Et rurſum; *Poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam*. Qua de cauſa ipſæ Eccleſiæ rurales ruinæ, periculis, & deſolationis extremæ diſpẽdiis, omni conſilio & auxilio deſtitutæ, lupis rapacib. exponũtur; à filiis vipereis decimæ, iura, bona eorum diripiuntur, inuaduntur, occupãtur; priuilegia, immunitates, & antiquæ conſuetudines violantur, eneruantur, annihilãtur. *Nec eſt qui aſcendat ex aduerſo, & opponat ſe murum pro domo Iſrael*. Quin etiam modernis temporibus in Eccleſia Dei, ſuorum abſentia mutilata, diuini cultus periit officium & iuxta ſcripturam, *Senes de portis deſierunt, & iuuenes de choro pſallentium*. Vnde *verſus eſt in luctum, & carmen lugubre, chorus eius*; pauperib. patriæ Eccleſiarum largitio conſueta ſubtrahitur; pie fundantium, ſeu donantium voluntates propulſo pietatis officio defraudãtur.

7. Ad hæc vero non eſt quædam inconueniens abſurditas, quæ vniuerſalis Eccleſiæ robur & fortitudinẽ annihilat, eiuſque decorem & pulchritudinem exterminat, & eneruat, eamq; mutilat & detruncat, non eſt ſilentio tranſeunda. Cum n. tam ſecundum iura diuina, quam humana, ſingula Eccleſiaſtici iuris officia ſint ſingulatim ſingulis cõmittenda perſonis. *Sicut enim in vno corpore* phyſico *multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita in corpore Chriſti* myſtico quod eſt Eccleſia, *multa membra ſunt*, ſecundum veridicam ſententiam Pauli. Vnde in eodem vnoq; corpore ſpirituali, committendum eſt hoc officium vni; aliud alteri conferendum: nec quantumlibet exercitato vni, vno tempore duarum rerum ſunt officia cõmittenda. Quia, *ſi totum corpus oculus, vbi auditus*, & cæt. Vnde lex ciuilis præmiſſis aſſentiens & concordans, hoc teſtatur, dicens, quod eodem tempore nõ ſunt honores in duabus ciuitatibus ab eiſdem gerendi. Hodie, quod cum dolore referendum eſt, vna perſona, aliquando minus idonea, quatuor vel quinq; in diuerſis Eccleſiis obtinet beneficia: id eſt quinq; vel quatuor dignitates, aliquãdo tres vel duas, quinimo, quod non eſt minimum inconueniens vel abſurdum, vna perſona cui ſecundum ſtatum ſuũ abunde ſufficeret vna canonia vel præbenda, decem vel duodecim in diuerſis Eccleſiis obtinet, & aliquãdo plures, ſicut vidi. Heu, aliquãdo vna perſona tot obtinet dignitates, perſonatus, vel officia, quod ex eis poſſet quinquaginta vel ſexaginta exercitatis & literatis perſonis ſufficiẽtiſſime prouideri. Ex quo pernicioſo abuſu ſequitur, deſtructio Eccleſiarũ, defectus ſeruitiorum Eccleſiaſticorum, eneruatio & diſſipatio ſtudiorum, quæ modernis temporib. vbiq; terrarũ depereunt, propter hoc quod bonis ſcholaribus exercitatum ingeniũ habentib. prouideri nõ põt per Prælatos.

8. Quid autem de pueris, qui omni diſcretione carentes, & quorũ ætas quid videat ignorat, tot obtinẽt dignitates & beneficia, referam, neſcio, niſi quod impletum eſſe videtur Iſaiæ Vaticinium ſic dicens; *Ecce Dominator Dominus exercituum, auferet ab Hieruſalem, & à Iuda, validum & fortem, Conſiliarium & ſapientem de architectis, & prudentem eloquij myſtici*. Et ſequitur: *Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis, &c.* Vtrum vero tales, tantam beneficiorum pluralitatem habẽtes periculum damnationis euadere valeãt, non determino: ſed à ſapientiſſimis & peritiſſimis Theologis, quorũ celebrior opinio non ignoratur, à plurib. requiratur.

9. Vt autem cum reuerentia S. Rom. Eccleſ. & ſedis Apoſt. loquar, multæ Eccleſ. in diuerſis mundi partibus hodie grauiter deſolantur, propter hoc, quod dignitates, & perſonatus, & eorum officia, à commorantibus in Rom. Curia detinentur, ibidem perpetuo remanſuris: quodq; inibi iterum, atque iterum, & quoties vacant, aliis Curialibus conferuntur. Et ſic tandem Eccl. ob ſuarum abſentiam perſonarum & carentiam defenſorum, exterminio & ruinæ irreparabili ſubiacebunt. Quod vtinã Domin. ſummus Põtif. & ſacer cætus Cardinalium, qui ſunt *animalia pennata, plena oculis ante & retro*, diligenter aſpicerent, *ac nouiſſima prouiderent*.

10. Prohdolor, in tali ſtatu ſunt Eccleſiæ conſtitutæ, quod in eis vacantibus vix reperiuntur perſonæ eligibiles: & ſi quandoque, quod raro nunc accidit, bona

perſona

perſona & idonea in eiſdem reperiatur latens, *ſicut lilium inter ſpinas*; tantũ excedit numerus malorum & inutilium perſonarum, quod non permitterent perſonam bonam ad prælationem aſſumi: ſed ſimiles ſimilibus applaudentes, eligunt ſibi *virum iuxta cor* ſuum, ad deſtructionem Eccleſiæ; & plebium ſubiectarum. Olim enim quando plures erant boni quam mali in Eccleſia, tunc electio quæ eſt quaſi ſecundum pluralitatem punctorum bona erat, & Canonica; plures enim erant qui eligebant Deo illis qui eligebãt diabolo. Sed modo fit è contrario. Quia plures ſunt mali, quam boni regulariter; & ſic frequẽtius eſt electio diabolica quam canonica non celebrata per S. Spi. inſpirationem, ſed per doloſam & machinoſam conſpirationem. Multi enim hodie introducuntur in Eccl. inſidioſe & doloſe; alij per impreſſionem & importunitatem potentiæ ſæcularis; alii per ambitionem & fictionem hypocriticæ ſimulationis: alii affectione ſanguinis & cognationis; contra Hieron. dicentem: Principatum in populos, nõ ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ. Et ſequitur autem, quod nunc cernimus plurimos hanc rem beneficio habere, non vt quærant eos in Eccleſiã columnas erigere, quos plus cognoſcũt Eccleſię prodeſſe, ſed quos vel ipſi amant, vel quorũ ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quiſpiam rogauerit. qui taliter intruſi, vix aut vnquã in prælatione bonum faciunt; non ædificant, ſed deſtruunt; non perficiunt, ſed corrumpunt. Difficile eſt enim vt bono peragantur exitu, quæ malo inchoata ſunt principio. Tales ambitioſi merito ſunt repellendi; quia ſecundum Gregorium *ſicut locus regiminis deſiderantibus eſt negandus, ita fugientibus eſt offerendus.* Et rurſus: *Sicut qui inuitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admouendus, ſic qui vltro ambit, vel importune ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus.*

Hodie autem iuxta parabolam quæ habetur Iudicũ vndecimo, *Oliua, ficus, & vinea* primatum refugiunt, ſecundum illud Ioannis Chryſoſtomi; *Quicunque deſiderauerit Primatum in terra, inueniet confuſionem in cœlo:* Rhãnus vero, qui ſecundum Magiſtrum in hiſtoriis eſt genus rubi aſperrimi nimis aculeatum ſicut ſentes: & ſecundum Ioſephum, ad nutum venti de ſe naturaliter ignem producit, primatum non refugit, ſed deſiderat, & ambit dicens; *Si vero me regem conſtituitis, venite, & ſub vmbra mea quieſcite,* & cætera quæ ibidem continentur.

11. Vtinam eligentes, vel confirmantes indignos ad prælationem, punirentur pœna Canonica etiam cum augmento; vt pœna docente cognoſcerent quantum crimen ſit quibuſque, & longe extra ſacerdotale meritum conſtitutis paſtorale faſtigium, & gubernationem Eccleſiæ credere: quia non eſt hoc conſulere populo ſed nocere, non parare regimen ſed augere diſcrimen. *Integritas enim præſidentium, ſalus eſt ſubditorum*, vt Leo Papa ait. Et ſequitur; quod ſi in quibuslibet Eccleſiæ gradibus, prouidenter ſcienterque curandum eſt, vt in domo Domini nihil ſit inordinatum; nihil præpoſterum; quanto magis enitendum eſt, vt in electione eius, qui ſuper omnes gradus conſtituitur, non erretur. Nam totius familiæ Domini ſtatus & ordo mutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Vnde nihil eſt quod magis Eccleſiæ noceat, quam quod indigni aſſumantur Prælati ad regimen animarum. Cum enim per ignorantiam cæcati, aliis ducatum parare cæperint, ambo in foueam cadunt. Vnde dicitur in Pſalmo; *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua.* Cum enim obſcurantur illi qui præerunt, ad ferenda onera peccatorum; facile inclinantur ſequentes. Prælati tantum debent eſſe lux mundi, oculi Eccleſiæ, arietes gregis Domini, qui debẽt ingredi & egredi ante gregẽ, & ouibus paſcua procurrare. Vnde dixit ille ſapientiſſimus clericus loquens Prælatis: Vos eſtis Catholici gregis procuratores, Sal terræ, lux hominũ, ouium Paſtores, muri domus Iſrael, gentiũ Doctores, iudices Eccleſiæ, morũ correctores. Et ſequitur: Si deſit protectio gregis, grex labetur: Si ſal euanuerit, in quo ſalietur? niſi lux appareat, via neſcietur: niſi Paſtor vigilet, caula confringetur.

12. De donis & muneribus quæ excæcant oculos iudicum, & peruertunt corda iuſtorum, dico, prout ait quidam ſanctus ſc. Beatus Edmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſic inquiens: Per dona quæ nec data, nec accepta ſunt ſecundum Deum, corrupta eſt Chriſtianitas hodie. Deficient priuſquã hoc aduertant Chriſtiani, niſi ſe curare ſtuduerint ab hac peſte. Cupiditas enim quæ eſt radix omnium malorum, adeo hodie ramos ſuos & palmites ampliant, & maxime in Eccleſia Dei, quod fere totum mundum obumbrãt. Vnde multi, maxime Clerici, aurum quam ſolem gratius intuentur; eorum oratio & ſupplicatio ad Dominum, aurum quærit, ergo aurum bibant, iuxta illud; Craſſus aurum ſitiuit, & aurum bibit.

13. De monſtruoſa, & inhoneſta vita Clericorum modernorum, maxime beneficiatorum, expedit facere mentionem. Quoniam enim hodie deformiter viuant quamplrimi, in transformationem habituũ, nutritura comarum, vnguium & barbarum, in indiſciplinatione geſtuum, nemo poſſet ſufficienter admirari. Leua oculos tuos & vide, qualiter ſe gerant, in forma, imo in deformatura veſtium, tonſura crinium, apparatu menſarum, ferculorum & ciborum; quæ ſigna ſunt deformitatis mentium, iuxta illud; incompoſitio corporis, qualitatem indicat mentis. Vnde iuxta Bernardum: Clerici aliud eſſe, & aliud videri volunt: habitu milites: quæſtu Clerici, actu neutrum exhibentes. Nec enim pugnant vt milites nec Euangelizant vt Clerici; ventri ſuo non Chriſto Domino ſeruientes.

14. Sæpe vidi in Eccleſiis, quod eſt frequens apud Clericos execrabilis & extirpandus abuſus, quod Canonici & alii Clerici ad horas nummarias currentes, & iuxta deſideria cordis ſui per loca varia euagantes, tandem in fine horæ quando dicebatur, *Bened. camus Domino*, ad chorum reuertentes, ſtipendium horæ percipere abſque conſcientia minime formidabant. Vnde hac occaſione peruerſa in Cathedralibus & aliis ſolemnib. Eccleſiis ſæpe accidit, quod dum dicuntur horæ, chorus remanet vacuus, vix duobus vel tribus Clericis ad horas remanentibus, aliis extra chorum euagantibus, vt dictum eſt, in graue ſcandalum ſpectantiũ populorum. Alii, quod non eſt minus inconueniens vel abſurdum, in choro exiſtentes non vacant Pſalmodiis, ſed bini & trini confabulantur, verbis inanibus, riſu & cachinnis, & rumoribus recitandis ſe irreuerẽter occupãtes, diuinum ſeruitium cum multorum ſcandalo impediunt & perturbant. Et licet contra prædictos abuſus multa iura prodierũt, tamen iudicio meo eſſent pœnarum additione iuuanda: cum pœna exacerbari debeãt, quoties multis graſſantib. opus eſt exemplo.

15. Hæc & alia quæ vix ſermonib. poſſent explicari, videntur in Dei Eccleſia reformanda. Super quorũ ſingulis, difficile, vel quaſi impoſſibile foret de ſingulis remediis prouidere. Vnum tamẽ remedium generale ad præſens ſufficere videretur videlicet, quod dicta S. Patrum, ſtatura quatuor principalium Concil. videlicet, Nicæni, Conſtant. Epheſini, Chalcedon. nec non etiã Lateranenſ. maxime quantũ ad Cap. quod eſt de cõceſſ. præbend. *Nulla*: decreta Rom. Pont. tam in capite, quã in membris, ab omnib. integre ſeruarẽtur. & hoc faciẽdo videretur ſatis ſtatus Eccleſiæ reformatus: Quia Sp. S. inſpirati locuti ſunt S. Dei homines, qui ordinauerũt tẽpora Chriſti bono odore vſq; ad conſummationem vitæ. & benedico, in Capite. Nam licet Princ. legib. ſit ſolutus, nihil tamẽ ſibi tam proprium quã legib viuere. & digna vox eſt maieſtate regnantis, ſe legib. alligatum Principem profiteri. & rurſum dicit Leo Papa; quod totus familiæ Dom. ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, nõ inuenitur in capite. Hæc ille carcinomata Eccl. & præcipue Gallicanarũ Conc. oſtẽdebat.

VII. Nefaria

Ad XIII. Calen. Nouemb. in primo conſeſſu, Templariorum cauſa producta eſt, quorum nomen multis turpi-



Templariorvm scelera examinantvr in concilio.

turpitudinum maculis, infame eſſe cœperat inuidioſumq;. Cognoſcendi ſtatuendiq; Patrum collatis ſententiis negotium videbatur, quoniam ea res ad omnes pertinebat. Sęuę tempeſtatis initium in Gallia exortum eſt. Crimina inaudita non ſingulis modo, ſed vniuerſis totique Ordini obiecta. Accuſationis capita innumera erant; hæc grauiſſima, Chriſtum eiurare eſſe ſolitos, virginem Matrem, Cœlites omnes, cum primum ſeſe ad eum Ordinem adiungebant. Per eum ſe ſalutem habituros, Deum ve eſſe negare, ſuorum ſcelerum pœnas Crucis morte ſoluiſſe. Crucis ſignum, Chriſti Dei imaginem ſputo, lotio, pedib. fœdare conſueuiſſe; ſanctiſſimis præſertim diebus, quib. Chriſti cruciatus memoria recurrit, quo maior cõtumelia eſſet. In ſanctiſſima Euchariſtia Chriſti corpus eſſe, idq; & cætera Chriſtiana Sacramenta repudiare. Ne à ſacrificis quidem myſtica verba proferri, cum diuina hoſtia ſacrificare videbãtur, quaſi inutilia, hominumq; commento excogitata. Magiſtrum Ordinis Generalem, aliosq; ſingulis cœnobiis præfectos, quamuis presbyteri non eſſent, peccata omnia condonandi poteſtatem habere. Catum in conuentu apparere ſolitum, quaſi religioſum venerati, plenumq; numine. Præterea idolum aliquando triceps, aliquando vniceps, aliquando etiam cranio demortui hominis pelleq; contectum. Ei diuitias, incolumitatẽ, bona omnia accepta ferre. Chordã eius idoli contactu ſacram corpori inuolutam geſtare, cauſa ſc. ominis. Auerſæ libidinis licentia, & patientia par. Impuriſſimas inter ſe corporum partes deoſculari, in omne fas & nefas auidos, idq; honeſtatis ſpecie tanquam iure conceſſum, probitati conſonum. Eius Ordinis amplificationẽ numero copiisq; curaturos omni conatu iurare, honeſti inhoneſtiq; nullo diſcrimine. Alia, quæ referre tædet horretq; animus. *Villaneus, Antoninus, & alii* à calumnia defendunt: fama frequentior & ſenſus prope omnium damnat. Diuitias quibus aucti immenſum erant, malo fuiſſe aiunt: ſiue copia voluptatum virtutum indole, quibus res tantas terra marique perfecerant, extinctæ; ſiue ex ea re inuidia apud populum conflata, apud Principes ſpe lucri. Tam cito in omne improbitatis genus publice degeneraſſe, vix eſſet credibile, niſi Clemẽtis diplomata quæ plurima extant, indicio eſſent famam haudquaquam vanam fuiſſe, affirmantis duos & ſexaginta ex eo Ordine ſe coram quæſtione habita, ſcelera quæ enumerata ſunt faſſos, veniam petiiſſe. Primi indices, duo ex eodem Ordine extitere; Prior Monfalconii in agro Toloſano, Noffus exul Florentinus, auctores haud ſatis idonei, vt teſtimonio multorum vulgatum eſt. Acceſſere alii. In his ipſius Pontificis Clementis cubicularius, qui vndecimo ætatis anno ad eum Ordinem adiunctus, viſa factaq; referebat. Accuſationis capita pridem ad Regem miſſa Pictauium, vbi cum Clemente Pontifice erat.

VIII. Comprehensi in Gallia aliqvi igne cremantvr.

Vno tempore, quaſi inde ſigno dato, Templarii omnes comprehenſi in Gallia ante annum tertium Octobr. die XIII. de iis quæſtiones tormentis habitæ. Plerique, aut omnes dulcedine vitæ, aut ex ſcelerum conſcientia, crimina de quibus accuſabantur, confeſſi ſunt. Dãnati quam plurimi, ac viui igne cremati. In his ſummus Ordinis Magiſter Iacobus Mola Burgundus, cum ad ſupplicium raperetur ſententia pronunciata, propoſita quamuis vitæ ſpe impunitateque ſi veniam ſupplex palam peteret, huiuſmodi verba feciſſe probatæ fidei auctores affirmant. *Ego*, inquit, *extremo vitæ tempore, cum inutili mendacio locus eſſe non debet, vera eſſe nego, ac per omnia numina iuro, quæ de Templariorum impietate criminibuſq;, & ante iactata, & nunc recitata ſunt. Ordo n. ille ſanctus, iuſtus, ac Orthodoxus eſt, ego tamen extremo ſupplicio dignus, qui Pontifice Regeq; hortantibus, flagitia impia ſceleraq; emẽtitus ſum in Ordinem meum de religione Chriſtiana optime meritum. Quod vtinam, ô vtinam factum non eſſet. Sed quod vnũ ſupereſt, meis delictis, ſi veniæ locus eſt, ignoſci poſtulo, vltroq; grauiores etiam pœnas depoſco; ſi quo modo diuinum numen patientia placare, apud homines miſericordiam hac calamitate mouere poſſim. Vita mihi precaria quid opus eſt; tanto præſertim ſcelere impietateque ad quod prouocor retenta?* Multos alios idem palam dixiſſe ferunt, in eo numero Delphini Viennenſis fratrem nobiliſſimum, cuius nomen intercidit, de facto haud ambigitur.

Ioannis Boccatii error de Iacobo Mola Templariorvm Magistro flammis exvsto.

Falſus in pleriſque *Ioannes Bocatius* de Certaldo in his quæ de Iacobo Templariorum Magiſtro in ſuo *de caſibus virorum Illuſtrium lib. 9.* reliquit: incitatus vt videtur ſtudio factionis Gibellinæ, cui hoc vnum propoſitum cum Dante Aligerio Pontifices Romanos in inuidiam adducere. Dabo tamen verba eius de Iacobo, & de inſtituto Templariorum. Hæc ſunt iſta ipſa.

Aiunt veteres poſt ſubactum à Gothofredo Clariſſimo Lotharingiæ Duce Hieroſolymitanum Regnum, quoſdam pios homines, & militari diſciplina conſpicuos, eo quod peregrinos veneranda loca deuotione viſitantes Turcorum incurſionib. & latrociniis infeſtare videret, Deo ſuam militiam deuouiſſe, & apud Hieroſolymam commorantes peregrinantibus vltro ſua ſubſidia impendebant. His primo numerus paruus, & Magiſter vnus, & voluntaria paupertas, & habitatio in porticibus templi fuit, ex qua etiam ſortiti cognomen. Succeſſu temporis cum plurimi pio operi adhærerent, ab Honorio ſummo Pontifice pallium album pro habitu, & vitæ regula conceſſa eſt. Cui pallio poſtmodum ab Eugenio ſucceſſore rubra Crux ſuperaddita, cui militarent clarius argumentum præbuit. Sane dum penes eos paupertas nouerca libidinum viguit, militia, votum, & viuẽdi exhibita norma optime obſeruata, facti ſunt ſanctitate florẽtes. Attamẽ dum pio labori vndiq; Chriſtianorum opes affluenter opem afferrent, ſenſim militantium mentes ſubintrare delitiæ atque libidines cœpere. Et vti à principio relictis perituris diuitiis homines ſacrum ſubibant onus; ſic in proceſſu quaſi ad paratos theſauros cœperunt impatientes inopiæ euolare. Inde caſtris, vrbibus, & populis imperare, ſibi quietem, ſeruis bella committere, & militiæ magiſtratum oneris olim officium, in honorem potiſſimum ſublimare. Nec dubium, quantum augebatur potentia, tantum minuebatur & ſanctitas. Quibus ſic in decliuium à virtute labentibus, Iacob. de quo ſermo futurus eſt, Burgundus origine, & ex Dominis Molar genitus ingentis animi iuuenis, cum lege Gallica filio natu maiori ceſſiſſent omnes paternæ dignitates, pauper effectus, excuſſurus iam imperantis fratris iugum, vt aliquando ad maiora poſſet extolli, ad præparatum refugium ſc. Templariorum militiam ſe contulit. In qua pręfectus Prioratui ditiſſimo perſeuerans, moriente Magiſtro interuẽtu Principum ab his quorum iuris erat in Magiſteriũ ſublimatus emicuit. Equidem non paruum humani ſplendoris inſigne. Tam fulgido ergo faſtigio ſanxit fortuna plurium ruina huius ſaturate liuores: actumque eſt, vt Philippi Francorum Regis, cuius filium ex ſacro fonte ſuſceperat indignationem incurreret, & ob auaritiam, arbitratum, eundem Philippum non ſolum in Iacobum, verum in omnem militarẽ Ordinem conſpiraſſe. Qua conuentum eſt, vt permittente Clemente Quinto Pontifice ſummo Templariorũ Primates omnes vna & eadem die Philippi iuſſu per omne eius regnum capti detinerẽtur vna cum Iacobo Ordinis tã ingẽtis Magiſtro. exinde præſidiis Regiis occupata Templariorum oppida, & theſauri ornatus omnes cum omni ſuppellectile, & ſic homines in Regiam poteſtatem redacti captiuiq; demum ducti Pariſios. Quibus ſeruatis in vinculis cum varia & obſcena obiecta eſſent, & fruſtra cuncta negãtibus pro ſalute ſua ſuaſiones appoſitæ aſſerentibus, quod ſi iuſti iudicis daretur copia, ſe in contrarium probaturos. Rex irritatus exarſit, iuſſitq;, quod blanditiis extorqueri non poterat experetur tormẽtis. Quib. in geſtis incaſſũ. Magiſtro cum trib. ſociis reſeruato, cæteri ſi in propoſito perſeuerent damnati incendio coram deducti ſunt. Erat omnibus vti ſanguinis claritas, ſic & ætas florida, & robur animi inconcuſſum. Verũ cum poſt longam ſed friuolam examinationem iuſſu Regis ſinguli

eſſent palis ſingulis alligati, & circum lignorum ſtrues appoſita, & ante oculos ſtaret ignis, & carnifex. & voce præconis confitenti promiſſa ſalus atq; libertas, nemini ex omnibus ab amicis & neceſſariis orantibusq; perſuaderi potuit, vt irato cederet Regi, & confeſſione ſua ſuæ parceret vitæ, potius quam tam obſtinate iret in ſuam pernitiem. Itaque cum vnanimes ſæpe dicta firmarent, cœperunt tortores vni & reliquis ſubſequenter primo vngulæ pedis admouere ignem, & inde paulatim aſcendendo per omne corpus deducere, ob quod quanto cruciatu affligerentur miſeri, voces imo mugitus oſtendebant aſtantibus facile, in quibus ſe veros Chriſtianos aiebant, & ſanctiſſimam eorum eſſe ac fuiſſe religionem. Et ſic omne corpus exuri atque conſumi vſque ad exhalationem ſpiritus permiſere, nec vnus à tam conſtanti propoſito cruciatu ſeparari potuit; dicerem eos tam perſeueranti fortitudine auari Regis viciſſe perfidiam, in eo moriendo tendiſſent, quo eius appetitus inexplebilis cupiebat. Eſto vero minor ob hoc eorum gloria fuerit, ſi recto præeligentes iudicio inter tormenta potius defeciſſe, quam aduerſus veritatem dixiſſe maluere, aut iuſte quæſitam famam turpiſſimi ſceleris confeſſione maculaſſe. Hæc ergo in deiectum Iacobum prima fuere fortunę iacula, qui cum tædio diuturni carceris eſſet arctatus, Lugdunum deductus, & exhortationibus variis ſuaſus quędam ex oppoſitis, Clementi ſummo Pontifici confeſſus eſt. Quãobrem retractus Pariſius, dum coram duobus Legatis ex latere, & Rege ſententia legeretur, per quam & ſua liberatio, & Ordinis ſui damnatio apparebat, ipſe cum vno ex ſociis, qui Delphini Viennenſis frater erat, petiit alta voce ſilentium. Quo conceſſo, audiente multitudine circumfuſa, ſe voce integra perſancte mori dignos teſtati ſunt, non eo quidem quod ea quæ legebãtur aliquando commiſiſſent, verum quoniam ſuaſionibus ſummi Pontificis Regisque ſe ſeducere, & in infandam perituræ gloriæ cupiditatem trahere adeo permiſiſſent, vt primo tam celebrem Ordinem; tam ſacra religione conſpicuum, tam longa Patrum obſeruatione probatum turpi maculaſſent mendacio: ac deinde tot inſignes viros, tot fortes commilitones, tot ſocios, tot fratres, ante ſe pro veritate conſumptos decepiſſent damnanda ſuggeſtione decepti. Hinc acris in deletionem Templariorum ſecuta ſententia. Et Iacobus cum fratre Delphini reliquis duobus in deteſtabilem vitam relictis ad ſupplicium illatum cæteris deductus eſt. Quod ambo, Rege ſpectante intrepide & conſtanter ſubiere, nihil aliud quouſque illis ingentes ſpiritus ſuffecêre, quam qui dudum occubuêre teſtantes. Hactenus Boccatius, in hoc falſus, quod Clementem Pontificem, mentitur, illos, ad confeſſionem falſo impoſitorum criminum, pollicitationibus adduxiſſe. Sed ad reliqua Templariorum cap. narranda pergo.

IX.
ALII REBELLANTES IVSSV CLEMENTIS PONTIF. VINCTI.

Proximo deinde anno ſcil. Dominicæ Incarnationis 1309. pridie Kalend. Auguſt. literæ à Pontifice datæ, quibus inquirendi in Caſtellæ Templarios, Compoſtellæ & Toletano Archiepiſcopis poteſtatem permiſit, adiuncto Aymerico Inquiſitore ex Prædicatorio Ordine à quo Directorium Inquiſitorum editum extat, aliisque Præſulibus. In Arragonia idem negotium Epiſcopis Raymundo Valentino, Someno Cæſaraugustano, datum eſt. Idem in reliquis prouinciis toto Chriſtiano Orbe factum, eo temperamento, vt inquiſitione habita, de ſumma rerum in Conciliis tantum prouincialibus cognoſceretur. Magna turbatio; ingens Templariis eorumq; neceſſariis luctus, noua ſpes aliis ex eorum calamitate. In Arragonia correptis armis arcium ſe munitione tueri conſtituerant, variæ militum manus ad eos comprehendendos abs Rege miſſæ, ad mentionem propter loci munitionem, maxima belli moles incubuit, vincti Templarii, ferroque vincti. In Caſtella Rodericus Iuannis Ordinis Promagiſter, ſociiq; omnes, à Gonſaluo Toletano Præſule, ad dicendam cauſam vocati, vincula iniecta abs Rege omnibus, bona eorum occupata, penes Epiſcopos tanquam ſequeſtres depoſita, vſque ad cognitionem cauſæ. Salmanticæ in Vectonibus Patrum Concilium habitum eſt. Rodericus Compoſtellanus, Ioannes Oliſſiponenſis, Vaſcus Idigitanus, Gonſaluus Zamorenſis, Petrus Abulenſis, Alfonſus Ciuitatenſis, Dominicus Placentinus, Rodericus Mindonienſis, Alfonſus Aſturicenſis, Ioannes Tudenſis, Ioannes Lucenſis affuerunt, de vinctis atq; ſupplicibus quæſtione habita, cauſaque cognita, pro eorum innocentia pronunciatum communi Patrum ſuffragio. Ad Pontificem tamen Romanum, & ad Concilium Viennæ indictum, reiecta totius rei deliberatio ſumma, *Mariana lib. 15. cap. 10.* Itaq; tum ex Hiſpaniis, tum ex Italia, Gallia, Anglia, Germania, aliisque regnis ac Prouinciis, ab Epiſcopis & Fidei Quæſitorib. informationes in ſcripta publica redactæ, in primo Patrum conſeſſu Viennenſis Concilii propoſitæ, cognitionem cauſæ Templariorum ex integro poſtularunt.

X.
QVID IN SECVNDO CONCILII CONSESSV ACTVM.

In eadem Patrum prima congreſſione, expeditio vltra marina conſtituta; Regibus Chriſtianis & præſertim Philippo Galliarum decimatio Eccleſiaſticorum redituum permiſſa: Prædicatoribus poteſtas cruce ſignandi facta: indulgentiæ, immunitates, atque priuilegia ſuppetias ferentibus, multo autem ampliores cruce ſignatis transfretantibus conceſſæ. In eodem conſeſſu, de libertate Eccleſiaſtica, & reformatione Cleri actum. *Ciaccon. in Clemente V.* Tum ad extremum contra hæreticos Quæſitoribus hæreticæ prauitatis multa præſcripta multa conceſſa. In ſpecie contra Beguardos & Beguinas iſtud quod adiungo decretum, ſancitum.

DECRETVM CONCILII ADVERSVS BEGVARDOS ET BEGVINAS HÆRETICOS.

*Ad noſtrum (qui deſideranter in votis gerimus, vt fides Catholica noſtris proſperetur temporibus, & prauitas hæretica de finibus fidelium extirpetur) non ſine diſplicentia grandi peruenit auditum, quod ſecta quædam abominabilis, quorundam hominum malignorum, qui Beguardi, & quarundam infidelium mulierum, quæ Beguinæ vulgariter appellantur in regno Alemanniæ (procurante ſatore malorum operum) damnabiliter inſurrexit: tenens & aſſerens doctrina ſua ſacrilega & peruerſa, inferius deſignatos errores.*

*Primo, videlicet, quod homo in vita præſenti, tantum & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit. Nam (vt dicunt) ſi quis ſemper poſſet proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inueniri.*

*Secundo, quod ieiunare non oportet hominem, nec orare, poſtquam gradum perfectionis huiuſmodi fuerit aſſecutus: quia tunc ſenſualitas eſt ita perfecte ſpiritui & rationi ſubiecta, quod homo poteſt libere corpori concedere quicquid placet.*

*Tertio, quod illi qui ſunt in prædicto gradu perfectionis, & in ſpiritu libertatis, non ſunt humanæ ſubiecti obedientiæ, nec ad aliqua percepta Eccleſiæ obligantur: quia (vt aſſerunt) vbi ſpiritus Domini ibi libertas.*

*Quarto, quod homo poteſt ita finalem beatitudinem, ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vita obtinebit beata.*

*Quinto, quod qualibet intellectualis natura, in ſeipſa naturaliter eſt beata. Quodque anima non indiget lumine gloriæ, ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.*

*Sexto, quod ſe in actibus exercere virtutum, eſt hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à ſe virtutes.*

*Septimo, quod mulieris oſculum (cum ad hoc natura non inclinet, eſt mortale peccatum. Actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt, maximè cum tentatur exercens.*

*Octauo, quod in eleuatione Corporis Ieſu Chriſti, non debent aſſurgere, nec eidem reuerentiam exhibere: aſſerentes, quod eſſet imperfectionis eiſdem, ſi à puritate & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderent, quod circa miniſterium ſeu ſacramentum Euchariſtiæ, aut circa paſſionem humanitatis Chriſti aliqua cogitarent. Nonnulla etiam alia ſub ſimulata quadam ſan-*





*ctitatis ſpecie dicunt, faciunt, & committunt, quæ oculos diuinæ maieſtatis offendunt, & graue in ſe continent periculum animarum. Cum autem ex debito commiſſi nobis officii, huiuſmodi ſectam deteſtabilem, & præmiſſos ipſius execrandos errores (ne propagentur vlterius, & per eos corda fidelium damnabiliter corrumpantur) extirpare ab Eccleſia Catholica neceſſario habeamus: Nos ſacro approbante Concilio, ſectam ipſam cum præmiſſis erroribus damnamus & reprobamus omnino; inhibentes diſtrictius, ne quis ipſos de cætero teneat, approbet, vel defendat. Eos autem qui ſecus egerint, animaduerſione canonica decernimus puniendos. Porro diœceſani & illarum partium Inquiſitores hæreticæ prauitatis, in quibus Beguardi & Beguinæ huiuſmodi commorantur ſuum officium circa eos diligenter exerceant, inquirentes de vita & conuerſatione ipſorum, qualiter ve ſentiant de articulis fidei, & Eccleſiæ Sacramentis. In illos vero quos culpabiles repererint (niſi abiuratis ſponte prædictis errorib. pœnituerint, & ſatisfactionem exhibuerint competentem) debitam exerceant vltionem.* Hactenus ſententia contra Beguardos.

XI.
PETRI IOANNIS HÆRESIS.

Cæterum cum per idem temporis Petri Ioannis hęreſes vulgarentur, paſſimque audirentur eius impia dogmata. 1. Quod Dei Patris filius humanum corpus paſſibile, & animam intellectiuam ſeu rationalẽ, ipſum corpus vere, per ſe, & eſſentialiter informantẽ, non aſſumpſit. 2. Quod Dei filio adhuc viuenti latus lancea miles perfodit. 3. Quod anima intellectiua non eſt forma corporis. 4. Quod baptiſmus non eſt communiter tam paruulis quam adultis perfectum remedium ad ſalutem. 5. Quod tam paruulis quam adultis in baptiſmo, gratia & virtutes non conferuntur.

XII.
DAMNATA EA DECRETO CONCILII A CLEMENTE PP. ET ALIIS PATRIBVS.

Hæc & alia eius infanda dicta, Clemens vna cum Patribus condemnauit, hoc edicto, de dogmatibus Fidei oppoſitis, promulgato. Ita habet.

*Fidei Catholicæ fundamento, præter quod (teſte Apoſtolo) nemo poteſt aliud ponere, firmiter inhærentes, aperte cum ſancta matre Eccleſia confitemur vnigenitum Dei Filium in his omnibus, in quibus Deus Pater exiſtit vna cum patre æternaliter ſubſiſtentem partes noſtræ naturæ ſimul vnitas (ex quibus ipſe in ſe verus Deus exiſtens, fieret verus homo) humanum videlicet corpus paſſibile, & animam intellectiuam, ſeu rationalem, ipſum corpus vere per ſe, & eſſentialiter informantem aſſumpſiſſe ex tempore in virginali thalamo, ad vnitatem ſuæ hypoſtaſis & perſonæ. Et quod in hac aſſumpta natura, ipſum Dei verbum pro omnium operanda ſalute, non ſolum affigi Cruci, & in ea mori voluit: ſed etiam emiſſo iam ſpiritu perforari lancea ſuſtinuit latus ſuum, vt exinde profluentibus vndis aquæ & ſanguinis, formaretur vnica & immaculata, ac virgo ſancta mater Eccleſia coniunx Chriſti. Sicut de latere primi hominis ſoporati Eua ſibi in coniugium eſt formata: vt ſic certæ figuræ primi & veteris Adæ (qui ſecundum Apoſtolum eſt forma futuri) in noſtro nouiſſimo Adam, id eſt Chriſto veritas reſponderet. Hæc eſt inquam veritas, illius prægrandis Aquilæ vallata teſtimonio, quam Propheta vidit Ezechiel animalibus cæteris Euangelicis tranſuolantem; Beati Ioannis videlicet Apoſtoli & Euangeliſtæ, qui Sacramenti huius rem geſtam narrans & ordinem in Euangelio ſuo dixit: Ad Ieſum autem cum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura; ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua: & qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius: & ille ſcit, quia vere dicit, vt & vos credatis. Nos igitur ad tam præclarum teſtimonium, ac Sanctorum Patrum & Doctorum communem ſententiam Apoſtolicæ conſiderationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) aciem conuertentes, ſacro approbante Concilio, declaramus, prædictum Apoſtolum & Euangeliſtam Ioannem rectum in præmiſſis factæ rei ordinem tenuiſſe, narrando; quod Chriſto iam mortuo, vnus militum lancea latus eius aperuit.*

*Porro doctrinam omnem ſeu poſitionem temere aſſerentem, aut vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectiuæ, vere ac per ſe humani corporis non ſit forma: velut erroneam, ac veritati Catholicæ inimicam fidei, prædicto approbante Sacro Concilio reprobamus. Definientes, vt cunctis nota ſit fidei ſynceræ veritas, ac præcludatur vniuerſis erroribus aditus, ne ſubintrent, quod quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis ſeu intellectiua, non ſit forma corporis humani per ſe, & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus.*

*Ad hoc, baptiſma vnicum baptizatos omnes in Chriſto regenerans, eſt (ſicut vnus Deus, ac fides vnica) ab omnibus fideliter confitendum. Quod celebratum in aqua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, credimus eſſe tam adultis, quam paruulis communiter perfectum remedium ad ſalutem. Verum, quia quantum ad effectum baptiſmi in paruulis, reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuiſſe: quibuſdam ex ipſis dicentibus, per virtutẽ baptiſmi paruulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferre: aliis è contra aſſerentibus, quod & culpa eiſdem in baptiſmo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, & ſi non pro illo tempore, quoad vſum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti (quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem ſecundam (quæ dicit tam paruulis quam adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes) tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem, ſacro approbãte Concilio duximus eligendam.* Hæc in Concilio, inprimis, Clemens, pro integritate fidei Catholicæ ſanciebat.

XIII.
HENRICVS ROM. REX MEDIOLANI OB MILITVM SVORVM GRASSATIONEM IN CAPITIS DISCRIMEN ADDVCITVR.

Interim apud Inſubres, Henricus Rex Romanorum, periculum non modicum adierat. Nimis graue populis videbatur, non tam Henrici præſentiam, quam militũ quos adduxerat inſolentiam multis menſibus tolerare. Non enim tantum in fortunas Mediolanẽſium graſſabantur, ſed & honorem nuptis iuxta ac innuptis, ſacris ac prophanis temerandum ſibi deſumpſerant. Accidit & præterea iſtud intolerandum, quod Henricus tum omnia impune fieri ſuſtineret, tum graue vectigal ciuitati imperaſſet. Itaque ſeruitutem grauiorem ſe pati, non vero ad libertatem vocari cum intellexiſſent, vel ſanguine Henrici atque ſuorum, ſeſe aſſerere ex oppreſſione decreuerant. Aliquem auerſa libidine infamem ignibus exurendum, die deſignato ſtatuerant: eo conſilio, vt palatinis omnibus ad ſpectaculum confluentib. Henricum præſidiario milite deſtitutum inuaderent, trucidarent. Dubio procul irruentes occidiſſent, niſi Fratres Teutonici ſanctæ Mariæ, & Leopoldus Dux Auſtriæ vna cum ſuis, per medios imbres lapideos, perque tela & lanceas ad palatium euaſiſſent, tumultuantemq; coniuratorum turbam, cędibus promiſcue factis ſubmouiſſent.

XIV.
MEDIOLANO DISCEDENS VARIAS VRBES OBSIDET, CAPIT ET IN DEDITIONEM ACCIPIT.

Non amplius itaque ſibi Mediolani ſubſiſtendum Henricus exiſtimans, Matthęo Vicecomiti adminiſtratione vrbis relicta, menſe Aprili, Cremonam obſidione cinxit; Geneuenſem deinde Epiſcopum cognatione ſibi deuinctum, cum turmis ad Patauinos, qui à Bononienſibus ſteterant, coercendos miſit. Ab eo Vicentia, quę Patauini iuris erat, capta: præſidium arcis fugatum: Patauini metu perculſi ſeſe fidei tradiderunt, Cæſareum Præfectum admiſerunt, numeratis centum millibus aureorum mulctæ nota. Veneti eundem Antiſtitem, ingenti cum honore ſuſceperunt, in tiaram Romanam talenta Veneta mille appenderunt, ſellam argenteam auro circumlitam Henrico ſubmiſerunt, claſſem ad traiiciendum in Apuliam & Brutios exercitum obtulerunt. Eadem in ciuitate ipſum inſigne capitis ſolido ex auro confectum, coronam variis maximique pretii gemmis ornantibus. Cremonenſes ad famam ſuccedẽtium rerum exterriti, vrbem Henrico dediderunt, tributum imperatum numerarunt, muros & caſtella ciuitatis demoliri paſſi ſunt. Cremonenſi bello confecto, Brixienſi vrbi exercitũ admouit. In ea obſidenda, variæ vtrinque clades acceptæ. Valramus Regis frater equitum Magiſter, ictu ſagittę percuſſus, inter reliquos proceres interiit. Funus apud Diuum Barnabam curatum, quod templum nondum ciuitate clauſum eſſet. Secundum Vualrami cædem, obſeſſi audacius erumpere, negligentius incautiuſque rem agere. Multi eorum intercepti, ſecuri percuſſi ex primorib. quadraginta; Galeatius cognomento Bruſatus, quod fidem Henrico fefelliſſet, quadrigarum violentia diſtractus. Cadauerum ingentes ſtrues, ex grauiore odore, Theutonicorum exer-

citum peſtilentia infecerant. Plurimi eorum variis ex ægritudinib. moriebãtur, alii à corrupto aere, diffugiebant. Pertinaci tamen propoſito Henricus vrbi incubabat, ſi quomodo conſtantes animi frangeret. Neque multo poſt voti compos fuit. Obſeſſi fracti, & Cardinalis Fliſci interceſſione ſpem veniæ conſequuti, in Henrici voluntatem conceſſerunt, mœnibus vrbem nudarunt, viginti millia nummum aureorum tributi nomine numerarunt, centum delectos ex ciuib. obſides dederunt. Ad diem XVI. Kal. Octob. ceſſit ea victoria. ſed valde magno, nempe vix quarta parte exercitus ſuperſtite. Brixia recepta Henricus, Cremonam reuertens, Præſides vrbib. impoſuit: Mediolano Mapphæum ſeu Matthæum Vicecomitem, Veronę Scaligerum, Parmę Gilibertum Corrigium, Mantuæ Paſcatinum Bonopoſum. Ciuitates Hetruſcæ, Guelpharum partium, Florẽtia, Senę, Luca, Piſtorium, cum Bononienſib. fœdus inter ſe aduerſus Henricum ſanciuerant: ac fidei Roberti Neapolitanorum Regis ſeſe crediderant. Florentini Præſidium equitũ Hiſpani generis CCCC. quos à Roberto acceperant, Bononiam deſtinarant, Senasque & Luccam alio milite ſubmiſſo muniuerant, ſi forte ea Regione Henricus ſtatuiſſet in Hetruriam irrumpere. Sed & quicquid Gibellinorum in ciuitatibus Guelphis verſabatur, exactum. Æmiliam vniuerſam Robertus Rex præſidiariis militibus, contra omnem iniuriam, pro ſede Apoſtolica armauerat. Italia vniuerſa vel à violentia Germanorum metuebat, vel ſub auaritia audaciaq; Præfectorum Imperalium iuxta ac Regiorum ſuſpirabat. Cum etiam Henricus non minus trepidaret, quod pręſertim accepiſſet, Mareſcallum Roberti Regis, cum duobus millib. equitum in Hetruriam Florentinis & Lucenſibus auxilio aduolaſſe, & ciuitates iniurię depellendæ cauſa, ſocietatem armorum iniuiſſe.

PRÆSIDES VRBIBVS CAPTIS IMPONIT.

XV.
MITTIT LEGATOS AD CLEMENTEM PP. A QVO GENVÆ EXCIPITVR.

Itaque Legatos ad Clementem Pontificem, qui eum ad repetendam vrbem Romanam inuitarent, ire iuſſit: ſed nihil obtinere potuit, Clemente celebrando Concilio occupato. Pratẽſi tamẽ Cardinali pacandæ Italiæ, inaugurandique Regis, ſingulari mandato negotium commiſſum. Interim Henricus ad diem vndecimum Calendarum Octobrium, maximo apparatu Genuam inuectus, Principis & Domini nomine ſuadente adeoque iubente Clemente Pontifice ſalutatus, Opicinum Spinulam & ſocios vrbi reſtituit, componendis diſcordiis incubuit, centumq; millia aureorum pro ſe, pro regia vero coniuge viginti extorſit. Ea quum in ſequente menſe grauiter ęgrotare cœpiſſet, res humanas reliquit. Elata tumulataq; ſolemnem inter pompam, apud Diui Franciſci cœnobium, fœmina pudicitiæ ſingularis, ſpectatæq; religionis, *ex Conrado Vecerio de Henrico VII. Imp. Flauio Blondo dec. 2. l. 9. Alberto Argentinen. in Chron. Platina & Ciaccone in Clem. V.*

XVI.
IACOBVS REX ARAGONVM AD EVNDEM CLEMENTEM LEGATOS DESTINAT ET AFFLICTVM GRANATENSIVM STATVM EI PRÆSCRIBIT.

Hoc anno Iacob. Rex Aragonum, Petrum Queraltum, Petrum Builium, & Guilielmum Aulomarium Legatos ad Clementem Pontificẽ & ad Patres Concilii Viennenſis deſtinauit, qui Apoſtolicę Sedis opem operamque, ad res maritimas bellicasq; in aſſerendo Sardiniæ & Corſicæ regno, inque Granatenſi bello contra Mauros reuocando, implorarent: Quod ſuprema benignitate, anteceſſores Clementis, Bonifacius VIII. & Benedictus XI. Eccleſiaſticas decumas in eos ſumptus permiſiſſent. Qualis Granatenſium rerum ſtatus eſſet, Pontifici Maximo, & vniuerſo Patrum cœtui referebãt, remq; commemoratione poſteritatis maxime dignam aſſerebant. Cum Granatenſis ciuitas, eiusq; vrbis populus, illo ipſo tempore ad CC.M. incolarum cenſeretur, vix quingentorum capitum numerum impleuit, qui Mauri ſtirpe eſſent: reliqui vero patre, aut auo Chriſtianam fidem profeſſis nati. Præterea L.M. cenſa eorum hominum, qui fidem pietatemq; Catholicam eiurarãt; & ſupra XXX. M. Chriſtianorum qui in ergaſtulis aut latomiis in cuſtodia concluſi, mortem quotidie ob oculos obuerſantem expectabant, *Surita in Indic.*

XVII.

Eodem anno Clemens Pontifex 1. cum Legatos à Latere in vrbem mitteret, formulam iuramenti, ex qua Henricus ſacramentum Eccleſiæ Romanæ diceret, modumque inaugurationis illius præſcripſit. Inſuper Henricum Regem vt ex præſcripto ritu, ius iurandum coram Cardinalib. delegatis præſtaret, & quatuor exempla eiuſdem, ac priuilegii Sedi Apoſtolicæ dari conſueti ſubſcripta, ſigilloque aureo munita relinqueret, admonuit. 2. Eundem Henricum Regem Romanorum electum, vt à nouis vectigalibus, præſertim in prouinciis Arelatẽſi & Viennenſi abſtineret, hortatus eſt. 3. Genuenſibus, & aliis Romano Imperio ſubiectis ciuitatibus, vt dicto Henrici Regis Romanorum obtemperarent, Apoſtolica auctoritate præſcripſit. 4. Mediolanenſes, anathemate ꝓpter Henricum Regem violatum dãnatos, pœnitentes facti exſoluit, & Eccleſiaſticæ communioni reſtituit. 5. Ad conciliandos Guelfos Gibellinoſque, & ad obedientiam à ciuibus Romano Imperatori ſubiectis Hẽrico electo præſtandam, Legatum in Etruriam & Lombardiam deſtinauit. 6. Cenſum è Regno Siciliæ, à Friderico Rege Trinacriæ exegit: vtque idem Rex; in inſula Ferbarum, nouas Eccleſias exſtruere, ornare, dotare, ditareq; poſſit, Archiepiſcopo Meſſanenſi, licentiam concedendi, poteſtatem fecit: inſuper, cui diœceſano ſubiacerent, deſignauit. 7. Inter Armeniæ & Cypri Reges, pacis conditiones confirmauit. 8. Ex Regno Sueciæ, pium illud vectigal, quod denarii S. Petri nomine vocabant, accepit. 9. Ludouico Sabaudo, poſtulante Henrico Rege, dignitatem Senatoriam vrbis Romanæ confirmauit, nihilque non pro pace Italiæ, & maieſtate Henrici egit: quamquam Henricus vbiq; locorum ſolis Gibellinis ſtuderet, tributis populos grauaret, adeoq; bellum tum excitaret, tum foueret.

SVMMARIVM GESTORVM CLEMENTIS PP. HVIVS ANNI.
1. ep. 56. & 753. & 754.
2. ep. 278.
3. ep. 59.
4. ep. 840.
5. ep. 62.
6. ep 813. & 15.
7. ep. 777.
8. ep. 3.
9. ep. 51.

XVIII.
LONDONENSIA COMITIA IN CAVSA RERVM ANGLIÆ.

Hoc anno, poſt Natiuitatis Dominicæ ſolẽnia, Londonis in Anglia, ad Comitium indictum, vniuerſi Eccleſiaſtici & ſæculares Proceres conuenientes, Rege Edouardo præſente in Eccleſia S. Pauli decreuerunt, vt Magna, quam vocant, Charta, pro libertate Eccleſiaſticorum olim ab vniuerſis Ordinib. concepta, vna cum aliis articulis pro ſalute Regni Angelicani adiunctis, inuiolabiliter obſeruaretur. Alienigenæ è Curia, & ex vniuerſo Regno pellerentur. Peſſimi Conſiliarii à latere Regio excluderentur. Rex omnia Regni negotia, ex Cleri Magnatumque conſilio tranſigeret. Nullum bellum abſq; eorum conſenſu aut ſuſciperet, aut inferret. Neque extra Regnum, pedem, præter ſcientiam ac voluntatem omnium Principum efferret. Petrum Gauerſtonium omnium malorum incentorem, non tantum Palatio arceret, ſed & Regno eiiceret: & hæc omnia, ac alia, quæ publicam Reipubl. vtilitatem ſtabilitatemq; reſpicerent, Sacramento iuriſiurandi confirmaret. Aſſenſus eſt Rex omnibus, etſi non libenter volens; Archiepiſcopus autem Cantuarienſis Robertus, vna cum cæteris ſuffraganeis, anathema maranatha dixit, omnibus qui articulos conſcriptos aliqua ratione violarent. *Thom. Vualſingus hiſt. Angl. in Edouardo 2.*

XIX.
DISSIDIA INTER EDOVARDVM REGEM ANGLIÆ EIVSQVE PROCERES EXORTA, OB PETRVM GAVERSTONIVM, SEDARE SATAGIT CLEMENS PP.

Edouardus porro, etſi ſtatim publicato decreto, Petrum Gauerſtonium Regno eieciſſet, non multo tamen poſt illum reuocauit; & quidem in ſeditionem Proceres prouocauit, vt Petro necem accelerarint, atque tumultib. Regnum impleuerint. Cum vero grandis ſeditio inter Principes & Edouardum ferueret, propter Petrum illas illius delitias, aduenere duo Legati à ſummo Pontifice, Cardinalis videlicet S. Priſcæ, & Pictauienſis Epiſcopus, vt eos cum Edouardo reconciliaret. At illi præfracto animo literas à Pontifice miſſas recipere recuſarunt; alumnoſque ſe eſſe dixerunt militaris diſciplinæ neq; ſibi quicquam cum literis Pontificiis negocii. Rogati, vt ſaltem cum eis colloquia miſcerent; ea etiam auerſati ſunt; habere ſe domi reſpondentes, à quibus conſilium peterent, & non ab exteris, quibus res negotiaque Regni inexplorata eſſent. Accurate præterea cum Rege egerunt, vt poſſeſſiones Templariorum Rhodiis militibus addicerentur. Proceres vero reſtiterunt in principio; ſed aliquando poſt decre-





ta Parlamenti eadem omnia quæ illi poſſidebant, ipſis Rhodiis attribuerunt. *MS. Bibl. vatic. de reb. Anglic. num. 5586.*

XX.
1. IORDANIS PISANI VITÆ SANCTITATE CLARISSIMI ERVDITIO, OBITVS ET MIRACVLA.

Hoc anno XIV. Cal. Septemb. in humanis eſſe deſiit, B. Iordanes Piſanus, vita & miraculis, in Ordine Prædicatorum clariſſimus. Tantæ memoriæ fuit, vt omnia vtriuſq; Teſtamenti volumina, Breuiarium inſuper & Miſſale ſui Ordinis, ad minimum iota teneret. Eloquentia porro tam admirabili, vt ſuo tempore inter Etruſcos diuini verbi præcones primas obtineret. Lutetiam Pariſiorum ad Theologiam profitendam à ſuperioribus miſſus, Placentiæ tamen Æmilia ſpiritum Deo reddidit. Corpus Piſas relatum, & à populo ingenti cum plauſu & deuotione non ſine lachrymis receptum, & iuxta aram Diui Petri martyris in loculo marmoreo conditum, multis fulſit miraculis. Beneficia quę ab interceſſione Beati Iordanis fideles recipiebant, tabellis, & imaginibus cereis ad ſepulturam eius ex voto appenſis teſtabantur, tanta frequentia, vt omnes parietes Templi operirent. *Leander lib. 5. de Viris Illuſtribus, Ord. Prædic.*

XXI.
IOANNES HANNONIVS RARÆ HVMILITATIS ILLVSTRIS FLORET.

Eodem tempore apud Belgas floruit Ioannes Hannonius frater Comitis Guidonis Epiſcopus Vltraiectenſis, vir tantæ modeſtiæ, vt cum Clemens Quintus in Concilio Viennenſi, dignitatem Cardineam pręſente Philippo Rege illi deferret, is conſtantiſſime recuſarit, aſſerens ſe tanto oneri imparem, eaque dignitate indignum eſſe: raro moderationis animi exemplo. *Chro. Flandr.*

XXII.
FLORENTINI B. BARNABÆ APOST. RELIQVIIS DONANTVR.

Hoc ipſo anno Cardinalis Pelagura, ſacra pignora B. Barnabæ Apoſtoli, Florentinis magno pro munere miſit, quæ illi ſummo cum honore receperunt, & in altari Diui Ioannis, in Eccleſia Cathedrali condiderunt. *Ioan. Villaneus l. 9. c. 13.*

XXIII.
TVRCARVM EXERCITVS INGENTI PRÆLIO PROFLIGATVR DIVINITVS, OPERA PHILIS PALÆOLOGI.

Fere hoc ipſo anno, in Oriente, Andronici Imperatoris exercitus, non tam virib. pugnatorum, quam precibus & lachrymis piorum Deum flagitantium, Turcarum ingentes copias profligauit. Barbari poſt vnicam de Chriſtianis victoriam, ingenti ſuperbia elati, Thraciam fere omnem vaſtarant, & peſſime tractarant; vt Conſtantinopolitani & omnes Orientales Romani duobus propemodum annis mœnibus egredi, nec ad arandum, nec ad ſerendum auderent. Hæc res Andronico, eiuſque Michaeli filio Imperatoribus, luctum grauiſſimum attulerat. Nam de Romani exercitus auxilio prorſus deſperarant, vix tandem animaduerſa diuina, quæ illum propter ſchiſma comitabatur, animaduerſione. Dum vero de accerſendo mercenario extraneo milite deliberarent, & à Crale Principe Seruiæ auxilia expectarent, Deus nobilem quendam & Senatorium virum Andronici Imperatoris cognatum, Philem Palæologum excitauit; artibus quidem militaribus rudem, cæterum pietatis religionisque amantem, qui ab Imperatore petiit, vt ſibi in Romana caſtra ingreſſo, paruum exercitum colligere liceret, & centuriones ac tribunos deligere quos ipſe vellet. Prætereaque commeatum, qui & hominibus, & iumentis ſatis eſſet, ſpem enim firmam, ac minime dubiam ſe concepiſſe, fore vt Deo propitio victor, victis Barbaros rediret. Permiſit Andronicus Imperator, iuſtum eſſe Deum adiiciens, qui non tibiis viri delectaretur, neque magnitudine roboris, ſed afflicto ſpiritu, & humili animo; ac ſuo filio Michaeli propter parentum delicta nullam opem ferret: iſti vero fortaſſe laturum, honeſta vita & moribus prædito, qui diuinæ rei præ cæteris vacaret, & fere in templis auerſaretur & religionem ſumma obſeruatione excoleret. Pluris enim fieri apud Deum honeſtam & inculpatam vitam, quam vires armorum. Conuerſus enim quidam ſanctorum, dixit ſe vidiſſe in hoc orbe, non velocium eſſe curſum, non fortium eſſe bellum, non ſapientum panem, non prudentum diuitias, non intelligentium gratiam. Per tempus enim, omnes in caſus incidere ſolent. Collecto exercitu Philes, omnes quidem humanitate & liberalitate deuinciendos eſſe exiſtimauit; tum deinde illos vt ab omni flagitio ſibi temperarent admonuit, & poſtea Sacerdotibus vt Deum pro ſe atque exercitu deprecarentur, magnam pecuniam diſtribuit. Exploratis hoſtilibus copiis, cum in aciem ſuos equites & pedites eduxiſſet Philes, verbis & cohortationib. aciem obeundo confirmabat, ac multis hinc ipſe lachrymis diuinam opem implorabat, ne totum Romanum Imperium paulo momento funditus euerti pateretur. Exinde captiui gementes & vlulantes, feruentibus ſuſpiriis & fletib. Deum adiutorem expoſcebant. Tum igitur pedeſtres Romanorum copiæ, Barbarorum pedites comminus aggreſſi, feriebant & feriebantur, cædebant ac cædebãtur, acri vtrimq; dimicatione. Equites vero Barbaricos Philes cum fere omnes circumdediſſet, cum fortiſſimorum militum globo à latere totam hoſtium phalangem perrupit, in eamq; mediã irrupit, ac Barbaros adeo perturbauit, vt neq; conſiſtere poſſent, nec quid agendum eſſet, ſcirent. Sic vndiq; circumuenti & cæſi, pleriq; ceciderunt, paucis duntaxat equitibus elapſis, quos equites Romani vſq; ad ingreſſum Cherſoneſi perſecuti ſunt, vt ibi tanquam concluſos facile mactarent. Quo cum peruentum eſſet; & auxiliares, triremes quidem ab Imperatore, equeſtres autem copias à Triballis, & Latinis qui Galatæ erant, accepiſſent, facile victoria potiti ſunt. Nam poſtridie ſub mediam noctem, hoſtes abiectis armis, ad triremes plenis ſinibus & ſaccis decurrebant, Latinis enim ſolis, quod nihil ab illis mali timerent, vt quos nec ipſi læſiſſent, ſalutem ſuam credebant. Sed cum ea nox nebuloſa eſſet, neq; Luna luceret, pleriq; imprudentes, ad Romanos deuenerunt; ibique, dum fumum fugiunt, in ignem delapſi, erepta pecunia, ſtatim abſq; miſericordia trucidabantur. Latini vero ſupplices ſuos non quidem omnes occiderunt, ſed eos tantum qui pecuniæ plurimum attulerunt; ne ea prodita, à Romanis quæreretur. Cæteros, tum in vinculis habuere; deinde alios Imperatori attulerunt, alios inter ſe partiti ad ſeruitutem retinuerunt. *Niceph. Greg. hiſt. Rom. l. 7.*

EIVS PIVS AD BELLVM APPARATVS.

HORRIBILE FVLGVR ET TVRBO IN ANGLIA.

In Anglia, hoc anno, quarto Non. Septembr. viſum eſt fulgur horribile, ꝙ durauit ab hora nona diei per totam noctem ſequentem, magno cum tonitru & crebris ictibus. Exinde multis in locis arbores virentes aruerunt. Eccleſia quoq; Midletonii vna cum campanali, campanis, ornamentis, libris & monimentis Monachorum, quo tempore hi ipſi matutinis precibus interfuerant, ab eodem fulgure arſit. Nec multo poſt, ſcilicet pridie Nonas eiuſdem menſis Septembris, turbo vehementiſſimus exortus, multas arbores frugiferas, & aliquot turres proſtrauit: indubitato præſagio turbarum Regni Anglicani, *Thomas Vualſing. hiſt. Angl. in Eduardo II.*

---

# IESV CHRISTI
## Annus 1312.

### CLEMENTIS PAP. V. ANNO 7. & 8. HENRICI VII. Romanorum Imper. Anno 1.

I.
BONIFACIVS PP. IN CONCILIO VIENNENSI A CLEMENTE PP. ADVERSVS CALVMNIATORES INNOCENS PRONVNCIATVR.

AD XI. Cal. April. in trecentorum Patrum ſecundo & poſtea ad III. Non. Aprilis in tertio conſeſſu, Clemente Quinto Pont. Max. præſidente, & Rege Galliarum Philippo pulchro præſente cauſam Templariorum iudicarunt, tum deinde omnes Epiſcopi pronunciarunt, Bonifacium Octauum Pont. Max. non ita pridem defunctum, Catholicum, ac nulla hæreſis labe infectum fuiſſe: cum tres Cardinales, Richardus, Gentilis, & Ioannes Mamurrenſis, hic Theologus, illi Iuriſconſulti, multis argumentis probaſſent rem ita habere: & duo Equites Catalani Caroccius, & Wilhelmus cognomento Debolus ad ſingulare certamen prouo-

caſſent eum, ſi quis eſſet, qui Bonifacium hæreſis accuſare vellet. Dolebat iſtud vehemẽter Philippo pulchro Regi: quod permultum metueret, ne ea criminatio, quam ſuaſione ſuorum in Bonifacium innocentem ſuſceperat, ſibi vel poſteritati incommodaret. Quamobrem, ne alieno à Pontifice animo diſcederet, Clemens ipſe rem in ſuam curam ſuſcepit, extremamq; cauſæ Bonifacianæ cognitionem deſumens, ſanciuit; illatam Bonifacio à Columniis, vel à quocunque Regio adminiſtro iniuriam, Philippo Regi, hæredibuſque eius nunquam exprobratum iri. *Maſſonæ lib. 3. hiſt. Franc. in Philippo Pulchro, ex Ioanne Villaneo lib. 9. cap. 22. & Bernardo Guido Ordin. Præd. in Clemente V.* Addidit Clemens, eos Galli Regis adminiſtros qui articulos criminationum in Bonifacium defunctum ſcripſerant, non omnino iniquo animo ſed zelo acriore, licet non ſecundum ſcientiam flagrante adductos, ea crimina Pontifici innocẽti à falſis rumoribus affinxiſſe: Philippum Regem in captura Bonifacii nihil ſciuiſſe, nihil nocuiſſe, nihil admiſiſſe: Wilhelmum Nogaretum & reliquos Columniorum ſiuẽ Principes, ſiue complices, ſua ipſorum cauſa, in Bonifacium ſcelus perpetraſſe, innocentem inuaſiſſe, ſecurum cœpiſſe, immerentem carceri concluſiſſe, & reliqua infanda in ſummum hierarcham furore impio commiſiſſe, ſeductoreſq; candori Philippi & Gallicanorum quorundam impoſuiſſe; adeo vt hi vna cum Rege facile credulo, non tam ſua quam impoſtorum culpa, ea in Bonifacium tentarint, quæ tot annis, à tot linguis præcipitati, auſi erant.

EXCVSANTVR AB EODEM CALVMNIATORES BONIFACII.

RESCINDVNTVR ITEM ACTA BONIFACII IN REGEM AC REGNVM ANGLIÆ.

Ad extremum Clemens omnia quæcunque Bonifacius anteceſſor, in Regem ac Regnum Galliarum, quaſi in vindictam violatæ Pontificiæ maieſtatis ſtrinxerat, cum Philippum innocentem eius ſceleris oſtendiſſet, pronunciaſſetq; abrogauit, reuocauitque, & ex Tabulis Bonifacianis ac Regeſtris Romanæ Eccleſiæ expungi mandauit: cum primum libellos impoſturarum, contra Bonifacii memoriam temerario auſu cõſcriptos flammis tradidiſſet: & Guillelmum Nogaretũ auctorem & incentorem totius tragœdiæ, præſentem, crimina in Bonifacium à ſe admiſſa fatentem, & veniam humiliter deprecantem, anathemate exſoluiſſet, pœnitentique in ſatisfactionis locum, peregrinandi ad loca ſancta, & præſertim piam militiam in Palæſtina quamprimum exercitus cruce ſignatorum transfretaret, profitendi, exercendique neceſſitatem impoſuiſſet, ea cautione, vt nemo inferior Romano Antiſtite, illum hac neceſſitate liberare poſſet, *lib. 7. Regeſt. Clem. V. epiſt. 32. & Bernardus Guido in Clemente V.*

II. PATRES CONCILII DECERNVNT EXTIRPANDVM ORDINEM TEMPLARIORVM.

Secundum Bonifacii Pontificis innocentiam ſententia pronunciata, in eadem & altera ſeſſione Epiſcoporum, præſente Rege Galliarum vna cum fratre ac tribus filiis, Templariorum Ordinem extinguendum eſſe Patres decreuerunt; ex quorum conſilio Clemens Pontifex edictum quod adiungo ſexto Non. Maii promulgauit.

## SENTENTIA DE EXTINCTIONE TEMPLARIORVM, A CLEMENTE Papa Quinto lata, in Concilio Viennenſi.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*AD prouidam Chriſti Vicarii præſidentis in ſpecula Apoſtolicæ dignitatis circumſpectionem pertinet, vices penſare temporum emergentium, negotiorum cauſas diſcutere, ac perſonarũ attendere qualitates; vt ad ſingula debitum dirigens neceſſariæ conſiderationis intuitum & opportune manum operationis apponens, de agro Domini ſic vitiorum tribulos eruat, vt virtutes amplificet, ſic præuaricantium ſpinas tollat, vt euellendo plus plantet quam diſtruat, & in loca vacua per eradicationẽ nocentium tribulorum, deuota Deo plantamina transferendo potiorem præbeat de prouiſa, & vtili eorum locorum vnione, & translatione lætitiam, quam vera iuſtitia, quæ compaſſionem habet, doloris intulerit detrimentum perſonarum, & locorum huiuſmodi per ruinã, ſic enim ſufferendo quod officit, & ſubrogando quod proficit, virtutum profectus amplificat, & ſublata de medio meliori ſubrogatione reſtaurat. Dudum ſiquidem Ordinem Domus militiæ Templi Hieroſolymitani, propter Magiſtrum, & Fratres, cæteraſque perſonas dicti Ordinis in quibuslibet mundi partibus conſiſtentes, variis & diuerſis, non tam nefandis quam infandis (proh dolor) errorum & ſcelerum obſcœnitatibus, prauitatibus, maculis & labe reſperſos, quæ propter triſtem & ſpurcidam eorum memoriam præſentibus ſubticemus, eiuſq; Ordinis ſtatum, habitum, atque nomen, non ſine cordis amaritudine & dolore, ſacro approbante Concilio, non per modum diffinitiuæ ſententiæ, cum eam ſuper hoc ſecundum Inquiſitiones, & proceſſus ſuper his habitos non poſſemus ferre de iure, ſed per viam prouiſionis, ſeu ordinationis Apoſtolicæ, irrefragabili & perpetuo valitura ſuſtulimus ſanctione, ipſum prohibitioni perpetuæ ſupponentes, diſtrictius inhibendo, ne quis dictum Ordinem de cætero intrare, vel eius habitum ſuſcipere, vel portare, aut pro Templario gerere ſe præſumeret, quod ſi quis contrafaceret, excommunicationis incurreret ſententiam ipſo facto. Vniuerſa etiam bona Ordinis prælibati Apoſtolicæ Sedis ordinationi & diſpoſitioni, auctoritate Apoſtolica duximus reſeruanda. Inhibentes diſtrictius, ne quis cuiuſcũq; conditionis vel ſtatus exiſteret, ſe de perſonis vel bonis huiuſmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea in præiudicium Ordinis, ſeu diſpoſitionis Apoſtolicæ, per ſedem eandem vt præmittitur faciendæ, aliquid faceret, innouaret, vel etiam attentaret: decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus à quoquam ſcienter vel ignoranter contigerit attentari; ac poſtmodum ne dicta bona, quæ dudum ad ſubſidium Terræ ſanctæ, & impugnationem inimicorum fidei Chriſtianæ à Chriſti cultoribus data, legata, conceſſa, & acquiſita fuerunt, debita gubernatione carentia tanquam vacantia deperirent, vel conuerterentur in vſus alios quam in illos, ad quos fuerunt pia deuotione fidelium deputata, vel propter tarditatem ordinationis & diſpoſitionis huiuſmodi, eorum deſtructio, vel dilapidatio ſequeretur. cum fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Prælatis, ac etiam cum nonnullis excellentibus, & illuſtribus perſonis, cum reliquorum quoq; abſentium Prælatorum, & etiam Capitulorum, & Conuentuum, Eccleſiarũ & Monaſteriorum Procuratoribus in dicto Concilio conſtitutis, habuimus ardua, moroſa & diuerſa conſilia, & tractatus: vt per huiuſmodi conſiliorum, & tractatuum deliberationẽ præhabitã diligentem dictorum bonorum ordinatio, & diſpoſitio, ad honorem Dei, augmentum fidei, exaltationẽ Eccleſiæ, dictæ Terræ ſubſidium, ſalutem quoq; fidelium & quietem ſalubris & vtilis perueniret. Poſtq; vero lõga præmeditata, prouiſa, & matura conſilia, ſuadentib. pluribus iuſtis cauſis, noſtra & dictorum Fratrũ, necnon Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, ac excellentium & illuſtrium perſonarum prædictorum in dicto Cõcilio tunc præſentium deliberationes, & conſilia in hoc finaliter reſederunt, vt prædicta bona Ordini Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymit. & ipſi Hoſpitali, ac dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis eiuſdem, nomine Hoſpitalis, & Ordinis eorundem, qui tanquam athletæ Domini pro defenſione fidei ſe periculis mortis iugiter exponentes, oneroſa nimis & periculoſa diſpendia continue perferunt in partibus transmarinis, in perpetuum vnirentur. Nos igitur inter cætera mundi loca, in quib. vigere dignoſcitur obſeruantia Regularis, dictum Ordinem Hoſpitalis, & ipſum Hoſpitale ſinceræ charitatis plenitudine proſequentes, ac attendentes, quod ſicut euidentia facti in eo diuinis obſequiis feruenter inſiſtitur, pietatis & miſericordiæ opera vigilantibus ſtudiis exercentur, fratres Hoſpitalis ipſius, mundanis ſpretis illecebris, deuotum impendentes Altiſſimo famulatum, ac pro recuperatione terræ prædictæ, tanquam intrepidi Chriſti pugiles, feruentibus ſtudiis & deſideriis intendentes, quælibet ducunt humana pericula in contemptum. Conſiderantes quoq; quod ex hoc tanto eorundem Magiſtri, & fratrum dictorum Ordinis & Hoſpitalis creſcet ſtrenuitas, animorum feruor augebitur, & ipſorum roborabitur fortitudo, ad propulſandas noſtri Redẽptoris iniurias, & hoſtes eiuſdem Fidei conterendos, quanto ipſorum potentia in opulentioribus facultatibus augmentata, onera, quæ proſecutionis tanti negotii neceſſitas exigit, leuius & facilius poterũt ſupportare; & propterea non indigne vigiles redditi, ſtudiiſq; ſollicitis excitati, vt ad ſui ſtatus augmentũ, opem & operam impendamus, eodem ſacro approbante Concilio, ipſam domum militiæ Templi,*





*cæteraſq; domos, Eccleſias, Capellas, Oratoria, Ciuitates, Caſtra, Villas, Terras, Grangias, & loca, poſſeſſiones, iuriſdictiones, redditus, atq; iura, omniaq; alia bona immobilia, & mobilia, vel ſemouentia, cum omnibus membris, iuribus, & pertinentiis ſuis, vltra, & citra mare, ac in vniuerſis, & quibuslibet mundi partibus conſiſtentia, quæ ipſe Ordo, & dicti Magiſter, & fratres ipſius Ordinis militiæ Templi tempore, quo ipſe Magiſter, & nonnulli ex eiſdem Fratribus militiæ Templi, in regno Franciæ cõmuniter capti fuerunt, videlicet anno Domini milleſimo treceteſimo octauo, menſe Octobris, per ſe vel quoſcunq; alios habebant, tenebant, & poſſidebant, vel ad eoſdem, Domum, & Ordinem militiæ Templi, & dictos Magiſtrũ, & Fratres ipſius Ordinis militiæ Templi, quomodolibet pertinebant: nec non nomina, actiones, & iura quæ prædicto tempore captionis ipſorum eidem Domui, Ordini, vel perſonis ipſius Ordinis militiæ Templi quocunq; modo competebant, vel cõpetere poterant, contra quoſcunq; cuiuſcunq; dignitatis, ſtatus vel conditionis exiſterent, cum omnibus priuilegiis indulgentiis, immunitatibus, & libertatibus, quibus præfati Magiſter, & Fratres dictorum Domus & Ordinis militiæ Templi, & ipſa Domus, & Ordo per ſedem Apoſtolicam, vel per Catholicos Imperatores, Reges & Principes & fideles alios, vel quocumque alio modo erant legitime communiti, eidem Ordini Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani, & ipſi Hoſpitali donamus, concedimus, vnimus, incorporamus, applicamus, & annectimus in perpetuum, de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis: exceptis bonis quondam dicti Ordinis ipſius militiæ Templi conſiſtentibus in Regnis & terris chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum, Caſtellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, & Maioricarum Regum Illuſtrium, extra Regnum Franciæ, quæ à donatione, conceſſione, vnione, applicatione, incorporatione, & annexione prædictis ſpecialiter excipienda duximus, & etiam excludenda, ea nihilominus diſpoſitioni & ordinationi Sedis Apoſtolicæ reſeruãtes: inhibitionem dudum per alios proceſſus noſtros factam; ne quis videlicet cuiuſcunq; conditionis, vel ſtatus exiſteret, ſe de perſonis, & bonis huiuſmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea in præiudicium ordinationis, ſeu diſpoſitionis Sedis eiuſdem facienda de illis, necnon decreti noſtri interpoſitionem, quo ad perſonas, & bona in dictis Regnis, & Terris eorundem Regum proxime expreſſorum conſiſtentia, omnino manere volentes in pleno robore firmitatis, quouſque de perſonis, & rebus prædictis in eiſdem Regnis, & Terris conſiſtentibus, per diſpoſitionem Sedis eiuſdem fuerit aliter ordinatum. Occupatores quoq; dictorum bonorum, aut illicitos detentores cuiuſcunque ſtatus, conditionis, excellentiæ, vel dignitatis extiterint, etiamſi Pontificali Imperiali, vel Regali præfulgeant dignitate, niſi infra vnius menſis ſpatium, poſtquam ſuper hoc per dictos Magiſtrum, & Fratres ipſius Hoſpitalis, vel ipſorum quemlibet, aut Procuratorem, ſeu Procuratores eorum fuerint requiſiti dicta bona dimiſerint, illaq; plene ac libere reſtituerint Ordini ipſius Hoſpitalis; & eidem Hoſpitali aut Magiſtro; ſeu Prioribus, vel Præceptoribus aut Fratribus Hoſpitalis eiuſdem in quibuſcunq; partibus, & prouinciis cõſtitutis, eorumq; ſingulis, vel Procuratore, ſeu Procuratoribus eorundem eiuſdẽ Ordinis ipſius Hoſpitalis nomine, etiamſi dicti Priores, Præceptores, & Fratres ipſius Hoſpitalis, & Procuratores ipſorum, & eorum quilibet à dicto Magiſtro ipſius Hoſpitalis mandatum ſuper hoc ſpecialiter non haberent; dummodo Procuratores prædicti, à dictis Prioribus, & Præceptoribus, vel eorum ſingulis in Prouinciis & partibus, in quib. huiuſmodi Priores, & Præceptores extiterint deputati mãdatum ſuper hoc habuerint vel oſtenderint ſpeciale. Qui omnes & ſinguli, videlicet Priores, & Præceptores, & Fratres dicto Magiſtro, Procuratores vero prædicti, eiſdem Prioribus & Præceptoribus, eorumq; ſingulis, à quib. ſuper his fuerint deputati, plenum ſuper omnibus geſtis, actis, receptis & procuratis per eos quomodolibet in hac parte, cõputum & rationem ponere, & reddere teneantur: necnon omnes qui ſcienter occupatoribus & detẽtoribus prælibatis, in occupatione vel detentione huiuſmodi dederint conſilium, auxilium, vel fauorem, publice vel occulte, excommunicationis; Capitula vero, Collegia, ſeu Cõuentus Eccleſiarum & Monaſteriorum, necnon Vniuerſitates Ciuitatum, Caſtrorum, Villarum, & aliorũ locorum, & ipſas Ciuitates, Caſtra, Villas & loca, quæ in his culpabilia extiterint, ac etiam Ciuitates, Caſtra, Villas & loca, in quibus detentores & occupatores huiuſmodi dominium obtinuerint temporale. ſi huiuſmodi Domini temporales in dimittendo bona prædicta, & reſtituendo illa Magiſtro, & Fratribus Ordinis, & Hoſpitalis eiuſdem, nomine Hoſpitalis ipſius, obſtaculum adhibebunt; & infra dictum menſem ab huiuſmodi præmiſſis non deſtiterint, poſtquam ſuper hoc vt præmittitur, fuerint requiſiti, ipſo facto interdicti ſententiis decernimus ſubiacere; à quibus abſolui non poſſint, donec ſuper his plenã & debitam ſatisfactionem curauerint exhibere, & nihilominus occupatores, & detentores huiuſmodi, vel præſtantes eiſdẽ, vt præmittitur auxiliũ, conſilium, vel fauorem, ſiue ſingulares perſonæ, ſiue Capitula, Collegia, ſeu Conuentus Eccleſiarum & Monaſteriorum, ac Vniuerſitates Ciuitatum, Caſtrorum, Terrarum, vel aliorum locorum extiterint, præter pœnas præſcriptas omnib. quæ à Romana, vel aliis Eccleſiis quibuſcunque tenent in feudum, ipſo facto decernimus fore priuatos ſiue priuata. Ita quod ad Eccleſias, ad quas ſpectant, illa libere, ſine contradictione aliqua reuertantur; earumq; Eccleſiarũ Prælati ſiue Rectores, de ipſis pro ſua voluntate diſponant, ſicut vtilitati Eccleſiarum ipſarum viderint expedire. Nulli ergo, &c. noſtrorum, donationis, conceſſionis, vnionis, incorporationis, applicationis, annexionis, reſeruationis, inhibitionis, volũtatis & conſtitionis infringere, &c. Si quis autẽ, &c. Datũ Viennæ 6. Nõ. Maii Pontificatus noſtri anno ſeptimo.*

Publicato contra Templarios ſuperiore edicto, cũ illud Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus & aliis Eccleſiarum Prælatis ad exequendum Clemens deſtinaret, ſingulis quibus committebat, adiungebat iſtud quod adiungo mandatũ. *Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrum per vos, vel per alium, ſeu alios, præfatos Magiſtrũ, ſeu Priores vel Præceptores, aut Fratres Hoſpitalis eiuſdem, vel ipſorum quemlibet, aut Procuratorem, ſeu Procuratores eorum nomine Hoſpitalis ipſius in corporalem poſſeſſionem dictorum domus militiæ Templi, cæterarumq; domorum, Eccleſiarum, Capellarũ, Oratoriorum, Ciuitatum, Caſtrorum, Villarum, Terrarum, Grangiarum, & locorum, poſſeſſionum, iuriſdictionum, redditũ, atq; iurium, omniumq; aliorum bonorum, mobilium & immobilium, vel ſemouentium, cum omnibus membris, iuribus, & pertinentiis ſuis, vltra & citra mare, ac in vniuerſis, & quibuslibet mundi partibus conſiſtentium, quæ ipſe Ordo, & dicti Magiſter, & Fratres ipſius Ordinis militiæ Templi prædicto tempore huiuſmodi captionis eorum per ſe, vel quoſcunq; alios habebant, tenebant, & poſſidebant, vel ad eoſdem domum, & Ordinem militiæ Templi, & dictos Magiſtrum, & Fratres ipſius Ordinis militiæ Templi quomodolibet pertinebant inducatis auctoritate noſtra, & defendatis inductos, amotis prædictis occupatoribus, & detentoribus, ac adminiſtratoribus, & conſeruatoribus in bonis ipſis auctoritate Apoſtolica, & quauis alia deputatis, & quibuslibet aliis ab eiſdem, eiſque faciatis de illorum fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, & obuentionibus vniuerſis integre reſpondeti. Occupatores, ſeu detentores, adminiſtratores, conſeruatores, & alios prædictos, niſi intra dictum terminum, vt præmittitur, bona & redditus prædicta dimiſerint, illaque libere & plene reſtituerint Ordini ipſius Hoſpitalis, & eidem Hoſpitali, aut Magiſtro ſeu Prioribus, vel Præceptoribus, aut Fratribus Hoſpitalis eiuſdem in partibus, & prouinciis, vbi bona huiuſmodi fuerint, conſtitutis, eorumque ſingulis vel Procuratori, ſeu Procuratoribus eorundem; ipſius Hoſpitalis nomine, vt ſupra eſt præmiſſum, ac præſtantes occupatoribus, ſeu detentoribus, ac adminiſtratoribus & conſeruatoribus huiuſmodi auxilium, conſilium, vel fauorem, ſi ſingulares perſonæ excommunicationis, ſi vero Capitula, Collegia, ſeu Conuẽtus ſeu Vniuerſitates extiterint, & ipſas Ciuitates, Caſtra, Villas, & loca quæ in his culpabilia fuerint, ac etiam Ciuitates, Caſtra, & loca, in quib. detentores & occupatores huiuſmodi, dominium obtinuerint tẽporale. ſi huiuſmodi Domini temporales in dimittendo bona prædicta, & reſtituendo illa Magiſtro, & fratrib. Hoſpitalis eiuſdẽ ipſius Hoſpitalis nomine, obſtaculum adhibebunt & infra dictum menſem ab huiuſmodi præmiſſis, non duxerint, vt prædicitur deſiſtendũ, tãdiu interdicti per nos lati ſententiis ſubiacere; & nihilominus omnibus bonis quæ à Romana, vel aliis Eccleſiis quibuſcunq; tenẽt in feudũ fore priuatos, ſeu priuata, per omnia loca, in quibus expedire videritis, denuntietis & faciatis ab aliis nuntiari, dictoſq; excõmunicatos arctius euitari, donec ſuper his cõgrue ſatisfecerint, & abſolutionis meruerint beneficiũ obtinere. Non obſtante ſi aliquib. à prædicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo, &c. Contra ẽt alios, ſi qui fuerint per cenſuram Eccleſiaſticã appellatione poſtpoſita compeſcendo. Volumus autẽ, & Apoſtolica*

*auctoritate decernimus, quod à data præſentium ſit vobis, & cuilibet veſtrum in prædictis omnibus & ſingulis poteſtas, & iuriſdictio attributa, vt ex nunc in eis, & eorum quolibet ita libere procedere valeatis, ac ſi eadem iuriſdictio per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet, & quaſi re non integra perpetuatæ præfata iuriſdictio cenſeatur: quodq; vnuſquiſque veſtrum articulum per collegarum ſuorum aliquem inchoatum, felicis recordationis Bonifacii Papæ Octaui Prædeceſſoris noſtri cōtraria Conſtitutione ceſſante, proſequi libere valeat, etiam eodem Collega viuente, nec impedimento aliquo præpedito, quoties, & quando fuerit opportunum.* Datum vt ſupra.

III. QVID ACTVM CVM TEMPLARIIS POST PVBLICATVM EDICTVM.

Delato hoc ad omnes Prouincias edicto, bona Templariorum vbique occupabantur, & de ſontibus Templariis ſupplicium ſumebatur. Auctores habeo, cum Clemens Ordinem militiæ Templi damnaſſet, munuſque ſontes in Germania ex decreto ſententiaque lata plectendi, ac lege agi iubendi, inter reliquos Archiepiſcopo Moguntino demandaſſet, hunc conuocaſſe Patres, Sacerdoteſq; Prouinciæ ſuæ: frequenti illorum conſeſſu tunc Hugonem clariſſimum virum, cum viginti Ordinis ſui, tecto veſtibus ferro, nemine arcere auſo, ingreſſum, clara intrepidaq; voce teſtatum, ſi quid grauius in ſacrum Templariorum Ordinem ſtatutum eſſet, ſe Pontificem Maximum, qui in clementis locum ſufficeretur, appellare: abſterritos Patres inermes imbelleſque ferocia nobiliſſimorum militaris Ordinis virorum, iuſſiſſe illos bono animo eſſe: certiorem literis factum Clementem mitius reſpondiſſe, ac ius de integro quærendi ſtatuendique Archiepiſcopo decreuiſſe: eum illos, quod inſontes ſe edocerent, cauſa cognita crimine liberaſſe. Hominibus abſolutis, Ordo tamen ipſe abrogatus; bonis eorum, Hieroſolymitanis militibus addictis. *Paulus Æmil. hiſt. Franc. lib. 8. in Philippo Pulchro.*

IV. QVIDAM EORVM TEMERE AD MATRIMONIA CONTRA VOTVM CONVOLANT.

In Anglia eodem Templariorum inſtituto reſciſſo, cū poſſeſſionibus & bonis exacti fuiſſent, aliqui eorum tantum auſus ſibi deſumpſere, vt ad matrimonium, cōtra profeſſionem ſemel editam conuolarint. Nihil tunc non egerunt Antiſtites, vt eos officii admonerent, & iuxta votam caſtitatis profeſſionem viuere compellerent. *MS. Bibl. vatic. n. 5586. de rebus Anglicanis.*

V. HENRICVS ROM. IMP. IN AVGVRANDVS ROMAM PETIT RESISTENTIBVS GVELPHIS ET ALIIS.

Hoc anno, quinque Cardinales à Clemente Pontifice Legati, inaugurando Henrico Romam acceſſere. Henricus porro in Imperatorem Romanorum electus, quum totos tres menſes Genuæ exegiſſet, maris quam expectauit tranquillitate oblata triremibus quadraginta Genuenſium Saonenſiumque Piſas petiit, equitatu per Lucenſem agrum præmiſſo. Lucenſibus, Miniatenſibus & aliis Florentinorum ſociis ingentes iniuriæ illatæ, magnaq; vaſtitas ferro & flammis commiſſa: cum à Florentinis ſociiſque Guelfis additæ copiæ, numero longiſſime Germanis inferiores, minori quam opus erat Lucenſibus aliiſque præſidio fuiſſent, Romam eius rei nuncio delato, cum Vrſinorum Principes opibus & gratia potentiſſimi ac factionis Guelfæ anteſignani, ex literis Florentia datis, ſociorum fortunas iniuriæ exponi, & Henricum nihil non permittere ad Guelfos opprimēdos, ac ſolos Gibellinos euehendos intellexiſſet, adeoq; non obſcuris indiciis didiciſſent, Germanos ad imminuendam Pontificiam maieſtatem poteſtatemq;, reſtituendam autem in vrbe ac Italia vniuerſa Imperatorum Romanorum adminiſtrationē; omnibus viribus & artibus contendere: inprimis Clementem Pontificem totius periculi admonuerunt; deinde Robertum Neapolitanorum Regem, Sedis Apoſtolicæ in Æmilia Præfectum ad auxilia, ſi opus haberent ferenda euocarunt; militem quem poterant conſcripſerunt, Capitolium Vrbanum, molem Adriani, ciuitatem Leoninam, Ianiculum vniuerſamq; Tranſtyberinam regionē præſidiis militaribus impoſitis communiuerunt; ſcilicet ne in Vaticana D. Principis Apoſtolorum Baſilica Henricus Rex, ad opprimēdam Eccleſiam Romanā, Italiamque diademate Imperatorio armaretur, neve per occaſionē coronationis, quicquam ab aduerſariis pateretur.

II. INGENS CÆDES ROMÆ OB EIVS ADVENTVM FACTA.

Adfuit commodum in vrbe Ioannes Regis Roberti germanus, Princeps Achaiæ, Dux Duratii & Comes Grauinę magno ſed inermi comitatu nec niſi ſexcentorum equitum præſidio ſtipatus, qui ante paucos dies Romam aduenerat, vt nouo Imperatori vel ſimulate gratulatus, pompam redderet ſua præſentia ornatiorē: reuera autem vt Vrſinos ac reliquos Pontificiæ dignitatis ſtudioſos, ab inſolentia Gibellinorum tueretur. Richardus etiam Lutenſis Comes, à Roberto Rege Tuſcis Præpoſitus peditum duorum millium ac ſexcentorum phalangem, ad XVI. Cal. Iun. Vrſinis adduxerat. Henricus promptior quam cautior, Ludouicum Sabaudum Amædei filium quē Senatorem vrbi præfecerat, quingētis equitibus armatum, cum in vrbem præmiſiſſet, atq; is Stephanum Columnium factionis aduerſæ Ducem, primo conueniſſet, inque palatium Lateranenſe ſe conferens, armis, viris & commeatu inſtructo, Gibellinæ parti animos addidiſſet, aduerſariæ vero irritaſſet, tāto amplius gentem Vrſinam ad ſuſpicionem, nouiq; Imperatoris inuidiam excitauit. Interim etiam Columnēſes, certi de Guelphis victoriæ, inſolentius ſe gerere, & per velitationes frequentes Vrſinos iniuriæ tantum auertendæ intentos, ad arma protitate primi habuerūt. Hinc multæ pugnæ, miſerabiles cædes, plateæ ſanguine rubentes, cadaueribus oppletæ: Ludouico Allobroge necquicquā ad dirimendas diſcordias, quin potius ad inflammandos Columnios intēto, & poſtea ab Vrſinis intercepto, atque in carcerem coniecto. Sexta, & 20. Maii prælio commiſſo, ex Cæſarianis duo millia deſiderati, pars capti, pars occiſi: cum alii Ducum quidam, tum Leodiorum occubuiſſet Epiſcopus. Hunc enim præfacto animo in caſtrum Angeli properantem, Vrſini circumuētum profligarunt, intercidit etiam Eburonum Epiſcopus, à quodam Hiſpanorum lætali vulnere percuſſus. Eius interitu Principis, qui & virtute & auctoritate eminuiſſet in regia, longe maximus pauor Cæſarianos inuaſit, & Vrſinos concitauit. Hæc in vrbe geſta, poſtquam præcipiti temeritate, ſe ſuoſque in diſcrimen adducere videbatur Imperator.

III. EXPLORAT VRSINORVM ERGA SE ANIMVM.

Aduenientem tamen illum, vniuerſus Clerus ac populus vrbe effuſus, ingenti pompa Lateranum deduxit. Nulli Vrſinorum obuiam tunc proceſſerant, manifeſtoq; indicio oſtenderant, turpem ſeruitutem non ambire; Voluit tamen Henricus certo certius, cum omnino alieno eſſent à ſe animo, explorare. Itaq; ante inaugurationis ſolemnia, omnes vrbis primores, & honeſto loco natos ad epulum inuitauit; vt qui malo in eum eſſent animo, abſentia notarentur. Stephanus Columna, Nicolaus Miletus, Hannibal Hannibaldus, Ioannes Sabellus, Theobaldus de Campeſlore primi inter accubitores cōſedere. Sola ex eius vrbis Primatibus gens Vrſina defuerat: quæ ſub ipſum Henrici aduētum, partem vrbis inferiorem ſuis montis Iordani ædibus contiguam & circumiacentem Tiberi, pontiq; Traiani cōtinentem, ad viarum, exitus repagulis firmauerat; magis verita, ne aduerſa factio quicquam in eos machinaretur, incautoſq; inuaderet, quam quod motus intentare quæſiuerit. Ad epuli finem, Henricus, de ſuo aduentu locutus; *iuſſu ſe & pactione à Pontifice Romano Clemente coactum veniſſe Romam, cum alias certo ſciri à Romanis poſſe, tum maxime trium Cardinalium ibi præſentium teſtimonio; qui & confirmationi electionis de ſe factæ Auenione fuerint præſentes, & Romam ad eius coronationem Legati veniſſe conſpiciantur. Non tamen tam longi itineris laborem ſibi fuiſſe grauem conſideranti ſuos ſe Romanos, amantiſſimum ſibi populum viſurum, cum quo lætos iucundoſque dies perageret. Sed falſum ſe ſua opinione, atque iudicio; hoſtes in ea, & ſine cauſa aduerſarios inueniſſe: quos nedū verbo, minus vnquam facto læſerit; ſed inter primarios vrbis (vt ſunt) habere, & in amicitiam recipere conſtituerat. Hinc quos viderat inimicitias ſecum gratis oſtentare, eorum inſidias quin caueat, ac pro poſſe repellat, temperare non poſſe.*

IV. NOVA IN VRBE

Hæc cum dixiſſet, ad ſuos qui circūſtabant cōuerſus, adigendos eſſe fidelitatis ſacramēto omnes qui aderāt Romanos, poſcendaſque & in cuſtodiam recipiendas

vrbis



CONTRA EVM EXCITATA SEDITIO.

vrbis arces, demumq; tenendos omnes imperauit. Indidem in momento, omnes conuiuæ iurarunt, obſides ex ſe delectos extorquenti Imperatori dederunt, Theobaldo Campoflorio, in ſuos cōſanguineos Vrſinos maledicta & conuitia adulanter iactante, vt (quod quærebat) cum Stephano Columna datis obſidibus abire permiſſo liberaretur. Arces vrbis quas Imperator petiuit, ædes erant in theatris, thermis, & vetuſti operis ædificiis in arcis formam communitæ; quibus tunc ille Germanorum præſidia impoſuit. Lateranum inſuper, S. Mariam Maiorem, Rotundam Amphitheatrum, ſanctamque Sabinam occupauit: monteſque Cœlium, Quirinalem, Auentinum. Præter ciues detentos, & arces munitas tributum quoque inſuetum & aurum coronarium nimia intempeſtitate maioreque imprudentia vicatim non popoſcit quidem ſed imperauit. Quare commota in tumultum ciuitas, tandem ſeruile iugum ſibi ab Imperatore imponi agnouit, & omnis vtriuſque factionis populus ad Vrſinos libertatis vindices confluxit, Franciſcum de filiis Vrſi, Matthæi filium Senatorem vrbis inſtituit, inq; deturbatos arcib. Germanos, poſt in alios vrbanis deliciis enerues impetu facto, multos ex eis occidione deleuit. Sagittarii à Piſanis attributi, è nauibus quæ ſub Auentino ſtabant acciti, Lateranum, vt multitudinem tumultuantem compeſcerent accelerare conabantur; ſed Ioan. Roberti frater, milite ea die Neapoli adducto, conatus eorum impediuit, equitatūque per hanc occaſionem in vrbem introduxit. Augebatur interim cōmeatuum inopia; Imperator pecuniis deſtitutis, ingenti odio Romanorum æſtuabat. Inaugurationis ſolemnia interim differebantur, quod & Baſilicam Vaticanam Vrſini inſediſſent & duo Cardinaliū Legatorum, in humanis eſſe deſiſſent. Reſcripſit tamē Clemens, nihil obſtare, quominus in Lateranenſi Patriarchio coronatio fieret, nihilq; exinde de amplitudine Cæſarei nominis imminui, ſi non apud D. Petri Baſilicā titulum Imper. & inſignia, à tribus tantum Legatis Henricus ſuſciperet. Hoc Pontificio reſcripto, ad Stephanum Columnium delato, tantum multitudinis, quantum neceſſe erat ad compellendos Cardinales collegit, eoſque per vim adegit, vt Henricum omni mora poſtpoſita Imperatorem renunciarent, & ex more vngerent. *Ioan. Cuſpinian. Conradus Vicerius in Henrico VII. Crantz. in Saxonia. Nauclerus, Blondus, Sabellicus in Chro.*

V. EDIT PROFESSIONEM FIDEI

Ipſo itaque non Calendarum Auguſti die, ſcil. Vinculis D. Petri Apoſtoli, ſed III Calend. Iul. die videlicet Apoſtolorum Petri & Pauli feſtiuitati conſecrato Henricus ex more priſco, primum hanc quæ ſequitur fidei confeſſionem profeſſus eſt, & in Conſtitutiones relatam eſſe iuſſit.

*Ex MS. Vaticano nu. 3977.*

*Henricus Septimus Diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Ad perpetuam rei memoriam. Reddentes honorem & debitam reuerentiam ſummæ & indiuiduæ Trinitati, cuius prouidentia & miſeratione benigna Romani Imperii diadema ſuſcepimus & gubernamus Imperium, in qua ſpem noſtram præcipue ponimus, credentes firmiter ſimpliciter profitemur, Patrem, Genitum, & Spiritum ſanctum ex vtroq; procedentem, vnam Deitatem ſub pari maieſtate & ſub pia Trinitate, ſecundum Apoſtolicam diſciplinam, Euangelicamq; doctrinam eſſe colendam. Hæc eſt fides recta, quæ contra omnes præmunitur errores, quam Diuinum Apoſtolum Petrum & Paulum Doctorem Gentium nouimus tradidiſſe Romanæ Eccleſiæ & quam Diuæ memoriæ Conſtantinus noſter inclytus prædeceſſor, Romanum muniuit & auxit Imperium. Cunctos itaq; populos, noſtro ſubiectos Imperio, noſtræq; ditioni ſubiectos, in iſta volumus religione verſari, & præſenti in perpetuum lege valitura ſanciendo, oēs hæreticos vtriuſq; ſexus quocumq; nomine cenſeātur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atq; bannimus, confirmātes prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones & pœnas, quæ aduerſus hæreticos, credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum (ſine quibus diutius manere non poſſent) hactenus ſunt ſtatutæ. Mandantes inſuper cunctis ſæcularibus poteſtatibus, vt Conſtitutiones Romanorum Pontificum cōtra prædictos, vel in cauſa fidei editas obſeruent, & faciant ab aliis inuiolabiliter obſeruari. Sanctam Romanam Eccleſiam ſicut Matrem, & ipſius Sedis Antiſtitem tāquam Chriſti Vicarium, & B. Petri Apoſtoli ſucceſſorem veneramur, & præcipimus à cunctis ex debito venerari. Ipſam enim Rom. Eccleſ. in ſpiritualibus, diuinæ prouidentiæ altitudo vniuerſis diſpoſitione incommutabili Eccleſiis prætulit, & totius Orbis laurea præcipua inſigniuit, & ideo hanc eſſe omnium Eccleſiarum Caput, & Patrum Regulæ & Principum ſtatuta declarant, ac ſereniſſimi noſtri teſtantur affatus. Quapropter Rom. Pontificem, & ipſius Eccleſiæ Cardinales, qui ſunt eius corporis pars præclara, ab omni iniuria eſſe cupimus alienos; mandantes præſenti noſtra Conſtitutione, vt ſæculares quæcunq; Poteſtates, Conſtitutiones tam Pontificum quam Principum Romanorum, contra tales ſacrilegos editas obſeruent, & faciant arctius ab aliis obſeruari. Hanc itaq; noſtræ ſerenitatis Conſtitutionē, in corpore iuris ſub debita rubrica, volumus inſeri & mādamus.* Datum in vrbe, vt ſup.

VI. IVRAMENTVM FIDELITATIS PP PRÆSTAT.

Profeſſione fidei verbo & ſcriptis concepta, Henricus, ſecundum formam in decretis, quæ incipit, *Tibi Domino*, comprehenſam coram Cardinalibus Legatis, Sedi Apoſtolicæ & Romano Pontifici, iuramentum fidelitatis præſtitit, iſtudque quod adiungo adiecit.

*Ego Henricus Romanorum Rex annuēte Domino futurus Imperator, promitto, ſpondeo & polliceor, atq; iuro coram Deo & B. Petro, me de cætero Protectorem, Procuratorem, & Defenſorem fore ſummi Pontificis, & huius S. R. E. in omnibus neceſſitatibus & vtilitatibus ſuis, cuſtodiendo & conſeruando poſſeſſiones, honores & iura eius, quantum diuino ſuffultus adiutorio fuero, ſecundum ſcire & poſſe meum, recta & pura fide. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.* Præter hæc iuramenta idem Henricus ſuorū inhærens veſtigiis prædeceſſorum, datis apud Lateranum literis, magno ſuo ſigillo munitis, promiſit, quod eandem Eccleſiam & fidem Catholicā, pura fide totiſque viribus conſeruaret reuerēter, ac etiam defenderet: omnemque hæreſim, ſchiſma & hæreticos quoslibet, fautores, receptatores & defenſores ipſorū exterminaret pro poſſe; ac nūquā cum Saraceno, pagano, ſchiſmatico, vel alio quolibet, communionem Catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo alio præfatæ Eccleſiæ inimico, vel rebelli, ſeu eidē manifeſte ſuſpecto vnionem quamlibet, ſeu parenteiam, aut cōfœderationem iniret: ſed tam Clementis Pontificis, quam ſucceſſorum illius perſonas, honorem & ſtatum manuteneret, defenderet & conſeruaret, contra quoſcunque homines, cuiuſcūq; exiſterēt præeminentiæ, dignitatis vel ſtatus. Eidem etiam adiiciens iuramento, quod manuteneret ſemper, atque ſeruaret priuilegia omnia per prædeceſſores ſuos Reges ac Imperatores Roman. præfatæ Romanæ, & aliis quibuslibet Eccleſiis, quocunq; conceſſa tempore, & continentiæ cuiuſcunque, ipſaq; omnia, & ſpecialiter ac præcipue per claræ memoriæ Conſtantinū, Carolū, Henricum, Otthonē IV. Fridericum II. atq; Rodolphum prædeceſſores ipſius, ſuper conceſſione, recognitione, aduocatione, annotatione, quietatione & libera dimiſſione terrarum & prouinciarum Romanæ Eccleſiæ vbilibet poſitarum; quarum etiam multas nominatim expreſſit, Sedi Apoſtolicæ Romaniſq; Pontificibus ſuper quocunq; tenore conceſſa recognouit, confirmauit, & ex certa ſcientia innouauit ac etiam de nouo conceſſit: & terras ipſas atq; Prouincias recognouit ad ius & proprietatem ipſius Eccleſiæ pleniſſime pertinere; eaſq; nihilominus ex abundanti de nouo Eccleſiæ ſæpe fatæ donauit, ſub prędicto ſe obligans iuramento, quod ipſas, aliquamve ipſarum partē nullo vnquam tempore occuparet, ſeu (quantum in eo eſſet) ab alio permitteret occupari, nec in eis, aut aliqua parte ipſarū iura aliqua, poſſeſſiones aut tenutas haberet, ſeu quomodolibet poſſideret; nec in eis etiam Poteſtatiæ, ſeu cuiuſuis Capitaniæ, aut iuriſdictionē quācunque, per ſe, vel per alium exerceret. Quodq; vt Princeps Catholicus, & ſæpedictæ Eccleſiæ Aduocatus atq; Defenſor, ipsā iuuaret, & conſiliis, & auxiliis illi adſiſteret opportunis, cōtra quoſcūq; inobediētes & rebelles eidē; & præcipue cōtra occupātes, ſeu turbantes terras prędictas ſeu prouincias, vel partē quālibet earūdē. Sub eodē ētiam iuramento promiſit, quod tā ipſam Rom. Eccleſiā

ALIA EIVS IVRAMENTA PRO ECCLESIÆ CATHOLICÆ DEFENSIONE.

*Totas Fa-quibus cū viminali & ſal...tenuas.*

quam

quam alias Eccleſias, libertatem Eccleſiaſticam, bona, iura, prælatos, & miniſtros Eccleſiarum ipſarum manuteneret, conſeruaret, atque defenderet ſuo poſſe, & quod Romanæ Eccleſiæ vaſallos contra iuſtitiam nullatenus offenſurus, deuotos ac fideles Eccleſiæ, etiam in imperio cōſtitutos benigne tractaret, nec eos opprimeret contra iuſtitiam, aut (quantum in eo eſſet) per alium opprimi ſuſtineret, ſed in ſuis potius iuribus & iuſtitiis conſeuuaret.

VII. INVNCTVS IMPERATOR QVAM FRAVDVLENTER EGERIT.

Huius confirmationis, conceſſionis, & innouationis priuilegia, Henricus, ante coronationem, ſigillo maiore ſignata, Eccleſiæ Romanæ reliquit: ac poſtmodum à Cardinalibus Legatis, Pontificis Clementis iuſſu, imperatoriæ maieſtatis inſignia, ſacro oleo inunctus, in Baſilica Lateranenſi, niueis indutus veſtibus accepit. Cæterum in momento, perſonam quam fingebat depoſuit, Cardinales Legatos à menſa ſua excluſit; nec primum quemadmodum cōſueuerat honorem eis amplius exhibuit, inque Robertum Neapolitanum Regem, atque vniuerſos Guelphos, iam aperte grauiora ſtatuere decreuit, hancque de ſua inauguratione epiſtolam, Ioanni Elnbogenio, Cœnobii Waldſaſſenſis in Nariſcis Abbati ſcripſit.

IOANNI ELNBOGENIO ABBATI EPISTOLAM DE SVA INAVGVRATIONE SCRIBIT.

Henricus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, venerabili Abbati Waldſaſſenſi, Ciſtercienſis Ordinis, deuoto ſuo ac dilecto, gratiam ſuam & omne bonum.

*Magnus Dominus & laudabilis valde, in excelſo Diuinitatis ſuæ ſolio reſidens, imperium ſuum (quod pro meritis eius inter nationes diuerſas, quaſi cum gentibus à ſuo creatore degenerantibus vacillabat) tranſire voluit ad Romanos, vt illic præiret imperialis excellentiæ thronus, vbi erat ſacerdotalis ſedes & Apoſtolica aſſutura: ita quod in eodem loco ſummi Pontificis & Imperatoris auctoritas reniteret. Nouiſſimis quoque temporibus, illo tranſlato in Germanos, poſtquam plures Principes ad ipſum vocatos imperium, quorum quidam ipſius Imperii aſſumpſere diadema, quidā non diuina cooperante clementia, per eos ad quos ſpectat in Romanorum Regem, futurum Imperatorem, rite & concorditer electi, propoſuimus ad vrbem, pro coronationis noſtræ ſuſcipiendis ſolenniis proficiſci: ac ſanctiſſimum in Chriſto Patrem Dominum, Clementem ſummum Pontificem requiſiuimus, vt ad vrbem accedēs præfata ſolemnia nobis ibidem tradere dignaretur. Qui cum ex certis cauſis, iuxta noſtrum immenſum deſiderium intereſſe nequiret: ne dicta coronatio ob ſui abſentiam impediri valeret, venerabilibus Patribus Dominis Arnoldo S. Sedis Apoſtolicæ Legato, Leonardo Albanenſi, & Nicolao Hoſtienſi ac Velitrenſi Epiſcopis, ac Franciſco S. Luciæ, nec non Lucæ S. Mariæ in via lata diaconis Cardinalibus commiſit in hac parte plenarie vices ſuas, cū clauſula, vt ſi non omnes his exequendis intereſſe valerent, quatuor, tres, duo, vel vnus eorum, dictæ coronationis noſtræ negotium expediret. Verum dictis Leonhardo & Franciſco de hac luce ſubtractis per dictos Dominos Cardinales ſuperſtites, die feſto Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum (quem ad hoc vt poteramus, virtute dictæ commiſſionis eligimus) in Eccleſia S. Ioannis Lateranenſis, præſente Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum & aliorum Prælatorum Eccleſiaſticorum Ordinum vrbis, Ducumque, Comitum, Baronum, nobilium ac Romani populi innumeroſa caterua, oleo ſacro vncti fuimus, necnon diademate Imperiali coronati, ac aliis debitis ac conſuetis ſolemniis inſigniti. Hæc autem deuotioni tuæ voluimus intimare, vt de noſtris felicibus ſucceſſibus valeas exultare.* Datum Romæ tertio Kalend. Iul. Regni noſtri anno quarto, Imperii vero anno primo.

VIII. ROMA DISCEDENS OMNIA FERRO ET FLAMMIS DEFORMAT.

Hæc de ſua inauguratione Henricus ſcribebat. Qua peracta, cum ſibi non parum ab Vrſinis irritatis timeret, Vrbe excedens, Tibur ſe contulit: neque ibidem diu moratus Aretium petiit; & exinde, Roberto Neapolitanorum Regi, diem Piſis dixit: quod is, & Vrſinis opem tuliſſet: & Florentinos, Lucenſes, alioſque Etruſcos ad arma concitaret, & ad diem inaugurationis præſto non adfuiſſet, neque Regni Neapolitani poſſeſſionem, ab Imperatore Romano poſtulaſſet. Aretio in agrum Florentinum diuertens, quocumque exercitu infeſto progrederetur, cuncta ferro ignique vaſtauit, multaq; Florentinorum caſtella euertit. Propius Florentiam caſtris admotis, ad præliū Florentinos elicere non potuit; q̄ ii tātiſper, donec auxilia à fœderatis ciuibus, à Roberto Rege, atq; Romanis partiariis aduenirent; intra mœnia ſeſe continerent, neq; pugnandi copiā Imperatori facerent. Ad Saluianum, cū poſtea deſideret, & aliquis præſente Sabaudo, ex aſtrorū prædictionibus, eum vſq; ad Caput mundi peragraturum renunciaret; Abbas qui tum vna cum Monachis intererat, hominis vanitatem irridens; quin iamiam nunc vaticinium verum eſſe dixit; ſimulque viam quandam, ſine exitu vlteriore, quam Caput mundi incolæ vocabant, digito monſtrauit, adque Caput mundi Imperatorem iam peragraſſe, non ſine riſu aſtantium aſſeruit. Ad Bonitium oppidum porro, Henricus, obſidione Florentiæ ſoluta retrocedens, Legatos à Friderico Trinacriæ Rege audiuit, donum aureorum viginti millium ab eo miſſum accepit, & pro affinitatis neceſſitudine, fœdus cum eo, in Robertum Neapolitanorum Regem percuſſit: vt ipſe terreſtribus copiis, Fridericus autem maritima claſſe, terra marique illum proxima æſtate oppugnarent, atque Regno ſimul & vita exuerent.

IX. CLEMENS PP. EVM FRVSTRA PLACARE CONATVR.

Conatus eſt Clemens Pontifex, id quicquid controuerſiarum inter Henricum & Robertum fuerat dirimere, adeoque & Imperatori Maieſtatem, & Roberto dignitatem, & Italiæ pacem ſtabilire. Cæterum tantum abeſt, vt Imperatorem inflectere potuerit, vt etiam magis irritarit, quod in literis ad eum ſcriptis, iuramenti ac fidelitatis, non ſemel verbo & ſcripto ſponſæ, hominem, ſatis modeſtiſſime admonuiſſet. Ea enim epiſtola Henricus ac ſi æſtro percuſſus, in Clementē inuectus, neque ſe obedientiam aut fidelitatem promiſiſſe, neque quopiam iuramento ſe alicui aſtrinxiſſe, tam aperte, quam ſine fronte affirmauit, ſeque imperium nō à Pontifice, ſed à Deo ſuſcepiſſe iactauit; adeo vt Clemens Pontifex habuerit neceſſe, ea quam in corpus Iuris Canonici relatam legimus inſinuatione, ſeu potius rerum inter Henricum & Romanam Eccleſiam geſtarum commemoratione, hominis impudentem præuaricationem orbi oſtendere. *Conradus Vecerius, Cuſpinianus in Henrico. Ioan. Villaneus lib. 9. Leonardus Aretinus hiſt. Florēt. Blondus, Nauclerus, Sabellicus, Antoninus, Annal. Flandr. ſcriptor. Albertus Argentinen. & alii.*

X. SYNOPSIS GESTORVM CLEMENTIS PP. HVIVS ANNI.

Erat cauſa, cur tunc Clemens Pontifex iniurias ſuorum diſſimularet, neque bellum ſed pacem inter eos Principes curaret, quod res Chriſtianorum in Occidēte à diſcordiis & hæreſibus, in Palæſtina à Saracenis, in Oriente vero à Turcis ſiue fœdarentur, ſiue lacerarentur. Quamobrem neceſſe habuit ad quam plurima patienter conniuere, & omnium publice ſalutem omnib. rationibus curare. Itaque inprimis, Fridericum Regem Trinacriæ, vna cum Philippo Principe Tarentino cognomento Imperatore Conſtantinopolitano in auxilia contra Turcos ab Andronico Imperatore Græcorum euocatos, datis vtriq; literis animauit, & priuilegiis ampliſſimis exornauit. Namque 1. decimas omnium bonorum Eccleſiaſticorum in Regno Siciliæ, in ſubſidiū belli contra Turcos ſuſceptis ambobus cōceſſit. 2. Militaturis in Oriente, parem indulgentiam ac ſi in Palæſtinā traiicerēt, Cruce ſignatis erogauit. 3. Auditoribus Confeſſionis Principis Tarentini, æquam cum Pœnitentiariis ſummi Pontificis poteſtatem communicauit, vtq; eundem in prima belli acceſſione, ab omni culpa & pœna liberum pronunciarēt, indulſit. Inſuper vt à media nocte, vſq; ad nonam horam, Miſſæ ſacrificium coram eo poſſet offerri, permiſit: atq; vt pro negotiis ſuis FF. Prædicatores, quocunq; locorum deſtinaret; poteſtatem fecit. Præſertim quod is Imperii Cōſtantinopolitani iura ac titulos, à materna ſucceſſione prætēderet, opuſq; iis viris haberet. Eodē an. 4. Reginę Sicilię, facultatem cōſtruēdi quoddā cœnobiū dedit. 5. Cenſum ex vtroq; Regno Sicilię, ab vtroq; Rege exegit. 6. Ferdināđ. Caſtellæ Regi in belli Maurici ſūptus, vt ab vſurariis Regni ſui vſuras extortas exigere, poſſet, pmiſit. 7. Theutō. FF. B. Marię. Princip. Regni Poloniæ iniurios caſtigauit,

1. ep. 131.
2. ep. 251.
3. ep. 250. & 253. & 252.
4. ep. 396.
5. ep. 978.
6. ep. 763.
7. ep. 40.

atque



atque gratitudinis admonuit. 8. Libros Arnaldi Villanouani condemnatos, vt vniuerſi Epiſcopi, & vniuerſitatum moderatores, atq; Inquiſitores conquirerent, igniboſq; exurerent, auctoritate Apoſtolica mandauit. 9. Epiſcopo Cremonenſi, vt in Spoletana Prouincia, & circumuicinis regionibus, in quoſdam nouæ ſectæ inuentores, nouique ritus quem ſpiritum libertatis vocabāt ſectatores inquireret, ſeueriorē in modum iniūxit. 10. F. Gerardo Auſonio Ord. Præd. Inquiſitori in Prouinciis Lugdun. & Biſuntina, vt in impedientes officium ſuum, & hæreſes pullulantes, ex lege Eccleſiaſtica animaduerteret, ſerio præcepit. 11. Prælatos, qui ad Cōcilium Viennenſe euocati non venerant, neq; Procuratores miſerant, ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendit, multaque alia contra negligētes ſiue inobedientes ſanxit. 12. Contra quoſdam ex Fratribus Minoribus, qui ſpirituales audire volebant, & ab aliis ſeſe ſecernebant, quamplurima decreuit, nonnullaque S. Franciſci regulæ ambigua declarauit. 13. S. R. E. Cardinalibus, à ſuis Eccleſiis abſentibus, reditus earum Eccleſiarum attribuit. 14. Rothomagenſis Eccleſiæ Clero, vt ex formula Curiæ Romanæ horas Canonicas recitarent, conceſſit. 15. *Poſtulante* Rege *Edouardo, vniuerſitatem Dublini* erexit, priuilegiiſq; quamplurimis ornauit. 16. In Angliā ad Edouardum Regem Proceribus conciliandum, Cardinalem tituli S. Priſcæ, & Epiſcopum Pictauienſem Legatos deſtinauit. 17. Ludouicum Epiſcopum Toloſanum, albo ſanctorum ex ſententia Concilii inſcripſit. 18. Ioanni Emmanuelis filio Ferdinandi Regis Caſtellæ, vt Conſtantiam Iacobi Aragonum Regis filiam, tertio gradu ſanguinis ſibi propinquā, *in matrimoniū* cōiungeret, datis 4. Cal. Iul. literis, tolerauit. 19. Sanctio Maioricarum, Iacobo Aragonum, Ferdinando Caſtellæ, Dionyſio Portugaliæ Regibus, diem, ad cauſas, cur bona Templariorum Rhodiis militibus non eſſent cōcedenda producendas, ad proximas Febr. Calend. deſignauit: eaque de re literas 10. Cal. Septembr. illis omnibus perſcripſit. 20. Cardinali Gentili Legato in Hungaria, munus inaugurandi *Caroli Rimberti Hungariæ* Regis commiſit, *Ioan. Villaneus lib. 9.* 21. Magiſtro Generali Prædicatorum, vt in Regno Maioricarum Quæſitores Fidei inſtitueret. 22. Priori S. Sabinæ Vrbano, vt monaſterium Sublaceum in temporalibus & ſpiritualibus adminiſtraret, poteſtatem fecit. *Epiſt. Clem. hoc anno.*

8. ep. 17.
9. ep. 37.
10. ep. 15.
11. ep. 88. & 95.
12. ep. 117.
13. ep. 115.
14. ep. 885.
15 ep 934.
16. ep. 34.
17. act. Concil. Vienn.

XI. NIMIVM SEVERÆ IVSTITIÆ EXEMPLVM DE FERDINANDO CASTELLÆ REGE AD SVPREMVM IVDICEM AB INNOCENTIBVS CITATO.

Hoc anno. Deus, ſeueriſſimæ iuſtitiæ exemplum, in Ferdinando Rege Caſtellæ deſignauit. Bello & pace bonus habebatur, ſed in iudicādo præceps, aut rigidus, & ad ſæuitiam inclinare videbatur. Fuit vt Caruaialii duo fratres, Petrus & Ioannes ſuſpecti eſſent in occulta cæde Benauidii, primarii viri inter nobiles. Sed ſuſpecti neque teſtibus, aut aliis probationibus conuicti, neque crimen ſane, vel in vinculis faſſi, Tamen, vt Rex erat, duci eos iuſſit, & de rupe alta præcipites dari. Cum id fieret, clamabant & vociferabantur: *Innocentes ſe mori, & quoniam Regis aures iuſtiſſimæ defenſioni obſtructæ eſſent, ſeſe igitur ad ſummum iudicem prouocare, & Regi diem dicere, ab iſto (qui ſibi vltimus eſſet) trigeſimum.* Dicta nihil valuerunt, ſententia tenuit: etiam ipſorum vadatio, nec tempore, nec die fallax. Nam cum Rex animi ſecurus Alcaudetem in caſtra abiiſſet contra Mauros; ibi morbo ſtatim tentatus, ſed leui, Giennium ſe contulit: atq; ecce VII. Idus Septembris, id eſt, ipſo trigeſimo, à ſupplicio die, in lecto exanimatus repertus eſt, in ipſo ætatis flore, annos natus XXIV. menſes nouem, in maximo curſu rerum ſuarum. Sapientiores diuini numinis vim interpretabantur, quod à cæde patrata magno omnium miraculo diem trigeſimum præciſe numerarent. Vnde inter Caſtellæ Reges, Ferdinandus in ius vocatus nuncupari cœpit. *Lipſius in monitis ex Mariana lib. 15. cap. 11.*

XII. PHILIPPVS REX GALLIÆ LVGDVNVM SVI IVRIS FACIT.

Hoc anno Rex Gallarum Philippus, data recompēſatione Archiepiſcopo Lugdunenſi, pro iuribus quibus eandem vrbem nomine Eccleſiæ ſuæ poſſidebat, Lugdunum ſui iuris fecit. Poſtulauerat paulo ante Archiepiſcopus à Clemente ſummo Pontifice conſenſum eius commutationis. Veruntamen Clemens grauiorem aliquam Regis offenſam ſub metuens, neq; tamen Eccleſiæ Lugdunenſi præſcribere volens, nec aſſenſum præbuit, nec diſſenſum pręſetulit. Sed Archiepiſcopum in manu conſilii ſui dereliquit. *Bernard. Guido in Clemente Quinto.*

XIII. MONSTRVM IN AGRO FLORENTINO NATVM.

Per id temporis, in agro Florentino, puerum bicorpori effigie, geminis capitibus, quaternis manibus, circa genitales partes connexum, ſic, quod non amplius, quam in geminos pedes deſineret, viderūt illic omnes. Hic partus, paucis diebus ſuperuixit. Extat eius effigies Florentiæ in Hoſpitali ad ſcalas, exſculpta, cum ſubſcripto epigrammate.

*Hac Petrus Paulusque vno ſub corpere bini,*
*Fabrica naturæ mira, iacemus humo.*
*Cuique ſuum fuit & manuum fuit oris opuſq;*
*Veſicæ, aſt vnum ventris opuſque fuit.*
*Iunxere, extremæ partes non corporis ambos*
*Quas neuter ſimul, & dicat vterque ſuas.*
*Neutra ex parte pedes, capita ex vtraque fuerunt*
*Bina, ſed è medio corpore planta fuit.*
*Bina fuit medio, quæ corpore planta deorſum*
*Pendebat, ſurſum quinta erat vna manus.*
*Non vero nobis vnus ſomnuſque cibuſque*
*Nec riſus nobis. fletus & vnus erat.*
*Somno membra dabat vnus, ridebat & alter*
*Sugebatq; vnus flens quoque & alter erat.*
*In Florentina natos, nos fluminis Arni*
*Valle, dedit patriæ nos pia cura patris.*
*Inde alti, & ſacro pariter de fonte leuati*
*Viximus ambo decem bis totidemque dies.*
*Quid nunc Neptunum, quid nunc Ianumque bifrontem*
*Miraris? Stygii terna quid ora canis?*
*Et quid Geryonis tria corpora? ſcilicet vnum*
*Nos corpus, binas nos animaſque lege.*

*Franciſc. Petrarch. rerum memorand. lib. 4. cap. 9.*

Forte portendebat, à morte Henrici ſtatim naſciturum illud monſtruoſum ſchiſma, cum duo ab Electoribus Principibus ad vnicum Imperium euecti, de illius poſſeſſione infeſtiſſimis armis dimicabant.

XIV. ALIA MONSTRA ET HORRENDA PRODIGIA.

Circa idem tempus, quo ad montem Altinū, collatis Florentinorum & Piſanorum ſignis decertatum eſt, monſtrum in agro Veronenſi editum, ex equa quadrupes fœtus humano capite, ad cuius murmur & vagitū, & confuſum humanæ vocis ſonū occurrens ruris illius accola, & nouo attonitus ſpectaculo exectum ingenti gladio monſtri caput, præter callem acuto baculo ſuffixit. Quam ob cauſam ad iudicium tractus, & de monſtruoſi partus, origine, & de occidendi cauſis interrogatus, horrore atq; abominatione rei tantum ſe feciſſe reſpondit: de cæteris nihilomnino: & ruſticitas hominis, & publicatio facinoris, quod occultari potuerat, ſuſpicionem omnem ademerunt. Ante annum quoque obſidente Brixiam Henrico Imperatore, in Galliis Solis ac Lunæ ſimul eclypſim, & minacem inſueti ſyderis faciem viſam; Lunæ quoq; tergeminæ ſpeciem, ſpecies varias, & arculos etiam cœlo ſparſos Crucis imaginem continentes; & in Italia deflagrantes poſt partes, ac ſine vllis fulguribus aut nubibus, & (vt dici ſolet) ignaro Ioue horrendum ceciniſſe memorant. Super hæc, in finibus Patauorum equam nouem pedibus editam; per rura Galliæ Ciſalpinæ inſuetas volucrū formas apparuiſſe, pluma, vt ferebant, cineritia, ſanguineis maculis, criſtato vertice, nec alias ea ſpecie in his regionibus memoria hominum vnquam viſas, niſi temporibus Friderici Imperatoris maiores natu affirmabant. Per idem tempus intra Matthæi vicecomitis veſtibulum, conſpectum memorant non mediocre prodigium; virum ſcilicet ingentis ſpeciei, & humana auguſtioris, inſedentem equo, naturalem quoque modum ſupergreſſo, eundemque cum circa primę lucis tempus perſiſtens, horæ vnius ſpatio multis videntibus ſtuporem attuliſſet, raptim ex oculis ſublatum: triduo

autem

autem interiecto, eodem loco ac tempore duos viſos, ac ipſo habitu & pari mole corporum conſertis manib. horribilem pugnam miſcuiſſe, atque hora vna, ex his motibus exacta, ſtupentibus qui aderant, itidem euanuiſſe, *Muſſatus Patauinus hiſtoricus*, nouarum rerum ſatis anxius conquiſitor, teſtis eſt. Portendere forte an videbatur, interitum, & ſucceſſus Imperatorum, Henrici inprimis, & duorum qui mox per diſcordiam electi, Italiã, Imperium, atque inprimis Romanam Eccleſiam per auſus temerarios afflixerunt.

XV. CATELANI INSIGNI STRATAGEMATE ATHENARVM PRINCIPIS EXERCITVM FVNDVNT.

Per id temporis, in Oriente, Catelani, à Principe Tarentino & Rege Trinacriæ, in auxilia Chriſtianorum, à Turcis oppreſſorum acciti, cùm hactenus ſtrenuam operam in Turcis oppugnandis poſuiſſent; ſiue ob non ſoluta ſtipendia, ſiue licentia militari, in Chriſtianos bellum conuerterunt, & inter hos Gualteriũ de Brenna Athenarum Ducem, magno ſtratagemate oppreſſerũt. Nicephorus Gregoras cauſam aſſignabat, quia Cetelanis tranſitum petentibus, vt per eius Athenarum Principis ditionem, quo vellét abire liceret, ille dare noluerit, ſed non paruo cum faſtu & deriſu, vt non magnopere curandos contempſerit, cum ſuas vires per autumnum & hyemem vſque ad ver collegiſſet. Lubet ſtratagema memorare. Parabant ſeſe Catelani, vt aut ſtatim morituri, aut victuri cum gloria. Cum autem ver ſuperueniſſet Catelani Cephiſo ſuperato, circa Bœotiam nõ procul à flumine caſtris poſitis hoſtem expectabant, erant autem equites eorum ter mille & quingenti, peditum quatuor millia: inter quos multi etiam è captiuis ob ſagittandi peritiam relati erant. Hoſtium aduentum iam iam expectantes, omnem illam terram ararunt, vbi pugnam committere decreuerãt, deinde obducto vallo, & foſſis è fluuio ductis, totam planitiem ita irrigarunt, vt ſtagnaret, & greſſum equorum luti profunditas adeo impediret, vt ægre loco moueri poſſent. Vere medio, & regionis Princeps cùm magno adfuit exercitu, coacto è delectis Athenienſibus; Thebanis, Platæenſibus, Locrenſibus, Phocenſibus & Megarenſibus. Equitum erant ſex millia & quadringenti, peditum amplius octo millia: opinio vero & arrogantia Principis ingens. Sperabat enim ſe non Catelanos tantum ſtatim deleturum, ſed etiam Prouincias omnes & vrbes ordine Byzantium vſque occupaturum. Quod longe aliter euenit. Nam dum ſuis viribus, & non diuino auxilio rerum exitum metiretur, paulo momẽto riſui hominum expoſitus fuit. Cum enim planiciem multo gramine virentem conſpexiſſet, nihil eorum quæ erant acta ſuſpicatus, cohortatus ſuos & vociferans, cum omnibus equitibus contra hoſtes impetum fecit, qui extra campum immoti in procinctu ſtabant, eius imperium expectantes: ſed priuſquam ad mediam planiciem peruenirent, equi veluti firmis vinculis impediti, madefacta terra ad audaciorem greſſum ſubſidente, partim vna cum equitibus in luto volutabantur, partim iis excuſſis temere in campo ferebantur, partim pedibus demerſis ordine aſtabant; equites velut ſtatuas ſuſtinentes. Quibus rebus Catelani animati, omni telorum genere circumuentos illos omnes internecione deleuerunt; atque cum equitatu vſque ad Thebas & Athenas fugientes perſecuti, ipſas vrbes ex improuiſo aggreſſi, cum opibus, vxoribus & liberis facilime cœperunt. Sic velut in aleæ ludo principatu ſubito potiti Catelani, & diuturnum errorem finierunt, & ſuæ ditionis terminos paulatim protulerunt.

XVI. CHRISTIANI INTESTINIS BELLIS DIGLADIANTES A TVRCIS VICVNTVR

Interim autem cum Chriſtiani adinuicem digladiarentur, Turcæ contra Imperatorem Græcorum maiores vires & animos ſumẽtes, victoriam ingentem de eo retulerunt, maxime quod Græci numero & armis longe ſuperiores, contemptius, neglectaque militari diſciplina procederent; non vtique reputantes, nihil in mũdo eſſe firmum & tutum, ſed res humanas (vt ait Plato) ludibrium eſſe Dei. Hoſtes enim qui ante Romanos vel è ſola fama timebant, & ipſi ſeſe inter mortuos potius quam viuentes numerabant, cum Græcorum confuſionem temeritatemque cernerent, longe alacriores ad pugnam facti, impedimentis omnibus relictis, & cum delectis ac probe armatis equitibus non amplius ſeptingentis, ad Imperatorium Michaelis vſque vexillum excurrerunt, nec in tuto loco poſitum, nec iuſtis viribus, neque ea qua oportebat diſciplina cuſtoditum. Ad hanc tam ſubitam excurſionem Romanis territis, principio ruſticana & circumforanea quam Michael collegerat turba effuſe fugere cœpit, deinde alii atque alii paulatim ſe ſubducere; deniq; omnes conuerſi abſque bellico ſtrepitu trepide diſcedere cœperunt. Cum autem Imperator in aciem milites reuocare vellet, neminem inuenit qui audire vellet; ac defatigatus eadem via & ipſe abiit, mæſtus & lachrymis oppletus, pœnam hanc diuinitus propter vetera & recentia delicta euidentem exiſtimans. Plerique Duces, confuſæ fugæ verecundia ad tempus reſiſtebant, & Barbarorum arma in ſe conuertebant, ac veluti reprimebant, ne Romanos fugientes aut Imperatorem perſequerentur. Tandem hoſtibus omnibus congregatis circumuenti, & deditione facta, in vincula coniecti ſunt. Pecunia Imperatoria in prædam Turcis ceſſit, & quicquid inſignium Imperii in tentorio Imperatoris fuit. Item calyptra Imperatoria, de more gemmis & margaritarum nodis ornata: qua Chalelem Turcorum Ducem capiti ſuo impoſita dicteriis falſiſſimis Michaelem Imperatorem inceſſiſſe ferunt. Ita per mutuas diſcordias Chriſtianorum Turcæ animoſiores ac fortiores facti, ad poſteritatem documentum tranſmiſerunt, ſocordia & armis inteſtinis Chriſtianorum, ipſos fortiſſimos ſub iugum ſeruitutis barbaricæ decidere. *Gregoras hiſt. Rom. lib. 7.*

XVII. FRANCISCI NEAPOLEONIS CARD. OBITVS.

Hoc anno Franciſcus Neapoleonis Vrſinus, Romanus, diaconus Cardinalis tit. S. Luciæ in Silice, à Clemente V. Pontifice cum aliis quatuor, ad inaugurandũ Henricum Imperatorem Legatus, cum in Italiam ex Auinione tenderet, in itinere defunctus eſt. *Ciacon. in Clemente.*

Viuebat id temporis in Hiſpaniis, Raymundus Lullus, cenſura Eccleſiaſtica, etiam poſt mortem, propter errores varios notatus; mirum vt valde ſit, quomodo conſtare poſſit, illum à Chriſto ſibi in forma cruci affixi apparente doctrinam habuiſſe: cum Chriſtus, qui lux & veritas eſt, neq; falli, neq; fallere potens, auctor errorum eſſe non poſſit.

XVIII. DE RAYMVNDI LVLLI EREMITÆ HISPANI MORIBVS, VITÆ INSTITVTO, CONVERSIONE, STVDIIS, ET SCRIPTIS DVBIA NARRATIO CAROLI BOVILLI.

*Carolus Bouillus Samarobrinus*, in gratia Raymundi Boucherii Iuriſperiti, ea quæ à quodam amico Hiſpano (nomẽ non prodit narratoris) audierat, hæc de Lullo referebat. Raymundus Lullus natione Maioricenſis, cum apud Regem Maioricanum, Seneſchalli officio fungeretur, pro more aulicorum totus in amoribus viuebat: inq; ipſis, non modo flagrantem iuuentam, ſed & maiorem vitæ partem conſumpſit; dictandis Lioneis cantilenis præcipue intentus. Præ cæteris, adoleſcentẽ quandam formoſam, matrimonio alteri deuinctã deperibat. Hæc quod & maritũ impẽſe diligeret, & cancri morbo in pectore lãcinaretur, non poterat Raymũdi amoribus ſatisfacere. Hic porro veſano obrutus amore, præceps ibat, nihil aliud mente voluens, quã ſi illa poſſet potiri. Semel illa in tẽplum deſcenderat precis cauſa. Quam vt Lullus, forte tunc eques, conſpexerat, equo adacto in tẽplum irruit, magis amens quã amans. Vnde impos ſui factus, & ab omni populo exſibilatus, longe inſanabiliore cupidinei amoris cancro diſcerpebatur: quã illa corporeo. Eius inſaniam miſerta tandem illa, cum maritus permiſiſſet, Raymundum in cubiculũ aduocauit, & denudato ſemeſo pectore, illũ vt videret quid diligeret admonuit: dixitque, ſatius Chriſtum, quã olidum cadauer amaret, neq; ſe periculo amplius committeret, amittendi non tantum cœleſtem, ſed etiam corpoream ſalutem. Tantum potuiſſe eam mulieris admonitionẽ refert relator, vt Raymũdus totus cohorruerit, cupidinẽ depoſuerit, mundum contẽpſerit,





& Chriſto ſe dediderit. Cumque ei Chriſtus in cruce confixus apparuiſſet, illico ad vocem vocantis: *Sequere me*; mundo nuncium remittens omnia quæ habuerat reliquerit, pretiaque rerum in vſus pauperum diſtribuerit. Inter cætera exercitia orationi intentum fuiſſe narrat: In qua id tantum expetierit, vt edendo libro vnico, quo Saracenorum errores diſſiparet, lumen ei cœleſte infunderetur. Addit; tantum repente luminis diuinitus ei fuiſſe infuſum, vt in momento ex idiota doctiſſimus euaſerit, omnemque ſimul à Spiritu S. edidicerit veritatem. Hoc lumine perfuſus, quamquam quadragenarius, Pariſios adiuit, Grammaticenque indidem audiuit, & mox ad euulgandos libros animum adiecit, inter quos, ſcripſit. Artem amatoriam. Philoſophiam amoris. De erroribus Boethii & Fulgentii. Libros Alchimiæ, & alios Latino, Hiſpano & Arabico ſermone. Arabicum ſermonem, à quodam ſeruo emptitio didicit, à quo paulo poſt lethali vulnere in facie deformatus, prohibuit quidem ne ab amicis occideretur, tamen ſuſtinuit, vt in carcerem coniiceretur: in quo infelix laqueo ſibi iugulum fregit. Ab eo vulnere curatus Raymundus, in quendam montem ſecedens, à ſeptemdiali oratione nouum lumen ſcientiæ accepit, inque eodem monte cellula extructa, ſolitariã vitam egit, contemplationi addictus: deinde Romam ad Honorium IV. profectus, vt cœnobia, in quibus ſtudia linguarum vigerent, ab eo & Cardinalibus, vbique terrarum erigi iuberentur, poſtulauit. Inde Pariſios veniens, artem ſuam generalem, ibidem publice docuit, dehinc apud Montem Peſſulanum, plurima edidit & prælegit opuſcula Genuam appellens, artem ſuã inuentiuam in Arabicum vertit. Romam ad Nicolaum IV. reuerſus, nihil apud Summum Pontificem, poſtulando, vt artem ſuam docere poſſet Romæ, profecit. Relatus Genuam, inde Tunetum in Africam traiecit, ibique cum Saracenorum primoribus diſputatione inſtituta, periculum capitis apud Regem adiit: vix Sacerdotis cuiuſdam Arabi precibus à carcere liber. Tuneto, lege capitis ſi reuertiſſet, in eum lata, proſcriptus, Neapolim venit, ibique artem ſuam legit, vſque ad electionem Cœleſtini Quinti. Bonifacio deinde VIII. Pontifici, de doctrina ſua Romæ euulganda, fruſtra ſupplex fuit. Hinc Genuam reuertens, multos ibi libros cudit. Regem poſtea Maioricarum inuiſit: à quo dimiſſus, iterum Lutetiæ, artem ſuam legit, & multos libros compoſuit: cæterum à Rege Philippo, nihil eorum quæ poſtulauerat obtinuit. Maioricam reuerſus, cum Iudæis & Saracenis diſputabat. Cyprum delatus, vt Iacobitas, Neſtorianos & Gregorianos inſtrueret, à Rege flagitauit: indidemque veneno tentatus, vix euaſit. Hinc Genuam, deinde Pariſios iterum accedens, nonniſi artem ſuam magnam docere tentauit; libroſque edidit. Clementem poſtea Quintum, de eadem re, qua & Honorium, & Bonifacium, interpellauit: ſed ab eo reiectus eſt. Lugduno in Maioricam concedens, inde in Africam, ad Bungi Regiam traiecit: ibique Legem Chriſti concionari voluit. Lapidibus à Saracenis appetitus, & ab Alfalcino eorum Sacerdote, rationem myſteriorum poſtulatus ac rationibus Philoſophicis illa demonſtrare conatus, tandem in carcerem ſquallidum compactus, precibus Genuenſium mercatorum, ab eo in aliũ luculentiorem tranſlatus, libro cudendo, in quo fidei veritatem oſtenderet, & quem cum libris Mahometanorum componeret, incubuit. Inde à Rege eiectus, Genuam nauigans, naufragio apud Portum Piſanorum vix non periit, libris omnibus amiſſis. Eis ſcribendis, apud Piſanos vigilauit; ac inde litteris ad Pontificem acceptis, Genuam adiit, indidemque XXV. m. nummum, à matronis, per ſpeciem ducendi exercitus in Saracenos Terræ Sanctæ occupatores, corradens, Auinionem iuit: & tum Piſanorum, tum Genuenſium, epiſtolas, Pontifici obtulit, vrgens ſacrum bellum decerni, pro recuperãda Palæſtina. Pontifex ludibrio illum habuit, atq; inanem ſine fructu dimiſit. Pariſios deinde acceſſit, artemque ſuam ibidem profiteri cœpit. Inde ad Cõcilium Viennenſe accedens, Clementi Quinto & Patribus propoſuit, vt ſtudia linguarum vbique extruerentur, vt è cunctis militaribus ordinibus vnus ordo coaleſceret: vt Auerrois ſcripta interdicerentur. Eandem rem & Philippo Galliarum Regi, edito libello, de natali pueri, expoſuit: nihil tamen à Pontifice, & Patribus, aut à Rege obtinere potuit. Vnde ſcriptioni librorum ſe dedit, & in varias regiones peregrinatus eſt, donec Tunetum abiens, ab incolis agnitus, ciuitate eiectus, & in portu lapidibus obrutus, occubuiſſet. Maioricam cadauer delatum, dicitur plurimis claruiſſe miraculis. de Raymundo Lullo, *Carolus Bouillus* vulgabat, *cuius vitam nonnunquam à quodam Hiſpano amico recenſeri*, vt ipſe fatetur, *audierat.*

XIX. ALIA DE EODEM NARRATIO NICOLAI EYMERICI SVPERIORI CONTRARIA.

Ita ſunt plane diuerſa, ab his, quæ *Nicolaus Eymericus*, de eodem Raymũdo eremita prodidit. Scil. fuiſſe Mercatorem, non Regiis Magiſtratibus illuſtrem, hominẽ rudem, & Latinæ linguæ omnino ignarum: cui non Chriſtus, ſed aliquis transfigurans ſe in Angelum lucis apparuerit, variiſque & craſſiſſimis erroribus mentem illius confuderit; plane, vt quingenti ad minimum, in eius Commentariis numerarentur, adeo vt opus poſtea Gregorio XI. Pontifici fuerit eos libros conquiri iubere, & flammis edacibus illos addicere, quemadmodum euidens eſt, ex edicto Gregoriano, quod ſubiungere viſum, ex libro ſecretorum Gregorii XI. Pontificatus eius anno ſecundo, pagina CXXXI. Ita habet.

DE EIVS SCRIPTIS EDICTVM GREGORII XI.

Gregorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Tarraconenſi ſalutem, &c.

*Nuper, dilecto filio Nicolao Eymerici Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſore, Magiſtro in Theologia, in partibus Aragoniæ Inquiſitore Hæreticæ prauitatis nobis referente percepimus, quod in partibus illis nonnulli laici quamplures libros habent in vulgari per Raymundum Lull. ciuem Maioricenſem compoſitos, in quibus, vt idem Inquiſitor videtur aſſerere, errores quamplurimi in fide continentur. Nos igitur in præmiſſis prout ex debito tenemur paſtoralis officii prouidere volentes, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus huiuſmodi libros per quaſcunque habeantur ſeu detineantur perſonas, tibi facias exhiberi, & ſi per tuam & dicti Inquiſitoris & aliorum Magiſtrorum in Theologica facultate & Iuriſperitorum, quos propterea coram te euoces reperiris, quod præfati libri, errores in fide contineant, eoſdem libros comburas, & comburi facias, atque mandes: inuocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis. contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia iuris remedia, de quibus videbitur, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, de vna & duabus dictis, & aliis contrariis quibuſcunque. Seu ſi eidem Raymundo, vel quibuſuis aliis, communiter vel diuiſim à Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra vel vltra certa loca ad iudicium euocari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.* Datum apud pontem Sorgiæ Auinionenſ. diœceſis Nonis Iunii Anno ſecundo.

XX. EA DAMNATA A GREGORIO

Hæc de Raymundi Lulli Commentariis, Gregorius Pontifex ſanciebat. Cumque poſtea didiciſſet, inter alios Raymundi libros, vnum quẽdam Cathalano idiomate ab eo ſcriptum, ſed multis erroribus & hæreſibus refertum, Barchinone aſſeruari, ſcripſit Vicariis Epiſcopi Barchinonenſis, qui illum Auinionem mitterent examinandum & ignibus exurendum. Dedit ea de re litteras *Auinione III. Cal. Octob. Pontificatus anno quarto.* Porro Nicolaus Eymerici, Inquiſitor hæreticæ prauitatis, XX. volumina, eodem Cathalano idiomate à Raymundo Lullo ſcripta, Gregorio Pontifici Auinione repræſentauit; quæ ille Petro Cardinali Oſtienſi, & XX. Magiſtris Theologis cenſenda commiſit. Cumque illi à multa diſquiſitione, ducentos erroneos & hæreticos in eiſdem articulos reperiſſent, eos Gregorius damnauit, datis litteris *Auinione VIII. Cal. Febr. Pontificatus anno 6.*

XXI. ALIORVM AVTORVM DE EODEM RAYMVNDO CENSVRÆ.

Meminerunt eiuſdem Raymundi Lulli, *Genebrardus in Chronologia. Bernardus LutZemburgenſ. in Cathalogo Hæreticorum. Prateolus in lib. de vitis & ſectis hæreticorum. Gualtherus in Chronolog. Mariana de reb. Hiſp. Nicolaus Eymerici in direct...Inquiſit. & alii authores grauiſſimi.* quæ ſi vera ſunt, quę illi de Raymundo prodiderunt, mirum eſt quomodo is tam infandos errores & hæreſes à Chriſto apparente acceperit: & quomodo cultum ſanctis meritum apud Maioricanos obtinere, vel etiam miraculis poſt mortem claruiſſe potuerit: vt interim omittam ea, quæ *Carolus ipſe Bouillus*, non obſcure de illo inſinuat. 1. hominem, ex amante amentem factum. 2. in momento doctiſſimum euaſiſſe, & tamen paulo poſt Grammaticem (ſi autem doctiſſimus, quomodo diſcit) didiciſſe, & aliud deinde lumen doctrinæ acquirendæ exhauſiſſe. 3. nec tamen niſi fere ſolam artem magnam (hęc autem quæ & qualis ſit, doctiores cenſuerint) vbique docuiſſe & 4. à tot Romanis Pontificibus ſanctiſſimis & doctiſſimis, imo ne ab ipſo quidem Oecumenico Viennenſi Concilio, nec à Rege Galliarum Philippo quicquam poſtulando obtinuiſſe. nullibi in Hiſpaniis, vbi cenſura fidei acerrima, ſcholam aperuiſſe; ſed variis in ciuitatibus per ſubtilitates captioſas, nouam quandam doctrinam ſuper tantam Patrum Eccleſiæ ſcientiam condere voluiſſe; nec tamen illam poſt tot conatus in ſcholis Orthodoxis receptam, ſed ab omnibus damnatam proſcriptamq; eſſe. 6. Vagum erroneumque, nullibi locorum diu conſtitiſſe, ſed eaſdem vrbes & deſeruiſſe, & iterum repetiiſſe: & quod magnum eſt, nonniſi Chriſtianas ciuitates & inſulas, Maioricam, Cyprum, Neapolim, Piſas, Genuam, Pariſios, ſola arte magna imbuere tentauiſſe. Quod in Africam traiecerit, ibidemque legem Chriſti docuerit, maximum argumentum eſt, eum ex Commentariis damnatis docuiſſe, niſi forte quiſpiã dixerit; aliud illum ſcripſiſſe, aliud docuiſſe. Iſtud porro ſi verum eſt, quod errores conſcriptos, Saracenis vulgauerit, & in eo munere mortem oppetierit, illi viderint, qui nomine martyris illum dignantur, an honores qui martyribus pro veritate occubentibus debentur; ille ex ſenſu Catholico mereatur? & an potuerit veris miraculis illuſtrari? Sed & de eodem Raymundo, iſta non parua coniectura: Quid illi cum Genuenſium matronis, à quibus XXV. m. nummum, emunxit? Quid eremitæ, cum bello ſacro? Quid Solitario, cum vagabundo excurſu? ad matronas? ad corradendum aurum? tantum aurum inuitis maritis? Quid? Si tantum auri potuerat conquirere, cur Pontifex bello ſacro intentus, eius opera non vſus? cur hominem reiecit? contempſit? Multi pro Raymundo, neſcio, an non ſeciore æmulatione, laborare, quaſi pro Diuo Præcurſore nituntur: nobis de eo inferius narratio redibit opportuna, ex occaſione certiorum, quam quæ *Bouillus*, à quodam Hiſpano amico audiuerit.

## IESV CHRISTI Annus 1313.

### CLEMENTIS PAPÆ V. ANNO 8. ET 9. Henrici Romanorum Imperat. Anno 2.

I. CAPITA DECRETORVM CONCILII VIENNENSIS A CLEMENTE PP. PROMVLGATA.

DVodecimo Calend. April. Clemens Pontif. Max. Mõtiliis in diœceſi Carpentoractẽſi agens, decreta Concilii Viennenſis, ſolemni Eccleſiæ conſuetudine promulgauit. Præcipua hæc fuere capita ſanctionũ, in compendium redacta.

*Templariorum Ordo extinguitor: nullus ad eum in poſterum recipitor: nullus eius veſte induitor. Cõuicti grauiſſimorum Templarii criminum, pro ratione facinorum puniuntor. Si qui demceps ex eis per indicia aut teſtes palam fient, ab Epiſcopis & Inquiſitoribus contra eos proceditor: & ex Concilio prouinciali decernitor. Confeſſu ſponte, leuior pœna infligitor. Refugientes Eccleſiaſticum iudicium, abſentes citantor. Non comparentes, anathemate damnantor. In ea cenſura vltra annum perſeuerantes, pro hæreticis habeantor. Non adeo grauiter delinquentes, habitu Templariorum exuti, in iiſdem Domibus, in quibus olim profeſſi, expenſis earundem Domorum, vſque ad finem vitæ aluntor: neq; ad ſæculum reuertuntor; neque profeſſi, ac ſacris Ordinibus initiati matrimonio ineunto. Bona omnia eius extincti Ordinis, milites S. Ioannis Hieroſolymitani, in poſſeſſionem perpetuam accipiunto. Reges & Principes quicumque, nequicquam ex eis vſurpanto. Bernardi. Guido in Clemente Quinto.*

2. *Omnes vtriuſq; ſexus fideles, vnicum Dei filium, in eſſentia Dei æternaliter ſubſiſtentem, verũ in corpus humanum aſſumpſiſſe de virgine, & in eo paſſum, & iam mortuum lancea perforatum, confitentor.*

3. *Subſtantiam animæ rationalis ſeu intellectiuæ, vere & per ſe humani corporis formam eſſe non credentes, pro hæreticis habeantor.*

4. *Vnum baptiſma, ſicut vnum Deum, & per illud conferri, etiam paruulis, quoad habitum, informantem gratiam & virtutes, omnes ſine dubio credunto.*

5. *Religioſi ad Prælaturam non Epiſcopalem alterius religionis vel habitus, non eliguntor.*

5. *Cœtus Cardinalium; ſede Apoſtolica vacante, non niſi iuxta Concilii Lugdunenſis præſcriptum, iuriſdictionem Papalem exerceto.*

7. *Mortuo ſummo Pontifice, officium Camerarii & Pœnitentiariorum Papæ permaneto. In mortuorum locum, cœtus Cardinalium alios ſubrogato.*

8. *Defuncto eodem ſummo Pontifice, electio ſubſequentis, eo in loco, in quo anteceſſoris cauſarum & literarum fuerat audientia celebrator.*

9. *Nulli Cardinales per exceptionem excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti, ab electione excluduntor.*

10. *Ad ſedem Apoſtolicam, ab ordinario iudice, nonniſi iuxta præſcriptum Canonis appellato.*

11. *Eccleſiæ Cathedrali clero & populo Chriſtiano carenti, ſolus ſummus Pontifex prouideto.*

13. *Prælati regulares, Prioratus, Adminiſtrationes & Eccleſias vacantes, intra ſex menſes ſi non conferunt, ius conferendi ad diœceſanos deuoluitor.*

13. *Nonniſi ſcientia, moribus & ætate commendati Eccleſiis præficiuntor.*

14. *In Capitulo Cathedralis vel collegiatæ Eccleſiæ, qui non eſt ſubdiaconus vocem non habeto.*

15. *Epiſcopi Clericorum exceſſus ita corriguntо, vt metu pœnæ ipſi arceantur, & alii deterreantur.*

16. *In cauſis pendentibus beneficialibus, decimarum, matrimonialibus, vſurarum, & ipſas tangentibus ſimpliciter, de plano, & abſq; iudiciorum ſtrepitu ac figura proceditor.*

17. *A ſuis ſedibus expulſi Epiſcopi, in locis aliarum diœceſum, ſeruata limitata forma, contra expulſores, conſiliarios, & fautores animaduertunto, & inter ſubditos ius dicunto.*

18. *Lite pendente, nihil innouetur.*

19. *Iudæi & Sarraceni, etiam Chriſtianorum teſtimoniis conuincuntor.*

20. *Iuramenta, quæ Romani Principes, Eccleſiæ Romanæ præſtare conſueuerunt, fidelitatis cenſentor: atq; Henricus Imperator præuaricationis & periurii reus eſto.*

21. *Sententia lata, contra citatum extra citantis territorium exiſtentem, pro nulla, ipſo iure habentor.*

22. *Clerici coniugati, carnificum ſeu macellariorum, aut tabernariorum officium publice & perſonaliter exercentes, veſtes virgatas, partitas, neque ſtatus ſuo condecentes, portantes, ſeuerius puniuntor.*

23. *Religioſus, niſi in duobus caſibus, ſi alicui ad vitam, vel certum tẽpus, iura, redditus, vel poſſeſſiones adminiſtrationis cui præeſt, conceſſerit, ab officio ſuſpenditor.*

24. *In poteſtate Epiſcopi, vnire Eccleſiam alteri, vel loco religioſo donare, eſto, etiam non vocato Rectore vel Defenſore.*





25. *Exempti, qui in caſibus non permiſſis defunctos ſepeliunt in cœmeteriis tempore interdicti, vel qui ſcienter ſepeliunt publice excommunicatos, nominatim interdictos, vel vſurarios manifeſtos, anathemati ipſo facto ſubiacento.*

26. *Prædicatores & Minores, quarta de funeralibus, obuentionibus & relictis, parochiali Eccleſiæ ſoluta, omnes qui hoc libere elegerint, in locis ſuis libere ſepeliunto. Ad Confeſſiones fideliũ excipiendas, Sacerdotes Diœceſanis præſentanto, vel præſentari faciunto, neque illi, niſi de diœceſanorum licentia, gratia, & beneplacito, in Ciuitatibus & Diœceſibus eorumdem, confeſſiones audiunto. Si Diœceſani, à prælatis, ad id electis & repræſentatis, licentiam ad confeſſiones audiendas exhibere recuſarint, Sacro Concilio, & Clemente Quinto Pont. Max. de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ concedente, iiſdem ad Confeſſiones audiendas, par cum Parochialibus Sacerdotibus vel curatis à iure conceſſa, poteſtas eſto.*

27. *Religioſi, in quattuor caſibus decimas Eccleſiis ſubtrahentes, ab officiis ſuſpenduntor.*

28. *Religioſi profeſſi Mendicantes, ad non mendicantium ordinem tranſeuntes, neque vocem, neq; dignitatem obtineant.*

29. *Pubes per annum deferens habitum Nouitiorum, non patenter diſtinctum ab habitu profeſſorum, profeſſus eſſe cenſeatur.*

30. *Monaſticen profeſſis, exquiſitus ornatus & cultus, nec non in cibis & potibus, equitaturis & lectiſterniis exceſſus interdictus eſto, iidem ſtatis temporibus confiteantor. Sacra Euchariſtia reficiuntor, expoſitionem Regulæ audiunto. Inſtructioni Nouitiorum inuigilanto. Ab aucupationibus abſtinento. Canes & aues venaticas ne alunto. Tranſgreſſores ſtatutorum puniuntor. Ad curias principum, ne accedunto. Arma intra clauſtra ne portanto, extra clauſtra, ne vagantor. Nemini, niſi Papæ ſubiecti regulares, & moniales ab Ordinariis locorum viſitantor.*

31. *Mulieres ſtatum Beguinarum ſectantes, & de nouo aſſumentes, ac religioſi in hoc dantes conſilium vel fauorem, ipſo facto excommunicati ſunto.* Porro hanc de Beguinis Conſtitutionem, placet ipſiſſimis verbis reponere. Ita habet.

EIVSDEM CONSTITVTIO DE BEGVINIS.

*Cum de quibuſdam mulierib. Beguinabus vulgariter nuncupatis (quæ cum nulli promittant obedientiam, nec propriis renuncient, neque profiteantur aliquam Regulam approbatam, religioſæ nequaquam exiſtunt: quanquam habitum qui Beguinarum dicitur deferant, & adhæreant religioſis aliquibus, ad quas ſpecialiter trahitur affectio earumdem) nobis fide digna relatione inſinuatum extiterit, quod earum aliquæ quaſi perductæ in mentis inſaniam, de ſumma Trinitate ac diuina eſſentia diſputent, & prædicent, ac circa fidei articulos & Eccleſiaſtica Sacramenta opiniones Catholicæ fidei contrarias inducant, aliaque quamplura periculum animarum parientia ſub quodam velamine ſanctitatis, faciant & committant; Nos tam ex his, quam ex aliis de ipſarum opinione ſiniſtra frequenter auditis, eas merito ſuſpectas habentes, ſtatum earumdem ſacro approbante Concilio perpetuo duximus prohibendum, & à Dei Eccleſia penitus abolendum: eiſdem & aliis mulieribus quibuſcumque ſub pœna excommunicationis, quam in contrarium facientes incurrere volumus ipſo facto, iniungentes expreſſe, ne ſtatum huiuſmodi dudum forte ab ipſis aſſumptum quoquo modo ſectentur vlterius; vel ipſum aliquatenus de nouo aſſumant. Prædictis vero religioſis per quos eædem mulieres in huiuſmodi Beguinagii ſtatu foueri, & ad ipſum ſuſcipiendum induci dicuntur, ſub ſimili excommunicationis pœna, quam eo ipſo quod ſecus egerint ſe nouerint incurſuros, diſtrictius inhibemus, ne mulieres aliquas prædictum ſtatum (vt præmittitur) dudum aſſumptum ſectantes, aut ipſum de nouo forſitan aſſumentes quomodocumque admittant: ipſis ſuper eo ſectando vel aſſumendo præbentes vllo modo conſilium, auxilium, vel fauorem, nullo contra præmiſſa priuilegio valituro. Sane per prædicta prohibere nequaquam intendimus, quin ſi fuerint fideles aliquæ mulieres, quæ promiſſa continentia, vel etiã non promiſſa honeſtè in ſuis conuerſantes hoſpitiis pœnitentiam agere voluerint, & virtutum Domino in humilitatis ſpiritu deſeruire, hoc eiſdem liceat, prout Dominus ipſis inſpirabit.* Hæc de ſtatu Beguinarũ. Addidit & has alias Conſtitutiones Clemens in Concilio Viennenſi.

32. *Hoſpitalia per collatores eorum reformentur; Rectores eorum ad conſeruanda iura, & ad hoſpitalitatem exercendam compellantur. Defectus & negligentia Collatorum per Ordinarios corrigantur. Eadem hoſpitalia, niſi in duobus caſibus, in beneficium non concedantur.*

33. *Religioſi ab Epiſcopis, ne in certis caſibus prægrauentur: Diœceſani (quibus hoc conſtat) illos qui exigendo à Clericis pedagia vel quidagia ſunt excommunicati vel interdicti, denuncient.*

34. *Horæ Canonicæ in Cathedralibus, regularibus & collegiatis Eccleſiis deuote pſallantur; in aliis Eccleſiis diurnum & nocturnum officium conuenienter celebretur.* Placet & hanc in memoriam ex integro reuocare. Ita habet.

ALIA DE OFFICIO DIVINO.

*Graui nimirum turbatione mouemur, quod ex nonnullorum Rectorum negligentia, quæ dum ſpem impunitatis permittit, multam nutrire peſtilentiam conſueuit in ſubditis, plerique Eccleſiarum miniſtri modeſtia Clericalis ordinis abiecta, dum offerre Deo ſacrificium laudis fructum labiorum ſuorum in puritate conſcientiæ & animi deuotione deberent, Horas Canonicas dicere, ſeu pſallere tranſcurrendo, ſyncopando, extranea quidem & plerumque vana, profana, & inhoneſta intermiſcendo colloquia, tarde ad chorum conueniendo, ſeu Eccleſiam ipſam abſque rationabili cauſa ante finem officii exeundo frequenter, aues interdum portando, ſeu faciendo portari, caneſque ſecum ducendo venaticos ac quaſi nihil prætendentes de clericali militia, in corona, veſtibus & tonſura diuina etiam celebrare, aut eis intereſſe nimis indeuote præſumunt. Nonnulli etiam tam Clerici quam laici, præſertim in feſtorum certorum vigiliis, dum in Eccleſiis deberent orationi inſiſtere, non verentur in ipſis earumq; cœmeteriis choreas facere diſſolutas, & interdum canere cantilenas, ac multas inſolentias perpetrare; ex quibus Eccleſiarum & cœmeteriorum violationes, inhoneſta variaque delicta quandoque ſequuntur, & Eccleſiaſticum plerumque perturbatur officium, in diuinæ maieſtatis offenſam, & aſtantium ſcandalum populorum. In multis inſuper Eccleſiis, cum vaſis, veſtimentis & cæteris ornamentis ad diuinum cultum neceſſariis, indecentibus vtique (penſatis earum facultatibus) deſeruitur. Ne igitur tranſgreſſiones inualeſcant huiuſmodi, aliiſque veniant in exemplum, Sacri Concilii approbatione hoc fieri prohibentes ſancimus: vt illi ad quos id pertinet, & in eorum ſi vtique exempti non ſint, negligentiam vel defectũ locorum Ordinarii; ſi vero exempti fuerint, aut alias circa hoc priuilegiati, ſuperiores ipſorum (omni negligentia vel incuria penitus relegata) circa reformanda præmiſſa, & eorum ſingula corrigenda; nec non vt in Cathedralibus, Regularibus & Collegiatis Eccleſiis, horis debitis deuote pſallatur. In aliis vero conuenienter & debite celebretur diuinum diurnum & nocturnum officium, ſi Dei & Apoſtolicæ Sedis indignationem euitare voluerint, ſollicitam curent diligentiam adhibere. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam (dummodo ad eos illam exercere pertineat) aliiſq; opportunis remediis compeſcendo; facientes prout ad eos ſpectat in his & aliis, quæ ad diuinum cultum & morum reformationem pertinent, ac Eccleſiarum & cœmeteriorum reſpiciunt honeſtatem, Sacrorum ſtatuta canonum, ad quæ ſcienda diligens curent adhibere ſtudium irrefragabiliter obſeruari.* Hæc de diuino officio ſtatuebat.

DE CELEBRATIONE FESTIVITATIS SS. CORPORIS CHRISTI.

Cæterum, cum Vrbani Quarti Pont. Max. de celebratione feſtiuitatis Sacratiſſimi Corporis Chriſti Conſtitutio, necdum ab omnibus Eccleſiis recepta fuiſſet, eam actis Concilii inſeruit, omnibuſque obſeruandam præcepit; digna quæ etiam hoc loci, ad hæreticorum confuſionem ſubſcribatur. Ita habet.

35. *Si Dominum in Sanctis eius laudare iubemur, dignum profecto, iuſtum, & ſalutare nobis exiſtit, vt ſibi in ſui quo nos quotidie ſpiritualiter reficit memoriam Corporis, laudes feſtiuæ venerationis & gratias referamus. Hac igitur conſideratione inducti, Conſtitutionem à bonæ memoriæ Vrbano Papa Quarto prædeceſſore noſtro ſuper hoc editam, de Fratrum noſtrorum conſilio diſtricte præcipimus obſeruari, cuius tenor ſequitur in hæc verba.*

*Vrbanus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, &c. Tranſiturus de hoc mundo ad Patrem Saluator noſter Dominus Ieſus Chriſtus, cũ tempus ſuæ paſſionis inſtaret, ſumpta cœna, in memoriam mortis ſuæ inſtituit, ſummum & magnificum ſui corporis & ſanguinis Sacramentum, corpus in cibum, & ſanguinem in poculum tribuendo. Nam quotiens hunc*

*panem manducamus, & calicem bibimus, mortem Domini annuntiamus. In inſtitutione quidem huius Sacramenti dixit ipſe Apoſtolis: Hoc facite in meam commemorationem, vt præcipuum & inſigne memoriale ſui amoris eximii quo nos dilexit, eſſet nobis hoc præcelſum & venerabile Sacramentum: memoriale, inquam, mirabile ac ſtupendum, delectabile, ſuaue, tutiſſimum, ac ſuper omnia pretioſum, in quo innouata ſunt ſigna, & mirabilia immutata; in quo habetur omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitas, ipſaque dulcedo Domini deguſtatur; in quo vtique vitæ ſuffragium conſequimur & ſalutis. Hoc eſt memoriale dulciſſimum, memoriale ſacratiſſimum, memoriale ſaluificum in quo gratam redemptionis noſtræ recenſemus memoriam; in quo à malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementa; in quo profecto proficimus ipſius corporali præſentia Saluatoris. Aliæ namque quorum memoriam agimus ſpiritu menteque complectimur: ſed non propter hoc realem eorū præſentiā obtinemus: in hac vero Sacramētali Chriſti cōmemoratione Ieſus Chriſtus præſens ſub alia quidē forma, in propria vero ſubſtantia eſt nobiſcum. Aſcenſurus enim in cælum, dixit Apoſtolis & eorum ſequacibus: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſæculi: benignæ ipſos promiſſione confortans, quod remaneret & eſſet cum eis etiam præſentia corporali. O digna, & nunquam intermittenda memoria, in qua mortem noſtrā recolimus mortuam, noſtrūq; interitū interiiſſe, ac ſignum viuificū ligno Crucis affixū fructū nobis attuliſſe ſalutis.*

*Hæc eſt cōmemoratio glorioſa, quæ fideliū animos replet gaudio ſalutari, & cum infuſione lætitiæ deuotionis lachrymas ſubminiſtrat. Exultamus nimirum noſtrā memorando liberationem, & recolēdo paſſionem Dominicam, per quam liberati ſumus, vix lacrymas continemus. In hac itaq; ſacratiſſima cōmemoratione adſunt nobis, ſuauitatis gaudium ſimul & lachrymæ; quia & in ea congaudemus lachrymantes, & lachrymamur deuote gaudentes, lætas habendo lachrymas, & lætitiam lachrymantem, nam & cor ingenti perfuſum gaudio, dulces per oculos ſtillat guttas. O diuini amoris immenſitas, diuinæ pietatis ſuperabundantia, diuinæ affluentia largitatis, dedit enim nobis Dominus omnia, quæ ſubiecit ſub pedibus noſtris, & ſuper vniuerſas terræ creaturas, contulit nobis dominii principatum. Ex miniſtris etiam ſpirituum ſuperiorū nobilitat & ſublimat hominis dignitatem. Adminiſtratorii nāque ſunt omnes, in miniſterium propter eos qui hæreditatem ſalutis capiunt deſtinati. Et cum tam copioſa fuerit erga nos eius munificentia, volens ad huc ipſe in nobis ſuam exuberantem charitatem præcipua liberalitate monſtrare, ſemetipſum nobis exhibuit, & tranſcendens oēm plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, attribuit ſe in cibum. O ſingularis, & admiranda liberalitas; vbi donator venit in donum, & datum eſt idem penitus cum datore. Quam larga, & prodiga largitas, cum tribuit quis ſeipſum. Dedit igitur nobis ſe in pabulū; vt quia per mortem homo corruerat, & per cibum ipſe releuaretur ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni mortiferum; releuatus eſt homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit eſca mortis, in iſto pependit vitæ alimentū. Illius eſus meruit læſionem iſtius guſtus intulit ſanitatē. Guſtus ſauciauit, & guſtus ſanauit. Vide quia vnde vulnus eſt ortū, prodiit & medela: & vnde mors ſubiit, exinde vita euenit. De illo ſiquidem guſtu dicitur; Quacumq; die comederis morte morieris. De iſto vero legitur: ſi quis comederit ex hoc pane, viuet in æternum. Hic eſt cibus qui plene reficit, vere nutrit, ſummeque impinguat; non corpus ſed cor, non carnem ſed animam, non ventrem ſed mentem. Homini ergo, qui ſpirituali alimonia indigebat, ſaluator ipſe miſericors, de nobiliori & potentiori huius mundi alimento, pro animæ refectione pia diſpoſitione prouidit. Decēs quoq; liberalitas extitit, & conueniens operatio pietatis, vt Verbū Dei æternum quod rationabilis creaturæ cibus eſt & refectio, factum caro, ſe rationabili creaturæ, carni & corpori, homini videlicet in edulium largiretur. Panem enim Angelorum manducauit homo, & ideo Saluator ait: Caro mea vere eſt cibus. Hic panis ſumitur, ſed vere non conſumitur: manducatur, ſed non tranſmutatur, quia in edentem minime transformatur: ſed ſi digne recipitur, ſibi recipiens conformatur. O excellentiſſimum Sacramentum, O adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum ſtudiis, deuotis proſequendum obſequiis, & ſynceris mentibus retinendum. O memoriale nobiliſſimum, intimis commendandum præcordiis, firmiter animo alligandum, diligenter reſeruandum in cordis vtero, & meditatione ac celebratione ſedula recenſendum. Huius memorialis continuam debemus celebrare memoriam, vt illius cuius ipſum fore memoriale cognoſcimus, ſemper memores exiſtamus: quia cuius donum vel munus frequentius aſpicitur, huius memoria ſtrictius retinetur.*

*Licet igitur hoc memoriale Sacramentum in quotidianis miſſarū ſolemniis frequentetur; cōueniens tamen arbitramur, & dignum, vt de ipſo ſemel ſaltem in anno ad confundendam ſpecialiter hæreticorum perfidiam & inſaniam, memoria ſolemnior, & celebrior habeatur. In die namq; Cœnæ Domini, quo die ipſe Chriſtus hoc inſtituit Sacramentū, vniuerſalis Eccleſia pro pœnitentiū reconciliatione, ſacri confectione chriſmatis, adimpletione mandati circa lotionē pedum, & aliis plurimum occupata, plene vacare non poteſt celebrationi huius maximi Sacramenti. Hoc enim circa Sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipſa obſeruat Eccleſia, vt quāuis in litaniis & miſſis, ac aliis ēt ipſorum memoriam ſæpius renouemus, nihilominus tamen ipſorum natalitia certis diebus per annum ſolemnius recolat, feſta propter hoc eiſdē diebus ſpecialia celebrando. Et quia in his feſtis circa ſolemnitatis debitum aliquid per negligentiam, aut rei familiaris occupationē, aut alias ex humana fragilitate omittitur: ſtatuit ipſa mater Eccleſia certam diem, in qua generaliter omnium ſanctorum commemoratio fieret; vt in hac ipſorū celebratione communi, quicquid in propriis ipſorū feſtiuitatibus omiſſum exiſteret ſolueretur.*

*Potiſſime igitur exequendum eſt erga hoc viuificum Sacramentum, Corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, qui eſt Sanctorum omnium gloria & corona, vt feſtiuitate ac celebritate præfulgeat ſpeciali: quatenus in eo, quod in aliis Miſſarum officiis circa ſolemnitatem eſt forſitan prætermiſſum deuota diligentia ſuppleatur, & fideles, feſtiuitate ipſa inſtante, intra ſe præterita memorantes, id quod in ipſis Miſſarum ſolemniis ſæcularibus forſan agendis implicitis, aut alias ex negligentia, vel fragilitate humana minus plene geſſerunt, tunc attente in humilitate ſpiritus, & animi puritate reſtaurent. Intelleximus autē olim dum in minori eſſemus officio conſtituti, quod fuerat quibuſdam Catholicis diuinitus reuelatum, feſtum huiuſmodi generaliter in Eccleſia celebrandum. Nos itaq; ad corroborationem & exaltationem Catholicæ fidei, digne ac rationabiliter duximus ſtatuendum, vt de tanto Sacramento præter quotidianam memoriam quā de ipſo facit Eccleſia, ſolemnior & ſpecialior annuatim memoria celebretur: certum ad hoc deſignantes & deſcribentes diē, videl. feriā quintā proximam poſt Octauam Pentecoſtes: vt in ipſa quinta feria deuotæ turbæ fideliū propter hoc ad Eccleſias affectuoſe concurrant, & tā Clerici quā populi gaudentes, in cantica laudiū ſurgant. Tunc n. omnium corda & vota, ora & labia, hymnos perſoluant lætitiæ ſalutaris, tunc pſallat fides, ſpes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilet chorus, puritas iocundetur, tunc ſinguli alacri animo pronaq; voluntate cōueniant, ſua ſtudia laudabiliter exequendo, tāti feſti ſolēnia celebrantes. Et vtinā ad Chriſti ſeruitium ſic eius fideles ardor inflammet, vt per hæc & alia proficientibus ipſis meritorum cumulis, apud eum qui ſeſe dedit pro eis in pretium, tribuitq; ſe ipſis in pabulum, tandem poſt huius vitæ decurſum eis ſe in præmium largiatur. Ideoq; vniuerſitatem veſtrā monemus & hortamur in Domino, & per Apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mādamus, in remiſſionē peccaminum iniungentes quatenus tā excelſum, & tā glorioſum feſtū, prædicta quinta feria ſingulis annis deuote ac ſolemniter celebretis, & faciatis ſtudioſe per vniuerſas Eccleſias Ciuitatū veſtrarū & diœceſiū celebrari: ſubditos veſtros in Dominica, dictā Quintam feriā proxime præcedentem, ſalutarib. monitis ſollicite per vos & per alios exhortantes, vt per veram & purā confeſſionē, eleemoſynarū largitionē, attentas & ſedulas orationes: & alia deuotionis & pietatis opera taliter ſe ſtudeant præparare quod huius pretioſiſſimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, poſſintq; ipſum ſuſcipere reuerenter, ac eius virtute augmentum conſequi gratiarū.*

*Nos .n. Chriſti fideles ad colendum tantū feſtū & celebrandū donis volentes ſpiritalib. animare, omnib. vere pœnitentib. & confeſſis, qui Matutinali officio feſti eiuſdē in Eccleſia in qua idem celebrabitur interfuerint, centū: Qui vero Miſſæ, totidē: Qui autē in primis ipſius feſti veſperis interfuerint, ſimiliter centū: Qui vero in ſecundis, totidem: Illis vero qui Primæ, Tertiæ, & Sextæ, Nonæ, ac Completorii officiis interfuerit: pro qualibet Horarū ipſarū Quadraginta. Illis a. qui per Octauas illius feſti Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ ac prædictarū Horarum officiis interfuerit, centum dies*





*ſingulis Octauarum ipſarum diebus, de Omnipotentis Dei miſericordia ac Beatorum Apoſtolorum eius Petri & Pauli auctoritate confiſi, de iniunctis ſibi pœnitentiis relaxamus.* Hæc pro ſolemnitate SS. Corporis Chriſti ex Vrbani Pontificis edicto, Clemens in Concilio ſanciebat. Præterea, conſtituit iſta alia.

36. *Contra quoſcumque laicos exigentes ſeu extorquentes ab Eccleſiis Eccleſiaſticiſque perſonis tallias ſeu collectas, aut exactiones quaſcumque; & contra dantes ad id faciendum conſilium, auxilium vel fauorem; nec non & circa præſtandas ſubuentiones laicis ab Eccleſiarum Prælatis, ac aliis viris Eccleſiaſticis, ſtatuta Concilii Generalis Lateranenſis obſeruentur.*

37. *Scienter contrahens matrimonium in gradu conſanguinitatis vel affinitatis prohibito, vel cum moniali, vel profeſſus, aut profeſſa, vel in ſacris conſtitutus, ipſo iure excommunicatus eſto; publicetur ac vitetur.*

38. *Vbicumque Romanam Curiam reſidere contigerit, nec non in Pariſienſ. & Oxonienſ. Bononienſ. & Salamantino ſtudiis, teneantur viri Catholici ſufficientem habentes Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldææ linguarum notitiam, duo videlicet vniuſcuiuſque linguæ periti qui ſcholas regant ibi, libros de linguis ipſis in Latinum fideliter transferre, & alios linguas ipſas ſolicite docere, quibus equidem in Romana Curia legentibus per Sedem Apoſtolicam; in ſtudiis vero, Pariſienſis per Regem Franciæ, in Oxonienſis Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ ac Vualiæ; in Bononienſis per Italiæ, in Salamantino per Hiſpaniæ Prælatos, Monaſteria, Capitula, Conuentus, Collegia exempta, & Eccleſiarum Rectores in ſtipendiis competentibus & ſumptibus prouideatur.*

39. *Principes Chriſtiani Saracenos ſibi ſubiectos, à publica inuocatione Mahomedi, & à peregrinatione ad ſepulchrum illius omnino coerceant, neque permittant Zabazalis ſeu Sacerdotibus eorum, in templis ſeu Meſquitis, ad quas iidem Saraceni ad adorandum perfidum Mahometum, diebus ſingulis, certis horis conueniunt, nomen eiuſdem Mahometi Chriſtianis & Sarracenis audientibus, ex editiore loco, alta voce inuocari, aut quicquam in eius honorem publice proferri.*

40. *Inquiſitionis contra hæreticos officium, ex præſcriptis canonibus diligentiſſime exerceatur.*

41. *Beguardorum & Beguinarum errores, inter damnatos habeantur: ac contra eos Inquiſitores procedere ne morentur.*

42. *Furioſus, infans, vel dormiens, vel in defenſione ſui, inuaſo eum, ſi aliter mortem vitare nequiuerit, occidens, vel mutilans, irregularitatem non incurrat.*

43. *Quicumque communitatum Poteſtates, Capitanei, Rectores, Conſules, Iudices, Conſiliarii, aut alii quiuis officiales, ſtatuta de ſoluendis vſuris ſcribentes, dictantes: aut ad ſoluendum vſuras compellentes, vel ſolutas cum repetuntur reſtituere prohibentes, aut ſtatuta huiuſmodi reuocare nolentes, ſententiam excommunicationis incurrant.*

44. *Si quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præſumat, exercere vſuras non eſſe peccatum, velut hæreticus puniatur: & contra de hoc crimine infamatos vel ſuſpectos, locorum ordinarii & hæreticæ prauitatis Inquiſitores, tanquam contra diffamatos vel ſuſpectos de hæreſi procedere non omittant.*

45. *A triginta grauaminibus in canone expreſſis, Prælati contra religioſos abſtineant.*

46. *In ſex caſibus, à Concilio expreſſis, religioſi delinquentes, excommunicationi ſubiaceant, neque ab ea niſi à Romano Pontifice abſoluantur.*

47. *A ſeptem præcipue culpis, in canone numeratis, ſub pœnis indictis ſibi caueant.*

48. *Archiepiſcopi per loca etiam exempta prouinciæ ſuæ tranſeuntes, Crucem ante ſe deferri faciant.*

49. *Percuſſores Epiſcopi, capientes, bannientes, mandantes, ratificantes, ſocii, conſiliarii, fautores & defenſores cum ſuis poſteris, Ciuitates in hoc delinquentes & eius officiales, pœnis grauiſſimis per Concilium expreſſis puniantur.*

50. *Capientes viros Eccleſiaſticos, vt renuncient beneficiis, vel vt citati non vadant ad Curiam, præter excommunicationis pœnam, aliis quoque ſtatutis ſubiaceant.*

51. *Conſtitutionis Bonifacianæ de exceſſibus Prælatorum tranſgreſſores, & à ſolutione decimarum retrahentes religioſi, pœnis à Concilio præſcriptis puniantur.*

52. *Damnatis ad mortem pœnitentia non negetur.* 53. *Quæſtores ſine litteris Apoſtolicis vel diœceſanorum non diſcurrant.*

54. *Interdictum à matrice Eccleſia obſeruatum religioſi nō ſeruantes excommunicati ſint ipſo facto.* 55. *Domini temporales ad celebrandum tempore interdicti compellentes, admittentes, euocantes, anathema incurrant, nec niſi à ſummo Pontifice abſoluantur.*

56. *Regula S. Franciſci nonniſi ex formula à Concilio correcta à Fratribus Minoribus obſeruetur.* 57. *Papa, ſcienter etiam excommunicato communicans, ipſum ab excommunicatione non abſoluit; hæc pro communi vtilitate Eccleſiæ in Concilio decreta.*

Eo abſoluto, iterum contra Henricum Imper. Clementi Ponti. decertandum fuit, propterea quod is Robertum Siciliæ Regem inter perduelles recenſuiſſet, & Regno Neapolitano illum exuere vellet. Quod ſententiam in Robertum Regem Siciliæ prolatam ab Henrico attinet, cum Imperatorem clam non eſſet, illum nō tantum Vrſinorum in Vrbe potentiſſimam factionem, auxiliaribus copiis iuuiſſe, verum etiam Florentinis adeoque vniuerſis Guelphis animos facere, & in Fridericum Regem Trinacriæ (cuius filio Cæſar filiam deſponderat) affinem ſuum arma mouere, adeoque vniuerſæ Siciliæ vltra pharum inhiare: inprimis ei diem dixit; deinde Piſis Etruriæ in abſentem, quaſi maieſtatis crimine teneretur, ac hoſtis & proditor Imperii foret, ac iniuſte regnum Siciliæ occuparet ſententiam priuationis omnium dominiorum, & decapitationis, ſi vnquam in ditionem Imperii deueniſſet promulgauit: deinde cum Friderico affini bellum in eundem condixit: vt Fridericus maritimis, ipſe Imperator terreſtribus copiis illum inuaderent. 11. HENRICVS IMP. IN ROBERTVM SICILIÆ REGEM SENTENTIAM PRIVATIONIS OMNIVM DOMINIORVM ET DECAPITATIONIS PROMVLGAT.

Placet porro verbis ipſis ſententiam contra Robertum ab Henrico prolatam iſthic adſcribere, quod ad narrationem hiſtoricam, maxime illam pertinere arbitratim. Ita habet apud Albericum de Roſate in l. Quiſquis. C. ad leg. Iul. maieſt.

Henricus Dei gratia Romanorū Imperator, & ſemper Auguſtus, ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum. *Deus Iudex, iuſtus, fortis & lōganimis omnes ſecundum merita ſua iudicans, ſuperbientem illum ſpiritum, qui ante ſuum thronum demens ſe gloria & honore ornatum conſpiciens, ſedem ſuā ad Aquilonem, vt eſſet ſimilis Altiſſimo, ponere cogitauit; de altis cœlorū faſtib. ad inferiora terræ in opprobria ſempiterna demergēs, ipſum omni gratia & ſpe minime condigne priuando duxit æternalib. vltionib. exponendum. Sic ad præſens iuſtitiam reſpiciat, & æquitatem videat ipſe cœleſtiū, terreſtrium, & infernorum Dominus, qui nouit occulta cordium, & ante cuius tribunal omnis ceſſat calumnia, & veritas nullius nequitiæ tenebris obſcuratur. Deponat & nunc de ſede potentem, qui tentauit & exacerbauit ipſum, & concitauit eū in iram: perdat eum qui male quærit, & deleat illum qui obſtinato animo viam innocentiæ refugit, & gloriatur in malitia opprobrium ſempiternū: faciat in eum iudicium conſcriptum, & ſit gloria omnibus ſanctis eius. Nequitiæ ſiquidē & proditionis alumnus Robertus, natus claræ memoriæ Caroli ſecundi qui ſe Siciliæ Regem intitulat, & Imperii Romani adipe, impinguatus, incraſſatus & dilatatus, contra illud (cui ēt cauſa feudorum multorū & bonorū ipſius Imperii, quæ hactenus tenuit, & quæ iniuſte principaliter occupat, humiliter obedire debet) vitiis & iniquitatib. eminens, odia, dolos & fraudes pro fidelitate retribuēs, ex deteſtando ingratitudinis vitio calcaneum rebellionis reſumpſit erigere: & contra ſtimulum indurata nequitia recalcitrare non ceſſat, nefādaq; ſuperbia tumefactus ſedem ab Aquilone, hoc eſt ab oppoſito maieſtatis Cæſareæ, quam eius dominam & magiſtram revereri & honorare tenetur, ſupponere ſatagens, ipſā conuitiis & contumeliis prouocauit hactenus, & continuo animo proteruo continue prouocare præſumit. Ipſe namq; inter cæteros ſuæ malignitatis conatus, licet antequā Imperialis coronationis cauſa proficiſceremur ad Vrbem, per ſuas litteras ſpeciales pluries culmini noſtro ſcripſiſſet, quod ipſe (ſicut ex cauſa prædicta debebat, & nos qui nec opere, nec verbo grauauimus, nec grauare ſed potius gratioſe tractare intendebamus, eūdem ex grauitate conſcientiæ credebamus) ad exhibendam nobis*

debitam reuerentiam & honorem, tam in dicta coronatione quã alibi intendebat, & ad id pro viribus ſe parabat: Confœderationes tamen, conſpirationes, vniones & ligas in offenſam & impedimentum proceſſus Cæſarei vna cum Florentinis, Lucanis, Senenſibus, & aliis noſtri Romani Imperii ſubditis per Lombardiã, & vt eos in rebellionis præcipitium excitatos foueat, omne contrarium (ſicut expreſſe dignoſcitur) per ſe ſuoſque Procuratores, Nuntios & Ambaſiatores, in noſtræ Maieſtatis iniuriã & offenſam, & impedimentum proceſſus Cæſarei facere procurauit & fecit. Tractauit etiam quod ciuitas Cremonæ, Parma & Rhegii, quæ ſub noſtra obedientia conſiſtebant, contra nos & Imperium rebellarent, inducendo tam Communia ipſarum Ciuitatum, quam ſubditos noſtros prædictos ad rebellionem huiuſmodi, & eis ad id pollicendo auxilium, conſilium & fauorem; & nihilominus dicti Roberti fulti fauoribus, ſuæq; nequitiæ conſcii & miniſtri ciuitatis Aſſenſis, & caſtra Valentiæ, Caſalis, S. Euaſii, & alias nonnullas ciuitates & caſtra Prouinciæ Lombardiæ, quæ mãdata noſtra iurauerant, & nos in eorum Dominum recognouerant, & officiales noſtros receperant & habebant, officialibus ipſis violenter eiectis, nequiter occupatis, & occupatas, & occupatæ pro Roberto detinent ſupraſcripti. Deniq; Robertus Ioannem fratrem & ſtipendiarios Romam videl. ea intentione tranſmiſit, vt Vrbe (ſi poſſet) ſuæ proditioni doloſe ſubiecta, vel ſaltem turbata in eius periculo nefandæ ſeditionis immiſſio dictæ coronationis impediret ſolemnia, prout dicti Ioannis & ſtipendiariorum in ingreſſu noſtro in Vrbem prædictam, quamdiu in partib. illis moram traximus, efficaciter operum argumento probantes, vna cũ copioſa ſubditorum dictorum multitudine, quæ per inſtigationem dicti Roberti ſubmiſſi ſibi ſubſidii & defenſionis fiducia cum armis & equis ad opponendum ſe nobis, & exercendam per excogitatam malitiam ſimul cum Ioanne ſtipendiariiſq; prædictis conuenit, ibidem contra nos & gentes noſtras hoſtiliter poſuerunt inſidias, fecerunt inſultus ſpoliationes, violentias, & homicidia perpetrauerunt, viasque publicas & loca per quæ ad tendendam Baſilicam Principis Apoſtolorum de Vrbe omnibus religionem profitentibus Chriſtianam liber aditus patere debeat, bellicoſis apparatibus claudere nobis ac gentibus noſtris ad baſilicam ipſam, ne ipſa coronatio celebrari valeret, acceſſum totis viribus prohibere, ac alias omnimodo quo poterat maieſtatem noſtram offendere procurarunt. Aliaſque præfatus Robertus committebat, & erat in ſitu contra nos committendi omnia, quæ ad noſtri Imperii damnum tenderent, & ad ea modis omnib. quib. poterat nitebatur. Hæc ſiquidem creſcente clamore notorio, & in plurib. rerum experientia edocente, licet ipſa tam publica & notaria eſſent, quod nulla poſſent tergiuerſatione celari, & nos qui ſubiecti non ſumus, contra dictum Robertum propter præmiſſa eo irrequiſito potuiſſemus procedere: tamen ex Auguſta clementia (quæ libentius emendat in ſubditis pœnas quam punit, nec exercet ferrum in eos quos ſanare põt lenitas medicinæ) poſt receſſum noſtrũ de Vrbe prædicta, ſuper dicto notorio, & prædictis per ipſum Robertũ contra noſtrã maieſtatem commiſſis ad inquiſitionem deſcendimus, quã vt fidei vel amoris ſcintilla (ſi qua forſitan remanſit in eo) ipſius viſcera tangeret, & ipſe interim ſpatium ad cor redeundi haberet, vſque in præſens deliberationibus rationis duximus protrahendam, Robertum prædictum citari legitime fecimus, vt comparere curaret, ſuã (ſi poſſet) innocentiam oſtenſurus. Verum idem Robertus in ſua proteruia perſeuerans, in terminis ſibi adhoc præfixis, vel eorũ aliquo, vel per ſe, vel per alium comparere cõtumaciter non curauit. Quare nos ſuper præmiſſis in ipſius Roberti contumacia fide dignis & ſufficientibus receptis teſtibus, & eorum dictis in ſcriptis redactis, & per nos ſolemniter publicatis, & de mandato noſtro à proceribus noſtri Palatii cum diligentia recenſitis, & facta nobis de ipſis, & per ipſos relatione fideli, per ea quæ probata fuerunt prædicta omnia, & ſingula publica & notoria eſſe, in ſcriptis interloquendo pronunciauimus & declarauimus exigẽte iuſtitia & poſtmodum eum requiri & citari ſufficienter, & peremptorie fecimus, vt certo termino iam elapſo coram nobis (vbicunq; eſſemus) ad hanc noſtrã ſententiã audiendã comparere curaret. Quod ipſe præſcius, & diffuſus iniuriis & offenſis in ſua obſtinatione & contumacia & fraudibus pernicioſis induratus, facere prætermiſit.

Quia igitur de præmiſſis omnib. & ſingulis (prout apertius in inquiſitione cõtinetur) ſpecialiter per dictos teſtes plenarie nobis conſtat, nos prædictos & alios prædicti Roberti exceſſus nefarios & opera deteſtanda maturo & iuſto librantes examine, ac illud notiſſimum nullatenus omittentes, quod ipſe Robertus, dum in Vrbe prædicta cauſa prædictæ coronationis eſſemus, dilectiſſimi noſtri Piſani (qui inter cæteros noſtros ſubditos fidelitatis ac opinionis ſinceritate, galeas & gentes ad noſtrũ ſeruitiũ & honorem Romam miſerãt) galeas ipſas in noſtræ Maieſtatis iniuriã inuadi, ſpoliari, & gentes prædictas capi & incarcerari, & in carcere detineri mãdauit & fecit; & nihilominus in huiuſmodi continuationis terminis perſeuerando mala malis addendo, & peiora continue committendo, dũ contra rebelles noſtros direximus ſigna Cæſarea, rebellib. ipſis (ſicut publicũ & notoriũ eſt, & facti euidentia docebat & docet) miſit plures armatorum in ſubſidium, vt eos diutius in eorum rebellionis errorib. confoueret; & attẽdens, quod dũ ipſe potuit pacẽ & quietem habere dũ debuit trãquillitatẽ expectare, ad noſtrã beneuolentiã & dilectionẽ, quã ſibi ex animi ſinceritate parauerámus obtinere noluit: bella quæſiuit, iniquitates exercuit, & pro poſſe curauit, ſicut etiã procurare non ceſſat, in Imperii populos ſeminare Zizania, ſuſcitare odia, immittere ſcandala, cõcitare tumultus, nutrire ſchiſmata, & fouere diſcordias; & ſine intermiſſione in actu cõmittendi continuandiq; perſtare contra noſtrũ Imperiũ non omiſit, non ſolũ in noſtri Imperii contemptum, Reiq; publicæ detrimentũ ſed ẽt in perturbationẽ proſperitatis Eccleſiaſticæ, quæ ad Imperii ſtatum plurimum dignoſcitur tendere, & in retardationem negotii Terræ Sanctæ, ad quod (teſte Deo qui omnia nouit) totis conatib. & affectibus anhelamus, & videntes aperte, quod dictus Robertus irreuocabiliter in ſignum erroris prolapſus, & obſtinatus in dolis, viam veritatis expiauit omnino, & tãquã aſpis ſurda non obtinẽs auditũ, nec mandata noſtra, nec Legis pœnã, in quã ſuis culpis (nam omne quod eſt ex Deo vincit mũdũ, & hæc eſt victoria quæ vincit mundũ fides noſtra) incidiſſe ac incidere noſcitur, nec ẽt Imperatoriæ plenitudinẽ poteſtatis veretur, ſed quotidie ceruicis durioris efficitur: & quantũ ipſum ad pœnitudinem expectamus, tanto maiorẽ aſſumit audaciã malignãdi. Conſiderantes ẽt, quod ipſe Robertus, de Imperii crapulatus pinguedine dilatatur, & ex illicitis ſibi laxatis habenis furit, & nobis pro obedientia rebellionẽ, & pro fidelitatis debito iniurias refert, noſq; ac quoſcumq; fideles Imperii nobis obedientes pro poſſe impugnare conatur, eiuſq; prauitas non in ædificationẽ, ſed in deſtructionem, non ad fructũ & iuuamen, ſed ad peſtẽ eſſe dignoſcitur: & volẽtes præmiſſis iniuriis & ipſius fraudibus obuiare, & Euangelicã ſequi doctrinã quæ nos monet, quod omnis arbor, quæ fructũ non facit bonum, abſcidatur & mittatur in ignẽ, licet fideles Reges & Principes in ſuorũ dignitatis eminentiã libenter condignis honoribus, & gratioſis fauorib. proſequamur; tamen vt culpa ſupplicium timeat, & virtus retributionem expectet, Robertum prædictũ, cuius elegimus domare ſuperbiam, & præſumptionẽ erectam conterere, ipſumq; à ſtatu ſuo quantumcunq; ſublimi deponere, cum propter præmiſſa Maieſtatis criminis reus ſit, vniuerſis & ſingulis dignitatib. quocumq; titulo cõprehẽſis, quib. ſe intitulat & decorat, auctoritatibus, honoribus, libertatibus, immunitatib. & priuilegiis, prouinciis, Comitatibus, Ciuitatibus, Caſtris, terris, villis & aliis feudis, vaſallis, bonis, rebus, iuribus & iuriſdictionib. vniuerſis tã perpetuis quã tẽporalibus, quos, quas & quæ habet, tenet, & poſſidet, vel quaſi, ſeu habuerunt & poſſederũt hactenus quomodolibet ipſe vel ſui prædeceſſores priuamus: vndẽ Robertũ rebellem, proditorem & hoſtẽ Imperii, dictæq; Maieſtatis crimine reũ, de toto prædicto Imperio exbãnimus, & diffidamus: Ipſũ ſi quo tẽpore in noſtrã & Imperii fortiã peruenerit, vita, per capitis mutilationẽ priuãdũ, in his ſcriptis ſententialiter condẽnamus, ſtatuentes & mãdantes, quod nulla perſona cuiuſcũq; nobilitatis, excellentiæ, ſtatus, vel cõditionis exiſtat, nullaq; Ciuitas, caſtrũ, villa, vel vniuerſitas eidẽ cõtra nos & Imperiũ præbeat publice vel occulte, conſiliũ, auxilium vel fauorem, ſub pœna centũ librarũ auri, pro qualibet ciuitate libras 50. pro quolibet caſtro villa, Marchione, Duce, Comite, Barone, & quolibet nobili viginti librarũ auri, & pro qualibet alia ſingulari perſona pro vice qualibet qua cõtra fecerint, cõmittẽda: quodq; cuilibet liceat impune, Ciues, incolas, habitatores Ciuitatũ, caſtrorũ, villarũ, & quaſlibet alias ſingulares perſonas, cuiuſcũq; ſtatus vel cõditionis exiſtãt, quæ contra noſtrũ honorem obediãt ei, vel darẽt conſiliũ, auxiliũ vel fauorem publice vel occulte offendere in perſona rebus & iuribus, & ipſos, & ea capere, & arreſtare, & retinere. Inhibentes etiam & præcipientes expreſſe ne aliqui debitores ipſius Roberti, de bonis in quibus ei tenentur in aliquo ſatisfaciant, vel reddere quomodolibet præſumant, ſed alioquin tantũdem Cameræ noſtræ perſoluant. & ad hæc ſiniſtr. epi-





tu & figura iudicii compellantur. Ad hæc vniuerſitates & prouincias noſtras, Ciuitates, villas, & ſingulares perſonas cuiuſcũq; præeminentiæ vel excellentiæ, etiamſi Regia dignitate, vel cuiuſcunq; alterius dignitatis, conditionis vel ſtatus exiſtant, quæ ex aliquo pacto vel promiſſione ſeu obligatione dicto Roberto, aut prædeceſſores ſui facto, pacto, vel pœna ſub qualicunq; forma comprehenſo, vel comprehenſi ſint, ratione, cauſa vel titulo, & ſpecialiter de aliquo ſeruitio faciendo, vel hominũ armatorum aliudq; ſubſidium dando, per mare vel per terram, teneretur eidem Roberto: ab ipſis, pacto, promiſſione, obligatione & pœna appoſita vaſallos quoq; & feudatarios, omnes & ſingulos, qui eidem fidelitatis vinculo, vel alia quacunq; ratione vel cauſa, ad aliqua ſeruitia realia vel perſonalia tenerentur, ab omni vinculo fidelitatis, ſubiectionis & obedientiæ ei vel ſuis hæredibus faciendis abſoluimus penitus & in totum, ita quod nec ciuitates, caſtra, villæ, vniuerſitates & perſonæ prædictæ, pacto vel obligatione prædictorum, aut vaſalli, aut feudatarii præfati ciues, fidelitatis, ſubiectionis & obedientiæ, ratione, cauſa, vel titulo, ſibi vel ſuis hæredibus quomodolibet teneantur. Ipſas etiam Contratas, Ciuitates, Caſtra, villas, feudatarios, vaſallos, bona, res, iuriſdictiones, ſeruitia & iura, & quæcunq; alia ſub noſtra cõtenta priuatione & abſolutione huiuſmodi confiſcamus. Demum omnibus & ſingulis militibus, Auditoribus, Iudicibus, Iuriſperitis & Notariis, qui eiuſdem Roberti domeſtici ſeu familiares exiſtunt, ſiue aliis qui in eius ſeruitio eſſe noſcuntur, & quibuſuis aliis diſtricte præcipiendo mandamus, quod ab ipſius Roberti familiaritate, conſiliis, directione, & obſequiis quibuſcunq;, infra duorum menſium ſpatium ab hodie computandum, cum effectu recedant, & nunquam ad eius ſeruitium vel conſilium accedere publice vel occulte præſumant: alioqui ipſos milites honore ac dignitate militiæ, iudices adiudicandi & aſſidendi omnibus & ſingulis priuilegiis & immunitatibus ac Notarios Notariatus officio: eos videlicet ex dictis militibus, Auditoribus, iudicibus, iuriſperitis, Notariis, qui huiuſmodi mandato noſtro non paruerint cum effectu, exnunc prout extunc priuamus termino ſupraſcripto, & inhabiles & infames reddimus: ita quod elapſis menſibus ſupradictis, ad nullos actus legitimos quocunq; tempore poſtmodum admittantur. Huiuſmodi autem priuationis, confiſcationis, exbannitionis, diffidationis, condemnationis & abſolutionis ſententias in his ſcriptis fecimus, & omnia alia ſingula facta & incerta facimus exigente iuſtitia, & bono Reipublicæ requirente, ac ex certa ſcientia & plenitudine poteſtatis, ſupplentes omnem defectum, ſi quis forſan in inquiſitione prædicta, de quibuſcunq; proceſſibus propterea habitis, ob aliquam iuris ſolemnitatem omiſſam eſſet habitus. Non obſtantibus aliquibus legibus, conſtitutionibus contrariis, vel priuilegiis ſub quacunq; forma verborum conceſſis: etiamſi oporteret de ipſis de verbo ad verbum in præſentibus fieri mentionem: quæ contra præmiſſa vel præmiſſorum aliquid poſſe quomodolibet obiici, ſeu opponi, quibus ſpecialiter derogamus. Actum Piſis in præſentia noſtrorum Principum & Baronum, ac populi multitudine copioſa 7. Kal. Maii, Regni noſtri anno quinto, Imperii vero anno primo.

III. SENTENTIAM IN ROBERTVM AB HENRICO IMP. PROBATAM RESCINDIT CLEMENS PAP.

Sciuit hæc omnia Robertus, & Clementi ſummo Pontifici quamprimum renunciauit. Clemens porro ex purpuratorum conſilio, in tam grauiſſimo negotio, hunc in modum pronunciauit.

*Paſtoralis curæ ſolicitudinis nobis diuinitus ſuper cunctas Chriſtiani populi nationes iniuncta, nos inuigilare remediis ſubiectorum eorundem periculis obuiare, & ſcandala remouere compellit.*

*Sane cum iamdudum inter quondam Henricum Imperatorẽ Romanum, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Robertum Siciliæ Regem grauis fuiſſet materia turbationis exorta, aſſerente deinde Imperatore prædicto, quod cum quibuſdam ipſius ſubditis Rex confœderationes & conſpirationes fecerat, in ipſius maieſtatis offenſam: quodq; tractauerat & ordinauerat, vt Ciuitates quædã ſub imperio & Imperatoris eiuſdem obedientia conſiſtẽtes, contra eum, & Imperium rebellarent, genteſq; ſui ipſius fultæ ſubſidio, nonnullas alias imperii Ciuitates, & caſtra (inde violenter eiectis ipſius Imperatoris officialibus) occuparunt, & pro ipſo Rege occupata tenebant: ac alias etiam in Vrbe, & alibi, imperii & Imperatoris eiuſdem contemptum, & ſuæ maieſtatis iniuriam, & reipub. detrimentum multa grauia fuerant per Regem eundem, ac malitiam & inſtigationem ipſius tam à ſuis ſtipendiariis, quam à ſubditis Imperatoris commiſſa. Præhabitis per Imperatorem eumdem quibuſdam proceſſibus contra eum, abſentem tamẽ, quamuis legitime (iuxta Imperatoris aſſertionem) citatum, ac quod ſupradicta erant notoria, per Imperialem interlocutoriam declarato: Imperator ipſe Regem aſſirmans propter præmiſſa læſæ maieſtatis criminis reum eſſe, in eum peremptorie (vt dixit) & ſufficienter citatum, ſed comparere contumaciter recuſantem, tanquam rebellem, proditorem & hoſtem imperii, ac reum criminis ſupradicti, priuationis omnium dignitatum quocumq; cõprehenſarum titulo, & quibus ſe intitulabat Rex ipſe, auctoritatum quoq; honorum, prouinciarum, terrarum, bonorum, iurium & iuriſdictionum tam perpetuorũ quam temporalium, & ſi quãdo veniret in ſuam & imperii fortiam, mutilationis etiam capitis ſententiam promulgauit, omnem ſupplendo defectum, ſi quis forſitan fuerat ex ſolemnitate iuris omiſſus, in proceſſibus memoratis præmiſſa (vt aſſeruit) faciens exigente iuſtitia, & de imperiali etiam poteſtate.*

*Verum quia huiuſmodi ſententia, quæ non à diſcretione matre virtutum, ſed à nouerca iuſtitiæ voluntaria ſc. iudicantis præcipitatione proceſſit, partus forſan ſe deteriores haberet, ſi ipſius ſententiæ inefficacia in publicum præcone iuſtitia non prodiret. Nos circa eam tali vti prouiſione volentes, quæ (detectis ipſius defectibus) ſeminata per eam extinguat pericula, & in ratione reddenda ſit poſteris profutura, ipſam ſubiiciendam eſſe prouidimus limæ iuſtitiæ, ac rectæ libraminis rationis.*

*Eiuſdem igitur cauſis, continentia, nec non conditione illorũ, à quo, & in quem lata fuit, diligenti & debita conſideratione penſatis, patenter ex eis illius adſtruitur euidentia nullitatis, & manifeſte arguitur temeritas promulgantis.*

*Notorium quippe ac indubitatum extitit, quod grandis exercitus tempore dictorum proceſſuum, & ſententiæ, continue Imperatori aſſiſtens Regem ipſum & ſuos perſequebatur odio capitali: Piſanaq; ciuitas, in qua lata fuit memorata ſententia, Regem capitali habebat odio notorio, & antiquo.*

*Eſto igitur, quod Rex ipſe alias ad præmiſſa fuiſſet legitime per Imperatorem citatus, nunquid venire debuit ad iudicem exercitu feroci ac grandi, ipſiq; citato (vt præmittitur) odioſo ſtipatum? Nunquid etiam debuit comparere in loco admodum populoſo: multum potenti, ac præfato in eũm odio prouocato? Quis enim auderet, vel qua ratione audere aliquis teneretur conſiſtorii talis ſubire iudicium, & ſe in hoſtium ſinu reponere, ac ad mortem per violentam iniuriam, non per iuſtitiam inferendam vltroneum ſe offerre: Hæc quidem iure timentur, hæc de more vitantur, hæc humana fugit ratio, hæc abhorret natura. Deſiperet igitur, qui citationem huiuſmodi ſaperet arctaſſe citatum. Vt illud tanquam notiſſimum nullatenus omittamus, quod Regem extra diſtrictum imperii, in regno ſc. Siciliæ notorie ac continue tempore ſupradicto morantem, citare non potuit Imperator; nec citatio ſi quam forſan de ipſo intra imperii fines fecit, citatum extra imperium conſtitutum arctauit.*

*Nos quoq; Regis Ordinarius iudex quod ad imperatoris iudicium, citaremus, vel citari, aut remitti faceremus eundẽ, nequaquam fuimus requiſiti: immo licet ad nos & Curiã noſtram temporibus illis rumores frequenter de Curia Imperatoris venirent, & iuxta eum etiam quidam ex fratribus noſtris eſſent, prius tamen dictæ ſententiæ promulgatio, quam aliquid de proceſſibus antecedentibus ad audientiam noſtram peruenit.*

*Deniq; licet Rex ipſe terras aliquas ab imperatore tenere dicatur in feudum, non tamen in eis, ſed in regno præfato domicilium ſuum fouebat, vnde Imperator in ipſius perſonam, nullam ratione terrarum huiuſmodi (niſi ex natura feudorum) debitam ſuperioritatem habebat.*

*Quod ſi punitio criminis intra diſtrictum Imperialem commiſſi, ad Imperatorem forſan pertinuiſſe aſſeratur: Verum eſt quidem ſi in eodem diſtrictu fuiſſet inuentus delinquens, vel ad illum de more remiſſus. Dicine ergo ſentẽtia meruit, quæ à iudice, qui per Regem tute adiri non potuit, & in loco notorie (vt præfertur) non tuto, in abſentem, nec citatum legitime, ac inauditum per conſequens & indefenſum, non maturo fuit iudicio, ſed præcipitio, & de tanto præſertim crimine promulgata?*

*Rurſus non eſt ſilentio relinquendum, quod ipſe Rex, noſter & Eccleſiæ Rom. ratione Regni prædicti notorie ſubditus, homoq; ligius, & vaſallus, ac in eodem regno, non, vt præmittitur, in imperio certum, continuum, & notorium ſuum habens domicilium, ac*

*originem inde trahens, Imperatori eo modo non ſubfuit, quod in eum crimen læſæ maieſtatis commiſerit, quantumlibet omnia in ſententia ſupradicta contenta veritatem indubiam continerent: ſicq; nedum non iure, immo nec iuris colore tulit Imperator ſententiam ſupradictam in Regem, ex cauſa, quæ veritatis ſubſiſtentiam non habebat: propter quam etiam quatenus in eo fuit, Regem eundem priuando regno & Regia dignitate, ac terris etiam aliis, & iuriſdictionibus perpetuis & temporalibus, quæ ſub eo nullatenus vel ab eo, ſed à nobis, & ſub nobis tenebat, nec non procedendo contra Regem eundem exiliis, quæ per ipſius ſtipendiarios, ac nonnullos Imperatoris eiuſdem ſubiectos per malitiam & inſtigationem Regis ipſius contra eum fuiſſe commiſſa in vrbe dicebat: Cum etſi illa fuiſſent ibidem reuera commiſſa: punitio tamē eorum in Regem veluti extra diſtrictum imperii commiſſorum ad Imperatorem nullatenus pertineret: inhibendo etiam in eadem ſententia ſub magnarum appoſitione pœnarum, quarum aliquas ſibi applicari mandauit, ne quis dicto Regi præſumeret in ſuis reſpondere debitis, in ipſiusve familiaritate vel ſeruitio remanere, aut eidem contra ipſum Imperatorem quouis modo impendere cōſilium, auxilium, vel fauorem: cum debitores, ſeruitores, & auxiliatores huiuſmodi extra imperium, & in Regno conſtituti prædicto nullatenus Imperatori ſubeſſent, nec ex committendis in regno eodem dictis pœnis poſſent aſtringi, vel aliqualiter condemnari per ipſum: abſoluendo quoq; ab omni fidelitate, obligatione, ſeruitio, promiſſione ac pacto prouincias omnes, ciuitates, & caſtra & loca, ipſiusq; vaſallos & feudatarios, & alios quoslibet eidem Regi quomodolibet obligatos: cum includerentur in abſolutione huiuſmodi terræ & perſonæ nobis & Eccleſiæ Romanæ ſubiectæ, propriæ terminos poteſtatis excidit, in meſſem noſtram mittens perperam ſuam falcem.*

*Cæterum defectus ſuppletio circa proceſſus adhibita ſupradictos, non tantum valet ad iuſtificationem ipſorum, & ſententiæ ſupradictæ, quantum ad eorum ſugillationem & notam: cum nullam ſuper præmiſſis poteſtatem haberet Imperator in Regem, ſibi alias quam vt præfertur non ſubditum, non citatum legitime, aut remiſſum, & extra diſtrictum ipſius continue ac notorie conſiſtentem, nec prædicta ſuppletio circa ſubditum etiam ad ea potuiſſet de ratione referri, per quæ de crimine præſertim ſic graui delato defenſionis (quæ à iure prouenit naturali) facultas adimi valuiſſet: cum illa Imperatori tollere non licuerit, quæ iuris naturalis exiſtunt.*

*Vt igitur ſicut memorata ſententia iuris caret effectu, ſic auctoritate & nomine rei careat iudicatæ: vt nec in opinione communi aut vulgi ab iis nomen habere ſententiæ mereantur: vt etiam in magnum iuſtitiæ ac pacis obſequium ſcandaloſis occurratur periculis quæ cum noſtræ & Eccleſiæ, prouinciarum multarū, regnorum & gentium turbatione non modica poſſent occaſione ipſius pro tempore ſuboriri: Nos tam ex ſuperioritate, quam ad imperium non eſt dubium nos habere, quam ex poteſtate in qua vacante imperio Imperatori ſuccedimus: & nihilominus ex illius plenitudine poteſtatis, quam Chriſtus Rex Regum & Dominus Dominantium nobis licet meritis in perſona Beati Petri conceſſit, ſententiam & proceſſus omnes prædictos, & quicquid ex eis ſecutum eſt, vel occaſione ipſorum, de Fratrum noſtrorum conſilio, declaramus fuiſſe ac eſſe omnino irritos & inanes, nullumque debere aut debuiſſe ſortiri effectum, ſeu nocumentum vel notam afferre cuiquam, vel quomodolibet attuliſſe. Ipſoſque nihilominus quatenus proceſſerunt de facto, & quicquid ex eis ſecutum eſt, vel ob eos, vel in poſterum ſequi poſſet, in irritum reuocamus.*

IV. HENRICI ROM. REG. OBITVS ET FVNVS.

Hæc Clemens Pontifex ſecundum Robertum Regem, iam fatis functo Imperatore pronunciabat. Imperator enim paulo poſt quam eam in Robertum ſententiam protuliſſet, à nonnullis Roberti rebellib. accitus, & à Friderico Rege Trinacriæ in ancoris conſiſtente inflammatus, omnib. copiis contractis, in Apuliam properans, cum ad Bonconuentum Senenſis agri oppidum promouiſſet, diſſenteriæ morbo & febre acuta correptus, in fata conceſſit. Piſis relictis initia morbi irrepentis aduerterat: ex quo vt conualeſceret, Medicorum conſilio Maceratenſia balnea adierat. Ibi ex animi dolore morbum auxerat, cum intellexiſſet, Clementem Romanum Pontificem, ſententiam in Robertum prolatam reſcindere decreuiſſe, & Robertum Regem à Florentinis,



Genuenſibus, Lucenſibus & aliis Guelphis accitum, confœderatorum tutelam ſuſcepiſſe, exercitum paraſſe, multa Friderico damna intuliſſe, & nunc primum viribus coniunctis properare, vt de toto negotio armis decerneret. Conſternatum itaque animi Henricum, ac exinde diſſenteria laborātem, ea balneorum lotio cum minus recrearet, purioris aeris loca petere conſtituit, ſeſeq; Bonconuentum contulit. Ibi mox ingraueſcente malo, febribus acutis diuexatus exceſſit è vita, ad diem nonum Calendarum Septembrium, Diuo Apoſtolo Bartholomæo percelebrem. Funus eo diſponente, Piſas, magno luctu Gibellinorum relatum, tumbæ argenteæ inditum, & quatuor columnis marmoreis impoſitum eſt, præſente Friderico Rege Trinacriæ qui quamprimum exceſſiſſe Cæſarem è reb. humanis accepiſſet, eo adnauigauerat: vt quoniam viuum videre nequiuerat, extinctum ſaltem complecteretur.

V. DEFENDITVR CONTRA CALVMNIATORES F. BERNARDVS POLITIANVS ORD. PRÆDICATORVM, DE HENRICI IMP. NECE FALSO INSIMVLATVS.

Extincti Cæſaris inuidia, Florentini vna cum Roberto Rege laborarunt: quaſi illi F. Bernardum Politianum Prædicatorem, vt ſacram hoſtiam veneno illiniret, ac Cæſari porrigeret, ſubornaſſent, ſeu magno pretio adduxiſſent. Fuit is Bernardus, Epiſcopo Tridentino abeunte, à Nicolao Pratēſi Cardinale cuius ingenio Henricus dignitatē Imperatoriam fuerat conſecutus Henrico Imp. ad ſacras excipiendas Confeſſiones, integerrimi viri nomine commendatus. Quod autem multa gratia apud Imperatorem polleret, ac fere omnia ex illius voto Imperator decerneret, ſacerdotis cuiuſdam præcipue nomine Ioannis profeſſione Ciſtercienſ. qui à ſacris dicendis Henrico erat & ſacrum Pœnitentiarii in Henricum officium præ Bernardo ambiuerat, oculos in ſe exacuit, ad eum modum, vt Imperatore defuncto, probrum Bernardo affinxerit, quaſi eius execrando ſacrilegio enectus Henricus occidiſſet. Cæterum Bernardus nullius criminis ſibi conſcius, tantum abeſt vt mortuo Imperatore ſeſe ſubtraxerit, vt etiam cōſtantiſſime apud Piſas perſtiterit, donec medici corpore defuncti exenterato exta omnia inſpexiſſent, teſtimoniumq; innocentiæ illius reddidiſſent, non veneno, neq; maleficio aliquo, ſed naturali morbo Imperatorem obiiſſe. Namq; ſole per Iulii & Auguſti dies immodicis calorib. feruente, quamquam Bartholomæus Vagenarius Archiater, vna cum reliquis medicis, explorata in morbū lætalem Henrici propēſione, perſuaderet, ne Piſa excederet, ille tamē loco ſubſiſtere, non acquieuit, ſed exercitum ducere maturauit.

QVÆ CAVSA OBITVS HENRICI IMP.

In peruigilia Aſſumptionis Diuæ Deiparentis vnico ſymptomate febrili lecto affixus, cum ipſo feſto ſacratiore diuinam hoſtiam recepiſſet, & cum pro deuotionis ſtudio, tum pro valetudinis ſeruandæ ratione, cubiculo ſe continere debuiſſet: qua erat alacritate animique magnitudine, ne die dicta temere abfuiſſet crederetur, conſuetudinis quam valetudinis rationem habere volens maiorem, conuiuio non tantum aſſedit, verum etiam procerum cauſa more gētis intemperātius ſe habuit: neq; ſatis digeſta cōmeſſatione & temulentia, temeto nimis grauis, die ſequenti caſtra mouit, ac labore equitationis æſtuq; accedente, ſecundo, ſed longe grauiore ſymptomate laborauit. Iuuit morbum loci intemperantia, quæ etiam habitatores ſuos fertur deuorare. Auxit febrim, vini rubentis potētioris, à medicorum conſiliis permiſſio. Si enim debilitati cibos faſtidientis Imp. ſubuenire volentes, neq; tēporis æſtiui & febris acutæ ardores quicquam penſi habentes, tres & quatuor cyathos dieb. ſingulis eius vini, cum tantillo aquæ, & offa panis torrefacti, Imperatori vini potenti indulgebant: ex quo corpus cacochymicum, in tantum inflammatū eſt, vt nono die, à ſecundo ſymptomate, diem ſuum obierit. Cădauer ex nimia aduſtione, & ex calidiorum vſu, præſertim quod pleureticus fuiſſet dum viueret Imperator, aliquantum ſubliuebat: non tamen intumuit, neq; pilos depoſuit, ſed in eadē qualitate, in qua obierat perſeuerauit. Exta exenterata, nulla indicia veneni oſtenderunt. Propterea Medici accerſiti qui interiora inſpexerant literis & inſtru-

mentis



mentis publicis teſtimonium innocentiæ Bernardi Dominicani perhibuerunt. Idem quamplures Cardinales, Epiſcopus Aretinus, & alii Epiſcopi Prælati ac Proceres, Prælatis Germaniæ & Principibus perſcripſerunt. Exempla teſtimoniorum & epiſtolarum, Iacobus Suſatus, Chronicis ſuis inſeruit: ſcilicet vt obſtrueret os loquentium iniqua, quorum opera dæmon vſus eſt, ad perſequendos Prædicatores, Regno inferni plurimum incommodantes. Iuuit multum ad conuincendam impoſturam, Bernardo innocenti, à malignante monacho affictam, quod is religionem Prædicatorum à multis annis profeſſus, propter innocentiæ & integritatis ſtudium, ſanctitatis opinionem apud omnes ſui Ordinis Patres, ſibi conciliaſſet: quod vna cum ſuis conſanguineis & ciuibus Politianis, partium Imperatoris ſtudioſus fuiſſet: quod à Cardinali Pratenſi, Imperatoris amiciſſimo, ſummæ auctoritatis viro, & qui tantas res, quantas ſuperius memorauimus pro Imperatore geſſerat, Henrico ad ſacras functiones datus per omnes fidei gradus adhæſiſſet. In magna familiaritate & gratia apud Henricum viuens, Principib. ipſis nedum par verum quaſi ſuperior factus, omnia apud eum poſſet. Imperatore defuncto non ad Florentinos, neque ad Robertum confugiſſet, ſed penes amicos Henrici remanſiſſet: calumnia maleuolorum aſperſus, iudicium non tantum ſedis Apoſtolicæ, verum etiam vniuſcuiuſq; non ex liuore ſentientis, poſtulaſſet: & tum ſententia Clementis Quinti abſolutus, tum iudicio ac teſtimonio Principum imperii, innocens tam atrociſſimi ſacrilegii, pari cum impietate coniūcti pronunciatus, ora malignantium in ſancto oppilaſſet. Propter quæ argumēta Ioannes Rex Boemiæ Henrici eiuſdem filius, Balduinus Archiepiſcopus Treuerenſis, Principes Electores Imperii. Epiſcopi & Barones quamplurimi Theutoniæ, Imperatori & imperio fideliſſimi, tum viua voce, tum literis ſuis falſimoniam Bernardo impoſitam fuiſſe toti Orbi oſtenderunt. Carolus quoque Quartus Imperator, Ioannis Regis filius, & nepos Henrici, vt id quicquid in Germania à rumore diſperſo infamiæ ſupererat abſtergeret, magnis precib. apud Magiſtrum Generalem Prædicatorum, vt Pragæ Metropoli Boemorum Comitia Generalia ſui Ordinis celebraret, obtinuit. Parum æquiores huic Ordini, inter vulgus diuulgabant, Imperatorem Capita eius inſtituti cauſa vindicandi aui, eo loci euocaſſe: cum ille die ſacro Pentecoſtes, ſolemniori Miſſę ſacrificio, Imperiali purpura ac diademate, vna cum Imperatrice pari maieſtate prælustri, ornatus, inter Patres Ordinis Prædicatorum in choro conſpicuus, etiam ſacram Euchariſtiam ex manu ſacrificantis Generalis ſumere cum Fratribus iunioribus ſub maioris ſacri finem voluiſſet: duo diplomata aureis bullis appenſis ſignata pro immunitate & libertate Ordinis eiuſdem, inter Offertorii myſteria obtuliſſet, ſecunda deinde ſolemnitatis Pentecoſtes die, omnes Fratres in arce Regia, imperiali epulo, miniſtrantibus proceribus, in coram ſe excepiſſet: & ſub horam veſpertinarum precum, omnibus Fratribus, totius palatii ornatum, gazam, & theſauros Imperatorios oſtendiſſet, ac poſtmodum in Cathedralem ipſe duxiſſet, ſacram ſuppellectilem baſilicæ & Diuorum pignora illis expoſuiſſet, ac tandem ad monaſterium, maximo cum honore ipſe præſens eoſdem Prædicatores reduxiſſet: ingenti ſuffuſione aduerſariorum, qui nonniſi lanienam innocentium ſomniabant, certoq; certius expectabant.

VI. ALIA IN PRÆDICATORES IACTA CALVMNIA REFELLITVR.

Aliquis maleferiatus Lubicenſium Chronographus, Orco ſepultam calumniam, perpetuoque igni damnatam impoſturam, atro in Prędicatores calamo ex inferni cinereo euocans maiore inſcitia quam conſcientia mentiebatur, Pœnitentię & ſatisfactionis loca prędicatoribus datum, vt ſiniſtra Euchariſtiam celebrantes recipiant: quaſi id quicquid eſt in communicatione corporis Dominici ceremoniæ, non vna cum ipſo inſtituto Prædicatorum fere ante centum annos coaluiſſet: re-



præſentandi myſterii cauſa. Beatæ illæ mentes perenni felicitate gaudentes, habent delectationes in dextera Dei in finem vſque æternitatis collocatas, meras meras deguſtare. Mortalibus hominibus ſufficit, diuitias in ſiniſtra diuina reconditas, delibare. Cui rei Prædicatores inſinuandæ, ab initio inſtituerunt, è ſiniſtra communicare: præſertim, quod interprete Magno Gregorio, læua manus præſentis vitæ ſtatum ſignificet: quod filios iræ Gentiles, quibus Panis Angelorum præcipue datus eſt, ſiniſtra deſignet: quod paſſiones Chriſti, quas ille in corpore ſuo mortali pro nobis ſuſtinuit inſinuet: Prædicatoreſque tum vitæ peregrinatoriæ conditionis, tum felicioris regenerationis, tum officii ſuſcepti admoneat, vt illi pro hac miſeriis periculiſque referta vita, ſe ex filiis iræ filios Dei per paſſionem & Crucem Redemptoris renatos memori corde recolentes, Ieſum Chriſtum & hunc Crucifixum manu inter ſiniſtra quæque præferant, atque repræſentent. Maxime quod id ceremoniæ ſiniſtra communicandi datum etiam à ſede Apoſtolica fuerit Ordini Pręd. propter triumphatam à Prædicatoribus Fratribus Berengarianam hæreſim, in contumeliam SS. Euchariſtiæ in Europa temporibus Diui Dominici & Petri martyris reuiuiſcentem: vt cum poſt Agnus Dei, ſiniſtra, ſuper calicem eleuatam hoſtiam tenerent, tum vniuerſo populo adorandum Chriſtum Deum verum & hominem ſub ſpeciebus panis & vini pręſentem exponerent, tum ipſi tunſione pectoris, interiorem animi latriam oſtenderent, in ſacroſanctum pignus ſalutis. *Ex Annal. FF. Præd.*

VII. HISTORIOGRAPHORVM GERMANORVM ET ALIORVM DE HENRICI IMP. NECE DIVERSÆ NARRATIONES.

Celebriores hiſtoriographi Germanico cœlo nati, hanc de Henrico Imperatore impoſturam, vel inter fabulas, vel inter narrationis incertæ notas repoſuerunt: grauiores & ſanctioris notę viri etiam exploſerunt. Placuit aliquorum Germanorum hiſtoricorum hac de re ſcriptiones ſubſcribere, & commentum fuiſſe oſtendere.

VIII. NICOLAI SERRARII.

Nicolaus Serrarius lib. 5. rerum Moguntiacarum, habet iſta ex MSL. Affirmarunt quidem complures Henrico Imperatori à Bernardo quodam Dominicani Ordinis hoſtiam ſacram veneno imbutam nefarie præbitam: ſed à maleuolis illud conſictum teſtatur Trithemius & alius ſcriptor vitæ Cæſaris Baſileæ impreſſus. Similiter Balduinus Henrici frater, ea nota monachum liberat, vt in Archiuis Treuirenſis Archiepiſcopi habetur. Exhibitum eſt anno 1575. Maximiliano II. Romanorum Imperatori Ratisbonæ ipſum originale, Balduini manuſcriptum: & Ordinem Prædicatorum ea de re ampliſſima teſtimonia habere certum eſt. Addit MS. meus, eiuſdem ficti rumoris inanitatem teſtatum etiam Imperatoris eiuſdem filium Ioannem Bohemiæ Regem. Hactenus *Serrarius Soc. Ieſu ex MM. SS.*

IX. CONRADI VECERII REGII SECRETARII.

*Conradus Vecerius* Regius Secretarius, qui de rebus geſtis Imperatoris Henrici VII. libellum ſcripſit, iſta habet ſub ipſum finem.

Varia de genere mortis opinio. Nonnulli venenum malum niueo libello inditū, quod per ineffabilia myſteria commutatum quotannis, morituríque libamus. Monachos Prædicatorii Ordinis, quibus ille miniſtris in ſacrificiis vtebatur, horrendi facinoris extitiſſe auctores, eamque rem Beneuenus Immolenſis, ſeculi eius in literas retulit. Fuiſſe tamen poſtea ex ea familia, Cartuſienſis in Faſciculo tradit, qui re delata ad maximum Pontificem, decretum cauſa cognita impetrarint, quo innoxius eius veneficii Ordo vniuerſus pronunciatus fuerit. Dominicani qui Luceburgi agunt, hoc amplius, cœnobii ſui non alium auctorem citant quam Henricum: neque ergo fieri potuiſſe, vt tantum ſcelus in tam bene meritum exciterit. Nobis potius in medio relinquere placet diſputationem funeſtam, quam de infandæ audaciæ fama, certam proferre ſententiam: hæc Conradus.

X. ALBERTI ARGENTINENSIS.

*Albert. Argentinenſis*, qui fere eodem tempore quo Hen-

ricus

ricus vixit, vt ex varia narratione impoſtorum, mendacii fabula conuincatur, iſta habet in Chronico.

In aſſumptionis Virginis Mariæ vigilia, decantata coram Henrico miſſa, eoq; per quemdam Prædicatorē communicato, poſt miſſam cœpit illico infirmari: dicebatur enim, quod ipſe Prædicator venenum ſub vngue digiti tenens abſconſum, poſt communionem potui Cæſaris immiſiſſet, & illico diſceſſiſſet. Cum autem conſuleretur Cæſari, quod Piſas reuerteretur, ipſe ſe in ſeruitio Domini eſſe, & non retroceſſurum reſpondit: & procedens, cum veniſſet ad villam quę dicitur Bonconuent progredi vltra nequiuit, ſed in die B. Bartholomæi deceſſit: quem exercitus Piſas reduxit, vbi cum ineffabili lamentatione eſt honorifice ſepultus, anno Domini M.CCC.XIII.

XI. Alberti Krantzii.

*Albertus Krantzius* libro 9. Saxoniæ cap. 7. iſta habet.

Cum eſſet ventum ad montem apertum, Senarum Vrbi ad tertium, vel circa lapidem proximum, & Florentina clade nobilitatum, Imperator incidit in ægritudinem, ex qua vt conualeſceret, medicorum conſilio balnea adiit Maceratēſia: quo in loco certior eſt factus, Clementem Romanum Pontificem cenſuiſſe, & literis declaraſſe, regno priuare Robertū non potuiſſe, qui ad loca non tuta fuerit euocatus. Cum autem Imperator ea balneorum lotione minus recreari & conualeſcere videretur, medicis item conſulentibus, purioris aeris loca petere voluit: itumque eſt Bonconuentum, quod oppidum duodecimo à Senis milliario diſtās, dum obſidione incipit premere, diem obiit. Signa veneni in cadauere apparuiſſe, multi ſcribunt. Ptolemæus vero Lucenſis affirmat, veneno eum periiſſe, à Prædicatorum Ordinis fratre, in Euchariſtia dato: aliuſq; addit, id Florentinorum procuratione factum. Ipſi Fratres, multa in purgationem ſui Fratris congeſſerunt.

Paulus Langh Cygnæus Monachus Bozauienſ. in Chronico Citizenſi, iſta habet, mutuata à Krantzio.

Eodem anno M. CCC. XIII. Henricus Imperator, dum Bonconuentum oppidum Italiæ obſidione premeret, diem obiit. Signa veneni in cadauere apparuiſſe, multi ſcripſere. Ptolemæus vero Lucenſis affirmat veneno eum periiſſe, à Prædicatorum Ordinis Fratre in Euchariſtia dato: aliuſq; addidit, id Florentinorum dolo & inſtinctu factum eſſe. Idipſum Platina magnus author aſſerit, & in Faſciculo temporum legitur, & cunctis pene Chronicis. Ordo tamen ipſe per bullas Papales excuſatur, prout in præfato Faſciculo temporum habetur clare.

XII. Platinæ.

Porro (vt in limine ipſo Langhium fodiamus) tantum abeſt, vt *Platina*, Paulo monacho magnus auctor, eam de veneno Henrici fabulam affirmarit, vt eam in aliorum narrationes, quorum non meminit, reiecerit. Ita habet enim, in Clemente Quinto Pontifice:

Ioannes Roberti Regis frater, qui ſuas nauales copias ſub Auentino collocauerat, ſagittarios nauales à Piſanis contra Romanos miſſos facile in fugam vertit, & intromiſſo equitatu haud lōge in ſtatiuis collocato, populo Romano adiuuante Imperatorem ipſum Tybur abire coegit. Diſceſſit & Ioannes Roberti frater Cardinalium iuſſu, vrbemque pacatam reliquit. Henricus autem Peruſio iter faciens cum Aretium perueniſſet, Robertum Regem maieſtatis reum fecit, citatumq; nec apparentem Regno priuauit; improbante eam rem Clemente, quod in loco nequaquam idoneo, tantam rem, nec ad ſe pertinentem peregiſſet. Pontificis enim proprium dicebat eſſe regnum Siciliæ cis & vltra pharū dare & adimere. Mouens Aretio Imperator, in Florentinos & Lucenſes cum Roberto ſentientes copias duxit: verum cum vrbem oppugnare non poſſet, occupato Bonitio eodemq; munito Senenſibus bellum indixit, qui auare nimium ac maligne commeatus illi ſubminiſtrabant. At vero cum ægrotare cœpiſſet, ad Macereti balnea ſe contulit; vnde multo imbecillior quam antea ad Bonconuētum rediit: vbi poſt aliquot dies moritur, non ſine ſuſpicione dati à Florentinis veneni, ſubornato pollicitationibus & prēmiis monacho quodam, qui ei Euchariſtiam veneno illitam dederat, vt nonnulli ſcribunt: hæc Platina, in alios ſcriptores, ſuſpicionis tātum, non veneni reipſa dati memores, reiiciebat, non ipſe aſſeuerabat.

XIII. Ioannis Naucleri Præpoſiti Tubingenſis.

*Ioannes* autem *Nauclerus* Præpoſitus Tubingenſis, iſta habet.

Cæſar iter arripiens verſus Apuliam, venit ad caſtrum quod dicitur, Bonconueutum, in vigilia Aſſumptionis Mariæ virginis, vbi propter feſti ſolemnitatem illa die quieuit. Diſpoſuerat autem ſe per aliquot dies ieiunio ac bonis operibus, intendens Sacramentum Chriſti Corporis ac ſanguinis in feſto ſumere: qua die Tridentinus Epiſcopus, Confeſſor ſuus, & vicecancellarius aberat, miſſus ad Clementem Quintum. Vnde quidā Iacobinus de Ordine B. Dominici ſubornatus, vt aiunt, præmiis & pollicitationibus, nec ſine ſuſpicione Florētinorum, qui tum coram Imperatore celebrabat, venenum ſub Sacramenti ſpecie dedit, vertens calicem vitæ in calicem mortis. Senſit mox Imperator mortem adeſſe: fertur tamen dixiſſe completa miſſa O Domine, recedatis. Nam ſi percipiunt noſtri deuoti malum, quod nobis feciſtis, morte miſerabili moriemini. Deus vobis ignoſcat. Superante autem morbo, hoc in loco è vita migrauit, in medio curſū rerum; certe Ruperto Regi adeo formidatus: quippe Friderici copiæ iam in regnum eius traductæ, Rhegium vrbem occupauerant: duæ inſuper validiſſimæ claſſes, tota litora complebant. Sed bellorum euentus nemo ſatis præuiderit: magni enim ſæpe terrores, paruis momentis in irritum reciderunt. Corpus Henrici magno ſuorum luctu Piſas relatum eſt, & ibi in tumba argentea ſuper quatuor columnis fixa precioſiſſime extitit ſepultum, cum obſequiis regalib. Dicitur tamen Ordo Prædicatorum habere literas, teſtantes Fratrem prædictum fuiſſe innocentem, & totum eſſe confictum.

XIV. Iacobi Meyeri.

*Iacobus Meyerus Baliolanus*, Flandricorum Annalium ſcriptor ex Ioanne Cuſpiniano Vitarum Imp. mendaciloquo auctore, & ex Ioanne Belca Hollandicę fidei, neſcio quo homine, iſta habet. lib. XI. in Roberto Bettinienſi: tam falſe, quam nonnulla falſe.

Domiti erant prope ferro fameque Florentini: qui poſteaquam armis ſe longe inferiores eſſe viderent, ad ſcelera ſe conuertunt. Subornant nefarium ac maleficū monachum (Bernardus à monte Peſſulano nomen erat) hunc maximis promiſſis inducunt, vt Dominum quocunque poſſet modo, toxico necaret: erat quippe Henrico à ſacris Confeſſionibus. Aderat iam dies Deiparæ Aſſumptioni ſacer. Cōſuetudo erat religioſo Principi, frequenter in re diuina cum ſacerdote ſacroſanctum ſumere Corpus Domini, quod quidem hic (proh facinus) ſceleratiſſimus ille monachus vna cū veneno illi miniſtrauit. Ferebatur (inquit Cuſpinianus) maledictus iſte monachus, ſub vnguibus venenum habuiſſe. Ægrotare Princeps mox cœpit, decimoq; poſt die obiit apud oppidum Bonum Conuentū, Piſis inde ſepultus. Deceſſit autem 9. Calendas Septembres, qui dies diuo eſt ſacer Bartholomæo. Inter conſolabiles Principum planctus, Petrus Archiepiſcopus Magunciacenſis cum magno eiulatu expromēre indignationē caſus tanti viri ingenue eſt teſtatus; intra quingentos annos nullius mortem Principis tanto toti mundo fuiſſe detrimento. Sunt qui ob honorē Ordinis excuſare importuniſſimū latronem ac parricidam nituntur. Sed nemo vnus homo quamuis perditiſſimus totum Ordinem denigrat: quum in omni vitæ ordine, nulla non ætate inter triticum & zizania creſcant. Hæc enim non ab vno duntaxat, ſed paſſim ab omnibus conſtanter traduntur ſcriptoribus: maxime autem à Beneuenuto Immolenſi, eius temporis æquali à Ptolemæo Lucenſi, qui & ipſe per ea fere tempora floruit: vt taceam interim Ephimeridas tunc temporis de Henrici actis conſcriptas. Nec tam nefarium ſcelus potuit ſilere noſtras per idem tempus

(quiſ-



(quiſquis ſit) verſificator, qui graphice ſatis per ſuos verſiculos (licet barbaros) id depingit. Audite poſteri inſignem Poeticam:

*Iure dolet mundus, quod ſit Iacobita ſecundus*
*Iudas, quod reſtat, mors Cæſaris hoc manifeſtat*
*Anno milleno tercenteno, duodeno*
*Vno nonpleno, priuati luce veneno.*

XV. Ioannis Belca.

*Ioannes Belca* in rebus Hollandicis, Eccleſiæque Traiectenſis, nec non & Chronica quædam Flandriæ domeſtica, præter Florentinos reos mortis ſanctiſſimi Principis fuiſſe referunt Robertum illum Apuliæ, ſeu Siciliæ Regem, Philippum Regem Franciæ, Ludouicum Nauarræ Regem, ac Principem præterea Tarentinorum. Neque deſunt, qui Clementem quoque adiiciunt Papam, qui totum ſe parare ad bellum, atque in Henricum cœperat inſurgere. Addit Belca, monachos illius Ordinis quadraginta millia florenorum à dictis iam Principibus ad hoc accepiſſe: fratreſque amplius viginti in eadem (vt fatebatur ipſe proditor) fuiſſe coniuratione, qui omnes mecum, inquit, concurrerunt, ſed heu me miſerum cuius manus peſſime ad brauium peruenerunt. Factum eſt, inquit Belca, poſt aliquot annos, vt ſceleſtiſſimus ille proditor authoribus Gibellinis Principibus Florentiæ captus excoriaretur, morteque turpiſſima damnaretur. Valerius Anſelinus, nefando, inquit, Domini noſtri calice Bonconuenti ſublatus, ipſe Piſis, Auguſta Genuæ, & frater Cremonæ, digna mauſeolis pompa illati ſunt: hæc *Meyerus* pars incerta, pars conficta.

XVI. Ioannis Cuſpiniani.

Placet autem *Ioannem Cuſpinianum* inſerere, qui iſta varia, ac proinde incerta de Henrici morte habet.

Interim Henricus Senenſium terras, ferro igneque deuaſtauit: captos laqueo in arboribus ſuſpendi fecit. Inſtabat beatiſſimæ Virginis dies, quo in cœlum ab Angelis aſſumpta eſt, quo ſolitus erat Cæſar omnibus intermiſſis negotiis, rebus Diuinis vacare. Ea enim erat religione, vt ſæpe totas noctes ante imaginem Crucifixi (quam ſemper ſecum circumferebat) quam deuotiſſime orauerit, & peccata quam amantiſſime defleuerit. Solitus ſacram Euchariſtiam aliquando quotidie, aliquando ſummis feſtis accipere: ob quam rem feſtinam mortem incurrebat. Mane itaq; poſt peracta ſolemnia, cum de more ſacroſanctam Euchariſtiam in myſtico pane acciperet à Fratre Ordinis Prædicatorum Bernhardo nomine illico incœpit ægrotare. Ferebatur enim maledictus iſte monachus ſub vnguibus venenum habuiſſe, quo & hoſtiam & calicem infecerat moxque dehinc abiit. Inualeſcente morbo, Cæſari conſulunt Proceres, vt Piſas reducatur. Quibus reſpondit ſe in ſeruitio Dei eſſe, nec alio profecturum. Itaq; Bonconuentum defertur, vbi animam Deo reddidit: anno Imperii eius quinto. Chriſti tredecimo ſuper milleſimum trecenteſimum, cum ineffabili luctu ac lamentatione, Piſaſq; delatus honorifice eſt ſepultus. In eius ſepulchro hæc legitur inſcriptio.

*Hoc in Sarcophago Henrici olim Lucelburgenſis Comitis, & poſt VII. huius nominis Rom. Imp. oſſa continentur: quæ II. poſt eius fatum, anno videlicet M.CCC.XV. die vero Kal. Sextil. Piſis tranſlata, ſummo cum honore ac funere hoc in phano ad hunc vſq; diem collocata permanſere.*

*Fuit monachus Cluniacenſ. Richardus* negat eum veneno Fratris Prędicatoris periiſſe, ſed ardentiſſima febre correptum, ſexta die vitam finiiſſe, atque corpus eius tanquam venenati ob repletionem comparuiſſe: Ioannis filii eius Boemorum Regis, ac Balduini Treuerenſis Archiepiſcopi fratris ſui teſtimoniis, vt ipſe aſſerit, qui inquiſitionem ſuper hac re fecerint. Addit alius ſcriptor hunc Bernardum ſexagenarium fuiſſe, & Gibellini nominis ſtudioſum, à Montisfeltri Dominis in familiarē Henrici amicitiā inſinuatum atq; ob id inſontem fuiſſe. Qui vero Henricum Romam ſequuti ſunt, atq; ſingula in formam ephemeridis conſcripſerunt, hunc monachum à Florentinis ſubornatum referunt. Quibus communis Annalium aſſertio accedit, auctorem Ptolemæum Lucenſem afferens, qui per illa tempora floruit. Georgius Merula Vice Comitum ſcriptor, ſeptimo & octauo libris, ingreſſum Henrici in Italiam graphice deſcribit: nullo autem honoris titulo tantum Principem dignatur, quam vt ipſum barbarum appellitet, ſua petulanti lingua. Sed tetraſtichon nunc ſubiiciamus.

*Italicas penetrans Henricus Septimus oras*
*Guelfis infeſtus tolleret vt Latio.*
*Concidit à monacho qui myſtica liba miniſtrat*
*Pro vita mortem, toxica ſæua dedit.*

Hæc *Ioannes Cuſpinianus* dicens *malum bonum, & bonum malum*: eligens *magis tenebras quam lucem*, & imposturas putidas, quam veritatem: cum ei pronum fuerit, id quod res erat, coniicere, Ephemeridarum Henrici ſeptimi ſcriptores vel ab Henrico Flandro monachi impoſtoris fautore mutuaſſe, vel odio gentis Italæ hæc finxiſſe, aut conficta, ex ſuſpicione aſſeruiſſe, more palatino eorum, qui calamum venalem atra infamia innocentium ſolent intingere. Id vero tanto facilius Cuſpiniano fuit deprehendere, cum & ſcriptores grauiſſimos, & filium ac fratrem Henrici defuncti, alterum Regem Boemiæ, alterum Archiepiſcopum Imperii Electorem, teſtes omni exceptione maiores, aliaque argumenta clariſſima innocentiæ F. Bernardi habuerit, quibus eum à calumnia vindicare potuerat: maxime cum *ferebatur*, non aſſerebatur, venenum hoſtiæ & calici miſcuiſſe: neq; tunc temporis, vſum calicis, in vſu fuiſſe. Quod Ptolemæum Lucenſem tanti à Germanicis factum ſcriptoribus attinet, tantum abeſt vt is in Bernardum cauſam mortis reiecerit, vt etiam aliam fuiſſe aſſeruerit: alius vero quiſpiam male feriatus Ptolemæo nihil cogitanti commentum de veneno turpiſſimum aſſeruerit. Illud patet in codice Vaticano peruetuſto numer. 3766. ex quo iſta quæ ſubiungo.

XVII. Ptolomæi in codice Vaticano.

Poſt hoc Cæſar fortunam in mari experiri conatur. Iuſſit per nuncios tractari varia & plurima: & profectus vſque Origiam fluuium peracta cœna in fluuii ripa conſedens tinctis ob refrigerationem in aqua etiam cruribus, ſubeuntem ſenſit languorem, & comperta ſub dextri cruris genu poſtula quæ *autrax vocatur, noctem duxit inſomnem. Additio. Intoxicatus fuit per quemdam Fratrem de Ordine Prædicatorum in ſpeciebus corporis Christi, vt à ſuis audiui qui ſecum fuerunt. Et forte iſte legerat de Victore tertio ſupra: & hoc dedit Imperatori in ſpeciebus panis, quod Victor in vini ſpeciebus percepit. Prædicatores enim ex hoc multas tribulationes ſuſtinuerunt in Alamania ex prædicto facto. Et dato mane ſigno tollendorum caſtrorum Bonconuentum properat, parum XII. miliaribus à Senis diſtante, ibique viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt regni ſui anno quinto, Imperii autem anno primo, menſe vno, & diebus XXIV. in die S. Bartholomæi, qua die Corradinus à Carolo Neapoli ſecuri percuſſus eſt. De morte Cęſaris Henrici nota verſus.

**puto legendū antrax.*

*Cæſaris Henrici mortem plangamus amici,*
*Qualiter hic vitam finiuit per Iacobitam.*
*Per corpus Chriſti venenum tradidit iſti.*
*Hinc in laude Dei moritur die Bartholomæi*
*Eſt Piſam latus, & cum fletu tumulatus*
*Anno milleno Tricenteno Terdeno.*

Hæc in codice Vaticano Ptolemæi, Fuit autem Ptolomęus natione Tuſcus, patria Lucēſis, profeſſione Ordinis Prædicatorum, eamque Eccleſiaſticam quam ad annum Domini M. CCC. XLII. produxit hiſtoriam, Guillelmo de Baiona tituli S. Cæciliæ presbytero Cardinali, tanquam (verba nuncupatoriæ epiſtolæ) doctori & profeſſori ſacræ paginæ in ſchola Peruſiena, & eiuſdem Ordinis Prædicatorum ac Sacri Palatii quondam in Romana Curia conſtituto Lectori, inſcripſit. Ex his circumſtantiis non nemini euidens eſt, Ptolemæum

mæum verum germanum, non in Bernardum, ſed in anthracem cauſam mortis Henrici retuliſſe: neque ipſum illum, hæc de Fratre Prædicatorum deſcripſiſſe; ſed alium quempiam ex ſuo ad Prolæmæum addidiſſe. Nam quorſum illa verba, *additio*? Quorſum alia illi, *per quemdam Fratrem de Ordine Prædicatorum*? cum debuerit ſcribere per quemdam Fratrem noſtri Ordinis Prædicatorũ, vel per Fratrem Bernardum Ordinis noſtri Prædicatorum: neq; enim, ſi eo tempore vixit & ſcripſit non potuit non noſſe, ſuæ Prouinciæ Romanæ, & ſuæ gentis Etruſcæ conterraneum, Lucenſis Politianum, Prædicator Prędicatorem, Dominicanus Dominicanum. Deinde quid illa alia de Confratribus, *vt à ſuis audiui*? cum ipſe Dominicanus, debuerit ſcribere, *vt à noſtris audiui*. Præterea quid nomenclaturæ Iacobitarum cũm Religione in Italia S. Dominici, præſertim religioſo Diui Dominici? Demum quomodo Lucenſis, id eſt Guelfę factionis, in Bernardum? quem ſtudio Guelfæ factionis ſcelus perpetraſſe præſumere potuerat? quomodo Dominicanus in Dominicanum? præſertim ad Cardinalem Dominicanum data nuncupatoria, eam ſtropham affirmaſſe? Quid porro *Additio*: ſc. alicuius Sutoris impoſuit Ptolemęi lectoribus: cum Ptolemęus non ſcripſerit, ſed anthracis memoria breuiter iniecta, cauſam mortis veram non toxicum inſinuauit: hanc autem & alias Albertinus Muſſatus Henrici VII. Imp. rerum diligentiſſimus ſcriptor, ex fide ipſa publicauit, l. 16. de rebus Henrici VII. Imp. Iſta habet in Codice peruetuſtiſſimo Vaticano num. 2962. fol. 68.

Cæſar apud Senas nil ea parte proficiens, calle altero qui ad vrbem vehit digreſſus iter diuertit ab aduerſa Senarum parte, vbi expianum nuncupatur: & protendit greſſum ad Origiam fluuium XII. ab Senis millib. paſſuum, ibique æſtu itinerisq; longi ac velocis labore defeſſus, reſpirandi cauſa, vt ſe ſuosq; fatigatione recrearet poſitis ſtatiuis deſcendit. Ipſe autẽ peracta pauliſper cœna perambulãs, demum in fluuii ripa conſedit, merſis in torrentem cruribus, vbi diu aquæ refrigeratione oblectatus veluti languore ſubeunte lectiſterniũ ante ſolitam abeuntis lucis horam petiit, quietique accommodatus nequaquam ſopitus eſt. Sed prima vigilia ſub dextri cruris genu puſtulam obortam deprehendit, qua multo dolore cruciatus noctem duxit inſomnem: & antequã dimotis tenebris aurora rutilaret, peruigilatę noctis tędio affectus ſigno tollendorum caſtrorum dato conſurrexit, & ad Bonum conuentum contendit pagum ab Senis XII. millib. paſſuum, diſtantem: ibiq; graueſcente morbo apud S. Bartholomæi Baſilicam recubuit. Vbi Nono Kal. Sept. hora nona, ipſo S. Bartholomæi feſto expirauit. Anno ætatis ſuæ vno & quinquageſimo, menſe vno, dieb. ſeptem: Regni ſui anno quinto. Imperii vero anno vno & mẽſe vno, & dieb. XXIV. Triplex illi interitus cauſa deprehenſa eſt. Vna ex nati ſub genu letalis vlceris, ꝙ phyſici antrax vocant. Altera, ſciſſæ abſtranguria veſicæ: quo morbo aſſidue laborabat. Tertia pleureſi, quam merſo iam ſpiritu vomuiſſe conſtitit. Hæc Albertinus Muſatus, qui eo tempore vixit, & quæ certo certius ſciuit, de cauſis mortis Henrici affirmabat: exemplo Imperatoribus futuris clariſſimo, Deum hactenus Principibus Chriſtianis fauere, quamdiu in Eccleſiæ Catholicæ veneratione perſeuerant: cumprimum autem refragari, vel quod maius eſt illam, eiuſq; Antiſtitem Max. opprimere aut contemnere voluerint, illos cita morte vindicare.

XVIII. IOANNIS TRITHEMII ABBATIS.

Vt autem tandem camarinam iſtam claudam, virum teſtem omni fide maiorem, integritatis & probitatis laude inter Germanos ſcriptores præſtantem adiunxero pro Bernardo innocente.

Is eſt Ioannes Trithemius Abbas qui in Chronico Hirſaugienſi iſta habet meliora adeoq; certiora. Anno Dominicæ Incarnationis 1313. Indictione II. Henricus Imperator Romanorum Septimus, in Italia nouis comparatis exercitibus contra Robertum Apuliæ regulum, proceſſurus in itinere apud Bonconuent diſſenteriæ morbo reſolutus, in die S. Bartholomæi obiit, non ſine iactura magna totius Imperii Romani, vacauitque Imperium anno vno. Sunt qui ſcribant ipſum veneno periiſſe, per adminiſtrationem fratris Bernardi Ordinis Prædicatorũ. Confeſſoris & Capellani ſui à quo ipſum in die Aſſumptionis B. Mariæ ſemper Virginis communicantem, in hoſtia conſecrata ferunt intoxicatum: & ob id Prædicatores omnes à Papa hac pœna notatos, vt vſque in hunc diem ac deinceps, communicantes in altari eorum ſacerdotes, ſiniſtra de manu communicent. Sed quoniam hoc omnino confictum putamus, idcirco fidem adhibere iſta dicentibus, iuſta ratione contẽnimus. Prædictus autem Fr. Bernardus, multos innocẽtiæ ſuæ teſtes habuit viros illuſtres, & literas ſimiliter Ioannis Boemiæ Regis filii Imperatoris, Archiepiſcoporum quoq; atq; Pontificum, qui in morte Imperatoris ipſum clara voce excuſantes fuere præſentes, videlicet Mediolan. Ianuenſ. Peruſini, Lucenſis, & Argentinenſis. Nihilominus Henricus Comes Flandriæ, cæterique nobiles Curiales econtra conſtanter affirmabant, reum eſſe Bernardum mortis Imperatoris, & eum in Sacramento Corporis Chriſti intoxicaſſe. Vnde magna in Ordinem Prædicatorum perſecutio minus iuſte fuit exorta. Quamuis enim etiam frater ille innocens à crimine obiecto non fuiſſet: tamen crimen vnius hominis in totum Ordinem non fuerat referendum. Horum ſuperiorum ex Alemanico ſolo narrationes volui adſcribere, vt cunctis euidens foret, Bernardum Politianũ, eius tam infandi ſceleris nunquam reum fuiſſe: inprimis quod *Vecerio* referente, non vna ſed varia opinio, neque certa aliqua ſententia, ſed vaga opinio, de veneno porrecto extiterit: & quod Prædicatorum Patres, à ſede Apoſtolica cognitores cauſæ poſtularint, & poſt diligentem conquiſitionẽ à Iudicib. deſignatis, ea labe deterſa, innocentiæ Bernardi teſtimonium habuerint: neq; ipſe Conradus, è publica fide ſcriptor, quanquam Henrici actiones illuſtrandas ſuſcepiſſet, atrum calculũ, ſeu certam ſententiam, etiam Beneuenuti Immolenſis auctoritate permotus proferre voluerit in Bernardum. *Albert. Krantzius*, quanquam auctorem *Ptolemæum Lucenſem* affirmantem commemoret: tamen etiam non ſilentio inuoluit, *Prædicatores in purgationem ſui Fratris* multa congeſſiſſe: atque Henricum Imperatorem non tunc primum, cum die Aſſumptionis hoſtiam ſuſcepiſſet, ſed antequam Bonconuentum acceſſiſſet, & antequam ſacram *Euchariſtiam de manu Bernardi* deſumpſiſſet, morbo correptum fuiſſe balnea Maceratenſia ex conſilio Medicorum adiuiſſe, ab ea lotione (quid enim thermis cum venenis) nihil commodi accepiſſe, purioris aeris loca petiiſſe, *Bonconuentum* obſidione premere incepiſſe, ſigna veneni nulla in eius corpore apparuiſſe, & poſtea obiiſſe. Signa veneni in cadauere *Krantzius & Langhius ex Ptolemæo* & aliis ſcriptorib. renunciant: Fratrem tamen Bernardum & *vniuerſum* Ordinem Prædicatorum, per bullas Pontificias criminis innocentes aſſeuerant. *Platina* ex aliis ſcriptoribus, Euchariſtiam veneno illitam: *Nauclerus* calicem vitæ in calicem mortis commutatum, ſeu veneno imbutum mortifero: *Mayerus* ſacroſanctum Domini corpus vna cum veneno Imperatori miniſtratum: & idem paulo infra ex Valerio Anſelino Domini noſtri calice Imperatorem ſublatum: alii de ſub vngue vel vnguib. venenum occultatũ, Imperatori miſcuiſſe dum referunt: ipſa variata narratione, mendacii ac impoſturæ ſeſe ipſos coarguunt. Si enim ſacram hoſtiam Bernardus illiniuit, quomodo ſacrum calicem aconytho tẽperauit? maxime ꝙ nullus per id temporis calicis vſus laicis, ſed vnius tantum ſpeciei panis fuit. Quomodo vero ſub vnguibus venenum occuluit; ſi illi ante conſecrationem, citra quoduis periculum atque ſuſpicionem, ſacrum panem inficere promptum fuit? Calicem porro nõ miſcuit: neq; enim quem ipſe communicauerat Imperatori propinauit: neq; ablutionem manuum, poſt Sacramenta à ſacrificante deſumpta, Imperatori porrigere, ex decori rationibus exiſtimauit.





Quamobrem & Cuſpinianus, alioquin Prædicatoriæ religioni, & ſummis Pontificibus non ſatis æquus, in neutros, quemadmodum falſidicus Beka, ſententiam præcipitauit; ſed verbo reliquis ſcriptoribus ſolemni, ferebatur vſus, intra vulgi rumores à maleuolis ſparſos, fabulam de veneno porrecto Imperatori reiiciendam putauit, maxime cum ſciret quod *Trithemius* grauis & ſanctus vir affirmabat, à Fratris Bernardi innocentia Ioannem Henrici filium, Boemiæ Regem, Archiepiſcopos atque Epiſcopos, viroſque illuſtres in morte Imperatoris præſentes ſtetiſſe, eumque teſtimoniis illorum & aliorum Principum, à calumnia vindicatum, multo poſt tempore apud amicos Imperatoris, ſummo cum honore vixiſſe: neque quenquam Hiſtoricorum, etiam Gibellinæ factionis, prȩter vnum ſolum Bekam, adeo turpis, quam ipſe fingit, mortis meminiſſe.

Claudebam hanc de Bernardo narrationem, cum Andronicus Spinell. Biblioth. Vatic. ſcriptor, iuſſu SS. D. N. Pauli V. libros nonnullos, & inter hos MS. Chronicon illius temporis, Peruſia, Romam attuliſſet. Illud cum primum auide propter antiquitatem in manus ſumpſiſſem, hæc pro innocentia Bernardi, ab auctore, qui viuebat tunc & ſcribebat, accepit: volui dare illa, ipſo illius ſeculi metro:

*Lo Imperatore n' ándo a Monte aperti*
*E quiui comminció a peggiorare*
*Per molti affanni, che gl' haue ſofferti.*
*Quindi ſi moſſe, e andoſſi a bagnare,*
*Com' altri volle al bagno a Macerato.*
*E quiui radoppio il ſuo penare.*
*Per modo tal, che poi non fu mai lieto*
*E quindi fu portato a Buonconuento.*
*Per che del caualcare haueua diuieto.*
*Quiui gli crebbe alcuor tanto tormento*
*Che confeſſar ſi vuolle d' ogni reo.*
*E confeſſo ſi ed hebbe pentimento.*
*La notte poi di San Bartholomeo*
*Chieſe il corpo di Chriſto, al qual giungendo.*
*Si vuole far' inconro, e non poteo.*
*Fat ta la confeſſione forte piangendo*
*Preſe il ſignore, e come l' hebbe preſo*
*Non fauellò mai piu, ſe ben comprendo.*
*Coſi muori come tu hai inteſo.*
*Chi ſauoleggia, o dice altro da canto*
*Non dice ben, che d' altrui foſſe offeſo.* Hæc in
*MS. Antiquo in Bibliothecam Vaticanam illato.*

XIX. PISANI OB BELLI METVM FRIDERICO TRINACRIÆ ET FLORENTINI ROBERTO SICILIÆ REGIBVS PRINCIPATVM DEFERVNT

Henrico Imperatore ad eum modum extincto, Piſani quorum vel maxime res in diſcrimẽ recidere viſa eſt, ne præſidio nudati, hoſti vicino potentiſſimoq; prædæ paterent, Friderico Regi Trinariæ Principatum deferebant. Secuti hac in parte Henrici iudicium, vt quem iſte ſociũ ſibi delegiſſet, & noua affinitate adiunxiſſet, illi Principem ſortirẽtur, vltro ei delato ciuitatis imperio. Cȩterum Fridericus ſatius exiſtimans parta defendere, quam nouis implicari, ſimul aliam ſibi eſſe rationem quam Imperatori fuerat, tuẽdæ inſulæ Siciliȩ poſſeſſionem à Sede Apoſtolica conceſſam firmatamque, aduentitiæ ciuitatis ꝓcurationi, actis gratiis duxit præferendam. præſertim quod ſibi tum à Clemente Pontifice, ne diris deuoueretur, tũ à Florentinis & Roberto Neapolitano Rege, ne armis coniunctis opprimeretur vehementius metueret. Per id enim temporis Florentini, non Imperatoris modo, priuſquam obiret, exulũque formidine, ſed & ſeditione interna pullulante, coacti, Roberto Siciliæ Regi Imperium Ciuitatis publice detulerant; ac ne libertati vetuſtæ noua immutatio noxia forte fieret, leges adiecerant; eaſque iſtis ferme verbis conceperant. *Cernentes belli pericula prementia, nunc & in poſterum imminentia, vt populus Florentinus, vrbſque, & ager in viam ſalutis dirigatur, ſolemni deliberatione habita, Robertum Regem Siciliæ, Rectorem, Gubernatorem, Protectorẽ & Dominum Ciuitatis, populique Florentini in quinquenniũ deligimus, iſtis pactis, 1. Rex per ſeipſum præſens, vel per aliquem ex Fratribus, filiiſue Ciuitatem gubernabit. 2. Exulem nullum reſtituet. 3. Populum ſuis vti legibus permittet. 4. Prioratus officium vti nunc eſt, ita poſt fore in ciuitate patietur.* Hæc nominatim excepta; cæterorum ferme omnium poteſtas permiſſa eſt. Ad eum modum Florentinorum viribus auctis, & tam illorum quam finitimorum Lucenſiũ ob accepta recenter ab Imperatore detrimenta grauius irritatis, erat ꝙ Fridericus ſibi caueret: Siciliæque potius tuendȩ claſſem paratam reduceret, maxime cum ſocii Imperatoris defuncti eum deſerere viderentur. Veteranorum enim Cæſaris pars multo maxima Germaniã repetiit: pauci voluntarii nomina Piſano præſidio tribuerunt. Ludouicus etiam Sabaudus & Henricus Flander, cum delatas ſibi quoq; à Piſanis ciuitatis habenas modeſte recuſaſſent, vna cum ſuis domos repetierunt. Claſſis item Genuenſium, ac iam traductæ circa fretũ copiæ, audita morte Imperatoris domum irrito conatu redierunt. Qua diſceſſione omnium, Piſani conſternati, ſummam reipublicæ ad Vgutionem Fagiolanum reiecerunt, qui & ante Imperatoris nomine Genuenſibus præfuerat, & magnas poſtmodum res ꝓ partibus Gibellinorum patrauit. *Conradus Vecerius de Henric. VII. Imp. & Leonard. Aretin. de rebus Florentinis.*

XX. SVMMARIVM GESTORVM CLEMENTIS PP. HVIVS ANNI.

Clemens porro Summus Pontifex, ad ſe rerũ Chriſtianarum, & præcipue in Italia curam pertinere exiſtimans, ne per mortẽ Imperatoris, tẽpore interregni, aut à vi externa periclitarẽtur, aut ab inteſtinis ſeditionibus miſcerentur, Romani Imperii in Italia Regimen & adminiſtrationem 1. Roberto Regi Siciliæ commiſit, eumque Imperii Vicarium tamdiu eſſe iuſſit, donec Sedi Apoſtolicæ beneplaceret, ac Principes Electores tempeſtiue congregati, Henrico Cæſari defuncto, aliũ Imperatorem ſufficerent. Offendit ea dignitas Roberto oblata, Fridericum Regem Trinacriæ. Quare ne nihil omnino agere videretur, claſſem quam ab Etruſco littore reducebat, in Calabriam vertit, & cũ multa alia, tum Rhegyum Roberto intercepit, bellumq; ex aperto illi indixit. Adeo vt Clemens opus habuerit 2. anathematis cenſura omnes percellere, qui contra Regnũ Siciliæ citra pharum, arma ſumere voluiſſent: aut à Roberto ad Fridericum deſciſcere decernerent. Enimuero poſtquam Fridericus in Brutios tranſmiſiſſet, Rhegyumque cœpiſſet, ingens terror omnes perculerat. Calabri, Apuli, Lucani, Picentini, Campani, ambigua fide agebant: nec populares Regi, nec Rex popularib. fidebat, credebatur. *Paulus Æmil. lib. 8.*

1. *ep.* 219. ROBERTVS REX SICILIÆ IMPERII VICARIVS CONSTITVITVR A CLEMENTE. 2. *ep.* 110.

Eodem anno Clemens Pontifex, ad diem Quintum Maii. 3. Petrum Moroneum, qui Cœleſtinus Pontifex fuerat, in numerum Beatorum retulit. 4. Cenſum ex regno Siciliæ à Roberto Rege exegit. 5. Denarium, quem Sancti Petri vocabant, è Regno Angliæ, pro Sede Apoſtolica conquiſiuit. 6. Archiepiſcopis Raguſino & Cantuarienſi, Epiſcopis Salernitano & Rutenenſi pallium miſit. 7. Patriarchatui Conſtantinopolitano Eccleſiam Nigropontanam vniuit. 8. Patriarchæ Hieroſolymitani diſpoſitioni bona Templariorum cõmiſit. 9. Leodienſi Epiſcopo regalia, ſeu iuriſdictionem temporalem conceſſit, ſeu confirmauit. 10. Inquiſitores contra hæreticam prauitatem in regno Maioricarum inſtituit. 11 Decimationem reddituum Eccleſiaſticorum, pro ſubſidio Terræ Sanctæ, Regi Philippo in regnis Galliarum permiſit. 12. Reginæ Franciæ, vt reſiduam medietatẽ bonorum, quæ ad eam ab Hebræis deuenerant, X. mil. libr. Turonenſ. numerabantur, in vſus ſacri belli exponeret, ſerio præcepit: de reliqua autem, vt pro ſuo arbitrio diſponeret, diſpenſauit. 13. Nicolaum tituli S. Euſebii presbyterum Cardinalem, Luteriam Pariſiorum, pro negotio Terræ Sanctæ, ad Philippum Regem, alioſque Principes Chriſtianos Legatum ire iuſſit.

3 *ep.* 616. 4. *ep.* 724. 5. *ep.* 28. 6. *ep.* 8100. & 189. 7. *ep.* 187. 8. *ep.* 186. 9. *ep.* 726. 10. *ep.* 474. 11. *ep.* 101. 12. *ep.* 220. 12. *Bernard. Guid in Clem. V. & Blõd. dec.* 2. *li.* 9.

XXI. PHILIPPVS REX GALLIÆ ALIIQ PRINCIPES CHRI

Philippus autem Rex Franciæ, à Clemente, poſtquam is Auenionem à Vienenſi Concilio ſeſe receperat, per Cardinalem ad ſe miſſum adductus, Conuentum apud Pariſios ad III. Non. Iul. habuit, in quo ipſe,

[STIANI SACRAM CRVCEM SVSCIPIVNT.]

vna cum Edouardo Angliæ, & Ludouico Nauarræorũ Regibus,&cum Philippo ac Carolo filiis,Carolo Valeſii & Ludouico Ebroicenſ. Comitibus ſuis fratribus, voto ſubueniẽdi Hieroſolymitanis rebus emiſſo,è manu Cardinalis Legati Crucẽ ſuſcepit. Et ne legẽtem in vana ſpe detineamus, ea vota in irritum ceciderũt. Robertus quoq; Claromõtanus,cæteriq; Principes aſſumptis Crucis inſignibus , bellum ſacrum tunc temporis profeſſi ſunt.

CONVENTVS PARISIENSIS IN CAVSA TERRÆ SANCTÆ.

Robertus Comes Flandriæ,ad hunc principum Conuentum, quamquam vocaretur non venit, dolore atq; ira plenus; eo quod promiſſa illi per Regis Vicarium facta non complerentur. Simul in ſacri belli expeditione id doli conſtrui verebatur,ne capite ac robore gentis Flandricæ procul ablegatis (quandoquidẽ tanto id ſtudio affectabant) Flandria ab illis occuparetur.

DISCORDIA INTER ROBERTVM SICILIÆ REGEM ET COMITEM FLANDRIÆ.

Itaque Robertus Regi reſpondit, Cruce ſe non ſignaturum,donec in tranquilliore ſtatu res forent. Poſtulabat item Rex, vt de integro in eius verba iuraret, fidemq; de Flandria præſtaret exceptis oppidis, Inſula, Duaco, & Origiaco. Id quoq; Robertus ſe facturũ eſſe pertinaciter negauit,aſſeuerans Flandriam ſe omnẽ recepturum,aut omnem perditurum. Inter hæc Põtifex Cardinali Goſſelino Legato munus pacificatoris iniũxit, vt eo arbitro omnes controuerſiæ componerẽtur. Sed Rex libertate verborum Comitis exacerbatus, reſpondit, tantum offendiſſe Flandrũ, vt pacem non aſſequeretur, niſi per omnia ſe ſummiſiſſet Regiæ volũtati. Deſcendit nihilominus Cardinalis,ad Atrebatium vrbem , ibiq; vtriq; parti de rebus tractandis diem dixit. Eo venit Archiepiſcopus Narbonenſis cum aliis Gallis Proceribus: Robertus item ſtipulata acceptaq; prius fide publica , cum Optimatibus ac Procuratorib. trium membrorum Flandriæ eo profectus eſt. Hic poſtulabant continuo Regii, ea quæ ex re Gallorum erãt. Negauit Comes, accenſuſq; ira repente ſe ſubduxit , ac domum rediit. Cardinalis vix obtinuit, vt Procuratores Lutetiã Comes mitteret , ſi quã ab irato Rege gratiam impetraret. Iuerunt illi ; nihil obtinuerunt: Rex Comitem præſentẽ edicto propoſito eſſe Pariſiis iuſſit: Non comparentem , contumaciæ condemnauit, Flandriam fiſco Regio addixit, exercitũ triplici agmine inſtructum in eum miſit. Vbi fere iam in cõſpectum Flandrorum non inermium veniſſent,armati Galli,inprimis iuſſu Regio Archiepiſcopus Rhemorum & Abbas Diui Dionyſii Pariſiorum,ad Fanum Odomari , omnes vicinos Epiſcopos, & Monaſteriorũ Patres , vna cum Sacris Collegii oppidi , Sacerdotali ornatos veſtitu in foro adeſſe præcepit: eoq; in loco cõcione habita, coram Comite Pictonum Philippo, omniq; nobilitate ac populo, ſententiam execrationis in Comitem Flandriæ eiuſq; auxiliarios iactauit. Interceſſit tamen poſtmodum Cardinalis Legatus, ne exercitus vlterius procederet, neue fulmen iaculatum Flandros afficeret, pactis inter partes armatas vnius *anni induciis*.

XXII. PHILIPPVS REX GALLIÆ FILIOS SVOS BALTHEO MILITARI CINGIT, EOSQ; VARIIS HONORIBVS AVGET.

Cæterum in eo quem diximus Pariſiaco Conuẽtu, Philippus Rex, poſtquam regio indutus habitu atque corona redimitus, rei diuinæ ad Deiparæ interfuiſſet, filios ſuos baltheo militari cinxit; ex quibus Ludouicum natu maximum , Regem Nauarræ , Philippum Pictonum Comitem, Carolumq; natu minimum Comitem Marchiæ conſtituit; Philippum præterea & Carolum, Caroli Valeſii filios, equeſtri dignitate donauit; deinde magna conuiuiorum lætitia, Principes excepit. Sed nõ diuturna ei iſta lætitia fuit, Deo iniuriã Bonifacio Pontifici atque aliis illatam vlciſcente. Duplex enim eum per id temporis calamitas, & paulo poſtea mors inopina excepit.

SEDITIO EX PECVNIÆ ÆSTIMATIONE ENATA.

Priori cauſam dedit Engerannus, magni apud Regem momenti, ſed nõ minoris apud omnes inuidiæ Princeps. Conquerebantur omnes argentũ ſignari haud quaquã iuſtæ probitatis, tertia pars experientibus decoquebatur. Creditores. cũ æs alienum diſſolnebatur, argenteos nummos, nõ quanti haberi iuſſi feriebantur, ſed deducto intertrimento accepturos ſe dictitabant. Ita nummus iactabatur , vitaque communis laborabat. Aurei quoque ſcutati, multo pluris ſolito æſtimari cœperant, ac permutari. Pulcher anguſtius adduxit, ac ad morem maiorem, Diuique Regis inſtitutum æſtimationemque, eos edicto reuocauit. Hoc exactoribus, veterumque vectigalium dominis, mire gratum commodumque erat. Sed ii obruebantur, vnde petebatur. Lutetiæ plebs repentino furore percita , in ædes Stephani Barbatuli officinæ monetariæ Curatoris impetũ fecit. Forte aberat, an fuga periculum euitarat: domus direpta, expilataque: Rex Lutetiam regreſſus, clamore ſeditioſæ multitudinis prope fuit circumſeſſus. Miſſi ex aulicis , vix turbam diſiecerunt; quamquã curæ Regi dicerent fore , ne quid detrimẽti à quoquam ex pecuniaria, aliaue vlla re caperetur. Sedato tumultu, mox authores illius capite luerũt. Lugduni etiã alius tumultus exortus. Lugdunenſiũ Pontifex erat Petrus , è finitima Sebuſianorum Procerum nobilitate. Controuerſia exorta inter eum Regioſq; Magiſtratus, de Pontificia Regiaque iuriſdictione. Plus æquo ſibi aſſumere Regiis videbatur; Et ciues Lugdunẽſes ei aderant. Ludouicus Rex Nauarræ cum exercitu ingenti miſſus eam prouinciam ægre confecit, Hutinus cognomine dictus ; qua voce apud Frãcos patrio ſermone vis turbationis tumultuſq; ſignificabatur. Põtifex timore perculſus fidei Sabaudi Comitis , qui cum Regis filio aduenerat, ſe permiſit. Ita ſine certamine res cõpoſitæ; pax vrbi clariſſimæ; Pontificique data. Cæterũ grauior Philippo dolor, ex domeſticis probris.

NVRVS PHILIPPI REGIS ADVLTERII REÆ POENAS LVVNT.

Omnes illius nurus, adulterii cauſam dixere. Iohanna tantum , Philippi Comitis Pictauiæ abſoluta, ea Mathildis Atrebatis , ac Othonis Burgundiæ Comitis filia maior erat. Margarita Ludouici Regis Nauarræi , Blanda Caroli Marchiæ Comitis, flagitii conuictæ. Adulteri verendis cõuulſis, cute nudati, vnco tracti, reſti tandem ſuſpẽſi, pœnas inſeſſi nobiliſſimi tori graues illuſtreſq; dedere. Ianitor conſcius criminis , ceruice luit. Ludouicus ex Margarita Roberti Burgundiæ Ducis filia Iohannam filiam tulerat. Adultera vxore in cuſtodia , morbo, an anima intercluſa defuncta. Clementiam Roberti Regis Siciliæ ſororem, Martelli filiam, vxorẽ accepit. Blãda Caroli, minor Otthonis Burgundionis filia , in perpetuã cuſtodiam cõiecta, nullas præterea pœnas dedit, quod ea viua ducere aliam vxorem poſſe Carolũ , Mathildis illius mater affirmaret : ab eo enim illam è ſacro lauacro ſuſceptam ; nec matrimonium iuſtum extitiſſe. Hoc confictum creditur, ad ſalutẽ capitis fœminæ nobiliſſimæ, atq; in gratiam ſocerorum Otthonis & Mathildis. Dirempto igitur illo matrimonio, alterum Carolus contraxit authore Pontifice Maximo , Iohanna Eburouicis Comitis filia ducta in vxorem. *Paulus Æmilius lib. 8. & Annal. Flandr. lib.* 11. Addit ſcriptor Annalium, quæ adiungo de Pulchri fato.

XXIII. DE MISERANDO PHILIPPI REGIS FATO.

Tertio Calend. Decembris , Rex pulcher aprum in ſylua Vaſtinienſi, dum ardentius inſequitur, equus eius ita grauiter à bellua feritur , vt in pedes anteriores cadens, Regẽ in terrã à ſuis elongatum effuderit, hærentemq; altero pede in ſtapeda per longũ traxerit, laceraritque; adeo vt tandẽ ſemianimis inuentus , & ad fontem Belialdũ relatus, ſtatim ſpiritum exhalarit. Quamquam aũt hiſtorici Gallicani illud prætermiſerint , alii tamen memorarunt , & inter hos Boccatius lib. IX. de caſibus , meminit illo modo : Erat inter alios ab apro deiectus, inter opaca nemorũ Francorũ Rex, tã exitum ſuum , quam damna atque dedecora à Flandrenſibus ſuſcepta deplorans. Et cum eo tres pariter filii , execrãtes immaturas mortes, & vxorum adulteria, incidebãt. Hactenus Bocatius. Ita Pulcher , qui tot author fuerat mortium, in miſerum & ipſe tandẽ incidit fatum. Neque ſemen eius ſuper terram longæuum erat. Nulla eius filiis regnandi fœlicitas, omnes ante diẽ breui poſt, abſq; vlla virili ſobole abſumpti ſunt, vt manifeſti numinis ira, ceu tacti videatur de cœlo ; propterea quod in ſummi Sacerdotis Bonifacii mortẽ Philippus , tam turpiter conſpiraſſet: Philippam innocentiſſimã Flandriæ vir-





ginem ſuam anagonam , omneſque eius neceſſarios multis iniuriis affeciſſet ; Romam , Italiamque ſumma Sacerdotali dignitate ſpoliaſſet, inque Galliam transferri coegiſſet ; populum nouis vectigalibus & iniuſtis exactionibus , abſque aliquo Regum exemplo oppreſſiſſet ; litibus , rixis , & calumniis , totam Galliam , per ſuum nouum Parlamentum repleſſet: ſummi Sacerdotis cenſuras & fulmina (quarum tamen rerum contemptum nullo non ſæculo grauiter à numine punitum conſtat ) nihili æſtimaſſet, & multos inſontes ex Templariis , per calumniam oppreſſos , enecaſſet. Sunt authores non omnino obſcuri , qui affirment, quod cum Philippus Rex , promiſcue , in nocentes innocenteſq; Templarios animaduerti iuberet, à pluribus eorum ad Tribunal ſuperum citatus , obierit ; quaſi ad vadimonium obeundum à ſupremo Prætore arceſſitus. Ab iiſdem authoribus habeto, Iacobum Burgundionem Ordinis Principem , cum productus ad ſupplicium , circumfuſa ingenti multitudine , dum pyra extrueretur, ſtaret, propoſitaque vitæ ſpe , ac impunitate , ſi quæ in cuſtodia faſſus de ſe ſuiſque eſſet, nunc quoque confeſſus , veniam publice poſtularet , huiuſmodi verba feciſſe: *Ego nunc ſupremis rebus meis , cum locum mendacio dari nefas ſit , ex animo vereque fateor , me ingens in me meoſque ſcelus conſciſſe , vltimaque ſupplicia cum ſummo cruciatu promeritum , qui in gratiam quorum minime decuit, dulcedineque vitæ , flagitia impia ſceleraque ad tormenta ementitus ſum in Ordinem meum , de religione Chriſtiana optime meritum. nec mihi nunc vita opus eſt precaria , & nouo ſuper vetus mendacio retenta.* Exin rogo impoſitum , ac admoto paulatim igne primoribus pedibus , ad exprimendam ſcelerum confeſſionem, nec tunc quidem, quum reliquo corpore depaſto vitalia fœdo nidore torreatur , ab huius orationis conſtantia deſciuiſſe , aut mutatæ mentis vllam ſignificationem præbuiſſe ; neque ipſum , neque duos cum ipſo ſupplicio affectos nobiliſſimos eius ordinis viros , quorum alter eſſet Delphini Allobrogis frater. *Aemil. ſupr.*

XXIV. DIPLOMA CLEMENTIS PP. DE CANONIZATIONE COELESTINI PONTIFICIS.

Quod vero Canonizationem Cœleſtini Pontificis attinet, cuius paulo ante meminimus ; iſtud eſt eius diploma datum à Clemente Quinto. Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus vniuerſis , Archiepiſcopis , Epiſcopis , ac dilectis filiis Abbatibus , Prioribus , Decanis , Archidiaconis , aliiſque Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ peruenerint. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Qui facit magna, & inſcrutabilia, & mirabilia , abſque numero Dei filius increata ſapientia , verbum Patris : qui olim à principio vna cum Patre & Sancto Spiritu ex ſe ex nihilo Mundum efficiens diſpoſitione ſuaui conuertit, produxit omnia ſecundum gradus ſuis naturis congruos: cœlum repleuit Angelis, hominem ad imaginem ſuam factum perſundendo gratia , ſydereis manſionibus dignum fecit.*

§. 1. *Nouiſſime diebus iſtis, antiqua innouando ſigna immutando mirabilia , ſtupendum , mirandumque opus ipſe fecit altiſſimus , gloriam maieſtatis diuinæ clamans altiſone : perfundens ſponſam ſuam Eccleſiam nouo genere gaudiorum : Ecce namque noui Confeſſoris inſignia Mundo prodeunt : præclara merita Mundi defluentis viatoribus pateſiunt , ſanctitatis eius magnitudinem grandia miracula proloquuntur , quæ ipſum probant indubie in deliciis paradiſi iuxta ſecreta Dei cubicula plenam habere requiem poſt laborem. Et recte quidem. Nam qui in terris non ceſſauit magnifice de virtute progredi in virtutem , dignum eſſe cognoſcitur , qui in cœlis terras referendi gloriam Domini reuelata facie ſpeculetur. Ob hoc beatorum ſpirituum agmina exultant in gaudio: dum vir ſanctus ſolari fulgore coruſcus, ipſis inſeritur, & de ipſo portante gloriam, ſacratus horum numerus , quem cadentium ruina minuerat , integratur. Applaudunt & cœli , cum ei gradienti in virtute ſurſum patulum præbenti iter , ipſi regnanti Deus in ipſis æthercam ſedem parat. Plaudat ergo & iubilet canora voce ſponſa Chriſti mater Eccleſia , dum quem genuit vnda baptiſmatis, & aluit vbere piæ matris , quem & patrem in Mundo habuit & paſtorem , lætabunda glorioſum mittit ad ſuperos, cum de ſe horto irrigato diuinitus, ipſum vt lilium candoris niuei, vernantem roſam odoris eximii feſtiue diuinis conſpectibus repræſentat.*

§. 2. *O quam fœlix es prouincia Terræ laboris , quæ probaris talem & tantum produxiſſe palmitem , inhærentem firmiſſimæ Chriſti viti. Cuius propagines odore miræ ſanctitatis diffuſo extenduntur vſque ad fines orbis eiuſque ex vuis expreſſus vini liquor deuotorum corda lætificans ad amorem Dei mundanorum mentes allicit & inflammat. Sane B. Petrus , de prædicta prouincia Terræ laboris traxiſſe fertur originem, ex honeſtis parentibus, catholicis, & deuotis.*

§. 3. *Hic edoctus cum Tobia Deum timere ab infantia , & abſtinere à vitiis , illecebras Mundi conſiderans quæ plerumque humanas mentes dum leniunt , vulnerant , vinciunt , & captiuant , poſitus in ætate adhuc tenera ſed ſub corpore fragili virẽ animum ſecum habens, antequam ſeculare quicquam eius illaberetur animo fugam prudenter attendens , cum Baptiſta Ioanne , eremi ſecreta petiit , vbi remotus à noxiis , ſolus poſſet ſuo viuere creatori. Quanta autem inibi in locis ſolitariis , horridis , & aridis , & fere hominibus inacceſſis , veſtium aſperitas, quanta victus parſimonia , quantiſque vigiliis & orationibus, quotue aliis afflictionibus macerauerit carnem ſuam, ne delicate nutrita proterniens ſæuiret in ſpiritum, non poſſet lingua faciliter ſeu breuiter explicare. Hoc vir ſanctus idcirco conſulte & prouide faciebat, quod excuſſa & attrita palea ſuæ carnis, eius ſpiritus innocens , vt purgatum & mundum triticum , rẽponi dignus eſſet in horreo cœleſti.*

§. 4. *Vt autem ad ædificationem Chriſti fidelium ſaltem pauca exprimantur de multis, quæ tunc velut informatiua quædum exemplaria vitæ noſtræ; ipſe ſicut pluribus & fidedignis teſtimoniis eſt probatum , veſtium ſplendorem ac leuitatem deſpiciens, in quibus amatores huius ſeculi delectantur, ciliciis de pilis equorum factis , reticulatis pariter & nodoſis , veſtibus quoque aliis , vilibus multum & aſperis tegebatur. Ad nudam quoque carnem , catenam ferream , & circulum quandoque ferreum deferebat , lecti etiam mollitiem declinans ( ne caro petulanter laſciuiens noxie moliretur in ſpiritum ) in terra aut nudis tabulis dormiebat, vel in cancellatis craticulis , veſtitus cilicio , & pannis ſolutis , præcinctus lumbos catena ferrea , aut circulo. Pro puluinari vero, ligno , aut lapide , ſeu dura re alia vtebatur & ( quod pene importabile eſt ) ſanus vel infirmus lectis aliis non eſt vſus.*

§. 5. *Studens etiam pro viribus domeſticum domare hoſtem, ne præualere poſſet ſpiritui, nec ſanus, nec infirmus carnibus veſcebatur. Vinum vero non bibebat niſi rariſſime, ſic tamen dilutum, vt videretur vini ſpeciem non habere.*

§. 6. *Semper quoque , niſi diebus Dominicis , ieiunabat ſeſe nihilominus quadragenas ſingulis annis faciens , mentem non ventrem reficere cupiendo, affligebat in ipſis ſolito durius carnem ſuam. O ſtupenda & aliis inſueta rerum materies , cernere hominem in carne degentem mortali & fragili, ſub tam auſteræ & longæ macerationis pondere non cadentem , in tribus namque quadragenis , in pane & aqua ieiunabat continue & quandoque cum ſolis foliis caulium, abſque pane. Interdum autem ſolis pomis , vel caſtaneis , ſeu granis fabarum mollificatis in aqua aut crudis rapis tantummodo veſcebatur. In cæteris vero quadragenis , vno tantum ferculo vtebatur , inſipido tamen & modica quantitate. In harum vero quadragenarum aliquibus ( quod naturæ humani corporis eſt horror ) vſus eſt pro veſte ſolo cilicio. In quibuſdam vero , cilicio , & ſuper ipſum lorica cuius pondere caro eius per ſubintrantes nodos cilicii , vt teſtantur eius ſocii, aliquotiens diſrumpebatur. Et reuera hæc in homine iſto ſancto ſupra hominem gerebantur. Ad hæc enim ferenda tam grauia , virtus humana non videtur poſſe ſufficere , ſed diuina potius in ipſo habitans hoc gerebat.*

§. 7. *Hic beatus vir iam mortificatis ſpiritu carnis deſideriis & repreſſis, ſumme deuotus Deo , orando aſſidue animum ad Deum tenuit firmiter eleuatum. Ipſe etenim ad matutinas laudes media nocte ſurgebat : ipſiſque dictis legebat Pſalterium cum litania & collectis quampluribus , ac crebris genu flexionibus & diſciplinis duris , carnem ſuam cum vitiis concupiſcentiæ crucifigens. In aurora vero , Miſſa per ipſum celebrata iterum deuote incipiens ibi Pſalterium , vbi dimiſerat , orare vſque ad horam tertiam non ceſſabat.*

*§. 8. Ne autem ipſum reperire poſſet diabolus otioſum, laborabat proprijs manibus, ſcribendo, vel ſuendo cilicia ſeu faciendo aliud opus honeſtum & vtile ab hora tertiæ vſque ad nonam. Poſt cibum denique ſumptum vſque ad noctem profundam perſeuerabat cum Deo, ab oratione feruente ſpiritu non relaxans.*

*§. 9. Morum etiam honeſtate venuſtus, odore ſuæ ſanctitatis vitæ communiter iam diſperſo, ad ſuum multos attraxit aſpectum, & quamplures oberrantes per uitiorum abrupta, reduxit ad Deum ſuis ſanctis exhortationibus & exemplis. Nec mirum, nam reddebat cunctis communem charitas, obedientia promptum, placidum humilitas, pietas patientibus coafflictum, decorum puritas, parſimonia mirabilem, honeſtatis maturitas reuerendum, benignitas hilarem, conſtans quoque virtus animi in aduerſis & proſperis vniformem.*

*§. 10. Denique vir ſanctus cupiens diuinum ampliare cultum, congregationem Monaſticam ſub B. Benedicti Regula, ſuperadditis ei ſtatutis arctiſſimis ordinauit, vbi fratrum ſuorum Deo famulantium adaucta multitudine numeroſa, fundatiſque locis non paucis in quibus Chriſtus Ieſus ab ipſis iugiter laudaretur, vixit cum eis cunctis florens virtutibus, ac eximiæ ſanctitatis operibus informans & reformans vniuerſos.*

*§. 11. Verum quia non erat expediens, quod tantæ ſanctitatis odor in ſolo vno Mundi angulo ſentiretur, ſed potius quod ad ædificationem cunctorum fidelium circumquaque per mundum promptius ſpargeretur diſpenſatione prouida ad ſummum Pontificatus apicem eſt profectus. In quo totum idem ipſe manens, qui fuerat ſub præcelſæ dignitatis habitu, nec vitam Eremiticam, quantum fas ſeruare fuit, nec animum derelinquens, nouit inter epulas eſſe ſibi ſumme auſterus, & abſtinens, inter amplas diuitias ſumme pauper.*

*§. 12. At vero hic vir habens ſimplicitatis miræ & inſpectantibus ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ inexpertus, vtpote qui à teneris annis ad ſenium elongatus à Mundo, cor ſuum mundanis rebus non accommodauerat ſed diuinis, reflectens prudenter ſuæ conſiderationis intimæ oculum ad ſe ipſum, honori Papatus ceſſit & oneri libere & ex toto, ne ob prædicta poſſet ex ſuo regimine, quodcunque periculum vniuerſali Eccleſiæ prouenire & vt turbatiua Marthæ ſollicitudine declinata, vacare poſſet ſecus pedes Ieſu contemplationis otio cum Maria.*

*§. 13. Poſt hæc itaque diuinæ vacans contemplationi, aſſidue vſque ad eius obitum, quo beata illa anima carnis euaſit ergaſtulum, cœlos petens ſanctiſſimam vitam duxit.*

*§. 14. Et quia multum conueniens erat quod ille quem Deus in mente perfuderat tot & tantis charismatibus gratiarum; clarus Mundo colenduſque diuinæ virtutis teſtimoniis appareret, non defuere diuina miracula in quolibet ſtatu ſuo ante Papatum videlicet, in Papatu, ac etiam poſt Papatum, in eius vita pariter & poſt mortem, voce clamoſa proloquentia ipſius imitandam cunctis eximiam ſanctitatem. Vt autem hoc Ieſu Chriſti fidelibus amplius notum fiat; aliquot miracula ipſius meritis de quãpluribus exprimere poſſemus, quæ accediſſe veraciter certis teſtimoniis ſunt probata.*

*§. 15. Mulier quædam ex infirmitate graui ſic cæca omnino effecta, vt iuuari non poſſet per quæcunque adhibita remedia medicinæ portata ad locum Eremi. Vbi frater Petrus tunc temporis morabatur, cum ſe ſignaſſet quadam parua cruce lignea quam idem frater Petrus per ſeruum ſuum ei tranſmiſerat & eandem ad oculos applicaſſet perfecte ſtatim viſibiliter eſt curata.*

*§. 16. Quidam factus ita furioſus & amens, vt ne ſe ipſum aut alios offenderet, funibus & catenis ferreis ligaretur, adductus ad dicti fratris præſentiam, cum comediſſet de pane ſibi per ipſum exhibito, ſic eſt curatus perfecte, vt de dicta infirmitate nihil vlterius vnquam ſenſerit.*

*§. 17. Puella etiam quædam, quæ fiſtulam tam grauem habebat in pede cum aperturis pluribus, vt de perditione pedis à medicis timeretur, portata ad ipſum, & facto per eum ſuper plagam ter ſigno ſanctæ Crucis, ſtatim ſanata eſt, ita vt poſt dies paucos non apparuerit in dicto pede aliquod infirmitatis prædictæ veſtigium, vel cicatrix.*

*§. 18. Quædam mulier, quæ ſic vehementer grauabatur infirmitate hectica, vt de eius vita deſperaretur à medicis, nec pro neceſſitate quacunque abſque plurium adiutorio de loco poſſet ſe mouere, cum quieuiſſet per horæ ſpacium ſub quodam panno lineo, quem per patrem dictæ infirmæ miſerat frater Petrus, ſtatim ſanata ſurrexit.*

*§. 19. Quidam etiam ſcrophulam groſſam ad quantitatem oui gallinæ in manu, per quinque annos habuerat: benedictione facta per ipſum ſanctum ſuper infirmitatis locum fuit, poſt morulam modicam, ſanatus totaliter & perfecte.*

*§. 20. Cum etiam ſummi Pontificatus culmine præemineret, quædam mulier, quæ vi morbi per annos quatuor per totum corpus extiterat crocea & inflata, quæ etiam operari quicquam non poterat, nec abſque grauamine notabili ambulare, delata ad locum, per quem erat frater Petrus tunc ſummus Pontifex tranſiturus, & benedicta ab ipſo, reſtituta eſt illico priſtinæ ſanitati.*

*§. 21. Alia quædam mulier ſic contracta in omnibus membris ſuis, vt nec ambulare poſſet, nec mutari de loco ad locum, niſi ab aliis portaretur, poſita ſecus viam, per quam ipſe frater Petrus tunc tranſitum faciebat, & data ſuper ipſam crucis benedictione, per ipſum fuit perfecte continuo liberata.*

*§. 22. Poſtquam renunciauit Papatui, quidam qui ex toto pene viſum perdiderat, cum ſe ipſi fratri Petro præſentaſſet, ſuperducta quadam parua cruce lignea oculis patientis reſtituit integre ſtatim viſum.*

*§. 23. Denique vt in eis obitu ſuæ ſanctitatis lucidæ diuinum teſtimonium non deeſſet, de ipſa cruce, quam ſumme dilexit, & lumine, fecit Deus ſignum mirabile apparere. Etenim tempore mortis ſuæ apparuit Crux parua & fulgida in medio oſtij cameræ in qua erat, quæ ad modum vertiginis ſe voluens, continuo permanſit diuinitus ſuſpenſa in aere quoaduſque corpus eius de ipſa camera eſt translatum.*

*§. 24. Sed & poſt obitum viri ſancti quidam ſic eſt percuſſus paralyſi, vt nec ambulare, nec ſtare, nec loqui poſſet quoquomodo: ductus ad locum vbi frater Petrus pœnitentiam facere conſueuit, & Catena quadam, quam portaſſe ad carnem nudam dicebatur dum viueret, appoſita patientis collo & capiti, & cæteris membris eius fuit ſtatim penitus liberatus.*

*§. 25. Quidam qui vires ambulandi ac ſtandi, vſumque manus perdiderat, ductus ad Eccleſiam, vbi dicti ſancti corpus iacet reconditum, & pernoctans cum animi deuotione in eadem, ſenſit ſe mane totaliter à dicta infirmitate liberatum.*

*§. 26. His & aliis quamplurimis miraculis glorioſis mirificauit Dominus ſanctum ſuum, & clarum mundo reddidit, ac colendum. Gaudens itaque plaudat mater Eccleſia, & ſuaues decromat melodias. Nam hic Chriſti confeſſor eximiæ ſuæ prolis inter beatorum agmina ſtellam poſſidet matutinam, & ſuper Chriſti menſam cum Angelis ore pleno melle dulcius abditum manna guſtat. Iubilare non quieſcat plebs catholica: nam accenſus calculus, quem ex eius medio ille intendens Seraphyn tulit forcipe de altari in ea quæ ſurſum eſt Hieruſalem, ignitis lapidibus, in quorum medio Rex cœlorum ambulat, eſt coniunctus. Hunc apud Deum aduocatum habet, quem fons effluxus perennis io, unde inebriat, abunde faciat lignum vitæ. Iocundetur inſuper religio per ipſum inſtituta, & laudes altiſſimi organa vocis laxet. Nam hic eius protector indefeſſus, ſtola immortalitatis induitur ac ſedens cum principibus, ſolium gloriæ ſempiternæ ſemper clarum tenet.*

*§. 27. Verum quia dignum eſt, vt, quem in cœlo ſurſum Deus glorificat: hic inferius ad ſuum patrocinium Mundus colat, nos de ſanctitate vitæ, ac veritate miraculorum ſancti huius, de quibus inquiri fecimus diligenter, prudentis examinis diſcuſſione adhibita, plenam & firmam certitudinem obtinentes requiſiti: Inſuper prælatorum omnium tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium ſupplicatione humili & deuota, de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu confiſi, de Omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, & noſtra, ipſum ſanctorum confeſſorum catalogo duximus adſcribendum.*

*§. 28. Ideoque Vniuerſitatem veſtram monemus, & hortamur attente per Apoſtolica ſcripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quartodecimo Calẽdas Iunij feſtum eiuſdem confeſſoris deuote, ac ſolenniter celebretis, & faciatis à veſtris ſubditis celebrari, vt eius pia interceſſione, & hic à noxiis protegi, & in futuro ſempiterna coſequi gaudia valeatis, Amen.*





XXV. Clemens Pp. reiecto Thoma Cobhamio Waltherum ex Vigorniensi Sede in Cantuariensem transfert eiq; pallium concedit.

Sed ad Clementem Pontificem reuertor, quem narraui, pallium Archiepiſcopo Canthuarienſi hoc anno miſiſſe. Iſtud ad eum modum eueniſſe memorabant, hi qui de rebus Anglicanis ſcripſerunt. Mortuo Roberto Archiepiſcopo, qui tempore duorum Regum, conſtanti animo, pro libertatibus Eccleſiæ & Regni aduerſus conatus peruerſorum ſteterat, Monachi eius Metropolis elegerant, Thomam Cobhamium, virum pietate, doctrina, & omnibus virtutibus præſtantem. Is vero ſtatim voto eligentium conſentiens, ad dignitatem aſpirauit, Auinionemq; petiit, vt à Clemente confirmationem obtineret. Clemens Pontifex, quod longe antea, eius honoris collationem, ſibi pro ſumma quam in vniuerſam Eccleſiam gerebat poteſtate reſeruaſſet, eam electionem in contemptum maieſtatis Pontificiæ factam eſſe interpretatus, prætermiſſis ſuffragiis Monachorum, Thomam quidem laudauit, neque per illum ſtare quo minus confirmaretur fore dixit, ac deinde rationem eius ſe velle in poſterum habere promiſit; Reynaldum tamen Walcherum ex Vigornienſi cathedra ad Canthuarienſem trãſtulit, palliumque illi Archiepiſcopii inſigne miſit, quod & iuri ſuo, & Regiæ voluntati; & tum Eccleſiaſticæ tum regni totius publicæ neceſſitati, hac ratione ſe poſſe conſulere exiſtimaret. Vualterus enim Regis Cancellarius, quamdiu Eccleſiæ Vigornienſi Epiſcopus præfuiſſet, nihil antiquius habuit, quam maximis conatibus controuerſias inter Regem ac Proceres cõciliare, rebus publicis proſpicere, & tum Regi, tum Regno ſtudium ſuum, ex vtroque officio probare. Huic igitur honorem Canthuarienſis Eccleſiæ gratis vna cũ pallio deſtinauit. *Tho. Vualſin. hiſt. Angl. in Eduard.* 2. Extant Clementis ad eum litteræ, quibus vt præclare & ſtrenue tanto ſuo munere defungeretur, eum accurate hortatur. Is porro recepto, (ad quod petendum, miſerat, ad Clementem Adamum Merenuthium & alios) pallio ad 17. Cal. Martii ſolemni de more ceremonia, & ampliſſimo apparatu Cantuariæ conſecratus eſt, quo die conſecrationis Regi, Reginæ, Epiſcopis, omnibus Regni proceribus, cœnobiorumq; præſidibus ſplendidum epulum exhibuit. Regi vero ob vocantis Eccleſiæ reditus 1816. libras, 10. ſolidos, 4. denarios, & vnum obolum ſoluit. Eundem Gualtherum Clemens Quintus conſtituit Quæſtorem Sacræ pecuniæ, quam Clerus ex decreto Gregorii X. Nicolai IV. Bonifacii VIII. ad Hieroſolymitanæ expeditionis ſumptus debebat, vtque reliquatores ad ſolutionem compelleret poteſtatem ei fecit. Et quoniam Philippus Franciæ, Edouardus Angliæ, Ludouicus Nauarrę Reges ſpem dederant ſacræ expeditionis ſuſceptæ ſerio proſequendæ; nec ea expederio impeditior & infelicior futura eſſet, propter torneamenta (vt vocant) quæ à ſacris canonibus damnata, in Gallia, Anglia, & Germania ſumma cum crudelitate exercebantur; ideo Clemens Pontifex ſeueriſſimo decreto, & grauium anathematum pœnis propoſitis, eorum certaminum exercitum prohibuit: atque Vualthero Archiepiſcopo edictum ad diuulgandum in Anglia tranſmiſit. *MS. bibl. Vatic. de reb. Anglic.*

XXVI. Aliæ Clementis Pp. res geſtæ.

Eodem anno Clemens Pontifex 1. Iſabellæ Anglorum Reginæ, vt familiares, ſui, à cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, à quocunque Confeſſore abſolui, ad futuros quinque annos poſſint, conceſſionem prorogauit. 2. Inter Venetos & Ferrarienſes pacta inita confirmauit. 3. Eoſdem Venetos propter Ferrariam interceptam anathemate damnatos, abſoluit, Sacraque vrbi eorum interdicta reſtituit. 4. Roberto Regi Siciliæ, pro Sancta Romana Eccleſia Rectori Ferrariæ, vt eadem pacta vtrimque faciat ab officialibus & miniſtris obſeruari iniunxit. 5. Principibus Chriſtianis, ne amplius Venetis incommodent, ſerio præſcripſit. 6. Regibus, Galliæ Philippo, & Maioricarum Sancio, vt reliqua bonorum à Templariis relictorum, militibus S. Ioannis Hieroſolymitani reddant, pœnis & cenſuris adiectis præcepit. 7. Vtque Sancius Rex Fratrem Raymundum de Gaides Templarium, in cuſtodia hactenus apud ſe detentum, Archiepiſcopo Taraconenſi dedat, qui ex ſententia prouincialis Concilii & inquiſitorum decreto, contra eum de iure decerneret, diſpoſuit. 8. Carolo primogenito Philippi Principis Tarentini, vt Ioannam Caroli Valeſi ex Catherina Imperatrice Conſtantinopolitana filiam, tertio vel quarto gradu ſibi propinquam, propter recuperationem Imperii Conſtantinopolitani in matrimonium ducere poſſet, permiſit. 9. Ioanni, Aragonum Regis Spario, Tolitano Canonico, in ſuſceptis ſacris ordinibus miniſtraret, fructuſque beneficiorum Eccleſiaſticorum perciperet, neque à quoquam, præterquam à Sede Apoſtolica & Romano Pontifice anathemate percelli poſſet conceſſit. 10. Regem Siciliæ Robertum, ad regnum Neapolitanum à Friderici inſiliis tuendum, hortatus eſt. Concedens, vt is Poncellum Vrſinum, Romanę Vrbi, cum poteſtate Vicarii Senatoris, quemadmodum fecit, præficeret. *Ex Regeſt. Clementis Quinti anno 8. & 9.*

XXVII. Robertus Siciliæ Rex dæmonis reſponſo inſigniter ludificatur.

Ferunt Robertum Regem, antequam Siciliam inuaderet, euentus præcognoſcendi cupidum, dæmonem de bello conſuluiſſe; & dæmonem reſpondiſſe: *Siciliam capies ſpoliaque ab ea referes.* Poſteaque illũ dicto fidem, ſed more ſuo feciſſe. Cum enim anno ſequente, menſe Auguſto, Robertus Rex Philippus Tarenti Princeps, & Raymundus Berlengarius claſſe inſtructa inter Hiccarim oppidulum & Caſtrum appuliſſent, ibi milites in terram expoſiti, excurſione in agros facta, Alcanenſem mulierculam fugientem, comprehenderunt, & ad Robertum Regem adduxerunt, Sciſcitanti Regi, nomen, genus & fugæ cauſam; illa; *Siciliam ſibi nomen eſſe, genus humile, fuga ſalutem ſibi quæſiuiſſe,* reſpondit, quo Robertus adimpletum dæmonis verbum, ſeque continuo ludificatum cognouit. *Fazel. dec. 2. lib. 9.*

XXVIII. Scribit litteras ad 100. equites Romanos.

Robertus porro ne ad quoſuis motus Vrbanos inermem Poncellum Vrſinum Romæ relinqueret, ei aliquot alas militum loco præſidii reliquit, & hanc quã ſubiungo epiſtolam ſcripſit.

Robertus Dei gratia Rex Siciliæ & Hieruſalem, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuę, Prouinciæ & Folcalquerii ac Pedimontis Comes, necnon almæ Vrbis Senator per Sanctam Roman. Eccleſ. conſtitutus, Nobilibus viris centum equitibus, qui ex comitiua chariſſimi fratris noſtri Petri Copitis Eboli, remanebunt in vrbe, devotis & fidelibus ſuis gratiam ſuam, &c.

*Deuotionem veſtram requirimus & hortamur, nihilominus iniungentes, quatenus nobili viro Poncello de filiis Vrſi de Vrbe, vices noſtras in Vrbe gerenti, in omnibus his de quibus pro fauorabili adminiſtratione dicti Senatus officij, vice noſtri vos duxerit requirendos efficaciter aſſiſtatis, & debita promptitudine faueatis. Nos enim vobis præſentium tenore promittimus, quod gagia quæ vobis pro tempore quo ſeruieritis debebuntur, vobis integraliter & infallibiliter tranſmittemus.* Datum Neapoli Anno Domini M. CCCXIII. die X. Octob. XIII. Indictione.

Quod abſolutionem Venetorum attinet, iſta eius formula quam adiungimus.

XXIX. Abſolutio ab excommunicatione et aliis Cenſuris Venetis a Clemente Pp. conceſſa.

Clemens Papa V. Dilectis filiis Ioanni Duci, & Conſilio, ac communi Venetiarum Caſtellanen. Diœceſis. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Dedit nobis Dominus linguam eruditam, vt eum ſuſtentare ſciamus, qui lapſus eſt verbo. Lapſum quidem populum & errantem propitiante Domino ſuſtentamus, cum illum per adiutorium continemus, & ab infirmis peccatorum erigimus ad ſalutem. quoniam hæc eſt cordis Apoſtolici requies, & hoc refrigerium mentis noſtræ, vt ei qui cunctorum eſt Dominus, quique gentes in hæreditatem accepit & noſtræ vigilantiæ miniſterium deputauit ad dandam ſalutis ſcientiam plebi ſuæ, reddamus acceptabilem populum, bonorum operum ſectatorem, & ſicut ornamento decoris fidelium turbis inclyta ſponſa Chriſti mater Eccleſia veſtiatur. Ab ornamenti quidem huiuſmodi compoſitione mirabili, cui mentes noſtras diuini amoris charitas iunxerat, vos &*

quondam Petrum Gradenico olim Ducem Venetiarum prædeceſſorem tuum, fili Dux, dum adhuc eum in carne præſens ſeculum retineret, Leuiathan ille verſutus hoſtis, coluber tortuoſus, qui etiam viros ſanctitatis claritate fulgentes quaſi lutum vitiis inquinando ſubſternit, ſui flatus peſtiferi vento ſecernens, adeo prudentiam vos & ipſum abiicere, ſicque à veſtris & ipſius cordibus exulare cõſilium fellita perſuaſione coegit, quod ab eiuſdem Eccleſiæ piiſſimæ matris veſtræ dulciſſimis vberibus decidentes, ad iura illius, in vobis olla ſuccenſa deſideriorum ſæcularium, auidas manus extendiſtis improuide, & poſt ciuitatem noſtram Ferrarienſem, peculiarem Eccleſiæ ipſius Cameram & ſpeciale peculium, per vos & eum ad illam veſtro & ſuo dominio ſubiugandam, duris inſultibus impugnatam, Caſtrum ſeu fortalitium noſtrum Thedaldi eidem Ciuitati contiguum, Burgum Ciuitatis ipſius, Pontem ſuper flumen Padi iuxta Ciuitatem eandem & Turrim prope Pontem ipſum, in noſtrã & Apoſtolicæ Sedis grauem iniuriam & contemptum, ac totius prouinciæ ſcandalum occupaſtis, aliquandiu facientes illa per violentiam detineri: & deinde in Ciuitatem ipſam, eiuſque ciues, noſtros & Eccleſiæ præfatæ fideles, quaſi flamma vorax, furore indignationis accenſi deteſtandis auſibus irruentes, & eis durioris inſultus vexatis anguſtiis, ſceleſtiſque actibus data licentia quamplures domos, & nauigium Ciuitatis eiuſdem concremaſtis incendio, & graſſantibus gladiis, relaxatis habenis ſæua quorumdam veſtrum impietas neſcia parcere ſexui vel ætati, non paucos ex fidelibus ipſis, qui tranſibant ſimpliciter, conuertiſtis in bellum: Mulieres populi noſtri de ſuarum deliciarum domibus eieciſtis: eiuſdem laudationes Eccleſiæ quæ in ore paruulorum ſuorum dulciter reſonabant, abſtuliſtis immaniter ab eiſdem: Surgite, inquientes, recedite, quia hic requiem non habebitis; & nonnullos ex eis, quorum ſexus & ætas innoxia veniam potius meruiſſe debuerat, efferis animis diræ mortis ſuppliciis tradidiſtis. Nos vero, quibus bonorum & iurium Eccleſiæ ſupradictæ & defenſionis onus incumbit, huiuſmodi grauitatem exceſſuum non valentes, prout nec debebamus, etiam ſub diſſimulatione ſalua conſcientia præterire, vos & prædictum Petrum, adhuc proceſſuum & ſententiarum qui prætextu Ciuitatis eiuſdem & ex certis aliis iuſtis cauſis per dilectum filium Abbatem Monaſterij Tutellenſis, Lemouicenſis diœceſis, & magiſtrum Honuphrium de Trebis Decanum Eccleſiæ Meldenſis, Cappellanos & Nuntios noſtros contra dictum Petrum & vos & Terram veſtram Venetiarum iam habiti fuerant & etiam promulgati, notitiam non habentes, per noſtras literas requirendos & monendos duximus attentius & hortandos, vobis & eidem Petro nihilominus dantes per eaſdem litteras in mandatis, vt à quibuslibet occupationibus, moleſtiis, impugnationibus, iniuriis violentiis atque damnis Ciuitatis ipſius, eiuſque Comitatus, Territorij & Diſtrictus, & perſonarum ipſorum per vos & alios ceſſantes omnino, Caſtrum ſeu fortalitium, Burgum, Pontem, & Turrim prædictam, & quælibet alia bona & iura quæ dictam ciuitatem Ferrarienſem quomodolibet contingebant, Abbati & Decano præfatis, vel ipſorum alteri, aut alij, vel aliis iuxta mandatum ipſorum, vel alterius eorundem, omnibus reuocatis expreſſe, per quos illa faciebatis tunc temporis detineri, vacua, libera & expedita penitus infra certi temporis ſpatium in eiſdem expreſſum litteris dimittentes totaliter, & ipſos quolibet impedimento ſublato, noſtro & Eccleſiæ prædictæ nomine permittentes illorum pacifica & quieta poſſeſſione gaudere, nullam ſuper eis nobis & eidem Eccleſiæ ac præfatis Nuntiis ex tunc in poſterum moleſtiam illaturi: aperte vobis & dicto Petro per litteras prædicentes eaſdem, quod ſi forſan huiuſmodi non acquieſceretis monitis, exhortationibus & mandatis, contra vos procederemus prout nobis videretur expediens iuſtitia mediante: Et demum vt de noſtra & Apoſtolicæ Sedis manſuetudine copioſa vobis plenius appareret, per venerabiles fratres noſtros Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui de Terra veſtra prædicta originem traxiſſe dignoſcitur, & quem paulo ante ad precum veſtrarum inſtantiam & ſuis exigentibus meritis in Patriarcham & Paſtorem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ deliberatio noſtra præfecerat, necnon & per Archiepiſcopum Rauennatenſem, & . . . . . Caſtellanen. loci Diœceſanum, ac . . . . . . Ferrarienſem, & . . . . . . Paduanum Epiſcopos, vobis vicinum, & chariſſimum in Chriſto filios noſtros Robertum Siciliæ, & Fridericum Trinacriæ Reges illuſtres, in quorum terris & regnis nonnulli ex vobis negotiationes & mercimonia exercentes diuerſimode morabantur, & quamplures alios Prælatos, & etiã Nuntios antedictos, & nonnullos Religioſos viros ſuper iis cum efficacia multa & inſtantia paternæ dulcedinis requiri & induci fecimus, & etiam exhortari: ſed dictus Petrus & vos nedum quod requiſitionibus, inductionibus, & exhortationibus noſtris huiuſmodi deuotum præbuiſſetis, vt debebatis, auditum, aut veſtrum conuerteretis ad illa promptis mentibus intellectum, immo potius currum aſcendentes ſuperbiæ Pharaonis, & per huiuſmodi aſcenſionis faſtum ad nauigandum ſperantes terræ latitudinem vniuerſæ, ac peragrandum pelagus noui conatus obſtinatione deducere, ea irreuerentibus animis ſuſcepiſtis, & ſubſequenter Ciuitatem ac Nuncios antedictos, qui eam & Comitatum ac Diſtrictum eoſdem cum omni iuriſdictione, iuribus & pertinentiis ſuis noſtro & ipſius Eccleſiæ Romanæ nomine poſſidebant, ipſorumque Ciuitatis, Comitatus, & Diſtrictus, ciues, habitatores, & homines, per terram & aquam exercitu valido congregato, cum machinis, baliſtis, aliiſque diuerſis miſſilibus, & variis impugnationum generibus, ac ſi dies ſubuerſionis & interitionis aduenıſſet ipſorum, terribilis coarctaſtis impugnationis anguſtiis, & Monaſteriis, Eccleſiis, & aliis piis locis armata contra ipſa impietate, crudeliter non parcentes, ac Ciuitate, Comitatu ac Diſtrictu prædictis expoſitis vaſtitati, nonnullas ipſorum domos flammarum incendiis, quam plures prædictarum ictibus machinarum, & multas diuerſis aquarum decurſibus tamquam præuaricatorum cœtus caſui deſolationis miſerabili ſubieciſtis. & tandem Ciuitatem ipſam cum illo immitiſſimo Rege, qui cupiditatis ſuæ prædam exquirens, vineam Prophetæ cruore poſſedit, vos auaritia ſtimulante ingreſſi fuiſtis hoſtiliter & potenter: Palatium quoque noſtrum in eadem poſitum Ciuitate, & iuriſdictionem ac dominium Ciuitatis, Comitatus, & Diſtrictus, ac Territorij prædictorum ad nos & eandem Eccleſiam pleno iure ſpectantia inuaſiſtis indebite, & aliquandiu detinere per violentiam præſumpſiſtis, ciues Ciuitatis ipſius quamuis in hac parte vobis contradictores exiſterent, & de iure noſtro & eiuſdem Eccleſiæ Romanæ fuiſſent publice proteſtati, ditioni veſtræ de facto ſubiicientes, ac etiam ſeruituti: & Poteſtatem ac Officiales alios, qui nomine veſtro Ciuitatem, Comitatum & Diſtrictum, ſeu Territorium regerent ſapectos, præfatis Nuntiis ac Poteſtati, Capitaneo, aliiſque officialibus noſtris, qui noſtro & Eccleſiæ præfatæ nomine Ciuitatis, Comitatus & Diſtrictus ſiue Territorij prædictorum regimini præſidebant, excluſis protinus ab eiſdem, conſtituiſtis ibidem pro veſtræ libito voluntatis: per hæc nos & prædictam Eccleſiam, ipſoſque Nuntios & officiales Ciuitatis, Comitatus ac Diſtrictus ſiue Territorij prædictorum, ipſorumque iuriſdictione ac iuribus aliis & pertinentiis eorumdem, & eorum poſſeſſione vel quaſi, temere ſpoliando. Propter quod nos in die Cœnæ Domini tunc ſequenti, aſtante fidelium multitudine copioſa, præfatum Petrum, & te Ioannem Ducem præfatum, qui tunc eras vnus de prædicto Communi, quipque per aliquod tunc præcedens tempus te geſſeras nominatim, ac Vitalem Michaelis de ipſa Terra Venetiarum, qui Ciuitatis eiuſdem tunc temporis ſe pro Poteſtate gerebat, ac vos vniuerſos & ſingulos, omneſque alios qui auctoritate vel nomine veſtro in Ciuitate, Comitatu, ſeu Diſtrictu & Territorio ſupradictis, ſeu parte ipſorum Capitaneatus, vel aliud quodcunque geſſerant, vel tunc gerebant officium, & illos etiam qui Ciuitatem, Comitatum, Territorium, & Diſtrictum, Caſtrum ſeu fortalitium Thedaldi, Pontem, Turrim ac Palatium ſupradicta in totum vel in partem, per ſe vel per alios præter noſtram, vel dictorum Nuntiorum voluntatem detinuerant, vel etiam detinebant, & omnes alios qui prædictas occupationes ſpoliationem ſeu ſpoliationes, deprædationes, moleſtias, iniurias, violentias per ſe vel per alios fecerant, aut fieri mandauerant, ſeu factas, ratas habuerant, ſiue ad faciendum dederant auxilium, conſilium vel fauorem publicum, vel occultum, per noſtros proceſſus publice monuimus, & attentius fuimus exhortati, dicto Petro, ac vobis & eis diſtricte mandantes, quod ipſi, tu Ioannes, voſque Commune & Vitalis prædicti, & omnes alii & ſinguli qui pro vobis in dictis Ciuitate, Comitatu, Diſtrictu & Territorio





morabantur, ipſos Ciuitatem, Comitatum & Diſtrictum, ſeu Territorium, Caſtrum ſeu fortalitium, Palatium, Pontem, & Turrim prædictam cum iuribus & pertinentiis ſupradictis, aliaque bona & iura, quæ dictos ciuitatem, & Comitatum & Diſtrictum ac Territorium quomodolibet contingebant, reuocatis & excluſis omnibus per quos detinebatis, eadem prædictis Abbati & Decano, vel eorum alteri, aut alij vel aliis ad hoc ab eis, vel eorum altero deputando, vel etiam deputandis, infra XXX. dierum ſpatium, poſtquam huiuſmodi mandatum noſtrum ad ipſius PETRI & veſtram notitiam perueniſſet, ſeu per vos ſtaret quominus perueniret, vel peruenire poſſet, vacua, libera & expedita integre reſtituere, & totaliter dimittere curaretis, nullam nobis vel eis ſuper illis in poſterum turbationem, violentiam, ſeu moleſtiam illaturi, vt quolibet impedimento ſublato, Nuntij ſupradicti noſtro & Eccleſiæ præfatæ nomine, prædictorum poſſeſſione vel quaſi poſſent gaudere libere, plene, pacifice & quiete, ac nihilominus de iniuriis, moleſtiis, violentiis & damnis eiſdem nobis, & Eccleſiæ ac Nuntiis, & ciuibus, habitatoribus & hominibus ſupradictis, & cuilibet eorumdem curaretis ſatisfactionem plenariam exhibere. Et quia vos & dictus PETRVS huiuſmodi noſtris monitis & mandatis acquieſcere non curaſtis, nec etiam obedire, vos & idem PETRVS & ſinguli veſtrum excommunicationis ſententiam, cui vos & ipſum de Fratrum noſtrorum conſilio ſubiacere voluimus, & à qua præterquam à nobis vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, niſi dumtaxat in mortis articulo, non poſſetis abſolutionis obtinere beneficium, incurriſtis. Super qua quidem ſententia duximus declarandum, quod ſi aliquem ab ipſa in eodem mortis articulo abſolui contingeret, licet ſatis ſuper hoc eſſet de iure prouiſum, ne tamen aliquis prætextu ignorantiæ iuris excuſare ſe poſſet niſi in eodem abſolutionis articulo quamprimum commode poſſet, poſtquam ad conualeſcentiam perueniret, ſuper reſtitutione ac dimiſſione, & aliis ſupradictis plenam ſatisfactionem impenderet, eandem excommunicationis ſententiam reincideret ipſo facto. Ciuitatem quoque Caſtellanenſ. & Terram veſtram Venetiarum ac vos, commune ſiue Vniuerſitatem veſtram, aliaſque Terras, Caſtra, Ciuitates, Villas, loca, & Vniuerſitates vobis & eidem Terræ Venetiarum ſubiectas, & etiam participantes vobiſcum, in pœnam veſtram Eccleſiaſtico ſubiecimus Interdicto. Et quia vtilius eſurienti panis tollitur, quam ſi de cibo ſecurus iuſtitiam vilipendat, eo caſu vobis communionem, participationem & commercium quorumlibet CHRSTI fidelium, ita quod nullus vobis bladum, vinum, carnes, pannos, ligna, vel quaſcumque res alias aut merces deferre, portare, ſeu vendere, ſiue quocunque alio modo in vos transferre, aut à vobis emere, vel delationem, venditionem, tranſlationem & emptionem huiuſmodi ſi prohibere poſſet, ſuſtinere præſumeret, ex tunc interdiximus, & penitus duximus prohibendum. In omnes contra Interdictum & prohibitionem huiuſmodi venientes, ſi perſona ſingularis exiſteret, quantacumque dignitate fulgeret, excommunicationis, ſi vero Ciuitas, Caſtrum, villa, aut Vniuerſitas foret, Interdicti ſententiam incurrerent ipſo facto, à qua videlicet excommunicationis ſententia nullus ab alio quam à nobis vel ſucceſſoribus antedictis, niſi dumtaxat in prædicto mortis articulo poſſet abſolui, prout in alio caſu ſuperius eſt expreſſum. Et inſuper quia beneficia propter ingratitudinem merito reuocantur, vos ſeu Vniuerſitatem veſtram, ac Terram Venetiarum, & dictum PETRVM, & omnes alios & ſingulos ſupradictos omnibus priuilegiis, libertatibus, immunitatibus realibus & perſonalibus vobis & ipſi PETRO ac eiſdem Vniuerſitati & Terræ ab Apoſtolica Sede ſub quacunque verborum forma conceſſis, feudis quoque ac bonis quæ à Romana vel aliis quibuſcumque tenebatis Eccleſiis, ex tunc auctoritate Apoſtolica ſententiando priuantes, vaſallos & homines vobis & eidem PETRO & dictæ Terræ veſtræ ſubiectos à iuramento ac fidelitate & obligatione quacumque, quibus vobis & eidem PETRO ac ipſi Terræ veſtræ quomodolibet tenebantur, duximus abſoluendos: volentes & auctoritate præfata ſtatuentes, quod ex tunc eſſetis infames, ita quod nec ad teſtimonium nec ad alios legitimos actus poſſetis admitti, eſſetis etiam inteſtabiles, vt nec poſſetis condere teſtamentum, nec ex teſtamento, vel ab inteſtato admitteremini ad ſucceſſionem aliquatenus cuiuſcumque. Nullus quoque vobis & dicto PETRO ſupra quocumque negotio, ſed vos aliis cogeremini reſpondere. Cauſæ vero ad veſtram, ſeu dicti PETRI audientiam, ſi iuriſdictionem aliquam haberetis, nullatenus perferrentur, nec veſtri aut ipſius PETRI valerent ſententiæ vel proceſſus. Nullus quoque vobis, aut dicto PETRO in quacumque cauſa vel negotio patrocinium præſtare præſumeret nec vos aut ipſe ad patrocinandum aliis admitteremini quoquomodo: & ſi qui ex vobis officium Tabellionatus haberent, inſtrumenta confecta per ipſos aliquatenus non valerent. Filij quidem & nepotes veſtri vſque ad quartam generationem ad nullas admitterentur, dignitates, vel beneficia, ſeu officia Eccleſiaſtica, aut honores Eccleſiaſticos vel mundanos: quod ſi ſecus actum exiſteret, illud carere voluimus omni robore firmitatis. Præterea in pœnam veſtram & ipſius PETRI, dicto Epiſcopo Caſtellanenſ. & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Canonicis, Monachis, & vniuerſis & ſingulis Prædicatorum, Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, Fratrum etiam Carmelitarum, & aliorum quorumcumque Ordinum, & Religioſorum Prioribus, Miniſtris, Cuſtodibus, Guardianis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis tam ſecularibus quam regularibus, quibuſcumque nominibus cenſerentur, in ciuitate Caſtellana, ſeu Terra Venetiarum præfatis, vel circa ipſas ad decem milliaria commorantibus diſtricte præcepimus, vt infra decem dies, prædictos triginta dies immediate ſequentes, eaſdem Ciuitatem & Terram, eorumque diſtrictum exirent, ibidem nullatenus reuerſuri donec vos dictumque PETRVM Sedis Apoſtolicæ gratiam obtinere contingeret, ipſique à nobis aliud reciperent in mandatis: contrarium vero facientes, excommunicationis ſententiam incurrerent ipſo facto, à qua præterquam à nobis vel à noſtris ſucceſſoribus præfatis, niſi dumtaxat in mortis articulo, non poſſent abſolui, ſicut in aliis caſibus exprimitur antedictis, quocumque priuilegio non obſtante. Conceſſimus tamen eis quod in Eccleſiis & domibus eorundem, duo, tres, ſeu quatuor vel quinque aut ſex, iuxta magnitudinem ſeu modicitatem Eccleſiarum vel domorum ipſarum, conuerſi & illiterati, vel Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti, nec non & in parochialibus Eccleſiis Parochiales Presbyteri pro miniſtrando Baptiſmate paruulorum, pœnitentiis morientium, & aliis Sacramentis Eccleſiaſticis, quæ miniſtrantur tempore Interdicti, de iure poſſent licite remanere. Quod ſi forte vos & dictus PETRVS per XXX. dies prædictos alios triginta dies immediate ſequentes, perſiſteretis in contumacia ſupradicta, præfatum PETRVM à dignitate Ducatus, ac vos & alios ſupradictos, & veſtrum & eorum ſingulos in dignitatibus ſeu officiis publicis conſtitutos, ab ipſis dignitatibus & officiis ex tunc per ſententiam noſtram deponendos duximus, & etiam remouendos: ac vos & eundem PETRVM inhabiles reddidimus ad illa, & quæcumque alia officia, publica conſilia, & honores in poſterum obtinenda: veſtraque bona mobilia & immobilia confiſcauimus de fratrum conſilio prædictorum, ac perſonas veſtras expoſuimus fidelibus capiendas, vt capientium fieretis ſerui, bonaque ipſa videlicet mobilia conceſſimus quibuſcumque ex eiſdem fidelibus occupanda: bonorum autem immobilium quæ vos & PETRVS prædictus & ſingulares eiuſdem Terræ veſtræ perſonæ in eadem Terra ac Romanæ & quibuſcumque aliis partibus habebatis, diſpoſitione & ordinatione nobis & eiſdem ſucceſſoribus noſtris ſpecialiter reſeruatis. Quod ſi dictus PETRVS, voſque IOANNES & Commune, ac Vitalis & alij ſupradicti, & quiuis alij moleſtias, iniurias, offenſas, violentias, deprædationes, incendia, homicidia, ſeu maleficia ſupradicta contra nos & Romanæ Eccleſiæ Nuntios, ciues, habitatores, homines, fideles præfatos, committentes vel etiam perpetrantes, ſeu ad illa comittenda vel facienda dantes auxilium, conſilium, vel fauorem, infra tres menſes à tempore quo prædictum mandatum noſtrum ad veſtram & eorum ac ipſius PETRI notitiam perueniret, vel per vos aut eos ſtaret quominus perueniret, ſeu peruenire poſſet, computandos, nobis & eidem Eccleſiæ Romanæ, Nuntiis, ciuibus, habitatoribus, hominibus, & fidelibus ſupradictis ſuper præmiſſis non impenderetis ſatisfactionem plenariam: nec non & quicumque vobiſcum contumacia ſupradicta durant

*confœderationem, ſocietatem, colligationem ſeu ligam quaſcumque faceret vel iniret, ſiue in detentione Ciuitatis & Comitatus, diſtrictus ſeu Territorij prædictorum, vel quominus idem Petrus, ac vos & alij ſupradicti nobis & eidem Eccleſiæ Romanæ, ac Nuntiis, ciuibus, habitatoribus, hominibus & fidelibus ſæpedictis de Ciuitate, Comitatu, Diſtrictu ac Territorio, iuribus & pertinentiis, iniuriis, damnis & violentiis antedictis reſtitutionem & ſatiſfactionem plenariam faceretis, vobis daret auxilium conſilium vel fauorem directe, vel etiam indirecte, publice vel occulte, ſi perſonæ ſingulares quantacumque dignitate fulgerent, anathematis, ſi vero Ciuitas, Caſtrum aut Villa, Vniuerſitas, ſeu Collegium, vel communitas foret, incurrerent Interdicti ſententias ipſo facto, à quibus vel eorum aliqua nullus abſolutionem, remotionem, ſeu relaxationem poſſet, præterquam ab eadem excommunicatione in eodem mortis duntaxat articulo, vt in caſibus antedictis exprimitur, obtinere. Colligationes autem, confœderationes, pactiones, conuentiones, ſocietates, ſubmiſſiones & obligationes quaſcumque inter vos & dictum PETRVM, ac vniuerſitatem ſeu Commune dictæ ciuitatis Ferrarienſis, aut Ciuitates alias ſiue Vniuerſitates, vel communitates quaſcunque factas, etiamſi eſſent promiſſione, iuramento, pœnarum adiectione, vel alia quauis firmitate vallatæ, annullauimus, caſſauimus & irritauimus penitus, & haberi voluimus pro infectis: Decernetes vt ſi quis dominium aliquod habens vel regimen, infra tempus ſui regiminis eaſdem pœnas vel ſententias aut eorum aliquam ſuſtineret, quaſi poſt tempus ipſum non eſſet ad ſatisfactionis debitum compellendus, eum qui ſatiſfacere recuſaret, & ſucceſſorem ipſius in dominio vel regimine ſupradictis, ſi infra quindecim dierum ſpatium ſatisfacere forſitan non curaret, manere ſententiis & pœnis eiuſdem incluſum, & in omnibus alligatum. Et ſubſequenter veſtra contumacia excreſcente, dictos proceſſus & ſententias contra vos ac dictum PETRVM, ac eamdem Terram veſtram Venetiarum, auctoritate præfata diuerſis modis duximus aggrauandos. Et inſuper dilectus filius noſter Arnaldus ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis tunc in partibus illis Legationis fungens officio, ac Nuntij ſupradicti per ſe & alios, præter huiuſmodi noſtros, diuerſos alios proceſſus & ſententias contra vos & dictum PETRVM & eamdem Terram veſtram Venetiarum præmiſſorum occaſione ante & poſt eoſdem proceſſus noſtros diuerſis temporibus habuerunt & promulgarunt, ac ipſas etiam ſententias aggrauarunt, prout in eiſdem noſtris & Cardinalis ac Nunciorum præfatorum proceſſibus & literis plenius continetur: quos, vt cum illis de quibus ſcriptum eſt, Percuſſiſti eos, & non doluerunt, attriuiſti, & noluerunt recipere diſciplinam, in vobis inſenſibilitatis proprietas notaretur animis ſuſtinuiſtis diutius induratis. Sed poſtmodum DEVS & pater luminum, miſericordiarum Dominus, inſenſibilitatis præfatæ duritiam rore ſuæ infuſionis emolliens, voſque de tenebris vocans in delectabile lumen ſuum, ſic cordium veſtrorum oculos illuſtrauit, quod deuota pœnitudine ducti ad eiuſdem Eccleſiæ ſuæ gremium ſaniori directi conſilio rediſtis, & per dilectum filium nobilem virum Franciſcum Danduli, & quondam Carolum Quirini de prædicta Terra Venetiarum adhuc viuentem, veſtros & dicti Petri Syndicos & Procuratores ad hæc pro vobis & eodem PETRO & toto Diſtrictu veſtro, ſingulis perſonis ipſius, dictiſque ſubditis & fidelibus veſtris plenum & ſufficiens à vobis & ab eo mandatum habentes, quos propter hæc ad Sedem Apoſtolicam deſtinaſtis, ſuper prædictis exceſſibus, iniuriis, damnis, & violentiis, occupationibus, ſpoliatione, ſeu ſpoliationibus, deprædationibus & moleſtiis, ac omnibus aliis & ſingulis ſupradictis noſtram & eiuſdem Sedis gratiam & miſericordiam imploraſtis humiliter, & cum multa reuerentiæ & deuotionis ſupplicaſtis inſtantia, quod vos & alios dictis ligatos ſententiis ab eiſdem abſoluere, dictoſque relaxare proceſſus, & pœnas remittere dignaremur, ſe pro vobis PETRO ac aliis ſupradictis, quorum nomine Procuratores erant & Syndici, vt prædicitur conſtituti, ſuper eiſdem exceſſibus, iniuriis volentiis atque damnis, occupationibus, ſpoliatione, ſeu ſpoliationibus, deprædationibus, moleſtiis, & omnibus aliis ſupradictis, & eorum quolibet, noſtris & Eccleſiæ prædictæ ſtare & parere mandatis & beneplacitis offerentes: Et tandem in noſtra & Fratrum prædictorum præſentia in Conſiſtorio publico, Clericorum & laicorum adſtante copioſa multitudine conſtituti, in vtras & PETRI, ac aliorum animas præfatorum ſuper his iuramentum ſuper ſancta DEI Euangelia ab eiſdem tacta corporaliter præſtiterunt: & licet PETRVS præfatus poſtmodum deceſſiſſet, dictus tamen Franciſcus Sindicus, te Ioanne Duce præfato ad huiuſmodi Ducatus dignitatem aſſumpto, ab inſtantia huiuſmodi ſupplicationis non deſtitit, ſed continue apud Sedem Apoſtolicam moram trahens, ſuper præmiſſis pro vobis Ioanne Duce ac Conſilio & Commune & aliis antedictis noſtram & Eccleſiæ præfatæ gratiam & miſericordiam vt prius ſuppliciter implorauit. Nos vero qui talem noſtri clementiſſimi Saluatoris, cuius tenemus vices in terris, erga filios hominum nouimus pietatem, vt nedum quod ipſe, qui vt miſereretur omnibus, concluſit omnia ſub peccato, in puritate cordis deſpiciat pœnitentes, verum etiam ipſos cum de profundo malorum ad viam redeunt veritatis, deſuper abundanti miſerationum ſuarum multitudine ſuſcipit, nec eos quantumuis exiguæ conuerſionis mercede patitur vacuari, veſtigiis inhærentes, & illius cœleſtis patris familias, qui de regione longinqua filio redeunti miſericordiæ motus occurrens, deſideranter in oſcula prorupit, illius exemplis ſalutaribus moniti, & diuinis inſtitutionibus informati, vobis, quamuis grauitas exceſſuum prædictorum grandium pœnarum acerbitatem inportet eiuſdem matris Eccleſiæ brachia liberaliter aperimus, in amplexus & oſcula filialis dilectionis occurrimus, vbiſque ſtola prima munda & nitida renouatis, Franciſcum Sindicum ſupradictum in veſtros & veſtrum ſingulorum ſubditorum ac fidelium, & Vitalis prædictorum, & vniuſcuiuſque veſtrum, & ipſorum perſonas, etiam ſi perſonæ Eccleſiaſticæ forent, à dictis excommunicationum ſententiis eadem auctoritate abſoluimus, & proceſſus omnes & ſingulos, ac pœnas, ſententias, aggrauationes per nos & Cardinalem ac Nuntios ſupradictos & quemlibet eorum, vel alium ſeu alios de mandato ipſorum, ſeu quemuis alium contra vos & Terram, fideles & ſubditos veſtros, & Clericos ipſius terræ veſtræ Venetiarum habitos, promulgatos & factas, nec non & inhabilitatis notas, quas vos & iidem fideles & ſubditi, dictæque Terræ veſtræ Venetiarum Clerici incurriſtis, ac confiſcationes de veſtris & fidelium & ſubditorum eorumdem bonis, & interdictiones contra vos & eoſdem fideles & ſubditos occaſione præmiſſorum vt prætermittitur factas, de ſpeciali gratia remittimus, tollimus, & etiam relaxamus: Voſque & eamdem Terram veſtram Venetiarum communioni, participationi, & commercio fidelium eorundem, omnibuſque priuilegiis, libertatibus, immunitatibus, feudis, iuribus & bonis immobilibus quæ habebatis in dictis Ciuitate Ferrarienſi & Diſtrictu, vel alibi, ac bonis mobilibus, quæ habetis, tenetis, vel poſſideris per vos vel per alium ſeu alios vbicunque, & honoribus habilitati, famæ ac ſtatui priſtinis, teque ſpecialiter Ducem eidem dignitati Ducatus, dictiſque priſtinis famæ ac ſtatui, honori & alias plene & in integrum reſtituimus, & reintegramus totaliter de gratia ſpeciali. Notarios quoque ipſius Terræ veſtræ per dictas noſtras ſententias Tabellionatus priuatos officio, ad ipſum officium plene reſtituimus, decernentes de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis inſtrumenta poſtmodum confecta per eos plenam obtinere roboris firmitatem. Vaſallos equidem & fideles veſtros in obligationem qua tenebantur vobis tempore proceſſuum prædictorum, reponimus & reducimus, ipſoſque illi volumus ſubiacere. Illos autem ex vobis, aut fidelibus vel ſubditis veſtris ſi quis forſitan de noſtro, aut Cardinalis, ſiue Nuntiorum prædictorum mandato vel auctoritate per quoſcunque Clericos vel laicos, Communitates, aut Vniuerſitates detineantur vbique terrarum, volumus iuxta iuris exigentiam relaxari. Cum eiſdem vero Perſonis Eccleſiaſticis, quæ contra prædictos noſtros, aut Cardinalis, ſeu Nuntiorum præfatorum & quorumlibet aliorum proceſſus ratione prædictorum quauis auctoritate habitos veniendo excommunicationis ſententiam incurrerunt, ipſaque ligati ſententia celebrando diuina, vel immiſcendo ſe illis, non tamen in contemptum clauium, irregularitatis maculam contraxerunt, ſicque ligati ſe fecerunt ad Ordines promoueri, dummodo alias rite ſtatutis à iure temporibus ad eos Ordines ſint promoti, ſuper eadem irregularitate, & quod in eiſdem Ordinibus licite valeant miniſtrare, & ad ſuperiores etiam promoueri, & qualibet Eccleſiaſtica beneficia cum cura, vel ſine cura, etiamſi Dignitates, Perſonatus, officia vel adminiſtrationes exiſtant, non obſtantibus proceſſibus & irregularitate prædictis licite valeant obtinere, eadem auctoritate Apoſtolica diſpenſamus. Clericis autem & Religioſis præfatis qui de noſtro, vt prædicitur, ſeu Cardinalis, vel Nuntiorum præfatorum, & aliorum quorumcumque Apoſtolica vel alia quauis auctoritate ſeu mandato de dictis Ciuitate Caſtellanenſ. & Terra Venetiarum vel locis, vt prædicitur, ad decem milliaria eiſdem Ciuitati & Terræ propinquis receſſerunt, redeundi ad Ciuitatem, Terram & loca prædicta, ibique vt primitus commorandi plenam licentiam elargimur. Nulli ergo, &c. noſtræ abſolutionis, remiſſionis, abolitionis, relaxationis, reſtitutionum, reintegrationis, conſtitutionis, repoſitionis, reductionis, voluntatum, diſpenſationis, & permiſſionis, &c. Si quis, &c. Datum Auinione 7. Kalend. Februarij, anno octauo.*





# CLEMENS EPISCOPVS
## SERVVS SERVORVM DEI

*Ad futuram rei memoriam.*

*Dudum contra dil. fil. Ducem, Conſilium & Commune Venetiarum Caſtellanenſ. diœceſis, & ſingulares perſonas, bona, fideles & ſubditos eorumdem propter graues exceſſus per eos contra nos & Romanam Eccleſiam & Ciuitatem noſtram Ferrarienſem commiſſos, diuerſos proceſſus habuimus, & inter alias quas in eos & ſingulares perſonas ipſorum, ac participantes cum eis, ſeu contra huiuſmodi proceſſus noſtros quomodolibet venientes protulimus, excommunicationis ſententiam duximus proferendam: volentes quod filij & nepotes ipſorum vſque ad quartam generationem eſſent inhabiles ad beneficia, & dignitates, perſonatus, & officia Eccleſiaſtica obtinenda, nec ad aliquos admitterentur honores Eccleſiaſticos vel mundanos, decernentes irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam contingeret attentari. Demum vero nonnullæ perſonæ Eccleſiaſticæ de prædicta Terra Venetiarum contra dictos proceſſus noſtros temere venientes, & alias cum Venetis participantes eiſdem, huiuſmodi excommunicationis ſententiam incurrerunt, & ſubſequenter eadem excommunicationis ſententia ligatæ, celebrando diuina, vel immiſcendo ſe illis, irregularitatis maculam contraxiſſe noſcuntur: Cumque poſtmodum Dux, Conſilium & Commune prædicti ſaniori ducti conſilio ad noſtra & ipſius Eccleſiæ mandata humiliter redeuntes, & per nos ſuper eiſdem proceſſibus, ac excommunicationis & aliis ſententiis ſupradictis eis & participantibus eis liberatis, etiamſi participantes ipſi perſonæ Eccleſiaſticæ forent, beneficio abſolutionis impenſo, dictiſque perſonis Eccleſiaſticis ſuper huiuſmodi irregularitate diſpenſatione conceſſa ac eis & eorum ſingulis, etiamſi perſonæ Eccleſiaſticæ forent, remiſſis inhabilitatibus, quas incurriſſent prætextu proceſſuum prædictorum, pro parte Venetorum ipſorum per dil. fil. nobilem virum Franciſcum Dandoli de dicta Terra Venetiarum Syndicum & Procuratorem eorum, fuit nobis cum multa inſtantia ſupplicatum, vt perſonis Eccleſiaſticis antedictis, quoad retentionem beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ ipſis durantibus proceſſibus, ſententiis, irregularitate, & inhabilitate prædictis collata fuerunt ſubuenire de Apoſtolicæ prouiſionis remedio dignaremur. Nos igitur eorum ſupplicationibus inclinati, eiſdem perſonis, & earum ſingulis prædicta beneficia, etiamſi Dignitates, Perſonatus, vel officia cum cura vel ſine cura fuerint, cum omnibus iuribus & pertinentiis ſuis, dummodo alias eis collata, vel perſonæ ipſæ ad præſentationem aliorum, qui ius in eis præſentandi habere noſcuntur, inſtitutæ canonice fuerint in eiſdem, de nouo Apoſtolica auctoritate confirmus, & de illis etiam prouidemus. Electiones autem & poſtulationes, ſi quæ de perſonis eiſdem vel aliquibus earumdem ad beneficia Eccleſiaſtica, Dignitates, Perſonatus vel officia, ad quæ perſonæ quæ illis præficiuntur, interdum conſueuerunt, per electionem aſſumi etiamſi dignitates Pontificales exiſtant, & in locis forſan interdictis, dum tamen alias ſint iuxta ſanctiones Canonicas celebratæ, & quidquid in eis vel ob eas ſecutum eſt illam habere decernimus roboris firmitatem, quam haberent ſi perſonæ ipſæ tempore dictarum electionum & poſtulationum ligatæ proceſſibus & ſententiis excommunicationis & irregularitate prædictis, & ad illa recipienda inhabiles non fuiſſent, nec extitiſſent in locis interdictis electiones & poſtulationes huiuſmodi celebratæ, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper eiſdem per nos collatis beneficiis, dignitatibus, perſonatibus & officiis à quoquam ſcienter vel ignoranter quauis auctoritate contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus contrariis Eccleſiarum, in quibus huiuſmodi beneficia, dignitates vel perſonatus ſeu officia per nos vt præmittitur, collata fuerint iuramento, confirmatione Sedis Apoſtolicæ, ſeu quacumque firmitate alia roboratis, aut ſi aliqui ſuper prouiſionibus ſibi faciendis de Dignitatibus vel Perſonatibus, ſeu officiis & beneficiis Eccleſiaſticis in dictis Eccleſiis ſpeciales vel in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum eius literas impetrauerint, et tamſi per eas ad inhibitiones, reſeruationem & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum: quibus omnibus in aſſecutione Dignitatum, Perſonatuum, Officiorum & beneficiorum huiuſmodi perſonas prædictas volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem aliorum Dignitatum, vel Perſonatuum, ſeu officiorum ac beneficiorum præiudicium generari, ſeu ſi locorum Ordinariis & Capitulis præfatarum Eccleſiarum vel quibuſuis aliis communiter vel diuiſim à prædicta ſit Sede indultum, quod ad receptionem vel prouiſionem alicuius minime teneantur, & ad id compelli non poſſint, quodque de Dignitatibus vel Perſonatibus, ſeu Officiis ac beneficiis earumdem Eccleſiarum, & aliis ad eorum collationem vel prouiſionem ſeu præſentationem, aut quamcumque aliam diſpoſitionem coniunctim vel ſeparatim ſpectantibus nullus valeat prouideri per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, & qualibet alia prædictæ Sedis indulgentia generali vel ſpeciali, cuiuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, effectus huiuſmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cuiuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. aut ſi perſonæ prædictæ præſentes non fuerint ad præſtandum de obſeruandis ſtatutis & conſuetudinibus prædictarum Eccleſiarum ſolitum iuramentum, dummodo in abſentia ſua per procuratores idoneos, & cum ad Eccleſias ipſas acceſſerint corporaliter illud præſtetur. Nulli ergo, &c. collationis prouiſionis, & conſtitutionis, &c. Datum Auinione 7. Kal. Februarij, anno octauo.*

XXX. Mira inuentio imaginis B. Mariæ Virginis miraculis clariſſimæ.

Per id temporis, in Hiſpaniis, Alfonſo Caſtellæ X. hoc nomine regnante, apud Guadalupenſes reperta eſt imago Diuæ Deiparentis Mariæ, innumerabilibus miraculis illuſtris. Fama eſt, Diuum Leandrum Hiſpalenſem Archiepiſcopum, à D. Greg. Magn. Romanorum Pontifice, munus vna cum Commentariis in Iobum accepiſſe, & apud Clerum ac populum ſolemni pompa ſuſceptam, maximo deinceps in honore fuiſſe. Pii aliquot incolæ Hiſpalenſes, Saracenorum Mahometanorum ſæuitiam fugientes, eam ne ludibrio illis foret ſecum detulerant, & in eo antro Guadalupenſi condiderant, vna cum libro hiſtoriam rei continente, & campana ære fuſa. Sexcentis fere annis hæc imago, in eo antro obturato delituit, donec ſacratiſſimæ virgini placuit hunc in modum reuelare. Boarius aliquis qui vrbem Cacerenſem incolebat, vaccam amiſerat. Eam cum per ſaltum inuium quærens erraret, tandem in loco vbi nunc templum conditum eſt reperit: ſed mortuam. Cultro exerto pellem detrahere volebat, & iam ſeminudauerat, cum per miraculum animal reuiuiſcens ſurrexit, magnoque metu Boarium ex ingenti admiratione perculſit. Sed tamen in momento ad ſe reuerſus, Diuam Deiparam magno ſplendore illuſtrem, oculis ſuis præſentem aſpexit, quæ metum excuteret, diceretque, ne timeret. Adiecit Virgo ſanctiſſima præcipiens Boario: *Ad vrbem*, inquit, *continuo perge, & clerum conuoca, vt huc venientes terram fodiant: & imaginem meam dubio procul inuenient.* Subiungenti boario: *Quid ſi verbis meis fidem adhibere noluerint?* Virgo Deiparens ſubiecit. *Perge confidenter. Nam quando ad domum tuam perueneris, filium tuum quem mortuum inuenies ad vitam*

*redire iubebis, iſtudq; ſignũ dabis, vera eſſe quæ reuelo.* Iuit boarius: Senatum, Clerum, ac populum Cacerenſem conuocauit: viſionem quemadmodũ aſpexerat, quæue audierat renunciauit: filium fatis functum vitæ reſtituit, adq; imaginem tantopere deſideratam refodiendam, eos omnes qui ad miraculum conuenerant adduxit. In loco deſignato fodientes, in antro reſerato, iconã Diuæ Reginæ Cœlorum Mariæ, vna cum libro & cãpana repererunt: omnia adeo integra & illæſa, atq; ſi die eodem repoſita fuiſſent. Ibi Ciues in lætitiam effuſi, poſtquam Diuam Deiparentem votis ſupplicibus adoraſſent, arã ei extemporariam extruxerunt. Alfonſus poſtea & Ioannes Rex tẽplum magnificẽtiſſimum extruxit, tribus magnis fornicib. tectum, grata Symmetria partium inſigne. In eius ara maxima ingens ſtatuarum ſacrarum ordo conſpicitur, inter quas media eſt Deiparæ Virginis imago, quæ grato aſpectu & maieſtate, tum amorem, tum reuerentiam in aſpectu intuentium nullo negotio conciliat. Miraculorum nullus eſt numerus, quæ apud eam imaginem, ope Diuæ Deiparæ, Deus patrauit. Pendentia ex parietibus templi, feretra mortuorum ex quibus ad vitã plurimi ſurrexerunt, fulcimenta paralyticorum & claudorum, catenæ & compedes vinctorum, aliaq; anathemata, eorũ qui ſanitatis aliquod beneficium conſequuti ſunt: tum deinde donaria pretioſa Templo oblata: peregrinorum frequentia continua ad Diuam, illam eſſe humani generis hoſpitatricem in meridiano oſtendunt, per cuius interceſſiones, vitã, incolumitatem, libertatem, & optata quæcunq; mortales nõ irrito deſiderio poſtularint. *Ex Ludouico Nunnio de reb. Hiſp. & ex Alfonſi Ciacconi fragment. rerum Hiſpanic.*

XXXI. BOSONIS CARTHVSIANI PRIORIS SANCTITAS, RES GESTÆ, VIRTVTES MIRACVLA ET OBITVS.

Circa huncannum deſiit eſſe in humanis Boſo Cartuſiæ XVI. Prior. vir magnæ ſanctitatis, magni apud Deum & homines meriti. Inter alias virtutes, manſuetudine & chatitate adeo ingenti decoratus fuit, vt tanquam vnus de numero Seraphim, fraternitatis vniuerſitatem, conuerſatione ſua ardentiſſima, in amorẽ Dei vehementius inflammaret. Satagens enim ne ab extremo occuparetur die, extremum ſibi computauit omnẽ diem. Sermo eius, & omne colloquium erat de ſacris ſcripturis aliquid ꝓponere, libenter audire, recta ſuſcipere, praua acriter conſutare, & ingenuo pudore, quid cuius eſſet, humiliter confiteri. In huncmodum cum eruditionis gloriã humiliter declinaret, eruditiſſimus habebatur: maxime q; eſſet dulcis ſermone, corde ſubmiſſus, ſtrenuus in opere, in conſilio circumſpectus, in commiſſo fidelis ac prudens. Præter alia multa, quæ ad honorem Dei & proximorum ſalutem lingua, manu, calamo frequenter elaborauit, hominẽ ſuis precib. ac meritis adhuc viuens, à morte ſuſcitauit. Cum enim Cartuſiæ fabrica quædam erigeretur, contigit aliquem hominem ex ſummo illius faſtigio in terram corruere, totoq; corpore confracto animã efflare. Hic cum ad B. Boſonem adductus fuiſſet, precib. ad Deum à Boſone pro eo effuſis, mox reſuſcitatus, & priſtinæ ſanitati redditus, ad priſtinum opus rediit, ac ſi nihil ei contigiſſet. Deniq; poſtquam in omnium virtutum cõſummatione perfectus Boſo, quinq; & triginta annos Carthuſiæ Prior præfuiſſet, in ſenectute bona ad Chriſtum migrauit. Super illius ſepultura naſcebatur herba, multis ægrotis, præſertim febricitantibus proficua: quam multi deuota fide capientes, optatæ ſanitatis beneficia conſequebantur. Proinde ruſtici illius regionis, nulla fere alia medicina in ſuis infirmitatibus vtebantur.

XXXII. PETRI FAVERII ITIDEM CARTHVSIANI SANCTITAS ET PIVS OBITVS.

Forte ex diſcipulis illius eadem tempeſtate vixit Petrus Fauerii Cartuſiæ maioris monachus, inprimis Prior ſanctæ Crucis, deinde Auenione apud ſedẽ Apoſtolicã ſui Ordinis Procurator. Quantæ ſanctitatis fuerit, in extrema illius ægritudine monſtratũ eſt. Cum n. Eccleſiaſticis Sacramentis deuote ſuſceptis, ad horã fuiſſet dimiſſus, & Sathan obiecto illi ingenti volumine, in quo piacula totius vitæ admiſſa eminebant, ad deſperationem eum adduceret, ſubito mœſtorum ſolamen, laborantium fortitudo, deſperantiumq; leuamen adfuit Deipara Maria, inenarrabili ſplendore coruſcans, & in vlnis puerum ſpecioſiſſimum geſtãs, q̃ languidũ allocuta: *Cur frater diffidis*, inquit: *Per hunc puerum, quem pulcherrimum vides, omnia tua peccata ſoluta ſunt.* Dixit hæc Beata: Satan in momento diſparuit: & ægrotãs incredibili lætitia perfuſus, melius ſperare cœpit: cum hæc nõ dormiens, ſed vigilans, die ad declinium vergẽte cõſpexiſſet. Nocte ſequenti, cum litaniã ꝓ virili recitaret, adq; eum locum veniſſet, in quo ad omnium ſanctorũ inuocationem dicitur, *Omnes ſancti orate pro nobis*, manu dextera eleuata oſtendens ſubiungit: *Omnes ſancti qui modo hic eſtis, orate pro me.* Quã poſtulationẽ, magno cum feruore iterum atq; iterum repetẽs, Spiritum Domino reddidit, & cum ſanctis qui ad morientem ꝓtegendum aduenerant, ſupernas manſiones adiuit. *Arnoldus Boſtius de viris illuſtribus, & Petrus Sutor de vita Cartuſianorum.*

XXXIII. ARNALDVS RASSACHIVS MONTIS REGALIS ARCHIEPISCOPVS COLLECTOR DECIMAR. CONSTITVITVR.

Eadem tempeſtate viuebat in Sicilia. Arnaldus Raſſachius Montis Regalis Archiepiſcopus, ad eam dignitatem non ex vi electionis, (nam Bonifacius VIII. & Benedictus XI. collationem beneficiorum ſibi reſeruatam eſſe voluerant) ſed benignitate ſedis Apoſtolicæ euectus. Huic Clemens Pontifex officium Collectoris decimarum & cenſuum, in inſulis Sicilia, Sardinia, Corſica, Candia & circumuicinis, tum in Ducatu Athenarum, partibus Achaiæ. & toto Peloponeſo pro Romana Eccleſia commiſit, aliaque in rem ſedis Apoſtolicę eidem in his ipſis prouinciis iniunxit. *Ioan. Aloyſius Lellus de Epiſc. montis regalis.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1314.
### CLEMENTIS V. PAPÆ ANNO 9. & Vltimo.

I. CATALINI PROFLIGATO CHRISTIANORVM EXERCITV ATTICAM REGIONEM INVADVNT

HAc tempeſtate, in Oriente, Catalani in Chriſtianos, tum Græcos, tum Gallici ſanguinis, Turcarum copiis auxiliaribus aucti, impie ſæuientes, etiam Gualtherum Brennam Athenarum Ducẽ: magna contra Turcos ꝓ Chriſtianis agentem occiderunt. Sperabant illi eius ſtipendia merere: at is exercitu cõparato, voluit ſuis finibus inſolentiſſimas atq; egẽtiſſimas copias, ab ingreſſu, ꝓgreſſuq; arcere. In aciem procedẽs, prælio commiſſo, occubuit. Duce ad eum modum occiſo, & exercitu internecione profligato. Catalani Athenarum vrbem & totã terram Atticã vno fere impetu cœperunt, domos, opes, vxoreſq; incolarum: & fortunis diuitiiſque Francorum per tot ſecula quã ſuis locupletati, cõnubia & affinitates nobilium Gallicę gentis mulierum ſequẽtes, quaſi in domicilium ſuum perueniſſent, neq; regionibus excluſi intra aliena arma recidiſſent, ſtabilem ſedẽ omnium rerum, & fortunarum ſuarum Athenis ipſis Atticis collocarunt. Interim etiã Imperii ſummam, nomenque, Friderico Regi Trinacriæ, detulerunt: Fridericus vero cõditione in præſentia accepta, Præfectos Vrbibus, Duces bello, qui eius nomine res gererent, dedit: deinde Guillelmo minori filio eum Principatum teſtamento legauit.

II. CLEMENS PP. MINACIBVS LITERIS IACOBVM ARAGONIÆ REGEM CATALANOS E GRACIA EIICERE PRÆCIPIT

Ea res Clemẽtem Pontificem Max. excitauit, vt minacibus ad Regẽ Aragonium literis, ex Græcia deduci Catalanos pro Regio imperio, mandaret: q; Carolus Valeſius, eas in Peloponneſo Vrbes, dotales ſibi eſſe oſtenderet: & incolæ nominis Chriſtiani malis omnibus à paucis latronib. opprimi ſe ſuaque, multis lachrymis, quererentur. Libet literas Pontificias adiungere.

Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. chariſſimo in Chriſto filio Iacobo Regi Aragonum illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Ab olim clamor validus, & multiplicitas querelarum de partibus Ducatus Athenarum prouenientes Apoſtolicum pulſarunt auditum; imo nos, qui ſicut in cunctorum fidelium pace quieſcimus, & tranquillitate lætamur, ſic in eorum inquietudine, & oppreſſionibus, quas peſtilentia inducit hoſtilitas, multum offendimur, grauiſſime in intimis perturbarunt. Habet enim eiuſdem clamo-*



*clamoris iam pluribus annis præteritis continuata, & accumulãs mala malis aſſertio: quod nõnulli, qui olim ad partes illas credebãtur in fauorem fidelium acceſſiſſe, & à quib. ſpectabantur eorumdem fidelium partes defendi, non exercẽtes eorum vires in exteros, ſed in Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, eoſdemq; fideles, pro dolor, conuertentes, in propria Catholicorum viſcera immiſericordi crudelitate deſæuiunt: & in Eccleſias, ac fideles eoſdem eorum conatus illicitos exercentes, eiſdem grauioris depopulationis iacturam, & crudelem hoſtilitatis inſultus, non abſq; perſonarũ excidiis, ac Eccleſiarum, & bonorũ Eccleſiaſticorum, & fideliũ illarũ partiũ incendiis, ſpoliis, & deprædationib. inferunt: quã fuiſſent, quantumlibet peruerſi hoſtes fidei eiſdẽ fidelib. illaturi: & q; horribilius eſt, vt licẽtius poſſent mala huiuſmodi perpetrare, ſocietatẽ ad inuicem contraxerunt: ex quorum quidẽ conſortio, quot horrenda peruenerint ſtatus illarum partium miſerabilis manifeſtat. Nam inter innumeroſa ſcelera, quæ in illis partib. perpetrarunt, quondam Gualterium de Brenna Ducem Athenarum, qui ad defenſionem dictorum fidelium, tanquam Chriſti verus athleta, & fidelis pugil Eccleſiæ, aduerſus Græcos Schiſmaticos laborabat, nequiter occiderunt, filios eius pupillos & nobilem mulierem Iohannam de Caſtellione relictam eius viduam hoſtiliter impugnãtes, bona eorum, & Eccleſiarum, ac pſonarum Eccleſiaſticarũ, multorumq; aliorum fidelium illarum partium, data in prædam, & diripientium ſpolia occuparunt: ac in perſonas, tam Eccleſiaſticas, quam alios fideles innumeros funeſtis exertis gladiis, ſtrage data, eorum ſanguinem immiſericorditer effuderunt: à quib. horrendis ſcelerib. nondum ceſſant, ſed clades cladib. continuando, hoſtilitatis execrandis incurſibus dicuntur continue cumulare. Cum itaq; maior pars ſocietatis eiuſdem de regno tuo traxiſſe dicatur originem, tibiq; ex eo quod in dicto regno maiorem partem fortunarũ ſuarum, ac filios, & propinquos, ac domicilia habere dicuntur, pariturí ſperentur, tanquam eorum Domino temporali; & tam Celſitudinis tuæ quã vniuerſorum fidelium quos fidei zelus angit, interſit huiuſmodi peſtilenti ſæuitiæ reproborum, ſolicitis ſtudiis, celerib. & opportunis remediis obuiare, ſerenitatem Regiam rogamus, & obſecramus in Domino, tibi in remiſſionẽ peccaminum iniungentes, quatenus pie conſiderans, quam ſit meritorium apud Deum, partes illas cultas fidelibus, ac tot ſolemnes Eccleſias, & alia innumera pia loca, Eccleſiaſticaſq; perſonas partiũ earundem, ab huiuſmodi peſte, & exterminio liberare: vniuerſis de Regno, & terris tuis in dicta ſocietate morantibus, ſub certis temporalib. pœnis prout Celſitudo tua expedire cognouerit, des per literas tuas in mandatis, ipſos alias ſalubrib. monitionibus, & hortationib. inducendo, vt partes illas, caſtra, terras, & villas, ac loca quæcunq;, quæ in dictis partib. fidelib. abſtulerũt, & occuparũt, & detinent occupata, Eccleſiis, & nobilibus, aliiſq; fidelib. illarũ partium, quorũ eſſe noſcuntur, libera & expedita dimittant: nec deinceps in præiudicium partium illarum ſocietati adhæreant ſupradictæ, ſed partes ipſas omnino dimittant: ad illas, in præiudiciũ fidelium, eas habitantium, nullatenus reuerſuri: preces huiuſmodi quas magnitudini tuæ ex corde dirigimus, ſic grato, & intento percepturus intellectu, ſicq; ad votiuæ exauditionis effectũ ſollicite, & efficaciter admiſſurus, q; præter retributionis æternæ præmium tibi exinde abſq; dubio prouenturum, tuæ in hac parte, piæ & perutilis interpoſitionis inſtantiam, innumeris proculdubio fidelium populis profuturam, dignis in Domino poſſimus proſequi actionibus gratiarum.* Dat. Montiliis Carpentoracten. diœc. 19. Kal. Febr. Pontificatus noſtri anno Nono.

Hæ Clementis Pontificis literæ, quid apud Iacobũ Aragoniũ effecerint, incertum. Certum, quod Alfonſus Friderici Regis Filius, cũ Bonifacii Veronenſis, viri ſummæ in Eubœa inſula potentiæ filiam duxiſſet, multa ſtabilitatis ſuę præſidia in ea ditione aſſerenda ſtatuerit: Meninx & Cercina inſulæ in Friderici Regis ditione ac regno, Rogerio & Carolo Rogerii Auriæ filiis, & Rogerone nepote Caroli F. mortuis permanſerint. *Surita in Indic. l. 2.*

III. EIVS OBITVS ET RES GESTÆ.

Hocanno, ad 12. Cal. Maias, Clemens V. dyſenteria, & nunc ſtomachi, nũc lateris dolore, variiſq; aliis ægritudinibus confectus, diem clauſit extremũ, Pontificatus ſui anno octauo, menſe decimo, die 15. multa præclara bono publico geſſit. Tribus ꝓmotionibus, plures viros optimos, in collegium ſacrum, ampliſſimi Purpuratorum ſenatus cooptauit. Tribus in conciliis, variis locis, ac temporibus habitis, multa ſalubriter conſtituit. Dulcini ſectam, Eccleſiaſticos, impugnantem, oppreſſit. Templariorum ordinem, multis criminibus obnoxium, rebus Syriacis non multum commodantẽ extinxit. Bonifacii anteceſſoris memoriam, ab impoſturis vindicauit, Regi Gallorum aliqua iniuſte poſtulanti, cõſtantiſſime reſtitit. In maieſtatis Põtificiæ violatores, ex legibus Eccleſiaſticis animaduertit. Baſilicã Lateranenſem incendio deformatam inſtaurauit. Pro pace Italiæ, ac iuribus Eccleſiæ, multa egit, maiora tentauit. Petrum Moroneum ex Pontificem, cœlitibus adſcripſit Rationem creandi Romani Pontificis, ex Gregorii X. formula approbauit. Tabulas legũ Eccleſiaſticarũ, libris Clementinarũ Conſtitutionũ editis, amplificauit. Contra Saracenos tũ in Syriam, tum in Inſulas Baleares, & in Hiſpanias non ſemel ſacrum bellum edixit. Rhodiorum militum vires in Oriente, amplificatione Ordinis, cõtra Turcos armauit. Pro Imperii Cõſtantinopolitani recuperatione, & Chriſtianorum in Peloponneſo oppreſſorum liberatione, magna conatus eſt, maiora cogitauit. Veneros ob Ferrariã occupatam: Florentinos, Lucenſes, & Pratenſes, ꝓpter Legatũ violatum, anathemate percuſſit, & ſacris priuos fecit. Andronicum Imperatorem Gręcorum, diris deuouit. Ioannem de Monte Ordini Minorum, Archiepiſcopũ Cambalienſem in dominio Tartarorum creauit, octoque aut nouẽ Fratres eiuſdem Ordinis Epiſcopos ſuffraganeos, ac in prædicatione Euangelii coadiutores, inter barbaras nationes Orientales, illi adiecit. Beguardorum & Beguinarum hæreſes condemnauit. Multa collegia monachorum in Aquitania, & metropolim Eccleſiam diœceſis Burdegalenſis, collegiataſq; S. Seuerini & Diui Æmiliani habitu ſeculari donauit, & Abbates in Decanos commutauit: aliaq; plura geſſit.

IV. RITVS CREANDI ROMANOS PONTIFICES AB IPSO PRÆSCRIPTVS.

Placuit hoc in loco, rationem creationis ſummi Põtificis adiũgere, ne quid à curioſo Lectore deſideretur. Eſt autem huiuſmodi. Patres cõclaue ingreſſi, diem integrum ſequentem, formandis legibus impendunt, ad ſanam Romani Põtificis adminiſtrationẽ maxime neceſſariis, quib. Patrum quiſq; ſubſcribens, iureiurando, uotoq; promittit obtemperaturũ ſe illis, ſi Pontifex factus fuerit. His peractis ſtato aliquo die comitia indicũtur. Mane a. eius diei Patres omnes induti palliis à ſummo deorſum apertis, quas Crocias vocãt, in Sacellũ vbi corpus Chriſti aſſeruatur conueniunt. Ibi diuina Spiritus ſancti ſacra rite celebrantur: quibus abſolutis, ſuis locis per ſubſellia ſe diſponunt: quiſque autẽ, quos eligere decreuit, in codicillo ante deſcribit, huncq; ſuo annulo obſignat. Inde tres ex Patribus ad altare aſcẽdentes, Decanus videlicet Presbyterorũ, & primi Diaconorum calicem in quo eo die ſacra facta ſunt, ad medium altaris conſtituunt, Cuſtodes ipſi ac inſpectores omnium aſtantes. Poſt hæc eodem ordine procedũt & reliqui Patres atq; ante altare in genua procedẽtes, codicillum ſigillatum in calicem demittunt. Id a. poſtquã ab omnib. factum eſt, tres illi, quos dixi, calicem ipſum ad cæteros inferius conſidentes, ſublatum altius oſtendunt, conſiſtentes in ſubſelliorũ medio, vnde ſpectari & audiri à circumſtantib. poſſunt: numerant mox codicillos: quorum vt cõueniſſe numerus inuenitur, ſinguli à Decano aperiuntur & leguntur, ac Diacono proximo pronunciandi traduntur. Patrum quiſq; papyrum tenens ac pugillare, quos quiſq; elegit chirographo annotat. Nullus a. ex Alexandri III. Conſtitutione ꝓ Põtifice haberi poteſt, niſi qui duarũ partiũ ex Cardinalibus integra tulerit ſuffragia: q; numerus ſi ex codicillis adimpletur, tum Põtifex creatus eſt. Sin minus, liberũ eſt cuiq;, quẽ voluerit, Patrum, non electũ à ſe ſcripto, voce eligere: quę ratio electionis, acceſſus vocatur. Rarum eſt quempiã ex ſolis codicillis eligi: vocũ acceſſio ſolet cõficere totũ negotiũ. Alius quoq; eſt mos creandi Pontificis, qui dicitur per adorationem: hoc a. eſt, cũ duæ partes Cardinaliũ, non expectato, vt vocãt, ſcrutinio: ſed voce tenus omniũ conſenſu & volũtate, quempiam

*redire iubebis, iſtudq; ſignũ dabis, vera eſſe quæ reuelo.* Iuit boarius: Senatum, Clerum, ac populum Cacerenſem conuocauit: viſionem quemadmodũ aſpexerat, quæue audiuerat renunciauit: filium fatis functum vitæ reſtituit, adq; imaginem tantopere deſideratam refodiendam, eos omnes qui ad miraculum conuenerant adduxit. In loco deſignato fodientes, in antro reſerato, iconã Diuæ Reginæ Cœlorum Mariæ, vna cum libro & cãpana repererunt: omnia adeo integra & illæſa, atq; ſi die eodem repoſita fuiſſent. Ibi Ciues in lætitiam effuſi, poſtquam Diuam Deiparentem votis ſupplicibus adoraſſent, arã ei extemporariam extruxerunt. Alfonſus poſtea & Ioannes Rex tẽplum magnificẽtiſſimum extruxit, tribus magnis fornicib. tectum, grata Symmetria partium inſigne. In eius ara maxima ingens ſtatuarum ſacrarum ordo conſpicitur, inter quas media eſt Deiparæ Virginis imago, quæ grato aſpectu & maieſtate, tum amorem, tum reuerentiam in aſpectu intuentium nullo negotio conciliat. Miraculorum nullus eſt numerus, quæ apud eam imaginem, ope Diuæ Deiparæ, Deus patrauit. Pendentia ex parietibus templi, feretra mortuorum ex quibus ad vitã plurimi ſurrexerunt, fulcimenta paralyticorum & claudorum, catenæ & compedes vinctorum, aliaq; anathemata, eorũ qui ſanitatis aliquod beneficium conſequuti ſunt: tum deinde donaria pretioſa Templo oblata: peregrinorum frequentia continua ad Diuam, illam eſſe humani generis hoſpitatricem in meridiano oſtendunt, per cuius interceſſiones, vitã, incolumitatem, libertatem, & optata quæcunq; mortales nõ irrito deſiderio poſtularint. *Ex Ludouico Nunnio de reb. Hiſp. & ex Alfonſi Ciaconi fragment. rerum Hiſpanic.*

XXXI. BOSONIS CARTHVSIANI PRIORIS SANCTITAS, RES GESTÆ, VIRTVTES MIRACVLA ET OBITVS.

Circa huncannum deſiit eſſe in humanis Boſo Cartuſiæ XVI. Prior. vir magnæ ſanctitatis, magni apud Deum & homines meriti. Inter alias virtutes, manſuetudine & charitate adeo ingenti decoratus fuit, vt tanquam vnus de numero Seraphim, fraternitatis vniuerſitatem, conuerſatione ſua ardentiſſima, in amorẽ Dei vehementius inflammaret. Satagens enim ne ab extremo occuparetur die, extremum ſibi computauit omnẽ diem. Sermo eius, & omne colloquium erat de ſacris ſcripturis aliquid ꝓponere, libenter audire, recta ſuſcipere, praua acriter confutare, & ingenuo pudore, quid cuius eſſet, humiliter confiteri. In hunc modum cum eruditionis gloriã humiliter declinaret, erudititiſſimus habebatur: maxime ꝙ eſſet dulcis ſermone, corde ſubmiſſus, ſtrenuus in opere, in conſilio circumſpectus, in commiſſo fidelis ac prudens. Præter alia multa, quæ ad honorem Dei & proximorum ſalutem lingua, manu, calamo frequenter elaborauit, hominẽ ſuis precib. ac meritis adhuc viuens, à morte ſuſcitauit. Cum enim Cartuſiæ fabrica quædam erigeretur, contigit aliquem hominem ex ſummo illius faſtigio in terram corruere, totoq; corpore confracto animã efflare. Hic cum ad B. Boſonem adductus fuiſſet, precib. ad Deum à Boſone pro eo effuſis, mox reſuſcitatus, & priſtinæ ſanitati redditus, ad priſtinum opus rediit, ac ſi nihil ei contigiſſet. Deniq; poſtquam in omnium virtutum cõſummatione perfectus Boſo, quinq; & triginta annos Carthuſiæ Prior præfuiſſet, in ſenectute bona ad Chriſtum migrauit. Super illius ſepultura naſcebatur herba, multis ægrotis, præſertim febricitantibus proficua: quam multi deuota fide capientes, optatæ ſanitatis beneficia conſequebantur. Proinde ruſtici illius regionis, nulla fere alia medicina in ſuis infirmitatibus vtebantur.

XXXII. PETRI FAVERII ITIDEM CARTHVSIANI SANCTITAS ET EIVS OBITVS.

Forte ex diſcipulis illius eadem tempeſtate vixit Petrus Fauerii Cartuſiæ maioris monachus, inprimis Prior ſanctæ Crucis, deinde Auenione apud ſedẽ Apoſtolicã ſui Ordinis Procurator. Quantæ ſanctitatis fuerit, in extrema illius ægritudine monſtratũ eſt. Cum n. Eccleſiaſticis Sacramentis deuote ſuſceptis, ad horã fuiſſet dimiſſus, & Sathan obiecto illi ingenti volumine, in quo piacula totius vitæ admiſſa eminebant, ad deſperationem eum adduceret, ſubito mœſtorum ſolamen, laborantium fortitudo, deſperantiumq; leuamen adfuit Deipara Maria, inenarrabili ſplendore coruſcans, & in vlnis puerum ſpecioſiſſimum geſtãs, ꝗ languidũ allocuta: *Cur frater diffidis*, inquit? *Per hunc puerum, quem pulcherrimum vides, omnia tua peccata ſoluta ſunt.* Dixit hæc Beata: Satan in momento diſparuit: & ægrotãs incredibili lætitia perfuſus, melius ſperare cœpit: cum hæc nõ dormiens, ſed vigilans, die ad declinium vergẽte cõſpexiſſet. Nocte ſequenti, cum litaniã ꝓ virili recitaret, adq; cum locum veniſſet, in quo ad omnium ſanctorũ inuocationem dicitur, *Omnes ſancti orate pro nobis*, manu dextera eleuata oſtendens ſubiungit: *Omnes ſancti qui modo hic eſtis, orate pro me.* Quã poſtulationẽ, magno cum feruore iterum atq; iterum repetẽs, Spiritum Domino reddidit, & cum ſanctis qui ad morientem ꝓtegendum aduenerant, ſupernas manſiones adiuit. *Arnoldus Boſtius de viris illuſtribus, & Petrus Sutor de vita Cartuſianorum.*

XXXIII. ARNALDVS RASSACHIVS MONTIS REGALIS ARCHIEPISCOPVS COLLECTOR DECIMAR. CONSTITVITVR.

Eadem tempeſtate viuebat in Sicilia. Arnaldus Raſſachius Montis Regalis Archiepiſcopus, ad eam dignitatem non ex vi electionis, (nam Bonifacius VIII. & Benedictus XI. collationem beneficiorum ſibi reſeruaram eſſe voluerant) ſed benignitate ſedis Apoſtolicæ euectus. Huic Clemens Pontifex officium Collectoris decimarum & cenſuum, in inſulis Sicilia, Sardinia, Corſica, Candia & circumuicinis, tum in Ducatu Athenarum, partibus Achaiæ. & toto Peloponeſo pro Romana Eccleſia commiſit, aliaque in rem ſedis Apoſtolicę eidem in his ipſis prouinciis iniunxit. *Ioan. Aloyſius Lellus de Epiſc. montis regalis.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1314.

### CLEMENTIS V. PAPÆ ANNO 9. & Vltimo.

I. CATALINI PROFLIGATO CHRISTIANORVM EXERCITV ATTICAM REGIONEM INVADVNT

HAc tempeſtate, in Oriente, Catalani in Chriſtianos, tum Græcos, tum Gallici ſanguinis, Turcarum copiis auxiliaribus aucti, impie ſæuientes, etiam Gualtherum Brennam Athenarum Ducẽ: magna contra Turcos ꝓ Chriſtianis agentem occiderunt. Sperabant illi eius ſtipendia merere: at is exercitu cõparato, voluit ſuis finibus inſolentiſſimas atq; egẽtiſſimas copias, ab ingreſſu, ꝓgreſſuq; arcere. In aciem procedẽs, prælio commiſſo, occubuit. Duce ad eum modum occiſo, & exercitu internecione profligato. Catalani Athenarum vrbem & totã terram Atticã vno fere impetu cœperunt, domos, opes, vxoreſq; incolarum: & fortunis diuitiiſque Francorum per tot ſecula qua ſuis locupletati, cõnubia & affinitates nobilium Gallicę gentis mulierum ſequẽtes, quaſi in domicilium ſuum perueniſſent, neq; regionibus excluſi intra aliena arma recidiſſent, ſtabilem ſedẽ omnium rerum, & fortunarum ſuarum Athenis ipſis Atticis collocarunt. Interim etiã Imperii ſummam, nomenque, Friderico Regi Trinacriæ, detulerunt: Fridericus vero cõditione in præſentia accepta, Præfectos Vrbibus, Duces bello, qui eius nomine res gererent, dedit: deinde Guillelmo minori filio eum Principatum teſtamento legauit.

II. CLEMENS PP. MINACIBVS LITERIS IACOBVM ARAGONIÆ REGEM CATALANOS E GRACIA EIICERE PRÆCIPIT

Ea res Clemẽtem Pontificem Max. excitauit, vt minacibus ad Regẽ Aragonium literis, ex Græcia deduci Catalaunos pro Regio imperio, mandaret: ꝙ Carolus Valeſius, eas in Peloponneſo Vrbes, dotales ſibi eſſe oſtenderet: & incolæ nominis Chriſtiani malis omnibus à paucis latronib. opprimi ſe ſuaque, multis lachrymis, quererentur. Libet literas Pontificias adiungere.

Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. chariſſimo in Chriſto filio Iacobo Regi Aragonum illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Ab olim clamor validus, & multiplicitas querelarum de partibus Ducatus Athenarum prouenientes Apoſtolicum pulſarunt auditum; imo nos, qui ſicut in cunctorum fidelium pace quieſcimus, & tranquillitate lætamur, ſic in eorum inquietudine, & oppreſſionibus, quas peſtilenti induxit hoſtilitas, multum offendimur, grauiſſime in intimis perturbarunt. Habet enim eiuſdem clamo-*



*clamoris iam pluribus annis præteritis continuata, & accumulãs mala malis aſſertio: quod nõnulli, qui olim ad partes illas credebãtur in fauorem fidelium acceſſiſſe, & à quib. ſpectabantur eorumdem fidelium partes defendi, non exercẽtes eorum vires in exteros, ſed in Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, eoſdemq; fideles, pro dolor, conuertentes, in propria Catholicorum viſcera immiſericordi crudelitate deſæuiunt: & in Eccleſias, ac fideles eoſdem eorum conatus illicitos exercentes, eiſdem grauioris depopulationis iacturam, & crudelium hoſtilitatũ inſultus, non abſq; perſonarũ excidiis, ac Eccleſiarum, & bonorũ Eccleſiaſticorum, & fideliũ illarũ partiũ incendiis, ſpoliis, & deprædationib. inferunt: quã fuiſſent, quantumlibet ꝑuerſi hoſtes fidei eiſdẽ fidelib. illaturi: & ꝙ horribilius eſt, vt licẽtius poſſent mala huiuſmodi perpetrare, ſocietatẽ ad inuicem contraxerunt: ex quorum quidẽ conſortio, quot horrenda peruenerint ſtatus illarum partium miſerabilis manifeſtat. Nam inter innumeroſa ſcelera, quæ in illis partib. perpetrarunt, quondam Gualterium de Brenna Ducem Athenarum, qui ad defenſionem dictorum fidelium, tanquam Chriſti verus athleta, & fidelis pugil Eccleſiæ, aduerſus Græcos Schiſmaticos laborabat, nequiter occiderunt, filios eius pupillos & nobilem mulierem Iohannam de Caſtellione relictam eius viduam hoſtiliter impugnãtes, bona eorum, & Eccleſiarum, ac ꝑſonarum Eccleſiaſticarũ, multorumq; aliorum fidelium illarum partium, data in prædam, & diripientium ſpolia occuparunt: ac in perſonas, tam Eccleſiaſticas, quam alios fideles innumeros funeſtis exertis gladiis, ſtrage data, eorum ſanguinem immiſericorditer effuderunt: à quib. horrendis ſcelerib. nondum ceſſant, ſed clades cladib. continuando, hoſtilitatis execrandis incurſibus dicuntur continue cumulare. Cum itaq; maior pars ſocietatis eiuſdem de regno tuo traxiſſe dicatur originem, tibiq; ex eo quod in dicto regno maiorem partem fortunarũ ſuarum, ac filios, & propinquos, ac domicilia habere dicuntur, parituri ſperentur, tanquam eorum Domino temporali: & tam Celſitudinis tuæ quã vniuerſorum fidelium quos fidei zelus angit, interſit huiuſmodi peſtilenti ſæuitiæ reproborum, ſolicitis ſtudiis, celerib. & opportunis remediis obuiare, ſerenitatem Regiam rogamus, & obſecramus in Domino, tibi in remiſſionẽ peccaminum iniungentes, quatenus pie conſiderans, quam ſit meritorium apud Deum, partes illas cultas fidelibus, ac tot ſolemnes Eccleſias, & alia innumera pia loca, Eccleſiaſticaſq; perſonas partiũ earundem, ab huiuſmodi peſte, & exterminio liberare: vniuerſis de Regno, & terris tuis in dicta ſocietate morantibus, ſub certis temporalib. pœnis prout Celſitudo tua expedire cognouerit, des per literas tuas in mandatis, ipſos alias ſalubrib. monitionibus, & hortationib. inducendo, vt partes illas, caſtra, terras, & villas, ac loca quæcunq;, quæ in dictis partib. fidelib. abſtulerũt, & occuparũt, & detinent occupata, Eccleſiis, & nobilibus, aliiſq; fidelib. illarũ partium, quorũ eſſe noſcuntur, libera & expedita dimittant: nec deinceps in præiudicium partium illarum ſocietati adhæreant ſupradictæ, ſed partes ipſas omnino dimittant: ad illas, in præiudiciũ fidelium, eas habitantium, nullatenus reuerſuri: preces huiuſmodi quas magnitudini tuæ ex corde dirigimus, ſic grato, & intento percepturus intellectu, ſicq; ad votiuæ exauditionis effectũ ſollicite, & efficaciter admiſſurus, ꝙ præter retributionis æternæ præmium tibi exinde abſq; dubio prouenturum, tuæ in hac parte, piæ & perutilis interpoſitionis inſtantiam, innumeris proculdubio fidelium populis profuturam, dignis in Domino poſſimus proſequi actionibus gratiarum.* Dat. Montiliis Carpentoracten. diœc. 19. Kal. Febr. Pontificatus noſtri anno Nono.

Hæ Clementis Pontificis literæ, quid apud Iacobũ Aragoniũ effecerint, incertum. Certum, quod Alfonſus Friderici Regis Filius, cũ Bonifacii Veronenſis, viri ſummæ in Eubœa inſula potentiæ filiam duxiſſet, multa ſtabilitatis ſuę præſidia in ea ditione aſſerenda ſtatuerit: Meninx & Cercina inſulæ in Friderici Regis ditione ac regno, Rogerio & Carolo Rogerii Auriæ filiis, & Rogerone nepote Caroli F. mortuis permanſerint. *Surita in Indic. l. 2.*

III. EIVS OBITVS ET RES GESTÆ.

Hoc anno, ad 12. Cal. Maias, Clemens V. dyſenteria, & nunc ſtomachi, nũc lateris dolore, variiſq; aliis ægritudinibus confectus diem clauſit extremũ, Pontificatus ſui anno octauo, menſe decimo, die 15. multa præclara bono publico geſſit. Tribus ꝓmotionibus, plures viros optimos, in collegium ſacrum, ampliſſimi Purpuratorum ſenatus cooptauit. Tribus in conciliis, variis locis, ac temporibus habitis, multa ſalubriter conſtituit. Dulcini ſectam, Eccleſiaſticos, impugnantem, oppreſſit. Templariorum ordinem, multis criminibus obnoxium, rebus Syriacis non multum commodantẽ extinxit. Bonifacii anteceſſoris memoriam, ab impoſturis vindicauit, Regi Gallorum aliqua iniuſte poſtulanti, cõſtantiſſime reſtitit. In maieſtatis Põtificiæ violatores, ex legibus Eccleſiaſticis animaduertit. Baſilicã Lateranenſem incendio deformatam inſtaurauit. Pro pace Italiæ, ac iuribus Eccleſiæ, multa egit, maiora tentauit. Petrum Moroneum ex Pontificem, cœlitibus adſcripſit Rationem creandi Romani Pontificis ex Gregorii X. formula approbauit. Tabulas legũ Eccleſiaſticarũ, libris Clementinarũ Conſtitutionũ editis, amplificauit. Contra Saracenos tũ in Syriam, tum in Inſulas Baleares, & in Hiſpanias non ſemel ſacrum bellum edixit. Rhodiorum militum vires in Oriente, amplificatione Ordinis, cõtra Turcos armauit. Pro Imperii Cõſtantinopolitani recuperatione, & Chriſtianorum in Peloponneſo oppreſſorum liberatione, magna conatus eſt, maiora cogitauit. Venetos ob Ferrariã occupatam: Florentinos, Lucenſes, & Pratenſes, ꝑpter Legatũ violatum, anathemate percuſſit, & ſacris priuos fecit. Andronicum Imperatorem Gręcorum, diris deuouit. Ioannem de Monte Ordini Minorum, Archiepiſcopũ Cambalienſem in dominio Tartarorum creauit, octoque aut nouẽ Fratres eiuſdem Ordinis Epiſcopos ſuffraganeos, ac in prædicatione Euangelii coadiutores, inter barbaras nationes Orientales, illi adiecit. Beguardorum & Beguinarum hæreſes condemnauit. Multa collegia monachorum in Aquitania, & metropolim Eccleſiam diœceſis Burdegalenſis, collegiataſq; S. Seuerini & Diui Æmiliani habitu ſeculari donauit, & Abbates in Decanos commutauit: aliaq; plura geſſit.

IV. RITVS CREANDI ROMANOS PONTIFICES AB IPSO PRÆSCRIPTVS.

Placuit hoc in loco, rationem creationis ſummi Põtificis adiũgere, ne quid à curioſo Lectore deſideretur. Eſt autem huiuſmodi. Patres cõclaue ingreſſi, diem integrum ſequentem, formandis legibus impendunt, ad ſanam Romani Põtificis adminiſtrationẽ maxime neceſſariis, quib. Patrum quiſq; ſubſcribens, iureiurando, uotoq; promittit obtemperaturũ ſe illis, ſi Pontifex factus fuerit. His peractis ſtato aliquo die comitia indicũtur. Mane a. eius diei Patres omnes induti palliis à ſummo deorſum apertis, quas Crocias vocãt, in Sacellũ vbi corpus Chriſti aſſeruatur conueniunt. Ibi diuina Spiritus ſancti ſacra rite celebrantur: quibus abſolutis, ſuis locis per ſubſellia ſe diſponunt: quiſque autẽ, quos eligere decreuit, in codicillo ante deſcribit, huncq; ſuo annulo obſignat. Inde tres ex Patribus ad altare aſcẽdentes, Decanus videlicet Presbyterorũ, & primi Diaconorum calicem in quo eo die ſacra facta ſunt, ad medium altaris conſtituunt, Cuſtodes ipſi ac inſpectores omnium aſtantes. Poſt hæc eodem ordine procedũt & reliqui Patres atq; ante altare in genua procedẽtes, codicillum ſigillatum in calicem demittunt. Id a. poſt quã ab omnib. factum eſt, tres illi, quos dixi, calicem ipſum ad cæteros inferius conſidentes, ſublatum altius oſtendunt, conſiſtentes in ſubſelliorũ medio, vnde ſpectari & audiri à circumſtantib. poſſunt: numerant mox codicillos: quorum vt cõueniſſe numerus inuenitur, ſinguli a Decano aperiuntur & leguntur, ac Diacono proximo pronunciandi traduntur. Patrum quiſq; papyrum tenens ac pugillare, quos quiſq; elegit chirographo annotat. Nullus a. ex Alexandri III. Conſtitutione ꝓ Põtifice haberi poteſt, niſi qui duarũ partiũ ex Cardinalibus integra tulerit ſuffragia: q. numerus ſi ex codicillis adimpletur, tum Põtifex creatus eſt. Sin minus, liberũ eſt cuiq;, quẽ voluerit, Patrum, non electũ à ſe ſcripto, voce eligere: quę ratio electionis, acceſſus vocatur. Rarum eſt quempiã ex ſolis codicillis eligi: vocũ acceſſio ſolet cõficere totũ negotiũ. Alius quoq; eſt mos creandi Pontificis, qui dicitur per adorationem: hoc a. eſt, cũ duæ partes Cardinaliũ, non expectato, vt vocãt, ſcrutinio: ſed voce tenus omniũ conſenſu & volũtate, quempiam

piam ex Cardinalibus præſentibus in Romanum Pontificem ſalutant, atque venerantur: qua ratione noſtra memoria Gregorius XIII. Sixtus V. Vrbanus VII. Innocentius IX. Clem. VIII. & antea Iulius III. Marcel. II. Paulus IV. & Pius V. renunciati fuere. Hæc fere omnia ex Clementis Quinti præſcripto, creãdis Romanis Pōtificibus inſtituta. Bonas etiam literas Clemens Pontifex amauit, vtq; conuertendis ad fidem Chriſti alienigenis, liguarum Chaldaicæ Hebraicæ & Arabicæ in Academiis Europæis prælectio haberetur, decreto Concilii Viennenſis ſanciuit.

V. Hebraica lingva in Academia Oxonienſi profiteri cœpta.

Statim atq; in vulgus Concilii Canones pronũciati fuere, Hebraica lingua in Academia Oxonienſi, in Anglia per quemdam qui Iudaicæ ſuperſtitioni nuncium remiſerat, & Chriſti fidem profitebatur prælegi cœpta eſt: cuius ſalario atq; ſtipendio, & aliorum quorundam Cleri negotiorum procurationi ex pecunia qua quiſq; ex Clero pro ſui Sacerdotii ratione, vnum videlicet denarium in ſingulas Marcas contribuebat, ſatisfactum eſt. Ad quę tempora Oxonium regnãte Edouardo Arnouio aduenerat quidam Ioannes Poidraſius coriarii cuiuſdam Exonienſis filius. Is neſcio à qua inſana cupiditate, aut infando potius dæmone temere & effrenate concitatus, coram Academiæ oppidiq; Præfecto, & frequentiſſima aliorum concione, magna contentione aſſerebat, ſe verum germanum Edouardi Regis filium & hæredem, Edouardum vero Arnouium, qui regnum ſibi vſurparet, adulterinum & ſuppoſititium.

De Ioanne Poidraſio pro Edovardo Angliæ Rege ſe venditante.

Hæc cum vltro palam & conſtanter diceret, nec vlla ſe perſuaſione vllisve Blanditiis ab illa ſententia ac mente abduci pateretur, miſſus eſt ad Regẽ, qui tum Northumbriæ verſabatur, vbi cum eandẽ ſemper cantionem repeteret, neq; à tam *inſulſa* perſuaſione deduci potuiſſet, atrociſſimum perduellionum ſuppliciũ expendit: quo tempore ingenue faſſus eſt ſe habuiſſe domi dæmonem, ſub felis figura, à quo tam inſigniter eſſet illuſus, vt ex eius promiſſione certo ſibi polliceretur Angliæ Regnum; atque propter hanc cauſam ſe ante triennium, omne corporis animæque ſuæ obſequiũ dæmoni deuouiſſe, atque conſecraſſe.

VI. Edovardvs Rex a Regni Proceribvs et Scotis in angvstias redigitvr.

In maximo tunc periculo verſabatur Edouardus regni amittendi, quod Proceres ludificaretur in cauſa Petri cuius ſuperius mentio facta eſt. Neq; enim prius tumultuantes quieuere, poſtquam aures Edouardi in audiendis contra Petrum querelis tritæ quaſi obſurdeſcerent, quam Thoma Comite Lanceſtriæ anteſignano, inſolentem hominem è medio ſuſtuliſſent. Cũ autem Rex Petro in oculis fere ſuis occiſo, duos Hugones Spenſerios Patrem & Filium, ad intima ſibi cõſilia poſtea adhibuiſſet, ſpretiſque & veteribus patriæ inſtitutis, & recentibus cum proceribus initis pactis eorum arbitrio atque poteſtati omnia credidiſſet: illi vero nullo fere loco & numero nobilitatem haberent, omneſque ſuas actiones atque priuata compendia, nõ ad vllas æqui ac boni, atque iuſtitiæ rationes referrent, neque nouas indies cauſas architectari ceſſarent, quibus proceres in fortunæ totius & capitis diſcrimen apud Regem vocarent, in maiores ſe poſteà Edouardus anguſtias coniecit. Domi itaque à principibus, foris à Scotis impugnatus, habuit quo angeretur. Scoti enim ex inteſtinis Anglorum diſcordiis ſumpto animo, in Angliam violentis impreſſionibus per hæc tempora incurrerunt, quos dum reprimere conaretur Edouardus, inſignem & memorabilem ſemel ac iterum exercitus ſui cladẽ accepit, & ægre quidem ſuæ ſaluti fuga conſuluit. Hic cum prioris illius infauſti pręlii difficultate premeretur, Diuæ Deiparenti Mariæ Virgini religioſa ſponſione vouit, ſe in Chriſti & illius honorem ædes cõſtructurũ, vbi XXIV. Carmelitis qui rei Theologicæ operam darent, idoneos ſumptus ſuppeditaret, ſi ab imminente calamitate eriperetur. Ab hac Dei benignitate & Virginis matris interceſſione ereptus, ſponſionem deuotam repræſentauit, ędeſque illas votiuas Oxonii conſtruendo voto ſe liberauit.

Ad evadendvm præsens pericvlvm voto ſe obſtringit.

VII. Ingens peſtis et fames.

Quod vero rem Eccleſiaſticam violaſſet, vltionem aliam Diuinam in ſe hoc ipſo anno prouocauit. Annũ enim hunc, inſignis quædam peſtis & fames nobilitauit, cuiuſmodi nemo vel prolixiſſimæ ætatis fuiſſet, antea ſuo tempore contigiſſe poterat meminiſſe. Cõtinui & importuni imbres non modo ſegetem omnem, ſed & herbas omnes quas humus ſuppeditat, ita corruperant, vt & animalia paſſim terrã luem peſtemque, vnde confertim obiere, contraherẽt: quæcunq; vero ſuperfuere, humanis corporib. incõmoda & noxia fere fuerunt. Qui forte propter maleficia in carceres trudebãtur, in eos reliqui incluſi ſtatim irruebant, & ſemiuiuos deuorabant. Multi alienos liberos ad famem depellẽdam intercipiebant, neq; à propriis etiam natis ſibi tẽperabant: hinc funera hominum adeo cumulabantur, vt viui mortuorum corporib. vix ſufficerent recondẽdis. Lues autem illa animalium, quæ boues maxime infeſtabat, adeo fuit peſtifera, vt canes atq; corui, qui in huiuſmodi cadauera forte incidiſſent, & ex illis quidquam comediſſent, quaſi ex veneno occumberent.

VIII. Vvalthervs Canthvarienſis Archiep. Scotos anathemate ferit, et ſvpplicationes inſtitvit.

Inter hęc Waltherus Canthuarienſis Archiepiſcopus, Scotos quidem, qui in omnia ſæua depopulatione debacchantes, ne à templis quidem incendendis abſtinuerant, anathemate palam confixit: vt autem Deum populo placatiorem redderet, præſentiaque ac imminentia mala auerteret, ſupplicationes quarta & ſexta feria indixit, Concioneſque ad populum haberi mandauit, quib. Eccleſiaſtæ populum ad vitæ emendationẽ, & ad preces pro rerum perturbatarum pacificatione fundendas accurate hortarentur. Cum vero per tempus famis, multi ex tenuioribus obirẽt, quorum mors ex impotẽti quorumdam locupletum cupiditate proficiſcebatur, qui cum frumenti plurimum in horreis reconditum haberent, noluerunt tamen illud venundari, ſed diſtractionem ad longius tempus, quo pretium magis augeretur, producerent: eorum importunam auaritiam Waltherus & alii Epiſcopi, in ſua quiſq; diœceſi caſtigarunt, & per Concionatores acrius perſtrinxerunt.

IX. Ioannem Varenivm Svrrivm Comitem ab inceſtvoſo Matrimonio abſtrahere ſatagit.

Cum autem diuinam vltionem, non minimum ex publicis procerũ peccatis augeri animaduerteret, ad ea quoq; punienda animũ Waltherus adiecit. Inter hos, Ioannes Varenius Surriæ & Suthſexiæ Comes, magnũ negotiũ Walthero ac cæteris Epiſcopis exhibuit. Cõiuncta illi fuit matrimonio, Iſabella Regis neptis. Sed ille neq; Regis, neq; tanti Sacramẽti, neq; dignitatis & æſtimationis ſuæ idoneam rationem habens, Mathildem Nerfordiam, quæ etiam maritum Simonem Drinium ſuperſtitem habebat, vxorem ſibi de nouo turpiter aſciuerat Et Robertus quidẽ Waltheri anteceſſor. Comiti, vt eam abiiceret, non ſua ſolum ſed ex Synodi quam iubente Clemente ſummo Pontifice coegerat, authoritate mandauerat. Iſtud ille ſe facturum, etiã iuramento accedente promiſerat. Sed ita totum hominẽ turpis in Mathildem propenſio occupauerat, tamq; ei penitus inſederat, vt nulla eam ratione, à ſe iam vellet dimittere. Iamq; Waltherum interpellabat, vt liceret ſibi aduerſus vxorẽ Iſabellam litem, ad matrimonium, propter neceſſitudinem ſanguinis & alias cõmentitias cauſas reſcindendum intendere. Et quidem ea neceſſitudo, quę ex decretis Eccleſiæ impedimentũ matrimonio iniicere ſolet, interceſſerat: ſed tamẽ iam olim Põtificia authoritate, & ſedis Romanæ indulgentia ſublatum & abolitum fuerat. Itaq; Waltherus cum hominẽ cauillari videret, ex Synodi quam *recens* collegerat ſententia, illum ſerio admonebat, ne à maiorum ſuorum ſplendore & laude, ne ne à ſcripto & prioris vitæ ſuæ ornamentis degeneraret: vtque tantam maculam nomini ſuo iniuſtam, propter quam apud Proceres & populum paſſim male audiebat, quãprimum Mathildam abdicando elueret quod ſi forte minus quã par eſt iudiciũ hominũ æſtimaret, at certe ſummũ illud Dei Opt. Max. tribunal, & perpetuas corporis & animæ pœnas, niſi matura eas pœnitentia auertat, ſibi repoſitas in me-

moriam



moriam reuocaret. Et ſi etiam neque futurorum metu moueretur, neque benignæ admonitioni daret locum, denunciabat VValtherus, ex Synodali præſcripto, ſe ſuo muneri, vt eum ad officium reduceret, non defuturum. Iſtud porro tanto acrius vrgebat VValtherus, quanto acriores ſtimulos habebat, à decretis Concilij Viennenſis & præceptis Pontificis Clementis, de reuocanda Eccleſiaſtica diſciplina ſibi paulo ante præſcriptis. præſertim quod ſciret Clementem, rigidum puritatis & caſtitatis Chriſtianæ exactorem. *M. S. bibl. vatic. de reb. Anglic.*

X. Fabvlae a malevolis Clementi PP. affictae.

Inter fabulas maleuolorum puto, ea quæ de libidinationibus, & rerum Eccleſiaſticarum venundatione, nec non curioſa quadam de nepotis dilecti poſt mortem ſtatu, à præſtigiatoribus inueſtigatione aliqui in Clementem finxerunt: cum etiam reliqua mortem eius inſecuta, ex rumore potius, quam quod ita acciderint, etiam ex teſtimonio ſeu iudicio Maſſonij, Villaneus ſcripſerit, & Dantes Pontificum Romanorũ hoſtis diſperierit.

Eivs Sepvltvra.

Mortuo Clemente, quamuis ipſe ſupremis tabulis, cadauer ſuum Vſeſtæ ſepeliri mandaſſet, inter Canonicos tamen Vſeſtenſes & Carpentoractæ antiqui oppidi incolas, lis magna & grauis mota eſt, vtris ſepultura concederetur. Iudicium penes Vſeſtã fuit, tum quod in eo vico natus eſſet, tum quod ita iuſsiſſet Clemens, vt indidem in templo Virginis à ſe ædificari iuſſo conderetur. Noſtra memoria anno Dom. M.D.LXXVII. octauo Idus Ianuar. ducibus neſarij ſceleris Serra & Forcade Valatenſibus, ſecta Caluinianis, ſepulchrum illius marmoreum admirandi operis, violatum, dirutumq; eſt, à Caluinianæ hæreſis graſſatoribus. Octo columnis ex iaſpide pulchre exornatum fuit mauſoleum. Pontificium cadauer, admodum procerum ac longum octo pedes fere cõſtabat. in vultu cicatrix ex accepto olim vulnere eminebat. aliquot gemmæ, argenteaq; vaſcula in tumulo remanſerant. ea in prædam violatoribus monumenti ceſſerunt: cadauer ſtatim in cineres reſolutum, igni ab hęreticis exuſtum eſt. In gratiam Clementis, nunc quoq;, Vſeſta, tributis & vectigalibus exempta eſt, beneficio Regis Francorum. *Maſſonius in Clemente Quinto.*

XI. Diſſenſio inter Cardinales de electione Romani Pontificis.

Clemente Pontifice extincto, tres & viginti Cardinales Carpentoractum conuenere, vt ex præſcripto Gregorij X. nouemdialibus Sacris defuncto Pontifici abſolutis, ſucceſſorem deſignarent. In ædibus Epiſcopi conclaue ingreſsi, diſſenſionibus laborarunt, neq; quemquã nominare potuerunt, quod Aquitani, magna purpuratorum pars, aliquem ſuæ prouinciæ, reliqui Galli Italis adiuncti, nonniſi Italum deſiderarent. Dantes Florentinus data ad Patres elegantiſsima epiſtola, ex re Chriſtiana fuiſſe ſuadebat, ſi Italum aliquem elegiſſent, qui Sedẽ Romanæ Eccleſiæ, vna cum libertatibus Eccleſiaſticorum vehemẽter à Principibus imminutis, reſtituere potis eſſet. Intra conclauis ſecreta diſſentientibus Patribus, etiam domeſtici eorum in vrbe vehementius tumultuabantur. Cumque alia ratione Cardinales, vel ad concordiam reducere, vel diſcordes è palatio elicere nequirent, multam materiam pinguem & aridam, vicinis palatio ædibus famuli ſuppoſitam incenderunt. Ardebat nemine extinguente, domus electioni deſtinata: & illi potius re infecta diſcedere, quam communibus ſuffragijs Pontificem renunciare maluerunt. In id tantum conſenſerunt, vt pręſcripto tempore, in locum deſignatum, pro eligẽdo Antiſtite, conuenirent. cæterum auctis vltro citroq; per maleuolentium ſtudia odijs, ſtato die minime redierunt; ſed in ciuitatibus Narbonenſis Prouinciæ loco & propoſito diſiuncti, non ſine maximo reipublicæ Chriſtianæ detrimento permanſerunt; quamquam Sancti & Principes viri non deeſſent, vt eos ad Comitia incunda perurgerent. Duos annos integros inter Pontificium, Eccleſiam vniuerſam tenuit.

XII. Itemque inter Electores de electione Imperatoris.

Non minori etiam diſcordia inter Electores Imperij, hoc quoque anno, quo Henricus Septimus migrauit ab humanis gliſcẽte, Geminę etenim diſcordes emanarunt electiones, altera Ludouici Bauari, altera Frederici Auſtriaci: ſed priuſquam ad rei narrationem venio, monendus mihi es, amice Lector, me ſecus in hac editione atque in priori feceram, narrationem contexere; Quod nolim tamen quiſquam mihi vitio vertat tanquam parum conſtãti: veritas enim quam in puteo deliteſcere, neſcio quis ex priſcis ſapiẽtibus aiebat, temporis perſæpe beneficio, alioue adminiculo opus habet, vt in lucẽ educatur. Certè tota hæc hiſtoria, ob varias, planeque diuerſas ſcriptorũ opiniones, tot ambiguitatibus inuoluta cernebatur, vt inextricabili ferè confuſione laborare videretur. Nam de electionis die parum cõſentiunt auctores: Quoad locum, quidam aiunt vtrumque Francofurti alij Ludouicũ quidem ad eam vrbem, at Fredericum, Bonnæ Imperatores fuiſſe renunciatos; ſunt etiam qui exiſtimẽt in ſuo vnumquemque exercitu electum fuiſſe. Ad numerum ſuffragantium quod attinet, qui vtriuſque electionem Francofurti celebratam opinantur Septemuiros tantum admittunt, qui vero varijs in locis geſtam putant, addunt Henricum Ducem Carinthiæ, & Rudolphum Saxonem, hunc quidem Saxoniæ Electoratum, illum Boemiæ ſibi vendicantes, nec deſunt qui quendam etiam ex Principibus Brandeburgenſibus aduerſus VValdemarum Marchionatus poſſeſſorem ius eligendi ſibi arrogaſſe tradant. In eo quoque variant ſcriptores, quod à pluribus exiſtimetur ipſosmet Principes acceſsiſſe omnes ad Comitia; quidam dicant à nonnullis per litteras, ab alijs per Procuratores rem eſſe geſtam: *Præcipuè verò ſunt diſcordes in* numero ſuffragiorum aſsignando. Quidam enim Ludouico quinque adſcribunt, eaſque ſincera; nonnulli vnum ex quinque fraudulentum fuiſſe aſſerunt; ſunt qui quatuor, ſunt qui tria tantum ſuffragia illi contigiſſe ſcribant; ſed & fuere qui omnia illi ſuffragia, vnico dẽpto Colonienſis Archiepiſcopi, adiudicârũt, quemadmodum teſtatur Auctor Magni Chronici Belgici. Frederico tribuunt multi *tres tantùm calculos, quidam quatuor,* quidam etiam quinque. Hinc ex variantibus ſententijs, aut hũc, aut illum, aut vtrumque, modo ex maiori, modò ex minori ad Imperium promotos legimus. Sed & mira opinionum diuerſitas deprehẽditur in ipſis Principum perſonis, qui alterutri ſuffragium tuliſſe dicuntur, quam in præſentia non deſcribo, ne nimio tædio lectorem afficiam; nam & infra locus erit, ea de re aliquid dicendi. Prætereũda tamen nõ eſt *Alberti Krantzij* longè ab alijs diſcrepans opinio; is enim *lib. 9. Saxoniæ cap. 8.* ſcribit Ludouicum per ſolos principes Electores ſæculares ad Imperium eſſe euectum, nõ expectatis tribus Eccleſiaſticis, qui huiuſmodi electionem ægrè ferentes, proteſtationibus vſi ſunt. Vnde iſthæc Krantzius hauſerit, nemo facilè diuinare poterit. Ego ſanè nihil aliud præter meram hominis negligentiam, atque adeò ſupinitatem agnoſcere mihi videor. In cæteris autem animaduerti potèſt æui illius infælicitas, ſiquidem Gibellinorum, Guelphorumque factionibus Imperium tunc lacerum, ipſos etiã ſcriptores in hanc illamue partem procliues reddere potuit, vt omittam quoſdam reuerentia erga tantos Principes, alios timore abductos, ab aperta veritatis ſemita deflexiſſe, ideoque inobſeruabilem quaſi confuſionum labyrinthum nobis reliquiſſe; vnde quo tandem filo extricare nos poſſemus haud facilè videbamus, & ſatis nobis fuit eam ſententiã amplecti, quæ tunc viſa eſt probabilior. Alia demum hiſtoriæ ſerie, è latebris ad apertam lucem prolata, per publica documenta, quæ infra exarabimus; æquum & nos duximus, aliam rei geſtæ coarrationem attexere; nouas enim rerum geſtarum expoſitiones iuxta nuper comperta proferre ſincerum ſcriptorem maximè decet; quod libẽtius initio feciſſemus, ſi ea Heruuartus ſtatuum *Bauariæ* Cancellarius, ante annalium noſtrorum editionem euulgaſſet, neque occaſionem expectaſſet calamum in nos ſtringendi, quod ſatis inciuiliter fecit. *Cæterùm quis hominem non miretur* nos increpantem, quod eadem documenta ſecuti non fuerimus, quæ tamen ipſemet fatetur nemini ad eam diem fuiſſe cognita? Hæc enim eius verba in libro de Ludouico defenſo pagina ſeptima leguntur. *Ea de re placet ad verbum illa documenta huc trãſcribere, totiq; orbi,*

*cui per tot annos ſuere ignota legenda proponere.* Quod verò præſentem narrationẽ huc vſq; vulgare diſtulerim, mirũ nemini videri debet; rei enim grauitas qua de agebatur, ſollicitos nos reddebat, monebatque ſerio, vti ſepoſita celeritate maturo conſilio vteremur. Cum præſertim, & forma eorundem inſtrumentorum obſoleta, & quatuor tantum ijs appoſita ſigilla; cum tamen quinque nominentur Principes, qui electioni Ludouici interfuerant, aliquid ſuſpicionis ingererẽt: verum à peritis probiſque viris agnita, & à ſex celebrioribus Iuriſcõſultis diſcuſſa, & vnanimi calculo comprobata; cum eorum fides in dubium amplius reuocanda non videatur, nos coegerunt, vti totam electionis narrationem refingemus; quæ ita habet.

Vita functo Henrico ſeptimo Imperatore, cum de ſucceſſore ſeptemuiri Electores cogitarent, & plures in Ludouicum Bauarum propenderent, id ægrè ferens eius frater natu maior Rudolphus, qui præter Bauariæ Ducatum Comitatum etiam Palatinum poſsidebat, atque ideo ex Electoribus erat, cum Archiepiſcopo Colonienſi aduerſus fratrem conſpirauit: Archiepiſcopus enim cuiuſdam, vt aiũt, matrimonij intuitu, Fredericũ Auſtriæ Ducem euehere ad imperium ſtudebat. Hiſce addunt ſe Henricus Dux Carinthiæ, qui ius ſibi in Boemiæ Regnum arrogabat; quamuis eo iure depulſus per ſentẽtiam Henrici Imperatoris, aliorumque Principum, vti videre eſt apud Dubrauium lib. 12. hiſt. Boemicæ, nec non Rudolphus, qui dominium ac poſſeſsionem Saxonici ducatus turi nitebatur, aduerſus Ioãnem à Ludouico ſtantem; ſed & Marchio quidam Brandeburgenſis, vt ex Villano palam eſt, Frederici partibus fauebat. Hi partim præſentes, partim per Procuratores ad Bonnenſe oppidum electionis faciendæ gratia ſe contulerunt: Nam cum ab Archicancellario duo ſolum ex quinque quos nominauimus Franco furtum conuocati eſſent, nempe Archiepiſcopus Colonienſis, & Bauarus Palatinus (neque enim vti apparet, tres reliqui ab ipſo Archicancellario & collegis pro legitimis Electoribus habebantur,) eò conuenire recuſarunt, tametſi electionis die protracta. Itaque Bonnæ vt conſtat ex Rebdorfio, eorum temporum æquali, ſolemnia electionis celebrarunt, & Fredericum Auſtriacum Cæſarem ſalutarunt. Alia ex parte Petrus Moguntinus, Balduinus Treuirenſis Archiepiſcopi, Ioannes Boemiæ Rex, Ioannes Dux Saxoniæ, & VValdemarus Marchio Brandenburgenſis, præſentes omnes in ſuburbio Francoſurti loco electionis tunc ſolito, Ludouicum Bauarum Cæſarem renunciarunt. vt hæc clarius eluceſcant, præterea quæ ex ſynchronis hiſtoricis elici poſſunt, ipſa electionis decreta quæ ſupra memoraui, hic duxi exſcribenda, vna cum agnitione Epiſcopi Auguſtani, & publicorum tabellariorum; addita quoque Iuriſcõſultorum, quos diximus, approbatione. Itaque Archiepiſcopi Moguntini inſtrumentum ita habet.

In nomine Domini Amen.

*Nouerint vniuerſi & ſinguli, hoc præſens publicum tranſumptum inſpecturi, lecturi, atq; legi audituri, quod nos Henricus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, Epiſcopus Auguſtanus, ac Sacri Rõ. Imp. Princeps &c. vidimus, tenuimus, legimus, nec nõ diligẽter inſpeximus documentũ originale, in pergameno ſcriptũ, quatuor illæſis ſigillis, in cordis ſericis, rubri, flauique coloris dependẽtibus: vtpote Archiepiſcopi, atq; Principis Electoris Moguntinenſis, Regis Boemiæ, Marchionis Brãdeburgenſis, Ducisq; Saxoniæ communitum: Et quia illud ſanũ, integrum, illæſum, omni prorſus vitio, & ſuſpicione carens inuenimus: idcirco ad Sereniſsimi Principis, Domini Maximiliani, Comitis Palatini Rheni, vtriuſque Bauariæ Ducis &c. inſtantiam, atque requiſitionẽ, illud in Cancellaria noſtra, per ſcribã noſtrũ iuratum tranſumi, & exemplari, ac in publicam hanc formã redigi fecimus, ac per diſcretos noſtros fideles, nobisq; à cõſilijs, & ſecretis, Othonem Caſſnerum, & Erneſtum Braun diligenter auſcultari, & collationari mandauimus: decernentes, & volentes, vt huic præſenti tranſumpto, ſiue exemplo, plena, ac tanta fides detur, atque adhibeatur, qualis, & quanta dicto originali documento inferius inſerto, & cum præſenti tranſumpto auſcultato, & collationato, ſi in medio exhibitum fuiſſet, daretur, atque adhiberetur. Huiuſmodi vero Documenti tenor ſequitur ſub his omninò nihil immutatis verbis.*

In nomine Domini Amen.

*Sanctiſsimo in Chriſto Patri, ac Domino ſuo, Domino ſacroſanctæ Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici futuro: Petrus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ Moguntinæ ſedis Archiepiſcopus, ſacri Imperij per Germaniam Archicancellarius: Ioannes Dei gratia Bohemiæ, & Poloniæ Rex: VValdemarus Marchio Brandeburgenſis: ac Ioannes Dux Saxoniæ ſenior, humiles, & deuoti, cum omni reuerentia, deuotiſsima pedum oſcula beatorum.*

*Vacante nuper per obitum fœlicis recordationis, ſereniſsimi Domini Henrici quondam Romanorum Imperatoris, ipſo Romanorũ regno, ſeu Romanorum imperio, & nobis vna cum Reuerẽdo Domino Balduino, S. Treuirenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, nec non Reuerẽdi Domini Henrici Archiepiſcopi Coloniẽſis, & Illuſtrium Principũ Ioannis Bohemiæ & Poloniæ Regis, Rudolphi Comitis Palatini Rheni, Ducis Bauariæ, VValdemari Marchionis Brandeburgenſis, ac Ducis Saxoniæ honorabilibus Procuratoribus, ad quos tam de iure, quam de cõſuetudine antiqua, & approbata ius eligendi Romanorum Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum noſcitur pertinere, ſolemniter concordantibus in diem Electionis huiuſmodi, videlicet craſtinam Beati Lucæ Euangeliſtæ, quæ eſt decima nona menſis Octobris. Et Ego Petrus Archiepiſcopus Moguntinenſis prædictus, ex officij mei debito, ipſam diem ad electionem huiuſmodi celebrandam præfixi, litteris meis vocationis ipſis comprincipibus, & coelectoribus meis deſtinando.*

*Qua die veniente ſuburbio oppidi Regalis Frankenuordenſiũ, loco ſiquidem ad hoc ſolito, & conſueto, Nobis Petro Moguntinenſi, Balduino Treuirenſi Archiepiſcopis, Ioanne Bohemiæ & Poloniæ Rege, VValdemaro Marchione Brandeburgenſi, ac Ioanne Duce Saxoniæ ſupradictis ibidem conuenientibus, celebrata miſſa ſancti ſpiritus, deliberatione prouida præhabita, ad procedendum in electionis negotio prælibato, & in quantum debuimus expectantibus, quod Reuerendus Dominus Henricus Archiepiſcopus Colonienſis, & Rudolphus Comes Palatinus Dux Bauariæ, nondum venerant, nec per ſe, nec per ſuos Procuratores in dicto loco conuenerant. Nos, pro bono pacis volentes in hoc eis deferre, ac facere gratiam ſpecialem, terminum prædictum, videlicet craſtinum Beati Lucæ Euangeliſtæ, vnanimi conſenſu cum Reuerendo Domino Balduino Treuerenſi, Archiepiſcopo, vſq; in diem ſequentem duximus continuandum; quam continuationem dictis Arciepiſcopo Coloniẽſi, & Rudolpho comiti Palatino, ac alijs quorum intereſſe poterat, Nos Archiepiſcopus Moguntinenſis antedictus, per noſtros Nuncios ſpeciales ad id deputatos, inſinuauimus, notificauimus, & ad eorum notitiam deduximus, ipſos citando vice & nomine omnium noſtrorum præſentium, vt præfata die continuata, in dicto loco ad eligendum conuenirent.*

*Qua die continuata, ipſis Archiepiſcopo Colonienſi & Comite Palatino, & alijs quorum intereſſe poterat, ſic vocatis & ſufficienter expectatis, quod non venerunt, nec pro ſe miſerũt, nec vices ſuas alicui, ſeu aliquibus commiſerunt in electionis negotio memorato, audita miſſa Sancti ſpiritus; Nos Archiepiſcopus Moguntinenſis antedictus, ipſa die continuationis, quæ fuit viceſima menſis prædicti, hora debita & conſueta procedere cupientes, in ſcriptis monitionem legimus, & proteſtationem quandam vice noſtra, ac omnium ibidem præſentium, ius in ipſa electione Regis Romanorum habentium illa vice, monẽdo omnes infames, excommunicatos, ſuſpenſos, ac etiam interdictos, nec non quoſcunque alios ſi qui forent forſitan inter eos, qui de iure, vel conſuetudine intereſſe in ipſius electionis negotio non deberent, quod à tractatibus electionis celebrandæ futuri Regis Romanorum, & ab eadem electione recederent: ipſos Coelectores noſtros, Nos & alios quorum intereſſet, eligere permittentes, proteſtando quod non eſſet noſtra, vel coelectorum noſtrorum intentio tales admittere, tanquam ius in electione habentes, aut procedere vel eligere cum eiſdem. Imò volumus, & intentionis noſtræ fuit, quod voces talium, ſi qui reperirẽtur poſtmodum interfuiſſe, nullũ præſtarent ſuffragium, nec afferrent alicui nocumentum, & prorſus pro non receptis,*





*ſiue pro non habitis, haberentur. Quam proteſtationem nos omnes ſupradicti, vna cum Reuerendo Patre, Domino Balduino Archiepiſcopo Treuirenſi, coelectores tunc præſentes, ratam & gratam habentes, conſenſimus in eandem, & demum poſt tractatus præhabitos, conſideratis ſollicitè, & diligenter circumſtantijs pluribus, & ſtatu perſonarum diuerſarum, per quas, ſeu per quam Regno vacanti, & Imperio poſſet vtilius prouideri, in Illuſtrem virum Ludouicum Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ, virum vtiq; Catholicum, orthodoxæ fidei feruidum zelatorem, Eccleſiæ ſanctæ Dei, & miniſtrorum einſdem, ac pacis ſanctæ ab ineunte ætate ſua, experientia quæ eſt rerum magiſtra efficax atteſtante, deuotum & humilem amatorem, ſtrenuum in armis, in iudicio iuſtum, in conſilijs prouidum, in vniuerſa morum honeſtate præclarum, benignum, affabilem & manſuetum, de alto & generoſo ſanguine Diuorum Regum & Principum procreatum, ac in cunctis agibilibus pro regimine Reipublicæ quamplurimum circumſpectum, noſtrum intuitum diuina diſponente clementia conuertentes: Nos Petrus Moguntinenſis Archiepiſcopus, pro nobis, & nomine noſtro: præfatus verò Dominus Balduinus Treuirenſis Archiepiſcopus, pro ſe, & nomine ſuo. Nos vero Ioannes Bohemiæ & Poloniæ Rex, VValdemarus Marchio Brandeburgenſis, & Ioannes Dux Saxoniæ prædicti, quilibet noſtrum pro ſe, & nomine ſuo, votis noſtris per Dominum Moguntinum Archiepiſcopum antedictum vice ſua & noſtra, & ex ſpeciali mãdato ſuo & noſtro, diligenter inquiſitis, nos electores prædicti, in loco prædicto præſentes, ius totale ea vice in electione dict. Regis habentes, conſenſimus cõcorditer in eundẽ Ludouicũ, & ipſum nominauimus, quilibet noſtrum pro ſe, nullo penitus diſcrepante, in Romanorum Regem eligendum, in Imperatorem poſtmodum promouendum, & in aduocatum Sacroſanctæ Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ, viduarumq; & orphanorum defenſorem. Quibus ſic peractis, Ego Petrus Moguntinenſis Archiepiſcopus, de mandato ſpeciali, & voluntate mea, & meorum Electorum prædictorum, eundem Ludouicum Com. Pal. Rheni, Ducem Bauariæ, elegi ſolemniter in hunc modum.*

In nomine Domini Amen.

*Cum vacante Romano Regno, ſeu Romano Imperio, per mortem fœlicis recordationis Sereniſsimi Domini Henrici quõdam Romanorum Imperatoris, vocatis qui fuerunt euocandi, & qui in electione Regis Romanorum ius habere dignoſcuntur, ac præſentibus, dicta die continuata ad eligendum omnibus qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt commodè intereſſe, placuerat omnibus & ſingulis præſentibus ad electionem procedere futuri Regis, inquiſitis votis omnium & ſingulorum ius in electione ipſius Regis habentium, & præſentium, omnes & ſingulos Electores prædictos appareat, ex præmiſsis direxiſſe concorditer vota ſua in Illuſtrem Ludouicũ, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ. in eum conſentiendo & ipſum nominando, in Romanorum Regem eligendum, per cuius quidem Ludouici prædicti expertæ ſtrenuitatis merita, fidei puritatem, & conſtantiam, ſperatur ſacroſancta Romana ac vniuerſalis Eccleſia potenter, & vtiliter defenſari, ac in ſpiritualibus & temporalibus votiua ſuſcipere incrementa, & etiam Reſpublica prouide dirigi, & pariter ſuperno ſuffragante auxilio gubernari. Ego Petrus Archiepiſcopus Moguntinenſis antedictus, vice mea, ac coelectorum meorum prædictorum ius in ipſa electione habentium, ex poteſtate mihi per eos tradita ſpecialiter & conceſſa, eundem Ludouicũ inuocata ſancti ſpiritus gratia, in Romanorum Regem eligo, in Imperatore futurum promouendum.*

*Electione autem huiuſmodi celebrata, eam nos omnes & ſinguli Electores prædicti præſentes approbauimus, & TE DEVM LAVDAMVS, alta voce fecimus decantari, & dictum noſtrum electum qui præſens extitit, & electioni de ſe factæ diuinæ nolens reſiſtere voluntati, interpellatus cum inſtantia à nobis, reuerenter conſenſit. Et deinde electionem ipſam Clero, & populo ſolemniter fecimus publicari. Poſtmodum verò ipſũ electum, in Ciuitatem Frankenfordenſium introducentes, in Eccleſiam Sancti Bartholomæi deduximus, & ipſum ſuper altare maius, prout moris & conſuetudinis eſt, adhibitis ſolemnitatibus in talibus debitis & conſuetis, poſuimus, TE DEVM LAVDAMVS denuo decantantes: Deinde in Cœmeterio Eccleſiæ antedictæ Clero, & populo ipſum electũ præſentauimus, & eius electionem fecimus ſolemniter publicari.*

*Eapropter Sanctitati Veſtræ tam humiliter quam deuotè voto vnanimi ſupplicamus, vt ipſum electum noſtrum in Regem Romanorum, paternis vlnis amplectentes, munus inunctionis, & conſecrationis eidem conferendo, de ſacroſanctis manibus veſtris ſacri Imperij diadema, dignemini loco & tempore fauorabiliter impertiri, vt ſciant & intelligant vniuerſi, quod poſuerit in lucem gentium vos Dominus, & per Sanctitatis Veſtræ arbitrium, orbi terræ poſt nubilum exoptata ſerenitas eluceſcat. Cæterum vt Beatitudo Veſtra cognoſcat, euidentius vota noſtra omnium præſentium, in prædictis omnibus, & ſingulis cõcordaſſe, ac in petitione huiuſmodi exiſtere vnanimes, & concordes, præſens electionis noſtræ Decretum, Sanctitati Veſtræ tranſmittimus, ſigillorum noſtrorum appenſione, ex certa noſtra ſcientia roboratum. Datum apud Frankenford. X. Kalend. Nouem. Anno Domini. M.CCC.XIV.*

*Quibus omnibus, & ſingulis tanquam rite & legitime factis, authoritatem noſtram imploratam interponimus, præſentium per tenorem, & ad ampliorem euidentiam præmiſſorum, & illorum omnium ac ſingulorum fidem, præſens tranſumptum manu noſtra ſubſcripſimus, atq; illud ſecreti noſtri appenſion communiri iuſsimus. Datum & actum Dilingæ in arce Reſidẽtiæ noſtræ, decima nona die menſis Iulij annò ſalutis noſtræ ortæ M.D.C.XVIII.*

Locus ſigilli. Henricus Epiſcopus Auguſtanus

Hoc tranſumptum, ego Matthias Moſmuller, iurium Doctor, Sereniſsimi Ducis Bauariæ &c. Domini Maximiliani Curiæ Aulicæ aduocatus, nec non vtraque auctoritate creatus Notarius publicus, cum vero originali quod in pergameno ſcriptum, & quatuor illæſis ſigillis in chordis ſericis, rubri flauique coloris dependentibus; vt pote Moguntini, Regis Bohemiæ, Marchionis Brandẽburgenſis, Ducis Saxoniæ communitum, collationaui, auſcultaui, & de verbo ad verbum conforme reperi; quod hac mea manu, ſigneto, & ſigillo atteſtor. Actum Monachij die 14. Feb. Anno 1618.

*Matthias Moſmuller.*

Ego Oſvvaldus Stadlerus, artium & philoſophiæ Magiſter, Laicus Friſingenſis Diœceſis Prætorii Monacenſis, Procurator, Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus publicus & in Archiuo Romani collegij immatriculatus Notarius, præſens trãſumptũ cũ ſuo vero originali, quod in pergameno ſcriptum, & quatuor illæſis ſigillis in chordis ſericis, rubri flauique coloris dependentibus, vtpote Moguntini, Regis Bohemiæ, Marchionis Brandeburgẽſis, Ducis Saxoniæ communitum, ab initio, vſque ad finem diligenter perlegi, auſcultaui, & de verbo ad verbũ conforme reperi. Quod hac mea manu, ſigneto, & ſigillo atteſtor. Actum Monachij die 14. Feb. Anno 1618.

*Oſvvaldus Stadlerus.*

Ego Iacobus Soyer Imperiali auctoritate publicus creatus Notarius, præſens tranſumptum, cum ſuo vero & illæſo in pergameno ſcripto, & quatuor ſupra nominatis in chordis ſericis, rubri flauique coloris dependentibus ſigillis communito Originali, vna cum ſupraſcriptis Dominis Notarijs auſcultaui, & de verbo ad verbum cõforme, & conſonum reperi. Hoc teſtor propria ſubſcriptione, ſigillo ſignoque, nomine & cognomine meis ſolitis & conſuetis. Actum Monachij die 14. Feb. Anno Domini 1618.

*Iacobus Soyer.*

Balduini verò Archiepiſcopi Treuirenſis inſtrumentum, in omnibus ferè ſimile, illud eſt quod hic ſubnecto.

In nomine Domini Amen.

*Nouerint vniuerſi & ſinguli, hoc præſens publicum inſpecturi, lecturi, atque legi audituri. Quod nos Henricus Dei ac Apoſtolicæ ſedis gratiæ, Epiſcopus Auguſtanus, ac Sac. Romani Imperij princeps &cæt. Vidimus, tenuimus, legimus nec non diligenter inſpeximus, documentum originale in pergameno ſcriptum, quatuor illæſis ſigillis in chordis ſericis rubri flauiq; coloris dependentibus, vtpote Archiepiſcopi atque Principis Electoris Treuiren. Regis Bohemiæ, March. Brandenburgen. Ducisq; Saxoniæ communitum. Et quia illud ſanum, integrum, illæſum, omni prorſus vitio, & ſuſpicione carens inue-*

nimus, idcirco ad Sereniſsimi Principis D. Maximiliani comitis Palatini Rheni, atque vtriuſq; Bauariæ Ducis &c. inſtantiam atque requiſitionem, illud in cancellaria noſtra, per ſcribam noſtrum iuratum tranſumi, & exemplari, ac in publicam hanc formam redigi fecimus, ac per diſcretos noſtros fideles nobisq; à conſilijs & ſecretis, Otthonem Gaſſnerum, & Erneſtū Braun, diligenter auſcultari & collationari mādauimus, decernentes & volentes, vt huic præſenti tranſumpto, ſiue exemplo plena ac tanta fides detur, atque adhibeatur, qualis, & quanta dicto originali documento, inferius inſerto, & cum præſenti tranſumpto auſcultato, & collationato, ſi in medio exhibitum fuiſſet, daretur atque adhiberetur. Huiuſmodi verò documenti tenor ſequitur, ſub his omnino nihil immutatis verbis.

In nomine Domini. Amen.

*Sanctiſsimo ac Beatiſsimo in Chriſto Patri, ac Domino, Domino ſacroſanctæ Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici futuro, Balduinus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, Treuirenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſacri Imperij per Galliam Archicancellarius, Ioannes Dei gratia Bohemiæ, & Poloniæ Rex, VValdemarus Marchio Brandenburgenſis, ac Ioannes Dux Saxoniæ ſenior, humiles & deuoti, cum omni reuerentia deuotiſsima pedum oſcula beatorum.*

*Vacante nuper per felicis recordationis obitum, Sereniſsimi D. Henrici quondam Rom. Imper. ipſo Rom. regno ſeu Imperio, & nobis vna cum R. D. Petro Moguntino Archiepiſcopo: nec non R. D. Henrici Archiepiſcopi Colonienſis, & Illuſtrium Principum Ioannis & Bohemiæ & Poloniæ Regis: Rudolphi Ducis Bauariæ, comitis palatini Rheni: VValdemari Marchionis Brandenburgenſis, ac Ducis Saxoniæ, honorabilibus procuratoribus, ad quos tam de Iure, quā de conſuetudine antiqua & approbata, ius eligendi Rom. Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum noſcitur pertinere, Solemniter concordantibus in diem electionis huiuſmodi, videlicet craſtinum B. Lucæ Euangeliſtæ; quæ eſt decima nona dies menſis Octobris: ex officij noſtri debito, ipſam diem ad electionem huiuſmodi celebrandam præfiximus.*

*Qua die veniente in ſuburbio oppidi Regalis Franckenford. loco ſiquidem ad hoc ſolito, & conſueto, nobis Balduino Treuirenſi, Petro Moguntino Archiepiſcopis: Ioanne Bohemiæ & Poloniæ Rege; VValdemaro Marchione Brandenburgenſi, ac Ioanne Duce Saxoniæ, ſupradictis ibidem conuenientibus, celebrata miſſa S. Spiritus, deliberatione prouida præhabita, ad procedendum in electionis negotio prælibato, & in quantum debuimus, expectantibus, quod R. D. Henricus Archiepiſcopus Colonienſis, & Rudolphus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ nondum venerant, nec per ſe, nec per ſuos procuratores, in dicto loco conuenerant, nos pro bono pacis volentes in hoc eis deferre, ac facere gratiam ſpecialem, dictum terminum, videlicet craſtinum B. Lucæ vnanimi conſenſu, cum R. D. Petro Moguntino Archiepiſcopo; vſque in diem ſequentem duximus continuandum: quam continuationem dictis Archiepiſ. Colonienſi, & Rudolpho Comiti Palatino, ac alijs quorum intereſſe poterat, nos Treuirenſis Archiepiſcopus antedictus, per noſtros Nūtios ſpeciales ad id deputatos inſinuauimus, notificauimus, & ad eorum notitiam deduximus ipſos citando, vice & nomine omnium noſtrorum ibidem præſentium, vt præfata die continuata, in dicto loco ad eligendum conuenirent.*

*Qua die continuata ipſis Archiepiſcopo Colonienſi, & Comite Palatino, ac alijs quorum intereſſe poterat ſic vocatis, & ſufficienter expectatis, quod non venerūt, nec pro ſe miſerunt, nec vices ſuas alicui ſeu aliquibus commiſerunt, in electionis negotio memorato, audita miſſa S. Spiritus, Nos Archiepiſcopus Treuirenſis antedictus, ipſa die continuationis quæ fuit viceſima menſis Octobris prædicta, horâ debitâ & conſueta procedere cupientes, in ſcriptis monitionem legimus, & proteſtationē quandam, vice noſtrâ ac omnium ibidem præſentiū ius in ipſa electione Regis Romanorum, illa vice habentium, monendo omnes infames, excommunicatos, ſuſpenſos, ac interdictos, nec non quoſcunque alios ſi qui forent forſitan inter eos, qui de iure, vel de conſuetudine intereſſe ipſius electionis negotio non deberent, quod à tractatibus electionis celebrandæ futuri Regis Rom: & ab eadem electione recederēt, ipſos coelectores noſtros, nos & alios quorum intereſſet eligere, permittentes, proteſtādo, quod non eſſet noſtra, & coelectorum noſtrorum intentio, tales admittere, tanquam ius in ipſa electione habentes, aut procedere vel eligere cum eiſdem. Imo voluimus, & intentionis noſtræ fuit, quod voces talium, ſi qui reperirentur poſtmodum interfuiſſe, nulli præſtarent ſuffragium, nec afferrent alicui nocumentum, & prorſus pro non receptis, ſiue pro non habitis haberentur.*

*Quam proteſtationem, nos omnes ſupradicti vna cum R. Patre D. Petro Moguntinenſi Archiepiſcopo, coelectores tunc præſentes ratam & gratam habentes, conſenſimus in eandem, & demum poſt tractatus præhabitos conſideratis, ſollicitè & diligenter circumſtantijs pluribus & ſtatu diuerſarum perſonarum, per quas, ſeu per quam regno vacanti & Imperio poſſet vtilius prouideri; in illuſtrem virum Ludouicum Comitem Palatinū Rheni, ducem Bauariæ, virum vtiq; catholicum, Orthodoxæ fidei feruidum zelatorem, Eccleſiæ Sanctæ Dei, & miniſtrorum eiuſdem ac pacis ſanctæ ab ineunte ætate ſua, experientiā, quæ eſt rerum magiſtra efficax, atteſtante, deuotum & humilem amatorem, ſtrenuum in armis, in iudicio iuſtum; in conſilijs prouidum, in vniuerſa morum honeſtate præclarū, benignum, affabilem & manſuetum, de alto & generoſo ſanguine Diuorum Regum & Principum procreatum, ac in cunctis agibilibus, pro regimine Reipublicæ quamplurimum circūſpectum, noſtrum intuitum diuina diſponente clementia, conuertentes. Nos Balduinus Treuirenſis Archiepiſcopus pro nobis, & nomine noſtro, præfatus verò Dominus Petrus Archiepiſcopus moguntinus pro ſe, & nomine ſuo. Nos vero Ioannes Bohemiæ, & Poloniæ Rex, VValdemarus Marchio Brandenburgenſis, & Ioannes Dux Saxoniæ prædicti, quilibet noſtrum pro ſe & nomine ſuo, votis noſtris per venerabilem Patrem D. Moguntinū Archiepiſcopū antedictum vice ſua & noſtra, & ſpeciali mādato ſuo & noſtro, diligēter inquiſitis, nos electores prædicti in loco prædicto præsētes, ius tot ale ea vice in electione habentes dicti Regis, conſenſimus concorditer in eundem Dominum Ludouicum, & ipſum nominauimus quilibet noſtrum pro ſe, nullo penitus diſcrepante in Romanorum Regem eligendum, in Imperatorem poſtea promouendum, & in aduocatum S. Sanctæ Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ, viduarumq; ac orphanorum defenſorem; quibus ſic peractis venerabilis Pater, Dominus Moguntinus Archiepiſcopus de mandato ſpeciali & voluntate coelectorum, noſtrorum, ac ſuo & noſtrorum vice & nomine eundem Ludouicū Comitem Palatinum Rheni, ducem Bauariæ elegit ſolemniter in hunc modum.*

In nomine Domini. Amen.

*Cum vacante Romano Regno ſeu Romano Imperio, per mortem felicis recordationis Sereniſsimi D. Henrici quondam Romanorum Imperatoris, vocatis, qui fuerant euocandi, & qui in electione Regis Romanorum ius habere dignoſcuntur, ac præſentibus die dicta ad eligendum omnibus, qui voluerunt, potuerunt & debuerunt, commode intereſſe, placuerat omnibus & ſingulis præſentibus ad electionem procedere futuri Regis, inquiſitis votis omnium & ſingulorum, ius in electione ipſius Regis habentium & præſentium, omnes & ſingulos electores prædictos appareat, ex præmiſsis direxiſſe concorditer vota ſua in illuſtrem Ludoicum comitem Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ. in eum conſentiendo & ipſum nominando, in Romanorum Regem eligendum, per cuius quidem Ludouici prædicti expertæ ſtrenuitatis merita, fidei puritatem, & conſtantiam, ſperatur ſacroſancta Romana ac vniuerſalis Eccleſia potēter, ac vtiliter poſſe defēſari, ac in ſpiritualibus & temporalibus votiua ſuſcipere incrementa, & etiam Reſpublica prouideri dirigi, ac pariter ſuperno ſibi ſuffraganti auxilio gubernari. Ego Petrus Moguntinenſis Archiepiſcopus antedictus, vice mea, & coelectorum meorum prædictorum ius in ipſa electione habentium; ex poteſtate mihi per eos tradita & conceſſa, eundem Ludouicum inuocata ſancti ſpiritus gratia, in Romanorum Regem eligo, in Imperatorē futurum promouendum.*

*Electione autem huiuſmodi celebrata, eam nos omnes & ſinguli Electores prædicti præſentes approbauimus, & TE DEVM LAVDAMVS, alta voce fecimus decantari, & dictum noſtrum electū, qui præſens extitit, & electioni de ſe factæ, diuinæ nolens reſiſtere voluntati, interpellatus cum inſtantia à nobis, reuerenter conſenſit. Et deinde electionem ipſam Clero, & populo ſolemniter fecimus publicari. Poſtmodum verò ipsū electum, in Ciuitatem Frankenuurdenſium introducentes, in Eccleſiam Sancti Bartholomæi, & ipſum ſuper altare maius, prout moris & conſuetudinis eſt, adhibitis ſolemnitatibus, in talibus debitis & conſuetis, poſuimus, TE DEVM LAVDAMVS denuo decantantes: Deinde in Cœmiterio dictæ Eccleſiæ Clero, & populo ipſum Electum præſentauimus, & eius electionem ſolemniter fecimus publicare.*

*Eapropter Sanctitati Veſtræ tam humiliter quam deuotè voto vnanimi ſupplicamus, vt ipſum electum noſtrum in Regem Romanorum, paternis vlnis amplectentes, munus inunctionis & conſecrationis conferendo, de ſacroſanctis manibus veſtris, Sacri Imperij Diadema, dignemini loco & tempore fauorabiliter impertiri, vt ſciant & intelligant vniuerſi, quod poſuerit in lucem gentium vos Dominus, & per Veſtræ Sanctitatis arbitrium, orbi terræ poſt nubilum exoptata ſerenitas eluceſcat.*

*Cæterum vt Beatitudo Veſtra cognoſcat, euidentius, vota noſtra omnium præſentium, in prædictis omnibus, & ſingulis concordaſſe, ac in petitione huiuſmodi exiſtere vnanimes, & concordes, præſens electionis noſtræ Decretum Sanctitati Veſtræ tranſmittimus, cum ſigillorum noſtrorum appenſione; ex certa noſtra ſcientia roborandum. Datum apud Frankenford. X. Kalend. Nouem. Anno Domini. M.CCC.XIV*

*Quibus omnibus, & ſingulis tanquam rite ac legitime factis, authoritatem noſtram implorātam interponimus, præſentium per tenorem, & ad ampliorem euidentiam præmiſſorum, & illorum omnium ac ſingulorum fidem, præſens tranſumptum manu noſtra ſubſcripſimus, atq; illud ſecreti noſtri appenſione communiri iuſsimus. Datum & actum Dilingæ in arce Reſidētiæ noſtræ, decima nona die menſis Iulij, anno ſalutis noſtræ ortæ M.D.C.XVIII.*

Henricus Epiſcopus Auguſtanus. Locus ſigilli

HOc tranſumptum, ego Matthias Moſmuller, Iuriū Doctor, Sereniſsimi Ducis Bauariæ &c. D. Maximiliani Curiæ Aulicæ aduocatus, nec non vtraque auctoritate creatus Notarius publicus, cum vero originali, quod in pergameno ſcriptum, & quatuor illæſis ſigillis in chordis ſericis, rubri flauique coloris dependentibus, vt pote Treuirenſis, Regis Bohemiæ, Marchionis Brandēburgenſis, Ducis Saxoniæ communitum, collationaui, auſcultaui; & de verbo ad verbum conforme reperi; quod hac mea manu, ſigneto, & ſigillo atteſtor. Actum Monachij die 14. Feb. Anno 1618.

*Matthias Moſmuller.*

EGo OSvvaldus Stadlerus, artium & philoſophię Magiſter, Laic', Friſingenſis Diœceſis, Prætorij Monacenſis Procurator, Apoſtolica & Imperiali ciuitatibus publicus, & in Archiuo Romani collegij immatriculatus Notarius, præſens trāſumptum, cum ſuo vero, & illæſo originali, quod in pergameno ſcriptum, & quatuor illæſis ſigillis in chordis ſericis, rubri flauique coloris dependentibus, vtpote Treuirenſis, Regis Bohemiæ, Marchionis Brandēburgenſis, & Ducis Saxoniæ communitū, vna cum ſupra & infra ſcripto Notario, collatis vtrimque exemplaribus ab initio, vſque ad finem; diligenter perlegi, auſcultaui, & de verbo ad verbū conforme planeque conſonum originali, à me repertum eſſe, hac manus propriæ ſubſcriptione, ſigillo ſignoque notariatus, nomine & cognomine meis ſolitis & conſuetis atteſtor. Actum Monachij die 14. Feb. Anno 1618.

*Osvvaldus Stadlerus.*

EGo Iacobus Soyer, Imperiali auctoritate publicus creatus Notarius, præſens tranſumptum, cum ſuo vero & illæſo in pergameno ſcripto, & quatuor ſupra nominatis in chordis ſericis, rubri flauique coloris dependentibus ſigillis communito Originali, vna cum ſuprascriptis D. Notarijs auſcultaui, & verbo ad verbum conforme reperi. Hoc teſtor propria ſubſcriptione, ſigillo ſignoque, nomine & cognomine meis ſolitis & conſuetis. Actum Monachij die 14. Feb. Anno Domini 1618.

*Iacobus Soyer.*

*Approbatio duorum documentorum decreti electionis Ludouici Bauari.*

NOs infraſcripti vtriuſque Iuris Doctores, in Romana Curia commorantes, requiſiti de legalitate ſupradictorum inſtrumentorū, illis attente examinatis, ac diligenter diſcuſsis, maturaque inter nos habita deliberatione, omnes vnanimiter in ſequentem deuenimus ſententiam.

In primis dicimus hæc duo inſtrumenta, à duobus Archicancellarijs Sacri Romani Imperij, alterum ſcilicet à Moguntino, alterum vero à Treuirenſi Archiepiſcopis emanata; eaque in exquiſita ac ampla forma concepta; eſſe in forma probanti, cum contineant totam ſeriem facti, & formam electionis, ac nomina eligentium eorumque conſenſum, & demum ſint Electorum ſigillis munita, iuxta tradita per gloſ. & Doctor: in capitulo innotuit, extr. de elect.

Item cenſemus vnumquodque illorum, per ſe ipſum ac ſeorſum acceptum, eſſe publicum, authenticum, & legale, illique ſeu illis, certam, ac indubiam fidem fore adhibēdam. tam in iudicio, quam extra, ac probatā facere probationem, cap. cum dilect. de fide inſtrum. decif. cons. 682. n. 2. & 3. Surd. decis. 177. n. 4.

Neque obſtat quinque fuiſſe Electores, qui electionē celebrarunt, & tamen in quocunque ex dictis inſtrumentis non inſpici niſi quatuor ſigilla; tum quia ſigillum quo vnumquodque inſtrumentorum caret, ſpectat ad alterū ex Archicancellarijs, cuius non eſt litteras alterius Archicancellarij roborare, ſed proprias per ſe ipſum erigere; Tum quia non eſt neceſſarium, vt omnes qui aliquam electionem celebrarunt, Decretum ad ſuperiorem mittēdum conteſtentur, & ſubſignent; ſed ſufficit vt per maiorem partem illorum fiat conteſtatio; vti tenent Innoc. in dicto cap. innotuit. n. 3. verſu idem credimus & ibi, compoſtell. n. 2 Hoſt. n. 3. Ioan. Andr. n. 2.

Cenſemus inſuper quod ex iſtis inſtrumentis ſimul ſūptis, irrefragabilis reſultet certitudo: nā ita inter ſe coaleſcunt, & ſunt connexa, vt firmiſsime inuicem ſe fulciant atque ſtabiliant; quod clarè deprehenditur, tum ex illorum contextu, cum ambo Archicancellarij reciproce teſtentur actiones, quas alter illorum in electione geſsit, illasque alternis ſuis ſigillis roborent ac confirment: nā vna ſcriptura aliā declarat: Aonim. cōſ. 231. n. 12. Rota decis. 91. n. 5. in fine part. p. recentior: & inſtrumētū quod fidem non facit ex ſe probat, dum alijs inſtrumentis eſt adminiculatum. Alexand. cons. ibid. n. 7. lib. 2. Tum etiam; quia omnia quinque Principum electorum ſigilla, in præfatis duobus inſtrumentis ſimul ſumptis reperiuntur: Nam ſigillum Treuirenſis, quo caret inſtrumentum Moguntini, extat in inſtrumento Treuirenſis; & vice verſa ſigillum Moguntini, quo caret inſtrumentum Treuirenſis, inuenitur in inſtrumento Moguntini, & ſic quiſque in ſuo confitetur, quod in alterius inſtrumento continetur. c. per tuas. de probat. l. generaliter. c. de non numerat. pecun.

Ex quibus tandem concludimus, præmemorata duo inſtrumenta ſimul ſumpta, eſſe omnibus modis in forma probanti, adeò vt nulli penitus dubitationis vmbræ ſint obnoxia.

*Ita iuris eſſe cenſeo Ego Angelus Androſillà Aduocatus.*

*Et ita de iure ſentio Ego Oliuerius Beltramimis in Rom. Curia Aduocatus, & in fidem propria manu ſubſcripſi.*

*Ita iuris eſſe cenſeo Ego Laurentius Mānoſius in Rom. Curia Aduocatus manu propria.*

*Ita iuris eſſe cenſeo Ego Ioannes Ghinus in Rom. Curia cauſarum patronus minimus.*

*Sic iuris eſſe cenſeo Stephanus Gratianus. I.V.D.*

*Ita de iure Ioannes Philippus Tronchonius. I.V.D.*

Ex eodem Bauarico Archiuo, deſumpta eſt Epiſtola Senatus Francofurdienſis, Aquenſibus ſcripta, quam etiā hic addere libuit, vt rei geſtæ veritas magis pateat.

*Prudentibus & multæ honeſtatis viris, Sculteto, Scabinis, Conſulibus, totiq; vniuerſitati ciuium Aquiſgranenſium; nec*

*non vniuerſis terrarum nobilibus, ac alijs quacunq; dignitate præditis, Sculteus, Scabini, Conſules totaque vniuerſitas ciuitatis VVetſlariæ cum deſiderioſo animo ad ipſorum quæuis beneplacita ſemper beneuolos & paratos. Prudentiam ac honeſtatem veſtram tenore præſentium volumus non latere, quòd cùm dies præcisè & peremptoriè in campis Frankenfurd. videlicet craſtinum Beati Lucæ Euangeliſtæ proximè tranſactum, fuiſſet ad eligendum Romanorum Regem, Principibus Electoribus aſſignata, conuenientibus & ibidem comparentibus Reuerendis in Chriſto Patribus ac Dominis, Dominis Petro ſanctæ Moguntinæ ſedis, & Balduino ſanctæ Treuirenſis ſedis Archiepiſcopis, ſacri Imperij per Germaniam & Galliam Archicancellarijs; Excellentiſſimo domino Iohanne Bohemiæ & Poloniæ Rege, & Comite Lucelburgenſi, Illuſtribus Principibus ac Dominis, Dominis VValdemaro & Henrico Marchionibus Brandenburgenſibus; nec non Iohanne Deigratia Duce Saxoniæ: Reuerendo in Chriſto Patre ac Domino, Domino Colonienſi Archiepiſcopo, nec non Illuſtri Principe Duce Rudolpho Bauariæ, minimè comparentibus & intereſſe recuſantibus, nec aliquos pro ſe mittentibus; ijdem Principes ex ſuprabundanti expectantes duos Principes prædictos vſque in diem Dominicum proximè ſubſequentem, tandem ipſis, vt præmittitur, comparere recuſantibus, Illuſtrem Principem Dominum Ludouicum Ducem Bauariæ, & Comitem Palatinum Rheni purè ac concorditer in Romanorum Regem, meritis ipſius ſuffragantibus, elegerunt. Secunda feria proximè ſubſequente, prædicti principes ſex ad nos, in ciuitate Frankenfordenſi exiſtentes, ſuos idoneos & legatos nuncios miſerunt, notificantes nobis per eoſdem, electionem ab ipſis celebratam, & rogantes quam intimè, vt prædicto Domino ritè electo in Regem Romanorum, ciuitatem Frankenford reſeraremus, ſibi reuerentiam & obedientiam debitam exhibendo; Nos deliberatione diligenti præhabitâ, ac vſi prudenti dominorum noſtrorum conſilio, qui nos taliter informarunt, feria quarta proxima poſt diem Beati Lucæ, Sereniſſimo Domino noſtro, Domino Ludouico Romanorum Regi ciuitatem Frankenfordenſem reſerauimus, ſibiq;, poſtquam ſuper altare ſancti Bartholomæi exaltatus fuerat, quemadmodum Domino noſtro, homagium & obedientiam debitam duximus generaliter faciendam. Datum anno Domini M. CCC. XIV. Octauo Kal. Nouemb.*

Hic vides eoſdem Electores nominatos, quos interfuiſſe electioni, ſupraſcripta inſtrumenta teſtantur. Nam quod vna cum VValdemaro Brandenburgenſi, Henricus quoque ſuffragium tulerit, vt propterea ſex Principes à Francofurdienſibus in electione fuiſſe dicantur: Non eſt cur quis exiſtimet eum, tanquam electorem id egiſſe, ſed mos erat eo tempore, vt quicunque Principes, actui forte electionis præſentes eſſent, ſuum quoque calculum adderent, quem non tanquam legitimum, & vim eligendi habentem, ſed dicis cauſa, vt iuris conſulti loquuntur, appoſitum cenſebant: qua de re & infra locus erit aliquid diſſerendi. His conſonat quod ſex electores in epiſtola ad Benedictum XII. Pont. Max. poſtmodum data, nempe die 8. Auguſti 1338. hiſce verbis ſcripſerunt. *A maiori parte Principum electorum fuit Ludouicus ritè & rationabiliter in Regem Rom. electus, in Imperatorem poſteà conſecrandus.* Quodque ipſe Ludouicus in inſtrumẽto appellationis, à monitorio Ioãnis XXII. interpoſitæ dato Norimbergæ XV. Kal. Ian. anno 1323. ſic dixerat: *Conſtat nos à longe maiori parte electorum, ad quos ius eligendi Regem pertinet, ritè eſſe electos.* Supradictis documentis graues auctores conſonant, nam Ioannes Villanus, magni nominis hiſtoricus, qui ijs temporibus inter viuos erat, eoſdem planè electores Ludouico dat: quemadmodum & Cyprianus Manens lib. 2. ſed & Bernardinus Corius hiſt. Mediol. part. 2. Auẽtinus lib. 7. & Hieronymus Megicer Auſtriacorum hiſt. part. prima Carinthiæ eundem illi numerum tribuunt. Ex aduerſo ipſe quoque Fredericus Dux Auſtriæ ſuffragia maiori ex parte ſeſe reportaſſe aſſerebat. Res in iudicium erat deducenda, diſcutiendumq; quis potiori iure niteretur, verum quæ aſſerre partes ſatagebant, ad electiones vtrimque ſuſtinendas, illa audire Pontifex recuſauit, niſi prius vterque inſignia, ſi quæ ſumpſiſſet, deponeret, & Imperatorem gerere abſtineret. Proinde mirũ non eſt in Bauaricis Archiuis reperiri ea Electorũ inſtrumenta; quæ ſupra deſcripſimus, quæ ſi in Pontificis manus perueniſſent, vtique in Pontificijs tabularijs aſſeruarentur. Nam cum Ludouicus, abdicare ſe imperio omnino renuiſſet, adduci nunquam Pontifex potuit, quicquam vt reciperet quod eius electionem tueri poſſet. Ex quo factum eſt, vt neque ijs, neque conſequentibus temporibus, ſedes Apoſtolica ſuper actu valoreque Electionis, quicquam pronunciauerit, reſque ſemper ſuſpenſa, & in ambiguo ſit relicta. Cæterum quamuis me non fugiat non poſſe inſtrumentorum fidem publicam cuiuſquã hiſtorici aſſertione labefactari: eſſe tamen quoſdam ſcio, qui nimis hiſtoricorum dictis inhærent, eorum præſertim, qui ſui temporis res geſtas ſcribunt: cumque nonnulla ſint apud quoſdam hiſtoricos, quæ eiſdem inſtrumentis aduerſari videantur; rem me gratam lectoribus facturum puto, ſi conciliationes quas vir doctiſsimus, amicus meus Hyeronimus Aleander, qui in aula Pontificia honeſtiſsimo nũc munere fungitur, commentus eſt, hic appoſuero. Is igitur ſic diſſerebat. Inter eos qui pro Ludouico ſuffragia tulerunt, Ioannẽ Saxonem inſtrumẽta nominant: Atqui Carolus 4. Imperator in lib. de vita ſua, quatuor tantum Electores à Ludouico ſtetiſſe ſcribit, & Ioannem penitus omittit: Carolũ verò plures ſcriptores ſequuntur. Reſpondetur conſtitiſſe quidem Carolo, Ioãnem Saxonem electioni Ludouici interfuiſſe, ſed eius ſuffragij non iudicauit habendam eſſe rationem, ob cauſas quæ infra adducentur. Id potius iuris Rudolpho cõpetere credidit, diſcedens hac in parte à parente ſuo Bohemiæ Rege, qui vna cũ alijs Electoribus eũdem Ioannem Saxonem, tanquam legitimum Electorem admiſerant.

Pręterea eundẽ Ioãnem Saxonem appellant inſtrumẽta ſeniorem. At ex Continuatoribus ſteronis eius ęui ſcriptoribus, adiunctis his quæ Rebdorſius, & Cuſpinianus, at aliqui alij hiſtorici teſtantur, colligitur ipſum Ioannẽ fuiſſe iuniorem: alterum verò nempe Rudolphum ſeniorem: ſic enim loquuntur in Chronico: *Sic diſcordantes in duas partes, vna elegit Fredericum Ducem Auſtriæ, primogenitum filium Alberti quondam Regis Romanorum, videlicet Rudolphus Palatinus Comes, & ſenior Dux ſuperioris Bauariæ, Colonienſis Archiepiſcopus, & Dux Saxoniæ ſenior, qui in Epiſcopum Paſſauienſem à ſede Apoſtolica erat deputatus, nõdum tamen eandem ſedem aſcenderat, ſciens ſe fruſtratũ iri in electione, & præfectione monarchæ, iunioremq; Ducem fratrem ſuum timens, eligere volentem Ducem Bauariæ ſuperioris nomine Ludouicum, occaſione electionis gratiæ Apoſtolicæ renunciauit: & quod ſenior erat illico habilis fuit eligendo, Quemq; Auſtriæ cum reliquis ſublimauit.* Et infra de Duce loquentes qui Ludouico ſuffragatus fuerat: *Et iunior Dux Saxoniæ qui ſe dicebat eſſe in electione, & non fratrem ſuum ſeniorem.* Atque vt perſpicue appareat de quibus Continuatores loquantur: ſciendum eſt duos tunc Saxoniæ Duces fuiſſe, quorum alter Frederico Auſtriaco fauebat, atque hunc aperte Rebdorſius, qui tunc temporis viuebat, appellat Rudolphũ: alter à Ludouico ſtetit, quẽ inſtrumenta liquido demonſtrant fuiſſe Ioannem. Porro Frederici fautorem deſignatum fuiſſe Epiſcopum Paſſauienſem, præterdictos Continuatores Cuſpinianus quoque teſtatur; At in eo fallitur, quod eum nominat Albertum. Erroris cauſa fuit, quia legebat Albertum Saxonem, Epiſcopum fuiſſe Paſſauienſem, ſeu mauis Patauienſem, vt nonnulli enunciãt: verum id non eo tempore contigerat, ſed anno 1322. ex homine laico (quemadmodum loquitur Hyeronimus Henninges in Genealogia Principũ) præſul electus, Ioãne Pontifice annuente: Fuit autem Albertus, Germanus frater Rudolphi: Itaque fides adhibenda eſt Continuatoribus ſteronis tunc viuẽtibus, & aſſerentibus Epiſcopatum illum Rudolpho prius fuiſſe addictum, quem octauo poſt anno Albertus frater conſequutus eſt: Cum ergo Rudolphus Epiſcopus eſſet deſignatus, & inde animo reſolutus Eccleſiaſticis obſequijs ſe mancipandi, Ducatum reſignaſſet, aut ſi mauis feudi laicalis redditus incapax, ex eô quod ſacris initiatus erat, ſecundum quod expreſſe Cuſpinianus teſtatur





Ioãnes cui ius competere electionis non tum primũ diſceptatum fuerãt (vt mox dicemus) Ducatum ipſum Saxonicum, & Electoratum ad ſe deuolutum aſſerebat, eoque nomine à Moguntino Archicancellario, & collegis ipſe Ioãnes, tanquam potior ad Comitia conuocatus, & admiſſus eſt. vt tamen verum fateamur, dubitatum adhuc apud nonnullos fuiſſe videtur, vtri ius ſuffragij competeret: ideoque fuere qui Rudolphum nihilominus anteferrent, quemadmodum Carolum 4. feciſſe ſupra docuimus: ſed & Rebdorſius Rudolpho Frederici fautore nominato, de Ioãne prorſus ſilet: Ipſi quoque ſteronis cõtinuatores, idem ſenſiſſe videntur, cum de Rudolpho Epiſcopatus nominationi renunciante ſic loquuntur. *Et quod ſenior erat illico habilis fuit eligendo.* Id propterea permouit Electores, vt in inſtrumentis Ioannem appellarent ſeniorẽ, & hoc iuſtô titulo, vti luce meridiana clarius Lectori demonſtrabimus: Nam vox, ſenior, ſignificat ætatem, & quoque ſignificat Dominium ſeu poſſeſſorem alicuius feudi aliuſue rei: in vtraque enim ſignificatione, dicta vox ſenior accipi conſueuit: de ætate enim extra controuerſiam eſt: de Dominio vero nullus eſt vir peritus qui ambigere queat. Euoluantur Capitularia Caroli Magni, libri itidem fœudales, & alia ſequioris fæculi ſcripta, vox ſenior paſsim vſurpata reperietur pro Domino aut poſſeſſore. Hinc emanarunt illæ appellationes *ſignore* in Italico idiomate, in Hiſpanico *ſennor*, eodem plane ſignificatu. Dominum enim denotant: Iam igitur ſi iuxta primum ſignificatum loquamur, indubie tenendum eſt iure optimo, Ioannem potuiſſe, ac debuiſſe inſtrumentis ſeniorem vocari, non ſolum in illa linea quæ ab antiquo (vt ſtatim dicemus) ius eligendi coram Alberto primo Imperatore prætẽdebat, in qua dicto Ioãni frater erat ſuperſtes natu minor nomine Henricus, ſed abſolute reſpectu omnium Principum, qui in domo Saxonica reperiebantur capaces dicti Electoratus: Rudolphus enim quamuis ætate prouectior, inter mortuos reputabatur, ex puncto quo cecidit à iure Electoratus. vnum tamen hic intermittere non poſſum ſcitu valde dignum, Rudolphum & Ioannem competitores non fuiſſe fratres, vti Cõtinuatores enormiter hac in parte falſi, poſteros ſcriptores fefellerunt; ſed Ioannes filius fuit Ioannis huius nominis ſecundi, qui prætacti Rudolphi extitit patruelis. Vt autem hæc & ſupradicta clarius eluceſcant, legatur Genealogia Principum Saxoniæ ab Elia Reuſnero, & à Hieronymo Henninges collecta, in qua habetur quod ex Alberto primo Electore orti ſunt Albertus ſecundus, & Ioannes primus; Ex Alberto ſecundo Rudolphus de quo eſt ſermo: Ex Ioanne primo Ioannes ſecundus, ex hoc Ioannes tertius competitor ſcilicet iam dicti Rudolphi, de quo Ioanne Henninges ſic loquitur. *Ioannes tertius Elector Dux & Palatinus Saxoniæ, Dux Angriæ & VVeſtphaliæ, cui, & fratri Alberto Emecho Hake, & Albertus VVulf nobiles coram Alberto primo Imperatore teſtimonium dant; quod ſint ad electionem Romani Cæſaris admittendi: id quod litteris mandauit Boemundus Treuirorum Archiepiſcopus anno 1298. die Martini.* Hanc eandem controuerſiam decennio poſt iterum excitatam innuit idem Henninges, cum de huiuſce Ioãnnis patre hæc habet verba. *Ioannes ſecundus Dux Saxoniæ Angriæ & VVeſtphaliæ, cuius mentio fuit in litteris Henrici ſecundi eius nominis Archiepiſcopi Colonienſis, quibus affirmat proteſtationem factam ab Vlrico Paſtore Louemburgico & Nobili Domino Gotſcalco Rin nomine filiorum huius, quod ad ipſos pertineat ius eligendi Imperatorem. anno* 1308. Id accidit ſexto ante Ludouici Bauari electionem anno: Itaque mirum non eſt, ſi Ioannes, qui iam tum Rudolphum ſeniorem excludere nitebatur, vbi poſtea comperit eundem Rudolphum iure Electoratus deſtitutum, ius ſuum eò acrius ſit proſequutus, & ad electionem admiſſus. Vt verò clarius eluceſcat hunc de quo loquimur, Ioannem, illum eundem fuiſſe qui pro Ludouico calculum poſuit, Henningem audiamus de Erico fratre natu minore ſic loquentem. Huic & fratri Ioanni, Ludouicus Imperator quẽ elegerunt, oppignerat vrbem Lubecã 2200. marcis argenti anno 1320. liquet tamen Rudolphum Ludouico reconciliatum, ſuam poſtmodum tultum eſſe poſſeſsionem, præſertim Ioanne & Erico vita functis, vt propterea de eo ſic ſcripſerit Reuſnerus. vita deceſsit 4. Idus Martij, anno 1356. cum ditionem rexiſſet annos 58. ac teſtantibus eodem Reuſnero atque Henninge, Electioni quoque Caroli 4. interfuit, apud quem gratia plurimum atque auctoritate valuit.

Quod ſi de ſecunda prætactæ vocis ſenior ſignificatione ſit ſermo, planum eſt, ſeniorem merito fuiſſe Ioannem Saxonem ab inſtrumentis compellatum: nam vti dictum eſt, Ioannes ſubintrauit dominium & poſſeſsionem Electoratus, Rudolpho illius iure deſtituto, cui patenti veritati non leuem coniecturam addit, Electores in inſtrumentis electionis ſolum hunc Ioannem Saxonem ſeniorem vocaſſe; quare autem Ioannem Bohemiæ Regem atque VValdemarum Brandeburgenſem non compellant ſeniores? an non ius Regni Bohemici inter Ioannem & Henricum Ducem Carinthiæ? an non ius Marchionatus Brandenburgici inter duos Marchiones controuertebatur? ſed nimirum de horum dominio ac poſſeſsione aliquid proferre ſuperuacaneum exiſtimarunt; ſiquidem Ioannes in poſſeſsione erat Regni Boemici, quod imperiali ſententiã obtinuerat, nec minus VValdemarus Ludouici fautor Marchionatus erat poſſeſſor; quod Villanus diligens hiſtoricus expreſſe teſtatur. At de duobus Saxonicis Ducibus, dubia res; vt iam demonſtrauimus, cenſebatur; ideoque Electores qua in ſententia potiſsimũ eſſent, indicare voluerunt, cum Ioannem appellarunt ſeniorem, hoc eſt, Dominum ac poſſeſſorem; norant enim imminente Cæſaris electione, poſſeſſorium attendi ex antiquo more, quem Carolus 4. in auream Bullam retulit. Ipſum autem Rudolphum Dominio, & poſſeſsione cum Ducatus Saxonici, tum Electoratus fuiſſe exutum.

Quod tertio loco inſtrumentis Electorum aduerſari videtur; diligẽtiori examine opus habet, idque eſt, quod traditũ reperitur de Marchione Brandeburgenſi VValdemaro: hunc enim quidam ſcribunt per Procuratorẽ, hoc eſt, per nobilem quendam militem Nicolaum de Boock nuncupatum, ſuffragium tuliſſe, qui quidem procurator cum in mandatis habuiſſet in Frederici electionem ire, eraſo è ſyngrapha Frederici nomine, Ludouicum ſubſtituiſſe, tantique facinoris pœnas luiſſe. Cuius rei meminere Petrus Meſsias de vitis Imperatorum, Ioannes Cuſpinianus lib. de Rom. Imp. Albertus Krãtzius Saxoniæ lib. 9. Michael Eytzingerus in theſauro Principum, & complures alij: ſane rem totam ſi quis introſpiciat oculo, vt ille ait, irretorto, quod de Procuratore dicitur, ac præſertim de eraſo Frederici nomine, fabulam ſapere videtur, ſiquidem eius ęui hiſtorici accurati alioqui ſcriptores, nullam omnino tantæ rei fecerunt mentionem. Ioannes nimirum Villanus, Henricus Rebdorſius, Continuatores ſteronis, & quod magis eſt, Carolus ipſe 4. qui in ſua vita Ludouici electionem ſedulo proſequitur, ſed nec ipſe Argentinenſis, qui paulo poſt vixit, ſed à recentioribus tantum ſcriptoribus tradita reperitur. Huc accedit quòd ſcribit Nauclerus, militem illum binas à Domino accepiſſe litteras pari ſigillo munitas, atque ideo, cum is alterutram proferre poſſet, haud opus habebat ſcripturam eraſione adulterare. Quod vero magis animaduertendum eſt, conſtat mandata illa Procuratoria concipi generaliter tunc conſueuiſſe, nullo adſcripto perſonæ eligendæ nomine, quemadmodum docet nos aurea Caroli 4. Bulla. idque tum à Brandeburgenſi factum liquido colligitur ex Alberto Argentinenſi: quamobrem oportuit militem de voluntate Domini, ſeorſim atque ad aures fuiſſe admonitum, vt propterea nec raſuræ locus eſſe potuerit. Omitto quæ conſiderari poſſent circa genus, modumque pœnæ militi inflictę, quod nec minus figmento proximum videtur, quemadmodum etiam ſtultitia eiuſdem militis, qui cum ſe adeo grauiter in Dominum peccaſſe cognoſceret, ad ipſum tamen redierit, cum tamen in Ludouico, quem ſuffragio iuuerat, tuto hærere potuiſſet. Hiſce tamen ſepoſitis, demus verum eſſe quod

ſcriptores tradiderunt, facilis tamen eſt cõcordia, dicendo & duos tunc fuiſſe Marchiones Brandeburgenſes VValdemari nomine inſignitos, quorum vnus Ludouico, alter vero Frederico fauebat, & dictam præuaricationem mandati, non in electione Francofurdienſi, vbi Ludouicus, ſed in Bonnenſi, vbi Fredericus fuit electus cõtigiſſe, ſi tamen contigerit: Neque hæc abſque fundamẽto proferimus, ſed duabus efficaciſsimis rationibus id confirmantibus innixi: Nam primo, conſtat per Carolum 4. teſtem omni exceptione maiorem, in vita ſua expreſſe teſtantem, Electores qui à Ludouico ſteterant (inter quos VValdemarum Marchionem Brandeburgenſem nominat) ſemper cum illo ſtetiſſe vſque ad ſuum triumphum, hoc eſt vſque ad tempus, quo Fredericum in conflictu vicit. Ex hoc autem dilucide colligitur, VValdemarum Brandeburgenſem, cuius votum Ludouicus habuit, non fuiſſe illum qui Procuratorem miſit ad electionem: nam iſte non ſemper à Ludouico ſtetit, imò nunquam ab illo ſtetit; Duo igitur fuerunt VValdemari Cognomines Marchiones, & ſi quid de mandatario vel mandati præuaricatione interuenit, non in Francofurdiana ſed in Bonnenſi electione contigit. Siſte hic parum amabò Lector, & perpende vim iam dictæ rationis, in qua deprehendes, non minus quam irrefragabile argumentum, quo concluditur contra proteruos, nullam interceſsiſſe fraudem ex parte ſuffragij Brandeburgici in electione Ludouici, quod idem ex ſequenti ſecunda ratione deducere licet, quæ in hoc conſiſtit, quod ille VValdemarus Marchio, qui Procuratorem miſit, cum partes Frederici tueretur, non Francofurtum, vbi cauſa Lodouici promouebatur; ſed Bonnam vbi à partibus Frederici ſtabant illum deſtinarit; hoc enim luce meridiana clarius eſt: alter igitur VValdemarus fuit ille qui miſit mandatarium ab illo VValdemaro, cuius votum Ludouicus habuit Francofurti: Et ſi quam præuaricationem miles fecit, non illam in Francofurdiana, ſed potius in Bonnenſi electione cõmiſit, ille enim quãuis inter Frederici fautores eſſet, mutato conſilio nimirũ aut ſibi cõſulens, aut Domino (quẽadmodum Argentinenſis teſtatur, & poſt illum Cuſpinianus & Krantzius) Ludouico ſuffragari voluit: ſicut & alicui ex ijs qui ad Francofurtum congregati erant, idem pro Frederico facere ſi ita libuiſſet liberum erat. Prædictis probationibus accedit coniectura non leuis propoſitum confirmans, ex eo quod Eitzingerus ex teſtimonio Gerardi Alectorij ſcolaſtici Bonnenſis aſſerebat, ſcriptũ reperiri in tabularijs Bonnẽſibus factum militis, qui Ludouico aduerſus Domini voluntatem ſuffragatus fuerat: Quid enim negotij Bonnenſi carthophylacio cum dicta fraude fuerit vt eius memoria ibidẽ aſſeruaretur, niſi quia in Comitijs illis Bonnenſibus ab eodem milite ſuffragiũ latũ oportuit? Eidem veritati egregiè conſonat, quod ex Villano lib. 9. habetur, duos tunc temporis extitiſſe Marchiones Brandeburgenſes Electoratus cõpetitores, alterum qui pro Ludouico, alterũ vero qui pro Frederico ſuffragatus fuerat; hæc enim ſunt verba Villani, ſi latinè reddantur. *Fredericus vero de Auſtria votũ habuit Archiepiſcopi Colonienſis, & Ducis Bauariæ Fratris inimici. Hæc vota erant certa; habuit quoq; votũ Ducis Carinthiæ, qui ratione vxoris filiæ primogenitæ Venceſlai Bohemiæ Regis, ſe de iure Boemiæ Regem prætẽdebat. Votum quoq; Marchionis cuiuſdã Brãdeburgici, qui & ipſe ſe de iure Marchionẽ eſſe contendebat, licet Marchionatum non poſſideret.* Conſonat pariter quod Reuſnerus & Henninges qui ſtemmata Principũ cõcinnarunt teſtantur, illo ipſo tempore duos fuiſſe VValdemaros in familia Brandeburgenſi, nempe eum qui Marchionatu poſsidebat, quem diximus ſuffragiũ pro Ludouico tuliſſe, & alium Henrici fratris filium. Aſſerũt enim dicti Genealogi quod Henricus alia ex matre erat genitus: Nam pater eorum Conradus Elector, vti dicunt, quatuor vxores habuit, inter quas Sophiã Daniæ Regis filiã, ex qua ſeniorem VValdemarum ſuſcepit, & nobilẽ quãdã Sandauienſem, quæ Henricum iunioris VValdemari patrem genuit: Porro eiſdem genealogis teſtibus Cõrado mortuo, ſucceſsit in Electoratu Ioannes primogenitus eius nominis tertius, quo infra annum extincto, Electoratus VValdemaro ſeniori delatus eſt: Neq; inſtitutum noſtrum parum illuſtrat, quod vnus ex iſtis duob' VValdemaris alteri in Electoratu ſucceſſerit, vti in genealogijs notatur: maiori enim VValdemaro defuncto, minor ſubintrauit Electoratum, quo fermè triennio potitus eſt: poſt quem (quamuis aliquantum digrediendo dicam) & non poſt prioris obitum, Marchionatus in Ludouicũ Romanũ, Ludouici Bauari filium trãslatus fuit: Quod haud miror ab ijs non eſſe animaduerſum, qui de huiuſmodi translatione ſcripſerunt: illis enim & in hac re impoſuit VValdemari nomen duobus inditum, dũ vnum tantum Marchionem ſic appellatum opinantur. Neq; tamẽ ſtatim poſt huius obitum translatio facta fuit: quia, defuncto poſtremo VValdemaro, Ioãnes 4. illius frater (vti obſeruant genealogi) ſucceſsit: ſed quia tantũ quatuordecim dies ſuperuixit, non videtur ob tam exiguum tempus eius habita fuiſſe ratio: Eum poſtmodum Marchionatũ (vt è Dauidis Chytræi hiſt. Saxonica, alijſq; diſcimus) quem Ludouicus vacante feudo filijs ſuis ordine contulerat, Caroluſque 4. Imperator à Bauaris pecunia redemerat, poſtea Sigiſmũdus Cæſar Frederico Norimburgẽſi Burgrauio ex illuſtriſsima gente Comitum de Zolleren, contulit. Ea familia hodieque Electoratum poſsidet.

Hæc fuerũt Illuſtris viri conciliationes, quę tametſi minus neceſſariæ videantur, re prout geſta fuit ex Electorũ inſtrumentis iam patefacta, vtiles tamen cenſeri poſſunt ad omnẽ dubitationis nubeculam diſsipandam. Ex ijſdẽ inſtrumentis illud compendij facimus, quodeo magis ex ijs comprobatur, ius Romani Pontificis in electione Imperatoris cognoſcenda, & confirmanda: quod & præſcriptiones quas ſubiungo euincunt.

*1. Romanorum Imperatores, quatenus Chriſtiani ſunt; vel oues, vel agni ſunt illius, cui Chriſtus cõmiſit: Paſce oues, paſce agnos. & ex conſequenti ſunt etiã illius, qui Petro ſuccedit vt dignitatis prærogatiua, ſic etiam amplitudine poteſtatis.*

*2. Romanorum Imperat. ſiue antequam inaugurentur, ſiue poſt inaugurationem, quatenus Aduocatorum Eccleſiæ Orthodoxæ, & Defenſorum Catholici gregis nomine audire volunt, vultũ cognoſcere, & vel probare, vel reprobare, iure illo æterno;* Cognoſce vultũ pecoris tui. *Romanis Põtificibus pro tẽpore, cõuenit. q etiã Innocent. III. Pont. Max. in Decretali Epiſtola ad Ducem Zaringiæ, non temere definiuit, ex occaſione diſcordis electionis Philip. & Otthonis.* Placet diploma integritati ſuę ex authographo reſtitutũ, adſcribere. Ita habet.

Innocentius III. Seruus ſeruorum Dei. Bertholdo Zaringiæ Duci.

XV. DIPLOMA INNOCENTII PP. III. AD BERTHOLDVM ZARINGÆ DVCEM DE IVRIBVS SEDIS APOSTOLICÆ IN COGNOSCENDA ELECTIONE IMPERATORVM.

*Venerabilem fratrem noſtrum Saltzburgenſem Archiepiſ. & dilectum Fratrem Abbatem de Salona, & nobilem virum Marchionem Orientalem, quorundam Principum Nuncios ad Sedem Apoſtolicã deſtinatos benigne recepimus, & eis beneuolã duximus audientiã indulgendam. Literas quoq; quas per eos quidam nobis Principes deſtinarunt, diligenter perlegi fecimus, & quæ cõtinebãtur in eis notauimus vniuerſa. Inter cætera vero quæ dicti Principes per eaſdem nobis literas intimarũt, hac præcipuè obiectione ſunt vſi, dicẽtes; quod Venerabilis frater noſter Præneſtinus Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, aut Electoris geſſit, aut cognitoris perſonam. Si electoris! electioni ſe ingerens, in alienam meſſem miſerit falcem ſuam, & principum derogauerit dignitati. Si cognitoris! abſente altera partium, videtur perperam proceſſiſſe: cum ea citata non fuerit: & ideo non debuit contumax iudicari.*

*Verum nos qui ſecũdum Apoſtolicum ſollicitudinis officium ſumus ſingulis in iuſtitia debitores: ſicut iuſtitiam noſtrã nolumus ab alijs vſurpari, ſic ius Principum nobis nolumus vendicare. Vnde illis Principibus, ius & poteſtatem eligendi Regem, in Imperatorem poſtmodum promouendum, recognoſcimus & debemus: ad quos de iure & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere. Præſertim cum ad eos poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica Sede peruenerit, quæ Romanum imperium in perſona magnifici Caroli à Græcis trãſtulit ad Germanos. Sed & Principes recognoſcere debent, & vtiq; recognoſcũt, ſicut ijdem in noſtra recognouere præſentia, quod ius & authoritas examinãdi per-*





*ſonam electã in Regem, & promouendum ad Imperium ad nos ſpectat, qui eam inungimus, conſecramus & coronamus. Eſt enim regulariter obſeruatum, vt ad eum examinatio perſonæ pertineat, ad quem impoſitio manus ſpectat. Nunquid enim ſi Principes non ſolũ in diſcordia, ſed etiã in concordia, ſacrilegum quemcunque, vel excommunicatũ tyrannum vel fatuum, hæreticum in Regẽ eligerent, aut paganum, nos inungere, cõſecrare, ac coronare hominẽ huiuſmodi deberem9! Abſit omninò.*

*Obiectioni ergo Principum reſpondentes, aſſerimus, q Legatus noſter Epiſcopus Præneſtinus approbãdo chariſsimũ in Chriſto filiũ noſtrum Regem Otthonem, & reprobando Philippum Ducem Sueuiæ, nec Electoris geſſit perſonã, iuxta quod nobis per literas ſuas quidã Principum opponebant: vtpote qui nec fecit aliquem eligi, nec elegit: & ſic electioni nequaquã ſe ingeſſit. nec cognitoris perſonam exhibuit, cum neutrius electionem (quoad factum eligentium) confirmandam duxerit, aut etiam infirmandam: & ſic ius ſibi Principum nullatenus vſurpauit, aut venit contra illud. Exercuit autem denunciatoris officium, qui perſonam Ducis eiuſdem denunciauit non idoneã quoad imperium obtinendum, non tam propter ſtudia eligentium, quam propter merita Electorum; quamuis plures ex illis qui eligendi Regem in Imperatorem promouendum de iure ac conſuetudine obtinent poteſtatem, conſenſiſſe perhibeantur in ipſum Regem Otthonem: & ex eo quod fautores Philippi, abſentibus alijs & contemptis, ipſum eligere præſumpſerunt, pateat eos perperam proceſſiſſe. Cum explorati ſit iuris, quod electioni plus contemptus vnus, quã cõtradictio multorũ obſiſtat: vnde priuilegium meruerunt amittere, qui permiſſa ſibi abuſi ſunt poteſtate, videri nõ immerito poteſt, quod huiuſmodi iniuria non obſtante, cæteri vti poterãt iure ſuo. Et quoniã Dux prædictus, nec vbi debuit, nec à quo coronam & vnctionẽ accepit, memoratus vero Rex, & vbi debuit, videlicet Aquiſgrani; & à quo debuit, ſcilicet à venerabili Fratre noſtro Colonienſ. Epiſcopo recepit vtrumq;: Nos ergo non Philippum, ſed Otthonẽ reputamus & nominamus Regem, iuſtitia exigente. In reprobatione vero præfati Philippi Ducis Sueuiæ, propter manifeſta impedimẽta perſonæ nõ accuſatione, ſed condẽnatione indigẽt manifeſta. Quod autem, cum in electione principum vota diuiduntur, poſt admonitionẽ & expectationem, alteri partium fauere poſsimus, maxime poſtquã à nobis vnctio, cõſecratio & coronatio poſtulantur, ſicut vtraque pars à nobis multoties poſtulauit, ex iure patet pariter & exẽplo. Nunquid enim ſi Principes admoniti & expectati, vel nõ potuerint, vel noluerint conuenire, Apoſtolica Sedes Aduocato & Defenſore carebit? eorumque culpa ipſi redundabit in pœnam? Sicut autem Principes, & tua nobilitas non ignorat, quod cum Lotharius & Conradus in diſcordia fuiſſent electi, Romanus Põtifex Lotharium coronauit, & Imperium obtinuit coronatus, eodem Cõrado tum demum ad eius gratiam redeũte. Nos ergo per Nũcios Principum memoratos eos duximus commonẽdos; vt ſicut nos à iuris ipſorum ceſſamus iniuria, ſic ipſi contra in ius noſtrum ſe nequaquã iniurioſos oſtendant: ſed à præfato Duce, iuſto quidem à nobis iudicio reprobato recedãt, & præfato Regi Otthoni non abnuant adhærere: niſi tum demum cum contra perſonam eius, vel factum, legitimum aliquid obiectum fuerit, & oſtenſum. Sunt enim notoria impedimenta Ducis Sueuiæ, ſcilicet excommunicatio publica, periurium manifeſtum, & perſecutio diuulgata, quam progenitores eius & ipſe præſumpſerunt in Apoſtolicam Sedẽ & alias Eccleſias exercere. Fuit enim à bonæ memoriæ Cœleſtino Papa prædeceſſore noſtro, propter inuaſionem & deuaſtationem patrimonii Beati Petri, commonitione ſæpius præmiſſa publicè & ſolemniter vinculo excommunicationis innodatus, cum in Tuſcia moraretur; quod ipſe poſtmodum recognouit, dum per Nuncium ſuum ab ipſo prædeceſſore noſtro abſolutionis beneficium poſtulauit; & poſtmodum à Sutrino Epiſcopo, quem tunc cum Abbate Sancti Anaſtaſii pro liberatione Venerabilis Fratris noſtri Salernitani Archiepiſcopi nos in Teutoniam miſeramus, contra formam mandati noſtri, de facto ſolummodo, quia de iure non potuit, poſt ſuam electionẽ, apud VVormaciam occultè ſe fecit abſolui. Vnde patet, quod fuit excommunicatus electus; & videtur nõ immerito, quod adhuc ſit ex eadem cauſa excommunicationis ſententia innodatus, cum prædictus Epiſcopus eũ authoritate ſua nõ poſſet abſoluere: authoritate vero noſtræ delegationis, nec plus, nec aliter liceret hoc ipſi, quã q ei fuerat ab Apoſtolica Sede conceſſum. Ex eo etiã excommunicationis ſẽtẽtiæ ſubiacere creditur manifeſtè, quod cum perfidus Marcoaldus Dei & Eccleſiæ inimicus, cum vniuerſis fautoribus tam Teutonicis quã Latinis, excommunicationis vulgatæ vinculis, ſuæ iniquitatis meritis ſit aſtrictus, (ſicut iam vobis per literas noſtras, directas per P. iudicem Placentinũ, ipſius Philippi Nũcium intimaſſe meminimus, quas ad ipſius Philippi audientiam credimus perueniſſe) nihilominus, quamuis id non tantũ ex relatione ipſius, ſed etiam per publicam famam ad notitiã eius deuenerit, eidem excommunicato nõ ſolum communicat, ſed eum in malitia ſua fouet, & per nuncios & literas ſuas exacuit furorem ipſius, vt chariſsimum in Chriſto filiũ noſtrum Fridericum Regem Siciliæ illuſtrem nepotem eius, quem iam hæreditate paterna priuauit, adhuc priuet poſſeſsione materna.*

*Idem etiam contra proprium iuramentũ, ſuper quo nec cõſilium à Sede Apoſtolica requiſiuit, ambitionis vitio regnũ ſibi vſurpare præſumpſit, non aliã cauſa neceſsitatis in Regem eligere, q vtiq; tolerabilius videretur, cum ſuper illo iuramento Sedes Apoſtolica prius cõſuli debuiſſet, ſicut & eam quidam conſuluere prudenter, apud quã ex inſtitutione diuina plenitudo reſidet poteſtatis. Nec valet ad plenã excuſationem ipſius, ſi iuramentum illud dicatur illicitum: cum nihilominus ſuper eo nos prius conſulere debuiſſet, quã contra ipſum propria temeritate venire: illo præſertim exẽplo, q cum Gabaonitæ à filijs Iſrael per fraudẽ ſurripuerint iuramentum, ipſi tamen cognitæ fraude, noluerunt contra illud ſua temeritat venire. Vtrũ vero dictũ iuramentum licitum ſit an illicitum, & ideo ſeruandum aut non ſeruandũ extiterit: nemo ſanæ mentis ignorat ad noſtrũ iudicium pertinere. Quod autem Philippus de genere perſecutorũ exiſtat, Principes, non credimus dubitare: cum Henricus, qui primus Imperiũ hoc de genere accepit, Paſchalem Papam prædeceſſorẽ noſtrum, cũ Epiſcopis & Cardinalibus multis Romanorũ præſumpſerit captiuare. Fridericus vero pater ipſius Philippi, contra felicis recordationis Alexandrũ Papam prædeceſſorem noſtrum longo tempore ſchiſma fouit. Hẽricus frater ipſius Philippi, qualiter ſe habuerit circa interfectores Sãctæ memoriæ A. Leodienſis Epiſcopi, quẽ ipſe prius coegerat exulare, ac Corradũ qui Hoſtienſem Epiſcopum cœperat, ſatis noſtis. qui & qualiter venerabilem fratrem noſtrum Auximanũ Epiſcopum alapis cœdi fecerit, & pilos de barba eius euelli, & tractari eum in pluribus inhoneſte. qualiter quoq; quoſdam familiares Eccleſiæ Romanæ naſo fecerit mutilari, qualiter prædictũ Salernitanum Archiepiſcopum captiuauerit: & quoſdã viros Eccleſiaſticos flãmis torreri fecerit: quoſdã vero viros in mare ſubmergi, ad tuam & aliorũ Principũ credimus audientiã perueniſſe. Inſuper, ſi prædictus Dux (quod abſit) imperiũ obtineret, libertas Principũ in electione periret: imperij obtinẽdi de cætero cæteris fiducia tolleretur. Nã ſi prout olim Fridericus Corrado, vel Henricus poſtmodũ Friderico, ſic nunc Fridericus Philippo, vel Philip. Henrico ſuccederet: videretur imperiũ nõ ex electione, ſed ex ſucceſsione deberi. Præterea, cum multi Principũ ex Imperio æque ſint nobiles & potentes, in eorum præiudiciũ redundaret, ſi non niſi de domo Ducum Sueuiæ videretur aliquis ad imperiũ aſſumendus. Cum ergo nos flecti à noſtro propoſito nulla penitus occaſione poſſumus, ſed in eo potius firmiſsimè perſiſtamus: & tu nobis ſæpe per literas tuas duxeris ſuggerendum, vt eidem Diui nullatenus faueremus: nobilitatem tuam admonemus & exhortamur in Domino, & per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſicut de gratia noſtra cõfidis, & nos de tua deuotione ſperamus, de cætero à præfato Duce Philippo recedas omnino, non obſtante iuramento ſi quod ei ratione regni feciſti. cum (eo quantum ad obtinendum Imperium reprobato) iuramentum huiuſmodi non debeat obſeruari: Prædicto vero Regi Otthoni, quem nos (concedente Domino) ad coronam imperij diſponimus euocare, patenter adhæreas & potenter: vt cum ei ad commonitionem noſtram adhæſeris, inter primos gratiam & beneuolentiam eius obtinere præcipue merearis: ad quod pro tuæ nobilitatis honore operam dabimus efficacem.*

Hæc Innocentius III. pro iuribus Sedis Apoſtolicæ, in cognoſcenda electione Imperatoris futuri, tam libere, quam ex vero ſcribebat: quod ius eligendi Imperatores, & poteſtas huiuſmodi ad Principes Electores Septemui XVI. IVS ILLVD ELIGENDI

...ſERA ...OREM A SEDE APOſTOLICA D 7. ELECTORES ...PERI VACVM ESSE. AGNITVM AB IPSIS ECCLESIÆ HOSTIBVS.

...os, non à ſucceſsione, neque ab armis, ſed à Sede Apoſtolica peruenerit: neq; omnibus promiſcue Principibus Germaniæ, ſed tantum Septemuiris, Officialibus fuerit conceſſa. Id enim Innocentius in diplomate non obſcure inſinuat, Imperatores & Principes Imperij in litteris ad Pontifices datis ingenue confitentur, & innumerabiles tum hiſtorici, tum iuriſperiti, tum à Secretis Principum viri illuſtres, quinimò & ipſi hoſtes Eccleſiæ apertiſsimè agnoſcunt.

Ex hiſtoricis, Ioan. Trithemius, Ioan. Nauclerus, Conradus Vecerius Secretarius Henrici 7. Franciſc. Irenicus, Platina, Donatus, Boſſius, Gothfridus, Rhegino, Egnatius, Anſelm. Gemblacen. Abbas, Genebrardus, Anton. Bonſinius, VVernerus Rolevvinckius, AEneas Syluius, S. Antoninus, Fl. Blondus, Matth. Palmerius, Ioan. Villanus, Matthæus Paris, Henricus Rebdorfius, Martinus Polonus, Albertus Argentin. Ptolomæus Lucenſis, Author Chronici MS. Friderico 2. æqualis, Albertus Staden. Arnoldus Abb. Lubecenſis, Auctarum Sigeberti Aquicinctinum, Magnum Chronicon Belgicum, Gunther. in Ligurino, Ottho Friſingenſis Epiſc. Amandus Frider. I. Secretar. VVelbertus Conradi II. Imp. Capellan. Sigebertus Gemblacenſ. Marianus Scotus, Annales Metropolitanarum German. Eccleſ. primi, Monumenta Aquilegienſ. Eccleſiæ, Annal. Mediolanen. Eccleſiæ, Martin. Hoffman. Ditmarus Merſeburg. Epiſc. Henrico Sancto & Othoni III. coæuus, Adelboldus, Carol. Sigonius, & alij Catholici: ex Iuriſperitis & Theologis, Bartholom. Salicet. Iac. Philip. Porcius, Ioan. Stella Venetus, Iacob. Ardizon. Anton. de Roſellis, Nicol. Cuſanus, Philip. Corneus, Aluarottus Bonifac. de Vitalis, Baldus, Franciſc. Zabarel. Cardinal. Bartol. de Saxoferrato, Ioan. Andreas, Alberic. à Roſate, Lupoldus Babebergenſ. Epiſc. Otthonis III. coætaneus, Auguſtin. de Ancona, Marſilius Patauinus, B. Auguſtin. Triumphus, S. Thom. Aquin. Hoſtienſ. & alij: ex Principibus, Robert. Bauariæ Dux Com. Pal. Rheni, Electores Ludou. Bauari & Frider. Auſtriaci, Rudolfus I. Auſtriac. Rex Rom. Albertus I. Auſtriacus Rex: Electores Rodolphi I. Auſtriaci, Henricus VI. Friderici I. filius: Electores Otthonis IV. & Philippi, Electores Frider. I. & ipſe Fridericus I. Electores Henrici VII. & ipſe Henric. VII. Elect. Caroli IV. & ipſe Carol. IV. Elect. Frider. III. Maximil. I. & II. Caroli V. Ferdinandi, Rudolphi II. & Matth. I. necnon ipſi Imperatores deſignati: ex hæreticis Simō Schardius, Henricus Pantaleon, Georg. Fabricius, Sebaſtian. Munſterus, Henricus Butingus, Ioan. Balæus Anglus, Chriſtianus Maſſeus, Theodorus Bibliander, Iulianus Taboetius, Michael Buchinger, Hadrian. Damman Gādanus, Baſilius Ioan. Herolt. Matthias Caſtrutius Darmſtadanus, Valentinus Munzerus, Iacobus Eiſenberger, Theatrum vitæ humanæ, Hieron. Megiſerus, Ioann. Lucidus, Ioannes Pomerius, VVolfgangus Icraus, Georgius Sabinus, Georgius Sconberger, Matthias Stephani Pomeranus, Georgius Richterus, Petrus Heigius, & alij quamplures, Septemuiros Electores Principes à Sede Apoſtolica, Gregorio V. decernente inſtitutos eſſe, quibus ſolis ius eligendi Regem Romanorum in Imperatorem promouendum, & poteſtas ſuffragij conueniret.

XVII. SEBASTIANI MVNSTERI EADE RE TESTIMONIVM.

Ita diſertè ex hæreticis Sebaſtianus Munſterus in hiſtoria Germaniæ, pro tabula Nicolai Cuſæ intelligenda, ex ſententia aliorum Sodalium ſcribit.

*Firmato itaq; per hunc Otthonem (I) Imperio apud Germanos, adhuc Canonica Imperatoris electio non fuit, ſed quē Imperio dignū prior Cæſar moriturus deſignabat, hunc Regni Principes plerumque inſtituebant: & hoc pacto filij vt plurimum quaſi hæreditario iure ſucceſſerunt. Qui eligēdi modus à Carolo primo durauit, vſq; ad annum Chriſti DCCCC. XCIII. Nam cum eo anno Ottho II. moreretur, moliebantur Romani Imperium iterum ad ſe reuocare, turpe ducentes, quod Romanū Imperium potius apud exteram eſſet nationem, quā in Italia, vbi primum ortum fuiſſet, & incrementa tanta accepiſſet, vt etiam toti dominaretur Orbi. Volebant igitur deinceps pro Romanorū Rege habere vel Ciuē Romanū, vel Principem aliquē ex Italia, qui vniuerſo præeſſet Imperio. At Germani contra nulla intercedēte mora elegerunt Otthonē Tertiū, Secundi Otthonis filium in Regē Romanorū, poſtergatumque eſt & hac vice Romanorū conſilium. Et defuncto Papa Ioāne, Imperator Ottho propinquū ſuum Gregoriū Quintū, in locum eius ſuffecit, legēque tulit, ſeu formā electionis Cæſaris præſcripſit, quam etiā Papa confirmauit; nempe, quod deinceps nulli liceret eligere Romanorū Regem, niſi Germanis Principibus, qui ex ſeipſis, aut extera natione, Imperio idoneum eligerent, & electus vi electionis mox Cæſar & Romanorū Rex appellari deberet, nō autem Imperator Auguſtus, niſi coronā prius à Romano ſuſcepiſſet Pontifice. Et antequā hanc electionis formulam publicauit, conuocatis Principibus & primoribus Germaniæ, qui Imperatoris electioni intereſſe conſueuerant, indicauit multos in electione ſæpenumero inueniri, qui vel ſeipſos, aut ſuos promouerent ad Imperii dignitatem: & niſi huic ambitioni via præcluderetur, futurum eſſe, vt aliquando grandis hinc emergat diſſenſio, & periculoſa ſimultas: & ob id præſtare paucos intereſſe electioni, qui omnium nomine deinceps vota ſua in idoneum, & Imperii faſcibus dignum conferrent. Videri ſibi quoque operæpretium, ſi Principes Electores conſtituerentur ex Imperii officialibus, quibus potiſſimum nota eſſent regni negotia & conſuetudines. Quum autem hoc Cæſaris conſilium Principibus non diſpliceret, omnium cōſenſu ſtatutum eſt, quod deinceps Septē duntaxat Principes Romanorum eligerent Regem, nempe tris Imperii Cancellarij: Epiſcopus Moguntinus, Germaniæ Cancellarius: Epiſcopus Treuirenſis, Cancellarius Prouinciarū, quas Imperium vltra Rhenum in Gallia habet: Epiſcopus Colonienſis, Cancellarius Italiæ: Palatinus Rheni Summus Dapifer: Dux Saxoniæ Imperii ſummus Enſifer, ſeu Marſcalcus: Marchio Brandeburgen. regni Camerarius: Rex Bohemiæ Imperii pincerna, qui illo tempore, nempe anno Chriſti M. I. cum hæc Sanctio fieret, adhuc Dux fuit.* Hæc Munſterus: qui licet hoſtis Pontificis, expreſſe tamen fatetur, Otthonianam Conſtitutionem, à Gregorio V. confirmatam fuiſſe.

XVIII. ITEM NICOLAI CISNERI.

Fere eadem Nicolaus Ciſnerus, I.C. Pontificibus infeſtus, in oratione de Otthonis III. inſtituto, ſic declamauit.

*Gregorio V. in Pontificatum reſtituto, cum Ottho noſter, quāta detrimēta reipubl. Chriſtianæ pernicioſis de principatu cōtentionib. inflicta eſsēt, animo colligeret: cū quas ob affectationem Imperij cum alij exteri, tum præſertim Itali (quos cæteris ad cupiditatē regnandi procliuiores eſſe cognouerat) turbas mouiſſent, & coniurationes contra Imperatorem conflaſſent, memoria repeteret: cū quod liberis careret, ad eos qui alijs authoritate & virtute præſtarēt ſummā rei electione peruenire vellet: cū deniq; Imperij dignitatē apud Germanos manere, eiuſq; domicilium & Sedem in Germania ſtabilire cuperet: vt & ſeditionū cauſas tolleret, & exteros ab ambiendo imperio ſubmoneret, & tantum decus patriæ conſeruaret, re diligenter cum Pontifice, & Imperij proceribus, quos ſecū Imperator adduxerat deliberata & tractata conſtituerunt, ne alijs quā Germaniæ Principibus eligendi Cæſarem ius poteſtaſue eſſet: ne alium quam Germanum Regem Romanorum deſignarent, nec niſi cui Germani Principes Imperij ſummā tradidiſſent, Pontifices Imperatorē conſecrarent. Hac lege de Cæſaris electione Romæ promulgata, Imperator Ottho in Germaniam rediјt. Etſi autē hoc decretum Itali alijque exteri populi grauiſsime tulerunt, auſi non ſunt tamen apertè labefactare aut conuellere. Hinc vetus illa & conſtans manauit opinio, id temporis Septem conſtitutos eſſe Germaniæ Principes viros, qui eligendi Cæſaris poteſtatem haberent, quos hodie Electores ſeu Septemuiros vocamus.* Hæc Ciſnerus.

XIX. SIMEONIS SCHARDII.

Eadem, ſed breuius Simon Schardius lib. de Elect. Germ. Princip. c. 1. Otthonem III. ait, ſuffragante Summo Pontifice Gregorio V. ſanctionem tuliſſe ex conſilijs Principum Germaniæ, de Imperatore à Germanis Principibus Officialibus Imperij deligendo.

PRINCIPES ELECTORES AD COMITIVM

*Quanquā autem ad Septemuiros Principes, ius ſuffragij ex inſtituto Gregorij V. Pōtificis, & Otthonis III. pertineret, ſolebāt tamē, quemadmodum etiamnum hodie ſolent, ad Comitium cōuenire alij Principes Imperij, tū ſpirituales, tum ſæculares,*





PRO ELIGENDO IMPERATORE CONVENIENTER ALIOS QVOQVE AD ELECTIONEM INVITARE SOLITOS.

*non vt eligant aut ſuffragiū ferant, ſtricto iure loquendo: Sed vt proponant & nominent eligendū à Septemuiris, vel vt electo ab eiſdem Septēviris officium exhibeant: ſiue etiā vt inter admiratores electionis habeātur. Hoc pacto, mortuo Hērico Rege,* (vt VVelbertus Conradi II. Imperatoris Capellanus de electione Lotharij Cęſaris cōmemorat) *valde multi Principes ex toto Regno congregati ſunt in Moguntinenſi vrbe, vbi de electione noui Regis magnus erat tractatus. Initio in magna Curia collecti erāt oēs qui ibi fuerunt ſæculares ac ſpirituales Principes, quorum plerique nude & ſimpliciter nominabāt, quem optabant per alios eligi: & tamen ipſi non eligebant, quia non habebant voces ſuffragiorū realiū. Cum igitur nominauerunt Lotherariū dixerunt: Huic prōpti ſumus obedire, ſi vos eū inthronizabitis in regnū veſtris annuentibus votis, ac beneplacito, nulla diſcordia erit. Pauci aūt ſpirituales & tēporales Primates, examinātes perſonā Lotherarij, & bellicoſa facta, & merita erga Chriſti ſeruos & vniuerſā Eccleſiā, eū voтiue elegerūt: cū eū magnopere cōmendaſſet Albertus Epiſcopus Mogūtiæ, qui Magnates Sueuorū capitali odio perſequebatur.*

*Alij Principes qui nulla dabant ſuffragia, libēter eum amplexati ſunt ſuo fauore, & habuerunt pro Rege LOTHARIO ſine filijs defuncto,* (quemadmodū Ottho Friſingenſis Epiſcopus narrat) *Confluentiā vbi Principes Electores conuenerant, & indidē Conradū Hērici Imperatorium ſororium elegerant, præſens fuit Theodeuinus Epiſcopus Cardinalis, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Legatus, Summi Pōtificis ac totius Romani populi, vrbiumq; Italiæ aſſenſum promittens: adeoq; perſonā omnium Italiæ principum & Vrbium repræſentans. Ad electionē quoque Friderici I.* (vt Amandus eius Secretarius refert) *nulli illuſtres heroes ex Lōbardia, Tuſcia, Ianuenſi, & alijs Italiæ dominiis, ac maior & potior pars Principū in Trāſalpino regno conuenerant in vrbe Francofurtenſi: plurimoq; numero ij Principes conuenientes dixerunt per ſuos internuncios ad Principes officiatos Regni, reſidētes in arcano loco Curiæ Regalis.* Nos & tota patria teſtatur nullum aptiorem eſſe regno regendo, quam Fridericum de Vuaiblingen & Stauffa, natum ex generoſa proſapia, meritis & virtutibus decoratum, ac illuſtrem. Quem per vos Deus ſublimare dignetur: cui parata erunt noſtra obſequia vſq; ad mortē In hunc ſi veſtris vocibus ô officiati conſentitis, firmū robur habebit ſui Imperij. *Cū autem ex ſecreto conclaui prodirēt officiati, indicantes ipſos vnanimiter Fridericū in Regem ſeruatis de iure ſeruandis elegiſſe, cunctis omniū Ordinum applauſus eſt conſecutus, dicentes:* hæc electio tuta ac firma cōſiſtet. Nam omnium noſtrum munietur præſidijs. Viuat iuſtiſsimus Cæſar, & inſignis bellator, qui nos contra oēs externos hoſtes defendet. *Et tunc omnes ei iuramentū fecerunt, de omnibus Regi exhibendis, quæ antiquo more maiorum obligati erant facere Principes. In electione etiam Rudolphi Sueui Anno Dom. 1072.* vt Paulus Benriedensis Synchronus narrat, *oēs Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, Comites, maiores atq; minores adfuerūt. Septēuiris Electoribus, apud Moguntinū Archiepiſcopū, tanquā in loco ſecretiori & ab aliis ſegregato, vigore iuris ſui eligētibus, ſuffragādo & cōſētiendo.* Ante electionē Otthonis IV. Principes qui curādo funeri Hērici V. aduenerāt, alios etiā ad electionis locū inuitabāt. Extat Epiſt. eorū his ipſis verbis cōcepta.

Adalbertus Mogunt.
Fridericus Treuiren.
Adolphus Colonien.
} per Dei miſericordiā Archiep.

Oudalricus Conſtantien.
Buggo VVormatienſis.
Arnolphus Spirenſis.
} per Dei miſericordiā Epiſc.

Oudalricus Fu'denſis Abbas.
Henricus quoq; Dux Bauariæ.
Fridericus Dux Sueuiæ.
Godefridus Palatinus Comes.

Beringherus Comes de Sultzbach. & cæteri vtriuſque profeſsionis Principes, qui exequijs Imperatoris intererant, Venerabili fratri Otthoni Epiſcopo Babenbergenſi, hinc fraternas in Chriſto orationes, inde fideliſſimum deuotæ ſeruitutis obſequium.

*Poſtquā Dominus Imperator viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt, & nos exequias eius cum iuſta deuotione & reuerentia cōpleuimus, ipſe ordo rei & tēporis qualitas exigere videbatur, vt de ſtatu & pace regni aliquid conferremus, vti non abeſſet præſentiæ veſtræ cōſilium, & aliorum Principum, tanto negotio vtile & perneceſſarium; quam expectare, quia graue erat & difficile; ſedit omnium noſtrum ſententiæ, ſi veſtræ tantum non diſplicet concordiæ, Curiam in feſto B. Bartholomæi apud Moguntiam celebrare, & ibidem conuenientibus Principibus de ſtatu & ſucceſſore Regni, ac negotiis neceſſariis, prout Spiritus S. aſpirauerit ordinare. Nullum tamen præiudicium deliberationi & voluntati veſtræ facientes, nihil nobis ſingulare ac priuatim in hac re vſurpamus: quin potius diſcretioni veſtræ hoc apprime intimatū eſſe cupimus, quatenus oppreſsionis, qua Eccleſia cum vniuerſo Regno vſque modo laborauit, diſpoſitionis diuinæ prouidentiam inuocetis, vt in ſubſtitutione alterius perſonæ, ſic Eccleſiæ ſuæ & regno prouideat, quod tanto ſeruitutis iugo amodo careat, & ſuis legibus vti liceat, noſq; omnes cum ſubiecta plebe, temporali perfruamur tranquillitate. Conteſtamur etiam dilectionem veſtram, vt pacem credito nobis cœlitus populo, infra præſcriptum Curiæ terminum, & vltra ad quatuor hebdomades ordinetis: quatenus omnibus tutior fiat concurſus ac reditus: & vt Curialiter, more videlicet antiquorum Principum, cum propria impenſa, neminem pauperum lædentes, conueniatis.*

Ad eum modum alijs Principibus Alemanniæ, ſupraſcripti ſignificauerunt, & ad Comitium inuitarunt: vt ex mutuo eorum conſilio, aliquis idoneus ad eligendum ſeptem viris proponeretur, in quem etiam illi conſenſus ſui ſuffragiū darēt: quemadmodū etiā Othoni IV. aliquos cōſēſiſſe, ex his quos adiūgo euidēs eſt. Ita habēt.

Sanctiſsimo Patri ac Domino, Innocentio, Sacroſanctæ Romanæ Sedis Summo Pontifici, Principes & Barones Alemanniæ, Clerici & Laici debitam in Chriſto reuerentiam & ſinceritatem obſequij.

*Cum placuiſſet ei, qui aufert Spiritū Principum, & magnus & terribilis eſt ſuper Reges terræ, Dn. Henricum Imp. de medio auferre, neceſſarium nobis viſum fuit, de ſubſtituēdo Regē tractatū & colloquiū habere. Cōuenimus ergo ſæpius, & miſerias & oppreſſiones quas hactenus ſuſtinueramus recēſētes per vniuerſos regni terminos animos noſtros ereximus, & quid honori Eccleſiæ Dei, & paci ac quieti ſubiectorū expediret deliberantes, nunc vnū, nunc aliū quaſi finaliter eligere putabamus. Verum quia non eſt prudentia, nō eſt potētia, non eſt conſilium niſi per Deum, placuit ei qui Abrahæ filiū immolare volenti victimā prouidit, & Dauid fratribus iuniorē de poſt fætātes accepit, atque Matthiā ex diſcipulorum numero ad ſortem Apoſtolatus elegit, Sereniſſimū Dominum noſtrum Otthonem, quondā Henrici Ducis Saxoniæ filiū, ad regimen Romani Imperii de terra peregrinationis ſuæ ex inopinato nobis offerre. Inuocata itaque Sancti Spiritus gratia, prædictū Dominū Otthonē, Chriſtianæ fidei cultorē deuotiſsimum, atq; Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Aduocatū, & Defenſorem fideliſsimū, & iudiciariæ poteſtatis obſeruatorē iuſtiſsimū, de lōga & antiqua Regū proſapia ex vtraque linea ſpecialiter editū, ad Romani regni faſtigiū iuſte & rationabiliter elegimus: ipſūque in Auguſtorum Sede à Carolo Magno apud Aquiſgranū huic dignitati deputata locauimus, & corona, & regni diademate per manum Domini Adolphi Colonienſis Archiepiſcopi ea qua decuit ſolēnitate feliciter coronauimus. Nos autem Principes, qui iam dictum Dominū in Regem elegimus, feuda noſtra quæ ab Imperio tenemus, à manu ipſius recipientes, hominium ſibi fecimus, & fidelitatem iurauimus. Tantæ igitur dignitatis munus, excellentiſſimus Princeps, diuinæ potius gratiæ quā ſuis meritis adſcribēs, primitias huius honoris afferens Domino, propria volūtate iuramēto firmauit: inprimis Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, deinde omnia Eccleſiarū iura, bona fide ſeruare & manutenere: & ſubiectos Imperii, exhæredatos maxime, & à ſuis poſſeſſionibus violenter eiectos, in ſua iuſtitia pro poſſe iuuare, & conſeruare. Prauam illā conſuetudinē inſuper, quam Imperatores anteceſſores ſui in occupādis rebus mobilibus vel ſe mouētibus decedētiū Epiſcoporū vel Abbatū Principū hucuſq; ſeruauerūt, penitus extirpās, nos Eccleſiaſticos Principes ex hac indebita vexatione Regali beneuolentia liberos dimiſit, & decedentium bona ſuis ſucceſſoribus ſeruāda liberaliter ſtatuit. Paternitati ergo Veſtræ dignū ſupplicare duximus, quatenus*

*ſidem & deuotionem Domini noſtri Regis attendentes, merita quoque Illuſtriß. patris ſui Henrici Ducis Saxoniæ, qui ab obſequio S. Rom. Eccleſiæ nunquā receſsit, memoriter tenentes, paci & quieti noſtræ & veſtræ intuitu Dei & noſtri obſequij prouidentes, ipſius electionem & conſecrationem auctoritate veſtra confirmare, & Imperiali coronatione armare, paterna pietate dignemini. Sanctitatem inſuper veſtram obnixè rogamus, quatenus Principes & Barones, à tam rationabili electione diſcordes, Eccleſiaſtica cenſura ad concordiam reuocetis, & ab illicita fidelitate partis aduerſæ, clauo Sancti Petri reſoluto, ad præſtandū Regi Domino noſtro fidelitatem & ſubiectionem, auctoritate veſtra compellatis. Vt autem à Domino Rege noſtro iura Romanæ Eccleſiæ (vt prædictū eſt) integra & illibata ſeruentur, nos in bona fide ſpondemus, & pro Domino Rege noſtro fide iubemus.*

Ego Adolphus Colon. Archiep. elegi & ſubſcripſi.
Ego Berardus Paderborn. Epiſcop. elegi & ſubſcripſi.
Ego Thietmarus Mindenſis Epiſc. elegi & ſubſcripſi.
Ego VVittichindus Corbeienſis Abbas elegi & ſubſcripſi.
Ego Gerardus Tudenſis Abbas elegi & ſubſcripſi.
Ego Eriberthus Vuerden. elegi & ſubſcripſi.
Ego Henricus Dux Lotharingiæ qui & Brabantiæ, Marchio Romani Imperij elegi & ſubſcripſi.
Ego Henricus Comes de Leuke cōſenſi & ſubſcripſi.

Hactenus epiſtolæ verba & ſubſcriptiones.

Hi Principes ſe elegiſſe Otthonem fatentur: non quidem eo modo quo Adolphus Colonienſis, qui ius ſuffragij ferendi habebat: ſed tum ante electionem proponendo, tum poſt electionem electioni conſentiendo: quē ad modum iam vſus obtinuerat: & deinceps etiam obtinuit, vt reliqui principes ad Comitiū conueniant, & Imperatorē eligendū ſeptem viris proponant, inque legitime electū ſuffragia conſenſus ferant: quemadmodū electioni Maximiliani I. Cæſaris, an. 1486. in oppido Franchenford præſente Friderico Auguſto peractæ, non ſolos Electores interfuiſſe, ſed quam plurimos etiam alios adfluxiſſe Principes, Comites, Barones, Nobiles, codicillus recenſet typis excuſſus, tomo 3. Germ. ſcriptor. Marquardi Freheri. Ad Maximiliani etiā II. electionem An. Dom. 1562. ſubſcripti principes venerunt:

Ferdinandus Rom. Imp. Hungariæ & Boemiæ Rex.
Daniel Archiepiſcopus & Elector Moguntinus.
Ioannes Archiepiſcopus & Elector Treuirenſ.
Fridericus Archiepiſc. & Elector Colonienſ.
Fridericus Palatinus Bauariæ Dux Elector.
Auguſtus Saxoniæ Dux Elector.
Ioachimus Marchio Brandeburgenſis Elector.
Albertus vtriuſque Bauariæ Dux.
Rudolphus & Erneſtus Archiduces Auſtrię fratres, Regis Maximiliani filij.
Georgius Comes Palatinus Simeranus.
VVolfgangus Palatinus Bipontinus.
Ludouicus & Ioan. Caſimirus Palatini Electoris Friderici filij.
VVilhelmus Dux Iuliacenſ. Cliuenſ. & Bergenſ.
Erneſtus Dux Brunſuicen. & Grubenhagen.
Ioan. Albertus Dux Megalopolenſis.
Carolus Dux Lotharingiæ.
Franciſcus Dux Lauenburgenſ.
VVilhelmus iunior, Ludouicus { fratres Landgrauij Heſſorum.
Chriſtophorus Dux VVurtembergicus & Ludouicus eius filius.
Bernhardus Princeps Anhaldinus, & alij tum Eccleſiaſtici, tum ſæculares.

In Matthiæ quoque moderni Imperatoris electione præſentes fuerunt:

Ioan. Suicard. Moguntinenſ., Lotharius Treuerenſ., Ferdinandus Colonienſ. { Archiepiſc. & Elect.
Ioannes Comes Palatinus Rheni Bipontinus Electoralis Palatin. Tutor & Adminiſtrator.
Ioan. Georgius Saxon. Iul. Cliu. & Mont. Dux & Elect.
Fridericus V. Elect. minorennis, Georgius Guſtauus { Com. Pal. Rheni Duces Bauariæ.
Fridericus Caſimirus, Ioannes Caſimirus { Com. Pal. Rheni Duc. Bau.
Ioannes Caſimirus, Ioannes Erneſtus { Duces Saxoniæ.
Ioachimus Erneſtus, Georgius VVilhelmus { Marchiones Brandeburg.
Fridericus Vlricus Dux Brunſuicen. & Luneburgen.
Ioannes Fridericus, Ludouicus Frider., Iulius Fridericus { Duces VVurtenb. & Teccen.
Mauritius, Ludouicus, Philippus, Fridericus, Otto { Landgrauij Haſsiæ.
Georgius Fridericus Marchio Baden.
Chriſtianus, Ioachimus Erneſtus { Principes Anhaldini.
Auguſtus Dux Luneburgenſ.
Albertus Dux Holſatiæ & Sleſuicen.

Hi itaq; & alij principes, ac principum Legati, in Comitijs præſentes optando vel proponendo in ſuffragia Impp. ibant: non autem iure Septēuirali eligebant. quod ſi quis aliud aſſerere vellet, riſu ab vniuerſis exciperetur. Ad eum modum & in Ludouici Bauari ſuffragia, præter aliquos ex ſeptemviris alij proponendo, ſeu nominando, ſeu etiam conſentiendo inerunt: ſtante ſua iuriſdictione eligendi ſeptemuiris, à Sede Apoſtolica olim dignatis. Sed nos ad alia.

XX. LVDOVICVS HVTINVS FILIVS PHILIPPI GALLIARVM REGIS PATRI SVCCEDIT.

In Gallijs, Philippo Regi defuncto & honorificè ſepulto, Ludouic. filius, cognomento Hutinus, ſeu Tumultuoſus, in regnum ſucceſsit; die inuentionis S. Stephani Prothomartyris, qui in Dominicum inciderat, ab Archiepiſcopo Rhemenſi ſacro oleo inunctus.

Quoniam autem in hunc locum ſepeliendorum, coronandorumq; Regum Galliæ incidimus, placet vtriuſque actionis ordinem & modum, iſthic, non tantum curioſitatis, verum & pietatis cauſa inſerere. His ipſis verbis deſcribebat. *Tillius Comment. de rebus Gallicis li. 2.*

XXI. RITVS SEPELIENDI REGES ET REGINAS GALLIARVM.

Simul ac Rex obijt aut Regina, exprimitur eius imago cêra in faciem impoſita, vt accurate effigies formæ illius reſpondeat. Dum imago illa fit, ſepelitur corpus à cubicularijs nobilibuſq; domeſticis: deinde poſitum in feretro plūbeo obtecto lignis & nigro holoſerico, cui crux ex albo ſerico impoſita eſt, à cuſtodibus in cubiculum aliquod inſtructiſsimum exportatur, ſpondæq; imponitur, cuius Baſes auro textili exornatæ ſunt, & ſuper corpus inſternitur operimentum magnum ex auro textili dependens humi. Huic baſi ex aduerſo in eodem cubiculo eſt altare paratum ad canendam quotidie miſſam, officiaq; tantiſper præſtanda dum corpus ibi manſurum eſt. Poſtquā effigies cōparata eſt, in aula ornatiſsima collocatur circumdata ſedibus auro textili ſtriato cōtextis: quibus inſident antiſtites, proceres, nobiles, & officiales effigiem comitantes: quæ effigies impoſita eſt lecto ornatiſsimo habente operimentum ex auro textili circumquaq; humi dependens, limbis factis ex murium Ponticorum pellibus diſtinctis, qui in longitudinem ab operimento exceduntur amplius iuſtum pedem. Huic effigiei primum induitur interula ex tela Hollandica, ſerico nigro acu picta ad collum & manus: deinde ſubucula ex ſerico rubro coccineo, inſerta ſerico leuidenſi eiuſdē coloris, & circumornata breui peniculamento, cuius ſubuculæ manicæ tantū vſq; ad latera brachiaque & ad tibias quaſi digiti quatuor conſpicui ſunt, propterea quod tunica ſerica cærulea inſperſa floribus lirinis ex auro, peniculamentum habet ex auro & argento à manicis ad cubitum vſque digitos quatuor latum. Tunicæ impoſitum eſt regale pallium ex holoſerico hyacinthino coccineo cæruleo, inſperſo floribus lirinis ex auro, in vlnarū quinque longitudinem cōprehenſo Syrmate; quod pallium ante obtectum carens manicis inſartū eſt ſerico leuiden-





ſi albo: collare autem rotundū muribus Pōticis inuerſis, ornamenta denique omnia & Syrma pallij inſarta murib. Ponticis. Ad collum effigiei ſupra pallium eſt catena ordinis magni Regis: ad caput pileus ex holoſerico coccineo ſuperne ornatus gemmis: tibijs indutę ſunt ocreæ ex tela aurea, ſoleis ex ſerico coccineo rubro. Effigiei manus coniunctæ ſunt: eam circumſtant ad caput ceruicalia duo ex holoſerico rubro coccineo parte Phrygionica ex auro, quorū vni ad dexteram ſceptrū imponitur tanta fere longitudine quanta eſt effigies, alteri ad ſiniſtram manus iuſtitiæ tecta, impacta baculo longo duos pedes & dimidium. Lectus nullis ſupparis circumdatur. Ad angulū lateris dextri, verſus regulam illius eſt cathedra ex auro textili, & in ea puluinar eodē opere In extremo lecti iuxta illum eſt ſcabellū obductū auro textili, cui argentea crux deaurata imponitur: vlterius alterum ſcabellū eſt textili auro ſtriato tectum, cui ſemper inſident chlamydati precones duo, qui aſpergillum offerant principibus benedictam aquam inſperſuris. Inter precones horæ diſtributæ ſunt, vt ſemper honoris cauſa bini adſint. In extrema aula è regione illius effigiei eſt altare optime inſtructū. Ea effigies in aula octo dies aut nouem permanet, & ex quo Rex obijt vſque dum effigies à propinquo corpore auferatur, & deinceps eædem formę officiorum exhibentur, quæ viuo Rege ſolebant exhiberi · ordinarijs horis prandij & cœnæ menſa ab adminiſtris ſternitur, miniſterium menſale à nobilibus affertur præeunte oſtiario, quem ad miniſtri poculorum ſequuntur: tegitur mēſa cum ſalutationib. & prægustationibus ſolitis; panis ſcinditur, paraturq; cibus & cætera ad cibum pertinentia. Præeunte oſtiario & pręfecto prætorio à paniſice, aſſecla, archimagiro, & menſalis miniſterij cuſtode: mallubrum & mantile abſtergendis manibus à pręfecto prætorio vni ex proceribus ſummo qui tū aderit cōmittitur. *Menſæ* antiſtes benedicit aut eleemoſynarius, mallubra cathedræ Regis adponuntur tamquā ſi viueret, triaq; fercula mēſalia ex more cū vini adminiſtratione, cuius poculū ijſdem locis exhibetur, vbi Rex mortu[9] ſolitus erat bibere. His finitis pro more mallubrum iterum affertur: gratiæ quoque ab eodem antiſtite agūtur aut eleemoſynario, adiectis pſalmis & orationibus pro defunctis, adſtantibus ijs qui Regem viuentē hora cibi ſolebant appellare, aut roganti reſpondere: inter quos accedunt principes, antiſtites, nobileſq; viri & fœminę pręter domeſticos. cibaria dātur pauperib. Sublata effigie, in mediā aulā loco illius apportatur corpus Regis, & trapezophoris imponitur altis cum feretro pedes ferme quatuor & dimidium, ꝙ feretrū holoſerico nigro humi dependente tectum eſt, & in medio habente crucem ex albo ſerico, ad angulos verò ſingulos ſcutū ſtemmaq; Gallię cū corona & Regis ordine circūquaq;. Supra holoſericum eſt magnus tholus ex auro textili hetromallo, cum cruce magna in medio ex albo ſerico, minoribuſq; Galliæ inſignibus. Ad extremitatē quāque huius anguſtioris crucis circa tholū, holoſericū coccineum hæret hyacinthinum inſperſum floribus lirinis ex auro in holoſerici latitudinem, cui appingitur limbus è murium Ponticorum pellibus digitos quatuor latu. Supra tholū feretrumque verſus caput eſt puluinar ex auro textili heteromallo, cui incumbit corona inter ſceptrum & iuſtitiæ manū. ad ſiniſtram pedes verſus, & ſuper feretrum eſt deaurata crux ex argento: corpori feretroq; incumbit opulentiſsimum puluinar ex nigro holoſerico. Infra pedes eſt ſcamnum nigro panno tectum, in quo eſt aquiminale, & vtrimque inferiora ſcabella duo ſimiliter tecta, quibus inſident precones duo chlamydati & tecti humeralibus. Cum maiores *Miſſæ* canuntur, aut Principes & Cardinales accedunt, adſtant precones vt aſpergillum exhibeant; quibus Principibus & Cardinalibus ad preconum latus ſtatuitur ſcamnum panno nigro tectum, vt durante Miſſa officioq; ſedere poſſint. Circa corpus & feretrum eſt repagulum nigrum; aula atrata eſt lateribus & ſolo, itemq; circūſtantia ſedilia quibus officiales inſident. In extrema aula duo ſunt altaria ornata inter ſe propinqua; vnum ſacelli magni, in quo magnæ Miſſæ canuntur: alterum Oratorij, in quo ſubmiſſæ Magnæ Miſſæ pro defunctis, quæ poſtrema ſymphonia [illegible] canitur, & Miſſæ ordinariæ Oratorij, quam ordinarius defuncti Regis Capellanus facit, aſsiſtunt primores, nobiles, officiales & cuſtodes atrati omnes. Hęc officia quotidie præſtantur, & ſignum concionis datur donec corpus inhumandum efferatur. Paucis ante diebus Rex ſucceſſor purpurato pallio regali, purpuratoque humerali, cuius pallij ſyrma à quinque principibus fertur, cum eo comitatu quē voluerit, in aulam aduenit: vbi primus cubicularius puluinar illi exhibet, ſuper quod poſt ſalutem ordinariā in genua procidit, & preces habet, corpuſque aqua benedicta aſpergit oblato per antiſtitem vnū aſpergillo, quod antiſtes alter ipſi tradiderit. deinde exſurgit Rex, & ſalute dicta abit. Purpura lugubris color eſt Regū, Reginarum vero luteus. Rex palliū ſuum poſitū, preconib. ſolet dare. Si Reges aut Reginæ Lutetiæ obierint, inhumandū corpus ex ædibus petitur vbi deceſſerint. Sin extra Lutetiam, deducitur illud in ædem Mariæ Cāpeſt. aut S. Antonij Campenſis, prout cōmodius iter eſt. Adueniente eo, ſtatus Lutetiani, ideſt, Præſides, aliaq; Parlamenti officia atrata, rationarij, ſubſidiarij, monetarij, electi, *Præfectus Mercatorū*, ædiles, conſiliarij vrb[illegible] pullati procedunt, & corpori tranſeunti reuerentiā exhibēt. Poſtridie mane precones viginti quatuor proclamant in foro ad marmoream menſam, & in plateis, honorificas Regis præfationes adducentes, prout conſilium ipſius ſtatuit, non autē Parlamentū. Breues præfati[illegible] ſolitæ ſunt fieri, quod eſt conuenientius. Pomeridiano tempore deducitur in ædem vſq; S. Mariæ Lutetianæ, [illegible] amplius cum effigie ſuperpoſita. Pompa eſt huiuſmodi. Primus Regis armiger atratus pedibus incedens fert vexillum Galliæ, ex holoſerico cæruleo, variatum flori[illegible] lirinis Phrygionicis ex auro, tectū pellucido byſſ[illegible] vexillum non obſcure appareat. Cornicines, tympan[illegible] & aulædi non ſonantes ſubſequuntur, ore inſtrumentorum ſuorū in terrā verſo, reiecto humerali, & aperto capite, demiſsis tubis, & paſsis vexillulis. currus ſignifer te[illegible] in terrā vſque nigro holoſerico habet magnam Cruc[illegible] ex albo ſerico, cum viginti quatuor ſtemmatis Galliæ [illegible] pere Phrygionico, corona & ordine circūdatis: hic currus ſex equis vehitur: binis tectis nigro holoſerico in terram vſque, cui ſuperne in tranſuerſo eſt magna Cru[illegible] albo ſerico: primo & vltimo equo ad ſiniſtrum latus [illegible] dent aurigæ duo pullati, reiecto humerali. [illegible] circumſtant armorū adminiſtri. Corpus Regis ſequ[illegible] aliquot ex quatuor Ordinibus Mendicantibus ge[illegible] cereos, quibus impacta ſunt ſcuta cum ſignis Galliæ [illegible] duodecim aſſeclę induti nigro holoſerico, ap[illegible] te, reiecto humerali, inſidēres equis duodecim tect[illegible] loſerico nigro cum cruce ex albo ſerico, quorum [illegible] habenis ducis pedes atratus, reiecto humerali è panno, [illegible] perto capite. Hippocomiæ Præfectorū vnus geſtat [illegible] caria: alter manicas militares: alius inſigne Gallię in ſcuto coronato, cū ordinis catena circūquaq;: alius in cā[illegible] chlamydē ex holoſerico hyacinthino cū Phrygianis floribus lirinis: primus autē præfectus, aut eo abſente qui ætate maximus eſt, galeam inſignem. *Hi præfecti* quinque atrati, humerali ad caput appoſito procedūt, equis ex holoſerico nigro inſtratis, cū cruce alba è ſerico. Circūſtant eos permulti aſſeclæ hippocomiæ pullati. Equus autē inſignis phaleratus, & plane opertus coccineo holoſerico hyacinthino ex cæruleo variato floribus lirinis ex auro Cyprio, ab aurib. in terrā vſque ab hippocomis duobus deducitur, quem equū circūſtant vtrinque præcones aliquot ſummi pedib. chlamydibus inuerſis, poſito ad caput humerali: & hippocomorum ſummus inſidet equo inſtrato tectoque ex nigro holoſerico, cuius medio crux magna ex albo ſerico eſt impoſita. Huic ſummo hippocomo eſt enſis Regius altero accinctus humero, & holoſerico obtectus coloris Veneti, variato floribus lirinis ex auro: quem hippocomum humerali obtectū ad latera præcones 4. pedibus deducūt, ornati vt ſuperiores. Poſtea vero geſtatur effigies non confertis manibus, vt in an-

la fuerat, ſed dextera ſceptrum tenẽs, ſiniſtra manum iuſtitiæ. Sequitur deſignator, & maximus cubicularius ſignum geſtans Galliæ ex holoſerico coccineo hyacinthino, inſperſo floribus lirinis ex auro Cyprio, peniculatum & quadratum ſuper laceam purpuratam, vt ea qua vexillum geritur, ſed paulo ampliorem. Horũ equi inſtrati ſunt nigro holoſerico, cũ alba cruce ſerica. Iuxta hos portatur tholus pro effigie cõparatus, ſed longe diſsitus, vt effigiei proſpectum non impediat: quem in vrbe geſtant pręfectus mercatoribus, ac ædiles. Hos ſequitur maximus (vt vocant) luctus Principum multis paruulis inſidentium ſyrmatis palliorum longiſsimis; quæ geruntur ſingula à pullato aliquo nobili pedibus ſubſequente. Poſt eos procedunt Legati, lugubri veſte atque humerali: deinde equites conchyliati ordinis habentes ſignum ordinis ſui & humerale lugubre, vt quicunque ſequũtur proceres & nobiles ad cubiculum Regis pertinentes: item præfecti cuſtodijs & ſagittarij cum luctu induti tunicis argentatis. Rector Academiæ ad dexterã Epiſcopi, è regione illius incedit, & Decanus Pariſien. ad ſiniſtram: Epiſcopus Pariſien. vltimo loco poſt alios Epiſcopos ſubſequitur: Sũmus eleemoſynarius & magiſter oratorij, niſi ſint Antiſtites, in eleemoſynarijs procedunt vltimi: quod ſi Epiſcopi ſunt, in Epiſcoporum ordine: ſin Abbates, inter Abbates debent procedere. In æde ſumma Pariſien. fit officium ſolenne veſperi & poſtridie mane. A prandio deducitur funus eodem ordine, ad Crucem pandam vſque, tum Dionyſianum cœnobium ordine ſupplicationis veniens, corpus effigiemque ab Epiſcopo Pariſienſi accipit, qui cum ſuis inde reuertitur. Cœnobitæ corpus effigiemque ſub tholo, in locum ſuum deferunt. Veſperi fit ſolenne officium, itemq; poſtridie cum inhumatione corporis cenotaphio magno impoſiti, tectique ex auro textili. Effigies, coronæ, ſceptrũ, & manus iuſtitiæ ſublatę traduntur præconibus, à quibus oblatæ tribus principibus accipiuntur: & confeſtim nobiles qui à cubiculis fuerunt defuncti Regis, tollentes corpus in fornicem efferunt vbi eſt inhumandum: quo poſtquã deſcendit, ſimiliter deſcendit fæcialium vnus, qui clara voce proclamat fæcialibus præconibuſq; vt facturi officium veniant: atque illi ſtatim accedentes, poſitas chlamydes ſubſternũt corpori Regis ſupra fornicem recumbenti. Qui autem in foſſa eſt, eos nominatim vocat ex ordine: quinque hippocomos, vt afferant calcaria, manicas, ſcutum, chlamydem, & inſignem galeam: q faciunt: deinde aduocat armigerum primum, vt vexillũ afferat: tum Duces Heluetiorum, & cuſtodum ſagittariorum, ducentorumque nobiliũ domeſticorum, vt ſigna ſua afferant: quod item faciunt. Hippocomum ſummum, vt gladium regalem: primum cubicularium, vt ſignum Galliæ afferat; quod idem faciunt. Magnũ Magiſtrum aulæ, vt facturus officium veniat, quem præcedũ oẽs præfecti prætoriani conijcientes in fornicẽ ſuos baculos, & magnus Magiſter ſuum: tum etiã tres Principes aduocat, vt manum iuſtitiæ, ſceptrum, coronamque afferant: quod item faciunt: idque omnes cum ſolemni honore; quoties præter Principes magni illius luctus ordine præteruehuntur: tum præco ille qui eſt in fornice, ter exclamat: *Rex mortuus eſt, oretur Deus pro anima eius:* eodemq; momento Regem nominans, exclamat voce magna: *Viuat Rex ſucceſſor:* idemque proclamat alter præco conſiſtens in ædis pulpito. Tunc ſigno tubis & tympanis dato, itur ad prandium, quo facto, magnus magiſter aulæ antiſtitibus, equitibuſq; conchyliati ordinis comitantibus venit ad ſummã conſeſſus illius menſam, vbi cõgregata ſunt domeſtica officia defuncti Regis, actiſque gratijs exponit illis, non amplius eſſe ipſis Dominum: oportere, vt ſibi proſpiciat quiſque: & ſigno magiſtralis baculi quem frangit, demonſtrat eſſe diſtractam familiam. Reginarum funeris ordo, melius quam in Regum funere obſeruatur; vbi eſt effigies earum coronata, veſtitu & pallio regali purpureo, variato floribus lirinis, tenens dextera ſceptrum, & ſiniſtra manum iuſtitię; deinde Principes agentes luctum magnum, & incedentes muti proceres viri & fœminę lugubri veſte. Gratijs ex prandio actis, baculus item à ſummo aut primo eius præfecto prætoriano frangitur. Iſto ritu Reges & Reginæ Galliarum ſepeliuntur.

Cum autem verum officium Regum Reginarumq;, orationibus ceremonijſque ſacrorum & coronationis exponatur, placet in hunc locum, ordinem à Ludouico iuniore præſcriptum inſerere.

Certum eſt illud D. Chryſoſtomi; Reges Deo placentes diu proſperatos eſſe, depreſsis eorum inimicis, qui aũt regno abuſi ſunt, ſub inimicis depreſſos fuiſſe, & cum ipſos, tum Rempublicam pœnas dediſſe. 1. Primum præparator thronus editus & eminens ſuggeſti inſtar, extrinſecus choro Eccleſiæ iunctus, in medio interuallo templi quo gradibus aſcendatur; in quo cum Rege Pares Regni, & alij ſi opus fuerit, poſsint cõſiſtere. 2. Quo die Rex coronandus veniet, per ſupplicationes à Canonicis & alijs Eccleſiaſticis accipitor. 3. Die Sabbathi qui Dominicum ſacrando coronãdoque Regi deſtinatũ præceſſerit, poſt Completorium, cuſtodia Eccleſiæ cuſtodibus Regis vna cum æditituis ordinarijs committitur, in quam Rex ſilente nocte oraturus veniat, & pia mente precibus incumbens, per aliquod tempus vigilet. 4. Cum ſignum matutinũ dabitur, cuſtodes Regis ad cuſtodiam acceſſus tẽpli, reliquis portis clauſis & obſeruatis, honeſto & diligenti ordine cõparati ſunto, itemq; canonici & clerici eiuſdẽ templi, quoties opus videbitur. 5. Matutinæ pro more canuntor: quibus abſolutis, & cantatis primis ſub auroram, Rex in Eccleſiam cum Archiepiſcopis, & Baronibus, & alijs quos voluerit intromittere, ingreditor, antequã conficiatur aqua benedicta. 6. Sedes circa altare vtrinq; ſtatuuntor, vbi Archiepiſc. & Epiſcopi ſedeant honorifice: Epiſcopi Pares, Laonenſ. primum, poſt Lingonenſis, tum Bellouacus, deinde Catalaunicus, poſtremo Nouiodunen. cum alijs Epiſcopis ſuffraganeis Remenſis Archiepiſcopi; qui ſeorſum ſeſſurus eſt inter altare & Regem è regione altaris, non procul à Rege, & paucis (ne quid indecorum fiat) interuenientibus. Tenendum eſt autem nobiliſsimos & potentiſsimos Barones aliquos à Rege electos, ſub auroram in ædẽ S. Remigij ad habendam ampullam ſanctam mittendos eſſe, qui Abbati & Eccleſiæ dent fidem, ſe optima fide ampullã deducturos. 7. Hoc facto, inter primã & tertiam, Monachi Remigiani ſupplicationum ordine cum Crucibus, cæreis, ampullaq; veniunto, quæ reuerẽter ſub tholo ſerico ab Abbate apportetur, cuius tholi regulas quatuor, quatuor religioſi albis induti ſuſtineãt. 8. Sic cum ad S. Dionyſij ædem peruenerint, aut (ſi turba eſt impeditiſsima) ad portam maximam illius, Archiepiſcopus cum aliorum Archiepiſcoporum, Epiſco. Baronum, Canonicorumque (ſi fieri poterit) comitatu obuiam ampullę procedunto, de manu Abbatis accipiũto, & ſe optima fide reddituros promittunto. Ita Abbas cũ aliquot Monachis comitantibus cum reuerentia populi ad altare apportato: alij vero Monachi in Eccleſia S. Dionyſii, aut in ædicula S. Nicolai, donec omnibus abſolutis reportetur ampulla, præſtolãtor. 9. Tum ſe Archiepiſcopus veſtibus inſignibus & paludamento indutus, cum diaconis & hyppodiaconis ad Miſſam componito; ita indutus, ad altare & ſupplicationem ex more venito, & exſurgito. 10. Deinde Archiepiſcopus aſsiſtens altari, pro omnibus Eccleſiis ſubiectis Regi, iſta à Rege petito: *Rogamus te petimuſq; concedas nobis, vt conſerues nobis & Eccleſiis commiſsis curæ noſtræ, priuilegiũ canonicum, legẽ, & ius debitum: ſerua & defende nos, vt debet Rex in Regno ſuo vnicuiq; Epiſcopo, & Eccleſiæ ipſi creditæ.* Cui Rex reſpõdeto; *Promitto & ſpõdeo vobis, me vnicuiq; veſtrũ, & Eccleſiis quæ vobis creditæ ſunt, ſeruaturũ priuilegium canonicum, lege & ius debitum, & pro facultate mea Deo iuuãte defenſurum vos; vt ex iure debet Rex in regno ſuo unicuiq; Epiſcopo, & Eccleſiæ mandatæ ipſi.* Hæc quoque Rex promittit & iurat. *Promitto in nomine Ieſu Chriſti hæc populo Chriſtiano qui mihi ſubiectus eſt, primum me totum populum Chriſtianum ſeruaturum eſſe, & Eccleſiæ Dei veram pacem omni tempore: me quoque rapinas & iniquitates omnes o-*

mnium



*mnium graduum ſublaturum eſſe: item me in omni iudicio mãdaturum æquitatem & miſericordiã, vt clemens & miſericors Deus, mihi vobiſq; ſuam miſericordiam largiatur. deinde me bonã fide pro virili daturum operam, vt ex agro & ditione mihi commiſſa eijciam turbas & hæreticos hoſtes Eccleſiæ.* 11. Hęc omnia Rex manibus libro Euangeliorum impoſitis confirmat iuramento. Quibus promiſsionibus factis mox cantatur hymnus *Te Deum, &c.* & duo Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Regem manibus ad altare ducunt, coram quo ad finem vſque hymni procumbit, deinde exſurgit. Antea autem impoſita fuiſſe altari oportuit, coronas regias, gladium vagina conditum, calcaria aurea, ſceptrum aureum, & virgam quaſi cubitalem, cuius ſummitati ineſt manus eburnea: item caligas quas ſandalia vocant, ſericas cæruleas perſperſas floribus lirinis ex auro, & tunicã vel dalmaticam eiuſdem coloris & operis, factam ad formam illius caſulæ, quam in Miſſa gerunt hyppodiaconi: itemq; epitogium ſiue pallium regale, eodem plane colore, atque opere, accedens ad formam colobii ſine cucullo. Quæ omnia debet Abbas S. Dionyſii Francici Remos afferre ex Monaſterio ſuo, & ad cuſtodiam altari aſſiſtere. 12. Tum Rex ſtans coram altari veſtimenta primum exuito, præter ſubuculam ſericam, & induſium ad pectus humeroſque apertum, cuius hiatus recluſi & reuincti ſunto fibulis argenteis: atque ita primum maximus Franciæ cubicularius ſandalia à Dionyſiano Abbate accepta Regi induito: poſtea Dux Burgundiæ calcaria apponito, & illico eadem tollito: tum Archiepiſcopus gladio accingit eum, & ſtatim diſcingens gladium vagina extractum (quæ altari iaceat impoſita) tradit Archiepiſcopus in manum Regis adhibita hac oratione: *Accipe gladium tibi datum benedictione Dei, quo in virtute S. Spiritus poſsis reſiſtere, & repellere omnes inimicos & aduerſarios S. Eccleſiæ, regnum tibi commiſſum defendere, & ſeruare exercitum Dei, auxilio Domini noſtri Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri, triumphatoris inuicti, qui regnat cum Patre, &c.* Tum à choro cantator hæc antiphonia: *Confortare & virilis eſto, & obſerua legem Domini Dei tui, vt ambules in viis eius, & ſerues ceremonias, mandata, & teſtimonia eius, & confirmet te quocunq; in loco fueris.* Poſtea Archiepiſcopus hanc orationem habet: *O Deus, qui prouidentia tua gubernas res cœleſtes & terrenas ſimul, eſto propitius Regi noſtro Chriſtianiſsimo, vt virtute gladij ſpiritualis omnes vires inimicorum eius frangantur, & te pugnante pro eo omnia conterantur, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Eoque momento Rex humiliter gladium accipito de manu Archiepiſcopi, & ſine mora Conneſtabili Franciæ, ſi quẽ habet, tradito illum: ſin minus, vni ex Baronibus ſuis quẽ elegerit, vt gladium ante Regem, tam in Eccleſia, quam in itinere ad palatium ferat. 13. Hoc facto, in hanc formam vnctio præparator. Chriſmate in altari ſacræ patinæ impoſito, Archiepiſcopus ſanctam ampullam à Remigiano Abbate allatam aperito, & ex ea altari impoſita educito virgula aurea paulum olei cœlo demiſſi, & diligenter digito immiſceto chriſmati in patina præparato ad vngendum Regem, qui ſolus ex omnibus terræ Regibus hoc glorioſo priuilegio ſplendeſcit, quod ſingulariter oleo cœlitus miſſo inunctus eſt. Vnctione comparata, fibulæ veſtimentorum à fronte & tergo in aperturis ſoluuntur, & Rege in genua demiſſo duo Archiepiſcopi aut Epiſcopi incipiũt Litaniam: qua perfecta, & ſedente Archiepiſcopo (vt inter conſecrandum ſolet) Epiſcopi imprecantor Regi antequam vngatur, tres orationes iſtas.

*Oramus te Domine Sancte Pater omnipotens, Deus æterne, vt placeat tibi hunc tuum ſeruum nominari, cui prouidentia diuinæ diſpenſationis creato, inde à principio te cognoſcendum exhibueris in hunc vſq; diem. Lætifica florem iuuentutis eius: dita eum compaſsione tua, & imple gratia veritatis tuæ. Fac vt indies magis ac magis proficiat corã Deo & hominibus vt largitate gratiæ ſupremæ tuæ percipiat magna lætitia thronũ ſummæ gubernationis, & per miſericordiam tuam tectus ab omni parte contra diuerſitatem inimicorum ſuorum, poſsit feliciter gubernare populum ſibi commiſſum, in pace, & virtute victoriæ: per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

*O Deus, qui virtute conſeruas populos & amore dominaris, da huic ſeruo tuo Spiritum ſapientiæ cum regula diſciplinæ, vt tibi deuotus ex toto corde ſuo, ſit ſemper idoneus gubernationi regni, & dono tuo in huius tẽpore ſecuritas Eccleſiæ dirigatur, & deuotio Eccleſiaſtica permaneat in tranquillitate, ipſe vero perſeuerans in bono opere, poſsit tuo ductu peruenire ad regnum æternum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

*Fac vt diebus eius naſcatur omnibus æquitas & iuſtitia, amicis auxilium, inimicis obſtaculum, afflictis conſolatio, elatis correctio, diuitibus documentum, pauperibus compaſsio, peregrinis pacificatio, pax ſubiectis miſeris, & ſecuritas patriæ. Diſcat continue ſibi ipſi imperare, & moderate gubernare quemque pro ſtatu eius, vt irrigatus tua cõpunctione poſsit dare toti populo vitæ exemplum tibi grata, & ambulans in via veritatis cum grege ſibi commiſſo acquirat abundãter regales diuitias, & ſimul accipiat quicquid à te cõceſſum eſt ad animarum ſalutem & corporum. Itaque ſtatuens in te cogitationem mentis ſuæ, & totum conſilium ſuum, accuratè tueatur ſemper magna gubernacula populi, per ſapientiam collectam ope tua, habeat prolixitatem & proſperitatem præſentis vitæ, perueniat ad ſenectutem magnam, & ſolutus vinculis vitiorum omnium, largitate miſericordiæ tuæ obtineat perfectum finem fragilitatis iſtius, & perpetua præmia infinitæ felicitatis tuæ, æternaq; Angelorum gaudia, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

His tribus orationibus abſolutis, Archiepiſcopus ſic habeto orationem de conſecratione Regis: *Deus æterne, Omnipotens creator & gubernator cœli & terræ, Angelorum & hominum, Rex Regum, & Domine Dominorum, qui feciſti triumphare Abrahamum fidelem ſeruũ tuum de inimicis ſuis: præpoſuiſti Moyſen & Ioſuã populo tuo, & dediſti eis multas victorias: extuliſti in altitudinẽ Regni Dauidem humilẽ ſeruũ tuum, eumq; liberaſti ab ore leonis, à pede beſtiæ, à manu Goliathi, à maligno gladio Saulis, & ab omnibus inimicis eius: ditaſti Salomonẽ dono inenarrabili ſapientiæ & pacis: eſto propitius, & reſpice ad preces humilitatis noſtræ, & multiplica dona benedictionũ tuarum ſuper hunc ſeruum tuum nominatum, quẽ humili deuotione eligimus ſimul ad regnum; velis eũ munire ſemper & locis omnibus dextera tua, & potentia tua, vt confirmatus fide Abrahami, fruens manſuetudine Moſis, inſtructus fortitudine Ioſuæ, exaltatus humilitate Dauidis, & ſapientia Salomonis decoratus, tibi placeat in rebus omnibus, incedat ſemper ſine offendiculo via iuſtitiæ; & ita muniat, doceat, ſeruet & inſtruat deinceps Eccleſiam totius regni, & populos ad eam adductos; adminiſtret potenter & regifice regimen virtutis tuæ contra omnes inimicos viſibiles & inuiſibiles; non deſerat regalem thronum, nempe ſceptrum Francorum, Burgundionum & Aquitanorum: Sed reformet ope tua voluntatem illorum in concordiam prioris Fidei & pacis; vt ornatus debita ſubiectione, & glorificatus amore condigno ſuorum ſubditorum omnium, poſsit miſeratione tua ſtabilire & gubernare in vnione culmen gloriæ paternæ tuæ longo vitæ ſpatio; & inſtructus regno protectionis tuæ, ſemper tectus clypeo inuiſibili, circumdatis copiis cœleſtibus, percipiat feliciter triumphum victoriæ optatæ de inimicis ſuis, reddat formidabilẽ potentiam ſuam infidelibus, & reportet in gaudio pacem iis qui ſe humiliant ſub te: atque decoratum multiplicatæ benedictionis, honoris, & virtutis, alte eum colloca in gubernatiõne regni, & vnge oleo gratiæ Sancti Spiritus.*

Finita hac oratione, Archiepiſcopus, chriſmate oleoque cælitus demiſſo prius in patina (vt ante dictum eſt) ab ipſo permixtis, Regem quinque locis vngito: primum ſuper caput, ſecundo in pectore, tertio interſcapilio, quarto in duabus ſcapulis; quinto in commiſſuris duorũ brachiorum, dicens ad vnumquemq; locum. *Vngo te oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti:* & omnes reſpondendo, *Amen.* Si quis ſcapulas pro binis locis, & brachia acceperit, vnctio ſeptem locis fieri dicenda eſt. Hanc cum facit Archiepiſcopus, canitor Antiphonia. *Sacerdos Sadoc & Propheta Nathan vnxerunt Salomonem Regem de Hieruſalem, & venientes læti dixerunt; Viuat Rex in æternum.* eaque perfecta Archiepiſcopus ſequentes orationes habeto.

Dom-

*Domine Deus, vnge hunc Regẽ ad gubernationẽ oleo quo vnxiſti Sacerdotes Prophetas & Martyres, qui fide vicerunt Regna, operati ſunt iuſtitiam, & obtinuerunt promiſsiones. Sacratiſsima vnctio tua defluat in caput eius, deſcendat intro, penetret profundum cordis eius, & gratia tua efficiatur dignus promiſsionib. quas obtinuerũt Reges inuictiſsimi, vt regnet feliciter in ſæculo præſenti, perueniatq; ad cætum illorum in cœleſte regnũ, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrũ, qui vnctus eſt oleo lætitiæ ſuper omnes cõſortes ſuos, & virtute Crucis debellauit poteſtates aëris, deſtruxit inferos, vicit regnũ Diaboli, & victor aſcendit in cælos, in cuius manu conſtitit victoria gloria & omnipotẽtia, qui viuit tecum & regnat Deus in vnitate S. Spiritus per omnia ſæcula ſæculorum.*

*O Deus fortitudo electorum & altitudo humilium, qui principio voluiſti caſtigare peccata mundi effuſione diluuij, & oſtẽdiſti per columbam ferẽtem ramum oliuæ pacem terris redditam eſſe; poſteaq; vnctione olei ordinaſti Sacerdotem Aaronem ſeruum tuũ; & deinde effuſione vnguenti iſtius reddidiſti perfectos Sacerdotes, Reges & Prophetas ad regendũ populos Iſraelis: & voce prophetica Dauidis ſerui tui prædixiſti faciem Eccleſiæ lætificatum iri oleo, ſupplices oramus te Pater omnipotens, placeat tibi ſanctificare tua benedictione hunc ſeruũ tuum gratia huius creaturæ, vt afferat inſtar colũbæ pacem ſimplicitatis populo ſibi commiſſo; imitetur diligenter in cultu Dei exemplũ Aaronis, & pertingat ſemper ad altitudines regni cõſilio ſcientiæ & æquitate iudicij, & tandem hac vnctione olei fruatur facie tua, quæ præparata eſt fruenda toti populo, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

*Ieſus Chriſtus Dominus noſter, Deus, Filius Dei, qui à Patre vnctus eſt oleo exultationis ſuper omnes ſuos participes, præſente infuſione ſacri vnguenti, à S. Spiritu infundat capiti tuo benedictionẽ ſuam, & faciat penetrare vſq; ad interiora animæ tuæ, vt potẽtia huius doni viſibilis percipere poſsit res inuiſibiles: & poſtquam iuſta moderatione compleuerit temporale regnum, regnare cum ipſo in æternum, per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum.*

Abſolutis his orationibus, fibulæ quæ ſunt ad aperturas veſtimentorum Regis, ab Archiepiſcopo, Sacerdotibus, aut diaconis, propter vnctionem confibulantur: & tum maximus cubicularius Franciæ dalmaticas cærulcas Regi induito, & ſuperne Regale pallium, ita vt manus libere procurrat verſus aperturam pallij, quod ad ſiniſtrã vt Sacerdotis caſula extollatur. Deinde Archiepiſcopus annulum medico digito dexteræ illius indito, dicens: *Accipe annulum, ſignaculum Sanctæ Fidei, ſoliditatem regni, augmẽtum fruitionis; quibus rebus ſcias arcere inimicos poteſtate triumphali, exterminare hæreſes, ſubditos adunare, & adducere eos ad perſeuerantiam Fidei Catholicæ, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

Annulo tradito, Archiepiſcopus habeto orationem hanc: *O Deus, cuius eſt omnipotentia & dignitas, da ſeruo tuo felicem effectum dignitatis ſuæ, in qua permaneat; te metuat ſemper, & conetur tibi complacere, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

Poſtea Archiepiſcopus ſceptrum ponit in dextera Regis, dicens: *Accipe ſceptrum in ſignum regalis potentiæ, id eſt rectam virgam regni, virgam virtutis, qua guberna teipſum bene: defende ab improbis potentia regali Sanctam Eccleſiam, id eſt, populum Chriſtianum tibi commiſſum à Deo; corrige malos, pacifica rectos, dirige eos vt poſsint gratia tua tenere viam rectã, vt à regno temporali peruenias ad ſpiritale regnum, cum illo cuius regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum.* Tum ſceptro dato orationem hanc pronunciet: *Domine fons bonorum omnium, Deus author bonorum omnium, ſupplices oramus te, da ſeruo tuo, vt bene adminiſtret hãc dignitatem quam apprehendit; placeat tibi corroborare honorem in quo conſtituiſti eum: affice honore eũ ſuper omnes Reges terræ, dita cum abundanti benedictione, conſolida eũ firma ſtabilitate in throno regni, viſita eũ in generatione, da ei prolixitatẽ vitæ: in dieb[9] eius ſẽper enaſcatur iuſtitia, vt in gaudio lætitiaq; obtineat gloriã in Regno æterno, per Ieſũ Chriſtũ, &c.*

Poſtmodum verò Archiepiſcopus manũ iuſtitiæ ponito in ſiniſtra Regis, dicendo: *Accipe virgam virtutis & æquitatis, qua ſcias confirmare bonos, & timorem malis incutere, doce errãtes viam, porrige manum lapſis, deprime ſuperbos, attolle humiles, vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus tibi aperiat oſtiũ, qui pronunciauit ipſe: Ego ſum oſtium, per quod qui intrabit ſaluus erit. Ipſe cui eſt clauis Dauidis, & ſceptrũ domus Iſraelis, qui aperit & nemo claudit, q; claudit & nemo aperit, qui educit de domo carceris vinctum, ſedentẽ in tenebris & vmbra mortis, tibi ſit adiumẽto, vt poſsis omnibus in rebus ſequi eũ de quo Propheta cecinit: O Deus, thronus tuus eſt in ſæcula, virga æquitatis eſt ſceptrum regni tui: & imitari eum qui dicitur diligere iuſtitiam, & odiſſe iniquitatem, ac propterea Deus vnxiſſe ipſum oleo lætitiæ, qui vnxit ante ſæcula ſuper conſortes eius Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

Poſtquam manus iuſtitiæ Regi tradita eſt, Cancellarius Galliæ ſi interſuerit, aut eo abſente Archiepiſcopus Pares Frãciæ de nominibus ipſorum ex ordine, laicos primum, deinde Clericos appellato: quibus circumſtantib. coronam Regiam ex altari ſumptã Archiepiſc. capitis Regis imponito, omneſq; pares tam Clerici quam laici manus ad eam adhibento, & ſoli eam vndiq; ſuſtinendo, dicente Archiep. *Deus coronet te corona gloriæ, honoris, iuſtitiæ, & operis conſtantiæ, vt officio benedictionis noſtræ, recta fide, & cũ fructu multiplicato boni operis peruenias ad regnũ æternũ, largitate illi[9] cuius regnũ imperiũq; permanet in ſæcula ſæculorũ.*

Corona capiti Regis impoſita, Paribuſq; ſuſtinẽtibus; has orationes & benedictiones Archiepiſcopus pronunciato. *O Deus æternitatis, Dux virtutum, victor inimicorum omnium, benedic huic ſeruo tuo inclinanti ad te caput ſuum: cõſerua eũ in bona valetudine proſperitate & felicitate: vbicũq; inuocauerit auxiliũ tuũ aſsiſte ei illico, ſerua & defende eum, tribue ei (oramus te Domine) diuitias gratiæ tuæ, exple bonis deſideriũ eius, ſit ei corona ad miſericordiã, vt tibi Domine ſeruiat cõtinenter bona deuotione, per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrũ. Deus omnipotens ſtans ad dexterã tuã benedicat tibi, effundat ſuper te donũ protectionis ſuæ, circũdet te felicitate, & ſeruet propitiatione ſua. Amen. Dominus cõdonet tibi omnia mala quæ feciſti, & concedat tibi gratiam & miſericordiã, vt petis ab eo humiliter: liberet te ab omni aduerſitate, & ab omnibus inſidiis viſibiliũ & inuiſibiliũ inimicorum, Amen. Præficiat cuſtodiæ tuæ bonos Angelos ſuos, qui ſẽper & omnibus locis tibi præeant, comitẽtur, & ſequantur: potentia eius te liberet à peccato, gladio, infortunio, & omni periculo, Amẽ. Cõuertat inimicos tuos ad benignitatẽ pacis & charitatis, faciat te gratioſum & amicũ bonis omnibus, impleat cõfuſione ſalutari tibi, eos qui obſtinate oderint & perſequẽtur te, & ſuper te luceat ſanctificatio æterna. Amen. Faciat te ſemper victorẽ, triumphatorẽ de inimicis tuis viſibilibus & inuiſibilibus, & infũdat continue iunctos timorẽ & amorẽ nominis ſancti ſui: perſeuerantem te reddat in fide recta, & bono opere: det tibi pacem in diebus tuis, deducat te cum palma victoriæ in regnũ æternũ, Amẽ. Is qui voluit te populo ſuo Regẽ præficere, beet te in præſenti ſæculo, tribuatq; tibi participationẽ felicitatis æternæ; quã velit donare tibi is qui regnat in ſæcula, & qui ab omni tẽpore gubernat regna. Tu autẽ Rex Regũ, benedic huic præſenti Principi, eaq; benedictione glorifica illũ, vt teneat ſceptrũ ſalutis, & ditetur dono ſanctitatis, tribue ipſi inſpiratione tua vt gubernet populum, quemadmodum dediſti Salomoni regnum pacificum, Amen.*

Poſtea Archiepiſcopus oratione ad Regem conuerſa dicito; *Eſto ſtabilis, & retine deinceps ſtatũ quẽ tenuiſti hactenus per ſucceſsionẽ patris iure hæreditario, delegato ex authoritate Dei Omnipotẽtis, & præſente traditione noſtra, nẽpe Epiſcoporum omniũ, & aliorum ſeruorum Dei: & incipe deferre conueniente loco Clero honorẽ eo ampliorẽ, quo vides te electũ altari ſacro propinquiorem eſſe, vt mediator Dei & hominũ te confirmet atq; tueatur per clerum & populum in hoc throno regni, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dominus Dominorũ, qui regnat cum Deo patre in æternum, te faciat regnare ſecũ in regno æterno.* Tum Archiepiſcopus orationes iſtas & benedictiones adiũgito; *Deus Omnipotens det tibi de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini & olei: populi ſeruiant tibi, & familiæ reuereantur te: eſto Dominus fratrũ tuorum, & filij matris tuæ procumbant ante te. quicunque benedixerit tibi repleatur benedictione, & Deus adſit ad auxilium tuũ, per Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrũ. Dominus*





*Omnipotens benedicat tibi benedictionibus cæli ſupernæ, in montibus & oleis, & benedictionib. abyſsi infernè, benedictionibus vberum & vuluæ: benedictiones priſcorum patrum Abrahami, Iſaaci, & Iacobi confortentur ſuper te, per Ieſum Chriſtum Dom. noſtrum. Domine benedic fortitudini Principis recipe opera manuum eius, terra eius benedictione tua impleatur fructu cæli, rore abyſsi infernè fructu Solis & Lunæ, à vertice antiquorum montium, & per ſuauitatem montium æternorum frumentis terræ; & plenitudo benedictionis illius qui apparuit in rubo, maneat ſuper caput eius, plena benedictio Domini ſit in filijs eius; pes eius ſit tinctus oleo, cornua eius ſit tãquam cornua rynocerothis: per ea debellat gentes vſq; ad limites terræ: namqui aſcendit in cælum, ſemper aderit ad auxilium eius.*

His orationibus atq; benedictionibus abſolutis, Archiepiſcopus cum Parium coronam ſuſtinentium comitatu, Regem ſic ornatũ ad thronũ ipſi præparatum ducito, & conſtituito in cathedra ipſius adeo eminente, vt ab omnib. ſpectari poſsit. Hoc facto, mitra poſita, Regẽ ſedentem oſculator & dicito; *Viuat Rex in æternum.* Poſt eũ Pares alij Clerici & laici ſuſtinentes coronam, & iiſdẽ verbis vtentes idem faciunto; tũ præcentor & cantor alter obſeruantes chorum, miſſam incipiunto, quæ ex ordine canitor, & ſpecialis hæc oratio pro Rege adijcitor: *Oramus te Deus omnipotens, vt Dnũs Rex noſter nominetur ſeruus tũ, qui benignitate tua recepit gubernaculũ regni, percipiat quoq; incrementum virtutum omnium, quibus condigne ornatus poſsit euitare monſtra vitiorũ, vincere inimicos, & gratus peruenire ad te, qui es via, veritas & vita, per Ieſum Chriſtum D. noſtrum.* Cum autem canitur Euangelium, Rex è cathedra aſſurgito & corona à capite eius adimitor. Poſt Euangelium Summi Archiepiſcoporum Epiſcorumque librum Euangeliorum aſſumentes, oſculandum Regi ferunto, deinde Archiepiſcopo Miſſam celebranti. Ad oblationem lagena argentea plena vini, & tres nummi aurei afferuntor. Rex à parib. coronam ſuſtinentibus deducitor atque reducitor, & gladius ſtrictus ante ipſum fertor cum ad oblationem procedit. Eo reuertente Archiepiſc. iſta in ſecretis dicito: *Supplices oramus te Domine, placeat tibi ſanctificare has oblationes vt largitate tua proficiant Regi nominato noſtro, ad obtinendum ſalutem animæ & corporis, ac perficiendum officium impoſitum, per Ieſum Chriſt. &c. Domine hæc oratio ſalutaris præſeruet Regem nominatum noſtrum ſeruum tuum ab omnib. aduerſitatibus, vt obtineat tranquillitatem pacis Eccleſiaſt. & poſt decurſum temporis iſtius perueniat ad hæreditatẽ æternã, per Ieſum Chriſtũ Dnũm noſtrum.* Antequam Archiep. canat, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcũ*, pronunciat Regi & populo has benedictiones: *Dominus benedicat, & ſeruet te; vt placuit ipſi Regem te conſtituere in populo ſuo, ita beatum efficiat te in hoc præſente ſæculo, & participem conſtituat felicitatis æternæ, Amen. Clerus & populus quem gratia ſua & mandato voluit congregari, gubernentur à te feliciter mediãte diſpẽſatione adminiſtrationis eius, Amen: vt obſequentes diuinis monitis vacui omnibus aduerſitatibus, abundantes bonis omnibus ſeruiãt miniſtro tuo amore fideli, & fruatur in hoc præſente ſæculo tranquillitate pacis, poſteaq; tecum ſocietatẽ ciuium ſupernorum; quod donare velit ille qui regnat in ſempiternum, Amen.*

Deinde pronunciato illo *Pax Domini*, is qui librum Euangeliorum tulerit, pacem ab Archiepiſcopo vna genarũ tangens accipito, & oſculandam exhibeto Regi; deinde poſt cum Archiepiſcopi & Epiſcopi omnes alij ex ordine Regem inſidientem throno ſalutaturi procedunto. Abſoluta Miſſa Pares iterũ Regem ante ſummum altare adducunto, vbi accipiunto cõmunionem Corporis & ſanguinis Domini noſtri de manu Archiepiſcopi. Hoc facto Archiepiſcopus maiorẽ coronã quã habet Rex de capite eius detrahito, & inſigniores veſtes exuito, cumque alijs indutus fuerit, coronã minorẽ alteram capiti illi[9] imponito; ita Rex in palatium diſcedito, prelato ipſi gladio & indũſiũ eius, propter vnctionem ſanctam comburitor. Poſt ſacra & miſſam Barones ampullam ſanctam honorifice in ædem Remigianam deducunto, & feliciter in loco ſuo reponitor.

Rex profectus Remis, ſolet ad S. Marcolphum nouendiales ferias agere, nec ante curat eos tactu quibus ſtrumæ infeſtæ ſunt: quod peruetus inſtitutum eſt. Rex Philippus Pulcher moribundus filium hunc de quo imus narratum, maximum Lodouic. Hutin. Regem informauit: & rationem docuit tangendi eos qui ex ſtrumis laborabant, exponens ſancta & religioſa verba quibus inter tangendum vtebatur. Commendauit ſanctitatem vitæ ad hanc curationem tactus, & ex ſcriptura demonſtrauit non exaudiri à Deo peccatores, neque ab illis edi miracula; ad improbitatis eorum laudem, vel commendationem ex his oſtendendam.

Quando Regina cũ Rege ſacratur Remis atq; coronatur, thronus aliquanto minor ei præparator, quam ſit thronus Regis, quo ſacrato coronatoque, Regina in ædẽ introducitor, cumque illa antè altare orationem ſuam habuerit, ab Epiſcopis in genua erigitor, illaque caput inclinato, dum Archiep. orationem hanc pronuntiabit: *Domine, attende ad ſupplicationes noſtras, & quod faciẽdum eſt miniſterio humilitatis noſtræ, impleatur effectu virtutis tuæ.* Tunica & induſium Reginæ ad Zonam vſque aperta ſunto, eamque oleo ſancto Archiepiſc. vngito capite & pectore, dicens: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. hæc vnctio olei proſit tibi ad honorem & confirmationem æternam.* Poſt vnctionem habeto orationem hanc: *Deus æterne omnipotens placatus precib. noſtris infunde abundantem Spiritum benedictionis tuæ in ancillam tuam, vt hodie inſtituta Regina impoſitione manus noſtræ maneat ſanctificatione tua digna atque eleuata, vt in poſterum nunquam velut indigna ſeparetur à gratia tua, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

Poſtea Archiepiſc. ſine oratione indito manibus Reginæ ſceptrum minus, & aliter fabricatum quam ſceptrum Regis, itemque manum iuſtitiæ alteri ſimilem, inditoque annulum digito illius dicens: *Accipe annulum Fidei, ſignaculum Trinitatis ſanctæ, quo vitare poſsis omnẽ prauitatem hæreticam, & virtute quæ tibi tradita eſt, barbaros voca ad cognitionem veritatis.* Poſtea orationem hanc enunciet: *O Deus cuius eſt omnipotentia & dignitas, da ancillæ tuæ hoc ſigno fidei effectum proſperum dignitatis eius, qua in fide maneat ſemper firma, & continuè conetur placere tibi per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Tum à ſolo Archiepiſc. corona capiti Reginæ imponitor, quæ omni ex parte à Baronib. ſuſtentetur: & imponens dicito: *Accipite Coronam gloriæ, honoris & lætitiæ, vt reluceas & coroneris gaudio.* Corona impoſita; hanc orationem ſubiungito Archiep. *Domine fons bonorum omnium, & honor bonorum, tribue ancillæ tuæ, vt bene gerat hanc dignitatem quam ſuſcepit, & fortifica in ea bono opere gloriam quam dediſti ei, per Ieſu Chriſtum Dominum noſtrum.* Hoc facto Barones coronam illius ſuſtinentes deducant eam, & collocent in throno, atque vna cum ſummis & nobilibus fœminis aſsiſtant ei in oblatione miſſæ, pace, & communione. Ordo idem in Reginæ ſacris, atque in Regis conſecratione obſeruatur, itameth alibi quam Remis Regina coronetur.

XXIII. GRAVISSIMA AMARITVDO INTER ENGERRANNVM PRINCIPEM ET CAROLVM VALESII COMITEM QVA RATIONE EXORTA.

Prima ei actio cum Engerranno, magnæ apud Philippum æſtimationis Principe, quę cum ad Bonifacij Octaui Pontificis, tantopere à maleuolentibus proſciſsi, memoriam à calumniis vindicandam maxime faciat, volui à Paulo AEmilio eam mutuare, dignam alias, quæ à Palatinis viris in cautelam legatur.

Engerrannum populares authorem grauiſsimi tributi indicendi inſimulabant, Sed cæteri plus mali imprecari ei quam creare poterant: prẽmendi hominis princeps inuentus eſt ex ipſa Regia Carolus Valeſii Comes, patruus noui Regis. Cauſſa atrocis odii, quod dum apud Philippum Pulchrum controuerſia eſſet inter duos ſummos Normanniæ proceres, Haricuriam, Tredouillanumque: alteri Engerrannus, alteri aderat Carolus. Exorta contẽtione exardeſcentibuſque ſtudijs, mentiri Carolum Engerrannus dixit. Id verbum omni vulnere grauius nobilitati in memoria Caroli eouſque ſedit, vt viuo Pulchro fratre exequi dolorem non auſus, in rudimento regni Ludouici Hutini vltionem petierit. Peculatus reum

agere placuit. Ad Luparam ductus, interrogatuſque de pecunia publica, Regnique tributis exactis, reſpondit per bonam partem ad ipſum Carolum Valeſii Comitem perueniſſe. Hoc reſponſum magis irritauit Carolum. Traductum ad Templariorum turrim accuſauit Ioann. Annalis, fiducia Caroli, & tyrocinio Regis loquens: atq; ita verba fecit.

IOANNIS ANNALIS IN ENGERRANNVM CONVITIA ET IMPRECATIONES

*Nullæ mihi cum Engerranno, niſi quæ & publicæ, inimicitiæ ſunt: nec hominem ſed ſcelera perſequor. Conſenſu Franciæ cogor publicam ſalutem, te Rege iudiceq; defendere ab importuniſſimo homine: qui hactenus ſcelerum magnitudine tectus, neq; vocari in ius poterat, neq; cæteros vexare deſiſtebat. Tu iuſto pioq; dolori mortalium mederi initio ſtatim Regni tui facile potes, legeſq; huius audacia euerſas, huius pœnis immortalitate donare. Innocentiſſimus credatur, ſi quidquā ſceleris in homines ſuperosve reliqui fecit, quin conſciuerit, auſus ſit, perpetrarit, Rebus hominibusq; orbis terrarum conſtat: Rerum vires neruuſq; pecunia eſt. Te interrogo Engerranne, cuiuſnam pecunia arcaue recondita clauſaue cupiditati tuæ fuerit. Non interrogo, quam amplum tibi patrimonium relictum à parētibus ſit: Tu te creaſti: tu te genuiſti. Ingredere fiſcum Rex: inopiam inuenies. Ingredere ædes iſtius gurgitis; gazam Perſicam reperies. An vero illa virtute parta? Quæ virtus in monſtro portentoq; eſſe poteſt? At fortuna tibi attulit. Felices erant, qui te ignorabant. Nemo enim te nouit, niſi ſuo magno malo. Dices omnia ab omnibus tibi dono data, vteis deprecator apud Regem tui diſſimillimum adeſſes: fidemque tuam venalem fuiſſe. Enumera data tibi munera, cauſſaſque munerum recenſe: conuincam vniuerſam vitam tuam latrocinium extitiſſe: niſi quod non è latebris in ſingulos vim faciebas, ſed in luce, in Regia, propalam, ex profeſſo de vniuerſis prædam ſpoliaq; petebas. Vis ſcire vtrum Engeranno, an prædoni tibi dederim? Defuncto ſuperiore Rege optimo, ecquis te cōgreſſu, ſalutatione, colloquio dignum duxit? Si Engerranno hoc eſt nequiſſimo huic corpori nemo bene vult: nimirum illa non munera, ſed præda, vi, aut, quod non procul à vi abeſt, metu, parta. Graſſare in viſcera noſtra, ſi tanta eſt diuitiarum, tamq; dira cupido. Vita illa communis quæ auribus Regis moderandis conſtat, in tuto ſit. Si eam tollis, quæ viuo digna pœna, quæ mortuo ignominia inuretur? Exemplum in quo, quam in te iuſtius ſancietur? An expectamus dum aliquis te ſceleratior exoriri queat, à quo pœnis exactis, vitæ lex, innocentiæ fiducia, ſceleratis terror, miſeris ſolatium conſtituatur? Illic atrocitate perueniſti, quo nemo alius ſaluare Francica peruenire queat. Expectas viuorum iudicium, ſupremo ſuperioris Regis ſapientiſſimi iudicio condemnatus? Viuentis res vnus digito temperabas. Viuens falli potuit: Teſtamentum condens, in quo plura probe mandatariorum nomina, quam tabularum literæ erant, te ne nominauit quidem, minime ambigua ſupremi ſilentij cauſa. Te ſcilicet viui voce ſua abſoluent, tali tantoq; morientis ſilētio damnatum? Siebat, ſi diu ei ſupereſſes, ſtare Regnum non poſſe. Meminerat (vt vetera obliuioni darentur) nouiſſimo Flādrico bello grauiſſimi te tributi indicendi authorem, copias in Flandrum duxiſſe: ac ne viſis quidem hoſtibus re infecta rediiſſe, cum nullo negotio obruere Flandriam potuiſſemus. Qua tempeſtate cōſtat te ab hoſte noſtro litteras, munera, nuncios accepiſſe, eique conſilia noſtra arcanaſq; res enunciaſſe. Non ad hoſtem tranſis, ſed hoſtium partibus fungens apud nos manes. Franciam ducis, reducis, circumagis, quo libido tua fert. Quis addere aliquid huic ſceleri queat? Nullus alius poſſet. Tu omnes mortales importunitate multo ante ſuperaras.*

*Iuſſus fueras Bonifacio numerare ſexaginta aureorum millia: quæ tibi appenſa, vbinam ſint, nouit arca tua illa ſanguine noſtro, hoc eſt, fortunis noſtris referta. Conqueramur cœlum terræ mixtum, iniuſtamque, quæ nunquam eluetur, innocenti ſuperioris Regis memoriæ notam! miſcuit mare cœlo Engerannus. Bonifacium perfidia tua, nummariaque ſuppreſſione irritaſti, efferaſtiq; tu rabida ac importuniſſima fera. Abs te ex oue leo effectus in nos ſæuit. Ingens hoc ſcelus: & in huius parricidij tui cogitatione inuitus verſor. Sed veterem hunc furorem dices. Accipe, non adeò vetus factum. Mille pondo argenti appēdi tibi Rex Philippus iuſſerat, quæ tu penderes, ſcis cur, Pontifici Clemēti. Dediſſe te, ore tuo illo impudenti dic; conuincam non data: oſtendam apud te etiam nunc obſignatis loculis aſſeruari. O auri argentiq; altiſſimum gurgitem, profundam voraginem, inexplebilem Oceanum. O prodigium, ô portentum, ante te nunquam viſum, nunquam auditum. Tu Regem cum Pōtificibus committis. Tu digladiari cogis. Seruauitne tantam fidem datam Clemens? Meminiſti quid pactus ſit, quid debuerit: quid factum, quid non factum oportuit. Lugdunum Romam, & in ſinum noſtrum euocaremus: Sedes Pontificia apud nos, interque manus noſtras erat: Tu in Delphinatiū ditionem, in Allobrogeſque, exin Auenionem pellis, propiuſque mare fugas, vt quocumque libuerit ſe conferat, ardeatque cupiditate ſuæ Sedis Vrbi Romæ reſtituendæ, quod facturus fuerat tot abs te indignitatibus affectus, longior ei vita contigiſſet. Sed quod tempus, quis locus, ſcelere tuo vacat? Franciam dedecoraſti; Romam irritaſti: Orbem terrarum perturbaſti. Quocumque oculos verto, flagitiorum tuorum veſtigia cerno. Corpus ſceleſtiſſima mente inquinaſti. Manus, pedeſque, quid aliud quam deterrimi miniſtri flagitiorum, inſtrumenta feritatis ſunt? Hunc locum vbi cauſam dicis, non exhorreſcis? Hi parietes te accuſant, in te vociferantur. Sanguine tuo ſanciri maieſtatem Regiam, vindicariq; pericula expetunt. Intra quos, quod ante te vnum nunquam accidit, obſeſſus fuit Philippus Rex, non ab hoſtibus, nobilibuſue telis, ſed à ſentina plebis; non ſuis vitijs (quid enim illo melius) ſed tuis ſceleribus inuiſus. Luparam redibis, cuius es Præfectus? Nam te ipſe etiam arcibus, ſi ſuperis placet, præfeciſti. Eodem temporis momento, quo Philippus animam cælo reddebat, pecuniæ ingentem vim, teſtem latrociniorum tuorum, ex Lupara domum ferre capiſti. In ædes Regias inſulæ Pariſienſis audebiſne tu, omnia auſus, pedem inferre? Ipſi lapides, quantumlibet muti, ipſa Regum ſtemmata, peculatus te arguent: ac ſi queant, manus iniicient. Eas ædes faciendas curaſti; inque ijs, ne quid non auderes, ſtatuam tibi poſuiſti. Inſularum Dominos, re nō ſoluta, domo præcipites egiſti. Tabernas quas publicas eſſe oportuerat, quod publica pecunia fuerant emptæ, tibi addixiſti: tuoque nomine elocas. Quod reliquum erat pecuniæ, quamq; vel publicis, vel fiſci rationibus illatam oportuit, apud te etiam nunc eſſe, planum faciam, ſi neges. Sed neges, an fateare, quid intereſt? Vnus omnia poteſt Engerrannus: ſolus dominatur. Scis, iuſtiſſime Rex, viuo patre tuo Rege optimo, hunc hominem, ſi homo dicendus eſt, tantos ſpiritus ſumpſiſſe, tantumque dominatum, vt nullus Regijs literis obediret, niſi coniuncta ab Engerranno epiſtola; quæ dicto audientes eſſe iuberet. Inprimis coactores Regiæ pecuniæ, menſarijque, cum quid cuiquam numerare à Rege iuſſi erant, ne aſſem quidem deprompſiſſent, niſi Engerrano authore. Iubebat, vetabat. Miniſtri perſonam exuerat. Fœdiſſimus homo (vt hominem mentiar) Regem agebat; immo ſupra Reges aſcenderat. Cōſtat Regem patrem tuum literas mandataq; ad Atrebatem Comitem dediſſe. Hic integerrimus ſcilicet vir, contraria mandatā dedit; iuſſitque Atrebatem aliter quam Rex volebat, facere, nihil periculi ab Rege fore pollicitus. Imperium Regis fruſtra vileq; fuit: Engerranni ſanctiſſimum, gratiſſimumque. Si neges non modo id factum probabo, ſed etiam quæſtui tibi fuiſſe. A Cameracenſibus enim publice mille item pondo argenti quæ Atrebati appenſa oportuit, ipſe tibi exegiſti. Adeo nullum genus rerum hominumue omiſiſſe te arguo, quod ſcelere tuo non violaueris. Arguo te expilatæ pecuniæ, peculatus, latrocinij, infidelitatis, perfidiæ, maieſtatis: & quoniam ne à Pontificibus quidem abſtinuiſti parricidij. Arguo ego? Arguit orbis terrarū. Nemo eſt cui ſua liberorumue vita iucunda futura ſit, ſi tibi impune fuerit nefariè importuneq; vitam egiſſe, & ſit poſteris ſimilia audendi, & nouorum ſemper Engerrannorum propoſitū exemplum. Te enim abſoluto, quis furta res inuadere non audebit imitatione tui, etiamſi ſcelera æquare non poſſit? Hic vnus patris tui nomen, mortalium omnium optimi, terris inuiſum fecit immanitate atrocitatis ſuæ. Reddi mortuo ſua dignitas nō poteſt, hac fera viua. Nullam maiorem virtutis ſignificationem, iuſtitiaque ſpecimen initio ſtatim imperij tui præbere potes, quam principe ſontium punito, publicaque peſte ſublata, certiſſimam ſalutis ſpem bonis omnibus oſtendere.*

XXIV. ENGERRANNVM AD CALVMNIAS RE[SPONDET]

Hæc Annalis. Engerrannus magno ſeanimo ad Luparam defenderat, ac veluti cum ſumma fiducia innocentia, propior exprobranti virtutem beneficiaque, quam [...]. Nunc cernens crimina ſecundis auribus ab Rege ex-

ripi, ſe



OBIECTAS MODESTA RESPONSIO.

cipi, ſe rei capitalis, non pecuniariæ exiſtimationiſve reum agi: velut certa, ſi nimis ſplendoris ſui memor eſſet, Cruce ante oculos obuerſante, in quam demiſſiſſimam potuit humilitatem ſe deiiciens, ita exorſus eſt.

*Deum Opt. Max. precor, vt quemadmodum ante te Regem, à patris tui Regis optimi hoſtibus, me ſæpenumero difficillimis Franciæ temporibus tutatus eſt; ita nunc te Rege, ab hominum errore tegat: qui me mortalium ditiſſimum falſo rati, non pecunia, ſed capitis arceſſunt. Miſerrimus omnium mortalium forem, ſi alio quam te iudice fiderem. Eadem verborum aſperitate inuidiam in me vulgi, à quo accuſare coactum ſe videri vult, conflauit Annalis, qua te de gradu manſuetudinis mouere conatur, Regnique tui initia ſanguine meo conſecrare: ac repetito Bonifaciano crimine, patrem tuum Regem etiam fato functum per ſimulationem nominis mei deferendi, nefarie criminari. Deus auſpicatoria tibi primordia det, ac meliora faxit gloriæ optimi patris tui, quam vt in meo capite damnetur eius memoria: ac ſuperſtite miniſtro iugulato, æterna ignominia mortuo inuratur abs te Rege exemplum poſteris præbituro, quid in defunctos Reges liceat, quid non liceat. Verſetur, oro, ante oculos tuos, non circumactum modo tempus, ſed omnium mortalium poſteritas, qui cauſam meam præiudiciū patris tui ſancti an ſecus cenſendi exiſtimabunt. Qualem miniſtrum eius intimum iudicaris, talem illius animum fuiſſe, te iudice, cenſebunt. Pedes manuſq; Regum miniſtri ſumus. Nos ſi accuſari pateris ab iis qui patris nomen deferre auribus tuis non audēt, cum alibi incuſare non deſinant: Regem patrem accuſari, extendiq; in omnia futura ſæcula ignominiam eius pateris. Ego n. nomine meo reſpondere facile poſſum, ſi, vt facis, attente benigneq; audias, ad ſalutem innocentiæ dandam quam ad miſerorum ſanguinem inuidia prodendum, promior.*

*Diuitiarum fama omnibus inuidioſa eſt. Summas diuitias & innocentiam, in Regiis miniſtris procuratoribuſque aulicis eſſe ſimul poſſe inficiantur. Interdicatur igitur tibi liberalitate, benignitate. Donas multa multis. Nullus dies beneficio tuo vacat. Cauſam lege Cincia non dico: nec quæſtio hæc conſtituta eſt, vtrū acceperim munera, ſed vtrum proditor acceperim, id demum quærendum eſt. Hæc per breuis defenſio eſt mea. Rex vero pater tuus, cuius nomini parcens Annalis, reus grauis accuſator eſt: ſi reuiuiſcat, ſe facile purget. Audires eum Rex Regem ſic dicentem: Et quid alieno nomine ſubiecto, me Annales inſectaris? Itane mortui Reges cauſam dicimus? & apud filium pater accuſor? Dum viuerē, ſacroſancti Concilii ac orbis terrarum conſenſu Bonifaciano crimine liberatus, nunc poſt fata inſimulor? Iam non Engerrannum, ſed me, ſed memoriam mei Annalis accuſat. Nimis infenſe atrociterque inſectatur, cum Pontificatum Maximum me extraxiſſe in Franciam, vrbi Romæ extorſiſſe criminatur. Qua in re ne ſibi quidem conſtat: vt res ipſa, oratioq; eius hoc crimen refellat, nec meam orationem deſideret: cum adeo liberum Pontificem Maximum ipſe prædicet, vt in Allobroges, atque inde Auenionem, & propius mare concederet. Meliora ominetur Annalis; nec hanc mentem Deus dederit Francorum Regiæ, vt propugnare tutariq; ſedem Petri ſolita, quicquam in eam nefarie moliri, vere inſimulari poſſit. Iactet fama, perſtringat rumor: quod cuiuſque audaciæ temeritatiq; lubet, fingat, ſpargat, edat in vulgus: vitium morbuſq; temporum ille, non meus fuit. Res, quo ſanctiores ſunt, eo ſæpius ſæuiuſq; iactantur: cætera, quod temporibus magis ſeruiant, tutius agunt. Nauis Eccleſiæ ſacra, ſuas & ipſa, eaſq; ſæuas tempeſtates habet, ſuos fluctus, ſuos æſtus: agitatur, quaſſatur, ſæpius in altum reiicitur; in portu, breui ac perraro conquieſcit. Tempeſtas illa Bonifacian. temporum, non ex me exorta, ſed aut libidine fortunæ, aut diuino mortalibuſque ignoto conſilio. Quid quod Flandricus etiam tumultus, mihi in Engerranno criminis datur? O felicem optandumque omnibus belli exitum. Poteram euertere Flandriam! Seruator eius quam exciſor vocitari malui: Ea in re virtutis gloriam, ſed multo maiorem clementiæ tuli. Vici, idque incruento milite meo, nulla hoſtium cæde: quos, quia delere poteram, quum vita donarim, quis id ſcelus Engerranni dicat, quia ea laus mea eſt? Supplices veniebant! aſpernarer? Iratus arma cœperam: Flandriæ euertendæ impetus me ſubierat. Vici iram meam, vbi ſupplicem Comitem nuncios ſupplices mittere audiui. Vbi autem virtus in Rege elucebit magis, quam vbi animo ſuo imperat? ſuammet ipſius cupiditatem cruoris hauriendi frenat, coercet, inhibet? Quis cæteris digne imperabit, ſibi imperare neſcius? Placaui primum ipſe me; domui vltro ſpiritus meos; Sed ita tamen, vt adhuc iratus videre vellē, quo Comes ſubmiſſior fieret. Videri infenſus adhuc volebam. Nec id etiā Francico nomini dedecori fuit, quod hoſtis ad me deprecatores mittens, non admiſſus à me, ſed ab vno meorum muneribus creditur tectus. Ita enim ad exiſtimationem dignitatemq; conſeruandam plerumq; neceſſe eſt, vt cum Reges pacato animo ſimus, interdum furere in aliquem credi velimus: quemque ſimulanter propalam repulerimus, eum quaſi nobis inuitis recipi audiriq; clandeſtino imperio iubeamus. Hoc eſt cur, cum ignoretur quid factum voluerimus, proditi plerumq; credamur. Nec vllus adeo fœlix fideliſque Regum miniſter eſt, quin aliquando nobis expediat, eum officio decedere falſo credi. Ab Regibus omnes omnia petere audent: & cum nullus ſit petendi pudor, liberum nobis nolunt locum denegandi. Reges ſalutamur, cum ſerui ſimus modeſtis immodeſtiſque hominum votis. Moribus receptum eſt, eſſe aliquod tandem frænum, quod inhibeat non vocem Regum, ſed hominum cupiditatem. Maria monteſque ſibi quiſque ab Rege ſponderi vult. Non ſit fraudi capitali, eſſe aliquem, qui ſalua maieſtate noſtra, inuidia vero ſua, ſtatuat, quid cuique promi poſſit benignitati noſtræ. Extorquebant à me permulti, vt & abs te fili extorquebunt, literas quibus iuberem aureos mōtes appendi. Erat mihi Engerrannus non ab ſe mihi inculcatus, ſed à me delectus, vt & tibi aliquod erit neceſſarium ad frænandam cupiditatem adiumentum. Menſarii, qui illi parebant, mihi aliud iubere coacto, aliud ſentienti, parebant. Nec mirari poterant meis tunc audiri Regis literas, cum teſtis Engerrannus erat meæ voluntatis. Bonifacio, noli queri, fili, nihil datum, nihil illi debui. Clementi plura perſolui quam debui. Atrebatem Comitem non moleſte tuli non paruiſſe ea in re, quam, vt pleraque alia, nolens fieri volebam. Cameracenſem pecuniam æquius fuit meis quam Atrebati numerari. Hæc optimus Rex, cuius nomine nihil tibi tali filio charius eſt, probaret. Tibi vero Annalis hæc ego reſpondere Rege illo mortuo non poſſum. Eo viuo, liberalitatem eius mea falſa infamia texiſſem. Ac nunc ſi premis, falſa confeſſione tegam.*

*Multa criminaris, à me contra quam illi placuerit facta. Eam in arcanis rationem viuo redderem, quam mortuo ne palam reddam, eius maieſtas facit. O miſerum me. Capitis cauſam dico. Sāguis meus animaque petitur: nec fas eſt ea quæ ad ſalutem meam pertinent, expromere. Aliud accuſatori, aliud iudici dicendum eſt. Alia viuis reddenda eſt ratio, alia mortuo, ſi ex defunctis exiſtat, qui vnus eſſe Iudex poterat. Arcana rerum quæ cum illo extincta ſunt, me tutarentur; nec voce mea, ſed ſilentio opus eſſet apud rerum omnium gnarum. Quo me vertam? O conditionem Regiorum miniſtrorum infelicem! Crimina in caput noſtrum intenta voce confitemur: animo aliter affecti ſumus. Multum in caput meum vidiſti Annalis, ad Philippum Regem, me non vocaras; quia cum omnia aut in eius oculis, aut in ore eorum geſſiſſem, quibus videntibus Rex ipſe videbat: niſi facta voluiſſet, non expectaſſet dum me arriperes: ipſe ſe vltus eſſet. Sed videbat, ſi me preſſiſſes, te illius iuſſa damnare. Nunc me abſolutum illius ſilentio, qui idem teſtis iudexque vnus erat, ad filium Regem vocas. Quid agam miſer? Quem appellem? Tu mitiſſime Rex, patere abs te ad patrem tuum æquiſſimum, quique falli nō poſſit, iudicem prouocare. Apud reliquos omnes contra quam volens voluerit factitaſſe dicar: fatebor, & id falſo. Non recuſo ignominiam quæ defuncti memoriæ honori ſit; dummodo ſit incruenta. Abſolutum me à patre tuo ne repete. In me Rex defunctus accuſatur; nec mors iudicium extinguit, ſed gignit. Vulgi voces, ignobilem fremitum, muſſitationemq; imperitorum exiſtima. Per ſe populus eſt corpus ſine pectore. Cor, vitaleque ac ſpiritus populi, Rex eſt. Alii perturbent populum; Rex vultu ſuo pacabit. Tu Annalis me accuſaſti. Satisfeciſti vel populi, vel cuiuſuis alterius iuſto an iniuſto dolori. Quid enim neceſſe eſt me retractare exulcerareque vulnera mea? Crimina, vel falſa, confeſſus ſum. Viciſti, pete ſanctiorem victoriam, incruentamque palmam. Miſerere ſolitudinis. Initia Regis lenitate imbuta velis. Silentium Philippi Regis, ac ſupremæ tabulæ nihil me incuſantes, liberauerunt. Si pecunia mea multo minores fama quenquam offendunt, non capite, ſed pecunia anquiratur. Fatetur Annalis eſſe apud me integram obſignatiſque in fiſcis pecuniam! Bene habet. Non reſignaui; non deprompſi. Mihi igitur non habeo, tibi habeo, Rex mitiſſime. Neque hos parietes perhorreſco. Vulgi tumultum contempſit hoc loco pater tuus: non meum aut cuiuſquam caput illi dedit. Concitatam plebem, & ſeueritate, & prudentia domuit. Sunt & alia remedia tibi non ignota, Ædes Regias à me extructas ingredi, cur formidem? Nullus in il-*



lis pedem

*lis prædemponet, niſi beneficii patris tui, & diligentiæ meæ memor. Illæ, Rex clementiſſime, obſeruentur animo tuo ad Architectipotius caput tegendum, quam ad illas ſanguine eius fœdandas, & abominabiles efficiendas. Supplex procumbo ad manſuetiſſimos pedes tuos. Miſerere laborum, fidei, periculorum. Datam à Deo Opt. Max. vitam, tu Rex clementiſſime redde ex telis hoſtium patris tui perſæpe ſeruatam. Sis recreator meus. Sic primordia Regni tui fauſta feliciaque ſint. Sic lætiores ſemper dies illuceſcant. Ac tam ſecunda tempora tibi det Omnipotens, vt velle palam poſſis quicquid vere volueris: ac conſque felices habeas miniſtros, vt valeant efficere non modo quod te velle; ſed etiam quod omnibus mortalibus placere ſentient.* Iſta pro ſe dicebat Engerrannus.

XXV. ENGER. INNOCENS AD SVPPLICIVM TRAHITVR.

Ea actione nihil fuit conſtitutum. Reductus eſt Engerran. & quia fides criminum non fiebat, & quia turpe erat à pedib. noui Regis ſupplicem ad ſupplicium trahi. Ad iudices legeſque retracta cauſa, cum traheretur ampliareturque, dicitur deprehẽſa fuiſſe Engerranni vxor, quæ Paniuto Mago præceptore ſimulachrum cereum fingeret, quod leui igni admoueret, vt eo paulatim liqueſcente, perinde ſenſim ac lenta tabe Rex deperiret. Necromantæ, vero an falſo crimine, gula fracta: & Engerrannus furca ſuſpenſus. Ad hoc ſtatua, quæ ad ſummos gradus Regiæ poſita ei fuerat, deiecta. Locus vacuus, baſiſque inanis viſitur. Statim à ſupplicio Engerranni, illos ipſos quibus gaudio fuerat eius cædes, deſiderium illius cœpit. Inſecuta mortem viri quam plurima mala, diuinæ ex Engerranni nece iræ attribuebantur.

OB EIVS NECEM CAROLVS COMES DIVINAM VLTIONEM EXPERITVR.

Carolus Comes graui morbo correptus, cum nec extingueretur, nec vlla ope humana leuaretur, pœnas defuncto dare diuturno ſupplicio miſerrime animam trahens videbatur. Nullum igitur erga inopes liberalitatis, nullum in ſuperos templaque, nullum pro Engerranno deprecationis obſecrationiſque genus omiſit. Interim etiam Rex ſacrã meditabatur militiam, quod à patre Rege moriente, de eo bello votoque quo ſe obſtrinxerat, vel poſt fata ſua ſoluendo, ſuprema mandata acceperat, ac Regia Gallorum religione deuincta teneri videbatur: quod eo nomine Pulcher Rex decimas de Sacerdotibus coegerat, filiumque obteſtari non deſiuerat, vt non in regnum tantum, ſed & in ſacram cauſam ſuccedere ſe æquum cenſeret. *Paul. Æmil. lib. 8.*

XXVI. FRIDER. TRINAC. REX OB VSVRPATAM SIBI SICILIAM A ROBER. SICILIÆ REGE BELLO APPETITVR.

Mortuo Clemente; in Sicilia, noui motus, quod Fridericus Trinacriæ Rex, per eam mortem defuncti Pontificis, ſibi omnia licere, neque amplius ſe eſſe vectigalem Romanæ Eccleſiæ, neque vnius inſulæ ſed totius Regni Seculi cis & vltra Pharum ſe Dominum eſſe ac hæredem putaret. Quamobrem cum hos ſpiritus præſeferret, & titulum Regis Trinacriæ depoſuiſſet, Siciliæ autem vniuerſæ aſſumpſiſſe, Robertus Rex Siciliæ, cui plus iuris à Sede Apoſtolica in id regnum conceſſum fuerat, vt ſuperbiam Friderici auſuſq; frangeret, maxima adornata claſſe, matre ac vxore comitibus, & Philippo Tarentino & Ioanne Achaiæ principibus fratribus ſociis, & bellicæ expeditionis conſortibus adiunctis, terra mariq; Drepanum obſedit. Nec Segnius Fridericus, vna cum Ferdinando Baleaiico copiis coniunctis, magnum exercitum contraxit, vt hoſtes ingentib. animis adoriretur. Egit Roberti Regis mater & Sanctia vxor, vt induciæ ad Maias Kalend. inter affines Reges ſtatuerentur: futurum poſſe ſuccedere Pontificem ſperantes, qui id controuerſiarum dirimeret. Thomas Marzanus Scylacenſis Comes, Regis Roberti Legatus, & Comes Richardus Paſanetus Regis Friderici, inducias eas certis ſponſionibus ſtatuere. *Surit. in Iudic. lib. 2.*

XXVII. B. IACOBI VENETI ORD. PRÆD. EDVCATIO, VITÆ INSTITVTVM MIRACVLA OBITVS.

Hoc anno, in cœleſtem patriam emigrauit, B. Iacobus Venetus O. d. Præd. profeſſus. Is adhuc puer à parentibus orbatus, ab auia, in literis & moribus, ac inprimis in pietate educatus eſt. Conatur mulier iuuenem ad recitationem officii B. Mariæ Virginis allicere. Itaque præmium propoſuit, ſi ad præfixum tempus illud ſingulis dieb. perorafſet. Eo tempore præterlapſo cum auia non ſolueret, & is ſe deluſum eſſe intellexiſſet, ſua ſponte eam conſuetudinem recitandi officii D. Deiparæ ſibi impoſuit, neq; ſemel ſuſceptam vnquam depoſuit. Diſtracto in vſus pauperum patrimonio, adoleſcẽs admodum religioni Prædicatorum nomen dedit, inq; ea ſex & ſexaginta annos exegit, in ſumma auſteritate, ieiuniis, vigilandi & orandi ſtudio, humilitate, continentia, ſolitudine, lacrymarum profluuio, ſacrificandi aſſiduitate, vitæ communis ſequela, chori frequentatione, nominiſq; Ieſu memoria. Si quem lingua lubricantem, & vel detrahentem, vel murmurantem, vel ocioſa loquentem audiſſet aut fugiebat, aut illud D. Hieronymi ſolemne ingerebat; *Felix lingua, quæ non nouit, niſi de diuinis texere ſermonem.* Aliquando ſupra dexteram illius ſacro pœnitentiarii munere perfungentis, viſa eſt cœleſtis colũba quieuiſſe. Maxima inter alios ſanctos deuotione proſequebatur, Aſcidum & Victorium martyres Cordubenſes. Quorum in feſtiuitate ad 17 Nov. cum aliquando in horto deambulans recitaret officiũ, roſam (miraculum anniuerſarium aiunt eſſe Cordubę) recens è ſenticeto ſeu roſeto natam reperit ac collegit. Romæ, porta Cathacumbarum S. Sebaſtiani martyris ei ſemel oranti miraculoſe aperta eſt. Mulieri cuidam oleum per orationem ſolam auxit. Ferunt multis ægrotis ſanitatem impetraſſe, leproſos mundaſſe, corpore vitiatos integritati reſtituiſſe, ac mortuos ſuſcitaſſe. Quadriennio ante obitum cancro exulceratus in pectore, morbum quo paulatim conſumptus eſt patientiſſime tolerauit. Cum vitæ terminus adueniſſet, non modo diem, ſed & horam exitus ſui prædixit. Cum enim viam migraturus videretur, fratreſque de more ad commendationem animæ conueniſſent, ait illis; *Nimis cito veniſtis, cum nondum hora mea aduenerit.* Cum autem illi veſperas decantaſſent, ipſeq; Letanias deuote recitaſſet, receptis Eccleſiaſticis Sacramentis, læto vultu obdormiuit in Dn. pridie Kal. Iunii, an. ætatis LXXXIII virginitatis laude commendatus. Triduo iacuit inſepultus, propter ingentem populi concurſum: quorum innumerabiles felices ſe exiſtimabant, ſi vel contingere, vel particulam veſtimentorum decerpere poſſent. Itaq; oportuit illum tertio nouis veſtibus induere. Illud inſolitum accidiſſe memorabant qui viderunt. Cũ in feretro decumberet, & aliqua matrona brachio infirma, ad cadauer defuncti acceſſiſſet, manumq; illius prehendiſſet, Iacobus mortuus brachium illius apprehenderit, multoq; temporis ſpatio tenuerit. Poſt nonum menſem aperta ſepultura ſuauiſſimus odor exhalauit: & puluiſculus quidam ibidem repertus eſt, qui ſanitatem multis ægrotis reſtituit S.P.Q. Venetus Mauſoleum ei apud Forliuienſes extruxit, iſtoſque inter alios verſus epitaphio inſcripſit.

*Cancros, arteticas, febres, capitiſq; dolores*
*Propulit, atq; alios morbos, mentiſq; furores.*

Annalium Dominicanæ religionis ſcriptores, duos illum mortuos ſuſcitaſſe, & CCCXXXVIII. miracula perpetraſſe aſſeuerant. *Mich. Pius, ex Leandro & aliis, lib. 1. vit Illuſtr. Ord. Præd.*

XXVIII. ALBERT. BRIXIENSIS ITIDEM ORD. PRÆD. FLORET.

Non impar Iacobo eadem tempeſtate floruit B. Albertus Brixienſis, D. Thomæ Aquinatis in eadem religione diſcipulus, nec non virtutum & ſanctitatis imitator egregius. Huic D. Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus, paulo poſt mortem D. Thomæ apparuit, eumque diuum in cœlis, minorem quidem Pontificia dignitate, ac longe ſuperiorem virginea puritate eſſe renunciauit. *Script. vitæ S. Thomæ Aquinat.*

XXIX. IOANNES GLYCYS EX VXORATO IN SEDEM CONSTANTINOPOL. SVCCEDIT NIPHONI.

Conſtantinopoli hoc anno, Niphon è Patriarchica ſede, propter multiplicis & varii ſacrilegii & auaritiæ crimen, & quæſtus eo faſtigio indignos eiectus eſt. Is digreſſus, domicilium ſibi eam partem monaſterii Peribleptí elegit, quæ mare ſpectat. In eius patriarchicum ſolium ſucceſſit Ioan. Glycys, tum Logotheta Dromi, qui vxorem, filios & filias habebat. Vxor eius ſtatim monaſticum habitum induit: ipſe Patriarcha reſiſtente Imperatore non potuit. Nam cũ corruptus humor non ita multo ante certis anni interuallis articulos eius inuaſiſſet,





grauiſſime cruciabatur; & de ſententia medicorum ei carnibus veſcendum erat. Hac de cauſa monaſticus ei habitus conceſſus non eſt. Hic in pronunciando fuerat Atticiſmi ſtudioſiſſimus, eamque dicendi formam, tanquam diuinum aliquod exemplar obſeruabat. Eius conſuetudine Nicephorus Gregorias hiſtoriæ Græcorum ſcriptor, vſum ſe fuiſſe, ingenue teſtatur, noctu atq; interdiu ad vtilitatem ſuam & expoliendam linguam illius fruens ſermonibus.

XXX. METOCH. THEOD. INSIGNI ERVDITIONE CLARET

Florebat etiam id temporis Conſtantinopoli Metochites Theodorus, Logotheta tum Generalis, qui facundia naturali, & tolerantia laborum, & memoriæ præſtantia, apud Græcos eam opinionem ſibi conciliauerat, vt ſummum omnis eruditionis faſtigium conſcendiſſe putaretur. Si quid ex eo ſiue nouum, ſiue antiquum quærebatur, ita recenſebat, quaſi ex libro recitaret. Quare in eius colloquijs parum aut nihil opus erat libris; erat enim viua bibliotheca, eorũ quæ ſcire voluiſſent oraculum. In eo tantum à ſuis reprehendebatur quod ad nullius veteris oratoris imitationem ſtylum conformauit, neque grauitatem ſententiarum ſuauitate dictionis condire voluit, neque ingenij vbertatem moderatus eſt; ſed ſuo quodam genere & genio delectatus, aures offendebat, & veluti pungebat, quemadmodum ſpinæ digitos carpentium roſas. Iſtud porro in eo mirabantur, quod cum magna moles negotiorum & curarum illi incumberet, nihil vnquam fuit quod eum à lectione & ſcriptione reuocaret; ſed ea dexteritate in vtriſque verſabatur, vt à mane vſque ad veſperam in palatio Rempublicam adminiſtraret, tanta diligentia, tantoque ſtudio quaſi à litteris prorſus alienus eſſet. Sero inde abiens, adeo totus in literis erat, quaſi ſcholaſticus eſſet, neque cum Republica quicquam haberet negocij, propterea ſic ab Imperatore amabatur, tantique fiebat, vt nullum eius arcanum ignoraret, omniaque fierent quæ hic vellet, contraque nihil quod nollet.

IRENE IMPERATRIX MORITVR.

Cuius filiam ſuo nepoti Ioanni, qui tum primum ex Ephebis exceſſerat, Porphyrogeniti vnico filio deſpondit, eiuſque amore tum Panyperſebaſti dignitatem ei decreuit, tum veſtimenta, calceos, & equi ornamenta coloris lutei ei conceſſit, vt inter Imperatoriam nobilitatem maxime illuſtris eſſet. Quo tempore Irene Imperatrix Auguſta, Poncelli Vrſini Principis Romani (Agnetẽ eius ſororẽ in matrimoniũ Poncellus duxerat,) affinis, cũ Theſſalonicæ longo tempore verſata eſſet, eiuſque diuturnæ manſionis ſatietas eam cœpiſſet, Drammam oppidulum animi gratia venit, vbi illam grauis febris inuaſit; & celeriter rebus humanis exemit, Cralæna è Triballis, ad matris exequias celebrandas, quam primum adproperauit, eiuſque reliquias Conſtantinopolim in Pantocratoris monaſterium retulit. Pecuniam vero quam illa reliquerat, ad ſarciendum maximum Dei ſapientiæ templum Imperator contulit. Namque Andronicus quamuis ſchiſmaticus eſſet, ſtudio tamen inſtaurandorum templorum tenebatur. Nam præter innumeras Eccleſias, quas in multis Aſiæ Europæque oppidis, ſiue inſtaurauit, ſiue à fundamentis erexit, Conſtantinopoli Diui Eugenij iuxta portam maximum templum, item Diui Pauli Apoſtoli, item 12. Apoſtolorum Chriſti diſcipulorum, & celeberrimam S. Sophiæ baſilicam vetuſtate labantem fulciuit, atque exornauit. *Ex Niceph. Gregora hiſtoria Romanæ lib. 7. cap. antepenultimo.*

XXXI. PRODIGIA.

Hoc anno, tres ſimul lunæ in cœlo apparuerunt. Fulgor etiam quem Cometam appellant, tribus menſibus in cœlo emicuit. *Chron. Hirſaugien.*

## IESV CHRISTI.
## Annus 1315.
### INTER PONTIFICII ANNO 1.

I. CARDINALI.

INter Pontificium Romanæ Sedis, hunc annum tenuit, quod Cardinales, locis ac ſtudijs diſiuncti, non poſſent ad Comitium congregari, Quamuis Reges & Principes Chriſtiani, præſertim Ludov. Galliarum, Robertus Siciliæ, & Carolus Valeſij, Comes ad concordiam, Romanique Antiſtitis electionem inuitarent. Diſſentientibus itaque purpuratis, neq; pacem orbis Chriſtiani curantibus, etiam Principes Europæi, per mutuas diſcordias, in perniciem alienam ruebant: cum nullus cathedram illam Catholicam inſideret, ex qua iuſtitiæ palma, & pacis olea, bono Chriſtianitatis publico depanguntur.

VMINELIGENDO ROMANO PONTIF. DISSENSIO PERNICIOSA.

II. LVD. BAVARVS ET FRID. AVSTRIVS DE SVMMA IMPERII DEPVGNANT.

In Germania, de ſumma Imperij Ludov. Bauarus, & Frid. Auſtrius depugnabant. Illum Archiepiſcopus Treuirorum Aquiſgrani; hunc Archiepiſcopus Colonienſis Bonnæ, diademate ferreo ornatum, Regem Rom. renunciauit. Ludouico inferiores ciuitates Rheni; ſuperiores Friderico parebant. Berna & Solodora neutrum curabant. Sueuiam cogitabat primo Frider. occupare. Quamobrem Leopoldi fratris copijs auctus, Spiram magno exercitu cinxit. Neq; minorem militum numerum Lud. conſcripſit; ſed longe tamen viribus inferior fuit. Cum Leopold. Spiram, Auguſtam, Landſpergium cœpiſſet, multaq; in ſuperiori Bauaria igne vſſiſſet. Lud. aduerſarijs impar, in F. Rudolphum Palatinum Rheni ſæuire voluit, bonisque omnibus illius publicatis, in Angliam fugere coegit, quod is ſuffragium in Fridericum tuliſſet, eumque armis iuuaſſe diceretur.

III. FRID. ROM. REX ELECTVS ISABELLAM ARAGONII REGIS FILIAM IN VXOREM DVCIT.

Iunxit ſibi hoc anno in matrimonium Frideric. Romanorum Rex electus Iſabellam Aragonij Regis filiã, eamque ſacro Pentecoſtes die, Baſileæ inſignibus regijs ornari curauit. Cum etiam Leopoldus frater illius, Catharinam Amadei Sabaudiæ Comitis F. eodem die ſibi deſpondiſſet. non multum felici vterque omine Cum enim aliqua ſacrorum pignorum, ſcil. pars crucis Saluatoris, & clauus, item corona, lancea, & gladius Caroli Magni oſtenderentur, haſtiludiaque frequenti populo exhiberentur, ſemel & iterum ſuggeſtis præparatis ruentibus, multi vtriuſque ſexus magno ſuorum luctu oppreſſi interierunt; portento certiſſimo, non diuturnam fore tunc Auſtriacis lætitiam, à caſibus ſequentibus *Naucler. Coſpin. Albertus Argentin. & Iacob. Mogun. Trithen. in Chron. Hirſaug.*

IV. INGENS PVGNA INTER GVELPHOS ET GIBEL.

In Italia, inter Guelphos & Gibellinos ſolennes turbæ. Aretini à Piſanorum Duce Hugocione, eandẽ, quæ Lucenſibus acciderat, excidiorum metuentes, exemplo Florentinorum, Robertum Siciliæ Regem in quinque annos Adminiſtratorem ac Dominum elegerant; ea tamen exceptione, ne quos exules reuocaret, neve arcem vllam ædificaret, aut præſidiũ aliquod imponeret, neq; publicos redditus poſceret aut caperet, ſed quaterna tantum millia nummum aureorum ex ærario haberet; gubernationem autem vrbis ipſis ciuibus liberam eſſe vellet, nec ipſe niſi in bello ac pace vrbem defenderet. His conditionibus cum illi poteſtatem Regiam circumſcripſiſſent, Robert. Rex Philippum & Petrum fratres ſuos cum auxiliaribus copijs miſit. Hugucio à victoria Lucenſi inſolentior factus, quadratum agmen contra Guelphos fœderatus inſtruxit: neq; incruentam ex illis victoriam obtinuit. Ceciderunt in ea pugna Florentinorum ſociorumque ad duo millia, & cum his Petrus Regis frater, & Carolus filius Philippi. Philippus amiſſo fratre & filio inter fugientes euaſit. Quoniam febri ea die oppreſſus, nec ſe prælio miſcuerat, neque officium Ducis præſtiterat. Ex nobilitate Florentina optimus quiſque forti ſſimuſq; oppetijt; cæteri diſſipati, vt caſus tulit aufugerunt; multi proximis paludibus merſi perierunt. Ex Hugucionis exercitu, Franciſcus eius filius, qui Anteſignanis præfuerat in eodem prælio interfectus eſt, & tota fere acies prima oppreſſa. Hinc conſternata ciuitate, in Robertum palam conuicia iacere, deinde aliqui dominium eius reijcere, alij retinere, inq; partes ciuitas ſcindi; donec nouellum ab eo Præfectum vrbe exegiſſent, & Serlandum quendam Eugubinum virum carnificem & crudelem rebus præfeciſſent: quod nullus interim Sede vacante ex Cardinalibus auctoritate

polleret, qui vel Roberto animos faceret, vel oppreſſis Guelfis vires augeret: ipſa Romana vrbe ſub factionibus Cæſarianorum & Eccleſiaſticorum gemente. *Leonard. Aretin. hiſt. Florent. lib. 5.*

V. Robert Bruis ingenti praelio Anglorum exercitum caedit.

In Scotia, inter Edouardum Anglorum Regem & Robert. Bruis, bellum illud cuius ante ſex annos mentionem fecimus, ſunt auctores qui hoc vel ſuperiore anno commiſſum aſſeuerant: in quo Robertus Anglorum exercitum fudit ingentem, cæſis, vt ferunt, peditum 50000. Contigit inſignis hæc victoria ipſo die qui S. Ioanni Baptiſtæ ſacer eſt; cum peccata exolomogeſi expiaſſent futuri victores; & aciem, ſacra Chriſti imagine velut altero Labaro muniuiſſent. *Ex Hectore Boeth.*

VI. Edouar. Angliae Rex caracallam S. Albani ſanguine cruentatam inuenit.

In Anglia per hæc tempora reperta eſt veſtis S. Albani martyris, eius ſanguine cruentata, multorum miraculorum operatrix. Rex Edouardus voti ſoluẽdi cauſa, venerat in peruigilio eius Dominicæ quæ à palmis nomen obtinuit, ad S. Albanum, eiq; monaſterio Crucem obtulerat auream multis ſanctorum reliquijs refertam ac lapidibus pretioſis ornatam. Inſtaurando etiam choro monachorum pręter pecuniam quam numerauerat, etiam reditus annuos ex vectigalibus maritimis in vſum operis impenderat. Inde pro feſtiuitate Paſchali ad inſulam Elienſem digreſſus; ab inſulanis accepit, indidem corpus D. Albani prothomartyris reconditum eſſe. Monachi ad D. Albanum eius S Sarcophagum apud ſe oſtendebant. Elienſes feretrum antiquitate iuxta ac ſanctitate venerandum, Diui eiuſdem corpore onuſtum etiam apud ſe demonſtrabant. Rex vna cum Proceribus anxius certiora ſciendi, inquirere geſtiebat. Itaque Elienſi Epiſcopo, hic monachis ſuæ Eccleſiæ edixit, vt feretrum retegerent, & an vere, integrumq; corpus D. Albani haberent, reipſa cuincerent. Aeſtuabant quid facerent, hinc de impoſtura ſi non inuenirent, hinc de iactura ſi reperirent metuentes. Præſertim quod ſuſpicarentur, Regem velle eis martyrem eripere, aliorſumque transferre: non autem certo, ſed per coniecturas ſcientes, S. Alban. indidem apud ſe repoſitum eſſe. Tandem tandem locellum aperuerunt, nec niſi caracallam D. Martyris eius cruore reſperſam repererunt. Porro cruoris coagula denſe reſperſa, ita noua ac recentia apparebant, quaſi pridie fuiſſent effuſa. Eam caracallam ex panno villoſo, S. Albanus, à S. Amphibalo Magiſtro ſuo, in conuerſione primum acceperat, & in ea ſententiam ſubierat capitalem. Guttæ ſanguinis in ea veſte, quemadmodum & in puluere ſepulchrali, rubentes, per multa ſæcula non niſi per miraculum ſunt reſeruatæ. *Thomas VValſing. hiſt. Angl. in Edouardo 2.*

VII. Horrenda fames et peſtis Brabantiam, Angliam et Germaniam afflixit.

Hoc eodem anno, Cometam horrendum, qui anno ſuperiore præfulſerat, fames & peſtis horribilis, in Alamania, Brabantia, & Anglia, ſubſecuta. Poſt Kal. Maias orta pluuia durauit plus minus menſes decem in Brabantia, & reliqua Germania, ex qua intemperie quum in agris neque frumentum, neque alia homini & pecudibus neceſſaria matureſcere poſſent, ſumma omnium rerum caritate cœptum eſt laborari. Mendici in vijs, & in portis pro templorum foribus inedia animam efflabant. Hanc annonam ſecuta eſt tanta peſtilentiæ vaſtitas, vt quotidie in ſingulis pene oppidis ſexageni ſeptuageniue efferrentur, quorum alij ſexta die, alij tertia, multi ſecunda, nonnulli ſtatim in ipſo morbi aduentu extinguebantur. Multitudo omnis perterrita, in montes, ſyluas, & loca deuia fugiens, vacuis errabat in agris. Alij in templis diuorum aris affixi diuinam implorabant opem. Hic filios, ille parentem lugebat ademptum; alius fratrem, alius ſororem deſiderabat. Explicari oratione non poteſt, quanta fuerit eius temporis calamitas, qui gemitus, quæ lamentationes nocturnæ, diurnæque. *Ex Barlando Annal. Fland. lib. 11.*

VIII. Burchar. Magdeb. Archiep. a factioſis ciuib. crudeliſſime necatur.

Eam calamitatem Germaniæ accidiſſe exiſtimo, in vltionem inprimis cædis iniuſtiſſimæ atq; crudeliſſime Burchardi Archiepiſcopi Magdeburgenſis, deinde hæreticorum vbique graſſantiũ. Per id enim temporis Magdeburgenſes, in Burchardo ex comitibus de Schrapelon Archiepiſc. atrociſsimam inhumanitatem exercuerant, teſtimonium habentes ſempiternum belluinæ feritatis ſuæ. Annis 19. præfuerat Eccleſiæ, ſolicite prouidens, ne res Eccleſiaſtica quicquam detrimenti acciperet, neue temporalia ei deficerent. Aduerſarios propterea habuit Magdeburgenſes, neſcio quid iuris, immunitatis aut libertatis prætendentes. Accuſabant præterea, quaſi Archiepiſc. nouis cenſibus, tributis & oneribus impoſitis ciuitatem prægrauaſſet: armis etiam Miſnenſium fretus, non pedum paſtoralem, ſed gladium militarem in eos ſtrinxiſſet. Itaque vim vi repellentes Archiepiſc. pro iuribus Eccleſiaſticis certantem, comprehenderant; neque prius è cuſtodia abire voluerant, quam is venerabili adhibito Sacramento, polliceretur, ſe omnia antiquaturum; quæ ciuium animos offenderent. Per metum extortam ſponſionem, vt erat, ac proinde nullam obligationẽ inducere, cenſebat. Quamobrem iuris Eccleſiaſtici tenax, non tãtum anathematis vinculo eos ſtrinxit, ſed & exercitum in violatores, refractarioſq; duxit. Præliatum aliquoties, nunc hac, nunc illac victoria inclinãte. Interim aliqui ciuium, vt inter Archiepiſc. & conciues, controuerſias ex æquo & bono dirimerent, illum vt arma deponeret, & in vrbem concederet, inuitarunt: futurum ſperãtes, vt cum in conſpectum venirent, facile odijs & ſimultatibus depoſitis, concordibus animis in gratiam redirent. Venit Archiep. Magdeburgum. Cumq; ciuibus abrogationem edictorum nimis importune poſcentibus, non tam demiſſe vt optabant reſpondiſſet, adeo grauiter illos offendit, vt præter fidem publicam, illum in Archiepiſcopio primũ obſederint, deinde in ergaſtulum teterrimum coniecerint, ac paulo poſt vinctum, vel ſorte quæſiti, vel temeritate præcipui corona cinxerint, & circumcurſantes, clauis præacutis, quos ſinguli attulerant, laruati confixerint. Toto integro anno iacuit mactatum cadauer in carcere diriſsimo. Donec, ſiue metu alicuius atrociſſimæ vindictæ, ſiue odio viri ſancti, ſparſiſſent illũ emortuum eſſe. Admiſſi in carcerem Canonici, nulla Archiepiſcopi veſtigia, præter capitis raſuram, quæ Pontificem monſtrabat, offenderunt. Funere oſſibus excelſis adhibito, ſceleris authores ſucceſſor Archiepiſcopus diris omnib. deuouit; Principes vero oẽs circũuicini, arma in parricidas verterunt, Deus aũt ſæuiorem famis & peſtilentię vindictam, & in inſontes propter deteſtationẽ atrociſsimi facinoris explicauit. *Crantz. Metrop. lib. 9. c. 5.*

IX. Ioannis Bockii Decani Bremenſis liberalitas et pia viſio.

Cum autem ea fames, quam diximus, multa millia hominum conficeret, perijſſent longe plures in diœceſi Bremenſi, niſi vir magnarum virtutum Ioan. Bockius, Eccleſiæ Bremenſis Decanus largiſsimas eleemoſynas, in granis & farina, dudum in eos caſus collectis, feciſſet. Erogabat ille liberaliſsime. Cumque parum ſupereſſe, nec ad dies paucos vſibus domeſticis ſufficere admoneret familia: *ite*, inquit, *donate, omnes angulos diligenter perquirite.* Illi autem pridem euacuata vaſa relinquentes cum ad iuſſum Domini redijſſent, plena omnia repererunt; atque obſtupefacti, domino renunciarunt, cum ille imperaret largius erogari, dicens: *Scio B. Petrum ſuos non deſerturum, cui dictum eſt à Domino; Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Ferunt eundem virum, in publica proceſsione Eccleſiæ, die S. Victoris martyris, vidiſſe in medio Eccleſiæ militem inſignem, ignotum, veſte præclara indutum. Sacrũ ad aram miniſterium ille facturus, ſanctioremque pompam ornatus, diaconum ac ſubdiaconũ inter medius incedens, *num virum illuſtrem non longe ſtantẽ vidiſſent*, quæſierat. Negantibus, quemquam ſe aſpicere, ille è ſtationis loco excedens, quo ſanctum conſpexerat, ſolus proceſſit; atq; vt ſecum panem, quem Apoſtolus Petr. miniſtraret, comedere vellet, inuitauit. Excuſantẽ deinde, quis & quo nomine vocaretur inquiſiuit. Moxque S. Victorem eſſe, cuius feſtiuitas celebrabatur, ab eo doctus, in genua procubans Diuum quem quaſi hominem mortalem rogauerat vt dignaretur panem in ſua menſa, quem Apoſt. Petrus miniſtraret, manducare, more ſanctorum ex oculis diſparentem amiſit: totiuſq; rei



ſeriem, anxie quærentibus Canonicis & Clericis aperuit. Fuerant, qui calumniarentur, & veluti moti capitis homini obloquerentur, quaſi aliquid phantaſticum vidiſſet. Sed ita viuitur, vt improbi facilius contẽnant, quam venerentur, homines Dei deditiſsimos, & ſanctitatis laude inſignes. *Crantz. ſup. c. 2*

X. Plurimi haeretici flammis exuſti. Eorum impia dogmata.

Eodem anno in ciuitate Crernenſi, Patauienſis apud Auſtrios diœceſis, plures neſãdiſsimi hęretici per Fratres Prædicatores inquiſiti, inuẽti & combuſti fuerũt. Hi ſunt articuli, quos perditi aſſerebant hæretici.

1. Miſſas vanitatem eſſe dicebant, & nullius vel reuerentiæ, vel vtilitatis.

2. Luciferum cum dæmonibus ſuis, cælo iniuria pulſum dicebant, tandemque beatitudini cum omnibus ſuis reſtituendum.

3. Michaelem & Angelos omnes, æternis cruciatibus deputandos.

4. Homines ab eorum ſecta alienos, ſimiliter eſſe damnandos. Vnde cum ſe mutuo ſalutarent, inquiebant: ſalutet te iniuriam paſſus, id eſt, Lucifer.

5. Dicebant, ſi Maria, virgo manſit poſt partum, non hominem ſed Angelum peperit. Sed ſi hominem, virgo poſt partum non fuit.

6. Item dicebant, ſe habere 12. Apoſtolos, qui totum Imperium ſingulis annis perluſtrarent: & duo ex eis ordine & profeſsione ſeniores, ſingulis annis paradiſum intrarent, ac poteſtatem ab Helia & Enoch ligandi & ſoluendi, quam aliis in eadem ſecta conſtitutis communicarent, acciperent.

7. Sacramentum baptiſmi irridebant dicentes: ſi baptiſmus eſt Sacramentum, ergo quodlibet balneum eſt Sacramentum, & per conſequens, quilibet balneator eſſet Deus.

8. Sacramentum pœnitentiæ turpiter vitiabant; non ſacerdotibus ſed laicis, nec in ſpecie, ſed in genere peccata exprimentes, ſperanteſque ſe ex hac confeſsione, omnium peccatorum á pœna & à culpa, plenariam remiſsionem poſſe percipere.

9. Sacramentum Dominici corporis non credebant hoſtiamque conſecratam Deum fictitium appellabãt.

10. Sacramentum matrimonii iuratum meretricium in vulgari nuncupabant.

11. Sacramentum extremæ vnctionis irridebant: & interrogati quid de eo ſentirent, per ludibrium reſpõdebant: olera quanto fuerint oleo plus condita, tanto eſſe meliora.

12. Eccleſiarum & cæmiteriorum conſecrationes: palmarum, ſalis, aquæ, & cæterorum quæ in Eccleſia fiunt benedictiones, nihil eſſe dicebant.

13. Item dicebant, Deum nec ſcire, nec punire mala, quæ fierent ſub terra. Vnde in ſpeluncis, & cauernis ſubterraneis conuenientes, pater cum filia, frater cum ſorore, ac filius cum matre, indifferenter turpitudinem carnis excercebant.

14. Romanam Eccleſiam, non Chriſti, ſed gentium infidelium eſſe dicebant: omniaque ſtatuta Eccleſiæ, ac prælatos miniſtroſque illius contemnebant.

15. Ieiunium irridebant: carnibus omni tempore, etiam in ſexta feria paraſceues veſcebantur.

16. Dies feſtos non ſeruabant, ſed in die Paſchæ laborabant.

17. Periurium non eſſe peccatum affirmabant.

18. Merita & interceſsiones quorumlibet ſanctorum poſſe apud Deum hominibus ſuffragia præſtare, negabant. Alioſque complures articulos erroris profitebantur.

XI. Quam immenſus eorũ numerus.

Magnus eorum fuit numerus in Boemia, Auſtria, & terris vicinis. Ad octuaginta millia hominum, in eam ſectam apud Boemos, Auſtriacos & circumvicinas regiones, adſcriptos, numerabat quidam ex eis Viennæ exuſtus, nomine nouus Magiſter. Multi ex eis in Auſtria, diuerſis in locis, fuerunt combuſti, qui omnes vnanimiter in ſuis errorib. pertinaciſsime vſq; ad mortẽ magna cum hilaritate perſeuerarunt. Inter hos puella vna ſpecioſa, nomine Giſla, cum iam eſſet flammis tradenda, ab iudice, ſi virgo adhuc eſſet, interrogata, coram omnibus reſpondit: ſuper terram ſe adhuc virginem, ſubtus vero terram minime eſſe. Credebant enim fatui, virgines ſub terra non poſſe deflorari; etiamſi à mille viris cognoſcerentur: neque tale ſtuprum eſſe peccatum. *Ex Chron. Hirſaugien. Trithemii.*

XII. Eorundem anteſignani.

Primicerii & Anteſignani iſtorum, inter alios cenſebantur, Barthol. Fauſtus, Iacob. Iuſtus, Bononat. Guilielmus & Gilibertus, ex quibus Iacobus iuſtus, ſeptis murorum incluſus, miſeram vitam finiuit: Guilielmi, Giliberti & Barthol. memoria poſt mortem damnata: Bononatus impœnitens, igni viuus exuſtus eſt: ac domus in qua prophani congregabãtur, ſolo adæquata, conuentuſq; anathemate percuſſus: à Guilielmo de Coſta Ord. Præd. fidei inquiſitore: & à Nic. Roſelli eiuſdem inſtituti profeſſore, & in hæreticos apud Cataloniam incorrupto cenſore. *Prateol. lib. 2. & 9.*

XIII. Ingens fames et peſtis.

Eorum hæreſes, cum vbique fere graſſarentur, neq; ſolam Germaniam infeciſſent, acri peſtilentia & fame, Deus fere omnes Aquilonares prouincias caſtigauit. Nam & Poloniam duobus annis fames tam acerbe afflixit, vt nullo quamuis fœdo edulii genere, ac ne cadaueribus quidem humanis vulgo abſtineretur: ac ſi Dlugoſſo credendum eſt, parentes in liberos, & hi viciſsim in illos ſæuirent. Quam famem, vt par erat, dira peſtis conſecuta eſt. *Cromer. lib. 11.* Angliã quoq;, Scotiã, Hyberniã, & Daniã, eadẽ plaga peruaſit, magno mortalium numero imminuto. *M. S. Bibl. vat. de re. Angl.*

XIV. B. Andr. Seruitæ vita, inſtitutio, virtutes, obitus et miracula.

Hoc anno, ad æternam felicitatem conceſsit, B. Andreas, Seruita, à Burgo S. Sepulchri. Is B. Philipp. olim audiens in illa verba Chriſti, *qui non renunciat omnibus quæ poſsidet*, declamantem & contemptum mundi perſuadentem, ſtatim omnib. quæ poſſederat relictis, nomen religioni Seruitarum in manib. eius dedit: ac per omnes virtutum gradus ad faſtigium perfectionis euaſit. A Sp. ſancto edoctus, quod breui tẽpore ex hoc mundo tranſiturus erat ad æternam felicitatem, laborum glorioſam recepturus mercedem, corpus ſuũ non ſolũ ætate, ſed etiam continuis diſciplinis attritũ, magis ac magis vigilia, orationibus, & ieiuniis macerare voluit, vt inualeſcens ſpiritus facilius deinde dæmonũ tentationes ſuperaret, ac inter cœleſtia agmina Sedem ſibi compararet. Hæc cum facere non deſiſteret, tandẽ non longe ab heremo Burgi, orationi intentus, flexis genibus, manibuſque iunctis, vt alter Paulus I. eremita, ante ſolis exortum, animam monilib. pretioſis ornatam, ac veſte puritatis indutam, Domino reddidit. Hunc mortuum, eremitæ cum multa turba, repererũt quaſi viuum. Eadẽ erat viuacitas vultus, eadem ſerenitas faciei, fortitudo deniq; eadem corporis in genib. flexis, in manib. ac oculis in cœlum eleuatis, quæ in viuente eminebat. Corpus magna populorum frequẽtia in ſacram ædem ſeruorum Dei genetricis delatum, cũ cæci, ſurdi, à dæmonibus oppreſsi, & quolibet morbo grauati contingerent, liberi per merita ſancti viri receſſerunt. Ferunt trium dierum noctiumq; ſpacio, ad defuncti corpus campanas per ſe ſonuiſſe: & ſuper eius ſepulturam pulcherrimum cum palma lilium natum fuiſſe, quod cum quidam frater legere voluiſſet, ſtatim euanuiſſe. *Michael. Florent. in Chron. Seruorum.*

XV. B. Henr. vita, inſtitutũ, pietas et obitus.

Veronenſes in ſuas tabulas Eccleſiaſticas relatũ, in maxima veneratione habent, hoc etiam anno defunctum, B. Henricum eremitam Bocenſem. Is Bocemi, ſeu Bauzani, oppido Tyrolenſ. Comitatus natus, cum adoleſcens magnum hæreticorũ odium incurriſſet, Taruiſium in Italiam ſeceſsit. Ibi victum à labore manuũ quærens, opera pietatis excoluit. Illius humilitatem, modeſtiã, miramq; in tolerandis iniuriis patientiã, ciues ſũmopere admirabantur. Siquidẽ turbari nũquã viſus eſt. Loca pia frequenter inuiſens, diuinis officiis intererat. Sacras conciones, pœnitẽtię Sacramentum, ſacramque Euchariſtiam ingenti cum deuotione frequentabat. Cilicio, & vili amiculo indutus, funiculis

& ſcutica ferrea corpus ſuum flagellabat: pectus, in oratione, ſaxo tundebat. Et lucris manuum, ſibi etiam neceſſaria ſubtrahens, eleemoſynas erogabat, & egenos ſuſtentabat. Cum ſenio confectus, baculoque innixus Eccleſias de more viſitaret, accidit, vt pluuia repentina copioſe deſcendens, cæteros quidem ſub porticus compulerit, ſolum autem Henricum ſub dio ante quaſdam ſanctorum imagines orantem, ne gutta quidem vnica aſperſerit. Annoſa tandem ſenectute & laboribus confectus animam feliciter efflauit. Eccleſiæ Cathedralis Taruiſinæ, in qua conditus eſt, campanas hora tranſitus ſponte inſonuiſſe, & ad eius corpus antequam ſepulturæ interretur, cæcos, mutos, & varijs languoribus oppreſſos, ſanitatem recepiſſe ferunt Teruiſini, qui eius viri diem feſtum, non mediocri celebritate agunt. *Ex eius vita typis excuſſa anno Domini 1600.*

# IESV CHRISTI Annus 1316.

## IOANNIS PAPAE XXII. Anno I.

I. Post diuturnas Cardinalium diſſenſiones tandem Ioannes XXII. Roman. Pontifex creatur.

TAM acri contentione inter ſe Patres Purpurati, in Pontifice Romano ſufficiendo diſsidebant, vt non niſi Philippi Comitis Pictauienſis, qui per id tēporis, 5. Iunii Ludouic. Regi defuncto, Regentis nomine Regnum Galliæ obtinuerat, artibus & viribus potuerint in vnum adduci, ad deliberationem de Clementis ſucceſſore. Is enim ſtudio & induſtria id egit, vt ſpecie Comitiorũ Regni, cōuentuſq; de reb. publicis Galliarum habendi, eos omnes Lugdunum acciuerit: iureiurando interpoſito, illis liberum fore diſceſſum, ex ipſorum arbitrio promiſerit. Ad 4. Kalend. Iul. indidem congregatos, inuitos reluctanteſque, atq; fidē iuriſiurandi commemorantes, in conclaui apud FF. Prædicatores præparato concluſit, neceſsitatemq; eligendi Summi Pontificis illis expoſuit, pariterque impoſuit: minis adhibitis, inde eos non receſſuros, antequam Catholicæ Eccleſiæ Antiſtitem eligerent. Quadraginta totos dies in diſceptationib. exegerunt: Aquitanis aliquem ſuæ gentis, Gallis reliquis ac Italis, vel Italũ, vel quemuis aliũ non tamen Aquitanum poſcentib. Tandem Neapoleone Vrſino Diaconorũ Cardinaliũ primo adlaborante, ad 7. Idus Auguſti, Romanum Pontificem renunciarunt, Iacobum Oſſam ſeu Deuſam Cadurcenſem, antea Cardinalem Epiſcopum Portuēſem cum is Neapoleoni Vrſino, Romanæ Sedis tranſlationem in vrbem depoſcenti, atque proponenti, iureiurando prius promiſiſſet, ſe nunquam equum vel mulam conſcenſurum, quin Romam accederet. 9. Septembris, die Dominico, Lugduni in Eccleſia Prædicatorum præſente Clero & populo, ab eodem Neapoleone S.R.E. Archidiacono, inſignia Summi Pontificatus accepit, Ioannis XXII. nomine, Pontifex Romanæ Eccleſiæ ſalutatus.

Eius primordia et progreſſus.

Fuit Ioannes Cadurci vrbe Aquitaniç, patre Arnoldo cognomento Deuſa, miſero veteramētarioque ſutore natus. Adoleſcens ingenio præſtanti, cum litteris operam dediſſet, ingentemque doctrinam prudentiæ coniunctam comparaſſet, honeſtæ vitæ teſtimonium ſecum ferens, primum Epiſcopo Arelatēſi, Caroli II. Neapolitanorum Regis Cancellario, ſtudium ſuum probauit: deinde Epiſcopo defuncto, in eius dignitatem & officium ſucceſsit, tantumque diligentia ſua effecit vt Auinionenſis Archiepiſc. mox Cardinalis Epiſcopus Portuenſis à Clemente V. & eo fatis functo, Summus Eccleſiç Pontifex, à duobus & viginti Patribus, poſt biennii inter Pontificium crearetur.

II. An[illegible]

Statim atq; ſupremam Sedem Ioannes conſcendiſſet, omneſque Pontifices, Prçlatos, Reges ac Principes, aſſumptionis ſuæ, datis ex more litteris admonuiſſet, Neapoleo Cardinalis Vrſinus, Romanæ peregrinationis mentionem ei iniecit, & per fidem Sacramento cōfirmatam poſtulauit, vellet iuriſiurandi meminiſſe, & Romanæ vrbi per factiones tumultuanti pacem præſens conciliare, Romanamq; Sedem Romanæ Eccleſiæ poſtliminio reſtituere.

Leone Cardinale de itinere Romano admonitus quomodo illuſerit

Præſertim cum id & ad dignitatem Pontificiæ maieſtatis pertineret, & ad libertatem Eccleſiaſticam ab impotentia Principum ſæcularium vindicandam, tum vero inprimis ad rempub. chriſtianam qua ſchiſmate inteſtino laborãtem, qua ab externis hoſtibus in diſcrimen prope adductam, recreãdam maxime opportunum foret. Ioãnes porro, ſiue Romanorum factionibus, totiuſq; Italiæ miſerũ in modum diſtractæ partibus nollet immiſceri, ſiue Gallorũ Regis ac Principum, ne abeuntem detinerent, potentiam metueret, de Romano itinere nec quicquam curauit. Vt autem Sacramēto interpoſito ſatisfeciſſe videretur, nauigio conſcenſo Auinionem Rhodano præterfluēte illatus, ibidem Sedem Pontificiam defixit.

Simultas ideo inter ipſũ et Neapoleonem exorta.

Neq; vnquam equum aut mulam conſcendit, ſed è Palatio, ad quod etiam pedes è nauigio iuit, ad Eccleſiam maiorē eidem proximam, quam ſolam religionis gratia ingrediebatur, nonniſi pedibus conſcendere ſolitus, ad eum modum Neapoleoni illuſit, & fidē Sacramenti ſe nunquam violaſſe exiſtimauit: cum ſpopondiſſet, ſe nunquã equũ aut mulam conſcenſurum, quin Romã accederet. Hinc grauis inter ipſum, & Neapoleonē Cardinalē ſimultas exorta, quoad vixit durauit. Cardinalis enim nunquam poſtea Ioannem allocutus eſt, neq; teſtamēto aut exequiis intereſſe ſuſtinuit, quod ei, à quo Pontificiam dignitatem obtinuerat, fidem de re ſupremi momenti obligatam, verborum cauillo fregiſſet. Putauit Ioannes Neapoleonem facile poſſe mitigari, ſi aliquem ei ſanguine coniunctum inter Patres adlegeret. Quamobrem ad 16. Kalend. Ian. huius anni, Auenione, inter octo Cardinales, Iohan. Caietanum Vrſinum Romanum, Diaconum tituli S. Theodori recenſuit, & poſt annos vndecim Fr. Matthæũ Vrſin. Ord. Præd. profeſſorem eidem Sacro Collegio tit. SS. Ioannis & Pauli presbyterum adiiecit. Neapoleonis tamē deſiderio nunquam ſatisfecit, cum is nihil magis bono publico optaret, quam ſi Sedes Romana, Romanæ vrbi reſtitueretur. *Ciaccon. & Maſonius ex plurib. hiſtoricis.*

Secundo die octob. Auenionem. Cathedram Pontificiam Ioãnes intulit, indidemq; ſe omnino moraturum, promulgatis literis edixit. *Bernard. Guidonis in Ioan. 22.*

III. Pacem inter Robert. Regem Siciliæ et Matthæum Vicecomitē conciliare conatur.

Inprimis autem, ad Italiã per Guelforum & Gibellinorum factiones diſtractam, ad pacem reuocandam, conatus adhibuit. Superiore anno Mediolanenſes & Papienſes Guelfi, magnam calamitatem à Gibellinis aduerſariis ſuſtinētes, auxilia à Roberto Rege Siciliæ, & imperii à Sede Apoſtolica inſtituto vicario popoſcerant. Is porro Regiæ ſuæ præfectum Vgonē à Balzo cum delectis militibus in ſubſidia oppreſſorũ ſubmiſerat. Varie inprimis certatũ, donec victoria à Galeacio & aliis Vicecomitibus Gibellinis ſtetiſſet. In eo prælio Zifredus, Paganini Turriani Archiep. Aquileienſ. frater, & Edoardus Turrenſis Muſcæ frater cæſi, & octuaginta ferme nobiliſsimi Guelphæ factionis viri capti; multo plures deſiderati. Iſnardus Patriarcha Antiochē: Eccleſiæ Papiēſis adminiſtrator, præcipuus Gibellinorũ propugnator, eius cladis auctor eſſe cēſebatur, quod exiſtimaret Robert. Regem Mediolanēſi Imperio inhiare, cum tamen is necquicquam, præter pacem totius Italiæ cogitaret. Quamobrem Ioan. Pōtifex datis literis Roberto, eidem Vicariã Imperii poteſtatem à Clemente anteceſſore collatam, auctoritate Apoſtolica confirmauit, vtq; opreſſos ab iniuria vindicaret, & pacem inter diſsidentes cōciliaret, hortatus eſt.

Matth. Vicecom. excommunicat.

Nihil tamen efficere potuit Robertus; q; Mediolanenſes





nenſes Gibellini, viribus ſuperiores, Matthæo Vicecomiti Imperium detuliſſent, & is tum ciues Sacramento fidelitatis ſibi obſtrinxiſſet, tũ in Guelfos acriores Sp. aſſumpſiſſet, tum arcem in vrbe ædificaſſet, atq; præſidium aduerſus omnem vim impoſuiſſet. Hinc auctus potentia, Richardin. Turrianum interfecit. Simonem illius perneceſſarium in fugã coniecit: duos eius fratres minores Amorathem & Guidet. ex ædibus FF. Minorũ, in quibus deliteſcebant, intercepit; Philipponium Papiæ Dn. & Anton Phicilagam Laudenſium Principem, FF. Prædicatorum & Minorum poſtulantibus euinculare recuſauit. Pagano Caſtono Turriano Archiep. Mediolanenſ. ad Patriarchium Aquilegienſ. aſſumpto, Iohan. Vicecomitem, ex canonico ordinario, ſedi Mediolanēſ. Archiepiſ. per vim intruſit; aliaq; multa indigna contra ius & fas egit, propter quæ Ioh. Summus Pontifex, in contumacem, anathematis ſpiculum intorſit, atque vniuerſæ ciuitati ſacris interdixit. *Chron. Boßian.* cũ etiam ſuperiore anno Caſtonus Archiepiſc. eaſdem cēſuras in illũ ipſum Matthæũ ac ſocios ſtrinxiſſet; quod eum in palatio obſediſſent, inſidias ei poſuiſſent, familiam eius inuaſiſſent, ſpoliaſſent, trucidaſſent, & inter alios Vrſinum Mulinariuum Mediolanenſ. & Bonauenturam Mantuanum familiares eiuſdem in vinculis habuiſſent, ipſumq; vrbe & diœceſi ante triennium expuliſſent, aliaq; indigna facinora perpetraſſent. *Bernardin. Cor. hiſt. Mediolan p. 2. in fine, & p. 3. in princ.* Noluit prçterea Ioh. Pontifex, dignitatem Archiepiſcopalem, Ioan. Vicecomiti ratam habere: ſed cum vi & vitio illum renunciatũ eſſe pronunciaſſet, adeoq; ſede illa indignum iudicaſſet, Richardum Antimianum Ord. Præd. eidem Eccleſiæ præpoſuit: hunc autem Matthæus Vicecomes, & reliquos Turrianos, vrbe profligauit. *Idem qui ſup. & Onuphr in Chronol. Eccleſiaſtic.*

IV. Ludouici Bauari et Frid. electorum Imp. Legationes ad Ioan. Pp. pro diademate Imperii

Facile fuit Matthæo Vicecomiti, ferociam in aduerſarios Guelphos explicare, quod is à Ludou. Bauaro, titulũ Vicarii Imperii in vniuerſa Italia ſibi rite collatũ eſſe exiſtimaret: illumq; verum ac legitimum Imper. electum eſſe putaret. Nã & hic, quo ſibi ſuiſq; in Italiam iter aperiret, atq; adeo ad Imperii inſignia, totiuſq; Italiæ dominium aſſequendum facilitatē prçoccuparet, incitantibus Germanis à caſibus Henrici irritatis, nihil aliud animo verſabat, quã vt Gibellinos cōtra Guelfos armaret, ac vtraſque factiones ad inuicem committeret.

Quamobrem, cum in arroganda Imperatoria dignitate, & Vicarios Prouinciis, & Præfectos vrbibus imponeret, nonniſi pacis publicæ mentionem iniiciebat; clam autem Gibellinis animos & ſpes faciebat, quibus illi concitati, quieſcere contra Guelfos neſciebant: maxime quod futurũ cenſerent, vt Iohan. Pontifex, Clementis V. exemplo, eam electionem Imp. Rom. probare deberet. Nam per, id, temporis Ludouicus Bauarus, ad Ioannem ſummum Antiſtetem nuntios deſtinauerat, qui ſuæ electionis confirmationem & reliqua inaugurationis Rom. Imp. ipſi illi, flagitarent. Non potuit, quiquam Ioannes Ludouico tam properè, quod Fridericus competitor idem ſibi poſceret meliori iure ſe niti aſſerens.

Romani Pontif. eſſe electionem Imperat. cognoſcere et decernere

Illud etiam Ioan. Pontif. aliquantum offenderat, quod Ludouicus armis non iure, de iure Imperii cum Friderico decerneret; & prçcipiti temeritate Prouinciis & vrbibus Italiæ Gubernatores Vicarioſque præponeret: adeoq; ius ad Imperium præoccuparet: ac, quod grauius eſt, eos qui ab Eccleſiæ partibus ſtabant depreſſum iret. Itaq; cum & ille, & Fridericus, conſenſum Sedis Apoſt. & reliqua Imperii conſequendi ſolemnia, ab Ioanne per Nuncios exigerent, non quidem ea quæ Ludou. præſeferebat abrogauit, neq; Friderici electionem præmature comprobauit, ſed vtriq; diem dixit, vt id quicquid iuris vel facti pro ſe quiſq; abduceret, apud Sedis Apoſtolicæ ſubſellia cognoſceretur; cum penes Rom. Pont. in Chriſtianos Imp. ſi Chriſti oues audire volunt atque eſſe, tanquam penes ſupremum Paſtorem, ſummam poteſtatem eſſe Chriſtus voluerit: & Rom. Imperium primum in Francos, deinde in Germanos, non ſanguinis, non dotis, non venditionis, aut permutationi, aut quouis humani commercii titulo, ſed nec armis, ſed ſola vnius humani Pontificis Romani auctoritate fuerit deriuatum; cum non vnquam repudiata conditione, reſeruatæ naturalis plenariæ poteſtatis penes ſucceſſores Romanos Pontifices, cognoſcendi, quem, quomodo, cui fini, idoneum vel ſecus, rite vel ſecus, bono vel damno reipublicæ Chriſtianæ, electores non alii, plures non pauciores, legitime ac ſine vitio Imper. deſignarint. *Cuſpin. in Ludou. Bauaro Naucler. volum. 2. generat. 44.* Albertus Crantzius *lib 9. Saxoniæ, c. 8.* Iſta habet. Erat annus poſt mille trecentos decimus ſextus, cum ad Iohan. XXII. Pontific. in Gallias mitteret Ludouicus Oratores electionem nunciantes, poſcenteſq; Rom. Pontif. aſſenſum, quem ille protinus negauit, quod Ludouicus multa peregerit, quæ nullus Regum, niſi Imperatoria dignitate ornatus, conſueuiſſet. Aluit etiam idem Ludouicus Vicecomitum Mediolani tyrannidem, vt tum primum auſi ſint palam mores in plebem tyrannicos oſtendere.

V. Iacobi Aragon Regis legatio ad Ioan. Pp. pro iure Regni Sardiniæ et Corſicæ.

Hoc anno Iac. Rex Aragonum: Pontium Barcinonenſ. Epiſc. & Vitalem Villanouanum Oratores ad Iohan. Pontificem miſit, de iure regni Sardiniæ & Corſicæ, fidei Sacramento, Eccleſiæ, vt mos eſt, ſubiiciendo. Conuenit, vt iſtud quicquid eſt Regni, iuxta conditiones à Boniſac. VIII. præſcriptas, eidem Iacobo confirmetur, modo is iureiurando interpoſito, eas ſe ſeruaturum ſancte promitteret. Neq; mora: iidē Internuncii ipſas ipſiſsimas conditiones, ſanctiore fide ſpoponderunt, & quod vocant ligium homagium, Ioant. Pōt. nomine ſui Regis, in cœtu frequentiſsimo præſtiterunt. *Codex col. Bibl. Vatic. & Surita in iudicib. lib. 2. & Regeſtr. ep. 1349.*

VI. Controuerſiæ inter Rober. Siliciæ & Frid. Trinacriæ Reges compoſitæ.

Inter Robertum porro Regem Siciliæ, & Frid. Trinacriæ, cum non contēnendæ controuerſiæ gliſcerēt, iidem Aragonii Regis Oratores, operã Iacobi in pace concilianda repræſentarunt Summo Pont. Inter cæteras fœderũ conditiones Regio mandato renuntiarũt. vti pro Siciliæ citra pharũ poſſeſsione ac iure Maced. regnum q albaniam vocant, & Peloponneſi principatum, tum Dyrrachium Regni caput, aliaſq; vrbes, quas Ioh. Roberti frater inualerat, Frider. cōſtitui iuberet. Hæc Pontifex tanquam vana & ridenda prorſus contemſit, & Burgundiæ Ducem oſtendit; cuius Internũcii in plenario conſeſſu in Peloponneſi ditionē ius ei cōpetere demonſtrabant. Conſtitutũ eſt, vt Frid. Trinacriæ Rex Rhegium interceptũ & reliqua Calabriæ erepta Robert. reſtitueret; iuramēto, q ab illis populis per vim extorſerat, omnes abſoluerētur: & Rob. Siciliæ Regi, omnia cis pharum integra cōſtarēt. Hic porro, cum cenſui pro regno Siciliç ex integro ſoluendo nō eſſet, nec niſi duo millia auri vnciarum in præſentiarum appendere poſſet, eius quidem quod reliquum fuerat prorogationem impetrauit, ſyngrapham autem quam vocant quietationis nomine duum millium vnciarum accepit. Hac adiecta conditione vt niſi deſignato à Sede Apoſt. die ſoluendo reſiduo cenſui non eſſet iure beneficiario Regni Siciliæ excideret. *Idem qui ſup.*

VII. Ioan. Pp. Cæſar Auguſt. & Toloſſam Metropol dignitate auget.

Eodem anno, Ioannes Pontifex Cæſarauguſta & Toloſſa Metropoles eſſent, vtriuſque gentis Gallicæ & Aragoniæ promerendi ſtudio, effecit. Cæſarauguſtæ Pompelo contributa; cum vtriq; à Tarraconenſi Prçſule Sacra petere ſoliti eſſent. Cadurcas etiam Epiſcopi ſede donauit. Is honor patriæ habitus eſt. Tarraconenſe intereà Præſule defuncto, cum Iohannes Aragonii Regis filius, collegii ſuffragiis, vt tunc in more

erat, ſubſtitutus fuiſſet, hanc electionem vt Ioannes Summus Pontifex ratam haberet, impetrari non potuit. Simoniaci ambitus vitium obtendebatur, ac minoris ætatis. Nondum ſoluendarum legum, ad Principum gratiã, vſus percrebuerat. In Pontificibus ea erat animi magnitudo, vt maximorum ſæpe Regum cupiditatibus obſiſtere non dubitarent. Semenus Luna, Cæſarauguſta Tarraconem migrauit. Petrus Luna, in Semeni locum ſuffectus Cæſarauguſtanus Archiepiſcopus. Ioannes Regis filius Mõtaragonis Abbas creatus eſt, quod Sacerdotium Petri electione vacuũ erat. *Mariana lib. 15. c. 15.*

IOANNẼ ARAGON REGIS FILIVM TARRACONEN. EPISCOP. ELECTŨ REIICIT.

VIII. PETRVS CASTELLAE PRINCEPS AD GRANAT. MAVROS SVBIGENDOS IMPLORAT OPEM IOH. PP.

In regno Caſtellæ, Petrus Princeps, cum in prælio contra Mauros Granatenſes ſuſcepto, mille quingentos, & in his quadraginta è præcipua nobilitate feliciter occidiſſet, neq; in noua ſtipendia, belli proſequendi cauſa, ſumptus ei ſufficerent, ad vocem tributi prouinciales, auctis ſæpe vectigalibus, & iniquitate temporum afflicti obſurdeſcerent, Summum Pontificem interpellare, & ab eo in vſus belli Maurici, miſſa legatione poſtulare Sacerdotiorũ decumas præterea peccatorum veniam illis, qui voluntariã militiam ſuſcepiſſent decreuit.

Vtrumque benigne à Ioanne Pontifice datum eſt, aliquid etiam pecuniæ in ſtipẽdium à prouincialibus redactum. His ſubſidiis Caſtellanorum copiæ auctæ ſunt. Hoſtium fines ſemel, iterum, tertio, irruptione facta vaſtati, hominum, pecorũ prædæ abactæ, agri, villæ, oppida vexata: Belli terror circumlatus. In ipſius adeo Granatæ vrbis conſpectum, penetratũ eſt. Mauri pugnandi copiam non facere; Chriſtiani in eo victoriã eſſe poſitam arbitrari, ſi ventum eſſet ad manus. Si qui in aciem prodire auſi erant, eos pedes magis quam arma tutabantur. Belmaſium, atq; Chriſtianorum armis præſidioque occupata ſunt. *Mariana ſup.*

IX. CRVCIGERI POLON. INIQVIS EXACTIONIBVS VEXANTES DEFERVNTVR APVD PONTIF.

In Polonia, Crucigeri, augeſcente in dies cupiditate, vt ſolet in iis, qui intercute morbo laborant, ſitis, ne ſacris quidem ac Deo dicatis bonis, iniuſtas manus abſtinuere. Sed vt antea Culmẽſem Eccleſiã occuparãt & à Gneſnenſis Archiepiſcopi iuriſdictione abſtractã Rigenſi ſubiecerant, ita tunc in Pomerania poſſeſsiones ac prædia Eccleſiarum inuaſere: decimas è ſuis orationibus Sacerdotibus, omnino denegarunt: ex agricolarum vero in pecuniarias penſiones cõmutarunt, & ita diminuerũt, vt ex manſo ſiue lanco (modus hic eſt agri aliquot iugera continens) quaterni tantum groſsi penderentur.

Quibus rebus factum eſt, vt multa Sacerdotia derelictui haberẽtur, ac deinde maligne à Crucigeris ſupprimerentur. Iniquius hæc tulerunt Archiepiſcopus Gneſnenſis, & Vladislauienſis atq; Poſnanienſis Epiſcopi, qui decimas è Pomerania capiebant: itemque Ioannes Plocenſis, cui etiam ex territorio Michalouienſi decima negabatur. Et cum hoc quidem Carolus Magiſter trãſegit ea lege, vt ſeptem annis immune eſſet id territorium à decimæ pẽſione; poſt eos vero nonaginta marcas Turonenſes, Epiſcopus decimæ nomine quotannis acciperet. Cæteri, cum tenaciores eſſent iuris ſui, Magiſtrum, commendatores, & cæteros Crucigeros publice in templis execrabantur, & locis quibuſdam Sacris interdixerunt. Verum contemnebant eam diſciplinam, religioſe ſemper à bonis piiſque hominibus obſeruatã. Crucigeri, prætextu prouocationis ad Pontificem Maximum. Qua re adducti Epiſcopi, communicato cum Vuladiſlao Rege conſilio, Gerardum Vladiſlauiẽſem Epiſcopum, in cuius diœceſi eſt pleraque omnis Pomerania, ad Ioannem Pontificem Maximum, qui tunc demum Clementi Quinto ſucceſſerat, miſerunt, vt non modo de Eccleſiaſticis bonis ac decimis, verum etiam de erepta per ſummam iniuriam Pomerania, Regis & vniuerſæ Poloniæ nomine Crucigeris litem intenderet: Simul autem vt relaxationem interdicti Gregorii eius nomine ſeptimi, quo is poſt necẽ Diui Stanislai Epiſcopi Regio honore Polonis interdixerat, impetraret. Exiſtimabant enim eum inauſpicato Præmislum iniuſſu Pontificis vſurpaſſe.

X. IIDEM CONTRA POLONOS AGVNT APVD IOÃ. REGEM BOEMIÆ.

Non latuit conſilium Polonorum Crucigerós; & ne id procederet, omni ope enitendum ſibi eſſe exiſtimarunt. Itaque & ipſi ad Pontificem miſerunt, qui Polonorum conatibus obſiſterent, litemque quantum poſſent, ducerent. Regnabant tunc apud Boemos Ioannes nec ſolum Boemorum, ſed & Polonorum Regis nomen ſecundum W enceslaum ſibi vendicabat. Eum igitur etiam promiſsis & muneribus induxere Crucigeri, vt Vuladislao negotium faceſſeret, & ne regis titulus ei decerneretur, ſumma ope apud Pontificem intercederet.

Ad quas res perficiendas, cum grandi pecunia opus haberent, tributum Pomeraniæ, binos groſſos in ſingulas marcas imperarunt; vnde triginta millia marcarum redacta eſſe dicuntur. Ad hæc eiectas naufragio merces in mari lege Rhodia vſurpare cœperunt. Quibus rebus factum eſt, vt toto ferme quadriennio nihil aliud à Pontifice Maximo impetraret Gerardus, quam vt cognitio cauſæ inter Polonos & Crucigeros Archiepiſcopo Gneſnenſi, Poſnanienſi Epiſcopo, & Abbati Mogilnenſi delegaretur. Quod vero ad regnum attinet, vt non impediret Pontifex, quo minus Poloni iure ſuo vterentur. Nam aperte Vuladislai regnum decernere noluit, cum quod neceſſe non eſſet, tum ne Ioannem & ſocerum eius Philippum Regem Francorum offenderet. Secreto tamen voluntatis ſuæ ſignificationem Gerardo dedit, eamque Gerardus literis ſuis Regi deſcripſit; ipſe vero Auinione, vbi tunc degebat Pontifex, ad proſequendam cum Crucigeris litem manſit. *Cromer. lib. 11. de reb. Polon.*

XI. SEDATÆ TVRBÆ IN BOEMIA, ET QVÆ ILLARVM TVRBARŨ CAVSA.

Quod Ioannem Boemiæ Regem attinet, poſtquam is Mediolani, Matthæum Vicecomitem, ad vlciſcendas patris Henrici demortui Imperat. iniurias ſatis animaſſet, ex Italia in Boemiam redux, regnum ſeditione turbatum reperit; quod Magiſtratus hominibus externis, & in his duas Summas Præfecturas, alteram in Boemia ad Henricum Lyppam, alteram in Morauia ad Ianum Vertemburgium, Germanos, tranſtuliſſet; vniuerſumque regnum auaritiæ inſatiabili illorum expoſuiſſet. Praganus Epiſcopus, & Petrus Roſembergius, gente. Vrſinus (nam Roſenbergii, ad Vrſinos Romanos genus & inſignia ingenue deferunt) primas ducebant in exagitandis Germanis. Vidua quoque Senior W enceslai quondam Regis relicta Regina, non deerat proceribus concitandis. Quamobrem Henricus, quo res ſuas magis conſtabiliret, viduam quidem adeo ſibi cõciliauit, vt omnia illius oppida dotalia ſuo arbitrio adminiſtraret: Præſuli autem rabulam quempiam oppoſuit, qui illum ad Curiam Pontificiam in ius præſentem vocaret, Auinionemque, vbi Pontifex Ioannes ſedem ſibi collocauerat, extraheret: vt autem Petro Roſembergio, Viola, vidua iunior, W enceslai Regis non ita pridem Olomucii occiſi, relicta in matrimonium coniungeretur, nihil non egit; eaque ratione Regi illuſit, vt cum is exiſtimaſſet ſe Roſembergii milite contra Ianum & Henricum (erga quos fere in momento animum Rex induerat aduerſarium, ex perſuaſione Epiſcopi, qui Auinionem ad Ioannem Pontificem euocatus, ex itinere ad Regem deuerterat, eumque periculorum Regni admonuerat) auctum iri; è contrario expertus ſit, Petrum tutelam Henrici ſuſcepiſſe, proque VVillelmo Lanſteynio illius ſocio ſuperbius egiſſe. Ferunt Regẽ, illi reconciliationẽ VVillelmi procacius vrgenti reſpondiſſe: *Roſa, Roſa, multas tu etiam ſpinas retines: ſed caue tibi, ne dũ alios pũgere paras, ipſe ab illis pugare nihil enim indignum vt tu autumas, VVilhelmus tuus ſuſtinet: qui Regi ſuo rebellis factus eſt. Eum tamen pœnis etiã maioribus dignum. hac lege tibi cõdonamus, ſi tu arces, quas Regias occupas, nobis reſtituis. Deliberare vt intra triduum liceat.* Mora interpoſita, per internuncium Petrus reſpondit: *Se quæ poſsideat, illa obtinere ac tueri, interimque nec VVillelmũ ſubſidio deſtitutum velle deſerere.* Dixit, & ad Fridericum





Regem Romanorum electum ſe contulit, eique ſua omnia in clientelam ſecum dedidit. Occaſione eius deditionis maiores in regno turbæ, donec ad conciliationem Petrus Moguntinus & Balduinus Treuerenſis Archiepiſcopi aduolaſſent Ibi Pontifices munere Pontificio facinus dignisſimum fecerunt, dum verba Domini ſui repetierunt: *Pacem do vobis, pacem relinquo vobis*: atq; ex illis verbis tam ipſi Regi, quam omnibus ordinibus ſignificarunt, ſe Pragam, non vt bellatores, ſed vt pacis arbitros introiiſſe. Itaque tantum egerunt, vt Rex Henricum, ex vinculis, receptis obſidibus, liberum dimitteret, ac reliqua omnia mutua facilitate componerentur. *Dubrau. hiſt. Boemicæ lib. 20.*

XII.

In Regnis Sueciæ & Daniæ cum denarium S. Petri, per multum temporis ſubditi Regij, Apoſtolicæ Sedi non ſoluiſſent, Pontifex Reges admonuit, Archiepiſ. Lundenſi & Vpſalenſi vt exigeret præcepit, 3. Non. Februar.

XIII. IOAN. PP. EDOVAR. ANGLIAE ET ROBER. SCOTIAE REGES FRVSTRA CONCILIARE NITITVR.

In Anglia, cum inter Edouardum Regem Anglum, & Robertum Bruis Scotum, diu multumque de Regno Scotorum certatum eſſet, Ioanni Summo Pontifici recens electo inprimis curæ fuit, inter vtrumq; pacẽ conciliare. Itaque duos Cardinales, Ganſelliunm Doſſam ſuum ex ſorore nepotem & Lucam Fliſcum, Legatos miſit qui primo in Angliam, inde in Scotiam proficiſcerentur. Hi vbi in Angliam peruenisſent, miſsis vltro citroque in Scotiam Nuntijs de pace egerunt. Verum quia Robertus, nullis æquis conditionibus ad concordiam deſcendebat, in Scotiam quoque ire perrexerunt.

Cæterum Robertus, quod non ex ſuo vſu pacem cum Anglo futuram eſſe exiſtimaret, milites in occurſum Legatorum miſit, qui venientes ingreſſu Scotiæ prohiberent Cardinales ea iniuria affecti, Scotis anathema dixerunt, omnibuſque ſacris in tota inſula auctoritate Apoſtolica interdixerunt. *Polydor. libr. decimo octauo.*

XIV. PETRVS APONIVS MEDICVS NECROMANTIAE ET HAERESEOS DELATVS, POST OBITVM A IOANNE PP. CREMARI IVBETVR.

Patauij in Italia, nonnihil timoris turbarum, propter memoriam Petri Aponij à Quæſitoribus ſacra fide damnatam. Fuit is primus, qui rem medicam poſt multa ſecula, in Italiam e Græcia exactius tradixit, ac propter eius artis in conciliandis opinionibus peritiam conciliatoris cognomen promeruit. Is quod magiæ ſuſpectus haberetur, hæreſeos ac necromantiæ, à Petro Regienſi medico, primum anno Domini M. CCC. VI. deinde anno M. CCC. XV. fuerat delatus. Pendente adhuc iudicio, mortuus apud Baſilicam Diui Antonij Confeſſoris de more ſepultus eſt.

Offendit ea res, omnes zelo fidei ardentes, adeo vehementer, vt nihil non conandum ſibi propoſuerint, quo Aponius vel defunctus ex lege Eccleſiaſtica vreretur. Itaque inquiſitores, auctoritate Ioannis Pontificis freti, id quod præ manibus erat iudicium proſecuti, ex proprijs Petri lucubrationibus impietatis conuictum eum condemnarunt; ac poteſtati, & Præfectis Reipublicæ Patauinæ, pœna anathematis propoſita imperarunt, vt Petri cadauer effoderent, & effoſſum publicitus exurerent. Sententia in vulgus promulgata, Marieta Petri contubernalis, noctu illum ex tumulo clam extulit, & in quodam fracto ſepulchreto ad fores Diui Petri Baſilicæ furtim recondidit. Ibi inquiſitores, in extumulatores, & facti ſocios, vel conſcios cum ex præſcripto ſacrorum canonum egiſſent, nec quicquam vero tunc intercedente Præfecto & Republ. certi inuenire potuiſſent, iubente Ioanne Summo Pontifice, accenſa pyra, lecta publice ſententia, vti in conuictum prauæ hæreſeos damnationis ritu inanem illius ſtatuam palam in medio foro incendi iuſſerunt. Præter multa quæ ſcripſerat, effinxerat vltra quadringentas & amplius imagines diuerſarum rerum, artium & operationum, ſitas ſub duodecim ſignis cœleſtibus, & ſub ſeptem Planetis & duodecim menſibus, depingẽdas in iuris foro, ſeu palatio Patauij, ad indicandum ex vana genethliacorum arte naſcentium naturam, per gradus & numeros. *Scardeon lib. 2. Claſſe 9.*

XV. IOANINVS SANGVINACIVS ITIDEM MEDICVS OB HAERESIN IN EXILIVM RELEGATVR.

Petro Aponenſi æqualis, & eiuſdem fere fati fuit, Ioanninus Sanguinacius, medicus Patauinus, qui doctrina & experientia medendi cunctos medicos adeo excelluit, vt nec inſpecta vrina, nec exploratis prius brachiorum arterijs, ex ſolo aſpectu vultus, & genus, & tempus, & paroxiſmum morborum diuinaret. Hic hæreſios ac magiæ à Franciſcanis accuſatus, Romamque ad cauſam dicendam pertractus, cum ſe purgare ſufficienter non valeret, in Melitam inſulam, in exilium perpetuum relegatus eſt. *Bernard. Scardeonus, lib. 2. Claſſe 8 hiſt. Patauinæ.*

XVI. AEGIDII COLVMNII, PRIMORDIA, VITAE INSTITVTVM ERVDITIO MIRACVLA ET OBITVS.

Hoc anno in humanis eſſe deſijt Ægidius Columnius, ciuis Romanus, Ordinem Eremitarum Diui Auguſtini profeſſus Hic ab infantia optimis moribus imbutus, & vſque ab adoleſcentia liberalibus artibus eruditus, miro ingenij acumine, tenaciſsimæque memoriæ dono præditus, Diui Thomæ Aquinatis auditor, ac diſcipulus fuit. In eius diſciplina, adeo profecit, vt in vitæ ſanctitate, diuinis ſcripturis, atque Ariſtotelæa philoſophia, à præceptore ſuo, & à ſua illuſtri familia, nulla ex parte degenerarit.

Modeſtiam cum grauitate, animique demiſsionem cum generis claritate ita perbelle coniunxerat, vt nihil eo admirabilius. In alienis opinionibus confutandis, vt non raro inter doctiores viros euenire ſolet; nihil eo temperatius. Id quod in lucubrationibus ſuis vel maxime præſtitit. Cum enim ſui Præceptoris aliqua opinio non arridet, eam ſupra captum ſuum eſſe ait, & Doctorem ipſum ſuppreſſo nomine, virum magnum, aut præſtantem appellat. Ingratitudinis in eundem Diuum Aquinatem vitium, adeo deteſtari viſus eſt, vt etiam pro ſententijs illius librum defenſorij nomine vulgauerit.

In religione Eremitarum Diui Auguſtini, eam de ſe apud omnes probitatis & doctrinæ opinionem conciliauit, vt per vniuerſos & bonarum literarum titulos, & vitæ regularis Præfecturas, ad ſupremum Ordinis ſui Magiſterium aſcenderit; ac illud tandem cum triennio ſumma cum laude geſsiſſet, humiliati & contriti ſpiritus animo ſpontaneè abdicãrit. Pphilippo cognomento Pulchro Francorum Regi, iam inde à prima eius adoleſcentia maiorem in modum gratus fuit, eiuſque iuſſu libros de Principum Regimine ſcripſit; tum deinde, eo à ſacris Regijs in Rhemenſi vrbe ſuſceptis reuertente, primumque ex more Academiam Pariſienſem inuiſente, orationem pro tempore luculentiſsimam, in frequentiſſimo virorum vtriuſque ordinis conſeſſu habuit.

Cum autem in eadem Lutetiana ſchola ætatem conſumpſiſſet, eamque tum ſanctitate, tum doctrina plurimum exornaſſet, Bonifacij octaui Pontificis Maximi authoritate, Archiepiſcopus Bituricenſis Eccleſiæ & Aquitaniæ primas conſecratus eſt, nec non Cardinalium poſtea cœtui adſcriptus; ſed morte intercedente Pontificis minimè in vulgus renuntiatus Pro eius Pontificis innocentia, à male ſanis quam plurimis proſciſſa, Apologeticum Commentarium euulgauit, eaque ſcriptione, & Regis, & Procerum quorundam, quibus volupe fuerat memoriam Bonifacij damnare, animos aduerſum ſe inflammauit, tantopere, vt totos conatus adhibuerint, ne Clemens Bonifacij ſucceſſor, dignitatem illi deſtinatam denunciare voluerit. Pro fide Chriſtiana inter truces Tartaros amplificanda, commentarium, iuſſu eiuſdem BONIFACII ſcripſit, ex quo Nuncij Apoſtolicæ Sedis, Orthodoxiam, inter barbaros aut depangerent, aut exigerent. In acutiore Theologia, ſtylo minus eleganti, neque CICERONIANO ornatu vſus eſt. tum quod vſus eius Scholæ talis eſſet, tum quod meminiſſet illius vulgaris: *Ornari res ipſa negat, contenta doceri* tum

quod optime ſciret; res ex ſua natura intellectu difficiles, non poſſe verborum lenocinijs explicari.

Itaq; in intimis rerum abſtruſarum ſenſibus depromendis, doctior, non eloquentior amabat cenſeri, q̃ſ quam nec eloquentiæ vſu, nec elegantioris ſermonis cultu prorſus deſtitutus foret, quippe qui in Rhetoricorum libros cõmentarios reliquerit. In docendo porro tantum excelluit, vt nomen fundamentarij Doctoris non immerito adeptus ſit. In quæſtionibus ſoluendis fuit ampliſsimus, in rerum inueſtigatione exquiſitor diligentiſsimus, in explicandis rebus difficillimis adeo copioſus, vt nihil ad quæſtionem propoſitã intentatum, aut minus declaratum reliquerit. In docendo, & in rebus enucleandis ita clarus, vt omnis humanæ & diuinæ ſapientiæ, ex omnibus poſt D. Thomam & Bonauenturam ſcholaſticis Doctoribus, ſolus arcana dilucidaſſe videatur. Et quod mirum, ac prope ſingulare fuit in plurima ſcriptionis congerie, propter irrefragabilia fundamenta, atque tenacis memoriæ præſtantiã, in nullo vnquam ſibi eſt aduerſatus. Sanctitatis ingens, etiam nonnulla præter communem agendi modum beneficio alieno perpetrauit. Cum quædam mulier graui morbo vexata, ad eum Pontificiali gloria fulgentem acceſsiſſet, ſui corporis valetudinem efflagitans, priſtinam valetudinem recuperauit ad hæc B. Ægidij verba: *Vade bona mulier, fiat tibi ſecundum fidem tuam.* In ſumma, adeo omnibus virtutibus Ægidius claruit, & vitæ innocentia effulſit, vt ab omnibus ſanctus haberetur. Cumque libros pene innumeros conſcripſiſſet, & multa commodo Eccleſiæ Catholicæ procuraſſet, tandem naturæ concedens, ſpiritum Deo reddidit, Auenione ad 11. Kal. Ian. Corpus illius Luteciam Pariſiorum deportatum, & in Eccleſia ſui ordinis ſepultum eſt. Aliquis ei epitaphium, his verbis adſcripſit:

*Hic iacet aula morum, vitæ munditia, Archiphiloſophiæ Ariſtotelis perſpicaciſsimus commendator, clauis & Doctor Theologiæ, lux in lucem reducens dubia, Fr. Ægidius de Roma ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, Archiepiſcopus Bituricenſis, qui obijt anno Domini M. CCC. XVI. die 22. menſis Decemb.*

EIVS EPITAPHIVM

Reliquit Ægidius præter alios diſcipulos, Albertum Patauinum Eremitarum tam ſacris quam profanis literis exquiſite doctum, & in concionatorio munere ſuo tempore celebrem: qui præter alia ingenij monumenta quadrageſimalium ſermonum, ſuper quadraginta duarum manſionum myſticis vocabulis, volumen compoſuit. *Sixt. Biblioth. S. lib. 4. & F. Angelus Rocchenſis Eremitanus Epiſcopus Tagaſtenus, SS. D. N. Pauli V Sacrarij Apoſtolici Præfectus.*

## IESV CHRISTI.

### Annus 1317.

### IOANNIS PAPAE XXII. ANNO 1. & 2.

I. HISTOR. DE B. AGNETE VIRGINE POLITIANA.

HOc anno cœlitibus adiuncta eſt B. Agnes Politiana, religionem D. Dominici profeſſa. Alibi ſuperius incunabula virtutum illius perſtrinximus; hic operæ pretium eſt ſummã ipſam attingere. Hæc vt à diuinarum rerum cogitatione, & à diuinis congreſsib. nunquam auocaretur, in primis omnem prorſus mollitiem abiecerat, & ab indulgentia corporis longiſsime receſſerat. Quindecim annos ipſos, nunquam intermiſſa ſeueritate ieiunij, corpuſculum inedia ſic afflictauit, vt ſemel duntaxat in diem, idq; veſperi, ſitim aqua, famẽ cibario pane ſedaret. Quam quidem duritiem voluntariam illi fuiſſe, non neceſſariam, ſatis magno argumento eſt, quod nulla vnquam fuit grauioris culpæ mortifera labe reſperſa. Sæpe de multis acceperat, & ipſa ſæpius legerat, paluſtrem illum humorem, & olidã quaſi Lernã mentis fluentis in luxum carnis contagione collectam, epularum exareſcere parſimonia, affluentia redũdare: nec ante ſiccatam & exhauſtam maculoſæ ſentinæ luem, in cuiuſquam animo liquidarũ ſenſuum voluptatum, & honeſtiſsimas volũtates, & cognitiones veriſsimas facili negotio commoueri. Ab hac ieiunandi familiaritate, tanta illi conſuetudo orandi, vt non niſi nox, cum mane orare cœpiſſet, nec niſi lux cũ cœpiſſet veſperi, ſenſum ei integerrimæ dulcedinis in oratione interpellaret. Vnde abalienatam à corporis ſenſibus tantus amoris æſtus abſordebat, vt animi, celeritatem in cœlum emicantis ex humo ſublata corporis moles in ſublime ſequeretur. Ex hinc accenſum virginis pectus tantis colliqueſcebat gaudiis vberrimæ liquidiſsimæq; voluptatis, vt ſatis omnes intelligerent, nihil illi neque præſentius, neque iucundius fuiſſe quã Deũ. Eſt huius loci, quod grauiſsimorũ auctorũ teſtimonijs confirmare poſſum; ſæpe numero quẽ locum Agnes, vbi Deum adoraret, eſſet ingreſſa, repentinam illico roſam & violam, alieniſsima tempeſtate vernum Fauonium non expectaſſe; ſatis magno documento, nihil ardentius illo pectore tunc fuiſſe, cuius languentem animum Deus, quod in Epithalamio diuino ſponſa poſtulabat, manipulatim ſubito flore fulciret. Illud etiam ſolemne dicitur huic virgini fuiſſe, vt, quoties ad ſupplicandum humi genua poſuiſſet, continuo roſidus è cœlo nimbus effuſus, & ipſam large conſpergeret, & locum latiſsime circumfunderet, vt tunc accidit, cum illam Epiſcopus Prouincialis, adſtante Clero, ſpectante populo, immortali Chriſto perpetua virginitate dedicabat. Quo quidem tempore, tanta vis candidi concretiq; roris ex aere deſudaſſe dicitur, vt & templi pauimentum operiretur, & ara maxima largiſsime permaderet. Animaduertebatur virginis indumentum eo rore guttatim ſic, vt roſidis ei⁹ nimbi guttis, quaſi corymbis in Crucis formam incidentibus, & conglobatis, ſparſim bacchatũ cerneretur, ac multa diſperſa cruce ſtellatum. Indicio permaximo amoris cœleſtis ſponſi caſtiſsimæ ſponſæ blandientis, & vt ita dixerim in rore ludentis. Quamquam & cruce in rore formata exprimebatur, nihil in Agnetis moribus ferreum fuiſſe, nihil aſperum, nihil immane, nihil agreſte aut horridum; ſed neq; in eius ſuauitate aliquid molle, languidum, remiſſum, abiectum & effœminatum. Sic n. rore perfundebatur, vt monumento Crucis ad virilis conſtantiæ duritiem obdureſceret; ſicq; ad perpeſsionem erudiebatur, vt tandem tamẽ crux illa eſſet roſida, hoc eſt, vt tolerantia laborum, & voluntaria pro Chriſto moleſtiarum ſuſceptio, placidiſsimæ pacis dulcedine molliretur; rurſus ita cœleſti rore diſpergebatur, vt ſibi rationem intelligeret eſſe cum Deo, qui moleſtias ſua cauſa ſuſceptas iucundiſsime cõdiret; ita ros crucis imitatione diſtinguebatur, vt voluptatem pellucidam & ſinceram nullibi verius, quam in laborioſa virtutis exercitatione reperiri putaret. Ad eum modum Deus Agnetẽ, cum horrido veſtitu, breuiſsima quiete, cibatu fere nullo vteretur, nullaque ſpecie tractabilium voluptatum duceretur, manifeſto charitatis argumento, ſuauiſſimis delicijs perfundebat.

II. EIVS VISIONES

Ad hanc etiam conſuetudinem ac familiaritatem diuinã acceſsit, quod Raymund. eo nomine II. auctor & ipſe grauiſsimus, & ſummus Ord. Præd. Magiſter affirmabat. Nam cum huic Virgini oranti, Virgo Deipara paruulum è cœlo Filium allatum in eius gremio collocaſſet, diu contemplata florem ingenuæ diuinitatis in pueri vultu animaduertit Agnes è paruuli collo paruam tenui filo ſuſpenſam crucem. Hanc igitur Agnes, quaſi furtim illo iam abeunte ſubripuit, quemadmodum homines amicorum armillas & annulos detrahere ſolent. Delectatus pio illo, vt ita dicam, furto, Virginis Dei filius arriſit, & facile paſſus eſt, illam hoc mutuæ beneuolentiæ perpetuum in omnem vitam habere monumentum. Eam crucem etiam nunc Politiani cum virginis corpore conditam, in eius ciborio venerantur Eſt pariter apud eumdem auctorem, maximam Virginem Dei filij Parentem, ob oculos verſatam aliquando tres Agneti lapides in manifeſto lumine porrexiſſe:





cum diceret, illam in eo munere vim, & cautionem eſſe quicquid vt ageret in poſterum, id Auguſtiſſimæ Trinitatis nomine ſuſceptũ eiuſdẽ virtute fundaret, & æternitatis firmitate ſtabiliret. *Cape tres, inquit, iſtos lapides filia: monumentum in numero ſempiternæ Trinitatis agnoſcis. Fruere felicitate tua & vale: memineriſque te mihi ſemper addictam, cordi futuram ſemper: & vnius triniq; Dei virtute firmatam, meo nomini domicilium, templumq; poſituram.* In dicto conſpectum ſui ſubduxit Regina: tres lapides Agnes in manu ſibi relictos vidit, & animum ſuum ad auctorem muneris mundi Dominam euolaſſe ſenſit. Aliquãdo etiam Agnes, ſupra naturam corporis, & extra ſenſus ſublata, ſibi verſari videbatur in cœlo. Cernebat .n. locum irriguum vbertate fontium, purpureaq; lucis amœnitate lætum, immortalib. amaranthis, æternumq; fulgentibus hyacinthis. Iam ſpecies ipſa lætiſſima diſcoloris amœnitatis, odorumque ſuauitas quæ difflabatur è floribus, & variarum concentus iucundiſſimus auicularum, tum aquarum belle cadentium admurmuratio, nec non auræ ſuſurrus inuolutus frondibus ad numerum adſibilantibus ex ſylua, magnam animo illius iucunditatem affundebat, cæterarumq; curarum obliuionem inducebat, in medio loci teſtudo, perplexo & camerato topiario conueſtita, ſellam opacabat ſuperne incubans, ſplendido ſuffultam thoro, multo auro, argentoq; lucidam & illuſtrem pendentibus vndique margaritis. In ſella Regio ornatu corporis, oris incredibili dignitate, conſtanti iam ætate virgo pulcherrima circa virginem haud multum inter ſe diſſimili venuſtate formæ (qualis videlicet eiuſdẽ indolis in conſanguineis ſimilitudo ſpectari ſolet) aureis amiculis velati frequentes adſtabant puellarum & puerorum globi. Reginæ ſubſeruire videbantur, è ſella, cœlum, maria, terras, nutu, geſtuq; moderanti. Horum alii, facto choro vocum, tibiarum, neruorumque concentu carmina modulabantur: alii tanquam auram refrigerarent, e[illegible]ẽ tilatis vtrimq; carbaſis Reginæ ventulum faciebã. Dei mater erat, quæ latiſſimam hanc ſui speciem Agneti obiiciebat: quo illa difficillimi morbi moleſtias futuras & iam aduentantes, huius lætiſſimi conſpectus recordatione lenire poſſet. Iam & illud inter virginis priuilegia memorandum, q̃ ei nihil immortalis ſponſus denegabat; quę cum maximè cœleſtium gaudiorum affluentia maderet; cum potiretur maxime voluptate diuinitus impertita, nihilo tamẽ ſecius ipſum illũ ſenſum, ipſamq; illã lætitiæ iucunditatẽ, vt illa ſua perpetua crucis acerbitate temperaret, ad infimũ ſeſe demittebat obſequiũ vltimę neceſſitatis. Ergo contra voluntates ire, Sp. frangere, ſublationem animæ premere, nihil ineptæ lætitiæ concedere, cogitationẽ à reb. lætis ad mæſtas imagines traducere, ſenſibus imperare, in poteſtate cupiditates habere; motus animi regere, verſare, quocunque ratio ſuaderet impellere; facilis aduerſus æquales eſſe; ſuperiorib. ætate, locoq; plurimũ credere; ingenii tractabilitate flexibilis, omnib. obſequens, aduerſa nemini; ſororibus vera videri malle quam blãda, ſi veritas ageretur; malle blanda quam mæſta ſi cuiuſquam animi mœror minuendus eſſet: ſibi nihil eximium arrogare, ſummam tantum virtutis capeſſere; fidem, miſericordiam, beneuolentiã expromptas habere, functiones humiliũ munerũ obire; tergere, lauare, coquere; ſecum nihilominus habitare; lectulis ęgrotantiũ ſororum aſſidere; nihil demum in tuendis iuſtitiæ partib. prætermittere rerũ illarum, quas in ſororis otio, Marthæ ſedulitas requirebat.

III. ACCIPIT SS. COMMVNIONEM AB ANGELO IN SOLITVDINE.

Iſtud porro nouum & inauditum ei accidiſſe, idem Raymun. aſſeuerabat. Dominico die, Agnes, ſeſe commentandi ſtudio in ſolitudinem abdiderat. Hic diuinis voluptatib. vberrime refecta, tamen ab illa numinis indulgentia diuelli non poterat. Inſtabat ſacrificii tẽpus, quod illo præſertim die non obire piaculum erat. Hærebat, quid faceret. Diſcedere? ſponſum deſerebat. Maneret? offendebat. Rogaret, ne abiret! inſolẽtis erat. Vt abire liceret, oraret? nõ audebat. Obſequium humilitas poſtulabat, præſentiam charitas exigebat. Eccleſiæ non parere, nefarium erat; amori repugnare, violentum. Itaque ambigebat, æſtuabat; quid conſilii caperet, neſciebat. Explicauit tandẽ modum Deus, & ipſe virginis pręſentia delectatus. Illam dimitteret! at ſponſam mœrere cernebat. Retineret! æſtuare non volebat. Ipſe diſcederet! minus facilis poterat videri. Permaneret! præcepti vis remittenda non erat. In illo temporis articulo præſentia virginis carere velle, fortis fuiſſet; nolle diligẽtis. Itaq; hoc egit. Cum eius abſentiam Eccleſia non ferret, amor præſentiam flagitaret, ne quid illi negaſſe videretur, maluit virginẽ ſacrificio non adeſſe, quam fruendi ſui iucunditate priuari. Cumque ipſe eſſet Dn. Sabbati, ſponſam ſuam cupidiſſimã diei religione liberauit, Dei requiete refecit. Ergo cœleſtem illico miniſtrũ ad virginem cum SS. Chriſti corpore demiſit, ne cuius contemplatione tantopere oblectabatur, amoris pignore careret communione corporis. Iſtud mirum & magnũ non ſemel illi conceſſum fuit, ſed ſæpe reuocatum; pene iam vſitatum Agneti eſſe cœpit. Decem enim poſtea continentibus Dominicis diebus, eiuſdem muneris, eadem largitate, cœleſti miniſterio vegetata eſt.

IV. IN MORBO DIVINIS CONTEMPLATIONIBVS RECREATVR.

Cum autem illi difficilimus morbus, ex quo tandem confecta ad Agni nuptias deceſſit, immineret, eius animum quem ante corpore ſaginauerat, ſanguine colorauit; proſus eadem benignitate muneris, ſimili functione cœleſtium; ſpecie diuerſa virtutis, charitatis maiore documento. Vt enim Pater Deus, ea nocte, quæ Deo filio morituro ſuprema fuit; impendente fœdiſſima tempeſtate poſtremi laboris, per cœleſtem miniſtrum calicem obtulit Chriſto; ſic Chriſtus ipſe Agneti quam vnice diligebat, vltimum diſcrimen adeunti, ſanguinis ſui poculum, non ſemel aut iterum, aut tertio, ſed ſæpius propinauit. Ne videlicet, quandoquidem verus amor ex ſimilitudine ſpectari ſolet, eius exitus diſſimilis videretur, cuius fuiſſet vita ſimillima.

V. EIVS IN PAVPERES LIBERALITAS ET OBITVS.

Cæterum in hac contemplationis felicitate, q̃ Agnes fruebatur, non ẽt miſerorũ oblita eſt. Triginta an. quos vixit, in cõmoda vtilitatesq; proximorũ impendit. Hic eius ſtudio pax exorata, hic diſſidia ſublata, hic conciliata concordia: hic tẽplis inducta religio, annonę laxata caritas, opportuna frugib. impetrata tẽpeſtas, nefariorum hominũ pręceps improbitas à ſcelere reuocata, reprehenſa crudelitas, incitata clementia, innocẽtia recreata, audacia compreſſa, omnium morborum genera depulſa, vita functi è mortuis excitati, elementis ipſis & aquis ſalubris infuſa perennitas; omnis virtus ad omnes officii partes expoſita, iuſtitia, ſapientia, fortitudo, temperãtia, lenitas, fides in medio collocata: mores emẽdati, expiata lupanaria, fundata templa, virginũ inſtituta collegia, ſãctitatis inſtitutio ciuitatib. tradita; ꝓpagata demũ ad poſteros exempla probitatis, ſimulacra virtutum, ornamenta morũ, auctoramenta cœleſtiũ, inuitamenta laudũ, decreta ſanctiſſimæ diſciplinæ. Inter eius præclara opera, extat Politianũ pro ſanctimonialib. ab ea erectum cœnobiũ D. Dominici caſtiſſimis legib. ſeptum, Agnetis conſiliis inſtitutũ, & morib. tẽperatum, munus publicũ & honorificentiſſimũ argumẽtum ſuæ probitatis. Iſtud cum præclaris exemplis informaſſet, tandem à benigno ſponſo ad cœleſtes epulas euocata, in morbũ incidit. Quo dum conflictaretur, Cratianas aquas, quas recuperandæ ſalutis gratia ſororum coacta precib. adierat, minus in ſe ſalubres eſſe ſenſit, quas aliis ipſa ſaluberrimas fecerat, ac ſalutares. Nimirum tẽpus imminebat, poſt q̃, vitæ beatiſſ. virtutẽ conſequẽs, ei aperiebatur æternitas. Iam n. Agnes pulcherrima ſobole religioſiſſimã diſciplinã fundauerat. Porſennii, primum eius domicilium, virginum frequẽtia, virtutum exemplis florebat. Templum opere nobiliſſimum, religione ſanctiſſ. ad infame paulo ante pomerium ſtabat. Lectiſſimarum virginũ numero, nobilitate, virtute, Politian. cœnobium frequentiſſ. videbat.

ECCLESIA AB IPSA ÆDIFICATÆ.

Quadrageſimũ ætatis ann. agebat, & vitam quam alii longam rogant, tam illa breuem præ amore ſponſi optabat, nec niſi cõſpectũ illius expetebat. Ad 12. Kal. Maii an. Dn. MCCC. XII, no-

ēte intempeſta, conſilii compoti, animoque ſi quando tunc maxime vigenti, afflixæ lectulo ex morbo Agneti, adfuit ſponſus Ieſus, eamque ſua præſentia recreatam, ad paradiſi gaudia ſuſcepit. Poſtrema vox Agnetis, ſactis Sacramentis Eccleſiæ procuratæ, inter ſororum quas ad virtutem hortabatur planctus, audita eſt; *Nunc ecce vocor, ô filiæ mihi iucundiſſimæ. Ieſus vos amet. Valete. Ieſus, & ego venio.* Quo dicto, humanis defunctum periculis animum ſponſo debitum emiſit in ſponſi ſinum, & quaſi corpus in ſomnum componeret, optimæ ſpei pleniſſima conquieuit.

MIRACVLA POST EIVS OBITVM.

Nocte concubia, Politiani pueri, qui nondum per ætatē vocis vſum fuerant adepti, excitatis parentibus, clara, & articulata voce teſtantes clamauerunt, Agnetem in cœlum ad Agni nuptias abiiſſe. Inter cætera quib. poſt mortem claruit miracula, iſtud etiam cenſetur non poſtremum. Cuius corporis tactus, Cratianas aquas primum vbertate, deinde ſalubritate ſic auxit, vt præſens ex eis peteretur omnium morborum medicina; eiuſdem poſt mortem ſudor corporis impendentia Reipublicæ mala tanto ante denunciat, quæ vel populi ferre moderate, vel ciuitatum Rectores prohibere poſſint. Hæc de vita & virtutibus Agnetis, in publico omnium Cardinalium conſeſſu dicebat anno Domini M.DC.I. apud Mineruam *Bernardinus Stephon. Sabinus presbyt. Soc. Ieſu.*

VI. DIPLOMA CANONIZATIONIS DATVM A CLEMEN. VIII. AD HENR. IV. FRANCIÆ REGEM.

Sed præſtat, ipſo veritatis graphio, à CLEMENTE VIII. Pontif. Max. vitam Diuæ Agnetis Politianæ deſcriptam, ex diplomate Beatificationis, dato, Chriſtianiſſimo Francorum Regi HENRICO IV. commemorare. Ita habet.

*Agnes virgo integerrima ordinis ſancti Dominici in pago quodam vrbis Montis Politiani humilib. quidem, obſcuriſq; parentibus; ſed locupletibus, ac piis nata eſt. Eius ortus inſigni miraculo nobilitatus, quantam lucem orbi terrarum eſſet allatura præmonſtrauit. Quæ enim hora ex aluo materno prodiit, cereæ faces apparuerunt in eo conclaui accenſæ diuinitus. Sæpe ſe infantula adhuc, luſibus puerilib. neglectis abdebat, vt ſe Ieſu Chriſto, quem iam tum ſponſum ſibi delegerat, ex animo commendaret. Quo tempore cum aliquando è ſuo pago Montem Politianum petens ad collem in vrbis pomerio ſitum veniſſet, vbi tunc infames quædam fœminæ turpi quæſtu vitam traducebant, tetri quidem ſordidique corui quam plurimi deuolantes Chriſti ſponſam roſtro, & vnguibus ferire nitebantur, nimirum impuri dæmones iam tum præſentire videbantur, quantum eſſet Agnes ipſorum conatibus aduerſatura. Nonum vero annum agens cum à parentibus multis precibus impetraſſet, vt in eadem vrbe in ſacro virginum cœnobio, cui à ſacco nomen erat, ſuo ſe ſponſo penitus traderet, tanta cœpit alacritate tempus omne in precationibus piis, ſacris lectionibus, aliisque religioſis exercitationibus ponere, vt quantum poſſet, etiam corporis neceſſitati ſubtraheret. Modeſtiam inprimis, obedientiam, humilitatem ſemper coluit. Mentis vero integritatem, corporiſque pudicitiam ſic adamauit, vt ad tantum theſaurum facilius conſeruandum, tenellum adhuc corpuſculum, vigiliis ac ieiuniis exerceret. Quare tantis illam virtutibus, ea præſertim ætate præditam, non modo cæteræ virgines, & æquales obſeruabant, ſed Magiſtra etiam ipſa vnice diligebat. Cum autem ad annum 14. perueniſſet Agnes, ita iam erat animo cum Deo arctiſſimis charitatis vinculis iuncta, vt ſæpe inter precandum nullis adminiculis nixa cubito à terra tolleretur. Viſa eſt illi aliquando Dei mater, treſque pulcherrimos lapillos dedit, cum diceret: Scito filia, te ante ſupremum vitæ diem Sacras mihi ædes excitaturam; quocirca hos tres exiguos lapillos cape, & effice, vt quæuis tua ædificatio conſtantiſſimæ fidei indiuiduæ Trinitatis fundamento nitatur.*

*Deus igitur cum lucernam ardentem ſub modio nollet latere diutius, mira quadam ratione conſtituit, vt ſuper candelabrum poſita, cæteris quoque virtutum ſplendore præluceret. Ad nouum enim cœnobium ſacrarum virginum inſtituendum; in oppido vulgo Proceno intra fines Oruieti, cum ſua Magiſtra Margarita delecta eſt. Verum Agnes ob eius eximiæ vitæ ſanctitatem, ſenilemque prudentiam, etſi annum quintumdecimum nondum exceſſerat, Summi Pontificis iuſſu nuper inſtituto cœnobio vel inuita præficitur. Multo tamen ipſa cœpit ardentius, pietatis atque virtutum omnium ſtudia colere. Eius lectulus nuda humus, ſaxum durum fuit illi ceruical. Annos ipſos quindecim ibidem perpetuo ita ieiunauit quotidie, vt ſolo eſſet pane atq; aqua contenta. A Deo ſæpe precabatur, vt vellet ætatis ſuæ imbecillitatem in regendo monaſterio compenſare. Precandi vero numinis tanto ſtudio tenebatur, vt magno animi dolore à dulci contemplationis otio diuelleretur. Sæpe autem obſeruatum eſt, eius pallium, cum ab oratione ſurgeret, rore quodam candido reſperſum; cuius guttæ ſingulæ Crucis effigiem referebant. Quin, & eodem manna, tum ara maxima, tum pauimentum omne contectum, repertum eſt eo die, quo Epiſcopus cum Clero, ac populo eius oppidi ad conſecrandum Chriſti ſponſam ingreſſus eſt: & interdum locus, vbi genua ad precandum ponebat, ſubito enatis floribus, violiſq; pulcherrimis ornabatur. Dum oraret aliquando à Beatiſſima Dei matre filium Ieſum forma lactantis infantis accepit, eumq; aliquamdiu ſinu complexa, paruulam crucem tenui filo nexam, ab eiuſdem collo recedentis detractam meruit retinere: quæ extat adhuc in Eccleſia, vbi requieſcit eius integrum ſacratiſſimum corpus. Sæpius Agneti, ſacroſanctam Euchariſtiam, Angelus ſua manu porrexit. Eius precibus ac meritis, dum adhuc viueret, ab obſeſſis corporibus fugati dæmones, oleum, panis, pecunia multiplicata; aqua in vinum conuerſa, carnes in piſcem commutatæ; ægri ſanati; extinctus puer in vitam reuocatus. Spiritu etiam Prophetico multa prædixit, & occulta cordis arcana cognouit. Annos iam nata triginta & amplius, ſuorum ciuium rogatu, cœleſti viſione, atque Angeli, Dei iuſſu monentis ad Montem Politianum reuocata, alterum ſacrarum virginum cœnobium, ac templum Dei genitrici dicatum, in eo ipſo colle, vbi meretrices antea fuerant, magna omnium gratulatione fundauit. Neque ita multo poſt, vni è noui cœnobii ſororibus, quæ mitis dicebatur, viſum poſt effuſas ad Deum preces, ſigno Crucis in eius oculis expreſſo reſtituit. Tandem cum in grauiſſimum morbum incidiſſet, Agnes, ad balnea Clanciani propinqui oppidi deducta, vix aquas illa ingreſſa eſt, cum cœleſti quodam rore concreto, & inſtar niuis candido fuere contectæ: cuius particulæ ſingulæ Crucis figuram exprimebant. Ac noua quoque tunc aquæ vena ſcaturiens, morbos omnes curare cœpit. Verum ipſa, quæ iam ad cœleſtes à ſponſo nuptias euocabatur, ad cœnobium reuerſa, ingraueſcente morbo ſacras ſorores deplorantes tantæ matris iacturam conſolata, cum ad concordiam, & votorum obſeruantiam eſſet hortata, & oculis in cœlum ſublatis ſpiritum Domino commendaſſet, vitam hanc miſeram & caducam, cum beata illa & æterna commutauit: anno ſalutis M.CCC.XVII. die Aprilis 20. ad mediam noctem. Qua hora pueruli cubantes in lectulis, variis oppidi vicis parentes ſuos illis vocibus excitarunt: Agnes Prior monaſterii Beatæ Mariæ nouellæ, beatiſſime modo ex hac vita migrauit. Viſa eſt eodem die Angelorum choro comitata, matronæ cuidam grauiter ac diu ex brachio laboranti; eamq; ad ſuum corpus examine tangendum inuitauit. Quod cum illa feciſſet, continuo dolor ex brachio omnis abſceſſit. Viſa eſt alteri matronæ ſuæ familiari: quam cum ſuæ gloriæ certiorem feciſſet, eiuſdem liberos ægrotantes repente ſanauit. Tanta è ſacro Agnetis corpore odoris ſuauiſſimi fragrantia poſt animæ diſceſſum conſecuta eſt, vt etiam vicini ad gratias, laudeſq; Deo perſoluendas concurrerint. Paulo poſt à Summis integerrimæ virginis manibus ac pedibus, precioſiſſimus quidam liquor emanans veſtes etiam ipſas madefecit, quo varia morborum genera curabantur. Eius corpus incorruptum, integrumq; ſeruatur, & multis ac magnis miraculis illuſtratur. Quod cum ſancta Catharina Senenſis inuiſeret aliquando, eiuſq; pedes religioſe deoſculari vellet, quippe quæ à Deo præmonita iam antea fuerat, parem in ſe gloriam cum ſancta Agnete in cœlis habituram, Agnes alterum pedem extulit ad faciem vſq; Catharinæ. Quæ cum per aliud tempus reuerſa, ſe ad caput Agnetis demiſiſſet, manna inſtar niuis toto illo cōclaui pluere cœpit, eadem Crucis forma, qua ſolitum erat Agnete viua & orante decidere.* Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 23. Febiuar. M.DC.I. Pontificatus noſtri anno 10. M. Veſtrius Barbaianus.

Authores habeo qui referunt, aliquando CAROLVM Quartum Romanorum Imperatorem, cum retecto ſarcophago eius ſacrum corpus videre voluiſſet, AGNETEM à multis annis mortuam, oculos aperuiſſe, & CAROLVM reſpexiſſe. *Scriptores vitæ B. Agnetis.*

Pariter hoc anno ad cœlos emigrauit, B. F. Robertus Auinionenſis, idem vitæ inſtitutum apud Prædicatores





VII. B. F. ROBERTI ORD. PRAED. OBITVS ET MIRACVLA. PESTILENTIAM ET AQVARVM INVNDATIONEM AVENIONENSIBVS PRAEDICIT.

profeſſus. Triginta ante annis, luem peſtiferam vniuerſæ Europæ ad annum Domini M CCC. XLVIII. impendentem, mente diuinitus mota prædixit; cum ſemel pro Concione, in hæc verba prorupiſſet: Spiritus Domini qui in me loquitur, mihi neceſsitatem impoſuit dicens: *Vade ad Curatorem meæ columbæ electæ, & ad habitatores terræ, & ex me illis iube, vt auaritiam Simoniamq; execrentur, alioquin ſciant futuram tantam peſtilitatem, vt ex ſepultura mortuorum riui ſanguinei erumpent.* Succeſsit, quod prędixit anno ſuperius memorato. Cū enim Aueniōne ad Quartam Quadrageſimæ Dominicam multa hominum millia ſepulta fuiſſent, & inundatio ex pluuijs ſubſequentibus, cœmeteria mortuorum omnia operuiſſet, aquis poſtea deſtagnantibus, ſanguinis riui per miraculum ex tumulis exundarunt. Viuēs, & vita functus B. Robertus miraculis fulſit, inter quæ illud non poſtremum eſſe referunt, quod feretrum in quo ad ſepulturā ferebatur, à ſuccollantium humeris in altum fuerit elatum, ad cumque modum vſque ad tumuli locum virtute inuiſibili Angelorum haud dubie delatum. *Michael Pius lib. 1. de viris illuſtrib. Ord. Præd.*

VIII. LIBERATAE ET FAVSTINAE SORORVM VIRGINVM VITAE INSTITVTIO, ET OBITVS.

Apud Inſubres, Nouo Comi, corpora ſanctarū virginum Liberatæ & Fauſtinæ, hoc anno tranſlata ſunt. Hæ in Curia Geneſina agri Placentini arce, Ioannte viro præpotente patre natę, cum in omni pietatis diſciplina innutritæ eſſent, & quadam die mulierem quandam viri mortem inſolabiliter plangentem audiſſent, á carnali matrimonio abſtinere, ſeque cœleſti ſponſo dicare decreuerunt. Quamobrem inſcio patre, ac mundo muliebri, pretioſioribuſque nonnullis rebus ſecum acceptis patriam reliquerunt, Nouocomumque peruenientes, Oratorio apud portam Ciuitatis titulo Beatiſſimæ virginis extructo, in aſsiduis orationibus, vigilijs & ieiunijs vitam tranſegerunt. Inde propter frequentiam inuiſentium diſcedentes, ad Coxiam fluuiolum in Eccleſia Diuo Ioanni Baptiſtę dicata, ædificatis nonnullis cellulis, & in ſuam ſodalitatem plurimis cooptatis virginibus, ſacro velamine ab Epiſcopo ſuſcepto, vitam ſanctiſſimam ſub arcta regula duxerunt. Hæc cum primum Ioannes pater intellexiſſet, in ſancto propoſito virgines confirmauit, nonnullaque ei monaſterio, quod nunc S. Margaritæ nuncupatur, magno ære empta donauit. Ibi multis vigilijs virgines confectæ ad Dominū migrarunt, Fauſtina quidem ætate minor XVIII. Cal. Febr. Liberata vero tertio die poſt ſororem: Earum corpora ibidem ſepulta, poſtea anno M. CCC. XVII. in Baſilicam maiorem tranſlata ſunt. *ex monumentis Eccleſ. Comen.* Liberatæ ad eius aram Veronæ hoc diſtichon aliquis adſcripſit.

*Libera Virgo Dei, precibus, pietate benigna*
*Tu memor eſto mei, liberans à morte maligna.*

IX. LVDOVICVS BAVARVS GVELFORVM FACTIONEM PENITVS EXCINDERE CONATVR.

Hic annus, prudentiam & vigilantiam Ioannis Pontificis maxime exercuit. Præfecti Vrbium Italiæ à Ludouico Bauaro per vſurpatam poteſtatem inſtituti, nihil omittebant eorum quibus partem Guelſam opprimerent, Etruſcos Hugucio, Inſubres & Ligures Matthæus Vicecomes, Veronenſes Magnus Canis, Mantuanos Paſſarinus, & alios alij incurſabant, impugnabant, atque per multam tyrannidem quamplurimis calamitatibus perditum ire volebant. Non deerant qui in mutuas cædes Italos impellerent. Vrgebat Vicecomes, Turrianis præcipue infeſtus. Ludouicus Bauarus, Italiæ dominium & diademata imperij exambiens, officio ac genio ſuo non deerat. Ioannes Bohemiæ Rex, Ludouici partiarius, contemptus paterni vindex, illud ſerio curabat, vt & Ludouicus animos ſuis Adminiſtris in Italia adijceret: hacque ratione imperij dignitatem vel inuito Pontifice ſibi ſtabiliret & per communes Italorum clades, vtriuſque partis vires imminuerentur; ac vel Guelſorum, per quos ſteterat vt Henricus Imperator turpiter vrbe exceſſerit, proſternerentur. Florentini Roberto Rege Siciliæ ſiue conſulente, ſiue annuente, cum plurima ſalutaria ad vrbis vtilitatem, & pacificam Adminiſtrationem conſtituiſſent, Piſanos & Lucenſes in ſocietatem inprimis admiſerunt. Deinde ex fœdere, tum ad ſummum Pontificem Ioannem, tum ad Regem Galliarum Philippum Oratores deſtinarunt, qui Dynaſtarum à Ludouico Præfectorum conatus & tyrannidem renunciarent, & Carolum Valeſium cum auxiliaribus copijs, tum ad refrenandos Præfectos; tum ad impedienda Ludouici conſilia, euocarent. Is enim, quamquam ſubmiſſe ab Ioanne Pontifice confirmationem electionis ſuæ poſtulare per Nuncios & literas videretur, Procerum tamen Italiæ animos non obſcure ſollicitabat, vt à ſede Apoſtolica deſciſcerent, & Imperij veterem maieſtatem reſtitutam eſſe vellent. Eo incentore, Ferrarienſes, ad quartum diem Auguſti Roberti Siciliæ Regis, qui pro Romano Pontifice eam vrbem adminiſtrabat, Adminiſtros eiecerunt, atque impetu, ex vano rumore diſperſo in præſidiarios Regios, per tumultum facto, eos pars occiderunt, pars in carceres coniecerunt, illoque ipſo die dominio Romanæ Eccleſiæ excuſſo, Ateſtinis ſeſe permiſerūt. *Ioan. Villani. libr. 9. cap.* 80. & 81.

X. IOANNES PP. SANCTIONEM ADVERSVS ITALIAE VSVRPATORES PROMVLGAT.

Non ignorauit hæc omnia Ioannes Aueniōne ſedens. Quamobrem cum iura Sedis Apoſtolicæ imminui, & clientes Romani Pontificis per ſummam iniuriam violari videret, edicto graui propoſito, Vicarium Imperij nomen & poteſtatem in Italia abrogauit, & hanc quam ſubiungo ſanctionem contra vſurpatores euulgauit. Ita habet.

*Si Fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum, & aliorum quorumlibet iura illibata ſeruari, & ab omni ſore diſpendio diminutionis extranea cupimus, & ad illud libenter noſtræ ſollicitudinis ſtudium adhibemus; multo fortius equidem pro noſtris & Romanæ Eccleſiæ ſponſæ noſtræ iuribus & honorib. cōſeruādis, ex iniūcto nobis officij debito, Apoſtolicæ prouiſionis partes tenemur impendere, ne tēporibus noſtris vſurpationis iniuriā ſubeant, aut detrimentum cuiuſuis derogationis incurrant.*

*Sane in noſtram, & Fratrum noſtrorū deductum eſt (fama diuulgante) notitiam, quod licet de iure ſit liquidū, & ab olim fuerit inconcuſſe ſeruatū, quod vacante Imperio, ſicut & nunc per obitū quondam Henrici Romanorum Imperatoris vacaſſe dignoſcitur, cū in illo ad ſæcularem iudicē nequeat haberi recurſus, ad ſummum Pōtificem, cui in perſona Beati Petri terreni ſimul & cœleſtis Imperij iura Deus ipſe commiſit, Imperij prædicti iuriſdictio, regimen & diſpoſitio deuoluūtur, & ea ipſe (durāte ipſius vacatione Imperij) per ſe, vel aliū ſeu alios exercuiſſe noſcitur in Imperio memorato: nōnulli tamē in Italiæ partibus, poteſtatis & dignitatis faſtigiū illicite ambiētes, in noſtrū & Romanæ ſanctæ matris Eccleſiæ (quantū in eis eſt) præiudiciū euidēs ac diminutionē honoris & iuris, Vicariatus, ſeu alterius cuiuſcumq; nomē officij, quod ipſo Imperatore viuente ex ipſius commiſſione gerebāt in certis terris, territorijs, ſiue locis poſt deceſſum ipſius abſque noſtra, vel Apoſtolicæ Sedis petita vel obtenta licentia retinere ſibi, & nonnulli etiā de nouo aſſumere quod nō geſſerant, aut geſtū antea, poſteaq; dimiſſum reſumere temerarijs auſibus præſumpſerunt, quo vel quib. adhuc non verentur abuti, & ſub eius, vel eorum colore multa facere & feciſſe noſcūtur, quæ in noſtrā & Eccleſiæ prædictæ iniuriam aperte redundant, nō abhorrentes per id varijs inuolui criminibus; nec diuinæ maieſtatis formidātes offenſā.*

*Quia igitur error, cui nō reſiſtitur approbari videtur, & latū pandit delinquentibus ſinum qui eorum peruerſis conatibus nō reſiſtit: Nos volētes noſtris, & Eccleſiæ ſpōſæ noſtræ iuribus, & honoribus, in hac parte proſpicere, & malis ac ſcādalis, quæ ex retētione, aſſūptione, ſeu reſumptione huiuſmodi orta ſunt hactenus & quæ periculoſe poſſent in antea ſuboriri, celeriter obuiare, nec nō periculis animarū huiuſmodi retinētiū, aſſumētiū, ſeu reſumentiū nomina, & eis abutentium (vt præfertur) ſalubriter occurrere cupientes, præſentiū auctoritate monemus; ſub excōmunicationis pœna, oēs & ſingulos, cuiuſcumque ſtatus, præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis exiſtant, etiā ſi Patriarchali, vel quauis alia ſuperiori, ſiue Epiſcopali, vel Regia, ſeu alia quacumq; præfulgeāt dignitate, qui poſt vacationē Imperij, abſq; noſtra vel Sedis prædictæ licentia huiuſmodi Vicarij, ſeu cuiuſuis alterius officij nomē vbilibet retinuerit, aſſumpſerunt, ſeu reſumpſerūt, & retinent, & qui aſſument vel reſument fortaſsis in poſterum, & ſub talis donationis pallio, abuſi ſunt, & abutuntur vel etiam abutentur poteſtate, vel iuriſdictione quacumque ſeu eius exercitio publice vel occulte quatenus de cætero etiā à denominatione huiuſmodi ſeu cu-*

*uſcunque aſſumptione, reſumptione ac retentione prædictis, nec non vſu, poteſtate, & exercitio ſupradictis prorſus abſtineant, & omnino deſiſtant.*

*Inhibentes inſuper ſub pœna prædicta, omnibus & ſingulis Patriarchis, Prælatis, & etiam alijs ſuperioribus ac Regibus, ciuitatibus, Comitatibus, Vniuerſitatibus, Capitaneis, Poteſtatibus, Rectoribus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, & alijs omnibus cuiuſcumq; ſint dignitatis, conditionis aut ſtatus, nè prædictum huiuſmodi nomen, ſeu aliud quodlibet, in eodem Imperio retinentes (vt præfertur) aut aſſumentes, vel eorū aliqui ſub denominatione vel titulo huiuſmodi nominum, ſeu Procuratores, Commiſſarios, iudices aut vices eorum gerentes, quocumq; colore quæſito recipiant vel admittant: nec vt Vicarijs, ſeu Vicario, aut officialibus Imperij pareant, vel intendant, aut pareri vel intendi faciant vel permittant, nec in his eis vel ei quomodolibet præſtent auxiliū, conſilium vel fauorem. Alioquin in omnes & ſingulos Patriarchas, prælatos, & ſuperiores, & inferiores Reges, & cæteros denominationem prædictam (vt præmiſſum eſt) retinentes, aſſumentes, ſeu reſumentes ac illius prætextu exercentes quæcumq; officia, poteſtates ſeu iuriſdictiones, & recipientes eos vt Vicarios, vel officiales Imperij aut Commiſſarios tales, vt aliū, & in parentes, ſeu obedientes eis vt talibus, aut præſtantes in hoc ſibi conſiliū, auxilium vel fauorem, niſi intra duorum menſium ſpatium à die datæ præſentium numerandum penitus reſipuerint, vel ſe licentia Sedis Apoſtolicæ ſuper hoc oſtenderint communitos, excommunicationis in ſingulares perſonas, & interras, & loca ipſorum, & quaslibet Communitates, Vniuerſitates, Ciuicates, aut villas, interdicti ſententias de Fratrum noſtrorum conſilio publicè promulgamus. Contra eos nihilominus ſpiritualiter & temporaliter grauius proceſſuri, prout inobedientia eorum exegerit, qualitas facti ſuaſerit, & viderimus expedire. Et vt quibuslibet parendi talibus tollatur occaſio, omnes & ſingulos, qui huiuſmodi Vicariatus nomen retinentibus, aſſumentibus, ſeu reſumentibus iuramento fidelitatis tenentur aſtricti, à iuramēto huiuſmodi, quantum ad hoc, de poteſtatis plenitudine abſoluētes, auctoritate Apoſtolica firmiter inhibemus eiſdem, ne talibus vt Vicarijs, vel officialibus imperij aliquatenus pareant, vel intendant.*

*Et inſuper omnes pactiones, obligationes, confœderationes, & colligationes à quibuscumq; ſuper hoc quomodolibet initas, iuramento vel quacumque firmitate vallatas omnino diſſoluimus, viribus vacuamus, irritātes, & quatenus de facto proceſſerint, reuocamus: ac huiuſmodi, & quælibet alia iuramēta quibuslibet ſuper his præſtita, per quæ poſſet in prædictis noſtris, & Eccleſiæ noſtræ prædictæ iuribus derogari; præſertim cū iuramentum, vinculum iniquitatis eſſe non debeat, relaxamus.*

*Cæterum vt huiuſmodi proceſſus verius ad communem omnium notitiam deducatur, chartas ſeu membranas proceſſum continentes eundem, in Eccleſia Auinionenſi appendi vel affigi oſtijs ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio & patenti iudicio publicabūt: Ita quod omnes & ſinguli, quos proceſſus ipſe contingit, & contingere poteſt nullam poſtea poſſint excuſationem prætēdere, quod ad eos talis proceſſus non peruenerit: vel quod ignorauerint eundem: cum non ſit veriſimile remanere quoad ipſos incognitū vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.* Datum Auinione in Domo Epiſcopali II. Calend. Aprilis anno primo.

XI.

DISSIDIA INTER GVELPHOS ET GIBELLINOS FRVSTRA COMPONERE LABORAT.

Hæc Ioannes Pontifex, contra vſurpatores tyrannos ſanciebat. Nihil tamen admonitione paterna profecit. Hoc enim ipſo anno Conradus Auria Spinulis Genuenſibus fœderatus, exules Gibellinos in vrbicorum Guelphorum pernitiem euocauit: Hugucio Fagiolanus Piſanos Florentinorū fœderatos armis laceſſiuit: Mattheus Vicecomes in Turrianos Mediolanenſes tyrannidem exercuit: Magnus Canis in Patauinos inprimis, & poſtea in Cremonenſes, quo ſe Turriani receperant, exercitum armauit, neq; vllus alius tyrannus quicquam ex odio in Guelfos remiſit, quod Ludouicus Gibellinis ſpē faceret volente nolente Pontifice aduētus ſui in Italiam, & reſtitutionis veteris Imperij. Et quidem is ipſe vt Ioannem Pontificē falleret, nihil non promittebat eorum, quæ ad Sedis Apoſtolicæ & Rom. Eccleſ. dignitatē pertinere videbantur. Quamobrem Legatis Auinionem deſtinatis, obſequentiam & fidelitatem, vnà cū tutela iuriū ac bonorū Eccleſiæ, quemadmodum & Fridericus pariter per Oratores ſubmiſſos pollicebatur. Cæterum Ioannes, aliud à Ludouico eiuſque ſtudioſis in Italia tentari, aliud à Legatis offerri ac ſponderi exaudiens, non quidem ſententiam in Ludouicum per declarationē, neque Friderico, titulum Regis Romanorum per ſententiam decreuit: Sed tam illū quam iſtum, nomē Regium litteris præſcribentem benigne tolerauit; ac vtrique diem apud Sedis Apoſtolicę ſubſellia deſignauit; vt vter potiore electionis iure niteretur, Orbi oſtenderet: nec tamen alter alteri vſurpatione Regię appellationis pręiudicaret, quod Clemens IV. Pontifex in æquali cauſa ſtatuiſſet: vt ambiguo inter duos litigantes iure Regni tantiſper vterque poſſet Regios titulos, citra præiudiciū tamen iuris alieni, prę ſe ferre, donec ex cōtrouerſia partium clarum efficeretur, quis alteri propter electionis potioritatem præferatur: idque à Romano Antiſtite tum cognoſcatur, tum decernatur. *Cuſpin. Villani. Naucler H. Mutius. & Regeſtr. Ioann. 22. a 1.*

FRIDERICO ET LVDOVICO BAVARO DIEM AD COGNOSCENDAM VTRIVSQVE ELECTIONEM CONDICIT.

XII.

EIVS DECRETVM CONTRA RAPTORES THESAVRI ECCLESIAE ROMANAE.

Per id temporis in Italia turbatum, aliqui theſaurum Eccleſiæ Romanæ, quem tres viri Clemente V. iubente, Peruſio Lucam deportauerant furtim abſtulerunt, Sc. vt eo in pecuniam conflato, contra Pontificiæ factionis homines, militibus conſcriptis ſtipendia numerarent. Iſtud quoque ſacrilegium non ſibi ferendum eſſe putauit Ioannes, ſed in profanos homines ſententiam quam adiungo tulit. Ita habet:

*Infidelis & ſtolidæ prædicationis alumni ſe per culpæ vitium indignos efficiunt, vt matris Eccleſiæ filij nuncupentur, dū ad ipſius matris iniuriam ſe conuertunt (quod graui nos commotione perturbat) Matris eiuſdem pietatem offendunt: & his in perniciem miſerabili cæcitate delapſis, reſpergūt infamiæ maculis loca propriæ nationis. Dudum ſiquidem nonnulli degeneres filij, qui ad quæque nefaria currere ſunt auſi, peruerſis auſibus in matris eiuſdem proſilientes iniuriam & offenſam, illā theſauri ſui maximam partem, quæ de Peruſio ad ciuitatem Lucanam de mandato felicis recordationis Domini Papæ Clementis V prædeceſſoris noſtri, dum adhuc viueret, per dilectos filios Vitalem de Chabenate, Clericum Burdigalenſ. Diœceſis, & Guilel. de Luna ſeruientem prædeceſſoris eiuſdem, vna cum dilecto filio Iacobo de Caſalib. Decano Eccleſiæ S. Seuerini Burdegalenſ. Diœceſis Capellano noſtro, extiterat deportata: & quæ in Sacriſtia Monaſterij S. Fedriani Lucanenſ. tunc tēporis ſeruabatur; deinde ad cameram prædeceſſoris eiuſdē fidenter deferendam tempore inuaſionis Ciuitatis Lucanenſis diripuerūt in prædā, & de præfata ſacriſtia per violētiam aſportarūt.*

*Nos igitur ad recuperationem theſauri prædicti ſollicitis ſtudijs prætendentes, omnes & ſingulos aſportantes theſaurū prædictum, & alios, penes quos aliqua de theſauro fuerunt, vel adhuc exiſtunt, auctoritate Apoſtolica coram hac fideliū multitudine copioſa monemus, vt ea nobis, aut ei, quem ad id duximus deputandum, intra quatuor menſium ſpatiū à die datæ publicationis præſentium numerandum, cum integritate reſtituant & aſſignent: ac omnes & ſingulos ſcientes, vbi vel penes quos aliqua de dicto theſauro extiterint, vel exiſtant, vt intra terminum ſupradictum nobis aut ipſi deputato noſtro indicare ſtudeant. Alioquin in omnes, & ſingulos, monitionis huiuſmodi cōtemptores, cuiuſcumq; dignitatis, ſtatus, vel conditionis extiterint, etiam ſi Patriarchali, vel ſuperiori, aut alia quacumque præemineant dignitate, ex nunc auctoritate prædicta excommunicationis ſententiam promulgantes; mandantes illos per Diœceſanos locorum, & Rectores Parochialium Eccleſiarū, Ciuitatum & Diœceſium eorundem ſingulis diebus Dominicis & feſtiuis pulſatis campanis & candelis extinctis excōmunicatos publice nuntiari: proceſſuri ad grauiora nihilominus cōtra eos, nec non & contra ciuitates, communitates, vniuerſitates, & ſingulares perſonas quaſcumq;, quæ fuiſſent in præmiſſis culpabiles ſicut proteruia ipſorum exegerit, & viderimus expedire. Non obſtante ſi eis, aut eorum aliquibus vel alicui, ſub quacūque forma vel conceptione verborum, à ſede Apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari non poſſint per litteras ſedis eiuſdem non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cuiuſcumque tenoris*



*tenoris exiſtat, per quam effectus præſentium impediri poſſit, vel quomodolibet retardari. Vt autem huiuſmodi noſtra monitio, verius ad cōmunem omniū notitiā deducatur, Chartas ſiue mēbranas monitionem continentes eandem, in Eccleſia Auinionenſ. appendi, vel affigi oſtiis ſeu ſuperliminaribus eiuſdem Eccleſiæ faciemus, quæ monitionē ipſam ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt; ita quod omnes, & ſinguli, quos monitio ipſa contingit, vel contingere poteſt, nullam poſtea poſſint excuſationē prætendere, quod ad eos talis monitio non peruenerit, vel quod ignorauerint eandem. Cum non ſit veriſimile remanere quoad ipſos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnib. publicatur.* Datum Auinione ij. Cal. April. Pontif. noſtri an. 1. Hæc Ioan. Pont. Max. in eos qui theſaurū Eccl. Rom. cōpilarant, vt in ſtipēdia belli cōtra cliētes Eccl. Rom. pecunias cōflarēt. Non deerant quoq; per id tēporis, qui vt bellū iniuſtū fouerēt, non tantū ex ſacrilegio, verū etiā ex illicitis artib. aurū atq; argentū fictitiū perquirerēt, ac percuterēt. In eos quoq; Ioannes, qui his artib. metalla mentirētur, cenſurā Eccleſiaſticā his verbis, quas adſcribere viſum, ſtrinxit. Iſta aūt ſunt; digna quæ ab Alchimiſtis legantur. *Spondent, quas non exhibēt diuitias pauperes Alchimiſtæ: pariter qui ſe ſapientes exiſtimāt, in foueā incidunt, quā fecerūt. Nā haud dubie huius artis Alchimiæ alterutrū ſe profeſſores ludificāt, cū ſuæ ignorātiæ cōſcij, eos qui ſupra ipſos aliquid huiuſmodi dixerint, admirātur. quibus cū veritas quæſita nō ſuppetat, diē cernūt, facultates exhauriunt, iidemq; verbis diſſimulāt falſitatē, vt tandē quod nō eſt in rerū natura, eſſe verū aurū, vel argētum, ſophiſtica tranſmutatione confingant; eoq; interdū eorū temeritas damnata & damnanda progreditur, vt fidis metallis cudant publicæ monetæ characteres fidis oculis, & non alias alchimicū fornacis ignē vulgū ignorantē eludant. Hæc itaq; perpetuis volentes exulare tēporibus, hac edictali Conſtitutione ſancimus, vt quicumq; huiuſmodi aurum vel argentum fecerint, vel fieri ſecuto facto mandauerint, vel adhoc ſcienter dū id fieret facientib. miniſtrauerint, aut ſcienter vel auro, vel argento vſi fuerint vendendo, vel dando in ſalutem: verum tanti ponderis aurū vel argentum, pœnæ nomine inferre cogantur in publicum pauperibus erogādum, quanti alchimicum exiſtat, circa quod eos aliqua prædictorū modorum legitime cōſtiterit deliquiſſe: facientib. nihilominus aurum, vel argentum alchimicum, aut ipſo (vt præmittitur) ſcienter vtentibus perpetuæ infamiæ nota reſperſis.*

*Quod ſi ad præfatā pœnam pecuniariam exoluendam delinquentium ipſorū facultates non ſufficiant, poterit diſcreti moderatio iudicis pœnam hanc in aliam (puta carceris, vel aliam, iuxta qualitatem negotij, perſonarum differentiam, aliaſq; attendendo circumſtantias) commutare. Illos vero, qui in tantæ ignorantiam infelicitatis proruperint, vt nedum nummos vendant, ſed naturalia iuris præcepta contemnant, artis excedant metas, legumq; violent interdicta, ſcienter videlicet adulterinam ex auro, & argento alchimico cudendo, ſeu fundendo, cudi ſeu fundi faciendo monetam, hac animaduerſione percelli iubemus, vt ipſorum bona deferantur carceri ipſiq; perpetuo ſint infames. Et ſi clerici fuerint delinquentes, ipſi vltra prædictas pœnas priuentur beneficiis habitis, & prorſus reddātur inhabiles ad habēda.* Hæc Ioannes contra Alchimiſtas ſanciebat.

XIII.

ALIA EIVSDEM CONSTITVTIO CONTRA AMBITIOSOS ET AVAROS CLERICOS

Cum aūt inſatiabili cupiditate habendi, plurimos in Eccleſia ex clero laborare aſpiceret, Cōſtitutionē perpetua, & memoria, & obſeruatione digniſſimam, hoc ipſo anno Domini MCCCXVII. edidit, ab omnibus Eccleſiaſticis, ſi ſalutem ſuam amant, dies noctesq; prę oculis habendam. Ita habet.

*Execrabilis quorundam tam religioſorum, quā ſeculariū ambitio, quæ ſemper plus ambiens, eo magis inſatiabilis creditur quo ſibi amplius indulgetur, & improbitas importuna petentiū à nobis, & prædeceſſorib. noſtris Romanis Pontificibus, non tam obtinuiſſe, quā extorſiſſe plerumq; noſcūtur, vt vnus interdum etiam ad vnum beneficium Eccleſiaſticum minus idoneus, in diuerſis Eccleſiis nedū vicinis, ſed abinuicem longe diſtantibus, imo nonnunquam in diuerſorum regnorum partib. ſituatis, plures quam duas, vel tres, aut plures etiam dignitates, vel perſonatus, officia, ſeu prioratus, aut diuerſa Eccleſiaſtica beneficia curam animarū habentia poſſit diſpenſatiue, cum alias non liceret de iure cōmuni, recipere, & ſimul licite retinere. Vnde inter cætera inconuenientia infra ſcripta naſcuntur; quod videlicet, interdum vnus, qui vnum, quamuis modicum vix officium implere ſufficeret, plurimorum ſibi vendicat ſtipendia quæ multis litteratis viris, vitæ puritate, ac teſtimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, poſſent abunde ſufficere, æqua diſtributione collata. Habentibus ipſa paratur vagandi materia, diuini cultus minuuntur, hoſpitalitas in ipſis beneficiis debita non ſeruatur: & dum non ſunt ſui in vnaquaq; regione Rectores Eccleſiarum detrahitur commodis & honori: quæ carentes defenſorum auxilio, in iuribus ſuis & libertatib. multipliciter collabuntur: ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat deceſſorum. Et (quod amarius eſt dolendum) animarum cura negligitur; & vitiorum ſentibus fomentū periculoſe præbetur. Nos itaq; tot malis, tantiſq; diſcriminibus occurrere cupientes, omnes & ſingulas diſpenſationes ſuper receptione, ac retentione plurium dignitatum, perſonatuum, officiorum, prioratuum, aut beneficiorum, quibus cura ſit animarū annexa, ſub quacumq; forma vel expreſſione verborum, à nobis vel dictis prædeceſſoribus noſtris cuicumq; perſonæ conceſſas (Cardinalibus tamen ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, qui circa nos vniuerſali Eccleſiæ ſeruiendo, ſingularum Eccleſiarum commoditatib. ſe impendunt; ac Regum filiis, qui propter ſublimitatem eorum, ac generis claritatem ſunt potioris prærogatiua gratiæ attollendi, duntaxat exceptis) deliberatione ſuper hoc cum fratribus noſtris habita diligenti, de ipſorum conſilio, & ex certa noſtra ſcientia, in forma ſubſcripta duximus taliter moderandas, quod per moderamē noſtrū effrænatam circa eaſdē perſonas talium beneficiorum multitudinem refrænemus, ipſiq; impetrantes fructu diſpenſationum huiuſmodi totaliter non fruſtrentur.*

*Statuimus itaq;, & de Fratrum noſtrorum conſilio ordinamus, quod obtinentes nunc ex diſpenſatione legitima pluralitatē huiuſmodi dignitatum, perſonatuū, officiorum aut prioratuum, ſeu beneficiorum, quæ alias abſq; alia diſpenſatione legitima obtinere nequiebant, vnum tantum ex dignitatibus, perſonatibus, officiis, prioratibus, Eccleſiis, vel beneficiis huiuſmodi, quib. cura immineat animarum cum dignitate, perſonatu, vel officio, prioratu Eccleſiæ, vel beneficio ſine cura, quæ habere maluerint, prætextu diſpenſationis ſufficientis circa id eiſdem indultæ, poſſint licite retinere: quæ tamen teneantur eligere intra menſem numerandum à tempore notitiæ Conſtitutionis iſtius: cæteris beneficiis cū cura, vel ſine cura, quæ ipſius diſpenſationis prætextu tenebāt, & quæ aliter ante non poterant de iure abſq; diſpenſatione aliqua licite retinere, quæ nos ex tunc vacare decernimus, coram Ordinariis ſub teſtimonio publico intra idem tempus verbaliter, vel realiter, cum effectu dimiſſis; abſq; eo, quod ad illa numquam ſine noua collatione ab eo, qui facere poterit facienda redire, aut eorū adminiſtrationi ſe immiſcere præſumant. Alioquin tam his quā aliis omnibus beneficiis, quæ virtute huiuſmodi noſtri moderaminis retinere poterant, vt præfertur ſint ipſo iure priuati, & prorſus inhabiles ad ſimilia beneficia obtinenda.*

*Per hoc aūt iis, qui dignitates, perſonatus, officia, prioratus, vel alia beneficia curam animarum habentia ex diſpenſatione, quæ ius tribuat, iuxta noſtram moderationē præſcriptam obtinent, & alia ſimilia beneficia noſtrarum, vel eorundem prædeceſſorū auctoritate literarum expectāt, cū quib. eſt, vt illa cū vacauerint recipere, & vna cum obtentis retinere licite valeant, diſpenſatū, nolumus derogari, quin ea cum vacauerint, intra dicti temporis ſpatium poſſint eligere, & dimiſſis aliis recipere in forma præſcripta, ac licite retinere: pœnas ſimiles incurſuri, ſi huiuſmodi noſtræ contraire præſumpſerint ſanctioni.*

*Porro, quia quorundam oculos ſic auaræ cupiditatis vitiū excæcauit, quod plura talia beneficia ſimul abſq; diſpēſatione canonica retinere præſumūt, nos de illis præſenti decreto ſtatuimus, vt omnia, & ſingula beneficia ſic detenta (illo tamen retento, quod vltimo receperūt, dummodo in eo ex collatione canonica cōpetat ius eiſdem) intra tempus vt præſcribitur limitatū, verbo, & facto, ac ſine fraude, corā Ordinariis ſub teſtimonio ſimiliter publico dimittere teneantur. Quod ſi nō fecerint, & illo ſint ipſo iure priuati, in quo ius eis alias cōpetebat, & inhabiles penitus ad quæcumque obtinenda Eccleſiaſtica beneficia cenſeantur.*

*Qui vero deinceps receperunt dignitatem, vel perſonatum, ſeu officium, aut aliud beneficium curam animarū habens annexā, ſi antea ſimile beneficium obtinebant, illud, quo ipſo iure (poſtquā ſecundi poſſeſſionē habuerint, vel per eos omni dolo & fraude ceſſantibus quo minus habeant ſteterit) priuati noſcuntur, abſque moræ diſpendio in Ordinariorum manib. dimittere debeant pari*

*modo. Alioquin ex tunc ſint ipſo iure ſecundo priuati, & nedũ ad ſacros ſuſcipiendos Ordines, quin etiam ad habendũ quodcumq; aliud Eccleſiaſticum beneficium inhabiles reputẽtur. Quæ omnia & ſingula beneficia vacatura, vt præmittitur, vel dimiſſa, noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni, de ipſorum Fratrum conſilio reſeruamus Inhibentes, ne quis præter Roman. Pontif. quacumq; ſit ſuper hoc auctoritate munitus, de huiuſmodi beneficiis diſponere, vel circa illa per modum permutationis, vel alias innouare hoc quoquomodo præſumat. Nos n. ſi ſecus actũ ſeu attẽtatum fuerit, irritum decernimus & inane. Cæterum Ordinarios intelligimus in caſibus ſupraſcriptis Epiſc. in quorum Ciuitatib. vel Diœceſib. conſiſtũt beneficia, ſeu aliquod eorum, quæ debẽt ſecundũ præmiſſa dimitti, aut ipſi qui ea debent dimittere commorantur; vel Eccleſiis Cathedralibus vacantibus Capitula eorundem. Et hi de beneficiis tam dimiſſis, quam (vt præmittitur) perditis, nos, vel Apoſtolicam Sedem certificare ſtudeant quamprimum commode poterunt indilate, vt de illis ſalubriter diſponere valeamus.*

*Quantum aũt ad modificationẽ perſonatuum attinet antefactã, illa duntaxat, & nõ alia beneficia Eccleſiaſtica quocumq; nomine nuncupentur, curam habere cenſemus, quæ parochias habent, in quib. animarum eſt cura annexa, non per vicarios perpetuos, ſed per Rectores, aut miniſtros beneficiorũ ipſorũ, vel illorũ temporales Vicarios exercenda. Nec non etiam illa, quorum miniſtris ratione beneficiorum huiuſmodi cõpetit viſitare, inquirere, procurationes recipere, ſuſpendere, excommunicare, ſeu ab excõmunicationis & ſuſpenſionis ſententiis abſoluere, de cõſuetudine, vel de iure, iurib. aliis de animarum cura loquentib. in ſuo robore quoad cætera permanſuris. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam noſtrorum, moderationis, ſtatutorum, Cõſtitutionum, reſeruationis, inhibitionis & volũtatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.* Datum Auinioni XIII. Calend. Decemb. Pontificatus noſtri anno ſecundo. Hæc ad refrænandam inſatiabilem Cleri auaritiam Ioannes Pontifex ſtatuebat.

XIV. DIPLOMA EIVSDEM DE DIVISIONE EPISCOPATVS TOLOSANI.

Cum aũt quam plurimos in Clero, nimio plus abundare, alios vero victum mendicare: ac per nimiã opũ affluentiam illos quidem incraſſatos, ne pilum quidẽ ouium Chriſti ſalutem curare; hos vero à prẽſtãdo officio per extremam paupertatẽ reuocari aſpiceret: hac quoque in parte, ſupremi diſpẽſatoris exemplum imitatus, voluit nimis opulentis quippiam detrahere & in tenuiores diſtribuere: eaq; ratione ditiores ad maiorẽ tum vigilantiam, tum munificentiam excitare. Quamobrem hoc anno, Toloſanum Epiſcopatũ ſatis ſuperque locupletem, in nouam Metropolim erexit, eumq; à cura Metropolitani Narbonenſis exemit. Ne & hic pluſquam oportebat abundaret, & illa occaſionem haberet, opes & virtutem commodandi, in vtilitatem Eccleſiæ. Placet ſubſcribere diploma, vt & cauſæ erectionis, & modus diuidendi, & poteſtatis Pontificiæ in vniuerſam Eccleſiã amplitudo perſpiciatur. Ita habet, ad alicuius ſucceſſoris, alicubi excitandam ſolertiam.

Epiſt. 17.

*Saluator noſter, cuius nutui cuncta ſeruiunt, in agro mundi huius meſſem multam aſpiciens, & operariorum raritatem attendens, Dominum meſſis rogandum eſſe, vt in illam operarios mitteret, cenſuit: & ipſe idem etiam exiens mane veluti Paterfamilias diligens horis diei variis operarios in vineam ſuam miſit. Romanus itaque Pontifex ſicut eidem Domino diſponente Vicarius eius in terris eſſe dignoſcitur, ſic, & ipſius actibus (in quantũ ſinit humana fragilitas) ſe conformare tenetur, vbi ergo ſuperexcreſcere meſſem, populi videlicet multitudinem viderit, operarios debet opportune adiicere, & iuxta Propheticũ verbũ augere cuſtodiã, cuſtodes, & cultores idoneos in Dominicã vineã deſtinare.*

*Sane conſiderantes attentius, & intra pectoris clauſtra meditatione ſollicita reuoluentes, q; in tanta multitudine populi, quãta fœcundauit Altiſſimus Ciuitatẽ & Diœceſim Toloſanam, ſingulorum vultus nequibat (vt cõdecet) vnicus paſtor inſpicere, aut alias partes boni paſtoris implere: quodq; durum erat, atque difficile per talem latam & diffuſam Diœceſim ad vnum tantum à perſonis Eccleſiaſticis, & mundanis recurſum haberi. Attẽdentes etiam, q; licet Toloſanus Epiſcopatus redditib. abundaret immẽſis, non tamen ſupererat hucuſq; memoria, q; ex ſuorum opulẽtia copoſa reddituum aliquid in Eccleſia, vel Diœceſi Toloſana proueniſſet in diuini cultus augmentum: imo ſic ex adipe prodierat, & prodibat iniquitas, vt multo iam tempore luxus circa carnis deſiderij, euectionum pompa, immenſitas clientelæ, immoderata diffluxio in parentes, ſumptus enormes, aut vſus extraordinarij, ſibi vendicaſſent ibidem quaſi totum patrimonium Crucifixi: & verendum erat ne Præſul vnicus Toloſanus incraſſatus & dilatatus, & exceſſiuis huiuſmodi opibus, alias ſuperbus periculoſe recalcitrans Deũ factorũ delinqueret, & à ſuo ſalutari recedẽs perniciosum exemplũ in ſubditos deriuaret. Penſantes quoque, quod ſanctæ memoriæ Clemens Papa V. prædeceſſor noſter, eodem etiã tempore quo Ciuitas & Diœceſis antefatæ, longe minus in populo, ac redditib. affluebant; tamen ex tunc benedicente Domino increbiliter creuerint in vtroq; & iugiter creſcere dignoſcantur, ſpiritu beatæ conſiderationis inductus, ad diuiſionem Epiſcopatus eiuſdem firmiter, dum viueret, intendebat; licet morte præuentus ſuum in hac parte nequiuerit implere cõceptum. Nos piũ prædeceſſoris noſtri propoſitum in effectum volentes adducere, & tam diſſipare malũ, quod prædictorũ redditũ copia exceſſiua produxit, quam etiã cultum augere diuinũ & ſpiritualem animarũ profectum, quem (ſi iuxta facultatis exigẽtiam, & diffuſam latitudinem dictæ Diœceſis ſufficiẽs numerus in eadem vtilitate Præſulum deputetur) indubie prouenire ſperamus, promouere ſalubriter intendentes. Præmiſſis, & aliis ſuadentib. iuſtis cauſis, ex certa noſtra ſcientia, de Fratrum noſtrorum conſilio concordi, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, ad laudem Dei, exaltationẽ Eccleſiæ, fideliumq; ſalutem, Epiſcopatũ ipſum dictamq; Diœceſim Toloſanã Apoſtolica auctoritate diuidimus in quinq; Diœceſes, quas p certos limites diſtingui faciemus. Volentes ac decernentes, quod præter ciuitatẽ Toloſanã, quæ ſuã propriã & diſtinctam habebit Diœceſim certis finib. limitandã, ſubſcriptæ quattuor villæ, quarũ quamlibet eiſdẽ conſilio & auctoritate in Ciuitatẽ erigimus, & Ciuitatis vocabulo inſignimus, S. de mõte Albano, pridem de Caturcenſ. diœceſi, cui adiiceretur certa pars dictæ quondã diœceſis Toloſanæ ac S. Papuli de Riuis & de Lumberiis, & de ipſa quondã Toloſana diœceſi exiſtẽtes, quattuor ſeparatas diœceſes habeãt, certis limitibus diſtinguendas. Quodq; B. Martini de Monte Albano, vbi corpus S. Theodori confeſſoris dicitur eſſe reconditum prædictæ ciuitatis Montis Albani & B. Papuli, dictæ ciuitatis S. Papuli; Mariæ de Lumberiaco, ciuitatis præfatæ Lumberiaco, nec non B. Mariæ de Riuis Eccleſiæ ipſius Ciuitatis Riuenſ. ſint de cætero; & habeantur perpetuo Eccleſiæ Cathedrales. Et quia Eccleſia Toloſana, ſicut ſolenniori ſtatu, & conditione potiori refulget, ſic & grandioris honoris titulo efferenda eſt; ipſam hucuſque ſuffraganeam Eccleſiæ Narbonenſis, ac totam quondam diœceſim Toloſanam, de Fratrum noſtrorum conſilio, & ex certa noſtra ſcientia, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis ab omni iuriſdictione, poteſtate ac ſubiectione Archiepiſcopi, Capituli, & eiuſdem Eccleſiæ Narbonenſis penitus eximentes, eam ad laudem diuini nominis, & honorem Eccleſiæ ſanctæ ſuæ in Archiepiſcopalem ſeu Metropolitanam erigimus, eamq; honoribus & inſigniis Sedis Metropolitæ decoramus, auctoritate Apoſtolica decernendo, vt ex nunc pro Metropolitana Eccleſia in perpetuum habeatur.*

*Et quia etiam dignum eſt, vt ex quo de filia facta Mater Metropolicæ dignitatis ſuſcepit inſignia, & ſuffraganeorũ congruũ numerũ filiarum ac decentem prouinciam habeat, vt ad iudiciũ Archiepiſcopi Toloſani qui p tempore fuerit, omnes cauſæ ſuffraganeorum, Epiſcoporũ & perſonarum Eccleſiaſticarũ, ac ciuitatũ eiuſdẽ Prouinciæ iuxta ſacrorum ſtatuta canonũ referãtur; Nos præfatas quattuor ciuitates, & Eccleſias Cathedrales cũ earum diœceſib. (vt præmittitur) diſtinguẽdas, nec non ciuitatẽ & Eccleſiam Apamiarum, cũ ſua diœceſi, ex nunc ipſius Eccleſiæ Toloſanæ ſuffraganeas, ac de prouincia Toloſana in perpetuũ fore decernimus: & iure Metropolit. ſubiicimus, & ſubiectas eſſe volumus eas illi, prænominatas Montis Albani, quæ de diœceſi Caturcenſ. & Bituricenſ. prouincia & Apamiarũ ciuitates & Eccleſias quæ de prouincia Narbonenſ. hactenus fuiſſe noſcuntur: necnon reliquas tres ciuitates & Eccleſias, S. Papuli Riuenſ. & Lumberiacenſ. quæ ab olim de diœceſi Toloſana fuerunt; cũ earum diœceſib. Conuentibus, Collegiis ſiue Capitulis, à iuriſdictione, poteſtate, ac ſubiectione quacumq; Bituricenſ. & Narbonenſ. Archiepiſcoporũ, ac Caturcenſ. & quondã Toloſan. Epiſcop. Capitulorum & Abbatum, atq; Conuentuũ & Ordinariorũ quorumlibet aliorũ Eccleſiaſticorum, quibus quomodolibet fuerant hucuſque ſubiecta,*



*ctæ, auctoritate præſentium perpetuo eximentes, de prædictorum conſilio, & plenitudine poteſtatis.*

*De bonis autem, redditibus, prouentibus, & iurib. dicti quondam Epiſcopatus Toloſan. ipſi Toloſan. decem millia, & ſingulis aliis prædictis Eccleſiis (Apamiarũ excepta, cui de ipſis bonis redditib. & prouẽtibus, iuribus, vltra illa quæ habere dinoſcitur, certam aſsignabimus portionem, noſtris aliis litteris diſtinguendam) ſingula quinque millia librarum Thuronenſ. annui redditus, & ppetui pꝛouentus, quæ quidẽ vnicuiq; illarũ ſuiſq; Pontificib. (dignitate, ac onere, & circũſtantiis aliis Attẽte pẽſatis) debere ſufficere vidimus, præter redditus, prouentus, & iura, quæ ad prædictas Eccleſias, & Cõuentus earũ antea ptinebant, de quib. ad honorẽ Dei, & ipſarũ Eccleſiarũ cõmodum intendimus ordinare: ex nunc auctoritate prædicta, de conſilio, ac plenitudine memoratis concedimus, donamus, ac etiã deputamus pcipienda integraliter p ipſarum Eccleſiarum Præſules, qui pro tempore fuerint, in reb. & locis cuilibet magis adiacentib. & vicinis iuxta diſtinctionẽ, ſeu limitationẽ diœceſum ſingularũ per alias noſtras literas faciendam. Interim tamẽ, diſtinctione, ſeu limitatione prædicta pendente, volumus, q; eorũ quilibet ſummã eum cõtingentem p rata accipiat annuatim de bonis, redditib. prouentib. & iurib. antedictis, p manus eorũ, quos ad hoc pꝛouiderimus deputãdos. Reſiduũ vero reddituũ, prouentuũ & iuriũ ipſorũ, q; facta de illis (vt præmiſſũ eſt) aſſignatione ſupererit, necnon iuriſdictionẽ, ſpiritualẽ temporalem, quæ ad dictũ quondã Epiſcopatũ Tholoſanũ vſq; ad tẽpus diuiſionis huiuſmodi ptinebat, & quæ diſtinctione, ſeu limitatione poſt tacta pendente faciemus p idoneas exerceri pſonas. Ac beneficia, etiamſi dignitates, perſonatus, ac officia exiſtant (exceptis his, ad quæ qs p electionem aſſumitur, & in quib. vel ad qua auctoritate litterarũ Apoſtolicarũ, alicui, ſeu aliquibus ius eſt aliquod acquiſitũ; quib. p id nullũ volumus præiudicium generari) nunc, & in antea vſq; ad diſtinctionem diœceſum vacatura, diſpoſitioni noſtræ, ac ſedis Apoſtolicæ de Fratrum ipſorũ conſilio reſeruamus. Hæc igitur per dictæ ſedis prudentiã circumſpectam ſic ſtatuta ſalubriter, & vtiliter ordinata, ppetuis eſſe valitura temporib. & robur incõmutabilis firmitatis obtinere volentes, auctoritate prædicta diſtrictius inhibemus, ne aliquis cuiuſcumq; præeminentiæ, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Archiepiſcopali, vel Epiſcopali, ſeu Regia præfulgeat dignitate, huiuſmodi ordinationẽ, Apoſtolicã reſeruationem, & alia ſupradicta quouis modo turbare, ſeu quomodolibet impedire præſumat. Nos n. ex nũc irritũ decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquã quauis auctoritate cõtigerit attẽtari. & Nihilominus in eos, qui ex contraria ſcientia contrariũ præſumpſerint, niſi intra octo dierũ ſpatiũ poſt publicationẽ præſentiũ reſipuerint cũ effectu, excõmunicationis in perſonas, & interdicti in vniuerſitates, ac ſuſpẽſionis in Cõuentus, Capitula, ſiue collegia, de cõſilio & auctoritate prædictis ſententias pꝛomulgamus: à quib. nõ niſi p Romanũ Pontificem abſolutionis beneficiũ (præterquã in mortis articulo) valeant obtinere. Nulli ergo hominũ liceat hanc paginã noſtrarũ diuiſionis, volũtatis, Conſtitutionũ, erectionum, inſignitionum, exemptionum, decorationis, ſubiectionis, concesſionis, donationis, deputationis, reſeruationis, inhibitionis pꝛomulgationis, infringere, vel ei auſu, &c.* Dat. Auinion. VIII. Cal. Iulij Pont. Noſtri anno I.

XV. SVGILLATVR OB HÆC EDICTA À MALEVOLIS.

Hæc ſuperiora, quanquã zelo ſecundum ſcientiã, & ad publicã Eccleſiarum vtilitatẽ Ioannes Summus Põtifex ſanxiſſet, nõ potuit tamẽ euitare, quin à maleuolis, tanquã nouitates ſine cõmodo publico amaret, ſuggillaretur & q; deterius eſt, quin ei aliqui refractarii obedire cõtemnerent, nihiliq; æſtimarent præcepta, cẽſuras, & maledictiones, à plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ, maturo cum cõſilio pꝛopoſitas, his qui dicto inobediẽtes forẽt. itaq; opus habuit Ioannes, datis indidẽ litteris IV. Non. Auguſti, grauiores pœnas pꝛomulgare, in eos qui ſancto huic pꝛopoſito cõtrairent. Namq; non ignorabat, quãtum detrimẽti patiãtur oues Chriſti ſanguine redemptę, cum vultum earum agnoſcere nõ põt Paſtor, vaſtitate mandrę diſtractus; atq; pſertim ad opimitatẽ ex amplitudine diœceſis pꝛouenientem, adq; ſola vellera ſeu fructus vt dicitur attẽtus. Felix Italia, quæ & parſimoniam, & vigilantiã ex illa, & ad hanc neceſſariã virtutẽ, alias virtutes ſummopere accõmodas docta, in nõ exiguis agellis, diœceſum à ſumma cura Põtificia diſtinctarum, & à nõ magna neq; mirabilia ſuper ſe ſpirantib. viris vere Apoſtolicis inſeſſarum, ſeu non cõtumaci ſpiritu admiſſarum, officium Epiſcopale exercere; neq; ſenatoriã aut aliquam aliam ex ſanguinib. dignitatẽ, damnationi animarũ q; alij, pꝛponere, ſeu obnubere.

XVI. DEPOSITIONIS SENTENTIAM FERT IN HVGONEM CATVRCENSEM EPISCOPVM OB VARIOS EXCESSVS. Ep. 131.

Caturcenſem Epiſcopũ ex numero cõtumaciũ forte fuiſſe cõiicio q; ei doleret, montẽ Albanũ, à ſua diœceſi ſeparari, & in Cathedralẽ Eccleſiam exaltari. Vtut tamẽ eſt; is tamen non potuit euitare, quin anno ſequente, propter exceſſus grauiſſimos, grauiſſimis pœnis ab Ioanne mulctaretur. Volui ſententiã adiungere; vt aduerſariis euidens ſit, virgam diſciplinæ Eccleſiaſticæ, omni ſæculo, in Romana Eccleſia floruiſſe. Ita habet.

*Diuinis exemplis, quæ noſtrorum debẽt eſſe actuũ regula, patenter inſtruimur, aures noſtras ſubditorum à ſuis Præpoſitis oppreſſorum indebite, & aggrauatorũ iniuſte, non obturare clamoribus, ſed ipſis ipſas potius compaſſiuis affectibus inclinare, vt ſi per ſolertis inquiſitionis indaginẽ clamores huiuſmodi opere cõpletos eſſe viderimus, liberationis opportunæ remedium ſollicitis ſtudiis apponamus, pœna nihilominus debita puniturí, in hãc patratorũ qualitatem exceſſuũ illicitos oppreſſores. Omnipotens etenim Dominus audito clamore populi ſui pꝛopter duritiã eorum qui operib. præerant, dolentis, ad liberandum eum deſcendit, & ſummi templi præpoſito, qui iuxta nominis interpretationem in vias prauas inique diuerterat, cominando ſic ait:* Expellam te de ſtatione tua, & de tuo miniſterio te deponam.

Eſai. 22.

*Dudum ſiquidẽ fama graui, clamore frequẽti, & querela flebili ſubditorum deferentib. nobis Hugonem Geraldi olim Caturcenſem Epiſcopũ, de multiplicatis exceſſibus, oppreſſionib. grauib. enormibuſq; criminib. eſſe reum: nos mala huiuſmodi nolentes ante credere, quã probare, ſuper illis inquiſitionẽ per nos, & alios fieri fecimus diligentẽ Et demũ inquiſitionis ipſius viſo & examinato pꝛoceſſu, luculenter inuenimus, quod eius fuerat vitioſus ingreſſus; cum p ambitionẽ nimiã, & per abrupta Simoniacæ prauitatis ad Pontificalem aſcendiſſet honorem. Progreſſus aũt eius (vt execrando conueniret initio) iniurioſus extiterat quoad tria.*

*Primo videlicet, quoad Apoſtolicã ſedem, cui (licet ipſum honoraſſet in multis, & tandẽ ad Epiſcopalis dignitatis apicem pꝛomouiſſet) terga vertens non faciẽ, contemptũ pro gratia, maleficium pro beneficio, & vituperiũ retulit p honore: Appellationib. interdum ad ſedẽ ipſam ab eo, vel officialib. eius per ſubditos oppreſſos emiſſis, nedũ deferre contemptibiliter renuẽs, ſed eas verbo vilipẽdens & facto, ſuis præcipiẽdo miniſtris, quod de appellationib. huiuſmodi nõ curarẽt: ac nihilominus appellãtes (quib cõtra oppreſſiones debuerat eſſe ipſa appellatio remediũ) nunc per captionis iniuriam, nunc p ſpoliationẽ beneficiorum & alias indebite affligẽdo multipliciter, nõ abſq; vitio ingratitudinis, violãs iuramentũ fidelitatis ab ipſo præſtitum dictæ ſedi: nec veritus Matris Eccleſiæ tranſgreſſionem apertã, nonnullis quandoq; per ſuas patentes literas de vacaturis mandauit beneficiis prouideri, vias ad vacationem eorum aperiens nimis illicitas, & ſuſpectas; pernicioſus etiam fuit, & frequens literarum Apoſtolicarum abuſor.*

*Secundo vero quantum ad ſubditos, erga quos non pij Prælati vel Paſtoris pergit officium, quinimo tamquã fur improbus, crudeliſq; tyrannus, ſub pallio charitatiui ſubſidij incuſſis terroribus, violentiis & iniuriis illatis, doloſis inductionibus, & fraudib. exquiſitis, velut recurſor iniquus extorſionib. eos intolerabilib. prægrauando, nunc binas in anno, nunc plures in die, nunc alias nimium exceſſiuas, & Eccleſiis importabiles, vtpote multiplicato euictionum numero Canonib. definito, interdum per ſe, interdum per alios, pꝛocurationes exigendo, pro libito viſitationis officio, quãdoq; nullatenus, & regulariter non ad fructum correctionis, ſed ad ſaturandæ cupiditatis affectum impenſo, ad alios quæſtus illicitos & damnatos ſuum exacuit frequẽter ingenium, nec de modo, nec de cauſa curauit. Et cum inuenit ſubditos ſuis in hoc probandis affectib. non parentes, nec alias ab eis exigere potuit concupita, calumnioſas delationes fieri, contra eos lites moueri, & diuerſa eis grauamina ſubdole procurauit pluries inferri.*

*Præterea non citatos legitime, nec conuictos etiã, aut confeſſos, ſuis priuauit beneficiis, occaſionẽ pro cauſa cõfingens, non rationem in his, ſed tyrannidẽ potius proſequens perſonalẽ. Multa falſa ſcienter inſtrumẽta dictauit, p ſuos illa faciens notarios publicari: & vt illis qualem ipſe habuerat ad Eccleſias præberet ingreſſum, inſtituere ei præſentatos, ſeu inſtitutionis ſuæ eis cõcedere litteras ſæpius renuit, niſi primitus certa ſibi, & magna pecunia*

*propter hoc exſoluta. Multa Eccleſiaſtica beneficia, nunc permutationis prætextu, nunc vero ſimpliciter in ſuis manibus reſignata, modo iure (vt prætendebat) ordinario, modo ſuper hoc (vt dicebat) Apoſtolico munimine indulto, de facto ſcienter contulit, interuenientibus fraude, pacto, & Simoniaca prauitate ſubiectas ſibi Eccleſias occupans earum redditus vſurpauit: & ſic in ſuis fuit corruptus iudiciis, proceſſum eorum, & finem in pecuniarium cōmodum ordinando, quandoq; iuſtificans impium, innoxium iniuſte condemnans. Sic & alios corrumpere iudices, pro obtinenda ſuper oppreſſionibus inchoatis iniuſta victoria niſus fuit.*

*Tertio, quantum ad ſe; vt qui ſibi nequam exiſteret, nulli alij bonus eſſet. Suæ namq; famæ prodigus, ſe periuriis patenter inuoluit, irregularitatiſq; laqueis irretiuit, & (quod referre pudet) in corpus ſuum fornicādo peccās, per cōtinuatum incontinentiæ vitium quo ſe dudū fœdauerat, Pontificali poſtea decoratus honore in ſua ponere gloria maculam, & fœmora ſua non erubuit mulierib. inclinare. In his quidem eius ſit reprehendendus ingreſſus ſic ſcandaloſus, vt vitio huiuſmodi fine culpis neſciuit finem imponere, & periculoſius egreſſus, cum adeo foret in ipſo habituata malitia, (quod remanēte ſibi ad ſolita facultate) in iniquitatis opere voluntas ſibi deficere minime ſperaretur. Propter quod ne priorib. peius cōmitteret, illud ſolū ſalubre æſtimamus remediū, vt quod velle non poteramus auferre eriperemus vel poſſe. Nos itaq; ſuper præmiſſis, & plurib. aliis eius nefandis exceſſibus, cum Fratrib. noſtris ex ſano conſilio deliberatione cohabita diligenti, in præfatum Hugonem Geraldi, qui ſe omni honore ac dignitate reddidit tam indignū, quiq; ob ſuas iniquitates ne præſit, eſt abiectus à Deo ſuis ligatum peccatis, omniq; honore ac dignitate Pontificali iam priuatum à Domino, de cōſilio omniū & ſingulorum Fratrū ipſorū perpetuæ depoſitionis ſententiā duximus promulgandam: Pontificali eum, & Sacerdotali, & alio quolibet officio priuantes & ad perpetuum carcerē condemnantes: vt ibi cōmittendis ceſſantibus, agat pœnitentiam de commiſſis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ promulgationis, & condemnationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.* Datum Auinione XV. Calen. Iunii Pontificatus noſtri anno ij.

XVII. Hvgo in carcere moritvr.

Secundum hanc ſententiā Hugo, omnib. Pontificalibus inſignibus, annulo, mitra, pileo, cappa & reliquis exutus, & in carcerem coniectus, vitā cum morte commutauit. Maxime quòd diceretur in mortē Ioannis Pontificis & Cardinalium conſpiraſſe quin & venenum miſcere voluiſſe, ſiue adeo miſcuiſſe. Namque in Ioannis huius anni regeſtro, extat 209. epiſtola damnatoria, eorum qui Pontifici & Cardinalibus potionem venenatam obtulerant, vel offerre cogitaraut.

XVIII. Reformat collapsam disciplinam Ecclesiasticam.

Porro vt Eccleſiaſticā diſciplinam, per tempus inter-Pontificii aliquanto ſolutā, ad veterē normam Ioannes Summus Pont. reuocaret, leges à Clemente V. in librū titulo Clementinarū congeſtas adeoque cōditas, vniuerſali Eccl. promulgauit; ac imprimis Vniuerſitati Pariſinæ Doctorib. ad legendū propoſuit. datis ad eam rem epiſtolis, num. 749. & 124. Rectori ac Vniuerſitati, vt eas Conſtitutiones diſcipulis perlegerent, & ex earū præſcripto, ea quæ ad formandos vel frænādos mores ſpectabant, exequerētur. Inter ea Clemētis ſtatuta, extat vnicum pro Regulæ Diui Frācīſci declaratione, atque obſeruatione. Plerique enim ex ordine eius Diui, cæteris ſe ſanctiores eſſe exiſtimātes, admodū ingenii ſui contra reliquæ multitudinis ſenſum, verba quædā eius formulæ detorquebāt, atq; in errorē multis ſodalib. ſeductis, ſectā Fratricellorū collegerāt. Iſtis dolebat, Clemētini decreti, in corpus iuris redacti promulgatio. Cumque & paſſim per ciuitates & præcipue in curiis Regū ac Principū quærerentur, quaſi Summi Pōtifices, rigorē illum à S. Franciſco præſcriptum imminutū eſſe vellent: multaq; propterea, nimis procaci dicacitate, indigna aurib. Catholicis diſpergerent, ideo neceſſe habuit Ioannes, eam quam adiungo ſententiam, in impios ſtatuere. Ita habet.

Eivs rescriptvm adversvs Fratricellos hæreticos.

*Sancta Romana atq; vniuerſalis Eccleſia, cui auctore Domino licet immeriti præſidemus ſicut religioſa, & pia vota benigno fauore proſequitur, ſic ſuperſtitioſos conatus inſolentiū hominū deteſtatur: videlicet ne ſub ouina pelle gregē Dominicū truculētia lupi rapacis inuadat, ſub pietatis imagine virus hæreticæ prauitatis obrepat, & ſub prætextu cōuerſationis Angelicæ incautis mentib. ſpiritus malignus illudat: cuius rei gratia Sacris Canonib. eſt interdictum, ne aliquis, nouū ordinē aut religionem inueniat, vel habitū nouæ religionis aſſumat: ſed quicunq; ad religionē venire voluerit, ingrediatur vnam de religionibus approbatis. Nonnulli tamen profanæ multitudinis viri, qui vulgariter Fratricelli, ſeu Fratres de paupere vita, Bizochi, ſiue Beguini, vel aliis nominib. nuncupātur in partib. Italiæ. necnō in Inſula Siciliēſi, Comitatu prouinciæ Narbonēſ. & Tholoſa ciuitatib. & diœceſib. & prouinciis aliiſq; diuerſis ciſmarinis & vltramarinis partib. cōtra dictos canones habitū nouæ religionis aſſumere, cōgregationes & Cōuenticula facere, ſuperiores ſibi ipſis eligere, quos miniſtros, ſeu Cuſtodes vel guardianos, aut nominib. aliis appellāt: plurimos ad eorum ſectā recipere, & loca de nouo cōſtruere, ſeu cōſtructa recipere, in quib. habitāt in cōmuni, publice mēdicare (quaſi eorū ſecta foret vna de religionib. per ſedem Apoſtolicā approbatis) temeritate damnabili præſumpſerūt, & præſumūt etiā incepſāt r. Et vt ipſorum error veritas, & impietas religio reputetur, plurimi eorū regulam ſeu Ordinē Fratrū Minorum, quē S. Franciſcus inſtituit ſe profiteri ad literā conſeruare confingunt: quamquā in obedientia Generalis, vel Prouincialiū miniſtrorum ipſius Ordinis non morentur; prætendētes ſe à ſanctæ memoriæ Cœleſtino Papa V. prædeceſſore noſtro huius ſtatus ſeu vitæ priuilegiū habuiſſe: quod tamē & ſi oſtenderent, non valeret: cum bonæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter ex certis cauſis rationabilibus, omnia ab ipſo Cœleſtino prædeceſſore noſtro cōceſſa, quæ per ipſum Bonifaciū nō contingeret approbari, virib. penitus vacuauerit, dictumq; vitæ priuilegiū non inueniatur per eundē Bonifacium approbatū.*

*Quidam aūt eorum dictum habitum & viuendi ritū, à quibuſdam Epiſcopis, ſeu earum ſuperioribus, vel aliis Eccleſiarū Prælatis habuiſſe profitētur: quos nec eis cōcedere licuit contra formā Concilij Generalis. Nonnulli etiam ex ipſis aſſerentes ſe eſſe de tertio Ordine B. Franciſci Pœnitentiū vocato, prædictū ſtatū & ritū eorum ſub velamine talis nominis ſatagunt palliare: cum tamen in Regula ipſius tertij Ordinis talis viuendi ritus nullatenus ſit conceſſus. Et quia in errorū barathrū faciliter ruunt, qui cōceptus proprios Patrū definitionib. anteponunt: ipſorum quamplurimi (ſicut fide digna relatione percepimus) à veritate Catholicæ fidei deuiantes Eccleſiaſtica Sacramenta deſpiciūt, ac errores alios ſtudent multipliciter ſeminare. Cum itaq; talium damnanda temeritas in eiuſdem fidei detrimentum, fideliū ſcandalū, præfati Minorum & aliorū Ordinū opprobrium, & etiā ſuarum & aliarū animarū perniciem redundare noſcatur, ſectā, ritum, & ſtatum huiuſmodi, non obſtantib. præmiſſis eorū excuſationibus, quas friuolas reputamus, & quicquid per eos cōmuniter vel diuiſim, ſub religionis, Conuentus, Collegij ſeu congregationis nomine vel colore attentatum extitit, vel exiſtit, de Fratrū noſtrorum cōſilio auctoritate Apoſtolica nullius fuiſſe, & eſſe decernimus firmitatis. & quatenus de facto proceſſerunt, de conſilio & auctoritate præmiſſis reuocamus omnino, ac perpetuæ prohibitioni ſubiicimus & ab Eccleſia Dei penitus abolemus. Iiſdem perſonis, & aliis quibuſcumq; ſub pœna excommunicationis, quam eas (ſi ſecus fecerint) incurrere volumus ipſo facto, iniungentes expreſſe, ne ſtatum, ſiue ſectam & ritum huiuſmodi ab eis aſſumptum ſectentur vlterius, vel ipſum de nouo aſſumere quoquomodo præſumant.*

*Epiſcopus quoq; & eorum ſuperiores, & etiam alios Prælatos quoſcumq; qui prædictis perſonis vel aliis ritum viuendi & habitum ſupradictos præter ſpecialem apoſtolicæ ſedis authoritatem deinceps conceſſerint, prædictæ excommunicationis pœnæ ipſo iure decernimus ſubiacere. Dignum eſt nāvt adulterinas plantationes, quas non pater cœleſtis, ſed humanæ temeritatis audacia plantat, Apoſtolici culminis cēſura diuellat, nec patiatur in agro Dominico peruerſæ congregationis vepres excreſcere, cui propriū eſt (diuina opitulante gratia) virtutes ſerere, ac vitia radicitus extirpare. Nulli ergo, &c.* Dat. Auinion. iij. Calend. Ianuarii Pontif. anno 2. hæc Ioannes contra Fraticellos.

XIX. Eorvm horrenda tvrpitvdines et dogmata.

Hi vt auctor eſt Prateolus, Anabaptiſtarum more, qui noſtra hac ætate in incertum vagantur, promiſcuos concubitus licitos eſſe ſenſerunt. In locis nempe abditis tale ab eis perpetrabatur ſcelus, vt vocatæ, & de induſtria ab eiſdem ſeductæ ſpecioſiores quæque viduæ vel virgines, cum in ea ipſa venirent Sacerdotes & eius ſectæ clerici, ianuis clauſis diuinas laudes ad comparandam





dam fidem, ex Chriſtiano ritu cantabant. Quibus circa noctis medium peractis, ſacrifici alta voce commonebant binos debere, maſculum videlicet & fœminam, ſancto Sp. inuocato, in copulam carnalem commiſceri. Quo dicto, & luminibus extinctis, quilibet ſibi proximam mulierem proſternebat. Et ſi ex tali concubitu mulier cōcepiſſet, infans recens genitus in eam ſpelūcam deferebatur, & per manus ſingulas tamdiu totieſq; tradebatur, quoaduſq; exhalaret. Iſq; in cuius manibus expirabat, Maximus Pont. creabatur. Docebant, nihil proprium eſſe habendum; neq; reſpublicas à Chriſtianis eſſe adminiſtrandas. *Prateol. lib. 6. de vitis & ſectis hæret.*

XX. Breviarivm gestorvm Ioan. Pp.

Eodem anno Ioannes Pontifex 1. contra Necromātas & diuinatores Conſtitutionem edidit. 2. Inquiſitionem contra quoſdam, qui in necem ſuam & Cardinalium, tum potiones, tum imagines, tū alia maleficiariæ artis philtra parauerant, commiſit: 3. Conſtitutionem de torneamētis, ad terminos iuris, reuocauit, eoſq; qui in cenſuras Eccleſiaſticas ex ea inciderant, à canone abſoluit. 4. cōtra Monetarios, falſæ monetæ impreſſores, atq; bonæ deprauatores, anathema & alias pœnas dixit. 5. Religioſis ne ſine licentia Rectorum vel matrimonia ſolennizare, vel alia Paræchorū propria exercere præſumerent interdixit. 6. Regularib. S. Franciſci, regulam eius Diui luculenter explicauit. 7. Ludouicum Bauarū & Fridericum Auſtrium, in Roman. Regem electum, vt iura ſua corā ſede Apoſtolica vterq; produceret admonuit, diemq; vtriq; condixit. 8. Robertum Regem Siciliæ, Senatorem Vrbis Romæ conſtituit, eiq; titulū Vicarii Imperii in Italia, donec Imp. inauguraretur cōceſſit. 9. Inquiſitionē vitæ & miraculorum, ſancti quidem Thomæ Aquinatis Neapolitano Archiepiſcopo, Sanctæ aūt Claræ Montfalconiæ Neapoleoni Cardinali Vrſino iniunxit. 10. Ne prætextu conſtitutionum, contra Beguinas editarum, Fratres & ſorores tertiorum Ordinum, moleſtiis aliquib. afficerentur, vniuerſis & ſingulis præcepit. 11. Regem Galliarum, ne bona aut iura Eccleſiaſtica vſurparet, hortatus eſt. 12. Vniuerſitati Pariſienſi, priuilegia à prædeceſſorib. Pontificib. conceſſa, confirmauit, Magiſtroſq; eorum Theologos, ne ſe nimium difficillimis quæſtionibus philoſophiæ, & litium de ſubtilitate inutili anfractibus implicarent admonuit. 13. vt Petrus filius Regis Caſtellæ facilius Saracenos è Regno Granatæ expelleret infra ſcriptam Conſtitutionem pronunciauit: dignam ſane & Pontificis Ioannis & Petri Infantis zelo. Ita habet.

1. *ep.* 134. 2. *ep.* 81. 3. *ep.* 854. 4. *ep.* 1099. 5 *ep.* 1490. 6 *ep.* 57. 7. *ep.* 237. 8. *ep.* 33. 9. *ep.* 10. & 311. 10. *ep.* 359 11. *ep.* 117. 12. *ep.* 1680 & 1971. 13. *ext tit.* 8. *de Iudæis & Saracen.* & *ep.* 1000. *in regeſt.*

Ad Saracenos è Granatensi Regno expellendos Constitvtionem evvlgat Ioan. Pap.

*Copioſus in miſericordia Dominus, qui de ſua abundātia pietatis corda fidelium ad ſuæ maieſtatis obſequia deuotionis ardore ſuccēdit, præcordiis dilecti filij nobilis viri Petri infantis nati claræ memoriæ Sanctij Regis Caſtellæ adeo copioſe gratiam cœleſtis inſpirationis infudit, quod ſibi delectabile reputat propriam exponere in ipſorum proſecutione perſonam. Pio quidem nobilis ipſe ductus propoſito, tanquam ſtrenuus athleta Domini, negotium impugnationis perfidorum Agarenorum, à quibus Regnum Granatæ in Dei contumeliam detinetur, tutorio nomine chariſſimi in Chriſto filij noſtri Alfonſi Caſtellæ Regis illuſtris, qui ſub teneritudine puerilis ætatis adhuc dignoſcitur conſtitutus, aſſumpſit, ſub ſpe cœleſtis auxilij feruenter & viriliter proſequendum. Cum igitur omnia cupiamus obſtacula remouere, per quæ dicti negotij proſecutio poſſet quomodolibet impediri, Vniuerſis & ſingulis cuiuſcumq; conditionis præeminentiæ vel ſtatus exiſtant diſtrictius inhibemus, ne arma, equos, ferrum, lignamina, victualia, & alia quæcumq; prohibita per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros ad terras Aegypti deferri, ad Saracenos dicti Regni Granatæ intra triennium incipiēdum à Calendis Aprilis proxime ſecuturis, quomodolibet deferre præſumant. Nos enim omnes & ſingulos, qui ad dictum Regnum arma, equos ferrum, lignamina & victualia ſupradicta, & quæcumq; prohibita, contra tenorem huius noſtræ prohibitionis deferre præſumpſerint, illis pœnis & ſententiis, quas deferentes huiuſmodi prohibita in Alexandriam, vel ad Aegypti partes incurrunt, decernimus ſubiacere. Et nihilominus omnes & ſingulos, qui Saracenis Granatæ præſtabunt (dicti negotij proſecutione durante) auxilium, conſilium vel fauorem, aut proſecutionem dicti negotij directe vel indirecte, ſecrete vel publice impedire vel turbare forte præſumpſerint, excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo fact.* Nulli ergo, &c. Dat. Auinion. Quinto Cal. Mart. anno 1.

XXI. Petrvs Infans cvm aliis militibvs Mavros profligat.

Præter hoc decretum, quo Saracenorum vires imminutas eſſe voluit Ioannes, in vſum belli Maurici, etiā ſacerdotiorum decimas Petro infanti, 14. peccatorumque veniam iis qui voluntariam militiam ſuſcepiſſent conceſſit. His ille ſubſidiis auctus, Maurorum copias non ſemel profligauit, terroremq; belli in oculis Granatenſium circumtulit. Multis prędis abactis, plurimis villis & oppidis vaſtatis, aliquibus etiā in poteſtatē receptis. Iſtos Petri Infantis contra Saracenos conatus, egregie iuuerunt milites, recens inſtituti ordinis militiæ Ieſu Chriſti. Hoc enim anno in Luſitania, eodem Pontifice concedente, noua militia conſtituta, cui à Chriſto nomē eſt, eo Regno nobiliſſima, Cruce rubra, linea cādida interſecante diſtincta. Huic militiæ Templariorum oppida, prædia, ædes reſiduæ attributæ. Ad caſtrum Marinum præcipuum Ordini domicilium; inde Touarium migratum. *Mariana lib. 15 c. 16.*

14 *ep.* 1695. Militvm Christi origo in Lvsitania.

*ep.* 388.

XXII. Alii dvo Ordines militares institvti

Eodem fere anno, cōtra Saracenos, duo alii ordines militares, alter titulo Monteſiæ, alter ſub inuocatione S. Georgii Afamen. in Regno Aragonum, à Rege Iacobo, concedente & approbāte ſummo Pontifice Ioanne erecti ſunt; bonaq; loca & iura Templariorum iis tādiu attributa, quoad contra Saracenos depugnarent, Milites S. Ioā Hieroſolymitani, vt eæ militiæ coaleſcerent, vireſq; & robur aſſumerēt, nonnulla bona ex Tēplariis acquiſita, vtriq; remiſerūt. *Boſius in Hiſt. mil. Hieroſ.*

XXIII. Simvltas inter Dionysivm Regem Lvsitaniæ et Alfonsvm eivs filivm qva occasione exorta.

Hæc in Hiſpaniis, militiarum, & expeditionū contra Saracenos decora, fœdauit exorta inter Patrem Dionyſium Luſitaniæ Regem, & Alfonſum filium diſcordia. Agebat iuuenem exitiale malum, regnandi ambitio, propter quā à patre diſſidebat, & præcipiti furore omnia miſcebat. Neque interim aliæ cauſſæ defuerant, quæ Alfonſum ſemel incitatum acrius irritarent, atque furenti arma parricidalia miniſtrarent. Scil. quaſi eum Dionyſ. furto genitum euulgaret, & Sanctium quamquam ex ſeciore thoro natū, ſuū eſſe legitimū prædicaret, adeoque Alfonſo legitimo præponeret. Itaque Alfonſus, cū Sanctium pluſquam æquitas pateretur apud ſenē patrē poſſe, eiq; Regiæ procurationē delatā eſſe; deinde eum ad ſumma Reip. conſilia adhiberi ſolitū, ex eius arbitrio pendere omnia, & quod caput erat, eo auctore ſui abdicandi conſilia agitata eſſe perſpiceret, à patre Rege diſſidere cœpit. Neque prius arma depoſuit, quam S. Mater Eliſabetha inter vtrumque interceſſiſſet, ac Dionyſium in eam neceſſitatem adduxiſſet, vt is ad Ioannem ſummum Pontificē, & ad vniuerſos Regni Luſitaniæ Proceres datis literis ſancte renunciaſſet, numquam ea in Alfonſum pronunciaſſe, quæ vulgo in vulgus iactata, tum Alfonſi inprimis, tum deinde multorum animos ab eo auerterant, & funeſtum bellum pene conflauerant. Iam n. plures, qui nouas ſpes præſenti fide metuq; potiores arbitrabantur ad Alfonſum declinarant. Conimbrica Pertuſq; ab Alfonſo occupatæ; exules, latrones, parricidæ ſeſe ad Alfonſum adiunxerant; timoremque Dionyſio incuſſerant, proculdubio non vanum, niſi Eliſabetha, patrē iram, filium arma parricidalia deponere compuliſſet. *Mariana ſup. & Vita S. Eliſabethæ.*

XXIV. Pax inter Robertvm Siciliæ et Fridericvm Trinacriæ Reges coalescit.

Iuuit ad cōciliationē Dionyſii & Alfonſi vel maxime auctoritas Iac. Regis Aragō. cui nihil magis volupe fuit, quam Pacarii & Mediatoris inter diſſidētes officio defungi. Hoc n. pariter anno, cū Robert. Rex Siciliæ, in Frider. Regem Trinacriæ, infeſta arma, terra mariq; mouiſſet, & Ioan. ſummus Pont. vel paci ſtabiliendæ, vel induciis cōponendis Nuncios ad Fridericū & Robert. Stephan. Epiſ. Trecēſem & Petrū Teſtoris familiarē ſuū miſiſſet, is quoq; ſuos, & Eliſab. ſororis Dionyſ. Luſitā. Regis vxoris Orat. intereſſe voluit; tantūq; vna cū reliquis inter Reges diſcordes peregit, vt Frider. Rhegiū nomine Henr. Imp. olim interceptū ad manus nunciorū ſummi Pontif. tradiderit, ab iuramento omnes qui ſe illi indidem obſtrinxerant abſoluerit, ipſeque ſacramentum

MS. Codex. Column. Bibl. Vatic. & Surita li. 2. & Fazel. dec. 2. lib. 9.

ex formula præſcripta dixerit, ſe non amplius armis rem tentare aut quouis alio modo diſponere velle, donec à Rom. Pontifice decerneretur, cui poriori iure Rhegium, vna cum reliquis citra Pharum oppidis conueniret. Rhegio reſtituto, induciæ in feſtum natiuitatis Domini diem & ex ea die in tres annos ſequentes pactæ, & præconis voce Panhormi ad x. Cal. Iunii, ex inſtrumento dato Meſſanæ, prædicatæ ſunt. Cum paulo ante ad VII. Idus April. Ioannes Pont. in gratiam Regũ Roberti, Iacobi & Friderici, Ludouicũ Toloſatiũ Epiſc. Regis Roberti fratrẽ, inter Diuos cœleſteſq; viros colendum ſanxiſſet, eiuſq; nominis cõmemorationem, ſempiterna memoria cõſecraſſet. Literis Põt. ea res Iacobo Aragonum Regi teſtata eſt, quas viſum ſubiicere.

FRIDERICVM TOLOSATIVM EPISCOPVM SANCTORVM ALBO INSERIT.

Ioannes Epiſc. ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chiſto filio Iacobo Regi Aragonum illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Habes fili chariſſime, vndè Domino Deo tuo in vocem exultationis & confeſſionis erumpas. Exultes in eo & fatearis humiliter, tibi & domui tuæ de immenſo ipſius dono conceſſum, quod inclyta domus Siciliæ, cui & conſanguinea propinquitate, & affinitate propinqua coniungeris, virum produxit Angelicum, conſortem gloriæ Angelorum; cuius ſperare potes in cœlis patrocinio, fauore apud homines, & apud Deum interceſſionibus communiri. Etenim magnitudini tuæ ad gaudium intimamus, quod adueniente nuper Paſchalis corporis puritate, die Iouis videlicet poſt feſtum Reſurrectionis Dominicæ, venerandæ memoriæ Ludouicum Epiſc. Toloſanum germanum claræ memoriæ Blanchæ Reginæ Aragonum coniugis tuæ, quem Omnipotens Dominus, propter illius merita glorioſa Conciuem S. Domeſticum ſuum, & æternæ beatitudinis poſſeſſorem effecit, de Fratrum noſtrorum & nonnullorum Prælatorum, tunc apud ſedem Apoſt. exiſtentium conſilio, & conſenſu, canonizatione ſolemni S. Cathalogo duximus aſcribendum. Tu ergo fili gratias agens Altiſſimo, qui in ſublimatione Confeſſoris eiuſdem, tam immenſis benedictionibus te præuenit, in oderem vnguentorum ſuorum currere propera: ſicq; ad exemplar Confeſſoris ipſius bonis operib. vacare procura, quod tandem vna cum eo ſidereas manſiones incolere merearis.* Datum Auenione XVII. Cal. Maii, Pont. noſtri an. I. ſcil. tanta erat ſanctitas Diui Ludouici, eaq; miraculorum gloria, qua tum viuens, tum vita functus refulſit, vt mereretur ſanctorum albo aſcribi; qui dum viueret, raro exemplo illuſtrauit Eccl. adq; ſui imitationẽ quamplurimos, & præſertim ſtirpis ſuæ duas aut tres Nobiliſſimas Principes permouit. Ioanna n. Regis Nauarræi filia, Regnum cœleſte huic terreno præponens, in Pariſienſi Monaſterio Dei ſeruitium aggreſſa eſt, magno ſuo bono magna omnium admiratione. Quin etiam Iſabella Francorum Regis filia, S. Ludouici ſoror, mundo cõtempto, Chriſti Crucem in hoc eodem Ordine ſuſtulit, tanto ardore, vt etiam miraculis claruerit; eamq; in eodẽ regno imitata eſt, & Blanca Philippi Regis filia annum circiter. MCCC. XVI. *Platus de bono ſtatus religioſi lib. 2. c. 27.*

Cæterum quod relationem eius in numerum ſanctorum ſpectat; hæc eſt ipſiſſima, ſcripta à *Ioan. 22.*

XXV. DIPLOMA CANONIZATIONIS S. FRIDERICI.

Ioan. Epiſc. ſeruus ſeruorum Dei Venerabilib. Fratribus vniuerſis, Archiepiſcopis & Epiſc. ac dilectis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum Rectoribus, per vniuerſum orbem cõſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Sol oriens mundo in Altiſſimis Dei Deus Dei filius ex paterno vtero ante luciferum genitus Deus, verbum, qui rerum in principio fundans terram in ſapientia, cœlos prudẽtia ſtabiliuit, adornando cœlos ſyderibus, germinantib. cunctis terram, quiq; in fine temporum, pro humani generis ſalute, noſtrã aſſumendo naturã, texit nube noſtræ carnis fragilis ſemetipſum, nunc hora ſtãte nouiſſima illuminando per cuncta reſpiciens, opus produxit mirabile, charitatẽ gloriæ ſuæ plenum, bonitatem ſuam monſtrans magnifice, ſponſamq; ſuam S. Matrem Eccleſ. reddens nouitate tam claræ ſobolis lætabundam. Nam qui facit mirabilia magna ſolus, dilectum ſuum Confeſſorem eximium, B. ſc. Ludouicum, puritate candidum, charitate feruida rubicundum, electum ex millib. produxit nouiter, vt exemplar præfulgidum cunctis fidelib. imitandum, eius vitæ ſingularis excellentiam ſignis probans, & prodigiis coruſcantibus crebris miraculis manifeſtans.*

*§. 1. Igitur lætentur cœli, & exultet terra, iucundetur pariter totus orbis: Nam qui effulſit in templo, dum viueret, in medio nebulæ ſuæ carnis, vt matutina ſtella, ac luna plena, ſolari lumine, veluti vt ſol, refulgens in ſua formoſus ſtola, in virtute multa, repentine ad ſumma graditur, regalibus dignus aſpectib. vt candens lilium, ac odoris ſuauiſſimi roſa rubens. Huic cœli præſtant hoſpitium, cœli ciues, vt ſibi conformem, & comparem ad ſuum hunc conſortium admittunt in ſupernis; Chriſtus hunc reficit, idem ipſe prandium, & conuiua.*

*§. 2. Hic felix ſanctus ex Regali proſapia, patre videlicet claræ memoriæ Carolo Rege Siciliæ, matre vero chariſſima in Chriſto filia noſtra Maria Siciliæ Regina ex Hungaria originem ſuam trahens, altum ſui generis recuſauit ſapere, humilia ſemper diligens, & amplectens. Sciebat namq; quod excelſus Dominus, alta de longinquo proſpiciens, humilia & vicina contemplatur. Quãquam autem ſingula præclara Opera lucidæ vitæ, verbis paucis enarrare non poſſent, aliqua tamen de quamplurimis ad vtilitatem legentium referimus, vt ex his Deum patrem glorificent, & in his reperiant viuendi regulam, quam ſequantur.*

*§. 3. Sanctus iſte, ſicut probatum eſt teſtimoniis fide dignis, in ætate exiſtens tenera, ſub magiſtri religioſa diligentia cum ſuis fratribus tenebatur: Ipſe tamen ibi maturis intendendo moribus, ſub tenello pectore geſtare ſe ſenilem animum oſtendebat. Ductus in Cataloniam cum duobus è ſuis fratribus datus obſes pro liberatione antedicti Regis, tam feruenter dedicauit ſe ſtudio, quod infra ſeptennium, quo etiam ibi obſes fuit, ſub inſtructione fratrum Minorum, quos ſecum habebat in ſocios, in primitiuis ſcientiis, & ſacra pagina ſic profecit, quod vir Dei pollens ingenio de prædictis ſcientiis non ſolum publice, ac priuatè ſubtiliter diſputare valeret, ſed & ſolenniter Clero & populo proponere verbum Dei, vt putaretur ſcientia hæc infuſa ſibi magis diuinitus, quam humanitus acquiſita.*

*§. 4. In orationibus ſedulus, & deuotus, mentem ad Deum eleuatam tenuit, profecto ſciens; quod oratio humiliantis ſe, nubes penetrans, pro exauditionis ſuffragio Deum adit.*

*§. 5. In tempore namque dicto, ſacramentali confeſſione præmiſſa, Miſſas audiebat deuote, in magnis vero feſtiuitatibus cum præparatione multa, corpus ſumebat Dominicum. Factus autem ſacerdos diebus ſingulis celebrabat: Audientiæ verbi Dei inſiſtebat attente.*

*§. 6. Pro paſtu vero animæ, in ſcripturis deuotus ſtudens habebat ad hoc pro ſolatio ſanctos libros.*

*§. 7. Caſtitatis autem amor, à puero affecerat eius mentem, adeo quod ob ipſius fidam cuſtodiam mulierum conſortia fugiebat omnino, in tantum quod niſi forſan cum matre, & ſororibus, ſolus cum ſola nullo vnquam tempore loquebatur. Mulierem namque amariorem nouerat eſſe morte. Verba etiam inhoneſta horrebat audire, ac loquentes talia grauiter arguebat; attendens prudenter, quod corrumpunt mala colloquia bonos mores: fratres nihilominus duo & interdum quatuor in ſua iacebant Camera, in ſuæ teſtimonio nitidæ puritatis.*

*§. 8. Cum Apoſtolo Paulo ſobrietate cibi, & potus corpus ſuum caſtigabat aſſidue, ſeque frequenter manu ſua quandoque autem alicuius fratris conſocij, cum catenis ferreis diſciplinans, veſtiendo pro camiſia rude ſtamen, & deferendo ad nudum pro cingulo cordam groſſam, ipſam carnem in ſeruitutem redigebat. Summo etiam ſtudio, terrena cuncta calcare ſtuduit, ex deſiderio æternorum.*

*§. 9. Conſiderans etiam ſanctus iſte, quod mundus totus ſit poſitus in maligno, quodq; concupiſcentia ſua tranſit, ipſum fugiendo deſeruit totaliter & contempſit. Nam rediens de Catalonia cum Rege prædicto, votum quod de intrando ordinem fratrũ Minorum in Obſidione fecerat in Conuentu eorundem fratrum de Monte Peſſulano, voluit adimplere. Sed videns quod timore dicti Regis ipſum fratres recipere non audebant votum ipſum ſolenniter iterauit. Et quia Vouentibus præceptum nouerat de reddendo, ſuadenti fel. rec. Papæ Bonifacio prædeceſſori noſtro, quod aſſenſum præberet prouiſioni de ſe factæ, Eccleſiæ Toloſanæ nullatenus conſenſit quoadusque votum dictum, quod fecerat compleuiſſet. Cuius deuotioni annuente prædeceſſore noſtro prædicto, habitum Ordinis prædicti ſuſcipiens in præſentia be. mem. Ioannis Epiſcopi Portuenſis, tunc eiuſdem Ordinis generalis Miniſtri, expreſſam profeſſionem flexis genibus in manibus*





*ſuis facit; ſicque prouiſioni prædictæ ſuum præbendo aſſenſum, mandatis Apoſtolicis obediuit. Et quanquam de iuſſu prædeceſſoris eiuſdem dictum habitum velatum portauerit vſque ad feſtum B. Agathæ tunc vicinum, in dicto tamen feſto in præſentia duorum continue atque ipſo die ad S. Petrum patenter detulit prædicando.*

*§. 10. Miranda res, & alias inſueta, vir namque virtutum poſitus in ſublimi, iuri Primogenituræ renunciauit, & regno regalis ſolij ſpreta pompa, pro regno corruptibili æternum, ac plenum deliciis regnum mercans.*

*§. 11. Maria vero compaſſione ad pauperes ferebatur, quibus largas tam priuatas, quam publicas eleemoſynas faciebat. Vnde iam factus Epiſc. Toloſan. per vnum ſuum familiarem ſecretariũ mandauit inquiri, de ſuorum quantitate redituum, quantumq; ſibi ſufficeret pro moderatis expenſis faciendis, & rationabilibus volens quod totum reſiduum in ſuſtentandis pauperibus poneretur, quamquam prælatus tam magnus eſſet, & filius tanti Regis.*

*§. 12. Cum autem iret Pariſios pauperem quendam nudum reperit, cui multum compatiens, abſcondite cappam contulit, quam portabat, ſibiq; facit aliam ſecrete aſportari.*

*§. 13. In hoc etiam Chriſti imitatione nihilominus humilitas vera fulſit. Attendit namq; quod Deus qui merentes ſoſpitate erigit, ponit humiles in ſublimi. Ipſe n. vigintiquinq; pauperes in domo ſua reficiebat quotidie, aquam in manibus fundebat, manuque ſua ipſis fercula apponebat, ac panes ſcindebat, eiſdem ẽt genu flexo in ipſis Chriſto ſeruire, & ipſum recipere ſe delectans.*

*§. 14. Hoſpitalia pauperum aliquoties viſitabat.*

*§. 15. Sciens deniq; quod qui veſtiuntur mollibus, in hoc à Domino nõ laudantur, poſt Diaconatus ſumptum ordinem, ſemper veſte humili vſus fuit. Poſt ingreſſum vero prædicti Ordinis, vili habitu ac bruno colore in tapetiis, cortinis, & lecti coopertoriis vtebatur.*

*§. 16. Pontificatus etiam officium exercebat cum diligentia ſeruus hic Chriſti fidelis & prudens, Miſſas dicendo aſſidue, deuotiſſime ordines celebrando, clericos, quibus de beneficiis prouidere volebat examinando de virtutibus, & vitiis, & articulis fidei vita & moribus diligenter.*

*§. 17. Iudæos, & gentiles zelo feruens Dei inducebat ſedulo ad baptiſmum, ac quoſdam eorumdem ſacro de fonte leuauit.*

*§ 18. Demum glorioſus iſte ſanctus, curſu vitæ conſummato, feliciter ad Deum fontem viuum, quem auide ſitierat, migraturus, infirmitate decumbens vltima, deuotiſſime ſumpſit Corpus Dominicũ, quamuis debilis de lecto exiliens in occurſum Domini Saluatoris. Cruce autem ſibi data per quendã ex ſociis, deoſculabatur illã, genuflexus in lecto, vt potuit ac in oratione deuota, & ſilentio poſtmodum diu remãſit. In Cruce namq; Domini noſtri Ieſu Chriſti & non in alio, didicerat gloriari. Tandem glorioſam reſolutus in mortem, qui hic viuus ambulauit in innocentia, in medio domus ſuæ ad Deum ſuum contemplandum in gaudio, facie reuelata in ſua innocentia eſt ingreſſus. Verum quia decebat multum diuinæ magnitudinem bonitatis, quod illum, quem in terris ipſum præclaris adornando virtutibus, ſuæ imagini fecerat tam conformem, ſecum oſtẽderet regnare in cœlis virtutis ſuæ teſtimoniis; quædam per eum miracula operari dignatus eſt, quæ ad ſancti huius declarandã gloriam præſentib. duximus annotanda.*

*§. 19 Quædam namq; duorum annorum puella, quæ vi febris quam paſſa fuit duob. menſib. expirauit; facto voto per patrẽ ſancto iſti, quod ipſi imaginem de cera offerret ſi vitam à Deo filiæ ſuæ impetraret, reſuſcitata, vbera matris ſuxit.*

*§. 20. Quidam etiam quinq; annorum puer vehementia febris continuæ vita functus, facto voto per patrem eſt vitæ priſtinæ reſtitutus, nec dictæ febris in eo apparuit vllum ſignum.*

*§. 21. Quædam puella annorum ſeptem, quæ per ſeptimanas tres febrem paſſa continuam, expirauit, facto ad dictum ſanctum voto per ſuos, ſpiritum recuperauit, & reuixit.*

*§. 22. Quædam deniq; mulier, quæ duas conceperat filias, vna illarum in ventre mortua ex caſu dictæ matris de aſino, & in eius ventre ex mora diutina putrefacta cœpit puerperio laborare. Cũque dictus partus iam putridus per fruſta fuiſſet extractus & alia filia mortua iam educta eſſet obſtetricũ miniſterio, violenter, & proiecta in ſtabulo ſuper ſimum, emiſſo ad ipſum ſanctũ voto, quod ſi partus ille reſurgeret, vnam ſibi ceræ imaginem præſentaret, puella palpitare cœpit & baptizata, ſeptẽ menſib. ſuperuixit.*

*§. 23. Quidam etiam puer ætatis annorum ſeptem dum ſub lecto, in quo cum ſuis iacebat parentibus repertus mortuus rigidus & frigidus aliquo tempore permanſiſſet, facto per parentes ad hunc ſanctum voto, fuit diuinitus ſuſcitatus.*

*§. 24. Mulieri viduæ, quæ propter vehementem infirmitatem, diem extremum clauſerat, emiſſo per ſuos ad ſanctum iſtum voto eius meritis reddita fuit vita.*

*§. 25. Quædam puella nobilis, quæ ex caſu ad terram de nutricis brachiis per octo menſes paſſa fuerat ſurditatem, facto voto ad prædictum ſanctum per patrem, à dicta ſurditate ad plenum extitit liberata.*

*§. 26. Quidam cum poſt febrem continuam perdidiſſet loquelam, & ſic mutus per menſem integrum permanſiſſet, adductus ad ſepulchrũ ſancti huius, fuit ibidẽ loquelæ finita Miſſa reſtitutus.*

*§. 27. Mulier quædam, quæ ſubito muta, & impotens de vno brachio facta fuit, ac infirmitate ſibi per menſem durante, emiſſo voto per matrẽ, ſtatim ad ſanitatem priſtinã eſt reducta, quædam ẽt mulier, dum ex partu quodam violento de puero mortuo, & in eius vtero tranſuerſato, contracta in manib. & pedib. & femoribus, biennio permanſiſſet, facto voto ad ſanctum præfatum, quod ſi curaretur, ſcoparet in tota vita Eccleſiã in qua iacet, dormire cœpit, & expergefacta, à morbo prædicto penitus eſt curata. Vir quidã paſſus annis ſex guttam in cranio, & brachio, ventre, ac humero, facto voto quod eius limina viſitaret, ſtatim fuit ſanitatis beneficium conſequutus. Quidã deniq; presbyter paſſus guttam in latere, quæ ipſum afflixit grauiter dieb. ſeptem facto voto ad memoratum ſanctum, diligentius eius tumulum viſitãdo, recepit continuo ſanitatem. Quædam mulier, quæ per octo annos, morbo epileptico quaſi quotidie grauabatur, emiſſo voto, quod ſepulchrum eius, ſi curam reciperet; annis ſingulis viſitaret, curam recepit, ſicq; ex tunc de morbo ipſo penitus nihil ſenſit. Monialis quædam, quæ poſt febrem lõgam quam paſſa fuerat, dolorem incurrebat in omnib. mẽbris eius, in tantum quod in duodecim diebus, niſi alieno adiutorio, de lecto nõ poterat ſe mouere, portato ſibi pedali panno, qui quondam ſancti huius dicebatur fuiſſe, ac ſibi applicato ad carnem, ſana & incolumis eſt effecta. Cum homo quidam qui miraculis iſtius ſancti detrahere nitebatur, reuerſationem faciei, & oculorum turpiter incurriſſet; ſicq; manens per dies ſex, huic ſancto cum deuotione qua poterat, ſe deuouiſſet, ad ſepulchrum eius veniens, & offerẽs caput cereum, antequam exiret Eccleſiam perfecte reperit ſe curatum.*

*§. 28. Hæc ſunt mirabilia opera ſolius Altiſſimi, quib. & aliis quamplurib. mirificare voluit ſanctum iſtum, ac toti mundo reddere venerandum. Laudetur igitur magnifice Deus noſter, cuius dextera huic Epiſc. confert ſtelliferum regni diadema. Applaudãt & iſti pariter cœli ciues, quorum cœtibus ſanctus hic ſole ſplendidior eſt inſertus. Canant quoq; altiſſime, Franciæ, Siciliæ, ac Hũgariæ regna felicia de quorum horto candoris niuei flos erupit, quorum vitis germinat dulcem vuã cuius liquor cœlos lætificans, abunde funditur in calice ſummi Regis. Lætetur inſuper ciuitas Toloſana tanto ditata Præſule, quem apud Deum aduocatũ habet ſedulum & patronum. Vere felix es ô tu Marſilia, facta diuinorum aromatum tam S. Corporis apotheca, ſed & Fratrũ Minorum ordo conſpicuus, nouæ laudis canticum promere non deſiſtat in aula cœleſti, tam præclarum alumnum diuinis feſtiue cõſpectibus repræſentans.*

*§. 29. Cæterum quia cõuenit, vt quem Dominus in cœlo magnificat, mũdus colat, nos de ſanctitate vitæ ac veritate miraculorum ipſius inquiri fecimus diligenter. Et quia poſt inquiſitionẽ ſolertem & ſtudioſam examinationem & diſcuſſionẽ ſolemnem, ſupplicatione deuota, & humili Prælatorum omnium, apud ſedẽ Apoſtolicam exiſtentium, cum inſtantia requiſiti, de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, de Omnipotentis Dei virtute confiſi, auctoritate quoq; B. Petri & Pauli Apoſt. eius, & noſtra, ipſum 7. die April. S. Confeſſorum Catalogo duximus adſcribendum.*

*§. 30. Ideoq; Vniuerſitatem veſtram monemus & hortamur attente per Apoſt. ſcripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quartodecimo Calend. Sept. feſtum eiuſdem Epiſc. & Confeſſoris, deuote celebretis ſolemniter, & faciatis à veſtris ſubditis deuotione congrua celebrari, vt pia eius interceſſione hic à noxiis protegi, & in futuro ſempiterna gaudia conſequi valeatis.*

*§. 31. Et vt ad mirabile eius ſepulchrum, ardentius & affluẽtius Chriſtiani populi confluat multitudo, ac celebrius eiuſdem Confeſſoris colatur feſtiuitas, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui cum reuerentia illuc in eodem feſto annuatim acceſſe-*

*rint, ipſius ſuffragia p… turi, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi duos annos, & duas quadragenas, accedentibus vero ad prædictum ſepulchrum annis ſingulis infra eiuſdem feſti octauam, vnum annum, & quadraginta dies, de iniunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire.* Dat. Auinion. 7. Id. April. Pontif. noſtri anno I.

XXVI. DISSIDIA INTER ROBERTVM ET FRIDERICVM RECRVDESCVNT.

Sed ad Robertum & Fridericum Reges reuertor: inter quos non diu bene conſtitit. Poſtq; n. Nunciis Apoſtolicis, Fridericus, Rhegiũ aliaq; oppida Calabriæ ex pacto reddidiſſet, & illi recepta continuo Francorum Præfectis adminiſtranda dediſſent, Robertus ſiue bello contra Gibellinos ſuſcepto diſtractus, ſiue aliquibus incertis rumoribus irritatus, conditionibus ex fœdere propoſitis non ſteriſſe viſus eſt. Itaq; cum pax à Pontifice per Legatos decreta differretur, Fridericus Franciſcum Panhormitanum Archiepiſcopum & Frãciſcum Vintimilium cum quinq; triremibus, pro pace ſibi ab eo promiſſa Oratores miſit: qui, quod à Roberto nuntii ad diem deſignatum deſtinati præſto nõ adfuiſſẽt, neq; ipſe Robertus aliis grauiſſimis curis impeditus coram aduenisſet, putantes ſe Regemq; ſuum deludi, re infecta in Siciliam reuerſi ſunt. *Fazellus dec. 2. li. 9.*

Soluit hoc anno ſummo Pontifici Robertus Rex, cenſus nomine, partem aliquam pecuniæ. ſc. octo millia vnc. auri. pro reliqua vero portione, dilationem ab eodem ſummo Pontifice, quemadmodum & Fridericus ex Regno Trinacriæ impetrauit. *Cod. Colum. Bibl. Vatic. & Regeſt. ann. 1. ep. 31. & 150.* cum etiam eidem Friderico Ioannes Pontif. indulſiſſet, vt per alium quempiam plenaria poteſtate ab illo fugentem, poſſet, pro *Regno ſibi ab Apoſtolica ſede conceſſo, ligium homagium*, iuramentumque ex formula præſcripta præſtare. *ep. 153.*

XXVII. LEGATOS MITTIT PRO STABILIENDA PACE ITALIÆ IOANNES PP. ROBERTVS REX CENSVM SOLVIT ROM. PONTIF.

Hoc ipſo anno Ioannes Pontifex pacem in Italia ſtabilitam eſſe deſiderans, ad IIII. Idus Maij, Bernardum Guidonis Toloſanum ex Ord. Pręd. & Bernardũ Ord. minorem Aquitaniæ Inquiſitores nuncios in Lõbardiam & Etruriam miſit. Hi quod aliud efficere non poſſent, niſi tantum inducias inter Robert. Regem & vrbes, ad ſex menſium decurſum ſtatuiſſent, Pontifex anathema illis oſtentauit, qui eas violare præſumerent. *epiſt. Ioan. hoc anno.*

XXVIII. ALIOS LEGATOS MITTIT IN ANGLIAM.

Eodem anno Ioannes Pont. cum audiſſet quãta eſſet Principum Angliæ à Rege Edouardo alienatio, & quã grauia aduerſus eum fere omnes molirentur, duos Cardinales, Ganſellinum & Lucam Fliſcum Legatos admonuit, vt ad aliquam pacificationem ineundam, auctoritatem ſuam interponerent: Fuerant & aliæ cauſæ, propter quas illos eoſdẽ in Anglia ſubſiſtere iuſſerat. 1. Vt à Rege Angliæ ꝓ regnis Angliæ & Hiberniæ, olim Innoc. III. Pont. viuente, ſedi Apoſt. obligatis iuramẽtum ligii homagii in primis, deinde cenſum, & eam pecuniam, quam denarii S. Petri nomine vulgus appellabat exigerent. 2. vt pacem inter Angliæ Regem, & Scotos, quibus Robertus Bruis præeſſe contendebat, cõponerent. 3. vt Regem Anglum, ad ſacram militiam contra Sarracenos ſuſcipiendam infl mmarent. 4. vt cauſam Thomæ Comitis Lancaſtriæ, eiuſq; vxoris Comitiſſæ cognoſcerent. Quidam n. tunc temporis, ex familia Comitis Varenniæ Comitiſſam eandem Rege vt dicebatur conniuente per vim abduxerant, & Richardum quemdam de ſancto, vt appellãt, Martino, gibbo & clauditate deformem induxerant, vt is palam fateretur, ſe Comitiſſam, antequã illa Thomæ Lancaſtrio nupſiſſet, carnaliter cognouiſſe, & cõceptis deinde verbis ſponſam ſibi adſciuiſſe. Nec minus illa famę ſuæ prodiga, palam edicebat vera eſſe, quæ Richardus ꝓtuliſſet: huic fini, & Thomas maritus & thoro ingrato, & Comitatib. Licolniæ & Sarũ quos ſibi nomine illius vſurpabat, excideret. 5. Accidit, vt cum Cardinales, ad negotia inter Regem & Scotos peragenda, adq; Ludouici Dunelmenſis recens electi conſecrationẽ irent Dunelmum, atq; Eboracũ prætergrederẽtur, in inſeſſores inciderint. Fuere n. his tẽporib. in Northumbria multi milites, qui cum aliquamdiu vtilem aduerſus Scotos operã poſuiſſent, & pecunia deinde atq; viatico deſtituti eſſent, ex rapina & ſpoliis Anglorum qui in illa & vicina regione erant viuebant, adeoq; numero animiſque aucti erãt, vt impune iam vbiq; graſſarentur. In eorum ẽt manus Cardinales (præmoniti, ne Eboracum, niſi Regiis copiis muniti, ſi ſalui & ſecuri cuperent eſſe prætergrederẽtur) cũ Ludouico Dunelmen. & Fratre Henrico incidentes auro, argẽto, equis, & reb. pretioſiorib. nudati fuere. Et quidem illos duos ſpoliatos dimiſerunt, Epiſc. vero cum fratre detinuerunt, neq; prius dimiſerunt, quã ſe grandi pecunia redemiſſent. Prædonum duces fuere Gilbertus Midletonius & Gualterus Selbius, capitib. poſtea ꝓpter grauiſſima facinora imminuti. Grauiter eam Cardinalib. illatam iniuriam tulit Ioan. Quamobrẽ 6. & anathemata quæ illi in prędones Eboraci vibrauerant, ſolemni ceremonia approbauit; & Angelo Regi, vt de illis violatorib. grauiſſimum ſupplicium exigeret, datis ſeueriorib. literis, præſcripſit.

*1. ep. 239. & 60. & 112.* — *2. ep. 116.* — *3. MS. vati.* — *4. idem* — *Quæ eius Legationis cauſæ* — *5. idem.*

LEGATI IN MANVS PRÆDONVM INCIDVNT. — *6. ep. 93.*

XXIX. ALIÆ RES GESTÆ IOANNIS PP.

Porro 7. Cardinales Eboracũ reuerſi, inducias, inter Edouardum & Robert. ad duorum annorũ decurſum ſtatuerunt. Eas Ioan. Pont. auctoritate Apoſt. confirmauit, anathemateq; iuſſit, quicumq; pacẽ Angliæ & Cambriæ perturbarent. Interea Regem Angliæ 8. vt patienter ferat, ſi Rober. Regium nomen vſurpet, tantiſper donec de vniuerſo negotio decerneretur, admonuit. 9. Roberto Bruiſio Conſt. Clementiã, quæ nihil noui iuris, ex titulo Regio, alicui à ſummo Pontif. vel à quocumq; aſcripto, cuipiam accedere declarabat miſit 10. eumq; ne vitio vertat ſi ſibi in literis nomen Regis non adſcribit, hortatus eſt. 11. Archiepiſcopat. & Epiſc. aliquot in Anglia propter vaſtitatem eorũ immenſam diuidẽdos curauit, cauſaſq; eius diſtinctionis Regi Angliæ ſignificauit. 12. Eidem Regi, in ſtipẽdia ſacri belli, medietatem omnium fructuum, beneficiorum ad tres annos, in Regnis Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ & Vualiæ reſeruatorum conceſſit, vtq; eos Apoſt. indidẽ nuncius exigeret, commiſit. 13. Eumdem Regem, quod immunitates, libertates & priuilegia Cleri imminueret; quodq; pecuniam ad ſacri belli viſum repoſitam abſtuliſſet, & in alias expenſas conuertiſſet: ac penſionẽ mille marcarũ ſterlingorũ, quæ Rom. Eccl. debebatur, nõ exolueret, coarguit. vtq; gregarios & abiectos ſuos ſodales, qui illius animum deprauatis conſiliis corrũpebant, à ſuo latere ſubmoueret, neq; eos opib. aut honorib. ſupra meritum cumularet, ſed maturioris ætatis ac iudicii viros ſibi aſciſceret, quidq; Roboamo, Regi olim acciderit, in mentẽ reuocaret admonuit. 14. Vualthero Cantuariẽſi Archiepiſc. vt Regem officii admoneret; ſc. vt is bene ageret, vt iuſtitiam ex æquo & recto adminiſtraret, vt conſiliarios probitatis amantes adhiberet, vt Patris & Paſtoris affectu Regnum gubernaret, vtque Rex non tyrannus audire vellet iniunxit.

*7. MS. ſuperior.* — *8. ep. 94.* — *9. ep. 125.* — *10. ep. 104.* — *11. ep. 123.* — *12. ep. 149.* — *12. ep. 138.* — *13. MS. qui ſupra.* — *14. ep. 137.*

XXX. INSIGNIS ASTVS CVIVSDAM NOBILIS AD CORRIGENDVM EDOVARDVM REGEM ANGLIÆ.

Non inutilem ſibi ac Regno aſtum aliquis Nobiliũ tunc reperit, quo Regẽ Pont. admonitiones minus curantem corrigeret, atq; ad mentẽ ſaniorem reduceret. Feſtiuitatem ſolemnẽ Pentecoſtes Edouardus celebrabat in Vueſtmonaſterienſis palatii magna aula. Ibi cum in menſa, pro Regia cõſuetudine, inter Princ. reſideret, aliqua mulier hiſtrionico habitu ornata, equũ hiſtrionaliter phaleratũ inſidens, ante conſpectum Edouardi ſe intulit; & multis primo geſtis ad riſum excitãdũ editis, tandem Regi in immoderatam effuſo lętitiã, literas quaſdã in pompã ſignatas exhibuit; atq; retracto fræno, omnib. diſcũbentib. ſalutatis, ex omniũ cõſpectib. ſe ſubduxit. Ibi Rex aliquid iucundius, in literis perſcriptum fuiſſe exiſtimans, eas reſignari, & publice pronuntiari cõſtituit, Summa erat. *Rex miniſtros paternos, qui pro ſalute Regni & Regis, vitã & fortunas in diſcrimẽ poſuerãt, deſpiceret: nouoſque homines non tantũ nullius frugi, ſed in rem ſuam omnia trahentes, ſuo & totius Regni damno, & locupletaret, & exaltaret, & ad intima admitteret: adeoq, & paterna cõ-*

*ſilia*



*ſilia accuſaret, & ſe ac Regnum vniuerſum in diſcrimen adduceret.* Lecta in publicum exprobratione, omnes quidem ad audaciam mulierculæ obſtupuerunt. Rex vero id quod intellexerat, in pectus altius demiſit; & mulierem requiri, tum conquiſitam adduci, & adductam in carcerem conijci iuſsit; donec eum qui ſubornaſſet, indicaret. Nobilem illa quemdam euulgauit: atque is in conſpectum Edouardi productus, actum quem fecerat agnouit, proque honore Regio fabulam adornaſſe confeſſus, non damnationem aut ſupplicia, ſed munera plane Regia ſibi ac vniuerſæ ſuæ ſtirpi, Regno autem ſalutem ad præſens promeruit. *Thomas Vvalſing. in hiſt. Anglicana.*

XXX. QVOMODO IOANNES PAP. PHILIPPVM REGEM GALLIARVM ET ROBERTVM FLANDR. COMITEM CONCILIAVERIT.

Eodem anno, cum Philippus longus Rex Galliarum recens ſalutatus, omnes controuerſias, quæ ei cum Roberto Flandriæ Comite intercеſſerant, arbitrio ac pronunciationi Romani Pontificis ſubmiſiſſet, ad III. Aprilis Auinionem Legatos deſtinauit, qui de vniuerſo negotio Ioannem admonerent, & ex æquo ac iuſto rem componi poſtularent. Venerant & Roberti ac trium Flandriæ ciuitatum procuratores: ſed tandem nihil inter ſe, ac Regem ſtatuerunt; quod ſuſpectum omnino haberent Pontificem, quaſi is Gallus Gallis, & ab his ad Pontificatum euectus, ſuffragatoribus magis quam æquitati, addictus foret. Diſceſsit interim Auinione Robertus Caſtetenſis, vnus ex Roberti Flandri internuncijs. Quod cum loco contumeliæ Ioannes accepiſſet, in Robertum Comitem eiuſque populos interdicti Eccleſiaſtici ſententiam tulit; Philippus autem belli faciendi cauſa aliquos qui ſcriberent exercitum miſit. Hacque ratione vterque Robertum Comitem ad pacem faciendam impulit. Nam poſtea agente per Legatos Ioanne Pontifice, Flandro Comiti pax eiſdem quibus Regi Philippo Pulchro conditionibus data: tantum diſertius cautum, decies centum millia nummum aureorum Flandrus Regi intra viginti annos æquis in ſingulos penſionibus perſolueret: atque interea Inſula, Betunia, Aduatici Francorum præſidijs tenerentur. *Paulus Aemil. lib. 8. & Annal. Fland. lib. 11.*

XXXII. PHILIPPO REGI IVS DECIMAE EXIGENDAE AD SACRAM MILITIAM CONCEDIT.

Ibidem in Gallijs, hoc anno, nomen ſacri belli renatum eſt. Ioannes Pontifex Philippo Longo Regi, ius decimæ ad ſacram militiam exigendæ de ſacerdotibus petenti, hac verborum conceptione exceptioneque conceſsit, ſi è re atque pietate id eſſe Gallis Epiſcopis videretur. Habito Patrum Conuentu, reſponſum eſt; cum bellum in barbaram regionem ac religionem vtique moueretur, tunc Patres, aut ſub ſignis Regem, nulla ſacroſanctæ vacationis venia, impigrè iuſtoque comitatu ſecuturos, aut ſacram pecuniam minime parce collaturos. Præſcriptio ſacrorum armorum alio ſpectauit. Nam Pontifex perſpiciebat, Ludouicum Bauarum propter Cæſarei nominis ambitum & propter Italiæ opprimendæ ſtudium, hoſtem ex profeſſo aliquando futurum, qui modo nihil prætermitteret vt & Italiam ciuilibus armis miſceret, & ipſe per diſcordiam Principum ac Vrbium, ſuperior factioſis factus, vtroſque aliò ſpectantes opprimeret. Prudenti itaque conſilio vſus, & fructus beneficiorum vacantium, in tres annos proxime ſecuturos, ſedi Apoſtolicæ in aliquibus Regnis reſeruauit, & ſacram militiam alicubi indixit, vt militem præparatum, hoſti publico quandoquę opponeret. *Paulus Aemilius li. 8. in Philippo Longo.*

XXXIII. FERRARIENSES ET ATESTINOS AD ECCLESIAM REDVCERE CONATVR

Eodem anno Ioannes Pontifex, cum primum, Ateſtinorum & Ferrarienſium, ab Eccleſiæ Romanæ dominio, ſeceſsionem intellexiſſet, Bertrandum Gallum, tituli S. Marcelli presbyterum Cardinalem, Legatum in Italiam deſtinauit. vt is ſiue conſilio, ſiue cenſura Eccleſiaſtica, ſiue armis paratis, Ciuitatem ſedis Apoſtolicæ vectigalem, ad obedientiam & dominium Romani Pontificis reduceret. *Ciaccon. in Ioan. 22. ex Regeſt. Pont.*

XXXIIII. ITEM CONCILIARE MILITES RHODIANOS SEDITIOSOS.

Cum autem inter Fulconem Villaretum Magiſtrum, & reliquos milites Rhodianos, ingens ſeditio orta eſſet, magnumque propterea rei Chriſtianæ in Oriente periculum à Turcis & Saracenis immineret, Ioannes ad eos inuicem conciliandos, miſit Internuncios; Bernardum Mareſium, Priorem S. Caprasij; & Boſolum Parmenſem, Canonicum Tornacenſem. Inſuper ad Fulconem litteras dedit XVIII. die ſeptembr. Auinione ſcriptas; quibus eum ad ea quæ pacis ſunt hortabatur. *Boſi. lib. 1. hiſt. mil. Hier.*

XXXV. INQVISITIONEM VITAE ET MIRACVLORVM B. HILDEGARDIS ALIIS COMMITTIT.

Hoc ipſo anno Ioannes ſummus Pontifex Vuillechoni Abbati Sponheimenſi, & nonnullis Prælatis Eccleſiæ Moguntinæ, inquiſitionem vitæ & miraculorum Beatæ Hildegardis, quondam Magiſtræ virginum Chriſti in monte ſanctæ memoriæ Ducis Bingionum, commiſit. *Trithem. in Chron. Sponheimen.*

XXXVI. IOANNES PP. CELEBRATIONEM FESTI SS. CORPOR. CHRISTI CONFIRMAT.

Eodem anno Ioannes Pont. Conſtitutionem Clementinam, de celebratione feſtiuitatis ſacratiſsimi Corporis Chriſti, omnibus Eccleſijs propoſuit, omneſque & ſingulos Prælatos, ad eam celebrandam, auctoritate Pontificia impulit. Ex qua inſtitutione, cæptæ ſunt in Flandris eæ feriæ ſolemnes obſeruari, die x. Iunij: in quem feria quinta poſt octauas SS. Pentecoſtes inciderat. *Annal. Flandr. li. 11.*

XXXVII. INQVISITORES FIDEI IN BOEMIAM ABLEGAT.

Hoc ipſo anno Ioannes Pontif. Fratrem Peregrinum Opolien. Ord. Præd. & F. Nicolaum Yſpodinen. Minorum, in Boemiam, & Cracouien. ac Vratislauien. Diœceſes, Inquiſitores Fidei ablegauit; quemadmodum etiam Coldam Prædicatorem Pragæ & Olomucij, ac Hermanum Minoritanum Pilſnæ Cenſores fidei conſtituit. *ipſis Maij Calend. dat. epiſt.*

XXXVIII. SYLVANECTENSIS SYNODVS ADVERSVS VSVRPATORES RERVM ECCLESIASTICAR.

Ipſo eodem anno, apud Syluanectum celebrata eſt Synodus Prouincialis, per Archiepiſcopum Rhemenſem: cui interfuere Guido Tornacenſis, & Engerrannus Morinorum Epiſc. Petrus vero Cameracenſis, & Bernardus Atrebatenſis Procuratores ſuos miſerunt. In ea Synodo, excommunicati fuere omnes Domini temporales, quicumque ſpiritualia inuaſerant ſiue detinuerant bona; ceſſatumque eſt ab officijs diuinis, vbicumque talia fuiſſent perpetrata. *Annal. Flandr. li. 11.*

XXXIX. S. BRINOLPHI PRIMORDIA VITAE, INSTITVTVM, OBITVS ET CANONIZATIO.

Hoc anno diem clauſit extremum S. Brynolphus Epiſcopus Scarenſ. Eius vitam nobis tranſmiſit: Ioannes Vaſtouius Sigiſm. III. Poloniæ & Sueciæ Regis Bibliothecarius: quæ ſic habet.

Brynolphus Patre Algotho Sture ex illuſtri Folumgorum ſtirpe oriundus, duodeviginti annis Pariſijs maxima cum laude operam dedit literis. Ex hac opulenta ſtudiorum meſſe in patriam reuerſus, Eccleſiaſtico ordini adſcriptus eſt; & inprimis Canonicatu Scarenſi, dehinc Decanatu Lincopienſi exornatus, atque non multo poſt vniuerſo populo expetente in Epiſcopum Scarenſem electus: quo in munere, vti erat omni genere doctrinæ ac pietatis inſtructiſsimus, multos in vinea Domini labores libens ſuſtinuit, atque eximia ſanctitatis opera edidit. Grauis ei aliquando cum Rege Magno Ladelos anno 1285. inciderat controuerſia, eoque proceſſerat res, ſtimulantibus Regis animum ſeditioſis quibuſdam ſatellitibus, vt Epiſcopus hoſtis Regius decerneretur, & ad mortem ſæpius quæreretur; ſed poſteaquam Rex multis argumentis eius non fucatam ſed ſolidam deprehendiſſet ſanctimoniam, & vitæ integritatem probaſſet, ipſo die Aſſumptionis B. V. Sacris ſolemnibus Præſulis intereſſe voluit; quibus peractis, depoſitis à ſe, ſatellitibuſque ſuis omnibus armis ad pedes altaris ac Præſulis proſtratus ſupplex, ſcelerati propoſiti veniam impetrauit: moxque in arcem Regiam inuitatum, ne fictæ ſimulatæque fidei ſuſpicio animo cuiuſpiam amplius inſidere poſſet, prandio excepit, aliaque humanitatis & beneuolentiæ ſigna exhibuit luculentiſsima. Epiſcopus vero cum indies maiora pro Eccleſia Dei Patriæque ſalute aggrederetur, tandem felici curſu tranſitorium ſæculum conſummauit *8. Id Febr. An. Do.* 1317. Cum ſediſſet in Epiſcopatu ann. 38. miraculis in vita & poſt mortem clarus, SS. num. digniſs adſcrip. in Concil. Conſtantienſi *5. Calend. Maij anno* 1416. Canonizati-

onem

onem illius ſolicite conſtanterq; perurgẽte ac promouẽte Erico XIII. Sueonum Rege totoq; Regni ſenatu. Ad eius ſepulchrum Scaris D. Brigittam orationi deditam ſuauiſsimus aliquando afflauit odor, quo tempore eidem in ſpiritu raptæ B. Virgo cum S. Brynolpho ſeſe ſpectandos præbuere, ac prior Deipara: *Scito*, inquit, *filia, quod hic quem cernis Epiſcopus, dum viueret, inſigniter me honorauit, & honorem obſequijs confirmauit. Cuius vita quam filio meo grata extiterit, vel ex hoc odore quem perſenſiſti, conijcere licet. Nunc autem licet anima eiuſdem in conſpectu Dei ſit, tamen corpus eius iacet hic in terra ſine honore, nec pro dignitate tantæ margaritæ mihi dilectæ locum habet.* Deinde filio ait. *Hic ſeruus tuus ô fili, quam diu inter mortales vixit fuit in fide ſancta ſtabilis, quẽ nec infregit aduerſitas, nec inclinauit voluntas. Fuit & flexibilis ad voluntatem tuam ſicut aer mobilis, quocumque eum impetus ſpiritus tui traxit. Fuit inſuper in charitate tua ardens, quaſi ignis calefaciens frigidos & conſumens iniquos. Nunc autem anima eius tecum eſt in gloria, vas autem inſtrumenti eius depreſſum eſt & in humiliori loco, quã deceat iacet. Precor fili mi da corpori eius locum ſublimiorem, honora illud quod te pro modulo ſuo honorauit, exalta illud, quod te labore ſuo quo potuit apud homines exaltauit.* Cui filius, *Benedicta es mater mea, quæ tam ſtudioſe accuras amicorum tuorum honorem. Non conuenit vt Saphirus membra conſeruans ſana & corroborans infirma, ponatur in luto, vel vt cæcis accendatur lumen. Iſte quippe homo ſicut in fide fuit ſtabilis & in charitate feruidus, ſicut & in continentia optime fuit ad voluntatem meam diſpoſitus: propterea ſapuit mihi ſicut cibus optimus, optime decoctus in omni patientia & tribulatione: Dulcis denique & bonus in bona voluntate & affectu, melior in conatu & virili progreſſu, optimus & dulciſſimus in laudabili conſummatione. Propterea non decet, vt inter lupos tam præſtãs deliteſcat eſca, quorũ cupiditas neſcit ſatietatem, quorum auiditas floribus virtutum non ſaturatur, ſed carnibus putridis ingurgitatur quorum vox aſtuta omnibus & nociua. Fuit etiam tanquam lumẽ poſitum ſuper candelabrũ per omnẽ mandatorum meorũ executionem, per bonæ vitæ doctrinam, per quam muniuit ſtantes ne caderent, eleuauit cadentes, poſteros etiam ad me excitauit. Hoc lumen indigni videre ſunt amore obcæcati noxio, hoc lumen diſcernere neſciunt albugine ſuperbiæ infecti. Ideo priuſquam in conſpectum prodeat, iuſtum eſt, vt illi qui immundi ſunt purgentur, & qui cæci ſunt illuminentur.*

Hæc ex *ca. 30. lib. 2. Reuel. S. Brigittæ & c. 108. Extrau.* deſumpſimus. Vita enim eius nondum ad manus noſtras peruenit. De eo *Ioan. Mag. li. 20. Hiſt. Goth. c. 7. & 24. Olaus Mag. li. 16. Hiſt. c. 29. & alij ſcriptores Rerum Sueticarum*; quorũ nonnulli tranſitum eius ad annum 1314 referunt. *Ericus Vpſalenſis in ſua Hiſt.* obijſſe eum aſſerit *Anno Dom.* 1316. Quinque Scaris Eccleſiaſtica fundauit, dotauitque ex hæreditarijs bonis beneficia, & vitas SS. Aſchili ac D. Helenæ conſcripſit, quas videre nobis hucuſque non contigit; conſtat tamen ex *Regiſtro Epiſcoporum Scarenſium* ita eueniſſe, vt D. Brigittæ in viſione illa reuelatum fuit. Nam 80 poſt annis oſſa eius ab altero eiuſdem nominis atque etiam vitæ æmulo Brynolpho Epiſcopo Scarenſi è tumulo ſubleuata, atque condigno collocata fuere loco.

## IESV CHRISTI Annus 1318.

### IOANNIS PAP. XXII. Anno 2. & 3.

I. FRATRUM QUORUNDAM MINORUM PERVICACIA.

SI quo vnquam alio, hoc præſertim tempore, impletum eſt in Eccleſia Orthodoxa, illud ſolemne Propheticum: *Qui manducat panem meum leuauit ſuper me calcaneum ſuum.* Quidam enim ex Ordine Fratrum Minorum, cum omnium bonorum Religionis ſuæ dominium, Romanæ Eccleſiæ attribuerent, nec ſe alios quam vſufructuarios rerum tam mobilium quam ſtabilium eſſe profiterentur; comedentes panem (ex illorum ſenſu) Eccleſiæ, contra Eccleſiam inſurgere. & tum Schiſmati viam aperire, materiamq; miniſtrare, tum hoſtibus Apoſtolicæ Sedis occaſiones non modicas ſuppeditare cœperunt. Præſtat ea omnia ex literis Pontif. cognoſcere, vt qualis ſtatus rerum tunc fuerit, certo certius perſpiciatur. Ita habent.

DOGMATA ET BLASPHEMIAE.

DECRETUM CONTRA EOS PROMULGAT IOANNES PP.

Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei; Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſc. ac Dilectis filijs electis, ad quos literæ iſtæ peruenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, quam Chriſtus dilexit, pro qua ſemetipſum tradidit, vt ipſam ſanctificaret, mundãs eam lauacro aquæ in verbo vitæ, Dauid propheta cũctis prælatam gentibus, ſpiritu reuelãte cognouit, & ſplendorem tantæ dignitatis admirans, illã ſub ſimilitudine Regalis faſtigij demonſtrauit dicens: Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate: nimirum ipſa Chriſti ſpõſa virgo mater Eccleſia, quia inclyto capiti ſuo Domino Ieſu Chriſto inuiolabilis fidei glutino copulatur, & eius imperio prona obeditione ſubſternitur, cum illo vnum effecta, tam incomparabilis vnionis merito rebus omnibus more Regio principatur. Quæ dum pia ac deuota religione terrena deſpicit, cæleſtia petit, omne ſiniſtrum premens, à dextris ſponſi glorioſa conſiſtit: & quia geminæ charitatis ſplendore omni ex parte rutilat, in veſtitu aureo etiam Angelicis ſpiritibus admiranda coruſcat. Cuius inæſtimabilis decor, quia vario viuẽdi genere, in vna tamen charitate perficitur, quaſi de veſtis pulcherrimæ varietate lætatur.*

*In hoc igitur veſtimento tã mirabili varietate diſtincto, Minorum fratrum ſacer ordo, ab ipſo ſuæ fundationis exordio, almi Confeſſoris B. Franciſci regulari traditione, & Apoſtolicæ ſedis auctoritate atque cõfirmatione indiſſolubili quadam textura connexus, fide clarus, ſpe validus, charitate profuſus, humilitate placidus, obeditioni deuotus, velut ſingulare iubar ſanctitatis, exemplo ac doctrinæ verbo per vniuerſum orbem claruit, & Eccleſiaſtico decori multũ vtilitatis, & plurimum inclytæ alacritatis inuexit.*

*Verum quia humani generis inimicus, vbi virtutum ſegetes vberius videt exurgere, ibi ſcãdalorum vepres & diſſidiorum zizania ſatagit cumulatius ſeminare; nõnulli huius ſacræ Religionis ſolo nomine profeſſores, dum altiora ſe petunt, dũ præpoſteris & perturbatis gradibus citius ruituri, in magnis & mirabilibus ſupra ſe ambulare conantur, illius deluſi fallacijs, qui ſe, vt alios decipiat in lucis Angelum transfigurat, ſibimet ipſis ruinã, infirmioribus ſcandalum, ſolidioribus vero probationem & meritum pepererunt; pro viribus ſatagentes, tam præclari ordinis vnitatem ſcindere, obnubilare famam, perturbare quietem.*

*Dudum ſiquidem huiuſmodi ſuperſtitioſi & diſcoli homines, in Prouincia Prouinciæ, aduerſus communitatẽ præfati ordinis inſurgentes, & ſe ſolos ſuoſque Complices de obſeruantia Regulæ B. Franciſci mira vanitate iactantes, reliquã Ordinis multitudinem, de tranſgreſſione Regulæ perperam iudicando, notabãt. Nonnullos prophanæ multitudinis verbis mendacib. & mentitæ ſanctitatis obtentu, in ſui erroris deuium adducẽtes, quorum vipereos partus in ipſo ſui exortu felicis recordationis Nicolaus Papa IV. Prædeceſſor noſter, ne in multorum perniciem alerentur, ad veritatis petram elidere cupiẽs, Generali miniſtro, qui tũc temporis memorato ordini præſidebat, diſtricte præcipiendo mandauit, vt huiuſmodi præſumptores, diſciplina debita coerceret, prout in literis ipſius prædeceſſoris noſtri plenius continetur.*

*Sed horum peſtilentiſſimas nouitates, hoc remedio cõpreſſas fuiſſe potius quam extinctas, rediuiuus error enuntiat, & triſtis experientia manifeſtat. Nuper enim nonnulli factionis ſuperſtites memoratæ, adiunctis ſibi quãplurimis de dicta Prouincia Prouinciæ, & Prouincia Tuſciæ, & alijs diuerſarũ Fratribus nationũ, coram piæ memoriæ Clemente Papa V. prædeceſſore noſtro, diuerſas Regulæ quæſtiones, diuerſaſq; contra vniuerſitatem dicti ordinis propoſuere querelas, & quaſi ipſi ſoli ipſorumq; Cõplices, B. Franciſci Regulam, & perſpicacius intelligerent, & efficacius adimplerent, notã actionis cõtrariæ, in vniuerſitatem præfati ordinis impie detorquebant.*

*Qui Clemẽs prædeceſſor, huiuſmodi homines benignitate magis quam ſeueritate ſatagens emẽdare, illorũ peſtiferos conatus patientiæ virtute tolerãs, prædictas quæſtiones atq; querelas plurib. Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Sacræ Theolog. profeſſoribus, & alijs iuris ſciẽtia præditis & diſcretione dotatis examinandas*





*nandas commiſit, & ad ſuam audientiam præferendas. Quibus diligenter, & cum multa maturitate peractis, ſæpe nominatus Clemens prædeceſſor, de veritate certior factus, præfatam Religionem, ſanctam, & (vt eius ſermonib. vtamur) muris obſeruantiæ Regularũ firmiter vndiq; aſſeruit circumcluſam; & quædam quæ circa Regulam dubium ſenſum aſſerre poterant, declarauit: diſtricte præcipiendo mandans, vt dicti Fratres qui contra præfatam communitatem ordinis huiuſmodi quæſtiones mouerant & querelas, ad Conuentus vnde diſceſſerant reuerterentur, & ſuis ſuperioribus obedirent humiliter & deuote, harum quæſtionum & querelarum prætextu, ad Romanam curiam de cetero minime reuerſuri.*

*Et vt ipſius ſalubris ordinatio ad optatum duceretur effectum, Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopo Ianuen. & Lucan. ac Bononien. Epiſcopis per ſuas literas demandauit, vt ipſi vel alter eorum per ſe, ſeu alium, vel alios, Fratres illos de prouincia Tuſciæ, qui occaſione præfatæ diſſenſionis & adhærentiæ, ad illicita laxatis habenis, quædam loca dicti ordinis in prouincia Tuſciæ conſtituta occupauerant, & occupata, temeritate damnabili detinebant, ſuis alias ſuperioribus obedire aſpernantes, compellerent, vt eiſdem locis per eos occupatis omnino dimiſſis, ad ſuorum ſuperiorum obedientiam, qualibet exceptione & occaſione poſtpoſitis reuerterentur, moraturi vbicunque, & ſicut iidem ſuperiores ducerent diſponendum. Quarum literarum auctoritate dilectus filius Bernardus Prior Eccleſiæ ſancti Fidelis iuxta Senas, cui præfatus Bononienſis Epiſcopus ſuper hoc commiſerat vices ſuas, in ipſos Fratres dicti mandati contemptores, eorum exigente contumacia excommunicationis ſententiam promulgauit, & eos fecit excommunicatos publice nunciari.*

*Qui Eccleſiaſtica vincula non verentes, non abſque temeritatis audacia, Apoſtaſiæ nota, mentiſq; veſania, contra Apoſtolica mandata, & dicti ordinis inſtituta, ſe ad partes inſulæ Siciliæ tranſtulerunt, & inibi ab obedientia & vnitate dicti ordinis, & Prælatorum eius ſe totaliter ſeparantes; quaſi memorati ordinis Beati Franciſci ſtabilem firmamq; compaginem reſcindere ſtolida præſumptione valerent, noui ordinis, imo abominabilis horroris caſſis conatibus, moliti ſunt ponere fundamentã, tam deteſtabili turbæ præficientes magis idolum, quàm prælatum, Henricum de Ceua dicti ordinis refugam, & apoſtatam fugitiuum.*

*Et vt tam fœdo capiti membra cetera reſponderent, Prouinciales Miniſtros, Cuſtodes præterea, & Guardianos, eligere temeritate ſimili præſumpſerunt, plurimos ad ipſorum ſectam recipere, Prædicatores & Confeſſores aſſumere, eoſdemque ad huiuſmodi Confeſſionis & prædicationis officium tranſmittere, loca etiam à locis Fratrum ipſius ordinis ſemota ad habitandum de nouo conſtruere, ſeu conſtructa recipere, contra Romanorum inſtituta Pontificum, in animarum ſuarum periculum aliorumq; perniciem attentantes.*

*Et vt ipſorum error veritas, & impietas religio putaretur, temeritate propria quoſdam habitus cum paruis caputiis, curtos, ſtrictos, inuſitatos, & ſqualidos, ſimulationis conſcios, irriſionis amicos, ac diſſidii non ignaros, diſcrepantes à communitate ordinis ſupradicti aſſumere, & in ſimplicium cordibus vt eoſdem ſecum in deuium erroris adducerent ſeminare, dictos habitus fore ſecundum regulam Beati Franciſci, & in ipſis ſolum pſeudofratribus ordinem conſiſtere, famamque aliorum Fratrum præfatæ communitatis diuerſis conuitiis lacerare, procaci impudentique verſutia præſumpſerunt.*

*Verum quia ſic ſunt caſus mentis, vt primo quidem infelix animus per ſuperbiam intumeſcat, & exinde in contentionem, de contentione in ſchiſma, de ſchiſmate in hæreſim, de hæreſi in blaſphemias infelici gradatione, imo præcipiti ruina deſcendat; prædicti temeritatis atque impietatis filii, vt habet fide digna relatio, ad eam ſunt mentis inopiam deuoluti, quod aduerſus præclariſſimam & ſaluberrimam Chriſtianæ fidei veritatem impie ſentiunt, Sacramenta Eccleſiæ veneranda contemnunt, & in glorioſum Eccleſiæ Romanæ Primatum, cunctis nationibus, præcellendum, ab ipſo conterendi citius, impetu cæci furoris impingunt.*

*Et ne aliquid prædictarum blaſphemiarum tolerabile videatur, aut dubium, de plurimis eorum erroribus aliquos non latere, & perinde nocere valeant, præſentibus duximus annotandos.*

*Primus itaque error, qui de iſtorum officina tenebroſa prorumpit, duas fingit Eccleſias; vnam carnalem, diuitiis preſſam, effluentem delitiis, ſceleribus maculatam; cui Romanum Præſulem, alioſque inferiores Prælatos dominari aſſerunt.*

*Aliam ſpiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate ſuccinctam; in qua ipſi ſoli, eorumque complices continentur; cui etiam ipſi, ſpiritualis vitæ merito, ſi qua fides eſt adhibenda mendaciis, principantur.*

*Quæ impietas ſic iſtis ſceleratis eſt propria, vt à nulla hæreſi poſſit eſſe ſeiuncta, quippe omnes impii, dum praue in fide ſentiunt, dum ab vnitate Eccleſiæ atque obedientia per contumaciam ſeparantur, vniuerſitatem fidelium carni, ſeipſos vero ſpiritui ſeruire friuolis aſſertionibus mentiuntur; quorum dementia nihil aduci poſſe, illi manifeſte cognoſcunt, qui ſicut vnicum Chriſtum prædicant, ſi vnam Eccleſiam profitentur, Doctore gentium atteſtante qui ait; Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus eius.*

*Vna eſt igitur ſancta vniuerſalis Apoſtolica atque Romana Eccleſia, quæ non humana præſumptione ſeu poteſtate nititur, ſed diuina, & prorſus incommutabili auctoritate fundatur; cuius egregium Primatum ſi quis impie docendo negat, non ſolum criminoſus aut ſchiſmaticus eſſe conuincitur, ſed hæreticus impietatis ſuæ merito, diuina etiam atq; humana ratione & auctoritate cenſetur.*

*Quia peccatum paganitatis incurrit, quiſquis dum ſe Chriſtianum aſſerit, ſedi Apoſtolicæ obedire contemnit; cui inter cetera dona hoc priuata largitione conceſſum eſt, vt ſaluberrima fides quam Beatus Petrus cœleſti Patre reuelante cognouit, & immenſa poteſtas quam ei in eodem Apoſtolorum Principe Chriſtus indulſit, ſic per legitimam Romanorum Pontificum ſucceſſionem illibata decurrat, vt illam vſque ad finem ſæculi, nec perfidia maculet, nec adulterini Paſtoris Pontificium interrumpat.*

*Quam velut validiſſimam nauem diuinæ gubernationis præſidio communitam, nec variarum opinionum, atq; hæreſum turbines, à ſuæ vnitatis compage deuellunt, nec tyrannicæ poteſtatis incurſus ad ima deprimit: quin potius, & illos auctoritate atque veritate ſuperans, & iſtos patientiæ virtute ſupplantans, inter blanditias terrenæ felicitatis, & aſperitates ſæculi felici nauigatione media graditur, donec ad portum futuræ beatitudinis duce Domino veniatur.*

*In qua velut in arca, animalia munda atque immunda ſeruantur; ſicut in area frumenta paleis permiſcentur: quemadmodum in ſagena, boni piſces & mali coeunt: vt in agro, Zizania & triticum ſimili germinatione ſuccreſcunt: nec tamen ipſam, membrorum infirmantium immunditia polluit, extollit leuitas, corrumpit nequitia, inſolentia ſcindit: ſed manens integra atque perfecta, adoptionis filios fide generat, verbo nutrit, auctoritate defendit, pœnitentia purgat, patientiæ virtute ſupportat: nec illam diuitiarum cumulus ſuffocat: quia illis, tanquam creatura Dei bona cum gratiarum actione bene vtitur: & aurum habet, non vt in illo finem conſtituat, ſed vt neceſſitatem patientibus miſericorditer largiendo ſuccurrat. Extra quam ſalus eſſe non poteſt, quia natura non patitur, ratio non ſinit, & diuina prouidentia non permittit, vt membrum quod à totius corporis vnitate ſeiungitur, virtuteq; à vertice in corpus influit, aliqualiter vegetetur.*

*Quo fit, vt apud iſtos vaniloquos, nec ſancta paupertas, nec caſtitas munda, nec virtus poſſet eſſe perfecta. quia conſequens eſt, vt omni virtute, omni bonitate priuentur, qui Deum virtutum, cuius eſt totum quod eſt optimum, per inobedientiam derelinquunt.*

*Secundus error, quo prædictorum inſolentium conſcientia maculatur: Venerabiles Eccleſiæ Sacerdotes, alioſque miniſtros, ſic iuriſdictionis & Ordinis clamitat auctoritate deſertos, vt nec ſententias ferre, nec ſacramenta conficere, nec ſubiectum populum inſtruere valeant, vel docere: illos fingentes omni Eccleſiaſtica poteſtate priuatos, quos à ſua perfidia viderint alienos: quia apud ipſos ſolos (vt ipſi ſomniant) ſicut ſpiritualis vitæ ſanctitas, ſic auctoritas perſeuerat.*

*In qua re Donatiſtarum ſequuntur errorem: qui olim facto ſchiſmate ab vnitate Eccleſiæ recedentes, ita in ſua ſecta Dei gratiam*

tiam dixerunt eſſe coactam, vt nullus eam recipere eſſet idoneus, qui non foret ipſorum ſcelere maculatus.

Quorum impietatem zelus fidelium illo in tempore ſic exhorruit, ſic pia perſecutione compreſſit, vt homines tam peſtilenti contagione reſperſos, & cenſura Eccleſiaſtica anathematis mucrone feriret, & legum publicarum ſanctio extremo iudicio prædamnaret.

Quia dignum erat & æquum, vt contra illos vtriuſq; gladii poteſtas exurgeret, qui auctoritatem Eccleſiaſticam à ſolo Deo traditam, & in perpetuum duraturam, profanis aſſertionibus abnegarent.

Manet igitur, etiam iſtis reclamantibus, & vſque ad finem ſæculi permanebit apud Romanum Præſulem, ſicut ſumma auctoritas, ſic immenſa poteſtas: quam ſicut gratis accepit, ſic in eos quos in partem ſollicitudinis euocat, in vnitate fidei, & Romanæ ſedis obedientia permanentes benigne refundit: tam fortiter atque ſuauiter moderamina indultæ poteſtatis exercens, vt in corpore Chriſti quod eſt Eccleſia, à ſummo vertice, vſque ad extrema veſtigia, nihil per inobedientiam diſſolutum, nihil relinquat ordinis confuſione turbatum. Cuius ſuauiſſimum, ſed validiſſimum iugum, impii quia humiliter geſtare refugiunt, quod rebus non poſſunt laceſſere, maledictis atque conuitiis non deſiſtunt.

Tertius iſtorum error in Valdenſium errore coniurat: quoniam & hi, & illi, in nullum euentum aſſerunt forte iurandum: dogmatizantes mortalis criminis contagione pollui, & pœna teneri, quos contigerit iuramenti religione conſtringi. Quorum blaſphemias pietas Chriſtiana condemnans, non leuitate mota ſed vtilitate, aut neceſſitate coacta, veritatem præteritorum atq; præſentium, & certitudinem futurorum, iuriſiurandi religione confirmat. certiſſime tenens: quia nullatenus de ſuo genere poteſt eſſe peccatum, quod Chriſtus exercuit, qui peccatum non fecit: ſed peccatum omne ſua paſſione damnauit. Iurauit enim Dominus: iurauit & Apoſtolus Paulus ſuæ operationis exemplo monſtrantes, ad hoc tantum iuramentum eſſe prohibitum, ne iurandi facultas frequentiam, frequentia conſuetudinem, conſuetudo periurium introducat. Bonum eſt ergo iuramentum, per quod veritas rerum diuino teſtimonio confirmatur: ſed malum eſt illi, qui eo male vtitur: & à malo infirmitatis humanæ eſt, vt aliquis verum proferens iurare cogatur.

Quarta huiuſmodi impiorum blaſphemia, de prædictorum Valdenſium venenato fonte prorumpens, ſacerdotes rite etiam & legitime ſecundum formam Eccleſiæ ordinatos, quibuslibet tamen criminibus preſſos, non poſſe conficere vel conferre Eccleſiaſtica Sacramenta confingit.

Quorum vtrorumq; dementiam Eccleſiaſticæ veritatis doctrina redarguit, & cenſura percellit: quoniam nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: quia Sacramentorum virtus non in merito conſecrantis, ſed in virtute Sancti Spir. & verbo perficitur Creatoris.

Quintus error ſic iſtorum hominum mentes obcæcat, vt Euangelium Chriſti in ſe ſolos hoc in tempore aſſerant eſſe completum, quod hactenus vt ipſi ſomniant obtectum fuerat, imo prorſus extinctum. Quæ impietas ſic tenebroſos Manichæorum calles oberrat, vt tamen Montani atque Priſcillæ fœda veſtigia non relinquat. Illi enim promiſſionem Domini de Spiritu Sancto, non in Apoſtolis, ſed in ſeipſis completam eſſe aſſerunt: Iſti Euangelium Chriſti cuius virtus in Sancti Spiritus perceptione conſiſtit, ita in ſe completum autumant, vt ab illius claro intellectu & vera obſeruatione, vniuerſitatem fidelium mentiendo ſecludant.

Sancta vero ac vniuerſalis Eccleſia talium hominum figmenta deridens, firmiſſime tenet & nullatenus dubitat, Spiritum S. iuxta fidele Saluatoris promiſſum, in Beatos Apoſtolos die Pentecoſtes ſic pleniſſime fuiſſe refuſum, vt illos omnem veritatem, quæ ad ſalutem pertinet perfecte doceret: vt ipſos ad amorem Dei mirabiliter inflammaret: vt eoſdem contra omnem tentationem virtutis firmitate muniret.

Cuius ſpiritus virtus ita ſanctam Eccleſiam vſq; ad finem ſæculi noua ſemper prole fœcundat, vt renatis fonte baptiſmatis vna ſit fides mentium & pietas actionum; quod profecto non eſſet, ſi S. Euangelium in quo Chriſtianæ fidei regula continetur, omnibus eſſet clauſum, & iſtis ſolummodo (quod cogitare impiiſſimum eſt) eſſet apertum.

Multa ſunt alia, quæ iſti præſumptuoſi homines, contra coniugii venerabile ſacramentum garrire dicuntur, multa quæ de curſu temporum, & fine ſæculi, ſomniant. Multa quæ de Antichriſti aduentu, quem iam iam inſtare aſſerunt flebili vanitate diuulgant.

Quæ omnia quia partim hæretica, partim inſana, partim fabuloſa cognoſcimus, damnanda potius cum ſuis auctoribus, quam ſtilo proſequenda aut refellenda cenſemus. Ipſa enim mendoſa commenta ſe ipſa deſtruunt; quia nec ratione vigent, nec auctoritate conſtant, nec aliqua veriſimilitudine fulciuntur. In huiuſmodi doctrinis variis & peregrinis, ſæpe nominati homines ſtudia ſua conterunt. Ad hæc, ſimplicium corda blandis fictiſque ſermonibus, & ſimulatæ humilitatis prætextu attrahere moliuntur.

Cupientes igitur, quod dicti peſtiferi homines, aut in melius commutato conſilio à ſuis peruerſitatibus reſilirent, aut ſaltem alios pernicioſis ſermonibus, & ſuæ prauitatis exemplo contaminare non poſſent, Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Fredericum Regem Trinacriæ Illuſtrem hactenus rogauimus & monuimus, per Apoſtolica ſcripta mandantes, vt huiuſmodi viros peſtiferos, & ſeminatores errorum, de prædicta inſula expelleret, & penitus extirparet, & Miniſtris, Cuſtodibus, ſeu Guardianis dicti Ordinis Minorum, cum ab eis ſuper hoc requireretur faciendo etiam ſi expediret ſæpedictos pſeudofratres capi, & eorum ſuperioribus tradi captiuos, iuxta diſciplinam Ordinis corrigendos, ſtuderet impendere fauorem, conſilium, & auxilium opportunum.

Ipſe vero tamquam obedientiæ filius, per ſuas patentes literas, noſtrarum literarum ſeriem continentes. ſingulis Officialib. ſuis, per dictam Inſulam conſtitutis præcipiendo mandauit, vt ad capiendos huiuſmodi falſos fratres, Rectoribus dicti Ordinis, vt prædictæ noſtræ literæ continebant, darent conſilium, auxilium & fauorem quodq; ipſa mandata in noſtris contenta literis, ſtuderent executioni in omnibus demandare.

Quæ præſentientes peſtiferi memorati, cum ad ſinum piæ Matris redire, ſaltem Eccleſiaſtica diſciplina coacti, humiliter debuiſſent, ſalubrem coertionem & felicem neceſſitatem, quæ ad meliora compellit, fugæ præſidio declinarunt: Nonnullis eorum, in locis abditis & latebroſis dictæ inſulæ derelictis; qui ſuis fautoribus, ſub quorum defenſione conſiſtunt, pro mercede iniqui fauoris, peruerſi dogmatis venena rependunt. Alii vero per loca infidelium diſcurrentes, mare & aridam circumire feruntur, vt vnum ſaltem faciant proſelitum, ſimul cum illis gehennæ ignibus applicandum.

Hi ſunt, quos Doctor Gentium caute vitandos admonuit, dicens: Nemo vos ſeducat, volens, in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ: & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei. Hi ſunt filii diffidentiæ, nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur; ſidera errantia, quibus procella tenebrarum reſeruata eſt: qui iuxta Pſalmiſtæ vaticinium: neſcierunt, neq; intellexerunt, in tenebris ambulant, errauerunt ab vtero: à veritate ſc. Sanctæ matris Eccleſiæ recedendo, locuti ſunt falſa, vanos & varios errorum tribulos per diuerſas regiones præſumptione damnabili ſeminando.

Quamobrem zelus fidei, feruor compaſſionis animarum, excitare debent corda omnium qui Chriſti nomine gloriantur, & ipſius ſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ finibus continentur, vt contra iſtorum inſaniam, quaſi contra publicam peſtem valenter exurgant, nec eos in locis vbi Chriſtianæ religionis viget auctoritas, patiantur pacifice viuere, quos aduerſus Matrem & Dominam ſuam, ſanctam ſc. Romanam Eccleſiam rebellionis ſuæ calcibus, & errorum blaſphemiis conſpiciunt inſanire. Fruſtra enim vtantur nomine Chriſtiano, qui talibus impietatibus non reſiſtunt: & conſequens eſt, vt poſſint hæc credere, qui poſſunt talia patienter audire.

Tantas igitur, & tam graues inſolentias, errores peſtiferos, deteſtabiles blaſphemias, in Creatoris iniuriam, populi Chriſtiani perniciem, & nefariæ operationis exemplum, per patientiam, imo vecordiam tolerare nolentes vniuerſitatem veſtram monemus ſedulo, hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta, in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo, mandantes quatenus præfato Henrico de Ceua aliiſque pſeudofratribus, qui ad memora-





tam Siciliæ inſulam hactenus confugerunt, nullum detis, vel dari quantum in vobis eſt permittatis in præmiſſis, conſilium, auxilium vel fauorem; quin potius ipſos velut apoſtatas excommunicatos, ipſius Eccleſiæ Romanæ rebelles, ſchiſmaticos, & peruerſi dogmatis aſſertores, lupos graues, gregi Dominico non parcentes, à veſtris finibus arceatis; capientes ipſos, vel capi facientes, & captos tradentes Rectoribus ſæpenominati Ordinis Fratrum Minorum, cum ab ipſis, vel eorum vicariis, Procuratoribus ſeu Nunciis fueritis requiſiti: per eos iuxta ipſorum demerita, caſtigatione debita puniendos. Dignum eſt enim, vt apud illos patratorum ſcelerum pœnas ſoluant, qui ipſorum lubricos calles, & tortuoſas ſemitas, per patientiam longi temporis exploratius cognouerunt: à quorum ſacro conſortio per apoſtaſiæ vitium recedentes, omni pudore calcato, non ſunt confuſi ſanctam religionem, quæ ipſos in ſinu ſuo fouerat pietate materna, damnis afficere, maledictis pungere, conuitiis lacerare.

Proinde, quia ea, quæ contra ius & fas, atque ordinariam poteſtatem temeritas humana præſumit, in pœnam perturbati Ordinis, quantocius debent iuris auctoritate, & Apoſtolica poteſtate conuelli: Nos quicquid in memoratis, prouincia Tuſciæ, inſula Siciliæ, & vbicumq; locorum per ſæpedictos Fratres, in perſonarum addictam ſectam receptione, in Generalis Miniſtri & Prouincialium Miniſtrorum, Cuſtodum, Guardianorum electione (ſi tamen electio dici poſſit) & in quibuslibet aliis communiter vel diuiſim, ſub religionis, Conuentus, Congregationis nomine vel colore attentatum extitit, vel exiſtit, nullius fuiſſe vel eſſe roboris, nullius extitiſſe vel exiſtere decernimus firmitatis. Vnde ipſa caſſa, irrita, & nulla cenſemus; & nihilominus quatenus de facto proceſſerant, auctoritate Apoſtolica reuocamus.

Ceterum, quia verendum eſt, ne hi præſertim qui per profeſſionem licet fantaſticam, ad prædictorum infame conſortium tranſierunt, ipſorum errores ſapiant, & alios peſtifera contagione corrumpant, omnes & ſingulos per eos ad ſuam ſectam receptos, maximeque profeſſos, ad veſtram præſentiam, per cenſuram Eccleſiaſticam euocate, examinate de fide, de prædictorum erroribus, per vos vel alium ſeu alios caute diligenterq; perquirere ſine ſtrepitu & figura iudicii, & de ipſorum complicibus atque fautoribus indagate, & ſi opus fuerit, ipſos capi & detineri curate; inuocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis. Contradictores & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam compellendo. Teſtes autem quos ad præmiſſa videritis euocandos, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, cogatis veritati teſtimonium perhibere.

Volumus inſuper, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat negotium ſeu articulum, etiam per alium inchoatum; quamuis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico impeditus; quodque à Data præſentium ſit vobis & vnicuique veſtrum in præmiſſis omnibus & eorum ſingulis, etiam non cœptis, præſentibus & futuris, perpetua poteſtas, & iuriſdictio attributa, vt eo vigore eaque firmitate poſſitis in præmiſſis, etiam non cœptis præſentibus & futuris, contra prædictos procedere, ac ſi iuriſdictio veſtra & cuiuslibet veſtrum in prædictis omnibus & ſingulis, per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet. Non obſtantibus de duabus dietis edita in Concilio Generali, & fel. recor. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, per quas tam iudices quam Conſeruatores à ſede deputati prædicta, extra Ciuitates & Diœceſes in quibus deputati fuerint, procedere & vices ſuas committere, aut aliquos vltra vnam dietam à finibus ſuæ Diœceſis trahere prohibentur; & aliis contrariis Conſtitutionibus quibuſcumq; ſeu ſi aliquibus ſit indultum à ſede prædicta, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, aut extra certa loca tradi, vel ad iudicium euocari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi, ac eorum perſonis & locis, nominibus propriis vel ordinib. mentionem; ſiue alia indulgentia dictæ ſedis generali vel ſpeciali cuiuſcumq; tenoris exiſtat, per quam veſtræ iuriſdictionis explicatio valeat in hac parte quomodolibet impediri, & de qua eiuſq; toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis.

Datum Auinioni X. Calend. Febr. Pont. noſtri Anno ſecundo. Hæc Ioannes aduerſus peruicaces ſanciebat. Ex his nonnulli Etruſci ſub deſpecto habitu patuliſque caputiis recens inuentis, viri fugitiui, nec minus Apoſtatæ in Siciliam traiecerant. Quos vt Fridericus Rex Trinacriæ eiiceret, Pontifex præcepit. *epiſt. 106.* Et quid reliquis faciendum edixiſſet ſignificauit.

II. MATTHÆVS VICECOMES MEDIOLANENSIS OB REBELLIONEM ET NEFANDA FLAGITIA ANATHEMATE PERCVTITVR A IOANNE PP.

Secundum iſtud Ioannis Pontificis edictum, tam Epiſcopi, quam ſacræ Fidei Quæſitores, in Etruria, Sicilia, Prouincia Prouinciæ, Aragonia, & apud Inſubres, magnam diligentiam adhibuerunt, in his & aliis hæreſi eorum inquinatis inueſtigandis, & ad ſanam fidem ac mentem reuocandis, vel etiam caſtigandis. Quamquam ex magnatibus non deforent, qui eorum tutelam ſuſciperent; hi videlicet, quibus tam opes & facultates Romanæ ſedis, & aliarum Eccleſiarum inuiſæ, quam auctoritas & poteſtas Romani Pontificis, aliorumq; Præſulum ſuper animas ouium Chriſti exoſa. Inter hos Matthæus Vicecomes Mediolanenſis tyrannus, non modo ſuſpectus, verum etiam conuictus. Is enim de Reſurrectione mortuorum, non ex fide Catholica ſentiebat; in multis ac grauiſſimis doctrinæ Orthodoxæ articulis, temerarie errabat, Guillelmam meretricem, Beguinarum omnium infamem, in numero ſanctarum reponebat; humanæ ſalutis inimicum inuocabat; poteſtatem ſummi Pontificis & Eccleſiaſticam, anathemate damnatus, contemnebat; hæreticis ab Eccleſia damnatis, fauorem, conſilium & auxilium præſtabat; Inquiſitoribus, quominus officio ſuo fungerentur, impedimento fuerat: res Eccleſiarum ſuppilabat, Virgines Deo dicatas violabat; ſacerdotes & religioſos viros, per tormenta & ſupplicia exquiſita examinabat; ac fere nihil eorum non perpetrabat, quo ſe hæreticum ac hæreticorum fautorem probaret, adeoque orbi publicaret. Quamobrem Ioannes ſummus Pontifex, anathema in illum ab Archiepiſcopo Mediolanenſi, Pagano Turriano antea prolatum probauit, & ipſe coram vniuerſo cætu Eccleſiæ proceſſu publicato, in eundem pertinacem diras publicauit; nec non miſſo Bonifacio Farra, & Laurentio Gallina, Mediolani affixis edictis, cætu piorum excluſum illum renunciauit: & ſacris, Eccleſiæ Mediolanenſi in coram eo interdixit.

III. EXACERBATVS IDEO IN PONTIFICEM, ARMA CONTRA PONTIFICIOS CORRIPIT.

Is porro nequaquam melior factus, Comitium Soncini die deſignato indixit, omneſque factionis Gibellinæ Proceres ibidem intereſſe iuſſit. Euocatos in conſilium, ad coniurationem contra Pontificem atque Pontificios, excitauit: confœderatos armauit: armatis Canem Scaligerum Veronenſium tyrannum præpoſuit, Genuenſibuſque Gibellinis in auxilium miſit. *Bernard. Corius hiſt. Mediol. part. 2.*

Coacto etiam ipſe ex contermina regione præualido ac numeroſo exercitu, Marcum filium, iuuenem non impigrum, omnibuſque ad bellum inferendum præparatis inſtructum, aduerſus Guelfos Genuenſes deſtinauit: adeoque illos à Conrado & Edouardo Auriis, ac Rinaldo & Andalo Spinulis afflictos, obſidione arctiſſima pene oppreſſit, vt coacti fuerint Robertum Siciliæ Regem, in Vrbem ad auxilia ferenda euocare, eique dominium Genuæ, pactis conditionibus, in aliquot annos permittere. Is porro, cum mille ac ducentos cataphractos illis ſubmiſiſſet, paucis poſt diebus, ipſo feſto Diuæ Mariæ Magdalenæ, illuc ipſemet, vna cum coniuge, ac duobus liberis, quinque ac viginti triremibus ſecum adductis acceſſit, ac præter multos proceres illuſtres, militem non contemnendum ſecum adduxit. Ipſo eodem ſexto Calen. Auguſt. Rectoribus ſeſe, coram Prætore, ac populi Abbate ſupremo magiſtratu abdicantibus, Roberto & Ioanni vigeſimo ſecundo Pontifici ad decennium, Reipub. adeoque totius Liguſticæ ditionis imperium, adhibito iuriſiurandi ſacramento, ſub certis conditionibus ac legibus ſolemni cerimonia tradiderunt. cum Matthæus & Marcus Vicecomites, Ludouici Bauari ſpebus audaciores facti, factionis Gibellinæ Principatum ſuſcipientes, recta & quieta monentem Pontificem contempſiſſent, & ad opprimendos Pontificios reliquam multitudinem exciuiſſent. Ex hac Regia potentia, Guelfis non mediocris auctoritas & robur acceſſit; moxq;, cum ita natura comparatum ſit, vt quo ſe fortuna, eodem etiam hominum fauor inclinet, Florentini, Senenſes, ac Bononien-

GENVENSES OPPVGNAT, ET QVIS TANDEM PRÆLII EVENTVS.

ſes, icto cum Genuenſibus fœdere, illos commeatu, ac mille & centum cathaphractis adiuuerunt: quibus præſidiis multo firmiores redditi, non ſolum hoſtiles impetus egregie ac ſtrenue propulſarunt, verum etiam cum quatuor millibus promtiſſimorum virorum, & ſexcentis equitibus, ſexto Idus Auguſti, de improuiſo eruptione facta, hoſtem à monte S. Bernardi, à ſe paulo ante occupato repellere connixi ſunt: eo tandem euentu, vt poſt acrem dimicationem, tandem hoſte præualente, ad portas vſque ciuitatis fuſi fugatique ſint. Inter hæc tamen non deſiſtit Pontifex, Matthæum ad arma ponenda hortari: ſed fruſtra. Nam is adeo obdurnerat contra Eccleſiam, vt iterum meruerit hoc anno, anathemate percelli. *Petrus Bizarrus hiſt. Genuen. lib. 5. & Corius ſup.*

IV. ALIOS PRINCIPES CONTRA PONTIFICEM COMMOVET.

Percuſſus gladio ſpirituali Matthæus, multo magis titulum vicarii in Italia imperii ſibi arrogauit, vtque reliqui non modo confœderati, ſed etiam à fœderatione alieni Principes, eundem ſibi vſurparent, imperauit. Paſſarinum Mantuæ, Canem Scaligerum Veronæ, tyrannos, Pontifex admonuerat, ne ſibi eam dignitatem, citra ſedis Apoſtolicæ ſcientiam deſumerent. at illi Vicecomitis & Bauari conſiliis & auxiliis innixi contempſerunt. *Corius ſup.*

V. IOAN. PP. LEGEM CONTRA REBELLANTES SEDI APOSTOLICÆ PROMVLGAT.

Contra alios porro ſedi Apoſtolicæ graues eam quam adiungo legem vulgauit. *Ita habet.*

*Eccleſiæ Romanæ, ſuorumque fidelium diſpendia diſſimulare non poſſumus, quin poſtquam nobis cognita fuerint, aduerſus ea opportunis remediis occurramus. Attendentes igitur grauia nocumenta, quæ nonnullis Ciuitatibus, terris, Caſtris, intra Patrimonium Beati Petri in Tuſcia, Comitatum Sabinæ, & terram Arnulphorum conſtitutis, eidem Eccleſiæ Romanæ ſubiectis, & perſonis ſingularibus eorundem, & diuerſorum tam nobilium quam etiam aliorum vſurpato regimine prouenerunt; & volentes ſuper hoc in poſterum eorum diſpendiu præcauere. Omnibus & ſingulis comitatibus, ſeu vniuerſitatibus, & ſingulis perſonis ciuitatum, terrarum, caſtrorum & locorum intra patrimonium, Comitatum, & terram prædictos conſtitutis, in quibus videlicet nobis, ſeu quibuſuis Officialibus noſtris ius competit deputandi, vel inſtituendi, aut eligendi, Poteſtates, Capitaneos, Dominos vel Rectores, aut Officiales quoslibet alios, ne ipſæ Poteſtatem, Capitaneum, Dominum, Rectorem, vel defenſorem, ſeu quemcunq; alium Officialem, quocunq; nomine cenſeatur, in Ciuitatibus, caſtris, terris, & locis prædictis, aut aliquo eorum eligere, aſſumere, vocare, vel recipere, retinere, aut iam electo vel aſſumpto, vocato ſeu recepto, tamquam Poteſtati, ſeu Capitaneo, Rectori ſeu Defenſori, vel Officiali obedire quoquomodo præſumant; neue taliter electus, aſſumptus, receptus, ſeu vocatus, huiuſmodi poteſtariæ, Capitaneatus, Dominii, vel Rectoriæ, ſeu Defenſoriæ, aut quodcunq; aliud cuiuſuis nominis Officium recipere, acceptare, aſſumere vel gerere (niſi de noſtra & Apoſtolicæ ſedis licentia ſpeciali) quomodolibet audeat, ſed aſſumptum omnino dimittat.*

*Vbi vero ad communitates, ſeu Vniuerſitates, & ſingulares perſonas Ciuitatum, terrarum, caſtrorum & locorum prædictorum, vel eorum aliquem ius competit eligendi Poteſtatem, Capitaneum, Dominium vel Rectorem, ſeu Officialem quemlibet alium, qui per nos, ſeu quoſuis Officiales noſtros debeat aut conſueuerit confirmari, nec ante debitam confirmationem obtentam, ipſæ vel earum aliquæ, ſic electo tamquam poteſtati ſeu Capitaneo, Rectori vel Defenſori, ſeu Officiali, in quibuſuis obediant, neue taliter electus, quouſque confirmationẽ habuerit (vt præfertur) huiuſmodi Poteſtariæ, Capitaneatus, Dominii, vel Rectoriæ, ſeu Defenſoriæ, aut cuiuſuis alterius nominis officio ſe immiſcere, vel illud gerere, aut exercere quouis modo præſumat, auctoritate Apoſtolica diſtrictius inhibemus. Decernentes extunc irritum & inane, quicquid contra huiuſmodi inhibitionis tenorem contigerit attentari. Nulli ergo, &c.* noſtræ *inhibitionis & conſtitutionis infringere, &c.* Dat. Auenion. 4. Non. Auguſt. anno 2.

VI. ALIVD EDICTVM CONTRA EOSDEM.

Ad eum modum tunc, exemplo alieno, & ſubditi ipſi quoque Eccleſiæ Romanæ Romani Pontificis dominium detrectabant, & ad Imperii gentilitii in Italia reſtitutionem conantes adiuuabant.



Sed iſta longe grauiora ſunt, quorum occaſione edictum ſubſequens promulgauit. Placuit inſerere, vt ſtatus rerum Italiæ magis certius, qui per id temporis fuerit cognoſcatur. ita habet.

*Dierum creſcente malitia videmus mundum in deteriora iugiter prolabi ſic hominum mentes aſſueta deprauante nequitia, malis paſſim cumulum ſuperaddi, vt & boni, qui alias odirent virtutis amore delinquere, interdum cum peruerſis admixti, concurrere cum illis in illicitis habeant, & in apertam malitiam proſilire. Eſt enim compeſcenda malorum audacia, vt ſaltem pœnæ formidine retrahantur à noxiis; ſicq; boni ſectando virtutem meliores effecti, non cogantur cum illis perire.*

*Sane vulgaris famæ notorium publicat, & longe lateque ipſa iniurioſa tranſgreſſus euidentia manifeſtat, quod nonnulli de Marchia Anconitana, Prouincia nobis & Romanæ Eccleſiæ ſubiecta, nedum olim temporibus diuerſorum prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, greſſus fidelitatis egreſſi declinauerunt ad infidelitatis reprobæ deuium: ſed in diebus non longe præteritis contra nos, & Eccl. eamdem, & dilectum filium Amelium Præpoſitum Bellimontis Capellan. noſtrum, Prouinciæ memoratæ Rectorem, ceruicem rebellionis erigere præſumpſerunt & in quoſdam Officiales, & familiares ſuos crudeliter ſæuientes, poſt graues illatas iniurias, & reprobroſas contumelias irrogatas eiſdem, & poſt bona ipſorum violenta prædatione ſubtracta, eos cruentæ mortis ſuppliciis in ore gladii tradiderunt: inter quos pars dicitur fuiſſe non modica, cui mens ſanior inerat, & tantæ temeritatis exceſſus non leuiter diſplicebat. Sed habuerunt, vel inuiti, furori confuſæ multitudinis cedere, dum illius nequiuerunt conatib. obuiare.*

*Nos igitur, vt mali pœnarum impoſitionibus grauium territi vereantur in antea in conſimilis erroris inuium relabi, ac boni perſiſtentes in ſua fidelitate conſtanter, non habeant propter illorum claudicare perfidiam, remediis quibus poſſumus præcauere volentes, & animarum ſuarum ſaluti, dictæque Prouinciæ pacifico ſtatui paternis affectibus proſpicere cupientes: de Fratrum noſtrorum conſilio, hac in perpetuum valitura Conſtitutione ſancimus, vt quicumque de Prouincia ipſa, vel aliunde in ea prouincia moram trahens, Clericus vel laicus, famæ ſuæ prodigus (ipſius Eccleſiæ calcata reuerentia) in hoc ſceleris genus irrepſerit, quod Rectorem, ſeu Rectores, qui pro tempore regimini dictæ prouinciæ, in ſpiritualibus & temporalibus auctoritate Apoſtolica præfuerint, vel ipſorum aliquem aut eorum vel alicuius ipſorum vicarium aut iudicem, vel iudices, vel ipſius Prouinciæ theſaurarium, aut locum tenentem eiuſdem (quod abſit) occiderit, aut ad offendendum illum vel illos inſecutus extiterit, cœperit, captiuauerit, detinuerit, percuſſerit, aut etiam vulnerauerit, aut ipſorum aliquid, vel alias in locum vbi moram traxerint inſultum fecerit, aut ipſum vel ipſos obſederit, ſiue de ſuo regimine vel officio forſan expulerit, vel fugauerit, vel ſocius fuerit facientis, aut illum vel illos bonis aliquibus ſpoliauerit, vel prouinciæ ſupradictæ alicuius Ciuitatis, caſtri, vel loci de prouincia ipſa populum, communitatem, vel vniuerſitatem, aut aliquos ex eis, vel quoſuis alios de prouincia ipſa, directe vel indirecte, contra nos, & præfatam Eccleſiam, ſeu Rectores, Officiales, & locum tenentes prædictos, vel ipſorum aliquem ad ſeditionem quomodolibet excitabit, ac rebellionem ſeu conſpirationem, per ſe, vel per alium, ſeu alios, facere vel procurare præſumpſerit, vel ad ea ſiue ipſorum aliquod dederit auxilium, conſilium vel fauorem, directe vel indirecte, publice vel occulte, cuiuſuis conditionis, Ordinis, dignitatis, aut ſtatus, Eccleſiaſtici vel mundani fuerit, etiamſi Patriarchali, vel Archiepiſcopali, ſeu Epiſcopali, vel ſuperiori præfulgeat dignitate, perpetuo ſit infamis; vt nec ad teſtimonium vel alios actus legitimos admittatur: ſit inteſtabilis, vt nec teſtandi liberam habeat factionem, vel ad alicuius bona ex teſtamento vel ab inteſtato vocetur. Nullus ei ſuper quocunq; negotio reſpondere: ſed ipſe aliis reſpondere teneatur. nec quæuis cauſa ad audientiam proferantur illius nec valeant eius ſententiæ, vel proceſſus.*

*Nullus ei in quacunq; cauſa, vel negotio patrocinium præſtare præſumat: nec ipſe ad patrocinandum aliis admittatur. Inſtrumenta confecta per eum, ſi forte officium tabellionatus exerceat, nullam habeant firmitatem; ſed potius cum auctore damnato damnentur. Dignitatibus, officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis vel mundanis, quæ obtinet, quæcumque ſint, & quocumque nomine*





*cenſeantur, ſit eo ipſo priuatus, ac inhabilis & indignus ad ea, & qualibet alia in poſterum obtinenda. Filij eius ad nullos honores Eccleſiaſticos vel mundanos, ad nullas dignitates vel beneficia Eccleſiaſtica, aut officia publica quomodolibet admittantur. Libertatibus & etiam immunitatibus realibus & perſonalibus, priuilegijs & indulgentijs quibuſcumque, ſub quacumque forma verborum ab Apoſtolica ſede conceſſis, extunc penitus careant. Vaſalli & homines à iuramento fidelitatis, & alia quauis obligatione quibus tenentur eidem ſint penitus abſoluti. Feuda quoque, iura, honores ac officia, & alia quæcumque bona immobilia, quæ in dicta prouincia Marchiæ & alibi vbicumque à prædicta Romana obtinent Eccleſia, ſint eo ipſo penitus confiſcata. Alijs vero feudis, iuribus, honoribus, officijs & bonis immobilibus, quæ à quibuſcumque alijs tenent Eccleſiis ſint eo ipſo priuati: quæ ſic ad eaſdem Eccleſias libere reuertantur, quod de illis earum Rectores pro ſua voluntate diſponant; mobilia vero bona ipſius concedimus fidelibus occupanda. Illud nihilominus adijcientes noſtræ huiuſmodi ſanctioni, vt ſic delinquens, excommunicationis ſententiæ; Vniuerſitas vero ſeu communitas quæ deliquerit in prædictis, eiuſque territorium & diſtrictus, interdicto Eccleſiaſtico ſubiaceant ipſo facto. à qua quidem excommunicationis ſententia, nullus ab alio, quã à Romano Pontifice poſſit abſolutionis beneficium obtinere, niſi duntaxat in mortis articulo conſtitutus. Per hoc autem non adimimus ſæcularibus Poteſtatibus facultatem vtendi legibus contra talem, quas aduerſus ſic delinquentem Catholici Principes ediderunt. Dignum & enim eſt vt quos timor Dei à malo non reuocat, pœnarum moles in eos exaggerata compeſcat.*

*Nulli ergo, &c. noſtræ functionis & ſanctionis, &c.* Datum Auinion. VIII. Calend. Septemb. anno II. Et quidem eas cenſuras, Ioannes Pontifex, in Picentes rebelles exerebat.

VII. FERRARIENSIBVS ADMINISTRATORES INSTITVTI À IOANN. PP.

Cæterum vt Flaminios Ferrarienſeſque, & in officio contineret, & ad Dominum Eccleſiæ iſtos recalcitrantes reuocaret, Aymericum è Caſtro Liuij Archidiaconum Tranſigenenſem in Eccleſia Turonenſi, & Bernardum Atrebatenſem, Vbertumque Bononienſem Epiſcopos, Rectores & adminiſtratores generales in temporalibus, Ciuitati Ferrariæ, eiuſque Comitatibus & diſtinctibus præpoſuit: & Aymerico, apud Bononienſes perſcripſit, niſi intra dies XXX. Ateſtini principatu abirent, iuberet eos impiorum numero haberi omnibuſq; ciuibus piorum omnium commercio interdiceret. Hæc quidem tunc Ioannes iniunxit, atque vix anno poſtea elapſo, Aymericum, Comitem Flaminiæ inſtituit. *Rubeus hiſt. Rauennat lib. 6. & Ioann. Baptiſt. Pigna hiſt. Ateſtina lib. 4.*

VIII. IIDEM REBELLES EXCOMMVNICANTVR.

Cum autem Adminiſtratores prædicti, Rainaldum Ateſtinum, & quamplures Ferrarienſium Ateſtino adhærentes, mandatis Apoſtolicis refragari, neque Ferrariæ dominium Eccleſiæ Romanæ ac ſibi concedere velle viderent; tam in illum, quam in iſtos proceſſu facto, anathema ſtrinxerunt, atque Vrbem ſacris priuauerũt. Hanc illorum ſententiam, Ioannes Pontifex proceſſu in die Cœnæ Domini publicato, confirmatam euulgauit, atque cenſuras Eccleſiaſticas in rebelles aggrauauit: data Epiſtola edictali, quæ in eius Regeſtro numeratur, CXLIX.

IX. IOAN. PP. SVMMA IN LVDOVICVM BAVARVM REBELLIONIS INCENTOREM CLEMENTIA.

Eodem anno, Ioannes Pontifex, patientia in Ludouicum Bauarum vſus, nequaquam in auctorem, vel ſocium rebellium, ſententiam declaratoriam præcipitauit. Quamuis enim non ignoraret, illum procerib. Gibellinis animos addere, & ad recalcitrãdum eos perurgere; benignitate tamen & longanimitate Apoſtolica vſus, tolerandum aliquantiſper putauit; ſi forte temporis interſtitio ſanaretur. Addidit & aliqua poſtulanti indulgere. Namque, vt in terris ſuis hoſpitalia militaris Ordinis extruere poſſet, datis literis nu. 346. conceſſit, neque illis aliter præſcripſit, quam, Duci Bauariæ in Regem Rom. electo, ne ſcilicet lite pendẽte de electionis potioritate, præpoſtera aliqua præſcriptione epiſtolari, cauſæ illius præiudicaſſe videretur.

X. SVMMARIVM GE-

Hoc ipſo anno, Ioan. Pont. 1. Regem Galliarum, vt in ſacro miſſæ audiendo vitaret colloquia, vt in diuinis



reb. maiorem deuotionem præ ſe ferret, vtq; dieb. Dominicis iudicia fieri nõ permitteret, neue Eccleſias per Officiales ſuos grauari permitteret, admonuit, 2. eiuſdem Regis Seneſcalcum Carçaſſonenſem, quod Arnaldum de Villarib. & alios ſuſpectos de hæreſi ad carceres Romanæ Curiæ hactenus non miſiſſet, coarguit, 3. Cõfeſſori illius eiuſdem Regis, vt eundem ab omnib. peccatis, ẽt ſedi Apoſt. reſeruatis abſoluere poſſet, vtque Clerici illius & Regis Nauarræi aliud officium coram eo, præter id quod ordinatum fuerat pro capella, non tenerentur perſoluere, conceſſit 4. Ipſi illi eidem Regi Franciæ, ne, ſi clericos facinoroſos, propter notoria enormia crimina capere faceret, cenſuras Eccleſiaſticas incurrat, indulſit: ne tamen eorum iudicium, aut correctionem ſibi arrogaret, ſeuerius edixit. 5. Inquiſitoribus Regni Galliarum, vt contra ſuſpectos de hæreſi procederent, eoſq. ẽt de Eccl. capi procurarent, atq; ẽt legib. Eccl. in conuictos agerent, præcepit, 6. Villas Sarlaten. diœceſis Pettagoricen. 7. Caſtrenſem, diœceſis Albiẽſis, 8. de S. Floro diœceſis Claromonten. 9. de Limoſo & 10. de Condonno Agennẽſis diœceſis, & alias alijs plurimis in locis, in Ciuitates erexit, Eccl. earũ Cathedrales eſſe voluit, atq; ſingulis Epiſc præpoſuit, recens Epiſcopatib. bono publico inſtitutis. Hæc in Gallijs. In Aragonia, ad 11. Id. Iul. 11. Cæſaraugustanam Eccleſiam, Metropolis dignitate ornauit, eidemq; Oſcenſem, Turiaſonẽſem, Pompelonenſem, & Calaguritanam Eccl. a Tarraconenſi Archiepiſcopio ſeiunctas, adhæc, quod inter Toletanũ & Tarraconenſem Antiſtites de Albarrazinienſi diœceſi controuerſia eſſet, atque vterq; ſuis limitib. contineri contenderet: Pont. eorum iuris atq; ditionis exortem reliquit, & Cæſar Auguſtanæ metropoli attribuit: & Cæſar auguſtano Archiepiſc. vſum pallij ſacroſancti certis dieb. conceſsit. 12. Confeſſori Regis Aragonum, vt eundem Regem à cenſuris Eccleſiaſticis exſolueret, indulſit. Permiſerat ſiquidem ſuis ſubditis, vt lege Eccleſiaſtica vetita, Sarracenis deferrent, atq; venum exponerent, 13. Indidem in Aragonia, vniuerſis prælatis vt Templarios reſiduos, ad aliquam religionẽ probatam ſuſcipiendam, reiectis vadimonijs compellerent imperauit. In Hiſpanijs 14. priuilegia Compoſtellanæ Eccl. confirmauit. 15. Archiepiſcopo Toletano, vt Clerici ſui atque ſuorum ſucceſſorum, quamdiu ſub ſacris ſignis contra Sarracenos militauerint, fructus beneficiorum ſuorum poſsint abſentes percipere; permiſit. 16. Ad IV. Cal. Aug. Gerardum Roccabertinium & Vitalem Villanouanum Regis Aragonum Iacobi Legatos, & Franciſcum Antiochenum Archiepiſcopum Panhormitanum, ac Franciſcum Intemalium Giracenſem Comitem Friderici Trinacriæ Regis Oratores audiuit. Superiore anno inter iſtos Reges & Robertum Siciliæ cõuenerat, vt ad diem deſignatum Auenione coram Pontifice conuenirent, de ſumma rerum tractaturi. Per Robertum & Fridericum ſteterat, quominus accederent; cum ille Pontificios, iſte Gibellinos, Inſubres & Ligures adinuicem tumultuantes, ad tuendum ſuſceperint. Internuncij tantum interceſſerunt, deque conditionibus pacis egerunt. Aragonij, Corſicæ & Sardiniæ poſſeſsionem, eo pacto Roberto permittebant, vt is Regi Iacobo commodis & honori ſatisfaceret, neq; amplius Fridericum armis laceſſeret. Friderici Orat. Ioan. Pont. Max. vltra vetus tributum, in ſingulos an. IIII. M. auri vnciarum, Regni Siciliæ iure ſibi reliquo, offerebant. Nihil certi tunc conſtitutum, præter inducias pactas. Nomine Regis Friderici, à Legatis deſtinatis, in omnium publico conſeſſu ligium homagium ſummo Pont. dictum, atque literis Datis Mazariæ, aurea bulla quam vocant munitis firmatum. Cenſum quoque XV. M. Aureorum ratione eiuſdem Trinacriæ Bartholomeus Aſciuolius Friderici familiaris ſoluit, & prorogationẽ reſiduæ ſummæ quemadmodum & Robertus per ſuos internuncios poſtulauit. 17. Pactæ ſunt etiam tunc temporis, inter Robertum Siciliæ regem, & Comitem Sabaudiæ, induciæ: ne videlicet Comes, refractarios quoſdam tueretur.

STORVM IOAN. PP. HVIVS ANNI.

1. epiſt. 44. & 46.
2. ep. 57.
3. ep. 322 & 848.
4. ep. 441.
5. ep. 4143.
6. ep. 479.
7. ep. 3372.
8. ep. 3373.
9. ep. 3865.
10. ep. 3876.
11. ep. 140.
12. ep. 234.
13. ep. 278.
14. ep. 2150.
15. ep. 1351.
16. Surita lib. 2. & Codex Columnon Biblio. Vatican. & ep. 1363. & 6. 7. 781. & 154 & 4135.

QVIBVS CONDITIONIBVS PACTAE INDVCIAE INTER IACOBVM ARAGONVM FRIDERICVM TRINACRIAE ET ROBERTVM SICILIAE REGES.

17. ep. 88.

XI. ROBERTVS SCOTVS EXCOMMVNICATVR, ET SCOTIA INTERDICTO SVPPONITVR.

In Anglia. 18. Legati Cardinales, cenſum Romanæ Eccleſiæ ex eo & Hiberniæ Regno debitum exegerunt; 19. & Robertum Scotum, quod pactis non ſtaret, & arma interdicta in Edouardum Angliæ Regem monuiſſet, anathemate percuſſerunt, atque vniuerſæ Scotiæ ſacris interdixerunt. Secuta eſt contemptores cenſuræ diuina vindicta, Edouardus Roberti Bruſij filius vna cum 29. Scotis primoribus in prœlio interceptis, capitis imminutione interijt in Dondalkiana arce.

18. ep. 96.
19. Thom. Valſingam hiſt. Angl.

XII. EXCOMMVNICATVR ITERVM ROBERTVS COMES.

In Belgio Ioſſerannus Cardinalis Legatus, ad Belgas cum Rege Galliarum conciliandos, non multum ex animi ſententia egit. Turnacum aduenerat, & Guidoni Epiſcopo negotium commiſerat, vt is Flandros in colloquium, Turnacum euocaret. Is porro duos Monachos Minoritas, quorum alteri Petro Paludano nomen, ad Robertum Comitem ire iuſsit, quos quidem Fratres in cuſtodiam duci Robertus imperauit, pacem qua de venerant, aſpernatus. Ea re commotior factus Legatus, auctoritate qua pollebat, in Robertum cenſuras publicauit. *Annal. Flandr. lib. XI.*

XIII. CONTINVATIO GESTORVM IOANNIS PAP.

Felicius egerunt Legati Ioannis, ad conciliandos Armeniæ & Cypri Reges ab eo deſtinati. 20. Inducias enim inter eos compoſuerunt, & arma vtriq; parata è manib. extorſerunt, ad pacem inclinante Armenio, 21. qui ſuperiore anno internuncios ad Ioannem Pont. ea de re miſerat, & de rebus fidei Orthodoxæ edoceri poſtularat. 22. cui etiam Pontifex, hoc tempore formulã fidei tranſmiſit, 23. & tum Epiſcopo, tum Capitulo Famauguſtano, vt pauperum clericorum Armeniorum apud ſe, & in vniuerſa Inſula Cypria rationẽ haberent commẽdauit.

Eodem anno Ioan. ſummus Pont. 24 Ducem Lituanorũ, ad fidem Orthodoxam inuitauit. 25. Fratres prędicatores quamplurimos in Orientem & Aquilonem prædicandi Euangelij gratia Calendis ipſis Maij deſtinauit, & ex his F. Francum Peruſinum Archiepiſcopum Sultanienſem creauit, vtque is ſex alios religioſos ex Ordine Prædicatorum lectos in Perſidem, ad propagationem fidei Chriſtianæ deſtinatos Epiſcopali dignitatẽ exornaret, poteſtatem fecit. 26. Prouincialem Gręcię Ord. Pręd. vt ad perſequendos in Prouincia ſibi commiſſa hæreticos, Fratres Zelo Catholicæ veritatis feruẽtes ſubmitteret, hortatus eſt. 27. Vpſalenſi Eccleſiæ, priuilegia à Rege Sueciæ conceſſa confirmauit. 28. Herbipolenſi Eccl. donationem ab Imp. Friderico factam approbauit. 29. Ord. Grandimontenſem quorundam improborum nequitia labefactatum, reformauit: ac Monaſteriũ Grandimontenſe, Abbatis, à Monachis eligendi honore decorauit. plures Abbatias eius Ord. erexit, nec non plurimas leges pro conſeruatione eius Ordinis ſaluberrime conſtituit. 30. vt ter ſingulis diebus tintinnabula à mane ad veſperum pulſarentur, quo vnuſquiſque ter ſalutationem Angelicam recitaret, inſtituit. 31. Ordinem Monachorum Alborum, qui à Monte Oliueto in agro Senenſi nomen habet, ſub regula Diui Benedicti inſtitutum, approbauit.

20. ep. 1028. & 1137. & 1107.
21. ep. 87.
22. ep. 211.
23. ep. 610.
24. ep. 104.
25. ep. 1745.
26. ep. 1435.
27. ep. 2778.
28. ep. 1483.
29. Ciaccon in Ioan. 22
30. Polyd. li 6. de inuu. c. 12
31. Ciaccon. ſupra.

XIV. ALBORVM MONACHORVM ORDINIS INSTITVTIO PER BERNARDVM PTOLOMAEI APPROBATVR à IOANNE PP.

Per id enim temporis 32. tres viri Nobiles Senenſes, Bernard. Ptolomæi, Ambroſius Picolhomineus, & Patricius Patricius, ei religioni initium fecere, ex hac occaſione. Profitebatur Philoſophiam, magna cum laude, apud Senenſes, Bernardus Ptolomæi non minore probitate quam doctrina & eloquentia illuſtris. Accidit aliquando, vt coram frequenti auditorio, de vanitate Mundi perorarer. Tanta fuit vis ſermonis in dicente, vt Ambroſius & Patricius eum extemplo conuenerint, & de relinquendo ſæculo mentem ei ſuam aperuerint. Eodẽ deſiderio feruebat Bernardus. Quamobrem duos ſocios nactus, omnibus quæ hactenus poſſederat diſtractis atq; relictis, quindecimo à Senis lapide montem, cui ab Oliueto nomen, vna cum eis ſeceſsit; inque eo ſeceſſu vita eremitica concepta, tantos progreſſus in ſanctitate fecit, vt breui tempore fama virtutum eius peruagante, multos ad idem vitæ inſtitutum pertraxerit, eamque religionem condiderit. Non potuit Sathan omnis boni oſor, ea incrementa nouellæ plantationis ferre. Quamobrem aliquos inflammauit, qui Bernardum & ſocios, tum ſuperſtitionis, tum nouitatis apud ſummum Pontificem accuſarent. Coactus Bernardus, & innocentiam orbi oſtendere, & recens inſtituti Ordinis approbationem à ſede Apoſtolica obtinere, aliquos ſociorum Auinionem ire iuſsit. Vidit illos Ioannes; & cum homines quidem frugi, religionem vero optimis fundamentis nixam, & non infelicibus progreſsionibus auctam eſſe intellexiſſet, inſtitutum eorum laudauit, & Guidoni Petræ Malæ Aretino Epiſcopo, qui illis formulam vitæ præſcriberet, & habitum decentiorem eos indueret, commiſit.

32. Paulus Morigia hiſt. Relig.

XV. IOAN PP. ARCHIEPISCOPO SVLTANIENSI PRAEDICATIONIS DAT SOCIOS.

Reuertebantur in Etruriam viri pij, cum Guido Epiſcopus ſecundum viſionem aſpexit, Diuâm Deiparentem, Angelis circumſtantibus veſtes candidas, vna cum Regula Diui Benedicti, porrigere. Aretium cum primo illi veniſſent, & mandata Ioannis Pontificis Guidoni expoſuiſſent, intellexit ſtatim ille, quos viſio pridem obiecta commonſtrabat. Itaque ſine mora, & candidum amictum illis impoſuit, & regulam Diui Benedicti præſcripſit, & auctoritate ſummi Pontificis Ordinem eorum approbauit.

Hoc ipſo anno F. Bartholomæo Abaliaſi ſuffraganeo Snltanienſi, Bernardo Moreti; Gerardo Calueti, Bernardino Placentino, Bartholomæo de Podio, & Guilelmo Adæ ex ordine Diui Dominici, in imperio Perſarum ab Archiepiſcopo Sultanien. ex præſcripto Apoſtolicæ ſedis ad Epiſcopatus aſſumptis, Ioan. Pont. vt in pra dicatione Fidei Archiepiſcopum ſedulo adiuuarent præcepit, cum ẽt Archiepiſcopum ad bene adminiſtrandam Eccleſiam monuiſſet, & indulgentiam ædificantibus Baſilicam Sultanien. conceſsiſſet, ipſique Archiepiſc. pallium miſiſſet. *ep. Ioan. hoc anno 6. Idus Auguſt.*

XVI. BARTHOLOMAEI PARVI ORDINIS DOMINICANI PRAEDICATIONES ET OBITVS.

Hoc anno ad cœleſtem patriam emigrauit, B. Bartholomæus, cognomento Paruus, Bononien. Ordinem Prædicatorum profeſſus. Is à ſede Apoſtolica, in Armeniam Minorem deſtinatus, fidem Chriſtianam ibidem, partim idololatriæ tenebris, partim hæreſeon & ſchiſmatis erroribus obrutam, reuocauit atque vindicauit. Notæ ſunt apud Prateolum Armeniorum ſchiſmaticorum hæreſes.

ARMENIORVM SCHISMATICORVM HAERESES.

1. Primatum Romani Pontificis contemnunt: ſuo tantum Primati, quem Catholicum appellant, obſequentes.

2. Adamum & Euam, ſi in ſtatu innocentiæ perſeueraſſent, numquam matrimonio copulandos; & filiorum procreationem aliter futuram aſſeuerabant

3. Ab omnibus Sacramentis, virtutem gratiam conferendi auferebant.

4. Baptizatos in Eccl. Catholica rebaptizabant: neque verum eſſe baptiſma in Eccl. Rom. mentiebantur.

5. Baptizandis vna cum baptiſmo, etiam Euchariſtiam debere miniſtrari contendebant.

6. Chriſma ad baptiſmum adeo neceſſarium eſſe prædicabãt, vt ſine eo neminem eſſe baptizatum, quamuis baptizatum cenſebant.

7. Peccatũ originale ab hominibus nõ contrahi, neq; pueros ad eius ablutionẽ baptiſ. indigere, publicabant.

8. Beatos non eſſentiam, ſed quandam claritatem Dei videre, neque ante diem iudicij animas ad beatitudinem admitti docebant.

9. Mendacem Deum faciebant: quod is Caimum à nullo homine occidendum prædixerit, & tamen Caimus ſeipſum trucidarit.

10. Spiritum S. à ſolo Patre procedere exiſtimabant.

11. Euchariſtiam non poſſe in azymo, ſed in ſolo fermentato confici tradebant.

12. Sub ſpeciebus panis & vini Euchariſtici, non eſſe verum corpus & ſanguinem Chriſti, eiuſque ſacratiſſimi cibi vſum, neque prodeſſe, neque obeſſe aiebant.

13. Aquam vino in conſecratione calicis non miſcebant.

14. Pœnas inferni temporarias eſſe, & Chriſtum omnes animas dãnatas ex inferno eduxiſſe affirmabant.





15. Matrimonij vinculum, non eſſe Sacramentum, neque aliquam gratiam conferre dicebant.

16. Paruulos fidelium ſine baptiſmo decedentes, in paradiſum terreſtrem relegabant; infidelium ad inferna cum parentibus detrudebant.

17. Omnes homines ante paſſionem Chriſti defunctos, propter peccatum primorum parentum inferni tenebris damnatos fuiſſe aiebant.

18. Homines fore impeccabiles, ſi tentatores dæmones abfuiſſent, aſſerebãt: & peccata non libero arbitrio, ſed ſoli tentationi exteriori tamquã cauſæ aſſignabant.

19. Aliqua peccata irremiſsibilia eſſe aſſerebant.

20 Purgatorium ignem & locum auferebant.

21. Chriſtum Sabbatho poſt Paraſceue reſurrexiſſe; omnes autẽ in ſexu virili reſurrecturos prædicabant.

22. Fœmineum ſexum poſt reſurrectionis diem extremum non fore docebant.

23. De Trinitatis & incarnationis myſterijs, nõ ex Catholicę Eccleſię, ſed veterum hęreticorũ ſenſu ſentiebãt.

24. Paſcha Dominicum, immolatis animantibus, & eſu agni more Iudaico celebrabant.

25. Crucem ſanctam non prius adorabant, quam illam baptizaſſent, & in medio illius clauum fixiſſent: ac ſanguine victimæ inunxiſſent.

26. Veterem aliquorum hæreſin, qui ſenſu alieno, vnã S. Trinitatis perſonam Cruci affixã fuiſſe, confitebãtur, amplectentes, Deitatem quoq; paſſam blaſphemabant.

27. Oblationẽ ſacrã oleo ſubigebant, atq; inungebant.

28. Monophyſitarum ſenſu digito vno à læua dextram verſus, ſeipſos Cruce ſignabant.

29. Crucẽ ſanctã magno Paraſceues die ſub terra vſq; ad magnum Dominicũ diem abſcondebant; & poſtea eo die cũ lumine per plateas & angulos circumeuntes, hinc & inde eam quærentes, tandem inuentam proferebant.

30. Monophyſitarum, Theopaſchitarum, Aphtartodocitarum, Monothelitarum, Monophyſitarum, Staurolatrarum, Chazinzariorum, Petri Chnaphei & Seueri errores ſequebantur.

31. Annuntiationẽ ſimul & natiuitatem & Baptiſmum Chriſti celebrabant.

32. Plurima de cæremonijs, ieiunijs, & ſacrificandi rationibus adiaphora; non ex vſu Eccleſiarum, admittebant, atque obſeruabant.

XVII. ARMENI AB HAERESIBVS ET GENTILISMO A BARTHOLOMAEO CONVERSI.

His hæreticorum & ſchiſmaticorum tenebris adiunxerat ſe caligo gentilitiæ falſitatis, à Turcis & Saracenis Armeniam incurſantibus affuſa. Diſcuſſit vtramq; noctem ſplendore doctrinæ & eloquentiæ, longe autem magis innocentia vitæ & exemplo Bartholomæus Bononienſis, Armeniorũ Genti cum poteſtate Archiepiſc. prælatus, adeo vt is ſolus, vel inſtaurator, vel certe Conditor Chriſtianæ veritatis in Armenia videretur. Multos enim errorem gentilitium errantes, ad veritatẽ certiſſimã adduxit: longe plures ſchiſmate ab Eccleſia ſeiunctos Orthodoxiæ reincorporauit, & hæreſes eiurare edocuit. Numerus non eſt omniũ; quos vel ſacri baptiſmatis regeneratione ablutos Chriſto cõcorporauit, vel ſacratioris doctrinæ præceptionibus informatos Catholicæ vnitati reduniuit. Templa quamplurima ædificauit, exornauit, amplificauit. Sacramentorum frequentem vſum introduxit; Religionem Prędicatoriam bono totius Chriſtianitatis in Armeniam inuexit. Libros ſacris officijs deſtinatos, vnà cum plurimis S. Thomæ Aquinatis dogmaticis libris, vt facile à ſimplicioribus dogmata Chriſtiana perciperentur, in Armenum idioma traduxit. Quamquam materno Italico idiomate Arymenis & Turcis concionaretur, ab omnibus tamẽ, propter donum linguarum, intelligebatur. A Turcis ſemel interceptus, cum fuſtibus latera eius cõtudiſſent, & vngulis manuum ac pedum ſudes arundineas infixiſſent, propter Chriſtum patientiſsimo & conſtantiſſimo animo tulit. Poſtquam autem totam illam prouinciam, dogmate Chriſtiano imbuiſſet, omneſque prouinciales ea quæ ſalutis ſunt ab eo didiciſſent, die Sacro Aſſumptionis SS. Deiparentis, plenus bonis operibus, Sancto fine quieuit, anno Salutis M CCC XVIII. Indidem apud Armenos ſepultus, multis eouſq; fulget miraculis, propter quæ etiam ipſis Turcis in maxima veneratione eſt; cum aliqui eorum ægritudinibus varijs conflictati, ex puluere ſepulturæ Sancti viri medicinam percipiant. A Beati Bartholomæi prædicationibus, ad hæc vſque noſtra tempora, ſola illa quam is excoluit Prouincia inter Perſas idololatras & Mahometanos cultum Chriſti ſequitur, ſub Archiepiſcopo Catholico, quem FF. Prædicatores elegerint, & Romanus Pontifex conſecrarit. Namq; Bartholomæus moriturus Armeniis præcipiens, vt Fratribus Prædicatorib. in poſterum ducibus in fide ac religione, Chriſtiana vterentur etiã iſtos lege ſingulari aſtrinxit, vt confirmationem electi, à Romano Põtifice depoſcerent. Anathema inſuper Maranatha imprecatus eſt, qui vel Romanum Pontificẽ tamquam Vicarium Chriſti & Principẽ Paſtorum nõ agnoſcerent, vel à Rom. Eccleſ. tamquã vera ſponſa Chriſti, & Matrice Eccleſiarũ non penderẽt. *Prateol de vitis & ſectis Hæretic. Leander li. 3. & Michael Pius li. 1. de viris Illuſtri. Ord. Præd.*

XVIII. FRANCISCI PETRARCHAE APOLOGVS IN AVAROS AD IOANNEM COLVMNIVM.

Hoc tempore, Franciſcus Petrarcha iam ſtylu exercere adoleſcens incipiebat. In auaros, non inelegantem apologum araneæ & podagræ, ad F. Ioannem Columnium Ord. Pręd. ſcripſit, qui quod mores reſpiciat, non indignum cenſui exſcribere.

Anilem tibi fabellã, ſed ex re (vt Flaccus ait) garrio. Aranea iter agens forte obuiam habuit podagrã, & quo, inquit, tam mœſta proficiſceris? Ruſticum, ait illa, & hirſutum hoſpitem nacta eram, qui me fame ac labore perpetuo cruciabat; qui cum à mane ad veſperam, me inter glebas & ſaxa tenuiſſet, vix ſerum puluerulentam atq; in opem domum repetebamus miſeri. Nunquam integris calceis, numquam ſine faſce grauiſsimo. Illic infelicem diem nox haudquaquam felicior ſequebatur. triſti quidem ille me cœna, mucidi ac lapidoſi panis veteribus fragmentis, alioq; & præduris oleribus ſolabatur, aceto turbidam ſuperinfundens aquam. Saturnaliũ dies erat, quotiens caſeus Sardus acceſſerat. Sic exceptã, agreſti demum, & ipſius agelli duritiam ſuperante grabatulo componebat. Ad auroram inde conſurgens, rurſus in campũ, & ad inuiſum cogebat opus. Sic dies diem vrgebat, nulla interim quies, nulla ſpes quietis Feſto enim die, aut domini lauabat oues, aut riuo viam præparabat, aut ſepem noualibus prætendebat, immortale malum, & domum meis moribus aduerſam peroſa, diffugio. His auditis aranea; Heus, inquit, quam diuerſa conditio mea eſt. Hoſpitem habui effœminatum & mollem, apud quem non ſummum modo, ſed ſolũ bonum voluptas erat. Raro pedẽ domo efferebat; cœnam ad auroram, prandiũ trahebat ad veſperam: reliquum ſomnus habebat, purpureis acceſſitus ſtratis. Quod conuiuijs luxuriæque ſupererat, quieti datum. Conquiſitæ intus epulæ peregrinæ, ſpecies odorũ, Bacchus alienigena, vaſa aurea, gemmata pocula, ſerico veſtitus paries, oſtro tellus inſtrata. Hæc inter ſolicita ſemper familiarium turba diſcurrens, locis omnibus aderat. Nulla domus pars neglecta, nullus angulus inacceſſus, dum verritur ſolum ſcopis, dum de laqueatis trabib. puluis excutitur, vix vſquam artificij mei telas ſinebat ordiri: & quo nil eſt triſtius, ſi cœpiſſem, pro rerũ apparatu, ſpẽ caducã & labores meos irritus videbã. agebar infelix, præceps eijciebar; quærebã latebras: nullæ erãt Solidus niueo murus ex marmore, nulla mihi miſeræ diuerſoria relinquebat. Fugi igitur à facie perſequentis, vbi iis quietũ exilium, domeſticis ſine fine laborib. prælatura. Hæc cũ illa dixiſſet, reſpondit altera. Heu quam multa sũt bona, quę vel neſciendo, vel negligendo perduntur. Ignorantia cæcitas mentis eſt, negligentia torpor eſt animi. Aperire oculos opportet, & quæ ſalutaria ſeſe offerunt, non differre. Ecce nunc ex his quæ dixi, quæque audio cum peſsime ſit nobis; erit optime ſi permutemus hoſpitia. Tuus mihi, tibi meus hoſpes aptiſsimus fuerit. Placuit conſilium, mutant domos: & ex illo obtinuit, vt podagra inter delitias, & in palatijs diuitum, aranea in ſqualore & pauperũ tugurijs habitaret. Domũ

tuam, amice, podagram ſubintraſſe audio. Miror. Non putabam illi locum eſſe, in domo tam ſobria, vereorq;, ne quid ibi ſui iuris inuenerit. Quod ſi verũ eſt, nõ malũ magis, quam mali cauſam exhorreo. Malo iam habeas hoſpitem araneam. Principijs reſiſtendum eſt. Nulla melius reſiſtitur ope, quam vigilijs, labore, ieiunio. Vidi ego quemdam podagricum, eumdem podagra liberatum reuidi, quæſiui cauſam: nullam mihi aliam reddidit, quam quod ſe vino penitus abdicaſſet. Refert Cicero, & poſt Ciceronem alij, quoſdam diuites podagra inutiles, cum pauperes facti eſſent, ſanitati reſtitutos. Non audeo iubere, vt ſis pauper, quamuis iubere nõ ſit neceſſe, ſi ſapis. Inter cætera (vt audio) profeſſus es ſpõtaneam paupertatẽ, an mentior? Certe intra religioſum limen & præſertim intra cellulam mendicantis, nullus diuitijs locus eſt. Opulẽtia enim & mẽdicitas, ſimul nõ habitant. Si paupertas excluditur; vereor, ne nõ tam aurum, quã quod ait Apoſtolus, theſaurizes irã in die iræ. De hoc tamẽ ipſe videris, qui fœderũ quæ cum Chriſto habes meminiſti. Si oblitus es: relege pactorum chirographum; inuenies quid tu illi promiſeris, quid ille tibi. Paupertatem ſponte deponere non potes: viuas itaq; vt pauper. Frugalitatem tibi ſuadeo. Hanc tibi vnam viam corporeæ ſalutis oſtendo, alter tibi adſum Hippocrates. Amarum forte, ſed ſalubre pharmacum offertur. Si vis ſanus eſſe, viue vt pauper. Latens aurũ in arcula, animo tantum nocet: victus delicatior & animo & corpori nocet. Proinde ſi vis podagram depellere, pelle delicias. Si malum omne vis pellere, pelle diuitias. Hæc Petrarcha ad Fratrem Ioannem Columnam Ord. Præd. profeſſorum, cuius ſunt duo ingentia volumina hiſtoriarum. *Petrarch. lib. 3. ep. 13.*

XIX. MONSTRVM NATVM IN AGRO VOLATERANO.

Hoc anno Domini 1318. in agro Volaterano monſtrũ natum eſt: duo pueri vno vmbilico iuncti, ab altero latere bina crura ſed inualida pendebant, ab altero vnum tantum. Vixit dies non plures XLVI. *Bernard. Guid. in Ioanne XXII.*

## IESV CHRISTI.
### Annus 1319.
### IOANNIS PAPAE XXII. ANNO 3. & 4.

I. MATHEVS VICECOMES MEDIOLAN. TYRANNIDEM IN PONTIFICIOS PROSEQVITVR.

1. *Blondus dec. 2. lib. 9. & Chron. Boſsiana & Petrus Bizarrus hiſt. Genuenſ. lib. 5.*

NOn omiſit interim Matthæus Vicecomes, principatum Vrbis Mediolanenſis per tyrannidem arreptum, iiſdem artibus ſibi ac poſteris conſtabilire: fretus vel maxime conſilio & auxilijs Ludouici Bauari, qui per id temporis, ius ſuum Auinione corã Summo Pontifice vrgebat, & nihilominus clam per litteras & internuncios, Matthæum in conſtituenda tyrannide iuuabat, nec non Gibellinos Italiæ, in Pontificiorum cædem armabat, ſeu excitabat. Itaq; Ioannes Pontifex, miſſo in Italiam Beltrando Cardinale Legato, Vicecomitem & filios, primum officii admonuit: deinde contemnentes, cætu piorum excluſit, atque ſacris vrbi interdixit. Ludouicum quoq; petentem Imperij Romani confirmationem, non exaudiuit; vtque ab Imperialibus abſtineret muneribus, anathematis comminatione deterruit, necnon paulò poſt, Vicecomitibus, & alijs qui ſibi titulum Vicariorum Imperij arrogauerant, fauentem, primum in publico Conſiſtorio; poſtea in Baſilica Cathedrali, anathematis gladio ſpirituali, Auinione percuſſit. quod quidem vſque adeo Ludouicus contempſit, vt miſſis in Italiam Nuncijs, rem Eccleſiaſticam omnino euertere atque peſſum dare contenderit. Vicecomites Richardum Archiepiſcopum Mediolanenſem, & reliquos Pontificios, nec non inprimis Turrianos vrbe exegerunt, & Robertum Siciliæ Regem, Genuenſibus ea tempeſtate præſidentem, Genuæ obſederunt.

GENVAM OBSIDIONE PROFLIGATVR.

Varie tunc apud Ligures certatum: victoria tamen penes Robertum fuit: neque quicquam hoſtilis impetus obſtitit, quominus Ciuitas graui & diutina obſidione erepta, in ſummum gaudium ac lætitiam prorumperet, & paſsim ſupplicationes ad ſanctorum Baſilicas decerneret. Ea lætus victoria Robertus Rex, vbi aliquamdiu Genuæ ſubſtitiſſet, vrbanis rebus rite diſpoſitis, & reipub. adminiſtratione, Richardo Gambaſieſæ, viro ſtrenuo, & cuius fidei plurimum tribuebat, demãdata, nec non ſexcentis equitibus, & aliquot triremibus, ad vrbis tutelam & cuſtodiam ſubſtitutis, Auinionem, vbi tunc temporis Ioannes Pontifex agebat, cum ſua familia & aulico miniſterio conceſsit. Ibi cum apud Pontificem ageret, 2. Inprimis prorogationẽ ſolutionis XXVI. M. vnciarum auri, à ſede Apoſtolica impetrauit. 3. Deinde inducias, ſe inter & Fridericum Regem Trinacriæ pactas ſtabiliuit, eumq; à Vicecomitibus vnà cum Imperatore Græcorũ in fœdus pertractum, diſſociauit, 4. Cũ autem Matthæum & Marcum Vicecomites, viribus reſumptis, ad oppugnandos Guelphos Genuenſes, exercitum promouiſſe intellexiſſet; Ioanni Pontifici, vt Legatum deſignatum in Italiam ad res componendas quantocyus deſcendere iuberet, auctor fuit. Cæterũ ſpe nulla concordiæ affulgente, ſed vbiq; apud Inſubres & Ligures armis ſtrepentibus, ipſe volente Pontifice, Carolo Valeſio Comiti Cenomanenſi, vices ſuas tantiſper donec reuerteretur, in Italia commiſit: nec multo poſt, auxiliares copias, ducibus Vgone Balzio & Simone Turriano, ante ſe præmiſit. 5. Scripſit tunc Põtifex, vniuerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Prælatis Lombardiæ, vt eidem Comiti, Roberti Regis Commiſſo in omnib. obtemperarent: vtq; Beltrandum Cardinalem Legatũ ſequerentur, & anathemata contra tyrannos Mediolanenſ. Mantuan. Veronen. & reliquos titulũ Vicarij Imperij vſurpantes prolata, ipſi quoq; vbique locorũ promulgarent. 6. Legato quoque inter cætera iniunxit, vt is Ilnardum olim Patriarcham Antiochenum, & Eccleſiæ Papienſis adminiſtratorem, Auinione publice condemnatum & diris deuotum, in poteſtatem redigeret; quod is ſpiritu rebellionis afflatus, Summo Pontifici non tantũ detraxiſſet, verum etiam maledixiſſet, ſummamq; plenitudinem poteſtatis in vniuerſam Eccleſiã penes illum non eſſe deblateraſſet, multaſq; alias hæreſes vomuiſſet, & anathemate percuſſus, toto anno in cenſuris Eccleſiaſticis obſurduiſſet, & hæreſis non tantum ſuſpectus verum etiam conuictus, iudicium Eccleſiæ ſubterfugiſſet, Auinioneq; clam à ſubſellijs ſedis Apoſtolicæ, quamquam Sacramento ſeſe aſtrinxerat, diſceſsiſſet: inſuper in Italiã reuertens Vicecomites contra ſummũ Pontificẽ concitaret. Eidem pariter Cardinali Legato Pontifex præcepit vt cõtra Vicecomites vtrumque gladium exerceret, neq; aliquo modo à ſuſcepto in eos ac reliquos iuſto bello deſiſteret, donec illos vel ad æquas pacis conditiones reduxiſſet, vel contumaces & refractarios triumphaſſet.

CVM SVIS A ROBERTO REG. SICILIAE, QVID ROBERTVS EGERIT APVD IOANNEM PP.

2. *Cod. Columm. biblioth. Vatican.*
3. *Ep. Ioann. 68.*
4. *Chron. Boſsiana de rebus Mediolanenſ.*
5. *Ep. Ioann. 62. & 100, 101, 102.*
6. *Epiſt. 196. & Bernard. Guid. in Iohann. 22. & epi. 145.*

III. MATHEVS VICECOMES ANATHEMATE FERITVR, ET MEDIOLANVM INTERDICTO SVPPONITVR.

7. *Paul Iouius in Matthæo M.*

Beltrandus itaq; Legatus, auctoritate Pontificia armatus, conflato ingenti exercitu, & receptis ad ſe Turrianorũ proceribus, diuini iuris tela contorquens, Matthæum impietatis reum æternis inferorum cruciatibus deuouit, & Mediolanenſibus eo nomine Sacra ademit; vt populum diro piaculo conſternatum, in authorem tantæ labis concitaret. Nec Legatum ea res fefellit. Nam hæc emiſſa tela aliquanto grauiore mole, quam promoti ad portas ingentes exercitus, hoſtibus inciderunt. Clauſis itaque templorum foribus, expers ſacrorũ populus, duodecim Legatos ad Beltrandum decreuit, vt expiationem accuratis precibus impetraret. Plures etiam ex amicis veteribus effecti noui hoſtes à Matthæo diſceſſerunt & inter hos Leodriſius Vicecomes patruelis, Franciſcus Garbagnatus, & Simon Cribellus numeroſa familia potens, Legato ſupplices fuerunt. Legatus vir acris, & validis copijs inſtructus, nihil prius populo voluit concedere, quam Matthæus ob conceptam hæreſin aqua & igni interdictus vrbe pelleretur. Eo pulſo ciuitatem expiatam fore, & creatis Decurionibus qui æquo iure gubernarent, ad priſtinæ libertatis decus deletis factionum odijs continuo redituram. Illud tantũ à Legato obtinuere in præſens, vt is 8. ex litteris ſummi

8. *Ep. 64.*

Ponti-



Pontificis declarauerit, homines quarumdam terrarum Mediolanenſ. non comprehendi in ſententiis cõtra Matthæum Vicecomitem prolatis. Et quidem hæc apud Inſubres id temporis agebantur.

IV. ATESTINI OB BELLVM PATAVINIS INDICTVM DENVO EXCOMMVNICANTVR.

9. *Ioan. Bap. Pigna hiſt. Ateſt. lib. 4. & ep. Ioan. 67.*

In reliqua Lombardia, Patauini à Cane Scaligero ſibi metuentes, à Friderico Imperatore electo auxilia poſtulauerant; atque is Henricum Fratrem iuſto exercitu armatum in ſubſidia ſubmiſerat. 9. Ateſtini, propter Ferrariam dominio Romanæ Eccleſiæ detractam, adhuc in ſordibus excommunicati perſiſtebant. Quinque fratres numero, rerum potiebantur; Summa tamẽ Rainaldo III. incumbebat; cum propter magnam experientiam, tum prærogatiua ætatis, cuius inprimis ratio habita eſt. Is itaq; nomine fraterno, Legatos Auenionem ad Ioannem Pontificem deſtinauit, qui poſſeſſionem Ferrariæ, illi & reliquis Ateſtinis impetrarent. Interim autem ſocium ſibi, ad omnes euentus futuros, Canem Scaligerum adiũxit: eiuſq; copiis armatus, bellum Patauinis indixit. Iſtud cum Pontifex intellexiſſet, iterato proceſſu cõtra Ateſtinos publicato, anathemate eos damnauit, adque Epiſcopum Ferrarienſem ſcripſit, vti inter reliquos, aliquot capitibus impietatis reos faceret, Rainaldum atque Opizonem fratres.

V. ALIA GESTA IOANNIS PP.

10. *ep. 25.*
11. *ep. 87.*
12. *ep. 18.*

Eodem anno Ioannes Pontifex 10. ſolutionem cenſus è Regno quidem Siciliæ Roberto Regi prorogauit, 11. à Friderico autem Rege ex inſula Trinacriæ exegit. 12. Ibidem in vniuerſo Regno Siciliæ, contra perſonas Eccleſiaſticas, quæ contra formam Conſtitutionis, quæ incipit, *Execrabilis* beneficia Eccleſiaſtica retinuerant, neq; aliquos ſacros Ordines ſuſceperant, pœnas Eccleſiaſticas pronunciauit. 13. Quoſdam Regni Siciliæ inuaſores, pro die Cœnæ Dominicæ proceſſu publicato, cœtu piorum abdicauit. 14. Regem Angliæ, ne ſedis Apoſtolicæ internuncio impedimento foret, quo minus ille denarium quem vocant S. Petri è Regno Anglicano exigeret, aut iura Eccleſiarum defenderet, admonuit. 15. In inuaſores Regni Angliæ anathema publicauit, 16. ac Robertum Bruis, quod Scotiæ adminiſtrationem ſibi vſurparet, & contra induciarum præſcriptum, arma in Anglos exeruiſſet, ab Eccleſiaſtica communione ſeparauit. necnon Quatuor Prælatis Scotis, turbarum auctoribus, diem apud ſedem Apoſtolicam dixit. 17. Friderico Regi Roman. electo, vt Carolum Regem Hungariæ, cõtra Schiſmaticos depugnantẽ adiuuaret, præcepit: ac 18. Ladislao Loctico Duci Polonorum, necnõ omnib. ac ſingulis ſub eius ſignis aduerſus eoſdẽ Schiſmaticos militantibus, indulgẽtias & priuilegia quãplurima largit⁹ eſt. 19. Debita ex decimis impoſitis reſidua Romanæ Eccleſiæ, in Treueren. Moguntin. Colonien. Saltzburgen. & Magdeburgen. Metropolibus ac Ciuitatibus exegit. 20. Petro Moguntino Archiepiſcopo vita functo, ſucceſſorem præter electionem, auctoritate Apoſtolica dedit: ac pari poteſtate, Rodulphũ Montfortium Conſtantienſi Eccleſiæ præpoſuit. 21. Ex quibuſdam terris Regis Caſtellæ, Romanæ Eccleſiæ vectigalibus, cenſum, 22. è Regno Daniæ, nummum Diuo Petro Deuotum accepit. 23. Regis Daniæ ſupplicis, Oratores audiuit, vtq; anathemate, à Bonifacio VIII. propter captos, & in carcerem detruſos, inq; eodem mortuos quoſdam Epiſcopos obligatum Regem eundẽ aliqui Epiſcopi exſoluere poſſent, poteſtatem fecit. 24. Epiſcopis Daniæ, ne in præiudicium Archiepiſ. Londenſis, Regem ſuũ inaugurare auderent interdixit. 25. Pro Ladislao Loctico Duce Poloniæ ac eius conſorte, atq; exercitu contra Schiſmaticos certante, orantibus, indulgentias quamplurimas conceſſit. 26. Regi Portugalliæ contra Mauros depugnanti, decimam omnium fructuum Eccleſiaſticorum in Regno Luſitaniæ, ad certum tempus deſignatum permiſit. Hoc enim anno Mauri, ſpiritus maiores contra Chriſtianos aſſumpſerãt: quod feliciter aduerſus eos, duce Ozminio pugnaſſent, & exercitum non contemnendum illorum profligaſſent.

13. *ep. 116.*
14. *ep. 100.*
15. *ep. 318.*
16. *ep. 18. & 22.*
17. *ep. 977.*
18. *ep. 33.*
19. *ep. 143.*
20. *Albert. Argentinen. in Chron.*
21. *ep. 13.*
22. *ep. 133.*
23. *ep. 1404*
24. *ep. 589.*
25. *ep. 29.*
26. *ep. 816.*

VI. PETRVS CASTELLAE REGIS PATRVVS ET IOANNES SANCTII REGIS FRATER MAGNAM CLADEM A MAVRIS ACCIPIVNT.

Petrus Regis Caſtellæ Patruus, & Ioannes Sanctii [illegible] frater germanus, ſatis magno cõparato exercitu, in Granatæ vrbis conſpectum penetrare decreuerant. Temerarium id conſilium erat, propter anni tempus æſtuſq; graues. Ad Alcaderem tamen vtriuſq; Principis copiæ collatæ, equites ad nouẽ millia, peditum numeroſa multitudo. In hoſtium fines cum irrupiſſent late populati ſunt terram hoſtilem. In primo agmine Ioannes curabat, virtutis oſtentãdæ intempeſtiua cupiditate: in poſtremo Petrus, cum Diui Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ Magiſtris. Aderant & Præſules Toletanus & Hiſpalenſis, ac lectiſſima Caſtellæ pubes, virtute nobilitateq; præſtans. Illorum ex itinere cœperant, arce propter impatientiã feſtinãdi Mauris relicta. In cõſpectum Granatæ, Sabbatho quo die Ioan. Baptiſt. profeſtum agebatur, cum veniſſent, neq; quicquam opere illo & altero die feciſſent, caſtra retro mouerunt, ac procul à flumine receſſerunt, ardentiſſimo Sole, nulla præparata aqua. Conſilium fuerat Solorii montis radicib. Granatam vrbem obſidione premere, & vaſtitate latiore hoſtes ad deditionem perterrere. Mauri de conſilio Chriſtianorum certiores facti, vrbe egreſſi, eos inuaſerunt. Certatũ magna vi: clamor permiſtus hortatione, lætitia gemitu, armorum fragor procul exaudiebantur. Petrus ad eas voces conuerſo agmine accurrit, Milites diſpalati, à curſu feſſi, vix arma ſuſtinere, vix pedẽ mouere potuerant. Imperia neq; reddebantur, neq; accipiebantur. In tanta rerum perturbatione diſtricto enſe Petrus cum ſuos ad pugnam concitaret, laboris, moleſtiæ, æſtus magnitudine intercluſa repente anima concidit. Idem Ioanni accidit: niſi quod alienata mente ad noctem ſpirare viſus eſt. Triſtiſſimo caſu per exercitum vulgato, milites conglobati aliquantum depugnarunt, donec nox prælium diremiſſet: & tenebrarum beneficio in tutiora euaſiſſent. Corpora duorum Principum Burgis tumulata ſunt. Accepta ad Granatam calamitate, Mauri victoria feroces Oſcam in Baſtetanis, Ores Galeamq; eripuerunt, occupaueruntq; D. Iacobi militibus, in quorum ditione erant. Parte altera Tucci lautiſſimum municipium expugnarunt, inq; incolas ferro ſæuierunt, nulla ſexus aut ætatis miſericordia. Terrore vbiq; prouinciarum diuulgato, et Luſitanus trepidare cœpit. Quem vt ſecurum animi, & paratum ad prælium Ioannes faceret decimationẽ eam Eccleſiaſticorũ fructuum conceſſit. *Surita lib. 2. Mariana lib. 15. cap. 16. & 17.*

VII. FERDINANDVS ET ALFONSVS FRATRES DE REGNI POSSESSIONIBVS CONTENDVNT.

Hoc ipſo anno, Pontifex Ioannes, Berengarium Compoſtellanum Epiſc. ſedis Apoſtolicæ Legatum in Caſtellam ablegauit. Cauſa erat. Ferdinandus & Alfonſus fratres Cerdani, Regio ſanguine nati, quædam oppida ſibi deberi, querebantur, atque non expectata Regis pueri maturiore ætate, reſtitui ſibi poſtulabant. Alfonſus etiam per infantiam Regiam, Regnum non obſcure ambiebat. Ab eo ſpe cum decidiſſet, poſſeſſionem illorum perurgebat. Iſtud quoq; cum nõ aſſequeretur, ad Pontificem ſupplex acceſſerat. Pontifex porro cognitionem negotii Berengario Legato cõmiſerat. is aũt in Conuentu Valliſoletano Alfonſi cauſam egit, dira omnia Pontificis verbis comminatus, niſi morẽ gererent iuſtiſſimis poſtulatis. Mouebat cõmiſeratio hominis, ab ſpe Regni certiſſima, in q̃ natus erat, deiecti, egeni, profugi, vagãtis. Et eſt eo nomine natura hominum praua ꝙ ſæpe petit, atq; ad ea cõſilia cupidiſſime recurrit, quæ antea obſtinatiſſime erãt repudiata, pari in vtroque temeritate, atq; ſtultitia. Vti Alfonſo accidit, eorũ oppidorũ poſſeſſionẽ repetẽti, quæ ſuperiorib. annis attributa, cõceptaq; erant. Id excuſabãt proceres, Sacramẽtiq; religione teneri ſeſe prædicabãt, ne Rege minore, de Regia ditione diminui quicq̃ cõcederẽt. Ferdinãdo Alfonſi fratri datũ, vt Regiæ Magiſter eſſet. *Mariana ſup.*

VIII. ROBERTVS COMES FLANDRVM BELLO COMMVNICATIONIS PACEM

Eodem anno, Ioannes Pontifex, Ioſſeranno Cardinali Legationẽ in Galliis & Belgio prorogauit: vtq; Regẽ Galliarum inter & Robertũ Flandrum pacem componeret impoſuit. Voluerant Belgæ inſula oppido Gallos eiicere. Legatus cum id ex Rege didiciſſet, Tornacũ conuolauit, vt Flandris ceu induciarum violatoribus, omni ſacrorum communione interdiceret. Cognito

Cardi-

CVM REGE GALLIARVM INIRE PROMITTIT.

Cardinalis aduentu Gandenſes, eius fulminatione miniſque perterriti Roberto expoſuerunt, inducias cum Rege firmatas ſe ſeruare velle. Eorum à ſe ſeceſſione permotus Robertus, & ipſe tandem Cardinali agenti promiſit, prolongatis induciis ſe proximo vere Lutetiam ad Regem venire, pacemque cum eo ex æquo & bono confirmare. *Annal. Flandr. lib. 15.*

IX. IOANNES PP. CONTRA IVDÆOS DECRETA SVORVM PRÆDECESSORVM INNOVAT.

Per id temporis, cum Iudæi, blaſphemias, errores, imprecationes, falſitates, & alia non minus temeraria, quam pudenda & execranda Thalmudi mendacia vbique ſpargerent, Ioannes Pontifex data epiſt. num. C. XC. Clementis IV. Summi Pontificis, & aliorum prædeceſſorũ Conſtitutiones contra Iudæos innouauit, & Sacræ Fidei Quæſitoribus in eoſdem poteſtatem conceſſam, legibus acrioribus armauit; præcipiens, vt & libros Thalmud conquiſitos exurerent, & execrandarũ blaſphemiarũ cõuictos caſtigarent. Nimis putida ſunt, quibus eos libros impii inferſerunt, neq; non ex re eſt, ad deteſtationem eorum trepidante calamo adſcribere,

Hæc ſunt aduerſus diuinæ celſitudinem Maieſtatis: quæ Petrus Alfonſus Hiſpanus Iudæus ad Chriſtianitatem ſeculo XII. conuerſus, confutauit.

IVDÆORVM EXECRANDÆ IN DEVM BLASPHEMIÆ.

1. Dicunt Iudæi Deum habere caput & brachia, in cæſarie pyxidem geſtare ligatam corrigia, ipſiuſq; corrigiæ nodum à poſtera capitis parte ſub cerebro firmatum, intra pyxidẽ vero quattuor eſſe chartulas, Iudæorum laudes continẽtes, in Sũmo aũt ſiniſtri brachii geſtare aliam pyxidem, ſimili modo corrigia ligatã, chartamq; ibi eſſe continentem oẽs laudes, quæ in prędictis quattuor ſcriptæ dicuntur. Teſtimonia hæc proferunt. videbis poſteriora mea. Facies enim mea non videbitur. Tunc enim Moyſes nodum corrigiæ vidit. Nodum autem ipſum alicuius pyxidis eſſe neceſſarium eſt. De ea autem quã geſtat in brachio, auctoritas profertur ab Eſaia dicẽte: Iurauit Dominus in dextra ſua, in brachio fortitudinis ſuæ. Per brachium enim fortitudinis vult intelligi ſiniſtram, in qua illa pyxidis virtus continetur.

2. Item aſſerunt, quod Deus in Occidente eſt tantum. auctoritate Eſdræ illud confirmantes, dicentis: Exercitus cœli ſupplicat tibi. exponentes hoc, quod cũ omnes ſtellæ in Occidentem decidunt, tunc exercitus Cœli ſupplicat Deo. & quoniam hæc ſtellarum ſupplicatio fit in Occidẽte, ideo Deũ in Occidẽte aſſerũt eſſe.

3. Item dicunt eũ ſingulis dieb. ſemel in die iraſci de tali re, ob quam ſe nõ poſſit vlciſci; afferentes in mediũ teſtimonium Dauid, dicentis: Fortis iraſcitur quotidie.

4. Prima etiam hora diei eum iraſci aſſerũt; cauſam huius iræ eſſe dicentes ꝙ in illa hora Reges iniquitatis exurgentes, diademata ſibi imponunt, & ſolem adorãt.

5. Tum etiam quotidie ſemel in die plorare, & ab eius oculis duas prodeuntes lachrymas, in magnum mare dicunt concipere. Et has fulgorem eſſe affirmant illum, qui tempore nocturno de ſtellis videtur excidere. Fletus cauſam, Iudæorum captiuitatem eſſe dicũt; quin etiam propter dolorem eum ter in die, vt leonem rugire aſſerunt, & propter id cœlum pulſare pedibus, more calcantium in torculari. More etiam columbæ quemdam ſuſurri ſonitum dare, & quaque vice caput mouere, & dolentis dicere voce: Heu mihi heu mihi, vt quid domum meam in deſertum redegi, & templum meum cremaui, & filios meos in gentes tranſtuli? Præterea, quod tamquam parturiens inuicem collidat pedes, & more dolentis manibus plaudat: & quotidie oret, vt miſericordia eius ſit ſuper iram eius.

6. Item dicunt Iudæi, circa Veſpaſiani tempora ſuũ Chriſtum natum, & Romam, neſcio qua arte, tranſlatum. Ibi eum à canibus dilaceratum & corroſum, in cryptis ſubterraneis latere, indeq; dictũ eſſe; vulneratꝰ eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Victurum autem, & hos dolores in illis terræ viſceribus toleraturum, donec diſpoſito à Deo tẽpore inde exeat, & Iudęos de vniuerſis gentibus congregãs, ad primum repromiſſionis ſuæ locũ terræ reducat.

7. Omnes animas in mũdi principio ſimul aſſerunt eſſe creatas, & in loco vno repoſitas; & quouſq; incorporentur omnes, non eſſe diem venturum iudicii.

8. Item docent, quod quando Deus firmamentum cœli fecit, magnum foramen in ſeptẽtrionali parte imperfectũ reliquit, vt ſi quando aliquis exurgens, Deum ſe eſſe diceret, Deus illi iam dictam firmamenti imperfectionem obiiceret, dicens: Si Deus es vt ego, fac ſaltẽ ex parte quod feci & ego.

6. *Item Thalmudiſtis* Deus ſemel quotidie iraſcitur, quum Galli criſta expalleſcit. quia legitur apud Iob; Quis dedit Gallo intelligentiam? Quotidie etiam aliquid, aiunt, legit in Thalmud; nempe quattuor primis horis diei. Quum Hieroſolymis templum fuit euerſum, non remãſerunt Deo niſi tres cubiti ſoli, aut quattuor, vbi ſederet lecturus in Thalmudo.

10. Quin etiam Deum dicunt peccaſſe, quod lunã minorem fecerit ſole. Lunam quoq; faciunt calumniã de ſole ad Deum detuliſſe, vnde ſit lumine diminuta.

11. Adamum geminę fuiſſe naturæ aiunt, & rem cũ omnibus animantibus habuiſſe. Quod vero nullum eſſe ingenio ſuo aptum, fœminam eſſe creatam. Hæc Petrus Alfonſus efferebat, atq; confutabat. Exactius autem Xyſtus Senen. ex ipſis Thalmudicis libris, infraſcripto ordine memorabat. Verbis ipſis eius ea denuncio deliramenta Iudæorum, quæ illi aſſeuerant: digna quæ non tantum rideantur, ſed etiam execrentur. *lib. 2. bibliothec. ſanctæ*

Aduerſus Deum.

1. Deus ante mundi creationẽ, nẽ otio torpeſceret, exercebat ſe in extruẽdis variis mundis, quos vbi cõdiderat, paulo poſt deſtruebat, atq; iterũ inſtaurabat, quo ad hunc quẽ nunc videmus mundum facere didiciſſet.

2. Deus tres primas horas diei totas inſumit in lectione legis Iudaicę.

3. Moyſes cum aliquando in cœlum aſcendiſſet, inuenit Deum, accentus in ſacra ſcriptura ſcribentem.

4. Deus die prima nouilunii menſis ſeptembris, iudicat vniuerſum Orbem: reliquis deinde ſequentibus decem eiuſdem Lunæ diebus, applicat ſe adſcribẽdum iuſtos in libro vitæ, malos vero in libro mortis.

5. Deum quotidie orationes ac precationes deuoto animo facere.

6. Deum habere locum quendam ſeparatum, in quo ſtatutis temporibus, multis cum lachrymis deflet, ac ſeipſũ affligit, ꝙ Iudæis iratus tẽplũ euerterit Hieroſolymitanũ, & populũ ſuum in captiuitatẽ diſperſerit.

7. *Deus quotidie imponit ſibi circa caput* & brachia, vittas ſiue corigiolas quaſdam coriaceas, Thephilin appellatas, induitque ſeipſum tunica quadam linea, quæ Zizith nuncupatur, atque hoc modo ornatus in genua procumbit & orat.

8. Deum præcepiſſe populo Iudæorum, vt ſingulo quoque nouilunino ſacrificium expiationis peragãt, ad expiandum ſcelus perpetratum à Deo; quando lumen, quod iniuſte à luna ademerat, ſoli attribuit.

9. Deus, quoties reminiſcitur calamitates, quas Iudæi à Gentib. patiũtur, lachrymas duas effũdit in mare Oceanum, & præ dolore pectꝰ vtraq; manu contundit.

10. Deus tribus poſtremis diei horis, gratia animi laxandi, ludebat olim cum piſce quodam vaſtæ magnitudinis, qui Leuiathan appellatur.

11. Deus ignota de cauſa indignatus magno piſci Leuiathan, ipſum occidit, carneſq; eius ſale cõdidit; vt ex his cibũ miniſtraret animab. ſanctorũ in ſæculo futuro.

12. Deum ſemel quotidie iraſci: & tunc criſtæ Gallorum gallinaceorum ruborem amittunt, ipſique interim vno pede conſiſtunt: quo momento, ſi quis alicui maledixerit, is ſtatim concidet mortuus.

13. Deum creaſſe elementum ignis in die Sabbathi.

14. Cum olim Rabbini quidam aduerſus Rabi Eliezer diſputationem iniiſſent; Deus voce cœlitus demiſſa ſententiam contra illos pro Rabbi Eliezer tulit. Quam ob rem indignati Rabbini, Deum anathematis pœna damnarunt. Tum Deus ipſe ſubridens: Filii, inquit, mei, vicerunt me.





15. Cum Deus die quadam in cœleſti Curia diſſereret de ſpecie quadam lepræ, quam ipſe mundam eſſe aiebat, cæteris diſſentientibus Rabbinis, qui immundã eſſe affirmabant, lis tandem omnium aſſenſu deuoluta eſt ad ſapientiſſimum quendam Rabinum. Qui cum ſententiam proferre pararet, ſtatim eius anima relicto *corpore vociferari cœpit, Mundam, Mundam.*

16. Tanta fuit olim in Rabino quodam prudentia, vt diabolum ſimul & Deum iſto aſtu eluſerit. Cum Rabbinus in extremo vitæ articulo laboraret, Diabolum precibus exorauit, vt ſeſe iam iam moribundum ad portas vſque cœleſtis regni deduceret: vt inſpecto inde diuinæ habitationis loco, ex hac vita lætus decederet. Eam gratiam cum Diabolus veteri amico præſtitiſſet, Rabbinus, *illico ſe intra portas cœli coniiciens*, per Deum viuentem iurauit, ſe numquam inde receſſurum. Coactus Deus hominem apud ſe retinere, ne videlicet periurum faceret, illum cœli oſtio minime excluſit. Sicque hac vna arte, Rabbinus, Deum ac Diabolum ſimul fefellit.

Aduerſus Sanctos Veteris Teſtamenti.

1. Cum Angelus Gabriel graue flagitium commiſiſſet, iuſſit eum Deus igneo flagello flagellari.

2. Adam cum omnibus animantibus tam maſculis quam fœminis congreſſus eſt: neque vnquam appetitui ſuo ſatisfecit, niſi poſtea quam cum Eua coiuiſſet.

3. Coruus, emiſſus à Nohe tempore diluuii, nolebat ex arca diſcedere. Timebat enim, ne poſt diſceſſum ſuum Nohe, cum cornice vxore ſua concumberet.

4. Iobum nunquam *fuiſſe in humanis*, & hiſtoriam eius eſſe confictam.

5. Dauid in adulterio & homicidio non peccauit, & quicumque eum in his peccaſſe crediderit, hæreticus eſt.

Aduerſus legem Moiſi.

1. Quod licitum ſit cum propria vxore, maſculino concubitu vti. Qua de re cum duæ mulieres eſſent apud Synagogam conqueſtę, reſponderunt Rabbini, virum eſſe vxoris Dominum: proinde poſſe eum vti corpore vxoris ſuæ vtcumque voluerit; non aliter quam ille qui piſcem emit: qui tam anterioribus quam reliquis piſcis eius partibus ad arbitrium veſci poteſt.

2. *Si quis* aut filiam, aut ſororem ſuam *matrimonio* ſibi coniungit, rem facit Deo gratiſſimam.

3. Rabbinus, qui non oderit hoſtem ſuum vſque ad mortem, & qui vindictam aduerſus eum non quæſierit, indignus eſt nomine Rabbini.

4. Grauius plectendi ſunt ii, qui contradicunt verbis ſcribarum, quam verbis legis Moſaycæ, quibus qui contradixerit, abſolui poteſt; qui vero verbis Rabbinorum contradixerit, morte moriatur.

5. Si teſtes fuerint conuicti de falſitate, puniri debent pœna talionis. Quod ſi contigerit iniuſte accuſatum fuiſſe damnatum, & ita pœna affectum, tunc falſi teſtes abſolui debent, & nulla pœna puniri.

6. *Si* quem maior pars Iudicum ad mortem damnauerit, is mori debet. Si vero omnes, nullo excepto, in eius damnatione conſenſerint, abſoluatur.

7. Si quis marſupium in loco publico repererit, dominumq; illius de inuentione iam deſperaſſe ſciuerit, non tenetur ad reſtitutionem marſupii.

Aduerſus charitatem & humanitatem.

1. Vt quilibet Iudæus ter in die blaſphemet omnem Chriſtianorum gentem; ac Deum precetur, vt confundat, extermine tque ipſam cum regibus & Principibus ſuis: atque hoc maxime faciant Sacerdotes Iudæorum in Synagoga, ter quotidie orantes, in odium Ieſu Nazaræni.

2. Deum præcepiſſe Iudæis, vt quouis modo, ſeu dolo, ſeu vi, ſiue vſura, ſiue furto, facultates Chriſtianorum ſibi vendicent.

3. Item præcipitur omnibus Iudæis, vt omnes Chriſtianos loco brutorum habeant, neque aliter quam bruta animalia illos tractent.

4. Si beſtia Iudæi occiderit beſtiam Chriſtiani, non tenetur pro ea Iudæus pretium ſoluere. *Si* vero beſtia Chriſtiani, beſtiam Iudæi occiderit, tenetur Iudæus ad eius ſolutionem Chriſtianum compellere.

5. Iudæus gentilibus, neque boni, neque mali quicquam faciat: Chriſtianum autem conetur omni ſtudio de vita tollere.

6. *Si* quis Hebræus, dum vult occidere Chriſtianũ, forte fortuna Iudæũ occiderit, abſolutione dignus eſt.

7. Si quis Iudæus Chriſtianum præcipitio propinquum aſpexerit, ipſum ſtatim pręcipitare tenetur.

8. Imperium Chriſtianorum execrabilius eſt imperio cæterarum gentium; & leuius eſt peccatum ſeruire Principi gentili, quam alicui Chriſtiano.

9. Templa Chriſtianorum eſſe domos perditionis, & loca idololatriæ, quæ Iudæi tenentur deſtruere.

10. Euangelia Chriſtianorum, quæ inſcribi debent, Iniquitas reuelata, & Peccatum manifeſtum, à Iudæis comburi debent, etiamſi in eis nomen Dei cõtineatur.

Aliæ hæreſes & ſuperſtitiones.

1. Animas hominum *migrare de corpore* in corpus, hac lege, vt ſi anima in primo corpore peccet, mittatur in ſecundum, in quo ſi iterum peccat, mittitur in tertiũ corpus, in quo ſi peccare non deſiſtat, detruditur in gehennam.

2. Anima Abelis migrauit in Seth: anima vero Seth in Moyſen.

3. Animæ indoctorum hominum, non recipient ſua corpora in reſurrectione mortuorum.

4. Duo Rabbini ſingula quaque hebdomade pridie Sabbathi duos vitulos creabant, quos deinde totos comedebant.

5. Quicunque ter in Sabbatho comederit, vitam æternam conſequetur.

6. Nihil comedi debet numero pari, ſed impari. Hoc enim numero maxime Deus delectatur.

7. Si quis orauerit facie ad meridiem conuerſa, ſapientiam conſequetur; ad ſeptentrionem vero diuitias.

8. Si quis ſub ventre cameli, aut inter duos camelos, aut inter duas mulieres pertranſierit, nihil vnquam poterit ex Thalmud ediſcere.

9. *Si quis* Thalmudicos libros *negauerit*, aut in eo ſcripta ſanctiſſima Dei præcepta eſſe non dixerit, Deum ipſum negat.

Hæc & alia ridenda atque execranda Thalmudiſtarum commenta, Ioannes Summus Pontifex promulgato diplomate damnauit, cenſuraſque veterum Pontificum contra Iudæos innouauit.

X. IOANNES PP. AGIT CONTRA VALDENSES HÆRETICOS.

Neque minorem ſeueritatem, in hæreticos Valdenſes, per id *temporis in Galliis repullulantes* exercuit. Namque plures eorum ab inquiſitoribus ex ordine Prædicatorum aſſumptis, errorum conuictos, ex lege Eccleſiaſtica caſtigandos Principibus tradi voluit. Extat in bibliotheca vaticana, volumen non paruum, actionum, à Fratribus Prædicatoribus, in Regno Galliarũ aduerſus hæreticos, iſto an. Domini M. CCC. XIX. tranſactarum.

XI. IACOBVS ARRAGONII REGIS FILIVS REGNO ABDICATO RELIGIONEM CALATRAVÆ INGREDITVR.

Hoc anno Iacobus Aragonii Regis filius, adminiſtratione Regni relicta, militarem ordinem Calatrauæ primum, deinde Monteſii profeſſus eſt: longe felicior futurus, ſi in ea religione non luxui, neque ignauiæ ſeſe dediſſet. Cauſæ propter quas paterni regni hæreditatem animo obſtinato abdicarit, in incerto fuere. Aliqui importuniore patris ſeueritate irritatum eſſe affirmabant; quod iuuenem frequentius argueret, quia in procuratione regni, rempublicam non comiter, ſed horridius, & plerumque formidatus adminiſtraſſet, & natura non moderata & miti, ſed aſperior & durior haberetur, ſeueriſſimi imperii iuuenis. Filii ſane conatus, grauiſſimus patri extitit. Itaque monebat, hortabatur & pro imperio iubebat, ne id admitteret, vnde nomini patriæque dedecus luctumque inureret ſempiternum.

*Noſtra*, inquit, *ſenectus conferre amplius populo nihil poteſt, quam bonum ſucceſſorem : nec tua amplius iuuenta, quam bonum Principem dare. Eo conſilio Regiis moribus à prima ætate, te imbuendum curaui : neque deeſſe indoles videbatur, vt dignus imperio eſſes, etiam ſi Rege Patre genitus, non eſſes. Vxorem paraui lectiſſimam puellam nobiliſſimamque. Regio cultu apud me habui. Si quid addi poteſt, addam. Nunc ſpes mea me feſellit, teque nimia indulgentia felicitáſque corrupit : vt regnum humeris ſuſtinere iuuenis detrectes, quod extrema ſenex ætate ſuſtineo. An tuam tranquillitatem publicis commodis anteferas, patrio Imperio, religioni ſanctiſſimæ, qua obſtricti ſumus? Eleonoram ſponſam, coniugem tuam, Aragoniæ Reginam futuram, te miſereri opus erat. Fortaſſe ſenis obitum expectare, qui diu abeſſe non poteſt, graue eſt. Tametſi alias cauſas nectis: libido te dominandi exagitat. Ego diuinæ voluntati, vnde viuendi fines pendent, præſcribere non poſſum. Quod meum tamen eſt; libens tibi regno cedo. Iſtam tantum mentem depone, quæ nobis communique patriæ non poteſt non eſſe grauis. Quod vt facias; per omnia ſancta & quicquid in cœlo ſacrum eſt, moneo, hortor, obteſtor, ac illud vide, ne præpropera feſtinatione eo progrediaris, vnde regreſſus non ſit.* Ad hæc, Iuuenis, pauca. *Stare ſibi ſententiam*, ait, *vitam principalem, tot ærumnis obnoxiam, priuata & beatiore commutare : neque ſibi poſſe coniugem adiungere, voti religione adſtrictum.*

LVDOVICVS SICILIÆ REGIS ET IACOBVS IACOBI BALEARI FILII ORDINEM S. FRANCISCI PROFITENTVR.

Abhorrente & tergiuerſante patre tandem cum ad X Cal. Ian. emancipatus eſſet, Fatracone in cœnobio Fratrum Minorum, Rege Conuentibus aſſidente, hæreditariam Regni ſucceſſionem abrogauit, & Ordines Regni iuriſiurandi ſanctione ac vinculo, quo illi vt primigenio regnorum hæredi deuincti fuerant, exſoluit. Eodem temporis momento, coram Bernardo Solerio, præſentibus Ioanne fratre Toletano, Simone Luna Tarraconenſi Archiep. Berengario Auſetano Epiſcop. aliiſq; viris primariis, regalem ornatum depoſuit, atque Calatrauæ veſtem mox induit, quam deinde poſt aliquot menſes Môteſiæ militia mutauit. Vidit hæc ætas, quod ex omnium ſæculorum memoria aliquando cômemorari mirificum eſſet, tres Regios adoleſcentes religioni deditos hæreditaria regna abieciſſe. Sed Ludouicus Caroli Siciliæ Regis, & Iacobus Iacobi Balearici filii, ex inſtituto D. Franciſci ſe perpetuo acerbæ auſteræq; vitæ addixere, Iacobus Arragonius voluptatibus, quæ prima ætate compreſſæ fuerant atque conſtrictæ, cum vitam ſuam, veluti quibuſdam vinculis ſolutus omni intêperantiæ dediſſet, ſubito ſe profundens, ignauiæ atque deſidiæ plenus, in turpiſſima inertia delituit. *Surita lib. 2. Mariana lib. 15.*

XXII. QVATVOR FRATRVM ORDINIS D. FRANCISCI MARTYRIVM SVB SARACENIS.

Hoc eodem anno, in Tana Indiarum, Martyrio coronati ſunt quattuor Fratres Ordinis Diui Franciſci. Nomen vni Thomas Tolentinas; alteri Franciſcus Paduanus, tertio Petrus Senenſis, vltimo laico Demetrius. Palam diuinitatem Chriſti eruditis concionibus inter Saracenos aſtruebant, & Mahometem filium fuiſſe perditionis oſtendebant. Ea libertate prędicationis cum gentiles offendiſſent, occaſionem martyrio præbuerunt.

Hinc ſoli ardentiſſimo expoſiti, cum æſtum intolerabilem ſine offenſione toleraſſent capitali ſententia in eos prolata, igni iniecti ſunt. Cæterum & in flammis voracibus illæſi adeo perſtitere, vt neque veſtimenta eorum vſta eſſent. Saraceni tunicas eorum ex lana aliqua inuſtibili contextas fore cenſentes, illos denudarunt, oleoque ac pice delibutos, iterum in prunas ardentes Sanctos coniecerunt. Ceſſit incendium ſanctitati, vt ne pilos quidem aduſſerit. Quo ſpectaculo Saracenorum plurimi perterriti, cum iterum emerſiſſe incolumes aſpexiſſent, Sanctos eſſe viros, ſanctamque legem Chriſtianorum, nec non Sacroſancta quæ prædicarent myſteria conclamarunt. Sed Gadi magicis artibus, quod per diuinam potentiam factum erat attribuens, maioremque in modum furore accenſus, iuſſit eos iugulari & capite imminui. Ita pro fide Chriſtiana obtruncati glorioſum martyrium obierunt. Corpora eorum paulo poſt à F. Oderico Vtinenſi inuenta, inque Indiam ſuperiorem translata, in Ciuitate Catræ ſepulta ſunt.

XXIII. ZACHARIAS ROMANVS ORDINIS S. FRANCISCI SANCTITATE ET MIRACVLIS ILLVSTRIS MORITVR.

Fere eodem ſæculo, in Cœnobio Alanquerii, magna ſanctitate claruit, B. Zacharias Romanus, idem vitæ inſtitutum, in religione Diui Franciſci profeſſus. Imago Crucifixi, ante quam frequentius orabat, illi locuta eſt. Ab Angelo tantum panis, quantum quinque Fratribus ſaturandis ſatis eſſet, impetrauit. Orationibus, ieiuniis, & vigiliis aſſidue incubuit: & exinde, tantum diuinæ conſolationis exceſſum frequentius recepit, vt ægerrime à Deo diuelleretur. Quidam cum de Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento vehementer dubitaret, neque verbis illius, de præſentia Corporis & ſanguinis Dominici confirmari poſſet in fide; miraculo ſubſequente conſpecto, omnem dubitationem depoſuit.

MIRACVLVM DE SS. EVCHARISTIA.

Inuitauit eum Zacharias, vt ſacro Miſſæ ſacrificio, die ſequenti attentius intereſſet. Interfuit, & omnibus quæcumque Zacharias egiſſet, diligenter oculos accommodauit, atque poſt conſecrationem myſteriorum, puerum in ſpecie carnis, in ipſa hoſtiæ eleuatione aſpexit. Porro Zacharias Sanctitate vitæ & miraculis illuſtris, ſancto fine exceſſit, in Conuentu Alanquerii ſepultus. *Petrus Thoſignian. Hiſtor. Franciſcan. lib. 1.*

XIV. IOANNIS TORNERII CARTHVSIANI SANCTITAS ET MIRACVLA.

Eodem tempore, apud Carthuſianos Pariſienſes B. Ioannes Tornerius, vir magnus & ſublimium meritorum floruit. Hic ſacerdotio initiatus, cum primam Miſſam ſacrificaturus, ad tinnitum campanulæ non occurriſſet, & Æditu us ad cubiculum illius, vt eum vocaret, accurriſſet, aperto oſtio, totam cellam ſplendore igneo corruſcantem, multoque lumine ad inſtar meridiani ſolis refulgentem aſpexit. Inſolita irradiatione perculſus, Tornerium tamen, ad ſacra obeunda poſtulauit. Iſte vero, ſed facie vt flamma ardente, & lucis de ſe radios emittente conſpicuus exiuit. Mirum aliud Æditu us vidit. Simul enim ac Ionnes cubiculo egreſſus eſt, quattuor cerei ingenti lumine radiantes, ad quattuor tecti Angulos porrecti fulgurabant, & diei meridianum lucis gloria confundebant. Tertium mirum euenit. Nouus enim ſacerdos, nouum ſibi ſacrificium cum offerret, nouo lumine corruſcus, nec non noua gratia illuſtratus, in nouitate vitæ maiore, ea mentis puritate, quam ſolus nouit Altiſſimus, ſacrificauit. Aliquando factus Procurator, colonum quemdam vicinum Cartuſiæ, in manibus poſſeſſionum ſuarum diplomata ſigillis obſignata ferentem excepit; & quoniam frigus erat, vt ligna & ſarmenta afferret, eis inſinuauit. Colonus ea qua fuerat ſimplicitate, in lignariam cellam iuit, foculo ſuccendendo neceſſarios faſciculos, deportauit, & vna cum ſarmentis diplomata rogo ignarus impoſuit, ignemque ſuccendit. Igne in flammas abeunte diplomata quæſiuit, &, quod res erat, igni iniecta fuiſſe coniectans, ad Tornerium acceſſit; de ſe fortuniſque ſuis actum iam eſſe expoſuit. Ioannes porro illum bono animo eſſe iuſſit, & ad foculum, vt ſcripturas requireret dimiſit. Iuit ille, & per miraculum ab incendio diplomata ſeruata, tum integra adinuenit, vt neque cera ſigillorum defluxerit. *Ex Chron. Carthuſian. lib. 4. c. 20.*

XV. D SIMONIS VITÆ INSTITVTIO, MIRACVLA, SANCTITAS ET OBITVS.

Non eo inferior ſanctitate, quamuis gradu, B. Simon ex Comitibus Sancti Archangeli, Ariminenſis, inter Prædicatores profeſſione Conuerſus. Vigeſimum & ſeptimum annum exegerat, cum ſe religioni Diui Dominici dediſſet : ſed tanto ardore, vt omnibus admirationem excitaret. Otium odio acerbiſſimo deteſtabatur. Poſt matutinas & reliquas diurnas horas vel hortum excolebat, vel monaſterium verrebat vel aliquo exercitio manuali, in omnium vtilitatem incumbebat. Quinque integras Quadrageſimas ſolo pane & aqua tolerauit. Catena ferrea, ſingulis noctibus, corpus ſuum lacerauit, Flagella à dœmonibus & verbera inflicta, quemadmodum olim Diuus Antonius tolerauit. A copioſo lachrymarum profluuio, vtrumque lumen amiſit. Diuum





Ioannem Euangeliſtam præcipua deuotione excoluit; & ab eius imagine, antequam orabat, odorata effluuia non tantum ille, ſed & non nemo Fratrum ſenſit. Diuus Dominicus, S. Petrus Martyr, & S. Catharina Martyr, illi ægrotanti ſæpius apparuere; ac Diua Catharina Martyr, illum ſemel à febre liberauit. Se fuiſſe in gratia, per reuelationem cognouit. Lecto in ægritudine accubitum, lumine cœleſti ſplendentem, & totam cellam igne cœleſti conflagrantem Fratres aſpexere: vocemq; cœlitus delapsâ audiuere; *ne paueret, cum gratiæ Dei certus eſſet.* Viuens & mortuus ingentia miracula perpetrauit, Arimini ſepultus, hoc anno 1319. *Michael Pius lib. 1. de viris Illuſtr. Ord. Præd.*

## IESV CHRISTI
## Annus 1320.

### IOANNIS PAPÆ XXII.
### Anno 4. & 5.

I. MATTHÆVS VICECOMES SVSCEPTVM CONTRA PONTIFICIOS BELLVM CONTINVAT.

APud Inſubres omnia per id temporis inquieta. Matthæus, Marcus, Luchinus & reliqui Vicecomites, tum amicorum quorundam ſeceſſione, tum diris Pontificiis irritati, non tantum Mediolanenſes, verum & Cremonenſes & Genuenſes, & Brixianos Guelfos armis laceſſebant: quod iſtud è re ſuo eſſe, Ludouicus Bauarus interim exiſtimaret. Et quidem Gibellini ipſum in Italiam vt quamprimum veniret, inuitabant: cæterũ is cum Auſtriacis hactenus de poſſeſſione Regni dimicans, hoſtem domi relinquere non poterat. Literis tamen vltro citroque datis, primo quoque tempore ſe venturum pollicebatur, atque Vicecomites modis quibuſuis ad conſtantiam animabat. Itaque iſti eum Bertrãdum Legatum Valentiæ & Aſtæ aliquando deſidentem viderent, in ſpeciem quidem conſilia pacis tractabant, & ſpem aliquam concordiæ, miſſis Valentiam Oratoribus oſtentabant : cæterum reipſa bellum inferebant, & iam exercitum Vercellas vſque promouerant. Eo enim copias ex Galliis ab Ioanne ſummo Pontifice, & Philippo Galliarum Rege ſubmiſſas, & vndequaque à Guelfis Turrianis & reliquis collectas, Philippus & Carolus Valeſii, ille ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, hic Roberti Regis Siciliæ in Italia Vicarii traduxerant. Aderant cum Principibus Valeſiis, Robertus Attrebatenſis & Bernardus Marcholius, quingentos Gallos, & totidem Hiſpanos ducentes. Veruntamen necquicquam contra Vicecomitum artes ac potentiam tentauere; quod Matthæus veterator Philippum Valeſium auro & muneribus aliis corrupiſſet, vt is probro gentis ſempiterno exercitum in Gallias reduxerit.

II. PACIS CONDITIONES A BERTRANDO OBLATAS RIDENS ITERVM ANATHEMATE PERCVTITVR A IOANNE PP.

Dolebat ea res vehementer Bertrando Legato, qui ea tempeſtate in Aſtenſi Ciuitate motã trahebat. Quamobrem Pontificis nomine Matthæo his conditionibus pacem offerebat. 1. Vt Mediolanenſium Dominio renunciaret. 2. Vt Mediolanenſes Roberto Regi Siciliæ, exemplo Genuenſium & Florentinorum res ſuas permitterent. 3. Vt Turrianis iura omnia ac bona adempta reſtituerentur. 4. Vt Ciuitas à ſeruitute ſeu potius tyrannide vindicaretur, & à Decurionibus in menſes deſignatis adminiſtraretur. Ridebat Matthæus eas conditiones; præſertim cum Gallicas copias, amplius non timeret. Itaque Ioannes Pontifex Philippo quidem Valeſio dedecus exprobrauit, ac in eius locum cum recenti milite, Raymundum Cardonam virum acrem pro Eccleſia Romana Vicarium deſtinauit; in Matthæum autem & reliquos Vicecomites, die cœnæ Dominicæ anathemata iterauit, neque vrbi ſacra reſtituit, quod ille de hæreſi ſuſpectus, toto triennio, cœtu piorum excluſus, in cenſu ſordeſceret, neque ſolis Pontificiis, verumetiam omnibus Eccleſiaſticis, per tributa, carceres, & reliqua ſupplicia grauis eſſet. Hoc enim anno, præter alia, Vercellis interceptis, Epiſcopũ Vercellenſem comprehenſum in vincula coniecerat; ac reliquos ex clero male habuerat. Non diſſimili aſtu vſus eſt Canis Scaliger, in exercitu Germanorum deludendo. Fridericus Romanorum Rex electus, in auxilia Guelforum Patauinorum Henricum fratrem Auſtriũ, cum aliquot cohortibus tranſmiſerat. Cæterum, cum is nonnullas vrbes à Guelfis depoſceret, neque ii concedere aut poſſent, aut vellent; facile aures & manus Scaligero aperuit, vt pollicitationibus & donariis onuſtus in Germaniam reuerterit. *Donatus Boſſius in Annal. Mediolanen. Corius parte 3. hiſtor. Mediolanen. Paulus Iouius in Matthæo. & epiſtol. Ioann. Ponif. huius anni num. 85.*

III. IOANNES PP. FRIDERICVM IMPERATOREM ELECTVM INAVGVRARE DIFFERT.

Quod Fridericum Auſtrium attinet; miſerat is Oratores ad Pontificem Ioannem, vt ſibi Regnum Romanorum decerneret, & in Italiam penetrare ſineret: tum deinde Imperii inſignia conferret, atque Imperatorem eſſe iuberet. Namque id temporis tota Germania intenta in Romanam Sedem erat, ac plurimi dum confirmationem expectarent, interea neq; Ludouico, neque Friderico adhærere volebant, ſcilicet, tanta Romanæ Sedis auctoritas & religio apud pleroſque fuerat, vt non iudicarent, neque appellandum cenſerent Imperatorem, niſi qui vnctus, coronatus, confirmatuſq; eſſet per Romanum Pontificem, aut per Apoſtolicos Legatos. Et ſi qui inuenirentur, apud quos non tantam quãtam meretur auctoritatem habebat Sedes Romana, tamen confirmationem expectabant, ſcientes nonniſi illum fore Imperatorem, quem Romanus Pontifex renunciaret, aut approbaret. Poſtulabat inſuper Fridericus à Ioanne, vt anathematis ſententiam in Ludouicum hoſtem ſuum per vniuerſam Germaniam publicari iuberet, atque vniuerſos eos populos qui ſe iuramento fidelitatis Ludouico aſtrinxerant, Sacramento exſolueret. Et quidem Pontifex Fridericum confirmare potius diſtulit, quam omnino recuſauit. Interim autem bene eum ſperare iuſſit; vtque aduerſus hoſtes Eccleſiæ, iam præſentem opem adferret, admonuit. Præmia inſuper vitæ æternæ repromiſit, indulgentiamque plenariam omnium peccatorum, iis quos in Italiam ſubmitteret, impertiuit. Duo millia equitum numerabantur, præter peditatum ingentem, ſub ſignis Henrici Auſtriaci, fratris Friderici electi. Eorum aduentus, plurimum timoris Gibellinis attulerat.

A GIBELLINIS HENRICVS FRIDERICI IMPERATORIS FRATER PECVNIA CORRVPTVS EXERCITVM IN GERMANIAM REDVCIT.

Quamobrem ad artes conuerſi; Legatos ad Fridericum deſtinarunt, qui exponerent, perperam Fridericum agere, hac quidem Imperium ambientem, hac vero amicos Imperii inuadentem, & arma illis inferentem, cum maxime ipſi pro iuribus & dignitate Imperii decertarent, nec niſi Friderico, ſi ſuperior iure vel ferro euaderet, militarent, viamque ad recuperandum decus & maieſtatem Imperatorum aperirent. Quod ſi is pertinacius Guelfos adiuuaret, & Principes Imperio addictos extirparet, videret, ne, dum Imperium conſectatur, ab eius ſpe & poſſeſſione excidat, atque armis Germanorum, non Germanis, ſed Pontificibus Romanis Italiam ſciens prudens ſubiiciat. Addita à Gibellinis munera ampliſſima : quæ Henricus libens vidit atque tulit; ſibique facile imponi paſſus eſt. Præſertim cum obſequentiam Friderico, non minus quam Ludouico ſponderent, ſi is Imperatorium honorem quoquomodo conſequeretur. Hærebat Henricus imprimis, anxius quid faceret. Obſequendum Pontifici, ſuadebat neceſſitas confirmationis & inaugurationis, à qua totius rei ſumma pendebat. Reducendum porro in Germaniam exercitum; præſens aurum, falſæ pollicitationes, & pericula conficta, impellebant. In deliberationem negotio propoſito, placuit munera accipere, pedemque referre; ne ſcilicet perdere ac prodere, res & amicos Imperii diceretur. Prius tamen quam exercitum reuocaret, Fridericum admonuit. Hic porro, vt Pontificem deciperet, honeſtam aliquam cauſam reuerſioni prætexendam eſſe, inſinuauit. Excogitata eſt in momento.

Cum Patauinis & reliquis Pontificiis, actum, vt Henrico aliquarum vrbium dominium permitterent. Cum negaſſent, nec niſi amplum ſtipendium Duci ac militibus promitterent, Dux anſa erepta Socios Guelphos deſeruit, exercitumque reduxit, non obſtātibus Gibellinis, totius fabulæ non ignaris Eam Germanorum diſceſſionem cum Pontifex audiuiſſet, perfidiam Friderico exprobrauit, cuius maculam vt is elueret, atque fulminationes Pontificias à ſe auerteret, Oratores quantocyus ire iuſſit, qui eum atque fratrem excuſarent: induciaſque Guelfos inter & Gibellinos poſtularent: ſed velle interim auctoritatem interponere, vt odiis depoſitis, in concordiam venirent. *H. Mutius hiſtor. German. lib.* 24.

IV. GIBELLINI ADVERSVS FRIDERICVM TRINACRIÆ REGEM RELIQVOSQVE PONTIFICIOS COPIAS MOVENT.

Nam & iſtius rei nonnullam ſpem in ſpecie Gibellini faciebant; cum tamen vndequaque armis & viribus comparatis, ad internecionem Pontificiorum conarentur. Hoc enim anno Fridericum Trinacriæ Regem, maritimis copiis inſtructum, contra pactas inducias euocarant, vt is Genuenſibus & Roberti Regis Siciliæ militibus negotium faceſſeret. Fridericum quoque Montisfeltri Comitem, contra reliquos Tuſcos & Vmbros Guelfos exciuerant, atque is Spoletinos, Aſſiſios, Fulginates, Peruſinos, Tuderteſque afflixerat: præſertim cum Caſtrucius Interminellus, Lucenſium tyrannus, & Guido Malapetrius Aretinorum Epiſcopus, fœdere cum Florentinis irritato, & ipſi pariter Guelfos Etruriæ armis inceſſiſſent; atque Areſtini plurimis cum Ferrarienſibus, Pontifici dominium Ferrariæ eripuiſſent, ſocioſque ſe in perſequendis Guelfis, omnibus aliis addidiſſent. Propter quam rem, Pontifex, Areſtinos & Ferrarienſes, pacem quidem mentientes, aliud vero in ſuam rem procurantes, iterum anathemate, pro die Cœnæ Domini, damnauit, & Ferrarienſem Epiſcopum, ad publicandas cenſuras animauit. Eandem pariter diſciplinam, in Montfeltrium & Malapetrium exeruit; Friderico autem Regi oſtentauit; ſi forte is vel ſola comminatione perterritus, ab incœpto reuocaretur. *Ioann. Pigna. hiſtor. Areſtin. & Ioann. Villani libr.* 9. *capit.* 103. *& reliquis & epiſt. Iohann. hoc anno.* 3. *&* 88. *& aliis.*

V. ANDRONICVS IMP. CONSTANTINOPOLIT. GIBELLINIS ADVERSVS PONTIFICIOS SVBSIDIA MITTIT.

Mediolani interim, Placentiæ, Papiæ, Cremonæ, Bergomi, Nouariæ, Vercellis, Dertonæ & Alexandriæ, ſacra adminiſtrari, Pontifex, prohibuit, quod eæ ciuitates partes Gibellinorum ſecutæ, iniquius Guelfos habuiſſent. *Villani & Nauclerus.* Andronicus Conſtantinopolitanus Imperator, patrocinio Genuenſium Gibellinorum ſuſcepto, in ſubſidium eorum, non contemnendam claſſem tranſmiſerat. Verum is hoc anno, propter contemptum Pontificis à tutula dehortātis, ſeueriorem in ſe diuinam vindictam prouocauit. Seditione enim pluſquam ciuili Conſtantinopoli, & in reliqua Græcia laboratum: cum filius Andronici ſenioris Imperatoris, Andronicus, in patrem parricidalia arma ſumpſiſſet, & reliquam multitudinem contra Imperatorem concitaſſet. Non illubet diuertere, & rem vt acciderat enarrare: dignam, vel propter ſpurios dignoſcendos.

VI. ANDRONICVS FILIVS ANDRONICI IMP. CVM ALIIS IN PATREM CONSPIRAT.

Andronico ſeniori Palæologo, duo erant nepotes, Andronicus Imperator, & Manuel Deſpotes, nati ex filia Theodora Suentoslauo Principi Bulgarorum nupta. Ex his Andronicum tanto amore proſecutus eſt, vt Imperii ſucceſſorem reliquerit: Manueli nonnullis principatibus relictis. Eidem Andronico ſeniori natus fuit filius Conſtantinus Deſpotes, è priore coniuge Hungarica: & ex eo poſtmodum nepos Michael cognomento Catharus, è pellice Muzalonis Protoueſtiarii filiæ ancilla, clam vxore illa, acquiſitus. Hunc Conſtantinus pater ita primum habuit exoſum, vt nec aſpicere illum vellet, ſed quam longiſſime abeſſe iuberet. In cauſa hoc erat, quod alterius vehementior & potentior amor, Catharæ (id erat nomen ancillæ, ex qua Michaeli genus & nomen) quoq; matris eius amorem depulerat. Nam cum à patre, Macedoniæ, & ipſi quoque Theſſalonicæ prepoſitus eſſet, atque in ea vrbe plerunque ageret, mulieris cuiuſdā illuſtris amore captus eſt. Erat ea Neocæſaritæ Protoſecretarii filia Conſtantini Palæologi vxor: ita vero & elegantia formæ, & facundiæ ſuauitate, & morum comitate excellebat, vt non modo aſpectu ſuo, ſed ſola etiam fama cęco amore homines irretiret. Tantā enim naturæ fuit erga eam liberalitas, vt vultus in ea venuſtatem cum acumine ingenii coniungeret; addita etiam dicendi vi & vocis ſuauitate. Erat & humanioribus literis erudita: & per occaſionem, varia, quæ tam ipſa legerat, quam ex aliis audierat, facile proferebat, vt altera Theano Pythagorica, & Hypatia ab eruditis appellaretur. His omnibus Conſtantinus victus eſt, vt eius pudicitiam tentarit, & clandeſtinum eius concubitum petierit. Ipſa vero, ſiue mariti metu, ſiue facinoris odio refragabatur, & quo minus aſſentiebatur, eo magis ille incendebatur: adeo vt eius animus, vt Plato de talibus aiebat, in alieno corpore degere videretur. Cum autem aliquanto poſt eius maritus deceſſiſſet, iam vehementius rem vrgebat Deſpotes, omnemque mouebat lapidem, vt illam duceret vxorem. Quo facto, omnium aliarum mulierum & amorum oblitus, ipſiuſque filii Michaelis Cathari, quem ex ancilla Cathara ſuſceperat, vnius Eudociæ Palæologinæ amoribus vacabat. Eum Michaelem Catharum annum ætatis 15. iam agentem, ſenior Imperator Andronicus accerſitum, inter aulica miniſteria aſſumpſerat; primum, ne ab omnibus neglectus fame periret: deinde fortaſſe, vt ſanguine Imperatorio ortus, affinitate cum aliquo ex finitimis hoſtibus iungeretur, pacemque conciliaret, & Romanos remque Romanam adiuuaret. Cum autem in palatio verſaretur, breui tempore Imperatoris animum ita ſibi conciliauit, vt ipſi Imperatoris filii ei inuiderent; Andronicus vero iunior Imperator iraſceretur, moleſteque ferret, inſignem illum ſui amorem apud auum langueſcere, erga nouitium vero illum & ſubditum continuo excreſcere. Auxerat odium Andronici erga illum, quod eum ipſum ſenior Andronicus, Ducem prouinciæ cuiuſdam in Macedonia Illyricus contermina præfeciſſet, & occaſionem conciliandi militis illi præbuiſſet. Quia enim Michael liberaliſſimus erat, nihilque priuati poſſidebat, nec plus ſibi vendicabat, quam quiuis ſatellitum & commilitonum ſuorum, ideo ſic animos omnium ſibi deuinxerat, vt pro illo mortem oppetere mallent, quam ſine illo lucem intueri. Adhæc in rebus dubiis ac pene deſperatis præſentiſſimo erat conſilio, & è ſummis difficultatibus ſumma ſolertia ſeſe explicabat; nec illi, cum res poſtularet audacia defuerat, vt omnes magnitudinem ingenii eius mirarentur. In inuidiam itaque adductus, eo magiſtratu priuatus, inque ordinem redactus fuit. Cæterum quo erat callido conſilio, largitione corruptis iis qui plurimum apud ſeniorem Imperatorem poterant, eundem mox recuperauit, & pincernæ dignitate exornatus ad prouinciam adminiſtrandam perrexit. Cumque defectionis non modicos indices dediſſet, interceptus, Conſtantinopolim miſſus, in carcerem coniectus, non prius, matre apud Imperatorem intercedente, libertati reſtitutus eſt, quam Imperatori iuſiurandum ſcriptum, coram ſacroſancta imagine caſtiſſimæ Dei genetricis Hodegetriæ, quam viæ monſtratricem aut ductricem appellare liceat, dediſſet, ſe illius iuſſis nunquam aduerſaturum eſſe. Sic omni ſuſpicione liberato, cum bene merito optime velle crederetur, etiam arcana credebantur: & inter cætera illud etiam, vt clanculum circuiret, & iuniorem Imperatorem Andronicum adiret, obſeruaretque, ne clam fugam moliretur, ſubiratus, quod non totam ſummam Imperii adminiſtraret. Nactus occaſionem vindictæ, de vtroque Imperatore ſumendæ, vtrumque inuicem committendum ſibi putauit, ſcilicet, vt Imperatoribus inter ſe commiſſis, & rebus eorum conturbatis, ipſe Imperium occuparet, aut ſaltem partem ipſius ſibi vendica





dicaret. Quare iuniori Andronico omne aui conſilium aperuit. *Me*, inquit, *Imperator velut ſagacem canem tuas cogitationes odorari iuſsit: & cum ille tibi laqueos & vincula parat, tu ignarus puerilia conſilia agitas? Quid enim tibi profuerit, clam peregre abire, vbi aliena quadra (quod aiunt) viuendum eſt, ſi res optimè cadat; & non illud accidat, vt ab hoſpitibus aut trucideris, aut in Imperatoris aui caſſes incidas? Quod ſi iſtis cogitationibus omiſsis, conſilio meo parere volueris, viam tibi compendiariam monſtrabo, qua primo quoque tempore, citra vllum laborem Romanis ſceptris potiaris. Cuius rei vnam hanc rationem video, vt Bizantio relicto, in Thracias vrbes & prouincias excurras. Nam cum & humanum ingeniū nouis rebus gaudeat, & miſeri Thraces crebris exactionibus vexentur; ſi leuationem onerum & libertatem proclamaris, vltro omnes quo volueris te ſequentur, aui tui diuturno iugo, & quaſi Tantalio Saxo facilè excuſſo. Hoc conſilium tibi ſi placet, ego negotij huius dux & author ero, & omne certamen facilè conficiam: modo & ipſe mihi pollicearis, & fidem firmes, te pro dignitate labores meos remuneraturum. Quæ verò iſta præmia ſunt? Illuſtres dignitates, multa prædia, quæ magnos annuos reditus afferent: prætereaq; ne quiſquam authoritate apud te mihi præferatur; nec à te quicquam niſi me conſcio nouarum rerum ſuſcipiatur. Vides enim, vt vltro ſim calamitatum tuarum particeps, & periculorum nulla cogente neceſsitate ſocius, poſthabita charitati tuæ etiam iuriſiurandi religione. Quod ſi fortunæ inconſtantia, mali aliquid capiti meo machinabitur, id alacriter eſſe ferendum ipſe mihi imperaui. Quibus conſideratis, & tu non grauatim petitionibus meis annuito, ſi vis ſaluus eſſe. Cum autem hic temporis articulus moram deliberationis non admittat, ſed procraſtinantibus extremum diſcrimen impendeat: age, cum alijs etiam hoc conſilium communicemus, qui ob Imperatoris odium, neque nos, neque arcana hæc proditurí ſunt, & inſtitutum noſtrum plurimum adiuturi.* His dictis, iunior Andronicus Imperator, poſtulatis eius iureiurando ſcripto annuit, adfuerunt etiam arcanorum futurorum conſcij, Ioannes Cantacuzenus, Theodorus Synadenus, ille tum magni Papiæ cognomento illuſtris, hic Domeſticus Imperatoriæ menſæ: & tertius Alexius, Apocaucus, Domeſticus & ipſe Occidentalium prouinciarum, & Salinis præfectus. Is tametſi non admodum nobilis, vir tamen prudens, & callidus erat, & peraſtutus. Illi verò ambo Imperatoris cognati, & quidem Cantacuzenus etiam æqualis & amiciſsimus ab ineunte ætate Imperatori Andronico, & ob animi candorem, & ſermonum veritatem, & morum commoditatem chariſſimus: Synadenus verò eodem modo patri eius Michaeli fuerat coniunctus. Hi re intellecta, non Miniſtros, ſed Duces etiam conſiliorum ſeſe præbuerunt, & oleum camino (quod aiunt) addiderunt.

VII. QVOMODO FACTA ET CONSPIRATIO.

Ea conſpiratione ſanctiſſimo iureiurando, & maximis pollicitationibus vtrimque firmata, & ſancita, rem aggrediuntur: ac principio Syrgiannes & Cantacuzenus, pecunia data proceribus aulicis, procurationem Thracenſium Vrbium & Prouinciarum redemerunt: alter mediterraneorum & oræ maritimæ vſque ad ſummam Rodopen. Cantacuzenus verò exiguæ partis mediterraneorum, quæ Oreſtiadi adiacet. Deinde copias contrahunt, arma parant, & nouos milites colligunt, aduenas nonnullos, & alios, qui ob egeſtatem neque militabant, neque quicquam rei gerebant. Ad hæc familiariſsimos ſuos & fideliſſimos cuſtodiæ ciuitatum præponebant; eos verò qui aduerſaturi videbantur, alios alijs de cauſis vrbe eijciebant. Ea verò faciebant, nunc impreſſionem Scytharum Danubium accolentium, nunc Turcicæ claſſis ex Aſia aduentum proclamantes, vt hoc prætextu, & ſuſpicionem vitarent, & ob prouidentiam ac ſtudium ab Imperatore laudarentur. Ac Syrgiannes hæc clam inſtruebat, & iuniori Imperatori ſubinde, & quid actum, & quid audēdum eſſet nunciabat. Imperator autem cum nepotem cerneret ſua monita negligere & contemnere, & ſolitæ leuitati morum inſiſtere: decreuit eum coram Patriarcha & Patribus Conſcriptis inprimis obiurgatum & conuictum in carcerem conijcere. Cæterum id eius propoſitum, Logotheta Generalis Theodorus Metochita tum inhibuit, ob dierum illorum licentiam irritum fore illud coniectans. Carnis priuium enim inſtabat, cum lautioribus conuicijs, & poculis dediti mortales, & vini intemperantia facilius ad ſeditiones concitantur, quare metuendum eſſe, ne inanis labor caperetur, & fortunæ temeritas conſilium in diuerſum mutaret. Interim conſilia editionis futuræ procedebant: cuius nonnulla præſagia præceſſerunt.

VIII. PRÆSAGIA HVIVS SEDITIONIS.

Cum enim ſub mediam noctem, Imperatorij bipenniferi, & milites, & enſiferi cubitum ituri eſſent, primo Quadrageſimæ Sabbato, cum poſtridie Orthodoxorum Imperatorum & Patriarcharum memoria proclamanda eſſet, tantus ſubitò hinnitus circa palatium exauditus eſt, vt omnes percellerentur. Intempeſta enim nocte, cum neque Imperatorij, neque Senatorij equi, nec in ipſo palatio, nec ante fores eſſent, improuiſa res animos audientium perturbauit & alij alios, quid rei eſſet, interrogarunt. Eo tumultu nondum ſedato, alter hinnitus priore maior exauditus eſt, ab ipſo etiam Imperatore, qui miſſo miniſtro, vnde is eſſet, quæſiuit: ſed nihil aliud audiuit, niſi ab equo in quodam palatij pariete, ante victricis Deiparæ ſacellum, quem Paulus olim præſtantiſſimus pictor effinxiſſet. Diuum Georgium Chriſti martyrem pulcherrimè ſuſtinentem, eſſe editum. Miſſis ab Imperatore nuncijs, Theodorus Logotheta, futuros triumphos, aduerſus Agarenos Aſiam populantes ſignificati reſponderat: at Imperator futuram perturbationem Imperij diuinauit; quod ex Patrum traditione accepiſſet, quia equus iſte aliàs ad eundem modum hinnijt, cum Balduinus Latinorum Princeps à Michaele Palæologo pulſus, vrbem amiſſurus eſſet. Quo monſtro, cum & ille die, vt ominoſo terreretur; tandem, nec multo poſt, euentum ipſe expertus eſt, cum cerneret Vrbem à Græcis vaſtari.

IX. PROGRESSVS ET EXITVS HVIVS CONIVRATIONIS.

Præceſſit & iſtud portentum Columna quæ ante Orientalem arcem ſtabat, in qua Byzantis conditoris vrbis imaginem olim fuiſſe fama eſt, ante multos dies & ipſa commoueri cœpit; quæ agitatio per dies complures durauit, omnibus ſpectaculum mirantibus. Conſuluerat quidem Imperator, quoſdam libros opinione eius fatidicos, deinde figuras vana aſtrologorum diſpoſitione delineatas, at ex his tam ſtulta, quam temeraria coniectura, hoſtium externarum aduentum, & Reipublicæ ab his confuſionem conijciebant: neque animaduertebant, iuniorem Imperatorem Andronicum id eſſe facturum, Deo, talia modis ineffabilibus occultante, atque indicante. Neque enim multo poſt, Andronicus, coniuratorum conſilijs & auxilijs fretus, die vigeſimo Aprilis clam Vrbe egreſſus, libertate & immunitate in Thracijs pagis & vrbibus pronunciata, ſtatim omnes ad omnia quæuis paratos habuit, & adeo commouit, vt ſenem Imperatorem cupidè inuaſuri eſſent. Id verò tanto promptius faciebant, quanto iuniori Andronico conſtabat, ſeniorem, vt ipſe caperetur, commiſiſſe. Namque Patriarcha Geraſinus, cui Andronicus ſenior arcanū nepotis comprehendendi conſilium aperuerat, ſtatim ad Andronicum iuniorem Imperatorem accurrerat, & arcano illi prodito effecerat, vt fugam acceleraret. Iſtud etiam iuniorem Imperatorem magis inflammauerat: quod cum ſenior Imperator ante ſolis ortum nepotis fugam cognouiſſet, eodem die Reſurrectionis Dominicæ ſecundo, Pontificibus qui in Vrbe erant accerſitis, (nam Patriarcha pridie fuga abierat) proſcribi iuſſit tum nepotem fœdifragum, tum eius cōiuratos, tum eos omnes qui ſe coniungerent, ac eius factioni fauerent. Facilè id, à cœtu Sacerdotum impetratum eſt. Itaque paſſim ſacroſanctum Euangelium in palatijs, in vijs, in foris, circumferebatur, & populus Sacramēto adigebatur, vt & à iunioris Imperatoris ſocietate, & animo, & manu, & lingua recederet, & ſeniori arctioribus obedientiæ vinculis aſtringerentur. Quę

cùm ad hunc modum in vrbe Imperatrice gererentur, Andronicus iunior à proceribus irritatus, exercitu collecto Byzantium reuertebatur, primo impetu ſe expugnaturum vrbem ratus, ſeditione laborantem, populo inter ſeſe diſcordante, ſpe emolumentorum quæ huiuſmodi mutationes iniuſtis manibus ſuppeditant, Syrgianne omnia exagitante. Perculit ea res adeo vehementer ſeniorem Andronicum, vt is Legatos ad nepotem miſerit, pacis deprecandæ. Vix conuenit, vt Imperator ſenior, Conſtantinopolim retineret; Thraciam verò quæ à Chriſtopoli vſque ad Rhegium, & Conſtantinopolis vrbana pertinet, iunior Andronicus pro authoritate obtineret; ſimulque ea prædia, quæ ſuæ factioni in Macedonia aſſignaſſet, quorum multa erant, quæ ſingulis multa millia quotannis penderent, poſſideret. Datum eſt etiam ſeniori, vt legationes finitimarum gentium audiret atque dimitteret; quod eæ occupationes iuniori minimè cordi eſſent, ſed potius natura ad voluptates & venationes propenſo, & rebus eiuſmodi occupato, grauiſſimum & moleſtiſſimum onus viderentur. His conditionibus fœdus initum, iuniori Imperatori, quam ſeniori acceptius. Nam cum tam inexpectatam calamitatem propulſare cuperet, ſed omnibus rebus deſtitutus nihil poſſet; ea quæ à nepote proponebantur, tanquam oracula Apollinis accipiebat. Ad eum modum tunc Deus vindictam voluit ſumere de Andronico Pontificiæ maieſtatis contemptore, quod is auxilia Gibellinis, contra admonitiones Ioannis Pont. Max. commodaſſet. *Nicephor. Gregor. lib. 8. & Ioan. Villani lib. 9. c. 132.*

X. IOANNES PP. ADVERSVS ECCLESIÆ HOSTES SE ARMAT.

Porro cum idem Ioannes Pontifex, omnes ferè portas inferorum, contra Petri Eccleſiam commoueri perſpiceret, & hac Imperatorem Conſtantinopolitanum, hac Ludouicum Bauarum, illac Fridericum Trinacriæ Regem, iſthac ferè omnes Italiæ Principes ad arma cõclamare, hæreſeſque impune, ſub ſignis fautorum volitare videret, & ipſe quoque ſibi proſpiciendum putauit. Inprimis itaque cum Rege Galliarum, Philippo, & Roberto Siciliæ Rege, fœdus percuſſit. Deinde in ſumptus bellicos, omnium beneficiorum hactenus vacantiũ fructus, & ſibi & Apoſtolicæ Sedi, in tres annos reſeruauit. Guelfos quoque Ligures, Inſubres, Etruſcos, Vmbros, Picentes, & Æmiliæ, & inter hos præcipuè Florẽtinos, Bononienſes, Genuenſes, Patauinos, fœdere deuinxit. Fridericum poſtea Trinacriæ Regem, ad inducias cum Roberto non violandas, ſeriò admonuit. In hæreticos demum ac eorum fautores, conſiliarios, adiutoreſque anathema ſolemni ritu pronunciauit: & in his à Recanatenſibus Sedem Epiſcopalem tulit, Maceratamque vicinam tranſtulit. Auximanos pariter, ex eadem cauſa hæreſeos damnauit: atque Inquiſitoribus Italiæ, vt in officium ſuum diligenter incumberent, hæreſeſque extirparent, præſcripſit, *epiſt. Ioann. hoc anno 6. 88 96. & aliis Ioann. Villani ſup. Corius hiſt. Mediol. parte 2. & Codex Columm. biblioth. Vatican.*

IX. RIGANDVM VINTONIENSEM EPISCOPVM CONTRA MONACHVM QVENDÃ CREAT.

Occaſione reſeruationis fructuum, beneficiorum Eccleſiæ vacantium, cum Ioannes Pontifex, auctoritate Apoſtolica, citra electionem Epiſcopos præficeret, mortuo Vintonienſi Epiſcopo in Anglia, eandem Eccleſiam viduatam non tam cito quam Monachi ſperauerant commiſit. Quamobrem illi ægrè ferentes quod & paſtore deſtituti eſſent, & fructus Eccleſiæ ſuæ facere non poſſent, ſucceſſorem Ioanni Kendalio quendam monachum elegerant. Id porro cum in contemptum Pontificiæ poteſtatis factum Ioannes interpretaretur, electionem quidem abrogauit, atque nullius momenti fore pronunciauit, Cathedræ autem Vintonienſi Rigandum clericum ſuum impoſuit; quem paulò poſt Londinenſis Epiſcopus, præſentibus Elienſi & Roffenſi Epiſcopis, in monaſterio S. Albani, ad diem S. Edmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi ſummo Pontifice iubẽte ſacris initiauit. Per id temporis quo Oxonium quidam impoſtor iuuenis mendicus veniens, Eduardum Regem non hæredem ſed ſuppoſititium, ſe verò legitimum Regis defuncti ſucceſſorem aſſeuerauit, & tandẽ interceptus, & Northamptoniam ad Regem miſſus, poſt raptationem furca interjjt. *Thomas VValſingan. hiſt. Angl. in Eduardo 2.*

XII. PICTAVIENSẼ ET ALIOS QVOSDÃ EPISCOPATVS DIVIDIT.

Eodem anno Ioannes Pontifex Epiſcopatum Pictauienſem in Gallijs, & nonnullos alios diuiſit, & ex diuiſis Eccleſijs, nouos Epiſcopatus conſtituit. Ex ea diuiſione, cum Capitula, Archidiaconi, & aliæ perſonę nõnihil detrimenti ſe poſſe accipere, vel etiam accepiſſe conquererentur, Ioannes Pontifex conſtituit; vt omnia iura quæ integris Eccleſijs aliqui poſſidebant, etiam in diuerſis retinerent. Ita habet conſtitutio.

EIVS CONSTITVTIO PRO RETINENDIS IVRIBVS ECCLESIÆ.

*Ad Apoſtolatus noſtri peruenit auditum, quod aliquarum Eccleſiarum per nos ab alijs Eccleſijs ex certis cauſis, quæ ad hoc noſtrum animum induxerunt, auctoritate Apoſtolica diuiſarum; Prælati, & ſubditi, Capitulis, Archidiaconis, & alijs perſonis Eccleſiarum, à quibus ſupradictæ Eccleſiæ ſunt diuiſæ, multipliciter iniuriari præſumunt, non permittentes eos vti iuriſdictionibus & iuribus ſuis, ſicut ante diuiſionem huiuſmodi vtebantur. Quia igitur intentionis noſtræ non extitit, nec exiſtit, per diuiſionem Epiſcopatuum, Eccleſiarum à quibus diuiſiones factæ ſunt, Capitulis, Archidiaconis vel alijs perſonis velle aliquatenus derogare, niſi quatenus in diuiſionum huiuſmodi literis Apoſtolicis continetur expreſſè: Nos præſentis auctoritate ſtatuti, vniuerſis Prælatis, Capitulis, & alijs quibuſcunq; perſonis Eccleſiaſticis Eccleſiarum deciſarum, & in Cathedrales Eccleſias per nos auctoritate Apoſtolica erectarum, præcipimus & mandamus, ne Capitula, Archidiaconos, & alios perſonatus, vel dignitates, officia, ſeu beneficia in prædictis primarijs Eccleſiis obtinentes, quo minus viſitationes exerceant, procurationes recipiant, iuriſdictiones & iura Archidiaconalia, & alia bona obtineant in prædictis decisis diœceſibus, ſicut ante diuiſionem huiuſmodi obtinebant, niſi quantum in diuiſionum huiuſmodi literis Apoſtolicis caueatur expreſſè impediant quoquo modo, quouſque per Sedem Apoſtolicam aliud fuerit ordinatum. Si enim aliqui contra præſens præceptum agere vel facere præſumpſerint, nos præſumptores tales digna curabimus animaduerſione puniri.* Datum Auinione, quinto Calend. Octobr. anno quinto.

XIII. FRIDERICVS REX OB BELLVM CONTRA GVELPHOS SVSCEPTVM DIRIS EXECRATVR A IOANNE PP.

Hoc ipſo anno, cum Fridericus Rex monitiones Põtificias contempſiſſet, cum quadraginta triremium claſſe contra Genuam ſoluit, & circa littora Calabriæ excurrens, Policaſtrum oppidum euertit; deinde oppidum Vultirum non longè à Genua inuaſit, ciues in eo Guelphos trucidauit, ipſamque poſtea Genuam adortus fruſtra, præualentibus Guelſis, oppugnauit. In Siciliam deinde reuertens, cum pecuniæ egeſtate coactus, ad ſacros prouentus manus iniecisset, & nequaquam monenti Pontifici obtemperaret, ab Ioanne diris omnibus, vna cum Siculis vniuerſis execratus eſt. *Fazell. de rebus Siculis decad. 2. lib. 9.*

XIV. IACOBVS REX ARAGONIÆ PACEM INTER FRIDERICVM ET ROBERTVM STABILIRE CONATVR.

Conabatur etiam Iacobus Rex Aragoniæ, inter Robertum Siciliæ, & Fridericum Trinacriæ Reges pacem & concordiam ſtabilire: eiuſque rei gratia Ioanni ſummo Pontifici perſcripſerat, vt ille inter diſſidentes auctoritatem ſuam interponeret. Veruntamen nihil proficere potuit, Friderico tum à Gibellinis, tum à Ludouico Bauaro nimis contra Pontificios irritato. In ijs quas die III. Martij hoc anno 1320. Ioanni Pontifici Iacobus Rex ſcripſit literis, appellat eum *omnium Chriſtianorum caput & paſtorem, & Cuſtodem, ad quem pertineat rationem reddere de omnium animabus.* Collucius Cancell. Florentin. de rebus Sicil.

XV. IOANNES IACOBI ARAGONŨ REGIS FILIVS EPISCOPVS TOLETANVS CREATVS OB PRÆLATAM CRVCEM EXCOMMVNICATVR.

In Hiſpanijs, hoc anno, Ioannes Arragonij Regis filius, Toletanus Pontifex, Ilerdæ ſacratus eſt, in locum Gonſalui priori anno defuncti ſubſtitutus, eximia vtriuſque gentis lætitia, ſpe, plauſu, proſperum iuſtumque Pontificatum fauſtis vocibus ominantium: Reginæ Mariæ haud obſcuro dolore metuẽtis, ne tanti Principis aduentus, res commotas amplius exulceraret, verum eæ ſuſpiciones Romani Pontificis ad Reginam literis deterſæ ſunt, timorque exemptus, pacata omnia fore pollicẽtis. Cũ Aragonijs certe Præſulibus magna de dignitate Eccleſiæ Toletanæ contentio fuit. Ioannes de more Crucem præferebat, poteſtatis inſigne. Id ſibi veteri iure conceſſum, recentique memoria confirmatum, licere arbitrabatur: cum Primas Hiſpaniæ eſſet. Simon Luna Tarraconenſis, & Petrus Luna Cæſarauguſtanus, Præſules, qui inaugurationis ceremoniæ interfuerant, iure controuerſo, cauſaque nondum diiudicata negabant. Ad has voces cum Toletanus non mutaret, ſuæ Eccleſiæ dignitatem tueri certus, patriſque fauore fretus: Cæſarauguſtæ, vbi Regni Conuentus à Rege habebantur, à Cæſarauguſtano Præſule anathemate notatus. Clauſa templa, ſacrorum iuſtitium fuit. Incredibilem audaciam, confidentiam ſingularem. Conſtitutio ſuperioribus annis anathemate ſancita, ſi quis in aliena prouincia Crucem præferret, facto prætendebatur.



XVI. OFFENSVS EA RE IACOBVS REX MINACES AD IOANNEM PP. DAT LITERAS AB EOQVE RECIPIT.

Id ægre Iacobum Aragonium Regem habuit, filium in ſuo Regno violari, ſuiſque in oculis. Datæ ad Romanum Pontificem de ea re literæ acres atque minaces: videbatur crudele aliquod exemplum editurus, ni admonitus à ſuis, de ſuarum Eccleſiarum dignitate agi, Regnoque: neque videri æquum priuatis affectibus indulgendo, publicam cauſam prodere, multum de animi furore remiſiſſet. Summus Pontifex ita factum accuſauit, vt anathematis ignominia, ſi forte eſſet iuſta, Toletanum exolui iuberet. *Marian. in hiſtor. Hiſpan. libr. 15.* Iſtud eſt exemplar literarum ad Iacobum.

Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio, Iacobo Regi Aragonum illuſtri, ſalutẽ & Apoſtolicam benedictionem.

*Perſonam tuam, fili chariſſime, à gratiarum diſtributore omnium adeo gratiis variis nouimus illuſtrari, quod dicta & facta hominum ex perſonis ipſorum & aliis circumſtantiis debitis noſti penſare debite, ac de illis recto iudicio iudicare. Sane fili ſi perſonas venerabilium fratrum noſtrorum Tarraconenſis & Cæſarauguſtani Archiepiſcoporum attenderis diligenter; ſi cauſam, quare venerabili fratri noſtro Ioanni Archiepiſcopo nato tuo, infra ipſorum prouincias Crucem deferenti, Apoſtolico priuilegio non oſtenſo, ſe oppoſuerint, & proceſſus aliquos fecerint contra ipſum; profecto quoad perſonas, reperies ipſas tibi multiplici vinculo obligatas, propitias & deuotas; quæ in tuam, vel in Archiepiſcopi nati tui prædicti iniuriam, nihil ex propoſito præſumendum eſt attentaſſe. Cauſam autem reperies zelum quendam Eccleſiarum iura tuendi, & ipſa illibata ſeruandi. Ideoq; in iſtis ſupponere debet prudentia Regia iniuriandi prorſus animum exulaſſe. Quanquam autem gratum noſtris acceſſiſſet affectibus, & acceptum, quod fuiſſet inter ipſos Archiepiſcopos deportanda, vel non portanda Cruce concorditer antea ordinatum; tamen ex quo ſic proceſſum extitit, cum tam ex parte portantis, quam ex parte reſiſtentium zelus conſeruandi ius Eccleſiarum ſibi commiſſarum fuerit, non iniuriam alicui irrogandi, ſerenitatem Regiam deprecamur attente, vt factum iſtud deducens in rectæ conſiderationis examen, ex hoc animus Regius non turbetur, nec affectum immutet ſolitum erga ipſos. Si enim præfatam reſiſtentiam attenderit, ipſam reperiet ad honorem Regium pertinere, & nos proceſſibus factis contra præfatum Toletanum Archiepiſcopum intellectis, de Fratrum noſtrorum conſilio, in eodem Conſiſtorio ipſum à ſententiis contra ipſum latis, ad cautelam, cum de iuribus partium nobis non conſtaret, de poteſtatis plenitudine duximus abſoluendum: diſpenſantes cum eo ſuper irregularitate ſi, quam contraxerat, ſe, vt prius ſic ligatus diuinis officiis immiſcendo. Sibi nihilominus licentiam concedentes, vt ſuos familiares poſſit abſoluere, & cum ipſis ſimiliter diſpenſare.*

*Quæſtionem autem prædictam ad noſtram duximus audientiam reuocandam: partibus, vt occurratur ſcandalis interdicere intendentes, quod pendente quæſtione huiuſmodi, nec Toletanus in dictis prouinciis Crucem ante ſe deferri facere debeat, nec alii cõtra ipſum ſententias per conſequens promulgare, niſi mandatum Sedes Apoſtolica aliud duxerit ordinandum. Per hoc autem neutri partium in poſſeſſione, ſeu proprietate volumus, nec intendimus præiudicium aliquod generari.* Datum Auinione II. Idus Nouemb. Pontif. noſtri anno Quinto.

XVII. POLONIA REGIO HONORI RESTITVTA LADISLAVM LOCTICVM REGEM ACCIPIT.

In Polonia, hoc anno 1320. die Dominico SS. Fabiani & Sebaſtiani, Ladislaus cognomento Locticus, vna cum Heduige coniuge, ab Ianislao Gneſnenſi Archiepiſcopo, ſacro oleo inunctus, coronam & reliqua Regis inſignia ſuſcepit Propter Diui Stanislai Epiſcopi Cracouien. cædem, Regnum Poloniæ nullum Regiis inſignibus coronatum hactenus aſpexerat, quod ſummus Pontifex id temporis ea dignitate Poloniam exuerat, neq; proceres aut Duces reſumere præſumebant. Actũ apud Ioannem Pontificem de reſtitutione. Cæterum cum & Ioannes Rex Boemiæ, Galliarum Regi affinitate coniunctus, vna cum Cruciferis impediret, Pontifex quidem nihil hac de re aperte decreuit, Prælatis tamen & Proceribus Polonis, ſecretioribus literis mentem ſuã aperuit, quidque agere illos par eſſet, edocuit. Inſuper Gerardo Ladislai internuncio, voluntatis ſuæ ſignificationem dedit. Cum itaq; Vladislaus ſententiam Pontificis non tam reſcripto ipſius, quam literis Gerardi perſpectum haberet; Proceres quoque & Prælati ſecretiores ſuas, ſignis occultioribus deſcriptas illi oſtẽdiſſent, explicaſſentque, Comitiis Cracouiam indictis ad vigeſimam diem Ianuarii menſis, in Baſilica Cracouienſi tunc primum inſtaurata & conſummata, ab Archiepiſcopo & cæteris Epiſcopis ritu ſolemni coronatus eſt. Ex eo tempore ius coronandi Reges, atque ipſa Regni inſignia Geſna Cracouiam propter amplitudinẽ ſplendoremque vrbis, & plurimas maximaſq; commoditates tranſlata ſunt.

XVIII. CRVCIGERI OB EREPTAM VLADISLAO REGI POMERANIAM ANATHEMATE PERCVSSI.

Cauſam cõtra Cruciferos propter Pomeraniam occupatam, Ioannes Pontifex, Ianislao Gneſnenſi Archiepiſcopo, Damaratho Poſnanienſi, & Nicolao Abbati Megilnenſi commiſerat. Detrectabant iudicium Delegatorum Cruciferi, adque ipſum ſummum Pontificem prouocabant. Appellatione refutata, cum Vladislaus Rex cauſam ſuam plurimorum fide dignorum ſacri pariter & profani Ordinis hominum teſtimoniis luculente probaſſet, Cruciferi damnati, & Pomeraniam Regi reddere, ac centum quinquaginta millia marcatum pecuniæ pro perceptis fructibus, aliaque triginta millia in litem expenſa numerare iuſſi. Cum non parerent rei iudicatæ, anathemate percuſſi ſunt, ita vt nunquam iis præſentibus ſacra fieri liceret. *Cromer. lib. 12. Mechouius lib. 4. c. 9. rerum Polon.*

XIX.

In Galliis, hoc anno, Ieſſelino Cardinale Legato curante, inter Philippum Regem, & Robertum Flandrũ, pax ſtabilita eſt. Robertus & Belgarum procuratores, in Philippi verba iurauerunt.

XX. PRÆDONES QVIDAM SVPPLICIO AFFECTI.

Dum hæc difficili negotio agerentur, ouium quidam paſtores admoniti cœleſti, vt ipſi aſſeuerabant, oraculo, in Syriam Religionis Chriſtianæ cauſa profecturos ſe iactabant. Hi poſtquam magno numero aucti ſunt, latrunculis non diſſimiles cum prędas agerent, Carcaſſonam vſque progreſſi ab incolis grege facto diſſipati aufugerunt, compluribus interfectis, & patibulo ſtrangulatis.

XXI. ITEM IVDÆI MALEFICI.

Peſtilentia etiam laboratum; ſed fraude humana potius quam vitio cœli, iraue Numinis credebatur id malum ſæuire. Fama tenet, Iudæos, quod peruicax hominum genus, ac execrabili in Chriſtianos flagrans odio, è Francia exegerat Pulcher Rex, ab Hutino filio mox Rege receptos; & vt priſtinum exilium ſuum, bonaque direpta vlciſcerentur, & priori ſimilem rebus ſuis fortunam præmetuentes, ab Regibus præterea Satrapiſque Turcarum Saracenorumque pecunia accepta, elephantiacis, qui ſtipe mendicanda vagi victitarent, perſuaſiſſe, vt venena in puteos diſpergerent. Pharmacon ſanguine & lotio humano herbiſque quibuſdam lætiferis confectum panno inuoluentes in puteos demittebant, lapide adhibito, vt ad aquæ fundum cito deferretur. Iſtud cum in prouincia Narbonenſi, à leproſis factum Philippus accepiſſet, venificoſque omnes flammis exuſtos eſſe didiciſſet, inquiri per reliquum regnum leproſos iuſſit; eoſque criminis conuictos, vnaque cum eis plurimos Iudæorum vltricibus ignibus damnauit. Quadraginta Iudæi Vitriaci in cu-

in cuſtodiam coniecti, mirabile in ſeſe facinus commiſerunt. Nam cum ſe morti addictos iam minime dubitarent, duos ex numero ipſorum, quos viros optimos iudicauerant, delegerunt, vt ab eorum manu vitæ finem acciperent, neque à Chriſtianis occiderentur. Alter eorum ſenio confectus, alter viribus & robore præſtans, ad cædem perpetrandam delecti, cæteros ſe morti vltro offerentes compreſſis faucibus necarunt. Deinde ſenex, iuuenem, vt eius manu caderet, exorauit. Is iam vnus ſupererat, neque aliquem, qui ſe à ludibriis morteque arbitrio Magiſtratus obeunda vindicaret, aſpiciebat. Itaque ad tignum editiſſimæ feneſtræ partim reuulſis, partem ita patefactis clathris, vt exitus liber foret, reſti religatæ ceruice inſerta, ſe demiſit ſuſpendio. Sed graui caſu laqueo priuſquam gula fracto, in ſubiectam foſſam decidit, eruſque fregit. Ad ſtrepitum excitati cuſtodes, eum excepere. Furca interiit; Iudæorum cadauera ignibus cremata. Nihilo ſecius vis morbi iam viſceribus inſidens multos mortales abſumpſit. *Guagnin. lib. 7. P. Æmil. in Philippo Longo.*

XXII. PERSECVTIO IN IVDÆOS EXCITATA

Ex hac occaſione, multæ vbique locorum in Iudæos perſecutiones, quas vt Ioannes ſummus Pontifex reprimeret, vniuerſis Chriſtianis perſcripſit, vt Iudæos ab inſolentiis aliorum tuerentur; cum ipſi ſint in teſtimonium Chriſtianæ fidei, quaſi per miraculum reſeruati. Extat in regeſtro Ioannis hoc anno, ea de re epiſtola, num. 952.

XXIII. IOANNIS PP. CONSTITVTIO PRO IVDÆIS CONVERSIS AVT CONVERTENDIS.

Præter hanc, conſtitutionem ad perpetuam rei memoriam edidit, & Rectoribus ac Officialibus Comitatus Venuſini, & aliorum Comitatuum præcepit, ne Iudæos ad fidem conuerſos vel conuertendos moleſtia afficerent, in poſſeſſionibus quas ante conuerſionem vel Catechiſmum poſſediſſent: quin potius eorum patrocinium ſuſciperent. Ita habet, *numero C. XV. & lib. 5. extrau. tit. de Iudæis.*

*Dignum arbitrantes & iuri conſonum, fonte renatos baptiſmatis Iudaica cæcitate dimiſſa amplioribus fauoribus, aut gratiis quam antea abundare: indecens & abſurdum, vt qui in perfidia abundarent, cogantur mendicare fideles: vniuerſis & ſingulis Rectoribus & aliis Officialibus Comitatus Venuſini, aliorumque Comitatuum, & terrarum pertinentium ad Apoſtolicam Sedem diſtricte præcipimus & mandamus, quatenus conuerſis huiuſmodi, & qui in poſterum conuertentur, in poſſeſſionibus & bonis aliis quocunque nomine cenſeantur; quæ in Comitatibus, & terris prædictis conuerſionis tempore obtinebant, ſeu etiam obtinebunt, occaſione prædicta nullam moleſtiam inferant, nec ab aliis inferri permittant; ſed ipſis in his, & aliis ſe fauorabiles exhibentes, ipſos ab iniuriis & moleſtiis protegant, & defendant; vt ſic de ſeruitute ad libertatem ſe tranſiſſe percipiant, nec redire prætextu mendicitatis odibilis ad dimiſſam perfidiam compellantur. Nulli ergo, &c. noſtrorum præceptionis, & mandati infringere.* Datum Auinione 10. Calend. Aug. Pontificatus noſtri anno IV. hæc in cauſa Iudæorum, Ioannes conſtituit.

XXIV. SVMMARIVM GESTORVM IOANNIS PP. HVIVS ANNI.

Eodem anno idem Ioannes ſummus Pōtifex 1. Thomam Erefordienſem Epiſcopum, poſtulante Edouardo Rege & vniuerſo Regno Angliæ, Sanctorum Tabulario adſcripſit. 2. In eos, qui theſaurum Clementis Papæ Quinti abſtulerant, anathema in die Cœnæ Dominicæ ſtrinxit. 3. Inter Dionyſium Luſitaniæ Regem, & Alfonſum eius filium, diſcordiam ſuſtulit. 4. In Regno Daniæ, & aliis Aquilonaribus prouinciis, in ſubſidium terræ ſanctæ decimationem impoſuit. 5. Ex Remenſi, Treuerenſi, Moguntina & Colonienſi ciuitatibus, reliqua decimarum retenta, exegit. 6. Reparationem Baſilicæ S. Petri in vrbe, in qua vultus Redemptoris noſtri imago non manu facta, conſeruatur, necnon corpus ætherei ianitoris, & Apoſtolici Prædicatoris Pauli, aliorumq; innumerabilium Sanctorum corpora & reliquiç conditæ ſunt, quibuſdam commiſit. 7. Ciuibus Romanis, ne hoſpitia & palatia Cardinalium in vrbe occuparent aut inhabitare præſumerent, præcepit. 8. Contra Albigenſium hæreticorum reliquos, cenſuras pronunciauit, & nonnullas leges ſanxit. 9. Ab Epiſcopo Maioricenſi, munus inſigne, Sacra Biblia in octo voluminib. elegantiſſime deſcripta, atq; gloſſis illuſtrata, accepit, eiq; gratias ſummas egit. Cumq; à nonnullis maleuolentibus, veneno tentaretur, periculumque in dies ſingulos formidaret, 10. Margarita Comes Foxēſis quoddam cornu ſerpentinum, ad modum manubrii cultellini effigiatum, ad veneni inſidias detegendas, illi miſit, literaſque in gratiarum actionem, vna cum nonnullis munuſculis, ab eo extorſit.

1. ep. 1003. 2. ep. 91. 3. ep. 3. 4. ep. 8. 5. ep. 13. 6. ep. 647. 7. ep. 110. 8. ep. 66. 9. ep. 61. 10 ep. 55.

XXV. LVDOVICO NIVERNENSIS COMITIS FILII ROBERTI COMITIS FLANDRENSIS CARCERES ET ÆRYMNÆ.

Porro, venenorum & maleficiorum cauſa, non tantum Ioannes Pontifex, verum & alii non pauci proceres, ſibi per id temporis timuerunt. Inter hos Robertus Comes Flandrenſis, quod deterius eſt, à filio Ludouico Comite Niuernenſi. Namque rumor ſparſus fuit, Ludouicum Niuernenſem, toxicum parauiſſe, patri ſuo Roberto. Patris mandato captus, intercedente fratre Roberto capitis damnatus, Præfecti arcis, in qua ſeruabatur, cunctatione, vix ſeruatus eſt. Cum enim is à Roberto ſeniore literas de Ludouico decollando, annulo obſignatas Comitis accepiſſet, non ſtatim iuſſa fecit: ſed ad Comitē odio & ira æſtuantē acceſſit, & alia mandata accepit, de veritate per inquiſitionem & tormenta conficienda. Adeo furor Robertum impulerat, vt etiam in ſecretoria ſacra inueſtigationem pręceperit. Frater quidam Garnerus presbyter Ludouici Confeſſor, per exquiſita tormenta, vt Domini ſui arcana proderet, interrogatus fuit; ſed nihil ab eo exprimi potuit. Tandem è cuſtodia, non alia lege dimiſſus Ludouicus euaſit, quam Sacramento ſeſe aſtrinxiſſet, nunquam ſe viuente patre in Flandriam venturum, neque pœnas de Pinquiniaco, aut aliis accuſatoribus, qui id per inuidiā feciſſe putabātur, ſumpturum. Difficile memoratu eſt, quantam iſte Ludouicus paſſus ſit calamitatem, nunc hic, nunc illic captus, detentus, vexatus, morte damnatus, atq; non à diuerſis modo cuſtodiis, ſed propemodum à cyppo enectus. Inprimis Regi Gallorum, obſes, vna cum filio, à patre datus, & in cuſtodiam arcis montis Vagonis ductus, cum illum, Rex, & filium ſubito & quam occultiſſime decollari iuſſiſſet, Præfecti opera à carcere eductus eſt. Grauius eſt quod adiungo. Cum ex Galliis, Margaritam & Ludouicum paruulos addiſcendæ linguæ gratia ad ſe in Flandriam adduci iuſſiſſet, Rexque Galliarum, vt iis ſublatis, facilius omnem ſtirpem Flandricam extingueret, Flandriamque tandem, cui tantopere inhiabat, occuparet, certior ea de re factus, ex itinere paruulos retraxiſſet, cœpiſſet, detinuiſſet, atq; Ludouicus pater ꝓpterea in Curia Pariſiaca cōparuiſſet, ac bona ſua, liberoſq; repeteret, ac purgare ſe offerret, de crimine perduellionis, de pacis fractione, violatione fidelitatis, conſpiratione cum hoſtibus Regni, motibus ac perturbationibus ciuitatum, aliiſq; criminibus ab inimicis ſibi obiectis, non modo nullum in his omnibus ius obtinere potuit: verumetiam diſerte vetitum audiuit, ne, ſub pœna offendendæ Regiæ maieſtatis, quiſq̃ è Curia, ſeu ſcriba, ſeu Aduocatus, neue ex neceſſariis eius, aut ex alienis quiſquam illi, aut conſilio, aut ope aliqua adeſſe præſumeret. Pro ſe reſpōdere ipſe ſolus coactus, captus, Moreto Vaſtinii in carcerē coniectus Lutetiam in carcerē reductus, & inde itidem in carcerē montis Hertii, fœdiſſimum illum quidem ac teterrimum, in quem Templarii aliquot propter flagitia ſua fuerant iniecti, ac poſtea igne exuſti, ductus: ne hoc quidem imperrare potuit, ne in tam fœdum ergaſtulū duceretur. Longaretus enim nefarius is qui ſummum ſacerdotem Bonifacium VIII. violauerat, felicem illum fore dixit, ſi nihil durius ipſi fœdo illo carcere contigerit, perinde ac deteſtabilis ille parricida, mortē ēt illi intentaret. Lutetiam iterum circumductus, & à cuſtodibus die nocteq; circumſeſſus, ſecreto certior factus, maximū quoddam ſibi parari malum, cuſtodes fefellit, & in Flandriam ſecedens, ad Romanū Pontificem, cōtra Pulchrum Regem prouocauit: ſed viuo tamen Pulchro nunquam ius ſuum obtinuit, Vtino & Longo Re-





gibus, vix propter matrimonia inita, bonorum partem illi propriorum, vna cum ſecuritate promittentibus. *Annal. Flandr. lib. 11.*

XXVI. DIPLOMA CANONIZATIONIS THOMÆ HEREFORDENSIS.

Hoc anno, ad 15. Cal. Maii Ioannes Pontifex, Thomam Herefordenſ. Sanctorum Catalogo adſcripſit. In diplomate canonizationis, quod incipit: *Vnigenitus filius, &c.* hæc de eo recitabat.

*Sane*, inquit, *Beatus Thomas natione Anglicus, Angelicus homo, ipſe de parentibus nobilibus & Catholicis originem ſuam trahens, ab ætate primæua morum honeſtate præclarus, ſtudiis literarum ſic ſe dedicauit totaliter, ſic in ipſis ſollicite ſtuduit, & profecit, quod tam in humanis ſcientiis, quam etiam in diuina, honorem magiſterii eſt adeptus, poſt quæ doctrinæ ſuæ radios longe lateq; diffundens, quam plures ad iuſtitiam erudiuit, velut luminare in mundo præfulgidum, continens verbum vitæ. Ne autem terrenæ carnis inhabitatio deprimeret ſuum ſenſum cœleſtia cogitantem, ipſam vt ſeruiret Spiritui vigiliis & abſtinentiis, necnon pungenti cilicio; ſed & cibi & potus parſimonia continua macerabat, abſtinens à vino ſæpius, ſciens quod in ipſo lubricum latet carnis. Sciens etiam quod Deus ſe promittit in obiectum & præmium mundis corde, à iuuentute ſua caſtitatis pulchritudinem adamauit, propter quod mulierum conſortia, quæ pretioſam viri animam rapiunt, ac ipſorum blanda colloquia prudentiſſime deuitabat. Nouerat namq; quod propter mulieris ſpeciem, à qua peccati factum eſt initium, multi perierunt. Iſte ſanctus etiam vt alter Iob ſimplex, rectus ac timens Deum, à Chriſto didicit eſſe mitis corde, manſuetus, humilis & benignus, miſeratio nihilominus quæ ab infantia ſecum creuit erga pauperes & afflictos, ſuæ pietatis viſcera ſic affecit, quod ipſe verus pauper ſpiritu, diues rebus, illos largis ſuſtentabat eleemoſynis, iſtos vero crebris conſolationibus refouebat. Cum Apoſtolo namq; Paulo infirmabatur cum infirmantibus, & cum patientib. ſcandalum vrebatur. Hic demum ſanctus de innocente agno factus in Heroforden. Eccleſia bonus paſtor, ſeipſo mente maior effectus eſt, ſtudens ſemper de virtute progredi in virtutem, quo in tempore, in Dei templo, in virtutum culmine poſitus ſic effulſit, quod merito gemma Præſulum dici poſſet. Orationi vero inſiſtebat aſſidue, ac ſui feruorem Spiritus demonſtrabant, in orationibus & celebratione Miſſæ abundanter ex oculis lachrymæ illi defluentes. Commiſſas vero oues præcedebat ad paſcua, & à lupis protectas rapacibus, paſtaſq; verbo & exemplo pariter, ad Chriſti caulas ſedule reducebat. Iura vero ſuæ Eccleſiæ defenſabat viriliter, indutus iuſtitia vt lorica: paratus namq; pro ſibi commiſſo grege animam ponere, non timuit in hoc principem nec magnatem. Et quia dignum erat, quod huic tam excellenti merito daretur æterna requies, poſt laborem, cum pro ſuæ cauſis Eccleſiæ ad Romanam perueniſſet Curiam, diem clauſit extremum, receptis prius deuote Eccleſiæ Sacramentis. Sicq; vir felix iſte ad Deum tranſmittendo Spiritum, de peregrino & aduena factus eſt eximius cœli ciuis. Et quia decebat multum diuinam potentiam maieſtatis, vt ſanctum hunc in cœlis regnare ſecum per ſignorum euidentiam fidelibus declararet, ipſum coruſcare in terris miraculis multis fecit. Quorum quædam fidelibus probata teſtimoniis, ad Dei laudem & gloriam Sancti huius duximus inferenda. Quædam namq; puella ætatis annorum quinque, quæ tempore longo in quodam profundo ſtagno ſteterat mortua, & ſubmerſa, extracta inde frigida & rigida, non habens aliquod ſignum vitæ, facto ad ſanctum hunc pro eius reſuſcitatione voto, vitæ fuit priſtinæ reſtituta. Infans etiam biennis quidam in aqua quadam ſubmerſus & mortuus extractus inde, poſt factum pro ipſo votum miraculoſe extitit ſuſcitatus. Puer quidam annorum nouem ſubmerſus in quodam flumine, poſtquam extractum de aqua ſancto huic aliqui deuouerunt, reſtitutus eſt vitæ pariter & ſaluti. Paruulus alter ætatis vnius anni cum dimidio, cuius frater caput dormientis in area rota tranſiuerat onuſti currus, qui à bobus quatuor trahebatur, mortuus ex hoc, recuperauit vitam & animam meritis Sancti huius. Infans alius nondum ætatis annorum duorum, in fundo cuiuſdam foſſati, in quem locum de Ponte altitudinis magnæ de nocte aſſeritur cecidiſſe, repertus mortuus, frigidus omnino & rigidus abſq; aliquo ſigno vitæ, menſuratus ad hunc ſanctum, vitæ fuit mirabiliter reſtitutus. Mulier quædam quæ ſeptem annis ſic contracta fuerat, quod nec ſtare, nec ire poterat per ſeipſam, portata ad tumulum S. Thomæ, oratione ibidem facta per ipſam reſtituta fuit priſtinæ ſanitati. Quædam inſuper puella annorum quinque, quæ pedem vnum habebat annis pluribus quaſi totum ex fiſtulis putrefactum, ita quod nec ſtare, nec ire poterat, niſi ſe ſuper femur trahendo per terram, portata ad dicti Sancti tumulum per patrem, fuit ibidem à dicta infirmitate curata. Altera mulier, quæ per annos plures viſu caruerat, nec quoquam ire poterat, niſi vt cæca ab altero duceretur, ducta ad Eccleſiam Herefordenſem, & facta oratione ad tumulum Sancti Thomæ, fuit à cæcitate dicta continuo liberata. Puer inſuper annorum quinque, qui ex infirmitate quadam viſum omnino perdiderat, & duobus annis manſerat ita cæcus, ductus ad huius Sancti tumulum, oblatione facta, viſum recuperauit perfecte. Quidam etiam homo, qui gibbum, ad quantitatem vnius oui anſeris ortum in collo ſuo portauerat, multis annis, orans ad tumulum huius Sancti, & denarium offerens, cum quo in modum Crucis tetigerat dictum gibbum, ſtatim curatus omnino fuit, & à dicto gibbo penitus liberatus.*

Hæc miracula *Ioannes Pontifex* recenſens, Thomam ſanctis adnumerauit, & feſtum illius 6. Non. Octob. celebrari pręcepit. Datis literis Auinione 15. Cal. Maii anno 4.

XXVII. GERASINVS EX MONACHO PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS CREATVR.

Hoc tempore, Conſtantinopoli, in Patriarchicum ſolium ſucceſſit, Sacerdos Monachus è Mangonio monaſterio Geraſinus, vir canus ille quidem, ſed ſimplici ingenio, vt præ ſenio Surdaſter, qui Græcas literas extremo digito nunquam attigerat: verum propter inſcitiam & ſimplicitatem ad Imperatoria obſequia aptiſſimus. Hac enim de cauſa, tales ab Imperatoribus deliguntur, vt dicto audientes eis ſint, tanquam mancipia, & nullo ipſis verbo refragentur. *Niceph. Gregor. lib. 8.*

XXVIII. MARIÆ VERONENSIS VIRGINIS PRIMORDIA, VITA INSTITVTVM MIRACVLA ET OBITVS.

Hoc anno Thebaldus Epiſcopus Veronenſis, corpus S. Mariæ Veronenſis virginis, cognomento Conſolatricis, in templum recens extructum intulit, & in arca marmorea recondidit. Hæc olim Veronæ claris natalibus orta, ab ineunte ætate, virginitatem Deo conſecrauit. In matrimonium, à pleriſq; nobilium expetita, nuptiales thalamos deſpexit: ſed orationibus, vigiliis, ieiuniiſq; addicta, virgineam puritatem, pietatis operibus exornauit. Cum Veronenſis ciuitas, totis ſeptem annis ſiccitate laboraſſet, Maria per reuelationem accepit, non prius ab ea calamitate ciuitatem liberari poſſe, quam Sanctorum Martyrum Firmi & Ruſtici, qui ſub Maximino Veronæ pro Chriſto paſſi fuerant, corpora in vrbem referrentur. Iuſtinopoli condita fuiſſe, ſancto Annoni Epiſcopo eius fratri reuelatum erat: ſed non poterant à ciuibus auferri, niſi æquato auri & argenti pondere Iuſtinopolitanis perſoluto. Miſſa ad ea redimenda, virgo ſancta, cum auri argentiq; permultum ex matronis conquiſiti, attuliſſet, & in ſtatera appendere voluiſſet, corpora Sanctorum per miraculum adeo leuia reperta ſunt, vt modicum pondus vix æquarint. Aliud quoq; mirandum poſt accidit. Cum enim Iuſtinopolitani, iam pretio perſoluto, ſe aliquibus præſtigiis deceptos eſſe putarent, & ideo corpora nauigio impoſita recuperare vellent, nauis curſu adeo concitato ferebatur, vt eam nedum conſequi, ſed neque cernere potuerint. Sacris itaq; pignoribus in vrbem relatis, tota ciuitate quæ in occurſum exierat comitante, illico pluuia copioſa de cœlo deſcendit: propter quam rem Maria Conſolatricis cognomen deinceps accepit. Hæc cum reliquum vitæ, in conſuetis virtutum exercitiis exegiſſet, Calendis Auguſtis in cœlum emigrauit, à ſancto Annone Epiſcopo ſacris procurata, & ſepulturę data. *Ex lib. de SS. Eccleſiæ Veronen. Auguſtin. Valerii Epiſc. & Cardinalis.*

XXIX. IOANNIS BAPTISTÆ PTOLEMÆI CONVERSIO, VITA SANCTITAS, PRÆDICATIONES, MIRACVLA ET OBITVS.

Hoc pariter anno, ad cœlos conceſſit, Beatus Ioannes Baptiſta Ptolemæi, Senis in Etruria, Ordinem Diui Dominici profeſſus. Iuuenis olim in ſæculo, per impudicitiæ, & libidinationum putores, vitam execrabilem traducens, Beatæ Neræ Ptolæmei precibus & meritis, conuerſus, in Speculum omnium virtutum euaſit. Beatus Ambroſius Sanſedonius, refugiebat adoleſcentem, habitu Prædicatorio induere,

donec ab Angelo admoneretur, ne pœnitere volentem aſpernaretur, neue à conſortio Fratrum Prædicatorum tantopere cupientem reiiceret. In eam religionem adnumeratus, totum vitæ tempus, vigiliis, orationibus, ieiuniis, & mortificationi carnis dedicauit. Veſtigia à pedib. Sacerdotum terræ impreſſa, ex humilitate demiſſa deoſculans, lachrymis profuſis imbuebat. Eo die, quo ſe per ſolemnem profeſſionem inſtituto Prædicatorum obligare voluerat, à dæmonio variis ſub ſpeciebus conſpicuo tentatus, orationib. B. Ambroſii, & Beatæ Neriæ ſanguine ſibi deuinctæ, eas tentationes conſtanter ſuperauit, ſacroque voto ſeſe Diui Dominici ſodalitati addixit. Tum deinde ingẽtes profectus in literis, & virtutibus breui fecit. Multa à Diua Deiparente, & S. Ioanne Baptiſta, per reuelationem didicit. Exceptis Eccleſiaſticis ieiuniis, trib. in hebdomadas diebus ſolo pane & aqua victitauit. Carnes nunquam deguſtauit. Ferrea cathena corpus ſuum flagellabat. Cilicium vſq; ad genua induebat, ſpinas calceis interdum imponebat, quibus ſanguinem & dolorem eliceret. Sanus nuda in terra, ægrotus nonniſi in paleis decumbebat. Oẽs Ordinis dignitates & gradus, inſuper & Epiſcopalem dignitatẽ ſibi oblatam recipere nunquam ſuſtinuit: ſeq; in omnibus, ſuperiorib. ſuis ſe velle, Pręlaturis exceptis, obedire reſpondit. Omnia monaſterii officia viliora ipſe libẽs obiuit: leproſo cuidam toto triennio, ſumma cum pietate deſeruiuit, eoque defuncto plorauit, ꝙ exercitium bene merendi amiſiſſet. Permiſſu maiorum ſuorum, multas eleemoſynas pauperibus largitus eſt. Cumque aliud largiri non poſſet, etiam veſtes neceſſarias ſibi detrahebat, & pauperes induebat. Semel apparenti ſibi in forma pauperis Saluatori, veſtem ſuperiorem dono dedit; quam is paulo poſt concionaturo reſtituit. Si quãdo illum neceſſitas charitatis, è Conuẽtu egredi coegiſſet, tam demiſſis oculis incedebat, tamq; moribus compoſitis, vt quid in itinere vidiſſet, ignoraret. Magno cum fructu fidelium, in Italia, Germania, Anglia & Galliis, conciones dixit. Inſidias ab hæreticis & maleuolentib. tetenſas, per miraculum ſæpius euaſit; ac ſemel inuiſibilis, inter armatos hoſtes tranſiuit. Perpetuas inimicitias, cum hoſte humani generis exercuit; cum is varias figuras indutus, vel vt perterreret, vel vt ad peccandum eum alliceret, vigilantem intentumq; appetiiſſet. Aliquando Satan in ſpecie hæretici ei apparuit, adq; diſputandum prouocauit. Sed hunc extemplo Ioannes cognouit, aſtutumq; veteratorem fore dixit. Is vero ab oculis eius diſparuit. Spiritu prophetico, Benedicto vndecimo ſummum Pontificium ac mortem citam prædixit; hæreſim quoq; Fratricellorum, qui his annis Ioannem Pontificem & Eccleſiam Catholicam afflixerunt, item mortem cuiuſdam meretricis, Franciſci Senenſis, Carmelitæ martyrium, Fulginenſium atq; aliorum calamitates, longe antequam venirent, pronunciauit. Ab Honorio IV. Pontifice in Siciliam deſtinatus, Petrum Aragonium Regni Siciliȩ inuaſorem, anathemate perſtrinxit. A Martino IV. Pontifice, Ptolemaidam delegatus, multa pro recuperatione terræ ſanctæ egit, multoſque peccatorum, vbicunq; concionaretur, ad meliorem frugem reuocauit. Inter concionãdum, B. Ambroſius aliquando viſus eſt ei ad aurem quiddam loqui. Semel Beata virgo ſpecie venuſtiſſima, librum apertum ante eius oculos detinuit. Quodam tẽpore Angeli circumſtantes in aera leuatum tenuere, alias ſuper caput illius, ſtella fulgẽtiſſima radiauit. Miracula ingẽtia perpetrauit. Cæco cuidam lumen impetrauit; fluorem ſanguinis ſtagnauit, contractis vſum mẽbrorum reſtituit; mortuum quẽdam Neapoli, & aliam Senis ſibi ſanguine coniunctam, ad vitam reuocauit. Innocentem quãdam mulierem, ſtupri à marito iudicatam, & iam ad occidendum ſeruo cuidam traditam, dum is ictus gladio vibraret, inuiſibiliter oppoſito ſuo pallio, liberauit. Ab Ioanne ſummo Pontifice, Auinionem, contra Gallorum hæreticos accerſitus, felici morte Auinione quieuit, cum prius terminum vitæ ſuæ prædixiſſet. Mortuo illo, voces Angelorum in aere auditæ ſunt, & cubiculum in quo diem clauſit odorem flagrantiſſimum exſpirauit. *Michael Pius lib. 1. de viris Illuſtr. Ord. Præd.*

XXX. B. MARGARITÆ CASTELLANÆ VIRGINIS PRIMORDIA, SANCTITAS, MIRACVLA ET OBITVS.

Par huic, non ſexu, ſed profeſſione, & ſanctitate, Beata Margarita, cognomento, de ciuitate, Caſtellana. Hęc duodecimo lapide ab ea ciuitate, in caſtro Metolæ, nata, vixq; ſeptimũ annum ingreſſa, cilicium aſperrimum geſtauit; à carnibus perpetuo abſtinuit: dies omnes Veneris aqua & pane tolerauit. A natiuitate cæcitate percuſſa, cum ad ſepulchrum cuiuſdam ſancti, in ciuitatem Caſtellanam adducta fuiſſet, neq; illic viſum recepiſſet, à parentibus derelicta, in quodam monaſterio ſanctimonialium recepta fuit. Cumq; mores lubricantium tolerare non poſſet, ab illis eiecta, & à quodam pio viro intra domum ſuſcepta, incendium grauiſſimum ſola veſte ſuperiore oppoſita per miraculum extinxit. Virginitatem integerrimam, perpetuo ſeruauit. Habitum Diui Dominici, quem de pœnitentia vocant, induta, ſingulis diebus officium B. V. ſanctæ Crucis, & integrũ Pſalterium recitauit; iiſdemq; diebus per ſacram confeſſionem animum expurgabat. Ab Eccleſia & oratione, vſq; ad occaſum ſolis nunquam recedebat. Singulis noctibus, trina vice adeo acriter ſeſe flagellabat, vt poſt mortem, humeros illius vſq; ad oſſa excarnes, qui ad abluendum denudarant, repetiſſent. In oratione frequenter in aera eleuabatur. Pſalmos, cum eſſet idiota, doctiſſime explicabat, ac ſi vnquam Theologiæ operã dediſſet. Præ cæteris, partum Diuæ Deigenitricis, natiuitatem Saluatoris, & Diui Ioſephi in ferendo & reducendo Chriſto in Ægyptum, contemplabatur, deque iſtis myſteriis frequentius loquebatur. Quamobrem in mortuæ exenterato corpore, tres lapides reperti ſunt: in quorum primo, Regina cœlorum diademate aureo coronata, in altero infans Ieſus inter duo iumenta; in tertio Ioſephus & Maria genuflexi ad pedes Saluatoris. Singulis dieb. in hoſtia conſecrata, Dei filium incarnatum, aſpiciebat. Humilitate, obedientia, charitate, puritate deuotione eximia pollebat. Trigeſimum tertium ætatis annum egreſſa, ſanctis cœlitib. ſe adiunxit. Cum medici balſamo inungere defunctam vellent, illa per miraculum extenſis, & in modum crucis protenſis manibus, pudorem occuluit. In exenteratione ſacri eius corporis, totus conuentus tremuit; & multum oleum ex eius membris effluxit, quod hactenus conſeruatur. In feretro cum iaceret, loquelam cuidã mutæ reſtituit, & quandam contractam perſanauit. Viuens & defuncta, ingentia miracula fecit: paralyticos curauit, dęmoniacos liberauit, mortuos ad vitam reuocauit. Viſitur adhuc eius corpus omnib. membris incorruptum. Auctoritate Apoſtolicæ ſedis, feſtum illius Caſtellani celebrant, ac memoriam eius Diuæ præcipuã deuotione venerantur. Quod vt vniuerſis Fratribus & ſororum, totius Ordinis Prædicatorum, in toto orbe terrarum liceret, Patres in Comitiis Generalibus, anno Domini M.DC.V. Valiſoleti, F. Hieronymo Xauierre Generali, poſtmodum S.R.E. Cardinali, & poſtea Romæ in Capitulo Generali congregati, anno Domini M.DC.VIII. F. Auguſtino Galaminio Generali, nunc feliciter S.R.E. digniſſimo Cardinali, iniunxerunt, vt apud eandem ſedem Apoſtolicam intercederent, quo de Beata Margarita de Caſtello Ordinis Præd. prouinciæ Romanæ, diuinum & Eccleſiaſticum officium per totum Ordinem Prędic. eo modo quo de Beata Agnete de Montepolitiano fit, ſolemniter recitetur. *Michael Pius de viris Illuſtr. Ord. Præd. l. 1. & Act. Capitulorum generalium Valiſoleti & Romæ. ann. quibus ſuperius.*

XXXI.

Hoc anno, Auinione duobus pro crimine peſſimo commiſſo, vno ſene & alio iuuene, ignis incendio adiudicatis, eiſq; ad columnam ligatis & accenſis, iunior ille ad inuocationem B. Mariæ virginis, ſeniore exuſto, illæſus exiuit. Quo in loco Ioannes ſummus Pontifex Capellam Diuæ Deigenitrici, titulo de miraculis ædificauit, & perpetuos Capellanos ibidem, prouentibus aſſignatis, inſtituit. *Richardus Cluniacen. in Ioan. XXII.*





## IESV CHRISTI.
### Annus 1321.
### IOANNIS PAPAE XXII. ANNO 5. & 6.

I. IOANNES PP. CONTRA LVDOVICVM BAVARVM IMPERATORIS OFFICIA ROGANTER SIBI VSVRPANTEM FRIDERICVM EVOCAT.

IN Germania, necdum hoc anno omnia quieta, Ludouico Bauaro, & Friderico auſtrio, de Romanorum regno, armis certantibus. Ludouicus, nequicquã monita Ioannis Pontificis curans, omnia Imperatoris officia exercebat, & tum ſacramentum fidelitatis, ab eis quos in poteſtatem redegiſſet, extorquebat; tum in Italia Gibellinos, contra Pontificem & Pontificios armabat, eaque ratione viam ſibi ad Imperij inſignia cõſequenda præparabat. Non hæc ignorauit Ioannes ſũmus Præſul. Quamobrem diras illi iterum oſtentauit, vtque à cœptis infauſtis deſiſteret, admonuit. Deinde Friderico Auſtrio, centum millibus aureorum oblatis, multiſque in rem eius ſpoponſis, eum in auxilia euocauit; futurumque illum Imperatorem eſſe, ſi ſubſidia ferret, promiſit. In Italia quoque, Roberto Regi Siciliæ Imperij Vicario, & Raymundo Cardono pro Eccleſia Romana copiarũ Eccleſiaſticarũ Præfecto, vt Pontificios oppreſſos tuerentur, iniunxit. Bertrando item Cardinali Legato apud Inſubres agenti, animos maiores aduerſus Vicecomites fecit, qui Valentiæ Inquiſitori, F. Vberto Sparogariæ Ord. Præd. poteſtatem contra eos & reliquos adhærentes contumaces dedit: is autem ad diem XXVI. Maij, apud Diuum Stephanum Baſſignani, Matthæum & filios Vicecomites, & alios fautores, receptatores, conſiliarios, adiutoreſque in cenſuras Sedis Apoſtolicæ incidiſſe pronunciauit, atque ab omnium communione tumultuarios ſeparauit. Inſuper duodecim primoribus Mediolanenſis vrbis, qui primum Legatione functi erant, diem dixit: tantumque apud comparentes egit, vt illi iterum Matthæum deſeruerint, & Legati arbitrio ſeſe permiſerint. *Naucler. generat. 45. Cuſpinian, Mutius, Langius & reliqui in Ludouico Bauaro. Corius hiſt. Mediol. part. 2. epiſtol. Ioan. 85. Crantz. Metropol. lib. 9. c. 5.*

II. MATTHAEVS VICECOMES FRAVDVLENTER COGNITIONEM HAERESIS ET SVAE CAVSÆ EFFVGERE CONATVR.

Aſtem poſtea Legatus conceſſit, & nonnullos Religioſos, Matthæo & Vicecomitibus addictos, tum Abbates ſex, Diuorum Ambroſij, Simoliciani, Dioniſij, Celſi, Vincentij atque Victoris, ad cauſam dicendam euocauit. His ad Bertrandum proficiſcentibus, Matthæus vulpizans, nomine ſuo, vt Legato denunciarent mandauit; *ſe Matri Eccleſiæ obſequentiſſimum ſemper fuiſſe, & quantum in ſe eſt eſſe: nec quicquam aliud magis hoc tempore cupere, quam reconciliationem & pacem. Iſtud ſi in ſe Legatus reciperet, qua ratione ſummum Pontificem ad honeſtas conditiones inclinaret, enſurum ſe pro viribus, ne eum fidei ſuæ pœniteret.* Hæc Legatus ab Abbatibus cum audiuiſſet, neque facilè adduci potuerit vt crederet, nuncios qui rem penitius explorarent Mediolanum ire iuſſit. Ab his, & alijs explorato didicit, Matthæum nihil aliud conari, quam cognitionem cauſæ hæreſeos, & aliorum criminum effugere. Itaque Fratri Aycardo Mediolanenſi Archiepiſcopo, & Cenſoribus fidei, Legatus, auctor fuit, vt illi poteſtate à Ioanne Pontifice commiſſa, ad proſequendum iudicium contra Matthæum & Vicecomites ſuſceptum, impigrè procederẽt, nec quicquam quod iuris eſſet, in cognitione cauſarum prætermitterent. *Donatus Boſius in Chron. Mediolanen.*

III. BELLVM INTER GIBELLINOS ET PONTIFICIOS RECRVDESCIT.

Raymundum quoque Cardonam, exercitum in tumultuantes & refractarios ducere iuſſit Legatus, cui Matthæus Stephanum Vicecomitem Vercellarũ Præfectum, & Iacobum Ieſeum Mediolanenſium Prætorẽ oppoſuit, necnõ Gerardinum Spinolam Genuenſem, vniuerſi exercitus ſui Imperatorem creauit, & contra Raymundum ire præcepit. Cepit tunc Cardona oppidum Baſignanam, in quo F. Vbertus Inquiſitor cenſuras contra Vicecomites promulgauit. Gibellini pariter Genuenſes, claſſe à Friderico Trinacriæ Rege aucti, Naulum oppidum per deditionem occuparant, & ad reliqua loca eius littoralis oræ inuadẽda progreſſi, Anduriã Liguriæ municipium obſederãt. At Senatus, his rebus cognitis, repẽte ad hoſtiũ conatus inhibẽdos, triginta nauigia, quorũ maior pars ad Robertum Regẽ Siciliæ pertinebat duci imperauit: ad quorũ proſpectũ hoſtes perculſi, quãprimum obſidione ſoluta, ſeſe illinc proripuerunt, atq; ſalutẽ in effugio quæſiuerũt. Tali ſtatu rerũ, Genua, in ſummã viuẽdi licentiã, & impunitatẽ prolapſa erat; proiectaq; omni Magiſtratus, Patrũ, ac etiã Regij Præſidis auctoritate & reuerẽtia, ſimulq; abruptis vinculis omnis modeſtiæ, pudoris & æquitatis, profana ſimul & ſacra commiſcebãtur; & quanto quis audacior, nefarijſque ſceleribus prõptior, tanto vtiq; potior & honeſtior habebatur. Adeo, vt tandẽ ipſius Senatuſconſulto decem Ciues crearentur, qui, populi Abbate ſibi aſſociato, Remp. ordinarẽt; & ſub graui pœna omnibus iniũgerent, vt ſinguli ad æris ſonum Regio Legato aſſiſtẽrent, eiq; omnem fidem & obſequiũ, ſũma cũ obſeruãtia exhiberent. Hoc decreto, cũ rei, & cõtumaces, ſeueriſſima pœna ac ſupplicio multarentur, res Vrbanæ quatenus temporũ iniquitas ferebat, in paulo meliorem formã atque ordinem redactæ ſunt. *Boſius ſupr. Petrus Bizarus in hiſt. Genuen.*

IV. FRIDERICVS REX TRINACRIÆ EXCOMMVNICATVR.

Cæterũ quod Fridericus Rex Trinacriæ inducijs violatis, ſubſidia Genuenſibus Gibellinis, contra Guelfos miſiſſet, eũdem quoq; Ioan. Pont. ritu ſolemni diris deuouit *Ioan. Vill. l. 9. c. 133.* & vniuerſæ Trinacriæ ſacris interdixit. *Surit. l. 2.* Præſertim quod Fridericus in cõtemptũ Pontificis, Petrũ maiorẽ natu filium ſine Sedis Apoſtolicæ conſenſu Regem Trinacriæ renunciaſſet, inaugurаſſet, & iuramentum homagij à ſubditis Eccleſiæ pro eo extorſiſſet. *Villani ſupr.*

V. RAYNALDVS ARCHIEP. RAVENNENSIS FRIDERICO, GVIDONI, SPERANTIÆ ET VRBINATIBVS OB INDIGNAS CÆDES SACRIS INTERDICIT.

Eodem anno Raynaldus Archiepiſcopus Rauennas, Ioan. ſummi Pont. iuſſu & auctoritate, Friderico Guidoni, & Sperãtię Comitis Monteſeltrani filijs, (quos filios peſtilentes, è venenata radice natos literis ſuis appellat Pont.) ipſiſq; Vrbinatib. ſacris interdixit: quod cædibus indigniſſimis, maximiſq; factis, Vrbinũ, & pleraq; alia Rom. Eccleſiæ ſubiecta oppida occupaſſent; Ciues multos expuliſſent, reliquos duriſſimo Imperio opprimerent; Ad hæc Fridericus, Auximatem, Recinetenſem, exulũ item Æſinorũ, aliorumq; Picentũ Præfecturã ſibi vſurpaſſet, ipſumq; oppidũ Pirã, diuturna obſidione prius circũuallatũ cepiſſet, ac nefariè diripuiſſet; Guido in oppidũ S. Donati idẽ perpetraſſet, Amelijq; Belmãtis Præpoſiti, qui Picentibus pro Pont. præerat, Legatũ cũ literis cõprehendi iuxta Vrbini portas, & tradi in cuſtodiã iuſſiſſet: vnde niſi Legatus ingenti Dei beneficio aufugiſſet, procul dubio capite pœnas dediſſet. Eas Pontificias interdicti literas, non ipſe ſolũ Raynaldus vulgauit, ſed etiam omnib. ſuffraganeis & Prælatis Eccleſiarũ, vt eas vbiq; pronunciarent præcepit, Rectoremq; Piceni equite & pedite iuuit, vt Monteſeltriorũ & Picentũ exulũ audacia, atq; improbitas reprimeretur. Aretinus Epiſcopus Gibellinis ſe tũc adiũxerat, adeoq; omnia & in Etruria, & in vmbris & Piceno miſcebat, eiuſq; ope, & impulſu Petrus frater cum reliquis, Raynaldo Archiepiſcopo multa oppida eripuerat. Itaq; ſummus Pontifex, Aymerico prouinciæ Præfecto per literas etiã atq; etiã mandauit, vt reſtitui omnia Archiepiſcopo Rauennati, proq; ea qua prȩſtabat virtute, omnem cõpeſceret tumultum, diligenter curaret. Dolereque ſe plurimum, & credere vix poſſe ait, Aretinũ Epiſcopũ, conſiliũ ad ea perpetrãda dediſſe, ac Ducẽ potius fuiſſe, militeſq; ſuos in eã expeditionẽ abijſſe: cũ etiã in oppido Balneo, vbi colloquiũ habitũ fuerat, interfuiſſe diceretur. *Rubeus hiſt. Rauen. l.*

Plurima tunc manus exulũ impunè volitabat, quod non deeſſent, qui & reciperent, & ad omne facinus impellerent: atque vniuerſis flagitijs priuilegia prætenderent. Quamobrem, ſequentem circa proſcriptorum receptionem Cõſtitutionem pronunciauit. Ita habet.

*Ad noſtri Apoſtolatus peruenit auditum, quod nonnulli nobiles & communitates, intra noſtras Campaniæ maritimæq; prouincias conſtituti, aſſerentes per priuilegia Sedis Apoſtolicæ ſibi fore conceſſum, quod de prouincijs ipſis per Recto-*

*rem eorum, qui eſt pro tempore, vel officiales Curiæ Rectoru eiuſdem banniti in terris, ciuitatibus, caſtris & locis eorum morari liberè poſſint, nec in illis idem Rector bannitos ipſos capere valeat: eoſdem bannitos in dictis terris, ciuitatibus, caſtris, & locis, non abſq; derogatione Sedis Apoſtolicæ manifeſta, recipiunt & receptant. Nos igitur qui beneuoli more patris in prouinciarum ipſarum tranquillitatis & pacis commodis delectamur, ſuper hoc (prout ad noſtrum ſpectat officium) pro communi bono prouinciarum ipſarum de congruo volentes remedio prouidere, priuilegia ſupradicta cuiuſcunq; tenoris exiſtant, maximè cum ipſorum prætextu maleficia remaneant in eiſdem prouincijs impunita, pandatur auſus exceſſibus, cultus lædatur iuſtitiæ dictiq; rectoris multipliciter impediatur officium, ac prouinciarum ipſarũ ſtatus pacis fœdere violato, non abſq; grandi reipublicæ detrimento ſubuerti poſſet ſcandalis, ſciſſuris, ex nunc auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia reuocamus, annullamus, & etiam irritamus, ac nullam habere decernimus roboris firmitatem. Nulli &c. noſtræ reuocationis, & annullationis, caſſationis, irritationis, & cõſtitutionis infringere, &c.* Datum Auinione VIII. Idus Auguſti, Pont. anno VI.

VII. LVDOVICVS BAVARVS SCRIPTORES VARIOS AD CALVMNIANDVM ROMANVM PONTIFICEM IMPELLIT.

Præter proſcriptos graſſatores, Scriptorum quoque contra Pontificiam poteſtatem, nonnulla pars id temporis, bonas horas malè conſumebat; & tum Ludouicum Bauarum, tum omnes Gibellinos Romanæ Sedi aduerſarios, atro calamo aduerſus Ioannem inflammabat. Quamobrem, vt eccleſiaſticam poteſtatem quam vehementius timebant, totis viribus conuellerent; quorundam zelo non ſecundum ſcientiam flagrantium, de Chriſti & Apoſtolorum paupertate, hæreſim, totis brachijs complexi ſunt, eo fine, vt Romanum, & reliquos Pontifices, bonis omnibus exuerent. Namque inferebant; non æquum eſſe, Vicarium & ſucceſſores, maioribus & anteceſſoribus ſuis, Chriſto & Apoſtolis, ditiores eminere: ſi Chriſtus atque illi, nihil peculij poſſediſſent. Et iſtud pariter. Imperatori minimè ferendum aiebant, quod Regni & Imperij iura atque inſignia, à Pontifice Romano poſtulare, neceſſe haberet; quodque penes Pontificem, ſupremam omnium poteſtatem à Chriſto, in oues & Agnos, ſcil. in populos, & in quoſcunque tam ſæculares quam Eccleſiaſticos Prælatos, etiam in ipſos Imperatores, ad ædificationem corporis Chriſti participatam; ac proinde virgam in manu eiuſdem cenſoriam, ſuper omnes Chriſti fideles, etiam Reges & Imperatores, & ſuper Monarchas vniuerſos videret: Regnaque & Imperia in arbitrio illius verſari perſpiceret, vt is de æquitate & qualitate eorum, qui ius aliquod prætendere poſſint, poſſit decernere, Imperijque adminiſtrationem, quolibet, & reip. Chriſtianæ expediens eſt, præſertim propter demerita aliquorum transferre: neq; impium vel profanum aliquem in Chriſti oues tyrannidem aut exercere aut vſurpare, apud omnes orthodoxos in confeſſo eſſe aduerteret. Itaque fuêre qui voce, & ſcripto enunciarent inprimis Pontificem Rom. locupletem, non ſectatorem Chriſti egentis videri. Imperatorem ex vi electionis, à ſolo Deo, ius & poteſtatem in imperium accipere: neque à Rom. Antiſtite quicquam aut habere, aut expectare debere, quinimo ipſum, in Rom. Præſulem, ſi ille exceſſerit, ius & poteſtatem vindicandi habere, à Deo & ab Eccleſia, cuius Defenſor audit, collatã. Paupertatis Chriſti aſſertor præcipuus fuerat, F. Michael, Cæſenas Generalis miniſter, & nonnulli ignari ex Ordine Minorum, Beguardorum & fratricellorum hæreſim profeſſi. Pontificiam poteſtatem imminuebant M. de Paterna, Ioannes de Ianduno, Iacobus Epiſcopus Caſtellanen. ea dignitate propter flagitia exutus. His ſe adiunxerant Guillelmus Ochamus Minorita, Marſilius Patauinus Medicinam doctus, & Bonagratia Bergomas Franciſcanus. Hi epiſtolis & libris malè conſcriptis & vbique terrarum diſperſis, Rom. Pontificis auctoritatem, in Imperium & in Imp. eleuabant, & Ludouici aſtruebant. Dantes quoque Poeta, ad reliquum infamiæ quam ex Satyricis ſcriptis ſibi comparauit, etiam libros de Monarchia commentus eſt, in gratiam Ludouici, dignos planè quemadmodum & illorum aliorum, qui ex manibus piorum, auctoritate Apoſtolica excuterentur, & inter damnatæ lectionis reijcerentur. *ex varijs Ioan. 22. annor. ſequentiũ, inferius adiunctis epiſtolis.*

VIII. IOANNES PP. FRATRICELLORVM ERRORES ET HÆRESIM SCRIPTA CONSTITVTIONE DAMNAT.

Non potuit hoc anno Ioannes Pontifex, malè zelatorum illorum errores non damnare, ſingularitatemque Fratricellorum non notare, cum illi & habitu ſeſe à reliquis diſtinguerent, neque quicquam, ac ne panẽ quidem, vinum aut granum reſeruare vellent; dominio rerum omnium abdicato. Itaq; huic rei, eam quã adiungo ſcripſit Conſtitutionem. Ita habet *ext. tit. de verb. ſignif.*

*Quorundam exigit cæca ſcrupuloſitatis ambiguum, ac ipſorum quodammodo indocta ſcientia, (ne dixerimus, quod religioſa horum ſit vana, & in hoc ſuperſtitioſa religio) vt dum ſuis mauult temere, ſub conſcientia velamento conceptibus, quam Prælatorum Ordinis ſui cum obedientiæ merito prouidè inhærere ſententijs; nos poſt prædeceſſorum noſtrorum, & præſertim felicis recordationis Nicolai IV. ac piæ memoriæ Clementis V. Rom. Pontificum, ſuper intellectu & obſeruantia Regulæ Ordinis Fratrum Minorum declarationes ſalubriter editas, ſolidas quidem, & claras, & lucidas, multaq; maturitate digeſtas, noſtras Domino fauente indubias ipſorum prædeceſſorum declarationibus declarationes adiungamus: ſicq; dies diei eructet verbum, & nox nocti ſcientiam manifeſtet; ne perperam paucorum dicti Ordinis fratrum (quod abſit) inſcitia, recta ipſarum declarationum verba conuertens in deuium, illaq; ſuis eis profectò contraria accommodans ſenſibus, ingrata Deo, ſuperioribus contumax, præfato Ordini detrahens, odioſa confratribus, vnionem ſcindens, ſi valeat reddatur, ac graue in populos ſcandalum allatura. quin potius (vt noſtra vehementer flagitat intentio) antedictis profugatis incommodis, hæc ſancta Fratrum Minorum religio, ad quam iamdudum (cum minor nos gradus haberet) dilectionis & deuotionis feruor incanduit: nunc verò poſt ſuſceptum à nobis Apoſtolicæ ſeruitutis iugum, ad illius religionis gubernationẽ, protectionem, defenſionemq; interius exteriuſq; propitiam paſtoralis curæ ſolicitudo nos angit, paterna cogit prouidentiæ debitum, ac internæ charitatis zelus accendit, quieta pace gaudeat, ſancto proficiat otio, in numero ac merito quam & plurimum augeatur, blandeq; in redeuntium filiorum, ſuæ. ſ. profeſſionis ruat oſcula, mactet vitulum, eorumq; liberis & ſedula occurrat in amplexus. Profectò, cum ipſius religionis odor trahat, charitas attrahat, ſcientia lucidet, oratio mereatur, quæ in conualle lachrymarum, huius. ſ. mundi miſeria, vel cordis contritione, & humiliatione pariſſima, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, vt non ſolum in virtutem de virtute proficiat, ſed in eiſdem virtutibus permanens, quaſi quibuſdam harum ad profectionem tendentibus gradibus, de die in diem facta ſe melior aſcendat altius, terrena deſpiciat, ac cœleſtia complectatur, ſicq; tandem diuino numine collocata in patria, tãto Deum ſecundum huius ſanctæ aſcenſionis gradus cognoſcat apertius, quanto nunc in huius peregrinationis anguſtijs illos conſcenderit altiores, nam ſecundum Dauid prophetam eximium, dum ſanctam Eccleſiam Deus ſuſcipiet, in eius gradibus dignoſcetur.*

*Quapropter tantis incommodis, tantiſq; eiuſdem Ord. excitati periculis, ac ad illa ſalubribus, & opportunis per eiuſdẽ Sedis prouidentiam circumſpectam adhibendis ſummouenda remedijs, noſtræ ſolicitudinis ſtudium conuertentes, ad Dei laudem, B. Franciſci præconium, eiuſq; præfati Ordinis pacẽ, conſolationemq; fidelium, nec non minus cautis minuſq; habẽtibus inobediendi vel euagandi occaſionis ſubducendam materiam ad trepidandam vbi timor non aderat ſcrupuloſam caliginem detergendam, eoſque ſuauiter deducendos, vt filios ad ipſius religionis gremium velut matris, diligenti ſuper his perſcrutatione, & matura deliberatione præhabitis, de Fratrum noſtrorum conſilio infraſcriptas declarationes, commiſſiones, ordinationes, & præcepta, quæ inferius inſeruntur, duximus adiungenda.*

*Inprimis cũ dicatur in Regula, quod illi qui promiſerunt obedientiã, habeãt vnam tunicam cum caputio, & aliam ſine*





*caputio, qui habere voluerint: item quod Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur: & ſuper prædictorum verborum ſenſu, à præfatis prædeceſſorib. noſtris Nicolao & Clemente declarationes (vt præmittitur) limpidæ emanarunt, dictuſq; Clemens huius vilitatis iudicium, miniſtris, Cuſtodibus, ſeu Guardianis Ordinis prædicti duxerit committendum, eorum ſuper hoc conſcientias onerando: nec ob hoc in quibuſdam ex Fratribus antedicti Ordinis volentib. plus ſapere, quam oportet ſapere, nouarum adinuentiones ambiguitatum ceſſauere quamplurimæ, vel non omnino non vetuſtarum explicatio quæſtionum, tam videl. ſuper longitudine & latitudine, quam groſſitie, & ſubtilitate, forma & figura veſtimentorum ipſorum: quinimo adeo huiuſmodi adinuentiones, & quæſtiones propria excreuere licentia, vt ex eiſdem Fratribus aliqui habitus propterea curtos, strictos, inuſitatos, & ſqualidos, nouitate plenos, ac diſſidii non ignaros, cum à communitate Ordinis diſcreparent, aſſumerent, nec eos ad miniſtrorum, Cuſtodum, Guardianorum eorundem mandatum requiſiti deponerent; nec alios prout Ordinis eiuſdem communitas deferebat habitus, iuxta eorundem Miniſtrorum, Cuſtodum & Guardianorum arbitrium ducerent reſumendos; dicentes in hoc eorundem Prælatorum ſuorum non parendum fore arbitrio: cum & ſuum ſic deſpectum regularem, & cruciformem aſſererent, cæterorum vero ſuperfluum habitum irregularemq; cenſerent: nec huic eorum opinioni præfati Clementis declarationem ſæpius repetitam obeſſe. Nam licet Miniſtris, Cuſtodibus, & Guardianis præfatis veſtium vilitatis detur in illa indicium; tamen inibi conſequenter adiungitur: ita tamen quod vilitatem in veſtibus ſeruent: præſertim cum & in declaratione Nicolai prædicti dicatur, quod ſemper in eiſdem Fratribus, & eorum actibus paupertas ſancta reluceat; prout ipſis ex eorum regula inuenitur indicta: ac Conſtitutionibus eiuſdem Ordinis Generalibus caueatur (vt aſſerunt) quod in omnibus, quæ ad habitũ Fratrum ſpectant, reluceat ſemper aſperitas, vilitas, & paupertas. Vnde, cum nec paupertatis, vel vilitatis, oblatæ per Miniſtros, Cuſtodes, & Guardianos veſtes exiſterent, nec ipſorum ſuperiorũ Ordinis ſui in deponendo veſtes, quas gererent, nec in reaſſumendo, quas darent, ſequi vllatenus iudicium tenebantur, Generali miniſtro, & cæteris Fratribus, qui pro communitate eiuſdem Ordinis aderant ſuis rationibus (quas breuitatis cauſa omittimus) contrarium aſſerentibus ex aduerſo, prout hæc & alia hinc inde coram nobis, & eiſdem Fratrib. noſtris ſcripto lecta, verboq; fuere propoſita, ac etiam coram aliquibus ex Fratribus noſtris prædictis ſuper hoc deputatis à nobis, præſertim per aliques ex Fratribus dicti Ordinis, qui in prædictis communitatibus aduerſabantur eiſdem, fuerunt pluries repetita.*

*Quocirca nos ſerioſius rationibus prædictis auditis, & aliis illiſq; plenius intellectis, volentes perpetuum præfato finem dare negotio, de prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio declaramus & dicimus, quod cum (ſicut prætangitur) dicatur in Regula, quod Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, & cum vilitatem huiuſmodi veſtium tam habitus, quam interiorum tunicarum, illam præfatus Clemens intelligi debere decreuerit, quæ ſecundum conſuetudinem, vel conditionem patriæ debeat, quantum ad colorem panni, & pretiũ vilitas merito reputari, atque conſequenter huius vilitatis iudicium Miniſtris, Cuſtodibus, ſeu Guardianis prædictis (ipſorum ſuper hoc conſcientias onerando) duxerit committendum, prout in eiuſdem Clementis literis ſuper hoc confectis plenius continetur: in eorundem Miniſtrorum, Cuſtodum, ſeu Guardianorum eodẽ modo iudicio eſt relictum, noſque nihilominus præfatorum Miniſtrorum, Cuſtodum & Guardianorum iudicio præſentium auctoritate cõmittimus; determinare videl. arbitrari atque præcipere, cuius lõgitudinis & latitudinis, groſſitiei & ſubtilitatis, formæ ſiue figuræ, atque ſimiliũ accidentium eſſe debeant tam habitus, ipſorumque caputia, quam interiores tunicæ, quib. Fratres omnes minores dicti Ordinis induuntur; ac inſuper cuius quantæque vilitatis indui eos ipſis veſtimentis oporteat; & an in veſtimentis huiuſmodi ſecundum Regulam, & declarationes eorundem prædeceſſorum noſtrorum, & præfatas Ordinis Conſtitutiones, reluceat aſperitas, vilitas, & paupertas, vtrumne quantũ ad colorem, vilitatem, paupertatem quoque ac cætera accidentia ſupradicta, Fratres veſtimẽtis induantur vt debẽt: ſuper quib. eorundem Miniſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum conſcientias oneramus. Statuentes, & diſtricte præcipiendo mandãtes, quod in prædictis & his ſimilibus, eorum arbitrium determinationem, ſiue iudicium, Generalis quidẽ in totius Ordinis, Prouincialium vero in Prouinciarum Miniſtrorum ac Cuſtodum & Guardianorum adminiſtrationibus, Cuſtodiis, ac Guardianis ſiue conſimilib. Ordinis memorati commiſſis eiſdem, Fratres omnes & ſinguli ſequi omnimode, illiſq; parere per omnia teneantur. Ac inſuper, quod illorum ſequendo arbitrium determinationẽ, ſiue iudicium, illiſq; parendo, nec ſint, nec dici poſſint vel debeant, nec ipſi ſeipſos autument ſuæ regulæ vel Conſtitutionũ ſui Ordinis tranſgreſſores, maxime, cum nec expreſſe vel determinate in prædicta Fratrum Minorum dicatur regula, vel declarationib. antedictis, quantæ longitudinis, quãtæ latitudinis, quãtæ groſſitiei vel ſubtilitatis, qualis formæ, qualiſve figuræ huiuſmodi debeant eſſe veſtes: ſicut nec qualis, quantaq; vilitatis eas eſſe oporteat, exprimitur in eadem. Sicq; quodammodo eadem vrgente neceſſitate, æquitate non impari, vero ſenſu, vero id regula ſuadentib. intellectu, eiuſdem Clementis inhærentes veſtigiis, præfatorum Miniſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum in prædictis, horumq; ſimilibus fore iudicium declarare compellimur, illaq; eis (vt prædicitur) cõmittere inuitamur. Non .n. particularium omnium, certa poteſt dari ſcientia: neq; eorum (cum infinita ſint) contingit fieri diſciplinam. Nõ ars, non regula circumſtantias ſingulas accidentiaq; cuncta complectitur. Habent in illis minores maiorib. obſequi, illiſq; intendere: non in certis ſolum, verumetiam in dubiis, & in certis præſunt artibus, quib. obediant, præſunt regulis ſingulis, quibus obtemperent diſciplinis, vt illarum finis egregius debitis obſequentium miniſteriis ſubſequatur. Sic iudicans, cuncta rimatur & diſcutit, leges caſib. applicat, canonum decreta ſecernit. Sic morbis aggrauatus medicum, ſic virtus conſtans in medio ſapientem prudentemq; depoſcit: ne ſi quiſq; rogatur vt appetit, confeſtim corruat, vt non quærit: neq; taliter conuiuentibus, non ordo, ſed horror inhabitet, adſit (quod abſit) diſcordia, religans religio relegetur. Sententiæ namq; variantur vt capita, & creſcit in ſtolidis opinionibus phantaſia.*

*Eodem modo, eiſdemq; quodammodo rationibus inuitati, cum præfatorum Miniſtrorum, vel Cuſtodum ſub certa forma, ſimul ſcilicet & ſeparatim in ſuis adminiſtrationibus & Cuſtodiis, cum Guardiani, & duorum de Conuentu loci diſcretorum Sacerdotũ, & antiquorum in Ordine Fratrum conſilio & aſſenſu præfatus Clemens iudicio duxerit relinquendũ, an ſit multum credibile ex iam expertis, quod Fratres ipſi abſq; granariis & cellariis, non poſſint vitæ neceſſaria inuenire: quo caſu granaria & cellaria congregationes & conſeruationes huiuſmodi eis ipſe conceſſit, prout in prædictis eiuſdẽ Clementis literis plenius continetur: nos de prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio, eorundem Miniſtrorum & Cuſtodum, ſub eadem forma, iudicio præſentium auctoritate cõmittimus, determinare videl. arbitrari, atq; præcipere eo caſu, qualiter, vbi, & quando, & quotiens granum, panẽ & vinum pro vitæ Fratrum neceſſariũ, Fratres ipſi quærere debeant, conſeruare, ſiue reponere, etiam ſi reponenda ſint in prædictis granariis, & cellariis conſeruanda. Statuentes, & diſtricte præcipiendo mãdantes, quod in prædictis & his ſimilibus, eorundem arbitrium, determinationẽ ſiue iudicium, Generalis quidem in totius, Prouincialium vero in prouinciarum, ac Cuſtodum ſimul & ſeparatim adminiſtrationib. & Cuſtodiis Ordinis memorati commiſſis eiſdem, cum Guardiani tamen (vt ſupra prædicitur) & duorum de Conuentu loci diſcretorum Sacerdotum, & antiquorum in Ordine Fratrum conſilio & aſſenſu, Fratres omnes & ſinguli obſequi omnimode illiſque parere per omnia teneantur: ac inſuper quod illorum ſequendo arbitrium, determinationem ſiue iudicium, illiſq; parendo, nec dici poſſint, vel debeant; neq; ipſi ſeipſos autument ſuæ regulæ vel Conſtitutionum ſui Ordinis tranſgreſſores.*

*Ideoq; oẽs & ſingulos Fratres antedicti Ordinis Minorum, qui ſtrictos, curtos, & difformes habitus ab ipſius Generalis Miniſtri, & aliorum de dicta communitate habitus, corã nobis & Fratrib. noſtris, & aliis in Rom. Curia detulerunt vel deferunt, monemus, & hortamur in Domino, eis nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excõmunicationis pœna per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ad mãdatũ ipſius Generalis deponant quos deferunt habitus, & aliis iuxta eiuſdẽ Generalis arbitrium, determinationẽ, ſiue iudicium (vt ſupra prædicitur) induantur; ipſiq; Generali in omnibus iſtis, & aliis, per omnia, ſecundum B. Franciſci Regulã, & prædictas prædeceſſorum noſtrorũ declarationes, conceſſiones, & cõmiſſiones, in ipſis declarationib. cõprehenſas & noſtras cõmiſſas in præſentib. humiliter obediãt, pareant & intẽdãt. Non obſtantib. quibuſcunq; priuilegiis, indulgentiis, literis, libertatib. immunitatib. vel exẽptionib. eis vel alicui ipſorũ, a præfato*

*Clemente conceſſis, vel appellationibus ab eis vel ipſorum aliquo ad Sedem Apoſtolicam interiectis, quæ (in quantum poſſent derogare præſentibus) viribus vacuamus.*

*Religio namq; perimitur, ſi à meritoria ſubditi obedientia ſubtrahantur. Magna quidem paupertas, ſed maior integritas bonum eſt; obedientia maximum, ſi cuſtodiatur illæſa. Nam primæ rebus, ſecunda carni, tertia vero menti donatur, & animo quos velut effrenes & liberos ditioni alterius humilis iugo propriæ voluntatis adſtringit. Ad hanc itaq; Fratres prædicti non inuiti, ſed ſponte redeant; hanc velint & appetant, hanc magnis deſideriis concupiſcant: illudq; votis Canticorum ingeminent, Oſculetur me oſculo oris ſui; charitatis vtiq; & dilectionis, religionis huius obedientia ſancta purificans. Nam meliora ſunt vbera tua præceptorum ſiquidem & conſiliorum quædam nutrientia pocula vino vnguentis optimis, ſcilicet bonæ famæ fragrantia ſuauitatis odorem.*

*Nec formident hi, ad obedientiam Ordinis, Deo auctore, dum redeunt. Nam Prælatos ſuos (vt firmiter ſperamus, eiſque iniungimus) ſibi benignos & mites inuenient; cæteros dulces atque palpabiles; cum ſint, & eſſe debeant omnes & ſinguli fratres in Chriſto, & clamitent: Quis mihi det te fratrem meum: communi ſcil. patre Beato Franciſco congenitum; ſugentem vbera matris meæ, religionis vtiq; & profeſſionis eius velut matris contemplationis & electionis, ſuauia & dulcia pocula, vt inueniam te foris, ab eiuſdem obſeruantiis quodammodo diſparem; & deoſculer blande, videlicet intra charitatis viſcera te complexus: & iam me, imo & te nemo deſpiciat: profecto quos foris poſitos, multi, at ſi diuiſos & deſides fortaſſe deſpexerant; intus, puta intra dilectionis internæ præcordia, & conformis obſeruantiæ clauſtra repoſitos, iam nemo deſpiciat; ſed ſuſcipientes eoſdem dulcedine quiſque digne laudibus efferet, & ſuſceptos. Nulli ergo, &c.*

*Hæc omnia Ioannes Pontifex contra temerarios quoſdam ſanciebat, vt in ipſo ſemine hæreſim maximo damno Eccleſiæ exurgentem opprimeret, atq; Religionem tam ſanctam, quam vniuerſis fidelib. in exemplar virtutis natam, tum emacularet, tum ab interitu vindicaret. Artifex enim omnis mali Satan, poſtquam paulo ante Templariorum militiam extinctam vidiſſet, etiam ſtellarum cœli Franciſcam tertiam partem cauda aculeata detrahere volens, fœmina extirpandæ huic Religioni, aſtu ſingulari per ipſos Fratres: & inſimul per aliquos Doctores indoctos, ne dixerim malignos ſeminabat. Nimirum, vt propter varietatem opinionum, habitu, & capite diuiſos, tanto facilius præcipitaret, quanto nihil commune cum hominibus, (cum nihil proprium in communi habere illis licitum fore perſuaderet) poſſiderent. Res erat. Si Franciſcanæ Regulæ poſſeſſores, ex ea peſſima, quam de Chriſti & Apoſtolorum paupertate conceperant hæreſi, ſeſe docendo omnium rerum abdicaſſent: neq; illis licitum foret aut ſacras Confeſſiones excipere, aut verbum Dei ad populum proponere, aut pie defunctos intra clauſtra & Eccleſias ſepelire, aut denique quicquam in conſolationem ſpiritualem fidelium conferre; & ex conſequenti neq; vllam ex charitate opem expectare (quis enim aliquid dederit illi, à quo nullam vtilitatem ſperat?) neq; quicquam peculii poſſidere, neq; in craſtinum aliquid reſeruare, neq; quicquam à quoquam exigere: & hac titulo, ſeipſos omnibus meliores & perfectiores, & propterea inuiſos facere; iſtud nihil aliud fuerat, quam occaſiones extirpandæ Religionis huic, & ſubſequenter aliis paulo poſt abrogandis, miniſtrare. Namq; Ioannes Poliacus, non vni Franciſcanæ, ſed omnibus pene Religioſis opponebat, Fratres nulla ratione poſſe Confeſſiones audire, & reliqua plura exercere in commodum animarum: vt hoc modo omnes Religioſos, & præſertim Franciſcanos inter ſe primum committeret. & ſchiſmate peſtilentiſſimo ſeparatos à capite, & inter ſe diuiſos, tanquam tumultuatores, & nullius frugi homines, perque mutua diſſidia ad interitum vergentes proſterneret, & ex area Eccleſiaſtica eradicaret. Acceſſit & iſtud: dum Fratres minores, nonniſi vſum rerum ſibi reſeruarent, & ad Eccleſiam Romanam, totum directum dominium ſuarum rerum deferrent: ac propterea in vſurpatores earum Sedem Apoſtolicam armarent; & ex conſequenti, propterea, eandem odio omnium exponerent; eandem quoq; pariter, vna ſecum in præceps traherent. Quamobrem Ioannes Pontifex, interno ſchiſmate diuiſam vnire inſtituit, & ab externo hoſte Ioanne Poliaco, edita ſubſequenti Conſtitutione vindicauit.* Ita habet *ext. tit. de hæret.*

*Vas electionis Doctor eximius, & egregius Prædicator, cuius prædicatio mundum docuit vniuerſum, præſumptuoſam illorum audaciam refrænare ſollicitus, qui prudentiæ propriæ innitentes, in errores proprios prolabuntur, non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ad ſobrietatem ſapere, ſalubri doctrina ſuggeſſit, vt iuxta Sapientis eloquium: quiſque ſuæ prudentiæ modum ponat.*

*Sane dudum, cum dilectum filium Magiſtrum Ioannem de Poliaco Sacræ Theologiæ Doctorem, certis ex cauſis, de Fratrum noſtrorum conſilio ad noſtram præſentiā vocauiſſemus, fide digna relatio ad noſtrum perduxit auditum, quod ipſe in quibuſdam articulis tangentibus pœnitentiæ Sacramentum, non ſobrie, ſed perperam ſapiebat, infraſcriptos articulos periculoſos continentes errores docere publice in ſuis prædicationibus, & in Scholis.*

*Primo ſiquidem aſtruens, quod confeſſi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, tenentur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti.*

*Secundo, quod ſtante, Omnis vtriuſq; ſexus, edicto in Concilio Generali, Romanus Pontifex non poteſt facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicit eſſe Parochialem Curatum: imo nec Deus poſſet hoc facere; quia (vt dicebat) implicat contradictionem.*

*Tertio, quod Papa non poteſt dare poteſtatem generalem audiendi confeſſionem: imo nec Deus: quin confeſſus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti; quem dicit eſſe (vt præmittitur) proprium curatum.*

*Nos igitur ſcire volentes, ſi ſuggeſta nobis veritatem haberent, articulorum præmiſſorum copiam eidem Magiſtro Ioanni fecimus aſſignari, & ad ſui defenſionem plenam audientiam ſibi præbuimus, tam in noſtra, & Fratrum noſtrorum præſentia in Conſiſtorio, quam alias coram aliquibus ex ipſis Fratribus per nos ad huiuſmodi officium deputatū.*

*Verum licet præfatus Magiſter dictos articulos, & contenta in ipſis defendere niteretur, aſſerebat tamen ſe paratum credere, & tenere in præmiſſis, & aliis, quæ tenenda & credenda eſſe Sedes Apoſtolica definiret. Nos igitur attendentes, quod prædictorum articulorum aſſertio, prædicatio, & doctrina redundare poterant, in multarum perniciem animarum, ipſos per Prælatos, Magiſtros in Theologia examinari fecimus diligēter. Nos ipſi etiam cum dictis Fratrib. noſtris collationem ſolertem, & examinationem habuimus ſuper his per quas quidem collationem & examinationem ſuper his habitas comperimus, præmiſſos articulos doctrinam non ſanam, ſed periculoſam multū, & veritati contrariam continere. Quos etiam articulos, omnes & ſingulos, idem Magiſter Ioannes, veris ſibi rationib. opinioni dudum ſuæ habita contrariis demonſtratis, in Conſiſtorio reuocauit aſſerens ſe credere eos non veros, ſed ipſorum contrarium verum eſſe; & dicens, ſe neſcire rationib. ſibi factis in contrarium reſpondere.*

*Ideoq; ne per aſſertionem, prædicationem, & doctrinam huiuſmodi in errorem (quod abſit) animæ ſimplicium prolabantur; omnes articulos, & quemlibet eorum, tanquam falſos & erroneos, & à doctrina ſacra deuios, auctoritate Apoſtolica condēnamus, & reprobamus, de Fratrum noſtrorum conſilio prædictorum; doctrinam contrariam, veram, & contrarium eſſe Catholicum aſſerentes: ſcilicet, quod illi qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quam ſi ea alias confeſſi fuiſſent eorum proprio Sacerdoti, iuxta concilium generale.*

*Optanteſq; veritatis vias notas eſſe fidelibus cunctis, & prædictis erroribus præcludere aditum, ne ſubintrent errores, felicis recordationis Alexandri Quarti, & Clementis Quarti Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorū veſtigiis innitendo, vniuerſis & ſingulis diſtrictius inhibemus, ne quiſquam præmiſſos articulos per nos (vt præmittitur) damnatos, & reprobatos, & contenta in eis, vel aliquo ipſorum, vtpote à Catholicis mentibus reſpuenda, tenere audeat, ſeu defenſare quolibet, vel docere.*

*Quocirca Vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus vniuerſis & ſingulis veſtrum in Ciuitatibus, & diœceſibus veſtris conuocato Clero & populo, communiter omnia præmiſſa & ſingula per vos ſeu alios ſolēniter publicetis.*

*Nos etiam eidem Magiſtro Ioanni mandamus, quod in Scholis & ſermone, Pariſiis, prædictos articulos, & contenta in eis, tanquam veritati contraria, propriæ vocis oraculo, aſſeueratione conſtanti, publice debeat reuocare. Quod ſe facturum, dictus Magiſter Ioannes efficaciter repromiſit.* Dat. Auinion. VIII. Cal. Aug.





Pontif. noſtri anno Quinto. Hæc Ioannes Pontifex, contra aſtuta Satanę machinamenta, quod illis & Pontificiam auctoritatem, & Religioſum numerum labefactari perſpiceret, ſanciebat, atq; in vulgus pronunciari mandabat.

IX.
GVILLELMVS CARD. SABINVS EPISC. LEGATVS IN HISPANIAM MISSVS A IOANNE CONVENTVM PALENTIÆ INDICIT ET CONCILIVM VALLISOLETANVM PRO DISCIPLINA ECCLESIAST. CELEBRAT.

Eodem anno, in Hiſpaniam, Guillelmum Ord. Pręd. Cardinalem Sabinum Epiſcopum, Ioannes ſummus Pontifex Legatum ire iuſſit, ſi eius diligentia, Pontificia auctoritate, malis quæ vniuerſam Caſtellā occupabant, finis imponeretur. Eo auctore, Palentiam Regni conuentus indicti: Alfonſo infanti adminiſtratio Regni attributa; Proceres, qui tutorum nomine omnia miſcebant, ablegati, ſummaq; rerum Regi ipſi permiſſa. Eiuſdem Guillelmi Legati iuſſu Epiſcopis vniuerſa ditione Valliſoletum conuocatis, Concilium hac tempeſtate nobiliſſimum peractum eſt. In eo Concilio, 4. Nonas Auguſti, multæ ſalutares leges promulgatæ ſunt. In eo numero, anathemate vinciuntur, qui carnibus, Quadrageſimæ, aut Quatuor temporum dieb. veſcentur: quiq; in eis publice vendiderint carnes. A Chriſtiana religione alienis, templis, dum res diuina peragitur, intereſſe vetatur. Iis tamen, ſi Chriſtianorum ſacra ſuſceperint, ſacri ordines, & Sacerdotia vnde inopiam tolerent, non denegantur. Purgatio vulgaris reprobatur, qua Hiſpani vulgo vtebantur. Extant Ioannis Toletani Præſulis Conſtitutiones, per idem fere tempus promulgatæ. In iis, niſi Iudæi & Mauri, quo tempore res diuina peragitur à templis receſſerint, ceſſare mandauit. Redactas Cruciata pecunias ad ſe cum fide deferri imperauit; captiuis ſc. redimendis, & egenorum inopiæ ſubleuandæ. Præter hæc conſtituit.

CONSTITVTIONES IOANNIS PRÆSVLIS TOLETANI.

*Presbyteri, quater minimum per annum diuina hoſtia ſacrificanto: neq; vmquam, niſi matutinis precibus numine exorato.*

*Eccleſiaſticis obſequiis parta bona, ea dare, legareve filiis, quamuis iuſtis, nefas eſto.*

*Sacerdotes & Epiſcopi bonorum Eccleſiaſticorum, non ſe arbitros neque dominos cenſento.* *Mariana lib. 15. cap. 17. Ioan. 22. epiſt. huius anni, 34. & 32. Ciacconus ex aliis in Ioanne 22.*

X.
CAROLVS PVLCHER PHILIPPO LONGO FRATRI IN GALLIARVM REGNVM SVCCEDIT.

Hoc anno, Philippo Longo Regi Galliarum, ſine virili prole defuncto, ſucceſſit frater Carolus Pulcher, ex more Eccleſiæ Catholicæ, Sacro oleo inunctus, & diademate Regio ornatus, ab Archiepiſcopo Rhemorum. Carolo Pulchro Regi, ab admonitione Ioannis Pontificis, nihil antiquius fuit, quam vt legum Magiſtratuumq; moderatione omnia regerentur. Et peſtilentia, & morte Regum, & vitio temporum, licentia vires nacta, nihil ſibi non arrogabat id temporis: adeo vt Regia maieſtas, apud popularium animos parum iam ponderis habere videretur. Iſtud indignum, cum non ſibi eſſe ferendum putaret Carolus, ad flagitioſos coercendos conatibus totis incubuit: quod ſecum expenderet, *Cauſam creandorum Regum nullam fuiſſe, niſi vt ſocietas humana vnius alicuius capitis ſapientia fideq; coniuncta conſpiranſq; teneretur. Si leges per ſe audaciam coërcere poſſent, illis ſemel inciſis propoſitiſque, ſatis cautum proſpectumque generi humano videri potuiſſe. Cum vero nullus interdum iuris pudor, nulla ſæpe legum reuerentia mortalibus eſſet, ſummos viros Reges inſtitutos, qui pro illarum Imperio regiminéque arma ferrent. Datum ſolium, datum ſceptrum; vtramque ſacram vtique rem; vt cognoſcerent, vt ſtatuerent, vt iura redderent, iudicia exercerent vt Numinis munere ea in re ipſi fungerentur. Vbi parum maieſtate, parum Imperio valerent, data illis ſigna, datus exercitus. Inter bonos ſanctiſſimum pignus vinculumque eſſe fœdus proborum morum, inſtitutorumque: ſceleratos terrore ſuppliciique frænari, aut prorſus tolli, ſi forte ſanari nequeant, neque cohiberi. Nec regna vlla diuturna niſi præſidio legum firmata. Humilium ſupplicia neceſſaria eſſe vbi res poſtulet; ſed de nobilibus ſontibus illuſtres pœnas propalam ſumptas, oculos animoſque mortalium magis mouere, ſplendidioreq; exemplo afficere. Magnorum virorum peccata vulgo propoſita eſſe ad imitandum: & vt publico fœdere, communique cauſa, idem cæteris, quod illis, ius faſque videri. Neceſſe igitur & monumenta plectendorum ſcelerum, terroreſq; in clariſſimis ceruicibus ſtatui; vt quod vindicatum in ſummis ſit, id in ſe diſſimulatum minime iri vulgus ſentiat: & qui metus malis ſit, bonis ſalutiq; publicæ ſit fiducia; quibus duabus rebus communis vita conſtet.*

EIVS SOLLICITVDO PRO BONA REGNI ADMINISTRATIONE.

XI.
IORDANIS IOANNIS PP. AFFINIS FLAGITIA ET SVPPLICIVM.

Interea dum hæc ſecum Carolus Rex expenderet, Iordanes Iohanni Pontifici Maximo neceſſitudine affinitateq; iunctus, multa flagitioſe ſceleratéq; factitarat, quę ſemel precibus tanti affinis fuerant condonata. De integro furenti, non eadem venia data. Regium apparitorem, diem illi dicentem occiderat. Eam ob noxam iuſſus ſui copiam in iure facere, pari atq; antea ſpe Lutetiam ſummis cum deprecatorib. venit; clauſaſq; Regis gratiæ aures offendit. Tandem, non contradicente Pontifice, reſte luit. *P. Æmil. l. 8. in Carol. 4.*

XII.
SVMMARIVM GESTORVM IOANNIS PP. HVIVS ANNI.

Eodem anno Ioannes Pontifex. 1. Aſtinos & Ferrarienſes contumaces, ꝓpter non reſtitutam Romanæ Eccleſiæ Ferrariam, diris deuouit. 2. Indulgentias, ſuccurrentibus contra Agarenos conceſſit. 3. Redimentibus in regno Granatenſi captiuos, multas gratias ſpirituales indulſit. 4. Regem Georgianorum ac Proceres Tartarorum, vt ad vnitatem Romanæ Eccleſiæ redire non differrent, admonuit. 5. Ad Imperatorem Tartarorum, FF. quoſdam Prædicatores & Minores, qui fidē Chriſtianorum in vaſtiſſimis Orientalibus Regnis propagarent, deſtinauit, eoſq; & reliquos indidem diſperſos Chriſtianos eidem Imperatori per literas commendatos fecit. 6. Zachariæ Archiepiſcopo S. Thaddæi de Caraleſia, & Vicario Ord. Præd. ac Cuſtodi FF. Minorum in Imperio Tartarorum commorantibus, vt in Sacramento Confirmationis & Extremæ vnctionis, atq; in reliquis ſacris, ritus Romanæ Eccleſiæ obſeruarent præſcripſit; vtq; Prælatos & Clericos indidem non rite ꝓmotos diſpenſare, idoneoſq; ad ſua munera obeunda efficere valerent, poteſtatem fecit. Ea re dedit literas *Auinione Idib. Octob. Pontif. anno 6.* 7. Populis Armenorum, quemdam ex Ordine Prædicatorum Epiſcopum ꝓpoſuit, vtq; illi in omnibus obtemperarent, hortatus eſt. 8. A Iacobo Gentili Sulmonenſi, 28. vnc. auri Romanæ Eccleſiæ ex teſtamento relictas, acquiſiuit. 9. Auinione, eo loci quo olim Synagoga Iudæorum ꝓſtabat, Oratorium in vſus piorum extruxit. 10. Michaelis Cathari Andronici Græcorum Imperatoris ex filio nepotis, profeſſionem fidei audiuit, eundemq; ad vnitatem Eccleſiæ Romanæ ſuſcepit; cum is ex formula fateretur, ea ſe credere, quæ Sancta Romana Eccleſia corde credit & ore confitetur: quam etiam is ipſe Matrem, omnium Chriſti fidelium, Magiſtram vniuerſarum Eccleſiarum, Romanumq; Pontificem Caput, Paſtorem, & vniuerſalem Antiſtitem, adeoq; Principem Epiſcoporum, diſertis verbis pronunciauit, ſeque in vnione Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia Romani Pontificis fore ſpopondit. *Ciaccon. ex aliis in Ioanne XXII.* 11. Kiiouię, in confinib. Ruthenorum & Tartarorum, Epiſcopum reſtituit. Kiiouienſes, antiquitus Galatæ appellati, iam à centum annis, propter Schiſma Græcanicum, paſtorem & clerum Catholicum, quin & populum Chriſtianum habere deſierant. Hoc tempore, cum opera Fratrum Prædicatorum ad fidem reuerti cœpiſſent, Stephanus Epiſcopus Lubuſanus, priuilegio Sedis Apoſtolicæ innixus, F. Henricum ex Lectore Poſnalcenſis Dominicani inſtituti, Epiſcopum illis præfecerat, quod prętenderet, ex indulto Apoſtolico, illis populis de paſtore ꝓuidere, qui recens ad fidem Catholicam accederent. Poſtulabatur ad eam dignitatem Henricus, à Clero & populo. Cæterum quod de priuilegio Stephani, nonnihil dubitaret, Iacobo Columnio tituli S. Georgii ad velum aureum, Cardinali, id quicquid à Stephano obtinuerat, detulit, & Auinionem profectus, à Io. I. Pontifice confirmationem accepit, ſacris eum initiante Berengario Epiſcopo Portuen. 18. *Cal. Ianuar.*

1. ep. 18. 2. ep. 166. 3. ep. 407. 4. ep. 21. 5. ep. 24. & 34. 6. ep. 56. 7. ep. 35. 8. ep. 120. 9. ep. 158.

XIII.
ANNVLLATIO ET RESCISSIO ALIENATIONVM BONORVM ECCLESIÆ

Non etiam neglexit Ioannes bona Eccleſiæ Romanę vindicare. Itaq; cum intellexiſſet plura ex eis abalienata eſſe iſtud diploma publicauit.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri Guittoni Epiſcopo Vrbeuetano, Patrimonii B.

Petri in Tuſcia Rectori ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Inter cætera, quorum nos cura ſollicitat, illa præcipue meditatio mentem noſtram occupat, illaq; ſollicitudo fatigat, vt Eccleſiæ iura non pereant, & ſi quæ ſunt forte deperdita, in ſtatum priſtinum reſtaurentur. Audiuimus ſiquidem relatione fideli, quod quidam Patrimonii B. Petri in Tuſcia, Comitatus Sabiniæ, Terræ Arnulphorum, & quarundam aliarum Terrarum ad nos & Eccleſiam Romanam ſpectantium Rectores & Officiales, qui fuerunt temporibus retroactis, diuerſas locationes, alienationes, donationes & conceſſiones de Terris, caſtris, bonis, iuribus eiuſdem Eccleſiæ ſub variis formis, modis & tenorib. feciſſe noſcuntur, & quaſdam minores terras, Ciuitates, Caſtra, & loca infra patrimonii Comitatum, & Terrarum Arnulphorum prædicta, & alia infra iuriſdictionem ipſius Eccleſiæ Romanæ conſiſtentia maioribus Ciuitatibus, & Comitatibus, Comitibus, Baronibus & Nobilibus, quamuis nullam ſuper hoc poteſtatem habuerint, de facto in ipſius Eccleſiæ graue præiudicium ſubiecerunt & etiam ſubmiſerunt, ac ſe ſubiicientibus & ſummittentibus auctoritatem præſtando conſenſerunt, pro eorum libito voluntatis, & aliqua minora Terræ, Ciuitates & Caſtra dictis maioribus Ciuitatibus & Communitatibus, Comitibus, Baronibus & Nobilibus, tam de dictis Terris, quam etiam aliunde voluntarie, & quædam ab ipſis maiorib. coacte ſe per violentiam ſummiſerunt. Nos igitur ſuper his volentes eiuſdem Eccleſiæ honori & indemnitatibus prouidere, locationes, alienationes, donationes, conceſſiones, ſubiectiones & ſummiſſiones prædictas, & alias quaſcumq; de bonis & iuribus prædictæ Rom. Eccleſiæ, & Ciuitatum, Terrarum, Caſtrorum, & locorum prædictorum ac vniuerſitatum eorundem, ſub quibuſuis modis, formis, tenoribus, aut expreſſionib. verborum factas, non obſtantibus Apoſtolicæ Sedis non ex certa ſcientia factis, & quorumuis aliorum confirmationibus ſeu ratificationibus ſuper his, ſub quacumq; forma verborum obtentis, nec non promiſſionibus, obligationibus, pœnarum adiectionibus, ſtipulationibus & renunciationibus quibuſcumq; ac iuramentis ſuper his præſtitis ab eiſdem ex tunc auctoritate Apoſtolica reuocauimus, caſſauimus, annullauimus, irritauimus, vacuauimus, & nullam habere decreuimus roboris firmitatem, & eaſdem terras, Ciuitates & Caſtra, bona & iura, ad ius & proprietatem & dominium eiuſdem Eccleſiæ reuocauimus, eaſdem minores Terras, Ciuitates, Caſtra & loca in eo ſtatu in quo erant ante tempus ſubiectionis & ſubmiſſionis huiuſmodi reducendo; decernentes illa prædictis maioribus Ciuitatibus, & Communitatibus, Comitibus, Baronibus, & Nobilibus ad ſeruandum ſummiſſionem huiuſmodi, vel ad obediendum ſeu parendum illis in aliquo prætextu ſummiſſionis & ſubiectionis earumdem aliquatenus non teneri. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per te vel alium ſeu alios ſuper præmiſſis de plano ſummarie ſine ſtrepitu & figura iudicii te informans prædictas terras, caſtra, bona & iura taliter locata, alienata, donata & conceſſa, ad manus tuas recipere ſtudeas, & diligenter conſeruari procures. Non permittens Terras, Ciuitates, Caſtra & loca minora præfata prætextu ſummiſſionis & ſubiectionis huiuſmodi ab aliquib. indebite moleſtari. Detentores Terrarum, Caſtrorum, bonorum, & iurium prædictorum, & contradictores ac rebelles, & impedientes ſi qui fuerint, nec non & moleſtatores dictarum minorum terrarum, Ciuitatum & Caſtrorum, ac Vniuerſitatum per ſpirituales ac temporales pœnas, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtante ſi eis vel eorum aliquib. communiter vel diuiſim à dicta Sede ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari; aut quibuſuis pœnis affici non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.* Datum Auinioni, Kal. April. Pontificatus noſtri anno Quinto.

Edouardus Angliæ Rex plurimum opprimebat Hybernos; itaq; in gratiam eorum, illud monitorium ei ſcripſit.

XIV. IOAN. PP. COMMONET REGEM ANGLIÆ VT CORRIGAT GRAVAMINA POPVLO HYBERNICO ILLATA.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Chariſſimo in Chriſto filio Edouardo Regi Angliæ Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Paternum amorẽ ad tuæ celſitudinis incrementa fili chariſſime gerimus, dum te ad ea, quæ iuſto placeant iudici, tui regni, terrarum & ſubditorum tuorum, ſint opportuna quieti, & famæ tuæ pariter & honori proſpiciant, ſolicitis hortationibus inuitamus. Propter quæ in iis perſuaſiones noſtras deuota debes mente ſuſcipere, & ad executionem illarum te paratum & flexibilem exhibere. Ecce, fili, quaſdam recepimus litteras directas pridẽ per Hybernicos Magnates, & populum dilectis filiis noſtris, Anſelmo Tit. SS. Marcellini & Petri Presbytero, & Lucæ S. Mariæ in via lata Diacono Cardinal. Apoſtolicæ Sedis Nunciis, & per eos nobis ſuis interclauſas litteris deſtinatas, in quarum ſerie vidimus inter cætera contineri, quod cum felicis recordationis Hadrian. Pp. prædeceſſor noſter, ſub certis modo & forma diſtinctis apertius Apoſtolicis litteris inde factis, claræ memoriæ Henrico Regi Angliæ progenitori tuo dominium Hyberniæ conceſſiſſet: ipſe Rex ac ſucceſſores ipſius Reges Angliæ vſq; ad hæc tempora, modum & formam huiuſmodi non ſeruantes, quinimo eos tranſgredientes, indebite afflictionibus & grauaminibus inauditis importabilium ſeruitutum ipſos diutius oppreſſerunt. Nec fuit hactenus, qui reuocaret illata grauamina, aut errata corrigeret: non fuit quem pia compaſſio ſuper eorum contritione moueret: quamuis ſuper his ad te recurſus habitus ſit, & clamor validus oppreſſorum aures tuas quandoq; pulſauit. Vnde talia ferre nequeuntes vlterius, coacti ſunt ſe à dominio tuo ſubducere, & alium in ſuum regimen aduocare. Hæc, dilectiſſime fili, ſi veritate nitantur, tanto nimirum infeſtiora noſtris accedunt affectib⁹, quanto deſideramus intentius, vt tibi proſpera cuncta cedant. Circa illa verſari ſedulo debes; eaq; promptis affectib. exequi, quæ tuo ſint placita creatori, & ab omnib. abſtinere ſolicite, per quæ cõtra te debeat prouocari Deus ipſe, ac Dominus vltionum qui gemitus afflictorum iniuſte minime deſpicit, & qui propter iniuſtitias peculiarem ſuum deieciſſe deſcribitur populum & tranſlationem feciſſe regnorum. Quanto etiam deſiderabilius iis præſertim impacatis temporibus, cupimus te illis libenter intendere per quæ tuorum corda fidelium ad tuam beneuolentiã & obedientiã debeant allici, & illa prorſus vitare, quibus valeant tuæ cultu deuotionis auelli. Qui itaq; fili, tua non modicum intereſt huius nouæ mutationis vitare diſpẽdium, quamplurimum expedit, vt hæc non negligantur turbationis initia: ne illis periculoſe creſcentibus, ſero medicinæ remedia præparentur. Excellentiam Regiam ſollicitamus attente, præſentib. ſine nihilominus conſilio ſuadentes, quatenus hæc prudenti meditatione conſiderans, & cum tuo diſcreto conſilio conferens ſuper illis, circa præmiſſorum grauaminum correctionem ac reformationem debitam & feſtinam, viis & modis decentibus, ſic ſufficienter prouideri mandes & facias, ſi diſcriminoſis principiis in hac parte obſtare procures, quod & illi, per quem regnas placere valeas, & te in iis efficaciter implente quod debes, cuiuſuis aduerſum te iuſtæ querelæ materia conquieſcat: per quod iidem Hybernici ſaniori ducti conſilio, tibi, vt domino pareant; aut ſi (quod abſit) in cœpta debellione manere voluerint, cauſam ſuam in apertam iniuſtitiam, te apud Deum & homines excuſato, conuertant. Vt a. de prædictis grauaminib. & querelis quibus prædicti innituntur Hybernici, tuis ſenſibus innoteſcant ad plenum, præſcriptas litteras miſſas Cardinalib. antedictis, cum forma litterarum, quas prædictus Hadrianus prædeceſſor noſter eidem Henrico Regi Angliæ de terra Hyberniæ conceſſit, tuæ magnitudini mittimus præſentibus incluſas.* Dat. &c.

XV. RAYNALDVS ARCHIEPISC. RAVENNAS DIVORVM BENEDICTI ET AVGVSTINI FAMILIAS REFORMAT, IISQVE LEGES VIVENDI PRÆSCRIBIT.

Per id temporis, Raynaldus Archiepiſcopus Rauennas, cum videret Diuorum Benedicti & Auguſtini familias; ſuæ ditionis, Ciuitatis præſertim, Diœceſiſq; Rauennatis, laxiore viuendi inſtituto, à vetere diſciplina plurimum defeciſſe, quod Deus bene verteret, cuius & Beatæ Virginis Mariæ, Diuorumq; Apollinaris, Vitalis & Vrſicini, Benedictiq; & Auguſtini, atq; omnis aulæ cœleſtis honori, & animarum ſaluti, & Religioſorum quieti, hæc infra ſcripta auctoritate Apoſtolica ſe præſcribere teſtatus eſt, his potiſſimum legibus, ex Ioannis Pontificis mente conformauit.

*Primum, ne quem ex Dominicanorum, Franciſcanorum, aut Eremitarum Auguſtinianorum Ordinibus, in perpetuũ abſq; illi⁹ venia, in Ordinem ſuum cooptarent: Deinde, ne Antiſtitis fratriſue arcanum, aut piaculum cuiquam quis pateſaceret, præterquã ſuo Antiſtiti, aut Archiepiſcopo, eiuſue Vicario, vel in eo conuentu Fratrum, in quo aperire illud teneretur. 3. Diſſidia & huiuſmodi ſimultates, quæ in eorum familiis acciderent, nulli populari quis narraret, neq; multo minus opem ab eo peteret, niſi ſi Aduocatus, Procuratorve aut ſcriba eſſet, qui intereſſe illis neceſſario deberet. 4. Qui à cubiculo eſſet Antiſtiti, ex eodem Ordine is haberetur: qui omnia adminiſtraſſet, & quoquo die Veneris, Antiſtiti, eiuſve internuncio: ſingulis autem menſibus, etiam Antiſtiti, & Conuentui referret omnium rationem. 5. Popularium conſuetudine ne vterentur, niſi ſuperioris permiſſu, qui duobus adiunctis ſociis id permitteret. 4. Seruus autem, extra coquum, bubulcum, & olitorẽ, ne popularem haberent, cauit. 5. Nullus popularis in triclinio cum Fratrib. epularetur, nunquam à menſa abeſſet lectio. 6. Quo in loco fratres dormire conſueſſent (appellant Dormitorium) in eo cum illis nullus alterius Ordinis religioſus vir, extra fratres ordinis paupertatis, cubaret. 7. Mulierem, aut puellam, quacumq; eſſet ætate, in clauſtrum, officinas, hortos cœnobii, ne quis introduceret. 8. Suſceptor cuiuſquam (patrimum, compatremq; dicunt) ne eſſet. 9. Quibus horis aut dormitur, aut curantur corpora, aut ad diuina incumbitur officia, illis ne quis è clauſtro exiret, ſed lectioni vacaret, aut aliquid manu in clauſtro ageret: niſi ſecus poſtularet, aut muneris adminiſtratio, aut exoneranda aluus; quib. vbi eſſet ſatisfactum, ad clauſtrum ſtatim rediret. 10. Domo exeuntibus, Antiſtes, comitem religioſum daret, ſic vt honeſte taciteq; incederent. 11. Popularium ne ingrederentur domos, vel propinquorũ etiam in mortis articulo; niſi ſi forte qui vocaretur, Sacerdos eſſet, neq; haberi Sacerdos proprius poſſet: cum dicat Dominus.* Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos: *aut ſi ad ædes eſſet Medici, Aduocati, Chirurgi, Procuratoris ab Antiſtite miſſus. 12. Si ob fratrum morbum, aut paucitatem comes illi dari non poſſet, tum præberet Antiſtes honeſtum, atq; Eccleſiaſticum hominem in ea magna neceſſitate. 13. Tutelas, teſtamentariaq; popularium munera, ne aſſumerent. 14. Extra triclinium nullo modo comederent, vinumve biberent, niſi ob morbum, aut in itinere, quo caſu, Eccleſiaſticam, honeſtamve domum, quo ad eius fieri poſſet, quærerent. 15. Conſulerent Antiſtites iuxta ſuorum Ordinum leges, fratrum veſtitui, ac victui, ſic vt pannus, vel pro Antiſtite, in ſingulum Rauennatis menſuræ cubitum, octo ſolidos non excederet: nec, ſi cui, maioris pretii donaretur, induere is illud poſſet. 16. Nemini Fratrum liceret, abſq; ſuperioris venia, dare quidquam, aut accipere: neq; Antiſtes alicui, vltra ſolidorum triginta quinq; ſummam, abſq; conſenſu ſaltem maioris partis conuentus præberet. 17. Piæ erogationes de more fierent, vel pro locorũ viribus. 18. Animaduerſionis, deteſtationiſq; diuinæ denunciatione, mandatum eſſet Antiſtibus, vt Medicos adhiberent ægrotis, aſſidenteſq; & exteriora. 19. Panem, vinum, culinam, & cætera, omni cura prouiderent, vt iuxta Eccleſiæ, eorumq; Ordinum præcepta, ſacræ vti inediæ fratres poſſent. 20. Azardo, latrunculis, fritillo nemo luderet, vbi motus eſſet corporis, pedumve, aut manuũ indecorus, aut aliis turpibus ſe immiſceret, vel iret venatum, aut ſpectaculis intereſſet. 21. Antiſtes, quo frequentius, ardentiuſq; poſſet, eſſet cum Fratribus in triclinio, in clauſtro, & quotidiano conuentu; rem Diuinam faceret, ſanctoq; ſuo exemplo induceret ad ſeruandas regulas; de pia potiſſimum, promptaq; obedientia, integræ caſtitatis cuſtodia, & abdicatione omnis proprietatis; vt neq; veſtem, neq; librum, neq; pecuniam vel minimam poſſidere auderent, aut nominare: obedientes foueret, deſides ſtimularet. 22. Poſt completorium, clauderentur portæ omnes vſq; poſt primas preces: videretq; Antiſtes diligenter, an clauſæ eſſent, & apud ſe claues perpetuo haberet. 23. Cum ex hac vita quis migraſſet, vicini omnes ad primum lapidem, conuenirent ad exequias, & in Conuentu vnde fuiſſet, ad trigeſimum ab interitu eius diem, quotidie ſacrum pro illius anima fieret: in aliis vero locis ſingulis, ſemel, & ad triginta dies, in ipſo ſacro, oratio ex libro Miſſalis certis verbis concepta pro mortuo haberetur, & nihilominus, quilibet Ordinum ipſorum, ad triginta ipſos dies ſeptem Pſalmos pœnitentiales vocatos, adiectis iis precibus, quarum eſt initium,* Inclina, Deus omnium, & Fidelium *quotidie recitaret. 24. Mortem illius intra biduum, Fratres Conuentus, vnde fuerat, cæteris omnib. ſignificarent. 25. Antiſtites æs alienum ne contraherent; legitime contractum diſſoluerent. 26. Qui Sacerdotes non eſſent; Clerici ſaltem ſemel in hebdomada, die Dominico, & peccata ſua Sacerdoti confiterentur, & ſacram hoſtiam ſumerent: populares, quotannis octies, ſtatutis quos præſcripſit, diebus. 27. Sacerdotes ſingulis diebus eſſent parati, vt eis Dominus adminiſtraret, Sacroſanctam ſalutarem hoſtiam Domino offerre pro redemptione animarum ſuarum, & omnium viuorum, & fidelium mortuorum. 27. Mortuo Antiſtite, & ad ſepulturã dato inuocaretur Spiritus ſanctus, ſacro peragendo, ſi ante prandium eſſet, vel cantico ad id ſcripto, ſi à cibo: coactoq; Conuentu, Senior, omnibus extra Aduocatum & Scribam inde expulſis, vacationem eius Magiſtratus referret ad patres, hominemq; eligerent, ac ſufficerent idoneum. Quod ſi hac ratione non conuenirent, decernerent, qua via; ſcrutandiſne ſingulorum ſententiis, an compromittendo eligendus eſſet, ſtatimq; eligerent; ita vt è Conuentu illo nemo exiret, vel preces, aut literas pro aliquo reciperet, exaudiretve, qui egrederetur, neq; is eligere, neq; eligi deinde poſſet. Hæc autem quolibet die Mercurio, primis recitatis precibus, nemine è Conuentu illo exeunte, integre legerentur. 28. Antiſtites Ordinis Diui Benedicti, & Fratres Ciuitatis, Diœceſiſq; Rauennatis, qualibet feria ſexta, dimiſſa in ſuis domib. apta cuſtodia, in vnum ex Ciuitatis huius cœnobiis, ſic vt circulo abſoluto in omnib. factum id eſſet, conuenirent: hiq; peracto de Cruce Sacro (niſi ſi quis incurreret ſolemnis dies feſtus) primo Antiſtes loci, quo conueniſſent, de ſuis ſe criminib. accuſaret; mox dimiſſe cæteri: vnoq; loquente, reliqui tacerent. 29. Inter Antiſtites diſſidium, fratreſq;, antequã cibum ſumerent, pacate componeretur, quod ſi abnuerent, quam primum Archiepiſcopo illiusve Vicario renunciaretur. 30. Idem Conuentus ab Auguſtinianis, in cœnobio Portuenſi ageretur.*

Hæc Raynaldus Archiepiſcopus pronunciari ad eos cum iuſſiſſet, illud etiam addidit. 31. *Vt ſi in eligendo Antiſtite non eſſent omnes; citarentur, conſtituta pro locorum interuallo die. 32. Qui hæc, pie aut legerent ipſi, aut legi audirent, iis ab omni criminum labe, per pœnitentiæ Sacramentum expiatis, Quadraginta dierum pœnæ peccatis eius iniunctæ liberationem indulſit. 33. De grauioribus Fratribus caſibus, mandauit, ab iis qui conſidentes audirent, Abbates proprios, aut ſi videretur, Archiepiſcopum, aut eius Vicarium conſulendos. 34. In veſtitum pecunia nequaquam daretur, ſed pannus.*

XVI. EIVS OBITVS.

Cum autem Raynaldus, Sacrarum etiam Virginum mores ac vitam conformaſſet, & in æde Vrſiana aram Cruci erexiſſet ac dedicaſſet; in qua ex marmore arcam, multis & præſtantib. virorum Sanctorum reliquiis plenam incluſerat; eamque, certis legibus latis, prædiis ditaſſet; Sacerdotumq; qui Rauennatum parœciis præſunt, Conuentum, qui ſtatis diebus parentarent, & pro mortuis Pſalmos & preces ex libris ſacris conceptas recitarent, iam multis ante ſæculis inſtitutũ, & hoc Raynaldi tempore, propter Sacerdotum licentiam corruptum, reſtituiſſet; qui contumelias in Deum ac Sanctos viros conuiciaq; iactarent, & meretriciis amoribus operam darent, aliiſq; vitiis notarentur, omnino reiectis, eodem anno M.CCC.XXI. non abſque ingenti apud omnes ſanctitatis opinione, Quinto decimo Cal. Septembris tranquille decedens, in cœleſtem patriam euolauit; vir omni laude merito cumulandus: qui cum magnarum rerum humanarum vſu tractationeque, religionis, pietatis, rerumq; æternarum curam, perpetuo habuit coniunctam.

XVII. SEPVLTVRA ET POST OBITVM MIRAGVLA.

Sepultus eſt in monumento ex marmore, in æde Vrſiana, quod cum ſuperiorib. annis Iulius Feltrius à Ruuere Cardinalis, Rauennatum Archiepiſcopus, aperiri coram ſe mandaſſet, viri Sancti cadauer, integrum ac pene recens, promiſſa barba, ſtatura procera, ingenua forma, & ſpecie ad dignitatem appoſita inuentum eſt. Ad eius cadauer, cum adhuc in ſepulchrum illatum non eſſet, multa miracula, & in ſequentibus etiam diebus, & annis facta ſunt. Inter hæc, vt reliqua omittam, Iacobus Benincaſa, Iuriſconſultus Rauennas, cum deſperata omni ſalute, penitus deſtitutus acerrimis podagræ doloribus affligeretur, ſeque voto nuncupato, diem Raynaldi feſtum quotannis ſolemniter celebraturũ obligaſſet, poſtridie eius diei doloribus, & morbo ſolutus eſt. Quod Ioanni quoque Guado, in graui capitis oculorumque dolore, cum eſſet ad Raynaldi ſepulchrum profectus, eiusque opem ſupplici ter implorasset, per idem tempus contigit. Ex agro item Rauennæ, eo vico cui Herboſæ nomen eſt, mulier Blonda vocata, cacodæmone ſupra quam dici poteſt agitata à cognatiſq; ſuis, maxima vi ad Raynaldi ſepulchrum pertracta, liberata fuit. Pari felicitate Thomaſina, Petri Lambardani Rauennatis filia, ſacra virgo cœnobii Diuæ Mariæ cognomento Padrielis, quod nunc in vrbem tranſlatum, Diui Stephani appellant, membrorum omnium reſolutione languens, cum viri ſancti pa-

EIVS ORIGO ET IN EPISCOPVM CREATIO.

cti patrocinium inuocaſſet, repente ſanitati reſtituta eſt.

Fuit Raynaldus patria Mediolanenſis, gente Cotregia, mortuo Opizo e ad Archiepiſcopatum Rauennę, in diſcordia electus, ſed à Benedicto XI. Pontific. Max. confirmatus. Hic primum coram Pontifice rem diuinam fecerat, deinde Canonicus Landunenſis, mox vniuerſæ Flaminiæ Præſes, deinde Epiſcopus Vicentinus, & exinde Archiepiſcopus Rauennas, ad XIII. Calend. Decembris, Laterani, à Benedicto Pontifice, ſacra omnia ſuſcepit; quod illum Ciues Rauennates, propter ſanctitatis famam à Pontifice Benedicto vndecimo ex Ordine Prædicatorum aſſumpto, Archiepiſcopum poſtulaſſent.

XIX. GESTA IPSIVS IN ARCHIEPISCOPATV.

Ad Archiepiſcopatum euectus, indies virtutibus ac religione proficiens, puriſſimum cultum numinis Diuini, legib. perſanctis editis, propagandum, apud ſuum populum diligenter curauit. Quapropter ſæpius prouinciam ſuam inuiſit, & Synodo prouinciali, Rauennæ, anno Domini M.CCC.VII. celebrata multos abuſus qui irrepſerant ſuſtulit. In cauſa Templariorum primum Bononiæ, deinde Rauennæ Concilium conuocauit. Rauennam iſti conuenerant; Hugo Placentinus, Vbertus Ferretranus, Fridericus Ariminenſis, Vbertus Bononienſis, Henricus Regienſis, Matthæus Ceruienſis, Petrus Foro Pompilienſis Epiſcopi, Vgolinus deſignatus Fauentinus, Nicolaus & Ioannes Fratres Dominicani, Vincentius Franciſcanus, Inquiſitores in Æmilia hæreticæ prauitatis. Bonumcontrus, Archipresbyter Mutinenſis, pro ſacratis viris Mutinenſibus: Gerardus Curnazanius, Sancti Domini Præpoſitus, pro Epiſcopo, Sacratisq; viris Parmenſibus: Gentilis, Ferrarienſis Epiſcopi Vicarius; Præuoſtinus Mutinenſis, Epiſcopi Foricorneliani item Vicarius: Ioannes Abbas Gauellianus, pariter Epiſcopi Hadriani Vicarius; Armannus Frater Dominicanus, Epiſcopi Cymaclenſis Procurator: Guercius Diui Damiani Canonicus, Epiſcopi Sarſinenſis Procurator. Omnibus igitur, ſuo loco, in æde Vrſiana ſedentibus, de Templariis inquiſitio habita eſt. Erant autem hæc præcipua quæſtionis capita.

1. Cum in Ordinem cooptabantur, in ipſis Sacrorum ſuorum initiis, Chriſtumne, aut Deum, aut Virginem Deiparam, aut Diuos abiuraſſent, vel vt abiurarent moniti fuiſſent, aliosve ipſi ad abiurandum incitaſſent.

2. An ſimulachrum quodpiam, & idolum fictum & commentitium, diuina veneratione coluiſſent.

3. An tyrones, adoleſcentulos præſentim, libidinoſe, atq; alia quam deceat parte, oſculati fuiſſent.

4. An dum rem diuinam facerent, Sacra myſteriorum & conſecrationis verba omiſiſſent.

5. An Crucifixi imaginem ſputu conſpurcarent, vel lotio aſpergerent.

6. An ſceleſtum & nefarium facinus putarent, hæc committere.

De his articulis, Raymundus Fontana, Iacobus item Fontana, Maurus, Iacobus, Albertus, Guilhelmus à Pigazomo, & Petrus Cazia, Templarii Ordinis equites introducti, & interrogati, cum nihil eſſent obiectis criminibus, teſtibusq; aduerſis debilitati, atq; omnia breuiter, conſtanterque, ſeorſum ſinguli reſpondiſſent, totum negotium ad Viennenſe Concilium fuit reiectum. *Rubeus hiſt. Rauennat. lib. 6. & ex eo Surius die 18. Aug.*

XX. RAYNALDVS ALIVS POLENTANVS RAVENNENSIS ARCHIEPISCOP. CREATVR.

Mortuo Raynaldo, ſucceſſit alter Raynaldus, gente Polentanus, ex Archidiacono Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus à ſacratis viris deſignatus. Conſuetudo obtinuerat à legib. introducta, vt electus ad ſummum Pontificem, intra menſis ſpatium ſe conferret, atq; ab eo conſecrationem & pallium poſtularet. Propter tumultus Italiæ Raynaldus ipſe ire non potuit. Nuncios tamen ad Ioannem Pontificem eius rei gratia amandauit. qui omnia ex voto obtinuere, tanto facilius, quanto commemoraſſent Maiores Raynaldi electi, auum præſertim, proauumq; atq; etiam patruum, à Gibellina factione plurima ſemper incommoda, tum Florentiæ, tum aliis præterea multis locis paſſos; eiſdemque dum Flaminiam à Friderico Cæſare. pro Romana Eccleſia recuperarent, pericula capitis ſumma ab illis conflata fuiſſe, & recenti iniuria Gibellinos Foroliuianos in eum irruiſſe.

XXI. DANTES ALIGERIVS PHILOSOPHVS DIVINA VLTIONE PERIT, OB CALVMNIAS IN ROMANVM PONTIFICEM.

Vidit Raynaldus vterque, acerbam Dantis mortem, iuſto Dei iudicio in eum præmature miſſam, quod is iniquiſſimus, Romanis Pontificibus, omnibusq; Pontificiis infeſtus, calamum calumniis intinctum in ſumma capita ſtrinxiſſet, ac Romani Pontificis dignitatem poteſtatemque, in Ludouici Bauari gratiam, nimis temerario auſu depreſſiſſet. Per id. n. temporis ille Dantes Aligerius Florentinus, Philoſophus ac Poeta inſignis, Rauennæ ſupremum diem clauſit. Patria ſiquidē eiectus, cum factionis ſuæ Albæ ciuibus, cum ſæpe reditus in eam, Bononienſib. & Canegrādi Scaligero iuuātibus, fruſtra à ſe tentatus fuiſſet, primum Veronæ aliquandiu cum Scaligero familiariter vixit; Germaniam deinde, & Galliam profectus, coniunctasq; prouincias extorris circumegit. Ad extremum, Rauennæ, menſe Quinctili, immatura morte (nam ſextum & quinquageſimum agebat annum) ex hac vita migrauit. Hoſtaſius & Guido Polentani, exulis miſerati, mortuum ſepulchro donarunt: quod vetuſtate collapſum, Bernardus Bembus, Prætor, Petri Cardinalis Pater, Muſis incenſus Etruſcis, reſtituit. *Hieron. Rubeus ſupr.*

XXII. VINDICTA DIVINA IN VIOLATORES MONASTERII S. ALBANI.

Hoc anno, Deus, inſignem vindictam in Anglia tulit, de violatorib. rerum Eccleſiaſticarum. Proceres Angli contra Edouardum Regem armati, omnia infeſta vbique reddebant, vexilliſque explicatis, ad Sanctum quoque Albanum, in itinere cædibus & ſtupris cuncta fœdantes, properabant. Inter eos enim fuerant nonnulli, qui propter odium inueteratum, S. Albani Monaſterium, in prædam ſibi deſtinauerant, dictiq; loci Monachos ſe grauaturos denouerant. Interim Deo, qui neminem ſupra vires tentari permittit, diſponente, horum Princeps & author tantæ militiæ, in villa Alyſpurienſi, priuſquam ad S. Albanum attingeret, morbo immedicabili percuſſus, propriis ſeipſum diſcerpens manibus, poſt duos dies miſerabili ſpectaculo expirauit. Reliqui tam formidabili vindicta perterrefacti, caſum pro miraculo reputantes, ab executione voti illiciti, non tam amore, quam timore deſtiterunt. *Thom. Vualſing. hiſt. Anglic. in Edouardo II.*

XXIII. QVATVOR FRATRVM MINORVM MARTYRIVM SVB TARTARIS.

CONVERSIO REGIS TARTARORVM.

Hoc anno, Quatuor Fratres Minores, apud Tartaros, Martyrio coronati, pro fide Chriſti obierunt. Frater Thomas eorum primus dicebatur. Ab Ornaſio verſus Thanaim properabant, vt cæca gentilitate detentis barbaris lucem Euangelicam inferrent. In itinere, cum octauo ante Cœnam Dominicam die verbum Domini ad populum prædicaſſent, ab infidelibus cæſi, ſanguinē pro Chriſto effudere. Eorum conſtanti martyrio, & crebèrrimis miraculis, Rex quidam maximus Tartarorum, ad fidem Chriſtianam adductus, magna beneuolentia poſtmodum Minores ad omnes Chriſtianos proſecutus, decem Monaſteria Franciſcanis extruxit, atq; poteſtatem fecit doctrinæ Chriſtianæ prędicandę. *Ex epiſtola F. Bartholomæi Cuſtodis Tauriſii, ad Vicarium Generalem in partibus Orientis, Toſſignianus hiſtor. Seraph. Relig. lib. 1.*

XXIV. B. VALENTINI DE NARNIA VITÆ SANCTITAS ET OBITVS.

Per id fere temporis in eadem Franciſcana Religione vixit B. Valentinus de Narnia, qui triginta annis in eodem inſtituto, nonniſi pane & aqua vitam tolerauit, & annis decem abſinthium aquæ commiſcens ſitim nonniſi hoc amaro poculo extinguere conſueuit: Cilicio aſperrimo corpus macerauit, & per humilitatis, paupertatis, mortificationisq; ſui gradus, ad ſummam perfectionem euadens, in loco Carcerum prope Aſſiſium, ſancto fine quieuit. *Thoſignian. ſupr.*

IESV



# IESV CHRISTI
## Annus 1322.

### IOANNIS PAPÆ XXII.
### Anno 6.&7.

I. BEGVARDORVM HÆRESIS DE CHRISTI PAVPERTATE. *Ex MS. Chron. geſtorum Ioan. XXII. contra Fratricellos in Bibl. Vatic. nu. 4128.*

HOc tempore, ex occaſione Decretalis Papæ Nicolai III. *Exiit*, quam pro regulæ Diui Franciſci declaratione ille ediderat, Fratricellorum ſeu Beguardorum plurimi, in vulgus ſpargebant, Chriſtum Saluatorem quamdiu inter homines verſabatur, nihil proprium in communi aut particulari vſu poſſediſſe, ſed omnino paupertinam vitam abſque omni peculio egiſſe. Narbonæ, id primum, Archiepiſcopus & Frater Ioannes Bemmius Ord. Prædicatorum, contra hæreticos Inquiſitor, ab vno ex Beguardis intercepto intellexerunt, & plurimorum Theologorum ac Iuriſconſultorum euocato Concilio, ex ſenſu ac conſenſu communi, in conuictum hæreſis decernere voluerunt. Intererat Concilio. F. Berengarius Talomius, Lector in Narbonenſi Cœnobio FF. Minorum, & patrocinio Beguardi ſuſcepto, aſſeruit, Dogma illud tantum abeſſe ab hæreſis ſuſpicione, vt etiam inter Catholicæ fidei articulos poſſit ac debeat numerari: maxime cum Decretalis illa ſolemnis, *Exiit*, aſſeuerare videatur, Chriſtum rerū omnium egentiſſimum vixiſſe, Inquiſitor, vt erat doctiſſimus, articulum inter hæreticos reiecit, & Fratri Berengario palynodiam indixit. Hic porro recuſauit, & ad Sedem Apoſtolicam appellatione interpoſita, Auinionem iuit, Ioannem ſummum Pontif. conuenit, ac totius rei ſummam expoſuit.

II. DE EA MENTEM SVAM EXPONENDI OMNIBVS POTESTATEM FACIT IOANNES PP. *ep. 57.*

Ioannes autem qua fuit prudentia, ne temere quicquam in re maximi momenti ſtatueret, inprimis F. Berengarium honeſta in cuſtodia retinuit, deinde omnibus Academiis, ac doctiſſimis viris vbique terrarum ad diſceptandum propoſuit: Num pertinaciter affirmare, Dominum Ieſum Chriſtum eiusque Apoſtolos non habuiſſe aliqua in ſpeciali, nec etiam in communi foret hæreticum cenſendum. Propoſita quæſtione, vt tanto liberius ſenſum ſuum omnes exponerent, anathema à Nicolao III. in decretali, *Exiit*, in Interpretes illius ac Diui Franciſci Regulæ promulgatum ſuſpendit, liberamque omnibus poteſtatem fecit, de theſi diſputandi, ſcribendi, mentemque ſuam explicandi. Iſta habet in edicto quod incipit, *Quia nonnunquam.* Dat. Auinion. VII. Cal. April. Pont. anno VI. Ann. Domini M.CCC.XXII. *Nos autem attendentes quod argumentis & collationibus latens veritas aperitur, quodq; ſuper eadem littera ſæpe latet multiplex intellectus, necnon eſſe difficile volentibus Conſtitutionem prædictam perfecte legere ac intelligere, pœnas adiectas in huiusmodi Conſtitutione euitare, viam veritatis aperire volentes, ac periculis quæ ex prædictis poſſent perſonæ literatæ, maxime ſcholaſticæ incurrere, ſalubriter obuiare, præſertim cum de nouo exorta ſint aliqua dubia circa quæ poſſit periclitari veritas, & erroribus via pandi, niſi liceret conferri ſuper contentis in Conſtitutione huiusmodi & etiam diſputare, prohibitiones & pœnas prædictas tam latas quam comminatas, & earum effectum, in fratrum noſtrorum ac multorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ac aliorum Prælatorum præſentia, necnon multorum vtriusque Iuris Profeſſorum & multorum ſacræ Theologiæ Profeſſorum præſentia dum Conſiſtorium teneremus, auctoritate Apoſtolica duximus vſque ad Sedis Apoſtolicæ beneplacitum ſuſpendendas. Per ſuſpenſionem autem huiusmodi nequaquam licentiam cuiquam intendimus impertiri, quod contra prædictorum Fratrum Regulam dogmatizare, ſcribere, ſeu determinare, prædicare, ſeu praue loqui liceat publice, vel occulte, quinimo hæc omnia & ſingula præfata diſtrictius inhibemus.* Hæc quidem Ioannes Pontifex permittebat.

III. QVID DE IPSA DEFINITVM A DOCTORIBVS IN COMITIO PERVSINO.

Cum autem Fratres Minores, ad dies proximos Pentecoſtes Peruſium Comitio indicto, indidem ex omnibus Orbis Chriſtiani prouinciis confluere deberent; aliqui Cardinalium, F. Michaelem Cæſenatem eiusdem Ordinis Generalem Miniſtrum admonuerunt, vt de tota re, vna cum Patribus, ſenſum ſuum exponeret. Expoſuerunt datis litteris hunc in modum.

Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, Frater Michael Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter, Guillelmus Angliæ, Henricus Superioris Alemaniæ, Arnaldus Aquitaniæ Prouinciales miniſtri, in Sacra Theologia Magiſtri, necnon Hugo de nouo Caſtro, & Guillelmus de Almuch Sacrę Theologiæ Doctores, Nicolaus Miniſter Franciæ, ac Guillelmus Broch Baccalarij in Sacra pagina, & omnes Miniſtri, & Cuſtodes, diſcreti, & Generalium Studiorum Lectores apud Peruſium congregati in Capitulo Generali, ipſumque totum Generale Capitulum Ordinis ſupradicti, Salutem & pacem in Domino ſempiternam.

*Noueritis quod nos Anno Domini M.CCC.XXII. Indictione Quinta, pridie Nonas Iunij, audita & intellecta quæſtione quadam, quæ in Romana Curia præſentialiter agitatur, qua quæritur;* Vtrum aſſerere Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe aliquid in proprio nec in communi, ſit hæreticum. *Et requiſiti, quid de illa quæſtione ſentiremus, & in ſcriptis ſub noſtris ſigillis & ſubſcriptionibus propriis redigere curaremus; viſis & examinatis dicta quæſtione cum allegationibus, quæ pro & contra ſiunt, diligentique & deliberatione matura digeſtis, determinationi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ firmiter & totaliter inhærentes, concorditer & vnanimiter dicimus & fatemur, quod dicere & aſſerere, quod Chriſtus viam perfectionis oſtendens, & Apoſtoli eamdem perfectionis viam ſequentes, atque per exemplum in alios volentes perfecte viuere deriuantes, nihil iure proprietatis & dominij, ſeu iuris proprij, in ſpeciali & in communi habuerunt, non eſt hæreticum, ſed ſanum, Catholicum & fidele; maxime cum ſancta Romana Eccleſia Catholica, quæ à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam deuiaſſe, aut erraſſe probatur, XXIV. q. 1. à recta, &c. pudenda in ſi. hoc expreſſe dicat, affirmet, & determinet manifeſte, extra de verb. ſignif. c.* Exiit *lib. VI. Porro ſic inquiens.*

*Dicimus, quod abdicatio proprietatis omnium rerum, tam in ſpeciali quam in communi propter Deum meritoria eſt: quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit, & exemplo firmauit; quamquam primi fundatores militantis Eccleſiæ, id eſt, Apoſtoli, prout ab ipſo fonte, id eſt, Chriſto hauſerunt, in volentes perfecte viuere per doctrinæ, ac vitæ ipſorum alueos deriuarunt.* Hæc & alia Fratres Minores, ex totius Capituli Generalis ſenſu, vniuerſis ſcribentes, ſubſcriptionibus propriis Generalis Magiſtri & ſupranominatorum, necnon & quatuor Prouincialium miniſtrorum, videlicet, Thomæ Prouinciæ Bononienſ. Petri Prouinciæ S. Franciſci, Ferdinandi Prouinciæ Caſtellæ, & Simonis Prouinciæ Turonenſ. ſigillis munierunt, aliamq; ſatis prolixam epiſtolam ad vniuerſos Chriſti fideles dederunt, in qua rationes ſententiæ ſuæ, multis iuribus & argumentis confirmarunt. Idipſum omnes Magiſtri & Baccalaurei Theologiæ Ord. eiusdem Pariſiis, in Anglia, & in toto eo Ordine omnes numero XLI. aſſeruerunt, & diuulgatis litteris approbauerunt, addentes, Paupertatem FF. Minorum, maioris eſſe perfectionis quam aliorum mendicantium, propter abdicatum dominium, nec niſi ſolum nudū vſum Fratribus minoribus exemplo Chriſti reſeruatum. Quæ cum Ioannes Pontifex intellexiſſet, edictum de vſu rerum à dominio diſtincto ex formula inferius ſubſcripta Auinioni promulgauit. Ita habet.

IV. IOANNIS PP. EDICTVM DE VSV RERVM A DOMINIO DISTINCTO. *ep. 6.*

Ioannes Epiſcopus, &c. Ad perpetuam rei memoriam.

*Ad conditorem canonum non eſt dubium pertinere, cum ſtatuta à ſe, vel à ſuis prædeceſſoribus edita obeſſe potius percipit, quam prodeſſe, ne vlterius obeſſe valeant prouidere. Dudum ſiquidem fe. re. Nicolaus Papa Tertius prædeceſſor noſter attente proſpiciens in almi Confeſſoris Beati videlicet Franciſci regula contineri, quod nihil ſibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem aliam ſui Ordinis Profeſſores, ac conſiderans diligenter, quod per piæ recordationis Gregorium IX. & alios nonnullos prædeceſſores eiusdem fuerat declaratum, hoc debere ſeruari tam in ſpeciali quam et-*

*iam in communi, nec non conſideranter attendens nonnullos fratribus ipſis detrahere, imponentes eiſdem quod Regulam & declarationes huiuſmodi non ſeruabant, pieque conſiderans ora contra præmiſſos Fratres oblatrantium claudere, ac profeſſorum ipſorum conſcientiis prouidere, inter alia ordinauit & ſanxit, quod omnium vtenſilium & librorum rerumque mobilium præſentium & etiam futurorum, Eccleſiarumq́; & Oratoriorum, ac cæmeteriorum tam præſentium quam futurorum, nec non & aliorum emptorum de eleemoſynis diuerſis, & oblatorum ſeu conceſſorum dictis Fratribus, in quibus tamen conferentes ſeu concedentes ipſa nihil in ipſis ſibi ducerent reſeruandum, proprietas ac dominium plene & libere ad ſe & Romanam Eccleſiam pertineret, ipſa in ſe & antedictam Eccleſiam recipiens vſum facti duntaxat in rebus & bonis huiuſmodi dictis fratribus reſeruato. Et quia nonnunquam libros & alia mobilia ſupradicta vendi expedit, ſeu etiam commutari, Fratribus ipſis in eadem ordinatione conceſsit, vt res ipſas cum rebus aliis quarum vſum habere liceret ipſis Fratribus, dummodo Generalis & Prouincialium Miniſtrorum coniunctim vel diuiſim auctoritas intercedat, poſſent libere commutare. Sed quia Fratribus ipſis pecuniam per ſe vel per alium recipere ipſorum Regula diſtrictius interdicit, voluit & conceſsit, quod ſi vendi contigerit res mobiles antedictas pretio æſtimato, quod huiuſmodi pretium per Procuratorem deberet recipi à præfata ſede vel Cardinalis gubernatoris eiuſdem Ordinis auctoritate deputandum, per Procuratorem eundem in rem licitam aliam, cuius vſus eiuſdem Ordinis Fratribus eſſet permiſſus expendendum; hoc adiecto, quod poſſent de vilibus rebus mobilibus & parum valentibus Fratres ipſi pietatis ſeu deuotionis intuitu, vel pro alia honeſta & rationabili cauſa, obtenta tamen ſuper hoc ſuperiorum ſuorum licentia, intra & extra dictum Ordinem ordinare.*

*Quamquam autem à Prædeceſſore noſtro pia conſideratione hæc fuerint ordinata, ipſa tamen hactenus profuiſſe dictis Fratribus non percepimus, ſed potius ipſis & aliis multipliciter obfuiſſe. Ipſis quidem prodeſſe quantum ad ſtatum perfectionis nequaquam potuit reſeruatio ſupradicta. Cum enim perfectio vitæ Chriſtianæ principaliter & eſſentialiter in charitate conſiſtat, quæ ab Apoſtolo vinculum perfectionis dicitur, & quæ vnit, ſeu aliqualiter iungit hominem ſuo fini, ad quam per contemptum honorem temporalium & ipſorum expropriationem via diſponitur, per hoc præcipue, quod ſolicitudo quam ipſa temporalia in acquirendo, conſeruando, & adminiſtrando exigunt, quæ plerumque ab actu charitatis retrahit, amputatur, reſtat quod ſolicitudo eadem poſt expropriationem huiuſmodi quæ ante ipſam inerat perſeueret, ad perfectionem huiuſmodi talis expropriatio nil conferret. Conſtat autem quod Fratres dicti Ordinis poſt factam retentionem dicti dominij non minus ſed ſatis amplius quam ante ipſam in acquirendis bonis ipſis ac conſeruandis tam in iudicio quam extra fuerint ſoliciti: quamquam ſint Religioſi alij mendicantes ſoliciti habentes aliquam communi, prout hoc nota Magiſtra rerum experientia cunctis recte conſiderantib. euidentius manifeſtat, quod retentio dominij ſupradicta Fratribus ipſis obfuerit, patet ex ſubſequentibus euidenter. Occaſione ſiquidem retentionis eiuſdem Fratres ipſi de paupertate altiſsima cœperunt inaniter gloriari, quam ſibi præ cunctis aliis mendicantibus ex eo præcipue vendicant imprudenter, quod in iis quæ obtinent, nihil ad ſe proprietatis vel domini, ſed ſolum vſum nudum facti aſſerunt pertinere. Profecto ſi rem plus quam verba vellent attendere, & veritati acquieſcere vt deberent, attento ipſorum vtendi modo, & Eccleſiæ Romanæ patientia circa illum, totum contrarium aſſirmarent; videlicet non relictum eis vſum ſed retentum, Eccleſiæ Romanæ dominium eſſe nudum. Quis enim nudum vſuarium poterit dicere cui rem vſuariam licet vendere, permutare, ac donare? proculdubio hæc naturam vſus excedunt, nec ad vſuarium ſed Dominum potius pertinent, & euidenter arguunt talem vſuarium minime fore nudum, quæ quidem de rebus nonnullis mobilibus Fratres ipſi faciunt, aſſerentes ſibi per ordinationem huiuſmodi hoc conceſſum. t Quod autem non ſint nudi vſuarij in rebus quæ vſu conſumuntur, euidentius declaratur. In quibus dicere quod vſus iuris vel facti, à dominio ſeparatus poſsit conſtitui, iuri repugnat & etiam rationi. nec prædeceſſoris noſtri prædicti fuiſſe videtur intentio, Romanæ Eccleſiæ talium bonorum dominium reſeruare. Quis enim ſanæ mentis credere poterit, quod intentio fuerit tanti patris, vnius oui, vnius caſei, aut vnius panis, aut fruſti, quæ ſæpe ipſis Fratribus conferuntur dominium Romanæ Eccleſiæ retinere? Aut ſi eius fuit intentio, quis defendere poterit, quod non realis fuerit talis retentio dominij, ſed verbalis, quodque non vera, ſed ficta potius ſit cenſenda? Adhuc, eſto quod vſus in talibus rebus poſſit conſtitui nudus, tamen nullatenus poſſet dari; cum vſus rei conſumptibilis vſuarij, non differat ab vſu plenum dominium obtinentis; quod patet, quia vſus cuiuslibet rem totaliter conſumit. Conſtat autem vſum habentis plenum, dominium fore nudum. Ex quo conſequi videtur, quod eorum vſus nudus minime ſit cenſendus. Dominium autem Romanæ Eccleſiæ reſeruatum ex eo videri poteſt nudum, verbale, & mathematicum, quod ex illo nullum hactenus eidem obuenerit commodum, nec ſperatur, quod obuenire debeat in futurum. Cum nec intentio reſeruantis, nec Fratrum ipſorum fuerit, quod in cuiuſquam alterius quam Fratrum compendium cederent res prædictæ. Conſtat autem, quod tale dominium, nec habentem ditiorem inſtituit, nec pauperiorem efficit non habentem. Ex quibus liquet euidenter, quod imprudenter propter retentionem prædictam præ aliis mendicantibus ſibi vendicant altiſsimam paupertatem. Nocuit inſuper dictis Fratribus retentio prædicta, cum eius occaſione inter Fratres ipſius Ordinis periculoſa ſuborta fuerint ſchiſmata, & diſpendioſa pericula ſubſecuta, quibus hactenus finis dari non potuit, nec ſperatur, quod ad ipſum ipſa durante valeat perueniri. Rurſus necdum Fratribus ipſis dicta reſeruatio obfuit, ſed etiam honori Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ non leuiter detrahit & detraxit. Numquid non præfatæ Eccleſiæ derogatur honori, nunc in foro ſæculari, nunc in foro Eccleſiaſtico, interdum quoque coram pedaneis iudicibus, & plerumque pro rebus paruis & vilibus litigare. Hæc tamen occaſione ordinationis prædictæ fieri cernimus, cum eorum, quæ dantur, offeruntur, vel alias requiruntur dictis Fratribus, niſi dantes, vel offerentes ſibi dominium reſeruauerint, ſit dominium dictæ Eccleſiæ Romanæ reſeruatum. Propter quod per Procuratores conſtitutos à miniſtris dicti Ordinis nomine Sanctæ Romanæ Eccleſiæ agendo, vel defendendo, cauſæ omnes contingentes dictum Ordinem agitantur. Et quod grauius eſt cenſendum, Procuratores prædicti multos vexare dicuntur indebite, & in ſuis iuribus multipliciter perturbare. quæ omnia noſcuntur in notam & iniuriam dictæ Eccleſiæ redundare. Adhuc ordinatio prædicta Eccleſiarum Prælatis, & Rectoribus, & multis aliis, grauis exiſtere nimium & moleſta monſtratur. Numquid non graue præmiſſis poteſt exiſtere, quod ipſos oporteat ſe Romanæ Eccleſiæ opponere, quæ ipſorum Domina & Magiſtra, ac cum ea agendo vel defendendo litigare aſsidue, vel cedere iuri ſuo. Hæc tamen oportet facere, cum in multis dicti Fratres prædictis exiſtere dicantur iniurij, ſicut clamoſa multorum Prælatorum & Rectorum diuerſarum Prouinciarum adhuc in curia exiſtentium habet inſinuatio: qui facta ſua palliare nituntur & defendere, per Procuratores ab ipſis dictis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ conſtitutos nomine.*

*Nos itaque præmiſsis in Conſiſtorio rectæ conſiderationis adductis, multorumq́; clamoribus excitati, volentes tantis malis occurrere, ac conſcientiis & ſtatui dictorum Fratrum, nec non & honori dictæ Romanæ Eccleſiæ, Prælatorumq́; & Rectorum ac aliorum indemnitatibus, prouidere, & Fratrum noſtrorum conſilio, Sacroſanctam Romanam Eccleſiam tam inutili tamq́; periculoſo dominio carere potius, quam ipſam habere volentes, hoc edicto in perpetuum valituro cenſemus, quod in bonis prædictis, quæ in poſterum conferentur, vel offerentur, vel quomodolibet alias obuenire contigerit Fratribus ſeu Ordini prædictis, non plus iuris in illis Apoſtolica Sedes habeat, nec in ipſis ſeu pro ipſis ſibi dominium, ſeu ius aliquod acquiratur, quam quem habet ſibiq́; acquiritur in bonis, vel pro bonis, quæ Fratribus aliorum Mendicantium Ordinum quomodolibet acquiruntur. Ac inſuper ſtatuentes, quod pro bonis prædictis, recipiendis, petendis, exigendis, defendendis, ſeu adminiſtrandis, nullus quoque Procurator conſtituatur amodo nomine ſummi Pontificis, vel præfatæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, niſi de ipſius licentia ſpeciali & mandato. Reuocamus quoque quoſcumq́; à quibuſcumq́; taliter conſtitutos, decernentes irritum & inane, ſi ſecus à quocumque fuerit attentatum. Non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, à fe. re. Martino Papa, vel aliis prædeceſſoribus noſtris eiſdem Fratribus, vel Ordini ſub quacumque forma verborum ſeu expreſsione conceſsis. Per hoc autem non intendimus, nec Regulæ dicti Ordinis, nec priuilegiis Fratribus ipſis ſeu eorum Ordini ab Apoſtolica ſede conceſsis, niſi quoad præmiſſa, & præmiſſa*





*tangentia in aliquo derogare: quæ tamen volumus in ſuo robore permanere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c.* Dat. Auinioni 6. Id. Decemb. Pont. noſtri anno VII. Anno Domini M.CCC.XXII.

V. Alia eiuſdem Conſtitutio de hac controverſia.

Promulgata ſuperiore Conſtitutione à Ioanne ſummo Pontifice, Frater Bonagratia Bergomenſis Ord. Minorum, à F. Michaele Ceſenate & à Capitulo Generali ſui Ordinis, Procurator in controuerſia de paupertate Chriſti & Apoſtolorum inſtitutus, adeo procaciter cõtra ſummum Pont. proteſtationem & appellationem, prolixa ſcriptione interpoſuit, vt Ioannes neceſſe habuerit, eam Conſtitutionem, *Ad conditorem canonum*, iterum, ſed longe magis amplificatam, & contra cauillos torquentium ſe inſtructam publicare: atque de principali controuerſia in modum ſubſequẽtem anno ſubſequente decernere.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

*Cum inter nonnullos viros Scholaſticos ſæpe contingat in dubium reuocari: Vtrum pertinaciter affirmare Redemptorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eiuſque Apoſtolos in ſpeciali non habuiſſe aliqua, nec etiam in communi, hæreticum ſit cenſendum: diuerſis diuerſa & aduerſa ſentientibus in eodem. Nos huic concertationi finem imponere cupientes, aſſertionem huiuſmodi pertinacem, cum ſcripturæ ſacræ quæ in pleriſque locis ipſos nonnulla habuiſſe aſſerit, contradicat expreſſe, ipſamque ſcripturam ſacram per quam Fidei Orthodoxæ probantur articuli, quo ad præmiſſa fermentum aperte ſupponat continere mendacij, ac per conſequens quantum in ea eſt, eius in totum euacuans fidem Catholicam reddat eius probationem adimens dubiam & incertam, deinceps erroneam fore cenſendam & hæreticam, de Fratrum noſtrorum conſilio, hoc perpetuo declaramus edicto. Rurſumque in poſterum pertinaciter affirmare, quod Redemptori noſtro prædicto eiuſque Apoſtolis in his quæ ipſos habuiſſe ſacra ſcriptura teſtatur, nequaquam ius ipſis vtendi ſeu conſumendi competierit, nec illa vendendi ſeu donandi ius habuerint, aut ex ipſis alia acquirendi, quæ tamen ipſos de præmiſsis feciſſe ſcriptura ſacra teſtatur, ſeu ipſos potuiſſe facere ſupponit expreſſe, cum talis aſſertio ipſorum vſum & geſta euidenter includat in præmiſsis non iuſta: quod vtique de geſtis ſeu factis ſaluatoris & Redemptoris noſtri Dei filij ſentire nephas eſt, ſcripturæ ſacræ contrarium, & doctrinæ Catholicæ inimicum, aſſertionem ipſam pertinacem de fratrum noſtrorum conſilio deinceps erroneam fore cenſendam merito ac hæreticam declaramus. Nulli ergo hominum, &c.* Dat. Auinion. 2. Idus Nouembr. Pontif. noſtri anno VII. Anno Domini M.CCC.XXIII.

VI. Gibellini ob eandem hæreſim à Ioanne Pontifice diris devoti.

Ea Pontificis definitio vehementer eos torquebat quibus cordi erat, omnes Eccleſiaſticos, poſſeſſione bonorum exuere, vel hoc præcipue cauillo: quod non æquum eſſet, Chriſti vicarium, & Apoſtolorum ſucceſſores, illis locupletiores eſſe: cum neque Chriſtus, neque Apoſtoli quicquam proprium in poſſeſſione, ſuum cenſuerint. Itaque Gibellini, præſertim Vicecomites, quod hac in re, eodem ſenſu cum damnatis hæreticis eſſent, bonaque Eccleſiaſticis perſonis ac libertates eriperent, poſt multam litis conteſtationem, eas quas adiungo ſententias audierunt. Placuit inſerere, propter multarum huius temporis rerum notitiam.

## SENTENTIA CONTRA MATthæum Vicecomitem.

*In nomine Domini Amen. Dudum Sanctiſsimus Pater & Dominus noſter Dominus Ioannes magna Dei prouidentia Papa XXII. habens Matthæum de Vicecomitibus de Mediolano, filios ſuos & quoſdam alios ex certis cauſis grauiter ſuſpectos de labe hæreticæ prauitatis, & propterea volens, quod contra ipſos procederetur, nobis Fratri Aycardo Dei gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, ac Fratribus Barnabæ Priori Prouinciali Fratrum Ordinis Prædicatorum Prouinciæ ſuperioris Lombardiæ, Paxio de Vedano, Iordano de Montecucho, Honeſto de Papia Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis in dicta prouincia ſuperioris Lombardiæ ſuas direxit literas in hac forma.*

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili Fratri Archiepiſcopo Mediolanenſi, & dilectis filiis ... Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis in ſuperiori Prouincia Lombardiæ Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Profanus hoſtis & impius, auctor immanis ſcelerum & culparum Matthæus Vicecomes de Mediolano partium Lombardiæ rabidus populator, æquitatis iura contemnens, & ſibi licentiam tribuens peccatorum, elatus ſub immenſitate delinquit, & dum contra præcepta veritatis tumens erigitur, de propriis iniquitatibus ſumens audaciam aduerſus Dei potentiam, illorum fartus opibus, quæ vorago ſuæ abſorbet tyrannidis, eleuatur. Opum quidem huiuſmodi ſic eius faciem operit craſsitudo, quod nedum quod oculos mentis eius fœda cupiditate cæcauit, ſed per eas peruerſorum cateruæ, quorum falſis adulationibus laudatur, cum eo ad iniquitatis opera per nequitiam rapiuntur. Ipſius autem execrabilium ſcelerum & culparum effrenata temeritas, peccata multiplicat, & contemptum nutrit iniqua proteruitas in eodem. Dum enim illius peruerſa libertas ſe non credit ſubeſſe iuſtitiæ, rationis metas tyrannica voluntate tranſgreditur; nullum iniquitatum ſuarum eſſe putans vltorem, nec extimens Dominum vltionum, qui differt lapſu temporis vlciſcendum. Dudum ſiquidem nos præfatum Matthæum, qui propter huiuſmodi horrendos exceſſus, & execrabiles culpas eius, de gremio Matris Eccleſiæ tanquam vagus & profugus ceciderat inconſulte, paternis monitis ad viam ſatagentes reducere veritatis, vt ipſum modeſta correctione ſanante, non traheret illum ad deſperationis laqueum magnitudo peccati, ſed pie porrecta manus Apoſtolicæ diſciplinæ reduceret ad ſalutem ab iniquitatis inuio virum impium ſtuduimus paterna beneuolentia reuocare, & ad pœnitentiam trahere in funiculis charitatis. Verum eodem Matthæo, ne monitionum huiuſmodi ſaluberrimam iuſsionem audiret more aſpidis, quæ ne vocem incantantis exaudiat, ſuaſque latebras derelinquat, caudæ ſuæ inflexione alteram aurium nititur obturare, alteram vero in terram deprimere aſtutiæ ſuæ fraude conatur, ſibi aurium cordis procurante voluntariam ſurditatem, ac benignitatem Apoſtolicæ ſedis, cuius pietas copioſa libentius emendat in ſubditis peccata quam puniat, nec ferrum adigit præciſionis in morbos, qui poſſunt ex leui fomento recipere ſanitatem, erecta ſuæ ceruicis elatione duriſsime contemnente, propter culparum & exceſſuum multiplicitatem huiuſmodi contra eum, ſuoſque valitores, adiutores, fautores, complices, conſiliarios, & ſequaces, ipſumque recipientes, aut parentes vel adhærentes eidem, tam Clericos, quam laicos, cuiuſcumque ſtatus, Ordinis vel conditionis aut dignitatis exiſterent, etiam ſi Patriarchali, vel alia Pontificali, aut maiori, ſeu Regali, vel quauis alia dignitate fulgerent, ſiue Duces, Marchiones, Comites, Barones & Nobiles, Ciuitates, Caſtra, Terræ, Loca, Communitates, & vniuerſitates forſan exiſterent, diuerſos tam Apoſtolica quam Imperiali auctoritate, quæ in nos Romano vacante imperio, prout tunc vacabat, ſicut adhuc vacare dignoſcitur, reſidet, proceſſus habuimus, excommunicationis & alias varias ſpirituales & temporales pœnas & ſententias continentes, quos poſt lapſum temporis in diuerſis locis & partibus, vt ad notitiam fidelium deuenirent, fecimus ſolemniter publicari: ac demum dilectus filius noſter Bertrandus tituli ſancti Marcelli presbyter Cardinalis Apoſtolicæ ſedis Legatus, poſt ſuum infra limites ſuæ legationis ingreſſum, habuit proceſſus alios contra eos, diuerſis pœnis & ſententiis promulgatis.*

*Et deinde, quia idem Matthæus noſtris contemptis monitis & mandatis, & nobis & eidem Eccleſiæ ſanctæ ſe patenter inobedientem exhibens, & notorie contumacem, & eamdem excommunicationis ſententiam, quam propter inobedientiam huiuſmodi & contemptum incurrerat, damnabili præſumptione contemnens per triennium & amplius animo, quaſi bibens aquam pro maledictione, ſuſtinuerat indurato ſicut tunc etiam ſuſtinebat, & adhuc dignoſcitur ſuſtinere: & per hoc idem Matthæus haberetur de labe non indigne ſuſpectus hæreticæ prauitatis. Nos ne gregem Dominicum contagione ſuæ peſtis inficeret, ſuper hoc intendentes vrgente conſcientia inquirere contra ipſum, eum mandauimus per dictum Legatum in diuerſis ſuæ Legationis locis, excommunicatum publice nuntiari, & per literas Apoſtolicas ex parte noſtra citari, vt infra dicti temporis ſpatium, quod ei pro peremptorio termino duximus aſsignandum, ſub dictis pœnis in literis citationis eiuſdem*

expreſſis, præſentialiter, etiam ſi terminus ipſe infra tempus caderet feriatum, Apoſtolico ſe conſpectui præſentaret, Inquiſitionem huiuſmodi ſubiturus, noſtriſque pariturus placitis & mandatis ac facturus recepturus quod iuſtitia ſuaderet, & per alias nihilominus noſtras literas citari mandantes eumdem, vt certo peremptorio termino, etiam ſi terminus ipſe in diem caderet feriatum, compareret legitime coram nobis, ſuper contemptu & contumacia ſupradictis, mandatis noſtris & beneplacitis, modo ſimili pariturus, ac facturus & recepturus, quod iuſtitia ſuaderet.

Sed dictus Matthæus eiſdem citationibus omnino deſpectis, nec per ſe, nec per alium coram nobis comparere curauit. Cumque poſtmodum ad noſtri Apoſtolatus perueniſſet auditum, quod idem Matthæus excommunicationis ſententiam, qua hi qui ad ſedem Apoſtolicam impediunt venientes per ſedem ipſam innodatus certis feſtiuitatibus non formidans, nonnullos de diuerſis orbis partibus, ad ſedem venientes tamdem, capiebat & etiam detinebat: ſicut adhuc ſæpius capit, & detinet violenter, bonis omnibus ſpoliando, & clauſas literas quæ nobis per nonnullos Eccleſiæ Romanæ deuotos filios & fideles de diuerſis transmittebantur partibus, per ſe, officiales & miniſtros ſuos aperire damnandis auſibus præſumebat. Nos eumdem Matthæum aſtante fidelium multitudine copioſa citauimus, vt ſub certis pœnis in literis eiuſdem citationis expreſſis infra peremptorium terminum competentem, præſentialiter Apoſtolico ſe conſpectui præſentaret, recepturus promeritis, & ſuper his mandatis & beneplacitis Apoſtolicis pariturus. Et quia nec idem Matthæus, nec alius qui ſuam abſentiam excuſaret, infra dictum terminum, vel poſt ipſum etiam expectatus, comparere coram nobis curauit: Nos eumdem Matthæum, de Fratrum noſtrorum conſilio reputantes ac pronunciantes merito contumacem, ipſum propter huiuſmodi contumaciam manifeſtam, excommunicationis ſententia duximus innodandum.

Subſequenter autem cum idem Matthæus, ſicut validi clamoris, inſinuabat aſſertio, talliam ſeu collectam multipliciter oneroſam, nonnullis Eccleſiis, monaſteriis, & aliis, Mediolanenſ. ciuitatis & diœceſis piis locis imponere, non ſine multæ temeritatis auſibus præſumpſiſſet, & ad actionem illius procederet violenter, illam ab aliquibus perſonis Eccleſiarum, Monaſteriorum, & locorum ipſorum, per ſpoliationem rerum à quibuſdam per captionem & detentionem perſonarum ipſarum, & ab aliis per diuerſos cruciatus corporum extorquendo, & nonnulla alia impia & iniqua in perſonas Eccleſiaſticas dictarum Ciuitatum & diœceſum exercendo crudeliter, quæ ſeriem longæ narrationis exigerent, ſi oporteret per ſingula recitari. Nos volentes dicti Matthæi tam ſæuæ tyrannidi, de remediis congruis & opportunis occurrere, & deinde per ſufficientem informationem apud ſedem comperto prædictam, quod ſuper contra eum infamia laborabat, ipſum fidelium multitudine copioſa præſente citauimus, vt infra peremptorium terminum aſſignatum eidem, ſub pœnis in literis huiuſmodi citationis expreſſis perſonaliter Apoſtolico ſe conſpectui præſentaret, ſuper his facturus & recepturus quod iuſtitia ſuaderet.

Sed quamuis poſtmodum citatio ſupradicta ad ipſius Matthæi notitiam perueniſſet, quia tam dictus Matthæus præfatis exceſſib. contumaciæ ſuper addendo contemptum, coram nobis in termino ipſo, nec etiam poſt ipſum terminum expectatus, nec alius pro eodem, qui eius abſentiam ſeu contumaciam, excuſaret comparere curauit, eum de prædictorum Fratrum conſilio reputantes ac pronunciantes exigente iuſtitia contumacem, ipſum propter huiuſmodi contumaciam manifeſtam, excommunicationis vinculo duximus innodandum: nec idem Matthæus propter hoc elationem incircumciſi cordis humilians, ſed potius currum latioris elationis aſcendens, & hæreditatem Domini rabida vexatione dilacerans, ſeque reddens in cæteris prauitatis exactionibus truculentum, ac ſi non videret Dominus mala eius, illius opera non intelligeret Deus Iacob, tam ipſe quam Galeatius, & alij filij ſui eius nequitiæ ſectatores, bona Cathedralium Eccleſiarum conſiſtentia per Ciuitates & Diœceſes, in quibus idem Matthæus & Galeatius, & alij ipſius Matthæi filij, per ſe, & alios tyrannidem ſeueritatis exercent, vel maiorem partem ipſorum detinent occupata, ipſarumque Prælatos Eccleſiarum amariſſimas exilij pœnas, vt à conſolatione ſuorum filiorum ſpiritualium ſeparentur, cogunt miſerabiliter experiri. Interdicit etiam præfatus Matthæus, tam Prælatis eiſdem quam Religioſis Prædicatorum & Minorum, ac Eremitarum ſancti Auguſtini Fratribus, & aliorum Ordinum paupertatis, ne Synodos aut concilia vel Capitula quælibet audeant congregare, vel in eorum ſubditos viſitationis officium, aut alias prædicationis miniſterium exercere præſumant: Peruerſos dictorum Ordinum Fratres, in eorum fouens nequitia, & tanquam ſuæ iniquitati conformes, eorum faciens præfici Conuentibus violenter. In Eccleſiis vero ſecularibus & Regularibus, tam virorum quam etiam mulierum idem Matthæus, vt contra tumentum animum ſuum Dei odia prouocet grauiora, perſonas indignas præſumens intrudere, in Monaſterio S. Celſi Mediolan. nonnullos Monachos Abbatiæ ipſius Monaſterij, quem ab eodem Monaſterio exulare compellit inuito prorſus intruſit: plures puellas in Monaſterij Monialium Mediol. poſtquam eis extitit impudenter abuſus per violentiam intrudendo. Et inſuper idem Matthæus non verens in Chriſtum Domini rabiem diræ perſecutionis armare, Venerabilem Fratrem noſtrum... Epiſcopum Vercellenſ. in Ciuitate Vercellenſ. conflatis iuribus inſtantia violentæ hoſtilitatis obſedit, & deinde ipſum per violentiam captiuatum aliquamdiu detinere præſumpſit: quamuis idem Epiſcopus poſtmodum de manibus eius per fugæ ſubſidium fuerit diuinæ miſerationis auxilio liberatus. Eius autem actuum nefandorum Stephanus vnus de filiis ſupradictis miniſter peſtilens imitator, dilectos filios... Abbatem Monaſterij S. Stephani, ac.. Præpoſitum & Archipresbyterum & plures Canonicos Vercellenſ. eodem Matthæo iubente capere non expauit, quos facit impie detineri ſqualoribus carceris compeditos. Nec idem Matthæus tantorum malorum acerbitate contentus, contra Eccleſiaſticam libertatem auſibus furibundis inſiliens perſonas Eccleſiaſticas ſeculares & Religioſas, etiam in ſacerdotio conſtitutas, per virum ſanguinum & doloſum Scotum de ſancto Geminiano, alioſque ſuos ſatellites & miniſtros perfidos & iniquos per violentiam capi fecit & teneri carcerib. compeditos, in illis diuerſorum tormentorum genera crudeliter excercendo.

Et inſuper præfatus Matthæus ſtatuta Canonica, tanquam exorbitans à Fidei Catholicæ veritate, ſuis peruerſis impugnans actibus & contemnens, & interdictum cui Ciuitas Mediolan. eiuſdem Matthæi exigentibus culpis horrendis ſubiacere dignoſcitur obſeruare deſpiciens, & per alios faciens violari, defunctorum corpora laicorum in cæmeteriis Eccleſiarum Ciuitatis eiuſdem pulſatis campanis, cum illa ſepeliri contingit, miniſtris Eccleſiarum ipſarum renitentibus & inuitis, facit in contemptum clauium, contra ſanctiones Canonicas ſepeliri. Is idem per Galeatium in Placentin. & per Marcum filios ſuos in Terdonenſ. Ciuitatibus, & per alios tyrannos aliarum Ciuitatum & locorum, quæ per ſuam & aliorum filiorum ſuorum detinentur tyrannidem occupata, vel ſunt eis iuramento ſeu confœderatione ligata, eidem interdicto ſuppoſita faciens per violentiam obſeruari: & eodem interdicto nequiter violato, diuina profanari officia, in contemptum clauium earumdem: & nihilominus idem Galeatius tanquam perfidia paternæ crudelitatis imbutus, iamdudum in perſecutione Eccleſiæ Placentinæ gladium ſuæ ſeueritatis exacuens, bonæ memoriæ ... Epiſcopum Placentinum, dum adhuc viueret, omnibus bonis ad menſam ſuam Epiſcopalem Eccleſiæ Placentinæ ſpectantibus ſpoliauit, domos maneria, vineas & arbores, ad menſam ipſam ſpectantia, ſæua fecit impietate vaſtari, & ea quæ de reditibus & prouentibus eiuſdem menſæ percipi potuerunt, ſuis applicauit, ſicut adhuc applicat vſibus violenter.

Veſtes etiam ſacras & alia ornamenta Capellæ ipſius Epiſcopi, pro ſua volentate diſtraxit: nonnullos Clericos Placentinos, eis grauibus inflictis verberibus, bonis omnibus ſpoliauit, & quibuſdam ex eis horribili nece damnatis, Eccleſiaſtica beneficia ipſorum aliis ſuæ nequitiæ fautoribus, in cumulum ſuæ damnationis conceſſit. Sicque dictus Placentinus Epiſcopus, coactus ab Eccleſia ſua Placentina recedens, & deinde adiens Apoſtolicam ſedem, diem clauſit extremum.

Nec adhuc idem Galeatius tanta impietate contentus, ſed ad execrabiliora extendens, ac ſi cum iniquitate fœdus pepegerit, manus ſuas, Clerum Placentinum talliis, collectis, gabellis & aliis diuerſis angariis, ac nouis pedagiis, affligit. Clauſtris quoque Monialium Ciuitatis Placentinæ per eum temere violatis, plures de illis Moniales abduxit, eis turpiter abutendo. De locis vero Prædicatorum, ac Minorum, & Eremitarum ſancti Auguſtini, & aliis diuerſis Eccleſiis Placentinis, nonnulla bona per clericos & laicos ibidem recondita, tam per ſe quam per ſuos ſatellites aſportauit. Diuerſas Eccleſias, Hoſpitalia, & alia pia loca concremauit incendio: & contra prædictas claues Eccleſiæ per ſe & alios pollutis labiis obiurgando, per quoſdam clericos & Religioſos, in ſua nequitia fa-





uentes eidem, facit coram omnibus publicari, quod timendæ non ſunt excommunicationis, & aliæ latæ ſententiæ contra eum. Propter quæ dicti Matth. Galeatius, Marcus, & alii filii ſupradicti noſcuntur diuerſarum excommunicationum ſententiis innodati.

Impediunt præterea iidem Matth. & filii, ne noſtri, vel dicti Legati Nuntii, Ciuitatem Mediol. vel terras & loca prædicta, ſeu territoria ingredi valeant eorundem, vel infra illa noſtras aut eiuſdem Legati deferre literas, ad quoſcumque; Nuncios ipſos capi, incarcerari, & frequenter necari crudeliter faciendo: ac Prælatos & alias perſonas Eccleſ. & ſeculares, ne ad dicti Legati Curiam accedant, nec per mercatores Mediolani morantes pecunia decimæ per ſedem Apoſtolicam dudum impoſitæ in ſuſidium terræ ſanctæ, collectæ in partibus illis, ad ſedis prædictæ Cameram, ac procuratores dicto Legato debitæ, ad eum quomodolibet deferantur, ac pecunia pro neceſſariis expenſis, & diuerſis incumbentibus Prælatis Eccleſiarum, & aliis qui in prædicti Legati Curia commorantur iuxta diſpoſitionem ipſorum, ad eos aliquatenus tranſmittatur.

Nec contentus idem Matth. quod ipſe ſolus in profundum malorum præceps demerſus abierit, ſed vt alios ſecum in perditionis ruinam adducat, eiuſdem E. R. deuotos, ab ipſius deuotionis conſtantia conatur auertere: & alios qui ab huiuſmodi deuotione, ſunt peccatis exigentibus alieni, ne ad illam ab erroris inuio reuertantur, quibus poteſt modis & viis nititur impedire, imo vt contra dictam Eccleſ. execrabilius ſuæ peſtis valeat exercere conatus, & Fidei Orthodoxæ crudelius impugnare ſtructuram, cum infidelibus & Schiſmaticis confœderationem & colligationem impietatis dignoſcitur iniuiſſe. In prouincia vero Lombardiæ, & circumadiacentibus locis & partibus, idem Matth. vt eorum in exilium pacem mittens crudeliori peſte ſæuiat, in eoſdem diſcordias ſeminat, guerras commouet, diſſenſiones excitat, bonis lacerat, & ſubuertit ſcandalis & ſciſſuris. Et quod mentem noſtram duriori turbatione moleſtat, quia dicti Prælati per dura grauamina & violentias ac preſſuras, quibus eos idem Matth. conatibus ſceleſtis ſeueritatis affligit, multipliciter impediti, perſonas Eccleſ. ſuarum Ciuitatum & Diœceſum nequeunt viſitare, ſubditos corrigere, illis proponere verbum Dei, & Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, aliaque agere quæ ipſis ex officii debito paſtoralis incumbunt. Pullulant in illis partibus hæreſes, Schiſmata creſcunt, à cultu diuino receditur, fidelium animæ perditioni ſæpius exponuntur, periclitantur corpora, ſcandala ſuſcitantur, & auſus panditur aliis malis innumeris: ſicut hæc, & alia præmiſſa infamia manifeſtat publica, perpetrandis: propter quæ, nec non & ex aliis quæ ſequuntur, idem Matth. & filii dictique Scotus & Franciſcus habentur grauiter, nec indigne ſuſpecti hæreticæ prauitatis. Non eſt enim incognitum in dictis partibus Lombardiæ, quod dictus Matth. per traducta in eum à progenitoribus ſuis peſtifera toxica hæreticæ prauitatis infectus, ſic in ſæuitiæ acerbitatem obriguit, quod de virtute diuina non tim t, & humanam potentiam paruipendit, credens vt ipſe ſolus in eiſdem partibus Lombardiæ tanquam deſolationis idolum adoretur.

Nec eſt à notitia fidelium illarum partium alienum, ſed fama publica proteſtatur, quod eiuſdem Matthæi, paterni auus & auia dum viuebant, habebantur de memorata prauitate ſuſpecti: imo propter huiuſmodi labem peſtiferam, eadem auia in combuſtionem ignis tradita, iuſtæ ſubiit iudicium vltionis.

Habet etiam communis in partibus illis notitia, idque fama publica manifeſtat, quod nonnulli vtriuſque ſexus de domo illorum, de Pirouano, de quorum ſtirpe dicti Matthæi mater produxit originem, tam de huiuſmodi labe fuerunt dum viuerent, quam de hæreticorum fautoria, & receptatione notati.

Nec illud obduxit obliuio de memoria fidelium partium prædictarum, quod quondam Manfreda de præfata domo de Pirouano, dicti Matth. ex linea materna propinqua, labe reſperſa dum viueret prauitatis eiuſdem, in perſonam cuiuſdam quæ Guillelma nomine vocabatur, Spiritum S. aſſerens incarnatum, ipſamque Guillelmam à Deo aſſumptam mirabiliter extitiſſe: & ſuper his & diuerſis aliis articulis hæreſim peſtiferam ſapientibus manifeſte, per Inquiſitores prauitatis eiuſdem, tam contra eas quam nonnullos alios credentes ipſarum, fuiſſet veritatis certitudo comperta, Manfreda & Guillhelma prædictæ, aliique plures de præfatis credentibus, traditi fuerunt iudicio ſeculari, & demum ignis incendio concremati. Et quia inter alios credentes dictarum Manfredæ & Guillhelmæ præfatus Galeatius, & Franciſc. de Garbagnate, quem dictus Matth. ſecum retinet, ac fouet continue, ſuiſque peruerſis conſiliis adhæret, eiuſque miniſterio vtitur in agendis reperti fuerunt culpabiles in præmiſſis, Inquiſitores ipſi captiuarunt & detinuerunt eoſdem, Crucem dicto Franciſco in tam execrabilis ſceleris & erroris memoriam imponendo, quam de mandato Inquiſitorum ipſorum per non modici temporis ſpatium deportauit, præfatum Galeatium per dicti Matthæi potentiam coacti minis & terroribus dimittendo. Et vt idem Matth. in diaboli latebris, cuius opera tenebroſa proſequitur deducatur, Carnis reſurrectionem denegat, vel ſuper illa dubietatis ſecum defert in animo ſcrupulum ſceleratus, ſicut infamia clamat publica contra eum.

Cum a. ex præmiſſis præfati Matth. & filii, Scotus & Franciſc. ſe Dei aduerſarios manifeſtos, & Fidei Catholicæ corruptores, tanquam in mortis diuerſoria currentes, & etiam deſperantes, & inceſſanter deteriora prioribus committentes patenter oſtendant, nec ab aſſumpta nequitia compeſcantur, ſed tam contumacius proſequentes, & de ipſorum peruerſi obſtinatione propoſiti, plura & manifeſtiora ſolitis, ſuper eiuſdem prauitatis errore peſtifero ex præmiſſis exhibentes, quod mœſti referimus argumenta, & quotidie in eorum continuatione contumaciæ Apoſtolicis præceptis & ſententiis vilipenſis, damnabilius intumeſcant. Nos conſiderantes attentius, quod iidem Matth. & filii, dictique Scotus & Franciſcus inflati vento ſuperbiæ, iram ſibi in die iræ & reuelationis iuſti iudicii Dei, ſecundum duritiam & impœnitens cor eorum ex concepta nequitia theſaurizant, in zelo iuſtitiæ clamare cum propheta compellimur: Tempus eſt Domine faciendi iudicium cum iniqui diſſipauerunt legem tuam. Non n. expedit vt tam horrendorum ſcelerum, in ſuccedentia temporum ſecula ſine recordatione vindictæ memoria differatur, ne illorum infamis impunitas, in generationes futuras ſimilium audaciam proroget præſumptorum, ſed potius eſt eo fortius ipſorum reſiſtentiæ obice intentio elidenda eoque potentius repugnantiæ obſtaculo eorum proſecutio reprimenda propoſiti, ipſorumque; prauis affectibus obuiandum, quo magis humanæ ſalutis æmuli infideles, infidelium intendunt pectoribus cultum Catholicæ fidei, ſine qua nemo vnquam Deum videre poterit deprauare. Ideoque; nos aduerſus Matthæi, Galeatii & Marci & aliorum eiuſdem Matth. filiorum tam mortiferam labem, ne gregem Dominicum contagione ſuæ peſtis inficiat, de celeris & opportuni remedii prouiſione, occurrere quantum cum Deo poſſumus intendentes: Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrum, tam contra præfatos Matthæum, Galeatium, Marcum, & alios eiuſdem Matth. filios, ipſorumque; fautores & receptatores, quam contra Scotum & Franciſcum prædictos, ſuper eiuſdem hæreſis labe, quo ad ea quæ præmiſſa contingunt, & alia de quibus haberi poteſt veriſimilis ſuſpicio contra eos ſuper prædictis criminibus iuxta formam canonum. & alia, ſicut nobis per iura ſcripta & Apoſtolica priuilegia ſuper hæreſis crimine eſt conceſſum procedere cum omni diligentia ſtudeatis. Volumus autem, quod ſi forſan in negotio Inquiſitionis huiuſmodi, ſeparatim vos procedere contingat, proceſſum per ſingulos veſtrum habendum in prolatione ſententiæ, in ipſo negotio proferendæ vobis inuicem communicare curetis. Reſcripturi nobis per veſtras patentes literas, vel inſtrumentum publicum, principium & finem continens præſentium literarum, quicquid ſuper præmiſſis duxeritis faciendum. Dat. Auinioni 17. Cal. Ianuarii, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Nos a. Archiepiſcopus & Inquiſitor præfati, receptis cum debita reuerentia literis ſupraſcriptis, volentes mandatis præfati Domini noſtri humiliter & efficaciter obedire, timentes probabiliter ac viſibiliter ſuſpicantes, quod idem Matth. Nuncios citationem noſtram deferentes ad eorum præſentiam accedere, imo nec ciuitates, Caſtra, terras & loca quæ detinet occupata, intrare non permitteret quoquomodo, cum notorium eſſet in partibus Lombardiæ, quod nullus portans literas, maxime contra eum, ad eius præſentiam & terras quas tenebat & tenet ſua tyrannide accedere permitteret, ſicut nec adhuc permittitur, quin dictis literis ſpolietur, ſicut accidit nuper à feſto Natiuitatis Domini citra, in perſonis Venerabilis Patris Domini Simonis Parmenſis Epiſcopi, ac Religioſorum virorum Aſtulfi, S. Ambroſ. & Lanfranchi. S. Simpliciani Mediol. Monaſteriorum Abbatum, qui ad dictum Matth. de voluntate & licentia Reuerendi in Chriſto Patris Domini Legati prædicti pro certis negotiis etiam iſta tangentib. accedebant: qui in ingreſſu Comitatus Mediol. ſuper ponte fluminis Ticini, per officiales & ſatellites dicti Matth. ac eorum ſocii Religioſi & presbyteri ac familiares alii veſtib. & calceamentis, aliqui etiam vſque ad camiſias irreuerenter exuti fuerunt, eorumque; veſtes & calceamenta & etiam ſellæ equorum &

Sommeriorum diligentius perquiſitæ, ſi aliquæ literæ in eis inuolutæ fuiſſent: aſtāte Prælatorum, Cleri & populi multitudine numeroſa, eundem Matthæum per edictum publicum & ſolenne, pro vt nobis etiam per Apoſtolica priuilegia conceſſa Inquiſitionis officio competebat, in ciuitate Aſtenſ. vbi tunc temporis videlicet 13 die menſis Ianuarii proxime præteritis morabamur, peremptorie citauimus, vt in loco de Bergolio, iuxta Alexandriam, in Eccleſ. S. Mariæ eiuſdem loci de Bergolio 25. die menſis Februarii proxime tunc futuri, cum continuatione dierum ſequentium cōpareret & adeſſet perſonaliter coram nobis, ſuper contentis in dictis literis Apoſtolicis & aliis hæreſim ſapientibus & tangentibus, de quibus poſſet haberi veriſimilis ſuſpcio contra eum, veritatem dicturus, & proceſſurus in his quæ in huiuſmodi noſtris proceſſib. ei facienda incumberent, & ſententiam auditurus, & facturus, & recepturus ſuper eis quod iuſtitia ſuaderet. Significantes & aperte prædicentes eidem, quod niſi in dicto termino coram nobis, iuxta modum & formam citationis huiuſmodi compareret, contra eum ſuper labe hæreticæ prauitatis, & aliis prædictis iuxta formam canonum, & alias ſicut nobis per iura ſcripta, & Apoſtolica priuilegia ſuper crimine hæreſis conceſſum exiſtit, ſecundum tenorem literarum Apoſtolicarum prædictarum, ad ſingulos actus qui faciendi & expediendi incumberent, & ad definitiuam ſentētiam contra eum, tam in dicto loco de Bergolio, quam alibi, vbi nobis expedire videretur mediante iuſtitia procedere curaremus, eius abſentia vel cōtumacia non obſtante, eoque vlterius nō citato.

Locum autem prædictum de Bergolio, ex eo ipſi Matthæo duximus aſsignādum, tum quia eſt proximus & vicinus terris, quas dictus Matthæus detinebat ſicut adhuc detinet occupatas, tum etiā quia ad alia loca, quæ idem Matth. detinebat & detinet, pro his quæ facienda incumbebant, nobis tutus non patebat acceſſus. Et vt prædicto Matth. omnis calumniæ colleretur occaſio, nec poſſet prætendere, quod dictus locus de Bergolio non tutus ſed ſuſpectus eſſet eidem, paratos nos obtulimus ei per literas Domini Legati præfati, ac nobilium virorum Dominorum Raymundi de Cardonæ partiū Lombardiæ Vicarii Regii & Capitanei Generalis, & Bernardi de Monteſernio Seneſcalli Regii Pedemontis & partium earundem militum, nec non Vicarii Regii & communis dicti loci de Bergolio, & alias de ſecuritate idonea prouidere: ac vt huiuſmodi citationis edictum ad dicti Matth. deduceretur notitiam, chartas ſiue membranas citationem continentes eandem in maioris ciuitatis Aſtenſ. nec non & S. Mariæ dicti loci de Bergolio Eccleſ. oſtiis affigi fecimus, ſeu appendi: quæ quaſi ſuo ſonoro præconio & patulo indicio citationē huiuſmodi publicarēt, ita quod præfatus Matth. nō poſſet prætendere citationē ipſam non perueniſſe ad eū, vel ſe eā aliqualiter ignoraſſe prout de his plenius conſtat per patentes literas noſtris ſigillis munitas, quas in noſtris proceſſib. fecimus regiſtrari.

Verum licet huiuſmodi citatio prout legitime nobis conſtat, ad notitiā ipſius peruenerit, idē tamen Matth. dictis loco & termino, aut ēt poſtea quandocūq;, quāuis in eodem loco de Bergolio poſtea per plures dies fuerimus, non comparuit vt debebat per ſe aut aliā perſonam legitimam, quæ aliquid rationabile proponeret pro eodē: quinimo Marcus de Vicecomitibus filius dicti Matth. hæretici, & Gerardus Spinula Capitaneus Generalis exercitus Matth. præfati, cū magna multitudine equitum & peditum armatorū, & exercitu magno valde, erectis vexillis Marci & Gerardi prædictorū & communis Alexandriæ locū prædictum Bergolii, vbi nos Archiep. & Inquiſitores præfati dicta die 25. Febr. præſentes eramus, pulſata campana in Alexandria, ſicut conſueuit pulſari ad arma, non ſine Dei Eccleſ. & D. Pp. prædicti cuius auctoritate fungimur, ſicut tunc etiam fungebamur, manifeſta iniuria & contemptu, grandi præiudicio fidei, & turbatione officii Inquiſitionis pro quo ad dictum locum Bergolii veneramus, hoſtiliter inuaſerunt, proiiciendo carellos & ſagittas, & alias etiā impugnando. Propter quæ eundem Matth. reputantes merito contumacem, iuxta formam dictæ commiſſionis nobis factæ, proceſſimus ad ea quæ facienda nobis in eodem negotio incumbebant, viſis & cum diligentia recenſitis probationibus per nos receptis tam per literas & proceſſus Domini noſtri Pp. prædicti, & Domini Legati, & alia inſtrumenta, quæ in præſentis negotii proceſſu inſeri fecimus, quam per teſtes iuratos & diligenter examinatos, & aliis in dicto noſtro proceſſu cōtentis: habitaq; ſuper eis in loco de Valentia Papienſ. diœceſis, vbi dictus Legatus prædictus cum ſua Curia noſcitur reſidere, ad quā locum nos tranſtulimus, vt tutius, ſolemnius, & conſultius procedere valeremus: frequenti & matura deliberatione nobiſcum, & cum Domino Legato prædicto, & Venerabilib. in Chriſto Patrib. Dominis, Guidone Aſtenſ. Hugucione Nouar. Simone Parm. Frederico Saon. & Guillelmo Albenſ. Epiſc. ac Religioſis viris Aſtulfo S. Ambroſii, Lanfranco S. Simpliciani, Philippo S. Celſi Mediol. ac Bernardo S. Dalmatii de Burgo Aſtenſ. Diœceſis, & Henr. S. Marchian. de Terdona Monaſteriorum Abbatibus, & cum prudētib. viris Magiſtris Guillelmo Rouelli Decano de Burlatio Caſtr. diœceſis, Steph. Hugoneti Doctore Decretorum Canonico Albenſ. Domini Pp. Capellanis, & ipſius ſacri Palatii, ac dicti Domini Legati cauſarū Auditoribus, & plurib. aliis diuini & humani iuris peritis. Quia legitime nobis conſtat, quod præfatus Matth. contra eādem Matrem Eccleſiā & libertatem Eccleſ. ſui elati cordis erigēs cornua, ipſamq; opprimens, & contra eam violenter inſurgens nōnullis Eccleſiis Mediol. Ciuitatis & diœceſis tallias & collectas multipliciter oneroſas impoſuit, illaſq; per ſpoliationem rerum, captionem & detentionē perſonarum, ac diuerſos Cruciatus corporum violenter exegit: in plurib. Monaſteriis Ciuitatis & diœceſis prædictarum tam virorum quam mulierum perſonas inſufficientes & indignas, ſuæ fauentes nequitiæ, in prælatos fecit præfici violenter: pluresq; perſonas in illis pro ſuo libito voluntatis intruſit, ac in ipſis Monaſteriis Monialium plures puellas, poſtquam ipſis fuerat impudenter abuſus, ad quarum aliquas etiam poſt religionis ingreſſum, tanquam canis ad vomitum dicitur, & ex veriſimilibus coniecturis præſumitur rediiſſe: per ſcotum ſiquidem de S. Geminiano & alios ſatellites ſuos, nonnullas perſonas Eccleſiaſticas, etiam in ſacerdotio conſtitutas per violentiam capi fecit, & detineri carceribus, ac in ipſarum aliquas diuerſorum tormentorū genera crudeliter exerceri. Venerabilem etiam in Chriſto patrem Dominum Vbertum Dei gratia Vercellenſ. Epiſcop. inſtantia violenta hoſtilitatis, per filios & ſatellites ſuos obſedit, ipſumque ac Præpoſitum de Rodobio. Archipresbyterum & plures Canonicos Eccleſiæ Vercell. capi fecit, & tam ipſos quam Abbatem Monaſterii S. Steph. Vercell. carcerali cuſtodia detineri: quorū aliqui in eiſdem expirauerunt carceribus, & adhuc aliqui detinentur: quāquā idem Epiſc. diuinæ miſerationis auxilio euaſerit manus eius. Bona quoq; Eccleſ. in terris occupatis per ipſum, ſuis applicauit vſibus violenter, & illarum Prælatos coegit miſerabiliter exulare: ac Prælatis in Curia Domini Legati prædicti morantibus, ne pro expenſis ipſorum pecunia ac procurationes ipſi Domino Legato debitæ ad ipſum, & pecunia decimæ dudū impoſitæ pro ſubſidio terræ ſanctæ collectæ in partibus illis, ad Apoſtolicæ ſedis cameram quomodolibet portarentur, per ſe & miniſtros ſuos impediuit.

Euntes ēt ad Curiam Romanam, & redeuntes ab ea, & ne literæ Domini Papæ, & ſupradicti Domini Legati ad alios, ac ab aliis mitterentur ad ipſos impedire præſumpſit, quas literas frequēter fecit ēt aperiri. Pluresq; Cruceſignatos vltra numerum trecēcentorum dudum congregatos Mediolani ad transfretandum in ſubſidium terræ ſanctæ, dum in loco Fratrū minorum Mediolani prædicationem Crucis audirent, per ſuos ſatellites inuaſit hoſtiliter, ipſoſq; fugauit, grauauit, & aliquos eorum detinuit violēter.

In prouincia quoq; Lombardiæ pacem turbat, diſcordias ſeminat, guerras commouet, diſſenſiones excitat, & aliis malis innumeris cauſam præſtat. Præfatus inſuper Matth. tot & tantis nefandis ſceleribus, & exceſſib. horridis inuolutus, exorbitans à fidei Catholicæ veritate, verum lumen non videns, de Sacramētis male ſentiens, ac clauium & Eccleſ. poteſtate ipſaſq; contemptibiliter vilipendens diutius ſuſtinuit plures excommunicationum ſententias latas in ipſum tam ab hōe quam à iure: ac interdictum Eccleſ. cui præfata ciuitas Mediol. ipſius Matth. exigentib. culpis ſuppoſita fore dignoſcitur, fecit multoties violari. Laicorum corpora defunctorum in Eccleſ. cæmeteriis, pulſatis campanis, miniſtris ipſarum inuitis & renitentibus faciens ſepeliri: id idem fieri faciens in terris & locis quæ per filios ſuos detinet occupata ſimilia appoſitis interdicto. Præterea Zacharinam filiā ſuam, quæ ipſo præſente, cū Richardino de Languſco, in Eccl. facie publice per verba cōtraxerat de præſenti nulla diuortii ſententia præcedente, alteri de facto, dicto Richardino viuente, matrimonialiter copulare præſumpſit.

Nonnullos ēt Eccle. prædictæ deuotos auertit, ab ipſius deuotionis conſtantia, & eos qui ab eadem deuotione ſunt peccatis exigētib. alieni, ne reuerterētur ad illam, ſuis peruerſis conatib. perturbauit, impediuitq; Prælatos & Religioſos, ne Synodos, Cōcilia, vel Capitula congregarent, & ne in ſubditos ſuos viſitationis aut correctionis officiū exercerent, & proponerent verbū Dei, ac propter ſæuā tyrannidē miniſtrari modo debito nequiuerunt Eccleſiaſtica

Sacra-



Sacramenta. Propter quæ pullulant hæreſes, Schiſmata creſcunt, à cultu diuino receditur, fidelium animæ perditioni ſæpius exponuntur, periclitantur corpora, ſcandala ſuſcitantur, & auſus pāditur aliis malis innumeris perpetrandis.

Supradictus deniq; Matthæus præmiſsis omnibus irretitus, & illius aſtutia fraudulenta deceptus, qui ad generis humani æternū laborat interitum, celare non valens vlterius ſeu cordis peſtiferam labem, qua longo imbutus tempore, licet eam ſub hypocritæ palliatione celaret, ad tot & tantorum enormium perpetrationem ſcelerum labebatur: & vt transductam in ipſum à progenitoribus ſuis ex diuerſis lateribus velut palmes, qui à radice trahit amaritudinem prauitatis hæreticæ labem, qua nonnulli ex progenitoribus ſuis, prout eſt manifeſte probatum, ac etiam in partibus illis exiſtit notorium, ſuſpecti, notati, & aliqui condemnati ignis incendio, ſequeretur, quamplures ſibi conſiliarios & ſecretarios, & officiales aſſumpſit, ſecumque retinuit, ſicut adhuc retinere dignoſcitur, prædicta labe notatos, & grauiter diffamatos: ex quibus Franciſcus de Garbagnate fuit punitus propterea impoſitis ſibi Crucibus, in tam execrabilis erroris memoriam, quas per non modici temporis ſpatium deportauit.

Cum Schiſmaticis quidem, & Eccleſiæ Romanæ rebellibus confœderationem fecit & ligam, ac officium Inquiſitionis prædictæ, expellendo videlicet Inquiſitores prauitatis eiuſdem de Mediolano annis pluribus iam elapſis per minas & potentiam, & alias etiam impediuit. Olim etiam dum alias regimini Ciuitatis eidem de facto præeſſet, rogauit pro liberatione cuiuſdam hæreticæ, Manfredæ nomine, quæ tunc tenebatur in carcere, & quæ fuit poſtmodum iudicio ſeculari relicta, & demum ignis incendio concremata.

Dæmones præterea, quorum eſt ſeruus effectus, & cum quibus confœderationem feciſſe videtur, deſperatus de diuina potentia, multoties execrabiliter inuocauit, & quæſiuit ab eis reſponſiones & conſilia in agendis.

Reſurrectionem quoque corporum humanorum, quam fides Catholica docet, & S. R. E. profitetur & tenet, impie negat, deuians à fidei veritate.

Adhuc etiam, cum excommunicationis ſententiam in ipſum per eundem Dominum noſtrum, ob ipſius contumaciam rite latā, per triennium & amplius ſuſtinuiſſet, ſicut adhuc ſuſtinet animo indurato; & per hoc haberetur de labe prauitatis prædictæ non indigne ſuſpectus fuiſſetque propterea per literas eiuſdem Domini Papæ intendentis inquirere contra eum, ſuper labe prauitatis prædictæ peremptorie citatus, vt infra certum temporis ſpatium corā eodem Domino Papa ſe perſonaliter præſentaret, inquiſitionem huiuſmodi ſubiturus, & recepturus quod iuſtitia ſuaderet: quia in dicto citationis termino, & poſt etiam expectatus de gratia comparere per ſe vel alium contumaciter non curauit, præfatus Dominus Papa eundem Matthæum de conſilio Reuerendorum Patrum S. R. E. Cardinalium Fratrum ſuorum decernens & reputans, prout erat merito, contumacem, ipſum propter hoc excommunicationis vinculo innodauit, quam per annum & amplius ſuſtinuit, ſicut adhuc ſuſtinet animo indurato: quæ omnia plene coram nobis probata ſunt, vt ſuperius continetur.

Ex his & aliis multis, quæ ad hoc iuſte & rationabiliter nos inducunt, Chriſti nomine inuocato, ſedentes pro tribunali, definitiuam ſententiam proferentes præfatum Matthæum de Vicecomitibus de Mediolano contumaciter abſentem, ipſius tamen abſentiam diuina replente præſentia, in his ſcriptis ſententiando decernimus & iudicamus hæreticum manifeſtum: eundemq; Matth. velut hæreticum condemnantes, ipſius bona omnia mobilia & immobilia, iura, iuriſdictiones, & quæcunque alia vbicunq; ſint, & quibuſcunq; nominibus cenſeantur, eadem ſententia confiſcamus, imo decernimus confiſcata. Et nihilominus ipſum Matthæum, cingulo militiæ, Officiis, publicis dignitatibus & honoribus quibuſcumque priuantes, ſeu priuatum fore declarantes, excommunicationis ſententiæ, ac perpetuæ infamiæ, & omnibus aliis pœnis à iuris conditoribus contra hæreticos ſtatutis, ordinatis, & promulgatis, eum decernimus ſubiacere: ac eius perſonam exponimus à fidelibus capiendam. Filios inſuper & nepotes Matthæi præfati, Prælaturis, dignitatibus, & aliis beneficiis Eccleſiaſticis, cū cura, vel ſine cura, quæ tenere noſcuntur, & officiis publicis, ac honorib. quibuſcumque priuamus, vel priuatos fore potius denunciamus: eoſq; ad obtinendum in poſterum Prælaturas, dignitates, & alia Eccleſiaſtica beneficia cū cura vel ſine cura, officia publica, & honores quoſcūq; indignos & inhabiles declaramus. In quorum omnium teſtimonium & memoriam futurorum, præſentem ſententiam noſtram per inſtrumentum notarium publicum officii Inquiſitionis prædictæ ſcribi & publicari mandauimus: & noſtrorū ſigillorum appenſionibus communiri.

Lecta, lata, & in ſcriptis pronunciata fuit ſententia ſupradicta, per Religioſum virum Fratrem Barnabam Priorem Prouincialem prædictum pro tribunali ſedentem, vice ſua, & Reuerendi Patris Domini Archiepiſcopi, Paxii, & honeſti, & Iordani Inquiſitorum prædictorum, etiam pro tribunali ſedentium, in Eccleſia S. Mariæ de Valentia Papienſ. Diœceſis, Anno à Natiuitate Domini M. CCC. XXII. Indictione Quinta: die Quartadecima menſis Martii, Pontificatus eiuſdem Domini Ioannis Papæ anno VII. præſentibus Reuerendo in Chriſto patre Domino Legato prædicto & Venerabilibus Patribus Dominis, Guidone Aſtruſi, Hugucione Nouarienſ. Simone Parmenſ. Friderico Saonenſ. & Guilelmo Albenſ. Epiſcopis: & Religioſis viris Aſtulfo S. Ambroſii. Lanfranco S. Simpliciani, & Philippo S. Celſi Mediol. Bernardo S. Dalmatii de Burgo Aſtenſ. diœceſis & Hērico S. Martiani Terdonenſ. Monaſteriorū Abbatibus Ordinis S. Benedicti: ac nobilib. viris Dominis Raymundo de Cardona Vicario Regio partiū Lombardiæ, & Bernardo do Monteſerino Seneſcallo Regio Pedemontis: & aliorum Cleri nobilium & populi vtriuſq; ſexus multitudine copioſa. Et Ego F. Thomas Vitoni de Rippolis Fratrū Ord. Præd. publicus auctoritate imperiali, & nunc ipſius officii Inquiſitionis Notarius, ad hoc per Inquiſitores eoſdem aſſumptus, lectioni & prolationi dictæ ſententiæ, & omnibus ſupradictis dum coram Inquiſitoribus ipſis agerentur præſens interfui: & ea omnia, de mādato & auctoritate præfatorum Inquiſitorum in his duab. petiis chartarum ſimul conglutinatis ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, meoq; conſueto ſigno ſignaui, in teſtimonium prædictorum anno. Indict. die, menſe, Pontificatu & loco prædictis. Hæc Inquiſitores in Matthæum Vicecomitem promulgabant.

Porro, vt eiuſdem Matthæi, atque filiorum, ac ſociorum facinora in meridianam lucem magis ſingulariter producantur, operæpretium putaui, citationes, edicta & ſententias ab Ioanne ſummo Pontifice, anno ſuperiore in ipſum prælatas inſerere: vt vniuerſus orbis aſpiciat, qualem quantumque virum, Ludouicus Bauarus tuendum ſuſcepiſſet. Prima, ita habet.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Dux frequentibus querelis & clamoribus excitati, ſuper nonnullis exceſſibus, quibus Matthæus de Vicecomitibus de Mediolano, qui ciuitatis & diſtrictus Mediol. regimen temporale per aliquos annos hactenus exercuit & exercet, per ſe ac miniſtros & & officiales ſuos, Deum, nos, & Rom. Eccleſ. offendere minime verebatur, eundem Matthæum citauimus in forma infraſcripta.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

Non ſine turbatione mentis attendimus & referimus cum dolore, cum aliqui Catholicæ fidei profeſſores, quaſi penitus ignorantes, quod Dei bonitas ad pœnitentiam eos adducit, iram ſibi theſaurizant in die iræ & reuelationis iuſti iudicii Dei, ſecūdum cor impœnitens & eorum duritiam obſtinatam, Deum, nos, & Rom. Eccleſ. quæ diſponente Domino Magiſter eſt cunctorum fidelium & Magiſtra, offendere non verentes. Sane nemini venit in dubiū, quod Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, vt venientibus ad ſedem Apoſtolicam & redeuntibus ab eadem liber, & ab omni impedimento immunis & ſecurus acceſſus & reditus præſtaretur, in certis & præcipuis Eccleſiæ præfatæ feſtiuitatibus omnes impedientes eoſdem venientes ad ſedem prædictam, vel redeuntes ab ea excommunicationis vinculo innodarunt.

Nos etiam eorundem prædeceſſorum veſtigia imitantes, interdum in feſtis prædictis in impedientes eoſdem, iuxta morem huiuſmodi excommunicationis ſententiā auctoritate Apoſtolica duximus promulgandum.

Porro nobilis vir Matth. de Vicecomitib. de Mediolano, qui ciuitatis Mediol, & locorum quamplurium vicinorum regimen tēporale, per aliquos annos exercuit & exercet, huiuſmodi dictorū prædeceſſorum & noſtrorum proceſſuum non ignarus, Deum, nos, & prædictā Eccleſ. in perſonis fidelium, vndiq; ad dictam ſedē venientium, & redeuntium ab eadem, quos per Ciuitatem & loca prædicta tranſire contigit offendere non formidans, nonnullos eorum, & aliquos ex Curſorib. noſtris, vt ipſorum nobis relatio patefecit, & Fratrum noſtrorū S. R. E. Cardinaliū, & nōnullos alios

dedi-

*de diuerſis partibus mundi, noſtras alius, vel aliorum nobis literas deferentes, per ſe, vel officiales, ſeu miniſtros ſuos, & alios ſibi obſequentes capere, ſpoliare, ac detinere, & eaſdem literas eis auferre, & clauſas aperire præſumpſit, & præſumit, non abſque magna contumelia & contemptu ſedis eiuſdem, & fidelium ſcandalo, neceſſitatem habentium ad ſedem recurrere memoratam, eorundẽ ad dictam ſedem acceſſum, & reditum ab eadem, non abſq; graui diuinæ maieſtatis offenſa, & contumelia perturbando. Per impedimentum & turbationem huiuſmodi, bonum pacis & fructum multiplicem, quem poſſet per nuncios & literas noſtras, & acceſſum aliorum fidelium ad ſedem prædictam, & reditum ſecurum, & liberum ab eadem in illis partibus peruenire, impediendo damnabiliter & tollendo: quæ non ſolum in illis partibus, ſed etiam apud ſedem prædictã publica facti euidentia adeo nota reddit, quod nulla poſſunt tergiuerſatione celari, nec inficiationi vel excuſationi alicui locus exiſtit. Quem licet expectantes diutius expectauerimus, ſi forte iam antiquata in ipſo ſeneſcente nequitia, ſaltem in ſuæ vitæ veſpera reſiliret: quia tamẽ vt ſuorum exceſſuum actus docent, quanto benignius cum ipſo proceditur, & ex patientia dictæ ſedis diutius expectatur, tanto in eo pernicioſior contemptus exuberat, & ad deteriora liberior licentia relaxatur.*

*Nos attendentes, quod ſi præmiſſa, de quib. Deus vehementer offenditur, vlciſci vel punire differimus, propter pericula quæ fidelibus inde proueniunt, ad iraſcendum Diuinitatis patientiam prouocamus, vt talib. notoriis, ſic pernicioſis exceſſibus correctio condigna non deſit, nec ſine caſtigatione debita creſcat in aliis aduerſus eandem Eccleſiam cum ſit periculoſo damno fidelium deteſtabilis præſumptionis audacia per exemplum, cum Fratribus noſtris deliberatione præhabita, nunc ſaltem proſequendum fore officii noſtri debitum circa iſta, & exceſſuum qualitati formam noſtrorum proceſſuum cenſuimus conformandam. Ideoque cum propter ipſius Matthæi ſæuitiam manifeſtam, & fauentem ſibi quorundam vicinorum locorum malitiam, prout certum reddit indubia certitudo, præſentia eiuſdem Matthæi in eius domicilio ſiue loco, vbi notorie moratur ad præſens, per eos quibus citationis noſtræ faciendæ de eo committeretur executio adiri non poſſet libere ſiue tuto: cogente iuſtitia infraſcriptum modum citandi eundem Matthæum de ipſorum Fratrum conſilio eligẽtes,* * *tenore præſentium, præſente multitudine copioſa fidelium, citamus eundem, vt infra trium menſium, à data præſentium memorandorum ſpatiũ, quod ſibi pro peremptorio termino aſſignamus, ſub decem millium marcharum argenti, & amiſſionis omnium priuilegiorum, libertatũ, immunitatum, gratiarum, feudorum, bonorum, iurium, officiorum, honorum & conceſſionum quorumlibet, ab Eccleſ. Rom. & imperio, & quibuslibet aliis Eccleſiis conceſſorum eidem, pœnis: etiam ſi huiuſmodi terminus in tempus vel diem inciderit feriatum, Apoſtolico ſe conſpectui perſonaliter repræſentet recepturus pro meritis, & Apoſtolicis ſuper his mandatis & beneplacitis pariturus. Alioquin contra ipſum, ad dictas pœnas & alias, ſpiritualiter & temporaliter, prout ſuadebit iuſtitia & expedire viderimus procedemus, eius contumacia non obſtante. Cæterum ne dictus Matthæus, ſatagens forte huiuſmodi citationem eludere, quoquomodo cauſetur, iter ad ſedem prædictam vel ipſam ſibi non eſſe ſecuram: licet manifeſtum exiſtat, quod idem Matthæus de ciuitate & diſtrictu Mediolanenſ. per terras & loca ſibi non ſuſpecta, vſque ad ciuitatem Auinionenſ. in qua cũ Rom. Curia reſidemus, venire poſſit libere & ſecure, & in dicta Curia in qua omnes ſecuritate gaudent, cum ſedes Apoſtolica cunctis ad ipſam venientibus locum ſuæ reſidentiæ liberum exhibeat & ſecurum, cum nõ oporteat de ſecuritate quomodolibet dubitare. Chariſſimus quoque filius noſter Robertus Rex Siciliæ illuſtris ob reuerentiam dictæ ſedis, omnibus venientibus ad eandem, non ſolum non exhibeat ſe infeſtum, ſed per ſe & gentes ſuas benigne proſequatur eoſdem: omnibuſque ad dictam ſedem venientibus, in veniendo ad eam, morando & redeundo per ſe & gentes ſuas prædictas ſecuritatem duxerit generaliter concedendam: tamen ex abundanti, vt omnis ſibi eludendi citationem huiuſmodi materia ſubtrahatur, Venerabiles Fratres noſtros vniuerſos Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & generaliter vniuerſos Eccleſiarum Prælatos, ac chariſſimos in Chriſto filios noſtros, vniuerſos Reges & cæteros Principes ſeculares, ac Dominos temporales ſeu Rectores & Officiales, ac regimina exercentes & Vniuerſitates Ciuitatum, Caſtrorum, & quarumcunque locorum, per quæ iter idem Matthæus in veniendo ad dictam Curiam eſt facturus, per alias noſtras literas, quas eidem Matthæo, ſi ipſas ſibi expedire viderit, & habere voluerit, per dilectum filium noſtrum Bertrandum tituli S. Marcelli presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis Legatum in illis partibus commorantem, mandamus & volumus per certum ipſius Matthæi Nuncium, ſi eum ſuper hoc ad præſentiam eiuſdem Legati direxerit, aſſignari, rogandos duximus attentius & orandos, vt eũdem Matthæum cum familiaribus, equitaturis, & rebus ſuis veniendo ad ſedem prædictam & redeundo ab ea, per terras & loca ſua abſque impedimento aliquo libere & ſecure tranſire permittant: eique de ſecuro conductu, cum eum vna cum familiaribus, equitaturis & rebus prædictis per terras eorum tranſire contigerit, & illum ab eis duxerit poſtulandum, in eundo, morando, & redeundo, pro noſtra & dictæ ſedis reuerentia ſtudeant liberaliter prouidere.*

*Nos etiam dictum Matthæum, pro ſe, & familiaribus ſuis, equitaturis & rebus prædictis, in veniendo ad dictam ſedem, ſtando, & redeundo, ſub noſtra & ſedis ſecuritate recepimus memorata.*

*Et vt contra proceſſum citationis huiuſmodi, omnis calumniæ tollatur occaſio, chartas, ſiue membranas proceſſum continentes eundem, in maioris Eccleſiæ Auinionenſ. appendi vel affigi oſtiis faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicabunt. Ita quod idem Matthæus nullam poſſit excuſationem prætendere, quod ad eum talis proceſſus non peruenerit, vel quod ignorauerit eundem; cum non ſit veriſimile remanere, quod ad ipſum incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Dat. Auinioni in Palatio eiuſdem Eccleſiæ Auinionenſ. 14. Cal. Decemb. Pont. noſtri anno Quinto.*

*Quamuis igitur prædictam citationem ſic ſolemniter habitam ac præſente multitudine copioſa ſic publice promulgatam, ad ipſius Matthæi notitiam perueniſſe, Nuntii & literæ eiuſdem Matthæi ad dilectum filium noſtrum Bertrandum tituli S. Marcelli presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis Legatum, in illis partibus commorantem ſuper hoc miſſi, & per eundem Legatum ſuper his ad nos literæ poſtmodum deſtinatæ euidentius manifeſtent, dictus tamen Matthæus prædictis exceſſibus contumaciæ ſuperaddendo contemptum, comparere coram nobis in eodem termino videlicet 12. Cal. Martii proxime præteriti, Pontificatus noſtri anno Quinto contumaciter non curauit: & licet ob huiuſmodi contumaciam manifeſtam potuiſſemus in dicto termino exigente iuſtitia procedere contra eum, tamen de Fratrum noſtrorum conſilio eundem Matthæum in ſequentem diem de gratia duximus expectandum: in quo etiam dicto Matthæo vel alio pro eodem minime comparente, adhuc in diem præſentem proximo ſubſequentem ipſum duximus expectandum: & cum nec tunc, nec ipſe, nec alius pro eodem coram nobis comparere, vel eius abſentiã ſeu contumaciam excuſare curaret, cum eiſdem Fratribus ſuper hoc deliberatione præhabita, de ipſorum conſilio, eundem Matthæum reputamus & pronunciamus, exigente iuſtitia, contumacem: ipſũque propter dictam contumaciam auctoritate Apoſtolica excommunicationis vinculo innodamus: decernentes auctoritate prædicta contra eum fore ad pœnas alias in præmiſſæ citationis proceſſu contentas, & alias contra eum ſpiritualiter & temporaliter procedendum, ſicut prædictorum exceſſuum enormitatem, & eiuſdẽ contumaciæ induratæ proteruiam viderimus poſtulare.* Dat. Auinione Decimo Cal. Mart. Pont. noſtri an. Quinto. †

## ALIA SENTENTIA IOANNIS SVMMI Pontificis contra Matthæum Vicecomitem, propter exactiones & grauamina Eccleſiarum. VII.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

*Dudum querelis grauibus in Conſiſtorio publico coram nobis propoſitis contra Matthæum de Vicecomitibus de Mediolano, qui Ciuitatis Mediolanenſ. eiuſq; diſtrictus temporale regimen per aliquot annos hactenus exercuit & exercet ſuper ſæuis oppreſſionibus, quas Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis piis locis, ac perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus & regularibus, Ciuitatis & diſtrictus prædictorum realibus & perſonalibus inferebat, frequentius excitati, eundem Matthæum in forma citauimus infraſcripta.*

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

*Paternæ ſolicitudinis grauitas erga filios oberrantes, patris officium diligenter exequitur, cum pro illis conſilium capiens, prauis eorum non indulget affectibus, ſed directionis virgæ non parcens, illos prout res exigit dirigere ſatagit refragãtes, iuſtitiæ nunc fræni oppoſitione refrænans, nunc vtilium verborũ adiectione caſtigans.*

*Dudum ſiquidem in Conſiſtorio publico fuit propoſitum coram nobis, quod nobilis vir Matthæus Vicecomes, qui Ciuitatis Mediolanenſis eiuſq; diſtrictus temporale regimen per aliquos annos exercuit, Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis piis locis, ac perſonis Eccleſiaſticis Sæcularibus & Regularibus, Ciuitatis & diſtrictus prædictorum Collectam ſeu talliam decem millium librarum vſualis monetæ, propria temeritate impoſuit, ac per ſpoliationem rerum, & captionẽ perſonarum ipſarum, & corporum cruciatus, huiuſmodi Collectam extorſit ab eis, capi & incarcerari faciens Adgerium de Parma Clericum tum Vicarium bonæ memoriæ Caſtoni olim Archiepiſcopi Mediolanenſis, vt impoſitioni & extorſioni dictæ Collectæ præſtaret aſſenſum. Ac Collectam, Triginta millium librarum Terciolorum Ordini Fratrum Humiliatorum Ciuitatis & diſtrictus prædictorum duxit pro ſuo libito imponendum, ipſamq; per officiales ſuos violenter extorſit ab eis, mittendo ſtipendiarios ſuos per domos ipſorum Fratrum ad comedendum & deuaſtandum bona eorum, ex eo quod dictam pecuniam non ſoluebant. Ac cœpit, & carceri mancipauit Religioſum virum Fratrem Bertramum tunc Generalem Magiſtrum Ordinis prælibati, ex eo quod conſentire nolebat, quod huiuſmodi Collecta dicto Matthæo, per Fratres ſui Ordinis ſolueretur.*

*Nec his contentus ſed extendens amplius huiuſmodi poteſtatis abuſum, Galuaneum de Melengiano Fratrem dicti ordinis qui impoſitione & extorſione dictæ Collectæ fauebat & aſſentiebatur eidem, per impreſſionem, fecit eligi & intrudi in Magiſtrum Ordinis memorati: ac Petrum de Vigelono Fratrem dicti Ordinis, & Petrum de Lamerla, tunc Prælatum domus S. Agathæ Mediolanen. eiuſdem Ordinis capi fecit, & diriſſime tormentari. ac etiam Albertinum de Cantarellis eiuſdem Ordinis Fratrem ſimiliter capiens, ipſum fecit tribus diebus iuxta equuleum in carcere detineri. Domum etiam Omnium Sanctorum dicti Ordinis Laudenſis diœceſis, per gentes ſuas fecit funditus demoliri, ac Oliuerium Fratrem Domus S. Ioannis de Alexandria presbyterum dicti ordinis per Marcum filium ſuum capi, & duci fecit violenter ad palatium communis Alexandriæ, & diris quæſtionibus tormentari: idemq; Oliuerius ſemiuiuus relictus, ad ciuitatem Papienſem, in quadam nauicula fuit delatus. Iacobum etiam de Alciatis, Fratrem Ordinis ſæpedicti per impreſſionem procurauit, & fecit eligi, & intrudi in Magiſtrum dicti Ordinis Generalem.*

*Ex quibus quidem Religioſorum captionibus, incarcerationibus, tormentis ſeu quæſtionibus perſonarum, non eſt dubium eundem Matthæum, ſi præmiſſa veritate nitantur, diuerſas excommunicationum ſententias latas à canone incurriſſe.*

*Nos itaq; his quæ ſuper huiuſmodi ſacrilegiis & offenſis coram nobis & Fratribus noſtris fuere propoſita, nolentes aures credulas faciliter adhibere, Venerabili Fratri noſtro Berengario Epiſcopo Tuſculano commiſimus oraculo viuæ vocis, vt videlicet, an idem Matthæus ſuper præmiſſis laboraret infamia, per fide dignos teſtes ſe plenius informaret, quæcunq; ſuper his inueniret, nobis poſtmodum qui de præmiſſis per plures fide dignos teſtes, quos ſuper his recepiſſe dignoſcitur, diligentius ſe informans, reperit eundem Matthæum, ſuper huiuſmodi ſacrilegiis, offenſis & exceſſibus, prout ex ipſius Epiſcopi relatione, in Fratrum noſtrorum præſentia fideliter nobis facta, percepimus, grauiter infamatum.*

*Præmiſſa igitur per eundem Matthæum in Dei omnipotentis iniuriam, Apoſtolicæ Sedis contemptum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, & piorum locorum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum enorme diſpendium, fidelium quoq; ſcandalum, & deteſtabilem exempli pernitiem, vt dicitur perpetrata, diſſimulare abſq; graui offenſa Domini non valentes, cum ipſorum correctio & punitio, tum quia reatus ſacrilegii cognitio & punitio ad Eccleſiaſticum forum ſpectat, tum etiam quia vacante imperio, ſicut & nunc vacare dignoſcitur ad nos & Apoſtolicam Sedem pertinet excedentium huiuſmodi in Imperio conſiſtentium auſus comprimere, oppreſſiones tollere, ac læſis & oppreſſis iuſtitiam miniſtrare. Ac propterea ad Inquiſitionem offenſarum veritatis & exceſſuum prædictorum apud Sedem Apoſtolicam, cum certo ſit certius, & notoria facti euidentia omnibus notum reddant, quod in ciuitate & diſtrictu prædictis, quorum vt præmittitur temporale regimen idem Matthæus noſcitur exercere, per neminem contra eum fieri poſſet inquiſitio præmiſſorum, procedere intendentes, & conſiderantes quod propter hæc & ipſius Matthæi ſæuitiam manifeſtam, & fauentem ſibi quorundam vicinorum locorum malitiam, prout etiam certum reddit rei indubia certitudo, præſentia eiuſdem Matthæi in eius domicilio ſiue loco, per eos quib. citationis noſtræ facienda de eo committeretur executio adiri non poſſet libere, ſiue tute, cum fratribus noſtris ſuper his deliberatione præhabita, cogente iuſtitia, infra ſcriptum modum citandi eundem de ipſorum Fratrum conſilio eligentes.* Et cætera prout in ſuperioribus literis, à * vſq; ad finem † ſignat.

## TERTIA SENTENTIA IOANNIS Summi Pontificis contra Matthæum Vicecomitem propter grauiſſima facinora.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

*Olim Matthæum de Vicecomitibus de Mediolano, qui ſe dudum in ciuitate Mediolanen. Vicarium Imperii nominabat, ſuper eo quod in fraudem quorundam noſtrorum proceſſuum, cõtra nonnullos qui in Italiæ partibus, poteſtatib. illicite faſtigium ambientes, in noſtrum & Eccleſiæ Romanæ præiudicium manifeſtum, Vicariatus ſeu cuiuſuis alterius nomen officii, quod quondam Henrico Romanorum Imperatore viuente, ex ipſius commiſſione gerebant, in certis terris, territoriis, ſiue locis, poſt deceſſum ipſius abſq; noſtra vel Apoſtolicæ Sedis petita licentia vel obtenta retinere, vel de nouo ſumere quod non geſſerant, aut geſtũ antea, poſteaq; dimiſſum, reſumere damnabili auſu præſumpſerant habitorum, licet nomen Vicariatus huiuſmodi ſuppreſſiſſet, tamen ipſius officium tacite retinens, illius exercitium, poteſtatem & vſum in contemptum ipſorum proceſſuum, exercere præſumebat nequiter ſicut prius. & in maioris ſuæ indeuotionis indicium, & eluſionem notabilem dictæ Sedis vſurpato Ciuitatis Mediolan. dominio, ſe ipſius Ciuitatis Dominum nominare, & nominari facere præſumebat, & alias in plurib. excedebat: ex quib. excommunicationis ſententiam noſcitur incurriſſe, poſt publicationem eiuſdem ſententiæ, quam per triennium & amplius, in contemptum, mali perniciem, & ſalutis propriæ detrimentum animo ſuſtinuerat indurato, cum per hoc de labe prauitatis hæreticæ habendus eſſet non indigne ſuſpectus, in forma citauimus infraſcripta.* VIII.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

*Dudum fama publica in noſtram & Fratrum noſtrorum notitiam deducente, quod licet liquidum foret de iure, & iamdudum fuiſſet inconcuſſe ſeruatum, quod Imperio Romano vacante, ſicut tunc & adhuc per obitum quondam Henrici Romanorum Imperatoris vacare dignoſcitur, cum in illo ad ſæculares iudices nõ poſſit recurſus haberi, ad Romanum Pontificem, cui in perſona Beati Petri, terreni ſimul & cœleſtis Imperii iura Deus ipſe commiſit, iuriſdictio, regimen & diſpoſitio eiuſdem vacantis Imperii deuoluantur. ea ipſe Imperii præfati vacatione durante, per ſe vel aliũ, ſeu alios exercuit in Imperio memorato: nonnulli tamen in Italiæ partibus, poteſtatis faſtigium illicite ambientes, in noſtrum & Eccleſiæ Romanæ præiudicium manifeſtum. Vicariatus ſeu cuiuſuis alterius nomen officii quod dicto Imperatore viuente, ex ipſius commiſſione gerebant, in certis terris, territoriis, ſiue locis, poſt deceſſum ipſius, abſq; noſtra vel Apoſtolicæ ſedis petita licentia vel obtenta retinere, & nonnulli etiam de nouo ſumere, quod non geſſerant, aut geſtum antea, poſteaq; dimiſſum reſumere damnabili auſu præſumſerant, quib. non verebantur abuti & ſub eorum colore multa facere, quæ in noſtram & Eccleſiæ prædictæ, non ſine diuinæ maieſtatis offenſa, iniuriam redundabant.*

*Nos volentes eiuſdem Eccleſiæ iuribus & honori proſpicere, ac ſcandalis quæ iam orta fuerant ex præmiſſis & quæ periculoſe oriri formidabamus in poſterum celeriter obuiare, & ſaluti talia præſumentium occurrere cupientes, voluimus & mandauimus, quod omnes & ſinguli, cuiuſcumq; ſtatus, eminentiæ, dignitatis, aut conditionis exiſterent, etiamſi Patriarchali, vel quauis alia Pontificali, vel ſuperiori, ſeu Regia, aut quacunq; alia dignitate fulgerent, qui poſt dictam vacationem Imperii abſq; noſtra, vel dictæ Sedis licentia huiuſmodi Vicarii, vel cuiuſuis alterius officii nomen ſibi vbilibet retinuerant, ſumſerant, vel reſumſerant, & etiam retinebant, & qui ſumerent, vel reſumerent, ſeu retinerent in antea; & qui ſub talis dominationis pallio abuſi fuerant,*

vel abutebantur, vel abuterentur in poſterum poteſtate vel iuriſdictione quacumq;, ſeu eius exercitio publice vel occulte à denominatione huiuſmodi, ſeu nominis aſſumptione, retentione, imo vſu, poteſtate & exercitio ſupradictis penitus abſtinerent, omnibus & ſingulis Patriarchis, & aliis ſuperioribus & inferioribus Prælatis, ac Regibus, Ciuitatibus, Communitatibus, Vniuerſitatibus, Capitaneis, Poteſtatibus, Rectoribus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, & aliis omnibus cuiuſcumq; forent dignitatis, eminentiæ, conditionis & ſtatus diſtrictius inhibentes, ne prædictos huiuſmodi, ſeu quoduis aliud nomen in Imperio (vt præmittitur) retinentes, aut aſſumentes, ſeu reſumentes, vel ipſorum aliquem ſub denominatione, vel titulo huiuſmodi nominum, ſeu Procuratores, Commiſſarios, Iudices aut vices eorum gerentes, quouis colore quæſito reciperent, vel admitterent, ſiue vt Vicariis, ſeu Vicario, aut officialibus, vel Officiali Imperii parerent, vel intenderent, ſeu parere facerent, ſiue permitterent, aut in his illi, vel illis præſtarent conſilium, auxilium & fauorem, in oēs & ſingulos Patriarchas, & alios ſuperiores & inferiores Prælatos, ac Reges, & cæteros alios denominationem præfatam, vt præmittitur, retinentes ſumentes, vel reſumentes, ac illius prætextu, quæcumq; officia, poteſtates ſeu iuriſdictiones quomodolibet exercentes, ac vt Vicarios vel Officiales Imperii, aut Commiſſarios illorum, vt talium, recipientes eoſdem, & in parentes illis vt talibus, ac in hoc præſtantes eis auxilium, conſilium, vel fauorem, niſi ab his infra duorum menſium ſpatium, à die monitionis noſtræ ſuper hoc factæ numerandum penitus reſilirent, vel ſe licentia dictæ Sedis ſuper his oſtenderent communitos: excommunicationis in ſingulares perſonas, ac in terras & loca ipſorum, & quaſlibet Communitates, Vniuerſitates, Ciuitates, ac Villas, interdicti ſententias, de Fratrum noſtrorum conſilio publice duximus promulgandas. Et vt omnibus parentibus vſurpatoribus nominis, vel nominum prædictorum occaſio tolleretur, omnes & ſingulos, qui huiuſmodi Vicariatus nomen; retinentibus aſſumentibus, vel reſumentibus iuramento fidelitatis tenerentur aſtricti, à iuramento huiuſmodi, quantum ad hoc duximus abſoluendos, de plenitudine poteſtatis; eis nihil minus auctoritate Apoſtolica firmiter inhibentes, ne talibus, vt Vicariis, vel officialibus Imperii aliquatenus intenderent, vel parerent. & inſuper omnes pactiones, obligationes, confœderationes, & colligationes, à quibuſcumq; ſuper hoc initas, etiam iuramento, vel alia quauis firmitate vallatas, omnino diſſoluimus, irritauimus, vacuauimus, omni robore firmitatis; & quatenus de facto proceſſerant, duximus reuocandas; huiuſmodi & qualibet alia iuramenta, à quibuſcumq; ſuper his præſtita; per quæ poſſet in prædictis noſtris, & Eccleſiæ præfatæ iuribus derogari; præſertim cum iuramentum vinculum iniquitatis eſſe non debeat, relaxantes; dictoſq; nihilominus proceſſus mandata, & ſententias facientes in Ciuitate Auinion. ſolemniter iuxta morem in talibus obſeruari per Sedem Apoſtolicam conſuetum, coram fidelium copioſa multitudine publicari, & etiam vt ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo iudicio vulgarentur, oſtiis ſeu ſuperliminaribus Eccleſiæ Auinionen. affigi. Itaq; omnes & ſinguli, quos proceſſus ipſi contingebant, & contingere poterant, nullam poſſunt poſtmodum excuſationem prætendere, quod ad eos tales non perueniſſent proceſſus vel quod ignoraſſent eoſdem.

Et licet poſtmodum Matthæus Vicecomes de Mediolano, qui ſe dudum in ciuitate Mediolanen. Vicarium Imperii nominabat, Vicariatus huiuſmodi nomē non ſumpſerit: quia tamen ipſius Vicariatus officium tacite retinens, illius exercitium, poteſtatem & vſum huiuſmodi noſtris monitis omnino cōtemptis, exercere præſumebat nequiter ſicut prius, & in maiorem ſuæ indeuotionis oſtentationem ac notabiliorem noſtri & dictæ Sedis eluſionem ſibi Dominii dictæ Ciuitatis nomen vſurpans, ſe nominare Dominum Mediolani, & facere nominari publicè præſumebat, & poſtea præſumpſit, ſicut per litteras ſuas proprio ſigillo ſignatas nobis conſtitit euidenter, iuriſdictionem, dominium & poteſtatem, in Ciuitate & diſtrictu Mediolan. prædictis, & certis aliis diſtrictibus, territoriis, locis & partibus exercendo; ex quibus idem Matthæus nobis & eidem Eccleſiæ ſe patenter inobedientem exhibens, & notorie contumacem, prædictam ſententiam excommunicationis incurrit; quam demum publicari fecimus contra eum, & ipſum excommunicatum publice nunciari.

Et quia idem Matthæus, ſententiam ipſam damnabili præſumptione contemnens, illam per triennium & amplius, quaſi bibens aquam maledictionis ſuſtinuerat, ſicut & adhuc in exempli mali perniciem, plurimorum ſcandalum, & ſalutis propriæ detrimentum, animo ſuſtinet indurato; cum per hoc idem Matthæus de labe prauitatis hæreticæ haberetur non indigne ſuſpectus; ne contagione peſtis ſuæ dominicum gregem inficeret, intendentes, vrgente conſcientia, diligenter inquirere contra eum, & ante omnia ipſum prædicta ſententia innodatum facere ab aliis euitari: Dilecto filio noſtro Bertrando tituli Sancti Marcelli presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato, noſtris litteris dedimus in mandatis vt per ſe, vel per alium, ſeu alios eumdem Matthæum, in ſingulis Eccleſiis, & aliis locis Legationis ſuæ, de quibus expedire videret, excommunicatum, ſingulis diebus Dominicis & feſtiuis, pulſatis campanis, & candelis accenſis publice nunciaret, & faceret ab omnib. arctius euitari; ipſumq; Matthæum ex parte noſtra curaret citare peremptorie, vt infra duorum menſium ſpatium poſt citationem huiuſmodi, quos pro peremptorio termino aſſignabamus, eidem ſub decem millium marcharum argenti, & amiſſionis omnium priuilegiorū, libertatum, immunitatum, gratiarum, feudorum, bonorum, iurium, officiorum, honorum & conceſſionum quorumlibet, ab Eccleſia Romana, & Imperio prædictis, & quibuslibet aliis Eccleſiis conceſſorum eidem, pœnis, perſonaliter, etiamſi huiuſmodi terminus infra tempus caderet feriatum, Apoſtolico ſe conſpectui præſentaret: Inquiſitionem huiuſmodi ſubiturus, noſtriſq; pariturus beneplacitis, & mandatis; & alias facturus, & recepturus, quod iuſtitia ſuaderet, ſibiq; aperte prædiceret, quod ſi forte infra dictum terminum, ſe præſentare contemneret, vt prædicitur, coram nobis, ad dictas pœnas & alias ſpiritualiter & temporaliter, prout ipſius exigeret obſtinata nequitia, factiq; qualitas ſuaderet, & videremus expediens, procederemus grauius contra eum.

Quod ſi forte ad dictam Ciuitatem Mediolanen. vel locum alium, vbi dictus Matthæus moram traheret, tutus ad huiuſmodi mandatum Apoſtolicum exequendum haberi non poſſet acceſſus; voluimus, quod idem Legatus citationem huiuſmodi, in aliquo, vel aliquibus de vicinis loco ſeu locis, de quo vel quibus crederet illam ad eiuſdem Matthæi poſſe notitiam peruenire ſolemniter publicare curaret; quam publicationem ſufficere voluimus & decreuimus, ac ſi citatio ipſa Matthæum apprehendiſſet perſonaliter prædictum. Et ne idem Matthæus intendens huiuſmodi citationem forſan eludere, occaſionem prætenderet, quod ei veniendi ad Sedem Apoſtolicam non eſſet tutus acceſſus; Nos occaſionem huiuſmodi ſummouere, ſibiq; de ſecuritate ſufficienti prouidere volentes; Venerabiles Fratres noſtros vniuerſos Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos; & dilectos filios electos, Abbates, & cæteros Eccleſiarum Prælatos, ipſorumq; vices gerentes, cæteraſq; perſonas Eccleſiaſticas, Sæculares & Regulares, Ordinem quorumcumq;, Hoſpitalis quoq; S. Ioannis Hieroſolymitani, S. Mariæ Teutonicorum, ac Humiliatorum, Domorum Magiſtros, Priores, Præceptores, ipſorumq; loca tenentes, nec non Nobiles viros Duces, Marchiones, Comites, Barones, & cæteros Dominos temporales, ac Officiales, & Vniuerſitates, & Communitates, Ciuitatum, Caſtrorum, Villarum, & aliorum quorumcumq; locorum, alioſq; vniuerſos & ſingulos, per alias noſtras litteras, quas eidem Matthæo, per dictum Legatum mandauimus deſtinari, rogandos duximus attentius & hortandos; vt eidem Matthæo de ſecuro conductu, cum eum per terras & loca eorum tranſire contingeret, & illum ab eis duceret poſtulandum, in eundo, morando, & redeundo, pro noſtra & dictæ Sedis reuerentia ſtudeant liberaliter prouidere, dicto nihilominus Matthæo, cum ad Sedem applicaret prædictam, plenam ſecuritatē pro eo tempore, quo ipſum ibidem morari contigeret, offerentes. Voluimus inſuper, quod idem Legatus diem & formam citationis huiuſmodi, & quicquid faceret in præmiſſis, nobis per ſuas patentes litteras, vel inſtrumentum publicum ſtuderet fideliter intimare, prout in litteris noſtris ſuper his eidem Legato directis plenius continetur.

Sane dictus Legatus, huiuſmodi noſtris litteris receptis, cum propter manifeſtam ipſius Matthæi inobedientiam, & ſæuitiam euidentem, ad dictam Ciuitatem, vel locum alium, vbi dictus Matthæus moram traheret, ad faciendam citationem prædictam, tutus haberi non poſſet acceſſus, citationem huiuſmodi iuxta prædictam formam per nos ſibi in huiuſmodi cauſa traditā, in Eccleſia Fratrum Minorum Ciuitatis Aſtenſis, aſtante Cleri & populi multitudine copioſa tertio Menſis Septēb. proxime præteriti publicauit, ipſumq; iuxta prædictam formā, ex parte noſtra peremptorie





citare curauit, prout in patentibus litteris eiuſdem Legati, ipſiuſq; ſigillo munitis, diem & formam citationis huiuſmodi, & dictarum litterarum noſtrarum ſeriem, & quæcumq; ſuper his fecit continentibus nobis directis plenius explicatur.

Et quamuis prædictam citationem, ad eiuſdem Matthæi perueniſſe notitiam, Nuntiorum & Ambaſciatorum ſuorum tranſmiſſio, quos poſtmodum ad ipſius Legati præſentiam deſtinauit, per eos certas cauſas friuolas allegando, per quas à comparitione huiuſmodi perſonali ſe nitebatur excuſare, euidentius manifeſtet; idem tamen Matthæus ſuſpicioni prædictæ culpam addens contumaciæ, & contemptum in dicto termino, & poſt, & adhuc, noſtro ſe præſentare conſpectui non curauit.

Licet igitur contra eum, vtpote contumacem, eſſet rationabiliter procedendum, ad eius tamen malitiam ſuperandam, volentes eumdem adhuc amplius expectare, ſi forte noſtra & dictæ Sedis benignitas ad pœnitentiam eum adducat, iterato, cum certo certius ſit, & notoria facti euidētia omnibus notum reddat, quod in Ciuitate & diſtrictu prædictis, quorum, vt præmittitur, tēporale regimen idem Matthæus noſcitur exercere per neminem contra eum fieri poſſet inquiſitio præmiſſorum, procedere intendentes, & conſiderantes quod propter hoc & ipſius Matthæi ſæuitiam manifeſtam, & fauentē ſibi quorundam vicinorum locorum malitiā, prout etiam certum reddit rei indubia certitudo, præſentia eiuſdem Matthæi in eius domicilio ſiue loco, per eos quib. citationis noſtræ faciendæ de eo committeretur executio, adiri non poſſet libere ſiue tute, cum Fratrib. noſtris, ſuper his deliberatione præhabita, cogente iuſtitia, infra ſcriptum modum citandi eundem Matthæum, de ipſorum Fratrum conſilio eligentes, & cætera prout in ſuperioribus litteris a*, vſq; ad finem † ſignatur.

IX. Sententia in Galeatium Matthæi Vicecomitis filium ob enormia flagitia.

Secundum ſententiā in Matthæum Vicecomitē tum à Ioanne ſummo Pontifice, tum ab Aychardo Archiepiſcopo & Inquiſitorib. prolatam, & in Galeatium quoq; eius filium, eodem fere ſenſu ab iiſdem Iudicib. Commiſſariis pronunciata eſt: propter infra ſcripta facinora.

1. Fornicationem, & actus impudicos, credebat & dicebat non eſſe peccata.

2. Ne Inquiſitor Placentinus poſſet inſtituere officiales ad capiendos hæreticos, plurib. annis prohibuit, officiumq; S. Inquiſitionis impediuit.

3. Placentinum Epiſcopum, & quamplures Prælatos, & inter hos Abbatem S. Sepulchri, Præpoſitum Maioris Eccleſiæ, Præpoſitum S. Euphemiæ, Præpoſitū S. Ioannis, violenter eiecit, inq; exilium abire coegit.

4. Bona & iura Eccleſiaſtica Epiſcopatus Placentini occupauerat atq; poſſederat.

5. Tallias, & collectas Clericis, Religioſis & aliis piis locis impoſuerat, atq; per vim exegerat.

6. Prælatos, Clericos, & Religioſos diuerſorum Ordinum in carcerem coniecerat, tormentiſq; plurimis afflixerat.

7. Eos, qui Legato Apoſtolico litteras deferebant, capiebat, in ergaſtulo detinebat, & multis incommodis afficiebat.

8. Aliquas Sanctimoniales Virginitatem profeſſas, ex Monaſteriis extraxerat, atq; eis abutebatur.

9. Domos Religioſorum Placentinæ Diœceſis, per miniſtros ſpoliarat.

10. Ne capitula Religioſorum in eadem diœceſi celebrarentur, vetuerat.

11. Interdictum in ipſa illa diœceſi violarat, & vt diuina celebrarentur officia, Eccleſiaſticos compulerat; nolentes obtemperare, Fratrem Thealdum, Bonzaminum & Philippinum Ord. Præd. & alios aliorum Ordinum, eiecerat. & inter hos F. Franciſcum Ferracanum Ord. Minorum, quod in detractores auctoritati Pontificiæ inueheretur, primum è ſuggeſto deturbare comminatus fuerat, deinde Ciuitate exegerat.

12. Ne Decima pro ſubſidio terræ Sanctæ collecta ſummi Pontificis Miniſtris numeraretur, prohibuerat.

13. Legato Pontificio, ne debitæ procurationes ſeu contributiones conferrentur, interdicebat: & in Curia Legati Cardinalis commorantibus Prælatis, ne quicquam ex eorum redditibus mitteretur impediebat.

14. Accedentes ad Curiam ſummi Pontificis, deferenteſq; litteras ab eo vel ad eum, & à Legato vel ad Legatum detinebat.

15. Boſium de Zabulis Monachum Monaſterii Fontanæ viuę, & Gerardum Curatum S. Nicolai de Captaneis in carcere necauerat; Bertolinum Riualgarium Monaſterii S. Sixti & Ottonem de Maltonſis Canonicum furca ſuſpenderat, Fanciſchinum Vicedominum in platea publica capite imminuerat, & alios plures Clericos & Religioſos occiderat.

16. A qualibet perſona Eccleſiaſtica & ſæculari, certam pecuniæ quantitatē, ſingulis menſib. extorquebat.

17. Sectam Manfredæ hæreticæ ſequebatur.

18. Clericos & Religioſos, vt ſententias excommunicationis contra eum prolatas, nullas, neq; timendas eſſe prædicarent, compellebat.

19. Leonardum de Salexero necromanticæ ſuperſtitionis profeſſorem audiebat, atq; ab eo ſtatuas cereas formare, adorare, conſulere, reſponſa à dæmonib. expectare, dæmoneſq; colere didicerat; multoſq; eius farinæ nefarios admittebat, & in pretio habebat: à quib. male doctus, ſtatuas cereas igni admotas, maleficiorum cauſa torrebat, & liquefaciebat.

20. Ioannem ſummum Pontificē, non eſſe verū Papam, neq; verū Chriſti Vicarium, neq; Petri ſucceſſorē mentiebatur. Propter hæc, & alia crimina, eandē fere, quam pater eius Matthæus, damnationis ſententiam audiuit.

X. Alia ſententia in reliquos eiuſdem Matthæi Vicecomitis filios.

Porro Marcus, Luchinus, Ioannes & Stephanus eiuſdem Matthæi Vicecomitis filii, hæc perpetraſſe leguntur, in ea quam in illos Aychardus vna cum reliquis Inquiſitoribus tulit definitiua ſententia. ſc.

Marcus, Luchinus & Stephanus, quamplures Eccleſiaſticas & Religioſas perſonas, etiā in Sacerdotio & Prælationib. conſtitutas, in terris & locis quas tenebant ſua tyrannide occupatas fecerūt per ſuos miniſtros capi, & cōpeditos carcerib. grauib. detineri; quorū aliquos dictus Marcus torqueri fecit immaniter. & vt de multis aliqua exprimantur: dictus Steph. Rector exiſtens Ciuitatis Vercellen. capi procurauit & fecit Venerabilem Patrem Dn̄m Vbertum Dei gratia Epiſcopum Vercellen. ac Ven. viros Abbatem S. Stephani Vercellen. Ord. S. Benedicti, & Præpoſitū, & Theſaurarium, & quamplures Canonicos Eccleſiæ Vercellen. in Sacerdotio & Sacris Ordinib. conſtitutos, eoſq; fecit carcerib. mancipari, quorum aliqui in eiſdem carcerib. defuncti ſunt. Præfatuſq; Marcus ſtatuas ſeu imagines faciens fabricari, perſonas Domini Papæ, ac Domini Legati, ac præfati Epiſcopi Vercellen. repræſentantes, in eorundē ignominiā & contemptū fecit comburi. Interdictum ēt poſitum in terris & locis, quas idem Marcus & pater ipſius detinebant ſua tyrannide occupatas, contemptibiliter violauit, immiſcendo ſe diuinis officiis, & corpora defunctorum faciendo in Eccleſiarum cæmeteriis ſepeliri. Inſup fecit in Terdonen. per ſuum Vicarium ſub pœnis grauib. prohiberi, ne aliquis panem ſeu eleemoſynam aliq̄ daret Religioſis paupertatis, pro eo maxime quia prædictum Interdictum ſeruabant. De terris quoque ſubiectis ſuæ tyrannidi, quāplures perſonas Religioſas & Eccleſiaſticas expulit violenter. Impediuit etiam multipliciter, quod pecunia decimæ impoſitæ pro ſubſidio terræ Sanctæ, Cameræ Domini Papæ, & procurationes debitæ Domino Legato prædicto, ad eum nō poſſent deferri. Euntes quoq; ad Curiam Romanam, & Domini Legati prædicti, & redeuntes ab illis, litteras Dn̄i Papæ & Dn̄i Legati deferentes, aliis & ab aliis ad eoſdē, Marcus & Stephanus prædicti impedire nequiter præſumpſerunt. Præfatus quoq; Luchinus Adminiſtratorem Eccleſiæ Papien. expulit de Papia, & bona dicti Epiſcopatus indebite occupauit: ac Archidiaconum Papien. bonis ſuis fecit nequiter ſpoliari. Dictus a. Ioannes, frater prædictorum, multas perſonas indignas per ſuam potentiā, in plurib. Eccleſiis & Monaſteriis Ciuitatis & diœceſis Mediola. fecit intrudi. Præfati deniq; Marcus, Luchinus, Ioann. & Stephanus, tot & tantis, & tam nefandis ſceleribus, & exceſſib. horrendis inuoluti, exorbitantes à fidei veritate,

ritate, verum lumen non videntes, & contemptibiliter poteſtatem & claues vilipendentes Eccleſiæ, plures excommunicationum ſententias quas incurrerant, ex cauſis præmiſſis latas tam ab homine q̃ à *iure* ſuſtinuerunt diutius animis induratis. Et inſuper illius aſtutia fraudulenta decepti, qui ad generis humani æternum laborat interitum, vlterius cordium ſuorum peſtiferam labem traductam in eos à progenitorib. ſuis cœlare nō valentes, præfati Marcus & Luchinus officium Inquiſitionis hæreticæ prauitatis multipliciter, elapſis annis plurib. impediuerunt; ꝓpter q̄ fuerunt ipſo facto excōmunicationis ſententia innodati, lata à canone, contra impeditores officii memorati. q̃ excommunicationis ſententiā annis plurib. ſuſtinuerunt, & adhuc ſuſtinent animis induratis. Adhuc etiā præfati, Marcus, Luchin⁹, Ioan. & Stephanus, ſententiam excommunicationis ꝑ Aychardum Archiepiſcopum & Inquiſitores publice latam in ipſos, ex eo q̄ citati per eos peremptorie, tan. q̃ de fide ſuſpecti comparere contumaciter contempſerunt, ſuſtinuerunt ꝑ annum & amplius, & adhuc ſuſtinent animo pertinaci. Propter hæc crimina grauiſſima, eadem q̃ in Matthæum patrē, & Galeacium fratrem, ab iiſdē Commiſſariis iudicib. ꝓlata eſt ſententia. Nec minus ſeuera, in Scotum de S. Geminiano, & Franciſcum Garbagnatum complices ſcelerum, eodem plane die, ab iiſdem Iudicib. pronunciata eſt ſententia, à Ioanne Summo Pontifice, auctoritate Apoſtolica probata, & vbiq; ad diuulgandum vna cum reliquis tranſmiſſa.

XI. ANATHEMATIS SENTENTIA IN OMNES MATTHÆI VICECOMITIS ASSECLAS.

Fere innumerabiles habuit Matthæus aſſeclas, quos prece, precioq; ſibi adiunxerat, nonnullos ēt tyrannide compulerat. Quāobrem, cum illum, ac eius filios, hęreticos damnatos eſſe Ioan. pronunciaſſet, declaraſſetq;, eidem Aychardo & Inquiſitorib. iniunxit, vt cōtra oēs ei vel illis adhærentes, tanquam contra fautores hæreticorum ab Eccleſia damnatorū, iudicium inſtituerent, & in conuictos ſocietatis ac reliquorū criminū, ex lege Eccleſiaſtica animaduerterent. Datis 10. Cal. Feb. Auinione ab Ioanne Pontifice hac de re litteris, Cōmiſſarii non impigre obſequētes, plurimos eorū, & in his Matthæum Vicecomitē Cimiliarcham, Robertum Vicecomitem Archipresbyterū, Iacobū Vicecomitem Ordinarium Eccleſiæ Mediolanen. Francinū Iuriſperitū, Vercellinū, Lodriſium, Leonē Ortorinum, Veſcontinum, Paulinum, & Guidetū *Vicecomites filios* quondā Ottoboni, aliquos ex familia Puſterlarū & Criuellorum, & cōplures alios, die 2. mēſis Aprilis, Valētiæ, publice diris deuouerunt. *ex MS. proceſſib. Biblioth. Vatic. n. 3936. 3937.*

XII. DIPLOMATA CONTRA FACTIOSOS PROMVLGATA LACERANTVR A GIBELLINIS.

Ad eum modum, Ioan. Summus Pontifex, Sacris ac piorum cœtu, Vicecomitib. Mediolanenſibus, tamquā Eccleſiæ hoſtibus, omnibusq;, quicumq; illorū partes ſequebātur interdixerat, Chriſtianūq; populū ampliſſima peccatorum venia delata, ad eamdē veniæ formulam, quæ contra Saracenos arma ferentib. impartiri ſolet, cōtra illos incitarat. Cū diploma Genuæ in æde maxima recitatū eſſet, Guelfis illud venerabunde accipientibus, lōge diuerſus animorū habitus in Gibellinis fuit, q̄ contēpta ſacroſancta maieſtate, diplomata Pontificia lacerarunt: q̃ ſic lacerata Guelfi, Pontifici trāſmiſerunt.

XIII. DEFICIENTIBVS A MATTHÆO VICECOMITE MEDIOLANENSIB. ET IPSE PERICVLORVM TIMORE FRACTVS, ABSOLVTIONEM AB EXCOMMVNICATIONE PETIT SED DIVINA VIN-

Mediolanum, Parmen. Epiſcopus, vna cum duob. Abbatibus, tū ad euulgādas ſentētias, tū ad mentē Matthęi explorandam, (ſi forte hoēm induratæ mentis emollire poſſet,) conceſſerat, & ad S. Simpliciani in ſuburbano diuerterat. Nec Matthęus inuiſere Epiſcopum detrectarat: verūtn̄ recta monentē audire contēpſerat. Nāq; Epiſcopus hortabatur, vt ſe Pōtificis voluntati ſubiiceret, neq; ꝑgeret vlterius diuinū iudiciū in ſe ꝓuocare: pſertim cū ille Chriſti in terris vices ſuſtineat, cunctāq; poteſtatē ligādi ſoluendiq; obtineat: neq; Matthæus iuſto titulo dominiū Mediolani, & aliarū Inſubriæ & Æmiliæ Vrb. ū, ad ſe poſſe ꝑtinere arbitrari queat. Itaq; dominio renunciaret, arma deponeret, clauſtra vinctis aperiret, læſis & ſpoliatis faceret ſatis, atq; miſericordiā humiliter Chriſti Vicarium imploraret. Ægre audiuit Matthę⁹, peracerbeq; Epiſcopo reſpondit: ſe non Pontificis, ſed Henrici pridem defuncti Imperatoris beneficio dominiū Mediolani accepiſſe: neq; illud inuito Imperatore deponere: ſed neq; captiuos dimittere, neq; militē diſꝑgere, abſq; conſenſu Confœderatorū Principū poſſe.

DICTA MORTE PRÆVENITVR.

Hæc cum Legatus audiſſet, qua anathemata vbiq; publicari, qua Raymundū Cardonū, exercitum ꝓmouere iuſſit, ad rebelles caſtigādos. Iā Baſſignanā & Alexandriā & Terdonā receperat, Marcūq; Vicecomitē ꝓfligarat, cum Matthęus in cōcurſu aſperrimarū rerum mēte perturbatus, furiisq; nocte dieq; agitatus, de renunciando dominio cogitabat. Senatus populusq; Mediola. in dies ſingulos ſeſe dānari, Sacrisq; arceri amplius non ferens, ad diem 14. Iun. Duodecim alios viros, ad Legatum pacis & abſolutionis poſtulādæ cauſa deſtinarat, litterasq; ea die datas *Bertrando ſcripſe*. at; potiorem ſibi ſalutem, à benignitate Pōtificia, omnib. rel q̃s luculēter demōſtrans. Cum itaq; Proceres, & primores amicorum ſerio deficere, populum a. feſtinare, trepidare, querulas interdū minacesq; voces iactare, & metu anathematū, q̃ Legatus in momenta fulminare nō ceſſabat, ſeceſſionem cogitare pſpiceret, Matthæus, impendentiū malorum timore fractus, Galeacio filio, qui ad 10. Cal. Iun. Mediolanū aduolarat, Principatū cōcedēs, militaris imperii vexillū tradidit, inq; tēplum maximū ſeſe duci imperauit. Ibi ꝓfanus, ad arā maiorē, aduocatis ſacrilegæ impietatis ſociis Sacerdotibus, (iniuſtā ſibi iniuſte dicebar) hęreſeos notā cōqueſtus, fidei Symbolū clara voce recitauit: iureiurādo cōteſtatus ſibi immerēti ſacra eripi q̄ nuſquā à ſacroſancto dogmate diſceſſiſſet. Inuocabat itidē Dei Maximi vltoris numē, q̄ iniq̃ſſima (ita aiebat) factioſi Legati ſententia condemnatus, patria excedere cogeretur. Sequenti die Modoëtiam delatus, eadē in tēplo Diui Ioan. Bapt. ꝓfeſſus, in febrim incidit, & ad 6. Cal. Iul, ab vltore numine extinctus, infelicē per tormēta animi animā efflauit. Defunctum, ſecreto ignobiliq; *in loco filii* tumultuarunt, aliquādiu ēt morte celata; ne cadauer, quēadmodū Cardinalis Legatus, & Inq̃ſitores ad penultimā Oct. diem publicatis edictis decreuerāt, ignib. vltricib. cremaretur. Exquiſita diligentia illi egerunt, ſi quō illud conquirerēt. Veruntamē poſt multas inq̃ſitiones & anathemata, inſcientes, vbi conditū fuiſſet, neq; reuelantes pronunciata; nihil reperire potuerāt.

XIV. GALEACIVS MATTHÆI VICECOMITIS FILIVS MEDIOLANENSI DOMINIO POTITVS, ILLVD DESERERE COGITVR.

Potitus dominio Mediolani Galeac. grauiora demū *Pontificis*, & *Roberti Regis arma*, *conſpirantiūq;* patritiorū vim, ac Germani militis defectionē, ſummo cū diſcrimine ſalutis expertus eſt. Dolebat Patriciis Mediola. Vrbis Imperiū, in Regiā fere poteſtatē eſſe conuerſum, ac in hęreditariū ius veniſſe. Itaq; cum eiiciendū Galeacium decreuiſſent, miſſis Guillelmo Puſterla, Ludouico Vicecomite, Guilelmo Caſeto, Simone Criuello, Mucio Modoecien. Stephano Vicomercato, Franciſco Garbagnato, Imblādo *Madello*, & *aliis nōnullis*, Legato rem communicarunt, conſtitueruntq;, vt pulſis principatu Matthæi liberis, res Mediola. ſub libertatis nomine, tegeretur. Rogerius, & Anechinus Vindelici Cēturiones, pāio inito, primi à Galeacio defecerū; nec ciuitas dubitauit, q̄n Germanorū exemplū ſequeretur. Ea defectione Galeacius & Marcus perterriti, quū atrocia metuerēt expectarētq; vna cum fratrib. ac filiis fratrū, 6. Id. Oct. Vrbe exceſſerunt, & Laudē Pompeiā, ad Viſtarinos veteres amicos ſeſe receperunt. Eorū diſceſſu Ciuitas tyrannide liberata, creatis ex vnaquaq; tribu decurionib. libertatem arripuit; Ioanni Turriano, in annum ſumma Imperii permiſſa. *Donatus Boſius hiſt. Mediol. Iouius in Matthæo & Galeacio Vicecomitib. MSS. proceſſ. ſuperiores. Vbertus Folleta hiſt. Genuen. Bernard. Corius hiſt. Mediol. parte 2.*

XV. CONFOEDERATI REDEVNT AD ECCLESIAM.

Interim Legatus miſſo exercitu, Placētiā ꝓ pa Vergaſii Landi per Galleacii abſentiā, Azone eius filio cū 12. Ciuib. ꝓfugiēte recepit, Parmēſes & alios q̃plures, à Vicecomitib. deſciſcētes, anathemate exſoluit: paciq; & concordię vbiq; ſtabiliēdę inuigilauit. Alibi in Italia, diuulgato caſu Matthęi, varie trāſactū. Peruſini, Aſſiſinates Gibellinos, ſuperūt. Fanēſes, ēt ſuos eiecerūt. Vrbinates, auxilio Marchionis Malateſtæ, Auximates, Recinetēſesq;





Eccleſiæ rebelles, domuerunt. Duæ iſtæ vrbes, præter reliqua facinora, etiam hęreſeos, & idololatriæ crimine ſeſe polluerant, tantumq; Ioannem Pontificem commouerant, vt is Cruce ſignatorum exercitum, contra eos colligendum putauerit. Primores ciuitatum ſceleris damnati, fuga ſibi conſuluerunt, Auximates populi Eccleſiæ benignitatem impetrarunt; Recinetum Malateſta, incendio exuſſit; cum iam Sedes Epiſcopalis; Maceratam fuiſſet translata.

XVI. AEDES LAVRETANA B. MARIÆ VIRGINIS A IOANNE PP. RENOVATA.

In hoc iniquiſſimo tempore, non defecit erga Diuam Deiparam Lauretanam, eorum, vel aduenarum deuotio. Quanquam enim Ioannis Pontificis iuſſu, Recinetum exciſum fuiſſet, atq; ciues alio commigraſſent, rebus tamen paulo poſt cum Pontifice compoſitis, oppidoq; *in noua Sede*, *vbi nunc eſt*, *condito*, *vel* ob direptionem vrbis, vel ob nouarum ædium ædificationem, omnibus fere rebus licet exhauſti, tamen Beatæ Mariæ Patronæ ſuæ religione ſtimulante, templum Lauretano Sacello circumdare moliebantur. Namq; creſcente in dies aduenarum, donorumq; copia, cum peregrinos votiuasq; imagines ac tabellas, adiunctæ porticus haudquaquam caperent: Epiſcopus Maceratenſis, in cuius diœceſi Recinetum erat, *ſumma* Recinetenſium approbatione ædificando circa Sacellum templo animum adiecerat. Igitur magnum circumiacentis agri ſpatium, ad eam rem facile impetratum, diſturbatisq; porticibus, templum ære publico à fundamentis extructum eſt; humile illud quidem pro magnitudine, ſed tamen ſatis amplum, capaxque. Adiectæ templo ampliores ædes Sacerdotum, miniſtrorum habitationi, & nobilium aduenarum hoſpitio deſtinatæ: quibus deinde, diuerſorium pauperum peregrinorum acceſſit. *Ioan. Villani lib 9. c. 128. & ſeqq. Turſellinus hiſt. Lauret. l* 1. c. 18.

XVII. VRBINATES PRO ROMANÆ ECCLESIÆ DEFENSIONE FRIDERICVM MONTEFELTRIVM EXCOMMVNICATVM CRVDELITER TRVCIDANT.

Eluxit tunc maxima, Vrbinatium, erga Eccleſiam fides. Receperat ſe indidem Fridericus Montefeltrius, Romani Pontificis hoſtis, non ſemel anathemate damnatus, vt ſtipendia in milites, partim à ſe, partim ab Epiſcopo Aretino, partim à Caſtrucio Lucenſium tyranno in ſubſidia Recinetenſium conſcriptos colligeret. Ferre ciues non ſuſtinuerunt, non tam exactionem iniquam, quam quod diras ab Ioanne pronunciatas, innocentes quotidie audirent. Itaque per tumultum conglobati, in caſtro deſidentem circumdederunt, pœnas de tyranno deſumpturi. Ad primum ille plebis tumultum, veſtibus ſeſe ſpoliauit, & ſeminudus laqueo collo iniecto, vna cum filio ad furentem plebem deſcēdens, miſericordiam, ſed fruſtra implorauit. Populus enim iuſta indignatione commotus, manus vtriq; iniecit, & iugulatos per plateas ad contumeliam traxit, inq; foſſam equo extincto effoſſam vtrumq; iniecit. Paruulum *Friderici puerum fugientem*, idem fatum excepit; duos alios, Eugubini, fuga elapſos interemerunt; Sperantius apud S. Marini caſtrum vix ſeruatus, ſeram ſed ſeriam, in auctoritatis Pontificiæ contemptores Patrem & fratres, vltionem, mœrore confectus aſpexit. Ad 26. Aprilis diem huius anni, Vrbinates manus ſuas, Deo, in ſanguine excommunicatorum conſecrarunt.

XVIII. FLORENTINORVM ET ROBERTI REGIS SICILIÆ FIDES ERGA ROM. PONTIFICEM.

Non minor Florentinorum, erga Romanum Pontificem fides fuit. Cum enim Caſtrucius, Piſanorum aliqui, & Epiſcopus Aretinus morte Feltriorum audita, Pontificiorum clientum in Etruria fortunas tentaſſent, & nonnulli Bononiæ quoq; imminerent, tum milite, tum pecunia, tum commeatu opem poſtulantes iuuerunt, plurimisq; victoriis opportune partis, animos ſociorum in fide & fœdere confirmarunt. Super omnes autem, Roberti *Regis Siciliæ virtus in tuenda* Romana Eccleſia enituit. Quanquam enim tyranni Aemiliæ, & Inſubres, poculo valetudinem eius, Auinione, per familiares illius corruptos tentantes, prope in diſcrimen vitæ coniecissent; nihil tamen ille periculo deterritus, tum Etruſcis, tum Legato Cardinali apud Inſubres decertanti, tum Genuenſibus à Friderico Trinacriæ Rege iterum pulſatis ſuppetias miſit, Romanoq; Pontifici contra refractarios militauit. *Ioan. Villani l. 9. c. 140. & ſeqq.*

XIX. VENETOS A PERDVELLIVM ROMANÆ ECCLESIÆ CLIENTELA DETERRET IOANNES PP.

Hoc tempore, cum Prætorem, Defenſores, Senatum, Rempublicamq; Faneſtrem, Ioannes Pontifex, quod à Romana Eccleſia defeciſſent, & pleraq; alia facinora conſciuiſſent, eo edicto mulctaſſet, vt qui caperentur ex illis, in ſeruitute perpetua, apud eos qui caperent, eſſent; & eorum ſupellex iure occupari poſſet; atq; ob id Ferrantinus Malateſta Ariminenſis, Faneſtres, eorumq; bona infeſta redderet, Venetiq; vt inde Ferrantini conatus auerterent, Ariminum Legatos miſiſſent, qui Faneſtres in Venetorum clientela, ac patrocinio eſſe, Ferrantino & Ariminenſibus edicerent, accurateq; mandarent, illos abſtinere à Faneſtribus exhibenda moleſtia: alioqui, ni abſtinerent, Venetos in Ariminenſes moturos; his Pontifex vehementer commotus, Auinione 8. Idus Febr. Pontif. anno 6. Aymerico Prouinciæ Flaminiæ Rectori ſcripſit, curaret diligenter, ne Veneti patronos ſeſe Romanæ Eccleſiæ perduellium gererent; Pontificis ſenſum illis, & contumaciam Faneſtrium ſignificaret; moneret, vti mandata eiuſmodi reuocarent; Ferrantinum, & Ariminenſes Romanæ Eccleſiæ obſequentes, ab illa haberi chariſſimos. Itaque abſtinerent moleſtia: *alioqui eos* (ſuis inquit literis Pontifex) *ad reuocandum mandatum huiuſmodi, & abſtinendum à ſimilibus, ac nouitate prædicta per ſpirituales & temporales pœnas, de quibus videris expedire, tam Apoſtolica, quam Imperiali auctoritate, quæ in nos pro eo quod Imperium Romanum Imperatoris regimine caret, ad præſens reſidere dignoſcitur, compellere non omittas; deſcripturus nobis per tuas patentes literas, vel inſtrumentum publicum, harum ſeriem continens, quicquid in præmiſſis duxeris faciendum.* Alteris literis Summus Pontifex, ad Rauennates, cæteroſque Aemiliæ proceres ac Decuriones ſcriptis, hortatus eſt; vt Aymerico Rectori ſtipendia perſoluerent, quæ ſuperioribus Rectoribus, in equites tercentum, totidemq; pedites ſolui conſueſſent; ipſorum id Prouincialium cuſtodiæ, & quietis cauſa fieri. Ad hæc, ne vmquam reciperent, Andream, Lippariumq; Auximates, Gonzolini filios; Taraboctum, Rainalductii Tarabocti, Ancomitanum; aliquotq; præterea Recinetenſes, qui Auximatis & Recinetenſis defectionis fuerant auctores. Iam enim eos à Laurentio Mondainenſe Franciſcano, Fidei Quæſitore, hæreticos atq; Idololatras, obſcœnum domi Idolum colentes, eſſe declaratos. Quapropter in Flaminiam ſi peruenirent; eos caperent, inq; cuſtodia haberent, & Aymerico prouinciæ Rectori interim fauerent. Accidit inter hæc, atrociſſimus caſus Rauennæ.

XX. RAYNALDVS RAVENNAS EPISCOPVS CRVDELITER AB HOSTASIO OBTRVNCATVR.

Raynaldus enim Polentanus, Archiepiſcopus deſignatus, cum Pontificis reſponſum, Legatosq; ſuos expectaret, ab Hoſtaſio Polentano, Bernardini filio, fratre patruele, qui vna cum Guidone Rauennatem principatum arripuerat interſectus occubuit. Ad 13. Kal. Octobris, Hoſtaſius, Veſperi, Raynaldo dixerat, Ceruiam ſe poſtridie abire conſtituiſſe, atq; in itinere interim venari, eaq; de cauſa, illius equos ſibi fortaſſe opus futuros, Raynaldus omnia prolixe pollicitus eſt. Mane, inalbeſcente vix adhuc cœlo, cum miſiſſet Hoſtaſius, qui Vrbis claues ab Raynaldo acciperet, eaſq; habuiſſet, introductus eſt, cum valida militum manu Vgolinus, Bernardini Cunii Comitis filius, continuoq; ad Raynaldi ædes concurſum eſt. Ibi cum Hoſtaſius colloqui ſe cum Raynaldo de magnis rebus velle diceret, in cubiculum admiſſus, vna cum Vgolino & ſeruis armatis, Raynaldum, cum etiam tum in lecto eſſet, per ſummum ſcelus obtruncauit. Huius facinoris, ſocietatis, & impietatis, impatiens dominandi libido, quæ tranſuerſos agere plerumq; ſolet mortales cauſa fuit: quod Raynaldus facile omnium Polentanorum, & aliorum Rauennatum ciuium Princeps, populari gratia floreret, & Pontificio in-

riæ rebus faueret. *Hieronym. Rub. Hiſtor. Rauennat. libr. 6.*

XXI. AYMERICVS ARCHIEPISCOPVS RAVENNENSIS CREATVR A IOANNE PP.

Ioannes Pontifex, ne quid detrimenti Eccleſia Rauennas acciperet, Paſtore orbata, Archiepiſcopum illi præfecit Aymericum è caſtro Lucii Æmiliæ Rectorem, virum egregiis virtutibus clariſſimum; datiſque ad eum VII. Idus Aprilis, Pontificatus anno VII. Auinione ſcriptis literis, mandauit, vt aduerſus Raynaldum Azzonem, & Opizonem Eſtenſes, propter vſurpatam Ferrariam anathemate damnatos, mouenti Bertrando Cardinali Legato, aſſiſteret, faueret, & qua ratione poſſet, ferret opem. *Rubeus ſupr.*

XXII. SCALANVS VERONENSIS TITVLO VICARIATVS SE ABDICANS FIT SVPPLEX ROM. PONTIFICI. *ep. Ioan. 74. & 359. huius anni.*

Scalanus Veronenſis, cum accepiſſet, Ioannem Pontificem, contra eos, qui vacante Imperio Romano titulum Vicariatus vſurpauerant, aliaque Imperialia officia temere exercuerant, die Cœnæ Dominicæ, & aliis feſtiuis, mucronem ſpiritualem exeruiſſe; tum vero Matthæum Vicecomitem diris percuſſum, malam mortem obiiſſe, filioſque illius Mediolano exceſſiſſe; ſummo Pontifici ſupplex fuit, Gibellinoſque dereliquit. Præſcripſit Ioannes Beltrando Legato, qua ratione Scalanum, titulo Vicarii ſeſe abdicantem audiret, quibuſve conditionibus, auctoritate Pontificia, eandem dignitatem in Veronenſes concederet, datis ad Cardinalem literis *numero 359. in tabulario huius anni.*

XXIII. EIDEM RECONCILIATVR ACTIVS CORRIGIVS.

Actius quoq; Corrigius, per id temporis, à Bonacoſſo Paſſarino Mantuano & reliquis, ad partes Cardinalis conceſſerat. Huic caſtrum Sancti Domnini, Parmenſis diœceſis, quod ad Romanum Imperium pertineret, & Ioannes vacante Imperio eius diſpoſitionem, ad Sedem Apoſtolicam ſpectare putaret, tantiſper conceſſit, donec aliquis legitimo iure in ſceptra Romana ſuccederet. Dedit ea in re, *diploma numero 185.*

XXIV. ITEM FRIDERICVS REX TRINACRIÆ.

Fridericus quoque Trinacriæ Rex, tantis progreſſibus Pontificiorum fractus, nonnihil mutare cœpit, adeoque pacem poſtulauit; ſi modo Pontifex illum anathemate exſolueret; & XLI. Millium Vnciarum auri debitam ex pacto fiduciario ſolutionem prorogaret; necnon Inſulæ Siciliæ Sacra ablata reſtitueret. Pacis cupientiſſimus Ioannes, non grauatim priora indulſit, & interdicti ſententiam ſuſpendit, donec de ſumma rei inter Fridericum & Robertum Reges conueniret. Anno ſuperiore, die XIII. Iulii, rebus humanis exceſſerat, Humbertus à Monte Aureo Burgundus, Archiepiſcopus Neapolitanus. Huic ſucceſſorem Ioannes ſubrogauit, Bertholdum Romanum, gente Vrſinum, Regibus Carolo & Roberto Siciliæ, à conſiliis, propter probitatem & prudentiam chariſſimum. Huic Prioratum Eccleſiæ Sancti Nicolai Barenſ. gerenti, quod ante confirmationem, fructus eius Eccleſiæ, Archiepiſcopus Neopatrenſis ipſius baſilicæ Theſaurarius, intercepiſſet, Robertus Rex datis Neapoli 22. Aprilis, anno Domini M. CCC. XXIII. litteris, præcepit, vt eoſdem ex integro reſtitueret. *Cod. Columm. biblioth. Vatican. & monum. V. ſin. apud Excellentiſſimum D. Virginium Vrſinum Ducem Brachiani*; qui, nuper Romæ, inter gemitus filiorum, Vrbe vniuerſa ad caſum proceris dolente; die IX. Septembr. quæ Mercurii erat; hora XIX. apoplexia inter prandendum correptus, Sacroque oleo inunctus, ex manibus Illuſtriſſimi Cardinalis Montalti, ad immortalitatem conceſſit, poſtquam paulo ante XXI. Auguſti die, hora XX. Carolum filium, Magnæ ſpei adoleſcentem, XVIII. annos natum, magno ſuo mœrore ante ſe præmiſiſſet: heros, magnanimitate, comitate, prudentia, vſu rerum gerendarum, pietate & beneficentia, Eccleſiæ Romanæ tuendæ; ac Fidei Catholicæ tum amplificandæ, tum ornandæ, tum à Turcis, hæreticiſque vindicandæ ſtudio, ſupra multos huius ſæculi Principes longe clariſſimus. Vixit annos, Tres & XL. magnum virtutis & patientiæ exemplar.

XXV. IOANNES PP. CASSINENSEM ECCLESIAM IN CATHEDRALEM ERIGIT.

Eodem anno Ioannes Pontifex, Eccleſiam Caſſinenſem, in Cathedralem erexit. Cauſas, quæ mouerent, in diplomate, Auinioni, VI. Non. Mai. Pont. anno VI. dato, his verbis expreſſit.

*Ad ipſum quoque Monaſterium, quod Confeſſor almus, gratia Benedictus & nomine multipliciter illuſtrauit, quod etiam Confeſſoris eiuſdem venerando vocabulo inſignitur, cuiuſque Sanctiſſimi Corporis Sacra reliquiæ imbi venerabiliter requieſcunt, ſpecialiter gerentes deuotionis affectum; decens, quinimo neceſſarium fore cenſemus, vt dictum Monaſterium, vbi Confeſſor præfatus claruit virtutibus, & miraculis coruſcauit, ac normam Sanctæ Monaſticæ Religionis inſtituit, quæ propagata per orbem, innumeros, quaſi à mari vſque ad mare, iam protenſos produxit palmites, & per incrementa temporum dilatauit, prærogatiua ſublimetur honoris, & potioris dignitatis eminentia, ſub Epiſcopalis appellatione nominis decoretur.* Matthæus Lauretus Ceruarienſ. de Sancto Benedicto.

XXVI.

Hoc ipſo anno, Ioannes, Quæſitoribus, Fidei in Picæno ſerio iniunxit, vt in deſertores Catholicæ doctrinæ animaduerterent, & ex Cenſura Eccleſiæ caſtigarent. Hac de re extat *epiſtola numero* 847. huius anni.

XXVII. CAROLVS PVLCHER GALLIARVM REX REPVDIATA BLANCHA CONIVGE MARIAM HENRICI CÆSARIS FILIAM DVCIT.

In Galliis, Rex Carolus Pucher, anno ſuperiore, die nono Februar. Remis coronatus, duxerat vxorem Blancham,, Othonis Comitis Burgundiæ Filiam, ex Mahalte Arteſiæ Comitiſſa. Huic, quod parum pudicam exiſtimaſſet, libellum repudii dare conſtituit. Cauſam tamen honeſtiorem diuortii prætulit; quod Mahaltes, illum ex Sacro fonte ſuſcepiſſet; iſtudque matrimonium, lege Eccleſiaſtica interdictum fuiſſe. Re ad Pontificem ſummum delata, Carolo poteſtatem Blancæ dimittendæ, & alterius coniungendæ, *data epiſtola num.* 806. fecit. atque is porro, Sedis Romanæ auctoritate Mariam Henrici Lucemburgici Cæſaris filiam, Ioannis Boemiæ Regis ſororem, ſibi in matrimonium copulauit. Ex qua nato abortiuo partu, ipſa paulo poſt obiit, in æde Monialium S. Dominici ad Montargium ſepulta. *Ioan. Tilius Comment. de reb. Gallic. lib. 1.*

XXVIII. IOANNIS PP. CONSTITVTIO CONTRA FALSOS MONETARIOS.

Ibidem in Galliis, cum plurimi falſarii, ſeu monetarii, rempublicam grauiſſimis damnis afficerent, hanc quam ſubiungo contra eos ſanxit Conſtitutionem, dignam quæ bono publico ab omnibus ſeruetur. Ita habet, *num.* 864.

*Prodiens quaſi ex adipe iniquitatis, multorum ſceleratorum funeſta cupiditas, eos in perniciem præcipitare conatur, dum ſequi miſerabilem eius ingluuiem ſatietatis neſcientem moderamina non verentur: ipſi etenim turpium lucrorum ſe facibus immergentes, ambitioſis nexibus inuoluuntur, Dei timorem damnabili cæcitate poſtponunt, & quaſi ambulantes, in tenebris, non vitant excidia perſonarum.*

*Nuper ſiquidem ad noſtri Apoſtolatus auditum multorum relatio ſide digna perduxit, quod nonnulli nullam habentes auctoritatem iuris, vel conſuetudinem, ſeu priuilegium faciendi, monetam falſam oſtendunt, & fabricant in Regno Franciæ, & locis circumuicinis. Alii vero monetam falſam, ſub vero ſigno chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Francorum & Nauarræ illuſtris ſtudioſe deprauant, & ex hoc cadit à ſuo recto pondere. Quãplures etiam in locis circumuicinis, quib. de iure, aut conſuetudine, ſeu priuilegio ius competit fabricandi monetam, ſignum proprium monetæ Regiæ, monetæ ſuæ quam fabricant imprimere, ſeu inſculpere moliuntur, eiuſdem quantitatis & rotunditatis, litterarum, figuræ, quam habet moneta Regia, monetæ ſuæ quam fabricant, quantum poſſunt ſimilius ſpeciem & formam inſculpunt, conſtituunt, & imponunt. & quamuis monetæ prædictorum, ad vſurpatã ſimilitudinẽ perducta deficiat à iuſto pondere argenti, & ſolito in Regia moneta, & more, & conſuetudine obſeruato; ſimplices tamẽ & populares perſonæ, non habentes inter monetas tantæ ſimilitudinis peritiam diſcernendi, falluntur quotidie ea occaſione in vſu monetarum, recipientes monetas falſo aſſimilatas pro veris. Sunt & alii, qui ſcienter falſas monetas extra regnum*





*prædictum emunt, & poſt intra Regnum ipſum eas portant, vendunt & expendunt.*

*Nos igitur attendentes, quod iidem falſarii & fabricatores monetarum talium, & emptores prædicti per hoc ſe dignos maledictione cõſtituunt, eos qui (vt præmittitur) præmiſſa moliri, aut fabricare, aut emere, vel portare ad regnum prædictum ſcienter præſumpſerint. felicis recordationis Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, excommunicationis ſententia innodamus: abſolutione prædictorum, nobis & ſucceſſoribus noſtris, præterquam in mortis articulo reſeruata. Nulli, &c. noſtræ innouationis infringere. Dat. Auinion. V. Nonas Iunii Anno VI.* hæc in commodum Regis Caroli Ioannes ſtatuebat.

XIX. MITTIT LEGATOS AD CAROLVM REGEM PRO RESTITVENDA PACE ECCLESIÆ. *epiſt. Ioan.*

Cæterum, cum is quam maximis incommodis, præſertim in Italiæ turbinibus afficeretur, Fratrem Dominicum Sacri Palatii Lectorem, Ord. Præd. inprimis ad Regem deſtinauit, & tum Carolo, tum Vmberto Ord. Præd. Regi à Confeſſionibus miniſtro perſcripſit, qui in negotiis grauiſſimis internuncio fidem adhiberent, & ex re ſedis Apoſtolicæ, quæ poſtulaſſet, efficerent. Ad octauũ Cal. Iul. inerat F. Dominicus, atque vix ad Pontificem redierat, cum ſecundo, ad 14. Cal. Auguſt. vna cum Ioanne Arpadella Canonico Pariſienſi ab eodem Ioanne ad Carolum & ad Comitem Valeſii miſſus, negotia Romanæ ſedis, tam feliciter quam celeriter confecit. De pacificanda Italia, de rebellibus comprimendis, de imperio ad vnitatem reducendo, de Franciſcanis vniendis, de Roberto & Friderico Regibus conciliandis, deque aliis non leuioribus rempub. Chriſtianã contingentibus, habuit Ioannes conſilium & auxilium implorare. Quamquam & res Armeniæ, non minorem curam à Ioanne Pontifice requirebant. Hoc enim anno, Syrorum ſupra XXX. equitum millia Armeniam deprædati, magnam Chriſtianorum multitudinem in ſeruitutem abduxerant. Egit Ioannes, cum S.R.E. Cardinalibus, & cum Rege Carolo, qua ratione afflictis quantocius ſubueniret. Cumque alia ratione tam cito quam voluerat non poſſet, Sacram Crucis militiam, in Saracenos publicauit, indulgentiaſque iis qui opem vel pecuniariam, vel militarem tuliſſent, tam amplas, quã pro terra ſancta pugnãtibus conceſſit. In ſpecie, Armenis & Cypriis Chriſtianis, qui pro fide Catholica contra Soldanum, vel alios infideles certaſſent, & in eo iuſtiſſimo bello ſiue ex vulneribus, ſiue alio ex caſu occubuiſſent, plenariam peccatorum remiſſionem, indulſit. Ioannes Rex, Armeniis tunc præerat: nepos vero illius, principatum Antiochenum armis obtinuerat. In illius gratiam, electo Hieroſolymitano Patriarchæ, vt terram Curchi, titulo ciuitatis inſigniret, Epiſcopumque vrbi præficeret, iniunxit: Priorique Prouinciali Armenici Ord. Præd. vt duos ex Fratribus ſui Ordinis, eius miniſteriis ad ſalutem perneceſſariis deputaret, auctoritate Apoſtolica præcepit: datis Auinione literis Quarto Non. Iul. Patriarchæ quoque Antiocheno permiſit, qui iuramentum homagium nepotis Regii audiret, & Antiochenum Principatum illi confirmaret. *Antonin. 3. p. hiſt.*

CRVCIS MILITIAM ADVERSVS SARACENOS PVBLICAT. *Paul. Lang. in Chron. Citizenſ. & Ioan. epiſt. 185. & 783.*

*Ioan. XXII. ep. 868. & 875.*

XX. INSOLENTES CLERICOS COMPESCIT ET CONSTITVTIONEM PRO MATRIMONIO PROMVLGAT.

Cum autem in Galliis, multam Cleri inſolentiam compeſcere alia ratione Ioannes Pont. non poſſet, Carolo Regi pariter permiſit, vt Clericos coniugatos, tam bigamos, quam monogamos qui habitum & tonſuram clericalem reieciſſent, poſſet ex æquo & iuſto coercere, non ſecus atque alios matrimonio deuinctos. Contra Clericos etiam qui ſecularibus negotiis quam diuinis officiis incumbunt, vt patriæ conſtitutionibus ſubiacerent, canonem pro tempore ſcripſit. Cum autem quãplurimi, ſacrum matrimonii vinculum, variis modis illuderent, conſtituit; inprimis, ne ſponſalia de futuro, niſi per ingreſſum approbatæ religionis dirimerentur: deinde, ne quis poſt ſolenniter initum, licet nondum conſummatum matrimonium, cauſa impediendi vel diſſoluendi ipſum matrimonii nexum, audeat ſacris ordinibus initiari. ſi ſecus fecerit, neque in ſuſceptis, neq; in ſuſcipiendis Ordinibus miniſtrare valeat, neque ad matrimonium contractum reuertatur, ſed tantum pro ſalute animæ ſuæ vni ex approbatis religionibus ſeſe addicat, inque ea profiteatur *Ioan. ep. 5. & Cod. Columm.*

XXI. ANATHEMA IN RAPTORES THESAVRI ECCLESIÆ ROMANÆ PRONVNTIAT.

Superioribus annis, Clemẽs Quintus Pontifex, theſaurum Eccleſiæ Romanæ, Gallis deſtinabat, iamque partem ex vrbe extulerat, & tum Aſſiſii apud Minores, tum apud Lucenſes in Eccleſia S. Fridiani, quod per impedimẽta itinerum, tempore bellicorum tumultuum, vlterius deferri non poſſet, depoſitionis titulo reliquerat: Caſtrucius Lucenſium tyrannus, alter Heliodorus profaſtus, eam qui apud Lucanos aſſeruabatur, rapuerat, nonnulliſque vendiderat. Iniquum Pontifici videbatur, ſi res Eccleſiæ ſemel Chriſto dedicatas, manus profana contingeret, vel in vſum ſeciorem conuerteret. Quamobrem in raptores eius ſacri, anathema diuulgarat. Primo monitorio, cum necquicq̃ mouerẽtur ſacrilegii, adhuc alterum fulmen iaciendum eſſe exiſtimauit, hocq; an. nonis Febr. Petro Raymundi Priori Cadurcenſ. Ord. Præd. & Petro de Banis Archidiacono Combralienſ. nec non Abbati S. Sauini de Muncione, commiſit, vt ii in ſacrilegos, ad iuſtas vindicias procederent. Iuſto anathemate emptores percuſſi, venditores reuelauerant, & in ſacrarium illatis rebus ſacris, quas à profanis coemerant, precium exſolutum ab iiſdem repoſcebant. Iiſdem commiſſis Pontifex præcepit, vt ad ſatisfaciendum ſacrilegos compellerent: atq; recuſantes, cenſura Eccleſiaſtica percellerent: tum vero illos, qui, ſciuerant raptores, nec hucuſque prodiderãt, anathemate exſoluerent. Pars non contemnenda cymmiliorum Pontificiorum, apud Aſſiſinates remanſerat. Eam vt in tabularium ex fide referrent, Abbati S. Petri Peruſini, Ioanni Amel. Canonico Licefald. Ducatus Spoletani theſaurario, & F. Fulconi Siſtaricano Ord. Præd. ad 8. Cal. Octobr. Ioannes iniunxit. Aliqua eius theſauri portio deſiderabatur, in tumultu ciuico à quibuſdam ſacrilegis vſurpata. Eam, cum mucrone ſpirituali confixi illi reſtituere deſignarent, Bardos mercatores Commiſſariis Pontifex inſinuauit, quibus reponerent, Auinionem transferenda. Dedit ea de re literas *4. Cal. Nouemb. huius anni.*

XXII. SPOLETANI REDEVNT AD SEDEM APOSTOLICAM.

Theſaurarium Ducatus Spoletani memoraui. Per hos enim dies, etiam Spoletani, R.E. ſeſe reddiderant, pars armis, pars cẽſuris, ad ſedis Apoſtolicæ dominium, quod temere abiecerãt, feliciter reducti. F. Petrus Raymundi, recens inſtitutus Procurator Generalis Ord. Præd. vna cum Petro Bano Archidiacono, Combralienſ. poteſtatem ab Ioanne Putnmo Pontifice, ad 6. *Idus Iulii* acceperant, ad gremium Romanæ ſedis reduces, à cenſuris liberandi: Frater a. Fulco Siſtaricus eiuſdem Prædicatorii inſtituti, qui magnam in recuperãdo Ducatu Spoletano operam Eccleſ. Rom. nauauerat, caſtro S. Iuliani ab eodem Pontifice præfectus monita Pontificia 15. *Cal. Sept.* perſcripta diligenter obſeruabat, ne fraudibus Gibellinorum circumueniretur, neue non difficile partum principatum, facile per fraudes amitteret aduerſariorum.

XXIII. THOMÆ AQVINATIS APOTHEOSIS.

Eodem anno Ioannes Summus Pontifex, D. Thomam Aquinatem, innocentia vitæ, & doctrina Catholica præſignem, ex ritu ſolemni Eccleſiæ, apotheoſi dignatus eſt. Ferunt, cuidã Epiſcopo, miracula inter ſancti opera depoſcenti, Ioannem reſpondiſſe: *Tot miracula Diuum Aquinatum perpetraſſe, quot articulos conſcripſerit, de diuinis dogmatibus.* Decimo ab hinc anno, cum hæc ſcriberemus, Neapolitani Ciues, ipſum Diuum, inter Tutelares ſuæ vrbis adſcripſerunt, eamq; in ciuem ſuum deuotionẽ, literis ad Pontifices Max. Clementem VIII. & Paulum V. datis, Orbi prodiderunt. Placuit pro gloria Diui, & Neapolitanorum honore, ea monumenta iſthic adſcribere. Ita Clemens VIII. ſcribebat.

Dilectis Filiis Nobilibus viris Deputatis Ciuitate Neapolitana.

CLEMENTIS PAP. VIII. LITERÆ AD NEAPOLITANOS D. THOMAM INTER TVTELARES SVÆ VRBIS ASSCRIBENTES.

CLMEENS PAPA VIII.

Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*In quo nos Paſtoralis officii noſtri cura excitati elaboramus, tantopere, vt hominum cogitationes omnes ad cultum Diuinum, atque ad ſanctorum venerationem intendantur, in id vos ſponte ferri cum videamus, inenarrabili certe lætitia, in Domino exultamus. Gratia Dei facitis, id quod facitis, & gratia Dei in vobis vacua non eſt: cum donis cœleſtibus cumulati gratos vos exhibetis, memoreſque beneficiorum, aucta in Deum pietate, atque in ſanctos eius reuerentia. Quarum quidem cogitationum, vt auctorem verum Deum maxime oportet agnoſcere, ita etiam affirmandum eas ipſas piis precibus eorum, in quorum tutela Ciuitas iſta eſt adſcita, Diuinæ Maieſtati acceptas eſſe magis. Proinde pie, prudenterque cogitatis, de nouo Ciuitati patrono adſciſcendo, ciue veſtro, Diuinæ voluntatis Angelico interprete, vitæ ſanctitate, & miraculis claro Thoma Aquinate: cuius doctrinæ tantum fuit tributũ, vt Chriſtianæ eruditionis ſuæ, diuinum etiam illud habeat teſtimonium:* bene de me Thoma ſcripſiſti. *Tali vos tantoque deprecatore, quia iure arbitramini diuinos theſauros facilius vobis poſſe patere, ſimpliciterque ac demiſſe rogatis, vt ad reliquos patronos iſtius Ciuitatis, is quoque adiungatur: Nos auctoritate noſtra Apoſtolica, pium ſanctumque iſtud veſtrum conſilium probamus, vobiſque, vt id liceat, concedimus. Quod ſi quid & preces noſtræ valent, pro vobis etiam, humillime ſupplicamus, vobis idem vt præſto ſit, veſtraſque orationes pio è corde profectas porrigat diuinæ maieſtati, curetque, vt vobis ſint eædem ſalutares. Vnum id monemus, Ciuitatem iſtam tanquam nouo ſponſo è cœlo venienti occurrere oportere circumdatam monilibus, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo; vt ille, veſtimentorum, hoc eſt bonorum operum odore ſuauiſſimo captus, charitatis vinculo ſponſæ adhæreat arctiore. Ratum id habeat, qui bonis omnibus propitius eſt Deus; & quam nos ad augendam pietatem veſtram vobis nunc benedictionem noſtram impartimur, ſua idem ſanctiſſima gratia proſequatur cumulatiſſime.* Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 22. Nouembris M. DC. III. Pontificatus noſtri anno duodecimo. Martius Malacrida.

Hæc ſubſequens epiſtola ad Proregem.

Dilecto filio, Nobili viro Comiti Beneuentanorum in Regno Neapolitano Proregi.

XXIV. ALIA EIVSDEM EPISTOLA AD PROREGEM NEAPOLITANVM.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte fili, Nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Quantum prodeſſe poſſint, qui præſunt aliis vitæ integritate & pietate, licet id ex tua nobilitate facile conicere: quippe omnes animi conatus ad Dei gloriam, atque publicam vtilitatem cum tu dirigas, tacita tui æmulatione populos ad eos imitandos, atque ad eorum normam, vitam, moreſque formandos inflammas. Erat quidem antea multo optandum, vt Ciuitas iſta pietati imprimis dedita, nouum patronum ad reliquos quos habet, addendum curaret Thomam Aquinatem, cuius diuino eloquio, & cœleſti doctrina miraculiſque, illa quidem illuſtris, merito apud remotiſſimas nationes, ſumma Chriſtiani nominis cum laude atque Eccleſiæ vtilitate celebratur. Verum id tuæ debebatur virtuti, vt ſanctũ conſilium, etſi acceptum Deo referre oporteat, à quo quicquid boni agimus ac cogitamus proficiſcitur, ex quo noſtra omnis ſufficientia emanat, tuum tamen in eo etiam ſtudium laudaretur. Quo factum eſt, vt multorum ſopita pene pietas te procurante excitetur, atque in oculis omnium, imo in Dei conſpectu appareat altior à terra atque eximior. Et nos ſolemus, vt decet, ſemper fauere ſupplicationibus; ſed huic certe ardentiori quadam voluntate annuimus, quod & nos ipſi Angelico huic Doctori, & noſtro, & totius Chriſtianæ Eccleſiæ nomine plurimum debemus, & tua in eum extat pietas ſingularis. Hoc igitur patrono vna cum aliis vtatur Ciuitas; hunc in rebus ad vſum vitæ, ad ſalutem animarũ neceſſariis fautorem atque adiutorem imploret; noſtrique ſaltem & tui qui id ipſum optas tantopere, publiciſque & priuatis precibus teneat memoriam, colatque beneficii accepti recordatione perpetua. Firmum hoc, quod nos auctoritate Apoſtolica, & benedictione noſtra habemus, firmius faciat Deus ſua gratia, & benedictione ſanctiſſima.* Datum Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 22. Nouemb. M. DC. III. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

XXV.

DECRETVM DEPVTATORVM Naopolitanorum, quo Diuum Thomam Aquinatem, in Tutelarem Vrbis adlegebant.

*Quod virum Sanctiſſimum Thomam Aquinatem nouum Patronum Vrbi adſciſcimus, vt ea res inuictiſſimo, atque auguſtiſſimo Regi noſtro Philippo, cunctis Patrum Ordinibus, Populoq; Neapolitano proſpera, & læta eueniat, votis omnibus precamur. Igitur, quod omnibus innoteſcat, hodie 19. menſis Ianuarii, anni 1605. Indictione 3. conſtituti in noſtra præſentia, Fuluius Conſtantius Marchio Corleti, & ſupremi à latere Conſilii Regẽs, Ioannes Simon Moccia, Horatius Ligorius, Marcus Antonius Mormilis, Alphonſus Ligorius, Franciſcus Mormilis de ſedili portæ nouæ, Felix de Marra, Marcus Antonius Caracciolus de ſedili Capuanæ, Ioannes Paulus San-Felicius, Fabius Surgens, Cæſar Carmignanus quondam Renaldi, Carolus Miroballus, Horatius Muſcetola de ſedili Montaneæ, Don Cæſar Pappacoda, Fabricius Tuttauilla, Hieronymus Macedonii de ſedili Portus, Aſcanius Carafa, Claudius Milanus, Alfonſus Brancatius de ſedili Nidi, Anellus de Martino, Franciſcus Imperatus V. I. Doctor. Horatius Campanſilis V. I. Doctor, Octauius de Martino V. I. Doctor. Iacobus Pintus, Franciſcus Pauellus, Ioannes Hieronymus Romanus, & Antonius de Iacobo, pro fideliſſimo populo. Deputati ab hac fideliſſima Ciuitate Neapolitana, præſentes in templo Diui Dominici ante aram maximam, aſtante frequentiſſima nobilium corona, ac fere innumerabili, tum Ciuium, cum exterorum mulitutdine.*

*Prædicti deputati, publice declarauere hanc fideliſſimam Ciuitatem Neapolitanam, iamdiu ſummo ſtudio concupiuiſſe, atq; exoptaſſe, Diuum Thomam de Auino, Diuinæ voluntatis Angelicum interpretem, vita ſanctitate, miraculis, & eruditione inſignem, inter vrbis tutelares patronos referre, vt præter Ianuarium Athanaſium, Aſprenum, Agrippinum, Seuerum, Euſebium, & Anellum, ſancti quoque Thomæ adiunctis precibus, præpotens & miſerator Deus, mala omnia auertat, bonaque plena manu largiatur.*

*Huius autem optandi patrocinii, præter cauſas quæ cum aliis poſſunt eſſe communes, illa etiam acceſſerunt: quod ex hac ipſa Vrbe à nobiliſſima Aquinorum familia originem trahat: quod hic primum diſciplinis eruditus: quod bonæ vitæ partem in hac Vrbe & Sacra æde traduxerit; quo tempore Ciues omnes ſingulari ſtudio complexus eſt, eoſque publice ſacras literas docuit: quod hic etiam diuinum illud oraculum:* Bene ſcripſit de me Thoma, *audire meruerit. Quamobrem re communicata cum Illuſtriſ. & Excellentiſ. D. D. Ioanne Pimentel de Herrera, Beneuentanorum Comite optimo, & præſtantiſſimo Prorege, (qui non modo poteſtatem fecit, ſed cohortatus etiam eſt, operamque ſuam apud Pontificem Maximum pollicitus, poſtea rem omnem ſingulari pietate promouit,) cum tandem SS. D. N. Clemens VIII. Pontifex maximus Ciuitatis precibus commotus, collaudato eius ſtudio ac pietate, vt id faceret, voti compotem feciſſet, tranſmiſſis ad hanc fideliſſimam ciuitatem ipſoſque deputatos Apoſtolicis literis in forma Breuis; præfati Deputati Ciuitatis nomine eius volũtatem adimplere volentes, Thomam de Aquino, Doctorem Angelicum, in Patronum ac Protectorem accipiunt, atque inter cæteros Vrbis Tutelares aſcribunt, eumdemque ſanctum ſubmiſſe atque enixe obſecrant, vt aſſiduas pro ea ad Deum preces effundat, Vrbemque à peſte, fame, & bello cæteriſque infortuniis vindicet, ac tueatur. Et in fidem ac tutelam acceptam, Ciues atque incolas omni bonorum genere cumulet, ac diuinum præcipue obſequium nobis impetret. Præterea, Philippum III. Regem noſtrum, Catholicæ Fidei defenſorem acerrimum, cum prole ſua protegat & foueat, ſanctam iuſtamque eius voluntatem fortunet & dirigat, eique longæuam ac feliciem ætatem exoret.*

*Prædicti denique Deputati, eiuſdem ſancti Thomæ auguſtiſſimam imaginem, eiuſque brachii partem, quo ſcribente profli-*

gauit



*gauit hæreſes, ac ſacras literas illuſtrauit, quam fideliſſimæ huic Ciuitati, Fratres Dominicanæ Religionis elargiti ſunt, in argentea theca repoſitam, ad ſacellum illud templi maximi, quod theſaurum appellamus, quodque cæterorum Patronorum aſſeruandis reliquiis dicatum eſt, aſportari & collocari volunt, huiuſque tranſlationis diem, qui eſt hodie, ſingulis annis vt diem feſtum colendum, ac celebrandum fore pollicentur, iurantes ad ſancta Dei Euangelia. Inſuper me Notarium publicum rogauere, vt hæc omnia ad futuram rei memoriam, meis in tabulis referrem, vniuerſo acclamante populo ac S. Thomæ nomen ſæpius iterante, & ad ſua vota inuocante.*

Iſtud Neapolitanorum propoſitum, paulo antequã rebus humanis exemptus fuiſſet Clemens VIII. laudauit, datis literis, in hunc modum.

Dilectis filiis Nobilibus viris Ciuitatis Neapolitanæ Deputatis.

XXVI. ALIA CLEMENTIS PP. EPISTOLA AD EOSDEM NEAPOLITANOS.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecti filii Nobiles, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Sicut Angeli in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, ineffabili Dei prouidentia, non modo ſingulorum hominum curam gerunt, verum etiam ipſis Vrbibus & Prouinciis præſident; ita ſancti cum Chriſto regnantes, qui vitam meruerũt Angelorum, non ſolum priuatos quoſque homines ſuis orationib. adiuuant, ſed publicas Ciuitates, & Regna, continua protectione defendunt. Sunt enim communes generis humani cuſtodes, & Legati apud Deum potentiſſimi. Sunt cunei inexpugnabiles, & noſtræ ſalutis præſules, qui ſecretorum conſcii diuinorum, familiarius clementiam Dei pro noſtris exorant laboribus: & nequiſſimi dæmonis inſidias, ac conatus, ab omnibus diuina virtute depellunt. Verum quo plures numero, ac meritis præſtantiores ſunt, qui pro ſalute hominum in cœleſtibus Regnis apud Deum intercedunt, eo homines ipſi deſiderata bona facilius impetrant, & impetratis diutius perfruuntur. Cum igitur in iſto nobili Regno plurimi olim, ſanctitate, miraculis & doctrina inſignes viri claruerint, qui vniuerſam Eccleſiam Dei ſuarum virtutum ſplendore illuſtrarunt; inter hos autem ſancti illi, Aſprenus, Ianuarius, Agrippinus, Seuerus, Athanaſius, aliique complures, tum Epiſcopi, tum Abbates præcipue floruerint, quos merito hæc veſtra Ciuitas certos ſibi Patronos adoptauit. Cumque ſuperiorum temporum memoria, S. Thomas Ordinis Prædicatorum, Doctor Angelicus, ex antiqua & Nobili Comitum de Aquino familia oriundus, ſimiliter in eodem regno, tum ſanctitatis ac miraculorum gratia, tum doctrinæ laude clarus extiterit; laudabili conſilio eadem Ciuitas illum certis patronis ſuis adiungendum ſtatuit. Hic ſiquidem honor, eius virtutibus cum admirabili doctrina coniunctis iure optimo debetur. Ac doctrinæ quidem teſtis eſt, ingens librorum numerus, quos ille breuiſſimo tempore, in omni fere diſciplinarum genere, ſingulari ordine, ac mira perſpicuitate,* SINE VLLO PRORSVS ERRORE *conſcripſit: in quibus conſcribendis interdum S. Apoſtolos Petrum & Paulum colloquentes, locoſque illi quoſdam Dei iuſſu enarrantes habuit; & quos deinde conſcriptos, expreſſa Chriſti Domini voce comprobatos audiuit. Cum autem illi nunc peculiare eiuſdem veſtræ Ciuitatis Patroni nomen accedat, ſperandũ eſt fore, vt rationem perfectæ charitatis, qua Deo propinquior eſt, & patrocinii ad quod eligitur, vobis magis proficiat precibus; quod eiuſdem antedicta doctrina, eximiæ virtutes, & ſumma præſertim quæ ſemper excelluit humilitas, hunc ipſum honorem poſtulaſſe videntur. Quapropter cum ille tam religioſe ac demiſſe ſemper de ſeipſo exiſtimauerit, vt inter cætera oblatum à felicibus recordationis Clemente IV. Romano Pontifice prædeceſſore noſtro Ciuitatis veſtræ Archiepiſcopatum inſigni cum modeſtia recuſauerit: merito Deus hoc tempore vobis in animum induxit, vt eum, qui cum in terris eſſet, vobis ad ſummam humilitatem præeſſe noluit, nunc cum in cœlis eſt, propter eiuſdem ſanctitatem in numerum veſtrorum patronorum adſciſcatis. Qua quidem in re nos pietatem & conſilium veſtrum plurimum in Domino commendantes electionem à vobis factam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus: illiq; noſtræ, & Apoſtolicæ confirmationis robur adiicimus: & vt in poſterũ idem S. Thomas, inter ciuitatis veſtræ patronos connumeretur, vtq; etiam ab vniuerſo Clero ſeculari, & Regulari vtriuſq; ſexus cuiuſuis ordinis eiuſdem Ciuitatis officiũ de ipſo S. Thoma tanquã de patrono, publice & priuatim recitari debeat, perpetuo ſtatuimus, ac præcipimus, & mandamus. Sicque ab ipſis, & aliis ad quos ſpectat obſeruari debere, irritumq; & inane quicquid ſecus ſuper his, à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca Deum bonorum omnium auctorem, & Parentem vobis omnibus precamur, vt meritis quoque ac precibus huius veſtri noui Protectoris omnis humani generis hoſtis inſidias à vobis longe repellat, Ciuitatem in pace cuſtodiat, & vniuerſum Regnum cœleſti benedictione tueatur.*

Poſt has Clementis VIII. Pontificis literas, Paulus quoque Papa V. ſucceſſor, eas quas ſubiungo, adiunxit. Ita habent.

XXVII. PAVLI PP. V. LITERÆ PRO CVLTV EIVSDEM B. THOMÆ.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

*Splendidiſſimi Catholicæ fidei athletæ, Beati Thomæ Aquinatis, cuius ſcriptorum clypeo militans Eccleſia hæreticorum tela feliciter elidit, honores & venerationem, in dies magis magiſq; augeri plurimum in Domino gaudemus, & iis, quæ ad illius honorẽ deuote ſancita ſunt, vt firma & illibata permaneant, libenter Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus. Alias ſiquidem poſtquam dilecti filii Deputati, & electi ciuitatis Neapolitanæ præter S. Ianuarium, Athanaſium, Aſprenum, Agrippinum, Seuerum, Euſebium, & Anellum dictæ ciuitatis certos patronos, etiam S. Thomã Ordinis Fratrum Prædicatorum Doctorem Angelicum, ex nobili Comitum de Aquino familia oriundum, cuius natalibus prædicta Ciuitas originem dedit, quiq; in nobili Regno Neapolitano, cum ſanctitatis & miraculorum gratia, tum doctrinæ laude clarus extitit dictis S. Patronis laudabili conſilio adiungendum duxiſſent, fel. rec. Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter, dictorum Deputatorum & Electorum pietatem & conſilium plurimum in Domino commendans, electionem ab ipſis factam per ſuas in ſimili forma breues literas Apoſtolica auctoritate confirmauit, & vt in poſterũ idem S. Thomas inter cæteros Ciuitatis præfatæ S. Patronos connumeraretur, atque etiam ab vniuerſo Clero ſeculari & Regulari vtriuſque ſexus cuiuſuis ordinis eiuſdem Ciuitatis Officium de ipſo S. Thoma, tanquam de Patrono, publice & priuatim recitari deberet perpetuo ſtatuit, & præcepit; ac anniuerſariũ diem tranſlationis brachii dicti B. Thomæ ex Eccleſia S. Dominici ad Eccleſiam Metropolitanam factæ qui vigeſimus menſis Ianuarii fuit, tanquam feſtum de præcepto, & duplici officio, in Ciuitate, & diœceſi Neapolitana celebrandum eſſe ordinauit. Cumque ſubinde compertum fuiſſet, ſub eumdem diem vigeſimum Ianuarii feſtum diem S. Sebaſtiani martyris cadere, qui pariter duplici officio celebratur, & ea propter eodem die feſtum tranſlationis huiuſmodi modo præmiſſo celebrari non poſſe: Nos eorumdem Deputatorum, & Electorum ſupplicationibus nobis tunc porrectis inclinati, per alias noſtras ſimiles literas; celebrationem Anniuerſarii Duplici officio in Ciuitate & Diœceſi Neapolitana ſingulis annis faciendam, iuxta ritum Breuiarii Romani, in diem decimã nonam Ianuarii tranſtulimus, vtq; in Ciuitate, & Diœceſi prædictis, ſingulis annis in perpetuum, die 19. Ianuarii feſtum tranſlationis brachii S. Thomæ de Aquino, ad præſcriptum Breuiarii Romani ritum celebrari poſſit, conceſſimus & indulſimus. Poſtmodum vero (ſicut nomine eorundem Deputatorum, & Electorũ corã nobis nuper propoſitum fuit) eiuſdem Ciuitatis Deputati, in Eccleſia S. Dominici prædictæ Ciuitatis congregati, nomine totius Ciuitatis, & frequentiſſimo Nobilium cœtu, ac plurima cum Ciuiũ, tũ externorũ multitudine adſtante per publicũ deſuper confectũ inſtrumentum, dictum B. Thomam de Aquino Doctorẽ Angelicum, in Patronũ, & Protectorem dictæ ciuitatis acceperunt, atq; inter cæteros eiuſdẽ Ciuitatis Tutelares ſanctos adſcripſerũt eundẽ ſanctũ ſubnixe, & enixe obſecrãtes, vt aſſiduas pro dicta Ciuitate ad Deũ preces fundat, eãq; à peſte, fame, & bello, cæteriſque calamitatib. vindicet, ac tueatur, pollicentes ẽt ſe medio eorũ iuramento, anniuerſariũ diẽ tanslationis huiuſmodi, tanquã feſtũ de præcepto ſe celebraturos, prout in dicto inſtrumẽto plenius cõtinetur. Quare iidẽ Deputati, & Electi Nobis humiliter ſupplicari fecerunt vt pio eorum B. Doctorem honorandi ſtudio, huiuſmodi auctoritate Apoſtolica ſuffragari dignaremur: Nos literarũ prædictarũ tenorẽ, præſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſo habentes, ac ipſos Deputatos, & Electos, à quibuſuis Excõmunicationis, ſuſpẽſionis, & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſentẽtiis, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis (ſi quibus, quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectũ præſentium*

dunta-

*duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, non ſolum huiuſmodi, ſed etiam dilecti filii noſtri Octauii, tituli Sanctæ Praxedis, S.R.E. Presbyteri Cardinalis Aquauiuæ nuncupati, Eccleſiæ Neapolitanæ ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſulis, ſupplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati diem prædictum 29. Ianuarii, tanquam anniuerſarium translationis brachii Sancti Thomæ, perpetuis futuris temporibus, in dicta Ciuitate Neapolitana diem feſtum de præcepto fore, & eſſe, & vti talem ab omnibus, & ſingulis ipſius Ciuitatis incolis cuſtodiri, & celebrari inuiolabiter debere, eadem auctoritate ſtatuimus, ordinamus, præcipimus, ac mandamus. Ac præterea, quoniam vt eadem propoſitio ſubiungebat, publicas etiam proceſſiones eodem die celebrari, ſeu fieri, prædicti Deputati, & Electi deſiderant: Nos, vt omnia rite, & ad animarum ædificationẽ in Domino peragantur, eaſdem proceſſiones, nunc, & pro tempore exiſtentis dictæ Eccleſiæ Neapolitanæ Præſulis, quando, ac quomodo illi videbitur, peragi volumus, & mandamus irritũ, & inane decernentes, quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Contrariis non obſtantibus quibuſcunq;.* Datum Romæ, apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 17. Decembris 1607. Pontificatus noſtri anno tertio: hæc occaſione canonizationis S. Thomæ, pro eius gloria & honore adiuncta: cum is ipſe annis Quinquaginta, antequam Sanctorum Eccleſiæ militãtis albo inſcriberetur, Triumphantibus Cœli Ciuibus ſeſe inſeruiſſet.

XXVIII. DIPLOMA CANONIZATIONIS S. THOMÆ AQVINATIS.

Si autem aliquis videre deſiderat diploma Canonizationis S. Thomæ Aquinatis iſtud eſt ipſiſſimum.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus, fratribus vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac Dilectis filiis electis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris aliiſque Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ peruenerint. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

*Redemptionem miſit Dominus populo ſuo, cum Dei verbum in virginalis vteri thalamo ſancti Spiritus cooperatione conceptũ, caro ſanctum eſt, & habitauit in nobis, verbo ſuo nos inſtruens, exemplo docens, cœleſtia reſerans, occulta miraculis roborans, ac ſacri eloquii teſtimoniis futura eadem eſſe confirmans, tandem ſe Deo Patri in ara Crucis Hoſtiam acceptabilem offerens, peccata noſtra pio cruore deterſit, deſcendenſq; ad inferos, ac die tertia reſurgens à mortuis, & per quadraginta dies apparens diſcipulis, & loquens de Regno Dei, ipſis cernentibus eſt eleuatus in cœlum, & captiuam ducens captiuitatem, dedit dona hominibus, quibus pateſcere cœlum innotuit, reſerata dudum clauſa in ſe credentibus ianua Paradiſi. Patet ergo cœlum credentibus, patet humilibus, patet etiam qui honeſtatis, paupertatis, & obedientiæ votis ſe Deo (à quo ſtulti per inobedientiam diſceſſerunt) voluntaria ſponſione deuouent. Regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, dum propriis ſubactis affectibus, violentia quadam ad ſuperiora conſcendunt.*

*§. 1. Hæc igitur B. Thomas de Aquino, Ordinis fratrum Prædicatorum ſacræ Theologiæ Doctor, nobilis quidem genere, ſed nobilior conuerſatione, fama clarus, vita clariſſimus, ſedula meditatione reuoluens, & attenta deliberatione diſcernens, dum adhuc infra pubertatis annos exiſteret, ipſius Ordinis Prædicatorum habitum ſuſcepit, in eo (inuito etiam patre qui eius fœlicibus actibus inuidebat) conſtantius manſit, ac in ipſo tandem regularem profeſſionem emiſit, vbi in breui adeo ſcientia, vita & moribus profecit, vt ætate adhuc iuuenis, ad ſacerdotium promoueretur, & ad eiuſdem Theologiæ magiſterium, Pariſiis loco vtiq; celeberrimo aſſumptus, magno inibi ſui, ſuiq; Ordinis, ac Pariſienſ. ſtudii fauore, per multorum annorum curricula, cathedram regeret magiſtralem. Quippe cum illi vita exiſtentiam, conuerſatio famam, doctrina pareret opinionem, opera diuulgationem eamdemq; tam breui confecta tempore admirationem merito exhiberent: vt illud Pſal. Rigans montes de ſuperiorib. ſuis, de fructu operum tuorũ ſatiabitur terra, in eo veriſſime impleretur. Quod vtiq; thema, idem ſanctus, dum eſſet in ſacra pagina incepturus, aſſumpſit, quodq; (vt fertur) reuelatione ſibi poſt ſuam orationem facta didicerat, dum propter iuuentutem ſuam ſe inhabilem ad magiſterium reputans quid proponeretur in inſtanti principio hæſitaret.*

*§. 2. Nam in primitiis ſcientiis, & diuerſis philoſophiæ partibus, vt non eſſet ocioſus, ſed operaretur terram: nec non in ſacræ ſcripturæ pagina, tam ſuper nouum, quam vetus teſtamentum ſcripta, plurimaq; alia Dei opera in Dei laudem, fideique dilationem, eruditionemque ſtudentium, clara (cum ſciens eſſet, famoſa cum cognitus) non abſque ſpeciali Dei infuſione perfecit. Doctrina quippe prudentium facilis, & omnino ſcientis ſignum eſt poſſe docere.*

*§. 3. Profecit vtique vir peritus, à terrenorum ambitione ſemotus: & ad cœleſtium aſſecutionem intentus perfecto vacans ſtudio intendebat Deo, prætermittebat terrena, vt aſſequeretur æterna, præmittebat diuina, vt roboraretur in ſchola, cum ſingulis diebus, antequam lecturus aſcenderet cathedram, vel diſtraheretur ad alia, Miſſam vnam celebraret, aliam audiret, in quibus & alias in oratione, (cum in illa foret aſſiduus) lachrymarum effuſionem, mentis ſuæ dulcedinem, deuotionem Deo, cui nihil eſt abſconditum, reuelabat.*

*§. 4. Cumque caſtitatis nitore canderet, parſimonia deuota, cuſtodiebat humilitatem, hanc eandem ſobrietate medica nutriebat, adeo vt multi eum in carne virginitate manſiſſe incorruptũ exiſtimarent. Quod eiuſdem ſancti confeſſor Ordinis memorati, qui longo tempore ipſius confeſſionem audierat, publice (vt ad nos teſtimonio fide digno peruenit) coram omnibus die defunctionis eiuſdem aſſeruit, dicens, Ego confeſſionem generalem iſtius ſancti viri audiui, de quo teſtificor, quia ita inueni eum purum, ſicut puerum quinque annorum, quia nunquam ſuæ carnis ſenſit corruptelam. Qui præterea vir Dei, cibis Religioſorum, veſtimentiſq; communibus contentus, conuerſatione mitis, benignitate ſuauis, pietate miſericors, humilitate ſubiectus, cæteraq; virtutum varietate redimitus, honorum ſupercilium, mulierumque cautius conſortia aſpernebat, non elatus, non præeminens nec etiam diſputãs (quod & interdum diſputanti ſolet eſſe commercium) iactator affectus, vt ampuloſis (etiã ſi ſibi eadem iniicerentur ab aliis) in illo palleſtricæ ſyllogiſationis exercitio vteretur. Totus igitur Dei famulus diuinis operibus intentus, aut eruditioni qua præcellebat aut prædicationi qua immotus erat, aut orationi qua deuotus, aut ſcripturæ ſacræ qua profundus, ſedulus vacabat, adeo vt præter naturalis neceſſitatis, aut quietis horas, nullum ſibi aut vix temporis ſpatium relinqueret ocioſum.*

*§. 5. Appropinquante a. die qua de hoc ſeculo migraturus eſſet ad Dominum, quaque deuicto triumphatoque mundo, in perpetuas æternitates recipiendus in patria (nam bonorum glorioſus eſt fructus) cum à fœlicis recordationis Gregorio Papa Decimo prædeceſſore noſtro, ad Lugdunenſe Concilium diceretur eſſe vocatus, de Neapoli veniens, vbi tunc temporis more ſolito famoſe legebat vt Doctor, & per maritimam tranſiens, ad Monaſterium foſſæ nouæ Ordinis Ciſtercienſ. Terracin. Diœc. parumper digreſſurus, per dies aliquot antea, ad ipſum vt illuc deferretur, affectuoſe depoſtulans, perueniſſet, intrans monaſterium plenus Dei ſpiritu, hæc verba, protuliſſe refertur. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Quod verũ eſſe euentus edocuit, & ſacri corporis ſui illic facta tumulatio manifeſtat. Cœpit enim illic in infirmitate grauari eadem, viribus paulatim deſtitui, infirmitatem tamen ipſam, & ſi dierum plurium non impatienter tollerans, ſed æquanimiter, totus vt erat humilis patientia ſupportans, qua ſibimet leniret infirmitatem: Deo obedientia placeret, miniſtros de ſe (quod non intendebat) aggeneraret reuerentiam, imitandæ quoque patientiæ exempla præberet, adeo quod eiuſdem Monaſterii foſſæ nouæ fratres inibi Deo deuotius famulantes, hæc in ſancto viro Religionis exempla contemplantes, illius tunc infirmantis corpore prompti obſequiis mancipati; quem vtique tanta refertũ patiẽtia fore cernebant. Singuli ligna de ſylua, ſingula quæq; illi opportuna volũtarie, propriis humeris deferebãt, non extimantes fore cõueniens, vt brutorum animalium humeri, in portandis eidem rebus accommodis præſtarent obſequia, qui tantarum virtutum prærogatiua pollebat.*

*§. 6. Cumque in eadem infirmitate, de qua obiit ſanctiſſimi Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus, in cibum ſumendũ ſibi, vt viaticum deferretur totus profuſus in lacrymis, & dulci amore eiuſdem anima aſſueta dulcedine Dei, liquefacta, inter cætera multa, & decora quæ protulit; hæc, vel ſimilia, fidei & deuotionis verba, toto illius monaſterii Conuentu, multiſq; dictorum Prædicatorum, & Minorũ Ordinum aſſiſtentibus fratribus, eructaſſe refertur. Ego de iſto ſanctiſſimo Corpore Domini noſtri Ieſu Chriſti, & aliis Sacramentis multa docui, multa ſcripſi in fide Ieſu Chriſti & S.R.E. cuius correctioni cũcta ſubiicio, cuncta ſuppono.*

§. 7. Re-



*§. 7. Recepto deinde ab ipſo eodem viuifico Sacramento cunctiſq; aliis Sacramẽtis Eccleſiæ, debita veneratione cum lacrymarum effuſione ſuſceptis, tertio die obdormiuit in Domino, cui credidit, quem amauit, & tota mentis affectione dilexit: fidelis ſeruus & prudens, non pertinax non proprio ſenſui, aut prudentiæ innitens, & nulla de ſe ſcientiæ ſuæ opinione ſuperbus, nam qui ſcrutator eſt Maieſtatis, opprimetur à gloria. Vnde ſapienter Doctor idẽ atq; humiliter (vt præfati ſumus) omnem ſuam verbo, vel ſcripto doctrinam ad eiuſdem Eccleſiæ fidei normam fideli deuotione reduxit: quam Petri ore diffuſam ſtabilem nouerat & nullis concuſſionum flatibus agitandam, cum poſt veram Deitatis Chriſti recognitionem, qua reſpondit, tu es Chriſtus filius Dei viui; ab ipſo audire meruit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam, & alibi: Ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua: Dumq; pro Petro Chriſtus rogat, pro eius Eccleſia intercedit.*

*§. 8. Verum quia dignum erat & conſonum, vt quem Deus viuentem in hoc ſeculo tãtis ſuis donis gratuiſq; perfecerat, aſſumptum in cœlis ſanctificatum fore hominibus declararet, multis eũdem virum Dei poſt ipſius de hac vita tranſitum (licet, & antea nõnulla feciſſe memoretur) magnifiq; fecit clarere miraculis, multis clariſq; ſignis glorioſius coruſcare, vt illud Pſalmi merito de ipſo dicamus: Scitote quia mirificauit Dominus ſanctum ſuum, ſicq; vita eius atteſtaretur miraculis, vt illius miracula, vitæ teſtimonium perhiberent. De quibus pauca de multis in Dei laudem, & ſancti huius commendationem & ædificationem fidelium, idoneis approbata teſtibus præſentibus ſubnectemus.*

*§. 9. Poſt ſeptimum namq; menſem, vel circa, à die obitus ipſius S. Thomæ de Aquino, cum corpus eius quod in Capella S. Stephani dicti Monaſterii, per idem tempus ſepultum extiterat, & ad ſepulchrum eiuſdem primum, ſcilicet iuxta Altare maius Eccleſiæ Monaſterii antedicti, vnde ad tempus per Monachos eiuſdem Monaſterii, timoris cauſa ſublatũ fuerat, ne corpus ipſum omnino de dicto Monaſterio tolleretur, per translationem denuo exhumatũ deferri exinde decreuiſſent, in apertura ipſius ſepulchri eiuſdẽ Capellæ S. Stephani, tãta fragrantis odoris ſuauitas emanauit, quod totam ipſam Capellam Clauſtrumq; ipſius Monaſterii, quod diffuſũ eſt, mira eadem ſuauitate repleuit, quæ de ipſius corpore (prout ex ſollicita curioſaq; Monachorum indagine eſt repertum) mirifice fundebatur. Propter quod maiore per Monachos concepta ad ipſum deuotione, totus conuentus proceſſionaliter (Priore tamen dicti Monaſterii cum quibuſdam ex Monachis paramentis indutis) corpus ipſum ad præfatum primum eius ſepulchrum honorifice detulerunt. Hanc ſimilem fragrantiam poſt ſeptem annorũ ſpatium quidam ex teſtibus, quidam vero poſt quatuordecim annorum ſpatium ſenſiſſe ſe referunt, dum corpus ipſum diuerſis ex cauſis per temporum vices ſedulo inſpexiſſent. Quippe odor carnis eius munditiam Deo acceptam exprimebat, orationum eius odoramẽta repræſentabat, famam quoq; eius claram diffuſione virtutum & illarum aromatum non celabat.*

*§. 10. Quidã arte chirurgicus, ſed per decennium infirmitate podagricus, ita quod ire per ſe, vel ambulare nequaquã abſq; baculorũ ſuſtentatione, aut aliorũ ſuffragio poterat, ſe Deo & B. Thomæ deuouens, iuxta eius tumulum incumbens (oratione facta) ſanus proſiliit, & currens, ac Deum laudans quod meritis eius eſſet à tam longo infirmitatis languore curatus.*

*§. 11. Alter quidam ex horribili quadam viſione phantaſmatis timiditate percuſſus, pedibus manibuſq; contractus fuit & ore ac face diſtortus, ſenſibus carens, & omni virtute deſtitutus, ita quod loqui non poterat, ſed mortuo ſimilis videbatur: adeo vt ignem eius membris admotum, nullatenus ſentiret, portatus ad tumulum illius, poſt morulam, liber & ſanus omnino à dicto ſepulchro ſurrexit.*

*§. 12. Alius dum non deuote de ſancto ſentiret, virtutem Dei in ſancto, in ſe duplicem eſt expertus, infirmitates dum cõtemnit, ſanitates, dum à cõtemptus culpæ diſceſſit. Nam cum ſibi deuotionis cauſa à quodam Capellano plures venerandæ reliquiæ monſtrarentur, ipſe quoq; oſtenſor precioſiores adhuc ſe habere reliquias, videlicet manum F. Thomæ de Aquino fateretur, illico hũc deriſorie de his cruſſantem, cum eas videre non curaret, dicens ſanctus non eſt: ſed quidem Ordinis Prædicatorum frater, tremor apprehendit: & caput eius ad modum magnæ ciſtæ groſſum, & valde ponderoſum ſibi eſſe videbatur, ſed infirmitate correptus, & pœnitens, ſimulq; de ſua incredulitate dictiſq; deplorans, dum veniam à ſacerdote petitam obtinuit, reuerenter manum eiuſdem ſancti deoſculans, confeſtim à tremore, & inflatione capitis liberatus euaſit, ſenſitq; progredientem, vt retulit maximum ex dicta manu ſuauitatis odorem. Quia odor cum ipſius curati capitio, perſonaq; ex tactu manus eiuſdem per magnum tempus inhæreret multis eundem poſtmodum percipientibus, ſciſcitantibuſq; quid eſſet, hoc ſigno narrare quod acciderat (& ſi nolens) miraculum cogebatur.*

*§. 13. Notarius quidam dum ad menſam ſanus accederet ſurgens ab illa graui ſquinantiæ infirmitate correptus eſt. Duobus diebus propterea linguam mouere non potuit & loquelam amiſit. Cumq; multa medicorum remedia, ei adhibita, quin eadem infirmitas in augmentum procederet, non prodiſſent, immo de illo deſperarent ad ſanctum conceptam deuotionem, vt ad tumulum eius deferretur, quam lingua nõ valebat, manus ſua ſcriptura deprompſit. Verum cum illuc repugnante vxore ſua (quia mulieribus præfati Monaſterii Eccleſiam ingredi non liceret) nequaquã duceretur, ipſe ſic infirmus aduertens infra ſe ipſum, eidem beato viro ſe, vt liberaret affectuoſius commendauit. Cœpit & tunc linguam ducere, meliorari, & conualere, ac breui temporis interuallo curatus perfecte fuit.*

*§. 14. Dum alius quidam per ſeptem hebdomadas & vltra, febre quotidiana, malo hepatis & ſtomachi affligeretur, quadam die Veneris cum peius haberet, auditis quibuſdam miraculis, quæ per virum Dei facta eſſe dicebantur, cum ſe ad ipſum deuotius ſequenti die Sabbati de ſero, vxoris ſuæ ſuaſibus eaq; præſente deuouiſſet: die Dominica proximo in mane ſe à præfatis infirmitatibus plene reperit liberatum.*

*§. 15. Mulier quædam cum filium ſuum duorum menſium decumbentem periclitari non immerito formidaret, pro eo præſertim, quod per menſes quatuor ex ſurditate adeo grauata eſſet, vt decies exclamata, vagientem etiam puerum vix audiret viri ſui inductione, qui mœſtus vna cum illa communis filii periculo condolebat, prædicto viro Dei vt eam ab eadem infirmitate eriperet, obnoxius deuouit. Emiſſoq; voto, cum nocte ſecuta dormiſſet, in craſtin ſe liberatam ſancti meritis reperit, vt optabat.*

*§. 16. Puella gutturis ſui faucies ſquinantia habens infirmitate conſtrictas in tantum, vt nec quid ſumere ſolidum aut liquidum valeret, & anhelitus ſibi meatus vt vix reſpirare poſſet intercluderetur: dum deuote ſe beato viro à matre perſuaſa commendaret, ductaq; fuit in craſtinum, ad dictum Monaſterium foſſæ nouæ, ſuperpoſitis gutturi ſuo dicti viri ſancti, ex reliquiis in quadam capſa delatis confeſtim melioratam ſe ſenſit, panem comedit perfecteq; ſanata rediit.*

*§. 17. Quidam præfati Monaſterii foſſæ nouæ conuerſus adeo grauem in brachio dextro & ſpatula dolorem patiebatur: vt ipſum brachium, quod per trium menſium cum dimidio ſpatium detulerat ſuſpenſum ad collum ei eſſet inutile dolore præſertim vehementer afflictum. Quod cum requiſitum medicorum remedium non haberet, & amplius dolore grauaretur, dum dicto ſancto pro ſua liberatione ſe quodam emiſſo voto commendaſſet, ſeq; ſupra eius tumulum poſuiſſet: ibidem obdormiuit, ac excitatus, deinde à quodam dicti Monaſterii Monacho, brachio, quod linteo prius habebat, incumbens, collo adhuc dependenti extractum ab eo reperit, excitatorumq; à ſomno more, dum ambas manus capiti ſuo, vt ipſum ſcalperet appoſuiſſet, ſe liberatum intellexit, ac ſtantibus, quod notum fuerat miraculum, reuelauit.*

*§. 18. Infans quidam quatuor annorum tumorem & ruborem in coſtis, & crure vſq; ad pedem patiebatur adeo afflictum, vt nec à matre ſua, vel alio ſine læſione & clamore ſuo aliquatenus tangi potuiſſet. Mouere ſe non poterat, per menſem in tanto dolore, & in anxietate fuit, à medicis ſpes curationis eius ſine inciſione puerulis non inueniebatur: illaq; (ſi fieret) perpetuo eum in perſona futurum impeditum mœſtis amaritudine mentibus nunciabat. Deficiente natura: artiſq; ſuffragio non inuento, recurſum eſt ad Deum, qui glorioſus eſt in ſanctis ſuis, faciens prodigia. Nam mater infantuli quæ ipſum diligebat vt mater, eum B. Thomæ deuotius commendauit, vt à dicta infirmitate ſine inciſione ſuis meritis liberaret. Delatus eſt puer ad Monaſterium, poſitus ſuper tumulum ſancti, poſt aliquantulam moram, ſanus inde ſurrexit.*

*§. 19. Hæc ſunt igitur teſtimonia tua Deus, quæ de hoc viro iuſto nobis credibilia facta ſunt nimis. Nam ſi teſtimonium hominis accipimus, teſtimonium Dei maius eſt. Quo animã enim cœlũ poſſidere iã credimus, interceſſorem ipſum expectamus: ac inter*

ſancto

*ſanctorum agmina, quaſi ſtellam matutinam eum fidimus eſſe locatum. Vnde fidem tuam in nobis bone Ieſu nutri, ſpem erigu, dilectionis charitatem accende. Lætetur itaq; Mater Eccleſia, exultet Italia, parens Campania iocundetur, Prædicatorum ſacer Ordo iam iubilet, Religioſorum deuotio concrepet, Doctorum turba complaudat, animentur ad ſtudia iuuenes, prouecti non torpeant, ſenes delectentur in illis, omnes in humilitate proficiant, prouecti contemplationem non deſerant, mandata Dei ſeduli exequantur. Nam dedit illi Deus cor ad præcepta & legem vitæ & diſciplinæ, & ſapientia humilitatis exaltabit caput illius. In medio Eccleſiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, ſtola gloriæ induit eum. Nam veritas (quæ eſt Chriſtus) ipſa veris, non fictis Doctoribus pollicetur, qui elucidant me vitam æternam habebunt. Quamuis ipſe verus iuſtitiæ ſol ſtellarum illuſtratione non egeat, nec illarum irradiatione, cum illuminentur ab ipſo clareſcat. Habitat enim lucem inacceſſibilem, qui eſt ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius: idcirco tenebris non obſcuratur, vt deficiat, aut nebulis offuſcatur, vt ſuæ claritatis radios non diffundat.*

*§. 20. Cæterum quia rationis ordo depoſtulat, vt triumphantem in cœlis Eccleſiam, deuota in terris militans ſubſequatur, illum veneratione præcipua percolat, quẽ in cœleſtibus agminibus poſitum Deum glorificare cognoſcitur.*

*§. 21. Nos de ſanctitate vitæ ac miraculorum veritate, confeſſoris eiuſdem non ſemel tantum, ſed primo, & ſecundo; non feſtine, ſed mature inquiri fecimus: & per nos etiam, & Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, inquiſitionem huiuſmodi, exacta diſcuſſione, examinauimus diligenter, vt tanto firmius, quãto maturius, tanto certius, quanto diſquiſitius inquiſitum & examinatum exiſteret, in ſic arduo difficiliq; negotio procedere valeremus. Diffiſile namq; extimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore, quæ autem in cœlis ſunt, quis inueſtigabit? Cumq; per huiuſmodi noſtram & eorundem fratrum noſtrorum examinationem ſollicitam, & ſollicitudinem examinatam, vitam eius ſanctam & miracula vera eius meritis facta, probata eſſe conſtitit; & ſupplicantibus nobis id ipſum humiliter & deuote multis tum prælatis apud ſedem Apoſtolicam exiſtentibus, de dictorum fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu auctoritate Dei omnipotentis, Patris, ac Filii, & Spiritus ſancti, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ac noſtra, eum ſanctorum Confeſſorum Catalogo duximus adſcribendum.*

*§. 22. Ideoq; Vniuerſitatem Veſtram monemus & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus Nonis Martii feſtum Confeſſoris eiuſdem deuote, ac ſolemniter celebretis, & faciatis à veſtris ſubditis veneratione debita celebrari, vt piæ eius interceſſione, & hic à noxiis protegi, & in futuro ſempiterna gaudia conſequi valeatis.*

*§. 23. Vt autem ad venerabile eius ſepulchrum ardentius & affluentius Chriſtiani Populi confluat multitudo, ac celebris eiuſdem Confeſſoris colatur feſtiuitas, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui cum reuerentia illuc in eodem feſto annuatim acceſſerint, ipſius ſuffragia petituri, de Omnipotentis Dei miſericordia & eorundem Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, auctoritate confiſi vnum annum & quadraginta dies, accedentibus vero annis ſingulis ad prædictum ſepulchrum infra ſeptẽ Dies feſtum ipſum immediate ſequentes, centum dies de iniuncta ſibi pœnitentia relaxamus.*

Dat. Auinioni 15. Calendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

XXIX. F. NICOLAI PRATENSIS VITÆ INSTITVTIO PROGRESSVS RES GESTÆ ET OBITVS.

Hoc vero anno M. CCC. XXII. rebus humanis exemptus eſt, Frater Nicolaus Pratenſis, Etruſcus, familia mediocri Martina natus, ex Epiſcopo Spoletano, Cardinalis Oſtienſis & Veliternus. Hic olim adoleſcens, factione Gibellinus, quum eſſet altæ indolis, & magnis rebus in Eccleſia poſtmodum gerendis à Deo deſtinatus, rerum humanarum, & factionum tædio affectus Prædicatorum Religionem complexus eſt. In ea poſt pietatis cultum ſacris literis tanta diligentia, atq; indefeſſo labore vacauit, vt breui tempore inter *Prædicatores* quos vocant Generales, (dignitas ea eſt non poſtrema in iſto Ordine) aſcriptus fuerit, ac deinde Magiſterii Theologiæ auram meruerit. Sacras literas in monaſterio S. Mariæ ad Mineruam publice profeſſus, cum doctrinæ ſingulari morum integritatem adiũxiſſet, nec non prudentiam dexteritatem, celeritatemq; ad actiones ſibi ineſſe, nõ contemnendis argumentis oſtendiſſet, primum Prouinciæ Romanæ prælatus, deinde negotiorum vniuerſi Ord. Procurator Generalis, ac in eo munere propter præſtantiam virtutũ, à Bonifacio VIII. Pont. Max. in pretio habitus, ad Epiſcopatum Spoletanæ Ciuitatis euectus, & Vrbi Romanæ titulo Vicarii Pontificii præfectus, virum in omnib. functionibus ſe probauit. Ab eodem Pontifice in Gallias & Angliam, pacificandis Regibus Legatus deſtinatus, Reges, Philippum Galliarum, & Eduardum Anglorum bello decertantes, oratione qua pollebat, conciliauit, & maximam vtrinſq; amicitiam contraxit. Romam reuerſus, & à Bonifacio Pontifice publica oratione laudatus, ab eius ſucceſſore Benedicto XI. inter Patres Purpuratos aſſumptus, Epiſcopatum Oſtienſem & Veliternum, ingenti cum admiratione impleuit. Florentinos ciuili ſeditione & factionibus labefactatos, & ad feralia odia ab externis Principibus concitatos, cum odia deponere, & concordiam amplecti recuſarent, damnauit, vrbemq; interdicto Eccleſ. ſuppoſuit. Lõbardos animis diſſidentes, pleroſq; conciliauit. Hæreticos in Etruria & Æmilia graſſantes, repreſſit, adeoq; extirpauit: multaq; pro iuribus Eccleſiaſticis & tentauit, & aggreſſus eſt; & effecit. Clemẽtis Quinti nomine, Henricum Imperatorem, in Baſilica Lateranenſ. inſignibus imperii ornauit, Ioannem XXII. Pontificem & renuntiauit, & ſacris Pontificiis initiauit. Robertum Siciliæ Regem diademate Regio coronauit, atq; nomine Ioannis ligium homagium à Rege iurante audiuit. Fuit honeſtæ conuerſationis, vitæ ſanctiſſimæ, & eximiæ caſtitatis. Comis, humanus, affabilis: tam formæ elegantiſſimæ, vt omnium oculos in ſe conuerteret. In moribus compoſitus, in conſiliis prouidus, in largiendis eleemoſynis profuſus, ſupra quam dici poteſt: quippe, qui antequam vita defungeretur, omnia ſua egenis diſtribuerit. *Pratẽ*ſibus omnibus Eccleſiis, ſingulis ſingulos calices argẽteos, pro ſacris faciendis, dono dedit Fratribus Prædicatoribus, Auinione, & in patria duo monaſteria, & tertium Diui Nicolai titulo, ſanctimonialibus eiuſdẽ inſtituti, ingenti ſumptu extruxit. Multa interea templa fere collapſa, & ruinæ proxima inſtaurauit. Poſtquam decem & nouem annis, ſacram dignitatem maximis virtutib. adornaſſet, Auinioni, cum ingenti deuotione, & profunda humilitate ſpiritũ efflauit: in templo Prædicatorum ſepultus: *Leand. de viris illuſtr. Ord. Præd. lib. 3. Ioan. Villani libr. 8. c. 70. 71. 72. 80. Regiſtr. Bonifacii VIII. Bened. XI. Clem. V. Ioan. XXII. & Michael Pius lib. 1. de viris illuſt. Ord. Præd.*

XXX. IOANNIS FIRMANI LAVERNICOLÆ IN CVNABVLA, VITÆ INSTITVTVM, SANCTITAS, VISIONES DIVINÆ ET OBITVS

Eodem anno, ad cœlos euolauit, Beatus Ioannes Firmanus, cognomento Lauernicola Religionem FF. Minorum profeſſus. Infans olim, die Lunæ, Mercurii & Veneris, ſemel mammã ſugebat: puer loricam ferream triginta librarũ ponderis ad nudã carnem ferebat. Decennis, totum corpus diſciplinis lacerabat, vrticas nudo collo circumdabat. Quatuordecimum annum natus, cum habitum FF. Minorum induiſſet, nullum genus aſperitatis prætermiſit, quo poſſet corpus ſuum afficere. Tanto erga Crucifixum rapiebatur amore, vt ad diuina oſcula & exceſſiuos amoris amplexus admitteretur, vrgẽteq; interiore flamma, per Eccleſiam vel per hortum diſcurrens, clamorem amoris excedentis indicem emitteret. In natiuitatis, & Reſurrectionis Dominicæ ſolemnitatibus, ſpirituales in ſe ipſo conſolationes tantopere experiebatur, vt anima illius in abyſſum Diuinitatis abſorpta eſſe videretur. Semel, infra octauas Aſſumptionis Diuæ Deiparæ, Chriſtum, cũ B. Virgine, & multitudine Angelorum ad ſe venientem conſpexit: ex qua viſione, præ nimia dulcedine viſus eſt deficere. Alia quoque vice ferunt CHRISTVM ei apparuiſſe, & ad amplexus eum admiſiſſe: vnde canere incœpit: *IESV noſtra redemptio, amor & deſiderium: illumina me Magiſter gratioſiſſime, & paſtor piiſſime.* Aliquando, cum ſacram hoſtiam, pro





animabus, in ignibus expiatorijs detentis, ardentiſſimo affectu charitatis & compaſſionis obtuliſſet, vidit in Spiritu, illas animas pro quibus orabat, in cœlum euolare. In loco Mugliani, Cuſtodiæ Firmanæ, cum verba illa conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum*, meditaretur, tanta in Deum dulcedine ferebatur, vt ad Diuina, & ad ardores Seraphicos rapi videretur. Totis triginta annis, nonniſi aqua ſitim reſtinxit. Antequam in montem Aluerniæ veniret, totam Quadrageſimam, ſolo pane & aqua, & herbis crudis tolerauit. Viſitationes & illuminationes Angelorum multas habuit. Semel in die S. Michaelis Archangeli, Angelus, in ſpecie iuuenis pulcherrimi illi apparuit.

XXXI. COMMENDATVR LITERIS HENRICI IMP.

Propter ſingularem vitæ ſanctitatem, omnibus, & inter hos Henrico VII. Imperatori charus fuit. qui etiam pro eo tempore, cum Guardiani officio Ioannes in Mõte Aluerniæ fungeretur, eas quas ſubiungo literas, in gratiam illius dedit. Ita habent.

Henricus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Nobilibus viris, vniuerſis Vicarijs Ciuitatis & diſtrictus Aretij, ac Comitibus de Caſentino, de Vbertinis, de Valenzino, Tollà, Bagnena, & de Cluſio, cæteriſque Romani Imperij fidelibus, præſentes literas inſpecturis, gratiam ſuam & omne bonum.

*Cum nos Religioſos viros Ioannem Guardianum, & Fratres Minorum Ordinis Domus Sacri loci Montis Aluernæ, deuotos noſtros dilectos, in protectionem noſtram, & Imperij ſpecialem duxerimus aſſumendos; fidelitati veſtræ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus eoſdem Guardianum & Fratres loci prædicti vobis commendatos habentes, ipſos in perſonis & rebus ſuis auctoritate noſtra efficaciter defendatis; non permittentes ipſis à quocumque moleſtiam aut iniuriam aliquam irrogari, ſi & indignationem & pœnam arbitrio noſtro inferendam volueritis euitare.* Datum in Caſtris, ante Caſtrum Montis Varchij XVII. Cal. Oct. Ann. Dom. M. CCCXII. Regni noſtri ann. IV. Imperij vero primo.

XXXII. MARIAE REGINAE CASTELLAE LAVDATISSIMAE OBITVS.

Hoc etiam anno, Calendis Iunij, Maria Regina Caſtellæ, annis grauis, fracta valetudine, reipublicę calamitatibus oppreſſo animo, extincta eſt; trium Regum ætate reipublicæ præſidium, Caſtellæ columen. Pietatis monumentum Olgarum cœnobium eſt, eius impenſa inſtauratum, extructumque, vbi funus eius illatum. Duo item alia Monaſteria, Burgis vnum, Tauri alterũ, conſtituta: nec non alijs per prouinciam locis alia nonnulla. Reginæ obitu Regni calamitates auctæ fuere, cum Rex Alfonſus nonniſi quintumdecimum annum natus, Philippi patrui conſilijs nimis iuſto fidens, Ioannem Emanuelem, & Ioannem Viſcaiæ Principem, in ſe nimis intempeſtiue concitaſſet. Affinitate hi duo iuncti fuere, per Conſtantiam Emanuelis filiam, Viſcaiæ Principi deſponſam. Ex affinitate pariter fœdus inter vtrũque percuſſum, mutuis auxilijs aduerſum omnem iniuriam vt ſe munirent. Non illubet cõmemorare morem ſanciendæ inter proceres ſocietatis, per multos annos in Hiſpanijs ſeruatum. Is ipſe fuit. Legibus fœderis perlectis, pater patratus eorum nomine: *Teſtor*, aiebat,

RITVS SANCIENDAE SOCIETATIS INTER PROCERES.

*Deum & Matrem eius, vt cuncta quæ ſunt ordine ex tabulis pronunciata, ſine dolo malo fraudeque illis legibus ſtabo: neq; in fines hoſtium ſine ſocio ibo, neque quid aliud contra faciam. Si prior defecero certo conſilio, illo die Vos Superi, corpus in hoc ſæculo, in futuro animam diris cruciatibus mactate: vires verbaque deficiant facite: in pugna equus, arma, calcaria, ſubditi, cum opus eſſet maxime.* Id vbi dixiſſet, ſocij ſubijciebant: *Amen.*

Nonnunquam etiam Diuinam hoſtiam in duas partes diuiſam, vterque ſociorum libabat. Addebantur execrationes grauiſsimæ. Hoc erat Sanctiſſimum iungendæ inter proceres ſocietatis pignus, rituſque. Eius Societatis inter illos principes diſtrahendæ, vnde noua bella metuebant, cura Regios cum ſollicitaret, hanc rationem optimam ſibi videri exiſtimarunt, vt Rex à Ioanne Emmanuele, Conſtantiam filiam coniugem poſtularet. Dedit Emanuel nondum adultam viro, Viſcaiæque Principem aduerſum ſe & Alfonſum irritauit, vt is Blancã Petri Principis ad Granatam extincti filiam, in matrimonium exambiret, propter ditionem ad Aragoniæ limitem locis commodiſſimis res nouas molienti accommodam. Aduerſus eos conatus Rex, Blancam paterno principatu opibuſque ſpoliare contendit, ingenteſque turbas contra ſe excitauit. documento Principibus omnibus; ne temere Conſultoribus fidem dederint, in iniuria quacumque ſubditis, nullo merito inferenda. *Mariana lib. 15. cap. 18.*

XXXIII. LOLHARDVS BEGVARDORVM SECTAE PRINCEPS IGNI EXVRITVR.

Hoc anno, Coloniæ deprehenſus fuit Lolhardus quidam nomine VValtherus, magiſter & princeps ſectæ Beguardorum, qui in Ciuitate Colonienſi, & extra in multis locis, inter mulierculas ſimpliciores ſuos errores occulte diſſeminauerat, multoſque ſeduxerat. Hic plures libellos, erroribus varijs reſperſos, idiomate Theutonico ſcripſit; in quibus verba Sacræ Scripturæ male interpretando peruertit, & erroribus ſuis applicauit, eoſque mulieribus legẽdos diſtribuit. Comprehenſus, cum profana dogmata acriter defenderet, neq; palinodiam recantare vellet, igni damnatus, atque exuſtus fuit: multis relictis, tum Coloniæ, tum alibi, ſuæ ſectæ occultis ſectatoribus. *Trithem. in Chron. Hirſaugien.*

XXXIV. DE VIGINTI PRAESTIGIATORIBVS EORVMQVE MIRABILIBVS ARTIBVS.

Conſtantinopoli, ſub hoc idem tempus, *Nicephorus Gregoras* refert ſe vidiſſe, mirabilium operũ arte inſtructos quoſdam viros amplius viginti, quales nemo vnquam prouectæ ætatis homo, hactenus, vel audierat, vel viderat; qui primũ ex AEgypto progreſsi, velut circulũ quendam confecerant, multiſque prouincijs peragratis artem ſuam vbique oſtentarant. Quæ autem ab illis agebantur, erant illa quidem monſtroſa, & ſane mirabilia, quæ dextri ingenij ſtudia, longo tempore huiuſmodi in rebus verſati, eſſe aſſerebant. Vt autẽ breuiter pauca ex illis narremus: Nauis onerariæ malos binos, vel ternos funibus hinc inde in ſolo quopiam firmabant, ne in alteram partem inclinarent. Deinde funem alium ex vnius mali cacumine in alterius cacumen extendebant: prætereaque alium funem à ſolo ad cacumen circumplicantes, gradus aliquot quibus aſcenderent faciebant: per quos vnus ex eis cum euaſiſſet nudo cacumini mali inſiſtebat, nunc alterum pedem, nunc ambos verſus cœlum extendens, caput vero deorſum verſus mali cacumen inclinans; poſt ſubito ſaltu facto, vtraque manu fune fortiter comprehenſo inde pendebat, & ita ſæpe ſeſe rotabat & circumagebat ſurſum verſus cœlum, & infra verſus terram paulo momento & continenter trochi in morem. Deinde inflexo crure, manus vice fune præhenſo, ſupinus dependebat, atque ita rurſus eodem modo ſe circumagebat & rotabat. Mox rectus in medio fune ſtans arrepto arcu & ſagittis, ad ſcopum eminus poſitum collimabat adeo ſolerter, vt qui humi conſiſteret, melius non poſſet. Deinde clauſis oculis, accepto in humeros puero, in ſublimi fune ambulabat ab altero fune ad alterum, & hæc vnus agebat. Alius vero equo inſidens, ad curſum illum extimulabat, eoque currente nunc erectus in ſella ſtabat, nunc in equi iuba, in fronte, nunc in clunibus, pedibus ſemper dextre implexis, & velut volãtis auis in morem. Nunc ex equo currente deſcendens, eiuſque cauda prehenſa inſiliens, rurſus in ſella ſedens conſpiciebatur; & inde rurſus ex altera ſellæ parte ſe demittens, & circum equi ventrem ſe circumagens, facile ex altera parte aſcendebat, ac rurſus in eo vehebatur. Quibus rebus cum occuparetur, ne id quidem negligebat, vt equum flagello ad curſum incitaret. Et hæc alter è præſtigiatoribus illis faciebat. Alius vero claua cubiti magnitudine capiti impoſita, in eaque vaſe humore pleno collocato, ita circuibat, vt vas diu nõ agitaretur. Alius & ipſe longam haſtam in capite ſuo ſtatuebat, tribus orgijs non breuiorem, fune interne verſus apicem circumplicato graduum inſtar: quos puer, manibus & pedibus aſcendebat paulum alternantibus vſq; ad haſtæ cacumen, & rurſus inde deſcendebat; at qui haſtam in capite gerebat continenter obambulabat. Alius vitreum globum in altum iactabat, & relabentẽ nunc extremo manus vngue excipiebat, nunc poſteriore cubiti

parte, nunc aliter atque aliter. Omitto ſaltationum genera varia, quæ nobis (*ait Gregoras*) ſpectantibus mira fecerunt, neque vero ſinguli ea ſingula, ſed omnes vniuerſa tenebant, & alia præter hæc ſexcenta ſciebant. Sed cum ea ſtudia periculoſa ſint, ne ipſi quidem periculorum expertes fuerunt, ſed ſæpe præcipitati aliqui perierunt. Nam cum amplius 40. patria exceſſiſſent, pauciores 20. Byzantium peruenerunt. Vidimus & nos (*inquit Nicephorus*) vnum malo delapſum interire. Eius artis oſtentandæ gratia, quouis terrarum proficiſcebantur, magnam pecuniam à ſpectatoribus colligendo. Nāque digreſsi Byzantio, lucri faciendi cauſſa, per Thraciam & Macedoniam, Gades vſque peruenerunt, toto fere terrarum orbe, artis ſuæ theatro conſtituto. *Nicephor. Gregor. hiſt. Rom. lib. 8.*

## IESV CHRISTI
### Annus 1323.
### IOANNIS PAPAE XXII. ANNO 7. & 8.

I.
GALEACIVS AB EXILIO A GERMANIS MILITIBVS REDVCTVS MEDIOLANI TVRBAS EXCITAT.

NON diuturna pace Mediolanenſes frui potuerant, propterea quod Galeatius vnà cum fratribus Vicecomitibus vrbe eiectus, nullum lapidem non mouebat, Mediolani recipiendi. Opportunam Guelfi occaſionem dederant, cum Ioannes à Turre Burgundus, militaribus pręſidijs prępoſitus, Turrianis euehendis operam nauaret: atque illi ipſi Duce quodam Burro, ſuarum partium vexillum extuliſſent, tumultuoſeq; tum per vrbem ferrentur, tum Medo etiam occupaſſent. Id facinus, Mediolanēſis quidem reipublicæ Decuriones, magnopere cōmouit, quod noui Imperij maieſtas, ſeditioſorum temeritate ſuggillari contemniq; videretur, Gibellinos autem ipſos ſerio admonuit, vt ſibi non temere metuerint, & armata præſidia compararint. Acceſsit & iſtud, rebus nouandis non modicum incitamentum. Germani, quamquā mercenarij milites, qui à Galeacio nuper defecerant, neq; pontificis, neque Roberti Regis nomen Cęſaribus infenſum, & inprimis Ludouico Bauaro exoſum, pacatis auribus accipiebant; & tum forte ſtipendia à Legato Cardinale Regijſque Præfectis largiſsime promiſſa, nequaquam liberali manu ſoluebantur. His de rebus Henrico Gruniſtenio homine nobili concionante, Germani ſublatis dexteris, Galeatium continuo reuocandum cenſuerant, Legatoſque ad eum ſummæ dignitatis Centuriones decreuerant, qui condonatæ veniæ fidem acciperent, vt Rogerio & Anechino, cęteriſque recentis infidæ leuitatis authoribus caueretur. Gruniſtenius enim, virtutem, fidem, munificentiam, atq; animi magnitudinem Galeacio ineſſe, tanta dicendi copia aſſeruerat, vt cōmilitones ad eam ſeceſsionem impulerit, vel maxime, cum ſe vadem obſidemq; præſtiterit. Marcus interim opportune noctu in vrbem ingreſſus, Leodriſium inexpectata Guelphorum audacia perturbatum, animaduerſoq; periculo, conſilij ſui non obſcure pœnitentem, cum lachrymis exorarat, vt iure ſanguinis ad familię ſalutem pariter ac dignitatem cum Galeacio in gratiam rediret, nec veteres Vicecomitum hoſtes, ipſorum inteſtino malo lætari pateretur. Itaque ad decimum diem Decembr. anni ſuperioris, Galeacius, ſummo diluculo, non ſecus ac ſi ex venatione ſuburbanoque ſeceſſu, non ab exilio domum rediret, à Germanis excubitoribus, quęadmodum conuenerat, in vrbem fuerat reductus, omnibus fere, nomen Galeacij fauſta voce ingeminantibus. Eius aduentu cognito, Garbagnatus & Cribellus, ad Legatum arrepta fuga perfugerant. Ioannes etiam Burgundus vrbis præpoſitus, cum Guillelmo Ruramonte Regio Legato pariter euaſerat: quod ſibi à Galeacio tyranno metuiſſent.

II.
ABSOLVTVS AB ANATHEMATE

Et quidem Galeacius, vt ſibi plebem metu dirarum Apoſtolicarum conſternatā conciliaret, ficta in ſpeciem ſubmiſsione, Fratri Barnabæ Ord. Pręd. Prouinciali Inquiſitorum primo ſupplicem ſe oſtenderat, Sedique Apoſtolicæ ſe obſequentem futurum ſpoponderat, vt anathemate videlicet ipſe & ſocij, abſoluerentur.

REDIT AD FLAGITIA IDEOQVE DENVO DIRIS DEVOVETVR.

Cæterum ſtatim atque à Bernaba nimis credulo, omnia quæcumque popoſcerat, Mediolani in Sacrario FF. Præd. obtinuiſſet: ad vomitum canis, (quod aiunt) reuerſus, dominium Ciuitatis ſecundo vſurpauit, ijſdem quibus prius hæreſibus ſeſe impiauit, Regios Pontificioſque clientes Vrbe eiecit, Matthæi patris cadauer ignibus damnatum reuelare noluit, exercitum contra Modoetiam, aduerſus Eccleſiaſticas copias eduxit: Cremenſes, Bergomates, Laudanos, & aliarum vrbium Inſubriæ, Ligurum, AEmiliæ, Etruriæque Gibellinos, & in his Caſtrutium Lucenſium, Manfredum Landi Placentinorum, Raynaldum Bonacoſſam Paſſarinum Mantuæ, Raynaldum Ateſtinum Ferrariæ, & reliquarum ciuitatum alios tyrannos in auxilia euocauit, atque ab ijs militum non contemnendos manipulos accepit. Propter quæ F. Aychardus Archiepiſcopus Mediolanenſ. vna cum alijs Commiſſarijs iudicibus, Fidei Quæſitoribus, cum Galeacio ad 28. Ianuarij, alijs vero eius fratribus & ſocijs, fautoribus, conſiliarijs, adiutoribus, funus Matthæi non reuelantibus, militantibus, milites ſubmittentibus, vel pecunias conferentibus, ad alios deſignatos dies, diem dixiſſet, in contumaces, præcipue Galeacium, Marcum, Ioannem, Stephanum, aliosque Vicecomites, in Bertholdum Maſcechonium Mediolani Præfectum, in Caſtrucium, Bonacoſſam, Ateſtinos, Landum, Inuiciatos, & reliquos confœderatos proceres, anathema pronunciauit.

III.
LVDOVICVS BAVARVS GALEACIO SVBSIDIA MITTIT ADVERSVS PONTIFICIOS

Horum omnium Ludouicus Bauarus, literis Galeacij prouocatus, tutelam in rem ſuam cum ſuſcepiſſet Bertholdum Guiſium manu promptum, cum aliquot centurijs Germanorum, Galeacio miſit. Quingenti galeati equites Ducem Bertholdum Guiſium ſequebantur, præter pedites; quos ab eodem Ludouico Bauaro, Galeacius exercitui Pontificio oppoſuit. Feruebat bello Italia à Gibellinorum primoribus, excitante Ludouico concitata. Raymundus Cardonius Hiſpanus, Henricus Flandrius, & Simon Turrianus clariſsimi Duces, Eccleſiaſticis copiis, quæ Florentinorum, & Pagani Turriani Aquileienſis Patriarchæ, Robertique Regis Siciliæ auxiliis conſtabant, præfecti, gerendi belli munia ſuſceperant: cenſebanturque in eorum exercitu quadraginta millia peditum, & decem millia galeatorum equitum, ex omnibus fere Europæ gentibus mercede collecta. Ludouicus Bauarus, cum illos ſuos Galeacio deſtinaſſet, hæc tantum ſcripſit: *Galeacio. Iſtud auxilium non mando tibi, nec amicis tuis. Sed gloria illuſtrabo te, & amicos tuos.* In exercitu Galeacij, Germani, & Itali tantum, ſed virtute militari præſtantiſsimi, numerabantur. Vexilla eorum Aquilis Imperialibus, & viperis Vicecomitum inſignibus fulgebant, erecta contra ſigna Pontificia, ſigno Crucis ſignata. Varie pleriſque in locis hoc anno certatum: cum tamen nihil interim Pontifex Ioannes omiſiſſet, vt Ludouicum à tutela hæreticorum auerteret, & ad pacem Italiæ concedendam ſerio inuitaret. Sed is adeo obduruerat, vt non modo Pontificem monentem, obſecrantemque contemneret, verum etiam auctoritate Sedis Apoſtolicæ neglecta, ſuperior armis factus, non ſolum per Germaniam, ſed etiam per Italiam, quaſi iam Imperij ius, titulum & inſignia obtinuiſſet, Imperium adminiſtraret, Vicarios vrbibus præficeret, præſidia imponeret, Eccleſiaſticoſque deprimeret. Qua de cauſa Ioannes Pontifex, inſtantibus præſertim Carolo Galliarum & Roberto Siciliæ Regibus, nec non Friderico electo Rege Romanorum, ius electionis ſuæ coram Sede Apoſtolica proſequente, in Ludouicum ſolenniter citatum, neque infra trium menſium ſpatium, pro canonicæ monitionis termino ſibi præfixum comparentem, neque legitime ſe purgantem, neque ſatisfactionem aliquam offerentem, ſed in dies, in contemptum auctoritatis Ec-

ANATHEMATE IDEO PERCVLSVS A IOANNE PP.





cleſiaſticæ vnde ſua dependebat, ac dependere debuit auctoritas, multa atrocia committentem, ac notorios Hæreticos protegentem, ad Quintum Idus Iulii anno ſubſequente 1324. excommunicationis tandem ſentētiam pronunciauit. *Corius Hiſt. Mediol. P. 2. Iouius in Galeacio. M S. Vatic. nu. 3936. Regeſt. Ioan. Hoc anno. ep. 106. & Ptolemæus Lucen in Chron.*

Porro placuit inſerere Ioannis Pōtificis miſſum Ludouico monitorium, vt euidentius cauſæ cenſurarum cognoſcantur. Ita habet.

IV.
IOANNIS PONTIFICIS MONITORIVM AD LVDOVICVM BAVARVM MISSVM.

Ioannes Epiſc. ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri Aymerico Archiep. Rauēnati, Romādiolæ Rectori.

*Nuper contra dilectum filium, Magnificum virum Ludouicū Ducem Bauariæ, ſuper eo quod electione ſua in Regem Romanorum promouendum Imperatorem, per quoſdam qui vocem in electione huiuſmodi habere dicuntur in diſcordia celebrata, per Sedem Apoſtolicam, ad quam electiones huiuſmodi & Perſonæ electæ examinatio, approbatio, admiſsio, ac etiam reprobatio & repulſio noſcitur pertinere, non admiſſa, nec etiam approbata, adminiſtrationi regiminis Romanorum Regni ſeu Imperii ſe irreuerenter ac indebite per ſe & alios ingerebat, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ Sedis plenitudine poteſtatis præſente multitudine copioſa fidelium, videlicet VIII. Idus Octobris proceſſum fecimus continentiæ infra ſcriptæ.*

Ad perpetuam rei memoriam.

*Attendentes, quod dum errori non reſiſtitur, is ad quem reſiſtere pertinet, illi vtcunque præſumitur conſentire, quodque plerumque iuſtitiæ opprimitur veritas, ni defenſionis opportunæ illi beneficium ſubtrahatur; profecto nec errori damnabili conſentire, per reſiſtentiæ negligentiā volumus, neq; pati ob defectum opportunæ defenſionis præſidii iuſtitiam opprimi ſponſæ Chriſti. Dudum ſiquidem per obitum claræ memoriæ Henrici Romanorum Imperatoris, Imperio Romano vacante, Principes Eccleſiaſtici & Seculares, ad quos tranſlato ab olim per ſedem Apoſtolicam prædicto imperio de Græcis in perſonam Magnifici Caroli, in Germanos, futuri Romanorum Regis in Imperatorem poſtmodum promouendi electio pertinebat, votis eorū in diuerſa diuiſis, duos, ſicut dicitur, in diſcordia elegerunt, quibuſdam eorum in dilectum filium Magnificum virum Ludouicum Bauariæ, quibuſdam vero in dilectū filium Fridericum Auſtriæ, Duces, nominando & eligendo ipſos in Roman. Reges dirigentib. diſcorditer vota ſua. Verum præfatus Ludouicus à nobis, ad quem ſuæ dilectionis huiuſmodi, ſicut præmittitur in diſcordia celebratæ, ac perſonæ ipſius examinatio, approbatio, ac admiſsio, repulſio quoq; & reprobatio noſcitur pertinere, electione prædicta nequaquam admiſſa, nec eius approbata perſona, ſicut notoria fama notariat, & publica facti euidentia manifeſtat, non quærens, vt deberet per oſtium ad huiuſmodi Regni, ſeu Imperii conſcendere dignitatis faſtigium, ſed potius aliunde neſcimus quo ductus, vel verius ſeductus conſilio, præfati Romanorum Regni nomen ſibi & titulum Regium vſurpauit; quāuis prius alterutrius eorum per ſedem Apoſtolicam fuiſſet approbata vel reprobata perſona, neutri electorū ipſorum aſſumere licuit nomē & titulum prælibatū: cum nec interim Roman. Reges exiſtant, ſed in Reges electi, nec ſint habendi pro Regibus, nec Reges ēt nominandi. Idem etiam Ludouicus eodem præſumpto titulo non contentus, adminiſtrationem iurium Regni & Imperii prædictorum, in grauē Dei offenſam & contemptum, ac manifeſtam iniuriam Romanæ Eccleſiæ matris ſuæ, ad quam eiuſdem vocationis tempore Imperii regimen, ſicut & in præſentiarū vacat, pertinere dignoſcitur, nec non & plurimorum ſcandalū, & rei turbationem ac læſionem publicæ, ac ſuæ animæ detrimentum proſilire, ſeq; illi immiſcere irreuerenter ac indebite præſumpſit hactenus & præſumit, exigēdo & recipiendo ſub præfato titulo Regio fidelitatis, in Alemanniæ, & nonnullis Italiæ partibus, tam à perſonis Eccleſiaſticis quā Sæcularibus vaſallis Imperii per ſe & alios iuramenta, ac de dignitatibus, & honoribus, & officiis ad eiuſdem Romani Regni ſeu Imperii diſpoſitionem ſpectantibus pro ſuo libito diſponere; ſicut iis proximis diebus præteritis de Marchionatu Brandenburgenſi, quē primogenito ſuo de facto publice contulit, ordinauit: nec nō alia plurima exercendo, quæ ad eiuſdē Romani Regni & Imperii regimen, non eſt dubium, pertinere. Eiuſdem inſuper Eccleſiæ Romanæ ſicut Galeatio de Vicecomitibus, & eius fratribus, quamuis ſint de crimine hæreſis à ſuis competentib. iudicibus exigente iuſtitia per definitiuam ſententiam condemnati, & nonnullis aliis Eccleſiæ prafatæ rebellib. ſe exhibere fautorem & defenſorem, contra dictam Eccleſiam proſequētem aduerſus eoſdem rebelles iura ipſius Imperii, & negotium Fidei, in grauem Diuinæ maieſtatis iniuriā, contemptum eiuſdem Eccleſiæ, & animæ ſuæ perniciē non eſt veritus, nec veretur. Nos itaq; tam temerariis auſibus, ne mos tam perniciosus inualeſcat in poſterū obuiare, ac prout ad Apoſtolatus noſtri ſpectat officiū, iuſtitiam ſponſæ Chriſti in hac parte defendere dictumq; Ludou. à tam periculoſo erroris deuio ad veritatis callem reducere cupientes; ac conſiderantes, quod ad eius præſentiam, ad proponendum coram eo præſentialiter, per quæ poſſet & deberet retrahi à prædictis, nequaquam tutus patet acceſſus: quodq; in præmiſſis formidatur, quod mora periculum, & diſsimulatio damnū forent proculdubio allaturæ, ad prouidendū ſuper præmiſſis exceſſibus & obuiandū eiiſdem ſubſcriptum modū de Fratrum noſtrorum conſilio, ac ex certa ſcientia, & de Apoſt. poteſtatis plenitudine eligentes, præfatū Ludou. præſente fidelium multitudine copioſa, præſentium tenore monemus, eidem ſub virtute Sanctæ obedientiæ, ac excōmunicationis pœna, quā ipſum, niſi cum effectu huiuſmodi monitioni noſtræ paruerit incurrere volumus ipſo facto, auctoritate Apoſtol. nihilominus iniungentes vt infra trium menſium ſpatiū, à data præſentium cōputandum, quos ei de eorundem Fratrū conſilio pro peremptorio termino aſsignamus, ab adminiſtratione, fautoria, & defenſione prædictis prorſus abſtineat ac deſiſtat; adminiſtrationē ipſam per ſe, vel alium ſeu alios nō reſumpturus vlterius, niſi tuc demū, cum, & ſi electionem ſuā huiuſmodi, quæ de ipſo dicitur, celebratā, ac perſonam eiuſdem per Sedem Apoſt. approbari contigerit, & admitti: quodq; geſta per eum poſt præſumptū ab eo titulū memoratū circa præmiſſa, quatenus proceſſere de facto, cum de iure non teneant, velut ab ipſo, cui ius faciendi non competebat, nec cōpetit, attentata, curet infra prædictum terminū, quantū patietur poſsibilitas realiter reuocare; aperte per præſentiū ſeriem intimantes eidē, quod ſi in præmiſſis per eū infra præfatū terminū exequēdis negligēs fuerit, vel remiſſus: nos cōtra ipsū ad publicationē pœnarū in quas propter præmiſſos exceſſus notorios incidiſſe noſcitur, vel incidet in futurū, & alias quātū ſuadebit iuſtitia, eius non obſtāte abſētia, procedemus. Vniuerſis inſuper Patriarchis, Archiep. & Epiſcop. & aliis perſonis Eccleſ. quibuſcūq; ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio, quā eos incurrere volumus ipſo facto, niſi infra prædictū terminum, infraſcriptæ inhibitioni noſtræ efficaciter ſtuduerint obedire; & tā ipſis, quā omnib. & ſingulis ciuitatib. cōmunitatib. & vniuerſitatib. nec nō perſonis ſæcularib. quibuſcūq; cuiuſcunq; conditionis aut ſtatus exiſtant, ēt ſi Regali, aut alia quacunq; dignitate præfulgeant, in virtute S. obedientiæ, & ſub pœnis excōmunicationis in perſonas, & interdicti in terras eorū, nec non priuationis Priuilegiorū quorūcunq; Apoſtolicorū, & Imperialiū, ac feudorū quæ ab Eccleſia vel Imperii obtinent, diſtrictius inhibemus, ne prædicto Ludou. in præmiſſis, vel aliis Regni ſeu Imperii tangentibus regimen, tanquam Regi, ſeu in Regē Roman. electo, niſi & quouſq; dictā electionem & perſonā ipſius per ſedē eandē approbari contigerit, vel admitti, in aliquo pareant, ſeu intendāt; neue eidē in quibuſcunq; ad regimē prælibatum ſpectantibus; præbeant auxilium, conſiliū vel fauorē. Non obſtante ſi ipſi, vel eorum aliqui ad hoc ſe dicto Ludou. vt Regi, ſeu in Regem electo adſtrinxerint per fidelitatis, vel alterius cuiuslibet generis iuramēta, quæ quidem cum præſtita fuerint ei, cui minime præſtari debuerant, nec ſeruari ſine æternæ ſalutis valeāt detrimento, præſtantes eadem non adſtringunt: quæ nihilominus ad cautelā auctoritate Apoſtolica relaxamus, illaq; caſſa & irrita nunciantes decernimus penitus non tenere, nec fore aliquatenus obſeruanda: ſeu ſi præfato Ludouico, vel quibuſuis aliis communiter, vel diuiſim per literas Sedis eiuſdem foret, ſub quacūq; verborum forma, vel expreſsione conceſſum, vel concederetur in poſterū, quod excommunicari, ſuſpendi, vel eorum terræ, ſeu loca interdici non poſsint, quas contra præſentem proceſſum noſtrum in nullo eis volumus ſuffragari: ſed ipſas quoad hoc viribus volumus omnino carere. Ex præmiſſis autem nos nequaquam intendimus, nec volumus obligari, quin ad publicationē dictarum pœnarū, & alias contra dictum Ludouicum poſsimus pendente huiuſmodi dilatione procedere, prout iuſtū fuerit, & nobis viſum fuerit expedire. Vt autem huiuſmodi proceſſus noſter, ad ipſius Ludouici notitiam, & aliorum quorum intereſt communem notitiam deducatur, chartas ſiue membranas proceſſum continentes eundem, in Eccleſiæ Auinion. appendi vel affigi oſtiis, ſeu ſuper liminaribus eiuſdem Eccleſiæ faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro*

*præconio, & patulo iudicio publicabunt; vt idem Ludou. & alii, quos proceſſus ipſe contingit, nullam poßint excuſationem prætendere, quod ad eos non peruenerit, vel ignorarint eundem: cum non ſit veriſimile quoad ipſos remanere incognitum, vel occultũ quod tam patenter omnib. publicatur. Volumus aũt & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod huiuſmodi proceßus eundem Ludou. & alios ſupradictos apprehendat & arctet, ac ſi eiſdem perſonaliter publicatus & inſinuatus ſolenniter extitiſſet: Conſtitutione quacunq; per prædeceſſores noſtros Rom. Pontif. in contrarium edita nõ obſtante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagin. noſtræ monitionis, mandati, inhibitionis, relaxationis, & conſtitutionis infringere, &c. Dat. Auini. in Pal. Epiſc. 8. Id. Oct. An. 8.*

*Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſt. ſcripta diſtrictius præcipiendo mandamus, quatenus præmiſſa in prædicto proceſſu contẽta facias, in decreta tibi Prouincia firmiter & inuiolabiliter obſeruari, ac in ciuitatib. & aliis eiuſdẽ Prouinciæ locis, de quib. expedire videris per te, vel per alium, ſeu alios ſolenniter publicari, ad id loci cuiuslibet, vbi fiet huiuſmodi publicatio, Clero & populo conuocatis ſpecialiter, ac ẽt congregatis faciẽs de publicatione huiuſmodi fieri publica inſtrumenta, quæ nobis quãtocius cõmode fieri poterit, mittere nõ poſtponas: nobis diẽ ſignificaturus præſtitutum, & quacunq; ſuper iis duxeris facienda.* Dat. Auinioni 8. Id. Octob. An. 8. *ex Regeſtro anni 8. Ioan. ſecretorum fol. 105.*

In eum modũ Ioan. Pont. ſcripſit Epiſc. Terracinen. Vicario vrbis, & Roberto de Alba Rupe Patrimonii B. Petri in Etruria Rectori, Ioan. de Amelio Ducatus Spoletani Rectori, Stephano de Serineſio Beneuentanæ ciuitatis Vicerectori, Amelio Marchiæ Anchonitanæ Rectori, Archiepiſc. & Epiſcopis Germaniæ, Hungariæ & Bohemiæ, Italiæ, Galliarum & aliorũ Regnorũ, mutatis tamen mutãdis. Quibus admonitionib. tm̃ abeſt vt Ludou. auſcultauerit, vt ẽt ſuum furorẽ furere perrexerit.

V.
IOANNES PP. GENVENSES PER FACTIONES DISTRACTOS FRVSTRA AD CONCORDIAM HORTATVR.

Inter hæc, cum ẽt Genuenſ. per factiones diſtracti, in mutuam pernicẽ infeſtis animis & armis concurrerent, Ioannes Pont. Chriſtianæ fidei ac pietatis ſummo ſtudio incenſus, ſimulq; præpotentis & inclytæ vrbis caſũ vehementer miſeratus, vt hæc domeſtica diſſidia & funeſtas ſimultates è medio auferret, ab vtraq; parte ad ſe Auenionem, Legatos mitti poſtulauit. Ea de cauſa duo ac viginti Oratores miſſi, quorum duodecim à Senatu, & reliq. ab aduerſa parte fuerãt ablegati. Hos poſtq̃ Pontif. humaniſſime ac benigniſſime excepiſſet, ad pacẽ & cõcordiã hortatus eſt, fere huiuſmodi oratione.

*Vtinam filii, ad bellicã virtutem, & animi magnitudinẽ, qua parentum & maiorum veſtrorum imaginem exprimitis, illorum quoq; ſapientiã, & quæ caput omniũ virtutũ eſt, pietatem & religionem adderetis: ac Chriſtiani nominis, diuinæq; legis, vobis aliquando in mẽtem veniret, quæ nihil æque ſtudet, ac pacem, cõcordiam, charitatemq; tueri inter eos, qui in Chriſtianam militiam nomen dederunt: quæq; nihil cõtra æque abominetur, atq; odia rixas, contentiones, diſcordias, iniuriarumq; vlciſcendarũ ſtudium adeo execretur, vt contra præcipuum Chriſtiani nominis munus eſſe ſtatuat, hoſtibus, ac grauiſſimas iniurias & contumelias nobis imponentib. noſtra auferentibus, vulnera infligentibus, mortẽ deniq; ipsã inferẽtibus, bona oĩa ac fauſta precari, ac precib. noſtris diuinum numen illis placare. cuius virtutis non ſolũ verbis Chriſtus Dominus nos admonuit, ſed exemplo princeps ipſe nobis præiuit. Huius præcepti maiores, ac parentes veſtri perpetuo memores, oẽs odiorum cauſas omneſq; iniurias ſuas, ac partium ſtudia reipublicæ condonabant: iras atq; odia ſi quæ forte animis inſederũt, in communẽ hoſtem euomentes. Quare id aſſequebantur, vt publicam & priuatam rem, honore, gloria, opibus, Imperio augerẽt: nulliuſq; populi, qui naualib. copiis polleat, nomen aut formidoloſius barbaris eſſet, aut apud Chriſtianos Reges & populos maiore in exiſtimatione. Vos contra, religionis, patriæ, ac veſtrimet obliti, omnem animi impetũ, in vos ipſos & in viſcera veſtra vertitis, ac vires veſtras continentib. cladibus ipſi atteritis; opeſq; maiorum virtute paulatim collectas vniuerſas profunditis: vrbem ipſam intra & extra pomærium, incendiis ac ruinis deformatis; eaq; crudelitatis documenta in voſmetipſi aſſidue editis, à quib. infenſiſſimorum barbarorum rabies abſtineret, quibus rebus fit, vt & barbaris riſui ſitis, & Chriſtianis principibus contemptui: quorumq; nomen longe remotis nationibus olim terribile erat, id nunc accolæ proceres, ac perexiguorũ caſtellorũ Domini ita deſpiciant, vt armis vos omni leui de cauſa petere non dubitẽt. Maiores veſtri Sanctorum Pontif. monitis, de ipſorum ſalute & dignitate ſollicitorũ, prompto atq; alacri animi parebant: vos piis adhortationib. ſpretis, quod barbari hoſtes veſtri, atq; excidiũ veſtrũ cupientes volũt, idem ipſi vultis: ad Pontif. voces, aures ſurdas geritis; hoſtium deſiderio obſequimini. Quod tandem veſtrum iſtud eſt conſiliũ? aut quid ex diſcordiis & contentionib. veſtris petitis? aut quis tantus iſte mentis error vos tenet, vt dulcedine iniuriarum vlciſcendarũ iniurias aliam ſuper aliam cumuletis, quo nullus vnquam fiat vlciſcendi modus? Id enim quærere videmini, vt ſic infinitam materiam, bellis ac cladibus præbeatis, quæ nũquã niſi omnium rerum interitu terminari poßint. Reſipiſcite aliquando filii, ac vos, liberos, coniuges veſtras, patriã non ſolũ ruentem veſtrã, ſed communem Chriſtianam rempubl. reſpicite. Pudeat vos maiorum veſtrorum, pudeat Chriſtiani nominis, pudeat humanarum obtrectationum. Si vos concordiam & pacem inter vos, præ nimis accenſis contentionum ſtudiis componere non poteſtis; at diſceptatorem ſumite, qui pro communi amico res cognoſcat. Si maiorum veſtrorum ſimiles, Chriſti vicarium idoneum ad eam rem putatis, en ego ſedulam, & veſtri charitate incenſam operam meam ad vos defero. Si alius vobis magis diſceptator placet, non minus eandem operã meam, ac ſacroſanct. nominis auctoritatẽ apud illũ, quem adeũdũ decreueritis, polliceor: æque læto animo, vel iudicis & arbitri, vel aduocati partes, pro ſalute & dignitate veſtræ ſuſcepturus.*

Hæc ſacroſancta Pontificis monita animos inter ſe execrabili odio efferatos non modo nihil mitigarunt, ſed contra, ardor recentium certaminum in aula Pontificis per duos mẽſes iactatorum, magis inſuper accẽdit: adeo vt Oratoribus domum reuerſis, iterum ſit dimicatum: nec tantum domi, ſed & in pleriſq; orientalibus locis, hæc feralia diſſidia ſuum peſtiferum ac exitiabile virus diffuderint, Andronico Imperatore Græcorum Gibellinis addicto, & in Pontificios Guelfos efferato. *Petrus Bizar. & Foleta in hiſt. Genuen.*

VI.
ATESTINI PACEM INIRE CVM PONTIFICE RENVVNT.

Ateſtini pariter, Legatum Cardinalẽ pacis mentionẽ facientem contempſerant, & Gaſparinũ Stangã patritium Cremonẽſem iuris inter aulicos ſuos præfectum, ad Ludou. Bauarum ire præceperant, qui impotentem animi in Pontificẽ & Guelfos magis irritaret, adq; Italiæ capeſſendum imperium inuitaret. Recepit Ludouicus ſe qua parte virium per occaſionem liceret, nunquã Ateſtinis, aut reliquis eorum cõfœderatis defuturum. Quod ad Italicam profectionem attinebat, reſpondit, ſe propediem ibi affuturum, ſi modo aduerſariis ſuperatis, res Germaniæ ſibi ſtabiliret. *Pigna. hiſt. Ateſtin. lib. 4.*

VII.
LVDOVIC. INGENTI PRÆLIO FRIDERIC. ET HENRICVM VINCIT EOSQVE CAPTIVOS DETINET.

Ad eum modum tunc Ludouicus, Ateſtinis, & cæteris confœderatis Italiæ reſpondit, quod hoc anno cum Auſtriacis vltimam aleam experiri conſtituiſſet. Namq; Fridericus Romanorum Rex electus, & frater eius Hẽricus, ad copias ſuas coniunctis ex Vngaria miſſis præſidiis, Bauariam inuaſerãt, nec tantum ea quæ in agris extabant depopulati fuerant, verum etiam plurimas ciuitates quæ hactenus in fide Bauari conſtanter ſtetiſſent, aut expugnatas diripuerãt, aut in deditionem acceptas exactionibus exhauriebant, magnamq; partẽ ducatus Bauariæ breuiſſimo temporis ſpatio per hoſtilem vaſtationem perdiderant. Itaq; ne totam Bauariam Ludouicus amitteret, neue reliqui Sueuorum in Friderici fidẽ recederent, habuit quod in Germania ageret, iterq; Italiæ in aliud tempus differret: cum id etiam Ioannes Rex Boemiæ, & Archiepiſcopus Treuerenſis, vir potius ad bellum quam ad tẽplum natus, tum & multi Comites & Barones, qui in caſtris militabant differendum conſulerent. Horum copiis auctus Ludouicus, Fridericum viribus diſtractum, neq; Leopoldum fratrem tantiſper donec ex Sueuia adduceret exercitum expectare volẽtẽ, ſed præcipiti audacia præliandi cupidum, aggreſſus, poſtquam duodecim integris horis varia inclinatione victoriæ pugnaſſet, multoſq; ex ſuis amiſiſſet, tãdẽ profligauit. Captus eſt in eo prælio ipſe Fridericus, & frater eius Henricus; hic ab Ioanne Rege Boemiæ abductus, & in cuſtodiã datus, ille à Ludouico in caſtrum Tuſneckium auectus, & in carcere perpetuo triennio ſeruatus, Leopoldus caſu fratrum conſternatus, cum in Gallias



LEOPOLDVS FRIDERICI ET HENRICI FRATRVM CALAMITATEM DEPLORAT.

lias conceſsiſſet, & tum cladem ſuorum Auſtriacorum, tum Ludouici tyrannicum erga Pontificem & Eccleſiaſticos homines animum expoſuiſſet, à Galliarum quidẽ Rege Carolo auxilia implorauit, Ioannem vero Summũ Antiſtitem adeo permouit, vt is Auinione in congregata Epiſcoporum & Cardinalium Synodo non exigua, excommunicationis ſententiam aduerſus Ludouicum ſecundo tulerit: cauſaq; in edicto addiderit, quod Ludouicus ſchiſmaticos & hæreticos iuuiſſet, & quotidie auxilio eſſet Eccleſiæ rebellibus. Excõmunicatos etiam tunc pronunciauit Ioannes, omnes qui non diſcederent à Ludouico, qui autem illi in Sacris miniſtraſſent, eos ſacerdotiis, dignitatibus, & officiis priuauit. Miſit inſuper ad omnes Germaniæ Epiſcopos Bullæ in Ludou. prolatæ edita exempla, & ſub priuationis officij & Epiſcopatuum pœna præcepit, vt in Ludouicum, & omnes qui partes illius fouere pergerent, anathematis prolatã ſententiã vbiq; promulgarent. *H. Mutius de rebus Germ. lib. 24.*

VIII
DÆMON FRIDERICVM E CARCERE EDVCERE COGITANS SIGNO CRVCIS EFFVGATVR.

Rem miram tunc accidiſſe, narrabat Albertus Argentinenſis qui hoc tempore viuebat & ſcribebat. Verbis eius dabo. Inuenit autem Leopoldus tũc temporis expertum nigromanticum, cum quo de eductione Friderici tractauit. Conſidentibus autem ipſis duobus ſolis in camera benefirmata, Leopoldo & Magiſtro faciente characteres ſuos, ecce venit dæmon, ſtans coram eis in ſpecie viatoris, habentis calceos corruptos, & pileum in capite, oculoſq; lippos. Cui Leopoldus ait: *Noſti me?* at ille ait: *Bene noſco te:* & quæſitis aliquibus, iniunctoq; ſibi, vt abſque omni periculo deduceret Fridericum à captiuitate; Dæmone reſpondente, quod ſic eum deduceret, dũmodo ei conſentiret, Leopoldus minis perterritus eſt. Itaq; dæmon veniens ad caſtrum Trauſznit in ſpecie ſcholaris cuiuſdam, in partibus Ergouiæ, habentis pannum circũuolutum per collum, ac ſi in eo panes portare vellet, dixit Friderico: *Ingredere hunc pannum, & ducam te ad fratrẽ tuum Leopoldum.* Quo interrogante, quis eſſet, & illo reſpondente, *Non cura: ſi ingrederis, ſecurè te ducã:* Fridericus facto ſigno Crucis, & inuocato Chriſti nomine dæmonem effugauit: dicens cuſtodibus ſuis, vt per aliquas reliquias vel preces à dæmone ſe cuſtodirent, quod & factum eſt diligenter. Hic poſtea liberatus, videns ſcholarem dixit. Hic fuit dæmon, qui me voluit eduxiſſe. *Alb. Argentinen. in Chron.*

IX.
LEOPOLDVS ANATHEMATIS SENTENTIAM IN LVDOVIC. VBIQVE PROMVLGARI CVRAT.

Præter hæc Leopoldus artibus illicitis tentata, nihil non egit, vt fratres captiuos liberaret, omneſq; in Ludouicum Bauarum principes irritaret. Nam & ſententiam anathematis, & priuationis tam iuris electionis, quã ducatus & dominiorum in Ludouicum, ac filios & fautores illius à Ioanne Pontifice pronunciatam, vbicumque potuit promulgari curauit. *Idem Argent. vbi ſup.*

X.
GVILIELMI OCKAMII MINORITÆ IN ROM. PONTIFICEM CALVMNIÆ.

Gliſcentibus interim, Pontificem inter & Ludouicũ diſſenſionibus, Fratres quidam Minores, de paupertate Chriſti & Apoſt. nimis contentioſe, non iam cum Fratr. Prædicatoribus, ſed cum ipſo Ioanne Summo Antiſtite diſceptantes, cum F. Bonagratiam, ea in controuerſia, F. Michaelis Cæſenatis Miniſtri, & Capituli Generalis Peruſini Procuratorem, propter temerariam à ſententia Ioannis appellationem per hos dies in carcerem coniectum accepiſſent, ſcriptis non minus procaciſsimis, quam erroneis, famam Summi Pontificis Ioannis violare auſi ſunt. Quod autem ſcirẽt Ludouicum, iniquiſsimo animo excandeſcere contra Pontificem, VVilhelmum Ockamũ ſui inſtituti, natione Anglicum, ſophiſmatibus & ſubtilitatibus tenebroſis innutritum, ac propter eandem opinionem, quam vna cum F. Michaele Cæſenate Generali Miniſtro, mordicus defendebat, anathemate percuſſum, ad Ludouicum odio æſtuantem ire ſuſtinuerunt, qui oleum, quod aiunt, camino inflammato affunderet. Ferũt, cum defenſionem imploraret dixiſſe: O *Imperator, tu me gladio à Papæ iniuriis defende, & ego te verbis, & ſcriptis indiſſolubili ratione defendam.* Is à Ludouico ſiue mercede conductus, ſiue in tutelam receptus, multas calumnias in Ioannem ſparſit, hæreticumq; & ſciſmaticum mentitus, eius cenſuras non eſſe metuendas finxit. Præcipue in illam cuius titulus eſt, *Ad conditorem* ſuperiore anno vulgatam epiſtolam, ſtylum acuerant Minoritæ, quam tantum abeſt, vt Ioannes inuictæ conſtantiæ Pontifex antiquauerit, vt etiam hoc anno auctam, magiſque illuſtrata ediderit. *Tritem in Chron. Hirſaugien.* Ita ille habet.

XI.
IOANNES PP. CONSTITVTIONEM INNOVAT DE VSV RERVM ADVERSVS MINORITAS.

*Ad conditorem canonum non eſt dubium pertinere, cum ſtatuta à ſe vel Prædeceſſoribus ſuis edita obeſſe percipit potius quam prodeſſe, ne vlterius obeſſe valeant prouidere.*

*Dudum ſiquidem felicis recordationis Nicolaus IV. prædeceſſor noſter attente proſpiciens, in almi Confeſſoris Beati videlicet Franciſci Regula contineri, quod nihil ſibi approprient, neq; domum, neq; locum, neq; rem aliquam aliam ſui ordinis profeſſores, ac conſiderans diligenter, quod per piæ recordationis Gregorium Papam IX. & nonnullos alios prædeceſſores eiuſdem fuerat declaratum, hoc debere ſeruari tam in ſpeciali, quam in communi, nec non & conſideranter attendens nõnullos Fratribus ipſis detrahere, impingentes eiſdem, quod Regulam & declarationes huiuſmodi non obſeruabant, pieq; conſiderans ora cõtra præmiſſos Fratres oblatrantium claudere, ac profeſſorum ipſorum conſcientiis prouidere, inter alia ordinauit & ſanxit, omnium vtenſilium, & librorum, rerumq; mobilium, & præſentium, & etiam futurorum, Eccleſiarum quoq; & Oratoriorum, ac cæmeteriorum tam præſentium, quam etiã futurorum, nec nõ & aliarum emptarum, & eleemoſynis diuinis oblatarum, ſeu conceſſarum dictis Fratribus (in quibus tamen offerentes, ſeu concedentes ipſa, nihil in ipſis ſibi ducerẽt reſeruandum) proprietatem & dominium plene ac libere ad ſe, & Romanã Eccleſiam pertinere, ipſa in ſe recipiens, ac antedictam Eccleſiam, ſimplici vſu facti duntaxat in rebus & bonis huiuſmodi reſeruato Fratribus antedictis. Et quia nonnũquam libros & alia mobilia ſupradicta vendi expedit, ſeu etiã commutari, Fratribus ipſis in eadem ordinatione conceßit, vt res ipſas cum rebus aliis, quarũ vſum habere licet ipſis Fratribus (dũmodo Generalis, & Prouincialium miniſtrorum coniunctim, vel diuiſim auctoritas intercederet) poſſent libere commutare. Sed & quia Fratribus ipſis pecuniã per ſe, vel per aliũ recipere ipſorũ Regula diſtrictius interdicit, voluit & cõceßit, quod ſi vẽdi cõtingeret res mobiles antedictas pretio æſtimato, quod huiuſmodi pretium per procuratorẽ deberet recipi à præfata Sede, vel Cardinali gubernatore eiuſdẽ ordinis, deputãdũ per procuratorẽ eundem in rem licitam, cuius vſus eſſet permiſſus eiuſdẽ ordinis Fratribus expendẽdum: hoc adiecto, quod poſſent de vilibus rebus mobilibus, vel parũ valentibus, Fratres ipſi, pietatis ſeu deuotionis intuitu, vel pro alia honeſta cauſa & rationabili (obtenta tamen ſuper hoc ſuperiorum ſuorum licentia) intra vel extra dictum Ordinem ordinare.*

*Quanquam autẽ pia conſideratione motus prædeceſſor noſter ordinauit ſupradicta illa dicto Ordini exiſtimãs profutura; ipſa tamẽ attento modo vtendi Fratrũ ipſorum, ac dictæ Eccleſiæ ſubſecuta patientia circa ipſum non profuiſſe, ſed potius tã ipſis Fratribus, quã multis aliis obfuiſſe ſubſequens Magiſtra rerũ experiẽtia noſcitur declaraſſe. Ipſis quidẽ Fratribus, quãtum ad ſtatum perfectionis, nequaquã profuit reſeruatio Dominij ſupradicta. Cũ enim perfectio vitæ Chriſtianæ, principaliter & eſſentialiter in charitate conſiſtat, quæ ab Apoſtolo perfectionis vinculũ dicitur; & quæ vnit, ſeu iungit aliqualiter in via hominẽ ſuo fini; ad quam per cõtemptum bonorum temporalium, & ipſorũ expropriationẽ via diſponitur per hoc præcipue, quod ſollicitudo, quam tẽporalia in acquirendo, conſeruando, & diſpenſando exigũt, quæ plerumq; ab actu charitatis retrahit, amputetur: reſtat, quod ſi ſollicitudo eadem poſt expropriationẽ huiuſmodi, quæ ante ipſam inerat, perſeueret, ad directionem huiuſmodi talis expropriatio valeat nil cõferre. Conſtat autem, quod poſt ordinationẽ prædictam non fuerint in acquirendis ac cõſeruandis bonis prædictis in iudicio, & extra minus ſolliciti, quã ante illam fuerant Fratres ipſi; quanquã ſint Religioſi Mendicantes alij habentes aliqua in communi.*

*Adhuc nec vtiq; profuit dictis Fratribus ordinatio ſupradicta, quantũ adhoc, quod propter carentiã talis proprij, ſe pauperiores dicere valeant, quã ſi res ipſas cũ illo (quo carere ſe dicunt) dominio obtinerent. Licet etiã prædeceſſor noſter prædictus dominiũ earum rerũ, quæ ipſis Fratribus offerri, ſeu cõferri, aut alias obuenire contigerit, quarũ tamẽ vſum facti duntaxat habere licet Ordini vel Fratribus antedictis (vſu facti*

ſimplici prædictis Fratribus reſeruato) in ſe, Romanamq; Eccleſiam recpiendum duxerit, ac libere pertinere decreuerit, vt ſuperius eſt expreſſum; attento tamen ipſorum Fratrum vtendi modo, & eius effectu, ac patientia circa modum ipſum Romanæ Eccleſiæ ſubſecuta, non ipſe vſus Fratrum dici debet, ſed potius Romanæ Eccleſiæ dominium eſſe ſimplex. Quis enim ſimplicem vſuarium dicere poterit, cui rem vſuariam licet permutare, vendere, ac donare? Proculdubio hæc naturæ repugnare noſcuntur, nec ad vſuarium pertinere, quæ tamen de rebus mobilibus antedictis faciunt Fratres ipſi.

Quod autem dominium Romanæ Eccleſiæ reſeruatum ſimplex cenſeri debeat, ex hoc patet: quod ex illo nullum eidem Eccleſiæ temporale obuenit hactenus commodum; nec ſperatur, ꝙ obuenire debeat in futurum: cum nec intentio reſeruantis, nec Fratrum ipſorum fuerit, quod ad quemcumq; alium, quam ad Fratres dictarum rerum perueniret compendium, quod proculdubio modus vtendi Fratrum ipſorum, & Romanæ Eccleſiæ ſubſecuta patientia euidenter declarauit. Et quod talis fuerit intentio ordinantis, & ex hoc patet, quod illarum rerum ſibi, & Eccleſiæ Romanæ dominium duntaxat retinuit, quarum vſum facti liceret habere Ordini, vel Fratribus antedictis. Talis autem dominij carentia re in præſenti, ac ſpe in futurũ omnimodo denudati, quoad paupertatem temporalem, quam altiorem præ Mendicantibus alijs in communi habentibus, ſibi vendicant dicti Fratres, pauperiorem non efficit non habentẽ.

Quod autem quoad res quæ vſu conſumuntur, non ſint cenſendi vſuarij Fratres ipſi, ex ſequentibus liquet ſatis. Dicere ſiquidem, quod in talibus rebus vſus iuris vel facti ſeparatus à proprietate rei, ſeu dominio, poſſit conſtitui, repugnat iuri & obuiat rationi. nec prædeceſſoris noſtri prædicta fuiſſe videtur intentio, Romanæ Eccleſiæ talium bonorum dominium reſeruare. Quis enim ſanæ mentis credere poterit, quod intentio fuerit tanti patris, vnius oui, ſeu caſei, aut fruſti panis, & aliorũ vſu conſumptibilium, quæ ſæpe Fratribus ipſis ad conſumendum è veſtigio conferuntur, dominium Romanæ Eccleſiæ, & vſum Fratribus retinere? Profecto probabile non videtur; præſertim cum illorum bonorum duntaxat dominium præfatæ Eccleſiæ reſeruauerit, quorum ſimplex vſus facti pertinere poteſt ad Fratres dicti Ordinis: quod nequaquam poteſt in rebus vſu conſumptibilibus reperiri, in quibus nec ius vtendi, nec vſus facti, ſeparata, à rei proprietate, ſeu dominio, poſſunt conſtitui vel haberi.

Et quod de talibus rebus non intellexerit, euidenter oſtendit, dum reſpondet legi dicenti, non poſſe vſumfructum à dominio perpetuo ſeparari, ne dominiũ dominis, ſemper abſcedente vſu, inutile redderetur. quæ quidem lex de rebus illis intelligitur, quarum penes vnum vſus rei, & penes alium dominium poſſit (licet inutile) remanere. quod nequaquam in rebus vſu conſumptibilibus poteſt eſſe: cũ in illis per vſum vel abuſum vſuarij ſubſtantia talis rei eſſe deſinat, & per conſequẽs proprietas etiam inutilis non ſubſiſtat. Cum enim vſusfructus prout eſt in re conſtitutus, qui ſeruitus dicitur perſonalis, & pro quo reales competunt actiones, nihil ſit aliud quam ius vtendi, nec vſus, qui etiam perſonalis eſt ſeruitus, ſit aliud quam ius tantum vtendi rebus alienis, ſalua rei ſubſtantia; ideſt, ius percipiẽdi fructus, & vtilitatem aliam in totum, vel pro parte ſuo nomine, qui poſſunt ex re in qua vſus fructus, ſeu vſus conſtituitur prouenire, propter quod proprietas reputatur inutilis, à qua perpetuo abſcedit vſus fructus, ſeu vſus conſtitutus in rebus, ex quibus ipſis ſtantibus vſufructuario, ſeu vſuario nulla poſſit vtilitas prouenire: patet, quod ad hoc quod talis vſus fructus, vel vſus in re aliqua conſtitui valeat, requiritur, ꝙ ex re illa poſſint fructus vel vtilitas, ſalua ipſius rei ſubſtantia, puenire, quales res cõſtat eſſe vſu conſumptibiles, nequaquam poſſet in rebus ipſis cuiquam vſus fructus, vel vſus conſtitui, vel à quoquam haberi.

Adhuc nec ius vtendi, ꝙ nec eſt ius in re, nec ſeruitus perſonalis, ſed mere ius perſonale, pro quo reales actiones non competunt, in rebus talibus, vel rebus ipſis vtendi poteſt cõſtitui, vel haberi; cum & ius tale exigat; ꝙ ex reipſa, quæ ad vtendum cõceditur, tali modo poſſet ad vſuarium peruenire vtilitas aliqua, ac cũ vſu permanere vſuarij ſubſtantia ſaluaret; quod nequaquã poteſt (ſicut ad ſenſum poteſt percipi) in rebus vſu conſumptibilibus reperiri. Rurſus nec ſimplex vſus, qui nec eſt ſeruitus, nec pro illo cõpetit ius vtẽdi, in talibus rebus poteſt cõſtitui vel haberi. Cum enim vti re aliqua, nihil ſit aliud propriè, quam fructus rei, ſiue vtilitatem aliam in ſolidum, vel pro parte recipere, qui ex ea poſſunt, ſalua rei ſubſtantia prouenire, reſtat quod re illa vti quis nequeat, ex qua, eius ſalua ſubſtãtia, nulla ſibi prouenire poteſt vtilitas, quales res vſu cõſumptibiles eſſe conſtat. Ex quibus patet, quod nec vſus qui eſt ſeruitus, perſonalis, nec ius vtendi, quod non eſt ſeruitus, ſed mere ius perſonale, nec actus ipſe vtendi ſine iure aliquo poſſunt in rebus vſu conſumptibilibus conſtitui, vel haberi: cum quodlibet præmiſſorum exigat, quod ex reipſa, ſalua rei ſubſtantia, poſſint habenti ius vtendi, ſeu vtenti ex reipſa vtilitas aliqua prouenire: quod vtique in rebus nequit vſu conſumptibilibus reperiri.

Nec obuiat ſupradictis, quod idem prædeceſſor noſter in ordinatione prædicta, etiã illorum, quæ ad vitæ ſuſtẽtationẽ pertinent, ſibi & Romanæ Eccleſiæ dominiũ reſeruarit. Hoc enim de rebus illis dumtaxat debet intelligi, quæ vſu non ſunt conſũptibiles, ſine quibus humana vita nõ eſt ſuſtẽtabilis, quæ vtique nõ ſunt pauca. Licet autẽ in rebus vſu conſumptibilibus, nec ius vtendi, nec ipsũ vti poſſit conſtitui, vel haberi, ipſis tamen poterit ius abuti. Abuti autem (dũ tractatur de rebus vſu conſumptibilibus) pro rei conſumptione ſumitur, ꝙ ei opponitur, quod eſt vti. Vti quidem præſupponit, quod cum vſu, ſalua rei ſubſtãtia, maneat: Sed abuti exigit, quod cũ actu huiuſmodi rei ſubſtantia cõſumatur: cũ abuti nihil aliud quã contra naturã vſus vti in hac materia propriè poſſit dici. Licet autẽ quis re viſibili abſq; iure vtendi aliquo vti poſſit, ipſum tamen vti etiam in re tali abſque iure vtendi ſeparato à dominio, vel coniuncto: nec ab aliquo poteſt conſtitui, nec à quoquam haberi. Et quod talis vſus conſtitui nequeat, ex hoc patet, quod dare vel cõſtituere quod ſuũ non eſt, nec ad ſe pertinet, nemo poteſt: licet interdũ illud dare poſſit aliter quam ſit ſuum. Actus autẽ ipſe vtendi ad vtentẽ pertinet, in quantũ quis ſuorum actuũ per liberũ arbitrium, & voluntatem dominus dicitur, cũ per hoc illos nõ exercere valeat, vel etiã exercere: non autẽ actus ipſe vtẽdi ad eũ pertinet, qui concedit alij, quod in re ſua actũ illum valeat exercere: quod vtiq; nihil eſt aliud, quam quod actum ſuum ad rem concedentis ad actum ſuum vtẽs valeat applicare. Sicut qui equũ ſuum alicui commodat, non actum equitandi concedit commodatario, ſed quod actum illũ in equo ſuo valeat exercere: quod non eſt vtique, actum vtendi ſimplicem concedere, ſine iure: cum hæc concedere nihil ſit alind, quam concedere ius vtendi: quod quidem ius vtendi ſeparatum à proprietate, ſeu domino in rebus, quæ vſu cõſumuntur, nequit conſtitui, vt patet manifeſtius ex prædictis.

Præterea quod ſimplex vſus, id eſt, ſine iure vtẽdi à proprietate, ſeu dominio ſeparatus, etiam in re viſibili haberi nequeat, ſic probatur. Si enim poſſit haberi vſus talis, aut ante actum ipſum, aut in ipſo actu, aut poſt cõpletum actũ huiusmodi haberetur. Quod autẽ hoc nequeat fieri, ex hoc patet: quod non eſt, nequaquam haberi poteſt. Patet autẽ, quod actus ipſe antequam exerceatur, aut etiam dum exercetur, aut poſtquam perfectus eſt in rerum natura non eſt, ex quo ſequitur, quod haberi minime poteſt. Licet enim, & ante actum ipſum quis facultatem illam habeat exercendi: pro hoc tamen actus ipſe in rerũ natura, niſi in potentia, non exiſtit. Cum autem actus eſt in fieri, nec adhuc quod ipſe actus in rerũ natura ſit, poteſt dici: licet pro eo, quod ſit in fieri, dici poſſit. Quod enim de actu qui eſt in fieri præterijt, vel futurum eſt, iam non eſt in rerum natura: ſed in memoria, vel apprehenſione tantum eſt. Quare, niſi prout in memoria, vel apprehenſione tantum eſt, haberi nequaquam poteſt. Quod autem in præſenti ſit, momẽtaneum vel inſtantaneum eſt: quod vtique magis intellectu quã ſenſu percipi poteſt. Vnde nec poteſt haberi pro tunc, niſi pro momento illo ſeu inſtanti, in quo cũ ſit, poteſt dici actũ poſt actum completum: licet ſi ex facto ipſo producta res aliqua fuerit, res ipſa aliqua facta haberi valeat: factum tamen ipſum quod iam tranſit, niſi in memoria (prout ſupra dictum eſt) non habetur.

Præterea ſi ſimplex vſus abſque iure vtẽdi haberi poſſit ab aliquo, conſtat quod nõ iuſtus eſſet actus vtẽdi huiuſmodi reputandus: cum ille vſus fuerit, cuius non competebat vtendi. talis autem vſus nõ iuſtus, ad perfectionis ſtatum nequaquam pertinet, nec perfectioni aliquid adijcit, ſed ſibi repugnare potius &





detrahere noſcitur manifeſte. Quod autem vſum non iuſtum conditor canonis Fratribus ipſis intellexerit reſeruare, nequaquam debet aliquis ſapiens æſtimare. Imo quod de iuſto intellexerit, ex eo poteſt euidentius apparere, quod in eadem ordinatione curauit adiicere, quod illarum rerum dumtaxat in ſe, & Eccleſiam Romanam recipiebat dominium, quarum vſum facti liceret habere Fratribus, ſeu Ordini antedictis. ſubiungens nihilominus, quod non rerum omnium vſum habere debeant Fratres ipſi. Quantum autem ad vſum facti ſimplicem, abſque omni iure vtendi attinet, nulla rerum quoad Fratres differentia eſt cẽſenda: ſic enim vti de facto poſſunt prohibitis, vt permiſſis. Quare præmiſſa rerum diſtinctio, ad illum vſum facti potius eſt referenda, pro quo ipſis competit Fratribus ius vtendi. quarundam enim rerum vſus Fratribus ipſis prohibitus noſcitur, & quarundam permiſſus. ex quo ſequitur, quod vſus facti, de quo ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat, qui iuſtus ſit, id eſt, pro quo competat ius vtendi. Et hoc conditor ipſe canonis exprimit euidenter, cum in eadem ordinatione adiecerit, quod moderatus vſus in expreſſis prius rebus ipſis Fratribus eſt conceſſus.

Præterea, ſi in rebus conſumptibilibus poſſit vſus conſtitui, vel haberi, nequaquam ſimplex, nec à rei ſubſtantia, proprietate, ſeu dominio ſeparatus vſus huiuſmodi poſſet dici: cum per talem vſum, id eſt vtendi actum, & in ipſo actu, & cum ipſo actu res conſumatur huiuſmodi, ac in ipſius rei exerceatur ſubſtantia, nec ſine rei ipſius cõſumptione eſſe valeat vſus talis. ex quo patet, quod vſus talis, nec ſimplex, nec ſeparatus à dominio poteſt dici.

Rurſus nedum Fratribus ipſis, ordinatio prædicta non profuit, ſed etiã occaſionaliter honori ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ non leuiter detrahit, & detraxit. Numquid non præfatæ Eccleſiæ derogatur honori, ſi ipſam oporteat nunc in foro Eccleſiaſtico, nunc in ſæculari, interdum quoque corampedaneis iudicibus, & plerumque pro rebus paruis & vilibus continuo litigare? Hoc autem notum eſt fieri, cum occaſione retẽtionis dicti dominii, omnes cauſæ occurrentes, agẽdo vel defendendo pro bonis huiuſmodi nomine Eccleſiæ Romanæ virtute cuiuſdam priuilegii à felicis recordationis Martino Papa Quarto prædeceſſore noſtro conceſſi, ſuper hoc agitentur, & (quod grauius eſt cenſendum) procuratores cauſarum huiuſmodi multos vexare dicuntur indebite, licet poteſtas attributa procuratoribus talibus per priuilegium antedictum, quoad adminiſtrationem bonorum præmiſſorum dudum ſeruata non fuerit, nec ſeruetur. quæ omnia in notam & iniuriam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, non eſt dubium redundare.

Adhuc ordinatio antedicta Eccleſiarum Prælatis, & Rectoribus, grauis exiſtere nimium & moleſta monſtratur. Numquid non graue præmiſſis poteſt exiſtere, quos ipſos oporteat ſe opponere Romanæ Eccleſiæ, quæ ipſorum caput noſcitur & Magiſtra, ac cum ea agendo vel defendendo litigare aſſidue, vel cedere iuri ſuo? Hoc tamen oportet illos facere, cum in multis dicti Fratres prædictis exiſtere dicantur iniurii; ſicut multorum Prælatorum & Rectorum diuerſarum prouinciarum adhuc in Curia exiſtentium habet inſinuatio, qui quidem Fratres facta ſua per procuratores nituntur defendere antedictos.

Nos itaque qui veritatem tenemur colere, velut ille qui illius qui veritas noſcitur, licet immeriti vicem teneamus in terris, illa volentes in Sancta Dei Eccleſia, quæ non verbo obtinent tantum, ſed quære potius obſeruari; præmiſſis in ſcrutinio rectæ conſiderationis adductis, ac deliberatione cum Fratribus noſtris, & multis aliis præhabita diligenti, dignum arbitrantes & congruum, profeſſores dicti Ordinis, non verbis tantum, non ſimulatis actibus, ſed operibus claris, veritate ſuffultis perfectioris ſtatus, ac altioris paupertatis ſibi prærogatiuam præ aliis Mendicantibus vendicare; ac nihilominus honori Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ (cuius obnubilari poſſet gloria, ſi tam peruerſæ ſimulationi, quæ profecto & ipſis ſimulantibus officit, & aliis ſcandali materiam ſubminiſtrat, diſſimulando illi occurrere conſentiret) ac inſuper volentes indemnitati Prælatorum & Rectorum ſalubriter ſuper hoc prouidere: nolentes in poſterum, ſub prætextu, ſeu pallio talis dominii temporalis verbalis, nudi, ac ænigmatici, tantu bona quanta dicti Fratres faciunt inſici, ac fomentum tantis malis, quanta procedunt ex ſimulatione huiuſmodi miniſtrare: de Fratrum noſtrorum cõſilio, hoc edicto in perpetuum valituro ſancimus, quod in bonis quæ in poſterum conferentur, vel offerrentur, aut alias quomodolibet obuenire continget Fratribus, ſeu Ordini ſupradictis (exceptis Eccleſiis, Oratorijs officinis, & habitationibus, ac vaſis, libris, & veſtimentis, diuinis officiis dedicatis, vel dedicandis, quæ ad ipſos obuenient in futurum, ad quæ ſe non extendunt adeo inconuenientia, ſupradicta, propter quod Conſtitutionem iſtam ad illa extendi nolumus) nullum ius, ſeu dominium aliquod occaſione ordinationis prædictæ, ſeu cuiuſuis alterius à quocunque prædeceſſorum noſtrorum ſuper hoc ſpecialiter editæ Romanæ Eccleſiæ acquiratur: ſed quoad hoc habeantur prorſus ordinationes huiuſmodi, pro non factis.

Per hoc autem in his quæ abſque dictis ordinationibus in bonis prædictis ad dictam Eccleſiam prouenire, vel pertinere quomodolibet poterant, vel debebant, nullum eidem parari præiudicium volumus, ſed illa ſibi expreſſius intacta & inuiolata ſeruamus.

Et quia præfatum MARTINI Papæ prædeceſſoris noſtri priuilegium, dudum ſeruatũ, quoad adminiſtrationem bonorum præmiſſorum non extitit, nec ſeruatur: ac ipſorum procuratorum officium, qui nominantur à Miniſtris, & cuſtodibus dicti Ordinis, Eccleſiæ Romanæ iniurioſum, ac multis aliis moleſtum noſcitur, & etiam oneroſum: diſtrictius inhibemus, ne deinceps pro recipiendis, petendis, extorquendis, defendendis, ſeu adminiſtrandis bonis, quæ in poſterum Fratribus vel Ordini prædictis offerri, vel conferri, ſeu alias obuenire continget, quiſquam nominetur à quoquam, ſeu conſtituatur amodo nomine Sanctæ Romanæ Eccleſiæ procurator, nec occaſione cuiuſuis priuilegij quicumque adminiſtrationem quorumcunque bonorum, quæ obuenire Fratribus ipſis, vel Ordini continget in poſterum, in iudicio, vel extra, agendo, vel defendendo, ſupplicando, vel alias quomodolibet aſſumere, vel exercere dictæ Eccleſiæ nomine audeat, niſi de Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali: Decernentes irritum & inane, ſi ſecus à quoquam in poſterum contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſcunque priuilegijs à Martino Papa prædicto, vel alijs prædeceſſoribus noſtris, ipſis Fratribus, vel Ordini, ſub quacunque forma vel expreſſione verborum conceſſis.

Per hoc autem, dicti Ordinis Regulæ in aliquo non intendimus derogare, nec priuilegijs Fratribus ipſis, ſeu eorum Ordini ab Apoſtolica Sede conceſſis (niſi dumtaxat quoad præmiſſa, & iſta tangentia) præiudicium aliquod generare. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, inhibitionis, conſtitutionis & intentionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, &c. Datum Auinione VI. Idus Decembr. Pontificatus noſtri Anno VIII. Hæc de vſu rerum vſu conſumptibilium, Ioannes Pontifex ſanciebat: cum etiam ad ſecundum Idus Nouembris edita Conſtitutione, quæ incipit: *Cum inter nonnullos viros*, opinionem quæ aſſerit, Chriſtum & eius diſcipulos nihil habuiſſe, & in his quæ habuerunt nullum ius eis fuiſſe, erroneam atque hæreticam declarauerit, pariter atque damnauerit.

XII. FRATRICELLORVM IN HÆRESI SVA DEFENDENDA OBFIRMATA PERTINACIA.

Quamquam autem pœnas & cenſuras, in contradictores grauiſsimas ſanxerit, plurimi tamen Franciſcanorum, freti auctoritate LVDOVICI Bauari, mordicus eam opinionem non tantum opinati ſunt, verum etiam publicè aſſeruerunt: licet Quæſitores fidei, poteſtate à Sede Apoſtolica conceſſa, in conuictos legibus agere, non prætermiſerint.

Per id enim temporis, in priuilegio apparitionis Sancti Michaelis, Maſsiliæ, quattuor Fratres Minores combuſti fuerant, propter hæreſim de paupertate, quam eiurare noluerant. *Richardus Cluniacenſis In Ioanne XXII.* Ea res cum vehementer Ludouicum offenderet, Ioannem Iandunum, & Marſilium Paduanum Aſtrologos, omniumque opinione mortalium

hæreticos, ad ſe confugientes ſuſcepit, quorũ opera in impugnando Ioanne Pontifice, & ſacris dogmatibus definiendis, tum verò Fratricellis defendendis vteretur *Maſſonius in Annal. Franc. l. 3.* Meruit iterato anathemate à Sede Apoſtolica damnari quod hæreticorum conſilijs vteretur, eoſq; in Romanam Orthodoxiam acueret.

**XIII. Contentio inter Iacobum Aragonum et Fridericum Trinacriæ Reges de poſſeſſione Sardiniæ.**

Cæterum ad pacem Italiæ conſeruandam, nonnihil etiam intererat inſulæ Sardiniæ poſſeſsio. Piſani eam ſibi vendicabant, Iacobus Rex Aragonum, contra, ſui iuris eſſe dicebat: eaquę de cauſſa Vitalem Villanouanum Legatum, ad XII. Calend. Februar. Auinionem deſtinarat, qui à Pontifice auxilia, aduerſus Piſanos poſtularet. Cardinales, Tuſculanus, Neapoleo Vrſinus, Lucas Fliſcus, Petrus Columna, Iacobus Caietanus, alijque collegæ ſuadebant, ne bello, de aſſerendo Sardiniæ Regno, ſed iure contenderet. Scilicet, ad id vnum reſpiciebant, ne Piſani Florentinorum ſocij, in rem Eccleſiaſticorũ per id temporis confœderati, diſtraherentur, neue Fridericus Trinacriæ Rex, per ſpeciem Sardoi belli claſſe Aragoniorum comparata, ad occupandam vel Siciliam, vel Italiam, ex occaſione vteretur. Iuris itaque mentionem Iacobo iniecerant, vt ab armis reuocarent. Sed fruſtra. Rex enim inſtructa claſſe, ius fiduciarium, quod à Sede Apoſtolica in Sardiniam ſibi certis conditionibus conceſſum oſtendebat, armis perſequi conſtituit, breuique temporis ſpatio, ferè totam inſulam, in poteſtatem recepit: magno tamen ſuo incommodo. Omnis enim exercitus, ex ſaluberrimis Hiſpaniæ regionibus aduectus, à grauitate cæli valetudine tentatus, grauiſsimis morbis implicitus & afflictatus, morbi contagione in omnes deriuata, paulo poſt vela dare & inſulam relinquere coactus eſt, plurimis tabifica lue extinctis. *Surita lib. 2.*

**XIV. Turcæ Chriſtianis profligatis omnia infeſtantes coercentur a Venetis et militibus Ioannis Pp.**

Inter hos Italiæ, & fere totius Europæ tumultus, cum etiam Orientem factiones Guelforum & Gibellinorum peruaſiſſent, Andronicumque Græcorum Imperatorem in partem traxiſſent, vt is magno totius reipublicæ Chriſtianæ, damno incommodoque Gibellinos ſibi tuendos propoſuerit, Turcæ non contenti ex tota fere Syria Chriſtianos miro victoriæ curſu eiecisse, etiam maris imperium occupare decreuerant, claſſeque primum comparata, quicquid aquarum ac pelagi latè patet ſupra Cretam, Cyprum & Rhodum ita infeſtum reddiderant, vt eorum incurſionibus, nihil tota illa pelagi vaſtitate tutum nauigantes haberent. Ad eorum conatus bello euertendos, Veneti ſocia arma, cum Ioanne Summo Pontifice, & Carolo Galliæ Rege coniunxerant, miſsique hoc nomine Auinionem Legati, Philippus Belegnos, Blaſius Zenus, & Marinus Maurocenus: expreſſumque eſt noua fœderis formula, vt viginti equitum millia, peditum quinquaginta ab illis communibus expenſis armarentur: Veneti autem claſſem centum nauigiorum, armis, viris, commeatuque inſtructam pararent. Gallis inerti mora ceſſantibus, non tamen Pontifex, Venetuſque Senatus inchoatam deſeruere expeditionem: quin ſocijs ſtatim armis, ille terreſtres, hic maritimas copias ingentes, pro Sacro bello collegerunt. Hæ ſub Legati Apoſtolici, & Petri Zeni Imperio, vt Turcum bello peterent, in Aſiam tranſmiſere. Claſsis Veneta longe lateque barbaros tota pelago inſectata, omnem maritimam oram à Turcorum iniuria vindicauit: Smyrnam Pontificius Legatus expugnauit. In mediterranea poſtea loca cum ſelecta armatorum manu progreſsi, aduerſus eam gentem feliciter rem Chriſtianam geſſerunt. Sed cum forte ſacris, feſto die, in ſacello quodam intereſſent, Subitario Turcarum ex inſidijs incurſu circumuenti oppreſſi ſunt. Legatus & Zenus numquam adduci potuerunt, vt Sacra è templo abeuntes deſererent; pro quorum tutela ibidem ab hoſte confoſsi, glorioſam mortem occubuerunt, in Ioniæ ora. *Petrus Iuſtinus hiſt. Venet. lib. 4.*

**XV.**

Guillelmus Viennenſis Archiepiſcopus Legationis munere in ea expeditione nomine Sedis Apoſtolicæ fungebatur: quem quomodo ſe in eo officio gereret, Ioannes Pontifex datis literis monuerat. Extat in tabulario huius anni ea epiſtola, numero 10. ea vero quæ Carolum Regem ad Sacrum bellum inuitauerat, numero 9. & 12. prædicationis autem Cruciatæ contra Sarracenos, num. 515. & 1026.

**XVI. Diſsidia de bonis Templariorum inter Ioannem Pp. et Edouardum Angliæ Regem exorta.**

Diximus antea, Templariorum Ordinem, Clementis Pontificis & Viennenſis Concilij auctoritate euerſum, illorumque quæ fuerunt luculentiſsimæ & ampliſsimæ poſſeſsiones Hoſpitalarijs ſeu Rhodijs attributas fuiſſe, ea conditione, vt ſuperſtites habitu exuti, qui aliam religionem profiteri noluiſſent, à matrimonio quidem ineundo omnem cogitationem auerterent, in locis autem in quibus religionem profeſsi fuerant, ſumptibus loci tantiſper donec viuerent, aut ſtatum aliquem alium aſſumerent alerentur. Cæterum Rhodij, non omnibus bonis potiri potuerunt.

In Anglia Edouardus Rex & Proceres, à quibus illæ poſſeſsiones primum manarant, tam opimam à ſe prædam in quam inuolarant, facile excuti paſsi non ſunt. Templarij quoque aliqui, cum quid, quo viuerent non haberent, ad matrimonium contra profeſsionem ſemel editam conuolarant. Erant & nonnulli eorum matrimonio iam illigati, qui ab Hoſpitalarijs ſubſidia extorquerent. Itaque edixit Ioannes Pontifex, vt niſi huiuſmodi matrimonia reſcinderent, & probatum aliquod Religioſorum inſtitutum complecterentur, lege Eccleſiaſtica compellerentur, neque illis quicquam ad vitæ ſubſidium, Rhodo præſtare cogerentur. Ea de re dedit mandata VValthero Cantuarienſium Archiepiſcopo. Egit deinde per Legatos cum Rege, & per literas cũ VValthero, vt proceres & Epiſcopi, qui Templariorum poſſeſsiones occupaſſent, cogerentur ab eis diſcedere: graueſque pœnas VValthero, & alijs Epiſcopis interminatus eſt, niſi mandato ſatisfeciſſent accurate. Illud mandatum cum alicubi VValtherus exequeretur, eius Nuncii, nihil aliud quam graues minas referebant.

Et licet, cum Pontificias literas Regi, Proceribus, & Epiſcopis in publico Parlamentario conſeſſu oſtendiſſet, placere ſibi omnes ſignificaſſent, vt mandato Pontificio pareretur, & poſſeſsiones ab ijs qui illis incubuerant auocarentur, contumaceſque pœnis Eccleſiaſticis multarentur: tamen cum id VValtherus moliretur, Regiæ ſuperuenerant literæ, quibus ſeuериſsime præcipiebat, ne rem amplius attentaret.

Hæc mandata VValtherum in maximam ſolicitudinem coniecerant: cuinam, an Pontifici, an Regi obſequeretur. Antiquius tamen habuit Ioanni quam Edouardo obtemperare: tantumque conſtantia ſua effecit, vt auctoritate poſtea Parlamenti cautum fuerit, ne quiſquam bona, aut poſſeſsiones Templariorum apud ſe retineret, ſed ad Hoſpitalarios transfunderet: quos Ioannes Pontifex contra Turcas, Sarracenos, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, opportune armatos eſſe cupiebat. Scripſerat per id temporis, de his negotijs, VValtherus Linconienſi Epiſcopo, in quibus litteris legitur quiddam, quod forſan non erit alienum ſubijcere. ſc. *In more poſitum eſt,* inquit, *apud nos, vt omnes fere litigantium cauſæ duodecim virorum arbitrio & iudicio expediantur.* Qui atque alii etiam, quorum iuramenta in iudiciis interueniebant, cum ſæpe vel pretio, vel affectione deprauati, vel metu fracti, falſum ſcientes & prudentes iurarent, eamque ob rem in grauiſsimam Dei piorumque hominum offenſionem incurrerent, & neſcio quas periurio ſuo latebras quærerent, conſuetudine diuturna quaſi callum quendam obducente, VValtherus edixit, vt huiuſmodi homines Dominicis diebus, palam in Miſſarum celebratione, anathemate notarentur: a quo explicari, niſi authoritate ipſius præeunte, non poſſent. Hæc res arguit, licet in corruptiſsimis alioqui hominum moribus, iniectam tamen maximam illorum animis anathematis religionem. Miſit etiam



etiam Ioan. Pontifex ad Waltherum Archiepiſcopum, quemadmodum & ad omnes alios Orbis Chriſtiani Præſules, Apoſtolicas literas, quibus abdicationem Ludouici Bauari ſignificauit. Hæ, exemplo aliorum, per omnes Anglicanas Eccleſias diuulgatæ ſunt. *MS. Bibl. Vatic. de reb. Anglic. num. 5586.*

**XVII. Scoti excommunicationis relaxationem petunt a Ioanne Pp. quam legati Edouardi Regis impediunt.**

Per id ẽt temporis, Ioannes, Nuntiũ Regis Edouardi Angli audiuit. Poſtulabat, ne Scotis ſacra interdicta, ante ſatisdationẽ plenariã reſtituerentur. Hoc .n. anno Rober. Bruyſius, & vniuerſi Proceres Regni Scotiæ, Epiſcopũ Glaſcuenſ. & Thom. Rondolfium Comitẽ Morauiæ, ad Ioan. Pontificẽ Oratores deſtinauerant, impetratum relaxationẽ excommunicationum, & interdicti ſententiarum, in Regnum, & Regni incolas à Cardinal. Legatis, auctoritate Sedis Apoſt. latarũ. Nuntius Angli Regis in ſe recipiebat, manifeſtum ꝓbatumq; Romano iudicio facere; Scotos non tantum in Edouardum Regem, verum ẽt in Sedem Apoſtol. grauiter deliquiſſe, ac ꝓpterea non æquum eſſe, vt iis priuſquam ſatisfacerẽt, benignitas Apoſtolica quicq̃ concederet.

**Iidem ſicarium in Edouardum Regem ſubornant qui ſceleris poenas dat.**

Inter hęc Scoti, vitam Edouardi per quendam ꝓditorem tentarunt. Andreæ Herkleii nomen, ſceleſto fuerat. Is à tenui fortuna, inter ſummos viros, ab Edouardo Rege annumeratus, cum in magna capita prius moliri ac ſæuire cœpiſſet, ac in his Thomam Comitẽ Lancaſtriæ cepiſſet, Humfridum vero Bouniũ, ſicariis ſubmiſſis interemiſſet; in Regis quoq; ſalutem, machinati voluit: à Scotis quib. ſe adiunxerat, quiq; illi in ꝓmium parricidii, ſororem Roberti Bruyſii Regis matrimonio coniungere pollicebantur, ſubornatus. Interceptus tandem, & Lõdinum adductus, quadrifarioq; iudicio condemnatus, meritas ſceleris pœnas luit. Nempe primo exauctorat⁹ eſt, amputatis ſecuri ad talos ſuos calcaribus; poſtea baltheo militari diſcinctus; calceis & chirotecis exutus, equis raptatus, ſuſpenſus, inque quatuor partes diuiſus interiit. Quatuor cadaueris partes, quatuor principalib. Angliæ Vrbibus tranſmiſſæ fuere: caput ſuper pontem Londonenſem affixum, verſo vultu ad partes Scoticanas, exemplo horribili proditoribus, qui in vnctos Domini, nefarie conſpirare audent. *Walſing. hiſt. Ang.*

**XVIII. Summarium geſtorum Ioannis Pp. huius anni.**

- *1. ep. 15. Cal. Ian.*
- *2. ep. Idib. Oct. & 15. Cal. Nou.*
- *3. ep. 4. Cal. Octob.*
- *4. ep. 3. Id. Nouemb.*
- *5. ep. 76.*
- *6. ep. 563. dat. 19. Cal. Iun.*
- *7. ep. 62.*
- *8. ep. 72.*
- *9. ep. 425.*
- *10. ep. 263. & 264.*
- *11. ep. 87.*
- *12. ep. 506.*
- *13. ep. 530.*
- *14. ep. 1893.*
- *15. ep. 577.*

Eodem anno Io. Pont. 1. F. Petro Raymundi Procuratori Generali Ord. Præd. vt contra rebelles Rom. Eccleſiæ Firmanos, ex conſilio Æſculanorum animaduerteret, iniunxit. 2. F. Fulconi Siſtaricano Ord. Præd. vt Spoletanos in gratiã Sedis Apoſt. admitteret, Sacra interdicta eis reſtitueret, anathemate dãnatos abſolueret & reducib. Præfectum aliquẽ, gente Peruſinum, iudicio & morib. integerrimum præficeret commiſit. 3. F. Petro Banis eiuſdem inſtituti Prædicat. vt Florentinos, ꝓpter decimas in ſacrum bellum impoſitas, nondũ ſolutas, cẽſuris Eccleſiaſticis innodatos exſolueret, diẽq; ſolutionis, ad feſta Paſchalia illis ꝓduceret, poteſtatem fecit. 4. Guillelm. Archiepiſc. Viennenſem, & F. Dominicum Tholoſan. S. T. Mag. Ord. Præd. Internuncios, cum literis ad Regem Galliarum miſit, permiſitq; Carolo, vt Diui Martini Turonẽ. ſacrum corpus poſſet trãſferre. 5. Inſuper Capitulo B. Martini Turonenſ. perſcripſit, ne Regi contradicerent, ſi is caput eiuſdem Diui, in theca argentea cuperet deponere. 6. Carnotenſi & Aurelianenſi Epiſcopis, & Priori Bituricen. Ord. Præd. inquiſitionem vitæ & miraculorum B. Philip. Archiepiſcopi Bituricen. commiſit. 7. Cenſum è regno Portugaliæ. 8. denarium quẽ S. Petri vocant è Regno Suetię exegit. 9. Noruegis contra paganos dimicantibus, multa priuilegia indulſit. 10. ad Regẽ Seruiæ, ad vnitatẽ Eccleſiæ Rom. reducendum, Nuncios deſtinauit, eiſq; formulam tum fidei Orthodoxæ ac Sacramentorum Eccleſiæ, ex qua ille profiteretur, tum iuramenti, quo ſe vna cum populo ſancte aſtringeret, præſcripſit. 11. Imperatori Tartarorũ, quod apud ſe Chriſtianos benigne haberet, gratias egit: vtq; eos in clientelã ſuam reciperet, admonuit. 12. Contra ferentes arma vel alia prohibita Saracenis, Conſtitutionem Nicolai IV. innouauit. 13. De myſteriis SS. Trinitatis, & aliis Fidei Catholicæ articulis, ſymboli inſtar doctrinam, Ruthenis, & Orientalibus, maxime in Imperio Tartarorum degentibus Epiſcopis, ad promulgandum, docendumq; perſcripſit. 14. Regem inter Poloniæ & milites Theutonicos pacẽ ſtabiliuit. 15. Monaſterio S. Saluatoris de lingua Phari Meſſanen. priuilegia confirmauit: aliaq; multa egit.

Porro in gratiam eorum, qui Monarchiæ Siculæ tutela ſuſcepta, affirmant, Summo Pontifici nihil eſſe authoritatis in res ſacras, in regno Siciliæ, placuit diploma adiicere. Ita habet.

**XIX. Io. Pp. diploma pro priuilegiis Monaſterii Meſſanenſis contra aſſertores Monarchiæ Siculæ.**

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Archimandritæ & Conuentui Monaſterii S. Saluatoris Meſſanen. Ordinis S. Baſilii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Prouiſionis noſtræ debet prouenire ſubſidio, vt ius ſuum cuilibet conſeruetur. Sane quoddam priuilegium felicis recordationis Alexandri Papæ III. prædeceſſoris noſtri Monaſterio veſtro conceſſum, plumbeia ipſius prædeceſſoris Bullæ munitum, pro parte veſtra exhibitum coram nobis, quia præ nimia vetuſtate incipit iam conſumi, de verbo ad verbum, nihil addito vel mutato, quod mutare poſſet ſubſtantiæ veritatem, veſtris præſentibus annotari fecimus ad cautelam & tranſcriptum ipſius Bullæ noſtræ appenſione muniri, ad perpetuam memoriam futurorum. Tenor autem ipſius priuilegii talis eſt.*

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Onophrio Archimandritæ S. Saluatoris Meſſanen. eiuſq; Fratribus tam præſentibus quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum.

*Apoſtolicæ Sedis, cui quamquam immeriti prouidente Domino præſidemus, auctoritate, debitoq; officii noſtri compellimur, viros religioſos ſincera charitate diligere; & ne cuiuslibet temeritatis auſus, aut eos à ſuo propoſito reuocet, aut robur (quod abſit) ſacræ religionis infringat, Apoſtolico ipſos præſidio communire. Ea propter precibus chariſsimi in Chriſto filii noſtri Wilhelmi Illuſtris Siciliæ Regis benignius inclinati, & veſtris poſtulationibus fauore gratuito annuentes, præfatum Monaſterium, in quo diuino eſtis obſequio mancipati, ſub B. Petri & noſtra Protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus. Inprimis ſiquidẽ ſtatuentes, vt ordo Monaſticus, qui ſecundũ Deum, & B. Baſilii Regulam, quæ in eodem Monaſterio antiquitus inſtituta eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporib. inuiolabiliter obſeruetur. Præterea quaſcunq; poſſeſsiones, quæcunq; bona, quaſcunq; obedientias & Abbatias Rex Rogerius recolendæ memoriæ eidem Monaſterio per priuilegium ſuum bullæ aureæ communitum conceſſit; omnem quoq; honorem, dignitatem, conſuetudines, libertates, & quicquid aliud vobis veſtriſq; ſucceſſorib. contulit, (ſicut in priuilegio ſuo plenius continetur) firma vobis veſtriſq; ſucceſſoribus, vt illibata permaneant: in quib. hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipſum in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis. In Sicilia quidem obedientias has, Eccleſiam S. Leonis de Meſſana, Eccleſiã S. Nicolai de Ypſe, Eccleſiam S. Ioannis de Pſitbro, Eccleſiam S. Nicolai de Pellera, Eccleſiam S. Mercurii de Traina, Eccleſiam S. Nicolai de Cappeto, Eccleſiam S. Nicandri de Sancto Nilo, Eccleſiam S. Barbari de Memia, Eccleſiam S. Petri de Reca, Eccleſiam S. Eliæ de ſcala Oliuerii, Eccleſiam S. Iacobi de Calo, Eccleſiam S. Mariæ de Malimachi, Eccleſiam S. Petri de largo flumine, Eccleſiam S. Veneris de Vercellis, Eccleſiam S. Theodori de Inſula Melacii, Eccleſiam S. Annæ & S. Nicolai de Monteforti, Eccleſiam S. Georgii de Troilo; Obedientiam de agro, obedientiam de Salice. In Calabria a. obedientias has, Eccleſiã S. Pancratii de Ebriatico, Eccleſiam S. Theodori de Nicotera, Eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani, Eccleſ. S. Nicolai de Droſo, Eccleſ. S. Viti cum tenimentis ſuis de Buxano, Eccleſiam S. Hieruſalem, Eccleſ. S. Cononis, Eccleſ. S. Ioan. de Frulazano, Obedientiam de Catana, Obedientiã de Reruſilli, cum terris Argilli, Obedientiam de Tuchi, cum omnib. pertinentiis & tenimentis earum. Monaſteria autem in Sicilia hæc. Monaſterium S. Nicardi de Maſſan, Monaſter. S. Saluatoris de presbytero Scholario, Monaſt. S. Mariæ de Maſſan. Monaſt. S. Philippi de Maſſan, Monaſt. S. Petri de Gitala, Monaſt. S. Petri de Agro, Monaſteriũ S. Saluatoris dee Placa, Monaſterium S. Eliæ de Embola, Monaſterium S. Baſilii de Traina, Monaſterium S. Philippi de Pemerna, Monaſterium S. Pancratii, Monaſter. S. Angeli de Bloro, Monaſt. S. Mariæ de Gala, Monaſterium S. Gregorii de Gipſo, In Calabria*

*vero Monaſterium S. Eliæ noui, Monaſterium S. Ioannis de Laura, Monaſterium S. Fantini, Monaſterium S. Pancratii de Scilla cum omnibus obedientiis eorum. In ſupradictis ſiquidem Monaſteriis omnibus debes tu fili Archimandrita, & tui poſt te ſuſceptores, Abbatem conſtituere, conſilio & conſenſu eorum qui in eis fuerint Monachorum. Et ſi quis Abbatum indignus fuerit Abbatiæ cui præeſt, tu illum & tui ſucceſſores, iuſte & canonice amouere debetis, & alium ſubſtituere in loco eius, quem dignum prouideritis, iuxta Dei timorem & regulam Monaſterii veſtri. Liceat quoque vobis in ſupradictis omnibus Monaſteriis, & obedientiis examinare & iudicare Abbates, Monachos & laicos eorum, tam de ſpiritualibus quam de temporalibus, & cauſas eorum iuſte & canonice definire; ipſi vero tibi, tuiſq; ſucceſſoribus debent obedientiam & reuerentiam debitam exhibere, tamquam patri & Archimandritæ eorum, & iuſtitias vobis ſoluere conſtitutas. Ad hæc quaſcunq; poſſeſſiones, quæcunq; bona tam de piſcationibus, oliuetis, nemoribus, molendinis, terris, vineis, canetis, & pomeriis, quam de hominibus & quibuſcunq; aliis, idem Monaſterium in præſentiarum vbiq; iuſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, vobis & ipſi Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus: Eo tenore quod Meſſanenſi Archiepiſcopo & ſucceſſorib. eius, tam tu fili Archimandrita quam ſucceſſores tui, viginti ſolidos, centum libras ceræ, viginti incenſi, & totidem caſiſos olei pro cenſu, annuatim ſoluere debeatis. Sane noualium veſtrorum, quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſiue de quibuſcumq; aliis prouentibus veſtris, vel de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus à vobis, vel ab hominibus veſtris decimas exigere vel extorquere præſumat. Licet quoq; vobis Clericos vel laicos, liberos & abſolutos è ſæculo fugientes ad Monaſterium veſtrum recipere, & eos abſq; contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper vt nulli fratrum veſtrorum, poſt factam in Monaſterio veſtro profeſſionem, fas ſit de eodem loco, niſi arctioris religionis obtentu, abſq; Archimandritæ ſui licentia diſcedere: diſcedentem vero abſq; communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Prohibemus etiam, vt nullus ipſum Monaſterium interdicere audeat, vel Monaſteria aut obedientias eius, ſeu homines eorum; Libertates quoq; & immunitates antiquas, & rationabiles conſuetudines Monaſterii veſtri, conceſſas, & hactenus obſeruatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere cenſemus. Obeunte vero te nunc eiuſdem loci Archimandrita, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia, ſeu violentia præponatur: niſi quem Fratres Monaſterii, communi conſenſu, vel Fratrum maior pars conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem, & Monaſterii regulam, de ſeipſis prouiderint eligendum. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatum Monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed illibata omnia & integra conſeruentur eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt vſibus omnimodis profutura. Salua Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & Meſſanenſis Archiepiſcopi ſicut ſupradictum eſt annuo cenſu. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæcularisve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentauerit, ſecundo tertiove commonita, niſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſq; ſui dignitate careat, reamq; ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti alienus fiat, in extremoq; examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſeruantibus, ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen, Amen. Datum Anagniæ per manum Gratiani Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi & Notarii, duodecimo Calendas Nouembris, Indictione Nona, Incarnationis Dominicæ anno Milleſimo, Centeſimo, Septuageſimo quinto. Pontificatus vero Domini Alexandri Papæ Tertii anno decimo ſeptimo. Decernimus ergo vt huius exemplum, & priuilegii annotatio ſiue tranſcriptum per ſe ſolum exhibitum, illam vim & eundem vigorem habeant præmiſſa in iudicio & extra iudicium, quem originale priuilegii obtineret ſupradicti, eaq; prorſus illi fides adhibeatur, quæ adhiberetur eidem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.* Datum Auinione decimoquinto Cal. April. Pontificatus noſtri an. 7.

XX. PETRVS FVLGINAS VITÆ SANCTITATE ET MIRACVLIS ILLVSTRIS MORITVR.

Hoc anno, ad 14. Cal. Auguſti, Petrus Fulginas ex Creſciorum familia, ſanctitate illuſtris, ab hoc ſæculo emigrauit. Hic amiſſis parentibus, cum annum vitæ ageret trigeſimum, prioris vitæ inſtitutum dolere, deplorareq; cœpit. Itaq; re familiari, quæ ei copioſa fuerat relicta à parentibus, vendita, pretium omne pauperib. erogauit. Huius tanta fuit miſericordia in pauperes, vt cum non aliud quod egentibus daret remanſiſſet, ſeipſum cuidam ad ſeruiendum pacta mercede, quam pauperib. diſtribueret, locauerit. Sacco indutus, ſic erat orationibus & vigiliis addictus, vt ſæpe plures dies & noctes cibo abſtineret. Humi in æde Sancti Feliciani, quem præcipua deuotione coluerat, ſeſe flagellis cædens noctu cubabat. Ibidem Sathanam, qui illi humana & præclara quadam forma diuitias offerens apparuerat, ſigno Crucis fugauit. Romam profectus deuotionis cauſſa, reliquias Sanctorum maxima cum humilitate veneratus eſt. Apud Spoletanos & Aſſiſinates, hæreſis falſo accuſatus, cum innocentiam ſuam euidentib. teſtimoniis & argumentis probaſſet, ab Inquiſitorib. liber dimiſſus eſt. Cum dies obitus, quem ante præſciuerat, immineret, & ille amicum, vt lumen ab Eccleſia deferret, rogauiſſet, hic vero omnes lāpades extinctas reperiſſet, iterum rogatus, vt pergens ad aram Beatæ Mariæ Virginis inde lumen acciperet, cum iuiſſet, lampadem diuinitus accenſam reperiit. Deniq; cum dæmonem horribili forma aſpexiſſet, Crucifixi imaginem amplexus, animā Deo reddidit. Eius corpus aliquod dies inſepultum ſuauem efflauit odorem, multiſq; ægrotis qui ſanabantur ad illud accurrentibus, in eadem Eccleſia conditum eſt. *ex Monum. Eccl. Fulginat.*

XXI. AMADEI IV. SABAVDIÆ COMITIS OBITVS ET VISIO.

Eodem anno finem vitæ impleuit Amadeus eo nomine Quartus Sabaudiæ Comes, cum generoſo ſuo Andronico Imperatori Cōſtantinopolitano ſuppetias aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes procuraret. Amadeus hic, quod ſex illi vxoriq; eius vno eodemq; tempore, per nocturnam quietem viſi infantes, qui flexis Deum orabāt genibus, vt Comitem Sabaudum eiuſq; vxorem ſobolis cōpotes facere dignaretur, in Cluniacenſi Monaſterio ſex infantium, qui pro Sabaudiæ principum ſalute ſtatas perpetuaſq; Deo dicerent preces inſtituit Collegium: cui

C OLLEGIVM AB IPSO CONSTITVTVM.

propimos annuos cōſtituit prouentus. Singulari quippe diuini numinis diſpenſatione accidiſſe ſibi perſuaſerat, vt ſibi ſuæq; vxori infantes illi apparerent: præſertim poſtquam vxorem ſuam, ſterilem hactenus, grauidam ex eo tempore factam agnouit. Eius Collegii (cui Conuentus Sāctus, quod etiamnum hodie obtinet, nomen inditum) legib. cautum inter cætera fuit, vt ſimul atq; aliquem ex hiſce infantibus, tale quid, quod caſtis innocuę illius ætatis moribus repugnaret, & malitiæ præſeferret ſpecimen, deſignare contingeret, illo moto, alius protinus in eius locum ſubſtitueretur. Cautum quoque, vt eorum infantium aliquo, ea ætate ex hac luce decedente, non aliæ, in æde illa ſacra in qua ſepeliendus eſſet, dicerentur preces, quam quas Diuis Innocentibus feſto die concini conſuetum eſt. *Lamber. Vanderburg. in hiſt. Sabau.*

XXII. CATHARINÆ ALBERTI REGIS FILIÆ ET MARIÆ HIEROSOLYMITANÆ REGINÆ OBITVS AC VTRIVSQVE EPITAPHIVM.

Hoc ipſo anno, par inſignium fœminarum, in Regno Siciliæ deſideratum eſt, quibus hęc epitaphia Neapoli, alteri in S. Laurentii, alteri in Diuæ Virginis templo inſcripta ſunt. Prioris iſtud.

*Hic iacet Catharina filia Regis Alberti, & neptis Rodulphi Romanorum Regis, ac ſoror Friderici in Regem Romanorum electi Domini Auſtriæ, ac conſors ſpectabilis Caroli, primogeniti Domini Principis, Domini Roberti Dei gratia Hieruſalem & Siciliæ Regis Illuſtris, Ducis Calabriæ, ac Domini noſtri Vicarii Generalis, inſigni vita, & morib. exemplaris: quæ obiit Neapoli Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti M.CCC.XXIII. Die 15. menſis Ianuarii. Indict. VI. Regnorum prædicti Domini noſtri Regis Anno XIV. cuius anima requieſcat in pace. Amē.* Alterius quod ſubiungo.

Hic



*Hic requieſcit Sanctæ memoriæ Excellentiſſima Domina Domina Maria, Dei gratia Hieruſalem, Siciliæ, Vngariæque Regina, Magnifici Principis quondam Stephani Dei gratia Regis Vngariæ, ac relicta claræ memoriæ inclyti Principis Domini Caroli II & mater Sereniſſimi Principis & Domini, Domini Roberti eadem gratia Dei dictorum Regnorum Hieruſalem, Siciliæ Regum illuſtrium, quæ obiit Anno Domini M.CCC.XXIII. Indict. VI. die XXV. menſis Martij. cuius anima requieſcat in pace,* Amen. Summont. hiſt. Neapol. libr. 3.

## IESV CHRISTI

### Annus 1324.

IOANNIS PAP. XXII. ANNO 8. & 9.

I. IOANNES PP. LVDOVICVM BAVARVM ANATHEMATE FERIT, ET QVAE EIVS EXCOMMVNICATIONIS CAVSAE.

ERat cur Ioannes Pontifex poſt diuturnam expectationem, Ludouicum Bauarum, tandem piorum cœtu ſegregatum, diriſque Eccleſiaſticis deuotum denunciarit. Namque is ad arma conuerſus titulum Regium de facto vſurpauerat; Imperatoribus propria munera, præter conſenſum Summi Pontificis ante inaugurationem & renunciationem conſuetam exercebat; hæreticorum & aliorum ab Eccleſia damnatorum curam tutelamque ſuſcipiens, eos militaribus copijs adiuuerat: pacem Italiæ & Germaniæ miſcebat: ad oppreſsionem Pontificiorum totis conatibus ferebatur: ad audiendam in cauſa tutelæ hæreticorum ſententiam, ab Ioanne Pontifice euocatus, neque ipſe præſens adeſſe, neque nuncium qui facta omnino expurgaret, aut vero rationibus defenderet, aut quod poſtremum fuerat, benignitatem Apoſtolicam deprecaretur, mittere voluerat: adeoque Pontificiam auctoritatem, Sediſque Apoſtolicæ ſuper omnes Chriſti fideles Primatum contumax contempſerat. Quamobrem non potuit Ioannes committere, quin ex diſciplina Eccleſiaſtica, in refractarium, totque criminum auctorem illum non animaduerteret: omneſque Principes & Prælatos Imperij & præcipue Germaniæ, Sacramento fidelitatis, ſi quo aliqui eorum ſeſe Ludouico, quauis ratione vel occaſione adſtrinxiſſent exſolueret, iuſtumque bellum contra inuaſorem Regni & Imperij indiceret, ſeu ab Auſtriacis indictum modis omnibus promoueret.

II. LITERAE IOANNIS PP AD EPISCOP. FRISINGENSEM DE EXCOMMVNICATIONE LVDOVICI BAVARI.

Sed præſtat omnia iſta ex ipſis Pontificijs litteris cognoſcere: quarum prima eſto, ſcripta Epiſcopo Friſingenſi. Ita habet.

Venerabili Fratri Epiſcopo Friſingenſi.

*Pridem ſuper certis petitis, & ſupplicatis pro parte Magnifici Viri Ludouici Bauariæ Ducis, in diſcordia, in Regem Romanorum electi, per dilectos filios Albertum de Straſburch Magnum Præceptorem Ordinis Hoſpitalis Sancti Ioannis Hieroſolymitani per Alemanniam, & Magiſtros Grueſtrup de Sebech Archidiaconum Herbipolen. ac Henricum de Thoruno Canonicum Pragenſ. eiuſdem Ducis Procuratores & Nuntios, in noſtra & Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium præſentia, videlicet VII. Idus præſentis menſis Ianuarij conſtitutos, certam reſponſionem fecimus, quam ne poſſet eidem addi, vel detrahi, ſeu quicquam fingi, veritati ſuper his obuiam noſtris adnotandam prouidimus litteris, quarum tenor dignoſcitur eſſe talis.*

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

*Dudam VIII. videlicet Idus menſis Octobris proxime præteriti, contra Magnificum virum Ludouicum Bauariæ Ducem, pro eo, quod poſt electiones tam de eo, quam Magnifico Viro Friderico Duce Auſtriæ, in Romanos Reges electis in diſcordia celebratas, graues, quinimo plurimum præiudiciales exceſſus contra Deum, & Sanctam Romanam Eccleſiam temere & notoriè perpetrauit, & perpetrare continuo præſumebat, quendam proceſſum, conuocata ad hoc, & præſente multitudine copioſa fidelium, de Fratrum noſtrorum conſilio duximus faciendum: & vt ad eiuſdem Ludouici, & aliorum quorum intererat, communem & certam notitiam deferretur, patentes literas bulla noſtra munitas proceſſum continentes eundem, fecimus in oſtijs Eccleſiæ Auinionenſ. affigi; quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicarent, vt idem Ludouicus, & alij quos proceſſus huiuſmodi contingebat, nullam poſſent excuſationem prætendere, quod ad eos non perueniſſet, vel quod ignoraſſent eundem. Cuius proceſſus tenor noſcitur eſſe talis.*

Ad perpetuam rei memoriam.

*Attendentes, quod dum errori non reſiſtitur, is ad quem reſiſtere pertinet, illi vtcumque præſumitur conſentire; & cætera ſequuntur continue, prout ſuperius in præcedentis anni proceſſu vſque ad Datum Auinione in Palatio Epiſcopali VIII Idus Octobr. Anno 8. * Deinde ſequitur immediatè. Poſtmodum vero dilecti filij Albertus de Straſburgh Magnus Præceptor Ordinis Hoſpitalis Sancti Ioannis Hieroſolymitani per Alemaniam, nec non Magiſter Grueſturp de Sebech Archidiaconus Herbipol. & Magiſter Henricus de Thoruno Canonicus Pragenſis eiuſdem Ducis Bauariæ Nuncij, & in diſcordia, vt prædicitur, in Regem Romanorum electi, ad Sedem Apoſtolicam venientes, ac coram nobis, & eiſdem fratribus 4. Nonas præſentis menſis Ianuarij conſtituti, quandam literam patentem, ſeu apertam, quodam ſigillo ceræ albæ ſigillatam, in cuius ſigilli circumferentijs erat ſcriptum; Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus: & in eodem ſigillo erat quædam imago, Regio ſedens in ſolio, Regiæ maieſtatis tenens in manu dextera vnam virgam, ſeu baculum, in Summitate cuius erat vna Crux, & in manu ſiniſtra vnum pomum, in quo erat deſuper vna Crux, exhibere curarunt, ac ſubſequenter II. Nonas menſis eiuſdem, ijdem Nuncij coram nobis & eiſdem Fratribus in Conſiſtorio conſtituti, exhibuerunt quandam ſupplicationem in pergameno conſcriptam; cuius quidem literæ tenor de verbo ad verbum talis eſt. Nos Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Ad vniuerſorum quorum intereſt notitiam volumus peruenire, quod Religioſos & honorabiles viros Fratrem Albertum de Straſburgh Magnum Præceptorem Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani per Alemanniam, nec nō Magiſtrum Grueſturp de Sebech Archidiaconum Herbipolenſ. & Magiſtrum Henricum de Thoruno Canonicum Pragen. familiares & Secretarios noſtros dilectos exhibitores præſentium, noſtros veros, & in ſolidum Procuratores legitimos, & Nuncios ſpeciales fecimus, & ordinauimus in his ſcriptis, ad requirendum & ſciendum apud Romanam Curiam; An quidam proceſſus, nos, cauſas, & iura noſtra contingentes, per Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum noſtrum, Dominum Ioannem diuina prouidentia Summum Pontificem, nuper in eadem Curia, vt refertur, habiti ſint, & facti, quos nondum certa relatione, inſinuatione vel renuntiatione conſtat in noſtram notitiam deueniſſe: & hoc comperto, ad repræſentandum ſe in eiuſdem Domini Summi Pontificis præſentia, petendum & recipiendum nomine noſtro ab eo cum reuerentia & deuotione, dilationē termini competentis, in quo per ſolemnes Procuratores & Nuncios noſtros ſufficienter inſtructos, in tā arduo negotio, ſuper expreſſis & contentis in ipſis proceſſibus, vt dicitur, nos, cauſas, & iura noſtra de iure poſſimus defendere, ac de iuſtitia adiuuare, noſtramque innocentiam declarare; Maxime cū terminus qui dicitur in eiſdē proceſſib. conſtitutus ad tā arduum negotium, ex quo ad nos potuit peruenire, arctus nimium ſit, & breuis. Dantes dictis Procuratoribus, & Nunciis noſtris, & cuilibet in ſolidum, in præmiſſis, & circa præmiſſa, & eorum quolibet, plenam & liberam tenore præſentium facultatem. In cuius rei teſtimonium præſentes conſcribi, & ſigillo maieſtatis noſtræ iuſſimus communiri.* Datum apud Nuremberg. II. Idus Nouembr. Anno Domini M.CCC.XXIII. Regni vero noſtri anno nono.

*Idem ſupplicationis præfatæ ſeries, de verbo ad verbū talis eſt. Pater ſanctiſſime. Ad mandatum Sanctitatis Veſtræ in ſcriptis poſuimus, ad quid venimus, & quid à Sanctitate Veſtra petere*

debea-

*debeamus. Dicimus igitur ex parte Domini noſtri, filij veſtri deuoti; quod licet paucis diebus elapſis ab aliquibus murmuraretur, & abſque tamen vlla inſinuatione certa, referretur, apud dictum Dominum noſtrum, proceſſus aliquos eſſe factos à ſanctitate veſtra, ipſum, & iura ſua, ac ſtatum ſuum grauiter contingentes: tamen Dominus noſter prædictus, nullatenus credere poterat, nec credebat, imo æſtimabat æmulorum ſuorum eſſe figmenta, nec etiam veriſimile reputabat quod Sancta Romana Eccleſia taliter proceſſiſſet, cum nunquam antea ſuper iis fuerit monitus, vel citatus. Ad cautelam tamen nos miſit ad inquirendum, ac inueſtigandum, Vtrum contra ipſum, vt præmittitur, proceſſus aliqui facti eſſent: & ſi inueniremus eos eſſe factos; quod ſupplicaremus Sanctitati Veſtræ, vt ſaluo in omnibus iure ſuo, daret ei terminum aliquem competentem, & decentem, inſpecta locorum diſtantia, & maxime negotij arduitate conſiderata, infra quem Domino noſtro prædicto proceſſus huiuſmodi veritatem referre poſſemus vt ipſe ſibi, ac iuribus ſuis ipſum tangentibus, de conſilio ſuorum Principum & Procerum valeat ſuper iis, prout tenetur, & debet, ſalubriter prouidere, & de informanda S. V. plenius circa dictum proceſſum, & ipſum contingentia, & de oſtendenda iuſtitia ſua, & innocentia ſua circa dictum proceſſum, & ipſum contingentia, prout ſibi ipſi videbitur expedire: nec non de reformando in ſtatum debitum, ſi forſan in aliquibus exceſſiſſet. Igitur Pater ſanctiſſime, cum inuenerimus proceſſus huiuſmodi eſſe factos, ſupplicamus S. V. ex parte Domini noſtri præfati, humiliter & deuote, vt ſaluo in omnibus iure ſuo, terminum competẽtem, prout præmittitur, dare & concedere dignemini: cum dictus Dominus noſter intendat, quantum in ipſo eſt, tamquam deuotus filius S. V. Paternitatem & Sanctam Eccleſiam vt matrẽ reuereri, & ipſam filiali obedientia pro poſſe adiuuare, defendere, & tueri, terminum petimus ſex menſibus longiorem.*

*Nos igitur ſuper litera, & ſupplicatione prædictis, cum eiſdem Fratribus deliberatione præhabita diligenti, eoſdẽ Nuncios VII. Idus eiuſdem menſis Ianuarij coram nobis fecimus euocari, ac eiſdem in noſtra, & dictorum Fratrum præſentia in Conſiſtorio conſtitutis, taliter duximus proloquendum.*

*Vidimus literam patentem & ſupplicationem prædictas, quas in noſtra, & Fratrum noſtrorum præſentia exhibere curaſtis, & contenta in eis intelleximus diligenter, ac ſuper illis, cum eiſdem Fratribus deliberatione præhabita diligenti, attendentes & ad memoriam reducentes deuotionem, quam præfatus Dux Bauariæ per alios Nuncios ſuos ad præſentiam noſtram hactenus deſtinatos, eius literas de credentia deferentes ad nos & præfatam Eccleſiam ſe gerere aſſerebat: & quod inter alia nonnumquam nobis obtulerat per nonnullos ex Nũcijs ſupradictis, ſe paratum in Eccleſiæ prædictæ, & noſtrum obſequium contra rebelles Eccleſiæ ad partes accedere Lombardiæ: miramur quamplurimum, & tam nobis iuſtæ admirationis ingeritur, quomodo ſic ſubito, nulla per nos data ſibi occaſione, vel cauſa, in virum alterum ſit mutatus. Ipſe namque in contemptum noſtrum, & magnam iniuriam Sanctæ Matris Eccleſiæ, ſe Regem Romanorum intitulat, cum de electo in diſcordia in Romanorum Regem, ſicut iſte fuiſſe dicitur, à nullo ſit in dubium reuocandum, quod ante approbationem, ſeu admiſſionem electionis ſuæ per Sedem Apoſtolicam habitam, non debet tali nomine vel titulo appellari, quod vtiq; dudum, cum de intitulatione duorum electorum in Reges Romanorum controuerſia incidiſſet, per Sedem eandem auditis allegationibus partium, in caſu ſimili decretum extitit, deliberatione cum ſimilibus tunc Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus præhabita diligenti: ac inſuper Dux prædictus Galeatio de vicecomitibus, eiuſque Fratribus de Mediolano, rebellibus eiuſdem Eccleſiæ, & de hæreſi per eorum competentes iudices condemnatis fauere hactenus; contra præfatam Eccleſiam non expauit: nec adhuc, ſicut audiuimus, à fautoria deſtitit eorundem: A Ferrarienſibus etiam, videlicet Raynaldo & Opizone natis dilecti filij viri Aldrebaudini Eſten, de labe prauitatis hæreticæ ſimiliter condemnatis, ac rebellibus Eccleſiæ memoratæ ratione Ciuitatis Ferrarienſ. fidelitatem & homagium præſumpſit recipere, ipſiſque fauorem, auxilium & conſilium impendere; in noſtrum, & eiuſdem Eccleſiæ magnum contemptum, atque diſpendium, & præiudicium manifeſtum. cum dictam Ciuitatem Ferrarienſ. eiuſque diſtrictum, ad plenum ius atque dominium, & proprietatem eiuſdem Roman. Eccleſiæ pertinere noſcatur. Adminiſtrationi etiam Imperij ſe indebite, ac irreuerenter immiſcuit, donando de bonis ipſius, homagia recipiendo, & alia indebite attentando: cum tamen huiuſmodi adminiſtratio, imperio prædicto vacante, prout ad præſens vacare dignoſcitur, ad Sedem pertineat memoratam ſicut hoc iure patet, conſuetudine declaratur, & Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, in caſu vacationis Imperij iure huiuſmodi vſi ſunt, velut ad eos pertinente indubie, ſicut etiam nonnullis exemplis euidentibus patet. Nam fel. record. Clemens Papa IV. prædeceſſor noſter tempore ſuo exiſtentibus duobus in Romanorum Reges electis, claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ in Tuſcia Vicarium Generalem conſtituit, qui dictum officium exercuit diligenter. Similiter piæ memoriæ Clemens Papa Quintus prædeceſſor noſter, in prouincijs Lombardiæ & Tuſciæ charſſimum in Chriſto filium noſtrum Robertum Regem Siciliæ Illuſtrem Vicarium ordinauit. cuius iuris poſſeſſione, vel quaſi, præfatus Dux Bauariæ, quantum in eo eſt nos & dictam Eccleſiam indebitè, & præſumptuosè nimium ſpoliare conatur. Si igitur prædicta, necnon verba in dictis literis, & ſupplicatione per vos exhibitis poſita, quæ magis ſunt ad turbationem irritantia, quam ad manſuetudinem mentem intelligentis prouocantia, vellemus attendere diligenter, nullum vobis reſponſum dare vtique deberemus: tamen memores deuotionis præteritæ dicti Ducis vobis præfatis Nuncijs de dictorum Fratrum conſilio breuiter reſpondemus: Quod cum Proceſſus noſter prædictus, contra dictum Ducem Bauariæ, & electum, vt prædicatur, factus rite ſit, & ſuper notorio habitus, terminumque competentem contineat, infra quem ad eius deduci, niſi per ipſum ſteterit, notitiam potuerit, ac præſumptis per ipſum temere etiam reſilire, ipſaque quantum erat ſibi poſſibile reuocare, quorum neutrum ipſum conſtat feciſſe, per exhibita, ſed potius quod intendat illa vt dicta Scriptura aſſerit excuſare, ac de iure quod vtique electo faciendi nequaquam competat, nec poteſt competere ſe velle dicere aſſerat, intendens per conſequens exceſſus ſuos notorios minus prouide defenſare: non intendimus aliquid innouare, ipſum tollendo, vel ſuſpendendo, vel quo ad impediendum effectum ſententiarum in eo latarum, terminum, dilationem, vel prorogationem aliquam concedẽdo: imo volumus eum quoad omnia contenta in ipſo, & ipſorũ effectum in ſuo pleno vigore, atque robore permanere. Verum quia in dicto proceſſu eidem aperte duximus intimandũ, quod in præmiſſis in dicto proceſſu contentis per omnia infra præfixum ad hoc ſibi terminum exequendum foret negligens, vel remiſſus, Nos contra ipſum ad publicationem pœnarũ in quas propter præmiſſos exceſſus notorios inciderat, vel incideret in futurum, & alias quam ſuadetur iuſtitia procederemus, eius abſentia non obſtante intendimus vſque ad duos menſes à data præſentium computandos, à publicatione pœnarum, & proceſſibus huiuſmodi; ac ab aggrauatione ſuperſedere proceſſus eiuſdem, infra quos certificari poſſimus, quid per eundem circa præmiſſa extiterit reformatum. Per hoc tamen non volumus, nec intendimus nos aliquatenus obligare, quin etiam eorũdem duorum menſium pendente termino, ad aggrauationem dicti proceſſus & alias poſſimus procedere contra ipſum, ſi & prout nobis pro conſeruatione iurium; & honoris eiuſdem Eccleſiæ viderimus expedire. Hanc igitur reſponſionem noſtram prouidimus præſentibus adnotandam, vt nullus eidem addere vel detrahere forte præſumat, vel fingere, quod præmiſſorum obuiet veritati. Et vt eadem reſponſio non ſolum ad ipſius Ducis, ſed ad communem omnium deducatur notitiam; literas noſtras bulla noſtra munitas, reſponſionem continentes eandem, in eiuſdem Eccleſiæ Auinionen. appendi vel affigi oſtijs faciemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reſponſionis, voluntatis, & intentionis infringere, &c.* Dat. Auinione VII. Idus Ianu. Anno octauo.

*Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mãdamus, quatenus in tuis Ciuitate & Diœceſi, in locis de quibus expedire videris, dictam reſponſionem, & alia contenta in eiſdem literis, per te, vel per alium, ſeu alios, ſolemniter publicare procures, Clero, & populo loci cuiuslibet in publicatione huiuſmodi conuocatis: nos de die receptionis præſentium, & ijs quæ ſuper præmiſſis facere te continget redditurus per inſtrumẽta publica inde facienda nihilominus certiores.* Datum vt ſupra. In eundem modum Dilectis filijs Capitulo Turicen. mutatis mutandis.

## SECVNDA IOANNIS XXII. IN EODEM negotio epiſtola, ſcripta

Venerabilibus Fratr. Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filijs, electis, Abbatibus, & alijs Eccleſiarum Prælatis, exemptis & non exemptis, ad quos præſentes literæ peruenerint.

*Nuper contra Magnificum virum Ludouicum Ducem Bauariæ, in diſcordia, in Regem Romanorum electum, ſuper nonnullis grauibus, & enormibus exceſſibus, inobedientijs, & contemptibus, per eũ, contra Deũ, nos, & Romanã Eccleſiã, ac in præiudicium Reipublicæ, & multorũ ſcandalum perpetratis, certos proceſſus de fratrũ noſtrorum conſilio, & præſente multitudine copioſa fideliũ habuimus, per quos ipſum electum, qui proceſſui noſtro, alias contra eum ratione dictorum exceſſuũ habito non paruerat, excõmunicatum, & vitandũ, præter caſus exceptos, ab omnibus nunciauimus, ac Prælatos, & perſonas Eccleſiaſticas, qui ſibi tanquã Regi, ſeu in Regẽ Romanorũ electo ſuper ijs, quæ ad Regni, ſeu Imperij prædictorum regimen & adminiſtrationẽ pertinent, contra monitiones, inhibitiones & mandata noſtra paruerant, in pœnam ſuſpenſionis ab officio & beneficio, contra ipſos alias promulgatam incidiſſe declarauimus, & ad alia nonnulla proceſſimus, ſicut in eiſdem proceſſibus plenius continetur; quorum tenor ſequitur ſub ijs verbis.*

Ioannes, &c. Ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum.

*Vrget nos charitas ſpõſæ Chriſti, vt eius iura volẽtibus præſumptuoſis auſibus & reprobis vſurpare conatibus, curemus opportunis remedijs obuiare. Angit inſuper ſuſcepti cura regiminis, vt quos timor Dei, à moleſtijs & iniurijs ſpõſæ præfatæ nõ retrahit, ſalutaris diſciplinæ vigore retrahere ſatagamus. Hæc profecto dudũ, ad noſtrã, & fratrũ noſtrorum Sãctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinaliũ fama diuulgãte deducta notitiã, quod nõnulli, poteſtatũ & dignitatũ faſtigium illicitè ambiẽtes, Vicariatus, ſeu alterius cuiuſcumq; nomẽ officij aſſumpſerãt, ſeu aſſumebãt in imperio quod tũc vacabat, ſicut adhuc vacare dignoſcitur, illudq; abſq; noſtra, ſeu Apoſtolicæ Sedis petita licẽtia, vel obtẽta ſibi retinere, ſeu de nouo aſſumere, temerarijs auſibus præſumpſerãt, & etiã præſumebãt, multaq; ſub eius colore faciebãt, & fecerãt, quæ in noſtrã, & Eccleſiæ ſpõſæ Chriſti, ad quã regimẽ vacãtis imperij pertinet, grauẽ iniuriã, & enorme præiudiciũ redundabãt, ob zelum eiuſdẽ Eccleſiæ nos inquietos, & nimiũ anxios adeo reddiderũt, vt cõtra omnes & ſingulos cuiuſcumq; ſtatus, præeminẽtiæ, dignitatis, aut cõditionis exiſterent, etiamſi Patriarchali, vel quauis alia ſuperiori, aut Pontificali, ſeu quacunq; alia dignitate fulgerẽt, qui poſt dicti vacationem imperij, abſq; licentia dictæ Sedis huiuſmodi Vicariatus, ſeu cuiuſcumq; alterius officij nomen ſibi vbilibet vſurparant, ſeu vſurparent, vel retinerent, ſiue tali denominatione abuſi erant, ſeu abuterentur poteſtate, vel iuriſdictione quacunq;, ſeu eius exercitio, publice, vel occulte, niſi infra duorũ mẽſium ſpatiũ à data litterarũ noſtrarum ſuper præmiſſis confectarum numerãdum, à prædictis omnib. penitus deſiſterẽt, & ceſſarẽt, vt licẽtia Sedis eiuſdẽ ſe ſuper hoc munitos oſtenderẽt, II Kal. menſ. April. Pont. noſtri anno primo, proceſſus publicos cõtinentes monitiones, prohibitiones, ac excõmunicationis & interdicti ſentẽtias, de eorundẽ fratrum cõſilio faceremus: & vt ijdem proceſſus ad cõmunem omnium notitiã deuenirẽt, chartas, ſiue mẽbranas, proceſſus cõtinentes eoſdẽ, in maioris Eccleſiæ Auinion. oſtijs, ſeu ſuperliminaribus appẽdi fecimus, & affigi. Hæc inſuper ijs proximis diebus præteritis, videlicet 8. Id. menſ. Octob. proxime iam elapſi, ſpecialiter cõtra Magnificũ virum Ludouicum Ducẽ Bauariæ, in diſcordia in Regem Romanorum electum, promouẽdum in Imperatorẽ futurum, qui nullis priuilegijs, nullaq; licentia Sedis prædictæ, vel alijs munimẽtis legitimis, ex quibus ſibi quomodolibet prædicta licerent, infra dictorum duorum mẽſium ſpatium, ſeu poſtea per eum exhibitis, vel oſtẽſis, nec eius electione admiſſa, neq; approbata perſona, ſibi nomen Regis Romanorum indebitè vſurpauit, ac adminiſtrationẽ dictorum Regni & Imperij, in eiuſdẽ Eccleſiæ manifeſtam iniuriam, plurimorum ſcandalum, ſuæ, & aliorum multorum animarum periculum, præſumptuosè, ac periculosè ruinã ſe ingeſſit; nec non præfata Eccleſiæ rebellibus, ſicut Galeatio de Vicecomitibus, & eius fratribus, quãuis eſſẽt de crimine hæreſis per definitiuã ſẽtentiã à ſuis cõpetentibus iudicibus exigente iuſtitia condẽnati, & nõnullis aliis perfidis Dei, & Eccleſiæ prædictæ hoſtibus fauorẽ & defenſionẽ exhibuerat, contra dictã Eccleſiam, & adhuc exhibebat, procedere de eorundẽ fratrum cõſilio cõpulerunt, ipſumq; propter præmiſſos exceſſus, per edictum publicum, præſente multitudine fidelium copioſa monuimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna, quã ipſum, niſi cum effectu huiuſmodi monitioni pareret, incurrere voluimus ipſo facto, auctoritate Apoſtolica diſtrictius iniungentes, vt infra trium mẽſium ſpatium à data literarum noſtrarum ſuper hoc cõfectarum cõputãdum, quos ei de ipſorũ fratrum cõſilio pro perẽptorio termino duximus aſſignãdos, ab adminiſtratione, fautoria, & defẽſione huiuſmodi penitus abſtineret, adminiſtrationẽ ipſã per ſe, vel alium, vel per alios nullatenus reſumpturus, niſi ſi, & quãdo electionẽ ſuã huiuſmodi, quæ de ipſo celebrata dicitur, ac perſonã ipſius per Sedẽ Apoſtolicã approbari contingeret, & admitti; quodq; geſta per eũ, poſt præſumptum ab eo memoratum titulum circa præmiſſa, quatenus proceſſere de facto, cum de iure nõ tenerẽt, nec tenerẽt, velut ab eo cui ius non competebat, nec cõpetit eadẽ faciẽdi, attentata curaret infra dictum terminum, quãtum ſibi foret poſſibile, realiter reuocare; apertè ſibi nihilominus intimãtes, quod ſi in præmiſſis, per eum infra dictum terminum exequẽdis negligẽs exiſteret, vel remiſſus, nos cõtra ipſum ad publicationẽ pœnarum, in quas propter præmiſſos exceſſus notorios incidiſſe noſcebatur, vel incideret in futurum, & alias quantum ſuaderet iuſtitia procederemus, eius abſẽtia nõ obſtante. Vniuerſis inſuper Patriarchis, Archiep. & Epiſ. alijsq; perſonis Eccleſiaſticis quibuſcunq;, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio, quã eos incurrere voluimus ipſo facto, niſi infra dictum terminum huiuſmodi noſtræ inhibitioni efficaciter obedirent; & tã ipſis quã omnibus & ſingulis ciuitatibus cõmunitatibus & vniuerſitatibus, nec nõ perſonis ſingularibus quibuſcunq;, cuiuſcunq; cõditionis aut ſtatus exiſterẽt, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excõmunicationis in perſonas, & interdicti in terras eorum, nec nõ priuationis Priuilegiorum quorumcunq; Apoſtolicorum, & imperialium, ac feudorum quæ ab Eccleſia, vel Imperio quomodolibet obtinerent, diſtrictius duximus inhibendum, ne prædicto Ludouico in præmiſſis, vel alijs Regni, ſeu Imperij tangentibus regimẽ tanquã Regi, ſeu in Romanorum Regẽ electo, niſi & quouſq; dictã electionẽ, & perſonã ipſius per Sedem eandem approbari cõtingeret, & admitti, parerẽt in aliquo, ſeu intenderent quomodo; neue eidem in quibuſcunq; ad regimen prælibatum ſpectãtibus præberent cõſilium, auxilium, vel fauorem: nõ obſtãte ſi ipſi, vel eorum aliqui, ſe ad hoc dicto Ludouico vt Regi, ſeu in Romanorum Regẽ electo adſtrinxiſſent, per fidelitatis, vel alterius cuiuslibet generis iuramenta; quæ cum præſtita fuiſſent ei, cui minimè præſtari debuerant, nec præſtantes ad eorum adſtringebãt obſeruãtiã, nec adſtringãt; quæ nihilominus ad cautelã, auctoritate Apoſtolica duximus relaxanda. Seu ſi præfato electo, vel quibuſuis aliis per literas Sedis eiuſdem foret ſub quacunq; verborum forma, vel expreſſione verborum conceſſum, vel concederetur in poſterum, quod excõmunicari, ſuſpendi, vel eorum terræ, ſeu loca interdici nõ poſſent, quas cõtra proceſſum noſtrum prædictum in nullo eis volumus ſuffragari. Voluimus inſuper, & Apoſtolica authoritate decreuimus, quod dictus proceſſus eundẽ electum, & alios ſupradictos apprehenderet, & arctaret, ac ſi eiſdẽ perſonaliter publicatus, & inſinuatus ſolenniter extitiſſet, conſtitutione quacunq; per prædeceſſores noſtros Rom. Pont. in cõtrarium edita nõ obſtãte. Et vt idẽ proceſſus, ad eiuſdẽ electi & aliorũ quorum intereſt cõmunem deduceretur notitiam, chartas, ſiue membranas proceſſum cõtinentes eundem, in oſtijs eiuſdem Auin. Eccleſiæ appendi fecimus, ſeu affigi, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo iudicio publicarent; vt dictus electus, & alij quos idem cõtingebat proceſſus, nullã poſſent excuſationem prætendere, quod ad eos non perueniſſet, vel quod ignoraſſent eundem: cum nõ eſſet veriſimile, quoad ipſos remanere incognitum vel occultum, quod eſſet tã patenter omnib. publicatum.*

*Poſt hæc autem dilecti filij Alb. de Strasburch Magnus Magiſter, Euerſturp de Sebech Archidiaconus Herbip. & Henric. de Thorano Canon. Pragen. ad Sedem Apoſt. perſonaliter venientes, ac corã nobis, & eiſdem fratrib. infra dictum terminũ, videlicet 4. Non. menſ. Ian. proximè præteriti, eiuſdẽ Lud. Procuratorio nomine cõparentes, ſuper huiuſmodi procuratione quandam patentem literam eiuſdem Ludouici, vt aſſerebant,*

bant, ſigillo veræ albæ ſigillatam, in cuius ſigilli circumferentijs erat ſcriptum, Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac in eodem ſigillo erat ſculpta quædam imago Regia ſedẽs in ſolio Regio, tenens in manu dextra ſceptrum Regale, in cuius ſummitate erat vna Crux, & in manu ſiniſtra vnũ pomum, in quo ſimiliter erat deſuper Crux; exhibere procurarunt; quæ quidem litera in prima linea ſic incipit; Nos Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ad vniuerſorum quorum intereſt, volumus peruenire. Et continuatur in ſecunda: Quod religioſos & honorabiles F. Alb. de Straſburch Magnum Præceptorem Ordinis Hoſpitalis Sãcti Ioannis. Nona vero linea eiuſdem literæ incipit, Summi; & 15. tante; & in 16. incipit Nurembercb; & finit, noſtris: & in vltima linea finit, ſunt duæ deuotiones; tantum, videlicet anno 9 ſubſequenter vero, pridie videlicet Non. menſ. eiuſdem: Inſuper dicti Procuratores coram nobis, & eiſdem fratribus exhibuerunt in Conſiſtorio quandam ſupplicationem in ſcriptis ſpecialiter continentem, per nos, eorum Domino aliquem competentem & decentem terminum indulgeri. Qua ſupplicatione diligentius intellecta, de ipſorum fratrũ conſilio duximus breuiter reſpondendum; quod cum dictus proceſſus noſter contra dictum Ducem, ac electum, ritè, & ſuper notorio eſſet factus, competentemq; terminũ contineret, infra quem ad eiuſdem Ducis ſeu electi, niſi per eum ſtetiſſet deduci notitiã potuiſſet, & ipſe à temere præſumptis per eum reſilire, ipſaq;, quãtum erat ſibi poſſibile, potuerat reuocare, non intendebamus dictum proceſſum tollere vel ſuſpendere, vel quoad impediendum effectum ſententiarum in eo latarum, terminum prorogare: imo volebamus eum quoad omnia contenta in ipſo, & ipſorum effectum in ſuo pleno vigore, atq; robore permanere: hoc tamen ſaluo, quod intendebamus vſq; ad duos menſes, à data literarum noſtrarum confectarum ſuper hoc computandos, à publicatione pœnarum, quas idem electus propter exceſſus prædictos incurrerat, & ab aggrauatione proceſſus huiuſmodi abſtinere, prout in literis noſtris inde confectis, quas vt proceſſus contentus in eis, ad ipſius electi, ac omnium communem notitiam deueniret, in eiuſdem Auin. Eccleſiæ oſtijs appendi ſimiliter fecimus, & affigi, plenius continetur. Quam quidem dilationem dicti Procuratores, cum gratiarum actionibus acceptarunt. Sane quamuis præfati electi, in nõ parẽdo prædictis noſtris monitionibus, & mãdatis inobediẽtia pertinax: nec infra ſecundum terminum ſibi ſimiliter huiuſmodi dilatione conceſſum comparendo coram nobis per ſe, vel Procuratorem legitimum, nec etiam poſtea de benignitate Sedis Apoſtolicæ diebus pluribus expectati, contẽptus eiuſdẽ exigant, ſcandalum quoq; & pericula plurima; quæ profecto præmiſſorum diſſimulatio & impunitas vel dilata iuſtitiam, probabiliter comminatur deſiderent ſuper præmiſſis contra dictum electum, de remedio celeri per opportunam & rigoſam iuſtitiam prouidere: Nos tamen adhuc volentes cum eodem electo vti potius manſuetudine quam rigore, ac probare, vtrum manſuetudinis noſtræ benignitas, ipſum à tam periculoſo deuio valeat, quod deſiderijs intẽſis appetimus, reuocare, de dictorum fratrum cõſilio, auctoritate Apoſtolica per infraſcriptum modum duximus ordinandũ. Videlicet, quod ad publicationẽ ſententiæ excõmunicationis per nos, vt præmittitur promulgatæ, in quã idem electus propter ſuã in præmiſſis commiſſam inobedientiam & contemptum incidiſſe dignoſcitur, procedẽtes, ab aliarum pœnarum publicatione, in quas ſimiliter incidit, ſuperſedeamus ad præſens, Ideoq; præfatum electũ de ipſorũ fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, in prædictã excommunicationis ſententiam incidiſſe, præſente hac multitudine copioſa fidelium declaramus, ipſumq; prædictæ excõmunicationis ſentẽtia innodatũ, & velut excommunicatũ, præter caſus exceptos, euitãdũ ab omnib. nunciamus; eumq; nihilominus aſtãte prædicta multitudine copioſa fideliũ, per hoc præſens edictũ publicũ ſolẽniter auctoritate prædicta monemus, ſibi auctoritate Apoſt. ſub pœna priuationis omnis iuris, ſi quod ſibi ex ſua electione prædicta, quæ de ipſo dicitur celebrata, vel ad Regnum, & Imperiũ Rom. quoquo modo competit, & poſſet cõpetere, quã, ſi Monitioni & mãdato huiuſmodi efficaciter non parebit, eum incurrere volumus ipſo facto. Diſtrictius iniungentes, vt infra trium menſiũ ſpatium, à data præſentium in antea cõputandum, ſe Regem Rom. non intitulet, non denominet, nec deſcribat, nec per alios faciat, quantum in eo fuerit, tali intitulari titulo, vel etiã nominari, ab intitulatione, & denominatione Regali huiuſmodi per eum indebite vſurpata, ac adminiſtratione Regni & Imperij prædictorũ, & rerum & iurium eorundẽ denominationẽ, intitulationẽ, & adminiſtrationẽ præfatas nõ reſumpturus vlterius, niſi ſi, & quãdo perſonã ipſius, & electionem quæ de ipſo celebrata fuiſſe dicitur, per ſedem eandem approbari contigerit, & admitti. At fautoria quoq; & defenſione tã dictorũ hæreticorum Mediol. rebellium Dei & Eccleſiæ, quã Ferrariẽſium videlicet Raynaldi & Opizonis filiorum dilecti filij nobilis viri Ildebrandini Marchionis Eſtenſis, qui quidẽ filij ſunt ſimiliter de labe prauitatis hæreticæ cõdemnati, ac rebelles Eccleſiæ memoratæ, eorumq; fautorum, valitorum, & ſequacium prorſus abſtinere procuret, fidelitati etiã, & homagio, quæ ratione ciuitatis Ferrariẽſis, quæ ipſius Rom. Eccleſ. pleni iuris, & proprietatis exiſtit, præſumpſit recipere ab eiſdẽ, in noſtrũ, & eiuſdẽ Eccleſiæ magnum contẽptum, atq; diſpendium & præiudicium manifeſtum, publicè, & omnino renunciet, illaq; prorſus à ſe abijciat, quaſi nunquã ſibi præſtita extitiſſent, nec ratione illarũ aliquid penitus iuris vſurpet in ciuitate Ferrar. prædicta, eiuſq; diſtrictu, vel ciuibus, ac diſtrictualibus eorundẽ, ſed potius omnia prædicta vſurpata, præſumpta, & attẽtata per ipſum, ſub denominatione, & intitulatione prædictis, ſeu colore, vel occaſione ipſarum, curet effectualiter infra dictum terminum, prout ſibi poſſibile fuerit, ſolẽniter, & publicè reuocare, ac parere in omnib. prædictis noſtris monitis, inhibitionibus, & mandatis: nec nõ & ad eiuſdẽ Eccleſiæ redire gremium ſtudeat, ſatisfactionem debitã impẽſurus, de offẽſionibus, & iniurijs ſupradictis, ac nihilominus infra dictum terminum, quod prædicta omnia reuocauerit, ac paruerit in eiſdem omnib. huiuſmodi noſtris monitionibus, inhibitionibus, & mandatis plenariè cum effectu, nos per authẽticas perſonas, literas, vel inſtrumẽtum publicum certificare procuret. Ac inſuper infra dictum terminum per ſe vel Procuratorẽ, ſeu Procuratores idoneos cõpareat corã nobis ſuper dictis exceſſibus, offenſionibus & iniurijs, ac ſuper pœna priuationis iuris ſi quod ſibi cõpetit, vel competijt ad Regnum, ſeu Imp. ſupradictos decalranda, vel inferenda, nec nõ & pœnis alijs, quibus exceſſus, ac inobedientia, & cõtemptus prædicti, eundem electum obnoxiũ reddiderunt, definitiuã ſententiã, & noſtrum beneplacitũ, quãtum officium noſtrum patitur, auditurus, & alia facturus, & recepturus, quæ iuſtitia ſuadebit. Huiuſmodi verò terminum eidem electo, de dictorum Fr. cõſilio ad præmiſſa & præmiſſorũ ſingula peremptorium eſſe volumus, & pro peremptorio aſſignamus, apertius prædicentes eidẽ, quod nos ad præmiſſa coniunctim, vel diuiſim, ſi neq; venerit, neq; miſerit procedemus, prout expedire viderimus, eius abſentia nõ obſtãte. Vniuerſos quoq; Patriarchas, Archiep. & Epiſc. aliaſq; perſonas Eccleſiaſt. qui parere forſitan neglexerint prædictis noſtris monitionibus, inhibitionibus, & præceptis eidẽ Duci tanquã Regi, ſeu in Regem Rom. electo obediendo, vel intendendo, ſeu præſtãdo quomodolibet per ſe, vel alium, ſeu alios, auxiliũ, conſiliũ, vel fauorẽ, publicè vel occultè, auctoritate prædicta, de ipſorũ Fr. cõſilio declaramus pœnam ſuſpẽſionis ab officio, & beneficio cõtra eos promulgatã in dictis noſtris proceſſib. incurriſſe. Rurſus eoſdẽ Patriarchas, Archiep. & Epiſc. aliaſq; perſonas Eccleſ. præſentiũ auctoritate monemus, tã ſub excõmunicationis pœna quã ipſos, & eorũ ſingulos cõtra inhibitionẽ, monitionem, ac mãdata noſtra huiuſmodi temere venientes incurrere volumus ipſo facto, quã ſub priuationis dignitatũ, perſonatuũ, officiorũ, & beneficiorum Eccleſ. pœnis & ſententiis ad quarũ etiã inflictionem contra non parentes procedemus, ſicut viderimus expedire, eiſq; diſtrictius iniũgimus, & etiã inhibemus expreſſè, ne ipſi vel eorũ aliqui præfato Duci tanquã Regi, ſeu in Regem Rom. electo, in quibuſcunq; Regni, ſeu imperii prædictorũ regimen, ſeu adminiſtrationẽ tangentib. pareãt, & adhæreãt quolibet, vel intendãt, nec eidẽ per ſe, vel aliũ, ſeu alios, directe, vel indirecte, publice, vel occulte ſuper prædictis præſtẽt auxilium, cõſilium, vel fauorẽ; auctoritate Apoſt. decernentes eoſdem perinde ligari prædictis pœnis, & ſententiis, & adſtringi ac ſi proprijs eorum nominib. nominati eſſent ſpecialiter, & expreſſe, eis nihilominus prædicentes, quod cõtra eos ad priuationis dignitatum, perſonatuum, officiorum, & beneficiorum Eccleſ. quorumcunq;, nec nõ priuilegiorum, & inhabilitationis, & pœnas alias procedemus, ſi cõtra monitionem, inhibitionem, & præcepta huiuſmodi facere præſumpſerint, vel venire. Et licet cõtra ciuitates, cõmunitates, vniuerſitates, ac ſingulares perſonas alias, quæ in prædictis, vel circa ea forſitã deliquerunt, contra monitionẽ & inhibitionem noſtras prædictas temere veniendo ad debitã im-





poſitionem pœnarum propter hoc fuiſſet merito procedendũ, tamẽ de Sedis Apoſt. gratia adhuc amplius prouidimus expectandũ. Ideoq; omnib. & ſingulis ciuitatibus, communitatibus, vniuerſitatibus & perſonis ſingularib. quibuſcunq;, cuiuſcunq; præeminentiæ, dignitatis, ſtatus, vel conditionis exiſtant, etiamſi regali, aut alia dignitate quacunq; præfulgeant, in virtute obedientiæ, & ſub excõmunicationis in ſingulares perſonas, & interdicti in ciuitates, terras, & loca ipſarum, ac communitates, & vniuerſitates prædictas, quas eas, ſi contrarium fecerint incurrere volumus ipſo facto, nec non priuationis Priuilegiorum, quorumcunq; Apoſtolicorũ, & Imperialium, ac feudorum, quæ à Romana, vel aliis Eccleſ. vel imperio quomodolibet obtinent, pœnis & ſententiis iniungimus, ac diſtrictius inhibemus, ne præfato electo in prædictis, vel aliis dictorum Regni, ſeu Imp. regimen, vel adminiſtrationem quoquomodo tangentibus, Regi, ſeu in Regem Rom. electo, niſi ſi, & cum dictã electionem ipſius admitti, eiuſq; perſonam per dictam Sed. Apoſt. approbari contigerit, in aliquo pareant, vel intendant; nec in præmiſſis, vel ea quomodolibet tangẽtib. eidẽ adhæreant, aut præſtẽt, per ſe, vel aliũ, ſeu alios, auxiliũ, conſilium, vel fauorem. Alioquin cõtra eos, vel illos ex eis, qui contrariũ attentare præſumpſerĩt, ad illationẽ harum pœnarũ, & alias procedemus, prout fuerit rationis opportunũ. Non obſtantib. fidelitatis, & quibuſuis aliis iuramentis, per quæ ipſi, vel eorum aliqui ſe dicto electo quomodolibet aſtrinxiſſent, ad quorũ obſeruantiam, cum præſtita fuerint, ei, cui minime præſtari debuerãt, præſtantes eadem nullatenus adſtringuntur; quæ nos etiam ad cautelam auctoritate Apoſtol. duximus relaxãda: ſeu quibuſuis priuilegiis, & indulgentiis, præfato electo, aut quibuſuis aliis, communiter vel diuiſim, ſub quacunq; forma, vel expreſſione verborum, ab eadem ſede conceſſis, quæ ſibi, vel eorum alicui, contra præſentẽ, & alium proceſſũ noſtrum ſuper his habitũ, in nullo volumus ſuffragari. Confœderationes quoque, pactiones, & ſocietates, ſi quæ inter ipſum electum, & quaſcunq; ciuitates, communitates, vniuerſitates, aut ſingulares perſonas, cuiuſcunq; ſint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, vel ſtatus, etiam ſi Patriarchali, aut alia ſuperiori Pontificali vel Regali, ſeu quauis alia præfulgeant dignitate, ſuper prædictis, vel ea tangentibus factæ, ſeu initæ fuerint, ſub quacunq; forma vel expreſſione verborum, etſi pœnarum adiectione, & iuramentorum præſtatione, vel quacunque fuerint alia firmitate vallatæ, vtpote in diuinæ maieſtatis offenſam, ac contra iura, & honorẽ S. Matris Eccleſiæ, ac in damnum, & præiudicium reipubl. & periculum animarum præſumptas, decreuimus nullas, caſſas, irritas, & inanes, ac nullius exiſtere firmitatis; & eas quatenus proceſſere de facto, reuocamus, caſſamus, irritamus, diſſoluimus, & omnino virib. vacuamus. Iuramenta inſuper ſuper hoc præſtita, de Apoſt. poteſtatis plenitudine relaxamus: oẽs & ſingulos, qui confœderationes, pactiones, & ſocietates huiuſmodi cum dicto electo, cõtra proceſſus huiuſmodi, poſt dictum terminum præſumpſerint obſeruare, prædictas excõmunicationis, & alias pœnas, & ſententias incurrere volumus ipſo facto: contra eos grauius ſpiritualiter & temporaliter proceſſuri, prout viderimus expedire. Cæterum prædictas ſuſpenſionum, & excommunicationũ, & interdicti ſententias, ſic firmiter, ſicq; immobiliter volumus obſeruari, quod abſoluẽdi ab eis, vel relaxãdi eaſdẽ niſi tantũ in mortis articulo, tam omnib. pœnitentiariis noſtris, quã quibuſcũq; aliis cõfeſſorib. generalibus, vel ſpecialibus, ſeu familiaribus, quarũcunq;, vel quantumcunq; ſublimiũ perſonarum vbilibet conſiſtentium, etiamſi eis à nobis, vel aliquo prædeceſſorum noſtrorum, ſub quacunq; verborum forma, abſoluendi, à ſententiis, hominis vel Canonis, ſeu eas relaxandi, generalis, vel ſpecialis, ſit vel fuerit conceſſa facultas, adimimus poteſtatem, abſolutionem huiuſmodi ſoli Rom. Pont. reſeruamus. Quod ſi forte eos, vel eorum aliquem in prædicto mortis articulo abſolui contingeret, niſi, ſanitate recepta, Sedi Apoſt. quam primum commode poterunt, ſe præſentauerint, ſatisfacturi de præmiſſis iuxta mandatum Rom. Pont. ipſo facto in prædictam excõmunicationis ſententiam relabantur. Et vt præſens proceſſus, ad eiuſdem electi, & aliorum quorum intereſt communẽ notitiam deducatur, chartas ſiue membranas proceſſum continentes eundem, in eiuſdem Auinion. Eccleſiæ, appendi vel affigi oſtiis faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt: vt prædictus electus, & alii, quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſſint excuſationẽ prætendere quod ad eos non pertinuerit, vel quod ignorarint eundem, cum non ſit veriſimile remanere quoad ipſos incognitum, vel occultũ, quod tam patenter omnibus publicatur. Cæterum volumus, & auctoritate Apoſt. decernimus, quod dictus proceſſus præfatũ electum, & alios ſupradictos apprehendat, & arctet, ac ſi eiſdem perſonaliter publicatus, & inſinuatus ſolemniter extitiſſet: conſtitutione quacunq; per prædeceſſores noſtros Rom. Pont. in contrarium edita non obſtante; quum ad eiuſdem electi præſentiam, pro eodem proceſſu publicando, & inſinuando, ſecurus acceſſus non pateat, nec poſſet commode, ſingulorum quos tangit, auribus inculcari. Datum Auinione 10. Kal. April. An. 8.

Quocirca fraternitati veſtræ per Apoſt. ſcripta mãdamus, quatenus in ciuitatibus, & diœceſi, & locis aliis veſtris, de quib. expedire videretis, per vos, vel per alium, ſeu alios, tã religioſos, quam ſæculares, exemptos & non exemptos, quos ad hoc per cenſurã Eccleſ. ſi neceſſe fuerit compellatis; non obſtante ſi eis, vel eorum aliquibus, communiter vel diuiſim, quod interdici, ſuſpendi, vel excõmunicari non poſſint per literas Apoſt. non facientes plenam & expreſſã, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionẽ; ſeu ſi religioſis ipſis, vel eorũ ordinibus, quod de negotiis, quæ auctoritate literarum dictæ Sedis committerentur eiſdem, ſe non teneantur intromittere, ab eadem Sede indultum exiſtat, quod prædictum electum, excommunicatum, prædictoſq; Prælatos, & perſonas Eccleſ. quæ parendo, vel intendendo ſibi tanquam Regi, ſeu in Rom. Regem electo, monitionum, & inhibitionum noſtrarum prædictarum extiterint temerarii tranſgreſſores, dictam ſuſpẽſionis pœnam, & ſententiam incurriſſe, & alia omnia contenta in eiſdem proceſſibus, dieb. dominicis & feſtiuis, de quib. vobis videbitur, aſtante fideli populo, cum conuenerit ad diuina, denunciare & publicare ſolemniter procuretis: facientes de publicatione huiuſmodi fieri publica inſtrumenta, nobis fideliter tranſmittenda, per veſtras literas continentes principium & finem præſentiũ: nihilominus reſcripturi, quicquid in prædictis duxeritis faciendum.

In eundem modum ſcripſit Ioannes Pontifex Bertrando Cardinali Legato Lombardiæ, mutatis mutandis: & multis aliis Prælatis per vniuerſum orbem.

## TERTIA EPISTOLA IOAN. Pp. XXII. ſeu proceſſus priuationis aduerſus Ludouicum Bauarum.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sicut ad curam periti medici pertinet adhibere fomenta fortia cum lenia non prodeſſe cognoſcit, ſic profecto præſidentis officio congruit, cum ad correctionem peruerſorum inflictas pœnas non ſufficere percipit, vt adiiciat grauiores. Hinc per Pſalmiſtam; in chamo & fræno maxillas illius conſtringere Dn. præcipit, qui ad ſuum Præſidem eius non obediendo ſalutaribus monitis, appropinquare cõtemnit. Hæc vtiq; circa perſonã viri magnifici, Lud. Ducis Bauariæ, in diſcordia in Regẽ Rom. electi, nos ſeruaſſe declarãt euidentius quæ ſequuntur. Dudum ſiquidem pro eo, quod dictus Dux Bauariæ, in diſcordia, in Regem Rom. promouendum in Imp. electus, diſcordi electione huiuſmodi per Eccleſ. Rom. ad cuius examen perſonæ electi in Regem Rom. in Imp. aſſumendi approbatio, & electionis admiſſio pertinet, diſcordi electione huiuſmodi non admiſſa, nec eius approbata perſona, nomẽ Regis Rom. indebite vſurpauerat, ac Regni Rom. & Imperii adminiſtrationi ſe, in eiuſdem Eccleſiæ manifeſtam iniuriam, plurimorum ſcandalum, ſuã & aliorum multorum animarum periculum, ac etiã contra proceſſus noſtros aduerſus talia præſumentes excommunicationis, & alias diuerſas ſpirituales & temporales pœnas & ſententias continẽtes factos antea, & ſolemniter publicatos, nimis præſumptuoſe & periculoſe ingeſſerat; exigendo videlicet, & recipiendo ſub præfato titulo Regio fidelitatis, in Alamannia, & nonnullis Italiæ partibus, tam à perſonis Eccleſ. quam ſæcularibus vaſallis Imperii, per ſe & alios iuramenta, ac de dignitatibus, honoribus, & officiis ad eiuſdem Rom. Regni ſeu Imperii diſpoſitionem ſpectantibus pro ſuo libito diſponendo. ſicut dieb. præteritis de Marchionatu Brandenburgen. quem primogenito ſuo de facto publice contulit, ordinauit, & alia plurima exercendo, quæ ad eiuſdem Rom. Regni & Imperii regimen, non eſt dubium pertinere. Nec non Eccleſiæ memoratæ rebellibus, ſicut Galeatio de Vicecomitib. eiuſq; fratribus, de crimine hæreſis, à ſuis competentibus iudicib. exigente iuſtitia, ſententialiter & publice condemnatis, ac nonnullis aliis perfidis, Dei, & Eccleſiæ prædictæ hoſtibus, ſe contra ipſam defenſorem exhibuerat, & fautorem, & alia grauia commiſerat, quæ nec non & alia plurima, quæ circa præmiſſa temere præſumpſerat attẽtare, adeo erãt notoria, quod nulla tergiuerſatione celari poterãt, nec

diſſimulatione neglectu irreprehenſibiliter incorrecta relinqui, certos proceſſus, per quos ipſum à deuiis huiuſmodi ad veritatis & iuſtitiæ ſemitam redu...ri ſtudebamus, de fratrum noſtrorum conſilio diuerſis temporibus fecimus contra eum.

Primo namque, videlicet 8. Idus menſis Octob. proxime iam elapſi, ipſum per edictum publicum, præſente fidelium multitudine copioſa monuimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excõmunicationis pœna, quam ipſum, niſi cũ effectu huiuſmodi monitioni pareret, incurrere voluimus ipſo facto, auctoritate Apoſt. & ſtrictius duximus iniungendum, vt infra trium menſiũ ſpatium à die prædicta in antea computandum, quos ei ad hoc de ipſorum fratrum conſilio pro peremptorio termino duximus aſſignandos, ab adminiſtratione, fautoria, & defenſione prædictis penitus abſtineret, adminiſtrationem ipſam per ſe, vel alium, ſeu alios nullatenus reſumpturus; niſi tunc demũ, cum & ſi electionem ſuã huiuſmodi, ac perſonam ipſius per Sed. Apoſt. approbare contingeret, & admitti. Quodq; geſta per eum poſt præſumptam ab eo memoratum titulum circa præmiſſa, quatenus de facto proceſſerant, cũ de iure, velut ab eo cui ius non competebat eadem faciendi, præſumpta nullo modo tenerent, infra dictum terminum, quantum foret ſibi poſſibile, realiter reuocaret. Aperte ſibi nihilominus intimantes, quod ſi in præmiſſis per eum infra præfatũ terminum exequendis negligens exiſteret, vel remiſſus, nos contra ipſum ad publicat. pœnarũ, in quas propter notorios memoratos exceſſus inciderat, vel incideret in futurum, & alias quantum ſuaderet iuſtitia procederemus, eius abſentia non obſtante. Vniuerſis inſuper Patriarchis, Archiep. & Epiſc. aliiſq; perſonis Eccleſ. quibuſcunq;, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio, quã ipſos in incurrere volumus ipſo facto, niſi infra dictũ terminũ, huiuſmodi noſtrẽ inhibitioni efficaciter obedirẽt; & tã ipſis quã omnib. & ſingulis ciuitatib. & cõmunitatib. & vniuerſitatibus, nec non perſonis ſingularib. quibuſcunq;, cuiuſcunq; conditionis aut ſtatus exiſterent, ẽt ſi regali aut alia quacunq; dignitate fulgerent, in virtute S. obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis in perſonas, & interdicti in terras eorũ, nec non priuationis priuilegiorũ quorumcunq; Apoſtolicorum, & Imperialiũ, ac feudorum, quæ ab Eccleſia, vel imperio quomodolibet obtinerent, diſtrictius duximus inhibendum, ne prædicto Ludou. in præmiſſis, vel aliis Regni & Imperii tangẽtibus regimen, tanquam Regi, ſeu in Regem Roman. electo, niſi & quouſq; dictam electionem & perſonam ipſius, per Sedem eandem approbari contingeret, & admitti, parerent in aliquo ſeu intenderent quouis modo; neue eidem circa præmiſſa præberent auxiliũ conſilium, vel fauorem. Qua dilatione pendente, dilecti filii, Albertus de Straburch Magnus Præceptor ordinis Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani per Alemanniam, nec non Magiſter Euerſtorp de Sebach Archidiaconus Herbipolen. & Henr. de Thorono Canonicus Pragen. ad Sedem Apoſt. perſonaliter venientes, coram nobis & fratribus noſtris, videlicet 4. Nonas menſis Ian. proxime præteriti, eiuſdẽ Lud. Procuratorio nomine comparere curarunt, fidem de ſuo procuratorio facientes per quaſdam patentes literas ipſius electi, vt aſſerebant, & prima facie apparebat communitas ſigillo; in cuius quidẽ ſigilli circũferentiis legebatur, Lud. Dei gratia Rom. Rex ſemper Auguſtus, ipſæq; literæ incipiebant, Lud. Dei gratia Rom. Rex ſemper Auguſtus. Ad vniuerſorum, &c. & ſubſequenter IX. Nonas menſis eiuſdem Procuratores ipſi in Conſiſtorio ſupplicarunt, per nos dicto eorum Dn. aliquem ſuper præmiſſis decentem terminũ indulgeri. Nos v. ſuper hoc cum eiſdem fratribus diligenti deliberatione prehabita, & de ipſorum conſilio eiſdẽ Procuratoribus duximus reſpondendum. Quod, quia dictus noſter proceſſus, ad omnia & ſingula in ipſo contenta ſufficientem terminum cõtinebat, ipſum in aliquo tollere vel ſuſpendere nolebamus, ſed illo in ſuo totali effectu, ac robore permanente, non intendebamus, vſque ad duos menſes tunc immediate ſequentes, ad publicationem pœnarum, quas idem electus, propter exceſſus præfatos incurrerat procedere, ſeu noſtrum contra ipſum proceſſum quomodolibet aggrauare, prout hæc in literis noſtris inde confectis plenius continetur. Quã quidem dilationẽ dicti Procuratores, cũ gratiarum actionib. acceptarũ; infra quos quidem duos menſes præfatus electus, nec per ſe corã nobis comparuit, nec aliquis alius pro eodẽ.

Quamuis autem eiuſdem electi in non parẽdo noſtris monitionibus & mandatis inobedientia pertinax, & ipſius infra prædictũ ſecundum terminum, & poſtea etiam dub. pluribus expectati, coram nobis per ſe, vel Procuratorem legitimum minime cõparentis contemptus euidens, ac ſcandalum, & pericula plurima, quæ præmiſſorum diſſimulatio, & impunitas, vel dilata iuſtitia probabiliter minabantur, omnino exigerent ſuper præmiſſis contra eundẽ electum de remedio celeri mediante iuſtitia prouideri. Nos tamen experiri volentes, vtrum per viam manſuetudinis eum poſſemus à tam periculoſo deuio reuocare, à publicatione, ſeu impoſitione pœnarum, quibus ſe propterea obnoxium reddiderat, præter excommunicationis ſententiam per nos in eum, niſi noſtris pareret monitionibus, vt præmittitur, promulgatam, quam ipſum de eorundem fratrum conſilio X. Kal. April. proxime præteriti, aſtante multitudine copioſa fidelium declarauimus incurriſſe, pro tunc duximus abſtinendum.

Sane adhuc per adiectionem pœnarum aliarũ, cum prædictam excõmunicat. pœnam non ſufficere videremus, ipſum à tam pernicioſo deuio reuocare volentes, dicta die, de fratrum eorundem cõſilio ipſum per noſtrum edict. m publ. cum ſolemniter, auctoritate præfata monuimus, ſibiq; ſub pœna priuationis iuris, ſi quod ei ex ſua electione prædict. ad d. ct. m Regnum & Imper. competebat, quam, ſi monitioni & mandato huiuſmodi efficac. t. r non pareret, eum in. urrere volumus ipſo facto, diſtrictius duximus iniungendum, vt infra trium menſi. m ſpatium, à d. ta di. in antea cõputandum, ab intitulat. one, & de. ominatione regal. huiuſmodi, per eum indebite vſurpa. is, & adminiſtratione Reg. & Imperii prædictorum, ac rerum, & iurium eorundem penitus abſtineret, ſe Regem Rom. non intitulando, nec denominando, n. c deſcribendo vlterius, nec ſe per alios, . uantum in eo foret, ali intitulari vel deſcribi titulo, ſeu nomi. e faciendo, denomina. onem, intitulat. nem, & adminiſtratio. em præfatas non reſu. pturus vlterius, niſi ſi, & quando electionem prædictam, & p. ſonam ipſius p. r eandem ſedẽ approbari contingere. , & admitti. fautoria quoq; & defenſion. , tam dictorum hære. ic. rũ Mediol. rebellium Dei & Eccleſiæ, quam Ferarienſ. vid. licet Raynaldi & Opizonis, olim Marchion. Eſten. de hæreſi ſimiliter condemna. orum, ac rebelliũ Eccleſiæ ſup. dictæ, ipſorum; fautorum, valitorum, & ſequaciũ omnino . eſiſt. ret: nec non ſi. eliſati & h. magio, quæ ratione ciuitatis Feraricn. ad plenum ius & pr. prietatem Rom. Eccleſ. pertin. n. is, præſumpſit de facto ab eiſdem recipere, in noſtrum, & Eccleſiæ eiuſd. m magnum contemptum, atq; diſpendium, & præiudicium manifeſtum, renunciaret omnino, & publice; c. à ſe illa prorſus abiiceret, quaſi ſibi nunquam præſtita extitiſſent; nec ratione illorum in ciuitate prædicta, eiuſd. mq; diſtrictu, vel ciuibus, & diſtrictualibus eorundẽ ali. uid iuris præſumeret vſurpare: ſed potius prædicta omnia vſurpat. præſumpta, & attentata per ipſũ ſub denominat. . ne & intitul. tione prædictis ſeu colore, vel occaſione ipſor. m cur. . . . fra d. ctum terminũ prout ſibi foret poſſibile ſolenniter & publice reuocare, ac parere in omnibus prædictis noſtris monitionibus, & man. . tis, & ad eiuſdẽ Eccleſ. rediret gremiũ, de offenſionib. & iniuriis ſupradictis ſatisfactionem debitam im. enſurus. Et inſuper, poſtquam prædicta omnia reuocaſſet, & paruiſſet in illis eff. ctualiter, & plenarie noſtris monitionibus, inhibitioni. us, & mandatis, nos de his omnib. infra præfatũ terminũ per literas autenticas, vel inſtrumenta publica certifica. et cu. raret; & nihilominus cõpareret infra eundẽ terminum, per ſe, vel Procuratorẽ, ſeu Procuratores idoneos corã nobis ſuper dictis exceſſibus offenſionibus, & iniuriis, ac ſuper pœna priuationis iuris, ſi quod ſibi competebat, vel competierat ad Regnum ſeu Imp. ſupradicta, declaranda, ſeu inferenda, nec non & pœnis aliis, quibus exceſſibus, inobedientia & contemptus prædicti obnoxium eum reddiderant, definitiuam ſententiam, & noſtrum beneplacitum, quantum pateretur officium auditurus, & alias facturus, & recepturus quod iuſtitia ſuaderet. Quem quidẽ terminũ eidẽ electo de dictorum fratrum cõſilio, ad præmiſſa, & præmiſſorum ſingula peremptoriũ eſſe volumus, & pro peremptorio duximus aſſignandum, eidem apertius prædicentes, nos ad præmiſſa coniunctim, vel diuiſim, ſi neq; veniret, neq; mitteret proceſſuros, prout expedire videremus, eius abſentia non obſtante. Præterea vniuerſos Patriarchas, Archiepiſc. & Epiſc. cæteraſq; perſonas Eccleſ. quæ parere forſitan neglexerant noſtris monitionibus, inhibitionibus, & præceptis contentis in proceſſibus ſupradictis, eidem Duci tanquã Regi, ſeu in Regem Rom. electo parẽndo, vel obediendo, aut præſtãdo, per ſe, vel per alium ſeu alios auxilium, conſilium, vel fauorem, publice vel occulte incurriſſe pœnam ſuſpenſionis ab officio, & beneficio in eiſdem promulgatam proceſſibus; de dictorum fratrum conſilio declarãtes, eoſdem monuimus, eiſq; tã ſub excõmunicationis, quã ipſos dictis monitionibus, & inhibitionib. non parentes incurrere

voluimus



voluimus ipſo facto, quam ſub priuationis dignitatũ, perſonatuum, officiorum & beneficiorum Eccleſiaſtic. pœnis & ſententiis, ad quarum inflictionem, contra non parentes, nos infallibiliter proceſſuros prædiximus, prout nobis expediens videretur, diſtrictius duximus iniungendum, ac etiam inhibendum, ne ipſi, vel eorum aliqui præfato Duci tanquam Regi, vel in Regem Rom. electo, ſuper iis, quæ ad Regnum vel Imper. ſupradicta, aut eorum regimen & adminiſtrat. pertinent, quouis modo parerent, adhærerent, vel intenderent, ſeu præſtarent per ſe, vel alium, ſeu alios, directe vel indirecte publice vel occulte, conſilium, auxilium, vel fauorem. Quib. pœnis & ſententiis adeo ipſos ligari, & aſtringi voluimus, & decreuimus, ac ſi propriis eorum nominibus nominati fuiſſent ſpecialiter, & expreſſe. Et licet contra ciuitates, communitates, vniuerſitates & ſingulares perſonas, quæ in prædictis, & circa, forſan deliquerant, ad debitam impoſitionem pœnarum fuiſſet merito procedendum, de benignitate tamen Sedis Apoſt. illas amplius expectantes omnibus & ſingulis ciuitatibus, communitatibus, vniuerſitatibus & perſonis ſingularibus, cuiuſcunque præeminentiæ, dignitatis, ſtatus, vel conditionis exiſterent, etiamſi Regali, aut alia quacunque dignitate fulgerent, in virtute S. obedientiæ, & ſub excommunicationis in ſingulares perſonas, & interdicti in ciuitates, terras & loca ipſarum, ac communitates & vniuerſitates præfatas, quas illas ſi contrafacerent incurrere voluimus eo ipſo: necnon priuationis priuilegiorum quorumcunque Apoſtolicorum, & Imperialium, ac feudorum, quæ à Romana vel aliis Eccleſ. ſeu Imperio quomodo libet obtinerent, pœnis & ſententiis iniunximus, diſtrictius inhibendo, ne prædicto electo in præmiſſis, vel circa ea, tanquam Regi, ſeu in Regem Rom. electo, niſi ſi, & cum electionem ſuam admitti, & perſonam ſuam per eandem ſedem approbari contingeret & admitti, parerent, vel intenderent, aut adhærerent, ſeu præſtarent per ſe, vel alium ſeu alios quoquomodo auxilium, conſilium, vel fauorem: nos ad illationem pœnarum huiuſmodi, & alias contra eos, vel illos ex eis, qui contrarium attentare præſumerent proceſſuros, ſicut opportunum exiſteret, prædicentes. Non obſtantibus fidelitatis, & quibuſuis aliis iuramentis, per quæ ipſi, vel eorum aliqui dicto electo ſe quolibet aſtrinxiſſent; ad quorum obſeruantiam, veluti præſtitorum ei, cui minime præſtari debuerant iuramentum huiuſmodi nullatenus arctabantur; quæ nos etiam ad cautelam in præfatis noſtris proceſſib. auctoritate Apoſtol. duximus relaxanda: ſeu quibuſuis aliis priuilegiis, & indulgentiis Apoſt. ſub quacunque forma verborum eidem electo, vel quibuſuis aliis conceſſis, quæ ſibi vel eorum alicui contra proceſſus noſtros præfatos, ſeu eorum aliquem noluimus in aliquo ſuffragari. Confœderationes quoque pactiones, & ſocietates, ſi quæ inter ipſum electum, & quaſcunque ciuitates, communitates & vniuerſitates, & ſingulares perſonas cuiuſcunque ſint præeminentiæ, dignitatis conditionis vel ſtatus, etiam ſi Patriarchali, aut alia ſuperiori, vel Regali, ſeu quauis alia dignitate fulgerent ſuper prædictis, vel ea tangentibus factæ, ſeu initæ fuerant, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum, etiamſi pœnarum adiectione, iuramentorum præſtatione, vel quacunque fuerint alia firmitate vallatæ, vtpote in diuinæ maieſtatis offenſam, ac contra iura, & honorem S. Matris Eccleſiæ, ac in damnum & præiudicium Reipub. & periculum animarum præſumptas, decreuimus nullas, caſſas, irritas, & inanes, ac nullius exiſtere firmitatis, eaſque quatenus de facto proceſſerant reuocauimus, caſſauimus, & irritauimus, diſſoluimus, & omnino viribus duximus euacuandas. Iuramenta inſuper ſuper hoc præſtita relaxauimus, de Apoſt. plenitudine poteſtatis: omnes etiam illos & ſingulos, qui confœderationes, pactiones, & ſocietates huiuſmodi dicto electo contra proceſſus huiuſmodi poſt dictum terminum præſumerẽt obſeruare, præfatas pœnas & ſententias, incurrere voluimus ipſo facto; contra eos grauius ſpiritualiter & temporaliter proceſſuri, prout iuſtitia exigente nobis expediens videretur. Cæterum prædictas ſuſpenſionis, & excommunicat. ac interdicti ſententias, ſic voluimus inuiolabiliter obſeruari, quod abſoluendi ab eis, vel relaxandi eaſdem, niſi tantum in mortis articulo, tam omnib. pœnitentiariis noſtris, quam quibuſcunque aliis confeſſoribus generalibus, vel ſpecialibus, ſeu familiarib. quarumcunque, vel quantumcunque ſublimium perſonarum vbilibet conſiſtentium etiamſi eis à nobis vel aliquo prædeceſſorum noſtrorum, ſub quacunq; verborum forma abſoluendi à ſententiis hominis, vel canonis, ſeu eas relaxandi generalis, vel ſpecialis facultas conceſſa fuiſſet, vel concederetur in poſterum, ademimus poteſtatem, abſolutionem & relaxationem huiuſmodi ſolo Rom. Pont. reſeruantes. Quod ſi forſan eos, vel eorum aliquem, in prædicto mortis articulo abſolui contingeret, niſi, ſanitate recepta, Sedi Apoſt. quam primum poſſent commode, ſe repræſentare curarent, ſatisfacturi de præmiſſis iuxta mandatum Rom. Pont. in prædictam excommunicationis ſententiam reinciderent ipſo facto, & vt præfati proceſſus noſtri ad eiusdem electi, & aliorum quorum intererat, communem notitiam deuenirent, chartas, ſiue membranas proceſſus continentes eoſdem diuerſis temporibus quibus facti fuerant in Auinionen. Eccleſ. oſtiis appendi fecimus, ſeu affigi, quæ ipſos proceſſus ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicarent; vt prædictus electus & alii, quos proceſſus ipſi tangebant, nullam poſſent excuſationem prætendere, quod ad eos minime perueniſſent, vel quod ignoraſſent eoſdem; cum non eſſet veriſimile quoad ipſos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter eſſet omnib. publicatum. Eoſdem quoq; faciẽdo proceſſus, auctoritate Apoſt. decreuimus, quod proceſſus ipſi præfatũ electum, & alios ſupradictos apprehenderent, & arctarent, ac ſi eiſdem perſonaliter publicati, & inſinuati ſolenniter extitiſſent: conſtitutione quacunque Apoſt. in contrarium edita non obſtante: cum ad eiusdem electi præſentiam pro ipſis proceſſibus publicandis & inſinuandis eidem, ſecurus non pateret acceſſus, nec poſſent commode ſingularum quos tangebant auribus inculcari.

Verum quia inſuper præfatum trium menſium ſpatium eidem Lud. ad deponendum titulum Regium, & ab adminiſtratione Regni, & fautoria hæreticorum, & rebellium prædictorum penitus abſtinendum, nec non realiter, & cum effectu quæcunque de facto, cum non potuiſſet de iure, tanquam Rex Rom. geſſerat, quantum ſibi foret poſſibile reuocandum, nobiſque & Eccleſ. ſatisfaciendum de iniuriis, & offenſis, & grauaminibus per præmiſſa nobis, & eidem Eccleſiæ temere irrogatis, ac de præmiſſis per autenticas literas, vel inſtrumentum publicum nos certiores reddendum, & hoc ſub pœna priuationis omnis iuris, ſi quod ei ex ſua electione prædicta ad dicta Regnum & Imp. competebat, ſeu competierat, quam niſi præmiſſis pareret efficaciter, eum ipſo facto incurrere voluimus, prout ſuperius plenius continetur, necnon & ſuper dictis exceſſibus, & iniuriis, ac ſub pœna priuationis prædictæ declarandum, ſeu inferendum, & pœnis aliis, quib. exceſſus, inobedientia, & contemptus prædicti obnoxium eum reddiderant; definitiuam ſententiam, & noſtrum beneplacitum, audiendum, quantum noſtrum pateretur officium, per nos peremptorie aſſignatum. Idem Ludouic. nec per ſe cõparuerit, nec alius pro eodem, nec quod prædicta impleuerit, inſuper prædictum terminum, cum nec ea curauerit adimplere, ſed illis potius peiora ſtuduerit cumulare, nec nos per autenticas literas, vel inſtrumenta publica reddiderit certiores; licet tunc merito potuiſſemus contra ipſum procedere, eius proterua contumacia exigente, de benignitate tamen Sedis Apoſt. de Fr. prædictorum conſilio, ipſum vſque ad diem præſentem, hora Conſiſtorii duximus expectandum. Cum itaque nec interim comparuerit, nec adhuc ipſe compareat, nec aliquis alius pro eodem, de Fr. eorundem conſilio, præfatum electum reputamus, & declaramus merito contumacem, eiusque contumaciam tam in non comparendo, quam in non acquieſcendo noſtris ſuperius expreſſis ſalutaribus monitis, & mandatis auctam cõſiderantes attente, ne deinceps plures trahat in ſui erroris deuium, ad quod ſua tota ferri videtur intentio, & ne de tanta contumacia glorietur, ſi iuſtitia vlterius differatur omnino, nos tam temerariis auſibus, tam periculoſis exceſſibus, tamq; obſtinatæ malitiæ electi præfati ocyus cupientes occurrere, ne ſero medicina, ipſis procedentibus vlterius præparetur; attendentesq;, quod ad exceſſus huiuſmodi perpetrandos, gloria tituli Regii, quem ſibi temere vſurpauit, intentius ſibi tribuit, ac in ipſis perſeuerandi fomentum periculoſe nimium ſubminiſtrat, hanc ad Dei honorem, & S. Rom. Eccleſ. ac totius Catholicæ populi quietem & pacem, eiusdemq; electi ſalutem, prout & iuſtitia exigit, amputare volẽtes, de fratrum ipſorum conſilio memoratum electum, qui propter exceſſus notorios, contemptus quoque ac ſuper additas obſtinatas contumacias, ſupradictos, tam in non cõparendo ſibi præfixis terminis, quam in nõ parendo noſtris ſalutaribus præceptis & monitis ſupradictis, prædictis Regno & Imperio reddidit multipliciter ſe indignum, quique propter ſuam proteruam ambitionem, & ſuperbam proteruiam à Deo ne regnet vel imperet eſt abiectus, ipſum Ludou. Ducem Bauariæ omni iure, ſi quod ſibi ex electione ſua prædicta competere, ſeu competiiſſe poterat, ac dominio priuatum denunciamus & oſtendimus, noſq; ipſum iure præfato ſententiando priuatum declaramus & priuamus: nihilominus ad cautelam, de benignitate Sedis Apoſtol. & eorundem fratrum conſilio ſuperſedentes ad præſens à pœnis aliis, quibus exceſſus prædicti ipſum reddiderunt obnoxium, cum ad il-

tus inſligendas, vel declarandas inflictas poſſemus procedere, iuxta tenorem noſtrorum prædictorum proceſſuum iuſtitia mediante; reſeruantes nobis procedendi ad pœnas ipſas inſligendas, ſeu inflictas declarandas coniunctim, vel diuiſim, prout negotij qualitas exiget, eiusdem Ludouici obedientia vel inobedientia ſuadebit, & expedire viderimus, plenariam poteſtatem.

Et quia, ſi deinceps præfatus Ludouicus ſe Regem Romanorum, ſeu electum intitulare præſumeret, ſeu adminiſtrationi Regni, vel Imperij ingerere attentaret, eius exceſſus & contumacia grauiores exiſterent, quam ante noſtram præfatam ſententiam extitiſſent; idcirco præſente hac fidelium multitudine copioſa, Ludou. præfatum per hoc noſtrum edictum publicum monemus, eidem nihilominus auctoritate præfata Apoſt. diſtrictius iniungentes ſub pœnis excommunicationis, & priuationis feudorum, quæ ab Eccleſ. Rom. vel aliis, ſeu Imperio obtinet, nec non & priuilegiorum quorumcunq; à Sede Apoſt. vel Romano Imperio eidem vel ſuis prædeceſſoribus, quatenus eius commodum tangerent quomodolibet conceſſorum, ne deinceps ſe Regem Romanorum, vel electum intitulet, nec adminiſtrationi Regni ſeu Imperij ſe immiſceat, ſeu ingerat quoquo modo. A fautoria quoq; prædicta deſiſtat realiter, nec illam vlterius reaſſumat; ac quæ geſſit, vel fecit ſub colore prædicti tituli Regij temere vſurpati reuocet, quantum erit ſibi poſſibile, cum de iure non tenuerint, velut attentata ab illo cui ius non competit faciendi, quæ & nos in noſtris proceſſibus aliis reuocauimus, quatenus de facto proceſſerant, ipſa caſſa, nulla, & irrita nunciantes; eaq; præſentialiter caſſamus, annullamus, & irritamus, ac caſſa nulla & irrita declaramus: quas pœnas, & earum quamlibet incurrere volumus ipſo facto, ſi præmiſſa contempſerit contumaciter adimplere. Ipſumq; nihilominus citamus per hoc edictum publicum, vt Kalend. Octobris venturi proxime, vel ſequenti die non feriata, ſi dies Kalend. ipſarum feriata fuerit, quam ſibi peremptorie de eorundem fratrum conſilio aſſignamus, per ſe, vel per Procuratorem idoneum compareat coram nobis ſuper pœnis aliis, quibus exceſſus prædicti ipſum reddunt obnoxium, ſententiam auditurus, & alias facturus, quod iuſtitia ſuadebit. Prædicentes eidem, quod ſiue venerit, ſiue miſerit, ſiue non venerit, neq; miſerit, nos ad ſententiam prædictam, coniunctim vel diuiſim, prout expedire viderimus, abſq; citatione alia procedemus.

Vniuerſis præterea Chriſti fidelibus, cuiuscunque conditionis, præeminentiæ, ſiue ſtatus exiſtant, etiamſi dignitate Patriarchali, Pontificali aut alia ſuperiori, vel inferiori, ſeu etiam regali forſitan decorentur; necnon & aliis perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus vel regalibus cuiuscunque religionis, aut Ordinis, Ducibus quoque, Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, vniuerſitatibus ciuitatum, caſtrorum, cæterorumq; locorum, & ſpecialiter vniuerſis incolis & habitatoribus eorundem Regni & Imperij Romanorum inhibemus, & mandamus expreſſe, ne eidem Ludou. ſuper iis, quæ ad adminiſtrationem Regni vel Imperij præfatorum pertinent quoquomodo aſſiſtant, pareant, ſeu intendant, aut præſtent eidem conſilium, auxilium, vel fauorem, per ſe, vel per alium, publice vel occulte, quacunq; occaſione quæſita, etiam prætextu alicuius homagij, vel cuiuscunq; colligationis, confœderationis, ſocietatis, ſeu cuiusuis conuentionis, aut ligæ contractæ antea, vel in poſterum contrahendæ; etiamſi colligationes, confœderationes, ſocietates, & conuentiones huiusmodi, & alia ſupradicta pœnarum adiectione literarum, vel iuramenti, ſeu cuiuslibet alterius eſſent vinculo firmitatis innexa. Nos enim colligationes, confœderationes, ſocietates, conuentiones, cæteraq; huiusmodi præmiſſa quoad hoc, de plenitudine diſſoluimus poteſtatis: iuramenta ſuper illis præſtita, pœnasq; propterea promiſſas penitus relaxantes, & vniuerſos, ac ſingulos, qui eas contraxerant, ſed ad obſeruantiam eorundem quantumcunq; ſolenniter aſtringendo, ab ipſarum in præmiſſis obſeruatione penitus abſoluentes, ſpecialiter autem incolis, & habitatoribus eorundem Regni & Imperii prohibemus expreſſe, ne dicto Ludouico, vel alij pro eo de redditibus, vel obuentionibus, ſiue iuribus regalibus, vel Imperialibus, ſeu ratione Regni, ſeu Imperij prædictorum, aut dominij cuiuſuis per eum vſurpati in illis reſpondeant, vel aliam impendere ſub quocunque velamine ſatisfactionem attentent. Alioquin omnes ſingulares perſonas cuiuſcunque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, Eccleſiaſtici vel mundani, excommunicationis, terras vero & loca ipſorum, nec non ciuitates, caſtra, villas, & loca quæcunque alia vbilibet conſtituta, ac vniuerſitates ipſorum, quæ prædictas inhibitiones, vel earum aliquam præterire propria temeritate præſumerent, interdicti ſententiis, quas ex nunc proferimus, decernimus ſubiacere. Non obſtantib. quibuſuis priuilegiis, & indulgentiis Apoſtolicis, præfato Ludouico, ſeu quibuſuis perſonis religioſis & ſæcularibus, ac aliis tam Eccleſiaſticis quam mundanis, cuiuſcunque præeminentiæ, ſtatus, dignitatis, vel conditionis exiſtant, etiamſi Patriarchali, vel maiori, ſeu regali, aut alia quacunque præfulgeant dignitate: aut vniuerſitatibus, cõmunitatibus, & locis aliis, communiter vel diuiſim, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum ab eadem ſede conceſſis, vel in poſterum concedendis, etiamſi de illis, totoque tenore ipſorum de verbo ad verbum ſpecialiter & expreſſe oporteret fieri mentionem, quæ ſibi, vel eorum alicui contra præſentem proceſſum, vel aliqua contenta in ipſo in nullo volumus ſuffragari. Quæ quidem priuilegia, & indulgentias omnino quoad hoc volumus & decernimus viribus vacuari. Apertius nihilominus prædicentes, quod aduerſus huiuſmodi præſumptores, & ſpecialiter contra prælatos, religioſos, & alias perſonas Eccleſiaſticas, nec non Marchiones, Duces, Comites, Barones, Incolas, habitatores, ciuitates, caſtra, villas, loca & vniuerſitates ipſorum, ad inſligendum pœnas contra tales in præfatis noſtris proceſſibus contentas, & comminatas, ſeu declarandum inflictas, videlicet excommunicationis, priuationis dignitatum, perſonatuum, officiorum & beneficiorum Eccleſiaſticorum, perſonarum ipſarum, ac priuilegiorum quorumcunque Apoſtolicorum & Imperialium eorundem perſonarum ſæcularium, & etiam ciuitatum, caſtrorum, villarum, & locorum, vniuerſitatumque ipſarum, ac feudorum, quæ à Romana, vel quibuſuis aliis Eccleſiis, ſeu Imperio prædictis obtinent, & alias ſpiritualiter, & temporaliter, quando, & ſicut facti qualitas ſuadebit, aut expediens putabimus, diuina gratia præeunte.

Porro cum noſtri Saluatoris exemplo conuerſionem peccantium, quorum non perditionem ſed ſalutem quærimus, affectemus, vniuerſas perſonas & ſingulas, Eccleſiaſt. & mundanas, cuiuſcunque ſint præeminentiæ, ordinis, dignitatis conditionis aut ſtatus, nec non ciuitatum, caſtrorum, villarum & locorum quorumcunque vniuerſitates & communitates, quæ forſan præfato Ludouico tanquam Regi, ſeu in Regem Rom. electo adhærendo, obediendo, & intendendo, ſeu conſilium, auxilium, vel fauorem præſtando, directe, vel indirecte, publice vel occulte, in iis, quæ ad regimen, ſeu adminiſtrationem pertinent Regni ſeu Imperii prædictorum, aut alias quicquam contra tenorem dictorum proceſſuum temere attentando, pœnas & ſententias, contentas in eiſdem proceſſibus propterea incurriſſent, per hoc edictum publicum monemus, & hortamur in Domino, vt infra dictas Kal. Octobr. à prædictis adhæſione, obedientia, conſilio, auxilio, & fauore reſilientes, & reſipiſcentes omnino, non parituri, vel adhæſuri eidem vlterius quomodo libet in præmiſſis, ad gremium & mandata S. Matris Eccleſiæ, cum effectu, & ſine cuiuſquam fictionis velamine redire procurent. Quo caſu, per opportunæ abſolutionis remedium, illorum cupientes benigne prouidere ſaluti, Metropolitanis eorum abſoluendi eoſdem à memoratis pœnis, & ſententiis, recepta primitus ab ipſis reſipiſcentib. cautione iuratoria de vlterius non parendo contra dictos proceſſus, & ſententiam huiuſmodi præfato Ludouico, nec præſtando ſuper dictis auxilium, conſilium, vel fauorem, plenam concedimus tenore præſentium poteſtatem. Volumus tamen, quod ſuper abſolutionibus, & cautionum receptionibus prædictarum, Metropolitani, præfati duo confici faciant publica vel authentica monumenta, quorum altero penes ſe retento, reliquum nobis fideliter mittere, noſque de illis per ſuas patentes literas certiores efficere non omittant. Si vero aliquem vel aliquos taliter abſolutos, forſan, quod abſit, contingeret in errores priſtinos, vel, aliquem eorundem relabi contra proceſſus, & ſententias memoratas, & contenta in eis, temerarijs auſibus veniendo, illos in eaſdem pœnas & ſententias reincidere decernimus ipſo facto: à quibus, præterquam vt præmittitur, per alium quam per Roman. Pontif. niſi duntaxat in mortis articulo liberari nequeant, vel abſolui. Adimentes, tam prædictis Metropolitanis, quam quibuſuis aliis iuxta prohibitionem præcedentium noſtrorum proceſſuum, omnimodam ſuper hoc poteſtatem. Licet autem ex præſumptuoſis, & indebitis vſurpationibus, iniuriisque inobedientiis, culpis, & exceſſibus prædicti Ludouici quadam neceſſitate compulſi fuerimus procedere totaliter contra eum; nequaquam tamen noſtræ intentionis extitit, nec exiſtit, iuri Principum Eccleſiaſticorum & ſæcularium, ad quos electio Rom. Regis in futurum Imperatorem promouendi ſpectare noſcitur, per proceſſus noſtros ſeu aliqua contenta in eis in aliquo derogare: imo illud omnino illibatum eis volumus reſeruare.





Vt autem proceſſus noſter huiuſmodi, & omnia, & ſingula in eo contenta, ad præfati Ludouici, & omnium aliorum quorum intereſt communem notitiam deducantur, chartas ſiue membranas, proceſſum continentes eundem in Eccleſiæ Auinionen. appendi vel aſſigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum ſue quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, vt idem Ludouicus, & alij quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos non peruenerit, vel quod ignorarint eumdem, cum non ſit veriſimile, quoad ipſos remanere incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Volumus autem & Apoſtolica authoritate decernimus, quod huiuſmodi proceſſus præfatum Ludouicum, & alios quos tangere dignoſcitur apprehendat, & arctet, ac ſi eiſdem perſonaliter & ſingulariter publicatus, & intimatus ſolenniter extitiſſet: conſtitutione quacunque per prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices in contrarium edita non obſtante. Dat. Auinione 5. Idus Iulij, Pontificatus noſtri anno 8.

V. AVXILIA PRINCIPVM ADVERSVS LVDOV. BAVARVM EIVSQVE COMPLICES IMPLORAT IOAN. PP.

Hæc Ioannes Pontifex, contra Ludouicum Bauarum contumacem decreuerat, & Auinione promulgata, inprimis Cardinali Bertrando in Lombardia Legato, deinde Senatori populoque Romano, & poſtmodum Archiepiſcopis, Rauennati, Mediolanenſ. Moguntino, Colonienſi, Treueren. Saltzburgen. Madeburgenſ. & Epiſcopis Monaſterien. Bambergen. Ratisbonen. Herbipolen. Conſtantien. Baſileen. Leodien. Argentinen. Tarantaſien. Byzuntino, aliiſque in Germania & vbique terrarum tum Metropolitanis, tum Epiſcopis, tum prælatis & religioſis quibuſcunque ad publicandum miſit. Et quidem in Germania, Moguntinus, Colonienſis, Magdeburgenſis, Saltzburgen. Epiſcopi & Conſtant. Monaſterienſ. Ratiſbonenſ. Argentinenſ. & Herbipolenſ. Antiſtites, nihil ſæuitiam Ludouici metuentes, eas diras ex præſcripto vulgauerant: eoque nomine furorem Bauari contra ſe concinuerant, adeo vt neceſſe habuerit Ioannes, potentioribus Antiſtitibus præcipere, vt alios ope & opera aduerſus tyrannum adiuuarent. Argẽtinenſem præ cæteris Ludouicus inſectabatur. Quamobrem Magdeburgenſi Ioannes præſcripſit, ne illum potentia tyranni obrui permitteret. Treuerenſis primas, Petrum Bonuchium execrationes Pontificias ferentem in vincula coniecerat, neque Pontificiæ auctoritati quicquam deferre voluerat. Bambergenſis quoq; Epiſcopus præcepta Pontificis contempſerat. Iſtum refractarium Ioannes gradu mouit, inque ſedem eius alium ſubrogauit: ad Treuerenſem vero Abbates S. Maximini & S. Martæ ire iuſſit, qui ad obedientiam reuocarent, & ad denunciandos proceſſus inuitarent: vel ſi in contumacia perſeueraret, illum quidem anathematis ſpiculo percellerent, ipſi vero decreta Pontificia diuulgarent. Treuerenſis Antiſtes, quemadmodum & Rex Boemus exiſtimabat ſibi & reliquis electoribus Principibus, à decretis Pontificiis iniuriam aliquam irrogari: quaſi Ioannes Pontifex iuri electoratus quicquam in poſterum detrahere cogitaret, & in ſe omnimodam cõſtituendi ſeu deſignandi Imperatoris poteſtatem transferret. Itaque Pontifex, tum in edictis publicis, tum in literis Boemo & Coelectoribus datis hunc ſcrupulum ex animis Principum voluit eximere; profeſſus ſe nihil eorum quæ metuebant in mentem induxiſſe. Danus Rex Lud. pertinacius adhærebat: Romæ quoque nonnulli Bauarianorum turbas excitabant. Ad illum in officio erga Sedem Apoſtolic. continendum Ioann. Epiſcopum Electenſem deſtinauit: Senatori autem & Conſulibus ac populo, atque inprimis Ioan. Cardinali S. Theodori Legato, vrbano ſcripſit, ne ſeditioſos impune miſcere ſineret, atque turbatoribus ſummouendis vel conciliandis omnem operam impenderet, *ex Regiſt. Ioan. Pont. 22. huius anni.*

VI. LVDOV. SÆVISSIMA IRA ET CALVMNIÆ IN IOAN. PP.

Percuſſus ea ſententia Ludouicus, non potuit ſibi à maledicentiæ æſtro temperare. Quacunque enim furiis inuectus præceps ferebatur. Probra contumelias, conuicia omniſque generis atrociſſima maledicta, in Ioannem Pontificem congerebat. Vtque procacitatis & intemperantiæ ſuæ perpetuum proſtaret monimentum, hoc anno, ex F. Michael. Cæſenatis, F. Guillelmi Occhami, Ioannis Ianduni, & Marſilij Patauini ſenſu, virulento calamo conceptam epiſtolam vulgauit. In qua poſtquam apertis verbis, ſe Tutelarem hæreticorum fore ſatis luculenter demonſtraſſet, Pontificemque quaſi is inſontes, pios, innocentes, iuſtos atque fideles Catholicos in tota Lombardia, & in diuerſis Italiæ partibus tanquam Patarenos & hæreticos damnauerit, excæcati indicij, erroris clauium, &, quod horror eſt, Phariſaicæ ſuperbiæ, per contumeliam accuſaſſet; inuerſoremq; canonum, ingratum Imperio, miſcentem omnia diſcordijs, exterminatorem Imperij: & totius antiquitatis contemptorem tam petulanter, quam falſo ſcripſiſſet; tandem ſe quoque, contra æqui & iuſti præſcriptionem damnatum eſſe, conatus eſt oſtendere, vel potius mentiri, quaſi Ioan. Pontifex poteſtate iudiciaria abuſus 1. Super notorie falſis proceſſiſſet. 2. Diem ei ad dicendam cauſam non dixiſſet. 3. Neque in loco, neque in tempore opportuno, controuerſiæ examen inſtituiſſet. 4. Poteſtate vſurpata iudicium ſibi in Imperatorem arrogaſſet. 5. Abſentem, inauditumq;, ſine defenſionibus condemnaſſet. 6. Ipſe præuaricator legis exiſtens propria vſurparet Imperij officia, dignitates, & beneficia iuris Imperatorum, ipſe in deſtructionem Imperij, etiam indignis concederet; Imperium hactenus vacare, falſo affirmaret: in diſcordia ſe eſſe electum temere aſſereret; approbatas conſuetudines & iura electorum Imper. peruerteret; contra Marchionem Brandenburgenſem filium iniuſta anathemata diſtringeret: in Vicecom. Marchionem Montisferrati & Saluciarum Hugonem Petramalam Epiſc. Aretinum, Canem Scallanum, Baſſarinum Bonacoſſam, Caſtrucium Interminellum, Marchionem Ceuam, & alios vicarios Imperij in Italia; nec non in Mediol. Comen. Bergomen. Cremonen. Vercellen. Nouarien. Papien. Lauden. Lucen. Mantuan. Veronen. Vicentin. Placentin. Parmen. Brixien. Alexandr. Tredonen. Aretin. Piſan. aliarumq; ciuitatum, caſtrorum, villarum & locorum quamplures fideles ipſi, quaſi hæreticos cenſuras Eccleſiaſt. temere pronunciari toleraret, adeoque facta Legati approbaret Barones & Prælatos Regni Alemaniæ Imp. vaſallos, & plures Principes & ſubditos eiuſdem Imperij in Italia, per literas & Nuncios contra ſe excitaret, perque edicta publica interdiceret, ne ſibi tanquam Regi Rom. electo obedirent, vel intenderent, aut ei auxilium, conſilium, fauoremq; præſtarent: ius, Palatino Rheni, vacante Imperio, in adminiſtrando illo, ex conſuetudine, in Alemania competens, in Pont. Rom. quoad feuda Eccleſiaſtica & temporalia conferenda, præiudicato animo pertraheret: doctrinam canonico iure, de paupertate Chriſti & Apoſtolorum approbatam, contra ſanctiones canonicas conuelleret, edictiſque recentibus antiqua ſtatuta ſubuerteret: Legati Bertrandi, ad quem ipſe pro pace inter Guelfos & Gibellinos concilianda, nobiles viros de Grazbach, & de Treuelingen, & de Suffenio Comites internuncios, à latere ſuo deſtinauerat, in reiiciendis illis temeritatem, non caſtigaret, multaque alia committeret, propter quæ non ſe vicarium Chriſti probaret.

VII. APPELLAT AD FVTVRVM CONCILIVM CONTRA IOH. LVD.

Multa alia infanda, Ludouic. impius, in innocentem Pontificem iactabat; hæc ſub finem adiiciens, tam impudenter, quam per mendacium, quod eſſet Sacramẽtorum prophanator & contemptor, ſacrorum canonũ malignus & temerarius violator, atque ſubuerſor: generalis ſtatus Eccleſiæ ſubdolus, præſumptuoſus & temerarius immutator, terræ S. deſertor, & pecuniarum pro eius negotio diſſipator: incorrigibilis, & ex conſequenti hæreticus notorius. Hæc ex conſenſu FF. quorũdam Minorũ impie conſcripta, cum in vulgus ſparſiſſet etiam aliam ſcripturam ſed non tam prolixam, eodem initio *nos Lud. Dei gratia, &c.* vulgauit, adq; futurum Concil. contra Ioh. Pont. prouocauit: proteſtationemque de nullitate proceſſus iudiciarij, & ſententiæ contra ſe

prolatæ interpoſuit; hiſq; verbis poſtulationem in fine concepit: *Ad prædictum generale Concilium, quod inſtanter cum inſtantia repetita, loco tuto, nobis & noſtris conuocari petimus & congregari, & ad verum & legitimum futurum Summum Pontificem, & ad S. Matrem Eccleſiam, & Apoſt. Sedem, & ad alium, vel alios, ad quem vel ad quos fuerit appellandum prouocamus, appellamus in ſcriptis, & appellationes à nobis factas alibi, innouamus; & Apoſtolos teſtimoniales, à vobis Principibus noſtris Eccleſiaſticis & mundanis, & notariis publicis hic præſentibus cum inſtantia poſtulamus; & proteſtamur expreſſe de innouando prouocationes, & appellationes, & proteſtationes prædictas, vbi, & quomodo & ſicut, & coram quibus viſum fuerit expedire, & de iure tenebimur, & tenemur, pro tutela & ſecuritate ſacri imperij, & noſtra, & ſingulorum omnium prædictorum.* Acta & publicata fuit hæc appellatio anno Dn. M.CCC.XXIV. menſe Octob *extat in MS. Bibl. Vatic. nu* 4008.

VIII. IOAN. PP. NOVA SANCTIONE CONSTITVTIONES DE PAVPERTATE CHRISTI CONFIRMAT CONTRA BEGVARDOS HÆRETICOS.

Appellatione friuola ad eum modum à Ludouic. Bauaro interpoſita, Ioannes Pontifex, quod ſe falſò de crimine hæreſis ſuggillari aduerteret; in reliquis quidem eas literas, appellationemq; tanquam nullius momenti, magno animo contempſit, atq; reiecit; quod v. conſtitutiones in materia de paupertate Chriſti, erroris & hæreſem nota inique aſpergi videret, non ſibi tolerandum duxit, ſed tam illam quæ incipit, *ad cōditorem*; quam alteram, quæ habet, *cum inter nonnullos viros*, iuſtificare voluit; ſimulq; hæreticos & Romanæ Eccleſiæ rebelles ab omnibus euitandos decreuit, qui deinceps ſcienter, verbo, vel ſcripto aliquid defendere, vel approbare cōtra illas ſanctiones, præſumpſerint.

Ita habet hæc Sanctio, iſto anno promulgata.

*Quia quorundam mentes, ſic pater mendacij dicitur excæcaſſe, quod noſtris conſtitutionibus, quarum vna incipit.* Ad conditorem canonum, *alia vero*, cum inter nonnullos, *vtique tam cum fratribus noſtris S. Romanæ Eccleſ. Cardinalibus, quam cum multis, Archiepiſc. & Epiſcopis, aliiſq; Eccleſiarum Prælatis: necnon & compluribus ſacræ Theologiæ Magiſtris, ac vtriuſq; iuris profeſſoribus deliberatione præhabita diligenti digeſtis, ac de præmiſſorum fratrum noſtrorum conſilio promulgatis, non abſque multa temeritate plectibili niſi ſunt detrahere, & nituntur, veritatem quam continent per falſas inſanias obfuſcare: Nos tam perniciosis auſibus, ne eorum doctrina peſtifera ſimplicium animos labefacere, ac in ſui erroris deuium deducere valeat, de eorundem fratrum conſilio decernimus ſuper hoc ſalubriter (vt ſequitur) prouidere. Ad impugnandas aūt conſtitutiones prædictas ſubſcripta ratione tam verbo quam ſcripto, vſi ſunt publice ſicut fertur. Illud, inquiunt, quod per clauem ſcientiæ in fide ac moribus ſemel definierunt Rom. Pont. adeo immutabile perſeuerat, quod illud ſucceſſori reuocare non licet in dubium, nec contrarium affirmare: licet de iis quæ per clauem poteſtatis ordinauerint, aſſerant ſecus eſſe. In confirmatione autem regulæ ordinis Fr. Minorum, Honorij tertij, Gregorij noni, Innocentij quarti, Alexand. quarti, Nicolai quarti, prædeceſſorum noſtrorum Summorum Pontific. hæc verba aſſerunt contineri. Hæc eſt regula Euangelica, Chriſti & Apoſtolorum imitatrix, quæ nihil in hoc mundo habet proprium vel commune, ſed in rebus quibus vtuntur, habent ſimplicem vſum facti. His addere præſumentes præfatos Summos Pont. & multa Concilia generalia, per clauem ſcientiæ definiuiſſe, paupertatem Chriſti & Apoſtolorum conſtitiſſe perfecte in expropriatione cuiuslibet temporalis dominij ciuilis & mundani, & ſuſtentationem eorum in ſolo & nudo vſu facti etiam conſtitiſſe, ex quib. nituntur concludere, non licuiſſe, nec licere ipſorum ſucceſſoribus contra præmiſſa aliquid immutare. Ideoque cum conſtitutio noſtra in ratione prædicta, contra definitiones prædictorum prædeceſſorum noſtrorum (ſicut aſſerunt) diſſinierit Chriſtum & Apoſtolos in iis quæ habuerunt, habuiſſe non tantum ſimplicem vſum facti, ſed ius faciendi de ipſis: eoſq; ipſos feciſſe ſcriptura ſacra teſtatur; pertinacem aſſertionem dicentium ipſos ius huiuſmodi minime habuiſſe, cum actus illorum fuiſſe concludant non iuſtos, quod de Chriſto nefas eſt dicere, hæreticam declarando; concludere ſatagunt, licet falſo, nobis non licuiſſe declarare, vel ſtatuere ſupradicta. Item, quia conſtitutio, ad conditorem canonum, contra diſſinitiones prædictas Fr. Minores aſſerit non poſſe habere in re aliqua ſimplicem vſum facti: nituntur ſimiliter concludere contra ipſam.*

*Quod autē, quod in ratione prædicta præmittitur; videlic. quod illa, quæ per clauem ſcientiæ in fide ac moribus à Summis Pont. ſemel ſunt deſinita, eorum ſucceſſoribus reuocare non licet in dubium, nec contrarium affirmare, licet ſecus ſit (ſicut dicunt) in iis quæ per clauem poteſtatis per Summos Pontif. ordinantur, prorſus ſit contrarium veritati, patet ex ſequentibus euidenter.*

*Primo quidem ſecundum illos, qui tenent clauem ſpiritualem nequaquam eſſe ſcientiam, ſed ligandi atque ſoluendi poteſtatem: patet aſſertores prædictos, ponendo eſſe ſcientiam, errauiſſe. Pro quibus facit clauis definitio, quæ à Doctoribus datur: Clauis eſt ſpecialis poteſtas ligandi atque ſoluendi, qua Iudex Eccleſiaſt. dignos recipere, & indignos excludere debet à Regno. Item quia claues de quibus agimus, in collatione Sacerdotalis ordinis conferuntur: conſtat autem quod ordinato in Sacerdotem, ſcientia communiter non confertur: quare ſecundum illos videtur, quod ſcientia non eſt clauis, ſed potentia tantum ligandi atque ſoluendi debeat dici clauis. Adhuc ſecundum illos, qui ponunt vnam clauem ſpiritualem eſſe ſcientiam, & ſecundum illos qui auctoritatem diſcernendi inter lepram & lepram eſſe aſſerunt clauem, & aliam poteſtatem ligandi atque ſoluendi, noſcuntur euidenter erraſſe. Supponunt enim per claues huiuſmodi, circa ea quæ fidei ſunt, & alia, poſſe per conſtitutionem aliquam definiri. Claues autem quæ in Sacerdotali conferuntur ordine, ad talia minime ſe extendunt. Alias ſequeretur, quod circa præmiſſa poſſent conſtitutionem Sacerdotes ſimplices facere: quod falſum eſt euidenter.*

*Si autem intendant claues iſtas extendere ad generalem poteſtatem attributam B. Petro ſuiſque ſucceſſoribus in perſonam eiuſdem, in commiſſione officij Paſtoralis, per quam vtique videtur euidenter ipſis omnia conceſſiſſe, ſine quibus paſtoris vniuerſalis conuenienter cura nequit ſeu officium expediri, adhuc claret ipſos etiam erraſſe. Dicunt enim alium effectum habere illa quæ per clauem ſcientiæ, & alium illa quæ per clauem potentiæ ſtatuuntur; ſupponentes alia per clauem ſcientiæ, & alia per clauem potentiæ ſtatui, ſeu etiam definire: quod euidenter eſt falſum. Per clauem enim ſcientiæ, ſiue per auctoritatem diſcernendi, ſeu cognoſcendi inter lepram & lepram (ſi ipſam dixerimus eſſe clauem) nil aliud per ipſam illi cui datur tribuitur, niſi auctoritas cognoſcendi. Ei autem cui datur auctoritas de re aliqua cognoſcendi, de illa definiendi non intelligitur eſſe data. Quare reſtat, quod ad conuenienter ſtatuendum, ſeu aliquod definiendum, vtraque clauis, ſc. cognoſcendi & definiendi neceſſario requiratur vel quod ſoli claui potentiæ ſtatuere competat, & etiam definire. Sed ſicut lumen materiale clauigerum in vſum clauis materialis dirigit, & quaſi quantum ad hoc obtineat ſcientia vicem lucis. Et hoc ſaluator noſter in promiſſione clauium facta B. Petro ſenſiſſe videtur expreſſe, cum poſt illam immediate ſubiunxerit, & quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, nulla de ſcientia habita mentione. Quod autem ſubſequenter proponitur in ratione prædicta, videlicet, quod in confirmatione & declaratione regulæ Fr. Minorum, nonnullorum prædeceſſorum noſtrorum, videlicet Honorij tertij, Greg. noni, Innoc. IV. Alex. IV. Nicol. quarti, verba huiuſmodi continentur: Hæc eſt regula Euangelica: & cætera ſuprapoſita, vſque ibi, in nudo vſu facti etiam conſtituiſſe patet: prorſus obuiat veritati. Honorius quidem præfatam regulam abſque declaratione aliqua confirmauit. In cuius confirmatione de verbis prædictis mentio aliqua non habetur, vt liquere poteſt cuilibet confirmationem huiuſmodi intuenti: niſi quatenus de vita Euangelica habetur mentio in ipſa regula confirmata: ibi cum dicit: hæc eſt regula Fr. Minorum videlicet, Dn. noſtri Ieſu Chriſti S. Euangelium obſeruare, viuendo in obedientia, ſine proprio & in caſtitate. Ex quibus verbis concludi non poteſt, quod per ipſum prædeceſſorem noſtrum ea quæ ipſi in verbis prædictis aſſerunt, fuerint definita, imo poteſt concludi potius, quod vita Euangelica, quam Chriſtus & Apoſtoli tenuerunt, habere in communi aliqua non excludat, cum ſine proprio viuere, non exigat, quod ſic viuentes nihil habeant in cōmuni. In declarationibus quoque Greg. Innoc. & Alex. prædictorum, qui eandem regulam abſque confirmatione aliqua declarant, ſimiliter nulla prorſus fit mentio de prædictis, imo per eas euidenter oſtenditur, eorum quæ habere licet ipſis fratribus, vſum iuris ad ipſum ordinem pertinere. Gregor. quidem in ſua declaratione, quantum ad hoc interſeruit quæ ſequuntur: dicimus, quod nec in ſpeciali, nec in communi debent habere proprietatem: ſed vtenſilium librorū, & rerum mobiliū, quas licet habere, ordo vſū habeat, & Fr. ſecundū q̄ generalis miniſter, & prouinciales ordinandum duxerint his vtantur. Innoc. a. & Alex. præfati, in ſuis declarationib. ſic dixerunt: dicimus inſuper, quod cum ipſa regula*

conti-



*contineatur expreſſe, quod fratres nihil ſibi approprient, neq; domum, neq; locum, neq; aliquam rem, quod nec in communi, nec in ſpeciali debent proprietatem habere; ſed locorum, & domorum, & vtenſilium, & librorum, & eorum quæ licet habere, ordo vſum habeat: & fratres, ſecundum quod generales, & prouinciales miniſtri ordinandum duxerint, his vtantur. Cum n. dicatur in declarationibus ſupradictis, quod ordo vſum rerum habeat præmiſſarum, ad vſum iuris neceſſe eſt hoc referri. Facta quidem quæ ſingulorum ſunt perſonam veram exigunt, & requirunt: Ordo autem vera perſona non eſt, ſed repræſentata, & imaginaria potius eſt cenſenda. Quare, quæ ſunt facti, ſibi vere conuenire nequeunt, licet ei poſſint congruere; quæ ſunt iuris.*

*Adhuc licet declaratio Nicolai IV. prædicti contineat, quæ ſequuntur: Hi ſunt illi S. Regulæ profeſſores, qui Euangelico fundantur eloquio, vitæ Chriſti roborantur exemplo, fundatorumq; militantis Eccleſiæ Apoſtolorum eius ſermonibus & actib. firmatur. Et poſt in eadem declaratione ſubiunxit, dicens, quod abdicatio proprietatis omnium rerum, tam in ſpeciali, quā in cōmuni ꝓpter Deum, meritoria eſt, & ſancta, quā & Chriſtus vitā perfectionis oſtendens verbo docuit, & exemplo firmauit: quamq; primi fundatores militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant, volentes perfecte viuere, per doctrinæ, ac vitæ ipſorum alueos direxerūt. Ex verbis tamen prædictis nequaquā poteſt colligi, quod præfati prædeceſſoris noſtri Nicolai intentio fuerit dicere, quod dicta Regula quoad omnia, quæ continentur in ea, Euāgelico fundetur eloquio, ac vita Chriſti roboretur exemplo: nec quod Apoſtolorum vita, & actibus ſit firmata. Conſtat n. multa contineri in dicta regula, quæ nec Chriſtus verbo docuit, nec exemplo firmauit: vtpote, quod præcepit conditor regulæ fratribus vniuerſis, vt nullo modo denarium, vel pecuniam recipiant, per ſe, vel per interpoſitam perſonam: nec non & de multis aliis contentis in dicta regula; quæ vtiq; nec Chriſtus, nec Apoſtoli verbo docuerunt, nec firmauerunt exemplo. Nec obſtat, quod Chriſtus portare pecuniam Apoſtolis, & diſcipulis, dum ipſos ad prædicandum mitteret, interdixit: quod tamen antequam eos mitteret ipſis fuiſſe legimus interdictum. Quodq; poſt reditum pecuniam portauerint, in pleriſq; locis Euangelica veritas, & Apoſtolica dicta teſtantur. Præterea Auguſt dicit expreſſe quod illud non fuit præceptum, ſed poteſtas recipiendi neceſſaria ab iis, quibus prædicabant Euangelium, quam ſeruare Apoſtolis licuit, vel etiam non ſeruare. Sed hic Romanus Pontifex prædeceſſor noſter Nicolaus, quod principalia tria vota, ſc. in obedientia viuere, & ſine proprio, & in caſtitate, ac alia ſi qua Euangelio reperiantur expreſſa, in dicta regula, videtur intellexiſſe dicere in declaratione prædicta. Quod vtiq; declarationibus noſtris in nullo obuiat ſupradictis. Adhuc nō apparet ipſum dixiſſe, ſuſtentationem Chriſti, & Apoſtolorum eius, in ſolo, & nudo ſimplici conſiſtere vſu facti, cum quoad Chriſtum & Apoſtolos, nullā præfatus prædeceſſor noſter Nicol. in ſua declaratione fecerit mentionem, imo ſenſiſſe ſatis videtur expreſſe, quod ius aliud à proprietate habuiſſe potuerunt: cum de ſola abdicatione proprietatis, nō iuris alterius in præfata declaratione, quātum ad ipſos attinet, mentio habetur. Adhuc idem Nicol. prædeceſſor noſter videtur ſenſiſſe, quod Chriſtus & Apoſtoli, etiam quoad proprietatem, habuerunt aliquid in cōmuni. Cum n. in ſua declaratione prædicta, verba de abdicatione proprietatis dixiſſet, reſpōdens obiectioni tacitæ, quæ ſibi de loculis, quos Chriſtus habuiſſe in Euangelio legitur, poterat fieri; ſtatim quæ ſequuntur ſubiunxit: nec his quiſquā putet obſiſtere, quod interdum dicitur Chriſtum loculos habuiſſe. Nam ſic ipſe Chriſtus, cuius perfecta ſunt opera, in ſuis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectioni condeſcendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas ſemitas non dānaret. Sic & infirmorum perſonam Chriſtum aſſerit in loculis ſuſcepiſſe. Alias impertinens de loculis fuiſſet obiectio, niſi intellexiſſet Chriſtum, & quoad proprietatem loculos habuiſſe. Præterea, ſi diceretur Chriſtum in loculis habuiſſe tantummodo ſimplicem vſum facti fruſtra diceretur, quod in perſona infirmorum ipſos Chriſtus habuit loculos: cum ſecundum eum perfectis etiam cōueniat habere ſimplicem vſum facti. Et ſi quæratur, propter quos infirmos iſtos loculos habuerit: Auguſt. cuius dictum inſertum eſt in decretis, reſpondet dicens: Habebat Dn. loculos à fidelib. oblata conſeruans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Vnde conſtat ipſum de ſuis diſcipulis hoc ſenſiſſe. Nec hoc, ſcil. in communi, & quoad proprietatem aliqua habere derogat, iuxta dictum Greg. IX. prædicti, altiſſimæ paupertati, qui id quadam ſua decretali dicit expreſſe, Fr. Præd. & Minores in altiſſima paupertate Chriſto pauperi famulari; & tamen conſtat ipſos Præd. habere in communi, etiam quod proprietatem aliqua, q̄ eorum regulæ, & ſtatui non repugnat. Hoc n. Alexander prædeceſſor noſter præfatus, in condemnatione libelli cōtra ſtatum Præd. & Minorum editi, videtur ſenſiſſe, in qua aliquando de dictis fratribus, quæ ſequuntur ſubiunxit. Cum inſuper reſpondet, q̄ iidem fratres omnia propter Deum dereliquerunt, exilia vitæ ſubſidia mendicantes, Chriſtumq; imitentur pauperem, perfectionem Euangelicam amplexando, propter quod euidēter apparet eos, non ſolum in ſtatu ſaluādorum exiſtere, ſed etiam perfectorum, & per ſuæ religionis obſeruantiam, quæ quidem ipſius perfectionis Euangelicæ tenet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri. Vbi quidem expreſſe dicit, Prædic. Chriſtum pauperem imitari, ipſoſq; perfectionem Euangelicam amplexari, & in ſtatu exiſtere perfectorum; quodq; ipſorum religionis obſeruantia perfectionis Euangelicæ tenet formam. Et tamen conſtat ipſos habere poſſe, etiam quod proprietatem aliqua, iuxta eorum Regulam in communi. Nec obſtat, quod dicunt Innocentiū (alias Cœleſtinum) V. prædeceſſorem noſtrum dixiſſe, aliā paupertatem eſſe, habere pauca propria propter Deum: altiorem, quæ nulla habet propria, tamen habet communi: altiſſimam, quæ nihil habet in hoc mundo, nec in proprio, nec in cōmuni. Dicimus quidem, quod hoc dixerit, non vt Papa, ſed vt Fr. Petr. de Tarantaſia, in quadam poſtilla ſua, quare dicta præmiſſorum Summorum Pontif. ſunt ei merito præferenda. Dicunt etiam quod Apoſtolus de tali altiſſima loquitur paupertate dicens; & altiſſima paupertas eorum, abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum. quod euidenter eſt falſum. quia ibi loquitur de paupertate Macedonum, qui etiam in ſpeciali bona temporalia obtinebant; de quib. Apoſtolus aſſerit, quod ſupra vires ſuas miſerunt eleemoſynas ſanctis. Quod a. dicitur in declaratione Nicolai prædeceſſoris noſtri contineri, quod Frat. Minores, in reb. quæ eis obueniunt, habent tantum ſimplicem vſum facti: dicimus; quod ſi ipſe intellexerit ſimplicem vſum facti denudatum omni iure, ita quod Fr. ipſi, ſeu ordo, nullum ius habeant vtendi. Hoc eſt expreſſe contra declarationem Gregorii, Innoc. Alexand. Summorum Pont. prædictorum; quib. expreſſe, quod talium bonorum ordo vſum habeat, continetur, quod de vſu iuris eſt intelligendum neceſſario, vt ſuperius eſt probatum. Adhuc dicimus quod eſt cum hoc impoſſibile, ſc. vſum facti ſimplicem abſq; iure aliquo (quod nihil aliud q̄ ipſum vti proprie poteſt dici) poſſe in re aliqua etiam vſu non conſumptibili ab aliquo obtineri: prout in decretali, ad conditorem canonum, & c. eſt probatum: & Auguſtin l. XI. de actis tenet expreſſe. Præterea, ſi ſimpliciter vſus denudatus ab omni iure haberi poſſet ab aliquo, cōſtat, quod actus vtendi huiuſmodi eſſet reputandus non iuſtus; cum ille vſus fuerit, cui ius non competebat vtendi. Vſus a. non iuſtus, ad perfectionis ſtatum nequaq̄ pertinet, nec perfectioni aliquid adiicit, ſed ſibi repugnare potius noſcitur manifeſte. Quod a. vſum talem non iuſtum conditor canonis fratrib. ipſis intellexerit reſeruare, probabile non videtur. Imo quod de iuſto intellexerit, ex eo pōt euidentius apparere, quod in eadē ordinatione adiicit, quod illarum rerū duntaxat in ſe, & etiam Rom. Eccl. recipiebat dominium, quarum vſum facti liceret habere fratrib. ſeu ordini antedictis. Subiungens, quod non rerum omnium vſum habere debeant Fr. ipſi. Quantū a. ad vſum facti ſimplicem abſq; omni iure vtendi attinet, nulla rerum poteſt cenſeri differentia quod fratres; ſic n. vti de facto poſſunt prohibitis, vt permiſſis. Ex quo ſequitur, quod vſus facti, de quo ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat, qui iuſtus ſit, & pro quo cōpetat ius vtendi: & ipſe videtur conditor canonis ex eo etiā ſenſiſſe, quod in eadem ordinatione ſubiūxerit, quod moderatus vſus in expenſis prius reb. ipſis fratrib. eſt conceſſus. Rurſus impugnatores conſtitutionū huiuſmodi aſſerere publice perhibentur, quod libellū & dicta Magiſtrorum aſſerentium dictā paupertatem, & vitā dictorū fratrum non eſſe Euangelicā & Apoſt. Summi Pont. dānauerunt, diſtricti⁹ per Apoſt. literas inhibentes, ne q̄ſquā præmiſſa, vel aliquid præmiſſorum contumaciter adſtrueret, ſeu quomodolibet præſumeret defenſare: ſtatuentes, quod præſumens contrarium tanquā contumax Eccl. Rom. rebellis, ac vt hæreticus haberetur. Ad quod dicimus, aſſertionem huiuſmodi falſam eſſe. Non n. continetur in ſententia ſupradicta, quod contra faciens, vt hæreticus haberetur: quæ quidem quoad hoc cōtinet, quæ ſequuntur: Nos n. nihilomin⁹ auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne quiſquā præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum, pertinaciter aſſerere, vel quomolibet*

defen-

*defenſare præſumat; quicunq; v. hoc præſumpſerit, tanquam contumax, & Eccleſiæ Romanæ rebellis ab omnibus fidelibus habeatur. Non fuit adiectum, q. vt hæreticus haberetur, vt patet in ſerie ſententiæ condemnationis prædictæ. Rurſus aſſeruiſſe dicuntur publice huiuſmodi aſſertores, q. abdicatio iuris in cuiuſcunq; rei proprietate, & in vſu eius eſt ſancta, & meritoria propter Deum, & à Chriſto in ſeipſo ſeruata, Apoſtolis impoſita, & ab ipſis ſub voto aſſumpta; nec propter hoc vſus facti ad ſuſtentationem naturæ in Chriſto, & Apoſtolis conuincitur eſſe non iuſtus; ſed tanto iuſtior, atq; perfectior, & Deo acceptior, & mundo exemplatior, quanto plenius renunciatum fuerit omni iuri, per quod poteſt ſic vtens pro vſu huiuſmodi quomodolibet contendere, vel in iudicio litigare. Quæ quidem aſſertio continet multa falſa: cum neq; Chriſtum expropriationem prædictam omnis iuris in cuiuſcunq; rei proprietate, & in eius vſu in ſe ſeruaſſe, nec eam impoſuiſſe Apoſtolis, neq; ſub voto ab ipſis fuiſſe receptam, Euangelica ſeu Apoſtolica doceat hiſtoria; ſed contrarium euidentius manifeſtat. Quod autẽ in prædicta aſſertione adiicitur, quod per abdicationem iuris prædicti, videlicet proprietatis, in vſus facti ad ſuſtentationem naturæ in Chriſto, & Apoſtolis non conuincitur eſſe non iuſtus, ſed tanto iuſtior, &c. Impoſſibilitatem includit, & errorem dictum huiuſmodi euidenter. Impoſſibile n. eſt actum humanum extrinſecum eſſe iuſtum, ſi exercens actum ipſum nullum ius habeat illud exercendi. Imo non iuſtus, ſed iniuſtus neceſſario conuincitur talis vſus. Item eſt abſurdum, & erroneum, quod actus alicuius non habentis ius actum huiuſmodi faciendi ſit iuſtior, & Deo acceptior, quam habentis, cum concludat actum iniuſtum iuſtiorem, & Deo acceptiorem exiſtere, quam ſit iuſtus. Ex prædictis autem inferre nituntur (vt fertur) quod prædictorum Summorum Pontificum definitio, quam definierunt de paupertate Chriſti & Apoſtolorum ac Fratrum Minorum prædictorum regula (prout ſuperius expreſſerunt) per nos non potuit mutari: proculdubio falſa aſſerunt dicendo prædeceſſores noſtros definiuiſſe talia, vt ſuperius eſt probatum. Et adhuc ſic loquentes, dum per talia conſtitutiones noſtras impugnare ſatagunt, conſtitutiones illas quibus ſe adiuuant oſtendunt (ſi eorum falſæ aſſertiones veræ exiſterent) fore inualidas, erroneas, & infirmas. Si enim nobis non licuit contra conſtitutionem Nicolai IV. prædeceſſoris noſtri in qua ſe fundant præcipue aliquid ſtatuere: conſequenter nec ſibi licuit contra ſtatuta Gregorii, Innocentii & Alexandri prædictorum ſtatuere, aut aliquid declarare; quod tamen ipſum feciſſe (ſecundum eorum aſſertionẽ) noſcitur euidenter. Cum enim illi declarauerint, quod Ordo Minorum habet vſum earum rerum, quas licet eis habere, quod ad vſum iuris eſt referendum neceſſario, vt ſuperius eſt probatum; ipſe vero ſecundum ipſos ſtatuit, quod nec Ordo, nec Fratres ius vtendi habeant, ſed tantummodo ſimplicem vſum facti, & inſuper ordinauit, decreuit, & ſtatuit huiuſmodi conſtitutionem, ordinationem, & declarationem ſuam duntaxat à fratrib. ipſis præciſe, & inuiolabiliter perpetuis temporibus obſeruandam; conſtat non ſolum, quod contra declarationes prædeceſſorum prædictorum ordinauerit; ſed ipſum illas, quantum ad ea quæ ſua declaratio continet, etiam reuocaſſe. Ipſe quoq; prædeceſſor noſter, in ſua declaratione ſubiunxit, ad Sedis Apoſtolicæ declarationem, & ordinationem eorum, & circa ea, quæ ipſe declarauerat pertinere, ſic dicens: ſi quid in prædictis ambiguitatis emerſerit, hoc ad culmen Sedis Apoſtolicæ deducatur; vt ex auctoritate Apoſtolica, ſua in hoc manifeſtetur intentio, cui ſolum conceſſum eſt in his ſtatuta condere, & condita declarare: cuius tamen contrarium aſſerunt huiuſmodi aſſertores. Adhuc patet, quod aſſerunt, eſſe falſum. Licet enim Innocentius III. prædictus in Generali Concilio interdixiſſet nouas religiones inſtitui: tamen ſucceſſores ipſius (non obſtante interdicto huiuſmodi) plures leguntur Ordines confirmaſſe, qui etiam (aliquibus exceptis) fuerunt poſtea per Gregorium X. prædeceſſorem noſtrum diſſoluti certo modo in Concilio Generali. Si igitur poſt interdictum Generalis Concilii, licuit Summis Pontificibus non confirmatos Ordines confirmare, & eorum ſucceſſoribus ſic confirmatos in totum diſſoluere, non eſt mirum, ſi quod declarat circa regulas Ordinum ſolus Summus Pontifex, vel ordinat, liceat eius ſucceſſoribus declarare, ſeu alias immutare. Patet autem quod neq; Honorii confirmatio, neq; Gregorii, neq; Alexandri, neq; Nicolai prædictorum facta fuerit in Concilio Generali, cum per nullum ipſorum fuerit Generale Concilium celebratum: licet Innocentius IV. celebrauit Concilium Generale; tamen in illo, nec auctoritate alicuius Concilii facta fuit ipſius declaratio ſupradicta. Nicolaus autem IV. nec celebrauit Generale Concilium, nec aliquid circa dictam Regulam declarauit. Gregorius autem decimus prædictus, nec confirmauit, nec declarauit dictam Regulam, ſed in Generali Concilio, vbi caſſati fuerunt nonnulli mendicantium Ordines, dictorum Fratrum Minorum & Prædicatorum Ordines non caſſauit, ſed aſſeruit approbatos, ſic dicens: ad eos, quos euidens ex eis vtilitas Eccleſiæ vniuerſali proueniens perhibet approbatos, præſentem non patimur conſtitutionem extendi.*

*Præterea dicant nobis, vbi legunt aſſertiones huiuſmodi, quod ad fidem, vel mores pertineat, Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe, in his quæ habuerunt, niſi ſimplicem vſum facti? Profecto directe hoc ad fidem non pertinet; cum de hoc articulus non ſit aliquis, nec ſub quo valeat comprehendi, vt patet in ſymbolis, in quibus articuli fidei continentur. Nec etiam reducte, quaſi hoc ſacra ſcriptura contineat; quo negato, tota ſacra ſcriptura redditur dubia: & per conſequens articuli fidei, qui habent per ſcripturam ſacram probari, redduntur dubii & incerti. Hoc enim in ſcriptura ſacra non poterit, ſed contrarium reperiri. De Fratribus autem Minoribus prædictis conſtat, quod de ipſorum paupertate, & ſimplici vſu facti, ſeu de dominio eorum, quæ ipſis offeruntur, quod Summus Pontifex illud ſibi, & Romanæ Eccleſiæ reſeruauerit, vel potuerit reſeruare; nec quod illud reſeruatum ſucceſſori abiicere non liceat, ſi hoc expedire viderit; ſeu quod Procuratores conſtitutos auctoritate Summi Pontificis, pro negotiis Ordinis prædicti ſucceſſor reuocare non valet, in prædictis ſymbolis, Euangelio, neq; Actibus Apoſtolorum, & Epiſtolis mentio aliqua non habetur. Vnde non poſſunt ex prædictis concludere, niſi falſo, quin contra ordinata per Summos Pontifices circa talia valeat ſucceſſor aliud ordinare: quod Nicolaus præfatus expreſſe in ſua declaratione inſeruit, vt ſuperius plenius continetur.*

*Nos itaq;, ne fabricatores mendaciorum huiuſmodi, ac etiam aſſertores, de tam peſtifera, erronea, & damnata doctrina, confutatione, ac confuſione vtiq; omni digna gloriari valeant, & alios trahere in errorem; cum auſu arreptando, ac petulantia improba, auſi defendere publice fuerint damnatam per conſtitutionem prædictam hæreſim, ac etiam probare, videlicet, quod Chriſtus; & eius Apoſtoli in iis, quæ habuiſſe leguntur, tantum habuerint abſq; iure aliquo ſimplicem vſum facti; ex quo (ſi verum eſſet) ſequeretur, vſum Chriſti fuiſſe non iuſtum; quod profecto blaſphemiam continet, & Catholicæ fidei inimicum; cum hoc de pertinaci animoſitate ac erronea, non ſit dubium proceſſiſſe; omnes & ſingulos, qui verbo ac ſcripto, per ſe, vel alium, ſeu alios talia publice præſumpſerunt: ipſos quoq; qui eos docuerunt in talibus, & vt præmiſſa facerent, in damnatam incidiſſe hæreſim, ac vt hæreticos euitandos fore, de fratrum noſtrorum conſilio declaramus. Si quis autem damnatas per conſtitutionem; Cum inter prædictam, hæreſes, vel ipſarum alteram deinceps, ſcienter, verbo, vel ſcripto defendere, vel approbare præſumpſerit, de Fratrum eorundem conſilio decernimus, vt tanquam hæreticus ab omnibus euidenter habeatur. Adhuc quod Conſtitutionem noſtram, ad conditorem canonum. Supradictam inſano auſu impugnare niſi ſunt (ſicut fertur) diſtrictius de eorundem fratrum conſilio inhibemus, ne quiſquam contra definita, ordinata, ſeu facta per ipſam, verbo, vel ſcripto ſcienter approbet aliquid, vel defendat. Si quis vero contra præſumpſerit, tanquam contumax & rebellis Romanæ Eccleſiæ ab omnibus habeatur. Nulli ergo, &c.* Data Auinion. 4. Idus Nouemb. Pontificatus noſtri, anno 9.

IX.
CONSTITVTIONEM HANC PROMVLGARI CVRAT.

Promulgata hac conſtitutione Auinioni, voluit Iohannes Pontifex illam quoq; alibi locorum diuulgari. Itaq; Archiepiſcopo Tarraconenſi inprimis, deinde omnibus Eccleſiarum Prælatis, vbicunq; terrarum conſtitutis præcepit, vt eam tum in ſtudiis atq; vniuerſitatibus ſuarum Prouinciarum ac diœceſum, tum in omnibus Eccleſiis publicarent, inq; contemptores eiuſdem ex præſcripto canonum procederent, *epiſt. 1. regeſt. huius anni, Ioan. Pontif.*

X.
PETRVS OLERIVS CVM COMPLICIBVS OB HÆRESIN IGNE EXVRITVR.

Secundum hanc ſententiam, Petrus Olerius de Maioricis oriundus, cum quibuſdam complicibus ſuis, & presbytero quodam vocato Fratre Bonanato, Berthinone, ab Epiſcopo Barchinonenſ. & à Fratre Bernardo de Podio Cortaſo, fidei Cenſore, Ordinis Prædicatorum, nec non Durandus de Baldach ciuis

Gerun-



Gerunden. cum quodam complice, Gerundæ, coram Iacobo Rege Aragonum, ab Epiſcopo Gerunden. & à F. Arnaldo Burgheſio Ord. Præd. Inquiſitore, impietatis conuicti, damnati, & impœnitentes poteſtati ſæculari traditi, ignibus exuſti ſunt. *Eymeric. in direct. Inquiſ. p. 2. quæſt. 11.*

XI.
LVDOVIC. BAVARVS DENVO ANATHEMATE PERCVSSVS APPELLATIONEM AD CONC. INTERPONIT.

Quod Ludouicum Bauarum attinet, cum anno ſuperiore, ad quintum Idus Iul. illum contumacem, Iohannes Pontifex, inter excommunicatos, iure merito pronunciaſſet; ſique forte ad mentem reuerti vellet, ad tres menſes ſubſequentes ſententiam in eum prolatam aliqua ex parte ſuſpendiſſet; ac iterum, in refractarium, eandem, ad 8. Idus Octob. repetijſſet; atque denuo eundem, ſi aliqua ratione reſipiſceret, & Sedis Apoſtolicæ ſe arbitrio permittere vellet, expectandum ſibi exiſtimaſſet: is vero obduratus animo, cenſuras Eccleſiaſticas contempſiſſet, eundem primò ad 11. Kalend. Aprilis, deinde ad 3. Idus Iul. hoc anno M.CCC.XXIV. anathematis ſpiculo percuſſit. Curauit interim Ludouic. Principibus Imperij oſtendere, quaſi in inſontem, Ioannes, tela hæc Eccleſiaſtica torſiſſet; cum nihil aliud ipſe ageret, quàm quod imperium (ita aſſerebat) niteretur, contra Pontificios conatus tueri, Gibellinoſque contra hoſtes imperij defendendos ſuſciperet. Itaque rogabat & adhortabatur Principes, vt Imperij dignitatem, & ſuam libertatem vellent defendere. Cæterum in Comitijs, vbi intellexiſſet ſanctiorem auctoritatem Pontificiam eſſe, altiuſque in cordibus Principum radices egiſſe, quam vt poſſet conuelli, inprimis quidem aliquot Epiſcopos Germanorum, Ioanni Pontifici non ingratos, ad eum ire iuſſit: qui Ioanni promitterent, non modò non aduerſarium Ludouicum Eccleſiæ fore, ſed patronum & defenſorem: Si modo Pontifex, Regnum & Imperium illi decerneret, & Friderico Auſtriaco abrogaret. Cumque poſtea audiiſſet cautum Pontificem, quod æquum & iuſtum erat reſpondiſſe; *Quomodocunque res ſe habeat; non licere Ludouico Imperatorem agere, & nomine hoc appellari, niſi ſit prius poſt electionem ab Apoſtolica ſede confirmatus ſtatuiq; illi diem antequam debeat nomen & adminiſtrationem Imperij deponere & Romam venire ad excuſandum & ſatiſfaciendum pro delictis*, hoc quaſi ancipiti mucrone confoſſus, ad Concilium generale, & ad Pontificem male (vt aiebat) informatum, melius informandum, appellationem, menſe Octobri interpoſuit: neque Imperium abdicare, neque ad Pontificem accedere voluit. *Mutius Germ. Chron. lib. 24. Ioan. Villani, lib. 9. cap. 227. 242. 265 275. Albert. Argent. in Chron. Ioan. Auentin. in Annal.*

XII.
PERSEVERAT IN PERTINACIA ET REBELLIONE.

Inter hæc autem, neque copias auxiliares Vicecomitibus Mediolanum ſubmiſſas reuocauit, neque tyrannos Italiæ ab opprimendis Guelfis dehortatus eſt: quin illi, maiora in dies vbique tentarent. Hoc enim anno Kal. Maiis Comitem Goritiæ, à Friderico & Auſtriacis ſubſidio Patauinis miſſum, Gibellini veneno necarunt; Vrbinates, Suaſu Montfeltrenſium, Eccleſiæ dominiũ recuſarunt: Caſtrucius Lucenſium tyrannus, multa caſtra occupauit: Hugo Epiſcopus Aretinus, plurima oppida & loca, & in his ciuitatem Caſtelli intercepit: reliqui confœderati, Modoëtiam inuaſerunt, Eccleſiaſticaſque copias profligarunt: Canis Scalanus fide fracta famoſus, Vicetinis: Paſſarinus Mantuanis: Ateſtini Ferrarienſibus, Vicecomites Mediolanenſibus & alijs Inſubribus, graues fuêre. *Ioan. Villani lib. 9. plur. capitib. Corius hiſt. Mediol. p. 3.*

VARIÆ VRBES CAPTÆ ET DIREPTÆ.

Quin, quod grauius eſt, aliena, Gibellini, & in his Eccleſiaſtica inuaſere. Nam Raynaldus Ateſtinus, Argentam, Eccleſiæ non ignobile oppidum, per id temporis, vna cum alijs nonnullis, ad 3. Kalend. Nouembr. interceperat. Non difficilè fuit negotium iſtud Arnaldo conficere, qui fœdere cum Vicecomitibus, Bonacoſſis, Scaligeris, & pleriſque alijs Ciſalpinis, tranſalpiniſque dynaſtis facto, vires Legati Pontificij diſtraxerat. Aymericus Archiepiſcopus Rauennas, & Prouinciæ Æmiliæ Rector, quando alia non poterat, monuit diligenter Eſtenſem de Argenta reſtituenda, deque dominio Ferrariæ abdicando. Sed cum nequicquam proficeret, ad extremum, Ioanne Pontifice auctoritatem per literas impartiente, iubenteque, dirarum telum in Eſtenſes detorſit. Neque multo poſt, graues ab Ioanne Pontifice literas accepit, quibus Ludouicus Bauarus, Chriſtianæ communitatis, & ſacrorum expers renunciabatur, iubebaturque, vti Aymericus diebus feſtis, per omnem Flaminiam diuulgandas illas curaret, hortareturque ac mandaret, vt Ludouici congreſſum omnes deuitarent. Eo vero magis ſe Ludouicum permotum ſcribit Pontifex, quod Galeacio Vicecomiti, & illius fratribus, quamuis eſſent hæreſeos damnati, & nonnullis præterea Eccleſiæ perduellibus fauiſſet. Poſtquam autem per alteras literas, paſſim eadem ratione diuulgandas, Ludouico vt Sedem Apoſtolicam adiret, cauſamque ſuam præſens diceret, animaduerſionis Eccleſiaſticæ denunciatione mandauerat; neque Ludouicus paruiſſet, huc ſe dicit deſcendere coactum; nam quod ad deſignandum Imperatorem ſpectat, *electio huiuſmodi* (vt in ſuis literis, 15. Kal. Nouemb. Auinione datis, inquit Pontifex) *& perſonæ electæ examinatio, approbatio, admiſſio, ac etiam reprobatio, & repulſio, ad Sedem Apoſtolicam pertinet.*

QVID IOA. PP. ADVERSVS LVD. ET RELIQVOS PERDVELLES.

Cum autem acciperet, noua quotidie fœderatos moliri, & arma in Pontificiam ditionem parare, ad Aymericum 7. Kalend. Febr. anno Pont. nono ſcripſit, vt Bernardini Comitis Cunij progreſſus accuratè obſeruaret: quem ſi vidiſſet à fidelitate Eccleſiæ deſciſcere, ſeque cum perduellibus coniungere, ſtuderet, ne quid Prouincia detrimenti acciperet. Laborare enim perduelles, vt ad ſuam illum partes traducerent. *Rubeus hiſt. Rauennat. lib. 6.*

XIII.
AYCHAR MEDIOL. ARCHIEP. AD TYRANNOS PERSEQVENDOS IMPELLIT DETESTANDA FACINORA RAYNAL. PASSARINI ET CASTRVCII LVCENSIVM TYRANNI, ET SENTENTIÆ DAMNATIONIS IN EOS LATA.

Fratri quoque Aychardo Mediolanenſi Archiepiſcopo, & Inquiſitoribus iudicibus, ne contra Vicecomites, eorumque ſocios deſiſterent, ſed eorum facinora deteſtanda perſequerentur, & armis ſpiritualibus vindicarent præcepit. Hæc infraſcripta memorabantur patrata, à Raynald. dicto Paſſarino de Bonacoſſis Mantuano: & à Caſtrucio Lucenſium tyranno.

Iſta à Baſſarino, quæ in ſententia recenſentur.

*Quia legitimè nobis conſtat, quod præfatus Paſſarinus poſtquam dicti Matthæus & filij eius tanquam rebelles Sanctæ Matris Eccleſiæ, fuerant multis excommunicationum ſententijs innodati, & publicè nunciati: & poſtquam propter horribiles & execrabiles culpas eorum omnes ciuitates & terræ regimini eorum ſubiectæ, & adhærentes eiſdem fuerant ſuppoſitæ Eccleſiaſtico interdicto. Poſtquam etiam contra ipſos Dei & Eccleſiæ aduerſarios, & hoſtes apertos, ac eorum ſequaces, & valitores illa ſolemnis indulgentia, quæ concedi conſueuit proficiſcentibus in ſubſidium terræ ſanctæ fuerat manifeſtè prædicata, de mandato Domini noſtri Papæ, & etiam poſtquam ob culpas dictorum Galeacii, ſuorumque fratrum, & ſequacium, omnes mittentes, conducentes, deferentes victualia vel quæcunque alia neceſſaria in vſum humanum ad ciuitatem prædictam, vel recipientes ſtipendia ab eiſdem finaliter fuerant excommunicationis vinculo innodati. Et poſtquam Inquiſitores hæreticæ prauitatis, pro mandando executioni ſententiam hæreſis latã contra Matthæum prædictum, eiuſq; bona, complices & fautores inuocauerant auxilium per edictum publicum & ſolemne, ſub debito quo tenentur omnium nobilium Lombardiæ dignitates, honores; ſeu feuda tenentium à Romana Eccleſia, ſeu Imperio, ſeu ab Eccleſiis quibuſcunque adiunctis, etiam in edicto ſuperius memorato pœnis realibus & perſonalibus contra omnes, qui in tãto pietatis negotio præſumpſerant ſe opponere publicè vel occultè. Nec non & poſtquam præfati Matthæus, Galeacius, Luchinus, Marcus, Ioan. & Steph. legitimè conuicti de labe hæreticæ prauitatis, per ſententiam fuerant iudicati hæretici manifeſti, ac expoſiti à fidelibus capiendi. Poſtquam inſuper ad prædicationem & perſuaſionem Inquiſitorũ, multitudo fidelium contra dictos hæreticos aſſumpſerat votum Crucis. Poſtquam etiã exercitus Eccleſiæ, & memorati fideles, Crucis*

*chara-*

*haractere inſigniti ad capiendũ dictos hæreticos deſtinati, iam intrauerant & occupauerant ſuburbia ciuitatis Mediolan: vbi præfati hæretici morabãtur; non deſtitit à ſequella, adhæſione, & fauore prædictorũ hæreticorum, ſed velut eorum complex & fautor, vt eoſdẽ hæreticos à pœnæ ſibi debita poſſet eximere, de ſe velut improuidus non formidans, ne præfati hæretici à fidelibus capi poſſent, ac ſubdi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ diſciplinæ, miſſa ad ciuitatem Mediol. prædicta multitudine equitum armatorum, præſumpſit nequiter prohibere, & per conſequens impedire, ne funus dicti Matthæi hæretici ignibus meritò concremandũ apprehendi vel inueniri poſſet, impijs præbens auxiliũ; & his qui oderunt Dominũ amicitia copulatus, Prædicti namq; equites à ſe miſſi, ſimul cũ dictis hæreticis eorumq; exercitu, Burgũ Modoetiæ hoſtiliter obſederunt, prædictos fideles ac exercitũ Eccleſiæ qui ſe reduxerant in eundem Burgum, gladio & igne menſib. pluribus impugnando. Nuper quoq; idẽ Paſſarinus, tanquam in reprobum ſenſum datus, amans collationes impietatis, perſonaliter abijt in conſilium impiorum, ac deducẽdo claues & ſententias Eccleſiæ penitus in contemptum, in partibus Palazoli Brixienſis diœceſis, cum memorato Galeacio, & Raynaldo Eſten. manifeſtis hæreticis condemnatis, & quibuſdam alijs rebellibus, & hoſtibus S. Romanæ Eccleſiæ, ſolemne, & longum, & peſtiferum habuit parlamentum. Quæ omnia ſupradicta conſtat eſſe patrata, in fauorem, & defenſionem deteſtabilem, & inexcuſabilem, dictorum hæreticorum publicè damnatorum, & in manifeſtum impedimentum officij memorati, & S. Romanæ Eccleſiæ ac fidei Chriſtianæ iniuriam notabilem & grauamen: prout hæc omnia patent, per teſtes fide dignos receptos ſolemniter coram nobis. Nos, &c.* Lata in Epiſcopali Palatio Placentiæ anno Dom. M.CCC.XXIV. Indict. 7. die penult. Ian. Pont. Ioan. Pap. XXII. ann. 8.

XIV. SENTENT. ADAMNATIONIS IN CASTRVCIVM GERIVM EIVSQVE SCELERA.

Iſta verò ſunt commiſſa, à Caſtrucio Gerij de Antelminelis Lucen. in ſententia damnationis, ab iudicibus commiſſarijs enumerata: non indigna quæ hic propter notitiam multarum rerum tunc temporis incidentium, memorentur.

*Quia legitimè nobis conſtat, quod præfatus Caſtrucius, claues, proceſſus, & ſententias Eccleſiæ deducendo penitus in contemptum, poſt quã dicti Matt. & filij, tanquã rebelles S. Matris Eccleſiæ fuerant multis excommunicationũ ſententijs innodati, & publicè nunciati. Et poſtquam horribiles & execrabiles culpas eorũ, omnes ciuitates & terræ regimini eorum ſubiectæ, & adhærentes eiſdem fuerant ſuppoſitæ Eccleſiaſt. interdicto, ac poſtquam per ſupradictum Dn. noſtrum Papam, contra omnes perſonas, adhærentes, fauentes, obedientes, & auxiliantes eiſdem, diuerſæ & graues fuerant ſententiæ promulgatæ. Ad huc, poſtquã contra ipſos Dei & Eccleſiæ aduerſarios, & hoſtes apertos, ac eorum ſequaces & valitores illa ſolemnis indulgentia, quæ cõcedi conſueuit proficiſcentib. in ſubſidiũ terræ ſanctæ fuerat publicè prædicata, de mandato Dn. noſtri Papæ. Inſuper poſtquã ciuitas Mediol. ob culpas prædictas per ſententiã priuata fuerat iure cõmunitatis, & priuilegijs ſeu immunitatib. quibuſcumq; eiuſdemq; ciues omnes & incolæ fauentes dicto Matth. damnato, contra quem nunc per Eccleſ. agitur, iam defunctum, expoſiti fuerant à fidelib. capiendi, vt ſerui capientiũ fiant pleno iure, eorum bona conceſſa extiterant occupanti, ipſorumq; debitores quacunque ex cauſa, quocunq; ligati inſtrumento vel iuramento, à dictis fuerant debitis abſoluti. Amplius ob culpas dictorũ Galeacij, ſuorumq; Fr. & ſequaciũ, omnes mittentes, conducẽtes, deferentes victualia, vel quæcumq; alia ad humanum vſum neceſſaria ad ciuitatem Mediol. vel recipientes ſtipendia ab eiſdem finaliter fuerant excommunicationis vinculo innodati. Item poſtquã Inquiſitores hæreticæ prauitatis pro mandando executioni ſententiã hæreſis latam contra Matth. prædictũ, eiuſq; bona, complices & fautores, inuocauerant auxiliũ per edictũ publicũ & ſolemne, ſub debito quo tenentur omnium nobilium Lõbardiæ dignitates, honores ſeu feuda tenentium à Rom. Eccleſ. vel imperio, ſeu ab Eccleſiis quibuſcunq; adiunctis etiam in edicto ſuperius memorato, pœnis realib. & perſonalib. contra oẽs, qui in tantæ pietatis negotio præſumerent ſe opponere publicè vel occultè. Nec non & poſtquã præfati, Matthæus, Galeacius, Luchinus, Marcus, Ioan. & Steph. legitimè conuicti de labe hæreticæ prauitatis, per ſententiam fuerant iudicati hæretici manifeſti, ac expoſiti à fidelibus capiendi ſimiliter, & poſtquam ad prædicationem & perſuaſionẽ Inquiſitorũ, multitudo fidelium contra dictos hæreticos aſſumpſerant votum crucis. Poſtquam etiã exercitus Eccleſiæ, & memorati fideles crucis charactere inſigniti, ad capiendos dictos hæreticos deſtinati, iam intrauerant & occupauerant ſuburbia ciuitatis Mediol. vbi præfati hæretici morabantur. Deniq; poſtquã Berthold. de Maſcechen dictus de Niſſen, qui in ciuitate prædicta dicebatur de facto regimen obtinere, iam per Inquiſitores requiſitus fuerat ſub magnis pœnis, vt dictos hæreticos infra certũ terminũ in poſſe Eccleſiæ aſſignaret; non deſtitit à ſequella, adhæſione, & fauore prædictorũ hæreticorũ, ſed velut eorũ complex & fautor, vt eoſdem hæreticos à pœna ſibi debita poſſet eximere, de ſe velut improuidus, non formidans, ne præfati hæretici à fidelib. capi poſſent, ac ſubdi S. Romanæ Eccleſiæ diſciplinæ; miſſa ad præfatã ciuitatẽ Mediol. multitudine equitũ armatorũ, præſumpſit nequiter prohibere, & per cõſequens impedire, ne funus dicti Matthæi hæretici ignibus merito concremandũ apprehendi vel inueniri poſſet impijs præbens auxiliũ, & his qui oderunt Dn. amicitia copulatus. Prædicti namq; equites à ſe miſſi, ſimul cum dictis hæreticis eorumq; exercitu, Burgum Modoëtiæ hoſtiliter obſederunt, prædictos fideles Cruce ſignatos, & exercitum Eccleſiæ, qui ſe in eundẽ Burgũ reduxerant, gladio & igne plurib. menſib. impugnãdo. Quæ omnia ſupra dicta conſtat eſſe, &c. Nos Inquiſitores, &c.* Lata ac in Epiſcopali Palatio Placen. Anno Dn. M.CCCXXIV. die 7. menſ. Febr.

XV. ANATHEMA IN QVOSDAM A IOH. PP. PROLATVM.

Eodẽ anno die 10. Nou. anathemate dãnati fuêre, Ægidius de Biſſis Abbas Claræuallis & Beltram. de Vedamo Abbas Morimund. Diœceſis Mediol. quod neceſſaria ſubminiſtraſſent exercitui confœderatorũ, Modoëtiam obſidenti. *MS. proceſſ. bibl. Vatican. n. 3937.* cum etiã ad 22. diem Aprilis ipſe Pontifex Auinione, in publico Conſiſtorio, Hugonem Petramalam Epiſcopum Aretinum cœtu piorum excluſiſſet, & dignitate Epiſcopali exuiſſet, quod Aretij dominiũ vſurparet, & fœderatis Lombardiæ coniunctus, ciuitatem Caſtelli, & alia plurima Gueltis eripuiſſet. *Ioan. Villani lib. 9. c. 246.*

XVI. GALEAC. MODOE. EVERSIONEM COGITANS DETERRETVR A S. IOH. BAPTISTA.

Porro Galeazius, tantis confœderatorum copijs auctus cũ Modoëtiã obſidione cinctã, tandem menſe Sept. cepiſſet, volebat captã funditus euertere: & dubio procul euertiſſet, niſi D. Ioannes Baptiſta, in cuius tutela caſtrum illud eſt, furenti, ſecundũ quietẽ ſecundo apparens, illũ ab incepto deterruiſſet, aperteque monuiſſet. *Ne locum ſibi addictum excinderet.* Potitus Modoëtia, caſtrũ ibidẽ fortiſſimum ſtatim extruxit, inque eo obſcuriſſimos, impenetrabileſque carceres ſubterraneos ædificauit: de quibus vulgus tunc temporis prædicebat, futurũ, vt Galeacius, vna cũ fratribus, primus eorũ ſqualorẽ experiretur. Sub his bellicis tumultibus, Legatus Cardinalis theſaurum Eccleſiæ Modoetien. S. Ioannis Baptiſtæ, cuſtodiæ cauſa, Auinionem Summo Pontifici tranſmiſerat: is verò in Sacrario maioris Baſilicæ illum recõdiderat.

RAPTOR THESAVRI SACRI DIVINIS VISIONIBVS TERRITVS SACRILEGII DAT POENAS.

Accidit, vt quidam ſacrilegus clam nocte in Sacrarium ingreſſus, ferè maiorem partem abſtulerit, & in Galliam ferre decreuerit. Ad pontem vnum Rhodano ſuperpoſitum cũ veniſſet, milites armis fulgentes ſplendentibus indidem conſpexit, & apparitores exiſtimans qui obſeruarent, ne ablata efferrentur cõtinuo retroceſſit, adque aliam vrbis portam fugiens acceſſit. Verumtamen eadem ſimilitudine vigiles armatos (proculdubio Angelos, vel Diuos quorum reliquiæ fuerãt ea ſpecie) ibidem aſpexit, pedemque retrahens, pretio diſtrahere quæ ſubripuerat cogitauit. Mox ad aurificem, Vannũ nomine gente Florent. concedens, ab eodẽ Sũmo Pont. denũciatus, equis raptatus, & igne exuſtus, meritas ſacrilegio pœnas dedit. *Corius hiſt. Med. p. 3*

XVII. QVOMODO EIVS FVRTVM IOH. PP. DETECTVM.

Finxerat Vannus, cũ minutias primum eius theſauri confractas, in manibus profani venditoris vidiſſet, & id quod res erat ſacrum eſſe metallum furto ſublatum conieciſſet, reliqua coemere velle. Itaque venditor, in pecuniam omnia conflandi cupidus, vt cætera quidem adferret profectus fuit. Vannus autem interim Pontif. certiorem fecit. Is porto apparitoribus miſſis, ſacrilegum fruſtis aureis atque argenteis contuſis onuſtum comprehendi, & in fatentem crimen, ex lege agi imperauit. *Item Corius ſup.*



XVIII. GERMANI ET HVNGARI MILITES DE BELLO CONTRA LVDOVICVM BAVARVM PRO FRIDERICO SVSCIPIENDO CVM CAROLO REGE DELIBERANT.

Eodem quoq; anno, Canis Scalanus, cum dulcedinem Veronenſibus dominandi, permiſſione Pontificia deguſtaſſet, ad Vicẽtiam quoq; occupandam, & Patauinos ſub iugum mittendos animum adiecit. Patauinis, Comes Goritiæ militabat, atq; is in conuiuio quodam, apud Taruiſinos, veneno ineſcatus obierat. Itaq; illi auxilio deſtituti, ſubſidia commodum ab Auſtriacis ſecundo petierant, obtinuerantq;. Namq; opportune, ad primos dies Iunii, 12600. equites Germani ac Hungari, ſub ſignis Othonis Auſtriaci & Ducis Carinthiæ aduenerant. Siquidem Auſtriacis, de Friderico liberando ſollicitis, hoc vnum propoſitum fuit, vt Ludouicum Bauarum, toties ab Italię tyrannis inuitatum diſtraherent, eaq; ratione Friderico viam tum ad libertatem, tum ad vindicias aperirent. Leopoldus quoq;, qui per id temporis Pontificem pro liberatione Friderici conuenerat, nullum non mouit lapidem, vt Ioannem, & Regem Galliarum contra Ludouicum armaret. Et quidem Pontifex miſſis ad Carolum Legatis, conabatur eum ad arma contra Bauarum capeſſenda excitare. Cum Pontificiis Legatis, Leopoldus in Gallias conceſſerat, vt tanto facilius Regem permoueret. Itaq; illi cum Carolo apud Barium caſtrum congregati, de bello in Ludouicum ſuſcipiendo, æſtate prima appetente, diebus menſis Iunii deliberabant. Voluntatem inprimis Pontificis Regi exponebant. deinde addebant, magnam occaſionem res maximas gerendi illis offerri, ſine magnis difficultatibus rem poſſe confici, Germaniam fere omnem à Ludouico excommunicato defeciſſe, plurimos fauere Friderico afflicto, Vngariam paratam ad auxilium ferendum, Ludouicum furiis malæ conſcientiæ agitari, non eſſe difficile hominem inſanum vincere, deſtitutum illorum præſidiis, quorum auxilio hoſtibus hactenus reſtiterit. Id genus multis conabantur commouere Carolum, ad bellum Ludouico inferendum, & ad Fridericum liberandum. Iniecerant & mentionem Regni Romanorum: difficiles non futuros Principes in eo deligendo affirmantes, ſi modo Ioannes Boemiæ Rex, affinem illum, ſuo ſuffragio non fraudaret. Cautus Carolus, ea conditione aduerſus Ludouicum bellum ſe ſuſcepturum pollicitus eſt, ſi modo Friderico iure ſuo ad Regnum Romanorum cederet, & Principes Electores annuente Pontifice, ſeſe deſignarent. *Villani l. 9. c. 255. & Mutius Chron. Germ. l. 24.*

XIX. DISSIDIA INTER CAROLVM REGEM FRANCIÆ ET EDOVARDVM ANGLIÆ.

Erant & aliæ cauſæ, quæ Carolum à ſuſcipiendo bello, hoc anno deſtinerent. Edouardus Anglus bellum ei intulerat, neq; ligium homagium ratione Ducatus Aquitaniæ præſtare Carolo voluerat, Legatosq; Regios, qui diem ei ad præſtandum ſacramentum dixerant, neue pacem Galliarum perturbaret monuerant, nimis temerario auſu contempſerat. Itaq; neceſſe habuit Carolus armis Anglum compeſcere. Inq; eam rem Carolum Valeſium triginta millib. armatis præfectum contra Edouardum deſtinarat, *Villani lib. 9. c. 264. & Valſing. hiſt. Angl. in Edouardo 2.* Ioannes Pontifex porro, vt diſſidentes Reges conciliaret, data *ep. num.* 16. huius anni, Edouardum admonuit, qui homagium legib. omnium gentium receptum, Carolo Regi præſtaret, ſi principatum Aquitaniæ, iure fiduciario retinere cuperet. Cum Edouardus contempſiſſet, eiusq; nomine Hugo Penſacenſis, non conſulto Rege Franco, in Aquitania arcem, loco rebus bello gerendis idoneo ædificaſſet; & ad iudicium Caroli vocatus, eam cauſam non eſſe Regis Franci cognitionis iuriſdictionisq; iactaſſet, Carolum concitauit, vt is arcem inchoatam occuparit, deinde Carolo Valeſio miſſo Penſacenſem profligarit, maioremq; Aquitaniæ partem, pręter Burdegalam, Baionam ac Fanum Seueræ recuperauerit: pœnas dante Edouardo Anglo, neglectæ ſeu contemptæ Pontificiæ admonitionis. *Æmil. l. 8.*

Quamquam, quod bello, tum à Gallis, tum à Scotis premeretur, non minima quoq; cauſa vltionis diuinæ fuerit, violata immunitas Eccleſiaſt. hoc anno ab Edouardo. Ne facinus videar per amplificationem magnifacere, verbis ipſis Valſingani denarrabo, quid tum admiſerit.

XX. EDOVARDI REGIS IMPIVM FACINVS IN ADAMVM EPISCOPVM HEREFORDENSEM.

Ad primos dies Quadrageſimæ, parlamentum Londini indixerat Edouardus. In eodem parlamento arreſtatus fuit Adam Epiſcopus Herefordenſis, in magnum cleri dedecus, & præiudicium totius Eccleſiæ Anglicanæ. Crimini dabatur, proditio, & Regia maieſtas violata, quaſi is aliquot hoſtes regios ſuſcepiſſet, armatorum copias illis ſuppeditaſſet, necnon auxilium, conſilium & fauorem illis ipſis impendiſſet. In præſentia Regis & procerum examinatus, cum primum nihil ad obiecta reſpondiſſet, patientiq; animo omnia conuitia & opprobria ſuſtinuiſſet, tandem varie pulſatus excepit; *Domine Rex (veſtra Regiæ maieſtatis reuerentia ſemper ſalua) ego S. Dei Eccleſiæ miniſter humilis, membrum eius, & Epiſcopus conſecratus licet indignus, ad tam ardua nequeo, nec debeo reſpondere, abſq; Domini Canthuarienſis Archiepiſcopi, poſt ſummum Pontificem mei directi iudicis (cuius etiam ſum ſuffraganeus) auctoritate & aliorum parium meorum Epiſcoporum conniuentia vel conſenſu.* Hoc reſponſo prolato, mox Archiepiſcopi & Epiſcopi omnes ac ſinguli, qui affuerant ſurgentes, Regis clementiam pro collega & Coepiſcopo implorabant. Sed Rege tot ſupplicationibus non placato, neq; ab ira concepta vllatenus pacificato, totus Clerus dictum Epiſc. & membrum Eccleſiæ vindicauit. Deliberatus eſt igitur cuſtodiæ Cantuarien. Archiepiſcopi, donec Rex decerneret, quando ad obiecta vel alias obiicienda reſponderet. Paucis exactis diebus, Rex vt prius Epiſcopum prædictum conuenit. Quo rumore ad aures Pontificum perlato, Cantuarienſis, Eboracenſis & Dublinenſis Archiepiſcopi, cum aliis decem Epiſcopis, erectis crucibus, ad locum iudicii cum omni celeritate venerunt, & confratrem eorum & Coepiſcopum ſolum ſtantem, & nimium deſolatum in ſuam cuſtodiam ſuſceperunt, & eum abſq; reſponſo dato, ſecum abduxerunt, iniungentes firmiter ex parte Dei, & ſub pœna anathematis vniuerſis qui aderant, ne quis in eum manus præſumeret iniicere violentas. Epiſcopo ad eum modum abducto, Rex tanta cleri commotus conſtantia, quaſi ex officio iudicis, pręcepit fieri inquiſitionem de obiectis. Multi Iurati conuocati, plus Regis terreni offenſam, quam ſempiterni iudicis vltionem metuentes, abſentem Epiſcopum reum fuiſſe de omnibus obiectis articulis per calumniã affirmarunt. Per falſos teſtes, Epiſcopus innocens damnatus, omnibus bonis, & redditibus exutus, Regis iniuſtitiam patienter tolerauit, apud Archiepiſcopum Cantuarienſem. Hac iniuſta Epiſcopi damnatione, diuinam vindictam in ſe prouocauit, vt & domeſtico, & extraneis bellis peteretur. *Thomas VValſing. hiſt. Anglic. in Edouardo* 2. exemplo Principibus, ne contingant Chriſtos Dei.

XXI. ADAMVS EPISC. CONTRA EDOVARDVM REGEM AGIT APVD REGINAM.

Inter hæc Adamus, nihil eorum prætermittebat, quo Hugonib. ſpenſeriis, (quorum conſilio Edouardus Rex omnia faciebat) & propter eos Regi quoq; incommodaret. Procerum quoq; in eos odium, iam pene oblitterarum & ſopitum, recruduit, nec prius quieuit, quam non modo Hugones, ſed & multi proceres, & Rex eodem tandem incendio conflagrarint: præſertim cum & Regina, Hugonibus propter varias cauſas infeſtiſſima, in illos & in maritum Regem aliquos principum concitaſſet: hos vero pariter Adamus admonuiſſet, vt Reginæ omnia conſilia, id eſt, ad Reipublicæ capitales hoſtes obterendos, & Rempub. rite collocandam ſpectãtia, fortiter & conſtanter vt cœperant exequerentur. Rem n. prope omnem iam confectam, Inſtareq; tẽpus, quo Reſpub. meritas de ſceleratis ciuibus pœnas deſumeret. Tantum egit, vt Reginæ conſiliis & auxiliis, Edouardus, anno inſequente, à procerib. interciperetur, & in Keneluuorthia arce captiuus detineretur: inſuper & ad deponendum Regnum, non tantum ſuaderetur,

ſed pene compelleretur. *MS. bibl. Vatican. de reb. Anglic.*

XXII. ROBERTVS SICILIÆ REX INSIGNI CLASSE INSTRVCTVS GENVAM ET NEAPOLIM CONTENDIT.

Per id temporis, Robertus Rex Siciliæ, vna cum ſua coniuge, ac Carolo Duce Calabriæ ſuo filio, & pleriſq; proceribus, Genuam ex Auinione, ab Ioanne Pontifice dimiſſus, X. Cal. Maii reuerſus, quadraginta quinq; nauigia, milite, armis, cæteriſq; rebus inſtructa, ſecum adduxit, eo conſilio: vt inde Neapolim transfretaret. Genuæ ſubſiſtens, noua quædam inſtituta & decreta, circa Reipub. adminiſtrationem, è mente ſummi Pontificis promulgauit. Et quoniam ſenatus, illi ad decennium, Reip. dominium tradiderat, poſt multam deliberationem, iterum in ſex annos proxime futuros, imperium illi prorogauit. licet ipſe poſtmodum vſq; ad annum eiuſdem ſæculi trigeſimum quintum præfuerit. Conſtitutis rebus Genuæ, & ſubſtituto qui Reip. curam capeſſeret, pridie Idus Maii Neapolim vna cum claſſe & familia contendit. *Bizar. hiſt. Genuen lib. 5.* nonnihilq; animorum aduentu ſuo in Italiam, Pontificiis adiecit: vt tanto alacrius, ſub ſigna Legati & Cardonæ conuolarent. Adhæſerant Raymundo factionis Guelphæ Florentini, cum reliquis Etruſcis, Bononienſes, Rhegienſes, Parmenſes, Brixienſes, Cremonenſes, Papienſes, Nouarienſes, Pergmenſes, Vercellenſes, Laudenſes. Comenſes, Cremenſes. Præter hos Genuenſes qui ciuitatem obtinebant, Terdonenſes & Alexandrini. Præter illos etiam Paganus Turcianus Aquilegiæ Patriarcha, Frater Aychardus Mediolanenſis Archiepiſcopus, cum Epiſcopo Vercellenſi, & alii complures, Cruce, à Bertran. Legato inſigniti. *Donat. Boſ. hiſt. Medial.*

XXIII. ROMANÆ VRBIS PRÆFECTI QVINAM.

Romanam vrbem, in fide Pontificis continebant, Poncellus, Iacobus Neapoleonis, atq; Brachia Vrſini, pro Roberto Rege Senatore Vrbano, Vicarii. Non deerant aliqui Romanorum, qui aduentum Ludouici in Italiam exoptarent, resq; nouare tentarent. Ab Vrſinorum vigilanti prudentia, & potētia militari ſtetit, ne quid turbarum excitaretur, in Eccleſiaſticorum perniciem. *Monum. gentis Vrſinæ apud Excellentiſſ. D. Paulum Iordanem, Ducem Brachiani, qui id temporis patri demortuo feliciter ſucceſſit.*

XXIV. FLORENTIA MOENIIS CINGITVR.

Florentinorum Vrbs hoc anno, Ioannis Villani Ciuis & hiſtoriographi, necnon Præfecti ædificationum apud Florentinos opera, ac diligentia, mœniis cingebatur, atq; turritis propugnaculis muniebatur. *Villani l. 9. c. 257. & ſeq.* In eam ædificationem collatam ex decimatione pecuniam, quidam ex Clero Florentino ſuam facere volebant. Quapropter Ioann. ſummus Pontifex, Epiſcopis Volaterrano & Piſtorienſi, necnon Priori Florentino Ord. Prædicatorum, commiſerat, vt eos Clericos ad reſtitutionem pecuniarum, pro muris Florentinis deſtinatarum, compellerent. Ea re dedit ad illos literas. *VI. Cal. Martii* Pontificatus anno 8.

XXV. IO. PP. CONSTITVTIONEM CONTRA PECVNIARVM ADVLTERATORES PROMVLGAT.

Neq; tantum hac ratione, ſed etiam aliis, pecuniæ publicæ, aut interuertebantur, aut corrumpebantur, ne vſibus publicis impenderentur. Per id temporis, Senatus Florentinus vt etiam re nummaria, pro Eccleſiaſticis laborantes, adiuuaret. florenos aureos excudi præceperat. Non defuerant, qui variis modis adulterarent, adeo vt Ioannes ſummus Pont. neceſſe habuerit, hanc quam ſubiungo Conſtitutionum euulgare. Ita habet tit. de dilationib. extr. l. 2.

*In delictorum diuerſorum nexibus, ac tenebris inuolutos, plerumq; trahit in maiorum ſcelerum præcipitium moles præponderans peccatorum. Nam & ſi diuerſos diuerſa delicta coinquinent, ſunt tamen nonnulli, qui propriæ ſalutis immemores, delictis communibus & vulgaribus non contenti, ad profana & vetita prorumpentes, ſic damnata cupiditate lucrorum, ac inexhauſta eorum voragine deuoluuntur, quod dummodo ſuas ingluuies, ad quas inhiant, expleant. ſe lucris illicitis, imo iacturis ſpiritualibus temere immergentes, honori Dei & animarum ſaluti, ac ſacrorum Canonum, & Imperialibus edictis, & iuribus communibus capturas nefarias, & lucra illicita anteponunt.*

*Sane iamdudum ad noſtri Apoſtolatus auditum, multorum fide digna relatio ſæpius etiam repetita perduxit, & fama iam publica per facti euidentiam diuulgata efficit notorium, nonnullos eſſe in Lombardiæ ſuperioris, & Marchiæ Ianuenſis partibus, qui licentiæ temerariæ laxatis habenis licere ſibi præſumentes illicitæ ſibi cudunt, & fabricant, ſeu cudi & fabricari faciunt florenos aureos, ſecundum formam & ſignum, & coinum, ac circumferentias litterarum, qui in ciuitate Florentiæ (à tempore cuius non extat memoria) cudi & fabricari ſunt ſoliti, & cuduntur, & fabricantur etiam in præſenti. Et quamuis dicti floreni ad veram florenorum de Florentia ſimilitudinem fabricati, in vero, & ſolito florenorum eiuſdem ciuitatis pondere communiter, & bonitate auri, & vero florenorum valore deficiant; ipſi tamen (ſimulata eorum effigie) perſonas, vt plurimum ſimplices, & quandoq; etiam in huiuſmodi rebus expertas, decipiunt, ipſaſq; damnis rerum, & periculis perſonarum exponunt, dum pro veris florenis ipſos recipiunt, cum etiam præterea in talibus plurimi, non habeant, inter florenos & florenos tantæ ſimilitudinis peritiam diſcernendi.*

*Nos itaq; tantis, & præcipue animarum periculis affectui paterno occurrere cupientes: monemus omnes & ſingulos talium præſumptores, ipſis nihilominus diſtrictius inhibentes, quatenus deinceps à cuſione, & fabricatione florenorum huiuſmodi ceſſent realiter, & effectualiter reſipiſcant. Nihilominus præſentis edicti peremptorii auctoritate citantes eoſdem, ac eorum ſingulos ſub pœna priuationis iuris, ſi quod eis ſuper cudendis florenis competit, (quia ipſos ceſſante iuſto impedimento ſi in exequendis mandatis noſtris huiuſmodi remiſſi, ſeu negligentes fuerint, incurrere volumus ipſo facto) vt intra trium menſium ſpatium à data præſentium numerandum, per ſe, vel per procuratorem idoneum Apoſt. conſpectui ſe præſentent, propoſituri, quo iure ipſis florenos competat ius cudendi, ac exhibituri priuilegium, ſi quod ſuper hoc habeant: vel ius aliud, ſi quod ſibi credant competere, oſtenſuri. Et nihilominus ſuper prædictis facturi; & recepturi, quod iuſtitia ſuadebit. Intimantes eiſdem, quod ſi non venerint, nos contra ipſos ſuper præmiſſis, & ea tangentibus procedemus, prout expedire viderimus, & ſuadebit iuſtitia, ipſorum abſentia non obſtante. Vt autem huiuſmodi noſtra nuntiatio, atq; citatio ad communem omnium notitiam deducatur, chartam, ſiue membranam, citationem atq; monitionem huiuſmodi continentes, in maioris Eccl. Auinionem affigi oſtiis faciemus: quæ proceſſum huiuſmodi ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, vt prædicti moniti, & citati, & alii quicumque, qui ſua crediderint intereſſe, vel quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos proceſſus huiuſmodi non peruenerit, vel ignorauerint eundem: cum non ſit veriſimile remanere quoad ipſos incognitum, vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur.* Dat. Auinion. 6. Cal. Dec. Pont. noſtri anno 9.

XXVI. IO. PP. F. IOAN. DOMINICVM E DALMATIA REVOCAT.

Eodem anno Ioan. Pont. F. Ioan. Dominicum Ord. Præd. in Dalmatiam, pro grauiſſimis ſedis Apoſt. negotiis, internuncium deſtinatum datis 7. Id. Mart. literis Auinionem reuocauit. Vt certo certius cognoſceret, quanta auxilia in ſubſidium Auſtriorum contra Scalamum conquiſiuiſſet, quid ve in adiuuandis Orientalib. Guelfis cum Illyriis ſtatuiſſet.

XXVII. CONCORDIA INTER PISANOS ET IACOBVM ARAGONIVM STABILITA.

In Italia, Piſani, hoc quoq; anno, contra Iacob. Aragonum Regem tumultuantes, ipſum poſſeſſione Sardiniæ, quam iure beneficiario à ſede Apoſt. obtinuerat, eiicere nitebantur. Miſerat Iac. Bernardum Boxadium, qui Ioan. Pont. de rationibus concordiæ admoneret, ſummamq; cenſualem aliquātum deminui poſtularet. Vtrumq, conceſſum. Præterita quæ retinuerat, in ſumptus conquirendæ inſulæ remiſſa; reliquorum ſolutio ad mille nummos aureos reducta. Pax deinde inter Piſanos & Regem, menſe Iunio his conditionibus ſtabilita. Vt captiui vtrimq; redderentur. Mutui commercii libertas eſſet. Calaris arce à Piſanis retenta, cum territorio & oppidis contributis, reliqua Aragoniis accederent. Poſſeſſio inſulæ penes Aragonios Reges eſſet. Iidem Aragonii Reges cenſum non ex Sardinia tantum, verum & ex Cæſarauguſta & Tarracone ſedi Apoſtolicæ quotannis debitum perſoluerent. *Cod. Columu. Bibl. vatic. Regeſt. Ioannis Papæ hoc anno, ep. 30. 118. & 139. Marianalib. 15. c. 18.* Decimatio præterea fructuum Eccleſiaſticorum Iacobo Regi, apud Aragonios, in ſumptus belli Maurici, quemadmodum & Carolo Valeſio in Galliis in bellum Anglicanum, hoc eodem anno, ab eodem conceſſa Ioanne, per literas *nu* 30. & 120.





XXVIII. LVDOVICVS BAVARVS OB IVRISDICTIONEM SIBI VSVRPATAM EXCOMMVNICATVR À IOANNE PP.

His temporibus, Ludouicus Bauarus vxorem cuiuſdam viri potentis cum qua is totis vndecim annis conuixerat. Ottoni ſuo filio in matrimonium collocauit. Prætexebat Ludouicus impedimentum conſanguineitatis, quaſi propter illud, matrimonium prius dirimendum ex lege foret. Maritus ad ſedem Apoſt. cuius officij eſt controuerſias matrimoniales cognoſcere, rite prouocabat. Pont Ludouicum, ne iuriſdictionem Eccleſiaſticam ſibi vſurparet, admonebat; adeoque ad dicendam cauſſam euocabat. Cum autem Auinionē nō veniret ei communionem Eccl. Pont. interdixit, varijſque cenſuris eum publicè damnauit. *Chron. Hirſaugien. Ioan. Trithem.*

XXIX. GVILELMVS CORNVS POST OBITVM FF. PRÆDICATORVM SVFFRAGIIS À PVRGATORIO LIBERARI PETIT.

Hoc anno, apud Aleſtam Prouinciæ defuncto quodam homine, cui Guillelmo nomen Corno erat, ſpiritus eius quamplurimis, non quidem viſus, ſed auditus eſt. Ex ſonitu quem concitabat adeſſe ſentiebatur, & multa alterius vitæ ſecreta admiranda, præſertim de expiatorijs ignibus, voce quæ intelligi poterat renunciabat. Illud cum ad aures Prioris F. Prædicatorum, ſanctitate vitæ præſtantem, perueniſſet, certiora ſcire cupidus, pluſquam centum hominib pietate eximijs comitatus, ad locum deſignatum; ſed Sacroſan. Euchariſtia onuſtus acceſſit, vt diuino Chriſti Corpore præmunitus, citra omnem formidationem inueſtigaret, quis Sp. & num malignus ad decipiendum, infeſtandumue, num verò pœnæ alicui temporariæ ſecreto Dei iudicio addictus, ad ſuffragia poſtulanda, mortaleſque officij admonendos, ſpeciali permiſſione diuina aduentaret. Mox vt in cubiculum Prior pedem intulit, Sp. conditorem Redemptoremque ſuum agnouit, confeſſuſque eſt, hæc dicens priori: *Tu geſtas tecum Saluatorem Orbis.*

XXX. GESLERVS PRÆFECTVS VVILHELMO TELLO OB NON DELATOS SIBI HONORES SVPPLICIA INTENTANS, CRVDELITATIS DAT POENAS.

Per Sacram hoſtiam, perque virtutem Chriſti adiuratus, multa ſecreta renunciauit, ſeque ſuffragijs prioris & F. Prædicatorum, ab igne purgatorio eripiendum fore dixit. *Ioan. Villani l. b. 9. c. 234.*

Per id temporis, mirum in modum Deus vltus eſt, quemdam tyrannum inter Heluetios. Iucunda ſunt quæ adiungo. Geſlerus is erat, nomine Ludouici Bauarii, in Suitia & Vrania Præfectus. Explorare volebat, qui ſibi minus morigeri eſſent. Itaque huic rei pileum in publica via Altorffenſi baculo impoſuit, atque eumdem magna obſeruantia coli præcepit, tamquam ſibi præſens aſtaret. Huic etiam loco cuſtodes adhibuit, qui mandatū negligentes obſeruarent. Cum VVilhelmus Tellus vir magnanimus præteriret, vile illud lignum neglexit. Eius rei cum admoneretur, reſpondit: Seſe præfectum ſemper ſumma veneratione excepiſſe & coluiſſe, idque facturū porro ſe eſſe; verum iniquū eſſe, vt homo Dei creatura abiectum pileum tanta veneratione amplecteretur. Illud cum Geſlerus crudelis Præfectus intellexiſſet, ſtatim VVilhelmū capi, atq; ad ſe adduci iuſſit, ſperans eius indicio ſeſe quorumdam coniurationem percipere poſſe. Verum cum is negaret ſe eius rei ſocios habere, alio modo eius animum tentare conſtituit. Conuocatis eius liberis, quæſiuit quem magis diligeret. Puerum elegantis formæ cū indicaſſet, eū ad palum ligari & pomum capiti eius imponi, tū VVillelmo centum & viginti paſſus retrocedere, & pomum illud ſagitta petere iuſſit. Si illud, telo configeret, mitiùs ſe cum illo acturum; ſin erraret extremo illum ſupplicio addicendum. Atrocitate rei commotus VVillelmus, inprimis ſe excuſabat, deinde aliam pœnam depoſcebat, apud ſurdum auditorem. Arcu & ſagittis, allatis, cum filiū conſolatus eſſet, diuinamque opem implorasset, magna omnium admiratione pomū tetigit, atque è capite filij telo ſummouit. Dum autē ſeſe huic collimationi accommodaret, alteram ſagittam à tergo iuxta ceruicem thoraci indiderat. Cauſam à præfecto ſciſcitatus, ſe id pro more ſagittariorum feciſſe reſpondit, qui inter ſagittandum duo ſemper tela parata haberent, vt vno fracto, aut læſo, altero vterentur. Spondebat libertatem VVillelmo, ſi porro veritatem fateretur. Is autem ingenuè dixit; ſi fortè filium per errorē ſagittando interfeciſſet; ſeſe altera ipſum Præfectum immania hæc imperantem petiturum fuiſſe. Ab ea cōfeſſione præfectus ira inflammatus, ſeſe quidem ei vitā pollicitum, verumtamen perpetuo carcere ipſum puniturum repoſuit. Itaque catenis vinctum ſubito naui inferri iuſſit, vt ſecundum lacum Lucernam verſus deſcendēs, eum in munitiorem cuſtodiam deportaret. Cum autem nauigarent, Dei prouidentia factum, vt ſubito maxima tempeſtas oriretur, & procellæ nauem impeterent, adeo vt præfectus in maximo diſcrimine verſaretur. Admonitus à ſatellitib. vt Tellū vinculis exſolueret, & ad remos applicaret, quod ſciret virum fortem nauticęque artis peritiſſimum qui ſolus nauem regere, & ad portum facilè deducere poſſet remis applicuit: atque is reuinctus nauem gubernauit, atque magna dexteritate deduxit. Cum non procul à littore ſcopulum quemdam nouiſſet, illo nauigium direxit. Et arcu arrepto, in ſaxum inſilijt, altero que pede nauim in altum repulit, ad eumque modū euaſit, ac vindictā de tyrāno ſumere decreuit. Namque is in lacum repulſus inclamauerat, ſeſe id ſcelus grauiter puniturū, atque VVillelmum cum vniuerſa eius familia extirpaturum. Itaque VVillelmus cum ſeſe ad ripam nando contuliſſet, præfecti iter ſedulo obſeruauit. Cum is etiam littus attigiſſet, atque per viam cauam & profundam verſus Vraniam equitaret, Tellus intento arcu prætereuntem ſagitta tranſuerberauit, vt equo delapſus ſtatim infelicem animam effluerit. Vraniam poſtea adueniens, cū multas nobilium & popularium querelas, contra tyrannum extinctum audiuiſſet, fœdere ſibi omnes vim Bauari metuentes aſtrinxit, ingentiaque facinora pro patriæ libertate portentauit. *Annal. Heluet. lib. 4. c. 53.*

# IESV CHRISTI

## Annus 1325.

### IOANNIS PAPAE XXII. ANNO 9. & 10.

I. CAROLVM GALLIARVM IN REGEM ROMAN. ELIGERE COGITAT IOAN. PP. *ep. 210.*

CVM Leopoldus Auſtrius, Ioanni ſummo Pontifici, non difficilem fore Caroli Regis Galliarū, ad Regnum Rom. aſſumptionem oſtenderet, facile permouit. Ioan. pacis Italiæ & German. cupientem, vt is eam in rem inclinaret. Itaque Carolo Pulchro mentem quorundam Principum German. per literas aperuit, neue ſuæ dignitati imprimis obeſſet, ſed eam vltro vanientē amplecteretur, adque tutelam iurium Eccleſiæ, & vindicias inuaſorum imperij ſeſe accingeret admonuit.

Legatum quoque vna cū Leopoldo ad eum deſtinauit, qui cuncta explicaret, & ad congreſſum cum Princ. Germ. perurgeret. Non procul à Confluentia Principes Eccleſiaſtici, Nuncij Pontif. & Regis Caroli, vna cum Leopoldo conuenerant: atq; ſoli nauigio ſuper Rhenū conſcenſo, de Carolo in Regem Rom. deligendo tractauerant. Aberant Duces Electores, neque Ioan. Rex Boemię aduenerat. Poſt multa vltro citroq; in cōmune collata, nihil potuit decerni, tū propter abſentiam Duūm electorum, tum propter Bertholdum Buchecliū Magiſtrum Hoſpitalariorum Confluentinorum, quod eum ſummus Pont. indignum Archiepiſcopatu Mogūtino, poſt mortem fratris eius Matthæi iudicaſſet, ab eaque dignitate conſequenda impediuiſſet. Is enim Balduini Treueren. Archiepiſcopi & Ioannis Boemiæ Regis auctoritate fretus, egit, ne Henr. Colonien. & Matthias Moguntinen. Archiepiſcopi quicquā potuerint decernere. Reuertentem ex eo Comitio Priorem Toloſanum Ord. Hoſpitalariorum, Pontificium Legatum, Baſileenſes impij ex Mariano luco in præterfluentem Rhenum præcipitem egerunt, & natatu euadere contendentem, in ipſo portu trucidauerunt. *Albertus Argentinen. in Chron. Cuſpiman. in Ludouico Bauaro, Villani lib. 9. c. 268. Redborf. in annalibus.* Illud tantum Leopold. effecit,

vt Allatiæ ciuitates à Ludouico Bauaro defecerint, ſeſeque illi pro Friderico eliberando laboranti permiſerunt; quorum poſtea auxilijs fretus, Ludouici Bauari animum inclinauit, ſiue adeo fregit, vt is de Friderico excarcerando cogitarit. *Mutius hiſt. Germ. lib. 24.*

**II.** QVIBVS CONDITIONIB FRIDERICVS ET LEOPOLDVS CVM LVDOVICO CONVENERINT.

Extremis dieb. Octobris, conuenit inter eos, vt 1. Fridericus Suffragia à principibus Electoribus olim ſibi collata, in Ludouicum Bauarum transferret, adeoque vniuerſo iure in Regnum & Imperium Roman. ſeſe exueret. 2. Adminiſtrationem Germaniæ per abſentiam Ludouici ſuſciperet, ſed ne vmquam Italiam, aut inſignia imperij aut exambiret, aut cogitaret. 3. Leopoldus inſignia imperij reſtitueret, neque quippiam amplius nouaret, ſed Ludouico in Italiam concedenti comes, titulo Præfecti exercituum eſſet. 4. Fridericus nulla ſe vi coactum, ſed ſponte conditiones ſancire & approbare iuraret. 5. Iniuriarum perpetua obliuio eſſet. 6. Damna vtrimque illata tolerarentur, neque eorum nomine agere liceret. 7. Principes Electores, & reliqui Proceres imperij, ea pacta fœdera accepta haberent. Ad eum modum omnibus ſtabilitis, Fridericus quidem anno ſubſequente euaſit. Cæterum Princ. præſertim Eccleſiaſtici, necquicquam iuri ſuo derogare volentes, Pontificis & Caroli Regis Galliarum exhortationibus admoniti, eas pacis conditiones ratas eſſe noluerunt. Quod Ludouicus ſi quod ex diſcordi electione acquiſiuerat, illud propter cenſuras Eccleſiaſticas amiſiſſet; neque Fridericus, in eum quicquam conferre potuiſſet. Cum ſuffragia electorum tantum deſignarent Regem atque Imp. futurum, non verò deſignata facerent poteſtatem, ſeſe dignitate collata exuendi, eamque in alium transferendi. *Villani lib. 9. cap. 315. Caſpinianus in Bauaro, Mutius & Albertus ſup.*

**IV.** LVDOVICVS AD OCCVPANDAM ITALIAM FRAVDVLENTER OMNIBVS PACEM POLLICETVR,

Ab illa tamen tractatione Ludouicus, iam vniuerſam Italiam ſpe concepta pene deuorauerat, Galeaziumque & Marcum Vicecomites, nec non & reliquos Gibellinorum Princ. ſecuros eſſe iuſſerat, datis literis Galeacio & Marco, ac Senatui Mediolanenſi. Accuſabat Lombardorum pleroſque quod illi ait, non conſenſerint Maieſtati noſtræ, & cum fraudulentis promiſſis, ſe tranſtulerint ad ritum (ita profanus, Pontificias partes appellabat) alienigenarum, neque ſuum tenere voluerint inſtitutum. Promittebat omnibus deinde ab alienis iuribus libertatem & fidem imperio ſeruantibus honorem quietem, & pacem. Concludebat hunc in modum: *Quare ſi ſic eſtis vt volumus, & ipſi bene valeamus, cum veloci apparatu cito veniemus ad vos, ad accipiendum quæ noſtra ſunt, & dabimus diuina largiente gratia, pacem rebus. Valete.* Dolebat iſtud non modicum Ioan. Pont. qui videret furentem Ludouicum, fallacibus promiſſis gentem nimis credulam ineſcare. Quamobrem non difficilem ſe exhibuit, in Galeacio, & reliquis Vicecomitibus ad gremium Eccleſiæ reuerti volentibus recipiendis. Rolandus Rubeus Princ. Parmenſium, vna cum Ioanne Morigia Galeazium impulerant, vt is Pontificio Legato adeoque ipſi Ioanni ſupplex fieret.

**V.** GALEAZIVS SVB DOLE PACEM A IO. PP. PETENS SVIS REB. CONSVLIT.

Neceſſitate quoque ipſa Galeazius ad pacem ineundam vrgebatur, quod Marcus frater, Lodriſius & Actius Vicecomites, non ſatis æquo animo in ſe forent. Depoſcebant illi in præmium operæ nauatæ, in ſocietatem adminiſtrandæ vrbis à Galeazio admitti: vel ſaltem ſtipendiorum nomine, aliqua caſtra recepta, ſibi deſignari. Cumque Galeacius ſolus principatum ſibi arrogaret, neque vllam in rem ſocios fortunarum admitteret, alienati ab eo, promiſcuam plebem dirarum promulgatione fractam, ſecum in ſeditionem trahebant. Itaque Galeazius, id quod erat metuens, Pontificis gratiam impetrandam ſibi propoſuit. Erat in cuſtodia Raymundus Cardonius, Dux Pontificiorum, vir ſolerti grauique ingenio præditus. Hunc idoneum exiſtimans per quem à Pontifice pacem impetraret, carcere emitit, vſque adeo egregiè ſimulata fuga, vt duo ex intimis familiaribus inſigni nobilitate iuuenes Becalcius Landrianus, & Phæbus Contes, elabentem comitati prodidiſſe cuſtodiam putarentur; ſingulari quidem cum infamia, & ſummo cum dolore propinquorum, quum Galeacius eos tanquam admiſſi ſceleris reos, per præconem exilio multauiſſet. At Hiſpanus, vti generoſum decebat, ſincera fide cauſam egit, Placentiæ quidem primo apud Legatum, deinde Auinionem contendens apud Pontificem, Landriano & Phæbo arbitris, & peculiari oratione probatiſque mandatis ſuppliciter pacem petentibus. Poſtulabat Galeazius, Mediolani & Cremonæ dominium, titulo ac nomine Vicarij imperij, à ſede Apoſtolica ſibi tribuendo. Quingentis præterea cathaphractis equitibus, in præſidium earum Vrbium, ære proprio pollicebatur ſtipendia. Non abnuit Pont. pacem ſupplici Galeazio cōcedere, quod eam Cardonius omnino vtilem fore diſſerebat, videreturque ex commodo dignitateque Pontificij nominis, ſi Chriſtiana benignitate clementiaque inductus, eos in clientelam fidemque reciperet, qui omnibus quaſi bellis inuicti, non temerè ab his qui virium periculum feciſſent, inſuperabiles crederentur. Petebat Pont. ex conſilio Roberti Regis, qui ſuper ea re conſultus fuerat, vt poſtquam Galeacius conuerſo ſtudio, amicum fidelemque clientem Rom. Pont. ſe fore profiteretur, etiam gerendo bello ſocius eſſet, eoſdemque hoſtes habere vellet. Sedis vnum Imp. beneficiarioſque eius excipiens adduci non potuit, vt quicquam polliceretur, quod familiæ ſuæ antiquiſſimo in Cæſares ſtudio id indignum reputaret. Cæterum eo modo pace confecta, Cardonius iterum magnis exercitibus à Pont. Robertoque Rege præfectus eſt, poſtulantibus eum Florentinis, qui à Caſtrucio vehementer exagitati, veteribus innixi ſtudijs, Pontificiarum partium nomen, magnis opib. tuebantur. Itaque Cardonius ab oſtio Rhodani triremib. Thelamonem deuectus, Florentiæ militaris imperij ſceptrum, ac ſolenne vexillum accepit, & contra Caſtrucium ad Phocenſium paludes caſtra metatus eſt Phæbo & Landriano, priſtinæ famæ decus à Galeazio reſtitutum, quamquam confecti negotij arcana, tum minimè nudanda viderentur.

**VI.** FOEDIFRAGVS ARMA CONVERTIT IN PONTIFICIOS.

Non potuit tamen Marcum fratrem latere, id quod ſubdolus & verſipellis Galeazius in rem ſuam, & Pontificem, & Ludouicum deludens agebat. Quamobrem cum is hæc omnia contra fratrem Bauaro renunciaſſet, Galeazius fraudem patefactam ſubodoratus, contra Pontificios potentiam ſuam vertit, paciſque conditionibus violatis, caſtrum inprimis Dominum cepit: deinde Caſtrucio ſibi coniunctiſſimo, atque Etruſcis Gibellinis non defuit, quin maturè tranſmiſſis auxilijs opem ferret. Actius enim filius per Apuanos Ligures Lucam deſcendere iuſſus, cum ſeptingentis cathaphractis equitib. magna ex parte Germanis, ad Caſtrucium in caſtra venit, vſque adeo opportunè, vt commiſſa ad Altopaſſum pugna, Cardonius iterum caperetur, & Florentinorum vexilla cum Legatis & Ducibus cæſo profligatoque exercitu, in Caſtrucij poteſtatem venirent. *Corius hiſt. Mediol. parte 3. Iouius in Galeazio Vicecomite.*

**VII.** AGIT CONTRA PERDVELLES ET FOEDIFRAGOS ILLOS IOA. PP. APVD REGES ET PRIN

Cæterum ne impune eſſet, pacis, vel fœderis violatorib. ſocijs, adiutoribuſque, Bartrandus Legatus, Fr. Aychardus Archiepiſc. Mediolano à Galeazio eiectus, ac reliqui ſacræ Fidei Quæſitores, omni ratione incūbebant. Fr. Barnabas recens electus Magiſter Generalis Ord. Præd. præ ceteris, negotia S. Rom. Eccleſ. apud Inſubres & in Æmilia agebat. Quamobrem datis ad eum Ioan. Pont III *Idus Mart.* literis, ſerio admonuit, vt maiorē quam poſſet diligentiā in promouendis ijs adhiberet, deque omnib. ſedem Apoſt. certiorem redderet. Italiæ tumultus in cauſa fuere, quod Robertus Rex Siciliæ, Fridericum Trinacriæ Regem, toties ſedi Apoſtolicæ refractarium, & Gibellinis auxilia quotidie ſuppeditan-



ditantem refrenare, quemadmodum voluerat, nequiuerit. Cum enim hoc vnum enixe ac præcipue Robertus in votis haberet, vt Fridericū ex Sicilia deturbaret, appetente vere, Carolum filium, Principem Calabriæ, cum vniuerſa claſſe, in qua erant viginti triremes Liguſticæ, omnib. reb. ad bellū neceſſariis à ſenatu inſtructę, ad Siculā expeditionē ablegauerat; eo tandē euentu vt quā quā ipſe illuc ſecunda nauigatione ꝑueuectus, Pāhormum actiſſima obſidione preſſiſſet, ac etiā crebris oppugnationibus illam expugnare ſummis ſtudiis atq; artibus auniteretur: nihilominus tamen aduerſariis vrbem ſtrenue propugnantib. poſt aliquot leuiora prælia obſidionem ſoluerit, & mox cum mille & quingentis cataphractis, magnoq; peditum numero vniuerſam inſulam variis excurſionibus, dimidium ferme annum, tantum diuexauerit, eamq; plurimis detrimentis affecerit, donec hoſtili potentiæ ac viribus cedens, in Apuliam, voti impos remigrarit. *Bizar. hiſt. Genuen. l. 5.*

**VIII.** POST ILLAS F. IOANNIS STRINCHII BEGVARDORVM SECTARII IGNE CREMAT.

Omnib. his tumultib. faces ſubdebantur, à paupertatis Chriſti & Apoſt. indoctis, temerariis, & errantib. doctorib. Quod n. iſti, male ſanis, & contra Eccleſ. odio inflammatis ſe perſuadere exiſtimarent, Chriſtum & Apoſt. nihil in communi, neq; in peculiari peculio aliquid habuiſſe: facile id à profanis accipiebatur, quod id vnum præcipue curarent, vt Eccleſiaſticis, & imprimis ſummo Pont. omnia eriperent. Quamobrem Ioan. Pōt. hoc anno, cum in temerarios paupertatis Chriſti aſſertores, Inquiſitorib. poteſtatem feciſſet, ipſe primo Sabbatho ieiunii Quadrageſimalis, poſt illas quaſdam F. Petri Ioannis Strinchii Biteren. diæceſis Ordinis Minorum profeſſoris damnauit, ignibusq; denouit. Ex ea n. fomentum non modicū ſumebant, ſectarii peſtilentes, qui ſe pauperes de tertio Ordine S. Franciſci appellantes, flammis fuerant exuſti. *Richar. Cluniac. in Ioan. XXII.*

**IX.** EIVSDEM F. IOANNIS BLASPHEMA DOGMA ET HÆRESES.

Scripſit Petrus Ioan. poſt illas hęreſibus quāplurimis refertas, in Euangelium Matthæi, in Epiſt. Canonicas, & in Apocalypſin Diui Ioan. In hac extrema, communiter interpretatur, per Babyloniam meretricem, vniuerſalē Eccl. Rom. militantem, quam nos Orthodoxi, & veri ſi-me, S. Catholicam & Apoſt. vocamus. Eandem intelligit, per Eccleſiam carnalem, per beſtiam, & per Synagogam Sathanę: Per myſticum Antichriſtū intelligit Papam, ſeu Pont. Roman. per Angelum conſignatum, B. Franciſcum: per Chriſti militiam Begardos, eorumq; hæreſib. ſeu errorib. credentes per Euangelicam vitam, ſeu Regulam, nihil habere, nec in ꝓprio, nec in cōmuni: neq; ius ſeu dominium in reb. habere donandi, vendendi, ſeu ex eis acquirendi aliquid, vel alias alienandi: ſed habere in eis ſimplicem vſum facti. Per Eccl. Spiritualem, intelligit Begardos, eiſq; credentes. Pręter alias paſſim ſparſas, viginti & vnam præcipuas hæreſes euulgauit, quos F. Nicol. Eymerici, in ſui directorii Inquiſit. parte 2. recitabat.

1. Prima hæreſis eſt, quod ſextus ſtatus Eccl. quæ incæpit, vt dicit, à tempore B. Franciſci, & plenius à tempore condemnationis Babylonis meretricis mangnæ, quando Angelus Chriſti ſigno ſignauit per ſuos futurā militiam Chriſti; & durabit vſq; ad tempus Antichriſti, & præeminet notabiliter quinq; primis.

2. Secunda hęreſis eſt. Sicut in primo Chriſti aduentu formata eſt noua Eccl. veteri Synagoga reiecta; ſic & in initio ſexti ſtatus, vetuſtas prioris tēporis eſt vniuerſaliter repellenda, vt videatur nouum ſæculum, ſeu noua Eccl. tunc formari, veteribus iam reiectis. Et ſicut in ſexta ętate, reiecto carnali Iudaiſmo, & vetuſtate prioris ſæculi, venit nouus homo Chriſtus cum noua lege, vita, & cruce: ſic in ſexto ſtatu reiecta carnali Eccleſia, & vetuſtate prioris ſæculi, renouabitur Chriſti lex, & vita, & Crux: ꝓpter quod in eius primo initio Franc. apparuit charactere nouo inſignitus, & Chriſto totus crucifixus, & configuratus.

3. Tertia hæreſis eſt. ſicut gloria, quæ fuerat Synagogæ parata, & Pontif. ſuis, ſi in Chriſtum crediſſent, tranſlata fuit ad primitiuam Eccl. & ad Paſtores eius: ſic & gloria parata finali Eccleſ. quinti ſtatus, propter eius malitiam, ad electos ſexti ſtatus tranſlata fuit.

4. Quarta hæreſis. Conſtat Regulam F. Minorum per B. Franciſcum editam, eſſe vere & propriē illam Euangelicam, quam Chriſtus in ſeipſo ſeruauit, & Apoſt. impoſuit, & in Euangeliis ſuis conſcribi fecit.

5. Quinta hæreſis eſt. Regula B. Franciſci eſt cōdemnanda à plurib. ab Eccl. carnali & ſuperborum collegio, nequiter & ſophiſtice: ſicut Chriſtus condemnatus fuit à Synagoga reproba Iudæorum: & quod hoc oportet ꝑ re exterminium Eccleſiæ, ſicut Chriſti & ſuorū cōdēnatio à Iudæis præiuit tēporale exterminiū Synagogæ

6. Sexta hæreſis eſt. B. Franciſcus eſt ille Angelus, de quo dicitur in Apocalypſi: Vidi alterum Angelum habentem ſignum Dei viui: Euangelicæ vitæ & regulæ ſexto & ſeptimo tempore propagandæ, & magnificandæ renouator, & ſummus poſt Chriſtum & eius matrem obſeruator.

7. Septima hęreſis eſt. Decet condemnationem regulæ B. Franciſci, præire exterminium carnalis Eccleſię, ad hoc, vt iuſto Dei iudicio carnalis Eccleſia prout meruit excitetur, & eius malitia creſcat, & conſumetur vſq; ad impugnationem vitæ & Spiritus S.

8. Octaua hęreſis eſt. Fere oēs clerici & regulares poſſidentes aliquid in communi, videtur minus bene ſentire de abrenunciatione Euang. huiuſmodi in cōmuni.

9. Nona hæreſis. Sicut Synagoga propagata eſt ex duodecim Patriarchis, & Eccl. degentib. ex duodecim Apoſt. ſic finalis Eccl. reliquiarum Iudæorum & gentiū eſt per duodecim viros Euangel. propaganda. Vnde B. Franciſc. habuit duodecim filios & ſocios, per quos & in quib. fuit fundatus, & initiatus Euangelicus Ordo.

10. Decima hæreſis. Tertia tribulatio transfigit manas per apparentiam celebris auctoritatis Eccleſ. & plebeiæ multitudinis ſibi ſubditæ; & per apparentiam contrarii in ſpiritualibus viris.

11. Vndecima hæreſis. Angelus Franciſcus ſentiet ſe proſperari, non ita in carnali Eccleſia Latinorum, ſicut in Græcis, & Sarracenis, & Tartaris, & tādem in Iudęis.

12. Duodecima hæreſis. Omnes Abbates quinti temporis, conuenient in quintum caput beſtiæ, quæ eſt diabolus, aut Antichriſtus, & congregatio malorum.

13. Tertiadecima hæreſis, Illa Eccl. q̃ nos vocamus vniuerſalem Eccl. Catholicam militantem, eſt Eccleſia Carnalis, Babylon meretrix magna extenſiue: quia boni ſic ſunt in ea, ſicut pauca grana auri, inter immenſos aceruos arenę, & ſicut pauca grana tritici ſub immenſo cumulo palearū. quæ ēt Eccleſ. carnalis publice & impudentiſſime adulteratur à ſuo ſponſo Chriſto: quæ ēt ſe & oēs gentes ſibi ſubiectas corrumpit fædis carnalitatibus, & Simoniacis cupiditatib. & terrena gloria huius mundi. quæ ēt nunc exarſit in iram contra viros ſpirituales, & contra vires, & influxus Spir. S. quæ ēt cecidit intus ſpiritualiter, & exterius corporaliter, & quæ per temporale exterminium cecidit in mundo, deinde ad æternum ſupplicium cecidit in inferno. Et quæ ſua malitia & poteſtate impediuit, & anguſtiauit Spir. electorum, & conuerſionem totius Orbis: quæ ēt eſt exterminanda, & eius exterminiū, erit Sanctis quaſi exitus de carcere, ad libertatis latitudinē & volatum; & exitus de tenebroſiſſimo fumo fornacis ad lucem ſolarem, & ſicut exoneratio à lapide molari, ſeu à monte immenſo.

14. Quatuordecima hæreſis. Sicut per quatuor animalia, quatuor primos ſtatus Sāctorū deſignata, ſublimata eſt generalis ſedes Rom. Eccl. cæteris Patriarchalib. ſeu Orientalib. à Chriſto & ab eius vera fide reiectis: ſic in eodē tēpore, ꝑ quatuor beſtias à Daniele viſas, quatuor primis Ordinib. Sanctorū cōtrarias ſublimata eſt ſedes beſtiæ, id eſt, beſtialis cateruæ, ita vt numero & poteſtate præualeat, & fere abſorbeat ſedem Chriſti, cui localiter & nominaliter eſt commixta: Vnde & ſic appellatur Eccl. fidelium, ſicut & illa, quæ vere eſt per gratiam ſedes & Eccl. Chriſti. Super huiuſmodi vero malitiam, non ceſſant zelatores ſancti huius quinti temporis ef-

fundere phialam deteſtationis, & ſceleris, increpationis, ita quod regnum eius, velit nolit euidenter apparet omnib. & etiam ipſiſmet tenebroſum; id eſt, fœda & enormi luxuria, & auaritia, & Simonia, & ſuperbia, & doloſa negotiatione, & aſtutia, & fere omni malitia diſſipatũ, & abominandum. Vnde & infra vocatur Babylon meretrix, habens in manu ſua poculum aureum plenũ abominatione. Per hãc a. ſedem beſtiæ deſignatur principaliter carnalis clerus, in hoc quinto tempore regnans, & toti Eccl. præſidens, in quo quidem beſtialis vita trãſcedẽter, & ſingulariter regnat, & ſedet ſicut in ſua principali ſede: & lõge plus, quam in laicis plebib. ſibi ſubiectis.

15. Quintadecima hæreſis. Tẽpore Antichriſti myſtici, carnalis Eccl. (per quam in toto ſuo proceſſu intelligit Eccl. Rom.) contra doctrinam Sanctorum, & vitam, & zelũ acrius exardeſcens, quaſi omnino ſiccabitur Spir. ſapientia, & virtuali gratia, & opulentia Chriſti, ſicut factũ fuit in Iudæis, & in Græcis, ita vt pateat omni errori.

16. Sextadecima hæreſis. Sicut Vaſthi Regina, à regno & coniugio Regis Aſſueri abiecta, electa eſt Eſther humilis & San. ad eiuſdem Regis connubium & Regnũ, fecitq; Rex magnificum conuiuium cunctis principib. & ſeruis ſuis; ſic reiecta Synagoga, electa eſt Eccl. plenitudinis gentium; ſicq; in ſexto ſtatu Eccl. reiecta Babylone adultera, oportet ſpiritualem Eccl. exaltari, & celebre ac ſpirituale conuiuiũ poſt eius nuptias celebrari.

17. Decimaſeptima hæreſis. Sub myſtico Antichriſto futura eſt ſubuerſio & commotio, per quam tota carnalis Eccl. terribiliter excæcabitur, & commouebitur, contra Euangelicum ſpiritum Chriſti.

18. Decimaoctaua hæreſis. Sub myſtico Antichriſto cadet Babylõ meretrix carnalis Eccl. quo tempore ſancti patres fortiter prædicabunt dicentes, quod ex tunc non eſt Eccl. Chriſti, ſed Synagoga Satanę, & habitatio dęmoniorũ; quæ antea in corde ſuo dicebat ſuperbiendo: Sedeo Regina in magna præſidentia & gloria; ſuper regnum meum dominor & quieſco, & vidua non ſum: id eſt, non ſum deſtituta glorioſis Epiſc. & Regibus.

19. Decimanona hæreſis. Rõ. Eccl. eſt mulier illa meretrix magna, de qua agitur in Apoc. quæ fuit quondã in ſtatu paganiſmi, & poſtmodũ fuit in fide Chriſti; quod nunc multis criminib. cũ hoc mundo fornicata eſt. quod merito vocatur meretrix magna, quia à fideli cultu, & à ſyncero amore, & à delitiis Chriſti ſpõſi ſui recedẽs, adhęret huic ſęculo, & diuitiis, & delitiis eius; & diabolo, & Regib. & Magnatib. & prælatis, & oĩb. aliis amatorib. huius ſęculi.

20. Vigeſima hæreſis, Magis appropriare cõpetit Doctorib. ſtatus tertii generalis, qui eſt ſextus & ſeptimus, eſſe ſpirituales portas apertas introducẽtes aperitores, ſeu explicatores ſapientiæ Chriſtianæ, quam Apoſtolis.

21. Vigeſimaprima hæreſis. Chriſtus adhuc erat viuus, & nondum mortuus, quando vnus militum latus eius in Cruce pendentis, lancea aperuit.

22. Vigeſimaſecunda hæreſis. Chriſtus, & Apoſt. eius, non habuerunt aliqua propria, nec in communi, nec in particulari; nec in reb. quib. vtebantur, habuerunt, niſi ſimplicem vſum facti. hæc Petrus Ioan. vna cũ reliquis Begardis mentiebatur, digna, quæ Ioan. Pont. conſtitutionibus quampluri mis editis condemnaret.

X. IO. PP. OMNES HÆRETICOS IN TERRIS SARRACENORVM PRÆDICANTES ANATHEMATE FERIT.

Cæterum, quod is ipſe hæreſiarcha, & reliqui qui ſe ſpirituales appellabant, affirmarent, magis ſe fructificare inter Græcos, Sarracenos, & Tartaros, quam inter Latinos, ideo Io. Pont. anathemate hoc anno publice pronũciato oẽs damnauit, quicumq; ſine facultate & mandato ſui Ordinis prędicare pſumerent, in terris Sarracenorum, infidelium & ſchiſmaticorũ. Ea ipſa eſt Conſtitutio, quã ſubiungo, ex l. 3. ext. tit. de regularib. Ita habet. *Ad noſtrum nuper relatio fide digna perduxit auditum, quod nõnulli Religionis geſtantes habitũ, ſed à veritate religionis omnino vacui, & à modeſtia penitus alieni, ad partes quãdoq; transmarinas ſe trãſferant, in quib. pauci fideles reſpectu infidelium commorantur & vt illi decipere facilius ſimplicium animos, ac ipſos & alios in errores præcipitare ſeu retinere valeant, ſub ouili veſte ac humilitatis habitu lupinum animũ occultãtes, per doctrinas ſuas reprobas & erroneas, fidelium mentes, quantum in eis eſt corrumpere ſatagunt: in ipſis partib. periculum nimiũ ſpargere non omittunt; necnon & os ſuum ponẽtes in cælum, lingua eorum falſidica tranſeunte ſuper terrã, S. Rom. Eccl. detrahere Conſtitutionib. & alia multa à fide deuia, in ſuis ſermonib. & ſecretis collocutionib. euomere inſanis auſib. non verentur: ex quib. Deus offenditur, periculoſa ſuſcitantur ſcandala, paratur ſimplicibus laqueus, ipſiq; talium præſumptores de hæreſi vehemẽter arguũt ſe ſuſpectos: Nos itaq; tantis obuiare periculis paternæ diligẽtiæ ſtudiis cupientes, vniuerſis & ſingulis religioſis, cuiuſcumq; conditionis, religionis, Ordinis, vel ſtatus exiſtant, de Frat. noſtrorum conſilio, diſtrictius auctoritate præſentium inhibemus, ne ipſorum aliquis atq; ſuperioris ordinis ſui licentia, ſibi per ipſius literas patentes conceſſa, de cætero ad partes ſe transferat antedictas. Superiorib. ipſis nihilominus iniungẽtes, ne abuſiuis ſui Ordinis Fratrib. (niſi duntaxat viris literatis, prouidis & expertis) huiuſmodi licentiã impertiri præſumant. Nos n. quoſcunq; præſumentes contrarium quouiſmodo, excommunicationis ſubiacere ſententiæ volumus ipſo facto; à qua nullus, ab alio quam à Rom. Pont. poſſit (niſi duntaxat in mortis articulo) abſolutionis beneficium obtinere. Cæterum vniuerſis Eccl. prælatis, in virtute San. obedientiæ diſtricte præcipiendo, præſentium tenore mãdamus, quaten. nullos religioſos ad partes ſe transferẽtes prædictas, niſi per patẽtes ſuperioris ſui Ord. literas, de licentia ſpeciali ſe illuc transferẽdi ſibi conceſſa, prælatis eiſdem fecerint plenam fidem, in ciuitatib. ſuis, & diœceſib. ac locis, & terris aliis, ad prædicationis officiũ, vel diuinorum celebrationẽ admittant; ſed ipſos potius, velut apoſtatas capiant, ſeu capi faciant, eos carcerali cuſtodiæ (donec de dicta licentia ſpeciali, modo prædicto ſibi conſtiterit) detinendo. Et nihilominus, ſi quos religioſos approbare, quæ ſedes Apoſt. reprobauit, vel quæ alias ſunt fidei obuia in ſuis prædicationib. ſeu ſecretis collocutionib. dogmatizare perſenſerint, vt tales (quibuſcunq; ceſſantib. priuilegiis) poſſint licite capere, & carcerali cuſtodiæ, ſicut ſuos poſſẽt ſubditos, mancipare, licẽtiam impertimur. Et inſuper tenore præſentiũ mandamus eiſdẽ, vt de præmiſſis, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu iudicii, & figura pro ſe, vel per alium, ſeu alios, ſe ſolerter & fideliter ſtudeant informare: quoſcunq; de prædictis, ſeu eorum aliquo repererint eſſe reos, iuxta ſtatuta Canonum, & in aliorum exemplum caſtigare pœnis debitis non poſtponãt Non obſtantibus exemptionib. & aliis quibuſcunq; priuilegiis, & literis Apoſt. eiſdem religioſis, vel eorum Ordinibus ab eadem ſede conceſſis, vel in poſterum concedendis, etiamſi de illis plena & expreſſa mentio, ac de verbo ad verbum in præſentibus ſit habenda quæ, quantum ad prædicta, vel aliquod eorundem, eiſdem in nullo volumus ſuffragari. Nulli ergo.* Dat. Auin. 6. Id. Maii Pont. noſtri an. 9.

XI. FF. PRÆDICATORES IN POLONIA ALIISQVE REGIONIB. QVOMODO FIDEM CHRISTIANAM PROPAGAVERINT.

Diſſeminatio eorũ errorũ, cauſſam dederat Io. Pont. vt ẽt per id tẽporis dat. 8. Id. Iulii literis Generali Prædicatorum inhibuerit, ne quẽ in Prouincialatu terræ ſan. præſidẽ, abſq; ſedis Apoſt. ſcientia præficeret, quãquã nõ in ea tantũ prouincia, ſed & in aliis Orient. inter Sarracenos & Schiſmat. ſtrenuã hactenus operã FF. Prædicat. nauaſſent, in cultu dæmonũ eliminando, in prophanis ritib. extinguendis, & in errorib. teterrimis extirpandis. Sane FF. Prædicat. Prouin. Poloniæ, à Diuo Hyacintho, primũ ad Comanos, deinde ad alias remotiores barbarorũ & ſchiſmatic. gentes, primo ante centũ & tres annos, ſeu traducti, ſeu ſubmiſſi, ab illo tẽpore nũquã intermiſerant, verbũ ſalutis annunciare infidelib. & dogmata ſinceriora aſſeuerare ſchiſmaticis, ea nõ tãtũ fiducia, cõſtãtiaq;, quam per martyria frequẽtia oſtẽderãt, verũ ẽt integritate ſynceritateq;, qua par fuerat. Quãobrẽ cũ & multos vbereſq; Euãg. fructus, pro lucra animarũ quas Chriſto & Eccl. laborib. ſuis adiunxerant, reportarent, & in ingẽtẽ multitudinẽ, inter Gentiles atq; ſchiſmat. feliciter excreuiſſent, Io. Pont. inſtitutũ eorum nõ modo non irritum fecit, ſed & plurimum laudauit. Cumq; peregrinantes inter Gentes iidem FF. Prædicat. eidẽ Io. Põt. ſuperiore an. ſupplices fuiſsẽt, vt eos in vnũ Corpus Societ. alicuius reduceret, Vicariũq; eis vel Prælat. aliquẽ General. proponeret; à quo facilius dirigerentur, & acrius ad opus inflãmarẽtur: nec non ſub cuius cura & vigilãtia, huic vni operæ incũberẽt, vt gẽtiles, poſsẽt à tetra caligine idololatrię ad veritatis lumẽ traducere; idẽ Pont. non modo, quod petebant, nõ negauit, verum ẽt Ge-





SOCIETAS PEREGRINANTIVM QVÆ ET QVANDO EXORTA.

nerali Magiſtro, datis literis, hoc an. quarum initiũ eſt; *Gratias agimus*; ſummas pro laborib. quos in amplificãda, tuenda, expurgandaque fide illic poſuerant, grates habuit, poteſtatemq; illi fecit, Vicariũ ſuper Fratres peregrinantes inter gentes inſtituendi. Hoc itaq; anno, originem traxit apud FF. Præd. Societas peregrinantiũ inter gẽtes. Deſtinabantur ad Euangelii prędicationẽ, à Prouincialib. Priorib. Fratres, vitæ integritate, & doctrinæ puritate prętantes. Peregrinationis eorum, nullus certus limes; cum & in Perſidem, & alias remotiores prouincias penetrarent, atq; fere totum Orientem peragrarent. Poteſtati, Vicarii Generalis pro tempore, ſubiecti; cui, vel quid iuberet, obtemperabant; neque pedem, præter eius iuſſionẽ, aut linguã mouebant. Quouis modo delinquentes, eiuſdem Vicarii Generalis, virgam cẽſoriam metuebant. Laboribus defeſſi, vel ſenectute, aut morbis fracti, ad ea Cœnobia, ex quibus exiuerant, redibant, atq; ab iiſdem matricibus vitæ ſubſidia extremæ, & à mortis limine ſuffragiorum adiutoria accipiebant, vel expectabant. *Actiones Capituli General. Diuionen & Monum. Proæ. Polon. Ord. Præd.* quorum mentionẽ nos fecimus, in libro cui titulus eſt, Prop. S. Hyacinthi ſeu de rebus præclare geſtis FF. Prouin. Pol. Ord. Præd.

XII. ISNARDVS A IOANNE PP. IN SEDEM ANTIOCHENAM RESTITVITVR.

Opportunum cenſebat, Ioan. Pontif. ſi Frater Iſnardus Ord. Præd. in Syriam reuerteretur, vt illic conſilio, doctrina & prudentia rebus afflictis ſuccurreret. Quamobrem illum, olim gradu Patriarchali Eccleſiæ Antiochenæ motum, aliiſque cenſuris Eccleſiaſticis propter nonnulla obiecta damnatum, hoc anno ſedi Apoſtolicæ ſupplicem, ac ſatis ſuperque virga Eccleſiaſticæ diſciplinæ iam emendatum, Pontifex, non tantũ Sacerdotali officio, verum etiam dignitati Patriarchali, Eccleſiæque Antiochenæ reſtituit. datis literis *Auinione Calendis Auguſti, Pontif. anno IX.*

INQVISITOR IN REGNO GALLIARVM DATVR.

cum etiam paulo antea *X. Cal. Aug.* Generalem Prædicatorum monuiſſet, ne in Prouincia Lombardiæ, aliquem Sacræ Fidei Quæſitorem, citra ſcientiam ſedis Apoſtolicæ inſtitueret. ne videlicet vulgus male ſanum amplius exiſtimaret, aut perperã calumniaretur, Fratres Prædicatores ſua ſponte omnia in negotiis Fidei agere, neq; omnium conſciũ eſſe ſumum Pontif. quanquam hi, quæcunque, vel minima ẽt ad ſedem Apoſt. hactenus retulerint, & fere omnia contra Vicecomites & complices, in coram Bertrando Cardinale Legato, aut Archiepiſcopo Mediolanenſi egerint. Huic criminationi, vt obuiam iret Ioan. Pont. ipſe in Regno Galliarũ. Inquiſitorum contra hæreticos Fr. Ord. Præd. inſtituit, data Ep. hoc an. n. 542.

XIII. IOANNIS PP. VIGILANTIA PRO CONSERVATIONE FIDEI.

Eodem anno, Ioannes Pontifex, fidei Orthodoxæ, in ſua puritate conſeruandæ ſtudioſus, Cardinali Legato apud Regem Galliarum agenti iniunxit, vt in Magiſtrorum Pariſienſium, Græcam, Arabicam, Chaldaicam & Hebraicam linguas publice profitentium, ſtudia diligentius inquireret: ne vna cum peregrinarum linguarum inſtitutione, peregrina dogmata inducerent; neue eorum idiomatum puritatem, peregrinis aliquibus errorib. inficerent: ſed puritatẽ loquendi, puritate Orth. informarẽt. Extat ea de re ep. huius an. n. 49. in regeſto.

XIV. CONTRA BARBAROS CHRISTI FIDELES EVOCAT, ET INDVLGENTIAS CONCEDIT

Porro ne eadem Fides Catholica, ferro infideliũ barbarorum excinderetur, contra Tartaros in Hungaria, & contra Lituanos, per id temporis gentiles, in Polonia militantes, multos Chriſti fidelium, largitione indulgentiarum euocauit, omnibuſq; ſiue in Hungaria, ſiue in Polonia, aduerſus hoſtes Fidei Cruce ſignatis, ſi in eo ſacro bello occubuiſſẽt, plenariam peccatorum veniam largitus eſt. datis literis, pro Hungaris quidem, numero 212 pro Polonis vero, numero, 1513. In Polonia ſiquidem, aſſiduis excurſionibus, iam has, iam illas oras Lituani vaſtabant. ac per iſtud ipſum tempus, etiã Poltruiam Epiſcopi Plocenſis oppidum, ac centum triginta pagos in Maſouia diripuerant & incenderant. Neq; vero facile ii domari poterant, cum neq; foris dimicandi copiam facerent, ſed rapta præda fugerent, & domi fluminum obiectu, ſyluarumq; & paludum latebris, ac denique incultarum ſolitudinum vaſtitate tuti eſſent: ita vt ſi quis eis bellum inferret, ei non magis cum hoſte fugaci & inſidioſo, quam cum viarum difficultatibus, cum intemperie cœli, & cum fame conflictandũ eſſet.

PAX INTER VLADISLAVM LOCTICVM REGEM POLON. ET LITVANOS INITA.

Vladiſlaus Locticus, tunc Polonis imperabat. Sed adeo tum à Crucigeris, tum à Ioanne Boemorum Rege diſtractus, vt regno à barbaris tuẽdo impar eſſet. Itaque quod erat reliquum, placuit tentare, ſi forte Lituani vlla ratione mitigari, & in ſocietatem pertrahi poſſent, contra Cruciferos communes vtriſque hoſtes. Namque Cruciferi bella aſſidua cum Lituanis quoque gerebant. Miſſi ad Gediminum Magnum Ducem Legati, fœdus cum eo percuſſerunt, filiamque eius Caſimiro Regis filio vxorem adduxerunt, nihil aliud ab egeno principe dotis nomine, quam omnium Polonici generis captiuorum liberationem pacti. Hoc vel vnico bono, quod ea, ingentibus omnibus, ſexus, atque ætatis captiuorum cateruis comitata, Cracouiam adueniẽs, religionem Chriſtianam à Nankero Epiſcopo edocta, & ſacro lauacro initiata, Annæ nomen accepit, & tunc ſolemni Caſimiro Sextumdecimum annum agenti, bono publico totius Chriſtianitatis nupſit, an. Chriſti 1325. atque ex eo tempore Polonia ſuperioribus bellis & populationibus barbarorum, magna ex parte vaſtata & inculta. populoſior & cultior eſſe cepit, dimiſſis ac deductis quoquo verſus agricolis, qui ex captiuitate redierant.

XV. IOANNES PP. DENARIVM S. PETRI A POLONIS EXIGIT.

In eo ſtatu res Polon. cum eſſent, Ioan. tamen Pontifex, iurium ſedis Apoſt. haud immemor, denarium quem S. Petri vocant, à Polonis poſtulauit; ſed nonniſi vnicum, æreumq; recepit: cum antea tres oboli, & cribrum auenæ in ſingulas familias, in capita, quotannis pendi ſolerent. Cauſa fuit, Sileſiæ per id temporis à reliquo corpore Poloniæ, ad Boemos defectio: cum ea ciuilibus atque adeo parricidialibus Ducum ſuorum bellis exagitata & labefactata, & ad extremum libertate partim vẽdita, partim per vim aut fraudem amiſſa, Boemorum iugum accepit, magno reipublicæ Polonæ detrimento, nec minore ſuo malo atque dedecore.

IOANNES BOEMIÆ REX MALIS ARTIBVS POLONIÆ PARTEM SIBI ACQVIRIT.

Et quidem Ioan. Boemiæ Rex, Oppolienſes, Ratiborienſes, Ceſſinenſes & Bythomienſes Duces, blanditiis & muneribus ſibi ſubdiderat: Cloſcum, Frankeſteinium & Glogouiã, pecunia ducib. numerata, & Præmiſlo duce veneno extincto, ſui iuris fecerat: inter Boleſlaum Bregenſem Legnicienſemq;, ac Henricum Vratiſlauienſium Duces, diſcordias diſſeminans iſtud inprimis curabat, commiſſos inter ſe, vt facilius opprimeret, donec tandem Henricum per ſpeciem arduorũ & arcanorum negotiorum ad ſe accitum, & perquam honorifice acceptũ, blanditiis, liberalitate, pretio, ingentibus promiſſis, & odio denique inimici fratris tandem adduxerit, vt ſibi Vratiſlauienſi dominatu cederet. Ita Vratiſlauia dolo malo potitus Ioannes, nõ multo poſt & reliqua territoria, quæ Vratiſlauienſes hypothecæ nomine à Boleſlao duce poſſidebant, per iniuriam eis ademit, & Legnicienſem quoque ducatum à Boleſlao pro nihilo emit: & reliquos ſibi Duces non difficile adiunxit; cum illi partim timore potentiæ Ioannis, partim inuidia Vladiſlai Poloniæ Regis libertatem ſuam Boemis prodidiſſent. Retinet etiamnum pleraque omnis Sileſia veſtigiũ vetuſtæ originis ſuæ à Polonis deductæ, penſionem videlicet eiuſdem nummi, quem S. Petri vocamus, quem Ioannes Pontifex hoc anno, ex Regno Poloniæ exegit. *Chron. lib. 11. epiſt. Ioan.* 160. Eundem denarium ex Regnis Scotiæ, Sueciæ, & Noruegiæ, hoc ipſo anno data epiſt. num. 332. requiſiuit quemadmodum & à Roberto Rege Siciliæ cenſum, & à Dionyſio Portugalliæ Rege alium datis litteris, ad illum quidem n. 55. ad hunc vero, n. 170. poſtulauit.

XVI. DISSIDIA INTER CAROLVM GALLIARVM ET EDOVARDVM FRANCIÆ REGES COMPOSITA.

Regnum Angliæ, hoc anno, maiorem in modum vigilantiam Ioannis Pontificis exercuit. Superioribus menſibus Carolus Rex Galliarum, Regem Anglorum Edouardum admonuerat, vt fidem quam pro Ducatu Aquitaniæ & Comitatu Pontini debebat, de more clientum præſtaret. atqui cum Edouardus iter plus iuſto diſtuliſſet, prauoque conſilio circumuentus, mo-

tam illam fore ſine noxa imprudenter ſibi blandiretur, Gallus interim totam pene Aquitaniam in ſuam poteſtatem, idque optimo, vt putabat iure, propter deſertam clientelæ fidem redegerat. Huic tanto malo vt aliqua ratione Edouardus occurreret, Iſabellam vxorem ad Carolum Pulchrum fratrem, deſtinarat; quæ controuerſias omnes tolleret, & Aquitaniam ereptam recuperaret. Audiuit Carolus ſororem perquam libéter; promiſitque omnia de Anglo capta redditurum, ſi modo Edouardus more maiorum, iuſiurandum daret. Is porro venire recuſauit, ſed Edouardum filium duodecim annos natum, quem nuper principem Vualliæ ac Ducem Aquitaniæ renunciauerat, in Gallias miſit: qui iureiurando ex more dato, fœdereque renouato, omnem Aquitaniam ab auunculo, cui iam plena manu ſatisfeciſſet, recepit. Confecto negotio Iſabella, quamuis ſæpius à Rege marito euocaretur, redire tamen ſtatim non curauit: ſiue quod à fratre detineretur, cui læſa iam patientia, velut par eſt credere, patefeciſſet, ſe nihil auctoritate, aut gratia poſſe apud virum; ſiue quod idcirco grauate reuerteretur, vt ne videret Hugonum Spenſeriorum conſiliis omnia in Anglia turbari, quæ etiam auditu longe grauiſſima ducebat: ſiue, quod rumor ſparſerat, amoribus illuſtris viri Rogeri Mortemerii, qui nuper ex arce Londinenſi mirifice euadens, in Galliam profugerat, indulgens, occaſione accomoda vteretur: ſiue quod Edouardum metueret, quod plerique affirmaſſent, illum clam in necem tam vxoris quam filii machinaſſe, & tandem tam illam, quam adoleſcentem perduelles Regniq; hoſtes palã pronunciaſſe. Cæterum Edouardus ſenior, vt omnem mali ſuſpicionem amoliretur, miſſis ad Ioannem Pontificem nunciis & litteris, ita egit cum eo, vt ille per litteras Carolum Regem increpando admonuerit, vt ſororem cum filio ad virum remitteret. Curauit etiam, vt Waltherus Canthuarienſis Archiepiſcopus, ad omnes Epiſcopos, quos à ſuffragiis habebat litteras mitteret, quibus ſignificaret, illa omnia in perniciem Reginæ & adoleſcentis iactata, vana, falſa, commentitiaq; eſſe & á maleuolis, qui Regem cum Gallo & cum populo ſuo in pugnam & contentionem mutuam committere conabantur, profecta. Huic rei perſuadendæ Walterus illo vtebatur argumento, quod Rex paſſim per omnem Angliam publice denunciaſſet, vt ad quemcunq; demum portum Regina & filius appuliſſent, omni officio & honore q̃ ampliſſime exciperentur. Hæ literæ ab Epiſcopis, per omnes vndiq; diœceſes diuulgatæ fuere; nec tamẽ Reginæ animo perſuadere potuerunt, quin ea ſibi caueret, atq; de perdendis Hugonibus cõſilia agitaret. Hi enim fraudibus perpetuo ſuccedentibus, cũ à ſenatu Regio, adeoq; ab vniuerſa Republica, omnes bonos excluſiſſent & in locum illorum ſuas operas, hoc eſt, clientes & aſſeclas induxiſſent, nihil prætereà reliqui, aut Iſabellæ apud virũ, aut proceribus apud Regem, effecerant, ſed impune in omnium fortunas & capita graſſabantur. Ad VII. Cal. Octob. in Angliam, illa aucta milite tráſmiſit, cum iã à maiore procerum parte accita fuiſſet. Eius aduentu peruulgato, incredibile dictu eſt, quod vno tẽporis puncto heroes ſumptis armis repente, in partem Reginæ aduenerint, adeo vt Edouardum Principẽ pro Rege iamiam haberent, obſeruarent, conſultarent, in cœlumq; laudibus ac plauſibus ferrent, & eius patrem aperte clamoribus, conuitiis & maledictis conſectarẽtur. Iſtud inter Regem & Reginam diſſidium, cum Ioannes Pontifex intellexiſſet, duos Epiſcopos Nuncios in Angliam deſtinauit, qui pacem inter diſſidentes cõponerent: cum etiam paulo ante Archiepiſcopum Viennenſem, & Epiſcopum Auriacenſem in Gallias miſiſſet, qui inter Carolum & Edouardum conditiones ſtabilirent. *VValſing. hiſt. Angl. in Edouardo 2.*

QVID DISCORDIÆ INTER CAROLVM ET ISABELLAM EIVS CONIVGEM.

XVII. FRATERCVLI HÆRETICI IOANNEM

Quanquam & iſta de cauſa, Legatos, ad Carolum Regem Galliarum ire iuſſiſſet, vt Sacri in Ludouicum Bauarum belli nomine, decimas de ſacerdotibus Francis, annuente Rege exigeret. Ludouicus enim, ab Ioanne Pontifice, non ſemel, ſacroſanctæ poteſtatis, hoſtis impiuſque iudicatus, non tantum voce & ſcriptis in Pontificem pugnabat, ſed & arma in Italiam parabat. Voce & ſcriptis pugnacem, Fraterculi adiuuabant: qui diuitias Eccleſiaſticas, fando ſcribendoq; damnabant: purpuram, opes, dominatum, à religione eſſe aliena prædicabant Chriſtum Dominum Deumque nihil in terris quod ſuum diceret, habuiſſe. Apoſtolos, eadem qua ſeruatorem Chriſtum paupertate vixiſſe. Non exemplum modo, ſed & legem eandem ſucceſſoribus datam. Ius Sacerdotibus, nullum eſſe facultatum potiundarum. Hanc ſententiam, Ioannes Pontifex, cum impiam cenſuiſſet, damnaſſetque, illi væſani, Pontificem, impia hæreſi laborare mentiebantur, quaſi is, illud quod Chriſtus Dominus Deuſque ſanxiſſet, ipſe impietatis inſimularet. Eo contumaciæ deuenere, atque erroris, vt Ioannem Pontificem eſſe negarent, ac veluti ſolio Pontificio vacuo, creandum nouum Pontificẽ contenderent. Guilelmus Occamus Minor, cum Auguſtorum iura tutaretur in Ioannem Pontificem monumenta edidit atrocia, maledictis, conuitiis & falſis criminationibus referta. His Ludouicus Bauarus non ſemel impietatis damnatus, acriter inflammatus, velut Põtificio interregno, ſuarum eſſe partium prædicabat, vt ſacro ſolio ſuus Põtifex Romanus imponeretur. Itaque in hanc curam intentum, vt Ioannes Pontifex præuerteret, ſeque & Eccleſiam Romanam aduerſus omnem iniuriam tueretur, decumationem fructuum Eccleſiaſticorum tanto facilius impetrauit, quanto neceſſitate compulſus Regi permiſiſſet, vt in partem ipſe veniret. Non potuit tamen Carolus perceptis Eccleſiaſticis fructibus diu potiri. Hoc enim anno, ad XVII. Cal. Iun. deceſſit, vxore grauida relicta. *Æmil. lib 8.*

PP. SCRIPTIS ET ARMIS OPPVGNANT.

CAROLI GALLIARVM REGIS OBITVS.

XVIII. ITEM DIONYSII REGIS LVSITANIÆ.

Ad ſeptimum quoq; Nonas Ian. eiuſdem anni, Dionyſius Luſitaniæ Rex Scalabi defunctus eſt, diuturno Regno, annorum quadraginta quinque, nouem menſium, dierum quinque, excelſa animi magnitudine, & perpetua felicitate inter Principes ea ætate inclytus. Corpus in Ciſtercienſe Monaſteriũ illatũ q eius impẽſa ab Oliſſipone ſex paſſuum millibus, ab imo totum erat extructum. Poſt pietatis argumenta, liberalitatem magnificentiamque animi, multa oppida conſtituta, alia perpetua mænium corona, aut aliis operibus munita indicant. Eliſabetha vxor fœmina ſanctiſſima ad vndecimum annum viro ſuperuixit, in memoria vitæ per virtutẽ actę ſynceroq; religionis cultu, egenorum miſeriis ſubleuandis, viduitatis incommoda ſuſtentans. Morum innocentia tanta, vt defunctę memoria ex ritu Chriſtiano templis cœloq; dicata ſit. Ei viro orbatæ, Ioannes Pontifex cum non contemnendam particulã ligni in quo Saluator Orbis pependit, & nonnullas alias ſanctorum reliquias hoc anno miſiſſet, conſolatoriam ſcripſit, quæ eſt *num.* 244.

XIX. IOANNES PP. SANCIT CONTRA VSVRAS IVDÆORVM.

In Germania, cum Hebræorum auaritiæ bona Chriſtianorum quaſi prædæ loco abiecta eſſent, mandauit Ioannes, Archiepiſcopo Treuerenſi, vt Conſtitutiones Apoſtolicas, in vſurariam Iudæorum prauitatem ſancitas, præciperet obſeruari: & ex earum præſcripto, in fœneratores Hebræos animaduerti. Numeratur 248. ea de re epiſtola.

In Belgio, cum Burgenſes, contra Ludouicum Comitem Flandriarum & Niuernii, mouente Roberto eius patruo, ſeditionem excitaſſent, & tandem eum captum in vincula conieciſſent, neque ad preces & imperata Caroli Regis Galliarũ dimittere voluiſſent, rogatu Regis miſſus Cardinalis à ſummo Pontifice, miſſi & Ioannes Turnacenſium, & Engerranus Morinorum Epiſcopi ſacris vniuerſæ Flandriæ, exceptis Gandauo & Aldenarda interdixerunt. Tum à pulſu campanarum, à cantu hymniſq; diuinis, à miſſarum celebratione, & ab adminiſtratione ſacramentorum ceſſatum eſt, non abſque grauiſſimo dolore omnium bonorũ. Præter crimẽ Curtracenſium & Brugenſium in Comitẽ Ludouicum admiſſum, vitio eis fuerat, q caſtellũ Helchinẽſe ad ius

Epiſcopi



Epiſcopi Turnacenſis pertinens, cepiſſent, atque diripuiſſent: & decem Comitis familiares in eius conſpectu membratim diſcerpſiſſent, & ad extremum trucidaſſent. Conuenit tandem per legatos de pace inter Regem, atque Belgas: qua iurata & ſancita, perque Ioannem Romanum Pontificem confirmata, Eccleſiæ magno gaudio apertæ ſunt, ſublatum interdictum, inſtauratus cultus diuinus, commeandi poteſtas mercatoribus vbique facta. *Annal. Flandr. lib. 11.*

XX. FRIDERICVS TRINACRIÆ REX ROBERTVM ET CAROLVM NECARE CONATVR.

Hoc anno Fridericus Trinacriæ Rex Robertum Siciliæ Regem, & Carolum Calabriæ principem, humanis rebus clam eximere tentauit: è quibus, Carolus Comes Valeſij in vltionem cædis in Engerrannum admiſſæ, menſe Decembri exemptus eſt. Hic vi morbi, quæ in præſens reſederat, rurſus graſſante, nullum religionis munus, nullas cœleſtium preces pacis impetrandæ cauſa omittens, exorauerat Regem Carolum, vt Engerranni propinquis redderetur illius corpus furca refixum; eique amplè, & magnificè, ſummaque religione ſuis ipſe impenſis funus fecit, iuſtaque perſoluit, ne morte ſua illi parentaret. tamen & ſic quoque continuo obijt. *Summont. lib. 3. Aemil. lib. 8.*

XXI.

Nonniſi hoc anno, Cuno de Schoneck Epiſcopus Vuormacienſis, præcepit feſtum Corporis Chriſti, ſecundùm inſtitutionem Vrbani Papæ & concilij Viennenſis, in ciuitate Vuormacien. & tota diœceſi ſolemniter celebrari *Chron Hirſaugien.*

XXII. ANGELVS RELIQVIAS S. IOANNIS BAPTISTÆ F. PETRO DE ALVMA CVSTODIENDAS TRADIT.

Eodem anno, Perpinniani, Angelus, vt creditur, peregrino habitu aſſumpto, Fratri Petro de Aluma Ord. Præd. viro probo & pio apparuit, ferens arculam ligneam varijs elogijs Græcis & emblematibus ornatam, in qua brachium ſiniſtrum, cum manu S. Ioannis Baptiſtæ continebatur. Fingebat ſe Compoſtellam peregrinari ad S. Iacobum: cum tamen eius neque viui, neque mortui, licet diligentiſſimè conquiſiti reperiretur memoria. Hanc arculam vna cum brachio & manu, Fratri Petro cuſtodiendam commiſit: quam poſtea idem Frater, in Conuentu Perpinianen. cuius ipſe erat familiæ repoſuit. Cardinalis Albanus Apoſtolicus Legatus, certitudinem earum reliquiarum igne volens experiri, iſtud proprijs oculis aſpexit, quod igni ſubiectæ non fuerunt exuſtæ, neque aliqua ex partę læſæ. In eius rei teſtimonium, Ioannes Summus Pontifex, litteras dedit, cum etiam eædem ipſæ reliquiæ multis miraculis editis, veritatem comprobaſſent. *Ciaccon in Ioanne 22.*

XXIII. S. ELEAZARII PRIMORDIA PARENTES ET VITÆ INSTITVTIO.

Hoc anno, ad cœleſtem patriam emigrauit, Sanctus Eleazarius Comes Ariani, qui cum ſancta coniuge Dalphina continentiſſimè viuens, Virgo permanſit, illud vitæ inſtitutum, quod de tertia Regula S. Franciſci appellant, profeſſus. Hic è Narbonenſi prouincia oriundus, patrem habuit Hermongaum à Sabrano, virum inſignem & potentem; Matrem verò Laudunam Albanam vel Albæ, quæ tum ob ſanguinis claritatem, tum ob vitæ integritatem accepta ab Eleazario & Cęcilia mariti ſui parentibus, Bona Comitiſſa vocabatur. Itaque pia matrona, & mundo planè mortua, pulchrum enixa infantem, fertur eum ipſa eadem hora, cum feruenti deuotione & gratiarum actione Deo obtuliſſe dicens: *Accipe eum Seruum tibi Domine, tuæq; benedictionis gratiam ei largire. Quod ſi eum noſti diuinæ voluntati tuæ fore rebellem, vbi ſacro baptiſmate erit candidatus, illum ſine mora è medio tolle. Satius enim eſt, eum innocentem, & nullis auctum meritis tecum viuere, ac mundo emori, quam in hac mortali vita tuam offendere maieſtatem.* Placuit Deo munus oblatum, quod inſtar Samuelis, à pia matre præſentabatur. vt autem Deus oſtenderet ſe hoc ſacrificium accepiſſe in odorem ſuauitatis, tantam pietatem infantis illius animo in ipſis incunabulis inſtillauit, vt necdum triennij ætate completa, mirabili erga pauperes commiſeratione afficeretur. Nam cum baiularum brachijs portaretur, in caſtri Auſonij porta ſæpe pauperes humaniſſimè intuens, nullo pacto portari ſuſtinebat, imo verò etiam ſine intermiſſione plorabat, donec præſtita eleemoſyna illos recreatos videret.

XXIV. EIVS PVERITIA.

Poſtquam autem ætatis quintum exceſſit annum, quicquid ex ludis puerilibus, vel aliunde acquirere potuit, in pauperes erogabat: infanteſque & pueros, quibuſcum interdum ſua captabat ſolatia, præcipuè verò inopes ad ſua prandia inuitabat. Degebat ſub cura & moderatione VVilhelmi de Sabrano patrui ſui, Abbatis Maſſilienſis: vbi & ætate, & ſapientia adeo mirificè proficiebat, vt in tenera illa ætate cuidam religioſo diceret, ſe magno deſiderio teneri ad infidelium regionem proficiſcendi, vt illic in confeſſione nominis & fidei Chriſtianæ, per Martyrium è vita excederet.

XXV ADOLESCENTIA ET NVPTIÆ CVM DALPHINA VIRGINE.

Actum eſt autem diuina prouidentia, vt decennis, mandato Caroli Secundi Hieruſalem & Siciliæ Regis, virginem Dalphinam annorum duodecim in vrbe Maſſilienſi ſponſam acciperet, & poſt tres annos in Caſtro Poderij Michaelis, ferijs ſanctæ Agathæ coniugium illud ſolemni ritu celebraret. Ea ſolemnitate peracta, quarto demum die virgo Dalphina, cum multa celebritate ad ſponſum ſuum in caſtrum Auſonij adducta eſt. Ibi tum virgo, diuino amore egregiè accenſa, pectoris ſui arcana Eleazario aperuit, ſeſeque ad extremum vitæ ſpiritum virginitatis votum conſeruare decreuiſſe, ſi per ſponſum liceret, renunciauit. Eleazarius quamquam diuini conſilij adhuc ignarus, tamen vt erat comis ac placidus, libenter iſta dicentem ſponſam virginem ſuſtinuit, totaque illa nocte ab omni cupiditate animum egregiè repreſſit.

XXVI. ARDET IN AMORE DIVINO.

Attigerat iam annum ætatis ſuæ quintum decimum, cum in loco quem de ſaltu vocant, ipſis ferijs Aſſumptionis Deiparæ, cœleſti pane refectus, admirabilem intra præcordia ſenſit diuini amoris flammam; adeo vt tamquam febri correptus à ſuis in cubiculum duceretur, labantem præ nimio calore animum collecturus. Ibi conſtitutus, tota mente ſolitudinem cogitabat, vt mundo planè mortuus ſoli Deo deinceps viuere poſſet. Sed interna quadam voce admonitus, ne ſtatum deſereret, illis cogitationibus valere iuſſis, totum ſeſe ad mentis corporiſque integritatem tuendam collegit. Neque tamen non imprudenter ſane, votum nuncupare, vel voluntatis libertatem protinus conſtringere voluit; ſed in ſola Chriſti miſericordia confiſus conſtanter in propoſito ſeruandæ caſtitatis perrexit. Vnum autem hoc ſumma in eo admiratione dignum fuit, quod communi cum ſponſa thoro vtẽs, nullos non dico motus illicitos, ſed nec carnis omnino ſtimulum ſentiret: prorſus, vt quo caſtæ virgini propinquior erat, tanto minus pudicitiæ metueret.

XXVII LEGES FAMILIAE SVAE PRAESCRIBIT

Erat ei in more poſitum, prolixis ante ſomnum precibus incumbere, faciem lachrymis rigare, diuinam opem attentius implorare, cæleſtium rerum meditatione animum paſcere, mente & cogitatione cœli ſpacia peragrare, ſponſam eodem amore diuinitatis accendere, idque ea cum ſuauitate ac fructu, vt oppreſſis ſæpe ſenſibus, totus in diuinæ benignitatis conſideratione exultaret. At verò vbi ad annum ætatis peruenit vigeſimum, nec animus illius in caſtro Auſonij, optata poſſet tranquillitate potiri, propter importunam aui eiuſque familiæ curam, qua eum ſplendidis huius mundi titulis ornatum cupiebant, multa precum inſtantia in caſtrum Podij Michaelis, quod erat virginis Dalphinæ ex paterna hæreditate, migrandi copiam obtinuit. Vbi ſanè nouus paterfamilias, nouo quodam modo familiæ ſuæ præſidens, haſce inſignes leges ſuis præſcripſit.

1. Vt diebus ſingulis, pia mente integrum Miſſæ officium audirent,

2. Vt viuerent caſtè & purè, qui autem recuſarent, domo protinus excederent.

3. Vt qualibet hebdomada, animorum ſordes per ſacram confeſſionem, apud probatum Sacerdotem abluerent.

4. Vt

4. Vt ſingulis menſibus cœleſti pane corporis Chriſti ſeſe reficerent.

5. Vt nobiles virgines & matronæ à primo diluculo ad vſque prandium precibus, & diuinarum rerum commentationi incumberent; à prandio operibus manuarijs ſedulo vacarent.

6. Vt nemo Diuinam maieſtatem, ſacroſanctam virginem, vel aliquem Sanctorum blaſphemare auderet.

7. Nemo falsò, temerè vel leuiter iuraret, vel inhoneſtū aliquod verbum proferre præſumeret. Cuius quidem conſtitutionis violatores hac ratione puniri voluit; vt vel toto prandio, ſolo pane & aqua contenti, coram alijs humi accumberent, vel tota die cubiculo incluſi reatum ſuum dignè expiarent.

8. Vt nulli fas eſſet ludere teſſeris, aut alio quopiam vti luſu illicito, turpi, atque inhoneſto. Si quis contra feciſſet, pœna illum grauis manebat.

9. Vt omnes è ſua familia, communi paci & charitati aſſiduè ſtuderent, neque ſeditionibus & odijs inter ſe diuiderentur. Qui cauſam rixæ vel diſſenſionis dediſſet, pro ratione culpæ puniebatur.

10. Vt quotidiè à prandio, vel alia hora veſpertina, (niſi neceſſitas aliud requireret) fieret ab vno illorū, ipſo præſente, aliqua collatio de verbo Domini, pro animarum ſalute. Qui abfuiſſet, vel nihil ex ſermone fructus percepiſſet, pœnas luebat.

XXVIII. EIVS MORTIFICATIONES.

Ad eum modum Comitis aula inſtituta, Monaſterium potius poterat quam domus aliqua profana nūcupari: cum in illa, ex præceptionibus & exemplis ſanctiſſimis, maximè excellens in omni genere virtus vigebat cœleſtiſque diſciplina clariſſimè relucebat. Ipſe Comes profectò reliquos omnes exemplo anteibat, ſuaque pietate & morum ſuauitate, omnium animos ad æmulationem virtutis prouocabat. Preces horarias pro Romanæ Eccleſiæ ritu & conſuetudine tam piè & attentè perſoluebat, vt audientes non mediocriter ad pietatem incitarentur. Ieiuniorum vigiliarumque mirè patiens, aſpero inſuper cilicio ſub veſtibus pretioſis carnem edomabat. Sæpe catenulis fereis rebelles animi motus infringebat, & ad quemlibet verſum Pſalmi quinquageſimi, trinos ictus dorſo fortiter infligebat. Octauo verò quolibet Quadrageſimæ die, & aduentus Dominici, & permultis ſanctorum ferijs, præſertim virginum & Diuæ Deiparentis, cœleſti epulo ſe muniebat.

XXIX. VIRTVTES ET MVNIFICENTIA IN PAVPERES.

Inter alias virtutes, præcipua erga pauperes & leproſos beneuolentia, & benigne faciendi ſtudium ſumma liberalitate coniunctum, in Diuo Eleazario relucebat. Quotidie ſiquidem habebat duodecim pauperes & leproſos, quorum ipſe pedes abluebat, eorumque vlcera peramanter oſculabatur, ac poſtremo cibo potuque refectis largas eleemoſynas tribuebat. Die quodam venatum in ſuo comitatu abiturus, omnes antecedere iuſſit: ipſe verò vno apud ſe milite, cum tonſore retento, ad quoddam leproſorum domicilium diuertit vbi ſex horrida percuſſos lepra reperijt Videbantur eorum labia exeſa plane atque abſumpta, ita vt ſine horrore aſpici non poſſent. Hos ſanctus iuuenis vt vidit, ſalutatione humaniſſime impartita, ſalutaribus monitis eos ad diuini numinis timorem cultumque aſſiduum hortatus eſt.

LEPROSOS MIRACVLO SESANAT.

Inde ſingulis peramanter oſculatis, repente eis ſanitatem reſtituit. Ea procul dubio per miraculum donati, totam domum odore ſuauiſſimo repletam ſenſerunt. Mirabantur, ſtupebant, fixiſque oculis Eleazarium intuentes Angelumne, an hominē dicerēt dubitabāt Illius vero, cum pręſtita inſuper eleemoſyna recederet, à capite, igneus quidam & luculentus radius, cunctis cernentibus emerſit, perdurans quouſque ad ſuam, quæ procul ſatis aberat, familiam perueniſſet.

X XX. ALIA PATRAT MIRACVLA.

Cæterum cum magna & pene incredibili eſſet erga pauperes commiſeratione, bis extremæ famis tempore, horreum ſuum ijs exinaniuit, quod bis ſimiliter diuinitus redundare inuentum eſt. Apud Arelatem, puellam ſeptennem Conſtantiam nomine, cum ipſa morte colluctantem, manus ſuæ impoſitione matri viuam exhibuit. Sed hæc quanquam eximia, parua tamen ſunt, ſi cum ſolidis eius virtutibus, è quibus ſanctitatis opinio certo conſtat, conferantur.

XXXI. EIVS LAVDABILIS PATIENTIA ET CLEMENTIA IN HOSTES.

Anno ætatis ſuæ tertio & vigeſimo, patre ipſius ex humanis ſublato, Baro factus Auſoiſij, Comitatus pariter Ariani oppidi ad eum iuſto titulo deuolutus eſt. Cum igitur eius Comitatus ergo, tum primum Italiam peteret, ſenſit mox ſubditorum ſibi animos vehementer rebelles, adeo vt oppidani toto triennio multas illi iniurias, plurima damna & contumelias minime ferendas inferrent. Ille verò, quamquam multis modis ab eis laceſſitus, & diuexatus, tantum abeſt, vt vmquam vindictæ cupiditate exarſerit, vt etiam Tarentinum principem, vltionem expetentem prohibuerit, ne vel leui iuſtitia in eorum ſcelus animaduerteret. Ita enim animo conſtitutus erat, vt eos potiſſimum charos haberet, qui varijs eum aduerſitatibus ad pietatem & virtutis ſtudium exercebant. Qua ſanè patientia id obtinuit, vt poſtea ab omnibus illis honoraretur vt Dominus, & vt pater amaretur. Porro Comitatum, & reliquam hæreditatem ſuam, ære alieno obſtrictam, magna dexteritate exonerauit; cum quibuſdam hominibus certos prouentus attribuiſſet: ex quibus illi paulatim, omne æs alienum diſſoluerent.

XXXII. VIRGINITATIS VOTVM CVM DALPHINA CONIVGE EMITTIT.

Cum à Roberto Rege Siciliæ (cui imprimis charus fuerat) fratri ſancti Ludouici Epiſcopi, Neapoli, omnium ferè nobilium ac procerum conſenſu, equeſtri eſſet dignitate ornatus, alijs circa mundana occupatis, ipſe tota mente cœleſtibus inhærens, non multo poſt, virginitatis votum cum Dalphina ſua ſponſa emiſit, perpetuoque ſeruauit, Diui Franciſci tertium Ordinem, ſiue regulam, ipſe & vxor complexi. Præſtitêre hoc in caſtro Auſoiſij, in Narbonenſi Gallia ſeu Prouincia; in qua biennio continuo exacto, inde Neapolim redijt, & à Roberto Siciliæ Rege, Caroli eiuſdem Regis primogeniti & Calabriæ Ducis pœdonomus inſtitutus, adoleſcentem illum præclaris moribus & pietate informauit.

AGIT PATRONVM PAVPERVM.

Erat per id temporis penes illum Ducem totius Regni adminiſtratio, cum Pater eius Robertus, Auinione, apud Summum Pontificem, cauſa publicorum Chriſtianitatis totius negotiorum verſaretur. In Caroli aula, cum Eleazarus cauſas pauperum negligi intelligeret, ab eo ſe patronum egentium inſtitui poſtulauit. Quod ſuſceptum charitatis munus, tam egregiè executus eſt, vt cum aliquando lotis iam manibus ad menſam accedenti pauper domum intrans importune ſe ingeſiſſet, ſciſcitās de ipſius ſupplici libello quid actum eſſet, ille ſtatim benignè reſpondens: *Suſtine*, inquit, *parumper, & ego, priuſquam cibum ſumam, rem tuā, expediam*. Surgenſque à menſa, recta ad cui iam abijt, reuertenſque pauperi per omnia ſatisfecit.

XXXIII. IPSIVS OBITVS.

Lutetiam Pariſiorum, à Rege Roberto, pro negotijs grauiſſimis deſtinatus, cum ibi moraretur, graui correptus morbo, tandem Eccleſiaſticis munitus ſacramentis, ex huius mortalitatis ergaſtulo, ad immortalitatis gloriam feliciter migrauit. anno ætatis ſuæ XXVIII. Corpus in habitu Franciſcano, apud Minoritas Pariſienſes primo ſepultum, eodem anno Aptam, æque in ædem Franciſcanorum, vti ipſe viuens voluerat, translatum eſt: vbi multis magniſque coruſcans miraculis, quantæ fuerit ſanctitatis, omnibus innotuit. *Surius ad 27. Septembr.*

XXXIV. GVILIELMANDAGOSII EPISCOPI PRAENESTINI, ET F. VITALIS DE TVRNO GESTA ET OBITVS.

Per hæc tempora, Auinione obijt, Guillelmus Mādagoſius ex Epiſcopo Ebredunenſi, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, qui olim Bonifacium VIII. Pontif. Maxim. in editione ſexti libri decretalium maximè ſubleuauit, & qui ad Berengarium Cardinalem Biterrenſem, librum de Prælatorum electione ſcri-

pſit



pſit vir in vtroque iure doctiſſimus, & Eccleſiaſticæ libertatis propugnator acerrimus. Paulo ante præceſſit eum F. Vitalis de Furno, Vaſatenſis, Vaſco, Ordinis Minorum The  gus, ex miniſtro prouinciæ Aquitaniæ, presbyter Cardinalis tituli ſanctorum Sylueſtri & Martini in montibus, tit. S Equitii, ac poſtea Epiſcopus Cardinalis Albanus à Ioanne XXII. Pont. creatus. Is, quæſtione de paupertate Chriſti & Apoſtolorum inter FF. Prædicatores & Minores exorta, cum Ordo Diui Franciſci ingenti ſchiſmate diuiſus collaberetur, & Eccleſia vniuerſa à tyrannis oſoribus non minimum periclitaretur, vna cum Bertrando Cardinale, ex eodem Ordine aſſumpto plurimam operā nauauit, in aduerſariorum temerariis leuitatibus comprimendis, in refractariis caſtigandis, in vnitate Ordinis Franciſcani conſeruanda, & in iuribus inprimis Apoſtolicæ ſedis, deinde omniū Eccleſiarum defendendis. Scripſit vterque Cardinalis, libros omnigena doctrina refertos; alter vero dedit Concionatorios Commentarios, anniuerſaria notatione diſtinctos, maxime ad reformandos aulicorum, & præſertim Curiæ Romanæ adminiſtrorum mores, longe accommodatiſſimos. Auinione mortuus, ibidem apud FF. Minores ſepulturæ inditus eſt. *Ciaccon. in Ioan. XXII.*

XXXV. PVLLVLANTES HÆRESES COMPRIMERE LABORAT IOANNES PAP.

Id temporis; ouatione rebellionis multæ hæreſes in Flaminia graſſabantur, excitatæ partim à Principibus factionis Gibellinorum, partim ab impunitate graſſatorum. Eas vt Pontifex Ioannes radicitus euelleret, Quæſitorem Fidei admonuit data hic adiuncta epiſtola.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto filio Lamberto de Ordine Fratrum Prædicatorum, Inquiſitori hæreticæ prauitatis, in inferiore parte Lombardiæ Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Cum Nonnulli de Prouincia Romandiolæ, tam clerici, quam laici Deum & Romanam matrem Eccleſiam offendere, ſeque in præcipitium damnationis, & mortis immergere non verentes, adeo fauere & fauiſſe dicantur damnatis, hæreticis confœderationes, ligas, & ſocietates ineundo cum ipſis eoſque receptando, & ſibi præſtando multipliciter auxilia, & conſilia, & fauores, quod de labe hæreſis ſe reddiderunt & reddunt vehementer ſuſpectos.*

*Nos tam ipſorum, quam multorum aliorum periculis, præmiſſis imminentibus obuiare ſalubriter cupientes: diſcretioni tuæ Apoſtol. auctorit. mandamus quatenus contra fautores huiuſmodi, & alios quoslibet de crimine prauitatis hæreticæ culpabiles, vel ſuſpectos, ſic ſolerter ſecundum formam canonum, ac priuilegiorū conceſſorum inquiſitionis officio procedere non poſtponas, quod inde debeat tua diligentia merito commendari.* Dat. Auinione 12. Cal, Septemb. Pontificatus noſtri anno 10.

# IESV CHRISTI Annus 1326.

## IOANNIS PAPÆ XXII. Anno 10. & 11.

I. ROMA SEDITIONIBVS PERTVRBATVR A LVDOVICO BAVARO.

SI quando, certe hoc anno, ſeditionibus, per factionum Principes excitatis, tum Romæ, tum in vniuerſa Italia laboratum eſt vehemēter. Romæ, partes Pontificias tuebantur, Vrſinorum primi; quibus Robertus Siciliæ Rex, Vrbis Senator vicariam poteſtatem communicauerat. His & Summo Pontifici, aduerſabantur nonnulli ex Columniis; Ludouicum Bauarum diris omnibus à ſede Apoſt. damnatum, ſecuti. Vrſinis & quinquaginta duobus viris à populo Romano ſuper pacifico ſtatu vrbis electis, quod cordi eſſet Pontificia dignitas, Eccleſiarumque & imprimis ſedis Apoſtolicæ libertas, Oratoribus Petro Bugiani, Petro de Magiſtris, & Gentio Gentili de Inſula ad Ioannem Pontificem deſtinatis, & frequentibus litteris illi perſcriptis, Ioannē, calamitatis Vrbanæ & Eccleſiaſticæ admonebant, vtque Romanæ ſedi & vrbi præſentiam ſuam commodare, adeoque Auinionem relinquere, & in Vrbem concedere vellet obſecrabant. Neq; ſegniores aduerſarii, in euocando Ludouico erant; præſertim quod ſcirent, Principes Gibellinorum Nuncios quoque miſiſſe, qui Ludouicum in Italiam inuitarent. Et quidem Ludouicus non mediocri lætitia affectus, Romanorum & Gibellinorum aliorum Legatos, publice laudatos, ac muneribus quam maximis, & pollicitationibus oneratos, benigne habuit, breuique tempore ſe affuturum reſpōdit. In eam quoq; rem Friderico & Petro eius filio Regi Trinacriæ ſcripſit, vtque vires ſuas ſibi venienti commodaret, obſecrauit.

LVDOVICI CONATVS ET CR  NATIONES IN IOAN  NAM PP.

Mox Spiram conuocatis Germaniæ Principibus, illis literas Senatus populique Romani, & aliarum inſignium Italiæ ciuitatum repræſentauit, hincq; diſcere iuſſit, quanti deberent facere Romani Pontificis execrationes; cum hoc, inquiebat, Itali in omni genere ſciētiarum, & in diuinis ſimul ac humanis legibus doctiſſimi, contra Pontificis decreta audeant. Addebat & falſas in Ioannem & Pontificios criminationes, à maleuolentibus præcipue Fraterculis conſictas; quarum cōmemoratione, nō paucos Germanorum in ſuam ſententiam pertraxit, vt auderent excommunicato adhærere. Ad eum modum, cum Germanos in Pontificem irritaſſet, & ſpecioſas profectionis cauſas illis expoſuiſſet, communi Procerum præſentium conſenſu, ſtatuit in Italiam penetrare. Huic rei, compoſitis Germaniæ rebus, contraxit quas potuit copias, aliaque ad expeditionem neceſſaria comparauit. Deinde nunciis Roman. & aliorum Gibellinorum dimiſſis, primores eorum à quibus miſſi aduenerant, nomine conſtantiæ, amoris, ac ſtudii erga Imperium Romanum laudauit, præmia condigna meritis ſingulorum, pacemq; & tranquillitatem rebus afflictis promiſit, ac breui tēpore ſe affuturum dixit.

IOANNES PP. ROMANOS A LVDOVICI SOCIETATE ABSTRAHERE CONATVR.

Ioannes Pontifex venire nō potuit, ſed Iacobo Sabello, & Stephano Columnæ Imperium vrbis Conſulare conceſſit, deinde litteris datis, animos Romanorum in fide & obſeruantia ſedis Apoſtolicæ confirmauit, neue Ludouicum Eccleſiæ reconciliatum eſſe crederent, ſed vt rebellem perſequerentur & haberent præcepit. Deinde Legatum à Latere, cum plenaria in temporalibus & ſpiritualibus, non tantum in vrbe, verum in vniuerſa Italia & Sardinia auctoritate, Ioannem Caietanum Vrſinum Romanum, tituli S. Theodori Diaconum Cardinalem deſtinauit; Sarram Columniū vt cōſtanter ſe Ludouico opponeret admonuit: ac tandem Roberto Regi Siciliæ Senatori vrbis, & Vicario Romani in Italia Imperii auctor fuit, vt is Romanæ quidem Vrbi, Romanum Vrſinum Comitem Nolanum & Richardum Frangipanem, Vicarios & Rectores ad regimen Senatus & Capitaneatus vrbis & diſtrictus illius, cum poteſtate meri & mixti imperii, Dat. X. die Nouembr. Neapoli litteris, præficerit; Etruriæ autem, Flaminiæ, Aemiliæ, Inſubribus, & Liguribus in auxilia miſerit, Carolum filium Ducem Calabriæ, cum delectis copiis. *Mutius hiſt. Germ. lib. 24. Nauclerus volum. 2. generat 45. Annales Rebdorfii. Monum. Vrſinorum. Ioann. Villani lib. 9. cap. 330. & 349 Chron. de reb. Sicil. MS. Bibl. Vatic. num. 3972.*

II. IOANNES CAIETANVS LEGATVS A IOANNE PP. MISSVS ANATHEMA VIBRAT IN CASTRVCIVM ET ARETINVM EPISCOPVM.

Legatus Pacarii munere aſſumpto, Piſas ad XXIII. Iunii nauigio delatus, & ingēti cum honore ſuſceptus, Florentiam vltima eius menſis acceſſit. & apud FF. Minores in ſanctæ Crucis cœnobio diuertens, quarto poſt die legationis ſuæ facultates aperuit. Ad XXV. poſtea Iulii diem Carolus Dux Calabriæ, magna Principum, & nobilium multitudine, & copiis militaribus ſtipatus, Florentiam venit, eiuſq; Vrbis & vniuerſæ Etruriæ tutelam ſuſcepit. Curauit vterque, ſi quomodo Caſtrucium Lucenſium tyrannum, & Guidonem Tarlatum Aretinum Epiſcopum, poſſent ad mentem reuocare, & à patrocinio hæreticorum Vicecomitum auertere. Verūtamē necquicquā contra obſtinatos animi profecerūt, quin potius eos ad arma cōcitatos, multa aduerſus Pontif. experiri aſpexerūt. Quamobrē neceſſe fuit Car-

dinali

dinali Legato, ad 30. Auguſti, Concione ante ſanctæ Crucis baſilicam, in ampliſſimo foro conuocata, præſente Carolo Duce & vniuerſi populi innumera multitudine, Caſtrucium, veluti hæreticorum & ſchiſmaticum fautorem, Eccleſiæ Catholicæ hoſtem ac perſecutorem, multorum criminum & imprimis contumaciæ, & cædium reum, anathemate damnare, dignitatibus omnibus exuere, bona illius publicare, poteſtatem in res & perſonam ipſius vnicuique facere: Similique ſententia obligare, omnes qui ei conſilium, fauorem vel auxilium impendiſſent. Pari cenſura Epiſcopum Aretinum percuſſit Legatus, quod is Tiphernum Eccleſiæ vrbem occupaſſet, Laterinum Sabinumque funditus ſolo æquaſſet, & alia complura contra Pontificiam maieſtatem, & contra Romanæ Eccleſiæ clientes perpetraſſet. *Villani lib. 10. c. 1. & 3.*

III. CASTRVCIVS IN EIVS VINDICTAM TYRANNIDEM IN PONTIFICIOS EXERCET.

Caſtrucius hac iniuria irritatus, maiora in Florentinos tentauit. Et quidem agrum illorum ferro ignique vaſtauit, caſtra eorum deiecit, arcem Signiam recens extructam diruit, montem Maium in poteſtatem ſuam recepit, ditioneque vniuerſa variis populationibus deuaſtata, ſeſe Gibellinis adiungens, etiam in Genuenſes caſtra mouit, maioremque partem, oræ Orientalis occupauit. Eius exemplo & monitione, reliqui Gibellini tanto amplius graſſabantur, quanto magis ſecuri fuiſſent Ludouici Bauari aduentus, & patrocinii ſponſi. Paſſarinus Bonacoſſa, qui iam pridem Albertam Eſtenſium ſororem in matrimonium ſibi adiunxerat, Mantuæ tyrannidem arripuit, cum à Beltrando Immolenſi Equeſtrium Eccleſiæ copiarum Præfecto à Bononiæ, Mutinæque obſidione turpiter profligatus refugiſſet. In Æmilia quoque maxima tyrannorum audacia ſuccreuerat. Nam Raynaldus, Obizio, & Nicolaus Ateſtini, Ferrariæ dominium vſurpantes, quamplurima Eccleſiæ tum Romanæ, tum Rauennatis oppida interceperant: odio præcipue Aymerici permoti, qui Rauennatum Præſul, Flaminiam pro Pontifice obtinebat & iuſſu Pontificio incitatus, diras in illos & ſocios pronuntiabat. *Bizar. hiſtor. Genuen. libro quinto, Bonnicontr. in Annalibus.*

IV. PARMENSES ET BONONIENSES SESE BELTRANDO CARDINALI SVBIICIVNT.

Parmenſes inprimis, & poſtea Bononienſes Nonis Februarii, cum carrocio egregie inſtructo, Clero atque Epiſcopo obuiam ex vrbe effuſi, Beltrandum Cardinalem Legatum, venientem magno omnium ſtudio receperunt, ac mox conſilio populi habito imperiũ vrbis illi tradiderunt. Ille porro aliquanto poſt, vrbe aduerſus hoſtes mœnibus confirmata, ad impetum populi coercendum, arcem ad portam Galeriæ condidit, atq; ciuitatem pro arbitratu ſuo gerere inſiſtens, eam in obſeruantia ſedis Apoſtolicæ confirmauit. *Carol. Sigon. lib. 3. de Epiſcopis Bononien.*

V. ARIMINVM A POLENTESIA ROMANÆ ECCLESIÆ SERVATVR.

Ariminum vnica Polenteſia Malateſtini vxor, Romanæ Eccleſiæ ſeruauit. Cum enim Rambertus Malateſta ad VII. Idus Iulii, per ſpeciem conuiuii, Fernantinum, Prætorem ac Præfectum Arimini, Malateſtinumq; eius filium, Galeotum item Pandulfi filium, ac plures præterea Ariminenſiũ domi ſuæ cepiſſet, ipſamque ciuitatem fere omnem, ratus eam ſibi omnino ſubigere, occupaſſet, tumultu eam ob rem facto, Polenteſia diſtricto enſe, & manu ſua Ferrantini vexillo in forum producto, diu viri nomen magnis ſublatis clamoribus extulit atque ſuſtinuit. Factum, vt vincti è cuſtodia dimiſſi, ſociis noctu in vrbem receptis, Rampertũ expulerint, vrbemq; Romanæ ſedi pene ereptam reddiderint. In iis perturbationibus, Aymericus Archiepiſcopus, Galeotum & Malateſtinum laudauit, Ioanniſq; Pontificis litteras, quibus vt in officio manerent, & Ferrantinum adiuuarent, etiam atque etiam hortabatur reddidit.

ITEM CÆSENA AB AYMERICO.

Aymericus quoq; Flaminiæ Rector, pro Summo Pontifice Cæſanam profectus, ſummaq; omnium gratulatione exceptus, tradente populo ciuitatem accepit. Hoc interim ſpatio, cum indies Raynaldus Archiepiſcopus Rauennas iam mortuus, admirabili prodigiorum claritate eluceret, eodem hoc anno, menſe Auguſto, quæſtio de illis, à Nicolao Cortonenſi Aymerici Archiepiſcopi Vicario inſtituta eſt, multis teſtibus, qui ſe grauibus periculis ac morbis, voto illi nuncupato, Diuinitus liberatos iureiurando affirmabant, in Vrſiano templo collectis: vt iis tabulis conſtat, quas hac de re Ioannes Morandus, Morandi filius, Guidonis nepos, Rauennas ſcriba, ad ea teſtimonia ſcribenda vocatus, confecit. *Rubeus hiſt. Rauennat. lib. 6.*

VII. ALIÆ ITEM VRBES AB VRSINO LEGATO.

Cardinalis Vrſinus Legatus Vrbemueterem, Narniam, Auximum, Firmum, & cõplura alia, in obſequio Romanæ Eccleſiæ confirmauit, & Ioanni Principi Andriæ, à Roberto fratre Rege Siciliæ in ſubſidium Pontificiorum cum mille equitum copiis miſſo, vires quas potuit adiunxit, ad Viterbienſes, & Romanorum nonnullos Ioanni Pontifici refractarios, reprimendos. *Bonin. contr. ſup. & Cyprian. Manent. in hiſt.*

VIII. ROBERTVS SICILIÆ REX AD REPRIMENDVM EXERCITVM FRIDERICI TRINACRIÆ REGIS CLASSEM IN SICILIAM MITTIT.

Cæterum Robertus Siciliæ Rex, quod ſciret Fridericum Trinacriæ Regem, Petrumque eius filium, à Ludouico Bauaro admonitos, magnam claſſem, ingentemq; militem in eius aduentum, & in auxilia Gibellinorum Genuenſium & Caſtrucii parare, conatus eius impediendos ſuſcipiens, monente Pontifice claſſem nonaginta & amplius pars triremium, pars onerariarum & aliarum Nauium milite & commeatu inſtructã, Bertrando Baucio Andriæ Comite Architalaſſo commiſſam, in Siciliam tranſmiſit. Hæc ad VII. Idus Iun. inter Panhormum & Thermas milite expoſito, multam in illis oris vaſtitatem fecit, multis incurſionibus bellicis, ad hoſtis diſtrahendos, circumquaque factis. Cumque neque Fridericus, neque Petrus aut pugnandi copiam facerent, aut ſua hoſtis prædæ expoſita tuerentur, & interim Caſtrucius oram Liguſticam diuexaret, acciti claſſiarii à Genuenſibus Guelfis, mox ad portum Veneris appellentes, ſignis aliquoties cum Caſtrucio collatis, illum profligarunt, & omnia ab illo per id temporis Genuenſibus Pontificiis intercepta recuperarũt. Cum etiam eodem anno. ad V. Idus Iunii, annuente Ioanne Pontifice, Præfecti claſſis Iacobi Regis Arrogonum, arcem Caralitanam in Sardinia ſedis Apoſtolicæ inſula, de Piſanis cœpiſſent, totaque ea inſula Piſanos eiecissent. *Surita lib. 2. Villani lib. 9 cap. 348.*

Inter hos Italiæ motus, erant nonnulli, qui fœdera cum hæreticis inirent. Quapropter Ioannes Pontifex hanc quæ ſequitur cõtra eos Conſtitutionem promulgauit. Ita habet.

VIII. IOANNES PAP. CONSTITVTIONEM PROMVLGAT CONTRA CONFOEDERATOS CVM HÆRETICIS.

Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Lamberto, de Ordine Fratrum Prædicatorum, Inquiſitori hæreticæ prauitatis, in inferiori parte Lombardiæ, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Cum nonnulli de prouincia noſtra Romandiolæ, tam Clerici, quam laici, Deum & Romanam matrem Eccleſiam offendere, ſeque in præcipitium damnationis & mortis immergere non verentes, adeo fauere & fauiſſe dicantur damnatis hæreticis, confœderationes, ligas, & ſocietates ineundo cum ipſis, eoſque receptando, & ſibi præſtando multipliciter auxilia, conſilia & fauores, quod de labe hæreſis ſe reddiderint & reddunt vehementer ſuſpectos: Nos tam ipſorum quam multorum aliorum periculis, & præmiſſis imminentibus obuiare ſalubriter cupientes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus contra fautores huiuſmodi, & alios quoſlibet, de crimine prauitatis hæreticæ culpabiles, vel ſuſpectos. Sic ſolerter ſecundum formam canonum, ac priuilegiorum conceſſorum inquiſitionis officio, procedere non poſtponas, quod inde debeat tua diligentia merito commendari.* Dat. Auinioni XII. Calend. Septembr. Pontif. noſtri anno XI. Hæc Ioannes in negotio S. Fidei, vt inquiſitores ad officium inflammaret.

IX. ALIA EIVSDEM CONSTITVTIO CONTRA NIMIS RIGIDOS HÆRETICÆ PRAVITATIS INQVISITORES.

Hos Fidei Quæſitores cum in Regno Siciliæ præcipua per id temporis, plus nimio zelum zelaſſe accepiſſet, refrenandos putauit, ea quam adiungo Conſtitutione.

*Cum Matthæus de Pontiniano, Ordinis Prædicatorũ, Inquiſitor hæreticæ prauitatis in Regno Siciliæ auctoritate Apoſtolica deputatus, friuola occaſione quæſita, ac noſtra, & ſedis Apoſtolicæ reuerentia & honore poſthabitis, in dilectum filium G. de Baleto, Archidiaconum Foroliuiẽ. Capellanum noſtrum, Campaniæ Maritimæq; Rectorem excommunicationis ſententiam inconſultis motibus, non ſine multa temeritate duxerit proferendã: Nos volentes de cætero taliũ præſumptionib. obuiare, vniuerſis & ſingulis, tam Ordinariis quam delegatis Iudicibus, & Inquiſitoribus prauitatis eiuſdẽ, & aliis vniuerſis & ſingulis, quacũq; auctoritate fungantur, authoritate Apoſtolica diſtrictius inhibemus, & mandamus expreſſe, ne cõtra noſtros, & Apoſtolicæ ſedis officiales vel nuntios, aut ipſorum aliquem, quauis occaſione vel cauſa, abſque noſtra & Apoſtolicæ ſedis licentia ſpeciali, eis per ſedis ipſius litteras cõcedenda, plenã faciente de tenore præſentium mentionem, procedere quoquo modo præſumant: aut in eos, vel ipſorũ aliquem excommunicationis, vel ſuſpenſionis, ſeu quaſuis alias ſententias promulgare. Nos enim extunc decernimus irritũ & inane, quicquid cõtra inhibitionẽ, & mandatũ huiuſmodi contigerit attentari.*

*Volumus tamẽ, quod diœceſani & Inquiſitores prædicti, ſuper iis, quæ negotium tangunt fidei, alij vero ſuper iis quæ rem tangunt vel publicam, vel priuatã ſiue Ordinarij, ſiue delegati quacumque auctoritate fuerint, prout poſſet ad eorum officiũ pertinere, ſi quid per officiales, & Nũtios ipſos indebite forſan attentatũ fuerit, ſe plenius informare: idque nobis ſignificare ſtudeant, vt prouidere ſuper hoc de remedio opportuno valeamus. Nulli ergo, &c.* Dat. Auinion. XII. Calẽd. Iã. Põt. noſtri anno XI. hæc in Italia, occaſione Ludouici Bauari geſta, de cuius abdicatione literas, Ioannes Pontifex hoc anno, tum ad reliquos orbis Chriſtiani Præſules, tum ad Vualtherum Cantuarienſem Archiepiſcopũ miſit: qui eas per omnes Anglicanas Eccleſias diuulgauit. *M.S. bibl. Vatic. de rebus Anglic.*

X. ODIVM INTER ISABELLÃ ET EDOVARDVM ANGLIÆ REGEM QVANTA MALA PROCREAVERIT.

In Anglia & Galliis, hoc tempore, ingentes turbæ, occaſione regnandi excitatæ. Placet inprimis tragicos caſus Anglicanos memorare, vt quid odium exacerbatũ, in viſcera etiam paterna, & in ſumma capita poſſit ab omnibus perſpiciatur: & quorum intereſt, alieno periculo doceãtur, imminentem euitare calamitatem. Horrenda ſunt quæ referam, in patrem a filio, in virũ à coniuge, in Regem à ſubditis, in viros illuſtres à populo promiſcuo, in ſacras infulas à profanis admiſſa.

Superiore anno Iſabella Regis Galliarum Soror, cum Edouardum filium Ducatu Aquitaniæ auctum, etiam maritum, iuncta ei in matrimonium Philippa Hannoniæ Ducis filia, feciſſet, in Angliam vna cum numeroſo exercitu traiecerat. Populus cũ proceribus, præſentis rerum ſtatus, vt fit, pertæſus, odioq; in Hugones Spẽſerios, quorum arbitrio Edouardus Rex omnia gerebat, adeoq; in ipſum Regem inflammatus, ſeceſſionem facere decernens, vndiq; ad Iſabellam filiumq; confluebat, omniaque paſſim obſequia & auxilia illis deferebat, eoque pronius, quod rumoribus diſſeminatum erat, innumerabiles quaſdã Gallorum copias cum Iſabella appuliſſe, Ioannemq; Romanum Pontificem, omnes à fide quã Edouardo Regi debebant exſoluiſſe, omneſque anathemate perculiſſe qui contra Iſabellã & filium arma ferrent. Id cum Edouardus Rex intellexiſſet, Lõdino exceſſit, data in cuſtodiam vrbe Gualtero Oxonienſi Epiſcopo. Rege abeunte, Londinenſes ciues, qui eo maioribus affecti fuerant contumeliis ab vtroque Hugone, quo rex diutius apud eos conſueuerat eſſe, conuocato per Prætorem ſenatu, captoque ſequendi Reginam conſilio, arma communiter ſumpſerant, ſeque tantarum iniuriarum nomine tum de Hugonibus, tũ de Gualtero vindicare voluerant. Secutus fuerat Gualtherus Stapletonius Edouardum Regis filium, eo tempore quo ille in Gallias, ad Aquitaniæ ducatum aſſequendum conceſſerat. Is cum vidiſſet Iſabellam Reginam à reditione abhorrere, & clandeſtina illius contra Regem conſilia ſubodoratus & expiſcatus fuiſſet, actutum clanculum ſe à Regina ſubducens in Angliam redierat, remque omnem Regi aperuerat: qua ex re ſingularem ſibi Regis gratiam, ſed quæ mox ad certam ſuam perniciem vergebat, adiunxerat. Cum enim Rex ſibi à Regina timens, inque Cambriam ſeſe proripiens, Principem Regni Ciuitatem Londinum, illius potiſſimum fidei & tutelæ cõmiſiſſet: & is pro poteſtatis ſibi creditæ magnitudine in illa Regni perturbatione, obeundis rebus ad ſummam Reipublicæ ſpectantibus ſe interponeret; Prætorem & ciues, qui iam totos ſe Reginæ & Edouardi Principis obſequio & voluntati, propter inueteratum in Spenſerios odium deuouerant, non modo contumaces & repugnantes mandatis ſuis inuenit, ſed cum credita negotia ſolicitius vrgeret, & aſperioribus plebem in ſe verbis concitaſſet, ab ipſa furore iam immodico concitata, ad inſignem illam in totius ciuitatis celeberrimo vico Crucem poſitam, cum quibuſdam ex ſuis obtruncatus eſt. Caput illius ad ludibrium haſtæ ſublimi affixum, circumlatum, & deinde ad Reginam tranſmiſſum eſt: cadauer ipſius & famulorũ, ignominioſe proiectum. Secundum Londinenſium defectionem, Oxonium quoque Reginæ ſe permiſit, ſuadente plurimum Adamo Herefordenſi Epiſcopo, olim à Rege violato: qui Reginam ad ſtatum Regni corrigendum, & ad tyrãnidem Spenſeriorum vindicandam aduenisse proponebat. Gloceſtriam poſtea, & Briſtollium Iſabella per deditionem accepit: quo die Hugo pater Spenſerius à furente populo captus, ac extra Briſtollium per longum ſpaciũ equorum caudis tractus, tandem patibulo affixus, infami perduellium ſupplicio atrociſsime dilaniatus eſt.

EDOVARDVS REX CAPITVR.

Caput à ceruicibus reciſum fixumque in pilo, Vuintoniam illatum timore ciues perculit, vt & illi, ac reliquæ vrbes in poteſtatem Iſabellæ non difficile venerint. Iſabella poſtquam vidit omnes vere principes ac ciuitates, in ſuum imperium veniſſe, miſit aliquot expeditos milites, qui Regem iam ab omnibus deſertum, & ſolis aliquamdiu latebris tutum comprehenderent. Sed in eo inueniendo parum laboris fuit; namq; præſto fuere ex Vuallis, qui pecunia corrupti locum, quo ſe Rex exanimatus teneret, indicarunt. Captus Edouardus cum Hugone filio, Roberto Baldocho, ac Simone Redygaio, Keneluorthiæ in cuſtodiam coniectus eſt. Rege in hunc modum intercepto ſuaſu Rogerii Mortimerii, Iſabella Regina, Comitium Procerum ac populi conuocauit Londini. Indidem conſpirantibus omnium ſuffragiis, Regnum Edouardo, quod peruerſa conſilia ſecutus, omnemque viam laudis quam maiores illi tritam in republica adminiſtranda reliquerant, deſerens euerterat, abrogarunt, & Edouardo filio decreuerunt. Iſtud decretum ad IV. Calend. Febr. in aula Vueſtmonaſterienſi diuulgatum, ab Archiepiſcopo Cantuarienſi, ad populum perorante, ſuper illis verbis, *vox populi, vox Dei.* Ex eiuſdem Concilij decreto, Hugonem & Simonem captiuos, maieſtatis damnarunt: cum paucis ante diebus, Ioannes Comes Arundellius, vnus omniũ Spenſeriorum lõge ſtudioſiſsimus, equis raptatus patibulo affixus, capite abſciſſo, & toto corpore fœdum in modum lacerato, ſimili atq; illi ſupplicio interiiſſet. Documento illis omnibus, qui apud Principes gratia pollentes, in alios crudeles, iniuſti & inhumani, ſuo arbitratu cuncta agunt, & per calamitates oppreſſorum Crucẽ ſibi ſtruunt. Robertus Cancellarius, inter fures, in ergaſtulo concluſus, tanto mœrori ſe dedit, vt paucis poſt diebus mortem obierit. Iſabella cũ maritum exauctoratum audiſſet, ingentes ſiue vero, ſiue ficto animo, & per ſimulationẽ lamentationes palam edebat, adeo vt his motus iuuenis Princeps, negaret ſe Regni adminiſtrationem ſuſcepturum, niſi & paternus quoq; cõſenſus publicis decretis adiungeretur. Miſsi Keneluuorthiam ex omni ordine quidam ſelecti, comitiorum decreta denunciarunt, & iuramento ſimul atque fidei, quam olim Regi dederant, nomine omnium renunciarunt. Ex his fuere Vuintonienſis & Lincolienſis Epiſcopi, qui potiſſimum cum Leiceſtriæ Comite, in cuius erat cuſtodia, artificioſis perſuaſionibus, ante reliquorum nunciorum acceſſum, Regem Edouardum aggreſſi, manebant, vt ſponte ſe exueret adminiſtratione, quo communi paci & quieti ita con-

REGNVM EI ABROGATVR EIVSQVE FILIO CŌMITTITVR.

ſulat quā vt inuitus detrudatur,& alius eo etiam inuito,excluſis illius adeo filiis,ſufficiatur. Adiiciebāt etiā ingentia promiſſa,non modo de vitæ ſecuritate,ſed de omni honore illi in poſterum deferendo. Hic Edouardus Rex è cubiculo egreſſus,nigra toga tectus, cum ad reliquos nuncios prodiiſſet,mox præ doloris & angoris magnitudine in terrā exanimis corruit. Deinde à Leiceſtrio & Vuintonienſi recreatus,cum à Herefordienſi ſententiam legationis audiuiſſet, oculis vndantibus, cū maximo eiulatu reſpondit; ſe in magnis angoribus verſari,quod tantum ſibi odium populi conflaſſet, vt omnem erga ſe obſeruantiam excuſſerit, ſeſeque multis ſuis peccatis in extremas ærumnas coniecerit. Hunc tamen dolorem hac ſaltem conſolatione leniri, quod filium ſuum omnibus tam popularem perſpiceret: ad quem,cum ita tempora & neceſsitates poſtularent, rerum ſummam deferri æquo animo pateretur. Hæc cum Edouardus dixiſſet,Guillelm⁹ poſtea Troſellius miles, obſeruantiam omnē fidemque illi olim datam, comitiorum & totius Regni nomine reuocauit & eiurauit. Contributę vero sūt ad ſumptū Edouardo,in ſingulos menſes,100. Marcæ, & humaniſsime ab Henrico Comite habebatur. At enim poſtea,ſiue quod Edmundus Cantij Comes & alij proceres eum è carcere Keneluuorthiano liberare conarētur,ſiue quod Iſabella vereretur,ne quid id genus aliquando contingeret,& vel graues de ipſa pœnas exigeret,vel ad thorum & communem vitam (quam illa prorſus iam aſpernabatur) reuocaret,durius & inclementius eum cuſtodes accipiebant. Thomæ Gorneio, & Ioanni Mantrauerſio, cuſtodiæ illum Regina tradiderat,quod Comes nimis remiſſus erga eum cēſeretur. Itaque illi valde erant erga eum aſperi & acerbi,ſuaque immani importunitate angores illius cumulabant,maxime cum noctu,& clādeſtinis itineribus,à loco in locum, magna cum illius moleſtia & fatigatione,eū, ne vbi eſſet ſciretur tranſportarent.

IN VARIOS DETRVSVS CARCERES TANDEM PRÆFOCATVR À CVSTODIBVS.

Tradunt, eos nō modo illos Edouardo cibos quib. præcipue afficiebatur ſubduxiſſe & velato, ne agnoſceretur capite, infeſtis ſecretiſque diu noctu itineribus exagitaſſe,ſed & veneno eum appetiſſe;licet illud aut naturæ firmitate,aut diuina benignitate,ſine graui noxa diſcuſſerit, & vt angores illius augerent, coronam ex fœno cōtextā capiti per ludibrium in itinere impoſuiſſe,& lingua patria exclamaſſe; *Set fort ô Kinge*,id eſt,*perge ô Rex*. Et vt minus forte ab obuiis cognoſceretur,cæſariem capitis,barbamque in itinere ad monticulum quemdam, quem talpæ cōficiunt ſedenti raſiſſe. Cumque tonſor frigidam,cum nulla alia ſuppeditaretur,aquam attuliſſet,dicerentque debere eum æquo animo pro temporum ratione id ferre; *imo vero*, inquit, *velitis nolitis,calida aqua vtemur*; moxque ingentes lachrymas,pro rei indignitate profudiſſe; quæ per genas promanantes, barbam humectarent. Addunt auctores,illos ipſos cuſtodes,tetris quibuſdam odoribus hominem conficere conatos: quod cum non ſucceſsiſset,adhibitis quindecim robuſtis hominibus, in lecto eum puluinaribus oppreſsiſse,admouiſſeq; natibus tubam ductilem,plumbariiq; ferrum (quo plumbare & ferruminare ſolent) valde ignitum intus immiſiſse, atq; ita inteſtina vitaleſque ſpiritus ſimul exuſſiſse. Thomas poſtea apud Maſsiliam Galliæ captus, cæſuſq; fuit, Ioannes in exilio multis annis perdurauit. Ad eum modum Rex Edouardus,occubuit;à prauis cōſiliariis,in eam calamitatem præceps datus. Humatus eſt Edouardus, in Cœnobio Diui Petri apud Claudioceſtriam.

EIVS QVÆDAM LAVDANDA ET VITVPERANDA.

Nono Regni anno, multa ad Cleri dignitatē,prærogatiuam, & vtilitatem in ampliſsimis Comitiis ſanxit,quæ poſtea dāno ſuo ſæpius violauit. Carmelitanis Oxonii,Prædicatoribus apud Langeliū cœnobia,Collegium Regium, quod Orial dicitur Oxonii, & aulam Diuæ Mariæ in eadem Academia extruxit: vtque in illis cœnobiis doctrina coleretur, auctor fuit. *M S. bibl. Vatic. de rebus Anglic.*

XI.

Buchetus in ſua Aquitania auctor eſt,Iſabellā non multo poſt,à filio Edouardo necatam fuiſſe in carcere, poſtquam ex Mortimerio grauida eſſet facta: Mortimerium vero deſectis genitalibus eius magnoque igni in cōſpectu eius crematis,capite plexum, inque partes quaternas diuiſum, eadem morte, qua ipſo Hugones Monpenſerij haud diu ante perierāt,interiiſſe: terrori omnibus iis,qui ſacros thoros polluere non verentur. *Annal. Flandr. lib. 12.*

QVIS EXITVS ISABELLÆ EDOVARDI REGIS CONIVGIS.

XII.

CAROLVS REX GALLIARVM QVID DISSIDII HABVERIT CVM EDOVARDO ANGLO.

Inter hos motus Anglicanos, non poſtrema pars fuerat Carolus Rex Galliarū, antequam diem extremum obiiſſet. Namque ſororis Iſabellæ iniurias vlciſci cupiebat,Edouardumque Regem ſibi olim contumacem in ordinem redigere nitebatur: datis auxiliis Iſabellæ,& Edouardo ex ea nepoti,quem Regno præficere conabatur. Ad eas diſcordias inter Galliarum & Angliæ Reges ſedandas, poſtquam Ioannes Pontifex Legatum miſiſſet, etiam Archiepiſcopo Senonenſi, & aliis Eccleſiarum Gallicanarum Præſulibus iniunxit, vt præſcripto ab illo orandi modo, inter myſteriorū ſacrificia, Deum pro concordia inter eos Reges implorarent. Dedit ea de re epiſtolam,hoc anno, *numero ſecundo.*

XIII.

GALLI EDOVARDVM IVNIOREM REGEM GALLIARVM ELECTVM REGNO EXCLVDVNT.

Non diuturna ea fuit Edouardi iunioris,cum Gallis amicitia. Carolo enim Pulchro ſuperioribus menſibus extincto cum partus Ioanne Reginæ ex Carolo Rege Galliarum grauidæ expectaretur, Anglorum Legati,Edouardum Philippi Pulchri ex filia,quæ eadem germana Caroli Regis fuiſſet,nepotem,procuratorem Galliarum Regni deſignari debere contendebant. Ventrem præterea cuſtodiendum: ſi fœtus ederetur,tutelam eiuſdē Edouardi legitimam eſſe. Edouardus cauſam ſuā legibus armabat, illudque ex iure ciuili fando vſurpabat: nihil peccaſſe rerum naturam, quæ fœminas progigneret: eas itaque ad hæreditatum iura vocandas. Diuinum quoque ius teſtabatur, verbaque illa ex ſacris Numeris recitabat: *Homo cum mortuus fuerit abſque filio; ad filiam eius tranſibit hæreditas.* Addebat & illud,nihil ſceleris admiſiſſe Iſabellam ſuā matrem vt è Rege orta,Regumq; ſoror,ſpe Regni priuari ipſa debeat,nec ius ſuum filio ſpemq; relinquere. Cōtra,Galli,qui pro Philippo Valeſio contendebant, legem Salicam,in Galliis receptam,adeoque nullum ius fœminis in Regnum Galliæ, reponebant. Iuri ex Numeris propoſito,aliud ius Diuinum opponebant: quo ſancitum,vt fœminæ ſexū ſuum agnoſcerent, intraq; illum ſeſe continerent: iura gentibus ne dicerent; neue in viros imperium vſurparent. Quamobrem Iſabelli, lege Salica ſalua atq; incolumi,ius quod in regnū Galliarum nullum habet,Edouardo tradere non poſſe affirmabant: adeoque aperte Edouardum Regno excludebant; neque tutelam naſcituri infantis illi poſſe cōcedi cōtendebant,quod præter legem,pro patruo Philippo Valeſio ſtantem ille quoque incapax tutelæ cēſeretur,qui ea ipſe indigeret. Ea propter Ioannes Pontifex, in ſtabilienda pace maximopere laborabat, ne nouos Reges,Philippum & Edouardum,ingenti perturbatione quaſi totius,vel ſaltem maioris partis Europæ,inter ſe committi aſpiceret.

XIV.

IOANNES PP. ANATHEMA INTORQVET IN BRVGENSES OB IMMANEM TYRANNIDEM ET PACIS INFRACTIONEM.

Cum autem multi Flandrenſium pacem inter ſe & Regem olim Carolum ſtabilitam, violare viderentur, Ioannes Pontifex data *epiſt. num. 1569.* anathema in omnes pronunciauit, per quos ea concordia, aliquomodo irritaretur. Non enim deerant, qui iuramenta & pacta fœdera floccifacerent: propterea quod quidam homines humili loco nati, qui ad reipublicæ gubernationem tumultuarie peruenerant, non niſi per vim in ordinem redigi poſſent. Nam poſtquam ſe omni ſua auctoritate dignitateque ſpoliatum iri vidiſſent: malebant omnia in tumultum vertere, quam ad priuatam vitam detrudi. Hi multos ex Gandauenſium exulibus contra pacis placita acceptis muneribus reduxerunt: alios per ſeditionem eiectos redire ad ſuas poſſeſsiones prohibuerūt. Et quamuis pluribus internuntiis Ludouicus Comes eos vt reſipiſcerent, pacemque



que monente Pontifice ſeruarent admoneret, in ſua tamen pertinacia ac rebellione perſtiterunt, peioraq; prioribus deſignare cœperunt. Iacobus Peyt Præfectus plebeiorum Brugenſium, homo ſacrilegus crudeliſſime in quoſque quietiſſimos ſæuiebat: quos vt præhendiſſet,ſtatim mori cogebat; haud aliam prætexens cauſam, quam quod diceret, magis eos nobilitatem, quam multitudinem diligere. Sed & morituro cuique, lictorem ſanguine aut affinitate iunctum perquirebat. Sic frater fratrem, cognatus cognatum, ſocer generum coactus eſt interficere, aut ipſe ceruicem tendere percuſſori. Imprimis ea tyranni rabies,ſacerdotes perſequebatur. Optabat enim fando vnicum omnino eſſe ſacerdotem,eumque in aere ſuſpenſum. Eccleſiæ miniſtros quoſcumque potuit, vel bonis ſpoliauit, vel patria expulit,vel tandem occidit. omnes (vt iactabat) in nihilum redacturus, niſi à Furnenſibus apud Hōdeſcotam ſero fuiſſet occiſus. Sepulti apud Brugenſes funus; breui poſt, iuſſu Engerranni Morinorum Epiſcopi refoſſum,ac flammis concrematum; quod prauus hæreticus eſſet, homoque plurimorum ſcelerum criminibus opertus. Succeſſorem tamen ſibi ſimilem, tam crudelis impiuſque homo inuenit: qui eam per biennium, ceu per manus traditam continuauit tyrannidem, tanta crudelitate, vt bonos omnes vitæ ſuæ tæderet. Simul Brugenſes, horum omnium malorum auctores, haud ſecus ac diabolica fraude lymphati, mortem tam deteſtabilis tyranni crudeliſſime vlciſcebantur,in probatiſſimos quoque atrociſſime ſæuientes, prælatis ſibi nonnullis prauis hominibus. Horum omnium temeritatē,crudelitatemq; anathemate notauit, ſummus Pontifex Ioannes, data quam numeraui epiſtola. *Annal. Flandr. lib. 12.*

XV.

PHILIPPVS VALESIVS CAROLI PVLCHRI FILIVS REX GALLIARVM ELIGITVR.

Succeſſit interim in Regnū Galliæ Carolo Pulchro Regi defuncto, Philippus Valeſius, Caroli ſuperiore anno mortui filius. Ab eo, contra plebeios in nobilitatem coniuratos, Ludouicus Comes auxilia poſtulauit, atq; impetrauit: Si modo prius inſignia Regni adeptus fuiſſet. Interea tamen, ab Ioanne Pontifice, miſſo Tornacum Epiſcopo Syluanectenſi, Flandris vniuerſis præter Gandenſes & Aldernadenſes,ſacris interdicendum curauit. Propterea per dimidium annum, ab officiis diuinis ceſſatum; quamuis populus pœnitentia facti ſed fictitia correptus, Nicolaum Abbatem Dunenſem, ad Ioannem quidem interdicti ſublationem, ad Regem autem, pacem & indulgentiam deprecaturum miſiſſet. *Annal. Flandr. lib. 12.*

XVI.

LADISLAVS LOCTICVS OPE LITVANORVM CRVCIGEROS DEBELLAT.

In Polonia, cum Crucigeri monita Ioannis Pontificis contemnerent, neque Pomeraniam Regi Ladiſlao ereptam reſtituerent, Ladiſlaus Locticus in eos mouit, barbaroſque per id temporis Lituanos ſibi contra eos communes hoſtes adiunxit. Crudelius in eo bello ſe geſſere Lituani, & magnam hoſtium cædem fecerunt, matronas atque virgines contumelioſe conſtuprarunt, delubra ac templa paſſim profanarunt, diripuerunt, & incenderunt.

INSIGNE FACINVS CVIVSDAM VIRGINIS AD EVADENDVM STVPRVM.

Memoratur autem forte & præclarum ſanctimonialis cuiuſdam facinus; quæ capta à Lituano quopiam, cum ad ſtuprum traheretur, rogauit eum ne ſibi vim faceret. Mercedis autem loco promiſit, ſe eum edocturam eſſe qui corpus eius vulnerari nullo vnquā ferro poſſet. Quod cum diſcere ille percuperet, iugulum ei fortis puella, cera oleo permixta in ſpeciem vnctum, præbuit, vt in ſe eius vnguinis periculum faceret. Credulus ille ſtricto acinace caput virginis deſecuit. Sicque illa barbari libidinem eluſit, ac turpe ſtuprum honeſta morte euitauit. *Cromerus lib. 16.*

XVII.

SVMMARIVM GESTORVM IOANNIS PAPÆ HOC ANNO. 1. ep. 2. 2. ep. 204.

Eodem anno Ioannes Pontifex 1. Vicario vrbis, vt ad pulſationem campanæ in quolibet noctis crepuſculo, iuberet Diuam Deiparam virginem, recitata ſalutatione Angelica, venerari, præſcripſit, indulgentiamque, 10. dierum ſalutantibus conceſſit. 2. Cardinali Legato Æmiliæ, vt in eos qui pertinaciter aſſererent, non eſſe peccatum mittere Saracenis alia, quæ in Concilii decretis expreſſa non ſunt, ſeuere animaduerteret, præcepit. 3. Pugnantibus contra Mauros Granatenſes, plurimas gratias indulſit. 4. Regi Cyprio, vt exploratores in terras Saracenorum poſſet mittere, permiſit. 5. Archiepiſcopo Cretenſi, vt Græcis ad Eccleſiam Romanam venientibus ſeu etiam redeuntibus poſſet multa ſpiritualia impendere, poteſtatem fecit. 6. Inquiſitionem vitæ & miraculorum Diui Nicolai Tolentinatis, nonnullis commiſit. 7. In meditullio Georgianorum, apud quos Dominicani magnos in fide promouenda progreſſus fecerant, locum Theflicenſem, in ciuitatem erexit, & F. Ioannem Florentinum Epiſcopum vrbi dedit. 8. Monachis S. Petri in cœlo aureo, Papien. vt Fratres Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ſecum ibidem manerē permitterent, mandauit. quod ibidem corpus D. Auguſtini tutelaris eorundem; repoſitum, pariter etiam eſſet ab eiſdem cuſtodiri. Ioſephus Pamphilus Epiſcopus Signiæ, in eo quem de rebus Auguſtinenſium ſcripſit libro, ex 1. lib. Vit. Fratr. Iordan c. 8. refert, D. Auguſtinū, paulo ante iſtam reſtitutionem corporis ipſius, Auguſtinianis factam, cuidam apparuiſſe. Verbis eius rem narrabo. Ita habet.

3. ep. 1715. 4. ep. 829. 5. ep. 2055. 6. ep. 1244. 7. ep. 1783.

XVIII.

ADMIRANDA S. AVGVSTINI APPARITIO.

Porro iſta diu affectata reunio, antequam facta eſſet, cuidam Fratri nominato in Ordine, per viſum reuelata fuit hoc modo. Videbatur ei, quod ipſe cum multis Fratribus, & melioribus perſonis eſſet in quadam Eccleſia non noſtri Ordinis, in qua erat quoddam ſepulchrum eleuatum vnius S. Magni Epiſcopi, ſicut ex figura imaginis deſuper ſculptæ oſtendebatur; quod quidē ſepulchrum minus decenter, à perſonis illius Eccleſiæ tractabatur. Nam pulpita, & candelabra antiqua cum pulueribus irreuerenter ſuperiactata apparebant. Itaq; Fratribus in Eccleſia ſtantibus, & ſepulchrum aſpicientibus, ecce imago Epiſcopi viſa eſt ſe eleuare, & illas ſpurcitias ſuperiactatas indignanter reiicere. Et ſic ſurgens Epiſcopus de tumulo Pontificialiter indutus, iuit ſtare ante altare, & inuitans ad ſe Fratres cœpit cantare, *Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos.* Et cantauit hæc verba nota graduali, ſicut Epiſcopi in inthronizationibus cantare ſolent, quo expleto, ſedit ipſe, & Fratres omnes ante ſe per ordinem ſedere iuſſit: & tūc dulcem exhortationem, velut pater ſuis filiis fecit; ex quo iſte Frater intellexit in ſpiritu illum fore B. Patrem Auguſtinum. Volens autem idem Antiſtes Fratribus amorem oſtendere ſingularem, habebat quidem in manu ſua vitrum mundum, cum potu valde claro, & pulchro. Ex eo bibit ipſe primo, & poſtea per ordinem, de manu ſua ſingulis propinauit, intonans valde dulciter, & cātans: *Aqua ſapientiæ potauit eos Dominus.* Et cum perueniſſet Epiſcopus ad Fratrem iſtum, bibit ipſe. Fuitque potus nobilis, & dulcis, inuſitatumque ſaporem habens, quaſi claretum antiquum; ex quo Frater iſte totus exhilaratus fuit. Et cum bibiſſent omnes, Epiſcopus benedixit, & ſic ad ſepulchrum redire cœpit. Quod videntes Fratres vnanimiter fleuerunt, dolentes de patris receſſu. Ipſe autem conſolans eos paterne ait eis: Nolite flere filii. Ecce enim vobiſcum ero, vſque ad ſæculi conſummationem. Hoc dicto, Frater ille euigilauit, & inuenit os ſuum, linguam, & palatum de potu illo valde dulcoratum; vnde repletus ſtupore, & gaudio, gratias egit Deo, ſperans illam viſionem, non eſſe otioſam, ſed alicuius boni pro Ordine prænunciam: ſicut non multo poſt claruit in effectu. Nam infra duos menſes vel circa venerunt certæ litteræ de curia Romana, nunciantes noua, quomodo corpus Beatiſſimi Patris Auguſtini, & à Ioanne ſummo Pontifice eſſet Ordini Eremitarum redonatum: per omnia benedictus Deus. Huc uſque *Iordanus in lib. Vit. Fratr.*

XIX.

IOANNES PP. INQVISITIONEM VITÆ ET MIRACVLORVM GREGORII PP. X. QVIBVSDAM COMMITTIT.

Eodem anno Ioannes Pontifex, ad inſtantiam Iacomini de Ponte Caralli, pro ſede Apoſtolica Rectoris, necnon Antianorum, Conſulum, & populi Placentini, Inquiſitionem vitæ & miraculorum Gregorii Papæ X. ex Piſano Archiepiſc. Mutinen. Epiſc. & Bened. Senen. præpoſito Colonien. prothonotario ſedis Apoſtolicæ commiſit. 6. Id. Iun. Quamquam n. aliquis in Eccleſia Catho-

Catholica, dignitate polleat iuxta & ſanctitate; neminem tamen fas eſt publico nomine ſanctũ habere, antequam ſedes Apoſt. decreuerit: Non ita pridem, noſtra memoria, Pius Quintus Eccleſiam ſanctiſſimis moribus, & rebus ingenti animo geſtis, ornabat, necnon deuotionem apud pleroſque ſui poſt obitum excitarat. Placuit tamen Patribus Ord. Prædicatorum monaſterii S. Crucis quod Boſchi apud Alexandriam in patria ſua Pius V. condidit, vitam & res actas eiuſdem Pontificis ſanctiſſimi Domini noſtri Pauli Quinti cenſuræ ſubiicere, ſupplicesque eſſe, vt inquiſitio vitæ & miraculorum eius authoritate Apoſt. inſtitueretur. Iſtud negotii, anno M.DC.XV. idem Paulus Quintus Congregationi Sacrorum Rituum commiſit.

XX.
IMAGO B. VIRGINIS A IVDÆO CONFOSSA SANGVINEM MITTIT.

Hoc anno miraculum inſigne contigit, in imagine Sacroſanctæ Deiparæ. Iudæus quidam baptiſmum in Hannonia receperat, à Wilhelmo Comite Hollandiæ Hannoniæque de ſacro fonte leuatus. Hic tranſiens & conuerſans inter Chriſtianos, deuotum ſe fingebat, Iudaica malitia repletus. Nam vice quadam per Eccleſiam quamdam cuiuſdam monaſterii ſolus tranſiens, imaginem B Mariæ ſemper virginis pulcherrime depictam indignabundus conſpexit, & veteri mox odio innatoque furore incitatus, pugionem extraxit, inq; verba blaſphemiæ prorumpens contra ſanctam Deigenitricem, nitidam imaginis faciem configẽs, turpiter vulnerauit. Et ecce confeſtim, ſanguis ab imagine vulnerata copioſus erumpens, circumfluere cœpit. quod infelix aſpiciens, quãtocius ab Eccleſia aufugit; ſanguis autem à fidelibus reſeruatus, multis ægritudinibus medicina fuit.

AD. VIRGINE SACRILEGII AVTOR DETECTVS IMPIETATIS POENAS LVIT.

Cum autem tanti ſceleris auctor aliquandiu latuiſſet, neque à quoquam ſciri potuiſſet, beatiſſima Deigenitrix ſemperque intacta virgo Maria, cuidam fabro ferrario in ſomnis apparens, quaſi vulneribus cõfoſſa, auctorem ſceleris oſtendit. & eum ad ſingulare certamen pro veritatis declaratione contra perfidum animauit. Itaq; faber ad Iudicem venit, ſceleris Iudæum accuſauit. Vbi cum teſtimonia probationis obiecti criminis ſufficientia non adeſſent, ad ſingulare duellum prouocauit, atque impetrauit. Inito certamine, à ſanctiſſima Deigenetrice adiutus, vicit perfidum fidelis, impium iuſtus, Iudæum Chriſtianus. Superatum ſe cernens blaſphemus, veritatem aperuit, ſceleris ſui immanitatem, & quod animo nunquam fuerit Chriſtianus, publice coram omnibus confeſſus eſt. Prolata à præfecto Comitis ſententia, infelix, infidelitatis ſuæ pœnas dedit, & laqueo vitam finiuit. *Chron. Hirſaugien.*

XXI.
B. FRANCISCI SENENSIS ORDINIS SERVORVM B. VIRGINIS NATALIS, PROPHETIIS ILLVSTRIS, TOTIVS EIVS VITÆ PERIODVS, ET MIRACVLA.

Hoc anno ad Cœlos emigrauit, B. Franciſcus Senenſis, Ordinis Seruorum B. Deiparæ, Natus fuerat Senis Anno Domini 1273. neq; ſine præſagiis, neq; obſcuris parentibus. Raynalda eius mater, antequã illum mundo edidiſſet, ſe lilium parere per nocturnam quietem, ex ipſiuſque radice complura alia oriri, & velut ex eis contextam coronam Deiparæ virginis ſacro capiti imponere; atque rurſus Epiſc. Pontificalibus ornamentis ad rem diuinam celebrandam inſignitum, videre ſibi viſa eſt, qui diceret: *Ne illa timeret; nam in vtero ferret lilium, quod olim poſtea in lucem editum, mundi fluctuantis feces incontaminatum prætèriret.* Eodem etiam momento aſpexit, quaſi idem ille Epiſcopus, pedo paſtorali vterum ſuum grauem contigiſſet, ac viuifico ſigno crucis ſignaſſet & tum demum ex oculis ſuis diſparuiſſet. Sacro baptiſmate ablutus infans, præter naturam exultare, oculoſque cum ingenti gaudio ad Deigenitricis imaginem coniicere cœpit. Pueritiam ingreſſus, quingentis vicibus in dies Beatam virginem ſalutabat, Sacrata Deo templa, non ſecus ac familiare habitaculum eſſet, frequentiſſime incolebat: media nocte, ad Deum laudandum conſurgebat: Sacra Dei eloquia, vt audiret, cuncta poſtponebat; Diuini cultus deſiderio vehementer inflammabatur, literarumque ſtudiis à prima adhuc ætate quicquid temporis ab orationibus ſupererat, impendebat. Cum autem quadam die B. Ambroſium Sanſedonium Ordinis Præd. de mundi contemptu concionantem, & dicentem: *Mereberis Deum, ſi homines fugeris*; audiſſet, vix à matre retineri potuit, quo minus ſe in ſolitudinem reciperet. Defuncta matre annos natus XXII. Ordinem Seruorum B. Mariæ ingreſſus, dici non poteſt, quanta ſit vſus vitæ auſteritate, aſſiduis vigiliis, orationibus, ieiuniis & diſciplinis maceratus. Factus Sacerdos Miſſam quotidie celebrabat, vt ſacro munitus viatico, ad hinc exeundum ſemper eſſet paratus, Namque affirmabat, Dei ſeruo curæ ſemper eſſe debere illa Euangelica verba; *Eſtote parati.* Concionaturus, magis orationi, quam ſtudio incumbebat. Interrogatus à quibuſdã, quonam pacto ſibi fideret, non prius præmeditatis iis, quæ ad populum reformandum loqueretur; reſpõdit: *Benedictus Dominus, dat ſapientiam & gratiam ex ore illius, qui ei per orationem & meditationem adhæreſcit.* Adeo autem grauis & acer fuerat in reprehendendis peccatoribus, vt multos à vitiis deterreret; præſertim quod inter concionandum globus igneus ſuper caput prædicantis à quibuſdam virginibus viſus eſſet. Cum autem multi ad eum ex vtroque ſexu fama ſanctitatis illius illecti quotidie confluerent, & hos ille ſanctiſſimis præceptionibus imbueret; quibuſdam illam mulierum frequentiã ſiniſtre interpretantibus, ipſe ſanctiſſimam Dei genitricem, vt huic malo occurreret, precatus, repente obſurduit; ſcil. ne quempiam ad ſe accedentem audiret, neque calumniarum impoſturis læderetur, Volebant medicos & remedia adhiberi. at Franciſcus nullam medicinam admittere ſuſtinuit, ea ſurditate delectatus, quæ ſibi ad animi votum accidiſſet. Aſperitatem deinde vitę proſecutus, humi cubabat, ſomno valde modico contentus. Corpus quod aſellum nominare ſolebat, modice paſcendum dicebat, quo ſuſtinendis oneribus ſatis eſſet, illudq; ſæpiſſime flagellis, nonnunquam ſaxo verberabat. Neque tamen à charitatis operibus vacabat. Nonnullis pauperibus nudis ſibi occurrentibus, propria indumenta largitus eſt Plurimos eorum ab infirmitatibus, quibus detinebãtur, perſanauit. Diſſidentibus reconciliandis tantam operam dedit, vt Pacificatoris nomine à cunctis ciuibus ſalutaretur. Cum illud Apoſtoli; *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto; &; mihi viuere Chriſtus eſt & mors lucrum*; frequẽtius in ore haberet, nihil aliud magis deſiderabat, quam vt corpore ſolutus ad Chriſtum euolaret. Itaque quadam die ad concionandum egreſſus, præ ingenti moriendi deſiderio in terram decidit; vnde à ſodali ſubleuatus, grauioribusque doloribus cõflictatus, cum horam mortis ſibi imminere præſciuiſſet, magnã præ ſe tulit lætitiam, totũq; ſe hymnis decantandis, & pſalmis recitãdis dedit. Peruigilio Aſcenſionis Dominicæ, cum ſacra confeſſione animũ expiaſſet. Et diuino pane ad trãſeundum ex hoc mundo ſeſe muniuiſſet, Fratremq; ſibi aſſiſtentem interrogaſſet; Num crederet, ſaluatorem velle illum ex hoc carcere educere: ſubticenti renunciauit: ſpero, ait, pro benignitate diuina, ex hoc tenebroſo corporis ergaſtulo, me breui egreſſurum. Poſtridie, ſacra adueniente feſtiuitate, concomitantibus Angelicis ſpiritibus ad cœleſtia regna tranſiuit. Ferunt, lilium ex ipſius ore produſſe ſtatim atque migrauit ad Chriſtum: & paulo ante mortem, verba ad populum facienti Angelos aſtitiſſe, qui codicem ante oculos eius apertum manibus tenerent. Ad emortui corpus, frequentiſſima populi multitudo conflaxit, quod corpore cõtractos, ſurdos, cæcos à malignis ſpiritibus detentos, comitiali morbo laborantes, aliiſque infirmitatibus oppreſſos liberaret.

Andreas Ciuis Senenſis, cum in virum Dei linguam ſuam exacuiſſet, ac illi honorem exhibentes, petulantibus verbis illuſiſſet, grauiſſimis doloribus propterea percuſſus, neque prius, neque humanis remediis potuit ſanari, quam contumeliam ſancto illatam confeſſus, pœnitentiaque adductus, voto ſacro ſe obligaſſet; ſe ſcilicet ad Beati viri corpus nudis pedibus petrecturum, dummodo priſtinæ reſtitueretur ſanitati. Voto facto, ſtatim incolumnis è lecto ſurrexit, ad tumulũ Fran





ſciſci acceſſit, & vniuerſo admirante populo laudes illius pronunciauit. Bartholomæus quidam, & ipſe huius ſancti miraculis, atque ſanctitati detrahebat, & brachium ridiculoſe contra ſanctum virum extenderat. Percuſſus propterea à Deo, ſtatim toto illo brachio quaſi lapis obriguit. Quapropter temeritatem ſuam agnoſcens, ad ſacram ſepulturam accurrit, veniam poſtulauit, lachrymas effudit, delictum quod in Franciſcum admiſerat, euulgauit, & tunc demum ab illa brachij torpedine liberari promeruit. Puer quidam inter ludendum in fontem aquæ profundum ab alijs iniectus, mortuuſque exinde extractus, cum à matre amariſſime lugente ad Franciſci tumulum delatus fuiſſet, diuinitus reſuſcitatus reuixit. Multi præterea indies à morbis inſanabilibus curati ſunt, & ab immundis inſeſſi ſpiritibus liberati. *Ex eius vita per Nicolaum Borgheſium Equitem auratum & Patricium Senenſem ſcripta, & Chron. Seruorum.*

XXII.
ANDRONICI INSIGNIS PIETAS IN ANDRONICVM PATREM IMPERATOREM GRÆCORVM.

Per id temporis, inſignis modeſtiæ & reuerentiæ dedit Andronicus iunior erga ſeniorem auum Andronicum Græcorum Imperatorem. Ad apertas ſimultates proceſſerant, & iam iuuenis coniuratorum manum trahebat. Hi cum in necem ſenioris iuniorem inflammarent, quamquam rationes non deeſſent, quibus ad vindictam ſumendam incitaretur, tamen; Vſque eo, inquit generoſus adoleſcens, nihil dirum, & immane, vel vitæ, vel dignitatis meæ gratia, in Dominum meum & Imperatorem perpetrari velim, vt ſi forte diſtricto enſe in me iugulabundus irrueret, pedibus ſalutem meam expediri contenderem. Sin quippiam fugienti obſtaret, adeo me non delectaret ad defenſionem conuerti, vt velata facie, cum ſilentio plagam mallem accipere: metuens, ne aſpectu illius vehementius turbatus, ac veluti de ſtatu mentis dimotus inſilirem, ferrumq; ei extortum longius proiicerem: cum hoc ipſum ſceleſti facinoris loco ducam, quoquo modo contra parentem manus extollere. Sic me de aui honore ſentire, Deum omnia perſpicientem teſtor. Eodem animo vos eſſe deſidero, certos plane, ne mutire quidem ſuper hac re amplius, neque conari, me in diuerſum trahere. Nec enim hilum proficietis, *Cantacuzen. hiſt. lib. 1. c. 10.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1327.
### IOANNES PAP. XXII.
Anno 11. & 12.

I.
LVDOVICVS BAVARVS COMITIVM COGIT AD SVSCIPIENDVM DIADEMA IMPERII.

CAroli Ducis Calabriæ, & Ioannis Vrſini Cardinalis Legati, in Italiam aduentus, ad eum modum Gibellinorum animos perterruerat, vt de ſe actum putauerint, niſi Ludouicus Bauarus, in adiutorium acceleraret. Præter Parmam & Bononiam, nonnullaque non ignobilia oppida, Mutinam quoque, Immolam, & Fauentiam, Bertrandus Cardinalis in Æmilia Legatus receperat, atque Gibellinos tum armis, tum diris premebat. Carinthiæ etiam Dux, pro Patauinis & Vicetinis depugnans, Scaligerorum, Areſtinorum & Paſſarinorum copiis, formidoloſus euaſerat. Cum itaque omnes ſibi inuicem metuerent, Ludouicum ad iter ſuſcipiendum, litteris & Nunciis miſſis perurgebant. Ad initium huius anni, Ludouicus, ſuperatis alpibus, Tridentum vſque penetrauit, diemque confœderatis Italiæ tyrannis, XIV. Cal. Martij comitio celebrando deſignauit: neque vllis precibus, aut promiſſionibus, vt vlterius progrederetur adduci potuit, donec coniurati Principes conueniſſent. Adfuerunt Actius & Marcus Vicecomites, à fratre Galeazio deſtinati: deinde Canis Scalanus, Bonacoſſa Paſſarinus, alter ex Marchionibus Ateſtinis, Guido ex Epiſcopus Aretinus, cum Oratoribus Friderici Regis Trinacriæ, Caſtrucij Lucenſium tyranni, exulum Genuenſium, Piſanorum, Mediolanenſium, & aliorum qui ſe fideles imperij eſſe affirmabant. In eo comitio, Ludouicus Bauarus, fidem ſuam iureiurando obſtrinxit, ſe in Italiam exercitum ducturum, vt diademate Imperatorio Mediolani, & in Vrbe Principe coronatus, Romanum Imperium in Italia ſtabiliret, cunctoſque clientes Imperij ab iniuria Pontificiorum vindicaret, inque libertatem aſſereret. Viciſſim confœderati Sacramentum fidelitatis, obſeruantiæ, & obſequentiæ illi præſtiterunt: ac centum quinquaginta millia nummum aureorum, numerare promiſerunt, cum primum is Mediolanum ſigna intuliſſet. Piſanorum Nuncij ea conditione Ludouico pecuniam pollicebantur, ſi is vrbem illorum præteriret, neque ingreſſum cogitaret.

II.
PLVRIMI HÆRESIARCHÆ SESE CONIVNGVNT LVDOVICO EORVNDEMQVE HÆRESES ET IN IOANNEM PP. CONVITIA.

Aderant cum Ludouico, plurimi Epiſcopi, Prælati, Regulares diuerſorum Ordinum, Apoſtatæ, Schiſmatici, hæretici, anathemate ab Ioanne ſummo Pontifice propter grauiſſima flagitia damnati, atque exauctorati. Eorum agmen ducebat Magnus Magiſter militum Theutonicorum furiis in Romanum Pontificem inuectus propter Pomœraniam Regi Poloniæ non reſtitutam, virga Eccleſiaſticæ diſciplinæ ab Ioanne percuſſus. Marſilius Patauinus, & Ioannes Iandunus hæreſiarchæ, ab ſubſellia ſedis Apoſtolicæ propter hæreſes euocati, meritoque damnandi, oleum camino affundebant, & tam Ludouicum, quam reliquos in Ioannem Pontificem inflammabant. Præter alia quæ filij Belial iactabãt; mentiebantur, 1. Chriſtum, adeoque etiam ſummum Pontificem, & reliquos Eccleſiaſticos Imperatori terreno ſubiectos. 2. Imperatorem poſſe Papam inſtituere & deſtituere, ſeu deponere. 3. Papam & Epiſcopos amplitudinem iuriſdictionis non à Chriſto, ſed ab Imperatore obtinere. 4. In Imperatorem nullam poteſtatem habere. 5. Vniuerſam ſimul collectam Eccleſiam Orthodoxam, nullam potentiam coactiuam, ad caſtigandos puniendoſque peccantes poſſe exercere. 6. Beatum Petrum, non plus quam alii Apoſtoli, à Chriſto accepiſſe. 7. Omnes Sacerdotes, quicumque illi fuerint, Papa, Patriarchæ, Archiepiſc. Epiſc. & ſimplices presbyteri, æqualis iuriſdictionis & auctoritatis eſſe. 8. Papam nullum dominium, in imperio, in temporalibus poſſidere. 9. Imperialem dignitatem immediate ab ipſo ſolo Deo eſſe, neque quicquam in eam Pontificem Romanum aut Eccleſiam poſſe. 10. Excommunicationes, & alias cenſuras Ioannis Pontificis, in Ludouicum prolatas nullius momenti, adeoque non timendas eſſe. 11. Ludouicum Bauarum, quamuis à ſede Apoſtolica abdicatus fuiſſet, verum & legitimum Imperatorem fore. 12. Ioannem Pontificem, & ſi propter alia dicta & facta, ab impoſtorib. conficta, maxime tamen propter opinionem Fratricellorum quam is ipſe condemnauit, hæreticum notorium debere cenſeri.

III.
LVDOVICI MACHINÆ AD CONVELLENDAM MAIESTATEM PONTIFICIAM.

Hæc & alia, à Patre mendaciorum in Ioannem Pontificem & alios Eccleſiaſticos excogitata, cum hæreſiarchæ verbis & ſcriptis libellis mentirentur, adeo Ludouicum & conſiliarios impietatis permouerunt, vt is in eodem comitio denunciauerit, Ioannem ſummum Põtificem, non eſſe verum & legitimum Papam Petri ſucceſſorem. Quamobrem non eum amplius Ioannem, ſed Iacobum è Caturco, per contumeliam appellabant: à communione Chriſti fidelium præciſum denunciabãt, clauesq; illi à Chriſto traditas conculcantes, ſacra & ipſi faciebant, & vt alii facerent compellebant: eo maiore audacia quod Ludouicus in eo totus eſſet, vt quãprimũ Romam attigiſſet, Ioannem publica temeritate exauctorare decerneret. Totos XXV. dies, Tridenti in conſilio impiorũ, Ludouicus, ipſe in cathedra peſtilentiæ præſidens, laborauit; quemadmodum & Eccleſiam Romanã ſupra petram inædificatam conuelleret, & Romanum Pontificem ſub iugum mitteret. Ingemuit tunc Orbis Catholicus, cum videret, à Ludouico Bauaro idolũ abominationis in tẽplo ſuſcitari, maieſtatemq; Pontificiã & poteſtatem Eccleſiaſticam ab eo conculcari. Ad XIII.

Martij Tridento exiuit, & primum Brixiam, deinde Mediolanum menſe Aprili venit. Septingentos equites Canis Scalanus, trecentos Marchiones Ateſtini, & totidem filius Paſſarini, reliqui vero principes ſeu tyranni aliquot centurias Bauaro Mediolanum ingredienti ſubmiſerant, quibus ille fretus, terrorem hoſtius incuſſerat. *Villani lib.* 10. *c.* 17. 40. 45. 33.

IV. GALEAZIVS VICECOMES REBELLIONIS IN ROM. PONTIFICEM DIVINA VINDICTA DAT POENAS.

Tulit tunc temporis pœnas flagitiorum Galeazius Vicecomes, toties Ioanni ſummo Pontifici rebellis. Frater illius Marcus, ingenij captu ſupra æquum turbidus & ferox, tamquam periculorum omnium ſocius, & totius victoriæ præclarus adiutor, fratrem rerum dominum ferre non poterat, vel natu maximum, & prudentiæ authoritate potiorem; & cum regnum duos non caperet, quibus modis id aſſequeretur, violentus & vecors agitabat. Iuerat cum Leodriſio, Tridentum, obuiam Ludouico Marcus: atque Galeazium multis oneratum calumnijs, maieſtatis reum peregerat, conniuente ad id ſcelus Cane Scaligero, qui ex aliena diſcordia turbatis rebus, obuentura ſibi commoda vir aſtutus atque ambitioſus expectabat. Accuſabatur atrociter, quod nimis intempeſtiue, parandæ pacis cupiditate adductus, Gibellinarum partium graui damno cum Pontifice tranſegiſſet, Cardonio præſertim tanto duce iniqua plenaque perfidiæ ſimulatione hoſtibus reſtituto; Mediolani vero ſublata libertate, propinquis amiciſque veteribus plane contemptis, ſolus impotenter ſuperbeque regnarit. Non ea neſciuit Galeazius, ſed ſatis prudenter dixit: *dum me Marcus frater impie ferit, ſeſe temere conſauciat.* ſcilicet, Marcum admonuit, nihil aliud Ludouicum quærere, quam per diſcordias fratrum imperium ſibi ſtabilire. Iſtud deferentibus amicis audiens Marcus, temere reſpondit: De hoc quid in fatis futurum ſit, Galeazius viderit, qui ædepol fratrem non habet, quum ſolus regnet. Diſtulit eam diſceptationem in itinere Ludouicus: maxime quod & Galeazius obuiam veniſſet, cum ornatiſſimo comitatu dona ferens, non admodum opulenter inſtructo ſibi gratiſſima. Interea Ludouicus liberali ſumptu, & plane regio ſplendore Mediolani exceptus, & Calendis demum Iuniis in templo Diui Ambroſij ferreo diademate coronatus eſt, tradente inſignia Guidone Tarlato Aretinorum pſeudoepiſcopo, Gibellinarum partium in Italia principe.

LVDOVICVS BAVARVS IMPERII DIADEMA SVSCIPIT MEDIOLANI A GVIDONE TARLATO ARETINO PSEVDOEPISCOPO.

Quod Frater Aychardus Mediolanen. Archiepiſc. Ord. Præd. profeſſus, ſeſe ſubduxiſſet, ne pſeudo Imperatoris inauguratione ſeſe impiaret. Hic inprimis Canis Scaliger, profunda ambitione incenſus, oblata ingenti pecunia indigenti Ludouico, petebat, vt Mediolani iure Auguſtali Princeps diceretur. Etenim magno aſtu apud proceres Germanorum, Galleacium, vel nullo certo indicio maieſtatis reum, nec adhuc ad dicendam cauſam ad tribunal Ludouici vocatum præcipiti iudicio prædamnabat. Sed Ludouicus graui admodum ancipitis conſilij ſuſpenſus cura, quid ſibi decernendum foret, non videbat. Itaque ad eum modum Scaligero reſpondit, vt ſpem ei non præcideret, & præſentibus eius copiis ad patrandum facinus vteretur. Interea dabat operam, vt Germanici ſanguinis vetus miles, perpetuis ſtipendijs & beneficijs Galeacio obſtrictus, vel ab ipſa Matthæi, Othoniſque memoria fidem mutaret, nouumque ſibi reiecto ſuperiore ſacramentum diceret. Æquum enim poſtulare videbatur, quum pro ſua, & Germanicæ gentis dignitate ſaluteque peteret, vt firmiſſimo conſenſu, Aquilam Romani Imperij ſignum reſpicere, idque tueri, & ſe proficiſcentem Romam ſequi vellent. Futurum enim breui, vt & opima ſtipendia, & digna ipſorum fide præmia conſequerentur. Neque mora, Germanis graui ſcelere, fidem occulte mutantibus, Concilium ſolenne proceribus indixit Ludouicus, adque illud Galeacium cum Actio filio & fratribus euocauit. Tum vero Marcus prodiit, venenumque dirum domui, ſibique demum læthale euomens, ſupplex petiit, vt æqui iuris libertatem ciuitati reſtitueret oppreſſam & plane extinctam, inuſitata tyrannide Galeazii ſuperbi fratris. Idque ſi Ludouicus à miſeris impetrari pateretur, Mediolanenſes quantam oporteret in ſtipendium pecuniam collocaturos, nec à fide & amicitia Cæſarum vllo vnquam tempore receſſuros. Ita ſuadente impellenteque Marco, Ludouicus tributum Mediolanenſibus in ſtipendia militum impoſuit, diemq; ad ſoluendum præſcripſit. Aderat forte perſoluendæ pecuniæ tempus, eamque Galeacius exhauſto iam plane ærario, cui per tres menſes Ludouicus auiditate inſatiabili grauis & importunus extiterat, nonniſi cunctanter expediebat. Populo quoque eamdem pecuniã, ſine graui diſcrimine, tanta oneratus calumnia, imperare non poterat, patriciis iam plane Marci & Leodriſij malignitate deprauatis, populoque per ſe cupido rerum nouarum ad ſpem libertatis erecto. Cumque & militem Germanum à ſe alienatum, ſeque de variis criminibus apud Ludouicum poſtulatum certo certius didiciſſet, ferunt, in faciem, Ludouico vectigal & ſtipendia exigenti, reſtitiſſe, tumque demum maieſtatis reum ſeſe prodidiſſe. Accitum itaque in comitium, & obiecta crimina refellentem, itemque Luchinum, Ioannemq; fratres, Actiumque filium, ex compoſito, prætorij præfectus in proximum cubiculum, quaſi Ludouicus liberius loqui vellet, ſeductos, Nonis Iulij comprehendi, & in arcem Modœtienſem deportari, duræque à Galeazio olim extructæ cuſtodiæ tradi imperauit: non omnino iniqua ſorte, vt fabrefacti paulo ante ab ſe tetri carceris furnum, ita à depreſſa teſtudine vocatum, primus experiretur. Auxit illis vehementer calamitatem cuſtodiæ præfectus, è Norico Ancius Rizaccus, ingenio ita immiti erga miſeros; vt nec quotidianis muneribus emollitus, quicquam de inhumana ſeueritate remitteret. Ad eum modum Galeazius, perpetuus atque acerrimus Cæſariani nominis defenſor, ab ipſo Bauaro, ſummis precibus in Italiam euocato, magniſque officiis & muneribus exculto, in maximã calamitatem detruſus fuit: in pœnam contemptæ Pontificiæ maieſtatis, Deo hæc omnia permittente. Potiundi tunc auri dira cupiditas, quæ in Ludouico profunda infinitaque apparuit, accuſante Marco & immodica pollicente vehementer excitata, & veteris clientelæ, & recentis officii, & hoſpitalis amicitiæ iura facile diſſoluit.

V. INVIDIAM SVORVM INCVRRIT OB CRVDELITATEM IN GALLEAZIVM ET NIMIAM AVARITIAM.

Galeazio deiecto, Ludouicus, aſtuto conſilio, vigintiquatuor inſignes viros, è ſingulis tribubus regendæ reipublicæ, ad imaginem antiquæ libertatis creauit. Sed ſtatim etiam honorarii ſubſidij nomine pecuniam imperauit, & eam quidem multo ampliorem, quam à Galeazio popoſciſſet. Neque multo poſt, qui ſummæ rerum publicoque conſilio, & tutelæ vrbis præeſſet, delegit Guillelmum Montfortium, quem cum delecta manu Germanorum Mediolano impoſuit. Non potuit tamen non laborare inuidia tam atrocis facti, in Vicecomites admiſſi Ludouicus. Quapropter ad eam leniendam, litteras protulit, concepti cum Ioanne Pontifice fœderis indices, captis, vt dicebat, Galeazij tabellarijs. Secundum hæc Ludouicus, reliquis Vicecomitibus, vt ſe Romam proficiſcentem ſequerentur, præcepit: non tamen effugere potuit, quin vbique maledictis & conuitiis exciperetur. Iam enim Gibellinæ factionis Principes, inexpectata Galeacii calamitate tamquam communi malo atque periculo conſternati, eum non obſcure oderant: quod ingenio ſuſpicaci, ac ſæuo partium neruos velle atrociſſime conuellere, videretur. *Iouius in Galeacio* 1. *& Villani lib.* 10. *c.* 19. 31. *Boſſ in hiſt. Mediolan.*

VI. INAVGVRATIONEM A IOANNE PP. PETENS REPELLITVR ET VT SCHISMATICVS DAMNATVR.

Die duodecimo Auguſti Mediolano diſcedens, Vrceos, Brixiani agri oppidum contendit, vbi Comitium indixerat euocatis vndique ſociarum Vrbium tyrannis. In eo conſeſſu, Luchinus & Actius eliberati, cum XXV. millia aureorum nomine redemptionis numeraſſent. Ducenta millia florenorum aureorum cenſebantur, quæ ad hoc vſq; tẽpus, à Mediolanenſibus, & alijs Gibellinis, Ludouicus extorſerat. In eodẽ Comitio, præſumpta auctoritate, Cremonẽſibus, Comẽſibus, & Aretinis Pſeudo epiſcopos, Ludouicus, in contemptũ Pontificię iuriſ-



iuriſdictionis præpoſuit; ſeu adeo reſtituit eos; quos propter flagitia exauctorauerat Pontifex Ioannes. *Villani lib.* 10. *cap.* 33. Fere incredibile eſt, quod referam, auctores tamen habeo non contemnendos, qui memoriæ prodiderunt. Cum Ludouicus, tum Tridenti, tum antea in Germania, tum vero Mediolani nouiſſime, longe atrociſſima in Ioannem Pontificem admitteret, Mediolani tamen exiſtens (verbis Cuſpiniani rem ſcripſi) Oratores Auinionem miſit ad Pontificem, qui peterent, vt Imperialia inſignia more maiorum ſibi benigne conferret. Verumtamen Ioannes Pontifex, Oratores, quemadmodum merebantur, ignominioſiſſime repulit, & poſtulata exaudire recuſauit. quinimo, vt iuriſperiti dicunt, peremptorie Ludouicum, vt Auinionem veniret, & ſtatutis Eccleſiæ ſeſe ſubijceret, citauit. Porro Ludouicus indignationem Pontificis conſiderans, atque coronari diſſimulans; iterum Pontificem vt prius rogauit. Cæterum & nihil impetrauit, & Ioannem ludificatione ſua adeo irritauit, vt ad XX. Octob. diem, in publico Patrum conſeſſu, eum velut diuinæ Pontificiæque poteſtatis contemptorem, hæretica labe pollutum, hæreticorum ſchiſmaticorumque fautorem, imperij Romani inuaſorem, Eccleſiæque vniuerſæ perſecutorem & hoſtem, anathemate damnarit, omni dignitate exuerit, omnes iuramento fidelitatis ei aſtrictos exſoluerit, poteſtatem in perſonam & res illius omnibus vſurpare volentibus permiſerit. *Villani lib.* 10. *cap.* 37. parique ſententia, omnes illius fautores, conſiliarios, & adiutores ac inprimis Marſilium Paduanum & Ioannem Iandunum percuſſerit. Placet adſcribere dogmaticam quam protulit, in duos iſtos antichriſti præcurſores. Ita habet.

VII. SENTENTIA DAMNATIONIS PROLATA A IOAN. PP. IN MARSILIVM PADVANVM ET IOANNEM IANDVNVM. *ex Ms. bibl. Vatic. nu.* 3974. PRÆCVRSORES ANTICHRISTI.

Ioannes Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

*Licet iuxta doctrinam Apoſtoli, ob id eſſe hæreſes ſit neceſſe, vt fiant qui probati ſunt apertius manifeſti; quia tamen iuxta doctrinam Apoſtoli eiuſdem, hæreticorum ſermo ad maius paulatim tendere conſueuit, neceſſe eſt vt talib. eorumque peruerſis dogmatibus ſic celeriter occurratur, quod pernicioſus morbus neglectus, inter vitia vires ſumere nequeat, ſed potius ſuo profiteantur in actu. Sane dudum ad noſtram audientiam proclamationẽ tam verbali quam literali plurium ſublimium ac fidelium perſonarum, necnon fama publica notoriante producto; quod duo viri nequam, perditionis filij, & maledictionis alumni, quorum vnus Marſilius de Padua, & alter Ioannes de Landuno ſe faciunt nominari, quemdam librum compoſuerunt, multa falſa, erronea & hæretica continentem: quorumque ipſos errores & hæreſes in Ducatu & terris Bauariæ, Ludouico de Bauaria excommunicato: & Dei, & Eccleſiæ, & Fidei Catholicæ perſecutore manifeſto, & hoſte crudeli, ſuiſque horrendis exceſſibus & grauibus culpis, iure ſi quod ei ex electione diſcordi, quæ de ipſo celebrata dicebatur ad Regnum Romanorum vel Imperium competebat iuſto priuato iudicio, eiſdem Marſilio & Ioanni fauente ſuper his ac etiam adhærente dogmatizare publice præſumebant, quibus videlicet nonnulli viri Catholici ſe pro defenſione fidei opponentes, cum dixiſſent aperte, quod illa doctrina erat erronea & hæretica, velut contraria Euangelicæ & Apoſtolicæ veritati, & vt à tali doctrina deſiſterent ſuaſiſſent eiſdem: ipſique eorum noluerunt acquieſcere monitis, ſed in publicandis ſuis erroribus perdurarent, tandem cum præfati quamplures Prælati, necnon alij viri Catholici, tam pernicioſas hæreſes inter Catholicos dogmatizare publice, indecens, perículoſumque nimium reputantes, nobis certos articulos exceptos de libro prædicto curauerunt mittere, & præſ eipſos præſentare, ſupplicantes attentius vt ſuper præmiſſis curaremus ſanctæ Dei Eccleſiæ de opportuno remedio prouidere. de quibus articulos ſubſcriptos duximus præſentibus annotandos. Et licet tam cum Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, quam cum multis Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis, necnon & cum pluribus ſacræ Theologiæ Magiſtris, ac vtriuſque iuris profeſſoribus deliberationem ſuper ipſis articulis præhabuimus diligentem: ex quorum deliberatione aperte conuincitur, quod errores articulorum ipſorum ſunt adeo manifeſti, quod quicquid ad eorum manifeſtationem adijcitur, fruſtra adijci videatur, & quaſi ſol facilius ſit admirari. Tamen vt minus periti, pernicies illorum percipere valeant & vitare; quæ ad ipſos declarandos errores perfunctorie, ſunt, de Fratrum eorumdem conſilio præſentibus inſerenda.*

*Inprimis itaque, iſti viri reprobi dogmatizare præſumunt; quod id quod de Chriſto legitur in Euangelio Beati Matthæi, quod ipſe ſoluit tributum Cæſari, quando ſtateram ſumptam ex ore piſcis, illis qui petebant didragma iuſſit dari: hoc fecit non liberalitate ſuæ pietatis, ſed neceſſitate coactus. quod vtique doctrinæ contradicit Euangelicæ, noſtrique Saluatoris ſententiæ. Cum enim, ſicut in Euangelio legitur, Chriſtus interrogaſſet Petrum: A quibus Reges terræ accipiunt tributum, vel cenſum: à filiis ſuis, an ab alienis? Et Petrus dixit: ab alienis. Ergo liberi ſunt filij. Conſtat autem Chriſtum ſecundum carnem fuiſſe Dauid filium, iuxta teſtimonium Angeli ſic dicentis: Dabit ei Dominus ſedem Dauid patris eius, &c. Et per conſequens à ſolutione tributi vel cenſus erat immunis.*

*Hoc etiam ex hoc patet, quod ſtatim ſubiunxit: Vt autem non ſcandalizentur, vade & da ſtateram pro me & pro te eis, per hoc euidenter patet, quod non vt aſtrictus, ſed vt euitaret ſcandalum ſtateram tributi exactoribus iuſſit ſolui. Ex prædictis autem dicto ſuo nituntur concludere præfati viri reprobi: quod omnia temporalia Eccleſiæ ſubſunt Imperatori, & ea poteſt accipere velut ſua. Videntur enim ſupponere, quod ex hoc quod Chriſtus tributum ſoluit ex debito, res temporales eius Imperatori ſubeſſent: & per conſequens, quod res Eccleſiæ temporales ſint Imperatori ſubiectæ, & eas poſſit recipere velut ſuas. quod quia ex præmiſſis nullatenus ſequitur, nec ſequi poteſt; eſt aperiendum. Cum enim liqueat ex præmiſſis, Chriſtum fuiſſe à ſolutione præmiſſi tributi vel cenſus liberum, & immunem, & ſtateram ſoluiſſe non ex debito, ſed vt aliorum ſcandalum euitaret; nullatenus poteſt concludi, quod res Chriſti, quales ſunt res Eccleſiæ ſubſint Imperatori. Præterea, etiam ſi Chriſtus ſtateram ſoluiſſet ex debito impertinenter concluderetur ex eo, quod res Chriſti quales ſunt res Eccleſiæ, ſubeſſent Imperatori: cum Chriſtus non pro rebus, ſed pro perſona ſtateram ſoluit. quod patet ex eo, quod ille iuſſit ſolui pro ſe & Petro modo prædicto, non pro rebus ſuis & bonis Vnde non ſequitur, quod ex eo quod perſona eſt tributaria, tributariæ ſint bona. Imo qui pro perſona tributum debet ſoluere; habere poteſt bona libera & exempta. Et quia hoc patet etiam per iura imperialia manifeſte, ſuperſedimus ſuper hoc plenius allegare. Secundo; iſti filii Belial dogmatizare præſumunt, quod Beatus Petrus Apoſtolus, non plus auctoritatis habuit quam alij Apoſtoli habuerunt, nec aliquis Apoſtolorum. Item, quod Chriſtus nullum caput dimiſit Eccleſiæ, nec aliquem Vicarium ſuum fecit. quod eſt contrarium Euangelicæ & Apoſtolicæ veritati: Quod enim Vicarium ſuum Beatum Petrum conſtituit: patet: Conſtat enim, quod Chriſtus officium Paſtoris geſſit in terris. Hinc eſt, quod in Ioanne ſe vocat Paſtorem dicens: Ego ſum Paſtor bonus. Liquet etiam, quod curam gregis ſui ante aſcenſionem Beato Petro generalem commiſit, quando ſibi in eodem Ioanne dixit: Simon, paſce agnos meos, paſce oues meas. Vnde cum Paſtor gregis Dominici ſcilicet Chriſtus, curam eiuſdem gregis Beato Petro commiſit; quoniam eum quo ad curam gregis ſuum Vicarium fecit, nullus debet in dubium reuocare. Hoc ille Imperator Chriſtianiſſimus ſc. Conſtan. aliquando teſtatus eſt dicens: Beatus Petrus dicitur, in terris Vicarius Dei filij conſtitutus. Ex hoc etiam ſequitur euidenter, quod caput vniuerſalis Eccleſiæ poteſt dici, iuxta morem illum ſacræ ſcripturæ, quo Rector alicuius multitudinis eſſe caput. Vnde legitur in Io. Congregabuntur filij Iudæ, & Iſrael, & ponent iſti caput vnum, id eſt, Rectorem. Conſtat autem quod Beatus Petrus, ex ipſo quod Chriſtus ſibi commiſit curam gregis Dominici, ipſum eiuſdem gregis videtur conſtituiſſe Rectorem. & per conſequens, caput. Fatemur tamen cum Apoſtolo, quod Chriſtus eſt verum caput & principale ſub quo Petrus Caput dicitur ſecundum modum prædictum, ſecundum quem modum ſub Chriſto capite & Petro multa capita poſſunt dici particularia, ſicut Patriarcha fidelium Patriarchatus ſui, & Archiepiſc. Archiepiſcopat. & Epiſc. Epiſcopat. ſui. Sic videmus, quod licet Chriſtus ſit Eccl. principale & primarium fundamentum, iuxta illud Apoſt. Fundam. nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Et alibi loquens Gentilib. conuerſis, dixit; vos eſtis ciues ſanct. & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtol. & Prophetarum, ipſo lapide angulari Chriſto Ieſu, id eſt, quod fundamentum eſt Chriſtus Ieſus*

Itaque etiam Apoſtoli dicuntur fundamentum, iuxta illud Pſalmi, Fundamenta eius, id eſt, Eccleſia; in montibus ſanctis. Et ſecundum iſtum modum Chriſtus videtur Petrum prædixiſſe futurum eſſe fundamentum, cum dixit: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Vnde ſicut Chriſtus dicitur ſanctus Sanctorum, Rex Regum, Dominus Dominantium: Sic ſimilitudinarie Paſtor Paſtorum, Caput Capitum, & fundamentum fundamentorum Eccleſiæ poteſt dici. Sic ergo ex prædictis patet, quod Petrus ſecundum prædictum modum Caput eſt Eccleſiæ & vocatur. Et hoc videtur Chriſtus, ex impoſitione nominis deſignaſſe.

Dixit enim ſibi, ſicut legitur in Ioanne: Tu vocaberis Cephas. Cephas autem Græce, caput Latine interpretatur. Vnde Conſtantinus de Romana Eccleſia loquens dixit: quod Principatus Sacerdotum & Chriſtianæ Religionis Caput, ab Imperatore Cœleſti conſtitutus eſt Romæ. Iuſtinianus quoque in quadam Epiſtola Ioanni Papæ miſſa teſtatur hoc dicens: Non patiı quicquam ad Eccleſiam Romanam pertineat, quod euacuare ius manifeſtum & indubitatum ſit quod innouetur, nec hoc nunc ſanctitati, quæ caput eſt Eccleſiarum omnium. Summi Pontificatus apicem apud Romanam Eccleſiam eſſe, ipſamque fore ſacerdotij fontem, nemo eſt qui dubitet, id eſt, qui valeat dubitare. Ludouicus autem Imperator, Beatum Petrum Principem Apoſtolorum vocat.

Quod autem Beatus Petrus pluſquam alij Apoſtoli auctoritatis habuit, ex prædictis concluditur euidenter. Certum eſt enim, quod maior eſt auctoritas Paſtoris, quam gregis. Petrus autem totius gregis Dominici generalis conſtitutus eſt paſtor, vt probatum eſt ſuperius, quod de nullo alio Apoſtolo poteſt dici. Præterea conſtat, quod maior eſt potentia vel auctoritas non limitata, quam limitata. Omnes autem alij Apoſtoli receperunt auctoritatem limitatam, quæ eſt ſuper verum corpus Chriſti conficiendum, ſumendum & alijs miniſtrandum: quæ quidem auctoritas ſeu poteſtas, fuit in cœna Domini omnibus Apoſtolis tributa. Et etiam quam illa quam poſt reſurrectionem DEus ſuper corpus myſticum dedit illis dicens: Quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Siue etiam in aſcenſione quando dixit eis: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes, in nomine patris, &c. Petro autem ſine limitatione aliqua commiſit curam Dominici gregis, cum ſibi dixit: Paſce oues meas, paſce agnos meos. Item ſibi ſoli, ſic, quod nulli alteri ſingulariter dixit: Tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. Et quodcunque ſolueris, &c. Hoc etiam in ſancti Lucæ Euangelio Ieſus videtur ſatis congrue deſignaſſe, vbi loquens Petro, dixit, & nulli alteri: Duc in altum. Significans, quod ad ipſum ſolum pertineat, in altum, id eſt, in profundum diſputationum fidei dubia diſcernere. Quod autem & aliis dixit, quod ſequitur: laxate retia in capturam: quia omnes Apoſtolos conſtituit huiuſmodi Piſcatores, iuxta illud quod in ſancto Euangelio Matthæi legitur dixiſſe Chriſtus: Venite poſt me, faciam vos hominum piſcatores. Hoc quoque quod Petrus plus cæteris Apoſtolis receperit auctoritatis, patet ex multis, quæ ipſum poſt aſcenſionem Domini dixiſſe & feciſſe ſacra ſcriptura teſtatur.

Ex prædictis itaque patet, quod Petrus à Chriſto fuit Vicarius conſtitutus, quando ſibi totius gregis Dominici curam commiſit: & per conſequens Rector & caput gregis ipſius inſtitutus eſt & vocatus. Ex quibus ſequitur, quod ſibi à Chriſto amplior quam aliis Apoſtolis attributa eſt auctoritas & poteſtas. Hinc eſt, quod Clemens eiuſdem Petri ſucceſſor & diſcipulus dixit: Non ipſorum Apoſtolorum par fuit inſtitutio, ſed omnibus præfuit vnus, ſcilicet Petrus.

Tertio, iſti filij Belial aſſerere non verentur, quod ad Imperatorem ſpectat, Papam inſtituere & deſtituere, ac punire. Quæ vtique omni iuri obuiant, & repugnant. De primo quidem poſt Chriſtum ſcilicet, Noui teſtamenti ſummo Pontifice, ſcilicet Petro, patet, quod non ab Imperatore temporali ſeu terreno conſtitutus Papa fuerit: ſed à Chriſto dicente ſibi ſoli in eodem Ioanne: Paſce oues meas, paſce agnos meos. Per quæ verba eum ſuum Vicarium generalem conſtituit, vt patet ex prædictis. Adhæc, de illis ſummis Pontificibus, qui fuerunt ante Conſtantinum Magnum imperatorem quod ipſorum inſtitutio ad Imperatorem non pertinuerit ſatis liquet, volenti acquieſcere veritati. Cum enim fere omnes Imperatores illius primis fuerint idololatræ, & fidei Catholicæ, & Orthodoxorum Pontificum perſecutores atrociſſimi, adeo quod omnes fere à Beato Petro incluſiue vſque ad Beatum Sylueſtrum effecerunt martyres, quod ad eos Papæ inſtitutio potuerit pertinere nullo modo vtique credi debet. Nec de ipſo Conſtantino vſque ad ſuam conuerſionem ad fidem Catholicam, quod ad eum inſtitutio pertinuerit, dici non poteſt: nec per conuerſionem ad fidem hoc aſſequi potuit, cum per hoc Papæ filius ac diſcipulus effectus fuerit & ſubiectus. Præterea cum Imperator ipſe poſt ſuſceptum Baptiſmum inconueniens reputauerit & iniuſtum, quod vbi Principatus Sacerdotum, & Chriſtianæ Religionis caput ab Imperatore cæleſti inſtitutum fuerat, videlicet Romæ, illuc Imperat. terrenus poteſtatem haberet: ideoq; ſedem Imperialem Sylueſtro Papæ conceſſit, & ad partes Orientales ſui Imperij & Regni ſuſtulit poteſtatem: multo fortius eſt iniuſtum & inconueniens eſt cenſendum, quod ad ipſum Imperatorem Papæ potuerit inſtitutio pertinere. Et idem patet dicendum de Græcis Imperatoribus, qui ſibi in Imperio ſucceſſerunt. Quod autem ad Imperatores Latinos non pertinuerit, nec pertineat inſtitutio ſupradicta, patet: Imperium enim per Papam à Græcis eſt translatum in Latinos, nec plus iuris in ipſos, quam apud Græcos exiſteret Papam ipſum transferentem legimus tranſtuliſſe. Græcis autem Imperatoribus, vt ex prædictis patet, talis non pertinebat inſtitutio: quare nec pertinere poterit ad Latinos. Et ſi dicatur, quod Papæ inſtitutio ad Latinos Imperatores pertinet, ex conceſſione poſtea ipſis facta per ſummum Pontificem, vel ſummos Pontifices: eſt dicendum quod nulla conceſſio facta per Papam aliquem Imperatori ſeu Imperatoribus debet intelligi, quod ipſi Imperatores poſſent inſtituere ſoli ſeu eligere: Sed quod poſſunt electioni ſummi Pontificis intereſſe.

Et quod ſic conceſſiones illæ intelligi debeant, ſatis patet ex eo quod in quodam Capitulo legitur vbi ſic dicitur, vt patet. LXIII. diſtinct. §. verum. Verum quia Imperatores modum ſuum conſuetum ignorantes, non in minimo conſenſerunt, ſed potius diſtribuentium, imo exterminantium eſſe voluerunt, &c.

Item quærimonia nunciorum Ludouici Imperatoris, quibus in vrbe præſentibus electio de Papa Adriano II. ipſis non vocatis extitit celebrata, hoc ſimiliter probat.

Conquerebantur enim dicentes, quod cum præſentes eſſent, non fuerunt inuitati: nec meruerunt electioni futuri Præſulis intereſſe, ob hoc quia nonnulli Imperatores illo priuilegio abuſi fuerunt, ac frequenter in hæreticorum prolapſi perfidiam, & Catholicæ matris Eccleſiæ vnitatem fuerunt impugnare conati.

Ideo ſtatuta ſanctorum Patrum contra eos, vt ſe electioni Papæ non ingererent prodierunt: ac vt anathematis innodarentur vinculo quiſquis eorum ſuffragio Eccleſiam obtineret. Nonnulli quoque Imperatores prædicti religioſæ mentis affectu ex abundanti ſupradicto renunciauerunt priuilegio; vt patet ex tenore canonum ſuper hoc conditorum, per quos & non alius probatur conceſſio antedicta.

Præterea legant homines iſti peſtiferi hiſtorias approbatas, & oſtendant per quas vnquam Papa Catholicus, ab Imperatore inſtitutus fuit. Profecto credimus, quod nullas poterunt reperire. nec dubium, ſi ad eos alias pertinuiſſet inſtituere, quin poteſtate huiuſmodi fuiſſent vſi & quando in hiſtoriis de inſtitutione tali mentio haberetur.

Dicere autem, quod Papæ deſtitutio ſeu punitio, ad Imperatorem pertineat, eſt erroneum & inſanum. Quomodo enim Papæ deſtitutio pertinebit, cum eius inſtitutio ad eum non pertineat vt ex prædictis patet. Sane cum etiam ſecundum iura imperialia, priuatio debet procedere, vnde datio noſcitur proceſſiſſe.

Præterea, quomodo Imperator Principem Clericorum deſtituere poterit, vel punire, cum etiam ſecundum leges Imperiales, id in ſimplici Clerico nequeat exercere. Audiant inſuper iſti homines perfidi, quod contra hoc nonnulli Catholici Principes ſenſerint, & quid duxerint ſanciendum.

Theodoſius quidem & Archadius Imperatores Catholici ſenſerunt expreſſe, quod nullus ipſorum, ſiue eorum qui Eccleſiæ ne-





ceſſitatibus ſeruiunt, ad Ordinariorum ſiue extra Ordinariorum iudicium protraherentur. Habent enim illi ſuos iudices, nec quicquam eis cum legibus eſt commune.

Item Imperator Conſtantinus, cum querelam Clericorum quorumdam coram ſe deferendam conſpiceret, dixit: Vos à nemine laicorum poteſtis iudicari, quoniam Dei ſolius eſtis in Deo. Ergo à Iudicibus Eccleſiaſticis poterunt iudicari. Dicendum eſt, quod imo ipſi quidem Petri Vicarii licet differenter ſunt Chriſti. quia Papa ſolus vocatus eſt in poteſtatis plenitudinem. Alii vero particulares velut illi qui in partem ſollicitudinis ſunt vocati. Vnde à Deo videntur iudicari. quia ab eo iudicantur potius, quam ab ipſis; cum ille cuius auctoritate fit, illud facere videatur. Et propter hoc Imperator prædictus ſignanter dixit: à nemine laicorum.

Item Theodoſius Imperator, cum Romæ Concilium conuocaſſet, vt ſanctum Concilium iudicaret, de his quæ Papæ Symmacho ab aduerſariis dicebantur impingere, certi Epiſcopi qui conuenerant Imperatori dixerunt, quod ad illum quem petebant, ſcilicet Papam pertinebat: quia eius ſedi primum Petri Apoſtoli mandatum. deinde ſecuta iuſſione Domini conſilium venerandum auctoritate, ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem, nec ante minorum ſubiacuiſſe iudicio Antiſtitem dictæ ſedis. Quo audito imperator prædictus, Deo inſpirante reſpondit: Synodalis Eccleſiæ arbitria in tanto negotio ſequenda, ac ad ſe nihil præter reuerentiam de Eccleſiaſticis negotiis aſſeruit pertinere. Epiſc. & enim Princ. Chriſtianos ſolitum eſt capita ſubdere, non de eorum capitibus iudicare.

Hinc eſt quod Innocentius Papa Arcadium Imperatorem excommunicauit, quia conſenſit, vt à ſua ſede ſanctus Ioannes Chryſoſtomus expelleretur. Plures quoq; ſummos Pontifices legimus, Imperatores pro ſuis exceſſibus, Imperiali dignitate priuaſſe. Beatus quoq; Ambroſius licet Eccleſiæ vniuerſalis non eſſet Pontifex, Theodoſium Magnum Imperatorem excommunicauit, & eidem ingreſſum Eccleſiæ interdixit.

Ad huiuſmodi erroris ſui fulcimentum, ſcilicet quod ad Imperatorem pertineat Papam deſtituere, illud quod in ſanctis Euangeliis legitur de Pilato, ſcilicet quod Chriſtum crucifixerit, præſumunt inducere: aſſerentes ipſum Pilatum tamquam Chriſti ordinarium ipſum Crucifixiſſe, tamquam ſibi ſubiectum. quod habet duplicem intellectum. Aut enim intelligunt Pilatum Chriſtum crucifixiſſe de iure, aut de facto. Si de iure; hoc obuiat veritati.

De iure enim quis puniri non poteſt, niſi qui delinquit vere, vel interpretatiue, vel qui conuictus fuerit deliquiſſe. Chriſtus autem ſecundum veritatem non deliquit: quia innocens fuit manibus & mundo corde. qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in lingua eius. Et hoc Pilatus ipſe fuit expreſſe confeſſus.

Cum enim ipſum Iudæis tradidit crucifigendum, dixit: Mundus ſum à ſanguine iuſti huius. Item non fuit deliquiſſe conuictus: quod idem pluries eſt teſtatus. Cum enim Iudæi inſtarent, quod crucifigeret eum, in vno loco dixit: Quid enim mali fecit? quaſi dicat, nihil inuenio eum male feciſſe. Et alibi pluries eiſdem Iudæis inſtantibus, quod crucifigerent eum dixit: Ego nullam in eo inuenio cauſam mortis. Quare ipſum de iure non potuit punire.

Si autem intelligant quod de facto, & iniuſte puniuit eum innocentem, ſicut & veritas ſe habet: tunc ex hoc non poſſunt concludere aliquid: niſi quod Imperator Papam de facto poteſt interficere & iniuſte. quod vtiq; non ſolum de Imperatore concedimus, verum etiam de priuato. Sicut & plures Imperatores à priuatis perſonis, & ſummos Pontifices à non ſuis iudicibus. Sicut omnes Martyres legimus interemptos.

Quarto dicunt iſti vaniloqui, imo falſiloqui, quod omnes ſacerdotes, ſiue ſit Papa, ſiue Archiepiſcopus, ſiue ſacerdos ſimplex, ſunt ex inſtitutione CHRISTI, auctoritatis & iuriſdictionis æqualis. Quod autem vnus plus alio habeat, hoc eſt ſecundum quod Imperator concedit vni vel alii plus vel minus. Et ſicut conceſſit alicui, ſic poteſt etiam reuocare. Quæ vtiq; doctrinæ ſacræ obuiant, & hæreticam ſapiunt prauitatem. Quod enim ſacerdotum ſimplicium, & non ſimplicium ex ipſa inſtitutione CHRISTI non exiſtat æqualis auctoritas, patet tam in his quæ ſiunt, vel fuerunt in veteri teſtamento, quam in iis qui fuerunt in nouo.

In veteri ſiquidem teſtam. per Moyſem ex præcepto Domini Aaron in ſummum Pontificem, filii vero eius vncti fuerunt in ſimplices ſacerdotes: quorum poteſtas, vt patet, inæqualis exiſtit: quia ex ſimplicibus ſacerdotibus, velut ad ſuperioris auctoritatis & poteſtatis honorem, ad Pontificatum ſunt aſſumpti. Tunc quia licebant quædam Pontifici, vt ſancta ſanctorum ingredi, quæ non licebant ſimplici ſacerdoti.

In nouo teſtamento Pontificum & ſimplicium ſacerdotum ex eo aſſumpſiſſe videtur exordium, quod duodecim Apoſtolos, quorum typum gerunt Pontifices, ac ſeptuaginta duos diſcipulos inſtituit, quorum typum gerunt ſimplices ſacerdotes. Conſtat autem ex multis, quod de ipſis in ſanctis legitur Euangeliis, quod Apoſtolorum & diſcipulorum auctoritas diſpar fuit. Adhuc quod poteſtas quorumcumq; aliorum ſacerdotum proprie par non ſit, nec æqualis, patet euidentius ex prædictis, quod aliorum Epiſcoporum ſcilicet Patriarcharum, Archiepiſcoporum par poteſtas non fuerit, nec ſit, patet. Inferiorum ſiquidem poteſtas, ſuperiorum non eſt par poteſtati. Conſtat autem Patriarchas eſſe ſuperiores reſpectu Archiepiſcoporum & Epiſcopos reſpectu ſimplicium ſacerdotum.

Et ſi dicant iſti homines, reprobi, quod iſtorum Epiſcoporum diſtinctio, ab Imperatore proceſſit non à Chriſto; dicimus quod imo proceſſit ab ipſo. Ille enim cuius auctoritate fit aliquid, illud feciſſe videtur. Beatus autem Petrus Chriſti Vicarius, & gregis Dominici Caput, attendens quod aucto grege ſine ipſius mutatione cuſtodire gregem non poterat, ſalubriter prouidit, auctum gregem poſt aſcenſionem Domini conſiderans, & aucturum amplius prævidens in futurum, gradus prædictarum poteſtatum inſtituit & diſtinxit. Quare cum auctoritate Chriſti dicta diſtinctio facta fuerit, Chriſto debet aſcribi. Hanc autem poteſtatem datam Eccleſiæ, Pſalmiſta diu ante prædixit, dicens: quod pro patribus nati ſunt tibi filii: conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Vbi Patres Eccleſiæ vocat Apoſtolos, & filios Eccleſiæ fideles, per Apoſtolos ipſos conuerſos. Vbi ſatis aperte, Eccleſiæ, id eſt, eius Paſtori, attributa poteſtas videtur inſtituendi diuerſos gradus Principum, cum hoc proficeret Eccleſiæ ſanctæ Dei. Audiant inſuper iſti peruerſi homines, quod cum inſtituiſſet auctoritatem & ſubiectionem conſtituiſſet, ſubiunxit dicens: Nam ſecundum ſacrarum ſcripturarum explanationem, Apoſtolicamq; traditionem conſtituimus. Ex quibus colligitur euidenter, non ab Imperatore diſtinctionem & auctoritatem Pontificii originaliter & principaliter, ſed ab auctoritate Apoſtolica proceſſiſſe. Imperatoremq; vt illa ſeruarentur melius, iuxta ſtatuta Apoſtolica eadem ſtatuiſſe.

Conſiderent etiam, quæ & quanta ex his, ſi vera eſſent, inconuenientia ſequerentur. Sequeretur vtiq; quod ante tempora Conſtantini nulla poteſtas eſſe potuerit, in Eccleſia ſancta Dei: cum illo tempore Imperatores fere omnes Gentiles fuerint, & perſecutores Eccleſiæ, ac Prælatorum eiuſdem, de quibus dici non poteſt, quod Prælatis Eccleſiæ poteſtatem aliquam conceſſerint, vt ex prædictis patet. Ex prædictis inſuper ſequeretur, quod vniuerſalis Eccleſia quæ ſpiritu ſancto regitur, erret, & errauerit ipſos honorando pro ſcientia. quod eſt vtiq; contra id quod Chriſtus diſcipulis in aſcenſione ſua, vt in ſancto Euangelio Matthæi legitur, promiſit dicens: Ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſæculi. Secundum enim iſtos diaboli filios, pro illo tempore vera Chriſti promiſſio non fuiſſet, nec aliquis illorum Pontificum, quia à Paganis fuerunt eo tempore interfecti, ſancti fuerunt, nec pro ſanctis honorari deberent. Hoc quoq; eſt expreſſe contra illum articulum; Vnam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam: quia ſecundum eos, nec ſancta fuit pro illo tempore, nec potuit dici ſancta.

Vtrum autem in omnibus Apoſtolis, ac in ſimplicibus ſacerdotibus fuerit Ordinis poteſtas æqualis, dicimus: quod quantum ad Ordinis dignitatem, pares ſunt: & fuerunt æquales: cum ſacerdos quilibet ſacerdotalem characterem recte & ſecundum formam Eccleſiæ ordinatus eſt. Poteſtas autem Ordinis par quoad Sacramenta altaris omnino non exiſtit, nec extitit, ſimplicis & non ſimplicis ſacerdotis, quod patet quia cum illorum poteſtas ligabilis & ſuſpenſibilis ſit, illi quæ ligari & ſuſpendi nequit, nequaquam par poteſt dici. Conſtat autem quod Papa ligare poteſt aliorum ſacerdotem & ſuſpendere poteſtatem, ſic quod licite vti dicta poteſtate non potuerit, licet effectus ſubſequantur, ſi vſi fuerint, & ipſi ſint ex hoc merito puniendi. Nullus aũt aliorum ſa-

*cerdotum, poteſtatem Papæ, ligare vel ſuſpendere poteſt. Quod etiam de aliis ſuperioribus & inferioribus patet. Ex quo ſequitur euidenter, quod poteſtas Ordinis ſuperiorum & inferiorum ſacerdotum omnino par iudicari non poteſt. Concedimus tamen, quod ſi ſine prohibitione aliqui minores vſi fuerint huiuſmodi Ordinis poteſtate, puta hoſtiam conſecrando, par ſequitur effectus. Aeque enim prolatis illis verbis, hoc eſt corpus meum, &c. à ſimplici ſacerdote tranſubſtantiatio panis & corporis Chriſti fit. ſicut ſi aliquis ſuperiorum protuliſſet. quod ex eo contingere noſcitur, quod vnus & idem ſacerdos interior, videlicet Chriſtus, qui prolatis verbis prædictis à ſacerdote quolibet animo conſecrandi, tranſubſtantiationem huiuſmodi facit. Et ideo non eſt mirum, ſi par effectus ſequi debeat, verbis prædictis à quocumque ſacerdote prolatis, cum vnus & idem auctor huiuſmodi eſſe noſcatur effectus.*

*Quinto adhuc iſti blaſphemi dicunt; quod tota Eccl. ſimul iuncta, nullum hominem punire poteſt punitione coactiua, niſi concedat hoc Imperator quod vtique doctrinæ Euangelicæ noſcitur obuiare. Conſtat enim, quod à Chriſto, Petro, & in perſona Petri Eccleſiæ poteſtas coactiua conceſſa, vel ſaltem permiſſa extitit: quæ quidem permiſſio fuit poſtea adimpleta, cum ſibi Chriſtus dixit. Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. ligantur enim non ſolum voluntarii ſed inuiti. Adhuc conſtat, ſicut ibi legitur in Matthæo, quod ſi aliquis damnum alicui indebite dederit, illudque ad mandatum Eccleſiæ noluerit emendare, quod Eccleſia per poteſtatem à Chriſto ſibi conceſſam, ipſum ad hoc per excommunicationis ſententiam compellere poteſt. quæ quidem poteſtas vtique coactiua eſt. Circa quod eſt aduertendum, quod cum excommunicatio maior nedum excommunicatum à perceptione ſacramentorum remouet, ſed etiam à communione fidelium ipſum excommunicatum excludat, per quod corporalis à Chriſto coactio Eccleſiæ eſt permiſſa. Quia ſecundum leges Imperiales, grauius reputatur inter homines conuerſari, ipſorumque priuari ſuffragiis, quam ab hominibus ſeparari. Ex quo ſequitur poteſtatem coactiuam, non ab Imperat. terreno, ſed ab ipſo Chriſto fuiſſe originaliter Eccleſiam conſecutam.*

*Præterea B. Petrus poſt aſcenſionem Domini, in perſonam Ananiæ & Sapphiræ vxoris ſuæ, ſiue imperiali conceſſione aliqua, hac vſus eſt poteſtate. In quos, quia de prætio agri Deo abbatiam fundauerant, mortis ſententiam promulgauit. quæ quidem ſententia non proceſſit de coniugum voluntate. Item Beatus Paulus Elimam Magum, Sergium Paulum à fide quærentem abducere, ad tempus luce corporali priuauit. Illum quoque fornicatorem Corinthium, in carnis interitum tradidit Sathanæ, vt eius ſpiritus ſaluus eſſet. Item ad Corinthum ſcribens idem Apoſtolus dixit; quid vultis, in virga ad vos veniam, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis: in quo ſatis expreſſe coactiuam poteſtatem ſuppoſuit ſe habere. Item ſcribens eiſdem alibi dixit: Arma, inquit, militiæ noſtræ, non carnalia pro Deo, id eſt, à Deo conceſſa, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruens, & omnem multitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei. Et ſequitur. In promptu habentes vlciſci omnem malitiam. Ex quibus patet, Paulum non ab Imperatore, ſed à Deo habuiſſe poteſtatem etiam coactiuam, quamuis dicti blaſphemi præſumunt dicere ſupradicta. Rurſum aduertant iſti nequam homines, quomodo audent dicere, quod ab Imperatore terreno Eccleſiarum prælati coactiuam, vel aliam receperunt originaliter poteſtatem. Cum, vt ſupra dictum eſt, Imperatores vſque ad Conſtantinum Magnum fere omnes pagani fuerunt, idololatræ, & perſecutores, imo exterminatores, quantum fuit in eis, Eccleſiæ ſanctæ Dei. Quomodo ergo illi talibus coactiuam vel aliam poteſtatem concederent, nullus ſapiens credere debet.*

*Et quia tantorum actores & doctores errorum, ne plures in ipſorum errorum pertrahantur pertinaciam, ipſique propter impunitam audaciam fierent nequiores, licet nos cum eorum exceſſus forent notorii, quod nulla poterant tergiuerſatione calari, tunc potuimus procedere ad ſententiam contra eos; de benignitate tamen Apoſtolica, quæ conuerſionem deſiderat peruerſorum, nos ipſos Marſilium & Ioannem, & quemlibet eorum, de Fratrum eorumdem conſilio, Quinto Idus Aprilis proxime præteriti, die videlicet cœnæ, per edictum citauimus publicum, præſente fidelium multitudine copioſa, vt infra quatuor menſium tunc proxime ſubſequentium ſpatium, quod eis & eorum cuilibet de eorundem Fratrum conſilio pro peremptorio termino præfiximus, & aſſignauimus, vt Apoſtolico conſpectui ſe perſonaliter præſentarent, ſuper prædictis exceſſibus & delictis, vt præfertur, notoriis, iuſtam Deo dante ſententiam audituri, ac reſponſuri & facturi quod iuſtitia ſuaderet: eiſdem apertius prædicentes, quod ſiue infra prædictum terminum comparerent, coram nobis, ſiue non comparerent; Nos ad prædicta abſque comminatione, vel citatione contra eos procederemus, prout videremus expediens, eorum abſentia non obſtante. Volentes tunc nihilominus, ac etiam decernentes citationem prædictam etiamſi termini ſupradicti præfixio in tempore cadat forſan feriato, perinde valere, ſuumque effectum ſortiri debere, ac ſi tempus feriatum non extiterit, vel exiſteret, quacumque Conſtitutione ſuper hoc in contrarium edita non obſtante. Et vt ad ipſorum, & horum quos tangebant notitiam communem deducerentur, prædictas chartas ſiue membranas proceſſum continentes eundem in maioris Eccleſiæ Auinionen. appendi vel affigi oſtiis fecimus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicarent; vt ipſi & alii, quos proceſſus ipſe tangebat, nullam poſſent excuſationem prætendere, quod ad eos non perueniſſet, vel ignoraſſent eumdem, cum non eſt veriſimile, quod ad ipſos remaneret incognitum vel occultum, quod publicatur omnibus tam patenter. Voluimus etiam, de auctoritate Apoſtolica decernentes, quod idem proceſſus, prædictos citatos apprehenderet & arctaret: quia ad eos, moram trahentes cum dicto Ludouico, tutus non patebat acceſſus, ac ſi eis inſinuatus perſonaliter, & publicatus ſolenniter extitiſſet. Conſtitutione quacumque, per Romanos Pontifices, prædictis in contrarium edita non obſtante.*

*Cum autem prædicti Marſilius & Ioannes citati vt prædicitur, nec aliquis eorum in præfixo ſibi termino comparere non curauerint, nec aliquis pro eiſdem comparuerit: Nos ipſos, & eorum quemlibet, de Frat. prædictorum conſilio, reputauimus & decreuimus merito contumaces. Et licet tunc eorum contumacia exigente, potuiſſemus procedere, cum eorum etiam exceſſus vt præfertur adeo notorii, quod non poterant aliqua tergiuerſatione calari, ad ſententiam, & alias contra ipſos procedere, & quemlibet eorumdem, de benignitate tamen, auctoritate Apoſtolica, quæ conuerſionem peccatorum deſiderat, ipſos decreuimus vſque ad noſtrum beneplacitum expectandos. Quocirca contra ipſos procedere, vſque ad diem præſentem, de eorumdem Fratrum conſilio duximus differendum.*

*Sane conſiderantes attente, quod præmiſſi Marſilius & Ioannes, ad redeundum ad ſinum Eccleſiæ ſe non præparant, ſed potius ſecundum ſui errorem pertrahantur; nec non ad memoriam reducentes, quod dudum, cum hoſtes humani generis ad impugnandum ſinceritatem fidei hæreticorum fallaciam ſubinducerent fraudulentam, ſancti presbyteri prædeceſſores noſtri eorum praua dogmata cum ſuis auctoribus condemnauerunt, ſicut patet de Arrio & Manichæo, Neſtorio, & Dioſcoro, eiuſque complicibus, & pluribus aliis, quos cum ſuis hæreſibus iuſtiſſima ſententia condemnarunt. Ac volentes eorundem Patrum veſtigiis inhærere, & inſuper attendentes, quod probabiliter in præmiſſis mora plurimum periculum, damnum, diſſimulatio forent proculdubio allaturæ, non intendentes eos vlterius expectare, ſed reputantes ac decernentes potius contumaces, ad laudem & gloriam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, conſolationem fidelium, & fidei Catholicæ firmamentum, de Fratrum noſtrorum conſilio, Dei nomine inuocato, articulos prædictos, videlicet, quod id quod de Chriſto, legitur in Euangelio Beati Matthæi, quod ipſe ſoluit tributum Cæſari, quando ſtateram ſumptam ex ore piſcis, qui petebant didragma iuſſit dari, hoc fecit non condeſcenſiue & liberalitate ſuæ pietatis, ſed neceſſitate coactus. Item quod Beatus Petrus Apoſtolus non fuit plus caput Eccleſiæ, quam quilibet aliorum Apoſtolorum: nec habuit plus auctoritatis, quam habuerunt alii Apoſtoli. Et quod Chriſtus nullum caput dimiſit Eccleſiæ, nec aliquem fecit Vicarium ſuum. Rurſus, quod ad Imperatorem ſpectat corrigere Papam, & punire, ac inſtituere, & deſtituere. Adhuc quod omnes ſacerdotes, ſiue ſit Papa, ſiue Archiepiſcopus, ſiue ſacerdos ſimplex quicunque, ſunt æqualis auctoritatis & iuriſdictionis ex inſtitutione Chriſti.*

*Sed quod vnus habet plus alio, hoc eſt ſecundum quod Imperator conceſſit plus vel minus: & ſicut conceſſit, reuocare poteſt.*





*Vltimo, quia Papa, vel tota Eccleſia, ſimul ſumpta, nullum hominem quantumcunque delinquentem poteſt punire punitione coactiua, niſi Imperator daret eis auctoritatẽ: velut ſacræ ſcripturæ contrarios, & Fidei Catholicæ inimicos, hæreticos ſeu hæreticales & erroneos.*

*Nec non & prædictos Marſilium & Ioannem hæreticos, imo hæreſiarchas fore manifeſtos & notorios finaliter declaramus, articulos & libros prædictos, necnon & quamcumque aliam ſcripturam continentem eoſdem. Prædictoſque Marſilium & Ioannem vt hæreticos manifeſtos, & notorios, imo etiã hæreſiarchas potius reprobamus & finaliter condẽnamus. Siquis enim doctrinam prædictam defendere vel approbare præſumpſerit, cuiuſcumque ſit dignitatis, Ordinis, conditionis aut ſtatus tamquã hæreticus ab omnibus cõputatur. Præterea vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelib. diſtrictius inhibemus, ne dictos Marſiliũ & Ioannẽ hæreticos, & de hæreſi vt præmittitur finaliter condẽnatos, aut alterũ eorũ receptare, defẽdere, fouere, aut eis quomodolibet adhærere, ſeu præſtare per ſe vel per aliũ ſeu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte auxiliũ, conſiliũ, vel fauorem, præſumãt, ſed eos euitent potius vt hæreticos manifeſtos; ipſoſque capiendos fidelibus exponimus, zeloque proſequantur fidei, & capiant vbicumque eos reperire potuerint, ac Eccleſiæ captos aſsignent & reſtituant, animaduerſione debita puniendos.*

*Nos aduerſus quoſcumque dictorum hæreticorum receptatores, defenſores, fautores, credentes, adhærentes aut eis præſtantes quomodolibet auxilium, conſilium vel fauorem proceſſuros, prout rationis fuerit & expedire videbimus apertius prædicentes. Vt autem ſententia & proceſſus huiuſmodi, ad Marſilij & Ioannis, & aliorum omnium quorum intereſt communẽ notitiam deducatur, chartas ſiue membranas ſententiam & proceſſum continentes eoſdem, in maioris Eccleſiæ Auinionenſ. appendi & affigi oſtijs, ſeu ſuperliminaribus faciemus, ipſoſque proceſſus ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt. Ita quod ipſi & alij quos contingere dignoſcitur, nullam poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos non peruenerint, vel ignorauerint eoſdem; cũ nõ ſit veriſimile, quod ad ipſos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus fuit publicatum.* Dat. Auinioni x. Cal. Nouemb. Pontificatus noſtri anno XII.

VIII. PETRVS CVNERIVS ECCLESIASTICAM IVRISDICTIONEM LABEFACTARE AGGREDITVR.

Et hæc quidem Ioannes Pontifex ſanciebat contra Marſilium & Iandunum, à quorum peſſimo dogmate etiam Petrus Cunerius aduocatus Regius, in Senatu Pariſienſi, hoc eodem tempore conatus eſt labefactare Eccleſiaſticorum iuriſdictionem temporalem, Eccleſiaſticamque libertatem infringere. quo facto ſibi perpetuam ignominiam accerſiuit, Bertrando Epiſcopo Heduorum, pro Eccleſiæ iuribus apud Regem Philippum Valeſium perorante. Nam ſigillum ſimo deformique illi per ludibrium in chori cathedralis pariete infixerunt, quod etiam hodie ſtylis ſuis ſcriptoriis, pugniſque, prætereuntes, in perennem impietatis memoriam confodere ſolent.

Refutatio erat facilis, etiamſi Cunerij cauſam, impii quidam Principum conſiliarii, veneno haud dubie Centuriatorum & Caluinitico tincti, ſtudeant reſtaurare. Contra quos, hæc pauca annotare adlibuit.

ARGVMẼTA PRO VIRIBVS ECCLESIÆ CONTRA PETRVM CVNERIVM.

Prima iuriſdictio in fideles, etiam in cauſis ciuilibus eſt Epiſcoporum. Nam Chriſtus fundamentum iuriſdictionis in laicos iaciens, eos hortatur: ſi ſe aliqua in re læſos putent, vt adeant non Curiam, ſed Eccleſiam. Matthæi decimo octauo capite. Et Paulus, primo Corinthiorum ſexto, de determinandis in Eccleſia cauſis præceptum dedit, id eſt, apud Epiſcopum, vt interpretati ſunt & intellexerunt veteres, & Concilium tertium Carthaginenſe præſente Auguſtino capite nono. Et primo Timotheo quinto, aduerſus præsbyterum accuſationem recipiendam à Timotheo Epiſcopo, ſub duobus aut tribus teſtibus.

Conſtantinus Magnus apud Nicephorum lib. ſeptimo, capite quadrageſimo ſexto, iudicium & iuriſdictionem in Clericos Epiſcopis remittit: & apud Sozomenum l. 1. c. 9. appellandi à ciuilibus iudiciis ad Epiſcopos, poteſtatem facit.

Theodoſius Magnus leges tulit, vt liceret cuique, ſiue is actor eſſet, ſiue reus, relicto foro ſæculari, etiam lite conteſtata, forum Eccleſiaſticum adire.

Patrem ſecuti Arcadius & Honorius, dant optionem actoribus & reis, vt cauſas ſæculares ad Epiſcopos deferant, Leg. Si quis ex conſenſu. Cod. de Epiſcoporum audientia. Et l. Epiſcopale. iidem Imperatores tantam vim tribuunt Epiſcoporum iudiciis, quantam Præfecto Prætorii: Tantum itaque abfuerunt ſanctiſsimi Imperatores, vt Eccleſiæ iura abolerent, vt [illegible]am ea augerent, fori ſæcularis detrimento.

Carolus & ipſe Magnus, in Conſtitutionibus ex Chalcedonenſi & Carthaginenſi Synodo, Clericorum & Eccleſiaſticorum lites, inter Eccleſiaſticos, & non apud ſæculares componi debere decernit.

Iuſtinianus §. Si quis contra, 123. Nouel. Monachos & Clericos liberat ab iuriſdictione Magiſtratuum, & coram Epiſcopo iubet conuenire.

Sic apud Hebræos Deuteronom. decimo ſeptimo, & alibi, ad Tribunal Eccleſiaſticum ſontes citari iubẽtur. & Numer. Quinto, mulier de adulterio ſuſpecta: quam & adiuret, inquit, ſacerdos, &c.

Quinimo nulla apud eos fiebant iudicia, niſi duobus Leuitis aſsidentibus, vt patet ex Ioſepho, libro quarto, antiquitat. capite octauo. Quam legem ſecutus Ioſaphat quarto Reg. tertio, & ſecundo Paralipomeni decimonono. vt idem refert initio libri nono.

Quamobrem Synedrioni etiam tempore Chriſti, de quo Thalmudici in tractatu Sanedrin, fere totum ſacerdotibus conſtabat. Et Phariſæorum iuriſdictio, explicatur ab Ioſepho Ben Gorion Hebraico, libro quarto cap. 6.

Sic apud gentiles ius pontificium; iuxta quod Cicero, pro domo ſua apud pontifices contra Clodium perorat; & de Aruſpicum reſponſis, eoſdẽ quandam habuiſſe ciuilium iuriſdictionem teſtatur.

Tertium Conſilium Carthaginenſe capite nono, prohibet, ne Clerici in iudicio laicorũ de re ciuili litigent: cum priuatorum, id eſt, laicorum cauſas Apoſtolus etiam Eccleſiæ deferri, & apud Eccleſiam determinari præcipiat.

Vnde Auguſtinus teſtatur, ſe audiuiſſe multorum lites. Et Chryſoſtomus libro de ſacerdotio, quartã officii Pontificii partem in eo poſitam docet. Et Epiſtola prima Clemens; apud presbyteros Eccleſiæ negotium fratrum (quoslibet Chriſtianos intelligit) quæcumque illa ſint, iudicentur. Et libro ſecundo, Conſtitut. capite quadrageſimoſeptimo. Fiant, inquit, iudicia veſtra ſecunda feria, vt ſi fuerit diſceſſum à ſententia, poſsitis libere vſque ad ſabbathum ſedare controuerſiam, & pacare diſceptantes in diem Dominicum. tam breui tempore ius dici Apoſtoli volebant.

Denique extat non tantum Epiſto. 1. Clementis, de iuriſdictione Eccleſiæ in ſæcularia, verum etiam Anacleti prima hæc breuiter contra noſtri æui Cunerianos. *Genebr. l. 4. Chron.*

IX. LVDOVICVS BAVARVS ROMAM PETENS IN HETRVRIAM CONTENDIT.

Sed ad Ludouicum reuertor, qui apud Inſubres & in Aemilia, maxima collecta pecunia, impetratis à Scaligero, & Raynaldo Ateſtino: Paſſarinoque Mantuano equitum auxilijs, Romam iter intendens, in Etruriam Lunenſi via deſcendit. Piſani ei portas clauſſere, neque expilantis ſocias vrbes dicto audientes futuri

GVIDO TARLATVS LVDOVICI FAVTOR IN AGONE RESIPISCIT ET ROMAN. PONTIF. SE SVBIICIT.

ri videbantur, niſi Caſtrucius nouo adiuncto exercitu, Piſanis extremas ſuburbani agri clades denunciaſſet. Nec tamen illum obſidentem priùs in vrbem admiſerunt, quam is verbo & animo placatus, ciuibus, nihil in illos moleſti tentare promiſiſſet. Quod quum eſſet Guidonis & Caſtrucii opera effectum, tunc demum Piſarum integro dominio potitus eſt. Duos menſes Piſis Ludouicus deſedit, efflagitantique Caſtrucio, vt Marcum Actium, & Ioannem Vicecomites carcere liberatos, Lucæ foueret conceſsit, cum interim Guido Tarlatus, Aretium, à qua vrbe diu abfuerat, petiturus, ora accedens maritima febri apud Nigrum montem correptus interiiſſet, die XXI. Octobris. Nonnulla ſpes eſt, Guidonem fore ſaluum. Namque in extremis laborans, plurimis Religioſorum, Clericorum, & laicorum ad ſe conuocatis, pœnitudine ingenti commotus, errorum quem antea errauerat agnouit, ſeque nimium contra ſummum Pontificem, & contra Eccleſiam Romanam deliquiſſe confeſſus, Ioannem ſummum Pontificem Sanctum & iuſtum, Ludouicum vero Bauarum, impium, profanum, hæreticum, hæreticorum fautorem, Imperij & Regni Romanorum vſurpatorem, indignum qui nomine Regis aut Imperatoris à quocumque vocaretur, palam, & coram omnibus dixit: eamque mentem & ſententiam ſibi futuram, ſi ſanitati reſtitueretur, ſeque in poſterum ſummo Pontifici Ioanni, & Eccleſiæ Romanæ obtemperare, & hoſtes eiuſdem Ioannis Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ perſequi velle, iureiurando ſpopondit: atque eiuſdem profeſsionis ſuæ teſtes supereſſe præſentes voluit, poſtulans, vt hæc omnia dicta & facta in publicas tabulas referrent, ac vbique locorum diuulgarent.

Inde lachrymis largiſsime profuſis, & Sacramentis Eccleſiæ ingenti cum humilitate perceptis, cùm diuinam & ſummi Pontificis miſericordiam ardentiſsime imploraſſet, ab hac luce deceſsit: Aretium, à ſuis, non ſine funebri pompa illatus. *Iouius ſup. Blond. lib. 9. Villani l. 10. c. 36.*

X
IOAN. PP. LVDOVICVM AB INGRESSV VRBIS ARCERE CONATVR.

Poterat Bertrandus Cardinalis Legatus, Ludouicũ, via Lunenſi in Etruriam penetrantem, tribus millibus equitum, quos ducebat, in anguſtiis alpium alicubi opprimere. Maluit tamen proditoris Pontificiarum partium nomine audire, quam officio ſuo probe fungi; quamquam is quoque excuſaret, à Pontifice, non fuiſſe numerata militibus ſtipendia: eaque propter ſe non potuiſſe illos, ad faciendum operæ pretium educere.

Ioannes Cardinalis Vrſinus Etruriæ Legatus animoſius egit. Is enim feriis Diuo Ioanni Baptiſtæ ſacris Florentiæ, in Ludouicum Bauarum prolatas diras publice renunciauit: ac velut in hoſtem Dei & Eccleſiæ, hæreticum, oppreſſorem bellum ſacrum edixit. Romanorum populus Neapoleonem Vrſinum & Stephanum Columnam Roberti Regis ſtudioſos, ac Pontifici ſtudioſos per tumultum ne Roberto vrbem traderent, eiecerat, atque Sarræ Columnio imperium vrbis permiſerat, qui vna cum quinquaginta duobus plebis tribunis, ſummæ rei præeſſet. In ſpeciem tantum, Auinionem ad ſummum Pontificem, & Neapolim ad Robertum Siciliæ Regem Oratores ire iuſſerant, illum vt in vrbem euocarent, ab hoc vero vt auxilia opportuna impetrarent: cum tamen alios ad Ludouicum deſtinaſſent, cui maturandum iter Romanum perſuaderent.

Ioannes Pontifex fraudes Gibellinorum & Ludouici ſubodoratus, venire recuſauit: vt autem in fide & obedientia ſedis Apoſtolicę perſeuerarent, admonuit, Legatumq; Cardinalem Vrſinum Romam, ad arcendum ingreſſu Bauarum properare imperauit. Robertus Rex, vt Fridericum Trinacriæ Regem, ab auxilijs ferendis Ludouico, & à commeatu Romanis ſubminiſtrando auerteret, claſſem in Mari Liguſtico oppoſuit, oſtiaque Tyberina occupauit: Ioannem deinde Principem Achaiæ, mille equitibus armatum, Vrſinis & alijs Pontificijs ſubſidio miſit. Qui coniunctis cum Cardinali Legato, viribus, Neapoleone præeunte, & viam monſtrante, noctu perfoſſo. Muro pomærii San. Petri, Leoninam ciuitatem, ingreſsi, terrore aduerſariis iniecto, multos eorum in excubiis agentes interemerunt. Et haud dubio vrbe potiti fuiſſent, & reliquos Ludouici fautores eieciſſent, ſi Stephanus Columnius, vna ſimul cum ſuis interfuiſſet. Sed eo ingredi vrbem detrectante, cum aduerſarii ad Capitolini æris tinnitum tumultuaria manu aduolaſſent, Cardinali Legato & Neapoleoni Vrſinis exitio fuiſſent, niſi illi incenſa Leonina vrbe, ſeſe multitudini furenti ſubduxiſſent. *Villani libro decimo capite trigeſimo tertio, 20. 21. 26.*

XI.
LVDOVICVS VARIAS VRBES EXPILAT, ET INGENTEM PECVNIAM CORRADIT.

Apud Hortam, Cardinalis Ioannes, & Neapoleo cum reliquis Vrſinis, nec non Ioannes princeps Achaiæ, opportunitatem rei bene gerendæ, & auxilia tum à ſummo Pontifice, tum à Carolo Duce Calabriæ, Vicario in Etruria imperii expectabant. Cum Ludouicus Piſanis, Lucenſibus, Piſtorienſibus, & aliis vrbibus Etruſcis expilatis, ad XV. Decemb. Piſis mouiſſet, & per maritimam regionem Viterbium contenderet.

Ducenta millia florenorum aureorum ex ſolis Piſanis, præter XX. Millia ex eorum Clero corraſit Ludouicus Caſtrucius Lucenſibus & Piſtorienſibus titulo Ducis præpoſitus, Quinquaginta millia aureorum Ludouico numerauit. Lucenſes, Aretini, Piſtorienſes, & reliqui non immunes à ſatianda Ludouici auaritia fuere. Romanorum Gibellini, metuentes ne ab Vrſinis iterum opprimerentur, Ludouicum, tum miſsis fere in ſingulos dies Nunciis, tum pollicitationibus ingentibus, ad iter maturandum perurgebant: cum vererentur, ne à Carolo vel Roberto Rege ſubſidia mitterentur, quibus illi freti, vrbem poſſent occupare, & Ludouicum aditu prohibere.

Et quidem Carolus Calabriæ Dux, rebus Florentinorum conſtitutis, relictiſque in vrbe Philippo ſanguineto, Ioanne Iuuenatio, & Ioanne Theatino, qui Florentinos tum in officio continerent, tum ab impreſsione tuerentur, die XXVIII. Decembris, copias lectiſsimas quas poterat eduxit, & Beruſiam contendens Aquilam vrbem conceſsit: ſpecie quidem Robertum patrem Regem Siciliæ iuuandi, reuera autem Ludouicum per aliquam occaſionem, inuadendi, opprimendique. quamquam etiam rumor non omnino inanis diſperſerat, Ludouicum, non tam ambitione inſignium imperii Romam feſtinare, quam cupiditate vindictæ de Roberto ſumendæ, exercitum promouere. Eum itaque vt à Regno Neapolitano Carolus auerteret. Aquilæ ſubſtiterat, ad rem commode gerendam vbique intentus.

XII.
IOAN. PP. 10. CARDINALES ET PHILIP. VALESIVM GALLIARVM REGEM CREAT.

Pontifex, vt rem Eccleſiaſticam omni modo iuuaret, ad XVIII. Decembris decem Cardinales, viros natalibus, prudentia, & vſu rerum gerendarum commendatos, & in his fratrem Matthæum Vrſinum, & Ioannem Stephani Columnæ filium, creauit. Philippum quoque Valeſium, ad regni Galliarum inſignia quamprimum capeſſenda, adque ſubſidium Eccleſiæ laboranti ferendum, hortatus eſt.

Itaque Philippus Valeſius, poſtquam Caroli Pulchri relicta Blancham filiam peperiſſet, Rex ſalutatus, conſecratus eſt quanta non alius multis ſeculis celebritate, frequentiq; procerum cætu. Poſt Rhemenſia ſacra inprimis ad Dionyſii Pariſiorum venit, ac ibi quoque cerimoniis ſolẽnibus peractis, ſacerdotio ciuitatis ſacris inſignibus velato, nec non liberalium artiũ Doctorib.





APPARATVS INAVGVRATIONIS PHILIPPI.

Muſæique Scholaſticis ad portas operientibus; ad hæc patribus in purpura, decurionibus cum bicolore veſte, necnon auctoribus ſummarum extra portas continentiaque ac ſuburbana ædificia in equis occurrentibus, ipſe Rex cum Regiæ ſtirpis inclytarumque familiarum proceribus, reliqua etiam nobilitate, & ipſa maxima ex parte torquata, & ſagulis virgatis, auroque intertextis, equiſque magnificentiſſime inſtratis excultiſque, vrbem Regiam ſub ſacra ipſe vmbella intrans, exceptus fuit lætis fauſtiſque ominibus, plauſuque; omni ordine, omni ætate, proſperum felicemque ingreſſum apprecante. Ita in inſulam ad ædem maximam deductus, ac Diuam virginem Deiparentem veneratus, in Regiam ſe contulit: cum illum vniuerſi prædicarent, vindecim Franciæ maieſtatis, legis Salicæ aſſertorem; qua vna, dignitas libertaſque Francici nominis conſtaret, ne alienigenarum Imperio, neue exterorum ditione teneri poſſent Franci, cæteris gentibus Reges ac leges dare conſueti. Cupiebat Ioannes, Philippum, quamprimum Regem videre, cuius opera & viribus negotium Ludouico Bauaro faceſſeret. *P. Æmil. lib. 8. Villani lib. 10. c. 49. & 50. & 53.*

XIII.
IOANNES PP. REIECTO LVDOVICO DIEM ELECTORIBVS PRO ELIGENDO IMPERATORE DESIGNAT.

Namque cum primum Ludouicum Bauarum cœtu piorum excluſiſſet, omnibuſque dignitatibus profanum exuiſſet, & tum Regibus, ac Principibus tum Prælatis ac populo Chriſtiano flagitia illius renunciaſſet, Principibus Imperij Electoribus diem deſignarat, quo alium in Regem & Imperatorem Romanorum deligerent. Nonnulla extemporanea impedimenta emerſerant, propter quæ VII. viri non poterant commodum conuenire. Itaque Ioannes Pontifex, data epiſtola hoc anno numero CLXVII. neceſſe habuit diem electioni præſcriptum ad VI. menſes prorogare, multaque alia ex re contra Bauarum decernere. Inter hæc, Friderici Regis Trinacriæ animum ſed fruſtra tentauit. Ab illo enim nihil aliud obtineri potuit, quam quod aditum ac facultatem, Guelfis Italiæ, ad inſulam Siciliæ patefecerit; abrogato edicto, quo, in Gibellinorum fauorem impenſe propendens, illis aditu inſulæ & commercijs interdixerat. Iſtud vero non tam in Pontificis gratiam, quam in ſuum commodum conceſſit, cum portoria vectigalia non parum per hæc tempora imminuerentur. *Folleta hiſt. Genuen. lib. 4.*

FRVSTRA TENTAT FRIDERICVM REGEM TRINACRIÆ

XIV.
ATESTINI AVERSI A LVDOVICO RECONCILIANTVR IOANNI PAPÆ.

Raynaldum quoque & reliquos Ateſtinos à Ludouico non difficile auertit. Præſertim cum illi in Vicecomites ſocios, & alios confœderatos à Bauaro admiſſa, longe aſperiora reputarent, ac ſecum ipſi expenderent, eadem cupiditate Ludouicum facile impelli poſſe, vt idem ſtatueret in cæteros, qui ſe illi commiſiſſent: quod nullo negotio à prauis conſiliarijs peruerteretur, & ingenti cupiditate habendi flagraret, & exiguũ verbis ſuis pondus ineſſet. Commodum per id temporis, Azo Vicecomes à Ludouico ad colligendam pecuniam ſuperuenerat dimiſſus. Is Raynaldum hortatus eſt, ſubduceret ſenſim ſe ex illa ſocietate; monuitque reliquos ſocios feſſos ac ſpe fruſtratos, ipſumque inprimis Caſtrucium iam magnopere pœnitere Namque is difficulter ſibi perſuaderi paſſus eſt, Romam vt Ludouicum comitaretur, & certa pro incertis relinqueret. Cardinalis Bertrandus captato tempore, Marchiones in eam mentem adduxit, vt Gaſparinum Stangam conſiliarium, cui res Ferrarienſes erant notiſſimæ, vnaque Albertinum Bouium patritium magna virtute, Legatos Auinionem decreuerint, qui docerent inprimis, coactos ſuorum iniurijs Ateſtinos, cum Ludouico ſenſiſſe; nunc vero fœdera frãgentem velle deſerere; Romanæque Eccleſiæ dominium libenter agnoſcere, ſi modo Pontifex ad benignitatis ſuæ laudem cumulatiorem, illos in integrum reſtituere, atque iure fiduciario Ferrariam illis concedere, non grauaretur. Pontifex ijs comiter appellatis, vbi comperit Ateſtinos alieno exemplo, & magis forte neceſſitate quam voluntate Ludouici partes ſecutos eſſe cum abundè ſe ſatiſdaturos Eccleſiæ Romanæ, iureiurando ſponderent, decretum, quo Ferrariam deuouerat, induxit. *Pigna lib. 4. hiſtor. Ateſtin.*

XV.
IOANNES PP. FRATRICELLORVM ANATHEMATE INNODAT.

Fratricellorum anteſignani, Michael Cæſenas, Guilielmus Okam, & reliqui omnia miſcebant. Eos ad dicendam cauſam Auinionem euocatos, cũ ad diem deſignatam Ioannes Pontifex fruſtra expectaſſet, contumaces, & merito anathemate plectendos renunciauit. Tum deinde Michaelem Generalem Ord. Minorum Miniſtrum, Magiſtratu ſupremo & reliquis honoribus ac dignitatibus indignum dixit: ac ſummam eius Ordinis Adminiſtrationem, Bertrando Cardinali Legato data ad eum epiſtola, *num. 189.* commiſit: qui conuocato Bononiam, Patrum eiuſdem inſtituti Capitulo Generali, Michaelem Cæſenatem gradu & officio motum denunciaret, & alium Generalem Miniſtrum, ex ſuffragio communi, eidem Ordini ſanctiſſimo præficeret. *MS. Bibl. Vatic. num. 4008. de rebus Fratricell.*

XVI.
FRANCISCI ASCVLANI DÆMONIACI IMPIETATES HÆRESIS ET SVPPLICIVM.

Inter hæc Florentiæ, in vincula coniectus, & flammis exuſtus eſt Franciſcus Aſculanus, impietati, blaſphemiarum, hæreſis & aſtrologiæ iudiciariæ, necnon damnatarum artium nomine conuictus, atque à Quæſitoribus fidei damnatus. Bononiæ primum docuerat, & librum quendam in ſphæram, plenum ſuperſtitionibus & blaſphemijs vulgauerat. Docebat, inter cœleſtes orbes ſpiritus malignos generari, qui facile ſub determinata poſitura & coniunctione ſyderum, per incantationes præſcriptas, facile euocarentur, ad res admirandas, tum prædicendas, tum gerendas. Addebat ſtellarũ influxiones, neceſſitatem imponere libero arbitrio humano, adeo vt nõ quæcunq; homines eligerẽt, ſed ad quæ potẽtia ſyderali impellerẽtur, opera peragert. Blaſphemabat quaſi Chriſtus voluntatẽ Diuinam cum neceſſitate ex aſtris prouenіente cõformaſſe: & non ex electione, ſed ex neceſſitate ab eadem conſtellatione ſua procedente, tum vitam pauperrimam vixiſſet, tum mortem turpiſſimam obijſſet. Prædicebat inſuper, Antichriſtum propter oppoſitam poſituram aſtrorum, diuitem, potentem, ſplendidum, futurum. Præter hæc, alia quoque ſuperſtitioſa, vana, & non ex fide, & in his multa Ludouico Bauaro, Caſtruccio, & Carolo Duci Calabriæ, necnon ſummo Pontifici Ioanni euentura magis ex Nigromantia quam ex aſtris prænunciabat. Dinus Florentinus inſignis philoſophus, & Epiſcopus Auerſanus Caroli Ducis Cancellarius, primi impoſtorem ex fraudibus coniecerant, & ſacro Magiſtratui detulerant: quod is librum ab Inquiſitore Bononien. damnatum, vna cum erroribus intolerandis, diſſeminaret, & artem diuinandi, non tantum ex ſyderibus, verumetiam ex inuocatione dæmonum profiteretur, multaque infanda contra fidem orthodoxam, & contra Ioannem Pontificem mentiretur: inſuper multa inconceſſa auderet, & per omnem viuendi licentiam, in luxum quoque & carnis illicitas voluptates ſeſe effunderet. Comprehenſus, ſcelerum conuictus, damnatus, igne luit. *Villani lib. 10. c. 41.*

XVII.
IOANNES PP. INQVISITORI-

Forte eorundem Fratricellorum hæreſis; Germaniam præcipue peruagata, vicina Boemiæ, Hungariæ, & Poloniæ Regna attigerat. Neque enim ſine cauſa Pontifex Ioannes, datis Prouinciali Hungariæ, Calend. Febr. literis, poteſtatem ei fecit, Inquiſitores contra hæreticos inſtituendi; quibus

BVS POTESTATEM FACIT ANIMADVERTENDI IN DELINQVENTES IN REBVS FIDEI.

licitum eſſet, ius in delinquentes in fide dicere, & ex præſcripto ſanctionum Eccleſiaſticarum reos caſtigare. Parem poteſtatem, datis III. Calend. Maij literis, Prouinciali Poloniæ eiuſdem Ord. Præd. largitus eſt. Placet diplomata, ad Regem, Archiepiſcopum Gneſnen. & Prouincialem Poloniæ, adſcribere. Ita habent.

## I. Regi Poloniæ.

XVIII. SCRIBIT IN EADEM CAVSA AD VLADISLAVM REGEM POLONIÆ.

Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

Chariſſimo in Chriſto filio Vladislao Regi Poloniæ illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Quantum honoris, & laudis Deo, & vniuerſali Eccleſiæ, quantumq; vtilitatis & exultationis Chriſtianitati prouenit de multis, innumeriſq; ſolicitudinibus, & laboribus indefeſſis; quos tu ad expiandas de Regno abominationes hæreticæ prauitatis dudum exhibuiſti, ac inceſſanter exhibere dignoſceris, tua magnifica opera, prout fide dignorum teſtimonio percepimus, manifeſtant. Tu namq; veluti victorioſus pugil eiuſdem Eccleſiæ, ac fidei Chriſtianæ zelator eximius, ad hoc ſemper tua vota feliciter direxiſti, vt exterminares inimicos Crucis, & tam fidei, quam fidelium terminos dilatares. Cum igitur ſicut accepimus in Regno tuo Poloniæ, hoſtes Crucis de remotis partibus Alemaniæ, & Boemiæ, & circumpoſitis regionibus, frequenter & latenter inuadant, ſimplices & Catholicos dicti Regni, eoſq; inficere, & à veritatis limine deuiare fallacium argumentationum impulſibus moliantur; nos volentes contra talium doloſam aſtutiam, ne diffuſius in Regno prædicto huiuſmodi ſerpat morbus, opportunum remedium per Sedis Apoſtolicæ diligentiam adhiberi, ac cupientes anxiè, vt negotium fidei iugi profectu eliſis omnino quibuslibet erroribus fortius inualeſcat, dilecto filio Priori Prouinciali Fratrum Ordinis Prædicatorum Poloniæ, aliquos de Fratribus ſui Ordinis ſuæ Prouinciæ idoneos, in lege Domini eruditos, quorum honeſta conuerſatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia ſalutarem, ad huiuſmodi opus Dominicum exequendum auctoritate Apoſtolica deputandi per partes ipſius Regni, ſibi per Ordinem ſuum limitatas, ipſoſq; amouendi, illiſq; amotis, vel de hac luce ſubtractis alios ſimiliter idoneos inſtituendi, quoties ſibi viſum fuerit, plenam, & liberam conceſſimus, per noſtras literas facultatem. Qui quidem Fratres, cum per eundem Priorem ad hoc deputati, ſeu inſtituti fuerint, vt præfertur, iuxta & ſecundum inſtituta canonica ſuper his promulgata, auctoritate prædicta, Clero & populo conuocatis, generalem prædicationem in dicto Regno, vbi & quotiens expedire viderint facientes Inquiſitionis officium contra labem hæreticæ prauitatis, diligenter & ſollicitè, prout Deus eis dederit exequantur contra hæreticos, credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum, iuxta & ſecundum eadem ſtatuta authoritate præfata nihilominus proceſſuri, & ſi aliqui hæretica labe penitus abiurata, ad Eccleſiæ redire voluerint vnitatem, ipſis iuxta formam Eccleſiæ, ac ſecundum præfata ſtatuta beneficium abſolutionis impendant, & iniungant eis, quod talibus eſt ſecundum ſtatuta huiuſmodi iniungendum. Ideo magnificētiam Regiā rogamus, monemus, & hortamur attentè, in remiſſionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus eoſdem Inquiſitores, pro reuerentia diuina & Apoſtolicæ Sedis, ac noſtra, benignè recipias, & honeſtè pertractes, eis in his, & alijs conſilium, auxilium, & fauorem taliter impendendo, quod ipſi commiſſum ſibi officium exequi valeant inoffenſe, & nos ſynceritatis tuæ zelum poſſimus in Domino meritò commendare; tuq; exinde bonum quod ſuis fidelibus diuina clementia pollicetur, ad diuini nominis laudem, animæ tuæ ſalutem, dictiq; Regni exaltationem conſequi merearis.* Datum Auinioni Calend. April. Pontif. noſtri anno XI.

## II. Prælatis Poloniæ.

XIX. ITEM ARCHIEPISCOPO GNESNENSI ET ALIIS.

Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopo Gneſnen. & eius Suffraganeis, ac Epiſcopo Caminenſi, & dilectis filijs vniuerſis alijs Eccleſiarum Prælatis in Regno Poloniæ conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Præ cunctis mentis noſtræ deſiderabilibus, Catholicæ incrementum Fidei affectantes, nimio vtiq; dolore replemur, cum audimus aliquos, vel ſentimus, ad illius depreſſionem qualicunq; malignitate ſatagere, vel damnabilibus ipſam deprauando reprehenſionibus, aut detractationibus ei abrogabilibus derogando, ac commentis eam mordacibus peruertendo; ad quorum iniqua conſternenda molimina, eo animoſius aſpiramus, quo in animarum ſtragem pernitioſius eos agnoſcimus conſpirare. Cum igitur ſicut accepimus, in Regno Poloniæ, hoſtes Crucis, &c. vt in priore, vſq; ad,* iniungendum. *Ideo vniuerſitatem veſtram rogamus, monimus, & hortamur attentè, quatenus eoſdem Inquiſitores, pro reuerentia diuina, & Apoſtolicæ Sedis, ac noſtra benignè recipientes, & honeſtè tractantes, eis in his & alijs, conſilium, auxilium, & fauorem impendatis, quod ipſi commiſſum ſibi officium exequi valeant inoffenſe, & nos ſynceritatis veſtræ zelum poſſimus in Domino merito commendare.* Dat. Auinion. Cal. April. Pontif. noſtri anno XI.

## III. Prouinciali Poloniæ.

XX. ITEM PROVINCIALI POLONIÆ ORD. PRÆD.

Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

Dilectio filio Priori Prouinciali Fratrum Ord. Præd. in Polonia, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Inter alia quæ nobis ex Apoſtolatus incumbunt officio animarum præcipue nos conuenit inuigilare ſaluti, vt eas Regi Regum, qui nos illarum licet immeritos voluit præeſſe regimini, lucrifacere ſua nobis cooperante gratia valeamus. Verum quia non eſt acceptum apud Deum obſequium, quod ſine fide præſtatur, nec peruenitur ædificio operum ad ſalutem, quod ſupra firmitatem fidei non conſurgit, ad propagandam eam, & confirmandam in mentibus hominum, intentione tota, omniq; ſollicitudine, & verbi ac operis efficacia labore debemus, vt Chriſtiana religione latius diffuſa per orbem, patris æterni filius, multiplicatis ſeruitoribus plenius honoretur. Porro plures oppoſitæ intentionis proſequentes affectum, in contrarium ſtudia malignitatis exercent, dum fidem ipſam detractationis iaculis feriunt, & eam de fidelium abolere pectoribus, aduerſi dogmatis inſtructione conantur. Quibus ſic eſt cura vigili, & labore ſedulo, aſſumptis armis ſpiritualibus reſiſtendum, vt eorum deteſtandum propoſitum & conamen, auxiliante Domino penitus vacuetur, & fide Catholica per Chriſti pugiles virtuoſe defenſa, nomen Domini glorioſum, dignis ſemper laudibus efferatur. Cum igitur ſicut accepimus, in Regno Poloniæ, hoſtes Crucis de remotis partibus Alemaniæ, & circumpoſitis regionibus, frequenter & latenter inuadant ſimplices, & Catholicos dicti Regni, eoſq; inficere, & à veritatis limie deuiare, fallacium argumentationum impulſibus moliantur; nos volentes contra talium doloſam aſtutiam, ne diffuſius in Regno prædicto huiuſmodi ſerpat morbus, opportunum remedium per Sedis Apoſtolicæ diligentiam adhiberi, ac cupientes anxiè, vt negotium fidei, iugi profectu, eliſis omnino quibuslibet erroribus, fortius inualeſcat, diſcretioni tuæ, aliquos de Fratribus tui Ordinis tuæ Prouinciæ idoneos, in lege Domini eruditos, quorum honeſta conuerſatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia ſalutarē ad huiuſmodi opus Dominicum exequendum, auctoritate Apoſtolica deputandi, per partes ipſius Regni, & alias partes, tibi per Ordinem tuum limitatas, ipſoſq; amouendi, ipſiſq; amotis, vel de hac luce ſubtractis, alios ſimiliter idoneos inſtituendi, quoties tibi viſum fuerit, plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem. Qui quidem Fratres cum per te ad hoc deputati, ſeu inſtituti fuerint, vt præfertur, iuxta & ſecundum inſtituta canonica ſuper his promulgata, auctoritate prædicta, Clero & populo conuocatis, generalem prædicationem in dicto Regno, vbi & quotiens expedire viderint facientes, Inquiſitionis officium contra labem hæreticæ prauitatis diligenter & ſollicite, prout eis Deus dederit, exequantur. Contra hæreticos, credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum, iuxta & ſecundum eadem ſtatuta authoritate præfata nihilominus proceſſuri. Et ſi aliqui labe hæretica penitus abiurata, ad Eccleſiæ redire voluerint vnitatem, ipſis iuxta formam Eccleſiæ, ac ſecundum præfata ſtatuta abſolutionem impendant, & iniungant eis, quod talibus eſt ſecundum ſtatuta huiuſmodi iniugendum. Attentius prouiſuri, ne qui videntur reuerti, ſub palliata ſpecie pietatis impietatem committant, & Angelus Satanæ in lucis Angelum transformetur; propter quod ſtatuta ſuper hoc promulgata reſpicere poterunt, & ab eorum inſidijs, ſecundum diſcretionem eis traditam à Domino, præcauere. Ad hæc, vt ijdem Inquiſitores, ſuper præmiſſis omnibus officium ſibi commiſſum libentius & efficacius poſſint exercere, omnibus qui ad prædicationem eorum acceſſerint, & ſingulis ſtationibus, viginti dies; illis vero qui ad impugnandos hæreticos, fautores, receptatores, & defenſores eorum, in munitionibus & caſtellis, vel alias contra Eccleſiam rebellantes, ipſis ex animo auxilium, conſilium, præſtiterint vel fauorem, tres annos de iniunctæ ſibi pœnitentia, auctoritate Apoſtolica relaxandi; & ſi qui ex eis, in proſecutione eiuſmodi negotij forte deceſſerint, eis omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, plenam indulgentiam concedendi. Ac ne aliquid Fratribus ipſis deſit ad prædictum negotium proſequendum, in contradictores & rebelles Eccleſiaſticam proferendi cenſuram. Prædicatores quoq; quæſtuarios, quorum intereſt charitatiua tantum ſubſidia ſimpliciter petere, ac Indulgentiam, ſi quam habent exponere, à prædicationis officio, quod ad illos nullatenus pertinet, compeſcendi cenſura ſimili, tenore præſentium liberam eis concedimus facultatem.* Datum Auinion. III. Calend. Maij Pontif. noſtri anno XI.

XXI. VLADISLAVS POLONIÆ REX SCRIBIT PRO EXTIRPANDIS HÆRETICIS

Hæc Ioannes Pontifex pro vigilantia paſtorali, Prouinciali Poloniæ committebat. Fungebatur eo tunc officio, F. Petrus de Colomæis Prouincialis, Ordin. Præd. Prouinciæ Poloniæ, qui hanc vnam curam curabat, vt Quæſitores Fidei, ad amuſſim præſcriptam, in locis deſignatis præficeret Hi porro zelo amplificandæ Orthodoxiæ inflammati, necnon dolore, propter pereuntes fraudibus hæreticorum animas vehementiſſime commoti, omnibus viribus incumbebant, vt errore profligato, erronibuſque refrænatis, Fidei Catholicæ maieſtas in ſuo candore ab omnibus amplecteretur. Iuuit Inquiſitorum conatus, Rex Vuladislaus, datis vbique mandatis, vt Præfecti Vrbium, eos in exercendo officio adiuuarent. Iuuerunt & alij pientiſſimi Reges, & inter hos Vuladislaus Iagello, fere poſt centum annos, quando hæreſis Huſſica Poloniam peruaſerat, publicatis edictis contra peruicaces. Ex hoc vnico quod adiungo, quam amplam poteſtatem illis Iagello permiſerit, facile eſt conijcere. Ita habet, in Archæo Monaſt. SS. Trinit. Craconiæ.

Vladislaus Dei gratia Rex Poloniæ, Lituaniæque Princeps ſupremus & hæres Ruſſiæ, &c.

Vniuerſis & ſingulis Capitaneis, Burgrauijs, Caſtellanis, Procuratoribus, Generalibus, Vice procuratoribus, Aduocatis, Conſulibus, Scabinis, & alijs Officialibus terrarum, Caſtrorum, Ciuitatum, Oppidorum noſtrorum in Diœceſi Gneſnen. & Poſnanien. conſtitutis & conſtituendis, fidelibus noſtris gratiam Regiam, & omne bonum.

Fideles nobis dilecti.

*Cum Religioſus vir, noſterq; deuotus, Frater Nicolaus de Lancicia, Sacræ Theologiæ Baccalaureus Ordinis Fratrum Prædicatorum, Inquiſitor hæreticæ prauitatis in prædictis diœceſibus, per Venerabilem in Chriſto patrem Fratrem Nicolaum de Pnieroij Prouincialem Poloniæ Ordinis eiuſdem, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſit ſpecialiter deputatus, proq; Dei ſeruitio & exaltatione ſanctæ Fidei Orthodoxæ debeat in locis, ſeu partibus noſtræ iuriſdictioni ſubiectis, exercere officium Inquiſitionis, vt hæreſis crimen deteſtabile, à dictis partibus quibus præſidemus, ſi forte alicubi vigeat, valeat extirpare. Nos quoq; velut Princeps Catholicus, qui de manu Altiſſimi multa bona accepimus, & varijs honoribus ornati ſumus, in prædictis & alijs, quæ diuinum concernunt obſequium, Conditori omnium complacere vt conuenit, plurimus cupientes, intendimus, imo & volumus prædictum Inquiſitorem tanquam Dei ſpecialem miniſtrum, noſtris proſequi gratijs & fauoribus opportunis. Vobis igitur & vnicuiq; veſtrum iniungimus, & de conſilio Prælatorum & Baronum noſtrorum, die data præſentium nobiſcum hic congregatorum diſtrictè præcipiendo mandamus, ſub obtentu gratiæ noſtræ Regalis, quatenus prædictum Inquiſitorem, ad exercendum ſuum liberè Inquiſitionis officium, in terris & locis noſtræ iuriſdictioni ſubiectis, & ſignanter in diœceſibus præfatis fauorabiliter admittatis. Et quotieſcunq; in exequendo dicto officio, ſæculare brachium ipſum contigerit inuocare, auxilium veſtrum fideliter & cum effectu ſibi præbeatis, capiendo, & capi faciendo, quoſcunq; dictus Inquiſitor, de memorato facinore ſuſpectos, aut diffamatos, ſeu etiam eodem irretitos nouerit, aut duxerit nominandos. Captos etiam detineatis, infra iuriſdictionem veſtram ſub arcti & diligenti cuſtodia, vel etiam deducatis ad locum ad quem idem Inquiſitor mandauerit, donec negotium ſuper huiuſmodi delicto, per iudicium Eccleſiæ terminetur. Condemnatos quoq; ac Curiæ relictos ſæculari, ſtatim recipiatis indilate, animaduerſione debita puniendos. Nec non omnia alia ſtudeatis adimplere, quæ ſpectant ad officium, videlicet iuxta leges Friderici Imperatoris per Eccleſiam approbatas, & per canonica inſtituta, prout ipſe Inquiſitor decreuerit, & quoties vos duxerit requirendos. Non obſtantibus priuilegijs, libertatibus & exemptionibus, ſeu literis præmiſſæ facultatis, quibuſcunq; perſonis, cuiuſcunq; conditionis, dignitatis & gradus exiſtant, tam Chriſtianorum, quam Iudæorum, ſchiſmaticorum, & aliorum contra fidem Catholicam delinquentium, ſeu Communitatibus eorum, aut Vniuerſitatibus terrarum, Ciuitatum & locorum, generaliter vel ſpecialiter ſub quacunque verborum expreſſione, per nos, aut alios ſereniſſimos Principes, Reges, & Dominos terrarum Regni Poloniæ, aut ipſorum ſubditos, in contrarium alicuius præmiſſorum conceſſis, vel in poſterum concedendis. Nolentes ex huiuſmodi priuilegijs, exemptionibus, ſeu conſuetudinibus ac ſtatutis municipalibus ac Prouincialibus, & libertatibus, ſeu quibuslibet promiſſionibus ſecuritatis, mandatiſq; ac prohibitionibus præfato Inquiſitori, in tanto pietatis negotio, quodcunq; obſtaculum; aut impedimentum interponentibus, directe vel indirecte. Vt autem præfatus Inquiſitor ſuum Inquiſitionis officium ſecurius & liberius valeat exercere, noſtro ſuffultus præſidio & fauore, ipſum eiuſq; ſocietatem, & familiares, ac bona eorum, ſub noſtra protectione Regali benigne recipientes, per præſentes mandamus vobis, & ſupra prædicto Inquiſitori, eiuſq; ſocietati, notarijs, & familiæ, nullam iniuriam, nullumq; grauamen, aut damnum aliquod in perſonis ſeu bonis, a quocunq; fieri permittatis. Imo pro noſtra gratia ſpeciali eidem de ſecuro tranſitu, necnon de ſaluo conductu, quando & quoties per prædictum Inquiſitorem fuerint requiſiti, vna cum expenſis competentibus, dum prædictum Inquiſitionis officium apud vos exercebit charitatiue ſibi prouideatis, iuxta modum laudabilem aliarum Prouinciarum noſtrarum, circa talia obſeruari conſuetum, & præſertim in hoc ſpecialem Celſitudinis noſtræ complacentiam facietis, ſi ad*

*repellendum à partibus Regni noſtri hæreticæ prauitatis infamiam, haſtenus de noſtris Regnicolis mandatum, Inquiſitori fideliter in præmiſſis aſſiſtentes opem & operam præſtiteritis efficaciter. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum.* Dat. & actum Lanciciæ feria tertia proxima ante ſancti Laurentij anno Domini 1436.

XXII. ALIA GESTA IOANNIS PP.

Placuit iſta inſeruiſſe, vt zelus Polonorum Regum, & Fratrum Prædicatorum, in defendenda fide Orthodoxa, ad poſteritatis memoriam traducatur. Quod Vuladiſlaum Locticum attinet, hoc eodem anno Ioannes Pontifex, ſcripta ad eum *epiſtola numero* 50. admonuit, vt Ducem Ruſſiæ ſchiſmate ab Eccleſia Romana præciſum, à Græcanicis ritibus, ad vnitatem Eccleſiaſticam reducere conaretur, cui etiam Duci hac de re perſcripſit, & ad reuertendum ad vnionem Eccleſiarum benigne inuitauit: cum etiam hoc ipſo anno, euulgato edicto, *numero* 05. *epiſt.* bellum ſacrum contra Saracenos in Palæſtinam indixiſſet; cenſum à Rege Siciliæ exegiſſet, *num.* 64. & Reginæ Boemiæ tabulas aureas, Sanctorum reliquijs refertas miſiſſet, *num.* 170. & anathema comminatus eſſet omnibus qui Auinione, quamdiu ibidem Pontifex reſideret, haſtiludia, aut facerent, aut inſpicerent. *num.* 13. addens iſta aurea, quæ adiungo. *Prouide*, inquit, *attendentes, quod in Romana Curia, ad quam de vniuerſi mundi partibus fidelium concurſus habetur, debet pacis regnare tranquillitas, & cum grauitate morum, vitæ omnis modeſtia obſeruari, nihilq; in ea cuiuſpiam temeritate præſumi, ex quo animarum & corporum pericula valeant prouenire.*

XXIII. IACOBI ARAGONVM REGIS OBITVS ET LAVDES

Hoc anno ad IV. Non. Nou. Barcinone Iacobus Rex Aragonum è vita exceſſit, cum ageret ſextum ſupra ſexageſimum annum. Huius Principis mores adeo iuſti, integri, & religioſi fuiſſe feruntur, vt æquabilitatem publici iuris, præſtantia Regiæ dignitatis minime tranſgrederetur: moris patrij, veterum conſuetudinum, & priuilegiorum irrogatorum ſcita atque inſtituta, rite, ac more inſtitutoque maiorum ab eo non obſeruarentur modo, ſed quodammodo colerentur: neque communis libertas tradita vnquam intermitteretur, aut immutaretur vetuſtus vſus Aragonij fori, aut indiciorum priſtina conſuetudo. Memoriæ proditur, inſignem eius fuiſſe notationem, animaduerſionemque cenſoriam. Nam cum Simonis Aluari Radæ ingenio, & corruptela, plerumque iudicia præuaricata eſſent, & eorum qui in eius clientela erant, propoſitis mercedibus & quæſtuoſis damnis patrimonia exhaurirentur; vidit ſæculum iſtud, eum tanquam ſceleratum auxilio fuiſſe à Rege Iacobo mulctatum, vt incorrupta quædam iudiciorum integritas tunc maxime vigeret. Humatus eſt Iacobus Regia funebri pompa in Sanctarum Crucium cœnobio. *Surita lib.* 2.

XXIV. CAROLVS REX HVNGARIÆ DIVINITVS NECEM À SICARIO INTENTATAM EVADIT.

In Hungaria, per id temporis, Carolus Rex, pietate iuſtitiaque inſignis, à parricidalibus auſis, non niſi diuina benignitate ſeruatus eſt. Horrenda ſunt quæ memorãt. Quidam ſibi vir erat, è Zizachorum familia, nomine Felicianus. Hic apud Matthæum Trincinum olim Palatinum, opibus & dignitate auctus, & ab illo dimiſſus, inter ſeruitia Regis continuo ſe inſinuarat, vt eo facilius ſupra fortunæ ſuæ conditionẽ dignitatẽ adaugeret. Diſſimulata huic iniquitas & ambitio, animus ad facinus quodq; maximũ præceps ac prõptus, rapinis & quouis ſcelere ſibi remanxerat. Vnicũ erat immanitatis, perfidiæ, ac infidelitatis exemplar. Sed grauiſſima hæc vitia, præliberali quadam audacia, & ſubornato ſemper officio ita contegebat, vt Regis gratiam admodum meruerit: facilemque ſibi aditum Regis, ficta quadam mandatorum obſeruantia & ſedulitate ita cõparauerat, vt die noctuque fores paterẽt. In tãta rerũ poteſtate, indigni ſceleris hũc inaudita inceſſit audacia. Ex improuiſo Regẽ, liberos, & Reginam inter diſcumbendum decreuerat adoriri, vt cæſa cum eo prole, tyrannidem inuaderet, omniaque pro libidine ſua diſponeret. Videbat enim pacato Regno, ſe quiete ac ocio parum poſſe proficere; contra, perturbatis rebus, varias facinoroſis occaſiones offerri. Sunt, qui illatum à fratre Reginæ, vxori ſtuprum, ad tantum facinus incitaſſe dicant. Itaque ex conſulto, accubantem cum vxore liberiſque Regẽ, in Viſſegradi ſuburbio, Quintodecimo Calendas Maias, ſub officij ſpecie ingreſſus, adortuſque ſtricto mox enſe Regem petijt, fruſtratuſque ictum, eius dexteram leui vulnere læſit. In ſanctiſſimam deinde repente matronam conuerſus, dexteræ quatuor digitos abſcidit, quos fœmineorum munium & profuſæ liberalitatis miniſtros appellabant, quum illa dies ac noctes, ſacras his veſtes contexeret, & pararet. Nec adſtantibus etiam pueris pepercit: in quos dum vibrato enſe graſſaretur, pædagogi continuo interceſſere, & propriorum corporum obiectu, commiſſos ſibi liberos, laudabili fide protexere; pueri interea diffugere. Ioannes Patochi filius, collum Feliciani furentis pugione transfodit, prætoriani milites ad clamorem accurrentes, humi proſtratum membratim diſſecuerunt.

FELICIANVS PARRICIDA VNA CVM COGNATIS ET LIBERIS POENAS LVIT.

Caput Budam, manus ac pedes aliorſum miſſi, oſſa canibus proiecta. Feliciani filius cum cliente, equinis caudis diſtracti, fruſtra in foro canibus expoſita, corroſa oſſa ab ijſdem & à porcis circumata. Clara eius filia, ſuccíſis labijs, naribuſque, & octo digitis amputatis, per plateas & compita circumducta, vbique hæc exclamare coacta eſt; *Quicunq; Regem ſuum produnt, aut in eum exitium moliuntur, has talionis pœnas expendant.* Sebe altera filia, Copai vxor, capite mulctata. Vir eius Copais, in carcerem coniectus, inedia vitam intercepit. Filij Copai à Crucigeris militibus Rhodon tranſlati, ibique perpetuo relegati. Omnes è Feliciani gente nobiles, extremo ſupplicio aſſecti ſunt: cum Regem Carolum ſola pietas ſeruaſſet. Namque peculiari deuotione S. Ludouicum Tholoſanum Antiſtitem miraculis illuſtrem, ſuum patruum colebat. Hunc vt ſibi perpetuo conciliaret, in Lippa ſumptu Regio, eidem ædem fundauit, ſacrumque Diui Franciſci collegium adiecit. Quotannis etiam vota ei pangebat, neque vnquam impos voti ab eodem diſcedebat. Ad eum modum quaſi per miraculum ſeruatus, ne à ſua religione deficeret, neue quid ſpectatæ ſanctitatis omitteret, vt ſancta peregrinatione errata ſua omnia expiaret, ex auſpicato Hieroſolymam iuit, vt Saluatoris noſtri ſepulchrum inuiſeret, & grates pro incolumitate in atrociſſimo caſu donata exſolueret. *Bonfin. hiſt. rerum Vngaricarum decad.* 2. *lib.* 9.

XXV. NOBILE EXEMPLVM FIDELITATIS IN DOMINVM ET CHARITATIS IN HOSTEM

Iſtud quod præceſſit extremæ non tantum ingratitudinis verumetiam immanitatis exemplum eſto; hoc quod adiungo, ab eodem æuo, ſupremæ fidelitatis in Dominum, & charitatis in hoſtem; tanto admirabilius, quanto in paſtore, & inter haras. Inter ſeniorem & iuniorem Andronicos, auum & nepotes, Imperatores Græcorum, ſummo odio per id temporis certabatur. Contigit, vt Magnus Stratopedarcha Palæologus, Rhodopes præfecturarum dux, creditas ſibi vrbes omnes, exercitumque, à iuniore ad ſeniorem Imperatorem auertere. Animoſque ſubigere, & ad huius obſequium inclinare potuerit. Inter hæc vnum quendam, genere Dacum, pecuarium, Syrmpanum nomine, quod nepoti faueret, fortunis exutum, poſtquam ſæpe illum ſtuario multaſſet, duos etiam dentes radicitus excuſſit, maxillamque ferro condenti inurendam curauit, nec eum tamen à fide tranſuerſum agere va-





luit, cum manicis in cuſtodiam dedit. Inde cum aliquando effugiſſet, alioſque paſtores armis militaribus nudos, magno ſibi numero aſciuiſſet, & copijs ad Palæologum coercendum eo miſſus ſe immiſcuiſſet, in Rhodopeios ferebatur. Qui erant in oppidis, cernentes agreſtes vniuerſos contra ſe conſpiratos, & inſtantem ac prementem Imperatoris exercitum, timenteſque ne inteſtina ſeditione excitata peſſum irent, commutata ſententia ad eum ſe contulerunt, vinctumque Ducem Palæologum Stratopedarcham in cuſtodia tamdiu habuerunt, quoad re intellecta Imperator iunior de eo certum ſtatueret. Ipſi cum Syrmpano ad illum profecti ſunt, pars vt præſtitæ beneuolentiæ præmium adipiſcerentur, pars (quotquot nimirum à ſeniore prius fecerant) vt delicti gratiam impetrarent. Hos Imperator, vt aduerſus ſe bene meritum ingratos verbis mollibus caſtigauit; & præcipiens, ne de cætero ad defectionem, & ſacramentum violandum faciles eſſent, offenſionumque obliuionem promittens, venia eſt impertitus, & paulo poſt humaniter domum abire imperauit. Qui autem in fide ſuperſtitiſſent eos quoque pro dignitate collaudatos, & donis donatos dimiſit, Duce illis præfecto Tarchainota Domeſtico, cui mandatum erat; vti Magnum Stratopedarcham Imperatori vinctum tranſmitteret. Ibi Syrmpanus coram Imperatore altero die aſtans, quippiam illum velle videbatur. Quo animaduerſo, dic, ait, ſi quid habes. Syrmpanus ſtatim ſe humi abijciens, petere, vt ſibi ignoſceretur, ſi ſubulcus, & barbarus, & ruſticus Imperatorem verbo appellare auderet. Iuſſus, vt omni timore depoſito loqueretur, pro Magno Stratopedarcha orare cœpit, vt ei ipſi, quod Rhodopeios à fide in dominum ſuum abduxiſſet, ignoſceretur. Percunctante Imperatore ſimulatene, an vere, & ex animo ita rogaret: Vere, inquit, & ad confirmationem, iuramentum adiecit; addiditque ex officio eſſe, quanquam peccaſſet, tamen vt cognato veniam non negare. Rurſum Imperator: An tu oblitus es, quibus, & quot malis ille te mactauerit: Bona tibi, liberos, & vxorem eripuit, dentes excuſſit, plagis multis corpus ſuum dilacerauit; ad extremum maxillam ferro, vt atrociſſimorum ſcelerum damnato, vſtulauit, ac perpetua cicatrice deformem reliquit. In ſumma, cedo, quid te mouit, vt eius cauſam ageres! Quid vero maius, inquit, quam qui paulo ante in ſeruis illius cenſebatur, eum nunc Dei conceſſu, ac tuo munere in tantam claritatem venire, vt deprecatione ſua, etiam cognatos Imperatoris, formidato ſupplicio eximat? Admirans Imperator, ſic eum deleſſe iniuriarum memoriam: Si tu, ait, tam iniqua, & infanda ab illo paſſus, homo barbarus, ſorte infimus, nihilominus quantum in te eſt, mala bonis compenſas; me minora paſſum, & Imperatorem, inexorabilem iram fouere non decet. Igitur, vel te deprecatore in me commiſſa negligens, ecce veniam illi tributo. Actis gratijs, & iterum iterumque dictis Imperatori laudibus, barbarus denuo petijt, nempe, vt idem Stratopedarcha nec honore, nec redditibus, nec bonis Imperatorijs excideret. Tantum ſtudium erga noxium amplius ſuſpiciens Imperator, etiam hoc annuit; & adhuc ad pedes eius iacenti, teſtimonium datæ veniæ in pittacio exaratum, & vt mos eſt, fidei ergo Imperatoris manu addita præbitum eſt, quo accepto, veſtigia Imperatoris exoſculatus, cum lætitia receſſit: inſigni exemplo fidei erga Andronicum Imperatorem, & charitatis erga Stratopedarcham. *Cantacuzen. lib.* 1. *c.* 30.

XXVI. S. ROCHI NARBONENSIS VITÆ SANCTITAS, MIRACVLA ET PIVS OBITVS.

Hoc anno, ad XVII. Calend. Septembr. Sanctus Tochus, natione Narbonenſis, animam immaculatam Deo reddidit, poſtquam totis quinque annis in carceribus à patruo ſuo incognitus detentus fuiſſet, & velut olim Alexius Vrbem Romanam, is quoque montem Peſſulanum patriam ſuam, exemplis patientiæ atque ſanctitatis adornaſſet. Hic in M. Peſſulano, vrbe Galliæ Narbonenſis clariſſima, Ioanne patre, matre vero Libera, eius vrbis Dominis, natus eſt. Ferunt, cruce rubea inſignitum, in lucem editum fuiſſe. Duodecimum annum ingreſſus, ab Apoſtolo Paulo edoctus, corpus ſuum caſtigare, & in ſeruitutem redigere cœpit, cibo & potu parciſſimo contentus. Parentibus in ea ætate tenera orbatus, pecuniam paternam qui ei venerat in hæreditatem, vna cum facultatibus ampliſſimis, in egenos, & pauperes diſtribuit. Exhauſtis omnibus bonis quæ moueri poterant, etiam principatu ſe abdicans, patruo ſuo paterna oppida commendauit, & patria, amicis, ſanguineque iunctis relictis, omnibuſque rebus ſæculi contemptis, vili indutus veſte, peregrini habitu ex Gallijs in Italiam venit. Romam profecturus, cum Aquulam oppidum apud Poliam amnem attigiſſet, Vincentio cuidam, qui peſte infectis xenedochio inſeruiebat, ſocium ſe adiuuxit, ac cum omnes laborantes epidimia, ſolo ſigno Crucis mirabiliter ſanaſſet, Cæſenam quoque lue peſtifera affectam, incolumitati reſtituit. Romam cum ingreſſus eſſet, eam ſupra cæteras Italiæ vrbes contagione tabifica afflictam reperi, eodemque ſigno ſaluifico plurimos liberauit. Ferunt cuidam Cardinali, magnæ apud ſummum Pontificem auctoritatis, vt à contage illæſum ſeruaret, crucem in fronte impreſſiſſe; quæ quidem diuinitus illi adeo inhæſerit, vt is domo egreſſus, cum aliquibus eſſet ludibrio, illum rogauerit, vt ſibi eandem eximeret: Rothus vero: *Neminem debere eſſe, qui non libenter Imperatoris ſui inſignia ferat*: reſponderit, atque tum exemplo Diuorum Andreæ & Franciſci, tum Saluatoris monito dicentis: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, inferendo eo ſigno maiorem in modum confirmauerit. Roma, à truci peſtilentia liberata, Placentiam contendi, omneſque in Noſocomio periclitantes, non niſi cruce impreſſa, à periculo mortis exemit. Ibi, cum alio manibus contrectaret, ſæuiſſimo vlcere in ſiniſtra coxa percuſſus, & febre inſuper ardentiſſima aduſtus, eos dolore ingenti patientia ſuſtinuit. Exenodochio diſcedens, cum ad Gothardi Palaſtrelli extra vrbem demorantis ædes acceſſiſſet, & eleemoſynam poſtulans nequicquam impetraſſet, necdum plene confirmata valetudine in proximam ſyluam ſe contulit, atque humi decubuit. Obſeruatum eſt, canes venatico, Gothardi, qui tum extra vrbem in proxima ſylua venationibus incumbebat, fruſta panis Rocho decumbenti ſolitos adferre, cumque in modum famelicum recreare, adeo vt Gothardus vehementer commotus, & dolens quod feræ hominibus humaniores eſſent, ad Rochi turgurium acceſſerit, immanitateque propria accuſata, omnibus relictis, diſcipulum Rocho ſeſe adiunxerit, & ad ſummam perfectionem ab eius diſciplina euaſerit. In Gallijs Rochos reuertens, cum ad montem Paſſulanum acceſſiſſet, ab omnibus incognitus, & ab apparitionibus ve ut eſſet explorator comprehenſus, in carceribus toto quinquennio, ſqualorem & pædorem inuicta conſtantia tolerauit. Cum exitum vitæ ſibi imminere intelligeret, Sacramenta Eccleſiæ ingenti cum deuotione recepit, Deumque obnixe rogauit, vt pro benignitate ſua in mortales, quoſcunque peſte correptos, deliberare dignaretur. Corpus ex tabella, in qua nomen ſuum deſcripſerat, patruus recognouit, & non ſine lachrymis maximo cum honore ſepeliuit: addita inſcriptione huiuſmodi: *Peſte laborantes ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem atrociſſi-*

*mam euaſuros ſignifico.* Statim à morte miraculis in gentibus perpetratis, ſanctitatem vitæ illuſtrauit. Conſtantiam Germaniæ vrbem, morbo infectam, vbi Chriſtianorum Generale Concilium celebrabatur à peſte liberauit. Anno Domini 1485. corpus eius furtim ſublatum, & Venetias illatum, magna eſt in veneratione. *Surius tomo 4. ſupplem. Chron. lib. 13.*

# IESV CHRISTI

## Annus 1328.

### IOANNIS PAPAE XXII. ANNO 12. & 13.

I. LVDOVICVS BAVARVS MAXIMA CIVIVM CÆDE ROMAM INGRESSVS FESTIVE ASVIS EXCIPITVR.

SArra Columnius, Iacobus Sabellus, & Tebaldus ex Comitibus Tuſculanis Sancti Euſtachij, vna cum quinquaginta duobus viris, ad ſpeciem Tribunorum à populo Romano electis, Ioanne Cardinali Legato & Neapoleone pro Vicario ſeu pro Senatore Vrbano, ac reliquis Principibus Vrſinorum Vrbe fugatis, audito Ludouici Bauari aduentu, Viterbium Legatos deſtinarunt; qui cum eo ex formula præſcripta paciſcerentur, & ad maturandum quantocius iter perurgerent. Non deerant factionis Pontificiæ quamplurimi, qui Vrſinos eiectos in vrbem reuocandos cenſerent. Quorum vt propenſam erga ſe voluntatem intellexiſſent illi, aduolarunt, & molem Hadriani, vna cum inſula, & tranſtyberina regione, præſidijs impoſitis muniuerunt. Aduerſus eorum potentiam, Caſtrucius quidem multas pecunias tribus illis viris corrumpendis, & in fide Ludouici confirmandis, Ludouicus autem nonnullas Germanorum vires, clam in vrbem miſit, viribus Gibellinorum in omnem euentum ſeditionis tumultuſque emergentis, adiuuandis. Cæterum, ne in itinere ex inſidijs aliquibus peterentur eius phalanges, eas quadrato ante ſe agmine præire iuſſit, & in campis Neronianis caſtra metari diſpoſuit, priuſquam in vrbem ingrederentur. Siquidem populi facile mobilis vim, non temere metuebat. Namque Pontificia factio in vrbe præpotens, quotidie aliquid inſidiarum aduerſus eos moliebatur, & tum nobilitati, tum vulgo, futuræ ſeruitutis ab impotenti dominatione Germanici Principis ſpecie obiecta, ad arma pro libertate inprimis, deinde pro dignitate Sedis Apoſtolicæ ſumenda ſolicitabat. Facile erat multitudinem innumerabilem concitare, conſternatam ceſſatione ſacrorum, & proſcriptione, ſeu exilio principum virorum atque amicorum. Cardinalis enim Legatus, non ita pridem ab vrbe magna cum contumelia eiectus, quod vrbs mandatis Ioannis ſummi Pontificis obtemperare recuſaſſet, Bauarumque toties damnatum obuijs vlnis excipere properaret, capita quidem populorum atque Tres viros illos anathemate deuouerat, vrbi verò ſeductæ ſacra omnia interdixerat, atque Clerum & religioſos omnes alio commigrare præceperat. Quamobrem iuſtitio ſacrorum facto, Templis maiore ex numero occluſis, ingens inter multitudinem fremitus ex conſternatione audiebatur, maxime quod plurimi non tantum è nobilitate & populo, verumetiam è ſacratis viris, vrbe, ſiue per metum Numinis & impendentis calamitatis exceſſiſſent, ſiue manu tumultuaria aduerſariorum eiecti, miſerè extra lares domeſticos vagari cogerentur. Itaque vrbi Ludouico appropinquante, per omnes vrbis plateas pugnæ & cædes, maximè in inſula erant. Pontificij enim conabantur Ludouicum excludere, & occupata tenebant munita quædam loca, quæ non parum vſui eſſe poterant, ſiue ad excludendum, ſiue ad oppugnandum. In inſula, plurimi Gibellinorum, præcipuè ex Germanorum cohortibus ſubmiſſis deſiderati, adeo vt non incruenta illis victoria, & moles Adriani fuerit, ſed multo ſanguine conſtiterit. Sũmotis tum in itinere, tum in vrbe, maiore ex parte impedimentis, cum Legatos Romanos obſidum loco penes ſe Bauarus retinuiſſet, quinta Ianuarij die, Viterbio caſtris motis, tertia poſt die, quæ Iouis erat, Romam hora nona ingreſſus, ab effuſa populi multitudine ingenti cum lætitia exceptus eſt. Multi etiam ex Clero & nobilitate partium Pontificiarum ſtudioſa, illi ſeſe adiunxerunt, iuuandis vel ſeruandis rebus ſuis intenti, cum Ioannem Pontificem, non ſemel miſſis legationibus ad Sedem ſuam reuocantes fruſtra expectaſſent. Quatuor integris diebus in palatio Vaticano Ludouicus hæſit, ſiue quod alicubi inſidias occultatas in vrbe metueret, ſiue quod auxiliares copias, & Legatos à fœderatis ciuitatibus expectaret; qui pompam inaugurationis præſentia ſua exornarent, & contra omnem inſultum præſto eſſent. Die Lunæ, quæ in vndecimam Ianuarij inciderat, ſolemni pompa in Capitolium profectus, concione ad populum facta, propenſionem eorum erga ſe laudauit.

II. IMPERATOR INAVGVRATVR A IACOBO EPISCOPO VENETO.

Aliquis Eremitarum Auguſtinianorum Epiſcopus apoſtata, ſermonem ex ſuggeſtu dixit, Ludouicumque multa panegyri cohoneſtauit, & nomine illius abundè omnia omnibus promiſit. Non tamen principi Clero perſuadere potuit, vt ſacra præſente Bauaro peragerent, aut Eccleſiaſtica myſteria communicarent. Hæc res Ludouicum adeo irritauit, vt compellendos omni iniuria Sacerdotes decreuerit, idque negotij Sarræ columnio iniunxerit. Omnia tamen prius perpeti, illi, quam ante porcos profanos margaritas diuinas proijcere maluerunt, neque vllis aut terroribus, aut ſupplicijs induxerunt, ad ſacrificia offerenda, aut Sacramenta miniſtranda. Quin etiam ſanctas Diuorum reliquias, & inter has imaginem Saluatoris non manu factam, cui Veronicæ, ſeu vultus ſancti nomen eſt, occultarunt. Soli Apoſtatæ, hæretici, & ſchiſmatici, vel gradu propter flagitia moti, nonnulli Epiſcopi, regulares, & Clerici, Bauaro rem diuinam faciebant, & ſacra manibus profanis temerabant. In eo Comitio Ludouicus, Caſtrucium, quem antea Lucenſium & Piſtorenſium, Lunenſiumque ducem appellarat, Comitem Lateranum, Senatorem vrbis, & Imperialis aquilæ vexilliferum dixit, quod in eo tum vno illius ſpes opeſque ſitæ eſſent, nemoque illo vel acumine ingenij, vel conſilij promptitudine validior fuit; quum etiam cæteris eius ætatis ducibus, in omni gerendi belli negotio fortuna felicior haberetur. Duo quoque & quinquaginta viri, à populo delecti, quatuor Principes, Sarram Columnium, Vrſum Vrſinum, Bucium Proceſſum, & Petrum Monte nigrum deſignarunt, quibus inaugurandi Ludouici poteſtatem permiſerunt. Medios inter hos inceſſit, auro & purpura conſpicuus Ludouicus, Præfecto Vrbis & Iuſtitiæ adminiſtro præuijs, agmen ducente totius pompæ Caſtrucio Senatore: antecedentibus Iacobo Sabello, & Tebaldo S. Euſtachiano, cum reliqua nobilitate. A ſanctæ Mariæ maioris baſilica, vſque ad Diui Petri Vaticanam, omnia aulæis & periſtromatibus ornata, ad ſpectaculum incedentis vniuerſos excitauerant. Die Dominico, Diuo Antonio ſacra, Iacobus Epiſcopus Venetus quem Caſtellanum dicebant, Nicolai Cardinalis Pratenſis nepos, vna cum quodam





Epiſcopo ex Fratribus Auguſtinianis, auſi ſunt Ludouicum atque eius coniugem inungere, Sarra autem Columnius diadema vtrique imponere, & Auguſtos renunciare: cum eius inaugurationis, renunciationiſque poteſtas, ad ſolum Romanum Pontificem pertineat. Ad eum modum Ludouicus, per execrationem potius quam conſecrationem renunciatus, vt populum feſtis acclamationibus exultantem, magis ſibi conciliaret, Clerumque ea ſacra execranda exhorrentem attraheret, tres Conſtitutiones, alteram de fide Catholica ſeruanda, alteram de Clericis honorandis, tertiam de viduis & pupillis non violandis promulgauit, mox ſacrificio Miſſæ interfuit, eaque ſolemnitate celebrata, in Capitolium reuerſus, in Capitolina area, epulum exhibuit. Tulit interim Sarra Columnius, inauditæ præſumptionis ſuæ, qua Ludouicum diademate Imperatorio inſignire auſus fuerat, præmium, gentilitio inſigni Columnæ, coronam regiam ſuperpoſitam: vt poſt hoc infandum facinus, omnes Columnij, Columnam diademate regio ſuperimpoſito eminentem in vmbonibus, & in ſcutis præſeferrent: quaſi præclarum fuerit Sarræ ſceleratè feciſſe.

III. GALEAZII ET CASTRVCII TYRANNORVM INFELIX OBITVS.

Ad eum modum Pſeudoimperator, à Pſeudoepiſcopis & prophanis diuulgatus, ad reliqua væſaniæ flagitia properabat, ſibique perpetuum probrum, cum non intermorituris ſupplicijs conciliabat. Inprimis enim Caſtrucium, Sarram Columnium, & Sabellum maximæ auctoritatis viros, per quos ſceptra & imperij reliqua acceperat, nihil æſtimare viſus eſt. Caſtrucius maximis officiorum vinculis familiæ Vicecomitum obligatus, nullam prætermittebat occaſionem, quin Galeacium Ludouico commendaret, oraretque ſupplex, ne diutius Guelphos, præſtantiſſimi viri calamitate lætari pateretur. Cæterum ille, ne inſontibus iniuriam temerè feciſſe videretur, æquo durius reſpondebat: quanquam & Sarræ, & Sabelli Procerum continuæ preces adderentur, & Marcus admiſſi ſceleris pœnitentia adductus, caſtigante atque exorante Caſtrucio, à vetere diri odij inſania diſceſſiſſet, peteretque excuſſis ingenuo pudore lachrymis, vt exutis imperio fratribus ſaltem cum libertate vita redderetur, quæ in eo carcere breuiſſima cenſeri poſſet, niſi ille clementiæ nomine ſatis pœnarum eos pro vetere ſuperbia ex beatiſſimis factos mortalium omnium miſerrimos dediſſe exiſtimaret. Vix atque ægrè tantis deprecatoribus, Ludouicus Galeazium conceſſit, eoſque moroſitate ſua nonnihil offendit, vt Caſtrucius captata occaſione, ex Piſtorienſi vrbe amiſſa, pluſquam libenter, vrbe ad diem Calend. Febr. exceſſerit, ingratumque reliquerit. Ad ſextum Calend. Apriles, ex prædura cuſtodia Galeazius emiſſus, cum ad Caſtrucium liberatorem accurriſſet, exuſtus Auguſti menſis in obſidione Piſtorien. ſolibus, vehementique atque lethali morbo conflictatus, nihil de ſæuo incendio febre remittente, ad Piſciam oppidum, vt commodius opportuna remedia pararentur, lectica delatus, poſt tertium diem morbo abſumptus eſt; infelix, exul, ex magna fortuna ad ſummam calamitatem, propter contemptum numinis, & Pontificiæ maieſtatis delapſus. Nec ipſe quidem Caſtrucius, diu temeritati ſuæ ſuperfuit. Ingruente enim peſtilenti autumno, ex Piſtorienſis belli laboribus accerſita febre, intra vigeſimum diem Galeacij fatum conſecutus eſt, tyranni nomen ex atrocibus factis conſecutus. Non paſſus eſt Deus, vtrumque diurnare, quod in Chriſtum illius, & Eccleſiaſticam poteſtatem manus intuliſſent.

IV.

Caſtrucio Roma diſcedente, præcipiti temeritate Ludouicus, omnia Vrbana miſcere cœpit. Primo ſiquidem Clerum, nobilitatem, & populum vniuerſum exactionibus intolerandis prægrauauit. Deinde militem Germanum, inſolentius ſe gerentem non modo non caſtigauit, verum & tolerando collaudare viſus fuit. Vnde maxima populi vociferatio, deinde turbæ, poſtmodum ſeditio, concurrentibus aduerſus Germanos Romanis. Quarto Nonas Martij tumultu excitato, plurimi Germanorum cæſi: eaque propter poſtmodum aliqui Romanorum tum pecunia, tum capite alij multati frendebant vniuerſi dura ſeruitute oppreſſi, attamen pecuniam poſtulatam numerare coacti, nobiles decem millia, totidem Clerus, totidem populares, nummum aureorum, inſatiabili Ludouico effuderunt: cum vim maiorem, ne ſingulis per ordinem inferretur, metuerent. Quem enim pecunioſum didicerat, occaſionem depilandi aucupabatur, vel etiam ab auaritia doctus inueniebat. Viterbij Syluestro Gatto viro inter ſuos illuſtri, triginta millia aureorum eripuit; oppoſita calumnia, quaſi is vrbem cui præfuerat, Roberto Regi Siciliæ prodere voluiſſet. Richardi tunc Vrſini Cancellarij populus ædes ad Capitolij radicem turritas diruit quaſi is Aſturam gentilitium oppidum Roberti Regis præſidio muniuiſſet. Hinc Romani Bauarum faſtidire, crudelitatis & auaritiæ accuſare, priuatim & publicè probris & maledictis inceſſere; Robertum Regem, & Vrſinos, libertatis Romanæ vindices ſuſpirare; Pontificem ſummum fruſtra deſiderare, & ad extremum coitiones facere cœperunt.

LVDOVICI BAVARI IMPIETAS ET AVARITIA.

V. OMNIBVS LIBERTATEM FACIT CALVMNIANDI IOANNEM PONTIFICEM.

Non neſciuit iſta omnia, Ludouicus. Quamobrē, cum ex deſiderio Ioannis ſummi Pontificis hæc proficiſci perſuaſum habuiſſet, vt eum ex mente ſua facilius irretiret, antequam quicquam aduerſus eum, & contra Robertum Regem & Carolum Ducem Calabriæ decreuiſſet, XVIII. Cal. Maias legem contra hæreticos, fautores, conſiliarios, non reuelantes, atque receptatores eorum ſanxit, pœnaſque grauiſſimas in delinquentes, partes ac læſæ maieſtatis reos promulgauit. Inde quatuor poſt diebus, omnibus qui Ioannem Pontificem oderant, quique cum ſtudio partium diuerſarum ſequebantur comitatus, Imperatorio cultu ſupra gradus Baſilicæ Vaticanæ in throno ſuperius eleuato reſplendens, impoſito omnibus ſilentio, Fratri Nicolao Fabrianenſi Ordinem D. Auguſtini Eremitarum profeſſo, trina vociferatione inquirere & percontari iuſſit; Num aliquis in tanto numero eſſet, qui Iacobum Cadurcenſem (ita væſanus Ioannem ſummum Pontificem ac Chriſti Vicarium per contumeliam nominabat) ſummi Pontificatus vſurpatorem defendere proponeret. Nullo vnquam reſpondente; Abbas aliquis ex Germanis, omnibus cæteris procacior, propoſitis illis verbis ſacræ ſcripturæ, *Hæc eſt dies boni nuntij*, multa in ſummum Pontificem Ioannem dicteria, ſcommata, & maledicta euomuit: deinde ſententiam depoſitionis omnium iniquiſsimam, cuius initium eſt. *Glorioſus Deus, ſublimis dominantium Dominus*, impudentiſsima temeritate, aduerſus eundem Ioannem ſummum Antiſtitem diuulgauit: nec non Robertum Siciliæ Regem vna cum eo inter Patarenos hæreticos prædamnatum, multis cum deriſionibus & contumelijs per calumniam & impoſturas ignibus vtrumque addixit, ſæcularique poteſtati tradidit puniendos. Summa criminationum fuerat, in ſententia comitiorum & maledictorum plena. Aſſerebat Ludouicus, quaſi Ioannem Pontificem, Clerus populuſque Romanus, miſsis Sindicis & literis accuſaret, quod is 1. Romanam Sedem, à Chriſto Principe Paſtorum, maximis Pontificibus Romæ erectam deſereret, neque præcepto Chriſti, neque Petri

ABBATIS CVIVSDAM VARIÆ IN IOANNEM PP. CALVMNIAS.

Principis Apoſtolorum exemplo, de reſidentia Romana ſatisfaceret aut vnquam Auinione Romam reuerti, quanquam ab vniuerſis & ſingulis interpellaretur cogitaret. 2. Pecuniarum aceruos, per impoſitiones ſeu decimationes iniquas non tantum à Clero, verumetiam ab vniuerſo Chriſtiano populo, per ſpeciem belli ſacri extorqueret. 3. Sacra pecunia, non aduerſus Saracenos, ſed aduerſum ipſos Chriſti fideles, recens aduerſus Gibellinos in Italia ſuſcepto bello, abuteretur. 4. Crucem ſanctam, indulgentias & remiſſiones peccatorum, gratias & theſauros ſpirituales, in ſtipendia homicidiorum, ſchiſmatum, & ſacri Romani Imperij rebellionum, tum prædicaret, tum largiretur. 5. Romanos, Mediolanenſes, & reliquos vtroque gladio ob id ſolum perſequerentur, quod Romano Imperio fideles eſſent. 6. Copias à Rege Galliarum & reliquis principibus Chriſtianis, in ſubſidia Regis Armeniorum contra Saracenos miſſa, pars in Romano, pars in Genuenſes, pars in Brandeburgicos ſubmiſerit, vnde tanta occidio, ſtupra, & rerum Deo ſacratarũ violatio, vt Saraceni inter cætera, Crucem Chriſti configentes, improperarent, *Ecce Deus Chriſtianorum*. 7. Preces & gemitus Armeniorum Chriſti fidelium, totis quinque annis auxilia implorantium, tanquam aſpis ſurda non exaudierit, adeoque illos gladijs barbarorum obiecerit. 8. Cathedrales Eccleſias nullo iure, aut merito, iure electionis priuauerit. 9. Beneficiorum Eccleſiaſticorum diſtributionem, præterius & fas, ſibi de facto reſeruet, ſeu vſurpet. 10. Dignitates Eccleſiaſticas perſonis, nec ætate, nec moribus, nec doctrina præſtantibus, ſed prorſus immeritis ac indignis conferat ac concedat. 11. Per Simoniacam prauitatem, beneficia & bona Eccleſiaſtica vendat atque largiatur. 12. Potentia, auxilio & conſilio, noui Ioab Principis militiæ, & noui Abiathar Sacerdotis, ſcil. Roberti Regis Siciliæ, & Vrſini Cardinalis Legati fretus, ſchiſmata peſtifera in Eccleſia Dei ſuſcitat, dum aſtutis ac doloſis vtens inuentionibus, rebellionem in ſacro imperio, contra Imperatorẽ legitimum commouet, & in effuſionem ſanguinis ouium Chriſti ſceleratos armat; & velut ille in Apocal. præſignatus, equo ruſo inſidens, gladioque ancipiti præcinctus, pacem tollit de terra, cruoremq; innocentem miſcet ac bibit, duobus vſus Antichriſti præcurſoribus, Roberto & Neapolione. 13. Patriarchas, Cardinales, Archiepſc. & cæteros Eccleſiæ Prælatos, poteſtate ſua & ſuorum premit, vt ſub iugo ſeruitutis gemant, & voluntati eius in omnibus dictis & factis mancipati, neque verbum munire audeant, aut valeant. 14. Non ad ſeriẽ Euangelicæ veritatis aut Apoſtolicæ raditionis, ſed ad ſuum reprobum (ta reprobus Bauarus pronunciabat) ſenſum, itanquam Magiſter erroris & hæreſiarcha notorius, doctrinam Chriſti & Apoſtolorum verbo, de ſuperioritate ac dominio temporali Imperatorum ſuper omnes traditam ſubuertit, adeoque contra illa verba, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, præuaricator; ac præuaricationem coloratis verbis & ſententijs excuſans, Euangelicæ veritatis & poteſtatis impugnator & ſubuerſor, inter hæreſiarchas cenſetur. 15. Imperialem ſimul cum Sacerdotali poteſtate dignitateque, à Chriſto & Apoſtolis in diuerſa ſuppoſita diſtinctam, confundit, ſibique vſurpat; cum tamen Chriſtus, & fugerit eo tempore, quo turbæ illum voluiſſent facere Regem; & regnum ſuum dixerit, non eſſe de hoc mundo; & recuſauerit ſimul Regia ac Sacerdotali auctoritate præſtare. 16 Ius & adminiſtrationem temporalium, quod ſoli Imperatori, à ſolo Deo immediatè collatum eſt, ſibi arrogat, temereque Vicarios Imperij inſtituit. 17 Præter officium & æquitatem, Romanos & Rom. imperio fideles, proceſſibus infamat, anathemate percellit, ſacrorum iuſtitio affligit: ac nonniſi impudenter & cognitionem ſibi de electione Imperatoris, & auctoritatem in confirmatione aut reprobatione electi, & poteſtatem in diſſoluendis iuramentis fidelitatis, ac reliquis in proceſsibus contra Bauarum expreſsis attribuit. 18. De paupertate Chriſti & Apoſtolorum, non ex ſenſu Catholico definitionem euulgauit, ſed inter hæreticos notórios, propter eam opinionem ſe reiecit, adeoque ſe ipſum is ipſe lapſus Põtificatu, Maximo priuũ fecit.

VI. LVDOVICVS BAVARVS DEPOSITIONIS SENTENTIAM FERT IN IOANNEM PP.

Hæc ſumma calumniarum capita, cum verbis contumelioſis, per ſummam impudentiam Ludouicus Bauarus aduerſus Ioannem ſummum Pontificem commemoraſſet, exemplo Othonis I. ſibi propoſito, ſententiam depoſitionis in eundem pronũciauit, omniſque Eccleſiaſtici ordinis prærogatiua ac beneficio Eccleſiaſtico ſpoliauit, ſæcularis poteſtatis miniſtris & iuſtitiarijs, velut criminis maieſtatis ac hæreſis reus conuictuſque eſſet puniendum dedit: eius complices, Legatos officiales, miniſtros, Principes, communitates, Collegia ac ſingulares perſonas ei adhærentes, conſilium, fauorem, adiutoriumque illi exhibentes, publicatione bonorum, & capitis pœna damnauit; Pontificemque Max. ſe breui tempore Eccleſiæ Catholicæ daturum, Sole ad impudentem viri temeritatem impietatemque erubeſcente, pollicitus eſt, Romæ, in theatro ac ſolio impudentiæ, in area Vaticana erecto. Sanxit deinde nonnulla ſcita. 1. Rom. Pontifex, Romæ, neque alicubi ſedere; neque Roma, vltra duas dietas, ſine Imperatoris, aut populi Rom. permiſſu excedere ei liceret: Abſens, tertio vocatus, ſi non veniret, aut non reuerteretur, Pontificatu excideret. 2. Hæretici, pœna maieſtatis violatæ debita punirentur. His pronunciatis, datus in reprobum ſenſum Ludouicus, grauiora deinde auſus eſt. Enimuero ad XII. diem Maij, quo Aſcenſionis Dominicæ ſacrum anniuerſárium celebratur, conuocato in area Vaticana vniuerſo populo, medius inter apoſtatas hæreticos & ſchiſmaticos, dignitatis ac religionis deſertores damnatos, in throno eminentiore conſpicuus, paludamento aureo indutus, diadema in capite, ſceptrum in manu geſtans, gladio accinctus, ſcelus quo nullum tunc grauius, in Eccleſiam vniuerſam admiſit, cum viuente Ioanne XXII. legitimo Catholicæ Eccleſiæ Pontifice; allum Sedi Apoſtolicæ imponere præſumpſit. Facinus ad iſtum modum perpetrauit. Inprimis Fratrem Petrum vico Corbario natum, gente Aprutinum, profeſſione Minoritanũ, qui olim ſæcularis, legitimam coniugem, necquicquam Epiſcopo diuortij libellum concedente, & illa palam reclamante deſeruerat, & eadem vxore cõtradicente, religioni Diui Franciſci contra Sanctiones Eccleſiaſticas ſeſe addixerat, magna pompa adductum, è ſolio aſſurgens veneratus, aliquantulum infra ſe collocauit. Deinde fratrem Nicolaũ Fabrianenſem Eremitanum Auguſtinianum, verba ad populũ habere iuſſit. Is porro propoſito illo themate ex Actis Apoſtolicis: *Reuerſus Petrus ad ſe dixit: Nũc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelũ ſuũ, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorũ.* Bauarũ quidem nomine Angeli dignatus eſt; Ioannem autem Pontificem, vocabulo Herodis; Cardinales vero Patriarchas, Archiepiſcopos & reliquos Prælatos, Clerum, ac Religioſos, Ioanni vnico Chriſti Vicario adhærentes, plebis Iudaicæ titulo irridens, quamplurima indigna, erroneaque, damnatus hæreticus euomuit. Concione blaſphemijs finita, Epiſcopus Venetus, è loco eminentiore promiſcuam plebem; Num Fratrem Petrum Corbarium, pro vero & legitimo Romanæ Eccleſiæ Pontifice agnoſcere vellent, ſemel, ac iterum, & tertio interrogauit. Plebs autem pro nouitate rei conſternata, cum atrociſsima

omnia



omnia à circumſtante milite ac primaria nobilitate metueret, confuſis vocibus affirmauit. Ibi prophanus Ludouicus, deſignationem prophanam, electionis canonicæ vocabulo exornans, in libellum publicum eam acclamationem redactam, ex ſcripto recitari imperauit; dumque ab Epiſcopo Veneto publicaretur, ipſe erectus ſtetit. Publicato proclamationis decreto, Petrum Corbarienſem Nicolai Quinti nomine ſalutauit, annulum digito illius ipſe impoſuit, mox purpuram ei manibus proprijs iniecit, & ad dexteram in ſolio collocatum, poſtea in Baſilicam Diui Petri introduxit. Vbi is Pſeudopontifex ſacris temerè contrectatis, omnia Pontificia munera vſurpauit, & tum Pſeudoimperatori, tum erranti populo imprecatus eſt. Ad iſtud execrandum facinus, non tantum Romanorum, verumetiam Germanorum, & præcipue Belgarum optimi exhorruere; quod certo certius ſcirent, Ludouicum contra Fidem Catholicam, & contra Eccleſiaſticam vnitatem, abominandæ deſolationis idolum in Templo Dominico ſtatuiſſe, & dirisſimo ſchiſmate Eccleſiam vniuerſam diuiſiſſe, eoque vehementius offendebantur, quod eam perfectionis ſummam, quam F. Petrus Corbarius voce prædicabat, neque in eo, neque in eius ſectarijs aſpicerent. Poſtquam enim is cathedram abominationis conſcendiſſet, & ſeptem ex ſuis Cardinalium honore præeminere voluiſſet, præter ſententiam de paupertate Chriſti profeſſam, tum ipſe, tum reliqui impietatis ſocij, pecuniam tractare, menſa opipara frui, auro & argento, purpura & byſſo fulgere, non aſello ſed equis auro inſtratis inſidere, non pannoſos ſed cultos ornatoſque ſecum ducere: neque gratis dare, ſed pecunijs diplomata falſa, beneficiaque diuendere voluerit. Inter Pſeudocardinales quos Corbarius nuncupauit, primas obtinuit Iacobus Pratenſis Epiſcopus Venetus, ea dignitate ab Ioanne Pontifice propter flagitia exutus, alter erat Abbas S. Ambroſij Mediolanenſ. propter crimen hæreſis, à Legato Apoſtolicæ Sedis, diris deuotus. Tertius Abbas Germanus, qui iniquitatis decretum contra Pontificem pronunciauit. Quartus F. Nicolaus Fabrianen. Eremita, quia aduerſus eundem ſummum Pontifex ſuggeſtu deblaterauit. His Epiſcopum Mutinæ, & Petrum Oringhium, ac Ioannem Arlotum populares Romanos per varia facinora infames adiunxit: cum nemo alius Romanorum, per conſcientiam, à pſeudopontifice quicquam ſuſcipere voluiſſet.

PETRVS CORBARIVS PSEVDOPONTIFEX 7. CARDINALES EX SCHISMATICIS ELIGIT.

XI. LVDOVICVS A PSEVDOPONTIFICE IMPERATOR RENVNCIATVR.

Iſto ſcelere grauiſsimo Ludouicus perpetrato, Tibur ſeceſſit, vt pompam ſolemnem ſuæ inaugurationis inſtauraret; quod non deeſſent, qui non Imperatorem eum eſſe pronunciarent, quod inſignia Imperij, non de manu ſummi Pontificis, ſed Veneti Epiſcopi recepiſſet. In peruigilio ſolemnitatis Pentecoſtes, Romam reuerſus, apud S. Laurentium in agro Verrano diuertit. Die ſubſequente, aduſque Lateranam Baſilicam, Pſeudopontifex vna cum ſuis, Pontificalem Sacerdotalemque cultum indutis, venienti illi obuiam proceſſit, atque in Diui Petri deduxit. Vbi Ludouicus inprimis, purpureum pileum Antipapæ impoſuit: Is vero diademate aureo caput Ludouici inſigniuit, & pſeudò imperatorem tum renunciauit, tum approbauit. Interim, Ludouicus quidem, contra Robertum Siciliæ Regem & Florentinos, ac reliquos Pontificios, Henrici VII. Imperatoris ſententiam à Sede Apoſtolica improbatam innouauit, Corbarius vero Picentibus Marchionem, Spoletanis & Vmbris Ducem, Flaminijs & Campanis Comites, ac nonnullis vrbibus Romanæ Eccleſiæ vectigalibus Legatos præfecit, nec non aduerſus Ioannem Pontificem decretum iniquitatis promulgauit, cuius initium eſt, *Diuinæ & humanæ legis inſtituta &c.* Datum apud ſanctam Mariam de Ara cœli VI. Calend. Iun. Prohibebat ne amplius Ioannem Pontificem, ſed Iacobum tantum à Cadurco denominarent, neue illum pro Pontifice haberent, aut illi in aliquo obtemperarent. Qui ſecus feciſſent, vel aſſumptionem ſuam illegitimam dicere auderent, eos anathemate notabat, & inter hæreticos deputabat. Qui etiam ſibi ex Clero non adhærerent, eos beneficijs, & dignitatibus exuebat. Ex Canonicis Baſilicarum Vrbanarum, Vicarium Baſilicæ Sancti Petri loco mouit, eique Ioannem Baractam Romanum ſubſtituit. Iacobum quoque Guidonis Pandulphium, Franciſco Peſculo, Canonica cedere imperauit, necnon Hominem Dei de Papazutris Lateranenſi Canonica ſpoliauit, eamque Theobaldo de Annibaldis dedit. *V. Cal. Iunij.*

XII. ROMANI LVDOVICVM BAVARVM CVM SVIS VRBE EXPELLVNT.

Non potuerunt amplius ferre Romanorum primi, eam Ludouici & Petri temeritatem, quin vindicias cogitarent. Itaque cum Roberti maritimas copias, ad XIII. diem Maij, Oſtiam Tiberinam intercepiſſe, & alias terreſtres ab Aquila & Latio Romanis finibus iam imminere intellexiſſent, à Bertoldo Vrſino duce animoſiores facti, ad ſeditionem, & ad arma ſpirantes, tantum metus Bauaro incuſſerunt, vt is fugientis in modum Roma propere exceſſerit, & Veletras conceſſerit, Raynerio Hugucionis Facciolani filio, Senatore vrbis relicto, & nonnullis alijs Præfectis Romæ cum præſidio impoſitis. Tanto vero ocyus Ludouicus vrbem refugiebat, cum ab Oſtia vſque ad baſilicam Diui Pauli viæ Oſtenſi imminentem, omnia fumare, & iam aduerſarias cohortes Vrbana mœnia aſcendere vidiſſet, plurimoſque ex ſuarum partium militibus partim cæſos, partim ſecedentes agnouiſſet. Namque Gibellinorum ſtudia, magna iam ex parte refrixerant, tum quod extrema pecuniæ inopia circumuentus intolerandis exactionibus vniuerſos emunxiſſet: tum quod Sylueſtrum Chattum Viterbij partium principem indigne torſiſſet, vt eius pecunijs, quæ ingentes eſſe dicebantur, ſumma cum iniuria potiretur: tum quod adeo contumelioſe in Vicarium Chriſti, quem paulo ante in vrbem euocabant, ſe geſſiſſet, Eccleſiamque ſponſam Chriſti à ſuo capite diuiſiſſet, & oues Chriſti, lupo ſæuienti commiſiſſet. Exercitus autem Roberti & Vrſinorũ, nihil eorum prætermittebat, quæ ad dignitatem Romani Pontificis, & ad vnitatem Eccleſiæ Catholicæ tuendam ſeruandamque videbantur. Eo vero ardentius ad hoſtem perſequendũ ferebantur, quod ſub ipſum fere aduentum in Vrbem, Raynerius, alterum Thuſcum, alterum Lombardum flammis addixiſſet, qui Petrum quidem antipapam, Ioannem vero legitimum Eccleſiæ Romanæ Pontificem affirmarant. Veletras Ludouicus exceſſerat, ſpecie, quaſi in Regnum Neapolitanum ſummam belli aduerſum Robertum transferre decerneret: reuera autem vt eius copias vrbi vndequaque imminentes auerteret, & quia ſibi à Romanis conſpirantibus vehemẽter metueret. Inter hæc, Roberti milites Bertoldo Vrſino Duce, Præfectos Vrbi à Bauaro Roma expulerunt: Spoletani, ad IV. Iunij, CCCC, equites & M.D pedites Bauarianos, apud Narniam profligarũt; & pars trucidarunt, pars interceperunt: Anagniam, Caroli Ducis Calabriæ Phalanges, ducibus Principe Achaiæ & Comite Nouello, ineunte Iulio, Bauarianis eripuerunt: Ariminenſes & Fauentini Pontificij, plurimos Gibellinorum occiderunt, & vrbem Ioanni Pontifici conſeruarunt: alibi alij permulti, à Bauaro ſeceſſerunt, & Ioanni Pontifici ſeſe permiſerunt.

XIII. IACOBI COLVMNII LAVDABILE FACTVM ADVERSVS LVDOVICVM BAVARVM PRO IOANNE PP.

Ad Quartum diem Auguſti Ludouicus Bauarus, & Petrus Corbarius, Roma exceſſerunt, cum antea ad 22. diem Aprilis: quo Ludouicus ſententiam depoſitionis in Ioannem Pontificem pronunciauerat,

Iaco-

Iacobus Columnius Stephani Columnæ filius, Corbario derelicto, Zelo Fidei Catholicæ inflammatus, facinus ſempiterna memoria longe digniſſimum, pro Ioanne Summo Pontifice, & Romana Eccleſia felicibus auſpicijs peregerit. Vix enim Ludouicus Bauarus, ſententiam omnium iniquiſſimam, in Pontificem Ioannem pronunciauerat, cum ille in area Baſilicæ Diui Marcelli, pluſquam mille viris ciuibus Romanis congregatis, ſententiam à Ioanne Summo Pontifice, in Ludouicum Bauarum, & complices, Auinioni publicatam, Romæ quoque publice legi imperauit, atque perlectam illico oſtijs Baſilicæ affixit. Inſuper impoſturas Ludouici aperte retexit, Procuratorumque ſeu ſindicorum, (quémadmodum in ſuo edicto Ludouicus mentiebatur) Cleri & populi Romani nomina, impoſtorum fuiſſe demonſtrauit; neque Lateranenſem, neque S. Mariæ Maioris, neque D. Petri principem Clerum, neque Prædicatorum, aut Minorum, aut aliorum Cœnobiorum Prælatos, aut collegia, neque viros ex nobilitate & ciuibus Principes, quemquam ad Ludouicum miſiſſe, aut aduerſus Ioannem Pontificem aliquid querelatum depoſuiſſe, vel quicquam ex calumnijs illi impoſitis de eo ſciuiſſe, aut Sedem Romanam quoquomodo vacare cenſuiſſe, vel Ludouicum ad ſuccurrendum rebus, ad prouidendum Eccleſiæ de Pontifice euocaſſe, tam conſtanter, quam ex veritate oſtendit. Præterea Clericos gradu motos, & regulares irregulares, & aduerſariæ factionis paucos factioſos, hæreſeos & ſchiſmatis, necnon aliorum facinorum occaſione damnatos, & anathemate percuſſos, neque Procuratores, neque Sindicos inſtituere, neque Legationem aliquam mittere, neque quicquam titulo aut nomine Principis Cleri & populi Rom. aut potuiſſe, aut poſſe facere; & ex conſequenti falſa Ludouicum aſſerere, & Ioan. XXII. Pontificem, verum Chriſti Vicarium, ac Petri ſucceſſorem, legitime à legitimis Cardinalibus electum, impoſturarum innoxium & fore, & fuiſſe, & eſſe, Principis Cleri, ac populi Romani nomine, non tantum affirmauit, ſed etiam gladio exerto, ad ſingulare certamen, quoſcunque contrariam ſententiam Ludouici amplectentes euocauit: ac Ludouicum Bauarum, neque Regem, neque Imperatorem Romanorum, ſed hæreticum & Schiſmaticum eſſe, Senatoremque, ac Quinquaginta duos viros, nec non reliquos illi adhærentes, conſiliarios, fautores, auxiliarioſque, à communione Eccleſiæ Catholicæ præciſos denunciauit; vir ſempiterna laude digniſſimus. Abeuntem Roma illum, Ludouicus veredarijs ſubmiſſis comprehendere curauit; verum is publicato edicto, diſpoſitis equis Præneſtem ſe recepit, & vanam iram tyranni deriſit.

XIV. Ludouicus Roma fugiens maledictis a Romanis appetitur.

Quo die Ludouicus per ſpeciem venationis, fugienti ſimilis vrbe excesſit, abeuntem populus diris ac maledictis appetijt, & pro acclamationibus feſtiuis. *Viuat Eccleſia, moriatur Ludouicus, intereat Petrus Antipapa, vterque hæreticus, & anathemate damnatus occidatur*, conclamauit: deinde lutum & lapides in reliquos illius diſcedentes coniecit multoſque ex eis vulnerauit, & interfecit. Poſtmodum nocturno tempore perambulantes milites, vociferabantur interrogantes, *Quis viuat?* ac ſi quem reſpondentem *Ludouicus*, aut *Bauarus*, comperiſſent, ſtatim vel in Tiberim demergebant, vel gladio trucidabant. Iam enim ipſa nocte fugam Ludouici antecedente, Bertoldus Vrſinus Legati Neapoleonis nepos, vrbem milite compleuerat; & ſummo diluculo Stephanus Columnius cum ſuis quoque aduolarat; vt actum procul dubio fuiſſet de Bauaro, niſi præpropere ſeſe ſubduxiſſet. Hi duo Principes Præfectura vrbis ſuſcepta, cum ad VIII. Auguſti diem, Legatus quoque Cardinalis adfuiſſet, pacem vrbi reſtituerunt, & comitio in area Capitolina indicto, aduerſus Ludouicum, Petrum & ſocios eorum, diris Pontificijs promulgatis, edicta, priuilegia, & inſtrumenta publica vtriuſque igne publico exuſſerunt. Porro tantus fuit ardor vniuerſi populi, contra Bauarianos, vt ſi quem ante hos dies defunctum fuiſſe didiciſſent, etiam pueri ad ſepulturam concurrerent, & exhumatum cadauer vnco aut equis raptarent, ac denique in præterfluentem Tyberim proijcerent. Furenti plebi, Sacra Columnius, & Iacobus Sabellius cum reliquis anteſignanis, vix fuga ſe eripuerunt; interim bona eorum in prædam diripientibus ceſſerunt, palatia ſingulorum ignibus à populo iniectis arſerunt, ac demum vſque ad fundamenta diruta iacuerunt. Vigeſima tertia Auguſti die, octingenti equiteſque, & longe plures pedites, à Roberto Rege Vrſinis ſubmiſſi, vrbem magis ſecuram, & Sedi Apoſtolicæ obſequentem reddiderunt.

XV. Eius rapinae et praedationes.

Cæterum Ludouicus Bauarus, quaſi in terra hoſtili eſſet, quacunque exercitum trahebat, ferro & igni cuncta fœdabat: ac dubio procul maiora tentaſſet, nec tantum vrbem, verumetiam vniuerſam Italiam ſibi ſubieciſſet, ſi Petrus Rex Trinacriæ, ac Genuenſes Gibellini, tempeſtiue claſſem adduxiſſent, neque vllo operæ pretio facto poſt contentiones cum Bauaro intercedentes eandem ſed magno damno Piſa diſcedentes reduxiſſent. Ex octuaginta quatuor triremibus, nonniſi quatuor Meſſanam Petrus reuexit; reliquis & alijs nauigijs tempeſtate exorta pars demerſis, pars diſperſis. Germani quoque Saxones & Chatti validiſsima pars exercitus, conſternati propter anathemata animis, & ſtipendia debita flagitantes, à Vindelicis & Sueuis ſeceſſerant, cum quibus antea apud Velitras cruenta ſeditione contenderant, & tum forte renouato odio ſpretoque Ludouici imperio, Piſanorum & Lucenſium agros impune prædabantur: eoque terroris & fœdæ calamitatis circumiectam regionem adduxerant, vt incolæ incendiorum metu, commeatum, veſtem & caſtrenſia inſtrumenta conferre cogerentur. Itaque timebat Ludouicus, ne ea manus quæ octingentis armatis equitibus conſtabat, vtpote quæ nullo pudore defeciſſet, tanquam plane venalis ad Florentinos opima ſtipendia pollicentes deficeret. Miſerat quidem ille Mediolanum, conquirendæ pecuniæ gratia, Conradum Porcarium, rapaci ingenio togatum militem, vt Saxones mercaretur. Cæterum cum is fidei pudorique, pecuniæ lucrum ante ponens, accepta quarta parte ab Actio Vicecomite promiſſæ totius pecuniæ, in Germaniam perfugere, quam ad Bauarũ reuerti maluiſſet, eius potiundæ illum ſpe deiecit: & Saxones vehementius irritauit, Tudertinis, Piſanis & Lucenſibus graue auri pondus imperauit; plurimos Pontificiorum in vincula abductos, pretio ſe redimentes cuſtodia eduxit; Caſtrucij vxori pretioſa mundi muliebris ornamenta eripuit, eiuſdem Caſtrucij veteris amici filios Piſarum dominatu ſpoliatos, Luca extruſit, & Franciſco Interminello, accepta ab eo grandi pecunia, vrbis principatum adiudicauit: atque plurimos neceſſariorum eapropter à ſe alienauit; præſertim cum iterum ad XIII. diem Nouembris, Piſis, Comitio populari indicto, tum Fratrem Michaelem Cæſenatem, multa ex ſuggeſtu aduerſus Ioannem ſummum Pontificem indigna vomentem audiuiſſet; tum ipſe ſententiam blaſphemijs & hæreſibus refertam, contra eundem propalam recitari iuſſiſſet: tum Antipapam officium Pontificium temerè vſurpantem, & plurima horrenda execrabiliaque in Ioannem patrantem toleraſſet. Auſus fuerat Corbarius, habito ſuæ ſectæ conciliabulo, aliquos Pſeudocardinales creare Ioannem XXII. hæreſiarcham renun-

ciare,



ciare, eundem diris iterum deuouere, imaginemq; illius igne comburere.

Marsilii Patavini et Passarini interitus.

Marſilius Patauinus ſcelerum incentor, furijs infernalibus correptus, apud Montem altum, in itinere, ad medios dies Septembris, in peruicaci obſtinatione iã abierat, ſempiterna infamia digniſſimus. Paulo ante, ſcilicet die XIV. Auguſti, Paſſarinus quoque Bonacoſſa Mantuanorum tyrannus. à Ludouico Gonzaga ciue Mantuano cæſus occubuerat: cum tumultu, ex compoſito aduerſus eundem excitato, populus vociferaretur, *Viuat populus, moriatur Paſſarinus.* Tunc enim temporis Ludouicus, in platea publica Paſſarinum inermem, & ab omnibus derelictum, gladio percuſſit, eiuſque filium atque nepotem, Franciſci Mirandulani Principis filio interimendos dedit, cum Paſſarinus antea patrem illorum dolo malo occidiſſet. Ad eum modum Deus, triumphauit de inimicis, per inimicos eorum ipſorum.

XVI. Ioannes Pp. ſcribit monitorias ad Christi fideles.

In his rerum perturbationibus, Ioannes ſummus Pontifex cum orationes & ſacrificia, præſentiſſimũ in omnibus calamitatibus remedium eſſe ſciret, ad omnes motus ſedandos, has quas ſubiungo monitorias ad vniuerſos Chriſti fideles, hoc anno dedit. Ita habent ext. tit. de celebratione Miſſarum.

*Diſcipulorum Chriſti geſta nos inſtruunt, vt in pelago huius mundi procella ſurgente, ad diuinum confugium recurrere debeamus. Illi quidem commotione maris adeo grandi facta, vt fluctus in nauiculam, quam Ieſum ſequentes intrauerunt, operirent, Chriſtum dormientem vocibus excitarunt ſupplicibus, & aduerſus ingruentes tempeſtatis impetus, ab eo ſalutis præſidium poſtularunt. Cum itaque Catholicam Eccleſiam, quæ congregationem fidelium comprehendit. videamus (quod dolentes referimus) pacis æmuli, zizaniorumq; ſatoris malitia procurante, diſcordiam flatibus concitatam, earumq; fluctus adeo eleuatos, quod quaſi operiant ipſam totam, hæreticos inſuper Eccleſiam ipſam cernamus, & ſchiſmaticos impugnare ferociter, ac vt inconſutilem Domini tunicam ſcindant, multipliciter laborare; cum Fratribus noſtris deliberatione præhabita diligenti, expediens, imo neceſſarium potius æſtimamus, vt ad illum qui ad dexteram Patris reſidet in excelſis, qui caput eſt congregationis eiuſdem, cuique poteſtas omnis tam in cœlo, quam in terra noſcitur tradita, eique venti & maria obſecundant, leuemus cum manibus corda noſtra; ipſumq; deuotis pulſantes precibus, apud eum ſedulis orationibus inſiſtamus, vt inſurgentes præmiſſæ fremitus tempeſtatis, quæ quaſi vniuerſorum Chriſticolarum regna concutit, ſubditos contra dominos violato fœdere erigit, hæreticis, & ſchiſmaticis, ac rebellibus Eccleſiæ Dei inſurgendi contra ipſam, eiuſque iura vſurpandi infamia damnabili auſum pandit; flatus ceſſare, fluctuſq; prædictos quieſcere ſua faciat omnipotenti virtute: cordaq; hæreticorum, ſchiſmaticorum, aliorumq; rebellium ad Dei Eccleſiæ vnitatem ac deuotionem inclinet & habilitet; vel forſan, cum præmiſſis pertinaciter intendant perſiſtere ipſorum elidat ſuperbiam, eorumq; obſtinatam malitiam ſuæ virtute dexteræ conterat & proſternat: corda quoque ſubditorum ad eorum ſuperiores, & eorum ſuperiorum conuertat ad ſubditos, ipſoſq; diſſidentes in concordiæ veritate conciliet, & confirmet; ſicq; det ipſis ſuperioribus præſidere, quod ſit regnent, vt dirigantur, eorumq; regimen cedat ſubditis ad ſalutem perpetuam, quietem & pacem; nobiſque ipſe cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur; modos & vias aperiat, per quos hoc quod in votis gerimus efficaciter promouere poſſimus.*

*Et quia in Miſſarum ſolemnijs ad Deum conſueuerunt preces effundi deuotius, de eorundem Fratrum conſilio ordinamus, quod in ſingulis Miſſarum celebrationibus, poſt dictum à celebrante, Pater noſter, reſponſioneq; ſecuta, antequam in Miſſa vlterius procedatur, illud Canticum: Lætatus ſum in ijs quæ dicta ſunt mihi, totum cum Gloria Patri, à religioſis Clericis, & alijs literatis præſentibus cum deuotione dicatur. Et primo dicantur Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon, Pater noſter; & poſt, iſti verſiculi ſubſequantur: Domine ſaluos fac Reges; & exaudi nos in die qua inuocauerimus te. Saluum fac populum tuum Domine; & benedic hæreditati tuæ. Fiat pax in virtute tua; & abundantia in turribus tuis. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum, & cum Spiritu tuo.*

Collecta.

*Eccleſiæ tuæ quæſumus Domine preces placatus admitte, vt deſtructis aduerſitatibus & erroribus vniuerſis, ſecura tibi ſeruat libertate. Per Dominum noſtrum.*

*Hoſtium noſtrorum quæſumus Domine elide ſuperbiam; eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.*

*Benedicat celebrans conſequenter.*

*Nos autem Chriſti fideles ad exequendum ſupra dicta promptius donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, tam his celebrantibus, quam ipſis aſſiſtentibus obſeruantibus ſupradicto, quam ijs preces tunc deuotas Deo fundentibus, pro præmiſſis diebus, & miſſis ſingulis quibus hæc fecerint XX. dies de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, de iniunctis ſibi pœnitentijs relaxamus.* Nulli ergo, &c. Datum XII. Calend. Iulij, anno XII.

XVII. Rebelles in Sedem Apostolicam divinitus puniti anathemate quoque feriuntur a Ioanne Pp.

Has orationes publicas, pro neceſſitatibus Eccleſiæ, & Reipublicæ Chriſtianæ Ioannes ſummos indixerat: cum longe ante Cardinalis Vrſinus Apoſtolicæ Sedis Legatus & in vniuerſa Etruria & in ditionibus Romanæ Eccleſiæ, & præcipue Florentiæ triduo ante feſtiuitatem Epiphaniarum, proceſſionibus vniuerſo Clero ac populo præſcriptis, auxilium Diuinum contra Bauarum & reliquos hoſtes Eccleſiæ imploraſſet. Secutæ ſunt propter eas ſupplicationes inprimis mortes virorum inſignium partiariorum Ludouici imperatoris: factæ deinde cædes memorandæ, & ſeceſſiones exercitus hoſtilis, cum turpi fuga eiuſdem Bauari: præter quod Fridericus & Petrus Reges Trinacriæ, tum non tempeſtiue claſſem in ſubſidia Ludouici adduxiſſent, tum diſcordia inter Siculos & Germanum exorta nimis præpropere eandem abduxiſſent, & abductam, per ſæuæ tempeſtatis procellas diſperſam vel demerſam amiſiſſent. Præter auxilia cœlitus impetrata, non defuit Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ Ioannes, ſed bello ſacro contra hoſtes Eccleſiæ indictæ, & pridie Calendas Aprilis, & ferijs Quatuor Temporum menſis Decembris, Ludouicum Bauarum, Petrum Sacconem, Caſtrucium Lucenſem, Bonacoſſum Paſſarinum, Vicecomites pleroſque, Marſilium Patauinum, Ioannem Iandunum, Guillelmum Ochamum, *Michaelem Cæſenatem* Generalem Ordinis Minorum, ac nonnullos alios complices Ludouici, gladio Eccleſiaſticæ diſciplinæ, à communione piorum præcidit, dignitatibus omnibus atque honoribus exuit, & poteſtatem omnibus eos capiendi fecit. Dantes Florentinus, poeta noti nominis, cum opuſculum de Monarchia ſcripſiſſet, Imperiumque ab Eccleſia minime dependere affirmaſſet, eius rei gratia tanquam hæreticus poſt mortem damnatus eſt, cum aliorum, tum Bartoli iuriſperiti ſententia, ſuper lege prima ff. de inquirendis reis. Præterea, Decreta Capituli Generalis à Michaele Cæſenate & ſocijs Peruſij, de paupertate Chriſti, necnon Marſilij Patauini librũ, cui titulus, *Defenſor pacis*, ac pleroſque alios damnatæ lectionis libellos, à Bauarianis & Fratricellis maleſcriptos, vna cum decretis, & Conſtitutionibus Ludouici Bauari & Petri Corbarij igni addixit.

Inſu-

MICHAELEM CAESENATEM GENERALEM ORD. FF. MINORVM ABDICAT.

Inſuper Conſtitutionem, quæ incipit, *In agro Dominico*, propter ſingularia à dubia, ſuſpecta & temeraria, quæ Begardi & Beguinæ prædicabant & ſtrictiſsime obſeruabant, edidit. Præterea Michaelem Cæſenatem ſupremo Ordinis Magiſtratu Ioannes Pontifex, ex conſilio Fratrum Minorum abdicauit; quod is Auinionem ad cauſam hæreſis dicendam, euocatus, monentem Pontificem contempſiſſet, verbis contumeliæ plenis aſperſiſſet, palinodiam cantare recuſaſſet, & ad extremum appellatione ante ſententiam interpoſita, clam Auinione profugus, Piſas ad Ludouicum Bauarum ſeſe contuliſſet, & tam illi quam Petro Corbario antipapæ auctor fuiſſet, tam abominandæ in Eccleſia vniuerſali ſciſſuræ; ac ad extremum conuerſus in vaniloquium, nec intelligens quæ loquebatur, neque de quibus affirmaret, in eam prorupiſſet inſaniam, vt ſummum Pontificem non iam Ioannem, ſed Iacobum de Cadurco, neque Antiſtitem ſed presbyterum, neque Catholicæ Eccleſiæ ac Fidei orthodoxæ Præſulem, ſed hæreticum, maieſtatis diuinæ & imperatoriæ reum impudenter aſſereret, Conſtitutiones Pontificias impugnaret, libelloſque continentes impugnationes prædictas; ad diuerſas mundi partes & ſtudia deſtinaret, & ipſos affigi in portis Eccleſiarum, & locis alijs temeritate pœnis digna attentaret. Per huius hæreſiarchæ damnatam memoriam, cum Religio Diui Franciſci legitimum Præſidem Generalem nullum haberet, curam illius vniuerſæ, Bertrando Cardinali Legato, datis III. Calend. Maij Pontif. anno XII. literis Ioannes commiſit, Vicariumque ei Ordini præfecit, quo monente, Patres Minores, ad Comitium Generale Bononiæ congregati, eundem Michaelem hæreſis, temeritatis, & aliorum criminum nomine conuictum, abſentem quaſi præſentem, Præfectura Generali totius ſui Ordinis indignum iudicarunt, & communibus calculis reprobatum, condemnarunt. *Ioann. Villani lib. 10. vſque ad cap. 110. Iouius in Galeazio & Actio Vicecomitibus. MS. Bibl. Vatic. num. 4008. hiſt. de rebus Siculis MS. Vatican. Richardus Gluniacenſ. in Ioanne 22. Laurentius Bonincontr. in annalibus Mutius hiſt. Germ. lib. 24. Regeſtr. Ioann. 22. huius anni, & alij.*

*Paul. Lang. in Chron. Citizen. Antonin. 3. p. tit. 21. Henric. Reabo. in Annal. Annales Boiorum lib. 3.*

XVIII. OLDRADI IC. DE PETRO CORBARIO ET LVDOVICO BAVARO IVDICIVM.

Oldradus, huius temporis doctiſsimus Iuriſperitorum à Pontifice interrogatus quid cenſeret faciendum, de Ludouico Bauaro, & Petro Corbario Antipapa, hæc reſpondit. *Conſil. 65.*

De hoc breuiter me expedio, quia nequitia & malitia iſtorum ita eſt nota, quod non indiget magna exageratione, ſed magna vindicta 74. diſt. Vbi & iſte maledictus intruſus, non ſolum eſt puniendus pœna canonica, ſed ciuili, & ideo dicit textus, quod debet anathematizari, & humano auxilio Apoſtolica Sede depelli. 79. diſt. Si quis pecuniam. & ibi gloſ. Et merito, quia ex iſto facto multa grauiſſima crimina incurrit, & de omnibus puniri poteſt C. de accu. l. qui de crimine. & l. ſi quis homicidij Ipſe ſanctiſsimam, fidem Petri vobis viuente, & legitime eam poſſidente, propria temeritate, cum potentia illius hæretici auſus eſt maculare, & ideo tanquam excommunicatus, & præciſus, eſt à communione Eccleſiæ repellendus, vt cum Datan & Abiron ſuam recipiat portionem, extra de elect. licet de conceſſ. præbend. c. 1. Iniuriam enim fecit Cathedræ indigne ſedẽdo in ea. 40. diſt. Multi, imo tanquam infamis & adulter eſt ab omnibus honorib. repellendus 1. q. 2. Audiuimus. 7. q. 2. Sicut. Fur enim eſt & latro, quia non intrat per oſtium. 11. q. 1. Non furem, & c. tres perſonas 23. q. 4. Item eſt apoſtata. & dicit text. quod non amplius Apoſtolicus nuncupetur. in ca. allegato. Si quis pecuniam. 79. diſt. c. 1. & eſt ſchiſmaticus, quia vnitatem Eccleſiæ diuidere nititur. 24. q. 1. ſchiſmati. & c. aduocauit. De falſitate eius etiam conſtat, cum falſum nomen ſibi aſſumpſerit, & falſis inſignijs vſus ſit. ff. ad l. Cor. de fal. & l. eos §. qui. Quid plura? Proditor eſt & Antichriſtus, & ideo tanquam inuaſor & perſecutor Chriſtianitatis eſt repellendus. 23. diſt. in nomine Domini, ex quo c. poteſt formari proceſſus contra illos miſeros ſuos Cardinales, quos credo eadem pœna puniendos, vt in d. c. in nomine Domini. Dignum enim eſt, vt qui ei miniſtrat, eum ſequatur, & in carcere vbi ipſe fuerit, ibi ſint miniſtri eius. Et non ſolum ipſi ſunt puniendi, ſed fautores, receptores, & credentes eis. de hæret. excommunicamus. §. credentes. & c. ſicut. & c. ſi. & eodem ti. c. accuſatus, & c. ſtatutum. & de ſchiſmaticis c. 1. lib. 6. & Hoſt. ſatis in ſumma eodem tit. §. quæ pœna. Omnes enim culpæ & pœnæ obnoxij ſunt, qui ſchiſmaticis contra præpoſitos ſacerdotes irreligioſa ſe temeritate immiſcuerunt. 24. q. 4. didicimus. & etiam maiori pœna ſunt digni, ſi ſunt clerici vel religioſi. vt in c. excommunicamus, *Oldradus conſ. 65.*

XIX. PETRI CORBARII COMPLICES QVI ET QVALES?

Ex pſeudocardinalibus Corbario adhæſerant. 1. Petrus tit. S. Petri ad vincula, cui adminiſtrationem nou. Hoſpitalis S. Claræ, Piſis, & Abbatiæ S. Martini in montibus Viterbien. diœceſis commiſerat, *V. Cal. Iun.* 2. Bonifacius Adminiſtrator Epiſcopatus Chironen. & Protector, ipſo iubente, Ord. Præd. *XV. Cal. Iunij.* 3. Iacobus Alberti Praten. Epiſcopus Caſtellanus, cui titulum Oſtien. & Archiepiſc. Montiſregal. conceſſerat. *XV. Cal. Iunij.* 4. F. Nicolaus Fabrianen. Eremitanus Auguſtinianus, quem titulo S. Euſebij, & Epiſcopatu Camarinen. donauerat. *V. Cal. Iun.* 5. Ioann. Arlotus Rom. cui Procancellarij officium, cum titulo S. Nicolai in carcere Tulliano, obtulerat. 18. *Cal. Septembr.* 6. Franciſcus, quem Albanenſem Epiſc. & Pompoſianum Abbatem eſſe voluerat. *8. Idus Iul.* & quem Legatum de Latere, in tota Germania ſuperiore & inferiore, ſcil. à Rheno vſque ad mare, & à Monachio vſque in Saxoniam, & Danlam, necnon in Lombardia ſuperiore & inferiore, Marchia Trauiſina, Miſſa Trabaria, Romandiola, Monteferrato & Marchia Anconitana, *Viterbij 5. Non. Octob.* creauerat.

Ex Canonicis Baſilicarum vrbis, hi tantum ſequebantur errorem. Petrus Richardi de Annibaldis, Petrus Alexij, & Franciſc. Calixti, Lateranenſes: Richard. de Annibaldis, Ioan. Sarraceni, Nicolaus Arloti, & Ioan. Raynerij Arloti, Vaticani: Petrus Gratiani, Laurentius Vallati, Nicolaus Gelli, Franciſc. de Viterbio, Iacob. Archionis, Iordanus Bobonis, & Stephanus de Porcarijs, S. Mariæ maioris: necnon Iacob. Canonicus S. Nicolai in carcere Tulliano, quem Camerarium eſſe R. E. deſignauit.

Ex Secularibus Ioan. Iacobus Columnius præter alios Columnenſes, cui monaſterium S. Pauli de ripa Arni Piſanæ Diocœſis contulit. *V. Cal. Iun.* hoſque quos adiungo officijs præpoſuit. 1. Nicol. de Valle, & Nerium Iacobi de Vbertinis, portæ cubiculi cuſtodes. *Cal. Iun.* 2. Egidium Scandrilianum, Iacobum Henrici Bobonis Canonicum S. Euſtachij, Romanum Papareſcum, & Andream de Felicibus Canon. S. Mariæ transſtiberinæ, Prothonotarios. 3. Barthol. de Rogeriis, Capellanum. 4. F. Emanuelem Sementis Albigaunium, Generalem Commiſſarium, contra omnes adhærentes Iacobo de Cadurco (quemadmodum ipſe volebat) & contra ſibi ac Ludouico Bauaro adhærentes. *Viterbij 18. Cal. Oct.* 5. Landum Syluestri Gatti Viterbien. Mareſchal. cui bona Lucæ fliſcani tit. S. Mariæ in via lata Cardinal. attribuit. *V. Non. Oct.* 6. Iacob. Pſeudooſtienſem Epiſc. anti Vicarium, diſcedens ex vrbe reliquit: quem paulo poſt Iordanus Bertuldi Bobonis, S. Mariæ maioris Canonicus, Corbario deſerto, cum multis armatis aggrediẽs vrbe profligauit, & in ſe Corbariũ pſeu-



pſeudopontificem adeo irritauit, vt in illum ſententiã priuationis, etiam bonorum à paterna ſucceſſione debitorum, protulerit. *Viterbii 16. Cal. Octob.* Præter hæc Friderico Cibo Epiſcopatum Saonen. pſeudopotifex abrogauit, eique Nicolaſium Riccium Ianuen. ſubſtituit, *Romæ 6. Non. Iul.* Cum etiam Recanatenſi Eccleſiæ Andream quemdam familiarem ſuum intrudere voluiſſet. *Viterbii 1328. penultima menſis Septembr. Ex lib. Secret. Petri Corbarii in archiu. Vaticano.* Eos omnes Corbarii Sectarios, Ioannes Pontifex anathemate damnauit, ex ſententia Concilii.

XX. AYMERICVS RAVENNATVM ARCHIEPISCOPVS CONSTANTER AGIT ADVERSVS LVDOVICVM BAVARVM.

Per id tempus, cum Aymericus Archiepiſcopus Rauennas, & Æmiliæ Rector pro Ioanne ſummo Pontifice, in arcem ab ſe Cæſenæ conditam, menſe Maio ad habitandum ſe contuliſſet, eiuſque ciuitatis Præturam iniuiſſet, ac interim Ludouicus Bauarus Romæ à quattuor viris, coronam auguſtalem contradicente Pontifice accepiſſet, & propterea cætu piorum omnium, vna cum Petro Corbario antipapa motus eſſet, acceptis ille ab Ioanne Pontifice litteris, nihil Ludouicũ aut Corbarium veritus, Sedis Apoſtolicæ mandatis obtemperans, illas omni ditione promulgauit, ſtrenueque Flaminiæ populos, Rauennatem præcipue in officio continuit, & ſi qui Bauarum cuperet, ad Pontificem adiunxit. Forolitianos quoque, & alias ciuitates ac oppida, ita per litteras V. Idus Iunii Auinione ſcriptas edoctus admonuit, ne Spoletinos exules, alioſue perduelles, qui turbare frequenter quietam & florentem prouinciã conſueuerant, & maleficia quamplurima committebant, vlla ratione exciperent.

XXI. BERTRANDVS CARDINALIS LEGATVS STIPENDIVM PRO CVRATIONIS A RAVENNATIBVS EXIGIT.

Bertrandus Cardinalis Legatus ſtipendium interea ſibi, procurationis nomine, à Sacratis Rauennatis prouinciæ viris perſoluendum, Rauennati Archiepiſcopo, in hunc, quem ex tabulis publicis Rubeus accepit, modum præſcripſit, ſubiunctis illi Antiſtitibus partiendũ. Rauennati ipſi Archiepiſcopo imperauit D. LXXV.

Epiſcopo Parmenſi LXVIII.
Regienſi CCCC. III.
Mutinenſi CC. IX.
Bononienſi DC. LXXV.
Fauentino CCC. XLV.
Foro Corneliano CCC. X.
Fauentino CCC. X.
Forliuiano CC. VII.
Foropompiliano CC. VII.
Cæſenati C. III.
Saſſinati C. III.
Ariminenſi CCC. XLV.
Cerujenſi XXIII.
Hadriano C. XXVI.
Cymaclienſi XXXV.

Abbati Pompoſiano C. XXVI. Abbati Nonantulano. LXXXI. Abbati è Taliato Ferrarienſ. Diœceſis LXXXII. Galliatenſi XCII. S. Mariæ è Moatico III. plebi è Mercatello XX. Plebi Bagnacaualli XX. Sũma omnium ad nongentos triginta vnum florenos ſupra quattuor millia aſcendit, cum vna cum Epiſcopis, ſacrati Eccleſiarum ſuarum viri tributum conferrent. Quoniam vero exeunte ſuperiore anno, Pontifex, Auinione VI. Kal. Ian. Oſtienſi ac Velitrenſi Epiſcopatib. Bertrandum cohoneſtauerat, mortuo tum Raynaldo earum ciuitatum Epiſcopo, litteris ad eum datis ſanxit, vt quod illi munus, quanquam iuriſdictionem mandaſſet, cum Sacerdos ad titulum S. Marcelli eſſet, eadẽ illi tum Epiſcopo integra ſeruaretur. Has Bertrandus litteras, cum ſuis, hoc anno Bononiæ Nonis Februarii ſcriptis miſit Rauennam, vbi IV. Nonas Martii publice recitatæ ſunt. Exercitum deinde Eccleſiaſticum in Fauentinum agrum Bertrandus Cardinalis Legatus duxit, & agro populationibus vaſtato, ponteq; S. Proculi adempto, tandem Vrbem rebellem recepit, Albertino Manfredo certis eam conditionibus, menſe Iulio tradente. Calendi. Auguſti, in arce Donadulæ, Bartolatio Mainardo Bertinoriano, atque aliis inſpectantibus,

FAVENTINAM VRBEM DEDITIONE RECIPIT.

Liuzinus, Nannes, Nerius, Rigo & Malateſta, Manfredi è Valbona filii, cum in defectione à Romana Eccleſia, & Æmiliæ Prouinciæ Rectore perſtitiſſent, caſtra occupaſſent, & bellum Vicariatui (ita enim appellant) Galliatæ intuliſſent, incendia excitaſſent, homicidia, innumeraq; pene maleficia admiſiſſet, coram Rogerio è Douadula Comite in Tuſcia Palatino, pro Rom. Eccleſia in partibus Galliatæ, & Flumanis Calatici, & Raiborum Vicario, atq; item Aymerico Rolando, pro eadem Eccleſia Prouinciæ Flaminiæ Mareſcallo, Eccleſiç Romanæ nomine accipientibus, debitum obſequium præſtitere, polliciti, neminem ſe exulem, aut Romanæ hoſtem Eccleſiç, prçſertim filios Comitis Tigrini è Porciano, tectis, aut ſedibus ſuis ſe recepturos. Præterea alia non ignobilia caſtra & oppida Flaminiæ, Aymericus Archiepiſc. à Cçſenate republica, in fidem clientelamq; acceperat portus Cæſenatici caſtrum, cum Hoſtaſius Polentanus ſocium ſeſe Cicco Ordelafo Forliuii Præfecto adiungens, vna cum Comite Claromontano, qui ſe Æmiliæ Prouinciæ Comitem Rectoremque pro Ludouico Bauaro dicebat, octingentiſq; militibus, peditibus ad octo millia, ad ipſum caſtrum copias admouit, menſe Septembri: & cum decem tantum ſerui præſidio illius eſſent, coniuratione etiam cum pleriſq; inita, occupauit: mox turrim quæ erat ad portum, continenti opere ſolo æquauit. Sed paulo poſt Aymericus Archiepiſcopus, Cardinalis Legati ope, caſtrum & recepit, & egregie communiuit, cum adhuc Præturam, Præfecturamque gereret Cæſenatem. *Rubeus hiſt. Rauennat. lib. 6.*

XXII. BONONIÆ PERICVLVM CAPITIS SVBIIT.

Adiit inter hæc Cardinalis Legatus periculum. Bononiæ. Quod enim ad coercendam inſolentiam ciuiũ, vrbem mœniis cingere, & caſtrum erigere tentaret, Bononienſium primi in necem Legati coniurauerant. Dubio procul cæſus fuiſſet, niſi Ioannes Iuſtitiarius, coniuratorum nomina detexiſſet, & Legatus intrepido animo, ſingulis in Prætoriam domum euocatis, neq; quicquam de eo quod accidere poterat cogitantibus, ceruices præcidi imperaſſet. Occubuit inter alios Archipresbyter Galuzius, nimio plus clientelis & neceſſitudinibus inſolens. Hunc enim ad perpetuos carceres Præfectus iuſtitiæ detruſit, & ſolo pane & aqua maceratũ, poſt paucos dies inedia ac mœrore mori coegit. *Hiſtor. Piſtorien.*

XXIII. PONTIFICII IN HETRVRIA NIHIL LAVDABILE AGVNT.

In Etruria, à Pontificiis, varie certatum, neq; quicquam inſignis operæ factũ, quod miles à Roberto Rege Siciliæ in auxilia miſſus, non ſuo tempore ſtipendia numeraret. Ad ea perſoluenda cum Magiſtratus Florẽtinus duodecim millia Florenorum vniuerſo Clero impoſuiſſet, & vel ab inuitis extorſiſſet, Prælati Eccleſiarum, prouocatione ad Ioannem ſummum Pontificem interpoſita, Vrbi ſacra interdixerant, atq; demum Florentiã exceſſerant. *Villani lib. 10. c. 113.*

XXIV.

Inter hæc Sperantia Comes Montis Feretri, ſuo & Friderici filii, & Guidonis ex Friderico nepotis nomine Vrbinum Romanæ Eccleſiæ magis dedidit, duoſq; iudices ab Ioanne Pontifice deſtinatos, qui Vrbini reſidentes ius dicerent, perſancte admiſit, dato Sacramento Amelio Piceni & Vmbriæ pro Romana Eccleſia Gubernatori. *Cod. Columnen. MS. Biblioth. Vatic. fol. 43.*

XXV. ALFONSVS REX ARAGONVM PER LEGATVM FRIDERICVM AB AMICITIA LVDOVICI ABSTRAHIT.

Hoc anno ad III. Kal. Iul. Alfonſus Aragonum Rex, Guilelmum Coſtam Barcinonenſis Conuentus Prædicatorum Priorem ad Fridericum patruum Trinacriæ Regem Legatum deſtinauit: qui commonefaceret, vt à fœdere quod cum Ludouico Bauaro hoſte Eccleſiæ percuſſerat, abſiſteret. Eius exhortatione precibuſque fraternis Fridericus id tantum conceſſit, vt Bauarum in ſequela Petri Corbarii antipapæ exhorruerit, in reliquis autem eius amicitiam exambiuerit, eiuſque filio Stephano natu minori, Iſabellam filiam in matrimonium collocauerit. *Surita lib. 2.*

XXVI. FRIDERICI PROPENSVS ANIMVS ERGA IOANNEM PP.

Narrãt auctores, quod cum Ludouicus Bauarus Ioanne vigeſimo ſecundo Romano Pontif. per ſummam temeritatem abrogato, Nicolaum antipapam Friderico Regi adorãdum proponeret, Fridericus ab Ioanne vero Pon-

ro Pont. fi.e; tametſi Roberti ſtudioſiſſimo ſibique infenſiſſimo nunquam abhorruerit, ſed libere Ludouico reſcripſerit, ſe cum eo in temporalibus, & non in ſpiritualibus fœdus iniiſſe. Itaque auxiliarem tantummodo claſſem ſatis numeroſam, duce Petro filio, illi miſit, quã tamen is poſt altercationes cum Bauaro vltro citroque de ſuppetiis non tempeſtiue venientibus habitas, in Siciliam reducens, fere vniuerſam amiſit, nec niſi cum quatuor triremibus ex ſæuiſſima tempeſtate euaſit. *Phazellus decad. 2. lib. 9. Villani lib. 10. c. 104. & ſeq.*

XXVII. ALFONSI IN REGEM ARAGONIÆ INAVGVRATIO.

Ad III. Non. April. Sacro Reſurrectionis Domini die Rex Alfonſus, Magnificentiſſimo apparatu Cæſarauguſtæ, in maxima Saluatoris æde, à Petro Luna Antiſtite ſacro balſamo perunctus, coronatuſque fuerat, præſente inter alios Henrico Bomallia Ioannis Boemię Regis Legato, qui Regis ſui operam præſentiamque, Alfonſo Aragonio aduerſus Mauros Hiſpaniam opprimentes pollicebatur. Verumtamen ea pollicitatio, in inſignis cuiuſdam impudentiæ ludibrium recidiſſe viſa eſt: cum Ioannes paulo poſt excuſatione militię aduerſus Duces Brabantiæ & Lotharingiæ, obeundæ, ſacro bello prætermiſſo ac neglecto vteretur, *Surita ſupr.*

XXVIII. ACTA QVÆDAM IOANNIS PP.

Eodem anno Ioannes Summus Pontifex 1. ſanxit Archiepiſ. ne recens ad fidem Chriſtianam conuerſos, decimatione fructuum rigoroſa aut exactionibus aliis rigidioribus prægrauarent, ſed benigne eos haberent, quouſque in eadem fide Orthodoxa proficerent. 2. In eos qui noua pædagia imponerent, anathema ſtrinxit. 3. Inquiſitoribus, ne cõtra Sedis Apoſtolicæ Nuncios, aut Romanæ Eccleſiæ Officiales, præter ſcientiam Sũmi Pontificis procederent, prohibuit. 4. Archiepiſcopo Colonienſi, vt nonnullos articulos erroneos, à quodam ex Michaelis Cæſenatis ſociis ſcriptos & in vulgus promulgatos condemnaret, ſerio edixit. 5. Inter Iacobũ Maioricarum Regem, & rempublicam Ianuenſem, pacta fœdera confirmauit. 6. Fratribus S. Pauli primi eremitæ, Regulam D. Auguſtini præſcripſit. *epiſt. Ioan. in Regeſt. huius anni.* 4. 3406. 14. 5. 1883. 473. 7. Marſorianum Iacobitarum, vt ad Fidem Catholicam veniret, hortatus eſt. Eccleſiæq; Tauriſienſi F. Guillelmum Ligium Ord. Præd. Epiſcopum præfecit, ac omnib. Chriſtifidelibus Indianis commendauit, cum etiam F. Iordanum Eccleſiæ Columbenſi Antiſtitem deſtinaſſet, & F. Thomam Mantaſſolium Dominicanum Cathedrali Semiſcãtenſ. in Imperio Elgigaddai & terris Corraſan, Turqueſtam, & Indeſtain minoris Armeniæ præpoſuiſſet. *epiſt. Ioan. an. 13.*

XXIX. QVERIMONIA ADVERSVS CLERVM IN GALLIIS EXORTA.

His diebus in Galliis, querimonia aduerſus clerum exorta eſt, quem dominatione ac ditione ſua abuti, plerique palam teſtabantur. Eius rei gratia, conuocato comitio, cum de ordinandis legibus ageretur, Regina viſa eſt conari, Eccleſiaſticis iuriſdictionem abrogare. Iſtud poſtquam Philippus Rex cognouit; *Non*, inquit, *vt clero aliquid detrahatur hæc concio indicta eſt. Non enim modo non auferre Eccleſiis ſua iura, ſed eã ampliare animus mihi eſt. Satis eſto erratorum admonuiſſe, admiſſaque emendaſſe. Guagn. lib. 8.*

Iſtud porro quomodo acciderit, *ex Tilio, Genebrardo, & Archiuo Cæleſtinorum Columb. Gualtherus in ſua Chronologia* narrabat, iſtis verbis.

XXX. CAVSA ET ORIGO HARVM QVERELARVM.

Contigit vt M. Petrus de Cugueriis, Regis Aduocatus, vel vt quidam volunt, Procurator Generalis in Senatu Pariſienſi, aut vt legi in Actis, quæ *Tomo X. Biblioth. SS. Patrum* extant, miles & Conſiliarius Regius, publice diceret coram Rege Philippo Valeſio, Prælatis & Baronibus Galliæ, de tollenda iuriſdictione & libertate Eccleſiaſtica, productis ac diſputatis 66. articulis aduerſus Prælatos: quorum etſi nonnulli aliqua continebant in Eccleſiaſticis obſeruata vitia, à quibus ipſi merito abſtinere debuerant; plurimi tamen qua recta, qua oblique feriebant, cum ſacros Canones, & priſcas Eccleſię conſuetudines: tum vero & eiuſdem authoritatẽ, multo maxime nixam inuictis Sacrarum paginarum teſtimoniis, & myſtico matrimonio, quo ſibi eam Ieſus Chriſtus nodo velut triplici, nec vnquam diſſoluendo coniunxit. Cuius ſacri vinculi beneficio, cum facti ſunt vna caro & vnum corpus: linguam quoque, & vocem vnam ambobus eſſe neceſſe eſt: adeo vt qui Eccleſiam aſpernatur, ſponſam etiam contemnat: qui autem Eccleſiam non audit, neq; ſponſo obtemperet; quin ab illo Ethnicus pronũcietur & publicanus. Hac ſolida velut baſi, & aliis eius generis ſtabat pia doctaque oratio Cardinalis Bertrandi, tunc Auguſtodunenſis Epiſcopi, in eodem cætu habita, qua M. Petri de Gugneriis articulos, ea grauitate & eloquentia refellit, eaq; ope Diuini Spiritus, [illegible]q; efficacitate perorauit, vt Rex ipſe nefãdum ratus, terræ cœlum ſubiici, ac temporalia ſpiritualibus anteferri, cauſam concluſerit, conceſſa Prælatis optata ſuæ iuriſdictionis, ac libertatis cõtinuatione. Vnde M. Petrus de Cugneriis dictæ tãta cum audacia cauſæ mercedem tulit perpetuam infamiam: cuius etiam hodie ſuperſunt veſtigia, tum in ridendo quodam ſimulachro informi & ſimo, quod ad angulum chori B. Virginis Mariæ Pariſienſis poſitum, obuius quiſque pugnis & cultellis impetit; quodq; ipſi erectum dicit *Genebrardus*, vt omnium poſterorum ſibilis ac ludibrio ipſius exponeretur impietas; tum etiam in eius nominis celebri contemptu, quo vtuntur Galli in hominem ſtolidum, aut in eum in quem iocis volunt agere: illum quippe vulgo vocitant *Maiſtre Pierre du Cugner*. Ita homo ille impotens, tot in hac ipſa vita, tantaſque ſuæ in iura Eccleſiaſtica petulãtiæ, iuſto iudicis æterni iudicio pœnas luit; exemplo omnibus, qui cum Eccleſiæ, quoad poſſunt, euertant iuriſdictionem, eo præterea deueniunt impietatis, vt ab Eccleſia optima parente, ſeſe auertant, & filii Dei eſſe nolint. Qui enim in terris recuſant Eccleſiam habere Matrem, meretur non habere in cœlis Deum Patrem, quemadmodum ille conſtantiſſime aſſeuerabat.

XXXI. VVLADISLAVS POLONIÆ REX CRVCIGEROS IN POLONIA FVNDITVS DELET.

In Polonia, hoc anno Nankerus Epiſcopus Cracouienſis, ad Epiſcopum Vulatislauienſem, lite duorum competitorum per ſeptem annos vacantem translatus, Cracouiæ ſucceſſorem accepit Ioannem Grotum Slupecium, Ioannis Summi Pontificis auctoritate vltro datum, cum quo adoleſcens Bononiæ familiaritatem contraxerat. Per id temporis, Crucigeri cum Venceslao Maſouiorum duce, facto impetu in Cuiauiam Polonię Regni prouinciam, Couale arcem interceperant atque incenderant. Quamobrem nõ putauit ſibi diutius differendum bellum in eos Rex Vuladislaus, quod ne Pontificis quidem Maximi authoritate, vt ſibi Pomeraniam redderent commouerentur, quin etiam veteres iniurias nouis cumularent. Itaque in hunc annum, qui fuit milleſimus trecẽteſimus vigeſimus octauus, expeditionem toti Poloniæ in Crucigeros indixit, & à Carolo Rege Vngarorum, genero ſuo, itemq; à Lituanis atque Ruſſis finitimis non contemnenda auxilia impetrauit. Cum quibus omnibus copiis hoſtium fines ingreſſus, Culmenſem tractum omnem vſque ad Oſſam amnem flammis, cædibus & populationibus vaſtauit, eoſque fortiter poſtea dimicantes, ad internecionem vſque cum Commendatore Torunenſi deleuit, contẽptum dignitatis Pontificiæ, atque ſummam eorum erga beneficos ingratitudinem ferro vltus. *Cromer. lib. 10.*

XXXII. DECIMÆ A IOANNE PP. ADVERSVS BAVARVM IN GALLIIS CONCESSÆ.

*In Galliis*, Sacerdotiorum decimæ, ſpecie belli Sacri, aduerſus Ludouicum Bauarum Eccleſiæ Romanæ aſſiduum infenſumq; hoſtẽ, à vero Põtifice Ioanne XXII. conceſſæ ſunt. Quod Philippo Longo datum quidem erat, hac tamen conceptione exceptioneq; verborũ, ſi è re pietateque fore, Prouinciæ Epiſcopis viſum eſſet. Conditio honeſtiſſima & aduerſus importunas Principum preces, vtinã alii Pontifices amplexi eſſent. Vaſcones, id temporis, implacabili odio in Iudæorũ fortunas vitãq; graſſati ſunt. Stellæ in oppido vis mali incubuit, ad decem Iudæorum millia trucidata, niſi forte aut numeri ſunt, aut memoria vitiata. Iiſdẽ diebus, in Caſtella, bellũ atrox in Mauros parabatur. Regis barbari imbecillã ætas, Maurorum inter ſe diſſidia, excindẽdæ gẽtis occaſionem dabant. Itaq; Alfonſus Rex, veterib. co-

ALFONSVS ARAGONIVS MAVROS INSIGNI PRÆLIO DEVINCIT.





piis ſupplementum ſcribere, ab ſociis auxilia accerſere, modis omnib. feſtinare, Hiſpalimq; maturare cõſtituit. Ozmini filius Abrahamus, cui à multo vino Ebrii cognomen fuit, Hiſpano Regi ſeſe adiunxit; ſequebatur militum delecta manus. Horum fretus robore Alfonſus, in hoſtium fines inuectus, grauiſſimas clades intulit. Oluera, Pruna, Aiamontes captæ. Æſtate iis reb. perficiendis autumnoque circumactis, miles præda grauis, lætuſque, Hiſpalim in Hiberna reductus eſt. Alfonſus Gotifredus maris Præfectus, noua & ipſe victoria clarus, ad Regem venit, duas & viginti hoſtium triremes Granatẽſes Africanaſq; nauali pugna deuicit. ex eo numero tres captæ, quattuor ſubmerſæ, mille & ducenti Mauri pars cæſi, pars in ſeruitutem abacti. plena omnia gratulatione erant, feſtaq; lætitia vrbs nobiliſſima perſonabat, cunctis eas victorias diuinę potentię adſcribẽtibus. Virtutis ergo Alfonſus Rex, Oſorium amicorum principem, Traſtamaræ, Lemoſii, atque Sarriæ Comitẽ renunciauit. Rudi cæremonia honos is delatus, cum Hiſpania litteraturæ expers, moris omnis ignara eſſet. Tres offæ in vini poculo oblatæ. Cum inter ſe Rex Comeſq; tertio inuitaſſent, vter prior ſumeret, à Rege offa vna ſumpta, à Comite altera. Ius caldariæ in caſtris, in bello vexilli propriis inſignibus diſtincti datum. In eam ſententiam confectis tabulis atq; recitatis, conſecutus aſtantium clamor, plauſuſq; læta fauſtaq; nouo Comiti vouentium. Is inſtituendi comitis ritus fuit. Ea tamẽ

OSORII ET IOSEPHI IVDÆI EXITVS INFELIX.

Oſorii inſtitutio, exitium illi tulit, nouis tumultibus in vlteriori Caſtella excitatis. Taurus, Senticai Vallitoletũ concitatæ auctor ſeditionis Ferdinandus Balboa, Hoſpitalarius Prior, opibus ſuis, & familię iis locis cum primis nobilis atq; copioſæ fretus. Oſorii, Ioſephiq; Iudæi arbitrio cuncta agi inuertiq; querebantur, Regẽq; duobus hominibus mancipari, quaſi iniecta carminib. væcordia ægre ferebant. Soluta Rex obſidione Eſcalonæ, cum vnde maius periculum imminebat feſtinaſſet, Valliſoleti non prius intra mœnia admiſſus eſt, quam Oſorio ex aula curiaq; amandato. Iſtud Regis imperiũ quãuis neceſſitate vſurpatum, tantum inſolenti homini dolorem inuſſit, vt à Rege plane defecerit, atq; cũ Ioanne Emanuele Regis aduerſario vires coniunxerit. Id porro illi exitio fuit. Ramirus Guſmanius ſimulata à Rege fuga in amicitiam inſinuatus incautum obtruncauit; arces theſaurique ingentes, quo tempore rempublicã prædæ habuit congeſti, à Rege occupati. Multorũ criminum accuſatus, nulloq; defendente conuictus, lege perduellionis damnatus eſt, ſententia ad Tordehumos abs Rege ipſo pronunciata. Ioſephum ignobilitas tutata eſt; gentiſq; cõtemptus; quodq; exitio eſſe potuiſſet, ſaluti fuit. Hunc exitum, duo ea tempeſtate magni viri habuere, documento tum Regibus, tum nouis hominibus; illi ne ſe talibus nimio plus dedant, neue Principes viros præ illis contemnere videantur; hi autem ne in momẽto ad faſtigiũ euecti, alios præ ſe faſtidiãt, neue Capitib. populorum periculũ accerſant, ſed tam illi caueãt, quã iſti modeſte ſe habeant. *Mariana lib. 15. c. 20.*

XXXIII. SIMON ARCHIEPISC. CANTVARIENSIS IN CONCILIO PROVINCIALI OXONIENSIS EPISCOPI INTERFECTORIBVS ANATHEMA DICIT.

In Anglia, hoc anno, die Veneris poſt feſtum Purificationis D. Deiparæ, Simon Archiepiſcop. Cantuarienſ. Concilio Prouinciali celebrato, omnium Epiſcoporũ & Prælatorum Eccleſiæ ſuffragiis, anathema dixit omnibus, qui Walterum Stapletonum Epiſcopum Oxonienſem interfecerant, ſeu manus violentas in eũ quomodolibet iniecerant, vel qui eis opem, aſſenſum, vel conſilium præbuerant. In eodem conſeſſu, præter alia ſanxit, vt in die Paraſceue, & in commemoratione omnium fidelium animarum, ab omni opere ſeruili ceſſaretur. *Thomas Vualſing. hiſt. Angl. in Eduardo III.*

XXXIV. MATTHIÆ MOGVNTINI ARCHIEPISCOPI OBITVS ET LAVDES. DE EIVS SVCCESSORE ORTA CONTROVERSIA ITEMQVE DE POTESTATE ECCLESIASTICA INTER CLERVM ET MOGVNTINENSES.

In Germania, cum Matthias Archiepiſc. Moguntinus, Abbatum & Prælatorum Synodum conuocaſſet, multaq; ad Eccleſiaſticam vtilitatem neceſſaria conſuluiſſet atq; ſtatuiſſet, tandem IV. Idus Septemb. ex hac vita deceſſit, vir integerrimæ conuerſationis, & omni honore perpetuaq; memoria dignus, ex Ordine D. Benedicti ad eam dignitatem euectus. *Vuion. lib. 2.* de illo refert, quod vitam duxerit caſtiſſimam. Dum enim quadam vice, eo ignorante, à Camerariis ſuis pulcherrima quædam virgo in cubiculum fuiſſet intromiſſa, vt eius ſanitati, conſilio, vt aiebant, medicorum, continẽtiam ei obeſſe affirmantium conſulerent, virginem quidem blande à ſe intactam dimiſit; ſed Camerariis, ne talem rem amplius tentarent, ſub interminatione præcepit, Exitiales profecto è medicis illos iudicans; qui per medicinæ ſpeciem, libidines, aliaq; interdum dedecora proponerent ac ſuaderent, quaſi lenociniam ſcil. iam factitarent: multo illis peiores, quos de medẽdi methodo lib. 1. perſtringit vehementiſſime Galenus, quod ægris adulentur magis quam medeantur. Dedit Matthias magni animi exemplum, vt poſt illum, in grauibus etiam morbis Verinus adoleſcens, Robertus Cardinalis, Iacobus Luſitaniæ Regis filius, Caſimirus Caſimiri Polonorum Regis filius, medicis lenonibus congreſſum muliebrem præſcribentibus, magno reſtiterint animo, immortalem apud Deum & homines gloriam conſecuti. Matthia Archiep. mortuo, cum Clerus Baldeuinũ Archiepiſc. Treuerenſ. poſtulaſſet, is vero Eccleſiam ſuam deſerere noluiſſet, Ioan. Pontif. Max. Henricum Virnbergium Moguntinæ Eccleſiæ, citra Canonicorum electionem præpoſuit: ac interim dum Clerus appellatione interpoſita, criminationibus multis Henrico oppoſitis, apud Sedem Apoſtolicam litem perſequeretur; eandem Eccleſiam Baldeuino commendauit. Orta eſt per id temporis maxima inter Clerum & ciues Moguntinos, propter libertates Eccleſiaſticas controuerſia: illis libertates & iura ſua propugnantibus; iſtis autem ex aduerſo omnia infringere & violare conantibus. Inde Ciues irritati, multa damna Eccleſiis intulerunt, atque multa Monaſteria deſtruxerunt. Non tamen impune iſta perpetrarunt. Ab hoc enim tempore, Deo iniuriam Sanctorum vlciſcente, omnia aduerſa Moguntinis acciderunt, donec libertate omnino amiſſa, in ſeruituté redigerentur. *Chron. Hirſaugien.*

XXXV. CAROLI CALABRIÆ DVCIS OBITVS ET EPITAPHIVM.

Neapoli in Campania, rebus humanis exemptus eſt, Carolus Dux Calabriæ, iuſtitiæ ex recto & æquo adminiſtrandæ, ſi quiſpiam alius ſtudioſus. Aliquis marmoreum illius ſimulachrum, throno ſublimi conſpicuum exſculpſit, quod manu gladium, vaſi ante pedes poſito ex quo quidem agnus & lupus intrepide biberent, inditum, teneret, & pedibus ſuperpoſitis humeros vtriuſque animalis premeret: ſcil. ſignificandæ iuſtitiæ, & æquanimitati, quibus vniuerſos, mirabili concordia deuinciret. Simulachro epithaphium inſcriptum, his verbis legebatur, in Baſilica SS. Sacramenti.

*Hic iacet princeps illuſtris Dominus Carolus, primogenitus Sereniſſimi Domini noſtri Domini Roberti Dei gratia Hieruſalem & Siciliæ Regis inclyti, Dux Calabriæ, præfati Domini noſtri Regis Vicarius Generalis, qui iuſtitiæ præcipuus Zelator, & cultor, ac Reipublicæ ſtrenuus defenſor, obiit Neapoli Catholice receptis Sacra Eccleſ. Sacris Sacramentis, an. Domini M. CCC. XXVIII. Indict. XI. Anno ætatis ſuæ XXXI. Regnante feliciter prædicto Domino noſtro Rege. Ipſius anima requieſcat in pace.*

XXXVI. MEMORANDA EIVS GESTA IN ADMINISTRATIONE IVSTITIÆ.

Duo ſint ſingularia memoranda, quæ in adminiſtratione Iuſtitiæ, Carolum geſſiſſe diuulgabant. Campanam ante fores palatii appendecat, quam vnicuique iuſtitiam apud illum depoſcenti, pulſare fas erat. Ad eius tinnitum, Carolus, cęteris omnibus relictis accurrebat, & ſine mora ius petenti edicebat. Accidit, vt Marcus Capecius inter equites præcipuus, equum ſenio & laboribus fractum, & omnino inutilem dimiſerit; & is ſtrigoſus, per vrbem quærendi pabuli cauſa ambulans, caſu ad campanæ funem acceſſerit, neque leui affrictu chordam trahens, æs campanum percuſſerit. Adfuit in momento Carolus, & nemine alio præter equum vagantem reperto, cuius eſſet, & cur temere vagaretur, ab occurrentibus quæſiuerit. Capecii fuiſſe, indicarunt. In continenti is Capecium aduocauit, & quamobrem equum dimiſiſſet interrogauit. Cumq; ille multa inprimis, in laudem animalis olim iunioris, & quo multo tẽpore in bellis feliciter vſus eſſet, ſatis ex vero dixiſſet,

nũc vero prorſus inutilē, neq; amplius pabulum merē-tē, & propterea miſſũ eſſe à ſe aſſeueraſſet, Carolus, qui virum multa merendo acquiſiuiſſe doctus erat, hominem ingratitudinis nomine coarguit, ſimulque edixit, vt equum ſocium meritorum, præmiorum quoq; participem efficeret, neque committeret, vt animal quo ſæpe in periculis victor euaſerat, quoue tanta & ſtipendia meruerat, & bona quæſiuerat, quamquam inutile, non vſque ad extremum habitum apud ſe aleret. Sin porro aut negligeret, aut contemneret, omnibus propter militiam acquiſitis excideret. Alterum eſt. Puellam aliquam nobilis quidam vitiauerat, & ea apud Carolũ Ducem ſtupri cauſam aduerſum illum propoſuerat. Re in controuerſiam adducta, cum nullos teſtes adduceret, placuit iuuenem vocaſſe, deque toto negotio interrogaſſe. Non negauit ille actum, verumtamen & non inuita illa potitum ſe fuiſſe, & abunde illi fructum decerptum remuneraſſe, compenſaſſeque affirmauit. Carolus additamenti loco, centum florenos dotis nomine, puellæ numerari iuſſit, hiſque à Nobili depoſitis, illius honori conſultum fore decreuit. explorandæ tamē honeſtatis illius, nobilem, vt à palatio redeunti, leuiter vim inferret pecuniamque eripere non pudorem amiſſum tentaret admonuit. Fecit ille, & nummos auferre ſimulauit: at illa ex manibus eius per vim ſeſe ſubducēs, maiore cura pecuniæ quam caſtitatis ſeruandæ, tum clamoribus omnia compleuit, tum ad Carolum reuerſa, nobilem iterum ad tribunal poſtulauit. Carolus re intellecta, puellam petulantem increpauit, dixitque; Si tantum ſtudii in tuenda pudicitia, quantum in pecunia vel occultanda, vel vindicanda poſuiſſet, nunquam nobiliorem florem voluntarie proditum amiſiſſet. *Summont. hiſt. Neapolit. lib. 3. parte 2.*

*XXXVII.* CONSTANTINOPOLITANVS PATRIARCHA DISCORDIAS GLISCENTES INTER ANDRONICVM IMPERATOREM EIVSQVE NEPOTEM SEDARE SATAGIT.

In Oriente, ſatis turbarum, inter Andronicum Seniorem, Iunioremque eius nepotem. Hic enim cum primũ Conſtantinopoli diſceſſiſſet, atq; ab importunis leuitatibus aui ſui ſeſe ſubduxiſſet. Imperii affectati accuſabatur. Enituit tum virtus Patriarchæ Conſtantinopolitani, in dignitate officii aſſerenda. Ex eius ſenſu Andronicus Senior, Epiſcopos aliquot ad nepotem deſtinarat, qui vel animum iuuenis explorarent, vel ad pacem ineundam inclinarent. Hi cum nepotem, ad omnia obiecta ex recto reſpondiſſe, neque vnquam ſeniorem aliquo modo læſiſſe didiciſſent, ad Imperatorē reuertentes non admittebātur, neque quid attuliſſent, audiebantur. Interim non deerant, qui diſcordias inter illum & iuniorem ſeminarent, & ad arma incitarent. Patriarchæ id nimiũ dolebat, quod & vtriuſq; & inprimis pacis ſtudioſior eſſet. Itaq; audientiam vrgebat, vt Senior ab Epiſc. ad Nepotem miſſis, quid referrent, acciperet. Facturum ſe Imperator promiſerat; ſed ad ſextũ iterum diem diſtulerat. His ſecundis elapſis, iterum Patriarcha miſerat, rogans, ne ita tempus tereret, ſed Archiepiſcopo, & Epiſcopis accerſitis, quo pacto ſe nepos defendiſſet, cognoſceret; indeque videret, quid in rem Romanam eſſet. Imperator vero reſponderat, nulli eorum licere inquirere, quonam modo ipſe domum ſuã, ſeu res domeſticas moderaretur. Sibi enim curæ fore, quando, quaue ratione illas adminiſtret, ipſum, vt Patriarcham, Eccleſiaſticas curas verſare, & à politicis, Imperatorumque negotiis abſtinere debere.

*XXXVIII.* REDVLSVS AB IMPERATORE QVID EI RESPONDERIT.

Talia denunciauerat Andronicus, quod Patriarchã ea denunciatione terrefactum, libentius taciturum cõfideret. Ipſe vero dignitatis atque officii non oblitus, ad exemplum aliorum, ſic reſpondit.

*Ego, Imperator optime, hortari, ſuadere, & cogere inſuper ad officium, veq; volens, neque inuitus (nimirum ſi comprehendor) prætermittam. Quod ſi tu in tali otio mihi degendum opinare, vt nec lingua vtar, nec auribus, nec oculis; id mihi antequam Eccleſiæ huius Antiſtes legerer, ſignificare debuiſti. Si tum ego quoq; id pro æquo & bono probauiſſem, nunc neceſſe haberem boni conſulere. Sin aliud Patriarchã decere iudicaſſem, alteri, cui talis vita propoſita fuiſſet, thronum ceſſiſſem. Quoniam autem diuino munere, non ſolum germanam Eccleſiæ doctrinam defendo, ſed etiam iniuriam paſſis patrocinari, eorumque tutelam gerere debeo; aduerſari, & contradicere his non ceſſabo, qui deſerta æquitate, plus nimio ſibi arrogant, ſiue illi infimi ſiue ſummi ordinis, & beatiſſimi fuerint. Atq; iſtis quidem vehementius, quanto videlicet eorum iniuriæ maiores, & pluribus detrimentoſæ ſunt. Si enim obſcuros tantũmodo, & modice iniurioſos in ius vocabimus, & iniuſtitiã illis exprobrabimus, aduerſum ſummos autem ſumme nocentes, eorum ſplendorem dignitatemque reueriti, mutire non audebimus; nihil à medicis differemus, qui in capillis & vnguibus occupati, ſuam ibi ſcientiam oſtentant. Sin morbus arripuerit, qui totum animal perdat, ei depellendo nihil faciunt; ſed, ſi vna cum aliis ſedentes, eius interitum aſpiciant, ſufficere arbitrantur. Nec mediocriter miror, dum recordor, iuſſiſſe te, vt res Eccleſiæ curem, illiſque ſolis vacem: te pro libidine Imperium regere ſinam. Simile enim eſt, vt ſi corpus animæ diceret; communione, & coniunctione tua non indigeo; neque in rebus agundis adminiſtram, & adiutricem ſuſtineo: verum per me, vt potero, & vt voluero, negotia mea procurabo: tu tua tibi curato. Omnibus itaque peccantibus, commune remedium dolor de peccatis præſcribitur, ſiue in Deum, ſiue in homines offenſum ſit. Atque nemo reſipiſcet, niſi prius culpa agnita ſeipſo moderatior euaſerit, illi ſe ſubmittens qui ſe ab ipſo læſum putat. Hoc eſt, quod nepotem tuum, & prius plus æquo, & nunc cumulatiſſime feciſſe conſtat. Nam cum potuiſſet tunc parem principatus Romani partem tibi ablatam poſſidere, tamen noluit: ſed tibi ſe ſubiecit, idque cum bello vlciſcendum nihil peccauiſſet, quodq; caput eſt, pace conciliata ad te veniens, in equo, vt erat, propius adequitare, vt Impp. ſolent, pepercit; pedeſter autem te adorauit, tuumq; pedem, expreſſo ſubiectionis indicio, oſculatus eſt. Et nunc poſt bellum hoc excitatum tamdiu ſedet, ſuppliciter orans, ne pacem velis irritam. Epiſcopis, & primoribus abs te miſſis primum quidem copioſe oſtendit, nihil ſe iniuriarum intuliſſe; quin potius accepiſſe, & obtrectationibus exagitatum fuiſſe. deinde pacis conſeruandæ multa dixit, fecitq; memorabilia, & multa ad te perferenda commiſit; quibus auditis, & Deo gratias egi, qui tali eum prudentia ornaſſet, & de probitate eundem commendaui; ac te iiſdem auditis Deo gratias egiſſe arbitrabar; miſſiſq; certis hominibus filium ad te quamprimum adducendum curauiſſe; mala imminentia profligaſſe; omnes lætitia & iucunditate, propter futuram inter vos concordiam compleuiſſe. At tu non modo horum nihil præſtitiſti, ſed inſuper frugifera me conſulentem repuliſti, & tacere, alieniſq; negotiis non immiſcere iuſſiſti. Cum autem muneris, ac officii mei ſit, oppreſſos tueri atque adiuuare quantũ queam, id ipſũ pro nepote tuo Imperatore præſtabo: tantoque magis præſtabo, quãto abs te iniquius tractatus eſt, quam iniquitatem non ille modo, ſed Romanorum vniuerſitas perſentit. Quem ego (minus iſtuc quam cætera ſilere poſſum) tuo mandato paulo ante meis manibus Imperatorem, adeo legitime & iuſte, te libentiſſimo vnxi, & conſecraui, eum nunc abs te ſic nulla ſua culpa expelli, quomodo iuſtum eſt? Aut quomodo non multis perdendus eſſem fulminibus, ſi in tanto ſcelere linguam occluſam gererē? quare denuo te per ipſam veritatem obſecro, vt in viam, vnde peruerſorum mortalium opera detortus es, cito redeas, neque mendacium veritati præponderare ſinas.* Hæc Patriarcha Imperatori, internuntiis Gregorio Charthophylace Cutalæ filio, & Monaſteriorum præſide Cyberiota.

*XXXIX.* PATRIARCHA AB IMPERATORE EIICITVR.

Hæc cum audiſſet Andronicus, intolerabili ira efferbuit, illoſque in carcerem ſtatim abduci præcepit; Macarium Serrarum Metropolitam, in palatio ſub cuſtodia teneri; Patriarcham Patriarchio eiectum, in Manganenſi Monaſterio manere, & ad eum neminem prorſus admitti; profectos vero ad nepotem Epiſcopos, neque ipſos ædibus ſuis pedem efferre, neque ad illos quenquam ventitare. Tulit hæc omnia conſtanter Patriarcha, dato omnibus Eccleſiaſticis Prælatis exemplo, vt pro iuſtitia & æquitate vſq; ad mortē agonizent.

XL. ANDRONICVS IVNIOR OPE S. DEMETRII MARTYRIS MIRACVLOSE PEDIS SANITATEM CONSEQVITVR.

Inter hæc Iunior Andronicus, Theſſalonicam vrbē adeptus, per miraculum ſanitatem pedis obtinuit. Ad Sanctum Demetrii martyris, & myroblytæ, id eſt vnguentum ſcaturientis conditorium proceſſerat. Simul vt precibus eum veneraretur; quippe quem à puero præ aliis martyribus honorabat, & plus in eo ſpei quam in cæteris reponebat, impenſeque illum diligebat: ſimul vt eidem gratias de oblata felicitate rependeret. Peracto vtroque, quoniam etiã pedem in conflictu cũ





Perſis vulneratus, quattuordecim menſibus curari non poterat, multa medicis auxilia fruſtra experiētibus: ſed eo paulatim tabeſcente, doloribus intolerandis cruciabatur, ſoluto calceo, ſancti vnguēto illum parabat perlinere; ita ſecum voluens, quæ ars humana & ſtudium nequirent, ea Deum ſanctis martyribus poſſe concedere. Ablatis faſciis, nudatoque pede; linamentum illud carptum, quod vulneribus inditur (ô magnam Dei ad martyres ſuos honorandos curam & prouidentiam) extra vulnus apparuit; pes autem adeo ſanus, vt nec vulneris, nec cicatricis vllum reſtaret veſtigium, & vulneratuſne aliquando fuiſſet, ignoraretur. Hoc viſo miraculo, magis quam de acquiſita Theſſalonica exultauit Imperator; feruentioreſque & maiores ob hoc beneficium gratias egit, ac tota Ciuitas intellecto in eum edito tam admirabili opere, multas Deo, & Demetrio medico laudes decantauit.

XLI. S. DEMETRII MARTYRIS CELEBRIS MEMORIA ET PLVRIMA CIRCA EIVS CONDITORIVM MIRACVLA

Celebris eſt (quemadmodum Iacobus Pontanus Soc. Ieſu Theologus obſeruabat) apud Græcos pariter & Latinos S. Demetrius Martyr: cuius anniuerſariam memoriam colunt illi 26. Octob. iſti 8. die eiuſdem Octobr. de quo Græci multa & præclara in Menæo, & Metaphraſtus apud Surium tom. 5. & Manuel Imperator Conſtitutione de Feriis. In honorem illius conditũ fuit Conſtantinopoli à Palæologis Monaſterium inſigne, in quo die Natali Martyris Imperatores Conſtantinopolitani rei diuinæ, veteri & ſolemni ritu operam dabant, vt ſcribit Curopalates in libro de officiis aulæ Conſtantinopolitanæ. Ex duodecim Flammulis, quæ Imperatori præferebãtur, vnum effigie S. Demetrii inſignitum erat, vna cum imaginibus S. Procopii, & vtriuſque Theodori Martyrum, vt idē Curopalata auctor eſt. Myroblytem appellabant, quia ex Sacro eius corpore variis languoribus morbiſq; ſalutaris liquor manabat. Cuiuſmodi Myroblytæ Diui ſunt, S. Andreas Apoſtolus, vt toti Orbi notum: exēplumq; extat apud Gregorium Thuronenſem libro de gloria Martyrum c. 31. S. Nicolaus Myrenſis, quem Manuel Imperator in ſua Conſtitutione vocat Myroblitin. Quattuor illi milites duodecimæ legionis, de quibus Procopius lib. 1. de ædificiis Iuſtiniani. S. Catherina. S. Walpurgis. S. Berchariusbbas apud Surium tom. 5. die 16. Octobr. ex ſpeculo Vincentii. Plurima ad ſepulchrum S. Demetrii miracula edebantur, quamobrem in Menæo Thaumaturgi vocabulo honeſtatur. Et certe miraculum quod hoc loco Cantacuzenus commemorat longe illuſtriſſimum eſt, digniſſimumque, quod ima mente apud oēs reponatur. Nec mirandum, tam eximium beneficium, in hominem, à Romana, hoc eſt vera Chriſti Eccleſia alienum collatum eſſe, cum hiſtoriarum monumentis proditum ſit, ingentia miracula aliquando in Ethnicos, & à Chriſtiana religione prorſus alienos, à viris ſanctis, vel iam in cœlum receptis, vel adhuc vitam mortalem agentibus perpetrata eſſe. Imitantur nimirum benignitatem Patris qui in cœlis eſt; qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos Matth. 5. ſuper illos quidem, vt in bonitate & iuſtitia perſeuerent, indieſq; maiores progreſſus faciant. Super hos autem, vt à malitia & iniuſtitia, & à prauis perſuaſionibus, quibus circa Fidei Chriſtianæ dogmata imbuti ſunt, reuocentur. Neq; enim miraculũ hoc per Martyrem Demetrium editum eſt, vt aut Andronicus, aut alii in ſua à vera Eccleſia ſeceſſione confirmarentur; ſed inuocatio, cultus Sanctorum & reliquiarum mortalib. cõmendaretur, vtq; à vero tramite aberrantes, hoc velut lumine diuinitus miſſo illuſtrati, ad Eccleſ. illam reuerterentur, in qua pro Chriſti nomine Demetrius ſanguinem effuderat. Neque enim aliud ſunt, aut S. Martyris Demetrii miracula, aut illa quæ in templo D. Virginis Conſtantinopoli ad Fontes dicto, aut alibi per res Sacras, vt per reliquias, oleum benedictum, aquam luſtralem, ſignaculum S. Crucis, & cætera, in Schiſmaticos, hæreticos, Iudæos & Ethnicos facta ſunt, quam inuitamenta quædam & incitamenta ad verum; imo & ſtabilimenta veri. Neq; enim fieri poteſt, vt Deus vlla miracula confirmandæ falſitati, aut ipſe per ſe, aut per alios edat; cum teſtis falſus, & falſi eſſe nequeat. Porro nihil eſt cauſæ, cur aut ſe, aut alios turbent aliqui, cum extra Eccleſiam vnam, Sanctam, Catholicã & Apoſtolicam audiunt miracula fieri. Nam ſi fiunt extra Eccleſ. fiunt tamen, aut ab eis, qui dum viuerent Eccleſiæ militantis membra erant; aut per res veræ Eccleſiæ; aut in confirmationem dogmatum veræ Eccleſiæ, etiamſi patrentur in illos, qui veræ Eccleſiæ non ſunt ciues. nemo enim vnquam dixerit, nullum miraculum fieri poſſe, niſi erga illum qui ſit veræ Eccleſiæ membrum. Ergo ſi, qui hinc ad alteram vitam in Catholicæ Eccleſiæ cõmunione migrarunt, miracula operētur, ſiue per lipſana ſui corporis, ſiue inuocati per preces, ſiue reſpectu ad reliquias, ſiue alio modo, non Schiſmaticam, hæreticam, aut ethnicam perfidiam & ſuperſtitionem, ſed eã confirmant fidem & Eccleſiam, cuius beneficio ex fluctibus huius vitæ ad æternæ beatitudinis tranquilliſſimum portum peruenerunt. Pari modo cum apud ſegregatos ab Eccleſia miracula eduntur per ſignum S. Crucis, per aquam luſtralem, per oleum benedictum, per exorciſmos, perque alia huius generis mirabilium effectuum organa, non alienæ; ſed Catholicæ fidei & Eccleſiæ robur & auctoritas accedit. Hæc enim licet ab alienigenis vſurpentur, ac proinde vbicumq; vim ſuam exerunt, eam nonniſi vt Catholicæ Eccleſiæ inſtrumenta, & ornamenta exerunt; etiã in non Catholicos, quia gratia Dei diues in omnes, his quoque qui extra ſepta Dominici ouilis vagantur, liberalitatis ſuæ fontes non occludit. Quapropter, quando, vt Socrates ſcribit lib. 7. c. 17. aqua baptiſmi euanuit, cum Iudæus quidam impoſtor, iam ante baptiſmate à Catholico Epiſcopo tinctus, denuo à Nouatiano Antiſtite baptizari vellet; miraculum illud non accidit, vt Nouatianorum hæreſis firmaretur, ſed vt veritas Catholicæ Eccleſiæ de baptiſmo non iterando demonſtraretur. Sic cum per ſignum S. Crucis, per imagines, per lipſana Diuorum, per aquã precibus Eccleſiæ conſecratam, per Exorciſmos, & per cætera eiuſdem claſſis, aut Cælitis alicuius ſingulari fauore & patrocinio, apud hæreticos, Schiſmaticos & Ethnicos opera quædam naturæ vim & facultatē ſuperantia eueniunt, ea alio fine non eueniunt, quã vt à Catholicæ Eccleſ. fide & cõmunione aberrantibus eiuſdē integritas, ſanctitas, & ſinceritas pateſiat. Eius ei gratia, & iſtud in Andronicum Seniorem Imperatorem Schiſmaticum, ab aqua Fontis Diuæ Deiparæ patratum eſt.

QVOMODO ET QVARE MIRACVLA INTERDVM PERPETRENTVR IN HOMINES ETHNICOS ET INFIDELES.

XLII. ANDRONICVS SENIOR IMP. A GRAVISSIMO MORBO PER AQVAM FONTIS D. VIRGINIS CONVALESCIT.

Per id temporis Andronicus, in grauiſſimam ægritudinē inciderat: ex qua moriturũ nocte proxima medici iudicabãt. Et certe omnia mortis certa indicia præceſſerant. Vt enim nox ſerpere cœperat, venarum pulſus illũ penitus deſtituerant: nec erat cur de eius morte amplius dubitaretur. Sub horam quartã, extrema corporis deficiente Spiritu vitali, frigore corripi cœperãt; & iam membra reſoluebãtur, vox tenuabatur, tibiæ genuum tenus nigreſcebant, & brachiorum cubiti nihil differebant mortuis. Supercilia naturali intentione laxata nimium demittebantur: naſus multum acuebatur; tempora receſſerant; & omnia demum, quæ medicis indicia mortis ſunt apparebant: vt & ipſi ante horã prænunciatam moriturum opinarentur. Iamq; parata erãt funeralia, cum aliud præter ſepulturam non expectaretur. Ibi Imperator exili, & velut iã deficiente voce quæſiuit, ſi quid de laticibus illis ſacris, ex perenni ſalutiferoq; fonte Dei Matris licuiſſet habere. Tũc Phacraſina fœmina nobilis, è gynecæo Imperatricis, ad veſperam, vnum de famulis ſuis Byzantio veniſſe, & de aqua illa apportaſſe, dixit; curriculoq; attulit, ac bibendum porrexit. Quam viſus eſt hauſiſſe, omnibus admirantibus, quod cum extremam pene animam duceret, à fide honoreque rebus venerabilibus exhibendo nõ abſtinuiſſet, tamen ad portas mortis nihilo ſecus appropinquare cernebatur. Deinde ea lympha eius corpore perlito, ſecuta eſt quies tranquilliſſima, vt exinde vſq; ad auroram

nec vocem miſerit, nec ſe quoquam commouerit, & vitam ſola reſpiratione teſtaretur. Diluculo autem, ac ſi à mortuis exiſteret, *Gloria tibi Deus*, exclamauit. Tum percunctante Magno Domeſtico, vt ſe haberet; neſcire ſe dixit; Deum ſcire, qui nihil neſciat. Acceſſit interim medicus primarius, tactaque manu ſenſit venam micare exiliter; & ſe tam inopinata re deceptum veritus (in deſperatiſſimis enim ſalutem eius poſuerat) venæ pulſum manu iterum contrectata diligenter, & curios è explorauit. Vtque ſe minime deceptum vidit, obſtupefactus miraculo, clara voce, *Magnus eſt Deus*, inquit, *qui ſolus poteſt ad inferos deducere atque reducere.* Et quia præ ſtupore nondum ſibimet plane credebat, aliorum medicorum turba conuocata lectulum circumdās quæſiuit, ecquid idem de Imperatore ipſis videretur. Quibus aſſentientibus, omnes obſtupuere, immortalique gaudio exiluere. Cœpit vero Imperator è morbo recreari, ac refici, & quaſi à portis inferi redire, & ab hora diei tertia, pulſus motuſque, tenues illi quidem & languiduli, pariter tamen, æqualiterque & manifeſte ſentiebantur, ipſeque leuabatur; & malis omnib. diſſipatis, ab illo die magis ac magis ſe confirmans, perfectam & integrã valetudinem recuperauit. Tanta porro erat rei admirabilitas, vt omnes, non audientes ſolum dictis diffiderent, obiiſſe Imperatorem credentes, ſed propemodũ etiam intuẽtes, non facile oculis ſuis fidem contraderẽt. Quicumque porro in eum candido erant ſinceroque animo, iis morbus ſic ſæuus, inſperataq; ſanitas non vſquequaq; infructuoſa fuerunt; cum vnuſquiſq; tanquã ſuo corpori præſtitũ hoc miraculũ ducens, pia facta Deo rependeret: & alii quidẽ vitia, quib. conſtricti tenebantur deſererent; alii egentibus largiendo, & lytro captiuis redimendis, ciborumq; ad tempus abſtinentia, agnitionem accepti beneficii, gratumq; animum demonſtrarent.

XLIII. CVLTVS ET INVOCATIO D. VIRGINIS QVAM NOBIS SALVTARIS.

Ergo Imperator, ex ſummo periculo, ope D. Deiparentis præter opinionem elapſus, duo nobis Catholicis aduerſus auitæ fidei deſertores & oppugnatores argumenta reliquit.

1. Cultum & inuocationem Sanctiſſimæ Virginis, non ſine fructu in hac quoque vita adhiberi. Si enim mater miſericordiæ, tam benefica fuit in hominem extra ouile Domini oberrantem, quid de eadem cœli Regina ſibi polliceri non poterit, qui eam pie inuocat, debitaq; veneratione proſequitur, in atriis domus Domini, in medio tui Hieruſalem, hoc eſt, in Eccleſia Chriſti.

2. Cultus & obſeruantia in illas res, quæ Diuæ Virginis fauore & beneficio conſecratæ, inter profanas eſſe deſierunt. vt erant ſacri illi latices ex virginis fonte hauſti, quorum non minori deſiderio tenebatur Andron. Imper. atq; olim Rex Dauid aquæ de ciſterna quę erat in Bethleem iuxta portam 2. Reg. 23. Quanta veneratione colebatur olim non modo à Chriſtianis, ſed & à Iudæis, & Saracenis fons apud Nicopolim Palęſtinæ, Chriſti contactu ita ſanctificatus; vt non modo ægritudinibus hominum, ſed & brutorum morbis ſalutaris eſſet, vt Sozomenus & Cedrenus ſcribunt, quemadmodum & arbor Perſica Hermopoli, quæ eiuſdem Seruatoris noſtri tranſitu, & ſub tegmine eius quiete, ſimilem vim medicam accepit. vt taceam fontem illum infantis Ieſu in Ægypto, de quo Brocardus in deſcriptione Terræ ſanctæ: & alia innumera, per quæ cælites ingentia olim miracula fecerunt, in omnis generis & conditionis homines, vt oẽs ad agnitionẽm veritatis, quæ vna eſt, adducerentur. Neq; enim miraculis à quocunq; Diuo quocumq; loco aut tempore patratis, vlla alia fides probata & confirmata eſt, quam illa, qua ipſe dum hanc vitã viueret, claruit, hoc eſt, Catholica & Romana vt dictum eſt. Nec, niſi huic fidei atteſtantur miracula. *Nam & ipſi Martyres* (vt ait Auguſt. lib. 22. de ciuit. Dei c. 9. & cæteri Cœleſtium Sedium incolæ) *huius fidei Martyres, id eſt huius fidei teſtes fuerunt: huic fidei teſtimonium perhibentes mundum inimiciſſimum & crudeliſſimum pertulerunt, cumque non repugnãdo, ſed moriendo vicerunt. Pro iſta fide mortui ſunt, qui hæc à Domino impetrare poſſunt, propter cuius nomen occiſi ſunt. Pro hac fide præceſſit eorum mira patientia, vt in his miraculis tanta iſta potentia ſequeretur.* Hæc S. Auguſtinus.

XLIV. DE FONTE D. VIRGINIS MIRACVLIS CELEBRI.

Quod fontem illum attinet, de eo copioſe Niceph. lib. 25. c. 25. & 26, in actis Leonis Thracis, qui ad eundẽ fontem, templum Dei matri eiuſdem monitu erexit, deq; miraculis ibidem editis, librum Nicepho. ſcripſit. Fons hoc itidem tempore extat, templum Barbarorum immanitate periit. de quo hæc auctor Pandectæ hiſt. Turcic. c. 200. Inde, ait, peruenitur ad decimam ſextam videlicet Silyuriæ vel Selybriæ portã, quæ à priſcis aurea porta nominabatur, & porta fontis. Nam extra portam hanc eſt hodieque fons qui χρυσοπηγὴ, vel aureus fons à Græcis antiquo nomine dicitur, celebris in eorũ hiſtoriis, quæ ſæpenumero Palatii πηγῆς ſiue Fontis mẽtionem faciunt, & templi Deiparæ Virginis ad πηγὴν ſiue Fontem. Ædificia nunc diruta ſunt, fundamẽtis adhuc extantibus, & ipſo Fonte, quem hodie Græcorum vulgus χρυσοπηγὴν appellat, & inuiſere magno concurſu, certo anni tempore, veluti ſi Deiparæ templum adhuc incolume ſtaret, conſueuit. Aurea porta nunc etiã reliqua conſpicitur, ſed obſtructa. hæc ille.

XLV. ANDRONICVS MORITVRVS PETIT HABITVM MONASTICVM.

Andronicus porro, ea quã diximus infirmitate correptus, cum ſe moriturum exiſtimaret, multiſque precibus Annam Imperatricem Mariam filiam tunc vtero geſtantem Magno Domeſtico commendaret, & iſtud quoq; addit; Comprehenſam eius dexteram, dexteræ Imperatricis implicuit; & ante illius imaginem, quæ ſupra naturam ad ſalutem humani generis Deum Ieſum Chriſtum peperit; *Tibi*, inquit, *hanc, & Romanos omnes trado, atq; commendo: tibi ex hoc curæ erunt.* Dixit iſta, & poſt aduocatis medicis, per Deum viuorum ac mortuorum illos adiurauerat, ne ipſum vetarent Sancto habitu Monachorum indui: aſſeuerans, potius eligere ſe in hoc habitu quotquot annis ſuperuiueret, pro commiſſis antehac ſe punire, ac per pœnitentiam Deo ſeſe cõiungere, quam potentia ſeptum, nec diuinæ gratiæ cooperatum emori. Cum autem Magnus Domeſticus, ne indueretur caueret, ille deinceps vrgebat, hæc repetens: non ideo eum habitum requirere, quia, inquit, de vita prorſus deſperaſſet, ſed quia arbitraret, etiamſi firmam ſpem ſoſpitatis haberem, in vtramque partem id mihi bono fore. Si enim, ait, viuorũ numero exẽptus fuero, proderit mihi coram incorrupto iudice, in terribili illo iudicio cũ pœnitentiũ habitu apparere: ſiue conualuero, multo melius erit, conceſſum viuendi ſpatiũ, in peccatis meis per pœnitentiã expiandis conſumere. Addebat hæc ad M. Domeſticum: Ne, inquit, amicorum optime, tanto malo me mactaueris; neue ſalutis meæ ſpem prodideris: ſed quemadmodum crebro pro hoc miſero corpore, cupidiſſime ſtudioſiſſimeque te in diſcrimine obtuliſti: ſic nunc multo in maiore periculo verſantem animam meam defende; idque non propter amicitiam noſtram ſolum, verum etiam, ne vniuerſorum iudex pœnas abs te repoſcat, qui, quantum in te fuit, animam illi abſtuleris, pro qua ipſe in cruce ſuffixus necem pertulit. Nolit hoc tempus, quæſo, tam neceſſariũ, quodq; in multis precibus cum ſtudio ſingulari ponendum eſt, negligere atque conterere; quod ſi nunc prę: erierit, fruſtra requiretur. *Cantacuz. lib. 2 hiſt. c. 16. & 17. & l. 1. c. 50. & 35.*

Tam anxie Andronicus habitum Monaſticum moriturus poſtulauit, quod crederet homines religioſos, ſiue Monachos ſecurius, coram tribunali illius æterni, ac iuſtiſſimi iudicis apparere. Ita etiã apud Nicetam lib. 7. Manuel Comnenus, monaſticum poſtulauit habitum, ac miniſtri cucullam, neſcio vnde nacti, mollib. & regiis veſtibus detractis, aſperoque illo diuinæ vitæ indumento illi inducto, in ſpiritualem illum mutarunt militem, & galea diuiniore, thoraceq; honeſtiore in cœleſtis Imperatoris album retulerunt. Wolfius cum iſta ex MS. codice conuerteret, *cucullam* ſeu *veſtem Monachalem*, vt hæreticus ferre non potuit: tranſtulit enim. *ſpiritualem veſtem nigro panno, omnis ornatus expertem, miniſtri neſcio vbi nacti.* Illud autem quod præcedit, τὸ μοναδικὸν σχῆμα ᾔτησε penitus omiſit. Fideliter, ſi ſuperis placet.

IESVS



# IESV CHRISTI
## Annus 1329.
### IOANNIS PAPÆ XXII. ANNO 13. & 14.

I. PHILIPPVS REX FRANCIÆ MASSILIAM PROFECTVS IOANNEM PAP. CONVENIT AVINIONE.

PHilip. Francorum Rex, hoc anno, menſe Iulio, Maſſiliam Religionis cauſſa, exiguo comitatu profectus, preces ad aram Ludouici Tholoſatium Pontificis in cœleſtes relati fudit, & in reditu, Ioannem ſummum Pontificem Auinione ſalutauit. Ibi remotis arbitris cum eo locutus, de ſacro bello, deq; Italicis rebus, die 8. diſceſſit. *Maſſon. l. 4. annal.*

II. LVDOVICI BAVARI, PETRI CORBARII ANTIPAPÆ ET MICHAELIS CÆSENATIS SCHISMATICORVM AVDACIA ET IMPIETAS.

Erat quod conferrent, de Schiſmate, à Ludouico Bauaro, & Petro Corbario excitato: deq; ſtatu, non Italiæ tantum, ſed fere vniuerſæ Europæ, ab illis perturbato. Iuuat meminiſſe, quæ tum anno ſuperiore, cum per id tẽporis vterq;, & pſertim Petrus tentauerit. ſcil. cum ſeductor ille, & Schiſmaticus, & hæreticus manifeſt⁹, Ludou. à Bauaria (quemadmodum Petrus Corbaria in ea q̃ recantauit Palinodia memorabat) dudum iure ſi quod ſibi fuerat quæſitũ ex electione diſcordi, de ipſo in Regem Romanorum celebrata, iuſte priuatus fuiſſet per ſedem Apoſtolicã, ac vt hæreticus & fautor hæreticorum notorius, de multis hæreſibus, & fautoriis hæreticorũ, ac Schiſmatib. condẽnatus, ad vrbem Romanã imbut⁹ diabolico Spiritu perueniſſet, ac religioſus vir miniſter Rom. prouinciæ, Ordinis Fratrum Minorum, atq; Dominus Ioan. Dei gratia S. Theodori Diaconus Card. ſedis Apoſtolicæ & Ioan. ſummi Pontificis Legatus, pro maiori obſeruatione interdicti, cui tunc per ſummum Pontificẽ vrbs erat ſuppoſita, eiuſdẽ Ludouici aduentu percepto, Petro Corbario & aliis Fratrib. in eadẽ vrbe commorãtibus, ſub virtute obedientiæ, & excõmunicationis pœnis, quas non parẽtes ipſo facto incurrerẽt, publice iniunxiſſent, vt dictã vrbem oẽs & ſinguli exirent, Frater tamẽ Petrus, præceptis huiuſmodi non obſtantib. in eadẽ vrbe, pſente peſſimo hæretico & Schiſmatico Ludouico, & aſſiſtẽtib. ei plurib. aliis Schiſmaticis & ẽt hæreticis condẽnatis & per Ioan. ſummũ Pontificẽ Eccl. Sanctã Dei reprobatis, pertinaciter remanere præſumpſerat: & in ea, licet eſſet iuſte & ſancte per Romanũ Antiſtitẽ Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita, diuina ſæpius celebrauerat, imo quantum in eo fuit verius profanauerat. Deinde cum idẽ perfidus Lud. datus in reprobum ſenſum, ſe feciſſet de facto in Imperatorẽ à certis Romanis perfidis coronari, & contra Ioã. Pontificẽ diabolicã & iniquiſſimã depoſitionis, imo verius abuſionis ſententiã promulgaſſet, & proceſſus diuerſos temerarios, falſos, & iniuſtos publicaſſet, Petrumq; ad quorumdã infidorum principalium Romanorũ Clericorum & laicorum inſtantiã eius ſequentium, vna cum certis de clero & populo perfidis eius cõplicib. & fautorib. ad hoc ſecũ vocatis, in Pp. & ſummũ Pontificem, imo verius antipapam dãnatum & peſtiferum eligiſſet, ille miſer inductus, imo ſeductus, & multorum tã clericorum q̃ laicorum Ludouici fautorum & ſequacium dictæ vrbis precib. importunis & purgentib. inſtãtiis, ac infeſtis falsò & erronee aſſerentium, quod Papã Imperator deponere poterat, & loco depoſiti alium ordinare: & quod per conſequẽs eidẽ hæretico & Schiſmatico Ludouico, q. tunc in futurum Imperatorem denuo ſe coronari de facto fecerat, & ſummum Pontificẽ abuſiue depoſuerat, in ea ſuperbiſſima elatione more Luciferi, ambitioneq; dãnabili, nihilominus excæcatus, in execrãdã huiuſmodi electionem tam nefande q̃ reprobe, imo malitioſe cõſenſum ſuum temerariũ & omni pœna digniſſimum non erubuerat adhibere: ac ſubſequẽter cõſecrari, imo execrari ab hæretico & ſchiſmatico Iacobo dudum Caſtellano Epiſc. & excõmunicato, & depoſito: deinde ẽt coronari à dicto Ludouico de Bauaria hæretico ſe permiſerat, licet ad eum etiamſi verus Imperator exiſteret, ſicut reuera non erat, Petruſq; verus eſſet Pp. ſicut in veritate nõ erat, ſed antipapa potius, (verbis cõfeſſionis Petri ipſiſſimis, rem narrare volui) ſchiſmaticus, hęreticus, & iniquus, nequaquam talis coronatio pertineret. Item, quod Cardinales, imo verius anti-Cardinales, & oẽs officiales, quos verus Pp. eſt habere ſolitus, de facto ordinare Petrus pſumpſerat, bullãq; more Pp. licet eſſet reprobus & damnatus, fieri fecerat, & habuerat, eaq; vſus fuerat temere & vbiq;. Item vt ſtatum ſuũ peruerſiſſimũ, & Ludouici prædicti damnati, atq; falſas opiniones hæretici & ſchiſmatici Michaelis de Cæſena dudum Miniſtri Generalis Ordinis prædicti Fratrum Minorum, quod Chriſtus, & eius Apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, non habuerunt, niſi tantum vſum facti ſimplicem, potuiſſet fortius ac pprius ſtabilire, Dei timore poſtpoſito, extendens ad omnia illicita manus ſuas, proceſſus & depoſitionis ſententiã Ludouici manifeſti prędicti hęretici. & de plurib. hæreſib. condemnati, contra ſummum Pontificem habitam & fulminatam, ſupplens omnem defectum, ſi quis eſſet in ipſis, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, non ſolum illos confirmare, & ſui ſcripti cõmunire patrocinio, nõ erubuerat, ſed ẽt de nouo ſententiare pnunciare, & declarare, ac prædicare publice, omnia & ſingula in dictis pceſſibus promulgata præſumpſerat. In quib. quidem proceſſibus, Ludouicus prædictus pronunciabat & declarabat fore hæreticum, & ſcripturę ſacrę contrarium, dicere; quod Chriſtus & Apoſtoli, in his q̃ habuiſſe leguntur, habuerunt aliud quã ſimplicem vſum facti. Ex qua quidem pronunciatione euidenter concluditur. & Ludou. & Petrũ, ex cõfirmatione, pronũciatione & pdicatione prædictis, in damnatã hæreſim per ſententiam Apoſtolicam, de Fratrum promulgatam conſilio incidiſſe. Et nihilominus Petrus Corbarius, ad diuerſos Reges & Principes ſuas literas deſtinauerat, per quas ad eorũ notitiã deducebat, quaſi Io. ſummus Põtifex (cui multa falſa, hæretica, & erronea in eiſdem literis imponebat) ſuggerentib. dictis hæreticis Ludouico & Michaele ac iuxta votum ſuum ordinantibus, per eumdem Ludouicum, ac per ipſum eſſet depoſitus: & finaliter Reges & Principes exhortabatur nihilominus & rogabat, ne Ioanni vero Pontifici tanq̃ Pp. parerent in aliquo, neue fauores aliquos exhiberent, ſed contra illum potius, ſibi & Ludouico præberent auxilium & fauorẽ. Neq; his Petrus contentus tam in vrbe, quam alibi, in plurib. ciuitatibus, & locis aliis, Clericos ſeculares & Regulares cõpulerat, vt non obſtante dicto interdicto, cui per ſummum Pontificem erant ſuppoſita loca ipſa, in eiſdẽ celebrarent, imo vero quãtum in eo fuerat, diuina profanarent. Item talia, tam in vrbe, quam alibi Petrus antipapa impoſuerat: pro quibus, calicibus, ornamentis, & nõnullis reb. aliis ipſas Eccleſias ſpoliauerat: fideles inſuper Prętatos nonnullos & alios Clericos, dignitatib., & aliis Eccleſiaſticis beneficiis, in illis pficiendo aut hęreticos, vel ſchiſmaticos, vel eorum fautores, & plerũq; non abſq; Simoniaca prauitate, priuauerat: quibus (reiectis ẽt illis, ſc. quorum hæc prælatio intererat) de facto, cum de iure non potuiſſet, per ſe, vel per alios munus conſecrationis, imo verius execrationis impẽderat. Cõtra quoq; Fratres Minores, non parentes Michaeli prædicto, tanquam Generali Miniſtro (qui tamen reputatus erat iuſte & condemnatus de hæreſi, & hęreticus, ac ſchiſmaticus declaratus, & alius per Generale Capitulũ Ordinis Minorum concorditer in Generalẽ aſſumptus) & contra ſeruantes interdicta, per ſummum Pontificẽ, vel Legatos, ſeu officiales ipſius pmulgata, vtroq;, ſpirituali videlicet & temporali gladio procedere non expaueſcebat, eidemq; Michaeli, & ſuis ſequacibus, hęreticis & ſchiſmaticis iniq; iniuſte ac temere, auxilium & fauorẽ impendebat. Indulgẽtias inſup & diſpẽſationes ſedi Apoſtolicæ reſeruatas pręſumpſerat de facto, & etiã faciendo concedere. Nonnullos quoq;, qui pro Pontificibus ſe gerebant, cõmiſit, vt ſacros Ordines celebrarent: in quib. Ordinib. illi plures promouerãt temere, cum eis virtute præfatæ licẽtiæ nõ liceret. De Patrimonio quoq; B. Petri, in nonnullis locis ad tempus, & interdum in ppetuum diſponere, nõ expauerat: atq; plura

contra

contra Deum ſanctamq; Eccleſiam Catholicam, ac Ioannem ſummum Pontificem, verum & vnicum Chriſti vicarium commiſerat. *Ex formul. Conf. Petri Corbarii, apud Maſonium in Ioanne XXII.*

III. PETRVS CORBARIVS PSEVDOPAPA NIMIA PRÆSVMPTIONE IOANNEM PP ET ALIOS DIRIS DEVOVET.

Inter hæc ad 29. diem Ianuarii huius anni, Ioannem Vicecomitem, in gratiam Actii & Marci gētilium illius, Cardinalē titulo S. Euſtachii creauerat, & Legatum Lōbardiæ pſecerat: deinde in pleno conſeſſu, ſeu conciliabulo Piſis, ad 18. Feb. in coram Ludouic. indicto, Ioan. inprimis ſummum Pontificem, deinde Robertum Sicilię Regem, ac Florentinos Eccl. Rom. deuotos, nec non alios partium Pontificiarum ſtudioſos, diris, per contumeliam deuouerat: vtq; omnes Piſani tātam abominationem abhorrētes, tum comitio intereſſent, tum actionibus iniquiſſimis ſubſcriberent, miſſo Mareſchallo homine feroculo qui adduceret, quiue compelleret, tentauerat. Duo tunc, eodem die, quo Piſanum conciliabulum celebrauerat, nonniſi per miraculum acciderunt. Clero & populo Schiſmatico, cum pſeudopontifice & Bauaro, in area publica congregato cum maledicta & conuitia, in Ioannem, & ſedem Apoſtolicam Petrus antipapa pronunciaret, tanta ſubito pluuiæ mixtæ grandini inundatio, cœlitus, vna cum nymboſa tempeſtate aduenit, vt necdum comitio perfecto omnes diſſipauerit, domūq; abire compulerit. Mareſchallus vero qui per vicos & compita obequitans, populum ad audientiam dirarum cogebat, ex intemperie aeris frigore immoderato obrigeſcens, cum ex medicorum conſilio balneum æquæ quam vitæ vocant ingreſſus veſperi fuiſſet, ea igne fortuito concepto, hominem exuſſit, certiſſimo indicio, Deum, actiones Petri & Bauari iuſto odio deteſtari. *Ioan. Villani l. 10. c. 119. & 123.*

IV. PISANI MEDIOLANENSES ET ALII DEFICIENTES A LVDOVICO BAVARO IOANNI PP. FIVNT SVPPLICES, AB EOQVE ANATHEMATE EXSOLVVNTVR.

Ioannes Actii patruus, à pſeudopontifice Nicolao, ſuffragante Bauaro Cardinalis creatus, cum vir eſſet ſummæ prudentiæ atq; grauitatis, beneficium nullum agnouit ſed ſpreuit, vſuq; purpuræ & galeri honore ſemper abſtinuit; non obſcure in gratiam Ioannis legitimi Pontificis, inſigni quidem ipſius cum laude ac cōmodo. Nam ei Ioan. Pontifex Epiſcopatum Nouarienſem poſtea cōtulit, quo permutato demum, cum F. Aychardo Camedoio, Archiepiſcopus Mediolanēſis effectus eſt. Piſani tanta indignitate, quātam à Petro & Bauaro commiſſam in legitimum Pontificem viderant commoti, non obſcure homines oderant, eaq; ſigna offenſi animi oſtenderant, vt Bauarum quinto poſt die ſatietas Piſanæ vrbis cœperit, eaq; relicta in Lombardiam maturarit. Dolebat Piſanis, quod ab Ioanne vero Pontifice, anathemate damnati, ſacriſq; priui eſſent, Itaq; Ludouico abeunte, Tarlatum Aretinum ab illo Vrbi Præfectum, ſtatim eiecerunt, & à Bauaro defectione facta, conſenſu omnium publico, Nicolaum pſeudopontificem, quem diſcedens Ludouicus, Bonifacio Comiti Doneratico commendarat, comprehenderunt, & in cuſtodiam tradiderunt, quidq; de eo ſummus Pontifex decernere vellet, miſſa legatione quæſiuerunt. Ita illi quod à Bauaro damnato defeciſſent, ab Ioanne Pontifice expiari, & ſacra ablata recipere meruerūt: cum primum Ioanni Pontifici coram Legato ab eo deſtinato, ſe obſequentes ac fideles futuros in poſterū, ſancte ſpopondiſſent.

PISANI NICOLAVM PSEVDOPAPAM CVSTODIÆ MANCIPANT.

Mediolanenſes quoq; cum immanis auaritiæ tyrannum ſe recepturos Piſis redeuntem pernegaſſent, eumq; mœnib. tam fortiter quam conſtanter excluſiſſent, ad dies Septembris eiuſdem anni, anathemate exſoluti, ab Ioan. Pontifice in gratiam & communionem Eccleſiæ admiſſi ſunt. Mediolanenſium exemplo, Modoetiani quoq;, fortunis ſuis nō temere metuētes, venienti Bauaro portas occluſerunt, neq; per arcē aditum in oppidum dare ſtatuerunt: præſertim quod Lambrus amnis tunc intumuiſſet, & ſi qui vadum tentarent, profluente mergerentur. Eo modo is ludibrio habitus, infamis auaritiæ pœnas ferens, cum non multo poſt p ſocios vrbes pdabūdo ſimilis vagaretur, ne cōſiliis ſuis expeditum exitum reperiret, Gibellinis pariter & Guelphis odioſus, ad ſecundum diem Decembr. Italia expilata exceſſit, inq; Germaniam reuerſus eſt. Genuenſes etiā Beringeriū Mariū Genuenſem ciuē, Franciſciſcana inſtituta pfeſſum, Archiepiſcopum à Nicolao creatum, accipere recuſarunt, ſeq; in fide & obedientia Ioannis Pōtificis fore, teſtati ſunt. In eo deteſtabili rerum ſtatu, cum religio ad ſtudia partium accōmodaretur, cumq; Eccleſia bifariam ſciſſa, Guelfi quidem Ioannem XXII. qui ſedem ac domicilium Auinione collocatum habebat, verum Pontificem ſequerētur: Gibellini a. ad partes Nicolai antipapæ, iuſſu Ludouici aduerſus Ioannem vitio creati tranſiſſent, omniaq; tum in Italia, tum in Germania per turbulentos miſcerentur, habuit Ioannes Pontifex, quod cum Rege Philippo, & ſacro Cardinalium cœtu in commune conferret. *Iouius in Actio. Villani l. 10. c. 130. & ſeq. plurib. Folleta hiſt. Genuenſ. l. 6. Donatus Boſſius in Chron. Mediol. hiſt. Piſtorienſ. huius temp.*

V. IO. PP. MICHAELEM CÆSENAM EIVSQVE SEQVACES DAMNAT.

Itaq; inprimis, q per id tēporis, per falſos religioſos, Dei atq; Eccleſiæ rebelles, multi errores in fide, atq; in Ioannis Pontificis perſonam prædicarentur, multæq; contentiones atq; ignominioſa certamina in publicis prædicationibus, vidente & audiente populo committerentur, Ioan. Pontifex data *ep. num.* 25. Inquiſitoribus vt dogmatizantes contra reuerentiam Apoſtolicæ ſedis comprehenderent, ac de plano & ſummarie vt vocant, in eos animaduerterent, ſerio edixit. *Boſſ. ſup. & regeſtr. Ioann. hoc anno.* Inter hos, cum Michael Cęſenas anteſignanus cenſeretur, & neq; precibus moueretur, neq; minis deterreretur, quo minus Ioanni Pontifici octo falſos errores adſcriberet, contraq; illum publice & priuatim vbiq; locorum deblatteraret, ſeq; pro miniſtro Ordinis Minorū adhuc temerarie ageret, & Fratres Ordinis Minorum in ſuas partes traheret, Schiſmataq; in populis ſeminaret: aduerſus perfidum, apologiam Ioan. Pontifex, erudito, copioſo, & veritatis calamo ſcripſit, eumq; ac illi⁹ dogmata dānauit ac ſocios, & ſequaces, cœtu piorum excluſit: cum hæc edicto ſuo breuiter pſcripſiſſet.

*Quia vir reprobus Michael de Cæſena, dudum Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum, qui ſuis exceſſibus exigentibus, de Monaſteriatus officio per nos, de Fratrum Minorum conſilio priuatus, & inhabilis redditus ad quaſcūq; dignitates, & officia obtinenda fuerat iuſtitia exigente, conuerſus in vaniloquium, non intelligens quæ loquitur, neq; de quibus affirmat, in illam prorupit inſaniam, quod tres Conſtitutiones noſtras, videlicet, Ad conditorem canonum: Cum inter nonnullos: & Quia quorumdam: niſus eſt multipliciter impugnare: aſſerendo inter alia hæreticum, quod dicta Conſtitutio, Cum inter Catholicum aſſerit, & Catholicum quod Conſtitutio eadem hæreticum declarat: & vt ſua inſania pluribus eſſet nota, libellos ſuos continentes impugnationes prædictas, ad diuerſas mundi partes deſtinare, & ipſos affigi in portis Eccleſiarum, & locis aliis temeritate plectibili attentauit: propter quæ & plures ipſius exceſſus alios, de eorundem Fratrum conſilio, fautor hæreticorum, & hæreticus exigente iuſtitia fuit declaratus: prout in noſtris ſententiis latius continetur. Licet impugnationes prædictæ adeo ſint inualidæ notorie, quod ſint reſponſione indignæ: quia tamen impius in impugnationibus arma ſumit contra legem ex lege, ac Euangelium impugnat ex Euangelio, & de veris fingens mendacia, prouocat ad mendacium veritatem: ideo ne ſimpliciū corda poſſint inficere erronea ac hæretica ſua dicta, ſucceſſiue duximus ſuis oppoſitionibus, vt ſequitur, reſpondendum.*

Hæc cum præfatus eſſet Ioannes, ad ſingula copioſe reſpondit, hominemq; reprobum damnauit. Auinioni 16. Kal. Decembr. Pontif. anno 14. anno Domini 1329. cum etiam hoc anno die 10. Iunii, Fratres minores Pariſiis in Capitulo Generali, eumdem Michaelem gradu & officio motum pronunciaſſent, & Gerardum Odonis in eius locum ſurrogaſſent: proceſſuſq; & ſententias Ioannis Pontificis in damnatum latas promulgaſſent.

Iſta ipſa eſt Patrum Minorum ſententia, quam ſubiungo.

Vniuerſis præſentium notitiam habituris, Frater Gerardus Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter & ſeruus, ſalutem in eo qui eſt omnis noſtra ſalus.

VI. SENTENTIA DAM-

*Euangelica veritas proclamat: ſi quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Quia ergo Frater Michael de*

Cæſena,



*Cæſena, olim Deo permittente, memorati Ordinis Generalis Miniſter, nunc autem procurante diabolo, tanquam diffidentiæ fili⁹, Spiritu rebellionis & contumaciæ deprauatus, & ab officio Miniſtri, ſua quidem exigente contumacia depoſitus; nec non & aliqui ſuæ Religionis complices, puta FF. Bona gratia de Bergamo, & Guillel. Ocham Anglicus, & F. Franciſc. de Eſculo ſacræ Theologiæ Doctor indoctus, & quidam alii in iſtorum errorem inducti: Petrus etiam de Corbaria prædicti Ordinis noſtri profeſſor fictus, & falſus, antichriſtiana impietate in antipapam intruſus, & per dilectum in Chriſto Fratrem Ioannē Miniſtrum in Prouincia Romana prius pro ſuis demeritis excommunicatus, & ad pœnā perpetui carceris ſententialiter condemnatus, ſalubrem S. Romanæ Eccleſiæ & Religionis ſuæ vocem audire propria ſalute relicta, & ſaluatoris auctoritate contempta, contēnunt: hinc eſt q ego præfatus Miniſter Generalis, in Generali Capitulo Pariſiis, Anno Domini 1329. in Pentecoſte celebrato, matura nimirum cum Prouincialib. Miniſtris & cæteris Definitorib. ipſius Capituli deliberatione præhabita, de ipſorum Miniſtrorum & Definitorum concordi conſilio & conſenſu vnanimi, proteſtatione præmiſſa, proceſſibus ſanctiſſimi Patris & Domini D. Ioannis Papæ XXII. veri in terris Vicarii Ieſu Chriſti, ac proceſſib. Reuerendi in Chriſto Patris Domini Bertrandi Epiſcopi Tuſculani, & ſæpe dicti Ordinis noſtri dudum auctoritate Apoſtolica Vicarii Generalis non intēdam in aliquo derogare, ſed eos tanquam iuſtos & ſanctos pro viribus imitari. conuocato communi ex more Capitulo, & ad ipſum cunctis admiſſis Fratribus, qui poterant intereſſe, ſedens pro Tribunali in domo noſtri Capituli ante clauſtrum, memoratos rebelles pronunciaui & declaraui, excōmunicationis priuationiſq; pœnas, tanquam notorios & manifeſtos Apoſtatas incurriſſe, quæ per Generalia noſtri Ordinis ſtatuta Fratrib. ab obedientia ipſius Ordinis ſe ſubtrahentibus, & apoſtatantibus eſſe noſcuntur inflicta. Inſuper in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis prædictis inhibui & mandaui, Vniuerſis Fratrib. Ordinis ſæpedicti ne ipſorum aliquis prædictis Fratib. Michaeli vel Petro, qui dicitur antipapa, obediat, adhæreat, vel faueat vllo modo, ſed nec eiſdem, vel eorum complicib. aliquomodo per ſe, vel pel alium præſtet directe vel indirecte, mediate vel immediate, verbo vel ſcripto, publice vel occulte, protectionem vel defenſionem, ſubſidium, conſilium, vel fauorem. Et has inhibitionem & iuſsionem, præſentium tenore replico & confirmo: & ſi, quod abſit, per aliquem vel aliquos contrarium harum inhibitionis & iuſsionis attentatum vel factum fuerit vllo modo, ego talem vel tales, canonica monitione præmiſſa, pœnas prædictas excommunicationis & priuationis ipſo facto incurriſſe decreui, & iterum præſentium tenore decerno. Cæterum ne de prædictis, inhibitione, iuſsione, & pœnis aliquis poſſit ſe per ignorantiam excuſare, & occaſionem accipere non redeundi ad obedientiam ſalutarem, prædictis prouincialibus Miniſtris in virtute obedientiæ ſalutaris, diſtricte præcepi, prout de ipſorum definitorum, & aliorum Fratrum conſilio & aſſenſu fuerat vnanimiter definitum, quatenus ſinguli in ſuarum Prouinciarum Capitulis, more canonico prædictos rebelles citent, & citari faciant, vt infra tres menſes ab ipſis citationibus computandis, coram me, vel coram ipſis humiliter compareant, iuriſdictioni noſtri Ordinis parituri, aut iuſtitiam cum miſericordia recepturi; ne in ſua duritia perdurantes infelici fine damnabiliter concludantur.* Actum & datum loco & tempore ſupradictis.

VII. ALIA IOANNIS PP. IN EVNDEM SENTENTIA.

Et quidem hæc Generalis Miniſter contra rebelles hoc anno decernebat: neq; tamen ſententiæ Ioannis Pontificis, his ipſis diebus latæ derogare quicquam volebat. Ita ea habet.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam,

*Ad noſtri Apoſtolatus auditum, dudum fida relatione perducto, quod Michael de Cæſena olim Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter tunc exiſtens in vrbe, nonnulla cunctis deteſtanda Catholicis procurare contra ſanctam Dei Eccleſiam, in fauorem hæreticorum & rebellium ſubdole ſatagebat: Nos obuiare præmiſſis ſalubriter cupientes præfatum Michaelem, vt infra certum ſibi præfixum terminum coram nobis ſe præſentaret perſonaliter, per noſtras literas duximus euocandū. Qui aſſumptis fictitiis & fraudulentis excuſationibus, velut de præmiſſis ſibi male conſcius, ſicut etiam poſtmodum rei probauit exitus infra præfixum ſibi ſuper hoc terminum minime comparere curauit, ſed eodem elapſo termino per terras hoſtiū & rebellium eiuſdem Eccl. tranſiens, & loca vitans fidelium, ad Romanam applicuit Curiam, in qua reſidendo poſtmodum, cum neſciret à ſuis execrandis deſiſtere conceptibus, nedum præmiſſa continuare nefanda, ſed peiora & horribiliora prioribus, eiſdē adhærendo nihilominus hæreticis, ac rebellibus, & præſtando contra ipſam R. Eccl. auxilia, conſilia & fauores, cōmittere continue non expauit. Præmiſſis itaq; ad notitiam noſtram, fide digna relatione perductis, Nos ea velut in diuinæ maieſtatis offenſam, ac Eccleſiæ, fideiq; Cath. læſionem redundantia, præterire ſalua conſcientia ſilentio nequeuntes, præfato Michaeli ad noſtram propter hoc præſentiam euocato, præſentib. Venerabili fratre noſtro Bertrando Epiſcopo Tuſculano, & dilectis filiis Raymūdo de Ladotz Procuratore Generali, ac Petro de Prato Miniſtro Prouinciæ S. Frāciſci, & Laurentio de Coalho Baccalaureo Cōuentus Fratrum Auinionenſ. prælibati Ordinis, prædicta ſerioſius explicanda duximus, eidem apertius prædicentes, quod ſuper eis volebamus inquirere veritatem. Cumq; ad hoc breuis mora temporis nequaquam ſufficeret, præfato Michaeli, qui licet poſſet, & deberet ſuis exceſſibus exigentib. carcerali cuſtodiæ rationabiliter mancipari; volentes tamen eumdem ob prædicti honorem Ordinis tractare humanius, ſub excommunicationis, ac depoſitionis ab officio, & inhabilitationis ad quoſcunq; honores, dignitates, gradus, & ſtatus Eccleſiaſticos pœnis & ſententiis, quas omnes & ſingulas ipſum incurrere voluimus ipſo facto, ſi contrarium quomodolibet attentaret, nec de Ciuitate Auinion. vbi cum noſtra Curia reſidebamus, ſicut & nunc reſidemus, abſq; noſtra licentia quouis modo recederet, diſtrictius duximus inhibendum.*

*Verum poſtmodum præfatus Michel audita intruſione illius nequā viri hæreſiarchæ, ac ſchiſmatici manifeſti Petri de Corbario, per illum iniquitatis filium Ludouic. de Bauaria, Dei, & Eccl. ſuæ ſanctæ. Fideiq; Cath. crudelem perſecutorē & hoſtem tunc patrata, in vrbe, furtiue ac latenter de Curia noſtra recedens, nocturno tempore, venire ad portum de Aquis Mortuis feſtinauit, ad quem quandam armatā galeam ſibi per dictū Ludo. mitti, ſicut patronus eiuſdem galeæ aſſeruit procurarat. Poſtmodū a. aſſociatis ſibi quibuſdam nequitiæ ſuæ complicibus, videlicet Bonagratia de Ordine prædicto, qui ſuis exceſſib. & delictis exigentibus, in prædicta Curia areſtatus, ad ſancta Dei Euāgelia iurauerat, ſe de prædicta Curia ſine noſtra licentia nullatenus receſſurum, & quodā Anglico vocato Guillelmo Okam Ordinis prædicti, contra quem ratione multarum opinionum erronearum, & hæreticalū quas ipſe ſcripſerat, & dogmatizauerat, in eadem Curia pendebat inquiſitio, quæ iam diu auctoritate noſtra erat incepta; ſibiq; propterea iniunctū fuerat, ne abſq; noſtra licentia de Curia ipſa recederet areſtatus ſe conferens, & reddens ignominioſe cum eiſdem complicib. fugitiuū, primo quandā nauem ſeu Cochā, deinde galeam ſupradictam cōſcendit. Nos igitur fuga dictorū Michaelis, & complicū, non ſine admiratione & turbatione percepta, ipſos adhuc à tam periculoſo deuio reuocare volētes, per Venerabilē Fratrē noſtrum Petrum Epiſc. Portuenſ. quē ad dictum Portum vna cum nōnullis aliis perſonis deſtinauimus, propter hoc moneri & requiri, prout melius & vtilius fieri potuit fecimus & citari, vt ad prædictā redirent Curiam, & ſe corā nobis præſentare curarent perſonaliter, facturi ſuper prædictis q iuſtitia ſuaderet. Ad quæ præfat⁹ Michael tanquam obſtinatus in malo, & in reprobū ſenſum datus, pro ſe, dictiſq; complicib. arroganter & irreuerenter reſpondit, ſe ad noſtram nullatenus reuerſurum præſentiā. ſed ad prædictum Ludou. quem Imperatorem, & Petrum de Corbario quem Pp. nominabat, vtiq; hæreticos & ſchiſmaticos potius acceſſurum. Subſequēter vero cum hæc ad veſtram notitiam perueniſſent, Nos eodē Michaele citato, cum Bonagratia & Guillelmo Okam Anglico in audientia noſtra publica, & vocato ipſo, dictiſq; complicib. non cōparentibus, ſed in fuga perſiſtentib. antedicta, nos cum Fratribus noſtris deliberatione præhabita diligenti, & de ipſorum conſilio, eoſdem Michaelem, Bonamgratiā & Guillelmum reputauimus merito contumaces, ipſoſq; ratione contumaciæ huiuſmodi excōmunicationis ſententia innodantes, dictum Michaelem prædictas excōmunicationis, depoſitionis, & inhabilitationis pœnas & ſententias, per nos contra eum promulgatas, vt præmittitur, declarauimus incurriſſe, ac eumdē excommunicatū, & depoſitum ab officio, & inhabilem ad quoſcunq; honores, dignitates gradus, & ſtatus Eccleſiaſticos & quæuis beneficia Eccleſiaſt, obtinēda, de dictorum Fratrum cōſilio duximus declarandum: apertius prædicētes, nos tam contra ipſum, q dictos complices, & eorum fautores, eiſq; adhærētes ſuper prædictis, & ea tangentibus, ſi quādo, & quoties*

nobis

*nobis videretur expediens proceſſuros; prout in proceſſu noſtro inde ſolenniter habito, & Oſtiis Eccleſiæ Auinion. affixo & appenſo, vt ad communem omnium deduceretur notitiam, plenius cõtinetur.*

*Sane quia præfatus Michael iis non contentus: venenum quod corde occultum diu tenuerat, euomere publice velut in ſenſum datus reprobum non formidans, ad Ciuitatem Piſanam, quæ per eumdem Ludouicum de Bauaria, iure ſi quod ſibi ex electione diſcordi, quæ de ipſo in Regem Romanorum facta dicebatur fuiſſe quolibet competebat iuſtitia exigente priuatum, tyrannice tenebatur, non expauit dirigere greſſus ſuos: vbi cum eiſdem Ludouico & Petro de Corbario hæreticis, Schiſmaticis & rebellibus conuerſans continue, ipſosq; in ſuis hæreſibus, erroribus, & damnatis Schiſmatibus fulciens, ac præſtans eiſdem aduerſus Deum, & Eccleſiam ipſam veritatemq; Catholicam, auxilia, conſilia & fauores, nonnulla erronea & hæreticalia, contra Conſtitutiones & declarationes ſedis Apoſtolicæ, præſertim contra illam quæ incipit, Cum inter, ſcribere ac dogmatizare in diuerſis locis publice, ſicut fama, ſeu potius infamia publica notoriat, ac per eadem ſcripta, & quorumdam etiam depoſitiones Teſtium receptorum ſuper hoc, nobis & eiſdem Fratrib. conſtitit euidenter, præſumpſit pertinaciter aſſerendo Catholica, quæ dicta Conſtitutio hæretica: & hæretica, quæ Conſtitutio eadem Catholica declarauit: per quæ vtiq; ſe reddidit de dictis, hæreſis, & ſchiſmatis, aliisq; diuerſis criminibus reſperſum: imo etiam vt hæreſiarcham, manifeſte conuictũ: ſatagens per ſuas falſas, erroneas, & hæreticales doctrinas, & dogmatizationes huiuſmodi, quas verbis & ſcriptis inculcare ſuis damnandis molitur conatibus, fideles à ſua fidelitate peruertere, ac animas decipere ſimplicium, ſecumq; deducere in præcipitium damnationis & mortis.*

*Nos itaq; ne vir tam reprobus glorietur vlterius ſuæ prauitatis opera, abſq; condignis demeritorum ſtipendiis præteriri, ac ne deinceps in ſui erroris deuium, ad quod tota ſua ferri videtur intentio, plures trahat, tantis malis & periculis occurrere ſalubriter cupientes, cum præmiſſa adeo ſint notoria, tam per facti euidentiam, quam per plures ipſius literas ad partes diuerſas directas, quarum aliquæ ad noſtras, & Fratrum noſtrorum prædictorum manus etiam peruenerunt, quod non poſſunt tergiuerſatione aliqua occultari: de Fratrum eorumdem conſilio, auctoritate Dei Omnipotentis, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius & noſtra, præfatum Michaelem fautorem hæreticorum, & manifeſtum hæreticum, & hæreſiarcham, & Schiſmaticum declaramus, ipſumq; vt hæreticorum fautorem, & manifeſtum hæreticũ, & hæreſiarcham ac Schiſmaticum ſententialiter condemnamus, priuantes eumdem officiis, dignitatibus, & honoribus quibuſcumq; vel priuatum potius declarantes, ipſumq; ab omni gradu deponimus, & priuilegio nudamus Eccleſiaſtico, ac eum inhabilem ad præmiſſa reddimus, & quodlibet prædictorum pœnis omnibus & ſententiis ſpiritualibus & temporalibus, quibus diuino & Eccleſiaſtico iure, hæreticorum fautores, & hæretici, & hæreſiarchæ, ac Schiſmatici exiſtunt obnoxii plectentes eumdem, & velut talem eũ fore obnoxium, eadem ſententia declarantes.*

*Propterea vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliisq; perſonis Eccleſiaſticis quibuſcumq; in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis, & ſuſpenſionis ab officiis & beneficiis, quas non parendo eos incurrere volumus ipſo facto, necnon priuationis, depoſitionis, & inhabilitationis, Prælationum, dignitatum, officiorum & beneficiorum Eccleſiaſticorum pœnis, & ſententiis: & inſuper omnibus & ſingulis ciuitatibus, terris & locis, ac Vniuerſitatibus, communitatibus, & perſonis aliis ſingularibus quibuſcumq; cuiuſcumq; conditionis aut ſtatus exiſtãt, etiam ſi Imperiali, Regali, vel alia quacumq; præemineant dignitate, ſub excommunicationis in perſonas ſingulares, & interdicti in Ciuitates, terras, loca, eorumq; communitates & vniuerſitates, quas, niſi mandatis & monitionibus noſtris cum effectu paruerint, ipſo facto incurrant, necnon priuationis Priuilegiorum quorumcumq; Apoſtolicorum & Imperialium, ac feudorum, & bonorum quæ ab eadem Romana, vel quibuſuis aliis Eccleſiis, vel Imperio obtinent, pœnis, & ſententiis, mandamus & inhibemus expreſſe ne prædictum Michaelem hæreticorum fautorem, hæreticum & Schiſmaticum, receptent, defendant, ſibi adhæreant, obediant, faueant quolibet ſeu intendant, aut præſtent, per ſe vel alium, ſeu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte auxilium, conſilium, vel fauorem: ſed cum potius velut hæreticorum fautorem, & Schiſmaticum, & hæreticum, & quantum in eo eſt, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Fideiq; Catholicæ corruptorem abiiciant, abhorreant, perſequantur, & ſi poterunt capiant, & fideliter cuſtodiant ſubdendum Eccleſiaſticæ diſciplinæ à quibus quidem pœnis & ſententiis per alium, quam Romanum Pontificem, nullum poſſe volumus, niſi duntaxat in mortis articulo quolibet liberari: eiſdem & eorum ſingulis apertius prædicentes, quod ſi ad inflictionem, publicationem, executionem, & aggrauationem dictarum pœnarum coniunctim vel diuiſim, prout exceſſuum cuiuslibet enormitas exegerit, & expedire videbimus, abſq; citatione atq; monitione alia, ſi quando & quotiens opportunum cognouerimus, procedemus. Non obſtantibus quibuſcumq; priuilegiis, conſtitutionibus ſeu indultis, etiam ſi de illis habenda eſſet ſpecialis, & de verbo ad verbum mentio, quæ contra proceſſum noſtrum huiuſmodi nulli ſuffragari volumus, ſed ea quoad hoc potius viribus vacuamus.*

*Vt autem proceſſus noſter huiuſmodi ad eiuſdem Michaelis, & aliorum quorum intereſt, communem notitiam deducatur, chartas ſiue membranas proceſſum continentes eundem, in maioris Eccleſiæ Auinionen. appendi & affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ ipſum proceſſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt: ita quod idem Michael & alii, quos ipſe proceſſus contingere dignoſcitur, nullam poſſit excuſationem prætendere, quod ad eos non peruenerit, vel quod ignorarunt eundem: cum non ſit veriſimile quoad ipſos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.* Dat. Auinione 12. Kalend. Maii, Pontificatus noſtri anno 13. *Ex MS. F. Nicolai Ord. Minor. de geſtis Ioann. XXII. nu.* 4008.

VIII. PETRVS CORBARIVS RESIPISCENS IOANNI PP. SE SVBIICIT.

Ad eum modum Michaele damnato, Raymundum Stephani Pontificiæ cameræ Clericum, Piſas nuntium Ioannes Pontifex deſtinauit, eiq; & Simoni Archiepiſcopo Piſano, & Guillelmo Lucenſi Epiſcopo formulam præſcripſit, ex qua Petrus Corbarius ad ſanam mẽtem reuerſus, errores admiſſos eiuraret, atq; deteſtaretur: & ex qua illi, eiurantem, factaq; ſua & Ludouici abominantem, anathemate exſoluerent, & Eccleſiæ reconciliarent. Coram his ſuperioribus, nominatis præſentibus multis Prælatis aliis, ac religioſis & nobilibus, ac popularib. ciuitatis Piſanę, Petrus Corbarius errores ſuos & ſcelera ſpontanee, cum ingenti cordis amaritudine confeſſus eſt: & à Præfatis Archiepiſcopo & Epiſcopo, auctoritate Apoſtolica per literas Apoſtolicas patẽtes, eis in hac parte conceſſa, lecta prius confeſſione illius & abiuratione errorum, & præſtito iuramento de ſtando & parendo mandatis Apoſtolicis, beneficium abſolutionis obtinuit, ab omnib. ſententiis iuris & hominis: eiuſq; confeſſionis, & eiurationis, ſchedã, Ioanni Pontifici tranſmiſit. Admonuit pœnitentem Ioannes, vt in propoſita ſententia perſeueraret, vtq; nonnullos alios errores quos commiſerat indidem damnaret. Secundum hæc, Legatos & Procuratores Romanorum ſupplices, Pontifex audiuit, populumq; Romanũ, cum ipſum Ioannem verum eſſe Catholicę Eccl. Pontificem, ac vnicum Chriſti in terris Vicarium, ſucceſſoremq; legitimum Diui Petri, Romanæ & Apoſtolicæ ſedis vnicum Præſulem, agnoſceret & confiteretur, necnon Ludouicum pſeudoimperatorem & Petrum antipapã deteſtaretur, ab omnib. excommunicationibus, pœnis & cenſuris exſoluit, omnem ab eis contractam ſuperius infamiam aboleuit, & obſequium R.E. & ſibi legitimo Pontifici ſanctè iurantes, ad priſtinam dignitatem, & communionem ſanctorum reſtituit. *Ex Confeſſ. F. Petri Corbar. & ex epiſt. Ioan. huius anni* 2.7.8.

IX. LVDOV. BAVARVS PASSIM AB OMNIB. EXCOMMVNICATVR.

Ludouicum quoq; Bauarum, magna cum confuſione ex Italia fugientem, Ioannes non prætermiſit, ſed tum in publico Conſiſtorio, tum in Cathedrali baſilica anathematis ſpiculo cõfodit, omniaq; loca ad quæ diuerteret, vel in quibus moraretur ſacrorum priuatione multauit, *Blondus l. 9. decad. 2.* Iuxta Bauari damnationẽ, Ioan. Pontificis iuſſu, Legati oẽs ſedis Apoſtolicæ à Latere, nec non Epiſcopi & Quæſitores fidei, in eius pariter ſocios ac complices, virgam Eccleſiaſticę diſciplinę, tum in Italia, tum in Germania explicabant. Cardinalis Legatus Etruriæ, ẽt arma admouebat vt Romano Pon-

fici



fici inobedientes, ad officium reuocaret. Quamobrem Viterbienſium agrum populationib. vaſtauit, multaq; caſtra & oppida de illis cœpit. Cardinalis quoq; Lõbardiæ Legatus Parmam, Regium Lepidi, Mutinam, Bononiam, Rauennam, Fauentiam, & plures alias Ciuitates, dominio Eccl. Rom. & Ioanni Pontifici obedientes fecit; ac plures ibidẽ Ludouici partiarios, & in his Albergherinum, ꝙ Bononiam Bauaro tradere deſignaſſet, ſecuri percuti imperauit. Picentes quoq; oẽs, hoc ipſo tẽpore, Ioan. Vrſinus cognomento Caietanus Cardinalis Legatus, ad obſequium Ioannis reuocauit, nec non Viterbium tandem è tyrannide eripuit, & Romanæ ſedi reſtituit. *Ioan. Villan. l.* 10. *c.* 128. 133. 134. 147.

X. ALII FAVTORES BAVARI EXCOMMVNICATI.

Cum ita in eos ageretur, qui à Bauaro ſteriſſent, Guido Mutinenſis, Guido Ariminenſis, Superantius Ceruienſis, & Beneuentus Borgeſinus Dominicani Ordinis deſignatus Hadrianus, Epiſcopi, item Egidius Galluttius, & Lambertus Cingulanus Quæſitores in hæreticos Dominicani, ad 12 Kal. Auguſt. aliquot ſacratos viros Mutinenſes, & quemdam Canonicum Regienſem, quia Ludouico Bauaro hæretico adhæſiſſent. Chriſtianæ communitatis expertes renunciarunt: eademq; ſententia, Orlandinum qui Mutinenſem, & N. qui Nouarienſ. ſe Epiſcopos appellabant, quod illis cœtu piorum excluſis fauerent, comprehendere voluerunt. *Rub. hiſt. Rauennat. l. 6.*

XI. VINDICTA DIVINA IN PERDVELLES ET HOSTES SEDIS APOSTOLICÆ.

Interim neq; Deus diſtulit, vindicias de hoſtibus ſuis deſumere. Hoc n. anno Sarra Columnius, Pontificum ex profeſſo hoſtis, morte præmatura ſublatus eſt. Canẽ Scaligerum, omnium tyrannorum Italiæ magis trucẽ, poſtquam is Taruiſio recepto, epulum populo triumphale exhibuiſſet, inopina mors 4. Id. ſuſtulit. Marcus Vicecomes in Ioannem Pontificem & Pontificios, tam impius, quam nemo poſt Matthæum patrem & Galeazium fratrem, inſidiis ſuorum interceptus interiit. Redierat Mediolanum ex Etruria, Marcus, iam nõ obſcure Actio Mediolanenſium Præfecto ſubiratus, quod ad ſe redimendum à Saxonib. Bauarianis militibus, quib. à Ludouico & ab Actio obſes datus fuerat, pecuniam nequaq̃ liberaliter ac diligenter expendiſſet. Ibi ad fatalem veteris odii atq; inſitæ ambitionis inſaniã reuerſus, cum ſe Ioan. Pontificis, Robertiq; Regis, & Florentinæ reipublicę clientem ꝓfiteretur, & in rem ſuam nouandi, reb. clientelas exploraret, tẽtaretq; veteres amicos: & turbido atrociq; animo conſilia aſpera, ad inuadendum dominatũ agitaret, ab Actio & Luchino, Ioanneq; Vicecomitibus, nefarias verſare cogitationes deprehẽſus eſt. Iam n. temerarius veſano vultu oreq; idẽtidẽ querebatur, ꝙ ſe tamdiu cõtra fidem datam, apud Barbaros ſæuosq; homines reliquiſſent, neq; ſe ſocium florentis ſtatus adiungere ſtatuerẽt. Et forte tum ſeipſo amarior atq; turbidior erat effectus, quod adamatã nobilem fœminam, è matrimonio Othorini Vicecomitis impudenter abreptã, ſubita concitatus iracundia, apud Roſatum in ꝓfunda arcis foſſa demerſerat: ꝙ illa leuitate muliebri mẽtita partum ſibi alieni ventris puerum ſuppoſuiſſet. Sed n. eam ab eo flagitio ita oderat, vt necatam, impotenti amore percitus, ſera deinde pręcipitis vindictæ pœnitentia deploraret, idemq; nouus perturbatę menti furor adderetur. Eo modo Actius, patruiq;, ex multis indiciis quid Marcus agitaret moliretúrq; nõ temere diuinantes, cum in vnum ſummo cõſenſu conſpiraſſent, vitandam omnino dirę bellu ę rabiem, vindicandumq; in Galeacium perfidiæ prioris immane facinus decreuerunt. Neq; mora, Marcus, in Arenæ Curia, poſt epulas in cubiculum colloquendi ſimulatione deductus, & à delectis aliquot pretorianis comprehẽſus, eliſis linteo faucibus ſtrangulatus 5. die Sept. occubuit: nullo ex eius nece tumultu exorto, cum proiectum cadauer è feneſtra in publicum nemo lugeret, & tanquam ſponte præceps datus, ſumptuoſis honeſtatus exequiis, ad S. Euſtorgium ſepulchro maiorum inferretur. *Donat. in hiſt. Medıol. Villani l.* 10. *c.* 141. *Iouius in Actio.*

XII.

Eodem anno, Ioannes Pontifex, codicillis ſuis Ferrarienſem Præfecturam Ateſtinis largitam confirmauit, atq; Inquiſitoris in eos prolatam ſententiam irritã eſſe iuſſit: inſuper quę ſiue iuredicundo, ſiue contrahendo, aut teſtãdo, atq; his ſimilia vigente interdicto egiſſent, omnia recipi ac valere voluit. *Piga. hiſt. Ateſtin. l.* 4.

XIII. IO. PP. EXPEDITIONEM PARAT IN TERRAM SANCTAM.

In Galliis, hoc ipſo anno, Philippo Francorum Rege inſtante, Ioan. Pontifex, generalem in Saracenos Hieroſolymam tenentes expeditionẽ ſacroſancto de more decreto edixit: Philippumq; eius expeditionis ducem renunciauit. Huic Pontifex, fructuum Regni Franciæ Eccleſiaſticorum decimam partem ea ratione reſeruauit, vt expeditionis impẽdio ſufficere poſſent. Sibi quoque Pontifex, cæterorum Orbis Chriſtiani fructuum Eccleſiaſticorum decimam pariter portionem, voluit numerari: vt ſi quid amplius: vel in Germania, vel in Italia, turbarum à Ludouico excitaretur, conſcripto exercitu occurreret. Ludouicus n. ab vrbe diſceſſurus, duob. quos ex ſuis Romæ ſenatores & Præfectos reliquerat, iureiurando ſeſe aſtrinxerat, quod ſedatis in Germania motibus, quorum gratia ſe abire præ ſe ferebat, in Italiam reuerteretur. *Naucler. generat.* 45.

XIV. PATRIARCHAM ALEXANDRINVM LEGATVM MITTIT IN ARAGONIAM AD CONTENTIONES EXORTAS COMPRIMENDAS ET IVRAMENTVM FIDELITATIS AUDIENDVM.

In Aragoniam, hoc ipſo anno, Ioan. Pontifex Patriarcham Alexandrinum Alphonſi Regis Aragoniæ fratrem, Nuncium ſedis Apoſtolicæ deſtinauit: qui tum contentiones inter Eccleſiaſticos & optimates exortas componeret, tum iuramentum ligium pro regnis Sardiniæ & Corſicæ, nomine Romani Pontificis à Rege Aragonũ Alphonſo audiret. Valentio, in Baſilica Diuæ Dei parenti ſacra, iure fiduciario eas inſulas ab Eccleſia Romana ſibi conceſſas accipiens, ex pſcripta formula Sacramentũ fidelitatis in manib. Legati dixit, ſacroq; iuramẽto interpoſito, oẽs conditiones à Bonifacio VIII. Pont. Max. Iacobo Patri Regi Aragonũ, ſiue quoad ſolutionẽ annui cenſus, ſiue quoad ſubſidia terreſtria, maritimaq; aduerſus hoſtes Eccl. Rom. ſubmittenda, propoſitas, ſe ſeruaturũ ſanctè ſpopondit: & illico in continenti, cenſus debiti nomine, nonnullã pecuniã numerauit. *Cod. Columnn. Bibl. Vat. & Ioan. hoc anno ep.* 1413. & 74.

XV. A VARIIS REGIBVS CENSVM SEDI APOSTOLICÆ DEBITVM ACCEPIT.

Præter Sardiniæ & Corſicę vectigales inſulas, pariter hoc anno, à Regibus, Siciliæ, Aragoniæ, Angliæ, Scotiæ & Daciæ, aliis nominib. debitum Rom. Eccl. cenſum, Ioan. accepit. *ep.* 85. 127. 132. *& aliis.* quo etiam tempore, Fratrum Prædicatorum, Minorum, & aliorum Mendicantium Ordinum in inſulis Sardiniæ & Corſicæ ſuperiores & Fratres, ſuperioribus ſuorum reſpectiue Ordinum in Aragonia & Catalaunia ſubiecit. *epiſt.* 2298. ac Roberto Regi Scotorum, vt ipſe, & ſucceſſores illius, ab Epiſcopo S. Andreæ, vel ab Epiſcopo Glaſquẽſi, eorũq; ſucceſſoribus, ſacram vnctionem & regium diadema recipere poſſent, conceſſit. *ep.* 2106. Robertoq; paulo poſt ex lepra mortuo, Dauidem filium Regẽ ſucceſſorem, ad bene regendum imperium hortatus eſt, *ep.* 135. Bertholdum Epiſcopum Spirenſem, ad Epiſcopatum Argentinenſis Eccleſiæ tranſtulit, Spirenſemq; Eccleſiã Baldeuino Treuirorum Archiepiſcopo adminiſtrandã commiſit. *Chron. Sponheimenſ.* Legem de crimine falſi, contra monetarios, ex ea occaſione innouauit.

XVI. SANCTIONES DE HÆREDITATE REGNI VASCONVM.

Pompelonem, hoc anno, noui Vaſconum Reges appulſi, conceſſi Regni hæreditatẽ ſanciuerant his legib. Ad aulæ obſequia, externi ne admitterẽtur. Arciũ præfecturæ nemini alienigenæ concederentur. Regni vendendi, pmutandi, regiiue patrimonii alienãdi facultas nulli foret. Si ꝓles maſcula nata eſſet, cum primũ vigeſimum ætatis annum expleſſet, Vaſconum Regẽ fore, reipublicæ moderatorẽ, datis Philippo patri centũ aureorum millibus. Si nullam ex ſe ꝓlem reliquiſſet, noui Regis inſtituendi liberam poteſtatẽ penes tres ordines futuram. Additum: ne intra duodecimum annũ, nouæ monetæ genus cuderetur. Erat n. pecuniæ deprauandæ inuectus ea ætate mos prauus incommodusque: ad quem caſtigandum, Ioan. Pontifex ſuperiorem promulgauit ſententiam. *Mariana l.* 15. *c.* 20.

XVII. IOANNIS PP. CONSTITVTIO ADVERSVS ARTES MAGICAS ET PESTIFERAS HÆRESES.

Cũ a. per idem tẽporis q̃ plurimi per artes Magicas, aliaſq; illicitas exercitationes, ſimpliciorũ innocẽtię illuderent,

derent, eorum hæreſes peſtiferas, Conſtitutione quam adiungo Ioannes damnauit. Ita habet.

*Super illius ſpecula, quamuis immeriti, eius fauente clementia, qui primum hominem humani quidem generis protoplaſti, terrenis prælatum, diuinis virtutibus adornatum, conformem & conſimilem imagini ſuæ fecit, reuocauit profugum, legem dando, ac demum liberauit captiuum, reinuenit perditum, & redemit venditum, merito ſuæ paſſionis, vt contemplaremur ex illa ſuper filios hominum, qui Chriſtianæ religionis cultu Deum intelligunt & requirunt: dolenter aduertimus, quod etiam cum noſtrorum turbatione viſcerum cogitamus, quamplures eſſe ſolo nomine Chriſtianos, qui relicto primo veritatis lumine, tanta erroris caligine obnubilantur, quod cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno: dæmonibus namq; immolant, hos adorant: fabricāt, ac fabricari procurāt imagines: annulum, vel ſpeculum, vel phialam, vel rem quamcunq; aliam magice, ad dæmones inibi alligandos: ab his petunt, reſponſa ab his recipiunt, & pro implendis prauis ſuis deſideriis, auxilia poſtulant: pro re fœtidiſſima, fœtidam exhibent ſeruitutem (proh dolor) huiuſmodi morbus peſtifer, nunc per mundum ſolito amplius conualeſcens, ſucceſſiue grauius inficit Chriſti gregem. Cum igitur ex debito ſuſcepti paſtoralis officii, oues aberrantes per deuia, teneamur ad caulas Chriſti reducere, & excludere à grege Dominico morbidas, ne alias corrumpant; hoc edicto in perpetuum valituro, de conſilio Fratrum noſtrorum, monemus omnes & ſingulos renatos fonte baptiſmatis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione anathematis præcipientes eiſdem, quod nullus ipſorū, aliquid de peruerſis dictis dogmatib. docere ac addiſcere audeat: vel quod execrabilius eſt, quomodolibet alio, in aliquo illis vti. Et quia dignum eſt, quod hi qui per ſua opera peruerſa ſpernunt Altiſſimum, pœnis ſuis pro culpis debitis percellantur: Nos in omnes & ſingulos, qui contra noſtra ſaluberrima monita & mandata facere de prædictis quicquam præſumpſerint, excommunicationis ſententiam promulgamus, quam ipſos incurrere volumus ipſo facto: ſtatuentes firmiter, quod præter pœnas prædictas, contra tales, qui admoniti de prædictis, ſeu prædictorum aliquo, intra octo dies à monitione computandos præfata, à præfatis non ſe correxerint, ad infligēdas pœnas omnes & ſingulas præter bonorum confiſcationem duntaxat, quas de iure merentur hæretici, per ſuos competentes iudices procedetur. Verum cum ſit expediens, quod ad hæc tam nefanda omnis via, omnisq; occaſio præcludantur, de dictorum fratrum noſtrorum conſilio vniuerſis præcipimus & mandamus, quod nullus eorum libellos, ſcripturas quaſcunq; de præfatis damnatis erroribus quicquā continentes, habere, aut tenere, vel in ipſis ſtudere præſumat: quin potius volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ cunctis præcipimus, quod quicunq; de ſcripturis præfatis, vel libellis quicquam habuerint, intra octo dierum ſpatium ab huiuſmodi edicti noſtri publicatione computandum, totum, & in toto, & in qualibet ſui parte abolere, & comburere teneantur. Alioquin volumus, quod incurrant ſententiam excommunicationis ipſo facto: proceſſuri contra contemptores huiuſmodi (cum conſtiterit) ad pœnas alias grauiores.* Datum Auinione, &c. & quidem hæc præcipua, iſto anno, Ioannes Pontifex agebat.

XVIII. CASTELLÆ ARAGONIÆ ET LVSITANIÆ REGES FOEDVS CONTRA MAVROS PERCVTIVNT.

In Hiſpaniis, Caſtellæ, Aragoniæ, & Luſitaniæ Reges, fœdus aduerſus Mauros ſanxerunt, ſi gentis impiæ reliquias virib. ſociatis delere poſſent. Præterea conſtituerunt, ne perfugas inter ſe reciperent, quod in eo ſpes omnes tranſquillitatis publicæ contineri exiſtimarent. Ioſephus Iudęus, apud Caſtellæ Regem omnia potens, ad rationes Regiorum vectigalium compulſus, cum fidem non ſatis probaſſet, & occaſio euertendi hominis quęreretur, ærarii præfectura abiit: cautumq; , ne deinceps externæ religionis vel potius ſuperſtitionis homini, & præſertim ne Iudæis demandaretur. *Mariana lib. 15. cap. 20. 21.* quod ſi in Deum perfidi, & in ſacra Chriſtianorum immanes, fidem Chriſtianis in re adminiſtranda minime probare poſſent. Nimis horrendum eſt, quod hac tempeſtate apud Vandalos, in diuiniorem hoſtiam perpetrarunt. *Krantzii*, quod deſcripſit, verbis rem narrabo.

XIX. EXECRANDVM IVDÆORVM SCELVS IN SS. EVCHARISTIAM.

Quum Wandaliam, veteri nomine in ea regione prouinciam, adminiſtraret Ioannes, Nicolai ꝓximi Præſidis germanus frater, Iudæi, qui ab antiquo ibi manſitabant, piaculare crimen (vt ſæpe alias) commiſere, in venerabile Chriſti Sacramentum, in Cracone eius ditionis oppidulo. Effractis Eccl. forib. & ſacratis poſtibus, inde furati ſunt tremendum Chriſti Sacramentū in pyxide. Ex multis ſacratis ad communionem infirmorum hoſtiis, quaſdā punctionib. torſerunt, alias ſciſſuris lacerarunt in contumeliam Chriſti: cæteras vt conculcauerunt, ſparſerunt publico in itinere, vt Chriſtianorum et pedib. calcarentur. Senſerunt primi ſacerdotes furtum, & quid ſuſpicarentur non habebāt. Itaq; detulerunt rem Maiorib. in oppido, perlataq; eſt ad Guſtrouēſe Capitulū. Clerus indicto ieiunio poſtulauit à Deo reuelari, quid de venerabili Sacramento factum eſſet: furēne argentum, an Sacramentum inuitaſſet. Quum id deferretur ad Ioannem Pręſidem, ſtatim quod erat cœpit ſuſpicari, inq; quæſtiones Iudæos rapi iuſſit. Statim illi faſſi ſunt crimen, conſciosq; detexerunt. Vnde ex decreto iudicii, correpti ſunt omnes in prouincia noxii, ſacratæ hoſtiæ in ſabulo quæſitæ, repertæq;. Ex his crebreſcebant miracula, fiebat populorum concurſus, ex votis piorum inſtructa fuit Capella, Chriſto laudes populi perſonarunt, Iudæos a. iuſtus pręſes exquiſitis ſuppliciis frangi, & rotis necari imperauit. Nec longum tempus in medio, ad annum Chriſti ſequentem triceſimum poſt mille trecentos, in Guſtrou, ſimilis execratio Iudæorum detecta eſt hoc ordine.

XX. ALIVD AB IISDEM PATRATVM.

Erat Iudæa mulier, ad Chriſtum ſuſcepto baptiſmate conuerſa. Obuiam habuit in vico Iudæam, germani ſui Eleazari coniugē, quæ humanitatis ſpecie inuitabat cōuerſam in domum ſuā. At illa; Deum, inquit, meum timeo: ideo me retraxi à cōmunione Iudaica. Stomachata Iudæa, repoſuit cum iniuria: quia ꝓ facinore & flagitio à Synagoga excluſa es, ideo te ad Chriſtianos contuliſti, vt laxius luxurieris. Tū cōuerſa; Quid, inqt, dicis ô venefica? Cogit me tandē tua calumnia fateri, q; nunquā faſſa ſum, cur à vobis diſceſſerim. Meminiſti, cum venerabile Chriſti Sacramentū, à Chriſtiana muliere coemptū pungeretis in Synagoga, aſtāte me, & velut infantis vagitum audiente. Terruit me rei iniuria, mouit me rei miraculum: viſitauit Deus cor meum, vt ꝓtinus fugerē à vobis in Eccleſiā: aſſecuta miſericordiam cum baptiſmate: quam vtinam tu & tui oēs ex animo requireretis. Hęc erat vera à vobis declinādi cauſa, nō q̃ odioſa fingis. Audiuere nonnulli verba mulierū, & cœpit obſeruari Chriſtiana ad veritatis indagationē. Re perlata ad Ioan. principem, exclamauit zelo feruens: Num perfidum genus poteſt à contumelia conditoris cohiberi? In momēto itaq; iuſſit oēs in vrbe teneri Iudæos, & adhibitis quæſtionib. cœpit indagare veritatē. Sed adeo callum pectoris in gente obduruit, vt quamuis res in vero fuerit peracta, neuter ſexus, nulla ætas fateretur. Adducta eſt Chriſtiana mulier, quæ vendiderat: profugerat enim, quum audiſſet rem detegi. In conſpectu Domini Ioannis confeſſa eſt crimen ſuum, vitā deprecata: quia fallēte diabolo corruiſſet, vitā emendatura pœnitentia ſalutari. Erit, inquit ille, digna operis tui remuneratio: tm̄ deprecare Deum, vt tibi propitiatus veniā largiatur. Iuſſitq; mox cōcremari. Tum miſſis militib. ad maiorē gentis Eleazarum, ſuadere fecit, vt detecta hoſtia (quā male extraxerint) ſaluet ſe ac gentē ſuā ſuſcepto baptiſmate. Ille reſpondit; nunquā ſe contra veritatem dicturum, etiamſi ignominioſe ſibi ac ſuis ſit moriendū. Nobilis vxor Ioan. interpellabat interim coniugem eiuſdē, ſi ea flexa virum emolliret. Quod vbi perſpexiſſet Iudæus, exclamauit, Conſtans eſto mea Methilda: nihil te terreat: pro veritate morientes, mox in ſinum Abrahæ euolabimus. Cum a. iudex in pertinacia obſtinatos videret, iuſſit apparari in conſpectu pyrā ingentē, vt præſenti ſupplicio terrerentur: dixitq; , oēs concremandos, niſi venerabile Chriſti Sacramentum detegerent. Cum nemo moueretur, iuſſit cæteros in ignem ꝓiici, Eleazaro, cum vxore reſeruato. Huic Iudex: nunc, inquit, tuū eſt eligere quid malis; viuere in honore, aut in cōtumelioſo ſupplicio mori. Detegēti q; requiro, & deinde baptizato, copioſam facio ꝓuiſionem, vt cum vxore vitā





agas non iniucundam. quod ſi porro contempſeris, indignatus igne cremaberis. Ille quaſsās caput, nihil dixit: ꝓiecta vxore in ignem, nihil commotus eſt. tandem & ipſe concrematus interiit, cum ſe contra veritatem loq; non poſſe teſtaretur. Miratus Ioan. cœpit intra ſe cogitare, ne forte Sacerdos, qui conuerſam baptizauerat, odio in Iudæos ſe ingrauerit, neue muliercula rem confinxiſſet. Quamobrē vtroq; aduocato, dixit; Niſi fuerit à vobis detectum, quod detuliſtis Sacramentum; iam compertum habeo à vobis fabulam compoſitam; proinde Iudæorum innocuam necem ſanguis veſter expiabit. Territi reſpexere in alterutrum. Tum Sacerdos; Habes ô Iudex, præſentem, quæ fatetur, quid viderit; audiſti venditricem, quæ non negauit: ad me crimen quid pertinet, qui nihilum ac debui feci? Audiſtis, ait Iudex, decretum. Mulier ad hæc, nihil diffiſā, ait Sacerdoti: Modo ſit nobis in fratris Synagogam ingreſſus, Deo miſerāte inueniemus, q; quærimus. Deuotiſſimē ſe negotio cooptarant, pręmiſſo ieiunio, ac ſacra communione cum precibus. & aſſumptis viris grauib. ex oppidi Conſularibus, diu in Synagoga foderunt. Cumq; iam deſperatio obrepſiſſet, inuenerunt vitro tectā, peploq; hoſtiam inuolutam, quatuor locis cruentam. Itaq; aduocarunt Clerum, cāpanas pulſarunt, in laudes Chriſti ora laxarunt, capellam in loco inuentionis de oblationibus accurrentium erexerunt, Eccleſiaſticaq; Stipendia fundauerunt, ad concinnendas Deo laudes. Permāſit capella, in annum tertium poſt quingentos, ac mille: tum enim in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli, ab igne fulguris oppido conflagrante, vna cum Eccleſia Parochiali deperiit. *Alb. Krantz. Vuandal. l. 8. c. 8.*

XXI. IO. PP. FIDEI MINISTROS MITTIT FRVSTRA IN LITVANIAM.

In Polonia, Lituaniæ prouincia, cum hactenus (niſi quadam ex parte Chriſti fide illuſtrata) maiori ex parte vanis adhuc ritibus, idolis dedita inſordeſceret, per hęc tēpora ſpem ſuæ conuerſionis præſtare videbatur. Nam Frider. Rigenſ. Archiepiſc. certo nitens fide dignorū teſtimonio, Ioanni XXII. Summo Pontifici ſcripſit, vt aliquem Epiſcopū & abbatē, ad poſtulationem Lituanorum, in quib. oſtiū fidei viſus fuerat aperire Deus, mittere dignaretur. Illius nāq; gentis ꝓceres hoc polliceri videbantur, ſi Romani Pōtificis illis accederet auctoritas: tunc n. erigere Eccleſias, & fundare Monaſteria, quēadmodum in aīo ſe habere ꝓſeferebāt, decernebāt; Nihil cunctatus Pontifex annuit poſtulatis, Epiſcopūq; & Abbatem, atq; clerum competentem, deſtinauit. Hi poſtq̃ ad Gedeonem principē Lituaniæ, annitente Archiepiſcopo Rigēſi adducti, legationis ſuę mandata expoſuiſſent, nihil operæpretium facere aut obtinere potuerunt, barbaro animū & ſententiā mutato, atq; hunc in modum reſpōdente; Papam veſtrum neq; noui, neq; noſſe cupio, fidem ac religionem quam paterna traditione accepi in ea permanebo: ſecurus pro ea ſanguinē ꝓfundere, atq; mortem obire. Ad eum modum Legatis cum reſpōdiſſet princeps, oppido excedere iuſſit: Deo; mercedem laborū eorum Sanctis ſuis retribuente. Ita ſe res habet; antiquus ille hoſtis, Princeps tenebrarum, Ægypti tyrannus Pharao, non dimittit populū Domini, niſi in manu forti. Fratres Domus Theutonicæ, nō illis erant viribus, vt ſine proximorum Regum auxiliaribus copiis armis gentem barbarie ferocē, & multitudinem innumerabilem inuaderent. *Alb. Krantz. ſupr. c. 9.*

XXII. CRVCIGERI LADISLAO LOCTICO REGI POLONIÆ BELLVM INFERVNT.

Quamquam & iſtud erat, quod magis aduerſus Polonos ſuos Conditores ingrati, bellum parricidale inferre Chriſtianis & beneficis maluiſſent. Hoc n. anno Crucigeri, cum Ioannē Boemiæ Regem in auxilia vocaſſent, Ladislao Loctico Regi Poloniæ, nequicq̃ anathemate Pontificio Auenione prolato obſiſtente, arcem Dobrinēſem inprimis, eiectis Polonis eripuerunt. Vladislauiā deinde adorti, primo impetu cœperunt & exuſſerunt; & ab Epiſcopi quidē atq; Sacerdotum cæde abſtinuerunt; cæterum, ne quod omnino ædificium ibi denuo excitarent, eis edixerunt. Cechocinenſe quoq; territorium, q; in ditione Epiſcopi erat, abſtulere. Erat a. tunc temporis Epiſcopus Vuladiſlauienſis Matthias Golanceuius, cognomento Paluca, Saluunici Caſtellani Naclenſis filius, gēte Toporus, qui Gerardo Auinione mortuo, ab Ioan. Pont. Max. ſuffectus fuit; de cuius prodigioſo ortu illud memoratur; Matrem eius, duodecim filios vno partu edidiſſe; & reliquis mox vt nati erāt mortuis, vnū illum ſolum vixiſſe. Cruciferi porro Boemis coniuncti, Maſſouiā quoq; Regis Polonorū ꝓuinciam crudeliter depopulati, eo Venceslaum Ducē adegerunt, vt ſe Ioanni Boemo, quaſi iuſto Polonorum Regi ſubiecerit, ab eoq; priuilegium feudi poſtularit. Vt a. iuſti viderentur, Crucigeri, neq; iniuſte ac per vim, Pomeraniā, ab Ioanne Summo Pōtifice Regi Poloniæ adiudicatā, vſurpaſſe dicerentur, Ioan. Boemiæ Rex prece & precio eorum victus, q; ſuum non erat, contra decreta Pontificia, illā eis prouinciam donauit, ac Dobrinum eis vendidit: hiſque per ſummam iniuriam pactis, exercitum in hyberna reducens, ſtulta vanitate de ſubactis, & ad religionem adactis barbaris triumphauit. *Cromer. l. 11.*

XXIII. DENVO MOTA CONTROVERSIA IN GALLIIS ADVERSVS IVRISDICTIONEM CLERICORVM A BERTRANDO FORTITER COMPONITVR.

In Galliis Philippo Rege regnāte, iterum multæ quęrimonię contra Clerum auditæ ſunt. Pręrores Regii cōquerebantur, omnem iuriſdictionem à Regiis tribunalib. ad Sacra delapſam, multoq; plures cauſas profanas, & inter ꝓfanas controuerſias cognoſci diiudicariq; ab Epiſcopis, ac reliquis Sacerdotibus, q̃ à Regiis Prætorib. Quicumq; , quacumq; de re Sacerdotum decreto non ſteterit, continuo templis arceri, piorumq; communicatione moueri: eoq; deuentum eſſe, vt qui ſoluendo nō ſit, ei aqua & igni interdicatur. Sacerdotium, ducib. Epiſcopis ad Philippum conuenit; pro iuriſdictione Regis verba Petrus Cunerius fecit; vt quæ Dei ſunt, Deo; q̃ Regis, Regi darentur. Bertrandus Heduorum Pontifex cauſam templorum iuriſdictionemq; tutatus eſt; ac Reges Auguſtosq; fando deuocauit de cœlo, Carolum M. Ludouicum Pium, ac Ludouicum Diuum. Horum opem maxima contentione implorauit, vt qui in vita, armis quidem texiſſent Eccleſias, liberalitate vero cumulaſſent; nunc diuinitatis participes, deſertas eſſe nollent. Enumerauit deinde quot Reges Ducesq; templorum hoſtes, fœdum atrocēq; exitum habuerint; quot pii Sacerdotiorum propugnatores, & viui, & mortui, gloria, imperio, prolis fœcunditate, diuturnitateq; domeſtici imperii fructum ampliſſimum ꝑceperint: qui vero de Sacerdotio victo triumphum atq; palmā petiuerunt, miſerando exitu pœnas ſuperis dependerint. Adiunxit: Inſtitutis religioneq; animorum, vitā communem conſtare. Nihil exortum, exoririve poſſe, cur q̃ per tot hominum, per tot deinceps Regū ætates ſeruata ſanctēq; culta ſint, nunc demū labefactentur, aut euertantur, Regum maieſtatē, iuraq; templorum, ſanctiſſimis morib. numineq; ſanciri, ac vtramq; rem immortalitate donandam. Poſtq̃ hæc & alia Epiſcopus diſſeruiſſet, prima actione nihil conſtitutum fuit. Inde cum ampliaretur, die Diuo Thomę Cantuarienſi feſto, Patrū frequenti ſtipatus globo Bertrandus Regem adiit, admonuitq; illum illuxiſſe diem, quē ꝓ libertate Eccleſiæ Thomas Epiſcopus ſanguine ſuo conſecraſſet. Ibi Rex ancipiti reſponſo, Bertrandū afflixit. Dixit enim, *omnia ſibi curæ futura*: nec amplius. Bertrādus, vt certius, lætiuſque eliceret reſponſum, orauit, vt qui diuinitus vocatus eſſet ad ſceptrum, ambiguo reſponſo nō dimitteret à ſe triſtes Sacerdotes, qui quotidie pro eo rem diuinā perficerent. Tunc vero Rex: *Iura*, inquit *Eccleſiarum auxerim potius, quam imminuta velim.* Eo, velut oraculo conſolati Epiſcopi, gratias vniuerſi egere; Rex autem ꝓpter iſtud factum, *Catholici* cognomen promeruit. Extat Bertrādi de immunitate Eccleſiaſtica aureum plane opuſculum tomo 5. bibliothecæ SS. Patrum. *P. Æmil. l. 8. hiſt. Franſc.*

PHILIPP. REX FRANCIÆ STAT PRO IVRIBVS ECCLESIÆ.

XXIV. ITEM LVDOVICVS BRVGENSIVM PRINCEPS ET ALII.

Secundum Philippi edictum, alii quoq; finitimarum prouinciarum Principes. eius exemplo moti, Eccleſiaſticorum iura illibata eſſe voluerunt, iniuriasq; eis illatas ſeuerius vindicare decreuerunt. Ludouicus Princeps Brugenſium, cum omnia in ſuos Prætores, Scoutetas, Burgi Magiſtros, Scabinos, Quęſtores, ęrarios ſeu theſaurarios, telonarios, ac quoluis alios miniſtros cri-

mina ſibi reſeruaſſet, etiam in Eccleſiam eiusve miniſtros patrata, ipſe ſolus cognoſcere atq; vlciſci conſtituit; ne ſc. per corruptionem, aut odium, vel fauorem, iudices inferiores, non pro demeritorum grauitate ſupplicia exigerent. *Annal. Flandr. lib. 12.*

XXV. EDMVNDVS COMES KANTIÆ CALVMNIAM PASSVS INNOCENS NECATVR.

In Anglia, non par Sacerdotalis dignitatis reuerentia. Per id temporis, Edmundus Comes Kantiæ, Regis Edouardi auunculus, quod Iſabellæ Reginæ ſummam in Edouardum Seniorem interemptum Regem deteſtaretur immanitatem, neq; impotentem pueri & viduæ ferre poſſet dominatum, incerto rumore diſperſerat, Edouardum Sicariis interceptũ, & alium pro eo ſuppoſitum, occiſumq; fuiſſe; illum vero viuere, & Regno inhiare. Cum vero facile ſit auribus ad nouas res quotidie intentis, vnum ex alio credere, & accepta communiter auctiora falſimoniis ad alios tranſmittere, aliqui addiderant, quendam Cœnobii Londinenſis Prædicatorem, malis artibus dæmonem euocaſſe, atq; ab eo didiciſſe Edouardum non interiiſſe, ſed incolumem viuere: ſicq; doctum, tum Edmundo Comiti, tum Epiſcopo Londinenſi, tum compluribus aliis anctorem coniurationis in Edouardum iuniorem extitiſſe: atq; illos inter ſe fœdere deuinctos, arma in Edouardum regnantem paraſſe. Propter eam calumniam cæſo Comite Edmundo, Epiſcopus quoq; Londinenſis in crimen vocatus periculum adiit: non vſquequaq; tutus per Eccleſiaſticam dignitatem iuxta ac immunitatem. *Thomas Vualſing. hiſt. Angl.*

XXVI. LONDINENSES OB CÆSVM GVALTHERVM OXONIENSEM EPISCOPVM EXCOMMVNICANTVR.

Indidem in Anglia, Londinenſes Gualtherum Oxonienſem Epiſcopum ſecuri percuſſerant, non contemnendo indicio contemptæ apud eos Pontificiæ maieſtatis. Eius necem vt Canthuarienſis Archiepiſcopus vlciſceretur. Concilio Prouinciali omnium Epiſcoporũ congregato, omnes generatim qui mortem Gualthero machinati eſſent, eumq; percuſſiſſent, ex Chriſtianorum cœtu iterum eiecit: poſtquam in eodem conſeſſu pleraq; olim violata expiaſſet, atq; alia multa ad modum priſtinum à patrib. pridem inſtitutum reduxiſſet. *Polydor. l. 19.*

XXVII. FRIDERIC. AVSTRIVS VENENO PERIT.

In Auſtria, Fridericus Auſtrius, Romanorum Rex aduerſus Ludouicum Bauarum electus, hoc anno in humanis eſſe deſiit, ſiue animi ægritudine, quam in carcere apud Ludouicum contraxerat, ſiue poculo amatorio à quadam porrecto, confectus. Fertur enim, quod nobilis quædam mulier, Friderici non impigri militis cõiunx, poculum aliquod inſcio ei propinauerit, quo ille exhauſto, viribus primum deficiens, deinde paulatim contabeſcens, de hinc inualeſcente morbo corruptus occubuerit. Iſabella, Iacobi Aragonum Regis filia, eius vxor pudiciſſima, tanto amore in interceptum Fridericum flagrauit, vt nihil intermiſerit eorum, quæ in viri ſalutem ſperaret. Peregrinationibus, ieiuniis, abſtinentiis ſe adeo caſtigauit, vt oculos pene viſumq; amiſerit: die ac nocte propter captum maritum in orationibus plorans, donec in libertatem aſſereretur. *Cuſpin. in Friderico.*

XXVIII. INSIGNE EXEMPLVM CLEMENTIÆ ANDRONICI IVNIORIS IMP. IN CALVMNIATOREM.

Hac tempeſtate, duo exempla dederunt præcipui Græcorum, alter Imperator, alter Patriarcha, alterum facilitatis, alterum moroſitatis in condonandis culpis reorum. Non indigna ſunt quę cõmemorentur, quamquam à Schiſmaticis patrata. Andronicus iunior, quo tempore aduerſus auum Andronicum in armis erat, & Conſtantinopolim obſidebat, conuitiis & contumeliis intolerandis, ex muro, à Marco Caballario Bardæ filio, fuit affectus. Vrbe tandem potitus, cum in gratiam aui veniſſet, nihil antiquius habuit, quam in ſe peccantib. veniam concedere. Et quidem erga auum inhumaniorem, adeo ſe benignum exhibuit, vt præter principatum, eiuſq; moderationem quam ipſe aſſumpſit, reliquorũ nullo eum multauerit, ſed Romanos quotquot ditione ſua continerentur, illi non ſecus quam Imperatori obedire, eumdem quem ſibi honorem tribuere, & quoties eum adire adoratum vellent, ne à quoquam arcerentur edixerit. Præterea ipſius liberos, alioſq; cognatos palatium celebrare, totos dies cum eo conſumere, & quamdiu placeret verſari; de numero, & obſequiis miniſtrorum nihil mutari, & licere illi omnia quę liberent: deinde in ſumptus illius, & familiæ, de publicis vectigalibus, quam πύκην vocant, ferentem in annos ſingulos duodena aureorum millia, & alterum tantum de fiſco decreuerit: huiuſq; pecuniæ diſpenſandæ modum penes illum reliquerit; cui palatio quoq; cedens, quamdiu ſuperfuit, in ædibus, ſeu palatio Demetrii Deſpotæ, patrui ſui habitauerit; ſæpiusq; illum viſens, extra ſimulationem, ſincereq; ſermones & conſilia cum eo contulerit, nihiloq; inferiore, quam antea reuerentia, vt decebat, & honore illum proſequebatur. Magnum autem Logothetã, quãuis Didymotichum abduci, & in aliquo monaſterio vitam agere imperaſſet, paulo tamen poſt exoratus veniam illi dedit, & Byzantium poſtliminio reuerti, illicq; reliquum ætatis exigere ſuſtinuit: & ſi is totius in illum mali auctor & architectus fuiſſet. Marcum deinde Caballarium, qui de muro in ipſum contumeliam torſerat, ad ſe adducendum curauit. Is haud immemor, quæ blatteraſſet, antequã inueſtigaretur, ſimul Imperatorem Byzantium iniuiſſe audiuit, in foueis quibuſdam, locisq; ſubterraneis ſe abſcõdit, vt ad conquirendum delecti, multo tandem labore eum inuenerint, atq; in palatium perduxerint. Fama diſſeminata, petulantem illum conuitiatorem Imperatoris in palatium ad pœnas abduci, vrbs tota ad ſpectandum miſeri necem concurſauit. Vt intra palatium venit, ipſo conſpectu Imperatoris, tremore ac vertigine correptus, in terram collapſus eſt: quem erigentes qui ducebant, Imperatori ſtiterunt, oppletum lachrymis, & oculos humi deiectum, nec audentem illos contra tollere; ſed ſine mora exquiſitiſſimis tormẽtis ſe interimendum cogitantem. Altum tunc ſiluerunt vniuerſi, expectantes ſuſpenſi qua pœna Marcus plecteretur. Cernentes porro adeo pauitantem ac tremulum aſtare, alii ſolo eius aſpectu in magnam commiſerationẽ verſi, lachrymas & gemitus cohibere non poterant; alii prudentiores, ex præſenti re, illius magni quondam, vt audimus, futuri iudicii quamdam imaginem concipiebãt; & apud animos ſuos inexplicabilem illum coram terribili, & incorrupto tribunali peccatorum pudorem depingebant. Si enim coram Rege mortali, vbi etiam non poſſunt eſſe diuturna ſupplicia, tãta fuit in reo conſternatio, vt eius magnitudine ante prolatam ſententiam pœne appareret mortuus (quia nimirum quorum coarguebatur, ad ea quid reſponderet non habebat) qd tunc de illis fiet, qui ſibi improbe factorum ſunt conſcii? Ex huiuſmodi paradigmate intelligentiores illi ſe ipſis meliores euadebant, vitamq; ſuam ad normam probitatis accommodabant. Imperator porro, cum neq; prius Marcum puniendi gratia quęſiuiſſet, & tunc omnes hoc exemplo, velut in ſcena caſtigatos emendatoſq; videret, paulum conticeſcens: *Quid hoc Caballari,* inquit, *quod tam contumelioſus etiam in præſentem me fuiſti? nam cõtumeliis abſenti impoſitis ignoſci poſſit.* Hac voce Marcum animus reliquit: humi n. repente cecidit, & eam capite pulſans, præ timore ſpiritũ editurus putabatur. Imperator poſt longius ſilentium iacentem iuſſit ſurgere. At ille, ſiue quod non audiebat, quod dicebatur; ſiue quia ſolutis pauore membris ſurgere è terra non valebat, nec oculos aperiens, nec vocem emittens volutabatur. Imperator itaq; apparitoribus manu ſignum dedit, vt eum attollerent: ſublatum, vt ſe colligeret, & dictis mentem adhiberet, hortatus eſt, ſicq; eum allocutus.

VERBA ANDRONICI IMP. AD MARCVM CABALLARIVM CONVITIATOREM.

*Quod pauitas, & tremis, grauiſſimaq; tormenta expectas, id quod æquum, & te dignum eſt facis: multis namq; cruciatibus luendas expromſiſti. Ego vero ipſi mihi multorum aduerſus vniuerſorum Dominum, Imperatoremq; admiſſorum conſcius, illum veniam, quem admodum me tu nunc rogitas, ac tanto quidem maiorem, quanto magis deliqui: ego inquam, qui non conſeruum vti tu, ſed eum qui me è nihilo condidit offendi, & mihi quoq; vt ignoſcatur obſecro: tua tibi peccata condono, & ignoſco. Duabus porro de cauſis conquiſitum huc adduci maximopere concupiui: vna, vt multi tuo exemplo linguæ imperare diſcerent; nec facile ad probra ſe effunderent; idq; contra ſuperiores, quos colere, ac venerari debent: & quod à quodam ſapiente præclare dictum eſt, præſtare ab alto, quam à lingua cadere, reipſa docerentur, intuentes in quale barathrum tute ex intemperantia linguæ præcipitaſſes. altera, vt te per omnem vitam, timore periculoq; liberarem. Etenim niſi modo huc pertractus, veniam & pacem eſſes conſecutus, tibi perpetuo gementi, trementiq; ſuper terram, & à quouis obuio ictum letiferum metuenti, nihilo tolerabilior vita, quam ipſi Caino fuiſſet. Nunc venia donatus, ſecure iucundeq; annos traduces, cum nemo amplius pœnas in me commiſſorum repetere poſſit.*





XXIX. ALIVD EXEMPLVM MOROSITATIS IN CONDONANDIS CVLPIS REORVM PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLIT.

Hactenus Marco Imperator. Qui pręſentes aderant, cum ſe nouum quoddam & peregrinum genus mortis viſuros crederent, viderent autem præter opinionem miſericordiam Marco tribui, eumq; abſolui, & Imperatorem de iſthac Sympathia admirabantur, & Marco ſalutem gratulabantur. Cumq; ſinguli in eo beneficiũ ſibi accepiſſe viderentur, exclamabant; *Tibi, Imperator, Deum patrem appellare conuenit, & ab eo peccatorum veniam libere poſcere, qui debitori tuo debita dimiſiſti.* His ac ſimilibus iactatis, conuentus cum ſtupore & gaudio ſolutus eſt.

Cęterum Iſaias, per id temporis Patriarcha Conſtantinopolitanus, non adeo ſe facilem erga Epiſcopos exhibuit. Is dum antea iunioris Andronici apud auum Andronicũ partes tueretur, Patriarchio à Seniore eiectus, & in monaſterium detruſus, velut in carcere fuerat cõcluſus. Huic facinori, quod Epiſcopi pro eo non ſe, vt par erat, oppoſuiſſent, quinimo etiam pro virili vt concluderetur, adiuuiſſent, Patriarcha dignitati ſuæ reſtitutus, magnopere ſtomachabatur, & veluti proditorib. ſupplicia irrogãdà arbitrabatur. Conuenerat illum iunior Andronicus, tum vt gratias ei ageret, tum vt veniã Epiſcopis impetraret. Verum enimuero ille precibus quamuis multis locum nullum relinquebat, qᵭ dictitaret, indigniſſima ſe ab ipſis affectum iniuria, & proditionem eos luere oportere. Vbi domum rediit Imperator, indignum ratus, non etiã à Patriarcha ignoſci Epiſcopis, à quib. erat offenſus, Magnũ Domeſticũ Ioannẽ Cantacuzenum miſit, qui velut ſuo nomine cum eo de reconciliatione ageret; ac per ſe, quantum fieri poſſet, paci iungendæ operã daret. Domeſticus magnis & iteratis precib. pro Epiſcopis orans, nihil effecit. Tenebatur enim ira irreuocabili, profitebaturq;, non ſe ante ignoturum, quam illi audaciæ ſuę pœnas perſoluiſſent, etiamſi cœlum corrueret. Neq; ſe idcirco ſcelus facere, ſi ad iudicium eos prouocaret. Tum Magnus Domeſticus; atqui impar erit in hoc iudicio litigantiũ conditio, ſi tu Iudex ſimul & accuſator ſedeas, ipſiq; eumdem experiri aduerſarium & arbitrum cogantur. Sin fidẽ das, te ius eorum non neglecturum, neq; ex ira potius quam ex ęquitate res iudicaturum, die dicta ſe ſiſtent. Contra Patriarcha; Cauſſarum huiuſmodi cognitionem meã, reliquorumq; fratrum Epiſcoporum eſſe, ne te quidem latet. Tamen quia nunc ipſos tamquã lęſus in iudicium traho, non vt Iudex, ſed vt reus, aliis Epiſcopis ius reddentibus ſedebo. Quod ſi vel ipſe iudicium exercerem, numquã eo inſaniæ inſolentiæve progrederer, vt iram magis, quam rectam rationem in iudicando ducem ſequerer: nunc potiſſimum, quando non pro alio, (eſſet n. aliqua venia) ſed pro me ſententiam laturus eſſem. Die condicta iudicio, vbi tempus habendę ſynodo nominatum illuxiſſet, qui in Patriarchio erant præſto fuerunt Epiſcopi. Magnus etiam Domeſticus aſſumptis Epiſcopis reis, iuſſiſq; ne mutire quidem, quandoquidem ipſe eorum cauſſam acturus eſſet, cum illis velut ſe defenſuris aduentauit. Congregatis iam eodem in loco vniuerſis, Patriarcha Epiſcopos accuſauit, quod eum per ſe à grege, contra omne ius & fas abegerint; & non ſecus, quam diriſſimo ſcelere notatum in carcerẽ condiderint, in Eccleſiam ſibi anctoritatem arrogarint; & cum ipſi eſſent iniuſtiſſimi atq; auariſſimi, populum, perfricta fronte de virtute docuerint, quin etiam ob rapinas ſuas, gloria ſe & prædicatione extulerint. Ad hæc Epiſcopi accuſati, nihil reſpondere. Poſt altum & longum ſilentium, Magnus Domeſticus ita infit, ad exemplum Sacerdotibus demonſtrandum. Digniſſima eſt ea oratio, quæ legatur. Ita habet.

MAGNI DOMESTICI ORATIO AD PATRIARCHAM PRO IMPETRANDA REIS VENIA.

*Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in Euangelio ait: Niſi iuſtitia veſtra abundauerit pluſquam Scribarum, aut Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum. Illud autem (pluſquam Scribarũ aut Phariſæorum) vt vos docentes audio, nihil eſt aliud quam non ſolum iniurias inferenti par non referre, ſed eidẽ etiam quantum poſſis benefacere. Quocirca idem, dum ſalutares leges cõderet, trahenti in iudicium propter auferendam tunicã, pallium quoq; dimitti iuſſit: & percutienti vnam maxillam, citra vindictam porrigendam & alteram: & alia demum, quæ in eamdem ſententiam ſequuntur. Exacuens porro nos ad ſeruanda præcepta ſalutifera, aliquando dixit: neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Et, ingreſſus cubiculum tuum, clauſo oſtio ora patrem tuum, qui in cœlis eſt. Aliquando autem: luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona. Hæ leges quamuis ſecum pugnare videantur, tamen niſi aberrat opinio, nobis imperfectis, & qui poſſumus ex oſtentatione laborum noſtrorum præmia amittere dictum eſt, vti ipſos totis virib. abſcondamus: vobis autem magiſtris, & communib. rectæ inculpatæq; vitæ exemplaribus, vt luceant opera veſtra: quo multi, dum ea intuentur, patrem noſtrum qui in cœlis eſt, glorificent. Si itaq; vos qui lux noſtra, noſtra, inquã, qui diſcipuli ſumus, & fallaciis, ſollicitudinibus, ac voluptatibus huius vitæ implicati tenemur, merito eſſe debetis, duri & inexorabiles eritis, & mala irrogantes venia nulla proſequemini, nonne feris immitibus immitiores, ac ſæuiores vos facitis? Quare quemadmodum ſi ad omnium fructum probitatis exemplaria fieretis, à pio & iuſto certaminis arbitro, coronis & præmiis dignaremini: ſic nunc, quia omnib. nocendi aliis occaſionem datis, non vulgarib. pœnis condemnabimini. Atqui ego exemplum humanitatis de nobis, huic vitæ ceu clauo affixis proponam vobis, quod recentiſſime contigit. Videtis Imperatorem, quamquam in tanto tamq; amplo Imperio collocatum, nihilominus in ipſo ætatis flore, quando quis, etiam plurimum de vita recte inſtituenda ſollicitus facillime & à voluptatib. peſſumdari, & ad iram immoderatam aduerſus proteruitatem Marci, omnium mortalium ſceleſtiſſimi impelleretur, quali, quantaq; inopinata omnibus manſuetudine & clementia vſus ſit. Si ergo ille, & ætate iuuenis, & Imperator, vt diximus, & negotiis huius vitæ inuolutus, tam libenter offenſam condonauit, tu communis præceptor, & tanquam ſanctioris vitæ ſpeculum propoſitus, fratribus, ignauia quadam male de te meritis nonne ignoſces: an ita obſirmatus in repoſcendis à ſontibus pœnis, neq; noſtris precibus inflexus, neq; vlla infelicium miſeratione captus perſiſtes? qui dementiæ ſuæ condignum pretium iam tulerunt, tali tempore ad tribunal pertracti, & ab omnib. deſpecti, & vltima ſupplicia ſe paſſuros formidantes. Ah noli obſecro. Redigã autem tibi in memoriam promiſſum quoddam quod mihi dediſti. Vt primum ad te pro his Epiſcopis oratum acceſſi, quia iudicium vehementer vrgebas, vide, inquiebam, ne tu iudex, & accuſator ſimul firmamenta reorum negligas. At tunc quidem te id minime facturum recipiebas. En tempus adeſt, vt quod promiſiſti, id reipſa præſtes: nam præſidia cauſæ ipſorum ego mecum adfero.*

Cum dicto ſurgens (ſurrexerunt autẽ & Patriarcha, & reliqui omnes) Epiſcopos accuſatos accepit, & alios illos quoq; ad preces ſecum coniungẽdas hortatus eſt, atq; ita ſimul omnes ad pedes Patriarchæ prociderunt clamantes; *Ignoſce lapſis nobis Pater; vt & tibi à patre cœleſti debita ignoſcantur.* Hæc illi faciebant; Patriarcha vero; inextricabili, inquit, reti abs te comprehenſus, Magne Domeſtice, quia aliud facere non licet, quam quod tibi ſtudio eſt, omittam repugnare, tibiq; parebo. Moxq; veniam illis largitus, & crimine abſoluit à quib. fuerat violatus, & à Deo illis impunitatem popoſcit, & ſingulos complexus etiam benedictione impertiuit.

XXX. ANDRONICVS HOSTES SVOS OB CLEMENTIAM SVPPLICES AVDIRE DIVINITVS MERETVR.

Pro hoc clementiæ ſtudio, quo Andronicus Imp. flagrabat, Deus illi præmio repoſuit, vt hoſtes ei ſeſe dederẽt, exercituſq; in eum congregatos ſine noxa reuocarent, quęadmodum his ipſis diebus accidit, cum Michael Mæſorum Rex non contemnẽdas copias aduerſus iuniorem miſiſſet, eas ad vnicam Legati vocem deduxit, ſtatimq; è ſinu Sanctorum reliquias corã Legato profe-

proferens, & ex iis Crucem ei in manu tradens; iſtuc ad Imperatorem portabis, inquit, & me per illum, qui in eo propter nos ſuffixus eſt, iurare dices, nec fœdus cum ipſo percuſſum ſoluiſſe, nec milites cõtra illum miſiſſe. Quocirca orare me, ne quid illis noceat. Quod autem non de multis, ac pretioſis monilib. ſuis quæ cerneret, ſed hanc Crucem è vili materia confectam (erat n. ex ære fabrè facta) illi mitteret, mirari non debere; eſſe n. apud Mæſos ob miracula percelebrem, quæ multa adhuc parente ſuo ſuperſtite ediderit, multa ſe regnante edat. Tamquam igitur fideliſſimam teſtem, ſe illam mittere, Si ipſum fallacem, mendacẽve deprehenderit, ea Cruce correpta ſe inuaderet, qua adiutrice victoriam ſit conſecuturus. Dixit, & continuo miſit, qui phalanges reduceret. *Cantacuz. l. 1. c. 58 & l. 2. c. 1. & 2. de Andronico Iuniore Imp.*

XXXI. ROBERTI SCOTIÆ REGIS OBITVS.

Hoc anno apud Scotos obiit Robertus Rex, Fere in ipſo mortis agone omnes Nobiles orauit, vt dum ipſe fatis conceſſiſſet, vnum ex pręſtantiſſimis ducib. eligerent, qui cor ſuum Hieroſolymam ad Chriſti ſepulchrũ deferret. Id n. ſibi viuo maxime ſemper fuiſſe in votis, vt eo profectus hoſtes Chriſtiani nominis oppugnaret. Sed quoniam per frequentia bella, fatumq; ſuum non licuiſſet, id ſaltem modo optare, vt quod eſt præſtantiſſimum corporis humani, & quo iam illuc ſępe euolauerat, id ſepeliendum in tẽplo Dominici ſepulchri, quod in Golgatha ædificatum eſt, illuc differretur. Iacobus Douglas à procerib. delectus, iſtud officii exhibuit Regi iam defuncto. *Hector Boethius hiſt. Scot. l. 14.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1330.
### IOANNIS PAPÆ XXII. ANNO 14. & 15.

I. IOANNIS PP. LITERÆ AD IOANNEM REGEM BOEMIÆ DE REBVS GESTIS LVDOVICI BAVARI. *ep. 4. huius anni.*

QVid hoc anno Ludouicus Bauarus, & pro eo alii tentarint, placet ex ipſis litteris Pontificiis cognoſcere. Ad eum modum ſcribebat Ioan. Pontifex, Ioanni Regi Boemiæ Illuſtri.

*Regiæ Serenitatis pridem recepimus litteras, continentes, quod tu fili chariſſime, & Venerabilis Frater noſter Archiepiſcopus Treuerenſis tuus patruus, diebus iſtis cum Bauaro, de voluntate & conſcientia Magnifici Principis Othonis Ducis Auſtriæ, & per eum ſuper hoc informati plenius, tractatus aliquot perſonaliter habuiſtis. qui quidem tractatus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac perſonæ noſtræ, ſecundum tuum fili chariſſime ac dictorum Principum iudicium, vtilitatem reſpiciunt in omnibus & honorem, prout tu & ipſi per Ambaſciatores veſtros ſolemnes in proximo deſtinandos ad Curiam, nos intendebatis plenius informare. Subſequenter vero alias Regias recepimus litteras, continentes quod ad noſtram præſentiam dilectos filios nobiles viros Godofredum Comitem de Linanges, Simonem Philippi militem, Guillelmum Pinchon Archidiaconum Abrincenſem, Conſiliarios, ac Nicolaum de Meſtorf Clericum, Regios deſtinabat, quibus quidem nunciis, tu & præfatus Archiepiſcopus, in his, quæ nobis pro parte veſtra exponerent viua voce, tanquam vobis, adhiberi fidem plenam petiiſtis. Quos vtiq; (excepto dicto Simone, qui dicebatur propter ægritudinem impeditus) vna cum præfati Ducis Othonis Nuncio, conſideratione mittentium benigne admiſimus, & audiuimus diligenter. Quibus auditis, & quæ propoſuerunt ore tenus, plenius intellectis, Nuncii ipſi ſub commiſſa ſibi præfata credentia, quamdam nobis exhibuerunt ſchedulam tenoris ſequentis.*

*Iſta eſt intentio Dominorum, ſc. Regis Boemiæ, Archiepiſcopi Treuerenſis, & Ducis Auſtriæ, quod per eos tractetur & ordinetur concordia & compoſitio, inter Dominum noſtrum Papam, Sanctamq; Romanam Eccleſiam ex parte vna, & Bauarum ex altera. & ſi huiuſmodi tractatus & ordinatio commode fuerint accepti Domino noſtro Papæ, ipſiq; Romanæ Eccleſiæ; virtute poteſtatis eis à dicto Bauaro conceſſæ, inter alia facient iſta fieri per Bauarum.*

*Primo, quod cum effectu deponet ſuum hæreticum antipapã.*

*Secundo, quod penitus ab appellatione recedet.*

*Tertio, quod omnia quæ fecit ſeu attentauit, contra Sanctam perſonam Domini noſtri Papæ, Eccleſiamq; Romanam, reuocabit cum effectu.*

*Quarto, quod recognoſcet ſe exceſſiſſe, & ſententias excommunicationis ipſum ligaſſe.*

*Etſi Bauarus dicta, facta, ſic tractata & ordinata facere non vellet, ſciat Sedes Apoſtolica, quod dictus Bauarus antedictos Dominos non modicum commouebit. & à conſiliis eorum recedet, ac poteſtatẽ eis conceſſam infringet, in tantum quod huiuſmodi factum præordinatũ, per Bauarum tamen non adimpletũ, poſſit reſultare in magnum honorem & vtilitatem Eccleſiæ Romanæ. Hæc omnia ſic intelligantur, quod Bauarus & in honore & in ſtatu ſuo remaneat. Sc. in Regno & Imperio Profecto fili, quin intentio tua aliorumq; Principum circa præmiſſa recta fuerit, nequaquam in dubium reuocamus; ſed fuiſſet admodum nobis gratum, quod tu fili chariſſime & præfati Principes conditionẽ præfati Bauari, & ingreſſum eius ad Imperium, & in eodem progreſſum examinaſſetis attentius in conſiſtorio rationis, profecto ipſum reperiſſetis priuatũ iure, ſi quod ſibi ex electione illa in diſcordia celebrata quæſitum fuerat, iuſtitia exigẽte. Et quia his non erat contẽtus, M. de Paterna, & Ioannem de Ianduno, qui quemdam librum compoſuerant plures hæreſes continentem, & ad eum velut hæreticorum patronum fugerant, promptu recepit: & vt illos errores prædicarẽt, publice non erubuit impartiri fauorem. Hinc fuit declaratus hæreticorum fautor publicus & notorius, & vt hæreticorum fautor (exigente iuſtitia) condemnatus. Sane quia diutius expectatus ab his non reſipuit, ſed velut venundatus vt faciat malum, nedum fauorem impendere curauit hæreticis, ſed ipſis hæreſibus facto & verbo non eſt veritus ſe immiſcere: fuit merito pronunciatus hæreticus: & vt hæreticus, exigente iuſtitia condemnatus; prout hæc in proceſſibus Apoſtolicis plenius continentur. Ex prædictis ſatis poteſt eius inhabilis conditio ad Imperiale faſtigium apparere.*

*Qualis a. ingreſſus eius ad Imperium fuerit, ex ſequentib. patet, quod Deo odibilis, iniurioſus Sanctæ Dei Eccleſiæ, & de facto dumtaxat nimium temerarie attentatus. Sicut n. ex prædictis iã liquet, electus fuerat in diſcordia, priuatusq; (exigẽte iuſtitia) iure ſi quod ſibi ex electione eadem fuerat acquiſitum: & nihilominus fautor hæreticorum declaratus, & hæreticus, & vt fautor & hæreticus condẽnatus. Quibus non obſtantibus, vt ad ea quæ requirit Imperialis dignitas, videlicet, inunctionem, conſecrationẽ & coronationem poſſet ſaltẽ peruenire de facto, cum de iure nõ poſſet, Petrum de Corbario in Chriſti opprobriũ, ſubmerſionem Catholicæ fidei, & iniuriam totius cœtus Catholici, in Antipapam aſſumere non expauit. In quo quidem facto confeſſus ipſo facto illã damnatam hæreſin quam incurrerat antea, ſc. quod ad Imperatorem Papam pertineat ordinare: à quo quidem Petro ſe pati inungi, ſeu fœdari potius non erubuit, ac etiam coronari. Ex quibus patet, qualis ingreſſus fuerit, ad Imperialis faſtigium dignitatis.*

*Progreſſus a. eius qualis fuerit, eſt lippis & tonſorib. ſatis notũ quia vbicumq; fuerit, Eccleſiam Catholicã & fideles eſt manifeſte. & immaniſſime vt membrũ Satanæ perſecutus: Eccleſias ipſas vaſis & ornamentis ſpoliando Eccleſiaſticis, ac fideles compellendo violare interdictum Eccleſiaſticũ, & prophanare diuina: ſpoliando inſuper viros Catholicos ſuis prælationibus & beneficiis, ac eis de facto hæreticos & ſchiſmaticos ſubrogando, ipſiſq; hæreticis & ſchiſmaticis contra Catholicos impartiendo fauorem & conſiliũ, ac fideles ipſos immaniter perſequendo. Profecto fili probabiliter arbitramur & credimus, quod ſi ad memoriam tu & dicti Principes reuocaſſetis prædicta, nullatenus dixiſſetis, ipſum remanere in regno & imperio ad vtilitatem & honorem noſtros & Eccleſiæ veſtro iudicio pertinere. Quomodo n. poſſet ad vtilitatẽ & honorẽ Eccleſiæ pertinere quod vir tam reprobus de fautoria hæreticorum & hæreſi iuſto condemnatus iudicio; regno & imperio præſideret: qui etiam hæreticos in ſuo habet conſortio, & quãtum ad clericos hæreticorum & ſchiſmaticorum conſilio gubernatur. Tenet n. in ſuo conſortio Iacobum Epiſcopum dudum Caſtellanenſem, Epiſcopatu Caſtellanenſi priuatum. Item Michaelem de Ceſenna olim Ordinis Fratrum Minorum Generalem Miniſtrum, qui ſuis exigentib. demeritis eſt pronunciatus hæreticus. & de hæreſi condemnatus. Guilhelmum quoq; Okam Anglicum Ordinis Fratrum Minorum hæreſiarchã, qui hæreſes varias dogmatizabat publice, & ſcripta fecerat hæreſib. & errorib. plena: propter quæ fuerat vocatus ad Curiam, eiuſq; ſcripta fuerant plurib. Doctorib. aſſignata, vt ea deberent examinare cum diligentia: & quæ inuenirent hæretica ſeu erronea declarare: qui iam multos articulos declarauerunt hæreticales. qui quidem male ſibi conſcius fuga præſidio vitare voluit canonicam vltionem. Bonagrattiam ſimiliter de Bergamo Ordinis Fratrum Minorum, qui ſuis demeritis exigentibus in Curia fuerat arreſtatus, & iuramento præſtito quod de Curia non recederet abſq; licentia Sedis Apoſtolicæ obligatus; qui male ſimiliter ſibi conſcius de Curia ad ipſum Bauarum & Petrum de Corbario, vna cum Michaele & Guillelmo prædictis greſſus ſuos infelices dirigere procurauit. Marſilium quoq; de Padua condemnatum de hæreſi in ſua familiaritate detinere præſumpſit. Talibus eſt ſtipatus conſiliariis, talium conſilio ne dicamus dolo decipitur, gubernatur. Qualem itaq; poſſet, de tali homine habere Eccleſia defenſorem? Si enim in arido, id eſt ſine ſtatu, niſi vſurpato, tam crudelis ſibi perſecutor extiterit: qualis idem putas exiſteret, ſi in viridi, hoc eſt in ſtatu ſolido ſe videret? Rurſus, quomodo ſub regimine talis hominis degere poſſet Chriſtianus populus, quem ſic afflixit immaniter? Profecto fili, talem hominem dimittere in regali & Imperiali regimine, non eſſet conſulere populo ſed nocere; non præſtare regimen, ſed augere diſcrimen. Si enim integritas præſidentium ſalus eſt ſubditorum; ſequitur quod inſtabilitas & infidelitas ipſorum ſic præſidentium, perditio ſit eorum ſubditorum. Qualem putas, fili, ex Principatu huiuſmodi (quem extorſit ſeditio & ambitus occupauit) ſubſequi poſſe finem: Profecto ſperari non poteſt probabiliter, quod bono peragi poſſint exitu, quæ tam malo & peruerſo ſunt principio inchoata. Audi quid de talibus Principibus Sapiens dicat; Regnantibus, inquit, impiis, ruina hominum, ſc. ſubſequuntur. Et alibi: Gemet, inquit, populus, cum impii ſumpſerint Principatum. Attende fili, quam eſſet gregi Dominico ſub tam infideli principe viuere formidandum. Teſte enim Sapiente; Qualis eſt Rector Ciuitatis, tales ſunt vel fiunt, habitantes in ea. Eſſet itaq; nimium formidandum, quod ſi remaneret in præfato regimine, multos à fide retraheret Catholica, ſuaq; perfidia (quod abſit) plurimos aggregaret. Adhuc, fili, quantum in principe quolibet veritas requiratur, tua non ignorat prudentia; & quantum in eo vigeat, te audiuimus non latere. Sane ſi, quæ offeruntur pro parte Bauari, fili chariſſime, cogites diligenter; reperies vtiq;, quod de tot & tantis exceſſibus per eum commiſſis, emendam Deo & Eccleſiæ nullam offert.*

*Inprimis enim offertur pro parte ſua, quod ipſe Bauarus deponet ſuum hæreticum antipapam. hoc autem non eſt offerre emendam aliquam de commiſſis.*

*Primo, quia etiam ſi verus Imperator exiſteret, quod tamen conſtat eum non eſſe, depoſitio talis ad eum nunc non pertineret.*

*Secundo, quia ipſemet Petrus de Corbario reatum ſuum humiliter recognoſcens, à ſtatu illo (quem de facto receperat) illi renunciando, ſe de facto depoſuit, & ab ipſo diſceſſit Bauaro, ſicut nobis idem Petrus his diebus præteritis per ſuas litteras manu ſcriptas propria, quarum tenorem infra reperies, nunciauit.*

*Secundo dicitur, quod recedet ab appellatione ſua. Certe nec emendam aliquam propter hoc offert; cum nec appellationi ſuæ ſi qua fuit, renunciare niſi de facto valeat; cum de iure non tenuerit, velut ab hæretico interiecta; & ab eo, à quo non licet (cum ſuperiorem non habeat) appellare.*

*Tertio offertur, quod omnia quæ fecit, ſeu attentauit contra nos & Sanctam Romanam Eccleſiam, cum effectu debeat reuocare. In hoc etiam clare patet, quod emenda aliqua non offertur. Contra nos enim, ſeu contra Romanam Eccleſiam non potuit niſi de facto aliquid facere. Vnde ſi quid de facto fecit, de facto reuocet; nulla in hoc Deo, nobis, vel Eccleſiæ præſtatur emenda.*

*Quarto pro parte eius offertur, quod recognoſcet ſe exceſſiſſe, & ſententiam excommunicationis ipſum ligaſſe. Per hoc patet etiam, quod nec Deo, nec nobis, nec Eccleſiæ aliqua offertur emenda.*

*Quinto offertur pro parte eius, quod gratiæ noſtræ ſe offerat ad miſericordiam. Per hoc quippe aſſerit, quod à nobis petet miſericordiam, non quod aliquam præſtet emendam.*

*Vltimo concluditur pro parte Bauari ſupradicti, quod omnes oblationes ſupradictæ intelligerentur ita, quod Bauarus in honore & ſtatu ſuo permaneat, ſcilicet in Imperio & Regno. Ex quo proculdubio euidenter concluditur, quod de his quæ commiſit, eſt impœnitens homo iſte. & ideo reddit ſe de abſolutione qualibet (quæ nulli, niſi pœnitenti conceditur) merito, quantum in eo eſt, indignum.*

*Sed iuxta hoc quærimus, fili, quomodo intelligat ille Bauarus, in Regno vel Imperio remanere? Aut enim intendit remanere in ſtatu & regno ſine iure in eis de nouo quærẽdo: aut per ius nouum, quod intendat acquirere in prædictis. Si enim ille ſine nouo iure intelligat retinere! ſequitur, quod Regnum & Imperium ſine iure & honore Imperiali & Regio detineret. In regno ſiquidem nullum ius obtinet, in præſenti: cum iure, ſi quod per electionem ſibi in eodem quæſitum fuerat, iuſto iudicio ſit priuatus. Quantum ad Imperium autem; quia nomen Imperatoris per inunctionem, conſecrationem & coronationem quis nanciſcitur, factas quidem à Romano Pontifice, ſeu alio, eius auctoritate. patet igitur ipſum Bauarum ius aliquod non habere: quia non à vero Summo Pontifice, ſed ab antipapa recepiſſe dicitur & noſcitur, ſupradicta, ſcilicet, inunctionem, conſecrationem & coronationem.*

*Quare ſequitur, quod hoc caſu Imperium ſine iure aliquo obtineret: & per conſequens, quod niſi de nouo ius ſibi in regno & imperio quæreret, nec Rex nec Imperator debet dici à fideli aliquo, ſed fur & latro, iuxta noſtri Saluatoris ſententiam dicentis; Qui non intrat per oſtium in ouile ouium ſed aliunde, non paſtor ouium, ſed fur & latro potius eſt dicendus.*

*Et quod nullum ius in Regno vel Imperio habeat, in præſenti palam eſt conſiderandum. Conſtat enim ipſum multa notorie commiſiſſe, ex quo illa diſcors electio celebrata extitit: propter quæ & quodlibet eorum ſe prorſus fecit ab honore Regni & Imperii alienum.*

*Si vero intelligat, quod ſibi de nouo in Regno vel Imperio ius acquiret: conſtat, quod (cum ſit Sacrilegus, excommunicatus, & tyrannus) nec à quouis poſſet eligi, nec ſibi etiam ab aliquo (cum tales ſint ineligibiles) de Regno & Imperio prouideri. Cum igitur Bauarus petit, quod in honore ſuo & ſtatu remaneat, ſc. in Imperio & regno: poſſumus ſibi dicere, quod Dominus dixit filiis Zebedæi: Neſcitis, quid petatis. Vere ipſe hoc petendo, ignorat quid petat. Rem ſiquidem impoſſibilem petit. Impoſſibile enim eſt ipſum remanere in honore Imperiali & Regio ſine noui iuris acquiſitione: cum honorem & dignitatem non habeat, ſed ipſum Regnum & Imperium, ſiue ipſorum honorem niſus eſt vſurpare tyrannice, & adhuc nititur retinere.*

*Rogamus itaq; prouidentiam Regiam, & in Domino exhortamur, quatenus præmiſſa attente conſiderans: & nihilominus pericula varia & inconuenientia innumera, quæ eius præfata prouidentia vniuerſali gregi dominico comminatur, conſideranter attendens, & ad ea quæ ad honorem Dei, ſtatum Eccleſiæ & Imperii reſpiciunt proſperum, te conuertens, partes tui conſilii & auxilii ſedule interponas: quomodo de perſona digna tanto regimine prouideri debeat, ſub qua Fides ſtabiliatur Catholica, augeatur fidelium numerus, & à noxiis præſeruetur. Ad quod quidem nos promptos, dante Domino, reperies & omnino paratos.*

*Licet autem offenſæ prædicti Bauari excedant omnes alias, quæ legantur à Patrum noſtrorum temporibus hactenus perpetratæ; quia tamen, licet immeriti, Vices illius in terris gerimus, qui cum iratus fuerit, non obliuiſcitur miſereri: more pii patris conuerſionem eius & ſalutem intentis deſideriis affectamus, ad Dei honorem, tuiq; & aliorum Principum prædictorum intuitu, & vt ſalus ipſius Bauari & multorum aliorum nobis mediantibus procuretur: offerimus, ſi ad gremium Eccleſiæ redire voluerit idem Bauarus ſicut debet, ipſum benigne recipere nos paratos, eiq; tantam & talem impartiri gratiam, quod tu & Principes ſupradicti poteritis merito contentari.* Dat. Auin. 2. Cal. Aug. Pont. noſtri anno 14.

II. IOAN. REX BOEMIÆ SEQVESTREM AGIT INTER IOANNEM PP. ET LVDOVICVM BAVARVM.

Hæc quidem Ioannes Pontifex, Ioanni Boemiæ Regi ſcribebat. Namq; Ioan. Rex, quod Philippo Francorum Regi affinitate iunctus eſſet, & vna cum eo omnia apud Pontificem ſe poſſe efficere conſideret, ſequeſtris officio ſuſcepto, curabat, vt Bauarus Eccleſiæ reconciliaretur, ac permiſſu Summi Antiſtitis dignitate Imperatoria emineret: vel ſi id nequiret, vt Ludouicus tandẽ Romano Pontifici reconciliatus, iuri quod ex diſcordi electione prætendebat ad Imperium Romanum renũciaret, alterq; dux Bauariæ Henricus Imperator ordine crearetur. Cæterum quo ex pacificatione rerum Italiæ animam Põtificis facilius inclinaret, à Ludouico Bauaro impetrauit, vt in Italiam armatus deſcenderet, & quod à Brixianis ab Scaligeris oppreſſis aduocaretur, & quod ſibi curæ res Imperii fore promitteret, nihilq; non pro illo ſe facturum, neq; præter voluntatem aut Imperium ipſius aliquid commiſſurum ſancte iuraret: Pontifici a. & Regi Philippo pariter, nomine Pacificatoris quod

præſeferebat, omnia ex dignitate Apoſtolicæ Sedis ſe in Italia tranſacturum, non obſcure oſtenderet. Ita copiis ſuis & Ludouici ſtipatus, per alpes Tridentinas in Italiã penetrauit: ac primo ingreſſu Gibellinos inprimis in ipſum maiorem excitaſſe viſus eſt: nimirum rumore diſſipato, ſe ſubſidio illis venire. proximo enim Cæſare Henrico VII. ipſe natus erat, & Ludouicum diræ Pontificiæ communione piorum arcebant.

III. Penetrat in Italiam.

Vltima die Octob. in Italiam penetrantem, Bergomates primi receperunt, neq; Actius Mediolani Præfectus dubitauit, quin amicitiæ, quæ maioribus ſuis cum Henrico patre præclara fuerat reuocãdæ cauſa, ad eum trans Abduam contenderet, munera vtroq; ferens digniſſima. Iſtud officium ab Actio exhibitum, auxit Boemo exiſtimationem, vt omnia ſibi ex animo euentura expectarit. Interius progrediens, ingenti curſu Brixiam, Cremonam, Papiam, Parmam, Rhegium, atq; Mutinã recepit, ſuperatoq; Apennino Lucam properauit, Florentinorumq; copias ab obſidione vrbis ſummouit: cum paulo ante illius aduentum, menſe Iulio, Nicolaũ pſeudopontificem Bonifacius Comes Donaraticus triremibus impoſitum, Auinionem, Piſanorum nomine, Ioanni Pontifici miſerit: atq; is captiuus, collo reſti impoſita, ad diem 26. menſis Auguſti frequenti in Senatu ante Sellam Pontificis procubuerit, & in coram omnibus, ex ſcheda præſcripta, errorem quem in gratiam Ludouici Bauari errauerat, ſponte confeſſus & deteſtatus fuerit, his ipſis verbis, quæ adſcribo.

Nicolaus pſeudo pontifex reſipiſcens errorem ſuum deteſtatur et ſupplex a Ioanne Pontifice delictorum veniam petit.

In nomine Dei Patris Omnipotentis, ac Filii, & Spiritus S. Amen.

*Quoniam iuxta ſapientis doctrinam, occultanti ſua ſcelera denegatur benedictio, pure autem confitenti & ea penitus deſerenti eſt miſericordiæ repromiſſa, idcirco ego Frater Petrus de Corbario Ordinis Fratrum Minorum immaniſſimus & ſceleratiſſimus peccatorum, hoc conſideranter attendens, nolens vlterius cum impiis immiſceri, ſed cupiens toto corde in viam veritatis (quam iniquè deſerui) dirigi, ac miſericordiam & gratiam Ieſu Chriſti, & veſtri Beatiſſimi in Chriſto Patris, ac Domini noſtri, Domini Ioannis ſuperna prouidente clementia Summi Pontificis, veri & vnici in terris eius Vicarii, ac Eccleſiæ Sacroſanctæ Catholicæ, quibus meis iniquiſſimis & nefandiſſimis me priuaui ſceleribus, valeam promptius & efficacius obtinere; quamquam nuper Piſis exiſtens, coram Reuerendis Patribus Dominis Simone Archiepiſcopo Piſano, & Guilelmo Lucanenſi Epiſcopo, ac diſcreto viro Magiſtro Ludouico Stephani Clerico Papalis Cameræ, & Apoſtolico Nuncio, præſentibus quoq; multis prælatis aliis, ac religioſis, & nobilibus ac popularibus ciuitatis prædictæ, errores meos & ſcelera ſpontanee, cum ingenti cordis amaritudine confeſſus fuerim; & dictis Archiepiſcopo, & Epiſcopo, ad hoc per vos Pater Sanctiſſime deputatis ſupplicauerim humiliter & deuote, vt mihi parato præfatos errores, & quoſcumq; alios abiurare, ac mandatis ſtare veſtris Apoſtolicis, & inſuper mihi recognoſcenti quod ea quæ vt Papa, imo verius vt antipapa, tam circa perſonam hæretici Bauari, quam circa creationem (quam de facto præſumpſi) Cardinalium, & aliorum Officiariorum, quos veri Summi Pontifices ſoliti ſunt habere, quam circa diſpoſitionem & ordinationem patrimonii Beati Petri Apoſtoli, nec non & circa priuationem nonnullorum Prælatorum à ſuis dignitatibus & beneficiis aliis Eccleſiaſticis, quocumq; nomine cenſeantur, & prouiſionem attentatam de facto, de præmiſſis Prælaturis, dignitatibus, & beneficiis aliis Eccleſiaſticis quibuſcumq; nec non & quæcumq; alia, quæ vt Papa quocumq; modo præſumpſeram ſeu feceram, nulla, præſumptæ, ac temeraria fuiſſe, & eſſe, & ab omni effectu iuris vacua, & nullius penitus exiſtere firmitatis, velut attentata ab illo, cui nullum ius talia faciendi competebat: & illi (cum eſſent ſchiſmatici, & hæretici, ſeu hæreticorum fautores notorii) eſſent penitus non capaces; nec non & ea quatenus de facto proceſſerant, quantum erat mihi poſſibile reuocanti, ac nulla fore & inania declaranti, abſolutionis mihi impenderent beneficium, ab omnibus ſententiis iuris & hominis, quas ob præmiſſa incurreram, vel aliquod præmiſſorum, meq; incorporarent & reſtituerent Sacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ vnitati. Quod vti præfatus Archiepiſcopus & Epiſcopus auctoritate veſtra Apoſtolica, ipſis per literas veſtras patentes in hac parte conceſſa, recognitionibus & reuocationibus ſupradictis receptis, ac iuramento de ſtando mandatis veſtris Apoſtolicis, prompte & liberaliter exequi curauerint; hoc adiecto, quod in prædictas pœnas & ſententias, ſi ad priſtinos redirem errores, vel actus ſchiſmaticos, ac ſceleratos, reinciderem ipſo facto: cum nihilominus illa nuper in diuerſis ciuitatibus Prouinciæ confeſſus fuerim, & abiurauerim, & nulla fore per me attentata recognouerim; & ea quæ de facto proceſſerant, quantum poteram, & ad me pertinere poterat, reuocauerim, & declarauerim eſſe nulla: nihilominus tamẽ ad fortius abolendas maculas hæreſum & infamiæ, quas contraxi & incurri ex præmiſſis, & pluribus aliis damnabilibus fautoriis, adhæſionibus, & conſiliis per me dudum exhibitis hæretico & ſchiſmatico Ludouico de Bauaria principali ſtatus mei damnati huiuſmodi patratori; ac eius ſequacibus fautoribus, & complicibus; & ſpecialiter hæretico & ſchiſmatico Michaeli de Cæſenna olim Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro, de hæreſibus & ſchiſmate, ac pluribus hæreticorum fautoriis & adhæſionibus, per vos præfate Sanctiſſime Pater legitime condemnato; adhuc tamen errores meos & ſcelera, in præſentia veſtra, Sacriq; veſtri Collegii Dominorum Cardinalium conſtitutus, intendo & volo recognoſcere & abiurare, ac alia facere, quæ veſtra Sanctitas duxerit ordinanda.*

*Inprimis itaq; confiteor & cum ingenti amaritudine recognoſco, quod cum ſeductor ille ſchiſmaticus & hæreticus manifeſtus Ludou. de Bauaria dudum iure (ſi quod ſibi quæſitum fuerat ex electione diſcordi, de ipſo in Regem Romanorum celebrata) iuſte priuatus fuiſſet per Sedem Apoſtolicam, & eamdem ſanctitatem veſtram; & vt hæreticus, & fautor hæreticorũ notorius, de multis hæreſibus & fautoriis hæreticorum, ac ſchiſmatib. condemnatus, ad Vrbem Romanam imbutus indurato Spiritu perueniſſet, & religioſus vir Frater Ioan. de Marliano Miniſter Romanæ Prouinciæ dicti Ordinis Fratrum Minorum, ac Reuerendus in Chriſto Pater Dominus Ioannes Dei gratia S. Theodori Diaconus Cardinalis, Sedis Apoſtolicæ ac eiuſdem veſtræ ſanctitatis Legatus, pro maiori obſeruatione interdicti (cui tunc erat per vos Sanctiſſime Pater ſuppoſita Vrbs prædicta) eiuſdem Ludouici aduentu percepto, mihi & aliis Fratrib. in eadem vrbe morantibus, ſub virtute obedientiæ, & excommunicationis pœnis, quas non parentes ipſo facto incurrerẽt, publice iniunxiſſent, vt dictam Vrbem omnes & ſinguli exiremus: ego tamen infelix peccator, præceptis huiuſmodi non obſtantibus, licet omnes alii Fratres (paucis exceptis) eiſdem Legato & Miniſtro promptius obedirent, in eadem Vrbe præſente dicto hæretico peſſimo, & ſchiſmatico Ludouico, & aſſiſtentibus, & pluribus aliis hæreticis & ſchiſmaticis condemnatis & reprobatis per Sanctitatem veſtram, & Eccleſiam Sanctam Dei pertinaciter remanere præſumpſi.*

*Deinde, cum idem perfidus Ludou. datus in reprobum ſenſum, ſe de facto feciſſet in Imperatorem à certis Romanis perfidis coronari, & contra vos diabolicam, & iniquiſſimam depoſitionis, imo verius abuſiouis promulgaſſet ſententiam, ac proceſſus diuerſos, temerarios, falſos nimium & iniuſtos, neq; ad quorumdam principalium Romanorum Clericorum & Laicorum inſtantiam eius ſequacium, vna cum certis de Clero & populo perfidis eius complicibus & fautoribus ad hoc ſecum vocatis, in Papam & Summum Pontificem, imo verius antipapam, damnatum & peſtiferum elegiſſet; ego miſer inductus, imo ſeductus ſuis & multorum tam clericorum quam laicorum eius fautorum & ſequacium dictæ Vrbis precibus importunis, & pernicioſis inſtãtiis ac infeſtis, falſe & erronee aſſerentium, quod Papam Imperator deponere poterat, & loco depoſiti alium ordinare. & quod per conſequens eidem hæretico & ſchiſmatico Ludouico (qui tunc in fictum & falſum Imperatorem denuo ſe coronari de facto fecerat, & vos Pater Beatiſſime abuſiue depoſuerat) hoc licebat. Mea ſuperbiſſima electione more Luciferi, ambitioneq; damnabili excæcatus, huiuſmodi electioni tam nefandæ quam reprobæ, imo nimis malitioſæ, conſenſum meum temerarium, & elatiſſimum, & excæcatũ, ſicut præmittitur, omni pœna digniſſimũ non erubui adhibere. & conſequenter conſecrari, imo execrari ab hæretico & ſchiſmatico Iacobo dudum Caſtellanenſi Epiſcopo excommunicato & depoſito, & coronari à dicto hæretico Ludouico de Bauaria me permiſi: licet ad eum, etiamſi verus Imperator exiſteret (ſicut reuera non erat, nec eſt, ſed hæreticus manifeſtus & reprobus) egoq; verus eſſem Papa (ſicut in rei veritate non eram, ſed antipapa potius, ſchiſmaticus, hæreticus & iniquus) nequaquam talis coronatio pertineret.*





*Item quod Cardinales, imo verius antiCardinales, & omnes Officiarios, quos verus Papa eſt habere ſolitus, ordinare de facto præſumpſi, bullamque more Pp. (licet eſſem reprobus & damnatus) fieri feci, & habui, eaque falſo vſus ſui, temere & inique. Et vt ſtatum meum peruerſiſſimum, & Ludouici prædicti damnati, ac falſas opiniones hæretici & ſchiſmatici Michaelis de Cæſenna dudum Miniſtri Generalis Ord. prædicti Fratrum Minorũ, quod Chriſtus & eius Apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, non habuerunt, niſi tantum vſum facti ſimplicem, poſſem fortius ac promptius ſtabilire Dei timore poſtpoſito, extendens ad omnia illicita manus meas, proceſſus & depoſitionis ſententiam Ludou. manifeſti prædicti hæretici, & de plurib. hæreſibus condemnati, contra vos ſanctiſſime Pater habitam, & etiam fulminatam, ſupplens omnem defectũ ſi quis eſſet in ipſis. ex certa ſcientia. & de plenitudine poteſtatis, non ſolum illos confirmare, & mei ſcripti communire patrocinio non erubui, ſed etiam de nouo ſententiare, pronunciare, & declarare, ac prædicare publice, omnia & ſingula in dictis proceſſibus promulgata præſumpſi. In quibus quidem proceſſibus, Ludou. prædictus pronunciabat & declarabat fore hæreticum, & ſcripturæ ſacræ contrarium, dicere: quod Chriſtus & Apoſtoli, in his quæ habuiſſe leguntur, habuerunt aliud quam ſimplicẽ vſum facti. Ex qua quidem pronunciatione euidenter concluditur, ipſũ, & me etiam, ex confirmatione, pronunciatione, & prædicatione, prædictis, in damnatam hæreſim per ſententiam veſtram Apoſtolicam de Fratrum veſtrorum promulgatam conſilio incidiſſe.*

*Et nihilominus ad diuerſos Reges & Principes meas literas deſtinaui, per quas ad eorum notitiam deducebam quod vos Pater Beatiſſime (cui multa falſa, hæretica, & erronea, in eiſdem literis imponebam) ſuggerentibus dictis hæreticis Ludou. & Michaele, ac iuxta votum ſuum ordinantibus, per eundem Ludouicum, ac per me eratis depoſitus, & finaliter Reges & Principes exhortando nihilominus & rogando, quod vobis Beatiſſime Pater tanquam Pap. non parerent in aliquo, nec fautores aliquos exhiberent: ſed contra potius, mihi & dicto Ludou. præberent auxilium & fauorem. Nec his contentus, tam in vrbe quam alibi, in pluribus Ciuitatibus & locis aliis, Clericos ſeculares & Regulares compelli, vt non obſtante dicto interdicto, cui per vos Beatiſſime Pater erant ſuppoſita loca ipſa, in eiſdem celebrarent, imo verius quantum erat in me, prophanarent diuina.*

*Tallias quoque Eccleſiis impoſiti tam in vrbe, quam alibi: pro quibus, calicibus ornamentis, & nonnullis rebus aliis ipſas Eccleſias ſpoliaui: Fideles inſuper Prælatos nonnullos, & alios Clericos, dignitatibus & beneficiis aliis Eccleſiaſticis, in illis proficiendo, aut hæreticos, vel ſchiſmaticos, vel eorum fautores: & plerumque non abſque Simoniaca prauitate, priuaui: quibus (relictis etiam illis, ſcilicet quorum hæc prælatio intererat) de facto, cum de iure non poſſem, per me, vel per alium munus conſecrationis, imo verius execrationis impendi.*

*Contra quoque Fratres Minores non parentes Michaeli prædicto tanquam Generali Miniſtro, (qui tamen reputatus erat iuſte & condemnatus de hæreſi, & hæreticus, ac ſchiſmaticus declaratus: & alius per Generale Capitulum Ord. Minorum concorditer in Generalem aſſumptus) & contra ſeruantes interdicta, per vos ſanctiſſime Pater, vel Legatos ſeu Officiarios veſtros promulgata, vtroque ſpirituali videlicet & temporali gladio procedere non expaui eidem Michaeli, & ſuis ſequacibus hæreticis & ſchiſmaticis inique impartiendo, iniuſte ac temere auxilium, & fauorem.*

*Indulgentias inſuper, & diſpenſationes Sedi reſeruatas Apoſtolicæ præſumpſi concedere, dumtaxat de facto, & etiam faciendo. Nonnullos quoque qui pro Pontificibus ſe gerebant, commiſi, vt ſacros Ordines celebrarent: in quibus Ordinibus (vt credo) plures promouerunt temere: cum eis virtute præfatæ licentiæ non liceret. De Patrimonio quoque B. Petri, in nonnullis locis ad tempus, & interdum in perpetuum diſponere non expaui.*

*Hæc omnia, & plura alia, contra Deum, ſanctamque Eccleſiam Catholicam, ac vos Beatiſſime Pater, verum & vnicũ Chriſti Vicarium, recognoſco, & confiteor, me de facto, inique nimis & temere peccaſſe: quæ omnia & ſingula recognoſco, & confiteor nulla fore, & caſſa, & inania, velut ab illo cui faciendi non competebat ius aliquod, attentata: eaque (quantum ad me ſpectare poteſt) quatenus proceſſere de facto, reuoco, & nulla fore, & fuiſſe pronuncio & declaro.*

*Confiteor inſuper, & ore ac animo recognoſco, me credere, & tenere fidem illam, quam ſancta Romana Eccleſia, ac vos Pater ſanctiſſime tenetis, prædicatis, atque docetis: & ſpecialiter recognoſco me tenere & credere, quod ad Imperatorem non pertinet deponere, nec inſtituere Papam: imo hoc tenere, hæreticum reputo: prout in proceſſu contra hæreticos Marſilium de Padua, & Ioannem de Ianduno per vos Beatiſſime Pater ſuper his & nonnullis aliis erroribus habito, quem diligenter ſtudui, continetur.*

*Item fateor, & recognoſco, hæreticum eſſe dicere Chriſtum & eius Apoſtolos non habuiſſe, quæ eos habuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur, niſi ſimplicem vſum facti: licet dudum contrarium tenuerim, & hoc tenentibus impenderim indebite conſilium & fauorem. Et fateor, & recognoſco, quod hoc aſſerentes ſunt aſſerendi hæretici manifeſti, ſecundum quod in ſententiis veſtris Pater ſanctiſſime, quarũ vna incipit, Cum inter alia vero. Quia quorundã, plenius continetur. Et ſuper materia proprii & communis, iuris ac dominii, quod Ieſus Chriſtus Dominus noſter, & eius Apoſtoli, in rebus temporalibus habuerunt: credo, profiteor, & teneo, in omnibus & per omnia, firmiter, id quod in dictis Conſtitutionibus & reſponſionibus per vos factis, obiectionibus quas dictus Michael eiuſque ſequaces contra conſtitutiones prædictas fecerunt, de quibus ſum informatus pleniſſime continetur: ac omnia & ſingula, ſcripta, dicta, & publicata contra dictas Conſtitutiones & reſpõſiones prædictas & tangentia ea per hæreticos & ſchiſmaticos Ludou. & Michaelem prædictos, ſeu quoſcumq; alios, aſſero, recognoſco, & dico fuiſſe, & eſſe nulla, erronea, ſchiſmatica, hæretica atque falſa: eaque vt talia refuto, renuo, anathematizo, reprobo, & deteſtor. Item confiteor & recognoſco in veritate quod vos ſanctiſſime Pater & Domine, Domine Ioannes Papa vigeſime ſecunde, & nullus alius, eſtis ſummus Pontifex, verus & vnicus in terris Vicarius Ieſu Chriſti: & contrarium quod tenui, & dicta quorumcunque idem mecum dicentium, refuto, anathematizo, renuo, reprobo, & deteſtor.*

*Item recognoſco, & fateor in veritate, quod ego male, falſo, temere, erronee, & inique aſſumpſi, & exercui de facto ſtatum ſummi Pontificis: imo verius antipapatus, damnabilem antedictum: & adhæſi, & fautor hæreticis ſupraſcriptis, & pluribus aliis: ideoque ſtatum, adhæſionem, & fautoriam huiuſmodi per omnia refuto, renuo, anathematizo, reprobo, & deteſtor.*

*Item recognoſco, & fateor in veritate, quod male, temere, & inique de facto promoui, & conſecrari feci (ſeu potius execrari) nonnullos Prælatos, præſertim ſchiſmaticos & hæreticos, ſeu fautores hæreticorum: & aliquos deuotos Catholicos & fideles depoſui & beneficia Eccleſiaſtica pluribus infidelibus, ſchiſmaticis & rebellibus, ſeu eorum fautoribus contuli: & ſæpius per Simoniacã prauitatem, quam exercere per dictos hæreticos, deſperatos, & alios perfidos non expaui: & cætera quæ verus Papa gerere conſueuit, malitioſe de facto exercui, quæ omnia reprobo, & deteſtor.*

*Item fateor, & recognoſco in veritate, quod anti-Cardinales, & anti-Epiſcopos per me (vt præmittitur) promotos, & quos feci conſecrari, imo verius execrari de facto: non reputo eſſe Cardinales nec Epiſcopos: imo confiteor ipſos fuiſſe, & eſſe (ſi non fuerunt abſoluti & reconciliati per vos Beatiſſime Pater) ſchiſmaticos hæreticos atq; nullos. Et omnes actus, quos circa ipſos, vel quoſcumq; alios & ſpecialiter circa Ludou. prædictum, ac eius fautores, complices, & ſequaces exercui de facto, cum de iure non poſſem: dico, quantum in me eſt fore & fuiſſe de iure tanquam hæreticos, & ſchiſmaticos, inualidos, & nullius roboris, vel momenti: eoſq; vt tales, quatenus proceſſere de facto inquantum poſſum infringo, irrito, & denuncio nullius eſſe momenti: ac expreſſe refuto, renuo, anathematizo, reprobo, & deteſtor. Quæ omnia & ſingula per me ſupra aſſertiue propoſita, & prolata, iuro per hæc S. Dei Euangelia à me tacta mentaliter & corporaliter, vera eſſe: ac præſcripta vitanda vitare, & obſeruanda inuiolabiliter obſeruare. Ea vero quæ aſſerui credere, iuro vt ſupra me illa credere, fore vera.*

*Item omnes errores & hæreſes ſupradictos, & eorum ſingulos, & ſpecialiter dicere, credere, & tenere, quod ad Imperatorem pertineat deponere Papam ac inſtituere: item, quod CHRISTVS & eius Apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, non habuerunt, niſi ſimplicem vſum facti: & quoſcumque errores, et hæreſes alias abiuro, anathematizo, renuo, reprobo, et refuto. Et inſuper promitto et iuro, tactis mentaliter et corporaliter per me Euangeliis ſacroſanctis, ſuper omnib. et ſingulis ſupradictis, ſtare mandatis Eccleſiæ ſanctæ Dei, et veſtris Apoſtolicis: ac fidem quam ſancta Romana Eccleſia Catholica, et vos Pater Beatiſſime tenetis, creditis, et prædicatis: nec non veſtras Conſtitutiones,*

& declarationes factas ſuper materia proprii & communis, iuris & dominii quod Ieſus Chriſtus & eius Apoſtoli in rebus temporalibus habuerunt, perpetuo & inuiolabiliter obſeruare, ac ſtare & parere in omnibus & per omnia mandatis ſacroſanctæ Dei Eccleſiæ, ac veſtri præfati Domini Papæ.

Item promitto & iuro, vt ſupra, quod nunquam præſcripta, nec infraſcripta, ſeu aliqua eorundem per me retractata & abiurata tenebo, nec exercebo: nec pro tali, ſcilicet Papa me habebo: nec quantum etiam in me erit permittam quoquomodo ab aliis me haberi.

Item promitto & iuro, ad S. Dei Euangelia, corporaliter & mentaliter per me tacta quod nunquam dictis hæreticis & ſchiſmaticis Ludouico & Michaeli, nec eorum fautoribus, complicibus & ſequacibus, aut aliis per vos Beatiſſime Pater denotatis vel denotandis ſcienter, quamdiu in rebellione & extra gratiam fuerint S. Matris Eccleſiæ, atque veſtram adhærebo: nec eis præſtabo auxilium, conſilium, vel fauorem: nec cum eis, aut eorum aliquibus, ligam, coniurationem pacta, conuentiones, ſeu conſpirationes faciam, aut contraham quoquomodo.

Item, quod cum hæreticis & ſchiſmaticis antedictis ſeu fautoribus, ſequacibus, & complicibus eorundem, ſeu cum aliquibus à me promotis, imo verius execratis (vt præmittitur) conuerſationem aliquam non habebo, nec eis præſtabo aliquod conſilium, auxilium, vel fauorem petens humiliter & deuote, me per vos Pater ſanctiſſime, non attentis meis exceſſibus & ſceleribus grauibus ſed ſola Dei miſericordia, cuius eſtis verus & vnicus in terris Vicarius, ab omnibus pœnis & ſententiis, iuris & hominis, quas propter præmiſſa, vel eorum ſingula, ſeu aliquod eorundem incurri, abſolui, & vnitati reintegrari, & reincorporari Eccleſiæ S. Dei: paratum me offerrens omnem pœnam ſiue pœnitentiam, quas mihi pro præmiſſis iniungendas vel imponendas veſtra ſanctitas duxerit, cum omni obedientia ſuſtinere, & etiam adimplere. De quibus omnibus & ſingulis ſupraſcriptis, ad æternam rei memoriam, pro ſalute mea & publica, peto vnum & plura, quotquot erunt expedientia, fieri publica inſtrumenta.

IV. NICOLAVS ANTIPAPA ABSOLVTIONEM AB EXCOMMVNICATIONE IMPETRAT.

Hanc Petri Corbarii confeſſionem, cum in publico Patrum conſeſſu, ſummus Pontifex Ioannes audiuiſſet, miſericordia commotus, inprimis abſolutionem & reincorporationem Petri, ab Archiepiſcopo Piſano, & ab Epiſcopo Lucenſi factam confirmauit; deinde auctoritate Apoſtolica, ipſum illum eundem, ad gratiam ſuam & Eccleſiæ recepit, atq; anathemate exſolutum, communioni & vnitati Eccleſiaſticæ reſtituit. Cæterum recenti memoria edoctus, quantum periculum Eccleſiæ imminebat, cum primum Petrus Muronus, Cœleſtini Quinti nomine Pontifex ſalutatus, ea dignitate ſpontanee, volens & lubens ſeſe exuiſſet, & ſuo arbitrio permiſſus hac illacque euagatus, multos Bonifacio Octauo vero Pontifici non ſatis æquos poſt ſe traxiſſet, manifeſtoque ſchiſmati viam, niſi occurriſſet Bonifacius, apertã aperuiſſet; ille quoque ne Chriſtiana reſpublica occaſione Petri Corbarii turbaretur, ſi liberum in Italiam redire permitteret, hominem Auinione retinendum cenſuit, atq; cubiculum, libros, neceſſaria, victum, ſocios & cuſtodes in palatio Auinionenſi illi dedit: hac vnica cautela adhibita, nec quiſpiam exterorum ſe inſcio Corbarium alloqueretur: non quod vim, aut ſuadelam aliquam metueret, ſed ne viri ad quietem compoſiti otium religioſum inquietaretur, neue nouandis aut turbandis rebus occaſio præberetur. Ea de cauſa, Comitem Anhaltinum, Ludouici Bauari affinem, bellum in Saracenos Granatenſes ex voto præ ſe ferentem, & octingentis equitibus armatis comitatum, Auinionem ad ſe ſalutandum venire cupientem, & voto exſoluit, & acceſſu prohibuit: lato anathemate, ſi vel pedẽ mouere deſtinaſſet. *Ioan. Villani l. 10. c. 157. 164. 170. & reliquis. Iouius in Actio. Mutius l. 24. Regeſtr. Ioan. XXII. hoc anno. Blondus Naucler. Cuſpinian. locis ſuis, Maſſonius in Ioan. XXII.*

V. PRODIGIVM EN SIVE CONVERSIONE.

Henricus Redborſius loco prodigii commemorat, aquilam nuſpiam antea viſam Auinione comparuiſſe, & ſupra palatium Pontificium conſediſſe, ſtatim ac Petrus palynodiam decãtauit: moxq; dilapſam continuo auolaſſe: non incerto portento, Pontificatum Ioanni ſtabilitum diuinitus fuiſſe. *In Annal. Germaniæ.*

VI. MICHAELIS CÆSENATIS PERVICACIA ET IN IOANNEM PP. CONVITIA, A QVO DENVO EXCOMMVNICATVR.

Et quidem erga Petrum Corbarium, adeo ſe benigne habuit Ioannes ſummus Antiſtes, verumtamen contra Michaelem Cæſenatem, Ordinis Fratrum Minorum ex-Miniſtrum Generalem, Spiritu Apoſtolico inſurgens, nouam ſententiam promulgauit. Auſus fuerat is temerarius, Auinioni, in conſeſſu Patrum publico, Ioanni ſummo Pontifici in faciem reſiſtere, & ante ſententiam prolatam, ad futurum ſummum Pontificem, vel ad Concilium Oecumenicum prouocare. Auinione, contra fidem publicam profugus, in Piſano Conciliabulo inprimis, Petrum Corbarium, & Ludouicum Bauarum ad ea quæ perpetrarant infanda exciuerat: Monachium vero Bauariæ poſteà cum Bauaro effugiẽs, Pontificem Ioannem non iam ſummum Antiſtitem, ſed Iacobum de Caturco hæreticum & apoſtatam mẽtiebatur. In Generali autem Ordinis ſui Fratrum minorum Pariſienſi Capitulo, exauctoratus, & tanquam hæreſiarcha damnatus, tam rebellẽ ceruicem erexerat, vt decretis ſedis Apoſtolicæ, & vniuerſi ſui Ordinis poſthabitis Generalem & Catholicum ſe aſſeueraret, Ioannem vero ſummum Pontificem, probris & contumeliis abominandis aſpergeret. Facile illi fuerat, ſub vmbra Ludouici Bauari, in eius ditione væſaniẽti; eo amplius, quo indidem comites væſaniæ ſibi plurimos adiunxerat, Guillelmum Occhamum, Bonagratiam Conuerſum, & Henricum Chalemium, eiuſdem inſtituti profeſſores. Hos Michael, nequitiæ ſuæ adminiſtros, hac illacq; ad Principes & populos deſtinabat, qui omnia, & contra Pontificem, & contra Catholicam religionẽ, & contra manifeſtam Euangelii veritatem Michaelis commenta effutirent, atque vniuerſos aduerſum illum concitarent. Conatus eſt Ioannes, illos ad mentem reuocare. Cui rei, quanquam minime deceret, etiam apologiam pro ſuis Conſtitutionibus vulgauerat, ac ſingulis appoſitionibus tum Michaelis, tum ſociorum reſpõderat. Cæterum illi nihilo ſaniores facti, aduerſum Dominum, & aduerſus Chriſtum illius conſurgebant.

VII. SENTENTIA EXCOMMVNICATIONIS IN MICHAELEM EIVSQVE COMPLICES PROMVLGATA A IOANNE PP.

Itaque Ioannes cum benignitate emollire non poſſet, ſeueritatem adhibendam exiſtimauit, & hãc quam adiungo ſententiam promulgauit. Ita habet, ad initium anni ſequentis innouata.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Nuper in Conſiſtorio publico præſente multitudine copioſa fidelium, contra Michaelem de Cæſena olim Generalem Miniſtrũ Ordinis Fratrum Minorum, ſuis exigentibus culpis & exceſſibus, officio Miniſteriatus priuatum, & de hæreſis, ac ſchiſmatis criminibus condemnatum per nos ſententialiter, nec non & contra Guillelmum Okam Anglicum, Bonagratiam de Bergamo Conuerſum, ac Henricum de Chalem præfati Ordinis, quendam proceſſum edidimus tenoris & continentiæ ſubſequentis.*

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

Dudum, ſicut ad communem omnium notitiam credimus deduxiſſe, contra Michaelem de Cæſena olim Ordinis Fratrum Minorum Generalem Miniſtrum, hæreticorum fautorem & hæreticum; imo hæreſiarcham notorium, qui ad noſtram vocatus Curiam ſuper dictis criminibus, cuique ſub excommunicationis, ac depoſitionis ab officio, & inhabilitationis ad quoſcumq; honores, dignitates, gradus, & ſtatus Eccleſiaſticos pœnis & ſententiis, quas omnes & ſingulas ipſarum eum incurrere voluimus ipſo facto, ſi contrarium attentaret, ne de ciuitate Auinionenſi, vbi cum eadẽ reſidebamus curia, ſicut & reſidemus ad præſens abſque noſtra licentia recederet, duximus inhibendum: quique vna cum Bonagratia Conuerſo prædicti Ordinis, qui ſuis demeritis exigentibus in prædicta Curia arreſtatus, ad S. Dei Euangelia iurauerat, ſe de prædicta Curia, ſine noſtra licentia nullatenus receſſurum: ac Guillelmo de Okam eiuſdem Ordinis, contra quem ſuper multis opinionibus hæreticalibus & erroneis, quas ſcripſerat & dogmatizauerat, inquiſitio in eadem pendebat Curia ſibiq; propterea iniunctũ fuerat, ne de dicta recederet Curia ſine noſtra licentia ſpeciali, furtiue receſſit de ipſa, cũ duob. ſuis complicibus ſupradictis, ac redire ad eam renuens legitime requiſitus, ad præſentiam Petri de





Coruario in Antipapam aſſumpſit, & Ludouici de Bauaria ſedentis in peſtilentiæ cathedra feſtinauit ſuos dirigere greſſus.

Ne Michael ipſe vir tam reprobus glorietur vlterius ſuæ prauitatis opera, abſque condignis demeritoriis ſtipendiis præterire, ac ne plures etiam in ſui erroris deuium traheret, ad quod ſua tota intentio ferebatur: cum præmiſſa eſſent adeo notoria, tam per facti euidentiam, quam per plures ipſius literas ad partes diuerſas directas, quarum aliquæ ad noſtras, & Fratrum noſtrorum manus etiam peruenerunt, quod non poterat tergiuerſatione aliqua occultari, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate DEI Omnipotentis, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, exigente iuſtitia procedentes, Michaelem eundem ab officio dicti Miniſteriatus depoſitum, fautoremque hæreticorum & manifeſtum hæreticum & hæreſiarcham, ac ſchiſmaticum declarandum: nec non & fautorem hæreticorum, & hæreticum, ac hæreſiarcham ac ſchiſmaticum duximus condemnandum: priuantes eum officiis, dignitatibus, & honoribus quibuſcunque ſeu priuatum potius declarantes: ipſumque ab omni gradu deponentes, & priuilegio quocumque nudantes Eccleſiaſtico, ac eum inhabilẽ ad præmiſſa reddentes, & quodlibet prædictorũ, pœnis omnib. & ſententiis ſpiritualibus, & temporalibus, quibus diuino & Eccleſiaſtico iure hæreticorum fautores & hæretici, hæreſiarchæ ac ſchiſmatici exiſtunt obnoxii, plectentes eundem nihilominus, & eum velut talem eis fore obnoxium declarantes, vniuerſis quoque Archiepiſcopis & Epiſcopis aliiſque perſonis Eccleſiaſticis quibuſcumque, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis & ſuſpenſionis ab officio & beneficio, quas non parentes incurrere volumus ipſo facto, nec non priuationis, depoſitionis, inhabilitationis prælationum, dignitatum, officiorum & beneficiorum Eccleſiaſticorum pœnis & ſententiis: & inſuper omnibus & ſingulis ciuitatibus, terris, & locis: ac vniuerſitatibus, communitatibus, & perſonis aliis ſingularibus quibuſcumque, cuiuſcumque conditionis aut ſtatus exiſterent etiamſi Imperiali, Regali, vel alia quacumque dignitate fulgerent, ſub excommunicationis in perſonas ſingulares, & interdicti in Ciuitates, terras, loca, eorumque communitates & vniuerſitates, quas, niſi mandatis & monitionibus noſtris cum effectu parerent, incurrere volumus ipſo facto, nec non priuationis priuilegiorum quorumcunque Apoſtolicorum & Imperialium, ac feudorum & bonorum, quæ ab eadem Romana, vel quibuſuis aliis Eccleſiis, vel Imperio obtinerent pœnis & ſententiis, mandandum expreſſe duximus, & etiam inhibendum, ne prædictum MICHAELEM hæreticorum fautorem, hæreticum & ſchiſmaticum receptarent, defenderent, ſibi adhærerent, obedirent, intenderent, quomodolibet, ſeu fauerent, aut præſtarent per ſe, vel alium, ſeu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, auxilium, conſilium, vel fauorem: ſed eum potius velut hæreticorum fautorem, ac hæreticum, & ſchiſmaticum, & quantum in eo eſt, Sanctæ DEI Eccleſiæ, Fideique Catholicæ corruptorem abiicerent, abhorrerent, perſequerentur, & ſi poſſent, caperent, ac fideliter cuſtodirent ſubdendum Eccleſiaſticæ diſciplinæ: prout hæc in proceſſibus per nos habitis & publicatis hactenus, plenius continentur.

Sane quia ſicut fama notoriat publica, & facti euidentia in illis partibus manifeſtat, MICHAEL, ac Guillelmus Okam, & Bonagratia ſupradicti, nec non & HENRICVS de Chalem dicti Ordinis, cuius perfectio inter alia poteſt percipi, quia Ludouici de Bauaria ſe pro Imperatore gerentis, de diuerſis damnati hæreſibus, Cancellarii officium diutius gerere non expauit. Quod quidem officium, quantum profeſſioni illorum, ſe nihil habere aſſerunt in proprio vel communi, ſeque CHRISTVM pauperem nudos ſequi congruat, poteſt prompte prudens quilibet iudicare. Hi inſuper in Alamaniæ partibus, in diuinæ maieſtatis contumeliam, Fideique Catholicæ læſionem, Eccleſiæ Catholicæ præiudicium & contemptum, non verentur hæreſes publice prædicare, ac nonnullos Fratres dicti Ordinis illarum partium, à deuotione Eccleſiæ, Miniſtrique Generalis eiuſdem Ordinis Obedientia retrahere, ac illos ad dictorum LVDOVICI & MICHAELIS hæreſiarchæ obedientiam, per captiones & incarcerationes perſonarum, & eiectiones à ſuis Conuentibus, ſpoliationes librorum, aliarumque rerum ad vſum ſibi aſſignatarum à ſuis ſuperioribus, proſcriptionem quoque publicam, minis & terroribus mortis, & aliis modis auſu temerario inducere & compellere non verentur.

Nos conſiderantes attente, quod talium non eſt diſſimulanda malitia, ſed eorum potius elidenda ſuperbia, ac eorum pertinax contumacia per ſemitas iuſtitiæ proſternenda, omnes & ſingulos, qui contra noſtros proceſſus prædictos, eidem MICHAELI fauerunt, aut vt Miniſtro obediuerunt, niſi ad obedientiam Eccleſiæ iam redierint, de Fratrum eorundem conſilio declaramus, perſonas videlicet ſingulares excommunicationis, ac Conuentus & vniuerſitates interdicti ſententias incurriſſe: MICHAELI interdicentes prædicto, ne pro Miniſtro ſe gerat vlterius, ac Guillelmo, & Henrico, ac Bonagratiæ prædictis, ne ei tanquam Miniſtro, nec alias, niſi in caſibus in quibus licet communicare cum hæreticis pareant, communicent, vel intendant, ſub pœna excommunicationis quam incurrant ipſo facto, ſi contumaces mandatis noſtris fuerint: præcipientes tam MICHAELI, quam prædictis aliis, vt à conſortio ſe dicti Bauari retrahant, & ad vnitatem redire Eccleſiæ ſublato cuiuſuis moræ diſpendio non omittant.

Et quia prædicti Guillelmus, Henricus, & Bonagratia, velut defenſores diuerſarum hæreſum, ſed illarum præcipue, quæ aſſerunt, quod CHRISTVS & diſcipuli nihil habuerunt in proprio vel communi, niſi tantum ſimplicem vſum facti, & illius quæ aſſerit, quod ad Imperatorem pertinet PAPAM deponere, & alium ſubrogare, vehementer de hæreſi ſunt ſuſpecti: ipſos & eorum quemlibet citamus per edictum peremptorium publicum, præſente hac fidelium multitudine copioſa, vt infra feſtum Aſcenſionis DOMINI excluſiue proxime ſubſequens, compareant perſonaliter coram nobis, facturi ſuper præmiſſis velut notoriis, quod rationis fuerit: & ſententiam, ſi ferri poſſit commode audituri. Non intendentes propter prædictæ citationis edictum nos aſtringere, quin contra dictos Guillelmum Okam, & Bonamgratiam, quos alias per edictum peremptorium publicum citauimus, vt certo termino, qui eſt elapſ, comparerent coram nobis perſonaliter ſententiam audituri, ac propter eorum contumaciam fuerunt excommunicationis vinculo innodati, interim valeamus procedere prout ſit debit iuſtitia, & viderimus expedire, eiſdem expreſſius intimantes, quod ſiue venerint, ſiue non venerint, contra ipſos in dicto termino, vel quoties nobis viſum fuerit, abſque citatione alia ad præmiſſa procedemus, prout rationis fuerit, & viderimus expedire.

Cæterum volumus, auctoritate Apoſtolica nihilominus decernentes, quod proceſſus noſter huiuſmodi, præfatos Michaelem, Guillelmum, Bonamgratiam & Henricum, ac alios quos contingere dignoſcitur, adeo apprehendat & arctet, ac ſi eis & eorum cuilibet perſonaliter publicatus & intimatus ſolemniter extitiſſet: quacunque Conſtitutione contraria per prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices in contrarium edicta non obſtante.

Et vt idem proceſſus, & contenta in eo, ad ipſorum MICHAELIS, GVILLELMI, Bonagratiæ ac HENRICI & aliorum, quos contingunt, notitiam deducantur, chartas ſeu membranas proceſſum continentes eundem, appendi ſeu affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus Maioris Auinionenſis Eccleſiæ faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, vt ipſi nullam poſſint excuſationem prætendere vel ignorantiam allegare, quod ad eos non peruenerit, vel quod ignorarint eundem: cum non ſit veriſimile, quoad ipſos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Datum Auinion. 11. Non. Ianuarii, Pontificatus noſtri anno Quintodecimo.

Et licet proceſſus ipſe ſufficienter publicatus extiterit, vt præfertur, tamen ex abundanti, volentes eum in locis & domibus tui Ordinis nihilominus publicari, diſcretioni tuæ committimus & mandamus, quatenus per te vel alium, ſeu alios eiuſdem Ordinis, proceſſum eundem in ſingulis locis & domibus præfatis, diligentius publicare procures, faciens de publicatione ipſa inſtrumenta publica confici, quæ nobis ſtudeas fideliter deſtinare.

Dat. Auinion. 4. Idus Ianuarii, Pontificatus noſtri anno Quintodecimo.

VIII. QVINAM SCHISMATIS ET CALVMNIARVM IN IOANNEM PP. AVCTORES FVERINT.

Hæc facinora, Michaeli Guillelmo, Bonagratiæ, & Henrico hæreticis & ſchiſmaticis, cum Ioannes Pontifex exprobraret, ſatis aperte totius ſchiſmatis radicem indicauit, oſtenditque, Ludouicum Bauarum & Petrũ Corbarium, illum pſeudoimperatorem, hunc vero antipapam, ambos hæreticos & ſchiſmaticos, ab Henrico Chalemio Minore, fere vniuerſi veneni virus diriſſimũ hauſiſſe, & nonniſi ab eius calamo in orbem vomuiſſe: quod is apud vtrumque Cancellarii officio vſurpato, tam ea quæ in Germania, quam quæ Mediolani, Piſis, Romæ, & alibi locorum, contra Ioannem ſummum Pontificem, & contra Fidem Catholicam Orthodoxã Romanam, ſiue Ludouicus, ſiue Petrus, ſiue priuatim, ſiue publice, ſiue in area, ſiue in conciliabulo ſparſerãt, atro atramento, ad perennem ſuam ignominiam concepiſſet. Itaque quos errores ſeu hæreſes, ſiue octo, ſiue duodecim, ſiue plures Ioanni ſummo Pontifici Bauarus vel Corbarius falſo & temerario imponebant, ab Henrici ſtylo, & is à Michaelis, Guillelmi & Bonagratiæ commento mutuauit. Omnium tamen eorum impiorum, ex officina Satanæ ſcribentium conatus irritus in vanum, nec impune illis à Deo cecidit. Nam & infeliciter manum ſaluantis ſanantiſque Ioannis Pontificis euaſerunt, & miſere extincti ſunt: iuxta illud diuinitus à Pſalte pronunciatum: *Sunt impii velut puluis, quem proiicit ventus à facie terræ:* Sancta autem Eccleſia Catholica Romana, *ſicut ſol & ſicut Luna perfecta in æternum*, quam profani demoliri conabantur, inconuulſa manet: nec non vera & ſancta Diui Franciſci religio, cuius fundamenta conuellere incauti anniſi ſunt, inconcuſſa perſeuerat: viris ſanctitate vitæ & doctrina illuſtribus, velut cœlum fulgentiſſimis ſyderibus exornata.

IX. LVDOVIC. BAVARVS IN COMITIO AGIT PRO PETRO CORBARIO PSEVDOPONTIFICE ADVERSVS IOANNEM PP.

Neque ſecus Ludouici Bauari impetus ceciderunt: qui hoc ipſo anno in Germaniam reuerſus, Norinbergæ conuentu Principum indicto, multa temere in Ioannem Pontificem declamauit. Accuſabat inprimis grauiter ſuo ipſius ore Ioannem, quaſi nihil ſpiritualia curaret, & dolo malo omnia ageret, & Eccleſiaſticæ fidei puritatem, tum falſimonia doctrinæ adeoque hæreſi, tum temporalium rerum ſolicitiore cura, ſeu auaritia, & cupiditate contaminaret, adeoque indignum Pontificatu ſeſe efficeret. Petrum deinde Corbarium, per ſummam vim ab Ioanne oppreſſum, eſſe virum doctrina & ſanctimonia vitæ, Ieſu Chriſto Eccleſiæ Capiti, nec non Apoſtolis, & inprimis Diuo Petro aſſimilem prædicabat: eaque propter, hunc quidem ſummo Pontificatu longe digniſſimum, verumque Paſtorem ouium eſſe: illum vero Deo ac hominibus propter hæreſes & flagitia inuiſum, iam dignitate Pontificia exutum mentiebatur. Proinde quod conſectaneum fuerat, omnes Principes adhortabatur, vt ẽt atq; etiam cauſas tam abominandi ſchiſmatis penitius inſpicerent, neq; ſpecioſo fuco aliquorum ſe decipi paterentur. In eo comitio cum non multum operæ feciſſet, iterum Spiram vniuerſos euocauit, & in conſeſſu Principum multa de Ioannis Pontificis expeditione in Saracenos, deque decimatione bonorum ſeu fructuum Eccleſiaſticorum, quam illa ficta ſit, & hæc non niſi ex cupiditate habendi proficiſceretur, per calumnias diſſeruit: iterumque Principes hortatus eſt, ne permitterent tantam vim pecuniarum, in vſus nefarios conferri: quod futurum eſſet, vt non aduerſus Mauros aut Turcos, ſed aduerſus Chriſti gloriæ amantes, eam in ſtipendia militaria numeraret. Quamobrem exemplum ſuum ſequerentur, ac iuſſis obtemperarent: cum & ipſe, quæcumque ditiones Imperio ſubiectæ paterent, eam fructuũ Eccleſiaſticorum partem decimam auferri vetuiſſet, omnemque obicem auaritiæ poſuiſſet. Monebat ad extremum, vt omni ſtudio pro virili niterentur, vt Petrus Corbarius (quem verum Pontificem confinxerat) ex carcere liberetur, qui Eccleſiæ Orthodoxæ rectæ præſit, neque ſua ſed quæ ſunt Ieſu Chriſti quærat: tum vniuerſa Eccleſia vnitati ſuæ reſtituta, ſe cum copiis Hieroſolymam profecturum. Satis ſibi ad felicitatem futurum, affirmans, vbi aſpiceret Eccleſiam habere Pontificem, cui cordi ſit animarum ſalus, non dominationis aut auri cupido: lætumque ſe aut Hieroſolymam aduerſus hoſtes Fidei, aut etiam ex hac vita emigraturum, ſi poſt ſe relinqueret Eccleſiæ & imperio deſideratam ab vniuerſis tranquillitatem, & reipublicæ ſtatum bonis omnibus florentem. Dictis, Ludouicus, lachrymas & ſuſpiria addiderat, nonnulloſque Principum aduerſus Ioannem commouerat: donec Ioannes ex Concilii Auinione congregati ſententia, innocentiam ſuam vniuerſæ Eccleſiæ declaraſſet, originemque & cauſas, atque progreſſus, vnde, quo ordine, quibus auctoribus, vel adminiſtris, Eccleſiaſtica vnitas ac libertas ſiue diuiſa, ſiue oppreſſa gemeret, aperuiſſet. Itaque ſtatim Petri antipapæ abiurationem & hæreſeos confeſſionem, miſſis Legatis & Nunciis, per vniuerſam Germaniam promulgauit, anathemaque dixit omnibus, qui in poſterum Petro obtemperarent, vel eum nomine Pontificio ſalutarent. *Mutius Chron. Germ. lib. 24. & regeſt. Ioannis XXII. hoc anno.*

X. IOANNES PP. PER LITERAS IN VNIVERSA GERMANIA PETRI CORBARII ERRORES PROMVLGAT EIVSQVE SEQVACIBVS ANATHEMA DICIT. *ep. 78. hoc anno.*

Ita habet, ea Ioannis epiſtola, quæ eſt de Petro Corbarii erroribus.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

*Sicut de his quos ab vnitate Sanctæ Dei Eccleſiæ error abſcidit prauitatis hæreticæ, indubie fideles eiuſdem Eccleſiæ affligi ſupponimus & debere: ſic eos de conuerſione ipſorum ad eiuſdem vnitatem Eccleſiæ firmiter credimus congaudere. Sane auerſionem à fide Catholica, & ſeparationem ab Eccleſiæ Catholicæ vnitate, Petri de Corbario Ordinis Fratrum Minorum (quam inſtigatione verſuti hoſtis, qui à principio ruinæ ſuæ vnitatem Eccleſiæ Sanctæ nititur ſcindere, humanumque genus perturbare proceſſiſſe ſupponimus) ad ipſorum fidelium communem non ambigimus notitiam perueniſſe. Sed vt quæ illius immenſa miſericordia (quæ omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis deſiderat peruenire) circa conuerſionem dicti Petri, in his diebus operata miſericorditer fuerit, & quid circa hæc idem Petrus fecerit, cætus ipſorum fidelium non ignoret: ad eorum notitiam deducimus per præſentes, vt ſicut paſſionis Eccleſiæ prædictæ per hoc inflictæ fuerunt ſocii, ſic conſolationis & gaudii exiſtant participes & conſortes. Eos nihilominus exhortantes in Domino & rogantes, vt magnitudinem gratiæ impenſæ in hac parte à diuina clementia, eidem Eccleſiæ Catholicæ conſiderantes attente, ei à quo cuncta bona procedunt, laudes & gratias, etſi non debitas vel condignas, (cum hoc etiã per Eccleſiam vniuerſalem impleri nequeat) ſaltem eis poſſibiles ſtudeant exhibere: ac inſuper eidem ſupplicare humiliter & deuote, vt quod cœperit circa pacem dandam Eccleſiæ tam mirabiliter operari, ipſe cuius perfecta ſunt opera, dignetur nunc adimplere.*

*Et vt certiores reddãtur, quod ad ea quæ continentur inferius, dictus Petrus non vi, non metu proceſſerit, ſed propria, ſpontanea, & à Spiritu ſancto mota (vt nunc credimus) voluntate, tranſumptum cuiuſdam literæ manu propria dicti Petri, dum adhuc in loco ignoto nobis exiſteret, miſſæ nobis, annotandum præſentibus duximus: quod eſt tale.*

*Reuerendiſſimo ac Sanctiſſimo Patri & Domino, Domino Ioanni Pp. ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ, Frater Petrus de Corbario, dignus omni pœna, ſeipſum ad pedes cum reuerentia veræ ſubiectionis proſternit.*

*Licet ſecundum canonem Euangelicæ veritatis: Qui non intrat per oſtium in ouile gregis Dominici, fur appelletur & latro rapacitatis lupinæ, audiens & conſiderans diligenter tanta enormia ſcelera, prauitatis hæreticæ ſtylo ferreo exarata in vngue adamantino, quanta dicebantur à multis de veſtra ſolida fide: ſicut præſumptuoſus, temerarius, & ſuperbus aſcendi ſuper aſtra cœli Eccleſiaſtici, vbi mihi meis peccatis exigentibus parata fuit ſedes prælationis iniquæ. Sed poſtquam deueni ad territorium Piſanum, & quæſiui diligentiſſime de prædictis, & inueni quod obliqua erant & falſa, & deficiebant à pondere veritatis: dolui & doleo vehementer, & pœnitet me feciſſe quæ feci contra iura & leges veſtri ſanctiſſimi nominis, de conſilio peruer-*





*perſorum. In cuius rei teſtimonium iam eſt annus completus, quod aduerſarium veſtrum ſponte dimiſi, & ſedem mei præſumptuoſi culminis dereliqui. Et propono firmiter in ciuitate Piſana, & etiam in vrbe, & vbicumque locorum errata mea palam emendando renuere, ſecundum quod veſtra benigniſſima ſanctitas decreuerit ordinandum. Et quia grauiſſime peccaui, & erraui patenter in inuio, & non in via: ſupplico veſtræ clementiſſimæ pietati, quatenus mihi maximo peccatori dignemini parcere ſecundum multitudinem magnam miſericordiæ Dei viui: vt renuens ex totis viſceribus, deleam & adnihilem ſupradicta de cordibus vniuerſorum fidelium, & ora claudam omnium obloquentium de veſtra ſereniſſima ſanctitate: vt in Eccleſia de cætero ſit vnus paſtor & vnum ouile, pro pace totius populi* CHRISTIANI. Datum in confinibus Lucaniæ.

Rurſus tenor conuerſionis, abiurationis & reconciliationis dicti PETRI ſequitur in hunc modum.

FORMVLA CONVERSIONIS, ABIVRATIONIS, ET RECONCILIATIONIS PETRI CORBARII.

*Pater ſanctiſſime, ſicut veſtra tenet memoria, nec excidit à mea, die 26. menſis Auguſti proxime præteriti ego Frater Petrus de Corbario Ordinis Fratrum Minorum, in veſtri ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Ioannis ſuperna prouidente clementia Sacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummi Pontificis veri & vnici in terris Vicarii Ieſu Chriſti ſacrique collegii veſtri Romanorum in Chriſto Patrum Dominorum Cardinalium præſentia, nec non præſente fidelium tam Prælatorum & religioſorum, quam aliorum Clericorum & ſecularium multitudine copioſa, in publico conſiſtorio, quantum ad ſententiam & effectum recognoui, & confeſſus ſui, reprobaui, anathematizaui, refutaui, & renui omnes & ſingulos errores & hæreſes, in quibus incideram hactenus ex aſſumptione damnati, & hæretici, & ſchiſmatici ſtatus antipapatus, per me erronee & inique dudum aſſumpti: & recognoui, quod iniquo, hæretico & ſchiſmatico Ludouico de Bauaria, & nonnull. fautoribus ſuis eius complicibus, in hac parte ſchiſmaticis & hæreticis condemnatis, nec non ex damnabilibus fautoriis & adhæſionibus ipſorum, & plurium aliorum hæreticorum, & ſpecialiter Ludouici prædicti, & Michaelis de Cæſenna olim Generalis Miniſtri Ordinis antedicti peſſimorum hæreticorum & ſchiſmaticorum reprobatorum per Eccleſiam ſanctam Dei, multorumque ſequentium complicum & fautorum ſuorum, quibus in eorum factis peruerſis, ac falſis opinionibus & damnatis faui ſæpius damnabiliter, & adhæſi. Illos quoque ac quoſcunque alios errores ac hæreſes abiuraui, iurando ad ſancta Dei Euangelia mentaliter ac corporaliter per me tacta, præmiſſa omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruare, ac mandatis S. Matris Eccleſiæ, & veſtris Apoſtolicis per omnia obedire.*

*Sane cum tunc fatigatus ex labore, debilitatus in vigore, anguſtiatus in dolore, & confuſus ex rubore, confractuſque ex timore, impeditus ex clamore, extinctus in deuotione, mortuus tandem in amore, eo quod dilexi dudum malitiam ſuper benignitatem, & iniquitatem magis quam loqui æquitatem, iuſto Dei iudicio obmutuerim euidenter, & ſicut volui, non potuerim omnia exprimere ſupradicta. Nec vos etiam forſan Beatiſſime Pater, vna cum dicto ſacro veſtro Collegio Dominorum Cardinalium prædictorum ea plenius propter tumultum aſſiſtentium, & dicta impedimenta mea intelligere potuiſtis. Ideo latius in præſenti priuato Conſiſtorio, reſumptis confortatiuis viribus poſtquam mihi de benignitate & humanitate clementiæ ſanctitatis veſtræ apparuit, quoniam non ex operibus iuſtitiæ quæ nunquam feci actualiter, ſed ſecundum magnam Dei & veſtram miſericordiam me ſaluaſtis, & operuiſtis omnia ſcelera & peccata, laborem meum oppreſſiuum ſedando pacifice, ac vigorem perditum mihi reſtituendo integre, & dolorem afflictiuum dulcificando conſolatiue, ruboremque confuſiuum laudabiliter remouendo, ac timorem meũ confortando viriliter, & clamorem meum raucum ſanando celeriter, extinctamq; deuotionem meam ſuauiter inflammando, & amorem meum mortuum viuificando: cum confidentia ſecuritatis pacificæ & benignæ, prædictos errores & hæreſes, ac omnia & ſingula ſcelera & delicta mea iniquiſſima & nephanda proponere, conſiteri, publicare, & legere volo in ſcriptis: vt certius pateant vniuerſis, voſque Beatiſſime Pater vna cum dictis Dominis Cardinalibus poſſitis ea intellectu ſuſcipere pleniori.*

*Quare huiuſmodi hæreſes & errores, ac ſcelera & delicta mea, coram vobis & dictis Dominis Cardinalibus ac teſtibus aliis, & Clericis cameræ Apoſtolicæ publicis tabellionibus, ad laudem & gloriam Altiſſimi Dei Patris, Beatiſſimæ ſemperque Virginis Mariæ, Beatorum Angelorum & ſanctorum omnium, ac veſtri ſanctiſſimi Patris prædicti veri & vnici in terris Vicarii Ieſu Chriſti, pro ſalute & pace perfecta totius populi Chriſtiani, propono, confiteor, recognoſco, publico, & lego per ordinem, vt inferius deſcribuntur.*

*In nomine Dei Patris Omnipotentis, ac Filii, & Spiritus ſancti, Amen.*

*Quoniam iuxta ſapientis doctrinam, occultanti ſua ſcelera denegatur benedictio, pure autem confitenti, & ea penitus deſerenti eſt miſericordia repromiſſa: idcirco ego Pater Petrus de Corbario Ordinis Fratrum Minorum immaniſſimus & ſceleratiſſimus peccatorum hoc conſideranter attendens, nolens vlterius cum impiis immiſceri, ſed cupiens toto corde in viam veritatis (quam inique deſerui) dirigi, ac miſericordiam & gratiam Ieſu Chriſti, & veſtri beatiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri Domini Ioannis ſuperna prouidente clementia ſummi Pontificis veri & vnici in terris eius Vicarii, ac Eccleſiæ ſacroſanctæ Catholicæ, quibus meis iniquiſſimis & nephandiſſimis me priuaui ſceleribus, valeam promptius & efficacius obtinere: quamquam nuper Piſis exiſtens, coram Reuerendis Patribus Dominis Simone Archiepiſcopo Piſano, & Guillelmo Lucanenſi Epiſcopo, ac diſcreto viro Magiſtro Ludouico Stephani Clerico Papalis cameræ & Apoſtolic. Nuncio, præſentibus quoque multis prælatis aliis, ac religioſis & nobilibus ac popularibus ciuitatis prædictæ, errores meos & ſcelera ſpontanee cum ingenti cordis amaritudine confeſſus fuerim: & dictis Archiepiſcopo, & Epiſcopo, ad hoc per vos Pater ſanctiſſime deputatis, ſupplicauerim humiliter & deuote, vt mihi parato præfatos errores & quoſcumque alios abiurare, ac mandatis ſtare veſtris Apoſtolicis, & inſuper mihi recognoſcenti, quod ea quæ vt Papa, imo verius vt antipapa, tam circa perſonam hæretici Bauari, quam circa creationem (quam de facto præſumpſi) Cardinalium, & aliorum Officiatorum, quos veri ſummi Pontifices ſoliti ſunt habere, quam circa diſpoſitionem & ordinationem patrimonii Beati Petri Apoſtoli, nec non & circa priuationem nonnullorum Prælatorum à ſuis dignitatibus & beneficiis aliis Eccleſiaſticis quocumque nomine cenſeantur, & prouiſionem attentatam de facto, de præmiſſis Prælaturis, dignitatibus & beneficiis aliis Eccleſiaſticis quibuſcumque: nec non & quæcumque alia, quæ vt Papa quocumque modo præſumpſeram ſeu feceram, nulla, præſumpta, ac temeraria fuiſſe & eſſe, & ab omni effectu iuris vacua, & nullius penitus exiſtere firmitatis, vel vt attentata ab illo cui nullum ius talia faciendi competebat: & illi (cum eſſent ſchiſmatici, & hæretici, ſeu hæreticorum fautores notorii) eſſent penitus non capaces: nec non & ea quatenus de facto proceſſerant, quantum erat mihi poſſibile reuocanti ac nulla fore & inania declaranti, abſolutionis mihi impenderent beneficium ab omnibus ſententiis iuris & hominis, quas ob præmiſſa incurreram, vel aliquod præmiſſorum, meque incorporarent & reſtituerent Sacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ vnitati. Quod vti præfatus Archiepiſcopus & Epiſcopus auctoritate veſtra Apoſtolica, ipſis per literas veſtras patentes in hac parte conceſſa, recognitionibus & reuocationibus ſupradictis receptis, ac iuramento de ſtando mandatis veſtris Apoſtolicis, prompte & liberaliter exequi curauerint: hoc adiecto, quod in prædictas pœnas & ſententias, ſi ad priſtinos redirem errores, vel actus ſchiſmaticos, ac ſceleratos, reinciderem ipſo facto: cum nihilominus illa nuper in diuerſis ciuitatibus Prouinciæ confeſſus fuerim, & abiurauerim, & nulla fore per me attentata recognouerim: & ea quæ de facto proceſſerant, quantum poteram, & ad me pertinere poterat, reuocauerim, & declarauerim eſſe nulla: nihilominus tamen ad fortius abolendas maculas hæreſum & infamiæ, quas contraxi & incurri ex præmiſſis, & pluribus aliis damnabilibus fautoriis, & adhæſionibus & conſiliis per me dudum exhibitis hæretico & ſchiſmatico Ludouico de Bauaria principali ſtatus mei damnati huiuſmodi patratori, ac eius ſequacibus, fautoribus & complicibus, & ſpecialiter hæretico & ſchiſmatico* MICHAELI *de Cæſenna olim Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro, de hæreſibus*

& ſchiſmatis, ac pluribus hæreticorum fautoriis & adhæſionibus per vos præfate ſanctiſſime Pater legitime condemnato: adhuc tamen errores meos & ſcelera, in præſentia veſtra, ſacrique veſtri Collegii Dominorum Cardinalium conſtitutus, intendo & volo recognoſcere & abiurare, ac alia facere, quæ veſtra ſanctitas duxerit ordinanda.

Inprimis itaque confiteor, & cum ingenti amaritudine recognoſco, quod cum ſeductor ille ſchiſmaticus & hæreticus manifeſtus Ludouicus de Bauaria dudum iure (ſi quod ſibi quæſitum fuerat ex electione diſcordi de ipſo in Regem Romanorum celebrata) iuſte priuatus fuiſſet per ſedem Apoſtolicam & eandem ſanctitatem veſtram: & vt hæreticus, & fautor hæreticorum notorius, de multis hæreſibus & fautoriis hæreticorum ac ſchiſmatibus condemnatus, ad vrbem Romanam imbutus indurato Spiritu peruenisſet, & religioſus vir Frater Ioannes de Marliano miniſter Romanæ Prouinciæ dicti Ord. Fratrum Minorum, ac Reuerendus in Chriſto Pater Dominus Ioannes Dei gratia Sancti Theodori Diaconus Cardinalis, ſedis Apoſtolicæ, ac eiuſdem veſtræ ſanctitatis Legatus pro maiori obſeruatione interdicti (cui tunc erat per vos ſanctiſſime Pater ſuppoſita vrbs prædicta) eiuſdem Ludouici aduentu percepto, mihi & aliis Fratribus in eadem vrbe morantibus ſub virtute obedientiæ & excommunicationis pœnis, quas non parentes ipſo facto incurrerant, publice iniunxiſſent, vt dictam vrbem omnes & ſinguli exiremus: ego tamen infelix peccator præceptis huiuſmodi non obſtantibus, licet omnes alii Fratres (paucis exceptis) eiuſdem Legato & Miniſtro promptius obedirent, in eadem vrbe præſente dicto hæretico peſſimo & ſchiſmatico Ludouico & aſſiſtentibus, & pluribus aliis hæreticis & ſchiſmaticis condemnatis & reprobatis per ſanctitatem veſtram, & Eccleſiam S. Dei, pertinaciter remanere præſumpſi.

Deinde cum idem perfidus Ludouicus datus in reprobum ſenſum, ſe de facto feciſſet in Imperatorem à certis Romanis perfidis coronari, & contra vos diabolicam & iniquiſſimam depoſitionis, imo verius abuſionis promulgaſſet ſententiam, ac proceſſus diuerſos, temerarios, falſos nimium & iniuſtos: meque ad quorundam principalium Romanorum Clericorum & Laicorum inſtantiam eius ſequacium, vna cum certis de Clero & populo perfidis eius complicibus & fautoribus ad hoc ſecum vocatis, in Papam & ſummum Pontificem, imo verius antipapam, damnatum & peſtiferum elegiſſet: ego miſer inductus, imo ſeductus, ſuis & multorum tam Clericorum quam Laicorum eius fautorum & ſequacium dictæ vrbis precibus importunis, & pernicioſis inſtantiis ac infeſtis, falſe & erronee aſſerentium, quod Papam Imperator deponere poterat, & loco depoſiti alium ordinare: & quod per conſequens eidem hæretico & ſchiſmatico Ludouico (qui tunc in fictum & falſum Imperatorem denuo ſe coronari de facto fecerat, & vos Pater Beatiſſime abuſiue depoſuerat) hoc licebat. Mea ſuperbiſſima electione more Luciferi, ambitioneq; damnabili excæcatus, huiuſmodi electioni tam nefandæ quam reprobæ, imo nimis malitioſæ, conſenſum meum temerarium & elatiſſimum & excæcatum, ſicut præmittitur, omni pœna digniſſimum non erubui adhibere: & conſequenter conſecrari, imo execrari, ab hæretico & ſchiſmatico Iacobo dudum Caſtellanenſi Epiſcopo excommunicato & depoſito, & coronari à dicto hæretico Ludouico de Bauaria me permiſi: licet ad eum, etiamſi verus Imperator exiſteret (ſicut reuera nõ erat, nec eſt, ſed hæreticus manifeſtus & reprobus) egoque verus eſſem Papa (ſicut in rei veritate non eram, ſed antipapa potius, ſchiſmaticus, hæreticus & iniquus) nequaquã talis coronatio pertineret.

Item, quod Cardinales, imo verius anti Cardinales, & omnes officiarios, quos verus Pp. eſt habere ſolitus, ordinare de facto præſumpſi bullamque more Papæ, (licet eſſem reprobus & damnatus) fieri feci & habui; eaque falſo vſus fui temere & inique.

Et vt ſtatum meum peruerſiſſimum, & Ludouici prædicti damnati, ac falſas opiniones hæretici & ſchiſmatici Michaelis de Cæſenna dudum Miniſtri Generalis ordinis prædicti Fratrum Minorum, quod Chriſtus & eius Apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, non habuerunt, niſi tantum vſum facti ſimplicem, poſſem fortius ac promptius ſtabilire, Dei timore poſito, extẽdens ad omnia illicita manus meas, proceſſus & depoſitionis ſententiam Ludouici manifeſti prædicti hæretici, & de pluribus hæreſibus condemnati, contra vos ſanctiſſime Pater, habitam & etiam fulminatam, ſupplens omnem defectum, ſi quis eſſet in ipſis ex certa ſcientia & plenitudine poteſtatis, non ſolum illos confirmare, & mei ſcripti communire patrocinio non erubui, ſed etiam de nouo ſententiare, pronunciare, & declarare, ac prædicare publice, omnia & ſingula dictis proceſſibus promulgata præſumpſi. In quibus quidem proceſſibus, Ludouicus prædictus pronunciabat & declarabat fore hæreticum, & ſcripturæ ſacræ contrarium; dicere: quod Chriſtus & Apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, habuerũt aliud quam ſimplicem vſum facti. Ex qua quidem pronunciatione euidenter concluditur, ipſum, & me etiam, ex confirmatione, pronunciatione & prædicatione prædictis, in damnatam hæreſim per ſententiam veſtram Apoſtolicam de Fratrum veſtrorum promulgatam conſilio incidiſſe.

Et nihilominus ad diuerſos Reges & Principes meas literas deſtinaui, per quas ad eorum notitiam deducebã, quos vos Pater Beatiſſime (cui multa falſa, hæretica & erronea, in eiſdem literis imponebam) ſuggerentibus dictis hæreticis Ludouico & Michaele, ac iuxta votum ſuum ordinantibus, per eundem Ludouicum ac per me eratis depoſitus & finaliter Reges & Principes exhortando nihilominus & rogando, quod vobis Beatiſſime Pater tanquam Papæ non parerent in aliquo, nec fauores aliquos exhiberent: ſed contra vos potius, mihi & dicto Ludouico præberent auxilium & fauorem.

Nec his contentus, tam in vrbe quam alibi, in pluribus ciuitatibus & locis aliis Clericos ſeculares & Regulares compelli, vt non obſtante dicto interdicto, cui per vos Beatiſſime Pater erant ſuppoſita loca ipſa, in eiſdem celebrarent, imo verius quantum erat in me, prophanarent diuina.

Tallias quoque Eccleſiis impoſui tam in vrbe, quam alibi, pro quibus, calicibus, ornamentis, & nonnullis rebus aliis ipſas Eccleſias ſpoliaui, fideles inſuper prælatos nonnullos & alios Clericos dignitatibus & beneficiis Eccleſiaſticis, in illis præficiendo aut hæreticos, vel ſchiſmaticos, vel eorum fautores, & plerumque non abſque ſimoniaca prauitate, priuaui: quibus, (reiectis etiam illis ſcilicet quorum hæc prælatio intererat) de facto, cum de iure nõ poſſem, per me vel per alium munus conſecrationis, imo verius execrationis impendi.

Contra quoque Fratres Minores non parentes Michaeli prædicto tanquam Generali Miniſtro (qui tamen reputatus erat iuſte & condemnatus de hæreſi, & hæreticus ac ſchiſmaticus declaratus: & alius per Generale Capitulum Ordinis Minorum concorditer in Generalem aſſumptus) & contra ſeruantes interdicta, per vos ſanctiſſime Pater, vel Legatos ſeu Officiarios veſtros promulgata, vtroque, ſpirituali videlicet & temporali gladio procedere non expaui, eidem Michaeli & ſuis ſequacibus hæreticis & ſchiſmaticis inique impartiendo iniuſte ac temere auxilium & fauorem.

Indulgentias inſuper, & diſpenſationes ſedi reſeruatas Apoſtolicæ præſumpſi concedere, duntaxat de facto, & etiam faciendo. Nonnullos quoque, qui pro Pontificibus ſe gerebant, commiſi, vt ſacros Ordines celebrarent; in quibus Ordinibus (vt credo) plures promouerunt temere: cum eis virtute præfatæ licentiæ non liceret.

De patrimonio quoque B. Petri, in nonnullis locis ad tempus, & interdum in perpetuum diſponere non expaui.

Hæc omnia & plura alia, contra Deum ſanctamque Eccleſiã Catholicam, ac vos Beatiſſime Pater, verum & vnicum Chriſti Vicarium, recognoſco & confiteor me de facto, iniquẽ, nimium & temere peccaſſe. Quæ omnia & ſingula recognoſco, & confiteor nulla fore, & caſſa, & inania, velut ab illo, cui faciendi non competebat ius aliquod, attentata: eaque (quantum ad me ſpectare poteſt) quatenus proceſſere de facto, reuoco, & nulla fore & fuiſſe pronuncio & declaro.

Confiteor inſuper, & ore ac animo recognoſco, me credere & tenere fidem illam, quam S. Romana Eccleſia, ac vos Pater ſanctiſſime tenetis, prædicatis, atque docetis: & ſpecialiter recognoſco me tenere & credere, quod ad Imperatorem non pertinet deponere nec inſtituere Papam: imo hoc tenere, hæreticum reputo: prout in proceſſu contra hæreticos Marſilium de Padua, & Ioannem de Ianduno, per vos Beatiſſime Pater ſuper his & nonnullis aliis erroribus habito, quem diligenter ſtudui, continetur.

Item fateor & recognoſco, hæreticum eſſe dicere, Chriſtum & eius Apoſtolos non habuiſſe in his quæ eos habuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur, niſi ſimplicem vſum facti: licet dudum contrariũ tenuerim, & hoc tenentibus impenderim indebite conſilium & fauorem. Et fateor, & recognoſco, quod hoc aſſerentes ſunt aſſerẽdi hæ-





retici manifeſti, ſecundum quod ſententiis veſtris Pater ſanctiſſime, quarum vna incipit. Cum inter; alia vero: Quia quorundam: plenius continetur. Et ſuper materia proprii & communis iuris ac dominii, quod Ieſus Chriſtus Dominus noſter, & eius Apoſtoli in rebus temporalibus habuerunt: credo, profiteor & teneo, in omnibus & per omnia firmiter, id quod in dictis Conſtitutionibus & reſponſionibus, per vos factis, obiectionibus quas dictus Michael, eiuſque ſequaces contra Conſtitutiones prædictas fecerunt, de quibus ſum informatus pleniſſime continetur, ac omnia & ſingula, ſcripta, dicta, & publicata contra dictas Conſtitutiones & reſponſiones prædictas, & tangentia ea, per hæreticos & ſchiſmaticos Ludouicum & Michaelem prædictos ſeu quoſcumque alios, aſſero, recognoſco & dico fuiſſe, & eſſe nulla, erronea, ſchiſmatica, hæretica atque falſa: eaque vt talia refuto, renuo, anathematizo, reprobo & deteſtor.

Item confiteor & recognoſco in veritate, quod vos Sanctiſſime Pater & Domine, Domine Ioannes Papa vigeſime ſecunde, & nullus alius, eſtis Summus Pontifex, verus & vnicus in terris Vicarius Ieſu Chriſti: & contrariũ quod tenui, & dicta quorumcunq; idem mecum dicentium, refuto, anathematizo, renuo, reprobo, & deteſtor.

Item recognoſco & fateor in veritate, quod ego male, falſo, temere, erronee, & inique aſſumpſi, & exercui de facto ſtatum Summi Pontificis, imo verius antipapatus, damnabilem antedictum, & adhæſi, & faui hæreticis ſupraſcriptis & pluribus aliis. ideoq; ſtatum, adhæſionem & fautoriam huiuſmodi per omnia refuto, renuo, anathematizo, reprobo & deteſtor.

Item recognoſco & fateor in veritate, quod malè, temerè, & inique de facto promoui, & conſecrari feci (ſeu potius execrari) nonnullos Prælatos, præſertim ſchiſmaticos & hæreticos, ſeu fautores hæreticorum: & aliquos deuotos Catholicos & fideles depoſui, & beneficia Eccleſiaſtica pluribus infidelibus ſchiſmaticis & rebellibus, ſeu eorum fautoribus contuli, & ſæpius per ſimoniacam prauitatem: quam exercere per dictos hæreticos, deſperatos & alios perfidos non expaui, & cætera, quæ verus Papa gerere conſueuit, malitioſe facto exercui: quæ omnia reprobo, & deteſtor.

Item fateor & recognoſco in veritate, quod anticardinales & antiepiſcopos per me (vt præmittitur) promotos & quos feci conſecrari, imo verius execrari de facto, non reputo eſſe Cardinales, nec Epiſcopos. Imo confiteor ipſos fuiſſe & eſſe (ſi non fuerint abſoluti & reconciliati per vos Beatiſſime Pater) ſchiſmaticos, hæreticos, atque nullos. Et omnes actus, quos circa ipſos vel quoſcumque alios, & ſpecialiter circa Ludouicum prædictum ac eius fautores, complices, & ſequaces exercui de facto, cum de iure non poſſem; dico, quantum in me eſt, fore & fuiſſe de iure tanquam hæreticos & ſchiſmaticos, inualidos & nullius roboris vel momenti: eoſque vt tales quatenus proceſſere de facto, inquantum poſſum infringo, irrito, & denuncio nullius eſſe momenti: ac expreſſe refuto, renuo, anathematizo, reprobo & deteſtor.

Quæ omnia & ſingula per me ſupra aſſertiue propoſita & prolata, iuro per hæc Sancta Dei Euangelia à me tacta mentaliter & corporaliter, vera eſſe: ac præſcripta vitanda vitare, & obſeruanda inuiolabiliter obſeruare. Ea vero quæ aſſerui credere, iuro vt ſupra, me illa credere, fore vera.

Item omnes errores & hæreſes ſupradictas, & eorum ſingulos, & ſpecialiter dicere, credere, & tenere, quod ad Imperatorem pertineat deponere Papam ac inſtituere: Item quod Chriſtus & eius Apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, non habuerunt, niſi ſimplicem vſum facti, & quoſcumque errores & hæreſes alias abiuro, anathematizo, renuo, reprobo, & refuto. Et inſuper promitto & iuro, tactis mentaliter & corporaliter per me Euangeliis Sacroſanctis, ſuper omnibus & ſingulis ſupradictis, ſtare mandatis Eccleſiæ Sanctæ Dei, & veſtris Apoſtolicis; ac fidem quam Sancta Romana Eccleſia Catholica, & vos Pater Beatiſſime tenetis, creditis & prædicatis; necnon veſtras Conſtitutiones & declarationes factas ſuper materia proprii & communis iuris & dominii, quod Ieſus Chriſtuss & eius Apoſtoli in rebus temporalibus habuerunt, perpetuo & inuiolabiliter obſeruare, ac ſtare & parere in omnibus & per omnia mandatis Sacroſanctæ Dei Eccleſiæ, ac veſtri præfati Domini noſtri Papæ.

Item promitto & iuro vt ſupra, quod nunquam præſcripta, nec infraſcripta, ſeu aliqua eorundem per me retractata & abiurata tenebo, nec exercebo: nec pro tali, ſcilicet Papa, me habebo: nec quantum etiam in me erit, permittam quoquo modo ab aliis me haberi.

Item promitto & iuro ad Sancta Dei Euangelia, corporaliter & mentaliter per me tacta, quod nunquam dictis hæreticis ſchiſmaticis Ludouico & Michaeli, nec eorum fautoribus, complicibus & ſequacibus, aut aliis per vos Beatiſſime Pater denotatis vel denotandis, ſcienter, quamdiu in rebellione & extra gratiam fuerint S. Matris Eccleſiæ, atque veſtram, adhærebo: nec eis præſtabo auxilium, conſilium vel fauorem: nec cum eis, aut eorum aliquibus, ligam, coniurationem, pacta, conuentiones, ſeu conſpirationes faciam, aut contraham quoquo modo.

Item, quod cum hæreticis & ſchiſmaticis antedictis, ſeu fautoribus, ſequacibus & complicibus eorundem, ſeu cum aliquibus à me promotis, imo verius execratis (vt præmittitur) conuerſationem aliquam non habebo, nec eis præſtabo aliquod conſilium, auxilium vel fauorem, petens humiliter & deuote, me per vos Pater Sanctiſſime, non attentis meis exceſſibus & ſceleribus grauibus, ſed ſola Dei miſericordia, cuius eſtis verus & vnicus in terris Vicarius, ab omnibus pœnis & ſententiis, iuris & hominis, quas propter præmiſſa vel eorum ſingula, ſeu aliquod eorundem incurri, abſolui, et vnitati reintegrari, et reincorporari Eccleſiæ Sanctæ Dei: paratum me offerens omnem pœnam ſiue pœnitentiam, quas mihi pro præmiſſis iniungendas vel imponendas veſtra Sanctitas duxerit, cum omni obedientia ſuſtinere, & etiam adimplere. De quibus omnibus et ſingulis ſupraſcriptis, ad æternam rei memoriam, pro ſalute mea & publica, peto vnum & plura, quotquot erũt expedientia, fieri publica inſtrumenta.

Nos vero conſiderantes, quod ipſum Petrum ad conuerſionem huiuſmodi non induxerit violentia aliqua, ſed timor Dei, ſpontaneaque voluntas; necnon quod eius contritio videtur probabiliter eſſe vera; tum ex eo quod in præmiſſa ciuitate Piſana, & ad nos veniendo, in multis ciuitatibus et locis prouinciæ publice, et hic etiam in Curia, tam in publico Conſiſtorio, quam priuato, non erubuit confiteri; nec ad noſtrã ſponte prætermiſit venire præſentiam, pro gratia humiliter & deuote ac miſericordia impetrandis: tum etiam, quia paratum ſe obtulit atque offert, quæcumq; ei iniungenda duximus, adimplere: vt partes noſtri officii exequamur, eiuſq; actibus (cuius vices gerimus in terris) noſtros conformemus, prout eſt nobis poſſibile, qui mortem peccatorum non deſiderat, ſed vt conuertantur & viuant: de Fratrum noſtrorum conſilio, abſolutionem & reincorporationem prædictorum Archiepiſcopi Piſani et Lucanenſis Epiſcopi ratas habentes, ac etiam confirmantes; nihilominus ipſum Petrum ad noſtram et Eccleſiæ reſtituentes gratiam, abſoluendum duximus et reincorporandum Sanctæ Dei Eccleſiæ vnitati, ſuper irregularitatibus, quas propter præmiſſa contraxit, ſeu aliqua præmiſſorum cum eo nihilominus diſpenſando, ordinationem et declarationem pœnitentiæ dicto Petro, pro præmiſſis et eorum ſingulis (prout quando, et quoties expedire videbitur) imponendæ nobis ſpecialiter et expreſſè nihilominus reſeruantes Nulli ergo hanc paginam noſtræ annotationis, ratificationis, confirmationis, abſolutionis reſtitutionis, reincorporationis, diſpenſationis et reſeruationis infringere liceat, &c. Datum Auinione VIII. Idus Septembr. Pontif. noſtri Anno XV.

XI. Ob defenſionem Ioannis Pp. excitata perſecutio a Bauarianis in Fp. Prædicatores.

Hac Petri Corbarii abiuratione vbique diuulgata, in Germania multi reſpicere incœperunt ad Ioannem Sũmum Pontificem, præſertim, cum Legati & Nuncii Apoſtolici, & præſertim Fratres Prædicatores, multa in abſtergendis calumniis, pro Ioanne aſſererẽt. Paſsi propterea ingentem calamitatem, Cœnobiiſque eiecti, neque Comitium ſuum Coloniæ indictum, iam congregati poterant celebrare: ſed coacti fuerunt Traiectum confugere. *Pius in lib. de viris illuſtrib. Ord. Præd p. 1.*

XII. Quæ eius perſecutionis cauſa.

Nonnullam occaſionem perſequendi Prædicatores illi arripuerant, ex litteris Põtificis Ioannis, Ioanni Boemiæ Regi datis, Quod enim in eis, Ludouicum Bauarũ, à Petro Corbario conſecratum fuiſſe, Pontificius exſcriptor per errorem perſcripſiſſet, multi Bauarianorũ eam conſecrationis voculã in rem Bauari trahentes, Ioanni Pontifici imponebant, quaſi is Pontificium antipapæ agnoſceret, adeoque Ludouico Imperatoris titulum adſcriberet; quod Imperatoris conſecratio ad ſolum Romanum Pontificem pertineret. In eum itaque modum colligebant; Si Ludouicus Bauarus conſecratus à Corbario, quemadmodum Ioãnes vigeſimus ſecundus per-

ſcripſit: itaque & hic verus Pontifex Romanus, & ille non illegitimus Imperator Romanorum. Hac de cauſa, cum multi tum ex proceribus, tum ex popularibus, Ludouicum Imperatorem reputarent, eumque aduerſus Pontificios ſecuti, plurimos eorum perſequerentur;

XII. IOANNES PP. à LVDOVICO BAVARO CONFOEDERATOS PRINCIPES ABSTRAHERE CONATVR.

neceſſe habuit Ioannes Pontifex, Ioann. Boemo Regi, Archiepiſcopo Treuerenſi & Otthoni Duci Auſtriæ ſignificare; per errorem, conſecrationis nomen, in litteras illius irrepſiſſe; cum non conſecratum, ſed exſecratũ potius fuiſſe Bauarum à Petro, amanuenſis ſcribere debuiſſet. Ioannes Rex Boemiæ, & Ottho Dux Auſtriæ, primi fuere, qui Ludouico adhæſere, & ſcriptis, Mediolanum, alibique locorum deſtinatis, defendendum ſuſcepere. Vtrumque, vt Ioannes pontifex ab illius communione auerteret, poſtquam ſerio inconſtantiam illorum acrioribus verbis caſtigaſſet, ad obſequentiam Apoſtolicæ Sedis hortatus eſt. Rodulpho quoque Duci Saxoniæ, ne Comitijs à Bauaro, hoc anno, indictis intereſſet, interdixit; Baſileenſi autem Vrbi, quod Ludouico adhæſiſſet, Sacra omnia abrogauit: cum etiã præter alios Principes Germaniæ, ad Ottonem & Barniminum Duces Stetinẽſes, proceſſum & anathemata aduerſus Ludouicum promulgata, & Petri Corbarij eiurationem deſtinaſſet, eoſque omnes aduerſus prophanum excitaſſet: vtque ingredienti prouinciam Brandenburgenſem, quam teſte Rebdorfio pag. 426. Argent. pag. 121 Krantz. 8. Vvandal. Dauide Chytreo, Hiſt. Saxon. Nauclero anno 1319. Cuſp. in Ludou. pag. 465. alijſque auctoribus, extincto VValdemaro, occupauerat, dederatque filio ſuo Otthoni in feudum, reſiſterent, imperaſſet.

XIII. ROBERTI SICILIAE REGIS LITERAE AD BERTHOLDVM VICARIVM. ep. 161. & 194.

Præter hæc contra impugnatores Conſtitutionis quæ incipit: *Quia quorundam*, pœnas & ſententias innouauit: ac Vicarijs pro Roberto Rege Senatore Romano, vt omnes ad Eccleſiæ obedientiam reduces admitterent, perſcripſit. Bartholdus Vrſinus ex his vnus fuerat, Vicarius, cui hanc, quam adſcribo epiſtolam, dignam quæ ad ſobolis gloriam inſeratur, hoc anno deſtinauit.

*Robertus Dei gratia Rex Hieruſalem & Siciliæ, ac Almæ vrbis Senator, per Sanctam Romanam Eccleſiam conſtitutus, vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, præſentibus & futuris.*

*Digne agere credimus & culminis noſtri decentiæ expedire putamus, cum fideles Sanctæ Matris Eccleſiæ, atque noſtros, honoribus extollimus, gratijſq; dotamus. Sane attendentes, quod nobilis vir Bertholdus Poncelli de filijs Vrſi, totaq; domus eius in ſeruitijs eiuſdem Sanctæ Eccleſiæ, operosè ac ſtrenuè perſtitit, nec ab illis tam pacato, quàm turbinis tempore deuiat ſtatum fidelium ipſius Eccleſiæ ac noſtrorũ, dictarum partium pacificum procurando, Ciuitatem Timberis eiuſq; Comitatum cum omnibus iuribus, honoribus, prærogatiuis, & iurisdictionib. alijs vſque ad beneplacitum Sanctæ Eccleſiæ, Domini Summi Pontificis atque noſtrum, eidẽ Bertholdo gratiosè concedimus & donamus, Vrbis, & cuiuslibet fidelis iuribus ſemper ſaluis. In cuius rei teſtimonium præſentes litteras fieri, & pendenti maieſtatis noſtræ ſigillo iuſſimus communiri. Dat. Neapoli Anno Domini M. CCC. XXX. die XXI. Febr. XIII. Indict. Regnorum noſtrorum anno XXI.* ex M onument. Vrſinor.

XIV.

Ea Regia liberalitate excitati Vrſinorum gentis primi, nihil non cum Bertholdo Vrſino Vicario egerunt, pro conſeruanda Vrbe in obſequentia Sacroſanctæ Sedis, adeo vt duo Proceres Romani, qui Ludouicum in Germaniam fuerant comitati, cum primum Romam reuertiſſent, pene omnes in verba Ioannis Pontificis iuraſſe inuenerint. *Mutius ſupr.*

XV. ACTIVS VICECOMES MEDIOLANENSIBVS IMPERII VICARIVS PRAEFICITVR à IOANNE PONTIFICE.

Actius Vicecomes, Mediolani Præfectus, miſsis ad Summum Pontificem Auinionem Legatis, ſe de mulctis quaſi immerenti ſibi ſuiſque maioribus impoſitis excuſabat, omnemque inuidiam in Ludouicum Bauarum reijciebat, eius timore, dicens, quicquid ea in re mali fuiſſet perpetratum, accidiſſe, porro nunc paratum ſe iuſſa peragere, legibuſque quas Pontifex indiceret obtemperare. His verbis inclinatus Pontifex, Actium pro Sedis Apoſtolicæ auctoritate, vicarium Imperij Mediolanenſibus præfecit, omnemque Clerum quem Mediolano euocauerat, redire præcepit. *Donatus Boſius hiſt. Mediolanen.*

Hac Pontificis benignitate Actius inuitatus, cum ille tamen Regem Boemiæ, ſub Pacificatoris nomine aliud agere, vniuerſæque Italiæ imminere, Brixia, Cremona, Papia, Bergomo, Parma, Regio, atque Mutina ab eo interceptа, & Luca obſeſſa, & Ferraria vaſtata perſpectum habuiſſet, fœdere cum alijs principibus Italiæ percuſſo, inhianti Boemo ſeſe oppoſuit, victoriamque inſignem de partiarijs, neque ſine miraculoſa ope Diuũm reportauit.

XVI. MIRACVLOSAM DE IOANNE BOEMO VICTORIAM OPES, AMBROSII REPORTAT.

Rheti, Germanique Leodriſio iuncti iam Actianis formidabiles eſſe incœperant, ducibus præcipuis interfectis; iamque Leodriſio victoria parta videbatur, niſi Diuus Ambroſius Mediolanenſium tutelare numen, in nube, equeſtri effigie à multis conſpectus opem plane perditis rebus attuliſſet. Superuenit etiam Hector Panicus cum ala cataphractorum Allobrogum à Ludouico Sabaudo Actij ſocero tranſmiſſa. Hæc Rhetos intempeſtiue exultantes, & cædi prædæque ſolutis ordinibus incumbentes ita protriuit, atque cæcidit, vt inſtaurata pugna, & fortiſsimo quoque ex eo euentu deſumente vires atque animos Leodriſiani terga darent, Luchinuſque Vicecomes ad arborem deligatus Heluetijs cuſtodibus eriperetur, & Leodriſius effugiens in manus hoſtiũ incideret. Is vna cum liberis interceptus in arce D. Colũbani cuſtodiæ traditus eſt, vt poſt Actij & Luchini mortẽ Ioannis Archiepiſcopi clementia ſeruaretur. Interfecta legũtur aduerſariorum ſupra quatuor millia hominum: externus Leodriſij miles dum vagaretur, & fruſtra effugium inquireret, hyeme media, frigore vulneribuſque conſumptus, vel ſæuitia agricolarum ferme omnis interijt. In eo campo vbi pugnatum eſt, inter Parabiacũ & Neruianum, Luchinus & Ioannes templũ in arce D. Ambroſio votum, ad rei geſtæ memoriam condiderunt; vbi quotannis inſigni pompa effuſo Mediolanenſi populo cum Prætore & Decurionibus, altero & vigeſimo Februarij die ſacra ſolennia celebrarent. In eo templo ad læuam ſpectabatur effigies Hectoris Panici, cum armata Allobrogum ala perditis rebus opem ferentis: quod facile dignoſcitur, quum in purpureis equorum lacinijs, albæ Cruces Sabaudiani Principis inſignia diſcernantur. *Iouius in Actio.*

XVII. NVRSINI à IOANNE PP. OB EIVS INTERCEPTAS LITERAS DIRIS EXECRATI.

Nurſinorum aliqui in Vmbria, baiulum quendam ſummi Pontificis litteras, aduerſus Ludouicum Bauarum ferentem; comprehenderant, eaſque literas deuorare compulerant. Eam temeritatem præfractorum cum vlciſci decreuiſſet Pontifex Ioannes, illos quidem inſolentes diris Eccleſiaſticis deuouit, Nurſiam autem ciuitatem ſacris omnnibus priuam fecit. *epi.* 120.

XVIII. ALIA GESTA IOANNIS PP.

Eodem anno, Ioannes Pontifex. 1 à Rege Cyprio & Genuenſibus arbiter electus, controuerſias partis vtriuſque audiuit, & ex æquo ac bono compoſuit. *ep.* 51. 2. Inter eoſdem Genuenſes & Aragonum Regem diſcordias ſuſtulit, & pacem ſtabiliuit, *ep.* 52. 3. Reginam Aragonum, contra maleficia remedium poſtulantem, vt ad Deum, qui potens eſt opera diaboli diſſoluere, confugeret, admonuit. *ep.* 48. 4. Inquiſitoribus hereticæ prauitatis, vt contra Magos, ſortilegos, & aliarum artium prohibitarum Doctores animaduerterent, ſeuere præcepit. *ep.* 2. 5. Cenſum ex regnis Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ, & Vngariæ, à Regibus ſingulis exegit, *ep.* 85. 89. 166.

XIX. CAROLVS REX HVNGARIAE BOZARADVM VALACHIAE PRINCIPEM TEMERE ADPRAELIVM LACESSENS, PROFLIGATVR A SOCERO DEFICITVR.

Carolus, *per id temporis in Vngaria regnabat*, futurus exemplo poſteris, ne temere bellum alicui inferant, neue ſanguinarijs conſultoribus auſcultent. Rem narrabo non indignam, quæ à Principibus ſciatur.

Dacis, quos nunc Valachos appellamus, Bozaradus Princeps imperabat. Huic innoxio vt Carolus arma inferret, aliqui compulerant, rati exacto vel ſuperato Bozarado, ſe permiſſu Regio patentiſsima Getarum regione non difficile potituros. *Deprecabatur Bozaradus* vim maiorem: quandoquidem Carolo fidem debitam ſeruaſſet, imperataque præſtitiſſet, & in poſterum omnia ſe facturum reciperet, quod ſi is contempto ſeruitio, hoſtili animo vlterius procederet, admonebat, imminentia præcaueret pericula, ſecuturã breui nõ modo iniuriarum pœnitentiã, ſed & pœnam. Parum probe

ad hæc



ad hæc Carolus reſpondit; Paſtoremque ſuarum ouiũ per contumeliam appellauit; quem aliquando demiſſa barba è feralibus luſtris extraheret. Comes Lyptæ ac Zolii Carolum obſecrabat, vt & humanius loqueretur, & Innocentem belli, ne præfracte laceſſeret; quinimo pacem poſtulanti concederet. Contempſit monita Carolus, & in penitiora Daciæ exercitum duxit. Vix tamen ingreſſus, & inter montium ac ſyluarum anguſtias inedia oppreſſus, ſummaque neceſſitate coactus, pacem Bozarado dedit, ac tuto redeundi poteſtatem impetrauit. Cæterum cum pedem referre cœpiſſet, ab offenſo hoſte circumuentus, amiſſo vniuerſo exercitu pars inedia, pars lapidibus, pars telis miſſilibus extincto, vix ipſe, mutato cum Deſeo Dionyſii filio habitu Regio, euaſit. Incredibilis ibi legionum facta iactura, & ingens patrata ſtrages. Proceres, cum egregiis gregariiſque militibus promiſcue cæſi. Inter hos Andreas, Albæ Baſilicæ Antiſtes eximius, qui Regi ab epiſtolis ſerulebat: item Michael Poſeganus, ac Nicolaus Albæ Tranſſyluanæ Sacerdos. Item Andreas Sarubenſis ædis Antiſtes, è Sacro Dominici collegio editus, ſingulari quadam probitate pollens, cum ſociis pleriſque, defixis in capite clauis, quum in hoſtis manus veniſſent, omnes crudeli morte expirarunt.

Regalis etiam ædiculæ Sacerdotes, ad vnum omnes, qui in hoſtis poteſtatem venere, immani ſupplicio affecti ſunt. Inſuper innumerabilis Cumanorum multitudo cecidit: nouiſſima vero manus quæ ſuperfuit, partim ſaucia, partim integra, in Valachi vincula incidit. Immenſus cęſorum numerus, qui in anguſtiis montium & conuallibus oppetiere, ſepulchri honore caruit; quando Barbari ſæuitia, mortuis etiam nihil indulſit. Rex *diuina potius quam humana op*e, *tanto diſcri*mine liberatus, cum filio, ac ſaucio comitatu, Themeſuarum primo, deinde VViſſegradum venit, Ieſuque Chriſto liberatori inprimis, deinde cæteris numinibus, Soteria rite perſoluit, doctus in poſterum non re[...]ere, hoſtem quieſcentem prouocare. *Bonfin. decad. 2. lib. 9. rerum Vngaric.*

XX. ALIA IOANNIS PONTIFICIS ACTA PRO FIDEI PROPAGATIONE.

Hoc ipſo anno, Pontifex Ioannes, ad propagationem *fidei Chriſtianæ* intentus, 1. *Imperatori* Tartarorum Symbolum, ac formulam Catholicæ doctrinæ præſcripſit, miſitque. *Epiſt.* 80. 2. Armeniorum Epiſcopum, apud Scythas, fidei ſemina diſpergentem, vt in Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ doctrina ac vnitate perſeueraret, hortatus eſt. *Epiſt.* 68. 3. Fratribus Prædicatoribus in terris infidelium & ſchiſmaticorum pro fide orthodoxa, & Romana Eccleſia laborantibus, priuilegia ampliſſima conceſſit, indulgentiaſque plurimas largitus eſt. *ep.* 140. 4. Marſorianum Iacobitarum, vt vna cum populo ſibi ſubiecto, ad vnionem fidei Catholicæ Romanæ reuerteretur, inuitauit. *ep.* 64. 5. Habitantibus in montibus Alborſinorum Chriſtianis, Inſtructorem, ac inſtructionem Fidei Catholicæ tranſmiſit, vtque ad vnum Petri & Chriſti ouile, oues diſperſę reuocarentur, modis omnibus laborauit. *ep.* 734.

Quod Iacobitas attinet & reliquos Orientales hæreticos progenies ſunt Neſtorianorum, gentis Chaldæorum, qui Patriarcham Babyloniorum agnoſcunt. Petrus Strozza, Sanctiſſimo Domino noſtro Paulo V. *à Secretis* ad *Principes epiſtolis, iis hæreticis* cognoſcendis, hæc de Chaldæorum gente, erroribus & Patriarcha, in ea quam de dogmatibus Chaldæorum ſcripſit diſputatione referebat.

XXI. DE CHALDAEORVM NATIONE, HAERESIBVS EORVMQVE PATRIARCHA.

Chaldæorum (refert) gens olim ſapientia, opibus, imperio adeo celebris, hodie miſera ſeruitute oppreſſa, Turcis, ac Perſis ſubiacet; diuerſiſq; nationibus admiſta, Meſopotamiam incolit, per vicinas regiones Indiã vſq; Orientalem diſperſa. Chriſti fidem profitetur; ſed erroribus infectam grauiſſimis, pro quorum differẽtia Chaldæi quoq; diuiduntur inter ſe. Nam alii ex ipſis appellantur Iacobitæ: alii Neſtoriani. Iacobitę à Iacobo Dioſcori diſcipulo dicti, hæreſim Eutychianam ſequũtur, quanquam Eutychem anathematizent. Neſtoriani Neſtorianam: atque vtraq; pars proprium habet Patriarcham. Qui Iacobitas regit, Antiochenum ſe Patriarcham nominat, etiamſi minime illam Eccleſiam obtineat: ſed Amed, ſeu Charemet reſideat; quæ ciuitas eſt valde nobilis, & ampla in Meſopotamia. Ad quem Gregorius XIII. Nuncium Apoſtolicum miſit, cum confirmatione Patriarchatus, ac Patriarchali pallio, Leonardum Epiſcopum Sidonienſem anno ſalutis M. D. LXXXIII. ſpe motus, quam in eo excitauerat reconciliationis illius Patriarchæ cum S. Apoſtolica Sede Nehemes eius frater, olim & ipſe Iacobitarum Patriarcha; qui declinandæ Turcarum perſecutionis cauſa, ad Gregorii charitatem confugerat. Legationis ſuæ ſucceſſum parum fœlicem Epiſcopus Sidonienſis reuerſus, infecta re, renunciauit poſtea Sixto Quinto, commentario diligenter conſcripto, in quo multa ſcitu digna leguntur de hac natione. Neſtorianorum autem Patriarcha Eccleſiæ Babylonis præeſt, eiuſq; reſidentiæ locus eſt Monaſterium ad *oppidum Muſul, in ruinis* antiquæ Niniuis, vt aiunt; ædificatum. Diſſident inter ſe Iacobitæ, atque Neſtoriani odio implacabili: ſed Neſtoriani numero, atq; opibus præſtant; quorum ad trecenta millia, & amplius domorum recenſentur: cum familiæ Iacobitarum numerum octoginta millium non excedant. Itaq; Patriarchæ Neſtorianorum ampliſſima eſt auctoritas, eaque in Indiam ſe extendit. Nam Chaldæi, qui Goæ, Cocchini, Angamalæ, *atque in Inſula S. Thomæ* ante aduentum *Patrum Societatis Ieſu* reperiebantur, omnes pariter profeſſione Neſtoriani; obediebant Patriarchæ Babylonis. Nunc quidem magna eorum pars, ſtudio, ac diligentia Ieſuitarum, ad Eccleſiam ſanctam Catholicam reuerſa, Summum Pontificem colit. Defunctoque nuper Metropolitano Chaldæo, ſucceſſorem ab Apoſtolica Sede ſuſcepit *Archiepiſcopum* Angamalenſem à Clemente *VIII.* ex *Societate Ieſu* ordinatum. Ante Pontificatum Iulii III. nomen huius Patriarchæ ignotum pene noſtris fuiſſe videtur: neque de ipſo, neque de Chaldæorum natione mentionem vllam factam fuiſſe in Pontificum Romanorum monumentis reperio. Sedente vero Iulio III. cum nonnulli ex Chaldæis Neſtorianis ſe ab obedientia Patriarchæ ſubtraxiſſent: deteſtataque Neſtoriana hæreſi, in communionem veniſſent Catholicæ Eccleſiæ; *illis Summus* Pontifex, vt poſtulauerant; Patriarcham ordinauit, eũdem, quem ipſi hac de cauſa legauerant; Simonem Sulacham ordinis S. Pachomii Monachum. Is cum *Patri*archali pallio, atque titulo *Patriarchæ* Aſſyriorum Orientalium ad ſuos rediit; & Charemet, ſiue *Amed* reſidens, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ac Sacerdotes quãplurimos ordinauit. *Sic* igitur Chaldæorum natio vni *Patriarchæ Babylonis* vſque ad illa tempora ſubiecta; in duas partes diuiſa fuit. *Sulacha* deinde à Turcis, aduerſariorum opera, vt fertur; è viuis ſublato, ſufficitur in eius locum Abdieſu eiuſdem ordinis Monachus, vir mirificæ eruditionis, linguarum varietate, & ſacrarum literarum notitia; de quo *in vita Pii IV.* præclara fit mẽtio; cuius Pontificatu Romam venit pro confirmatione; qui & Tridentino Concilio interfuit. Eius autem effigies depicta conſpicitur *in Aula* Regia *Palatii* Vaticani inter Cardinales, ceteroſque *Prælatos Alexandro* III. aſſiſtentes, Imperatorem Fridericum pœnitentem Venetiis recipienti. *Plurimum* quidem profecit *Abdie*ſu, multoſque ex Neſtorianis ad Eccleſiam Catholicam conuertit; acceptamque ab *Apoſtolica Sede Auctorita*tem valde propagauit; quam eius ſucceſſores poſtea conſeruare ſibi, aut neſcierunt, aut non potuerunt. Nam qui ei ſucceſſit *Ahathalla*, & ipſe Monachus eiuſdem ordinis; parum vixit. Et Denha Simon poſtea ex *Archiepiſcopo* Gelu, & Seert factus Patriarcha, nec ætate, neq; doctrina idoneus tanto muneri; tempore, quo Epiſcopus Sidonienſis in Orientem profectus eſt Nuncius *Apoſtolicus*; relicto Charemet, vbi alii *Patri*archæ Orientalium *Aſſyriorum* reſiderant; in *Prouin*-

ciam

ciam Zeinalbech ſeceſſerat ad fines Perſidis; potentiæ cedens Patriarchæ Babylonis. Quo loco etiam hodie manet eius ſucceſſor, Simon quoque & ipſe vocatus; æxiſtimatione, ac numero ſubiectorum, vt accepimus; quæ ieceſſoribus longe inferior. Ita vt Patriarchæ Babylonis ſtatus nũc videatur in priſtinum reſtitutus, æmulo ſponte ſua quaſi in exilium relegato. Igitur qui modo ſedem Babylonis obtinet, Mar Elia Chaldæorum Patriarcha multo minus, quam prædeceſſores ſui domeſtico diſſidio laborat; ſubiectamque eius obedientiæ nationem pacifice gubernat: Metropolitis, & Epiſcopis, Cleroque non modo obtemperantibus ei, ſed ipſum valde diligentibus.

XXII. CAVSA HVIVS DISPVTATIONIS

Contigit ante quam hæc ſcriberemus (ita diſponente diuina prouidentia) vt inter eos pauperes, quibus anno primo ſui Pontificatus Sanctiſſimus D.N. Paulus V. ſolẽni ritu pedes lauit quinta feria maioris hebdomadę duo reperirẽtur Chaldæi, vnus monachus, alter laicus, qui ſanctorum Apoſtolorum limina viſitaturi, paulo ante Romam venerant. Hi poſtea domum reuerſi, cum renunciaſſent Eliæ Babylonis Patriarchæ, cuius obedientiæ ſubiacebant; quanta paterni amoris ſignificatione eos Summus Pontifex excepiſſet, eiuſque nomine nonnulla munera illi attuliſſent; & libellum reddidiſſent profeſſionis Fidei, quæ Orientalibus ad Vrbem venientibus credenda, confitendaque proponitur; ipſe tanta in ſe, ſuoſque commotus charitate, quamprimũ legatos ad Summum Pontificem decreuit, qui ei gratias agerent; vtque communem patrem, ac dominum agnoſcerent; & illius obedientiæ ſubiectum ſe eſſe ſignificarent. Profitebatur enim Patriarcha vnum, idemque cum S. Romana Eccleſia de Fide ſentire. Nã Chaldæi Sedem Babylonis ab Apoſtolica Sede conſtitutam; & ſubinde Fidei doctrinam ab eadem accepiſſe; conſtanter aſſerunt. Et quanquam manifeſtiſſimis implicati ſint Neſtorii erroribus, atque hæreſibus; oſtendere nihilominus omni ſtudio contendunt, differentiam inter nos, & ipſos conſiſtere in verbis tantummodo, nõ autem in ſenſu verborum. Legati ſtatim ac iter ingreſſi ſunt, in latrones inciderunt, itaque alios decernere oportuit. Multis & hi quoque calamitatibus afflicti, etſi Romam peruenerint; nihil egerunt, imo legationem ſuam ſuſpectam reddiderunt. Perterriti enim quia audiuiſſent, quam execrabile eſſet, & quam odioſum apud nos Neſtorii nomen; vt Neſtorianæ hæreſis inuidiam declinarent, nonnullas abſtulerunt paginas ex libris, quos ad recognoſcendam doctrinam fidei, quam profitentur, & Eccleſiaſticos eorum ritus, obtulerant; ita perſuaſi à ſubdolo quodam interprete neophyto antea hebræo; propterea dimiſſi re infecta abierunt. Quod cum in eorum reditu Patriarcha poſtea intellexiſſet; & ex his quæ legatis in Vrbe acciderant; cognouiſſet, negotium imprudentia eorum perturbatum, inuerſumque fuiſſe; ſtatuit, inito cum Epiſcopis ſuis cõſilio; denuo legatum mittere, qui non tantum officia obedientiæ, atque obſeruantiæ Summo Pontifici debita præſtaret; ſed rationem Fidei quam Chaldæi profitentur; redderet, ac ſi error aliquis in eorum profeſſione reperiretur, correctionem humiliter ab eo poſtularet. Legatio demandatur Adæ Archidiacono Cameræ Patriarchalis Monachorum Chaldæorum Archimandritæ, viro docto & prudenti. Is ad Vrbem anno tertio à diſceſſu priorum legatorum venit & Sanctiſſimo D.N. literas Patriarchæ ſui reddidit; & cum illis Fidei profeſſionem, atque commentarium à ſe iuſſu Patriarchæ ſui compoſitum de conciliatione dogmatum Chaldæorum cum Fide Catholica; poſtulauitque ſumma animi demiſſione, vt cuncta diligenter examinarentur, expenderenturque, & pro neceſſitate ſaluti eorum conſuleretur.

HÆC EST EPISTOLA PATRIARCHÆ Babylonis.

AD S. D. N.

PAVLVM PAPAM V.

EX CVBICVLO PATRIARCHALI orationes, & benedictiones concedantur vobis.

Ab humili Elia Orientali, qui per gratiam Dei Sedi ſanctæ Babylonis inſeruit, adorationes continuæ, & inclinationes perpetuæ, genuflexioneſque ſempiternæ ante ſanctos pedes tuos, ô Pater benedicte, & caput Patrum, Sol Chriſtianitatis, & nomen in quo ſitum eſt ædificium Eccleſiæ Eccleſiarum. Dominus meus, & Pater meus Papa, Dominus Pater Patriarcharum omnium qui in vniuerſo ſunt.

Sciat tua erga nos Charitas, quod peruenerunt ad nos literæ, & Fides tua firma, & benedictiones quas miſiſti humilitati meæ, & accepi benedictionem ſimul cum populo meo, & gratias Chriſto egi, eo quod dignus benedictionibus Sanctitatis tuæ, atque memoria illuſtri factus ſum, & numeraſti me inter filios tuæ Paternitatis præter mea merita. Ego vero ſtatim miſi gratiarum actionem, & literas, & Fidem meam. Sed obuiam venerũt legatis meis peſſimi homines & omnia abſtulerunt ab eis, & euacuati reuerſi ſunt ad me, & iterum miſi alios, nec etiam hi venerunt ad tuam Sanctitatem, quod ægre tuli ſimul cum Epiſcopis, & Archiepiſc. meis, & dixi: Quid faciam, non poſſum ire, quoniam non relinquunt me Principes oppreſſores noſtri, neq; etiam Ieruſalem adire, tenent nos tanquam ſeruos, & non relinquunt nos facere voluntatem noſtram. Tandem miſi tuam Fidem, literaſq; tuæ paritatis cum filio meo fideli, conſiliorumq; meorum conſcio Patre Adæ, vt oſtenderet eas in omnibus regionibus noſtris, vt videremus quid nobis Orientalibus faciendum eſſet: & permanſit in his regionibus per annum integrum, & ſimul omnes conſuluimus & miſimus ad tuam ſanctitatem hũc ipſum Patrem Adam, & miſi cum eo Fidem, literaſque meas, & dixi de his, vt coram Paternitate tua extra ea, quæ ſcripta ſunt ageret; quoniam ipſe eſt caput Patrum, & Abbas monachorum Orientalium. & neminem habemus eo nobiliorem, vt tota pars Orientalis fatetur. Atq; nunc, ô Pater ſubmiſſo capite adoramus ante Sedem tuam ſine fraude & dolo, & præceptum tuum à me eſt receptum ex præcepto illius, qui claues tradidit tibi. Neque negabo illam vocem dictam Petro; quod tibi tradidi claues Regni, & quod ligabis in terra, ſit ligatum in cœlo & quod ſolueris in terra, ſit ſolutum in cœlo. Et non obſiſtam ſicuti reliqui hæretici contra præceptum ſanctorum Apoſtolorum, & Patrum orthodoxorum, qui affirmauerunt, quod Sedes Romæ Magnæ teneret principatum; & ipſa eſt caput omnium ſedium, abſit à me; ſed fateor, quod Eccleſia Romana ſit Mater Eccleſiarum. Et qui hoc non ita fatetur, ſit anathema. Et ſedes noſtra Babylonica non ex ſe electa eſt, ſicut aliorum hæreticorum, qui ſine lege multiplicauerunt Patriarchas in mundo, ſine Sede Eccleſiæ Magnæ Romæ: ſed ex præcepto Papæ, & ex conſilio Eccleſiæ Romanæ electa eſt ſedes Babylonis, & ita ſcriptum inuenitur apud nos in annalibus: quod videlicet Patres Orientales Romæ ordinabantur. Sed factum eſt poſtea, vt cum mitterent homines propter confirmationem, in itinere interficerentur: & cum diu hoc feciſſent omnes peribant. Hoc autem Eccleſiæ & Pontifici narrato: Pontifex conſilio inito decreuit, & dixit: ordinemus eis Patriarcham, & permittamus, vt Patriarchas ſibi eligant, ne in via intereant propter confirmationem, neque eis mala accidant, & nos peccemus, aut ipſi ſint extra ouile Romæ. Sic itaque accepimus poteſtatem vſque adhuc, & non à nobis ipſis aliquid fecimus, vt reliqui qui Apoſtolorum canones conculcauerunt, & leges Patrum: & impleuerunt terram Patriarchis ſine neceſſitate. Propter hoc vocata eſt Sedes Babylonis quinta, propter quattuor Sedes quattuor Euangeliſtarum: & ex eo quod electus eſt Patriarcha cum confirmatione Romana, & dedit nobis facultatem vt conſtituamus paſtores, nunc vocata eſt Sedes Babylonis, quæ quatuor comitatur ſedes & quinta numerata eſt ſicut vna ex his. Etenim, ô Pater ecce Fides mea peruenit ad tuam Sanctitatem cum epiſtolis,





& videas ſi eſt dolus in profeſſione noſtra, aut eſt error, aut receſſio quædam à Matre noſtra Eccleſia Romana; ADMONE, ET FACIEMVS, DOCE, ET OBEDIEMVS. Et ſi in omnibus veri ſumus ante Sedem tuam, & non eſt dolus in Fide noſtra; petimus à benignitate tua, ne paupertatis ſeruorum tuorum obliuiſcaris; quoniam multi ex profeſſione noſtra pericula tulerunt, cum apud vos venerint. Aliqui enim ex his mortui ſunt; alii interfecti ab hoſtibus; & pauci reuerſi ſunt, & peruenerunt ad nos. Et hoc ſufficiat Sanctitati tuæ à noſtra humilitate, quod ex vltimis Orientis partibus, ſuper capita & oculos noſtros, præcepta tua feramus, & venimus contra omnes nationes ſanguine noſtro & ſuſtinemus calamitates, vt ante excellentiam veſtram adoremus; & benedictionem à Matre Eccleſia Magna Pauli & Petri accipiamus nos humiles & ſubditi. Quis vrget nos, vt hoc faciamus, niſi fides Chriſtiana & amor veſter erga humilitatem noſtram? Et hoc, quod veſtræ ſapientiæ indicauimus ſufficiat; ſed hunc totum laborem ſuſtinemus propter Romanam Eccleſiam. Et miniſtri veſtri Ieruſalem tenent omnes qui ſunt ex profeſſione mea tanquam exteros, atque rebelles ab Eccleſia Romana; & non gratificantur nobis ſicut antea; quoniam interpretes eorum ſunt ex profeſſionibus, quæ nos habent odio, & ipſi miniſtri veſtri non inquirunt veritatem. Petimus à Sanctitate tua, vt admoneas eos, vt tanquam eos, qui ſunt ex profeſſione tua, nos teneant, & beneuolos ſe reddant iis, qui ſunt ex profeſſione noſtra. Ego vero literas miſi ad præceptores veſtros, vt dominarentur in Ieruſalem iis, qui ſunt ex profeſſione noſtra, quoniam apud nos ſcriptum eſt in annalibus, quod Archiepiſcopus noſter, qui erat in Cypro, & ii, qui ſunt ex profeſſione noſtra, qui habitant Ieruſalem, & Clerus qui erat in Monaſterio S. Iacobi Niſibi, inter filios Eccleſiæ Romanæ numerantur, propter amorem Paternitatis veſtræ erga humilitatem noſtram. Et nunc qui ſum ego, & omnes mei, & omnis pars Orientalis? Nos tanquam balbutientes coram Sanctitate tua, ſed tanquam ſerui obedientes tuæ Dominationi ſubdimur, & intellectu à ſciſſionibus alieno pedes ſanctos tuos deoſculamur, & ſumma cupiditate ſalutem Sanctitati tuæ deſideramus, & ad orationes veſtras, & conſeruorum tuorum Petri & Pauli confugimus, vt digni efficiamur peccatorum remiſſione in die Iudicii terribilis Dei Verbi; cui & Patri ſuo, & Spiritui ſancto ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

PROFESSIO FIDEI PATRIARCHÆ BABYLONIS.

XXIV.

EX CVBICVLO PATRIARCHALI orationes, & benedictiones concedantur vobis.

Fides Domini Eliæ Patriarchæ Babylonis eſt ad Dominum Papam Patrem omnium Patrum, anno ſecundum Græcos 1920. nimirum anno 1610. per Patrem Adam.

Ego Elias humillimus, & alienigena, & ſeruus minimus Ieſu Chriſti, qui eſt Deus verus ex Deo vero, cui per gratiam & præter mea merita, credita eſt ſedes quinta Babylonis; genuflecto ante te, & totum me ſubmitto ante pedes ſanctos tuos, ô Pater, qui locum obtines S. Petri patris familias Ieſu Chriſti mediatoris inter Deum & gentes; ô Domine Papa, cuſtos Sedis, & caput omnium Sedium. Ego balbutio ante tuam Paternitatem tanquam puerulus ante matrem ſuam miſericordem, & repeto meam Fidem, quæ nullo modo aliena eſt à tua Fide, etiamſi aliquando diminuta, aut addita videatur; ſed vnus eſt finis & ſenſus, ſicut vnus eſt Deus, & vnus eſt mediator inter Deum & homines, filius hominis Ieſus Chriſtus, Deus ſuper omnia; ita etiam vna eſt Fides in eo. Ac in primis demonſtrabo Fidem meam in Trinitate ſancta, & æquali in ſubſtantia Patris, & Filii, & Spiritus ſanctitatis, perſonæ æquales, & non diuiſæ.

Credimus in Deum Patrem, qui eſt factor cœli, & terræ, & omnium quæ in eis ſunt, ex iis quæ videntur, & non videntur.

Et in Filium, qui eſt ex eo, & qui eſt æqualis cum eo in eſſentia; & non eſt minor ſuo genitore, & factore omnium creaturarum.

Et in Spiritum ſanctitatis, qui procedit ex Patre, & non eſt genitor, neque genitus; & ipſe eſt ſubſtantia glorioſa, & æqualis in ſubſtantia cum Patre, & Filio.

Pater genitor, & non genitus eſt; & Filius genitus, & non genitor eſt; & Spiritus ſanctitatis procedens non genitor, neque genitus eſt.

Et confitemur etiam, quod hæc eſt vna natura Trinitatis ſanctæ, quæ glorificatur in tribus perſonis; non eſt mortalis, neq; comprehenſibilis, neque variabilis, neq; paſſibilis. Cum in fine temporum propter nos, & propter noſtram ſalutem, & propter noſtra debita Filius Dei perſona adorata filiationis deſcendit ad nos, & ſuſcepit corpus ex Virgine Maria ſancta filia Dauid; & eſt perfectus in anima, & intellectu, & in omnibus humanis, ſicut nos, præter peccatum; cum ſalutationem ipſam plenam vitæ nuncius pacis Gabriel attulerit B. Virgini, in cuius reſponſione ipſa dixit: Ecce ego ancilla Domini ſum, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Deſcendit Deus Verbum in Virginem, & coniunctus eſt cum homine, qui in ea compactus eſt in virtute Spiritus ſanctitatis, & factus eſt vnum cum ipſo homine, ſicut coniunctio ignis cum ferro.

Et confitemur quod corpus, & animam, & intellectum accepit, & non ſine anima, & intellectu, ſicut exiſtimant errantes.

Et hoc fieri non potuit quod in ſua natura appareat creatis; ſumpſit corpus naturam ſecundam, hominem perfectum è genere Adæ, ad ſalutem ipſius Adæ.

Et in eo corpore in quo reuelatus eſt mortalibus, eis locutus eſt; & fuit ſicut illi in vnione, quæ non diuiditur, & filiatione, quæ non ſeparatur. Ille, qui natus eſt ex Patre ante ſæcula in ſua Deitate, natus eſt in fine temporum ex Virgine Maria in ſua humanitate; cum naturæ & proprietates in vna perſona vnius filiationis conſeruentur.

Non Deitas ſua ex natura Matris, neque humanitas ex natura Patris.

Sed vnitas ſine commixtione, & confuſione, atque permixtione; dum credimus Paulo, qui dixit, quod ille qui eſt ſpecies Dei, ipſe accepit ſpeciem ſerui.

Quem forte vocauit ſpeciem Dei, niſi Chriſtum in ſua diuinitate? & quem forte ſpeciem ſerui, niſi ipſum Chriſtum in ſua humanitate?

Ergo non poſſunt corrumpi proprietates naturæ poſt vnionem. Non enim Deitas conuerſa eſt in humanitatem, & humanitas in Deitatem.

Et ſi Deitas mutata eſſet, non quidem vnio, ſed corruptio in Deitate fieret; & ſi tandem humanitas mutata eſſet, non vera ſalus, ſed detrimentum in humanitate fieret.

Ita credimus in cordibus noſtris, & confitemur labiis; vnũ Deum Ieſum Chriſtum Filium Dei, cuius Deitas non celatur, neque humanitas aufertur, ſed Deus perfectus, & homo perfectus.

Et dum Deum Chriſtum vocamus, non Trinitatem nuncupamus, ſed vnam ex perſonis glorioſæ Trinitatis: & dum hominem Chriſtum dicimus, non omnes homines vocamus; ſed illud corpus quod ſcienter acceptum eſt pro noſtra ſalute, propter vnionem cum Dei Verbo.

Propter hoc Dominus Ieſus Chriſtus ille, qui genitus eſt in ſua Deitate ex Patre ab æterno; temporibus vltimis, propter nos natus eſt ex Maria Virgine, vnitus cum natura ſuæ humanitatis.

Et dum in natura ſuæ Deitatis ſine paſſione, neceſſitate & variatione permanſit in natura humanitatis; circumciſus eſt, & creuit ſecundum teſtimonium Lucæ: Quod Ieſus creſcebat in ſtatura, & ſapientia, & gratia apud Deum, & homines, ſeruauit leges, baptiſmum ſumpſit, dum in virtute Deitatis ſuæ miracula operabatur, nimirum emundationem leproſorum, apertionem oculorum, & dæmonum expulſionem. In natura humanitatis eſuriuit, & ſitiuit, ac manducauit, & aquam bibit, paſſus, crucifixus, & mortuus eſt.

Dum Deitas ex ipſo non diſceſſit, neq; demigrauit neq; in ventre, neq; in cruce, neq; in ſepulchro. Dum enim in ſepulchro poſitus eſt, poſt tres dies ſurrexit, in virtute ineffabili ſuæ Deitatis, & os eius viuificans dixit Iudæis: Deſtruite templum hoc, & poſt tres dies reædificabo illud: & declarat Euangeliſta, dum dicit, quod de ſui corporis templo intellexit.

Et poſtquam ſurrexit conuerſatus eſt in terra cum diſcipulis ſuis quadraginta dieb. & oſtendebat eis manus, & pedes, dicens ex

ore ſuo ſancto: Palpate me, & ſcitote, quod ſpiritus carnem & oſſa non habet, vt me videtis habere; vt confirmet eos de reſurrectione in verbo, & opere.

Etiam afferre poſſumus multas auctoritates in medium Domini mei, quod nos Orientales afflicti, atque vexati non præuaricati ſumus, neque defecimus à ſententia Apoſtolorum, & fundamēto fortiſſimo, quod tradiderunt nobis, ſed hæc amantib. veritatem ſufficiant, & eis, qui non ſunt perturbati fulminibus inuidiæ, & odii immerito contra baptizatos.

Etſi dicunt contra nos, quod non fatemur, quod Virgo ſit Deipara, nimirum Mater Dei, ſed Chriſti para, hoc eſt Mater Chriſti Dei ſuper omnia, & propter hoc nos in cauſa ſumus. Sed hoc nihil eſt, hoc enim poſitum eſt propter confirmationem, & reprobationem falſæ opinionis Apollinaris, qui dicebat Deitatem eſſe ſine humanitate, & ad confuſionem ſceleris Semiſtii, qui ponebat hominem ſimplicem eſſe Chriſtum nimirum humanitatem ſine diuinitate.

Et duæ partes anathema ſunt, & expulſæ, atq; ab Eccleſia Romana profligatæ, dum teſtis verus Matthæus in principio ſui libri ita dixit: Liber generationis Ieſu Chriſti, & generatio Ieſu Chriſti ita fuit. Et Paulus dixit: Et illis apparuit Chriſtus in carne, qui eſt Deus ſuper omnia. Et Petrus Princeps Apoſtolorum dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui, in qua reſponſione beatitudine dignus factus eſt.

Et ſi propter hanc reſponſionem expulſione digni ſumus, neſcio quid reſpondeant Apoſtolis, qui hoc affirmauerunt: quoniam nos in hac denominatione Chriſti, duas naturas Deitatis, & humanitatis continemus, & non ſimplicitatem in Chriſto cōfitemur ſicut de nobis obloquuntur.

Etiam ſuſcipio omne, quod docet Sedes Sancta Apoſtolica & Catholica Eccleſia Romana omni amore, & veneratione, & teneo, ac recipio omnes etiam Doctores Eccleſiæ Romanæ, & teneo, quod Sedes S. Romana ſit Apoſtolica, & Papa Romæ ſit tenens locum illius, & S. Petri Principis diſcipulorum, & ipſe vere perſonam Chriſti referat, & ipſe ſit vicem gerens, & Caput ſuper omnes Eccleſias, & ſit pater doctorum omnium Chriſtianorum & quod ei tradiderit, mediante S. Petro poteſtatē perfectam, vt oues illius paſcat, atque etiam credo in vnam congregationem ſuæ Eccleſiæ. Etiam confiteor neminem poſſe ſaluari ſine Eccleſia S. Catholica prædicta, neque vitæ æternæ eſſe participem.

Item credo ſicut filius obediens, & ſemper obtemperabo ordinibus, & confirmationibus atque legibus Pontificis Magnæ Romæ, qui noſtro tempore viget, & etiam omnibus, qui ei ſuccedent in Pontificatu Romæ.

Etiam credo in Trinitatem, quæ eſt immenſa, vt cognoſcatur, quæ eſt vna & vna, & vna.

De vna natura eſſentiæ verificatur ſicut dicitur: Dominus Deus tuus Dominus vnus eſt, Dominus omnipotens: id eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctitatis.

De varietate perſonarum eſſentiæ verificatur ſicut habet traditio Euangelii Chriſti viuificantis: Exite, & docete omnes populos, & baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſanctitatis.

Illud vero, quod addiderunt Patres, Deus, Dominus, & Spiritus ſanctitatis aperte demonſtrauerunt, nomina eſſe communitatis, & ſingulas earum, ſcilicet omnes tres perſonas eſſe nomina cōmunitatis, quod eſt aperte ſine diuiſione, quod Deus ſit cauſa Filii, & Spiritus.

Non cauſa naturæ, ſed proprietatum.

Et Filius eſt genitus à Patre ſine quando, vbi, & quomodo.

Et Spiritus ſanctitatis eſt procedens ex Patre ſine diuiſione.

Et omne id, quod habet Filius, habet Pater & Spiritus, præter proprietatem eſſe geniti.

Et omne id, quod Spiritus habet, habet & Pater & Filius, præter proprietatem proceſſus.

Vnus Deus, qui non comprehenditur in vno, Tres perſonæ, quæ non diuiduntur in numerum vnius, duorum, & trium. Quæ ſunt vnitæ & diuiſæ, & diuiſæ & vnitæ, quæ non comprehenduntur à creatis, ſicut teſtatur D. Paulus, & Ioannes Theologus.

In hac fide viuo, & morior Ego humilis, & minimus Elias per gratiam Patriarcha Sedis Babylonis, & teſtis mihi ſit Deus, & Angeli eius Sancti, & Principatus noſtræ nationis Ieſus Chriſtus, & omnes Apoſtoli beati eius, & Patri ſuo, & Spiritui ſanctitatis, honor, & gloria, confeſſio, adoratio in ſæcula ſæculorū.

XXV.

# COMMENTARIVS ADÆ ARCHIMANdritæ Monachorum Chaldæorum, Cameræ Patriarchalis Babylonis Archidiaconi.

## DE CONCILIATIONE FIDEI ORIENtalium, cum Fide S. R. E.

## EPISTOLA ELIÆ PATRIARCHÆ BAbylonis ad Sanctiſſimum D. N.

## PAVLVM PAPAM QVINTVM.

De huiuſmodi Commentario.

## EXCVBICVLO PATRIARCHALI orationes, & benedictiones concedantur vobis.

Fides ſerui fidelis eſt, qui Domino ſuo nihil abſcondit, ſed omnia ſicut ſunt, Domino ſuo aperit. Propter hoc, me ſeruum humilem, & peccatorum Eliam Sedem Babylonis cuſtodientem, decet aperire verum ante Paternitatem ſanctam tuam, ô Domine Papa Paule Quinte, corona Chriſtianitatis, & caput capitum, & Paſtorum Eccleſiæ ſanctæ, & alienæ ab omni hæreſi.

Diu perquiſiuimus, & diligenter perſcrutati ſumus nos Orientales de Fide ſecunda hac vice, quæ ad nos tuas litteras miſiſti, & vocaui Dominum Gabrielem ſeniorem omnibus Archiepiſcopis, & Sacerdotem Iſrael, maximum omnium Grammaticorum, & Dominum Adam Abbatem. & dixi eis: Quoniam in noſtra natione nullus eſt perſpicacior vobis, determinemus quid faciendum. Nam ecce libri noſtri admonent nos de Eccleſia ſancta, & Sede Apoſtolica Domini Papæ Romæ, quoniam ipſe eſt Pater Patrum, caput Paſtorum, eum audite, & non declinate à præcepto ſuo. Et Patres noſtri Orientales, omnes eos, qui ab Eccleſia Romana defecerunt, excommunicauerunt, & ſimul omnes conculcatores præcepti Domini Papæ, qui eſt loco S. Petri fundamenti Eccleſiarum, & capitis Apoſtolorum. Sed video in profeſſione noſtra, quod ſit aliquid, quod non videatur iuxta profeſſionem Papæ, & Patres noſtri de hoc nihil ſcripſerunt, ſed hoc ſolum monuerunt: Ne nos ab Eccleſia Romana deficeremus, neque à præcepto Domini Papæ habentis claues Regni declinaremus; & definiuerunt, & excommunicauerunt omnes tranſgreſſores horum verborum.

Variationes vero, & quæ non ſunt iuxta Eccleſiam Romanam hæ ſunt.

Dominus Papa, cum omnibus Patribus magnæ Eccleſiæ Romæ vocant Virginem ſanctam Mariam, Dei Genitricem. Nos vero Orientales eam Genitricem Chriſti vocamus.

Illi duas naturas Chriſti confitentur, duas virtutes, & duas voluntates. Nos autem fatemur, vnam virtutem, & vnam voluntatem.

Illi etiam vnam perſonam fatentur in Chriſto. Nos quidem fatemur duas perſonas.

Et dicunt quod Spiritus ex Patre & Filio procedit. Nos vero fatemur, quod ex Patre Spiritus procedat.

Etiam Patres Romæ dicunt, quod illud, quod egreditur ex ſepulchro Domini noſtri non ſit verum lumen. Nos vero cum omnibus noſtris illud tanquam lumen accipimus.

Et Dominus Gabriel mihi reſpondit: quod nos ita accepimus à noſtris anteceſſoribus, quod non ſit diuiſio inter nos, & Eccleſiam Romanam, niſi per ceremonias; & illi ita in omnibus regionibus ſuis ſuas ceremonias tenent. Et dixit mihi ſenior Iſrael: Quantum ego è libris noſtris antiquis percepi, ſane non eſt vlla alia diuiſio, niſi quod alter alterum non intelligit. Verum de hac petitione tua: ecce Pater Adam ante te, qui ex adoleſcentia in ſolitudine probatus eſt, ſi aliquid poteſt tibi reſpondere. Et Patri noſtro Adæ dixi: quid dicis de iis? Reſpondit, concede ſpatium triū dierum, & reſpondebo tibi tertia die, quantum poteſt infirmitas mea, & quantum ſufficiat. Et dixi, concedatur tibi ſpatium; & iuit ad cubiculum ſuum, & tertia die hanc ſcripturam attulit. Et placuit mihi, & omnibus meis, qui mecum fuerunt, & dedi illi literas ſimul cum Fide mea, & tuis epiſtolis, atque Fide, & miſi





illum ad regiones, & gregem noſtrum ſcribens; quod ſi quis habeat aliquid reſpondendum, afferat. Et benedictionem omnes filii Orientis à Fide tua acceperunt ex epiſtolis ſanctis, & anni curriculo reuerſus eſt ad me, afferēs mihi literas in quibus erat, quod illi omnes, qui ſunt ex profeſſione noſtra ſeſe ſubmittebant. Et magnum gaudium de his omnibus percepimus; & ſublatæ ſunt omnes falſæ opiniones contra id, quod dicebatur, quod noſtra fides cum veſtra non conueniebat. Hoc opus Patri Adæ filio meo dilectiſſimo, cubiculi mei Archidiacono tradidi, & ecce eum miſi, vt ante veſtigia pedum ſanctorum tuorum ex parte omnium Orientalium adoret. Et omne id, quod dicit, & admittit tua Sanctitas, receptum apud nos Orientales eſt. Et omne id, quod præcipis, & cum eo mittis; confirma exemplis & auctoritatibus, vt omnibus circumuicinis gentibus prædicemus; & nemo verbis tuæ Sanctitatis contradicere audeat; & reſponſum illorum omnium ſcribe: an receptum eſt apud tuam Sanctitatem, necne; & nobis præcipe id omne, quod ſcis & decet, atq; conuenit, & noſtrum caput ſubmiſſum eſt ante præceptum tuæ Dominationis. Et ſcriptura quam Pater Adam attulit, hæc eſt, cuius exemplum tuæ Sanctitati miſi, & hoc modo ſcripta eſt.

XXVI.

# SERMO DE FIDE DOMINI PAPAE ROMAE MAGNAE.

Et Domini Eliæ Patriarchæ Orientis,

## HABITVS A PATRE ADAM ABBATE Monachorum Orientis.

## PROOEMIVM IN QVO PROFITETVR imbecillitatem ingenii ſui, ad tam eximiam, ac præſtantem diſputationem ſuſcipiendam.

SI filii non debent theſauros reponere patribus, ſicut præcipit Paulus, ego multo minus debent ſerui dominis ſuis. Sed ne periculiter ſupplicio legum tranſgreſſorum illius vocis Apoſtoli: Serui obedite præpoſitis veſtris in omnibus rebus, audi modo ſubmiſſionem meam, & breuiter ante tuam Paternitatem honorabilem balbutiam, Pater & educator mi, Domine mi, Elias Catholice Patriarcha Orientis, id quod ſub pedibus tuis edoctus ſum, eloquar ego pauper & humilis Adam, ſeruus ſeruorum minimus. Quoniam ex me ipſo nihil poſſum, & quicquid ſpiritus, & corporis habeo, à tua Paternitate cognoſco, vt notum eſt Dominationi tuæ, propterea quod à pueritia mea enutritus ſum è micis tuæ menſæ, & ſub alis tuæ Paternitatis educatus ſum, & nunc quidem, eo quod Paternitas tua præcepit mihi, vt pertractarem de Fide tua, & de Fide Patris vniuerſalis, & Patris Patrum, & Rectorum, Patris & Domini Papæ Pauli Quinti, quam miſit ad tuam Paternitatem anno ſecundum Græcos 1920. Ego autem de hac re nihil ſcio, & ſuper vires meas hoc onus ſuſcipio. At forte me orationibus tuis adiuuabit Deus, cuius virtus in abiectis demonſtrari ſolet, & ſtultorum inſipientiam ſua ſapientia infinita docere conſueuit. Etenim Deo iuuante, & orationum tuarum auxilio, dicere incipiam ante tuam Dominationem, id quod in ore meo ponit ille, qui loqui fecit Aſinam, & perfluere aquas fecit à lapide, & qui lignum ſiccum florere fecit, vt daret fructus, & demonſtrari fecit electum ſuum coram populo Iſraelitico.

### CAP. I.

XXVII.

## EXCELLENTIAM DOCTRINÆ FIDEI, quam profitetur S. R. Eccleſia, & principatum Summi Pontificis in Eccleſia ſancta Catholica ex comparatione Abrahæ, & B. Petri Principis Apoſtolorum, oſtendit.

ORthodoxis, & ſapientibus notum eſt, quod tota gubernatio veteris legis ſit parabola, & exemplum nouæ legis, ibi enim idæa & figura, hic autem eſt corpus & perfectio: quoniam id omne, quod ſcriptum eſt in Gloſſa, ſcilicet in Sacra Scriptura, & Prophetis, in Chriſto completum eſt: & ex plenitudine eius nos omnes gratiam pro gratia accepimus, quoniam lex per Moyſem data eſt, veritas autem & gratia per Chriſtum, vt teſtatus eſt Ioannes. Sed quoniam de Fide nobis dicendum eſt in præſentia, de ipſa agamus. Fidem enim apud Abraham in veteri illuſtratam eſſe videmus quoniam Deo credidit, & viuificatus eſt pater gentibus datus eſt. In noua vero apud Petrum celebrata, & completa ipſa Fides eſt, & conſtitutus lapis fundamento Eccleſiæ Dei, & omne ædificium, cuius fundamenta non iaciuntur ſuper hoc fundamentum, non erigitur, nec perfici poteſt culmen, quod eſt Chriſtus. Itaq; omne id, quod eſt apud Abraham figurate, & partialiter, atq; temporaliter intelligete, & quod eſt apud ſanctum Petrum ſpiritualiter, & perfecte, & in ſempiternum comparate. Abraham autem in fide à regione ſua, & à domo patris ſui diſceſſit, & exiit, quo iturus ſit inſcius, vt Apoſtolus teſtatus eſt. Petrus autem in fide reliquit omnia perfecte, & Dominum eſt ſecutus, quoniam vere ſciebat, quod eſſet Chriſtus filius Dei viui. Et quemadmodum Abraham fuit Pater Patrum in lege veteri, ſic fuit Petrus in noua. Quies Abrahæ in occaſu ſolus fuit, & timor, ac tenebræ ſuper eum ceciderunt, & per animalia, & volatilia quæ offerebat: futura, quæ in terra fieri aſſolent, didicit. Petrus autem hora ſexta perterritus eſt, & vidit cœlos apertos: & per vas in quo erant animalia quadrupeda, & reptilia terræ & volatilia cœli, reuelata ſunt myſteria, quæ fiunt in cœlo; eo quod aperte vidit, quicquid ſublatum eſt in cœlum. Abrahæ autem nomini, addita eſt vna litera, quæ eſt Fides; non enim amplius nomen tuum vocabitur Abram, ſed Abrahan; quoniam Patrem multarum gentium conſtitui te. Petrus autem perfecte depoſuit hominem veterem, & renouatus eſt Chriſto: Tu es Simon Bar Iona, & Petra vocaberis; & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Abrahæ dictum eſt: Benedicam benedicentes te, maledicam maledicentes te. Petro decretum eſt. Tibi dabo claues Regni cœlorum; & quodcumq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cœlo; & quodcumq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in cœlo. Promiſſio Abrahæ, ſunt, terræ populorum, & regna gentium. Promiſſio Petri eſt, poteſtas ſuper ciuitates animarum, & ſeſſio ſuper ſedes in cœlo. Abraham autem dignus factus eſt benedictione Melchiſedech Regis Salim, quæ eſt Ieruſalem; & panem alimentum corporeum ei, ſociisq; ſuis obtulit. Petrus autem, in fide benedictione factus eſt dignus à ſummo Sacerdote veritatis Ieruſalem, cuius eſt factor, & auctor Deus; & in aula Syon dedit panem & vinum alimentum ſpirituale ei, & ſociis ſuis. Ex Abraha autem circumciſio carnis incepit, & circumciſus eſt cum omnibus ſuis, ac etiam ex alienis gentibus aliquos circumcidit. Et ex Petro circumciſio ſpiritualis cordis, & propagata eſt ad gentes alienas, ad propagationem Fidei; ſicut ipſe dixit: A primis autem diebus per os meum elegit Deus, vt audirent gentes ſermonem Euangelii & crederent; & Deus qui nouit corda, dedit, ſuffragatusq; eſt eis; deditq; eius Spiritum ſanctitatis ſicut & nobis; nihilq; diſcreuit inter eos & nos, quoniam purgauit fide corda eorum. In lege vero naturali familia Abrahæ ab vno ad alium in carne, & naturaliter producta eſt, donec terminata eſſet in reuelatione Dei, qui incarnatus eſt. In lege ſpirituali Petri producitur à Papa ad Papam, vſq; ad ſecundum aduentum filii hominis, qui Deificatus eſt. Quemadmodum autem ii, qui non ſunt nati naturaliter ex Patribus, qui deſcenderunt à ſemine Abrahæ; à filiatione Abrahæ prohibentur, & alieni ſunt ab ea voce, quæ eſt in Propheta: Dominus ſors noſtra eſt: quoniam iſta filiatio eſt domus Abrahæ; & non gentium externarum; quia promiſſionem promiſit Dominus cum eo, & cum omni ſemine ſuo in æternum; ita illi homines qui non generantur ſpiritualiter à Patribus Petri ab vnoquoq; Papa ſui temporis, prohibentur à filiatione ſpirituali Petri; & nullo modo poſſunt vocare Deum, Patrem noſtrum, qui es in cœlis; quoniam familiæ Petri conceſſit Dominus Deus, vt ita vocarent eum; & non alienis à fide Petralium. Et omnis vir, qui non cōciliatur, & regitur ſub ſceptro horum paſtorum Petri, non eſt ex grege Chriſti; quoniam Dominus Petro dixit: Paſce agnos meos, paſce ouiculas meas, & paſce oues meas: & nemini præter eum. Magna eſt fides Abrahæ, & verus eſt amor eius, qui accepit cultrum, & poſuit ad collum ſui dilectiſſimi & non prohibuit vnigenitum à Domino ſuo. Sed maior eſt fides Petri, ipſiusq; amor; quia ipſemet mortem ſuſcepit pro Domino ſuo; mors autem crucis, & crucis contrario modo, vt parem gratiā referret & Chriſto, qui lauit pedes eius in ſudore faciei ſuæ, & lachrymis oculorum; & ſanguine ſuo obtulit tria holocauſta, iuxta tres confeſſiones, quibus reſpondit Domino ſuo: Tu Domine

*ſcis quia amo te: & pro remiſſione trium negationum inuoluntariarum, & non verarum. Et quemadmodum tercenti decem & octo viri ex familia Abrahæ corroborati ſunt à Domino: & ipſe Dominus fecit dux eorum; & comitatus eſt eos, & victoriam perfectam reportauerunt; hoſtes profligauerunt, ac virtutes eorum diſſipauerunt, & liberauerunt ſeruos; & reuocauerunt eos ad opus ſuum: ita CCCXVIII. Patres Orthodoxi familiæ Sancti Petri corroborati armis ſanctitatis per Chriſtum Dominum noſtrum; & fuit Deus cum eis, & confirmauit verba eorum, & diſſipauit ſuperbos corde mentis ſuæ, ſedauitq; errores hæreticorum, & dedit victoriã perfectam Eccleſiæ ſanctæ, & confirmauit, & corroborauit fidem: & hoc modo oues Chriſti pauerunt in pratis gloriæ ſuorum canonum, & prope flumina aquarum placidarum, quæ à corpore eorum difluxerunt; & hortos plantauerunt fructibus ſalutaribus plenos, vt alimento eſſent omnibus fidelibus veris, ſequentibus eos. Igitur omnis, qui deſiderat requirere veritatẽ, ad doctrinam Doctorum tercentorum decem & octo Petronicorum accedat, & non indigebit eleemoſyna alienorũ, quorum myſterium figuratur in tercentis decem & octo Abrahamitis. Et qui eſt confirmatus in ſua fide, ſeruet eorum canones tamquam pupillam oculi ſine additione & diminutione; quoniam cum eis eſt Chriſtus, & ſicut voluit, cum eis fecit. Neq; ego abiectus Adam volo de Fide quicquam dicere, præter id, quod docuerunt Apoſtoli, & Patres Orthodoxi, quoniam graue hoc onus mihi eſſe fateor; ſed tantum deſidero falſas opiniones contra nos immerito dictas extirpare, & ſi poſſum pro eis amorem plantabo verum, quem generat fides, nutrit ſpes, & perficitur à charitate omnimoda, & perfuſa bonis & malis, quæ eſt Deus omnipotens: quoniam Deus charitas eſt, vt ſcriptum eſt.*

## CAP. II.

XXVIII. QVOMODO EXISTIMET POSSE conciliari cum veritate Catholica dogma Chaldæorum, quo tenent Virginem beatiſſimam eſſe tantum Matrem Chriſti.

DE illo enim, quod *Orientales dicunt: Mariam Virginem ſanctam, Chriſtiparam eſſe, Patres vero Eccleſiæ Romanæ dicunt Deiparam, nunc dicere debemus. Perſpicuum enim eſt ſapientibus, quod Deitas non generat, nec generatur, & non minuitur, neq; creſcit, neq; variatur, neq; diuiditur, neq; comprehenditur: propter hoc Maria genuit naturaliter Ieſum, qui habet tria nomina propria & correcta: quorum teſtimonia in omnib. libris habentur, hoc eſt, Ieſus, Chriſtus, Dominus noſter: Ieſus autem nomen humanitatis; Chriſtus nomen Deitatis & humanitatis, Dominus noſter eſt nomen Deitatis. Propter hoc Maria genuit Ieſum naturaliter hominem perfectum, ſicut demonſtrauit in principio Euangelii Matthæus: Liber generationis Ieſu Chriſti: &, Cum impleti ſunt octo, vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo antequam in ventre conciperetur: & etiam: Ieſus creſcebat in ſtatura & ſapientia apud Deum & homines: Et dum conceptus eſt, vere Deus erat, ſed in gradibus aſcendit ad eam, ſcilicet Deitatem, vt erudiret noſtram pueritiam. Etenim hic Ieſus non eſt homo ſimplex, abſit, ſed ex illa hora compactionis humanitis ſuæ de Spiritu S. incarnatus eſt, eo quod perſona Dei verbi vnita ſit, vnitione perfecta in illa humanitate, ſine commixtione, confuſione, & compoſitione conſtricta, & fuit vnus filius verus, Deus perfectus, & homo perfectus. Deus humanatus eſt, & homo deificatus eſt, dum nec ille diuiſus eſt, nec iſte variatus eſt. Non enim duo filii ſunt, alius Deus, qui humanatus eſt, & alius Filius qui deificatus, (abſit) ſed ille qui humanatus eſt, & qui deificatus eſt, vnus eſt Filius verus, vna eſt ſpecies, vnus eſt viſus, vnum Parſopa, vna filiatio. Et vocatus eſt Chriſtus, hoc eſt Deus perfectus & homo perfectus. Et propter hoc Orientales vocant Virginem Chriſtiparam, vt didicerant à beatis Apoſtolis, & vera eſt iſta confeſſio, vt teſtantur libri. Et id, quod vocant Patres Eccleſiæ Magnæ Deiparam, verum eſt: & eodem modo intelliguntur, vt definiunt & teſtantur Theologi, nempe Ioannes Euangeliſta, Paulus Apoſtolus, Gregorius Nazianzenus, hos omnes Theologos tenet Eccleſia. Ioannes enim teſtatur, quod: In principio erat Verbum, & ipſum Verbum erat in principio apud Deum, & Deus erat Verbum. Et B. Paulus. Deum ſuper omnia vocat Chriſtum. Et Gregor. Nazianz. confirmauit: Omnis, qui non fatetur Mariam eſſe Matrem Dei, ſine Deo eſt. Ergo omnis, qui eſt contra hæc verba horum trium Theologorum, alienus eſt ab Eccleſia, quoniam ipſi aſſeruerunt Virginem eſſe Genitricem Dei, verum eſt: & Genitricem Chriſti, verum eſt. Et Ioannes teſtatus eſt: quod, Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Et Paulus dixit: quod, Vnus eſt Deus, & vnus eſt mediator inter Deum & homines, homo Ieſus Chriſtus. Et Gregorius dixit: Ille, qui ſine principio principium habuit, & ſine comprehenſione comprehenſus eſt. Nunc vero eſt vnus ſenſus, vna ſententia, vnus finis, & vna interpretatio de illa voce Chriſtipara & Deipara apud fideles orthodoxos: quoniam dum aliquam perſonam trium perſonarum ſanctæ Trinitatis corde ſuo cogitat, totam Diuinitatem cogitat, ac etiam humanitatem ſine ſeparatione cogitat. Et dum aliquis humanitatem Chriſti cogitat, ſimul cum ea cogitat ſine diſceſſu, ſuam Diuinitatem. Propter hoc Patres Romæ fatentur Virginem eſſe Dei Genitricem: & Orientales dicunt Mariam eſſe Chriſti Genitricem, & vtraq; pars vera eſt.*

## CAP. III.

EXPENDIT DOGMA CHALDÆORVM de duabus perſonis in Chriſto, & quo pacto conciliari poſſit cum doctrina Catholica de vnitate perſonæ Chriſti Domini Noſtri. XXIX.

DE *duabus in Chriſto naturis, & de vna perſona, & vno Parſopa in Chriſto, quas Eccleſia Magnæ Romæ profitetur, & Orientales confitentur duas eſſe naturas, duas perſonas, vnum Parſopa: ſi Orientales Eccleſiæ Romæ obiiciant: Quare duas naturas in Chriſto, & vnam perſonam fatemini? ecce nulla natura eſt ſine perſona, & vna natura ex perſona demonſtratur; & ſi non eſt perſona, neq; eſt natura. Et etiam Eccleſia Roma obiicit Orientalibus, etiam vos, quare duas eſſe perſonas, & vnum Parſopa fatemini? ecce nulla eſt perſona ſine Parſopa. Hic poteſt eſſe aliqua imperfectio, niſi vtraq; pars incidat in illam vocem, nimirum eſſe vnum Parſopa: & hoc vnum Parſopa, quod vtraq; pars fatetur, cogit vtramq; partem ad eundem ſenſum intelligendum, & idem ſentiendum; velit, nolit. Et alia ratio eſt. Orientales enim iuxta duas naturas dicunt, quod mente cognoſcatur duabus perſonis, & oculis videatur in vno Parſopa vnius filiationis. Et Patres Eccleſiæ Magnæ nunc non curant hic demonſtrare naturas; eo quod complete demonſtrauerunt in duabus virtutibus, & duabus voluntatibus, quas fatentur. Nunc vero vnam filiationem demõſtrare volunt, & dicunt, quod videtur & demonſtratur in vna ſpecie, vna magnitudine, & vno Parſopa vnius filiationis, & vtraq; pars veritatem fatetur. Et duæ virtutes, quas Patres Eccleſiæ Magnæ Romæ fatentur veræ ſunt, quoniam nulla eſt natura, quæ non habeat virtutem: & ſi in Chriſto duæ ſunt naturæ, ergo duæ virtutes neceſſario. Sed quid eſt hoc, quod vtraq; pars ponit incommixtionem, & incompoſitionem ſine conſtrictione? nonne propter virtutem, quæ eſt in naturis, ne ſit mutatio in vnitione Chriſti, quoniam vbicunq; eſt compoſitio, neceſſario eſt mutatio, propter virtutem, quæ eſt in naturis, vt eſt commixtio aquæ, & vini, quæ cum cõmiſcentur, virtus aquæ mutat vinum, & nõ erit vt erat antea, & potentia vini mutat aquam; & nõ erit vt antea. Et Dominus noſter Ieſus Chriſtus non eſt mutatus neq; in Deitate, neq; in humanitate, & Angeli teſtantur, quoniam reſurrexit: Viri Galilæi, quid ſtatis, & ſuſpicitis in cœlum? hic Ieſus, qui eleuatus eſt à vobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum vidiſtis eum aſcendere in cœlum. Et confirmauit B. Paulus: Ieſus autem Chriſtus heri & hodie, & in æternum eſt. Orientales vero vnam virtutem fatentur, nec propter virtutem naturarum dicunt vnam virtutem, quia refugiunt vocem illam, commixtionis, veluti filii Eccleſiæ Magnæ, ne faciant mutationem, cauſa duarum naturarum, duarum virtutum perfectarum in Chriſto. Sed patet, quod non propter virtutem naturarum vnam virtutem fatentur, ſed propter vnam vnionem perfectam veram, & ſempiternam fatentur vnam potentiam, vnam poteſtatem, vnam dominationem, vnam gloriam vnius filiationis. Et quemadmodum Patres Eccleſiæ Magnæ vnam perſonam fatentur propter vnam filiationem, ita Orientales vnam virtutem fatentur propter vnam filiationem. Neq; Orientales per virtutes demonſtrant naturas, neq; filii Eccleſiæ*





*Magnæ per virtutes demonſtrant perſonas: ſed vtriq; vnam filiationem demonſtrare debent; & vtraq; pars eſt vera.*

## CAP. IV.

XXX. QVO PACTO EXISTIMET POSITIOnem Chaldæorum de vnica voluntate, & operatione in Chriſto non repugnare veritati duarum voluntatum, & operationum Chriſti.

ET *duæ voluntates, quas filii Eccleſiæ Magnæ fatentur veræ ſunt, eo quod CHRISTVS ſit Deus perfectus & homo perfectus; & omne rationale neceſſario habet voluntatem, & ſi careat voluntate, non eſt perfectus. Orientales vero vnam voluntatem in CHRISTO fatentur, non eo quod alteram voluntatem conculcent, ſic dicunt; ſed ne ſit confuſio in vna filiatione vnita CHRISTO, dicendo voluntatem, & voluntatem; humanam, & diuinam. Dicunt enim vnam voluntatem; ſcilicet voluntas voluntatem ſecuta eſt: nimirum coniuncta eſt vna voluntas cum alia, & duæ voluntates vnum quid ſimul ſunt, ſicut vox Patris, qui exclamauit: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et ipſe Filius teſtatus eſt: Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem illius, qui miſit me. Et ſi Orientales vnam voluntatem fatentur in duabus naturis rationalibus, & perfectis CHRISTI, quare dicunt de eo: Homo completus, & Deus completus? ſed patet, quod dicunt propter coniunctionem perfectam. Sic autem aſſerunt: in alio ſæculo, quod eſt Spiritus; non ſunt voluntates contrariæ, neq; multiplices, vt Pater Arſenius teſtatus eſt. Dum enim refugiebat habitare cum multis, dixit: Supra in cœlo omnes chori Angelorum vnam voluntatem habere; homines vero qui ſunt in terra, tot ſunt quot voluntates. Non enim habent vnam voluntatem, quæ non vult cogitare, niſi, vt voluntates ſuæ vni voluntati Dei ſubdantur. Sicut enim Dauid cantauit: Serui enim ſui ſunt, qui faciunt ſuam voluntatem. Et ſi inter ſe, & inter facturam manuum ſuarum non eſt diſcordia voluntatis; quomodo poteſt etiam inter Deitatem ſuam & humanitatem Filii, qui habet vnitionem in æternum? Inuenitur ne dualitas voluntatum contrariarum: (abſit,) ſed Filius voluntate humanitatis ſuæ volenter, & non vi ſubditur voluntati Deitatis ſuæ, eo quod dixit Patri: At non fiat voluntas mea, ſed tua. Hoc modo ſubditur Filius illi, qui ſubdidit ei omnia, & ſic Deus eſt omnia in omnibus, iuxta verbum Diui Pauli.*

## CAP. V.

XXXI. DE PROCESSIONE SPIRITVS SANcti à Patre, & quomodo Chaldæi non diſſentiant in hoc à Sancta Romana Eccleſia.

DE *Spiritu vero ſancto; qui à Patre procedit, vt fatentur Orientales; & Patres Eccleſiæ Magnæ Romæ qui profitentur, quod ex Patre, & Filio procedat; vtraq; pars veritatem agnoſcit, & vnum teſtimonium verum veris fidelibus ſufficit; illa nempe vox, quæ ex ore dilectiſſimi Ieſu prolata eſt, quæ eſt: Ego enim & Pater meus vnum ſumus; & quod ſint vnum, ipſe dixit; & non dixit; ad inuicem ſimiles ſumus: ſed vnum ſunt, & non duo. Et ſi ſunt vnum, & non duo, quæ diuiſio eſt inter illam vocem quam confitemur, nimirum quod Spiritus ſanctus à Patre procedat, ab ea; quod ex Patre & filio procedat? Ecce vnum ſunt, & non duo: & nulla diuiſio eſt inter illos. Etiam dixit: Ego ſum in Patre, & Pater meus in me eſt; &: Qui me videt, videt illum, qui miſit me. De Spiritu autem ſancto dixit: Ille de meo accipiet, & renunciabit vobis: Omne, quod habet Pater meus, meum eſt. Et ſi ita non eſt diuiſio inter perſonas incomprehenſibiles Deitatis abſconditæ ſine prioritate, & poſterioritate; ſine paruitate, & magnitudine; ſine habitione, & priuatione in omnibus; quis vnquam diſcrimen ponet inter illam vocem: Spiritus ex Patre procedit; ab illa: Spiritus ex Patre & Filio procedit? Sed Orientales dicunt, quod ex Patre procedit, quia ſciunt, quod nihil poſſidet Pater, præter id, quod habet Filius; neq; Filius præter Patrem, quemadmodum didicerunt ex Filio viuo, qui dixit Patri: Omne quod habeo tuum eſt, & quod habes meum eſt. Et Patres Eccleſiæ Magnæ volunt oſtendere, quod Filius non eſt abiectior Patre vlla in re, non in eſſentia, non in filiatione, neq; in poteſtate, neq; in creatione; quoniam ipſe eſt radius gloriæ ſuæ, & idæa eſſentiæ, & tenens omnia in virtute Verbi ſui; Deus verus de Deo vero, connaturalis Patri ſuo, in cuius manibus facta ſunt omnia. Dicunt igitur, quod ex Patre & Filio procedit Spiritus ſalutaris, & vera eſt profeſſio illorum ſine dubio.*

## CAP. VI.

PROGREDITVR EXCVSASNS propriam inſufficientiam. XXXII.

AD *iram concitauit cor meum calamus, & volo eum rumpere, quoniam veritatem dicere non vult, ſed veritatis ſimilitudinem ſcribere nititur; quoniam hic coopertum videtur id, quod eſt verum; illud, quod Patres acutiſſimi, & Philoſophi ſpirituales aperte demonſtrauerunt; Pater Marcus, inquam, in ſuis libris, & Dominus Euagrius in ſuis centenariis, & Dominus Ammonius in ſuis dictis; & reliqui omnes, & ceteri Philoſophi. Omne id, quod fuit, eſt, & futurum eſt, viſibile, & inuiſibile comprehenderunt in nouem Cathegoriis; & ad incomprehenſibilitatem Dei manus ad os ſuum poſuerunt, & retro reuerſi ſunt. Sed vnus ex præceptoribus ſuis, Plato (inquam;) qui tempore Samuelis, & Dauid vixit; intuitus eſt in illum ſermonem ſacræ Scripturæ: Scito Iſraël, quod Deus tuus Deus vnus eſt; & admiratus hac voce, in ſolitudinem ſe recepit, tuguriumq; ibi ſibi elegit; & accepit ſacram Scripturam; & hunc ſermonem trium annorum ſpatio, meditatus eſt. Et vidit Deus ſubmiſſionem, & laborem ſuum, & reuelauit ei incomprehenſibilem Trinitatem trium perſonarum Deitatis adorandæ, & reuerſus eſt corripiens Iudæos dicens: Affirmant vnum eſſe Deum noſtrum, vnus eſt & trinus, trinus & vnus: & de hoc doctrinam magnam ſcripſit, & hodie iſta doctrina poſita eſt in Eccleſia ad Iudæorum confuſionem, negantium Trinitatem incomprehenſibilem eſſentiæ Dei, quæ eſt abſcondita, illa, quam nullus homo vidit, neq; poteſt videre, vt ſcriptum eſt. Etiam beatus Paulus exclamauit mirabiliter, dicens: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, nemo ſcrutatus eſt iudicia eius, & viæ eius ſunt incomprehẽſibiles: ſed multo magis ſuffocatur in hoc mari incomprehenſibili, & pleraq; pars ſtultorum ad barathrum damni ſui expulſi ſunt in hoc torrenti impertranſibili, quem vidit Barabuz, quoniam deſiderauerunt dulcedinem mellis inſcienter, & ſpreuerunt monita Sapientis, qui dixit: Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus euomas illud: hoc eſt: Sine ſcientia ne inquiras verba diuina ſupra tuam menſuram, ne forte menſuram tuæ ſcientiæ perdas: quoniam non poteſt lingua carnis demonſtrare id, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec ſuper cor hominis aſcendit. Et teſtificatur Diuus Paulus, quod audiuit arcana, quæ non licet homini loqui. Et ſi hæc vera ſunt, vt reuera ſunt, quis audet regulas determinatas ſub comprehenſibilitate, Deo ponere, à quo plena ſunt omnia? Et omnis, qui audaciam habet contra hæc verba aërem verberat, & volatiles aues apprehendere conatur, & de ſua inſipientia prædicare vult. Sed nos cibum ſolidum diſcretionem habentibus relinquemus, & lac inde ſugamus, iuxta noſtram poſſibilitatem, & noſtræ ſcientiæ ſapientiam: & obediamus, & ſubdamus nos ſermoni vniuerſali, qui viuat.*

## CAP. VII.

AGIT DE LVMINE, QVOD A MVLtis creditur miraculoſe accendi in die Sabbathi ſancti, ad ſanctiſſimum Domini N. ſepulchrum & finem imponit tractationi. XXXIII.

LVmen *vero, quod in Ieruſalem lampadibus oſtenditur, Patres Eccleſiæ Magnæ Romanæ merito affirmant falſum, & apparens eſſe, quoniam lumen verum, & naturale non eget materia ceræ, aut olei, vt illuminare poſſit, neq; in ſæculo Spiritus aliquid compoſitum reperitur. Eleuate oculos veſtros in cœlum, & videte luminaria nocturna, & diurna, quæ ſplendent, & fulgent à principio ſæculi, & hucuſq;, forte ne in materia aliqua illuminat Deus? Et ſi in materia ſplenderent, iam extincta eſſent: quia extingueretur materia, quæ cauſa illuminationis eorum eſt: & lumen eorum cum ea deficeret neceſſario, ſicut hoc lumen, quod eſt in Ieruſalem. Sed patet, quod Deus*

*non corporaliter illuminat, ſed ab eo ſimpliciter illuminatur, quoniam Pater luminis eſt, vt ſcriptum eſt. Si Chriſtus eſt Deus verus ex Deo vero, & per manus ſuas omnia creata, & conſtituta ſunt, quæ ſunt in cœlo; non eſt neceſſarium, vt lumen artificiale credatis: ſed opera manuum eius teneantur, agmina Angelorum, & artificium elegans cœli, & cœli cœlorum, & poſitio terræ, & omne, quod eſt in ea, & aqua fluida cum omnibus ordinibus æreis mirabilibus. Quid dicitis? hæc ne ſunt abiecta & nulla, vt celſitudinem Deitatis demonſtrent, quaſi egeat lumine artificiali? Et ſi lumen eſt, quare in ignem conuertitur? & ſi omne lumē mutatur, & conuertitur in lumen, ergo lumen non eſt, ſed ignis eſt? Forte ne probi homines propter eorum opera bona igne induūtur? abſit: iuxta ſententiam errantium ita locutus ſum, qui afferunt ignominiam lumini totali & vero; & lumini creatoris, qui non pertranſit, nec mutatur, nec perit, nec diminuitur, neq; variatur, neq; paruus fit. O animi perculſio magna, quoniam aliquis homo ingreditur, portamq; obſerat, & ille homo Deum orat, vt ſuper ſepulchrum ſui filii lumen deſcendere faciat, & ſi ille homo nō vult, qui mediatorem inter Deum & hominem facit; lumen non deſcendit. Et ſi mihi dicitis, quod lumen verum eſt, & horæ ſpatio durat, dum non accendit; quare cera liqueſit, & lampas ſplendeſcit? Et ne decipiamini hac frigiditate, quam videtis vnius horæ ſpatio durare; ecce S. Gregor. Nyſſæ, qui pluribus Cantica Canticorum Salomonis commentatus eſt; & ſcripſit de cinamomo, quod dum parum Cinamomi in ollam feruentem proiicitur, ſtatim frigeſit, & erit ac ſi non iniectus eſſet ignis ſub eam. Eſt etiam lapis quem inuoluunt pannis lineis puris & candidis, & adproximant ad carbones ardentes, & nunquam illi panni linei comburuntur, quoniam influxus lapidis à parte interiori caliditatem ignis prohibet. & nunquam ille pannus interiectus inter lapidem & ignem comburitur; hoc enim oculis noſtris vidimus. Etiam eſt auis, quæ fidenter in fornacem ignis ingreditur, & nunquam læditur. Etiam ſunt panni, qui in igne mundantur; dum q; ignis comburit eorum ſordes, à natura pannorum cohibetur ignis. Ignis etiam coopertus parum caliditatis ſuæ naturæ oſtendit, dum vero flat ventus tunc magis, & magis exardeſcit; hoc omnis fabri ferrarii artifices faciunt, etenim cum volunt liquefacere opus manuum ſuarum, aerem addunt per follem igni, atq; ita liquefaciunt ſua opera. Hoc modo igne iſto cooperto per artificium, & velamina: parum caliditas eius diminuitur; & dum depromunt eum foras, & à vento percutitur, ſtatim ſe ad priſtinam naturam ſuam redigit. Ignis vero diuinus apud Moyſem rogum accendebat & rogus non comburebatur. Quare lumen ex ſepulchro Chriſti Domini dum exit comburit? lumen ne Dei, comburit, & ignis eius non comburit? hoc eſt abſurdum. Veruntamen errorem errantibus relinquamus, & ſequamur veſtigia Orthodoxorum virorum arcana explorantium; ne impingamus in lapidem offendiculi, ne in Fide debilitemur, & ſit pars noſtra cum hypocritis, & opprimentibus veritatem Dei veri. Et ipſe concedat nobis, vt eum cognoſcamus ſicuti eſt, vt debilitas noſtra poteſt, per gratiam multæ ſuæ miſericordiæ in ſæcula ſæculorum. Amen.*

XXXIV.

## SS. D. N. PAVLI Pp. V. EPIST. AD ELIAM BABYLONIS PATRIARCHAM.

*Qua correctionem Fidei poſtulanti reſpondet.*

### PAVLVS PAPA V.

*VEnerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Duplici affectu, lætitia, atq; commiſeratione, nec ſane leui; commouerunt charitatis noſtræ viſcera literæ quas à Fraternitate tua Nobis reddidit dilectus filius Adam Archidiaconus, vt ſcribis Cameræ tuæ Patriarchalis, & Monachorum tuorum Archimandrita, quem ad nos miſiſti. Lætabamur quidem ſummopere, ex reuerentia, ac deuotione, quam profiteris ſummam erga ſanctam Beatiſſimi Petri Principis Apoſtolorum Sedem; eoq; magis, quia hoc vere Chriſtianæ pietatis ſtudium perpetuo viguiſſe in Eccleſia tua ſcribis. Miſerebamur autem, vel potius angebamur; quod cum hac veneratione Apoſtolicæ Sedis, non eandem doctrinam Catholicæ Fidei, quam ipſa profitetur; reperiebamus. Sed miſericordiarum Patri Deo gratias agimus, quia te quoq; vehementer commotum fuiſſe ob hanc diuerſitatem vidimus: in quo diuitias ineffabilis eius clementiæ agnoſcimus, & peculiarē quandam erga te immenſæ miſericordiæ ſuæ gratiam. Nam tametſi ex diligentia, atq; ſollicitudine, qua rationem tantæ diſcrepantiæ exquiſiuiſti; te valde prudentem, & accuratum in paſtorali tuo munere deprehenderimus; nihilominus, cum nimis compertum ſit, quantum referat non modo in his, quæ ad fidem pertinent; ſed in qualibet doctrina, quomodo quis educatus fuerit; fatendum plane videtur, totum hoc miſerentis Dei opus fuiſſe; vt dum oēs anteceſſores tui, ac nationis veſtræ Doctores ſemper exiſtimauerunt, vt dicis; ſe recte de Fide ſentire, nec ab Eccleſia ſancta Catholica, & Apoſtolica Romana in alio, quam in modo loquendi differre, primus dubitare cœperis; ſedulo veritatem quæſieris; nec temere tuorum reſponſioni, quamuis deſiderio tuo congruerit; acquieueris; ſed pie, ac ſapienter Nos, ac ſanctam hanc Sedem conſulere volueris. Peramanter itaq; Archidiaconum tuum excepimus; profeſſionem Fidei veſtræ, & quo pacto tam diuerſa dogmata componi, & ad vnum ſenſum redigi poſſe exiſtimaret; audiuimus. Sed mutauit ille ſuam ſententiam: etenim cum nullam prorſus haberet notitiam ſacrorum Conciliorum, vt manifeſte apparebat ex Commentario, quem de hac compoſitione, & conſenſu, ſcriptum à ſe, mādato tuo, ad Nos attulerat, & ex diſputationibus, quas habuit ſatis diuturnas, ac frequentes cum viris pietate, ac doctrina præſtantibus, quibus vt illum docerent Catholicam veritatem mandauimus; & ipſe quoq; ingenue fatebatur: poſteaquam oſtenſum illi fuit, damnatum fuiſſe Neſtorium à ſanctis Patribus in Concilio Epheſino, ob has nefarias blaſphemias; nempe quia impie aſſerebat, Chriſtum Dominum noſtrum fuiſſe purum hominem; & Verbum Dei inhabitaſſe in eo, tanquam in templo; ita vt Diuinitatem, & Humanitatem diceret in ipſo accidentaliter coniunctas & non ſubſtantialiter, & hypoſtatice vnitas; & Beatiſſimam, immaculatamq; Virginem Mariam hac de cauſa non Matrem Dei, ſed tantum Matrem Chriſti appellandam: ſimiliter duas in vno Filio fuiſſe perſonas; puri ſc. hominis, ac Verbi Dei; Hominem à Deo aſſumptum, ob aſſumentis coniunctionem, non autem proprie, dicendū eſſe Deum; eguiſſe propitiatione, ſicut cæteri homines egent; paulatim ad Pontificiam dignitatem euectum eſſe: & non minus pro ſe, quam pro nobis ſacrificium Deo obtuliſſe: à Spiritu S. tanquam ab aliena virtute glorificatum, ac demum non aliter, quam Moyſes dictus fuit Deus Pharaonis, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum exiſtimandum eſſe Deum. Quibus omnibus diligenter, ac ſedulo recognitis, poſt annum elapſum, & amplius, Neſtorium tandem, & omnes, qui cum eo hæc, & ſimilia ſentiunt; alacri animo damnauit, & anathematizauit. Pari quoq; pacto fuit illi demonſtratum ex determinatione ſextæ Synodi vniuerſalis, quæ tertia eſt Conſtantinopolitana: Duas eſſe in Chriſto Domino voluntates, ac duas operationes, ſicut duæ ſunt in eo naturæ: contrarium autem, tanquam blaſphemum & hæreticum, à ſanctis Patrib. fuiſſe reprobatum, qui ſynodali decreto Macarium Patriarcham Antiochenum epiſcopali dignitate propterea priuauerunt, & à communione Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ ſeparauerunt, quia auſus fuerat impie aſſerere cum Theodoro Epiſcopo Pharanitano, Sergio, & Petro Epiſcopis Conſtantinopolitanis, Cyro Epiſcopo Alexandrino, damnatis hæreticis, vnā tantum eſſe in Chriſto voluntatem, atq; vnicam operationem. Vidit ſimiliter Decretum in Conc. Florentino vniuerſali à felicis recordationis Eugenio IV. prædeceſſore noſtro factum, de proceſſione Spiritus S. à Patre, & Filio, cui Patres omnes Eccleſiæ Latinæ, ac Græcæ pariter ſubſcripſerunt, ipſo Græcorum Imperatore præſente, qui ad remouendum Græcorum ſchiſma, Synodi vniuerſalis congregationem curauerat, & ex Regia Vrbe Conſtantinopolitana in Italiam venerat. Ex quibus omnib. Archidiaconus tuus Orthodoxa veritate percepta, quam Eccleſia ſancta Catholica Apoſtolica Romana docet, de altiſſimis myſteriis Incarnationis Verbi Dei, & proceſſionis Spiritus S. errores ſuos proprios, atq; nationis veſtræ communes agnouit, quos ſponte, & ingenue coram dilecto filio Magiſtro Commiſſario Officii ſanctæ Inquiſitionis confeſſus, ac deteſtatus eſt, illoſq; auctoreſq; illorum, Neſtorium, Theodorum Mopſueſtenum, Diodorum Tarſenſem, Macarium Antiochenum, cæteroſq; omnes hæreticos: atq; hæreſiarchas ab Eccleſia ſancta Romana dānatos; cum eorum hæreſib. & impietatib. abiurauit, dānauit, & anathematizauit. Et quia venerabilis Frater à Nobis efficaciter poſtulaſti, vt tibi errores ſignificaremus, quos in Fide veſtra reperiſſemus: illoſq; corrigeremus, paratum quippe te exhibebas cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis obedientiæ tuæ ſubiectis, ad correctionem*

recipien-



*recipiendam: iuſto, pioq; tuo deſiderio ſatisfacere cupientes, ac ſimul vt adimpleremus præceptum, quod à Domino in beati Petri perſona accepimus, vt videlicet confirmaremus fratres noſtros in fide, mandauimus cuncta quæ dilecti filio Adæ Archidiacono tuo oſtenſa fuerunt de ſacrorum Conciliorum Decretis, diligenter deſcriberentur, & in Chaldæum idioma fideliter verterentur & ad fraternitatem tuam mitterentur. Igitur accipies cum his noſtris literis deſcriptionem errorum, immo blaſphemiarum impij Neſtorij, vt in Concilio coram Patribus recitatæ fuerunt cuius initium tale eſt:* Petrus presbyter Alexandriæ, Notariorum Primicerius dixit: Habemus pręmanibus Reuerendiſsimi Neſtorij blaſphemiarum commentarios, &c. *Accipies pariter epiſtolam à B. Cyrillo Epiſcopo Alexandrino, atque Synodo Alexandriæ congregata, ad Neſtorium ſcriptam, qua fraterne illum erroris ſui admonent, atque duodecim capitibus, quid de ineffabili myſterio Incarnationis tenendum Catholice ſit, declarāt. Incipit autem ſic:* Cum Saluator noſter apertè pronunciet, &c. *Monuerat B. Cœleſtinus primus prædeceſſor noſter Neſtorium: & de illius ſalute ſollicitus, correctionem eius curandam B. Cyrillo mandauerat, ea ratione, vt niſi ad præfinitū tempus reſipuiſſet; illum auctoritate Apoſtolica, ab Eccleſiæ communione ſepararet. Itaque Cyrillus coacta Alexandriæ Synodo, epiſtolam, cuius exemplum tibi mittimus: ſcripſit. Sed Neſtorius ex admonitione deterior, ac magis contumax, deteſtabiliores ſemper euomens blaſphemias, grauiores turbas in Eccleſia excitabat. Quare Synodus vniuerſalis Epheſi conuocatur, cui Cyrillus vices Cœleſtini Papæ gerens, auctoritate eius Apoſtolica præfuit: in qua recognitis, examinatiſq; erroribus Neſtorij: cum ipſe noluiſſet ſiſtere ſe Concilio: vnanimi Patrum ſententia Synodali decreto damnatus fuit: cuius damnationis exemplū tibi quoq; mittimus, quod ita incipit:* S. Synodus dixit: Cum præter cætera, &c. *Sed damnato, depoſitoq; Neſtorio atque in exiliū ad Lybiæ deſerta deportato: ſcriptiſq; ſuis vbique locorum cōcrematis: nihilominus ignis hæreſeos extinctus omnino nō eſt: ſed flamma tantum compreſſa, quæ longe, lateq; diffuſa erat. Nam ſcintillæ, vnde hoc incendium initium habuerat, latitantes permanſerant: ſcripta nempe Theodori Epiſcopi Mopſueſteni, qui Neſtorij magiſter extiterat. Neque enim à Patribus antea animaduerſa fuerant: vel quia non ſatis vulgata, vel quia Theodorus ob grauiſſimam pugnam, quam ſuſceperat, atque ſuſtinuerat de myſterio Incarnationis aduerſus Apollinariſtas: tantam ſibi doctrinæ, ac pietatis famā comparauiſſet, vt ne dū ſuſpectus non eſſet, immo vero inter orthodoxos, grauiſſimoſq; Eccleſiæ Patres haberetur. Igitur hæretici, quod Neſtorij nomine amplius profiteri non poterāt: Theodori auctoritate docere, ac tueri nitebantur. Hinc temporis progreſſu adeo magna perturbatio exorta eſt in Eccleſia Dei, vt poſt Chalcedonēſem Synodum quartam videlicet vniuerſalem, iterum Sancti Patres coacti fuerint conuenire Conſtantinopolim ad vniuerſale Concilium, in quo Theodori Mopſueſteni dogmata recitata, diligenterq; animaduerſa, & examinata, ac demum damnata, & anathematizata fuerunt. Huius autem examinis, atque damnationis exemplum: nec non Fidei ſceleratum ſymbolum Theodori Mopſueſteni, ex actis eiuſdem quintæ Synodi vniuerſalis deſcriptum tibi mittimus, cuius initium eſt:* Sancta Synodus dixit: Ad longum tempus extenſis quæ de Theodoro mouentur, qui Mopſueſtenæ ſanctæ Eccleſiæ fuit Epiſcopus, &c. *Quibus omnibus exiſtimauimus, fore vt ſatis innoteſcere fraternitati tuæ poſſent errores qui cum Neſtorio, atque Theodoro Mopſueſteno vobis communes ſunt: & quam execrabile, atque Catholicæ Fidei contrarium ſit, negare, Beatiſſimam, ſemperq; Virginem Mariam eſſe vere matrem Dei, & in Chriſto duas perſonas ponere. Pari pacto tibi mittimus Decretum Sextæ Synodi vniuerſalis Conſtantinopoli celebratæ, quo ſancti Patres actione decima octaua definierunt, eadem ratione confitendum eſſe duas in Chriſto eſſe voluntates, atque operationes, qua credimus, duas eius eſſe naturas in vna eius radiantes ſubſiſtentia: nec vlli licere aliam Fidem profiteri, aut docere. Incipit autem ſic:* Præſens ſancta, & vniuerſalis Synodus, fideliter ſuſcipiēs, &c. *Ex quo non tantum quid Catholice credendum ſit, intelliges: verum etiam cognoſces, quam grauiter peccent, qui importunis interpretationib. contrariam ſententiā damnatamq; impietatē tueri ſtudent. Poſtremo mittimus tibi Decretum a felicis recordationis Eugenio IV. etiam prædeceſſore noſtro, in Synodo vniuerſali Florentina factum de proceſſione Spiritus S. cuius initium eſt:* Eugenius Epiſcop. ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Lætentur cœli, &c. *Aperte in hoc Eugenij Decreto videbis, omnes pariter Latinæ, & Græcæ Eccleſiæ Patres confeſſos fuiſſe, Spiritum S. à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio procedere. Et quamuis Græci à Patre per Filium procedere Spiritum ſanctum dicant, non ob id tamen, qui recte ſentiunt, proceſſionem hanc aliter, quam ab vtroque æqualiter intelligunt. Nullo autem modo dicendū, Spiritum S. à Patre ſolo procedere, hoc n. hæreticū, atque damnatū eſt. Ideo ſancta Romana Eccleſia, omniū aliorū Mater, & Magiſtra, diuinitus illuſtrata, ad euitandā omnē ſuſpicionem huius impietatis, opportune declaratura eiuſmodi proceſſionē, non addēs, ſed exponens, poſuit in Symbolo illud:* Filioque procedit. *De incomprehēſibilibus igitur myſterijs ſalutiferæ Incarnationis verbi Dei, atq; æternæ proceſſionis Spiritus ſancti, ſic definitū fuit à ſanctis Patribus, & ita credat, oportet, quicunq; profitetur Catholicam Fidem: Declarationes, expoſitiones, conciliationes omnes, quæ vel cōtrarias ſententias defendunt, vel eas ad ſenſum orthodoxæ veritatis redigere conantur non modo vanæ, ac ſuperfluæ, ſed damnatæ, ac reprobatæ. Sunt enim hæreticorū commenta, quibus eorū impietatem quā profiteri amplius manifeſtam non poterant fucatā defendere conabantur. Nam ſectatores Neſtorij nefaria eius dogmata, ex commentarijs vt diximus, Theodori Mopſueſteni, à quo virus perditiſſimæ hæreſis hauſerat, & ex his quæ ab eius fautoribus contra Beatū Cyrillum, ſanctamq; Epheſinam Synodum ſcripta fuerunt, callide inſtaurare, atque in vulgus ſerere ſtuduerunt. Vnde magna Orientis pars poſtmodum infecta fuit, præcipue Chaldæi, qui hac de cauſa deinceps Neſtoriani dicti ſunt. Propterea monemus fraternitatē tuam, atq; efficaciſſime hortamur, Theodori Mopſueſteni ſcripta pariterq; Diodori Tarſenſis, qui cum eo peſſime ſentiebat, lethalis huius meſſis infauſta ſemina ſi, vt accepimus, apud vos reperiūtur, delere, effringere, penituſque ex veſtra natione exterminare, omnino ſtudeas. Quippe Theodorus tanquam hæreticus, ac peſſimæ doctrinæ auctor, à ſanctis Patribus in quinta vniuerſali Synodo, vt videre poteris, ſecunda videlicet Conſtantinopolitana, damnatus eſt. Remoto autē hoc obſtaculo facile vt confidimus cooperante diuina gratia Catholicā veritatē contra aduerſariorum mendacia tueberis, præſidio auctoritatis ſanctorū vniuerſaliū Conciliorū, quorum decreta tibi mittimus. Quibus ſicut fraternitatem tuā cæteroſq; venerabiles fratres Archiepiſcopos, & Epiſcopos, atq; eruditiores Monachos, & Sacerdotes veſtræ nationis inſtruere aduerſus hæreticos curauimus, ita & reliquorum neceſſitati, quantū cum Domino poſſumus, conſulere cupientes, quamplurimos libellos profeſſionis Catholicæ Fidei & Chriſtianæ doctrinæ typis Arabicis excuſos, eidem Adæ Archidiacono tuo, perferendos ad vos dedimus. Abunde ſatisfeciſſe nos hactenus tuo deſiderio credimus, venerabilis, ac dilectiſſime frater. Habes namque à Nobis certiſſimam doctrinā Catholicæ Fidei & firmiſſima fundamenta, quibus ipſa nititur. Docere igitur tuos veritatem, aduerſariorū mendacia atque malitiam redarguere ſufficienter poteris. Reliquum modo eſt, vt eodem zelo quo veritatem cognoſcere concupiuiſti, cures, nitaris, efficias, vt ipſam nunc vobis declaratam & patefactam, ceteri quoque recipiant. Nos autem alacri animo pios labores, atque conatus tuos in propagatione Orthodoxæ Fidei ſemper adiuuabimus, & quo maiores progreſſus veſtros in recta doctrina audierimus, eo magis prompti, ac parati erimus ad noſtrum auxilium vobis ſubminiſtrandum, ſicut Archidiacono tuo vberius declarauimus. A quo particulam ſalutiferi ligni ſanctiſſimæ Crucis Domini noſtri, incluſā parua cruce aurea, ornata lapidibus cœleſtis coloris, in maioris crucis formā, atque librum ſanctorum Euangeliorum, Arabico idiomate typis excuſum; & cum his argenteum calicem, & patenam atque thiaram, ac veſtes Pontificiales pro ſolemni celebratione incruenti ſacrificij, diuinorumque officiorum; nec non duos alios libros iiſdem characteribus Arabicis impreſſos, vt illes ad medicinæ corporalis doctrinam, & ad intellectus acumen augendum: nam fore illos tibi valde gratos, ipſe communis noſter filius Adam Nobis oſtendit. Quæ omnia fraternitati tuæ ex benedictionibus S. Petri mittimus; vt ſignum aliquod à Nobis habeas ſinceræ, ac perfectæ dilectionis, qua te in viſceribus Chriſti complexi ſumus. Quem tuum Archidiaconum valde tibi commendamus & pro peculiari noſtro in eū amore, tanquam filium Nobis valde charum, vt præcipue diligas, deſideramus. Toto enim tempore, quo apud Nos manſit, pie admodum vixit, monaſticæ vitæ ſuæ inſtitutum religioſe obſeruauit, zelum veritatis agnoſcendæ eximium præ*

tulit,

tulit; aſſiduus in expeditione negotij ſibi à te commiſſi, fuit; in exponendis veſtris de Fide opinionibus diligens, & accuratus, ſed minime pertinax, in recipienda veſtrorum errorum correctione docilis, atque morigerus: demum ita ſe in omnibus geſſit, vt merito beneuolentiam omnium, qui aliqua de cauſa cum eo egerunt, ſibi conciliauerit. Quare ſi rem Nobis grat iſſimam facere deſideras; virtutē, & probitatem ipſius, omni honoris accentia maiori, qua poteris noſtra cauſa augebis: non enim dubitamus, quin optime collocaueris quicquid honoris ac dignitatis in eum contuleris; ac præterea debitum laboribus ſuis tam magnis tamque laudabilibus præmium tribues, quod maxime deſideramus. Deum miſericordiarum, ac Patrem luminum oramus: vt opus, quod ineffabilis ſua clementia cœpit in te, perficere per humilitatis noſtræ miniſterium, ad ſanctiſſimi nominis ſui gloriam, ac veſtrarum animarum ſalutem dignetur: & ex intimis noſtri cordis viſceribus tibi, dilectiſque filijs, nationis veſtræ, qui Fidei Catholicæ notitiam verè, & ex animo concupiſcunt, benedictionem noſtram Apoſtolicam impartimur. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die ſanctiſsimæ Annunciationis B. Virginis Mariæ. VIII. Calend. Aprilis M. DC. XIV. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

*Petrus Strozza.*

VIderat Adam hoc Apoſtolicum Breue, dum in Chaldaicum idioma conuerteretur: cumque in eo legiſſet, ſe laudatum fuiſſe, quod rectam Fidei doctrinam accepiſſet; vt hanc de ſe conceptam opinionem magis confirmaret, ſtatim Commentarium compoſuit; in quo, quaſi fratres ſuos Chaldæos eruditurus eſſet, expoſuit ſingulatim quid de vnitate diuinæ eſſentiæ, de incomprehenſibili ſanctiſsimæ Trinitatis myſterio, deque ineffabili diſpenſatione Incarnationis Dei Verbi ſentiret; potiſsimum aduerſus Neſtorium, & Theodorum perditiſsimos hæreſiarchas: habita in primis ſatis eleganti, & pia diſputatione de præeminentia Summi Pontificis, atque ſanctæ Apoſtolicæ Sedis, & de neceſsitate, qua omnes Chriſti fideles ſubijci debent eius doctrinæ, atque præceptis.

SERMO
## ADAE ARCHIDIACONI CAMERAE PATRIAARCHALIS BABYLONIS,
## DE FIDE CATHOLICA AD FRATRES SVOS CHALDAEOS.

XXXV. Prooemium, in quo agit de Primatu Sanctę Apoſtolicę Sedis, & de præeminentia auctoritatis, & doctrinæ Summi Pontificis.

*In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

DE Fide Catholica, deq; profeſsione Orthodoxa loqui volumus, fratres. Itaque proximi in Domino noſtro, & chariſſimi in Ieſu ſpe noſtra, petimus à vobis, per humilitatem, & manſuetudinem, & obedientiam Ieſu Chriſti; ne quis contēdat extra legem contra veritatem, ſed in lege pro veritate; vt coronetur. Neque enim fas eſt nobis contradicere Deo, propter propenſionem noſtræ voluntatis: ſed debemus ſubijcere nos voluntati eius, pro ſalute animarum noſtrarum: quia ſicut eſt vnus Deus Pater, & vnus Dominus Chriſtus; ſic vna eſt Fides de illo, & vna Eccleſia ſancta caput omnium Eccleſiarum; & vna eſt petra ſolida, in qua poſiti ſunt ordines Eccleſiaſtici à ſapiente architecto, ædificatore Vniuerſi. Neque enim fruſtra, & vanè dedit claues altitudinis, & profunditatis Petro fundamento Eccleſiæ ſuæ: neq; fortuito tradidit ipſi greges rationales, emptos ſuo ſanguine pretioſo. Et ſic longa ſucceſſione poſt Petrum, accepit ſummum Pontificatum Pater noſter ſanctus Papa, caput ſublime totius Chriſtianitatis, & eſt verus Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper terram vniuerſam, per ſucceſſionem verā & legalem quæ ab illo deriuatur. Propterea fratres in Chriſto, & membra Ieſu: non enim fœnum & paleam, ſed aurum, & lapides pretioſos debemus ponere ſuper hoc fundamentum verum, quia probatio in igne fit; & præter hoc fundamentum nemo aliud poteſt ponere; & ſi audeat & ponit; ſuper arenam fit ædificium eius, & non aſcendit ad culmen; quia errat à fine recto quicumque eſt contra lapidem perfectum capitis anguli, qui colligat parietes ad inuicem. Itaq; fratres & patres petimus à vobis, propter amorem Chriſti, ne vllus celet veritatem. Omnibus hæc dicimus; tranſacta iam ſunt antiqua: modo vero quamnam veritatem rectam inuenietis præter eam quæ eſt Romæ ſecundum voluntatem Dei? Ecce enim quam multis in locis ordinantur Pontifices illegitime? Sunt enim aliqui, qui munere; alij vi; alij fucis, & dolis; aut per ſubſcriptionem barbarorum; alij per hypocriſiam; alij per imperium Regum huius mundi, & non per ordinē Dei: & hi omnes præter voluntatem Spiritus S. ſunt. Anne nos hæc dicimus? Ecce. n. Synodus reprehendit, & damnat ordinantē & ordinatum illegitime. Etiā in lege noua ac veteri reprobantur ij, qui non eliguntur ſecundum voluntatē Spiritus S. per ordinem Summi Pontificis, qui fidelis eſt ſuper omnes greges Ieſu. Ecce enim audiſtis familiam Core, quæ ſurrexit contra præceptū Dei, & voluit abripere Sacerdotiū; quomodo aperuit terra os ſuum, & viuos deglutiuit: & Simonē illum ſeductorem, qui obtulit argentum Apoſtolis: propter hoc donum quid reſponderet Simon Petrus? Argentum tuum vadat tecū in perditionem: quia putaſti donum Dei poſſeſsione ſæculi poſſideri, non habes partem, neque ſortem in hac fide. Sic. n. ambigit, & aberrat à veritate, quicumq; vtitur talētis ſpiritualibus inconuenienter. Gratis accepiſtis, gratis date omnibus dignis, ordinauit Dominus talentorum. Et hunc ordinem rectum, & fidē veram tenet ab ipſo Eccleſia sācta Romæ, vſq; ad hunc diem; dū congregantur omnes Patres illuſtres & laudabiles, ad Eccleſiā magnam & ſanctam Sancti Petri, & per ieiunia, & orationes orant & ſupplicant coram Deo, & volunt ingenue in omni humilitate, & obediunt ei, qui eligitur à Spiritu S. & ſic ordinatur Papa, & Pontifex fidelis Eccleſiæ Chriſti. Igitur fratres, non ille, qui laudat ſemetipſum, eſt probatus; ſed ille, quem Dominus laudabit, neque vllus ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo ſicut Aaron. Et ſic Dominus Papa non ſeipſum laudat, vt ſit Pontifex: ſed ille, qui dixit ei; Paſce mihi agnos meos, paſce mihi agnos meos, paſce mihi oues meas. Sic etiam eligitur, & honoratur à congregatione ſancta beatorum Patrum in voluntate Spiritus S. Ideo fratres in Chriſto, decet Chriſtianos omnes vbicumq; ſeruare præcepta ſua plena vitæ, vt pupillam oculi, & abiurare, & refutare omnes hæreſes; & anathematizare eos omnes, qui à verbo ſuo diſcedunt, & aduerſantur Eccleſiæ ſanctæ & Apoſtolicæ, & adducunt fallacias è ſanctis libris, iuxta eorum voluntatem, & ignoranter colligunt folia pro fructibus, & ſceleſtè confirmant ſermonem ſuum mendacem. Eccleſia autem Catholica Romæ, per anathematiſmum determinat contra quemcumque, qui varias veritatem Synodorum ſanctarum & electarum. Propterea conuenit fideles viros, per voluntatem ſuam liberam adhærere Fidei veræ, & Canonibus rectis, & ordinatis, quas docet & prædicat Pater Patrum, & ſummus Paſtor Dominus Papa, vt lucrentur vitam animabus ſuis, eo mediante, & benedicantur benedictionibus ſuis Apoſtolicis. Amen.

XXXVI. CAP. I.
### De Confeſsione vnius Dei.

ITaque credimus, propter hoc & etiam loquimur: Credimus enim, & Confitemur vnum Deum verum, immortalem, æternum, non habentem principium, neque finem. Quia non in tempore ſolum eſt, ſed ante tempus & ſine principio et ſine fine eſt, et in æternum tempora omnia in eo includuntur, cum ſit eleuatus ab omni intellectu, eo quod id quod habet, ſemper habet: quia non erat aliquando, et modo eſt, ſed eſt, et futurus eſt, et cauſa omnis entis et cauſa cauſæ cauſarum omnium: neque cadit natura ipſius ſub decem prædicamenta. Sermo enim de nobis oſtendit vt ſumus, aut ſupra id quod ſumus, aut infra. Sermo vero de Deo non habet quid ſupra ſe, vt de ipſo demonſtret, neque vt eſt poteſt dici. Demonſtrationes ergo infra ſe remanebunt, quia nullus indicia eius penetrauit, et viæ eius ſunt inueſtigabiles. Quantumuis homines multiplicent ſcientiam, hic deſpicitur: ſcriptum enim eſt: Noli nimis ſcire, ne mireris. Et Gregorius Theologus ait: Ego multa intra me cogitaui per diſcurſū intellectus, et





vndiq; rectificaui ſermonem; & volens demonſtrationem de hoc toto negotio accipere, nihil ex inferioribus habui, vt compararem mihi ſcientiam naturæ diuinæ, licet parua ſimilitudo inueniatur. Et Paulus præcepit, ne altiora cogitemus, quam decet cogitari; quia Deum ex ſuis creaturis tantum inueniunt inueſtigatores, & non ex eſſentia; dum intellectus Sanctorum illuminatur à Spiritu ſancto: & nullus ex his comprehendit vſiam Dei; ſed originem vſiarum, & vitæ, & ſapientiæ, quæ ex ſumma bonitate perfectiſſimæ eſſentiæ effunditur ſuper omnes ſubſtantias. Propterea dicitur de Deo, quod ſit charitas, eo quod charitas eſt complementum omnis bonitatis; & bonum eſt contrarium malo, & ſic malum bono. Et ſi dominaretur malum totale, nunquam quicquam conſtitueretur; ſed non exiſtit malum totale: nam cum bonum totale includat omne, & quod eſt & quod poteſt eſſe; priuat neceſſario malum omni eſſentia. Et ſic dicimus, quod bonum tribuat malo priuationem perfectam. Perfecta autem priuatio nihil eſt; & nihil non habet exiſtētiam. Ergo valde errant dicētes, eſſe alium Deum malum. Et ſic eſt eſſentia Diuina diſsipans malum naturaliter; & eſt principium bonitatis perfectæ, & cauſa bonorum; & effunditur in omnes eſſentias per ſuam prouidentiam perfectam; & in hoc ipſo bono eſt cauſa omnium, quæ ſunt: neq; per artem, neq; per calliditatem, & inuentiones; ſed propter bonitatem naturalem dedit omnibus eſſe. Natura enim ſpirituales excellenter eam deſiderant; & homines per cogitationes; & belluæ in ea per ſenſum exiſtunt; plantæ per virtutem plantalem, & nutritiuam; & inanimata per id, quo ſunt. Et ſic inuenitur in ipſo exiſtentia omnium naturarum diuerſarum, quas creauit per bonitatem ſuæ gratiæ ineffabilis.

XXXVI. CAP. II.
### De Trinitate Perſonarum Diuinarum.

DEus enim vocatur, & eſt principium bonitatis, & cauſa bonorum: & hoc bonum bonitas eſſentiæ ſuæ reuelauit Sanctis ſuis; & patefecit diſtinctiones proprietatum perſonarum, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & per Filium patuit; & explicatum eſt hoc myſterium, præcipientem baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Pater genitor, & Filius genitus, & Spiritus ſanctus procedens. Pater genitor Filij, & non genitus; Filius genitus à Patre, & non genitor; Spiritus S. procedens à Patre & Filio, tanquam ab vno principio; nec genitor, nec genitus. Diſtincti proprietatibus, & perſonis, Vnum natura & eſſentia. Propterea omnia ſunt vnum in Diuinis, vbi non obſtat relationis oppoſitio: reliqua enim, vt eſſentia, intellectus, & voluntas, communia ſunt tribus perſonis. Pater diſtinguitur à Filio, paternitate; & Filius à Patre, filiatione; & Spiritus ſanctus à Patre, & Filio, ſpiratione paſsiua; & Pater & Filius à Spiritu ſancto ſpiratione actiua: & hæc ſpiratio actiua non conſtituit perſonam, at communis eſt Patri, & Filio; & per eam opponuntur Spiritui ſancto, oppoſitione originis. Et ſicut ſunt tres perſonæ, ſic tres ſubſiſtentiæ, quæ dicuntur ad inuicem; & non ſunt diſtinctæ ab eſſentia, re, ſed fundamentaliter tantum; actualiter autem per intellectum; & Pater per intellectionem ſui intellectus generat Filium. Et quia opus intellectus præcedit opus voluntatis; idcirco proprietate originis generat Filium, & dat illi omne quod habet, præter Perſonam Paternitatis; & Spiritus ſanctus procedit per modum amoris & voluntatis; & in hoc nulla eſt oppoſitio inter Patrem, & Filium, quia Pater amat Filium, & Filius amat Patrem: & ab hoc amore procedit Spiritus ſanctus, & vocatur ſpiratio actiua Spiritus in Patre, & Filio; & eſt ſine diuiſione tanquam in vno; & ſic dant Spiritui ſancto omne quod habent, præter Perſonas, quæ non communicantur ad inuicem, quia ex relationibus oppoſitis originis exiſtunt. Et iſtæ tres perſonæ proprietate perſonali conſtituuntur; & vnaquæq; illarum intellectualiter à nobis concipitur; & Deum, & ſubſtantiam, & naturam confitemur. Supra modum factibilium, vna eſt natura, vna eſt potentia, vna voluntas, vna eſſentia, vna dominatio, vna magnificentia, vna poſſeſsio, vnus intellectus, vna mens; propterea tres Perſonæ vnus Deus ſunt. Tres autem dicimus in proprietatibus, non excludentes vnam Deitatē: & non dicimus tres Deos, aut ſubſtantias, aut naturas; ſed vnum Deum, vnam naturam, & vnam ſubſtantiam. Et ſic veneramur Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate: trine intelligitur proprietatibus, & vne cognoſcatur Deitate. Ne mireris (inquit Baſilius ad fratrem) ſi dicamus, eundem vnitum & diſtinctum eſſe. Hæc enim per fidem, & non per demonſtrationes tenere oportet; & fides à quæſtione libera eſt: at intellectus non quieſcit ab inueſtigādo, ſed audet extendere ſe per omnia; ſicut & habet duas potentias, vnam naturalem, alteram ſupernaturalē. per naturalem, per ſyllogiſmum, à ſenſibilibus poteſt figurare diuina; & per ſupernaturalem non eget ſyllogiſmo, per quem ſciat Deum; quando eſt purus, & caſtus: at fides ſufficit. Non enim dicit, quis aſcendit in cœlum, & deſcendere fecit Chriſtum; & quis deſcendit in abyſſum inferni, & reſurgere fecit Chriſtum è mortuis? ſed tantum fide viuit. At non eſt vnuſquiſq; capax huius rei, propterea vtimur rationibus. Itaq; inueſtigamus Deum, qui eſt nobis proximus, per quem viuimus; mouemur, & ſumus; & à creaturis ſuis inuenimus eum, qui eſt id quod eſt, immortalis, viuus, & intellectualis. Quia ex his tribus donis videmus creaturas exiſtere: nam ſunt, viuunt, & intelligunt; eo quod nihil poteſt eſſe conſtitutum in creaturis, cuius principium non ſit apud ipſum Deum. Igitur in ipſo eſt principium bonitatis perfectæ, continentis omnes ſubſtantias per ſuam totalem prouidentiam; & in ipſo eſt principium ſapientiæ intellectualis omnium creatricis, quia ipſe eſt Sapiens ſolus, vt inquit Paulus; & in ipſo eſt principium vitæ viuificantis omnia, vt inquit Salomon: Spiritus tuus bonis in omnibus habitat. Pater ex ſua præſentia eſt, & non ex aliqua cauſa: propterea ab ipſo denominatur omnis Paternitas. Filius eſt Verbum Dei, & Sapientia; & per ipſum creata ſunt omnia. Spiritus vero ſanctus eſt fons vitæ eſſentiæ, per quem omnia viuunt. Et iſtæ tres perſonæ, eo quod ſunt perfectiſsimæ, nobis ſunt vnus Deus, ſicut dixit Theologus; diuiſiones vero gratiarum ſunt, idem autem Spiritus; & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus; & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus. Nomina vero conuenientia Deo, toti Diuinitati competunt; & nomina cōmunia de tota Diuinitate dicuntur; & quicquid fit per virtutem naturalis Deitatis, tribuitur toti Trinitati. Et ſic ſumunt omnes naturæ exiſtentiam ab vno fonte abundanti eſſentiæ æternæ: & ſicut Sol producit ſplendorem, & caliditas procedit ab vtroq; hoc eſt à Sole, & ſplendore; ſic Filius generatur à Patre, & Spiritus S. procedit à Patre & Filio. Non enim dicimus vnquam, caliditatem procedere à Sole ſine ſplendore, nec à ſplendore ſine Sole; ſed ſic ordine recto dicimus, quod ſplendor habet modum generationis à Sole, & caliditas modum proceſsionis à Sole & ſplendore: & ſic Filius genitus, & Spiritus S. procedens eſt, alio modo à modo Filij. Propterea Pater & Filius æquales ſunt in ſpiratione actiua, eo quod ſunt vita, & principium vitæ perfectæ; quia exponitur Spiritus vita, ſpirituales autem (hoc eſt habentes vitam) Et vita intellectualium eſt ex igne & ſpiritu non elementali, ſicut canit Dauid: Fecit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros eius ignem ardentem: & vita plantarum, & cæterorum eſt ex igne, & ſpiritu elementali; & iſta ſimul euaneſcunt, ſecundum Scripturam: Auferes ſpiritum eorum, & morientur, & ad terram ſuam reuertentur. Et intellectuales, etiamſi naturaliter viuant; attamen ſunt facti, & cauſati. Sequitur neceſſario, quod per gratiam viuant, & non perfecte ex ſe, & per ſe; vt Apoſtolus ait: per quem viuimus, & mouemur, & ſumus. Etiam ſcriptum eſt: Dedit eis vitam æternam; hoc perpetuitatē gratiæ indicat: nec cohibet ſuam gratiam; deficeret enim perpetuitas vitæ eorum. Ergo donum non ſuccidititur, nec vita corrumpitur. Vita enim diuina non ſic; ſed eſt ſupra omnes mutationes, & accidentia; & eſt ſimplex, & origo omnis vitæ, & cauſa; quia ſimplicitatem puram habet natura diuina, ſine compoſitione. Deus enim ſpiritus eſt; & non ſicut nos, ſumit ſpiritum attractiue: propterea Spiritus ſanctus non procedit attritione vocum, neq; commotione aeris, propterea non eſt creatus à ſapientia; ergo non eſt priuatus perſona ſed eſt perſona perfecta, & omnipotens cum Patre, & Filio: Propterea Spiritus Dei eſt ſemper cum Verbo ſuo; & ſic ex ſe, & per ſe viuit ſemper natura diuina, vita ſimplici, ſine medietate alicuius rei; eo quod eſt origo omnis vitæ, ſicut pſallit filius Iſai: Quia tecum eſt fons vitæ. Spiritus autem, qui eſt in nobis, non habet tantum ex natura ſua vitam, ſed medietate aeris. Spiritus enim Dei non eſt ſic; non enim attrahit aliquid extra, quia non eſt compoſitus, ſicut nos: omne compoſitum, quia imperfectum, componitur, vt perficiatur. Deus enim eſt perfectus omnibus ſuis proprietatibus. Ergo motio Spiritus ſancti eſt in ſe; propterea non procedit tantum ab vna perſona. Itaq; audite quid Dominus dicat: Ego ſum via, veritas, & vita. Et: Cum veniet Spiritus veritatis, ipſe reget vos in omni veritate. Ergo Spiritus veritatis à veritate procedit ſine dubio, Etiam dicit:

*Ego in Patre meo, & Pater meus in me eſt. Et: Ego, & Pater meus vnum ſumus. Si Filius, Pater vnum ſunt ad inuicẽ; & ipſe eſt via, & porta; & ſine ipſo nihil ingreditur ad Patrem: ergo & ſine ipſo nihil à Patre procedit. De Spiritu autem Sancto ſic dixit: De meo accipiet, & renunciabit vobis. Et, Omne quod meum eſt, tuum eſt; & tuum meum eſt, dixit ad Patrem. Si Spiritus S. à ſuo accipiet & ipſe eſt æqualis Patri in omni poſſeſſione; quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis, quis negabit; priuando eum Spiritu S. Ecce vt Pater habet vitam in ſe; ſic dedit filio habere vitam in ſe. Ergo ſic oportet credere vere, & indubitanter cum Eccleſia S. Romæ, quod Spiritus S. procedat à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, & vna ſpiratione actiua.*

## CAP. III.

### De generatione æterna verbi Dei ex Deo Patre.

XXXVIII. IN *principio erat Verbum, indicauit Ioan. Bereſcith autem eſt vocabulum Hebraicum, Chaldaice, principium interpretamur. Et quare dixit, in principio; & non: in primo? quia primo refertur ad ſecundum; ſi eſt primum, neceſſario & ſecundum; ſi ſecundum & primum. Non autem ſic principium: quia ſi eſt primum, eſt etiam principium; non autem ſi eſt principium, eſt primum. Principium eſt hora prima diei primi; ſicut etiam ſcripſit Moyſes: In principio creauit Deus cœlum & terram: ſed etiam ſi principium ſit hoc vocabulum, ſed determinatum eſt; quia in ea incepit Deus creare creaturas. Bereſcith autem Ioannis non eſt principium: quia non inchoauit Deus nouiter generare filium; propterea non eſt determinatum; eo quod ſequitur: Erat Verbum: Indeterminate autem, quando erat. Ecce aperte ſublati ſunt terminus & tempus & quidditas, quando, & quomodo, è medio; quia ad Bereſcith Moyſeos de operibus Dei nobis oſtendere pertinebat. Bereſcith autem Ioannis, de generatione æterna, & incomprehenſibili Dei veri de Deo vero, nobis aperiebat. Et ſciendum eſt, nullum ex Apoſtolis, aut Paulum, ſed ſolum ipſum Ioannem, ac nullum alium; vſum eſſe nomine Verbi, ad oſtendendam æternitatem generationis filii. Et etiam dicit, quod ipſum Verbum erat apud Deum, & Deus erat ipſum Verbum. Oſtendit autem Natiuitatem filii eſſentialem à Patre eſſentiali; qui non eſt genitus, vt corpora, in loco & tempore, & deciſione & natura: ſed ſicut verbum ex anima; quod quotieſcunque anima eſt & cogitat; neceſſario etiam verbum ſecum eſt; & quotieſcunque verbum, & anima; & omnis anima eſt verbalis, & omne verbum eſt animale. At ex anima verbum, & non ex verbo anima. Et ſicut voluntas animæ, per verbum procedit ad manifeſtationem; ſic voluntas latens Patris; per filium, virtutem eius, & ſapientiam, manifeſtata, & patefacta cœleſtibus, & inferioribus; ſicut indicauit Theologus filius Tharſorum: Sapientiam autem loquitur apud perfectos; ſapientiã non huius ſæculi, neque principatus mundi huius, ſed loquimur ſapientiam Dei myſterio; quæ abſcondita & celata, & Deus prædeſtinauit eã ante ſæcula, ad gloriam noſtram. Etiam dicit, quod hoc erat in principio apud Deum. Deus enim eſt hoc Verbum, & apud Deum eſt; cum non ſit aliud, id quod eſt: ſed id quod eſt, eſt quod eſt apud ipſum. Varietas enim in nullo ſubſtantialiter; ſed in perſonis eſt diſtinctio; eo quod vnus eſt apud alium. Ecce ſicut Sol ex internubibus apparuit. Ibi enim Verbum apud Deum; hic vero Deus apud Deum. Ibi demonſtratio apud veritatem; hic vero veritas apud veritatem. Bene videtis: ſcriptor totum myſterium Theologiæ terminauit in breuitate ſermonis. Et etiam dixit: Omnia per ipſum, & ſine illo factum eſt nihil. In hoc enim: omnia: nihil reliquit, quod non eſt incluſum, & determinatum in ipſis. Proſiluerunt hos enim includens omnia. Nihil enim eſt extra omnia. Ergo fidele eſt verbum, & dignum vt credatur, quod Verbum erat in principio non determinato, & non temporali; ipſemet quia in Bereſcith determinato, & temporaneo creauit cœlum, & terram, iuxta Paulum: In ipſo autem fecit ſæcula, & per ipſum creatum eſt omne, quod eſt in cœlo, & in terra; omne quod videtur, & non videtur. Igitur patet, omne quod eſt, intellectu & ſapientia fit; ſicut Sapiens affirmat, quod Dominus in ſua ſapientia poſuit fundamenta terræ, & conſtituit cœlum in ſuo intellectu. Propterea Filius Verbum, intellectus Dei vocatur à Philoſophis ſpiritualibus; quia ipſe eſt virtus, & ſapientia, & ſplendor gloriæ eius. Et Theologus etiam affirmat, Chriſtum eſſe virtutem Dei, & Sapientiam Dei; & Sapientia etiam dicit de ſeipſa: Ego ex ore Altiſſimi proceſſi. Et Salomon etiam in ſua Sapientia magna affirmat; quod Deus ſit Pater ſuus, & Dominus omnium dilexit eam; quia eſt à ſecretis Dei, & à conſiliis & ſic per Verbum Filium Sapientiam Patris, omne quod eſt, accepit eſſe; & per gratiam ſuam magnam, in principio compactionis ſuæ, principii generis noſtri; vocauit nos, & fecit nos ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: & omnis imago participat ideã in identitate nominis, etiamſi nõ in identitate termini. Et dum hunc gradum magnum honoris ſiue dignitatis, ſuſcepit genus noſtrum; inuidit ei Satan. & traxit naturam humanam ad legem peccati; & corrupta eſt, & maculata eſt effigies imaginis ſuæ; & ſenuit pulchritudo eius in peccato; & cum multi medici extiterint, nullus ex iis potuit facere, vt poſſideat ſanitatem.*

## CAP. IV.

### De ſecunda generatione filii æterni, qui incarnatus eſt, & natus eſt iterum cum carne.

*QVid igitur? videns omnium factor, quod corruptum eſt opus manuum ſuarum; & fuerunt Sacerdotes & Leuitæ, & Prophetæ, nec potuerunt vlcera eius ſanare, nec ſublicare; miſertus eſt eius, & cœpit opem ferre ei. Et quia congruebat vt genus humanum per eum haberet renouationem, per quem acceperat eſſe; propterea ille, qui natus eſt ante tempora, à Patre ſine Matre; factus eſt homo in generatione temporanea, à Matre ſine Patre; ſicut dixit Baruch: Naſcetur ex virgine in Bethleem, & natiuitas eius ante ſæcula; eo quod ei tantum conueniebat hæc diſpenſatio. Et cum eſſet in forma Dei inuiſibilis, exinaniuit ſeipſum, formam ſerui accipiens; & deſcendit filius Deus Verbum à ſinu Patris, & habitauit in ventre matris ſuæ Mariæ virginis, & ſumpſit ab ea naturam humanam perfectam anima & corpore; & vniuit eam ſubſtantialiter ſuæ perſonæ, ne ſagittæ inimici eius in genus humanum iaciantur; & venenum aſpidis, ſicut antea, illud offendat. Et ſic ambæ naturæ, diuina & humana, terminatæ ſunt in vna perſona Verbi; eo quod natura humana non ſecum tulit perſonam humanam, quia non habebat ſubſiſtentiam: propterea terminata eſt in perſona Verbi; quia ſubſtantia ſignificat id quod eſt; & perſona eſt quæ facit ſubſiſtere id quod eſt. Et ſic ambæ naturæ perfectæ, diuina & humana, terminatæ ſunt in vna perſona Verbi; eo quod natura humana non ſecum tulit perſonam humanam, quia adhuc non ſubſiſtebat: propterea terminata eſt à perſona Verbi; quia ſubſtãtia ſignificat id quod eſt; & perſona, id quod facit ſubſiſtere id quod eſt. Natura autem humana Chriſti, antequam ſit id quod eſt, terminata eſt à perſona illius, quod erat: quia cum efformatione facta in ventre, impleta eſt Spiritu ſancto; & à Spiritu S. cõcepta eſt. & vnita eſt perſonæ Verbi ſubſtantialiter. Ac etiam ſi à Spir. S. concepta eſt, & eo impleta eſt: nihilominus Verbum incarnatum eſt, & genitum eſt ex B. Maria ſemper virgine. Ne quis autem ponere poſſit in medium blaſphemiam hæreticam, Angelus confirmauit hoc aperte, eo quod inquit: Quod Spiritus S. ſuperueniet, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi; propter hoc id quod naſcetur ex te, ſanctum eſt, & filius Altiſſimi vocabitur. Quia Spiritus ſanctus in diſpenſationibus dirigit ad id quod decet intellectuales; ſicut ſcriptum eſt: Miſiſti enim Spiritum ſanctum tuum de cœlis, & ſic ſemitæ factæ ſunt ſuper terram, & didicerunt homines voluntatem tuam. Et quemadmodum facta eſt viſitatio ad Saulum, primus impletus eſt Spiritu ſancto in impoſitione manus Ananiæ, & cecidit ex oculis quod ſimile ſquammis; & mox cœpit prædicare de Ieſu, quod ſit filius Dei. Propterea poſt ſuam obedientiam determinauit, & confirmauit, quod non ſit vllus, qui in Spiritu Dei loquatur, & dicat quod Ieſus ſit anathema: neque vllus dicere poteſt, quod Dominus eſt Ieſus, niſi à Spiritu ſancto. Propterea Spiritus ſanctus cœpit ſplendere in Diſpenſatione Domini, & à Spiritu ſancto conceptus eſt. Sed Verbum factum eſt caro, & vniuit naturam humanam ſuæ perſonæ, & ſuſtinuit humilia cum ſua carne; & natus eſt ex ſua matre, cum non mutatus ſit, aut variatus in ſua natura æterna; neque ſeparatus eſt, aut receſſit à ſinu Paterno; quia illi æqualis eſt in eſſentia: non quod ſua natura per conuerſionem caro facta ſit, aut conuerſa in totum hominem ex anima & corpore. Et neque natura illius diuina principium ſumpſit à Maria virgine ſancta, ſed naturam humanam vniuit ſuæ perſonæ: & ſic in vna hypoſtaſi natus eſt ex beatiſſima virgine*

*Quia*



*Quia Verbum per vnionem ſubſtantialem, Caro factum eſt in vtero puræ virginis; & ex Spiritu S. virgo concepit, iuxta annunciationẽ Angelicam. Igitur id quod concipitur, neceſſe eſt vt naſcatur: & ſic Deus Verbum appropriauit ſibi natiuitatem carnis ex beata, & benedicta S. virgine Maria. Propterea recte vocatur, & vere eſt conceptrix Dei, & Genitrix Dei, & Mater Dei.*

XXXIX.

## CAP. V.

### De diſtinctione recta perſonæ.

XL. D*Icimus autem, quod eſſentia ſignificat id quod eſt; & perſona eſt, quæ facit ſubſiſtere id quod eſt. Eſſentia autem continet principia ſpeciei, quæ definitione explicantur. Perſona autem addit ad principia ſpeciei, principia indiuiduationis. Igitur perſona eſt indiuiſibilis in ſe, & incommunicabilis alteri; ita vt perſona ſit ſubſiſtens in natura intellectuali in ſe, & ex ſe, dum eſt diſtincta actualiter à natura, quam ipſa facit ſubſiſtere. At in Diuinis non ſic: ſed ſubſtantia & eſſentia, & ſimilia, quæ non dicuntur ad inuicem; tribus Perſonis ſunt communia. Et quia ponitur relatio oppoſita originis, propterea actualiter diſtinguuntur hypoſtaſes à ſe inuicem, & non ab eſſentia, quæ eſt communis Perſonis Diuinis. In his autem creatis ſubſtantia eſt communis eſſentiæ, & ſubſiſtentiæ, & perſonæ, quia hæ omnes ſunt ſubſtantiæ. Eſſentia autem eſt ſubſtantia, quæ declaratur per genus & differentiam; ſubſiſtentia eſt ſubſtantia, quæ vltimo conſtituit res, vt ſint extra ſuas cauſas; perſona autem eſt ſubſtantia, per quam aliquid ſtat per ſe, & ex ſe, dum eſt diſtinctum ab omni alio. Eſſentia enim in Paulo, eſt animal rationale. Subſiſtentia eſt id, per quod vltimo eſt extra ſuas cauſas. Perſona autem eſt id, per quod exiſtit incommunicabiliter. Paulus n. non communicat cum Petro; ſicut ſi quis dicat; Ego, tu, Paulus diſtincti ſumus ab inuicem. Ego autem perſonam meam oſtendo; quæ facit ſubſiſtere meam naturam: niſi ego eſſem, neque natura mea ſubſiſteret. Et ſic tu, & Petrus facitis vnuſquiſque ſubſiſtere naturam, ne cadat. Propterea dicimus in vnione Chriſti naturas perſonæ, & non perſonas naturarum. Vt ſi quis dicat: anima mea; corpus meum; natura mea. Eodem modo puta de ſingulis perſonis. Et etiam operationes animæ & corporis prædicantur ad inuicem; & operationes vtriuſque prædicantur de perſona: vt illud Samſonis: Moriatur anima mea cum Philiſtiim. Patet enim animam non mori. Et ecce dicitur de illa mors corporis: & fuerunt etiam mortui, qui mortui ſunt in morte Samſonis, qui eſt perſona; plures quam mortui ſunt in vita eius. Ecce etiam dicitur mors de perſona, quia illius ſunt anima & corpus; eo quod ipſa eſt, quæ terminat ea. Itaque fratres, qui vult relinquere omnes hæreſes, & conformare ſe orthodoxè in fide Catholica; ſic debet conſiderare duas naturas vnitas, Dei & hominis, cum vult perfecte tribuere omnes proprietates, & actus perſonæ Verbi, tam ſublimia & alta, quæ habet natura Diuina: quam infima, & vilia, quæ habet natura humana; & ſic liberatur ab omni fictione. Si autem corpus & anima, quæ ſunt compoſita ad tempus, & per mortem iterum diſſoluitur illorum compoſitio; ſic terminat perſona omne quod habent, ſicut ſemper oſtendimus; quanto magis perſona Verbi, quæ neque per mortem amiſit ſuum? Animam relinquit corpus; at Verbum per vnionem ſubſtantialem non receſſit neque à corpore, neque ab anima. Quod enim aſſumpſit, non amiſit, nec amittet. Sic enim omnis poſſeſſio perfecta vtriuſque naturæ inuariabilis in ſuis proprietatibus; eſt propria perſonæ Verbi. Et ex his quæ diximus, patet, quod filius Chriſtus totus eſt Deus perfectus, & totus eſt homo perfectus ſine varietate naturarum.*

## CAP. VI.

### De duabus voluntatibus, & duabus operationibus in Chriſto.

XLI. O*Mnis qui fatetur vnum filium, eget reciprocatione proprietatum Dei & hominis: quia quemadmodum habet duas naturas perfectas; ſic duas operationes, duas voluntates, & duos intellectus; eo quod naturæ Deitatis, & humanitatis non mutatæ ſunt per vnionem ſubſtantialem. Sequitur etiam proprietates earum conſeruari in eis ſine mutatione. Propterea dicimus, in Verbo eſſe duas voluntates; Diuinam ſcilicet, quæ eſt communis aliis Perſonis Diuinis; & humanam, quam proprie habebat; eo quod ipſe ſolus, & non aliæ perſonæ, terminabat naturam humanam. Idipſum aperte oſtendit Dominus noſter, dicens Patri ſuo: Fac tranſire à me calicem iſtum. Et mox: At non mea, ſed tua voluntas ſit. His verbis aperte demonſtrauit ſe habere duas voluntates: quando enim dixit: Non ſit voluntas mea: non poterat loqui, niſi de humana tãtum voluntate, quam ipſe ſolus habebat. Quando autem, dixit: Sit voluntas tua: patet ipſum loquutum eſſe de Diuina, quæ actu erat in tribus Perſonis; eo quod non erat ad alium, neque oppoſita alteri perſonæ, oppoſitione originis: vt enim diximus ſuperius, omnia ſunt vnum in Diuinis, vbi non obſtat relationis oppoſitio. Et quemadmodum habet duas voluntates, ſic & duas operationes: quia ea, quæ habent vnam operationem, neceſſario & vnam naturam. Ex duabus naturis diſſimilibus non poteſt procedere vna operatio. At operationes, & voluntates Dei & hominis, non per ſe, & ex ſe ſingulæ in natura ſua diuiſibiliter, & ſeparabiliter operabantur; ſed ordine ad inuicem agebant ſua naturalia; ſicut naturæ ordinatæ erant ſine confuſione, & diuiſione; quia vnus erat, à quo fiebant. Sicut culter in igne comburit, & incidit; inciſio autem eſt ferri, & combuſtio ignis; & inciſio eſt aliud, & combuſtio aliud; & ab vno ambo fiunt proprie. Et ſic in filio admirationis Ieſu reperiuntur duæ operationes, ordinatæ ineffabili admiratione: cui, & Patri, & Spiritui S. gloria indiuiſibilis per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

*Completa eſt fides facta à Patre Adam Orientali, per gratiam Domini Presbytero, & Monachorum, ac Presbyterorum Domini Eliæ Babylonis Patriarchæ capite. Anno 1974. Regis Græcorum, Romæ. Diebus beatiſſimi Patris, & Petri noſtri temporis, Domini Papæ Pauli V. cuius oratio nobiſcum ſit. Amen.*

## SERMO

### CONTRA HÆRESES DISSENTIENTES à veritate Eccleſiæ Catholicæ Romæ.

*QVis autem, fratres, ex veris Chriſtianis, qui neſciat vere Ieſum Chriſtum, qui in carne venit, eſſe Deum Magnum, iuxta Paulum; & hunc eſſe Dominum omnium, ſecundum Petrum?* XLII. *Quam veritatem amplectitur Eccleſia Apoſtolica Romæ: ſed quia multæ hæreſes ab hæreticis prolatæ ſunt; neceſſe eſt vti argumentis, & quæſtionibus contra opiniones, & dogmata falſa. Horum vnus eſt Neſtorius, qui callide ſeducit opiniones ſimplices à veritate; docens per ſuam ſceleſtam doctrinam, Ieſum Chriſtum eſſe hominem ſimplicem. Et videretur etiam aſſerere duos filios ex tota doctrina ſua; vnum aſſumptum, alium aſſumentem; vnum latentem, alium patentem; vnum habitationem, alium habitatorem; & tanquam per ſocietatem, ipſam vnionem ſubſtantialem Diuinitatis & humanitatis includit: & ſimilia huiuſmodi aſſerit, quæ auris Catholica ferre non poteſt. Propterea ſic contra eum dicimus; Si enim vere eſt vnio ad duo, neceſſario duo ſunt: at vnus eſt ſolus Chriſtus; in vnione enim ſubſtantiali & vera inconfuſæ permanſerunt naturæ: ergo & proprietates naturarum. Nam etſi ex alio conſtitutus eſt Chriſtus, at non eſt alius, & alius. Omne compoſitum, ex partibus imperfectis componitur; ideo patitur mutationem accidẽtium. Non ita vnitas Chriſti: ex duabus enim naturis perfectis conſtituitur, vnitis ſubſtantialiter; propterea eſt ſupra omnes mutationes, & accidentia: natura enim Diuina incommutabilis eſt, vt ſcriptum eſt: Ego ſum Deus, & non mutor: & etiam natura humana ſimiliter ex ſe, & in ſe exiſteret, niſi à Perſona Diuina aſſumeretur tanquam magis hypoſtaſis terminaretur. Ad id quod eſt proprium Verbo, non eſt commune Trinitati, etiamſi tres Perſonæ myſterium Incarnationis ſint operatæ: ſed Verbum ſolum incarnatum eſt, & homo factum in vnitate perſonæ; non naturæ. Si vnus eſt filius, ergo & vna perſona; non enim poſſunt duo hypoſtaſes exiſtere ſimul in vno. Propter hoc teſtatum eſt Verbum de vnitate ſuæ perſonæ, quæ terminat duas naturas, dicens, Amen, Amen dico vobis, veniet hora, & nunc eſt, cum mortui audient vocem filii Dei; & ii qui audiunt, viuent. Et demonſtrans vnam hypoſtaſim indiuiſibilem terminantem duas naturas; iterum dixit, quod ſit ipſe filius hominis: Non admiremini, quod veniet hora, cum omnes qui ſunt in ſepulchris, audient vocem eius, & egredientur. Etiam dicit Neſtorius: Infans Domini, & Dominus infantis. At non ſic: Hic enim neceſſario ingreditur relatio ad aliquid, & diuidit in duo; ſed ſtatim caro, caro Domini; ſtatim anima, anima Domini; ſtatim infans, infans Dominus; & ſine prępoſitione Daleth, quæ eſt apud Chaldæos ſignum relatiui. Etiam dicit de Sacramentis viuificantibus,*

corpore & ſanguini hominis ſimplicis ſine Deo nutriri nos. Abſit: verum enim corpus Dei manducamus, ſed Dei incarnati; vere ſanguinem hominis bibimus, ſed hominis Dei; vere corpore, & ſanguine hominis reficimur; at hominis, qui ſuit in anima viuens & in ſpiritu viuificans; illius hominis, quem vocauit Daniel, vitam Dei, dicens: Quod inſpicietis vitam Dei ambulantem ſuper terrã, & non intelligetis quia in ſimilitudine hominis ambulabit ſuper terram; illius hominis qui dixit: Ego ſum panis, qui de cælo deſcẽdi; illius hominis, qui promiſit ſe aſcendere ad regionem, in qua erat prius; illius hominis, qui dixit: Nemo aſcendit ad cælum, niſi filius hominis, qui de cælo deſcendit. Non enim vnquam manducamus id ſine Deo; Abſit. Si filius vere eſt Sapientia Patris ſecundum Theologos; ergo ſcriptum eſt de Sapientia, quod ædificauit domum, hoc eſt, Eccleſiam; & conſtituit in ea ſeptem columnas, hoc eſt, ſeptem Sacramenta Dominica, quæ recipit Eccleſia Roma; de qua ſpecialiter dictum eſt hoc, quod ſit fundamentum verum, & Mater Eccleſiarum; & etiam mactauit ſuum ſacrificium, & commiſcuit vinum ſuum, & præparauit menſas ſuas, hoc eſt corpus, & ſanguinem Domini. Igitur hoc corpore, & ſanguine filii Sapientiæ Patris proculdubio nutrimur. Etiam diſtinguit nomina Dominica, quod Ieſus ſit humanitatis, & Dominus Diuinitatis, & Chriſtus Diuinitatis & humanitatis. Sed non ita: Si enim naturæ non poſſunt diuidere vnitatem Chriſti, quanto minus nomina, quæ ſunt extra naturas? Sed omnia nomina Dominica, cum naturis, & proprietatibus vna perſona Verbi terminat, vt dictum eſt. Scriptum eſt etiam in Iſaia: Ego viuo, ait Dominus, & mihi incuruabitur omne genu. Et Apoſtolus concludit: In nomine Ieſu omne genu flectatur. Ergo Deus eſt verus Ieſus, & non homo ſimplex. Audi quid dicat ad Patrem: Pater clarifica nomen tuum; & vox audita eſt de cælo: Clarificaui, & iterum clarificabo. Propterea iterum dixit: Quia Pater eſt, qui me clarificat. Et ſcriptum eſt: Gloriam meam alteri non dabo. Ergo non eſt alter à Deo, Ieſus Chriſtus: ſed ipſemet eſt Deus, qui operatur diuina & humana; quia eiuſdem ſunt ambo: eiuſdem eſt natiuitas ante tempora; & eiuſdem eſt natiuitas temporalis: idem filius Dei, & idem filius Mariæ: eſt vnum quid cum Patre, & vnum quid cum matre; ipſe qui iacet in præſepe, & eo plenum eſt cælum & terra: ipſe eſt infans, qui creſcebat ſtatura; & ipſe eſt ſenex dierum, quem vidit Daniel in reuelatione; ipſe eſt ſplendor à Patre, & reſplenduit etiam à domo Dauid, ſicut prophetauit Hieremias: ipſe in Caluario, & ipſe ſuper thronum gloriæ; in carne eius ſunt infixi claui, & lancea; & ſanguis ſtillabat ſuper mẽbra eius; & qui non comprehenditur, includitur in ſinu; ipſe, qui deſcendit ad inferiora terræ, & aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Patris ſui. Igitur fratres ne admiremini, neq; perturbemini, audientes hæc vocabula de vno filio; ſicut fecerunt multi deficientes à veritate, ponentes diuiſionem in vnitate indiuiſibili, quæ exiſtit in vna hypoſtaſi; variè vocabula confundentes quæ de illo prædicantur; & iuxta duas naturas non ſimiles, quas habet; quia hæ naturæ poſtulant proprietates neceſſario. Propterea aliquando diuine, aliquando humane operatur; aliquando diuina de homine, aliquando humana de Deo dicuntur in vna perſona Verbi. Idcirco omnis, qui ſollicite non amplectitur hoc dogma, numquam liberatur à ſeductione obſcura hæreſum. Igitur debemus fugere à vocibus blaſphemis, & audere fidem rectam Ieſu Chriſti, qui ſubſtantialiter erat perfectus & rectus; & non per accidens iuſtificatus eſt, & perfectus, iuxta opinionem hæreticorum. Abſurdum n. eſt, fratres, vt quis cogitet de illo, qui à Spiritu S. conceptus eſt; & Sp. S. impletus eſt dum eſt in ventre materno; egere ſacrificiis, vt pro ſe offerret, & ſic paulatim perficeretur, & dignus fieret dignitate Pontificia. Peccatum enim non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius; ſicut ipſe teſtatus eſt: Quis ex vobis poteſt me arguere de peccato? Ideo dictum eſt illi à Deo per Dauid: Tu es Sacerdos in æternum. Et Apoſtolus vocat eum, filium perfectum in æternum. Itaq; patet, nullum eſſe in creatis, cuius dignitas Pontificia in æternum duret; nec in rationalibus, qui habeat perfectionem totalem, nec in hoc ſæculo, nec in illo futuro; ſicut dixit quidam Theologus, quod perfectio huius noui ſæculi, quam docent Scripturæ, & Patres aſſerunt, non ſit in comparatione perfectionis completæ Dei; ſed in comparatione carentiæ, & defectus, & compoſitionis ſæculi huius in comparatione ad illud ſæculum ſpirituale. Si enim in ſæculo nouo ita perficiuntur ſancti, vt non ſit ſumere gratiam, nec dare gloriam, nec ſoluere, neq; præſtare gratiarum actionem, ob perfectionem illorum; deficit igitur ratio, vt ſint ſine neceſſitate complete: nulla eſt enim perfectio completa, ſed ſoli Naturæ Diuinæ, quæ dat perfecte, & non deficit. Ita Ieſus Chriſtus non eſt perfectus, eo quod accipit, vt ſancti, perfecte; ſed eo quod perfecte dat, vt Deus. Non enim ſurrexit inter natos mulierum maior filio Zachariæ; & clamat; Egeo à te baptizari; neq; vllus eſt perfectior Ioanne minori, qui in ſuo Bereſcith tetigit occulta ante ſæcula, & pateſecit abſcondita diuina; & teſtatur nos omnes accepiſſe à plenitudine eius. Ex hoc neceſſario ſequitur, vt Ieſus Chriſtus Dominus gloriæ, ſubſtantialiter, & proprie ſit perfectus in æternum. Bene igitur Theologus determinate vocat filium perfectum in æternum. Etiam dicit Neſtorius, tanquam in templo Diuinitatem in humanitate inhabitare accidentaliter, & non ſubſtantialiter; & Chriſtum eſſe hominem ſimplicem: idcirco non vocari Mariam virginem, ſanctam Dei Genitricem; ſicut nec matrem Moyſis appellari matrem Dei, eo quod vocatus eſt filius eius, Deus. Et hæc blaſphemia ſcelere eſt plena, eo quod Moyſes non eſt filius Dei, ſed filius Amſam; & ſequitur neceſſario eſſe illius, à quo natus eſt. Chriſtus enim eſt filius Dei, propterea Deus eſt. An ne audiſtis, Legem per Moyſem datam eſſe; veritatem autem & gratiam per Ieſum Chriſtum exiſtere? Moyſes enim metaphorice nominatus eſt Deus Pharaonis vnius perſonæ. Chriſtus autem non nuncupatus eſt, ſed eſt Deus ſuper omnia. Deus magnus, inquit Paulus. Et alibi, eſſe multos Deos, multoſq; Dominos: ſed nobis eſt vnus Deus Pater, per quem omnia, & nos per ipſum; & vnus eſt Dominus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Igitur falſa eſt hæc opinio, exiſtimare Chriſtum eſſe hominem Deiferum, aut non perfectum Deitate, ſed in parte pluſquam alii ſancti. Quidam Theologus ſic dixit, Diuinitatem Chriſti non eſſe partem, neq; totum. At Apoſtolus indicauit, quod filius Dei Ieſus Chriſtus non erat, eſt, & non; ſed, eſt, erat in ipſo: propterea non eſt Deus in Chriſto dubitanter; ſed Deus in natura eſt Chriſtus, eo quod habitauerit in eo plenitudo Diuinitatis corporaliter. Hoc eſt non ſolum ſpiritualiter habitauit Deus in Chriſto per gratiam, ſicut in aliis ſanctis; ſed etiam corporaliter in illius corpore, quod erat ſubſtantialiter vnitum Perſonæ Diuinæ. Et ſic dicas: Apoſtolus dixit, plenitudinem Diuinitatis; & non ſpecialiter, Deum Verbum: & hoc ſequitur tres Perſonas; propterea impoſſibile eſt. Parce mihi; audi filium dilectum, quid dicat: Pater meus, qui in me habitat, ipſe facit hæc opera. Modo certum eſt, nullum accidens, aut mutationem eſſe in natura Diuinæ: ſed eſt, ſicut erit; & erit, ſicut eſt. Igitur eſſentialiter habitat in ipſo Pater; & ex hoc neceſſe eſt, vt Spiritus ſanctus ex eo procedat, tanquam ex Patre: & ipſe habet ſubſtantialiter corpus naturæ ſuæ humanæ; & ſic in ipſo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Et ſi forte non ſufficit tibi hoc; audi, dicam aliud clarius. Apoſtolus enim ſollicitudine magna in epiſtola ad Coloſſenſes, agens de plenitudine Diuinitatis & humanitatis Chriſti, quomodo exſtant in vna hypoſtaſi indiuiſibili, & indiſtincta; propterea ſic primo dicit: Ille, qui eſt ſimilitudo Dei inuiſibilis, &c. quæ de ſua Diuinitate oſtendunt. Et mox de ſua humanitate dicit, quod ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, & primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens; & in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Modo vero in ipſo capite corporis Eccleſiæ inhabitat omnis plenitudo cum donis, quæ ſunt in ea, ſiue quæ ſunt in cælo, ſiue in terra: at non ſine Diuinitate ſua, ſed cum Diuinitate ſua; eo quod prius affirmauerit ipſum eſſe imaginem Dei inuiſibilis, & inde mox in ipſo inhabitare omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter: hoc eſt, non ſine humanitate, ſed cum ſua humanitate; nec ſpiritualiter tantum, ſed etiam corporaliter. Ibi enim corpus corporatum ſecum tulit imaginem Dei inuiſibilis, ad communicationem plenitudinis eius. Hic enim inuiſibilis communicauit corpori in ſua plenitudine; & volens Apoſtolus congregare duas plenitudines in vna hypoſtaſi, iterum præcepit Coloſſenſibus: Expoliate hominem veterem cum omnibus ſuis actibus; & induimini nouum hominem, qui renouatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius, qui creauit illum; vbi non eſt Gentilis, & Iudæus; nec circumciſio, & præputium; nec barbarus, & Scytha; ſeruus, & liber; ſed omnia, & in omnibus Chriſtus. Hic enim terminatur, quod ſcriptum eſt: Deus omnia, & in omnibus: & tota hæc plenitudo, & perfectio completa eius, qui omne in omnibus perficit.





## Deprecatio Auctoris.

XLIII. Accenſus eſt calamus, & charta in igne tuo Ieſu, intellectus intellectuum rationabilium; & defatigatus eſt, & quieuit ſubtilis intellectus ab inueſtigando myſteria ineffabilia. Inflammati ſunt oculi, & debilitati digiti; & permanſerunt ab effigurando tuas ſimilitudines; cum non ſit præter te aliquid, per quod comprehendaris. Propterea concitatum eſt cor meum ſupra calamum, & volo effringere eum, qui me decepit, & gratis me defatigauit in frequentia ſcripturarum atramentalium; & non perduxit me ad portum terminorum tuorum interminatorum. Sed tu omnipotens educ me tuo reti, à profundo ignorantiæ ad portum gratiarum tuarum; & ſim tua pars. Amen.

## Oppoſitio contra dogmata Theodorica.

XLIV. Theodorus dixit: Stultitiam dicere, poſt reſurrectionem, ſufflantem Dominum noſtrum in ſuos diſcipulos, dediſſe eis Spirit. S. aliter fruſtra diceretur eis: Manete in ciuitatem Ieruſalem, donec induamini virtutem ab alto. Nos enim dicimus, illam eſſe magnã ſtultitiam, vt quis ponat terminum, & tempus, & limites Perſonis Diuinis ſimplicibus. Ecce enim filius à Spiritu S. conceptus eſt in ſuo baptiſmo, deſcendit ſuper eum Spiritus S. ſicut corpus columbæ; & certum eſt, quod non accepit de nouo Spiritum S. quaſi non haberet. Propterea credimus, & fatemur, vere Apoſtolos accepiſſe Spiritum S. à Do. noſtro Ieſu Chriſto ante paſſionem, & poſt reſurrectionem ſuam ante Aſcenſionem; & poſt per donum dignitatum. Ante paſſionem enim, cum ordinauit eos miniſtros & miſit eos binos binos; & dedit eis poteſtatem ſuper ſpiritus immundos expellendos. Et hoc aperte demonſtrauit Dominus, cum eos miſit, aſſerens eis: Non enim vos eſtis, qui loquimini; ſed Spiritus Patris veſtri loquetur in vobis: non enim dixit, loquetur pro vobis; ſed, in vobis. Et ſic poſt reſurrectionem ſuam inſufflauit in eos; & acceperunt Spiritum S. & virtutem dimittendi peccata. Etiam ante Aſcenſionem extendit manus ſuas ſuper eos, & benedixit eis; id eſt, & conſolabatur eos promiſſione Paracliti, dicens: Ego orabo Patrem meum, & alium paraclytum dabit vobis: quod interpretatum eſt, Spiritus S. vt conſolaretur illorum triſtitiã. Et volens magis conformare eos, dixit: Eſt in vobis, & habitat apud vos. Non enim dixit: apud vos habitat tantummodo; ſed. & in vobis eſt; oſtendens per hoc, quod ſit vnus, quem accepiſtis antea, & quẽ accipietis poſtea. At diuiſiones gratiarum diſtinctæ ſunt, ſed vnus eſt Spiritus; & ſic Apoſtoli per deſcẽſum Paracliti ſuſceperunt conſolationem, & ſpem rectam. Etiam affirmat, quando dixit Thomas: Dominus meus, & Deus meus, Chriſto; non dixiſſe ei, ac ſi ipſe eſſet Dominus eius & Deus eius; ſed clarificaſſe Deum propter opus mirabile, quod vidit in ſua reſurrectione. At reſpondit aperte Thomas & dixit: Dominus meus & Deus meus: per hanc dictionem ei clare oſtẽdit, tantum Chriſto dixiſſe: Dominus meus, & Deus meus. Niſi n. adeſſet hæc dictio, forte aliquis dubitare de hoc poſſet. Etiam de eo, quod dixit Simon in Actibus Apoſtolorum: pænitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine Domini Ieſu; dixit hoc nomen non eſſe Dei, ſed hominis Ieſu; & quia ab eo inuentus eſt baptiſmus, nuncupatur ſuo nomine; & habet diſtinctum ſenſum ab eo, quod præcepit Dominus baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spir. S. At neq; hæc opinio vera eſt: nomen enim pertinet ad communitatem, & non impedit Perſonas Diuinas, præter perſonam genitoris, & geniti, & proceſſionẽ actiuam, & productionem. Propterea dum aliquis dicit: In nomine Patris; commemorat tres Perſonas Diuinas; In nomine Filii, aut in nomine Spiritus ſancti, tres Perſonas inuocat. Non n. præcepit Dominus baptizari in nominibus Patris, Filii, & Spiritus S. pluraliter; ſed in nomine Patris, &c. ſingulariter; quia vnus eſt Deus, ſicut dixit Filius: Pater clarifica nomen tuum. & etiam dicit: Eſt Pater, qui me clarificat. Ecce n. vnum nomen prædicatur de ambobus, quia non eſt oppoſitio relationis. Etiam dixit: Paraclytum Spir. S. mittet Pater in nomine meo; & ſi in nomine filii, etiam Spirit. S. mittitur à Patre. Ergo nullo modo diſtinguitur ſenſus illius ſermonis Simonis, qui præcepit in nomine Domini Chriſti; ab eo quod præcepit Dominus noſter, baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spir. S. Illud enim, quod præcepit Simon baptizari in nomine Domini Ieſu; hoc eſt, vt obtemperent præcepto Domini Ieſu, & baptizentur baptiſmo, quem docuit; quia neq; ignorabat Simon id quod præcepit Dominus baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Etiam negat prophetias factas eſſe de Chriſto. O homo quid reſpondes Iacob? qui prophetauit de Chriſto naſcituro de ſemine Iudæ, qui aperte dicit: Non peribit ſceptrum è Iuda, & dux à pedibus eius, donec veniat, cuius eſt venire; & ipſum expectabunt gentes. Et Daniel affirmat de hoc, dicens ad ſuos: Veniet, & ſui non cognoſcent eum. & dixit: Non poſſum explicare de illo, quid ſit; ſed in ſpiritu ſecretum de illo dicam. Etiam Philippus inueniens Nathanael, ſic ei dixit: Quem ſcripſit Moyſes in lege, & in Prophetis, inuenimus, Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. Et clarius Ieſus docuit Lucam, & Cleopham; incipiens à Moyſe & Prophetis, interpretari illis de ſeipſo. Breui mihi iam tempus enarrare de ſingulis Prophetis, quomodo de illo prophetauerunt, & quomodo completa ſunt de ipſo verba eorum: non enim dico, quia prophetauerunt de ipſo, venit; ſed quia, venturus erat, prophetauerunt. Etiam dicit, quod Deus Verbum non ſubſtãtialiter ex virgine natus eſt; ſed aſſociatus eſt cum eo, qui eſt ex ſubſtantia virginis: propterea omnino non decet vocare Matrem Dei, ſed Chriſti tantum. Et exponens verbum Domini dicentis: Pater qui in me habitat, facit opera hæc; hoc confirmat ab homine Ieſu dictum eſſe ad Patrem Deum. Hoc eſt: Ego ex natura mea humana non poſſum quicquam facere; ſed habitat in me filius vnigenitus; & vere Pater in ipſo eſt: propterea ipſe facit hæc opera. Non ſic: Si n. homo templum eſt tantum Diuinitatis, iuxta ſermonem tuum; quare non dixit: Ille qui in me habitat, hæc opera facit? Sed: Pater meus, qui in me habitat, aperte dixit. Hic oſtendit de vna hypoſtaſi, quæ terminat ambas naturas vnius filii: & quemadmodum Deus, Pater huius vnius filii eſt; ſic eſt etiam Maria, mater huius vnius filii. Et ſi, vt dixiſti, homo eſt habitatio Diuinitatis, & habitat in ipſo Pater, ſicut & habitat in ipſo filius; ergo fruſtra diceretur: Verbum caro factum eſt; quod abſurdum eſt. Etiam dicis: Humanitas eſt tanquam forma, quæ complet ſimilitudinem illius, quod non eſt præſens. Bene dicis: illius quod non eſt præſens: ore proprio iudicaris; quia humanitas Chriſti non eſt forma illius, quod non eſt præſens; ſed illius, qui eſt præſens; propterea homo eſt imago plena ab Idæa, quæ eſt Deus, & ſic Idæa complectitur imaginẽ; & ambæ fuſæ ſunt in vna formula, quæ eſt perſona Verbi; & in vna ſphæra ſplendeſcit gloria ambarum; & ſic vna adoratione adorantur ſimul, non tanquam forma vacua à ſua Idæa; & formatur ab alio, quod non eſt ſuum. Ecce n. dictum eſt à Domino Deo. Venite, faciamus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtrã, quæ eſt apud Adam antiquum formatum exemplar illius, & apud Adam nouum opere completum eſt. Itaq; omnis imago, quæ habet ſimilitudinem perfectam ſuæ Idææ, non ſit imago ſimplex, ſed ipſamet Idæa, ſicut Philoſophi aſſerunt. Etiam Theodorus de Chriſto dicit, quod Spiritus S. ducebat eum ad decentia ſemper; & egebat ab illo habere virtutem, qua aduerſa vinceret, & purus, & iuſtus videretur. Non ſic: Si Verbum ſubſtantialiter vniuit naturam humanam ſuæ Perſonæ; ergo in ipſo eſt omnis operatio perfecta: quia ſingulæ ſingulæ Perſonæ Diuinæ ſunt ex ſe, & in ſe perfectæ, & non egent cooperatione alterius ad perficienda ſua opera; quia perſona remouet omnem imperfectionẽ ab eo quod terminat; & ſic ſubſiſtit in ſe, & ex ſe ſine neceſſitate; & ſi inueniatur in aliquo imperfectio, ibi non prædicatur perſona. Ecce n. homo componitur ex duabus rebus, hoc eſt, corpore & anima; & vnumquodq; illorum habet operationes diſtinctas: at non poteſt anima perficere ſuas operationes ſine corpore, nec corpus ſine anima; propterea non prædicatur perſona, nec de anima, nec de corpore: & dum copulantur ad inuicem, tunc terminantur ab vna perſona neceſſario; & ſic producunt ſuas actiones in actum, & exiſtunt vna perfectione & vna connexione compoſitæ. In Diuinis non ſic: ſed vnaquæq; Perſona eſt perfecte Deus, & natura perfecta, & vſia perfecta: propterea ſunt tres. & illa vnitas indiuiſibilis, quam habent ad inuicem, non eſt vt auxilium ſumant, & virtutem ad perficiendas ſuas operationes; ſed naturaliter ſunt vnitæ inter ſe ſine confuſione, quia vna eſt natura illarum, vna poteſtas, vna virtus, vna eſſentia, vna maieſtas, vna fortitudo: & non eſt vna maior altera, minor, neq; prior, neq; poſterior; propterea vnus Deus ſunt. Et ſic Spir. S. non adhærebat filio propter neceſſitatem ipſius filii, ſed propter vnitatem naturæ. Etiam interpretatur id, quod dixit Dominus cuſtodienti ſuum ſermonem: Ego & Pater meus veniemus, & manſionem apud eum faciemus, dixit: hoc non poteſt eſſe iuxta carnem, vt poſſit facere manſionem apud ſingulos ſanctos: propterea affirmabat hoc tantum conuenire filio

*Verbo. Nos n. dicimus, quod duæ naturæ vnitæ ſubſtantialiter nō diuidunt vnitatem vnius filii. Et etiam peruerſa videtur interpretatio huius rei. Si enim homo cauſa filii eſt filius, filius inquā non filii, ſed Patris: Ergo etiam filius Verbum cauſa hominis, eſt filius matris. Si enim illum, qui non eſt participans in generatione æterna, niſi cauſa vnionis hypoſtaticæ; vocas, & eſt filius Dei; quanto magis ille, qui eſt particeps vnionis hypoſtaticæ in generatione temporali, vocandus, & debet eſſe vere filius Mariæ? Et ſi dicas: non comprehenſus eſt Deus in ventre virginis: etiam hoc nos tecum confitemur. At non eſt comprehenſus, quia non habet limites; non quod pars aliqua eius vnita ſit homini ſicut tu fateris; ſed perfecte in tota ſua incomprehenſibilitate humanatus eſt. Et ſic homo tam tota ſua Incarnatione Deificatus eſt. Propterea credimus vere, quod faciat manſionem cum ſuo Patre apud vnumquemq; ſanctorum; quemadmodum, & cum corpus eius ſit in cœlo, in Eccleſiis impertitur in Sacramento Altaris; & ſinguli ſumptores ſumunt totum corpus perfectum, & non particulam; & ipſe eſt, qui eſt in cœlo & in terra. An ne ego hæc aſſero? Vnigenitus Deus, qui eſt in ſinu Patris ſui, explicauit myſterium ſuæ Incarnationis, dicens: Nemo aſcendit in cœlum, niſi filius hominis, qui de cœlo deſcendit. Igitur quomodo deſcendit de cœlo, qui in ventre eſformatus eſt? Et etiam dixit: videbitis filium hominis aſcendentē in regionem, in qua erat prius. In qua regione erat prius. (quatenus filius hominis) niſi in vulua virginali: At propter vnionem ſuam hypoſtaticam cum Perſona Verbi, prædicantur de illo diuina. Et ſi homo ille, ſecundum te, eſt ſimplex homo; expone nobis, quæ ſunt iſta mirabilia, quæ de ipſo dicuntur. Sed hic multi intellectus phantaſmata paſſi ſunt, & aberrauerunt à vero, volentes figurare Deum ſimilitudinibus, & non potuerunt. Propterea beabo eum, qui illuminatus eſt in eius ſapientia, & comprehendit ſcientiam illam ſublimiorem omnibus ſcientiis, quæ eſt nutrix puerorum in Chriſto, in quo ſunt abſconditi theſauri ſapientiæ & ſcientiæ. Ieſus collectus, & ſimplex in parte, & in toto fac me dignum tuis miſericordiis æternis; per quas hoc omne adeſſe adduxiſti. O lumen ſplendidum & perfectum, à cuius ſpiſſitudine radiorum tuorum, & ſplendorum tui candoris radiantis, qui non patiantur includi ſub velamine in nube obſcura; te figurauit balbutiens filius Amſam: detege velamen antiquum ignorantiæ ab intellectu Iſraclitarum tuorum, ne declinent à ſemitis tuæ fidei tuæ veræ. Amen.*

Complectus eſt Sermo Patris Adæ Orientalis.

Cæterum, vt Pontificium decretum Patriarchæ ſcriptum, omnino abſolutum Lector habeat, voluimus adſcribere ea quorum Paulus V. in literis ſuis meminit.

I.

XLV. CATALOGVS BLASPHEMIARVM Neſtorii, vt in Concilio coram Patribus recitatæ fuerunt. Ex ſecunda parte ſanctæ vniuerſalis Synodi Epheſinæ, actione prima. Et epiſtola Synodi Alexandrinæ ad Neſtorium.

*Petrus Presbyter Alexandriæ, & Notariorum Primicerius dixit: Habemus etiam præ manibus reuerendiſſimi Neſtorii blaſphemiarum commentarios; è quorum vno capita ſelegimus: quæ, ſi ſanctæ huic Synodo placet, prælegemus.*

*Flauianus Philippenſium Epiſcopus dixit: Legantur, & in acta referantur. Similiter cæteri Epiſcopi dixerunt: Omnes eadem dicimus.*

Ex libro Neſtorii, quaternione 17. in dogmate. Lecta autem hæc ſunt hunc in modum: *Cum igitur diuina ſcriptura de Chriſti ortu ex Maria virgine, aut de eiuſdem morte aliquid dictura eſt, nuſquam Dei, ſed ſemper Chriſti, aut filii, aut Domini nomē ponere deprehenditur; quandoquidē tria hæc duarum naturarum notionem complectuntur: & modo quidem hanc modo vero illam, nonnunquam autem vtramq; ſimul inſinuant. Exempli cauſa: Cum ſcriptura generationem Chriſti ex virgine nobis exponit, non dicit: Miſit Deus Verbum Deum; ſed ait: Miſit Deus filium ſuum. Illud n. nomen accipit, quod vtriuſq; naturæ ſignificatiuum eſt. Quia n. filius ſimul Deus & homo eſt; ideo dicit: Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere. Vt cum audieris illud: factum ex muliere; deinde videris nomen, quod vtrāq; naturam denotat, & præmittitur; natiuitatem, quæ ex S. Virgine eſt, filii quidem voces; (ſiquidem & Chriſtipara virgo filium Dei genuit) attamen quia filius Dei duplicis naturæ exiſtit, non Dei filium, ſed humanitatem genuiſſe cogites; quæ propter filium adiunctum, filius quoq; dicitur.*

Ex eodem, quaternione 21. *Quid contingat, aduerte hæretice. Non inuideo Chriſtiparæ virgini vocem. Agnoſco n. illam venerandam eſſe, quæ Deum ſuſcepit, per quam vniuerſorum Dominus proceſſit, per quam Sol iuſtitiæ emicuit. At rurſum plauſum ſuſpectum habeo: quomodo intellexiſtis illud, proceſſit? Non idem ego interpretor illud, proceſſit, & genitus eſt. Neq; n. tam cito noſtri obliuiſcimur: ſiquidem Deum ex Chriſtipara virgine proceſſiſſe, id per diuinam ſcripturam edoctus ſum: quod autem Deus ex ipſa natus ſit, id nuſquam ſcriptum comperi.*

Et poſt alia: *Diuina proinde ſcriptura, Deum ex Chriſtipara virgine genitum eſſe nuſquam affirmat; ſed Ieſum Chriſtum, ſed filium, ſed Dominum. Atq; hæc fatemur omnes. Neq; enim miſer eſſe non poteſt, qui, quæ diuina ſcriptura prodit, non ſtatim recipit. Angelorum vox eſt: Surge, & accipe puerum, & matrem eius. Atqui certum eſt, Archangelos natiuitatis myſterium te longe exactius cognouiſſe. Neq; tamen dicunt: Surge & accipe Deum, & matrem eius; ſed, Surge, & accipe puerum, & matrem eius.*

Eiuſdem, ex quaternione 24. *Quod ergo dicebamus, eiuſmodi eſt: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod n. in ea natum, vel factum eſt, (nihil enim obeſt ſenſui, vtrum dixeris) de Spiritu S. eſt; neq; etiam obeſt ſi dixerimus, quod Deus Verbum natus ſit in carne. Aliud enim eſt ſimul eſſe cum nato; & aliud, naſci. Dicit itaq; Quod n. in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt: hoc eſt, Spiritus S. quod in ea eſt condidit. Animaduerterunt ergo Patres, vt diuinarum ſcripturarum peritiſſimi, ſi pro eo quod incarnatum dicimus, genitum diceremus; neceſſario conſecuturum, Deum Verbum, vel filium eſſe Spiritus S. vel duos habere patres: ſi vero factum aſſereremus, hinc rurſum inferri, Deum Verbum Spiritus S. creaturam eſſe. Quare generationis vocem fugientes poſuerunt: Qui deſcendit propter nos homines, & propter noſtram ſalutem; & incarnatus eſt. At quid eſt; inquis, hoc: Et incarnatus eſt? Non conuerſus ex diuinitate in carnem. Quod a. dixerunt: Et incarnatus eſt de Spiritu S. in hoc Euangeliſtam ſecuti ſunt. Euangeliſta n. inhumanationis myſterium explicans, fugit generationis vocabulum Verbo tribuere, & incarnationis vocem poſuit. Vbi? Audi: Et Verbum caro factum eſt. Non dixit, Verbum per carnem natum eſt; nam vbicunq; Apoſtoli, aut Euangeliſtæ filii meminerunt, ſemper ponunt, quod ex muliere natus ſit. Attende, obſecro, quid dicam. Vbicunq;, inquam, filii nomē recolunt, ſemper ibi natiuitatis vocabulum vſurpant, vel quod ex muliere ortus ſit affirmant. At vero vbi in Verbi mentionem inciderunt, ibi nullus eorum, quod per humanam naturam natum ſit, aſſerere audet. Audi quid B. Ioannes Euangeliſta, cum in Verbum, illiuſq; humanationem incidiſſet dicat: Et Verbum, inquit, caro factum eſt, (hoc eſt carnē ſumpſit.) & habitauit in nobis, (hoc eſt noſtrā naturam induit,) & habitauit in nobis; & vidimus gloriam eius, (nempe filii.) Non dixit autem: vidimus natiuitatem Verbi.*

Eiuſdem, ex quaternione 15. in dogmate: *Sic & ſecundum carnem Chriſtum, quod Dei Verbo coniunctus ſit, Deum nominamus, in hominis ſimilitudinem apparuiſſe non ignari. Paulum vtrumq; prædicantem audi: Ex Iudæis, inquit, eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt Deus ſuper omnia. Primo hominem eſſe fatetur; mox ob eam, quam cum Deo ſortitus eſt ſocietatem, hominem illum, Deum, appellat; ne quis videlicet Chriſtianos hominem colere ſuſpicetur.*

Eiuſdem, ex quaternione 27. *Verum, vt rerum omnium opificem, Deum, appellamus; & rurſum Moyſen, Deum, Ait enim: Conſtitui te Deum Pharaonis, & Iſrael filium Dei. Nam filius, inquit, meus primogenitus Iſrael eſt: & ſicut Saul appellatur Chriſtus: Non enim, inquit, iniiciam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt. Et de Cyro ſimiliter dictum eſt: Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, & Babylonios ſanctos: Ego enim, ait, præcipiam eis; ſanctificati enim ſunt; & ego ducam eos. Ita quoq; Chriſtum Dominum, & Deum, & filium, & ſanctum, & Chriſtum appellamus. Verumtamen hæc nominum communicatio ſimilis ſit; dignitas tamen non eadem exiſtit.*

Item eiuſdē, ex quaternione 15. *Hoc ſapite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cum in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſam,*

ipſam,



*ipſum formam ſerui accipiens. Nō dixit: hoc ſapite in vobis, quod & in Deo Verbo, quod cum in forma Dei eſſet, ſeruilem formam accepit: ſed voce Chriſti, tanquam vtriuſq; naturæ notionem complectente, accepta; ſine periculo illum, & ſerui formam ſumpſiſſe aſſeuerat, & Deum nominat; dictorum vim in naturam dualitatem inoffenſe partiens.*

Item eiuſdem, ex quaternione 16. *Vt in nomine, inquit, Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, & terreſtrium; & infernorū, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus eſt Ieſus Chriſtus. Propter induentem indutum veneror: propter latentem adoro apparentem. Inſeparabilis à viſibili Deus: atque ideo eius qui non ſeparatur, honorem non ſeparo: naturas ſeparo, ſed adorationem coniungo.*

Item eiuſdem, ex quaternione 17. *Erat quidē Deus Verbum ante incarnationem, & Filius, & Deus, & Patri coexiſtens: at vero in vltimis temporibus ſerui quoq; formam aſſumpſit. Cæterum cum ante filius eſſet, & filius appellaretur; poſt carnem tamen aſſumptam ſeorſum per ſe filii nomine appellari non debet, ne duos filios videamur inducere. Sed quoniam illi vnitus eſt, qui in principio filius erat, & ipſi coniunctus eſt; quod quidem ad filiationis dignitatem attinet, non quod ad naturas; propterea etiam diuiſionem nequaquam recipit: ſecundum dignitatem dico filiationis, non ſecundum naturas. Vnde & Deus Verbum nominatur Chriſtus, quoniam perpetuam cum Chriſto vnionem habet.*

Item eiuſdem, ex quaternione 15. in dogmate. *Inconfuſam igitur naturarum coniunctionem retineamus: Deum in homine confiteamur: hominem colamus, ob coniunctionem cū omnipotenti Deo ſimul adorandum.*

Item, eiuſdem, ex quaternione 6. *Perpende quod his ſtatim ſubiungitur: vt miſericors, inquit, fieret & fidelis Pontifex in his, quæ ſunt ad Deum. In quo enim paſſus eſt ipſe tentatus, poteſt tentatis ſubuenire. Pontifex igitur, qui paſſus eſt, miſericors eſt: paſſibile autem extitit templum, nō Deus, qui viuificat illum, qui paſſus eſt.*

Item eiuſdem, ex quaternione 17. *Vt diſcatis, inquit, quam eximia extiterit illa diuinitatis, & carnis Dominicæ, quæ in infante cernebatur, coniunctio. Ipſe enim & infans erat, & infantis Dominus. Laudaſtis vocem; verum ne temere, ac ſine examinatione illi applaudatis. Dixi enim, idem omnino & infans erat, & infantis inhabitator.*

Eiuſdem, ex quaternione 1. *Communes enim ſunt Trinitatis operationes; ſolaque hypoſtaſeon diſtinctione ſecernuntur. Quamobrem vnigeniti gloria aliquando adſcribitur Patri: ait enim: Eſt Pater meus, qui glorificat me. Interdum vero Spiritui: Spiritus enim, inquit, veritatis glorificabit me. Nonnunquam vero Chriſti potentiæ.*

Item eiuſdem, ex quaternione 16. vbi de Chriſto loquitur. *Hic eſt qui dicebat: Deus meus, Deus meus. quare me dereliquiſti? Hic eſt, qui triduo mortuus fuit: hunc autem tanquam diuinæ maieſtatis cooperatorem, vna cum diuinitate adoro.*

Et poſt alia: *Non per ſe, & ſecundum ſe Deus eſt, quod in vtero formatum eſt: non per ſe, & ſecundū ſe Deus eſt, quod Spir. S. opera effectum eſt: non per ſe, & ſecundum ſe Deus eſt, quod in monumēto conditum eſt. Sic enim hominū, mortuorumq; manifeſti cultores eſſemus. At v. quia Deus in hoīe aſſumpto exiſtit; aſſumptus, vt aſſumenti coniūctus, propter aſſumentē, Deus, appellatur.*

Item eiuſdem, ex quaternione 3. contra hereticos, vbi de Spiritu loquitur. *Quomodo is, inquit, ſeruus eſſe queat, qui vna cum Patre, & filio operatur? Quod ſi quis Spir. functiones quærat, eas nulla ſui parte Patris, & filii inferiores eſſe comperiet. Non quod vna diuinitas in plures partes diuiſa ſit: ſed diuina ſcriptura ad oſtendendam Trinitatis æqualitatem, ea ſingulis hypoſtaſib. nonnunquam impertiri ſoleat, quæ vnius alioqui ſunt potentiæ. Hoc ver[...]eſſe, ex iis operibus ſpectare licet, quæ in tempore ſunt ſuſcepta. [...] Verbum factum eſt caro, & habitauit in nobis. Humanam porro naturam aſſumptam Pater ſibi conſedere fecit. Ait enim, dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Spiritus deniq; veniens, aſſumpti gloriam promouit, & inuulgauit. Cum venerit, inquit, Spiritus veritatis, ille me glorificabit.*

Item eiuſdem, ex quaternione 6. vbi de Chriſto agit. *Miſſus eſt enim captiuis prædicare remiſſionem, & cæcis reſtitutionem viſus: & vt Apoſtolus ſubiungit, & ait, Hic eſt ille, qui fidelis Pontifex à Deo factus eſt. Factus enim is eſt, qui ab æterno nō præexiſtebat. Hic, hæretice, ille ipſe eſt, qui ad Pontificiam dignitatem paulatim euectus eſt. Audi vocem hoc tibi clarius intonantem: In diebus illis, inquit, carnis ſuæ preces, & ſupplicationes ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, & exauditus eſt pro ſua reuerentia. Et quidem cum eſſet filius, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiā; & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Conſummatur autem, hæretice, id quod paulatim proficit. Qua de re & Ioannes in Euangeliis clamat: Ieſus, inquit, proficiebat ætate, ſapientia, & gratia. Quibus Paulus conſona pronuncians, ait: Cōſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ; appellatus à Deo Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech. Et infra: Pontifex appellatus. Quid igitur contra mentem Pauli, impaſſibile Deum Verbum interpretaris, terrenæ ſimilitudini ipſum commiſcens, & paſſibilem Pontificem faciens?*

Item eiuſdem, ex quaternione 16. *Vnde fratres vocationis ſupercœleſtis participes, conſiderate Apoſtolum, & Pontificem cōfeſſionis noſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei, qui fecit illum.* Et infra: *Cum igitur vnus hic nobis Pontifex ſit, compatiens nobis cognatus, & ſtabilis; nolite à fide, quæ in ipſum eſt, recedere. Ipſe enim promiſſæ nobis benedictionis ex ſemine Abrahæ miſſus eſt; tanquā pro ſe, & cognato ſibi genere ſacrificium offerens. Sed aduerte: Cū omnem Pontificē ſacrificio egere fateatur; Chriſtumq; veluti qui illius non indiguerit, excipiat; hic tamen tam pro ſe, quam pro cognato ſibi genere ſacrificium obtuliſſe affirmat.*

Item eiuſdem, ex quaternione 4. *Audite itaque, & his quæ dicuntur, animum aduertite. Qui manducat, inquit, meam carnem. Memineritis, de carne ſermonem hic eſſe, & carnis vocabulum à me adiectum non eſſe, ne illis forſan perperam interpretari videar. Qui, inquit, manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem. Non dixit: Qui manducat meam diuinitatem, aut qui bibit meam diuinitatem; ſed: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.*

Et poſt alia: *Verum ad id, quod propoſitum eſt, reuertamur: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Mementote quod de carne hic verba fiant. Sicut miſit me viuens Pater: me, inquam, quem cernitis. Sed forte aliquando perperam interpretor. Audiamus ex ſequentibus: Sicut miſit me viuens Pater. Ille diuinitatem exponit: ego vero humanitatem. Iam videamus quis perperam interpretur illud: Sicut miſit me viuens Pater. Hæreticus etiam dicit: Diuinitatem hic exprimit. Senſus eſt n. Miſit me Deum Verbū. Secundū illos, Chriſti verba hanc ſententiam habent: Sicut miſit me viuens Pater, & ego Deus Verbū viuo propter Patrem. Deinde quod mox ſequitur, quomodo accipiendum eſt: Qui manducat me, & ipſe viuet? Quid quæſo manducamus, diuinitatem ne, an humanitatem?*

Item eiuſdem, ex quaternione 16. *Et omnino ait, ſi totum nouum teſtamentum ſimul accurate ſcrutatus fueris, nuſquā in eo mortem Deo adſcriptam comperies: ſed vel Chriſto, aut Domino, aut filio. Hæ autem voces, Chriſtus, & Filius, & Dominus, quum vnigenito in ſcripturis tribuuntur, naturarum duarum indices exiſtunt, & aliquando quidem diuinitatem, nonnunquā vero humanitatem; interdum autem vtramq; ſimul exprimunt. Exempli cauſa, quando Apoſtolus Paulus per epiſtolam ita prædicat: Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortē filii eius, filii humanitatē clare indicat. At vero cum idē rurſus ad Hebræos ſcribens, ait. Deus nobis locutus eſt in filio, per quem fecit & ſæcula diuinitatem filii indicat. Neque enim caro ſæcula condidit, vt quæ multa poſt ſæcula formata ſit.* Et infra: *Neq; deitas Iacob. fratrem habuit, neque Dei Verbi mortem annunciamus, dum corpore, & ſanguine Dominico reficimur.*

Item eiuſdem, ex quaternione 23. *Animaduerto, inquit, plebem noſtram multum religionis, & maximum pietatis feruorem habere: verum propter dogmatum notitiæ diuinæ ignorationem grauiter errare, ac labi. Hec tamen ipſi populo vitio vertendum non eſt; ſed doctoribus (quod qua modeſtia dixerim?) tribuendum, quibus otium non ſuppetit, vt vobis aliquid de exactioribus dogmatibus proponant.*

*Petrus Presbyter Alexandr. & notariorum primicerius dixit: En hic aperte affirmat, neminem ex doctoribus, qui ante illum extiterunt, ea populis locutum, quæ ipſe locutus eſt.*

*Flauianus Philippenſium Epiſc. dixit: quandoquidem horrendæ, ac blaſphemiæ ſunt Neſtorii dictæ, neq; aures noſtræ hiſce amplius inquinari ferunt; blaſphemæ illius voces, ad perpetuam auctoris accuſationem, & notam; ſingillatim actis inſerantur.*

## II.
## EPISTOLA S. CYRILLI ET Alexandrinæ Synodi.

*Religioſiſſimo, ac Deo amabiliſſimo Conſacerdoti Neſtorio, Cyrillus, & congregata in Alexandria Synodus ex Ægypti prouincia, ſalutem in Domino.*

XLVI. *Cum Saluator noſter aperte pronunciet: Qui diligit patrem, aut matrem ſuper me, non eſt me dignus; & qui diligit filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus: quid nos faciemus, qui depoſcimur à tua religione, vt te ſuper Chriſtum Saluatorem omniũ noſtrum diligamus? Quis enim nobis in die iudicii patrocinabitur aut quã defenſionẽ reperire poterimus propter tam diuturnũ ſilẽtium, de prolatis à te contra eum blaſphemiis? Et ſi quidem te tãtummodo læderes, docens iſta, vel ſentiens; ſollicitudo nobis minor exiſteret. Cum autem totam ſcandalizaueris Eccleſiam, & fermentum inſolitæ prauitatis, & nouæ hæreſis miſcueris in populis, nec tantum ibidem poſitis, ſed vbiq; conſiſtentibus; (nam tuarũ expoſitionum libri per cuncta vulgati ſunt) pro noſtro ſilentio, quæ ratio vltra, vel excuſationis ſermo ſufficiat? Aut quomodo non neceſſe ſit meminiſſe Chriſti Domini, ſic dicentis: Non putetis quod venerim pacem mittere in terrã; nõ veni pacem mittere, ſed gladiũ. Veni enim ſeparare hominẽ aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam? Nam cum læditur fides, parentum reuerentia velut inutilis, & noxia deſpiciatur: & amor erga filios, fratreſq; vitetur. Ad poſtremum etiam ſuper ipſam vitam mors potius à piis viris eligatur, vt meliorem reſurrectionem (ſicut ſcriptũ eſt) conſequantur. Ecce itaq; te ſimul cum S. Synodo, quæ apud magnam vrbem Romam congregata eſt, præſidente ſanctiſſimo, ac reuerendiſſimo fratre, & conſacerdote noſtro Cæleſtino Epiſco. his ſcriptis Synodicis, te etiam tertio conuenimus; conſilium dantes, vt à tam prauis abſtineas, diſtortiſq; dogmatibus, quæ & ſentire cognoſceris, & docere: recipias v. fidem rectam, Eccleſiis per S. Apoſtolos, & Euangeliſtas ab initio traditam; qui & oculis inſpexerunt, & miniſtri verbi fuerunt. Quod ſi hoc religio tua facere diſtulerit, iuxta dilationem præfinitam literis ſanctiſſimi, & reuerendiſſimi fratris, & conſacerdotis noſtri Romanæ Præſulis Eccleſiæ Cæleſtini; ſcias te nullam ſortem habere nobiſcum; nec locũ, aut colloquiũ cum Dei Sacerdotibus, & Epiſc. obtinere. Non enim fas eſt negligere Eccleſias ita turbatas, & ſcandalizatos populos, fidemq; rectiſſimam violatam, diſſipatumq; gregem; quem cuſtodire debueras, ſi iuxta nos amator recti dogmatis extitiſſes, ſanctorum Patrum veſtigia pia conſectans. Omnes itaque, quos propter fidem tua religio à communione remouit, aut ab ordine ſuo depoſuit laicos, & clericos; in noſtram communionem recipimus. Non n. iuſtum eſt eos tuis decretis opprimi, qui nouerunt recta ſentire; qui ẽt benefacientes, tibi prudentiſſime reſtiterunt. Hoc quidem namq; in epiſtola quam miſiſti ad Præſulem Magnæ Romæ S. & Coepiſc. noſtrum Cæleſt. ſignificare curaſti. Non autem ſufficiet tuæ religioni tantummodo fidei ſymbolum confiteri, quod expoſitum eſt per idẽ tempus, Sp. S. largiente, à venerando & magno Concilio apud Nicæam congregato. Hoc n. non intellexiſti, nec recte interpretatus es; quinimo peruerſe, licet ſano vocis eadẽ verba protuleris. Sed conſequẽs eſt, te ſcripto, ac iureiurando fateri, quod anathematizas quidem tua ſceleſta, & prophana dogmata; ſenties autẽ, & docebis, quæ nos vniuerſi per Orientem, ſeu per Occidentem Epiſc. & magiſtri, Præſuleſq; populorum credimus, & docemus: Epiſtolis autẽ ab Alexandrina Eccleſ. tuæ religioni directis; conſenſum præbuit, tam ea quæ apud vrbem Rom. conuenit S. Synodus, quã etiam nos oẽs, velut recte, irreprehenſibiliterq; conſcriptis. Subdimus autem his noſtris, quæ te ſentire oporteat & docere; & ea à quib. abſtinere conueniat. Hæc eſt enim fides Cathol. Eccleſ. cui cuncti conſentiunt Orthodoxi per Occidentẽ, Orientemq; Pontifices. Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium, & inuiſibilium factorem. Et in vnum Dn. Ieſum Chriſtum filium Dei; natum de Patre vnigenitũ, h. e. ex ſubſtantia Patris, Deum ex Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum, non factum homouſion Patris, h. e. vnius cum Patre ſubſtantiæ; per quem omnia facta ſunt in cælo, & in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis. Et incarnatus eſt, & homo factus paſſus eſt. Et reſurgens tertia die aſcendit in cælos, inde venturus iudicare viuos, & mortuos. Et in Spir. S. Eos autẽ qui dicunt: Erat tempus quando non erat, & antequam naſceretur non erat; & quia ex nullis exiſtentibus factus eſt: aut ex alia ſubſtantia, vel eſſentia eſſe dicunt, aut conuertibilem, vel cõmutabilem Dei filium; anathematizat Catholica, & Apoſtolica Eccleſia. Sequentes itaq; omnium ſanctorũ Patrum confeſſiones, quas loquente in eis S. Spiritu protulerunt; & intentioni, quæ eſt in eorũ intellectibus, æquis veſtigiis inhærẽtes, atq; iter ambulantes regium; profitemur quod ipſum vnigenitum Dei Verbum, natum ex ipſa Patris eſſentia, de Deo v. Deus verus, lumen de lumine; per quem omnia facta ſunt, ſiue in cælis, ſiue in terra; ſalutis noſtræ cauſa deſcendens ad exinanitionẽ ſeſe dignatus eſt inclinare; incarnatus, & homo factus, id eſt, carnẽ de virgine S. ſuſcipiens, eamq; propriã faciens; natiuitatẽ noſtram ex vulua ſuſtinuit, homo de muliere procedens; nec quod erat abiciẽs. Nam licet factus ſit in aſſumptione carnis, & ſanguinis; tamen ẽt ſic quod erat; Deus natura ſcil. & veritate perſtitit. Nec carnem itaq; dicimus in naturam Deitatis eſſe conuerſam; nec in ſubſtantiam carnis ineffabilem Dei Verbi eſſentiam commutatam. Imõ. uertibilis eſt n. & inalterabilis omnino; idemq; ipſe, iuxta Scripturas, iugiter permanens. Viſus eſt aũt & paruulus, poſituſque in cunabulis; & ſinib. Genitricis virginis conſtitutus, vniuerſã creaturam replebat vt Deus, genitori ſuo aſſidens: diuinum enim ſine quantitate, & ſine mole eſt, nec vllis terminis continetur. Vnitum eſſe carni Verbum ſecundum ſubſiſtentiam confitentes vnũ adoramus filium, & Dn. Ieſum Chriſtum; non ſeorſum ponentes neq; determinantes hominem, & Deum, velut inuicem ſibi dignitatis, & auctoritatis vnitate coniunctos: hoc n. nouitas vocis eſt, & nihil aliud. Nec item Chriſtum ſpecialiter nominantes Dei Verbum, quod ex Deo eſt; nec alterũ ſimiliter Chriſtum ſpecialiter, qui de muliere natus eſt: ſed vnum ſolummodo Chriſtũ, Dei Patris Verbum cũ propria carne cognoſcimus. Tũc n. ex humana cognitione nobiſcũ vnctus eſt; ẽt ſi ipſe ſit, qui dat dignis accipere, Spirit. S. & non ad menſuram; ſicut B. Ioan. Euang. aſſeruit. Sed nec illud dicimus, quod Dei Verbum velut in homine communi, qui de S. Virgine natus eſt; habitauerit: ne exiſtimetur Chriſtus homo Deifer. Quamuis n. habitauerit Verbum in nobis: & dictũ ſit, in Chriſto habitaſſe oẽm plenitudinem Deitatis corporaliter; attamen intelligimus, quod caro factus, nõ ſicut in ſanctis habitare dicatur; nec talem in ipſo habitationẽ factam diffinire tentauimus: ſed vnitus naturaliter nec in carnẽ commutatus, talem ſibi fecit habitationem, qualẽ & anima hominis habere creditur ad propriũ corpus. Vnus igitur eſt Chriſtus filius, & Dn. non velut coniunctione qualibet in vnitate dignitatis, & auctoritatis hominis habentis ad Deum. Non n. vnit naturas dignitatis æqualitas. Etenim Petr. & Ioan. æquales ſunt ad alterutrũ dignitatis, quatenus ſunt Apoſtoli & S. diſcipuli: verumtamen duo non ſunt vnus. Nec ſecundũ appoſitionem modum coniunctionis aduertimus: hoc n. ad vnitatem non ſufficit naturalem. Nec ſecundũ participationem relatiuam, ſicut nos ẽt adhærentes Domino, vnus cum eo ſpiritus ſumus; ſecũdum quod ſcriptũ eſt: imo potius coniunctionis nomen euitamus, tanquã non exiſtens idoneũ ad ſignificandam vnitatem. Sed neq; Deum, aut Dn. Chriſti, Verbũ Dei Patris nominamus, ne iterum manifeſte in duos diuidamus vnũ Chriſtum filium, & Dn. & in crimen blaſphemiæ recidamus; Deũ illi ſeipſum facientes, & Dn. Vnitus quippe (ſicuti ſuperius diximus) Deus Verbũ carni ſecundum hypoſtaſim; Deus quidem eſt omniũ, & dominator vniuerſitatis: verũtamen nec ſeruus eſt ſibi ipſe, nec dominus; quoniã ineptum eſt, vel potius impiũ, hoc ſic ſentire, vel dicere: Quamuis n. dicat Deum, ſuũ Patrem; cum ſit natura Deus, & de ſubſtãtia eius; tamen nullatenus ignoramus, quod manẽs Deus, homo quoq; factus ſit, qui ſub Deo, iuxta legẽ naturæ humanitatis cõuenientẽ, exiſteret: ipſe v. ſibi quomodo, vel Deus poterit eſſe, vel Dn. Ergo ſicut homo, quantũ decenter exinanitionis menſura cõgruit; ſub Deo ſe nobiſcũ eſſe dicit. Hac pacto ſub lege factus eſt; quãuis ipſe dederit legẽ, & legiſlator, vt Deus, exiſteret. Cauemus de Chriſto dicere: Propter aſſumentẽ veneror aſſumptũ; & propter inuiſibilẽ adoro viſibilem. Horrendum v. ſuper h. e. ẽt illud dicere, is, qui ſuſceptus eſt, cum eo, qui ſuſcipit, connuncupatur Deus. Qui n. hoc dicit, diuidit iterũ in duos Chriſtos eũ qui vnus eſt, hoĩem ſeorſum in parte, & Deum ſimiliter in parte conſtituens. Euidenter enim denegat vnitatem, ſecundum quam non alter in altero coadoratur, neque connuncupatur Deus; ſed vnus intelligitur Chriſtus Ieſus filius vnigenitus, vna adoratione cum propria carne venerandus. Confitemur etiam quod idem ipſe, qui ex Deo Patre natus eſt filius, & Deus vnigenitus, licet iuxta naturam propriam impaſſibilis extiterit, pro nobis tamen, ſecundũ ſcripturas, carne perpeſſus*





*ſit; & erat in crucifixo corpore; propriæ carnis impaſſibiliter ſibi appropians paſſiones. Gratia v. Dei pro omnibus guſtauit mortẽ tradens & proprium corpus; quamuis & naturaliter ipſe vita ſit, & reſurrectio mortuorum. Nam vt mortem ineffabili potentia proculcaret; ac primus in ſua carne primogenitus ex mortuis fieret, & primitiæ dormientium; viãq; faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recurſum; gratia Dei (ſicut ſupra dictum eſt) pro omnibus guſtauit mortem, & tertia die reſurrexit. & expoliauit infernum. Idcirco quamuis dicatur, quod per hõm facta ſit reſurrectio mortuorum, tamen intelligimus hominem, qui eſt Verbum ex Deo genitum; & per ipſum, mortis imperium fuiſſe deſtructum. Veniet aũt temporib. præfinitis (tanquã vnus filius, & Dominus) in gloria Patris, vt iudicet orbem terrarum in iuſtitia; vt ſcriptũ eſt. Neceſſario quoq; ad hoc adiiciemus: Annunciantes n. mortem ſecundum carnem Vnigeniti filii Dei, id eſt Ieſu Chriſti; & ex mortuis reſurrectionem eius; & in cælis aſcenſionem pariter confitentes; incruentum celebramus in Eccleſ. ſacrificium. Sic n. ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur, participes ſanctæ carnis, & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrum Redemptoris effecti; non vt communem carnem percipientes (quod abſit) nec vt viri ſanctificati, & Verbo coniuncti, ſecundum dignitatis vnitatem; aut ſicut diuinam poſſidentis habitationem: ſed vere viuificatricem & ipſius Verbi propriam factã. Vita n. naturaliter vt Deus exiſtens, quia vnus factus cum propria carne; viuificantem eam eſſe declarauit. Et ideo quamuis dicat ad nos: Amen, Amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filii hõis, & biberitis eius ſanguinem: non tamen eam, vt hominis vnius ex nobis exiſtimare debemus, (quomodo n. iuxta naturam ſuam viuificatrix eſſe caro poterit hominis?) ſed vt vere propriam eius factam, qui propter nos filius hominis eſt factus, & vocatus. Eas aũt voces quas Saluator noſter in Euangeliis protulit; nõ in duab. ſubſiſtentiis, aut perſonis partimur: non n. duplex eſt, vnus, & ſolus Chriſtus; quamuis ex duabus, & differentibus rebus ad vnitatem cognoſcitur indiuiduam conueniſſe. Sicut homo quoq; ex anima intelligitur eſſe, & corpore; non duplex, ſed vnus potius eſt ex vtroq;. Humanas ergo, & diuinas inſuper voces ab vno Chriſto dictas, animæ ſurrientes recte ſentimus. Cum n. loquitur de ſeipſo: Qui me videt, videt & Patrem; &, Ego & Pater vnũ ſumus; diuinã eius intelligimus ineffabilemq; naturam, ſecundũ quã vnum eſt cum Patre ſuo propter identitatem ſubſtantiæ; imago & character ſplendorq; gloriæ eius exiſtens. Cum v. humanæ naturæ conditionem minime aſpernans, Iudæos alloquitur: Nunc me quæritis occidere hominem qui veritatem loquutus ſum vobis, rurſum nihilominus eum, qui in ſimilitudine, & æqualitate Patris eſt; Deum Verbum, ẽt in conditionibus humanitatis eius, agnoſcimus. Etenim ſi neceſſarium eſt credere, quod natura Deus exiſtens, factus ſit caro; imo potius homo animatus anima rationali; quæ cauſa eſt, vt in eius quibuslibet vocib. aliquis erubeſcat, ſi eas homine dignas effatus eſt? Quod ſi ſermones homini congruentes abiicit; iuxta nos hoĩem fieri, quis coegit? Cum v. ſe propter nos ad exinanitionem ſpontaneam miſericorditer inclinauerit; quã ob cauſam dignos exinanitione ſermones effugerit? Vni igitur perſonæ cunctæ voces eius in Euangelio adſcribendæ; vni ſubſiſtentiæ Verbi (ſcil.) incarnati, quia vnus eſt Dn. Ieſus Chriſtus, ſecundum ſcripturas. Quamuis autem appelletur, & Apoſtolus, & Pontifex confeſſionis noſtræ, tanquam offerens Deo & Patri, ac etiam Spir. S. fidei confeſſione; ipſum rurſus eſſe dicimus ex Deo filium Vnigenitum; nec homini alteri ab eo, Sacerdotii nomen, & vſum tribuimus: factus eſt n. mediator Dei & hominum, & reconciliator ad pacem, ſemetipſum Deo, & Patri offerens in odorem ſuauitatis. Ideoq; dicebat: Sacrificium & oblationem noluiſti: corpus autem perfeciſti mihi. Holocauſta, & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem Deus, voluntatem tuam. Obtulit n. propriũ corpus non pro ſe, ſed pro nobis in odorem ſuauitatis. Nam quâ pro ſe vel oblatione, vel ſacrificio indigeret, omni peccato exiſtens liber vt Deus: Quod ſi oẽs peccauerunt, & egent gloria Dei, ſecundũ hoc quod ſumus ad mutabilitatis exceſſum proniores effecti; & peccatis ægrotauit humana natura; ipſe v. non ita: ideoq; & nos à gloria eius ſuperamur; cur erit vltra iam dubiũ, quod agnus verus ſit pro nobis immolatus? Qui aũt dicit, quia ſeipſum tã pro ſe, quã pro nobis obtulerit; nullatenus impietatis crimen effugiet: cum nihil prorſus iſte deliquerit, nec vllum fecerit omnino peccatum. Quâ igitur egeret oblatione, nullo ſuo exiſtente facinore pro quo (ſi eſſet) ſatis admodũ conuenienter offerret. De Spiritu quoq; cum dicit: Ille me clarificabit: hoc rectiſſime ſentientes, vnũ Chriſtum D. & filium, non velut alterius egentem gloria, confitemur, à Spir. S. gloriam conſecutum: quia eius Spiritus nec melior, nec ſuperior ipſo eſt; ſed quia magna opera faciens ad demonſtrationem ſuæ Deitatis, proprio Spiritu vtebatur: ſicut ſi quis forte noſtrum de exiſtente in ſe robore, vel ſcientia in quolibet, ipſa me clarificabit; diceret. Quamuis n. in propria ſit ſubſiſtentia Spiritus; & intelligatur per ſe iuxta id, quod Spiritus eſt, & non filius; attamen alienus non eſt. Nam Spiritus appellatus eſt veritatis, & veritas Chriſtus eſt; & ab iſto ſimiliter, ſicut ex Deo Patre, procedit. Deniq; hic ipſe Spiritus, etiam per ſanctorum manus Apoſtolorum miracula glorioſa perficiens, Dn. glorificauit Ieſum Chriſtum, poſtquam aſcendit in cælum. Nam creditus eſt Chriſtus, naturã Deus exiſtens; per ſuum Spiritum virtutes efficiens: ideoq; dicebat: de meo accipiet, & annunciabit vobis. Nequaquam v. participatione alterius idem Spir. ſapiens, aut potens dicitur; quia per omnia perfectus eſt. & nullo prorſus indigens bono. Nam paternæ virtutis, & ſapientiæ, id eſt filii Spiritus eſt: & ideo ipſa re virtus, & ſapientia eſt, & potentia. Igitur, quia Deum carne vnitũ iuxta ſubſiſtentiam S. Virgo corporaliter peperit; idcirco eam Dei genitricem eſſe profitemur; non quod Verbi naturæ exiſtendi principium de carne ſortita ſit; (erat n. in principio Verbum, & Deus erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & ipſe conditor ſæculorũ Patri coæternus, & vniuerſitatis creator) ſed vt ſuperius diximus; quoniam iuxta ſubſiſtentiam ſibimet vniens humanam naturã; natiuitatẽ ſuſtineret ex ipſa vulua corporea. Non quod eguerit neceſſario propter naturã ſuam, natiuitate, quæ eſt in extremis ſæculi facta temporibus; ſed vt ipſas benediceret ſubſtantiæ noſtræ primitias: & dum Deum carni vnitũ mulier edidiſſet; illa, quæ aduerſus omne genus humanum maledictio fuerat prolata, deſineret; nec iam morti noſtra corpora deſtinaret. Illud quoque, quod dictum eſt: In triſtitia paries filios, ipſe diſſoluens; verum eſſe monſtraret, quod Prophetæ voce prædixerat: Abſorpta eſt mors in victoria. Et iterum: Abſtulit Deus omnem lacrymam ab omni facie. Propter hanc in cauſam dicimus, eum diſpenſatorie & ipſis tunc benedixiſſe nuptiis; cum in Cana Galilææ cum S. vocatus fuit Apoſtolis. Hæc ſapere edocti ſumus, tam à S. Apoſtolis, quam Euangeliſtis, & ab omni Scriptura diuinitus inſpirata, nec non à B. Patrum confeſſionibus veritate ſubnixis. His omnibus etiam religionem tuam concordare, & præter aliquem dolum conſentire, conuenit. Quæ vero religionem tuam anathematizare neceſſe eſt, huic epiſtolæ noſtræ ſubiecta ſunt.*

*I. Si quis non cõfitetur, Deum eſſe veraciter Emanuel; & propterea Dei genitricem S. Virginem (peperit enim ſecundum carnem, carnem factum Dei Verbum, ſecundum quod ſcriptum eſt: Verbum caro factum eſt) anathema ſit.*

*II. Si quis non confitetur, carni ſecundum hypoſtaſim vnitum Dei Patris Verbum; vnumq; eſſe Chriſtum cum propria carne; eundem ſcil. Deum ſimul & hominem: anathema ſit.*

*III. Si quis in vno Chriſto diuidit ſubſiſtentias poſt vnitatem, ſola eas connexione coniungens, eaq;, quæ ſecundum carnis dignitatem ſit, vel etiam auctoritatem & poteſtatem; ac non potius conuentu, qui per vnitatem factus eſt naturalem: anathema ſit.*

*IV. Si quis in perſonis duabus, vel ſubſiſtentiis eas voces quæ in Euangelicis, Apoſtoliciſq; ſcriptis continentur, diuidit; vel quæ de Chriſto dicuntur à Sanctis, vel ab ipſo de ſeipſo; & aliquas quidem ex his, veluti homini, qui præter Dei Verbum ſpecialiter intelligatur adſcribit; alias vero, tanquam conuenientes Deo, ſoli Dei Patris Verbo: anathema ſit.*

*V. Si quis audeat dicer hoĩm Chriſtum Theophoron, id eſt Deiferum; ac non potius Deum eſſe veraciter, dixerit, tanquam filium per naturam; ſecundum, quod Verbum factum eſt caro, & communicauit ſimiliter & nos carni, & ſanguini: anathema ſit.*

*VI. Si qs dicere audeat, Deũ eſſe vel Dn. Chriſti Dei Patris Verbũ; & non magis eundem ipſum confitetur Deũ ſimul, & hoĩm; propterea quod Verbum caro factũ eſt, ſecundum Script. anath. ſit.*

*VII. Si quis dicit, velut hominem Ieſum operante Deo Verbo actum eſſe; & Vnigeniti gloriam, tanquam alteri præter ipſum exiſtenti, tribuit: anathema ſit.*

*VIII. Si qs auſus fuerit dicere, aſſumptũ hominem coadorandũ Deo Verbo, & conglorificandũ, & cõnuncupãdũ Deũ, tãquã alterũ in altero (nã con, ſyllaba ſuperadiecta, hæc cogit intelligi;) ac non potius vna adoratione veneratur Emanuelẽ; vnãq; ei glorificationem attribuit, iuxta quod Verbũ caro factũ eſt: anath. ſit.*

IX. Si quis vnum Dominum Ieſum Chriſtum glorificatum dicit à Spiritu ſancto, tanquam qui aliena virtute per eum vſus fuerit; & ab eo acceperit poſſe operari contra immundos ſpiritus; poſſe & coram hominibus diuina ſigna perficere; ac non potius proprium fatetur eius Spiritum, per quem diuina ſigna operatus eſt: anathema ſit.

X. Pontificem & Apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe Chriſtum diuina Scriptura dicit; obtuliſſeque ſemetipſum pro nobis in odorem ſuauitatis Deo & Patri. Si quis ergo Pontificem & Apoſtolum noſtrum dicit factum non ipſum Dei Verbum, quando caro factum eſt; & homo, (iuxta nos homines;) ſed velut alterum, præter ipſum ſpecialiter, hominem ex muliere: aut qui dicit, quod pro ſe obtuliſſet ſemetipſum oblationem, & non potius pro nobis ſolis. Non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino neſciuit: anathema ſit.

XI. Si quis non confitetur carnem Domini viuificatricem eſſe, & propriam ipſius Verbi Dei Patris; ſed velut alicuius alterius præter ipſum, coniuncti eidem per dignitatem; aut quaſi diuinam habentis habitationem; ac non potius viuificatricem eſſe, vt dicebamus; quia facta eſt propria Verbi, cuncta viuificare habentis poteſtatem: anathema ſit.

XII. Si quis non confitetur Dei Verbum paſſũ carne, & crucifixum carne, & mortem carne guſtaſſe; factumque primogenitum ex mortuis, ſecundum quod vita eſt; & viuificator vt Deus: anathema ſit.

### III.

### SENTENTIA SYNODI EPHEſinæ iuxta decretum Cœleſtini Pp. prolata.

XLVII. Sancta Synodus dixit: CVM præter cætera impiiſſimus Neſtorius, neque noſtræ citationi parere, neque ſanctiſſimos, religioſiſſimoſque Epiſcopos à nobis deſtinatos admittere voluerit, neceſſario deuenimus ad examinationem eorum, quæ impie docuit, deprehendentes itaque partim ex literis, commentariiſq; ipſius; partim ex ſermonibus, quos nuperrime in hac Epheſiorum Metropoli habuit, quique teſtimoniis comperti ſunt; illum impie ſentire, & prædicare; coacti per ſacros canones, & epiſtolam ſanctiſſimi Patris noſtri, & comminiſtri Cœleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi; lachrymis abunde perfuſi, ad lugubrem hanc contra eum ſententiã neceſſario venimus. Igitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetiuit; per S. hanc Synodum eundẽ Neſtorium Epiſcopali dignitate priuatum & ab vniuerſo Sacerdotum conſortio, & cœtu alienum eſſe decreuit.

### IV.

### SENTENTIA SANCTORVM PAtrum quintæ vniuerſalis ſanctæ Synodi: qua Theododorus Mopſueſtenus, eiuſque nefaria doctrina; itidemque impia Theodoreti ſcripta; & epiſtola Ibæ, modo relata, damnantur.

XLVIII. Diodorus Archidiaconus, & Primicerius reuerendiſſimorum Notariorum, dixit: Scit veſtra S. Synodus, quot ante aliquot dies in diuerſis conuentionibus acta ſunt quædam apud vos de Theodoro Mopſueſteno; & quæ impie conſcripſit Theodoretus; & impia epiſtola, quæ dicitur Ibæ, ad Marim Perſam conſcripta. Et quod in vltima Actione promiſit veſtra S. Synodus perfectam, & ſynodicam ſententiam imponere his, quæ examinantur. Quoniam igitur ad hoc ipſum conueniſtis; ſuggerimus ad quod placuerit. S. Synodus dixit: Ea quæ de propoſitis quæſtionibus apud nos acta ſunt, manifeſtentur. Et poſt lectionem, cum ſuſcepiſſet Calonymus reuerendiſſimus Diaconus, & notarius ſententiam; recitauit.

Magno Deo, & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto, ſecundum parabolam in Euangeliis dictam, pro vniuſcuiuſq; viribus talenta diſtribuente, & operam eorum opportuno tempore exigente: ſi is, qui creditum ſibi vnũ talentũ ſine diminutione ſeruauit, eo quod non operatus eſt, & amplificauit hoc quod ſibi creditũ eſt; condẽnatur: quanto maiori & horribiliori iudicio ſubiacet, qui non ſolum de ipſo neglexerit; ſed etiam aliis ſcandali, & perturbationis cauſam præbuit? cum ſit omnibus manifeſtũ, quod quando de fide ratio moueatur, non ſolũ impius condemnatur; ſed etiam ille, qui poteſt quidem prohibere impietatem, negligit vero aliorum correptionem. Et nos igitur, quibus regere Eccleſiam Domini creditum eſt; timentes maledictionem, quæ imminet his qui negligenter opera Domini faciunt, feſtinamus bonũ fidei ſemen, purũ conſeruare ab impietatis zizaniis, quæ ab inimico inſeminantur. Quoniã igitur videbamus, quod Neſtorii ſequaces conati ſunt per Theodorũ impiũ, qui Mopſueſtiæ fuit Epiſcopus; & impia eius conſcripta; & inſuper per ea, quæ impie Theodoret. conſcripſit; & per epiſtolam ſceleratam, quæ ab Iba dicitur ad Marim Perſam ſcriptam eſſe; ſuam impietatem Dei Eccleſiæ applicare: ideo ad eorum quæ mouebantur, correptionem ſurreximus: & pro Dei voluntate, & iuſſione piiſſimi Imp. vocati ad hanc Regiam vrbem; conuenimus. Et quia contigit, Virgilium religioſiſſimum, in hac Regia vrbe degentem: omnibus intereſſe, quæ his tribus capitulis annotata ſunt; & tam ſine ſcriptis, quã in ſcripturis, ea ſæpius condẽnaſſe; poſtea tamen & conſenſit in ſcriptis, in Concilio conuenire, & diſceptare vna nobiſcũ de his tribus capitulis, vt definitio communiter ab omnibus nobis præbeatur, fidei rectæ conueniens: Piiſſimus Imp. ſecundum quod inter nos placuit, tam ipſum, quam nos hortatus eſt communiter conuenire: eo quod Sacerdotes decet communibus quæſtionibus finem communem imponere. Vnde neceſſario petiuimus ipſius reuerentiam, ſcriptas ſuas promiſſiones adimplere; nec iuſtum eſſe amplius, ſcandalum pro tribus iſtis capitulis creſcere, & Dei Eccleſiam conturbare. Et pro his ad memoriam eius perduximus magna illa apoſtolorum exempla, & Patrum traditiones. Licet n. S. Spiritus gratia & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, vt nõ indigerent alieno conſilio, ad ea quæ agenda erant; non tamẽ aliter voluerunt de eo quod mouebatur, ſi oporteret gentes circũcidi: definire, priuſquam cõmuniter congregati, diuinarum ſcripturarum teſtimoniis vnuſquiſq; ſua dicta confirmauerunt. Vnde communiter de eo ſententiam protulerunt, ad gentes ſcribentes: Viſum eſt Spiritui S. & nobis, nihil aliud imponere vobis, præterquam neceſſaria: vt abſtineatis ab immolatis ſimulacrorũ, & ſanguine, & ſuffocato & fornicatione. Sed & S. Patres, qui per tempora in ſanctis quatuor Conciliis conuenerunt; antiquis exemplis vtentes, communiter de exortis hæreſibus, & quæſtionibus diſpoſuerunt: certo conſtituto, quod in cõmunibus diſceptationibus, cũ proponuntur, quæ ex vtraq; parte diſcutienda ſunt; veritatis lumẽ tenebras expellit mendacii. Nec enim põt in communibus de fide diſceptationibus aliter veritas manifeſtari: cum vnuſquiſq; proximi adiutorio indiget, ſicut in Prouerbiis dicit Salomon: Frater fratri adiutorium præſtans, exaltabitur ſicut Ciuitas munita: valet vero ſicut Regnum fundatum. Et iterum in Eccleſiaſte dicit: Optimi duo, quam vnus; quibus eſt merces bona in laboribus ipſorum. Sed etiam ipſe Dominus dicit: Amen dico vobis, ſi duo ex vobis conuenerint ſuper terram; de omni re quamcunq; petierint, cõtinget illis à Patre meo, qui in cœlis eſt. Vbicumq; enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum in medio ipſorum. Cum autem ſæpius & à nobis inuitatus; & inſuper glorioſiſſimis Iudicibus miſſis ad ipſum à piiſſimo Imperatore; promiſit per ſeipſum de iiſdem tribus capitulis ſententiam proferre. Huiuſmodi reſponſo audito, Apoſtoli nos admonitiones in corde habentes, quod vnuſquiſq; pro ſe rationem reddet Deo: timentes autem & iudicium imminens eis, qui vel vnum ex minimis ſcandalizant; quanto magis Imp. ita Chriſtianiſſimum, & populos, & Eccleſias totas: & quod dictũ à Deo ad Paulũ: Ne timeas, ſed loquere: & ne taceas, quoniam ego ſum tecum, & non poterit nocere tibi: congregati ante omnia, compendioſe confeſſi ſumus fidem illam tenere, quam Dn. noſter Ieſus Chriſtus verus Deus tradidit ſanctis ſuis Apoſtolis, & per eos S. Eccleſ. & qui poſt illos fuerunt S. Patres, & Doctores Eccleſiæ, creditis ſibi populis tradiderunt. Tenere autem, & ſeruare, & prædicare S. Eccleſiis confeſſi ſumus hanc fidei confeſſionem, quam latius expoſuerunt trecenti, decem, & octo ſancti Patres Nicææ congregati, qui ſanctum Mathema, ſiue Symbolum tradiderunt: inſuper autem, & centum quinquaginta in Conſtantinopoli collecti, expoſuerunt; qui eandem fidei confeſſionem ſecuti ſunt, & eam explanauerunt: & ducentorum ſanctorum Patrum prius Epheſi collectorum, pro eadem fide conſenſum: & quæ à ſexcentis triginta Chalcedone congregatis, definita ſunt pro vna, eademque fide; quam & ipſi ſecuti, prædicauerunt. Eos autem, qui pro tempore condemnati, vel anathematizati à Cathol. Eccleſia, & prædictis quatuor Conciliis ſunt; confeſſi ſumus condemnatos, & anathematizatos habere. Cumq; hæc ita confeſſi ſumus, initium fecimus examinationis trium capitulorũ, &





propoſuimus prius de Theodoro Mopſueſteno: & cum in medio prolata ſunt blaſphemiæ codicibus inſertæ, mirati ſumus in his Dei patentiam, quod non diuino igni ſtatim incenſa eſt lingua & mens, quæ hæc eructauit: & nunquam conceſſiſſemus procedere lectorem prædictarum blaſphemiarum: pro ſola memoria illarum, indignationem Dei timentes; (vtpote vnaquaque blaſphemia magnitudine impietatis, antecedentem ſuperante, & mentem auditoris funditus permouente) niſi eos, qui talibus blaſphemiis gloriantur, videremus indigere confuſione, per manifeſtationem earum eis inferenda: vt nos omnes zelo blaſphemiarum contra Deũ expoſitarum incenſi, & in medio lectionis, & poſt ipſam, inclamationes, & anathematiſmos contra Theodorum, vt viuentem & præſentem faceremus: Propitius ſis Domine, dicentes: nec dæmones auſi ſunt talia contra te loqui. O intolerabilem linguam illam? O prauitatem viri? O altam illam manum, quam extendit contra creatorem ſuum. Scripturas ſcire, miſer ille, pollicitus, non meminit Oſeæ Prophetæ, dicentis: Væ illis, quoniam exiluerunt à me: famoſi facti ſunt, quia impii fuerunt in me; iniqua locuti ſunt aduerſum me, & aduerſum me excogitãtes, locuti ſunt peſſima. Ideo cadent in frameam propter improbitatem linguæ ſuæ. Hic contemptus eorum in ſinu eorũ: quia tranſierunt teſtamentũ meum, & aduerſus legem meam impie egerunt. Iſtis Theodorus impius merito ſubiicitur. Prophetias enim, quæ de Chriſto ſunt, reiiciens; feſtinauit diſpenſationis pro noſtra ſalute magnum myſteriũ, quãtum ad ſe pertinet; reprobare. Fabulas tantummodo ad riſum propoſita gentibus, diuina eloquia multis modis conatus oſtendere: & contempſit tam alias propheticas pronunciationes contra impios factas: & quod dixit diuinus Habacuc de his, qui mendaciter docent: Væ qui adaquat proximum ſibi euerſione turbata, & inebriat eum; vt inſpiciat ſpeluncas eorum: id eſt tenebroſas, & omnino à luce alienas doctrinas eorum. Et quid oportet multa dicere? Liceat volentibus codices impii Theodori præ manibus accipere; vel quæ ex impiis codicibus eius, geſtis apud nos habitis, inſerta ſunt, impia capitula; & inuenire nimiam inſaniã, & nefanda illa, quæ dixit. Vlterius enim procedere, & iterũ memoria repetere nefanda illa veremur. Recitata nobis ſunt & quædam à S. Patribus contra illum, & omnes hæreticos ſuperantem eius inſaniam conſcripta: & inſuper hiſtoriæ, & leges Imperiales, illius impietatem ab initio diuulgantes. Et quoniam poſt hæc omnia, impietatis illius defenſores, iniuriis contra creatorem ſuum dictis glorianſes; dicebant non oportere eum poſt mortem anathematizare: licet cognoſceremus Eccleſiaſt. de impiis traditionem, quod & poſt mortem hæretici anathematizãtur; tamen neceſſarium putauimus, & de hoc perſcrutari. Et fertur in geſtis, quomodo diuerſi hæretici & poſt mortem anathematizati ſunt. Et per multa manifeſtum eſt apud nos, quod qui hæc dicunt, nullam curam Dei iudicatorum faciunt; nec Apoſtolicarum pronunciationum; nec paternarum traditionum. Libenter vtiq; interrogemus eos, qui dicant de Domino, dicente de ſeipſo: Qui crediderit in eum, non iudicatur: qui autem non crediderit in eum, iam iudicatus eſt, quia non crediderit in nomine vnigeniti filii Dei? Et Apoſtolo clamãte: Licet nos aut Angelus de cœlo euangelizauerit vobis, præterquam euangelizauimus vobis: anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterũ dico: Si quis vobis Euangelizauerit, præterquam quod accepiſtis: anathema ſit? Domino enim, quod iam iudicatus eſt, dicente; & etiam Apoſtolo, Angelos ſi docerent, præter quod euangelizati ſumus anathematizante: quomodo præſumunt dicere, qui omnia audent de viuis tantummodo hæc dicta eſſe? Aut ignorant, magis autem ſcientes ignorare confingunt, quod iudicium anathematis, nihil aliud eſt, niſi ſeparatio à Deo? Quod impius licet non verbo ab aliquo ſuſcepiſſet; tamen anathemare ipſa ſibi infert, per ſuam impietatem ſemetipſum à vera vita ſeparans. Quid autem dicunt & ad Apoſtolum iterum dicentem: Hæreticum hominem poſt vnã, & ſecundam correptionem euita; ſciens, quoniam peruerſus eſt huiuſmodi homo, & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus? Quibus conſonantia ſanctæ memoriæ Cyrillus in libris, quos contra Theodorum ſcripſit, ita dicit: Euitandi ſunt illi, qui tam peſſimis culpis detinentur, ſiue in viuis ſint, ſiue non. A nocente enim ſemper refugere neceſſarium eſt; & non ad perſonam magis reſpicere, ſed ad hoc quod Deo placet. Et iterum idem ſanctæ memoriæ Cyrillus ſcribens ad Ioannem Epiſcopum Antiochiæ, & congregatam ibi Synodum; de Theodoro, vtpote vna cum Neſtorio anathematizato, ita dicit: Erat igitur neceſſarium, claram propterea ducere feſtiuitatem, expulſa certe omni voce à quocumq; dicta, quæ conſonat Neſtorii blaſphemiis. Præceſſit enim aduerſus omnes, qui eadem ſapiunt, vel ſapuerunt aliquando, quod abſolute nos, & veſtra Sanctitas dixit: anathematizamus illos, qui dicũt filios duos, & duos Chriſtos. Vnus enim vt dictum eſt, prædicatur à nobis & vobis, Chriſtus, & filius, & Dominus vnigenitus vt homo, ſecundũ vocem ſapientiſſimi Pauli. Sed etiam in epiſtola ad Alexandrũ & Martinianum, & Ioannem, & Paregorium & Maximum presbyteros, & patres Monachorum, & eos qui cum ipſis erant, ſolitariam vitam exercentes; ita dicit: Iam quidem & ſancta Synodus Epheſi ſecundum Dei voluntatem congregata, contra Neſtorianam perfidiam iuſta, & ſubtili prolata ſententia; & aliorũ vaniloquia, qui vel poſtea futuri ſunt, vel iam fuerunt: eadem illi ſapientes, & dicere, vel ſcribere tale aliquid præſumentes; vna cum ipſo condemnauit; æqualem condemnationem ei imponens. Conſequens enim erat, vno ſemel pro ſuis tam profanis vaniloquiis condemnato, non contra vnum tantum venire; (ſed vt ita dicam) contra omnem eorum hæreſim, ſiue calumniam, quam fecerunt contra pia Eccleſiæ dogmata; duos colentes filios, & diuidentes indiuiduum, & anthropolatriæ crimen inferentes cœlo, & terræ. Adorat enim nobiſcum ſupernorum Spirituum ſancta multitudo vnum Dominum Ieſum Chriſtum. Sed etiam Auguſtini religioſæ memoriæ, qui inter Africanos Epiſcopos ſplenduit; diuerſæ epiſtolæ recitatæ ſunt; ſignificantes, quod oportet hæreticos & poſt mortem anathematizari. Talem autem Eccleſiaſticam traditionem & alii Africani reuerendiſſimi Epiſcopi ſeruauerunt. Sed & Romana ſancta Eccleſia quoſdam Epiſcopos & poſt mortem anathematizauit; licet pro fide in vita ſua non eſſent accuſati: & vtrumque apud nos habita geſta ſignificant. Sed quoniam euidentiſſime veritatem impugnantes, Theodori, & ipſius impietatis diſcipuli; quædam verba ſanctæ memoriæ Cyrilli, & Procli proferre conantur, quaſi pro Theodoro ſcripta; opportunum eſt propoſitis aptare verba Prophetæ dicentis: Quia rectæ ſunt viæ Domini, & iuſti ambulant in eis: impii autem infirmabuntur in eis. Nam & iſti male excipientes ea, quæ bene & opportune à ſanctis iſtis Patribus ſcripta ſunt; & excuſantes in peccatis; hæc verba proferunt. Apparent enim Patres non liberantes anathemate Theodorum, ſed diſpenſatiue talibus quibuſdam vtentes verbis, propter defenſores Neſtorii, & eius impietatis; vt ab eiuſmodi errore eos abſtrahentes, ad perfectum deducerent; & docerent non ſolum diſcipulum impietatis, Neſtorium addicere, ſed etiam doctorem eius Theodorum. Itaque & in ipſis diſpenſationis verbis ſuam Patres intentionem oſtendunt, de eo, quod oportet anathematizari Theodorum; ſicut per plurima in geſtis apud nos habitis demonſtratum eſt, ex his quæ ad condemnationem Theodori, & eius impietatis, Cyrillus, & Proclus ſanctæ memoriæ ſcripſerunt. Et talem diſpenſationem in diuina Scriptura eſt inuenire: ad hoc & Paulus Apoſtolus in principio prædicationis feciſſe oſtenditur, propter eos, qui ex Hebræis erant, Timotheum circumcidens: vt per hanc diſpenſationem, & condeſcenſionem, ad perfectum eos deduceret. Vnde poſtea interdicens circumciſionem, ad Galatas ita ſcripſit: Ecce ego Paulus dico vobis, quod ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt. Inuenimus autem & illud, quod ſolent hæretici facere, & à Theodori defenſoribus factum. Quædam enim ex his, quæ S. Patres ſcripſerunt, circumcidentes; quædam vero falſa ex ſemetipſis componentes, & confingentes; Cyrilli ſanctæ memoriæ epiſtola conabantur, quaſi ex teſtimonio Patrum, prædictum impium Theodorum anathemate liberare: in quibus & ipſis veritas demonſtrata eſt: his quidem, quæ circumciſa erant per ſequentiã anteriorum, & poſteriorum perlectis: mendacio autem falſitatis, per collationem eorũ, quæ vera erant; per omnia conuicto. In omnib. aũt iſtis, qui talia vana loquuntur, ſecundũ quod ſcriptũ eſt, confidunt falſis, & loquuntur vana, quia conipiunt dolorem, & pariunt iniquitatem, telam araneæ texentes. His ita de Theodoro, & eius impietate diſcuſſis pauca ex his, quæ impie à Theodoreto ſcripta ſunt contra rectam fidem, & duodecim Capitula ſancti Cyrilli, & contra Epheſinam primam Synodum; necnon quædam ad defenſionem Theodori, & Neſtorii impiorum, ab eo conſcripta; ad ſatisfactionem legentium, in geſtis apud nos confectis, recitari; & inſeri perſpeximus: vt ſciant omnes, quod iuſte iſti eiiciuntur, & anathematizantur. Tertio loco epiſtola, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam ſcripſiſſe, ad examinationem propoſita; neceſſarium eſſe perſpeximus & eam recitari. Statim igitur ex ipſa lectione, impietas ei inſerta omnibus manifeſtata eſt. Et oportet quidẽ, vſq; ad hoc quaſi facta, condemnationẽ, & anathe-

*matiſmum prædictorum trium capitulorum facere. Sed quia Theodori, & Neſtorii impiorum defenſores alio modo machinabantur confirmare eorum perſonas, & impietatem; & dicebant, iſtam impiam epiſtolam, quæ laudat, & defendit Theodorum, & Neſtorium, & eorum impietatem; ſuſceptam eſſe à ſancto Chalcedonenſi Concilio: neceſſarium eſſe putauimus per omnia oſtendere, liberam eſſe ſanctam Synodum ab impietate, quæ in epiſtola continetur: eo quod, qui talia dicunt, non fauore ſancti Concilii hoc faciunt; ſed vt per eius nomen, ſuam impietatem confirmarent. Et oſtendebatur in geſtis, quod anterioribus temporibus accuſatus eſt Ibas propter eandem impietatem, quæ & in epiſtola continetur: primo quidem apud Proclum ſanctæ memoriæ Epiſcopum Conſtantinopolitanum; poſtea vero apud Theodoſium piæ recordationis, & Flauianum, qui poſt Proclum Epiſcopus ordinatus eſt: qui & cauſæ examinationem delegauerunt Photio Epiſcopo Tyri, & Euſtathio Epiſcopo Berytiorum ciuitatis. Poſtea vero inculpatus idem Ibas, ab Epiſcopatu deiectus eſt. His itaque ſubſecutis, quomodo præſumunt aliqui dicere iſtam impiam epiſtolam ſuſceptam eſſe à ſancta Chalcedonenſi Synodo, eamque per omnia ſecutum eſſe S. Chalcedonenſe Concilium? Tamen ne quæcumque remaneret occaſio eis, qui tales calumnias applicant S. Chalcedonenſi Cōcilio; recitari perſpeximus ea, quæ apud S. Synodos, Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, pro epiſtolis ſanctæ memoriæ Cyrilli, & religioſæ memoriæ Papæ antiquioris Romæ Leonis mota ſunt. Et cum ex his accepiſſemus, quod non aliter oportet ſuſcipi, quæ ab aliquo ſcribuntur, niſi prius rectæ fidei ſanctorum Patrum conſonare demonſtrentur; inter locuti ſumus recitari & definitionem quæ de fide expoſita eſt à S. Chalcedonenſi Concilio; vt conferantur, quæ in epiſtola, & quæ in definitione continentur. Quo facto demonſtratum eſt, contraria per omnia epiſtolam eſſe his, quæ in definitione continentur. Nam definitio quidem conſonat his, quæ iudicata ſunt pro vna, eademque fide, tam à trecentis decem & octo S. Patribus, quam à centum quinquaginta; & his, qui prius Epheſi conuenerunt: impia autem epiſtola, illa continet, quæ Theodorus & Neſtorius hæretici blaſphemauerunt; & defendit eos, & doctores ſibi adſcribit; ſanctos autem Patres hæreticos vocat. Et illud autem omnibus facimus manifeſtum, quod nec partes interlocutionum vnius, vel ſecundi, quibus vtuntur Theodori & Neſtorii ſequaces, præterire ſuſtinuimus; ſed & iſtis, & aliis omnibus interlocutionibus in medio prolatis, & his quæ eis continentur, conſideratis; inuenimus, quod non aliter paſſi ſunt prædictum Ibam ſuſcipere, priuſquam exegiſſent eum, Neſtorium, & impia eius dogmata, quæ in epiſtola vindicantur, anathematizare. Et hoc fecerunt tam alii religioſi Epiſcopi prædicti ſancti Concilii, quam illi duo, quorum interlocutionibus quidam vti conantur. Hoc enim & in Theodoreto obſeruauerunt, & exegerunt eum, anathematizare ea, pro quibus accuſabatur. Si igitur Ibam non alio modo ſuſcipere ſuſtinuiſſent, niſi impietatem, quæ in epiſtola continetur, condemnaſſet; & ſubſcripſiſſet definitioni, quæ pro Fide à ſancto Concilio data eſt: quomodo conantur dicere, ſuſceptam eſſe eandem impiam epiſtolam ab eodem ſancto Concilio? Quæ enim, vt vere dicamus, participatio eſt iuſtitiæ, & iniquitatis? & quæ ſocietas eſt luci cum tenebris? quæ autem conuentio eſt Chriſti cum Belial? aut quæ pars eſt fideli cum infideli? quæ autem eſt commixtio templo Dei cum Idolis?*

*Repetitis igitur omnibus, quæ apud nos acta ſunt, iterum confitemur, quod ſuſcipimus ſanctas quatuor Synodos: id eſt Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, & Chalcedonenſem; & quæ pro vna, eademq; fide definierunt, prædicauimus, & prædicamus. Eos autem, qui hæc nō ſuſcipiunt, alienos Eccleſiæ Catholicæ iudicamus. Condemnamus autem, & anathematizamus, vna cum omnibus aliis hæreticis, qui condemnati, & anathematizati ſunt à prædictis ſanctis quatuor Conciliis, & à S. Catholica, & Apoſtolica Eccleſia; & Theodorum, qui Mopſueſtiæ Epiſcopus fuit; & impia eius conſcripta: & quæ impie Theodoretus conſcripſit contra rectam fidem, & contra duodecim capitula S. Cyrilli, & contra Epheſinam primam Synodum; & quæ ad Theodori defenſionem, & Neſtorii ab eo ſcripta ſunt. Super hæc anathematizamus & impiam epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam ſcripſiſſe: quæ denegat, Deum verbum, de S. Dei Genitrice, & ſemper virgine Maria incarnatum, hominem factum eſſe: & ſanctæ memoriæ Cyrillum, qui recte docuit, tāquam hæreticum, & ſimiliter Apollinario ſcribentem criminatur. Et inculpat quidem Epheſinam primam Synodum, tanquam ſine examinatione, & quæſtione Neſtorio ab eo depoſito; & duodecim S. Cyrilli capitula, impia, & contraria rectæ fidei vocat: defendit autem Theodorum, & Neſtorium; & impia eorum dogmata, & conſcripta. Prædicta igitur tria capitula anathematizamus: id eſt Theodorum impium Mopſueſtenum, cum nefandis eius conſcriptis: & quæ impie Theodoretus conſcripſit: & impiam epiſtolam, quæ dicitur Ibæ: & defenſores eorum: & qui ſcripſerunt, vel ſcribunt ad defenſionem eorum, vel recta ea dicere præſumunt; vel omnino impietatem eorum, nomine ſanctorum Patrum, aut S. Chalcedonenſis Concilii, defenderunt, aut defendere conantur. His ita cum omni ſubtilitate diſpoſitis, in memoria tenentes promiſſiones de S. Eccleſia factas; & qui dixit: Quod portæ inferi non præualebunt aduerſus eam; id eſt hæreticorum mortiferæ linguæ: recordantes autem, & quæ per Oſeam de ea prophetata ſunt, in quibus dicit: Et ſponſabo te mihi in fide, & cognoſces Dominum: hæreticorum quidem effrænatas linguas, & eorum impiiſſima conſcripta, & eoſdem ipſos impiiſſimos hæreticos, qui vſque ad mortem in ſua impietate permanſerunt; patri mendacii Diabolo connumerantes; illis dicimus: Ecce omnes vos ignem accendiſtis, & conualeſcere facitis flammam ignis: ambulabitis in lumine ignis veſtri, per flammam, quam accendiſtis.*

Hactenus ſententia ſanctorum Patrum de tribus capitulis: cui ſententiæ Canones quatuordecim adiunxerunt, quibus Orthodoxa doctrina fidei Catholicæ, de incomprehenſibilibus myſteriis ſanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Dei verbi, ſummatim, breuiterque, ac dilucide continentur; eoſque nos quoque hic ſubiicimus.

## V.

## CANONES QVATVORDECIM ſanctæ Vniuerſalis quintæ Synodi.

*Mandatum habentes, per doctrinam rectam exhortari populum, & loqui in cor Hieruſalem; id eſt Dei Eccleſiam; merito ſeminare quidem in iuſtitia feſtinamus, vindemiantes fructum vitæ, & illuminantes nobis ipſis lumen ſcientiæ ex diuinis ſcripturis, & Patrum doctrina: neceſſarium eſſe putauimus capitulis comprehendere, & prædicationem veritatis, & hæreticorum, nec non eorum impietatis condemnationem.* XLIX.

### CANON I.

*Si quis non confitetur, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti vnā naturam, ſiue ſubſtantiam; & vnam virtutem, & poteſtatem; Trinitatem conſubſtantialem, vnā Deitatem in tribus ſubſiſtentiis, ſiue perſonis adorādam: talis anathema ſit. Vnus enim Deus, & Pater, ex quo omnia; & vnus Dn. Ieſus Chriſtus, per quem omnia; & vnus Spiritus ſanctus in quo omnia.*

### CANON II.

*Si quis non confitetur, Dei verbi duas eſſe natiuitates; vnam quidem ante ſæcula ex Patre ſine tempore incorporaliter; alteram vero in vltimis diebus eiuſdem ipſius, qui de cælis deſcendit; & incarnatus de ſancta glorioſa Dei Genitrice, & ſemper Virgine Maria, natus eſt ex ipſa: talis anathema ſit.*

### CANON III.

*Si quis dicit, alium eſſe Deum verbum, qui miracula fecit; & alium Chriſtum, qui paſſus eſt; vel Deum verbum cum Chriſto eſſe naſcente de muliere; vel in ipſo eſſe, vt alterum in altero: & non vnum, eundemq; Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Dei verbum incarnatum, & hominem factum: & eiuſdem ipſius miracula, & paſſiones, quas voluntarie carne ſuſtinuit: talis anathema ſit.*

### CANON IV.

*Si quis dicit, ſecundum gratiam, vel ſecundum operationem, vel ſecundum dignitatem, vel ſecundum æqualitatem honoris, vel ſecundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem; vnitionem Dei verbi ad hominem factam eſſe, vel ſecundum bonam voluntatem, quaſi quod placuit Deo verbo homo, eo quod bene viſum eſt ei de ipſo; ſicut Theodorus inſaniens dicit: vel ſecundum homonymiam, per quam Neſtoriani Deum verbum, filiū & Chriſtum vocantes; & hominem ſeparatim, Chriſtum &*





*Filium nominantes; & duas perſonas euidenter dicentes, per ſolam nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationē; vnam perſonam, & vnum filium, & vnum Chriſtum conſingunt dicere: Sed non confitentur vnitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationabili, & intellectuali, ſecundum compoſitionem ſiue ſecundum ſubſiſtentiam factam eſſe; ſicut S. Patres docuerunt; & ideo vnam eius ſubſiſtentiam compoſitam, qui eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vnus de S. Trinitate: talis anathema ſit, cum enim multis modis vnitas intelligitur; qui impietatem Apollinarii, & Eutychetis ſequuntur, interemptionem eorum, quæ cōuenerunt, colentes; vnitionem ſecundum confuſionem dicunt. Theodori autem, & Neſtorii ſequaces, diuiſione gaudentes, affectualem vnitatem introducunt. S. Dei Eccleſia vtriuſq; perfidiæ impietatem reiiciens, vnitionem Dei Verbi ad carnem ſecundum compiſitionem confitetur; quod eſt ſecundum ſubſiſtentiam. Vnitio enim per compoſitionem in myſterio Chriſti, non ſolum inconfuſe ea, quæ conuenerunt, conſeruat; ſed nec diuiſionem ſuſcipit.*

### CANON V.

*Si quis vnam ſubſiſtentiam Domini noſtri Ieſu Chriſti ſic intelligit, tanquam ſuſcipientem plurimarum ſubſiſtentiarum ſignificationem; & per hoc introducere conatur in myſterio Chriſti duas ſubſiſtentias, ſeu duas perſonas; & duarum perſonarum, quas introducit, vnam perſonam dicit ſecundum dignitatem & honorem, & adorationem, ſicut Theodorus, & Neſtorius inſanientes conſcripſerunt; & calumniantur S. Chalcedonenſem Synodum, tanquam ſecundum iſtum impium intellectum, vnius ſubſiſtentiæ vtentem vocabulo: ſed non confitetur. Dei Verbum carni ſecundū ſubſiſtentiam, vnitum eſſe; & propter hoc vnam eius ſubſiſtentiam ſeu vnam perſonam: & ſic S. Chalcedonenſe Concilium vnam ſubſiſtentiam Domini noſtri Ieſu Chriſti confeſſum eſſe: thalis anathema ſit. Nec enim adiectionem perſonæ vel ſubſiſtentiæ ſuſcepit S. Trinitas, ex incarnato vno de S. Trinitate Deo Verbo.*

### CANON VI.

*Si quis abuſiue, & non vere Dei Genitricem dicit S. glorioſam ſemper Virginem Mariam: vel ſecundum relationem, quaſi homine puro nato, ſed non Deo Verbo incarnato, & nato ex ipſa: referenda autem, ſicut illi dicunt, hominis natiuitate ad Deum Verbum, eo quod cū homine erat naſcente: & calumniatur S. Chalcedonenſem Synodum, tanquam ſecundum iſtum impium intellectum, quem Theodorus execrandus adinuenit, Dei Genitricem Virginem dicentem: vel qui hominis genitricem vocat, aut Chriſtosocon, id eſt, Chriſti genitricem: tanquam ſi Chriſtus, Deus non eſſet: & non proprie, & vere Dei genitricem ipſam confitetur, eo quod ipſe, qui ante ſæcula ex Patre natus eſt Deus Verbum, in vltimis diebus ex ipſa incarnatus, & natus eſt: & ſic pie & S. Chalcedonenſem Synodum Dei genitricem eam eſſe confeſſam: talis anathema ſit.*

### CANON VII.

*Si quis in duabus naturis dicens, non vt in Deitate, & humanitate, vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cognoſci confitetur: vt per hoc ſignificet differentiam naturarum, in quibus inconfuſe ineffabilis vnitio facta eſt, neq; Deo Verbo in carnis naturam tranſmutato, neq; carne in Verbi naturam tranſducta (manet enim vtrumq; hoc, quod eſt natura, etiam facta vnitate ſecundum ſubſiſtentiam:) ſed pro diuiſione per partem, talem excipit vocem in myſterio Chriſti: vel numerum naturarum confitendo in eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto Deo Verbo incarnato, nō intellectu tantummodo differentiam excipit earum, ex quibus & compoſitus eſt: non interemptam propter vnitatem (vnus enim ex vtroque, & per vnum vtraque:) ſed in hoc, numero vtitur, vt ſeparatim vnaquæque natura ſuam habeat ſubſiſtentiam talis anathema ſit.*

### CANON VIII.

*Si quis ex dubus naturis Deitatis, & humanitatis confitens vnitatem factam eſſe: vel vnam naturam Dei verbi incarnatam dicens non ſic ea excipit, ſicut Patres docuerunt: Quod ex diuina natura, & humana, vnitione ſecundum ſubſiſtentiam facta: vnius Chriſtus effectus eſt: ſed ex talib. vocibus vnam naturam, ſiue ſubſtantiam Deitatis, & carnis Chriſti introducere conatur: talis anathema ſit. Secundum ſubſiſtentiam enim dicentes, vnigenitū Deum Verbum carni vnitum eſſe, non confuſionem aliquam naturarum in ſe inuicem factam eſſe dicimus: ſed magis permanente vtraque hoc, quod eſt, vnitum eſſe carni Deum Verbum intelligimus. Propter quod & vnus eſt Chriſtus, Deus & homo: idem ipſe conſubſtantialis Patri, ſecundum Deitatem: & conſubſtantialis nobis idem ipſe, ſecundum humanitatem. Æqualiter enim & eos, qui per partem diuidunt, vel incidunt; & eos, qui confundunt diuinæ diſpenſationis myſterium Chriſti: reiicit, & anathematizat Dei Eccleſia.*

### CANON IX.

*Si quis in duabus naturis adorari dicit Chriſtum; ex quo duas adorationes introducunt, ſeparatim Deo Verbo, & ſeparatim homini: vel ſi quis ad interemptionem, vel ad confuſionem Deitatis & humanitatis, vnam naturam, ſiue ſubſtantiam eorum, quæ cōuenerunt, introducens: ſic Chriſtum adorat; ſed non vna adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt: talis anathema ſit.*

### CANON X.

*Si quis non confitetur, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui crucifixus eſt carne; Deum eſſe verum, & Dominum gloriæ, & vnum de S. Trinitate: talis anathema ſit.*

### CANON XI.

*Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedoniū, Apollinarium, Neſtorium, Eutychem, Origenem cum impiis eorū conſcriptis; & alios omnes hæreticos, qui condemnati, & anathematizati ſunt à S. Catholica, & Apoſtolica, Eccleſia, & à prædictis ſanctis quatuor Conciliis; & eos qui ſimilia prædictis hæreticis ſapuerunt, vel ſapiunt, & vſque ad mortem in ſua impietate permanſerunt, vel permanent: talis anathema ſit.*

### CANON XII.

*Si quis defendit impium Theodorū Mopſueſtenum, qui dixit, alium eſſe Deum verbum, & alium Chriſtum à paſſionib. animæ, & deſideriis carnis moleſtias patientem, & à deterioribus paulatim recedentem; & ſic ex profectu operum melioratum, & à conuerſatione immaculatum factum; & tanquam purum hominem baptizatum eſſe in nomine Patris & Filii, & Spir. S. & per baptiſma, S. Spiritus gratiam accepiſſe, & filiationem meruiſſe; & ad ſimilitudinem Imperialis imaginis, in perſona Dei verbi adorari; & poſt reſurrectionem, immutabilem cogitationibus, & impeccabilem omnino factum fuiſſe. Et iterum dixit idem impius Theodorus, talem factam eſſe vnitionem Dei verbi ad Chriſtum, qualē dixit Apoſtolus de viro & muliere: Erunt duo in carne vna. Et ſuper alias innumerabiles blaſphemias auſus eſt dicere, quod poſt reſurrectionem cum inſufflaſſet Dominus diſcipulis, & dixiſſet: Accipite Spiritum S. non dedit eis Spiritum S. ſed figuratiue tantūmodo inſufflauit. Iſte enim, & confeſſionem, quam fecit Thomas, cum palpaſſet latus, & manus Domini poſt reſurrectionem, dicēs: Dominus meus, & Deus meus; inquit non eſſe dictam à Thoma de Chriſto. Nec enim dicit Theodorus, Deum eſſe Chriſtum; ſed ad miraculum reſurrectionis ſtupefactū Thomam, glorificaſſe Deum, qui Chriſtū reſuſcitauit. Et, quod peius eſt, etiam in interpretatione, quam in Actis Apoſtolorum ſcripſit Theodorus, ſimilem fecit Chriſtum Platoni, & Manichæo, & Epicuro, & Marcioni: dicens, quod ſicut illorū vnuſquiſq; ex dogmate quod inuenit, ſuos diſcipulos fecit vocari Platonicos, & Manichæos, & Epicuræos, & Marcioniſtas; ſimili modo, & cum Chriſtus dogma inueniſſet: & ipſos Chriſtianos vocari. Si quis igitur defendit prædictum impiū Theodorum, & impia eius conſcripta, in quibus tam prædictas, quam alias innumerabiles blaſphemias effudit contra magnum Deum, & Saluatorem Ieſum Chriſtum: & non anathematizat eum, & impia eius conſcripta; & omnes qui ſuſcipiunt, vel defendunt eum, & dicunt orthodoxe eum expoſuiſſe; & qui ſcripſerunt*

*pro eo, & eadem illi ſapuerunt, vel ſcribunt pro eo, vel impiis eius conſcriptis; & eos, qui ſimilia illis ſapiunt, vel aliquando ſapuerunt, & vſque ad mortem permanſerunt, vel permanent in tali impietate: talis anathema ſit.*

### CANON XIII.

*Si quis defendit impia* Theodoreti *conſcripta, quæ contra rectam Fidem, & contra primam Epheſinam S. Synodum, & S. Cyrillum, & duodecim eius capitula expoſuit; & omnia quæ conſcripſit pro* Theodoro, *&* Neſtorio *impiis, & pro aliis, qui eadem prædictis* Theodoro, *&* Neſtorio *ſapuerunt, defendens eos, & eorum impietatem: & propter hoc, impios, vocans Doctores Eccleſiæ, qui vnitatem, ſecundum ſubſiſtentiam, Dei Verbi ad carnem confitentur; & non anathematizat ea, & eos, qui ſimilia illis ſapuerũt, vel ſapiunt; inſuper autem, & omnes qui ſcripſerunt contra rectam Fidem, & ſanctum Cyrillum, & duodecim eius capitula; & & vſque ad mortem in tali impietate permanſerunt: talis anathema ſit.*

### CANON XIV.

*Si quis defendit epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam hæreticum ſcripſiſſe: quæ abnegat quidem Deum Verbum de ſancta Dei Genitrice ſemper Virgine Maria incarnatum, hominem factum eſſe; dicit autem purum hominem ex ipſa natum eſſe; quem templum vocat; vt alius ſit Deus Verbum, & alius homo: & S. Cyrillum, qui rectam Fidem Chriſtianorum prædicauit, tanquam hæreticum, & ſimiliter Apollinario impio ſcripſiſſe, criminatur: & inculpat primam Epheſinam S. Synodum, tanquam ſine examinatione, & quæſtione Neſtorium condemnantem: & duodecim capitula S. Cyrilli, impia, & contraria rectæ Fidei, vocat eadem impia epiſtola: & defendit Theodorum, & Neſtorium, & impia eorum dogmata, & conſcripta. Si quis igitur memoratam impiam epiſtolam defendit, & non anathematizat eam, & defenſores eius: & eos qui dicunt eam rectam eſſe, vel partem eius: & eos, qui ſcripſerunt, vel ſcribunt pro ea, vel pro impietate, quæ in ea continetur: & præſumunt eam defendere vel inſertam ei impietatem, nomine ſanctorum Patrum, vel S. Chalcedonenſis Concilii: & in his vſq; ad mortem permanent: talis anathema ſit.*

*Cum igitur hæc ita recte confeſſi ſumus, quæ tradita nobis ſunt tam à diuinis Scripturis, quam à ſanctorum Patrum doctrina, & ab his, quæ definita ſunt de vna, eademq; Fide à prædictis ſanctis quatuor Conciliis: facta autem à nobis & condemnatione cõtra hæreticos, & eorum impietatem: nec non etiam contra eos, qui defenderunt, vel defendunt prædicta impia tria capitula, & permanſerunt in ſuo errore, vel qui permanent: Si quis conatus fuerit contra hæc, quæ pie diſpoſuimus, vel tradere, vel docere, vel ſcribere: ſiquidem Epiſcopus, vel Clericus ſit: iſte tanquam aliena à ſacerdotibus, & ſtatu Eccleſiaſtico faciens, denudabitur ab Epiſcopatu, vel Clericatu: ſi autem monachus, vel laicus ſit, anathematizabitur.*

*Eutychius miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopoleos, nouæ Romæ, decreui quæ propoſita ſunt: & confitens ſic habere ſicut omnia ſupra Capitula & dogmata continent: & ſuſcipiens ſanctas quatuor Synodos, id eſt Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, & quæ ab his de vna eademque fide definita ſunt; & in omnibus his permanens, ſicut ſupra ſcriptum eſt: Condemno, & Anathematizo ſuper alios hæreticos, & impia eorum conſcripta, Theodorum impium, qui fuit Mopſueſtiæ Epiſcopus; vna cum impiis eius conſcriptis: & omnia, quæ impie Theodoretus conſcripſit, ſicut prædictum eſt: & impiam epiſtolam, quæ dicitur Ibæ: & qui ſimilia eis ſapuerunt, & ſapiunt: & ſubſcripſi.*

*Apollinarius miſericordia Dei Epiſcopus Alexandriæ, decreui quæ propoſita ſunt: & confitens ſic habere, ſicut omnia ſupra Capitula, & dogmata contineat; & ſuſcipiens ſanctas quatuor Synodos, &c.* vt ſupra in ſubſcriptione Eutychii Epiſcopi Conſtantinopolitani.

*Dominus miſericordia Dei Epiſcopus Theopolitanæ Ciuitatis* (id eſt Antiochiæ) *decreui, quæ propoſita ſunt &c.* vt ſupra. Eodemque pacto iiſdem verbis ſubſcripſerunt.

*Stephanus Epiſcopus Rapheotanæ Ciuitatis, vicem agens Euſtochii Patriarchæ Hieroſolymitani.* Ac ſubinde alii quoque Epiſcopi centum ſexaginta.

### VI.

### DEFINITIO ORTHODOXÆ FIDEI: Facta in Regia Vrbe, temporibus piiſſimi, atque tranquilliſſimi Domini noſtri Conſtantini Magni, Victoris Imperatoris. Deſcripta ex Actis ſextæ Vniuerſalis ſanctæ Synodi, actione XVII. L.

*Præſens ſancta vniuerſalis Synodus fideliter ſuſcipiens, & expanſis manibus amplectens tam ſuggeſtionem, quæ à ſanctiſſimo, ac beatiſſimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta eſt, ad Conſtantinum piiſſimum, atque fideliſſimum noſtrum Imperatorem; quæ nominatim abiecit eos, qui docuerunt, vel prædicauerunt (ſicut ſuperius dictum eſt) vnam voluntatem, & vnam operationem in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti veri Dei noſtri: adæque amplexa eſt & alteram ſynodalem ſuggeſtionem, quæ miſſa eſt à ſacro Concilio, quod eſt ſub eodem ſanctiſſimo Papa, centum vigintiquinque Deo amabilium Epiſcoporum, ad eius à Deo inſtructam tranquillitatem: vtpote conſonantem ſancto Chalcedonenſi Concilio, & tomo ſacerrimi, ac beatiſſimi Papæ eiuſdem antiquæ Romæ Leonis, qui directus eſt ad ſanctum Flauianum: quem columnam rectæ Fidei, huiuſmodi Synodus appellauit: adhæc, & Synodicis epiſtolis, quæ ſcriptæ ſunt à beato Cyrillo aduerſus impium Neſtorium, & ad Orientales Epiſcopos. Aſſecuti quoque ſancta quinque vniuerſalia Concilia, & ſanctos, atque probabiles Patres, conſonanterque confiteri definientes Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Dominum verum noſtrum, vnum de ſancta & conſubſtantiali, & vitæ originem præbente Trinitate: perfectum in Deitate, & perfectum eundem in humanitate: Deum vere, & hominem vere: eundem ex anima rationali, & corpore, conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem: & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem per omnia ſimilem nobis abſque peccato: ante ſæcula quidem ex Patre genitum, ſecundum Deitatem: in vltimis diebus autem eundem propter nos, & propter noſtram ſalutem de Spiritu ſancto & Maria Virgine proprie, & veraciter Dei Genitrice; ſecundum humanitatem. Vnum eundemque Chriſtum, Filium Dei vnigenitum, in duabus naturis inconfuſe, inconuertibiliter, inſeparabiliter, indiuiſe cognoſcendum: nuſquam extincta harum naturarum differentia propter vnitionem: ſaluataque magis proprietate vtriuſque naturæ & in vnam perſonam, & in vnam ſubſiſtentiam concurrentem. Non in duas perſonas partitum, vel diuiſum: ſed vnum, eundemque Filium Vnigenitum, Deum Verbum, Dominum Ieſum Chriſtum: iuxta quod olim Prophetæ de eo, & ipſe nos Dominus Ieſus Chriſtus erudiuit, & ſanctorum Patrum nobis tradidit ſymbolum: & duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indiuiſe, inconuertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſe, ſecundum ſanctorum Patrum doctrinam, adeque prædicamus: & duas naturales voluntates: non contrarias, (abſit:) iuxta quod impii aſſeruerunt hæretici: ſed ſequentem eius humanam voluntatem, & non reſiſtentem, vel reluctantem: ſed potius & ſubiectam diuinæ eius, atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moueri, ſubiici vero voluntati diuinæ, iuxta ſapientiſſimum Athanaſium. Sicut enim eius caro, caro Dei Verbi dicitur, & eſt, ita & naturalis carnis eius voluntas, propria Dei Verbi dicitur, & eſt: ſicut ipſe ait: Quia deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me, Patris: ſuam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis eius. Nam & caro propria eius facta eſt. Quemadmodum enim ſanctiſſima atque immaculata animata eius caro deificata, non eſt perempta: ſed in proprio ſui ſtatu, & ratione permanſit: ita & humana eius voluntas deificata, non eſt perempta: ſaluata eſt autem magis, ſecundum Deiloquum Gregorium, dicentem: Nam illius velle, quod in Saluatore intelligitur, non eſt contrarium Deo: deificatum eſt totum. Duas autem naturales operationes indiuiſe, inconuertibiliter, inconfuſe, inſeparabiliter in eodẽ Domino noſtro Ieſu Chriſto, vero Deo glorificamus: hoc eſt, diuinam operationem, & humanam operationem, ſecundum diuinum prædicatorem Leonem, aperte ſime aſſerentem: Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt: Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt: & carne exequente, quod carnis eſt. Nec enim in quoquam vnam dabimus naturalem operationem Dei, & creaturæ; vt neque quod creatum eſt, in diuinam educamus eſſentiã: neq; quod eximium eſt diuinæ naturæ, ad competentem creaturis locum deiiciamus. Vnius enim, eiuſdemque tam miracula, quam paſſiones cognoſcimus, ſecundum aliud, & aliud earum, ex quibus eſt, naturarũ & in quibus habet eſſe, ſicut admirabilis inquit Cyrillus. Vndique igitur inconfuſum, atq; indiuiſum conſeruantes, breui voce cuncta proferimus: vnum S. Trinitatis, & poſt Incarnationem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum noſtrum eſſe credentes: aſſerimus duas eius eſſe naturas, in vna eius radiantes ſubſiſtentia: in qua tam miracula, quãq; paſſiones, per omnem ſui diſpenſatiuam conuerſationem: non per phantaſiam, ſed veraciter demonſtrauit, ob naturalem differentiam in eadem vna ſubſiſtentia cognoſcendam: dum cum alterius communione, vtraq; natura indiuiſe, & inconfuſe propria velit, atque operetur: iuxta quam rationem, & duas naturales voluntates, & operationes confitemur, ad ſalutem humani generis conuenienter in eo concurrentes. His igitur cum omni vndiq; cautela, atq; diligentia à nobis formatis: Definimus aliam Fidem nulli licere proferre aut conſcribere, componereue, aut ſapere, vel etiam aliter docere. Qui vero præſumpſerit Fidem alteram componere, vel proferre, vel docere, vel tradere aliud ſymbolum volentibus conuerti ad agnitionem veritatis ex Gentilitate, vel Iudaiſmo, aut ex qualibet hæreſi: aut qui nouitatem vocis, vel ſermonis adinuentionem, ad ſubuerſionem eorum, quæ nunc à nobis determinata ſunt, introducere: horum ſiquidem Epiſcopi fuerint, aut Clerici: alienos eſſe, Epiſcopos quidem ab Epiſcopatu, Clericos vero à Clero: ſin autem Monachi fuerint, vel laici: anathematizari eos.*

Et ſubſcriptiones.

*Theodorus humilis Presbyter S. Romanæ Eccleſiæ, & locum gerens Agathonis ter beatiſſimi, & Vniuerſalis Papæ Vrbis Romæ, ſubſcripſi.*

*Georgius humilis Presbyter,* ſicut ſupra.

*Ioannes humilis Diaconus,* ſicut ſupra.

*Georgius miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopoleos nouæ Romæ, definiens ſubſcripſi.*

*Petrus miſericordia Dei Presbyter & locum ſeruans Apoſtolicæ Sedis Alexandrinæ magnæ Ciuitatis, ſubſcripſi.*

*Theophanes miſericordia Dei Epiſcopus Theopoleos* (id eſt Antiochiæ,) *definiens ſubſcripſi.*

*Georgius humilis Presbyter, & locum gerens Theodori Deo amabilis Presbyteri, & loci ſeruatoris Apoſtolicæ Sedis ſanctæ Chriſti Dei noſtri Hieroſolymorum Ciuitatis, ſubſcripſi.*

*Ioannes miſericordia Dei Epiſcopus Theſſalonicenſis, & Vicarius Apoſtolicæ Sedis Romæ, & Legatus, definiens ſubſcripſi.*

*Theodorus, miſericordia Dei Epiſcopus Ciuitatis Thremethũtenæ Inſulæ Cypri, & locum gerens Epiphanii ſanctiſſimi Archiepiſcopi, definiens ſubſcripſi.*

*Theodorus humilis Presbyter S. Rauennatis Eccleſiæ, locum gerens Theodori beatiſſimi Archiepiſcopi, ſubſcripſi.*

Eodem modo ſubſcripſerunt alii centum quadraginta octo Epiſcopi.

### VII.

### SANCTÆ VNIONIS LITERÆ.

LI. *Eugenius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Conſentiente ad infraſcripta chariſſimo filio noſtro Ioanne Palæologo Romæorum Imperatore illuſtri, & loca tenentibus venerabilium fratrum noſtrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus.*

*Lætentur cœli, & exultet terra; ſublatus eſt enim de medio paries, qui Occidentalem, Orientalemque diuidebat Eccleſiam: & pax, atque concordia rediit: illo angulari lapide Chriſto, qui fecit vtraque vnum; vinculo fortiſſimo caritatis, & pacis, vtrumque iungente parietem, & perpetuæ vnitatis fœdere copulante ac continente; poſtquam longam mœroris nebulam, & diſſidii diuturni atram, ingratamque caliginem ſerenum omnibus vnionis optatæ iubar illuxit. Gaudeat & mater Eccleſia, quæ filios ſuos hactenus inuicem diſſidentes, iam videt in vnitatem, pacemque rediiſſe, & quæ antea in eorum ſeparatione amariſſime flebat, ex ipſorum modo mira concordia, cum ineffabili gaudio, omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles vbique per orbem, & qui Chriſtiano cenſentur nomine, Matri Catholicæ Eccleſiæ collætentur. Ecce enim Occidentales, Orientaleſque Patres, poſt longiſſimum diſſenſionis, atque diſcordiæ tempus, ſe maris, ac terræ periculis exponentes, omnibuſq; ſuperatis laboribus: ad hoc ſacrum Oecumenicum Concilium, deſiderio ſacratiſſimæ vnionis, & antiquæ charitatis reintegrandæ gratia, læti, alacreſque conuenerunt: & intentione ſua nequaquam fruſtrati ſunt. Poſt longam enim, laborioſamque indaginem, tandem Spiritus ſancti clementia, ipſam optatiſſimam, ſanctiſſimamque vnionem conſecuti ſunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias referre ſufficiat? Quis autem diuinæ miſerationis diuitias non obſtupeſcat? cuiuſque ferreum pectus tanta ſupernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt iſta prorſus diuina opera, non humanæ fragilitatis inuenta: atque ideo eximia cum veneratione ſuſcipienda, & diuinis laudibus proſequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Chriſte fons miſericordiarum, qui tantum boni ſponſæ tuæ Catholicæ Eccleſiæ contuliſti, atque in generatione noſtra tuæ pietatis miracula demonſtraſti, vt enarrarent omnes mirabilia tua. Magnum ſiquidem, diuinumque munus nobis Deus largitus eſt: oculiſque noſtris vidimus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aſpicere nequiuerint. Conuenientes enim Latini & Græci in hac ſacroſancta Oecumenica Synodo, magno ſtudio inuicem vſi ſunt, vt inter alia, etiam articulus ille de diuina Spiritus ſancti proceſſione, ſumma cum diligentia, & aſſidua inquiſitione diſcuteretur. Prolatis vero teſtimoniis ex diuinis Scripturis, plurimis auctoritatibus ſanctorum Doctorum Orientalium & Occidentalium; aliquibus quidem, ex Patre & Filio: quibuſdam vero, ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum ſanctum: & ad eandem intelligentiam aſpicientibus omnibus, ſub diuerſis vocabulis: Græci quidem aſſeruerunt, quod id, quod dicunt, Spiritum ſanctum ex Patre procedere, non hac mente proferrent, vt excludant Filium. Sed quia eis videbatur (vt aiunt) Latinos aſſerere, Spiritum ſanctum ex Patre, Filioque procedere, tanquam ex duobus principiis, & duabus ſpirationibus; ideo abſtinuerunt à dicendo, quod Spiritus ſanctus ex Patre procedat, & Filio. Latini vero affirmauerunt, non ſe hac mente dicere Spiritum ſanctum ex Filioq; procedere, vt excludant Patrem, quin ſit fons, ac principium totius Deitatis, Filii ſcilicet, & Spiritus ſancti: aut quod id, quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat: ſiue quod duo ponant eſſe principia, ſeu duas ſpirationes: ſed vt vnum tantum aſſerãt eſſe principium, vnicamque ſpirationem Spiritus ſancti, prout hactenus aſſeruerunt. Et cum ex his omnibus vnus, & idem eliciatur veritatis ſenſus: tandem in infraſcriptam ſanctam Deo amabilem, eodem ſenſu, eademq; mente vnionem, vnanimiter concordarunt, & conſenſerunt. In nomine igitur ſanctæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti, hoc ſacro vniuerſali approbante Florentino Concilio: Diffinimus, vt hæc Fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur & ſuſcipiatur: ſicq; omnes profiteantur, quia Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt: & eſſentiam ſuam, ſuumq; eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex vtroq; æternaliter, tanquam ab vno principio, & vnica ſpiratione procedit. Declarantes, quod id, quod ſancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per filium procedere Spiritum ſanctum; ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe, ſecundum Græcos quidem, cauſam: ſecundum Latinos vero, principium ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti, ſicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem; hoc ipſum quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt. Diffinimus inſuper, explicationem verborum illorum,* Filioque, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licite, ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam. Item in azimo, ſiue fermentato pane triticeo, corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdoteſq; in altero ipſum Domini corpus conficere debere, vnumquemque ſcilicet iuxta ſuæ Eccleſiæ, ſiue Occidentalis, ſiue Orientalis conſuetudinem. Item, ſi vere pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis: eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari: & vt à pœnis huiuſmodi releuentur, prodeſſe eis fidelium viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueuerunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta: illorumq; animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati ma-*

*culam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus (prout ſuperius dictum eſt) ſunt purgatæ; in cælum mox recipi, & intueri clare ipſum Deum trinum & vnum, ſicuti eſt; meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Item diffinimus, S. Apoſt. Sedem, & Rom. Pont. in vniuerſum orbem tenere primatum; & ipſum Pont. Rom. ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſq; Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem ac doctorem exiſtere: & ipſi in B. Petro, paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleclesiam, à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditã eſſe; quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorũ, & in ſacris Canonibus continetur. Renouantes inſuper ordinem traditum in Canonibus, ceterorum venerabilium Patriarcharũ: vt Patriarcha Conſtantinopolitanus ſecundus ſit poſt ſanctiſſimũ Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hieroſolymitanus: ſaluis videlicet priuilegiis omnibus, & iuribus eorum. Datum Florentiæ in ſeſſione publica Synodali, ſolemniter in Eccleſia maiori celebrata, anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. XXXIX. pridie Nonas Iulii, Pontificatus noſtri anno nono.*

Et ſubſcriptiones.

*Ego Ioannes Palæologus, fidelis in Chriſto Rex, & Imperator Romæorum, ſubſcripſi.*

*Ego Antonius humilis Metropolita Heraclien. & Conſiliarius Edeſſenorum, totius Thraciæ & Macedoniæ Pontifex, & Philothei ſanctiſſimi Patriarchæ, & Sedis Apoſtolicæ Alexandrinæ locum tenens, ſubſcripſi.*

*Ego Gregorius Protoſingelus, confeſſor ſpiritualis, ac Sedis Apoſtolicæ Alexandriæ, & eius Domini Patriarchæ locum tenens, ſubſcripſi.* Eodem modo ſubſcripſerunt ceteri Patres, tum Orientalis, tum Occidentalis Eccleſiæ.

Hæc occaſione Iacobitarum de Patriarcha Babyloniorum, pro S. D. N. Pauli V. Zelo & officio Paſtorali quo in amplificanda fide Catholica præſtat adiungere viſum. Interim ad Ioannem Pontificem reuertamur.

Plurimos Chriſtianorum, Ioannes Pontifex memorabat, in ea quam Dominicanis ſcripſit epiſtola, quos cum olim in puritate fidei magnitudinem Eccleſiæ Romanæ amplificaſſe, haud dubium eſt, operæpretiũ me facturum putaui, ſi eorum nomina, ritus, & ſacra, erroreſq; in quos deuiarunt peculiares, ex epithomate bellorum ſacrorum, ab incerti nominis auctore mutuata, ad ſuperiorum notitiam adſcripſerim. ita habet, *ex M. S. Cod. Monaſterii, S. Magni ad Pedem Pontis Ratiſbonen, apud Henricum Caniſ. tomo 6. antiq. lect.*

LII. SVRIANORVM POPVLORVM ICON, RITVS, SACRA ET ERRORES.

Sunt etenim, inquit, in terra ſancta Chriſtiani habitantes, Fidei tamen concomitantiam nunc non cuſtodientes. Suriani itaque à ſua natiuitate, quæ inter Syriç, ciuitates à primæuis temporibus magnam obtinuit præeminentiam, ſic appellantur: vel à Syria, Y mutata in V. Qui in ſcripturis Syri dicuntur, ſunt pro maiore parte bilingues & doloſi: furtum pro peccato non reputantes; vtuntur idiomate Saracenorum. Mores eorum imitantur, coniuges ſuas recludentes, filias & vxores linteaminibus vndiq; ne videri poſſint inuoluẽtes: barbas ſicut omnes Orientales non radunt, ſed diligẽter amplificant & nutriunt: viros imberbes, effœminatos reputant & inhoneſtos. Vnde de quodam Baldeuuino Catholico Romano, qui filiã Ducis Armenorũ Græcæ fidei in vxorem duxerat, vt ipſe pauper à ſuo ſocero diuite pecuniam poſſet extorquere, neceſſitate incumbente, dixit, quod barbam ſuam, quam longo tẽpore nutriſſet, pro magna ſumma pecuniæ quibuſdam creditoribus obligaſſet: Socer autẽ dolens & admirans valde, opprobrium ſempiternum faciei ſuæ & totius generis ſui cupiens euitare, decem millia byzantiorum, hac cõditione illi dedit, vt de cætero nulla paupertate cõpellente, neq; vllo caſu cõtingente barbã ſuam prçſumeret obligare. Vtũtur autẽ Suriani in vulgari colloquio, Saracenico idiomate; in Cõuentibus & negotiationib. ſeu cum diuina ſua officia peragunt lingua Græca. Habent proprios Epiſc. Gręcos. Latinorum excommunicationes deludunt, & ſubſannant, dicentes, eos ipſos fore in ſempiterna excõmunicatione. More Græcorum hæſitant de S. Trinitate dicentes: quia Spiritus S. à Filio non procedit, ſed à Patre tantum. Cum autem tam Græci quã Suriani oẽs Latinos excommunicatos reputent, Altaria ſua ſupra quæ latini celebrauerint diuina, priuſquam ipſi in illis celebrent, abluere conſueuerunt. Sacramentis ẽt noſtris, nullam exhibent reuerentiam. Ipſi etiam ſicut & Græci, ex fermentato pane conficiunt Sacramẽtum. Quartas nuptias Græci & Suriani non admittunt. Sacerdotes & Diaconi matrimonia non contrahunt: vtuntur tamẽ vxoribus, cum quibus ante Sacros Ord. contraxerunt. Subdiaconatum Ordinem non reputant Sacrum. Diem Sabbati adeo ſolemnem reputant, quod non licet alicui eorum ipſo die ieiunare, excepto Sabbato S. Paſchæ. Sabatto etiam ſolemniter, ſicut in die Dominica celebrant: carnes, à quibus ẽt feria quarta abſtinẽt, in eo nõ manducantes.

LIII. IACOBINORVM MORES, INSANIÆ ET HÆRESES.

Sunt etiam alii in terra S. Chriſtiani, præſertim in partibus Orientalibus, Iacobini, vel Iacobitæ appellati, à quodam Magiſtro ſuo Iacob, cuiuſdam Alexandrini Patriarchæ diſcipulo: ſicut Saducæi, qui Sadocum quẽdam Magiſtrum legis ſequuntur: qui Reſurrectionem corporum non admittunt: neq; Angelos neq; ſpiritus eſſe, ſed animas cum corporibus interire iudicantes. Quiq; tantum quinq; libros Moyſis recipiunt: Oracula vero aliorum Prophetarum nõ attendunt. Sed ab illis prædicti Iacobini differunt, & ſequeſtrati à Græcis, maiorem partem Aſiæ, & totius Orientalis plagæ loca inhabitant. Quidam inter Saracenos, quidam ſegregati ab infidelium conſortio proprias occupant ſedes, ſicut Indiani, qui contaminata Ægypto, magnam partem Æthiopiæ, & plures regiones vſq; in Indiam citeriorẽ, ac plura regna poſſident. Omnes enim ſunt Chriſtiani, à Matthæo Apoſtolo, & aliis viris Apoſtolicis ad fidem Chriſti conuerſi: Sed poſtea ſuperſeminante inimico zizania, errore decepti, ſic obtenebrati ſunt. Paruulos ſuos more Saracenorum circumcidunt. Confeſſiones ſuorum peccatorum, non Sacerdotibus, ſed ſoli Deo latenter faciunt: ponentes ſe iuxta ignem, tãquam cum fumo peccata ſua aſcendant coram Deo. Errant miſeri ex defectu doctrinæ, ac pereunt propter carentiam canum lingentium. Alius error prædictorum Iacobinorum, & abuſiua conſuetudo, quia plures eorum cum paruulos ſuos baptizant, adurunt cum ferro candenti, & imprimunt cauterium, aſpectus eorum ſignantes: alii in modum Crucis in fronte, alii in ambabus genis, putantes per ignem materialem eos expiari: attendẽtes q̃ Baptiſta Chriſti dixit: *ipſe vos baptiZabit, in ſpiritu & igne.* Cum tamen omnibus fidelibus liqueat, quod in igne ſpirituali, hoc eſt in Spiritu S. fiat remiſſio peccatorum, & non in igne viſibili. Ob hanc cauſam deteſtati ſunt à Græcis, & à conſortio eorum omnino eiecti. Quidam etiam peruerſe aſſerunt, Chriſtum poſt humanam aſſumptionem, non ex duabus naturis exiſtere, ſed ſolum in eo diuinam naturam permanere. Hunc errorem Introduxit Eutyches Conſtantinopolitanus Abbas. Alii autem ex duabus naturis, vnam eſſe in Chriſto naturam aſſerunt. Huius hæreſis authores, Theodoſius & Gaianus Epiſcopi Alexandrinorum, extiterunt. Conſtans eſt enim, quod ſecundum naturam humanitatis Chriſtus eſuriuit & ſitiuit, ac mortem etiam in Cruce pertulit; ſecundum autem naturam Diuinitatis mortuos ſuſcitauit, & alias virtutes operatus eſt. Secundum naturam diuinam dixit, *Antequam Abraham fieret ego ſum:* & iterum: *Ego & Pater vnum ſumus:* Sed ſecundum humanã naturam idem ait: *Pater maior me eſt,* & iterum de calice transferendo: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Iidem etiam Iacobini, vno tantum digito ſe ſignant, indice ſcilicet: dicentes, quod per hoc vnitatem eſſentiæ profitentur in tribus perſonis. Quidam eorum loquuntur lingua Arabica, ſeu Saracenica: alii autem Chaldæa. Laici eorum, ſecundũ diuerſas nationes & prouincias, diuerſis idio-





matibus vtuntur: linguam autem ſuorum Clericorum, qua in diuinis ſcripturis vtuntur, non intelligunt. Licet enim Saracenica lingua vtantur, vulgare tamen Saranicum iſtud non repræſentat, ſed quoddam proprium idioma: quod nonniſi à litteratis poteſt intelligi.

LIV. NESTORIANORVM BLASPHEMA DOGMATA.

Sunt & aliæ nationes Chriſtianorum, extra terram ſanctam ſeorſim in maiori parte Indiæ habitantes. Neſtoriani vocati, ab hæreſiarcha Neſtorio dicti; qui peruerſa ſua doctrina Orientalem regionẽ pro magna parte infecit; & maxime illos, qui intra regna potentiſſimi Principis, quem Presbyterum Ioannem vulgus appellat, commorantur. Hi omnes cum Rege ſuo Neſtoriani ſunt, & cũ Iacobitis lõge plures eſſe dicuntur, quam Latini vel Græci. Vt n. de his qui ſeorſum habitãt, quorum infinitus eſt numerus, taceamus, inter Saracenos non pauciores, vt creditur, Chriſtiani ſunt eiſdẽ infidelibus cõmixti, & eorum dominationi ſubiecti, quã ſunt ipſi Saraceni: qui licet legem beſtiferam Mahometi recipere noluerunt, ab hęreticis tamen miſerabiliter ſunt corrupti. *Prædictus autem filius perditionis* Neſtorius Conſtantinopolitanus Epiſc. & omnes ſequaçes eius, B. Virginem Mariam negant eſſe Matrem Dei, ſed Matrem hominis affirmant: aliam aſſerentes perſonam diuinitatis in Chriſto, & aliam humanitatis: & ſecundum duas naturas, duas in Chriſto diſtinguentes perſonas: nec vnum Chriſtum in verbo Dei, & carne credunt, ſed ſeparatim atq; ſeiunctim, alterum Filium Dei alterum Filium hominis affirmant. *Hæc hæreſis Anno Domini* 433. incepit, & in Epheſina Synodo, tẽpore Theodoſii ſecundi ſub Papa Cœleſtino primo fuit condemnata. Ex hac ſecta fuit Mahomedus, à Sergio Monacho apoſtata ſeductus. Porro Neſtor. Chaldæa litera vtuntur, & ex fermento more Græcorũ ſacramentũ conficiunt.

LV. MARONITARVM HÆRESIS.

Sunt alii in Phœnice Prouincia, circa montem Libani habitantes Chriſtiani, numero pauci arcubus, & ſagittis docti, quos Maronitas appellant, à quodam Magiſtro eorum Marone dicto. Hic vnam tantum voluntatem, & vnam operationem in Chriſto aſſerebat, auctorem erroris ſecutus, Macharium Antiochenum Epiſcopum. Vtuntur autem prædicti Maronitæ, littera Chaldæa, & lingua Saracenica, ſiue Arabica.

LVI. ARMENORVM CHRISTIANORVM SVPERSTITIOSI RITVS ET ERRORES.

Chriſtiani autẽ qui in terra Armeniæ cõmorantur, Armeni dicti ſunt. Hi ab omnib. Chriſtianis prædictis ritus habent ſingulares, & proprias obſeruantias: habitu & geſtu ab omnibus diuiſi. Habent ẽt propriũ Primatem, quem Catholicon dicunt, cui cum ſummo honore & reuerentia, tanquam alteri Papæ obediunt. Inter hos & Græcos diſcordiæ ſunt & diſſenſiones implacabiles, habent enim proprium idioma, & ſpeciales litteras, & in vulgari ſermone diuinas Script. pronunciant: ita quod Sacerdotes eorũ à laicis intelliguntur. Natiuitatẽ Domini ſecundum carnẽ non celebrant, ſed in die Natalis Domini ipſi ieiunant; in die autẽ apparitionis, id eſt Epiphaniæ celebrant feſtum Dominici baptiſmi eodemq; die feſtũ ſpiritualis Natiuitatis Dominicæ aſſerunt ſe celebrare, Quadradeſimam quæ eſt ante Reſurrectionem Domini, ita ſtricte ieiunando obſeruant, vt non ſolum à carnibus & lacticiniis abſtineant, verũ etiam piſces non manducent. Oleo non vtuntur, vinũ non bibunt ſi ieiunium ſit: fructus autem & legumina, quando eis placet in die manducant. Grauius illũ peccare dicunt, qui in Quadrageſima piſces comedit, aut vinum bibit, quam illos qui fornicantur. In hebdomada Sexageſimæ, ita ſtricte ieiunant, vt in feria ſecunda penitus ab omni alimento abſtineant: feria tertia aliquid comedunt, ſine tamen oleo & vino: feria quarta iterũ abſtinent: feria quinta ſemel comedunt: feria ſexta nihil comedunt; Sabbato comedũt carnes. Infantes duorum menſium, etiam Euchariſtia communicant. Poſt Paſcha comedunt carnes, per omnes ſextas ferias vſque ad Pentecoſten. Vigilias & feſta ſanctorum non ſignificant: Quatuor tempora neſciunt. In Quadrageſima non celebrant, niſi diem Dominicum: dicunt etiã hominem non ieiunare, cum celebrat, vel otiatur. Per circulum anni habent officia diebus hebdomadæ appropriata, vnicuique diei ſuum officium, & illis continue vtuntur; ſicut & nos habemus de Pſalmodia nocturnos ſingulos ſingulis diebus appropriatos, & ipſis vtimur, ſi non eſt vllum impedimentum à diebus feſtiuis. De Purgatorio nihil credunt: neque quod Chriſtus duas naturas habuerit. Aquam cum vino non miſcent, ſed vinum ſolum conficiunt. Licet autem hi Romanæ Eccleſiæ obedientiam promiſerint, quando Rex eorũ ab Imperatore Henrico terram ſuam recepit; ritus tamen veteres mutare noluerunt.

LVII. GEORGIANI VNDE DICTI EORVMQVE MORES ET IN ARMENOS IMPLACABILE ODIVM.

*Præterea eſt in regione Orientali,* quidã alius Chriſtianorum populus bellicoſus, & Saracenis formidabilis, Perſis, Medis, & Aſſyriis, in quorum confinio commoratur, & ab infidelibus gentilib. vndiq; cõcluditur. Hi Georgiani dicuntur, eo quod S. Georgium, in præliis ſuis, contra gentẽ incredulam Aduocatum habent, & patronum; & tanquam ſigniferum cum reuerentia colunt, & in bellis omnibus ſpecialiter inuocant. Vtũtur autem idiomate Græco in diuinis ſcripturis, & Græcorum conſuetudines in ſacramentis obſeruant. Clerici eorum rotundas habent coronas, laici vero quadratas. Alio nomine vocãtur Chriſtiani de cinctura, quod aſſerant, quaſi S. Georgorius anguem cingulo ligauerit, puellæq; tradiderit. Quotieſcunq; ſepulchrum Dominicum viſitaturi adueniunt, abſq; tributo introgrediũtur. Inter Georgianos & Armenos eſt maximum odiũ, & inimicitia implacabilis, in tantum, quod dicit & docet Georgianus: ſi quis noſtrum habuerit ſpinam pedi infixam tranſiens ante Armeniorum Eccleſiam, debet ſpinam ſuſtinere, neq; ad pedem ſuum cauſa euellendi inclinare: ne videatur ante Armenorum Eccleſiam ab omnibus Chriſtianis vili pendendam inclinare.

LVIII. IOANNES XXII. HÆRETICOS, INFIDELES ET SCHISMATICOS AD ECCLESIÆ VNITATEM, REDVCERE SATAGIT.

Plures alios Chriſtianorum, & Gentilium, Ioannes Pontifex, in ea quam FF. *Prædicatoribus* ſcripſit epiſtola numerabat: quos vt ad vnitatẽ Fidei adduceret, Prædicatorii inſtituti Fratres, propoſitis ſpiritualibus præmiis inuitatos, ad eos deſtinauit. Ex his in Imperio Vſbechi & Altigadii gentiles plurimi, fidem Chriſtianam cõplexi fuerant: Malcadæ vero & Alani, ſub dominio Hieretamiri ex Vngariæ regum ſtirpe progeniti, *Prædicatores* poſtularant. Ad illos confirmandos, iſtos vero conuertendos, Ioannes Thomam Dominicanum Senuſcanten. Epiſcopum ire iuſſit: quod magnæ religionis prædicator, & in lege Domini erudiriſſimus eſſet. Fratrum quoque Bernardum de Guardiola Diagorganen. Eccleſ. mortuo Geraldo Calueti præfecit, & vna cum eo Fratres Prædicatores & Minores quã plurimos ad concurſionem *infidelium & ſchiſmaticorum* deſtinauit, Imperatorem Trapezuntarum exhortatus, vt ad vnitatem Eccleſ. rediret, Regem autem Raſſiæ, & principes Theſſicen. Georgianię, Coraticen, Solagai, Carpi, Aliquium, & reliquos, vt Legatione pro Chriſto fungentibus aurem adhiberent. Præter hæc Sultanien. *Ar*chiepiſc. & ſuffraganeis Epiſcopis ex Ord. Præd. aſſumptis, vt in multis diſpẽſandis poteſtate Apoſtolica fungerentur indulſit. Cum etiam Græcorum ſalutem, non omittendam ſibi eſſe exiſtimaret. Dolebat ei maximopere, quod ab Eccleſiæ Romanæ vnione præciſi, numerarentur velut oues ſine paſtore. Itaq; viros vndequaq; quæſiuit, doctrina eloquentia, & ſanctitate præſtantes, qui vniendis illis omnem curam impenderent.

LIX. F. BARLAAM MONACHVS POSTEA EPISCOPVS HIERARCHENSIS LITERAS SCRIBIT ALEXIO CALOCHETO PRO REDVCENDIS AD ECCLESIAM.

Iſtud eius ſtudium, cum probe perſpectum haberet F. Barlaam Monachus, nõdum eo tempore Epiſc. Hieracenſis, operam ac ſtudium diligentiſſimũ poſuit, quo deſiderio Pontif. ſatis abunde faceret. Et quia peruidebat Græcos, ignoratione mali quo laborabant vehementius peccare, illud eis primum aperire cupiens doctam Alexio Calochero ſcripſit epiſtolam, in qua oſtẽdit Græcos, Rom. non obedientes Eccleſ. eſſe non tantũ ſchiſmaticos, verum ẽt hæreticos, ſcil. vt illi grauitate peccati cognita, tanto citius ad cõmunionem Orth. & ad obed. Rom. Pont. & Apoſtol. Sedis properarent. Ea epiſtola cum longe digniſſima ſit, vt ab omnibus extra

CATHOLICAM GRÆCIS SCHISMATICIS.

Rom. Eccleſ. aberrantibus legatur, adſcribendam cenſui, *ex MS. Biblioth. Vatic. nu. 4068.* Ita habet.

Alexio Calochero, F. Barlaam. S.

*Audiui te admirari de me, quoniam eos qui non communicant Eccleſiæ Romanæ ſchiſmaticos appello, Ego vero puto me rationabilius admirari de te, quoniam admirandum putas, ſi qui illo nomine vocantur, cuius definitionem perfecte ſuſcipiunt. Nam ſi volueris videre, quæ eſt ſchiſmatici ratio, inuenies hanc iis qui à me ſchiſmatici vocantur, nihilominus quam hominis rationem homini congruere. Ergo hoc ſit oſtendendum.*

QVINAM DICENDI SCHISMATICI ET HÆRETICI.

*Cum itaque in Eccleſia alii aliis ſint dominatiores, principaliores, & ſuperiores, illi qui minoris & humilioris exiſtentes Ordinis, & quibus conuenit ſub aliorum Dominio eſſe, & ſequi alios, de nulla hæreſi habentes iuſte accuſare maiores, diuidunt ſe ab illorũ in religione Societate, mox in ſeipſis ſchiſmatici condunt rationẽ, nam & ipſi, ad nullam aliã, quam hanc definitionẽ aſpicientes, eos qui apud ſe euitant maiorẽ communionem, ſchiſmaticos appellant: quales & tu nõ paucos ſcis in regnante Ciuitate, eodẽ nomine propter nunc aſſignatam rationem, ab aliis vocari.*

*At vero Romana Eccleſia, ſeniſſimum, principaliſſimum, & ſummum in Catholica Eccleſia habente gradum: Si minoris exiſtentes & inferioris ordinis, in tantum fugiunt illius communionem, quod neq; eius ſacerdotium putant verum eſſe Sacerdotium, neq; in Eccleſiaſticis ſacramentis volunt illi communicare, atque plures eorum etiam ſimul comedere ſimpliciter cibum cum quocunque Latinorum verentur. Ergo ſi Eccleſia illa, incidente (quod abſit) in hæretici rationem, ſi ab ea abſtinent, irreprehenſibilis eſt ſeparatio, & ſchiſmaticorum rationis imperceptibilis. Si vero illa nulla hæreſi coniuncta, ſi fugiunt eius communionem, pure in ſchiſmatici rationem incidunt. Ergo quærendum eſt, quem nominamus hæreticum, cui communicare in aliquo delictum eſt: in nullo vero communicare, non ſolum irreprehenſibile eſt, verum etiam neceſſarium: & quem poſt primam & ſecundam admonitionem, oportet ſecundum Apoſtolum ad Titum, nos euitare. Illius igitur, qui ita dicitur hæreticus, quærenda ſit ratio, vt ſciamus; vtrum conuenit aliquid eius Romanæ Eccleſiæ. Cum vero idem ſit hæreticum eſſe, & paradogmatiſtam, & peccare circa pietatis dogmata: quærendum eſt, quis eſt paradogmatiſta? &, quis peccat circa pietatis dogmata?*

*Itaque cum tria ſint, à quibus habemus huiuſmodi dogmata: vnum, diuina Scripturæ: ſecundum, vniuerſalia Concilia: tertiũ, Sancti noſtri Doctores, qui poſt Apoſtolos ſacram nobis expoſuerunt ſcripturam; ſi illum vocabimus hæreticum, qui quodcumque vel de Deo, vel de alio quouis ſapit & dicit, quod neque in ſacra ſcriptura, neque in Conciliis, neque in Doctorum ſcriptis totaliter inuenitur, non bene nominabimus, quia per hanc rationem, etiam multi noſtrorum ſanctorum Doctorum hæretici eſſent; Areopagita, Theologus, Nyſſenus, ſanctus Auguſtinus: qui non ſolum talia dicunt, quæ neque per ſenſum aliis conueniunt: alia penitus exiſtentia, licet non oppoſita. Non ergo hac ratione hæreticum cognoſcimus, cuius communionem fugiemus; ſed etiam, qui alia, præter omnes alios, de quauis re dicit, dum contraria & oppoſita ſuppoſitis non dicit, nondum tanquam hæreticum admonebimus. Neque enim peccat in manifeſta dogmata, qui ea non tollit. At vero, & ſi quis nihil penitus eorum, quæ in ſacra ſcriptura, vel in Conciliis ſunt commouens, tamen alicui ſanctorum Doctorum de quouis diſſonat, hunc audacem quendam, & præſumptuoſum, & elatum, & talia nominabimus: hæreticum minime. Quoniam per hanc quoque rationem, multi ſanctorum eſſent hæretici, qui in multis & magnis ſibi inuicem contraria dicunt. Nam de ipſa proceſſione Spiritus ſancti, ipſi aiunt, quod Damaſcenus, vbi dicit, ex Filio ſpiritus procedere non dicitur, ſapit quod nullo modo eſt ex Filio.*

*Sanctus vero Cyrillus qui multis annis ante eum fuit, in ſermone de Spiritu, in dictis ſuis theſauris ſepties ait, Spiritum ſanctum ex Filio, & eſſe, & exiſtere, & prodire: aſſignans & dicta ſcripturæ, ex quibus idipſum intellexerat. Sanctus vero Auguſtinus adhuc antiquior hoc exiſtens in ſuo de Trinitate negotio, & nimis longum de hoc protendit ſermonem, & in quarto, & in quinto, & in quintodecimo libro eiuſdem negotii. Quid igitur? hæreticum nominabunt Damaſcenum, illis ſuperioribus ſe ſecundum ipſos contradicentem; vel potius & ſeipſos iiſdem ſanctis tantis rebus contradicentes, an minime? Poteſt ergo fieri, quod is qui ſanctis de Deo diſſonat, nondum ſit hæreticus.*

*Quis ergo hæreticus eſt, & paradogmatiſta? quem poſt binam admonitionem fugiemus? An certe ille, qui ſapit & dicit aliquid in dogmatibus, ita oppoſitum alicui eorum, quæ vel in ſacra ſcriptura aperte dicuntur, vel in generalibus Conciliis expreſſe determinata ſunt, vt cum hoc ſit, tollatur illud; & cum illud ſit, non poſſit hoc eſſe: atque talis ad illa repugnantia eſt, ex ea quæ vituperatur hæreſis. Ille vero; qui tale aliquid neq; loquitur, neq; ſapit, in alio vero quouis peccat, admonendus eſt quidem, alio nomine nominatus, non tamen tanquam hæreticus fugiendus.*

*Igitur, cum hæc ſit illa ratio qua hæreticus notatur, videamus qualiter ſe habet ad eam Romana Eccleſia.*

*Duo ſunt, quæ eius accuſantes, iuſte aiunt ſe ab ea diuidi. Vnũ quod dicit Spiritum ſanctum procedere ex Filio. Aliud, quod per azyma conficit. At per primum, nihil eorum, quæ in ſcriptura, vel in Conciliis ſunt, tollit. Dicente enim ſacra ſcriptura, quod ex Patre procedit Spiritus ſanctus, & Conciliis omnibus idipſum dicentibus, Romana Eccleſia dicens, & ex Filio, non oppoſitum aliquid illi dicit, neq; eiicit illud. Non enim, ſi procedit & ex filio, contingit neceſſario, minime procedere ex Patre: ſed potius neceſſario confertur. Nam ſi procedit & ex Filio, qui omnia quæcumque habet, ex Patre habet: procedit ergo & ex Patre. Non ergo tollitur, quod ſimul trahitur.*

*At vero neq; aliud eorum, quæ in ſacra ſcriptura, vel Conciliis ſunt, tollitur, ex eo quod dicitur, & ex Filio procedere Spiritum ſanctum. Non ergo ſecundum hoc incidit in hæreticorum rationem illa Eccleſia. At neque per azymum.*

*Primum enim nulli Concilio per hoc aduerſatur: quoniam nullum de hoc aliquid determinauit. Deinde, neq; ſacræ ſcripturæ, per hoc repugnat. Et non hoc nunc dico, quia panis ille quem ſacrificauit Dominus, azymus erat; & azymum in ſcriptura gerit imaginem ſinceritatis & veritatis: ſed illud ſufficit nunc, quod diuina ſcriptura panem nominante azymum & fermentatum, & nuſquam iubet hoc vel illud diſtincte: certe. Neuter ſcripturæ pugnat, neque azymita neque fermentarius. Non enim, quod nonnullorum eſt ſtultorum dicemus: quod ille eſt animatus, & iſte inanimatus. Omnis enim panis ſua ratione inanimatus eſt, & nullus animatus: diuina vero virtute conuerſus, nequaquam inanimatus, vel totaliter ſubſtantia panis, ſed viua caro viuentis Chriſti: qui carnem & animam rationalem & intellectualem ex nobis pro nobis aſſumpſit. Neque ergo per proceſſionem Spiritus, neque per azymum illa Eccleſia cadit in ſchiſmatici rationem; quoniam per neutrum tollit quidquam manifeſtorum. At vero propter hæc ſola, & non propter aliud aiunt ſe diuidi ab illa. Non ergo, illa Eccleſia hæretica eſt per illa, propter quæ ipſi dicunt ſe diuiſos eſſe; quia ſecundum ea, in definitionem hæretici non cadit. Reſtat ergo hos ſchiſmaticos eſſe neceſſario; quoniam definitionis ſchiſmaticorum nihil omittunt. Vt autem neque ſi audiueris me hæreticum vocare eum, qui ex ſolo Patre aſſerit procedere Spiritum ſanctum, admireris, volo tibi & huius rationem aſſignare.*

*Dicebamus ſuperius, hæreticum eſſe eum, qui in dogmatibus pietatis ſapit aliquid & dicit, oppoſite ſe habens, vel ad diuinam ſcripturam, vel ad Generale Concilium. At vero ſacræ ſcripturæ pugnari dupliciter eſt: vel cum aliquis recte intelligit, quod ait ſcriptura, & idipſum proponit contraria illi dicere, æſtimans illam mentiri; quod minime eſt Chriſtiani. Vel aſſerens ſcripturam omnino ſe venerari, dicta eius quibus contradicit, aliter quã veritas ſe habet intelligit & exponit, quod ſolum eſt hæretici. Ergo cum inueniamus aliquem talem, pugnãtem quidem diuinæ ſcripturæ, non pugnare vero aſſerentem, ad quod nos iudicium referentes, indubitanter ſciemus, quod pugnatur, & iuſte poſt binam admonitionem ipſum deuitabimus? An ad plures? Sed qui melius & diligentius intelligunt ſacram ſcrip. pauciores ſunt. An ad hos, qui in diuinis ſapientiores, & magis eruditi ſunt? Sed fortaſſe vnus eſt omnium ſapientiſſimus; & poteſt fieri, vt idipſum veriſſime omnium ipſe intelligas. An ad digniores, & dominantiores, & principaliores? Sed ait ſcriptura; ſi fuerit reuelatum nouiſſimo, ſileat primus. Vnde non ſemper neceſſarium eſt verius intelligere eum, qui primus eſt. An ad eos, qui nunquam alias hæreſia aliquam incurrerunt? Sed vnaquæque Eccleſia, quæ primitus in aliquam hæreſim incidit, ſuperioribus temporibus Catholica ſemper erat. Quare poteſt fieri, eam quæ prius ſemper Orthodoxa erat, poſtmodum in hæreſim cadere. An ad ſanctos nonnullos, qui, prout nos dicimus, ſcripturas exponunt? Sed fortaſſe &*





*hic cui contradicimus, ſanctus eſt. Et quemadmodum in illis alii aliis contradicentes, tamen hæretici non ſunt, ita & hic. Reſtat ergo, ad iudicium Generalis Concilii recurrere. At ſi viderimus illum ipſum ſenſum determinans quorundam dictorum ſcripturæ, cui repugnantem ſenſum hic dogmatizat & tenet, indubitabile omnino ſit ipſum hæreticũ eſſe. Ergo ſi quis tale in dogmatibus dicit, vt non vnum vel duo, ſed omnia ſupradicta, & Generale Concilium in contrarium concurrant, ac in præiudicium ſimul omnium appareat ipſum ſacræ ſcripturæ pugnare, hic eſt omnium manifeſtiſſimus hæreticus. Sed qui dicit ex ſolo Patre procedere Spiritum S. talis eſt.*

*Et vt per prædicta omnia tranſeamus; Primum, ſi quis quærit & proponit plurium iudicium, ſiquidem plures dicit, non rudes & illiteratos, ſed legentes ſacram ſcripturam, & intellectum lectorum vtcumq; ſequentes, non vtiq; inueniet hic tot tales, quot centenæ talium ex illis inueniri poſſunt.*

*Si vero ſapientiorum in diuinis, & magis eruditorum iudicium præfers, in illis quidem infiniti inuenientur, ita in ſine exercitati erga ſacram ſcripturam, vt audito aliquo ex ea dicto, habeat quilibet eorum ſtatim aſſignare, & ex quo libro & capitulo eſt, & quis huius dicti ſenſus; & adhuc promptus eſt, ad omnia dubitanda, probabiliter reſpondere. His cum locutus fuiſſem, ſæpe ſapientiſſimis eorum, nondum aliquem talem inueni. Puto autem neq; eſſe eorum talem aliquem. Si vero digniores, & principaliores, & dominantiores quæris? Eccleſia Romana eſt, quæ habet in vniuerſali Eccleſia ſummum & digniſſimum locum. Si vero eos, qui nondum alias in hæreſim inciderunt? Ipſa ſola eſt, de quinq; Eccleſiis, quæ iure poteſt hoc gloriari. Si vero ſanctos? Inuenies S. Cyrillum, & S. Auguſtinum dicta ſcripturæ exponendo, planiſſime tradentes, & ex Filio Spiritum S. eſſe. Si vero Generale Concilium? Et hoc. Quia enim ſi Patriarchæ Apoſtolicam deſeruerunt ſedem, & Imperialibus propoſitionibus ſeipſos potius dederunt, & in ſchiſmatici rationem, vt oſtenſum eſt inciderunt: primum quidem Eccleſiarum Mater, ne huiuſmodi ſedes vacent, legitimis Pontificibus, & Canonice ſacerdotium habentibus, conſtituit & ordinat cuilibet earum, ſuum Patriarcham. Deinde poſt multos annos Generale Concilium celebrans, de eodem ipſo omnium aſſenſu declarat, hoc per ſcripturam concludi, Spiritum S. ex Patre, Filioq; tanquam ex vno principio procedere. Quapropter qui hoc negat, & contrarium ſapit, Generalis iam Concilii iudicio ſacræ ſcripturæ pugnat. Et propterea in hæretici definitionem manifeſte incidens, purus hæreticus eſt.*

*Hæc autem & ad te ſcribo, & ad alios dico, non maleuolentia aliqua & contumelioſe, ſed cupiditate, vt Eccleſia Chriſti vniatur, & ad ſeipſam redeat, & omnes Chriſtiani in fide & veritate idipſum ſapiant, & charitatis vinculo ſibi inuicem copulentur: quod vt puto non in longum eueniret, ſi hæc ſola quæ tibi ſcribo, in mentem omnibus venirent. Nam ſi perſuaſum fuiſſet eis in quo malo ſunt, facile vtiq; & huius liberationem quærerent. Quare nihil vt æſtimo, beneuolentius pro omnib. communiter fieri poteſt quam ſi talia ad eos dicantur, & ſcribantur.*

LX.

PAVLI GVASTAVERII STVDIVM IN REDVCENDIS AD ECCLESIAM ERRONIBVS.

Hæc quidem Barlaam Græcis docte ſcribebat. Fra. Paulus Guaſtaferius, Ord. Prædicatorum profeſſus, ex Cænobio Peruſino, in Orientem, à ſede Apoſt. deſtinatus Maiore parte Græciæ perluſtrata, Conſtant. Peræ, Nigropontano in litore, & alibi locorum, multis pro vnitate Fidei & communione Eccl. exantlatis laborib⁹, plurimos ad gremium Rom. ſedis, doctrina & perſuaſione ſua reduxit. Scythis quoq; in Theodoſia vrbe, q̃ aliqui Caffan volunt eſſe, cum verbum Dei diſſeminaſſet, in Aſiam Minorem profectus, in templo Diuo Euangeliſtæ Ioanni apud Epheſios ſacro, ingentes fructus laborum tulit. In Cypriis quoq; non modicas progreſſiones fecit: vbi Nicoſiæ, hoc anno, B. Nicolaus Voſmerius Peruſinus, idem inſtitutum profitens, poſt Hieroſolymitanam & totius Palæſtinæ peregrinationem, à peregrinatione huius ſæculi, ad domum non manufactã in cœlos emigrauit, vir incredibili auſteritate. Loco cilicii, thorace ferreo nudũ corpus dies noctesq; veſtiebat. Circulum ferreum, pro cinctu, latera cingebat. Flagris ferreis, ſingulis noctibus ſcapulas cruentabat. Noctes perpetuas, inſomnis in Eccl. orationib. cõſecrabat. Nonniſi lapidi ſuppoſito, vel in humo, vel in tabulato nudo ſomnum carpebat. Quo die, non dum ſacerdotio initiatus, ſacra reficiebatur Euchariſtia, nihil præter eam deguſtabat. Loca ſancta, Chriſti veſtigiis in Palæſtina conſecrata, lachrymis ille profuſiſſimis irrigauit. Tandẽ in patriam reuertens, Nicoſiæ Cypriorum, plenus ſanctimoniæ quieuit. *Michael Pius l. 1. de viris illuſtrib. Ord. Præd.*

B. NICOLAI VOSMERII PEREGRINATIO, OBITVS ET POENITENTIA.

LXI.

IO. PP. CLEMENT. PONT. SEPVLCHRVM CVRAT.

Eodem anno Io. Pont. honorem Clementis Quinti, anteceſſoris ſui curauit. Bertrandus Gutanus Vicecomes Lomaniæ eiuſdem Clem. nepos, reponendis eius oſſibus arcam argenteam, auro & lapidib. pretioſis ornatam, pretio ſupra, quinquaginta mille nummum aureorum comparauerat, ſed præmatura morte ereptus, ſuper tumulum patrui ſui in Eccleſia B. Mariæ Vſeſtanę diœceſis Vaſaten. reponere, quemadmodum voluerat non poterat. Eam cum Ioannes Comes Armeniaci hæres Bertrandi obtinuiſſet, & diutius per occaſionem bellorum detinuiſſet, admonuit eum Pontifex, vt & honori anteceſſoris ſui, & voluntati Bertrandi ſatisfacere, arcamq; ſuper ſepulturam Clementis deponere non differret. *ex regeſt. Ioan. 22. hoc anno.*

LXII.

HENR. BVSMANIVS MOGVNTINVS ARCHIEPISCOPVS CREATVR.

Eodem anno, poſt diuturnam coram ſummo Pont. Auinioni concertationem, Clerus & Populus Moguntinus, ſuſcepit Archiepiſc. Henric. Buſmanium, ab Ioan. XXII. deſignatum, & conſecratum. cum & is duos Legatos ad eum præficiendum miſiſſet, & Balduinus Treuirorum Archiep. adminiſtratione Moguntinæ Eccl. ſeſe abdicaſſet; magno exemplo Prælatis, qui ſponſi Eccleſiarum nomen exambiunt; ne duarum ſponſarum, oppreſſores, vel potius violatores, eſſe deſiderent. *Chrõ. Sponheimen.*

LXIII.

ORTA CONTROVERSIA IN ORIENTE DE CELEBRATIONE DIEI PASCHALIS.

Per id temporis, apud Orientales orta controuerſia, de feſtiuitatis Paſchalis celebratione, corã Andronico Imp. Nicephoras Gregoras, plurimis verbis diſſeruit, ac tandem: poſt multa vltro citroq; adducta, tandẽ definiuiſſe Religionis proceres, diuinosq; Magiſtros oſtẽdit, ne quis fidelis ante vernum æquinoctium Reſurrectionis feſtum celebraret, ſed die Dominico poſt Paſcha Iudaicum, nimirum poſt pleniluniũ quod æquinoctiũ ſequitur. Itaq; conſulebat ille, his de cauſſis cuilibet fideli diligenter eſſe id plenilunium quærendum, q́ poſt æquinoctium vernum ſubſequitur, niſi ritus Eccl. violare mallet. Hoc n. ignorato, ſequitur & feſtiuitatis diem ignorari, noſq; velut in ignoto pelago perinde ac errantem nauem facere naufragium, quæ nocte & tempeſtatibus exagitata, & anchoris ſpoliata, in portum peruenire nequit. Hæc ad eum modum explicata, & demonſtrata, Imp. cum voluptate accepit, fortaſſis & correctionem aggreſſurus, niſi veritus eſſet, ne indocti magis perturbarentur, ac diſſideret Eccleſ. Itaq; rem ſilentio præteriit, & plane intactam reliquit. Negauit n. eſſe facile, vniuerſos in quauis terra & inſula percurrere, & correctionis huius rationem edocere. Contra diſſenſiones eſſe, & alios alio die feſtum celebrare, ne id quidem valde bonum eſſe. Quibus incommodis inter ſe collatis, præſtare viſum, ne quid nouaretur. Nicephoro a. Gregoræ contrarium magis ꝓbatur. Nam omnes eiuſdem Imp. ciues, ſi non vno, & altero, & tertio anno eo adduci poſſe, id quod & antea factum eſt; *Niceph. Gregoras hiſt. Rom. l. 8.* Et noſtra etiam hac ætate à Gregorio V. XIII. ſummo Pont. feliciſſime perfectum eſt, Cal. Rom. ex amuſſim reformato. Inter cymmelia ſummorum Pont. in Palatina Vaticana, tres nuces iuglandes oſtenduntur natæ quemadmodum cuſtodes Cymeliarchæ referunt, per miraculum ipſa bruma, in arbore nõ ſolum exfrondi, ſed etiam rigente; cum duo inter ſe de reformato eo Calendario Gregoriano contenderent, alterq; affirmaret, rite, & ad præſcriptas à Concilio Nicæno regulas conformatum eſſe, alter negando prouocaret, tam illud verum eſſe, quam poſſibile foret, nucẽ ſub qua forte iurgebantur, per brumam duratam, iuglandes hoc ipſo momento producere. *Vix* verba protulerat, cum repente tres nuces in arbore enatæ, hominem pertinaciæ coarguerunt; docueruntque, non temere eam à GREGORIO Pontifice, dierum decem

MIRACVLVM PRO CONFIRMATIONE CAL. ROMAN. A GREGORIO XIII. EMENDATI.

interſtitio detracto, Calendarii emendationem factam fuiſſe.

LXIV. ANDRONICVS IMP. A TVRCIS MAGNAM CLADEM ACCIPIT.

Ad Græcos reuertor, quorum Imp. Andronicus, cum neq; ad Eccl. vnitatem reuerti cogitaret, neq; Paſchalis Feſtiuitatis celebrandæ tempus deſignari ſuſtineret, hoc anno à Turcis inuadentibus, multos ex ſuis exercitibus deſiderauit, plurimasq; Archipelagi inſulas amiſit. *Ioan. Villani. l. 10. c. 152.*

LXV. ALFONSVS CASTELLÆ REX INSIGNEM VICTORIAM DE MAVRIS REPORTAT.

Felicius in Hiſpaniis, Alfonſus Rex Caſtellæ, ſedis Apoſtol. & Fidei Orthodoxæ obſeruantiſſimus, contra Mauros Granatenſes dimicauit. Anno ſuperiore. Ioan. ſummi Pont. auctoritate, bellum ſacrum in eos indixerat; cum Pont. parem indulgentiam atq; contra Saracenos in Paleſtina pugnantib. conceſſiſſet, *ep. 3444.* Itaq; hoc anno, ad quindecim millia eorum profligauit, victoriamque inſignem de illis tulit. *Villani ſup. c. 165.*

LXVI. FLORENTINI NIMIVM VESTITVM SVIS INTERDICVNT.

Florentini in Etruria, hoc anno, Paulinę doctrinę de ornatu muliebri non immemores, aurum, argentum, margaritas, vniones, lapillos prętioſos veſtes ſericas inciſionib. frequẽtiorib. foratas, in cultu interdixerunt: nec niſi ad modeſtiam, frugalitatemque vxores, filiasq; ornari ſuſtinuerunt, lege lata. Vnde eis tantæ diuitiæ, vt hoc ipſo anno, quidam ciuium non ingentium facultatum, neq; multæ mercaturę, ſed pertenuis conditionis, teſtamento condito, moriens, ampliſſimam eleemoſynam in omnes Florentinos pauperes, ſc. ſex denarios, in ſingula capita reliquerit. Decem & ſeptem millia egenorum, quorum ſinguli ſingulos ſex denarios receperunt, numerata ſunt: exceptis quatuor millibus, & pluribus aliis, inter religioſos, Sanctimoniales, carceribus concluſos atq; ægrotos in domib. vel xenodochiis decumbentes, quib. etiam ſingulis totidem denarii, quot illis numerati fuere. *Villani l. 10. c. 154. & 166.*

---

# IESV CHRISTI
## Annus 1331.
### IOANNIS PAPÆ XXII. ANNO 15. & 16.

I. RESPONSIO. GEN. ORDIN. MIN. AD APOLOGIAM MICHAELIS CONTRA IOANNEM PON.

MONACHII in Bauaria, Michael, vna cum ſuis agens, omnia ad ſe excuſandum agebat. Itaq; ad eius Apologiam, aduerſus Ioannem ſummum Pont. ſcriptam, ſeptem, habuit Generalis Ord. Minorum reſpondere, atq; ad pœnitentiam inuitare. Digna eſt ea reſponſio, quæ ad totius controuerſiæ ſtatum Bauarianę, legatur. Ita habet. F. Gerardus Odonis, Ordin. Fratr. Minorum Generalis, Michaeli Cæſenati, S. p. reſipiſcentiæ, & pœnitentiæ ſalutaris.

*Quid niteris bonam oſtendere viam tuam, ad quærendam dilectionem? Quo inſuper malitias tuas docuiſti apoſtaticas, ſchiſmaticas & hæreticas vias? Tuarum itaq; literarum tenore cunctis legentibus patenter apparet, de toto conamine niſi bonam, & iuſtam oſtendere tuam confuſibilem apoſtaſiam, tuam rebellionem, tuam blaſphemiam, & hæreticam prauitatem. Quoniam & apoſtaſiam ſub vano perſuaſionum vmbraculo, & rebellionem ſub fatuo appellationis pallio, & errores tuos ſub falſiſſimæ fidei ficto Zelo inaniter excuſare. Sed quod huiuſmodi niſus, ad quærendam dilectionem non ſolum Dei, verum etiam hominum, inefficax ſit & vanus, cunctis eſt fidelibus rationabiliter cogitantibus manifeſtum.*

*Inprimis enim tuam tibi & nobis confuſibilem apoſtaſiam iuſtificare conaris, contrariis quidem exemplis, fictione timoris, & vaniſſimis argumentis. Dicis enim, Pauli Apoſtoli, Romani Cleri, & quorumdam ſanctorum Epiſcoporum, te exempla ſecutum.*

*Primo namq; dicis, quod ſicut Paulus Petro, in facie reſtitit; ita tu Domino Papæ in facie reſtitiſti. quod quidem exemplum pro te inductum tripliciter deficit. Primo te ſuperbiſſimum ſuperbiſſime comparas humillimo Paulo qui dicebat; non audemus nos inſerere, aut comparere quibuſdam qui ſeipſos commendant. Tu autem & complices tui, vos ipſos & veſtra vitioſa opera, imo ſacrilega crimina impudentiſſime commendatis: quamuis ſæpe legeritis, quod non qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Comparas igitur vaſi electionis & gratiæ, vas reprobationis & iræ.*

*Secundo deficis, quia Domino Papæ te mendaciter aſſeris reſtitiſſe. Noſti namq; quod qui fugit à facie, non reſtitit in facie nec Paulus reſiſtens Petro, fugit à facie Petri, nec ſimulationem periclitare permiſit. Tu autem ſicut res geſta declarat, à facie Domini Papæ nocturno tempore ſicut fur & latro fugiſti. Non igitur ſicut Paulus in fide & veritate Doctor Gentium reſtitiſti; ſed ſicut Agar Mater infidelium fugit à facie Saræ dominæ ſuæ; ſic tu à facie ſedis Apoſtolicæ dominæ tuæ; velut deſperatus homo fugiſti.*

*Tertio deficis, quia tu, non Dominus Papa, reprehenſibilis multipliciter extitiſti. Tu namq; quæſtionem de paupertate Chriſti & Apoſtolorum eius in diſcuſſione ſedis Apoſtolicæ tunc temporis actu pendentem, prædeterminare auſu temerario præſumpſiſti, de qua temeritate, nullo quidem ſanæ mentis dubitante, dignus reprehenſione & confuſione fuiſti. Commiſſum tibi Ordinem graui expoſuiſti periculo: Eccleſiam vniuerſalem graui repleſti ſcandalo: decretum ſedis Apoſtolicæ contempſiſti. Dicit enim Dominus Nicolaus III. in decret. Exiit. Si quid penes aliquem in his ambiguitatis emerſerit, hoc ad culmen ſedis Apoſtolicæ deducatur, vt ex auctoritate Apoſtolica ſua in hoc manifeſtetur intentio, cui ſoli conceſſum eſt in iis ſtatuta condere, & condita declarare. Tu vero ambiguitatem quam noueras in materia dictæ decretalis, ad culmen ſedis Apoſtolicæ iam eſſe deductam præoccupare, & vniuerſis Chriſti fidelibus tuam audaciam notam facere voluiſti, nec quod in hoc ſedis Apoſtolicæ manifeſtetur intentio expectaſti. Quapropter & præſumptionem contra te dediſti, & perfidæ opinionis ſpeciem prætendiſti. In hoc enim opinari & credere videbaris, quod ſedes Apoſtolica tuam, non tu ſuam, ſequi deberet intentionem, vel quod ei omnino diſponeres repugnare.*

*Vnde mirari non debuiſti, Si Dominus Papa literam tuam, ſeu determinationem, pro quanto erat tua, dixit hæreticam: non quidem deffiniendo, pronunciando, vel ſententiando, vel etiam pro tribunali ſedendo: ſed ad partem coram Ord. noſtri Fratribus obiurgando reprehendendo, & tuam temeritatem præſumptuoſam increpando. Tunc enim ex viſibilibus coniecturis te fore ſuſpicabatur hæreticum ſicut conſequenti tempore declarauit. Cernebat enim quod in prænominatæ determinatione, ſeu verius interminatione tua, ſpeciem malam vt prædicitur, prætendiſti, qui grauem & periculoſam hæreſim ſapiebat. Quare non mirum ſi ad cauſam & ad ſpeciem dictæ literæ, ſeu determinationis, vel potius vt dictum eſt interminationis attendens, dixit ipſam hæreticam, modo, & forma, & circumſtantiis ſupradictis. Nec ex huiuſmodi dicto ſequuntur inconuenientia, quæ tua falſa calliditas infert, ſc. quod Dominus Papa ideo ſchiſmaticam & hæreticam faciat, vt deſtruat, & confundat determinationem Eccleſiæ, & Regulam B. Franciſci, & Religionem noſtram. Determinatio n. Eccleſiæ, non eſt ſimpliciter eadem cum determinatione tua, vt de ſe patet cuilibet intuenti. Item determinatio Eccleſiæ fuit à cauſa legitima: determinatio autem tua illegitima & prohibita, vt oſtenſum eſt ſuperius.*

*Item determinatio Eccleſiæ ſpeciem habuit fideliſſimam, puta quia non vltimata. Sed remittit ambiguitates emergentes ad culmen ſedis Apoſtolicæ per ſedem Apoſtolicam decidendas: determinatio vero tua plena eſt ſpecie mala, vt dictum eſt ſupra; & eſt vltimata, ac ſi vniuerſi Chriſti fideles tuæ tenerentur determinationi, & ſententiæ generaliter adhærere. Quare determinatio tua, vt tua eſt, hæretica poteſt eſſe, determinatione ſedis Apoſtolicæ, Catholica remanente. In Regula vero B. Franciſci, determinatio tua, nec verbaliter, nec ſententialiter continetur. Vnde igitur habes, niſi à patre mendacii? Quod ſi opus tuum eſt hæreticum, ſic opus B. Franciſci, opus ſedis Apoſtolicæ, vel potius opus Dei. Regula namque noſtra fuit B. Franciſco diuinitus inſpirata. Vnde igitur trahis, niſi ab illo qui in infernum te trahat, poſt te. quod ſi facta tua ſunt hæretica & confuſa, quod ideo religio noſtra ſit hæretica deſtructa & confuſa. Nonne vides, quomodo religio noſtra facta tua videt & condemnat?*

*Nonne cogitas fili incredulitatis exemplum, quod Frater Elias, meus & tuus in officio, ſed tuus in ſchiſmatico ſcandalo prædeceſſor apoſtata fuit, ſchiſmaticus & hæreticus, qui ſub Domino Innocentio IV. cum FRIDERICO ab Imperatoria*

dignita-



*dignitate depoſito, & ſententialiter per Eccl. condemnato, ſe ſubtraxit ab obedientia Domini Papæ, & ab Eccleſiaſtica vnione? His tamen non obſtantib. noſtra religio procurante Domino, non ſuper hoc Elia hæretico, nec ſuper te imitatore ſuo, ſed ſuper ſolidiſſimam petram Chriſtum, mediante B. Franciſco fundata in fide, & deuotione, & obedientia, & reuerentia, ac vnitate ſacroſanctæ Matris Eccleſiæ inconcuſſa permanſit, ſicut hodie te errante à Catholicæ Fidei tramite, cum hominibus deuiis deuiante, noſtra religio per Dei gratiam in communione & gratia ſedis Apoſtolicæ perſeuerat. Non igitur tu Dominum Papam, ſed te Dominus Papa, velut vere reprehenſibilem reprehendit. Quare miſer homo non vides, vel non intelligis, quam inaniter, & quam mendaciter, de reſiſtentia gloriaris.*

*Cæterum cum inducis exemplum Cleri Rom. dicens ſc. Ab ipſius Domini Ioan. obedientia & communione receſſi, ad inſtar Catholicorum & approbatorum virorum de clero Rom. qui ab obedientia & communione Anaſtaſii Papæ deuiantis à veritate Fidei quã Eccleſia determinauerat receſſerunt, prout in Can. 19. di. c. Anaſtaſius legitur & habetur. Iſtud quidem exemplum contra te militat in duobus.*

*Primo namq; quia ſi exempla Rom. Cleri ſequi decreueras, cur Romani Cleri principib. Dominis S. Cardin. Catholicis & fidelibus, in obedientia & communione Domini Papæ manentib. non manſiſti, & cur ipſis non recedentib. receſſiſti, niſi quia eos non ſequi, ſed præcedere, ſi te voluiſſent ſequi in Apoſtaticæ fuga volebas? Si tamen dicat tua perfidia, quod non ipſos Dominos Cardinales Clericos Domini Papæ, ſed anticardinales dudum clericos antipapæ habebas pro Clero Romano, ſeu pro principibus Cleri Romani: reſponde. Si cum illis tunc perfidus, à communione Dom. Papæ tũc recedentib. receſſiſti, cur cum illis redeuntib. & pœnitentiam agẽtib. rediens pœnitent. non egiſti poſtquã eorum exempla ſequi volebas: niſi quia ſuperbia ſicut prior egreditur ad illicita opera, & poſterior reuertitur. ſeu frangitur ad pœnitent. ſic tu ſuperb. ſuperbiæ filius, primus eſſe in apoſtaſia, & nouiſſimus in pœnitentia voluiſti. Si vero tua dicat inaudita temeritas, quia nec Dominum Papam, nec adhuc antipapam habes pro Papa, nec Clerum illius pro Clero Romano; reſponde, ſi ſecundum opinionem tuam Romana poſſit inueniri Eccleſia. Quia conſtat, ſi non inueniatur Rom. Clerus, quia nec Romana Eccleſia inuenitur. Clerus autẽ qui habitat in Auinione qui habitat Romæ, qui habitat in toto Orbe Catholicorum & Orthodoxorum, obedit & communicat Dom. Papæ, Clerus a. qui eſt Saonæ ſub tuo ſacrilego & blaſphemo Vicario Berengario Bochuſſe Ianuen. pſeudo Archiepiſcopo, & Piſano in Th. Magiſtro obedit vel antipapæ, vel Sathanæ, vel Synagogæ Iudaicæ, vel vtriq;. Vbi eſt igitur Eccl. Rom. Catholica ad quam appellas, dic. ſi tu ſcis, vbi eſt tranſportata? Nonne verecunderis, nonne confunderis dicere, & ſcriptitare per mundum, ea quæ omnes Chriſtianæ aures atq; Catholicæ horrent, quod tu nullius dignitatis, nullius nobilitatis, nullius auctoritatis, nullius potentiæ, nullius virtutis, licet multi criminis homo. ſanctiſſimum, Apoſtolicum Chriſti Vicarium, Vniuerſam Eccleſiam, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſc. Princ. Burgenſes, Ciues, laboratores, tot viros & fœminas, populos Chriſtianos, ſub obedientia & communione Dom. Papæ ſeruientes, de hæreſi & fautoria hæreſis audes condemnare?*

*Secundo, præmiſſum exemplum contra te militat, quia tu vias Anaſtaſii Papæ, non Cleri Rom. qui fuit tempore ſuo ſecutus fuiſſe probaris, quia tu, non Dom. Papa, in duas incidiſti culpas. propter quas aliqui de Clero Rom. ſe à communione Anaſtaſii abegerunt. Prima quidem fuit, quia ſine conſilio Eccl. communicauit Formoſo Theſſalonicen. Diacono, qui Achacio de hæreſi condemnato in hæreſi communicaſſe refertur. Secunda vero fuit, quia illum Achacium condemnatum, voluit occulte ad gradus Eccleſiaſt. reuocare: quod ne faceret, morte fuit confuſibili præpeditus. Tu autẽ ſicut tota nouit Eccl. manifeſtis hæreticis puta Petro de Corbario dudum ſacrilego & hæretico antipapæ, Marſilio de Padua, Ioanni de Ianduno & quamplurib. aliis, etiam in criminib. & ſacrilegiis communicaſti, communicas, & communicare non ceſſas. Item occulte conaris per falſas ſuggeſtiones, ſcripturas, & ſuaſiones Fr. olim commiſſi tibi Ord. non quidem ad gradus Eccleſiaſt. ſed à gradib. & cultib. ab obedientia & reuerentia Eccleſiaſticis reuocare. Quare ſicut aliqui de Clero Rom. propter duas præmiſſas culpas ſe à cõmunione Anaſtaſii abegerunt: ita cõmunitas noſtri Ord. propter eaſdem cauſas à tua communione & obedientia merito ſe abegit. tamen Dom. Papæ, vere & fideliter, & vt vere fideli adhæſit: quia ipſe non communicat, nec communicauit hæreticis, nec etiam occulte operatus eſt quicquam. quinimo in reuocatione dãnatorum redire cum pœnitentia volentium, & in editione ſuarum Conſtitutionum, exempla nequaquam ſequens Anaſtaſii, de conſilio Dñõ. Cardinalium, Epiſc. presbyterorum & Diaconorum multiplici deliberatione proceſſit. Quapropter hoc ſolum exemplum, ſi bene cogitaſſes, te à tanta inſaniæ retrahere debuiſſet. Exempla quoq; de Liberio & Leone, te deberent ad pœnitentiam prouocare: Si tamen ea quæ ſcribis & loqueris attendere voluiſſes. Leo namq;, vt ſcire deberes, non fuit Papa verus, ſed per Rom. Patricium in antipapam intruſus. Vnde nec in Chronicis Rom. Pont. ponitur, imo Leo ſequens natione Rom. Arnulphi filius dicitur Leo III. quod nõ fieret, ſi iſte verus Papa fuiſſet. Præceſſerant n. alii duo Leones, primus Leo Tuſcus, & Leo II. Siculus, iſte vero intruſus natione Rom. Nicolai diaconi filius, dicit ſe mendaciter Leon. III. Eccleſia tamẽ dicit ſequentem Leon. III. in argumentum, quod illum Nicolai filium Papam non fuiſſe verum reputat, ſed Antipapam intruſum.*

*Liberius a. poſtquam partim ſponte, partim inuite Papatui ceſſerat, nolens Arrianæ hæreſi conſentire ad quam per Imperat. Conſtantium cogebatur, poſtquam Felix Catholicus ei ſucceſſit, qui Conſtantium Conſtantini filium eſſe hæreticum declarauit, & propter hoc ſub ipſo Conſtantio Martyrium capitis detruncatione compleuit, ipſe quidem Liberius ad ſuggeſtionem Exarchi, & Valentini hæreticorum hæreſi Arianæ conſenſit, & per præfatum Conſtantium hæreticum eſt de conſilio memoratorum hæreticorum intruſus, & V. annis ſedem Apoſt. occupauit. Ab his ergo duobus intruſis, quicumq; Catholici ſubtrahere ſe & abigere debuerunt. Sed temporibus noſtris à communione & obedientia Petri de Corbario, in antipapam tyrannice & diabolice per hominem laicum, ſæcularem & excommunicatum intruſi, quicumq; fideles ſe ſubtrahere tenebantur. Videas igitur ſi tu habes oculos, quib. videre vales ſi fuiſti æqualiter excæcatus, tã in facto q̃ in iſto dicto. Quomodo n. & qua frõte iſta exẽpla pro te inducere potuiſti? Nonne vides? Nonne legis quod illi Catholici, qui à Leone & Liberio receſſerunt, recedebant vtiq; ab intruſis? Tu a. in tuo receſſu acceſſiſti ad intruſum, & receſſiſti ab illo, qui Canonice fuerat, nullo dubitante ingreſſus. Receſſiſti à Vicario Chriſti, & acceſſiſti ad Vicarium antichriſti. Acceſſiſti ad eum qui aliunde aſcendebat vt latro, & receſſiſti ab eo qui per oſtium intrauit vt Paſtor. Acceſſiſti ad eum qui in nomine proprio veniebat, & receſſiſti ab eo qui venerat in nomine Chriſtiano. Acceſſiſti vt tu ipſe dicis ad Ciuitatem Piſarum, vbi tunc erat ſedes Sathanæ; & ibi Fratres quorum animas in cura te dicere habebas, habere faciebas ab antipapa officia & dignitates Eccleſiaſt. acceptare quorum conſecrationi ſeu potius execrationi, inunctioni vel verius fœdationi ſicut impudicus leno, fornicationum & fœditatum ſpiritualiũ aſſiſtebas. Ergo non fuiſti iſtorum fidelium, & ſanctorum virorum exempla ſecutus, qui homines intruſos abhorrent, & fidei deuotione Paſtoribus in ouile Dominicum canonice ingreſſis adhærent. Ideo os tuum, contra te locutũ eſt; dum pro te exempla induxiſti. Sed vtinam pro te faciant, ſic quod ad pœnitentiam te conuertant.*

*Cum a. pro fictione timoris allegas, quod ex his quæ ſæpedictus ſanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dom. D. Papa dixerat & fecerat, ac ex aliis plurib. coniecturis manifeſte perpendiſti, quid ipſe Dominus intendebat te compellere ad abnegandam dictam determinationem Capituli Generalis. Nonne recordaris, quod propter huiuſmodi fictionem Capitulum quod Pariſiis conſtitueras celebrandum, ad Conuentum Lugdunen. ſubito tranſtuliſti, dicens, quod forſitan Dominus Papa, per manus Regis Franciæ intendebat ad reuocationem dictæ determinationis cogere Capitulum Generale. Sperabas n. vti dicebas. ſi huiuſmodi coactio attentari deberet, quod Fr. citius de Lugduno, quam de Pariſiis fugere, & huiuſmodi coactionem declinare valerent. Poſt hoc tamen miſer homo vidiſti, quod nec in cor Domini Papæ, nec in cor Domini Caroli tunc Regis Franciæ ẽt modicum ſuper hoc aſcenderat cogitatus. Iterum ſuper eodem ante Bononienſe Capitulum te vehementer timere dixiſti; & hac de cauſa cum tuis complicibus ad impediendum ne teneretur Capitulum totis conatib. & quib. potuiſti machinationibus laboraſti. Tamen ſicut rei declarauit euentus, Dominus Papa qui paterno affectu illi ſcripſit Capitulo, nullam fecit, nec cogitauerat ſuper hoc facere mentionem. Simili modo ante Capitulum per me Pariſiis celebratum, & ante Capitulum Perpiniani nouiſſime celebratum, tu, & tuorum mandatorum complices laboraſtis, falſas per ordinem ſcriptitando li-*

teras

teras ſeminare, quod in illis Capitulis ſtatus noſter vel Regulæ noſtra mutari, vel illa tua determinatio ſæpius cum mala memoria repetita reuocari deberet. Et per talia pernicioſa mēdacia, & ſuſpicioſa iudicia tu & tui complices præmemorata Capitula perturbare inaniter attentaſtis. Sed per Dei gratiam tuis tuorumq́; fallacibus machinamentis non obſtantibus, præfata Capitula ad honorem Dei & vtilitatem Ord. ſunt celebrata. Vnde igitur, in cor tuum tales falſæ ac timoroſæ ſuſpiciones aſcendunt, niſi quia charitas quæ foris mittit timorem, tuum animum non ſubintrat? & ideo in te, & in tuis complicibus vaticinium illud impletur; Timuerunt timore, vbi non fuit timor. Timuiſtis n. mendaciter, vbi nec apparenter, nec aſſiſtenter fuit cauſa timoris.

Quod autem argumentis vaniſſimis innitaris luculenter apparet: tum cum vis tuam apoſtaticam fugam, ēt Chriſti conſilio colorare. Dicis quod Papa te, tuosq; ſequaces perſequebatur vſq; ad mortem. Ideo iuxta conſilium Chriſti dicentis; Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite ad aliam, in ciuitatem Piſarum te tranſtuliſti. Sed verecundari deberes tu qui confidis te Ducem eſſe cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, Magiſtrum infatuatorum, habentem formam ſcientiæ qui Doctor cognominaris Theologiæ, quod ita ſcripturam accipias, quod taliter arguas. Legis enim, ſi codicem verum habes Matthæi 10.

Cum autem perſequentur vos in ciuitate iſta: non dicit vna, ſed iſta, de qua ſcil. ſermo præceſſerat, vbi Dominus dixerat. Quicumq; non receperit vos, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerē de pedibus veſtris. Vbi enim peregrinum Ciues non recipiunt, nec audire volunt, ſed de ciuitate ſua illum expellunt, vtiq; perſequuntur. Et de tali ciuitate ſuadet Dominus, quod Prædicatores verbi Dei exeant, & in aliam tranſeant fructum facturi ſalutis. Tu tamen in ciuitate Auinionenſ. receptus fueras, expulſus non fueras, imo quod non recederes iuſſus fueras. Coram Domino Papa prædicaueras, de fide auditus, & audiendus eras, locum conuenientem habitationis, ſufficientiamq; victus, libertatem prædicandi, & facultatem loquendi, & conſiliandi cum quibus velles habebas. Dicat ergo tua nequam conſcientia, ſi in tali caſu iubet vel conſulit Dominus fugere, & ad aliam ciuitatem ire nonne dicit, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum? Quia ergo ꝓpter tuam nō iuſtitiam ſed iniuſtitiam puniri timebas de Chriſti conſilio, nec de Chriſti promiſſis curaſti, ſed vt videtur, ad memoriam reduxiſti verba B. Petri dicentis: Nemo veſtrum patiatur quaſi homicida, aut fur, aut maledictus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat. Quia ergo de fide interrogari erubuiſti, euidenter vtiq; demonſtraſti, quod non vt Chriſtianus, ſed vt maledictus pati timebas: nec iuxta conſcientiam Pauli, cui te comparas aufugiſti. Qui de ſe aliiſq; Apoſtolis proteſtatus dicens: vſq; in hanc horam eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus & laboramus operantes manib. noſtris: maledicimur, & benedicimus, perſecutionem patimur & ſuſtinemus. Nunc igitur conſidera, quod ex apoſtaſia inexcuſabili factus eſt homo apoſtata vir inutilis, qui graditur ore peruerſo, qui prauo corde machinatur malum, & in omni tempore iurgia ſeminat, huic extemplo veniet perditio tua, & ſubito contercetur, nec habebit vltro medicinam. Quod autem appellationis tuæ pallium, ſub quo rebellionem tuam ſchiſmaticam valere conaris, ſit inane & vacuum, patenter apparet, conſideranti cuilibet eum qui appellat, & eum contra quem appellat, & iudicem quem appellat. Tu autem appellaſti realiter, non vt perſona publica; quia Ordo appellationem tuam non approbat nec commodat, ſed potius improbat & condemnat, ſed vt perſona priuata attentaſti facere quod feciſti. hoc autem modo feciſti te perſonam hæreticam, prout conſtat per literas tuas, vt in proceſſib. contra te habitis in nouiſſimo noſtri Ordinis Generali Capit. declaratur. Perſona autem hæretica ſecundum Canonicas ſanctiones appellare non poteſt, nec admitti appellatio eius debet. Tu autem qui decretales & decretum frequenter allegas, iſta melius noſſe deberes.

Sed audi cauſam, quare omnis hæretici appellatio non dēt admitti: quia vt Paulus ait, ſubuerſus eſt, qui hæreticus eſt, & delinquit proprio iudicio condemnatus, ad Titum 3. Cap. Perſona vero contra quam appellaſti, eſt ille, qui non habet ſuperiorem in terris. Propter quod de iure ab ipſo appellari non poteſt. Exemplum habetur ſuper hoc, quia Paulus à Feſto Præſide, volente ſe Iudæis tradere, ſed non à Nerone Imp. volente ſe morti tradere appellauit: quia nullus Nerone, ſed non Feſto tunc temporis temporaliter ſuperior apparebat. Appellaſti quoq; ad illam Eccleſiam, quam tu in tuis literis, quas ad diuerſas partes Ordinis direxiſti, pronunciaſti, aſſeruiſti, & denunciaſti eſſe hæreticam, & per conſequens omni poteſtate iudiciaria deſtitutam. Quare appellatio tua nullum potuit, nec debuit habere vigorem. Sicut ergo ſchiſmatica rebellio Dathan, & Abiron, Chore, ſuorumq; complicum per appellationem excuſari non potuit, ſic & tua rebellio non eſt excuſabilis ſed plectibilis ignibus ſempiternis. Zelus autē tuæ fictæ fidei, ad tuorum excuſationem errorum fore falſiſſimus euidenter declaratur. Tum quia veræ fidei verus zelus in cauſa fidei non facit fugere, ſed pro defenſione fidei explicare. Vnde zelus tuus qui te ad fugiendum induxit, demonſtrat aperte, quod opinionē tuam, Euangelicam eſſe ſententiam minimè reputaſti. Tum quia Zelus fidei non quærit ſuper adinuentione mendoſa fundari, ſicut tu viam tuam ſuper multis mendaciis & adinuentionibus falſis, ſæpe fundaſſe probaris. Tum quia temeritate alias inaudita, de libello per Dominum Papam contra dicta tua & ſectam tuam edito, te dicis per horas 12. collegiſſe errores, inter quos enumeras nonnullas Euangelicas & Propheticas ſententias, ſicut in illo libello in pluribus paſſib. demonſtratur aperte. Sed quia tu ad rationes & allegationes, & ad auctoritates contra tuam inſaniam per Dominum Papam inductas, non reſpondes, nec reſpondere potes; nec contra ſophiſticarum tuarum rationum reſponſiones indicas replicas, nec replicare attentas, non oportet quod nos qui videmus, ſicut tu videre videris tibi fore manifeſte concluſum, contra rationes & reſponſiones huiuſmodi, præter neceſſariis diſputationibus laborare. Propter quod nequaquam à nobis petere debuiſti, vt oſtenderemus tibi, an dicta Domini Papæ concordarent cum Euangelica veritate: & an dicta tua ab ea in aliquo diſcordarent. Hoc n. ſufficienter & euidenter oſtenſum eſt tibi. Si tamen aliquam rationem pro tua fundata opinione proferres, vel rationum & auctoritatum contra tuas inſanias inductarum ſolutionem vel apparentem reſponſionem: parati ſumus iuxta B. Petri conſilium, ad ſatisfactionem faciendam tibi & omni poſcenti nos in cauſa fidei rationem. Sicut ergo nec Fidei, ita nec religionis, nec Regulæ zelum habuiſſe probaris. Quomodo n. Zelaſti pro Regula, enormiter veniens contra primaria Regulæ fundamenta? Tu namq; iugum obedientiæ ſicut bos indomitus impudentiſſime reieciſti. cum tamen ſanctiſſimus inſtitutor noſtri Ord. B. Franciſc. dicat in principio Regulæ: F. Franciſc. promittit obedientiam & reuerentiam Domino Papæ Honorio, ac ſucceſſoribus eius Canonice intrantibus & Eccl. Rom. Et in fine, ſemper ſubditi & ſubiecti pedibus eiuſdem S. Romanæ Eccleſ. paupertatem, & humilitatem, & S. Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod firmiter promiſimus obſeruare. Conſtat autem vniuerſitati fidelium, ſæpedictum ſanctiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Ioannem XXII. Canonice quidem fuiſſe Apoſtolicam ſedem ingreſſum, & illam Rom. Eccleſ. cui Domino diſponente noſcitur ipſe præeſſe. Tu vero infelix infeliciter contra Regulam quam profeſſus fueras, ab eius obedientia receſſiſti, & vocem Eccleſiaſticam atq; Euangelicam obedienter audire minime voluiſti. Item contra votum paupertatis, proprietarius fuiſti, & alios plurimos proprietarios feciſti. Sicut n. eorum qui tui dudum fuerunt complices, concors relatio iuramento firmata confirmat, quod tu pecuniam ad Monacum in camera tua tenes, & pecuniam immediate manib. Fratrum, quos pro tuis mittis negotiis exhibes, vel interdum exhiberi facis. Non obſtante quod Regula noſtra clamat: Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per ſe, vel interpoſitam perſonam. Vnde Franciſcus de Æſculo tuæ iniquitatis complex pergens de Cunis verſus Monacum, inuentus eſt ſuper ſe immediate portare octuaginta florenos. Sed quia nequaquam de bono iure fuerunt, prædones eos diuino iudicio, rapuerunt: vt expropriationem quam non ſeruabat voluntarius, ſeruaret inuictus. Contra caſtitatem quoq; cum iuuenes, qui per te decepti tuis erroribus adhæſerunt, ſæpe mittis per mundum ſine habitu, & ſine ſocio, cum pecunia & gladio, in argumentum certiſſimum, quod nihil penitus curas de caſtitate eorum. Dicas ergo, inſenſate, nunquid non erubeſcis? Nonne confunderis dicens, te pro noſtri Ord. perfectione & puritate zelare, qui notorie contra obedientiam, contra paupertatem, contra caſtitatem, quas in profeſſione vouiſti, iugiter cum tuorum ſcelerum complicibus operaris? Cum a. dicis te inuitum Generalis miniſtri officium exercere: Vanum eſt de te tam falſa tamq; notoria diſputare.





Manifeſtum eſt enim non ſolum animis verum etiam oculis hominum, quod tu Generale Miniſterium non exerces. Quia nec generalis communitas Ordinis tibi paret: nec tu Capitula celebras: nec Miniſtros inſtituis, vel confirmas, nec cætera facis, quæ ad curam Generalis Miniſtri noſcuntur pertinere. Quod autem ex te impudenter attentas, certum eſt quod ſumme voluntarius & nequaquam inuitus vſurpas. Cumq; dicis quod Pariſien. Capit. te ab officio deponere non potuit: tum quia plurium Miniſtrorum ibidem Congregatorum inſtitutio legitima non fuit: tum quia dictum Capitulum te depoſitum eſſe ſupponit: tum quia in deponendo te, te non eſſe ſufficientem ad communem vtilitatem Frat. non pronunciauit. Ad hoc reſpondere debet conſcientia tua, quia inſtituti per Reuerendum in Chriſto Patr. & Domin. Dominum Bertrandum de Turre Epiſc. Tuſculanum tunc General. auctoritate Apoſt. noſtri Ordin. Vicarium fuerunt vtiq; per ſuas prouincias acceptati, & per communitatem Ordinis ad vniuerſos miniſteriales actus admiſſi. Si vero vis negare quod per vniuerſam Eccleſiam & vniuerſum Ordinem affirmatur, vade ad primum Perihermenias, vbi dicitur: quod quicquid contingit affirmare, contingit negare. quia pro te non potes melius argumentum afferre. Deinde vide, ſi Miniſtri & cuſtodes ſufficientem te iudicauerint ad vtilitatem Ordinis, aut non eſſe ſufficientem, cum te iudicauerint eſſe malitioſum, inhabilem ad omnem gradum & officium Eccleſiaſt. iuſte depoſitum & merito confundendum. Hæc autem in inſtrum. depoſitionis tuæ habentur, quæ tibi ſufficere pro demonſtrandis tuis inſufficientia & inutilitatib. debuerunt. Deinde ſi Capitulum, depoſitum te eſſe ſuppoſuit: quod te Regularem inſtitutionem ſequendo, depoſuit, abundantia iuris fuit. Quod conditionaliter offers te, appellationibus renunciaturum & officio, ſi tibi oſtenderimus. Dominum Papam concorditer loqui Euangelicæ veritati, & te ab ea in aliquo deuiare putamus & certi ſumus, quod ſufficienter tibi oſtendimus te multipliciter deuiaſſe: Et quod Dominus Papa ſufficienter demonſtrauerit, ſe veritatem Euangelicam tenuiſſe. Hoc autem tibi dicimus in verbo Domini, quod multo plus optaremus, quod renuntiares vitio quam officio, plus peruerſitatib. quam appellationibus; quod ſponte redires ad pœnitentiam, quam violenter ad pœnam. De illis a. vel nobis, vel parum curamus; hoc cordialiter expectamus, cuius rei gratia per præmiſſa non ſimpliciter contriſtari, ſed ſalubriter ad pœnitentiam volumus contriſtari. Vnde ex nunc tibi, quem Paſtorem, Prælatū & Patrem charum habuimus fideli charitate offerimus ſi ad obedientiam Domini noſtri ſummi Pontificis, Eccl. ac noſtri Ordinis pœnitenter ac humiliter redire volueris, quod nos pro impetrāda gratia fideliter laborare intendimus. Spem namq; firmam habemus, quod ſæpedictus Dominus, ſi ad eius miſericordiam fideli animo, corde contrito redieris, maiorem tibi gratiam faciet, quā tu met credere vel exiſtimare vales. Ad hoc n. ex ipſius factis & dictis colligimus argumenta: quare nullo modo ex ipſius miſericordia & benignitate diffidas.

Poſtremo, cum rogas, quod te & tuos complices perſequi deſiſtamus, allegans quod tu & tui murum opponitis pro domo Iſrael. Ad hoc dicimus, quod non pro domo Iſrael, ſed pro domo Iſmael de vobis ſicut de lapidibus mortuis & in idola figuratis facitis vilem murum. Et ideo perſequi vos deſiſtemus, ſi vos peruerſe agere deſiſtatis. Sed quamdiu ad Ordinis ſubuerſionem laboratis: quamdiu Magnifici viri Domini Ludouici de Bauaria, cui ad eius damnum aſſiſtitis, aures decipere, & ab Eccl. vnitate auertere non ceſſabitis, nos à veſtra perſecutione intendimus non ceſſare. Tandem ſi ceſſaueritis, & rectum Saluatoris iugum obedientiæ reaſſumere volueritis, nos quidem promptos adiutores habebitis ac amicos. Deus autem qui non vult mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur & viuat, vos à finali & obſtinata impœnitentia præſeruare dignetur. Amen. Dat. Perpiniani poſt definitionem Gen. Capituli Anno Dom. M. CCC. XXXI.

II. Hæc Gerardus Miniſter Generalis Ord. Minorum, F. Michaeli apoſtatæ vt eum ad ſenſum cōuerteret ſcribebat. Cum iam ſententiam deffinitiuam in eodem & in præcedenti Pariſienſi Capitulo Generali contra eum pronunciaſſet. Eam placuit adſcribere, quod & mores F. Michaelis luculenter depingat, & Ioan. ſummi Pontificis innocentiam, contra calumniatores, etiam huius temporis euidenter oſtendat. Ita habet.

SENTENTIA IN

Vniuerſis & ſingulis præſentium notitiam habituris, Fr. Gerardus Odonis F. Minorum Generalis, & Prouinciales Miniſtri, ac alii Deffinitores Generalis Capituli Ord. ipſius, apud Perpinianum Anno Dom. M. CCC. XXXI. celebrati ſalutem, & fidem præſentib. adhibere.

CAP. GENER. ORD. MIN. CONTRA MICHAELEM APOST. LATA.

Operarii ſubdoli, miniſtri Satanæ, & pſeudoapoſtoli, in Angelos lucis, Miniſtros Chriſti, miniſtroſq; iuſtitiæ ſe interdum teſte Apoſt. transfigurant. quum ſic colore ficti, ſub ſpecie boni & apparentia falſa veri, opera ſua & Diaboli patris ſui ſophiſtice colorare conantur, vt ſub ouina pelle, lupinum gerentes animum nō quod ſint, ſed quod nec ſunt, nec eſſe cupiunt, eſſe hominib. videantur. Cuius rei gratia veritatis voce monemur, vt à talib. falſis prophetis venientib. ad nos in veſtimentis ouium attendamus. Nunc autem proh dolor, ſicut diuina permiſit iuſtitia, ſicut hoſtis antiqui fallax ingeminat aſtutia, & ſicut ipſorum pſeudoapoſtoli, talesq; miniſtri Sathanæ non ſine noſtris confuſionibus & opprobriis ſunt inuenti. Nam infelices & reprobi, Michael de Caſina Ordinis memorati olim Generalis, & Henricus de Tabalen in ſuperiori Alamania prouincialis olim, nunc autem iniquitatis nefandæ miniſter, & Franciſc. de Æſculo & Guillelmus Ocham presbyteri, & Bonagratia de Bergamo Conuerſus ſeu potius ex rei proprietate peruerſus qui ex nobis & ab Ord. noſtro exiuerunt. Licet ſecundum electionem noſtri non fuerint, manſiſſent enim vtiq; nobiſcum. Sed ſunt operarii ſubdoli, doloſe quidem conſcientia & obedientia poſtpoſitis operantes, miniſtri Sathanæ, ad ipſius perficienda deſideria laborantes, & reuera pſeudoapoſtoli, Apoſtolicæ ſedi & Domino Apoſtol. inſanis animis aduerſantes. Propter quod in noſtro Generali Capitulo Anno Dom. M. CCC. XXIX. Pariſiis celebrato, aduerſus ipſos pſeudofratres proceſſum habuimus, ſicut in literis mei Generalis miniſtri inde confectis plenius continetur, quarum tenor talis eſt.

Vniuerſis præſentium notitiam habituris, F. Gerardus Odonis F. Minorum Generalis Miniſter & ſeruus, ſalutem in eo qui eſt vera omnium ſalus.

Euangelica veritas ore deprompta Saluatoris proclamat: Si quis Eccl. non audierit ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Quia ergo F. Michael de Caſena olim Deo permittente memorati Ord. Generalis Miniſter, nunc autem procurante Diabolo, tamquam diffidentiæ filius ſpiritu rebellionis & contumaciæ deprauatus, & ab officio miniſterii ſui quidem exigente contumacia depoſitus, necnon & aliqui ſuæ religionis complices, puta F. Bonagratia de Bergamo, & Guillelmus Ocham Anglicus, & F. Franciſcus de Eſculo S. Theologiæ Doctor indoctus, & quidam alii in iſtorum errorem inducti, Petrus ēt de Corbaria prædicti Ord. noſtri profeſſor fictus & falſus, antichriſtiana impietate in antipapam intruſus, & per dilectum in Chriſto Frat. Ioannem Miniſtrum in Prouin. Rom. prius pro ſuis demeritis excommunicatus, & ad pœnam perpetui carceris ſententialiter condemnatus ſalubrem S. R. E. & religionis ſuæ vocem audire, propriæ ſalute relicta, & Saluatoris auctoritate contempta, condemnant: hinc eſt quod ego præfatus Miniſter Generalis in Generali Capitulo Pariſiis A. Dō. M. CCC. XXIX. in Pentecoſte celebrato, matura cum Prouinc. Miniſtris & cæteris Deffinitoribus ipſius Capituli deliberatione præhabita, de ipſorum Miniſtrorum & Deffinitorum concordi conſilio & conſenſu vnanimi, proteſtatione præmiſſa proceſſibus S. Patris & Dom. D. Ioannis Papæ XXII. veri in terris Vicarii Ieſu Chriſti, ac proceſſibus Reuerendi in Chriſto Patris Dom. Bertrandi Epiſc. Tuſculani & ſæpe dicti Ord. noſtri dudum auctoritate Apoſt. Vicarii Generalis, non intendebam in aliquo derogare, ſed eos tamquam iuſtos & ſanctos pro viribus imitari, conuocato communi ex more Capitulo, & ad ipſum cunctis admiſſis Fratribus, qui poterāt intereſſe, ſedens pro tribunali in domo noſtri Capituli ante clauſtrum, memoratos rebelles pronunciaui, & declaraui, excommunicat. priuationiſq; pœnas, tamquam notorios & manifeſtos apoſtatas incurriſſe, quæ per generalia Ord. noſtri ſtatuta, Fratribus ab obedientia ipſius Ord. ſe ſubtrahentib. & apoſtatantibus eſſe noſcuntur inflictæ. Inſuper in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis prædictis inhibui, & mandaui vniuerſis Fratribus Ordinis noſtri ſæpe dicti, ne ipſorum aliquis prædictis Fratribus Michaeli, vel Petro, qui dicitur antipapa obediat, adhæreat, vel faueat vllo modo; ſed nec eiſdem vel eorum complicibus aliquo modo per ſe, vel per alium præſtet, directe vel indirecte, mediate vel immediate, verbo vel ſcripto, publice vel occulte, protectionem vel defenſionem, ſubſidium, conſilium, vel fauorem. Et has inhibitionem & iuſſionem, præſentium tenore replico & confirmo. Et

*ſi quod abſit, per aliquem vel aliquos contrarium, harum inhibitionis & iuſſionis attentatum vel actum fuerit vllo modo, ego talem vel tales Canonica monitione præmiſſa, pœnas prædictas excommunicat. & priuationis ipſo facto incurriſſe decreui, & iterum præſentiu n tenore decerno. Cæterum ne de prædictis inhibitione, iuſſione, pœnis & priuationib. poſſit ſe per ignorantiam excuſare, & occaſionem accipere non redeundi ad obedientiam ſalutarem, prædictis prouincialibus Miniſtris in virtute obedientiæ ſalutaris diſtricte præcepi, prout de ipſorum Deffinitorum & aliorum Fr. Conſilio & aſſenſu fuerat vnanimiter deffinitum, quod ſinguli in ſuarum prouinciarum Capitulis more Canonico prædictos rebelles citent, & citari faciant, vt infra tres menſes ab ipſis citationibus computandos, coram me vel coram ipſis humiliter compareant iuriſdictioni noſtri Ord. parituri, aut iuſtitiam cum miſericordia recepturi, ne in ſua duritia perdurantes infelici fine damnabiliter concludantur.* Act. & dat. loco, & tempore ſupradictis.

*Nunc autem in præſenti Generali Capitulo manifeſte videntes, quod prædicti pſeudofratres, Michael, Henr. Franc. Guillelm. Bonagratia & eorum complices, ſuæ ſalutis immemores, per quamplures ex noſtris prouinciales Miniſtros in prouincialib. Capitulis, iuxta præmiſſum mandatum legitime citati, & ad comparendum per biennium expectati, & in noſtro præſenti Capitulo pluries & publice proclamati, in ſua contumacia perdurantes comparere per ſe vel per alium contempſerunt, & adhuc comparere contēnunt; Nos igitur contumacem inobedientiam, rebellem apoſtaſiam, diuturnam impœnitentiam & obſtinatam malitiam attendentes in ſcandalum puſillorum fidelium, & in noſtræ religionis opprobrium redundare, & niſi legitimis ferantur ictibus, amplius poſſent Fidei Orthodoxæ nocere, matura deliberatione præhabita; & proteſtatione præmiſſa ſuperius annotata, duximus ipſorum pſeudofratrum audaciæ Canonicis pœnis & ſententiis opportunis iuris remediis obuiare. Præſertim quia ſicut dilectus in Chriſto Fr. Paſtor dudum Miniſter in Prouincia Prouinciæ, in noſtra præſentia conſtitutus propoſuit, quod præfati: Michael, Henr. Franc. Guillelmus & Bonagratia, in Diuinæ Maieſtatis offenſam, & in SS. Roman. Eccleſ. quantum in eis eſt detrimentum, & in non modicam noſtri Ord. iacturam tamquam hæreſiarchæ ſeminauerant hæreſes, & velut Archiſchiſmatici diuiſiones procurauerant, & ſchiſmata; & ſicut crudeles homicidæ, fratricidæ, ac matricidæ, proſcriptiones, captiones, & tormenta contra prælibatos prælibati Ord. conſpirantes ſuis procurauerant Fr. & religionem noſtram matrem ſuam voluerant euertere. Quod enim ſeminant hæreſes patenter apparet ex diuerſis ſcedulis & literis, per præfatum Michaelem perſonis pluribus & communitatibus ad diuerſas partes directis, quas vidimus, tenuimus & legimus, ac legi audiuimus & examinari per quamplures S. Th. Doctores, & alios in Theologia peritos fecimus. Ex quibus euidentius colliguntur errores plurimi, qui noſtro, & dictorum Doctorum, ſeu verius vniuerſalis Eccl. ſ. iudicio, hæreticales merito ſunt cenſendi.*

ERRORES SIVE HÆRETICÆ MICHAELIS APOSTAT. ASSERTION.

*Primus eſt, quod Imper. poteſt Papam deponere & depoſitum declarare.*

*Secundus eſt, quod Clerus & populus vrbis Romæ, poteſt Papam deponere, & depoſitum declarare.*

*Tertius eſt, quod illud alias inauditum facinus, quod aduerſus ſanctiſſimum Patrem & Dominum, Dominum Ioan. Papam XXII. in vrbe prædicta, per aliquos perditionis & diffidentiæ filios, de facto attentatum extitit, de iure, ac legitime actum fuit.*

*Quartus eſt, quod Conſtitutiones per Romanum Pontificem Canonicè intrantem editæ, de conſilio ſacri ac fidelis Collegii Dominorum Cardinalium ſunt hæreticæ.*

*Quintus eſt, quod obedire illi, cui vniuerſalis Eccleſia obedit, eſt animam damnare, & ſe hæreticum confiteri.*

*Ex eorum quoq; fructibus & artibus, ex quibus cognoſcuntur falſi prophetæ, declaratur ipſorum hæreſis. Quoniam tempore quo præfatus Petrus de Corbaria, dudum ſacrilegus antipapa, pro vero Papa damnabiliter ſe gerebat, prædicti Michael, Guillelmus, Franciſcus, Bonagratia, in ciuitate Piſana, Petro tunc hæretico manifeſto adhæſerunt: ipſum pro ſuæ confirmatione prauitatis hæreticæ informarunt, conſilium, auxilium, & fauorem præſtantes eidem: in tantum quod ipſe Michael pro Generali Miniſtro ſe gerens, pluribus noſtri Ord. Fratrib. præcepit, quatenus à ſæpe dicto Petro antipapa reciperent Eccl. dignitates, & cum conſecrarentur vel potius execrarentur, & dum pro Clericalibus dignitatibus ſeu verius indignitatibus inungerentur, vel potius fœdarentur, dicti Michael, Guillelmus, Franciſc. & Bonagratia cum dānatis hæreticis, & eis, qui à ſæpius repetito antipapa Eccleſiaſticas dignitates ſuſceperant, & cum noſtri Ord. apoſtatis conuerſantur, & habitant, conſiliantur & tractant, ſeu verius machinantur, & ad euerſionem ſtatus Eccleſiaſtici, & Fidei Orthodoxæ laborant. Quod autem diuiſiones procurant ac ſchiſmata, veridica fama, ſeu potius infamia vniuerſis pene fidelibus declarauit. Nam & ipſi ab Eccleſiaſtica vnitate, & à noſtri Ord. Societate diuiſi, ſciſſuram quam temere inchoarunt, damnabiliter totis viribus ampliare contendunt, ad diuerſas partes perſonis religioſis & ſæcularibus ſcriptitantes, & ne Romano Pontifici vero & vnico in terris Chriſti Vicario, vel præfato Generali Miniſtro pareant & obediant, vanis & falſis inductionibus ſuadentes, Iudam Galilæum, qui olim in diebus profeſſionis auertebat populum poſt ſe, & ne obedirent Romano Principi ſuadebat, totis conatibus imitantes. Quod autem conſpirationes, ad Fratrum proſcriptionem, captionem & tormentorum afflictionem faciant, euidentia rei quæ per eos in Bauaria & vicinis partib. agitur, manifeſtat. Nam per gentes Ludouici de Bauaria iam fecerunt capi & torqueri Fr. Corradum de Monacho quondam cuſtodem Bauariæ, ipſumq; per violentiam & anguſtiam tormentorum negare fidem ſedis Apoſtolici ſaltem ore compelli.*

*Nos ergo præmiſſa ſcelera diſſimulare oculis conniuentibus non valentes, proteſtatione ſuperiori iterum repetita, videlicet proceſſibus SSmi. Patris & Domini Ioannis, diuina prouidentia Papæ XXII. non intendimus per iſtos proceſſus in aliquo derogare, ſed eos tamquam iuſtos & ſanctos intendimus pro virib. imitari; ſed per iſtos proceſſus intendimus quantum in nobis eſt, & quantum nobis competere poteſt, offenſam Domini noſtri Ieſu Chriſti, & tius in terris Vicarii Eccleſiæ ſacroſanctæ, & noſtri Ord. legitimis vltionib. vindicare. Quapropter in die Deffinitionis præſentis Capituli Generalis, in domo Materialis Capituli ante clauſtrum, pro tribunali ſedentes, admiſſis quibuslibet qui volebant & poterant intereſſe, auctoritate priuilegiorum noſtro Ord. à ſede Apoſt. indultorum, præfatos Michaelem, Henricum, Franciſcum, Guillelmum & Bonamgratiam, in præmiſſis erroribus erraſſe, & hæreſes contraxiſſe, velut hæreticorum fautores, hæreticos, & hæreſiarchas; & in præmiſſis Eccl. ſacroſanctæ & Ord. noſtri diuiſionib. & rebellionib. ſchiſmatiſaſſe, tamquam ſchiſmaticos, & Archiſchiſmaticos, in prædictiſq; conſpirationibus, proſcriptionum, captionum, & tormentalium afflictionum aduerſus Prælatos, & alios noſtri Ord. Fr. coniuraſſe, tāquam crudeles homicidas, fratricidas & matricidas finaliter condemnamus; priuantes eoſdem noſtri Ord. priuilegiis, gratiis & beneficiis, habitu, conſortio, & fauore; & eoſdem ad perpetuum carcerem iudicantes, & velut tales dignos & obnoxios præmiſſis pœnis proſecuti ſententia declarantes. Præterea Vniuerſis noſtri Ord. Frat. & perſonis quibuslibet noſtræ iuriſdictioni ſubiectis, in virtute obedientiæ ſalutaris, & ſub pœna excommunicationis, quam in huiuſmodi mandati tranſgreſſores ferimus in his ſcriptis, diſtricte præcipiendo mandamus, ne prædictis hæreticis, ſchiſmaticis & rebellib. vel eorum complicibus præſtent directe vel indirecte, publice vel occulte, per ſe vel alios, verbo vel ſcripto, conſilium, auxilium, vel fauorem. Vniuerſis vero & ſingulis Cuſtodib. & Guardianis Conuentuum, in virtute obedientiæ ſalutaris iniungimus, quatenus ſæpe dictos Michaelem, Henricum, Franciſcum, Guillelmum & Bonamgratiam qualibet hebdomada præſentibus ſuis Conuentibus publice denuncient, vt præmiſſum eſt, priuatos & excommunicatos, & ſententialiter condemnatos. Vt ſi forte eorum facies impleta fuerit ignominia, aculeoſq; contritionis eorum nunc excæcata ſenſerit conſcientia quærant in confeſſione & pœnitentia nomen Dei. Act. & Dat. loco & tempore ſupradictis.* ex MS. biblioth. Vatica. nu. 4008.

III. ALIÆ PONTIF. SANCTIONES CONTRA FRATRICELLOS HÆRET.

Hac ſententia percuſſi hæretici, tantum abeſt vt dolorem ſalutarem doluerint, vt magis ad excuſandas excuſationes in peccatis conuerſi, per tergiuerſationes & nouas impoſturas, in ſui Ordinis prælatos, & in ſummum Pontificem ſurrexerint: adeo vt Ioannes ſummus Pontifex neceſſe habuerit, tum *trigeſimam octauam*, tum *ducenteſimam quinquageſimam nonam* numero, ſanctiones, contra Fratricellos, aduerſus determinationem ſedis Apoſtolicæ dogmatizantes, promulgare.

Ludoui-



BAVARI CONATVS CONTRA PONTIF.

Ludouicus Bauarus interim in Germaniam redux, apoſtatarum perſuaſionib. commotus, inprimis contra Ioan. Pont. literas calumniis & impoſturis refertas, nec non errorib. & hæreſib. aſperſas euulgabat: deinde Vrbes fidem & imperium illius detrectantes, ſub iugum mittebat, atq; pœnis imperialib. propoſitis, ad obediētiam compellebat. Iuuabat Bauarum literas Pont. in quibus illum à Petro Corbario conſecratum fuiſſe, exſcriptor per errorē ſcripſerat, demonſtrare tum cum alii alias vitiatas, in rem ipſius oſtenderēt. Itaq; , ne officio ſuo Pont. deeſſet, aduerſus quoſcumq; hæreticos, & diplomata Pontificia vitiantes, vel vitiatis ſcienter vtētes pœnas grauiſſimas decreuit. *ep.* 231. deinde oēs & ſingulas pœnas à Ludouico in quaſcumq; vrbes, Communitates, ac perſonas ſingulares prolatas irritauit, eamq; rem tum Archiepiſcopo, tum Camerario Moguntino, tum Iudicib. omnib. & Ciuibus, præſertim Moguntinis ſignificauit, eoſq; propoſitis priuilegiis & indulgentiis ampliſſimis, aduerſus Bauarum excitauit: cum etiam Hen. Ducem Auſtriæ, vt Fr. ſuum Otthonem Auſtrium à communione Ludouici retraheret, admonuiſſet. *epiſt.* 260. *& aliis in regeſt. huius anni.*

IV. REX SICIL. ET ALII ITALIÆ PRINCIPES IN SVSP C ONEM VENIVNT FOEDVSQVE ICIVNT VT BOHEMVM ITALIA EXCEDERE COGANT.

In Italia, cum Ioanni Boemiæ Regi omnia feliciter ſuccederent, inq; eius poteſtatem ciuitates vltro concederent, neq; Cardin. Bertrandus Pontificius Legatus, quicquam ei pro Pontificiis obſiſteret; quinimo ad diē 16. Apr. in colloquium cum eo apud Caſtrum Francū veniens, ad multas beneuolentiæ ſignificationes, etiam amplexu & oſculo Boemum à ſe abeuntem dignatus fuiſſet; Longobardiæ Princ. nec nō Robert. Siciliæ Rex, vna cum Florentinis in ſuſpicionē venerunt; quaſi non conniuente ſed annuente Pontifice, Ioan. in Italiam penetraſſet, eaq; vniuerſa vel ſuo, vel Rom. ſedis nomine potiri decerneret. Excuſauerit a. licet Pontifex, Florent. miſſa epiſtola, ſe inſcio, nihilq; cogitante Ioan. in Italiam deſcēdiſſe: metum tamen quem propter ſimulationem, ex occultis Legati & Boemi colloquiis, & ex tot mutuæ beneuolentiæ indiciis conceperant, excutere non potuit, quin illi rebus priuatis conſulerent, fœdereq; percuſſo ſeſe deuincirent. Itaq; 6. Id. Aug. Robertus Siciliæ Rex, Florentini, Vicecomites, Scaligeri, Gonzagæ, Aretini, Societatem iniuerunt. Hic totius prope Italiæ conſenſus, quod ſingulorum nimium intererat, vſq; adeo firmus extitit, vt excluſi eo fœdere, nullo Guelforum aut Gibellinorum diſcrimine hoſtiū numero haberentur. quippe neceſſitas, quoad viguit, ſua vi, ex ipſorum animis, ardens illud ſtudium factionum omnino expulerat. Id primum ſocii ſtatuerant, vt Robertus, in Boemos incitaret Carolum Pannonium nepotem ſuum, ac Ladislaum Polonum Pannonii ſocerum: quibus ſuſpicabantur haud difficulter acceſſiturum Ludouicum Bauarum, vtpote grauiter ab Ioan. læſum tot interceptis oppidis, quæ ille Rom. Imp. ſubiecerat: ſic rati, dum Ioan. per hunc modum cogeretur aliena dimittere, ne ſua amitteret, præſentib. ſeſe incōmodis, atq; imminentium, & quidē multo grauiorum metu liberatum iri. De induſtria quoq; ſparſerant, ſummum Pontificem, abdicato Bauaro, Comitia Imperat. deligēdo Princ. Electorib. indixiſſe: vt ea occaſione facilius Italia excederet, quo ſibi perſuadebat, ſi forte ea Comitia Imp. haberentur, aliquot ab ſe Proceres, quorum ius eligendi Imperat. foret, maxime vero patruum Archiepiſcopum Treuirorum, ſtaturum. Sagaciores, id quod aliquanto poſt euenit, ſuſpicabantur, Ioan. Boemum, permittente quidem Bauaro in Italiam deſcendiſſe, eaq; tum commoditate, tum occaſione in rem ſuā vſum, Carolum filium, quem Auinionem ſtatim à colloquio Legati, ad Pontificem, ſpecie quidē vt quæ cum Legato conuenerant, Pontificis auctoritate ſancirētur, deſtinauerat, Ioanni ſummo Antiſtiti hoc nomine oſtendiſſe, vt eum indole & virtutibus nixum, nec non affinitate cognationeq; ſanguinis Philippo Gallorū Regi iunctum: ac præterea German. Princ. propter Treuirorum Archiepiſcopum patruum i ō ingratum, & quod ſumma erat, Pontificiæ maieſtatis per quam ſtudioſum Electorib. deſignandum proponeret, tanto animoſius, quanto Ioan. ſummo Pontifici chariſſimum fore affirmare haud dubitaret. *Villan. l.* 10. *c.* 175. *&* 180. *Pigna. hiſt. Aeeſtin. l.* 4. *Leonard. Aretin. hiſt. Florent.* Ioan. Dubrauius rerum Boemicarum ſcriptor, Regis Ioan. apparatū, progreſſiones, & diſceſſum accurate deſcripſit. Placuit ad ſummam rei cognoſcendam, exſcribere, ſed cōtractim.

V. IOANNIS BOEMIÆ REGIS APPARATVS ET PROGRESSVS IN ITALIA

Itaq; Rex decem millibus armatorum in Boemia, & tribus millibus in Carinthia contractis, alpibuſq; ſine vllo ſuorum diſcrimine ſuperatis Bergomum primo aduolauit. Sperabant Bergomates auxilio ſibi affuturos, aliquos partium ſuarum fautores. Verum cum illi à ſociis dſererētur, conſilium dedendi cœperunt, hac conditione. ſi Rex deditos ditionis ſuæ faceret, non autem vt illos Brixianis Guelphis ſubiiceret. Quib. ille reſpōdit; Non in hoc ſe ad Italiam veniſſe, vt ſeruitutem ciuitatib. Italiæ, à ſe in fidem ſuam receptis imponeret, ſed vt illas à factionib. & ſeditionib. liberaret; ſublatis inde Gibellinorum & Guelphorum barbaris atq; exitialibus vocabulis. Deditum Bergomum atq; Cremam, cum Beltrand. Rom. Pont. copiarum Dux, qui eo tempore Bononiæ erat cognouit, Regem tanto ſucceſſu factionem Gibellinam à Ludouico Bauaro totis viribus ſtantem proſternere, illamq; ſub ius ac poteſtatē ſuam ſubiungere, non diſtulit, Regi, nomine Pontificis ingētia præmia, & interim vrbium quas expugnaret poſſeſſionem polliceri. Eaſq; vrbes nominauit, Mutinam, Rhegium, Parmam: ſimulq; ſuam operā cum Pontificiis copiis ad illas expugnandas obtulit, dūmodo Rex per tempus oppugnatum illas veniret. Venit, & ad Mutinam cum ſuis caſtris Beltrandi caſtra coniunxit, ſuperatiſq; munitionibus, quas Mutinenſes obiecerant, vtraq; caſtra muros iuxta poſuit, vrbemque, Guelpha parte deditionem ſuadente, obtinuit: quod diceret, ne dubiam belli aleam ſubiret, cum certum haberent Regiæ clementiæ atq; liberalitatis documentum. Rhegienſes, ſimul atq; ſigna Regis Boemiæ conſpexerunt, eiectis Gibellinis, Regem intra mœnia receperūt. Iſtud ipſum Parmenſes fecerunt. Lucā poſtea nullo fere negotio recepit: Papia ſponte ad eius imperium acceſſit: dum inter hæc in Italia, alii auctorem libertatis, alii depulſorem ciuilium ſeditionum, omnes non tyrannū ſed verum Patronū prædicarent. Hæc cum Ludouicus Bauarus intellexiſſet, vltra modum excandeſcens, Regem vt perduellem appetebat, queſtus apud Germaniæ Principes, quaſi ille ſibi in Italia imperium vſurparēt. Cumq; velut hoſtem maieſtatis reum pronūciare pararet Balduinus Treuirorum Archiepiſcopus Regis patruus excuſauit: Nihil in hoc peccaſſe ſuum patruelem, quod Brixianis, patris ſui Henrici clientibus, aduerſus Bergomates & Cremenſes opem tuliſſet: quin potius gratiam vel non minimam meruiſſe, quod Lombardiæ nonnullas ciuitates, neq; Pontificem, neq; Imperatorem dominum agnoſcētes, tyrannis reiectis expulſiſq; à tyrannide in libertatem vindicaſſet. Ergo Ludouicus, cum hac via aduerſus Ioan. Regem obtinere nihil potuiſſet, Fridericum Miſniæ, & Othonē Auſtriæ Duces, qui illi negotium faceſſerant excitauit: neq; ipſe interea ab exagitando quieuit. Miſniæ Dux filiam ei in Boemiā remiſit, quam ſibi immaturam deſponderat, inq; eius locum Ludouici filiam, vxorē duxit. Otho, de Carinthiæ poſſeſſione illi negotium fecit, quaſi Henr. illam non potuerit in Ioan. filium ſine cōſenſu Imp. transferre. Cauſam hanc in cōuentu Principum, cum Boemus, legum teſtimoniis, exēplis & rationib. aliis egiſſet; aduerſus eum Ludouicus pronunciauit: magiſq; irritauit, vt is non amplius clam, ſed palam, & diceret, & faceret contra Ludouicum. ſpe non modica concepta, poſſe Carolum filium, Electorum ſuffragiis, Imperatoriā dignitatem, adipiſci, Philippo Gallorum Rege adiuuante, quo cum nouam affinitatem contraxerat, data eius filio Ioanni, *Iuditha* filia à Friderico Miſnio reſtituta; & viciſſim Carolo ſuo filio Marchioni Morauiæ, de-

DEPRAVATA VITA IO. REGIS.

ſponſa Philippi Regis filia. Ipſe Ioan. Rex titulum Imperii non ambiuit, alteri magis rei quam huic Maieſtati aptus. Namq; ad lenitates amatorias, & ad mores externos traductus, intēperantius, interdū cum periculo ſalutis viuebat. quippe parum ſemel abfuit; quin nocte quadam amorem cum vno clientulo ſectatus, à cuſtode vigilum occideretur. Saluti vox fuit, qua agnitus incolumis remanſit. Celebre etiam ei fuerat, maiorem noctis partem in commeſſationib. exigere, alternoq; iuuenum, puellarumq; accubitu diſcūbere. alterna etiam poculorum inuitatione, ad alterius ſitim perpotare, & ante potum, alternatim quoq; nouas verborum facetias adhibere. Inerat & peregrinus habitus in nutriendis comis, in calceandis pedibus roſtratis calceis, in veſtiendo corpore palliolis, vix dimidias nates tegētibus. Crebra deinde ludorum quos mutuo concurſu equites haſtati ludere ſolent, ſpectacula, in quæ magni ſumptus rapinis aliquoties comparati inſumebantur; quoniam crebro magnos hoſpites Rex ad illa ſpectanda inuitabat, ipſe quoq; ſpectari cupiens, donec cum equo & haſta in terram prolapſus, luxatum longo tempore humerum geſtaret. Sed hoc interim laude dignū, quod nocturnis peruigilationib. ritu Dulcianorum fraterculorum, Pragæ, occulte fieri incipientibus, in ipſo ſtatim introitu obſtiterit, exutiſq; quatuordecim viris mulieribuſq;, hac dulcedine corruptelaq; deprauatis, reliquis eam metum iniecerit, vt Bachanalia facere deſinerent, contenti poſthac religione incorrupta à patribus accepta.

REPRIMIT FRATERCELLORVM DVLCIANORVM PERVIGILATIONES NOCTVRNAS.

VI.

CAROLVS IOA. REG. FILIVS VRBIBVS IN ITALIA PRÆFICITVR.

Carolus nonniſi ſexdecim annorum tunc temporis iuuenis tantum ſpecimen præclaræ indolis per id temporis, ex Gallijs, in Italiam veniens, dederat, vt conſentiente Ioan. Pont. vrbibus in Lombardia receptis pater illum præfecerit, cura illius Allobrogum principi, ceu cognato, & in militia exercitato demandata. Neq; vero aut patris Regis, aut aliorum de ſe opinionem fefellit, ſed res pace ac bello feliciter geſſit, aduerſus inſidiatores & bellatores in vtroq; tēpore prouidus ac ſtrenuus. Inſidiæ ei dum adhuc Papiæ ſe contineret concinnatæ erant, vt clandeſtino veneno de vita tolleretur. Veneficus quidam mutum ſe eſſe finxerat, & per hoc quaſi naturæ vitium, facile ſe in aulam, deinde per operas ſuas quas quotidie promptiſſimas cocis præſtabat, in coquinam ſeſe inſinuauerat, Paſchæ dies, & feſto, & epulis celebris erat, cum ille cibis maturius venenū affunderet, quam Carolus à ſolemni ſacro rediens ad prandiū diſcumberet. Aulici famis impatientes, ad ſumendum iēteculum à ſacris ſe abduxerant; ſed incontinenti, oēs q ſeorſim ieiunarant, mortui à Carolo reperti ſunt. Inter hos præcipui Ioan. à Quercu, quem pater aulæ Carolo Magiſtrum attribuerat, & Ioan. ab alta Eccl. cibi, ſicut Symon etiam à Ceycla poculi adminiſter. Non potuit hac re Carolus nō commoueri, eo magis quod nullum talē in hoſpitio ſuo obuerſari viderat, in quem tam nefarii & abominabilis criminis ſuſpicio incideret. Migrauit interim protinus in aliam domum, aliudq; prandiū ſibi adornari iuſſit. Inter prandēdum, illo quoq; veneficus illi ſeſe ingeſſerat. Eo adoleſcente in peregrinum modum detonſo Carolus conſpecto, quiſnam eſſet interrogauit. Mutum eſſe aulici reſponderunt, & ſatis diu in aula officioſiſſime diuerſatum. Iuſſit tamē illum Carolus comprehendi, vinciri, & per tormēta, an vere vel ficte eſſet elinguis interrogari. Tortus fari cœpit, auctoremq; tanti ſceleris Vicecomitem Mediolanēſem eſſe prodidit. Ad eum modū tunc Carol. reb. ſecundis diuina benignitate ſeruatus eſt, cum rei ſacræ die ſolemni, diutius quam aulici famelici vacaſſet. *Dubrau. l. 20. & 21. in princ. Mutius, in Chr. Germ. l. 24. Villani l. 10. c. 183. & 197.*

VENENVM CLANDESTINVM CAROLO PARATVR SED IRRITVM.

VII.

ALIA QVÆDAM IOA. PONT. ACTA.

Mediolanenſem & Picentinum reliquos, intercedente Cardinal. Bertrando, ad diem 10. Iun. Auinioni ſupplices Io. Pont. diris Eccleſiaſticis exſoluit, cum ēt hoc anno, Forumliuii à factioſis ereptum recuperaſſet: *Villani l. 10. c. 185. & 191.* & ab Aceſtinis cēſum, ratione Ferrarienſis Principatus, exegiſſet. *epiſt. 292. & 305. Ioan. hoc anno.* multaq; alia, tum paci in Italia, ſtabiliendæ, tum iuribus Eccleſiaſticis vindicandis, tum Eccleſiæ reformandæ, tum flagitiis caſtigandis feliciter geſſiſſet, atq; ſuis adminiſtris vt gererent, imperaſſet. Inter hæc, cum Veneti nauem ſale onuſtam, ſubiectis Romanæ Eccleſiæ eripuiſſent, Ducem ſenatum, Populumq; Venetum, vt reſtituerent, admonuit: quod ſi contemnerent, Legato Cardinali, vt priuilegiis omnibus à ſede Apoſtolica conceſſis, aliiſq; pœnis Eccleſiaſticis eos multaret, præcepit: neue hæreticos apud ſe fouerent, ſed eis aqua & igni interdicerent hortatus eſt. *ep. 312. & 328.*

VIII.

INTERDIXIT PHIL. GALL. REGI NE AVINIONEM VENIRET.

Cum autem Philippus Rex Galliarum, à Roberto Rege Siciliæ, & confœderatis Principibus Italiæ, de ſucceſſibus Ioannis & Caroli Boemorum admonitus, ingenti comitatu ſtipatus, Auinionem venire cogitaret, vt quædam à Pontifice volente nolente extorqueret; Ioan. propoſito anathemate, ne veniret interdixit: ſed cauſas tantū ſuſcepti itineris ſcripto exponeret, præſcripſit. *ep. 216.* quamquam illum *ep. 213.* impenſius & laudaſſet, & ornaſſet, quod pro immunitatib. Eccl. ſeſe oppoſuiſſet. Fama erat Regem Granatenſe contra Mauros bellum in ſpeciem obtendiſſe, eoq; nomine aurum, argentumq; ſacrum omne Gallicum, à ſummo Pontifice efflagitare decreuiſſe. Inſuper & omnes decumas Eccleſiaſticas è Chriſtiana republica in 6. annos ſibi attribui, & vt à ſe Eccleſiaſtica beneficia conferrentur, poſtulare voluiſſe. Ad hæc etiam contendiſſe, vt Arelatenſis, & Viennenſis ditionis Regium nomen, natu maiori F. & dominatus Italiæ Carolo fratri aſſignarentur. Reginam quoq; vxorem ſubornaſſe, quæ aliquot partium ſuarum in ſenatum purpuratorum admitti flagitaret. Et quidem Reginæ, Pont. hac ad antiquitatem prouocatione ſatisfecit, cum reſpondit, non ſolere Cardinales, niſi in numero exiguo, nec niſi ad officia ſufficientes, à Rom. Pont. creari: Regis a. poſtulata, quod intolerabilia eſſent, pro rei indignitate maxime commotus, reiecit: aſſerens exactos annos 40. eſſe, ex quo Francorum Regib. Gallicæ decumæ, in ſacrum Hieroſolymitanum bellum attributæ, nonniſi in prophanos vſus ac motus aduerſus Chriſtianos principes conuerterentur. *ep. 212. & Surita l. 2.*

IX.

ALIÆ IOA. PONT. RES GESTÆ.

Eodem anno Ioan. Pont. 1. Carolo Regi Vngariæ, in ſtipendia belli aduerſus Bacas rebelles ſuſcepti, tertiam partem fructuū beneficiorum in Vngaria vacantium, necnō tertiam partem decimationis in ſexennium impoſitæ, conceſſit. *ep. 240.* 2. Cēſum ex Regnis Noruegiæ & Sueciæ, itemq; denarium quē S. Petri vocant à Rege Poloniæ ex principatu Pomœran. exegit *epiſt. 65. & 230.* 3. Regē Maioricarum, ne Iudæis nouam Synagogam extruere permitteret, admonuit. *ep. 265.* 4. De Cicco Ordelafo Foroliuienſium tyranno, ea ciuitate recepta, diuinam vltionē deſumptam aſpexit. Is n. equo delapſus, poſtquam diuturnis cruciatib. afflictus in lecto diutius iacuiſſet, tandem vita functus pœnas contemptæ Pontificiæ auctoritatis dedit, cum per id temporis Cardinale Legato innuente, Rauennates, multarum rerum quę ad mores ſpectabant, conformationem feciſſent. Iſtud à frequenti ſeptuaginta virum ſtudio non parū enituit, quod de cultu, ornatuq; matronarum coercendo ſancitum eſt. Erat aūt, ne qua mulier, corona ex auro, argētove vteretur, quæ vnionib. aliiſve gemmis interniteret. Hanc n. eius ſæculi mulieres Rauennates in capite coronam geſtare conſueuerant. Item, ne gemmas aut vniones, ad humeros dorſumve adhiberet, nec ex auro cingulum, aut ex argento, nec quicquam quod excederet libras Rauennatis pecuniæ decem, haberet: nec veſtium poſterior pars ad fimbriam, quæ trahitur, pedes quinq; excederet. Guido Rauald[us] præter alios facunde oſtendit, hanc legem ferendam eſſe, plurib. de cauſis. Enimuero docuit, 1. Deo vehementer id placere, qui immoderatum eum cultum deteſtatur: quod in illū ea abſumantur, quibus multorum poſſit inopia ſubleuari. 2. Non minimum conferre, ad rem ſiue publicam, ſiue priuatam augendam. Cum n. nihil ſit, quo muliebris li-

LEX SANCITVR PRO CVLTV ET ORNATV MVLIERVM.





centia non ſeſe effundat, ſi fræna ſemel laxentur; conſequitur, vt dum pretioſa; multipliciq; veſte, & ornatu, effrenatis cupiditatibus ſatisfaciunt, dum adoleſcētes, pudicitiæ ſuæ ſi non expugnatores, ſaltem oppugnatores, ac certe nequaquam propugnatores in ſui admirationem trahant, nihil illis curæ eſſe, ſi mariti vniuerſum patrimonium profundatur: ac nullum ſumptum, nullāve aut iacturam, aut verſuram timere, donec libidinem inopia tandem miſere impediat. Quamobrem memorabat, in omni bene conſtituta republ. cum Romanorum, tum exterorum id cautum fuiſſe, ne viri fortes & liberi, muliebribus blanditiis illecti, hæc illis vmquam immoderata concederent: ſed ſtrenue, muliebri deſiderio, quod ſuapte immenſum eſt reſiſterent: ſi ſumma gloria conſeruatæ honeſtatis potiri exoptarent. Itaq; hortabatur, vt & propoſita ſummo conatu amplecterentur, & modum prætiumq; panno quoq; pro veſtib. faciendis præſcriberent: ne etiam hac in parte immodico ſumptu virorum marſupia effunderentur, Non deerant pleriq; qui dicerēt, minime decere, Nobiles ac diuites Matres familias, ignobiliorib. ac pauperib. neglecto cultu ornatiore exęquari: tamen omnib. fere ſuffragiis numeratis, Rauald[i] ſententia obtinuit, & lex ſancita eſt. *Hieron. Rubeus hiſt. Rauennat. l. 6.*

X.

HENRICVS VVIRNBERGIVS A SEDE APOSTOLICA ARCHIEPISC. MOGVNT. DESIGNAT. CONTRA ELECTIONEM A CAPITVLO FACTAM.

Hoc ipſo anno, Io. Pont. ſecundum Henr. Vvirnbergium, præter collegii Moguntini conſenſum, ei Eccl. à ſede Apoſt. prælatum, contra Balduinum Treuirenſem Archiepiſc. Moguntinæ ſedi à Canonicis deſignatum, poſt triennalem controuerſiam pronunciauit: duoſq; Legatos Apoſt. Moguntiā deſtinauit, qui totius adminiſtrationis ſummam à Balduino, in Henr. Archiepiſc. transferrēt, & Clerum populumq; Moguntinū, illi obſequentem eſſe iuberē. *Chron. Hirſaugien. & Sponheim. hoc anno.* Non ita faciles fuerunt Pont. in Pomerania Caminenſes Canonici. Vacuata tunc morte Epiſc. cathedra, Ioannem Gottingenium virum præſtantem, è ſuo numero Epiſc. elegerant. Io. Pont. ſiue electionem præueniſſet, ſiue quid in ea vitii deprehēdiſſet, ſiue quod plenitudine poteſtatis vteretur, Fr. Io. Ord. Prędicat. Epiſc. illis præfecerat. Huius aſſumptionē, cum minime gratā haberent, adeoq; ad eumdem ſummum Pont. prouocaſſent, ceſſit poſtulationi eorum ſummus Antiſtes, & Gottingenium quidem Caminenſib. conceſſit: Fr. vero Ioan. Verdenſi cathedræ, non inuitis Canonicis prępoſuit. *Crantz. VVandal. l. 8. c. 15.*

XI.

CONTROVERSIA DE ANIMARVM A CORPORE SEPARATARVM VISIONE DIVINÆ ESSENTIÆ.

Eodem tēpore, ipſe idem Pont. alios aduerſariorum aduerſum ſe excitauit, cum antiquiorum Doct. Tertulliani, Lactantii, Victorini, Prudentii, Bernar. & ex Græcis Iuſtini Martyris, Irenæi, Origenis, Theodoriti, Oecumenii, Theophylacti, Euthymii, & aliorū quos Xyſt[9] Senenſis l. 6. Biblioth. ſanctæ, annotar. 345. enumerat, de clara viſione Dei opinionem, nondum ab Eccl. damnatam, pro concione recitaſſet: & in partē quorumdam Fr. Minorum aſſerentium, animas à corpore ſeparatas non ſtatim beata viſione Diuinæ eſſentiæ frui, ſed eam vſq; ad diem iudicii expectare, diſſerēdo quidem, non a. aſſerendo, neq; decernendo inclinauit. Fr. Prędicatores primi fuere, qui docentem Io. Pont. impugnauere: ex ſacræ ſcripturæ auctoritatib. & exemplis oſtendentes: animam iuſti mox reſolutam corpore, cœlos ad felicem viſionem Diuinitatis penetrare. Fr. Dominicanis, Prælati & Doctores fere oēs in palladio Pariſienſi, contra Ioan. ſubſcripſere, eaq; de re illi dehortatoriam, dogmaticamq; Epiſtolam miſere. Scripſit & Phil. Rex Gallorum, & Rober. Siculorum ne Pont. ſe contra torrentem doctiorum virorum opponeret, neue hac opinatione maculam nomini ſuo inureret. cum tamē ipſo Guillelmo Ochamo grauiſſimo aduerſario teſte, hæc verba diceret: *Numquam tamen meæ intentionis fuit dicere aliquid contra fidem. Et ſi aliquid diximus, totum exnunc reuocamus.* Ocham dial. 1. part. 2. c. 9. & 10. Tergiuerſationes diu erant plurimæ multorum, quum Fratricelli garrire non omitterent. Sed præualuit tamen veritas, dicente Chriſto ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Impudentius Caluinus Inſtitutionum primarum c. 8. n. 233. mentitur, Iōan. 22. palam aſſeruiſſe animas eſſe mortales, vnaq; cum corporibus vſq; ad diem reſurrectionis interire, & neminem Cardinaliū huic ſe tantæ inſaniæ oppoſuiſſe. Namq; nedum Ioannes ſummus Pont. ſed nemo Chriſtianorum vnquā aſſeruit, animas eſſe mortales, ſed tota quæſtio in eo verſabatur, An ſanctorum animæ à Dei facie ſeu eſſentia, ante diem iudicii clare cernenda, retardarentur. Vt etiam Pont. eiuſdem maleuolentes confitentur. *Genebrard. Chron. li. 4. Crantz. Vandal. lib. 8. c. 16. Ocham ſupr. citat. locis. Ciacconius in Ioan. 22.* ex antiquiorib. hiſtoricis, eam rē hunc in modū narrabat.

CALVINI IMPVDENS MENDACIVM CONTRA PON[T].

*Per eos, inquit, dies, Ioan. Papa Auinione, eam tum primum quæſtionem mouit, An ſanctorum animæ è ſæculo migrantes perfecte diuinam eſſentiam ante reſurrectionem videant: quod ipſe negare videbatur, affirmans eas tantum Chriſti humanitatem contemplari, eaſq; nonniſi poſt vniuerſalem ſententiam reſurrectionis & iudicium, plene & clare infinitam Dei bonitatem, eſſentiam & naturam comprehenſuras. ita & contra de damnatorum pœnis diſputabat, affirmans earum ſupplicia, ante vniuerſale iudicium imperfecta eſſe; iudicatorum vero longe atrociora futura. quam ſuam ſententiam, multis rationibus, & ſanctorum patrum auctoritatibus citatis confirmare conabatur. Hæc opinio, cum velut falſa & erronea, à maiore Cardinalium & Theologorum parte, & præcipue à FF. Prædicat. damnaretur, iuſſit Pont. omnib. Theologis, vt quid de ea cenſerent, diligenter inquirerent, & ſibi aſſerrent, affirmans ſe nihil niſi diſputandi gratia aſſerre, & nihil adhuc certo ſe determinaſſe. Ex verbis tamē ipſius intelligebatur, eum contra perfectam ſanctorum viſionem ſentire. de qua re à Francorum & Siciliæ Regib. benigne admonitus eſt, vt ab ea quæſtione quieſceret; cum muneris Paſtoralis non eſſet, quæſtiones ſuſpectas, & contra Catholicam fidem mouere, ſed veras decidere, & falſa dogmata extirpare. Tantorum Regum monitis Cardinales gauiſi Pōt. & ipſi ſuadebant, vt ab ea quæſt. deſiſteret.*

CIACCON EAM IN REM.

Præ cæteris Fr. Thom. Valen. Anglus, Diui Dominici inſtitutum profeſſus, pro ea qua pollebat doctrina & facundia, cum in ampliſſimo Epiſc. & Patrum conſeſſu, Auinione, die Ioan. Euang. ſacro, eam opinionē & ſententiis, & rationib. & exemplis hiſtoricis exagitaſſet, & in aſſertores illius diuinam maledictionē imprecatus, non obſcure Io. Pont. perſtrinxiſſet, à Quæſitore Fidei Franciſcano, in carcerem coniectus, veritatis animoſe prædicatę pœnas dedit, non inde in libertatē eductus, quam Rex Phil. Ioan. indignitatem vindicationis expoſuiſſet. Idem periculum, F. Durandus de S. Portiano Prędicat. Ord. Auinion. ab eodem Franciſc. ad dicendā cauſam euocatus incurriſſet, niſi Philip. Rege ſuadente tantiſper ſubſtitiſſet, donec Pont. opinione reiecta, ex ſenſu vniuerſali ſapere voluiſſet. Vterq; non minus docte, quam conſtanter, verbo & ſcriptis pro Catholico dogmate egit, calamitatēq; nonnullam & tulit, ac ſuſtinuit, & religioni Prędicat. à Franciſc. acceſſiuit: cum per id temporis Ludouicus Bauarus, quamquam antea acerrimus eius Dominicani inſtituti hoſtis, nonniſi pro veritate Prædicat. agonizare doctus, odium depoſuiſſet. hocq; elogio F. Dominicanos ornaſſet: *Ord. FF. Prædicat. Ordo eſt veritatis: quam intrepide ac libere, contra errones quantumuis potentes aduerſo pectore tuetur. Anton. Luſit. in Chron. Præd. Ferdin. hiſt. Præd. cent. p. 2. F. Michael. Pius de viris Illuſtrib. Ord. Præd. l. 2. Langius in Chron. Cytizen.*

ELOGIVM ORD. FF. PRÆDICATORVM.

XII.

CONTROVERSIA DE LVMINE IN MONTE THABOR ET EIVS ORIGO CONTRA QVIESCENTES.

Fere per idem temporis, Conſtant. occaſione Monachorum, quos Quieſcentes ſeu ſolitarios appellabant, controuerſia de lumine, quod in monte Thabor Apoſt. primi aſpexerant, enata eſt. Placet originē paulo altius repetere. Frater Barlaamus Monachus, cuius ſuperius mentionem fecimus, Latinorum morib. & legib. educatus, acutus alioqui & perſpicax, & ad intelligentiam explicandam diſertiſſimus, inſuper in Euclide, Ariſtot. Platone volutatus, & ob id illuſtri fama, è Calabria profectus, Theſſalonicam hac tempeſtate venerat: ab Orthodoxa Rom. Eccleſ. tranſitione, ſeu vero, ſeu ſimulato animo facta, ad ſchiſma Græcorum. Ibi cum ſe Latinorum dogmata profligatorum ſimulaſſet, libellis aduerſum illos compoſitis, concluſione rationū demon-

ſtrabat, eos in religioſis doctrina hallucinari, ac labi; Græcisq; gaudebat inſtitutis, & legib. & à ſe Latinorum cæremoniis, atq; dogmata ex animo damnari apertiſſima dabat indicia, quemadmodum apparebat. Ob hanc igitur & ſacram, & illam aliam ciuilem eruditionē, Imp. Andronicus iunior, honore & amore eum dignabatur, & Magnus quoq; Domeſticus Ioan. Cantacuzenus, curabat & diligebat; Nec illi quicq̄ ad felicitatem deerat. Hic ergo Barlaamus, ſiue ſtatim à principio ea opinione imbutus, ſiue poſtea immutatus, occaſionem q̄dam affectans qua Græcanica quaſi per comœdiam traduceret, & bellum cum ſchiſmaticis apertum gereret, velut diſcendi cauſſa, ad quemdam ex iis qui dicuntur Quieſcentes, ſiue Solitarii, mēte ac ratione plane vacuū, paulumq; à bruto differentē, neq; idiotæ ſaltem inſtar prudentem acceſſit, ſeq; ab ipſo inſtitui, & modum vitæ ſolitariæ, ac p̄cepta obedientiæ, ab illo diſcere velle ſimulauit. quem precib. vicit, paucosq; apud eum dies manſit. Poſt hæc ab imperito illo contendit, vt ſe genus vitæ illud doceret, & quomodo ipſe quoq;, vel ipſo illo die inter ſolitarios referri poſſit. Hic dolū haud olfaciens, & nimia leuitate elatus, cum alia hominē docuit, tum quo pacto paulatim proficientes ſolitarii, & tranquille precationib. intenti, exultatione animi, & diuina quadā inexplicabiliq; voluptate perfundantur, & oculis corporeis lumen ſe circumfulgens aſpiciant. Barlaamus & alioqui hominem valde indoctum, amentemq; iudicare, & lumen audiens cerni oculis corporeis, non ſibi tēperare, quin cōmuniter Solitarios inſectaretur, eos impoſtores, mendaces, Maſſalianos, & Omphalopſychos, Germanorumq; Eccl. dogmatū corruptores, & ſimilib. vocabulis appellans; palamq; teſtificans, oēs ab eorum conſuetudine refugere debere, qui ſeducerent, & ſeducerentur: quos oportebat virtute perfectos, & doctrinę religionis peritiſſimos eſſe, vtpote quib. cæteri mortales, propter eam quam præſeferrent pietatem, animas ſuas credidiſſent. Atq; hæc non verbis tantum publice contra ſtatum ſolitarium, vt cauſſam erroris diſſeminabat, ſed in literas quoq; redigebat, vt ſemper contumeliæ cauſa extarent.

BARLAAMVS MONACHVS PRIMVS CONTROVERSIÆ MOTOR.

Hæc Theſſalonicæ acta ſunt, quo tempore Imp. in Acarnania aberat. ibi cum multi ſolitarii verſarentur, q iactatos à Barlaamo ſermones ferebant grauiter, tū pręſertim Greg. Palamas, qui poſtea Archiepiſcopus Theſſalonicenſis renunciatus eſt, genere Aſiaticus, & in aula Imp. educatus. Hic Theſſalonicā ex monaſterio Atho, vbi decennium Monachus vixerat, veniens, & vna cū aliis Monachis. Barlaamo illis inſultanti, multisq; conuiciis illud eorum de lumine ſcitum cumulanti, ſuccēſens, quoſdam amicorum ad illum legatione defungi voluit, qui rogarent, vt talia & ſentire, & loqui, aduerſus Quieſcentes, ſiue Solitarios deſineret, & ne propter vnius imperitiam oēs damnaret: ſed ſi quid audiſſet indecentius, inſcitię dicentis adſcriberet: ipſam a. vitę rationem ſanctam & diuinam duceret, & eo oblatrare deſiſteret. Si quid ē aduerſus eamdem, affectu non bono à recto deortus conſcripſiſſet, vt perditione dignum, flammis aboleret. Nec n. eſſe fas, nec ſecundum rationem, quempiam geometrica, aſtronomica, & numerorum proportiones volentem percipere, nedum ad indoctiſſimum, ſed ad doctiſſimum nō ventitare: in vera a. philoſophia, & cognitione rerum cœleſtium, profanum, ac non initiatum Magiſtrum adhibere. Oportuiſſe n. illum vt philoſophum, & intelligentia prętantem multis, ſiquidē talia diſcere cupiebat, aut prius quæſiſſe à Deo huiuſmodi gratia dignatum (non n. humano intellectu, ſtudiove iſta acquiruntur) & ſincero animo, atq; ab omni malignitate vacuo accedere, & de quibus vellet, rogare doceri (qui vtiq; diuinarum rerū gnarus, & quantū quiſq; huius diſciplinæ caperet haud neſcius), iuxta diuinæ purgationis modulū non ſtatim ab initio aures flaccidas tonitrui ſonitu imbuiſſet: ſed vitæ prius accuratione, multaq; ſciētia, & omnium cogitationum terrenarum, ac rationi cōſentientium repugnantiumq; depoſitione animum expurgare docuiſſet: & ita ad ſacra veſtibula diuinæ ſapientię accedere: multa Deum, multa viros perfectione dignos habitos precantē, vt ad opus ſublime, & humana facultate ſuperius, adiumento ſibi eſſe ne recuſarent) aut poſtquam propter deſidiam ſuā inconſulto ad proximum acceſſiſſet, auditum ſermonē illius inſcitiæ tribuere: nec veluti dedita opera, & tamquam inſperatū lucrum ea verba arripere, arroganterq; & proiecte in ſacram quietem inuadere, & ea fruentes maledictis conſcindere: impoſtores, mendaces, Maſſalianos nuncupare, ex eo q audiſſet, ſanctos lumine circumfundi, plurium contumeliarum anſa arrepta videlicet. Quamquā doctorem iſtum de aliis quidem merito forſitan, de hoc a. à nemine poſſe reprehendi. Nam & alios multos perſecutionis temporib. pro Chriſto dimicantes, hoc diuinum lumen conſpexiſſe: & S. Antonium, non contra tyrannos, ſed cōtra dæmonas tyrannis horribiliores in acie ſtantem, id quod ex hiſtoria vitæ eius pateat. Verum enimuero, ſi his omnib. prętermiſſis ad primum exemplar recurrendum ſit, poſſe fieri, vt oculis corporeis quiſpiam diuinum, & increatum lumen contempletur, perſpicue demonſtrare licere. Euangel. n. ſcribere, Dominum ante mortem ſuam principes diſcipulos aſſumpſiſſe, & cum aſcendiſſet in montē Thabor, transfiguratum eſſe ante eos, reſplenduiſſeq; faciē eius ſicut ſolem. Cuius fulgorem diſcipulos non ſuſtinentes intueri, in terram cecidiſſe. Si igitur illi & homines, & adhuc imperfecti, circumfulgens ipſos diuinum & increatum lumen videre potuerunt, quid mirum ſi & nunc ſanctos ſuperne à Deo colluſtratos dicamus lumē cernere? Quocirca illum ſe oratum velle, vt de his reb. & loquendo, & ſcribendo ſuperſedeat: quippe, qui de iis pauca, aut nihil nouerit: imo vero etiam ſcripta iam, vt multis non vulgariter nocitura, diſperdat.

LEGATIO A QVIESCENTIB. AD BARLAAMVM DECERNITVR.

Hæc Gregorii, & ſociorum verba, Barlaam, à Legatis cum primum audiiſſet, ad cætera quidem ſe continuit: lucem a. in Thabor increatam audiens, *ô rem abſurdam*, exclamauit: *fumum n. fugientes, in ignem incidemus.* Adiūxit deinde: *Audi cœlum, & aurib. percipe terra. Lux in Thabor increata? Quid ergo illa aliud, niſi Deus ſecundum vos? Nihil n. increatum, niſi Deus. Si a. lumen illud, neq; res condita, neq; Dei natura eſt, (Deum n. nemo vidit vmquā) q̄d reliquū, niſi vos duob. diis ſeruire: vni quidem omnium fabricatori, quem & inaſpectabilem oēs confitemur: alteri vero ex ſententia veſtra ſub aſpectum cadenti, & increato lumini? Ego vero haud vnquā, quidq̄d tandem ſit, à diuina eſſentia diuerſum, ac diſcrepans, increatum arbitrabor.* Ex his ſermonib. Barlaam, contra Gregorium, aliosq; Monachos, multa verbo & ſcripto diſſeruit: pręter cætera ēt διθεΐαν id eſt, diuinitatem duplicatam ipſis crimini ſubiiciens. Ita tum Barlaamus, cū in Monachorū Græcanicorum vitam & doctrinā curioſius inquiſiuiſſet, ac multa improbanda intolerandaq; reperiſſet, linguam publice in circulis & cōuentib. calamum vero in Muſeo aduerſus Monachos exercere cœpit, nactus aduerſarium voce & calamo impotentem, Greg. Palamā Monachum, nō tūc, à Cantacuzeno, ſanctitatis laude, vel titulo ornatum. Qua n. vitę ſanctimonia enituiſſent illi Monachi qui pernicioſo ſchiſmate ab Eccleſ. vna S. Catholica, & Apoſt. abiuncti & ſegregati erant? Nulla ſanctitas extra Eccl. ſanctam, aut ſi q̄ eſt, vera non eſt, fucata eſt. In q̄ n. vitia nō præcipitetur is, qui charitatis & concordiæ expers, per auia & inuia ſchiſmatum vagatur, relicta illa plana, tuta, & regia Catholicæ Eccl. via. Quib. dęmonū ludibriis, & inſidiis expoſitus nō ſit ille, quem vnitas cum corpore Chriſti quod eſt Eccl. cōmunit & protegit: cui Chriſtus non eſt caput: & quod hinc conſequitur, nec tutamen: pręſertim ſi ad ſchiſmatis crimen accedat diſciplinarum diuinarum & humanarū ignorantia, quę Monaſticen in Gręcia longe lateq; hoc tēpore occuparat, his n. ſi ſimul cōiunctae [illegible] ludificationi habilis redditur. Quo factum, vt & iſti ἡσυχασταί, ſeu Quieſcētes, (ἡσυχίαν [illegible] perfectius quoddam Monaſticæ vitæ genus cēſebant) cum aut ſuauiter dormirent, aut dormitarent, aut ſomniarent, cœleſti quodā

BARLAAMI AD LEGATOS RESPONSVM.

&



& diuino, ipſisq; corporeis oculis conſpicuo lumine ſeſe circumfundi crederent; Angelo Sathanæ in Angelū lucis ſe transformante plane Maſſalianorum ritu, & inſtituto. Nō n. paucis quibuſdam; ſed omnib. in hoc vitę genere exercitatis id euenire tradebāt. Quod Barlaamo pluſquam mirum viſum; & hoc quidem merito. Siue in aliis accuſationib. à vero abierit, ſiue non: ſiue ēt in reprehendendo tā lingua, quā ſtylo modum tenuerit, ſiue non. Certe tamen Monachorum agmen in ſe vehemētiſſime concitauit; qui ducem belli ſibi legerunt Greg. Palamam tunc eiuſdem profeſſionis hominem, poſtea vero Archiepiſc. Theſſalonicenſ. quem ſi æque veris ac magnis laudib. Cantacuzenus exornaret, vere magnus vir dicendus eſſet. Sed cum, veteri verbo, *manus manum lauet & fricet*; facilis coniectura eſt, quid de his laudib. ſtatuendum ſit. Sunt nimirum æs ſonans, & cymbalum tinniens; quia de ære ſonante, & cymbalo tinniente, ex Apoſt. doctrina: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem a. non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Et quod ꝓprius ad Palamam ſpectat: *Si diſtribuero in cibos pauperum facultates meas, &c. Charitatem a. non habuero, nihil mihi prodeſt. Quiſquis ille eſt*, inquit, S. Aug. ſer. 181. de temp. *& qualiſcumq; ille eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccl. non eſt. Sola quippe eſt per quam ſacrificium Dominus libenter accipiat; ſola, quæ pro errantib. fiducialiter intercedat. Sola eſt, in qua opus bonum fructuoſe peragitur; vnde mercedem denarii, nonniſi qui intra vineam laborauerant, acceperunt.* Eſt a. Greg. Palamas ille ipſe, cuius extant Græce & Latine duæ orationes; altera, qua mens corpus accuſat; altera, qua corpus mentem, cum iudicaria ſentētia. Latina editio relata eſt in Tomum IX. Bibliothecæ SS. Patrum, vbi per collectoris & editoris ἀπεριβλεψίαν ſanctiſſimi titulo Palamas honeſtatur: plane præter meritum. Quomodo n. ſanctiſ. ſi ſchiſmaticus? Sane, *quiſquis ab hac Catholica Eccl. fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe viuere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quod à Chriſti vnitate diſiunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* inquit Aug. ep. 152. *ex hiſt. Cantacuzeni lib. 2. c. 40. & notis indidem Iacobi Pontani Soc. Ieſu Theologi.*

CHRISTIANVS NON EST QVI IN ECCL. NON EST.

XIII. DE BARLAAMO.

Quod Barlaamum attinet, plane mihi perſuadere nō poſſum, an is ex animo ad Græc. ſchiſma trāſierit, vel q eos ſermones, qui de ꝓceſſione Sp. S. & de Primatu Pōt. contra Latinos, eius nomine circumferuntur, ipſe, nō a. aliquis impoſtor ſcripſerit. cū in bibliotheca Vaticana habeatur nu. 4068. MS. Codex. in quo p̄ter alias Epiſt. vna eſt ſatis prolixior cæteris, in qua 16. argumentis ex ſacra ſcriptura, & ſanctis tum Latinis, tū Græc. Doctoribus petitis, tam diſerte, q̄ clare & erudite demōſtrat, Sp. S. ꝓcedere nō tantum ex Patre, ſed ēt ex Filio: huius vero oppoſitum, quod eſt ex ſolo Patre ꝓcedere Sp. S. & nō ex Filio, nullatenus p ſcripturā poſſe oſtendi. Porro ēt iſtud, Græc. ſchiſmatic. titulo p̄ſcription. opponit.

*Illi n.* inq̄t, *qui hanc defendunt opinionem, credunt ſe habere potiſſimum illud, quod Dominus ait:* Qui à Patre procedit. *Minime vero per hoc concluditur, quod ex ſolo Patre. Nimium n. intereſt dicere aliquid ſimpliciter, & dicere idipſum diſtinguendo,* quod ſolum. *In multis n. vnum eſt verum, aliud falſum. Vtpote ſi dicatur, Filium eſſe Deum verum de Deo vero, verum eſt. Si vero dicatur, ſolum Filium eſſe, verum Deum, de Deo vero, falſum eſt. Idipſum & in plurimis aliis inuenies.* Non ergo dicto, quod ex *Patre procedit Sp. continuo per hoc neceſſario concluditur, quod* ex ſolo. *Neq; igitur ex dicto verbo, neq; ex alio ſcriptura concluditur, quod ex ſolo.* Quia vero & ex Filio eſt Sp. omnis diuinitus inſpirata ſcriptura *teſtatur*. Hęc cum Barlaam pręſcripſiſſet. 16. argumenta ꝓ hac veritate luculentiſſima proponit. Vt mirum ſit, quomodo eius ſint illi alii attributi Barlaamo ſermones. Quanti vero Barlaamus, Primatum, & vnionem Eccl. Rom. exiſtimauerit, placuit ex duabus eius, ex eo MS. exſcriptis epiſt. ad Græc. hoc tempore datis cognoſcere. Prima, ita habet.

Epiſt. I. F. Barlaami ad amicos ſuos in Græcia conſtitutos, de vnione ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

*Quia, ô amici & Fr. nihil eſt propter q magis nos cōmuniter cōtriſtari oportet, q̄ propter hanc diuiſionem Eccl. & pro quo magis Deum deprecari, qui vt ipſi finē imponens, fines Orbis ſibi coniungat, ſermone ad hæc perſuadenda minime mihi indigere videtur. Nullum n. eorum qui mentem habent, æſtimo, non ita de his ſapere. Quoniā vero, & à Deo huius mali ſolutionem poſtulare oportet; & ea quæ ex nobis ſunt conferre: Lex n. hæc eſt diuinæ prouidentiæ, nullum eorum bonorum quæ in nobis ſunt perfici poſſe, niſi concurrat ſimul cum diuino beneplacito, ēt noſtræ electiuæ voluntatis aſſenſus: neceſſarium eſt oēs quidem mentis indagatione, huius ſchiſmatis cauſſas, & prima principia inquirere: & vtrū ſolius communis inimici malitiæ, hoc eſt, malū: an ēt ambæ diuiſæ partes culpandæ ſunt; an altera tantum in cauſſa eſt. Singulum vero credentem ſe huius mali cauſſam inueniſſe, nō pigere ſuam partem ad curationem conferre dictando diſputando, conſulendo impellendo, & prout vnuſquiſq; adeptus eſt, ordinem vel facultatem. Si n. & cōmuniter pro hoc Deum orabimus, & ſingulariter quilibet, quod ex ſe eſt cōferre ſtudebit. ſpes nō parua erit, horum malorum liberationis. Ego itaq; quemadmodum facta hæc examinādo, quā ſchiſmatis cauſam inueni, & ad q̄ perueni cōcluſionem, cōmunicare vobis amicabili modo, quoniam cuilibet ad verba venire nequeo, nulla pigritia recuſabo. Deprecans vnumquemq; veſtrum, & propter commune bonum, & communiter expediens, non pigeat eum, ſi poteſt, idipſum facere: & mihi ſic volenti ſpiritualis gratiæ, vtilitatis, rem communicare. Itaq; ſi ſchiſmate mox inchoato, quæ ex tunc ſubſequuta ſunt, accidentia vtriq; parti: quæcumq; diuini beneplaciti, & quæcumq; permiſſionis Dei, & indignationis manifeſtiſſima eſſe videntur: conſimilia viderem, vel parū diſſonantia certe aut ambas partes differentia huius cauſſarū æqualiter, aut neutrā. Nunc a. cum maxima ſit accidentium differentia: cogor, vnam partem innocentem dimittens, ad alteram tantum, totam culpam transferre. Duabus n. exiſtentib. partib. vna quæ ſub Eccl. Rom. conſtituta eſt, altera vero, quæ ab illo diuiſa eſt: quatuor maxima ſigna Dei beneplaciti, in illis poſſunt videri, pene voce magna clamantia, illi Eccl. Deum acquieſcere: oppoſita vero illis, æqualis numero diuinæ permiſſionis & indignationis, & quaſi vltionis euidentiſſima ſigna exiſtentia, in reliqua parte videntur.*

*Et vt à minimo quatuor ordiar.*

*Primum, vniuerſa illa gens, legib. quib. etiā tenuiſſima accidentium hominum communitati diſtincta ſunt, regitur & adminiſtratur. Nihil indeterminatum apud eos eſt. Nihil inordinatū: Sed qualiter oportet ſe gerere, & dominantes inter ſe, & cum ſuo principio, & cum his qui tantummodo ſubditi ſunt, atq; cōmune principium cum omnib. inferiorib. in quolibet accidentiū: & ipſos ſubditos inter ſe, & cum maiorib. & quid à quolibet exigendum eſt: quomodo delicta punienda ſunt, & benefacta præmitanda, & quis horum examinationis modus. Hæc omnia & quæcumq; alia, hominum inter ſe ſocietatem & communitatem in pace maxime conſeruare valent, legib. apud ſingulos membratim inſtituta, & cuſtodita ſunt. Ex qua legum æquitate, etiam ſecundum Deum velle viuere, & Euang. ſeruare mandata, facilius à pluribus fit.*

*Hic a. totum contrarium. Et ne ſingula dicam: Lex eſt in ſingulis, potentiorum licentia voluntas. Vt n. quilibet dominantium ad prudentiam ſe hēt & bonitatem: ita & facta ſubditorum cōtingunt. Ex qua quot aduerſa ſubſequuntur, non tantum Rempubl. ſubuertentia, & ciuilem vitam lædentia, verum etiam Euangel. quid opus eſt apud ſcientes recitare? Vnum quidem hoc tale eſt.*

*Secundū vero, quod & maius, quod in illis quidem Euangelica doctrina vbiq; viget, currit, & multiplicatur, & omnib. diuinus ſermo prædicatur: Nō ſolum q quamplurimi oīa ſecunda reputāt, erga ſacram ſcripturam ſtudii, & meditationis & diſciplinæ: ſed q & vbiq; multitudinib. per ciuitates, villas, oppida, & caſtella, & in ſacris templis, & vbicumq; inueniuntur ſimul multi aggregati, & præſertim feſtiuis diebus, qui ſciunt diuina eloquia, prædicant congruenter audientium habitui & loquelæ, aperientes eis p totum annum, & hiſtoriale, & narratiuū, & ſententiale, & morale, diuinæ ſcripturæ veteris pariter & nouæ, & quis erat ante incarnationem Domini hominū ſtatus: quæ vero huius ſacramenta: & q̄d boni ex eis nobis effectum eſt: quæ præcepta, & quæ conſilia: & cum his ſanctorum vitas in natalitiis, & ſi quod alterū ad pietatem & virtutem ſpectat, & ad noſtram ſalutem: ita quod illorum illiterati mares ſimul & fœminæ, nihil minus ab his qui in literis ſtudent, habent: certe in his quæ in promptu ſunt, & ad ſalutem neceſſaria, noſtræ religionis & fidei: ſed verbo ſtudioſi, in ſuperfluis, non in neceſſariis à reliquis differunt. Ex quo cōtingit, vt gens illa morib. vt plurimum ſit ſimplex & aperta, veritatis amica, ſer-*

ca fraudis inimica, conſtans, in ſuis iudiciis ſtabilis, in conuentis inter ſe fidelis, non vertibilis & facile mutabilis, ad periurium tardiſſima, & fide qua in Chriſtum eſt firmiſſima & feruentiſſima. Et pro hac etiam ipſam vitam, ſi hoc opus fuerit, prodere paratiſſima. Hoc a. quid? Studioſi quidem diſcendi, nimis pauci ſunt. Horum adhuc pauciores, qui ſacram ſcripturã pluris faciunt, plurimis paganorum ſcientiis, libentius operam dantib. Turba vero illiterata, omnis in communi propoſitæ ſalutaris ſermonis doctrinæ, inexpers remanet. Quare pro vno qui ſciat ſubſtantialiora ſecundum nos pietatis; multa millia reperiri poſſunt eorum, qui penitus ignorant Chriſtianiſmi virtutem. Ex quo contigit, contrario more, illis hãc gentem affectã eſſe. Tertium a. poſt hæc, nihilominus prædictis his illud conſidero, quod cum diuina prouidentia, nihil eorum quæ ſecundum beneplacitum illius in vniuerſo efficiuntur, inordinatum dimittat, omniſq; multitudo Ord. per ſe careat, niſi reducatur ad vnum principium. Pluralitas n. principiorum & carentia principii, ſimilis ſunt inordinationis. Huius quidem gentis, vniuerſa multitudo ſub vno eſt ordinata principio, Eccl. videlicet Rom. & eius Præſule, quem omnes honorant & metuunt; Non tamquam armis & vi dominantem, nec tamquam humana lege, vel generis ſucceſſione, vel multitudinis rumore dominiũ ſumentem, ſed tamquam ab ipſo D. Chriſto ordinatum, & in terris vices gerere ab eo conſtitutum. Itaq; illius mandata, cum omni reuerentia, omnes, non tãquã Apoſt. tantũ verum etiã dominica ſcripta recipiunt & adorant: Et nihil ita durum ab eo iubetur, vt nõ quiete parati ſint ad implendũ, & omnes ab illo corrigi ſua, & retractari ſuſcipiunt, omniumq; ſacerdotium ab eo dependet. Et ipſe cum circa ſe Synodo, cum grandi auctoritate & poteſtate, nullo prohibituro exiſtente, corrigit omnia, retractat, confirmat, irritat, ſtatuit, inhibet: Mittit ad vniuerſas partes Doctores, viſitaturos ſingulas prouincias, & eos qui in eis animab. præſunt: & examinaturos, quis modus illorum doctrinæ, quomodo ſacra tractant myſteria, quomodo ſe gerunt cum grege Domini, quomodo ſecundum ſe viuunt: vt horum relatione facta, & quod deſicit, ab illa ſede ſuppleatur. & quod peccatur, corrigatur. Et horum quodlibet facillime fit. Nemo enim eſt, qui non putet Eccl. illi aduerſari, periculum inferre animæ ſaluti. Ita quidem facta illorum ordinata ſunt.

In altera vero parte, non ſingulares principii, ſed pluralitas principiorum, & carentia principii honorata eſt. Quinq; n. exiſtentib. Patriarchis, Bulgarienſi connumerato, & adhuc Triballenſi Archiepiſcopo, ſub quibus pene omnes huius partis ſunt: nullus horum ſex, vel de iure, vel de facto talis eſt, vt reliqui quinq;, ipſum vt ſuum caput habere velint, & ab ipſo, & eius Synodo corrigi, & retractari patiantur: & ad omnia eius iuſſa ita obedientes ſint, vt tamquam diuinas voces, illius recipiant mandata, & periculum ſalutis credant, illum reſiſtendo offendere. Et quid dico de aliis? ſed neq; quicumq;, ſub quolibet ſunt horum ſex, ita deuote ſe habent ad ſuum caput, vt metu non corporalis damni, ſed animæ perditionis illius mandata velint implere. Pontificatus vero cuiuslibet, quomodo Bulgarenſis, dependet à principe illius gentis. Et Triballenſis ſimiliter à ſuo principe. Antiocheni vero Patriarchæ, Armeniorum Rex dominatur. Hieroſolymitani a. & Alexandrini, Ægyptiorum impiiſſimus princeps. Nullus n. horum Põtificatum recipit, non probante, & decernente, & conſentiente ſuo ſæculari principe. Magis a. vt plurimum, & omnib. ad quos ſpectat electio, voluntate renuentib. & cum principe diſcordantibus neceſſarium eſt finaliter, eum, quem vult princeps, Pontificem effici. Itaq;, cum ſit impoſſibile, longi temporis progreſſu, praua conſuetudine paulatim multa protrahente, non multa contingere, quæ deſiderent generalem correctionem; generaliterq; aliquid corrigi ſine generali Concilio difficillimum ſit: hæc quidem pars poſſe cõmunem aggregare Synodum, principalioribus eius partib. ad vnum conuenientibus, penitus amiſit: cum non ſit videlicet in ea caput tale, quod poſſet neceſſitate alios compellere, conuenire. Latinis vero neq; hoc difficile eſt.

De Tertio quidem hæc dicta ſunt. Venio a. ad Quartum, quod & ſtupeſio conſiderans. Cum n. Dominus noſter Ieſus Chriſtus prædixiſſet afflictionem habituros ſuos fideles, & odium ab omnib. & perſequutionem paſſuros. Chriſtianorum genus extunc, vſq; ad imperium Conſtant. M. affligebatur quidem vt plurimum, & odio habebatur, & perſequutionem patiebatur. Sed quod erat maximum miraculum: ipſi qui odio & perſequutionib. affligebãtur, de ipſis affligentib. & perſequentib. & odientib. mul iplicabantur: ipſis affligentib. ſeſe ad afflictos conuertentib. Nam etſi aliqui, metu tormentorum recedebant à fide: ſed tamen è conuerſo multo plures ad fidem omnibus ſententiis conuertebantur.

Præſentia vero quomodo? quã miſerabiliſſime. Vix n. antiquiora omittã, ex quo factæ vnioni ſub primo Palæologorum, acquieſcere huius partis noluerunt: innumerabiles ex ea multitudines ad deteſtabiliſſimam Mahometicam ſectam conuerſæ ſunt: nõ ſolum his qui teneræ ætatis erant, neceſſitate ad captiuantium & ementium ſuperſtitionem cõuerſis: verum etiã perfectioris ætatis ꝑ animi mollitiem fidem aſpernatis. Quãuis ſi affligeretur hæc gens, & non minueretur: vel ſi minueretur: ſed per mortem, & non ad impietatem ſe conuertendo: poſſet vtiq; hoc paternæ caſtigationis eſſe putari. Tot vero multitudines permitti, ita ſubito ad captiuãtium impietatem mutari, hoc nõ paternæ diſciplinæ, ſed omnimodæ deſertionis manifeſtiſſimum ſignum eſt. Facta vero Latinorum è cõtrario, extunc non modicum creuerunt, non ſolum quod Armenii relictis paternis errorib. illis ſe addiderunt, & alii Orientalium gentium, qui per horum prædicationem ſimiliter his ſemper conſentiunt: ſed ẽt copioſiſſimæ in Occid. ciuitates Mahometicæ ſectæ, per Regem Hiſpaniæ captæ ſunt: ex quib. non paruæ multitudines, fide in Chriſtum ſuſcepta, Latinis additæ ſunt. Et Græcorũ adhuc nõ pauca millia ad illos adducta, illorum fidem ſponte receperunt, vt etiã & hi, qui ad Perſas conuerſi ſunt. Hæc gens, propter duo vt ita dicatur, Latinos accuſans, æſtimat oportere ab eis ſe diuidi. Vnum & principalius, ꝙ aiunt, Spir. S. ex Patre Filioq; procedere. Secundum, ꝙ per azymos panes ſacratiſſimam celebrant hoſtiã.

Ego a. tempora examinans, video, ꝙ ſchiſma quidem nondum quadringentorum eſt annorum. Sub Baſilio n. Macedone & Photio Patriarcha, vt aiunt, incepit: à quib. nõdum prædictorum annorum numerus completus eſt. Eccleſ. vero Rom. ante inchoatum ſchiſma, plurib. quã ſeptingẽtis annis per azyma cõficiebat ſanctiſſimam * Teletam. Alexan. n. Rom. Pont. qui ſub Adriano, glorioſo martyrio vitam finiuit, hoſtiam de azymo Eccl. Ro. ſtatuit. Poſt quem non paucos Rom. Pont. Deus virtute, & martyrio, & miraculis glorificauit: Vt ẽt vtraq; partes in ſanctis eos connumerarent. Similiter Sp. S. ex Patre Filioq;, tamquam ex vno Princ. procedere, videtur Eccl. Rom. tenere, ante inchoatum ſchiſma, pluribus quam quadringentis annis. Beatiſ. illi viri, diuinus Auguſtinus, Ambroſ. Mediolan. & Hieron. qui claruerunt circa tempora Theodoſii M. ex quo præterierunt vſq; nunc plures quã octingentis anni, quos Latinorum Eccl. Doctores & regulas pietatis Duces habet. Hi diuinam aperientes ſcripturam, multis locis ſuorum operum manifeſte notant, quod Sp. S. ex Patre Filioq; tamquam ex vno Principio procedit. At vero Rom. Pont. B. Greg. qui dicitur fuiſſe ſub Iuſtiniano, ante ſchiſma, plurib. quam trecentis annis ſuperiores ſuos & ipſe ſequens, eandem de Sp. S. tradit ſententiam. Quare ſi rationabile eſſet, propter has cauſas à Latinis diuidi, oporteret vtiq; ab initio hoc facere & neq; ſanctos hoc ſapientes, & azyma immolantes putare, neq; communia Conc. cum eis pati facere. Nunc a. poſt vna cum eis celebrata ſeptem Conc. generalia, & multos azyma ſacrificantes, & prædictã de Sp. S. ſententiam in ſuis ſcriptis manifeſte prædicãtes, ſanctos & ab ipſis Græcis reputatos propter eadẽ ipſa, poſt multos annos, velle ab eis diuidi, quomodo nõ caret omni ratione? Quamq; de Sp. S. ſi ſoli illius linguæ Patres hos traderent, nolle credere, nondum tantum eſſet malum. Nunc a. & Græcæ linguæ Patrib. idipſum prædicantibus, ſc. Magno Baſilio in Antiretico; S. Athanaſ. multis locis: S. Cyrill. S. Gregor. Nyſſ. quomodo non abſurdum eſt, eos, qui eadem nunc illis ſapiunt hæreticos reputare? Ego quippe nõ habens huius rei demõſtrationem, tamq; exiſtentis ſuper demonſtrationẽ: & videns tantum exercitum Patrum hoc ſapientium, atq; Decreto Dei Matrem Eccl. id ipſum determinantem, non tutum eſſe cognoſco aliter ſapere. Quamquã ſi contrarii demonſtratio haberetur, & res huius eſſet perceptiua: neq; ſic oporteret piam conſiderationẽ, tantorum Patrum, ac ſedis B. Petri ſententiæ humanã demonſtrationẽ anteponere. Multa n. demonſtrationib. diſſonantia noſtra docet religio. At vero & de Azymis cum manifeſtũ ſit, quod in ſacra ſcriptura panis nominetur, ſiue fermentatus ſit, ſiue azym[9]. & quod ferè illius ſacræ cœnæ, prima. vt aiũt tres Euang. azymorũ erat, in qua nõ tantũ comedi panem fermentatã à quoquã Iudæo non licebat, ſed neq; etiã in domo Iudæi inueniri: Et quod duo diſcipuli miſſi ſunt ad ꝑparandũ in cænaculo, legale & aſſuetũ Paſcha: & quod, vt aiunt Euang. expoſitores, omnib. quæ ſecundũ legem erant conſummatis, Saluator pane accepto, cæleſtia tradidit ſacr. qui panis intelligitur eſſe ex illo, qui tunc propter legale Paſcha præparatus



* MISSAM.



erat in menſa: & diuino Chryſoſtomo dicente, in octuageſima homilia ſuper Matthæum, nihil contrarium legi ſero illo Saluatorẽ feciſſe: & quod ſi eſſet panis ille fermentatus, manifeſte vtique hoc contrarium eſſet legi: ex his omnibus indubitanter concludi video, per panem azymum, ſua tradidiſſe Dominum myſteria.

Quoniam rurſum Apoſtoli, eadem nobis tradentes myſteria, non diſtinxerunt, ſiue fermentatum, ſiue azymum: ideo orientalis Eccleſia. continuo incepit fermentatum: Occidentalis vero azymum, eo quod gerit imaginem puritatis, & ſinceritatis, & veritatis. Vtraq; ego quidem ſimiliter adoro & colo: Latinos vero, in tantum prudentiores æſtimo, quod illi quidem minime hoſtiã de fermentato vituperant, ſed ſimiliter venerantur. Horum autẽ multi non timent in ſancta blaſphemantes.

Adhuc autẽ multi dicunt ſe ſcandalizari, quia multa contra Apoſtolorum canones & ſeptem generalium Conciliorum, vident in Latinorum Eccleſ. fieri. Me autem neq; hoc ſcandalizare valet. Quare? quia primum quidem diſcurrens & ipſe eoſdem canones, & ad præſentia reſpiciẽs, multa inuenio, & in hac gente contrario modo, quã vt canones iubẽt facto: & plura, & maiora, quã illa ꝙ aiunt Latinos tranſgredi, vt nõ ſint ſecundũ hoc ipſi meliores illis.

Deinde & hoc conſidero quod omnium quæ in canonibus comprehenduntur, aliis exiſtentibus dogmaticis, & de quibus oportet credere: aliis vero in actione, quæ agendum & non diſtinguunt: & horum rurſus aliis dependentibus à Dominico & Euangelico mãdato. aliis vero non: quæ ſingula à ſtudioſis notata ſunt. Canonum vero de fide, & quorum eſt Dominicum mandatum, nullum vnquã Eccleſ. Rom. mutauit, neq; põt hoc oſtendi: vel reuocauit. Quos vero mutauit vel hi ſunt illorum canonum, qui neq; de fide ſunt, neq; à Dominico pendent mandato. Hoc autem mutatio eſt inconuenientens. Quæ enim ita ſe habent, ẽt ſi ſint per Generale Concilium determinata, ſed reb. conſequentibus, tẽporib. cadentibus, & humanis diſpoſitionibus mutatis. poteſt Eccleſia ipſa, gratia melioris mutare. Vt multa talia reperiũtur, etiam in ipſis Concil. poſterioribus multa priorum Conciliorum decreta, cum eodem Spiritu, vel omnino irritantibus, vel omnino ad melius conuertentibus.

Sed quia illa, quæ huiuſmodi ſunt, propter velocem humanarum rerum mutationem frequentius contingunt: in quolibet vero non eſt poſſibile, vel non eſt facile generale aggregare Concilium: ſed neq; eſt quodlibet tantæ difficultatis, vt generali deliberatione indigeat: non oportet turbari. ſi Mater Eccleſiarum, cum ſola circa ſe Synodo, quæ huiuſmodi ſunt, ſuis temporibus Apoſtolica auctoritate corrigit, & mutat vel irritat. Non enim eo quod ſit maioris auctoritatis, & magis poſſit Generale Concilium, quam Apoſtolica Sedes, generalia aggregantur Concilia: ſed quia incidentes Quæſtiones difficiliores ſint, & maiore indigeant diſcuſſione.

Ex his igitur omnibus nouiſſima mea concluſio eſt illa: Quod Eccleſia Romana eſt ſumme Orthodoxa, & nullam vnquã cauſam alicui dedit, vt rationabiliter ab ea diuidatur, & quod qui ei ſunt vniti & obedientes, & mandata Dei cuſtodiunt, in ſtatu ſalutis ſine dubio ſunt. Itaq; & quicumq; ſpretis his, quibus placet in ſchiſmate perſeuerare, ad ipſam toto animo accedunt: hos ſalubriter de ſe, & deliberare, & agere puto.

## Epiſtola II. F. Barlaami Monachi ad amicos ſuos Græcos de Primatu Eccleſiæ Romanæ, & de proceſſione Spiritus ſancti.

Quod in primo ad vos miſſo ſermone, ô amici & fratres, ſine aliqua probatione tanquam manifeſtum ſumptum eſt, Eccleſiã videlicet Romanam, principali Dei volũtate, Matrem eſſe Catholicæ Eccleſiæ: proprio ſermone nunc tentabo vobis demonſtrare. Deprecans vos, vt ſicubi me videritis cogitationibus deceptum, non pigeat vos verbo vel ſcripto, errantem ad rectam reuocare viam. Incipiam igitur inde.

Deus nullam multitudinem in entibus, dimittit inexpertem virtutis vnius: per quod infinitum multitudinis & indeterminatum, termino & ordine formari valeat: ſed ſemper multis ſuperſtatuit vnum commune principium, non ſolum longinquum & & alterius generis, & multa alia non eiuſdẽ generis comprehendens, ſed ẽt propinquum, & cum multis eiuſdem generis. Et hoc ſi quis incipiendo à Deo, qui eſt commune omnium principiũ, voluerit mente tranſire: per ſupercæleſtes, & cæleſtes, & inferiores naturas: & cũ his videre veteris teſtamenti facta, & quæcumq; alia prouidentia acceptantis ſunt in vniuerſo opera, indubitabiliter ita ſe habere in omnibus inueniet, & conuenienter. Vt enim ait Theologus in primo de Filio ſermone, pluralitas principiorum, & carentia principii, initia ſunt inordinationis. Ex hac autem oritur ſolutio. Solutio vero omnino eſt Dei alienum. Quapropter & factus propter nos homo; & duodecim eligens viros, quos ſapientia decorans, miſſurus erat ad noſtri generis reconciliationẽ his principem & Caput ſuperſtituit Petrum, Primum aliorum eum conſtituens per ea, quamuis communiter omnibus data, ſingulariter ipſi & manifeſtius tradita. Ligandi enim & abſoluendi poteſtatem, atq; Paſtorale miniſterium, quæ & ante reſurrectionem, & poſt, per communia & alia verba omnibus dederat, ſpecialiter & expreſſius Petro dat, ipſi dare pollicens claues Regni cælorum, & ſuper eum Eccleſiam ſuam firmiſſime ædificare, & eius fidem nũquam deficere, & ſuos ipſum fratres confirmare, & adhuc paſcere totam Eccleſiam tertio præcipiens. Quia enim per hæc, Caput ipſum aliorum Apoſtolorum conſtituebat Dominus, & hæc intendebat: multa huius argumenta eſſe poſſunt.

Primum enim; ſi nihil differentius ab aliis per ea Petrus accipiebat, non facile inuenietur alia cauſa, ob quam, nihil fruſtra faciens ſapientia, hæc ſingulariter Petro loquebatur. Deinde & Euangeliſtæ, & in Euangeliis, & in actis, vbicumq; commemorãt Petrum cum aliis, vel omnibus, vel aliquibus, ſemper & vbique ipſum aliis præordinant. Quod non vtiq; obſeruanter facerent, niſi ſcirent eum primum aliorum à Domino conſtitutum. Inuenio etiam Apoſtolos illi vt ſuo Primati ſemper cedẽtes. In actibus enim, aliis Apoſtolis pariter cum eo exiſtentibus, ipſum video ſemper ſermonem inchoantem, alios vero ſequentes. Deinde, & illud conſidero quod cum ea quæ Sacramenti incarnationis magis ſunt neceſſaria, ſicuti eſt Crux. paſſio mors, reſurrectio, & per quattuor Euangeliſtas plenius ſcribantur: ea vero quæ in tantum non ſunt neceſſaria, ab aliis omittantur, & ab aliis dicantur: illa per quæ Petri primatus oſtenditur, tanquam exiſtẽtia illorum, quæ magis ſunt neceſſaria, & à quattuor conſcripta ſunt, tanquã valde neceſſariũ ſit, oẽs ſcire, cui Eccleſiæ Principatus à Domino creditus eſt.

At vero & diuinus Dionyſius in tertio de diuinis nominibus, verticalem Theologorum ſummitatem Magnum Petrũ nominat: & ex tunc vniuerſa Eccleſia, addito ipſi diuino Paulo ſummos Apoſtolorum Petrum & Paulum nominat: illum ſimiliter præordinans. Quare vndique manifeſtum eſt, ab ipſo Domino Chriſto, ipſum accepiſſe aliorum principatum. Et hoc valde decenter. Quoniam enim oportebat eum, qui erat proprie & vere aliorum Apoſtolorum Princeps, non ſemper eis corporaliter adeſſe, ſed ſecundum corporalem præſentiam relinquere eos: vnum de duodecim vice ſua principem aliorum præponit, hominem hominum: vt facta diſpenſationis, neq; in hoc aliis prouidentiæ operibus appretianda ſunt. Sed videamus reliqua.

Multi noſtrorum Doctorum ſcribunt, Pontifices quidem locũ obtinere duodecim Apoſtolorum: presbyteros vero ſeptuaginta. Ergo primi Pontificum Apoſtoli ſunt. His adhuc prior quidem primitus Chriſtus: ſecundo vero, & ab omnium primo conſtitutus ad habendam principandi rationem ad alios B. Petrus. Quid igitur? Oportet ne, Pontificale quidem miniſterium, non in ipſis Apoſtolis circumſcribi, ſed etiam ſucceſſoribus ipſum tradi, vſq; ad fines ſæculorum, vt ſemper in mundo ſint Pontifices ſucceſſores eorum: Pontificatus vero Primatum in ipſis oportebat finiri, vt quemadmodum in illis factus eſt aliquis decreto Dei primus, quem alii pro capite ſuo ducebant, hoc nequaquam ad reliquos tranſeat, vt alii aliquẽ vnum ſuum principem putent, ſed omnes per omnia coæquales ſint? Et ex qua differentia hoc deberet contingere, vt Pontificale quidem miniſterium tranſeat ad ſucceſſores, principandi vero officium, ſecundum Pontificatum minime, cum vtraq; ſimiliter eſſent à Domino oſtenſa, & ſimiliter multitudini fidelium neceſſaria exiſtant? Vel quomodo totaliter prouidentiæ opus eſſet, omnia ſapienter adminiſtrantis, Apoſtolis quidem prouidere, vt habeant Primatem: quos ita gratia erat profectura, vt non indigeant in multis ducem hominem habere: poſt illos vero multitudines fidelium inprincipatas & inordinatas deſerere ferre? Ego enim contrarium credo: ideo Petrum Principem aliorum conſtitutum fuiſſe, vt ſecundum eandem formam ſemper in Eccleſia ad vnum reducantur omnes principium. Sed quoniam Pontificatum quidem ad multos tranſire impoſſibile erat: Ideo licet multi in diuerſis locis, & orbis partibus Epiſcopi à B. Petro creati fuerunt, vt de eo Chronica indicat: & omnes poſſibile eſt nominari ſucceſſores eius, ſecundum Pontificalem dignitatem; ſed tamen ſecundum vtraque, Pontificatum aio, & Primatum, ſolus B. Clemens, ſucceſſor eius ab ipſo ſubſtituitur.

Ipſe enim in quadam ad Iacobum epiſtola ita narrat; quod diuinus Petrus ante paucos dies ſui corporalis finis, conuocata tota Rom. Eccleſia, conſtituit eum coram omnibus vice ſua illis Epiſc. dicens ad illum quidem; Tibi do omnem traditam mihi à Domino poteſtatem: ad plebem vero: vt in omnibus illi tanquam ſibi attendant. Itaq; ex tunc aliarum quidem ciuitatum Pontifices, iuuenes nihil vt plurimum æſtimantes oportere curioſius agere, vltra illa quæ ad ſuam diœceſin pertinebant: Romanos vero Pontif. à B. Clemente incipiendo tanquam totius Orbis prælaturam & curam habentes, vniuerſalia adminiſtrare ordientes, ad vniuerſas partes, * regulares epiſtolas mittentes, & quæ vbiq; peccabantur corrigere nitentes, & quod agendum erat omnibus ſtatuentes: vt poteſt hoc ſciri, ſi quis regulares epiſt. Rom. Pont. à B. Clemente vſq; ad S. Sylueſtrum diſcurrere voluerit: in quibus non pauca inueniet contenta, etiam eorum, quæ nunc Eccleſia Græcorum facit, ab illis Pontificibus inſtituta, & originem habentia. Vnde quod in machina vniuerſi contingit, quod quæ longinquius diſtant à Deo procliuiora ſunt ad peccandum, & minus determinata & mutabiliora: quæ vero propinquiora ſunt, eadem in bono permanentia, & ſtabiliora, & magis determinata; idem etiam in Eccleſia profecto contingit. Plurimæ enim deterrimæ hæreſes in partibus magis à Romana diſtantibus ortæ ſunt: Romæ vero, vel prope, auctores hæreſum facti non ſunt. Matre enim Eccleſiarum omnibus veritatis radios emittentē, profecto contingebat propinquiores magis quam longinquiores, clarius illuminari. Cum autem diuina prouidentia, reſpub. ad Chriſtianos veniſſet, piorum Imperatorū legislatores, Conſtantinus, & poſt eum Iuſtinianus, conſequenter ſuperiori traditioni & poſſeſſioni legibus & decretis eiuſdem Eccleſ. primatum ſtatuunt, in parte pietatis hoc facientes; manifeſte determinantes Rom. Eccleſiam oportere habere rationem ad reliquas omnes: & ipſi conuenire omnium dominari & omnia retractare: & quæ vbique de fide & dogmatibus dubitantur, ad ipſam referri, & ibi conuenientem examinationem & definitionem cōſequi: atq; Sardicenſis Concilii canones, omnium aliorum Pontificum ſententias iudiciales, ſi quis ad ipſam appellauerit ipſam oportere retractare, & confirmare, vel irritare ſimiliter ſtatuunt. Et Generalia quædam Concilia, nouæ Romæ Epiſcopum honorare volentia, oportere ipſum habere decernunt Primatum poſt Epiſcopum antiquæ Romæ. Et quod omnium maximum eſt, quod & in canonibus, & legibus nullius Eccleſ. ſedis Apoſt. nominatur, niſi tantum Romanæ. Vnde multi magni viri de orientali Eccleſia, arbitrantes ſe iniuriam eſſe paſſos, ad Sedem illam refugerunt: Magnus Athanaſius, S. Maximus; ſed neq; B. Chryſoſtomus ſuum ignorauit Caput. Paſſus enim maximas iniurias, ad tunc S. Papā omnia refert. qui, quantum in ſe erat manum auxiliatricem dare iniuriam paſſo, nullo modo neglexit. Sed & Agapetus S. Papa, cum adueniſſet nouam Romam tempore Iuſtiniani Imperatoris: quoniam vidit Anthimum Patriarcham, quandam hæreſim defendentem: illum quidem deponit de Sede; Menam vero virum Orthodoxum in Patriarcham creat. Et cum aliquando quattuor Patriarchæ cum Imperatore, aduerſus venerabiles imagines impie geſſiſſent, non paucisq; annis huic hæreſi perſeueraſſent, atq; ad delendas honorabiles figuras communia quædam Concilia, quæ Generalia eſſe & nominari probabant: celebraſſent; & ſuis decretis B. Stephanum ſe ſubſcribere cogere voluiſſent; repudiat eos ille ſanctus: non ex alio, niſi quod non habebant conſentientem Rom. Pontificem, dicens: huiuſmodi Synodum non debere Generalem nominari, illo abſente, quo ſine non licet fieri Generale Conciliū; & ſi fiat, robur non habere. Quamquam Epheſ. Concilium, nihil impediuit Generale, & eſſe & nominari, neq; Antiocheno Patriarcha præſente, neq; Conſtantinopolitano aſſentiente. Et Chalcedonenſe ſimiliter, Alexandrino Patriarcha non aſſentiente.

*CANONICAS DECRETALES

Neq; igitur Generale Concilium, neq; aliud quidquam ad vniuerſi vtilitatem vnquam celebratum eſt ſine illa Sede. Et ex illa quidem Eccleſia, nulla hæreſis ſuperioribus temporibus ortū habuit: multa vero aliunde ortarum occidit, ſine illius prouidentia. Omnibus quidem modis, quibus iuſte aliquid poſſideatur, totius Eccleſ. illa primatum obtinuit ſedes: ſcil. diuina ſententia, Apoſtolorum inſtitutionibus, Synodorum canonibus, Sanctorum decretis, multitudinis aſſenſu, temporis præſcriptione, ab omnibus conſenſu: & quod omnibus ſuperioribus temporibus, pie, & rebus cōmunibus vtiliter dominium exercuit. Nam & ſi aliquis ſemel illorum Pontif. alicui *hæreſi aſſenſus eſt: ſed non in longum: aut de longo, huius remedium. Statim enim eadem Eccleſia, aduerſata ei, illorū oratione, ſed ſimul, & vita priuatur. Quid aūt ſi decus ipſū & vtilitatē quæramus? Nonne videbitur decentius eſſe, & per oīa, vt ita dicatur, vtilius, & Dei ergo nos pietate dignius, vt illi genti totius Orbis prælatura atq; cura credatur: quæ legibus & ciuili doctrinā maxime omniū gaudet: quæ omnem infinitatem, & inordinationē, & inæqualitatem, & violentiam, & iniuriam, & detractionem de Repub. ab initio conſueuit extirpare, quam alteri cuicumq;? Quæ enim alia cauſa inueniri poteſt, ob quam etiam ante incarnationem Verbi, quattuor ſecundum Danielem, Magnorum illorū regnorū, ſoli nouiſſimo, & Rom. totius Orbis à prouidentia Dei commiſſus eſt? niſi quod Romani humanius, & ciuilius, & legalius, & æqualius ſubditis vtebantur. Quia vero Rom. Eccleſ. principem eſſe aliarum Eccleſ. opus eſt omnia decorantis, & vtiliter diſponentis prouidentiæ, certum eſt ex illo. Si quis enim conſiderando hominum diſpoſitiones, & voluntates, & naturales eorum paſſiones, quæcumq; cōmuniter omnib. accidunt, & quæcunq; aliis aliter contingere poſſunt: atq; humanarum rerum, ſiue illarum quæ in nobis ſunt, ſiue quæ in nobis non ſunt, velocē mutationem: & cū his olim ortas hæreſes, atq; temporalis dominii inteſſerationem animo velit videre: quænam tetra ſubſequuta eſſent ſi oēs Eccleſ. ita prorſus diuiſæ eſſent, vt altera alterius non dominaretur: inueniet, pro certo infinities melius eſſe & ad decus, & ad vtilitatem, alias ſub aliis ordinatas eſſe, & poſtremo oēs ſub vna, quam ſi aliter ſe haberēt. Ego enim arbitror, quod cū multis aliis aduerſis quæ poſſent contingere, illud certiſſime contigiſſet: quod neq; accenſæ hæreſes extinctæ eſſent, & alia tot hæreſes & errores vigerent: vt diuiſis ita ab inuicem Eccleſiis, coæquales eſſent, qualibet videlicet ex multa poteſtate ſuam defendente. Quo nihil eſſet Eccleſiis fœdius, & pernitioſius. Ergo ſi qua nunc eſt Eccleſia, habens & faciens quæcumq; oporteret & habere, & facere: eam quæ ex Deo eſſet aliarū dominatura, hæc eſt quæ diuinitus dominium habet, & cui rite conuenit dominari, atq; alias ei credere. At vero Eccleſ. Rom. videtur in integrum, & habere, & facere, quæcumq; oporteret eam quæ ex Deo eſſet aliarū dominatura, & habere, & facere. Primum enim oporteret digne omnium dominaturam ex viris collectam eſſe, qui quantum dominio, tantū ſapientia & morum virtute excellerent alios. Hoc vero abundanter illa habet. Si quis enim voluerit videre ſacrum illum circa Papam Senatum, & eos qui circa illum ſunt: inueniet Eccleſiam illam non ſolum ad vnamquamq; aliarum comparādo, ſed ſimul ad multas, & multitudine elegantium virorum, & ſcientiæ ſpecie omni & morum benignitate & honeſtate, quamplurimum aliis præeminentem.

*MATERIALITER, VEL, VT

DOCTOR, NON VT PONTIFEX

Item oportet bene omnium dominaturā, nullo modo ſubditam eſſe temporali dominio. Quoniam enim facta Eccleſ. correſpondēt animæ, temporale vero dominiū corpori: & eſt condecentius animam dominari corpori, quam è conuerſo: Congruum vtiq; eſt, & conueniens Eccleſ. dominium, nullo modo ſubditum eſſe principū huius mundi dominio. Etiam vtile, vt neq; metu vllius dominii aliquid minus rectum facere, vel concedere: neq; aliquis contra voluntatem de iure electorum inſiliat Sedi. At vero Rom. Eccleſ. olim hoc bono ditata eſt, & ipſa liberata omni mundana tyrannide, & ſuis membris omnibus, eandem impartita eſt libertatem.

Tertium vero & maximum, oportet immortalis Eccleſiæ principatum in aliquo incorruptibili ſuum robur & firmitatem habere, & non corruptibili: ne hoc corrupto, res Eccleſiaſticæ labantur. Quod vt plurimum Regibus contingit: quibus in pecuniis, & exercitibus, & virorum conſiliis, & humanis legibus, & alia ciuili virtute, ſuam virtutem habentibus: ſubditæ eis ciuitates, rebus mutatis, cum vident & poſſibile ſibi, & ſine periculo, & ſuis rebus expediens, ſeruitutis iugum excutere, non verentur hoc facere. At vero illa, in quibus firmitas Eccl. Rom. conſiſtit, cœlo & terra ſunt permanentiora. Virtute enim verborum Domini ad Petrum, ſubditæ ei Gentes contremiſcunt eam & metuunt, & ab ipſa diſcedere, à Deo diſcedere eſſe, virtute illorum verborum omnes putāt.

Item ſi perquiratur, quænā ſint cōgrua opera diuinitus omniū dominantis Eccleſ. inueniet eadem ipſa & Romana. Oportet enim primo nutu diuino omnium dominantē plurimum eſſe ſolicitam, vt vbiq; & omnibus, & ſemper Euangelicus prædicetur ſermo: vt & ſi non aliud, ſed ea quæ in prōptu ſunt, & efferri poſſunt Sacramenti noſtræ religionis, & ſalutaria Domini præcepta, & conſilia & quid à quolibet exigendum eſt, nullus qui magno nomine cenſetur, & diuina luce ſignatus eſt ignoret. Item ſchiſmaticos, & per epiſtolas, & per nūcios, niti ad ſe reuocare, redarguendo, increpando, admonendo, hortando, vel rogando: afflictis Chriſtianis

pro



pro poſſe auxiliari pecunia, ſi habet, & per ſe petentes adiuuare hortando, & iniuriam paſſos, & ad eam refugientes defendere, omnium peccata quoquomodo corrigere conari.

Ad hæc omnia, & ſi quod alterum legaliter principanti congruit, ſumme Romana Eccleſia facere videtur. Alia vero Orbis Eccleſiarum nulla eſt, quæ habeat, & faciat, quæcumq; oporteret, diuinitus dominaturam habere & facere.

Quoniam ergo mouens meas cogitationes, vndique inuenio per omnia melius eſſe, vt ſit aliqua Eccleſia, ſub qua aliæ ordinatæ ſint: & has perquirens, ſolam video Romanorum, & habentem, & facientem quæcumq; oporteret diuino beneplacito, omnium dominaturam, & habere, & facere: non poſſum prouidentiam eſſe credens, Romanæ Eccleſiæ maieſtatem, & ſublimitatem, fortunæ & caſui dare, & non in maximis prouidentiæ operibus, & ſolemniſſimis, & hoc computare.

Ex his igitur Primatum illius Eccleſiæ ſufficienter demonſtratum eſſe puto. Venio rurſus ad Paracleti proceſſionem.

### De proceſſione Spiritus ſancti.

Quoniam multis annis poſt ſeptem Generalia Concilia, vidit eadem Eccleſia, aliquos eorum, qui denuo conſueuerant in hæreſes frequentius delabi, aſſerentes Spiritū S. ex ſolo Patre procedere, & minime ex Filio, & ſermonibus perſuaſibilibus ex humana mente hoc dogma affirmantes: propinquiorē vero ſibi multitudinem, & ad hæreſes ſemper tardiorem à principio ſapientem, Spiritum S. à Patre Filioq; procedere: quid eam quæ ſemper conſueuerat huiuſmodi controuerſiis finem congruum imponere, & vnitatem omnibus monſtrare, oportuit facere? Silentio ne rem præterire, & ordinem ſuum deſerere? Sed non erat hoc eius. An ad Ariſtotelicas Methodos, & Platonicas diuiſiones, & Mathematicas demonſtrationes, & cogitationes humanas recurrere, & ex illis quæſitorum veritatem perquirere: Sed neq; hoc decreuit facere: ſciens profecto hanc rem tranſcendere omnem humanam & mentem, & methodum, & demonſtrationem. Quid igitur fecit? Ad ſuos Doctores, quos longis ſurſum temporibus pro ſanctis habuit, recurrit, B. Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, & Gregorium, & horum ſcripta perſcrutata, videt eos tanquam ex vno ore, multis locis & frequentius Spiritum S. ex Patre & Filio procedere aſſerētes. Et neq; vſq; ad hoc ſtat: ſed & Orientalis Eccleſiæ Patres perquirit, & videt horum ſimiliter plures & principaliores, idq; ſum ſapientes: reliquos vero minime omnium dicentes, præter vnū ſcil. Damaſcenum, qui videtur contrarium dicere. Quanquam non dicit ipſe, quod Spiritus Sanctus non eſt ex Filio, ſed quia non dicitur ex Filio, ac ſi diceret, quod in diuina ſcriptura non inuenitur verbo dictum, quia ex Filio. At vero videtur & ipſe dicere, Spiritum ſanctum à Patre per Filium emanare, & imaginem eſſe Filii Spiritum: & ad Patrem ita ſe habere Filium & Spiritū, quemadmodum ad Solem ſe habent radius & illuminatio: quæ vtraq; ex ſole quidem ſunt, ſed per radium ait illuminationem nobis dari. Ex quibus videtur & ipſe non penitus contrarium tenere. Ipſum enim illuminationem & ex ſole per radium eſſe dicere, & rurſus ex ſole & radio verum eſt: quemadmodum & in Trinitate. Quorum n. eſt communiter auctor Pater & Filius, hæc & vtroq; modo dici verū eſt, & ex Patre per Filiū, & ex Patre, & ex Filio.

Tantorum itaq; Patrum concordiam cum vidiſſet, & propter rei magnitudinem adhuc his non contenta, conuocat ad ſe vniuerſos Eccleſiarum Prælatos, ad inquiſitionem communicandam. Vno itaq; verbo, his qui voluerunt intereſſe ſimul congregatis & omnibus poſt factam rei congruam inquiſitionem, ad idem conſentientibus, deniq; Apoſtolicæ authoritate, hoc eſſe quod oportet credi, declarando determinat: & contrarium dicentes, in portione hæreticorum decernit. Quæ igitur erit nunc mea excuſatio, ſi noluero quiete obedire, ſed tantorum Patrum, & Matris Eccleſ. ſententiæ, de re vincente vires naturalis cognitionis, præpoſuero meā cognitionem? Neq; illud valens conſiderare, quod indignum erat penitus diuinæ prouidentiæ, non ſolum illam Eccleſ. ſublimare, & caput Eccleſ. Cathol. à principio facere, quā nouit inſanabiliter caſuram, & infinitas multitudines, ſecum dimiſſuram, ſed & cū à rectis cecidit dogmatibus adhuc magis magnificare, & omnibus bonis ditare; eam vero quæ recte ei à principio reſtitit, contrarium pati permittere? Ego vero, & aliud cogito, quod portas inferi nunquam aduerſus Eccleſ. præualituras eſſe, cū ſit veriſſimum, quod olim portæ inferi aduerſus Eccleſ. Dei præualuerunt ſiquidē Rom. Eccleſ. cecidit. Nam ſi Eccleſ. ſoli quidem huius partis ſunt, vt ſecundū multitudines eos ad ſe cōuertant, nullo penitus exiſtente, qui publice prædicando populū confortaret, in fide perſeuerare, & Perſæ ita adhuc ſe habent, vt in primo miſſo ad vos ſermone recitaui, iā aduerſus Eccleſ. portæ inferi præualuerūt. Sed hoc falſo exiſtēte, cogor Rom. Eccleſ. Orthodoxam in omnib. putare, & hanc ſolā eſſe cum ſibi ſubiecta multitudine, vnam, S. Catholicam & Apoſtol. Eccleſiam, in quam credere iubemur, & aduerſus quam portæ inferi, neq; præualuerunt, neque vnquam Deo ipſam tanquam nouum Iſraelem regente præualebunt.

Hæc Barlaam Monachus Ordinem Diui Baſilii profeſſus, pro Eccleſiæ Romanæ Primatu & dogmatibus; amicis in Græcia ſcribebat: mirum vt ſit, qui tum à Cantacuzeno, tum à Pontano, inter vere ſchiſmaticos accenſeatur, præſertim cum tam ſolide, docte & neruoſe, ſchiſmaticos, & in his articulis, & in illo de viſione luminis increati oppugnauerit, hocq; Zelo pro Eccleſia Romana flagrantiſſimo, viam ſibi ad Epiſcopatum ſtrauerit. Sed de Barlaamo, inferius erit alius ſermo.

XIV. B. ODORICUS ORDINIS MINORUM.

Iuuit Barlaamum, in prædicatione apud ſchiſmaticos, B. Odoricus Minorita, hoc anno fatis functus. Hic apud portum Naonum Fori Iulii natus, cum in Ordine Fratrum Minorum magnus ſanctitate creuiſſet, vt plures ad Fidem Chriſti alliceret, & ad Eccleſiaſticam vnionem reduceret, peragrata Aſia, Perſarum, Medorū, Aſſyriorum, Indorum, Scytharum remotiſſimos fines Euangelico lumine colluſtrauit, tandem in Italiam reuerſus, Vtinæ ſancto fine quieuit, multis miraculis poſt mortem clarus, quæ Paganus Patriarcha Aquileienſis in publicas tabulas referri præcepit, & ex his *Theſigaian. hiſtor. Seraphicæ relig. lib.* 1. exſcripſit.

Florentiæ in Etruria, Barducius, & Ioannes Veſpignianus, magna opione ſanctitatis, & pietatis operibus commendati ciues ex hac vita hoc anno deceſſerunt, miraculis à morte quamplurimis illuſtrati. Quo etiam anno, Archiepiſcopus Piſanus, & Florentinus, Teſulanus, necnon Spoletanus Epiſcopi, corpus Diui Zenobii Florentinorum Epiſcopi, decem cubitos in Eccleſia S. Liberatæ defoſſum repererunt, & caluaria loculamento argenteo indita in loco honeſtiore condiderūt. *Villani lib.* 10. c. 179. & 171.

XV. THEUTONUM CRUCIGERORUM PERFIDIA IN REGEM POLONIÆ ET INGRATITUDO.

In Polonia, ſi aliquando, hoc anno ſumma perfidia & ingratitudine laboratum. Secundum Ladislaū Locticum, Ioan. Max. Pont. aduerſus Crucigeros pronunciauerat, adeoq; iſtis anathemate propoſito edixerat, vt vniuerſa Pomerania Ladislao cederet. Contempſerant, & non ſemel bellum Regi intulerant. Poſt multas clades vel illatas, vel receptas, tādem vtrimq; cōuenit, vt de tota re, Carolus Vngarorū, & Ioan. Boem. Reg. arbitri decernerent. Reduxit interim exercitū Ladislaus auxiliaq; dimiſit. Illi porro præſenti metu ſoluti, minus iam pacē cupere, nec Boem. ad arbitrandum, ſicut conuenerat, adducere, curarūt: cum Carolus rogatu Vladiſlai præſto eſſet. Parum iſtud, Sed Vincentio Samotulio Poſnanienſi Palatino, q ad eos per id tēporis defecerat, duce, arma infeſta in Regē nihil cogitā e cōuerterunt, multaque de Polonis imparatis oppida & caſtra, Gneſnā vſq; receperunt, ne tēplis quidē, & Monaſteriis ſacriſq; reb. manus ſacrilegas abſtinentes. Reliquias tū Diui Adalberti cupide quæſitas, ſed à miniſtris tēpli occultatas nō inuenere. In Syradienſem deinde tractum impetu facto; maxima celeritate, vniuerſa peruadētes, ferro & igni cuncta vaſtarunt. Quo incēdio Siradia, Vncouia, Vartha, Stanus Schadecam, oppida pleraq; cū arcib. conflagrarunt. Nec matronarum, & Virginum ēt Deo dicatarū pudori vſq; parſum eſt. In direptione Siradienſis Præd. Monaſterii, cum Præſes Sodalitatis quē priorē vulgo vocant, Herman. Elbingenſem Cōmendatorē Elbingæ cognitum agnouiſſet, cædemq; innocentium hominum: qui eo cum facultatib. confugerāt, atq; direptionem Monaſterii ſui ſupplex deprecaretur. Pruſſico verbo, Nepreſt. q eſt, nōītelligo, ab eo reiectus eſt. Quaſi nō ſatis eſſet reipſa barbaro, niſi & lingua id pſtiteretur. In hoc rerum diſcrimine, Ladiſl. Rex ſummopere diſcruciabatur, vidēs patriā chariſſimā tā immaniter vaſtari, flagrantes & fumātes circumquaq; pagos

&

& oppida, & innumerabilem pene hominum omnis generis atq; ordinis multitudinem partim cæſam, partim captam: cumq; aliter rebus labentibus ſuccurrere nequiret, ad Vincentium reconciliandum animum adiecit, vt eius proditione vel circumueniret hoſtem, vel conſilia eorum perturbaret. Ceſſit negotium ex ſententia, & hoc vel infamiæ (quam ne in familiam Nalẽciorum transfunderet metuebat,) timore ad Regem reuertente vſus, vires collegit, bellumque ingratis indixit. Placet Ladiſlaum ad milites perorantem audire; vt quis ſtatus Poloniæ, quæue mens religioſorum Crucigerorum erga ſuos beneficos fuerit, in cautelam ſuccedentium temporum cognoſcatur. Ita dixiſſe fertur.

ORATIO LADISLAI REG. SVOS CONTRA CRVCIGEROS AD HORTANTIS.

*Non nos latet, milites, cum quibus hoſtibus nobis res ſit, nempe qui beneficiarii ſunt maiorum noſtrorum, acciti in hæc loca, & liberaliter inuitati, vt eis auxilio eſſent contra vicinos barbaros: nunc ii ingrati & impii, pro maximis beneficiis parricidalia arma in nos conuerterĕ. Pomeraniam nobis ſurripuere verius quam eripuere, itemq; Cuiauiam pene omnem: reliqua etiam inhiant: neq; hoc ſatis illis eſt. Cernitis iam omnem fere Poloniam crudeliter ab eis vaſtatam, populatos agros, incenſos pagos, euerſa oppida, aratores veſtros ignominioſe necatos: parentes, coniuges, liberoſque veſtros dulciſſimos, vel cæſos, vel in fœdam & contumelioſam ſeruitutem abſtractos: quorum quidem ploratus & eiulatus miſerabiles exaudire poteſtis. Adſunt enim prope, & proditi fidem veſtram incuſant: implorarent, ſi vos adeſſe intelligerent. Quid ergo commemorem profanata ac direpta templa Dei Opt. Max. & Monaſteria? abreptas ab ipſis aris & adytis ad inceſta ſtupra Monachas? reſperſa ſanguine innocentium hominum & Sacerdotum, qui pro veſtra ſalute, & incolumitate huius regni ſacra faciebant, veneranda Chriſti Ieſu myſteria? Hæc vos pati poteſtis, milites? tam ferrei eſtis, vt vos veſtrarum coniugum, ſororum, & filiarum ad ſtupra trucium Theutonum aſſeruatarum non miſereat? Tam duri, vt non paruorum liberorum, & fratrũ veſtrorum miſera conditione commoueamini, quos Germani milites cauponibus, laniis, coquis & meretricibus in intima Germania in perpetuam ſeruitutem addicent? Ad ſacra quidem tam indigne & contumelioſe attrectata ferre non debetis; acrius ac promptius pro his ſemper maiores veſtri, quam pro liberis & coniugibus ne pro facultatibus ſuis dimicarunt. Quid vero? Creditis conſceleratos hoſtes malis noſtris iam ſatiatos, aut modum illum cupiditati, & crudelitati ſuæ poſituros eſſe? Non facient profecto, niſi vos ſedibus veſtris omnino propulerint, aut ſanguinem veſtrum prorſus exſorbuerint, nomenq; extirparint: niſi vos fugit gentis immanitas, humanis hoſtiis olim Deos placare ſolita.*

MEMORANDA VICTORIA LADISLAI REG. DE CRVCIGERIS.

Multa alia cum Ladiſlaus Rex dixiſſet, atq; denique Deum piorum adiutorem, & ſcelerum atq; flagitiorum contaminatorumq; ſacrorum ſuorum, & religionis ſacroſanctæ vltorem inuocaſſet, in hoſtes inuectus, victoriam ſæculis memorandam, die XXVII Septembr. qui translationi Diui Stanislai ſacer eſt obtinuit. Quadraginta millia hoſtium cecidiſſe memorabat Dlugoſſius, cum ex Polonis nõniſi triginta ex promiſcua multitudine, duodecim de nobilioribus occubuerint.

XVI. ORIGO FAMILIÆ IELITORVM IN POLONIA.

Inter vulneratos iacuit, Florianus cognomento Sari, homo equeſtris ordinis, multis debilitatus vulneribus, & ex reſupino corpore, per vulnus manantia viſcera manu cohibens. Hunc Rex obequitans forte, vnũ ex ſuis eſſe ſuſpicatus, adque comites conuerſus, cum magnum viri dolorem, cruciatumque dixiſſet, audiuit à Floriano: *Maiorem eſſe eius qui in eodem pago malum vicinum habeat, qualem ipſe expertus ſit.* Ibi Rex, *Bono*, inquit, *animo eſto. Iſthoc ego te malo liberabo, ſi vixeris.* Dixit Rex. & ſublatum, curatumq; non tantum pago integro, amoto malo vicino auxit, verumetiam nouo inſigni ornauit: datis pro ſtemmate familiæ, tribus haſtis in modum ſtellæ tranſuerſis, quod nomine Ielitorum, hoc eſt Iliorum appellatur: cum prius Kozlerogi ab Hercinis cornibus diceretur. *Cromer. lib.* 10. Huius familiæ heros illuſtriſſimus noſtra memoria vixit, Ioannes Zamoiſcius Regni Poloniæ Cancellarius & Copiarum Generalis Præfectus: propter doctrinam, prudentiam, felicitatem, & rerum pro Eccleſia, reque publica, non tantum Polona verum & Chriſtiana, cõtra Moſchos, Turcas, Liuones,

IOANNES ZAMOISCIVS REGNI POLON. CANCELL. ET EIVS ELOGIA.

Tartaros, Dacas & alios hoſtes fortiter ſuſceptarum geſtarumq; magnitudinẽ, Magni nomen in vniuerſo orbe cõſecutus. Ceſſit fatis An. Dom. M. DC. IV. Aliqui, Catoni, Tullio, ipſoq; etiã Iulio Cæſari, quos glorioſa ſuorum æſtimatrix vetuſtas in exemplum extulit, componebant, iſtudq; elogii adſcribebant: Catonẽ ſanctitas, & infractum pectoris robur probauit, Ciceroni, Eloquentiæ decus, & ſeruatæ patriæ gloria, parem gratiam reddidit. Deniq; Iulium, non tam à *Dis* origo, quã per omnia diuinæ potentiæ æmulus animus, ſideribus aſſignauit. Citra aſſentationem. In magnanimo Samoſcio, Regni Poloniæ Cancellario, & Patriæ Parente, nunquam rectitudinem, aut conſtantiam, etiam in aduerſis Reſpub. deſiderauit. Eloquii ſane diſſertiſſimi, & ſalutaris opis bona, ſic ſemper ſubminiſtrauit; vt ne ſecum deſinerent, etiam proſpexerit. Poſtquam enim, optimarum artium cultus quid Regnorum præſidibus prodeſſet, ſuo ſatis exemplo confirmaſſet: Muſarum celeberrimum Athenæum, Hippei Samoſciani cum titulo, publicis & perrennibus Poloniæ vſibus conſecrauit, ad laudis, & famæ, qui non interituri fructus, æternitatem. Cæſareæ porro imaginis typum, militiæ artibus, patientia, & ſucceſſibus noſtro ſæculo ſic reddidit, vt poſt veterem illam memoriam, vno tantum diſſimilitudinis genere, ab illa Veneris (ſed quam Mars armatus amauerat) ſtirpe diſceſſerit. Quibus enim ille armis patriam oppreſſit, hic ſeruauit. Quibus Gallias ille toto decennio, ſed ſibi ſubiugauit, Ioannes Samoſcius à Sarmaciæ limite, bono publico, Dacum, Parthos, ingentibus ſubmouit ſtragibus: Moſchum Lituania expulit, Sueciæ Tyrannum non ſemel fregit. Deniq; XXIV annis inter militares florentiſſimi Regni viros, ſic belli præfecturam ſuſtinuit, vt gloria plenus, offenſæ neſcius ab armis non antea quam à vita diſceſſerit. *Lipſiani teſtam. Curatoris in nuncupat. Cent. quintæ miſcell. poſtumæ epiſtolarum Lipſi. ad Thomam Samoſcium Magni Ioannis M. Filium.* Eiuſdem M. Samoſci Manibus hæc nos alibi adſcripſimus. Onoſander Strategus, Imp. Copiarũ deſiderabat; ſed deſiderabat; *Caſtũ, temperantẽ, ſobriũ, frugi, laborioſũ, intelligentem, minime auarum, dicendi peritũ, ac demũ gloria illuſtrem.* Ad hanc formam effictus M. Samoſcius, tam caſtus, vt nullis vnquam voluptatum lenociniis ſeſe contaminarit; tam moderatus, vt nullis vnquam intemperantis animi motibus ſubigi potuerit: tã ſobrius, vt arduis negotiis parandis patrandiſq; par animo & corpore fuerit: tam frugi, vt religioſum referret, tam laborioſus, vt militẽ gregariũ defatigaret: tam intelligens conſiliorum, vt Neſtorem vniuerſi putarent: tam à ſordib. auaritiæ alienus, vt in re anguſta Reipub. Polonæ, omnia priuata in militẽ diſpergeret, nec minus æque auri ſuſtinebat fulgorem, ac vmbonum haſtarumq; ſtricturas micantium oculis contra ſpectabat irretortis. Cætera tam eloquens, vt Scipionem & Themiſtoclẽ: tanta gloria præluſtris, vt veteres oẽs Imperatores rerum geſtarũ magnitudine inſignes, vel æquarit, vel ſuperarit.

Antonius Quærengus, viro Illuſtriſſimo amico olim ſcribenti, dicenti & triumphanti Honoris templum erexit, quod iſthic vides.

*Sidereo qua celſa iugo trans nubila Pindus*
*Tollitur & Muſis gratus cœleſtibus amnis*
*Laurigeri ſacras nemoris perlabitur vmbras*
*Æthereas templum mirabile ſurgit in auras*
*Quod ſolido ex adamante ingens, auroq; micanti*
*Æterno Aonidum princeps ſacrauit Honori.*
*Huc gemini anguſto perducunt tramite calles*
*Alter inacceſſa deſerta per ardua rupis*
*Fert cœlo egregias animas, quibus aſpera bella*
*Perpetuum ſuo mercantur ſanguine nomen.*
*Mollior obliquis inflexibus excipit alter*
*Pectora tranquillæ ſtudiis exercita pacis.*
*Cuſtodes aditum ſeruant in limine primo*
*Hinc nemeſis ſcelerum vindex, hinc optima legum*
*Eunomia genetrix, vulguſq; ingreſſibus arcent.*
*Sed neq; præſtanti heroum de ſemine quiſquam*





*Per callem temere veſtigia fixit vtrumq;*
*Quoſq; togæ fandiq; decus, quos Palladis artes*
*Per populos olim titulis auxere decoris,*
*Rara triumphali tranſuexit gloria curru.*
*Tu tamen ô ſæcli lumen Dux maxime noſtri*
*Cuius, in Herculeos humeros tot preſſa periclis*
*Ingentis regni moles iam tuta recumbit,*
*Laudis iter duplicis pergens te attollis ad aſtra*
*Quis neſcit, quibus attonitas tua pertrahat aures*
*Dulcibus eloquii manans facundiæ riuus?*
*Quanta ſub excelſa vigeat prudentia mente?*
*Quamque pias populis leges, quam certa regendis*
*Vrbibus imperio ſtabili documenta relinquas!*
*Hæc meriti pars vna tui, duro altera bello*
*Parta refert ſpolia, & rorantia cædibus arma.*
*Captiuoſq; Duces, & pictas ordine longo*
*Ciuibus oſtendat, quibus hoſtem depulit, arces.*
*Macte animis Heros ingentibus alta merenti*
*Ipſe ſacri iam pandit Honor penetralia templi*
*Et viridi inſignem quercu, lauroq; coronam*
*Debita virtutis geminæ tibi præmia nectit.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1332.

## IOANNIS PAPÆ XXII.
### Anno 16. & 17.

I. OBITVS ANDRONICI SEN. CONST. IMP. ET QVÆ ILLVM PRÆCESSARINT.

COnſtãtinopoli, hoc anno, Andronicus ſenior Imperator Græcorum, diem clauſit extremum. eius obitum; multa oſtenta prænunciarunt. Primum, eclipſis Solis tot ante diebus, quot annos ille vixerat. Hunc ſecutus eſt Lunæ defectus, eumq; terræ motus, ea veſpera qua Diui Antonii memoria, cuius illi nomen inditũ erat, veteri more à Chriſtianis celebrabatur die Februarii duodecimo, quem expectati eius obitus conſecutura erat veſpera. Cum autem è meridiei baratris vehemens ventus erupiſſet, marini fluctus ita efferati ſunt, vt ſuos egreſſi limites multas muri maritimi & Orientalis partes proſtrauerint, & multas illius portas effregerint, & hoſtium inſtar irrumpentes, multa ædificia quoque vrbana inundarint. Tum quoq; multæ ferreæ Cruces templis impoſitæ, impetu ventorum non tolerato, deciderunt. Columna quoque olim ante ædem Quadraginta martyrum poſita, concidit, quæ iuxta baſim vſtulata, & confracta, prætereuntibus non ſine cauſa ruinæ metum incutiebat, vt aliquando proceres quidam hũc Imper. prætereuntem metu fortaſſe periculi, monerẽt, ne propius, accederet. Quibus ille, deriſa eorum timiditate, fortuito reſpondit: Vtinam ego tam diu viuerem, quam diu hæc columna ſtabit. Quod cũ nunc, quemadmodũ ille effatus erat, accidiſſet, admirationi illis erat, qui dicti illius recordabantur. Eo die, ſole abeunte, cũ nullo ſigno morbi apparente, multi amicorum, vna cũ Nicephoro Gregora illi vſq; ad primum Galli cantum aſſediſſent omnibus eis valedicto, allatum cibum edit. erãt autem illa omnia teſtacea, propter ieiunium illorũ dierum: poſt quæ cum merum bibendũ fuiſſet, quo vetulus ſtomachus ad duriorem illum cibum conficiendum firmaretur, ille frigida vſus eſt. Solebat enim, cum feruorem aliquem venarum ſentiebat, immoderate frigidam bibere, ne vlla venæ ſectione eſſet opus. Tali ergo diæta tum quoq; vſus, ſtatim faſtidio affici, & è ſtomacho, & corde grauiter laborare cœpit. Cum aũt iam ſpiritus etiam meatus obturari & coarctari, ac mortem ſibi iam inſtare cerneret, & propter intempeſtam noctem neminẽ reperiret, qui ſibi diuina myſteria impertiretur, omnibus circa palatium portis clauſis, ſurrexit, & gratias egit Deo, & pro ſalute animi ſui cũ multis lachrymis & genuflexionibus deprecatus eſt. Deinde ſacram Deigenitricis imaginem quã in ſinu geſtabat, loco diuinorũ myſteriorum in os inſeruit: cumq; in lecto conſediſſet, ſtatim priuſq̃ diluxiſſet, defunctus eſt. Longe antea quodam ænigmate mors eius prænuntiata fuit. Repererat Imperator librum, qui & perplexis litteris, & obſcuris imaginibus indicia continebat eorũ omnium qui vnquam imperio potituri decebantur. In quo animi & ſagacitatis, huius Andronici ſignum præter cætera erat vulpes: obitus autem, tali in loco poſita ſtella: & duo nigro veſtitu aſtantes adoleſcentuli, apertis omnino capitibus. Niger autem veſtitus, & aperta capita, & duo tantum adoleſcentuli, Imperatori monaſticum cucullum ſignificarunt, & Imperatoriæ calyptrę amiſſionem, & biennium poſt illam. In eo enim habitu annos duos exegit. *Nicephor. Gregor. hiſt. Rom. lib.* 10.

II. OBITVS ISAIÆ CONST. PATRIARCH. ET CONTROVERSIA PRO SVCCESSORE DELIGENDO.

Paulo ante Andronici obitum, Iſaias quoq; Patriarcha Conſtantinopolitanus, humanis rebus exceſſerat. Byzantina Eccleſia, per Iſaiæ mortem Epiſcopo viduata, viſum omnino faciendum, vt alius in eius throno collocaretur. Cum igitur diutius controuerſando alii aliũ nominarent, Ioannes Cantacuzenus Magnus Domeſticus Imperatori author fuit, vti Ioannem presbyterum deſignaret, quem quamquam apud Apros obſcuris ortum natalibus, tamen vt in Sacerdotali miniſterio dexterrimum, & ad id accommodatiſſimum, idẽ Domeſticus inter ſuos domeſticos adſcripſerat: qui ſibi à ſacris eſſet. Non diu poſt, cum ita vſus poſceret, in clerum Imperatoris eundem cooptauit, penſionem ſuam ei relinquens, & inſuper Imperatoria penſione cumulans. Ibi quoq; ſemper bene audiit, & Imperatoris gratiam conſecutus eſt: qui conſilium probauit, & ita faciundum dixit, ſi modo perfici poſſit. Vbi ad Epiſcopos ſuper eo retulit, illi ſtatim quaſi conſpiraſſent, ad vnum omnes reniti, neq; audire velle. Imperator vſque adeo repugnantes cernens, negotium Magno Domeſtico commiſit, qui nihil cunctatus, Epiſcoporum in ſanctorum Apoſtolorum templo conuentum egit. Ibi exorſus loqui, impetrare ab illis laborabat, vti Ioannem pro Patriarcha ſuſcipiendum decernerent. Illi contra aſſerebant, id neq; iuſtum, neque Eccleſiæ Dei frugiferum fore. Multis ab vtraq; parte dictis, tandem ſurrexerunt. diſcrepantibus ſententiis, dum hi nequaquam ferendum exiſtimarent, vitæ curis implicitum, vxori & filiis cohabitantem, in excelſiſſimam Magiſterii cathedram euehere: Ille porro ſic eos refellit, ſi alioquin ad hanc functionem idoneus, & habilis ſit, hoc ei impedimento non futurum, quandoquidem illo ſe penitus extricaret. Tandem cœtu ſoluto quemque redire domum, & non parum defatigatos, corpus recreare iuſſit; iterũque ſuper eadem deliberatione concilium indixit. Poſt decimum itaque diem in eodem templo omnibus iam eius iuſſu congregatis non iiſdem vſus eſt argumentis, cum ſe nihil conſecuturum ſciret: ſed vnde potiſſimum velut per cuniculum eorum animis obreperet, Sic enim aiebat.

LABORAT CANTACVZENVS VT IOANNES ELIGATVR.

ASTVTIA CANTACVZENI.

Suadere quemquam, Ioannem Presbyterum in ſedem Patriarchicam extollendum, ne ſibi quidem placere, qui ipſis ſummopere gratificari vellet: & ad nihil quod quidem eorum animis iniucũdum eſſet, quodq; nollent, cogere. Conſiderandum vero, an is alterius Eccleſię Paſtor merito creetur. quod, quo minus fiat, nihil omnino vetare, quam diu in Sacerdotium commiſſum piaculum nemo illi obiectare poſſit. At Epiſc. non prævidentes quorſum ille collimaret: neq; hoc cogitantes, ſuis ſe laqueis irretitum iri libenter iſtuc audierunt: rati iam ſeuiſſe; ſuffragiaque extemplo inierunt, vt Ioannes Theſſalonicenſis Hierarcha crearetur. Vt omnes ſententia congruerunt, etiam chirographo decretum ſuum eos voluit confirmare. Illi decretum ſtatim conſcripſerunt. quod, ſimul ac in manibus habuit; pulchre, inquit, decenterque factum, & vobis idcirco amplas ago gratias. Velim autem mihi dicatis, ſi Imperator ſic loquatur: *Si Epiſcopis re diligenter perpenſa, & præſtito quod debent officio, viſum eſt Ioannem Presbyterum in Collegium Epiſcoporum aſciſcere, nullaque cauſa apparuit quæ impedire poſſet; ſed ab omni*

bus concorditer, ſacra liturgia dignus eſt iudicatus; cur non etiam me volente ad Patriarchicũ thronum aſcendat? Si hoc, inquam, dixerit, quid reſpondebimus quæſo, aut quod velum honeſtè obtendemus? Doceatis licet. Cum illi, ſatis eſſe quod decreto ſuo effeciſſent, vt Ioannes Theſſalonicenſis, aut alterius Eccleſiæ Epiſcopus, non autem Patriarcha inſtitui poſſet: hoc, inquit, Domeſticos, demonſtrare oportet. Si enim Patriarcha aliquam aliam gratiam, virtutemue ex cœleſtium donorum promptuario accipit, quam aliis antiſtibus accipere non licet, valeret aliquid oratio. Si autem ſecus eſt, omneſq; & maiorum, & minorum vrbium Epiſcopi, æqualiter gratiæ participes ſunt; honor autẽ, ac ſplẽdor ſedium penes Imperatorem eſt, licetq; ipſe paruæ vrbis Epiſcopatu dignum iudicatum ad maiorem prouehere: quid neceſſe eſt ſine modo ita putidas ſolutuq; faciles reſponſiones cõgerere, videriq; temere Imperatorem oſtendere, in quibus non ſolum non contradicere, ſed nec paulum aduerſari; verum quæ ei, vt à iuſtitia & recta ratione non adeo abhorrentia probatur, decernere oportet. De me nihil dico, ſi quis honos mei veſtrum tangit animum. Hæc vbi præfatus eſt, & ſi vix, tamen ſuis ſe pennis captos intellexerunt, decretaque reuocari nõ poſſe: & inter ſe, vt circũducti aſpiciebant. *Nihilominus, quamuis inuiti*, Ioannem Patriarcham renunciabant, cum ante Magnus Domeſticus & cum ſingulis ſeorſum, & cum omnibus communiter multũ egiſſet, flexiſſetque, hos, quia prius propenſo in illum erant animo: illos, quod & ipſi eius, vtpote ſummi rerũ Præſidis ope indigerent, & in futurum ſibi eius amicitiam conciliarent. Hoc igitur modo Ioannes contentione Magni Domeſtici Patriarcha decretus, pauloque poſt conſecratus eſt. *Cantacuzen. lib. 2. cap. 21.*

IOANNES RENVNTIATVR PATRIARCHA CONSTAN.

III.

QVOMODO DEBEANT INTELLIGI CANTACVZENI AD EPISCOPOS VERBA IN QVÆ MALA INCIDERINT GRÆCI POSTQVAM A ROMAN. ECCLES. DEFECERVNT.

Porro, quod Cantacuzenus aiebat, omnes Epiſcopos pares eſſe gratia, id accipi debere, de gratia & poteſtate ordinis, non iuriſdictionis, nõ nemo, cui Eccleſiaſticæ hierarchiæ gradus perſpecti ſunt affirmat. Hac n. poteſtate iuriſdictionis alii aliis maiores cenſentur in Eccleſia Orthodoxa, ad inſtar aciei caſtrorũ ordinata.

Cum aũt audis honorem ſplendoremq; ſedium penes Imperatorem eſſe, eiq; licere paruæ vrbis Epiſcopatu dignum iudicatum, ad maiorẽ prouehere: id ne mireris. Poſtquã n. Græci à Rom. Pont. obedientia ſe ſubtraxerunt, omnia ſuo Imperatori per adulationẽ detulerunt: & pro iugo leni & leui Rom. Eccleſ. ceruicibus ſuis ferreum adſciuerunt. Semel n. in hanc prouinciam Imperatores admiſſi, nihil in Eccleſiaſticos, inq; ipſos Patriarchas ſibi non permiſere. Iſtud abunde teſtantur tot Conſtitutiones Græcorum Imperatorum de rebus Eccleſiaſt. & Commentarii Balſamonis in Nomocanonem Photii, & in Canones Concil. omneſq; hiſtorici, quotquot poſt natũ diſſidium à Latinis, res Græcanicas litterarum monumentis commendarunt. Quocirca arbitratu ſuo Epiſcopos ponebant, deponebant, reponebant, transferebant, & in ordinem, quoties collibitum erat, redigebant: priuilegia & immunitates, titulos & dignitates augebant, minuebant, tollebant, ipſarumq; Diœceſeωn fines ampliabant, aut contrahebant liberrime ſine vllius metu aut reuerentia: ipſiſq; Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Præſulib. exiguam ſane honorem habebant, cum vt inquit Innoc. III. Cap. Solitæ. ext. de maioritate & obed. *illos iuxta ſcabellum pedum ſuorũ in ſiniſtra parte ſedere aut faciebant, aut permittebant; cum alii Reges & Principes*, vt idem Innoc. inquit, *Archiepiſc. & Epiſc. ſuis ſicut debent, reuerenter aſſurgant, & eis iuxta ſe venerabilẽ ſedem aſſignent.* Quid, quod & Patriarchale pedum ſeu ſceptrum ex manu Imperatoris accipiebant, & tamẽ, non ab eiſdem conſecrabantur: vt planum ex Curopalata, qui in libello de officiis Aulæ Conſtantinianæ, περὶ προβλήσεως de Patriarchæ deſignatione ſeu inaugurazione ab Imper. fieri ſolita copioſe ſcribit, quem & ait traditioni τῆς δικανικίου ſeu ſceptri Patriarchalis hæc ſolemnia verba adhibuiſſe: *Sacroſancta Trinitas per imperium nobis conceſſum, conſtituit te Archiepiſcopum Conſtantinopoleos, noua Roma, & Oecumenicum Patriarcham.* Ita quod à Rom. Pontif. tanquam ab vniuerſali Chriſti Vicario, Paſtorũque Paſtore, accipiendum erat, accipere coacti ſunt, (in pœnam opinor, conflati ſchiſmatis) ab Imperatoribus: qui dabant, quod dare nequibant. Et quia ad ouile reuerti noluerunt, adhuc in longe magis duros & immites initiatores inciderunt, in ipſos inquam truculẽtiſſimos Turcas: à quorum tyranno, primus poſt captã Conſtantinopolim, δικανίκιον, hoc eſt pedũ Epiſcopale accepit Gennadius Patriarcha. Hac etiam tempeſtate, nullus Patriarcha munus ſuum obire poteſt, niſi prius χρυσόβουλλον ſeu, vt vocã: hod erni Græci μπεράτιον hoc eſt diploma & litteras confirmationis & poteſtatis, ab impio tyranno impetrauerit. Nec impetrat niſi largo Peſceſio (hoc enim nomen eſt tributo, quod à nouo Patriarcha initio ſuæ functionis in ærarium Turcicum inferri debet) comitatus veniat ad ſenatum Turcicum. Tum aditus ad tyrannum, imo ad oſculum manus patet; grandi ſcil. beneficio. Tum præclarus ille myſtagogus dat Patriarchæ: *omnem poteſtatem & authoritatem, in omnes pios Chriſtianos Clericos & Laicos*; vt proditum eſt in hiſtoria quadam mixobarbara de Patriarchis Conſtantinopolitanis Turcogræciæ inſerta. Ex eodẽ fonte manauit, vt Imperatores Epiſcoporum Synodis præſiderent, primiq, ſubſcriberẽt: aduerſus omnem antiquitatis morem, & cuiuſuis recte ſentientis rationem, ſcil. oues Paſtorib. præſidebant, magna arrogantia, longiſſime à Magni Conſtantini ſubmiſſione diſtante, qui in Concilio Nicæno ſedere noluit, niſi in ſede humiliore, quam eſſent Epiſcoporum ſedilia: nec niſi aſſentientib. Epiſcopis, vt Theodoretus lib. 1. c. 7. hiſt. Eccleſ. & Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini annotauit. nec niſi poſt omnes Epiſcopos idem Conſtantinus ſubſcripſit, vt in fine octauę Synodi teſtatur Baſilius Imperator.

IV.

DE SACERDOTIBVS GRÆCORVM VXORATIS ET QVOMODO A MODERNIS EVANGELICIS VXORATIS SEV POTIVS PERPETVIS CONCVBINARIIS DIFFERANT.

Quod Sacerdotes Græcorum attinet: vxoratos eſſe notius eſt, quã vt admonitione egeat: & ſi cui ignotum eſſet, id ex huius Ioannis exemplo, planũ teſtatũq; redditur: vt etiã ex primo Reſponſo Hieremiæ Patriarchæ Conſtant. ad Wirtemb. Multum tamen differunt Græci ab illis, qui Euangelicorum nomen hodie ſibi arrogant; quæ diſcrimina ſpeciatim enumeranda ſunt, ne iſti impuri libidinem ſuam Græcorum licentia honeſtare & excuſare conentur.

1. MONACHVS APVD GRÆCOS NON POTEST VXOREM DVCERE, NEQVE MONIALIS POTEST NVBERE.

Ac primo, apud Græcos piaculum cenſetur, ſi Monachus vxorem ducat, aut cum ducta conſuetudinem habeat, Par ſcelus, ſi Monialis nubat. Ita Hieremias Patriarcha diſerte: *Ille autem, qui ſemel virginitatem profeſſus eſt, virgo permaneat, nec iam illi vllam amplius licentiam poſt votum ſuſceptum nubendi damus. Nemo enim mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, idoneus eſt conſequendo cœleſti regno. Si vero huic humanitus quid contigerit, hunc Eccleſiaſtica diſciplina coercemus, ac ad moderationem vitæ per pœnitentiam, atq; confeſſionem, carnis item mortificationem, ac omnem vitæ cõtinentiam reuocamus, ac velut luſtratione quadam expiamus, nihil dubitantes miſericordiam benigniſſimi Dei, humanæ eius infirmitati non defuturam.* Hæc Hieremias Patriarcha. Immone quantum à Gręcis hac in re diſtent, qui à Romana Eccleſia receſſerunt: quibus nihil vſitatius, quam Monachorum & Monacharum nuptiæ innuptæ: Martino Auguſtiniano eremita, & Catherina ex ſanctimoniali præducibus.

2. NON POTEST EVEHI AD EPISCOPATVM NISI COELEBS AVT QVI VXORI RENVNTIET.

Secundo, Græci nullum ad Epiſcopi dignitatem euehunt, niſi aut cœlibem, aut talem, qui conditioni vxoris renunciet. Quocirca, cum Epiſcopi, vxorem ac liberos Ioannis Presbyteri Magno Domeſtico obiicerẽt, tanquam impedimenta ad Patriarchæ honorem obtinendũ, reſpondit Domeſticus, fore vt Patriarcha creatus, vxori valediceret. At hæretici ſuperintendentes, qui alicubi Epiſcoporum quoque appellationem vſurpant, tum primum ad hoc munus aptiſſimi exiſtimantur, ſi vxorio iugo deuincti ſint, ſobolemque numeroſam in circuitu menſæ ſuæ dinumerent.

3. COELEBS ORDINATVS DEBET PERPETVO COELEBS MANERE.

Tertio, ſi quis cœlebs apud Græcos ſacris ordinibus initietur, expers thori vita porro quoq; agenda eſt, imo





dum Spiritus regit artus. *Si poſt ordinationem Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus vxorem duxerit, eiiciatur ex Clero, & curiæ ciuitatis, in qua Clericus erat cum bonis ſuis tradatur*, inquit Iuſtinianus Nouel. 123. Qui & Nouella 6. *Si presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus poſtea ducat vxorem, aut concubinam, aut palam, aut occulte, ſacro ſtatim cadat ordine, & deinceps idiota ſit.* Neque in hoc cum Græcis ſectarii conueniunt. Forte libentius ſe conformarent cum more quodã Græcorum, qui ſi non hoc tẽpore, olim certe in Græcia vigebat. Nam vt teſtatur Humbertus Cenomanenſis, Leonis Noni ad Conſtantinopolitanos Legatus; Ordinandi, prius interrogabantur, *Num vxores haberent*; ſi abnuerent; iubebantur ducere, & tum ad manuũ impoſitionem reuerti. Quæ forte conſuetudo hodie deſiit in Græcia; cum Canon Trullanus, hoc non exigat, aut præcipiat. Mirum tamen non renouari hoc æuo ab illis, qui in Iouiniani & Vigilantii diſciplinam nomina ſua dederunt, præſertim, cum ſi non Nicolaum, vnũ ex ſeptẽ primis Diaconis, certe Vigilantium authorem habeat. In quem S. Hieron. *Epiſcopos ſui ſceleris dicitur habere conſortes; ſi tamen Epiſc. nominandi ſunt, qui non ordinant Diaconos, niſi prius vxores duxerint; nulli cœlibi credentes pudicitiam, imo oſtendentes, quam ſancte viuant, qui male de omnibus ſuſpicantur, & niſi prægnantes vxores viderint Clericorũ, infanteſq; de vlnis matrũ vagientes Chriſti Sacramẽta non tribuunt.*

4. BIGAMVS AB ORDINVM SVSCEPTIONE ARCETVR.

Quarto, Græci, nulli bigamo, aditum ad ſacros Ordines pateſaciunt. *Quod eos qui alteram duxerunt vxorem*, inquit Iuſtinianus Nouella 123. *Sacri Canones Clericos eſſe prohibeant, S. Baſilius his verbis docet; Eos qui nuptias iterarũt Canon excluſit miniſterio.* Cæterum hæretici, à ſua ſuorum miniſtrorum chirotonia vix excludunt polygamũ, nedum bigamum.

5. QVI COELEBS ORDINES SVSCIPERE VVLT ADIGITVR AD PROFESSIONEM PERPETVÆ CASTITATIS.

Quinto Græci olim, & nunc quoque, adegerunt ad profeſſionem perpetuæ caſtitatis eum, qui cœlebs Ordines ſuſcipere vellet. *Si is qui ordinandus eſt Diaconus* inquit Iuſtinianus loco citato, *vxorem ſibi iunctã non habeat, non aliter ordinetur, niſi prius ab eo, qui ipſum ordinat, interrogatus profiteatur, poſſe ſe poſt ordinationem, vel ſine legitima vxore caſte viuere: nequeunte eo qui ordinat, ordinationis tẽpore Diacono permittere, vt poſt ordinationẽ vxorẽ ducat. Sin vero hoc fiat, Epiſcop. qui id pmiſit, Epiſcopatu deiiciatur.*

6. VXORE ANTE ORDINES DVCTA, POST MARITI ORDINES DEFVNCTA NON LICET ILLI ALTERVM MATRIM. INIRE.

Sexto, apud Græcos, ſi vxor ante Ordines ducta, poſt mariti Ordines hinc excedat, alterum matrimonium inire nequaquam licet. In quo itidem à Græcis diſcedunt nuptiatores Lutherani; quorum Præconibus meta nulla, conſortes in thalamum aſciſcendi.

COELIBATVS IN PRIMITIVA ECCLESIA A GRÆCIS LEGE ET CONSVETVDINE RECEPTVS ET OBSERVATVS.

Porro mos quem Græci ab aliquot ſæculis ſeruant, ſaniori & ſanctiori Græciæ inuſitatus fuit. Statim enim cum tradita & vulgata Chriſti doctrina, cœlibatus inter Eccleſiæ miniſtros inualuit. Vnum & alterum teſtimonium adferre lubet, quo planum fiat, quid in Eccleſia lege & conſuetudine fuerit receptum. S. Hieronymus, poſtquam recenſuiſſet, qua mente eſſent Epiſcopi, Vigilantii fermento infecti, nulli præterquam coniugato clericatum impertire conſueti, hæc ſubiungit: *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſinunt.* Et ad Pammachium: *Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe poſt Sacerdotium in æternum pudici.* S. Epiphan. hęreſi 59. *Adhuc viuentem, & liberos gignentem vnius vxoris virum Eccleſia non ſuſcipit; ſed eum, qui ſe ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Epiſcopum, & Hypodiaconum: maxime vbi ſinceri ſunt Canones Eccleſiaſtici. At dices mihi, in quibuſdam locis adhuc liberos gignere Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos: Ad hoc non eſt iuxta Canonem, ſed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.*

Nicæna Synodus, cuius Canonem citat Iuſtinianus Nouell. 123, ita ex verſione Turriani habet. *Prohibuit in vniuerſum magna Synodus, vt neq; Epiſcopo, neq; Presbytero, neque Diacono, neq; vlli prorſus Clerico liceret habere* συνείσακτον *mulierem, niſi forte matrem aut ſororem, aut Materteram, aut amitam, aut eas ſolum perſonas, quæ ab omni ſuſpicione alienæ eſſent.* Quidam vertunt illud συνείσακτον *extraneum*; nonnulli, *ſubintroductam*; alii *introductam*: alii *aſcitiam*. Turrianus aliquando ad verbum *cointroductam*: item abſolute, *mulierem*; & quidem quamcunq; exceptis iis, quas Canon excepit. Antiocheni enim (quorum vocem Canon Nicænus vſurpat) quaslibet mulieres, ſiue vxores, ſiue non vxores, libere & familiariter, non ſine ſuſpicione conſuetudinis illicitæ cum viris verſantes, vocãt συνεισάκτους, vt ex Euſebio libr. 7. hiſtor. Eccleſ. c. 24. liquet, quæ inde hoc nomen adeptę videntur, quod in eodem conclaui, aut cella cum viris verſentur; quas Synodus Ancyrana nominat συνερχομένας, hoc eſt, *congredientes*; cuiuſmodi ſunt, quibus miniſtrandi gratia ingredi licet, quocunque dominus domus ingreditur, & cum eo ſimul ire, per omne conclaue domus. Fruſtra ergo eſt cum ſua explicatione Balſamon, qui in Scholiis ad tertium Canonem Nicænum, συνείσακτος tantum reſtringit ad mulieres non vxores, cum Canon de omnibus loquatur. Idem de cœlibatu miniſtrorum Eccleſiæ decretum quoque eſt in aliis Synodis, vt in Eliberitana, Arelatenſi, Agatenſi, Turonenſi prima & ſecunda, quæ omnes Synodi, non nouum morem introduxerunt, ſed veterem ab Apoſtolica traditione manantem denuo ſanxerunt. Semper enim Synodis hoc curæ fuit, *ne*, vt Vincentius Lirinenſis inquit, *aliquid poſteris traderent, quod ipſæ à Patribus non accepiſſent, vtq; non ſolum in præſenti rem bene diſponerent, verumetiam poſt futuris exempla præberẽt, vt & ipſi ſcilicet ſacratæ vetuſtatis dogmata colerent, profanæ vero nouitatis adinuenta damnarent.*

VNDE FLVXERIT HODIERNA GRÆCORVM CONSVETVDO CIRCA CLERICORVM CONIVGIA.

Cæterum hodierna Græcorum conſuetudo fluxit à pſeudoſynodo, quam Græci vocãt πενθέκτην, *Quiniſextam*, nomine nouo & monſtroſo, vt ipſa appellatio mõſtrum Synodi non Synodum indicet: cuius architecti & auctores carni fibulam laxarunt, cum ſempiterno Græciæ dedecore; facta coniugatis Ordines accipiendi, & coniugio inito, etiam poſt initiationem, vtendi poteſtate; contra tot ſæculorum conſenſionem, & ab Apoſtolis conſuetudinem deriuatam. Nimirum, vbi decreſcit virtus, vt tunc fiebat in Græcia, eo irrepit Venus. Eſt autem Canon decimuſtertius inter Trullanos, quẽ hac de re condiderunt plenus inſcitia & mendaciis, vt Cardinalis Baronius tomo VIII. demonſtrauit. Si enim ideo miniſtri Eccleſiæ debent eſſe mariti, quia *honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*. Item, quia, *quod Deus coniunxit, ab homine non eſt ſeparandũ*; denique, quia Apoſtolus monet, vt, *qui vxorem habet, ſolutionem non quærat*: cur non patiuntur iidem Trullani legiſlatores, vt Epiſcopi aut Monachi vxores retineant? Si nihil in ſacras literas committitur, quando Epiſcopi & Monachi à coniugibus ſeiunguntur; cur ſacrilegium ſit, ſi mariti à ſacris Ordinibus repellantur; aut ſi admiſſi ſunt, à matrimonii vſu abſtinere iubeantur, & pœnis quoque Eccleſiaſticis, ſi ita neceſſitas exigat, compellantur?

Verum enimuero perpulchram profecto huius impuri Canonis & moris rationem reddit Hieremias Patriarcha. *Non ignoramus*, inquit, *turpitudinis germina multa ſuſcipi inter eos, qui Sacerdotes vxores accipere prohibent.* Quæ ratio, ſi quid valet contra cœlibatum Sacerdotum valebit etiam contra cœlibatum Epiſcoporum, Monachorum, & eorum qui mortua vxore, cœlibem vitam agere coguntur apud Græcos, ſiue ſint Sacerdotes, ſiue Diaconi, ſiue Subdiaconi: cum iſti ex carne & ſanguine ſint coagmentati. Si autem iſti ſine huiuſmodi maculis caſtam integram vitam viuere queunt, poſſunt & illi qui recens ad Sacerdotis, Diaconi, aut Subdiaconi officium accedunt. Nam & his, ſi in flagitia labantur, adhibere licet ea medicamina, quæ caſtitatem profeſſis, adhiberi iſte ipſe Hieremias refert. *Epiſcopum nullam omnino mulierem habere, aut cum ea habitare concedimus*, inquit Imperator Iuſtinianus Nouella 123. *Sed ſi id minus comprobaſſe viſus fuerit; Epiſcopatu deiiciatur. Ipſe enim ſeipſum Epiſcopatu indignum demonſtrat.* Poſſent ſane hoc vel ſimili emplaſmate curare itidem Græci ſuos Sacerdotes, Diaconos & Subdiaconos, ſi quando extra honeſtatis limi-

IVSTINIANI IMP. CONSTITVTIO QVOAD EPISCOPOS

tes euagarentur. Quod ſi Græci totam antiquitatem reſpuebant, par ſaltem erat, vt audirent ſuum Iuſtinianũ, qui mentem ſuam de cœlibatu miniſtrorum Eccleſiæ, diu ante conciliabuli Trullani tempora explicarat his verbis Nouella VI. *Nihil ſic in ſacris Ordinationibus diligimus, quam cum caſtitate viuentes, aut cum vxoribus non cohabitantes, aut vnius vxoris virum, qui ſiue fuerit, ſiue adhuc ſit; & ipſe caſtitatem eligat ſecundum diuinas regulas, primum principium & manifeſtum fundamentum reſiduæ virtutis conſtitutam.* Sed venter aures non habet; multo minus libido: & forte patrocinium à Iuſtiniano quærent, & ſi imprudenter, ne dicam impudenter. Nam Photius in Nomocanone tit. VIII. hanc ex Nouellis Iuſtiniani ſanctionem citat: *Nullus Clericus, qui vxorem non habet, habeat in domo ſua introductitiam præterquam matrem, & filiam, & ſororem, & alias non ſuſpectas.* Vbi Imperator indicare videtur, eſſe Clericis matrimonium permiſſum; quandoquidem monet, vt qui vxores non habent, ab ἐπεισάκτοις abſtineant. Quo ipſo exiſtimare quis poſſet, ab eo ſignificatum, Clericos, ſi voluiſſent, potuiſſe ducere vxores. Verũtamen ſi quis integra verba Iuſtiniani, non vt à Photio decurtata ſunt conſideret, aliam longe mẽtem Iuſtiniano fuiſſe intelliget. Verba edicti hæc ſunt Nouella 123.

EIVSDEM QVOAD ALIOS ECCLESIÆ MINISTROS EXPLANATIO

IVSTINIANI ALIA CONSTITVTIO.

*Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & omnibus aliis in Clerum adſcriptis, qui ſecundum diuinos Canones vxorem non habent interdicimus & nos, ex ſacrorum Canonum præſcripto, ne mulierem introductitiam domi ſuæ habeant, excepta Matre, &c.* Quo loquendi modo manifeſte docet Imperator, presbyteros, Diaconos, Subdiaconos cœlibem vitam agere debuiſſe, id ita præcipientibus ſacris Canonibus. Licet nonnullis ex Clericorum numero, nuptiæ permiſſæ eſſent, lectoribus nimirum & cantoribus, de quibus Canon 25. Apoſtolorum, & Iuſtinianus Nouella VI. & CXXIII. Atque hæc ex Notis Iacobi Pontani, per accidens adſcripta, nec inutilia, nec iniucunda fore putauimus. nunc ad ſeriem narrationis reuertimur.

V.

DEMETRIVS THESSALONIC. PETIT INFORMARI DE PROCESSIONE SPIRITVS SANCTI.

Agebat per id temporis non iam Conſtantinopoli ſed in Oriente F. Barlaamus Monachus, in *Primatu* Eccleſiæ Romanæ, eiuſque de proceſſione Spiritus ſancti etiam ex Filio dogmate aſſerendo aſſiduus. Demetrius Theſſalonicenſis inter Græcos non ignobilis, aliquantum auſcultaſſe viſus eſt, & ad aſſentiendum inclinaſſe. Nonnullæ tamen ambiguitates remorabantur virum, ne omnino à principio adhæreret.

Itaque prolixam Barlaamo ſcripſit epiſtolam, in qua cum omnia ſua de proceſſione Spiritus ſancti dubia propoſuiſſet, poſtulabat doceri, quibus modis Barlaamus adductus fuerit, credere Spiritum ſanctum, & ex Filio procedere. Placet præſcriptionem Demetrianæ epiſtolæ adſcribere, vt qualis quantuſque vir fuerit Barlaamus, quoue in cenſu apud Græcos haberetur, perſpectum ſit. Ita habet.

EIVS AD BARLAAM DE EA RE EPISTOLA.

*Cum olim tu, partibus noſtris dimiſſis, ad Occidentem abiiſſes, ibique de cætero commorari voluiſſes, nos qui radiis tuæ ſapientiæ illuſtrati, multis ignorantiæ tenebris liberatos nos eſſe putabamus, rurſus tuæ abſentiæ tenebris incidentes, tanquam in nocte vitam ducebamus; ſicut Solis occidentis, & amplius non oriri ſperati, priuationem lugentes.*

*Sed nuper fama quadam ſubito audita, & vbique circumeunte, & ſplendide clamante te non poſt multum ad nouam Romam aduenturum, conueniſti nos; quis digne explicabit, quanta lætitia repleti fuimus? Quoniam vero non in longum quidem venientes ad nos de Byzantio, applicuiſſe te iam illuc pro certo annunciabant; non amplius ſobriis hominibus ſimiles eſſe ex gaudio videbamur; ita furentes erga te amor nos effecit. Vere enim mutatum lætitiæ videbatur, ad veſperum demorato fletui, ſucceſſiſſe rurſus in Oriente, tanquam ſplendido Sole relucente, & iucundiſſimum mane nobis efficiente.*

*Itaque præparabamus nos quotquot amici tui, quam velociſſime ad te venire. Sed omnibus ad iter neceſſariis præparatis, & nobis proponentibus immediate inde recedere; veniunt quidam rurſus illinc receſſiſſe te de ciuitate, & ad nigrum Pontum abiiſſe nunciantes. Quo audito perculſi nos, & ad profundum triſtitiæ demerſi, vix potuimus noſmet reſumere philoſophia mutabilitatem rerum humanarum conſiderantes, & noſmetipſos conſolantes.*

*Verum dicebant ſe audiſſe à te talia, quod omnis neceſſitas ſit confiteri Spiritum ſanctum, ex Patre Filioque procedere. Quod qui negant, neceſſario ſunt hæretici & ſchiſmatici. De his itaque præ omnibus æſtimarem ipſe te audire, & tecum de omnibus perquirere; non propter aliquam contentionem, vt aliquis putaret; ſed quoniam non eſt veriſimile te, quem differenter nouimus virtutem & veritatem per vitam colentem, & de nulla re litigioſis verbis gaudentem, neque victoriæ auidum, cuiquam vnquam diſputantem irrationabiliter: ſic ex opinando ex ſolo Patre procedere Spiritum ſanctum, concurſum eſſe ad prædicandum, quod etiam ex Filio: niſi aliqua idonea neceſſitas ad hoc te impulſiſſet, quæ philoſophanti animæ ſatisfacere poſſet, vt amplius alio non indigeret.*

*Libenter itaque vellem tuo conſentu à te diſcere, quidnam ſuit illud quod te ad hoc neceſſitas perduxit: quod ego ſemper plurimi faciens, ad aliquid certum de his venirem. Et multa à multis audiens, & his qui ad ſolum Patrem Spiritum ſanctum referunt; & his qui ad Patrem & Filium; nondum vſque ad hodiernum diem de verbis illorum intelligere valui aliquam neceſſitatem, quæ alteram dictarum opinionum ſtabiliſſet mihi ſufficienter mentis motum.*

*Ergo ſi quod te ad hoc coegit, eſt aliquid eorum quæ Scriptura tradi poſſunt, precor, te per amicitiæ cuſtodem, vt quoniam ad verba tibi venire Deus non dedit; hoc mihi per Scripturam ſignificare nullo modo neglexeris. Si vero diuinitus tibi ad hoc facta eſt aliqua occulta illuminatio; primum quidem rogo, vt Sanctis pro amicis orationibus, idipſum nobis à Deo petas. Deinde, vt etiam per Scripturam nos admoneas, quibus exercitiis principale noſtrum purgantes, talis illuminationis capaces inueniamur.*

Ad hunc modum præſcribenti Demetrio, Barlaamus reſpondit, ſingulaſque oppoſitiones in epiſtola prolixe ſubiectas, abunde diſcuſſit. Ea reſponſio, cum fere omnes Græcorum dubietates diſſoluat, placuit illam bono Eccleſiarum adſcribere. Ita habet.

BARLAAMI RESPONSORIA AD DEMETRIVM EPISTOLA.

Cum accepiſſem, ô amicum mihi caput tuam ingenuam, & admirandam, & diſertiſſimam epiſtolam, legiſſemque & intellexiſſem, vt arbitror, quæ in ea ſunt: ita tibi ad interrogata reſpondeo.

*Ego neque prius ſciebam, vtrum à ſolo, annon à ſolo Patre procedit SPIRITVS ſanctus, neque nunc arbitror me ſcire.*

*Puto enim huiuſmodi problema, & nunc, & tunc, quemadmodum & tu in epiſtola optime dicere mihi videris, ſuper omnem eſſe humanam & ſcientiam, & mentem, & methodum, & demonſtrationem. Sed & prius credebam quod à ſolo Patre, & nunc rurſus credo, quod etiam ex Filio. Receſſi vero ex illa credulitate per eaſdem cauſas, & eaſdem cogitationes, per quas & tu per multa oſtendiſti in eadem epiſtola, non debere te credere putaſti his, qui à ſolo Patre dicunt; ſed multo incredibiliores hos aliis eſſe debere diſcernis.*

*Quæ autem me ad firmiter credendum, & ex Filio procedere Spiritum ſanctum duxerunt tria maxime ſunt. Quorum duo, & in tua epiſtola continentur; ſcilicet, quod multi noſtrorum Patrum, & magnam opinionem habentium, ſacram & diuinam exponendo Scripturam, ex ipſa aiunt ſe intellexiſſe, & ex Filio Spiritum ſanctum procedere, & ideo apertiſſime, & per multa in ſuis ſcriptis hoc docent, ſicuti ſanctus Auguſtinus & ſanctus Cyrillus, & ſecundum quod etiam Romana Eccleſia, quæ & dignitate, & dominio, & erga Scripturam diligenti ſtudio ſuperat omnes, quæ ſemper recta defendit dogmata; idipſum à principio docet & tenet.*

*His enim duobus, ô amice, tertium additum, quod tu videris adhuc ignorare: quia etiã Generale Concilium de eodem ipſo celebratum eſt in Lugdunis, quod hoc affirmãs, contradicentes omnes pro hæreticis haberi ſtatuit. Hæc inquam ab omni ambiguitate remanens, totum facit huius dogmatis. Ab hac enim Synodo, & habente & faciente, quæcunq; oporteret habere & facere Generalem Synodum, examinato & determinato, & ex Filio proceſſiſſe Spiritum ſanctum. Qui hoc non recipit, tanquam iam Catholicæ Eccleſiæ auctoritatem & dogma contemnens, iuſte vtique & merito ſchiſmaticus & hæreticus habebitur. Et credo, quod ſi fuiſſes de hac Synodo informatus, non adhuc videretur tibi non neceſſarium eſſe, hoc recipere dogma. Et nunc quidem tranſmitto tibi, determinationem huius Synodi, in fine epiſtolæ ſcriptam. Poſtmodum vero, ſi DEVS voluerit, mittam tibi & huius acta; ex quibus ſcire poteris, & quod Generalis fuerit, & quod nihil eorum, quæ debebat habere, & facere omiſit.*





*De expoſitione vero nonnullorum dictorum Scripturæ, ex quibus Latini ſuum concludunt dogma, de quibus dixiſti, propter quod poſſunt habere duplam expoſitionem, te ambigere & non habere cui magis aſſentiaris: potes vtique & illud cogitare, quod illi quidem, qui exponunt ipſa, ita vt concludant, & ex Filio Spiritum procedere, diuini viri ſunt; Sanctus videlicet inter alios Auguſtinus, & S. Cyrillus. Alios enim Latinorum Sanctorum, qui ſimiliter eadem expoſuerunt, omitto. Videris enim eos minime inueniſſe. Illi vero, qui eadem ipſa aliter exponunt, addentes idipſum minime poſſe eſſe, alium eorundem præter hunc intellectum, Græci ſunt: qui poſt ſchiſma Latinis contradicunt. Quoniam antiquiores Græci, qui ſimiliter modernis Græcis eadem exponunt, nullo modo addunt, impoſſibile eorundem, & alium eſſe ſenſum. Scis quippe quod nimis in multis poſſit fieri, eorundem diuerſos eſſe intellectus, non repugnantes ſibi, & non omnes ab omnibus aperiri; ſed alios ab aliis. Quales ſunt repugnantes intellectus, & tu oſtendiſti in pluribus dictis, & magis ad concludendam neceſſariis ex eis Latinorum concluſionem. Admittentes enim Latini integre, & illum, quem dixiſti, eorundem poſſe fieri alium ſenſum, ita ſuum habuerunt. Quare cum ſancti, & beati viri, qui vtroque modo huiuſmodi dicta intelligunt, & ex Filio procedere Spiritum ſanctum, ex ipſis concludunt, non tales vero ſint illi, qui prout volunt, eadem intelligentes, illum ſenſum per quem proceſſio Spiritus ſancti & ex Filio concluditur, negant: non debemus æqualem vtriuſque fidem adhibere. Quanquam illam per inſufflationem Spiritus donationem, ſi parum diligentius conſiderabis, inuenies ſecundum Latinos ſenſum ſolum, & minime aliũ poſſe habere: niſi quis omnino coacte, & ſophiſtice idipſum exponenere voluerit.*

*Attende enim ita. Dixiſti, aliter exponentes dicere velle ex hoc Scripturam nos intelligere, quod Spiritus non eſt maior Filio, & quod deificantia chariſmata, communia ſunt & Filii, & Spiritus. At vero ad hæc intelligenda, vel credenda, ſufficiebat tantum dicere: *Accipite Spiritum ſanctum: inſufflare vero nihil ad huiuſmodi ſenſum confert. Neque enim ipſa Spiritus ſubſtantia, neque eius ipſa gratia erat ille corporaliter de Sancto ore exiens flatus, neque Apoſtoli abſorbentes illum, gratiam acceperunt, cum aliter non poſſent. Quid igitur volebat ſibi inſufflatio illa?*

*Siquidem & dicente ipſo tantum;* accipite, *vel do vobis Spiritum ſanctum, habet quod Græcorum vult expoſitio? An certe, vt ait ſanctus Auguſtinus, quemadmodum in multis Scripturæ, de ſenſibiliter, & in tempore vel factis, vel dictis reducit nos ad intelligibilium & ſempiternorum contemplationem, ita & ſignum hic aliquod hoc præbuit Saluator reducens nos ex ipſo ad intelligendam vel credendam intelligibilem, magis autem ſuperintelligentiam, & ex ſe ſui conſubſtantialis Spiritus proceſſionem? Ergo ſi hoc ſolummodo rationabile eſt intelligi, rationabile certe quoq; credere eſt.*

*De Syllogiſmis vero ipſorum & argumentis, quæ ais, non de neceſſitate concludere propoſitum, neque poſſe Animæ inquiſitiuæ ad plenum ſatisfacere: non enim hoc mirandum. Scis quippe, quod in multis, vera concluſione exiſtente, nimis praue ad eam ſermones fiant, non ſemper ex imperitia dicentium hoc contingente; ſed aliquando ex ipſa propoſita rei natura: non abundante melioribus atque fortioribus ſermonibus. Aliquando vero arbitrante ipſo dicente per huiuſmodi ſermones audientibus maxime perſuaderi poſſe. Sæpe enim contingit, ea quæ aliis perſuadentur, apud alios ridicula putari. Item neque per quæ cuiquam eſt perſuaſum aliquid, per eadem ſemper aliis, ſemper perſuaderi nititur; ſed quia ſequi eos æſtimat, hac & ducere tentat. Ita igitur & Latinos noli putare his Syllogiſmis & argumentis credentes tenere quod dicunt.*

*Ipſi enim hoc credunt ex tribus illis, quibus dixi & me idipſum credere: re vero exiſtente ſuper rationem, & multis nolentibus ex dictis tribus ſimiliter hoc credere, ſed potius argumentis & Syllogiſmis humanis & Deo indignis, oppoſitum oſtendere conantibus; ipſi cupientes ad ſe hos conuertere, quæ vtiq; cogitant ſemper de propoſito accommodata eſſe, ad refellendos eorum Syllogiſmos, & ipſis fortaſſe perſuadendum recipere, quod quæritur: Hæc & dicunt, minime, vt dixi, per eadem ipſi idem credentes; ſed ſed propter aliorum incredulitatem, ac per ſimiles Syllogiſmos contradictionem, huiuſmodi coguntur vti ſermonibus, per quos non eſt incredibile, & multis perſuaderi.*

*Cauſa eſt igitur eius, quod ad acutum & inueſtigatiuum tuæ Deiformis animæ defectuoſi videntur eorum Syllogiſmi ſublimitas propoſitæ quæſtionis, efficaciores non ſuſcipiens Syllogiſmos; & quod eos faciunt ad habitum, vti coniectant, non credentium, & per ſimiles Syllogiſmos oppoſitum defendentium; vt etiamſi non ad plenum eis perſuadetur, attamen multum confidere ſuis Syllogiſmis, eis auferatur: & his qui ſunt adhuc ad fidem infirmiores, auxilium quoddam præſtetur, ne moueantur per ſimiles Syllogiſmos.*

*Cæterum ſi omnes ſentirent ita diſpoſitos, vt ego te ex tua epiſtola video, non vtique talibus vterentur ſermonibus. Attende autem & ſic.*

*Dixiſti te ſcire multos magnorum Sanctorum exponendo diuinam Scripturam tradidiſſe permulta, quod etiam ex Filio. Item dixiſti, quod huius oppoſitum, ſcilicet ex ſolo Patre, neque ratione potes intelligere, neque de Sacra ſcriptura concludere: & quod neſcis vllos Sanctos hoc aperte tradidiſſe, vel Generale Concilium hoc determinaſſe; & quod ſcis, Matrem Eccleſiarum minime hoc dicere.*

Pergebam, reliqua Barlaami reſponſionis adiungere: neque omnino adſcribere prolixiorem Demetrii epiſtolam volueram; ſcilicet, ne prolixitate oppoſitionum, Lectorem diſtinerem. Verumtamen ne quis Græcorum, aut me non ex fide omnia retuliſſe, aut non exacte obiectiones à Barlaamo ſolutas eſſe iudicaret, placuit Barlaami reſponſionem interrumpere; & prioris epiſtolii ipſum corpus exponere; vt qua efficacia, quaue fide Barlaamus reſponderit, apertius dognoſcatur. Ita habet corpus Demetrianæ epiſtolæ.

VI.

CORPVS DEMETRIANÆ EPISTOLÆ ET EIVS DVBIA CIRCA PROCESSIONEM SPIRITVS SANCTI.

*Vt igitur magis valeas ſcire, quomodo nos curare te oporteat neceſſarium mihi videtur, & particulariter exponere; quomodo vſque nunc neutrorum verba, potuerunt me cogere eis aſſentiri. Et primum dicendum eſt, de Latinorum opinione.*

*Quatuor ſunt genera argumentorum, per quæ illi ſemper conantur ſuam fortificare concluſionem.*

*Primum horum eſt, quod per ſubſtantialem & naturalem Patris & Filii identitatem argumento communem facit. Supponatur enim tanquam ab omnibus conceſſum, Patrem & Filium vnum eſſe Deum, & vnam ſubſtantiam, ſiue naturam, ſiue eſſentiam; ex hoc ſyllogiſtice ad propoſitum veniunt.*

*Secundum eſt, quod ex perſonali Filii & Spiritus ſancti differentia, quæſitum inuenire tentant. Aut enim quærentes quomodo poſſit perſonaliter Spiritus à Filio diſtingui: aut duarum emanationum differentiam diſtincte expreſſam ſupponentes; & ordine per media procedentes ſuam aſſequuntur concluſionem.*

*Tertium eſt, quod ex dictis diuinæ Scripturæ, idipſum conantur colligere.*

*Quartum eſt, quod pro natura nobis inſitas notiones, demonſtrare propoſitum putant.*

*Primi quidem generis argumenta, non cogunt me ad hanc cauſam. Duos modos eſſe accepimus, eorum quæ de Deo prædicantur. Alia enim eorum ſunt naturæ & ſubſtantiæ, & quaſi ſubſtantialia: quæ videlicet & diuiſim, de qualibet trium perſonarum prædicantur, & ſimul de tribus ſingulariter: vt Bonum, Sapiens, Omnipotens, Veritas, & alia. Non enim dicimus Filium & Spiritum ſanctum tres eſſe ſapientes vel bonos, vel omnipotentes, vel alia, ſed tres, vnum eſſe ſapientem, & omnipotentem & bonum, quemadmodum & vnum Deum. Alia vero ſunt perſonalia & ſignificatiua perſonarum inter ſe relationis; quæ videlicet nullo modo poſſunt ſingulariter de tribus ſimul prædicari. Non enim tres vnus eſt Pater, vel vnus Filius, vel vnus Ingenitus. Talium igitur eſt, & ſpirare Spiritum, &*

Principium eſſe huius. Non enim tres perſonæ vnus ſpirator eſt. Quare hoc ſuppoſitum eſſe in ſola ingenita perſona, non faciet differentiam ſubſtantialem eius & Filii, nec corrumpet eorum ſecūdum ſubſtantiam identitatem.

Nam cum ingenita perſona habeat æqualiter, & generare, & ſpirare; & non magis alterum quam alterum; licet ab altero tanquam à magis noto nominetur, Pater; quemadmodum ſubſtantialis identitas eius & Spiritus ſancti; non cogit Spiritū, vt & ipſe generet; ſed etiam non generante ipſo, ſaluatur eius ſecundum ſubſtantiam ad ingenitam perſonam identitas: ita certe ſubſtantialis identitas eius Patris & Filii, non coget & Filium ſpirare Spiritum; ſed etiam, ipſo non ſpirante ipſum, ſaluabitur vtique eius ad Patrem ſubſtantialis identitas. Quapropter nihil magis moueri poſſum per huiuſmodi argumenta.

Sed venio ad ſecunda, quæ videlicet ex perſonali differentia Filii ad Spiritum, faciunt Syllogiſmum. Certum eſt, quod ex re penitus ignota, & neque intelligi, neque dici potente, nihil ſyllogiſtice concludi & inueniri poteſt. At vero præclari noſtrorum ſanctorum Doctorum teſtimonio Scriptores, quanquam perſonaliter differre Filium à Spiritu confitentes, tamen interdixerunt nobis inueſtigare huius differentiæ modum dicentes, penitus impoſſibile eſſe, à quoquam in carne viuentium, huiuſmodi differentiam diſtincte intelligi & exprimi. Quare, quid ex ea concludi poſſit?

Video rurſus nonnullos Latinorum, ita aperte & diſtincte exprimentes differentiam, qua differt Spiritus ſanctus à Filio, vt etiam per quoſcunque homines, ſi ſolum quantulacunque ex parte mente viuntur, poſſit intelligi. Ergo cùm nihil videatur, propter quod hi fide digniores & maioris auctoritatis illis in tantis rebus æſtimentur: nequeo magis his quam illis credens, quæ exinde concludunt recipere. Et ideo neque per huiuſmodi argumenta perſuaderi mihi poteſt.

Eundem igitur ſit & ad illa, quæ ex diuina Scriptura argumentantur. Primum quippe de his illud communiter conſidero, quod ſi eſſet impoſſibile cuilibet, propoſitorum per eos dictorum ſenſum alium pium & ſufficienter ſe habentem coaptare: ita ſolum neceſſarium eſſet, quod ipſi ex eis concludunt. Quoniam vero nō magis vt ipſi intelligunt, quam vt alii, poſſunt eadem intelligi, neutrorum ſermones cogere me valent. Nam hoc ipſum, quod Spiritus ſanctus, multis locis Scripturæ dicitur eſſe Filii, propter ſolam quam habet cum eo ſecundum ſubſtantiam vnitatem; quia vna eſt eorum ſubſtantia, virtus, voluntas, ſapientia & actus: & propter hæc ſola d c: tu eſſe hic eius. Quemadmodum è conuerſo, Dei verbum, gladius dicitur, ſecundum Apoſtolum Spiritus.

Alius rurſus dicat; quia non ſolum propter quæ tu dicis, verumetiam vt ex hoc intelligamus Spiritum ſanctum, & ex ipſo Filio procedere: ego cogitans, quod etiam ſecundum illum ſenſum tantum ſufficienter poſſet Spiritus ſanctus Filii eſſe, haſito, & non habeo, cui magis aſſentiar.

Similiter, mittitur multis locis Scripturæ Spiritus à Filio. Ergo ſi vnus dicat, quod quemadmodum Filius, propter in carne ad nos manifeſtationem & aduentum, dicitur mitti, etiam à Spiritu ſancto; vt in Eſaia ſcriptum eſt: ita & Spiritus ſanctus, quoniam in aliquibus ſignis nobis manifeſtatus eſt, & ad nos veniſſe temporaliter dicitur, quæ ſigna ſignificabant quidem ſolummodo ipſum Spiritum S. facta vero erant à tota Trinitate, propter hoc tantum, & non propter aliud dicitur & à Filio mitti.

Alius item dicat, quod non ſolum propter hoc, ſed vt cum his adhuc & illud intelligamus, quia Spiritus & ex Filio procedit, perpendens ego rurſus, quod etiamſi non procedat Spiritus & ex Filio, tamen & ſecundum illum ſenſum tantum ſufficienter vtique diceretur ab ipſo mitti: eadem ſimiliter detentus ſum dubitatione.

Rurſus in Sacra ſcriptura, ex Filio accipere dicitur Spiritus ſanctus, & ab ipſo inſufflante dari. Ergo ſi vnus dicat, quoniam ipſe Dei Filius magna quædam dixerat de Spiritu ſancto, quia aduerſus eum blaſphemia irremiſſibilis eſt: & quia ipſe omnia docebit, & annunciabit, & diriget ad omnem veritatem, & ſimpliciter chariſmatum diſtributionem ipſi attribuerat: vt non æſtiment Apoſtoli, vel poſt eos fideles, maioris dignitatis ac potentiæ eſſe Spiritum quam Filium, ideo ſolum, & non propter aliud dixit, quod Spiritus ſanctus ex eo accipiet, quæ nunciabit, & inſufflando ipſum dare oſtendebat, vt neque maiorem eo Spiritum putemus, & nos deificantia chariſmata communia eſſe Filii & Spiritus ſancti credamus.

Alius rurſus dicat, quia & propter hoc, & adhuc vt intelligamus, & ex ipſo Filio proceſſionem Spiritus. Cogitans ego, quod & ſecundum illum ſenſum tantum ſufficienter ſe poſſet habere Scriptura, non video cauſam, ob quam magis Latino credam.

Item, Patrem & Filium vnum eſſe in Scriptura ſcriptum eſt, & omnia quæ ſunt Patris, etiam & Filii eſſe; & ex hoc concludunt illi ſuum dogma. At vero ſi quis dicat, ô Latini, nihil magis ex his neceſſarium eſt Filium principium eſſe Spiritus, quia etiam ex perſona Spiritus ſancti dici poſſet: Ego & ſpirator vnum ſumus, & omnia quæcunque habet ſpirator mea ſunt. Sed nihilo magis ex his Pater eſſet Spiritus ſanctus. Ergo ſi quis hæc dicat, quid magis Latini perſuaſibiliora dicent? ego enim non perſpicio.

Item vbi dicit Apoſtolus: Dominus Ieſus interficiet Antichriſtum Spiritu oris ſui: illi ipſi Spiritum ſanctum eſſe ibi credentes, idipſum concludunt. At etiam hic poteſt dici: quoniam nos nihil ita facile efficimus, quam illa quæ inſufflando ſolum facimus: volens Apoſtolus ex noſtra tranſlatione oſtendere, quam facillimum eſt CHRISTO interficere Antichriſtum, & nullam habens ei difficultatem, Spiritu oris eius dixit apoſtatam interficiendum, minime ibi Spiritum ſanctum intelligi volens.

Hæc ergo ſi quis dixerit, hæſitandum mihi videtur omnino, cui magis concedendum ſit.

Item vbi ſcriptum eſt, Deum charitatem eſſe, & charitatem ex Deo: illi charitatem dici Spiritum ſanctum accipientes, illam videlicet, qua Pater diligit Filium, & Filius Patrem, concludunt, alia quædam per medium addentes, ex vtroque ipſum procedere, mihi nihilo magis ex his perſuadentes. Quare? Primum, quia non nimis certum eſt, vtrum Spiritum ſanctum ibi intendebat B. Ioannes, nihil enim impedit, & ita exponere dicentem, vbi dictum eſt, Deus charitas eſt, ibi de ipſo Trino Deo ipſam charitatem prædicari, illo modo, quo ait S. Dionyſius: etiam omnium entium nomina poſſe de Deo ſecundum cauſam prædicari, & maxime nobiliſſima, & diuiniſſima, ſicuti eſt, Bonitas, Vita, Pulchritudo, Lex & ſimilia. Vbi vero dicitur charitas ex Deo eſt, ibi ipſum charitatum affectum, quo Deo & nobis inuicem vnimur, ex ipſo Trino Deo nobis dici adeſſe illo modo, quo & omne bonum, & honeſtum ex Deo nobis eſſe dicimus.

Deinde ſi quam maxime ipſum Spiritum ſanctum in illis nominat charitatem Apoſtolus. Vnde patet, vtrum illam charitatem ipſe intelligit, qua Pater diligit Filium, & Filius Patrem: ſed non magis indifferenti modo, & ſimili, ipſam charitatem nominauit: ſicut etiam Filius, vel Pater, vel tota ſimul Trinitas, charitas nominatur: quemadmodum & alia chariſmata attribuuntur ſingulariter Spiritui ſancto; quæ nihilminus & toti Trinitati eodem modo congruunt. Cæterum & Filius ſapientia quidem Patris nominatur, ſed non ita illa ſapientia eſt, qua Pater intelligit Spiritum ſanctum, & hic Patrem, vt ex hoc concludatur ipſum Filium ex Patre ſimul & Spiritu ſancto generatum eſſe.

Ego itaque, vt ad te explicem paſſionem animi mei, multo difficilius habeo ad recipiendum, quod Patre & Filio diligentibus inuicem, dilectio conſtituit alteram perſonam ipſum Spiritum ſanctum, quam ad recipiendum, quod Spiritus ſanctus, & ex Filio procedit. De hoc enim eius veritatis cupiditate cogitanti, nullæ mihi ſuſpiciones intrant ne forte ſit verum illud Ariſtotelis, quanto magis perquiro & cogitatione voluo, tanto incredibilius mihi videtur.

Nam de diuina Scriptura non ita patet, vt animam per ſe verum quærentem, ab omni remoueat ambiguitate. Si vero à Sacra ſcriptura, & fide nobis traditis, penitus recedentes ad naturalem rationem recurrere velimus, miror ſi vnum Deum ſimpliciſſimū in tribus perfectis perſonis, per ſolam naturalem rationem tanquam aliquid eorum quæ mathematice demonſtrantur, inuenire poterimus.

Age ergo fidei ratione complectentes videamus quæ neceſſitas ſit, vt Patris & Filii charitas, ſit illo modo Spiritus ſanctus. Itaque ſi idem ſimpliciter eſt Patri generare Filium, & diligere





Filium; & generatio ergo eſt idem ſimpliciter quod charitas, qua Pater diligit Filium; & per conſequens, ipſa Filii generatio, Spiritus ſanctus eſt: quod non modicum mirandum eſt. Et maxime, ſi genitum principium eſt ſuæ generationis. Si vero eſt aliud Patri generare Filium, & diligere vel intelligere ipſum, adhuc magis eſt mirandum: quomodo generatio quidem qua Pater generat Filiū, non conſtituit aliam perſonam: neq; intellectio, qua Pater intelligit Filium. Diligere vero ipſum non poteſt, niſi dilectio illa tertiā conſtituat perſonam: & maxime cum ſit poſſibile dicere, quod ſpirator diligit & intelligit Spiritum, & Spiritus diligit & intelligit Patrem & Filium. Ex qua dilectione vel intellectione, nulla alia conſtituitur perſona.

Item vnitatem & annexum Patris & Filii dicere Spiritum, ita vt ex vtroque eſſe concludatur, neque ipſa Scriptura cogit me, & naturalis ratio mihi magis perſuadet recipere, principiata vniri per principium, quam principia per principiatum. A quo enim multa habent eſſe, ab eodem etiam habere vnum, rationabile mihi videtur.

Dicere vero quod principiata habent ex principiis eſſe: principia vero habent ex principiatis vnum eſſe, omnino mihi videtur carere ratione. Si vero eſt alia ratio de his mea verior, quam ego nunc non intelligo; tamen quamdiu illam non intelligo, neceſſe eſt me teneri ab hac, quam nunc intelligo. Dicta quidem Scripturæ, quæ allegant: pene prædicta ſunt. Ego vero neque ex his, neque ex aliis quibuſcunque poſſum ad hoc intelligere indubitabilem omnino neceſſitatem, & penitus ſtabilientem meam mentem eorum adeſſe concluſionem.

Reſtat ergo quartum genus videre, quod ex communibus notionibus argumentationem propoſiti facit. Hæ quæ dicuntur communes notiones, ſiue vt Ariſtoteli videtur, de ſenſibilibus per ſenſus imprimuntur animo, ſiue vt Platoni videtur, ipſæ ſunt ſubſtantia intellectualis animæ; vtroque modo de his rebus ſunt, quarum intelligendo dominati apprehendimus eas & tangimus, & quas intelligentes ipſa intellectione comprehendimus & circumplectimur.

Proinde & illa, quæ ex eis oſtenduntur, indubitabiliter demonſtrata eſſe putamus. At vero quæ de Deo ſunt, ea ſuperſubſtantialia, & ſuper intelligentiam, & incomprehenſibilia eſſe dicimus; & maxime ea, quæ de trino perſonarum dicuntur, credita quidem Sacræ ſcripturæ traditione: naturales vero noſtras intelligentias fugientia, eo quod nullus videatur in his, quæ à nobis intelliguntur, modus Trinitatis; indifferenter per omnia ſe habens illi ſuper intellectum Trinitati.

Quis ergo eſt ita tardus mente, vt putet, huiuſmodi communes notiones, quæ correſpondent his, quæ à nobis perfecte intelligūtur, rebus, omnes ſimpliciter etiam illis, quæ ſuper intelligentiam noſtram ſunt, congruere? vbi neq; quod ſunt in naturalibus vere, iam etiam Mathematicis conueniunt, vel è conuerſo: neq; quod Arithmeticis vel Muſicis rebus correſpondent, iam etiam Geometricas, vel perſpectiuas attingunt.

Multo ergo minus putandum eſt, ſuperſubſtantialia eiſdem neceſſitatibus ſeruire cum his, quæ ſub intelligentia noſtra ſunt. Non ergo neceſſarium eſt, omne quod prædicatur affirmatiue vel negatiue de illa re, quæ noſtra intelligentia comprehenditur; hoc etiam de illa re quæ tranſcendit noſtram intelligentiam ſimiliter prædicari.

Ergo aut nulla huiuſmodi communium notionum, & vſque ad illam ſuperſubſtantialem, & incomprehenſibilem eſſentiam peruenit; aut aliqua ita, & aliqua non. Sed & hoc ſufficit.

Ergo & hoc conceſſo, quoniam aliqua diſcretione neceſſaria non habeo conſpicere, quæ earum, quæ in entibus veræ ſunt notiones, & ad ſuperficiale, & ſuperintelligentiam transferenda ſunt, & quæ non, cum audio Latini ex huiuſmodi propoſitionibus, de propoſita quæſtione ſyllogiſmum: etiam ſi ſint in omnibus entibus propoſitiones veræ, attamen nequiens ſatis diſcernere cuius generis ſunt: vtrum illius quod ex entibus ad ſupereſſentiale conſcendere valeat, an non, penitus ambigo & dubito, concluſioni huiuſmodi ſyllogiſmi aſſentiri. Generaliter quidem, ita à me oſtenſum ſit, ob quam cauſam per eorum verba nondum mihi perſuaſum eis credere. Non erit prius forte, & aliquos particulares ſyllogiſmos eorum commemorare.

Audiui aliquando quoſdam Latinos ita ſyllogiſantes. Supponentes enim tanquam minorem propoſitionem, quod Spiritus ſanctus realiter differt à Filio; & addentes tanquam maiorem, quod omnia quæ ſine materia ab inuicem differunt, aut ſicut contraria differunt, aut ſicut habitus & priuatio, aut ſicut affirmatio & negatio, aut ſicut relatiua. Deinde oſtendentes, quod horum tres præcedentes modi, illis diuinis perſonis minime congruere valent; concludebant ergo, quod ſecundum relatiua tantum, Spiritus ſanctus poteſt diſtingui à Filio: & ita per ordinem procedentes, veniebant ad finalem concluſionem. Sed me minime per hoc mouerunt.

Ventum enim ad Angelos & animas, & mathematica & mathematicos numeros, & horum maxime ſuperficiales & ſolidos; multa fide & ſine materia plura intellecta, & nullo prædictorum quatuor modorum ab inuicem diſcreta. Quamuis & ſi in omnib. entibus videretur maior propoſitio, adhuc reſtaret ambigere, vtrum illarum eſt propoſitionum, quæ & in entibus, & in ſupereſſentiali verificari poſſunt, an non. Sed differt quidem Spiritus perſonaliter à Filio, non tamen ſecundum aliquem à nobis cognitorum in entibus modorum.

Et eſtne vera illa Patrum ſententia, quod in hac vita impoſſibile eſt diſtincte & expreſſe cognoſci illud, quo Spiritus differt à Filio? Non enim illud erit auſus aliquis dicere, quod neceſſarium eſt, aut ſciri huiuſmodi differentiam, & ad aliquam à nobis notarum reduci, aut nequaquam eſſe.

Item & talem audiui Syllogiſmum: in quo tanquam minor propoſitio ſupponebatur. Quia ſicut ſe habet ſpirare ad procedere, ita ſe habet generare ad generari. Tanquam vero maior aſſumebatur, quia generaliter in omnibus entibus, ſi ſit vt primum ad ſecundum, ita tertium ad quartum: & permutatim ſumptis, eſt ſicut primum ad tertium, ita ſecundum ad quartum. Et ex his concludebatur, quod ſicut ſe habet ſpirare ad generare, ita ſe debet habere & procedere ad generari. Et quia dicebant ſpirare & generare concurrentia ſimul in vna perſona, ſcilicet patre, non faciunt differentiam perſonalem: non ergo procedere & generari ipſa per ſe differentes efficient perſonas.

Et ita aliam aliquam perſonalem differentiam Spiritus ad Filium quærentes, poſtremo veniebant ad concludendum, & ex Filio, ergo Spiritum procedere. Me neq; hos ſequi valente; perquirens enim in meipſo entia inueniebam in multis, maiorem propoſitionem falſam multis viſis; & in ſubſtantiis, & in quantitatibus, & in relatiuis. Sed primam poſitionem primi ad ſecundum, ſecundum vero primi ad tertium, & ſecundi ad quartum, non ſaluantibus proportionalitatem: quamuis, vt paulo ante dixi & ſi in omnibus quæ infra mentem noſtram ſunt, videretur huiuſmodi eſſe verum: incertum adhuc eſſet, vtrum & in illa re quæ omnem mentem excellit, verum ſit.

Item & ſic quidam argumentantur. Omnia ſunt communia Patris & Filii, præter illa quibus aduerſatur eorum inter ſe relatio. At vero ſpirantem potentem, non aduerſatur Patris ad Filium, vel Filii ad Patrem relatio: ſpiratiua ergo potentia Patris & Filii.

Ego vero neq; huic Syllogiſmo aſſentior; propter quod vtiq; habet vitium, quod enim quæritur, ſumitur vt manifeſtum. In maiore enim propoſitione per communia & alia verba latenter petit principium. Nullus enim eorum qui de concluſione ambigunt, maiorem concedet propoſitionem. Cum enim illa perſona, quæ ita eſt vt à nullo ſit, æqualiter habeat & generare, & ſpirare; quæritur vtrum ex vtraq; hæc propria ſunt eius ſimpliciter, neq; Filio, neq; Spiritu ea habentibus. An ad Spiritum quidem propria ſunt eius, ad Filium vero non ambo, ſe ſolum generare: ſpirare vero commune habet cum eo.

Hoc itaque cum quæratur ſumere ſimpliciter, quod Pater generare quidem habet ſolus, ſpirare vero cum Filio: quid aliud eſt quam petitio principii, etiamſi non aperte ponat qui ſumit, ſed per communiora verba eundem occultet ſenſum? Cæterum quid prohibet ſupponentem ſimiliter, quod omnia ſint communia ſpiratoris & Spiritus, præter illa quibus aduerſatur eorum inter ſe relatio, per ſimilia media concludere? quod & Spiritus ſanctus genitor eſt: ergo ſicut hoc, ita etiam illud paralogiſmus eſt.

Item alias cum audiuiſſem ſumentem quendam vt manifeſtum Deum Patrem intelligere & velle, & ex intelligendo producentem Filium: de volendo autem Spiritum, & per quædam m-

dia alia, quæſtionem concludentem; initio quidem pene credidi, tanquam bene eſſet dictum: paulo vero poſt animaduertens, quia, quomodo intelligit & vult Pater, eodem indifferenter & Filius, & Spiritus ſanctus, & tota Trinitas intelligit & vult: & nihilomagis ex eis aliter Filius, vel aliter Spiritus emanat; nihil neceſſarium illum dixiſſe putaui, ſed potius multa inconuenientia perſpexi de huiuſmodi ſermone orientia.

Cauſæ quidem per quas non mihi videtur neceſſarium eſſe per verba eorum ſciri vel credi Spiritum ſanctum, & ex Filio procedere, hæ ſunt.

Volo autem tibi oſtendere, & qualiter me habeo erga dicta ſanctorum noſtrorum Patrum, qui idipſum quod aiunt Latini in ſuis Scriptis dicunt.

Ego quidem inueni multos, qui hoc ſapiunt, ſcilicet ſanctum Auguſtinum, ſanctum Gregorium Nyſſenum, ſanctum Cyrillum in dictis ſuis theſauris, & in aliis ſuis Dialogis, ſanctum Athanaſium & quoſdã alios. Sed illud arbitror me recte cogitare, quod omnium quæ hi docent illa tantum neceſſitatem habemus recipere, quæ vel ex ipſa Sacra ſcriptura, apertiſſime & indubitabiliſſime oſtenduntur, vel per Concilium Generale expreſſe examinata, & determinata adepta ſunt ſententiam, vt debeant omnes ea admittere; vel etiam per noſtram naturalem rationem, ſatis demonſtrari valent. Quæ vero non talia ſunt, non mihi videtur debitum eſſe ea admittere: neque periculum non credita & ſpreta nobis inferre. Non enim penitus illius auctoritatis æſtimamus illos eſſe, cuius Prophetas & Apoſtolos, vt ſimpliciter quemadmodum illis, ita & his per omnia debeamus parere.

Argumentum autem eſt, quod Prophetæ quidem & Apoſtoli, de nulla re ſibi ſecundum rem ipſam contraria dicunt. Poſt hos vero Doctores nimis in multis & non paruis, & exponendo Scripturam, & dogmatiſando contraria ſibi inuicem, ſecundum rem ipſam dicunt; vt ſine periculo nobis iam fiat, cui volumus aſſentiri.

At vero Spiritum ſanctum & ex Filio procedere, neq; per naturalem noſtram rationem comprehenſibile mihi eſſe videtur; neque ex ipſa Sacra ſcriptura, ſine omni ambiguitate certiſſime oſtendi, neq; adhuc per Generale Conciliũ, quod ſciam, ratificatum eſt. Ergo, etiamſi à multis Sanctis idipſum dicitur, nolle aſſentiri, nullam periculum mihi videtur eſſe.

DEMETRII DVBIA CIRCA AVCTORITATEM ROM. ECCLES.

Reſtat ergo conſiderare auctoritatem Romanæ Eccleſiæ, ne neceſſarium ſit, quoniam Mater eſt, & prima omnium Eccleſiarum credere ſimpliciter, quodcunque ipſa ſemper de Deo dogmatizat.

Sed adhoc euenit mihi rurſus hæſitare, ne forte in dogmatibus Fidei, quibus fidelis ab infideli diſtinguitur, non idonea ſit illius Eccleſiæ auctoritas; ſed requirenda etiam Vniuerſalis Eccleſiæ. Hoc autem dubito ex multis.

Primum, quod in Symbolo Fidei, non dicimus credere in Romanam Eccleſiam, ſed in Catholicam. Quanquam quid prohibeat etiam illud nos dicere, ſi ſatis eſſet?

Deinde olim in diuerſis Orbis partibus, cum multæ orta fuiſſent hæreſes, & quæſtiones, & de Filio, & de Spiritu ſancto, & de Incarnatione; non referebantur quæſita ad Romanam Eccleſiam, vt ibi examinata & determinata omnibus tradantur: neque alii ad hoc ſolum reſpiciebant, quidnam illa Eccleſia de eis determinauerit: ſed Generalia aggregabantur Concilia, & totius Eccleſiæ cognitio & ſententia, de dubitatis vocabatur: cum hoc eſſet multo difficilius quam illud. Et quod magis eſt, neq; iuſſu Papæ illa Concilia aggregabantur, ſed prout apparet, & per Chronicas, & Imperiales epiſtolas, & per allocutiones ipſorum Imperatorum ad eos qui in illis Conciliis erant, Imperialibus celebrabantur iuſſis. In quibus Conciliis, licet primum locum Papa obtinebat, vel eius legati; tamen Canones & determinata dogmata, non ſunt expoſita ſingulariter ex perſona Papæ, ſed ex perſona totius Concilii.

PERGIT IN DVBIIS CIRCA PROCESSIONEM SPIRITVS SANCTI.

Ad hæc igitur mihi reſpicienti, nimis neceſſarium videtur, & in præſenti quæſtione, vt concurrat ſimul cum Romana Eccleſia, etiã totius Eccleſiæ auctoritas, atq; cognitio. Siquidem & hoc ex debito neceſſitatis erit credendum. Quid igitur? Ad credendumne ex Filio procedere Spiritum ſanctum dico me hæſitare, ex ſolo vero Patre ipſum procedere, quod multi dicunt, arbitror recte dictum? Multum deficio. Sed ſi poteſt dici, multo adhuc dubitabilius & incredibilius ad hoc me habeo.

Primum enim per communes & naturales notiones ipſum demonſtrari, per eaſdem vtique, quas & prius dixi cauſas, impoſſibile mihi videtur.

Deinde, & in tota ſacra, & diuina Scriptura, nullum inuenitur dictum tale; per quod non dico aperte demonſtrari, ſed vel coniectura, & ſuſpicione percipi poſſit, quod ex ſolo Patre Spiritus ſanctus procedit, neque enim quia dixit Dominus, qui à Patre procedit, ideo ſtatim putari debet, quia non ex ipſo quoque procedit. Aſſuetum eſt enim ipſi Saluatori, ſua & Patris communia, Patri vt plurimum attribuere, non addentem verbo & ſe. Vt in illis: Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur; &, nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus attrahat ipſum. Quamuis, quis negare præſumpſerit, & ipſum Filium non plantare in pietate fidelium mentes, & ad ſalutem attrahere eas? Quare reſtat, & de propoſito ambigere, ne forte ſimile ſit illis, quæ Patri attribuuntur quidem, ſunt aliis communia.

Multa enim talia in Euangeliis reperiuntur; vbi & ſi diſtinguendo dixiſſet, qui à ſolo Patre procedit, neque ſic tolleretur omnino quærere, ne & ex eo procedat. Nam alio loco ait: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum; quamuis & ipſe verus Deus exiſtens. Et illud: Nemo cognoſcit Filium niſi Pater: & Patrem nemo cognoſcit niſi Filius: quamuis & Spiritu ſancto ſimiliter cognoſcente, & Patrem, & Filium. Quare, & in illo ſi ſimiliter dictum fuiſſet, poſſet vtique ambigi, ne forte ipſum tale eſſet, ſoli quidem Patri attributum, nihilominus autem & Filii exiſtens.

Adhuc autem & ſi apertè fuiſſet dictum: Qui non à me, ſed à Patre procedit: & ita nil minus ambigi poſſet. Multa enim communium dixit, neque ſe habere, neque facere. Mea doctrina, ait, non eſt mea, ſed Patris: &, Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. Et, Sedere à dextris & à ſiniſtris meis, non eſt meum dare vobis, ſed his quibus paratum eſt à Patre meo. Et, Horam illam neque Filius nouit, niſi ſolus Pater. Quare ſi & illud ſimiliter fuiſſet dictum, eſſet adhuc locus ambigendi, ne forte cum his ſenſu dictum fuiſſet, quamuis commune.

Vbi igitur & aſſuetum eſt Chriſto communia Patri attribuere, & neque diſtinguendo dixit, qui à ſolo Patre procedit; neque, quod non à me, dubitabile prorſus & ambiguum efficitur, quomodo dixit hoc Saluator: Vtrum, vt intelligatur id ſolius Patris proprium eſſe, an volens commune, id eſt ſibi & Patris intelligi: quemadmodum & alia quæ ſimiilter ab eo dicta ſunt. Similiter, & in Symbolo Fidei, quod Nicenum Concilium inchoauit, & Conſtantinopolitanum conſummauit, legitur quidem ita ſimpliciter: Qui ex Patre procedit. Sed vtrum ideo non addiderunt, & ex Filio, quoniam neque ſapiebant hoc ipſi Syndorum illarum Patres, nullatenus mihi certum patet.

Primum enim præter ea dogmata, quæ in Symbolo ſunt, multa ſunt & alia nimis neceſſaria ad Fidem dogmata, & de Deo, & de prouidentia, de duabus naturis, & voluntatibus, & operationibus; de vna perſona, de pœnitentia, de Sacramento Euchariſtiæ, de non eſſe præexiſtentiam animarum, vel principium ſubſtantiale malorum, & de multis aliis.

Circa quæ illos quidem Patres, veriſimile erat recte ſapere, in Symbolo tamen ipſa non poſuerunt. Quare reſtat ambigere, ne forte & hoc illorum ſit, quæ in Symbolo quidem non dicuntur, aliter vero ab his creduntur. Quanquam ſanctus ATHANASIVS, & MAGNVS Baſilius, & frater eius, qui dicuntur interfuiſſe prædictis Conciliis, manifeſte videntur, idipſum quod Latini dicunt ſapientes. An dicet aliquis corrupta eſſe horum ſcripta? Sed ego & hoc incerto exiſtente, merito vtique ambigo.

Deinde neque hoc ſeruauerunt omnino in Symbolo, vt communia trium perſonarum vel duarum, aſſignent vt communia: propria vero ſola vnicuique attribuant; ſed è contrario in multis propter compendium, vt æſtimo, fecerunt. Nam Omnipotens cum eſſet commune, Patrem Omnipotentem dicentes, Filio vel Spiritui hoc non dederunt. E conuerſo vero de Domino fecerunt, Filium & Spiritum Dominum dicentes.





Item Factor quidem omnium Spiritus ſanctus eſt. Sed hoc Patri & Filio tribuentes, de Spiritu nihil horum dixerunt. E conuerſo vero viuificantem eſſe, & locutum eſſe per Prophetas, cum eſſent communia; non Patri, vel Filio, ſed Spiritui reddiderunt. Rurſus eſſe lumen de lumine, & Deum verum de Deo vero, communia ſunt Filii & Spiritus; illi vero de Filio, non de Spiritu hæc dixerunt. Quis igitur nouit, quod non ſimiliter commune Patris, & Filii ſapientes eſſe, quod ex eis Spiritus S. procedit, ſatis putauerunt hoc ponere in Patre. Ego enim ex hoc neutrum concludi conſidero, neq; quod ex ſolo Patre, neq; quod ex Filio procedit. Sicut neq; de illo ſuperius commemorato Euangelico dicto.

MOVET DVBIA EX SCRIPTIS SS. PATRVM.

Sed & nimis miror de illis, qui certum aliquid putant ſe ex his habere: de ſcriptis vero Sanctorum noſtrorum Patrum, quæ ad manus meas peruenerunt, trium vidi dicta, quæ videntur præbere ad propoſitum, aliquam difficultatem: Sancti Dionyſii Areopagitæ, & Sancti Gregorii Theologi; & Sancti Ioannis Damaſceni. Vbi Sanctus quidem Dionyſius ait ſolum eſſe fontem ſuperſubſtantialis Deitatis patrem. Theologus vero geminum radium Patris, nominat Filium & Spiritum ſanctum. Damaſcenus vero dicit, quod Spiritus non dicitur ex Filio.

De quibus illud primum conſidero, quod etſi apertiſſimum eſſet, ipſos per hæc dicta ſapere, quod Spiritus ſanctus ex ſolo Patre procedit, & non, & ex Filio: nondum hoc per Concilium Generale expreſſe examinato & confirmato, nullum eſſet propter eandem vtiq; quam & prius dixi cauſam, nolle credere periculum: & cum his pluribus Sanctis contrarium dicentibus, & explicantibus, & latius problema diſcutientibus: ſicut ſanctus AVGVSTINVS, & ſanctus CYRILLVS, multaq; habentibus de ſancta Scriptura dicta, non minimam ſuſpitionem præbentia huius dogmatis. Et adhuc MATRE OMNIVM ECCLESIARVM, QVÆ NVNQVAM SVPERIORIBVS TEMPORIB. DEPRÆHENSA EST ALIQVAM HÆRESIM DEFENDERE, idipſum affirmante. Quid potius his tribus credendum erit, ſemel hoc dicentibus, & Scripturarum teſtimonia huius ipſius minime habentibus?

Deinde huiuſmodi dicta, penitus ſunt ambigua. Et vt primum de primo dicam; quoniam ſi Spiritus S. procedit & ex Filio, Filius hoc habet ex Patre, & Pater eſt Fons, qui non ex alio habeat, vt ſit Fons, vel ex alio emanat: Filius vero ſit velut Fons de Fonte, quemadmodum & Principium de Principio dicitur, incertum prorſus ſit, quo ſenſu hoc dixit ille ſanctus: vtrum ſapiens, quia ex ſolo Patre procedit Spiritus; an & ex Filio quidem ipſum ſapiens.

Dicens vero illud verbum, ac ſi diceret, ſolus Fons ſuperſubſtantialis Deitatis, qui non emanat ex alio Fonte, & ex quo alius habet, vt ſit Fons, Pater eſt, apud quem eſt Fons Filius, vitæ, ſcilicet Spiritus. Ad vtrumq; enim ſenſum, ſatis ſe poteſt habere illud verbum.

Rurſus de gemino radio.

Primo quidem dubitatur ille ſermo, in quo hoc ſcriptum eſt, vtrum ſit Theologi. Multum enim diſtat ab eius ſtilo.

Deinde nihil prohibet & vtraq; intelligi, & geminum radium eſſe Patris, Filium & Spiritum, in quantum perfecte & ambo ex Patre habent eſſe.

Et rurſus, Spiritum & ex Filio procedere, eadem vna & ſimplici proceſſione, qua & ex Patre procedit, vna exiſtente in Patre & Filio ſpiratiua potentia; nullo mirando, ſi in viſibilibus radiis huius exemplum non videtur. Incertum ergo ſit ex hoc verbo, quidnam qui hoc dixit, de propoſito ſentiebat. Et maxime, quod ipſe Theologus dicens de Filio, quod ſolus de ſolo, de quo nemo erat ſuſpicaturus, ne forte ſecundum Deitatem, non ex ſolo ſit Patre. De Spiritu S. nuſquam ait; ſolum de ſolo. Ex quo non paruam ſuſpicionem præſtat, ne forte & ex Filio ſentit ipſum.

Damaſcenus vero pene videtur ſola voce diſcrepare ab his, qui dicunt ex Filio Spiritum ſanctum procedere; non tamen & re. Ita ſe habere ad Patrem, Filium & Spiritum, quemadmodum ad Solem ſe habet radius & illuminatio; quæ vtraq; quidem ſunt ex Sole. Per radium vero nobis illuminationem tradit. At vero idipſum pene eſt, & quod ſentiunt, qui & ex Filio Spiritum ſanctum eſſe dicunt. Sicut enim radius ſimul procedit de Sole, & accipit ex eo, vt emuteret illuminationem: ita & Filius, vt aiunt, ſimul natus eſt ex patre, & accipit ab eo ſpirare Spiritum ſanctum. Et ſicut, ſiue dicatur illuminatio ipſa & ex Sole eſſe, & ex radio, ſiue ex Sole per radium, non tanquam ex duobus principiis Sole & radio, illuminatio eſſe dicitur: ita & ipſi innuunt, tanquam ex duobus principiis Spiritum ſanctum procedere, ex Patre, Filioq;; ſed tanquam ex vno. Quare & eadem pene videtur ſentire his, & Damaſcenus.

At ſine hoc radii & illuminationis exemplo, dictum illud per ſe, quo dicit: Spiritus non dicitur ex Filio, ambiguum eſt. Non enim idem eſt dicere; hoc non dicitur, & hoc non eſt: in multis enim diſſonat, cum ſint multa quæ non dicuntur, & ſunt. Velut ſi quis dixerit, Spiritum ſanctum non dici in Scriptura, Deum verum de Deo vero.

Ergo quoniam Damaſcenus non dixit, quod Spiritus ſanctus non eſt ex Filio; ſed quod non dicitur ex Filio: incertum vtique eſt, quid de hoc ſentiebat: vtrum tantum neque ente, neq; dicto; an tanquam non dicto, & ente. Sed de his ſatis ſit.

Videamus ergo & fortiſſimos ad hoc eorum Syllogiſmos. Exponam autem eos non meæ eruditione, ſed vt de verbo ad verbum eos exponit quidam noſtratum Sapientum, in ſuo contra Latinos tractatu. Ait enim ſic. Si Spiritus ſanctus procedit & ex Filio, vt aiunt Latini, contingit neceſſario aut duo principia eſſe in Deitate, aut Patrem & Filium vnam eſſe reſpectu Spiritus perſonam.

Duas enim ſcimus differentias eorum, quæ de DEO dicuntur.

Aliæ enim eorum ſunt ſubſtantialia & naturalia quæcunq; & diuiſim de qualibet perſona prædicantur, & ſingulariter ſimul de tribus; vt Bonum, Sapiens, & ſimilia.

Alia ſunt perſonalia quorum ſingulum, aut de vna ſola perſona prædicatur; aut ſi prædicatur diuiſim de pluribus, impoſſibile tamen eſt, ſimul ſingulariter de eiſdem prædicari. Vt emanari ex alio, cum ſit perſonale, prædicatur & de Filio, & de Spiritu: & eſt, & Filius emanans, & Spiritus emanans; non tamen hi duo vnus emanans eſt, ſed duo emanantes. Vere enim impoſſibile eſt, vnam perſonalem proprietatem de duabus perſonis etiamſi eiuſdem ſint ſubſtantiæ, ſingulariter prædicari.

Quamuis enim aliqui duo idem audiunt, vel vident, vel intelligunt, vel volunt, vel quodcunq; agunt, non tamen poſſumus dicere, quod vnus audiens, vel videns, vel intelligens, vel volens eſt, ſed duo.

Ergo quoniam eſſe principium Spiritus, & ſpirare Spiritum, non eſt ſubſtantialium proprietatum, ſed perſonalium; non enim prædicatur de Spiritu, ſiquidem, vt ipſi aiunt, & de Filio prædicatur: neceſſarium eſt dicere Patrem & Filium duos ſpiratores, & duo principia eſſe Spiritus S. quod pro certo inconueniens eſt.

Si vero dicit aliquis, quoniam vno & ſimplici, & eodem modo ex vtroq; procedit, ideo vnus eſt ſimpliciter ſpirator Spiritus S. Pater & Filius: ille neceſſario incidit in alterum inconueniens. De quibus enim vna numero perſonalis proprietas ſeu differentia ſingulariter prædicatur, illa vtiq; ſecundum vnam numero prædicationem eadem numero ſunt. Quare? quia ſpiratorem eſſe perſonalis eſt proprietas ſeu differentia, aggregantur Pater & Filius ſecundum idipſum quod ſunt vnus ſpirator ad vnam perſonam. Pater ergo & Filius in quantum ad inuicem referuntur, duæ perſonæ ſunt. Per id vero quod vnus ſpirator ſunt, vna perſona ſunt.

Si vero dicit aliquis, quod ſicut Pater & Filius vnus DEVS eſt, & vnus æternus, ita & vnus eſt ſpirator Spiritus ſancti. Reſpondebitur, quod ſicut DEVM eſſe, & æternum eſſe, & alia ſubſtantialia ſingulariter de PATRE & FILIO prædicata, repræſentant eorum vnam ſubſtantiam: magis autem per id quod eorum eſt ſimpliciter, & ſumme vna ſubſtantia: contingit & hæc ſubſtantialia ſingulariter de eis prædicari: ita & eſſe ſpiratorem, cum ſit perſonalis proprietas ſeu differentia, & ſingulariter prædicatur de PATRE & FILIO, aſſignabit eorum vnam eſſe ſecundum hoc perſonam. Magis autem ex eo, quod eſſet ſecundum ſpirare eorum vna perſona, contingeret hoc ſingulariter de eis prædicari. Si

*vero hoc impoſſibile eſt, & illud ex quo ortum eſt hoc impoſſibile.*

*Hoc eſt illius argumentum, quod multi aiunt in nullo deficere ad neceſſitatem, à Geometrica demonſtratione. Totum vero robur eius pendet ex duabus communibus notionibus: vna quæ ponit, impoſſibile eſſe vnam perſonalem proprietatem de duabus perſonis ſingulariter prædicari.*

*Altera vero quæ ſumit de quibus vna numero perſonalis proprietas ſingulariter prædicatur; illa ſecundum idem, eadem eſſe numero. Et vere ſi ſcirem pro certo has notiones communes, veras eſſe, & in ſuperſubſtantiali eſſentia, reciperem vtiq; & concluſionem. Sed ego hoc nimis ignoro. Et eadem mihi eueniunt hæſitare, quæ & ad Latinorum Syllogiſmos ſuperius dubitabam.*

*Nam & ſi concedatur in his rebus, quæ ſub mente noſtra ſunt, quarum videlicet intelligendo dominamur, & quas tangimus, & comprehendimus veras eſſe dictas communes notiones, quod etiam ipſum multas poteſt habere contradictiones; quæ neceſſitas eſt, vt etiam in diſsimilibus & aliter ſe habentibus rebus, & noſtras infirmas intelligentias infinities infinite fugientibus, & ideo incomprehenſibilibus, & ſuperintelligibilibus eadem ſint veræ? Si enim vere ſuperius dicebamus, non omnes in entibus veras communes notiones, & vſq; ad ſuperſubſtantiale poſſe conſcendere, vnde pro certo ſciemus, hæc quarum ſunt, vtrum earum quæ vſq; illuc extenduntur, an non? Neq; enim in noſtris rebus reperiuntur alia duo, quæ per omnia ita ſe habent inter ſe, ſicut ibi Pater & Filius, inter ſeſe habent. Fortaſſe enim & vnus eſt ſpirator SPIRITVS ſancti PATER & FILIVS, & Deitate tranſcendente, etiam duas dictas communes notiones, nullo modo contingit vnam perſonam eſſe PATREM & FILIVM reſpectu SPIRITVS. Et qualiter non contingit hoc, nullum miraculum eſt nos ignorare: qui & confitemur nos penitus ignorare, quo proceſsio à generatione diſtinguitur.*

*Item cum neceſſarium ſit, aut credentem & in diuinis veras eſſe prædictas communes notiones, deceptos putare, & Sanctum Auguſtinum, & Sanctum Cyrillum, & alios, qui manifeſte dicunt Spiritum ſanctum & ex Filio procedere, aut his aſſentientem credere DEVM ſuperiorem etiam eſſe prædictis duabus communibus notionibus. Hoc mihi multo tutius & religioſius videtur.*

*Videamus ſi placet, & aliud eiuſdem argumentum, quoniam ait: Pater & Filius ſunt vnum, ſunt & duo. Aut procedit Spiritus ex Patre & Filio, in quantum vnum ſunt, aut in quantum duo ſunt. Sed ſi in quantum duo ſunt, erunt duæ proceſsiones, & duo principia. Si vero in quantum vnum ſunt; quoniam hoc vnum eſt ſubſtantia, & natura, & Deitas: Pater ergo & Filius, per id quod vna ſunt ſubſtantia, & natura, & Deitas, ſpirant Spiritum. At vero ſecundum id quod ſpirant Spiritum, & differunt ab eo: Pater ergo & Filius, ſecundum vnam quam habent ſubſtantiam, & naturam, & Deitatem, differunt à Spiritu. Non ergo Spiritus eiuſdem eſt omnino cum Patre & Filio ſubſtantiæ, & naturæ, & Deitatis: quod contra fidem noſtram eſt.*

*Eſt autem hic paralogiſmus, per id quod ſumit* ſimpliciter, *quod* ſecundum quid *conceditur. Latini enim neq; per id quod duo ſunt, Pater & Filius, aiunt ex ipſis procedere Spiritum: neq; ſecundum quod ſimpliciter vnum ſunt, ſed ſecundum id quod aliquid vnum ſunt, ſcil. ſecundum vnam quam habent ſpiratiuam potentiam. Quid igitur? Illi ſecundum aliquid concedunt, iſte ſimpliciter ſumens paralogyſmum fecit. Eſt autem eiuſdem & tale argumentum.*

*Nos, ait, Filium & Spiritum à ſolo Patre dicentes, habere eſſentiam, quod per omnia entia conuincitur, verum eſſe dicimus. In omnibus enim vnitas, dualitatis eſt principium. Illi vero Spiritum ex Patre & Filio eſſe dicentes, omnia entia contradicentia habent. Nuſquam enim dualitas eſt principium vnitatis. In his primum quidem videtur numeri ſuperficialis ab vnitate progreſſum conſpicere, non tamen & linealis numeri progreſſum. In illo enim duo immediate ex vno progrediuntur; in hoc vero & duo ex vno procedunt, & tertia vnitas ex prima & ſecunda procedit.*

*Sed ego neq; propter fantaſmæ ſuperficialis numeri, ex ſolo Patre dicam Spiritum S. procedere; neq; propter fantaſma linealis numeri, & ex Filio affirmabo. Neq; enim tutum, neq; religioſum puto, huiuſmodi noſtris imaginationibus tamquam regulis in ſuperſtantialibus vti.*

*Deinde Latini non aiunt dualitatem principium eſſe vnitatis; ſed Patrem & Filium, per id quod aliquid vnum habent, vnum eſſe principium, non duo, vnius.*

*De Syllogiſmis quidem illorum hæc dicta efficiant. Hi enim ſunt eorum quos vidi, qui videntur eſſe fortiſsimi. Cogito autem & ita. Quoniam Spiritum à ſolo Patre procedere, neq; ſenſibile eſt, vt poſsit per ſenſum percipi; neq; naturale, vel aliquid contingentium, vt poſsit ea quæ propríe dicitur opinione & imaginatione cognoſci; ſed eſt ſuper ſenſum, & ſempiternum; neceſſarium eſt, vt ſit ei recte aſſentiendum, aut ſcientia, aut fide hoc facere. Sed ego putarem hoc eſſe ſcibile & demonſtrabile, & communib. noſtris notionibus comprehenſibile, carentis ſcientia arbitror eſſe. Reſtat itaq; fides.*

*At vero illa talium dogmatum dicimus nos recte credere, quæ dicente aliquo ingentem auctoritatem habente, & cui credere quidem eſt ſalutare, non credere vero periculoſum, nos recipimus.*

*Cui igitur tali ego credens non temere mihi videbor hoc facere? Sacræne Scripturæ? At nihil tale ipſa loquitur. An Generalibus Conciliis hoc determinantibus & dogmatiſantibus? Sed neq; hoc. An multis Sanctis exponendo Sacram Scripturam hoc aperte, & per multa tradentibus, & ex illa hoc habere aſſerentibus? & quomodo hoc poſsit dici? An poſtremo Matri Eccleſiarum? At vero hæc contrarium dicit. Nonne ergo erit ſumma dementia, dicere quidem credere aliquid de DEO, non habere autem aſsignare, cui credens recte hoc admittit. An dicet aliquis, quod reliquum eſt, illuminatione quadam occulta & diuina ſe hoc ſenſiſſe? Sed ego nondum hanc adeptus ſum.*

*Habes & cauſas, per quas neq; neceſſarium, neq; tutum, neq; alicuius prudentiæ æſtimo eſſe, & huiuſmodi aſſentiri dogmati. Quoniam vero ſuperius dixi, adhuc incredibilius me ad hoc habere; quam ad illud quod Latini dicunt: volo tibi & hanc compaſsionem oſtendere.*

*Primum quidem video maioris eſſe audaciæ, negare non procedere & ex Filio Spiritum, quam oppoſitum. Sancto enim Dionyſio dicente, in ipſo de Diuinis nominibus; non audendum totaliter de ſancta Trinitate intelligere aliquid vel dicere, præter ea, quæ diuinitus nobis per ipſa expreſſa ſunt per ſanctiſsima eloquia: Illi qui dicunt à ſolo Patre procedere Spiritum ſanctum, audaciæ huius vtiq; rei ſunt. Quod enim per ſacratiſsima eloquia oſtendi minime poteſt, hoc auſi ſunt ipſi de DEO intelligere.*

*Latini vero multis in Sacra Scriptura dictis non paruam ſuſpicionem præſtantibus, & ex Filio Spiritum ſanctum procedere, ipſi, vt credo, putantes, ex illis hoc ſignificari, erga ſacram SCRIPTVRAM reuerentia & religione, & volendo ad ipſam obedientes ſe habere, hoc recipiunt. Quare multum hoc differt ab illo. Nullius enim, vel minimæ audacia videtur eſſe.*

*Item non mediocris & audaciæ & præſumptionis proculdubio eſt, in dogmatibus de ſumma TRINITATE, ſuam cognitionem Sanctorum & Magnorum Doctorum cognitioni præponentem. At vero qui dicit ex ſolo Patre procedere SPIRITVM ſanctum, multis & Magnis Sanctis, & præcipue ſancto AVGVSTINO & ſancto CYRILLO, qui latius & apertius oppoſitum docent, ſeipſum neceſſario putat ſapientiorem & religioſiorem. A Latinis vero nihil huiuſmodi peccatur, nullo Sanctorum à ſolo PATRE procedere, aperte & indubitabiliter tradente.*

*Deinde ſupponens in parte vtrumq; falſum eſſe, & perquirens, vtrum falſum exiſtens, maioris ſit periculi, inuenio dogma Latinorum multo tutius. Hoc enim etiamſi ſit falſum, tamen addit ibi aliquid velut DEO dignum, nihil adimendo. SPIRITVI enim nihil detrahit. Non enim ex hoc minoris dignitatis, quam FILIVS ſit. FILIO vero nihil auferens, nec PATRI de his quæ habet detrahens, addit, quod non ſolum ipſe perfecte eſt ſpirator, verumetiam ſpiratorem genuit. Illud vero quod Græci dicunt, ſi quidem falſum eſt, pape quam magna blaſphemia eſt? addens quidem nihil, detrahens vero*

Filio



*Filio quidem ſpirare Spiritum, Patri vero generare ſpiratorem. Et eſt ſimile, vt ſi quidem Scriptura tradentes erga quadriduanum Lazarum Domini miraculum vnus diceret, non obiiſſe illum; ſed paſsionem quandam circa cor ei accidiſſe, & viſum eſſe mori: Dominum vero 4. die, paſsione illa ipſum liberaſſe. Alius rurſus diceret, triginta dierum mortuum vel adhuc vltra reſuſcitatum fuiſſe à Domino.*

*Vtraq; enim falſa eſſent. Sed vnum detrahit, aliud addit illi miraculo, vt non ſit æquale peccatum.*

*Conſequenter rurſum perquirens, vtrum falſum exiſtens rationabiliores poſsit habere in iudicio excuſationes? inuenio multum intereſſe.*

*Latinus vero, ſiquidem falſum dicit, reddendo huius rationem, multa poterit habere bona refugia. Quod in diuina Scriptura multa fuiſſent, quæ videbantur hoc concludere, & ipſe voluiſſet reuerenter ſe ad ipſam habere: quod ex fide, zelo, deuotione, amore ad ipſum Dominum credebat, aduerſus eum ſe blaſphemare, niſi crederet ex ipſo Spiritum S. procedere: quod multi Sanctorum, qui in ipſo iudici placuerunt, hoc aperte & per multa tradidiſſent: quod Mater Eccleſiarum ſemper hoc docuiſſet. Et vero qui alterius partis eſt, ſiquidem errat, neq; aliquid horum conuenire ad excuſationem in iudicio inuenio: neq; aliud, vt ita dicatur, quicquam ratione dignum.*

*Item quoniam homines multa contra ea quæ opinantur ex aliqua contentione, vel ſui amore, vel alia quadam paſsione dicunt, perquirens ego, quos magis veriſimile eſt à principio ex aliqua tali paſsione commotos dicere: vtrum Latinos, quod ex Filio; an Græcos, quod hæreſis & error hoc eſt, inuenio rurſus eandem differentiam.*

*In multis enim his noſtris ſubditis illi Eccleſiæ, & multis hic æſtimando ſe à maioribus iniuriam pati ad ipſam refugientibus, illaq; excommunicatione, & aliis iuſsis, & omni modo coercere, his maiores ab iniuria conante: & hoc, vt veriſimile eſt, his non parum diſplicente, iſtis quidem ex diffamando illam Eccleſiam in dogmatibus peccare, ſuæq; hoc perſuadendo, videbatur aduenire magna malorum liberatio: & videlicet omnia ſecundum beneplacitum ſuum facientibus, nullus de cætero illuc recurrere velit, atq; illi rationabiliter videantur, iuſsis Papæ nolle obedire.*

*Itaq; Imperatori hoc prouenit, quod prius non habebat, Patriarchas confirmare & proponere, & nullam relinqui Eccleſiam, quæ valeat ipſi in aliquo reſiſtere.*

*Ipſi vero Patriarchæ nouæ Romæ, vt Vniuerſalis nominaretur, & non ſecundus poſt primum, ſed ipſe primus in Eccleſia à conſecratoribus æſtimetur. Neutrum enim horum ante ſchiſma erat. Latinis vero ex dicendo, ex Filio Spiritum ſanctum procedere, neq; aliquorum malorum liberatio, neq; non præſentium bonorum acquiſitio accedebat. Quare ex paſsione à principio commotos dicere magis Græcis quam Latinis videtur poſſe contingere.*

*Ex his igitur & talibus, licet nondum viſum eſt mihi fidem adhibere Latinorum dogmati, tamen multo videtur mihi rationabilius eſſe, non credi, quod Græci dicunt, quam illud. Tuum de cætero ſit, quod & in principio precatus ſum, te nobis in ſcriptis, reuelare & ſignificare velle, quid nam eſt illud, quod tibi perſuaſit, & ex Filio Spiritum ſanctum procedere, pro certo credere: & ex hoc hæreticos & ſchiſmaticos eos, qui non hoc ſapiunt, nec confitentur putare. Amici omnes ſalutant te, & epiſtola hac lecta coram eis, eadem & ipſi hæſitare, & à te petere ſe dicunt.*

VII. Hæc Barlaamo ſcribebat Demetrius, aliqua tam inſulſe, aliqua vero tam perplexe, vt vel excors, vel væcors eſſe poſſet cenſeri, niſi quod in ſententiam Latinorum videatur magis propendere, neq; ſe Magiſtrum erroris Græcanici, ſed diſcipulum docilem dogmatis Catholici oſtendere. Volui hæc omnia in ſuo vultu proponere, ne vel Græcorum aliqui ante victoriam triumpharent, vel Latinorum ſcientes, Barlaamum, apoſtaſiæ vel ſchiſmatis prædamnarent, aut illi, hæc quæ Demetrius, vel quiſpiam alius Orientalium proſcripſerat, aſcriberent. Cum is præter ea ſolida atq; Orthodoxa, quæ promiſimus, quam Catholico ſenſu de proceſſione Spiritus S. ex Filio ſenſerit, abunde demonſtrauit; tum de friuolis oppoſitionibus Græcorum reſponderit & ſuam ſententiam aperuerit, his quæ ſtatim adiungo.

Iſta ſubiecit in epiſtolio, à me ſtudioſe interciſo.

*At vero ſi quid de Deo multi & magni Sancti, exponendo diuinam Scripturam dicunt: cuius oppoſitum, neq; ex ipſa Scripturæ oſtenditur, neq; per rationem demonſtratur, neq; per Sanctos aperte traditur, neq; per Generale Concilium determinatur, neq; per Matrem Eccleſiarum docetur; hoc credi nimis neceſſarium eſt. Si vero hoc ambigis & dubitas, vtrum ſit neceſſarium: Sed illud minime dubitabis, ſine periculo penitus quod tale eſt, poſſe credi. Siquidem non dubitas in Sanctis eſſe eos, qui hoc crediderunt, dixerunt, & Scriptura tradiderunt: ergo cum hoc ſit ſine periculo, vide quale ſit dicere, quod ex ſolo Patre procedit. Ais enim quod hoc neq; auctoritas, neq; demonſtratio compellit te recipere, & multi magnorum Sanctorum cum Matre Eccleſiarum aperte oppoſitum docent.* RESPONDET DEMETRIO BARLAAMVS ET SOLVIT EIVS DVBIA.

*Ergo ex volendo hoc tenere ſuſpicio mox aliqua periculi conſtatur.*

*Ergo cum hoc ſit pro certo periculoſum, illud vero omnino ſine periculo, duæq; ſint ſolæ partes Eccleſiæ; vna quæ tenet, quod penitus eſt ſine periculo; alia vero quod manifeſte periculoſum eſt; atq; alia Eccleſia non ſit collecta ex talibus hominibus, qualem tu adhuc ais te eſſe, neutrum extremorum tenens, in omnibusq; cæteris paribus, eligendum ſit magis, quod ſine periculo eſt, quam quod periculoſum; nonne iam ex tuis cogitationibus vides concludi, nimis neceſſarium eſſe, Latinis eadem velle de propoſito ſapere; eodem vero modo, via ſimiliter Romanæ Eccleſiæ auctoritate per ſimilia media tranſiens, peruenias neceſſario ad eandem concluſionem?*

*Quare etiamſi nondum fuiſſet factum de hoc Generale Concilium, tamen neceſſarium eſt recipere, quod Spiritus S. ex Patre Filioq; procedit, & hoc negantes, nequaquam tanquam partem Eccleſiæ, ſed tanquam omnino abſciſſos ab Eccleſia, & ad rationem ſchiſmatici cadentes putare.*

*Quid autem? Si oſtendatur, quod primi illorum Græcorum, qui ſe ſeparauerunt à Latinorum communione, non ratione ſed quadam irrationabili paſsione hoc paſsi ſunt, nonne & ita pare factum erit, hos eſſe ſchiſmaticos? At vero nihil ita apertum fieri poteſt.* GRÆCI IRRATIONABILI PASSIONE DVCTI SE À COMMVNIONE LATINÆ ECCLES. SEPARARVNT.

*Conſiderare enim ita oportet, ad euitandam rationabiliter Matris Eccleſiarum communionem, duo oportebat neceſſario occurrere.*

*Vnum, tunc primitus incepiſſe Romanam Eccleſiam aliquid de dogmatibus fidei ſapere & dogmatiſare, quod prius neq; docebat, neq; ſentiebat.*

*Secundum eſt illud, nouiter dogmatiſatum ita ſe habere oppoſite & repugnanter aliquid eorum, quæ vel in Sacra Scriptura aperte dicuntur, vel in Generalibus Conciliis expreſſe determinata ſunt, vt cum hoc ſit, nullo modo poſſit illud eſſe, & cum illud ſit, minime hoc locum habeat. Rationabiliſsimum enim eſſet, à talia dogmatiſantibus diuidi. Neutro enim horum contingente, irrationabile velle omnino diuidi relinquitur. At vero neutrum horum in exordio ſchiſmatis Romanæ Eccleſiæ contigit. Nam de proceſsione, & ex Filio Spiritus ſancti, ſancti illi quibus Eccleſia Romana mox credens, hoc tenet, facti ſunt ante inchoatum ſchiſma, alii trecentis, alii quadringentis, alii vero & quingentis annis.*

*Et vt vnum præ omnibus dicam, qui non tranſitorie, ſed de eodem ipſo principaliter loquens, apertiſsime id docet: Magnum, inquam, Auguſtinum: hic circa tempora Theodoſii Magni claruit, annos videlicet ante ſchiſma & vltra quingentos: cuius extuns Eccleſia vtiq; Romana ſcripta habuit; cum eſſet eiuſdem linguæ, & dogmata veneratur.*

*At vero dicere, & ex Filio, nihil oppoſitum eſt, ad dicendum ex Patre. Non enim ſi procedit & ex FILIO, tollitur procedere & ex PATRE; ſed potius illo prius conceſſo, & ex PATRE procedere, neceſſario ſequitur. Quæ vero ita ſe habent inter ſe, repugnantia non ſunt.*

*Ergo & Diuina Scriptura prius dicente, ex PATRE procedere SPIRITVM ſanctum, & poſtmodum Conciliis idipſum dicentibus, Eccleſia Romana dicens & ex Filio, non dogmatiſat*

*aliquid*

*aliquid illis repugnans, & dicta illorum interimens; ſed potius tale, quo conceſſo, illud neceſſario confertur. Nam ſicubi adhuc dictum non fuiſſet, quod SPIRITVS procedit ex Patre, & crederetur Eccleſiæ Romanæ, quod ex FILIO procedit: ex hoc vtiq; concluderetur neceſſario illud. Nam ſi procedit ex FILIO, qui omnia quæ habet, ex PATRE habet: procedit ergo & ex PATRE. Quare non tolluntur ex hoc quæ prius credebantur, ſed adhuc magis roborantur.*

*Ergo ſi in principio ſchiſmatis, nihil nouum vel repugnans alicui eorum, quæ à tota ECCLESIA credebantur, dogmatiſare cepit Eccleſia Romana: quomodo non omnino extra rationem, eius illi refutarunt communionem, vel quomodo non ex aliqua elatione & ſuperbia, vel ambitione & auaritia, vel tali aliqua paſſione ipſi hoc paſſi ſunt? Neq; enim illud, quod multorum eſt, dici poteſt, quod Synodico canone prohibente, adimere aliquid vel addere Fidei Symbolo, illi ab auſa aliquid addere merito diſceſſerunt.*

*Primum enim, nullus talis Canon in Conciliis inuenitur.*

*Deinde, non ante ſchiſma, non in huius principio, non paulo poſt, ſed multis poſt hoc annis, Eccleſia Romana, cum per multas prius legationes, de eodem Græcos admonuiſſet, & hortata fuiſſet à deterrimo ſchiſmate diſcedere, vt non habuit obedientes; denique Concilium ſuper hoc ſibi obedientib. celebrari faciens, hoc in Symbolo, non immerito addidit.*

*Quoniam ſi ſimiliter tanta Chriſtianorum gens negaſſet non eſſe Filium Omnipotentem vel viuificantem; & multa adderentur quotidie huic hæreſi; certe non careret ratione, ſi de hoc ſani Chriſtiani, ad refellendam hæreſim in Symbolo id ponerent.*

*Nulla itaq; præcedente rationali cauſa, ob quam primi illi à Matre Eccleſiarum ſe ſegregauerunt; certum eſt, quod & illi, & omnes qui illos ſequuti ſunt, proculdubio ſchiſmatici ſunt.*

QVIS SCHISMATICVS DICATVR.

*Nullos enim alios appellamus ſchiſmaticos, niſi illos, qui principalioribus & dignioribus in ECCLESIA dogmatizantibus, oppoſite ſe habentes, ad aliquid eorum, quæ vel in Sacra Scriptura aperte dicuntur, vel in Generalibus Conciliis expreſſe determinata ſunt, vel à tota ECCLESIA communiter creduntur, à debita illis credentia & communione, propter quandam aliam paſſionem diſcedunt, ſiue multi, ſiue pauci ſint. Nihil enim intereſt, quoniam non multitudine & paruitate, ſed prædicta ratione ſchiſmaticus notatur, quoniam & hi complentes iure, & hoc nomine digni habiti erunt. Aut igitur oſtendant, quid Latinis dicentibus contingit ex ſermone ipſorum, neceſſario SPIRITVM ſanctum non procedere ex PATRE, vt ita tollatur, & quod in Symbolo, & quod in Euangelio dicitur & à tota Eccleſia creditur: aut ſi hoc impoſſibile eſt, ſciant ſe extra Catholicam Eccleſiam eſſe, & nullo à ſchiſmaticis differre.*

*Quoniam vero ipſi vndiq; coarctati, poſtremo ad EVANGELIVM, & ad ſeptem Generalia Concilia refugientes, putant ex illis excuſationem ſchiſmatis ſibi inuenire; dicendum eſt ad eos, quod, ſiquidem, ô amici, Matre Eccleſiarum peccante, vel in Euangelium, vel in Concilia ipſi ab ea recedetis, recte facitis: Si vero illa nihil peccante, vel in Euangelium, vel in Concilia, ipſi nihilominus eius recuſatis communionem, nullum certe vobis vel ex EVANGELIO, vel ex Conciliis ſuffragium penitus eſt.*

QVI IN EVANGELIVM VEL CONCILIA PECCENT.

*Ergo perquirendum eſt diligenter, quod eſt in Euangelium, vel in Concilia peccare? Quod ſi putabitis, peccare in hæc, eſſe ſimpliciter aliquid dicere & dogmatizare de DEO, quod vtrumq; non inuenitur vel in Euangelio, vel in Conciliis, ſiue contrarium eſt alicui eorum, quæ ibi manifeſte feruntur, ſiue non: hoc modo etiam omnes qui de DEO ſcribunt Sancti, in eadem peccant. Non ſolum enim innumerabilia de DEO dicunt & dogmatizant, quæ verbo in Euangelio, vel in Conciliis non inueniuntur; verumetiam multa dicunt, quæ neq; per ſenſum eorum, quæ ibi ſunt, concludi valent.*

*Non ergo peccare eſt in illa, ſimpliciter dicere quæ ibi qualitercunq; non inueniuntur, ſed addendum eſt, ſi ſint & repugnantia illis. Quare peccare in illa, eſt dicere aliquid oppoſite ſe habens alicui eorum quæ ab illis dicuntur, vt alterum per alterum neceſſario tollatur. Et hoc ſolum eſt, quod paradogmatiZare appellamus. Ita enim ſolummodo peccare in dogmata, & paradogmatiZare definito, omnes qui vnquam aliquid de Deo dixerunt, inculpabiles dimittemus.*

*At vero Romana Eccleſia, & ex FILIO procedere SPIRITVM ſanctum dicente, nihil penitus per hoc tollitur, vel eorum quæ in EVANGELIO continentur, vel eorum quæ in toto Symbolo dicuntur, vel eorum, quæ per aliquod ſeptem Conciliorum expreſſe determinata ſunt. Quare, & quomodo idipſum non concluderetur, per aliqua Sacra Scriptura dicta, neque per Sanctos aliquos traderetur, ſed quoniam eorum quæ in EVANGELIO, vel in Conciliis ſunt, non deſtruit quidquam hoc dogma: certe Romana Eccleſia hoc dicens, neq; in Euangelium, neq; in Concilia peccat. His ergo, qui à communione eius Matris exiſtentis diſcedunt, nulla vel ex Euangelio, vel ex Conciliis excuſatio huius acquiritur. Neq; ergo aliunde proueniente eis alia excuſatione, neceſſarium eſt ſchiſmaticos ipſos eſſe, & à Catholica cecidiſſe Eccleſia. Sed vt apertiſſimum id fiat, ponenda ſunt iuxta ſe cogitationes, & ſermo ita ſit concludendus.*

ECCLESIA ROMAN. NON PECCAT CIRCA PIETATIS DOGMATA ET PRIMATVM TENET SVPRA OMNES ALIAS.

*Peccans eſt circa pietatis dogmata, quem & paradogmatiſtam & hæreticum vocamus, qui ſapit & docet aliquid ita ſe oppoſite habens, ad aliquid eorum quæ vel in Sacra Scriptura aperte dicuntur, vel per aliquod Generalium Conciliorum expreſſe determinata ſunt, vt cum hoc ſit, illud tollatur, & illud cum ſit, hoc non poſſit eſſe. At vero Eccleſia Romana, nihil huiuſmodi ſapit vel docet.*

*Non ergo circa pietatis dogmata peccat. Quare neq; paradogmatiZat, neq; aliquam hæreſim incurrit, & digniſſimum, & dominantiſſimum, & principaliſſimum, & ſummum, & primum locum in tota Eccleſia habente, nunc Orientales minoris & humilioris exiſtentes in tota Eccleſia, & dignitatis, & gradus, & Ordinis, à debito illi honore & obedientia, & communione diſcedunt. At vero omnes quicunq; in Eccleſia minoris & humilioris exiſtentes dignitatis, gradus & Ordinis: dignioribus, dominantioribus, principalioribus, prioribus, ſuperioribus in Eccleſia, nihil in pietatis dogmatibus peccantibus, nullam hæreſim incurrentibus, à debita illis reuerentia obedientia, & communione diſcedunt, proculdubio ſchiſmatici ſunt. Contingit ergo hos neceſſario ſchiſmaticos nunc eſſe, quod eſt, ſeparatos eſſe à Catholica Eccleſia.*

PROPTER SCHISMATICOS ROM. ECCLESIA NON DESINIT ESSE VIVA INTEGRA ET CATHOLICA.

*Sed fortaſſe dicet aliquis ambigens, ſi amiſit ſuam integritatem & perfectionem Eccleſia, & hoc non ex minima parte: Siquidem quinq; eius principaliorum partium, à quibus tanquam ſenſibus quibuſdam, vniuerſum eius corpus completum erat, quatuor læſa ſunt, prima vero tantum remanſit: quomodo de cætero non exiſtens integra, Catholica eſt: vel cuius amplius corporis Eccleſia Romana caput eſt, ex quo illud quod initio vnitum erat ei, diſceſſit ab ea, vel quomodo totaliter viua eſſe poteſt?*

*Ad hæc primum quidem oportet conſiderare, quod ſi quis eadem ipſa obiiceret ad ipſos Græcos, qui dicunt ſe ſolos in fide viuere, & ex ſe ſolis completam eſſe Catholicam Eccleſiam, capite perdito, quæ vtiq; ipſi ſimiliter ad eos obiecta reſpondiſſent, hæc nobis multo rationabilius ad hæc dicere conuenit.*

CAPVT ECCLESIÆ EST SOLIVS VRBIS ROM. ECCLESIA.

*Deinde ſiquidem animalis exemplum ſequi voluerimus, non vtiq; verum eſt, propter horum ſchiſma vniuerſum Eccleſiæ corpus à capite dicere diſceſſiſſe. Caput enim Eccleſiæ eſt, non totus Occidens & Septentrio, ſed ſolius vrbis Romanæ Eccleſia, hanc habet dignitatem. Tot vero & tantæ aliæ Eccleſiæ Occidentales & Septentrionales, & alia genera purorum Chriſtianorum terræ firmæ & inſularum cum ea remanſerunt, & ſi quidem omnes correſpondere valeant reliquo animalis corpori, & continuo capiti vnito. Hi vero Patriarchæ, qui eam reliquerunt, manuum vel pedum proportionem habeant: quæ abſciſſa à corpore, ipſa quidem de neceſſitate mortua ſunt, corpori vero non ſemper interitum ferunt.*

PAPA PROPTER SCHISMA NON AMISIT FACVLTATEM PATRIARCHAS CREANDI.

*Item, neq; ſicut in animalibus, loco corruptorum membrorum, caput alia condere nequit, ita quoq; in Eccleſia eſt: ſed ſemper Capiti, loco labentium licet alia condere, vt ſemper ipſum ſit cum integro corpore. Scimus enim, quod Papa quidem poteſt creare Patriarchas: Patriarchæ vero Papam creare non poſſunt. Et ideo hi quidem nunquam hoc tentauerunt; Romani vero Pontifices ante ſchiſma videntur & deponentes, & promouentes Patriarchas.*





*Ergo quoniam nihil oppoſite ſe habens Euangelio, vel Conciliis ſapit vel docet, prout oſtenſum eſt, non amiſit vtiq; creandi Patriarchas poteſtatem & virtutem.*

GENERALIA CONCILIA NON EX HÆRETICIS ET SCHISMATICIS SED EX CATHOLICIS COLLIGI DEBENT.

*Ergo cum hi Patriarchæ abſq; vlla ratione diſceſſiſſent ab illo, & in eorum diœceſibus habitarent multi Chriſtiani vniti illi, illo ſingulis horum à principio habendo huius iuſtam poteſtatem conſtituendi congruum Patriarcham, Eccleſiæ quidem Romana Capitis rationem habens, & loco labentium membrorum alia ſemper condens; & viua vtiq; eſt, & integrum reliquum corpus vnitum ſibi habet: eos vero, qui eam deſeruerunt, ſine capite de cætero & mortuos eſſe neceſſe eſt. Quare ſi putas neceſſarium eſſe Generalibus Conciliis ad totius complementum, & quatuor interfuiſſe Patriarchas, & audias poſt ſchiſma Generalia aliqua Concilia per Papam eſſe facta; noli quærere, vtrum & ſchiſmatici Patriarchæ illis interfuerunt: ſed ſi eorundem Patriarcharum fide viuentes, & vniti ſuo capiti Patriarchæ interfuerunt. Non oportet plus hoc quæri. Generalia enim Concilia, non ex hæreticis & ſchiſmaticis, ſed ex Orthodoxis & Eccleſiæ vnitis colligi debent. Hæc tibi, ô amicum mihi caput, reſpondere Deus dedit. Det autem ipſe tibi reliqua.* Hæc Barlaamus Demetrio, pro dogmate Proceſſionis Spiritus ſancti ex Filio, ex Catholico ſenſu reponebat: Primatumq; Romanæ Eccleſiæ ſupra omnes reliquas oſtendens, tum ſchiſmaticos ab ea diſſidentes dicere non erubeſcebat, tum nutantem Demetrium ad vnionem cum ea inuitabat, quo tempore etiam Philippus Rex, & Senatus Populusq; Venetus, Ioanne ſummo Pontifice ſuadente, Græcis contra Turcas certantibus auxilia præſtiterunt, & Turcarum Impetum ingenti robore repreſſerunt; vt hoc inſigni beneficio deuinctos Orientales, ad communionem Sedis Apoſtolicæ inuitarent. *Bonicontr. in annalib.*

VIII. PONTIF. IN SARACENOS BELLVM PARAT.

Hoc enim anno Ioannes Pontifex tum ſacrum bellum in Saracenos indixerat, tum orantibus pro reductione ſchiſmaticorum Græcorum plurimas indulgentias conceſſerat, cum exercitui Chriſtianorum Crucesignatorum aduerſus Turcas, & reliquos infideles, Philippum Regem Galliarum Ducem præfeciſſet, & illis vniendis quamplurimos Fratrum Prædicatorum deſtinaſſet, multaq; dogmati Catholico declarando aſſerendoq; Græcis præſcripſiſſet, *epiſt. Ioan. hoc anno 3.7.243. & 1339.*

IX. VENETORVM VRBS AB INFERNALI DILVVIO MIRACVLOSE LIBERATA.

Præerat id temporis Reipublicæ Venetæ Bartholomæus Gradonicus cum aquarum excreſcentia vrbem Venetiarum pene totam inundauit. Suborta enim noctu ſubita tempeſtate, diuina ope ſupremum vrbis excidium diſcuſſum eſt, piſcatore quodam miraculum diuulgante. Is enim cum tempeſtatem inſtare vidiſſet cymbam quam futilem, ac ſemifractam ductabat, ad ripam Diui Marci in tutum appulerat. Tum omnia fluctu, imbre, ventoq; miſcentibus, ad illum tres ſub humana forma viri veniſſe dicuntur, qui eum rogare cœperunt, veluti vrgentiſſimi negotii cauſa, vt ad Diui Nicolai ædem quæ eſt in littore, quamprimum eos vellet traiicere. Illud piſcator magnitudine tempeſtatis deterritus, ſeniliq; ætati diffiſus, ſe negauit facturum.

At illi quaſi per ſe ituri confeſtim in cymbam (piſcatore muſſante) conſcenderunt, remiſq; inixi inoffenſo curſu, per aſperos turbatosq; maris fluctus, ad littoralem ædem peruenerunt. Vnde ad portus fauces conuerſi, nauem cacodæmonum plenam, qui tantam tempeſtatem ciebant, ſeni oſtenderant: ac in continenti iuſſione ſua eandem in profundum fluctuantis pelagi demerſerunt.

Naui illa demerſa, ſubita maris tranquillitate orta, vis illa procelloſæ horrendæque tempeſtatis prorſus ceſſauit. Piſcator autem rei nouitate attonitus, quidnam id eſſet cogitabundus hæſit, naulum tamen petere non dubitauit. Huic vnus ex illis Triumuiris: Ibis, inquit, ad Principem & Patres, à quibus mercedem vel cumulatiſſimam habebis, cum eis nunciaueris, noſtra opera ciuitatem hac nocte infernali diluuio liberatam.

Haud mihi credent, inquierat ſenex; cum Diuus ille, annulum ei quem in manu habebat tradidit, vt iſto pignore interpoſito fides præſtaretur. Subiecit deinde dicere: Ne erres, inquit. Scias me Marcum Euangeliſtam eſſe, veſtræ vrbis tutelarem. Diuus alter Nicolaus fuit, tertius eſt Sanctus Georgius; qui & ipſe ſe in ſuum templum è ducarii regione recepit: hiſq; dictis ex illius oculis diſparuit. Senex porro rei miraculo diu ſtetit elinguis; tandem autem eo pignore confirmatus, vbi primum illuxiſſet in Curiam aſcendit, inque Principis ac Patrum conſpectum admiſſus, rem omnem ſumma audientium admiratione narrauit; & in eorum quæ dixerat fidem, annulum ſibi ab Euangeliſta traditum è ſinu prolatum, omnibus oſtendens, rem non incertam fuiſſe aſſeuerauit. Eo viſo omnes qui aderant in admirationem verſi, miraculi magnitudinem celebrarunt, atque cœlitibus circa templa gratias egerunt, quorum interceſſione ac ope ciuitas à tanto periculo liberata fuiſſet. Memoriæ proditum eſt, eam tempeſtatem ob Ludimagiſtri immane ſcelus eueniſſe; qui dæmonum poteſtati ſe permittens, diris furiis agitatus, ſeipſum domi laqueo ſuſpenderat: atq; hinc damnati hominis manes, tantam in vrbe tempeſtatem exciuiſſe, ab omnibus creditum eſt. *Petrus Iuſtinian. hiſt. Veneta l.4.*

X. EPISC. ARGENTIN. LVDOVICO BAVARO IPSVM INFESTANTI RESISTERE DECERNIT.

Eodem anno, cum Ludouicus Bauarus, in Germania ciuitates & Principes ſibi per vim ſubiicere conaretur, Bertholdum Epiſcopum Argentinenſem aduerſum ſe euocauit. Is enim ipſe copiis vndequaq; contractis, tum Argentinam, tum Epiſcopii ſui bona contra hoſtem inuadentem, armis tueri decreuerat. Eam viri fortitudinem Ioan. ſummus Pontifex laudauit, necnon Conſtantienſi & Metenſi Epiſcopis, ac inprimis Ioanni Epiſcopo Lingonenſi, qui Bertholdum adiuuarent, ſerio edixit, *epiſt. Ioan. hoc anno.*

XI. IO. PONT. FACTIONES IN ITAL. À COMPRIMIT.

In Italia, iuſſu Pontificio, Bertrandus Cardinalis Legatus, controuerſias nonnullas inter Venetos & Rauennates compoſuit, Aceſtinumq; Principem Raynaldum noua animo molientem armis repreſſit: cum ipſe Ioannes Pontifex, Aymericum Rauennatem Archiepiſcopum, ad Carnotenſem Eccleſiam tranſtuliſſet, & inter Purpuratos Patres titulo S. Martini in montibus Cardinalem renunciaſſet, in eius locum ſubrogato Guidone Bayſio ex Regienſi Epiſcopatu aſſumpto. *Rub. hiſt. Rauen. l.6.*

XII. ECCLESIÆ DVNELM IN ANGLIA VACANTI PRÆFICIT EPISC. AD PETITIONEM REGIS.

Quo etiam anno, Ioannes Vicecomes Nouarienſis Epiſcopus, monente eodem ſummo Pontifice, Nouariam è tyrannide Tornielicazini, ſine cuiusquam ex ciuib. moleſtia eripuit, vrbem factionib. exagitatam pacauit, iura Eccleſiaſtica hactenus à Cazino violata recuperauit, caſtellaq; ſemidiruta inſtaurauit, quibus operam ſuam adeo Pontifici probauit, vt is laudata eius prudentia, atq; erga Eccleſiam fide, eum adminiſtrationi Mediolanenſis Archiepiſcopatus præfecerit, cedente F. Aychardo Archiepiſcopo, ea dignitate. *Donat. Boſſius hiſt. Mediol.*

In Anglia, morte intercepto Ludouico Dunelmenſium Epiſcopo, Monachi ſuffragiis communibus ſuffeçerant, Reuerium ex Monacho Epiſcopum. Eum quamuis Eboracenſis Archiepiſcopus conſecraſſet, Ioan. tamen Pontifex Rege Edouardo intercedente gradu mouit, & Richardum Augeruillium illi Eccleſiæ præpoſuit: quod is Edouardo Regi & in Cancellariæ munere, & in Legationibus operam ſuam probaſſet. Hic vt erat ſingularis & abſolutæ cuiuſdam in omni liberali arte & philoſophia, atq; ſacroſancta præſertim Theologia cognitionis, ita bonarum literarum promouendarum & propagandarum incredibili quodam ſtudio incendebatur, ſummaq; beneuolentia, omnibusq; auxiliis & officiis doctos viros proſequebatur. In optimorum librorum lectione, totum fere tempus triuiſſe videtur, & fuiſſe, (vt olim de Catone dictum eſt) helluo vt ita dixerim librorum. Cum autem prudenter intelligeret, ſine librorum inſtrumento

& ſubſidio neminem ad illuſtriorem aliquam doctrinam accedere poſſe, videretq; multos per rerum tenuitatem minime ab opportunis ad ſtudia libris paratos eſſe poſſe, aut alia onera ſtudiorum, præ ſumptu quem illa deſiderant tueri, vtriq; incommodo ad multorum luculentum commodum abunde proſpexit, & non modo lautam librorum ſupellectilem Scholaſticis Oxonienſibus ſuppeditauit, ſed & aulam, quam Dunelmenſem etiamnum vocant, Oxonii, Scholaſticorum habitationi conſtruxit. Vtque illi ſcirent, non ſolum quo conſilio, & in quem vſum bibliothecam illam inſtructiſſimam comparaſſet, ſed & qua ratione ſe compararent, vt deſideratos ex librorum lectione ſtudiorum fructus vberrime perciperent librum quem Philobiblon appellauerat, in eorum vſum ſcripſit. *MS. de rebus Anglicanis Bibliotheca Vaticana.*

OXONIEN. BIBLIOTHECÆ INSTITVTIO.

XIII. MILITIA BANDÆ ADVERSVS SARACENOS IN HISP.

In Hiſpania, apud vrbem Victoriam, noua militia aduerſus Saracenos, annuente Ioanne Pontifice, ab Alfonſo Rege excogitata inuectaq; eſt, Bandæ nomine. Banda vulgari Hiſpanorum lingua tænia eſt, quam noui milites rubro colore quatuor latam digitos à dextro humero ſub ſiniſtro brachio corpori circumducebant, honoris inſigne. Ingenui tantum, & qui decem minimum annis in caſtris aulaq; verſati eſſent, ad eum ordinem allecti: nobilium modo filiis maioribus excluſis. Rex ipſe vniuerſæ ſocietatis Magiſter inſtitutus. Eo honore iuuenes nobiliſſimi ad res maximas capeſſendas perficiendasq; inflammabantur. Et quidem is longo tempore in magno pretio habitus, conſequentium Regum ignauia, rerumque humanarum inconſtantia in deſuetudinem abiit, vt ne veſtigium quidem extet.

REGIS ALPHONSI ET EIVS VXORIS INAVGVRATIO BVRGIS FACTA.

Compoſtellæ, apud Diui Iacobi Apoſtoli, Alfonſus Rex, quo religionis cauſa conceſſerat, balteo militari donatus, Burgis inunctus, Regium inſigne deſumpſit ipſe ac Regina, in vtraq; vrbe Ioanne Limia Præſule Compoſtellano ſacris de more operante. Regina inuncta non eſt, quod & vterum ferret, & pudori concederetur. Affuere Præſules magno numero, viriq; Principes non pauci abs Rege militiæ honore donati, tecti ferro corpus omni ex parte; quod lege in poſterum nouis militibus creandis ſancitum, deinde more gentis confirmatum fuit. *Mariana de rebus Hiſpanicis, libro 16.c.2.*

XIV. IO. PONT. MITTIT FRATRES MINORES IN ARMENIAM.

In Armeniam iubente Pontifice, non parua manus Fratrum Minorũ hoc anno penetrauit; inter quos præcipuum fuiſſe ferunt Gonzalum Sauratum, virum doctiſſimum, qui tum concionibus, tum pluribus libris in illam linguam conuerſis, multum profecit. Eodem etiam ferme tempore, & Paſchalem inter Medos, & Gentilem inter Perſas verſatos eſſe accepimus; & illius quidem extat epiſtola, qua narrat ſe, cum munera, & vxores, quas barbari illi offerebant, aliasq; blanditias conſtanter repuliſſet, tentatum deinde contumeliis, bis etiam lapidatum, faciem & plantas igne aduſtas; quibus tamen rebus ita ſe nunquam territum, vt nec habitum depoſuerit, nec à prædicando deſtiterit. De Gentili autem hoc omnino notabile traditur, cum Babylone degeret, neq; in ediſcendo Arabico idiomate, cuius illic vſus eſt, magnopere proficeret, decreuiſſe in Italiam regredi; in ipſa autem via occurriſſe illi adoleſcentulum, qui cauſa cognita redire eum iuſſit; quoniam Deus illius ſermonis notitiam ei concederet. Itaq; ab ea hora tam bene, & expedite ſciuiſſe, ac ſi in eo natus eſſet.

BOSINA VRBS DALMATIÆ AB HÆRESI CONVERSA.

Circa idem etiam tempus Boſina vrbs Dalmatiæ Gerardi Generalis Miniſtri opera conuerſa eſt ab hæreſi, cum illac forte iter habuiſſet: qui deinde monitu Ioannis Pontificis pluribus Fratribus eo miſſis, finitima loca, eadem labe infecta expugnauit, & ad Chriſti ouile reduxit.

ODORICI FOROLIVIENSIS IN CONVERTENDIS IN FIDELIBVS FRVCTVS.

Odoricus autem Foroliuienſis eodem ipſe quoq; tempore, tum vt honores fugeret, qui illi ab omnibus habebantur, tum feruenti animarum zelo adductus à ſuperioribus impetrata facultate, ſe inter infideles contulerat; vbi per varias excurrens prouincias verſus Orientem & Meridiem, eo in opere annis decem & ſeptem poſitis, viginti mille animas dicitur ſolus baptizaſſe, & ſalutari doctrina inſtituiſſe. *Hieronymus Plat. libro ſecundo, capite 30. ex annal. Franciſcan.*

XV. IO. PONT. EX SARDINIA CORSICA SICILIA ET ALIIS PROVINCIIS CENSVM ECCLESIÆ DEBITVM EXIGIT ET RECIPIT ALIAQVE EIVSDEM ACTA.

Eodem anno 1. cum in inſulis Sardiniæ & Corſicæ, multa ſpiritualis meſſis, operarii autem pauci eſſent, Ioannes Pontifex Epiſcopis & ſociis eorum, qui indidem in officio prædicationis, biennium continuum laboraſſent, parem indulgentiam atq; illis qui in terra ſancta eidem muneri incubuiſſent, conceſſit, *epiſt.* 1341. 2. Ex iiſdem inſulis & ex Sicilia cenſum exegit, *epiſt.* 57. 3. Quemadmodum pariter eundem ex prouinciis Aquilegien. Graden. & Mediolanenſ. denarium vero S. Petri ex Culmen. & Pomerania recepit, *epiſt.* 18.69.216. 4. Noruegos, qui decimas Eccleſiæ debitas non dederant, anathemate notauit, *epiſt.* 121. 5. Contra Fratricellos, paupertatis Chriſti & Apoſtolorum aſſertores cenſuras Eccleſiaſticas innouauit, *epiſt.* 249. 6. Vt cœtu piorum excluſi, ſi morientes ſigna pœnitentiæ ediderint, Eccleſiæ reſtituerentur indulſit, *epiſt.* 57. 7. Neapolitanæ Eccleſiæ, pannos aureos, imaginibus Beati Ianuarii & ſociorum Martyrum inſignes, dono miſit, *epiſt.* 230. 8. Carolo Regi Vngariæ, vt eius filium Andream Colocenſis Antiſtes, recuſante Strigonienſ. requiſito, in Regem inungere poſſet, conceſſit, *epiſt.* 181. 9. In diſcutienda de viſione animarum controuerſia, incubuit, quo tempore Thomas Valaſius Ordinis Prædicatorii, Theologus inſignis, cum feruenti zelo inflammatus, pro concione illum offendiſſet, ab Inquiſitore hæreticæ prauitatis Franciſcano, in carcerem coniectus, plura perpeſſus eſt, donec intercedente Philippo Gallorum Rege eliberaretur. *Paulus Langh. in Chronic. Citizen.*

XVI. DVO EX ORDINE PRÆDICATORVM MIRACVLIS POST OBITVM CLARI.

Hoc anno duo viri inſignes ex Ordine Prædicatorio, rebus humanis exempti, miraculis ingentibus ſanctitatem vitæ qua præſtabant comprobarunt. Alter eorum fuit Iacobus Benefactius Epiſcopus Mantuanus, alter Auguſtinus Vngarus Zagabrienſis Præſul. Ille à diſciplina Benedicti Vndecimi Pontificis Maximi ad eam perfectionis ſummam euaſerat, vt totius virtutis armarium diceretur: hic autem ab eodem ſummo Pontifice, propter Religionis ſupremam obſeruantiam ad Epiſcopatum euectus, multa ſanctitatis exempla ediderat: adeo vt ad cathedram Nucerinam tandem aliquando transferri meruerit. Poſtquam olim adoleſcens Lutetiam Pariſiorum, ſtudiorum cauſa, cum Fratre Iacobo Vrſino miſſus, ſocium illum, Matthæi Cardinalis Vrſini nepotem in itinere amiſiſſet, & ipſe quoque à Sicariis qui illum innocentem occiderant, aliquot in fuga vulnera accepiſſet, hincq; melius ſapere didiciſſet. *Pius libro 1. de viris Illuſtr. Ord. Præd.*

XVII. OBITVS PHILIPPI PRINCIPIS TARENTINORVM.

Eodem anno, die 26. Decembr. in viuis eſſe deſiit, Philippus Princeps Tarentinus Roberti Regis Siciliæ frater, cognomento Imperator Conſtantinopolinanus, Neapoli in D. Dominici baſilica, ſepultus. Pium, fidum, Mauortium, plenumq; virtutibus Imperatoriis eſſe refert, is qui illi in vrna marmorea Epitaphium ſculpſit. *Summont. hiſtor. Neapol. lib. 3.*





# IESV CHRISTI
## Annus 1333.

### IOANNES PAP. XXII. ANNO 17. & 18.

I. MITTVNTVR PONT. LEGATI CONSTANTINOPOLIM QVI DE PACE ECCLESIARVM DISPVTENT.

CONſtantinopoli, cum occaſione diſceptationum de proceſſione Spiritus Sancti, multa inter Barlaamum & Patriarcham ac reliquos Græcorum interceſſiſſent, nonnullaque ſpes vnitatis Eccleſiarum, Ioanni Summo Pontifici affulſiſſet, duos Epiſcoporum ad eam curandam in Orientem deſtinauit. Hi vetere Roma à Papa miſſi venerunt, vt de pace & concordia Eccleſiarum diſputarent. Ac ſtatim videre erat multos è populo ſtudium præſeferre, atque ipſum Patriarcham ad dicendum vrgere. Is vero cum nec linguam dicendi exercitatione inſtructam haberet, & ſuos Epiſcopos maximam partem indoctiſſimos eſſe cerneret; tergiuerſabatur; neque ſciebat, qua ratione populi impetum cohiberet.

NICEPHORVS GREGORAS A DISPVTATIONE PATRIARCHAM AVERTIT.

Feliciter tunc negotium Legatis ceſſiſſet, niſi Nicephorus Gregoras, nondum in catalogum ſacrum inſcriptus, lingua exercitata interceſſiſſet, & à diſputatione tũ Patriarcham, tum alios auertiſſet; prætextu ſatis ſpecioſo; *Sacras ſcripturas maxime obſcuras, non ex cuiuſuis ſenſu & intellectu, ſed ex concilij definitione interpretandas eſſe*, *quodque in more poſitum ſit*, aiebat *cum in Eccleſia certamina de dogmatibus mouentur, omnes communi edicto & decreto Eccleſiæ propugnatores citare, nec eos tantum qui Euangelici præconij cauſa metropoles vbique gentium ſortiti ſunt, ſed Patriarchica etiam auctoritate præditos, vt ſunt Alexandrinus, Hieroſolymitanus, & Antiochenus Antiſtites, quibus cauſa daretur, non accerſitis turbandæ concordiæ & Eccleſiæ ver in hyemem commutandi.* Nam ſi, inquiebat, *olim vnus vir Theodoretus Cypri Epiſcopus, & à Patriarchica dignitate alienus, nec alioqui ſedem illuſtrem obtinens, tantum contentionis incendium excitauit, vt cum plurimi Epiſcopi ex Europa & Aſia Epheſi conueniſſent, illius fumi moleſtias longo tempore ſentirent: quanto magis tanta Epiſcoporum & Patriarcharum multitudo, contra paucos infeſtam linguam exacuet, & diſſidiis omnia turbabit.*

Eam multitudinis procerum Eccleſiæ, ad dogmata ſiue intepretanda, ſiue ſtabilienda, coitionem, Nicephorus opponebat; præſertim in his quæ ipſe putabat, & olim tractata, & eo quo decebat ordine tranſacta, & diuturnitate temporis confirmata. Nimis longum eſſet ea omnia adducere, quæ is in conſeſſu publico diſſeruit: cum Sacrarum litterarum obſcuritatem oſtenderet, ex eo quod in eis, plurima verbis, vti conſentaneum eſt inuoluuntur.

COMPARATIO GREGOR. SCRIPTVRÆ SACRÆ CVM THALAMIS REGVM.

*Vt enim Regum thalami*, ait, *aliaque quæ ſancta & magno in pretio habentur, aliis velis occultantur, ne à rudi vulgo profanentur, aut quia ſi omnibus abſque labore pateant, contemnantur: ſic etiam plurimi Sacræ Scripturæ loci ii præſertim in quib. arcana quæpiam doctrina continetur, tanquam velis quibuſdam, ita verbis talibus abſconduntur, quæ multam caliginem ſecum trahunt, & tenebras lectorum oculis offundunt. Quamobrem monebant & Sancti Patres, Baſilius, Chryſoſtomus, Maximus & Cyrillus, non ea omnia verba, quæ in omni materia eumdem ſonum edunt, ſtatim eodem modo accipienda eſſe, neque mentem in verbis prorſus defigendam, ſed propoſiti argumenti ſententias intuendas, & ſcopum atque propoſitum Scripturæ exquirendum, vti deceat, & perſonis ac temporibus apte conuenienterque accommodandum & applicandum. Eſt & Gregorius Theologus author, quoſdam res cum vocabulis craſſa Mineruа conſentire ratos, opiniones diuinis indignas litteris concepiſſe.* Hanc diuinæ ſcripturæ altitudinem, cum Gregoras aperuiſſet, Europæorum quorumdam temeritatem, in diſceptatione ſeu curioſitate Sacrorum reprehendebat. Præſtat diſſerentem bono publico audire; vel ad aniculas hæreticorum ſuffundendas.

APTE CONTRA HÆRETICOS.

*Vereor*, ait, *vereor, ne fumum fugientes, in blaſphemiæ flammam incidamus. Quod enim à veteribus Græcis iactatum eſt, cum Plato ad Dionyſium tyrannum in Siciliam veniſſet, Regiam puluere impletam fuiſſe, cum plerique demonſtrationib. linearum ſtuderent. id & apud nos hodie alio modo accidit. Apud nos enim etiam opificibus effuſa ſunt arcana Theologiæ, & adeo omnes ratiocinatiunculis inhiant, vt herbis & gramini pecudes, & qui de recta fide dubitant, & quomodo credendum ſit ignorant, & quid ſit illud quod credunt, neſciunt: ita fora, & porticus, & theatra omnia Theologia compleuerunt, neque ſolem hunc impudentiæ ſuæ teſtem facere reuerentur. Et quid abſurdius cogitari queat, quam cum olim Græcorum dogmata florerent, ordinem fuiſſe ſeruatum, & arcana Delphorum Theologis commiſſa, nulli alii vel vulgare, vel indagare licuiſſe, ſiue is Plato, ſiue Socrates eſſet aut quiuis alius ſapientiæ laude celebris: apud nos vero, qui ſyncerum pietatis myſterium profitemur, ita res diuinas profanari, & quibuslibet de iis diſſerendi poteſtatem dari vel potius à quolibet vſurpari? Gregorius vero diuinarum rerum peritiſſimus, non minus linguam ab iſtiuſmodi diſputationibus retrahit, quam manus à flamma ignis. Proinde multis verbis ſe excuſat, initium facere vt de Deo diſſerat, & eos qui id temere audeant, improbat. Neque enim*, inquit, *laudabile eſt deſiderium, ſed conatus ipſe formidabilis: & Ozanis exemplum adducit, qui nutantem arcam attingere auſus periit, Deo arcæ reuerentiam vindicante. Quod ſi Rex eum quamprimum è medio tolleret, qui Regiam coronam impudenter ſuo capiti imponere auderet, quot fulmina, quot turbines is meretur, qui temerario auſu irrumpere in Theologiam non dubitat? Breuem autem narratiunculam veteris memoriæ, huic negotio valde conſentaneam ſubiungam, Alexandrum aiunt, Macedonem illum poſt longum illum victoriarum curſum & magnos triumphos, cum animum relaxare & recreare vellet, triremi conſcenſa in Euphrate nauigaſſe, ac in medio flumine diadema illi lapſum eſſe: quod cum nauta quidam adnatans excepiſſet, & quia aliter ad nauem redire non poterat, capiti ſuo impoſitum illi retuliſſe: homini pro ea recuperata, talentum donaſſe: ſed quia eam indigne capiti ſuo impoſuiſſet, caput abſtuliſſe. Quod ſi homo hominem eodem ſecum pileolo vſum, viuere & ſolem intueri ferre non potuit: quid de iis dicemus, qui adeo petulanter in Theologiam irrumpunt? præcipue, cum neque dæmones eiicere, neque mare ambulare, nec aquarum amnes è rupibus elicere poſſint, vt vel iſtis vulgo aliud perſuadeant, & ad ſeſe homines alliciant.* Hæc & alia quamplura dixerat Nicephorus, & qua pollebat facundia, à diſputatione ineunda cum Latinis, Græcos auerterat. *Niceph. Gregor. hiſtor. Roman. lib. 10.*

II. BARLAAMVS EX SACRA SCRIPTVRA PROBAT SPIRITVM SANCTVM EX PATRE FILIOQVE PROCEDERE CONTRA GRÆCOS.

Non intermiſit tamen Barlaamus Monachus, qua voce, quà ſcriptione, dogma de Spiritus Sancti ex Filio proceſſione, aſſerere, & tum ad diſputationem, tum ad perſcrutationem ſcripturarum prouocare. Cumque Demetrius Theſſalonicenſis vir apud Græcos non poſtremus, in Romanæ Eccleſiæ ſententiam propendere videretur, eius confirmandi, & aliis erudiendis, ex Sacra ſcriptura oſtendere inſtituit, Spiritum Sanctum non tantum ex Patre, verum etiam ex Filio procedere. Prolixior eſt ea epiſtola, digna tamen quæ à ſchiſmaticis Græcis & Ruthenis nimis Gregoræ deferentibus ſæpius legatur. Ita habet.

### PROBATIO PER SACRAM SCRIPTVRAM, quod Spiritus Sanctus, & ex Filio eſt, quemadmodum & ex Patre.

*Domino noſtro Ieſu Chriſto iubente nobis perſcrutari Scripturas, duo hinc intelligimus: Vnum, quod pietatis dogmata non ſola ſunt illa, quæ ex verbis ipſis immediate à Scriptura traduntur: verum etiam ſunt alia, quæ per ſenſum dictorum perſcrutantibus nobis eluceſcunt. Aliud eſt, quod debitores ſimus, non ſola quæ verbis prompte ſignificantur tenere, verum etiam illa quæ per ſenſum eorum emergunt. Nam ſi præter ea quæ verbo ſignificantur, non apparet & alia ex dictorum ſenſu ſimiliter illis exiſtentia ad fidem neceſſaria, non vtique dixiſſet,* perſcrutamini ſcripturas. *Ad facienda enim ea quæ verbo immediate ſignificantur, illaq; ſola tenenda, non perſcrutatione, ſed lectione ſola opus eſſet. Quare dixiſſet,* legite ſcripturas. *Idipſum intelligimus, & Apoſtolo ad Corinthios dicente:* Littera occidit, Spiritus autem viuificat. *litteram dicente id, quod prompte in Scriptura per vocem ſignificatur: Spiritum vero id, quod per debitam* ſcrutationem *in Scriptura per ſenſum conſtatur. Ergo, ſi quid eorum quæ de Deo intelliguntur, ita ſe habet in ſcriptura, vt id quidem recta ſcala*

inueſtigatione per omnem appareat Scripturam: eius vero oppoſitum neque ex voce, neque ex ſenſu Scripturæ neceſſario concludatur, & adhuc Sanctorum Doctorum noſtrorum ſint nonnulli, qui exponendo diuinam Scripturam id ipſum manifeſte concludant & tradant, manifeſtum, quod neceſſarium eſt hoc admitti & credi: vt, inquã, in diuina Scriptura Spiritus Sanctus, neq; quod ſubſtãtia eſt, neque quod accidens ſcriptum eſt, ſed eſſe illum ſubſtantiam ex omnibus de eo dictis in Scriptura concluditur: eſſe vero ille accidens, nullatenus concludi poteſt.

Præterea Sacri noſtri Doctores, exponentes Sacram Scripturam aiunt concludi ex ea, non tantum ipſum ſubſtantiam eſſe, verumetiam increatam ſubſtantiam, & conſubſtantialem Patri. Ergo neceſſarium eſt, & nobis hoc credere, & confiteri.

Simile igitur huic eſt, & quod Spiritus S. habet eſſe ex Filio, ſicut ex Patre. Hoc enim per Sacram Scripturam, legitime inueſtigantibus eam apparet, & multi Sacrorum noſtrorum Doctorum exponentes Scripturam manifeſte idipſum enunciant: ſicuti ſanctus Auguſtinus in multis ſuis ſcriptis; & S. Cyrillus in dictis ſuis Theſauris, prout poteſt quicumq; vult inſpectis eorum operibus videre quod dico. Huius vero oppoſitum, quod eſt ex ſolo Patre procedere ſpiritum ſanctum, & non ex Filio, nullatenus per Scripturam concludi poteſt.

Illi enim qui hanc defendunt opinionem, credunt ſe habere potiſſimum illud quod Dominus ait: Qui à patre procedit. Minime vero pro hoc concluditur, quod ex ſolo Patre. Nimium enim intereſt dicere aliquid ſimpliciter, & idipſum dicere diſtinguendo quod ſolum. In multis enim vnum eſt verum, aliud falſum: vt poteſt dicatur, Filium eſſe Deum verum de Deo vero, verum eſt. Si vero dicatur, ſolum Filium eſſe Deum verum, de Deo vero, falſum eſt. Idipſum & in aliis plurimis inuenies. Non ergo dicto, quod ex Patre procedit Spiritus, continuo per hoc neceſſario concluditur, quod ex ſolo: ſed quantum per hoc reliquum incertum eſt. Neque igitur ex dicto verbo, neque ex alio Sacræ Scripturæ concluditur, quod ex ſolo. Quia vero & ex Filio eſt Spiritus, omnis diuinitus inſpirata ſcriptura teſtatur. Incipiendum autem ſit inde.

## Argumentum primum.

De ingenita perſona, duabus perſonis habentibus eſſe, quæri poteſt: quidnam cauſæ eſt, quod ipſa principalis perſona, inquantum eſt auctrix vnius principitarum perſonarum, adepta eſt proprium nomen, & vocatur ad eam Pater; inquantum eſt vero principium alterius perſonæ, nullum nomen conſequuta eſt; quemadmodum poſtmodum expoſitores nominauerunt Patrem, ſpiratorem Sancti ſpiritus: ipſa vero ſacra Scriptura nullum nomen expoſuit, quo oporteat Patrem reſpectu Spiritus appellari. Et non hoc quæro, vtrum alio modo habeat. Verbum eſſe de ingenita perſona, alio vero Spiritus: nam & differentem eſſe modum, per quem vterque habet eſſe ex communi principio, credo; & quid intereſt inter duos hos modos, ignotum eſſe hominibus minime dubito. Sed illud quæro cur vnus modus habet ſpeciale nomen, & vocatur ſecundum ipſum principalis perſona Pater, ſecundum vero alium modum, quo eſt eadem perſona principium Spiritus, nomen in Scriptura non eſt? Hoc autem arbitror me non irrationabiliter quærere. Sed ad illud aſpiciendo, quod apud nos Pater, Filius, generatio, generatum, & huiuſmodi nomina, proprie quidem de animalibus dicuntur, & maxime de hominibus; ego vero vocibus prætermiſſis, ipſas res ſecundum ea quæ nobis tradita ſunt, contemplans, ac modum illum quo Dei Verbum habet eſſe ex Patre, cõparans filiorum apud nos generationi video illum plurimum ei diſſimilem quam vero ſimilitudinem apprehendo illius ad hanc, eandem indifferenter video eſſe & modi, quo Pater Principium eſt Spiritus. Attende enim, vt primum de diſſimilitudine eorum dicam.

Seth, non ex ſolo eſt Adam, ſed ex eo & Eua: & non ſimul, neque per eundem modum. Verbum vero illic ex ſolo Patre eſt. Et Seth non eſt totus ex toto Adam, ſed id quod emiſſum eſt primitus ex Adam, neque homo, neque animal eſt, ſed ſemen, per quod in vulua matris Seth conditus eſt, neque ex toto Adam prodiens. Illic vero totus Filius ex Patre toto.

Et hic natus Seth de temporali Adam, non eſt ſibi contemporalis. Ille enim præceſſit, hic ſuperuixit. Illic vero natum Verbum de ſempiterno Patre, coæternum eſt ei. Et hic, is qui natus eſt, non eſt in generante, neque qui genuit in generato, neque duo vnus homo eſt, neque voluntas eorum ſemper vna, neque virtus & actio vna, neque vna ſcientia: Illic vero Filius in Patre, & Pater in filio, & duo vnus Deus eſt, & vna eorum & voluntas, & virtus, & ſcientia, & extrinſeca actio. In quo erga diuina illa generatio ſimilis eſt huic humanæ? An certe ſicut hic eſt homo de homine, & conſubſtantialis de conſubſtantiali, ita illic Verbum ex Patre eſt conſubſtantiale de conſubſtantiali, & Deus de Deo? At vero & Spiritus Sanctus idipſum Deus de Deo eſt, & conſubſtantialis de conſubſtantiali. Ergo in quo filij generatio ſimilis eſt hominum generationi, in eodem & Spiritus proceſſio ſimilis eſt eidem. Magis autem in quo Spiritus proceſſio diſſimilis eſt hominum generationi, in eodem & Filij generatio diſſimilis eſt eidem: quamquam inter ſe differre credantur. Cur ego illius dicitur Pater, iſtius vero nihil? An certe quoniam ingenita perſona duarum perſonarum exiſtens principium, vnius eſt ſola, alterius vero non ſola? Ideo cuius quidem ſola ipſa eſt principium, ad illam habet ſpecificatum nomen, per quod maxime conſubſtantialitas eorum intelligatur, & vocata eſt eius Pater; cuius vero non ſola eſt principium, ad illam nomen non habet, ne commune proprium putetur. Et contingit ſecundum nomina è conuerſo ſe habere in Deo, quam in Adam, & Eua, & Seth. In his enim Adam, cuius perſonæ, ſolus cauſa eſt, ad illam nomen non habet, quo eius principium eſt, ſcilicet Eua. Cuius vero non ſolus, ſed cum Eua auctor eſt, illius nominatur Pater: Spiritu Sancto huiuſmodi permutationem nominum diſpenſante, nobis prouidendo, ne carnales copulas, & fluxus, & abſciſſiones, & partus imperfectos, & huiuſmodi paſſiones in Trinitate imaginemur.

Propterea ergo, & ne commune proprium putetur, ingenita perſona, habentis quidem perſonæ ex ea ſola eſſe, nominata eſt Pater, ad illam vero perſonam, quæ non ex ea ſola habet eſſe, nomen non habet. Ego quidem hoc credo: qui vero nititur contradicere his, dum non oſtendit aliam rationabiliorem cauſam, propter quam vnum eſt nominatum, & aliud innominatum, arbitror eum nihil ad rem dicere.

## Secundum argumentum.

In omnibus entibus, de quibus proprie dicimus Imaginem & exemplar, cum ſemper imago inferioris rationem habeat ad exemplar, & in nullo æqualiter exemplari veniat, in Patre vero & Filio illic per omnia exiſtat æqualitas & ſubſtantialis identitas, quid vult Scriptura diuina, quod Filium quidem nominat imaginem Patris, Patrem vero minime imaginem Filij? An certe propter principii rationem? quoniam Filius ex patre eſt, non Pater ex Filio, quemadmodum & omne exemplar principium eſt ſuæ imaginis. Imaginem itaque diuina Scriptura nominans Filium inuiſibilis Dei ſimul oſtendit, & quod ex eo eſt, & quod ſimilis eſt: minoritate videlicet prætermiſſa, tamquam minime conueniente. At vero quemadmodum Filius dicitur imago Patris, non Pater imago Filij: ita Spiritus Sanctus in eadem Scriptura dicitur imago Filii: non filius imago Spiritus. Dicit enim Apoſtolus ad Romanos: quos enim præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis Filii ſui. & ad Corinthios: ſicut portauimus imaginem terreſtris, portemus & imaginem cœleſtis: cœleſtem dicens Filium, & iterum: Nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eadem imagine transformamur de gloria in gloriam, ſicut à Domini Spiritu. Quod autem imago Filii dicitur in his Spiritus ipſe Sanctus, habemus per Sanctum Cyrillum in theſauris: in quibus ex eiſdem verbis concludit ipſe, quod Spiritus eſt, & ex Filio. Ergo & nos idipſum per eadem concludentes, & ex eo quod dicitur, Spiritus imago filij, ex ipſo etiam ſecundum ſuperius aſſignatam rationem intelligentes, rectiſſime & intelligimus, & concludimus, & dicimus.

Rom 8. 1. Cor. 15. 2. Cor. 3.

## Tertium argumentum.

Pſal. 32.

Item cum Deus ſit incorporeus & membra corporalia non habeat, quid eſt, quod Spiritus Sanctus, Spiritus oris eius dicitur? Ait enim: Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius, omnis virtus eorum. An certe, vt ex hoc intelligamus Spiritum Sanctum ex eo tamquam ex principio eſſe? Sed ſicut dicitur, Spiritus oris Spiritus Patris, ita idem ipſe in eadem Scri-

ptura



ptura dicitur Spiritus oris Filii. Ait enim Eſaias de Filio, & percutiet terram virga oris ſui, & Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium. & Paulus ad Theſſalonicenſes, quẽ interficiet Dominus Ieſus Spiritu oris ſui. Ioannes vero in Apocalypſi propter occidendi rationem tamquam gladium ancipitem eumdem vidit. Ait enim de Filio: & ex ore eius procedebat gladius anceps, vt in eo percutiat gentes. & poſt pauca, & reliqui interfecti ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, procedente ex ore eius. Ergo diuina Scriptura nominans Spiritum Sanctum, Spiritum oris Filii, & gladium procedentem ex ore eius, quid aliud nos docet per huiuſmodi ſigna, niſi quod Spiritus Sanctus ex Filio eſt ſicut ex Patre?

Iſai. 11. 1. Theſ. 2. Apoc. 19.

## Quartum argumentum.

Iſai. 53. Math. 12.

Item Filius ſecundum Eſaiam, brachium Patris dicitur: Spiritus Sanctus in Euangeliis, digitus Dei. Nam B. Matthæus narrat dixiſſe Chriſtum, Si autem ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia, vtiq; peruenit ad vos regnum cœlorum. Sanctus vero Lucas in eodem ait; Si vero in digito Dei eiicio dæmonia, vtique peruenit ad vos regnum cœlorum. Ergo digitus Dei Spiritus Sanctus dictus eſt. Prætermiſſis igitur his quæ Trinitati ex his congruere non poſſunt, ſc. quod aliud eſt totum, aliud pars, & aliud propinquius, aliud longius à communi principio; quid reliquum eſt intelligendum per has nominationes, niſi quod Filius quidem tamquam brachium eſt ex ſolo Patre, Spiritus vero Sanctus tamquam digitus eſt ex Patre, Filioque?

## Quintum argumentum.

Item in Iordane Pater deſuper teſtabatur Filio, ipſe vero Filius ſubtus baptizabatur, Spiritus autem Sanctus deſuper deſcendens in ſpecie columbæ, non oblique de latere Chriſti ſtetit, quod eſſet vtique ſignum, Filium & Spiritum ex ſolo Patre habere eſſe, tanquam æque diuiſos, ſed ſuper eum ſtetit, in medio videlicet duorum: quod eſt ſignum: communem ipſum eorum eſſe. Communis autem non vtique eſſet, niſi tamquam ex ambobus procedens, & id quod videbatur deſuper columba à Patre deſcendens ad Filium, ſignum faciens; quod licet ab æterno Spiritus eſt ex Filio ſicut ex patre; tamen Filius hoc habet ex Patre, non Pater ex Filio. Nihil autem obſtat huic ſpeculationi quod dictum eſt, columbam manere ſuper Filium. Nam manere in eo, & eſſe ex eo contraria non ſunt. Sicut enim ſimul & in Patre eſt, & ex Patre, ita ſimul & in Filio, & ex Filio.

## Sextum argumentum.

Cum ſit vna ſubſtantia, virtus & actio Patris & Filii, & omnia quæ fiunt non magis à Patre quam à Filio ſint; quidnam cauſſæ eſt quod Pater in diuina Scriptura dicitur facere res Filio, & per Filium, Filius vero nihil dicitur facere Patre, vel per Patrem? Verbo enim Domini ait Pſalmiſta, cœli firmati ſunt. & Euangeliſta: Omnia per ipſum facta ſunt. & Apoſtolus; Vnus Dominus Ieſus Chriſtus per quem omnia, & nos per ipſum. & alibi: In nouiſſimis autem his diebus locutus eſt nobis in Filio, quem poſuit hæredem omnium, per quem etiam ſæcula fecit. Quia vero è conuerſo fecit Filius aliquid per Patrem, vel Patre; nuſquam ſcriptum eſt. Quamquam neque inſtrumentum Patris Filius eſt; vt dicatur Pater, tamquam per inſtrumentum facere aliquid per ipſum & ipſo. Neque rurſus quæ fiunt immediate & propinque fiunt à Filio; mediate vero & longius à Patre; vt ſecundum hunc ſenſum dicatur Pater facere per Filium. Nam immediate à Patre & Filio, tamquam ab vno conditore, vno & ſimplici actu omnia fiunt. Cur ergo illo modo ſcriptura de illis diſputat? An vt intelligamus principium & quod ex eo eſt, quia eſſe eorum vnam ſimplicem ſubſtantiam, virtutem, & actionem, & omnia eſſe communia: ex Patre tamquam ex proprio principio, adeſt Filio, ſed non ex Filio Patri. Sed ad huius ſpeculationis intellectum, Pater dicitur in Scriptura facere Filio & per Filium, huic vero è conuerſo nuſquam Scripturæ ſcriptum eſt. Similiter autem cum ſit Patris & Spiritus Sancti vna ſimplex ſubſtantia, virtus, & actio, & neque inſtrumentum Patris ſit Spiritus, neque illa quæ fiunt, propinquius à Spiritu quam à Patre fiant; ipſum quidem Spiritum Sanctum facere aliquid Patre, vel per Patrem, nuſquam ſcripturæ ſcriptum eſt. Quia vero Pater facit res Spiritu, & per Spiritum, per omnem fertur ſcripturam. Spiritu enim Deus ſecundum Pſalmiſtam cœlos fortificat, & animas noſtras conformat. & Apoſtolus ad Romanos. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. & iterum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum de mortuis, viuificabit & mortalia corpora noſtra, per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis. & ad Corinthios Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum. & ad Titum; ſed ſecundum miſericordiam, ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus Sancti. & ad Hebræos; Conteſtante Deo ſignis, & portẽtis & variis virtutibus, & Spiritus Sancti diuiſionibus. & Beatus Lucas in actibus; Domine, qui Spiritu Sancto per os Patris noſtri Dauid pueri tui dixiſti. & rurſus: quomodo vnxit eum Dominus Spiritu Sancto & virtute. Et multa talia inuenies in Scriptura quærendo, huius vero è conuerſo minime. Et eſt certum, quod eſt eadem cauſa, vt ita de eis Scriptura diſputet, quod eſſe communes & eaſdem ad creaturas actiones Patris & Sancti Spiritus. Ex Patre tamquam ex principio adeſt Spiritui Sancto, & non Patri ex Spiritu Sancto.

Rom. 5. Rom. 8. 1. Cor. 2. Tit. 3. Heb. 2. Act. 4. & 10.

Vt enim hoc intelligamus, Patrem ait Spiritu, & per Spiritũ facere, Spiritum vero, nunquam ait Patre vel per Patrem facere aliquid. At vero ſecundum eumdem modum, quod Filius facit aliquid per Spiritum & Spiritu, omnis diuina Scriptura plena eſt: quod vero Spiritus aliquid facit Filio, vel per Filium, nuſquam ſcripturæ dicitur. In Euangeliis enim, Spiritu Sancto dicitur Chriſtus baptizare, & dæmonia eiicere. & Apoſtolus ad Romanos; Non enim auſus ſum dicere aliquid eorum, quæ per me non fecit Chriſtus in obedientiam gentium in verbo & operibus, in virtute ſignorum & miraculorum, in virtute Spiritus Sancti. & ad Theſſalonicenſes; quem interficiet Dominus Ieſus Spiritu oris ſui. & ad Hebræos, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſeipſum obtulit immaculatum Deo. & in Actibus, vſque ad illum diem, quo præcipiens Apoſtolis per Spiritum Sanctum quos elegit, aſſumptus eſt. & Eſaias, & Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Itaque quoniam Spiritus Sanctus non eſt inſtrumentum Filii, vt per hoc dicatur Filius facere, eo, & per eum, neque rurſus quæ fiunt, propinquius à Spiritu quam à Filio fiunt; vno enim ſimplici actu, & immediate à Filio & Spiritu Sancto: magis autem à tota Trinitate omnia fiunt. Quid vult Scriptura, quod Filium quidem dicit facere Spiritu & per Spiritum; Spiritum vero Filio, vel per Filium facere aliquid nuſquam dicit? An certum eſt, quod ſecundum ſuperius aſſignatam rationem conſona ſibi exiſtente Scriptura, cauſa eſt vt hæc ita ſcripta ſint? Quoniam eſſe communes & eaſdem ad creaturas Filii & Spiritus Sancti operationes, ex Filio tamquam ex principio adeſt Spiritui, ſicut & ex Patre, & non Filio ex Spiritu. Aut ergo eſt Spiritus & ex Filio, aut minime ſeipſam Scriptura ſequitur.

Rom. 15.

## Septimum argumentum.

Item Filius dicitur Verbum Patris, & ex hac nominatione intelligimus eum, & coæternum Patri, & ex eo habere eſſe. Sicut autem Filius dicitur Verbum Patris, ita Spiritus Sanctus, dicitur Rema filii. Ait enim Apoſtolus ad Hebræos de Filio: qui cum eſſet ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia Remate virtutis ſuæ. Quod autem in his Rema virtutis Filii ipſum Spiritum Sanctum nominat, patet ex aliis partibus Scripturæ. Certe enim quo Filius purgat animas, eiicit dæmonia, ſigna & portenta facit; eodem & portat omnia. At vero ſcriptum eſt, illa facere Spiritu Sancto: ergo & Spiritu Sancto omnia portat. Dicitur autem in propoſito dicto Remate ſuæ virtutis portare omnia: Spiritus ergo Sanctus & Rema virtutis Filii idem eſt. Patet autem idipſum & inde. Cui trium perſonarum vt plurimum in Scriptura viuificare attribuitur? Sancto Spiritui. Ait enim Dominus: Spiritus eſt qui viuificat. & Apoſtolus ad Romanos; Qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum ex mortuis, viuificabit & mortalia noſtra corpora, per Spiritum ſuum qui habitat in nobis. & iterum. Si Spi-

ritu opera carnis mortificaueritis, viuetis. Quis autem de tribus procedere dicitur? Certe Spiritus. Quis adhuc dicitur eſſe os Patris? Spiritus. At vero ipſe Dominus comprehendens ſimul viuificationem, proceſſionem, & os ait. Non in ſolo pane viuet homo, ſed in omni Remate procedente, per os Dei. Ergo omne Rema procedens per os Dei in quo viuimus, ipſe Spiritus Sanctus eſt. Manifeſtiſſimum autem hoc fecit Apoſtolus, ad Epheſios dicens; & galeam ſalutaris accipite, & gladium Spiritus, quod eſt Rema Dei. Nam cum in lingua Græca gladius eſſet fœminini generis, & Spiritus neutri; non dixit que eſt Rema Dei, vt intelligatur gladius: ſed quod eſt Rema Dei, vt exinde intelligatur Spiritus, ac ſi diceretur lingua Latina, qui Spiritus Rema Dei eſt. Rema ergo virtutis Filii, quo omnia portat, ipſe Spiritus eſt. Et ſicut vbi Filius dicitur, ſplendor gloriæ Patris, circumlocutiue dictum eſt pro eo quod dicitur, ſplendor Patris, ita & Spiritus Sanctus dicitur eſſe Rema virtutis Filii, pro eo quod dicatur Rema Filii Ergo ex hac nominatione quid aliud poteſt intelligi, niſi quod Spiritus ex Filio eſt? Quoniam & omne Rema ex illo eſt, cuius eſſe dicitur.

Notandum vero eſt & illud quod cum logos dicatur in lingua Græca, & in voce, & in corde, Rema tantum in voce & ore: Spiritus quidem Sanctus dicitur Rema per os Dei procedens, & Spiritus oris Dei: Filius vero logos quidem cordis Dei dicitur; Eructauit enim, ait, cor meum logon bonum, quod ex perſona Patris dictum eſſe Sanctus Dionyſius teſtatur: logos autem oris Dei non dicitur. De quibus vocibus tanquam myſticis quibuſdam notis illud intelligimus, quod ſicut cordis logos eſt ex ſola mente; Rema vero vocis eſt ex mente & logo, qui in corde eſt: ita Filius quidem ex ſolo Patre eſt, Spiritus vero Sanctus ex Patre Filioque.

## Octauum Argumentum.

Spiritus Sanctus dicitur in Scriptura eſſe & Patris, & Filii. Ait enim Apoſtolus ad Romanos; Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. & ad Galatas; Miſit Deus Spiritum Filii ſui. At vero, quæ ſunt communia Patris & Filii, non aliter ſunt Patris & aliter Filii, ſed ſimiliter & eodem modo: quod Dominus oſtendit in aliquibus. Ait enim: Quæcunque Pater facit, eadem & Filius ſimiliter facit. & iterum; Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat; ita & Filius quos vult viuificat. Sicut ergo facere & viuificare commune exiſtens Patris & Filii, ſimiliter eſt amborum: ita & ſi quid aliud commune eſt Patris & Filii, eadam ratione & modo duorum eſt. Salua videlicet illa diſtinctione, qua intelligimus communia duorum ex Patre adeſſe Filio, non ex alio Patri: & idipſum ſignificat Dominus dicens: Sicut pater habet vitam in ſemetipſo, ita dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo. Ergo habere vitam in ſemetipſo commune exiſtens ſimiliter amborum; tamen ex Patre ab æterno Filius hoc habet. Quapropter quia Spiritus Sanctus & Patris eſt, & Filii, illo videlicet diſtincto tantum, quod Filius hoc habet ab æterno ex Patre, vt eius dicatur Spiritus:

At vero ideo dicitur Spiritus Sanctus, Spiritus Patris, quoniam ex eo. Si enim alius exiſtens quam Pater, non eſſet ex eo, non vtique diceretur eius eſſe. Significant autem & hoc Euangeliſtæ, Illi enim qui dicunt Spiritum Patris, non dicunt Spiritum ex Patre: Ioannes vero ſolus, qui poſt omnes Euangelion ſcripſit, Spiritum à Patre procedentem dicens, Spiritum Patris in ſuo Euangelio minime dicit. Putaſne ignorabant vel illi, vtrum ex Patre eſt Spiritus; vel hic, vtrum Patris eſt? Minime. Sed certum eſt, quod & illi dicentes eſſe Patris Spiritum, per hoc ſignificare volebant, quod ex Patre eſt: & hic dicens ipſum à Patre, eodem ipſo & quod Patris eſt ſignificat. Ergo ſi neceſſarium eſt Spiritum Sanctum ita eſſe Filii, ſicut eſt Patris: eſt autem Patris tanquam exiſtens ex eo: eſt ergo & Filii tanquam exiſtens ex eo. Eſt autem idipſum manifeſtum, & quia non conuertitur: multis enim in Scriptura nominibus Filius cum eſſet nominatus, in nullo eorum dicitur eſſe Spiritus, ſicut ipſe Spiritus dicitur eſſe Filii. Non enim vbi ait Apoſtolus, gladium Spiritus, Filium nominat gladium, vt quidam intelligunt. Patet autem ex ſuperioribus.

Cum enim dixiſſet, Induimini, & ſumite armaturam Dei, ac per hoc Patrem ſignificaſſet; deſcendens infert, & galeam ſalutaris accipite, ſalutare nominans ipſum incarnatum Filium. Videbit enim ait, omnis caro ſalutare Dei. &: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum Domine. Deinde conſequenter dicit; & gladium Spiritus. per hæc duo nomina, ipſum Spiritum ſignificans. Merito autem armaturam quidem attribuit Patri, Galeam vero & Gladium Filio & Spiritui. Quoniam enim armatura eſt genus vel totum, galea vero & gladius ſunt ſpecies vel partes; & ſemper totum & genus principii rationem habet ad partes & ſpecies, eſt autem & Pater principium Filii & Spiritus Sancti iure armaturam quidem habentem principii rationem attribuit principaliſſimæ Patris perſonæ, galeam vero & gladium, quorum eſt armatura principium, Filio & Spiritui, quorum eſt Pater & principium. Non quia ibi genus, & ſpecies, & totum, & partes ſunt, ſed ſolummodo ſecundum rationem principii, & eorum quæ ex eo ſunt. Et quoniam caput principii habet rationem ad manum, capitis quidem arma attribuit Filio, manus vero Spiritui: vt exinde intelligamus Filium eſſe principium Spiritus. Sed quod ſermo cœpit dicere, illud eſt, quod Filius ſecundum nullum ſuorum nominum dicitur Spiritus, ſicut ipſe Spiritus dicitur eſſe Filii. Ergo vt verba non conuertantur, cauſa eſt, quod res non conuertuntur. Siquidem in ſcriptura conſona rebus verba redduntur. Non autem conuertentur, ſi Spiritus eſt, & ex Filio. Manifeſtum enim eſt, quod Filius non eſt ex Spiritu: Remate autem ſecundum hunc modum non conuertente, merito neque verba in Scriptura conuertuntur. Sed Spiritus dicitur eſſe Filii, Filius vero non dicitur eſſe Spiritus.

## Nonum argumentum.

Mittit in Scriptura Pater ſpiritum ſanctum: hic autem Patrem non mittit. Vnde quæri poteſt, quomodo qui vbique eſt, & omnia implet, mittitur alio? Vbi enim non eſt, vt illic mittatur? vel quomodo cui inſeparabiliter eſt vnitus, ab eo alio mittitur? vel qui penitus immutabilis eſt & inalterabilis, quomodo in tempore aliquid patitur? Si vero dicet aliquis, quod ipſa quidem Spiritus perſona non mittitur, ſed gratia eius miſſa ipſe dicitur mitti: primum quidem dubitandum eſt, vtrum gratia Spiritus Sancti ita mittitur ſicut ea quæ de loco in locum mouentur? Deinde, ſi alia non eſt gratia Spiritus quam Patris: vna enim trium perſonarum eſt ſimpliciter gratia, & nullam habet Spiritus gratiam quæ Patris ſimiliter non eſt: quid familiarius & congruentius, communi gratia miſſa Spiritus dicetur mitti à Patre, quam Pater à Spiritu? Nam ſi ſcriptum fuiſſet, quod Spiritus miſit Patrem, poſſemus ſimiliter dicere, quod ipſe quidem non mittitur, gratia vero eius miſſa dicitur ipſe mitti.

Quid ergo vult Scriptura, vt introducat Patrem mittentẽ Spiritũ, miſſum vero à Spiritu minime? An quia ille qui mitti, ad illum qui mittitur, in quantum mittit, principii habet rationem? Eſt autem & Pater principium Spiritus, mitti quidem Patrem à Spiritu incongruentiſſime diceretur. Spiritũ vero à Patre mitti, congruentiſſime dictũ eſt: vt per hoc Pater principium eſſe Spiritus ſignificetur. Et eſt vtiq; Patrem ad nos mittere Spiritum, nihil aliud quam certum nobis facere, quod ex ipſo intemporaliter eſt Spiritus: quia eſt quidem Spiritus intemporaliter à Patre. Nos autem hoc non intemporaliter cognoſcimus, vel credimus, ſed in tempore. Igitur quoniam in tempore hoc nobis manifeſtatur, ſcriptum eſt, ipſum ſpiritum à Patre mitti ad nos, quod eſt manifeſtum nobis fieri ab eo, quod ex eo eſt. At vero ſimiliter Patri, & Filius mittit Spiritum, & non mittitur ab ipſo. Licet enim dicat Eſaias ex perſona Filii: Miſit me Dominus & Spiritus eius. & iterum: Spiritus Domini ſuper me propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus miſit me: tamen quæ natura conuenit Filio vocare Patrem Dominum, illa vtique & mitti à Spiritu ſe ait. Non enim dixit, Spiritus Dei, vel Patris ſed Spiritus Domini miſit me. Dominum vero Patrem, non ſecundum ſuam Deitatem, ſed humanitatem. Secundum ergo humanitatem in propoſitis dictis intelligitur mitti à Spiritu, & non ſecundum Deitatem: quia humanitas eius eſt, quæ Deum Patrem Dominum ſuum vocat, & non Deitas. Ergo quoniam commune eſt Patris & Filii mittere Spiritum & non mitti ab eo: qua vtiq; ratione mittit Pater Spiritum, eadẽ & Filius mittit ipſum. Mittit a. Pater Spiritũ, oſtendens nobis, quia ex eo eſt: mittit ergo & Filius Spiritum ſignificans nobis, quia ex ipſo Filio ipſe eſt.





Aſpice autem & Apoſtoli de hoc capitulo alibi diligentiam. Quia enim ſciuit Filium quidem ex ſolo Patre, Spiritum vero ex Patre Filioque; ideo de Filio quidem dicit ad Galatas, miſit Deus Filium ſuum: de Spiritu vero poſt pauca non ita dixit, miſit Deus Spiritum ſuum, ne ex ipſo ſolo ſignificetur. Sed quomodo? miſit Deus Spiritum Filii ſui. per vtrumque ambo ſignificans. Nam & dicendo, miſit Pater Spiritum, ſignificat, quod & eius eſt, & ex eo: & dicendo, Spiritum Filii ſui, ſignificat quod & ex Filio eſt, & ab eo mittitur.

## Decimum argumentum.

Dat hominibus Deus Pater Spiritum. Ait enim Dominus in Luca Euangelio; quanto magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum bonum petentibus ſe? & Apoſtoli in Actibus; Nos ſumus teſtes horũ verborum, & Spiritus Sanctus. quem dedit Dominus omnib. obedientib. ipſi. & iterum: Quis ſum ego, vt impediam Deũ dare Spiritum S. credentib. in nomine Ieſu? & Ioannes in prima, In hoc cognoſcimus quia in eo manemus, & ipſe in nobis, quod ex Spiritu ſuo dedit nobis. & Apoſtolus ad Galatas, qui igitur dedit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis. & ad Epheſios, Pater gloriæ det vobis Spiritum Sapientiæ, & reuelationis. & ad Theſſalonicenſes: ſed Deum qui & dedit Spiritum Sanctum ſuum in vobis. Quia vero Spiritus Sanctus dat Patrem nuſquam ſcriptum eſt: ergo inſeparabilis & indiuiſibilis cũ eſſet Trinitas, dubitabile profecto efficitur, quomodo vna perſona aliam dat; vel quomodo poſſibile eſt à nobis accipi Spiritum Sanctum, non accipientibus ſimul & Patrem? Si vero nihilominus Patrem, quam Spiritum accipimus, quando Spiritum accipimus, quæ ratio eſt, vt non ſimiliter & Patrem à Spiritu dari ſcribatur? Si vero dicet aliquis, quod accipere Spiritum Sanctum tum nos ab eo accipimur, & aliquam ſpiritualem operationem patimur ab eo, & ſpirituale aliquod donum ab eo accipimus, vel ſapientiam, vel linguam, vel prophetiam, vel poteſtatem ſoluendi & ligandi vel aliquid tale: & hoc eſt quod nos accipimus ipſum; quia è conuerſo accipimur, & bene patimur ab ipſo, inalterabili & immutabili eo manente. Eſt quidem, prout credo, Spiritus acceptio bene expreſſa; quod vero quæritur, nihilo magis inuentum eſt, vel dubium ſolutum. Nam ſi nihilo magis à Spiritu Sancto accipimur, & beneficium patimur, & dona accipimus, quam à Patre; æqualiter enim & ſimiliter à tribus perſonis huiuſmodi beneficia nobis eueniunt: Quæ cauſa eſt, vt cum huiuſmodi beneficia æqualiter à Patre & Spiritu accipimus, Pater quidem dicatur dare nobis Spiritum Sanctum, huic vero è conuerſo minime ſcribatur? An certe, quoniam ſemper ille, qui dat aliquid, in quantum dat, principii rationem habet ad id quod datur? Eſt autem & pater principium Spiritus Sancti: dici quidem Patrem à Spiritu Sancto, abſurdiſſime diceretur. Quia vero Pater dat ſpiritum congruentiſſime dicitur; vt exinde intelligamus, illum quidem tamquam principium, hunc autem tamquam ex eo: & ita dicta in tempore datio Spiritus Sancti, reducit nos ad ſempiternã eius ex eodem proceſſionem. At vero & Filius dat in Scriptura Spiritum Sanctum. Inſufflauit enim, & dixit diſcipulis: Accipite Spiritum Sanctum. & in prima Catholica epiſtola ait Beatus Ioannes de Chriſto. In hoc cognoſcimus, quia manet in nobis de Spiritu, quem nobis dedit. Quia vero Spiritus Sanctus dat Filium, nuſquam ſcriptum eſt. Quoniam ergo dare Spiritum, & non dari ab eo, commune eſt Patris & Filii; communia vero indifferenter ſunt communia: ſimiliter vtique intellecta datione & acceptione in Filio & Spiritu, ſicut in Patre & Spiritu, neceſſe eſt ex eo ipſo intelligere nos, quod Filius principium eſt Spiritus, & Spiritus intemporaliter eſt ex ipſo.

## Vndecimum argumentum.

Effundit in Scriptura Sacra Pater Spiritũ Sanctũ. Ait enim: Effundam à Spiritu meo ſuper omnẽ carnem. De quo quis merito dubitabit, quõ effunditur, quod non eſt humidæ naturæ vel defluentis? vel quõ patitur aliquid, quod penitus eſt impaſſibile? Ac ſi vera eſt Patris & Spiritus S. operatio: & eſt effundere operatio quædam; & ipſe ergo ſeipſum effundit. Sed quomodo cum eſſet ſimpliciſſimus ipſe ad ſeipſum facit, & à ſeipſo patitur? Si vero dicet aliquis, quod effundi ipſe dicitur, eo quod eius gratia effunditur, vt ſcriptum eſt in Actibus; quod & in gentibus gratia Spiritus S. effuſa eſt: hoc autem propter copioſam & abundantem donorum diſtributionem ad multos ſubito tranſeuntem. Sed cum eadem ſit gratia Patris & Spiritus S. quid magis communi gratia effuſa, Pater dicitur effundere Spiritum, quam Spiritus Patrem? Huius autem ſolutio eadem vtiq; eſt, quæ & priorum. Quoniam enim ille qui effundit, ad id quod effunditur, in quantum effundit, principii habet rationem; eſt autem & Pater principium Spiritus; merito communi gratia effuſa, Pater quidẽ dicitur effundere Spiritum, Spiritus vero Patrem non; vt ex huiuſmodi vocibus dirigamur ad intelligendum, quod Pater principium eſt Spiritus. Neceſſe enim eſt, vt ſempiterna per ea quæ temporaliter in Scripturis dicuntur, tamquam per quædam ſigna, ſecundum aliquam ſimilitudinem ſignificentur.

At vero & Filius dicitur in Scriptura effundere Spiritũ. Ait enim Apoſtolus ad Titum; ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S. quem effudit ad nos copioſe per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum. Effundi enim ait Spiritum per Filium, quoniam id ipſum vt effundat Spiritum, habet Filius ex Patre, quod ſignificatur ex alia ſcriptura. Scriptum enim eſt in Actibus, promiſſione Spiritus Sancti accepta à Patre, effudit hoc quod nunc videtis & auditis. Quod vero Spiritus effundat Filium, ſcriptum non eſt. Quare & ex hoc Filium principium eſſe Spiritus concluditur. Act. 2.

## Duodecimum argumentum.

Accepta, ait, à Patre promiſſione Spiritus Sancti, effudit hoc quod nunc videtis & auditis. Hoc autem ait, non Act. 2.
quia habet aliquid Pater, quod Filius non ſemper habet, & poſtmodum id ipſum accipit à Patre. Nam intemporaliter cum eſſet à patre natus, hoc ipſo quod intẽporaliter ex eo natus eſt, ab æterno habens ex Patre omnia quæcumque habet, dicitur accipere à Patre; non quæ prius non habebat, ſed æternaliter quæ ex eo exiſtens habet. Quare quod ſcriptum eſt, accipere ipſum à Patre, ſignificatum eſt æternaliter ex Patre ipſum eſſe, & habere quæcumque habet. At vero ſicut Filius dicitur accipere à Patre, & effundere apoſtolis; ita Spiritus Sanctus dicitur accipere ex Filio, & annunciare eiſdem. Ait enim: De meo accipiet, & annunciabit vobis. Quare & hoc ſimiliter ſignificatum erit, quod ipſe Spiritus Sanctus ex Filio æternaliter eſt, & habet quæcumque habet ſicut & ex Patre. Hoc autem patet & per præcedentia verba. Dixit enim, Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Deinde quoniam per hoc quædam diminutio poſſet putari eius Filio: ſiquidem docere Apoſtolos omnem veritatem, rem tantam, ipſe quidem non fecit: Spiritum vero Sanctum hoc ait facturum fore, infert: Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumq; audiet loquetur; & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. ac ſi diceret: quod ille vos ducat ad omnem veritatem, & annunciet vobis ventura: gloria mea eſt. quoniam ſicut ego accipiens à Patre effundã vobis: ita ille accipiens ex meo annunciabit vobis. Hoc eſt ſicut ego intemporaliter exiſtens à Patre, ab eo intemporaliter habeo quæcumq; habeo, & facio: ita Spiritus de me intemporaliter exiſtens, de meo habet omnia quæcumque habet & facit. Quare ducere vos in omnem veritatem, de meo acceptum intemporaliter habet. Quoniam in his quidem verbis oſtenditur Spiritum Sanctum eſſe ex ipſo: ſuperius vero dixerat eſſe illum ex Patre, vbi ait: qui à Patre procedit, volens adhuc manifeſtius oſtendere, quod commune eſt Patris & ipſius eſſe, videlicet ex ambobus Spiritum, inducit: Omnia quæcumq; habet Pater mea ſunt. Ideo dixi, quia de meo accipiet; vt ſuperius dixerat: ſed permutãs tempus verbi ait, quia de meo accipiet: vt idipſum quod accipit Spiritus ex Filio, nihil aliud ſignificet, quẽ eſſe intemporaliter ex ipſo. Et aſpice Scripturã Scripturæ coaptando, admirandam analogiam. Filius accipiens à Patre, effundit Apoſtolis: Spiritus Sanctus accipiens de Filio, annunciat Apoſtolis. Item Apoſtoli accipientes à Spiritu Sancto, annunciant mundo. Ait enim alia Scriptura; accipietis virtutem ex alto ſuperuenientis Spiritus Sancti ſuper vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & vniuerſa Iudæa, & Samaria. & vſque ad terminos terræ. Id vero quod dictum eſt, de meo accipiet, pro eo dictum eſt, quod dicat de me, vel ex me, vt per hoc intelligatur ipſa Filii perſona, prout teſtantur Euangeliorum expoſitores, Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, & Beatus Cyrillus.

### Tertiumdecimum Argumentum.

*Ait Ioannes in Apocalypſi:* & oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ, clarum tamquam cryſtallum procedentem de Sede Dei & Agni. *In his fluuium aquæ viuæ Spiritum Sanctum eſt nominari, agnum vero Filium Dei. Quoniam vero procedit Spiritus Sanctus & ex Filio, non inquantum homo eſt Filius, ſed inquantum Deus eſt, & eiuſdem Sedis Patri: Ideo ait procedere Filium de Sede Dei & Agni, quod eſt de natura illa, quæ eſt Agnus Synthronus Patri: vt per hoc ſignificetur Agnum auctorem eſſe inquantum ipſe Agnus Deus eſt.*

### Decimumquartum argumentum.

*Item ait Ioannes in Euangelio de Chriſto:* Inſufflauit & dixit diſcipulis; Accipite Spiritum Sanctum. *Sed quomodo datur vel accipitur Spiritus Sanctus vel eius dona? & quid eſt eum dari & accipi? & ad quales Deo decentes intelligentias per huiuſmodi voces, oportet nos reduci, ſuperius apertum eſt. Nunc autem inſufflatum tantum examinandum ſit. Certum eſt enim, quod dicens Dominus,* accipite Spiritum Sanctum, *non iubet Apoſtolis accipere illum corporeum & humane de pretioſo ore eius procedentem Spiritum, vt illum abſorbentes poſſint dimittere, & tenere peccata. Ergo ſi ſine inſufflandi actu, dictis ſolummodo reliquis verbis, eandem Apoſtoli reciperent gratiam, quid volebat ſibi inſufflare? An ille quidem incorporeus Spiritus ſumptus extitit tamquam ſignum Spiritus Sancti ſicut prius columba? Domini vero corpus tamquam Symbolum Deitatis, cui perſonaliter vnitum erat? temporalis vero & corporalis de ore eius flatus illius motus tamquam ſignum ſeu figura intemporalis & incorporeæ, & inſeparabilis proceſſionis Spiritus Sancti ex Deitate Filii, vt per hoc intelligamus Spiritum à Patre procedentem, etiam ex Filio ſimiliter procedere? Huius autem duæ ſunt probationes. Vna, quod etiam S. Auguſtinus, ita explanat & reducit iſtum locum Scripturæ. Alia vero, quod niſi ita aperiatur ille inſufflatus, relinquitur abſque ratione factus: quod eſt impoſſibile. Procedit ergo & ex Filio Spiritus S. Ideo enim prius inſufflauit, deinde dixit,* accipite: *vt oſtenderet quod temporaliter hominibus dare Spiritum S. habet ipſe ex eo quod æternaliter ex ipſo procedit, quoniam illius eſt dare ipſum, qui quidem eſt principium eius ſubſtantiæ.*

### Decimumquintum argumentum.

*Oportet autem poſt hæc comparare huic factæ per nos demonſtrationi, de proceſſione Spiritus Sancti, & ex Filio, ſermones eorum, qui oppoſitum oſtendere nituntur: & videre quantum intereſt. Illi enim aut contumeliis, & blaſphemiis non percutientes, & tali ſpecie ſermonum vtentes, aut ſupponentes verba noſtra, vel quorumdam dictorum expoſitiones, vel argumenta non ſicut nos intelligimus, & dicimus, & exponimus: ſed ſicut ipſi dicere nos & intelligere putant: aut etiam fingentes ipſi noſtra verba, prout eis facile ſit deſtruere, ita aduerſus nos ſermocinantur. Dictorum autem ſacræ Scripturæ, per quæ nihil commiſcentes eis nihil forinſecæ ſcientiæ poſſent oſtendere, ex ſolo Patre eſſe Spiritum Sanctum, nullam conſequuntur facultatem.*

*Nos autem in expoſito hoc ſermone contumelia omni abſtinentes & nihil calumnioſe ſupponentes, per ipſa Sacra eloquia, nihil vanæ ſcientiæ aſſumentes, oſtendimus quod ex Filio procedit Spiritus Sanctus. Quare ſi quis non ſufficere putat hanc noſtram demonſtrationem, ſed adhuc dubitat & veretur concluſioni aſſentiri, multo magis talis debet dubitare, & timere recipere, quod ex ſolo Patre Spiritus eſt: cum huius nulla talis poſſet eſſe demonſtratio. Nam timentem admittere, id quod per multa oſtenditur: audacter affirmare, quod per nullum dictum ſacræ Scripturæ apparet, paſſio eſt, ratione penitus carens.*

### Decimumſextum argumentum.

*Quia vero ſicut poteſt aliquid oſtendi per diuinam Scripturam eorum quæ verbis ipſis non dicuntur: per ſenſum vero diuerſimode dictorum concluduntur; & præſens quæſtio bene & ſufficienter oſtenſa eſt, inde manifeſtum. Spiritus Sanctus increatus & conſubſtantialis Patri & Filio eſſe creditur. Hoc non verbis ipſis diuina Scriptura dicente, ſed per multa alia diligenter eam legentibus idipſum ſignificante. At vero ſi quis voluerit illis demonſtrationibus per quas oſtenditur de Scriptura, increatum & conſubſtantialem Patri & Filio eſſe Spiritum Sanctum, comparare has per quas oſtendimus Spiritum ex Patre Filioque procedere, inueniet in nullo illis inferiores, ſed fere fortiores: diuina ſcriptura maiorem facultatem ad has, quam ad illas præbente, vt demonſtrabo.*

*Omnium dictorum diuinæ Scripturæ per quæ Patres oſtendunt increatum Deum eſſe Spiritum Sanctum, hæretici adinueniebant aliam expoſitionem, licet non veram: ſed ita perſuaſibilem, & tantam apparentiam habentem, vt eos qui non perſcrutabantur ſcripturas, neque ab ipſo Spiritu iuuabantur, ſatis decipiant blaſphemiæ conſentire. Sed horum per quæ nos oſtendimus Spiritum S. & ex Filio eſſe, nulla alia expoſitio poteſt inueniri ita oppoſita aduerſus noſtram, vt illa credita, hæc neceſſario excludatur. Habet enim ſe res ita, in quibus diuina Scriptura de Filio & Spiritu diſputat, quæ inter ipſos ſunt tradens. Decem ponit quædam non conuertentia; vt oſtenſum eſt, quæ per hoc nihil aliud ſignificant, quam Filium principium eſſe Spiritus, vtpote: nihil enim prohibet ea reſumendo iuxta inuicem ponere.*

*1. Scriptum eſt, quod Filius eſt brachium Dei, & Spiritus digitus eſt Dei. Cumque omnis digitus dependet de brachio, huius è conuerſo ſcriptum non eſt.*

*2. Item ſcriptum eſt, quod Spiritus S. eſt oris Filii, & rema eius. Sed Filius quia logos eſt Patris ſcriptum eſt: quia vero rema Spiritus vel oris Spiritus, nuſquam ſcriptum eſt.*

*3. Item dicitur in Scriptura ſpiritus S. eſſe Filii, & imago eius. Sed Filius quia Patris eſt, & imago eius ſcriptum eſt. quod vero Spiritus vel ſimpliciter, vel imago, minime ſcriptum eſt.*

*4. Item in ſcriptura mittit & dat, & effundit Filius Spiritum: mitti vero, vel dari, vel effundi, à Spiritu non dicitur Filius. quamquam in Scriptura miſſus & datus à Patre dicatur.*

*5. Item Spiritu & per Spiritum facere Filius dicitur Deo decentia opera. Filio vero, & per Filium, quia pater facit ſcriptum eſt; quia vero Spiritus, minime.*

*6. Item accipit in Scriptura Spiritus ſanctus de Filio. Sed Filius ex Patre quidem accipere dicitur, ex Spiritu vero non ſcribitur. Ergo vt hæc non conuertentia videantur in ſcriptura, ſi quis non dicat cauſam eſſe, quod Filius principium eſt Spiritus, nullam aliam cauſam 7. 8 inueniet: quærens & cum his proceſſionem fluuii aquæ viuæ de Sede Dei & Agni, & poſt reſurrectionem inſufflatus, nihil 9. aliud ſignificare poſſibile eſt, quam Spiritum ex Filio eſſe.*

*10 Item contemplor etiam illud, quod qui olim contra pugnatores Spiritus certabant, non poterant reducere ſe ad ſeniores Doctores, qui communiter per ambas partes pro Sanctis haberentur, & Deum increatum eſſe Spiritum S. in ſuis ſcriptis aperte traderent, vt illorum teſtimonio hæreticos compellant à blaſphemia diſcedere. Nos autem nunc habemus S. Auguſtinum, Beatum Cyrillum, S. Athanaſium & plures alios: qui & primis honoribus ab his qui nobis contradicunt ducuntur, & Spiritum ſanctum & ex Filio eſſe aperte teſtantur. Quare multis modis nobis facilius eſt oſtendere, quod ex Filio ſpiritus ſanctus eſt, quam antiquis Patribus oſtendere, quod Deus increatus ſpiritus eſt.*

*Poteſt autem idipſum oſtendi & inde. Certum eſt enim, quod ſemper incertiora & obſcuriora quærendorum, per certiora & clariora nata ſunt oſtendi. Beatus vero Cyrillus in theſauris aduerſus hæreticos diſputando, prius per Scripturam oſtendit & concludit, & ex Filio eſſe Spiritum ſanctum: deinde per hoc concludit conſubſtantialem ipſum eſſe Patri & Filio. Quare in ipſa diuina ſcriptura hoc eſt apertius & clarius illo.*

*Certum autem idipſum eſt, & per oppoſita. Nam & oſtenſiones eorum, qui conantur oſtendere ex ſolo Patre eſſe Spiritum, multo ſunt infirmiores illis, quibus pugnatores ſpiritus vtebantur.*

*Illi enim non pauca verba habebant de Scriptura, quæ non debite lecta & intellecta, videbantur blaſphemiæ eorum ſuffragari: ſicuti illa quod ſpiritus ſanctus mittitur, datur, effunditur, & à ſeipſo non loquitur: ſed quæcumque audit & deſiderat: & pro ſanctis inenarrabilibus gemitibus interpellat & talia quæ non debite examinata, ſeruilis videntur eſſe naturæ. Hi autem qui ex ſolo Patre affirmant, nullum penitus de Scriptura ſubſidium habent, non dictionem, non dictum, non ſymbolum ſeu figuram, non aliud per quod, vel per quæ eorum opinio ſtare poſſet. Quare nullum dubium eſt, quod noſtra ſententia bene per Scripturam demonſtratur, & hi qui ea non credunt, Hæretici ſunt, & à Catholica fide alieni.*

Hæc Barlaamus Monachus, ex occaſione Demetrii Theſſalonicenſis, de Spiritus Sancti ex Filio proceſſio-





ne, Græcis diſputationem refugientibus ſcribens, ex diametro reponebat Nicephoro Gregoræ & Macedonianis, his quidem Deum eſſe Spiritum ſanctum, illis vero & Græcorum imperitis, obſtinatiſq;, Spiritum ſanctum ex Patre & ex Filio procedentem, per rationes ex ſacra ſcriptura petitas oſtendens.

III. LEGATIO LVDOVICI BAVARI AD IOAN. PONT.

In Occidente Ludo. Bauarus toties diris percuſſus, & cætu piorum excluſus, nonnihil reſipere hoc anno viſus eſt. Duos. n. inprimis viros illuſtres, Halſenſem & Ottingenſem Comites, ad Ioannem ſummum Pontificem deſtinauit: & Ottonem atq; Albertum Duces Auſtrios, pro ſe, apud ſedem Apoſtolicam ſequeſtros interpoſuit: qui nomine illius abunde omnia Ioanni pollicerentur, ſi modo Imperatoriam & Regiam dignitates, penes illum eſſe vellet. Henricus quoq; Bauariæ Dux, Ludouici frater, operam omnem apud Pontificem nauauerat, vt Ludouicus cõmunioni Eccleſiaſticæ reſtitueretur, atq; ſceptris potiretur. Non potuit nõ eſſe Ioanni Pontifici iucunda Ludouici erga ſe promptitudo.

RESPONSVM IOAN. PP.

Cæterum quod is nonniſi ex deſiderio retinẽdi imperii omnia metiretur, & eius obtinendi cauſa liberaliter cuncta promitteret, Ioannes, propoſitum quidem illius ad Eccleſiæ obſequentiam redeũdi, datis illi literis laudauit, & ad reipſa præſtandum quod in ſpecie in epiſtolis & per Nuncios præ ſe ferebat hortatus eſt: verũtamen cum præter æqui & honeſti rationes, necnõ contra Principum Germaniæ iura, Regnum & Imperium poſtularet, adeoq; & inuaderet, & vſurparet, reliqua negauit: & tum Nũciis illius, tum Ducibus Auſtriæ, atq; Bauariæ abunde, cur eis ſatisfacere minime poſſet, ſatisfecit. Hæc dum Auinione apud ſedem Apoſtolicam agerentur. Ludouicus in Germania vulgauerat, ſe iam à Romano Pontifice, anathemate exſolutum, & in priſtinum reſtitutũ fuiſſe. Ab hoc rumore diuulgato, cum pleriq; offenderẽtur, virum ſcilicet tam impium, tam facile non tantum veniam ſed & diadema recepiſſe multi etiam perinde, qui iuſſu Pontificio hominem execrabantur, ſibi metuerent, iamq; ad illum declinare cogitarẽt: Ioannes Pont. data ad Epiſcopum Hildeſemen. epiſtola ſcrupulum omnem exemit, falſaq; illa eſſe omnia, quæ de reconciliatione Ludouici dicerentur, aſſeuerauit. Inſuper Iacobum Epiſcopum Caſtellanenſem, ſeu Venetum, ingentium illorum auſorum, & mendaciorum auctorem, dignitate Epiſcopali exuit, & diſciplina Eccleſiaſtica percuſſit. *Rebdorf. in Chron. & ep. Ioan. hoc anno.*

IV.

Non poterat Ioannes ex dignitate Apoſtolicæ ſedis quicquam Ludouico concedere, quod is per id tẽporis cum apud eum reconciliari flagitaret, tum in Germania plurimos per vim ſibi adiũgere conaretur, tum in Italia confœderatorum ſocietatẽ foueret, adeoq; omnia miſceret, & tam contra legatos Pontificios, quam aduerſus Romanæ Eccleſiæ clientes, adeoq; contra ipſam Eccleſiam Gibellinos moueret. Actius enim Vicecomes Mediolani Præfectus, Papiam Ioanni Regi eripuerat,

LVDOVIC. BAVARVS INFIDVS.

nec non Carolo eius filio venenum parauerat. Florentini quoq; hactenus partiarii Eccleſiæ, contra Ioannem Regem ſocietatem cum reliquis inierant, authoreſq; potius quam adiutores tam Bononienſibus, quam Ateſtinis fuerant, vt hi quidem dominio Romanæ Eccleſiæ excuſſo bellum Bertrando Legato intulerint, eumq; tandem infelici Marte pugnãtem profligarint: illi vero turpiter eumdem ciuitate expulerint, multiſq; ex eius familia occiſis, Auinionem abire coegerint.

IOANN. PONT. POSTVLATA LVDOV. DE IMPERIO REIICIT SOCIETATEM CVM REGE BVS INIT. DE IMP. ELIGEN.

Itaque Pontifex Ioannes, à Ioanne Boemo, qui ſuperiore Nouembre Auinionem conceſſerat, omnium quæ gerebantur certior factus, cum non ex fide Ludouicum agere perſpexiſſet, eo & Galliarum, Balearico, & Angliæ Regibus qui pariter conuenerant ſuadentibus, poſtulata Bauari de Regno & imperio reiecit, Florentinos vt à fœdere recederent propoſito anathemate hortatus eſt, Actium Vicecomitem, & Ateſtinos, gladio ſpirituali iugulauit, ſocietateque cum Regibus inita, quem Regno & Imperio Romanorum præficeret cogitauit. *Villani l.10.c.213. 215.218. Donat. Boſſius in hiſt. Mediol. Pigna de reb. Ateſtin. l.4. Rubeus hiſt. Rauen. l.6. Blond. dec. 2. lib. 10. Corius hiſt. Mediol. part. 3.*

Auctorem habeo Ioannem Dubrauium, Ioa. Regem Boemiæ poſt multas iniurias à Ludou. Bauaro receptas, eius tamen gratia Auinionem in Gallias perrexiſſe, vt inter ſe & Romanum Pontifi. pacificatorem ageret. Sed adeo, *ait*, indurerat Pontifex aduerſus Ludouicum, quẽ veteratorẽ appellabat, vt nulla prorſus ratione à rigore ſententiæ latæ flecti potuerit, Ergo vtrumq; Bauarus odio & bello vndecumque commoto perſequebatur, quaſi Pontifex cum Rege in perniciem ſuam ex compoſito colluſiſſet.

CAROLI BOHEMI VICTORIA DE FLORENTINIS ATESTINIS.

Porro in eo prælio, quod Carolus cum Ateſtinis & Florentinis geſſit, victoria potitum fuiſſe memorat, capto Æſtenſe Marchione, & Etruſcis phalangibus, ipſo die feſto Diuæ Catharinæ profligatis. *Dubrau hiſt. Boem. l.21.*

Apud Paulum Æmilium lego, quod id temporis Ambianos quatuor Reges conuenerant, Francus, Anglus, Bohemus, Balearicus, Frãcus inſignia ſacræ in barbaram religionem militiæ ſuſcepit: bellumq; in Bauarum, à Põtifice Maximo decretum iam conſenuerat, quod Petrus falſus Pontifex à Bauaro in Germaniam redeunte Piſis relictus, à Bonifacio Piſano Comite comprehenſus, ac Auenionem ad Pontificem Maximum ductus, hoc anno in cuſtodia deceſſiſſet. *P. Æmil. l.8.*

V. DILVVIVM FLORENTIÆ HORRIBILE DIVINITVS IMMISSVM OB PONTIFICIÆ AVCTORITATIS CONTEMPTVM.

Florentinos propter contemptum Pontificiæ iuſſionis, Deus ſeuere vltus eſt, cum eorum vrbẽ diluuio pene ſubmerſit. Circiter. n. Kal. Nou. quatuor dieb. totidemque noctib. continuato imbre, incredibili aquarũ multitudine cẽs per Caſentinatem Aretinumq; agrũ egreſſi aluei, inſtar æquoris omnia texere. Inde paſſim deſcendentib. cum Seua quoq; fluuius inundato Mugellano agro plena decurreret valle, Arnus aũt nullis ripis nulliſue terminis coerceretur, omnia ſupra vrbẽ complete fuere. Ea vis aquarũ intra muros vrbis perlata, niſi partẽ illorum proſtrauiſſet, adeo intumeſcere cœperat, vt omnia intranea ædificia proculdubio obruiſſet. Saluti fuit exitus aquis patefactus, quæ per vrbẽ quaſi captã expugnatamq; decurrentes, trepidantib. ac fugientib. ciuib. cuncta occupauerant, vt ad tẽplum Martis, id eſt Oratorium Diui Io. Baptiſtæ, ſupra dimidiam columnam porphyreticã, humiliorib. vero locis ſupra duodecẽ pedes altitudo aſcenderet: neq; prius increſcere deſtitit aquarum moles, quam ad occidentem quoq; non capiẽte iam vrbe aquam mœnia ſubuerterit. Tunc demum egeſta vis, & decreſcere pelagus cœpit. Tres pontes vrbis deiecti, multæ ædes corruere, multas domus ruẽtes oppreſſere: quamplurimos aquæ demerſere. Trecentos aliqui, aliqui tria millia ſubmerſorum numerabãt. Aſtrologorum nõnulli, in eclypſes cœleſtium Syderum anni ſuperioris, cauſam tantæ inundationis quãta ſupra memoriã hominum acciderat, reiiciebant: Religioſi a. peccata hominum, & inprimis contẽptum Põtificiæ auctoritatis: præſertim quod vnus cœnobio Vallumbroſiano in ſolitudine ſecretiore ſuperincumbẽs eremita, nocte diluuium antecedente intẽtus orationi, dæmonũ phalãgem, ſpecie armatorum equitum, tuguriolum ſuũ prætercurrentem aſpiciẽs, ex vno eorum per adiurationem interpoſitam didiciſſet, audiſſetq; illos ad ſubmergendam Florentiam properaſſe, totumq; aquis obruere voluiſſe, ſiquidem Deus permitteret, grauiſſimis peccatis prouocatus. *Villa. l.11. c.1.2.3.*

FLORENTINORVM TVNC TEMPORIS VITIA.

Robertus Siciliæ Rex, flagitiis, & inprimis ſuperbiæ, tyrannidi, auaritiæ fraudib. vſuris, inuidiæ, malis artibus, odiis, gulæ, & luxuriæ Florentinorum, eam inundationem deputabat, data ad eos *epiſt. Neapoli die 11. Decemb. Indict. 2. anno* 1333.

VI. PONT. EX REGNIS DIVERSIS CENSVM ECCLESIÆ DEBITVM RECIPIT ET IVSQVE ALIA ACTA.

Eodem anno Ioa. *Pont.* I. ab Alfonſo Rege Aragonũ, ex Sardiniæ & Corſicæ inſulis, 2. & à Roberto Rege ex Siciliæ regno cenſum recepit. *ep.* 1334. & 49. 3. Denarium ex prouinciis Culmenſi & Pomeraniæ S. Petri nomine numerauit. *ep.* 229. 4. Fratrum *Prædicatorum* aliquot viros illuſtres, ad prædicandam Gentilib. Orientalib. & ſchiſmaticis deſtinauit, eoſq; tũ Catholico Armeniorũ, tũ gẽtili Tartaro. Regi cõmẽdatos fecit. *ep.* 1. & 4. & 305.

5. Recens ad Fidem Chriſtianam in Oriente conuerſis, vt in quarto gradu matrimoniũ contrahere poſſent indulſit, *ep.3.6.* Fratrib. Prædicatorib. vt, ſi dubitarent, an recens conuerſi vel ſacro baptiſmate, vel ſacris ordinib. initiati fuiſſent, eos rebaptizarent, & iterum ordinarẽt, præſcripſit, *ep.2.7.* In materia viſionis animarũ perſcrutanda definiendaq; cum maiorem partem Cardinalium ſuæ opinioni aduerſari, Regeſq; Galliarum & Siciliæ illum à deſerenda ea dehortari audiuiſſet, in publico Purpuratorum cõſeſſu, omnib. Prælatis & in ſacra Theologia Doctorib. præſentib. ſe in neutram partẽ quicquam adhuc ſerio decreuiſſe, teſtatus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcepit, vt inueſtigandę veritati diligentius incumberẽt, & quicquid ſiue pro affirmãte, ſiue pro negãte parte comperiſſent, in ſcriptis deferrent. Propendere viſus eſt Ioan. in eam opinionem antiquorum, quæ negabat ſanctos vita functos ante diẽ iudicii perfecta felicitate, quæ eſt ex diuinæ eſſentiæ viſione, potiri. Quamobrẽ ſi quis Doctorum pro ea aſſerenda, vel auctoritatẽ, vel rationem aliquam cuiuſpiã momenti, illi retuliſſet, maximã gratiam apud eum inibat. Gerardus Minorum Generalis Miniſter eius ſententiæ, cum Lutetiam Pariſiorum veniens, primus de ea mẽtionem iniecisſet, ab vniuerſo Doctiorum collegio, & à FF. Prædicatoribus, Auguſtinenſib. & Carmelitanis erroris conuictus, Rege Philippo cõpellente, palinodiam recantauit: cum ei rogum flammantẽ, tanquam vni ex Patarenis oſtentaſſet. Ioannes porro monentibus Regib. & ſacri cætus Patrib. obaudiens, in poſterum nõ adeo anxie ſuæ opinationi inhæſit, ſed in ſententiam veriorem magna cum laude inclinauit; quoque animo in ea quæſtione fuiſſet, anno ſubſequente promulgata cõſtitutione declarauit. *Villani l.10.c.vlt. & ep. Ioa. 192.*

VII. DESPONDETVR DVCIS CALABRIÆ FILIA HVNGARIÆ REGIS FILIO IMPVBERI ANNVENTE PONT.

Hoc ipſo anno, Carolus Martellus Vngariæ Rex, cum Andrea ſeptenni filio in Italiam veniẽs, Neapoli ad diẽ 26. Sep. Ioannam Caroli Ducis Calabriæ filiã, & Regis Siciliæ Roberti ex filio neptim, annuente ſummo Pontifi. Ioanne, impuberi Andreæ deſpõdit: quod neq; Roberto Regi iã ſeniculo ſuperſtes aliqua, neq; Carolo Duci pridem defuncto maſcula proles fuiſſet, quæ beneficio Apoſtolicæ ſedis, in regni Siciliæ poſſeſſionem ſuccederet. Ea res vt exactius intelligatur, paulo altius repetenda eſt. Carolo ſecundo Regi Siciliæ, præ cæteris duo præſtantiores filii fuere, Carolus Martellus, quem Vngaris Regem dedit: & Robertus Calabriæ Dux, qui patre defuncto, Neapolitanum regnum, haud ſine Romani Pontif. auctoritate conſequutus eſt: & Pontificiæ ditionis imperium aſſequutus, ne tanti beneficii immemor videretur, fluctuante diu Guelphorum Gibellinorumq; factionib. Italia, Pontificias partes omni ſemper ſtudio & labore tutatus eſt, præfecto etiam reb. Floren. Carolo filio Calabriæ Duce. Eo intempeſta morte prærepto, cum nullam aliam prolem ipſe habuiſſet, & Carolus filius nonniſi duas filias reliquiſſet, Andream ex Carolo Vngariæ Rege fratre nepotem ſeptẽ annos natum, in ſpem Regni euocauit. Carolus itaq; relicto Vngaris Ludouico primigenio Rege, Andream ſecum duxit, vt auctoritate Ioannis Põtificis coronatum Regem in Italia videret. Præſertim quod audiret Robertum, hoc reliquum quod ſupererat annorum, ſanctiſſimæ contemplationi in aliqua religione approbata addicere decreuiſſe. Et dubio procul ſeculo & regno nuncium remiſiſſet Robertus, niſi procerum & amicorum diſſuaſiſſent. Ita tunc nonniſi adoptauit Andream & Ioannam apudque ſe Neapoli in ſucceſſionem Regni retinuit: ipſe vero ad extremum vſque diem Regnum adminiſtrauit, *Villani l.10.c.225. Bonfin. rer. Vngaric. dec.2. lib.9. Summontius hiſt. Neapolit. l.3.*

VIII. IN ANGLIA EPISCOPOS CÕNSTITVIT.

In Anglia defuncto Archiepiſcopo Cantuarienſe, Ioannes Pontif. intercedente Rege, proprio motu ſuffecit Ioannnem Strefordium, ex Epiſcopatu Vintoni. translatum: In huius vero Cathedram vacantem, Adamum Ortelonium ex Epiſcopatu Vigornienſi tranſtulit, quamuis Edouardus Rex ne in eam ſedem transferretur contradiceret. Ceſſit tamen paulo poſt Pontificiæ auctoritati, & in Comitio indicto, bona erepta Adamo reſtituit: cum etiam inuitante Pontifice, ſacram militiam aduerſus Saracenos profeſſus, Crucis ſignum ſuſcepiſſet, & Archiepiſcopum Cantuarienſem ad Ioannem Nuncium ire iuſſiſſet, qui de tempore profectionis conſuleret, Regemq; Galliarum ad vires coniungendas incitaret. *Valſing. hiſt. Ang. in Edouardo 3.*

IX. HERBIPOLEN. ECCL. EPISCOP. PRÆFICIT

Herbipoli defuncto Wolframo Epiſcopo collegium ſuffecerat Hermanum Lechtenbergiũ Ludouici Bauari Cancellarium. Aduerſus hunc Ioannes Pontifex Ottonẽ Wolfskelium præfecit, quod Hermanus Vdalrici Auguſtani ſui anteceſſoris veſtigia ſequi videretur, & Bauarum contra Eccleſiam irritaret. Aiunt Vdalricum Cancellarium fuiſſe hominem temerariũ & ſuperbum, Cleri & Eccleſiaſticæ dignitatis ac libertatis aduerſariũ, qui in literis Ioanni Pontifici à Bauaro ſcriptis, Pontificem beſtiam de mari aſcendentem appellare non erubuerat, multaque præter ſcientiam Ludouici ſcripſerat: adeoq; totius fere tragœdiæ inter Ioannem & Ludouicum auctor fuerat. Hanc vero malitiam quam in falſis pro veris aſcribendis oſtenderat, tandem in mortis articulo idem Vdalricus confeſſus eſt. *Chron. Sponheimenſ. Tritbem.*

QVALIS VDALRICVS AVGVST. EPISC.

X. ALPHONSVS REX CONTRA MAVROS INFELICITER PVGNAT.

Alfonſus Caſtellæ Rex hoc anno infeliciter contra Mauros pugnauit. Abomelicus Regis Marrocii filius, vna cum Granatenſi Rege, in perniciem certiſſimam Hiſpanorum conuenerant. Ille Heracleam obſidione diuturna oppreſſam, tandem per deditionem recepit. Granatenſis Rex alia parte in Cordubenſes agros inuectus, latiſſimas populationes fecit, Egabrum cepit, arcem diruit, incolas in ſeruitutem abegit. Tãta fuit apud hoſtes captiuorum multitudo, vt ſingula capita aureo nũmo veniſſe feratur, grauiſſimo Chriſtiani nominis dedecore. Factioſorum nonnulli, vires Chriſtiani Regis diſtraxerant, ne cõmode exercitum aduerſus Saracenos colligeret, vtq; inducias in quatuor annos paciſceretur: relicta barbaris Heraclea, non abſq; maieſtatis ſugillatione. Præfecti perfidia Muros vltro in oppidum & arcem vocantis, Egabrum amiſit; quemadmodum & alterius auaritia Præfecti Heracleam perdidit, quod hic militiam quæſtui habens, neque ſe milite, neque commeatu ſatis inſtruxerat.

VLTIO DIVINA EFFVSI SANGVINIS CHRISTIANI.

Vltus tamen Deus eſt iniuriam effuſi Chriſtianorum ſanguinis, morte Regis Granatenſis, in cuius necem Ozminii filii cõſpirarant, hominem deteſtati, qui Chriſtianorum cõuictu, ſe, gentem, religionemq; vt cenſebant, fœdarat: eo die, quo fœdere ſancito cum Alfonſo collocutus, mutuæ beneuolentię argumẽto ſingulari, eidem menſæ accubuerat. Forte etiam veſtem geſtabat, ab Alfonſo, dono acceptam. Id iracundiam magis accendit, maioremq; occaſionem calumnię præbuit. Sequebatur Regem Maurus quidam Alhamarus nomine, ex priori Granatæ Regum ſanguine, nobilis magis quam clarus. Hunc itaq; Ozminii filii conuenientes, hortati ſunt, vt intercepti iniuria regni pœnas expeteret, violatamq; religionẽ vindicaret. Facile fuit homini ambitioſo, iuxta ac ſuperſtitioſo perſuadere; vt fraude compoſita, Regem incautum ferro obtruncarit, ipſo die Auguſti vigeſimo quinto. *Mariana de rebus Hiſpan. lib.16. c.2. & 3.*

XI. MORITVR VVLADISLAVS REX POLON. RELICTO CASIMIRO FILIO SVCCESSORE.

Hoc anno, ad 6. Idus Martias, Vuladislaus Poloniæ Rex fatis conceſſit, poſtquã à Fratre Helia Ordinis Prædicatorum doctrina perſpicuo, confeſſione facta, ſingulari auctoritate Apoſtolica pro mortis articulo ei cõceſſa abſolutus, & Sacramento Euchariſtiæ, cæteriſq; ſacris myſteriis ritu Chriſtiano procuratus Caſimirum filium Regem ſucceſſorem, ad colendam iuſtitiam & clementiam in ſuos exercendam, nec non ad perſequẽdos bello ingratos Cruciferos, recuperandaq; ea quæ illi à regno ſuo abſtraxerant, adhortatus fuiſſet. Fertur corpus eius pluribus poſt mortem diebus inſepultum, dum ſolemnes exequiæ pararentur, nihil putredinis aut tetri odoris contraxiſſe. Sepultus in baſilica Cracouienſ. ad læuam aræ maximæ, princeps ſingulari pa-





tientia & manſuetudine, animi præſtans, adeuntibus perfacilis, Catholicæ fidei propugnator, varia fortuna exercitus, vt propter rerum magnitudinem geſtarum, cum maximis Regibus recte comparari poſſit. Eius relicta Heduigis Sandeciam antequam ſecedens, Diui Franciſci inſtitutum vitæ profeſſa eſt. *Mich. l.3. c.12. Cromer. l.11. & 12.*

XII. Eodem anno Bononiæ, B. Frater Simõ Tuders Ordinis Eremitarum multa in Monaſterio S. Iacobi miracula edidit. *Sigon. l.3. de Epiſcopis Bonon.* quo pariter tempore, apud Carthuſiam, Monachus quidam ſanctiſſimæ vitæ, obedientiæq; ſingularis vixit: quem Deus poſt mortem tam innumeris patentibuſq; miraculis illuſtrauerat, vt iam languentes innumeri, de Sabaudia, & Delphinatu, ad maiorẽ Carthuſiam (in qua tumulatus erat) gratia ſanitatis confluerent. Confluerent inquam leproſi, cęci, ſurdi, muti, paralytici, aliiſq; variis morbis ac detrimentis affecti: qui mox vbi ſepulchrum ſancti illius Carthuſiani attigiſſent, ſanitatem recipiebant. Itaq; ſtupor omnes inuaſerat, tanta magnalia, quæ Deus ipſe per ſanctum ſuum operabatur, intuentes. At vero Diabolus mille fraudum artifex, qui & ſanctorũ ſolemniis ſua quoque immiſcere commenta, & per ſua membra, hoc eſt, mundanos vanoſq; homines ſolemnitates ipſas fœdare, illudere, omnique laſciuia ac vanitate implere, & demum callida deuotionis impedimẽta parare conſueuit, ſui liuoris ac nequitiæ, etiã in hac parte venena diffudit. Siquidem verſutia illius tanti ſtrepitus hominum ſine modo concurrentium ſonabat, tantiſq; turbationibus plena erant omnia, vt Monachus nec Deo vacare, nec quietem vllãm habere liceret: quin etiam multa, quod peius eſt, turpiter ac inhoneſte fiebant, quæ intoleranda videbantur. Hæc Iãcellinus Prior, vir perſpicacis ingenii diligenter animaduertens, ſuorumq; fratrum inquietudinem grauiter ferens, tantis incommodis obuiandum vtiliter cenſuit. Itaq; his vel ſimilibus, quantum coniectare licet, queſtib. ſanctum ſuum aggreſſus, inquit: Siccine fili chariſſime nobiſcum agis? Eſt ne hæc gratia quam nobis impendis? Ergone perpetuam quietem adeptus, tã grauis inquietudinis bella nobis indicis? Non ſic fili, non ſic; ſed eodem pugione quo tu aduerſarium confodiſti, eo te aggrediar neceſſe eſt: Obediẽtia, enim, quæ tibi viriliter in huius certaminis campo dimicanti ſempiternam pacem promeruit, tuis quoque Fratribus quietem, niſi fallor, ipſa pariet. In virtute igitur ſanctæ obedientiæ præcipio tibi, vt eam quam viuus obedientiam obſeruaſti, etiam nunc exhibeas, nec miraculum amplius vllum deinceps facere præſumas. Tanta vis verborum fuit, vt illum à miraculorum oſtenſione cohibuerit, Porro hic Iancellinus poſt diuturnos vitæ labores in ſenectute ſancta deficiens, hoc anno Domini 1333. paradiſi ſedes adiuit. *Petrus Sutor de vita Carthuſiana lib.2.*

MIRANDVM OBEDIENTIÆ ET POST MORTEM IN SANCTO EXEMPLVM.

XIII. OBITVS B. IMELDÆ ORDINIS SANCTI DOMINICI.

Hoc etiam anno rebus humanis exempta eſt, B. Imelda Lambertina Bononien. virgo, in cœnobio Diuæ Mariæ Magdalenæ religioni Diui Dominici addicta. Hæc claris orta natalibus, clara magis pręcoci vitæ ſanctimonia, cum diuino ſacræ Euchariſtiæ incenſa deſiderio propter ætatis imbecillitatem (vix dum n. XI. annos egerat) ad ſacratiſſimam eius menſam accedere vereretur, in pias preces lachrymaſque effuſa, diuina prorſus ope recreari meruit, hoſtia cœlitus demiſſa, poſt cuius ſumptionem feliciter expirauit. Aiunt ſacram hoſtiam cœlitus delapſam, capiti orantis in aere ſuſpenſam incubuiſſe, ſanctimoniales iſtud prodigium vidiſſe, ſacerdotem qui exciperet euocaſſe, illum eamdem patina ſuppoſita accepiſſe, atque Imeldæ communicaſſe. *Pius l.3. de viris Illuſtr. Ord. Præd.*

* * *

# IESV CHRISTI
## Annus 1334.

### IOANNIS PAPÆ. XXII. ANNO. 18. & 19.

I. BVLLA IOANN. PP DE VISIONE ANIMARVM.

ANtequam rebus humanis Ioannes ſummus Pontifex eximeretur, quid de viſione animarum ipſe ex animo cenſeret, vel olim cenſuerit edita ſubſequenti Conſtitutione aperuit. Ita habet.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

*Ne ſuper his quæ de animabus purgatis, ſeparatis à corporibus, an citra reſumptionem corporum, diuinam eſſentiam, illa viſione videlicet quam vocat Apoſtolus facialem videant, tam per nos quam per nonnullos alios in præſentia noſtra recitando & allegando ſacram ſcripturam, & originalia ſanctorum dicta, vel aliàs ratiocinando ſæpius dicta ſunt aliter quam per nos dicta & intellecta fuerint, & intelliguntur, ac dicuntur auribus valeant fidelium inculcari, ecce quod noſtram intentionem quam cum ſancta Eccleſia Catholica circa hoc habemus & habuimus ſerie præſentium vt ſequitur declaramus. Fatemur ſiquidẽ & credimus quod animæ purgatæ, ſeparatæ à cordibus ſunt in cœli cœlorum regno & paradiſo, & cum Chriſto in conſortio Angelorum congregati, & vident Deum & Diuinam eſſentiam facie ad faciem, clare, inquantum ſtatus & conditio compatitur animæ ſeparatæ. Si vero alia vel aliter circa materiam huiuſmodi per nos dicta, prædicata, ſeu ſcripta fuerint quoquo modo, illa diximus, prædicauimus, ſeu ſcripſimus recitando, & conferendo dicta ſacræ ſcripturæ & ſanctorum, nolumus eſſe dicta, prædicata & ſcripta. Inſuper ſi qua alia ſermocinando, conferendo, dogmatizando, docendo ſeu alio quouis modo diximus prædicauimus, vel ſcripſimus circa præmiſſa vel alia quæ Fidem concernunt Catholicam, ſacram ſcripturam, aut bonos mores, ea inquantum ſunt conſona Fidei Cath. determinationi Eccl. ſicut & ſcripturæ ac bonis morib. approbamus: alias ea illa habuimus & haberi volumus pro nõ dictis, prædicatis, & ſcriptis, eaq; reuocamus expreſſe, ac omnia prædicta, & alia quæcumque dicta, prædicata, & ſcripta, per nos de quacumque materia, vbicumque & in quocumque loco, ac in quocumque ſtatu quem habemus vel habuerimus hactenus, ſubmittimus determinationi Eccl. ac ſucceſſorum noſtrorum. Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam noſtræ intentionis, declarationis, confeſſionis, voluntatum, approbationis, reuocationis & ſubmiſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.* Datum Auinione III. Non. Decembr. Pontificatus noſtri anno decimo nono.

II. OBITVS IOAN. PONT.

Hæc Ioannes Pontifex fere in ipſo vitæ extremo renunciabat; cum de noui Imperatoris creatione cum Regibus Galliarum & Boemiæ deliberãtem, nocte præcedente Quartum Nonas Decembres, quo die Conſiſtorium Cardinalium & Prælatorũ indixerat, profluuium ventris exitiale, à grauiſſimis negotiis auocaſſet, & in lectum lætalem coniecisſet, Itaque mortem ſibi imminente videns III. Nonas Decembris Cardinalibus circa veſpertinam horam conuocatis, eam Fidei profeſſionem edidit, deq; ſucceſſore deligendo verba fecit: atq; poſtridie, ſ. pridie Nonas Decembris, poſt ſacra audita, & Euchariſtiam receptam, in crepuſculo diei orans & pſallens, die Dominico, hora III. Auinione in palatio Apoſtolico, ex hac vita, nonagenario maior, migrauit. Aurũ ingens congeſſerat, tum vt hoſtes aduerſarios Eccleſiæ deprimeret, tum vt Chriſtianorum res in Paleſtina bello ſuſcepto adiuuaret: in menſa & ſtatu modeſtus, ciborum delicatorum haud amicus, in omni victu frugalis: literarum bonarum perquã ſtudioſus: quib. legendis alteram partem à negotiis vacuam deuouerat, & noctu poſt orationem ſtudiis vacabat. Cum enim à legendo & ſenſũ, & curarũ varietas retarderet, gratiſſimus erat illi, quiſquis deſloratos libros breui cõpẽdio perſtringeret.

QVALIS IN VITA FVERIT.

IOANNES LITERARVM STVDIOSISSIMVS.

inque tabulas redigeret, in quibus omne quod ex libris quæreretur, inueniretur facillime. Auguſtinum Triumphum Anconitanum, quod aduerſus hoſtes Eccleſiæ volumen de poteſtate Eccleſiaſtica ſcripſiſſet, eique dicaſſet, præ cæteris in precio habuiſſe viſus eſt: & proculdubio, illum inſigni aliquo beneficio fuiſſet proſecutus, niſi fata nobilem Theologum ſuſtuliſſent. Iuris ciuilis ac Pontificii peritiſſimus Ioannes, multas ſaluberrimas leges conſtituit, eiuſque profeſſionis aliarumque diſciplinarum publicam Academiam Cadurci, vnde eruditi præclari viri, vtileſque reipublicæ prodierunt, inſtituit. Præter Carthuſianorum ad ipſa vrbis mœnia cœnobium, & palatium ingens in editiore vrbis parte ſitum, Diuo Bartholomæo Baſilicam Auenione ſtruxit: quam noſtra ætate, anno 1580. menſe Maio, noctu capta vrbe, Caluinianæ ſectæ homines inuadentes, vaſis pretioſis, & ornamentis ſpoliarunt, Archiuum eius incenderunt, multis ſacerdotibus atque oppidanis ferro cæſis, templiſque omnibus expilatis. Frequenter Ioannes Pontifex ſacris operabatur, facile omnes tum audiebat, tum per ſententiam expediebat. Iuris Eccleſiaſtici acerrimus defenſor, multa egit, atque tulit. Quamobrem in odium Ludouici & partiariorum, & præcipue Fratricellorum incurrens, plurimos ſcriptorum aduerſum ſe, & in his Franciſcum Petrarcham excitauit. Namque is Gibellinorum partes ſequens, ſtylum quam par erat acrius in Ioannem exercuit. Interrogatus aliquando IOANNES, qui foret à veritate alienus, reſpondit: *Vulgi ſcientia, nam quicquid laudat, vituperio dignum eſt: quicquid cogitat, vanum: quicquid loquitur, falſum: quicquid improbat, bonum: quicquid extollit, infame eſt.*

IVR. VTR. PERITISSIMVS.

IVRIS ECCLESIASTICI ACERRIMVS DEFENSOR.

PETRARCHA ACRIVS IN IOA. SCRIPSIT.

SCITVM IOANN. DICTVM.

Aliquot menſibus antequam excederet, ſcilicet in vigilia Paſchæ, dum officium celebraſſet, iſtud miraculum accidit. Communione facta, cum vellet vnum Diaconum Cardinalem (verbis Ptolomæi Lucenſ. qui tunc vixit & ſcripſit, rem refero) qui ſibi miniſtrauerat communicare, ſcilicet Dominum Iacobum Caietanum Anagninum, porrigeretque ſibi partem hoſtiæ, & crederet ſe ori eius impoſuiſſe, Cardinalis reſpondit, ſe nihil percepiſſe. Quæſita per horam fuit pars illa, hinc inde in ſede Papæ vbi ſteterat, & tandem fuit inuenta in plica caſſulæ Papalis, & data Prædicto Cardinali. Officio autem finito, Papa dixit, ſe viſibiliter vidiſſe, quod corpus Domini de manibus ſuis deſcendendo diſparuit: & caſſulam videre non poterat, vbi ſe reſeruauit: niſi poſt inquiſitionem factam diligenter inuenta eſt pars hoſtię in plica caſſulæ vt ſupra: & Papa hoc pro miraculo factum reputauit. Hoc vltimo eius Pontificatus anno, tantus Auenione, & finitimis locis cœli feruor inualuit, vt fere omnis vmbilicotenus nuda plebs, altis atque miſerabilibus verbis, pluuiam atq; aeris temperiem precaretur. Vnde Petrarcha, meminiſſe ſe referebat, tunc bene omnium, omnis ſexus atq; ætatis vultus, colla & manus, cutim quaſi ſquammas quaſdam more ſerpentum exuiſſe, vt ſi quis rarus ardoribus illis inuiolatus obſiſteret, non tam carneus, quam ferreus putaretur.

MIRACVLVM.

ADMIRANDVS ÆSTVS AVENIONE VLTIMO ANNO PONTIF. IOANNIS.

Aliquis Epiſcoporum Italiæ pergens Auinionem, ſecundum quietem in itinere, tum Ioannem mortuum, tum eius ſucceſſorem Benedictum aſpexit. Albertus Argentinenſis qui eo tempore ſcribebat, rem his verbis narrauit.

*Erat autem quidam vicinus Epiſcopus Romæ, in via eundi ad Curiam Auinionenſem ad Papam; cui in nocte mortis Papæ in ſomno apparuit quidam dicens:* Papam quæris? Non eſt. *Et poſt puſillum:* Vis videre Papam? Ecce iſte eſt: *monſtrata ſibi perſona magna incognita. Hic Epiſcopus procedens in itinere, audiuit de morte Papæ Ioannis. Veniens autem Auinionem, iuit in Conſiſtorium, ingredientes diligenter inſpiciens ſingulos Cardinales: & cum non vidiſſet perſonam ſibi monſtratam, quæſiuit à quodam, Nunquid omnes Cardinales ingreßi fuiſſent? Et reſponſo accepto quod omnes, excepto Cardinali Blanco Ordinis Ciſtercienſis, illum quæſiuit in domo ipſius, ipſumque inſpiciens faciem perpendit monſtratam, ſibique ſoli in camera ſua dixit: Pater, vos eſtis Papa futurus. De quo cum ille riſiſſet, (nulla enim fuit ſpes promotionis eius, cum eſſet humilior, & pauperior inter omnes) Epiſcopus expoſito ſibi ſomnio adiecit: Pater, ille qui mihi monſtrauit faciem veſtram, introduxit me ad ſtabulum immundiſſimum, ſtercoribus plenum, vbi vidi arcam marmoream albißimam, ſed vacuam. Vos eſtis illa arca, quam debetis in officio veſtro virtutibus implere, & ſignis. Et ô Paſtor, & ſtabularie, Curiam & ſedem Apoſtolatus, iam immundißimum ſtabulum, ab auaritiis & ſimoniacis ſtercoribus expurgate, vobiſque Sanctam Romanam Eccleſiam & vrbem commiſſas habete.*

VISIO DE OBITV IO. ET DE FVTVRO EIVS SVCCESSORE.

Vrbem Romanam Epiſcopus Benedicto futuro Pontifici commendabat: quod ſciret omnes Italos nihil magis ab Ioanne Pontifice deſiderare, quam vt Romam rediret. Oldradus Bononienſis Legum doctiſſimus interpres, ea de re ſatis copioſe Ioanni perſcripſit, multiſque rationibus propoſitis demonſtrauit, quamobrem Pontificem è Gallia diſcedere oporteret.

III. MENDACIVM CALVINI DE IOANNE PONTIF.

Iniuriam Ioanni Pontifici, Caluinus facit, cum ei hæreſim de viſione animarum imponit, exque numero Catholicorum Pontificum expungit: cum is de quæſtione nondum per id temporis ab Orthodoxa Eccleſia definita, non tam aſſerendo, quam diſſerendo, & recitando potius quam decernendo antea quippiam dixiſſet: neq; pertinax in ſenſu proprio aut ea opinione hæſiſſet, ſed tandem monentib. Regibus & Cardinalibus obaudiens, Catholicam veritatem profeſſus, ſancto fine quieuiſſet, *Ptolom. Lucenſ. Alban. Argentinenſ. Antonin. Ciacc.* Præter alia quæ Ioannes ſancte conſtituit, etiam diploma edidit contra eos, qui nuncios Apoſtolicos recuſarent recipere. Ita habet.

DIPLOMA IOANN. PP. DE RECIPIENDIS NVNTIIS APOSTOLICIS.

Super gentes & regna Romanus Pontifex à Domino conſtitutus, cum perſonaliter ſingulas regiones circuire non poſſit, nec circa gregem ſibi creditum curam paſtoralis ſolicitudinis exercere: neceſſe habet interdum ex debito impoſitæ ſeruitutis, ſuos ad diuerſas mundi partes (prout neceſſitates emerſerint) deſtinare Legatos, qui vices ipſius ſupplendo errata corrigant, aſpera in plana conuertant, & commiſſis ſibi populis ſalutis incrementa miniſtrent. Verumtamen aliqui huiuſmodi officium & poteſtatem ipſius Romani Pontificis, quam non ab homine, ſed à Deo recepit, ſub ſuo arbitrio redigere molientes, Legatos ipſos, niſi ab eis petiti fuerint, vel de beneplacito eorum tranſmiſſi, ſibi terras ſubiectas (dicentes hoc eis de conſuetudine competere) ingredi non permittunt. Nos huiuſmodi conſuetudinem non tam irrationabilem, quam nonnunquam ſaluti animarum contrariam, detrahentemque Apoſtolicæ poteſtati, auctoritate Apoſtolica penitus reprobantes, Legatos ipſos ab omnibus, cuiuſcumque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus fuerint, debere admitti decreuimus: nec eos prætextu cuiuſuis conſuetudinis impediri poſſe à quoquam Chriſtiano nomine gloriante, quo minus Regna, prouincias, & terras quaslibet ad quæ ipſos deſtinari contigerit, ingrediantur libere, ac commiſſæ ſibi legationis officium exerceant in eiſdem. Qui vero de cætero ſuper prædictis dictos Legatos, aut etiam Nuncios, quos ad quaſcumque partes, pro cauſis quibuslibet ſedes ipſa tranſmiſerit, præſumpſerint impedire, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Regna, terræ, & loca quælibet ſubiecta eiſdem, tamdiu ſint eo ipſo Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, quamdiu in huiuſmodi contumacia, duxerint perſiſtendum. Non obſtantibus quibuslibet indulgentiis, aut priuilegiis, Imperatoribus ac Regibus, ſeu quibuſcunque aliis, ſub quibuſcunque modis, tenoribus & formis à ſede ipſa conceſſis, quæ contra præmiſſa nulli volumus ſuffragari.

IV. ELECTIO BENEDICTI XII. PP.

Defuncto Pontifice nouendialibus abſolutis, ad 19. Kale. Ianu. in Monaſterio Prædicatorum Auinionenſi, Comi-



Comitium ingreſſi, Patres Purpurati, à Comite Monaſio, qui pro Rege Roberto prouinciam Narbonenſem cum Imperio regebat, recluſi de Pontifice eligendo deliberantes, poſt aliquot dierum contentiones, tandem ſeptimo Comitiorum die, ſc. 13. Kalend. Ianuar. Fratrem Iacobum Furnerium, Guillelmi Molitoris Sauardunéſis (quod oppidum eſt prouinciæ Toloſanæ diœceſis Appamiarum) filium, ex vniuerſo viginti quatuor Cardinalium cætu magis infimum, virum tamen doctiſſimum, atque integerrimum, Pontificem Romanum deſignarunt. Hic Sauarduni oppido ad Aurigam amnem, cis Pireneos ſito patre molitore natus, & apud Ciſtercium vitam Monaſticam profeſſus, Pariſijs poſt ſacræ Theologiæ ſtudia lauream Doctoratus tulit: & primo Abbas Montis frigidi cœnobitis ſumma cum laude pręfuit: deinde ab Ioanne Pontifice, Epiſcopatum Apamienſem primum, poſtea Mirapicenſem adeptus, gradum ſibi ad purpuram virtutibus aperuit: Cardinalis titulo S. Priſcæ ab eodem Ioanne creatus. Detulerant quidem inprimis Pontificiam dignitatem Cardinales Talairando Petragoricenſi, ea lege, vt nunquam Auinionem relinqueret, aut Romam cõcederet. Cęterum cum is pactum id contra Eccleſiam eſſe dixiſſet, ſtatim mutata ſententia, ad minimum Cardinalium conuerſi, quem virum honeſtæ laudatęq; vitæ nouerãt, ſed tamen nunquam electum iri animo conceperant, elegerunt. Ita enim fit plerumq; vt Cardinales de quo deſperent, eũ velint Pontificem, quẽ ſperent eſſe, nolint. Cæterum Deus occulto conſilio quem vult illum à concordibus diſcordibuſq; eligi permittit, vt accidit Benedicto, priuilegio Diui Thomæ Apoſtoli in Pontificem electo. Mirabantur Cardinales quomodo illum præter expectationem elegiſſent: ſed ipſe multo magis factum obſtupeſcebat, dicebatq;: *Aſinum elegiſtis*: non quod ſciens Theologiæ non eſſet, ſed quia, ne adminiſtrandæ Eccleſię par foret, verebatur.

V. ACTA BENEDICTI PP. INITIO PONTIFICATVS.

Benedicti XII. nomine Pontifex ſalutatus, primis Comitijs ad 12. Kal. Ian. ad reparandas Romanas, Petri Vaticanam, Saluatoris Lateranenſem, & alias Baſilicas, animum adiecit, & quinquaginta millia nummum aureorũ inſtaurandis illis miſit. Pacẽ quoq; totius Eccleſiæ atq; Orbis Chriſtiani ſibi in animo eſſe cum dixiſſet, Nũcios ad Bauarum Eccleſiæ hoſtem aliquos deſtinauit, qui obſtinatum ſententiæ ad pœnitentiam emollirent. Die Natiuitatis Dominicæ & reliquis ſequentibus, profuſione indulgentiarum omnes Chriſti fideles ad orationes pro felici adminiſtratione inuitauit: inq; ſumptus Cardinalium centena millia florenorum dedit. Ea liberalitate, turpem auaritiæ labem ex aula nonnihil ſummouit, Patrumq; animos ſibi maiorem in modum deuinxit: præſertim cum principes Senatus Pelagrui & Columnius, non ſibi multum ab illo metuerent, qui erat monachus nobilitatis, diuitiarum, vſus deniq; rerũ & animi inops, cætera vir prob. & doctus. Itaq; periculum non erat, ne aut magnitudine animi ardua affectaret, aut praua voluntate alijs moleſtus eſſet. *Ptolomæus in Bened. XI. Pigna hiſtor Ferrar. l. 4. Maſſonius in Bened. Platina in eodem.*

VI. BERTRANDVS CARDIN. LEGATVS BONONIA PVLSVS FLORENTIÆ HONORIFICE EXCIPITVR.

Paulo ante obitum Ioannis Pontificis, Bertrandus Cardinalis Legatus Bononia pulſus, Florẽtiam cum veniſſet, magno cum honore ab omnib. ſuſceptus fuit: extra portas prodeunte obuiam illi clero, ſolemni in proceſſione feſtiuam pompam, cum crucib. & vexillis præſe ferente. Senatus quoq; & populus Florentinus ingẽti lætitia venientem excepit, neq; ſecus illum habuit, quã ſi ſummus ipſe Pontifex acceſſiſſet. Sub finem Martij Florentiam conceſſit, occaſionemq; per abſentiam ſuã confœderatis Italiæ Principibus dedit, vt ineunte Aprili quemadmodum clam conuenerat, oppida vnicuiq; deſtinata inter ſe partirentur. Itaq; tunc temporis Mutina Ateſtinis, Parma Scaligeris, Bergomum & Verona Vicecomiti, Regium Lepidi Ludouico Gonzagæ, Luca Florentinis, Cremona item Vicecomiti ex pacto ceſſit: cum etiam Bononienſes pulſo Legato ad libertatem aſpiraſſent. Ludouicus autem hac quidem ſpem pœnitentiæ Ioanni Pontifici oſtentabat, alia vero parte, Pontificiis, tutelæ Ioannis Boemi commiſſis incommodabat, pacemque Italiæ turbabat. *Villani l. 10. c. 215. 237. Pigna. l. 4.*

CONFOEDERATI PRINCIPES OPPIDA ITALIÆ INTER SE PARTIVNTVR. LVDOVIC. BAVARI SIMVLATIO.

Quo tempore, ad 13. diem Aprilis, aliquis Vallumbroſianorum Monachus, nonnullam portionem Diuorum Iacobi & Alexij reliquiarum, necnon partem indumenti Saluatoris noſtri, Romæ nactus, Florentiam miſit: quæ ſacra pignora, Clerus & populus, effuſus extra portas, inſigni honore excepit, inque altari apud Diui Io. templum ſumma cum reuerentia recondidit. *Villani. l. 11. c. 9.*

Quo etiam anno Ioan. Pontificis, Philippi Galliarum Regis, & Veneta claſſis, ingentem victoriam aduerſus Turcos Conſtantinopoli imminentes, in ipſo fere vrbis aſpectu tulit, ducentis & quinquaginta actuariis, & quamplurimis triremibus hoſtilibus demerſis, & quinque millibus in captiuitatem abductis, reliquis pars cæſis, pars profligatis. *Villani ſupr. c. 18.*

VICTORIA CHRISTIANORVM DE TVRCIS.

Quo pariter tempore, Beatus Venturinus Bergomas Ordinem Prædicatorum profeſſus, cum multos ex flagitiorum cœno ad pœnitentiam concionib. euocaſſet, innumerabilem hominum multitudinem, ad feſta Natiuitatis Dominicæ ſecum Romam duxit. Cæterum præſtat eius viri vitã, & actiones breuiter perſtringere, & ab impoſturis nonnullorũ vindicatũ, in ſuo vero vultu Orbi oſtendere. Hęc eſt ſumma vitæ illius, ex ea quam *Ioannes Antonius Flaminius Forocornelienſis*, apud Leandrum Bononienſem l. 5. de viris Illuſtr. Ord. Præd. ſcripſit.

Natus eſt Venturinus Bergomi, Galliæ Ciſalpinæ vrbe, gente Ceraſola patre Laurentio in literis ſatis erudito. Ab eodẽ in literis & virtutib. eruditus, breui ad magnam perfectionem euaſit. Natura, ad ſubueniendum egenis procliuior erat. Quib. cum præter modum largiretur, aliquando à patre reprehenſus, miraculo pietatẽ illuſtrauit. Fruſta aliquot panis pauperib. ferebat. Deprehenſus, & quid ferret interrogatus, poma quę pueris diſtribueret reſpondit: & ſtatim aperto ſinu pater poma eſſe aſpexit. Hac mutatione puer obſtupefactus, ſtatim Prædicatorum Ordinem vel inuito patre ingreſſus eſt. Nitebatur eum ille à propoſito auocare. Verumtamen cum tenacem inſtituti comperiſſet, animum illi magis fecit, doctaq; oratione perſeuerantiam illi ſuaſit. Ad eũ fere modum iuuenem admonebat. *Volo, inprimis memineris fili, qualis ille, quantuſque ſit, cui vitam tuam, ac te totum tradidiſti; qui cum ſit omnium Pater & Rector, & iuſto libramine facta mortalium penſet, debes exiſtimare ingentia tibi pro paruis & momentaneis laboribus, in perpetuum eſſe præmia repoſita. Nos qui inter ſeculi illecebras viuimus, libertatis nomine diram ſeruitutem ſeruimus, & potius orco quam cœlo, Satanæ quam Deo meremus. Neque enim, niſi emotæ mentis homo, eum dicet liberum, quem ſuperbia inflat, auaritia habet, qui libidinatione vrgetur, & non aliter affectib. agitur quam ſine clauo, remo, & remige, ventis agitata cymba ſolet. Vela damus omni auræ, nec niſi in mediis procellis, naufragio ſempiterno velificamus. Religioſi a Deo dedicati, & intra clauſtra procul à curis & perturbationib. huius vitæ remoti, conuerſationem in cœlis traducentes ſecuritatem, felicitatemq́ futuram, ſumma cum voluptate præcipiunt. Itaq́, ne te iterum fluctibus iſtius ſeculi commiſeris, ſed Regiæ huius lyburnæ remex factus, ad æternitatem enauigare perrexeris.* Ea oratione paterna Venturinus confirmatus, maior indies eſſe cœpit.

VII. VITA BEATI VENTVRINI ORD. PRÆDIC.

EIVS IN ORDINEM INGRESSVS.

Humilitate inprimis, cum omnibus demiſſo animo ſe gerentibus, certabat. Leges ac inſtituta Patrũ, ne quis eo diligentius ſeruaret, curabat. In Templum nemo illo prior: in eo nemo diuinis rebus attentior: in Sacramẽtorũ vſu nullus magis frequens: in ieiuniis, in viliorib. officiis obeundis, in mortificando corpore, in ſilentij rigore, in orationibus, meditatione, legẽdi ſtudio, obſequio infirmorũ, ac reliquis vitę religioſæ apicibus, nullus Vẽturino diligentior ſua ætate fuit. Præcipue etiam conabatur, nulli detrahere: de omnib. bene ſentire: in afflictos quoſq; & perturbatos miſericors eſſe: omnib. cõpati, ægros inuiſere & adiuuare, ac ſingulis opitulari. Quos tñ opinione ſanctitatis erga ſe permotos, ad ſe accedere intellexiſſet, vt per miraculum ſanitatẽ obtinerẽt, illos increpa-

HVMILITAS.

MIRACVLVM.

increpabat atq; repellebat, quod diceret ſe peccatorem, non tanta virtute eſſe. Aliqua Bononienſis matrona dolore ingenti ex tumore oculi cruciata, ad eum forte in Eccleſia confeſſiones excipientem acceſſerat, flagitans, vt ſibi benediceret, & ſigno Crucis opem ferret. Recuſabat ille, & ad ſepulchrum Diui Dominici poſtulantem remittebat, verumtamen cum propoſiti pertinacem vidit, ſignum Crucis oculo impreſſit, & tumorem ſimul ac dolorem profligauit. Errantes præcipue, vt ad veritatis viam reducerentur, admonebat, docebatque. Paupertatem impenſe, in omnibus vitæ neceſſitatibus colebat. Meliora ſua veſtimenta, cum aliorum deterioribus atque vilioribus commutabat. Famis & frigoris, omniumque cœli iniuriarum tolerantiſſimus, nihil ad vitam ſuſtentandam neceſſariorum ferebat. Itinera longiſſima, pedes conficiebat. Aliquando foſſam Clodiam properanti, iuuenis incognitus cum phazello accurrit, & à Francolino Clodiam vſque, breuiſſimo temporis interuallo deuexit, & ex oculis illius diſparuit. Idem auxilium aliis quoque temporibus à cœlitibus obtinuit. Cum enim in Burgundia ad quandam profundam aquam perueniſſet, nec ibi pons aut aliquod nauigium eſſet, & ad multa millia paſſuum oporteret retrocedere ſubito quidam nauta cum naticula apparuit; atque ita flumen traiecit. Die quoque poſtero, cum ad Rhedanum perueniſſet, oblata eſt illi nauis, qua per duos dies continuos vſque Auinionem peruectus eſt.

PATIENTIA.

Patientia admirabili vixit. Aduerſis non modo non frangebatur, ſed plurimum lætabatur. Nullis iniuriis mouebatur, ſed iniurios velut benefici fuiſſent, benedicebat, laudabat, & gratias peragebat. Cum aliqui maleuolos illos reprimere voluiſſent, reſiſtebat, atq; illis ſuccenſebat, aſſerens illos recte facere, qui ſe plenum criminibus arguerent, atque caſtigarent: quod ſe ille multo maioribus dignum ſuppliciis, & carcere quoque puniendum exiſtimaret. Itaq; ſolebat arguentibus ſeſe non reſpondere, ſed tanquam ſi peccaſſet, culpam fateri, Quare, cum eodem modo quicquid boni vel mali ſibi accidiſſet, acciperet, nihilo mouebatur illis. Vnde neque turbatum eum aliquo pacto, neque redarguentem alium, aut ſeſe excuſantem quiſpiam vidit, aut audiuit; qua æquanimitate ſequutus Apoſtoli conſilium, carbones in caput offendentis congerebat, & ad amorem ſui omnes compellebat. Aliquis iuuenis erga Beatum inuidia commotus, multis criminibus confictis eum onerare voluerat: eiuſq; rei cauſa Bononiam acceſſerat: cum ſubito templum Diui Dominici ingreſſus, orantem Venturinum ante Diuæ Virginis effigiem, ad tantam altitudinem quanta eſſet imaginis in aera eleuatum aſpiciens, vocem quoq; à Diua Virgine ad eum prolatam audiuiſſet ſceluſq; in eum conceptum exhorreſcens, ad genua illi procubuiſſet, veniam cum lachrymis efflagitans.

DESIDERIVM SALVTIS ANIMARVM.

Salutis quoq; animarum, miro ſemper deſiderio tenebatur Venturinus: neq; quicquam aut omittebat, aut recuſabat eorum, quibus poſſet prodeſſe. Vnde Diui Dominici exemplo, Venetias conceſſerat, vt nauigandi commoditate oblata, in Orientem proficiſceretur; Verumtamen ne conſilium poſſet exequi, Dei nutu factum eſt. Itaq; in Italia remanens, totum ſe verbi Dei prædicationi dediderat. Nullum autem tempus ſibi elabi patiebatur, ſed totum ita diſpenſabat, vt ſemper vel cũ Deo, vel de Deo loqueretur, vel ſaluti animarum impẽderet.

MIRACVLA.

Cum Vicentiæ aliquando poſt nocturnum officium oraret, conſpectus eſt cum aureola quali ſolent effigies ſanctorum depingi, tanta claritate, vt à ſplendore illo totus locus illuſtraretur. Alio die ex pedibus Crucifixi, ante quem orabat, viſus eſt radius diuinioris cuiuſdam lucis emanare, & in faciem Venturini radiare. Ex hac cum Deo coniunctione ingentia miracula perpetrauit. Bononiæ quemdam puerum comitiali morbo afflictum, ſola benedictione perſanauit.

Puellam quandam ex interdicto congreſſu cuiuſdam grauidam, & infamiam metuentem, orationibus adeo iuuit, vt & tumorem vteri nullus in ea deprehenderit, & in parturitionis hora quidam ſenex venerabilis multo cum lumine per feneſtram ad eam ingreſſus, illã in partu iuuerit, atque mox diſparuerit. Vnde ita res delituit, vt nullus grauidam fuiſſe, aut peperiſſe vnquam ſenſerit.

Matronæ cuidam ſtimulis libidinis agitatæ, continẽtiæ donum impetrauit: cum vehementius orationi incumberet. In ſacrificantis vultu, Venturini, viri ac mulieres, circumaſtantes miram claritatem, & diuinum quiddam conſpiciebant, vt non hominem, ſed Angelum quemdam ſe intueri arbitrarentur.

Nonnunquam dum Euangelium pronunciaret, ex ore illius lux quædam tanquam accenſi funalis emicabat aliquando ex oculis tanquam faculæ effulgebat. Cum amox conſecraturus erat, clara quędam & præfulgens nebula de ore illius prodire, quæ faciem eius in conſecratione illuſtrare videbatur; & dum ſingula cõſecrationis verba proferebat, ignitos radios emittere cernebatur. Dum vero ſacroſanctum Chriſti corpus ex more attolleret, multi ſæpenumero miræ pulchritudinis puellum quempiam in eius manibus conſpiciebant.

In Monaſterio S. Mariæ Magdalenæ, cum Sanctus, Sanctus, & Benedictus caneretur, viſus eſt à terra eleuari. Ibidem cum ſacram Euchariſtiam offerret, & eleuaret vna ex ſacris virginib. os illius intuita, tantũ in eo ſplendorem aſpexit, vt non aliter oculorum acies illi hebetata fuerit, quam ſi ſolem conſpexiſſet. Eodem momento Virgo illa vocem audiuit ſibi dicentem: Talis erat Moyſis facies cum Deum alloqueretur.

Rebus his de Venturino vbique vulgatis, cum Mina Bononienſis quædam nobilis matrona fidem nõ haberet, ad celebrantem acceſſit, inq; inſtanti eleuationis ſacra hoſtiæ, fulgenti nube circumſeptum, inq; ea occultatum tamdiu vidit, quoad ſacrificium compleuerit, & Ite Miſſa eſt, edixerit. Vnde nimio ſtupore attonita circumſtantib. dixit Eccè Sacerdos Magnus: qui in diebus ſuis placuit Deo.

Ab hac cum Deo familiaritate, multa illi & recondita doctrina, adeo vt profunda myſteriorum Dei cognouerit, & ſæpe ſæpius ſine prælectione, impræmeditatus ad populum verba habuerit: tanta facundia & eruditione, vt nihil doctius, nihilue facundius audiretur. Quam obrem Humbertus Delphinus Viennenſis, non immerito dicere ſolebat, Frater Venturinus nunquã bene cõcionatur, niſi cũ imprę meditatus, ad id munus accedit Nam tunc diſcit à Deo, à præmeditatione autem habet quaſi ex ſuo. Dieb. feſtiuis aliquando quatuor vicibus concionabatur, tanta affluentia doctrinæ, vt fontem inexhauſtum exiſtimarent hi qui ſummo cum deſiderio audiebant. In concionandi porro munere, nullam ſui commodi, ſed publicę vtilitatis rationem habebat. Nã omnes quidem non aliter amabat, quam ſi omnes genuiſſet. Tantus autem ad eum audiendum populi concurſus confluebat, vt aliquando quadraginta, quandoq; quinquaginta millia auditorum illius cenſerentur. Illud miraculi prope erat: quod æq; à remotiſſimis, atque à propinquioribus audiebatur, & intelligebatur.

In hoc diuini verbi ſeminio diſpergendo, maximam partem Italiæ, & pręcipue Ætruriam Æmiliam, Galliam Ciſalpinam, Venetorum dominia, quin & Galliam trãſalpinam, Delphinatum, Dalmatiam, Iſtriam, Achaiam, vſq; ad Eubæam inſulam & Smyrnam Aſiæ Minoris ciuitatem peragrauit. Ad quamcunque autem vrbem ſeſe conferebat, ei obuiam omnes omniũ hominum ordines prodibant, beatoſque ſe exiſtimabant, ſi vel tangere potuiſſent, vel aliquam indumenti eius particulam ſurripere, quam reliquiarum loco conſeruarent. Neq; illi quicquam prodeſſe poterat ſuccenſere multitudini, ac reclamare aſſerenti ſeſe peccatorem eſſe. Propterea vt obuiam venientes effugeret, ſæpe è via regia clam declinabat, & per inuia quæcumq; furtim in vrbes penetrabat. Sed tamẽ latere nulla ratione poterat: & multitudo prius ad Monaſteria Prædicatorum confluebat, quam





ipſi cænobitæ ſcirent aduenturum, Neque mirum iſtud fuit, cum ingentes fructus, ſeu meſſes potius integras, quam ſpicas aut manipulos ex concionibus referret, vitæque ac morum mutatio in melius, in omnibus ſequeretur. Siquidem fœneratores non ſolum vſuris cumulata reſtituebant, ſed & proprias facultates egenis erogabant. Sicarii, prædones, homicidæ, depoſita omni feritate miteſcebant. Delatores ac ſuſurrones linguas caſtigabant. Meretrices lupanaria egrediebantur. Denique in melius omnia mutabantur, præcipueq; diuturnæ inimicitiæ, & odia inueterata ſedabantur, concordia & pax vbique ſanciebantur. Sæpe ex concionantis ore, viſæ ſunt micare flammæ & ſcintillæ, tanquam ex candenti ferro diſſilire: nonnumquam etiam rutilare velut ſtellæ. Viſa eſt etiam aliquando ſtupentibus omnibus & acclamantibus cœleſtis quædam ſupra caput illius columna candidiſſimi plerumq; fulgoris. Albiſſima item auicula ſæpiſſime conſpecta abſque alarum motu ſupra populum circumuolitare, quando concionem perageret. Sępe etiam numero illius indumenta tamquam ſtellis multis radiare; vt iure omnes demiſſum cœlo ex Apoſtolis quempiam arbitrarentur.

ALIA MIRACVLA.

In confeſſionibus excipiendis, mira gratia pollebat, & quacumque vellet; mentes peccatorum ad meliorem frugem impellebat. Aliquando mulier quædam illi confeſſa, quoddam delictum occultum per obliuionem dicere omiſerat: cui ille eam aperte omiſiſſe dixit, & ad integram exomologeſin induxit. Iuuenis aliquis libidinoſus, cum monentem Venturinum, vt iam tandem peccandi finem, memor tremendi iudicii & infernalis gehennæ, faceret, nec quicquam audiens, ſibi fore impoſſibile à peccatis abſtinere dixiſſet, vix progreſſus, ſic ſe repente mutatum ſenſit, vt non ſolum putaret ſe deinceps pati non poſſe quicquam obſcœnum patrare, ſed nę cogitare quidem. Dum autem ſic audiret confitentes, ſæpe in facie illius mira claritas cernebatur. Aliqua apud S. Mariam Magdalenam Bononiæ Sanctimonialis, dolore lateris vehementiſſimo liberata eſt, poſtquam Venturino peccata confeſſa fuiſſet. Iſtud etiam mirum, Odorem neſcio quem ſuauiſſimum ex ſeſe euaporabat Venturinus; ſiue cum confitentes audiret, ſiue cum Sacram hoſtiam immolaret. Neque ex corpore tantum, ſed ex veſtimentis quoque fragrantia quædam inſolita erumpebat, quod affirmabant illi qui aliquam particulam illorum ſurripuiſſent. Cuidam egenti apud Vicetinos mulierculę veſtem ſuam dederat, vt ex ea illa indumentum ſibi conſueret. Proditum eſt, illam partem quæ collum Venturini ambiebat, multo tempore fragrantiam expiraſſe.

Venetiis in magna hominum frequentia concionante, conſpecta eſt aliquando ſuper caput illius Sacroſanctæ Trinitatis effigies; alias Chriſtus Redemptor ingenti agmine Angelorum circumdatus: ſemel, duo in habitu Prædicatorum venerabiles & forma auguſta viri, dextra læuaq; tamquam iuuantes illum, ac libiũ ante tenentes, ex quo legere videbatur, ea quæ populis euangelizabat. Vnde admirabilem illum & venerabilẽ Deus cunctis Italiæ populis reddebat, & vberrimus inde ac prope incredibilis animarum fructus per totam Italiam ſequebatur. Nec vlli erant adeo flagitiis irretiti, qui non abominarentur veterum vitam, nouamq; viuendi formam induerent. Caſparino cuidam nomen fuit, viarum inſeſſori, qui cum ſuis complicibus, plus mille quingẽtos homines occiderat. Hunc prædonum principem Venturinus, cum ad rectum vitæ modum traduxiſſet, magnam admirationem ſui apud omnes excitauit, plurimoſq; ſcelerum affines, ad ſanctitatem conſectandam pellexit. Vnde viſa eſt aliquando quingentorum ferme dæmonum acies ex Bergomenſi vrbe fugientium atque clamantium ſe dæmones eſſe; necnon fatentium ſeſe virtute viri ſanctiſſimi antiqua poſſeſſione depelli. Aliquis maleuolorum ſanctitati illius cum detraheret, neque alter detrahentem ſuſtineret, vt tanti viri inculpatam opinionem tueretur, fidei plenus, vt erat calceatus igni antepoſito pedem immiſit, & diutius in incendio detinuit, omnino illæſum, adeo vt neque calceus quicquam aduſtus fuerit.

PRÆDONVM PRINCIPEM AD MELIOREM VITAM TRADVCIT.

PROFICISCENTEM AD LIMINA APOSTOLORVM PLVS QVAM TRIGINTA HOMINVM MILLIA EVM SECVTA SVNT.

Bergomi cum in frequentiſſimo auditorio, hoc anno Domini 1334. verba ad populum haberet, peregrinationemq, ad limina Apoſtolorum auditorib. perſuaſiſſet, mille ex eis delegit, quos peregre ituros in vrbẽ, habitu peregrinorum Chriſtianorum induit. Veſtem albam interiorem tegebat cęrulea in nigrũ tendens, duabus crucib. altera rubente, altera alba ex panno ſignata. In parte ſiniſtra eminebat columba candida ramum oliuæ ore ferens, Frontem pilei Thau Ezechielis prophetæ ſignum ornabat. In manibus baculos, ſed nullo ferro præfixos, more peregrinantium geſtabant: funiculos item, ſeptem modis diſtinctos, quibus ſe cæderent, & orationes Dominicas quas recitabant numerarent. Quacumq; incedebant, in plateis, & compitis, tria hæc verba, Pœnitentiam, miſericordiam, pacem, conclamabãt. Hoc autem ordine gradiebantur. Duodena paria procedebant, poſt quæ decimus tertius ſequebatur, qui in ſummo baculo crucem geſtabat paruam, in cuius parte picta erat Diuæ Virginis effigies filium in gremio tenentis: in altera vero parte, Diuæ Marthæ Chriſti hoſpitæ imago cernebatur. Effecerat, vt omnes inimicitiis depoſitis, cum veſcerentur, eodem cyatho, cultro & ſcutella vterentur. Vnde tanta inter eos concordia & charitas vigebat, vt ex iiſdem nati parentibus omnes viderentur. Pluſquam triginta millia hominum numerabantur, qui ex agro Bergomate & aliis Venturinum ſecuti ſunt, cum interim in itinere ſæpius candida colũba ſuper eos volitaret, atque ſuper capite Venturini concionantis conſiſteret. Florentiæ cum eſſet, nobilis quædam matrona cui Thoræ nomen, in ſuo cubiculo orans vidit in aere atque in aureo circulo venerabilem Dei genitricem Mariam Filium in gremio tenentem, quæ monachum quendam habitu Prædicatorum indutum, ante eam genu flexum alloqui videretur. Senis, cum concionaretur, ex eius orę flammas emicare conſpexerunt plurimi. Romam die S. Benedicti feſto veniens, poſtulante Senatu populoque Romano, in diuerſis Baſilicis ingenti cum fructu verba fecit. Nouem conciones numeratæ ſunt, quas in vrbe dixit. Cumque ab æde Diuæ Virginis ad Mineruam, vſque ad Baſilicam Vaticanam Diui Petri innumerabilem illam populi multitudinem, die duodecimo ſolẽni ordine traduxiſſet, clam ſe ab illis ſubduxit: tum vt vanam gloriam effugeret, tũ ne ad inconditam plebem maior acceſſio fieret, vnde vrbibus per quas ire neceſſe foret, grauis eſſet. Non potuit tamen linguas maledicorum effugere, quia viro innocenti inuidiam concitarent.

ROMAM VENIT.

VANA QVÆSTIONE PROPOSITA LEPIDE AD HOMINEM RESPONDET.

Mantuam reduci quæſtionem propoſuerant. An malus Angelus in primo inſtanti creationis ſuæ peccaſſet: ſcilicet vt hac difficultate Theologica hominis ſcientiam explorarent, atq; famæ periculum intentarent. Ad eam Venturinus ſubriſit, & hiſtoriã huiuſmodi nõ illepidã adiecit. Quidam, inquit, iuuenis heremiticam vitam ducens, in epiſtola Diui Pauli Apoſtoli ad Hebræos legerat, Melchiſedechum fuiſſe ſine patre, ſine matre. Itaq; ſecum cogitare ceperat, an forte poſſet inuenire quis Melchiſedechum genuiſſet. Cogitanti, ieiunanti, & à Deo reuelationem eius rei poſtulanti, adfuit Senior quidam anachorita, & cauſa mœroris intellecta, familiariter iuuenem reprehendit, dicens, nõ eſſe rem inueſtigatione dignam, quæ nihil haberet vtilitatis. Addidit ſenex: An, inquit, patrem ac matrem, reſq; cæteras, & cõmoda liberioris vitæ idcirco reliquimus, & Chriſti iugum ſubiuimus, & ad tantam vitæ aſperitatem venimus, ut omiſſis neceſſariis & vtilibus, friuola & anilibus fabulis ſimillima perquiramus, & (ſi Deo placet) quem habuerit patrem Melchiſedech veſtigemus? Rem igitur, vt ad vos veniam, inquit Venturinus, mihi quidem admodum huic ſimilem, certe non vtiliorem afferre videmini. Quid enim damni, quidue dedecoris nobis adfert, ſi talia ignoremus? Quid vtilitatis,

aut ornamenti, ſi non ignoremus? An non pleriq; dum tempus in his terunt, & ingenioſi volunt videri, deſipiunt, melioremq; curam & inquiſitionem prætereunt? Quid porro refert, an in primo, vel in ſecundo, vel in quouis alio inſtanti Angelus infelix peccauerit? Hæc præfatus Venturinus, ad quæſtionem tamen luculenter reſpondit, ſic quidem vt aduerſarii erubuerint, & demiſſo capite abierint.

AVENIONEM AD PONT. PROFICISCITVR.

Auinionem anno ſubſequente ad Benedictum Pontificem, vt eum ad expeditionem terræ ſanctæ indicendam inflammaret, profectus, cum ſecundo & tertio falſis criminationibus obrutus, ſeueriorem illum experiri cogeretur, & tum concionandi, tum confeſſiones excipiendi munere, tum vero in Italiam reuerſione prohiberetur, in Macrologienſi cænobio, tanta patientia omnes aduerſitates pertulit, vt omnes Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ & Angliæ, propter perfectionem virtutum in ſuam admirationem excitarit populos, ac præcipue Prælatos, qui viſendi hominem cauſa illo commigrabant. Porro qui illum conuenire non poterant, alicuius felicitatis partem in hoc poſitam arbitrabantur ſe percipere, ſi epiſtolium aliquod ab eo extorquerent. Scribebat itaq; per totũ fere orbem graues ac vtiles literas.

STILVS QVO IN SCRIBENDIS EPISTOLIS VTEBATVR.

quibus in fronte præſcribere ſolebat, Ieſus amor meus; vel, *Aue Maris ſtella: vel in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.* In calce vero inſignia paſſionis Chriſti, columnam, crucem, lanceam, clauos, & reliqua adpingebat, & vnum, aut plures verſus de Crucis laudibus in cruce ipſa ſubſcribebat. His literis, multi legentes, vel tangentes ægroti ſanabantur.

MIRACVLA EX LECTIONE LITERARVM IPSIVS.

Canonicus quidam Oxonienſis in venerem procliuis, cum iis receptis, perpetuam continẽtiam ſimul obtinuit. Aliquis etiam energumenus, ab iiſdem *lectis*, malo hoſpite in poſterum caruit; cum ad nullius Sancti ſepulchrum curari potuerit. Quædam Monialis Bononienſ. febribus pene exuſta, ex earum lectione & contactu ſanitati reſtituta fuit. Octo annos continuos in eo exilio cum exegiſſet, ingentem ſanctitatis laudem tulit; cum etiam arcana cordium penetraret, & ſpiritu prophetico multa prædiceret, & quemdam vita functum à mortuis reuocaret. Sed reliqua vitæ eius, ſuo loco inferius narrabimus. *Leand. lib 5. de viris Illuſtr. Ord. Præd.*

MORTVVM AD VITAM REVOCAT.

VII.

OBITVS BEATI ANGELI PORTASOLII ORDIN. PRÆDIC.

Venturino in eum modum in Italia florente, diem extremum hoc anno clauſit F. Angelus Portaſolius Peruſinus, idem vitæ inſtitutum profeſſus. Antequam is naſceretur, matri grauidæ in *forma catuli latrantis* præmonſtratus fuit. Cum ad baptiſmũ deferretur, lumen cœlitus in aere apparẽs illum vſq; ad Eccleſiam præceſſit. Tertiodecimo ætatis anno prædicatoriam religionẽ ingreſſus, Angeli nomen, aſpectu, puritate, conuerſatione, contemplatione rerum cœleſtium ſtudio retulit. Nomina Ieſu & Mariæ adeo frequenter in ore habuit, vt Fr. Angelus à Ieſu Maria diceretur. Concionibus, ingentem numerum pellicum & Hebræorum conuertit. Florentinos, mortalia odia & grauiſſima peccata deponere docuit. Epiſcopatum Groſſetanum poſt officium ſacræ pœnitentiariæ ab Ioanne 22. Pontifice nactus, eam Eccleſiam virtutibus ornauit. Mortis ſuæ horam longe ante præuidit; & tandem ſancto fine quieuit, *Michael Pius lib. 1. de viris illuſtr. Ord. Præd.*

VIII.

OBITVS PATRIARCHÆ ALEXANDRINI IACOBI REGIS ARAG. FILII.

Hoc anno ad XV. Kal. Septemb. ad Populum Regni Aragoniæ vicum, mortuus eſt Ioannes Patriarcha Alexandrinus, Archiepiſcopus Taraconen. Regis Iacobi filius, & Alfonſi frater, vir inſigni pietate, ſanctitate, ſummaq; ſacrorum librorum literatura illuſtris. Huic Antiſtiti vere magno, apud poſteros maximæ gloriæ fuit, quod cænobium Monachis *Carthuſianis* ab Alfonſo Rege anno Domini M.C.LXVII. in paupertatis patientia dicatum, ornatumque, & à Petro eius filio Scalæ Dei nomine indito, & Iacobo nepote Regiis honoribus & præmiis ampliſſimis decoratum, & ædem continentem ample magnificeque exornarit. Ex eo enim cænobio, in ſolitudine & ſacro quodam receſſu, ad Coſetanorum & Ilergaonum confinia ſito, quaſi à cœleſti cætu, ſacræ religionis fontes hauſere cæteri Hiſpaniarum Conuentus, qui eiſdem ſacris inſtitutis ſeſe addixerant: & ad ſimilem laudem, ſupra quadringenteſimum annum propagati fuere.

# IESV CHRISTI Annus 1335.

## BENEDICTI PAPÆ XII. ANNO 1.

I. IOanne Pontifice defuncto, Fridericus Trinacriæ Rex, Epiſcopos omnes Regni Siciliæ, & viros dignitate, religione, atque doctrina præſtantes, vnum in locum coactos cõſuluit; an ſacro interdicto, propter cauſam *Bauari*, ab *Ioanne olim* Romano *Antiſtite* prolato, parendum eſſet. Decreuerant, non amplius ea ſententia cenſuraq; teneri quaſi iam illa omnia ſimul cum morte Pontificis expiraſſent. Itaq; ſacra omnia, ac Miſſæ quibus Friderico & *Siculis* per multos annos fuerat interdictum, vbiq; celebrari cœperunt. Placuit nihilo minus Friderico, Nuncios, ad Benedictum recens electum mittere: qui decretum Concilii approbaret, atq; pacem inter illum & *R*obertum *Siciliæ* Regem, æquis conditionibus componeret. *Thomas Phazelus de rebus Siculis decad. 2. lib. 9.*

Autorem habeo id temporis ſcribentem Richardum Cluniacenſem, qui aſſerit, ſententias aduerſus Ludouicum Bauarum ab *Ioanne* latas, *non amplius* fuiſſe à Benedicto ſucceſſore redintegratas, quippe qui etiam Legatos deſtinarit, monueritque Ludouicũ, vt ad Eccleſiaſticam rediret vnitatem. Itaque coniectura eſt, Benedictum, eas cenſuras & diras in Trinacrios non innouaſſe, & vſum Sacrorum ab eis receptum toleraſſe. cum etiam inito Pontificatu, ſtatim Oratores pro pace inter Regem Siciliæ & primogenitum Sabaudiæ ſtabilienda ſubmiſerit, *ep.* 106. & cenſum, Romanæ Eccleſiæ à Rege Siciliæ ad diem Diuo Michaeli ſacrum, numerari conſuetum, exegerit. *ep.* 369.

II.

BENEDICTVS PP. FRATRICELLOS HÆR. ANATHEMATE FERIIT.

Quanquam autem Benedictus Pontifex, nihil grauius aduerſus Ludouicum tunc decreuerit, Fratricellos tamen totius ſchiſmatis auctores, & Ioanni Pontifici detrahentes, anathemate percuſſit *ep.* 410. cum etiam olim inter Cardinales exiſtens, docta reſponſione errores & *hæreſes* illorum confutaſſet. Non illubet iterum errores recenſere; vt legentibus ſit exploratum magis, quantum poſſit Pater mendacii tenebrarum affundere, his qui ab vtero lucis diuinioris Eccleſia Romana Catholica errauerunt. Auctor directorii Inquiſitorum, quinq; & quinquaginta numerabat, hoc ſtylo & ordine, quem ſubiungo.

ERRORES FRATICELLORVM HÆRET.

*Chriſtus inquantum fuit homo, & eius Apoſtoli, nihil habuerunt in proprio, nec etiam in communi, quia fuerunt perfecti pauperes in hoc mundo.*

2. *Perfecta paupertas Euangelica eſt, nihil habere in proprio, nec in communi.*

3. *Habere aliquid in communi, de perfectione Euangelicæ perfectionis diminuit.*

4. *Apoſtoli, ſine diminutione perfectionis eorum, & ſine peccato, non potuerunt habere aliquid, nec in proprio, nec in communi.*

5. *Credere & aſſerere contrarium prædictorum, eſt hæreticum.*

6. *Regula Beati Franciſci, eſt illa vita Ieſu Chriſti, quam Chriſtus ſeruauit in hoc mundo, & quam Apoſtolis ſuis tradidit, & impoſuit obſeruandam.*

7. *S. Franciſcus, tradidit Fratribus ſui Ordinis in ſua Regula ſupradictam Euangelicã paupertatem, ita quod profeſſores dictæ Regulæ, nihil poſſunt habere, nec in proprio, nec in communi.*

8. *Beatus Franciſcus, poſt Chriſtum, & eius Matrem, atq; Apoſtolos, fuit ſummus & præcipuus obſeruator vitæ & Regulæ Euangelicæ, ac renouator eius in iſto ſtatu ſexto Eccleſiæ.*

9. *Regula S. Franciſci eſt Euangelium Chriſti: ſeu idem cum Euangelio Chriſti.*





10. *Quicumque impugnant, vel contradicunt in aliquo Regulæ S. Franciſci, impugnant, & contradicunt Euangelio Chriſti, & per conſequens errant, & ſunt hæretici, ſi in hoc perſeuerant.*

11. *Sicut Papa, vel aliquis alius, non poteſt aliquid immutare in Euangelio, nec addere, nec ſubtrahere ex eodem; ita non poteſt aliquid immutare in prædicta Regula, nec addere, nec ſubtrahere ex eadem quantum ad vota, ſeu conſilia Euangelica, ac præcepta contenta in ipſa.*

12. *Papa non poteſt dictam Regulam Sancti Franciſci caſſare, vel immutare, neque Ordinem S. Franciſci, aut eius tertiam Regulam caſſare.*

13. *Papa non poteſt facere Conſtitutionem vel Decretalem, per quam diſpenſet ac cõcedat Fratribus Minoribus, vt poſſint habere bladum, vel vinum, ad ſeruandum in communi, in granariis vel cellariis, pro tempore futuro ad ſuum vſum, ſeu victum neceſſarium. & quod hoc eſſet facere contra Euangelicam Regulam S. Franciſci, & Euangelium Chriſti.*

14. *Papa Ioannes 22. faciendo quandam Conſtitutionem, quæ incipit;* Quotundam; *in qua dicitur concedere, ac diſpenſare cum Fratribus Minoribus, quod poſſint congregare vinum & bladum in granariis, vel cellariis pro tempore futuro ad arbitrium Prælatorum Ordinis ipſorum, fecit contra Euangelicam paupertatem, & per conſequens contra Euangelium Chriſti: & ideo factus eſt hæreticus, & propterea perdidit poteſtatem Papalem ligandi & ſoluendi, & alia faciendi, ſi in hoc perſeuerauit: & Prælati per eum facti, ex quo dictam Conſtitutionem fecit, non habent aliquam Eccleſiaſticam iuriſdictionem, ſeu poteſtatem.*

15. *Omnes Prælati, & alii, qui eidem Papæ Ioanni XXII. in dicta Conſtitutione facienda conſenſerunt, ac ſcienter conſentiunt, ex hoc facti ſunt hæretici, ſi in hoc pertinaciter perſeuerent. & propterea omnem poteſtatem ſeu iuriſdictionem Eccleſiaſticam perdiderunt.*

16. *Omnes Fratres Minores, qui dictam Conſtitutionem fieri procurarunt, ac qui eidem conſentiunt, eamq; recipiunt, vel ea vtuntur, ex hoc hæretici effecti ſunt.*

17. *Papa non poteſt facere ſecundum Deum, vt aliquis Frater Minor, etiam de licentia ipſius Papæ, tranſeat ad aliam Religionem, ſeu Ordinem, vbi ipſe Frater Minor, ſicut & alii Fratres eiuſdem Ordinis habeant aliquas diuitias in communi: quia hoc eſſet deſcendere à maiori & altiori gradu, ſeu ſtatu perfectionis virtutis, ad minorem & inferiorem: & hoc eſſet deſtituere non conſtituere: & poteſtas Papæ eſt data ſolum in conſtructionem, non in deſtructionem.*

18. *Si quis Frater Minor factus fuerit Epiſcopus, vel Cardinalis, vel etiam Papa, tenetur ſeruare votum paupertatis à ſe prius factum, ſecundum Regulam S. Franciſci.*

19. *Perfectior ſtatus qui ſit in Eccleſia Dei, eſt ſtatus Ordinis Fratrum Minorum, qui paupertatem Euangelicam vouerunt & promiſerunt: nec ſtatus Prælatorum ad eius perfectionem pertingit: ſed illi Prælati, qui de Ordine Fratrum Minorum aſſumuntur, vbi paupertatem Euangelicam promiſerunt, ad quam ſeruandam ſunt perpetuo obligati, ad eamdem perfectionem pertingunt ſi votum ſeruauerint à ſe prius factum.*

20. *Quatuor Fratres Minores, qui ſub anno Domini. M.CCC.XVIII. apud Marſiliam, per Inquiſitorem hæreticæ prauitatis, qui etiam erat de Ordine Fratrum Minorum, fuerunt velut hæretici condemnati, propter hoc quod volebant ſeruare, & tenere puritatem, & veritatem, & paupertatem Regulæ dictæ Sancti Franciſci: & quia nolebant aſſentire in laxationem Regulæ, nec recipere diſpenſationem Ioannis Papæ 22. factam ſuper illam, nec ſibi, nec aliis ſuper hoc obedire: fuerunt iniuſte condemnati, pro veritate Euangelica Regulæ defendenda. Ideoque non fuerunt hæretici ſed Catholici, & martyres glorioſi, quorum orationes & ſuffragia apud Deum ſunt imploranda.*

21. *Quatuor prædicti Fratres, non minores ſunt martyres, nec minoris meriti apud Deum, quam S. Laurentius & Vincentius martyres Diaconi.*

22. *In illis ipſis quatuor Fratribus Minoribus, fuit Chriſtus iterum ſpecialiter crucifixus, tamquam in quatuor brachiis Crucis: cum paupertas Chriſti, & vita eius fuerint in ipſis condemnatæ.*

23. *Si Papa Ioannes 22. mandauit ac conſenſit, quod prædicti quattuor Fratres Minores fuerint per Inquiſitorem velut hæretici condemnati, ex hoc ipſe factus eſt hæreticus, & maior etiam inter alios. cum deberet ipſe ſicut Caput Eccleſiæ, perfectionem Euangelicam defendere, quam cum condemnari tolerauit, Papalem perdidit poteſtatem, neque amplius fuit Papa, neque ei obedire fideles tenebantur: & ex eo tempore vacauit Papatus.*

24. *Omnes Beguini vulgariter nuncupati, qui ſeipſos Fratres de pœnitentia, ſeu de tertio Ordine S. Franciſci appellant, qui in annis præcedentibus, videlicet ab anno Domini M.CCC.XVIII. vel circa fuerunt per iudicium Prælatorum, & Inquiſitorem hæreticæ prauitatis, in prouincia Narbonæ, & in Capite Stagni, & Biteris, & apud Lodonam, & in diœceſi Agatan. & apud Lunellum, & Magolon diœceſ. velut hæretici propterea condemnati, quia credebant prædictos quattuor Fratres Minores eſſe ſanctos martyres; & quia credebant & tenebant, & ſentiebant ſicut ipſi de paupertate Euangelica, & de poteſtate Ioannis Papæ 22. quod eam perdidit, & quod fuerit factus hæreticus, & qoud etiam Prælati, & Inquiſitores, qui dictos Fratres perſecuti fuerunt, ex hoc facti ſunt hæretici: & quod doctrina olim Fratris Petri Ioannis, tota erat vera & Catholica: & quod Eccleſia carnalis, ſcilicet Romana Eccleſia, erat Babylon meretrix magna, deſtruenda, & deiicienda ſicut olim deſtructa fuit Synagoga Iudæorum incipiente Eccleſia primitiua: tales inquam Beguini eo quia omnia ſupradicta crederent & defenderent fuerunt iniuſte pro veritate defendenda condemnati: & non fuerunt hæretici ſed Catholici, & coram Deo martyres glorioſi.*

25. *Eccleſia Dei adhuc recognoſcet, quod dicti quattuor Fratres Minores, & dicti Beguini, qui fuerunt velut hæretici condemnati, ſunt Sancti Martyres, & de eis fiet feſtum ſolemne in Eccleſia, ſicut de aliis magnis martyribus.*

26. *Prælati & Inquiſitores, qui ipſos iudicauerunt & condemnauerunt velut hæreticos, nec non omnes illi qui conſenſerunt ac conſentiunt ſcienter in condemnationibus eorum, ex hoc facti ſunt hæretici, ſi in hoc perſeuerant: & ex hoc perdiderunt Eccleſiaſticam poteſtatem ligandi & ſoluendi, & Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrandi; nec eſt eis obediendum à fidelibus Chriſtianis.*

27. *Omnes & ſinguli prædicti facti hæretici, non ſunt propter prædicta de Eccleſia Dei, nec de numero fidelium: ſed ſunt extra Eccleſiam, ſi in hoc perſeuerant.*

28. *Omnes illi, qui tenent & credunt ſicut ipſi Beguini, ſeu Fratres pauperes de tertio Ordine credunt & tenent de omnibus prædictis: & ſicut tenuerunt & crediderunt illi qui fuerunt velut hæretici condemnati: inſuper omnes alii fideles, qui non ſunt de tertio Ordine, ſiue ſint clerici, ſiue religioſi aut laici, qui credunt aut tenent de prædictis ſicut ipſi Beguini: omnes inquam tales ſunt Eccleſia Dei, ac de Eccleſia Dei, & intra Eccleſiam Dei viuunt.*

29. *Multi Beguini, & Beguinæ, ac credentes erroribus ipſorum, recollegerunt occulte oſſa combuſta & cineris, prædictorum combuſtorum, qui fuerunt velut hæretici condemnati, ad conſeruandum ſibi pro reliquiis: & tamquam reliquias Sanctorum oſculabantur & venerabantur ſicut aliorum Sanctorum, propter deuotionem & reuerentiam eorumdem: ſicut compertum extitit per inquiſitionem & confeſſiones & depoſitiones quorundam Beguinorum, receptas in iudicio, qui talia ſecum habebant, & alios habere, & habuiſſe viderant, & ſciebant.*

30. *Aliqui ex Beguinis ſcripſerunt & notarunt nomina prædictorum condemnatorum, & dies, ſiue Calendas, in quibus paſſi fuerunt quaſi martyres, vt ipſi aſſerunt: ſecundum quod Eccleſia Dei, de Sanctis & iuſtis martyribus facere conſueuit: & nomina eorum adnotauerunt in ſuis Calendariis, & in ſuis inuocant litaniis.*

31. *Papa non poteſt diſpenſare cum aliqua perſona in voto virginitatis, ſeu caſtitatis, etiam ſi votum id fuerit ſimplex, & non ſolenne: quantumcunque etiam ex tali diſpenſatione ſequeretur aliquod magnum bonum communitatis: prout reformatio pacis alicuius prouinciæ, ſiue Regni: vel conuerſio vnius gentis ad fidem Chriſti. quia perſona cum qua diſpenſaretur, de maiori & altiori gradu perfectionis ſuæ deſcenderet ad minorem.*

32. *Si omnes mulieres eſſent mortuæ, excepta vna quæ vouiſſet caſtitatem vel virginitatem Deo: & etiam ſi genus humanum deficeret niſi talis mulier contraheret, Papa non poſſet cum tali*

*mulieredispenſare:nec talis mulier teneretur obedire Papæ præcipienti vt contraheret: & ſi obediret, mortaliter peccaret: & ſi propter hoc excommunicaretur per Papam, talis excommunicatio eſſet iniuſta, eamque non ligaret: & ſi propter hoc mortem ſuſtineret, martyr eſſet.*

33. Non tenentur iurare coram *Prælatis & Inquiſitoribus, quamuis delati ſint de ſecta & hæreſi Beguinorum, ad reſpondendum eis: niſi ſolum de Fide, & articulis Fidei.*

34. *Si excommunicarentur propter hoc, quia recuſant iurare ſimpliciter & abſolute de veritate dicenda in iudicio de requiſitis, niſi tantum de articulis Fidei, & præceptis, ac Sacramentis: & quia nolunt de aliis reſpondere: & quia recuſant ſuos complices reuelare: talis excommunicatio eſt iniuſta, neque eos ligat.*

35. *Papa non poteſt ſecundum Deum inhibere Beguinis, etiam per ſententiam excommunicationis, ne viuant de mendicitate: quamuis poſſent laborare, & de arte ſua victum ſibi congruum procurare: nec tenentur illi obedire. & ſi propter hoc ad mortem condemnarentur, eſſent martyres glorioſi.*

36. *Tota doctrina & ſcriptura Fratris Petri Ioannis olim de Ordine Fratrum Minorum, eſt vera & Catholica, ei à Domino reuelata: quemadmodum is ipſe Frater Petrus dum viueret, ſuis reuelauit.*

37. *Frater Petrus Ioannis, eſt Sanctus Petrus non canonizatus, & martyr.*

38. *Ab Apoſtolis & Euangeliſtis citra, nullus fuit maior Doctor Fratre Petro Ioannis: quin potius illis fuit maior ſanctitate & doctrina.*

39. *Frater Petrus Ioannis veritatem dixit & tenuit, in eo quod dixit & tenuit quod Chriſtus viuebat, quando fuit in Cruce pendens in latere lanceatus: quod anima Chriſti ſecundum rei veritatem, adhuc eſſet in corpore, ſed quia Chriſtus erat multum exinanitus, ideo aſpicientibus mortuus videbatur. Ioannes autem Euangeliſta, ideo dicit eum tunc eſſe mortuum, quia mortuus apparebat: Matthæus autem Euangeliſta ſcripſit: quod Chriſtus tunc viuus erat, quia ſecundum rei veritatem ita erat: ſed Eccleſia abraſit hoc de Euangelio Matthæi, ne Ioanni Euangeliſtæ contrarius videretur.*

40. *Scripturæ & doctrina Fratris Petri Ioannis, ſunt magis neceſſariæ Eccleſiæ Dei pro iſto tempore finali, quam aliquæ aliæ Scripturæ quorumcumque Doctorum & Sanctorum, exceptis Scripturis Apoſtolorum & Euangeliſtarum, quia (vt dicunt) ipſe magis declarat, & dat intelligere malitiam Antichriſti & diſcipulorum eius, videlicet Phariſæorum, quos dicunt eſſe Prælatos & religioſos moderni temporis.*

41. *Qui non recipiunt doctrinam F. Petri Ioannis ſunt caci & illi qui eam reprobant ac condemnant, ſunt hæretici.*

42. *Si Papa condemnaret doctrinam & ſcripturam F. Petri Ioannis, condemnando eam eſſet hæreticus, quia condemnaret vitam & doctrinam Chriſti.*

43. *Ex poſtilla F. Petri prædicti ſuper Apocalypſim, dicunt Eccleſiam carnalem Romanam Eccleſiam: quam intelligunt non ſolum pro ipſa Roma, ſed quantum ſe extendit Romani Imperii latitudo, eſſe illam Babylonem meretricem magnam, de qua loquitur Ioannes in Apocalypſi. Et de ipſa exponunt & intelligunt, quæ leguntur ibidem: videlicet, quod ipſa eſt ebria de ſanguine martyrum Ieſu Chriſti & exponunt de ſanguine illorum Quatuor Fratrum Minorum, qui fuerant tamquam hæretici Marſiliæ condemnati, & exuſti: & de ſanguine Beguinorum de tertio Ordine, qui fuerunt in iſtis retro annis tamquam hæretici condemnati, & combuſti.*

44. *Dogmatizabant, quod Eccleſia carnalis, videlicet Eccleſia Romana, ante prædicationem Antichriſti deſtruenda eſt per bella, quæ contra ipſam faceret Fridericus Rex Trinacriæ, qui tunc, cum complicibus ſuis regnabat. & hos vocabant decem Reges, qui intelliguntur per decem cornua beſtiæ, de quibus ſcribitur Apocal. 17. cap. Inſuper quædam alia inſana & erronea, de Rege Friderico contra Regem Franciæ, & contra Robertum Regem Siciliæ fabulabantur.*

45. *Prædicabant, quod in fine ſexti ſtatus Eccleſiæ, (in quo ſtatu dicunt nos eſſe) qui incepit à Sancto Franciſco citra: prædicta Eccleſia carnalis, Babylon meretrix magna eſt reiicienda à Chriſto, ſicut reiecta fuit Synagoga Iudæorum, quia crucifixit Chriſtum. Quia carnalis Eccleſia crucifigit & perſequitur vitam Chriſti, in illis Fratribus quos vocant pauperes & ſpirituales Ordinis Sancti Franciſci. exponendo tam de primo, quam de tertio Ordine, & de perſecutione quæ facta eſt contra eos in Prouincia Prouinciæ, & in prouincia Narbonenſi.*

46. *Sicut reiecta Synagoga à Chriſto, fuerunt pauci viri electi per eum, per quos fuit fundata Chriſti Eccleſia primitiua, quãtum ad primum ſtatum Eccleſiæ: ita reiecta & deſtructa carnali Eccleſia Romana, in ſexto ſtatu Eccleſiæ, nunc etiam remanebunt pauci viri electi ſpirituales, pauperes Euangelici: quorum maior pars (vt aiunt) erit de vtroque Ordine Sancti Franciſci, videlicet de primo, & de tertio, per quos fundabitur Eccleſia ſpiritualis, quæ erit humilis & benigna in ſeptimo & vltimo ſtatu, qui incipiet mortuo Antichriſto.*

47. *Omnes religiones ſeu Ordines deſtruentur in perſecutione Antichriſti, excepto Ordine Sanct. Franciſci: quem Beguini diſtinguunt in tres partes: quarum vnam dicunt eſſe communitatem Ordinis, ſecundam dicunt eſſe illos qui appellati ſunt Fratricelli in Italia: & tertiam aiunt eſſe, tam in Fratribus quos vocant ſpirituales, ſeruantibus paupertatem regulæ S. Franciſci, quam in Fratribus de tertio Ordine eiſdem adhærentibus. Et primæ duæ partes (vt aiunt) deſtruentur, & tertia remanebit vſque ad finem mundi duratura: quia (vt aiunt) Beato Franciſco ſic fuit à Deo promiſſum.*

48 *Dogmatizabant eſſe duplicem Antichriſtum, videlicet vnum ſpiritualem ſeu myſticum, & alium realem maiorem Antichriſtum: & primum dicebant eſſe præparatorem viæ ſecundi, ac eſſe illum Papam, ſub quo fieret perſecutio & condemnatio eorumdem.*

49. *Determinabant tempus, infra quod veniret maior Antichriſtus, & inciperet prædicare, & finiret curſum ſuum. quem iam natum eſſe dicebant, & finiturum eſſe curſum ſuum anno Domini. M.CCC.XXXV.*

50. *Illi viri ſpirituales, quos vocabant Euangelicos, in quibus, & per quos fundabitur Eccleſia, mortuo Antichriſto, prædicabunt XII. tribubus Iſrael, & conuertentur de qualibet tribu XII. millia: qui ſimul congregati erunt centum quadraginta quattuor millia; & hæc erit militia ſignata per Angelum habentem ſignum Dei viui: & exponebant de Beato Franciſco, qui habuit ſtigmata vulnerum Chriſti. quæ militia ſignata, primo pugnabit cum Antichriſto, & per eum occidetur ante aduentum Heliæ & Henoch.*

51. *Tempore perſecutionis Antichriſti, ita affligentur Chriſtiani carnales, quod deſperati dicent, quod ſi Chriſtus eſſet Deus, non permitteret vt Chriſtiani tanta paterentur mala: & ſic deſperati apoſtatabunt à fide, & morientur. Sed Deus abſcondet prædictos viros ſpirituales electos, ne per Antichriſtum & miniſtros ſuos valeant inueniri: & tunc Eccleſia reducetur ad numerum perſonarum, in quo numero fuit fundata Eccleſia primitiua, ita quod vix XII. remanebunt: in quibus etiam fundabitur, & in quibus infundetur Spiritus Sanctus in æquali vel maiori abundantia, quam fuerit infuſus ſuper Apoſtolos in Eccleſia primitiua.*

52. *Poſt mortem Antichriſti, dicti viri ſpirituales conuertent totum mundum ad fidem Chriſti, & totus mundus erit bonus & benignus, ita quod nulla malitia vel peccatum erit in hominibus ſtatus illius, niſi forte peccata venialia in quibuſdam. Et omnia erunt communia quoad vſum, & non erit aliquis qui alium offendat, vel ſollicitet ad peccatum: quia maximus erit amor inter omnes: & erit tunc vnum ouile & vnus Paſtor. Et talis omnium ſtatus & conditio durabit per centum annos: deinde deficiente amore, paulatim ſubingredietur malitia, & intantum ſenſim ſubcreſcet, vt Chriſtus propter exceſſum malitiæ, veniat ad iudicium generale.*

53. *Ignominioſe & grauiter obloquebantur Beguini, Ioanni Pontifici XXII. Vicario Ieſu Chriſti: quem ſicut mente inſani & ſchiſmatici vocabant, & dicebant eſſe myſticum Antichriſtum, maioris Antichriſti præcurſorem, & præparatorem viæ eius.*

54. *Item vocabant eum lupum rapacem, à fidelibus euitandum: & prophetam laſcum ſeu cæcum; & Caipham Pontificem qui Chriſtum condemnauit: & Herodem, qui Chriſtum deridendo illuſit: quia, vt dicebant, ipſe condemnaret vitam Chriſti, & derideret Chriſtum in pauperibus ſuis.*





55. *Item dicebant ipſum eſſe aprum de Sylua, & ſingularem ferum exterminantem & deſtruentem materiam, ſeu clauſuram Eccleſiæ Dei, ita vt in eam poſſint ingredi canes & porci, id eſt, homines, qui perfectionem vitæ Euangelicæ dilacerant atque conculcant. addebant, quod plus mali facit in Eccleſia, quam omnes hæretici præcedentes, quia tempore hæreticorum manebat Eccleſia in ſtatu ſuo, nunc vero eius tempore carnalis Eccleſia deſtrueretur; quia ipſe ſolus cum duobus Cardinalibus fugiet, & latitabit, & morietur præ triſtitia & dolore.*

III. Reſponſio ad quoſdam errores Fraticellorum facta a Benedicto Pp. dum adhuc Cardinalis eſſet.

Hæc & complura alia, Beguini Spiritu vertiginis correpti, cum verbo & ſcripto pronunciaſſent, non ſibi æquum putauit Benedictus Pontifex, vt ea toleraret; neque maiorem curam veritatis tuendæ vindicandæque ſuſciperet, quam olim Cardinalis feciſſet. Namq; ante Pontificatum, zelo honoris Sedis Apoſtolicæ inflammatus, Beguinis & Fratricellis ſeſe conſtanter, orationibus & ſcriptione oppoſuerat; & hæc quæ ſubiungo totidem & iiſdem fere verbis repoſuerat.

Primo quidem Beguini pro ſui erroris fundamento aſſerebant, quod Apoſtoli, & religioſi vitam Apoſtolorum ſequentes, non habuerunt, neque habent in rebus vſu conſumptibilibus, nec in non conſumptibilibus vſu, aliquod ius dominii, vel proprietatis; aut ius vtendi in ſpeciali, vel in communi; ſed tantum ſimplicem vſum facti; dominio & proprietate talium rerum penes alium remanente.

Ad I. Ad iſtud reſpondebat F. Iacobus Furnerius Cardinalis, prædictum fundamẽtum declaratum hæreticum eſſe, prout in decretali, Cum inter nonnullos, continetur. quia vt diligenter conſideranti apparet, contrariatur Diuinæ Scripturæ, Sanctorum Patrum doctrinæ, & conſuetudini totius Eccleſiæ.

Ad II. Secundo aſſerebant Beguini, quod prædictam paupertatem fuiſſe Chriſti & Apoſtolorum, determinauerit Nicolaus Papa III. in Conſtitutione, Exiit.

Reſpondebat Cardinalis, quod licet illud in dicta Conſtitutione contineatur, tamen ex ſcriptura diuina verum eſſe, ibi non oſtenditur, ſed tantummodo narratur. quinimo contrarium poteſt haberi ex ſcriptura Euangelica & Apoſtolica; ex qua motus Ioannes Papa 22. declarauit aſſertionem Beguinorũ, ſi pertinax eſſet, hæreticam eſſe, ſicut contrariam diuinæ ſcripturæ. Neque illud aſſerit ſimpliciter & determinate, Nicolaus Papa, ſed tantum incidenter & narratiue.

Tertio affirmabant, quod in his quæ pertinent ad fidem & mores, quicquid eſt determinatum ſemel per ſummum Pontificem, non poteſt per alium reuocari. Talis autem eſt aſſertio Nicolai Papæ, de Chriſti & Apoſtolorum paupertate.

Ad III. Reſpondebat Cardinalis, negando aſſertionem, & præſuppoſitam propoſitionem. Nam Petrum, qui non ambulabat recte ad veritatem Euangelij, reprehendit & correxit Paulus. vt patet ad Galat. 2. & tamen non erat illi par, ſed inferior. Item Stephanus Papa determinauit, quod nullus baptizatus per quoſcumque hæreticos, veniens ad Eccleſiam Catholicam rebaptizaretur. Sanctus autem Cyprianus cum multis Epiſcopis in Africa celebrans Concilium, determinauit oppoſitum; ſcilicet, quod baptiſati à quibuſcunque hæreticis, ſi ad Eccleſiam Catholicam veniant ſunt baptizandi: reprobans in hoc Stephanum Papam; vt patet in Cypriani epiſtolis ad Iubaianum, ad Stephanum, & Pompeium. Concilium autem Nicænum vtramq; opinionem, Sancti Stephani & Sancti Cypriani correxit, determinans, quod baptizati ab hæreticis, non ſeruantibus formam Eccleſiæ, venientes ad Eccleſiam baptizentur: ab aliis vero hæreticis baptizati, non rebaptizentur. vt non ſit contra articulum Fidei; & vnum Baptiſma. Item per multos Romanos Pontifices determinatum fuit, quod matrimonium factum infra ſeptimum gradum conſanguinitatis debet ſeparari; & quod coitus cum muliere, quæ erat infra dictum gradum, erat inceſtuoſus. vt patet 35. q. 3. c. nullum. Hoc autem reuocatum eſt per alios, vt patet, extra de conſanguin. & affi. c. Non debet. Quamobrem nunc licet in ſexto & ſeptimo gradu conſanguinitatis matrimonium fieri; vnde ſi aliquis mulierem in dictis gradibus exiſtentem carnaliter cognoſcat, non committit inceſtum. Item extra de eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, c. diſcretionem tuam. dicitur. quod cum quidam legitime matrimonium contraxiſſet cum quadam, quam antequam carnaliter cognouiſſet, conſanguineo ſuo tradidit renitentem, cum qua ille matrimonium contraxit, & carnaliter eam cognouit: cum ipſa vellet poſtea reuerti ad priorem maritum, & ſuper hoc dubitaretur, an fieri deberet: Papa reſpondit; quod licet quidam prædeceſſor eius aliter determinauerit, ipſe tamen dicit; ſi mulier omnino hoc vult, licite poteſt & debet priori viro reſtitui. & tamen manente determinatione prædeceſſoris dicti Pontificis, Eccleſia reputaſſet inceſtum, ſi talis mulier carnaliter coniungeretur cum priori marito. Item, extra de ſponſa duorum, c. Licet. dicitur, quod quidam prædeceſſores Alexandri Papæ III. iudicauerunt, quod ſi inter virum & vxorem, legitime matrimonium per verba de præſenti expreſſe eſſet contractum, ſiue iuramento intepoſito, ſiue non; ſi poſtea mulier nuberet alteri, à quo carnaliter cognita eſſet; non debebat ſeparari ab iſto ſecundo, & reſtitui primo. & tamen Alexander Papa iii dicit contrarium, ſcilicet, quod debet ſeparari à ſecũdo, & reſtitui primo. Et ſic patet, quod illud quod circa fidem & mores non vſquequaque ad amuſſim determinatum fuit per vnum Pontificem, vel Concilium, potuit & poteſt per alium perſpecta melius veritate corrigi & emendari. Ideo non eſt mirandum, ſi Ioannes XXII. diligenti deliberatione cum multis peritis in Theologia & in vtroque iure habita, ſeu reuocauerit, ſeu declarauerit ea, quæ Nicolaus, de Chriſti & Apoſtolorum paupertate incidenter narrauerat, non autem decreuerat.

Quarto opponebant: ſi contenta in decretali Exiit, ſint falſa, Nicolaus erraſſet in Fide, & eſſet hæreticus. Ad IV.

Negabat Cardinalis, eo quod, dum voluntas non ſit in crimine, ſi ex defectu humanæ intelligentiæ error contingat, non eſt ſimpliciter culpabilis error, taliter vt debeat pro errore damnabili reputari: vt patet in Petro, quem Paulus reprehendit, & in Cypriano martyre, quem ad eum modum excuſat Auguſtinus libro de Baptiſmo contra Donatiſtas. Item, quia dicit Auguſtinus in epiſtola ad Heſyhium, tomo 2. ep. 80. Error vitandus eſt, quantum ab homine vitari poteſt; ſed mihi quiſquam non videtur errare, cum aliquid neſcire ſe ſcit: ſed cum putat ſe ſcire quod neſcit. Itaque Nicolaus faciens Decretalem Exiit, non videbatur, quod putaret ſe contra veritatem Fidei ac morum determinare certitudinaliter, quod ſcientia requirit. quia ſubiunxit, quod ſi aliquod dubium in ſua declaratione inſurgeret, non per quoſcumque, ſed per Romanum Pontificem declarari haberet. multum autem dubitabile erat id, quod de paupertate Chriſti & Apoſtolorum incidenter narrauerat: ſcilicet an vſus in omnibus rebus poſſit ſeparari à dominio & proprietate. Ideoque & potuit, & debuit Ioannes Pontifex illud dubium declarare: cum contrarium ex ſcriptura diuina & legali poſſit deduci. Et propterea Nicolaus Pontifex, ſimpliciter non errauit in Fide: quia non putauit, vel putabat ſe ſcire quod neſciebat: ſed putabat ſe neſcire, quod nõ ſciebat. Alioquin fruſtra & ſine cauſa, ſi crederet ſe ſcire prædicta, aliquem correctorem, vel emendatorem vellet habere: cum illud quod veraciter ſcitur ſic eſſe, ſit impoſſibile aliter ſe habere. & ita ipſe non errauit pernicioſe, neque Eccleſia ſequens eum. quia ſub declaratione & correctione auctoritatis Apoſtolicæ Sedis, illa quæ dixit, enarrauit. propter quod dictum illius, non debet ſimpliciter dici error.

Quinto, Fratricelli affirmabant, quod prædicta decretalis Exiit, fuerit per vniuerſalem Sanct. Eccleſiam approbata, & in Vienneſi Cõcilio generali cõfirmata. Ad V.

Reponebat Cardinalis, quod numquam fuit approbata per vniuerſalem Eccleſiam aliter, niſi vt communes Conſtitutiones Papales. Neque fuit approbata, aut improbata in prædicto Concilio. cum nec Clemens Quintus in decretali, Exiit de paradiſo, dixerit, quod eam decretalem, Exiit, Concilium generale approbauerit, aut confirmauerit.

AD VI.

Sexto inferebant illi, quod ſequeretur totam Romanam Eccleſiam multis annis in fide erraſſe; quod eſt cōtra articulum Fidei, Credo in vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.

Opponebat Cardinalis quod non eſt imputandus error Eccleſiæ Catholicæ ſi aliquid definiat Papa, vel Eccleſia, ſeu Concilium generale, non pertinens ad fidem & mores, quod pro tunc quando definiebatur, nō facta plena diſcuſſione fuit definitum: quod tamen poſtea per diligentem inquiſitionem factam, apparet contrarium eſſe veritati. Frequenter enim contingit, quod multa prius determinata per Concilia, vel per Papam ſunt poſtea reuocata, ſicut patet per ſupradicta. & maxime in talibus, vbi ſacra ſcriptura non loquitur omnino clare & expreſſe. vnde in talibus licet abſque nota hæreticæ prauitatis opinari contraria, ante Eccleſiæ determinationem ſub articulis fidei collocatam.

Vnde ſicut in Nicolao non fuit error pernicioſus, ita neque in ſequentibus eam, ante determinationem Ioannis Pontificis. Nequ inconueniens eſt circa præſentem materiam vel aliam, fuiſſe peccatum veniale in Eccleſia, ſi fuit aliquod: cum illud Epheſ. 5. de Eccleſia, quod Chriſtus eam ſibi exibuit non habentem maculam, neque rugam, debet intelligi de Eccleſia triumphante, non de militante vt affirmat Auguſtinus libro Retractationum.

Septimo aſſerebant, in decretali Exiit, contineri, quod in rebus temporalibus eſt conſiderare proprietatem, poſſeſſionem, vſumfructum, ius vtendi, & ſimplicem vſum facti. & vltimo tamquam neceſſario eget vita mortalium, licet aliis poſſit carere; quia nulla poteſt eſſe profeſſio, quæ à ſe vſum neceſſariæ ſuſtentationis excludat. & hic vſus, non iuris ſed facti tantummodo nomen habens, quod facti tantum eſt, in vtendo præbet vtentibus, nihil autem iuris.

AD VII.

Negabat Cardinalis quicquam concludi ex dictis; cum ex ſtatuto emendato, non ad illa quæ ſunt emendata arguant.

Octauo narrabant, quod multi Romani Pontifices in rebus temporalibus vſu conſumptibilibus, & non conſumptibilibus vſu, quæ Fratribus Minoribus offeruntur, dantur, vel conceduntur, dominium Romanæ Eccleſiæ ſeruauerunt, vſu tantummodo ſimplicis facti ipſis Fratribus derelicto.

AD VIII.

Referebat Cardinalis, quod alii quidem Summi Pontifices hæc fecerunt, de rebus quæ non conſumuntur vſu: Nicolaus autem de omnibus; ſupponens tamen dictum ſuum Romani Pontificis correctioni. Et ideo Ioannes 22. tam ex auctoritate iuris, quam ex auctoritate eidem reſeruata per Nicolaum prædeceſſorem, contrarium multis rationibus oſtendit & determinauit.

Nono aſſerebant, quod Romanus Pontifex definiuerit carentiam talis dominii eſſe Sanctam & meritoriam; & quod Chriſtus & Apoſtoli viam perfectionis oſtendentes, abdicationem huiuſmodi dominii docuerint. & quod carentia talis dominii non ſit domino infructuoſa, cum ſit meritoria ad æterna, & profeſſioni pauperum opportuna.

AD IX.

Reſpondebat Cardinalis, iſtud fuiſſe emendatum rationabiliter per illum, qui emendare poterat & debebat; oſtendendo eſſe impoſſibile in talibus rebus vſum facti à dominio ſeparari. & quod ſi ſepararetur, dominium eſſet verbale, ænigmaticum, atque ſimulatum.

Decimo dicebant, quod veniens contra determinationem Papæ & Romanæ Eccleſiæ, eſt hæreticus cenſendus. & ideo nemini licuit aliquid contrarium definire determinationi Nicolai Pontificis.

AD X.

Negabat Cardinalis illud eſſe, ſine limitatione, verum niſi determinatio Eccleſiæ contineatur in diuina Scriptura, vel ex ipſa euidenter & neceſſario concludatur; vel niſi Eccleſia expreſſe determinet, quod tale quid ſit tenendum ſicut pertinens ad fidei articulum, determinans, quod dicentes & tenentes contrarium, ſicut hæretici ſunt habendi. Quod autem de Chriſti paupertate, & ſeparatione dominii, narratiue non definitiue dixit Nicolaus, neq; continetur expreſſe in ſcriptura diuina, neq; poteſt concludi ex ea, nec fuit ab ea ſub articulis fidei poſitum.

Vndecimo commemorabant, quaſi Ioannes 22. ſeipſum condemnauerit reprobando, reuocando, & contrarium faciendo eorum, quæ de Chriſti & Apoſtolorum paupertate, decretalis Exiit, continet. cum ipſe eandem decretalem Exiit, & aliam Exiui, lucidas, multa maturitate digeſtas ſalubriterque editas, prouinciauerit; vt patet in decretali, Quorundam, per eundem edita.

AD XI.

Reſpondebat Cardinalis, illa encomia in decretali Quorumdam, non fuiſſe poſita aut extenſa, ad omnia in duobus illis decretalibus contenta, ſed tantum ad duos articulos, ſcilicet de veſtibus Fratrum, & de congregando blado, vino; & aliis neceſſariis in granariis & cellariis, reſtricta. Circa quos articulos, cum multa dubia orirentur, voluit declarationibus Nicolai III. & Clementis V. alias addere Ioannes XXII. Et dato non conceſſo, quod ad omnia in illis contenta extenderentur, quando nondum quæſtio de Chriſti paupertate fuerit ventilata; nō eſt inconueniens, ſi poſtea diligentius veritate quæſita, & reperto fore verum contrarium eorum quæ dixerat Nicolaus, Ioannes dictum illius correxerit, aſſerendo & determinando narrata incidenter de paupertate Euangelica in decretali Exiit, non eſſe ſolida, neq; vera. Sic enim & Sancti, illud quod prius dixerant, frequenter poſterius correxerunt, quando veritas magis incæpit per diſputationes vel collationes ſcripturarum eis apparere, neque erubuerunt ſua dicta corrigere, quemadmodum inter alios fecit Auguſtinus in libro Retractationum, & in epiſtol. 2. ad Marcellinum.

Duodecimo obiiciebant, quod ſi Papa Ioannes potuit reuocare determinata prædicta per Nicolaum; eadem ratione Summus Pontifex poterit omnes definitiones ſuorum prædeceſſorum reuocare, & contrarium ſtatuere. ex quo totius Fidei & auctoritatis Eccleſiæ deſtructio ſequeretur.

AD XII.

Negabat conſecutionem Iacobus, quia non ſequitur, ſi aliqua narrata inconſulte, in materia abſolute nō pertinente ad Fidem & ad mores poſſunt & debent reuocari; ergo omnia. cum arguatur à particulari ad vniuerſalem, quod non valet. Quia vniuerſalis concluſio nō ſequitur, niſi ad præmiſſas vniuerſales. Item ea, quæ euidenter & manifeſte continentur in Sacra Scriptura, vel ex ea de neceſſitate concluduntur, ſunt omnia inconcuſſa ſtabilitate firmata, neque reuocari poſſunt, neque eorum cōtraria ſtatui per quemcunque, vt dicit Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo, & Gelaſius Papa in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ. De numero autem talium non ſunt ea, quæ de paupertate Nicolaus narrauit. neque vmquam pertinuerunt ſimpliciter ad fidem, vel ad mores. cum contrarium ſit verum, vt Ioannes Papa in ſuis determinationibus oſtendit.

Tertio decimo exprobrabant, quaſi in decretali Exiit, erratum fuiſſet in doctrina, de vita Chriſti & Apoſtolorum.

AD XIII.

Negabat Cardinalis. tum quia non definitiue, ſed narratiue dixerit Nicolaus: tum quia adhuc veritate ad plenum non diſcuſſa, non fuit voluntas in crimine, ſed humanæ intelligentiæ defectus: tum quia dicta ſua ſuppoſuit determinationi & correctioni Sanctæ Sedis idē ipſe Nicolaus.





AD XIV.

Quartodecimo inferebāt, quod in approbatione ſtatus Regulæ Fratrum minorum Eccleſia tunc erraſſet.

Negabat Cardinalis: tum quia ante Conſtitutionem Exiit, ſtatus Fratrum Minorum fuerit approbatus: tum quia in regula S. Franciſc. non dicit, quod nihil habeant in proprio, nec in communi: neq; dicit, quod non habeant ius aliquod vtēdi: neq; ſtatuit, quod ſolum ſint contenti ſimplici vſu facti, ad quæ eos Conſtitutio exiit, reſtringit: quæ quantum ad hoc, per Io. oſtenſa eſt eſſe impoſſibilis & parum rationabilis: præſertim cum in Regula tantum habeatur: quod viuāt ſine proprio, & nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: quæ verba poſſunt verificari, ſi aliquid habeant in communi: & nihil aliud prohibeant, quam ne Fratres habeant proprium, ſicut & regulæ Baſilii, Benedicti & Auguſtini.

AD XV.

Quintodecimo repetebant quod in Concilio, dictam decretalem approbante, erratum fuiſſet.

Negabat Cardinalis, in Concilio, decretalem Exiit, approbatam, vel aliam quæ incipit Exiui, in Concilio Viennenſi editam fuiſſe: cum iſta Auinione poſt Concilium edita ſit, neque illa vnquam à Concilio generali fuerit approbata.

Vltimo obiiciebant, quod ſecundum hoc Eccleſia, in canonizatione aliquorum ſanctorum Ordinis Minorum, qui in hac doctrina & vita diem clauſerant extremum erraſſet.

AD VLTIMVM.

Reſpondebat F. Iacobus Cardinalis, quod nec illi, nec alii errabant, errore damnabili ſimpliciter, ſed ſecūdum quid errore veniali: Conſtitutione Exiit nondum correcta per eum qui poterat. Ideoq; canonizari, ſuffragantibus aliis meritis potuerunt. Sicut dicit S. Auguſtinus de S. Cypriano libro de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 17. & 18. quod ille vir ſanctus aliter de Baptiſmo ſentiens quam res ſe habebat, quod poſtea diligentiſſima deliberatione retractatum eſt, in Catholica veritate permanſit, & charitatis vbertate compenſatum eſt, & paſſionis falce purgatū. Ita ſimiliter dici poteſt de ſanctis Ordinis Fratrum Minorum in numerum ſanctorum receptis ſi doctrinam decretalis Exiit tenuerunt, antequam per Eccleſiam emendata & correcta fuiſſet. *Ex Directl. Inquiſit. part. 2.*

IV.
BENED PP. INNOVAT DIRAS CONTRA FRATRICELLOS.

Ad eum modum, cum olim inter purpuratos Patres Iacobus adſcriptus, pro dignitate Ioan. Pontificis XXII. reſpondiſſet: ad Pontificatum euectus, & nomine Benedicti XII. ab vniuerſali Eccleſia cōſalutatus, diras cōtra Fratricellos ſeu Beguinos, eorumque complices ab Ioāne prolatas, innouauit, adeoq; aggrauauit: quod ab his erronibus fomenta execrandi ſchiſmatis Ludouico Bauaro ſubminiſtrari intelligeret.

V.
BENEDICTVS RES VRBIS ET ITALIÆ CVRAT.

Quamquam a. in Ludouicum Bauarum, nihil grauius Pontifex Benedictus ſtatuiſſet, ne tamen pax Italiæ ab eo turbaretur omni ratione curauit. Itaque ad res Vrbanas conuerſus, miſſo in Italiam Bertrando Ebredunen. Archiepiſcopo ſedis Apoſtolicæ Nuncio Senatui populoq; Romano, vt Senatoriam dignitatem, quam aliquāto tempore, Regis Roberti pro Eccleſia Romana Vicarii nomine geſſerant, deinceps tandem ſuis & Eccleſiæ Romanæ auſpiciis adminiſtrarent perſuaſit: Senatoremque Stephanum Columnam in quinq; annos vrbi dedit, additis ei collegis in ſingulos annos. Vicarium quoq; ſuum in ſpiritualibus, Ioannem Epiſcopum vrbi præfecit.

VICARIOS INSTITVIT.

Ne vero vacante imperio, Italia ab aliquo externo hoſte inuaderetur, Luchinum Vicecomitem, & Ioannem eius fratrem Archiepiſcopum Mediolanenſem, Mediolani, aliarumque vrbium quas poſſidebant, Vicarios inſtituit. Eandem quoq; dignitatem Maſtino Scaligero Veronæ, & Vicetiæ, Philippino Gonzagæ Mantuæ, & Regii, Albertino Carrario Patauii, Obicioni Ateſtino Mutinæ, ſuo vt aiebat iure attribuit: quod vacāte imperio, omnis eius adminiſtratio ſeu poteſtas, in ſummum Pontificem, Ieſu Chriſti ſupremi Regis vnicum in terris Vicarium recidiſſet.

FERRARIAM IN FEVDVM CONCEDIT.

Obicioni Ateſtino, titulo fiduciarii iuris Ferraria conceſſa hoc vectigal imponeuerat, vt in annos ſingulos decem millia nummum auri R. E. perſolueret, *Ciac. in Benedict. XII. ex Flauio Blondo dec. 2. lib. 10.* Interim etiam Roberto Siciliæ Regi, vt corā Bertrando Nuncio, & Ioanne Archiepiſcopo Neapolitano, ligium homagium, & iuramentum fidelitatis præſtaret, iniunxit: vtq; Nuncius, Fridericum Trinacriæ Regem ad obedientiam & fidelitatem E. R. reuocaret admonuit. *ep. Bened. hoc anno.*

HOMAGIVM à REGE SICIL. EXPETIT.

VI.
ECCLESIASTICIS PECVNIAM IMPERAT CONTRA SARACENOS.

Inter hæc Benedictus, res quoq; Chriſtianorum aduerſus Saracenos tuendas ſuſcipiens, poſtulante Hiſpaniarum Rege ſacram pecuniam Eccleſiaſticis viris imperauit. In hoc pio tributo in Flaminia & Æmilia exigendo, vſus eſt Pontifex opera Franciſci Rauennatis à ſe recens deſignati antiſtitis: cui etiam quæſtionem de Beneuenuto Præfecto Generali Cruciferorum Bononiæ agente commiſerat: quod is nec ſeruare Ordinis ſui leges, nec eius bona tueri, ac potius euertere, vilibuſq; ac indignis gradus & honores, etiam Simoniaca labe infectis concedere, tributa grauia imponere, intemperanter viuere, & ex adulterio filium ſuſcepiſſe, diceretur. *Rubeus hiſt. Rauennatis lib. 6.*

CENSVS EX DIVERSIS PROVINCIIS ET REGNIS ECCL. DEBITOS EXIGIT.

Iſtud Sacrum ærarium, vt Pontifex in Sacrum bellum magis augeret, denarium S. Petri ex Anglia, & Pomerania, cenſum ex Regnis Sardiniæ & Corſicæ exegit: nec non Collectorem, ad reſiduos fructus beneficiorū in Polonia & alibi vacantium conquirendos deſtinauit. *ep. 516. 594. 653. 162. 166.*

VII.
BAVARVS LEGATOS AD PONT. MITTIT ET RENVNCIAT TITVLO IMPERATORIS PARATVS.

Erant qui interpretarentur, eam pecuniarum collectionem in Ludo. Bauarum parari: ſi forte is aliud quam præ ſe ferebat vel in Italia, vel in Germania intentaret: cum tantum abeſt vt is hoc anno quicquam nouauerit, quin etiam benignitate Benedicti Pontificis inuitatus, Nuncios quoque ad eundem hoc ipſo anno deſtinarit, Comites Oettingenſes Ludouicum Seniorem & Ludouicum Iuniorem, Fratrem Henricum Siphingenium Ordinis S. Mariæ Fratrum Theutonicorum Commendatorem Domorum in Vlma & Vardes: Eberhardum Tumnonium Archidiaconum, Marquardū Randeckiū Canonicum, & Vdalricum Auguſtanum Prothonotarium: quib. omnibus & ſingulis inſolidum poteſtatem fecit, renunciandi inprimis titulum Regis & Imperatoris Romanorū, quem hactenus præſcribebat: tum deinde apud ſedem Apoſtolicam, reſtitutionem eiuſdē poſtulandi, ac omnia ex æquo & bono apud Benedictum tranſigendi. *Albertus Argenti. in Chron. Mutius de reb. Germ. lib. 24.*

MEDIOL. ET ALII CONFOEDERATI PONT. OBEDIENTIAM REDDVNT ET ABSOLVTIONEM OBTINENT.

Quarto Kalendas Maias eos Auinione in ampliſſimo Patrum conſeſſu, coram Benedicto Pontifice, cauſam Ludouici Bauari egiſſe, Ptolemæus Lucenſis qui viuebat & ſcribebat, memorabat: cum ēt per id temporis ipſis in curia exiſtentibus Oratores Mediolanenſium & aliarum Ciuitatum eis confœderatarum Pontifici obedientiam ſpopondiſſent reddidiſſentq; & abſolutionem obtinuiſſent à ſentētiis quib. per Io. XXII. fuerant irretiti: promittentes neminem ſe pro Imperatore recepturos. præterquam illum quem ſummus Pontifex deſignaſſet, atq; renunciaſſet. Ad III. Nonas Iulii, Oratores Ludouici diſceſſerunt, reuerſuri cum ampliore poteſtate, ad promittendum concedendumq; nōnulla ex præſcripto æquitatis. Namq; Pontif. nonnulla ex re Eccleſiaſtica à Ludouico poſtulabat, quibus adimpletis ipſorum concordia ſperabatur. Antequam vero tam hi, quam Romæ & Ciuitatum Confœderatarum Nuncii Auinione diſceſſiſſent, obſecrabant Benedictum, vt is in vrbem reuerteretur. Cæterum is, pollicitus quidem eſt omnibus, verumtamē diem certam non deſignauit, quo Cathedram Pontificiam Romam reuocaret, aut eo ſe conferret. *Ptolemæus Lucenſ. in Bened. XII.*

VIII.
PRÆLATOS ET PASTORES ECCLESIARVM VT AD RESIDENTIAM SE CONFERANT IMPERAT.

Hoc ipſo anno Benedictus Pontifex, ſtatim atque à Neapoleone Vrſino Cardinale Diacono, diadema Pōtificiū accepit, 4. Idus Ia. in Conſiſtorio publico, omnes Prælatos & Paſtores Eccleſiarū, Auinione ex Curia ad ſuas reuerti Eccleſias ſtatim à feſto Purificationis Dei parentis, iuſſit: cū omnib. & ſingulis renunciaſſet, ſe velle vti iuris remediis, contra eos qui nulla cauſa legiti-

ma, ab ouibus Chriſti, ſuæ curæ commiſſis abeſſent, neque diuino de reſidentia Prælatorum præcepto, ſatisfacere curarent. Ipſa porro feſtiuitate Hyppapantes Domini ſacris ſolemniter operans, cum pro concione illa verba Matthæi 21. cap. *Ecce ſponſus venit* exponeret, publice affirmauit, quod ſancti in cœleſtem Patriam translati, longe clariſſime Dei eſſentiam facie ad faciem viderent. Deinde pridie Nonas Februarii, in Conſiſtorium publicum omnes illos qui opinionem anteceſſoris ſui priorem de viſione animarum ſequerentur euocauit, vt argumentationes eorum audiret: tum ad extremum æſtate conſecuta, Nonis Iulii, ad pontem Serge ſecedens, coram Cardinalium & Doctorum Theologorum cætu librum quem de eo argumento pro ſententia Catholica ſcripſerat, à Magiſtris examinari iuſſit, moxq; ab omnibus approbatum euulgauit: cum etiam ea omnia quæ Ioannes XXII. in extremis, de viſione animarum ſenſerat, profeſſuſq; fuerat, diplomate illius edito, publicaſſet. *Ptolemæus vbi ſup. & epiſt. Benedicti XII.*

SCRIPTA ſVA DE VISIONE ANIMARVM à CARDINALIBVS ET THEOLOGIS EXAMINARI IVBET ANTEQVAM SENTENTIAM PVBLICET.

IX. BENEFICIA NISI DIGNIS DARI VVLT ET COMMENDARVM COLLATIONEM LIMITAT.

Memorandum eſt illud, quod de Benedicto *idem Ptolemæus* animaduertit, quod poſtridie inaugurationis, ſcilicet ad 5. Idus Ianuarii in Palatium ex Prædicatorio Cœnobio in quo 7. Idus Ianuarii inſignia Pontificia receperat, reuerſus, cum multos multorum libellos ſupplices recepiſſet, non prius cuiquam reſpondit aut quicquam conceſſit, quam conditionem perſonæ, & ſummam redditum intellexiſſet. Eccleſiaſtica quoque beneficia, à prædeceſſoribus ſuis, per importunitatem harpyarum palatinarum, ad comedendum ſeu deuorandum, titulo commendæ omnibus collata, in publico Conſiſtorio reuocauit, neque vlli vnquam, exceptis Patribus Purpuratis, ea concedere voluit hoc titulo. Deinde quod publice intereſſet, omnes gratias à deceſſore ſuo factas irritauit, quantum apud Oldradum reperio. Hæc enim illius ſunt verba: *In beneficiis Eccleſiaſticis conferendis, id potiſſimum cauit, ne indignis darentur, ſæpe dicens, nolle ſe lutum exornare. Indignos enim illis honoribus homines luto comparabat.* Agnatos quoque & conſanguineos ſuos fingebat ſibi ignotos eſſe, aſſerẽs, *Pontificẽ Romanum conſanguineos non habere.* Cum vero multi quotidie inſtarent, vrgerentque vt eos promoueret, ſubintulit iſtud Dauidicum carmen, quod pro inſigni argumento gerebat. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.*

SVOS AGNOSCERE NON VVLT.

VNI TANTVM EX SVIS BENEFICIVM ECCLESIASTICVM CONTVLIT.

Hoc quidem ab Alberto Argentinenſi huius temporis hiſtorico traditur. Victus tamen precibus piorum hominum, ſororis fratriſue filium Archiepiſcopum Arelatenſem eſſe iuſſit, eoque excepto conſanguineum vel agnatum neminem agnouit. Bernardus Dominicanus, huius iſtius ætatis hiſtoriographus refert mercatorem Tholoſanum diuitem ſe vidiſſe, qui Auinionem, cum vxore, nepte Benedicti, profectus, ad colloquium quidem admiſſus, magnaque indulgentia & facilitate tractatus fuit, cæterum nihil niſi quam ſumptus in itinere factos & qui domum reuerſuris neceſſarii eſſent obtinuit: atque à Pontifice iſtud audiuit: *Se quidem vt Iacobum Furnium illos agnoſcere, at Pontificem renunciatum, conſanguineos & affines non habere. Maſſonius in Benedict. XII.*

X. ROBERTO SICIL. REGI REGNŨ IN FEVDVM CONCESSVM CONFIRMAT.

Cæterum ſicut in affines cognatoſque Benedictus Pontifex aliquantum rigidior fuit, ita in propugnatores Fidei & Eccleſiæ Romanæ tutelares propenſior. Hoc enim anno, Roberto Regi, regnum Siciliæ iure beneficiario in feudum conceſſum; confirmauit: is pro Neapoli, coram Archiepiſcopis Ebredunenſi & Neapolitano ſedis Apoſtolicæ Commiſſariis, Benedicto Pontifici, iuramento, & ligio homagio ſeſe aſtrinxit, & cenſus ſolutionem, aliaſque in formula inueſtituræ olim Carolo eius auo propoſitas expreſſaſque conditiones in ſe recepit. *Columm. Codex Biblioth. Vatican. fol. 48. & epiſtol. 25.* Regnum quoque Sardiniæ & Corſicæ Alphonſo Regi Aragonum, eodem iure fiduciario confirmauit: cum is etiam pactis Iacobo patri à Bonifacio VIII. propoſitis ſtare velle, cenſumq; & reliqua ſedi Apoſtolicæ ſponſa ſoluere ſancte iuraſſet. *Idem Codex Columm. fol. 44.* Namque is menſe Februario, Berengarium fratrem ad Benedictum Pontificem Oratorem miſerat, de poteſtate ſupremi iuris regni Sardiniæ & Corſicæ, fidelitatis Sacramento Eccleſiæ ſancienda, & cenſus vel remittendi, vel paciſcendi cauſa. Remiſſionem poſtulabat, quod ſumptus bellicos ob defectionẽ Auriarum & Genuenſium in propugnanda Sardinia & Corſica, regiis theſauris ſuſtinere non poſſet. Et quidem Benedictus de cenſu nihil remiſit *epiſtol. 660.* Legatum tamen deſtinauit, qui inter Regem Aragonum & Maioricarum, & Ianuenſes pacem conciliaret, adeoque conſtabiliret. Alfonſus iure ſe poſtulare cenſus remiſſionem affirmabat, quod Bonifacii decreto Iudex Arborenſis, Auriarum familiæ, Marchiones Malaſpinæ, & Donoratici Comites, præter eos Aragonenſes & Catalanos, quorum fructui plurima oppida fuerant condonata, Sardinia omni potirentur; regiæ autem ditionis nonniſi Calaritani, Eccleſienſes, Sacerenſes & reliquæ arces quas Piſani olim per vim occupauerant, fuiſſent, neque regio quæ Banahyra vocabatur, inculta atque horrida, armis Aragonenſium, quod aſpera & montuoſa ſit, domita eſſet. *Surita. lib. & ep. 960.*

DE SARDINIA ET CORSICA IDEM FACIT ALFONSO REGI ARAGONVM.

ALFONSVS INSTAT PRO REMISSIONE CENSVS ECCL. DEBITI.

Robertus Rex Siciliæ, ea benignitate Pontificia inuitatus, ad reliqua inſulæ Siciliæ à Friderico Rege occupata, in poſſeſſionem Eccleſiæ adiungenda, animum hoc anno adiecit: maxime quod incitatus fuiſſet à Ioanne Claromontano Comite, qui per id temporis à Friderico ad Ludouicum Bauarum, & poſtea ad illum defecerat. Itaque claſſem inſtructam Ioanne Duce in Siciliam miſit, multaque oppida de Friderico recepit: cum etiam Saraceni ex Lothophagite inſula ſeſe Robertianis adiunxiſſent, irritati à Siculis, qui eos vectigalib. plus iuſto vexaſſent, & quemadmodum primorum inter eos virum auri ditiſſimum, quo auaritiæ ſuæ ſatisfacerent, ſine vlla vel indiciis declarata proditionis ſuſcipione, falſo inſimulatum, morte mulctaſſent. *Fazell. dec. 2. lib. 2. Surita lib. 3.*

ROBERTVS REX SICIL. REM ECCL. PROMOVET.

XI. BENED. PP. MOTVS INTER ANGLOS ET SCOTOS SOLA AVCTORITATE COMPESCIT.

In Scotia, cum Balliolus vniuerſæ Scotiæ ab Edouardo Anglorum Rege Præfectus, regnum in ſe tranſtuliſſet, ac propterea Edouardus bellum in illum ſuſcepiſſet, Benedictus Pontifex Scotorum precibus motus, eorumq; calamitatem miſeratus, magno inter eos certamini interceſſit, & tam Scotis, quam Anglorum Regi imperauit, ne vltra vtrimque arma mouerentur, donec Dauid Rex legitimus ex Galliis redux eſſet. *Polydor. hiſto. Angl. lib. 19.*

XII. ADMIRANDVS CASVS.

Accidit ad id temporis in Anglia quiddam, quod ſilentio non eſt obruendum. Habuit quidam, Dominica illa quam Palmarum appellamus, concionem, Interfuit illi mulier quædam quæ Ioanna dicebatur. quæ admirabiles quoſdam, vt videbatur pœnitentiæ aculeos huius mulieris pectori infixit. Hinc enim illa aut diuino aliquo aliunde motu excitata, palam ſpurciſſimas ſuas libidines & ſtupra, quibus ſe à prima iuuentute nefarie contaminauerat, aliaque ſcelera enormia, lachrymis abunde ex oculis manantibus, recitauit, rogauitque ſacerdotem & Eccleſiaſten illum, vt idoneam & iuſtam aliquam pœnitentiam, ad tanta piacula abſtergenda indiceret. Ille vero, ne mulier doloris & deſperationis magnitudine prorſus obrueretur, accommodatis quibuſdam ad puſillanimitatem animi excutiendam ſcripturis arreptis, ad diuinæ miſericordiæ quæ inexhauſta eſt, fiduciam, bonamque ſpem debilitatum & confractum illius animum erigere conatus eſt. Mandauit deinde, vt ad ad ſex dies ab omnibus eſculentis & poculentis, præterquam pane & aqua abſtineret. Clamabat interim illa nimis eſſe illam mollem & remiſſam, ad tanta & tam diuturna peccata expianda pœnitentiam. Itaque fletu & eiulatu coram imaginibus, quæ eo in templo viſebantur, Deum ſuppliciter pro expiatione precata, & in terram prono cor-





pore proſtrata, quo tempore in ſacrificio ſacra Euchariſtia populo oſtenditur, mox animam, vultu admodum albeſcente efflauit.

ALIVS MAGIS HORRIBILIS.

Accidit & aliud, eodem anno apud pagum Ringeslaium, Vintonienſis diœceſis: ſed ſtupore, commiſeratione, & lachrymis dignum. Morabatur ibi quædam mulier, nomine quoque Ioanna, perditis Gulielmi cuiuſdam amoribus miſere irretita. Admonita eſt inter hæc per ſomnum à quodam, vt Gulielmum, quem ita damnata cupiditate & libidine deperibat, inuiſeret. Poſtridie dum illuſa mulier ad eum pergeret, in ſylua quadam quam Wolmeriam vocant, à quodam, qui Gulielmi amatoris ſpeciem referebat, oppreſſa eſt: quem poſtea dæmonem, quem incubum appellant, fuiſſe conſtabat. Reuerſa domum, in exitialem læthalemque morbum incidit, qui eam poſt triduum conſumpſit. Domus illa, fœdis & non ferendis odoribus oppleta fuit: corpus autem mulieris in teterrimam nigredinem conuerſum: adeoque graui pondere ſubſidens, vt vix ab octo hominibus ad tumulum efferri potuerit. *M S. Bibliothec. Vatican. de rebus Anglic. huius ſeculi fol. 213. & 250. ex Thoma Valſingano, & aliis.*

ALIVS DE MORTVO QVI AD VITAM REDIIT.

Priori caſui, non omnino diſſimilis eſt iſte quem ſubiungo. Gotfridus apud Spiram vrbem, colorum nobilis tinctor extitit. Is in adoleſcentia ſua carni indulgens, omnis generis voluptates ſequebatur, atque pias ſacerdotum admonitiones contemnebat. Cum autem is poſtea grauiter laborare cœpiſſet, atque in extremis iam eſſet, DEI iudicium timens dixit: peccata ſua maiora eſſe, quam vt à DEO miſericordiam conſequi poſſet. In hac tandem deſperatione diem clauſit extremum. Cum a. per aliquot horas in feretro conſtitiſſet, atque homines ad ſepulturam conueniſſent, ipſe quorundam piorum precibus, qui eius miſeriam deplorauerant, ad vitam ex inſperato rediit. Itaque ſeſe erigens, mirabilia recenſuit, atque plurima de alterius ſeculi ſtatu declarauit. Ab eo tempore in templis frequens fuit, & aliquotiens mirabilia DEI manifeſtans, homines ad pietatem & virtutes excitauit.

Cumq; hoc modo non ſine opinione ſanctitatis, duodecim annos vixiſſet, tandem anno M.CCC.XXXV. moriens, ſub Emichone Epiſcopo Spirenſi, in oppido Bruſſel, magno hominum concurſu, ad altare templi ſepultus fuit. *Anonym. in Epiſc. Spirenſ.*

XIII. VVORMATIVM INTERDICTO SVBIACET.

Iſtud in Germania acciderat, vbi tunc Wormacienſi ſedi præerat Salamannus Moguntinus. Is eum Epiſcopatum ab IOANNE PAPA XXII. obtinuit, & ab eius ſucceſſore BENEDICTO XII. conſecratus fuit: quem cum Wormacienſes ſuſcipere in Epiſcopum recuſarent, ciuitas ipſa cum habitatoribus ſuis ad tempus interdicto ſubiacuit. Plures etiam ex Canonicis, maxime Sancti CYRIACI in Neuhuſen Apoſtolicis mandatis inobedientes excommunicati fuerunt: quos tandem ſatisfactione præmiſſa, authoritate Apoſtolica idem Epiſcopus abſoluit. *Chro. Sponhei. Trithem.*

XIV. PAX INTER POLO. REG. ET CRVCIGEROS QVÆ A POLONIS NON ACCEPTATVR.

In Polonia, hoc anno, tanta vis locuſtarum peruagata eſt, vt volantes ſolis aſpectum hominibus adimerent: humi vero ſtratæ equorum vngulas altitudine ſuperarent, quæ depaſtæ matureſcentes ſegetes, anguſtiorem annonam fecere: cum etiam Nouembris menſe eiuſdem anni, pax inter Caſimirum Regem Poloniæ, arbitrio Caroli Vngariæ, & IOANNIS Boemiæ Regum, Viſſegradi in Vngaria facta fuiſſet. Ea iniquior Caſimiro fuit, quod IOANNES Rex homo callidus atque diſertus ſatagens pro Crucigeris Carolum in ſuam ſententiam adduxiſſet, aduocati magis quam arbitri functus officio. Accepit tamen eam pacem Caſimirus, pluſquam dignum erat quietis & otii percupidus. Fuit in pactis conditionibus, vt Crucigeri Pomeraniam concedente Caſimiro retinerent, atque etiam Neſſouienſem arcem in Cuiauia Viſtulæ impoſitam: nempe vt ripam vtramque in ſua poteſtate haberent, eodem plane iure, quo Culmenſem atque Thorunienſem tractum olim à maioribus Caſimiri accepiſſent. Additum, vt Dobrinenſem & Cuiauiam vniuerſam Caſimiro redderent, ac decem millia florenorum pro datis damnis adnumerarent. Profugis autem vtriuſque partis, vt liceret ad poſſeſſiones derelictas reuerti, vel eas vendere arbitratu ſuo. In eodem conuentu tres Reges prædicti, ſocietatem aduerſus Ludouicum Bauarum inierunt; à quibus ille metuens, tanto pronius ad renunciandum titulum imperii, poſtulandamque ſedis Apoſtolicæ gratiam inclinauit. Soluto conuentu, non tamen reddebant ex decreto, & pacto Cuiauiam Dobrinumque Crucigeri Caſimiro, quamuis approbaſſet is ſententiam Regum ex compromiſſo latam, niſi diſerte vna cum ſenatu, nobilitate & Ciuitatibus, diplomatis & iureiurando dato Pomerania, Culmenſi, & Michalouienſi tractibus à ſe & poſteris ſuis prorſus abdicaret. Quod cum ille ad Senatum & Comitia retuliſſet, omnibus indigna res viſa poſt tam iniquum arbitrium, nouas etiam durioreſque pacis leges, ab hoſte perinde atque victore ſibi ferri. Itaq; bellum malle, quam tam iniquam & ignominioſam pacem. Cum autem de ratione belli gerendi conſultaretur, placuit non inferre, id quidem, ſed ſi inferatur, propulſare, atque ad Pontificem Maximum primo quoque tempore de vi & iniuriis Crucigerorum, propter religionem ad eius iuriſdictionem pertinentium referre. Ad eam rem curandam Legatus miſſus IOANNES Grotus Slupecius Epiſcopus Cracouienſis: qui nequicquam inficientibus negotium aduerſariis, magna cura ac diligentia tandem perfecit, apud Benedictum, vt is Galardum Titulenſem Præpoſitum, & PETRVM Geruaſium Anicienſem Canonicum Legatos & iudices ea de re in Poloniam & Pruſſiam miſerit, qui Polono Regi Cuiauiam ac Dobrinum reddi & decem millia florenorum adiudicata numerari à Crucigeris curarent: de cæteris vero controuerſiis cognoſcerent. Crucigeri, vt prætextum aliquem iniuriæ, & neque arbitrorum decreto, neque Pontificis mandatis parendi haberent, apud Ludouicum Bauarum perfecerunt, vt is Magiſtro Theodorico Aldemburgio & vniuerſo ordini grauiſſima pœna adiecta interdixerit, ne cuiuſquam præcepto quicquam de iis terris, quas ab imperio haberent, cuiquam concederent, neque apud vllos iudices, præter aſſenſum ſuum de illis diſceptarent.

CRVCIGERI INFIDI.

POLONI AD PONT. CONTRA CRVCIGEROS RECVRVNT.

PONT. LEGATOS ET IVDICES IN POLONIÃ MITTIT.

Cum autem iudices à BENEDICTO Pontifice delegati, Varſauiæ, cognoſcendæ cauſæ aliquamdiu operam dediſſent, refutata Crucigerorum friuola detrectatione & prouocatione, anno ſubſequente M.CCC.XXXVI. CASIMIRO & Polonis Pomeraniam, Cuiauiam, Dobrinenſem, Culmenſem & Michalouienſem ditionem adiudicarunt. Crucigeros autem ad centum nonaginta quatuor millia, & 500. Marcas Polonicas pro damnis datis, itemque ad mille ſexcentas Marcas, impenſarum nomine condemnarunt. Ad hæc, vt ii tẽpla & monaſteria in Polonia ſuperiore bello direpta & exuſta inſtaurarent, decreuerunt. Cumque iudicata non facerent anathemate deuoti ſunt, & ſacris interdictum omnibus locis quæ in ditione eorum eſſent & ad quæ quiſpiam eorum perueniſſet. *Cromer. libr. 12. hiſtor. Polon.*

CRVCIGERI OB NON PARITIONEM CONDEMNANTVR ET IN CONTVMACIAM EXCOMMVNICANTVR.

XV. AVGETVR ORNATVS TEMPLI LAVRETANI. INDVLGENTIÆ à PONTIF. CONCEDVNTVR.

Apud Picentes in Italia condito ornatoque Lauretano Diuæ Deiparentis templo, ornamentum deinde maius adiectum. Poſtulatum eſt à BENEDICTO XII. Pontif. Max. vt certam delictorum indulgentiam, illud rite viſentibus largiretur. Haud ægre impetratum. Ex eo tempore tantus Recinetenſium pectoribus ardor iniectus, vt pleriq; eorum nullis fere negotiis impedirentur, quominus Lauretanam ædem à tertio milliario (tantum quippe diſtat à Ciuitate) reuiſerent quotidie. Quin etiam paruuli eorum filii, à parenti-

RECINETENSIVM DEVOTIONIS FERVOR IN B. V. LAVRET.

tibus ac nutricibus aſſueſieri cœpti, vt quotidie mane è cunabulis prodeuntes, ad natalem ædem virginis verſi, Lauretanam matrem agnoſcerent, ſalutarentque venerabundi. Ceterum ſenes ac valetudinarii, ſenio morbóue tardante, cum de more ad Lauretanum templum itare non poſſent, Beatæ Mariæ Lauretanæ effigiem coloribus exprimendam curarunt, in foro. Ibique ſacello, araque excitata, ab eodem Benedicto Pontifice Maximo aureis exaratum literis diploma impetrarunt, quo diplomate, ad aram illam orantibus peccatorum venia impertiebatur. Idipſum diploma, carie ac vetuſtate confectum Hyeronymus Angelita, vnus è primoribus Recinetenſis Ciuitatis, ab ſe viſum eſſe confirmat. Maceratenſis porro Epiſcopus, qui idem illa tempeſtate & Recinetenſis erat, prodendam poſteris Ædis Lauretanæ memoriam ratus, libellum edendum curauit, qui admirabilem ſacroſanctæ Domus in Italiam aduentum, triplicemque eius in Recinetenſi agro migrationem: præcipua inſuper Beatæ Mariæ Lauretanæ prodigia, ac miracula contineret. Et quo altius in teneræ ætatis animos, virginis Lauretanæ religio deſcenderet, Recinetenſis ciuitatis decreto ſancitum eſt, vt Ludimagiſtri omnes, in tradendis primis literarum elementis omnium primum talibus narrationibus imbuerent pueriles aures & animos, libellique illius lectioni paulatim rudem aſſuefacerent ætatem. Hinc eximia illa Recinetenſium animis inſita religio pietaſque aduerſus Lauretanæ virginis Domum, ante quadraginta annos in Italiam manibus Angelicis per miraculum translatam. *Horatius Turſellinus Lauretanæ hiſt. lib. 1. c. 19.*

XVI.
VLRICVS GROILDONIS DISCORDIARVM INTER PONT. IOAN. ET LVD. BAVAR. SEMINATOR.

Circa hunc annum, Vlricus Groildonis Hagenauuer, Auguſta Rhetorum ciuitate oriundus, fatis functus eſt. Is quod ſe prudentiæ & eruditionis nomine iactaret, multaque & ſcribendi, & dicendi potentia polleret, apud Ludouicum Bauarum, aduerſus Ioannem Pontificem diras & minas ſpirantem, nimis multum, imo ſupra nimis multum potuit. Præfecerat illum Ludouicus ſcriniis, atque ſuum Cancellarium delegerat. Qua ille poteſtate abuſus, cum iniquior Romano Pontifici Ioanni fuiſſet, quaſi ex induſtria, inter hunc & Ludouicum Bauarum, ſemina diſcordiæ ſeminauit. Eam appellationis formulam quam ante plures annos Ludouicum Bauarum, aduerſus Ioannem XXII. ad Concilium Generale, vel ad futurum Romanũ Pontificem, interpoſuiſſe, promulgaſſeq; aliqui Romanorum Pontificum hoſtes, in omnibus compitis & plateis euulgabant, Ludouicus Bauarus, datis ad Benedictum Pontificem anno ſubſequente, die 28. Octob. Nurembergæ literis, negabat eſſe ſuam: hac diſerta vſus proteſtatione, miſſa per viros illuſtres, Gulielmum Iuliacenſem Comitem, & Robertum Bauariæ Ducem Oratores ſuos apud Benedictum Pontificem. Ita habet. *Item conſtituimus ſupradictos Procuratores & Ambaſſiatores, vice & nomine noſtro, & pro nobis, ad confitendum, quod reperitur, quod Notarius qui hoc* (ſ. tam infamem appellationem ſcripſit) *fecit, ſ. Vlricus Groildonis, malitioſa, & in vindictam contra nos, dicendo ſe per nos fuiſſe læſum, iſtam appellationem de conſilio aliquorum volentium talem diuiſionem ſeminare, quod nunquam valeret eam aliquis reparare, fieri procurauit: & hoc confeſſus eſt in morte, vt à pluribus aſſeritur.* Sunt qui aſſerant, Vlricum, in literis ſiue ad Ioannem Pontificem ſiue ad alios, occaſione negotii inter Ludouicum Bauarum & ſedem Apoſtolicam, Ludouici Bauari nomine ſcriptis, multa temere, & præter ſenſum Ludouici Bauari, inſeruiſſe, plurimaq; mentitum, pluſquam barbarica & hoſtili licentia finxiſſe, ſuſcitando, fouendoque ſchiſmati, à Ludouico Bauaro, Regiis imperatoriiſque ſpiritibus inflato, atque à Petro Corbario Antipapa & quamplurimis Minoritariis, ad Probrum Chriſtiani nominis excitato. Et quidem Vlricus, ea contentione, apud Principes refractarios, magnum ſibi nomen conciliauerat: apud Eccleſiam a. Catholicam, viuens, & vita functus probrum ſibi cõparauerat: adeo vt diffideret, ſe poſſe apud quamprobrorum, gratiam mereri. Quin, quod grauius eſt, iure merito dubitauerit, ſe Eccleſiaſtica ſepultura dignandum iri. Quamobrem diris conſcientiæ ſtimulis exagitatus, cum mortis tempus adeſſe videret, teſtamẽto cauit; ne in templo, aut cœmeterio, aut cœnobio, verum extra in loco aliquo honeſto ſepeliretur: quod vereretur effoſſi corporis contumeliam: ne iuſſu Pontificio, quemadmodum demeruerat, è loco ſacro effoderetur, & aſini ſepultura ſepeliretur: futurus exemplo omnibus, in ea dignitate conſtitutis, ne ingenio & calamo abutantur: neue ineluibilem maculam ſibi ac Principibus inducant, adeoq; ſe, Reges, & Regna perdant. *Auentinus lib. 7.*

VLRICVS OB SVAS NEQVITIAS NON VVLT IN LOCO SACRO SEPELIRI.

# IESV CHRISTI Annus 1336.

## BENEDICTI PAPÆ XII. ANNO 2.

I.
LVDOVICVS BAVAR. MITTIT LEGATOS AD PONT. PETENS ABSOLVTIONEM.

QVid hoc & ſuperiore anno inter Benedictum ſummum Pontificem, & Ludouicum Bauarum geſtum ſit, Albertus Argentinenſis qui viuebat, & ſcribebat, hæc retulit. Placuit verbis illius, rem vniuerſam narrare. Ita refert.

Cum Ludouicus Bauarus, ex ſcriptis quorumdam familiarium ſuorum, quos in Curia Pp. ſemper habuit, & qui hoc ex Cardinalib. certiſſime intellexerant, accepiſſet, Benedictũ Põtificem & Cardinales deſiderare illius reformationem, ſtatim Pp. & Collegio Nuncios & literas humillimas deſtinauit: qui Nuncii à Pp. & Fratrib. edocti, qualiter & ſub qua forma redire deberent, & ſub quib. articulis abſolutionem & gratiam petere, iterum à Principe, cum illis articulis & mandatis ſufficientiſſimis ſunt reuerſi. Inter quos duo erant Comites de Otingen, & Præpoſitus Auguſtẽſis, & Marquardus de Randecke Canonicus Auguſtenſis R. Bambergenſis, poſtea per Papam eiuſdem Eccl. Præpoſitus effectus, & Magiſter Vdalricus Protonotarius Principis, decretiſta. Et propoſito in publico Conſiſtorio, per prædictum de Randeck ex parte Principis humillime, ſuper petitione abſolutionis & reſtitutionis facundo ſermone, de quo omnes qui aderant mirabantur: Pp. gratioſiſſime reſpondens dixit: ſe & Fratres ſuos de hoc, quod nobilis ramus Eccle. Alemannia, qui ſe in perſona Domini Ludouici lædi per Eccleſiam æſtimans, iam ab arbore Eccleſiæ ſeparari cœperat, eidem arbori cum tam magno honore ſedis redintegraretur, plurimum gratulari: multum cõmendans Alemanniam, & Dominum Ludouicum, quẽ nobiliorem mundi dicebat: conquerens dilacerari Italiam per tyrannos, atq; regnum Armeniæ intercipi à Paganis, cuius Principes tempore Ioa. Pp. & ſuo Chriſtianorum implorabant auxilium: inſuper terram ſanctam propter Imperatoris carentiam occupari. Vnde merito dixit abſolutionem eidem impertiri ſe debere: quæ & dari in craſtino ſperabatur. Iſta Albertus referebat.

Porro, quot & quibus Nunciis deſtinatis, Ludouicus commiſerit, quidue Benedicto perſcripſerit, melius ex illis ipſis literis Ludouici cognoſcetur. Ad hunc modum, Ludouicus, die 5. Martii huius anni, Benedicto ſcribebat.

II.
LITERÆ LVDOV. AD PONT.

*Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & Domino ſuo, Domino Benedicto XII. diuina prouidente clementia ſacroſanctæ Rom. & Vniuerſalis Ecc. ſummo Pontifici. Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus ſuus filius deuotus, cum ſui & Regni Romanorum recommendatione, deuota pedum oſcula Beatorum.*

*Nouerit ſanctitas veſtra nobis quamplurimum veneranda, quod nos confiſi de fidelitate, prouidentia & ſinceritate ſpectabilium virorum Ludouici ſenioris & Ludouici iunioris de Ottingen Comitum; Fratris Henrici de Siphingen Ordinis Sanctæ Mariæ Fratrum Theutonicorum Commendatoris Domorum in Vlma & Vardes; Eberardi de Tummouu Archidiaconi, Mar-*





*quardi de Randeck iunioris Canonici profeſſoris Canonicorum Sancti Auguſtini, & Magiſtri Vdalrici de Auguſta noſtri Prothonotarii, Secretariorum noſtrorum ſpecialium, eoſdem, Ludouicum de Oettingen Comitem iuniorem, Fratrem Henricum de Siphingen, Marquardum de Randeck, & Magiſtrum Vdalricum Prothonotarium noſtrum præfatos abſentes tanquam præſentes, LVDOVICVM de Oettingen Comitem Seniorem, & Eberardum de Tummouo præſentes, & mandatum noſtrum ſponte recipientes, & quemlibet eorum tam abſentium quam præſentium inſolidum: ita quod non ſit melior conditio occupantis ſeu occupantium, ſeu quod vnus vel plures ipſorum, alius vel alii proſequi valeant & finire, in præſentia Notariorum publicorum, & Teſtium infraſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum, fecimus & conſtituimus, & per præſentes noſtras literas facimus & conſtituimus, creamus & ordinamus, modis omnibus quibus melius de iure facere poſſumus & valemus, noſtros veros, certos & legitimos Procuratores, Ambaſſiatores, negotiorum geſtores, & Nuncios ſpeciales, & quocumque alio nomine melius dici vel nuncupari poſſint: non tamen reuocando propter hoc poteſtatem, alias ſeu antea prædictis Procuratoribus noſtris, & eorum cuilibet in aliis noſtris Procuratoriis ad infraſcripta, vel ad infraſcriptorum aliquid pro noſtra ditam & conceſſam: ſed volumus potius & mandamus huiuſmodi Procuratoria, ad omnia & ſingula in eis contenta, nec non omnia & ſingula, quæ virtute ipſorum per ipſos Procuratores noſtros, ſeu eorum aliquem incepta, tractata, facta, vel quomodolibet ordinata exiſtunt, in ſuo pleno robore & efficacia permanere: dantes & concedentes in iis ſcriptis, eis omnibus, & cuilibet eorum inſolidum: ita quod non ſit melior conditio occupantis, ſeu occupantium: ſed quod vnus, vel plures ipſorum inceperint, alius vel alii proſequi, mediare, & finire valeant, plenam, meram, liberam & integram poteſtatem, facultatem, auctoritatem, & ſpeciale mandatum, vice, & nomine noſtro, & pro nobis ſanctitati veſtræ, & coram ſanctitate veſtra, & vbicumque eidem ſanctitati veſtræ placuerit, & viſum fuerit expedire: præſtandi concedendi, & promittendi, faciendi & confirmandi, vice, & nomine noſtro, & pro nobis, omnia iuramenta, omnes obedientias, promiſſiones, conceſſiones, donationes, notificationes, confirmationes & cætera omnia, quæ olim electi in Reges Romanorum, & aſſumpti ad imperium, ſiue etiam non aſſumpti, ſiue antequam aſſumerentur, ſiue poſt, per ſe vel alios, ſummis Pontificibus & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſeu aliorum alteri, per ſe vel alios recipientibus, ſeu recipienti, reperiuntur ſuis temporibus præſtitiſſe, feciſſe, confirmaſſe, ſeu quomodolibet conceſſiſſe.*

CONSTITVTIO PROCVRATORIA CVM POTESTATIBVS INFRA POSITIS.

REVOCANDI ET ANNVLLANDI CONTRA IOANN. XXII. FACTA.

*Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum poteſtatem vt ſupra, vice, & nomine noſtro, & pro nobis annullandi & reuocandi, nulla & irrita pronunciandi omnia, quæ dicta & facta ſunt contra Dominum quondam fel. rec. Dominum PAPAM IOANNEM XXII. & contra Sanctæ Eccleſiæ determinationes, & quæcumque alia titulo imperiali dicta vel facta per nos exiſtunt: & ſicut de facto dicta vel facta exiſtunt, ita ea omnia irrita & nulla pronunciandi.*

REVOCANDI PROCESSVS ET POENAS PROMVLGATAS CONTRA EOS QVI HENRICO IMP. NON ADHÆSERANT.

*Item, quia per Dominum Henricum Imperatorem vltimum ſeu autoritate ipſius plures proceſſus, & etiam plures ſententiæ capitales, & proſcriptionis bonorum, & aliarum pœnarum & mulctarum diuerſarum inflictiuæ, diuerſis temporibus promulgatæ fuiſſe dicuntur, tam contra Excellentem Principem Dominum Robertum Regem Siciliæ Illuſtrem, & contra magnificos viros Dominos Philippum quondam Principem Taranti, & Ioannem Ducem Duratii tunc Principem Achaiæ, quondam eiuſdem Regis germanos, ac etiam contra vaſallos, & alios eidem Regi Siciliæ mediate vel immediate ſubiectos Regni Siciliæ, & Comitatus Prouinciæ, & Folcacquerii, & Pedis Montium, & aliarum terrarum eiuſdem Regis Siciliæ, quam contra nonnullos Ciues & incolas ciuitatis Romanæ, nec non contra Ciuitatem & commune Florentinorum, & Poteſtatem, Capitaneos, Officiales, Miniſtros, & nonnullas ſingulares eiuſdem Ciuitatis perſonas, & etiam contra plures alias Ciuitates, & loca, & contra nonnullas perſonas ſingulares: quæ quidem Ciuitates & perſonæ tempore dicti Domini Henrici adhæſerunt Regi Siciliæ præfato: damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum poteſtatem promittendi, & nos obligandi, quod omnes huiuſmodi proceſſus & ſententias, propter quoſcumque etiam vel qualeſcumque exceſſus, inobedientias, rebelliones & iniurias ipſi proceſſus facti fuerint, & ſententiæ promulgatæ, priuſquam aſſumpti fuerimus à ſanctitate veſtra in Regem Romanorum reuocabimus: & eos, & effectum eorum annullabimus, & tollemus in totum, & quicquid etiam ex eis ſecutum eſt vel ob eos, vel ſequi poſſent ex eis, vel aliquo eorum: & inſuper omnes exceſſus, rebelliones, inobedientias, iniurias, & offenſas, qui, vel quæ, commiſſi ſeu commiſſæ fuerint per ſupradictos, vel eorum aliquos, ſeu aliquem: & per Ciuitates, Communitates & loca prædicta, in omnibus partibus Italiæ, contra præfatum Dominum Henricum, vel ſuos officiales, ſeu contra Imperium quouiſmodo, remittemus, tollemus, & penitus abolebimus, & in integrum aduerſus prædicta reſtituemus omnes & ſingulos ſupraſcriptos: ac Ciuitates, Communitates, & loca prædicta, ſic, quod illorum occaſione vel cauſa, ipſi vel ſucceſſores ipſorum non poſſint per nos vel noſtros quoslibet ſucceſſores, vel per alios, noſtro vel noſtrorum ſucceſſorum nomine nullo vnquam tempore impeti, ſeu inquietari, vel etiam alias quomodolibet moleſtari.*

REVOCANDI DONATIONES TERRARVM ECCLESIÆ PER IPSVM VEL EIVS NOMINE FACTAS.

*Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum, poteſtatem vt ſupra, omnes proceſſus factos, & quaslibet ſententias latas, et quæcumque alia quocumque nomine cenſeantur, Romæ, ſeu vbicumque alibi geſta per nos, vel per alios noſtro nomine, vel auctoritate ſub imperiali titulo, nulla eſſe, et caſſa, et irrita, vice et nomine noſtro, et pro nobis, pronunciandi et declarandi illa eſſe, quatenus proceſſerunt de facto: annullandi et penitus reuocandi. Specialiter etiam damus ipſis et cuilibet eorum inſolidum, nomine quo ſupra, poteſtatem reuocandi donationes Terrarum Eccleſiæ in ſpeciali ſi quæ per nos, vel auctoritate noſtra factæ ſunt, vel apparent, vel in futurum apparebunt.*

CONCEDENDI FACVLTATEM PONT. VT REMITTAT OMNES INIVRIAS ET REBELLIONES ET ALIA CONTRA IMPERIVM a L. ANNIS CITRA FACTA.

*Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, et cuilibet eorum inſolidum poteſtatem vt ſupra, vice et nomine noſtro, et pro nobis, ob reuerentiam ſanctitatis veſtræ, et Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, et etiam propter bonum pacis, vobis et ſucceſſoribus veſtris, dandi, concedendi irrenocabiliter plenam et liberam poteſtatem per biennium duraturam, computandum à tempore quo approbati fuerimus, et poteſtatem huiuſmodi conceſſerimus veſtræ ſanctitati, quietandi, et remittendi omnibus Ciuitatibus, et communitatibus, quorumcumque locorum omnium partium Italiæ, nec non de quibuslibet perſonis ſingularibus partium earumdem cuiuſcumque ſtatus, aut conditionis exiſtant, omnes iniurias, rebelliones, inobedientias et offenſas commiſſas hactenus quantumcumque, et quomodocumque contra imperium, et Reges, ac Imperatores Romanos, ſeu Officiales, Miniſtros, vel gentes eorum, à Quinquaginta annis et circa: ac etiam proceſſus quoſcumque, et quaſcumque ſententias inde ſecutas, quatenus ad Reges et Imperatores eoſdem qui fuerunt pro tempore pertinuit cognitio et punitio prædictorum: et ad nos, ſi in Regem Romanorum, aut etiam in Imperatorem aſſumpti fuerimus, illorum proſecutio iure Regni vel imperii poterit pertinere, tollendi, caſſandi, reuocandi, et totaliter annullandi, pœnaſque quaslibet corporum et bonorum, mulctas etiam et infamias, à iure vel ab homine illorum exceſſuum occaſione, vel cauſa inflictas, vel infligi poſſibiles in futurum infringendi, et penitus abolendi: et contra prædictos exceſſus, proceſſus, ſententias, pœnas, infamias huiuſmodi in integrum reſtituendi, et alias de illis, et ſuper illis omnibus et ſingulis, quantumcumque et quotieſcumque ſanctitati veſtræ placuerit, omnes ſimul vel diuiſim, per vos vel alium ordinandi et diſponendi, alte vel baſſi pro veſtræ libito voluntatis: quidque veſtræ placuerit ſanctitati et hoc in ſcriptis vel ſine ſcriptis, nobis etiam abſentibus et non vocatis, nec alio quocumque pro nobis. Nos ratum quoque et gratum pro nobis, et noſtris etiam ſucceſſoribus habituros, promittendi: quodque ſuper prædictis, et eorum quolibet, per vos, ſeu ſucceſſores veſtros remiſſum, caſſatum, ſublatum, annullatum, reuocatum, reſtitutum, & abolitum fuerit, vel quomodolibet ordinatum: & quod ſuper hoc ſufficientes & patentes dabimus literas noſtro communitas ſigillo, quotiens ſuper hoc fuerimus requiſiti, iuxta voluntatem veſtræ ſanctitatis, vel ſucceſſorum veſtrorum.*

PROMITTENDI

*Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum, plenam & liberam poteſtatẽ, vt ſupra, vice & nomine*

NON OCCVPARE VEL RECIPERE VEL VSVRPARE TERRAS ET LOCA ECCLESIÆ ROM.

noſtro, ac pro nobis promittendi, & in animam noſtram iurandi, quod non occupabimus, nec recipiemus, nec acquiremus, nec quouis modo vſurpabimus Romam, aut prouincias, Ducatus, Comitatus, Ciuitates, Oppida, Caſtra, Comitatum Venuſii, Terras alias ſeu Territoria vel loca Eccleſiæ Romanæ in Italia, vel vbilibet extra Italiam conſtituta, & ſpecialiter nec Regna Siciliæ, Sardiniæ & Corſicæ, quæ directo domino & feudo eiuſdem Eccleſiæ Romanæ eſſe noſcuntur: nec alia feuda, retrofeuda, ſeu quælibet alia loca ad eamdem Eccleſiam, mediate vel immediate ſpectantia: nec iura, perſonas, vel res reliquas in eiſdem: nec dabimus, nec concedemus vllo vnquam tempore in perpetuum, vel ad tempus aliquod de prædictis, ſub colore, conditione, aut titulo quibuſcumque.

VASALLOS ET SVBDITOS ECCLESIÆ NON MOLESTARE.

Idem damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum in ſolidum plenam poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro, ac pro nobis promittendi, & in animam noſtram iurandi, quod prædictam Romanam Eccleſiam, aut vos, ſeu ſucceſſores veſtros, vel Officiales, Miniſtros, Vaſallos, & ſubditos eorum non inquietabimus, vel quomodolibet moleſtabimus in Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſii, terris aliis & territoriis ſupradictis, ſeu aliquo prædictorum. Nec in caſu etiam aliquo Reges prædictorum Regnorum: aut Miniſtros; Vaſallos & ſubditos eorum in Regnis prædictis, ſeu pro eis, vel aliqua eorum parte aliquatenus moleſtabimus: nec aliquod dominium, iuriſdictionem, ſuperioritatem, ſeruitutem, Poteſtariam, Capitaneatum; vel aliud officium quodcumque, quocumque nomine cenſeatur accipiemus, vel per nos, vel alios exercebimus in prædictis, Roma, Regnis, prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis, terris aliis, & territoriis ſupradictis, vel in aliquo de eiſdem. Nec etiam fidelitatem, recognitionem, aduocationem aliquam, quouiſmodo recipiemus pro Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis, terris aliis, & territoriis ſupradictis, vel pro aliquo eorumdem. Nec etiam pro quibuſcumque rebus, vel iuribus in præmiſſis, Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis, terris aliis, & territoriis ſupradictis, vel in eorum, vel aliquibus eorum pertinentiis conſtitutis; etiamſi nobis à quibuslibet Ciuitatibus, vel perſonis ſingularibus offerentur: nec ius etiam aliud qualecumque vendicabimus, acquiremus, vel occupabimus, ſeu quomodolibet per nos, vel alium, ſeu alios vſurpabimus, recipiemus, vel exercebimus: nec concedemus etiam recipi, vel haberi in Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis, terris aliis, & territoriis ſupradictis, & ſpecialiter in Prouinciis, Ciuitatibus, terris & locis, & territoriis eorumdem, expreſſis in quibuſdam literis dicti Domini quondam Henrici Imperatoris: quarum tenor ſequitur in hæc verba.

LITERÆ HENRICI IMP. SVPER DOMINIO TEMPORALI SEDIS APOSTOLICÆ CONTRA OBTRECTATORES.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & Domino ſuo, Domino Clementi Sacroſanctæ Romanæ ac Vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici. Henricus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, cum reuerentia debita, deuota pedum oſcula Beatorum.

Feruenti deſiderio cupientes ſanctitatis Veſtræ pedibus, & Apoſtolicæ ſedi toto corde & animo zelum noſtræ reuerentiæ, fidei, & deuotionis offerre, veſtris ſanctis monitis, exhortationibus & mandatis, nos pro viribus cooptando, & honorem veſtrum & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & aliarum Eccleſiarum iura diligere, & propoſſe protegre & ſeruare; attendentes propenſius, quod nihil eſt, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta Fides in Principe; nihilque eſt quod ita nequeat occaſui ſubiacere, quam vera religio: & quod ad Dei timorem ſeruandum, mandataque eius cuſtodienda factus eſt omnis homo: ſed præcipue Imperialis & Regalis poteſtas quæ à Domino Deo eſt: & ad eius miniſterium exequendum, & ad fidem & reuerentiam ſui nominis dilatandam in omnes regiones, & Regna, promittimus & obligamus nos cum omni efficacia Deo Omnipotenti, Vobiſque Domino noſtro Clementi ſummo Pontifici, veſtriſque ſucceſſoribus, & ſacroſanctæ ſedi Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ, quæ Eccleſiarum omnium eſt caput & Magiſtra, quod ſacroſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, Fidemque Catholicam fundatam ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſcilicet angulari lapide CHRISTO Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, in cuius nomine omne genu flectitur, cæleſtium terreſtrium & infernorum, nec eſt nomen aliud ſub cœlo, in quo ſaluari oporteat credentes, toto crode & animo, pura fide & ſancta intentione conſeruabimus, reuerebimur, atque defendemus totis viribus, & toto poſſe: ac omnem hæreſim & ſchiſma, extollentem ſe contra ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam exterminabimus pro viribus: ac omnes hæreticos cuiuſcumque ſectæ & conditionis exiſtant, facies quidem habentes diuerſas, ſed caudas ad inuicem colligatas, quibus vineam Domini Dei Sabbaoth perdere & vaſtare nituntur, omneſque fautores, adiutores, valitores & receptatores, ac defenſores eorum: & quod nullo tempore coniugemur, confœderabimur, parentela & vel fœdere, vel vnione quacumque cum quocumque Saraceno, vel pagano, vel ſchiſmatico Rege, vel Principe, vel quocumque alio, Fidei Catholicæ communionem non habente: neque cum aliquo rebelli vel inimico ipſius Romanæ Eccleſiæ, vel eidem manifeſte ſuſpecto.

Item promittimus & obligamus nos cum omni efficacia & effectu, quod perſonam veſtram, ſtatum, & honorem, & ſucceſſorum veſtrorum, contra quemcumq; ſeu quoſcumq; homines, cuiuſcumq; ſtatus, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant conſeruabimus defendemus manutenebimus: nec non omnia Priuilegia Regum, & Principum, & Imperatorum Romanorum prædeceſſorum noſtrorum, cuiuſcumque tenoris vel continentiæ exiſtant, quocumque tempore conceſſa Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romanis Pontificibus, & ſedi Apoſtolicæ, & quibuſcumque Eccleſiaſticis Prælatis & Miniſtris ipſorum, conſeruabimus & manutenebimus, nec in aliquo vnquam tempore contrauenięmus, vel aliquem quantum in nobis erit venire permittemus, quacumque occaſione, vel titulo allegato iuris vel facti, Imo ad perpetuam rei memoriam, & ſanctæ Eccleſiæ ſecuritatem, atque cautelam, ipſa priuilegia omnia, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris ratificamus, confirmamus, recognoſcimus, innouamus & denuo concedimus, prout melius & plenius poſſumus ex certa ſcientia, ac omni efficacia & effectu, volentes, ac etiam decernentes, quod ipſa generalis ratificatio, confirmatio, recognitio, innouatio, & de nouo conceſſio proinde robur obtineant perpetuæ firmitatis, ac ſi omnia & ſingula priuilegiorum verba ſingulariter, & expreſſe, ac de verbo ad verbum præſentibus inſerta fuiſſent. Specialiter autem & expreſſe, cum omni efficacia & effectu ſupradictis, ratificamus, confirmamus, recognoſcimus, innouamus, & denuo concedimus omnia Priuilegia Conſtantini, Caroli, Henrici, Ottonis Quarti, Friderici ſecundi, atque Rudolphi Regum, & Principum ſeu Imperatorum Romanorum, quocumque tempore conceſſa, ſuper quibuſcumque cuiuſcumque continentia vel tenoris exiſtant, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Romaniſque Pontificibus & Apoſtolicæ ſedi. Promittimus etiam & obligamus nos cum omni efficacia & effectu, omni modo & forma, quo melius & efficacius fieri poteſt manutenere & conſeruare omnia priuilegia cuiuſcumq; conditionis, vel tenoris exiſtant: & nullo vnquam tempore contrauenire, vel aliquem quantum in nobis eſt venire permittere, quacumq; occaſione, vel cauſa, vel titulo allegato iuris vel facti, per quoſcumque Reges, vel Principes, ſeu Imperatores Romanos, & præcipue per ſupradictos Conſtantinum, Carolum, Henricum, Ottonem Quartũ, Fridericum ſecundum, atq; Rudolphum conceſſa Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romanis Pontificibus, & Apoſtolicæ ſedi, ſuper recognitione, innouatione, adnotatione, conceſſione, quietatione, renunciatione, & libera dimiſſione Terrarum & Prouinciarum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vbicunq; poſitarum. Præcipue Marchiæ Anconitanæ, cum omnibus Ciuitatibus, Terris, limitibus, terminis & confinibus ſuis integraliter, cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earumdem. Exarchatus Rauennæ & Pentapoli, ac Romandiolæ, & Bertenorii Comitatus, cum ciuitate Bononienſi, & cum omnibus Ciuitatibus, Terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earumdem. Vallis quoq; quæ Spoletana dicitur, ſiue Ducatus, cum ciuitatibus Peruſii atque Caſtelli, & cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earumdem. Maſſæ quoq; quæ Trebaria nuncupatur, cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earumdem. Patrimonium etiam Beati Petri in Tuſcia, cum ciuitatibus Tuderti, Narinæ, Vrbis Veteris, & Reatæ, & cum omnibus Ciuitatibus, Terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, cum omnibus iu-





ribus & iuriſdictionibus eorundem. Comitatus quoq; Sabinæ, cum ciuitate Interamnenſi, & cum arce Cæſaris, & terra quæ dicitur Arnulphorum, cum omnibus Ciuitatibus, Terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus eorundem. Comitatus quoq; Campaniæ atq; maritimæ, cum omnibus Ciuitatibus, Terris, limitibus, terminis & confinibus ſuis integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus eorundem. & ex abundanti, denuo, & ad maiorem cautelam, ſupradictas omnes terras atq; Prouincias cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus, terminis, limitibus & confinibus eorundem, & ius, & poſſeſſionem, & proprietatem ipſorum cum omni plenitudine recognoſcimus iure pleniſſimo, ad ius & proprietatem Sanctæ Rom. Eccleſiæ ſpectare, & omnimode pertinere, ac ipſas omnes terras atq; Prouincias adnotamus, innouamus, atq; concedimus, quietamus libere & dimittimus, reſtituimus & renunciamus. nec non ad omnem ſcrupulum remouendum, & vt pax, & quies, atq; tranquillitas inter Eccleſiam & Imperium iugiter vigeat, & futuris dante Domino temporibus feliciter augeatur, & omnis contentionis & diſſenſionis cuiuslibet materia præcidatur, prout melius & efficacius fieri & intelligi poteſt, concedimus ipſas, conferimus & donamus de nouo. Promittentes, & obligantes nos, prout plenius & efficacius poſſumus, quod nullo vnquam tempore occupabimus, vel occupari, quantum in nobis eſt permittemus, Ciuitates loca, Caſtra, Terras & Prouincias ſupradictas, vel aliquam ipſarum, vel earum partem, nec in ipſis vel aliqua ipſarum, vel earum parte iuriſdictionem aliquam per nos, vel per alium geremus, vel exercebimus, nec iura aliqua, poſſeſſiones, vel tenutas habebimus, vel poſſidebimus in eiſdem Terris, vel Prouinciis, vel aliqua ipſarum, ſeu parte earum; nec officium aliquod geremus per nos, vel per alios Poteſtariæ, vel Capitaniæ, ſeu quacunq; nomine cenſeantur in ipſis, vel aliqua ipſarum, vel earum parte: & quod tanquam Princeps Catholicus, Aduocatus & Defenſor S. Romanæ Eccleſiæ iuuabimus ipſam, ſibiq; aſſiſtemus contra quoſcunq; occupantes, inuadentes, vel turbantes Prouincias ipſas, Ciuitates, loca, Caſtra & Terras, vel aliquas ipſarum, vel earum partem: & quoſcunq; inobedientes, ſeu rebelles Eccleſiæ præcipue in Prouinciis, Ciuitatibus, locis, Caſtris, & Terris eiſdem in nullo fauebimus, vel manutenebimus, ſeu per quoſcunq; faueri, ſeu manuteneri, quantum in nobis eſt permittemus; Sed contra ipſos aſſiſtemus conſiliis, auxiliis, & fauoribus opportunis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romanis Pontificibus, & Apoſtolicæ Sedi, quouſq; rebelles & ſubditi, ad plenam reuerentiam & obedientiam reducantur. Promittentes quoq; Sanctam Romanam Eccleſiam, & Eccleſias alias, & libertatem Eccleſiaſticam, & bona, iura, Prælatos & Miniſtros ipſarum manutenere, conſeruare, & pro viribus defenſare: vaſalles quoq; Romanæ Eccleſiæ contra iuſtitiam non offendere; & quod deuotos, & fideles Eccleſiæ, etiam in Imperio conſtitutos benigne tractabimus, & contra iuſtitiam non opprimemus, nec per alium quantum in nobis eſt opprimi permittemus, ſed conſeruabimus in iuribus & iuſtitiis eorundem. Prædicta autem omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruare, & obſeruari facere; & nullo vnquam tempore contrauenire iuramus, ad Sancta Dei Euangelia, tacto libro in manibus diſcreti viri Ioannis de Malans Scholaſtici Eccleſiæ Tullenſis veſtri Capellani, nomine Romanæ Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ ac veſtro, ac de veſtro mandato ſpecialiter recipientis. de qua etiam receptione tam per noſtras præſentes, quam per ipſius recipientis literas ſeu publicum inſtrumentum plane conſtat.

Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Sedis Apoſtolicæ, & Romanorum Pontificum ſecuritatem atq; cautelam, præſentes literas Regio Maieſtatis ſigillo munitas fecimus communiri. Promittentes, & obligantes nos cum omni efficacia & effectu, quod poſt Imperialis diadematis coronationem ſuſceptam, prædicta omnia ratificabimus, confirmabimus, & recognoſcemus, & faciemus, & ſeruabimus, atq; iurabimus, & de ſupradictis omnibus infra octo dies noſtras patentes dabimus litteras quadruplicatas harum ſeriem continentes, ad perpetuam rei memoriam, & ad ſecuritatem, & cautelam veſtram, & ſucceſſorum veſtrorum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis, Imperialis Maieſtatis typario communitas. Datum Ruſannæ V. Idus Octobris, Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Decimo, Regni vero noſtri anno ſecundo.

ALIÆ POTESTATES LVDOVICI PROCVRATORIBVS DATÆ.

Item damus dictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum, plenam poteſtatem vt ſupra, pro prædictis adimplendis & obſeruandis, pœnas infraſcriptas vice & nomine noſtro, & pro nobis recipiendi, & ad eas nos obligandi, & aſtringendi. videlicet: quod ſi ſuper præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum, quæ in duobus dictis articulis immediate procedentibus continentur, moleſtauerimus, ſeu moleſtari fecerimus Romanam Eccleſiam, Regna, Prouincias, Ducatus, Comitatus, Ciuitates, oppida, caſtra, Comitatum Venuſinum, loca, Terras alias & territoria ſupradicta, vel aliquid eorundem inuadendo, occupando, ſeu quomodolibet acquirendo, vel eorum aliquid in toto, vel in parte aliqua, niſi ſuper hoc moniti per Romanum Pontificem vel auctoritate ipſius infra tres menſes poſt monitionem huiuſmodi immediate ſequentes à taliter attentatis deſtiterimus, & ea omnia & ſingula in quib. offenderimus, in priſtinum ſtatum reduxerimus, excommunicationis ſententiam cum valitoribus & ſequacibus noſtris eo ipſo incurramus, & ſi infra tres menſes dictos, alios tres menſes immediate ſequentes non fecerimus, tota terra nobis ſubiecta, ad hoc nobis vel noſtris præbens auxilium vel fauorem, ſic eo ipſo Eccleſiaſtico ſupponatur interdicto.

SVBIICIT SE POENIS A PONTIFICE INFLIGENDIS IN EVENTVM CONTRAVENTIONIS.

Quod ſi infra tres menſes alios, prædictos ſex menſes immediate ſequentes, monitioni prædictæ non paruerimus cum effectu, & per alios tres menſes, prædictos nouem menſes immediate ſequentes, de gratia expectati, monitioni non paruerimus vt præfertur, liberum ſit Romano Pontifici prout ſibi expedire videbitur, ad alias pœnas procedere contra nos, priuando etiam nos, ſi ſibi videbitur Imperiali, Regia, & qualibet alia dignitate, atq; alia vocatione, vel iuris ſolennitate. Monitio tamen prædicta ſic fiat, ſi commode fieri poſſit, vt nos perſonaliter apprehendat.

Quod ſi ſic non poſſit commode fieri, ſuper quo ſtare promittimus ſimplici aſſertioni Domini noſtri Summi Pontificis, poſſit fieri ipſa monitio in Romana Curia per publicum inſtrumentum & ſolemne, ſicut conſueuerunt fieri in Romana Curia citationes & proceſſus contra abſentes, quorum præſentia, ſiue domicilia non poſſunt libere, tuteve adiri.

ROMAM NON VENIRE NISI AD DIEM SIBI ASSIGNATAM ET EODEM DIE EXIRE.

Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum plenam poteſtatem vt ſupra, promittendi vice & nomine noſtro, & pro nobis, & in animam noſtram iurandi, quod ad euitandam occaſionem veniendi contra prædicta, vel aliquod prædictorum, ante diem nobis pro coronatione noſtra Imperiali præfigendum, non ingredientur Vrbem Romanam; quodq; eadem die, vero & legitimo impedimento ceſſante, Imperialem receperimus coronam, & ſi illa die fuerimus vere & legitime impediti, die alia dictam accipiemus coronam, & ipſa die qua coronam huiuſmodi receperimus, dictam Vrbem, vero ac legitimo impedimento ceſſante exibimus, cum tota etiam, quantum in nobis fuerit, gente noſtra, & ceſſante etiam impedimento legitimo, continuatis moderatis dietis, extra totam terram Romanæ Eccleſiæ; nos noſtro greſſu transferemus verſus terras nobis ſubiectas, nunquam poſtmodum ad vrbem, vel ad alias terras Romanæ Eccleſiæ, niſi de ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ acceſſuri: & ſiue ibi ſiue alibi Imperialem receperimus coronam, terras Eccleſiæ non introibimus, nec in ipſis manebimus.

Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum plenam poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro, & pro nobis promittendi, ac in animam noſtram iurandi, quod ſuper iis, vel eorum aliquo nullum impedimentum fingemus aut præſtabimus, aut fingi vel præſtari per nos, vel alios, quantum in nobis fuerit permittemus.

Item vice & nomine noſtro, & pro nobis promittendi, ac in animam noſtram iurandi, quod contra præfata, vel eorum aliquod nullatenus per nos, vel alios veniemus: & ſi contrarium quouis modo contingeret fieri per nos vel alios nomine noſtro quandocunq;, ſtatim cum hoc ad noſtram notitiam deductum fuerit illud reuocabimus, & faciemus quantum in nobis fuerit, effectualiter reuocare, & pro non facto volemus, & decernemus haberi.

Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum plenam poteſtatem vt ſupra, ſi per præfatum Dominum Henricum Imperatorem, per nos, ſeu quemcunq; alium vel alios, noſtro vel alterius noſtrorum nomine, ſeu auctoritate, aliquæ ſententiæ fuerint promulgatæ, ſeu proceſſus aliqui facti, ſeu arreſtationes perſonarum, aut rerum, aut aliqua ad iuriſdi-

ATTENTATA CONTRA IVRISDICTIONEM ECCLESIÆ REVOCABIT.

ctionem pertinentia quandocunq; attentata, in Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Ciuitatibus, Comitatibus, Oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis & terris aliis & territoriis ſupradictis, vel in aliquo eorundem immediate, vel mediate ſubiectis, illa omnia vice & nomine noſtro, & pro nobis decernendi, & promulgandi eſſe nulla. quodq; ſi aliqua fidelitates homagia, obedientiæ, adnotationes, donationes, obligationes, occupationes ſeu conceſſiones qualeſcunq; à prædicto Domino Henrico, vel à nobis, aut altero noſtrum, per nos, vel alium, ſeu alios factæ fuerint, ſeu receptæ pro Roma, Regnis prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis, terris aliis & territoriis ſupradictis, vel eorum aliquo, vel pro quibuslibet rebus & iuribus in eis, vel ſub eis etiam conſtitutis, à quibuſcunq; Ciuitatibus, vel perſonis etiam ſingularib. quouis modo, illa omnia fore nulla pronunciandi, & quatenus proceſſerunt de facto, totaliter reuocandi; & vice ac nomine noſtro promittendi, & firmandi, quod ea omnia & ſingula pro non facto volemus, & decernemus, & promulgabimus haberi.

Item damus dictis noſtris Procuratoribus, & eorum cuilibet inſolidum, plenã poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro promittendi & iurandi, quod non ingrediemur partes Italiæ, nec in eis, nec de eis per nos, vel alium, ſeu alios aliquid adminiſtrabimus aut quomodolibet diſponemus, donec approbationem Apoſtolicam perſonæ noſtræ fuerimus aſſecuti.

PROMISSIONES ALIÆ PRO DEFENSIONE IVRIVM ET BONORVM ECCLESIÆ.

Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro, & pro nobis promittendi vt ſupra, quod quandocunq; poſt approbationem prædictam in Lombardiam & Tuſciam, vel earum alteram, aliquem vel aliquos mittemus, vel conſtituemus in eis, faciemus eum & eos iurare, vt adiutor, & adiutores Domini Papæ, & eius Officialium ſint ad defendendum Romanam Eccleſiam, nec non Regna, Prouincias, Ducatus, Comitatus, Ciuitates, Oppida, Caſtra, Comitatum Venuſinum, loca, terras alias, & territoria ſupradicta.

Item quod non occupabunt, non recipient, nec acquirent, nec quouis modo vſurpabunt, Romam, aut Prouincias, Regna, Ducatus, Comitatus, Ciuitates, Oppida, Caſtra, Comitatum Venuſinum, loca, terras alias, & territoria ſupradicta Romanæ Eccleſiæ, in Italia, vel vbilibet extra Italiam conſtituta: & ſpecialiter, nec Regna Siciliæ, Sardiniæ & Corſicæ, quæ de directo dominio, iure & feudo eiuſdem Romanæ Eccleſiæ eſſe noſcuntur; nec alia feuda, retrofeuda, ſeu qualibet alia loca ad eandem Eccleſiam, mediate vel immediate ſpectantia. nec iura, perſonas, vel res aliquas in eiſdem, nec dabunt, nec concedent vllo vnquam tempore in perpetuum, vel ad tempus aliqua de prædictis, ſub colore, conditione, vel titulo quibuſcunq;.

Item quod prædictam Romanam Eccleſiam, aut Vos, ſeu ſucceſſores veſtros, vel Officiales, Miniſtros, vaſallos, & ſubditos eorum non inquietabunt, vel quomodolibet moleſtabunt in Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis, terris aliis, & territoriis ſupradictis, ſeu aliquo prædictorum, nec in caſu etiam quo Reges prædictorum Regnorum, aut Miniſtros, vaſallos, & ſubditos eorundem in Regnis prædictis, ſeu pro eis, vel aliqua earum parte aliquatenus moleſtabunt: nec aliquod dominium, iuriſdictionem, Superioritatem, Seruitutem, Poteſtariam, Capitaneatum, vel aliud Officium quodcunq;, quocunq; nomine cenſeatur, accipient, aut per eos, vel alios exercebunt in Roma, Regnis, Prouinciis Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis, terris aliis, & territoriis ſupradictis, vel in aliquo de eiſdem: nec etiam fidelitatem, recognitionem, adnotationem aliquam quouis modo recipient, per ſe, alium, vel alios pro Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis, terris aliis, & territoriis ſupradictis, vel pro aliquo eorundem, nec etiam pro quibuſcunq; rebus, vel iuribus, in præmiſſis, Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis, terris aliis, & territoriis ſupradictis, vel in eorum, vel aliquibus eorum pertinentiis conſtitutis, etiamſi eis, vel alicui eorum à quibuslibet communitatibus, vel perſonis ſingularib. offerentur: nec etiam ius aliud qualecunq; vendicabunt, acquirent, vel occupabunt, ſeu quomodolibet, per ſe, vel alium ſeu alios vſurpabunt, recipient, vel exercebunt: nec concedent etiam recipi vel haberi in Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis, terris, aliis, & territoriis ſupradictis, vel in aliquo de eiſdem, & ſpecialiter in Prouinciis, Ciuitatibus, & terris ſupradictis, vel in aliquo de eiſdem: & ſpecialiter in Prouinciis, Ciuitatibus, terris & territoriis eorum & locis expreſſis, in prædictis literis dicti Domini quondam Henrici Imperatoris.

Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorũ inſolidum poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro, & pro nobis acceptandi, quod ſi huiuſmodi officiales noſtri, vel eorum aliquis ſuper præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum, quæ in dictis articulis immediate præcedentib. continentur moleſtauerint, ſeu moleſtari fecerint Romanam Eccleſiam, Regna, Prouincias, Ducatus, Comitatus, Ciuitates, Oppida, Caſtra, Comitatum Venuſinum, loca, terras alias, & territoria ſupradicta, vel aliquod eorundem, inuadendo, occupãdo, ſeu quomodolibet acquirẽdo illa, vel aliqua prædictorum, in toto, vel in parte aliqua, vltra periurium in quod incident, ſententiã excommunicationis ipſo facto incurrant: & niſi infra duos menſes ab attentatis deſtiterint, & ea omnia in quibus offenderint in priſtinum ſtatum reduxerint, pœnas priuationis priuilegiorum quæ à Romana Eccleſia, vel aliis Eccleſiis, & feudorum quæ ab Eccleſia Romana vel ab aliis Eccleſiis tenent, & ab ipſo Imperio, incurrent.

Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & eorum cuilibet inſolidum plenam poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro, & pro nobis promittendi, quod per prædictos Officiales noſtros, per nos in Lombardiam vel Italiam mittendos iurare faciemus, quod nullam iuriſdictionem exercebunt in Roma, Regnis, & terris Eccleſiæ ſupradictis.

Item damus dictis Procuratoribus noſtris, & eorum cuilibet inſolidum plenam poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro, & pro nobis promittendi, & in animam noſtram iurandi, quod omnes ſupradictas promiſſiones, & iuramenta, & etiam infraſcripta renouabimus, & iterum faciemus ſingulariter & expreſſe poſt approbationem perſonæ noſtræ, infra triduum in perſona propria, ſi præſentes fuerimus, ſi vero non, idem faciemus fieri per Procuratores noſtros, habentes ad hoc ſufficiens & ſpeciale mandatum.

Item damus dictis Procuratorib. noſtris, & cuilibet eorum inſolidum plenã poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro, & pro nobis promittendi, quod nihilominus poſt conſecrationem & coronationem noſtrã Imperialem, infra dies octo, conſecrationem & coronationem eandem immediate ſequentes, pro firmitate maiori omnium prædictorum, ipſa omnia & ſingula ratificabimus, & etiam renouabimus ſingulariter & expreſſe, & quod ſuper præmiſſis omnib. & ſingulis, & qualibet vice de prædictis iuxta præmiſſã diſtinctionem temporum dabimus literas noſtras quadruplicatas eiuſdem tenoris patentes & ſufficientes, & ſigillo quo dictis vtemur temporibus communitas.

Item damus dictis Procuratorib. noſtris, & cuilibet eorum inſolidum plenã & liberam poteſtatem, & ſpeciale mandatum in animam noſtram iurandi, quod nullam promiſſionem, nullum pactum, nullumq; iuramentum, nec aliquod aliud faciemus, per quod præmiſſis, vel eorum alicui poſſet in aliquo quomodolibet derogari; & quod illi, vel illis, ad hæc per Sanctitatem Veſtram ſpecialiter deputandis, & Notariis tanquam perſonis publicis pro vobis, & pro Romana Eccleſia, & pro omnibus ſupra expreſſis, quocumq; nomine cenſeantur, ac etiam pro omnib. aliis quorum intereſt, vel intererit, ſeu intereſſe poterit in futurum recipientibus, & ſolemniter ſtipulantibus promittemus, & ſuper Sancta Dei Euangelia corporaliter manutacta iurabimus præmiſſa omnia & ſingula nos facturos, completuros, & nullo vnquã tempore per nos vel alios, contra illa, vel aliqua de illis quouis modo venturos, & ſi, quod abſit, contingeret nos facere, dicere, promittere, vel iurare aliqua vel aliquod quod præmiſſis, vel præmiſſorum alicui poſſet aliqualiter obuiare, vel nos, vel alios ad aliquid ſecus agendum inducere, vel nobis occaſionem agendi contra prædicta, vel aliquod prædictorum quomodolibet miniſtrare. nihilominus illis nequaquã obſtantibus, prædicta omnia complebimus, & inuiolabiliter obſeruabimus. & ad ea complenda & inuiolabiliter obſeruanda ex promiſſionibus & iuramentis præmiſſis, ſemper nos volumus remanere obligatos, & ex nunc etiam atteſtamur & proteſtamur nos velle & intelligere omnia præmiſſa & ſingula ſic excluſa fore ab omnib. factis & faciendis, per quæ præmiſſis, vel eorum alicui poſſet quomodolibet derogari, quod illorum prætextu vel occaſione nullo modo liceat, liceréve poſſit mutare aliquid in





præmiſſis, vel facere contra ea, vel aliqua de eiſdem.

Item damus prædictis Procuratorib. noſtris, & cuilibet eorum inſolidum plenam poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro, & pro nobis, bona fide promittendi, quod intruſos in Eccleſiis infra prædictum Regnum & Imperium conſiſtentibus, & qui eas contra ius, libertatem, ſuperioritatem & auctoritatem Eccleſiæ Romanæ detinent occupatas, vel eas detinuerint in futurum, ſi ſuper hoc per Sanctitatem veſtram, vel Sedem Apoſtolicam fuerimus requiſiti, expellemus, ac pro poſſe expelli faciemus, de illis, & prouiſos per Sedem Apoſtolicam iuuabimus, & faciemus iuuari, vt ad Eccleſias, quibus de eis per Sedem Apoſtolicam prouiſum eſt, vel fuerit in futurum, realiter admittantur, ſuiſq; iuribus libere vti poſſint.

Item damus prædictis Procuratorib. noſtris, & cuilibet eorum inſolidum plenam poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro, & pro nobis promittendi, per nos bona, plena & integra fide, & quantum in nobis erit procurabimus, quod Principes & Prælati, Barones maiores de Alemannia iurabunt, & ſub literis ſigillis eorum ſigillatis obligabunt, quod ſi nos non ſeruauerimus promiſſa ſupradicta, vel aliqua promiſſorum, quod nos non iuuabunt, ſed contra nos erunt, & Eccleſiam adiuuabunt.

Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum, plenam poteſtatem vt ſupra, Principes prædictos exnunc ab omni iuramento, quo eſſent nobis adſtricti, vice & nomine noſtro, & pro nobis liberandi, & abſoluendi, & à fidelitate exnunc prout extunc abſoluendi, in caſu, in quo nos fuerimus contra Eccleſiam, vel inuademus per nos, vel alios Vrbem Romanam, Regna, Prouincias, Ducatus, Comitatus, Ciuitates, Oppida, Caſtra, Comitatum Venuſinum, loca, terras alias, & territoria ſupradicta, aut aliquod de eiſdem.

Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & eorundem cuilibet inſolidum plenam poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro promittendi, quod circa terras quas Dominus Rex Siciliæ tenet extra terras quas tenet ab Eccleſia, faciemus quod ad commutationem, donationem, confirmationem, ſeu alias prout veſtra Sanctitas volet, & ipſi Regi erit gratum, quem intendimus tractare ſicut conſanguineum & affinem præcipuum.

Item vice & nomine noſtro, & pro nobis promittendi, quod dicto Domino Regi Siciliæ offeremus vnum noſtrum filium vxorandum & gubernandum, prout Veſtræ Sanctitati & ipſi Regi videbitur expedire.

Item vice & nomine noſtro & pro nobis promittendi, quod pro ſecuritate fidelium Eccleſiæ in Tuſcia, in terris videlicet Imperii, faciemus dictum Dominum Regem Robertum Vicarium noſtrum in vita ſua irreuocabiliter, ſi, quantum, prout Veſtræ Sanctitati placebit.

Item vice & nomine noſtro, & pro nobis promittendi, quod cum prædicto Domino Rege Siciliæ, vnionem & confœderationem faciemus, prout Veſtra Sanctitas duxerit ordinandam.

Item damus prædictis Procuratorib. noſtris, & cuilibet eorum inſolidum plenam poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro, & pro nobis conſentiendi, & promittendi, quod ſi in præmiſſis articulis, vel aliquo eorundem aliquod eſſet ambiguum, dubium, vel incertum, declarationi, interpretationi, correctioni, & suppletioni, & ordinationi Sanctitatis Veſtræ, & Domini Summi Pontificis qui pro tempore fuerit, ſtabimus cum effectu.

Inſuper damus & concedimus ſupradictis Procuratoribus noſtris omnibus, & cuilibet eorum inſolidum, plenam, meram & liberam facultatem, auctoritatem, & ſpeciale mandatum, vice & nomine noſtro, & pro nobis coram Sanctitate Veſtra, & vbicunq; Sanctitati Veſtræ placuerit, vel viſum fuerit expedire, obedientias, promiſſiones, conceſſiones, donationes, ratificationes, annullationes, & reuocationes quaſcunq;, vel qualeſcunq; ſuperius expreſſas, aut non expreſſas concedendi & promittendi, faciendi, firmandi, & confirmandi, finiendi & perficiendi, ſecuritates etiam & cautiones, firmitates, cautelas, & obligationes, necnon pœnitentias & pœnas in prædictis articulis expreſſas, aut non expreſſas quaſcunq; & qualeſcunq; ex parte noſtra exhibendi, offerendi, ſuſcipiendi, faciendi, complendi, firmandi & perficiendi, & etiam nos ad obſeruationem omnium eorundem & ſingulorum, & vniuſcuiuſq; ipſorum aſtringendi & obligandi. Confœderationem inſuper, ligam, concordiam & vnionem cum Magnifico Principe Rege Roberto, ad ordinationem & voluntatem Sanctitatis veſtræ ex voluntate veſtra faciendi, firmandi, complendi, perficiendi & roborandi, ſub pactis, cautionibus, obligationibus, cautelis, & firmitatibus quibuſcunq;, & cautiones, obligationes, pœnas & cautelas ſimiles ab eodem Rege, nomine noſtro recipiendi, & ſubſcribendi ſupraſcriptis omnibus articulis & ſingulis, & vnicuiq; ipſorum addendi, ſupplendi, & adiungendi, ac ipſos & quemlibet ipſorum mutandi, corrigendi, & emendandi omnia & ſingula iuramenta, prout ſuperius in articulis ſunt conſcripta: ac omnia & ſingula iuramenta, per Imperatorem Henricum vltimum, & alios Reges, & Imperatores Romanos præſtita, & quæcunq; alia iuramenta, quæ Sanctitati Veſtræ præſtanda videbuntur, in quocunq; caſu, ſeu caſibus ſupraſcriptis, vel aliis quibuſcumq;, nomine & vice noſtra in animam noſtram iurandi, præſtandi, & faciendi præmiſſa, & omnia, & ſingula, & vnumquodq; ipſorum, & generaliter omnia & ſingula, & quæcunq; alia dictum negotium tangentia, in toto vel in parte aliqua, aut quæcunq;, ſeu qualibet ſui parte, ſeu ex eo pendentia directe vel indirecte ſuperius expreſſa & non expreſſa, faciendi, gerendi, exercendi, acceptandi, offerendi, laudandi, iurandi, approbandi, complendi, ratificandi, finiendi, firmandi, perficiendi, & effectum, mandatum ſingulariter & expreſſe, etiamſi maiora & grauiora exiſterent quam præmiſſa, & quæ noſmet facere poſſemus ſi præſentes eſſemus propria in perſona, etiamſi mandatum qualecunq;, & quandocunq; exigerent ſpeciale.

Promittimus inſuper quod prædictos noſtros Procuratores, omnes, vel aliquos, vel aliquem ipſorum, pendente coram Sanctitate Veſtra tractatu & negotio noſtro prædicto, non reuocabimus, & ſi qua reuocatio, verbis & factis, vel literis apparebit, ipſam pro nulla, & irrita haberi volumus, & eam præſentibus irritamus, reuocamus, & annullamus: ita quod in quemcunq; caſum aut euentum vigorem habere non poſſit, nec præmiſſis vel alicui præmiſſorum officere valeat, vel aliqualiter derogare.

Inſuper vt præmiſſa omnia & ſingula, & vnumquodq; præmiſſorum per nos efficaciter compleantur, & inuiolabiliter obſeruentur, promittimus bona fide, & nihilominus ſub hypotheca & obligatione omnium bonorum, rerum noſtrarum, nos & omnia bona noſtra præſentia & futura, Notariis infraſcriptis recipientibus & ſtipulantibus legitime, vice & nomine Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Benedicti Papæ XII. prædicti, necnon vice & nomine Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac omnium & ſingulorum quorum intereſt, vel intereſſe poterit, quomodolibet in futurum, obligamusq; omnia & ſingula, quæ in præmiſſis, & circa præmiſſa, aut quodcunq; præmiſſorum per prædictos Procuratores & Ambaſiatores omnes, aliquos, vel aliquem ipſorum præſtita, promiſſa, iurata, annullata, reuocata, caſſata, irritata, remiſſa, abolita, pronunciata, declarata, conceſſa, data, acceptata recepta, laudata, obligata, aſtricta, decreta, promulgata, liberata, abſoluta commutata, donata, oblata, exhibita, ſuſcepta, ſuppleta, addita, mutata, correcta, emendata, adiuncta, ſupplicata, completa, ratificata, finita, inita, concordata, roborata, confirmata, acta, geſta, & facta, ſeu quomodolibet procurata, ordinata, diſpoſita & tractata fuerint, rata, firma, ſtabilia, ſolida, permanentia, certa, indubitata, placita, accepta & grata perpetuis habebimus temporibus, & ex nunc, prout ex tunc habemus: & quod contra ipſa, vel aliquod ipſorum in toto, vel in parte aliqua, nullo vnquam tempore veniemus ſcienter, vel faciemus, per nos vel alios, verbis, litteris vel factis, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe, ſub ratione, colore, conditione, titulo, vel cauſa quibuſcunq;: & quod prædictas, & prædicta, promiſſiones, iuramenta, confirmationes, annullationes, reuocationes, caſſationes, declarationes, conceſſiones, acceptationes, pœnarum receptiones, laudationes, obligationes, conſtitutiones, cautelas, decreta, promulgationes, liberationes, abſolutiones, commutationes, oblationes, donationes, ſuſceptiones, ſuppletiones, additiones, mutationes, correctiones, emendationes, adiunctiones, ſupplicationes, completiones, ratificationes, firmitates, & roborationes omnes & ſingulas, omnia & ſingula, ac omnia alia & ſingula, quæ prædicti Procuratores noſtri, vel eorum aliqui, nomine & vice noſtra fecerint, aut nos facturos promiſerint: nos poſtquam aſſumpti fuerimus in Regem Romanum, faciemus in propria perſona coram Sanctitate Veſtra, vel alias, vbi, & quando Sanctitati Veſtræ videbitur expedire: necnon quod ipſas & ipſa, ac omnia & ſingula præmiſſa, & quodlibet præmiſ-

*ſorum, de nouo muniemus, firmabimus, & approbabimus, complebimus, confirmabimus, ratificabimus, roborabimus noſtris iuramentis, & inſtrumentis publicis, manu publicorum Tabellionum confectis, necnon noſtris literis & ſigillis, & omni alia firmitate, & firmitatibus, ac modis quibus melius valere poterunt, & Sanctitati Veſtræ videbitur expedire.*

*Et ad maiorem omnium & ſingulorum roboris firmitatem, iuramus ſuper Sancta Dei Euangelia per nos corporaliter manu tacta, quod omnia & ſingula ſupraſcripta, & quæcunq; alia, quæ in præmiſsis & quolibet præmiſſorum per prædictos Procuratores noſtros, omnes, aliquos, vel aliquem ipſorum, facta, geſta, promiſſa, ordinata, & obligata fuerint, tenebimus, adimplebimus, cum omni efficacia & effectu, ac ea omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruabimus, & in contrarium per nos, vel alium, directe vel indirecte nunquam veniemus.*

*In quorum teſtimonium & roboris firmitatem præſentes, per diſcretos viros Fridericum de Ratiſpona Rectorem Eccleſiæ in Wolforchuſen, Wernherum dictum Bellenbergh de Wizzenborn Diœceſis Auguſtanæ publicos Notarios infraſcriptos publicari mandauimus, & ſigilli noſtri, quo hactenus vſi ſumus, fecimus appenſione muniri. Datum & Actum Vlmæ, Anno Domini M. CCC. XXXVI. Quinta die intrante Martio. Præſentibus nobilibus & ſpectabilibus viris Ludouico Duce de Tegche, Bertholdo Comite de Traiſpach & Marſteren dicto de Nyſen, Friderico Comite in Ottingen, & Religioſo viro Fratre Wolfermo de Nellemburch Magiſtro Ordinis Fratrum Theutonicorum Sanctæ Mariæ per Alemaniam, necnon honorabilibus viris Magiſtro Otthone de Rain Canonico Eccleſiæ Extecen. & Magiſtro Ioanne dicto Riedrer Canonico Eccleſiæ Ratiſponen. ad hæc vocatis ſpecialiter & rogatis.*

*Et ego Fridericus de Ratiſpona Rector Eccleſiæ in Wolfroſchuſen Friſingenſis diœceſis præſcriptus publicus Imperiali auctoritate Notarius prædictorum Procuratorum ſeu Ambaſiatorum conſtitutioni & ordinationi, ad omnes & ſingulos actus præmiſſos, nec non iuramentis & promiſsionibus, obligationibus & oblationibus, ac omnibus aliis & ſingulis ſupradictis per Sereniſsimum Principem Dominum Ludouicum præfatum geſtis & habitis, dum per ipſum agerentur & fierent, vna cum præſcriptis teſtibus præſens interfui, ac ipſa vidi & audiui, omnia iuramenta, promiſsiones, obligationes, oblationes, ac omnia alia & ſingula ſupraſcripta recepi ſolemniter, & ex officii mei debito fui legitime ſtipulatus, vice & nomine Sanctiſsimi in CHRISTO Patris & Domini, Domini BENEDICTI Papæ XII. prædicti, ac vice & nomine Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac omnium & ſingulorum quorum intereſt, vel intereſſe poterit in futurum; & de ipſius Domini Ludouici iuſſu & mandato, præmiſſa omnia & ſingula in his duabus chartis ſimul conglutinatis & iunctis, & in earum iuncturis, meo ſolito ſigno bis ſignatis, licet alia manu legaliter conſcripta, publicaui, examinaui, & ipſis manu propria fideliter ſubſcripſi, nec non ſignum meum conſuetum hic etiam appoſui, requiſitus & rogatus, in teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum. Anno, die, nec non loco prænotatis in præſentia teſtium præſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum.*

*Et ego Wernherus Bellenbergh de Wizzenborn Diœceſis Auguſtenſis præſcriptus publicus Imperiali auctoritate Notarius prædictorum Procuratorum ſeu Ambaſiatorum conſtitutioni & ordinationi, &c. vt in præcedenti ſubſcriptione.* ex MS. biblioth. Vatic. num. 407. fol. 1.

III. LEGATI LVDOVICI NIHIL A PONT. OBTINENT PRÆTER ADMONITIONES.

Hæc quidem ſupraſcripta omnia, Ludouicus Bauarus tum Sedi Apoſtolicæ ſpondebat, tum Oratoribus deſtinatis, vt Benedicto Summo Pontifici exponerent, promitterent, iurarentq; committebat. & interim Regi Gallorum Philippo, negotium faceſſere cupiens, tum Anglorum Regem, tum Belgarum Principes aduerſum illum concitabat, atq; fœdere cum illis inito, aliud in literis & per internuncios pollicebatur, aliud per confœderatos Regem & Principes tentabat. Quamobrem Benedictus Pontifex, nihil tunc conceſſit, ſed Oratores reuerti iuſſit, Ludouicumq; admonuit, vt actus ſuos in melius dirigeret; Wilhelmum Ochamum hæreſiarcham, eiusq; collegas & Socios Minoritas Bonamgratiam Pergomatem & Michaelem Cæſenaticum Sedi Apoſtolicæ dederet; decreta aduerſus Ioannem 22. Vicarium Chriſti retractaret, acta reſcinderet, opprobria recantaret; edicto perpetuo publice ſanciret, neminem Cæſarem eſſe aut vocari, quam Sedes Apoſtolica electionem cognoſceret atq; probaret. Inſuper ius ad Imperium ex noua electione quæreret, pactaq; cum hoſtibus Regis Galliarum inita reſcinderet, ſi Apoſtolicæ Sedis gratiam promereri contenderet. Adiunxit, vt alios internuncios ante Menſem Decembr. huius anni ad Sedem Apoſtolicam mitteret, erroresq; olim admiſſos fateretur & eiuraret. *ex Regeſt. Benedict. hoc anno.* Cauſam huius coniicio ex Alberto Argentinenſ. huius temporis Scriptore: quod Rex Galliarum Philippus, bello iniquo à Ludouici confœderatis laceſſitus duos Archiepiſcopos, duos Epiſcopos, duos Comites, & totidem viros dignitatibus iiſdem illuſtres, Robertus Siciliæ Rex, ad Benedictum miſiſſent; qui nomine Regum ſuorum Pontifici proponerent, erroneum fore, ſi tantum hæreſiarcham, quantus fuerat Ludouicus, Orbi Chriſtiano præponeret: & fautor hæreticorum in poſterum audiret. Promittebat Pontifex, ſe meliora pacta à Ludouico, pro prædictis Regibus, eorum Regnis, & poſteris exacturum, quam ſi eum in turri concluſum tenerent. verumtamen nihil profecit, quod illi auxilia à Carolo Vngariæ, à Caſimiro Poloniæ, ab Ioanne Boemiæ Regibus, ex pactis promiſſa, aduerſus Ludouicum expectantes, alium Regem Romanorum deſignari exoptarent, & Ludouicum hæreſiarchæ nomine execrarentur. Cardinalium quoq; quamplurimi, non te nere Sedi Apoſtolicæ, ac ſibi ipſis, à tot tantorumq; Regum conſpiratione metuentes, Benedictum à Ludouici abſolutione retrahebant, aſſerentes; inconſultum fore, tot Reges ac Principes Chriſtianos, propter vnum impotentem & inopem, ac quod deterius erat, hæreſis labe pollutum, offendere, & à Sede Apoſtolica alienare. Itaq; neceſſe habuit Benedictus, Ludouicum officii erga Reges admonere, neceſſitatemq; excuſandi vel eiurandi hæreſes, ac errores admiſſos deteſtandi imponere. Sic dato alio termino deliberationis, Nuncios Ludouico remiſit, cumq; illis ſolemnem Legatum, ad Ludouicum, Epiſcopum Magalonenſem, qui eius mores & motum erga Eccleſiam indagaret, ire iuſſit. *Albertus Argentinenſ. in Chron.*

IV. NOVA LVDOVIC. AD PONTIF. LEGATIO.

Obediuit monitis Ludouicus, & datis die 28. Octobris litteris, miſſisq; Oratoribus Guillelmo Comite Iuliacenſi, & Roberto Comite Palatino Rheni, Duce Bauariæ, apud Sedem Apoſtolicam, hæc quæ exactius ex datis eius literis cognoſci poterunt, maxima cum ſubmiſſione egit. Ita habent. datæ Norembergæ; dignæ quę propter notitiam antecedentium legantur.

TENOR LITERARVM LVDOVIC. CVLPAS FATENTIS ET EMENDATIONEM PROMITTENTIS.

*Sanctiſsimo in Chriſto Patri & Domino ſuo, Domino Benedicto XII. Diuina prouidentia Sacroſanctæ Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, filius ſuus deuotus, cum ſui & Regni Romanorum recommendatione, deuota pedum oſcula beatorum.*

*Nouerit Sanctitas Veſtra nobis quamplurimum veneranda, quod nos confiſi de fidelitate, prouidentia, & ſinceritate illuſtrium virorum Willelmi Comitis Iuliacenſis, Principis & affinis noſtri, Roberti Comitis Palatini Rheni & Ducis Bauariæ, Principis & Patrui noſtri, Secretariorum noſtrorum ſpecialium & fidelium dilectorum, mandatum noſtrum ſponte recipientium in præſentia Notariorum publicorum, & teſtium infraſcriptorum ad hoc vocatorum & rogatorum, fecimus & conſtituimus, & per præſentes noſtras literas facimus & conſtituimus, creamus & ordinamus modis omnibus, quibus melius de iure facere poſſumus & valemus, noſtros veros, certos & legitimos procuratores, Ambaſiatores, negotiorum geſtores, & Nuncios ſpeciales, ac quocunq; alio nomine melius dici & nuncupari poſsint, dantes & concedentes in his ſcriptis, eis & cuilibet eorum inſolidum, ita quod non ſit melior conditio occupantis, ſed quod vnus vel alter ipſorum inceperit, alius proſequi valeat & finire, vice & nomine noſtro, & pro nobis, coram Sanctitate Veſtra & Sacro Collegio Dominorum Cardinalium,*

*& vbi-*



*& vbicunq; ſanctitati veſtræ placuerit, vel viſum fuerit expedire, plenam, meram & liberam poteſtatem, facultatem, auctoritatem, & ſpeciale mandatum.*

*1. Primo ad recognoſcendum & confitendum nos conſenſiſſe, ſuffragium conſtituiſſe, & non impediuiſſe, ſed verius ad hoc operam dediſſe, quod Petrus de Corbario efficeretur Antipapa, & actus faceret Papæ; & quod Felicis recordationis Dominus Papa Ioannes de facto Papatu priuaretur, & priuatus denunciaretur.*

*2. Item quod conſenſimus & permiſimus, quod dictus Antipapa conſecraretur, ſeu verius execraretur; Conſecrationes, ſeu verius execrationes faceret, & de bonis Eccleſiarum pro ſuæ libitu voluntatis ordinaret: quod eius miniſtri, officiales & ſequaces, ſua officia exercerent.*

*3. Item quod ex his ſchiſma in Eccleſia Dei, & multi errores ſecuti exiſtunt, & ſuper his vice & nomine noſtro, & pro nobis, nos excuſandi; Primo, quod nunquam credidimus, neque credimus ipſum Petrum de Corbario fuiſſe Papam, ſed Antipapam. Item quod permiſimus, & conſequenter mandauimus, eum pro tali habere & honorari, ex eo quia Dominus Papa Ioannes, alium in Imperatorem eligi, vt dicebatur, procurabat, & nos ſuis ſententiis & proceſsibus deponere conabatur. Item, quod quidam iſta fieri procurabant, qui diſcordiam talem affirmabant & dicebant, hoc populo Romano licere, & Imperatori, & inſtrumentis antiquis & auctoritatibus diuerſis hoc comprobabant.*

*4. Item quod nos, cum Petrus de Corbario in Antipapam fuiſſet inſtitutus, ignorabamus determinationem Eccleſiæ fuiſſe factam, quod hæreticum eſſet, & hæreſim ſaperet, Imperatorem Papam deponere, & alium facere.*

*5. Item, quod de prædictis conſecrationibus, ſeu verius execrationibus dolemus, & quod multum nobis placet, vt puniantur qui prædicta fecerint, niſi ad gratiam Eccleſiæ redire velint vna nobiſcum, & quod tunc ſimiliter puniantur, vt veſtræ videbitur ſanctitati.*

*6. Item, quod nunquam credidimus, neq; credimus nos benefacere, aut feciſſe in prædictis, ſed male & peruerſe.*

*7. Item, quod illa fieri permiſimus, vt redderemus malum pro malo: vt ſicut dictus Dominus Ioannes Papa priuabat, etiam priuaretur; & ſicut alium Regem Romanorum conſtitui procurabat, etiam alius Papa de facto conſtitueretur: & cum iniuriæ per eius officiales dicerentur, etiam iniuriæ audirentur.*

*8. Item, quod non credebamus nos in prædictis bene, ſed male feciſſe: nec credebamus dictum Dominum Ioannem Papam fore depoſitum, nec alium vere creatum, ſed dicto & facto ſic ſimulate faciebamus, & dicebamus ſicut de facto contra nos procedebatur prout multi ſapientes iudicant & iudicabant.*

*9. Item quod nunquam credimus, neq; credimus, quod neq; ad Imperatorem, neq; ad Romanorum Regem, nec ad Romanum populum ſpectet Papam deponere, & alium creare; & ideo actus illos reprobamus.*

*10. Item quod Ciues Romani diuerſarum conditionum, ad huiuſmodi conſenſum præſtandum, per diuerſas vias & modos nos induxerunt, quorum fauore nos indigebamus, & eorum propterea voluntati conſenſimus, ſimulate tamen, vt in proſecutione poſiti, poſſemus tranſire tempus noſtrum; licet nos crederemus & credimus male facere in prædictis.*

*11. Item quod extra omnem ſpem concordiæ, cum dicto Domino Papa Ioanne & Eccleſia, vt nobis videbatur, poſiti, hæc fieri permiſimus: quia inuiti, & nullo modo eadem vel ſimilia, alias contra ipſum & Eccleſiam feciſſemus.*

*12. Item ad confitendum vice & nomine noſtro, & pro nobis, quod fauimus Galeatio de Vicecomitibus, & Fratribus ſuis de Mediolano, & eorum complicibus condemnatis, tunc vt dicebatur de hæreſi, vel de fautoria hæreſis vt ſequitur, & ſuper his vice & nomine noſtro, & pro nobis nos excuſandi. Primo, quod errores præfatorum Vicecomitum numquam ſciuimus, nec adhuc ſcimus, nec vellemus ipſis vel aliquib. aliis fauiſſe, vel fauere in aliquo errore contra Fidem, nec fauimus, ſed ipſos vt fideles noſtros & ſubditos tractauimus, & eos in dominio Ciuitatis Mediolanenſis ſuſtinuimus ad tempus, & ipſis egentibus, etiam pecunia ſubuenimus, vt in dominio dictæ Ciuitatis Mediolanenſis, & per conſequens totius Lombardiæ quietius remanere poſſemus.*

*13. Item ad confitendum vice & nomine noſtro, & pro nobis, quod nobiſcum tenuimus Fratres Minores rebelles Eccleſiæ, videlicet Fratrem Michaelem de Cæſena, Fratrem Franciſcum de Marchia, Fratrem Guillelmum, Fratrem Bonamgratiam, Fratrem Henricum de Thalami, & aliquos eorum ſocios & ſequaces; & quod nos conſenſimus appellationibus eorundem Fratrum contra Dominum Ioannem Papam præfatum; & vice, & nomine noſtro, & pro nobis excuſandi nos in prædicto articulo, nec non ſuper eo quod nobis imponitur, quod eis fauimus in eorum opinionibus, & in eorum prædicationibus factis & dictis contra Fidem & Eccleſiæ determinationem. Primo, quod proteſtati ſumus publice & expreſſe, quod ſi in eorum appellationibus aliquid poneretur, quod eſſet contra Fidem, vel Eccleſiæ determinationem, quod illorum dictis non conſentiebamus, ſed ſolum iis quæ ad iuriſdictionem temporalem, & ad noſtri iuris ſaluationem ſpectabunt.*

*14. Item quod expreſſe eis diximus, quod de ipſorum opinionibus de paupertate Chriſti, vel aliis, inquantum eſſent contra Fidem Catholicam, nolebamus nos immiſcere, nec intromittere, quia ſemper credidimus, & credimus, & credere intendimus circa articulos Fidei & Eccleſiæ determinationes, tam circa paupertatem CHRISTI, quam circa alia, quod credidit, & credit Dominus Papa Ioannes, & Sacrum Collegium Dominorum Cardinalium, & Sancta Romana Eccleſia. Item, quod ſicut miles, ſcripturarum & litterarum ſubtilitatum ignari, quia dicebantur meliores Magiſtri Theologiæ, & Fratres Religioſi, non credentes nos aliquid contra Fidem facere, appellationi eorum conſenſimus, & adhærebamus, & ipſam pro defenſione noſtra, & iurium noſtrorum & imperii interpoſuimus.*

*15. Item quod nec ex tunc, nec ex nunc conſentiebamus, nec credebamus, nec conſentimus, nec credimus dictis & opinionibus eorum, niſi in quantum eſſent, & ſunt conformia Fidei Catholicæ, & determinationi Eccleſiæ. Item quod ipſos tenuimus, vt eos loco & tempore ad gremium Eccleſiæ vna nobiſcum reduceremus: ita quod ipſos tenuimus vt rebelles, & inimicos amici noſtri Sanctiſsimi Domini Papæ Ioannis, & vt de facto reſponderent, ſicut multa de facto contra nos opponebantur, vt nobis videbatur.*

*16. Item quod ipſos recepimus ſub dominio noſtro, quia Clerici boni & Magiſtri litterati dicebantur. Item quod multa dicebant pro iure noſtro ſeruando, & iuribus Imperii conſeruandis, quibus in quantum ius Imperii tangebant, ſicut miles & laicus credebamus.*

*17. Item vt cum ſupradictis literatis, non poſſemus contra litteratos defenſare, in iuribus noſtris & Imperii.*

*18. Item quod ipſorum prædicationes, diffamationes, & blaſphemias in quantum erant contra Fidem, & Eccleſiæ determinationem, & contra bonos mores non probamus, nec approbamus; ſed reprobamus, & reprobare intendimus: ſed huiuſmodi prædicationes approbamus, inquantum iura Imperii & honorem noſtrum tangebant.*

*19. Item ad confitendum vice & nomine noſtro, & pro nobis, quod Conſtitutionem,* Cum inter nonnullos, *de paupertate Chriſti loquentem, credimus fore veram & Catholicam; & quod articulos, videlicet, Redemptorem noſtrum & Dominum Ieſum Chriſtum, eiusq; Apoſtolos in ſpeciali non habuiſſe aliqua, nec etiam in communi. Rurſus quod Redemptori noſtro præfato, eiusq; Apoſtolis in his quæ eos habuiſſe Sacra Scriptura teſtatur, nequaquam ipſis ius vtendi, ſeu conſumendi competierit, nec illa vendendi, ſeu donandi ius habuerint; credimus fore, iuſte & rite per Eccleſiam damnatos ibidem: quos etiam nos ſicut bonus & fidelis Chriſtianus damnamus, anathematizamus, damnabimus, & anathematizabimus.*

*20. Item ad confitendum vice & nomine noſtro, & pro nobis, quod in appellatione quam fecimus contra quondam Dominum Papam Ioannem continetur, quod iurauimus omnia ibi contenta vera eſſe, cum tamen multa ibidem hæretica, & per Eccleſiam damnata contineri dicantur circa paupertatem Chriſti & Apoſtolorum, multæ etiam blaſphemiæ, & ſuper his nos excuſandi. Primo, quod nos expreſſe excepimus, & diximus, cum dicta appellatio coram nobis facta fuit, quod de opinionibus Fratrum Minorum de pauperate Chriſti, & de Eccleſiæ determinationibus, nos immiſcere, ſeu intromittere minime intendebamus: ſed de*

*bis duntaxat, quæ ius noſtrum & Imperii tangebant.*

21. *Item quod nos nunquam iurauimus, licet ſic eſſet ſcriptum in appellatione.*

22. *Item quod reperitur, quod Notarius qui hoc fecit, ſc. Vlricus Groildonis, malitioſe, & in vindictam contra nos, dicendo ſe per nos fuiſſe læſum, iſtam appellationem de conſilio aliquorum volentium talem diuiſionem ſeminare; quod nunquam valeret eam aliquis reparare, fieri procurauit, & hoc confeſſus eſt in morte, vt à pluribus aſſeritur.*

23. *Item quod illa non credidimus, neque credimus fore vera, inquantum ſunt contra Fidem, & Eccleſiæ determinationem; nec ſubtilitates ibidem contentas, nec illos articulos intelleximus, cum tales, & talium ignari exiſtamus.*

24. *Item quod de blaſphemiis, & falſis ibidem poſitis dolemus, quod ibi poſita fuerunt & publicata.*

25. *Item ad confitendum vice & nomine noſtro, & pro nobis, quod Marſilium de Padua & Ioannem de Ganduno, per Eccleſiam damnatos, nobiſcum tenuimus: & ſuper hoc vice & nomine noſtro nos excuſandi. Primo, quod ipſos tenuimus, quia boni Clerici erant, & de iuribus imperii ſe multa ſcire dicebant, vt ſupra dictum eſt de Fratribus Minoribus. Item quod expreſſe diximus, quod de eorum opinionibus & ſcripturis nolebamus nos intromittere, inquantum eſſent contra Fidem, & Eccleſiæ determinationem: ſed ſi aliqua dicerent vel ſcirent, quæ eſſent pro defenſione iuris Imperii, illis volebamus vti. Item quod ipſorum erroribus nunquam credidimus, neque credimus. Item quod ipſos nobiſcum tenuimus, vt ipſos vna nobiſcum ad gratiam Eccleſiæ reduceremus. Item quod non credidimus, neque credimus nos bene feciſſe, ipſos retinendo, fauorem ipſis præſtando, ipſoſque & eorum ſequaces prædicare contra Dominum Papam Ioannem permittendo; ſimulabamus tamen multa & permittebamus, vt Clericis & intelligentibus de facto reſponderetur, ſicut de facto contra nos, vt nobis videbatur, procedebatur: nec credidimus, neque credimus nos bene feciſſe in præmiſſis, ſed male.*

ERRORES IOANNIS DE GIANDVNO ET MARSILII DE PADVA.

26. *Item ad confitendum vice & nomine noſtro, & pro nobis, quod errores infraſcriptos, dogmatizatos per Ioan. de Gianduno, & Marſilium de Padua ſupraſcriptos, videlicet. Primo, quod illud quod de Chriſto in Euangelio Beati Matthæi legitur, quod ipſe ſoluit tributum Cæſari, quando ſtaterem ſumptum ex ore piſcis, illis qui petebant didragma iuſſit dari, hoc fecit non condeſcenſiue ex liberalitate ſuæ pietatis, ſed neceſſitate coactus. 2. quod Beatus Petrus Apoſtolus, non plus auctoritatis habuerit, quam alii Apoſtoli habuerunt; nec aliorum Apoſtolorum fuit caput: quodque Chriſtus nullum caput dimiſit Eccleſiæ, nec aliquem Vicarium ſuum fecit. 3. quod ad Imperatorem ſpectat, Papam inſtituere, & deſtituere, ac punire. 4. quod omnes Sacerdotes, ſiue ſit Papa, ſiue ſint Archiepiſcopi, ſiue Epiſcopi, ſiue ſimplices ſacerdotes ſunt ab inſtitutione Chriſti, auctoritatis & iuriſdictionis æqualis: & ſi vnius habet plus quam alius, hoc eſt, ſecundum quod Imperator concedit vni, vel aliis, plus vel minus. & ſicut tunc conceſſit alicui, ſic poteſt etiam illud reuocare. Quinto, quod tota Eccleſia ſimul iuncta, nullum hominem punire poteſt punitione coactiua, niſi Imperator ſuper hoc auctoritatem ſibi daret: credimus fore, vere & recte damnatos; quos & nos tamquam bonus Chriſtianus damnamus, & anathematizamus.*

27. *Item ad confitendum, vice & nomine noſtro, & pro nobis quod interdicta non permiſimus ſeruari, in multis terris & locis, & quod plures Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas permiſimus grauari; & violare interdictum, multoties multos coegimus, tam ſæculares, quam Regulares.*

28. *Item vice & nomine noſtro, & pro nobis ſuper hoc nos excuſandi, quod iſta fecimus, & fieri permiſimus propter cauſas prædictas; & quia propter magnam guerram aliud commode facere non poteramus, & vt de facto ageremus, ſicut de facto contra nos vt nobis videbatur, procedebatur, & vt populum contra nos non concitaremus ſed ipſorum murmurationem deprimeremus.*

*Item quod iſta fecimus, volentes tempus noſtrum tranſire reddendo malum pro malo, licet crederemus nos malefacere.*

29. *Item ad confitendum vice & nomine noſtro, quod multos intruſimus in Eccleſiis, vel fauorem adhoc dedimus, & prouiſos per Eccleſiam impediuimus ſeu impediri fecimus.*

30. *Item ad confitendum vice & nomine noſtro, & pro nobis, quod cum excommunicatis participamus, & cum eiſdem, in locis etiam interdictis, miſſas & alia diuina officia audiuimus, & celebrari fecimus, & multos celebrare coegimus. necnon in Vrbe Romana, & in pluribus aliis terris Eccleſiæ diuina accepimus, & per nos & per alios exercuimus.*

31. *Item vice & nomine noſtro, & pro nobis ſuper his excuſari, quod hoc fecimus, tum propter cauſas prædictas, tum etiam vt magis nos in ſtatu noſtro firmaremus, licet nos crederemus male facere.*

32. *Item ad confitendum vice & nomine noſtro, & pro nobis, nos aſſumpſiſſe titulum Imperialem & vnctionem in Roma perverſe, male & iniuſte, & à poteſtatem non habente.*

33. *Item ad confitendum vice & nomine noſtro, & pro nobis quod credimus, quod ad Summum Pontificem ſpectat hoc facere, & ad nullum alium; & quod ſimulabamus nos bene facere huiuſmodi titulum aſſumendo & tenendo: Propter magna pericula, quæ nobis imminebant in ſtatu & perſona.*

34. *Item dictis noſtris Procuratoribus & cuilibet eorum inſolidum, damus ex certa ſcientia, plenam, meram & liberam poteſtatem, auctoritatem & ſpeciale mandatum, ad renunciandum, & dimittendum, & totaliter deponendum, vice & nomine noſtro, & pro nobis titulum Imperialem Romæ per nos receptum, & quo vtimur, & hactenus vſi ſumus, ac ad promittendum, & in animam noſtram iuramento præſtando firmandum, quod titulo prædicto Romæ per nos recepto, vlterius non vtemur.*

35. *Item ad promittendum vice & nomine noſtro, & pro nobis, quod ſuper omnibus prædictis exceſſibus, & quibuslibet aliis iſta tangentibus, faciemus confeſſionem plenam propria in perſona: petemus humiliter veniam, & offeremus, ac ſuſcipiemus emendam.*

36. *Item ad confitendum nihilominus, quod præfatas excuſationes non reputamus ſufficientes, & ideo volumus, vt dicti Procuratores & vnuſquiſque eorum Sanctitati veſtræ, vice & nomine noſtro, pro venia & abſolutione ſupplicent per nos commiſſorum.*

37. *Item ad ſupplicandum vice & nomine noſtro, & pro nobis pro abſolutione, & pro noſtra aſſumptione, & in integrum reſtitutione, ad famam, honorem & ſtatum, & interdictorum in Alemaniæ partibus remotione, & ſingularium perſonarum abſolutione.*

38. *Item ſupradictis noſtris Procuratoribus, & cuilibet eorum inſolidum vt ſupra, damus & concedimus, plenam, meram & liberam poteſtatem, facultatem, auctoritatem, & ſpeciale mandatum, ad iurandum in animam noſtram, de parendo mandatis Eccleſiæ atque veſtris, ſuper omnibus & ſingulis ſupradictis.*

39. *Item ad iuramentum & iuramenta præſtandum, non præfata vel ſimilia nunquam facturos, & quod vniuerſos & ſingulos hæreticos & ſchiſmaticos per Eccleſiam denotatos, vel denotandos extirpabimus: & ſpecialiter ſupradictos Ioannem de Girandino, Marſilium de Padua, Fratrem Michaelem de Ceſena, Fratrem Guillelmum Ocham, Fratrem Bonamgratiam, Fratrem Henricum de Thalami, & omnes alios eorum ſocios & ſequaces, ad ſi vnitatem Eccleſiæ redire noluerint: necnon quod omnem hæreſim & ſchiſma deteſtabimur, & deteſtamur, & pro viribus exterminabimus toto poſſe.*

*Item ad promittendum & offerendam vice & nomine noſtro, & pro nobis, & ad obligandum nos & noſtra, quod nomine ſatisfactionis, pœnæ, & emendæ, ac pœnitentiæ per nos commiſſorum effectualiter aſſumemus paſſagium, vltra marinum, prout Veſtræ Sanctitati videbitur expedire, & quod ibi manebimus, quantum Veſtra Sanctitas duxerit ordinandum.*

40. *Item ad promittendum vice & nomine noſtro quod pro dicto paſſagio adimplendo exponemus perſonam; & bona, & noſtros amicos requiremus, prout qualitas negotii exigit & requirit.*

41. *Item ad promittendum vice & nomine noſtro, & pro nobis, nos Eccleſias & Monaſteria ædificaturos, prout Sanctitas Veſtra ordinabit.*

42. *Item ad promittendum vice & nomine noſtro, quod eleemoſynas, & peregrinationes faciemus, iuxta Veſtræ Sanctitatis mandatum & ordinationem.*

*Item quod ſuſcipiemus & perficiemus pœnitentias alias quaſcunque*





*cunque atque pœnas, quas Veſtra Sanctitas pro dictis exceſſibus nobis duxerit iniungendas.*

43. *Damus inſuper prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum vt ſupra, plenam, meram & liberam poteſtatem, auctoritatem, & ſpeciale mandatum, vice & nomine noſtro, & pro nobis, confeſſiones, excuſationes, anathematizationes, & ſupplicationes, prout in ſupradictis articulis continetur faciendi, emendas quoque offerendi & acceptandi, ſuper omnibus & ſingulis ſupradictis exceſſibus, & quibuſcunque dependentibus ab eiſdem: & de ipſis adimplendis nos obligandi, ſub pœnis & pactionibus, & cautionibus quibuſcunque. Abſolutionem etiam, gratiam, veniam & miſericordiam petendi, ſuper omnibus & ſingulis ſententiis iuris vel hominis, quas incurrimus propter præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum, ſiue huiuſmodi ſententiæ promulgatæ per felicis recordationis Dominum Papam Ioannem XXII. prædeceſſorem veſtrum ſiue per Legatum, vel Legatos eiuſdem, ſiue per Inquiſitores hæreticæ prauitatis, ſeu per loci vel locorum Ordinarios qualeſcunque: nec non ſupplicandi pro abolitione omnis effectus proceſſuum & ſententiarum prædictarum. Supplicandi inſuper pro aſſumptione noſtra, & in integrum reſtitutione ad famam, honorem & ſtatum priſtinum; nec non aſſumptione noſtra in Regem Romanorum; & approbatione perſonæ noſtræ, ad Imperialem dignitatem poſtmodum promouendæ. Iuramenta etiam ſiue de ſtando & parendo mandatis Eccleſiæ, ſiue de vlterius præmiſſa vel ſimilia fore facta, exceſſus vel delicta non committendo, ſiue quælibet alia iuramenta, de quibus ſupra fit mentio, & quæcunque alia propter præmiſſa obtinenda, in animam noſtram præſtandi & iurandi. Articulis ſupraſcriptis omnibus & ſingulis, & vnicuique ipſorum addendi, ſupplendi, & adiungendi, ac ipſos mutandi, corrigendi, & emendandi. Supplicandi inſuper pro remotione, vel ſaltem ſuſpenſione interdictorum, in Ciuitatibus & terris nobis adhærentibus, & pro nobis in interdicto exiſtentibus, nec non pro abſolutione excommunicationis & irregularitatis ſingularium perſonarum Clericorum, in quocumque ſtatu exiſtant, ac laicorum, & pro ipſorum in integrum reſtitutione, & ſufficienti diſpenſatione. Præmiſſa etiam omnia & ſingula, & vnumquodque ipſorum, ac generaliter omnia & ſingula, & quæcunque alia dictum negotium tangentia, vel ex pendentia ſuperius expreſſa vel non expreſſa, etiam ſi grauiora vel eo maiora exiſterent, quam præmiſſa faciendi, firmandi, finiendi, perficiendi, & effectui mandandi, ſingulariter & expreſſe, & quæ noſmet facere poſſemus, ſi præſentes eſſemus in propria perſona, etiamſi mandatum quantumcunque exigant ſpeciale.*

44. *Promittimus inſuper, quod prædictos noſtros Procuratores, ambos vel alterum eorum pendente coram Veſtra Sanctitate tractatu & negotio noſtro prædicto, non reuocabimus: & ſi qua reuocatio, verbis, factis, vel litteris appareret, ipſam pro nulla & irrita haberi volumus, & etiam eam præſentibus irritamus, reuocamus & annullamus: ita quod in quemcunque caſum vigorem habere non poſſit, nec præmiſſis vel alicui præmiſſorum officere valeat, vel aliqualiter derogare.*

45. *Promittimus inſuper bona fide, & nihilominus ſub hypotheca & obligatione omnium rerum & bonorum, nos & bona noſtra omnia, Notariis infraſcriptis recipiendi & ſtipulandi legitime, vice & nomine Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Benedicti Papæ XII. prædicti, ac vice & nomine ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & omnium & ſingulorum quorum intereſt vel intereſſe poterit in futurum, obligamus. quod omnia & ſingula quæ in præmiſſis & circa præmiſſa, aut quodcunque præmiſſorum per prædictos Procuratores & Ambaſiatores noſtros ambos vel alterum eorum confeſſa, excuſata, damnata, anathematizata, reprobata, promiſſa, iurata, oblata, ſuſcepta, conceſſa, firmata, approbata & ſupplicata, ſeu quomodolibet ordinata & tractata fuerint, rata, firma, placita, accepta & grata perpetuo habebimus, & ex nunc prout extunc habemus, & contra ipſa vel ipſorum aliquos, nullo vnquam tempore veniemus, vel faciemus per nos vel alios, verbis vel factis, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe. & quod eaſdem confeſſiones, excuſationes, damnationes, anathematizationes, reprobationes, promiſſiones, iuramenta, obligationes, firmitates & approbationes omnes & ſingulas faciemus in perſona propria, coram Sanctitate Veſtra, vel alias, vbi & quando Sanctitati Veſtræ videbitur expedire. Nec non ipſas confeſſiones, excuſationes, damnationes, anathematizationes, reprobationes, promiſſiones, oblationes & approbationes omnes & ſingulas, nec non omnia & ſingula iuramenta, & omnia alia & ſingula, & vnumquodque præmiſſorum de nouo muniemus firmabimus & approbabimus, complebimus, confirmabimus, ratificabimus & roborabimus noſtris iuramentis & inſtrumentis publicis, manu Tabellionum, nec non literis & ſigillis, & omni alia firmitate, & firmitatibus, ac modis aliis quibus melius valere poterunt, & Veſtræ placuerit Sanctitati.*

*Non tamen per ſupraſcriptam Conſtitutionem Procuratorum noſtrorum, ac præſens Procuratorium, & poteſtatem ipſis Procuratoribus traditam, priora noſtra Procuratoria, ſiue aliquod ipſorum Sanctitati Veſtræ tranſmiſſa, & ex parte noſtri præſentata, & Procuratores noſtros in eiſdem conſcriptos, aut aliquem ex eiſdem reuocare intendimus, vel aliquatenus immutare; ſed volumus ea potius & omnia in eis contenta, nec non omnia & ſingula quæ virtute ipſorum per eoſdem noſtros Procuratores ſeu aliquem eorum tractata, geſta, facta, vel quomodolibet ordinata exiſtunt, in ſuo pleno robore & efficacia permanere, & ſupradictos Procuratores noſtros, prioribus noſtris Procuratoribus vnimus; adiungimus, & ex certa ſcientia aggregamus: ita quod quicquid inſimul dicti noſtri Procuratores, vel aliqui, ſeu aliquis ipſorum in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum fecerint, tractauerint, egerint, procurauerint, ſeu ordinauerint, rata, firma, & illibata permaneant, ac ſi per nos ipſos fuerint facta, geſta, acta, aut etiam ordinata.*

46. *Et ad maiorem omnium & ſingulorum roboris firmitatem, iuramus ſuper ſancta Dei Euangelia, per nos corporaliter manu tacta, omnia & ſingula ſupraſcripta & quæcunque alia, in præmiſſis, & quolibet præmiſſorum, per prædictos Procuratores noſtros omnes, aliquos, vel aliquem ipſorum facta, geſta, acta, aut etiam promiſſa, ordinata, & obligata fuerint, tenebimus & adimplebimus omni efficacia & effectu, ac ea omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruabimus: & in contrarium per nos vel alium, directe vel indirecte nunquam veniemus. In quorum omnium teſtimonium, & roboris firmitatem, præſentes literas & Procuratoria, per diſcretos viros Fridericum de Ratiſpona Rectorem Eccleſiæ in Wolfratzhuſen diœceſis Friſingen. & Herdegnum quondam Themadi Clericum diœceſis Bamberg. publicos Notarios infraſcriptos publicari mandauimus, & ſigilli noſtri quo vtimur & hactenus vſi ſumus fecimus appenſione muniri. Datum & actum in oppido noſtro Nuremberg, XXVIII. die menſis Octobris, Anno Domini 1336. præſentibus nobilibus & ſpectabilibus viris Ludouico Duce de Thete, Bertholdo dicto de Nyſſen Comite in Graiſperch, ac Religioſis viris Fratribus, Wolframo de Nellenburgh Magiſtro, & Henrico de Cipplingen Commendatore Domorum Vlmæ & Vicerdee diœceſis Conſtantien. & Auguſt. n. Ordinis Fratrum Theutonicorum S. Mariæ per Alemanniam, nec non diſcretis viris Magiſtro Wilhelmo de Auguſta noſtro Prothonotario, & Otthone de Rayn Canonico Eccleſiæ Eyſtetenſis Notario noſtro, ad hoc vocatis ſpecialiter & rogatis.* ex MS. Archiuii Vaticani.

V. IN CAVSA LVDOVICI NIHIL ADHVC A PONT. DECERNITVR.

Et quidem Ludouicus Bauarus ſupraſcripta, Procuratoribus ſuis cōmittebat; quos cum Benedictus Pontifex in pleno Conſiſtorio audiuiſſet, pro Primatu, & auctoritate Romani Pontificis aſſeuerando, Concionem eruditam coram omnibus dixit, ſumpto themate Regii Prophetæ; *Eripies me à contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium.* Pronunciata ea concione, nihil adhuc in negotio Ludouici Bauari decreuit, quod Philippi Galliarum, & Roberti Siciliæ Regis Oratores nōdum aduenissent. *Ptolomæus in Benedicto XII.*

VI. BELLVM INTER GALLVM ET ANGLVM REGES.

Erat quod Philippus Valeſius Rex Galliarum cunctaretur. Namq; rumore non incerto conſtabat, Ludouicum Bauarum Edouardo Anglorum Regi aduerſus Philippum ſuppetias tuliſſe, illumque Imperii Vicarium in Germania inferiore conſtituiſſe. Hunc enim annum excepit bellum, inter duos illos Reges, Gallum & Anglum, ſane luctuoſum & admodum calamitoſum rei Chriſtianæ. Nullum, Franciam, ex quo Romanorum arma ſenſit, atrocius exercuit. Magna

vtrimque contentione geſtum, & tandem vtrique regno acerbum. Ad hoc bellum gerendum, cum Edouardus Ludouicum in ſocietatem armorum ſibi coniunxiſſet, titulumque Vicarii adeptus fuiſſet, eo nomine Hollandiam, Gelriam, Iuliacum, Agrippinam Coloniam, Brabantiam, Hannoniamque ſibi adiunxerat. Altera ex parte Gallus, Boemum, Scotum, Nauarum Siculumque Reges, præter Principes alios multos ſocios ſibi comparauerat. Operæpretium eſt originem eius dimicationis exponere.

VII. ORIGO HVIVS BELLI.

Philippus cognomento Pulcher Galliæ Rex, tres habuit filios, Ludouicum, Philippum, Carolum & filiam vnam. Et illi quidem, per ſucceſſionem, cum nullam haberent ſobolem, adminiſtrationem regni tranſmiſerunt ordine ad Carolum fratrem: Qui filium quidem ſuſtulit, ſed orbatus eo fuit, multum adhuc adoleſcente. Filiam porro Philippi Regis Iſabellam, ſororē Caroli, Edouardus eius nominis ſecundus Angliæ Rex duxerat, exque ea genuerat Edouardum filium honeſtiſſima indole, pectore animoſo, & virtutibus principe digniſſimis exornatum. Extat Homeri ſententia, pleroſque omnes filios, parentibus eſſe deteriores, vix vllos meliores. Verum in hoc Rege ſecus euenit. Fuit enim illius pater ingenio minus honeſto, ad omnem luxum propenſus, & nimium delatoribus auſcultans: è quorū grege præcipui erant nobiles quidam duo ex familia eorum qui in Anglia vocantur *Spenſii*. Hi mentem omnem Regi excantauerant, adeo quidem, vt illorum conſilio Rex inductus, ad ſupplicium raperet circiter *viginti duos nobiliſſimos Angliæ Barones*: neque iſto contentus, coniugem quoque ſuam vna cum filio, omni Anglia eiiceret.

EDOVARDVS III. REX ANGLIÆ.

PHILIPPVS VALESIVS REX GALLIÆ.

Sed Regina tandem amicorum fide & opera, in Angliam reducta cum filio, & delatores illos patrem & filium atrociſſimis puniuit ſuppliciis, & regem maritum ſuum inutilem regno, variis grauibuſq; de cauſis, ex Senatus & populi authoritate, cuſtodia continuit, Regemque filium Edouardum tertium nuncupauit. Edouardus adoleſcens poſtquam Regnum Angliæ capeſſiuiſſet, ad Gallicanum quoque aſpirauit: quod lege Diuina, inprimis matri Iſabellæ, deinde ſibi poſtea deberi aſſeueraret, poſt mortem Caroli Regis. Porro Galliæ proceres ad ſucceſſionem Regni capeſſendam, minime admittebant Iſabellam; quod ad fœminas tanti regni molem minime deuolui, iam olim iis locis receptiſſimum ex plebiſcito eſſet. Edouardum quoque pariter tertium Iſabellæ filium, & Philippi Regis nepotem repudiabant, tanquam à fœmina deſcendentem: adeoq; vno conſenſu ſceptrum & rerum ſummam Philippo Valeſio, defuncti Regis Philippi cognato detulerant. Per hanc occaſionem acerbiſſimum bellum ſecutum eſt, Edouardo tertio, Regnum Galliæ verius deberi ſibi exiſtimante, quam Valeſio.

Huc acceſſit, quod vir quidam ſumme nobilis Robertus Arteſienſis, qui apud Valeſium Regem ſummo ſemper *in precio, habitus fuerat*, tandem *in odium* adductus aula fuit exturbatus, & vndique ſtudio Regis repulſus, quocumque ſe recepiſſet. Hic igitur poſt multos denique errores in Angliam acceſſit, ibique Sedem quietam inuenit & conſiliarius Regis factus, Edouardum, vt bellum Galliæ Regi moueret, non ceſſabat hortari. Pariſiis tunc multorum Sacerdotum ac Procerum Conuentum, Philippus agebat, vt iubente Benedicto Pontifice, Sacram militiam in Palæſtinam profiteretur. Ad eam cum Edouardum quoque inuitaret, Edouardus ludibrio ſe haberi exiſtimans, Aquitaniȩ ſibi ereptæ, fideique pactorum violatorum, & inprimis Regni Galliarum occupationem iniecit; & ad Philippum Regem, *Archiepiſcopum* Cantuarienſem, cum Philippo Montiſacuti, & Gaufrido Scorpo ire iuſſit, qui eum officii admonerent, & vel ſaltem Aquitaniam recuperarent, atque Regem à Scotorum tutela auocarent.

Namque & hi, Dauidem Regem nacti Anglis negotium faceſſebant. Ppilippus parum comiter Legatos Edouardi habuit, & pacem tandem quoquomodo firmatam, iis denuo reuocatis irritauit, quot Scotos participes illius eſſe decerneret. Eam conditionem cum Angli ſe non poſſe admittere præſeferrent, ad Edouardū redierunt.

FOEDVS INEVNT LVDOVIC. BAVAR. ET EDOVARDVS CONTRA GALLVM.

SOCII IN FOEDVS ANGLI TRACTI PONT. REGES CONCILIARE PROCVRAT.

Eius legationis relatione Edouardus, excanduit, bellumque ex his atque aliis cauſis pene funeſtum Galliæ illaturus, primo Flandros petiit: ibique apud Antuerpiam, fœdus cum Ludouico Bauaro Philippi Regis non multum amico iniuit. Philippus, vt Edouardum à Flandrico bello auerteret, depoſita Sacræ militiæ cura, Scotos ad bellum repetendum impulit, militeq; & pecunia iuuit: Genuenſium inſuper naues precio conductas à Tycitheno in Oceanum, ad diripiendas Anglorum & Vaſconum naues oramque maritimam exciuit, & iis populis qui in reliqua Aquitania parebant, bellum acerrimum intulit: eamque ob cauſam apud Chriſtianas gentes male audiit, Benedicto Pontifice ſuccenſente, quod deſerto Sacræ militiæ Anglicum bellum ſuſcepiſſet. Inter hos tumultus, cum probro maximo Chriſtianorum, arma in Belgio, Gallia Aquitanica, & Scotia circumferrentur, & Rex Edouardus, præter Ludouicum Bauarum, Archiepiſcopum quoque Colonienſem, Ducem Brabantiæ, Comitem Hannoniæ, Ioannem patruum, Ducem Gelriæ, Marchionem Iuliacenſem, eque Germania plurimos proceres in fœdus traxiſſet, Benedictus Pontifex nihil aliud curauit, quam vt incendium iſtud reſtingueret, pacemque inter Reges conciliaret. Itaque Philippum quidem ab armis dehortatus, decimas illi in omnes Chriſtianos nuper conceſſas ſolui vetuit, Ludouico autem Bauaro diſerte ſcripſit, vt à ſocietate hoſtium Philippi ſeſe ſubtraheret: quo tandem Edouardus ſolus, Philippo impar, ad concordiam facilius inclinaret. *Villani lib. 12. cap. 54. Guagni. lib. 8. Maſſon. lib. quarto, Froſſardus libr. primo, Annales Belg. lib. 12.*

VIII. SIGNA PRÆSAGA BELLI.

Eius belli nonnulli indices præceſſere. Cometes ignitiſſimus apparuit, futurorum quæ ſuperuentura erāt malorum ſignum. Regina quoque in puerperio apud Vicennas decumbente, tanto fulgure atque tonitru aer inhorruit, vt pars cubiculi, vbi ea incolebat deciderit, & cortinæ contritæ ſint. Ingentes quoque arbores ſuis ſedibus radicitus euulſæ, & plerique homines trucidati. *Guagnin. ſupr.*

In feſto quoque SS. Simonis & Iudæ, hora veſperarum, ventus improuiſe ſurgens in diuerſis mundi partibus adeo fortiter aerem commouit, vt multa Eccleſiarum & domorum etiam plumbea tecta aliorſum tranſtulerit, multaſq; Eccleſias domos & Monaſteria proſtrauerit, nō ineuidenti portento futuræ in Europa turbationis.

PONT PRÆFECTVM AVLÆ SVÆ SVSPENDI CVRAT.

Enituit ſub initium eius belli, his & aliis indiciis præoſtenſi, Benedicti Pontificis ingens in procuranda pace deſiderium. Cum enim Præfectus aulæ Pontificiæ, quē Mareſchallum appellabant, aliquos Anglicos Auinione tunc moram facientes Philippo Regi prodidiſſet; hic vero innocentes viros, è feneſtra, domus cuiuſdam ſuſpendiſſet: Benedictus, Præfectum, inſtituto iudicio, proditionis conuictum damnatumque ex eadem feneſtra è qua *Angli* dependerant ſuſpendi imperauit, neque Eccleſiaſtica ſepultura dignum iudicauit. *Richar. Ciſtercien. in Benedicto XII.*

PVBLICÆ QVIETIS TVRBATORES FRATRICELLOS AD CAVSAM DICENDAM EVOCARI MANDAT.

Non deerant Fratricelli, qui Ludouicum Bauarum in eam ſocietatem cum Edouardo ineundam impellerent. Quod enim ſibi vehementius metuerent, ne Eccleſiaſtica diſciplina propter errores acrius percellerētur, inflammare Ludouicum, atq; à tanta ſubmiſſione, quantam in literis oſtenderat, dehortabantur: putida mendacia contra Ioannem XXII. Pontificem & dicentes, & ſcribentes, & aſſerentes. Quamobrem Benedictus, vt hæc quoque fomenta bellorum, ſeditionis & ſchiſmatis extingueret, Archiepiſcopis & Prælatis ali-

quibus.



quibus, vt Fratres Minores illos, Conſtitutionibus Apoſtolis detrahentes, ac famam Ioannis 22. denigrantes, ad Sedem Apoſtolicam, ad cauſam dicendam euocarent, commiſit. *ep. 212.* eodemque anno IV. Cal. Febr. decretalem quæ incipit, *Benedictus Deus in ſanctis ſuis*, pro Ioanne Pontifice, ſeu magis pro dogmate de viſione animarum, euulgauit: neceſſariam, quæ hic inſeratur. Ita habet, *ep. 23.*

IX. DECRETALIS BENED. PONT. PRO DOGMATIS DE VISIONE ANIMARVM ASSERTIONE.

Benedictus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

*Benedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui Sacroſanctam Romanam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, (quam vt vineam plantauit dextera ſua, quamque vt præcipuam, in Eccleſiarum omnium Caput erexit, & victricem, dicente Domino ad Petrum; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam) ſua miſeratione non deſerit, ſed per Beatos Apoſtolos ſuos, præcipue Petrum & Paulum, ſingulares eiuſdem Eccleſiæ defenſores, pia benignitate, & continua pietate cuſtodit; quatenus eiſdem Rectoribus gubernata, in ſeſtabilis maneat fundata ſuper firmam petram, omneſque Chriſtianæ Fidei cultores illi obediant, illi pareant, illi intendant, ſub illius Magiſterio degant, ſub eius diſciplina & correctione conſiſtant. Non in illa dogmatizetur improuidum, inſeratur incautum, in fide temerarium ingeratur. Sicque declinent homines à malo, & faciāt bonum, ambulent per vias rectas, & ad meliora per Sancta deſideria proficiſcantur: ſperent iuſtorum propinquas æternæ vitæ retributiones; timeant malorum inferni calamitates non remotas. Nam ſcriptum eſt; Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique iuxta opera ſua, quod ſi ſecus à quoquam fuerit attentatum, id protinus ſua auctoritate, pœnis etiam adiectis, prout expedire viderit, prorſus euellat. pro qua, vt in ſeipſa ſubſiſtens alios informaret, paſſionis ſuæ tempore Saluator noſter Ieſus Chriſtus patrem exoraſſe perhibetur dicens; Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.*

*Sane dudum tempore fel. rec. Ioannis XXII. prædeceſſoris noſtri, inter nonnullos etiam Theologicæ facultatis Magiſtros, ſuper viſione animarum iuſtorum hominum poſt mortem ſuam, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc ſæculo deceſſerunt, vel ſi fuerat, iam purgatum ex toto eſt: an diuinam eſſentiam videant, ante corporum ſuorum reſumptionem & iudicium generale. & ſuper nonnullis aliis orta materia quæſtionis, ipſorum aliqui negatiuam, aliqui affirmatiuam, alii vero ſecundum ſuas imaginationes de viſione diuinæ eſſentiæ ab animabus huiuſmodi, diuerſa & diuerſimode oſtendere nitebantur, prout ex dictis & ſcriptis ipſorum noſcitur apparere: ſuper reiectis vero ſuis concertationibus, quas hic breuitatis cauſa omittimus, quia ita ex noſtris determinationibus inter ſe etiam deſidebant. Cumque idem prædeceſſor noſter, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad deciſionem concertationum huiuſmodi ſe pararet in ſuo Conſiſtorio publico, tam Fratribus ſuis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam Prælatis & Magiſtris in Theologia, qui multi aderant præſentes, iniungendo diſtrictius & mandando, vt ſuper materia de viſione prædicta, quando requirerentur ab eo, deliberate vnuſquiſq; diceret quod ſentiret; tamen morte præuentus, ſicut Domino placuit, perficere illud nequiuit.*

*Defuncto itaque prædeceſſore præfato, nos diuina dignatione ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumpti, diligentius attendentes, quanta ex præmiſſis eorum concertationibus non ſolutis, animarum imminerent pericula; quanta exinde poſſent ſcandala ſuboriri: vt ipſorum veritas pateat, & veritatis ſoliditas innoteſcat, habita prius ſuper prædictis ſolicita examinatione, & diligenti deliberatione cum Fratribus noſtris dictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, de ipſorum Fratrum conſilio, hac in perpetuum valitura Conſtitutione, auctoritate Apoſtolica deffinimus; quod ſecundum communem Dei ordinationem, animæ Sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini noſtri Ieſu Chriſti paſſionem deceſſerunt, nec non ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum, confeſſorum, Virginum, & aliorum fidelium defunctorum poſt Sacramentum ab eis baptiſmi ſuſceptum, in quibus nihil purgabile fuit quando deceſſerunt; nec erit quando decedent etiam in futurum; vel ſi tunc erit purgabile in eiſdem, tamen poſt mortem ſuam purgauerint, atque animæ puerorum in eodem Chriſti baptiſmate renatorum, & baptizandorum cum fuerint baptizati ante vſum liberi arbitrii decedentium, mox poſt mortem ſuam & purgationem præfatam, in illis qui purgatione huiuſmodi indigebāt, etiam ante reſumptionem ſuorum corporum, & iudicium generale, poſt aſcenſionem Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti in cœlum, fuerunt, ſunt & erunt in cœlo cœlorum Regno & Paradiſi cœleſti cum Chriſto, S. Angelorum conſortio aggregatæ, ac poſt Domini paſſionem & mortem viderunt, & vident & videbunt diuinam eſſentiam, immediate, ſe bene, clare & aperte eis oſtendentem, quodque ſic videntes, eadem diuina eſſentia perfruuntur. Nec non, quod tali viſione & fruitione eorum animæ, qui iam deceſſerunt, ſunt vere beatæ, & habent vitam & requiem æternam, & etiam illorum, qui poſtea decedent, eandem diuinam eſſentiam videbunt, ipſaq; perfruentur ante iudicium generale: ac quod viſio huiuſmodi eiuſque fructus, virtutem fidei & ſpei in eis euacuant, prout fides & ſpes propriæ Theologicæ ſunt virtutes: quodque poſtquam inchoata fuerit, vel erit talis intuitiua & facialis viſio & fruitio in eiſdem, eiuſdem viſio & fruitio, ſine aliqua intermiſſione, ſeu euacuatione prædictæ viſionis & fruitionis continuata exiſtit, & continuabitur vſque ad finale iudicium extunc vſq; in ſempiternum.*

*Deffinimus inſuper, quod ſecundum Dei ordinationem communem, animæ decedentium in actuali peccato mortali, mox poſt mortem ſuam ad inferna deſcendunt, vbi pœnis infernalibus cruciantur. & quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem, vt recipiat vnuſquiſq; propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Decernentes prædictas noſtras deffinitiones, ſeu determinationes, & ipſarum ſingulas, ab omnibus fidelibus eſſe tenendas.*

*Quicunq; autem deinceps prædictarum noſtrarum deffinitionum ſeu determinationum, ac ſingularum ipſarum contrarium, ſcienter, & pertinaciter tenere, conferre, prædicare, docere, aut defendere verbo vel ſcripto præſumpſerit, contra eum ſicut contra hæreticum modo debito procedatur. Nulli ergo, &c.* Dat. Auin. 4 Kal. Ianuarii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

X. IOANNES XXII. A CALVMNIA HÆRESIS A BENEDICTO PP. VINDICATVS.

Hæc quidem Benedictus Pontifex, poſt multas tempore Ioannis anteceſſoris ſui controuerſias, de ea quæſtione habitas, deffiniuit; cum prius à calumnia hæreſis, eundem Ioannem Pontificem, voce & ſcriptis publice editis vindicaſſet. Nimirum quod ille differendo non aſſerendo, non pertinaci contentione, neque ex proprio ſenſu ſed ex multorum ſanctorum Patrum antiquiorum, Tertulliani, Lactantii, Victorini, Auguſtini, Prudentii, Bernardi, Iuſtini Mart. Irenæi, Origenis, Chryſoſtomi, Theodoreti, Euthymii, Oecumenii & Theophylacti opinatione, in aduerſam partem propendiſſe videretur; nunquam tamen intenderet dicere aliquid contra Fidem, & ſi quid incidenter dixiſſet, totum ex nunc, & ex tunc reuocaſſet. quemadmodum & hoſtis illius Guillelmus Occamus, licet ab eodem anathemate percuſſus, teſtatus eſt. Præter hæc multis Prælatis & Magiſtris in Theologia, diſtrictius, in Conſiſtorio (quemadmodum Benedict. Pont. fatetur) mandauerat, vt in ea quæſtione vnuſquiſque deliberate diceret, quid ſentiret. Ad deciſionem enim concertationū huiuſmodi ſe parabat.

Tamen morte præuentus, illud perficere nequiuit, admirabili ſane Dei prouidentia in hac re, circa Sedem Apoſtolicam apparente, quod non paſſus fuerit, Decretum aliquod falſum in cauſa Fidei Orthodoxæ, à Vicario ſuo, forſan nimium in alteram partem inclinante, interponi: ſed potius morte hominis honorem Sedis Apoſtolicæ ſtabiliuit.

Tantum igitur abeſt, vt Ioannes Pontifex hæretici nomine audierit, vt etiam inter Catholicos Pontifices ab omnibus cenſeatur; quod monitoribus Cardinalibus obaudierit, & in extremo vitæ limine omnia ſenſa ſua, hac de re, cenſuræ Eccleſiaſticæ ſuppoſuerit: neque illud vnquam, quod ei Caluinus à Patre mendaciorum mentiri doctus impoſuit, vel per ſomnium cogitauerit aut dixerit, quaſi animæ, vna cum corporibus vſque ad diem reſurrectionis in-

tereant,

tereant, aut morti communi corporibus ſubiaceant: cum nunquam animas mortales eſſe aſſeruerit, ſed tantum in controuerſiam vocauerit, vtrum animæ poſtquam à corpore ſeparatę, atque à peccatorum reliquiis expiatæ eſſent, mox apertam Dei faciem intuerentur; an vero in loco aliquo peculiari, à dolore quidem & cruciatu vacuo, ſed non etiam ſummi gaudii pleno expectarent, donec reliqui Chriſti fideles conſummarentur. Aliud autem eſt, animam cum corpore interire; quod nemo Catholicorum vnquam ſenſit; & aliud ad tẽpus retardari à conſpectu Diuinitatis, quod permulti Sanctorum Patrum, re nondum per Eccleſiam definita, opinati ſunt. Qua in opinione etiam cum multi Cardinalium & Doctorum Ioannem Pontificem admonuiſſent, & is iudicium Eccleſiæ, ſuæ opinationi antepoſuiſſet, nimis iniquo & temerario Caluini calculo, inter hæreticos poſt primam & ſecundam correptionẽ, ex regula Paulina deuitandos recenſetur. *Ioan. Villani li. 11. c. 47. Richard. Ciſtercien. Ptolæmeus Lucen. in Benedicto XII.*

XI. REX GALL. A PONT. AVENIONEM EVOCATVS VENIT.

Rebus ad eum modum pro dogmate Catholico, & pro Ioannis Pontificis innocentia, Benedictus XII. cõſtitutis, Philippum Galliarum Regem, ad ſe euocauit. Adfuit ille cõmodum Auinione, ad V. Non. Mart. & ibi excluſis omnibus ſolus cum Pontifice collocutus, multa pro negotio pacis inter Principes Europæos ſecũ conſtabiliendæ pollicitus, tutelam quoq; Chriſtianorum, in Palæſtina aduerſus Sarracenos male reſiſtentiũ, in ſe ſanctè ſuſcepit. Diem Calendarum Auguſti huius anni, ad claſſem educendam, illi Pontifex deſignauerat. Qua adueniente, cum ille, neq; militem huic bello ſacro deſtinaſſet, neq; à laceſſendo Edouardo Anglo vſpiam diſcederet, Pontifex, decimas decimarum in hãc piam militiam quibuſcunq; à Sede Apoſtolica conceſſas reuocauit, & ſacras pecunias hactenus eo nomine à Principibus conquiſitas, Eccleſiis quæ numerauerant, reſtitui imperauit. datis literis XVII. Kal. Ian. Ingentia tunc neglecto iſto bello, dãna illata ſunt Chriſtianis & præſertim Armeniis; quod illi auxiliorum à Philippo Rege certi, publicatione aduentus expeditorum Cruceſignatorum, Sarracenos in ſe concitaſſent, & à potentia barbarorum metuentes, campeſtria omnia deſeruiſſent, inque montana confugiſſent.

XII. ALIA BENEDICTI PP. ACTA.

Inter hæc Benedictus, 1. Henricum Ducem Bauariæ ſupplicem, anathemate propter ſocietatem Ludouici damnatum, exſoluit. *Ptolæmeus ſupr.* 2. Conſtitutionem Ioannis anteceſſoris, contra inuadentes bona Eccleſiæ, publicauit. *ep. 48.* 3. Comitem Allobrogum, ad pacem cum Duce Britanniæ ineundam, auctoritate impulit. *ep. 61.* 4. Nuncium in Siciliam citra Pharum ad exigendum cenſum, reſq; Eccleſiaſticas curandas, deſtinauit. *ep. 161.* 5. Regnum Siciliæ vltra Pharum, Petro Friderici filio, iiſdem conditionibus quibus Iacobo eius auo Bonifacius Octauus conceſſerat, iure feudi conceſſit. *Cod. Colum 50.* 6. Petrum Archiepiſcopum Vpſalenſem, Regni Sueciæ Primatem renunciauit. 4. Cal. Mart.

Hoc enim anno, ad 12. Cal. Iulii, Fridericus Rex Trinacriæ fatis exceſſit; cum eo ægrotante, inter Auſtrum & Occidentem Cometes, mortis index apparuiſſet, & Donatus Brunduſius medica arte inſignis, Regem in templo Hieroſolymitano (eſt id apud Paternionem) interiturum, quemadmodum euenit, pronunciaſſet. *Phæzell. de rebus ſiculis dec. 2. lib. 9.*

XIII. PAX INTER ARAGON. ET GALL. REGES.

Eodem anno Benedictus Pontifex, Stephano Columna internuncio, pacem inter Petrum Aragonum Regem, (qui per id temporis ad IX. Cal. Febr. Patri defuncto ſucceſſerat, & die Dominiço Reſurrectionis Cæſarauguſtæ in Saluatoris maxima æde inſignia Regni ſuſceperat) & inter Gallorum, ac Balearium Reges, necnon inter Genuenſes, ratione inſulæ Sardiniæ conciliauit. Secutæ ſunt ex ea conciliatione, res multę proſperæ in Sardinia, & Aragonia, quæ pace optata fruebãtur: tunc cum reliqua Hiſpaniarum regna tumultuarentur, Alfonſo Portugalliæ Rege, Alfonſo Regi Caſtellæ genero bellum mouente. *Surita lib. 3.*

XIV. OBITVS D. ELISABETHÆ REGINÆ LVSITANIÆ ET VITÆ IPSIVS ACTA.

Suſtulit ea calamitas per mœrorem, D. Eliſabetham Reginarum Sanctiſs. Placet reliqua eius vitæ acta adſerere. Fuit Eliſabetha filia Petri Regis Aragoniæ huius nominis tertii, ex Conſtantia Regina anno Dom. 1271. nata. Eam auus Iacobus Rex Aragonum, ad eam virtutum perfectionem, inſtitutione ab in cunabulis formauerat, vt exẽplar totius ſanctitatis haberetur. Superius ſuo loco eius ornamenta puellaris ætatis attigimus, nũc reliqua placuit memorare; Eminebat inprimis in Eliſabetha moderatio ingens, qua extremas fere in matrimonio calamitates, æquo animo tolerabat. Vnam tantum hic renunciabo, in cuius patientia, mihi videtur præclara eius mentis elucere diuinitas.

Dionyſius Luſitaniæ Rex, cui illa in coniugiũ adiuncta, cõmuni ætatis illius errore, paululum deflexerat de recta regione, ſpretaq; Regina deuinctus aliarum conſuetudine tenebatur. Perferebatur res ad Eliſab. ipſa ſe audire diſſimulabat. Aliam ætas temerariã, iniuriæ magnitudo impatientem, amplitudo dignitatis & potẽtia effrænatã reddidiſſet: non Eliſabetham; quæ voces inflammantium contẽnens, nonniſi de Deo, atq; de rebus cœleſtibus vna cum ſuis ſermocinabatur; neq; eo tantũ contenta, pueros extra lectum matrimonii à Dionyſio procreatos, quorum conſpectum aliæ non ferrent, illa domi ſuſcipiebat, educabat, beneficiis amplificabat, eorumq; dignitatem omni ſtudio defendebat. Argumentũ id fuit non vulgaris moderationis. quippe, quæ ſtudio Chriſtianæ religionis, & inſolito quodam animi ardore, ſic fregerat cupiditates, dolores vicerat, metus ſuperauerat, ſpeſq; inanes repreſſerat, vt non in terris mortalis inter mortales viuere, ſed in cœlo iam im̃ortalis cũ immortali Chriſto regnare ac triũphare videretur.

XV.

Iſtud vero ꝙ honorati nunc in ſua Rep. ciues facere recuſant, ne habeãtur humiles & abiecti, Eliſabeth. Regina in illa maieſt. & potentia faciebat. ſc. ſæpenumero de peccatis cõfitebatur apud Sacerdotẽ; ſtatis tẽporib. ſacrum illum cœleſtẽq; panẽ, corpus Chriſti Opt. Max. mirifico ſenſu quodã dolorũ, quos ille noſtra cauſa pertulit ſumebat. Vbicunq; cognouerat eſſe aliquod religioſiſſimũ tẽplum, eo ſæpe ẽt pedib. adibat; nec itineris labore, nec lõginquitate locorũ terrebatur. Diebus Iouis & Veneris, quibus vbiq; repræſentatur ſanctiſſimis cæremoniis mortis Chriſti memoria, ſumebat obſoletas vileſq; veſtes, audiebat Cõcionẽ, aderat diuinis myſteriis, lachrymas gemitib. ac ſingultib. miſcebat, ingẽtes pecunias in pauperes diſtribuebat. elephantia præſertim confectos euocabat, pedes illis abluebat, nudos veſtiebat, ac hilares nonniſi dimittebat, Præter hęc fere quotidie, ægrotos alios inuiſebat, ſine vlla reformidatione accedẽs manus imponebat, verbis conſolabatur, & vt cuiuſq; morbus requirebat, ita quemq; curari diligenter iubebat. Filias nõ tantũ nobiliũ ſed ẽt inferioris conditionis virorũ vbi educauerat, aut bene dotatas in matrimonium dabat, aut in aliquo alio vitæ genere collocabat. Monachorũ & Sacrarũ Virginũ cœnobiis, nõ in Luſitania modo, ſed ẽt in finitimis regionib. quæ ad victũ veſtitũq; neceſſaria eſſẽt abunde ſuppeditabat. Multas præterea virgines, in ſũma rerum omniũ inopia periculoq; dedecoris cõſtitutas honeſtiſſime collocauit: multas iamiam ꝓpe cadentes, & propter egeſtatem omnẽ caſtimoniã abiicientes ſuis opib. ſuſtentauit, & ex periculis impendentib. turpitudinis & infamiæ, largitate liberauit. egentes & afflictos, de iis qui ſtipẽ oſtiatim cogũt, tũ de iis qui in magnis rei familiaris anguſtiis, auxilium à quoq̃ expetere verentur, facultatib. ſuis ſuſtinuit. Cœnobium religioſis virginibus quę S. Benedicti inſtitutũ ſequuntur, prope Scalabim à matrona quadã inchoatum exædificauit. Ibidẽ Xenodoch. ſatis amplũ & copioſũ, vbi pueri à parentib. expoſiti educarẽtur, & ęgrotorũ egeſtas ſubleuaretur, ad culmen perduxit, ornauit, præceptis inſtituit. Conymbricæ auguſtiſſimum D. Claræ tẽplum, & ſacrarum Virg. religioſiſſimas ædes collocauit. In Xenodochio fere aſſidua, cancrum inſanabilem cuiuſdam, oſculo ſolo purgauit; cuiuſdam

mendici



mendici caput à ianitore Reginæ, grauiſſime fuſte vulneratum, cum appoſuiſſet album oui, ſubito obducta cicatrice ſanum & integrum reddidit. alicui puellæ, quæ cæca nata erat, impoſitis manibus aſpectum reſtituit. grauiſſimorum morborum moleſtiam atq; pericula, precibus adhibitis depulit. Vbi in aliquẽ Rex incitatus erat vehementius, maleuolorum ſermonibus atq; calumniis, in eo ſummopere elaborabat, vt innocentia calamitoſi hominis cognita, ad humanitatẽ & clementiam ex illa vehementiore animi cõcitatione traduceretur. Si quos in Luſitania vel extra inimicitias exercere perferebatur, vel ipſa grauiſſime ad eos placandos & acerrime incumbebat, vel totum negotium illis diligentiſſime mandabat, quos ad id conficiendũ maxime putaret idoneos. Itaq; eius ſtudio cognoſcebantur cauſæ diſſidii, componebantur ex æquo & bono res. Si alteri de iniuriis, quas alteris intuliſſent, ſatisfacere nequirẽt, Regina de ſuo quantum opus eſſet tribuebat. Ita qui fuerant hominum ante perfidia diſtracti, auctoritate ſanctitateq; Eliſabethæ, in concordiam reducebantur.

XVI.

Alphonſus Princeps à Rege fratre ſuo, magno totius Luſitaniæ motu diſſidebat. Iam res ad arma ſpectabat; vici aliquot à Dionyſio bello capti erant; magno regno calamitas imminere videbatur. Non latebat Eliſabetham, quanto Luſitaniæ totius malo decertaretur. Itaque multos Pontifex ad tantam peſtem extinguendam excitauit, & ipſa quantum animo conniti potuit & cõtendere, tantum fecit, vt ex illa belli tam turbulenta tẽpeſtate, ſerena lux, & tranquilla pax oriretur. Rex, fratri veniam dedit; Alphonſus vt temperaret Regi, cum ab eo vicos aliquot accepiſſet, adductus eſt: Regina, vt hæc obtineret, Sintram quam à Dionyſio acceperat, reddere non dubitauit.

XVII.

Ferdinandus Caſtellæ Rex, Eliſabethæ gener, & eiuſdem frater Iacobus Rex Aragoniæ, de Murciano regno, quod Ferdinandus per ſummam iniuriã ereptum ſibi eſſe querebatur, vehementer inter ſe contendebãt. Interea Saraceni, quorum opes etiam tum in Hiſpania pluſquam modicæ erant, confirmatis per occaſionem viribus, ad ſpem aliquam recuperandi vrbes & amiſſa ſuperioribus annis regna erigebantur. Id cum ad Eliſabethæ perueniſſet aures, pro eo ac debuit, grauiter & moleſte ferens, aſſidue deplorare incommoda populi Chriſtiani, die ac nocte Deo Opt. Max. pro eius incolumitate ſupplicare; cum Rege, Pontificibus ac omnibus quorum aliqua erat auctoritas & conſilium de pace colloqui, crebros ad vtrumque nuncios, literas crebriores mittere; nihilque non tentare & facere quod ad grauiſſimas offenſiones leniendas pertineret perſeuerauit, donec tandem perfecit, vt arbitro Dionyſio electo, apud Turriaſionem conuenientes, ſine tumultu, ferro, ac ſanguine controuerſias dirimerent, pacemque ſtabilirent, ſic omnibus animatis, vt ad cõmunem perniciem ex Hiſpaniæ finibus penitus eiiciendam & exterminandam, auxilia mutua pollicerentur & offerrẽt.

XVIII.

Iam ex Aragonia redierant, & Alphonſus vtriuſque filius, ad quẽ hæreditarium perueniebat Luſitaniæ regnũ, cum vxore, Conimbricæ, quæ fuerat ei à patre attributa conſederat; cum iuuenili quodam ardore filius cum patre graues inimicitias gerebat. Rex quorundam hortatu & impulſu, qui peſſime regni hæredem oderãt, & per patrem, quia per ſe non poterant circumuenire conabantur, eum Sintræ quo tum forte venerat opprimere, omni ope contendebat. Sed illum Eliſabetha ſua diligentia, vel dicam verius, ſanctitate liberauit. conſeruato iam & erepto imperauit, vt Regem obſeruaret & coleret, eiq; tanquã Domino in omnibus rebus eſſet obnoxius. Fremebant auctores conſilii, amiſſa occaſione odii explendi: quod plus induſtria fœminæ ad ſalutem Alphonſi, quã ad perniciem omnium fraudes valuiſſent. Itaq; Dionyſio; Non eſt, non eſt, aiebant, quod ſperes, Rex potentiſſime, te, ſalua & incolumi Regina, iuſtas ac debitas pœnas à turbulento filio repetere poſſe, quamdiu illa Regiam obtinebit dignitatem, recidẽt ad nihilum omnes tui conatus: quicquid fueris exorſus retexetur. Omni dignitate ſpoliata, vicis & caſtellis ereptis, amandetur aliquo, vbi in cuſtodia libera teneatur. Sic & ius patrium, & Regiam auctoritatem retinebis, & integrum erit vbi voles ac liberum, ſupplicio iuuenilẽ audaciam coercere. Ardebat adhuc recenti dolore Regis animus, probauit itaq; conſilium, Eliſabethã Ierobrigam relegauit; quicquid nubenti datum erat, abſtulit; neue eo caſtello digrederetur, aut longius euagaretur imperauit. Illa non circumueniri ſe conſiliis improborum vociferabatur, non ad generũ Ferdinandũ, neq; ad Iacobum fratrem, qui tum Aragoniorum Regnum obtinebat diuertit, ſed innocentiſſima ſub irati Regis Imperio ſtatim obediuit, ac quicquid habebat, meliore animo q̃ acceperat, remiſit. Fama in omnem Hiſpaniã, propemodum captæ Eliſabethæ diuulgata, non deerãt, qui ẽt arma iniuriæ vindicandæ offerrent. At illa, neq; ſtudiis eorum adduci, neq; contumeliæ memoria inflammari potuit, ad ea quæ ius & fas miniſtrabant. *Grata eſt mihi, inquit, viri ſtrenuiſſimi veſtra fides & beneuolentia. Sed doleo vos opinione officii tã grauiter errare, me vero hic Ierobrigæ incluſam eſſe vehementer delectat: neq; vnquam cuius ſuſceperim diſciplinam obliuiſcar. Chriſtus Seruator hominum tã multa dictu grauia, perpeſſu aſpera æquo tulit animo; neq; ſuppliciorum indignitatem queſtus eſt! nos homunculi nullius pretii, ne tantulam quidem iniuriam perferemus? Rex mihi quod dederat abſtulit; & ego ablatum eſſe gaudeo; & ille ſi commodum videbitur, reddet quod ademit. Non iſta ſunt ornamenta mea, quæ vos putatis; nec iſtis rebus dignitas Reginæ Chriſtianæ continetur: aliæ ſunt longe potiora, quæ an ego ſim adepta, neſcio. illud tamen certo ſcio ſi quid conſecuta ſum, id nullis mihi viribus eripi ne in ſumma quidem calamitate poſſe. Mihi multo eſt ſatius, iniurias perferendo, quam vlciſcendo propulſare, neq; committam, vt innocentes multi mea cauſa fortunis euertantur, ferro trucidentur, omnia indigna patiantur.* Hæc Eliſabetha magna patienti. dicebat: ac interea omnes vndiq; ſanctitate vitæ nobiles mulieres Ierobrigam conuocabat, ſumma cibi continentia viuebat; ad illum numerum dierum, quibus à cibo abſtinere ſolita fuerat, plures hebdomadæ cuiuſq; dies addebat, omne otium in contemplatione rerum diuinarum collocabat. Eam admirabilem animi æquitatem poſtquam Dionyſius cognouiſſet, incœpit illum pœnitere facti. Reginamq; illo tanquã exilio ſolutam. Vlyſſiponem ad ſe reuocari iuſſit, & in ſuis ac Reginarum ſedib. verſari. Sed illa pluſquã ciuilis diſſenſionis calamitoſa peſtis, magis in dies ac magis inualeſcebat. Rex Conimbricam obſederat, quæ iam tum erat in filii poteſtate. Vaſtabantur agri, multi cædebantur, oppidani rerũ inopia fatigabantur, ꝙ ſimul atq; Eliſabethæ renunciatum eſt, Conimbricam magnis itineribus contendit, modo cum Rege; modo cum filio de pace egit, impetrauitque vt obſidione relicta, Dionyſius Leriam concederet, eodemq; Alphonſus veniret, ſalutandi patris gratia & videndi; vt eum dominum atq; Regẽ ſuũ cognoſcens, tantum vectigaliũ acciperet, quantum ad tuendã principis dignitatem ſatis eſſe videretur. Hac ſe data diſcordia, maiorem crudeliſſimus humani generis hoſtis excitauit, vt virtutẽ Eliſabethæ exerceret. Alphõſus obnixe à patre petebat, vt ſibi faceret Vlyſſiponem eundi poteſtatem: Rex obſtinate negabat. Poſtquam ad crebros nuncios, & literas obfirmatum Regis animum vidiſſet, Conimbricam iuit armatus, eoq; inuito ſe Vlyſſiponem iturum, vociferabatur. Fuit obuiam venienti Dionyſius cum delecta iuuenum manu ad Lauras. cũq; reſiſteret progredi conanti, ventum eſt ad arma. Pater ætate grauis, in filium ſuos hortabatur; filius viribus ferox in patrẽ cornua dirigebat. Iam multi vulneribus confecti iacebant, neq; pauci ceciderent exanimati: cum nuncius tam ancipitis mali, ad Eliſabethã perueniſſet. tum ſubito illa mulam ornari iuſſit, adque pugnæ locum aduolauit. Eius aduentu non eſt pugnari deſitum, nihiloſecius lapides vtrimq; ſpicula cæteraq; miſſilia tela torquebantur. Perculſis metu ceteris & exterrito comitatu, ſola neque clamorem militarem

ELISABET. INSIGNIS PATIENTIA.

extimuit,

extimuit, neque telorum confertim volitantium ictus declinauit, neque cæſorum cadauera ſanguinemque è vulneribus manantem exhorruit. coniecit ſe in medias armatorum acies, diuinis freta præſidiis, Regem adiit, inde ad filium accurrit; & cum nondum abſiſteretur prælio, per infeſtos gladios & tela micantia non deſtitit vltro citroque curſare, DEVM ac Sanctos omnes conteſtans, donec eorum animos ad lenitatem inflexiſſet, beneuolentiamque inter iratos conciliaſſet: ad eum modum, vt Dionyſius filio omnia indulſerit, Alphonſus nunquam in poſterum à patre diſſenſerit.

XIX.

Quartum & quinquageſimum agebat annum Eliſabetha, maximis in rebus & honeſtiſſimis virtutum cœleſtium ſtudiis occupata, cum Dionyſ. quem illa ſemper mirifice coluerat & obſeruarat, in grauem morbum incidit atq; diuturnum. Illa non maiorem auctoritatis ſuæ quam pietatis & officii rationẽ habuit, & quæ ſpõte ſua humanæ ſtultitiæ leges deſpexerat, tum nõ ſpreuit modo, verum ẽt perfregit. Nunquam à Rege diſcedebat, vili veſtitu atq; habitu aderat, ſedulo ac ſtudioſe miniſtrabat. Et quidem Dionyſius moleſte patiebatur, Reginam tantum ſuſcipere laborem. cæterum illa tantum abeſt vt quicquam officii omiſerit, vt etiam adiecerit. adiuuabat enim ſurgentem, iacentem cõſolabatur, pernoctabat, aq̃ potioneſq; præbebat, afferebat cibum, faſtidium triſtitiamq; morbi verbis leuabat; denique nihil omittebat, quod diligens & officioſa vxor, quãuis infima fortuna mariti laborantis gratia, vel facere deberet, vel poſſet.

OBITVS EIVS VIRI.

Agebat poſtea Rex animam, & illa repreſſis doloris affectibus, virum morientem, ardentiſſimis verbis confirmabat, erectaq; antè oculos ipſius Chriſti pendentis in cruce imagine, vt eam intueretur, & cum dolore veniã peteret delictorum admonebat: Non eſſe metuendum, ne cuius liberandi gratia cruciatus atrociſſimos, & mortem indigniſſimam ſubiiſſet, ampliſſima & diuina maieſtate, eum à ſe ſupplicẽ abiiceret, & abſterreret in tanto periculo ſalutis. Inter hæc autem cum animo ſuo conſiderabat, eadem ſe cõditione eſſe natam; quemadmodum illum diſcedentẽ cerneret, ſic ſe, aut maiore etiam cum dolore de vita migraturam. non copias, non honores, non opes & potentiam, non generis claritatem, non regna, non inſignia maieſtatis, aut repellere mortẽ, aut retardare poſſe; omnia quæ hominibus magna videntur, eſſe nihili, ſomnia delirantium, & vmbrarum effigies inanes. Id tantum manere, ſemperq; manſurum, quod recte quiſque honeſteq; feciſſet.

XX. CLARISSARVM HABITVM INDVIT.

Talibus mortis cõmendationibus inflammata maximi animi Regina, cum primum Dionyſius animã efflauit, ſeſe repente in cubiculũ ſuum abdidit, veſtimenta mutauit, lugubres, ſordes induit, vt in ſqualore funus Regium proſequeretur. neque hoc contenta, in medio luctu de ſua ſalute magis, quam de hominum ſermone cogitans, vili tunica circumdari ſe & veſtiri iuſſit, quali ſacræ virgines vtuntur, quæ in familia B. Claræ numerantur. Funiculo deinde quodam more earum ac inſtituto cincta, omnem ſuam rationẽ ad illum morem viuendi contulit, quem à S. Franciſco, quem vnice colebat ac venerabatur, inſtitutum eſſe cognouerat: vt cum adempto ſibi ſocio chariſſimo & optimo mœreret, tamen hac tanta accepta plaga, non exiguum ſibi lucrum feciſſe videretur. cum liberius & durius multo quã antea, iam matrimonii neceſſitate ſoluta viuere liceret. ſunt qui memorent, ſecum Eliſabetham hæc dixiſſe: *Valeant ornamenta Regia, valeat dignitas & auctoritas, valeãt humanæ leges. De me quidem vt velint, & ſentiant, & loquantur hoẽs. ego tua cauſa, ô bone Ieſu, decus meum, ſolatium meum, præſidium meum, abiicio libenter quicquid venuſtum & concinnum videri põt: & hanc ſqualidiorẽ & horridiorem tunicam circumiicio membris meis, vt te magis ipſa humilitate & vilitate delectem. Egone cum te deſpectum ab omnibus videam, & innumeris contumeliis affectum mea cauſa, timeam contemni tua? & cum antepoſueris tu ſummam inopiam omnibus copiis, vt mihi ſalutẽ dares, ego vt te colam & ſequar, inſignia paupertatis perhorreſcam? Offendet fortaſſe ſqualor hic oculos hominum; ſed te ipſa nouitate recreabit. Non deerunt qui noſtram inſaniam reprehendãt ſed tibi ſpero noſtrum hoc officium, quale id cumq; demum eſt, gratum erit & iucundum.*

Interea funere Dionyſii, in cœnobio Virginum Ciſtercienſium, quod ipſe non longe ab vrbe ædificarat magnificentiſſime curato, aliquot dies cum ſuis ad monumentum fuit, animam illius iuuandi cauſa, ſi forte igne purgãte cruciaretur. Innumera ſunt ſacra, quæ ſingulis diebus pro mortuo illo fieri iuſſit; Innumerabiles nudi quibus veſtimenta dedit; inedia plurimos perditos ſuſtentauit, paupertate oppreſſos ſtipe diuiſa recreauit: templa quamplurima ditauit, exornauit.

XXI. TEMPLVM S. IACOBI IN GALLÆCIA.

Eſt apud Gallacios S. Iacobi templum, magnitudine ampliſſimum, ornamentis copioſiſſimum, antiquitate primũ, auguſtiſſimum religione, celeberrimum omniũ populorum nationumq; frequentia. Vulgo prædicant, latere ſub eo templum aliud in admirandam altitudinem depreſſum, in quo iaceat ſacrum illud corpus Hiſpaniarum defenſoris, eiuſque faſtigio quod nunc viſitur & extat eſſe nixum, neq; iam à quoquam adiri poſſe, neque ſolere: & quidem omnes qui adierunt, clariſſime huiuſce rei veſtigia ſe vidiſſe confitentur. Itaque cum ſuperioribus ſæculis, omnibus qui veniſſent in ea loca, S. Iacobi corpus oſtenderetur, noſtra memoria nemo eſt qui ſe vidiſſe dicat. imaginem tantum eius quandam venerantur. Habet duas turres altiſſimas, quæ venientibus in ciuitatem, tribus aut quatuor millibus paſſuum ab vrbe primæ apparent, vbi primum boues cum plauſtro, quo B. Iacobus vehebatur pauliſper requierunt: quem locum vbi peregrinantes attigerunt, nixi genibus ad quandam ibi defixam & erectam crucem, intuenteſque templum, incredibili gaudio Apoſtolum ſalutant cum clamore, & lachrymantes præ lætitia quanta pietate poſſunt, ſeſe reſque ſuas eius fidei tutelæque commendant.

LYCHNI IN TEMPLO QVOTIDIE ARDENTES.

Ardent perpetuo in B. Iacobi cella ante aram maximam, pendentes è ſummo tholo decem & ſeptem Lychni ex argento mirabili opere & artificio perfecti, grandi pondere, quibus oleum adeuntium pietas & liberalitas abunde ſuppeditat. inter eos cernitur Emanuelis Regis Luſitaniæ munificentiſſimi donum, dignum Regio munere, illo templo, atque maximo exterarum gentium conuentu. Lychnus eſt penſilis ex argento egregie factus tanto pondere, vt demitti funiculo & trochlea non poſſit vt cæteri, & per quoſdam gradus homines aſcendant ad lumen accendendum. habet quinque lychnos vitreos in quincuncem directos, quatuor in quadrum, vnum in medio, dies noctesque ardet eius impenſa, qui faciendum dedicandumq; curauit. Non aduentantium benignitatem expectat vt cæteri; ſextertium quinq; millia Rex idem attribuiſſe dicitur in ſingulos annos, ex qua pecunia vir quidam Luſitani generis ei negotio præpoſitus duo vel tria millia ſolet accipere, operæ pretium & laboris ſui; reliqua in neceſſarios olei ſumptus impenduntur. Sedent parati certo loco Sacerdotes, ad peregrinorum confeſſiones audiendas; multique diligenter expiatis criminibus ſanctiſſimum Chriſti corpus accipiunt, in ſacello maximo & ornatiſſimo, quod à Rege Gallorum factum & ornatum eſſe fertur. Cella eſt ædificata magnifice, late patens & excelſa, in qua fere omnia, quæ S. Iacobo acciderunt in Hiſpania efficta ſunt & expreſſa tanto artificio, vt muta ſigna viuere ac loqui putent, qui non viderunt. Hic integra corpora Sanctorum, alterius Iacobi caput, innumerabileſq; aliæ ſanctiſſimorum hominum reliquiæ, auro & argento incluſæ religioſiſſime ſeruantur. Ad omnes templi valuas ſunt manufacti fontes, in quibus & aqua ſiphunculis effluens, miſcet iucundiſſimum murmur, & crateribus non exiguis excepta continetur, vel ad aurium voluptatem idonea, vel ad vſus aduenarum neceſſaria. Valuis vero maximis ex aduerſum domus eſt hoſpitalis ample & magnifice ornata,





Regum opulentiſſimorum opus memorabile, quales pauciſſimæ reperiuntur in Hiſpania, vbi & peregrini perhumaniter accipiuntur, & ægroti magnis impenſis diligentiſſime curantur. Nullæ ibi ſordes, vt in cæteris fere rebus eius gentis; contra, tanta munditie, quanta poteſt eſſe maxima: vt in eo Callaici ſui diſſimiles eſſe videantur. Huius templi ſanctitas, tanta eſt apud omnes gentes atque nationes, vt eo qui proficiſcuntur, nõ ſe ad S. Iacobi templum religioſiſſimum, ſed ad ipſum Apoſtolum proficiſci arbitrentur. Carolum Magnum non adiiſſe modo, verumetiam ampliſſimis munerib. locupletaſſe monumentum Apoſtoli, multi tradiderunt; & Ioannem Brennum Ducem egregium, qui euocatus è Gallia, Hieroſolymæ Rex appellatus erat, & rerum ſummam illis in locis adminiſtrabat, eo voti cauſa veniſſe compertum eſt: & Guidonem Viennenſem Pontificem, qui poſtea ſummum ſacerdotium adeptus Calliſtus ſecundus appellatus eſt, ad idem templum olim acceſſiſſe conſtat, multaque de eius religione conſcripſiſſe. Certe vt qui terras illas non tam Salomonis templo quam CHRISTI veſtigiis & cruore ſacras, ſic qui B. Iacobi religioſiſſimam ædem ſe viſuros eſſe vouerunt, per alium, quam per ſummum Pontificem voto ſolui nec fas eſſe, nec poſſe, omnes ætates crediderunt.

XXII. INVISIT TEMPLVM PRÆDICTVM.

Eam ædem Eliſabetha voluit inuiſere; quamquam iſtud officium & à muliebri fragilitate, & à ſenili tarditate, & à Regia maieſtate videretur abhorrere. Itaque nondum anno exacto, quam Dionyſius è vita exceſſerat, cum itineri ſeſe accinxiſſet eo proceſſit. Ventum erat ad locum illum, ex quo primum ſanctiſſimi templi turres altiſſimæ proſpiciuntur, ibi deſiluit ſubito ad pedes grandis natu Regina, & mirantibus cunctis, nec repugnare tamen audentibus, quod reliquum erat itineris ita confecit. Templum ingreſſa, magno pietatis exemplo, omnes in admirationem conuertit. Non multum aberat S. Iacobi feriarum dies, qui eſt ante diem 8. Kalend. Sextilis: quem cum illis in locis expectare decreuiſſet, interea perluſtrabat omnia ſigna & monumenta illius in Hiſpaniam aduentus.

VESTIGIA S. IAC. IN SAXO EXPRESSA.

Aſcendit in montem, in quo verſatus eſt viuus, cum gentes illas ab impietate ſua reuocare conaretur. Tranſiuit illas per media ſaxa perforatas & patefactas vias, quia illo aliquando, cum homines eum inhumani & barbari perſequerentur ſolebat elabi. cõſpexit & illa veſtigia, quæ ſubito ſe ex impiorum telis atque oculis eripiens, qui eum ſcelerato nefarieque ferro conficere tentabant, in ſaxo expreſſa defixaq; reliquit. Contuita eſt ingentem rupem, quæ cedens ſacrato corpori, ſæpe ſuo ſinu atque complexu, ſacrilegos mucrones inimicorum Chriſti fugientem illum excepit, & ſincerum atque integrum ab omni periculo conſeruauit. Illam quoque petram duriſſimam conſpicata eſt, quam pro lecto molli narrant viro ſanctiſſimo fuiſſe. Vidit & lapidem grandem, ex quo ſæpenumero concionantem illum Celticæ gẽtes audierunt. Conſtitit in eo loco, ad quem nauicula cum ſacro cadauere, & diſcipulis appulſa eſſe fertur, demerſumque in fluuium ac prope obrutum limo ſaxum è ripa ſpeculata eſt, quod ciues à maioribus ſuis acceperunt corpus in terram expoſitum accepiſſe mollius; & quem homines viuum repudiarant, ei mortuo ſinum, & quaſi gremium ſuum tribuiſſe. In his ſingulis inſiſtens, & ſingula contemplans, non modo fletum & lachrymas non continebat, orans Apoſtolum, vt vitam ſuam & ſalutem à Deo Opt. Max. deprecaretur, ſed etiam (qui eſt pietatis fructus multo maximus) ad omnia ferenda & perpetienda Dei cauſa vehementius incendebatur.

XXIII. MVNERA QVÆ TEMPLO OBTVLIT.

Aderat interea feſtus ille ſolemniſque S. Iacobi dies, & Eliſabetha peragratis omnibus in oppidum reuerterat, cum Archiepiſcopus apparatu maximo fecit ſacrũ. Interfuit illa gaudens atque hilaris: quo quidem tempore ſigni ſatis dedit, quo animo Regiis ornamentis vſa eſſet. Viuo Dionyſio, habebat coronam ex auro ingentem grandi pondere, multis clariſſimiſque gemmis præclare diſtinctam ad aſpectum: veſtes magni pretii, margaritis plurimis & gemmis collucentes; pocula ingentia tanta varietate operum perfecta, vt ars certare videretur cum copia. Hæc omnia ſponte obtulit, & in ornamentis religioſiſſimi templi eſſe voluit. Deportarat etiam ſecum iuſtum atque integrum Pontificis ornamentum, ad rem diuinam faciendam, multo auro, argento atque gemmis diues. Attulerat & alia dona quam plurima, digna ſanctitate & celebritate loci, atq; potentiſſimæ Reginæ munificentia. Hæc etiam in Apoſtoli ſacrario reponi imperauit.

XXIV. MIRA EIVS IN ALIAS ECCLESIAS ET LOCA PIA LIBERALITAS.

Poſtquam omnia ſunt ab ea veteri more riteq; peracta, præbuit Archiepiſcopus in Luſitaniam reuertenti ſcipionem & peram; vt ipſo quoque habitu imitaretur illos, qui peregrinationes in ea loca ſuſcepiſſent. Domum reuerſa, cum omnino multam pretioſam veſtem auro & bombycino contextam, item grande argenti optimi cœlati & auri pondus haberet, vocatis ad ſe ſartoribus, aurificibus, cœlatoribus, vaſculariis, imperauit fieri veſtimẽta ſacra, calices, cruces, thuribula, acerras, candelabra, lychnuchos penſiles, & ornamenta cætera, quorum eſt in ſacris aliquis vſus, quæ partim attribuit cœnobio quod ædificabat, partim in omnia templa Luſitaniæ æquabiliter diuiſit. Conimbricæ cœnobii Clariſſarum operas perurgens, addebat plus in dies ad reditus annuos, numerumque ſacrarum mulierum quotidie augebat; quas tam ſtudioſe tuebatur, vt earum commoditatem ſaluti ſuæ anteferret. Habebat circum ſe quinq; fœminas, ex B. Claræ familia cõtinuo adſiſtentes. Cum his de nocte multa vigilabat, recitabat matutinas preces; deinde ad primam & multo mane, in ara quam ſecum ipſa portabat, quocumque iret, ſacrificium voce ſubmiſſa facientem Sacerdotem diligenter & attente audiebat, maxima pietate, & dolorum quos Chriſtus pro nobis in cruce pertulit ſenſu, quem lachrymis abunde profuſis teſtabatur. Vix peragebatur illud ſacrificium, cum ſe in ſacellum conferebat, vbi Sacerdotes ſolemni cæremonia atque cantu, rem diuinam pro Dionyſio mortuo faciebant; eoq; abſoluto aliud ſacrificium inſtituebant, vt temporis & cuiuſque diei ratio poſtulabat. In eoque, ſi quę feriæ celebrarentur, concio ſemper aliqua de rebus diuinis habebatur. Omnibus deinde precationibus ad omnes horas publico ritu decantatis, Eliſabetha cum ſuis comitibus, ad tertiam, ſextam & nonam recitabat. Tum demum non ſine dolore diſcedebat, & temperato victu corporis vires reficiebat. ſcil. expleri non poterat, quãdiu ſe longe abeſſe videbat illius patriæ cœleſtis deſiderio: & illius ciuitatis gaudia triumphoſque recordans, naturam ſuam & neceſſitatem ipſam obliuiſcebatur: & quo magis de Deo cogitabat, eo vehementius eius conſpectu frui cupiebat. Poſteaquam cibo & potione fames ſitiſq; depulſa erat, quod plerique tempus vel ſomno, vel ſcurrilibus iocis, vel anilibus ineptiis, vel cantorum & tibicinum voluptati deberi cenſent, illa architectis expediendis, ſupplicibus & egenis audiendis magnaq; liberalitate adiuuandis ad veſperam vſque expendebat. Hinc rurſus contendebat in ſacellum, auditiſque veſpertinis precationibus, quas Sacerdotes ſolemni ritu pro tempore, vel paululum ſubmiſſa voce recitabãt, vel per quam ſuauibus modis concinebant, ipſa cum religioſis mulieribus eaſdem voce ſubmiſſa peragebat. A cœna, niſi forte ieiunii dies eſſet (erant autem ei fere omnes) recitatis ſupremis cuiuſque diei, & ſolemnibus pro mortuis precationibus, ipſa in cubiculo ſuo remanebat, ac maiorem partem noctis in acerrima meditatione collocabat: poſtquam etiam bonam partem diei in operibus miſericordiæ ſpiritualibus & corporalibus quotidie exercendis exegiſſet. In Xenodochio quod prope cœnobium Diuæ Claræ extruxerat, quindecim viros, totidemque fœminas egentes ipſa alebat, veſtiebat, conſolabantur, & in ægritudine illis miniſtrabat. In tempore ingentis famis, quæ Conimbricam vehemen-

tius aſſixerat, patebat eius domus omnibus; dabatq; omnibus indigentibus cibaria, carnes, frumentum, nummos. Alebat omnes familias cœnobitarum, ſuppeditabat victum ſacris virginibus, mittebat qui mortuos conquirerent per vrbem, ſepeliendoſq; religioſe curabat. Erant ex domeſticis, qui eam profuſionem improbarent; at illa tanto amplius tribuebat, quanto maiorem ſpem de liberalitate diuina concipiebat.

XXV. ITERVM AD D. IAC. ÆDEM PROFICISCITVR.

Vno anno antequam eſt mortua, audiuit, in D. Iac. templo annum eſſe Iubilæi, quo quicumq; illa loca pie ac religioſe adiiſſent, modo eos ſuorum peccatorum pœniteret ac pigeret, remiſſionem omnium pœnarum conſequerentur, quas poſt mortē in igne purgante perſoluere deberent. Annum ipſa agebat quartum & ſexageſimum, cum corpore effeto, ſed animo forti, cupida fruendi tanto Dei beneficio ſponte oblato. Non aduocauit ſuos, nec viaticum quæri aut pecuniam depromi iuſſit, ſed ipſa calceos & veſtimenta mutauit, baculum ſumpſit, vna aut altera comitata fœmina, moleſtiſſimo anni tempore, maximis caloribus, dedit ſe in viam, & quam omnia regna propter ſingularem vitæ dignitatem obſeruabant, omnibus ignota propter veſtitus nouitatem, pedibus tantum iter & eundo, & redeundo confecit. Quodq; amplius eſt, ipſa ſuam ſarcinam pendentem ex humero anus geſtauit, ac quocunq; perueniſſet vicatim & oſtiatim ſtipem quæſiuit ad victum.

XXVI. Conimbricam cum reuertiſſet, & inter Alphonſum filium Luſitaniæ Regem, ac Alphonſum ex ſorore nepotem Regem Caſtellæ, ſanguinarium bellum conflari intellexiſſet, atq; vt ex vtriuſque manibus arma extorqueret, ſole æſtiuis menſibus feruente, iam laboribus & ſenio confecta, diſſuadentibus multis, iter ſuſcepiſſet, vt attigit Stremotium in grauem morbū incidens, paucis poſt diebus animam multis virtutibus ornatam cœlis dedit.

EIVS INFIRMITAS ET MORS.

Principio cum non vehementer ægrotaret, quotidie veniebat in Sacellum Regium, aderatque rei diuinæ cum filio Alphonſo. Poſt grauius affligente valetudine, & vrgente morbo, die Lunæ quodam cubiculo ſuo ſe continuit: vbi, cum morbo vrgeretur, Dei matrem accedentem virginali habitu atq; veſtitu vidit, & nurum ſuam, ac alios qui aderant hortata eſt, vt illi matronæ cederēt, quæ albata veniret. Die Iouis proximo, quam cœperat morbus ingraueſcere, qui dies erat ante diem 4. Non. Quintiles vocari iuſſit Sacerdotem à quo ſolebat audiri, animoq; perpurgato ac delictis ſoluto, imperauit fieri ab eodem ſacrificium extra cubiculum vbi iacebat, ſed in eo loco, vt ipſa, & quæ gererētur ſpectare poſſet, & accipere quæ dicerentur. Facta re diuina ſurrexit è lecto, veſtem illam q̃ ipſa ſibi poſt mortem Regis delegerat induit, ſola ad aram extra cubiculum egreſſa, ſubſedit genibus flexis, & ſanctiſſimum Chriſti corpus cum fletu & eiulatu viaticum extremum ſumpſit. Cœleſti cibo recreata & confirmata, cum in lectulo decubuiſſet, Alphonſum filium pacis cum auunculo ineundæ admonuit. In vltimo tandem vitæ exitu, defixit oculos in imaginem Chriſti ſuffixi cruci, ſanctæque Mariæ virginis, quam in omni vita ſanctiſſime coluerat quamque in morte nuper viderat præſentem, opem & auxilium implorauit, dicens: *Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu me ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.* Subinde ſymbolum Apoſtolorum, vt fidem ſuam quā maximè manifeſtam teſtatamq; relinqueret, tametſi eam ſpiritus deficeret pronunciauit. Recitauit etiam, vt potuit, ſolemnes precationes Eccleſiæ, animumq; ſuum è corporis ergaſtulo fugientem, auctori & creatori ſuo commendauit: & inter hæc in illam ſempiternam domum triumphans euolauit, 4. Nonas Quintiles anno Domini M. CCC. XXXVI. Corpus Conymbricam cum deferretur, quanquam ſaniem effunderet, quam ſaccolantes feretrum non ſuſtinebant odorare, tamen paulo poſt ſuauiſſimum odorem ſpirauit, quem etiam Lamacenus Epiſcop. vna cum innumerabilibus populis perſenſit. Vna ex S. Claræ familia, quæ religioſe oſculata loculum Eliſabethæ, moleſtiſſimo inſanabilique morbo liberata eſt.

MIRACVLA POST EIVS OBITVM PATRATA.

Ferdinandus Stephanius, ciuis Conimbricenſis, qui in tuba diſcedentium acutiſſimo clauo ſe induerat, nec auelli poterat, fidem Eliſabethæ & miſericordiam implorans, repente ſanum integrumque pedem aſpexit. Plurimi, qui febri æſtuque iactabantur, quique à dæmonibus vexabantur, cæci, membris capti, aliique non pauci, qui cum in opera medicorum & diligentia nihil præſidii ſibi reliquum eſſe viderant, partim ad monumentum magna pietate venientes & fiducia, partim ſudaria & lintea, quæ forte retinuerant adhibentes, non modo leuabantur, ſed etiam ſani penitus fiebant. *Ex quatuor laudationibus, quas feſto die D. Eliſabethæ Petrus Ioannes Perpinianus Soc. Ieſu presb. Conimbricæ in Luſitania olim habuit adoleſcens.*

XXVII. D. GALLÆ PLACIDIÆ MIRACVLVM.

His & aliis in Luſitania miraculis, cum D. Eliſabetha ſanctitatem ſuam teſtaretur, Diua quoque Galla Placidia, Theodoſii Imper. filia, & Valentiniani III. mater, pluribus ſæculis ante defuncta, hoc anno apud Rauennates nonnihil admirandi patrauit. Volebam ex albo mortuorum cœnobii Diui Vitalis, eam rem adſcribere: Ita habet.

In Chriſti nomine, Amen. Anno Domini M. CCC. XXXVI. Indict. 4. die. 4. Iunii, tempore Dn. Benedicti Papæ XII. Vannutius & Bartholus de Fano Nuncii ac familiares nobilis D. D. Philippæ vxoris quōdam Sampiroli Petri Venariæ de Fano, obtulerunt Eccleſiæ Reginæ Gallæ Placidiæ *Auguſtæ*, centum, minus tribus libris, ceræ; eo quod quædam eius filia nomine Druda, quæ longo & incurabili morbo, nec ſe iuuare, vel ſuſtētare poterat, & à medicis derelicta tenebatur, ſicut Domino placuit, precib. dictæ Dn. Reginæ fuit liberata, & priſtinæ ſanitati reſtituta. Vouerat igitur dicta Domina, quod ſi eius dicta filia foret liberata, quod offerret eidē & Eccleſiæ ſuæ tantam ceram, quantum ponderaret. Et facto pondere cum pannis & zonis ſuis, inuentum eſt ponderaſſe, quantum ſupradictum eſt. Et ſic volens votum implere, dederunt religioſo viro Dn. Dn. Guidoni Abbati venerabilis monaſterii S. Vitalis Rauennæ pondus ceræ prædictum: præſentibus & adſtantibus in Eccleſia dictæ Reginæ monachis ſuis videlicet. F. Iacobo, F. Ioanne Nanni Rectore Barbatiani; & Domino Franciſco de Raſponis iuriſperito; Antonio de Genariis, & aliis quam pluribus è Rauenna. Hæc ex Tabulario Rauennate. Qua in vrbe, cum Galla Placidia miraculis fulgeret, Franciſcus Ordelafus ſacrilega mēte præditus, in Franciſcum Archiepiſcopum Rauennatem, & nonnullos eius familiares, tuendis Eccleſiæ Romanæ in Flaminia bonis intentos, manus violentas iniiciens, vulnerauit, & vſque ad induſium ſpoliatum equo iniecit, inque carcerem obſcuriſſimum detruſit. Committebat Benedictus Guillelmo Flaminiæ Rectori, qui Ordelafo diem diceret; datis literis Auinione 10. Kal. April. Pontif. anno 2. *Rubeus hiſt. Rauen. lib. 6.* quo etiam tempore Inquiſitori Galliarum imperauit, vt quendam Necromantiæ conuictum, Auinionem, vinctum mitteret. *ep. 66.* & Regi Vngariæ præcepit, vt Synagogam Iudæorum Poſoniæ iuxta Capellam Ciſtercienſium de nouo ædificatam dirueret, neque tam abominandam deſolationem toleraret. *ep. 927.*

XXVIII. VITA ET OBITVS D. MAVRITII VNGARI ORDIN. S. DOMIN.

Hoc anno rebus humanis exemptus eſt, B. Mauritius Vngarus, D. Dominici inſtitutū profeſſus. Genus illi à Regibus Pannoniæ: magnitudo futura à D. Deiparente prænunciata. Cum namque mater illius iam quatuor menſes prægnans diuturna febri vexaretur, adeo vt de valetudine deſperaret, appropinquante poſtmodum tempore pariendi, in ſomnis vidit quandam in veſte candidiſſima, forma pręcellenti matronam, quæ blandiore oratione metum illi omnem mortis ademit, & bono animo eſſe iuſſit, fore prænūcians vt filium pareret, ſanctitate quam genere magis illuſtrem. Memor tantū eſſet, hora partus imminente, ſigno ſalutiferæ Crucis pectus ſuum communire, ac dicere; ſuccurrat tibi virgo felix Chriſti mater, ex cuius vtero vnigenitus æterni Patris filius prodiit. Addidit, vt Angelicam ſalutationem





ſæpius proferret, ac identidem ſignum Crucis pectori imprimeret: & propterea mortem amplius ne formidaret, ac filium naſciturum expectaret, qui Deo & hominibus propter ſanctitatem futuram charus foret. Cęterum ſe eſſe Dei Genitricem quæ loqueretur & futura prędiceret, certo certius cognoſceret. Natus infans, totos tres annos febricitauit, ſed poſtmodum Dei beneficio conualuit. Puer cum decimum annum attigiſſet ſecuturæ magnitudinis ſigna non incerta dedit: ſiquidem in puero ſenem agens, non ſe colludentibus æqualibus vt illa fert ætas commiſcebat, neq; aliquid puerile cogitabat. Sed vbi quies erat à ſtudiis, aut orationibus vacabat, aut à ſanctis viris ædes paternas frequētantibus, vitas ſanctorum audiebat, perque exempla eorum incredibili conatu ad ſummam virtutem contendebat. Intra paternam domum penitius quoddam cubiculum ſibi delegerat, in quo pulcherrime exornato aram extruxerat, & ibi cum æqualibus, ſacra quæ in templis celebrari conſpexerat, vtut poterat, imitabatur. Præter has hymnodias, cathechiſtæ munus præſumens pueros bonis moribus imbuebat, eoſquè ad æternæ vitæ deſiderium inflammabat.

Aliquando Diui Dominici ſodalem in ædibus paternis nactus, ſummis precibus vt vitam alicuius ſancti ab eo audiret, flagitauit. Recitauit ille actiones Diui Alexii: à cuius exemplo, tantum ardorem ignis diuinioris concepit, vt de relinquendo ſæculari ſtatu, & de religione aliqua ineunda iam tum cogitarit. Iſtud porro nedum faceret, multi amicorum & conſanguineorum, obſuerunt, matrimoniiq; iugo ſubdiderunt, data ei in coniugium virgine lectiſſima, Homodei Vngariæ *Palatini* filia. Iſtud matrimonium quod inuitus iniuiſſet, deſerere cogitauit; tantumque apud ſponſam ſanctis perſuaſionibus promouit, vt & illa quoque cœleſtium amore ſuccenſa, monaſterio, in inſula Danubii ſeſe indiderit, poteſtatemque Mauritio dederit, religioſum inſtitutum profitendi.

D. DOMINICI RELIGIONEM AMPLECTITVR.

Ita ambo, contemptis quas poſſidebant opibus Budæ in inſula Danubii, Chriſtum pauperem inopes ſecuti, Diui Dominici religionem amplexi ſunt. Sciuit hoc generi conſilium ſocer, & ingenti dolore & iracundia percitus, Ladiſlaum Vernebeum Budenſem iudicem rogauit, vt Mauritium veſte monaſtica exueret, & ad matrimonii conſuetudinem reuerti compelleret; vel renitentēm in vincula coniiceret: neque prius inde egredi ſineret, quam ſe obtemperaturum ſibi promitteret. Detruſus in carcerem profundiſſimum, nullis precibus, aut minis potuit impelli, vt Diui Dominici veſtem & cultum abiiceret. Quamobrem vinculis emiſſus, & Bononiam à patribus tranſmiſſus, apud Diui Dominici conditorium, ſummam perfectionis conſecutus eſt.

Inprimis maxime ſtudebat, vt monaſticis legibus exactiſſime ſatisfaceret, nihilque omitteret, quod ad perfectam viuendi normam pertineret. Deinde illud Redemptoris conſilium, *diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*, aſſiduè in memoriam reuocās, mira manſuetudine, & ſui contemptu eminere conabatur. Nihil erat illius oratione ſumiſſius, nihil veſtitu abiectius. Veſtes meliores ſibi à Præfecto Cœnobii oblatas, tritis & pannoſioribus commutabat. Cilicinam aſperrimam perpetuo geſtabat, per hyemis rigores vnam leuiſſimam mortificandæ carni induebat. Nemo iratum, aut aliqua affectione inordinata commotum vidit. Nemo friuola, aut ridicula, ex eius ore audiuit: quod diceret, *rationem eſſe Deo reddendam, de omni verbo otioſo.* Orationū ſtudio, dies noctesq; incumbebat: præſcriptos modos orandi nunquam intermittebat. Ad matutinas preces primus omnium ſurgebat: iis abſolutis in templo flens vbertim pernoctabat. Aras templi decenti cultu exornabat. Venerabilem Euchariſtiam maxima deuotione venerabatur; & vt ante eam perpetuo lucerna luceret, oleum oſtiatim emendicabat. Pſalterium quotidie, vel ſaltem quinquies in hebdomada recitabat. Præter hoc, ſeptem Pſalmos quos à pœnitentia, & alios quos à gradibus appellant, nec non officium pro defunctis ac litanias, in ſingulos dies adiiciebat.

Carnes, totis triginta annis, quibus in religionē vixit, nunquam eſitauit. Cibos quotidianos ſibi detrahebat, & permittente Præfecto pauperibus diuidebat. Ieiunia ieiuniis continuabat; ſed præcipue feria ſexta, Paſſioni Dominicæ dedicata, corpus inedia macerabat. Conciliandis diſcordibus, & conſolandis mœrentibus ingenti cum fructu incumbebat: neque tantus erat cuiuſquam mœror, aut ægritudo, quam ille non leniret, aut leuaret. Non minore quoque ſtudio & charitate, ægrotantes ſubleuabat, & alia pietatis exercitia faciebat.

MIRACVLA AB IPSO IN VITA PATRATA.

Sanctitatem porrò vitæ, miraculis illuſtrauit. Aliquando ianuis clauſis, domo quadam exiuit, & Eccleſiam clauſis item foribus intrauit. Hoſpitio diuerterat apud Benedictum virum probum, in loco qui dicitur Vachis, iuxta Danubium. Ibi hoſpes exploraturus quid nocte concubia Mauritius ageret, cubiculum ingreſſus, minime reperit. Mox vniuerſa domo perluſtrata, ianuam clauſam & claui obfirmatam cum inueniſſet, Mauritium autem nuſpiam videret, ratus id quod erat ad templum ſtupore plenus perrexit, indidemq; orantem aſpexit: atque à ſacerdote, clauſo oſtio templi introiiſſe didicit; cum is affirmaret, ea nocte nemini aperuiſſe Eccleſiam, quam obſeratam cuſtodiuit. Alia quoq; nocte ante gallicinium Mauritius in templo impenſius orabat. Iacebat tunc forte ibidem in feretro aliquis mortuus ſummo mane ſepeliendus. Hunc Satan, vt Mauritium orantem perterrefaceret, adeo commouit, vt is ſurgere, & è feretro egredi cerneretur. Cæterum Mauritius tantum abeſt vt timuerit, vt etiam intrepide ad loculum acceſſerit, & ſigno Crucis munitus per Ieſu Chriſti verendum nomen mortuo imperauerit, ne ſe, quiſquis eſſet, amplius moueret, aut è feretro egredi tentaret. Paruit defunctus, & requieuit; Mauritius autem callidi hoſtis tunc fuiſſe eas inſidias animaduertit. Aliquando ad *Prouincialem Synodum* multi Patrum ſui ordinis, etiam ex alienis prouinciis conuenerant. Interfuit inter eos Fr. Paulus Cracouienſis Lector; ſed qui paulo poſt in febrem acutiſſimam inciderat. Is quod nulla arte medicorum flammam ardentiſſimam febrilem extinguere, aut temperare nequiret, Mauritium qui decumbenti miniſtrabat, impenſius obſecrauit, vt aquam illi ex proximiore puteo, ad abluendas fauces exuſtas adferret. Allatam ille ſigno crucis benedixit, & Paulo æſtuanti porrexit. Hanc ſtatim atque Paulus hauſit, repente conualuit. Rex Hungarię, aliqua bona ab illo, eo tempore quo monaſterium ingrediebatur, ſanctimonialib. in inſula Danubii relicta occupauerat, inque ſuos vſus conuerterat. Obſecrabat illum Mauritius, ne res ſemel Deo dicatas detineret, ſed Chriſti virginibus reſtitueret. Repugnabat ille, cum ei Mauritius citam infra ſex menſes mortem prædixiſſet. Euenit quod prænunciauerat, atque is ſero facti pœnitens, filiis vt erepta monialibus reſtituerent, præceperat.

ALIA EIVS POST OBITVM MIRACVLA.

His & aliis plurimis admirandis cum Mauritius clarus eſſet, tandem curſu vitæ conſummato, ex hac vita Iaurini deceſſit, paucis ante ſolemnitatem Paſchalem diebus, menſis Martii. Cum ei Nicolaus Iaurienſis Pontifex, iuſta in Eccleſia perſolueret, & ſacratiſſimum Chriſti corpus, accenſis de more funalibus, ſublatum manibus, inter ſacrificandum populo oſtenderet, omnibus cernentibus ſanctum illud cadauer oculos inſpectandæ ſacræ hoſtiæ gratia traditur aperuiſſe; idemque feciſſe, cum Pontifex calicem conſecratum ſuſtuliſſet: ac tum demum oculos clauſiſſe. Memorant, & tantam odoris fragrantiam ex eius membris emanaſſe, vt mirifica ſuauitate omnium nares repleuerit. *Præfectus Prouincialis* monaſteriorum Vngariæ cum Budæ in Eccleſia poſt matutinum officium oraret, Mauritium vidit in veſte ſui ordinis candidiſſima venientem,

Quem cum interrogaſſet, mortuus ne eſſet, an viueret? Mortuus equidē ſum, inquit, quod ad corpus attinet, ſed nunc vitam ago longe feliciorem. Periculum tamen moriens adiui permaximum, à quo me clemens & miſericors Deus exemit. Hiſque dictis diſparuit. Aliquis oculis captus, ſpei plenus, ad ſepulchrum Mauritii acceſſerat. Ex quo cum nonnihil terræ deſumpſiſſet, & oculos cæcutientes perfricuiſſet, lumen aſpexit, & viſum recepit. Plurima alia miracula, per interceſſionem Beati viri Deus operatus eſt, ad oſtendendum, quod ille mirabilis eſt in ſanctis ſuis & ſanctus in omnibus operibus ſuis. *Leander lib. 5. & Mich. Pius p. 1. de viris illuſtribus Ord. Præd.*

XXIX. Eodem anno Benedictus Pontifex, 1. indulgentiam adiuuantibus Armenos contra hoſtes fidei pugnantes conceſſit. 2. Archiepiſcopo Cæſarauguſtano, vt omnes controuerſias inter Petrum primogenitum Regis Aragonum & Eleonoram Reginam componeret, præcepit. 3. Baionenſem Epiſcopum & Guigonem de S. Germano, ad diſcordias inter Caſtellæ & Nauarræ Reges tollendas miſit. 4. Regem Galliarum, vt inter Aragonū & Maioricarum Reges, ac inter Genuenſes pacem ſtabiliret; vel ſaltem, vt illis Nuncios ad Sedem Apoſtolicam pro pace concilianda mittere perſuaderet, admonuit. 5. Inducias inter Vrſinos ac Columnenſes Romanos, ad biennium ab Archiepiſcopo Ebredunen. Bertrando pactas & in Eccleſia Capitolina Aræ cœli, præſente Senatu, Clero, populoque Romano, ad diem 13. Ian. publicatas, confirmauit, inq; violatores anathemata promulgauit. *Ex Regeſt. Bened.*

## IESV CHRISTI Annus 1337.

### BENEDICTI PAP. XII. ANNO 3.

I. LVDOVIC. BAVARVS NIHIL ADHVC A PONTIF. OBTINET.

LVdouicus Bauarus, etiam hoc anno, precibus pro reconciliatione porrectis, Benedictum Pontificem & Sedem Apoſtolicam fatigabat. Ad vltimos enim Ianuarii dies, Robertum, Rudolfi fratris Ducis Bauariæ & Comitis Palatini Rheni filium, nec non Conradum Comitem Iuliacen. Oratores Auinionem miſerat, qui nomine illius, omnia Pontifici & Romanæ Eccleſiæ pollicerentur. Deerant Nuncii Regis Philippi, ſine quo non erat ex re negotium conficere. Quanquam enim Oratores Bauari, priuſquam Auinionem veniſſent, ad Philippum diuertiſſent, eumque ad concordiam ſanciendam inuitaſſent; nihil tamen apud eum obtinere potuerunt, quod is Anglico bello occupatus, Ludouicum Edouardo ſuppetias ferre aſſereret. Non incerto quoque rumore vulgabatur, illum velle regnum Galliarum inuadere, & Philippum in ordinem redigere. Itaque Benedictus, nihil tunc in rem Ludouici conceſſit, ſed literas ad eum datis, primo, quod nihil ſine Nūciis Philippi Regis decernere poſſet, excuſauit: deinde hominem redarguit, quod Regnum Galliarum inuadere procuraret, adeoque pacem in ore, gladium vero in manu oſtentans, conciliationi optatæ noua impedimenta opponeret. Ad extremum monebat, ne ſe difficultatibus nouis implicaret, ne occaſiones nouas diſſidiorum quæreret, neue ea vel ageret, vel ſereret, quæ reconciliationem impedire poſſent. *Ptolæm. in Bened. XII. & Regeſtr. Bened. XII. hoc anno.*

II. PONT. LEGATOS IN ANGLIAM MITTIT PRO PACE CONCILIANDA.

Porro quia bellum Anglicum inter Philippum Galliarum & Edouardum Anglorum Reges, non modicum obſiſtebat rebus Ludouici; quod is diceretur auxilia Edouardo ſubmiſiſſe, & diſtrahendo Philippo nonnullos Belgarum ad ſeditionem concitaſſe, armaque in Flandriam intuliſſe, Benedictus Pontifex miſit duos Legatos Petrum tituli S. Praxedis presbyterum, & Bertrandum S. Mariæ in Aquiro Diaconum, Cardinales ad Edouardum Regem in Angliam; qui cognita controuerſiæ cauſa, ad Philippum Regem in Gallias redirent, & pacem ſi fieri potuiſſet, inter eos de iure Regni Franciæ, deque imperio ſummopere contendentes, facerēt. Ii poſtquam cum Anglo de compoſitione agitaſſent, in Galliam perrexerant; atque cum Philippo contulerant, quibus conditionibus controuerſiæ exortæ ſedādæ forent. Adfuere ſimul ex Anglia Ioannes Cantuarienſis, & Richardus Dunelmenſis Antiſtites, ab Edouardo delegati. Hic, tametſi Legati Pontificii maxime conarentur ſua auctoritate res terminare, pax tamen non potuit conuenire; Philippo non ſe accepturum, ſed daturum pacis conditiones proclamante. Ita Legati infecto negotio ad Pontificem redierunt, Antiſtites autem Angli in Flandriam ad Edouardum conceſſerunt, vbi is libertatis nomine Belgarum primores à Gallo auerterat, & fœdere cum ciuitatibus omnibus, præter Tornacenſem & Cameracenſem, inito, eos in ſocietatem belli aduerſus Philippum exciuerat: fretus auxilio Ludouici Bauari, qui copias non modicas contra Gallos præliaturo miſerat, atq; Vicarium Imperii in Belgio conſtituerat. *ep. Bened. 177. & Polyd. lib. 19. Ioan. Villan. lib. 11. c. 71.*

III. DISCORDIAM INTER VRSINORVM ET COLVMNIORVM FAMILIAS RATIONE SENATORIÆ DIGNITATIS EXORTAM COMPESCERE SATAGIT.

Dum hæc in Galliis, Belgio & Germania agerentur, Romæ Vrſinorum proceres, aduerſus Columnios, non iam amplius pro Ludouico, ſed pro Senatoria dignitate pugnabant. Eos vt in concordiam Benedictus reduceret, nihil non egit. Et cum primis inducias belli inter eos ſanxit, tum deinde conditiones quaſdam vtriſque ſeruandas præſcripſit. Conuenit inter eos tunc temporis, vt Senatoriam dignitatem alteri non ambirent, alteri non retinerent, ſed in Summum Pontificem, quanquam abſentem controuerſiam reiicerent, qui eam dignitatem vel ipſe retineret, vel cui adlibuiſſet conferret. *ep. 1. 12. 225.*

Cum omnium conſenſu illam in poteſtatem accepiſſet Benedictus, Campaniæ, Maritimæ, & patrimonii Prouinciarum Rectoribus, nec non Ioanni Pineo eam dignitatem tantiſper commiſit, donec aliquem idoneū præficeret Senatorem.

MINORITA COMBVRITVR.

Non deerant, qui tunc veterem cantibellam de paupertate Chriſti, tum Ludouico Bauaro, tum politicis magiſtratibus in Italia repeterent, poteſtatemq; Pontificiam infra Imperatoriam deiicerent. Ex eorum numero, die 3. Iunii huius anni, combuſtus eſt Venetiis F. Franciſc. Piſtorien. ordinem Minorum profeſſus, quod ſe decretis Apoſtolicæ Sedis de paupertate Euangelica oppoſuiſſet, & plurimos aduerſus Rom. Pontif. concitaſſet, *Rich. Ciſtercien. in Bened. XII.*

IV. POPVLI BONONIÆ EXCOMMVNICANTVR OB REBELLIONEM.

Bononienſes per id temporis Legatum Sedis Apoſtolicæ ſpoliauerant, vrbe eiecerant, & plures familiarium illius in fruſta diſſectos canibus ad deuorandum proiecerant; nec non Epiſcopum ſuum & alios Prælatos Legati Comites, eadem iniuria affecerant, & caſtrū vrbi impoſitum diruerant. Horum anteſignanos Populos, & complices, Benedictus anathemate percuſſit, bonaque eorum publicari imperauit, & ciuitati vniuerſæ ſacris interdixit. *ep. 20.*

NECROMANTÆ IGNIBVS ADDICVNTVR.

Delati tunc fuerant, Necromantarum aliqui, qui artibus illicitis, imagines cereas, viuente olim Ioan. XXII. Pontifice, in eiuſdem perniciem effinxerant, & ad ignē torruerant. Eos etiam Benedictus tantæ immanitatis conuictos, damnauit, & ignibus exurendos addixit. *ep. 343.*

V. LEGATIO ARGAON. REGIS AD BENED. PP.

Eodem anno, ad 7. Idus Ian. Petri Regis Aragonum Nuncios, Bernardum Villaragutium, Arnaldum Moreram, & Azbertum Galiazam, Benedictus Auinione audiuit, iura regni Sardiniæ & Corſicæ, Romanæ Eccleſiæ addicta, Regio nomine Summo Pontifici ſancientes. Beltraminum quoq; electum Epiſcopum Theatinum, & Henricum Aſtenſem ſacri Palatii Apoſtolici cauſarum auditorem, Nuncios ad Petrum deſtinauit, qui inter eum & Alfonſum Caſtellæ Regem bellum ſororis





EGIDIVS CARRIL. ECCL. TOLETANÆ A BENED. PRÆFICITVR.

Reginæ cauſa exortum dirimerent. *Surita libro tertio.* Ad Regem quoque Caſtellæ, vna cum Rhenienſium Præſule, Magiſtrum Hoſpitalarium Legatum ire iuſſit, huic & Alphonſo Luſitaniæ Regi conciliando: cum etiam per id temporis Semeno Luna Archiepiſcopo Toletano defuncto, præter collegii Toletani voluntates Egidium Carrilium, ſpectata magnis rebus prudentia probitateque præfeciſſet ei Eccleſiæ. Concha ei patria fuit. Parentes Garſias Albornocius, Theraſia Luna, clari fama, atque nobilitate præſtantes. Ingenium illuſtre Iuriſprudentiæ ſtudiis dederat, non vt otio marceret, ſed vt paratior ad rempublicam accederet. Ætate confirmata Regiis conſiliis adhibitus fuit, hoc anno Toletana ſacra regenda ſuſcepit. Cardinalis deinde creatus, eximiam operam Pontificibus Romanis nauauit, exactis tyrannis, qui Eccleſ. Rom. ditionem armis in Italia occuparant. In omni ætate cunctis vitæ officiis æquabilis, recti tenax, opum contemptor, conſtans aduerſus metus; bello an pace melior fuerit, in incerto eſt.

COLLEGIVM BONONIÆ IN GALLIA A CARRILIO ARCHIEP. TOLET. FVNDATVM.

Omnes certe literati æternum laudent neceſſe eſt, qui Collegio Bononiæ in Gallia Ciſalpina inſtituto, ſacrificos quatuor, collegas triginta annis redditibus literarum cauſa perpetuo alit, omnes natione Hiſpanos: vnde velut ex arce ſapientiæ multi prodiderunt, literis & eruditione præſtantes; doctrinæque ſplendor in Hiſpaniam eſt reuocatus, exemplumque conſtitutum, quod extruendis id genus collegiis alii imitarentur, pari ſtudio atque facultate. *Mariana lib. 16. c. 5.*

VI. BENED. BOEMIÆ REGEM EXCOMMVNICAT ET QVARE.

Eodem anno Benedictus Pontifex, in Ioan. Boemiæ Regem anathema prolatum comprobauit. Cauſam & progreſſum eius rei Matthias Mechouienſis enarrauit hunc in modum.

*Anno Domini 1337. Ioannes Rex Bohemiæ, caſtrum Mielicz ſibi dari mandauit; quod Nankerus Epiſcopus Vuratislauienſis tanquam vir heroicus denegauit. Ob hoc Ioannes Rex Bohemiæ miſſo exercitu, caſtrū Mielicz obſidione cinxit: & cum expugnatio eius difficilior videretur, Vafritie ſolita vſus, ad Henricum de Virbna Archidiaconum & Canonicum Vratislauienſem Adminiſtratorem caſtri familiares & notos cum lagenis vini meri, ſciens, ad potationes vinorum auidum & inclinatum miſit: Quumque inebriatum, tum blanditiis, tum terroribus de reſignatione caſtri requirerent, Henricus Archidiaconus vir pauidus nulla eum neceſſitate ſtringente, caſtrum Mielicz reſignauit, & de ipſo exceſſit. Nankerus ergo per literas, ablatum caſtrum Eccleſiæ reſtitui apud Ioannem Regem laborauit. Quo abnuente, totam diœceſim Vratislauienſem interdicto ſuppoſuit. At vbi Ioannes Rex Boemiæ Vratislauiam adueniſſet, plures ſuper caſtri Mielicz reſtitutione, interponebantur tractatus. Quos dum videret Nankerus in irritum cedere, cum quatuor tantummodo Prælatis & Canonicis, cæteris metu ſe ſubtrahentibus, videlicet Apeczlione Scholaſtico, qui poſtea in Lubuſſenſem Epiſcopum promotus eſt, Othone de Domy, Cunczkone de Szalkuu, & Petro de Petro de Bitkuu, in Monaſterio F. F. Minorum ſancti Iacobi in parua ſtubella refectorio proxima ſe continentē, geſtans in collo ſtolam, & in pectore Crucem, intrepide acceſſit.* Inquiens, *Moneo te Domine Rex, primo, item ſecundo, item tertio & peremptorie, vt caſtrum Mielicz à te violenter occupatum, mihi & Eccleſiæ meæ Vuratislauienſem reddas. Denegante autem Rege reſtitutionem, tum Nankerus Cruce in manu cum ligno Dominico accepta; Auctoritate,* inquit, *Omnipotentis Dei, te velut Eccleſiaſticorum bonorum inuaſorem excommunico, excummunicatumque denuncio; In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.*

*Interim Ioannes Rex in furorem verſus; Quam temerarius eſt,* inquit, *iſte Pop, id eſt Sacerdos? Quærit ſui interfectorem. At ego à ſuo ſanguine me continebo. Egredientem autem à conſpectu Regis Epiſcopum, Conſules Vuratislauienſes carpebant, quod aliis viuis neglectis Regem excommunicauerit. At ille; Ego vos conſiliarios,* inquit, *& adiutores ſuos, eadem auctoritate Dei Omnipotentis, qua & Regem veſtrum excommunico, & excommunicatos decerno. Sed neque Rex veſter glorietur ſe fore Regem; quum magis Regulus, quam Rex ſit exiſtimandus. His verbis rex durius quam cenſuris ſe læſum exiſtimans, Nuncios ad Epiſcopum Nankerum miſit, vt qua de cauſa Regem Boemiæ putaret Regulum non Regem appellandum diſſereret. Quibus Epiſcopus Qui in ſuo Regno, Metropolitanum non habet, & in coronatione ſua, prece & precio aliarum nationum Archiepiſcopos conducit, Regulus eſt, & inter omnes Catholicos Reges minimus. Hæc ſuggillatio Ioannem Regem Boemiæ adeo mouit, atque irritauit, vt ex Pragenſi Eccleſia Metropolitanam creari, temporis proceſſu curauerit. Poſt triduum diſcedens Nankerus in Niſſam, cum omni Clero ſæculari & Regulari (quem Rex, quia appellationi à ſe interpoſita non adhærebat, eiiciendum mandauerat) omnes Eccleſias obſerari iuſſit. Rege autem mandante & ciuibus Vuratislauienſ. Eccleſiis per violentiam patefactis, celebrare diuina presbyteri vagi & diſcoli cœperunt: populi autem communes Eccleſias ingredi faſtidientes, à lictoribus compellebantur, & recuſantibus veſtes detrahebantur. Poſt alias tandem maiores cenſuras, tam in Regem Ioannem quam in conſiliarios illius & ciues Vuratislauienſes prolatas, Rex furore plenus, bona temporalia Epiſcopi, ac omnium Eccleſiarum & Monaſteriorum, Ducibus Sileſiæ occupare iuſſit. Sed omnibus aliis iuſſionem deteſtantibus, Boleslaus Bregenſis Dux, inopiæ ſuæ ſuccurſurus, oppida, villas, decimas, & introitus omnium Eccleſiarum in ſuo Bregenſi Ducatu inuaſit, atque diripuit. Pro quo ipſe, & terra ſua quod longo tempore pertulit, ſuppoſita interdicto fuit. Summus quoque Pontifex Benedictus duodecimus, ſententias Nankeri Epiſcopi non tantum confirmauit, verum etiam aggrauauit. Neque prius Ioanni Regi requirenti, & abſolutionem petenti reſpondit, quam is caſtro Mielicz decederet, & bonorum Eccleſiæ plenam reſtitutionem faceret.* Matthias Miechouius rerum Polon. lib. 4. c. 22.

VII. ALIA BENEDICTI GESTA.

Hoc ipſo anno, Benedictus Pontifex, 1. cenſum è regno Siciliæ, & ex prouinciis Narbonenſis, Tholoſana & Auxitana exegit. *ep. 140. & 253.* 2. Archiepiſcopo Beneuentano, poteſtatem transferendarum S. Bartholomæi reliquiarum fecit. *ep. 110.* 3. Inquiſitionem vitæ & miraculorum, B. Iuonis Acheloæ presbyteri quibus commiſit. *ep. 71.* 4. Duciſſæ Catrionenſium ad fidem Orthodoxam recens conuerſæ, profeſſionem ſeu formulam Catholicæ fidei miſit. *ep. 370.* 5. Ad Græcos Eccleſiæ Romanæ reconciliandos, Barlaamum Monachum in Orientem deſtinauit. *ep. 330.*

VIII. BARLAAMVS IN ORIENTEM DESTINATVR A PONT. AD GRÆCOS ROM. ECCLES. CONCILIANDOS.

Eo porro Conſtantinopolim adueniente, fuit indicta in Sacroſancto diuinæ ſapientiæ templo Synodus, Imperatore Andronico cum Ioanne Patriarcha præſidentibus, reliquis Epiſcopis, multiſque proceribus & Senatoribus aſſidentibus. Prior dicendi locus Barlaamo datus eſt. Ille ſiquidem Gregorium Palamam, & Monachos montis Atho, propter adulterina dogmata in iudicium vocauerat. Multa igitur præfatus, & cauſa quæ illum huc impuliſſet narrata, deinde libellum de iis rebus à ſe conſcriptum porrexit. Quo toto ab ipſis perlecto, adiecit alia, quæ ad rem propoſitam accommodata ſentiebat. Poſtremo Monachos criminatus eſt, quod neque precationem quam ſe celebrare dicerent, abſque defectu, & conuenienter proferrent; & de lumine in monte Thabor diſcipulis apparente perperam ſentirent. Poſt hæc Monachis reſpondendi poteſtas facta. Qui cum Gregorio Palamæ hoc honoris detuliſſent, is oſtendere conabatur, lumen quod in mōte Thabor diſcipulos colluſtrauit, eſſe gloriam Dei, principio carentem, & maieſtatem eius, & lumen diuinitatis, & deitatem, & naturale æternumque Dei lumen. In eius propoſiti confirmationem, tomum à Monachis montem Atho inhabitantibus compoſitum promebat, quo ſe cum ſanctis conſentire, & Barlaamum peruerſa ſentire, voluerat, efficere. Imperator rerum ſacrarum ignarus, & Ioannes Patriarcha cum reliquis Epiſcopis, magis Palamæ quam veritati addictis, in errorem eius inclinarunt, & ſententia aduerſus Barlaami dogma Catholicum pronunciata, neceſſitatem, (ſi Ioanni Cantacuzeno Magno Domeſtico de rebus Andronici ſcribenti fides eſt) Barlaamo nonnihil à ſententia diſcedendi impoſuerunt. Profitentes, nec ſe terrenarum aut pereuntium rerum gratia tam acriter pugnaſſe; ſed ne in plures malo propagato, aut peruerſorum dogmatum Eccleſia repleretur, aut factionibus & diſſidiis in ſeipſa diuideretur, dum alii

his, alii illis adhærent, ac propterea immodice litigioſos ſe apparuiſſe, qui in aliis omnibus ad manſuetudinem & animi ſubmiſſionem eruditi ſint. Vbi autem Deus in periculum vocatur, ibi promptos eſſe & inexorabiles, & neque ad opprobrium ægreſcere, neque ad laudem humanam emolleſcere. Quoniam vero pacis & concordiæ Deus diſtantia copularit, & ſe prompte à contentione deſiſtere, & illi gratias habere, qui pacis huius auctor inprimis fuerit. *Ioan. Cantucazen. lib. 2. capite 40.*

Potuerat accidere, vt Barlaamus à ſententia de lumine Thaboritico, propter pacem Eccleſiarum conciliandam diſceſſerit, quod forte illud dogma, potius ad ſubtilitates Theologicas, non vero ad articulos fidei, quos publice profiteri omnes tenentur, pertinere exiſtimauerit. Nicephorus Gregoras, libro vndecimo ſuæ hiſtoriæ eiuſdem Synodi acta refert, ſed aliter quam Cantacuzenus. De dogmatis enim nihil actum tradit, ob præſentiam multitudinis imperitæ: tum ne Theologiæ myſteria profanis vulgi auribus ingererentur, tum ne Palamas, contra diſputante Barlaamo blaſphemæ doctrinæ conuinceretur. Quo Gregoras inſinuat id gratię Palamæ datum à Synodi præſidibus, & Patribus. Vtcumque ſit; hoc certum fixumque maneat ſententiam illam Synodi de lumine Thaborio, quaſi increatum & ipſum naturale Dei lumen fuerit, penitus falſam eſſe, ne quid grauius dicam: recteq; à Barlaamo, Acindyno; Gregora, aliiſque plurimis exploſam, profligatam, & acerrime refutatam, non obſtante huius ſchiſmatici conuenticuli decreto. Nam vt alia taceam; hæc duo argumenta Barlaami & Gregoræ aliorumque clara ſunt, & euidentia. 1. Illud, quod oculis corporeis viſum eſt, non eſt increatum: Lumen Thaboriũ corporeis oculis à diſcipulis viſum eſt; ergo increatum non eſt. 2. Quicquid oculis corporeis viſum eſt, creatum eſt: Lumen Thaborium oculis corporeis viſum eſt; ergo creatum eſt. Adhæc argumenta exclamabat Philotheus Patriarcha libro decimo quarto, contra Gregoram, dicens: *Io, io, quis iſte, qui hæc tam noua profert; quiſque tam dubius, imo imperitus eſt ſermonum, qui in excelſo Eccleſiæ monte, elata voce prædicati & annunciati ſunt: qui vt Euangelico dicto vtar, inomnem terram exierunt, fineſque terræ fulguris vel potius ſolariũ radiorum inſtar peruagati ſunt.*

SENTENTIA DE LVMINE THABORIO FALSISSIMA.

Cæterum hæc mera verba ſunt; vt & alia, quæ tribus libris de hoc lumine Thabario Philotheus diſſerit, qui libri in Bibliotheca Bauarica aſſeruantur, vna cum aliis duodecim contra Gregoram, de diſtinctione eſſentiæ & operationis diuinæ. Neque quicquam ad ſolutionem argumentorum faciunt. Immotum enim ſtat illud fundamentum & omni ex parte inconcuſſum. Quicquid eſt, id aut Deus eſt, aut creatura. Si Deus; non ergo oculis corporeis conſpicitur. Si creatura; non ergo increatum.

Non maioris ſunt pretii, eiuſdem Philothei orationes duæ, oblatæ Synodo contra Acindynum, de qua poſtea nomine τῶν ἁγιορειτῶν Monachorum in monte ſancto (ſic enim montem Atho vocant) degentiũ, quas Philotheus cum adhuc inter Monachos illos nomen ſuum profiteretur, cõpoſuerat, vt dicitur in actis Synodi quartæ ſub Cantacuzeno. Extat alia de eodem argumento oratio, in MS. Codice Bibliothecæ Auguſtanæ, auctore quodam Monacho Theſſalonicenſi. Sed eiuſdem prorſus notæ, hoc eſt nullius; aut ſi alicuius, malæ. Citant iſti, & denſo agmine agglomerant dicta ſanctorum Patrum, quæ non intelligunt: quia ſi intelligerent, non adducerent. Certum ſiquidem exploratumq; eſt, vetuſtæ & eruditæ Græciæ, hanc de lumine Thaborio opinionem ignotam fuiſſe: & auctores Græci eruditi, qui ante iſtos Palamas, Philotheos, & ſimiles vixerunt, illos ipſos Patres, illa ipſa vbique propemodum eorundem Patrum teſtimonia proferunt pro ſua & vera opinione; nempe, lumen Thaborium fuiſſe creatum: quæ iſti obiiciunt pro ſua & falſa, videlicet, lumen Thaborium fuiſſe increatum. Teſtem laudo vnum ex multis Ioannem Cypariſſiotum, ſcriptorem erudiriſſimum, quem Turrianus ex Græco in Latinum tranſtulit. Qui poſtquam Decade ſexta, capite quarto & quinto expoſuit, quid de lumine Thaborio ſenſiſſet ſanctus Chryſoſtomus, quid Anaſtaſius Sinaita, quid Theodorus ὁ γραπτός, quid Cyrillus Alexandrinus, quid Cyrillus Hieroſolymitanus, quid ſanct. Baſilius, quid interpretes Euangelii Matthæi capite decimo ſeptimo, quid ſanctus Maximus, quid Nazianzenus; tandem ex horũ omnium ſententia his verbis diſputationem concludit: *Ex quibus pateſit, quod lumen, quo ſplenduit Dominus in monte Thabor, neque diuina ſubſtantia erat; (illa enim nec vllo modo expromi, neque cognoſci, neque videri, neq; cogitari poteſt) nec erat defluxio quadam & ſplendor ex illa manans: (diuina enim operatio æterna, vel potius per ſe operatio, nullo modo ſecreta eſt à ſubſtantia eius: imo quidquid eſt ſubſtantia diuina, eſt energia, ſiue operatio eius.) Quare, quia nec hoc, nec illud eſt, relinquitur exemplum fuiſſe gloriæ & ſplendoris corporis poſt reſurrectionem glorificati, ſymbolumque illius naturæ occultæ & inaſpectabilis in eo latentis, & imaginem tenuem futuræ gloriæ, & ſimulachrum Regni cœlorum, &c.*

Hæc Cypariſſiotus ex ſententia Græcorum Patrum, quibus imperitia Palamæ valide redarguitur; qui (vt refert Dauid Monachus in relatione de diſſidio Barlaami & Palamæ, quæ extat in ſupradicto Bibliothecæ Auguſtanæ Codice) aiebat: *Eſt quidem lumen illud diuinum & increatum; & Deitas à ſanctis nominatur. Sed non eſt ſubſtantia Dei, ſed operatio, & gratia, & gloria, & ſplendor ex diuina ſubſtantia in ſanctos miſſus. Omnes enim ſancti tam homines, quã Angeli, vident quidem gloriam Dei temporis expertem; ſubſtantiam vero Dei nullus neq; homo, neq; Angelus vidit, aut videre poteſt.*

ERROR PALAMÆ.

Vbi fere quot verba, tot errata; inter cætera illud etiam inſigne; Dei eſſentiam & quidditatem à Beatis videri, ſed neſcio quam claritatem: qui error apud Armenos quoque olim inualuiſſe fertur, eiuſque meminit ſanctus Gregorius libro decimo octauo Moralium, capite 37. Hæc deliramenta merito Barlaam exagitauit merito & alii: qui licet hoc tempore formidine forſan præpediti tacuiſſent, poſtea tamen aperte contra Palamam, pro Barlaamo ſtare cœperunt. Neque videtur in hac prima Synodo de diſtinctione ſubſtantiæ & eſſentiæ diuinæ diſceptatum fuiſſe, ſed de ſolo lumine Thaborio; licet Palamas iam ſemina alterius itidem controuerſiæ ieciſſet.

Sententiam Palamæ aperuit cum Philotheus, tum Dauid Monachus; cuius verba, vtpote pauciora iſthic adſcribere viſum. Iſta ipſa ſunt ex Græco.

CLARIVS PALAMÆ ERRORES NARRANTVR.

*Subſtantia Dei participari & videri nequit ab vlla creatura, ne ab Angelis quidem: participari vero poteſt operatio & gratia illius Deifica, cuius participes ſunt & Angeli & ſancti; & quamuis ab his participaretur, inſeparabilis tamẽ eſt, & indiuiſa à diuina ſubſtantia. Quocirca non ſunt duo Dii, aut duæ Deitates. Quemadmodum enim in hoc ſenſibili Sole, orbis eius attingi ſecundum ſe, aut ab oculis capi non poteſt, (ſi quis enim propius accedere tẽtet, & potentiam videndi amittat, ob immenſitatem luminis, & penitus exuratur) radii autem eius ad nos deferuntur, & omnia in hoc mundo illuſtrant: nos vero appellare ſolemus Solem tam orbem illum quam radios eius; & tamen non ſunt duo Soles, ſed vnus; neque vocamus duos Soles ſed vnum, etiamſi infinitos habeat radios; ſic & in Deo, qui Sol intellectualis eſt, res ſeſe habet. Licet enim dicam ſubſtantiam eius participari non poſſe, poſſe autem operationem & gratiam quam omnes ſancti recipiunt: attamen vnus Deus eſt, qui & ſubſtantiam & operationem habet. Et quemadmodũ ille qui diceret, multos eſſe Soles, eo quod Solis multi ſunt radii, à veritate prorſus aberraret; ita ſi quis dicat plures eſſe Deos, propter plures operationes & gratias Dei, is pari modo audiendus non erit. Quemadmodum enim à ſancta Dei Eccleſia edocti dicimus, Patrem habere Filium, habere & Spiritum ſanctum, nec dicimus tamen tres Deos eſſe, ſed tres vnum Deum: eodem modo licet dicamus, ſubſtantiam Dei habere naturales operationes & gratias; & licet ſubſtantia vocetur Deitas, Deitaſque vocetur itidem Deifica eius operatio & gratia; nihilominus vna Deitas eſt ſubſtantia & operatio, quæ à ſubſtantia*





*ſeparari & auelli nequit: non enim ſeparatur operatio à ſubſtantia; quemadmodum nec Filius aut Spiritus ſanctus à Patre; vel vt ex rebus ſub ſenſum cadentibus exempla petamus, quemadmodum nec radius à Sole, nec calor ab igne. Et quemadmodum dicimus ſubſtantiam Solis, vel orbitam eius excedere radios, & ſplendorem inde ad oculos noſtros demiſſum, eo quod participari non valeat, quippe fons & origo, & radix, & ſubminiſtratrix omnis ſplendoris & illuſtrationis: ſic à ſanctis edocti dicimus diuinam ſubſtantiam, vt eam quæ participari & conſpici nequit, ſuperiorem & eminentiorem eſſe illuſtrationibus, operationibus, & donis inde miſſis.*

Hæc & huius notæ plurima Palamas. Ex quibus manifeſtum euadit, Græcos hoc tempore eo ruditatis proceſſiſſe, vt exiſtimarent, operationem Dei eſſe quid à ſubſtantia Dei diuerſum; ſicut ſplendor, & lux Solis diuerſum eſt quid à ſubſtantia Solis, & calor ignis à ſubſtantia ignis; licet nec ſplendor à Sole, nec calor ab igne ſeparetur.

Et ſicut à Sole ſplendor quidam perpetuo emittitur, qui non eſt ſubſtantia Solis, licet Solis ſubſtantiam perpetuo comitetur; ita etiam ex diuina eſſentia, ſimilem ſplendorem exire & emicare, non valde ſubtiliter ſibi imaginabantur, qui ſub hominum oculos & Angelorum intelligentiam cadat; quippe, cum creatura non ſit, non ſit tamen Deus aut Deitas; niſi forſan improprie, eo modo quo calor dicitur ignis, aut radius ſolaris Sol; neque etiam ſit Dei ſubſtantia, ſed tertium quoddam.

Porro Barlaamus & Acindynus, recte de ſubſtantia & operatione Dei ſenſerunt. Sola namq; ratione diſtinxerunt; re autem tam ſubſtantiam quam operationem Dei coniunxerunt: nihilque in Deo ſtatuerunt, quod cum eſſentia diuina vnum & idem reipſa non eſſet. Quamobrem mera conuicia Græcorum ſunt in eos, cum de vtroque ita ſcribunt,

CONVICIA GRÆCOR. IN BARLAAMVM ET ACIND.

1. *Dicunt Deum non habere operationem eſſentialem, hoc eſt naturalem.*

2. *Dicunt operationem vel operationes Dei non eſſe increatas, neq; ſimul cum Deo cauſas, ſed creatas.*

3. *Dicunt eam quæ appellatur increata & naturalis operatio Dei, eſſe ſubſtantiam Dei, neq; vllam eſſe differentiam inter ſubſtantiam & operationem.*

Et alia id genus deliramenta, quę ab incerto auctore collecta, extant in Bauarica Bibliotheca, Cod. 115. Cæterum pleraq; imperitorum figmenta ſunt, in quorum numero hoc vltimum. Numquam enim Acindynus, aut Barlaam, aut quiſquam alius diſtinctionem rationis negauit, ſed illam dumtaxat, quam Palamas cum ſuis indocte commentus fuerat: cum non tam inſipientes eſſent, vt & diſtinctionem rationis inter ſubſtantiam & operationem Dei non agnoſcerent, & à Palama confictam impugnare neſcirent.

Sane ſecundus liber Acindyni facile ſe ſuo Marte ab omnibus illis calumniis defendit, vt patrono non egeat. Hoc ſolo miſer eſt, quod vinculis & carcere detinetur, liberatoremque expectat, nec reperit; quippe non modo in vulgum hactenus non vulgatus, ſed ne in eruditorum quidem cætum: dignus certe auctor cui aduerſus Cantacuzeni ſcita & decreta manus porrigatur.

Placet ex Codice Bibliothecæ Bauaricæ, libris duobus de eſſentia & operatione Dei & Acindyno ſcriptis, aduerſus Palamam, Gregoram, & Philotheum, ſaltem quorundam capitum periochas adſcribere. Quæ cuiq; erudito perſpicuum facient, Barlaamum, Acindynumque idem quod ſcholaſticæ Theologiæ Doctores docuiſſe, de ſimplicitate diuinæ eſſentiæ. Ergo inſcriptio eſt iſta, lib. 1.

DOCTRINA BARLAAMI ET ACIND. CATHOL.

*c. 3. In Deo non eſt potentia paſſiua.*

*c. 4. Dei ſubſtantia eſt eſſe illius.*

*c. 5. Deus non eſt materia.*

Lib. 2.

*c. 2. In Deo non eſt ſenſus.*

*c. 3. Deus eſt intelligens.*

*c. 4. Deus eſt volens.*

*c. 5. In Deo eſt intelligendi & volendi potentia.*

*c. 6. Habitudines ſecundum iſtas operationes ſunt in Deo ſtatuendæ.*

*c. 7. Tales operationes, & ſecundum illas habitudines & potentia in Deo vnum & idem ſunt.*

*c. 10. Potentia intellectualis Dei eſt eius ſubſtantia.*

*c. 11. Intellectualis Dei operatio eſt eius ſubſtantia.*

*c. 12. Deus nulla alia ſpecie intelligibili intelligit, niſi ſua ſubſtantia.*

*c. 13. Deus perfecte ſeipſum intelligit.*

*c. 14. In Deo non eſt habitus ſcientiæ.*

*c. 15. Sapientia Dei eſt eius ſubſtantia.*

*c. 16. Veritas Dei eſt eius ſubſtantia.*

*c. 17. Dei voluntas eſt eius ſubſtantia.*

*c. 18. Primum obiectum, quod ſub Dei voluntatem cadit, eſt eius ſubſtantia.*

*c. 19. Quomodo Deus ſit ſibi ipſi, vt obiectum ſub voluntatem cadens in volente.*

*c. 21. Deus eſt vita ſua.*

*c. 23. Deus eſt ſua bonitas.*

*c. 24. Deus eſt beatus.*

*c. 25. Deus eſt ſua beatitudo.*

*c. 26. Nomina hæc non ſunt ſynonyma.*

*c. 28. Nomina hæc non dicuntur æquiuoce, de Deo, rebuſq; creatis.*

*c. 29. Nomina hæc prædicantur analogice, de Deo, rebuſq; creatis.*

Hæc capita doctrinæ Orthodoxæ, cum Barlaam & Greg. Acindyn. Monachi, ſcholaſtice, hoc eſt Theologice & Philoſophice aduerſus Palamam proſequebantur, à Synodo, Palamæ pluſquam merebatur ſtudioſa, damnati ſunt, Præſide non Præſide Ioa. Patriarcha, qui poſt Imperat. in conciliabulo locum & ſuffragium obtinuerat, neq; poteſtatem decernendi quemadmodum par erat, habuerat, cum is in Acindyni ſententiã propẽderet, & Palamam non obſcure inſectaretur. Quamobrem poſtea, Anna Imperatrice, eiuſq; filio Imp. Iohan. Palæologo præſidentibus, ex ſententia Synodi damnatus fuit, deq; Patriarchalis dignitatis gradu deiectus, Triginta Epiſcopos, Cantacuzenus l. 3. c. 98. memorabat conueniſſe, quorum ſuffragiis Ioan. Patriarcha gradu motus; & quorum ſubſcriptionibus, tomus alter contra Acindynum eiuſq; diſcipulos conſcriptus, confirmatus eſt; quibus poſtea per ſubſcriptionem conſenſit quoq; Hieroſolymorum Patriarcha, vt refert Dauid Monachus, ſeu quiſquis ille collector eſt, in ſua de controuerſia Barlaami & Acindini relatione.

Quatuor præcipuas Synodos enumerabat Cantacuzenus, à Græcis ea in controuerſia congregatas. In prima, præſide Andronico Imperatore, Barlaami dogma exſibilarunt. In altera, pręſide ipſo Cantacuzeno adhuc Magno Domeſtico, Barlaamũ & Gregorium Acindyn. damnarunt, tomumq; Synodicum in quo contrariam ſuæ ſententiam anathemati ſubiecerant, euulgarunt. In tertia, Ioan. Patriarcham, Acindyni nouum ſectatorem dignitate exuerunt, & alterum tomum pro ſuis opinationibus ſcripſerunt; neq; tamen pacifice triumphare poſt hanc Synodum potuerunt, licet iam tertio victores Palamæ ſtudioſi fuiſſent pronunciati. Pleriq; n. ex doctoribus, exemplum Io. Patriarchæ ſecuti, tomo ſeu definitioni & decreto Synodi non acquieſcentes, libere contradicebant. Ex quorum numero Metropolitæ duo, alter Epheſi, alter Gani; item Nicephor. Gregoras, & Deixus, & totius Græciæ doctiſſimi quiq; ad Barlaami & Acindyni caſtra traducti. Propterea quarta Synodo conuocata, à Cantacuzeno, poſtquam Conſtantinopol. iam obtinuiſſet, præſidente ipſo Cantacuzeno, & Calliſto Patriarcha Conſtant. in locum deiecti Ioannis ſuffecto, Cantacuzeni, Ioannis Palæologi, Calliſti Patriarchæ, Metropolitarum, Epiſcopor. aliorumque miniſtrorum Eccleſ. ſuſcriptionibus, illi omnes damnati ſunt. Contra tomum eius Synodi tot ſubſcriptionibus munitum, libros decem ſcripſit Niceph. Gregor.

QVOT SYNODOS CONGREGAVERINT GRÆCI PRO CONTROVERSIA BARLAAMI ET PALAMÆ.

qui licet in prima Synodo, viuente adhuc Andronico Iuniore, Barlaamo aduerſari videretur, cuius ſuæ mentis non obſcura indicia dedit libro vndecimo hiſtoriæ Byzantinæ extremo; poſtea tamen aperte Barlaamum & Acindynum tueri cœpit. Nicephoro Gregoræ reſpondit libris quindecim Philotheus prius Monachus; poſtea Metropolita Heracleenſis, tandem Patriarcha Conſtantinopolitanus; quorum tres poſtremi, potiſſimum agunt de lumine Thaborio, vt & vndecim^o^: duodecimus Apologiam continet pro Monachis & ἡσυχασαῖς, cum alibi, tum in monte Atho. Reliqui conſumuntur in enodanda quæſtione de eſſentia & operatione Dei, quam Palamæ more, hoc eſt imperite tractat.

Neq; n. negauit Acindynus operationem Dei, ſed negauit eſſe diuerſam à ſubſtantia Dei, niſi ſola ratione & cogitatione, vt patet ex *libris Acindyni*. Quod autē, vt Græci dicunt, Filium & Spiritum S. nominat operationem increatam; vocabulum operationis improprie ſumpſit, & ſcripſit, nempe pro termino actionis. Eſt enim Filius terminus operationis diuinæ, non eſſentialis ſed notionalis, nimirum generationis actiuæ quæ eſt in Patre: & Spiritus ſanctus eſt terminus actionis, nempe ſpirationis actiuæ, quæ eſt in Patre & Filio. Et huc reſpexit Acindynus, cum Filium & Spiritum ſanctum operationes increatas vocauit. Prçter has operationes agnoſcit alias eſſentiales toti Trinitati communes, ſed cum eſſentia Dei prorſus vnum & idem, ac proinde increatas: non autem tales, quales ſtatuebant Palamas, Philotheus, & alii, quæ cum ſubſtantia quidam diuina inſeparabiliter cohęreant, non ſint tamen ipſa Dei ſubſtantia, ſed πρόοδοι quidam illius; ſicut lux eſt πρόοδος ſeu proceſſio à ſubſtantia ſolis, etſi cum ſole perpetim coniuncta. Quintam Synodum indicat fuiſſe coactam, Codex Auguſtanus; cui ſubſcribere debuit Matthæus Cantacuzenus Iohannis filius, iam ad Imperium euectus.

In hunc modum prolixe, præter morem ſubſcripſiſſe legitur: *In præſentia inuictiſſimi Domini mei, Domini & Imperatoris patris mei, & ſanctiſſimi Domini mei Oecumenici Patriarchæ, ſanctæq; cum ipſo Synodi, Matthæus in Christo Deo fidelis Rex & Imperator Romanorum Aſanes Cantacuzenus.* His verbis ſignificari videtur, quintam Synodum celebratam fuiſſe ſuper controuerſia Palamæ cum Barlaamo & Acindyno, eorumq; ſectatoribus. Nam tempore quartæ Synodi Philotheus non erat Patriarcha, ſed Calliſtus; hancq; quintam Synodum congregatam oportuit antequam Ioannes Cantacuzenus Imperio ſe abdicaret; cum Matthæus in præſentia illius tanquam adhuc Imperatoris ſubſcripſerit.

Hæc omnia, ex Iacobi Pontani in Cantacuzenum notis, volui in ea controuerſia adducere, tum vt facem in hiſtoria tam obſcura & ignota, & de qua in poſterioribus non infrequens fuerit memoria, præportarem, tum vt Lectorem, quale iudicium de viris quibuſdam eruditis, qui aliquid de controuerſiis Palamæ & Barlaami literis mandarunt, facere debeant præmonerem. Ac primo omnium de Prateolo, qui hæc in Catalogo hæreticorum.

ERRATA QVORVNDAM DOCTORVM VIRORVM DE BARLAAMO BENED. PP. APOCRYSIARIO.

*Aduerſus Barlaamum & Acindynum, nonum generale Concilium coactum fuit & celebratum, in præſentia illius Beati & celeberrimi Imperatoris Domini Michaelis Andronici cognomento Palæologi, Imperatoris Græcorum, & Ioannis eius filii.* Vbi plura manifeſta errata. Nullum enim ex quatuor vel quinq; Conciliis ſupradictis generale fuit. Nullum ſub Michaele habitum, ſed ſub Andronico Iuniore; & Cantacuzeno; & quarto Ioannes Palæologus ſubſcripſit, filius non Michaelis Palæologi, ſed Andronici Iunioris: quem beatum fruſtra nominat, cum in ſchiſmate vixerit, atq; diem obierit. Addit Prateolus de Barlaamo & Acindyno.

*Cenſebant iſti modo nullum eſſe diſcrimen in diuina natura, ſubſtantia & effectu: ſed idem eſſe, nec diuerſum: modo differentiam eſſe profitebantur, ſubſtantiam tamen increatam. Eius autem eſſentiales actiones & naturales ſentiebant eſſe diuerſas, non tamen increatas, ſed creatas.* Mirum vnde hæc hauſerit Prateolus, quorum Barlaamo & Acindyno nihil in mentem venit. Nam effectum à Dei ſubſtantia diſtingui tam probe norant, tamq; libenter fatebantur, quam ſe non eſſe Deum, vt & operationem, quam ſcholæ appellant *tranſeuntem*: hæc enim ab effectu producto reipſa non diſtinguitur, ac proinde ſi effectus reipſa à ſubſtantia Dei diſtinguitur, neceſſe eſt, vt & reipſa operatio iſta diſtinguatur. Sed operationē Dei, quam vocant *immanentem*, negabant à Dei ſubſtantia diſtingui, vt actum intellectus aut voluntatis diuinæ, niſi ſola ratione: & cum non diſtinguatur iſta actio à ſubſtantia, ſequitur id quod ex vi huius actionis producitur, produci etiam ex vi ſubſtantiæ diuinæ: & aperta cauillatio eſt, cum Gręci in quarta Synod. ſub Cantac. ita argumētabantur; *Si operatio non eſſet diuerſa à ſubſtantia Dei, tunc omnia creata eſſent ex ſubſtantia Dei: quandoquidem ſunt ex operatione Dei. Sed hoc eſt impium; ergo & illud.*

Reſpondeo, falſam eſſe maiorem, ſi intelligatur omnia fore ex ſubſtantia Dei, tanquam ex parte conſtituente interna; quaſi ex ſubſtantia Dei componerentur aut vt partes ex ea decerperentur: veram autē, ſi intelligatur, omnia fore ex ſubſtantia Dei, quatenus omnia, vi, & energia, & efficacitate Dei, ſeu ſubſtantiæ diuinæ operantis exiſtunt. Neq; verum eſt iſtos ſenſiſſe, operationes Dei eſſentiales & naturales eſſe creatas. Cum n. aſſeruerint iſtas operationes, reipſa prorſus idem eſſe cum ſubſtantia diuina, qua ratione, obſecro, affirmare potuerunt eas eſſe creatas?

Adiungit Prateolus; *Id quod in Thaborio monte effulſit diuinum lumen, dixerunt eſſe phaſma; id eſt ſpectrum duntaxat, & creaturam, quæ ortum habet & interitum, verum non diuinæ naturæ naturalem ſplendorem, & vt ita dicam deitatem, & lumen quod eſt, quodq; inacceſſum dicitur.* Remoto phaſmatis non ſatis decente vocabulo, quo Græci iſtos interdum vſos fuiſſe tradunt, nihil prorſus eſt in tota hac ſententia, quod reprehenſionem mereatur. Vere enim lumen illud Thaborium res creata fuit; & cum transfiguratione cœpta incœpit, & cum finita deſiit.

Ex his emendare item licebit, quæ auctor quidam doctiſſimus, & in Græcis ſcriptoribus verſatiſſimus literis prodidit. Dicit lumen diuinum & increatum viſum eſſe in monte Thaborio, non in ſe; ſic enim oculis conſpicuum non eſſe; ſed in lumine creato; ſicut Spiritus S. deſcendens ſuper Chriſtum tempore baptiſmi viſus eſt non in ſe, ſed in ſpecie columbæ, & hæc quidem recte & Catholicè. At quod addit, Barlaamum & Acindynum contendiſſe, ipſum lumen diuinum, hoc eſt gloriam & maieſtatem Dei, in ſe & ſecundum ſe viſam eſſe, non in ſua imagine; ac propterea à Synodo Conſtantinopolitana, Ioanne Palæologo, & Ioanne Cantacuzeno habita, damnatos fuiſſe; id pace eruditiſſimi viri dixerim, à vero longe abeſt. Nam Palamas & Synodi illius Patres dixerunt in ſe & ſecundum ſe diuinum lumen & increatum viſum eſſe: quibus Barlaam & Acindynus totis viribus reſtiterunt: aſſerentes lumen diuinum in ſe & ſecundum ſe oculo corporeo non patere: ſed quidquid in monte Thaborio diſcipulorum oculis apparuit, id diuinæ illius & increatæ, & inaſpectabilis gloriæ creatam quandam imaginem fuiſſe. Neq; id vnquam affirmarunt eo conſilio, vt filium Dei cum Ario creaturam facerent. Neq; vlla Synodus hoc Barlaamo & Acindyno obiecit: qui de hoc lumine tradiderunt, quod hodie Theologi Orthodoxe de eo ſentiunt; fuiſſe nimirum inuiſibilis diuinitatis & gloriæ increatę, viſibile & creatum ſignum.

Thomam Stapletonum, Iacobus Pontanus, reprehendebat quaſi is imperite aſſeruerit, Barlaamum Monachum Conſtantinopolim profectum, hæreſim Græcanicam de proceſſione Spiritus ſancti, tribus totis annis publice exagitaſſe, nemine reſiſtente, donec Palamam quemdam Græci illi opponerent: cum Barlaamus, potius (ait Pont.) pro Græcis contra Latin.





ſcripſerit, proceſſionemq; Spiritus S. ex filio ex mente Græcorum impugnauerit. Cæterum pace eruditi viri dixerim; tantum abeſt, vt Barlaamus, nihil de proceſſione Spiritus S. ex filio tunc egerit, aut in gratiam Græcorum aliquid vel dixerit, vel ſcripſerit, vel potius ſtrenue, & ſcriptis, & dictis, Catholicæ Romanæ Eccleſiæ dogma propugnauerit, datiſq; literis, (quas ſuperioribus annis inſeruimus) Spiritum S. ex Patre & Filio tanquam ex vno principio procedere docuerit: adeoq; in odium Græcorum ſchiſmaticorum incurrerit, vt illi etiamnum, in ſuo quod appellant triodio, Barlaami Monachi nomen deteſtentur, atq; diris omnibus deuoueant. Opera quæ nomine Barlaami, contra primatum Romanæ Eccleſiæ, & aduerſus proceſſionem Spiritus S. ex Filio, circumferuntur, damnataq; ſunt ex canone; alicuius impoſtoris eſſe non nemo iudicauerit, qui ſuperius à me commemorata in mentem ſibi aduocauerit. Sed hæc ſufficiant de Barlaamo, Benedicti Pontificis Apocriſiario.

IX. BENED. AVLAM PONT. AC QVOSDAM ORDINES RELIGIOSORVM REFORMAT.

Fere per idem temporis, Benedictus Pontifex, multa pro reformatione aulæ Palatinæ ordinauit: inter quæ fuit, vt Capellani ſui horas Canonicas cum notis recitarent, & in vno dormitorio omnes dormirent, nec alios reditus, quam menſæ Pontificiæ victum & veſtitum haberent. Conſiderans vero à multis religioſis, ſanctorum ſtatuta primœua & ordinum regulas, ex inſolentia vel deſidia negligi; humeriſq; ſuis ſentiens reformationis eorum onus incumbere, more galli ſeipſum prius alis excutiens antequam cantaret, & à perfecta charitate non diſcrepans, S. Benedicti, & Ciſtercienſium nec non D. Franciſci ordines, reformandos ſuſcepit, & conſtitutiones nonnullas eorum inſtituto valde accommodas ad perpetuam rei memoriam ordinauit. *Magn. Chron. Belgicum.*

X. BENED. ERGA ORD. PRÆDIC. NON ITA BENE AFFECTVS.

Conabatur & Prædicatorii ordinis, leges, inſtituta, & conſuetudines mutare, & rigorem eius religionis nonnihil temperare, vel potius inuertere. Quod enim illi hactenus nullas poſſeſſiones in agris & facultatibus terrenis obtinerent, ſed ex paupertatis voto non niſi quotidiana hominum pietate viuerent; & ea propter pro temporalibus ſpiritualia rependentes, oppidatim & vicatim concionibus dicendis, & ſacris confeſſionibus excipiendis operam darent: in maligniores quoſdam ex clero, hæreſis ab Alexandro IV. damnatæ ſectarios incurrerunt, quibus ex veterato odio viſum, vt fratres Dominicani clauſtris perpetuis, modico aliquo reditu contenti viuerent, nec vſpiam prodirent, nec ſalutem animarum curarent, neq; negotia fidei aut tractarent, aut tuerentur. Tantum vero apud Benedictum Pontificem nitebantur, vt vel hæc ſaltem ſtatuerit; ne conciones ad populum promiſcue haberent: ne pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrarent; ne mendicato paſſim victum quærerent. Ne in poſterum, niſi paucos, quibus alendis reditus certi vniuſcuiuſq; monaſterii ſatis eſſent, ad religionem admitterent: neue præter deſignandum in quocumq; monaſterio numerum, alios fratres ſuſciperent. Præerat tunc temporis ſodalitio Dominicano Magiſter Generalis Hugo Campanus, qui ſupplicationibus publicis priuatiſq; in vniuerſo ordine indictis, multiſq; ſui inſtituti Patribus doctiſſimis Auinionem hoc anno euocatis, tantum apud Benedictum, omnia extrema ordini comminantem, egit, vt is necquicquam grauius aduerſum ſe, aut ſuos fratres decreuerit. *Michael. Pius libro ſecundo, de viris illuſtrib. Ordin. Præd.*

XI. FR. MATTHIAS CRACOV. ORATOR AD PONT. AB ORDINE DOMINICANORVM DESTINATVR.

Valentiam prius ad Comitium Generale confluxerant Patres Dominicani, vt in commune conferrent, quid Benedicto inuerſionem ordinis cogitanti, proponerent. Inter eos adfuit Pater Matthias Cracouienſis Prouinciæ Poloniæ qui vel ſolus zelo ardentiſſimo inflammatus, nonnullos in mutationem ſtatus religioſi inclinantes, tum rationibus, tum auctoritate, tum omnibus conatibus à ſententia reuocauit; exque decreto Capituli generalis Auinionem ad Benedictum Pontificem Orator deſtinatus, præpoſteram curam illum ſuſcipere, atq; curare oſtendit. *MS. liber Act. Prouinciæ Poloniæ Ord. Præd.*

XII. EDOVAR. REX ANG. BONORVM ECCLES. RAPTOR.

In Anglia, hoc anno, Edouardus Rex, præter decimationem omnium prouentuum Eccleſiaſticorum in triennium omnibus Eccleſiis impoſitam, etiam confiſcatione bonorum quorundam monaſteriorum Ciſtercienſis ordinis, aliarumq; ditiorum religionum expilatione, ſempiternam nomini ſuo notam infamiæ inuſſit, & cum diuinam vindictam, tum Benedicti Pontificis iuſtam iram in ſe concitauit. *Thomas Valſingam in Edouardo III.*

XIII. BONON. SEDITIONEM EXCITANT. A PONT. EXCOMMVNICANTVR.

In Æmilia, Bononienſes, à Benedicto Pontifice, propter violatum Cardinalem Legatum diris deuoti, hoc ipſo anno, ad primos Iulii dies, armis correptis ſeditioneq; excitata, Bradalem Gonzadinum vrbe eiecerunt, quod is auctor eſſet, vt Legatus Cardinalis, vna cum multis Prælatis & Clero, tam indigne habitus ſit. Gozadino, Tadæum Pepulum Romei filium vrbi præfecerunt; qui non multo poſt Marchionum Areſtinorum fretus auxiliis, Bononiæ tyrannidem affectauit. *Cyprian. Manenti l. 2. hiſt.*

Conabatur Benedictus Pontifex Tadæum, & Senatum populumq; Bononienſem ad mentem ſaniorem reuocare. Cumq; neq; monendo, neq; orando quicquam proficeret, & ille Florentinos quoq; in adiutorium aduocaſſet, octingentoſq; milites præſidiarios vrbi impoſuiſſet, ad ſecundum diem Ianuarii anni ſubſequentis, tam illum, quam omnes auxiliarios anathemate percuſſit, & vrbis ſacra interdixit. *Ioan. Villani l. 11. c. 69.*

SIGNA FVTVRARVM CALAMITATVM.

Apparuerant per id temporis, primis diebus Iunii duæ ſtellę Crinitæ, altera in regione Tauri, Aſconis nomine, altera in ſigno Cancri cœleſtis, Roſæ vocabulo nuncupata. Quatuor menſibus integris, fere vſq; ad meridianam lucem ſingulis diebus conſpiciebantur; prænunciæ calamitatum famis & peſtilentiæ, quibus Deus Bononiam male rebellem inprimis, ac reliquam ſimul Italiam, Galliam, Germaniamq;, propter flagitia caſtigare decernebat. *Villani lib. vndecimo, cap. ſexageſimo ſeptimo.*

XIV. M. ECK. ORD. PRÆDICAT.

Per id temporis in Germania floruit inſignis, Prædicatorii Ordinis Theologus M. Eckardus, cuius extat *inter opuſcula Thauleri*, maximè vtilis hiſtoriola, titulo cōuiuii deſignata, de paupertate ſpiritus, de humilitate, diuino amore, reſignatione, & vnione cum Deo. Digna eſt, quæ in gratiam eorum qui ad ſummam perfectionis aſpirant, aſcribatur. Ita habet.

ECKARDI CONVIVIVM.

*Inſignis iſte Theologus Magiſter Eckardus, vice quadam pauperem quendam, Coloniam Agrippinenſem victus conquirendi gratia acceſſiſſe commemorat. Quem cum Domina quadam apud Rhenum forte inueniſſet, vt ſecum prandere vellet, ipſum ſtudioſe precabatur. Annuente illo, & iam ſimul eis prandentibus, mendicum illum, vt citra pudorem libenter veſceretur, Domina prouocabat. Cui ille, Si nimium comedo, inquit, pecco; ſi minus, ſimiliter delinquo. Medium igitur inter hæc optimum eſt. Manducare ergo ſicut pauper debeo. Et illa: Quid eſt ait pauper? Mendicus reſpondit. Tria ad vitæ pauperem exigi. Primum eſt, vt cunctis vitiis, creaturis, & affectibus naturalibus mortuus ſit in ſeipſo, Deumq; ſolum diligat, obſeruet, illiq; ardenti deſiderio ſeruiat. Quia, quam impoſſibile eſt lapidem ſuſcipere Angelicam ſapientiam, tam impoſſibile eſt Deum ſuſcipi poſſe in tempore, rebuſq; temporariis & corde terreno. Secundum, vt Deo magis ac magis vniri ſemper deſideret, nec vnquam in hoc deſiderio ſatiari queat. Tertium, vt quicquid dicitur & eſt afflictio, paupertas & deſpectio, hoc nulli magis quam ſibi cupiat & optet. Tum illa: Dic mihi, ait, fili chariſſime, quæ eſt paupertas hominis interioris? Et hanc ille ſimiliter in tribus conſiſtere reſpondit. Primum eſt, perfecta ab omnibus extra Deum creaturis abſtractio. Secundum eſt, ſtrenua hominis interioris & exterioris humilitas. Tertium eſt, ſtudioſa deuotio, & mens continue in æternitatem ſublimata. Rurſus illa: Quid eſt, inquit, paupertas ſpiritus? Neq; enim, ait, vnquam ſcire potui, quid pro Dei gloria & hominis ſalute ad paupertatem ſpiritus requiratur. Et mendicus;*

*Verum, ait, Domina mi locuta es. Sed & ipſa paupertas ſpiritus in tribus conſiſtit. Primum eſt, vt quis ſic ſe gerat in hoc tempore, vt nihil ſciat præter ſe & Deum. Secundum, vt Deum extra ſe non requirat, ſed in ipſo Deo in ſe præſente, contempletur æternam ſalutem. Tertium, vt nullum ſpiritale bonum cum proprietate de loco ad locum ſecum ferat, neq; creaturarum imagines, creaturali modo ſecum ad lectum portet, ſed nudo & euacuato corde cubitum pergat. O quam nobilis eſt hæc vita, & quam iucunda quies, ſic pura conſcientia indormire in Deo, tametſi ſuper ſaccum ſtramínium iacueris, dummodo liber & abſolutus ab omnib. diuinis deſideriis fueris.* Tunc Domina: Non debet ergo, ait, M. Eckardus *venerabilis pater noſter, concionem ſuam quam facturus eſt, extra cellam ſuam ad ſuggeſtum deferre?* Non: inquit ille. *Hic enim ſpiritus ex vulgo naſcitur: & quo impræmeditatior, eo & acceptior. Tum illa: Plane, ait, haudquaquam mihi de vulgari hominum ſorte eſſe videris. Reſpondit pauper: Sol iſte qui Coloniæ radiat, etiam Pariſienſem illuſtrat ciuitatem. Quod cum illa apertius ſibi dici poſtularet, reſpondit pauper, non id ſui muneris eſſe, quandoquidem Magiſter Eckardus coram adeſſet. Tunc itaq; M. Eckardus: Quiſquis, inquit, veritate intus deſtitutus eſt, foris eam diligat, & ſic eam intus inueniet.* Tum Domina: *Abunde, ait, iſtud mihi prandium compenſatum eſt. Et ille; Tuum igitur, inquit, ſic Domina mi, vinum quo vſi ſumus rependere. Et Domina; Libeter, ait, plures adhuc quæſtiones mouerem. Obſecro igitur vt dicas mihi; vnde quis operâ Spiritus S. in anima ſua cognoſcere debeat. Reſpondit ille, quod ex tribus illa cognoſcantur. Primum eſt, ſi indies corporales res atq; delectationes, amorq; naturalis in ipſo decreſcant. Secundum, ſi continue in diuino creſcat amore & gratia. Tertium, ſi ex amore & ſtrenuitate quadam ad benefaciendum proximis ſuis, quam ſibi ipſi propenſior ſit. Et vnde, ait illa, bonus quiſq; ſcire poterit, num in oratione vel exercitio ſuo Deus ſibi præſens adſit? Hoc, inquit ille, ſimiliter ex tribus intelligi poteſt. Primo, ex obiecto illo, quod electis ſuis Deus impendere ſolet, quod eſt ſæculi contemptus, & ad ſufferenda quælibet aduerſa animi promptitudo. Secundo, ex gratiæ augmento, quod pro mutui inter Deum & ipſum amoris magnitudine præſtatur. Tertio, ex hoc quod nunquam Deus ab homine diſcedit, quin nouam ei veritatis demonſtret viam. Rurſus illa: Vnde quæſo, ait, ſciri poteſt, ſi cuncta hominibus opera pro gratiſſima Dei voluntate fiant? Ex tribus, inquit ille. Primum eſt ſi perpetuam habet conſcientiæ puritatem. Secundum, ſi ſe nunquam extra Dei vnionem auertat. Tertium, ſi pater cæleſtis ſuum in ipſo filium pariat inceſſanter.* Tum vero M. Eckardus: *Plane, inquit, ſi nunc debitum omne tam integre ſolutum foret, vt hoc, quo vſi ſumus vinum, plures animæ iam cœli intereſſent gaudiis, quæ etiamnum flammis purgatorii exuruntur. Ait pauper; Quod iam deinceps exoluendum eſt, M. Eckardo incumbit. Ille vero reſpondit, Seniori pro ætate deferendum eſſe. Et pauper; Sine, ait, dilectionem operari. Nam ſine accidente operatur.* Et Domina ad pauperem: *Dic mihi, inquit, pater, vnde ſcire quis poterit, ſe patris cæleſtis filium eſſe? Reſpondit pauper: ex tribus: Primum eſt, ſi cuncta opera ſua ex Dei amore perficiat. Secundum, vt cum humili reſignatione omnia æqualiter de manu Domini ſuſcipiat. Tertium, vt ſpem atq; fiduciam ſuam finaliter in ſolo Deo conſtituat. His dictis, ſic M. Eckardum pauper affatus eſt; Dic mihi pater, vnde auertere licet, ſi virtus in aliquo iuxta ſupremam excellentiam ſuam operetur. Cui M. Eckardus in hæc verba reſpondit; Fili chariſſime: Æterna veritatis diſcipulus & indagator ita viuere debet, vt quicquid auditu percipit, moribus & vita exprimat: ſicq; diſpoſitus erit, vt nihil amplius poſſideat, quam verbis poſſit exprimere. Præſtet hæc nobis miſericordia Dei noſtri Amen.* Hæc quidem Ioannes Thaulerus, de Eckardi conuiuio memorabat. Neſcio, an ipſum quoq; inſinuabat, in eo colloquio Theologi & mendici, in quo præclariſſimum quoddam exemplum hominis perfecti repræſentat.

THAVLERI DE ISTO CONVIVIO RELATIO.

*Fuit, inquit, Thaulerus, olim inſignis quidam Theologus, qui annis 8. precibus continuis à Domino id cupiebat obtinere, vt ipſi hominem quendam oſtenderet, qui eum viam veritatis edoceret. Cumq; vice quadam vehementiſſimo huius rei deſiderio flagraret, vox quædam cœlitus lapſa, ita ipſum allocuta eſt; Exi foras ad limina templi, & offendes illic hominem, qui te viam veritatis edoceat. Exiens igitur, inuenit mendicum quendam, diruptis, ſordidis, lutoſis pedibus, cuius veſtes in vniuerſum vix tribus obolis ſupputares: quem ſalutans, ita affatus eſt. Det tibi Deus proſperum mane. Reſpondit mendicus; Non memini me vnquam aduerſum mane habuiſſe. Et Magiſter: Eia, inquit, vt fortunatum te faciat Deus, quid ita loqueris? Reſpondit pauper; ſed nec infortunatus aliquando fui. Et ille; Fœlix eſto, ait; quid ſibi hæc tua verba volunt? Et pauper; Nunquam, ait, infelix fui. Rurſus itaq; Magiſter: Saluet, inquit, te Deus; iam nunc apertius loquere, neq; enim capio quid dicas. Tum pauper reſpondit: libenter id faciam. Optabas mihi Domine Magiſter proſperum mane, & ego nunquam me aduerſum mane habuiſſe reſpondi. Quando enim fame premor, Deum laudo. Si frigus patior, ſi grando, ſi nix, ſi pluuia cadit, ſi aura ſerena eſt vel turbulenta, Deum laudo. Si miſer ſum atq; deſpectus, Deum ſimiliter laudo: & ideo nunquam triſte mane mihi contigit. Optabas etiam fortunatum me fieri; & ego nunquam me infortunatum fuiſſe reſpondi. Noui enim cum Deo viuere, certuſq; ſum, quicquid ille facit, non poſſe non eſſe optimum. Vnde quicquid ipſe vel dabat, vel euenire mihi permittebat, ſiue id gratum eſſet, ſiue contrarium, dulce vel amarum, lætus id tanquam optimum ab ipſo ſuſcepi; & ideo nunquam infortunatus fui. Dicebas præterea, vt felicem me faceret Deus, ad quod ego ſimiliter, nunquam me infelicem fuiſſe ſubiunxi. Soli namq; diuinæ inhærere voluntati ſtatui, in quam ſic integre omnem meam transfudi voluntatem, vt quicquid ille vult, & ego velim. Et hac de cauſa nunquam infelix fui; cum, vt dixi, illius duntaxat voluntati inhærere velim, & meam ipſe voluntatem ex integro reſignarim. Hæc cum mendicus ille retuliſſet, ita eum rurſus Magiſter affatus eſt: Quid obſecro dicturus eſſes, ſi te Dominus maieſtatis in abyſſum demergere vellet? Et ille; In abyſſum, inquit me demergeret? Et reuera ſi id faceret, duo mihi brachia ſunt, in quibus eum amplexarer. Vnum eſt vera humilitas; & hoc illi ſuppono, atq; per ipſum ſacratiſſimæ humanitati ipſius vnitus ſum. Alterum, idemq; dextrum, eſt amor, qui diuinitati ipſius vnitus eſt, atq; per hunc ipſum circumplector, ita vt mecum ad infernum deſcendere cogeretur. Optatius autem multo mihi foret, in inferno cum Deo eſſe, quam vel in cœlis ſine illo. Ex his igitur, Magiſter ille didicit, veram reſignationem cum humilitate profunda, compendioſiſſimam ad Deum ſemitam eſſe. Dehinc iterum ex illo mendico percontatus eſt, vnde veniſſet. Cui ille à Deo ſe veniſſe reſpondit. Cumq; Magiſter, vbi Deum reperiſſet ſciſcitaretur; Ibi, inquit ille, vbi omnes creaturas dereliqui. Et Magiſter: Vbi vero, ait, Deum reliquiſti? Reſpondet pariter: In mundis cordibus & hominibus bonæ voluntatis. Et Magiſter: Quiſnam, ait, es tu? Reſpondit ille, ſe Regem eſſe. Sciſcitante Magiſtro, vbi nam eſſet Regnum ipſius? In anima ſua id eſſe, reſpondit. Sic enim, ait, & internos ſenſus meos regere noui, vt cuncta affectiones & vires meæ animæ mihi ſubditæ ſint. Quod profecto regnum cunctis mundi huius regnis præſtantius eſſe, nullus ambigit. Et rurſus Magiſter; Quid, inquit, ad hanc perfectionem te adduxit? Reſpondit pauper: nimirum ſilentium meum, ſublimes meditationes, & vnio cum Deo. In nulla re, quæ Deo minor foret, quieſcere potui. Iam v. Deum meum inueni, & in ipſo pacem & quietem habeo ſempiternam, Amen.* Ex opuſc. Ioan. Thauleri.

XV. HENRIC. SVSO ORD. PRÆD.

Eadem fere tempeſtate viuebat Henricus Suſonis, vir ſanctitatis eximiæ, Prædicatorum Ordinem ipſe quoq; profeſſus, cuius eſt hæc aurea cuidam in extremis laboranti, epiſtola ſcripta: non indigna ſane, quæ ab omnibus quam ſæpiſſime legatur, qui animo imperterrito mortem excipere volunt & cupiunt. Ita habet.

EIVS AD MORIBVNDVM EPISTOLA.

*Abſolon fili mi; Quis mihi det, vt ego moriar pro te? Quis, inquam, fili chariſſime, det mihi amantiſſimo in Chriſto patri tuo, vt moriar pro te optimæ ſpei filio meo? Certe, etſi corpore non licet mori, tamen corde morior tecum fili cordis mei. Corpore quidem procul abſum à te, ſed animus meus adſtat tibi moribundo, idq; acerbis cum lachrymis, piiſq; ac amantiſſimis querimoniis. Quæſo te, porrige mihi ægras manus tuas. Quid ſi ita viſum eſt Deo, vt moriaris, firmiter retine fidem Catholicam, & lætus moriaris. Gaudeas pulcherrimam animam tuam (quæ eſt purus, rationalis, ac Deiformis ſpiritus) ab hoc anguſto, miſero, & graui carcere abſoluendam, ac deinceps ſine vllo impedimento ſua beatitudine feliciſſime perfruituram. Namq; ipſe, Dominus ait: Non videbit me homo, & viuet. Vnum eſt, quod multos inexpertos in morte perterrere ſolet, eiſq; mortem adfert acerbam, & anxiam, id videlicet, quod dum præteritos annos diſſolutamq; & male tranſactam vitam ſuam reducunt ob oculos, grandi ſe debito Deo obligatos ſentiunt, neq; in illa hora ſatis*

perſpi-



*perſpiciunt, quid ad id facere debeant. Sed hac in parte, certum tibi præſtabo conſilium, ex diuinis litteris, & ipſa veritate petitum, vt hinc poſſis omnino ſecurus euadere. Siquidem in diebus tuis perperam te vixiſſe noſti, ſicut pauci à vitiis immunes viuunt inde non nimium in extrema hora terreri debes: poſtquam Sacramentis Eccleſiæ munitus, ſi ea commode poſſis obtinere, Crucifixi imaginem tibi ob oculos ſtatuas, eamq; intuearis, & tuo apprimas pectori, atq; in ſanguinolenta immenſæ miſericordiæ eius vulnera te reclina, obſecrans eum, vt in cruentis vulneribus ſuis, diuina virtute ſua cuncta peccata tua abluat, pro ſua laude & tua indigentia, vel neceſſitate: ac deinde, fide mea ſecurus eſto, iuxta Eccleſiæ Catholicæ fidem, quæ nulla ratione fallere poteſt, ſi id firmiter ita poſſis agere, à cunctis te vitiis penitus abſolutum eſſe, & hilariter poſſe mortem oppetere.*

*Eſt inſuper aliud quiddam, quod in mortis hora conſiderare debeas, vti mortem ipſam eo magis poſſis contemnere. Regio quædam eſt, cuius ea (vt fertur) conſuetudo eſt, vt dum quiſpiam naſcitur, omnes cognati eius conueniant, acerboſq; edant ploratus, & male ſe habeant; dum vero quis moritur, rideant, & omnigenis ſeſe recreent gaudiis; idq; hac ſignificatione, nemine ſcire quanta miſeria homini perferenda ſit; atq; ita lugent naſcente homine; & quia ea morte finitur, gaudent homine moriente. Et reuera ſi quis bene perpendat; hominis natiuitas, quæ in hunc miſerum editur mundum, iure meritoq; mors dici poteſt, propter calamitates, miſerias & labores illum manentes: contra vero mors corporis merito noua poteſt natiuitas appellari, ob grauis & moleſti corporis abiectionẽ, & liberum in æternam vitam acceſſum & introitum. Qui oculos bene apertos habet, ad hæc prope agnoſcenda, is facile moritur.*

*Qui autem hæc videre non poteſt, is ingenti cum querimonia, & magna incertæ mortis acerbitate decedit. Vide obſecro, quæ ſit mundi huius calamitas, quæ cruces, quæ afflictiones, quæ anguſtiæ & neceſſitates vndiq; exiſtant: & ſi nihil aliud eſſet, quam metus pro corpore & anima nos ſollicitans, mutabiliſq; huius mundi inconſtantia, merito hinc exire appeteremus. Si quid cui proſperum eueniat, rurſus decem triſtia & aduerſa occurrunt. Multi ſunt, qui, ſi quis ex eis ſciſcitetur, dicturi ſunt, ſe nullum vnquã in hac vita lætum duxiſſe diem. Mundus plenus eſt laqueis, imposturis & infidelitate, nec quiſquam alteri fidere poteſt; ſiquidem omnes quæ ſua ſunt quærunt. Si quis igitur ea cauſa diutius viuere appetat, vt plura ſibi poſſet coaceruare merita; id quidem valde incertum eſt, vtrum merita, vel potius debita ſibi cumulaturus ſit.*

*Abunde multum præmii habet, quiſquis iucundiſſimam ſpecioſi forma præ filiis hominum faciem ſemper contemplabitur, & gratiſſima ciuium cœleſtium ſocietate perfruitur. Si mortis hora dolet, & acerba eſt, tamen quandoq; ferenda eſt. Nemo vnquam à lege mortis exceptus eſt. Itaq; qui non eſt hodie, cras forte multo minus aptus, & paratus erit. Plerumq; cum ætate etiam peccata augentur, multoq; plures, deteriores fiunt, quam meliores. Si præſens mors amara eſt, tamen omni amaritudini ſemel finem imponit.*

*Age igitur, fili mi, cor, manus & oculos in cœleſtem leua patriam, atq; ex animi affectu eam ſaluta: Reſigna voluntatem tuam in Dei voluntatem, & ſis liber hac in parte. Quicquid ille tecum agere volet, ſiue ſit ad vitam, ſiue ad mortem, id tanquam optimum de illius manib. accipe, etiamſi id hac vice fortaſſis non agnoſcas. Noli timere, en S. Angeli tibi aſſiſtunt, teq; vndiq; cingunt, & circumuallant; & benigniſſimus ac miſericordiſſimus Deus pluſquam paterno affectu ex cunctis anguſtiis tuis te eripuit, ſi tantum illius benignitati confiſus fueris. Vale.* Hactenus Henricus ad ſubeundam ex animo mortem admonebat. Iohannes Thaulerus, qui etiam hoc anno, in ipſo Præd. Ord. florebat, hęc ſaluberrima conſilia moribundis præſcribebat.

THAVLERI MORIBVNDIS CONSILIA.

*Vbi, inquit, morbum ingraueſcere ſenſeris, & ad extrema deuentum fuerit, ſequere conſilium hoc longe ſaluberrimum. Inprimis piorum ſanctorumque hominum orationes & exhortationes adhibendæ ſunt. Nec parum conducit, tales homines morientibus præſentes adeſſe. Iam pietatis opera, quæ poſt mortem non abſq; fructu homini poſſunt applicari, ſimpliciter conſultius eſt, eadem in mortis neceſſitate conſtituto præſtare; cum alioqui, neque prius quidem, neque poſterius præſidia ſpiritualia æque ſunt illi neceſſaria. Singulariter profuerit & illud, vt huius cenſeri verba dicantur ab infirmo, vel ad aures eius elata voce clamentur: Domine Deus, ego ſum miſer homo ille, quem tu pro paterna bonitate & potentia tua creaſti, propter teipſum & ad teipſum Dn. Ieſu Chriſte, ego ſum ille miſer quem per ignominioſiſſimam & innocentiſſimam mortem tuam redemiſti ab omni poteſtate inimici. Tu ergo ſolus imperium & poteſtatem habes ſuper me. Domine Deus, ego ſum homo miſer, quem tu ſaluare potes ſecundum abyſſum miſericordiæ tuæ. Experientia compertum eſt,* aiebat Thaulerus, *& ſanctorum authoritate comprobatur, huiuſcemodi verba morientibus recitata, mirum in modum prodeſſe. Fuit enim vir quidam fide dignus, cui in extremis à ſenſibus alienato, hæc verba in aures inclamabantur, qui ad ſe reuerſus, vidit tres ſibi dæmonum turmas aſſiſtere, ſeq; iam pene ad tartarum fuiſſe religatum. Porro quoties vnum ex ſupradictis tribus verbis proferebatur, vna dæmonum turba aufugit; donec ſimul omnibus prolatis, omnes quoq; dæmonum turbæ recederent, nec eum amplius poterant tentare. Idem ipſe ait, quod cuicunq; verba ſupradicta in aures inclamarentur morituro, aut ab ipſo cogitarentur haudquaquam poſſet perire.*

Hæc & alia plura *Thaulerus, in exhortatione ad felicem mortem.*

XVI.

Eadem tempeſtate Diui Benedicti inſtitutum, duæ ſanctimoniales illuſtrauere. Altera fuit Agnes, Ludouici Bauari, ex Margarita Hollandia, vxore ſecunda filia, à patre, in monaſterio Furſfeldenſi, quod auus eius Ludouicus Dux Bauariæ ædificauerat, Deo oblata, & habitu ante decem & ſeptem annos induta. Altera Iohanna, Caroli Valeſii Regis Aragoniæ deſignati filia, Philippi Galliarum Regis ſoror, atq; Guillelmi III. Holandiæ & Hannoniæ Comitis primum vxor, à morte viri ſui, monaſterium Fontanellæ ingreſſa, indidemq; paulo poſt Abbatiſſæ munere, maxima cum laude defuncta. *Franciſcus Belforeſtus in Coſmographia, in deſcriptione Bauariæ. & Annal. Flandr. auctor. l. 12.*

XVII.

Illuſtrior his, quædam, eiſdem temporibus in oppido Delfft admiranda ſanctitate in Germania floruit, longe digniſſima cuius nomen ad æternitatis memoriam tranſmitteretur. Scriptor Chronicorum Belgicorum, hæc tantum de ea reliquit, quæ ipſiſſimis eius verbis hic adfero.

Eiſdem temporibus contigit in templo Delfft dignum relatione miraculum. Nam matrona quædam adeo feruenter æſtuabat ad Dominicæ paſſionis intuitum, vt ſtigmaticæ carnes in latere, manibus & pedibus ſuis viſibiliter apparerent, & vniuerſi fideles in hoc prodigio Crucifixum Dominum, non immerito collaudarent. *Magnum Chronicon Belgicum, anno 1327.*

XVIII. IACOB. DE VIVIACO ORD. CARTHVS.

Carthuſianorum Ordo, hac tempeſtate Iacobum de Viuiaco generalem habuit: qui amore internę quietis & contemplationis deſiderio, iampridem hanc dignitatis ſarcinam inſtantiſſimis precibus à ſe amouerat. Is quod ſpectatæ probitatis eſſet, iterum ei Ordini præfectus fuit. Sed quis legem dederit amantibus? Adeo namque cordi eius inſederat pulchræ Rachelis aſpectus & floridus amor, vt hanc gloriæ fœcundam diligeret, & Liam lippientem ægerrime ferret. Itaque conuocato priuato Capitulo, non tam importune quam opportune egit, vt à Prioratus officio denuo abſolueretur.

At vero omnipotens Deus, vt oſtenderet ei ſuam importunitatem diſplicuiſſe; quippe, qui iam bis vocatus, ſuas paſcere ouiculas detrectaſſet, tam graui illum animaduerſionis flagello corripuit, vt & ipſe & cæteri omnes noſſent pro ingratitudine fuiſſe percuſſum. Enimuero qui ante potuit aliis ſed noluit auxiliari, poſtea vſque ad mortem per annos plurimos eguit adiutore.

Supra modum tamen in his ſuis calamitatibus, non modo patientiſſimus, ſed & lætiſſimus perſeuerauit. Et erat quidem corpore infirmus, ſed mente robuſtiſſimus. Carne proſtratus, ſed animo in ſuperna porrectus. Iacebat membris, ſed affectionum pedibus cum cælicolis conuerſabatur. Hic vir ita à Deo percuſſus corpore,

& mente

& mente ſanatus, tam eminentis contemplationis, tantæ ſapientiæ, tamq; ſani conſilii ac diſcretionis noſcitur extitiſſe, vt quiſquis aut conſilii, aut ſolatii gratia illum adiret, non hominem ſed quaſi Dei Angelum miraretur. Humbertus Delphinus Viennenſis, multa illum veneratione proſequebatur præ cæteris, quod magna ſanctitate polleret. In qua perſeuerans, & ſuauiſſimo ſine quieſcens, multis poſt mortem miraculis Deus eum illuſtrauit. Erunt forſitan, qui reprehendant, quod nimia humilitate permotus, & internæ quietis gratia, curam animarum effugerit. Ego tamen longiſſime æſtimo præferendum iis, qui attrita fronte, ſuam imperfectionem nolentes aduertere impudenter ambiunt, ſeq; ingerunt non vocati, vt Dei ouibus non tam proſint, quam ſuperbe præſint, cupientes domini appellari, qui ſerui ſunt vitiorum. *Chron. Carthuſien. l. 4.*

XIX. LVDOLPH. SAXO ORDIN. CARTHVSIAN.

Eodem ferme tempore apud eoſdem Carthuſianos floruit Ludolphus, natione Saxo, ex Ordine Prædicatorum, poſt trigeſimum profeſſionis ſuæ annum, ad inſtituta Carthuſianorum translatus, & in Monaſterio Argentinenſi receptus; vir, in ſanctis voluminibus ſtudioſiſſimus, profeſſione ſcholaſticus, ſermone ſimplex, & feruidis quibuſdam affectibus amabilis. Collegit ex Hieronymi, Auguſtini, Caſſiodori & Petri Lombardi ſententiis exactam in Pſalmos expoſitionem, in qua typicos ſenſus maxime ſectatur; non ita tamen vt literalem intelligentiam negligat, addens ad calcem cuiuslibet Pſalmi deuotam & conſonam ipſi Pſalmo precationem operis initium eſt, *ſicut olim manna.* Idem ex quatuor Euangeliſtis vnicam collegit vitæ Chriſti hiſtoriam, quam lucidiſſimis & piiſſimis iuxta quadruplicem ſenſum explanationibus illuſtrauit, adiectis ad finem ſingulorum capitulorum deuotiſſimis orationibus, deſeruientibus præcedentis capituli argumento. Opus incipit, *fundamentum aliud. Xyſtus Senen. lib. 5. Bibliotheca ſancta.*

XX. NEAPOLEON VRSINVS ARCHIEP. MONTIS REGALIS.

Hoc anno, Auinione, diem clauſit extremum, Neapoleon Vrſinus Romanus, ex Canonico Remenſ. Archiepiſcopus Montis Regalis in Sicilia, ab Ioanne XXII. Pontifice Maximo, ante duodecim annos creatus. Fridericus Rex Trinacriæ, in gratiam Ludouici Bauari, cui gens Vrſina multum fuit infeſta, fere ſex annis nec quicquam illum volebat ad Sedem Archiepiſcopalem admittere.

Quamobrem & Neapoleon in incerto hærens, à diaconatus gradu ad ſacerdotalem differebat aſcendere, & Ioannes Pontifex, violatam authoritatem iuriſdictionemq; Romanæ Eccleſiæ in Eccleſiis, totaq; inſula Siciliæ, volebat, continuatis in ſingulos annos pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis vindicare; donec ad quintum diem Februarii, anno M. CCC. XXXI. Fridericus Rex Bauarum deſerere, & Ioanni Pontifici obedire conſtituiſſet, Neapoleonemq; Archiepiſcopum Sedem Montis Regalis conſcendere permiſiſſet. Ipſo illo die, Ioannes Pontifex vniuerſæ Siciliæ ſacra ablata reſtituerat, & interdictum Eccleſiaſticum vſq; ad anni decurſum ſuſpenderat; quod Fridericus Rex, ad humilitatem Sedi Apoſtolicæ exhibendam inclinaret. Mortuus eſt hoc anno Auinione Neapoleon, cum prius facultate teſtandi, ad diem nonum Martii, à Benedicto Pontifice Maximo, impetrata, domui ſuæ bene diſpoſuiſſet. *Ioan. Ludou. Lellus in hiſt. Archiepiſcoporum Montis Regalis.*

XXI. VICTORIA MIRACVLOSA.

Eodem anno Mediolani bello ciuili inter Luchinũ & Ioannem Archiepiſcopum Vicecomites, atq; Lodriſium pariter Vicecomitem, exorto, victoria penes Luchinum & Ioannem ſtetit, non ſine miraculo. In conſpectum hoſtium viſibilem ſe dedit ſanctus Ambroſius eiuſdem vrbis tutelaris, equo inſidens, & flagro aduerſarios Luchini & Ioannis percutiens. Cæſa feruntur ex hoſtili exercitu bis mille ſexcenti. Quo in loco, victores, Baſilicam Diuo Ambroſio excitarunt. diemque vigeſimam primam Februarii ſingulis annis ſolemnem eſſe voluerunt, qua duodecim Proceres Mediolanenſes, vna cum Vicario Vrbico, & vniuerſo clero ac populo ſolenni pompa, & ceremonia, eandem Baſilicam à victoria nuncupatam inuiſerent. *Corius hiſt. Mediol. parte 3.*

XXII. NEFANDA IVDÆORVM IN HOSTIAS SACRAS ATROCITAS.

Hoc ipſo anno, cometes dirus menſibus Iunio, Iulio, Auguſto apparuit, & Iudæi hoſtes pietatis atrociſſimi, cum inter Principes Chriſtianos bellum inteſtinum gliſcere viderent, ad necem Chriſtianorum per vniuerſam Germaniam conſpirarunt. Vnde multos veneno tollere conati ſunt. Multas etiam Sacratas hoſtias furto ablatas furnis ardentibus iniecerunt, incudibus contuderunt, & variis ludibriis affecerunt. Sanguine tunc pluiſſe dicitur, in locis nonnullis, in deteſtationem facinoris Iudaici. Quod ſtatim atq; detectum eſt, Iudæi pœnas dederunt. Per vniuerſas vrbes Germaniæ conquiſiti, in vincula dati, ignibus exuſti.

XXIII. LOCVSTÆ HORRIBILES GERMANIAM DEPOPVLANTVR.

Locuſtarum tum ingens vis ab Oriente erupit, ſenas alas habebant, dentibus inſtar gemmarum nitentibus armatæ erant. Nubium in morem ſolis conſpectum auferebant, longitudine quinq; ac triginta millia paſſuum, latitudine decem occupabant.

Acie inſtructa aera ſulcabant, in terra caſtrametabantur. Vbi annona deficiebat, alio migrabant. Antecurſores vnius diei itinere, explorandis ſtationib. præmittebant; mox legiones ſequebantur. Tres æſtates in Germania quicquid è terra naſci potuit depaſtæ ſunt. Poſt ſupplicationes frequentes, quarto demum anno ciconiarum, graculorum, cornicum, monedularum & huiuſmodi volucrum agmina aduolarunt, atq; illas deuorarunt. *Annal. Baiorum li. 7.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1338.
### BENEDICTI PAP. XII. ANNO 4.

I. ANTISTITES GERMANIÆ LVD. BAVAR. BENEDICTO CONCILIARE QVÆRVNT.

GERMANIÆ Antiſtites, nihil magis hoc anno curarunt, quam vt Ludouicum Bauarum, ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, & Summo Pontifici conciliarent. Itaq; Spiram Conuentu indicto, Ludouico auctores fuerunt, vt is omnia ſe ex ſententia Benedicti Pontificis facturum, in ſe reciperit, & Legatos ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutione obtinenda, ab Epiſcopis deſtinatos, ire permiſerit, & cauſæ ſuæ Procuratores eſſe iuſſerit, Ea omnia perſcribebant Antiſtites, Benedicto, his iſtis verbis, quæ adiungo.

TENOR EPISTOLÆ ANTISTITVM AD BENEDICTVM.

*Sanctiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino ſuo, D. Benedicto ſacroſanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Henricus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Moguntinus, Lupoldus Babenbergenſ. Ioannes Baſilienſ. Bertoldus Argentinen. Henricus Eyſtetenſ. Bernhardus Paderburnenſ. Vlricus Curienſ. Otto Herbipolenſ. ac Gherardus Spirenſ. & Henricus Auguſtenſ. Eccleſiarum electi, cum omnimoda ſubiectione, humilitate & reuerentia, ſeipſos ad pedum oſcula Beatorum.*

*Cum iam dudum ex miſerabili diſſidio inter ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, ac Dominum Ludouicum de Bauaria Chriſtiani populi peccatis exigentibus ſuſcitato, in Regno & Imperio Romanorum, & præcipue in prouincia Maguntina, grandium & diuerſarum turbationum tempeſtates emerſerint, ac Eccleſiis, Eccleſiaſticiſq; perſonis, nec non animabus hominum, quod grauius eſt ferendum, Regni & Imperii prædictorum innumerabilia prouenerint detrimenta, & quotidie maiora & plura prioribus occaſione diſſidii huiuſmodi ſint, vt ex veriſimilibus coniecturis colligitur ac præſumitur prouentura: Nos grandes & acerbas ex hoc puncturas in noſtris cordibus non immerito ſentientes, nuper Dominum Ludouicum prædictum, ad ciuitatem Spirenſem Prouinciæ Maguntinæ prædictæ, ſuper hac ſpecialiter noſtris inſtantiuis precibus venire procurauimus, ipſum nos Archiepiſcopus Maguntinus, Argentinenſ. Pæderburnenſ. Epiſcopi, ac Spirenſ. & Auguſtenſ. electi prædicti perſonaliter; Nos vero Babenbergenſ. Baſileen. Eyſteten. & Herbipolen. Epiſcopi, alijs noſtris & Eccleſiarum noſtrarum pro tunc negotiis præpediti, per noſtros ſolennes nuncios, precibus, conſilijs, ac ſalutaribus monitis non ſine magna ſolicitudinis ſtudio exhortantes, vt ipſi ad diuini nominis gloriam, & ad veſtræ Sanctitatis, ipſiuſq; Eccleſiæ Romanæ honorẽ & reuerentiam, nec non ad quietum, & ſalubrem ſtatũ Regni, & Imperij eorundem, velut ad veſtram, & eiuſdem Eccleſ. Romanæ, ſanctæq; Sedis Apoſtolicæ gratiam cum deuotione redire, ſe veſtris, & ipſius Eccleſiæ, dictæq; Sedis Apoſtolicæ beneplacitis humiliter per omnia conformando. Qui modica deliberatione præhabita ſe velle ſtare, ac parere ſuper materia præfati diſſidij, ac omnibus ipſum diſſidium contingentibus, informationi & ordinationi noſtræ in quantum cum Deo, iuſtitia & honore ſuo fieri poſſet, efficaciter repromiſit, ſuas patentes ſuper hoc literas maiori ſuo ſigillo munitas ſuper poteſtate huiuſmodi tradita nobis dando cautiones iuratorias, ac fideiuſſorias Magnorum & plurium Principum & Baronum nobis ſuper hoc nihilominus offerendo. Clementiſſimam igitur veſtram Beatitudinem, omni qua valemus precum inſtantia, deuote ac humiliter imploramus, quatenus redeundi ad gremium S. Matris Eccleſiæ promptitudinem ipſius Domini Ludouici, qui ſuper materia diſſidij huiuſmodi ordinationi Eccleſiaſticarum perſonarum duntaxat ſe ſubmittere non expauit, præmiſſis quoq; turbationibus, diſpendijs & periculis ſpecialiter Eccleſijs & perſonis Eccleſiaſticis, vt præmittitur, imminentibus, per veſtræ Sanctitatis prouidentiam, paternis affectibus ponderatis, prædictum Dominum Ludouicum ad reconciliationis gratiam ſub modo præmiſſo, veſtræ ſolitæ benignitatis clementia recipere nõ recuſet: partes Regni & Imperij prædictorum, ac præcipue Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas earundem partium, de periculis, ærumnis, & laboribus prætactis ad ſtatum optatæ quietis per reconciliationem huiuſmodi reducentes.*

*Verum quia ad omnia & ſingula præmiſſa, & ea contingentia, plene ac pacifice ſcribendi ſcedula non ſufficeret, nos venerabilem Patrem Dominum Vlricum Curienſis Eccleſiæ Epiſcopum, & ſpectabilem virum Gerlacum Comitem de Naſſauu de præmiſſis pleniſſime informatos, ad pedes veſtræ Beatitudinis duximus fiducialiter deſtinandos, eandem veſtram Beatitudinem ex intimis noſtris affectibus exorantes, quatenus eiſdem ſuper iis fidem adhibere dignemini creditiuam. Datum Spiræ, die* XXVII. *menſis Martij. Anno Dom. M. CCC. XXXVIII.*

II. Hæc Benedicto Pontifici, Germaniæ Antiſtites pro Ludouico ſcribebant. Agebant tunc Auinione apud Apoſtolicam Sedem, Oratores, Robertus Dux Bauariæ Comes Palatinus Rheni, & Conradus Iuliacenſis Comes, à Ludouico deſtinati, qui quod nonnulla cauſarentur Ludouici ſecretiora conſilia, neque ſe plenaria poteſtate præditos eſſe oſtenderent, miſit Benedictus Arnaldum Verdalanum ad Ludouicum, vt ei ſecretum iſtud aperiret, plenamque poteſtatem ſtabilendi cõcederet. Eum Ludouicus plurimo tempore apud ſe detinuit, ac propterea benignitati Apoſtolicæ obicem oppoſuit. Namque Benedictus, nihil magis optabat, quam vt tranquillatis rebus, Luodouico Imperium decerneret. Huic enim rei, Philippum Regem Galliarum, quamquam reluctantem induxit, vt is ad tractandum negotium, nuncios quoque ſuos prima die Aprilis Auinione apud Sedem Apoſtolicam comparere præceperit; & in ſignum prompti animi, ad III. Cal. April. Dominica quam Lætare appellamus, poſt miſſarum ſolemnia, Roſam auream benedictam, Roberto Duci Bauariæ, nepoti ex F. Ludouici miſerit; nõ obſcura ſignificatione ſe cupientem Ludouici honoris atque dignitatis eſſe. *Ptolem. in Bened.* XII. *& Regeſtr. Bened. hoc anno.*

BENEDICTVS ROBERTO BAVARIÆ DVCI ROSAM MITTIT.

III. LVDOVICVS ADVERSVS PONT. INSVRGIT ET ANTIPAPAM IN GERMAN CONSTITVIT.

Porro Ludouicus, nec quicquam benignitati Apoſtolicæ gratus; hæc omnia argumenta beneuolentiæ contempſit, & Francofordiam Comitio indicto, Imperij adminiſtrationem magis ac magis exercere cœpit. Inprimis enim Edouardo Regi Angliæ apud ſe præſenti, titulum Vicarij Imperij confirmauit, & Cameracum in Regis Galliarum Philippi poteſtate obſidere præcepit. Mox Reynaldum Comitem Gelriæ & VVilhelmũ Comitem Iuliacenſem, illum Ducem, hunc Marchionem creauit. *Richard. Ciſterc. in Bened.* XII.

Horum & aliorum principum auxilio fretus, aperte aduerſus Benedictum Pontificem inſurrexit, & Antipapam denuo, quem titulo ſummi Patriarchæ nuncupauerat, in Germania conſtituit, Eccleſias Alemaniæ ſchiſmate ab Eccleſia Romana, quemadmodum auctor eſt Corius hiſt. parte 3. diuidere conatus fuit. Haſque malè ſanæ mentis indices publicauit. Placuit eas ad innocentiam Pontificum vindicandam inſerere. Ita habent apud Hieronymum Balbum Epiſcopum Gurcenſem, in libro de Coronatione ad Carolum V. Imperatorem, pag. 65.

IV. CONSTITVTIO LVDOV. BAVARI DE IMP. DIGNITATE CONTRA PONTIF. POTESTATEM.

*Licet iura vtriuſque teſtamenti manifeſte declarent, Imperialem dignitatem & poteſtatem immediate in filio Dei ab antiquo proceſſiſſe, & Deum per Imperatorem & Reges mundi iura humano generi aperte tribuiſſe; & quod Imperator ex ſola electione eorum ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicuius alterius eget confirmatione ſeu approbatione quoniam in terris quoad temporalia non habet ſuperiorem, ſed eidem gentes ſubſunt & nationes: & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus mandauit, quæ ſunt Dei, Deo, & quæ ſunt Cæſaris, Cæſari reddenda: Quia tamen nonnulli auaritia & ambitionis cæcitate deuicti, & nullius ſcripturæ intelligentiam habentes, ſed diuertentes à tramite recti ſenſus in quædam iniqua & praua commenta & in aſſertiones deteſtabiles prorumpunt, contra poteſtatem & auctoritatem Imperialem, & iura Imperatorum, Electorum, & aliorum Principum, & Imperij fidelium [illegible] fallaciter aſſerentes: Quod Imperialis dignitas ac poteſtas [illegible] à Papa: & quod electus in Imperatorem, non eſt verus Imperator, nec Rex, niſi prius per Papam, ſiue Sedem Apoſtolicam confirmetur, approbetur, & coronetur. Et per huiuſmodi prauas aſſertiones & peſtifera dogmata, hoſtis antiquus [illegible], iurgia ſuſcitat, contentiones parit, & ſeditiones [illegible]. Ideo ad tantum malum euitandum, de conſilio [illegible] Electorum & aliorum Principum Imperij declaramus [illegible] Imperialis dignitas & poteſtas eſt immediate à ſolo [illegible] quod de iure, & Imperij conſuetudine antiquitus approbata, poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem ſiue Regem ab Electoribus Imperij concorditer, vel maiori parte eorundem, ſtatim ex ſola electione eſt Rex verus & Imperator Romanorum cenſendus & nominandus: & eidem debet, ab omnibus Imperio ſubiectis obediri. Et adminiſtrandi iura Imperij, & cætera faciendi, quæ ad imperatorem verum pertinent, plenariam habet poteſtatem: nec Papæ, ſiue Sedis Apoſtolicæ, aut alicuius alterius approbatione, confirmatione, auctoritate indiget vel conſenſu. Et eapropter hac, hæc in perpetuum valitura lege decernimus, vt electus in Imperatorem concorditer, vel à maiori parte electorum, ex ſola electione cenſeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore & eidem ab omnibus ſubiectis Imperio debeat obediri, & adminiſtrationem, & iuriſdictionem Imperialem, & Imperialis poteſtatis plenitudinem habeat, & habere ac obtinere ab omnibus cenſeatur, & firmiter aſſeratur. Quicumque autem contra hæc declarata decreta, vel definita aut aliquid eorum aſſerere, ſeu dicere, aut aſſerentibus ſeu dicentibus conſentire, vel eorum mandatis, vel litteris, vel præceptis obedire præſumpſerint, eos omnibus feudis quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratijs, iuriſdictionibus, priuilegijs & immunitatibus à nobis vel prædeceſſoribus noſtris eis conceſſis ex nunc priuamus, & ipſo iure & facto decernimus eſſe priuatos.*

*Inſuper eos crimen læſæ maieſtatis decernimus incurriſſe, & pœnis omnibus impoſitis, crimen læſæ maieſtatis committentibus, ſubiacere. Datum in oppido noſtro de Frankenfurt, die* VIII. mensis Auguſti, anno Dom. M. CCC. XXXVIII.

V. LVPOLDVS BAMBERGENSIS INTRVSVS SCRIPSIT CONTRA PONT. DE IVRIBVS IMPERII.

Hactenus Ludou. Bauar. ſed non tam Ludou. Bauar. quam Epiſc. Lupol. Bamberg. partim dolo, partim violentia in Epiſcopatum intruſus faciebat: quemadmodum hoſtis Romanorum Pontificum Illyricus in Catalago teſtium ſuæ veritatis inſinuat, vel potius aſſeuerat. Is enim diſerte iſta ſcripſit.

*Lupoldus, inter alia ſcripſit de iuribus Imperij contra Papam: præcipue autem haſce ſententias defendit; Cæſarem, ſtatim poſt ſuam electionem habere integram poteſtatem adminiſtrandi Imperij. Nihil ei accedere ex coronatione Papa non eſſe feudata*

*datarium Papæ, nec iurare, vt vaſallum: denique & donationem Conſtantini adductis contrarijs opinionibus oppugnauit: ſimul & varias aduerſariorum obiectiones ſoluit. Itaque factum vt inter Germaniæ proceres, ob variam rerum prudentiam, in magna exiſtimatione fuerit.* Hactenus Illyricus. Res itaque eſt, Lupoldum, Romanis Pontificibus, quod intruſionem ſuam non probarent, non vſquequaque æquum, tam Ludouicum Bauarum, ad eam conſtitutionem ſanciendam, quam Principes quoſdam Electores ad ſubſequentem quam adiungo epiſtolam ſcribendam impuliſſe, vel proprio pollice exaraſſe. Ad eum modum, in Annalibus Rebdorfij, Electores Principes diebus XXIV. ante Comitium Francofordienſe Benedicto Pontifici ſcribebant.

## Epiſtola Electorum ad Papam Benedictum XII. ſuper Ludouico.

Sanctiſsimo in Chriſto Patri ac Domino, Domino Benedicto Papæ, veſtri deuoti filij, Henricus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Moguntinenſis, Electorum Principum Decanus, nec non per Germaniam ſacri Imperij Archicancellarius; Balduinus Archiepiſcopus Treuerenſis, Cancellarius Galliæ: Vvalramus Archiepiſcopus Colonienſis, Cancellarius Italiæ; Vvaldemarus Marchio Brandeburgenſis, Camerarius: Rudolphus Palatinus Dapifer Rudolphus Dux Saxoniæ, portitor enſis, Roman. Regis & coronandi Imp. legitimi Electores,

*Grauamur non modice, & turbamur ex intimis, cum reuerendam ſacroſanctam Romanam Eccleſiam matrem noſtram, & ipſius ſummos Pontifices, quibus reuerentiam & honorem exhibere volumus promptis & deuotis animis omni vice, ac ſacroſanctum Imperium & Imperatores ſeu Reges ipſius, quorum defenſio ad nos, ac omnes alios Coelectores noſtros præ cæteris mundi Principibus ſpecialiter pertinere dignoſcitur, ſicut temporibus præſentibus videmus ad inuicem diſcordare. Nam ex hoc non potuerunt ſibi & populo Chriſtiano proficere, & prodeſſe, & prout eſt diuinitus inſtitutum, ſibi mutuo ſuffragari. Propter quæ in diuerſis mundi partibus, prouincijs & terris, ipſis regendas, gubernandas, commiſſis, innumera execrabilia pericula animarum, perſonarum & rerum, & diuerſa ſcandala in Dei Eccleſia, (quod dolenter referimus) ſunt ſuborta: & maiora præſumuntur futuris temporibus, quæ ad plenum dici nequeunt vel conſcribi, certitudinaliter ſuboriri; quæ ſubmoueri nõ poſſunt, niſi vtraque poteſtas contenta ſit ſuis iuribus & conſuetudinibus hactenus obſeruatis, & reformentur, quæ vna contra aliam attentauit.*

*Sanctitati veſtræ cum omni deuotione, & in modum quem poſſumus meliorem & humiliorem referimus bono zelo, quod ſuper præmiſſis, & ad conſulendum & prouidendum ſacroſancto Romano Imperio, cuius iura, honores, bona, libertates & conſuetudines proſtrata iacent, & à diuerſis perſonis Eccleſiaſticis & ſecularibus ſunt & fuerunt hactenus in graue præiudicium dicti Imperij inuaſa, occupata & multipliciter conculcata, XV. menſis Iulij, Anni XXXVIII. in Reinſe, ſuper alueo Rheni (vbi Principes Electores ſuper negotijs Imperij tractandis conuenire conſueuerunt ab antiquo) cum alijs omnibus Principibus Electoribus Imperij in vnum fuimus congregati, & diuerſis deliberationibus & conſilijs præmiſſis, ſicut diuinæ gratiæ placuit, omnes vnanimes fuimus, & nullo penitus diſcrepante, pro defenſione & recuperatione iurium, honorum, bonorum, libertatum, conſuetudinum ſacri Romani Imperij, ac totius Chriſtianitatis, ad cuius regimen & defenſionem idem Imperium principaliter ordinatum dignoſcitur, diſpoſuimus & ordinauimus, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, & ſit mauimus iureiurando, per ſacramenta corporaliter à nobis & Coelectoribus noſtris præſtita: quod iura, honores, bona, libertates & conſuetudines dicti Imperij & noſtra, nobis in electione Imperij competentia ex conſuetudine vel de iure, manuteneamus, defendamus, & illibata conſeruemus toto poſſe, & viribus noſtris, contra omnes homines, cuiuſcumque præeminentiæ, dignitatis, ſeu ſtatus exiſtant: & quod hoc non omittemus propter aliqua pericula rerum & perſonarum, aut præcepta, mandata, & proceſſus, per quemcumque, & in quemcumque modum & formam prolati ſint, vel in antea proferantur, contra Imperium & nos, vel Coelectores noſtros, per quæ dicto Imperio, ac nobis & Coelectoribus noſtris in prædictis iuribus, bonis, honoribus, libertatibus & conſuetudinibus præiudicatum ſit, vel in futurum poſſet præiudicium generari.*

*Et tandem ſuper præmiſſo lamentabili deſiderio, & cauſis originalibus, ex quibus ortum dignoſcitur, quod inter ſanctam Romanam Eccleſiam, ac ſacrum Romanum Imperium, & Dominum noſtrum Ludouicum Romanorum Imperatorem, iam longis temporibus diligenti & ſollicita deliberatione præhabita, nos & alij Coelectores noſtri cognouimus, & nobis conſtitit euidenter ex proceſsibus quondam Domini Ioannis Papæ XXII. prædeceſſoris veſtri, quod ipſe primo & poſtea, ſententias excommunicationis & interdicti (ſi ſic dici merentur) ac alias diuerſas ſententias & proceſſus de facto contra Deum, & iuſtitiam, & iuris ordinem fulminauit, contra prædictum Dominum noſtrum, Dominum Ludouicum Romanorum Imperatorem, ac fautores & adhærentes ſibi: qui à maiori parte Principum Electorum fuit rite & rationabiliter in Regem Romanorum electus, in Imperatorem poſtea conſecrandus: quod ſe de adminiſtratione Imperij intromiſit, non approbata per prædictum prædeceſſorem veſtrum ipſius electione, quam in diſcordia aſſeruit celebratam.*

*Per quas ſententias & proceſſus, cum iuri & conſuetudini Imperij præfato Domino noſtro Ludouico, nobis & alijs Electoribus Imperij permaxime derogetur: cum iure caueatur, & conſuetudine, cuius contrarium memoria hominum non exiſtit, ſit rationabiliter introductum, & ſine cuiuſuis contradictione legitime obſeruatum, ſicut etiam in prædicto Parlamento, per nos & alios Coelectores noſtros, præhabita diligenti deliberatione & diſcuſsione, ac conſilio multorum Principum, Comitum, Baronum & Nobilium eſt concorditer declaratum, & ſententialiter diffinitum.*

*Quod vacante Romano Imperio is qui eligitur concorditer, vel à maiori parte Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus eſt habendus, Et quod nec nominatione, approbatione, confirmatione, conſenſu, vel auctoritate ſedis Apoſtolicæ, ſuper adminiſtratione bonorum & iurium Imperij indiget, ſiue titulo Regio aſſumendo: quodque iura & bona Imperij adminiſtrare & gubernare poterit, & de iure & conſuetudine, nulla Sedis Apoſtolicæ ſuper hoc licentia habita vel obtenta.*

*Quare cum Sanctitas veſtra teneatur præ omnibus Regnis mundi defendere iura Imperij, quod ad defenſionem Sedis Apoſtolicæ & totius Fidei Chriſtianæ eſt & cœlitus ordinatum, & ſine cuius ſalubri gubernatione & defenſione non poteſt in opulentia pacis perſiſtere Chriſtianus populus, nec bene colere pacis auctorem: Clementiæ ſanctitatis veſtræ ſupplicamus, cum omni humilitate & reuerentia qua poſſumus & valemus, quatenus ſententias & proceſſus prænotatos, & quicquid exinde ob nos ſecutum eſt, totaliter & penitus reuocetis, tamquam in præiudicium Imperij & iurium ipſius prolatos.*

*Quæ iura illibata pro poſſe ſeruare tenemur, ratione à nobis præſtiti iuramenti, vt obinde in omni obedientia & deuotione Eccleſiæ Romanæ & Sanctitatis veſtræ debeamus deuotioribus animis perpetuo permanere. Et ne ſi ſecus fieret, nos & alij Coelectores noſtri, cum alijs Principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus Alamaniæ cogeremur inuenire & quærere contra eoſdem proceſſus & ſententias, quamuis inuiti, remedia opportuna. Super præmiſſis ad Sanctitatem veſtram tales tranſmittimus quibus, in dicendis & petendis noſtro nomine, fidem veſtram clementiam petimus adhibere.*

VI. BENEDICTVS SENTENTIAS IOAN. XXII. CONTRA LVDOV. PVBLICARI MANDAT.

Hactenus Electores ſcribebant, quemadmodum extat in libro membranaceo Bibliothecæ Palatinæ poſt Chronicon Martini Pœnitentiarij Pontificij; ex quo exſcripſit Rebdorfius.

Eas ipſas literas, cum Benedictus Pontifex accepiſſet, Regi Galliarum & Regi Siciliæ, quid ſibi ex Alemania ſcriptum fuiſſet, ſignificauit. *epiſt.* 130. mox Cardinales aliquot Legatos, qui pacem inter Siciliæ, Anglorum & Galliarum Reges concordiam tentarent deſtinauit. *epiſt.* 397. deinde vt Ioannis XXII. contra Ludouicum



uicum proceſſus & ſententiæ publicarentur, omnibus Prælatis Eccleſiarum præcepit.

Quæ cum vbique magis ratæ haberentur, ipſe inops conſilij aliquos ex Fratribus Minoribus, dudum ab eodem Ioanne Pontifice anathemate damnatos conſuluit, & ex eorum væſano ingenio, decretum quod adiungo, in Comitio Francofurdienſi ſub ſigillo ſuo edidit, & contra proceſſus Ioannis Pontificis euulgauit. Ita habet ad perpetuam illius infamiam, *apud Mutium libr. 24. German. Chronic. & apud Nauclerum Generat. 45. volum. 2.*

VII. INFAME DECRETVM LVDOV. CONTRA PROCESSVS IOAN. XXII. PONT.

*Ludouicus quartus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, vniuerſis & ſingulis Regibus Chriſtianorum, ac Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Presbyteris, quocumque honoris præfulgeant culmine, ac cæteris Eccleſiarum Prælatis, nec non ſæcularibus Principibus, Marchionibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Poteſtatibus, Rectoribus, Iudicibus, Prouincialibus, ciuitatum, terrarum, Romano imperio ſubiectarum, & ipſarũ quibuslibet incolis & habitatoribus, ac omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus gratiam ſuam & omne bonum.*

*Fidem Catholicam, quam ſancta Mater Eccleſia tenet, firmiter credentes fideliter confidentes, & ipſius Eccleſiæ doctrinam in ſacris Canonib. traditam ſequi volentes, quibuſdam allegationib. impugnationib. & oppoſitionibus quæ contra nos & electionem ac promotionem de nobis factam ad culmen dignitatis imperialis, & contra imperialem authoritatem & dignitatem opponuntur, ne ſimplicium corda poßint inficere, duximus in his ſcriptis reſpondendum.*

*Inprimis contra nos & Imperialem autoritatem, dignitatem, poteſtatem, & ius imperij allegatur, quod poteſtas & autoritas imperialis eſt à Papa, & electus in Regem Romanorum ex ſola electione non eſt, nec dici poteſt verus Imperator, nec habet poteſtatem iuriſdictionis antequam inungatur, conſecretur & coronetur à Papa, qui in temporalibus etiam habet plenitudinem poteſtatis.*

*Ad quod reſpondemus, hanc oppoſitionem ſacris Canonibus, iuri ac rationi obuiare, ſicut expreſſe patet* in c. Cum ad verum, &cæt. Si Imperator. 96. diſtin. *vbi habetur, quod nec Imperator iura Pontificatus, nec Pontifex iura Imperij ſibi vſurpare debet. Vbi gloſſa dicit, quod iſtæ poteſtates ſunt diſtinctæ, & quod neutra dependet ab altera. Imperator enim non habet imperium à Papa, ſed à ſolo Deo.* 93. diſtinct. cap. legimus. *vbi text. quod exercitus facit Imperatorem. Et gloſſa ibi dicit, eum verum Imperatorem antequam à Papa confirmetur. Probatur idem* in cap. Quoniam. 10. diſtinct. *quam text. ponit in longum. Infert, quod Papa non habet vtrumque gladium: alioqui, ſi imperium haberetur à Papa, in temporalibus poſſet ad Papam appellari; quod prohibet Alexander Papa dicens; illa temporalia habere ſuam iuriſdictionem,* de appellat. Si duobus, cap. Cauſa hi qui ſi, ſunt leg. ibi glos. facit, & tex. in c. quo iure 8. diſtinct. c. Nouit de iudi. *Ex quibus concludit, quod poteſtas imperialis immediate eſt à Deo, & Imperator ex ſola electione antequam inungatur & coronetur, habet poteſtatem imperialem, nec Papa habet in temporalibus dictam plenitudinem poteſtatis.*

*Secundo obijcitur nobis, quod Ioannes XXII. per ſuos proceſſus caſſauit, ac mandauit electionem de nobis factam, & nos poſtea adminiſtrare non potuiſſe iura imperij, ſed adminiſtratio ad ipſum Papam pertinebat de iure. quæ omnia ſunt contra iura imperij, & contra iura & libertates eorum, ad quos vacante imperio pertinet electio, & contra iura ac libertates Principum Alamaniæ & ſubditorum imperij, & contra conſuetudines ab antiquo rationabiliter introductas. Inſuper proceſſus ſuos, bullas aut litteras quas dicitur per mundum direxiſſe, in quibus aſſerit ſe totam Italiam ab imperio & regno Alamaniæ ſuperaſſe, inſinuans, quod Papa eſt Dominus vniuerſalis, non ſolum in ſpiritualibus ſed etiam in temporalibus, ad quæ omnia duximus reſpondendum.*

*Quod dicti omnes ſui proceſſus, aſſertiones & litteræ, & quæ circa prædicta geſta ſunt atque fuerunt, nulli & nulla, nullius roboris vel momenti ſunt, rationibus infraſcriptis.*

*Prima ratio, quod Papa quantumcumque legitimus, talem poteſtatem in temporalibus, maxime ſuper iura imperij non habeat, clare determinant iura ſupra allegata. Vnde quicquid dictus Ioannes XXII. fecit in prædictis, tamquam à non ſuo iudice factum, nullius fuit roboris vel momenti.* ſecunda quæſtione primo capit. inprimis de iudic. ad ſi clerici, cum ſimil.

*Secunda ratio, ex eo quod dicti proceſſus, immo verius exceſſus, contra nos & in præiudicium enorme noſtri, & illorum qui nos elegerunt, & aliorum Principum Alamaniæ, ac totius imperij, ex notorie falſis cauſis & nullo iuris ordine ſeruato, nobis & aliis quorum intererat abſentibus, & nullo modo legitime citatis emanarunt, ſunt idcirco inualidi, nulli, nullius roboris vel momenti* 3. quæſt. 9. per totum. *Vbi dicitur, quod omnia quæ contra abſentes in omni negotio aut loco aguntur, irrita erunt, nec aliquam obtinent firmitatem.*

*Non obſtat autem, ſi dicatur dictus Ioannes Auinione exiſtens cum ſua curia, per literas quas dicitur ad fores Eccleſiæ publicaſſe & abſentes citaſſe. quoniam talis citatio in ſimili negotio eſt nulla, nec dicenda legitima, rationibus infra ſcriptis.*

*Prima, quia ſecundum iura, ad hoc vt citatio dicatur legitima, neceſſe eſt quod citandus perſonaliter citetur, ſi inuenitur, aut publicetur ad domum: alias contra ipſum non poteſt procedi,* probatur 4. q. 5. c. quiſquis de dõ. & contu. Cauſ. de cle. non re. ex tuæ, cum vulgatis iuribus.

*Secunda ratio, quia ad hoc vt citatio arctet ad veniendum; neceſſe eſt vt citato aßignetur terminus & locus ad comparendum ſecurus, prout probatur* c. ex parte de app. 3. quæſt. 9. hortamur. vt lit. Non cont. accedens ff. de iudi. ſi locum.

*Sed notorium eſt quod dictus Ioannes tam nos quam noſtri imperij fideles & amicos odio capitali & etiam hoſtili exercitu perſecutus eſt. Ciuitas vero Auinionenſis, & ipſe Papa, ac Dominus Ciuitatis, nos & Romanum imperium habebat odio ex antiquo. Quare deſiperet, qui diceret talem citationem aliquo modo fuiſſe canonicam; immo irrita fuit & nulla.*

*Tertia ratio, quia nullus in propria cauſa debet eſſe Iudex, vel ius ſibi dicere* 23. quæſt. 4. inter querelas. C. nequis in propria cauſa in rubro & nigro.

*Sed notorium eſt, quod dictus Ioannes contendebat ſe etiam in temporalibus, & in nos ac in totum imperium habere plenitudinem poteſtatis. Et quod contra nos ac iura imperij de facto mouebat, & iura imperij vſurpare conabatur, & vt hoſtis perſequi curabat. Vnde & contra eum tanquam aduerſarium & hoſtem noſtrum & imperij, pro defenſione noſtra & fidelium noſtrorum appellauimus ad futurum generale Concilium, in loco tuto & ſecuro celebrandũ. Igitur, &c.*

*Tertio obiicitur contra nos, quod dictus Ioannes XXII. tam in nos quam in omnes ſequaces & fideles noſtros, habentes & tenentes nos pro Imperatore vero & legitimo, & nobis tamquam Imperatori reuerentiam exhibentes, & in omnes admittentes nos ad diuina ſeu participantes nobiſcum, &c. fulminauit execrationis ſententias, & interdictum in vniuerſitates. Et dicitur, quod ſententia paſtoris, ſiue ſit iuſta, ſiue iniuſta, ſeruanda eſt & tenenda.*

*Ad quæ reſpondemus, quod ſecundum ſacros canones, ſententiæ & proceſſus huiuſmodi fuerunt & ſunt nulli, & nullius momenti: quod probatur rationibus.*

*Prima ratio. Certum eſt, quod cum Prælatus Eccleſiæ in ſuo mandato excedit formam & poteſtatem à ſacris canonibus ſibi traditam, in contrarium facientes non incurrunt ſententias, & cæt.* probatur per c. cum ad quorumdam de exceſ. prælat. *Nam ſacri canones & Eccleſia prohibent ea, & non concedunt Papæ ius imperij & poteſtatem in temporalibus. Sed Ioannes 22. ius & poteſtatem imperij ſibi vſurpare nitebatur. Ergo. &c. Et hic eſt vnus ex caſibus, in quib. execrationis ſententia non eſt aliquatenus timenda, nec obſeruanda.*

*Secunda ratio. Certum eſt de iure, vbi error eſt expreßus in ſententia vel mandato, ſentẽtia eſt ipſo iure nulla, puta ſi præcipit ſubdito, vt non obediat ſuo ſuperiori: vel præcipit aliquid contra Deum, vel contra ſacram ſcripturam.* pro quo XI. quæſtio 3. ſi is qui cum duobus.

*Et idem eſt, vbicumque ſententia eſt ipſo iure nulla.* probatur in c. per tuas, de ſent. exc. de procur. in noſtra præ-

ſentia. cum ſi. *Sed manifeſtum eſt, quod dictus Ioannes mandauit vt non obediatur nobis, cui omnes ſubiecti imperio, obedire & reuerentiam exhibere ſecundum diuina & humana iura debent. Et quod hoc fecit, volendo ſibi ius imperij in temporalibus vſurpare, quod eſt contra Deum & omnem iuſtitiam. Ergo, &cæt.*

*Tertia ratio. Manifeſtum eſt, quando ſententia execrationis vel interdicti fertur poſt appellationem legitimam, quod tunc eſt nulla, nec timenda, nec obſeruanda.* probatur de off. dele. cum abbas. de ſent. exc. per tuas, & in gloſ. *Sed manifeſtum eſt, quod nos contra dictum Ioannem & proceſſus eius contra Deum & iuſtitiam in nos fulminatos, appellauimus ad futurum generale Concilium, & ad ſanctam Catholicam Eccleſiam, quæ appellatio fuit ad ipſius Ioannis notitiam deducta, prout cõſtat legitime: & quod ipſe poſtea contra dictam appellationem promulgauit contra nos, fideles noſtros, & nobis conſilium, fauorem aut auxilium præſtantes. Ergo, &c.*

*Nec obſtat, ſi dicitur, quod Papa non habet ſuperiorem, & ſic ab ipſo non poſſit appellari. quoniam manifeſtum eſt ſecundum doctrinam Catholicam, quod Papa vbi de ſide agitur, ſubeſt Conciliis.* 16. d. Sicut. in tex. & in gloſ. 25. q. 2. ſunt quidam. 19. di. Anaſtaſius. 40. di. Si Papa. *Idem vbi de iure diuino agitur, Concilium eſt ſupra Papam, iuribus allegatis. Cum autem pro defenſione iuris Imperij, quod à iure diuino & Fide Catholica pendet appellauerimus, ſequitur quod appellatio noſtra interpoſita fuit ad ſuperiorem, id eſt, ad Concilium Generale, contra aduerſantes nobis, & nos, ac imperium, & Fidem Catholicam, quam Sancta Romana tenet Eccleſia impugnantes.*

*Quamobrem de Concilio & conſenſu Prælatorum omnium & Principum Alemaniæ, congregatorum in oppido noſtro Francofurt, denunciamus & decernimus proceſſus huiuſmodi nullos eſſe, & nullius roboris aut momenti. Ac vniuerſis & ſingulis ſub noſtro degentibus imperio, cuiuſcumque ſtatus & conditionis fuerint, diſtricte præcipimus & mandamus, quatenus nulla ſingularis perſona, aut communitas, dictas ſentẽtias execrationis aut interdicti præſumant obſeruare.*

*Quicunque autem contra fecerit, eos omnibus feudis quæ tenent ab imperio, & omnibus gratiis, priuilegiis, libertatibus & immunitatibus priuamus. In quorum omnium teſtimonium præſentes litteras fieri fecimus, & noſtræ imperialis maieſtatis bulla iuſſimus communiri. Datum in oppido Francoſurt, præfatis prælatis ac Principibus ibidem nobis aſſiſtentibus, die 8. menſis Auguſti, anno Domini 1338. Indict. 6. regni noſtri anno 24. Imperij vero XI.*

VIII. DANTES POETA HÆRESIS GVILL. OKAM AVCTOR.

Dantes Florentinus Poeta, Gibellinæ factionis præco, compoſito de Monarchia libello, eius hæreſis auctor inprimis fuit: quam poſtea Guillelmus Okam Franciſcanus complexus, Ludouico Banaro inſtillauit, adque edictum ſuperius à ſe conceptum, totis conatibus incitauit publicandum. Fuerunt quamplures zelo Eccleſiaſticæ diſciplinæ flagrantes, qui ſe væſanienti Ludouico oppoſuerunt; & tum libris doctiſſime conſcriptis profanum eius derectum impugnarunt, tum ſententias & cenſuras Ioannis Pontificis aduerſus eundem Ludouicum & complices latas, ſeruandas eſſe docuerunt.

PERSECVTIO IN GERMAN. CONTRA OMNES PONT. MANDATIS PARENTES.

Canonici inprimis Francofordienſes, & Apoſtolicæ ſedis Commiſſarij, quod Ioannis edicta & proceſſus, locis publicis, maxime vero ad poſtes Baſilicæ Diui Bartholomæi, vbi etiam ſuum Ludouicus affixerat, diuulgabant, prædijs mulctati; Dominicani Francofordia, Spira & alijs locis eiecti; Carmelitani etiam ab Henrico de Firberg Moguntino Archiepiſcopo, in gratiam Ludouici pulſi: alij religioſi, & Clerici, & ſæculares, male mulctati: ſecutaque per imperium & partes Alemaniæ, maxime autem Sueuiæ, in comitatu Wirtembergenſi, in omnes Pontificijs mandatis obſequentes perſecutio.

NARRATVR LATIVS PERSECVTIO.

*Mutius Germanic. Chronic.* ſcriptor *libro vigeſimo quarto.* hæc fuſius enarrauit, iſtis verbis. Hoc, inquit, decretum, vt vocant, ſcriptum & editum ex conſilio quorundam Fratrum Minorum, eſt ingens turbatio in Eccleſia ſecuta.

Pontifex enim è contra bullis horrendis, & multis fulminauit. Quidam Eccleſiaſticorum adhærere Pontifici conabantur: quos omnes Prælatos & vulgum ſacerdotum à præbendis & dignitatibus deturbauit Ludouicus. Monachi multi relinquebant Monaſteria, ne incurrerent excommunicationis ſententiam. Statim poſt publicatum hunc, vt ſic dicam, proceſſum, expulit ex Francofurdia Prædicatores, qui nolebant obſeruare contra Papam eius mandata. Mox ex reliquis omnibus Eccleſijs eiecit Prædicatores, qui Papæ adhærere pergebant.

Plurimi Pontificis ſtudioſi, ob reuerentiam quam habebant erga Romanam ſedem, nolentes Ludouici mandatum obſeruare, Auinionem tunc ex Germania profecti ſunt, ibique queſti ſunt de perſecutionibus quas ob religionis obſeruantiam perferrent. Cum autem maior pars non eſſet pecuniata, expectabant enim fruſtra opem ab illo propter quem exulabant, fame ſuadente & compellente in Germaniam reuerſi, & gratiam rogantes à Ludouico recepti ſunt: quod Clericorum genus tum acerrime Ludouici cauſam egit aduerſus Papam. Ex illis Ludouic. concionatores fecit: qui aliquamdiu nihil aliud ad populum prędicabant, quam de Imperatore & Pontifice: declamantes, imperium eſſe immediate à Deo, nec habere Papam quicquam iuris in imperium, quantum attinet ad temporalia: & recte Ludouicum appellaſſe ad futurum Concilium, ceu ad ſuperiorem Magiſtratũ: conciliumq; eſſe maius q̃ vel Papa, vel Imperator ſit. Ex hac occaſione multa bella exoriebantur. Quidam enim Principes, qui alioqui Ludouico erant inimici, per ſuas Eccleſias omnibus feſtis diebus Pontificiam excommunicationem in Ludouicum euulgabant: aduerſus quos iſte copias, vel ipſe ducebat, vel mittebat, tumultibuſque & cædibus Germania implebatur. *hæc Mutius, ex Iacobo Argentinenſi.* Alij quemadmodum *Krantzius libro nono capit decimoquinto Saxoniæ* refert, viſa Comitij Francofurdienſis, pertinaciter aſſerebant, inter alia garrientes: quod electus à Principibus, aut maiore, aut ſaniore parte, adminiſtrationem habeat citra aſſenſum Pontificis; quaſi ea quæ præter hæc introducta ſunt, nec diuino iure, nec vlla Patrum ordinatione, ſed blanda quorumdam aſſentatione, & Romanorũ ſpontanea ingeſtione Pontificum prouenerint. Addebant ſufficere, vt electus inſinuetur ſummo Pontifici Romano, quod ſit Princeps Catholicus iuſtus, imperio dignus, petaturque coronatio: quæ (niſi manifeſta obſtiterit cauſa) ſi negatur, ſumatur conſecratio à quouis Catholico Pontifice: quaſi omnes illæ ſolennitates per Eccleſiam introductæ fuiſſent: nec Pontifex Romanus, aut Conſtantinopolitanos, aut multos ante Carolum Chriſtianos, aut ante Conſtantinum Ethnicos Imperatores vmquam ſacrauerit. Denunciabant pariter, in eodem Comitio ordinatum fuiſſe, quod Imperator præſtabit Pontifici & Eccleſiæ, defenſionis, deuotionis & humilitatis, nõ fidelitatis, homagij aut ſubiectionis iuramentum; quod temporalis dominij, aiebant, Papa Imperatori nihil tribuit, immo Eccleſia omnia illa ſumpſerit ab Imperio: & gladius vterque nihil habeat commune; cum alter animam, alter ſolum corpus conficiat: & vacantis imperij vt Pontifex adminiſtrationem habeat, nulla ſcriptura, nulla ratio, ſed ſola vſurpatio induxerit. Hæc in cætu imperij conſtituta, pſeudoconcionatores renunciabant. *Krantzius ſupra.*

IX. FÆDVS SANXIT LVDOV. CVM ANGLORVM REGE CONTRA GALLIARVM REGEM.

Interfuerat ei Comitio Rex Boemiæ Ioannes, & Edouardus Rex Angliæ. Hic quod non ſe ad oſcula pedum Bauari dimiſiſſet, quemadmodum nonnulli ferebant, teſte Thoma Walſingano auctore Anglo, aliquantulum offenderat Principem ſuperbum. Excuſauit tamen factum, quod nihil deberet imperio, & eſſet inunctus, & in poteſtate ſua haberet membra & vitam ſuam, ideoq; non teneretur tantum ſe ſubmittere, quãtum alij Reges ab Imperio dependentes.





Poſtquam aliquo modo Ludouico ſatisfeciſſet, fœdus cum eo Societatis armorum in Philippum Galliarum Regem ſanxit; quod Ludouicus conſilia Pontificum Maximorum regi nutu Francorum ſibi perſuaderet, perque eos ſtare exiſtimaret, quod ad eam diem agendo moliendoque ſupplex armatuſve, impetrare non potuerat, vt ſibi à Pontifice Maximo benediceretur.

Facile erat Ludouico Edouardum in partem ſeducere, quod is incendente Attrebate, non arcem Santonum, non ignobilia oppida amiſſa, nihil medium, nihil humile animo verſaret, ſed ſuum eſſe ius Francici regni prædicaret; ſe Philippi pulchri nepotem filia ortum, potiorem eſſe qui ad ſolium Francicum inſidendum vocetur, qui auo & auunculis ſuccedat, quam Philippum Valeſium, qui à Philippi pulchri patre oriundus, ſtirpe remotior regnum inuaderet: ſe & impuberem & abſentem olim excluſerit, ac tot recentis euerſiſve Aquitaniæ arcibus, ne pacem quidem Ambianenſem ſanctam velit.

Proinde præſeferebat, ſe quidem antea immatura improuidaque ætate falli circumſcribique potuiſſe, nũc florentem iam annis, & vſu rerum bellorumque edoctum, perſecuturum ius ſuum. Porro eo magis illum Ludouicus inflammauit, cum imperij in Germania Galliaque vicarium eſſe iuſſit, vt ea poteſtate Auguſta auctus, beneficiarios imperij Romani proceres pro imperio cogeret ad nomina danda in Philippum Valeſij Comitem (non enim Regem Franciæ vocitabat) iam à Bauaro hoſtem iudicatum, quod oppida imperij Romani obtinere eum diceret, in quibus Cameracum circumiectoſque fines Cameracenſes alieniores à Ludouico Bauaro erant, ſecuti Pontificem Maximum, qui eum communione piorum mouerat. Anglum ſequebantur, Hannoniæ Comes Wilhelmus, Ioannes Bellomontenſium Comes, Dux Geldubenſis, Marchio Iuliacenſis, Pontifex Agrippinenſis. Flandros quoque tum in ſuas partes traduxit, cum Regem ſe non Angliæ modo ſed & Franciæ ſcriberet, vexilliſque, parmis, & ſignis etiam liliatis vteretur.

ANGLVS SE REGEM FRANCIÆ SCRIBIT.

Tum temporis Flandri & ſui, Edouardum Regem ſalutarunt Galliarum, & Philippo deſerto illi adhæſerunt. Propter eam rem Benedictus Pontifex Flandriæ ſacrificiis interdixit, & ad Edouardum miſſis Legatis hunc in modum illi perſcripſit: Si quomodo potuiſſet inter eum & Philippum pacem conciliare. Ita habet.

X. EPISTOLA BENEDIC. PP. AD EDVARDVM ANGL. REGEM.

*Benedictus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Chariſſimo in Chriſto filio Edouardo Regi Angliæ illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Dum diligenter attendimus, & profundis cogitationibus meditamur, quanta ſummi & æterni Regis fuerit benignitas, & miſericordiſſimæ affluentia pietatis, quod pridem tuis (chariſſime fili) & chariſſimi in Chriſto filij noſtri illuſtris Franciæ Regis, eiuſque colligatorum ordinatis aciebus, & multum ex propinquo ad confligendum terribiliter & animoſe diſpoſitis, hinc & inde non extiterunt pericula, quæ tantus fragor armorum & armatorum impetus minabatur, eidem laudum exoluimus præconia, cum & hoc ad donum Dei maximum & grande operarum miſericorditer à clementia diuina prudentiæ, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, miraculum reputetur. Et quidem colligi poteſt etiam apertius, quod altiſſimo qui bella conterit, & gentibus ea volentibus, per prophetam diſſipationis exterminium comminatur, tantum ſanguinis redemptorum cruore pretioſo dominico fuſum, quantum ſi conflictum ſibi dediſſent acies prædictæ tunc temporis in totius Chriſtianitatis damnum & opprobrium, ac animarum multarum periculum non placebat.*

*Regalis quoque circumſpectio poteſt etiam aduertere quantum tu & tecum Rex prædictus indignationum haberetis formam diuinam, ſi plures de eis, quos ipſe à periculis animarum & corporum eripuit, ſic benigne iterum ſimili ſubiicere diſcrimini curaretis, timendum eſſet procul dubio vt à Deo attenderetur, & præſertim vehementius contra illum, qui huius diſcrimini ampliorem daret operam, & ira Dei, vt tanta ſtrages tantaque confuſio ſequeretur, quod tota concuteretur Chriſtianitas, & reformatio pacis & concordiæ, non ſolum difficile ſed impoſſibile, quod non ſinat miſerator & miſericors Dominus contingere, redderetur.*

*Et inſuper nec minus conſiderandum videtur, quantum occaſione guerrarum præſentium, multis & varijs modis, vt fertur, Regij ſubditi non modicum ſunt exhauſti pecuniis & aliis bonis ſuis, & etiam continuatione talium onerum, quod abſit, amplius grauarentur. Quodque bellorum euentus eſt dubius, & multum, vbi Dei timetur indignatio formidandus. Ideoque magnificentiam Regiam rogamus in Domino attentius & hortamur, nihilominus per Dei miſericordiam obſecrantes, quatenus præmiſſa & alia quæ poſſunt occurrere circumſpectioni Regis in hac parte reuoluens infra clauſtrum Regij pectoris, & deducens in exactæ deliberationis examen, ad reformandam pacem cum Rege præfato, & treugas ineundas, vt tuis dilectiſſime fili, tuorumque obuiaretur periculis, & Deo qui pacem dirigit, & in viris pacificis delectatur magis placeas, teque acceptiorem eidem efficias, totum corrobores regnum & inclines dilectorum filiorum noſtrorum, Petri tituli ſanctæ Praxedis presbyteri, & Bertrandi ſanctæ Mariæ in Aquiro diaconi, Cardinalium, Apoſtolicæ ſedis Nuntiorum, Zelatorum vtique Regij honoris & commodi, quos dudum ad partes illas propterea de conſilio Fratrum noſtrorum deſtinauimus, monitis, & ſalutaribus circa hoc perſuaſionibus effectualiter nihilominus acquieſcens. Sane cum præterea quæ præmiſſa ſunt, & quia huiuſmodi & aliis innumeris periculis ex guerris prædictis imminentibus obuiare ſalubriter poſſimus, & vt inter te fili amantiſſime, dictumque Regem, nexu propinquo ſanguinis & affinitatis coniunctum, pacis plenitudo & mutuæ charitatis dilectio vigeant, pacis reformationem huius feruentibus deſideriis peroptamus, ſi forſan per eoſdem Cardinales ad pacem illam attingi non poſſit in illis partibus, tuque, perchariſſime fili, & Rex prædictus, vos ad mutuam habilitantes concordiam Deo placabilem, hominibus amabilem, Chriſtianitati vtilem, ac vtrique veſtrum multipliciter optimam conſentire volueritis, vt & nos ad pacem ipſam reformandam, tamquam tractatores amicabiles propria perſona intendamus, & initis aliquibus inuicem treugis, vel conceſſis ſufferentiis ab inuaſionibus & commotionibus bellicis vſque ad tempus optimum, infra quod tractatus pacis inchoari, continuari, & ſi miſericordiarum Dominus dederit, ad finem poſſit deduci felicem, & votiuos nuncios mandatis ſuffultos idoneis ad vos propterea deſtinando.*

*Nos, licet arduis & importabilibus agitemur continue ſupra vires, paratos ob deſiderium pacis prædictæ, nos offerimus, quantum commode cum honeſtate fieri poterit, præmiſſis efficaciter ſuper reformatione huius, pro quiete, vtilitate ac honore vtriuſque partis interponere, ſicut præmiſimus, prout ex alto nobis miniſtrabitur ſollicitudinis noſtræ partes; ſuper quibus matura deliberatione præuia reſcribat nobis quæſumus, regalis magnificentia ſuæ beneplacitum voluntatis.*

XI. RESPONDET EDVARDVS PONT.

Reſcripſit autem Benedicto Pontifici Rex Edouardus in hæc verba; quæ, propter notitiam rerum accidẽtium tunc temporis, libuit adſcribere.

*Reuerenter & deuote recepimus ſanctitatis veſtræ literas ab vltimo nobis miſſas, per quas pacem reformandam, vel treugas ineundas, cum Domino Philippo de Valeſio nobis veſtra benignitas perſuaſit, clementer adijciens vos velle ad ipſam reformandam in perſona propria, tamquam tractator amicabilis intendere, ſi nos & prædictus Philippus ad hoc voluerimus conſentire.*

*Nos quidem ſanctam affectionem veſtram, de filiorum quiete ſollicitam in Domino contemplantes de ſalubri perſuaſione veſtra, oblatione tanta tamquam pia, grates & gratias vobis humiliter exſoluimus quas valemus, & ſub firma dilectione rectitudiniſque veſtræ fiducia ſanis veſtris cupimus inhærere conſiliis, noſque ſanctis veſtris beneplacitis ſpecialiter conformare: ſed in publicam notitiam iam deuenit, qualiter idem PHILIPPVS Regnum noſtrum FRANCIÆ, ad nos per*

*mortem celebris memoriæ Domini Caroli vltimi Regis FRANCIÆ auunculi noſtri legitime deuolutum, ſibi contra iuſtitiam vſurpauit. Et eo non contentus, terras noſtras in ducatu Aquitaniæ ſibi attraxit iuxta vires: Inſulas noſtras in mari, & etiam regnum ANGLIÆ noſtrum inuadens hoſtiliter cum nauigio, quod ſub colore Sancti PASSAGII tranſmarini parare ſe finxerat, deformat, cum iurauerat in cauſam Chriſti.*

*Scotos etiam in noſtri rebellionem concitauit, machinans omnino nos deprimere, vt ſic dictum Regnum noſtrum FRANCIAE, & alias terras noſtras hæreditarias iuxta inſatiabile ſuum dominandi deſiderium liberius poſſit retinere. Cui, ſicut alias ſanctitati Veſtræ ſcripſiſſe nos meminimus, plures obtulimus amabiles vias pacis, volentes ab eo pacem redimere, cum non modico noſtrorum iurium detrimento; ſed ipſe per tractatus varios diu protrahens ſub incerto, & magnis ſumptibus nos exponens, vt noſtrum exhauriret ærarium, & ſic nos ad noſtrorum recuperationem iurium efficeret impotentes, finaliter aliquid nobis facere non curauit, ſed ſemper in nos graſſando perſecutio ſua creuit; propter quod impellente neceſſitate, ad partes venimus tranſmarinas, ad induendum noſtrorum amicorum potentiam, pro reformandis illatis & propulſandis inferendis per eum nobis iniuriis, & iuribus noſtris hæreditariis obtinendis, pro certo negligere non intendimus, ſed ea vbi alia via congrua poterimus, proſequemur pro viribus DEO duce.*

*Et licet coram Reuerendis Patribus, PETRO tituli ſancti PRAXEDIS presbytero, & BERTRANDO ſanctæ MARIAE in Aquiro diacono CARDINALIBVS, & Sanctitatis veſtræ Nuntijs, qui circa pacis negotium laudabiliter & ſollicite laborarunt, petitum ſit noſtro nomine, dictum Regnum FRANCIAE, quod ad nos pertinere noſcitur omni iure, noſque præfatis CARDINALIBVS ſub certis vijs pacis, velle noſtrum bona fide fecerimus aperire, offerentes ſemper ad omnem viam pacis rationabilem, nos paratos pro certo tum de voluntate partis aduerſæ, nec per dictos CARDINALES, nec per alios hucuſque ſcire quiuimus, quod idem Philippus quicquam nobis facere voluerit, vel offerre.*

*Et reuera ſi nobis oblationem etiam mediocrem tunc feciſſet, ad vitanda guerrarum diſcrimina & expenſarum profluuia, ſuper ea reſponſionem rationabilem feciſſemus; ſed iam non videmus, quid per viam pacis vlterius cum honore noſtro facere valeamus: Si tamen adhuc placet præfato Domino PHILIPPO nobis offerre rationabilem viam aliquam, vel etiam veſtra conſideratio prouida, ſeu dicti DOMINI CARDINALES, huius viam congruam (cui prædictus PHILIPPVS conſentire voluerit) nobis fecerint aperiri, ſtatim cum de illa conſtiterit, deliberationem habere volumus ſuper ea, ac talem in omni celeritate facere reſponſionem, quæ SANCTITATI VESTRAE, & cunctis, conſideratam, rectam & ordinatam habentibus rationem videri debeat rationabilis & accepta.*

*Et ſi forſitan in ſupradicta via noſtrorum amicorum & fidelium foret requirendus & obtinendus aſſenſus, circa illum obtinendum, poneremus omnem diligentiam quam poſſemus; ita quod per nos non ſtabit, quin concordia bona fiat, ſi pars altera velit cōdeſcendere rationi.*

*Supplicamus igitur, veſtræ CLEMENTIAE toto corde, quatenus veſtras iuſtitiam & intentionem in veritate fundatas, velitis ſi placet debite ponderare, Noſque, Vos & Sancta Romana Eccleſia in omnium deuotionis plenitudine, & ſolidæ dilectionis & fauoris gratia inceſſanter conſouere, de nobis vt de filio deuotiſſimo ſentientes. Nam teſtis eſt nobis conſcientiarum Dominus Deus, quod honores & libertates Eccleſiaſticas extollere cupimus & tueri.*

*Et ſi Deus nobis proſperari conceſſerit, ad ipſius bella aduerſus inimicos Fidei peragenda, deuotis & humilibus affectibus aſpiramus. Conſeruet, &c.*

XII. Reuertuntur Legati

Hæc EDOVARDVS BENEDICTO ſcribebat, neque tamen ad concordiam inclinabat, quod Regnum GALLIARVM contra legem Salicam ſibi deberi putaret, & FLANDRIÆ vniuerſæ potiundæ, præſertim vero Cameraci deſiderio teneretur. Ita Legati APOSTOLICÆ ſedis nihil tunc efficere potuerunt, Rege PHILIPPO, iura regni FRANCICI & BELGII propugnante & à LVDOVICO BAVARO in Societatem belli ab ANGLO euocato ſibi metuente.



Pont. ab Anglo re infecta.

Ex eadem cauſa Benedictus, nequicquam Ludouico abſolutionem, Regnum & imperium poſtulanti conceſſit, quod vereretur, ne his titulis auctus, Philippo Gallo quem iam hoſtem pronunciauerat, negotium vna cum EDOVARDO & ſociis faceſſeret, illumque legitimo titulo Regem, regno & vita exueret.

Prodigium.

Rebus infectis, Cardinales ad Pontificem hoc anno reuerſi ſunt; cum etiam hoc ipſo anno, à quinto Calendarum Decembris, vſque ad quartum Idus Februarij gelu maximum duraſſet in Anglia, & niues nullæ; & per id temporis prodigium ibidem apparuerit; nempe in menſe Ianuario, ſalices protulerunt flores roſis in quantitate & colore perſimiles: quamquam eo anno fuiſſet hyems tanta, quanta à vigeſimo anno non memoratur.

Anglus Cameraci cum exercitu.

Abeuntibus Cardinalibus, Anglus Rex longe maximo coacto Germanorum ſuorumque exercitu Cameracum profectus excidium ciuibus minabatur, niſi ſibi velut ſacri imperij Vicario iubenti aperirent portas vrbis, quæ ſine controuerſia Imperatorij iuris ditioniſque eſſet, in quam extra fines FRANCIÆ ſitam, Philippo Franciſque nullum ius foret. Nihil pacati reſponſum.

Inerat Franco egregium fidumque præſidium, ac commeatus: & ad Peronam Veromanduorum Rex PHILIPPVS conſederat, valido cum exercitu: tribus præterea Sociis Regibus, Boemo, Scoto, Nauarro, in eiſdem ſecum caſtris tendentibus, ac eandem fortunam pericliaturis.

Numerus vtriuſque exercitus.

Duces præterea ſex, in quibus Britannus & Lotaringus: ſex & viginti Comites, præter cæteram multitudinem. Quatuor millia equitum balteo virtutis cauſa donatorum ſub Franco merebant, centumque millia pugnatorum, ſexaginta vero millia ſub ſignis Angli numerabantur.

Aderant in caſtris Philippi, Roberti Regis Oratores viri fortes & conſilio validi, qui conatus Benedicti Pontificis, in concilianda pace, Anglum & Francum inter, adiuuantes, nihil non agebant, ne pugna fieret. Ad rationes perſuaſioneſque commentum finxerat, Robertum ex Mathematicis artibus compertum habuiſſe, fore vt PHILIPPVS Rex ab Edouardo Rege cladem acciperet, quantam ad eam diem Franci numquam accepiſſent.

Id autem ſtudioſe egerunt, vt pugnæ auidum auerterent, & ad pacis, deſideratæ à Pontifice, conſilia inclinarent. *Paulus Æmil. in Philippo Valeſio. Thomas VValſingam in Edouardo tertio. Ioannes Villani libro vndecimo, capite 82.*

XIII. Anglus Aragonum Regem in Societatem pertrahere fruſtra conatur. Diſpenſatio matrimonialis Regi Arag. cōceſſa.

Conabatur Anglus, Alfonſum Aragonum Regem, in ſocietatem armorum pertrahere: eamque ob rem, Guillelmum Orgolium, & Bernardum Petralenadam Prædicatorum inſtituti, qui vetuſtorum fœderum illum commonerent, Legatos deſtinarat. Cæterum Alfonſus domi turbatis rebus, neutram in partem moueri potuit; ſed ad III. Idus Februarij Garciam Lorizium ad Francum pacificatoria legatione miſit: ad finem autem Februarij Sanctium Lopeſium Aierbium ex Ordine Minorum virum religione inſignem, quique ſacræ Regiæ confeſſioni adſidebat, & poſtea Taraconenſ. Eccleſiam ſuſceperat, Auinionem ad ſummum Pontificem ire iuſſit, qui eum ad Pacarij munus ſuſcipiendum impelleret, ac Regem ſanctione Canonica, quæ propinquos & affines matrimonio adiungi vetat exſolui poſtularet, quod is Mariam Nauarræi Regis filiam, matrimonio ſibi cōiungere cogitaret.





Facile à Benedicto impetrauit, cum is & concordiæ inter Reges cupientiſſimus eſſet, & fœdere aduerſus Saracenos, Reges Hiſpaniarum deuincire deſideraret. Ita tum Galliæ, Siciliæ, Aragoniæ, Boëmiæ, Scotiæ, Hungariæ & Poloniæ Regibus, cum maiore parte Europæorum Principum, aduerſus Ludouicum Bauarum ſtantibus Benedicto doluit, quod eundem Regni & Imperii Romanorum titulo non poſſet, quemadmodum optabat exornare: præſertim quia per eundem Bauarum ſtaret, quod in Gallia, & Belgio, & Germania, contra Ioannem 22. & Philippum Regem omnia mouerentur. *Surita lib. 3.*

XIV. Petrus Trinacriæ Rex excommunicatur.

In Sicilia, Claramontii & Palicii eis adiuncti, aduerſus Petrum Regem Trinacriæ, vna cum Roberto Rege Siciliæ, belli faciendi cauſa coniurarunt. Aduerſus quos cum ſe Petrus defenderet, & nonnulla in Campaniæ littoribus de Roberto cœpiſſet, neque reſtituere iubente Pontifice voluiſſet, ac Ludouico Bauaro contra ſedem Apoſtolicam adhæreret ſacris in vniuerſa inſula mulctatus eſt. *Surita lib. 3. Villani lib. 11. c. 78.*

Fuit & alia cauſa, cur Petrum, piorum communione excluſerit. Nuncios ad Pontificem ille miſit. Poſtulabāt illi regnum & inſulam Siciliæ, à ſede Apoſtolica Petro in Feudum concedi. Offerebant cenſum annuum Pontifici: obſequia & iuramentum, quod in poſterum non aduerſaretur Eccleſiæ, non cum hoſtibus illius ſocietatem iniret, non cenſum debitum aut eluderet, aut prorogaret ſoluendum: non hæreditarium ſe Regem ſed Romanæ Eccleſiæ beneficiarium ſcriberet: ab Eccleſia eadem ſe illud ipſum iure fiduciario accepiſſe teſtaretur fidelitatiſque & homagii ſacramentum in coram vel per Legatos præſtaret: modo Pontifex diras & cenſuras ab Ioanne prædeceſſore in illum & Siculos prolatas abrogaret, Regnumq; Siciliæ illi & poſteris eius certis cum pactis conferret. Recuſauit Benedictus, & Gotium Vaſcum Cardinalem, vna cum Raterio Epiſcopo Vaſionenſi Legatos in Siciliam miſit: qui Rhegii ſubſiſtentes, proceſſu ad VII. diem Aprilis anni ſequentis contra Petrum & Ioannem filios Friderici inſtituto, eos & cōplices, fautores, conſiliarios, auxiliarios diris percuſſerunt, honoribus omnibus & dignitatibus exuerunt, cōmunionem omnibus cum eis grauiſſimis ſub pœnis interdixerunt, Sacra omnia vniuerſæ inſulæ abſtulerunt: donec Petrus inſulam Siciliæ Roberto Regi reſtitueret: quam Petrus eius auus ante ſeptuaginta annos male occupauerat, & à Clemente eius nominis Quarto Pontifice anathemate percuſſus, Regnaque etiam Aragonum & omnibus bonis, feudis, iuribus atque dignitatibus fuerat exutus, placet iſtud ipſum diploma Clementis Quarti, in Petrum huius Petri auum euulgatum hic adiungere, vt omnes intelligant, qua ratione Reges Aragonum, titulum hæreditarium in inſulam Siciliæ poſſint dominio prætendere. Ita habet.

XV. Diploma Clement. Pp. IV. quo patet qua ratione Aragonum Reges titulū hæreditarium in Inſulam Siciliæ poſſint dominio prætēdere.

Clemens Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei.

Ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

*Longa retro ſeries ipſiuſque diffuſa narratio, cui vix tempora longa ſufficerent, tædio grandi nimium audientes afficeret, ſi quondam Frederici olim Romanorum Imperatoris, poſteriorumque ſuorum culpas horrendas & exceſſus infandos, ab ipſis contra Deum & Romanam commiſſos Eccleſiam, ac proinde proceſſus per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros rite habitos contra ipſos, pœnaſque illis iuſte indictas repetitio ſerioſa narraret. Ideoque ſumma rerum faſtigia prout imminentium caſuum neceſſitas exigit, & abſque ſeditionis iniuria materia patitur, decreuimus proſequenda. Et quidem communem non credimus latere notitiam, qualiter fe. rec. Innocentius Papa IV. prædeceſſor noſter, memoratum Fredericum, qui ſe per eoſdem ſuos exceſſus & culpas innumeras indignum imperio & Regnis omnique honore reddiderat, in Concilio Lugdunen. eodem approbante Concilio propter ſuas iniquitates adeo ne regnaret vel imperaret abiectum oſtendit & denunciauit, omni honore ac dignitate priuatum à Domino, & nihilominus ſententiando priuauit: vt in eiuſdem prædeceſſoris ſen-*



*tentia contra ipſum Fredericum lata plenius continetur. Qualiter etiam poſt eiuſdem Frederici obitum, licet Regnum Siciliæ ad diſpoſitionem Romanæ Eccleſiæ, cuius iuris & proprietatis exiſtit eſſet libere deuolutum, idemq; prædeceſſor de illo ſe prouiſurum in eodē Concilio publice prædixiſſet, quondam Conradus dicti Frederici natus, quamquam in eodem regno ex ipſius ſui genitoris ſucceſſione nullum penitus ius haberet, cum ſicut ex præmiſſis apparet, nec ipſe mortis ſuæ tempore habuiſſet, nec alias dicto Conrado ius competeret in eodem, ipſum regnum præſumptione temeraria occupauit. Nec illius retentionis facti memoria, obliterauit obliuio, videlicet quod ipſo Conrado ſubtracto quondam Manfredus tunc Princeps Tarentinus, quem velut de copula damnata ſusceptum, à dicti regni ſucceſſione non ſolum præmiſſa eiuſdem Friderici priuatio; ſed etiam macula illegitimæ natiuitatis arcebat, cōtra iuramentū fidelitatis quod dicto prædeceſſori præſtiterat temere veniēs, ſub quondā Conradini nati dicti Cōradi ſuiq; nepotis ſimulata protectione tutoria, ad quaſdā Ciuitates & caſtra & alia loca regni eiuſdem manus occupatrices extēdit, propterq; & alios ſuos actus nefarios & graues offenſas piæ memoriæ Alexander Papa IV. prædeceſſor noſter, ipſum ex variis cauſis excommunicationis vinculo innodatum, Tarentini principatus honore Montis Sancti Angeli, omnibus Ciuitatibus, terris, feudis, dignitatibus, & aliis honoribus, bonis ac iuribus quæ in præfato Regno, & quæ alibi etiam ab Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis obtinebat, nec non & Vicaria in quadam ipſius regni parte ſibi ab Apoſtolica ſede conceſſa, & omnibus conceſſionib. donationibus, largitionibus confirmationib. & priuilegiis, ſiue à prædicto Frederico patre, vel Conrado fratre ſuis, ſiue à ſede Apoſtolica in regno ſibi factis eodem vel alibi, etiam ab Eccleſiis quibuſcumq; vel perſonis Eccleſiaſticis; tamquam rebellem & hoſtem Eccleſiæ Romanæ, violatorem fidelitatis ſibi præſtitæ manifeſtum, ſuorumq; iurium inuaſorem, occupatorem & detentorem ſacrilegum, & tamquam ſociatum nefando fœdere Saracenis: eorum complicem, ductorem, & protectorem publicum auctoritate Apoſtolica priuauit. Cumque idem Manfredus, nec his, aliiſue remediis, contra eius malitiam adhibitis in ſua iniquitate remiſſior, ſed in committendo quotidie prioribus deteriora feruentior, poſtmodum fraudulenter præfati nepotis ſui morte conficta, idem regnum proprio nomine occupans, & Regium in illo titulum & nomen vſurpans ſe, ortus ſui non erubeſcens primordia, in illius Regem iungi & coronari feciſſet: Idemq; prædeceſſor Alexander eius iniquitates & fraudes abominans & deteſtans, caſſauit & irritauit; caſſum & irritum nunciauit, quicquid circa ipſum Manfredum per inunctionem, ſeu potius execrationem, & coronationem, quas recipere de facto præſumpſerat, quaſque nullas eſſe conſtabat, extitit tam temerarie, tam doloſe præſumptum. Eiſdem vero Manfredo, & demum Conradino, qui ætatem præueniēdo malitia, à prædictorum prædeceſſorum ſuorum iniquis ſemitis non declinans, ſed ad eadem imperium & regnum aſpirans præfatam Eccleſiam, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Regem Siciliæ illuſtrem, inſidiis multis impetiit, & multipliciter apertis conatibus infeſtauit, propter quod contra eum & fautores ſuos per recolēdæ memoriæ Clementem Papam prædeceſſorem noſtrum varij habiti ſunt proceſſus, ſua ſorte ſucciſis, nobis ac Regi & Regno prædictis pacis & quietis ſerenitas arrideret, in ſubitas tempeſtates acta eſt æſtiua tranquillitas, bellum in media pace ſurrexit, facti ſunt hoſtes ex ſubditis. Et qui eidē Regi Siciliæ ad fidelitatis debitum tenebantur, rebellionis ſpiritum infideliter aſſumentes, non ſolum hoſtilia ſed etiā tyrannica patrauerunt. Sicut enim grauis clamat infamia, adeo proceſſit Panormitana Ciuitas, & ciuium præſumptuoſa rebellio, quod rebellandi audacia, & iurium interuerſione regalium, ſuique quantum in eis eſt adiectione Dominij non contenta, ferinæ immanitatis dexteras ad crudelitates inauditas expoſuit: dum eorum exitialis iniquitas, non ſolum quos ex deuotis Regis ipſius concepta potuit præoccupare nequitia, ſine ſexus ætatiſue delectu & humanitate occidit: verum circa partus, quos adhuc viſcerum portatione clauſtra materna celabant, illis ſæue deſectis, ſic præcipiti feſtinatione produxit in lucem, quod eis nimis proculdubio innaturaliter lucis viſum antequam concederet natura ſubtraxit, ipſis adeo præmatura & impiiſſima cæde cæſis, quod ortus eorum principia vitæ præuenit occaſus. Quia vero ſicut extunc multorum habebat aſſertio; & iam probat exitus euidens, hæc in noſtram & eiuſdem Eccleſiæ turbationem & diſpendium tentabantur, & plurimorum intentio adhoc laborabat & ſtudium, vt fornacis quaſi recenter extinctæ,*

Nos, Eccleſia, & Rex idem renouata, eo grauiora ſentiremus incendia, quo ſolent nocere grauius pericula recidiua: Nos tantorum malorum cupientes obſtare principiis, ne ſero medicina ipſis iam procedentibus pararetur, in feſto Aſcenſionis Domini præterito nuper apud Vrbem Veterem, præſente multitudine copioſa fidelium, de Fratrum noſtrorum conſilio, vniuerſos & ſingulos cuiuſcumque præeminentiæ, conditionis, dignitatis aut ſtatus, attente monuimus, eiſque diſtricte præcepimus, ne in prædicto Regno vel eius parte, nos & eandem Eccleſiam, aut præfatum Siciliæ Regem qui regnum Siciliæ tenet ab ipſa, per ſe vel per alium moleſtarent, impeterent, vel etiam perturbarent occupando, inuadendo, ſeu etiam occupari vel inuadi faciendo regnum ipſum, aut aliquam eius partem. Præcepimus etiam vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, & ſpecialiter Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Ciuitabus, Communitatib. & Vniuerſitatibus, Caſtrorum, villarum & quorumcumque locorum Italiæ, maximæ ipſius Eccleſiæ Romanæ temporali iuriſdictioni ſubiectis, ne prædictis moleſtatoribus, impetitoribus, perturbatoribus, occupatoribus, inuaſoribus, ſeu occupari vel inuadi facientibus dictum Regnum, vel aliquam partem ipſius, in præmiſſis intenderent, & necum armis vel ſine armis, ad turbandam in regno eodem pacem, præfatorum Eccleſiæ ac Regis Siciliæ præſtarent illis conſilium, auxilium vel fauorem, publice vel occulte; neue ſuper hoc ſocietatem, coniurationem aut fœdus aliquod cum ipſis inirent; ſi quis autem contra noſtram monitionem & præcepta præmiſſa, per ſe, vel per alium, quibuſcumque dolo, fraude, vel machinatione facerent, cuiuſcumque forent præeminentiæ, dignitatis conditionis aut ſtatus, excommunicationis ſententia, quam ex nunc in eos protulimus ipſo facto ſe noſcerent innotatos. Ciuitates quoque & communitates quaslibet, quæ contra monitionem & præcepta eadem, quocumque dolo, ingenio, arte, vel machinatione venire præſumerent, interdicti Eccleſiaſtici ſententiæ, quam extunc in illos promulgauimus voluimus ſubiacere.

Adhæc prædiximus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus & aliis inferioris gradus Prælatis: quod ſi contra monitionem & præcepta præmiſſa vel eorum aliquod venire tentarent, nos eos omni Eccleſiaſticæ dignitatis honore: cæteros autem Clericos, non prælationis officium ſed dignitatis forſitan, vel perſonatus, ſeu alia beneficia obtinentes, & priuare curaremus obtentis, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout facti qualitas ſuaderet: Laicis vero cuiuſcumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, & præcipue temporaliter ipſi Eccleſiæ Romanæ ſubiectis expreſſe denunciauimus, quod ſi monitionem & præcepta huiuſmodi, contra ea per ſe vel per alium veniendo temere non ſeruarent, nos tantam temeritatem impunitam remanere nolentes, ipſos feudis & aliis omnibus, quæ à prædicta vel aliis tenerent Eccleſiis priuare: vaſallos eorum ſi quos habent, à fidelitatis iuramento quo tenentur eiſdem reddere penitus abſolutos, & perſonis eorum citra mortis periculum & mutilationis expoſitis ad expoliationem bonorum procedere illorum, prout culpæ ipſorum exigerent, & videretur expediens curaremus. Et licet Panormitanæ Ciuitatis, & ciuium, nonnullorum caſtrorum illarum partium, quæ contra eundem Regem Siciliæ rebellarant culpa grauis acerbiorem proceſſum exigeret: Nos tamen deſiderantes, quod Ciuitatem, Ciues & loca prædicta manſuetudo corriperet, & à tanti erroris imo reuocaret, erga eos non rigorem ſed manſuetudinem votis noſtris accommodam proſequentes, vniuerſitatibus prædictorum, Ciuitatis, Caſtrorum aliorumque locorum diſtricte præcipimus, vt cuiuslibet difficultatis & dilationis obiectu ſublato, ad noſtra Eccleſiæ ac Regis eorumdem mandata redirent. Quodque prædictos moleſtatores, turbatores, occupatores, inuaſores, aut dantes eis in hoc conſilium, auxilium, vel fauorem in dictis Ciuitate, Caſtris, villis, ſeu diſtrictibus eorumdem, nullo modo receptare vel recipere attentarent, nec ipſorum aut alicuius ipſorũ dominio vel regimini ſe quo quomodo ſubmitterent, neue ipſi, vel eorum alicui contra Eccleſiam, vel Regem prædictos impenderent, in prædictis conſilium, auxilium, vel fauorem, publicum, vel occultum. Et nihilominus confœderationes, ſeu obligationes quaslibet, ſi quæ inter vniuerſitates eaſdem, vel inter ipſas & quaſcumque alias initas ſiue factas ſuper occupatione vel inuaſione prædictis, & iuramenta de illis ſeruandis, vel alias pro prædictis hinc inde præſtita, relaxantes omnino: Vniuerſitatibus ipſis aperte prædiximus, quod niſi præmiſſa celeriter adimplerent, contra Ciuitatem, Caſtra, & villas earum ſpiritualiter & temporaliter ſic procedere, auctore Domino, curaremus, quod pœna docente ſuæ temeritatis & ſuperbiæ recognoſcerent qualitatem. Cæterum dum his aliis modis & viis filiorum paterna venabatur affectio, reliquorum Ciuitatum, Caſtrorum, Villarum, cæterorumq; locorum, Ciuium & incolarum Siciliæ in noſtram notitiam perlata rebellio, & præcipue Meſſanenſium, qui eorumdem Panormitanorum imitati ſau.tiam, quam plures ex miniſtris & deuotis Regis ipſius, poſt ſecuritatem eis præſtitam crudeliter trucidaſſe dicuntur, caſtrum regium loci eiuſdem temerariis auſibus occupantes, cauſam multæ commotionis induceret, nos tamen propterea non deſiſtentes à cœptis Venerabili Fratre noſtro Guilelmo Epiſcopo Sabinenſi ad partes illas cum plenæ legationis officio, tamquam pacis Angelo deſtinato, bona in illis & pro illis partibus quæſiuimus, nec venerunt: pacem expectauimus, turbinis grauioris tempeſtas apparuit; machinatis iamdum, vt communis opinio & ſubſecutorum conſideratio indicat, euidenter dolis & inſidiis reuelatis.

Siquidem Petrus Rex Aragonum, quem chariſſimum filium nominari non patitur exprimendus inferius ſtatus eius de procedendo aduerſus Africam quæſito colore, inſulam Siciliæ terram peculiarem Romanæ Eccleſiæ militum & peditum caterua ſtipatus inuadens, occupans & in illa Eccleſiæ eiuſdem pacem turbans grauem contra eam ſeditionem excitans grauiterque populum concitans, in eam temeritatis prorupit audaciam, quod cum ciuitatibus, aliiſque locis, vniuerſitatibus, Ciuibus, & incolis eiuſdem, quibus ratione vxoris filiæ videlicet memorati Manfredi natorumque ſuorum ſe teneri prætendit, confœderationbus, pactis, quin potius conſpirationibus & ſceleſtis factionibus initis, Regium in regno prædicto nomen vſurpat, ſe Regem Siciliæ nominat, & gerere pro Siciliæ Rege præſumit, in maioris præſumptionis augmentum, præfato Regi Carolo in ſuis litteris Regni Siciliæ titulum ſubtrahendo. Sicque non ſolum dictos Panormitanos, quos alias pluries per nuncios ad hoc ſolicitaſſe dicitur inceptæ contra dictum Regem Carolum ſeditionis & rebellionis contumacia confirmauit, eos per ſe ac gentem ſuam fouens, ipſiſque fauens in illa: cum tamen multi ex eis, & ſpecialiter Meſſanenſes qui ante ipſius in inſula memoratæ præſentiam, dicti Legati nuncios humiliter admittebant, dominium eiuſdem recognoſcentes Eccleſiæ, nomenque publice inuocantes, eos poſtea contumaciter admittere denegarunt: baculo arundineo, eidem ſcilicet Regi Aragonum, prætextu dictorum vxoris & filiorum ipſius, vt dicitur, innitentes. Quos tamen, vxorem, filios, ſeu Regem per eos, ſeu ipſorum ratione, in eadem inſula, vel aliqua dicti Siciliæ regni parte ius aliquod non habere præmiſſa declarant: & nos nihilominus decreuimus, & etiam declaramus.

In quæ autem crimina, falſæ Regiæ dignitatis, imo & ſimplicis magiſtratus aſſumptio, ſeditio, violentiaque cum armis commiſſæ incidant, quibus adiiciendi ſint pœnis talium patratores, non eſt opus exprimere: quia id nota & vetuſtiſſima decreta ſanxerunt. Nec leue his pondus adiicitur, ſi eiuſdem Regis & Regni Aragonum conditio explicite deſcribatur. De archiuo namque ipſius Eccleſiæ monumenta prodeunt aperte teſtantia, qualiter piæ memoriæ Innocentius Papa III. prædeceſſor noſter, quondam Petrum Regem Aragonum, dicti Petri Aragoniæ Regis auum, Arelatenſi eius temporis Archiepiſcopo, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, nec non & quamplurihus ſuis aſſociatum proceribus per mare ad ſedem Apoſtolicam accedentem, vt inibi ab eodem prædeceſſore Innocentio militare cingulum & Regium acciperet diadema honorauit multipliciter, honorifice ac benigne recepit, & in Eccleſia Sancti Pancratii martyris iuxta tranſtyberim per Ioannem Petrum Portuenſem Epiſcopum faciens in Regem inungi: deinde propriis manibus coronauit, & regalia inſignia vniuerſa, mantum videlicet, & collobium, ſceptrum & pomum, coronam & mitram, quæ ad opus ipſius non ſolum ſpecioſa ſed & pretioſa parari fecerat ex more in Regum coronationibus obſeruato largitus eidem, ab ipſius iuramentum corporale recepit: pro cuius religione memoratus Rex inter cætera, fidelitatem & obedientiam ipſi ſummo Pontifici eiuſque ſucceſſoribus & Eccleſiæ Romanæ, regnumque ſuum in ipſius obedientia fideliter conſeruare promiſit, ac demum idem Rex cum multo tripudio & applauſu coronatus, iuxta ipſum prædeceſſorem Innocentium ad Baſilicam Sancti Petri Principis Apoſtolorum rediens, ſuper illius altare, ſceptrum & diadema depoſuit, & militarem enſem de manu eiuſdem prædeceſſoris accepit, dictumque ſuum Regnum antea cenſuale à ſuis

præde-



prædeceſſoribus conſtitutum, cupiens principali poſt Deum eiuſdem Beati Petri & Apoſtolicæ ſedis protectione muniri, prædeceſſori eidem Innocentio & per eum ipſi Sacroſanctæ Apoſtolicæ ſedi obtulit: Illudque ſibi & ſuis ſucceſſoribus in perpetuum, diuini amoris intuitu, & pro remedio animæ ſuæ & progenitorum ſuorum nouo addito cenſu conſtituit cenſuale: pollicendo adiiciens & adiiciendo pollicens, quod ipſe & ſucceſſores ſui, ſpecialiter eidem ſedi fideles & obnoxij teneantur. Hæc autem perpetua lege ſeruanda decernens, vt huiuſmodi Regalis conceſſio firmitatem inuiolabiliter obtineret, ipſam in ſcriptis redactam, de Procerum Curiæ ſuæ conſilio, præſente dicto Arelatenſi Archiepiſcopo, Sanctio patruo ſuo, Hugone de Baucio, & Arnaldo de Fauciano ſuis Baronibus, ſigilli ſui munimine roboratum eidem Innocentio prædeceſſori conceſſit.

Nunquid ergo præmiſſa collata pariter & ſolerti examinatione diſcuſſa, dictum Regem Aragoniæ nepotem fidelitatis, ad quam memoratus auus ſuus, cuius eſt in eodem Regno hæres, ipſum ſicut & ſucceſſores cæteros, tam publice, tam ſolenniter obligarat, eidem Eccleſiæ debitorem & violatorem publicum, reum grandis infidelitatis & damnabilis non accuſat? Profecto fidei debitæ violatio, violantem proculdubio arguit infidelem, præſertim cum præmiſſa non leuiter aggrauet, fraudulenta confictio, qua idem Rex Aragonum nepos, non abſque fraudis commento notabilis finxiſſe detegitur, & apud nos etiam per ſolennes Nuncios affirmaſſe, quod cum ſumptuoſo & ſollicito apparatu, ad Dei & Eccleſiæ ſeruitium, & exaltationem Catholicæ Fidei, potentiæ ſuæ brachium dirigebat. Quod tamen contra eiuſdem Fidei vtilitatem, dictum Regem Carolum in terræ ſanctæ ſubſidium Crucesignatum, & publice ad Dei eiuſdemque Fidei obſequia proſequenda diſpoſitum, nulla diffidatione præmiſſa, quod multorum iudicio proditionis notam non effugit, hoſtiliter impetendo imo & contra ipſam Matrem Eccleſiam, eius vt prædicitur terram inuadendo & occupando direxit. Nec eum excuſat, ſed accuſat potius, quod ad partes Africæ, inſulæ prædictæ vicinas diebus aliquibus declinauit.

Id eum ipſum adeo continuaſſe probat, imo & conuincit euentus, vt opportunitate captata commodius iniquitatem quam conceperat parturiret: maxime cum per ſuos Nuncios miſſos exinde pluries, dictos Panormitanos ſollicitaſſe, ipſis in præſumpta malitia conſilium & auxilium obtuliſſe dicatur: nec ſit veriſimile, quod eamdem Africam, terram quippe diffuſo vaſtam ambitu, refertam incolis, non prorſus imbellibus, crebris munitionibus vt habet fama non vacuam, opibus & aliis opulentam, cuius inuaſionem vix multorum Regum Principumque quorumcumque potentia coacervata præſumeret. Ipſe ad hoc proculdubio diuitiis impar & viribus, cum comitiua tam modica bellatorum ſolus aſſumeret inuadendum.

Nonne & iterum hoc patenter oſtendunt, quod ſæpefatus Rex Aragoniæ nepos tamquam inſulæ memoratæ dicti Regni Siciliæ partis non modicæ manifeſtus inuaſor & occupator, ac Panormitanorum rebellium, & ſeditionis, commotionis, ſeu concitationis, paciſque turbationis contra præfatum Regem Carolum motæ notorius factor & fautor, & aduerſus ipſam Eccleſiam actor & factor, ſuique complices, Comites, ſatellites & miniſtri, præmiſſam per nos in feſto prædicto latam, in noſtris monitionibus, præceptis & inhibitionibus non parentes excommunicationis ſententiam incurrerunt, nec abſolutionis vaſallorum ſuorum à iuramento fidelitatis, ſi quo tenerentur eiſdem, priuationis feudorum quæ ipſi à Romana vel quibuſcumque aliis tenerent Eccleſiis, & expoſitionis prædictorum citra mortem & mutilationem, bonorumque ſuorum, comminatum in eodem feſto periculum euitarunt: Vniuerſos autem ſæpefatæ rebelles inſulæ, ſcilicet Meſſanenſis, Agrigentinenſis, & cæteros Ciuitatum, Caſtrorum, Villarum, aliorumque locorum eiuſdem inſulæ, Ciues, habitatores, & incolas, cuiuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, qui dictis Panormitanis in pertinacia rebellionis aſſumpta, ſaltem ſe illis ſimili audacia ſociando, & eos proinde validiores & firmiores reddendo, nec non ſocietatibus, confœderationibus, pactionibus, pœnarum & iuramenti adiectione firmatis, vt dicitur vniendo fauerunt: & tam alios quam Panormitanos eoſdem: qui præfato Regi Aragonum nepoti, contra prohibitiones & monita noſtra præmiſſa intendere, in inuaſione & occupatione prædictis, ipſum recipere & acceptare, ſe illius regimini ſubmittere, ſibiue contra Eccleſiam vel Regem Carolum prædictos fauorem & auxilia impendere præſumpſerunt, eidem ſententiæ ſubiectos & periculo eſſe proculdubio expoſitos. Ciuitates vero, Caſtra, villas, & alia loca prædicta, nec non & vniuerſitates ipſorum Eccleſiaſtico ſuppoſitas interdicto.

Hæc ſunt igitur quæ per eundem Regem Aragonum nepotem Deo & Eccleſiæ ſeruitia offeruntur. Hæc ſunt quæ ipſius Eccleſiæ proſequi ſe iactabat obſequia. Hæc Fidei Catholicæ incrementa. Sic exaltationem religionis Chriſtianæ proſequitur, ſic procurat. Sic Dei, Fidei, Eccleſiæ ac religionis eorumdem hoſtes perſequitur, ſic impugnat. talibus in ſe Regalem dignitatem intitulat: talibus titulis vitam ſuam, famam, genuſque decorat.

Licet igitur tantis exceſſibus excedentium demeritis proceſſus grauior debeatur, & ad executionem præmiſſarum comminationum procedere non iniuſte poſſemus: imo etiam ſicut prædictorum conſideratio perhibet deberemus: quia tamen neſcit à charis charitas etiam læſa recedere, inducto paternæ charitatis inducimur, vt cum ſimus licet inſufficientibus meritis illius Vicarij, qui non mortem peccatorum ſed vt conuertantur & viuant ſe velle fatetur, Regem Aragoniæ & alios præfatos, denuntiationibus, monitionibus, mandatis, prohibitionibus & comminationibus, ad conuerſionem celerem, in peccatis, iniquitatibus, & ſententiarum laqueis, quibus ſe vt præmiſſa docent apertius inuoluerunt, in morte obdormiant excitemus: Ideoque præſente hac multitudine copioſa fidelium, de Fratrum ipſorum conſilio denunciamus eoſdem Petrum Regem Aragonum nepotem, ſuos Comites, complices, ſatellites, & miniſtros, ac inſulæ memoratæ rebelles, ex prædictis cauſis, excommunicationis, Ciuitates vero, caſtra, villas & alia loca præfata, nec non vniuerſitates ipſorum interdicti, præmiſſis per nos latis ſententiis ſubiacere, de nouo tam in Regem & alios ſæpefatos, quam in vniuerſitates, caſtra, villas & loca prædicta ex cauſis eiſdem & propter auctam eorum contumaciam in non parendo noſtris monitis & præceptis, & à nobis prohibita pertinaciter proſequendo diutius, ſimiles ſententias promulgantes.

Ipſum autem Regem & cæteros vniuerſos & ſingulos, qui cum eo, ſeu alias in auxilium præſentis turbationis ſiue rebellionis dictam inſulam intrauerunt, vel inibi exiſtentes eidem turbationi ſeu rebellioni quomodocumque fauerunt, attente monemus, eiſque diſtricte præcipimus, vt ab huiuſmodi ſuis exceſſibus & offenſis deſiſtentes, omnino inſulam eandem penitus exeant, numquam illuc in noſtrum, Eccleſiæ, vel Regis Caroli quoad præmiſſa qualecumque præiudicium redituri. Adiicientes, ne quis de nouo ad id eandem inſulam intret, vel aliquam eiuſdem regni partem, publice vel occulte impetat, turbet aliquatenus vel moleſtet.

Vniuerſis quoque ciuibus, incolis, habitatoribus, & vniuerſitatibus Ciuitatum, & aliorum locorum ipſius inſulæ, cum ſimilibus monitione ac diſtrictione præcipimus, vt Regem Aragonum & exteros nemoratos, de ipſa inſula prorſus expellant, numquam eos vel alios ad præmiſſa vel ſimilia inibi recepturi. Diſtrictius inſuper inhibemus, ne idem Rex Aragonum ſe Regem Siciliæ nominet, ſigillum Regium ſub intitulatione Regni Siciliæ aſſumat, vel vtatur aſſumpto; neque priuilegia, immunitates, feuda, bona vel iura quæcumque in eo, aut in aliqua eius parte concedat; vel tamquam Rex Siciliæ quicquam agat: neque dominium vel ſubiectionem aliquam in quaſcumque ſingulares perſonas, aut terras ipſorum, ſeu poteſtariam vel quamlibet rectoriam, ſiue officium, quocumque nomine cenſeantur, in ciuitatibus, vel aliquo alio loco, maxime ipſius Regni Siciliæ, aut alicuius partis Italiæ, in noſtrum, Eccleſiæ, ac Regis Caroli eorumdem, quodcumque vel qualecumque grauamen, per ſe vel per alium recipiat, vel acceptet, aut cum eis vel eorum aliquo, in præfatorum Eccleſiæ, ac Regis grauamen, vt prædicitur, ſocietatem, ſiue aliam confœderationem contrahat vel obſeruet qualitercumque contractam, neque ſingulares perſonæ præmiſſæ, vel aliæ vndecumque Ciuitates, vel alia loca eidem, in Eccleſiæ ac Regis Caroli prædictorum proſecutioni huiusmodi, perſiſtenti, vel alij pro eo, ſeu in fauorem ipſius præmiſſa concedant, vel aliquid præmiſſorum, aut alium pro eo, vel in fauorem ipſius ad prædicta, vel eorũ aliquod

eligant.

*eligant, nominent, recipiant, vel aſſumant: nec ipſe Rex Aragonum vel quiuis alius, eaſdem ſingulares perſonas, Ciuitates & loca vel vniuerſitates ipſarum, ſpecialiter autem cuiuſcunque partis eiuſdem Regni Siciliæ, & noſtra, Eccleſiæ, Regis Caroli prædictorum fidelitate ſeu deuotione quomodolibet auertantur, vel auerſa etiam in huiuſmodi auerſione perſiſtant, per ſe, Nuntium, vel litteras inducere, aut donis, promiſſionibus ſuis, aut alio modo quouis allicere, vel etiam ſolicitare præſumant. Neue ſingulares perſonæ, Ciuitates, caſtra, villæ, aut loca præfata ſe dicti Regis Aragonum huiuſmodi Eccleſiæ ac Regis Caroli perſecutioni quomodolibet inſiſtentis dominio, regimini, vel obedientiæ qualicumque ſubiiciant, ſiue in noſtrum, Eccleſiæ, ſeu Regis Siciliæ præiudicium vel grauamen vt prædicitur, ipſum Regem Aragonum, litteras vel Nuncios ſuos, vaſa quæuis apta cuicumque nauigio guerreque recipiant vel receptent, vel ad ipſum vadant, eius litteras mittant, aut genti vel Nunciis ſuis, aut aliis pro eis, maxime in aliqua parte ipſius regni Siciliæ obediant vel intendant, fodrum miniſtrent, equos, arma, vel vaſa ſub venditionis titulo aut aliter quomodocumque concedant ſeu ab ipſo Rege Aragonum vel alio per eo priuilegia, immunitates, feuda vel largitiones quaslibet in eodem regno Siciliæ quas conſtat, & nos nihilominus declaramus & decernimus non tenere; vel alibi occaſione inſtantis negotij eiusdem regni Siciliæ, aut ſtipendia vbicumque contra nos, Eccleſiam vel Regem Carolum prædictos recipiant, vel pro receptis promiſſum audeant ſeruitium exhibere, aut alias præſtare conſilium vel fauorum publicum vel occultum, nec cum ipſo Rege Aragonum, vel alio pro ipſo, ſeu in fauorem ipſius, ſocietatem, colligationem, vel quaſcumque conuentiones, in noſtrum, Eccleſiæ, aut Regis Caroli eorumdem qualecumque diſpendium contrahant, aut contractos, etiam ſub vinculo iuramenti, vel quarumlibet adiectione pœnarum, ſiue pactorum audeant obſeruare. Singulariter autem, Michaelem Palæologum qui ſe Imperatorem nominat, quique ſuper his & præcipue & ſuper impenſo in prædictis memorato Regi Aragonum nepoti, contra nos eoſdem, Eccleſiam & Regem Carolum conſilio, auxilio, vel fauore, nec pactis, conuentionibus & confœderationibus initis, cum eodem augumenta viſibilia deferunt: vox præterea communis & publica continuæ quaſi accuſationis non ceſſat: omnes ergo de facto, vel quomodocumque ſubiectos attente monemus, eiſque diſtricte præcipimus, vt omnia monitiones, præcepta, inhibitioneſque præmiſſa quæ ipſos Michaelem & ſubditos contingunt, vel poſſunt quoquomodo contingere, vel in eis, ſeu ad eos qualitercumque locum habere, quæ omnia & ſingula volumus prænominatim ſingulariter & expreſſe pro repetitis haberi, & veluti taliter repetita robur efficaciamque ſortiri diligenter obſeruent, eiſque ſtudeant in omnibus & per omnia humiliter obedire.*

*Alioquin tam ipſos Regem Aragonum nepotem, & Michaelem Palæologum, quam vniuerſos alios & ſingulos dictis noſtris monitionibus, præceptis & inhibitionibus non parentes, cuiuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut ſtatus, Eccleſiaſtici vel mundani, excommunicationis ſententia quam in eos de ipſorum Fratrum conſilio extunc ferimus perinde innodatos eſſe decernimus ipſo facto, ac ſi expreſſi fuiſſent in huius noſtri proceſſus ſerie nominatim. Ciuitates vero, caſtra, & alia loca quælibet, nec non vniuerſitates quæ ipſis monitionibus, præceptis, & inhibitionibus non parebunt Eccleſiaſtico interdicto, quod exnunc promulgamus in illa eſſe volumus eodem modo ſubiecta. Interdicta vero præmiſſa ſic arcte præcipimus obſeruari, vt in locis quæ inciderant in ea vel inciderint in futurum, nulla Eccleſiaſtica ſacramenta, exceptis duntaxat baptiſmate paruulorum, & pœnitentiis morientium miniſtrentur, nulla diuina celebrentur officia, niſi ſolum Miſſarum ſolennia, quæ in cathedralibus, vel aliis Collegiatis & Parochialibus Eccleſiis, ad conficiendum corpus Chriſti morientibus miniſtrandum, ſubmiſſa voce, clauſis ianuis, interdictis & excommunicatis prorſus excluſis, ſemel tantum in ſeptimana permittimus celebrari. Non obſtantibus quibuslibet priuilegiis vel indulgentiis, Ciſtercien. Prædicatoribus, Minoribus, vel aliis religioſis aut ſæcularibus perſonis, dignitatibus, Ciuitatibus, Caſtris, locis, vniuerſitatibus quibuscumque, ſub quauis forma vel expreſſione verborum, ab eadem ſede conceſſis, quæ omnia quoad hoc omnino viribus vacuamus. Et nihilominus Societates, colligationes, conuentiones, huiusmodi, & quaslibet alias factas, & etiam faciendas in fauorem dicti Regis Aragoniæ, quoad inſtans negotium eiuſdem Regni Siciliæ, aut in Eccleſiæ ſeu Regis Caroli prædictorum qualecumque diſpendium vel grauamen, etiamſi fuerint iuramentorum, pœnarum adiectione, vel quouis alio vinculo roboratæ, de poteſtatis plenitudine diſſoluentes, & carere decernentes omni robore firmitatis, vniuerſos & ſingulos quomodocumque ſeu quantumcunque ſolenniter aſtrinxerunt ad eas ſeruandas decernimus non teneri, nec pro eo quod ipſas de cætero non ſeruarint, de reatu periurij, aut ratione pœnarum vel conuentionum quarumlibet adiectarum in illis, poſſe in iudicio vel extra iudicium impeti, ſeu aliquatenus moleſtari, quinimo eos ab illarum obſeruatione ſub pœna excommunicationis quam exnunc ferimus, & ipſos ſi ſecus fecerint incurrere volumus ipſo facto, præcipimus penitus abſtinere.*

*Sane omnibus tam perſonis Eccleſiaſticis & ſæcularibus, quam Ciuitatibus lociſque aliis, & vniuerſitatibus ſupradictis, quæ huiuſmodi mandatis noſtris, præceptis & inhibitionibus contumaciter non parebunt aperte prædicimus, quod non ſolum ad exequendum comminationes præmiſſas, ſed & alias grauius ſpiritualiter & temporaliter contra eos, & ſpecialiter contra Ciuitates quas contigerit in huiusmodi contumacia deprehendi, ad priuandum eos Archiepiſcopali vel Epiſcopali dignitate; contra vero memoratos rebelles dictæ inſulæ, ad interdicendum ipſis cum quibuslibet aliis, & alias quibuſcumque cum eis omne commercium, quando & prout facti ſuaſerit qualitas, & expediens fore videremus procedemus. Ad hæc præfato Regi Aragonum, Michaeli Palæologo, & cæteris vniuerſis, qui noſtra monita præcepta vel inhibitiones prædictum Regnum Siciliæ, in præfata inſula, ſiue in reliquis eiusdem regni partibus inuadere, turbare, impetere, ſeu moleſtare quomodolibet præſumerent publice vel occulte, hoc generali & publico denunciamus edicto, quod niſi dictus Rex Aragonum & alij prædicti, in eiuſdem inſula & Regno Siciliæ ac vicinis, ſeu totius Italiæ partibus commemorantes, infra inſtans feſtum Purificationis Beatæ Virginis, alij vero magis remoti infra Calendas Menſis Aprilis, & dictus Palæologus infra Calendas Menſis Maij proxime futuras; quod tempus eis ad hoc peremptorio termino aſſignamus; humiliter ad noſtra & Eccleſiæ mandata redierint, præciſe noſtris parituri beneplacitis, & tam nobis, Eccleſiæ, quam memorato Regi Carolo de contumacia & contemptu, damnis & iniuriis, omnique intereſſe ſatisfactionem plenariam competenti tempore, quod eis ad hoc præfiximus impenſuri, Exnunc perſonis eorum citra mortis & mutilationis periculum, omnia bona ſua mobilia exponimus, à quibuslibet fidelibus libere occupanda.*

*Ipſoſque feudis, bonis & omnibus iuribus, quæ à Romana vel quibuslibet tenent Eccleſiis, priuilegiis, indulgentiis, & gratiis quibuslibet ipſis ab eadem ſede, ſub quauis forma conceſſis, Apoſtolica autoritate priuamus: Vaſallos eorum à iuramento fidelitatis quo forſan tenentur eiſdem, penitus abſoluentes. Lapſo vero dicto termino quomodocumque nobis viſum fuerit, ad priuandum eumdem Regem Aragonum ipſius etiam abſentia non obſtante, præfato Regno Aragoniæ, omnibuſque aliis terris ſuis, ſeu ad ipſa Regnum ad terras ſimiliter exponenda, quoad ipſum regnum & terras præfatas, ſemper noſtro & eiuſdem Eccleſiæ Romanæ iure ſaluo. Et nihilominus pro qualitate criminum, quibus vt prætactum eſt, cum obnoxium ſuperiora prætendunt, quantum noſtrum patietur officium, factique qualitas ſuggeret, & nobis expedire videbitur, auctore Domino procedemus. Prædictas vero excommunicationes prohibemus, abſque ſpeciali mandato ſedis Apoſtolicæ, niſi forſan in mortis articulo relaxari. Quo caſu abſolutionis beneficium obtinentes, niſi infra tres Menſes, poſtquam reſtituti ſanitati de loco interdicto ſi forſan ibi fuerint recedentes, Apoſtolico ſe conſpectui curauerint præſentare, ſatisfacturi de ſuis exceſſibus, pro quibus huiuſmodi ſententias incurrerunt, & ipſius ſedis beneplacitis parituri, eo ipſo in eaſdem ſententias relabantur. Ipſas quoque ſententias ſic firmiter & inuiolabiliter volumus obſeruari, quod abſoluendi ab eis vel relaxandi eaſdem, niſi forſan in mortis articulo vt dictum eſt, tam omnibus noſtris pœnitentiariis, quam aliis quibuslibet confeſſoribus ſiue generalibus, ſiue ſpecialibus, ſeu familiaribus quarumcumque, vel quantumcumque ſublimium perſonarum vbilibet exiſtentium adimimus poteſtatem: etiamſi à nobis vel aliquo prædeceſſorum noſtrorum ſub quacumque verborum forma generalem vel ſpecialem aut liberam abſoluendi aliquem vel aliquos à ſententiis hominis vel canonis ſeu alias ad eas, quomodolibet re-*

laxan-



*laxando obtinuerint facultatem. Si quis autem ſine dictæ ſedis ſpeciali mandato obtinendo deinceps contrarium forte præſumpſerit, tam abſoluentem à prædictis ſententijs ſeu relaxantem eaſdem, quam huiuſmodi abſolutionem vel relaxationem recipientem, in quacunque dignitate, ſtatu, vel ordine fuerint conſtituti, ex hac cauſa excommunicationis vinculo innodamus, Relaxationem etiam huiuſmodi ſedi præfatæ ſimiliter reſeruantes, mortis articulo duntaxat excepto. Et tunc niſi ſanitate recepta infra tempus competens iuxta locorum diſtantiam ad eandem ſedem venerint ſuum humiliter recognituri reatum, & ipſius ſedis beneplacitis parituri, relabantur in eaſdem ſententias ipſo facto. Ab his vero mulieres, in hoc tantum excipi volumus, vt ſi ſolum ratione præfati fauoris in huiuſmodi ſententias forſan inciderint, poſſint per ſuos diœceſanos iuxta formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium obtinere. Vt autem huiuſmodi noſter proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas ſiue membranas proceſſum continentes eumdem, in præſentis Eccleſiæ ſancti Flauiani martyris appendi vel affigi oſtijs ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicabunt. Ita quod dicti Petrus Rex Aragonum, Paleologus, & alij quos proceſſus ipſe contingit nullam poſtea poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos talis proceſſus non peruenerit, vel quod ignorauerint eundem: cum non ſit veriſimile remanere quo ad ipſos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur.*

Ex ea formula Clemens Pontifex Petrum Aragonium propter occupatam Siciliæ inſulam damnabat: mirum vt valde ſit, quomodo aliqui ad eundem, vel etiam ad hunc ſecundum, titulum hæreditarium Regni Siciliæ poſſint ſine fronte referre, & in re tam manifeſta Romanæ Eccleſiæ iniuriam inferre.

**XVI. CENSVM A REGIB. ECCLESIAE DEBITVM EXIGIT:**

Eodem anno Benedictus Pontifex, à Roberto Siciliæ, & ab Alfonſo Aragoniæ, Sardiniæ & Corſicæ Regibus, cenſum exegit. *epiſt. 68. & 237.* Eundem etiam ex prouincia Burdegalenſi, à Galliarum Rege numerauit. *epiſt. 42.* Regem Galliarum, ne perſonas Eccleſiaſticas vel Sæculares opprimeret, aut à miniſtris opprimi ſineret, ſeuerius admonuit. *epiſt. 272.* Regem Edouardum Anglum, quod titulum Vicarij Imperij, à Ludouico Bauaro in Germania ſuſceperit, redarguit, & ad renunciandum hortatus eſt. *epiſt. 380.* Regem Vngariæ, ab inferendis Regno & Eccleſijs grauaminibus, propoſito anathemate deterruit. *epiſt. 151.* In Patarenos hæreticos, cenſuras Eccleſiaſticas antecedentium Pontificum innouauit. *epiſt. 1.* Comitatum Cenetenſem Romanæ Eccleſiæ vindicauit. *epiſt. 236.* Tartarorum Imperatorem ad Fidem Catholicam, miſſis FF. Prædicatoribus, inuitauit. *epiſt. 198.* Bertrando Patriarchæ Aquilegienſi, vt Maſtinum Scalanum & complices, qui Bartholomæum Veronenſium Epiſcopum iniuſte interfecerant, anathemate damnaret, poteſtatem fecit. *Regeſt. hoc anno.* Legatum in Vrbem, qui populum ad Magiſtratum recens à Ludouico impoſitum, abrogandum induceret, inter Proceres Vrſinos atque Columnenſes pacem componeret, Senatoremque nomine Sedis Apoſtolicæ Vrbi præponeret, deſtinauit. Facile omnia ex animi ſententia ceſſerunt in Vrbe Legato, cum Matthæum Vrſinum & Petrum Columnam Senatores eſſe iuſſiſſet. *epiſt. & Regeſt. Bened. Bonincontr. in Annal.* Calendis Nouembris, Romani, partim ſuaſu Legati, partim reuelationibus nonnullis, partim inſpiratione diuina admoniti, omnibus iniurijs & odijs ex animo depoſitis, dextras concordiæ ſibi dederant, & ſummo Pontifici ſe totos permiſerant. *Villani lib. 11. c. 115.*

**ALIA BENED. PP. ACTA.**

**XVII. BONONIA INTERDICTO SVBIICITVR.**

Hoc ipſo anno, Pontifex Thadæum Pepulum Bononienſem, quod Legatum Bertrandum Cardinalem Vrbe expuliſſet, coram ſe iterum adeſſe præcepit: atq; vbi auctoritati ſuę non paruit, ad Eccleſiaſtica tela conuerſus, diuina ciuitati officia interdixit, ac nonniſi poſt ſeptem menſes, ſpe aliqua cōpoſitionis oblata, reſtituit. Albertum vero Epiſcopum, cum ad ſe veniſſet, Epiſc. Niuernenſem conſtituit: *Carol. Sigon. libro 3. de Epiſcopis Bonon.*

**XVIII. HISPANORVM OB MAVROS METVS.**

In Hiſpanijs, eodem anno de Albohaceni Regis Mauri, maiora vero, vt fit, nunciabantur, ſcilicet Mauricì nominis robur concitari: omnes Africæ prouincias vires conferre, cum filijs, vxoribus & re familiari migrare, quaſi Colonijs vniuerſam Hiſpaniam occupaturi: neque arceri tranſitus, neque armis ſuperari poſſe præ multitudine innumerabili. In Valentina littora primum fore impetum fama vulgabat: vnde etſi reliquos Hiſpanos, Aragonios tamen maxime, magna ſolicitudo formidoque inceſſerat: propter quam arma, equos, commeatum conferre, omnia belli apparatu circumſtrepere: de ineunda concordia cogitari cœptum. Ad Pontificem quoque Romanum miſſa legatione poſtulatum, vt ad Hiſpanias oculos conuerteret, ad aliquamque ſuæ prouidentiæ partem imminens nomini Chriſtiano diſcrimen pertinere iudicaret, Decumas Sacerdotum, quæ Aragonijs Regibus ſubſidium belli ſacri erant conceſſæ, ad iuſtum recentemque valorem expendi mandaret: alioqui veteri æſtimatione retenta, parum ſubſidij futurum. Hæc Aragonius. *Marian. lib. 16. c. 6.*

**XIX. SACRA HOSTIA A IVDAEIS GLADIO LAESA CRVOREM STILLAT.**

In Germania, oppido Polka, Diœceſis Patauienſis, hoc anno, Iudæi in ſacram hoſtiam impie bacchati ſunt. Stillauit ea per miraculum ſanguinem, ex ictibus repetitis à gladio. Ad caſum inopinatum impij perterriti, iſtud conſilij inopes arripuere, hoſtiam ſanguine cruentatam domo eiicere. Iacentem, & adhuc cruorem ſtagnantem Chriſtiani repererunt, & Auſtriæ Duci facinus indicarunt, is porro iuſto dolore commotus, Iudæorum quamplures in carcerem coniecit, remque vt acciderat, Benedicto Pontifici ſignificauit, quidque vel in ſontes Hebræos decerneret, vel de violata Euchariſtia faceret, oraculum Sedis Apoſtolicæ poſtulauit. Reſcripſit Benedictus quod ex re erat, illos vt meritis pœnis, ſi non conuerterentur, caſtigaret, hanc vero vt debito cultu veneraretur. *ep. 49 & 294.*

**XX. LEGATIO REGIS ARMENORVM AD PONT.**

Ex Armenia ad Benedictum Pontificem, Leo Rex Armeniorum, Minaſium Armenium religioſum Legatum miſerat, vt de rebus ad Fidem Catholicam ſpectantibus, & periculis à Saracenis imminentibus illum admoneret, & tum inſtructionem, tum opem aliquam imploraret. Is quod nullas litteras Benedicto attuliſſet, neque quo ſe Legatum Regium poſſet oſtendere afferret, ſignificauit Benedictus Leoni, ne miraretur, ſi Minaſio fidem velut Legato non adhiberet, neque ad poſtulata reſponderet.

**XXI. ARCHIEPISCOPVS MANAZGVERDEN. AD PONT. VENIT PRO MVNERE CONSECRATIONIS OBTINENDO.**

Sub idem fere temporis, Nerſes Armenus Catholicis ortus parentibus, & in Armenia maiori, ab ipſa pueritia, Orthodoxæ Fidei addictus, & à Catholicis inprimis Epiſcopis ad ſacros Ordines euectus, deinde à Clero Catholico in Archiepiſcopum Manazguerden. electus, ad Benedictum Pontificem venerat. Is munus conſecrationis & confirmationem electionis, à Patriarcha ſchiſmatico in Armenia Minore, quem illi Catholicon appellant, receperat. Cum autem poſtea, & ad ſolam Eccleſiam Romanam id officij pertinere, & formam à Sede Apoſtolica in conſecratione præſcriptam, à ſchiſmatico non fuiſſe obſeruatam intellexiſſet, BENEDICTVM Pontificem conuenit, vtque illi dignitatem Archiepiſcopalem ratam eſſe iuberet flagitauit. Annuit BENEDICTVS, & Petro Cardinali, vt illum iterum, ſub hac tamen conditione: *Si non es conſecratus, ego te conſecro:* initiaret, poteſtatem fecit. Ad hunc modum initiatum, pallio Archiepiſcopali auxit, & Armenijs Epiſcopis cum dignitate Archiepiſcopali præfecit. *Regeſt. hoc anno.*

Hoc anno, in Germania Dominicani aijque ex religioſis familijs, eò quod Pontificias partes deſerere nollent, neque LVDOVICO iubente contra Pontifi-

cia

cia edicta ſacris operari vellent, multa perpeſsi ſunt ac præſertim vrbibus & monaſterijs excedere cogebantur, id tamen quidam ex ipſis Francofurdiæ perpetrare & ad LVDOVICVM deſciſcere coacti ſunt. Factum idem alibi locorum, in illis vrbibus, quæ LVDOVICI crudelitatem metuebant. Franciſcani ſoli, vel ſoli illi qui Guilelmo Ochamo & Michaeli Cæſenati auſcultabant, necquicquam Pontificiam maieſtatem aut poteſtatem metuebant. Namque ab authoribus ſceleris docti, & ſacris operabantur, & væſanæ paupertatis opinatores facti, in Pontificem Ioannem indigna plura vomebant: quibus mendaciorum architectus Auentinus ſuos Annales deformauit: homo omnium vt petulantiſsimus in conuitijs, ſic mendaciſsimus in narrationibus, adeoque inconſtantiſsimus, in iiſdem male ſcribendis, dum ex eodem ore calidum & frigidum efflat, ac in vno loco, neminem ad ſacra facienda Ludouicum coegiſſe, alibi aliquos & præſertim Dominicanos coactos eſſe aſſeuerat. *Annal. Baiorum lib. 7.*

## IESV CHRISTI
### Annus 1339.

### BENEDICTI PAPAE XXII. ANNO 5.

I. ECCLESIARVM OMNIVM ANTISTITVM ELECTIONEM SIBI AD BIENNIVM RESERVAT.

BEnedicto Pontifici, in tantis turbinibus conſtituto, nihil magis in votis fuit, quam Eccleſiarum dignitatem amplificare, & Italię pacem ſtabilire. Ad quam pacem, quietemque, in Ciuitatibus Eccleſiæ Romanæ nullo medio ſubiunctis tuendam multum conferre intelligens, Antiſtites illis idoneos à Pontificio ſolio præfici, per literas Auinione IV. Non. Iulij ſcriptas, ſibi, Sedique Apoſtolicæ, in biennium, Eccleſiarum omnium Antiſtitum deſignationem, electionemque integram reſeruauit: extra Sacrarum Virginum cœnobia, & Priorum non Conuentualium templa, quorum fructus non excederent florenos aureos quinquaginta. *Rubeus hiſt. Rauen. lib. 6.*

II. VICARIOS IN CITERIORI GALLIA VRBIBVS IMPONIT.

In citeriori quoque Gallia Vicarios vrbibus impoſuit; eo facilioribus conditionibus ſeu modis, quo magis Principes cupiebant per temporum quietem firmare opes: tum quia meminiſſent, quam varia, quamque incerta poteſtate imperaſſent, alioqui auidi ſtabilire quæ poſsidebant: tum quia putarent amicitiam Pontificis in aduerſa fortuna fore præſtantiſsimam, quando ab eo qui iſtiuſmodi beneficium confert poſtulatur, vt clientes tegat, non minus quam ipſi viciſsim fidem erga patronum perſanctè colant. Hæc cupido tantum apud eos potuit, vt ſuperſederint quærere, an ſupremum prouinciæ ius penes Eccleſiam Romanam reuera, vel ſaltem ſpecie eſſet: nec repugnauerunt quin in obſtrictos tali beneficio aliquid Pontifici liceret, quod pluris facerent poſſeſsionem acquiſitam, vel dedentibus ſe vltro populis, vel bello aut aliter ſubactis, quam Pontificis aut Imperatoris diplomata. *Pigna hiſt. Ateſtin. lib. 4.*

III. TVMVLTVS IN VRBE RATIONE DIGNITATIS SENATORIAE ORTOS COMPESCIT. DIVERSA IN ITALIA FEVDA CONCEDIT.

Romæ Iordanus Vrſinus, abeunte Auinion. Stephano Columna, titulo Senatoris Vrbi præfuit. Iſtud in eum modum euenerat. Populus vniuerſus, Senatoriam dignitatem Benedicto Pontifici permiſerat. Is vero Matthæum Vrſinum & Petrum Columnium Vrbi Senatores præfecerat. Cæterum, vt eſt facillime mutabile vulgus, à Benedicto præfectos illos eiecerant, proque ipſis Stephanum Columnium & Iordanem Vrſinum ſubrogauerant. Non debuit eam iniuriam ferre Benedictus: Itaque Iordano & Stephano eam dignitatem abrogauit & iterum præeſſe Vrbi Matthæum ac Petrum iuſsit. Rectoribus quoque XIII regionum à populo per tumultum electis adminiſtrationem abdicauit, & anathema omnibus dixit, quicumque aduerſum iſtud decretum ire contenderent. Eius rei cauſa Stephanus Auinionem diſceſſerat, tum vt cauſam coram Pontifice diceret, tum vt dignitatem eam ſeu retineret ſeu obtineret. *ex Regeſt. Bened.* Apud Inſubres Luchino & Ioanni Vicecomitibus, Vicariatum Mediolani auctoritate Apoſtolica ita Benedictus attribuit; vt Laudam Pompeiam, Placentiam, Cremam, Carauagium, Martinengium, Nouum, & quicquid Vrbium oppidorumque tunc poſsidebant, titulo Vicariatus retinerent: ac decem millia aureûm nummûm pro feſtiuitate Principis Apoſtolorum, Sedi Apoſtolicæ ſingulis annis numerarent. vectigalia & portoria ne Clericis imponerent vel ab eis exigerent. Eccleſiaſticam libertatem conſeruarent & vindicarent: terras Eccleſiæ Romanæ ne inuaderent, ſed eas ab omnibus tuerentur. Alberto porro & Maſtino Scaligeris, Veronam, Parmam & Vicetiam, ac Burgum Sancti Domini, in decem annos conceſsit: modo illi cenſum annuum, quinque millia aureorum dependerent, & tribus menſibus continuis, in ſingulos annos, ducentos equites & trecentos pedites, ſumptibus proprijs ad tutelam Romanæ Eccleſiæ alerent. Caſtra quoque Magnanis & Caprariæ, ad plenum ius Eccleſiæ Romanæ pertinentia iure beneficiario & ſub cenſu annuo, eiſdem Scalanis conceſsit, iuramentumque homagij & fidelitatis ab eis audiuit. *Cod. Columm. Biblioth. Vatic. ex lib. priuileg. Eccleſ. Roman.* Cæterum Guillelmus Gonzaga Mantuæ & Rhegij, Albertus Carraria Patauij: Opizo Ateſtinus, Ferrarię Mutinæ & Argentæ poſſeſsionem obtinuit: ex dominio Ferrarienſi Romanæ Eccleſiæ proprio, decem millibus aureis cenſu in ſingulos annos conſtituto. Faciebat iſta Benedictus neceſsitate coactus, quod Ludouicus Bauarus titulum Imperij exambiens, in Italiam reuerti deſtinauerat, iamque Tridentum perueniens, multa etiam in Vrbibus Romanæ Eccleſiæ iuris tentauerat: adeo vt auſus fuerit, illarum quoque dominium tyrannis attribuere, ac Vicarios Imperiales vbique ſtatuere. Ioannes de Vico Præfectus Viterbij; Galeotus Malateſta cum fratribus, Arimini: Piſauri & Fani Antonius Feretranus: Diolfus & Galeaſſus fratres Gallij; Alegretus Clauellus Fabriani: Bulgaratius Mathælicæ: Iſmeducius ſancti Seuerini; Gentilis Varaneus Camerini: Michael Montis Milonis, Paugonus Cinguli, Nicolaus Boſcaretus Eſij, Rauennæ Guido Polentanus, Forliuij & Cæſenę Franciſcus, & Symbaldus Ordelaffi, Ioannes Manfredus Fauentiæ Dominia acceperunt. A Roberto Rege Siciliæ, opem poſtularant hi qui à partibus Pontificijs ſtabant. Cæterum cum is ſolis dediſſet verbis: à Bauaro impoſitis tyrannis, colla ſubdere coacti ſunt. Erant plerique, qui Ludouicum in Italiam euocarent. Verumtamen ille ſiue Pontificia tela, ſiue confœderatorum Principum conſenſionem metuens, neque precibus partiariorum, neque ingenti promiſſa pecunia adduci potuit, vt Tridento moueret: inſtitutione Vicariorum, ſeu tyrannorum contentus. *Blondus dec. 2. libro 10.*

Inter hęc Benedictus Pontifex non deſtitit Ludouicum monere & deprecari, ne iura Eccleſiæ Romanæ violare amplius pergeret: ne nouas iniurias Eccleſijs & Eccleſiaſticis ſubditis irrogaret; ne Regem Galliarum nouis & recentibus moleſtijs afficeret: ne Nuncium Sedis Apoſtolicæ de cætero detineret, ſed de toto negotio ſufficienter inſtructum Auinionem remitteret: vtque optata pax & conciliatio ſequi poſsit, Nuncios ad Sedem Apoſtolicam, cum plenaria poteſtate deſtinaret. *Regeſt. Bened. hoc anno.*

IV.

Ludouicus porro, preces Benedicti non multum æſtimare viſus, Edouardo Anglo author fuit, vt is Regem Galliæ, præſertim in Belgicæ finibus laceſſeret; quod Regnum Galliæ ad ſe pertinere iudicaret, neque Cardinalibus Legatis anno ſuperiore hac de re ſententiam dicentibus auſcultare vellet. Cumque id quod erat, ſuſpicaretur, ne illi Auinionem reuertentes illum peruicaciæ, alii vero violatarum Eccleſiarum, & ſocietatis cum Ludouico accuſarent, ideo has excuſatorias Pontifici & Patribus purpuratis ſcripſit: ad multarum rerum cognitionem non impertinentes, placuit adſcribere ipſis verbis.





EDVARDI ANGLIÆ REGIS AD COLLEGIŪ CARDINALIVM LITTERÆ.

*Amabilium Deo Patrum Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegio venerando Eduardus Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ & Dux Aquitaniæ, ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum. Sanctiſſimo Patri Domino ſummo Pontifici, poſt debitæ reuerentiæ munera, ſcripſimus in hæc verba.*

*Ius naturæ præuium, pariter animalia cuncta docens, contrà violentas iniurias licentiam defenſionis indulſit, ſtatuens vniuerſaliter iure factum, quod quiſque vim iniuriamque propulſans, ſuam fecerat ad cautelam. Sane cum dudum animoſa guerrarum pericula, iniurioſa damnorum diſcrimina nobis mota fuerunt & illata, quæ toti mundo notoria ex noſtra etiam intimatione frequenti Apoſtolicæ ſedi facta, ſatis pro conſtanti ſupponitur, Beatitudini veſtræ nota. Nos cor habentes pacificum (nouit Deus) pro vitandis illis, & pacificis inducendis, obtulimus nos voluntarie perſequenti reuerenter & humiliter forte nimis amabiles vias pacis, non ſine noſtrorum magno iurium intereſſe, vt neglecta perſecutione alia cuiuslibet iuris noſtri, tempore illo iuſti doloris, quo propter accenſam furoris Soldani Babiloniæ rabiem, & Crucis hoſtium aliorum, ex cauſa iurati contra eos paſſagij, & ſolenniter publicati in partibus tranſmarinis peribant, & pereunt Chriſtiani, & creſcunt immaniter iniuriæ Crucifixi, poſſemus ſicut deberemus, & propenſius anhelamus intendere cauſæ Crucifixi, quæ negligitur, immo verius imponitur, in magnam cuiuslibet Chriſticolæ Regis maxime demerentis infamiam & ignominiæ magnæ notam. Sed neſcimus veniat quo peccato, quod de pacificis oblatis humiliter, ex quibus ſurgere debuit pacis amor, in eo qui nos ſola voluntate perſequitur, maioris iracundiæ, maioriſque duriciæ creuit tumor, contra nos: cum illum non prouocat (Deo & conſcientia noſtra teſte nobis) aliquod factum noſtrum, vel attentatum per nos aliquid contra eum: imo vident oculi mundi publici teſtes noſtri, præfatus perſecutor noſter, Franciæ Regem ſe nominans, damnoſis iniuriis quot & quantis nos & noſtra iura vulnerat & defalcat. Ipſius quidem regni Franciæ, quod ad nos omni ſucceſſorio iure legitimo pertinere dignoſcitur, eſt inuaſor & illicitus occupator, regnum ipſum (quod debuit nobis vocatis vel defenſis legitime, debito iuris ordine petere) non verius occupare, cum vir eſſemus, & quod perſona eſſemus cuius principaliter intereſſet, notoriè certum eſſet, & in regno ipſo ius noſtrum foret tam notorium, quam communi iure fundatum. Suppoſito, ſicut euidentia facti notorii præſupponit, quod celebris recordationis Philippus olim Rex Franciæ, pater claræ memoriæ Caroli Regis Franciæ immediate defuncti, & Sereniſſimæ Dominæ Iſabellæ Reginæ Angliæ Matris noſtræ, fuerit auus noſter, cum eidem Carolo [illegible]pore mortis ſuæ, ex deſcendentibus ſecum ab eodem Philippo maſculus ſuperſtes proximior fuerit nullus nobis: & perſona fœminea dicti Regni per ius in eodem Regno ſeruatum antiquitus, non ſit capax, quod ius regni præfati fauorem in viam cauſæ finalis attendens, ne regnum ipſum ſub fœminea fragili gubernatione labatur, & propter hoc perſonam mulieris excludens, non excludi perſonam maſculi, per ſic excluſam fœminam deſcendentis, ne fiat iuribus ſemper odibilis prorogatio odiorum, perſonæ videlicet ad perſonam, ſexus ad ſexum, cauſæ ad cauſam, odij ad fauorem: ne contra traditiones legum communes, fœmineum genus, vbi maxime de odio agitur, concipiat maſculum. Ad hoc etiam, per ius memoratum, à Regno Franciæ fragilitas excluditur muliebris, vt regno ſalubrius conſulatur, & proximior maſculus admittendus alias admittatur, potiſſime ad ius illud, qui primordialiter à matre ſic excluſa non oritur, ſed in nepotem propagatum ab auo originaliter deriuatur: alioquin ſequeretur & alia iniquitatis abſurditas, per prorogationem odibilem ſupradictam, quod excluderentur collaterales coniunctorum, vt remotior vocaretur: cum ipſo iure gentium naturali, fratres & ſorores, eorumque filij, in ſucceſſione mutua, collateralibus aliis alterius lineæ præferantur. & inde dictum ius pro Regum fauore, ac odio fœmineæ inhabilitatis ad regnum exoritur, tam iuris quam deſcendentium ne per fœmineam maſculorum iniuriam occaſio naſceretur.*

*Nec eſt putandum, quod memorati iuris intentio ſit iniqua, vt matrem & filium, ratione contraria ſcilicet damnet. Immo contrario iuris eiuſdem iudicio, quo mater à ſucceſſione expellitur, filio gradum matris ingreſſo, ſucceſſio tunc defertur: ſimilitudine filij, qui gradum parentis deficientis ingreditur, vt ad patris ſucceſſionem cum patruis etiam admittatur: vt ſic merito triſtis mater præfato rigore Regiæ hæreditate nudata, ſubſtitutione taliter ſibi de filio gaudeat conſolata, nec afflictionem afflictioni accumulet: quod ſancta conſideratio legis horret. Sicut videmus etiam, vbi onus afflictionis præamabile non intulit lex, ſed caſus in lege: ſcilicet, quæ conſuetudinariam legem damnat, bona concedentem alij naufragorum: qua ratione, quod in expreſſo legali, pro vitanda afflictionis adiectione corrigitur, multo fortius in tanto prohibetur. Legi igitur Regni Franciæ ſufficiat, pluſquam pœnali matri, non ſuo vitio, ſed naturæ fato, quæ fœminam fecit illam radices Regias ſuccidiſſe: quodque mater expreſſè per legem ipſam exhæredationis propriæ, quaſi quoddam naufragium patiatur, abſque eo quod ex legis præfatæ conſequenti tacito, omni iure contrario, cum filio exhæredato iterum naufragetur: & ſine culpa, pœna inueniatur augeri: cum, vbi etiam culpa eſt, debeat emoliri. Aliter, etiamſi pro eo quod mater ex iure ſuo non admitteretur ad regnum, repelli iure filius intelligeretur à regno; Iudæorum regnum, (contra fidei fundamentum) non perueniſſet legitime ad Ieſum: qui tamen natus Dei Myſterio, non virili conſortio ex fœmina Regali prolis Dauidicæ Maria Virgine ad regnum huius non admiſſa, nec etiam admittenda, per certam fidei veritatem, Rex verus & legitimus extitit Iudæorum: abſit etiam, quod Ieſus filius Dauid, Regalis ſucceſſio legalis obſeruantiæ (ſiue nodi fuerit fractura, ſiue ſolutio cum legem non venerit ſoluere, ſed implere) iniuſte Rex Iudæorum ſalutetur. Hoc autem excellentiſſimum legitimæ ſucceſſionis exemplum, rationabiliter imponit ſilentium loquacitati contrarii iuris noſtri in regno Franciæ memorato, ne quoad legitimum gradum & ordinem ſuccedendi ſeparemur in Conſtitutione vel interpretatione iuris, quos, quo adhoc parificat identitas rationis.*

*Nedum autem debita noſtri vocatio, noſtraque defenſio (vbi de tanto noſtro agebatur præiudicio) eſt admiſſa, ſed etiam noſtri procuratores qui inſtantiam petierant, vt pro nobis & pro noſtro iure legitime comparerent, non ſolum fuerunt in iudicio non admiſſi, ſed mortis horribilis comminatione repulſi. Et ſic noſtrum titulum memoratum, factum duodecim Parium Franciæ non excuſat; qui quoad nos, quibus ætatis tenellæ minoritas tunc fauebat, relictis partibus iudicum, ex hoc functi partibus ſunt prædonum.*

*Quorum proceſſum factum in noſtrum præiudicium, ipſo iure noſtra minor ætas fecit inualidum. Qui quoad maiorem etiam non fuiſſet, taliter defenſione ſublata, quæ competit homini ex iure naturæ, quod tolli nequit à principe, nec à iure. Notum etiam communiter eſt vbique, qualiter in Aquitaniæ noſtro Ducatu ſemper inuaſerit & colliſerit iura noſtra, terras noſtras inuadens & diſſipans, quas capere potuit, aliis noſtris terris quas occupauit adiungens, & (ius ſibi dicens ad libitum, Dei timore poſtpoſito) ſibi tenens. Scoti enim, quos noſtræ coronæ ſubiecerant iura temporum antiquorum, iniqua rebellionis dementia, contra naturalem Dominum calcitrantes, continuati in noſtros prædeceſſores & nos, læſæ maieſtatis criminis rei erant, vt contra nos nihil non iniuriæ committeret; ad noſtras iniurias fœdere adiunxit, in tanto crimine noſtræ iniuriæ fouens eos, qui iure ſanguinis, & natura debuit potius nos iuuare. Cumque præmiſſa omnia non impleret, de noſtris iniuriis votum ſuum; collectis vndique viribus quicquid potuit vt nos ira ſua terrens abſorbeat aggregauit, tollere nos de mundo ſollicitus, ad illud non intentos: forſitan ex intento facto ſuo contra nos, noſtrum contra ſe meritus intentum, quod colligere vel metiri nequeunt per alicuius actus noſtri iudicium nondum actum. Donum inſuper nobis impenſum diuini muneris ægre ferens æſtimare viſus eſt ſuper iniuriam in Angliæ regno noſtro nos viuere ſuper terram, & quantum dabat Dominus proſpere, ſaltem per omnia pacifice quoad eum: quodque ſeruiens nobis populus, vel verius cui ſeruimus noſtris temporibus Dei dono fuerit glorioſus. Hæc autem non ſtatim audita vel cognita nos mouerunt, ſed illa ſub diſſimulatione tranſiuimus, nulli parcentes oneri vel honori, vt contra nos perſecutio ſua iniuriaque quieſceret, noſtrumque cum eo pacificum tempus eſſet, donec propinquum nobis vidimus gladium noſtræ ac noſtrorum neci & exterminio præparatum. Sed nunquid aliquis eſt qui credat, quod auunculus nobis cognitus,*

princeps tantæ potentiæ, etſi (vt præmittitur) occupatis nobis fuerit negligendus, qui ſua iuribus voluntatis armatus, potentia vndique vocata vallatus, vt poſſit liberius pro ſuæ voluntate nos perſequi, iuratam deſerit cauſam Chriſti.

Quid igitur pro ſuo iure ſuaque ſecuritate non licuit Regi, ſui ſtatus ſuique periculum iam videnti, dicat qui nouerit. quid non liceat homini de vitandis iniuriis damniſque certanti in illis præſertim quæ ad vitæ ſtatuſque radices ſecurim ponere probant, leuiſue timor dici poterit aut vanus, qui pro nobis ſe potuit coniunctorum nobis illuſtrium fortiumque conſtantia corda concutere: multo etiam fortius debet nos terrere, quos ſolos periculorum concepta molimina concernebant. Propter hoc igitur iure naturæ dictante, facti tam noſtri quam noſtrorum iurium, non voluntarij ſed neceſſarij defenſores, ac oportunis cautionibus attendentes iuxta rei militaris documenta probata illuſtrium antiquorum, quod potentiæ magnæ pericula conſpirata periculoſius exſpectantur in laribus, illis nuper currentibus ad noſtræ lucis & ſalutis occaſum, conſultius venimus in occurſum, ne contra nos forte diſcriminoſe procederent, ſed ſui ortus præfocarentur loco eorum freti conſilio & auxilio nobis oblato, quos nobis conſanguinitas & affinitas coniungebat, & ad quos ſimiliter ſpectabat nobiſcum periculis noſtræ deſtructionis occurrere, illaque conſiliis & auxiliis præcauere: ponentes in manibus Dei quam in manibus Apoſtolicæ ſedis veſtræ, vel aliorum bonorum virorum communium, ſicut etiam ponere quondam voluimus, iuſtificatam quantum potuimus cauſam noſtram, vt ipſe rectum ex alto proſpiciens, ſententiam iuſtam ferat, & in ſui gladii viribus exequatur.

Nec credimus, alme Pater, quod arbiter quiuis rectus, vel etiam iudex iuſtus, ſic interpretetur aut torqueat noſtrũ factum, vt quod pro noſtrorum tuitione & aſſecutione iurium in tanto diſcrimine noſtratum fecimus, facere ad alterius, (quam non intendimus, non agimus, nec agemus) putet iniuriam vel offenſam: imo credimus & certi ſumus, quod facti noſtri intentio attendetur. Et quid, vbi, aut propter quid fiat, debita conſideratione librabitur, & iuſti ſtatera iudicis appendetur.

Et ſicut ſanctio legis docet non factum ex dicto, ſed dictum penſetur ex facto. Non eſſet equidem iuris præſumptio, nobilis, quod ſupponit factum ab homine fieri ſuo iure: non benigna interpretatio vel ciuilis, qualẽ fieri ſemper dictat cenſura legalis, ſi noſtri iuris vſum notorium noſtræque defenſionis compendium, diſpendium offenſionis illicite quis diceret alienæ eſſe. Ceſſet igitur quæſumus omnis coniectura in actibus noſtris, certiſque locum duntaxat ſibi vendicent non autem in incertis. Denique forſitan accuſator calumnioſus noſtræ actionis interpres, quia ſuſcepimus hominem, contra quem proceſſiſſe fertur vel Eccleſia, vel Parentis Eccleſiæ Vicarius, non dicet, quod fratris vel affinis vicibus fungimur non quod ad iuris habendum titulum neceſſarium nobis potentiæ ſolum vſum aſciſcimus, vt neceſſario fulti præſidio, vbi nunc ſumus, nos à congeſtis in noſtrã ruinam periculis defendamus, & pro noſtrorum iuſta iurium aſſecutione certemus. Non dicit quod intendimus nos defendere, pro noſtro iure certare, non etiam impugnare, vel eius impugnationi fauere, pro cuius vtique certaremus honore nullius habita reſpectione periculi, ſicut Catholicam excellentiam Regum decet: cum tamen, vt omnis iuris cenſet intentio, ac cuiuslibet actionis finalis cauſa, vel ratio principaliter attendenda, & ex notitia voluntatis atque propoſiti, ſurgat diſtincta certaque cognitio operis accuſati, ſolumque geſtis hominum realis actio non verbalis conceptio ponderetur. Non dicit, quod facimus de materia iſta ſcutum contra eum, qui noſtro minabatur capiti mortis ictum. Quodque fecerimus medici ſapientis exemplo, qui materiam morte plenam currentem ad partes corporis, vbi vita ſe recipit diuertere facit ad membra, in quibus materia nequit fore ſuſpecta, quæ ad proximum fuerat interitum præparata.

Sic loquitur pater Sancte, ſic loquitur propter vehementiam, qui in ſuis inſidiis nos inuenire quærebat incautos, & penitus imparatos. Sed proculdubio cautius fuit nobis iuxta militarem theoricam edocentem, quod more talis guerre periculum plus euitat, qui eam à terræ ſuæ limite proſequeſtrat, contra notorium hoſtem noſtrum pro iure noſtro nos congredi, & terris potentum potentibus ſociatis, quam in propria perſona noſtra ſolos.

Non igitur apud veſtræ viſcera miſericordiæ & ſanctitatis locum inueniat detrahentium informatio æmula vel ſiniſtra, facta de filio, qui ſuorum hæreditario iure maiorum, in veſtra & Apoſtolicæ ſedis gratia & obedientia ſemper inconcuſſa perſiſtet. Imo ſi quæuis de filio taliter facta ſuggeſtio pulſauerit forſitan Beatitudinis Veſtræ aures, non prius a veſtra dignatione ſancta credulitas illi detur, quam auditus ſit filius qui tangitur: qui confidit, & indeſinenter intendit, ante ſanctitatis veſtræ iudicium omni præſidens creaturæ (quod negare, hæreſim eſt præbere) iuſtam dicere vel iuſtam facere quamlibet cauſam ſuam. Illud demum dicimus, ad veſtræ intentionis, maioriſque deuotionis euidentiam ſubiungentes, quod ſi ſit aliquis de nobis fœdere naturæ coniunctus, nobiſque ad noſtram defenſionem adiunctus, qui per viam obedientiæ Apoſtolicæ ſedis veſtræ non ambulet ſicut debet, dare intendimus, quam non parum vtiliter dare poſſe fidimus operam indefeſſam, vt omnium dimiſſo deuio ad viam obediendiæ redeat, omnemque faciat ſemitam ſuam rectam. Vnum rurſus, quod à multis audiuimus, petita venia cum reuerentia non tacemus, quod alias inauditum fuit, quod quanto conſideratur attentius, pungit atrocius mentem noſtram, videlicet, quod aduerſarij noſtri, manus notorie nunc (vt prius) ad noſtri tantum laborantis exitium cum guerram faceret, nemo ſibi, nec ipſe alij, niſi nobis, de Chriſti patrimonio ſit armatus. quod certe Reges Angliæ noſtros prædeceſſores, illuſtres Chriſti pugiles, Fidei athletas, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iuris amantiſſimos zelatores, eiuſque mandatorum deuotiſſimos ſeruatores vt nos etiam, nec ſcimus, nec credimus meruiſſe.

Et licet propter hoc dicatur à pluribus, non à nobis, quod contra nos facta ſubuentio, quod ad nos actus patris vel matris non extiterit, ſed nouercæ: nihilominus tamen conſtanter aſſerimus, quod ſumus, & perſeueranter erimus veſtræ ſanctitatis, veſtræque ſedis deuotus & humilis filius, non priuignus. Ex quo non ſine ratione ſperamus, quod noſtra humilitas facta maior & firmior per illud, quod non meruit nocumentum, veſtræ paternæ charitatis & gratiæ, inuenire debeat exuberantius incrementum: vt quod nobis inſontibus intulit, quæ non præceſſit aſperitas punctionis, ſequens debeat & compenſet veſtræ bonitas vnctionis.

Hunc autem noſtræ iuſtitiæ, & contra nos iniuriæ ſic multiplicatæ proceſſum, præeminentiæ Sancti veſtri culminis intimamus, vt veſtra ſumma ſanctaque menſura boni & æqui, cuius adeo ſibi competit dare claues, aperire & claudere in terra poſitas portas cœli, prout exigit plenitudo ſuæ poteſtatis, & præcellentia ſui fori, quantum fuerit rationis, fauere debeat noſtro iuri, parati ſemper nedum à veſtro ſancto cunctis præſidente iudicio, imo & à quolibet alio de veritate contentari, ſi quis eam nouerit humiliter informari. Et qui ſponte rationi ſubiicimur, aliam datam nobis intelligi veritatem, cum plena & humili gratitudine complectemur.

Quia vero nobis Patres circumſcripti eſtis in partem ſollicitudinis & conſilij dicti Domini ſummi Pontificis, condignis meritis euocati, ſibique lateraliter ad dandam plebi Chriſti ſalutis ſcientiam aſſidetis, iſta veſtræ patere cupimus notitiæ, vt agnita cauſa noſtræ iuſtitia, veritate poſſitis impendere quod debetis. ad quod circumſpectionem veſtram prouidam, quæ ſolet ſine perſonarum acceptione iura ſingulorum æquo libramine ponderare, votiuis precibus excitamus. Et ſi forſan in facto noſtro quicquam appareat cautelæ, expoſcentes conſilii ſanioris à vobis cupimus ſalubriter informari, parati in agendis noſtris ſingulis cedere rationi. Data apud Anduerp. 16. die Iulii. Anno Domini 1339.

Reſcripſit Edouardo Benedictus Pontifex, & quid LVDOVICVS BAVARVS erga ſedem Apoſtolicam vmquam egerit, quibuſue modis iuſtam iram Ioannis 22. prouocauerit, ob oculos poſuit. Quid denique exinde, tam à LVDOVICO, & ipſo EDOVARDO, ſiue tentatum, ſiue ſubſecutum fuerit, in memoriam illi reuocauit. Præſtat iſtud reſcriptum, pro eius inter LVDOVICVM & ſedem Apoſtolicam controuerſiæ plenaria cognitione, ſubiicere. Ita habet. RESCRIPTVM BENEDICTI PP. EDOVARDO REGI.

Benedictus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio Eduardo Regi Angliæ Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.





Dudum te fili chariſſime clara imitari veſtigia progenitorum tuorum Regum Angliæ, qui erga Deum & ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, velut peculiares eius alumni & deuoti filij, plenitudine deuotionis & fidei claruerunt, ſuæque ſplendorem proſapiæ à quauis obfuſcatione nubili contagii præſeruarunt, eaque in te prælucere clarius cupientes, ob paternæ charitatis & dilectionis affectum, quo te ſtatumque tuum proſequitur, noſtras tuæ celſitudini litteras direxiſſe meminimus, inter cætera recenſentes, qualiter exceſſus per nobilem virum LVDOVICVM de BAVARIA, olim, vt aſſerebatur, diſcorditer in Regem Romanorum electum, aduerſum Deum, & eandem Romanam Eccleſiam, ac felicis recordationis Ioannem Papam 22. prædeceſſorem noſtrum, per coaceruationem multiplicium & atrocium offenſarum nequiter perpetrati tuum præterire nequibant auditum; quos velut toti mundo notorios, nõ omnes (cum longa & prolixa nimis eorum narratio extitiſſet) ſed ex eis aliquos in eiſdem litteris prouidimus, vt ſequitur, recitandos. Idem namque LVDOVICVS contra proceſſus prædeceſſoris eiuſdem, & inhibitiones ipſius, de conſilio Fratrum ſuorum eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, factos & habitos, diuerſas ſpirituales pœnas & ſententias continentes, intrauit Italiam, & nonnullos hæreticos de hæreſi publice & notorie condemnatos, in conſortium publicæ participationis admiſit, & aſſerens hæreſes manifeſtas, ac fouendo ſecumque tenendo hæreticos publice dogmatizantes prædictarum hæreſum deteſtabiles & horrendos errores, hæretica quoque dogmata ſcienter, imo potius dementer approbans, & euidentiam approbationis huius, per diuerſas litteras ſigillo ſuo noto munitas, deduxit in aliarum diſcrimen nationum: ſibi etiam nomen Imperiale poſtmodum vſurpare, & adminiſtrare iura Imperii in eadem Italia & Alemania, contra proceſſus & prohibitiones prædictas, deteſtabili temeritate præſumpſit. Ex his, præter alias pœnas excommunicationis & anathematis ſententias incurrendo, & tandem auſus auſibus, & exceſſus accumulando exceſſibus, ſe conferre non expauit ad vrbem: vbi in illam nequitiæ prorupit inſaniam, vt meditatus vrbi & orbi vniuerſalis ſchiſmatis ſuſcitare diſpendium, quemdam hypocritam diabolicæ præſumptionis virum, nomine Petrum de Corbaria, velut abominationis horrendæ ſimulacrum, in Apoſtolica ſede pro Romano Pontifice ſtabilire moliretur.

Idque quantum in eo fuit, pro vi actum, fuit veneratus vt Papam, conſecrationumque, imo potius execrationum diadema Imperiale de facto recepit ibidem, vt de multis inſanis & aliis proceſſibus & deteſtandis exceſſibus per eoſdem LVDOVICVM & PETRVM præſumptione perpetratis hæretica taceamus.

Propter quæ dictus prædeceſſor præfatum LVDOVICVM fore à Domino denunciauit omni honore & dignitate priuatum, & in eum tantarum hæreſium & ſchiſmatum maculis irretitum, exercens gladium Apoſtolicæ poteſtatis, cum omnibus qui adhærerent eidem, vel præſtarent auxilium, conſilium vel fauorem, ſeu pro Romanorum Rege aut Imperatore ſcienter haberent, tenerent vel nominarent eumdem, non ſolum excommunicationis & anathematis, ſed etiam alias pœnas & ſententias, tamquam in fautores hæreticorum & ſchiſmatis promulgauit, & à iure declarauit prolatas, ſicut in diuerſis proceſſibus per præfatum prædeceſſorem habitis ſerioſius continetur. Super quibus quidem pœnis quantumcumque per ipſum LVDOVICVM promeritis, & in eum iuſto Eccleſiæ iudicio promulgatis, ſi vere pœnitens ſe humiliaſſet, ad gratiam, benignam reperiiſſet eamdem Eccleſiam, quæ ipſum tamquam filium prodigum de longinquo redeuntem, ad ſuum gremium apertis brachiis recepiſſet, imolatura pro eo in vbertate diuinæ laudis vitulum ſaginatum.

Rurſus adiecimus in litteris ſupradictis, quod quamquam tam prædictorum exceſſuum contra eorumdem proceſſuum, per dictum prædeceſſorem contra dictum LVDOVICVM exigente iuſtitia poſtmodum habitorum, notitiam habuiſſemus & etiam habemus, vt tamen ipſum à peccatorum nexibus liberatum de faucibus ſempiternæ mortis poſſemus eripere, poſtquam fuimus ad Apoſtolatus ſummi Apicem aſſumpti diuerſos Nuntios eius, diuerſis vicibus & temporibus ad nos miſſos receperamus benigne, ac pro reconciliatione ipſius per fructum veræ pœnitentiæ promerenda, prolocutiones varias habuimus cum eis, & tunc pendebat etiam ad proloquendum vlterius, terminis aſſignatis in quo proculdubio per nos non ſtetit, quominus vlterius fuerit, ſuper negotio reconciliationis eiuſdem proceſſum.

Quare, fili dilectiſſime, ſerenitatem tuam requirendam tunc duximus per eaſdem litteras, ac rogandam, vt prudenter aduertens, & in ſcrinium internæ conſiderationis adducens grauitatem pœnarum in quas inciderent, & ſententiarum quas incurrerent, quantiſque periculis & diſcriminibus ſe implicarent, qui præfato LVDOVICO ſic notorie & publice ab omnibus, hæreſis & ſic odioſi toti Chriſtianitati ſchiſmatis condemnato, antequam reconciliationis gratiam eiuſdem Eccleſiæ meruiſſet præcipitare præſumerent, ſibique impenderent auxilium, conſilium & fauorem, vel ſibi tamquam Imperatori vel Regi Romanorum reuerentiæ cultum, ſeu titulum, Regalis vel Imperialis nominis aſſignarent ſcienter, ac cuiuslibet participationi fœdera contrahendo cum ipſo, & exhibitione reuerentiæ & honoris ſibi tamquam Regi vel Imperatori, quouſque dictus LVDOVICVS reconciliationis eiuſdem Eccleſiæ meruiſſet gratiam obtinere, penitus te retrahere, & totaliter abſtinere curares: vt tibi famæ integritas, & illibata tui generis claritas ſeruarentur.

Cum autem rumor implacidus & admodum infeſtus ad nos perduxit his diebus, quod tu fili requiſitionibus & rogationibus noſtris vtique ſalutaribus, & de fonte prodeuntibus charitatis, non ſine detrimento tuæ ſalutis & famæ, quod dolenter referimus obauditis, non ſolum cum prædicto LVDOVICO, nondum eidem reconciliato Eccleſiæ, nec à pœnis & ſententiis quibus propter præmiſſa & alia multa grauia commiſſa, per ipſum prædeceſſorem noſtrum implicatus eſſe noſcitur, liberato, nec etiam proceſſus ſæpefati prædeceſſoris noſtri, per quos, vt præmittitur, aduerſus omnes & ſingulos cuiuſcumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, vel ſtatus, etiamſi Pontificali, vel Regali quacumque vel alia Eccleſiaſtica ſeu mundana dignitate fulgerent, præfato LVDOVICO adhærentes, ſeu præſtantes, directe vel indirecte, publice vel occulte, conſilium, auxilium vel fauorem, vel ſibi tamquam Imperatori aut Regi Romanorum reuerentiam exhibentes, ſeu titulum Regalis vel Imperialis nominis aſſignantes, ſeu aſſcribentes, graues ſpirituales ac temporales pœnæ & ſententiæ infliguntur, nequaquam relaxatis, imo in ſui roboris efficacia perdurantibus, participationes, confœderationes, ſibique adhærere, ac præſtare fauorem, auxilium & conſilium præſumpſiſti: imo, quod pernicioſius, proh dolor, & damnabilius noſcitur exiſtere (ſi veritas relationibus ſuffragetur) Vicariatus officium per totam Alemaniam & Germaniam, ac vniuerſas & ſingulas earum prouincias, ſiue partes, ab eodem LVDOVICO, ſub Imperialis nominis titulo (vt aſſeritur) ſuſcepiſti de facto: cum ipſe LVDOVICVS, nec Rex, nec Imperator, (vt præfertur) ſit, cuius prætextu nonnullis Prælatis Eccleſiarum, & perſonis Eccleſiaſticis in terris Imperii deſtitutis, ac in noſtra & Eccleſiæ memoratæ deuotione ac fidelitate debitis perſiſtentibus, ſub pœnis grauibus, per tuas ei litteras comminatas mandaſſe diceris, & diſtrictius iniunxiſſe, vt ad te tamquam eiuſdem LVDOVICI in Alemania, Germania, & partibus ſupradictis Vicarium, & audituri ſententiarum & iudiciorum ipſius LVDOVICI, tuorumque mandatorum rectitudinem, ac præſtituri eidem LVDOVICO, vel tibi eius nomine, recognitiones, homagia, de terris, bonis, & iuribus quæ tenent ab Imperio, conuenirent. De te igitur, fili, vt ſit tua tuorumque conſiliariorum prudentia, ex eo præſertim non ſufficimus admirari: quod cum tu (ſicut audiuimus) pro illorum repetitione iurium, quæ ad te aſſeris pertinere, non ſine grandium perſonarum periculis, ac expenſarum & ſumptuum profluuiis peregrinatus ſis ad partes Alemaniæ, & multos ſuper hoc feceris apparatus, nunc ſpretis eiuſdem prædeceſſoris proceſſibus, & deductis damnabiliter in contemptum pœnis & ſententiis ſupradictis, quibus te manifeſte (ſi quæ nobis referuntur, vera ſint) non abſque horrenda nota, quæ non parum obfuſcat tui claritatem generis, quam proculdubio multiplicaſti. Et nihilominus, quamuis nos te numquam offenderimus, nec contra te aliquid fecerimus, quamquam & intelleximus falſo & fallaciter ſuggeſtum tibi per eos, qui te, ſalutem, & honorem tuum minime diligunt, fuerit: quod nos chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Regi Franciæ Illuſtri, in auxilium guerræ ſuæ, ingentem pecuniæ quantitatem, de noſtra camera dederamus:

*quodque inſtitutionem perſonarum Eccleſiaſticarum eidem conceſſeramus in omnibus Eccleſiis Regni ſui, quæ omnimoda carere veritate noſcuntur.*

*Talia namque numquam fuerunt poſtulata à nobis, nec ea conceſſiſſemus quomodolibet, cum quantacumque inſtantia petita fuiſſent. Nec decimas contra te Regi Francorum conceſſimus, ſed aduerſus Teutonicos Ludouico adhærentes, prædictæque ipſius Eccleſiæ Romanæ inimicos, qui ad inuaſionem Regni Franciæ, ſe (vt habebat rumor publicus, & notorius) diſponebant: ſicut in conceſſione decimarum ipſarum continetur expreſſe. Non fuit nempe noſtræ intentionis aduerſus te fomentum miniſtrare diſcordiæ, vel eos alicuius ſubſidii adminiſtratione fulcire. Quinimo ſtatum Regni tui, & etiam Regni Franciæ, pacis & concordiæ proſperitate & vnanimitate potiri ſummis deſideriis affectantes ad hoc Serenitati tuæ & dicto Regi Franciæ per nos ſæpe directis litteris, & etiam Nunciis, videlicet ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ad partes illas de latere noſtro miſſis, votis ardentibus laborauimus, & laborare non ceſſamus, nec ceſſabimus, vt inter te & Regem eumdem, & vtriuſque Regem pacis & vnitatis ſerenitas illuceſcat.*

*Tu tamen, fili chariſſime, fide (vt videtur) adhibita prædiis falſis ſuggeſtionibus & mendoſis, te noſtrum & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ perſecutorem & hoſtem, inuadere ac occupare honores & iura noſtra, ac eiuſdem Eccleſiæ, (ad quos regimen & adminiſtratio Imperii Romanorum, eo vacante, ſicut nunc vacare noſcitur, pertinent pleno iure) moliri, moleſtando Prælatos & perſonas Eccleſiaſticas in noſtra & ipſius Eccleſiæ deuotione ac fidelitate debitis, vt præmittitur, perſiſtentes, ipſoque ad obedientiam dicti Ludouici, de diuerſis (vt præmittitur) hæreſibus & ſchiſmatibus, aliiſque criminibus ſententialiter condemnati, ac iure Regio & Imperij (ſi quod ad eum forſan competierat, vel competebat) iuſto Dei & Eccleſiæ iudicio priuati, ac præſtationem huius recognitionis & homagii ſibi vel tibi eius nomine faciendam attrahere, & inducere coactiuis impulſionibus, & commonitionibus ſatagendo.*

*Vtinam fili, antequam te his tam periculoſis & deteſtandis inuoluas amplius, attente conſideres, & matura deliberatione præuia conſtituas ante oculos mentis tuæ, circuitus periculoſos & nodoſos laqueos, quibus te ſubtilibus ingeniis & fraudibus exquiſitis, aliqui de ſuis potius quam te tuis ſolliciti negotiis & commodis præmiſſis inuoluere, tibique onus quod à ſe quodammodo reiicere cupiunt, non nimis leue, ſi diligenter circumſtantias attenderis, imponere moliti ſunt, & non ſine periculo tui præcipitij moliuntur.*

*Nec te latere volumus, quod præfatus prædeceſſor olim per quamdam Conſtitutionem ab ipſo de dictorum Fratrum ſuorum editam conſilio, in omnes & ſingulos, cuiuſcumque ſtatus, dignitatis vel conditionis exiſterent, etiamſi Patriarchali, vel quauis alia ſuperiori, aut Pontificali, vel Regali dignitate fulgerent, qui abſque ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, Vicarii, ſeu cuiuſcumque alterius officii nomen in prædictis terris Imperii, eo vacante, ſicut tunc vacabat, & nunc etiam vacat, vt præmiſſum eſt, aſſumere, vel aſſumptum vltra terminum duorum menſium præſumerent retinere, ſeu dimiſſum reaſſumere quoquo modo, inobedientes, ac non parentes, & intendentes eiſdem, excommunicationes & alias graues ſententias promulgauit.*

*Nos itaque qui erga te fili claudere viſcera paternæ dilectionis nequiuimus, & cordis dolore tangimur intrinſecus, cum talia percipimus ad te tuumque honoris ſtatum, ſalutis & famæ diſpendium machinari, tuam rogamus magnificentiam, requirimus, & in Domino attentius exhortamur, ſano paternoque tibi nihilominus conſilio ſuadentes, quatenus ea quæ præmiſimus, & alia quæ circa illa tibi poſſunt occurrere, deducens in rectæ deliberationis & diſcuſſionis examen, ac inſuper tenens certius & attendens, quod dictus LVDOVICVS (vt præmiſimus) nec Rex, nec Imperator, eſt, nec aliqua quæ ipſe fecerit, vel faciet, quamdiu fuit & erit dictis proceſſibus ac pœnis & ſententiis irretitus quicquam valuerunt, vel valent: nec ſunt aut fuerunt alicuius auctoritatis, roboris vel momenti: quodque tibi periculoſum eſt, & multipliciter formidandum, te bellorum ſubiicere diſcriminibus: maxime ſi omnibus ſupra dictis proceſſibus, pœnis & ſententiis, (à quibus liberari non poſſes, niſi duntaxat per ſedem Apoſtolicam, quæ abſolutionem earum ſibi expreſſe retinuit) inuolutus ac Dei & eiuſdem Ramanæ Eccleſiæ perſecutor & hoſtis effectus, à quibus te miſericordiarum Dominus protegat & defendat.*

*Conſiderânſque præterea diligenter, quod licet humanum ſit peccare, in peccatis tamen perſeuerantia diabolica eſt cenſenda: quodque à præmiſſis ſingulis ſic horrendis deuiis, ad illa forſan declinaueris ſerpentina deſceptione ſeductus, antequam inualeſcant pernicioſius ſeu in conſpectu Dei & hominum fœteant deterius & putreſcant, cupimus te reſilire penitus, pedeſque tuos ad viam rectam, Deo placitam, ac tuo ſtatui, ſaluti, honori congruam dirigere, quam, vt decreta poſtponas eorumdem Cardinalium, qui te ſtatumque tuum ſincere diligunt, ſuper reformatione pacis inter te dictumque Regem mutua, placabili Deo & hominibus amabili acquieſcens.*

*Videtur equidem, quod etiamſi prædicti valeret Vicariatus aſſignari, tamen tuum, (qui tam magnus, tantuſque Rex & Princeps exiſtis, tantoque nomine ac titulo Regio exiſtere noſceris inſignitus in orbe) non deceret honorem, quod nominareris Vicarius alicuius Domini temporalis, quanto minus igitur tuam decuit vel decet excellentiam illius Vicarium appellari, qui auctoritate nulla (vt ſæpe dictum eſt ſuperius) præeminet: Sed proh dolor, tantorum exiſtit labe reſperſus criminum, tantiſque grauibus pœnis & ſententiis, cum omnibus ſibi adhærentibus implicatus: ſciturus, fili amantiſſime: quod ſi his monitis noſtris ſalutaribus acquieueris, cum effectu. tibi ſic impulſo vt caderes, manum benignam porrigemus, quantum cum Deo poterimus ſubleuantem.*

*Alias autem non poterimus deſiſtere, cum id à nobis exigat officium Apoſtolicæ ſeruitutis, quominus ſuper prædictis prouidere de optimis remediis, procedendo contra te (quod moleſtum, & graue nobis erit admodum) ſi neceſſe (quod abſit) fuerit, prout exigente iuſtitia deb.bit & poterit fieri, procuremus. Dat. apud Auinionem, &c.*

VI. Episcopvs Bisanien. Edvardi ad Venetos orator.

Hæc Benedictus Pontifex, Edouardum Regem monebat. qui, ſiue admonitioni Pontificiæ concederet, ſiue quod in pugnam Gallos elicere non poſſet, ſiue quod auxilia maiora, tam à Venetis, quam à Ludouico Bauaro fruſtra expectaſſet, nullo operæpretio facto, à Cameraco in Flandriam ſuos ex hoſtico deduxit. Enimuero per id temporis Edouardus Oratorem Epiſcopum Biſanienſem nomine Richardum Venetias ad ſenatum miſerat, qui maritima auxilia aduerſus Philippum Regem cui Genuenſes Venetorum æmuli fauebant peteret. Multa is nomine Regio ſenatui pollicitus, inque ſuperbiam Gallorum inuectus, qui magnam Anglici regni partem in Aquitania, in Morinis, armis incuſſis occupaſſent, Venetos orabat, vt quadraginta longarum nauium claſſe ad repetenda amiſſa Regem nauali indigentem ope iuuarent: paratum Regem aſſerentes ad ſoluendum, quicquid auri in ea inſtruenda Veneti expendiſſent. Legato Regio ex decreto ſenatus ita reſpondiſſe Princeps fertur:

Responſ. Venetorvm ad petita Regis Edovardi.

*Maximo Patres affi i dolore, propter ſummam in ambas Regias maieſtates obſeruantiam, de vtriuſque Pprincipis diſcordia. Proinde Deum Opt. Max ſummis precibus orare, vt ſua clementia ſedatis animis ad pacis ſtudia Regias voluntates ab armis diuerteret. Quoad claſſem petitam, dolore Patres in hac re Maieſtati ſuæ ſatisfacere non poſſe, quum à Turcarum incurſibus maris Imperium aſſidue impetatur: ad quorum impetus coercendos valida claſſe opus eſſe. Et niſi maritimas vires Veneti his obiicerent, Chriſtianorum res in fœdas ſæpe clades incidiſſent. Sua igitur Maieſtas Venetos his cauſis excuſatos haberet: In reliquis fortunas publicas & priuatas ſenatum ſincera obſeruantia Anglico nomini offerre. Ita Veneti Legato reſponderunt: quod à Legatis ſuis Auenionem miſſis edocti, ſcirent Pontificem Benedictum ægre laturum, ſi vires ſuas Anglo commodaſſent.*

VII. Legatio Venetorũ pro navigandi in Ægyptvm et Syriam licentia.

Agebant Auinione apud Pontificem, Marinus Falerius, & Andreas Cornelius Oratores, ea de cauſa à ſenatu deſtinati. Miſerant anno ſuperiore ad Sultanum Babyloniæ Regem Nicolaum Zane nuncium, qui cum eo ageret, vt Venetis triremibus comerciorum cauſa Alexandriam petentibus, tutus in Ægyptum nauigationis curſus pateret. Impetrauit à Rege Barbaro quod





petiit. Cæterum quod illicitum foret, Chriſtianis cum Barbaris negotiationem habere, cum Chriſtiana profeſſione infidelium commercia prohibita eſſe videantur, huius Ægyptiacæ negotiationis à Romano Pontifice confirmationem obtinere cupientes, eam Legationem viris illis duobus demandauere. Impetrarunt à Benedicto non difficulter, vt per quinquennium liceret Venetis, cum ſex triremibus circa Alexandriam, Ægyptique littora negotiari. Cum etiam poſt biennium, à ſummo Pontifice, Syriacæ nauigationis poteſtatem impetraſſent: ex quibus plurimum ditati, tum primum ex Oriente in Italiam, aromata, ſericum, gemmas & vniones, cum maximo publicarum priuatarumque rerum quæſtu & incremento detuliſſent. Ad Ægyptiacam nauigationem duæ naues onerariæ primum exiuere, quibus Superantius eiuſdem cognominis præfuit, ac Petrus Iuſtinianus Conſul cum his miſſus, vt Alexandriæ apud Sultanum Regem Venetis negotiatoribus in iuredicundo præeſſet. *Petrus Iuſtin. libr. 4. rerum Venetarum.*

Aromata, sericvm, et gemmæ primvm in Italiam a Venetis invectæ.

VIII. Lvchini Vicecomitis, Mediolanensiũ præfecti vxoris adulteria et scelera.

Præerat id temporis reipub. Venetæ Andreas Danduluſ, à ſingulari comitate Comiſinus nuncupatus, Iſabellæ Luchini Vicecomitis Mediolanenſium Præfecti vxoris commercio aſperſus. Rem narrabo, non tam ad probrum gentis, quam ad cantelam virorum: ne faciles ſint ad obſequendum muliebri Imperio, ſeu mauis cupidini.

Nupſerat Luchino Iſabella cognomento Fuſca, è Fliſcorum gente, apud Ligures apprime nobili, duobuſq; præſertim Pontificibus Innocentio atque Hadriano, purpuratiſque ſupra triginta ſenatoribus longe clariſſima, vnde illa faſtum atque inde luxuriem parum verecundo geſtu oreque præferebat.

Hæc nobiles Inſubrum fœminas, matronaſque, forma, lepore, mundiciis, atque vna præſertim vteri fœcunditate, qua Luchinus felix videri potuit, anteibat. Primo enim partu Luchinum nouellum, ſecundo Vrſinam, tertio gemellos mares eximiæ indolis Borſium & Foreſtinum, rara quidem felicitate pepererat, niſi tantam prolem ex inceſto concubitu concepiſſet. Galeacium enim formæ dignitate cunctos mortales ſuperantem, laſciue adamatum ab ea conſtat: vbi aliquot poſt annos defuncto iam viro, in extremo vitæ actu pie ingenueque confeſſa eſt, vt animum eo piaculo liberaret, vel cum certo infauſtæ prolis exilio, vt tanti ſubinde Imperii hæreditas ad legitimos ſucceſſores verteretur.

Cæterum ſuopte ingenio procax & leuis mulier, exulante Galeaceo, & viro ex podagra decumbente, quum ſpectare Venetias cum ſitu ſtupendas, tum celebri feſto Aſcenſionis Chriſti naualibus ludis, & priuatarum publicarumq; opum oſtentatione mirabiles concupiſſet, importunæ vxori Luchino cu ɛta concedente, haud difficulter impetrauit, vt ornatiſſima claſſe per Padum deueheretur, delectis in comitatu fœminarum nobiliſſimis, quibus & ambiguus ineſſet pudor, nec viri earum tuendæ pudicitiæ cura tangerentur. Luxurioſiſſimę nauigationis is exitus fuit, vt cum inſigni probro poſtratæ pudicitiæ apud Vgolinum Gonzagam, Dandalumque Veneti ſenatus Principem redierit, pari infamia deflagrantibus nonnullis illuſtribus fœminis ex comitatu, quum à pudicis pariter atque in eodem crimine maculoſis leuitate muliebri per mutuas delationes ſingularum adulteria proderentur.

Hoc tanto inexpiabilis infamiæ vulnere percuſſus Luchinus, ita flagitii iniuriam tulit, vt non obſcura parati ad vindictam animi ſigna, contractæ frontis querela, demorſiſque ſæpe vnguibus oſtenderet. Itaque Fuſca expedito ingenio, non impudica modo, ſed etiam truculenta mulier, pœnæ metum celeriter anteuertit, ægrumque adhuc coniugem veneno lento atque tabifico præoccupauit, nullo tum extante ſceleris veſtigio, quum plane maturatus ægri ſenis obitus, ad nouum inſurgentis morbi impetum facile referretur.

Borſius & Foreſtinus, detecto matris Fuſcæ inceſtu, tamquam ex damnato nati concubitu, hic tetro in carcere, ille vero fuga elapſus, exilio perierunt. Eandem exilii fortunam tulit nouellus, qui nequaquam animo degeneri militię aſſuetus propinquorum ſuorum hoſtibus ſemper adhæſit. *Paulus Iouius in Luchino.* Sed ad Benedictum Pontificem reuertamur, quem hoc anno, tres Reges Auinione conuenerunt.

IX. Tres Reges Benedictũ Avenione convenivnt.

Imprimis Robertus Siciliæ Rex, proſpiciens reipublicæ Chriſtianæ incommoda, ex bellis inter Gallum & Anglum exortis, Pontificem & Cardinalium cœtum, vt pacem inter duos potentiſſimos Monarchas firmarent, obſecrauit. *Froſſardus hiſt. lib. 1.*

Aduenit & Alfonſus Aragonum Rex, Petro patruo, & Tarraconenſi Archiepiſcopo, aliiſque proceribus comitatus. Ad Druentiæ tranſitum, viginti duo Cardinales illum excepere: Auinionem ingredientem Iacobus Balearicus. Rex præiuit, medium inter Neapoleonem Vrſinum Collegii ſacri Decanum, & Cardinalem Conuenatem. Cauſa aduentus expoſita, Pontificis maximi beneficio iura regni Sardiniæ & Corſicæ, Sacramento interpoſito recepit, atque cenſum ſanxit. In reliquis non ex æquo poſtulatis, non exauditus, ipſo die quo iuramentum homagii præſtiterat, Villamnouam regreſſus eſt.

Poſtulauerat inter alia confirmationem pactorum cum Iacobo Balearico initorum. Quæ cum potius extorta, quam ſponte conceſſa, Iacobus apud ſedem Apoſtolicam quereretur, ſuaque iura, Regis iniquitate & iniuria imminuta fuiſſe affirmaret, Benedictus ne quicquam Alfonſo ea in re conceſſit.

Exinde reuertens Petrus Regis patruus, quod iam diu à ſplendore populari, & ambitione remotus, rerum diuinarum contemplationi deditus eſſet, paulatim à conſuetudine rerum publicarum ſe voluit abſtrahere. Quo etiam anno, Iulio Menſe, cum Archiepiſcopus Tarraconenſis, & omnes eius prouinciæ Epiſcopi prouinciali Conſilio adſiderent, vt de ſubſidiis Eccleſiaſticis Regi conferendis deliberarent, Regeſque, & Aragonum & Balearium Reginæ, & Elicſendis Regina vidua, Cardinalis Rhodenſis Hiſpaniarum à ſede Apoſtolica Legatus, Petrus & Raymundus Berengarius Regis patrui Iacobus Vrgellitanus Comes, & Ferdinandus Balearici Regis frater germanus in ea celebritate comparerent, corpus S. Eulaliæ ſacra pompa ſolemnique religione, ſub maxima ara, in ſanctius ſepulchrum tranſlatum eſt. *Surita lib. 3.*

Translatio corporis S. Evlaliae.

X. Insignis Hispanorvm de Mavris victoria.

In Hiſpaniis hoc anno, partim lætitia ex recepta parte victoriæ, partim metus ex impendente maiore vi Maurica ex Africa. Excurſione facta Mauri, non modicis damnis Chriſtianos affecerant, & iam præda graues domum reuertebant: cum hos Magiſter Alcantaræ diurno nocturnoque itinere ad Arcobrigam, lento agmine incedentes aſſecutus, ad vnum omnes aut cœpit, aut trucidauit: ac præda omni ablata, lætus ſucceſſu Abomelicum ipſum non contemnendis copiis præfectum, virtute ſuorum Numiniſque præſidio fretus inuaſit, & profligauit.

Abomelicus ipſe pedibus fugiens, vt in repentina trepidatione, pro gregario milite obtruncatus occubuit: Aliatar propinquus in acie cecidit: Mauri ad decem millia perempti: Chriſtiani caſtris hoſtium impedimentiſque potiti. Abomelici caſu ingens luctus Africam occupauit: patrem inprimis permaxime: immatura morte præreptum præſtare non potuiſſe qualem promiſerat Regem querebantur. Eo ardentius ad vltionem inflammatis omnibus expeditionem Hiſpanicam maturabant, ingentes delectus tota ditione habiti. Certi homines per vniuerſam Africam dimiſſi, qui ſimulata ſanctitate ſpe diuini numinis promerendi, religionis patriæ vindicandæ facta, eas gentes ad capienda arma incitarent. Incredibilis concurſus Maurorum fuit: equites ſeptuaginta millia, pedites quadraginta: cum quanta multitudine ſatis conſtabat, neminem

Mavri vltvri Hispaniam cũ ingenti exercitv repetvnt.

priorum Regum in Hiſpaniam veniſſe. Claſſis comparata nauium ducentarum & quinquaginta, triremium ſeptuaginta. Alfonſum Caſtellæ Regem eius belli defendendi cura ſolicitum, nouus dolor excepit. Nunnius Alcantaræ Magiſter multis criminibus appetitus, vero an falſo non facile dixerim, ſed Madritum tamen in ius à Rege vocatus, diffidentia cauſæ, an Eleonoræ Guſmaniæ fraudibus, potentiæque vt par eſſet veritus regium imperium contemnere viſus eſt. Scelus ſcelere cumulatum; Granatenſi Regi ſeſe adiunxit. Præterea claſſis Aragoniæ Præfectus, ad Alegeziræ litus exſcenſione facta, in tumultuaria pugna ſagittæ ictu confoſſus eſt. Socii cum claſſe quaſi infauſtam militiam auerſati, ſeſe retulerant in patriam.

Vtrumque rationes Regias vehementer conturbauit. Nunnii tamen Magiſtri conatus, celeritate Rex occupauit. Intra Valentiam veteris Luſitanæ oppidum circumſeſſum captumque lege maieſtatis damnauit, & ignis ſupplicio addixit, vt pœnæ magnitudo reliquis documento eſſet.

Noua formido interim Regem perturbauit. Tenorius Præfectus, quaſi culpa ſua ſteriſſet, quod Albohacenus vniuerſas copias Maurorum, impune ad Algeziram expoluiſſet, proditionis à populo accuſatus, non potens ferre contumeliam illatam, feroci animo cum vniuerſa claſſe hoſtium dimicare auſus, inſignem cladem accepit. Periit ipſe: claſſis Regia oppreſſa: quinque tantum triremes celeri fuga Tariſſam euaſerunt. Ex eo Regis animus ancipiti cura ſuſpenſus erat. Hinc metus vrgebat, ne exitium immineret Hiſpaniæ, inde gloriæ cupiditas incitabat. Hiſpali, vbi bello comparando intentus erat, Epiſcopis & proceribus in Regiam vocatis, de belli ſumma deliberare conſtituit. Ad ſiniſtram corona, ad dexteram gladio poſitis, è ſublimi loco ſolioque reſidens hac ſententia orationem dixit.

ORATIO REG. CASTELLÆ AD PROCERES.

*Quanto in periculo res publicæ & priuatæ ſint, viri amici atque cognati perſpicitis. Quo in ſtatu res noſtræ ſint, vos ignorare non arbitror. A prima ætate cum regno continentes labores, & moleſtiæ vexarunt. Sic cœlo placitum, tameiſi noſtra peccata innocentium calamitate expiari graue eſt. Vix inteſtinis motibus pacatis, bellum externum excepit, eorum quæ pertulit Hiſpania grauiſſimum. Aerarium inane eſt. Prouinciales nouis ſubinde vectigalibus feſſi, ad mentionem noui tributi irritantur. Paciſci forte cum hoſte placet? Sed infido hominum generi, nihil ſanctum eſt. Externa auxilia aduocentur? Verum. Sed finitimi Reges noſtro periculo parum mouentur. Rebus aſperis cœleſte numen aderit? Sed noſtris ſceleribus irritatum, vereor ne deſerat. In tanta difficultate conſilia explicare, noſtræ prudentiæ non eſt. Collatis ſententiis quid erit faciendum, pro veſtra viri præſtantes prudentia putate. Quo maior libertas ſit, è conuentu diſcedam ipſe. Vos in ſententiis dandis, ne huic coronæ Regiæ exitium, neue huic gladio dedecus afferatur, Hiſpanique nominis gloria ludibrio ſit, conſiderate.*

Rege digreſſo magna inter Proceres diſceptatio fuit. Prudentioribus aduerſus hoſtium potentiam, Regem fore parem non videbatur: paciſcique cum Mauro honeſta aliqua conditione ſatius fore iudicabant. Plerique ferocius bellum decernere, decoris & gloriæ auidi: in pace ſummam ignominam fore, ad barbari arbitrium quod neceſſe erat conſtituræ. Hæc vicit ſententia. Conuenit tamen, vt Aragonios & Luſitanos miſſis legationibus ad ſociandas vires ſolicitarent, vtque Benedictum Pontificem pro ſubſidiis temporalibus & ſpiritualibus interpellarent. Claſſis ad S. Luciferi portum refecta eſt, eiuſque cura Calderoni priori Hoſpitalario demandata. Remiſſa ab Aragonio claſſis, Petro Moncada Præfecto. A Genuenſibus quindecim triremes miſſæ, Regis Caſtellæ ſumptibus. Ad Romanum Pontificem, Ioannes Leiua ea de cauſa Legatus, delictorum veniam iis concedi impetrauit, qui ſacram militiam tribus menſibus ſuis ſumptibus toleraſſent. Eius euulgandæ cura, Ægidio Toletano Præſuli, à Benedicto demandata. *Mariana lib. 16. cap. 6. & 7.*

XI. Aerario augendo, Alfonſus Rex Caſtellæ, præter voluntatem ſummi Pontificis, vniuerſo Hiſpaniarum clero repugnante, fructus beneficiorum Eccleſiaſticorum Apoſtolicæ ſedis, per iniuriam occupauerat, ſuoſque fecerat. Non tulit eam iniuriam Benedictus ſed hominem ſacrilegii redarguit, vtque ablata in Regnis ſuis reſtitueret, admonuit: poſt reſtitutionem duntaxat ſubſidia habiturum. *Epiſt. 277. & 14.*

BENEDICTVS ALPHONSŪ SACRILEGII REDARGVIT OB ECCLESIAST. BONA OCCVPATA.

XII. Eodem anno, cum Hungariæ regnum, à Tartaris, non modica damna accepiſſet, & grauiora indies metuerentur, Benedictus Pontifex vt alacriores ad pugnam contra hoſtes fidei Chriſtianæ faceret, ad id ſacrum bellum vel proficiſcentibus vel opem corrogantibus, indulgentiam peccatorum permaximam conceſſit. *Epiſt. 61.*

XIII. In Galliis, pro reformatione Eccleſiarum aliquas leges pro id temporis ſanxerat Benedictus. quæ, quod cū dignitate S.R.E. Cardinalium minime conuenirent, ab earum obſeruatione eoſdem exemit. *Epiſt. 33.*

XIV. In vrbe Romana, S.P.Q.R. noua quædam vectigalia, & portoria, atque quas vocant gabellas, citra voluntatem ſummi Pontificis & Apoſtolicæ ſedis, impoſuerant vniuerſis. Hæ exactiones quod inuito Benedicto, in graue præiudicium Vrbanorum decretæ fuiſſent, illas Benedictus abrogauit. *epiſt. 31.* Cum autem in aſſequendis Eccleſiaſticis beneficiis atq; dignitatibus, imprimis, ex præſcripto Apoſtolico, admittendi probarentur, num ſcientia & vitæ integritate tanto muneri ſeſe dignos exhiberent: atque plurimi rerum Eccleſiaſticarum minus gnari, alios loco ſui ad examen, per ſummum dolum ſupponerent: Benedictus in eos qui loco ſui alios ad examen ſupponunt, excommunicationis ſententiam tulit. *Epiſt. 25.*

XV. BENEDICTVS ECCLESIASTICOS ANIMAT AD EVVLGANDA PONTIF. CONTRA LVDOV. EDICTA.

In Germania, cum anni ſuperioris Francofor. edicto vt nullus ſedis Apoſtolicæ litteras aut reciperet, aut exequeretur, ſine Diœceſanorum loci licentia: multi perterriti à publicandis tum Ioannis 22. tū Benedicti Pontificis edictis auerterentur; Benedictus auctoritate Apoſtolica ad euulganda illa omnes Eccleſiaſticos animauit. *Annal. Redborſii.*

Factum, vt Ludouicus Bauarus ab ea publicatione, ſpiritus ferociores depoſuerit, & nonnulla ex æquitate fecerit. Namque filios Rudolphi fratris ſui Comitis Palatini Rheni (quem bonis exutum, in Angliam fugauerat) Rudolphum, Adolphum & Ropertum ad ſe euocauit, & paternam hæreditatem illis reſtituit, interque eos diuiſit, dicens: Pater in me peccauit, non filii, æquum igitur non eſt, alieni eos ſceleris pœnam ſubire. Ex his Rupertus gymnaſium vniuerſale Heidelbergenſe primus fundauit, quod Benedictus Papa confirmauit. *Chron. Hirſaugien. hoc anno.*

XVI. LVDOV. FOEDVS CVM GALLORVM REGE INIT ANGLO RELICTO.

Idem quoque Ludouicus familiaritatem cum Philippo Rege Galliarum contraxit: ſiue quod ab Angelorum Rege Edouardo pecuniæ illi promiſſæ non numerarentur, ſiue quod ſperaret, ea ratione ſe poſſe facilius, Pontifici Benedicto & Eccleſiæ Romanæ conciliari, & tum abſolutionem à cenſuris, tum titulos Regis & Imperatoris obtinere. *Redborſius ſupra.*

Paulus Aemelius eam rem ſic accidiſſe memorabat. Anglus relicta Gandaui vxore Regina, ac Salbetienſi, in Angliam redit, ad rem nummariam expediendam, ex qua iam laborabat: quam fortunam oblatam Francus non omiſit; ſed ad filiam ſororis, vxorem Ludouici Bauari, Oratores inclytarum familiarum miſit, eamque Reginam, Auguſtamque, quod ad eam diem non fecerat, ſalutauit. Petiuitque, vt Ludouicum maritum Franco nomini, ipſa Frācico ſanguine orta conciliaret. Inter Francos Reges, & Germanos vetuſtiſſimum fœdus intercedere, quod ipſe ſanctum & immortale optaret. Bauarus, cum Anglus quod conuenerat aurum non penderet, cum Francus amicitiam poſtularet, fœdus cum hoc percuſſit. Angloque Vicarii nomen & ius abrogauit. *Aemil. lib. 8. in Philippo Valeſio.*





XVII. Ibidem in Germania, flagrantibus adhuc animis Chriſtianorum erga Hebræos, ſacræ Euchariſtiæ anno ſuperiore violatores, publicata Conſtitutione Clementis V. Ex graui. de vſuris, Iudæi multum fuerunt inquietati; quia conueniebantur in iudicio de reſtitutione vſurarum: & niſi eſſent ſorte contenti, ac vſuras reſtituerēt, fideiuſſores iudicialiter abſoluebantur, & inſtrumenta ac obligationes ſuper vſuris ſoluendis caſſabantur. Fuerat magna diſcordia inter aliquos magnates pro defenſione Iudæorum: ita vt tandem Emicho Epiſcopus Spirenſis prohibuerit, ne deinceps Iudęi pro vſuris inquietarentur. *Naucler. generat. 45.*

XVIII. PONT. PETITA À REGE DANIÆ CONCEDERE RECVSAT.

In regno Daniæ, Proceres & magnates, Comitio indicto, ex Senatus decreto dignitatem Regiam Chriſtophoro Regi abrogauerant, quod impotenter ſatis imperaſſet. In eius locum ſuffragiis communibus Magnum, Suetiæ, Gothorum, & Noruegiæ Regem Daniæ elegerant, ac ſolemni iureiurando ſeſe illi omnes aſtrinxerant. Is, cum nonnullos tyrannos clerum & populum Sclauiæ crudeliter opprimentes, partim armis, partim perſolutis XXXVI. millibus marcharum puri argenti in ordinem redegiſſet, eieciſſetque, terramque Scaniæ, quaſi clauem & ianuam regni ſui exiſtimaret, poſtulabat illam ſibi ac poſteris ſuis in perpetuum Apoſtolica auctoritate confirmari; poteſtatemque cōcedi, vt alias terras poſſet è manibus tyrannorum eripere, atq; regno adiungere: quod nullo vnquam tempore fuerit imperio ſubiectum, ſed dumtaxat Romanæ Eccleſiæ vectigale.

Pollicebatur Magnus, ſe in obſequio ſedis Apoſt. fore cenſumq; conſuetum ſingulis annis Romano Pontifici, more aliorum perſoluere. Noluit Pontifex aut confirmare, aut concedere quicquam poſtulanti, quod diceret, non eſſe conſuetudinis ſedis Apoſtolicæ, quicquam alicui iniuſte, neque citata parte detrahere. Monebat interim illum, vt ab indeuotorum eiuſdem Eccleſiæ ſocietate, confœderatione, communioneque recederet, nullumque eis, auxilium vel fauorem impenderet, ne pœnis & ſententiis, contra ipſos prolatis, propter eorum participium inuolueretur. *Auin. x. Calend. Febr. anno quinto.*

Ex Oriente, hoc anno, Auinionem, ad Benedictum Pontificem, Barlaam Monachus venit, & in publico Patrum conſeſſu, quid cum Imperatore Andronico, & Patriarcha Conſtantinopolitano, nec non cum reliquis Græcis ſchiſmaticis, pro vnione eorum cum Eccleſia Romana egiſſet, expoſuit. Præcipua illi fuerat, de proceſſione ſpiritus Sancti, cum mentalibus controuerſia.

BARLAAM PON. APOCRYSARIVS EX ORIENTE AVENIONEM REDIT.

Hi errorum inueterati negabant, Barlaam aſſerebat, non tantum ex Patre, verum etiam ex Filio procedere. In eius dogmatis demonſtrationem, cum alia argumenta ex ſcripturis & Patribus Græcis antiquioribus deprompta adduxiſſet, tum etiam inſcriptiones Vecchi Patriarchæ Conſtantinopolitani attulerat. Neque enim ex Vano, Gregorius Palamas, antagoniſtes Barlaami, illis inſcriptionibus opponebat.

VECCVS PATRIARCHA CONSTANTINOP.

Fuit Veccus excellentis ingenij vir, Patriarcha Conſtantinopolitanus tempore Michaelis octaui Imperatoris Palæologi, illius qui in ſecundo Lugdunenſi Concilio Anno Domini 1274. Summa virorum frequentia celebrato, tempore Gregorij X. interfuit, atque coniunctionem Eccleſiarum mirum in modum procurauit, his tribus vltro citroque datis, & acceptis conditionibus.

I. Vt Græci ſummi Pontificis honorificentiſſimam mentionem in ſacro facerent, atque pro ſalute illius cœleſte numen exorarent.

II. Vt appellationem ad eundem factam, non impedirent.

III. Vt Romanam Eccleſiam, Caput omnium Eccleſiarum agnoſcerent. Hic Michael Imperator, cum Græcos nolentes ad Romanam & Catholicam Eccleſiam ſeſe adiungere, variis modis, bonorum publicatione, relegationibus, carceribus, excæcatione, flagris, mutilationibus, & aliis ſimilibus pœnis multaret, & Veccum quoque adhuc ſuo edicto aduerſantem, cum omnibus fere ipſius conſanguineis in teterrimos carceres coniectum, ad ſanam mentem redire vehementer cuperet, quod maximæ auctoritatis & non vulgaris doctrinæ virum cenſeret, librum Nicephori Blemidæ, qui de hac præſertim controuerſia ante 25. annos egregie diſſeruerat, & multa accurate à ſacris Doctoribus excerpſerat, illi ad legendum obtulit. quem cum ille ſtudioſe lectitaſſet, & cum monumentis antiquiorum Patrum Græcorum contuliſſet, præter omnem ſui expectationem, ad verbum veriſſime ea citata eſſe manifeſto comperit: atq; ita tandem mutata ſententia, cum Romana Eccleſia cōſenſit; priſtinæ dignitati ab Imperatore reſtitutus, & ad intima Conſilia Michaelis admiſſus, adeo vt ſine eo nihil prorſus ageretur.

Ea teſtimonia, dictaque ſanctorum, ex accurata lectione vehementer ipſe auxit, ac mirifice præſentibus inſcriptionibus illuſtrauit, atque exornauit, vt digna viſa fuerint, Barlaamo Monacho, quæ Palamæ Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, omnium Schiſmaticorum ore loquenti opponeret.

Placet in gratiam Græcorum, vt veritatem quandoque Romanæ Eccleſiæ agnoſcant & amplectantur, eas inſcriptiones Vecci, cum oppoſitionibus Palamæ, ſed iam à Beſſatione Cardinale Nicæno doctiſſime refutatis, producere: ex interpretatione Doctiſſimi & de re Eccleſiaſtica meritiſſimi, Petri Arcudij Corcyrenſis, SS. D N. Papæ Clementis apud Ruthenos apocryſarij amicorum in vrbe optimi.

XIX. Ioannis Vecci Conſtantinopolitani Patriarchæ inſcriptiones in ſententias ſanctorum Patrum, quas de proceſſione ſpiritus Sancti collegit. Petro Arcudio interprete.

*In primam collectionem prima inſcriptio.*

*Sententias varias literis conſignatas collegimus, quibus oſtenditur ſpiritum Sanctum ex Filio quoque eſſe. Poſt quas, in præſenti libello alias ſubſternimus, ad probandum, ſpiritum Sanctum ex patre eſſe per Filium. Et quoniam illæ quidem ex Filio hæ autem per Filium eſſe ipſum demonſtrant, ad declarandam æqualem vim præpoſitionum Ex & Per, continenter ſtatim alias ſententias ſcriptas ſubijcimus, quibus has præpoſitiones idem valere oſtenditur.*

*Gregorij Palamæ refutatio Inſcriptionum Vecci.*

*Quando præpoſitiones Ex & Per, in re Theologica inter ſe conueniunt, atque ſignificatione æquepollent, non diuiſionem, neque differentiam Sanctiſſimæ Trinitatis, verum coniunctionem, & quæ ſecundum naturam ſit immutabilitatem, atque eandem voluntatem deſignant. Hinc enim Pater, Filius, & ſpiritus Sanctus; vnius eiuſdemque naturæ, potentiæ, operationis, atq; voluntatis eſſe oſtenduntur.*

*Qui autem hic ſanctorum dicta deſcripſit, & tales edidit inſcriptiones, ex eo quod hæ præpoſitiones idem valent: diſcrimen diuinarum perſonarum, inepte ſane atque impie: item vnam ex tribus colendis & venerandis perſonis, nimirum ſpiritum Sanctum ex duabus perſonis, & ex vtraque harum diuerſe exiſtere, probare conatur.*

*Manifeſtum enim eſt, dicta ſanctorum, illa quidem admodum pie atque optime ſe habere, male tamen impieque ab eo exponi, qui ea collegit, & hic deſcripſit. Quod autem huiuſmodi præpoſitio Per, cum ſcilicet idem valet quod præpoſitio Ex, coniunctionem atque in omnibus immutabilitatem oſtendat: docet hoc D. Maximus, ſcribens ad Marinum de quibuſdam, qui ex Filio eſſe ſpiritum dicerent.* Quod non cauſam Filium facere, ſeipſos oſtenderint. Vnam enim cauſam Filij & Spiritus, Patrem agnoſcunt. Verum, vt per ipſum etiam (Filium) procedere ſignificent; & ex hac parte, vt eſſentiæ coniunctionem, atque immutabilitatem exprimant.

Hic igitur manifeſte apparet, quod iſte Veccus huiuſmodi dicta ſanctorū, impie excipit & interpretatur.

Non enim coniunctionem atque immutabilitatem, ſed differentiam perſonarum ex his colligere conatur. Neque magnum Baſilium audit. Enim vero is quoque in vno quodam ad Amphilochium capite: Illud, inquit, per Filium creare Patrem, neque imperfectam Patris creationem conſtituit, neque inefficacem Filij operationem ſignificat; ſed coniunctionem eorum voluntatis manifeſtat. Quare vox illa, per Filium ad confeſſionem originalis cauſæ nos adducit; non autem ad effectiuam cauſam imperfectionis, atque impotentiæ coarguendam aſſumitur. Qui ergo per Filium, & ex Filio aſſerit ſpiritum, ſecundum largitionem donorum procedere, eandem voluntatem Patris & Filij egregie exprimit.

Etenim ex beneplacito Patris & Filij, ipſo quoque vna conſentiente ſancto ſpiritu, digni homines donantur ſpiritu ſancto. Iſti vero Latinorum ſequaces & fautores, ex petulantia, per Filium & ex Filio exiſtere ſpiritum Sanctum dum colligunt, beneplaciti & voluntatis opus, & creaturam eſſe neceſſario, minimè vero diuinæ naturæ fructum, impie oſtendunt & docent. Etenim ſecundum ſacrum Damaſcenum, diuinæ voluntatis opus eſt creatura, non Deitas. apage. Neque enim, rurſus, iuxta eundem, diuinæ voluntatis ſed diuinæ naturæ, ante omne æuum ſempiternaq; eſt tum generatio, tum proceſſio.

Beſſarionis pro Vecco Apologia, ſiue Confutatio Confutationum Palamæ.

Egregius iſte vir, ad auctoritates ſanctorum, quæ cum ex Filio, tum ex Patre per Filium ſpiritum Sanctum procedere teſtantur, & quod ex illis colligitur, omnino ne aſpicere quidem valet. Quomodo enim ad tantam, atque adeo euidentem veritatem? Verum æqualem vim atque naturam præpoſitionum Ex, & Per, idque non recte, atque ſine vlla ratione inuadit; contumelijſque ſuam reſutationem abſoluens, aliquid operæ pretium ſe facere exiſtimat.

Cum inepte ſane atque impie mentem ſanctorum interpretetur; & eum qui ſententias Patrum collegit, & tales edidit inſcriptiones, virum plane doctum calumnietur, rationem vero minime reddere valeat.

Præpoſitione autem Per, coniunctionem in ſanctiſſima Trinitate, immutabilitatem, identitatem, atque eandem voluntatem denotante; cum in Theologia idem valere intelligitur, quod præpoſitio Ex, arbitratur non poſſe à quoquam accipi ſecundum hoc ſignificatum etiam in productione Patris per filium: vel illa ratione nos putat, non illud nos intelligere, nimirum concordiam & coniunctionem, ſed potius diſcretionem ac diuiſionem, oppoſitionemque atque diſcrepantiam inducere. Quod ita eum intelligere ex his quæ dicit quodammodo apparet; imo vero & manifeſte ait, hac ratione velle nos ſignificare, ſpiritum Sanctum ex duabus perſonis, Patris & Filij diuerſe exiſtere. Neſcio vnde, & à quonam dicente illud diuerſe audierit. Sic itaque opinatur, nos inſultare in Theologiam. Forte & ipſe quoque hoc intelligit, cum ex Patre per Filium, in rerum natura mundum eſſe productum aſſerit.

Non enim video, cur potius in procreatione mundi, præpoſitio Per, æquipollens, atque Præpoſitio Ex, idem eſſe inter ſe perſonas ſignificet, cum tamen etiam diſtinctionem earum æque denotet: hoc enim nec ipſe aduerſarius negabit. In productione autem ſpiritus Sancti non item, ſed tantum diuerſitatem & vndique diſtinctionem. Neque erubeſcit contra ſe adducens Magnum Baſilium, qui teſtatur vocem illam per Filium, ad originalem cauſam nos referre.

At certe nos ex duabus perſonis, Patre inquam & Filio, dicere ſpiritum Sanctum exiſtere, vel maxime fatebimur & concedemus. Nihil enim operatur, niſi quatenus eſt hoc aliquid atque indiuiduum, qua vero talia Pater & Filius duo ſunt. At vero diuerſe ab ipſis procedere, id numquam concedemus, quouſque audimus Sanctos dicentes, ſpiritum Sanctum eſſe operationem naturalem æque Filij atque Patris. Vnam autem operationem eſſe Patris & Filij conſtanter credimus.

Niſi forte & ipſe cum dicit ex Patre & Filio & ſpiritu Sancto, vel ex Patre per Filium in ſpiritu Sancto procreatum eſſe mundum, non tres tantum, (id enim vtique fateretur) ſed & diuerſe tres fabricatos eſſe mundum aſſerat. Quod ſi miratur quomodo idem eſſe inter ſe, atque eandem voluntatem præpoſitione Per, denotante, nos ex iſta præpoſitione indicare volumus, Filium eſſe cauſam exiſtendi ſpiritum Sanctum: miretur potius ſeipſum, quo pacto per Filium conditum eſſe mundum dicat, deinde Filium ex præpoſitione Per, oſtendi cauſam procreationis mundi arbitratur. Vel dicat Filium non eſſe cauſam rerum, & abſurdum abſurdo emendet. Adducit autem & teſtimonium Diui Maximi, quod nihil facit ad rem.

Etenim nos etiam fateremur: præpoſitionem Per, coniunctionem & immutabilitatem eſſentiæ Patris & Filij exprimere. Scimus enim hac præpoſitione Per, ordinem quendam & relationem vel maxime illius ſignificari, de quo ipſa prædicatur ad eum, in quo præpoſitione Ex, vtimur. Hoc ipſum tamen idem eſſe inter ſe, & immutabilitatem dicimus eſſe cauſam, cur Filius eadem poſſit quæ & Pater: vt & per ipſum procedat ſpiritus Sanctus.

Siquidem ſecundum D. CYRILLVM, ex ambobus, videlicet ex Patre per Filium: iuxta vero eumdem MAXIMVM ex Patre & Filio, ſiue ex Patre per Filium procedit, hoc eſt, exiſtentiam habet. Quod enim illa vox ἐκπορεύεσθαι procedere, exiſtentiam habere ſignificet, etiam ipſe aduerſarius concederet: præſertim iuxta eos, qui hoc nominis ad exiſtentiam ſpiritus Sancti accommodant.

Quod ſi iſte Doctor (Maximus) negat ſe Filium facere, ſed Patrem cauſam ſpiritus Sancti: ne mireris, ſi Græcam linguam in memoriam adduxeris, & in quo proprie iſta lingua hoc nomine cauſæ ſoleat vti. Conſtat enim eam proprie cauſam appellari, quæ ſit procatarctica & originalis, fons, atque radix vniuſcuiuſque, qualem ſolum eſſe Patrem, quis non aſſentiatur? Atque hinc apparet. Creationis enim etiam Filium & ſpiritum Sanctum eſſe cauſam, qui inter Chriſtianos ſit, nemo negabit. Atqui Gregorius cognomento Theologus: Deus, inquit, in tribus maximis conſiſtit, eo qui cauſa ſit, & opifex, & eo qui abſolutiſſimum reddat opus, Patre, inquam, & Filio, & ſpiritu Sancto.

Cum vero audis originalem cauſam eſſe Patrem, ne continuo exiſtimes, vel inuitos nos cogi fateri Filium; cum originalis cauſa minime ſit, diuerſe producere ſpiritum Sanctum. Id enim non minus & in fabrica mundi ſequitur, & omnino in omnibus quæ Filius habet.

Neque enim originalis cauſa eſt Filius creationis: ſiquidem omnia cauſate, & filialiter habet, quæcumque Pater ipſe paterne, & incauſate. Sed tamen vnus atque idem eſt auctor, & vna cauſa cum Patre rerum exiſtit. Ipſaque præpoſitio Per, non minus diſtinctionem perſonarum, quam idem eſſe inter ſe atq; idem velle ſignificat.

Quæ vero ait, nimirum opus diuinæ voluntatis, ob eamq; cauſam & creaturam ſpiritum Sanctum nos fateri; Propterea quod præpoſitio Per eandem voluntatem ſignificet; neſcio an vlli præter hunc probare queant. Si enim ex eo, quod præpoſitio Per, eandem voluntatem ſignificet, ex eius ſententia, creatura eſſe ſpiritus colligitur, quo tandem modo non diuina potius erit natura, & à nobis venerandus atque colendus, ex eo quod præpoſitio Per, etiam eandem ſubſtantiam denotet. Et quidem ſententia illa quam protulit Magni Maximi, eandem potius ſubſtantiam ſignificare nos docet. Vt enim, inquit, coniunctionem ſubſtantiæ, atque immutabilitatem exprimant.

Verum, licet præpoſitio Per, eandem voluntatem tantum ſignificaret, etiam ſic nil inde abſurdi ſequeretur. Cum eadem eſſe & voluntas, & ſubſtantia in Deo intelligatur. Hanc enim vim & potentiam ſimpliciorem eſſe, atque omnibus eminentiorem, nemo eſt qui non conſentiat. Vnamquamque autem potentiam eo ſe habere ad plura, quo ſimplicior ſit, & eminentior, quis ignorat?

Hinc etiam Dei voluntas, ad Filium quidem & ſpiritum Sanctum tamquam natura, ad creaturam autem tamquam voluntas ſe habet. Etenim omnis voluntas, vt notum ac manifeſtum eſt, etiam ipſa diuina ad finem, tamquam natura ſe habet determinate ipſum volens: & quemadmodum etiam natura ipſa ad vnum determinatum finem quem habet, tendit: finis autem voluntatis Dei & Patris eſt ipſe Filius, & ſpiritus Sanctus, ad quos eam tamquam naturam ſe habere neceſſe eſt.

At



At vero ad ea, quæ ad finem referuntur, & præſertim ſine quibus finem aſſequi poteſt, cuiuſmodi ſunt res creatæ, non determinatæ: proptereaq; tamquam voluntas ſe habet. Poteſt enim ea & velle, & nolle. Vnde & loca Damaſceni ſeruantur, & nos ipſos extra omnem culpam ponimus, ipſaque ratio contra nos allata, nulla nos premit neceſſitate. Sic igitur cum aliquid dicere videatur; cõtra ſe concludit.

## Vecci in ſecundam.

Quoniam ſunt nonnulli, qui ſcripto teſtatis ſententiis ſignificantibus ex Patre per Filium eſſe ſpiritum, aduerſantur: in comprobationem ſententiarum, quæ ſignificant per Filium eſſe ſpiritum Sanctum, collectæ ſunt etiam hæ præſentes ſcriptæ ſententiæ; quæ indicant, continenter atq; immediate ex Patre Filium eſſe. Si enim non eſſet ſpiritus Sanctus per Filium, cur etiam ipſe non immediate dictus eſſet à Patre?

## * Palamæ.

Atqui dictus eſt etiam ſpiritus Sanctus, eſſe immediate à Patre: & ſublata eſt tibi omnibus modis impietatis occaſio, atq; perſuaſio. Etenim Gregorius Theologus in carminibus, ſecundum ait eſſe ſpiritum Sanctum à Patre, ſicut & Filium. Gregorius autem Nyſſenus, & ipſe cum multis aliis aſſerit, vtrumq; ſimiliter ſe habere ad vnam perſonam Patris, præterquam in modo exiſtendi.

Quid autem ſibi volunt, qui dicunt, ſpiritum Sanctum ex Patre procedere, & in Filio permanere? Et ex Patre in Filium peruenire? Et ex Patre eſſe, & verbi comitem? Amplius, qui communionem & amorem Patris & Filij ſpiritum Sanctum appellant? Ad hæc qui dicunt, ſingulas perſonas non minus ſe habere ad alteram, quam ad ſeipſas? Quid vero ille qui canit,* Manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me? Nonne omnes iſti ex Patre eſſe ſpir. San. immediate oſtendunt?

* Quaſi ſpiritus ſit manus Dei atque vt manus attingit immediate corpus, ita ſpiritus Patrem. Sic puto intelligere Palamam alioquin non eſſet ad rem.

## Beſſarionis.

Neque nos omnino negamus eſſe ſpiritum immediate à Patre; licet non certis verbis expreſſe alicubi dictum eſſe à Doctoribus protuleris. Itaque ſi tu quoque nobiſcum fateris, eſſe etiam mediate; nobiſcum facit iſta ratio. Sin autem id caues, timens quod ſequitur, Doctores non longe abſunt qui te coarguant. qui docent, Filium immediate à Patre eſſe, & inter hos nihil eſſe medium, & ſpiritum ſanctum per Filium: quique medium ponunt Filium inter Patrem & ſpiritum Sanctum. Hic autem deciperis propterea quod nequeas diſtinguere quonam modo ſit ſpiritus immediate à Patre, quo etiam pacto mediate. Si enim vel duabus diuerſis & differentibus productionibus, ex Patre & Filio eſſe ſpiritum Sanctum fateremur, quaſi ex patre quidem imperfecte, ex filio autem perfecte proueniat, & ex Patre per ipſum Filium perfectionem habeat; vel à ſolo Filio procedere poneremus: tunc à Patre ſolum mediate procederet. Nunc vero, ſi quis ad vnicam & eandem productionem quæ eſt ex ambobus reſpiciat: Præterea & ad hoc, quod Pater ſit cauſa & Fons Deitatis, tamquam ipſo non exiſtente, neque Filius cauſa ſit, neque omnino conſtet: immediate à Patre inueniet ſpiritum. Et huc ſpectant, quæ ipſe adduxiſti ſanctorum dicta.

Si autem conſideres ordinem, quem reipſa eſſe in Trinitate, non tantum cogitatione noſtra conſtare opus eſt fateri: videbis Filium medium, & tertium à Patre ſpiritum, & per Filium ex Patre procedentem, & habentem Filium qui ipſo præintelligatur, quemadmodum Filius habet Patrem.

Quod ſane cum ipſe non computaueris, res minime neceſſarias concludis.

## Vecci in tertiam.

Ad demonſtrandum ſenſum & intelligentiam illarum ſententiarum, quæ ſignificant non immediate, ſed per Filium ex Patre eſſe ſpiritum Sanctum, ſubiecimus quoque præſentes literis proditas ſententias.

Si enim ſpiritus eſſet immediate à Patre, non eſſet dictus Filius imago Patris, ſpiritus imago Filij, & Filius ſane operatio Patris, ſpiritus vero operatio Filij: Filius perſona * Patris, ſpiritus perſona Filij.

* Dicitur filius perſona Patris ſecundum illud quod etiam Dominus in Euangelio ait, mea doctrina non eſt mea. Eſt enim perſona Patris, non quod ſit ipſa perſona Patris, atq; adeo ipſemet Pater: ſed quia filius eſt perſona, & filius eſt Patris, quia ex Patre genitus eſt. Sic Auguſtinus explanat illud. Mea doctrina non eſt mea.

## Palamæ.

Dementiſſime, qui ſcelerate hic ea inſcribis, quæ à ſanctis pie dicta ſunt. quo pacto non cernis communia, & naturalia in ſanctiſſima Trinitate, nullam habere differentiam? Etenim vnus eſt Deus, vna imago, vna voluntas, vna operatio Patris, & Filij, & ſpiritus Sancti. Ergo præter alia, etiam perſona quando altera alterius horum eſſe dicitur, naturaliter ſumitur non hypoſtatice. atque immutabilem ſimilitudinem ſignificat, non autem modum exiſtentiæ. apage. Tu vero cum non ita cenſeas, perſonam alteram alterius eſſe, ſed hypoſtatice, non amplius eſſe poteris Trinitatis venerator & cultor.

Si enim Filius eſt perſona Patris, vtpote qui ex ipſo ſit, & Filij ſpiritus: Non itaque amplius erit Pater altera perſona præter Filium, neque Filius præter ſpiritum. Vides quomodo dicta ſanctorum, pie illa quidem optimeq; ſe habent, tu vero ea inepte atq; impie interpretaris.

## Beſſarionis.

Nempe tu quoque Beatum Paulum, aſſerentem Filium eſſe imaginem inuiſibilis Dei, & figuram ſubſtantiæ eius, atque ſplendorem gloriæ ſic audires, tamquam dicentem eiuſdem eſſe ſubſtantiæ cum patre: & ſolum eamdem naturam, non autem & diſtinctionem perſonarum ſignificantem. Verum nos ratione tamquam arbitro vtentes, & identitatem naturæ, imaginiſque atque perſonæ, item operationis, his ipſis nominibus religioſe intelligimus: quatenus etiam poſſemus dicere, vnam eſſe ſanctiſſimæ Trinitatis imaginem & Deitatem, accipientes imaginem loco exemplaris.

Similiter etiam, ſi perſonam Patris diceremus, ſubſtantiam Patris: denotaremus quatenus in Deo ſubſtantia idem eſt, atque eius perſona. Et perſonarum nihilominus diſtinctionem ſignificamus, ſiquidem tres perſonas fatemur eſſe in ſanctiſſima Trinitate. Sane conſtat nos hoc modo loquendi, non idem eſſe perſonas inter ſe, ſed diſtinctionem dicere & explanare. Imago enim plane non ad ſeipſam, ſed ad illud dicitur cuius eſt imago. Propterea & perſonam denotat, quæ relatiuum nomen exiſtat; tale nimirum vt perſonam ſubeat.

Tu vero neſcio quid cogitas, naturaliter non hypoſtatice dici affirmans, quando altera perſona alterius eſſe dicitur. Et abſurdum quoque colligere arbitraris, quod manifeſte contra te facit. Sin autem id verum ſit, licet enim aduertere Exiſtimas enim eos, qui aſſerunt Filium eſſe perſonam Patris, vtpote qui ex ipſo proueniat, & rurſus ſpiritum Filij, quippe qui ex ipſo ſit, illud inconueniens ſequi, eos non fateri aliam eſſe perſonam Patrem, aliam Filium, aliam ſpiritum Sanctum.

Ego vero, ſi quo pacto tuam rationem percipio, ex tua quidem theſi, & valde ſequi hoc abſurdum affirmarem, noſtra vero totum oppoſitum. Etenim ſi perſonam alteram alterius dici, idem eſſe inter ſe ſolam, & ſimilitudinem immutabilem, vt ipſe ponis, ſignificat: eſt autem perſona Patris Filius, vtpote quæ eadem ſit atque ipſe ſecundum ſubſtantiam: atque ipſius filij eſt ſpiritus, quippe tantum eiuſdem ſit cum ipſo ſubſtantiæ; ſine controuerſia nulla alia eſſet perſona Pater à filio & ſpiritu, & illi adinuicem: neque enim alterius ſunt ſubſtantiæ. Verum cum audimus perſonam Patris, vel perſonam filij: ipſius quoque ſpiritus Sancti, idem eſſe inter ſe ſecundum ſubſtantiam intelligemus. Quare, quod ad te attinet, ſublata eſt Trinitas, in ſolitarium Deum coarctata. Sin autem, vt nos dicimus, perſonam alteram alterius dici, præterquam quod ſit eiuſdem cum ipſo ſubſtantiæ, etiam ab illo eſſe ſignificet, cuius & eſſe dicitur: quoniam quod ab aliquo eſt, alterum eſt plane, ſaltem hypoſtaſi & perſona, ab eo cuius eſſe dicitur: qui fieri poteſt, vt non ſit alia perſona Pater, alia filius alia ſpiritus Sanctus? Nos itaque cum hæc dicimus, maxime admodum Trinitatem tuemur. Caue tu, ne oppoſitum faciens, immerito alios accuſes, nobis adſcribens tua propria dedecora. Quod autem dici hoc aliquid perſonam, ſeu potentiam, ſeu operationem alicuius, præterquam quod ſignificet alteram hypoſtaſim, præterea denotet ab ipſo eſſe, cuius & eſſe dicitur: audi eos (ſunt autem omnes Doctores) qui vocant Chriſtum Dei virtutem, Deique ſapientiam.

Et rur-

*Et rurſus appellant Filium, viuam & ſubſiſtentem operationem Patris. Et iterum ſpiritum Sanctum, non alienum eſſe aiunt à Filio, ſed in ipſo, & ex ipſo ac veluti naturalem operationem. Sane quidem perſpicuum eſt, Filium, cum ſit potentia Patris ſubſiſtens, differre ab ipſo Patre, quatenus eſt perſona, & iuxta hoc ab ipſo quoque eſſe. Et ſpiritum Sanctum, cum ſit operatio Filij naturalis, neq; talis, vt quæ nequeat ſubſiſtere, ex ipſo quoq; eſſe Filio, & hoc modo ab eo diſtingui. Itaque non ſolum idem eſſe inter ſe, ſecundum naturam, ſignificant iſta nomina, & quod hoc aliquid alterius eſſe dicatur* (propter eandem naturam) *in quo ipſo niteris. Verum etiam diſtinctionem perſonarum declarant. Hac autem ratione concuſſa, cætera quoque omnia quæ ſequuntur, facile vna corruunt.*

*Adde iſta verba quæ deſunt in Græco exemplari, perſpicuitatis cauſa.*

## Vecci in quartam.

*Quoniam ſunt quidam, qui cum non recipiant Filium eſſe medium in Trinitate, quod plane à ſacris Theologis aſſeritur, recuſant etiam omnino dicere nomen Ordinis in Trinitate: collectæ ſunt præſentes memoriæ traditæ ſententiæ, in declarationem huius, quod Spiritus coniungatur cum Patre per Filium, atque in demonſtrationem, quod perſpicue ordo dicatur in Trinitate.*

## Palamæ.

*Miſer, mentiris de piis hominibus. Scimus enim ordinem in ſanctiſſima Trinitate, ſed pium. Illum autem, qui ex neceſſitate tertium oſtendat à Patre ſpiritum Sanctum, quem tu cum Eunomio amplecteris, vt impie ſe habentem minime recipimus. Mentiris etiam de Sanctorum exaratis ſententiis: non enim ſolum Filium, ſed nonnumquam etiam Patrem Filij & ſpiritus coniunctionem, aliquando vero Filij & Patris medium, & communem ipſis ſpiritum appellant. Et quem aſſeris manifeſte dici ordinem, clarum eſt, non eum de Filio & ſpiritu eſſe. Illud quoque probant rerum diuinarum periti, medium eſſe Filium; verum non ſecundum exiſtentiam ſpiritus, ſed ſecundum confeſſionem, atq; conuenientiam nominis. Ne ſi continenter ſpiritum Sanctum ponant, genitus eſſe videatur. Talia igitur à Sanctis probe dicuntur: qui autem ea collegit, & hic propoſuit ad propriam trahens peruerſam opinionem, inepte atq; impie illis vtitur.*

## Beſſarionis.

*At enim ô bone vir, quicumque tandem ſis qui hæc aſſeris, iſte ordo quem ipſe conſtituis, & eos doces qui adducuntur vt tibi credant, non magis ordo quam ordinis perturbatio atque confuſio, iuſtius & eſſet & diceretur. Si enim, vt ais, propter conuenientiam nominis ordinem approbas, & fateris medium eſſe Filium, ne Spiritum ponas continenter, & cogaris affirmare illum eſſe genitum: videris, neque reipſa cenſere ordinem in Sanctiſſima Trinitate; ſed tu illum excogitans, ipſi gratum facere. Et etiam videris putare in tua eſſe poteſtate qui varias, vt ordinem nominum immutes. Si enim propter nomen Patris (hoc enim puto te* ὁμολογίαν *& conuenientiam nominis nuncupare) non infers continenter ſpiritum Sanctum, ne genitus eſſe videatur; licet nobis productorem ipſum vocare, ſtatimque ſpiritum nominare. Ac Filium dicemus exiſtere, ex Patre per ſpiritum. Et Filium quidem dicemus eſſe ex Patre per ſe, per accidens autem ex productore: Spiritum quoque ſanctum ex productore per ſe, ex Patre vero ſecundum accidens.*

*Atque in noſtra poteſtate ſitum erit, vt ſublato ordine, modo medium inter Patrem & ſpiritum ponamus Filium, Patrem primam cauſam appellantes: modo ſpir. medium inter Patrem & Filium collocemus, patrem productorem nominantes, quæ omnia tũ abſurda ſunt, tum potius confuſionem quam ordinem pariunt & efficiunt. Verum nos talem ordinem non dicimus, neq; qualem tu ſentire cum Eunomio nos opinaris, cum tertium neceſſario ſpiritum à Patre exiſtimamus.*

TERTIVM *enim cum eſſe, & valde cenſemus, idque ex neceſſitate, ſi tibi illud ex neceſſitate, non natura ſignificet, fidem tribuentes ei, qui tertium ipſum in expiatione ſalutaris Bapriſmi tradidit,* Baptizantes eos, *inquiens, in nomine Patris, & Filij & ſpiritus Sancti. Tertium vero eſſe natura nunquam dicemus, neque vnquam eo progreſſuri ſumus, vt alterum oppoſitum declinantes, alterum fateamur: id quod tibi accidit.*

*Cum enim caueas tertium eum dicere eſſe natura, neque tertium omnino eum appellas: cum & ordinem qui perſonas diſtinguat reſpuas, & nullo modo in medio conſiſtere queas. Quanquam ſatius eſt vtraque extrema deuitantem, manere in medio. Hoc igitur noſtrum eſt, neque omnino negamus tertium eſſe, neque tertium eſſe natura recipimus: verum ponimus tertium ipſum quidem non ſolum dici, ſed etiam eſſe; atque eum ordinem recipimus, qui perſonas, non naturas diſtinguat. Quem ordinem ex neceſſitate eſſe quis contradicet? Licet ipſe quemcumque ordinem non admittas, qui ipſum tertium eſſe neceſſario oſtendat: Neque patrem Chryſoſtomum * audis, qui hoc docet.*

*Quemadmodum filius & eſt ſecundus ordine, & non eſt ſecundus natura.*

** forte Baſilium, qui in epiſtola ad Canonicas hoc docet.*

*Ergo ordinem, qui diuinas perſonas ſecernat, ſancti agnoſcunt; at eum qui naturam ſeparet, in ſanctiſſima Trinitate reijciunt. Ordinem autem qui perſonas diſtingat, naturæ quidem non eſſe, attamen natura eſſe, vnuſquiſque concederet. Et ſecundum hoc; eſſe quoque naturalem, non quatenus naturam diſcernit, ſed quatenus natura, non theſi & poſitione noſtra eſt. Hoc autem Coriphæi quoque Eccleſiæ Doctores Athanaſius atque Baſilius non negarent, cum is quidem maiorem propoſitionem nobis tradat, Athanaſius autem minorem inferat; & ſyllogiſmum vnum ambo componant, qui natura ſpiritum ſanctum habere ad Filium ordinem oſtendat.*

*Siquidem Filium habere ordinem ad Patrem, natura, atque ita natura tamquam omne cauſatum ſolet habere ad propriam cauſam, & velut id quod prouenit ex igne, ad ignem, Baſilius docet.*

*Spiritum autem talem naturam & ordinem habere ad Filium, qualem Filius ad Patrem, Athanaſius eſt qui hoc tradit. quem ordinem naturalem eſſe, non quatenus naturam ſecernet (dicamus enim hoc ſæpe, calumniantium ora obſtruentes) ſed quatenus natura, non theſi noſtra conſtat, & reipſa eſſe, minimeque animi ſenſu & cogitatione conſiſtere. Neque licere alicui, vt ipſe arbitraris, modo ſic ſtatuendo, modo vero aliter eum immutare, nemo non fateretur. Si igitur talem ordinem & tu concedis, non mentimur de ſententiis, quas in ſcriptis reliquerunt ſancti, minime vero hoc ijs videbitur, qui eas intelligunt. Sed qui collegit, eas optime intelligit, & pro nobis ſunt rationes. Sin autem iſtum ordinem negas: vera dicis, nos eum ordinem reſpuere. Is autem non mentitur, quin etiam collectis Doctorum rationibus, lethale vulnus infligit.*

*Valde etiam in hoc ignauum te præbes, cum ſententias colligas in alium ſenſum dictas. Atque hiſce putas, te, auream illam vereque indiſſolubilem cathenam euertere poſſe. Etenim, ſpiritus medius inter Patrem & filium dictus eſt eſſe, velut inter ingenitum & genitum, ipſe neque genitus, neque ingenitus exiſtens. Pater quoque, inter filium & ſpiritum coniunctio dictus eſt, nempe, quia ipſe eſt fons ijs, & vt ſint, & vt inter ſe coniungantur.*

*Quæ cum nihil ad rem faciant, potiſſimum eum qui ea producit, quam quibus obijciuntur, imperitiæ, coarguunt.*

## Vecci in Quintam.

*Quoniam nonnulli dictum illud Euangelicum, quo dicitur ſpiritus Sanctus, ſpiritus veritatis, negant id ſibi velle, quod etiam vult & ſignificat alterum dictum, quo dicitur ex* Patre *procedere.* Præterea *etiam, quoniam refragrantur ijs, qui in parem atque æqualem ſenſum dici ex* Patre *procedere ſpiritum Sanctum, & ex filio accipere opinantur: ſubiecimus præſentes auctoritate* PATRVM *teſtatas ſententias, in demonſtrationem huius, quod idem valeant, & æque poſſint eiuſmodi dicta Euangelica.*

## Palamæ.

*O ſtupiditatem hominis. Cum enim idem valent hæ ſententiæ, coniunctionem, hoc eſt dicere, conſubſtantialitatem*





*ſpiritus Sancti ſignificant. Ita tamen differunt, vt exiſtere ſpiritũ, ex ambobus, Patre Filioq; minime oſtendatur. Idq; patet ex his ipſis memoriæ propagatis ſententiis. Qui autem eos collegit, in earum diſcrimine diſcernendo factus eſt veluti ſurdus.*

## Beſſarionis.

*Id quidem neque apparentem confutationem habet, qua ſola vtitur in aliis, veram demonſtrationem vel negligens, vel eius ignarus exiſtens. In quibus ſane fieri poteſt, vt inueniat. In his enim, etiamſi vel maxime vellet, probationem quæ non eſt, minime inueniet. Siquidem veritas non conuincitur. Contumeliam ſolummodo affert, quemadmodum & reliqua; & theſim quandam ponit, nullam inferens neceſſitatem. Etenim ſententiam illam, quæ ſpiritum Sanctum, ſpiritum veritatis appellat: atque idem valet, quod altera, quæ ponit ipſum ex Patre procedere; vel ex Filio accipere, coniunctionem inquit, & conſubſtantialitatem ſpiritus Sancti; non tamen eius ex Patre, Filioque proceſſionem ſignificare. Secundum enim hoc, inquit, differre. Quonam autem pacto differant, non probat: ſed teſtatur quidem ſententias: hæ vero in contrariam partem, atque ipſe vult plane pertinent. Quod enim coniunctionem quandam & conſubſtantialitatem ſignificantes, idem inter ſe valeant: id verum eſt: quod autem ex Patre Filioque, ſpiritus Sancti proceſſionem non indicent: hoc ſane à teipſo addis, verum oppugnans. Hæc enim ipſa conſubſtantialitas cauſa eſt, cur ſpiritus Sanctus ex Filio, vel per Filium procedat.*

*Atque hoc declarat Beatus Cyrillus proprium appellans, Patris & Filij ſpiritum Sanctum: vtpote, qui ex Patre per Filium ſit, propter identitatem ſubſtantiæ, vel Patris videlicet & Filij, vel etiam horum ad ſpiritum. Itaque ſiue hoc modo, ſiue illo dixeris, nobiſcum faciunt rationes. Etenim conſubſtantialitas ſpiritus Sancti ad Patrem & Filium, & quod ipſorum proprius dicatur ſpiritus, non excludit eum, à Filio, vel ex Patre per Filium eſſe: quin potius efficit hoc atq; concludit.*

*Et quidem alibi idem Doctor aſſerit,* eſſe Spiritum Dei & Patris, atque etiam Filij, qui eſſentialiter ex ambobus vel ita per Filium tamquam ex Patre profluat. *Etenim, ſi ſimpliciter conſubſtantialitas eſſet cauſa, cur ſpiritus ſanctus diceretur proprius Filij, Filius quoque diceretur proprius ſpiritus Sancti, cum ipſi ſit conſubſtantialis, quod nemo hactenus dicere auſus eſt. Sin autem dixerint, non poſſe dici filium proprium ſpiritus Sancti, propterea quod ad Patrem referatur, ne ſimiliter ſpiritus Sanctus eſſe Pater videatur: neceſſario teſtificabuntur filium quoque ſpirantem eſſe ſeu productorem quia etiam iſtud nominis ſpiritus, cum ſit relatiuum, ad ſpirantem referatur, & ab eo ſpiretur, cuius etiam eſſe dicitur. Atque ita cum aduerſarios petere videantur, ſeipſos ferire reperientur. Quod autem non tantum illud dici ſpiritum proprium filij, ſed etiam illud à filio accipere ad eandem intelligentiam ſpectent, ad quam etiam pertinet illud ex Patre procedere: hoc etiam rurſus cum multis aliis Cyrillus teſtabitur. Etenim tanquam inquit, per ipſum* (Filium) *naturaliter procedens (ſpiritus Sanctus) vtpote proprius eius vna cum omnibus quæ habet, perfecte accipere ſua dicitur.*

## Vecci in Sextam.

*Quoniam ſunt qui dicant, differre inter ſe iſta nomina, proficiſcitur, profluit, atq; procedit, ad firmiter demonſtrandam horum æqualem vim atq; naturam, ſelegimus ſubiectas S. Cyrilli ſententias: poſt quas ſubiungimus illis alia dicta aliorum Patrum, qui in ijs deciſionibus &* περιοπαῖς *in quibus dicturi erant, ſpiritum ex Patre procedere, à Patre ipſum proficiſci, & mitti, atq; profluere, Theologice commemorant.*

## Palamæ.

*O ſtoliditatem hominis! Quis enim neſciat illud proficiſci etiam in filio dici: procedere autem vel profluere nunquam? Sicut etiam profluere proprie in largitione donorum, quandoque vero & de proceſſione dicitur. Iſte autem Veccus, ſuique ſimiles, nihil iſta inter ſe differre, impie ſimul atque impudenter contendunt. Etenim, quæ hic ſunt collectæ ſanctorum auctoritates cum oſtendunt in quibus aliquando iſta concurrant nomina, horum inter ſe diſcrimen minime tollunt.*

## Beſſarionis.

*Verum, ſi accuratius animum intendiſſes ad Beatum Cyrillum, inueniſſes vtique eum, qui procedere etiam in filio ponit, in Commentariis in Ioannem, in illud dictum. Cum igitur venerit paracletus. Si enim ex Patre, inquit, non procedit (Filius) hoc eſt ex ſubſtantia ipſius ſecundum nos. Et ante Cyrillum, Saluatorem, qui de ſeipſo ait: Ego ex Patre proceſſi & veni. Vnde & Cyrillus edoctus, ex Patre ait filium procedere. Quod ſi profluere, quod de ſpiritu dicitur, non etiam de filio commemoratur: non eſt mirum cum iſta vox figurato nomini ſpiritus, non autem filij congruat. quemadmodum filio quoque nomen generationis valde conuenire, ſpiritui vero minime quadrare exiſtimo. Non tamen propterea dicet aliquis, quoniam gigni à cauſa eſſe ſignificat, ſpiritus autem à Patre non gignitur ſed procedit. Procedere, non à cauſa eſſe indicat à qua procedit. Hoc enim eſt dicere, quæ cogitatione comprehendere nequeas.*

*Quare illud tibi, ne harum vocum diſcrimen hinc probes, concuſſimus. Quoniam vero tam de filio, quam de ſpiritu æque iſta commemorantur, & præterea ſpiritus Sancti proceſſio appellatur etiam proceſſio, & effuſio, atque proceſſus: tanquam iſta omnia idem ſibi velint, nihil iſta nomina inter ſe differre videntur: Si autem non differunt; æque igitur in proceſſu ſpiritus, ex Filio, vel per Filium, atque in productione ex Patre, intelligenda ſunt.*

*Sed in illa ex Patre, veram* ἐκπόρευσιν, *& proceſſionem intelligimus: Igitur eadem & in illa ex filio, vel per filium intelligenda eſt. Etenim profluit diceret Cyrillus, ſpiritus ex filio, quemadmodum plane intelligitur & in ipſo Deo & Patre: nullum veſtigium ambiguitatis relinquens. Alioquin probes tu, vel non idem ſignificare iſta nomina, vel quamuis idem ſignificent, aliter tamen in filio, aliter autem in Patre intelligi. (Atqui Doctore iſto clamante, vt diximus, ſic à filio profluere tanquam & in ipſo intelligitur Deo & Patre) & impune tibi cedat iſta in Veccum immerito dicta blaſphemia: qui, quam illi obijcis, minime ſentis ſtupiditatem.*

## Vecci in ſeptimam.

*Quoniam quidam, cum audiunt ſpiritum Sanctum ex filio eſſe, & ſcaturire, atque proficiſci: non diuinam naturam ſpiritus ab eſſentia diuina & naturæ filij veluti fontem emanare, & ſcaturire, ſed ſpiritale donum quod iuſtis aduenit, monſtroſe narrant: propterea quod inhabitatio Deitatis vbique præſentis, quæ fit in iuſtis, comparate ac relatiue fiat: ita eiuſmodi donum accipientes, perinde ac ſi diuiſum atque diuulſum à diuina eſſentia ſpiritus intelligeretur: collectæ ſunt præſentes monumentis Patrum conſignatæ ſententiæ, ex quibus aliquis dignoſcere poteſt inhabitationem ſpiritus Sancti quæ fit in iuſtis, relatiuam eſſe ineffabili modo, & ſupra rationem.*

*Sed quoniam in eum locum dona ſpiritus effunduntur, vbi diuina eius natura inhabitauerit: quando aliquis dicit ſpiritum Sanctum proficiſci, & ſcaturire, & eſſe à filio: ipſe ſpiritus Sanctus qui eſt vna perſona Trinitatis, qui illam complet & perficit, quique eſt diuina natura atq; perfectus Deus, tanquam & ipſe Pater, & Filius ſignificatur.*

## Palamæ.

*Vere neſcit quid ait, neque de quibus aſſeuerat, qui & iſtam inſcriptionem compoſuit. Nemo enim eorum qui pij eſſe volunt, gratiam & operationem à diuina natura diuulſam eſſe arbitratur. Non tamen, quia diuina operatio inſeparabilis eſt à diuina natura, propterea & natura eſt operatio nihil ab ea differens.*

*Siquidem diuina operatio à natura prouenit, & ſecundum Theologos in ea conſideratur, ſed non eſt ab ea diſtincta. At natura non eſt ab operatione, & ab illa eſt diſtincta, eſtque fons diuinarum operationum. Sed & ſpiritum Sanctum à perſona Filij eſſe minime dicimus.*

*Iſte autem cum ait, ipſum eſſe à natura Filij, nobis repugnare arbitratur, & oppoſita contra nos aſtruere, nihil differre exiſtimans, vt apparet, naturam à perſona: vel etiam diſcrimen naturæ inducens in ſanctiſsima Trinitate, quia ſit differentia perſonarum.*

## Beſſarionis.

*Si itaque diuinam gratiam ſpiritus, non opinaris ab eius natura atque perſona eſſe diuulſam, quidnam tandem intelligis, cum audis à Filio ſpiritum mitti? Etenim te vel inuitum, liquet eius perſonam intelligere: ſiquidem gratia quæ non ſubſiſtat, non mittitur. Neque enim ſecundum Cyrillum, gratiam inſubſiſtentem participamus. Sed ea ipſa perſona ſpiritus quæ Trinitatem complet, diuina natura ſubſiſtentiam habens mittitur. Quonam vero pacto, & Filium ipſam mittere intelliges? Non enim aliter atque Pater: quandoquidem & alterius erit potentiæ. Conſtat igitur æque eum mittere. Sed Pater mittit etiam ipſam perſonam producens: igitur & Filius producens ipſam mittit. Niſi forte dixeris ipſum ſeruilem quendam alium ordinem ſupplere, atque ex Patre ipſam procedentem, poſtea eum mittere. Fac enim non eſſe idem diuinam operationem, atque diuinam eſſentiam, quid poſtea inde concludis? Siquidem cum ſpiritus mittitur, non gratia quæ non ſubſiſtat, ſed ipſam mitti diuinam perſonam, quæ ſubſiſtentiam habeat, ipſe quoque concedis. Perſpicuum enim eſt, licet ipſe neſcire diſsimiles, id te concludere, quod nimirum perſona ſpiritus ex Filio ſit & ſcaturiat, atque mittatur, tamquam & à Patre, quod quidem propoſitum fuerat illi probare, qui Doctorum ſententias collegit. Quod ſi miraris, cum ex natura Filij ſpiritum emanare & ſcaturire dicamus, quemadmodum ex eius quoque perſona eſſe arbitramur: non ſecus ac ſi propter identitatem naturæ, perſonarum quoq; identitatem poneremus. vel propter harum differentiam, naturæ etiam diſcrimen induceremus: Multo magis nos de te mirabimur, ſi cum Filij naturam audis, deinde abſolutum quid, minimeq; cum proprietate Filij eam intelligas. Neq; hoc aduertere potes, naturam ſecundum ſe, abſolute, communiterq; ſumptam, neq; mittere, neq; producere, neq; omnino cauſam eſſe poſſe, niſi cum aliqua proprietate ſumatur, quæ perſonam conſtituat. Etenim indiuiduorum eſſe operationes, communiter tota Philoſophia clamat atq; teſtatur.*

## Vecci in Octauam.

*In demonſtrationem huius, quod ſpiritus Sanctus ſit ex Patre Filioq; collectæ ſunt etiam præſentes ſanctorum commentariis illuſtratæ ſententiæ quæ oſtendunt ipſum eſſe qualitatem eſſentiæ Patris & Filij adhuc etiam ſuaueolentiam, fragrantiam atq; flatum. His autem proxime adiunximus alias ſententias, quæ in eamdem concurrunt intelligentiam, atq; tam Patrem, quam Filium, fontem eſſe Sp. Theologice declarant.*

## Palamæ.

*Præſentes ſcripto commendatæ ſententiæ, conſubſtantialitatem ſpiritus, quam habet ad Patrem & Filium, quoad eius fieri poſsit exemplis manifeſtant. Non enim inueniri poteſt exemplum in Deo vndiq; aptum & congruens. Quoniam vero & aqua viua ſecundum gratiam & operationem appellatur ſpiritus Sanctus huius aquæ dicitur Fons & Pater, & Filius, quandoque vero & ipſe ſpiritus Sanctus. Qui autem iſta dicta hic protulit, quædam miſſa fecit, quibuſdam vero abutitur. Atq; ita eos qui in hæc inciderint, clam ad ſuam prauam & peruerſam ſententiam traducere poſſe exiſtimat.*

## Beſſarionis.

*Sane quidem ſignificant conſubſtantialitatem ſpiritus ad Patrem & Filium hæ ſententiæ: non tamen hoc ſolum, verum & ab ipſis eſſe, & procedere ſpiritum Sanctum. Quod enim ſaltem ex Patre eſſe indicent, tu quoque das atque concedis. Hoc autem dato dicere non poteris, quid ſit cauſæ, cur eadem ad Patrem, non modo conſubſtantialitatem, verum etiam ab ipſo, eſſe denotent, ad rationem autem Filij, ſolam conſubſtantialitatem declarent: præſertim, cum neq; reciprocentur iſta nomina, verum conſtet ſane Filius conſubſtantialis ſpiritui, forma vero, ſeu fragrantia, ſeu flatus ipſius minime dicatur. Quemadmodum igitur, cum audimus Filiũ dici formam Patris, vel ſuaueolentiam ſeu qualitatem, non ſolum eum eſſe conſubſtantialem ipſi, verum & ab ipſo prouenire intelligimus. ita & ſpir. S. flatum, formam, redolentiam & operationem Filij dictum eſſe propter hæc vtraq; exiſtimabimus. Quid enim eſt, quam ob rem eadem aliter in Patre ad Filium, & ſpir. aliter in Filio ad Sp. intelligantur? Tu vero & eorum quæ ante conceſſeras oblitus, rurſus ſpiritũ ais ſecundum gratiam aquam viuam appellari, & huius aquæ Filium eſſe fontem. Verum ſi iſta gratia non eſt diuulſa, neq; ſeiuncta ab eſſentia, & perſona ſpiritus, id enim conceſsiſti; quonam tandem pacto diuina perſona ſpir. vna cum gratia ex Filio non emanabit?*

*Græce* πς ἡ ἀποκλίεωσις *quæ iſta eſt exhæreditatio, ſeu ſortis priuatio, vt eadem aliter in patre, aliter in Filio intelligantur quaſi dicat, Quare priuatis & exhæreditatis Filiũ ea ſorte, vt quæ de ambobus, Patre inquam & Filio, ſimiliter ad rationem ſpiritus dicuntur, nõ & etiam ſimiliter intelligantur. quo eodem vocabulo vtitur Beſſarion in propugnatione ac defenſione decimæ inſcriptionis Vecci. Nos tamen vtrobiq; in verſione non verba ſed ſenſum ſequuti ſumus.*

## Vecci in Nonam.

*Præſentes literis mandatæ ſententiæ, in quibus Patres Theologice aſſerunt, cunctas proprietates Patris naturaliter tranſire ad Filium ex eo natum, collectæ ſunt hic in approbationẽ huius, quod ſpiritus ſit, proficiſcatur, atq; profluat etiam, ex Filio, quemadmodum ſane & à Patre iuxta ſententiam S. Cyrilli. Si enim dicendarum ſententiarum præſcripta paternitatem tantum, & gignere à Filio excipiunt; perſpicuum eſt atq; patet, Filium non eſſe quidem velut Patrem & genitorem: at Sp. ex paterna ſubſtantia emanantem, etiam ex non generante ſubſtantia Filij emanare, atque profluere.*

## Palamæ.

*Reuera expers rationis, & imprudens eſt impietas. Cum enim iſte Veccus audit proprietates Patris naturaliter, & eſſentialiter tranſire ad Filium, proprietates paternæ hypoſtaſeos, non autem naturæ opinatur. Ergo ſecundum ſuam prudentiam, quam in Theologicis ſcriptionibus Deiferorum Patrum tenet ac poſsidet, cum D. Cyrillus ſcribat in theſauris.* Quomodo Spiritus non erit Deus, totam habens eſſentialem proprietatem Patris ac Filij? *Proprietatem Patris ac Filij habebit Spiritus, eritq; Filius & genitor paterq; luminum, gignere & producere habens, quo, quid magis impium, atq; abſurdius audiri poteſt? Quod idem fere accidet ipſi etiam, cum audierit ſacrum Damaſcenum, affirmantem in octauo dogmaticorum:* Omnia quæcumq; habet pater, habere & ſpiritum, excepta ratione ingeniti. *Et Gregorium Theologum cognomento, ſcribentem in oratione ad eos, qui ab Ægypto nauigarant,* Omnia quæ ſunt Filij, eſſe quoque Spiritus ſancti, excepta filiatione. *Rurſus vero, quantæ eſt ſtultitiæ, ex ſubſtantia audire, & ex Filij perſona opinari? Quaſi vero vna ſit in Deo tamquam eſſentia, ita & hypoſtaſis. Præterquã quod etiam non animaduertat, quod cum Sp. Patris eſſe, & ex Patre dicatur, qui negant Filium eſſe Patrem ſimul etiam negant, communem eſſe Filio cum Patre proprietatem productiuam.*

## Beſſarionis.

*Ne putes illum virum doctum, rerum Theologicarum ſic rudem, & imperitum eſſe; vt proprietates hypoſtaticas Patris, etiam tranſire ad Filium opinetur. Attamen producere ſpir. San. Pater habet, non quatenus Pater eſt: qua enim talis, refertur ad Filium: Sed qua productor. Nomen autem productoris, non eſt hypoſtaticum Patris: & propterea fieri poteſt, vt Filio conueniat. Siquidem Cyrillo credendum eſt, qui de rebus Theologicis melius quam nos differuit. Cum enim dixiſſet;* Omnia eſt Filius quæ & Pater; eo ſolo excepto, quod ſit Pater; *poſtea ſubiungit:* Proprium habens ſpiritum Sanctum, qui ex ipſo, & in ipſo inſitus, atque innatus eſt. *Neq; iſta putauit ſecum pugnare, Filium non eſſe Patrem, & ab ipſo eſſe ſpiritum, nimirum aliud eſſe exiſtimans Patrem, qua Pater eſt, & aliud qua productor. Illudque commune eſſe Filio cum Patre minime poſſe, hoc vero maxime illi conuenire. Porro a. alibi & magis clarum hoc faciens, non dicit eo ſolo excepto, quod ſit Pater: ſed excepto ſolo gignere. videlicet, ſolum generare, ac paternitatem, non tamen producere excipiens. Tu vero & conaris decipere nos, neſcio quadam ſententia Cyrilli, quæ quidem videtur ſimile quid habere rei propoſitæ, multum tamen diſſimilitudinis in ſe continet. Plurimum n. intereſt dicere, proprietatem naturalem alicuius habere aliquem, & eius proprietates*





*naturaliter. Illud enim ſolummodo ad identitatem ſubſtantiæ pertinet, hoc vero quaſdam notiones perſonales communes eſſe ſignificat; naturaliter tamen quæ ſint, & eſſentialiter, ne accidenti, & quod eſt per participationem, detur locus. Illud autẽ, omnia quæ ſunt Patris, eſſe etiam Spiritus, præter rationem ingeniti; & illud, omnia Filii, eſſe quoq; ſpiritus, excepta filiatione; neſcio cur temere diſputationi à te inſectæ ſint. Etenim nos, pie quidem iſta intelligimus. Si vero aliquis non recte ſentiat de mente Sanctorum, vel alios calumnietur, ipſe ſit in culpa. Si quis n. adimat ſpiritui proprietatem ingenitam Patris, hoc autem, eſt eum, qui ſine cauſa ſit, cauſam aliarum perſonarum exiſtere; qualem amplius hypoſtaticam proprietatẽ Patris ipſi reliquet? Itemq; ſi quis Filiũ cum ſpiritu conferens, atq; alterum cum altero, ſolum cum ſolo comparans, ſpiritum eſſe Filium neget, in cæteris omnibus æque atq; Filium eum eſſe credens; quamnam amplius ipſi proprietatem hypoſtaticam impertiet? ſiquidem paternam non impertiet? Neq; enim de Patre agebatur, neq; cum ipſo comparatio facta eſt. Fac tamen, cum eo factam eſſe; neq; ſic ipſi vlla proprietas Patris relinquetur, cum in omnibus ſit iuxta Filium, eo excepto, quod ſit Filius: atq; proinde cauſatus à patre prorſus exiſtat, ſicut & Filius. At neq; vllam proprietatem Filii, ipſi tribuet. Quam enim? Siquidem hæc eſt proprietas hypoſtatica Filii, vt ſit Filius: quam quidẽ à ſpiritu præuenientes excipimus. Ad illud autem cum audimus, ex ſubſtantia eſſe Filii, ex illius quoq; perſona intelligere, non eſſe mirum ſatis antea dictum eſt. Quod vero ait, magnæ eſſe dementiæ, non animaduertere quod cum Spiritus, Patris eſſe, & ex Patre dicatur, qui Patrem eſſe Filium negant, ſimul etiam negant ipſi commune eſſe cum Patre producere: fortaſsis vel etiam ſibi æqualem amentiam obiicit, forſan etiam & maiorem, quo intelligens abſurditatem, tamen eam admittit: propterea quod Spiritus, Filii ſpiritus eſſe dicatur. Si enim ſpiritus iuxta ſuam ſententiam, Patris & ex Patre eſſe dicitur; qui Patrem eſſe Filium negant, non tantum ſimul negant communem eſſe Filio cum Patre vim producendi, ſed etiam negant Spiritum dici Filii. Vel ſi hanc amentiam vitare voluerit, in aliam longe maierẽ incidet; vt non dicat, neq; ſentiat, Spiritum eſſe Filii Spititum. Atq; ita affirmabit ea, quæ toti Scripturæ ſacræ contraria ſint. Hunc in modum iſtam quoq; rationem confutauimus, cum multum inconſiderantiæ in ſe contineat.*

## Vecci in Decimam.

*Præſentes, quas Patres ſcripto prodiderunt ſententias, in quib. Theologicè aſſeruerunt Filium eſſe proprium Patris, vtpote, qui ex ipſius eſſentia ſit, & ex ipſo eſſe, quippe proprius ipſius eſſentiæ exiſtat, hic ſubiecimus; vt hinc liceat volenti agnoſcere Spiritum, ob eam cauſam dici proprium eſſe Filii, propterea quod ab ipſius eſſentia ſit. Et rurſus: Idcirco dici ex ſubſtantia Filii eſſe, quia talis ſubſtantiæ proprium bonum ipſe conſtat. Quæ res indicat etiam conſubſtantialitatem Spiritus ad Filium. Si n. ſecundum quandam aliam conſubſtantialitatis rationẽ, qualis eſt inter duo conſubſtantialia, in quib. non eſt alterum per alterum, Spiritus eſſet proprius Filii, & ex ſubſtantia Filii, ẽt Filius eſſet proprius Spiritus S. & ex ſubſtantia ſpiritus. Siquidem eiuſmodi conſubſtantialitas reciprocatur; ꝙ nemo Sanctorum dixit, neq; aliquis vnquam dicet, qui inter pios & Orthodoxos adſcribi voluerit. Eiuſmodi autem conſubſtantialitas, neq; proprie eſt conſubſtantialitas; ſed ea quæ alterum cum altero coniungat, vtpote quod per ipſum, vel ex ipſo naturaliter atq; ſubſtantialiter exiſtat. Idq; teſtabitur, quæ hic ſubiicitur Baſilii M. ſententia, quæ apertè indicat, ea, quæ germana, fraternaq; ſunt, minime conſubſtantialia dici. Ad hæc dicta Sanctorum, alias præterea addidimus ſentẽtias, quæ ſignificant propterea eſſe Filium conſubſtantialem Patri, quia ex ipſius ſubſtantia ſit, vt hinc liceat volenti agnoſcere Spiritum quoq; ob eam cauſam eſſe conſubſtantialem Filio, quia ex ipſius ſubſtantia eſt. Præterea cum his aliæ ſententiæ connectuntur quæ declarant conſubſtantialitatem Spiritus ad Patrem & Filium, quia ex Patre per Filium ipſe ſit.*

## Palamæ.

*Proprius eſt Filius Patris, tanquam ab ipſo genitus. Similiter & Spiritus S. eſt proprius, quippe qui ab ipſo procedit: ſicut & Magnus Baſilius in capitibus aduerſus Eunomium ſcribens ait:* Proprietatem Spiritus ad Patrem intelligo, quoniam ex Patre procedit. *Dicitur autem Spiritus Filii, quemadmodum idem ipſe Baſilius, in 8. c. ad Amphilochium affirmat, quippe qui ipſi natura coniunctus ſit. Nullo autem modo fieri poteſt, vt quæ naturæ eadem ſunt non etiam inter ſe coniuncta exiſtant. Cæterum Filius, Spiritus S, eſſe non dicitur, ne Spiritus S. Pater eſſe videatur: quippe Filius Patrem eum oſtenderet cuius Filius diceretur. Verum iſte Veccus, ex iis quas hic ſubiecit literis conſcriptis ſententiis, nihil veri colligit. Attamen coarguitur & à ſeipſo, cum dicat propter conſubſtantialitatem Spiritum dici Filii: ſic enim non erit, & ex hypoſtaſi: contingit enim vt alter ab altero exiſtat. Proinde nemo vnquam omnium dixit, Spiritum S. ex hypoſtaſi eſſe Filii, ſed Patris.*

## Beſſarionis.

*Non eſt ſatis tantum affirmare, verum opus eſt neceſsitatem quoq; addere. Quid enim eſt cauſæ, cur, cum dicimus Spiritum proprium eſſe Patris, etiam ex Patre eſſe intelligamus? Cum vero audimus Spiritum proprium eſſe Filii, non eodem modo interpretemur, tanquam & ex Filio videl. habeat eſſe? ſed ſecundum aliam rationem, quam ipſe velut in ſomnis ad arbitrium fingis. Dictum enim M. Baſilii quod adducis, nobiſcum potius facit, & imprudens contra te illud affers. Cum n. vnius atq; eiuſdem rei, nimirum huius quod eſt Spiritum S. natura cum Patre Filioq; coniungi, demonſtrationes requirat Doctor, illud quod eſt ex Patre procedere, & illud Filii dici, atq; eſſe, producit ad idem pertinere atq; idem valere, & ambo exiſtimans. Cuius n. dicitur Spiritus, ab eo ſane & ſpirator. Tu vero abſurdum quod ſequitur, & illud quod neceſſario reciprocatur; eſtq; tuis dictis conſentaneũ, cum ſubterfugere coneris, etiamſi valde nolis, aduerſarius patrocinaris. Non enim, Filius dicitur Spiritus S. ne Spiritus Pater ipſius eſſe videatur: etiam tu concedens ipſe relatiua reciprocari, quemadmodum & nomen Spiritus cum ſit relatiuum, vt etiam tu velis nolis fateberis, ad ſpirantem refertur: ab eoq; ſpiratur, cuius & dicitur Spiritus. Exiſtimas autem, cum ex ſubſtantia Filii eſſe Spiritum dicimus, etiam ex perſona illius eſſe minime fateri nos cogi: & ad hoc probandum, neſcio vnde abſurdum aliquod videris colligere. Sic n. inquis: Alter ab altero erit, tanquam videl. fieri poſsit, vt & Filius ex ſubſtantia Spiritus; & propterea ẽt ex ipſius hypoſtaſi dicatur: quantum ego coniectura perſpicio, & ex tua mente intelligo: nihil n. ipſe declaras. At qui hoc idem, noſtræ ſententiæ magnum eſt argumentum. Siquidem nunquam vſpiam reperies; non in ſacris literis, non apud Doctores, Filium vel Patrem, qui ex ſubſtantia Spiritus dicantur; quia nimirum neq; ex hypoſtaſi illius ſint. At ſi ſolam conſubſtantialitatem, vt vos vultis, hæc vox, Ex ſubſtantia, inquam, eſſe Filii vel Patris ſignificaret: nil obſtaret, quo minus hoc ẽt de illis diceretur. Quod ſi nemo Sanctorum, ex hypoſtaſi Filii eſſe Spiritum dixit; at ex Filio eſſe, & à Filio exiſtere faſsi ſunt; quæ verba maxime exiſtentiam Spiritus ſignificant. Occidentales a. Patres atq; Doctores, etiam ex Filio procedere affirmant. Ex Filio a. cum audis, ni perſonam Filii intellexeris, mirum ſane ſit. Alioquin tu neq; ex hypoſtaſi Patris, diceres eſſe Spiritum, niſi Greg. Nyſſ. & is fere ſemel in ſuis orationibus dixiſſet, Spiritum ex paterna hypoſtaſi procedere. Verum ex Patre audiens, cuius rei plena eſt omnis Scriptura, cuncta alia prius, quam hypoſtaſim Patris intelligeres. Quam plane puerilis ſunt iſta mentis. Vter igitur veſtrum, tune an Veccus nihil ſani colligat, ratione ipſa ſatis demonſtratum eſt.*

## Vecci in vndecimam.

*Quoniam quidam cum audiunt Spiritum S. ex ſubſtantia eſſe Filii, aliud eſſe aiunt ex ſubſtantia, & aliud ex perſona, cum perſpicere non valeant, nomen Filii hypoſtaticum eſſe nomen, & qui dicit ex ſubſtantia Filii, totum ſignificat Filium; nimirum ſubſtantiam ſubſiſtentiam habentem. Ad ſuam abſurdam opinionẽ coarguendam & confutandam, collectæ ſunt præſentes à ſanctis in ſcriptis relictæ ſententiæ, quæ indicant, ex ſubſtantia Patris Filium gigni. Conceſſo n. vnam eſſe generationem Filii ex Patre; qui fieri poteſt, vt illud ex ſubſtantia, & illud ex hypoſtaſi inter ſe differant? Niſi quis manifeſte blaſphemans dicere velit, aliam eſſe generationem Filii ex ſubſtantia Patris; aliam ex hypoſtaſi. Ad hæc dicta in approbationem huius intelligentiæ addimus alia, quæ denotant perfectam ſubſtantiam, perfectumq; Deum dici Patrem & perfectam ſubſtantiam Filium, atq; perfectam ſubſtantiam Spiritum ſanctum.*

## Palamæ.

*Cum aliquid ex vna ſubſtantia & hypoſtaſi conſtat, ꝙ ab illa ſubſtantia naturaliter quomodocunq; exiſtentiam habet, ex illa quoq; hypoſtaſi eam habet. Et contra; quod enim ex illa hypoſtaſi eſt, etiam ex illa ſubſtantia exiſtit. At vero, cum aliquid vnius*

*quidem eſt ſubſtantiæ, nullius autem hypoſtaſeos, ſed plurium, quod ex illa vna ſubſtantia, non etiam ex reliquis perſonis, ſed ex vna aliqua illarum eſt. Quoniam igitur ſuprema atq; colen. a noſtra Trinitas vna conſtat natura in trib. hypoſtaſibus, non omne quod ex ſubſtantia hypoſtaſim habet, ex reliquis perſonis exiſtit, ſed ex vna aliqua illarum, paterna videlicet. Vt enim ab illa non ſit, fieri non poteſt. Non igitur & ex alia, ſed à ſola; ſiquidem ex vna, idq; patet in hominib. Vnusquiſq; n. noſtrum ex Adami ſubſtantia eſt, non amplius autem & ex perſona illius, quia vna eſt hominum ſubſtantia, multæ perſonæ. Cum autem à principio vna ſubſtantia & perſona humana conſtaret; ex vna eademq; virili ſubſtantia & perſona Adami productus eſt Cain. At vero duobus hominibus ſecundum perſonas in rerum natura iam conſtitutis, Enoch, ex ſubſtantia quidem Adami, non autem & ex ſua perſona, ſed ex perſona ſolius Cain conſtabat. Itaq; iſte Veccus hoc loco aſſeuerans, etiam ex perſona Filii eſſe Spiritum, ſiquidem vt aſſerunt Theologi, eſt ex natura; oſtendit ſe in ea eſſe ſententia, vt opinetur, vnam eſſe in Deo tanquam ſubſtantiam, ſic & perſonam: Filium vel Patrem penitus reiiciens miſer: & præterea ex ſolo Filio exiſtere diuinum Spiritum docens. Quin etiam ex ſententiis, quibus perfectam ſubſtantiam eſſe Patrem, & perfectam ſubſtantiam Filium atq; ſimiliter Spiritum S. ſacri Theologi oſtendunt: non vnicam & indifferentem trium perſonarum agnoſcit ſubſtantiam, ſed multitudinem quandam ipſius, ac differentiam imprudenter obſeruare conatur.*

## Beſſarionis.

*Quam valde conuenientia exempla in Theologiam introducitis. Id profecto vobis cauſa extat erroris, quoniam de diuinis humana ſapitis, & quæ hic ſunt, iuxta id omne quod intelligi poteſt, eo transfertis. At enim cauendum, ne ſit nefas talia de illa ineffabili Trinitate ſentire. Oportet enim etiam vnitatem, atq; ſingulare Deitatis, præter Trinitatem perſonarum ipſi ſeruare: non autem in trinos Deos incurrere: quod vos iſtis rationibus aſtruitis. Non enim veluti tres homines, communem ſuam ſubſtantiam, humanitatem inter ſe communicant, ſic etiam Diuinæ perſonæ Trinitatis diuinam eſſentiam participant. Sed illorum quidem eadem eſt, non numero ſed ſpecie, humanitas; idcirco etiam tres numero conſtant homines: Sacroſanctæ autem Trinitati eadem numero eſt diuina eſſentia, & vnus ſunt numero Deus; & ipſa quidem in diuinis perſonis ſubſiſtit, eſtq; vnum ſubſiſtens, cum ſingulis perſonis. Humanitas autem neq; eſt ſubſiſtens in particularib. hominibus, neq; vnum ſubſiſtens cum ſingulis indiuiduis conſtituit. Ex quo fit, vt quod ex ſubſtantia horum eſt, non etiam ex perſona omnium ſit. Etenim Cain, cum ex ſubſtantia ſeu natura ſit Adami atque Abelis: ex Adami quidem natura cum ſit, etiam ex illius perſona foret. Non quia ex ipſius ſubſtantia ſit, ſed quoniam omnino ex ipſius perſona eſt, cum ipſum nactus fuerit ſuam cauſam. Ex ſubſtantia vero Abelis conſtans, non etiam ex ipſius perſona eſt. Siquidem Abelis perſona non numero, ſed ſolummodo ſpecie ſubſtāſtantiam cum Adamo participat, neq; vero ſubſiſtentem in ſe habet ſuam ſubſtantiam, neq; vnum ſubſiſtens, cum ſua perſona conſtituit. Quod a. ex Patris, & Filii eſt ſubſtātia; nihil obſtat, quominus & ex perſona illorum ſit. Quin etiam maxime eſt neceſſarium, cum hæc ſubſtantia Patri ac Filio, non tātum ſpecie ſecundum hominum exemplum, ſed eadem numero, atq; communis exiſtat. Et in ipſis præterea diuinis hypoſtaſibus, paternitate inquam & filiatione ſubſiſtat. Neſcio igitur quid ſibi velint, exempla iſta diſcrepantia, vel quid ex ipſis aliquis concludere queat. At fortaſſis talis eſt animus, qui ſemel concertare conſtituerit; & perſpicuis euidentibusq; rebus aduerſatur, & à veritate abhorret, vt etiam in prærupta horrendaq; ſaxa præcipitare ſeſe non extimeſcat, dummodo iis ſe nocere credat, quos ſibi aduerſarios arbitratur, qualis eſt & præſens argumentatio, quibus hoc in loco agit, aperte in ternarium numerum Deorum decidens. Is autem & proprium crimen aliis adſcribere non erubeſcit. Et illi ſane, qui antea Spiritum ſanctum impugnabant, cum ex Patre vel Filio ipſum eſſe audirent, illud quidem ex hypoſtaſi admittebant: at ex natura ipſorum eſſe, hoc vero aſpernabantur. Nunc alterum bellum cum eo gerunt, cum illud ſane ex ſubſtantia laudent, ac probent, illud ex hypoſtaſi reſpuant. Ita nunquam intermittit hoſtis Eccleſiæ ſcandala excitare; quæ quidem neceſſe eſt euenire; heu tamen illum, ex quo proueniunt. Quāquam illis quidem dicta quædam quæ ex diuinis perſonis habeant, non tamen, & ex ſubſtantia in teſtimonium adducere valentibus, forte aliqua venia danda erat, ſeu potius veſtigium veniæ. At vero iſtis, ex ſubſtantia quidem eſſe concedentibus, ex perſonis autem negantibus, quænam erit deprecatio? Ita tum à ſeipſis, tum à veritate plurimum diſſident, atq; diſcordant.*

## Vecci in Duodecimam.

*Quoniam ſunt nonnulli, qui temere dicere audeant, emanare Spiritum ex Filio, ac procedere, & elucere, atq; eſſe, non ſubſtantialiter, modo ſubſiſtendi, ipſum eſſe à Filio; ſed ab ipſo donorum ſpiritualium diuiſionem ſignificare. In confutationem eiuſmodi amentiæ, collectæ ſunt præſentes literis conſecratæ ſententiæ, quæ Filium ex Patre emanare, & elucere, atq; eſſe plane oſtendunt. Non enim certe dicet aliquis dona, ſed non Filium eſſe, qui ſubſtantialiter à Patre, & per modum ſubſiſtendi emanet, eluceat, atq; exiſtat.*

## Palamæ.

*Quod per modum generationis, ſeu proceſſionis ab aliquo exiſtit, ab eo quoq; procedere, ac mitti, atq; elucere dicitur, quandoquidem lumen extat, & quæcunq; alia his ſimilia. Non tamen omne quod procedit, ſeu mittitur, ſeu elucet ab aliquo, ab ipſo quoq; per modum generationis, vel proceſſionis conſtat, atque in propria perſona exiſtit. Iſte autem, qui has inſcriptiones compoſuit, eos qui pie prudenterq; ſentiunt audaciæ atq; temeritatis accuſat; cum ipſe ſit audax ad impietatem.*

## Beſſarionis.

*Neceſſitatem quoq; afferas, propter quam in Filii & Spiritus S. proceſſu, iſta nomina per modum generationis ſeu proceſſionis procedere, & emanare, vel ſcaturire, cæteraq; idem inter ſe valēt; in productione autem Spiritus ex Filio emanare, & id genus reliqua, non idem ſunt cum procedere. Vel exponas rationem, cur quod procedit, etiam emanat, non tamen & contra? Non autem ita ſimpliciter concludas, quod probandum eſt, gratis ab auditoribus tibi concedi poſtulans. Sin a. tu nihil probando, tantum dicendo, præclarum aliquid te facere exiſtimas; dicemus etiam nos ita ſimpliciter eorum contraria quæ tu aſſeris. Forte etiam maiorem nobis præſtabunt fidem, quatenus dicemus & melius. Etenim in creaturis id forſan inuenietur, quod ab aliquo mittitur vel procedit, vel emanat, ſeu ſcaturit, vt non etiam ab ipſo exiſtentiam habeat; in quib. aliud eſt eſſe, & aliud mitti. Quanquam etiam, neq; ipſis reb. creatis, vniuerſe, atq; per omnia id nominum congruit. Quod enim ex aliquo emanat, atq; inſtar fontis ſcatet, vt non etiam ab ipſo ſit, neſcio quomodo dixerim. At vero in ſanctiſſima Trinitate, vbi ſcaturire & proficiſci, atq; procedere, adhuc autem & mitti vnam rem ſignificant, licet quandoq; ratione differant; quæ ratio eſt, vt quod ab aliquo habet eſſe, ab eo quoq; profluat, quod autem profluit, non etiam ab eo exiſtat? Ergo neq; iſta ratio recte à te dicta eſt, neq; aliquid quod ſanum atq; ſolidum ſit, vel neceſſarium affert. Nimirum ſibi germanis, & antecedentibus rationibus reſpondet, & æqualem illis, atq; ſibiipſi imbecillitatem, ac vanitatem teſtatur.* Hactenus ea, quæ Vecci inſcriptionibus, ſeu verius ſententiis & dogmatibus Sanctorum Patrum, de proceſſione Spiritus S. tam inſulsè, quam impiè opponebat Palamas; egregius ſcil. Doctor, qui Spiritum S. malitia contriſtauerit; mendaciis à ſe procul expulerit, cuius iuſtiſſimam cauſam damnauerit, clariſſimam veritatem nimium pertinaciter impugnauerit, in quem ſine vlla ſpe veniæ conſequendæ in hoc & in futuro ſæculo, peccauerit; quique merito, inſtar alterius Macedonii Pneumatomachos appellari poſſit ac debeat. Vt mirū ſit, quomodo Græcos, hoc eſt, tam inclytā ac nobilem nationem, vnum iſtum ψευδάγιον & ψευδοδιδάσκαλον παλαμᾶν, hoc eſt, callidum & machinatorem, ſeu potius παλαμναῖον omnibusq; modis exſecrandum, inter glorioſiſſimos Patres, & antiquos illos Dionyſios, Ignatios, Athan. Baſil. Nazian. Chryſoſtom. cæterosq; præſtantiſſimos Doctores, qui Eccleſiæ Catholicæ clariſſima lumina extitere, & quos totus orbis merito veneratur & colit, non vehementer pudeat enumerare. Etenim recentiores Græci, perinde cum, ac ſi vnus, & qui



quidem præcipuus, ex Beatis viris, & Illuſtribus Eccleſiæ Doctoribus foret, in eorum Eccleſiis immerito celebrare ſolent. In eo ſiquidem libro, quem appellant Triodion, ſic habetur: *Dominica ſecunda ſacrorum ieiuniorum, canitur præſens officium ſancti Patris noſtri Gregorii Archiepiſcopi Theſſalonicenſis Thaumaturgi, qui & Palamas nuncupatur, à ſanctiſſimo Patriarcha Philotheo compoſitum.* In eo officio, poſt multas ac ſingulares laudes poſitas, inſeritur etiam collecta illius vitæ, in qua dicitur floruiſſe tempore Andronici ſenioris, ſucceſſoris Michaelis Palæologi; & in quadam Synodo eodem tempore Conſtantinopoli celebrata, confutaſſe quendam Italum, nomine Barlaam, qui præter alia, lumen Beatorum in Patria non eſſe Deum opinabatur. Inter acclamationes piorum & anathematiſmos impiorum, ſolennes eius Dominicæ, execrantur Barlaamum virum Orthodoxum: Palamam vero, Andronicum, & nonnullos ſchiſmaticorum atque hæreticorum ſummis laudibus concelebrant: ſplendide de vtriſq; mentientes. Mirari deſines, pie Lector, diuina iudicia contemplans, cum Deus Græcorum Eccleſiam, olim tam inſigni ſanctitate florentem, poſtea tanta obſtinatione animi Sedem Apoſtolicam Romanam, videlicet, Matrem ac Magiſtram Eccleſiarum ſuper firmiſſimam Petram verorum dogmatum fundatam, repudiantem, in tam turpes errores labi permiſerit: vt veris laudibus Sanctorum multa mendacia ſchiſmatis fautores miſcuerint, quodq; ad illos attinet, & veris falſa cum illorum ſplendore commiſcendo, non parum Fidei detraxerint; cum deuota inferno capita, inter cœlites connumerarint.

SCHISMATICVS PALAMAS IN SANCTORVM NVMERO A GRÆCIS SCHISMATICIS COLLOCATVS.

Ad eum modum, & Philotheum Patriarcham, qui Palamæ egregiam operam nauauit, & eum ſummis præconiis celebrauit, propter Pneumatomachiam ſanctiſſimum appellauere, & illud viliſſimum caput, Marcum Epheſium, ſi ſuperis placet, in concilio cœleſtium collocauere, eiusq; formam inſtar cæterorum Sanctorum in tabulis effingere conſueuêre: quod in editione ſuæ fidei, ore & calamo polluto, Doctorem Angelicum D. Thomam Aquinatem impudentiſſime carpere veritus non fuerit. Infelix, qui in hunc clariſſimum Orthodoxiæ totius Solem; ſagittas inſcitiæ irrito conatu contorſerit, ſeque tenebris hæreſeos damnauerit.

MARCVS EPHESIVS IMPVDENS D. THOMÆ AQVINATIS CARPTOR.

XX. Felicior Ioannes Matthæus Caryophilus Cydonius, Petro Aldobrandino S. R. E. Cardinali Camerario, propter eximiam eruditionem & virtutem familiaris, qui Marco Epheſio ſuffundendo, & ſuorum Græcorum in Diuum Thomam Aquinatem venerationi excitandæ, hæc quæ adiungo ſcripſit & panxit.

IO. MATTHEVS CARYOPHILVS CYDONIVS IN LAVDEM D. THOM. AQVINAT. POEMA SCRIBIT.

## Sancto Thomæ Aquinati.

I.

*Fertilitate ſoli gaudet Campania felix*
*Hæc etiam Thomæ protulit ingenium.*
*Quod ſit terra ferax, terræ vult cedere nulli*
*Inuidet ob reliquum nec Paradiſe tibi.*
*Arbor erat, quæ ſcire dabat; Fuit altera Thomas*
*Et dedit hæc vitam, ſed dedit illa necem.*

II.

*Et ſapiens Salomon, & Rex fuit; obſtitit illi*
*Fœmina, ne ſibi Rex, ne foret & ſapiens.*
*Thomas & ſapiens, & Rex fuit; & dedit illi*
*Fœmina, quod ſibi Rex, quod foret & ſapiens.*
*Quid magis hoc ſapiens, quid tandem ſtultius illo?*
*Perdidit ille ſenex, quod puer iſte rapit.*

III.

*Vim patitur cœlum, rapitur vi, te ſibi Thomæ*
*Vi cœlum, vi ardens Relligio rapuit.*
*Infert vim mater, vim fratres, vimq; ſorores,*
*Sed vim vi vincit, Dominica Relligio.*
*Raptusne, an rapiens felicior? an bene Thomæ*
*Relligio, Thomas relligione tumet?*

IV.

*Arx erat incluſis virtutum arx altera Thomas*
*Hic fuit; arx ſubiit tertia luxuriæ.*
*Fœmina fax Veneris, fax caſto pectore Thomas.*
*Impetit arx arcem perfida, faxq; facem.*
*Non leuis hæc pugna eſt; rara eſt victoria: ſternit*
*Quaslibet arx arces callida luxuriæ.*
*Altera quid porro arx? rapta face duplicat ignes,*
*Tartareaq; fugat noxia tela facis.*
*Sic face fax gemina, ſic victa arx arce receſſit,*
*Arxq; expugnatrix arcis in arce fuit.*

V.

*Quod pueri in mediis non ardent ignibus, igni*
*Eſt laus, dum Sanctos tangere non patitur.*
*Thomas fœmineo quod non exuritur igni*
*Thomæ eſt, non ignis palma veneniferi.*
*Non fugiunt ignem pueri, non ille fugatur,*
*Sed Thomas ignem dum fugat, ipſe fugit.*

VI.

*Bos qui mutus erat, mugitu perculit orbem,*
*Mutaq; multiloquum fecit vt ora forent.*
*Non hominum lingua poſt iuſta ſilentia fatus,*
*Sed fatus linguæ viribus Angelicæ.*
*Si non Angelico Thomas foret ore locutus.*
*Quam Paulus linguam denotat Angelicam?*

VII.

*Bella gerunt non ficta homines, indagine veri*
*Lucraq; victor habet, lucraq; victus habet.*
*Strenuus hic Thoma dux tu per mille triumphas*
*Prælia, victores cogis & eſſe tuos.*
*Angelus vt vero dici cognomine poſſes*
*Si non impoſitum iam foret. Angelicus.*

VIII.

*Sera fides Thomæ; palpando credidit: alter*
*Dat Fidei Thomas, omnibus vt pateat.*
*Da veniam Thoma, ſi tu palpando beatus;*
*Scribendo hic, quanta luce beatus erit?*

IX.

*Das quinque, & lucrum totidem vis Chriſte talenta.*
*Sed lucra hæc Thomas multiplicata tulit*
*Nam quæ implexa capit mens rerum ænigmata, ſolus*
*Plana ſatis plano reddidit eloquio.*
*Difficiles dictu Salomon res eſſe dolebat*
*Quod dolet is, Thomæ ſuſtulit ingenium.*

X.

*In Cruce ſuffixi ſeptem tua Chriſte feruntur*
*Dicta, ſed octauum Parthenopæus habet.*
*Tu bene ſcripſiſti de me. Quo munere Thoma?*
*Contra is: Non aliud. Te mihi Chriſte volo.*
*Audeat ergo aliquis lingua perſtringere Thomam,*
*Quem Crucis è Cathedra tu tibi Chriſte probas?*

XI.

*Piſciculos optat condita vt fercula Thomas*
*Cœlitus oblatum non capit inde cibum*
*Sat vidiſſe fuit, ſat proſpexiſſe quod æger*
*Plus habet à Chriſto, quam petit à medico.*
*Vincitur & vincit Thomas, ſe victus ab ipſo*
*Inuictus magni viribus ingenii.*

XII.

In Monaſterium Foſſæ nouæ.

*Occidit hic Thomas, lux vt foret amplior Orbi,*
*Et candelabrum ſic noua foſſa fuit.*
*Editus ardenti locus eſt, non foſſa lucernæ.*
*Hanc igitur foſſam, quis neget eſſe nouam?*

XIII.

In mulam, ſtatim à funere occumbentem.

*Funera quis credat? Thomæ pia beſtia fleuit,*
*Et Sanctis iunxit funera funeribus.*
*Extinctum vt Dominum cognouit mula cucurrit*
*Et Thomæ ad feretrum mortua procubuit.*
*Vincit Buzephalos, inquit, mea fama ſuperſtes*
*Poſt Thomam, nullus iam mihi ſeſſor erit.*

XXI. ECCLESIA ROM. CONVENIT CVM ANTIQVISSIMIS PATRIBVS GRÆCIS IN RE SACRAMENTARIA ET ALIIS DOGMATIB.

Hæc occaſione Palamæ de Græcis, quibus ex animo voueo, vt aliquando agnita veritate, fraudibuſq; detectis, & illi quem falſo colunt valedicant, & duras ad hanc diem ceruices, ſuauiſſimo Eccleſiæ Romanæ, hoc eſt Chriſti iugo libentiſſime ſupponent, maxime quod etiam in re Sacramentaria, quemadmodum & in aliis dogmatibus, Eccleſia Romana cum antiquiſſimis Gręcis Patribus conueniat, quemadmodum idem Petrus Arcadius Corciren. vir Catholicus, Romæ in collegio Græcorum literis & pietate imbutus, & à ſummis Pontificibus olim in Ruſſia, maximis laboribus pro vnione Ruthenorum cum Eccleſia Romana exercitus, luculentiſſime oſtendit, in eo libro, cui titulus eſt, *De concordia Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione.* In eo probare contendit, has antiquiſſimas Eccleſias, in re Sacramentaria concordes eſſe, & Græcos ipſos habere, quæ neceſſario requiruntur ad conſtituenda Sacramenta, hoc eſt veritas materias, & formas. Quod ſi alicubi aliquis abuſus irrepſit, eum ibidem auctor patefacit, & teſtimoniis Patrum, potiſſimum Græcorum confutat. Si quid etiam eſt einſmodi, quod non intellectum alios offendere poſſit, & tamen ſenſum ſeniorem admittit, illud explicat, atque tuetur. Opus ſane aptiſſimum, non ſolum ad Græcos cum Romana Eccleſia facilius conſociandos, ſed etiam ad hæreticos noſtri temporis conuincendos. Sed nos ad Barlaamum reuertamur.

XXII. BARLAAM PETIT A PONT. AVXILIA GRÆCIS ADVERSVS TVRCAS ET VNVM GENERALE CONC. INDICI.

Is Abbatiam Monaſterii S. Saluatoris Conſtantinopoli nactus, cum nobili viro Stephano Dandulo, Robertum Siciliæ, & Philippum Galliarum Reges primo conuenerat, & ab eis auxilia Græcis aduerſus Turcas poſtulans, literas ad ſummum Pontificem eiuſdem etiam rei gratia poſtulauerat, promittens facile poſſe eo beneficio Græcos abduci, ad vnionem Eccleſiarum amplectendã: ſi modo quatuor vrbes pręcipue, è manibus Turcorum ope Latinorum eriperentur. Is literis Regum acceptis Auinionem venit, & in Patrum conſeſſum admiſſus, quid hactenus cum Græcis Orientalibus egerit, quidq; de concordia eorum cum Romana Eccleſia ſpei eſſet expoſuit. Deinde Concilium Generale à ſummo Pontifice indici, in quo controuerſia de proceſſione Spiritus S. à Filio inſtitueretur, & ante omnia ſubſidia ab Occidentalibus Regibus, Græcis aduer-uerſus Turcas dimicantibus flagitauit. Reſpondit Pontifex, non eſſe ex re, Concilium huic diſputationi indicere; quod de ea theſi, in Concilio Epheſino, Lugdunenſi, & Toletano, abunde à Patribus vtriuſq; Eccleſiæ decretum ſit; neq; amplius licere in dubium reuocare, ea quæ Spiritui S. eodem inſpirante, ſancita ſunt. Non contradicere tamen, quin Imperator Conſtantinopolitanus, Patriarchas quatuor, & reliquos Metropolitas, Epiſcopos & Clerum Orientis totius, ad Concilium aliquot euocet: in quo illi viros vndequaq; doctiſſimos, & veritatis addiſcendæ, non vero contentionis ſtudio flagrantes deligerent, & vel Auinionem, vel Romam deſtinarent, vt totidem à Sede Apoſtolica deſignati ab Occidente viri, non quidem diſceptandi, ſed illos inſtruendi cauſa conferrent. Reuerteretur itaque Conſtantinopolim, & hæc Imperatori atq; Patriarchæ renunciaret: tum ſi in eam ſententiam Grecos inclinare videret, omnia eis nomine Sedis Apoſtolicæ polliceretur, *ep.* 288.

STVDIVM PONTIF. PRO VNIONE ECCLESIARVM ORIENT. AC OCCIDENT.

Sed hæc omnia præſtat, ex literis Pontificiis, & ex Commentariolo, rerum in publico Patrum conſeſſu, à Barlaamo & Benedicto geſtarum, rudi quidem, ſed veridico ſtylo conſcripto, & Roberto Regi Siciliæ miſſo cognoſcere. Nihil non agebat Barlaam, quam vt auxiliares copias efflagitaret; Benedictus vero nihil magis ac prius ambiebat, quam vnitatẽ Fidei & confeſſionis, de proceſſione Spiritus S. à Patre & Filio ſtabilire: puritate doctrinæ, tanquam nexum adamantino Orientem Occidẽti deuincire, tum deinde & ſubſidia, & gratias, & priuilegia, & quicquid ex re eſſet abunde pollicebatur, quẽadmodum euidens eſt ex his quæ adiũgo.

Ita habet exemplar epiſtolæ, ad Robertum Regem Siciliæ.

XXIII. EPISTOLA BENEDICTI AD ROBERT. REGEM SICIL. QVA BARLAAM ILLI COMMENDAT.

*Chariſſimo in Chriſto filio Roberto Regi Siciliæ illuſtri.*

*Veniens pridem ad præſentiam noſtram Barlaam Abbas Monaſterii Domini noſtri Ieſu Chriſti Saluatoris Conſtantinopolit. Nuncius, vt aſſeruit Magnifici Principis Andronici moderatoris Græcorum illuſtris, quoddam negotium reunionis Græcorum ſanctæ Romanæ matri Eccleſiæ faciendæ tangentia propoſuit coram nobis; ſuper quibus ſerenitati Regiæ ſcribere breuiter intendimus magis plene. Sane quia dictus Abbas de beneplacito noſtro reuertitur ad mittentem, ipſum Regiæ beneuolentiæ propenſius commendamus. Dat. Auinione 3. Cal. Sept. Anno 5.* Hæc Benedictus Roberto ſcribebat, Porro quid apud eum Barlaam egerit, ex ſubſequenti Commentariolo eidem tranſmiſſo lubet cognoſcere. Ita habet.

XXIV. LATIVS EXPLICATVR QVID BARLAAM APVD PONTIF. EGERIT.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Anno à Natiuitate ipſius milleſimo trecenteſimo trigeſimo nono, ad præſentiam ſanctiſſimi Patris Domini Benedicti diuina prouidentia Papæ XII. apud ciuitatem Auinionen. vbi cum ſua Curia reſidebat, Barlaam dictus Abbas Monaſterii Domini noſtri Ieſu Chriſti Saluatoris Conſtantinopolitan. vna cum nobili viro Stephano de Dandulo milite veniens, & literas Dominorum Philippi Franciæ, & Roberti Siciliæ Regum illuſtrium, continentes inter cætera, quod idem Barlaam cum milite prædicto ex parte Magnifici Principis Andronici moderatoris Græcorum pro negotio reunionis Græcorum Eccleſiæ Romanæ ac ipſius Catholicæ vnitati miſſus fuerat ad has partes, coram præfato Domino noſtro ſummo Pontifice ipſiuſque ſacro Collegio Dominorum Cardinalium in effectu propoſuit quæ ſequuntur, videlicet, quod in Generali Concilio, per eundem Dominum noſtrum ſummum Pontificem conuocando, articulus de proceſſione Spiritus S. per diſputationes & concertationes ibidem concordaretur inter Latinos & Gręcos; quodq; ante omnia ſuper recuperatione trium vel quatuor ciuitatum magnarum quę per Turcos infideles in pręiudicium imperii Gręcorum occupatæ detineri dicuntur, per ipſum Dominum ſummum Pontificem & Eccleſiam dictoſq; Reges ac fideles alios præſtaretur auxilium: & aliæ non modici ponderis gratiæ à Sede Apoſtolica Græcis exhiberentur prædictis. Et licet prædicti Barlaam & miles interrogati ab eodem Domino noſtro ſummo Pontifice ipſiuſq; Collegio, ſi habebant ſuper præmiſſis vel aliis proponendis & audiendis ab illo qui ſe dicit Patriarcham Conſtantinopolitanum in illis partibus, aut moderatore prædicto, vel aliis perſonis Magnatibus dictarum partium Eccleſiaſticis aut mundanis literas vel mandatum; ne fruſtratorie aut deluſorie procederetur ſuper his: cum ſicut ex geſtis antiquis colligitur olim ſuper reunione prædicta ſolennibus tractatibus habitis & negotio concordato; poſtquam Ioannes tunc Patriarcha Conſtantinopolitanus, & quondam Michael Palæologus moderator Græcorum Synodano ſuo celebrato Concilio per ſuos ſolennes apocriſiarios idoneis mandatis ſuffultos Fidem Catholicam, quam tenet, docet, & prædicat eadem Romana Eccleſia fuerunt in generali Concilio Lugdun. profeſſi, retro reſpicientes damnabiliter à profeſſione huiuſmodi receſſerunt, & ad vomitum redierunt, eadem Eccleſia Romana, quantum in eis fuit remanente deluſa, finaliter Barlaam & miles reſponderunt prædicti, ſe nequaquam habere huiuſmodi literas vel mandatum. Tamen præfati Dominus noſter & ipſius Collegium, reunionem affectantes prædictam, ex qua ſi daretur à Domino ſalus animarum multarum proculdubio reſultaret; ea quæ dicti Barlaam & miles volebant proponere ad experiendum ſi forte fructus exinde poſſet aliquis elici, vnde via vtilis aperiri valeret negotio reunionis prædictæ, fecerunt ſibi dari quæ quibuſdam colorata rationibus ſequuntur in hunc modum.

XXV. ORTIO BARLAAM

*Quoniam diuinum & adorabile mandatum factum eſt mihi à veſtra ſanctitate vt dicam modum per quem reputo ego poſſibile*





IN CONSISTORIO HABITA PRO NEGOTIO REVNIONIS GRÆCORVM ECCLESIÆ ROM.

*eſſe Orientalem Eccleſiam vniri Occidentali; ecce veſtro obediendo mandato, hoc Deo præcedente iam faciam. Primum autem omnium deprecor Deum, vt ſicut ego cum omni veritate & puritate cordis loquar de iſtis, ſic & ipſe emittat ad ſanctam animam veſtram, quod ſit ad gloriam quidem & laudem veſtræ magnificentiæ, deſtructionem autem impiorum, perfectionem vero & vnitatem omnium Chriſtianorum. Sanctiſſime Pater. Duo ſunt modi per quos poteſt aliquis reputare poſſibile eſſe fieri prædictam vnionem. Vnus quidem qui ſit violenter, hoc eſt ſi vim paſſi habitantes Orientem, nolentes recipiant veſtram communitatem. Alius vero qui ſit voluntarie, hoc eſt ſi per doctrinalia verba eruditi & humiliati valentes vobiſcum vniantur. Horum ergo duorum modorũ prior quidem omnino dimittatur, quoniã & vobis placet. Secundus autem qui eſt voluntarius duplex eſt.*

PROPONIT MODVM VNIENDI.

*Alius eſt n. modus per quem poſſibile eſt, ſapientes noſtros concordari vobiſcum, & alius per quem populum cõmunem. Sapientum quidem modus ſimplex eſt & facilis. Nã ſi venerint ad veſtram ſanctiſſ. Maieſt. ex noſtris ſapientib. 30. & 40. aut quotcunq; ſint: bene ſcio quia concordabuntur vobiſcũ ſtatim facillime. Quare? quia neq; vos quæretis vt irrationalis appetitus vincat, neq; illi, ſed & vos & illi quæretis vt vincat veritas. Ergo quoniã & ambo deſideratis veritatẽ, credendum eſt, quia & cito ipſam inuenietis, & cito cõcordabimini. Sed iſti poſtquã fuiſſent concordati vobiſcum reuerſi ad Orientem non poterunt reducere populum noſtrum ad credendum, quia fuerunt concordati vobiſcum, cum ſalua eſſent dogmata ſanctorum Patrum, ſed ſurgent alii quidã, aut propter inuidiã, aut vanam gloriam, aut forte reputando benefacere, & docebunt totum contrarium plebi, & dicent; Viri fratres, videte ne ſeducamini, neq; audite eos. Iſti n. cum ſint corrupti propter munera & vanã gloriam dicunt quæ dicunt. Nihil ergo remoueatis ex his quæ tenetis. Iſti ergo ſanctiſſ. Pater dicendo talia verba humiliabunt plebem credere magis eis. Sapientes a. qui vobiſcum fuerint concordati nihil facere poterunt, ſed magis erunt in periculo à turba pereundi. Vnde prædictus modus, propter quidem ſapientes ſufficiens eſt, propter vero populum nequaquã.*

PETIT INDICI GENERALE CONCIL.

*Quis ergo eſt modus, qui & plebem, & ſapientes ſimul adducet ad vnionem veſtram, ego dicam. Audiendo communis populus quia ſexies factum eſt Generale Concil. & quoties factum eſt, ad perfectionem Eccleſiæ factum eſt, & ad correctionem errorum qui erant in illis temporibus, opinionem receperunt oẽs ad animas ſuas, quia quod ſit determinatum à Generali Conc. rectum & ſanum eſt. Ergo ſi fiet & nunc de differentiis quas habetis cum Græcis Generale Conc. vt nos oſtendemus, quæcunq; à Generale Conc. determinata fuerint, omnes Orientales libenter hæc recipient, & nemo erit qui his contradicat, & ſic vnanimitas ſtatim & vnio facta erit. Si a. aliquis dicet, quia iam factum eſt de iſtis Generale Concil. in Lugdunen. in quo fuerunt & Græci. Sciat quod nemo poterit humiliare populum Græcorum, vt recipiant iſtud Concil. ſine alio Conc. Quare? Quia illi Græci qui interfuerunt iſti Concil. non fuerunt miſſi, neq; à quatuor Patriarchis qui gubernant Orientalem Eccleſiam, neq; à populo, ſed à ſolo Imperatore, qui conatus fuit facere vnionem vobiſcum ex vi, & non voluntarie. Si ergo veſtra ſanctitas concedat, vt fiat de iſto Generale Concil. ſit taliter eius initium. Mittantur à vobis ad Orientalem Eccleſiam Legati, viri religioſi, & timentes Deum, & pleni Spiritu humilitatis & patientiæ: & portent à vobis literas habentes iſtum modum: Viri fratres, ſcitis quia communis inimicus noſter Diabolus poſuit ſcãdala inter nos & vos, & ſeparauit nos ad inuicem. Debemus ergo & nos & vos triſtari ſuper hoc; & commune damnum reputare iſtam ſeparationem. Rogamus ergo vos vt Fratres in Chriſto, Patriarcham Conſtantino. & Patriarch. Alexandr. Antiochenumq; & Hieroſolym. & alios Pontif. & electos viros, vt conueniamus ſimul in aliquo loco, & quæramus communiter cum ſpirituali affectu de propoſitis, & quod nobis reuelabit Spiritus S. hoc determinabitur. & ſperamus in miſericordia Dei, quia ſcãdala foris eiicientur, & vnanimitas, & amor dominabuntur noſtri. Si ſic ſanctiſſ. Pater manſueta verba audierint Orientales, Imperatorq; & Patriarcha, & populus, maxime gaudebunt, & ſtatim incipient operari ad propoſitum, & cum veſtris Nunciis ordinabunt modum, tempus & locum, in quo vniuerſale fiet Concil. in quo ſine omnium dubio eſt credendum, quia vnio firmiter facta erit. Poſtea quot interfuerimus iſti Conc. exibimus ad communem populum, & dicemus: Viri fratres; Sanctum & Generale Concil. determinauit hæc & hæc. Debetis ergo recipere ea, & omnes ea ſine dubio recipient. Iſte ſanctiſſ. Pater ſolus modus eſt ſicut videtur mihi per quem vnio Eccleſiæ fieri poteſt. Conſulo autem & hoc, magis vero deprecor.*

POSTVLAT GRÆCIS AVXILIVM CONTRA TVRCAS.

*In Turchia quatuor ſunt ciuitates magnæ & diuites, quæ hactenus fuerunt Græcorum, & propter peccata noſtra multo tempore iam tradita fuerunt in manus impiorum, nunc vero qui tenent & cuſtodiunt illas, erant quidem Chriſtiani; ex vi autem facti ſunt Turchi. Iſti ergo volendo iterum reuerti ad Chriſtianã fidem notum fecerunt Domino meo Imperatori, vt vadat cum exercitu ad eos; & ipſi illi tradent prædictas ciuitates. Imperator vero non confitendo in ſola ſua gente, miſit nos ad Chriſtianiſſ. Regem Frãcorum, quærens propter hoc auxilium. Nam ſi apprehenſæ fuerint illæ ciuitates & reuerſæ ad nos, primum quidem totam virtutem quam habent Turchi per mare, ſtatim perdent, & deficient mala quæ patiuntur Chriſtiani per mare ab eis, etiam regiones & ciuitates quæ ſunt inter prædictas ciuitates & nos omnes tradentur nobis & erit magna ianua aperta S. Paſſagio. Et audiens hæc Rex Francorũ miſit nos ad vos, vt diſcat quid vobis de iſto placeat. Vnde ſupplicamus vobis ſanctiſſ. Pater, vt concedatis, & mittatur auxilium ad partes illas: aut priuſquã vadant illuc prædicti veſtri Legati aut ſimul. Hoc autem dico propter duas rationes. Prima quidem, quod naturaliter omnes homines magis volunt ſubiugari benefacientib. eis, quam vim facientibus. Nã & Iudæi cum ſint ingratiſſimi omnium hominum, tamen quando Chriſtus nutriuit eos ex quinq; panibus in deſerto, eum voluerunt eorum Regem facere. Ergo & Græci videntes ſibi iam factum veſtrum auxilium, magis erunt parati recipere verba veſtrorum Legatorum, & ipſa adimplere. Etiam nos qui deſideramus Eccleſiæ vnionem, poterimus fiducialiter vnionem populum docere; & imperator noſter accipiens occaſionem poterit & Patriarchæ, & aliis Pontificib. & Principibus dicere: Videte quomodo Latini ſunt boni homines; & quomodo quærunt nos fructuoſis operibus & gratioſis verbis. Debemus ergo & nos ſimiliter diligere eos, & quærere modum per quẽ cum ipſis concordemur. Secunda autem ratio eſt iſta. Non poterit Imperator dare ſe ad ordinandum Generale Concil. niſi prius guerra quam habet cum Turcis definiatur, neq; enim dum guerra ſit, poterit quatuor Patriarchas & alios Pontifices in vnum coniugare, nec Conc. poterit intereſſe, & propterea oportet, vt ipſi æmuli prius ab imperio aliquantum longius expellantur; & tunc Imperator accepta tranquillitate, quantum ex ſua parte eſt poterit perfecte adimplere. Quod vero dicunt quidam ex vobis, quia oportet prius vniri vobiſcum Græcos, & tunc ibimus contra Turchos, non mihi videtur bene dictum eſſe propter ſex argumenta. Primum, quia Turchi non ſolum nocent Græcis, ſed etiam Armeniis, & Cyprianis, & Heraclitis, qui omnes ſunt ſubditi noſtri, & omnibus habitantibus inſulas. Vnde quando propter Græcos non vultis mittere auxilium contra Turcos, at minus propter miſeros Armenos qui ſunt iam deſolati, & propter alios Chriſtianos ſubditos noſtros debetis mittere ad partes illas veſtrum auxilium. Secundum, quia Turchi expugnant Græcos, non tanquam Græcos, nec quoniam differunt à vobis, ſed quia crucem ſunt adorãtes. Vnde per ſe quidem expugnant crucem per accidens autem Græcos. Si ergo abieritis contra Turcos, non ibitis ad auxilium Græcorum, ſed crucis, quæ eſt communis ſalus omnium Chriſtianorum. Ergo iuſtum eſt, ſicut Græci ſunt defenſores crucis, & vos ſimiliter ſitis. Tertium quia nunc quidem dum ſit ſaluum Imperium Græcorum, & ſit in viribus ſuis, facillimum eſt Latinis cum Imperatore Græcorum Turchos proſternere. Quare? quia primum quidem Græca militia ſcit bene per experientiam modum guerræ Turcorum, & inſuper per totam Turchiam & Sarraceniã ſunt commixti plurimi, & adhuc Chriſtiani, & alii iam renegati, qui valde diligunt dominium Græcorum. Iſti ergo cum audiuerint quia cum exercitu Imperator vadit ad eos, ſtatim vnanimiter ſubiicientur ſibi. Si aũt, quod Deus non permittat Turcæ euerterent imperium Græcorum, tãtum erunt fortiores ex natura loci & rerum, quod aut omnino impoſſibile, aut difficillimũ erit vobis proſternere eos. Vnde donec facile eſt proſternere eos, ne vos pigeat; nec dimittatis venire illud tempus in quo erit vobis meditatio, non quomodo ibitis ſuper eos, ſed quomodo cauebimini ab eis; & erit magnum quid vobis vlciſci ab eis. Quartum ſi ſoli Turchi veniſſent ad vos, dicẽtes: O Latini, volumus quidem eſſe ſaltem Turchi, tamen rogamus vos, vt ſimul vobiſcum expugnemus Tartaros & Sarracenos, & diſperdamus eos; recepiſſetis vtiq; eorum ſupplicationem. Quare? Quia magis eſſet vtile vobis cum Turchis expugnare Tartaros & Saracenos, quam ſi ſoli expugnaſſetis omnes tres. Ex ſimili ergo vtilius eſt vo-*

*bis cum Græcis, tam ſi concordentur vobiſcum, quam ſi non, impios expugnare, quam ſi ſoli expugnatis Græcos & impios. Quintum ſcitote etiam hoc vere, quia non tantum differentia dogmatum ſeparat corda Græcorum à vobis, quantum odium quod intrauit in animas eorum contra Latinos ex multis & magnis malis, quæ per diuerſa tempora paſſi ſunt Græci à Latinis, & adhuc patiuntur per ſingulos dies, quod odium niſi primo abiiciatur ab eis non poterit vnio fieri. Veruntamē niſi prius eis fiat à vobis magnum beneficium, neq; prædictū odium abiicietur, neq; aliquis poterit audere loqui ad eos ea quæ ſunt vnionis. Sextum, ſcitote & hoc, quia nunc nō communis populus Græcorum miſit me, vt quæram à vobis auxilium & vnionem, ſed Imperator ſolus ſecrete, qui niſi prius mittatur auxilium ad partes illas, non poterit ſe manifeſtare plebi ſuæ, quod vult veſtram vnionem. Ecce dixi & narraui vobis omnia: Deus faciat quod melius eſt. Prædictum quidem modum vnionis habeo manifeſtum, & ſi poſſibile eſt vobis facere eum, gratia ſit Deo. Si vero non dicam vobis alium modum, qui in dubio quidem eſt, tamen poteſt Deus facere etiam per ipſam vnionem. Quod ergo iam dixi, magnum odium intrauit in animas Græcorum contra Latinos ex multis malis quæ paſſi ſunt ab eis, quod odium niſi prius eiiciatur, nemo poterit docere Græcos veſtram vnionem. Vt ergo prædictum odium prius eiiciatur, ſupplicamus, vt adimpleatis nobis iſtas tres ſupplicationes. Primam, vt concedatis Regi Francorum mittere ad partes illas auxilium. Secundam, vt detis indulgentiam peccatorum omnibus volentib. ire ad auxilium Græcorum contra impios, & omnibus volentib. adiuuare cum rebus eorum, & omnibus morientib. in bello Turchorum. Tertiam, vt omnes Græci qui fuerunt venditi à Latinis vbicunq; ſunt liberentur, & de cætero vt non vendantur Græci, & ſi quidam vendiderint vel emerint eos, vel vadant contra eos, ſint excommunicati, & poſtquam facta eſſent iſta, mittantur à vobis ad partes illas Doctores, & doceant populum, Imperatore dante eis ſecuritatem. Et forſitan illi, videntes prius veſtra beneficia, verecundabuntur & humiliabuntur recipere, etiam ſine Generali Concilio veſtram vnionem. Tamen ſupplico ſanctitati veſtræ, vt ſi inuenietis alium modum, per quem poſſibile erit populum recipere veſtram vnionem, oſtendatis nobis ipſum, & nos quod poſſibile eſt parati ſumus ducere ad effectum.*

XXVI. RESPONSVM SACRI COLLEGII AD POSTVLATA BARLAAM.

Quibus per eoſdem Dominum noſtrum ſummum Pontificem & collegium viſis & diligentius intellectis habitaq; ſuper eis deliberatione matura breuiter reſponderunt, *quod cum olim à ſanctis Patribus & viris Catholicis olim in Epheſin. partium Græciæ, quod eſt vnum de quatuor principalibus Conciliis, necnon Toletan. Lugdunen. & aliis diuerſis Conciliis per Romanos Pontifices, & Eccleſiam Romanam, vel auctoritate ipſorum in diuerſis mundi partibus tam Orientalibus quam Occidentalibus celebratis ſolenniter determinatum Catholicè fuit ac etiam deffinitum, quod Spiritus S. æternaliter à Patre & Filio tanquam ab vno principio, & vna ſpiratione procedit; & quæuis opinio contraria reprobata extiterit & damnata, non eſſet decens, nec expediens præfato Domino noſtro, & Eccleſiæ ſanctæ Dei cœtuiq; fidelium, ſic clarum, determinatum & definitum articulum Fidei huiuſmodi, quem Græci antiquiſſimo tempore piæ memoriæ Ormiſda Papa Romano & Ioanne Patriarcha Conſtātinopolitano Eccleſiis tunc præſidentibus, & Iuſtino Imperatore regnante profeſſi fuerunt expreſſe: necnō ſubſequenter poſt lapſum longi temporis ſuper profeſſione ipſius articuli, Ioannes tunc Patriarcha Conſtantinopolitanus & Michael Palæologus tunc temporis Moderator Græcorum, prius ab eodem Patriarcha Synodatico celebrato Concilio, ſolemnem epiſtolam recolendæ memoriæ Ioanni Papæ XXI. miſerunt, nunc per nouas diſputationes vel altercationes, aut alias quomodolibet in dubium reuocare: nec prouidentia Sedis Apoſtolicæ circumſpecta, quæ in ſuis actib. & proceſſibus, maxime ſuper his quæ Fidem Orthodoxam concernunt, maturitatem obſeruat & obſeruare ſolet debitam, à rectitudinis & veritatis tramite nō diſcedens, ea quæ per eam prouide ſolenniter & Catholicè determinata & definita ſunt, in concertationes [illegible] diſputationes ſuperfluas deducere; maxime ad ſchiſmaticorū [illegible] hæreticorum inſtigationem vel inſtantiam conſueuit, & ſi hoc [illegible] ſuper articulo memorato, determinato iuxta veritatem Catholicam, vt præfertur permitteret, circa illum videretur dubita[illegible] quod abſit.*

[illegible]rſus, cum prædicti Barlaam & miles huiuſmodi [illegible]ſponſione audita, dicerent, *quod ſaltem, quod ſi ad proficiendum dictum articulum Græci forſan induci non poſſent, reunione facta permitterentur ipſi Græci, quod ſuper eodem articulo tenent credere, Latiniq; crederent Catholicè, Spiritum S. à Patre & Filio procedere ſecundum veritatem Catholicam ſicut credunt;* reſponſum extitit; *hoc eſſe nullatenus tolerandum; quia in ipſa Eccleſia Catholica, in qua vna Fides eſſe noſcitur, quoad hoc duplicem Fidem minus veraciter eſſet dare; dictusq; Dominus noſter ſummus Pontifex cum ipſa Eccleſia, huiuſmodi manifeſto non reſiſtendo errori, viderentur eidem, quod auertat Dominus conſentire.*

BARLAAM CVI SIMILITER RESPONDETVR.

*Veruntamen ad huiuſmodi & alios expellendos de cordibus Græcorum errores, ipſoſq; inducendos ad vnitatis Catholicæ veritatem, idem Dominus noſter aliam viam magis facilem & accommodam, quæ ſibi & dicto Collegio Dominorum Cardinalium occurrebat, duxit prælibatis Barlaam & militi oſtendendam, videl. quod per illum qui ſe in partibus illis Patriarcham Conſtantinopolitanum appellat, & per Moderatorem Græcorum qui nunc eſt, conuocatis illis qui ſe Alexandrin. Antiochen. & Hieroſolymitan. Eccleſiarum Antiſtites in eis partibus nominant, ac Clero partium earundem, principalibuſq; nobilibus & maioribus populi in Synodatico Concilio conuocatis, certi aſſumerentur ſapientes, & ad has partes Occidentales mitterentur, idoneis mandatis ſuffulti qui cum aliis viris ſapientibus Doctis in lege Domini & peritis per Sedē Apoſtolicam ſuper hoc deputandis, non per modum diſputationis vel concertationis, ſed inſtructionis quoad Græcos ipſos ſalutiferæ haberent maturos & diligentes tractatus; vt tandem ſuper prædicto articulo, & dubiis ſi qua Græci prædicti habeant alia circa Fidem, ab ipſis Græcis luce Catholicæ veritatis percepta, & de cordib. eorum fugatis errorum tenebris, ad ouile reuerterentur Dominicum, cuius eſt vnus paſtor, & extra quod non eſt alicui gratia, neq; ſalus. Nam Concilii Generalis conuocatio, quæ longi temporis tractum exigeret, ac expenſas & labores varios & intolerabiles, quod Occidentales & Orientales Prælatos, & perſonas Eccleſiaſticas, necnon Reges, Principes & alios conuocandos, ad illud ſecum traheret, non videtur, præſertim hoc præſenti turbato & impacato tempore, peccatis, proh dolor, exigentibus expedire.*

PROPONITVR A PONT. ALIVS MODVS REVNIENDI GRÆCOS LATINIS.

Ad hoc autem, quod de præſtando eiſdem Græcis ante omnia ſubſidio & aliquibus exhibendis gratiis vt exprimitur ſuperius petebatur, fulciebatur pro parte dicti Barlaam rationib. quibuſdam ab eo datis in ſcriptis, vt ſequitur in hunc modum.

XXVIII. NOVÆ RATIONES QVIBVS PETITA BARLAAM FVLCIEBANTVR.

*Licentia mihi data à veſtra ſanctitate reſponden. fiducialiter reſpondebo. Dicunt quidam, inconueniens eſſe ſi poſuerimus iterū in examinationem quod habemus iam ſicut manifeſtum. Mihi autē videtur totum contrarium. Si manifeſtum eſt, multo magis conuenit ipſum poni in examinationem, ſi aliqui dubitant de eo, propter quatuor rationes, quarum prima eſt iſta. Vos confitemini nunc, quia Spiritus S. procedit & ex Filio, ſicut & ex Patre. Sed hoc à Græcis dubitatur. Si a. verum eſt, & ponetur in communem examinationem, ſicut eſt nunc nobis ſolis manifeſtum, ſic & tunc fiet Græcis manifeſtum; quod vos deberetis maxime deſiderare. Quemadmodum n. natura aromatum, quanto quis iſta mouet manib. maiorem emittit odorem: ſic & natura veri, quanto magis examinatur diſputatione, tanto magis pura & clara apparet. Omnis enim examinatio, non conſueuit facere dubia, quæ primo erant manifeſta, ſed contrarium. Ea n. quæ prius erant dubia, ipſa examinatio habet à natura ad clarum ducere. Ea ergo quæ prius erant manifeſta, ipſa examinatio manifeſtiora faciet. Secunda ratio eſt, iuſtum eſt, vt vos exemplum aſſumatis à ſanctis Patribus. Illi n. habebant quidem manifeſtum, quia Filius Dei eiuſdem ſubſtantiæ eſt Patri, tamen quia Ariani dubitauerunt de hoc, poſuerunt hoc in examinationem, vt & illos ſaluarent. Similiter & in aliis Conciliis Orthodoxi Patres habebant quidem manifeſta ea de quib. hæretici dubitabant; tamen quoniam deſiderabant, & illos iuuare, ponebant ea in communem examinationem. Non enim erat in eis prohibens eos facere; & credebant vere, quia quæ habebant ipſi manifeſta, poſita in examinationē adhuc manifeſtiora fierēt, & multos iuuabūt. Ergo & vos ſi ſimiliter volueritis facere, ad gloriam vobis continget. Tertia ratio eſt iſta. Ego quidem ſciens bene Latinos, nunquā audebo dicere de eis aliquid blaſphemum: prudentes n. viros & ſapientiſſimos ſcio eos. Sed alii Græci qui non noſcunt eos ſicut ego, dicent, quia pro timiditate noluerunt venire ad examinationem; timendo ne forte videantur Græci dicere veriora quam ipſi. Qui enim confidit ſibi, & reputat*





*putat firmiter habere veritatem, non effugit examinationem: qui autem hanc effugit, præſtat ſuſpicionem timiditatis. Sicut enim ſi quis cambians aurum negat experiri in lapide, cum recipiens ipſum peteret hoc fieri ſuſpicionem dat, quia non credit purum eſſe aurum ſuum. Sic & vocatus in iudicium & examinationem pro aliqua re, & nolens accedere, ſuſpicionem dat quia non confidit in ſeipſo, neq; reputat firmiter firmari in veritate. Attendite ergo ſi bonum eſt, talem opinionem dare aliquibus de vobis ipſis; quia ab omnibus hominibus differtis ſecundum meam opinionem ſapiētia & magnificentia. Quarta ratio eſt iſta. Non debet aliquis timere, ne forte contingat Eccleſiæ Dei ex iſto Concilio aliqua deſaltatio, conſiderando quia quoties factum eſt Generale Concilium, ſuper ad exaltationem & honorem Eccleſiæ, & maiorem firmitatem veritatis factum eſt. Ergo & nunc credendum eſt, quia ſi fiet de propoſitis Generale Concilium, exaltatio magna Eccleſiæ ſequetur. Si aliquis autem vult dicere, quia iſtud opus indiget multis temporibus & magnis expenſis; ſciat quia pro iſto opere non tantum pecuniam & tempora pro nihilo debemus reputare, ſed & ſanguinē noſtrum libenter propter hoc effundere, ſi neceſſe fuiſſet debemus, quid maius opus quam vniri Græcos cum Latinis ſub cœlo non poterit homo inuenire. Quem ergo habeo reſiduum modum vnionis iam dicam, tantum proteſtando, quia certiſſime quidem non poſſum dicere ſi fiet per iſtum modum vnio, tamen credo, quia Deo poſſibile eſt. Poteſtis, ſi vultis mittere ad quatuor Patriarchas Orientalis Eccleſiæ, & ad Imperatorem Legatos veſtros dicentes: Viri fratres, quoniam & vos & nos confitemur in Diuinis vnā ſubſtantiam & tres perſonas, etiam vnum principium, & neq; vos neq; nos adducimus in diuinis, aut identitatem perſonarum, aut diuiſionem ſubſtantiæ, ſufficiant iſta vobis vt haberemus vnionē; de proceſſione autem Spiritus ſancti non diuidamur ab inuicem; ſed ſapientes quidem veſtri cum noſtris diſputent de iſta quæſtione ſi volunt, communiter vero non haberemus propter hoc diuiſionem: ſed tenete vos quod vultis de iſto, & nos ſimiliter, & non damnemus propter hoc alterutrum, ſed factum ſit tantum. Vos quidem date Eccleſiæ Romanæ illum honorem quem dabant & antiqui Patriarchæ in tempore vnionis quem determinauerunt etiam leges Imperatorum, & Canones ſanctorum Patrum, & plus non petimus à vobis. Nos autem parati ſumus dare & firmare Eccleſiæ Orientali, & ſpecialiter Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & imperio Conſtantinopolitano omnia iura quæ ſunt vel ab antiqua conſuetudine, vel determinata aut à legibus Imperatorum, aut à Canonibus ſanctorum Patrum. Iſta verba ſanctiſſime Pater audientes Græci ſi omnes recipient, non poſſum dicere, tamen credo quia plurimi recipient; & forſitan per iſtum modum Deus dabit vobis vnionem. Tamen ſupplicamus veſtræ ſanctitati non emittatis nos ſine portare aliquam gratiam à vobis Domino meo Imperatori, vt optatum ſuum quod habet vnionis Eccleſiæ non obſcuretur, ſed potius illuminetur.*

XXIX. RESPONSIO AD RATIONES PRÆDICTAS.

Supradictus Dominus noſter ſummus Pontifex cū ſuo Collegio prædicto reſpondendo dixit, *quod eiſdem rationibus nequaquam obſtantibus ex eo iuſtæ prædictæ petitio nō videtur; quia ſi fortificati, ditati, exaltati, & confortati per Sedem Apoſtolicam, Reges, Principes, & populos Catholicos ante reunionem prædictam, poſtea terga & non faciem verterent Romanæ Eccleſiæ memoratæ; ſicut alias dum credebantur reuniti, prout expreſſum eſt ſuperius, feciſſe noſcuntur; procul dubio idem Dominus noſter ſummus Pontifex, Eccleſia & fideles alii remanerent deluſi. Et dici poſſet opprobrioſe non modicum, quod ſuos & Fidei iuuauerant & fortificauerant inimicos & hoſtes, & participaſſent ſcandaloſe cum eis. Sed ſi per illum qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, eorūdem Græcorum cordibus infuſione gratiæ ſpiritualis illuſtratis, per viam tactam per eundem Dominum noſtrum, vel aliam accommodam & honeſtā ad obedientiam, vnitatem & deuotionem eiuſdem Rom. Eccleſiæ redire curauerint cum effectu, ipſos tunc effuſis gaudiis, ac gratiis, & fauoribus largifluè diſpenſatis, tanquā de regione diſſimilitudinis reuertentes, ipſe Dominus noſter & Apoſtolica Sedes recipient eos charitatiuis brachiis amplexando; non ſolum ſuper his quæ petunt, ſed ſuper aliis eorū opportunitatibus exhibituri, tunc quātum cum Deo & honeſtate fieri poterit auxilia, cōſilia & fauores.*

XXX. BARLAAM ALLEGAT CAVSAS DIFFICVLTATIS MITTENDI SAPIENTES VTI PONT. VOLEBAT.

Porro poſt præmiſſa dictus Barlaam, qui ad partes Græciæ prædictas erat vt aſſeruit rediturus, quamuis reſponſionem huiuſmodi iuſtam & rationabilem reputaret, viam tamen quam de mittendis pro parte Græcorum prædictorum ſapientibus tactam vt præmittitur, difficilem ſeu impoſſibilem æſtimat; niſi Deus, cui nihil eſt impoſſibilē illam ſola ſua virtute perficere dignaretur, cauſas difficultatis huiuſmodi exprimēdo per quādā ſchedulam, quam in ſcriptis tradidit ſub hac forma.

*Sanctiſſime Pater, quamuis receperim à vobis perfectum reſponſum, adhuc ſupplico veſtræ ſanctitati, vt dignetur audire, & iſta pauca verba. Neceſſaria enim ſunt, & mihi dicere, & vobis ſcire. Quod iam veſtra ſanctitas mihi dixerat, ſuper facto vnionis Eccleſ. Orthodoxæ, vt veniant ex partib. illis Legati habentes literas imperiales & Synodicas, exoro Deum vt faciat iſtud poſſibile; quia ex ſe eſt valde difficile multis de cauſis, videl. quia Imperator non audet manifeſtare ſe, quod velit vniri vobiſcum: quoniam ſi manifeſtaſſet ſe, multi ex Principibus ſuis, etiam ex populo, timētes ne forte ipſe vellet facere, ſicut fecit ipſis Michael Palæologus, quærerent opportunitatem interficiendi illum. Præterea Eccleſia Conſtantinopolitana non mitteret ad hoc negotium Legatos ſuos, ſine conſilio & conſenſu Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni & Hieroſolymitani. Quare oportet eos in ſimul congregare; quod eſt difficile propter guerras. Et præter hoc, incertum eſt ſi vocati ad hoc voluiſſent venire; & dato quod iam veniſſent, & omnes vnanimiter concordaſſent ad mittendum Legatos ſuper prædictis, ipſi non darent vnquam plenum poſſe ſuper hoc talibus Legatis, nec permitterent illud quod factum fuiſſet per ipſos Legatos ratum habere, niſi ſub certis articulorum pactis, quæ pacta vos nullatenus admitteretis. Quapropter veſter mihi quod tales Legati aliqualiter non venirent, eo quod ſcirent pactorum articulos per vos nullatenus admittendos. Vnde ſi tales Legatos contingat ad veſtram ſanctitatem venire, habeatis quod ex Deo eſt, cui difficile nihil eſt. Si autem non veniant, non imputetur imperatori, neque ſuſpicetur, quod eius negligentia ſit in cauſa, cum ipſe diu eſt ad prædictam vnionem animatus.* Adiecit quoq; verbotenus poſtmodum Barlaam ſupradictus, *quod non obſtante, quod, vt præmiſit, præmiſſa ei difficilia vel impoſſibilia videantur, ipſe tamen circa ea fideliter laborabit.* Et ſic ab eodem Domino noſtro ſummo Pontifice explicante expreſſius, *quod aliter eidem dictoq; Collegio poſſe non videbatur, niſi prout ſuperius dixerat & tetigerat negotium perfici ſupradictum*, rediens vt dixit præfatus Barlaam ad partes Græciæ prædictas diſceſſit. Hæc Barlaam Monachus, ſanctæ vnitatis Eccleſiarum & ipſe cupientiſſimus, apud Benedictum Pontif. nomine Andronici Græcorum Moderatoris agebat, quorum omnium idem Pontif. Philippum Galliarum, & Robertum Siciliæ Reges admonuerat. *Datis literis, Auinione 7. Non. Sept. Pontificii anno quinto.*

XXXI. PONT. DE ISTO TRACTATV FRANCIÆ ET SICIL. REGES ADMONET.

XXXII. GRÆCORVM VERSVTIA.

Solenne Græcis ſemper fuit, cum neceſſitate aliquā vrgerentur, vnionis nomen Latinis omnibus optatum inculcare, eoque prætextu auxilia ab illis mendicare. Porro quantum ad vnionem ſpectat, quandoque conſueuere dogmatum varietatem opponere, nec niſi, ſi ex re eorum eſſe viderent, ad Concilium prouocare: in eo debere, dicentes, diſceptationem de illis inſtitui, & ex communi Patrum conſenſu, tunc demum de concordia cogitare. Alias etiam diſceptationem de dogmatibus reiiciebant, & nonniſi pacem ac concordiam poſtulabant. Illud agebant, Concilii poſtulatione, vt in dubium reuocarent, ea quæ iam olim decreta, vſque recepta fuere: & rationibus coniuncti abitum ex Concilio facerent, conſenſionis nomine repudiato. Cum autem Concilii & dogmatum memoriam omitterent, ſubſidia tantum in rem ſuam depoſcebant. Cæterum Pontifices non ignari ingenii illorum pugnas verborum inutiles deuitabant, neque diſceptationi ſubiicere volebant traditam à Patribus doctrinam: tum etiam pacem & concordiam nonniſi ex conſenſione dogmatum & rituum illis offerebant. Quāobrem ante annos amplius quam ſexaginta, cum Michael Palæologus à Turcorum incurſionibus ſibi metuens, & vnionis citra tamen dogmatum conſenſum mentionem iniiciens; ad Vrbanum Pap. IV. apocriſariis miſſis concordiā poſtulaſſet, Pontif. contra dogmatū & rituum conſenſionem, pacem & vnionē illi ingenue denegauit. Deindè cum ad Gregor. X. Vrbani ſucceſſorem Nunciis deſtinatis, etiam dogmatum conſenſionem præſeferret ſed

Concilii indictionem, innueret, adeoque auxilia poſtmodum flagitaret, Gregoriuſque Pontifex illi tum auxilia, tum Concilii indictionem promiſiſſet, non tamē ad diſputandum illud ſe velle congregare, ſed ad eos inſtruendos diſerte præſcripſit, formulamque Fidei illi ſubſequentem miſit, quam propter aſtum Græcorum, & propter perpetuam doctrinæ in Eccleſia Romana Orthodoxiam cognoſcendam libuit ſubiicere. Ita habet ea Vrbani Papæ IV. quæ eſt inuitatoria ad vnionem & concordiam, ſed ex dogmatibus & ritibus ſanciendam; digna quæ à pſeudopolyticis huius ſæculi, libertatem conſcientiarum attollentibus, legatur.

XXXIII. VRBANI PP IV. AD PETITA MICHAELIS PALÆOLOGI GRÆC. IMP. RESPONSIO.

*Imperialis excellētiæ Nuncios, videl. Maximum dictum Aluſardum Monachum, Andronicū dictum Muzalonē, & Michaelem dictum Abalamcem, necnō & literas quas nobis ex parte tui culminis præſentarunt, cum ingenti gaudio, & exultatione, ac honorificentia condigna recepimus, vt tā ea quæ corā nobis & Fratribus noſtris dicti propoſuere Nuncii, quam earundem literarum ſeriem, quas de Græco tranſferri fecimus in Latinum, plene aduertimus, & intelleximus diligenter. Sane in literis ipſis, in primo ſalutationis alloquio, nos Papam veteris Romæ, throni Apoſtolici ſucceſſorem, & ſpiritualem tui Patrem imperii recognoſcens, quædam deinde de charitate vtilia ſubiunxiſti, dicens quod imperiū tuū charitatem libenter amplectens ac habens zelū Dei, & zelās pacis & concordiæ bonum te ad mittendum prædictos Nuncios & literas præparauit, ſcripſiſti, & inter alia, quod nos qui Patres ſumus, ad te quem aſſeris noſtrum deuotiſſimum filium, paterni affectus viſcera nullatenus aperimus, quantumcunq; tu Filius nos diligas ſicut Patrem. Nam licet ſtatim capta Conſtantinopolitana vrbe alias nobis epiſtolares literas miſeris, eandem intentionem idemq; propoſitum continentes, nihilominus tamen propter ardēs tuum in hoc deſiderium prædictos Nuncios cum huiuſmodi literis mittere decreuiſti; poſtulans vt circa priorem vnitatem in Dei Eccleſia renouandam, Pater Filio coniungatur, quoniam ſi hoc Dominus ex alto promiſerit, nullus pro certo præſumet contra ipſam Eccleſiam ſuperbire; quia nec Rex, nec Princeps aliquis Apoſtolicæ audebit reſiſtere iuſſioni. Adieciſti etiam quod imperiū tuum multo fuit dolore turbatum, intellecto quod nos contra Ianuenſes, pro eo quod ſe tibi vinculo confœderationis aſtrinxerant excommunicationis duxeramus ſententiam promulgandam apud ipſos, vt ab huiuſmodi confœderatione diſcedant, præceptis & monitis Apoſtolicis inſiſtendo; propter quod miratus es valde quod nos qui magni & primi Sacerdotis locum tenere dignoſcimur, hoc iubemus; guerram paci, & bellum amicitiæ proponendo, cum tamen & Ianuenſes & Græci Chriſtiani exiſtant; nec ſit incongruum cum Chriſtianis amicitiam & vnionem colere Chriſtianos. Deſcripſiſti etiam multa mala quæ contigerunt populo Chriſtiano à tempore, quo Latinæ gentes, Græcorum terram, vt tuis verbis vtamur, velut ſortem propriam acceperunt, imponens Latinis eiſdem templorum conculcationes & exterminia diuinorum, & quāplura quæ in ſacris illarum partium ædibus per eos aſſeris attētata: quæ quidem quoniam facta ſunt & præterierunt, & quod factum eſt pro infecto haberi non poteſt. In eiſdem literis videbaris approbare, vt hinc inde inimicitiæ diſſoluerētur, vt euitarentur ſcandala, & omne remoueretur obſtaculum ad quod pedes ſuos poſſent offendere Chriſtiani, præſertim cum tu ſicut aſſeris id toto deſideres mentis affectu, & ſi nos ad hoc ex corde velimus intendere, nihil eſt quod tantum bonum valeat prohibere. Sed cum nos qui Patres ſumus te in hoc debuerimus implendo Patris officio præueniſſe, tu nos in hac parte præueniens pacē nobis & concordiam obtuliſti, propter quod ad conſummationem tractatus huiuſmodi reputabas nos amplius obligatos: proteſtans imperium tuum quod in eo eſt iam laudabiliter expleuiſſe, ac poſſe dicere coram Deo & Angelis eius qualiter occurriſti ad Patrē tanquam Filius Patris amator, debitam nobis beatitudinem & conuenientem honorem ac diſpoſitionem ſponte & liberaliter offerendo. Vnde ſi Filium occurrentem Pater repelleret, imperium tuum ſe de hoc coram Deo & eius Angelis excuſaret. Dixiſti præterea, quod de dogmatibus Fidei & de conſuetudinibus ſeu ritibus Eccleſiaſticis, nullum tunc ſermonem in eiſdem literis faciebas. Nam ſi aliqua in his eſſet diſcordia, pace præmiſſa præhabitaq; inter Latinos & Græcos concordia, hæc ſoluerentur facilius & celerius ſopirentur. Demum autē tua ſublimitas tū per eaſdem literas, quam ēt memoratos Nuncios, cum multa petiuit inſtantia, vt Apocriſiarios ſeu Legatos noſtros, videl. homines pacis, & pacificos Chriſti diſcipulos, nō gaudētes in vanitate verborū, nec bono pacis mundanā ſapientiam præponentes, ad tuam præſentiam mitteremus: cū per ipſos expectet tuum imperium recipere à nobis & prædicta Sede reſponſum. Nos igitur huiuſmodi literis debita cum prædictis Fratribus noſtris attentione diſcuſſis, Deo Patri omnipotenti, à quo bona cuncta procedunt, & in cuius manu Regū corda conſiſtunt, & qui ēt quocunq; vult, illa ſine obice difficultatis inclinat, multimodas gratiarum retulimus actiones totaq; R. E. in laudis ſupernæ iubilum aſſurrexit; pro eo quod Spir. S. gratia videbatur mentales tanti Principis oculos ſui fulgoris radio illuſtraſſe, ac oſtendiſſe ſibi viā Catholicæ veritatis, per quam ad matrem Filius, pars ad totū, & membrum reducatur ad caput. Hoc n. eadem Rom. ſemper affectauit Eccleſia, & ad hoc indeſinenter ſuæ ſtudium conſiderationis inflexit, vt Græcorum Eccleſia ſuæ reficeretur lacte dulcedinis, ſuæq; affluentis educaretur vberibus charitatis, ita quod ouile Dominicum ſub vnius Paſtoris regimine alimēta doctrinæ ſalutis acciperet, & nomen Domini ſub vno veræ Fidei dogmate, vtilius ac ſalubrius inuocaret. Volentes itaq; quinimo mentis cupientes affectu, tam vtili, tamq; fructuoſo tractatui diligenter & feruenter inſiſtere, ac noſtros ppter hoc ad te apocriſiarios iuxta imperialis petitionis deſiderium deſtinare, memoratis tuæ Celſi. Nunciis paterna benignitate reſpondimus, quod circa mittendas ad te perſonas idoneas, in quarū ore verba reſponſionis Apoſtolicæ ponerentur, libenter tuæ ſatisfaceremus voluntati. Licet ergo eaſdem tuis recedētib. Nunciis vellemus noſtræ ſuper hoc intentionis affectum producere fauente Domino celeriter ad effectum: longa tamen loci diſtantia, in quo dilectus filius Simon de Aluernia, Petrus de Moras, Petrus de Caſtanet, Bonifacius de Ypona, Frat. Ord. Min. latores præſentium Apocriſarii noſtri tunc temporis morabantur, noſtris ſuper hoc votis vltra ſpē noſtram obſtaculum dilationis ingeſſit. Infeſti quoq; rumores qui ad audientiā noſtram medio tēpore peruenerūt, de perſecutionib. moleſtiis, & preſſuris, quæ nobili viro Guillelmo de Villacom. Principi Achaiæ deuotiſſimo vtiq; dictæ matris Eccleſiæ Filio, eiuſq; terris, & inſulis, ac Latinis morantibus in eiſdem per tui vires imperii iugiter inferuntur, celerem expeditionem Legationis huiuſmodi retardarunt, cum per huiuſmodi tuorum operum nouitatem reſiliſſe à concepto propoſito, nec in eadem voluntate perſiſtere crederis. Verumtamen quia tanti boni perſecutio, non potuit apud nos nec debuit per aliquod quantumcunq; veriſimile retractatum finaliter impediri; cū cæteris mentis noſtræ deſiderabilibus, id ſpecialiter præferamus: vt Chriſtiana plebs ſub Orthodoxæ profeſſione Fidei atq; cultu proficiat, & in idem indiuiduum collegiū vnius Paſtoris ſolidetur Magiſterio, & cuſtodia muniatur, ecce prædictos Fratres, viros vtiq; religione conſpicuos, & in lege Domini eruditos pacificos & ramum oliuæ in ore geſtantes, veritatis Euangelicæ profeſſores, amatores & cultores humilitatis, qui Chriſtum ſequendo pauperem, ſæculo cum ſuis diuitiis & deliciis derelicto, ad ſolam cœleſtem patriam tota mentis attentione aſpirant, ad tuā magnitudinem tanquam pacis Angelos, de Fratrū noſtrorum cōſilio deſtinamus: ſperantes in illo qui in arce præſidens vnitatis vniuerſitati rerum quas condidit ſuæ veſtigium vnitatis impreſſit, per quam ad ſuum principium recurrentes ab eo recipiunt perfectionis finem, à quo ſubſiſtendi ſumpſiſſe primordium, credimus quod aures Imperialis manſuetudinis ad eorundem Fratrum ſalutaria monita efficaciter inclinabit, tibiq; tribuet ex alto virtutem cogitandi vias Domini, tuoſq; pedes in eius teſtimonia conuertendi, præduce charitate, quæ ſicut literarum tuarum habet aſſertio, tuum excitauit & induxit imperium ad pacem à nobis & concordiam requirendam: & ſupra quā etiam veluti ſupra ſolidum fundamentum literarum ipſarum ſtructuram quaſi totaliter erexiſti. Et ideo nos, qui vices illius licet immeriti tenemus in terris, qui charitatem docuit, charitatem dilexit, charitatem oſtendit, & charitatem miſit in mundum, verba charitatis à te propoſita in ipſo earundem exordio literarum, charitatiue recepimus & libenter audiuimus, Deo qui charitas eſt, labiorum noſtrorum propter hoc vitulos immolātes, ac deuote ſupplicantes eidem, vt te per ſuam clementiam ad illius veræ charitatis perducat effectum, per quem in Deo maneas, & Deus in te dignetur tanquam in ſuo habitaculo permanere. Ex zelo namq; ſinceriſſimæ charitatis procul dubio procedere noueris, quod ad te & cunctos populos quos tuum regit & gubernat imperium, vt ad vnitatem redeant Catholicam, totis clamamus affectibus, & vos vt ad ſinum Eccleſiæ reuertamini promptis deſideriis inuitamus, quoniam huiuſmodi vnio, ſiue cō-*

*nexio*



*nexio ſalutaris ſi placeret altiſſimo, quod noſtris & tuis temporibus fieret, cordi noſtro ineſtimabilis gaudii rorem infunderet, & anxiæ propter hoc noſtræ mentis ardorem affluentis lætitiæ refrigeraret irriguo noſtrorumq; animum, panem ſalutis & fructum animarum deſiderabiliter appetentem pabulo reficeret charitatis. Tunc enim nobis & ipſi Eccleſiæ proueniret magnum & deſiderabile ſalutare, cum videremus varias gentium nationes, ſub eiuſdē obſeruātia Fidei in vnum acceptabilem Chriſto populum congregatas. Tunc per vniuerſam Eccleſiam inundantis iubilationis erumperet plenitudo, cum eius vterus ſobole geminata concreſcere cerneretur. Tūc etiam exaltatione nimia hilareſceret totus orbis, quia valde bonum & iocundum exiſteret, Fratres ſimul in domo Domini habitare. Hæc inquam domus eſt Eccleſia Chriſti firmiter ædificata, & bene fundata ſupra firmam petram Fidei Orthodoxæ, quam Ieſus Chriſtus ſuo fundauit ſanguine pretioſo, & in qua multitudinis credentium eſt cor vnum & anima vna in Domino, vna Fides & vnum baptiſma, & in qua etiam tota Fideliū multitudo vni corpori comparatur, dicente Apoſtolo: Multi vnum corpus ſumus in Chriſto. Cuius quidem corporis vnitas, à Spiritus vnitati procedit, qui & ſi ſit vnus, pro ſuo tamen arbitrio membris ipſius Eccleſiæ diuerſitatem inſtituit gratiarum. Propter quod idem Apoſtolus enumeratis Spiritus S. donis, ait; Hæc autem operatur vnus atq; idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult. Et poſt pauca ſubiungit: in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus. Hæc quidem Eccleſiaſtici corporis vnitas, per inconſutilem Chriſti tunicam, quæ diuiſis aliis veſtibus Domini vni tantū ceſſit in ſortē, non immerito figuratur. Hanc vnitatem piſcina probaticæ deſignauit, in qua vnus tantum ſanabatur, extra ipſam languentium multitudine remanēte: quoniam in huius vnitatis circuitu impii ambulant, & in eam intrare renuunt vt ſanentur. Hanc etiam vnitatem commendat ſponſus in Canticis dicēs: Vna eſt columba mea, vna perfecta mea, quanquā plures reginas, adoleſcentulas, & concubinas eſſe deſcribat. Vt ergo huiuſmodi vnitatis gratia firma & illibata penitus ſeruaretur, vnum eidem, vnitatis Dominus, videl. B. Petrum Apoſt. Principem Caput inſtituit & Magiſtrum, vt illam quaſi Noe arcam, extra quam animantia derelicta in aquis diuulſi ſubmerguntur, in ipſo Apoſtol. Principe velut in vno cubito conſummaret; eiq; Magiſteriū ſuæ Eccleſiæ conferens & Primatum; oues & agnos ſuos illi paſcendos, præmiſſa trina dilectionis interrogatione committens; & tradens ei claues Regni cœlorum cum libera ligandi atq; ſoluendi Pontificia & plenaria poteſtatē; & ne ipſius Principis Fides deficeret, adeo pro ipſo efficaciter exorauit, quod cum poſtmodū aliarum Eccleſiarum nonnullæ fuerint hæreticorum errore fœdatæ, Rom. Eccleſ. cuius idem B. Petrus Magiſter extitit immaculata remanſit, nullamque labem prorſus contraxit hæreticæ prauitatis. Vnde reliqui Apoſtoli & diſcipuli huius inſtitutionē Dominicam ēt poſt Chriſti aſcenſionem inuiolabiliter obſeruātes, recognouerunt eundem B. Petrū fore Chriſti Vicarium, & ſuper eos Primatus officium in omnib. obtinere. Ad verbum namq; B. Petri ſurgentis in medio Fratrum, vnanimiter per Apoſtolos ad electionem Matthiæ proceditur. Surrexit enim in medio tanquam ardens ignis Spir. S. loco Magiſtri, qui ei commiſerat gregem ſuum, & tanquam honorabiliſſimum cui oēs pariter intendebāt. Eius quoq; ſermonibus, illi qui blaſphemabant Apoſtolos, imo Spir. S. conuincuntur. Multa inſuper fidelium millia, ipſius prædicatione conuertuntur ad Fidem; in qua quidem prædicatione ſe feruenter & ardenter velut Chriſti Vicarius exercebat. Nec huic inſtitutioni Dominicæ S. Patres poſtmodum reſtiterunt, ſed ipſius Principis ſucceſſorem, tanquam illum qui Chriſti vices in terris obtinet venerantes, & ad eius iudiciū in Fidei recurrentes dubiis, eius author. hæreſes condemnarunt, manentes ſicut membra in eorundē Capite Apoſtol. ſcil. throno Pontificis Rom. à quo quærendum eſt quid ſit tenendum; quidue credendum: cū eius ſit reprehendere, ſtatuere, ordinare, diſponere, præcipere, ſoluere & loco illius ligare, qui ædificauit illū, & qui nulli alii ſed ipſi ſoli quod ſuum eſt plene tradidit & conceſſit. Huic etiā throno omnes Catholici iure diuino caput inclināt, & Primates mundi naturæ conficentes Fidem, tanquam ipſi Dn. Ieſu obediunt & intēdunt, ac in illum tanquā in Solem reſpiciūt, & ab eo lumē veritatis & Fidei ad ſalutem recipiūt animarū, prout nonnullorū ſanctorū Patrum tam Græcorū quam aliorū veridice aſſeuerant.*

*Porro cum præcellens Eccleſiæ prædictæ auctoritas & poteſtas in Euangelio roboretur priuilegio, & quod plurimum ſanctorum Doctorū teſtimonio fulciatur, nequaquam expediens fore decreuimus plura horum ſuper hoc ſcripta producere; quia ſuperuacuum foret prorſus, Solem adiuuare facibus, & id quod eſt & in cœlo & in terra notorium, ſcripturarum ſuffragiis comprobare. Sed vtinam imperialis iudicium rationis, nos throni Apoſtol. ſucceſſorem, & ſpiritualem tui Patrem imperii, ſicut verbo in tuis literis, ſic & opere recognoſceret, ac nobis debita iura redderet reuerētiæ filialis. Vtinam illam charitatem cuius te aſſeris ſectatorem, circa nos & thronū ipſū efficaciter demonſtrares, ad gregem redeundo Dominicum, ac recipiendo teipſum in tuto Eccleſiæ matris gremio; vbi conſolationis maternæ dulcedinem cū cæteris Orthodoxis mundi Principibus deguſtares; & ibi etiam in cunctis opportunitatibus tuis indeſinenter tibi adeſſe ſentires prompta tui præſidii fauorabilis adiumenta. Nam ſi hoc tibi Spiritus, qui vbi vult ſperat cœlitus inſpiraret, non ſolum oſtenderemus & aperiremus tibi paterni affectus viſcera, verumetiam te inter illa tanquam præcordialem & chariſſimum filium locaremus, tibiq; in tui ſuſtentatione & exaltatione ſolii monſtraremus, quantum thronis regalibus Apoſtolicæ Sedis gratiam & cōmunionem habentibus ſit neceſſaria, fructuoſa & vtilis poteſtatis Apoſtol. plenitudo. Neq; volumus diffiteri, quinimo conſtanter aſſerimus, quod maxima eidem Eccleſiæ ac tibi etiam, ex tui conuerſione imperii vtilitas, multorumq; incrementa profectuum temporaliter & ſpiritualiter prouenirent, quia & eidem corpus Eccleſiæ ex membri reintegratione tam nobilis appareret, & exiſteret in omni parte ſui elegantiſſime venuſtatum, & membrum ipſū non langueſceret, neq; tabeſceret extra corpus, ſed validum ex illo ſuſcipiens nutrimentū fauoris, & honoris vigorem reſumeret & humorem. Illamq; curam teneram vigilemque ſolicitudinem de tuo imperio eadem haberet Eccleſia, quam habet de cæteris orbis terræ regnis atq; prouinciis, ſub ſalubri eius obedientia conſtitutis; quorū Principatus & poteſtates, adeo fouet, protegit & gubernat. Quod ſi nonnunquam inter huiuſmodi regna ſiue prouincias diſſenſionum ſcandala, ſeu tumultuantium bellorum diſcrimina forſitan occurrunt, ſtatim eadem Eccleſia in medias filiarū furentiam partes proſiliens, & ſtrictos iam vel ſtringēdos gladios de manibus altercantium confidenter eripiens, per auctoritatē ſic inter ipſos imperioſa placide pacis auctrix. Reges quoque Catholici, cum inter ipſos aliquid diſſenſionis emergit, vel cum vaſalli eorum præſumunt contra eos calcaneos rebellionis erigere, mox habent ad portum Eccleſiæ prædictæ recurſum, eiuſq; ſalubre conſiliū & auxiliū implorantes, tranquillitatis & pacis remedia infallibiliter ab ipſa recipeunt, per quæ & inter diſcordes & turbatos eorū animos ſerena concordia & concors ſerenitas reformatur, ſedantur ſeditiones à ſubditis cōcitatæ & litigantiū clamores queruli cōticeſcunt. Præterea circa hæredes paruulos regnorū huiuſmodi, ſi quos parentibus eorum Regibus deficientibus in pupillari ætate remanere contigerit eadem Rom. Eccleſ. pia matris aſſumit officium, ac diligenter & vtiliter ipſorum gerit regimen & tutelam, eorum hæreditates & Regna, cum neceſſitas imminet, ēt ſuis propriis ſumptibus à quibuslibet inuaſoribus & occupatorib. defendendo. Hæc autē & alia quamplurima refrigeria inuenerunt ſemper & inueniunt apud eandem Eccleſiam fidelia & obedientia ſibi Regna, & Reges & Principes Orthodoxi. Vnde ſi tu, quod feruenter appetimus inſpiratus à Domino, ad eius obedientiam recta mentis intentione redires, tanto promptiora fauoris & præſidii iuuamina tuum in illa inueniret imperium, in tua tuorumq; hæredum defenſione & exaltatione perpetua quanto feruentiorib. deſideriis eadem Eccleſia feſta Paſchalia tuæ iucundæ conuerſionis expectat, quantoq; attentioribus ſtudiis te ad eius vnitatem cōuerſum in ſuæ charitatis amore & gratia retineret. Quæſumus ergo, quinimo tuam excellentiā obſecramus, per aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, vt illud laudabile ac ſalubre propoſitum, quod tuæ literæ te ſuper hoc iam concepiſſe teſtantur, vt partium ſublata qualibet difficultate & dilatione producas redeūdo celeriter ad ampiū & ſpacioſum eiuſdem Eccleſiæ gremiū, vbi indubitanter inuenies, tibi & ſemini tuo perpetua ſolida firmitatis ſedilia præparata, & vbi ēt non ſolum tu, ſed & tua poſteritas futuris poterit temporib. recumbere confidenter. Quod ſi te in conſilia meliora retuleris, & ad eandem Eccleſiam in ſpiritus humilitate redieris, non ſolum auxilium Ianuenſium, quorū amicitiam nos tibi ſubtrahere velle conquereris, & aliorum fidelium Latinorum potentiam, rerum etiamſi opportunum fuerit, vires omnium Orthodoxorum Regum & Principum orbis terræ, in tuum tuiq; ſolii fulcimentum comparare ac procurare ſtudebimus, inter te & ipſos indiſſolubilis fœdera dilectionis & pacis, ad laudem & gloriam diuini nominis*

*& Chri-*

*& Chriſtianæ religionis augmentum. Sed quamdiu ipſi Romanæ Eccleſiæ inobediens, & throno Apoſtolico indeuotus extiteris, ſalua conſcientia ſuſtinere non poſſumus, quod dicti Ianuenſes, vel alii quicunq; Latine, tibi auxilium præbeant vel fauorem; cum ſit prorſus incongruum, vt obedientiæ filii cum inobedientiæ filiis, per alicuius confœderationis commercium miſceantur. Præſertim cũ poßit per tale commercium ſtatus inobedientium fortius ad inobedientiam roborari. Poſſet etiam de facili puritas filiorum obediẽtium, ex ſocia conuerſatione & familiaritate quam cũ inobedientibus contrahunt, in ſinceris eorum moribus maculari. Si ergo contra Ianuenſes eoſdem proceßimus, hac de cauſa Imperialis circumſpectio non miretur; cum officii noſtri debitum impleuerimus in hac parte: nec per hoc aliquis, rationis iudicium & non voluntatis ſequens libitum, iuſte contra nos poteſt arguere, quod guerram paci, & bellum amicitiæ præponamus, cum talis confœderatio ſeu amicitia, in guerram, bellum, & ſcandalum ſæpedictæ Romanæ Eccleſiæ, ſuorumq; fidelium filiorum, quos ante oculos ſuos in eius gremio, cum eorundem fauore Ianuenſium opprimis cedere totaliter dignoſcatur.*

*Et cum ſimus illius Vicarii, qui ait, Ego ſum via, veritas & vita; propter quod veritatem diligere, veritatem oſtendere, veritatem ſequi, veritatem omnibus dicere, ac veritatem etiam ſupra tecta prædicare tenemur; tacere in hoc non debemus, nec volumus veritatem, quod omnes illi qui throno Apoſtolico non obediunt, quantumcunq; Chriſtianos ſe nominent, Dominicis obuiant inſtitutis, & ideo peccant mortaliter, & grauiter oculos diuinæ maieſtatis offendunt. Nam quanta ſit inobedientiæ culpa, verbo Samuelis oſtenditur, aſſerentis, quod quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idiolatriæ nolle acquieſcere. Nonne mõſtratur hoc etiam exemplo Dathan & Abiron, qui propter inobedientiæ malum, ab altiſſimo, pœna grauiſſima ſunt puniti, terra eos cum omnibus ſuis abſorbente? Hæc autem tibi dicimus more periti Medici, volentes palpare vulnera inobedientiæ telo transfixa, & ideo verba noſtra patienter audias, & ſapienter aduertas, vt tibi auctore Deo proficiant ad ſalutem. Meliora ſunt enim Salomone teſte, diligentis vulnera, quam fraudulenta oſcula odientis. Ad noſtrum nempe ſpectat officium, vbi neceſſario eſt increpatio, non tacere; ſicut conticent canes muti non valentes latrare, ſed ſecundum Apoſtolum, arguere, obſecrare, & increpare, in omni patientia & doctrina.*

*Verum quanta mala populo Chriſtiano contigerunt, à tempore diſſenſionis & diuiſionis huiuſmodi, nullatenus ignoramus, quinimo dum hoc ante oculos mentis noſtræ reducimus, producimus ab imis amara ſuſpiria, nec poſſumus lachrymas continere dolentes ſuper illis, qui primo à prædictæ Romanæ Eccleſiæ obedientia recedentes, inter Latinos & Græcos tanti materiam ſcandali reliquerunt. Nam ſi Latini Græcos diuerſis tẽporibus impugnarunt, hoc proculdubio non fecerunt tantummodo cauſa acquirẽdi eorum terras, & diuitias temporales, ſed vt per vexationẽ Græcis intellectus, qui noluerunt intelligere vt bene agerent, præſtaretur. Propter quod ſi templa diuina, & ædes ſacræ per aliquos latrunculos, ſeu per alios prædatores deſtructionis exterminium, ſicut interim guerrarum fluctibus æſtuantibus conſueuit contingere, forſitan incurrerunt; nullus ſanæ mentis poteſt vel debet id Latinis omnibus imputare. Sed huiuſmodi latrunculis & prædatoribus; imo potius illis, qui prout dictum eſt, inter vtramq; gentem diſſidii Zizaniam ſeminarunt. Quia vero pacem appetere videris, ac petere vt hinc inde ſoluantur inimicitiæ, abiiciantur ſcandala, & omne remoueatur ſcandalum ad quod Chriſtiani poſſent offendere pedes ſuos; nos tuum in hoc ſalubre ac laudabile deſiderium dignis laudũ præconiis attollentes, ad Imperialem notitiam præſentiũ tenore deferimus, quod cũ illius Regis pacifici vices geramus in terris, qui vnicum ſacrificium per mortem Patri ſe obtulit, vt ſecundum Ioannem filios Dei qui erant diſperſi congregaret in vnum, & qui ſecundum Apoſtolum eſt pax noſtra faciens vtraq; vnum, & qui ad paßionem accedens de pace condidit teſtamentũ, nemini pacem & concordiam negamus, & ad talem pacem inter vtrumq; populum auctore Domino reformandum, vigilanter & efficaciter intendere volumus; per quam vtiq; pacem copula rectæ charitatis & Fidei cordibus inſeratur, & quæ vnitatis vinculum operetur, procul depellat odia, rancores abigat, fuget inuidiam, excutiat liuorem, pacet mentes, corda reconciliet, & ſociet voluntates. Vnde ſi talem pacem tua nobis offert ſerenitas, nos illam libenter admittimus, & deſideranter amplectimur, firmo intendentes propoſito, & intentione ſtabili proponentes ſecundum Pſalmiſtã, inquirere pacem & ſequi eam, ac pro ipſa ſi opus fuerit impendere noſmetipſos. Sed quia non eſſet pax vera, nec ſtabilis, quæ ſuper firmo non conſurgeret veritatis & Fidei fundamento, non debuit dogmata Fidei & ritus Eccleſiaſticos tua poſtponere magnitudo, cum non ſit dubium, omnem pacem & omnem concordiam tanquam adiectiuum ex huius debere ſequi ſubſtantiuo. Nam cum hæc principaliter inſideant menti noſtræ, cum etiam circa hoc ſpecialiter noſtræ diligentiæ ſtudium & Apoſtolicæ Sedis verſetur intentio, inconueniens ſatis fuerit illa poſtponere, quæ proponi potius debuiſſent.*

*Nos autem quia vtrumq; volumus, vtrumq; quærimus, & vtrumq; votis anxiis affectamus, prædictos noſtros apocriſiarios, pro vtroq; negotio, vt ſcilicet de dogmatibus Fidei ritibuſq; Eccleſiaſticis, & pace ac concordia cum tuo tractent imperio, ad te duximus deſtinandos. Vnde ſi pacem & concordiam deſideras, vt ſcripſiſti, in proſecutione ac conſummatione tractatus huiuſmodi, tractabilem te exhibeas & benignum. Nec reputari poſſumus ab aliquibus negligentes, quod te non præuenimus, ſed à te ſumus in pacis præuentione præuenti. Nouiter enim tunc fuerat nobis impoſitum iugum Apoſtolicæ ſeruitutis, & in illo noſtro nouitatis initio tot & tantis fuimus ſollicitudinibus & curis obſeßi, quod ad ſuſtinẽdos inundantium vndiq; ſuper nos negotiorum impetus, reputabamus nos quaſi penitus impotentes.*

*Sed quantumcunq; etiam negotiorum varietatibus occupati, ſemper tamen agitabamus, inter alia maxima, quæ noſtris humeris incumbebant, qualiter tuum attrahere poſſemus imperium ad Eccleſiaſticam vnitatem. Intendentes firmiter in hoc prædeceſſorum Pontificum inhærere veſtigiis, qui ſub diuerſitate temporum indeficientibus ſtudiis, licet, quod dolenter referimus, eorum labores inutiles, ſterileſq; fuerunt, laborarunt, ac ſpem noſtram ponentes in eo qui eſt in ſe ſperantium fortitudo, quod in Eccleſia Dei tantum bonum tuis temporibus perueniret. Ideo imperialem mãſuetudinem tuam, de Fratrum noſtrorum conſilio, monemus, oramus, & rogamus attente, ac per aſperſionem prædicti ſanguinis obſecramus, quatenus habens cor ſurſum ad Dominum, ac de tua tuiq; conuerſione populi cogitans & ſalute, prædictos noſtros apocriſiarios, ob reuerentiam Sedis Apoſtolicæ & noſtram benigne recipias, & honorificentia condigna pertractes, ac tractes efficaciter ſuper præmißis, per te, vel per alios quos ad hoc deputaueris cum eiſdem, ſicq; attente præbens ipſorum ſalutaribus monitis aures tuas, vt ſpes quam de tua laudabili intentione concepimus fructus nobis & toti generali Eccleſiæ afferat concupitos. Si autem ex tractatu huiuſmodi viſum tibi & eiſdem apocriſiariis fuerit, quod tam pium, tamq; ſalubre negotium progreſſum laudabilem & egreſſum debeat habere felicem, ordinari poterit per te, ipſoſq; apocriſiarios, vt ſolennes nuncii pro eiuſdem conſummatione negotii, cum auctoritate & poteſtate plenaria, & mandato ſufficienti, ad nos ex parte celſitudinis dirigantur, vel alia via cõueniẽs inueniri, per quam ad conſummationem certi negotii finaliter auctore Domino procedatur. Ad hoc autem vt tractatus huiuſmodi tam ſalubris, aliquo ſiniſtri caſus occurſu ſeu quolibet alio inſperatæ turbationis impediri nequeat interiectu, à tua magnitudine pro munere petimus ſpeciali, vt ſaltem diuinæ maieſtatis intuitu, ceſſent penitus interim commotæ iam per te contra memoratum Achaiæ principem ſimultates, terribiles armorum ſtrepitus conquieſcant, hoſtiles arceantur incurſus, & præcipites bellorum impetus refrenentur. Ita quod nos videntes & recognoſcentes, quod libenter in hoc Apoſtolicis beneplacitis te coaptes, reddamur exinde tibi non ſolum ad beneuolentiam, verum etiam ad procuranda tua ſpiritualia & temporalia commoda proniores.*

*Cæterum, quia his diebus nouiſſime ſcriptum imperiale recepimus, in quo inter alia continebatur expreſſe, quod in cauſis ſeu quæſtionibus, quæ tuum habet, ſiu habere ſperatur imperium cum Latinis, nullum alium iudicem, niſi ſolum Romanum Pontificem, & Romanam Eccleſiam habere proponis; nos attendentes quod ex recta confidentia & beneuolentia multæ procedit, quod noſtrum & ipſius Eccleſiæ ſubire iudicium non recuſas; quinimo te offers ad ſubeundum illud promptum, expoſitum & paratum, tui ſuper animi promptitudine quam diſponere ac dirigere iam videtur Altiſſimus, ad ſuorum ſemitam mandatorum, commendandam propter hoc multipliciter ac vberrimis gratiarum actionibus proſequendam fore decreuimus, imperialis circumſpectionis induſtriæ prædicentes aperte, quod cum nos in valle huius ſæculi vices ſu-*





*perni iudicis exequamur, ſimuſq; omnibus ſecundum Apoſtolum in iuſtitia debitores, ſuper huiuſmodi cauſis ſeu quæſtionibus, ſi eas vel ipſarum aliquas ad examen Apoſtolicum deuenire contigerit, adeo fauorabilis iuſtitiæ plenitudinem tibi tuoq; imperio exhibere curabimus, quod tu qui Patris & Matris ſubire iudicium elegiſti, merito gaudere poteris, te in nobis & prædicta Romana Eccleſia, id quod in Patris & Matris reperire foro ſperaueras, inueniſſe.*

XXXIV. GREG. X. PP. RESPONSORIA EPISTOLA EIDEM PALÆOLOGO IMP. GRÆCORVM.

Hactenus Pontifex Vrbanus Michaeli Palæologo ſcribebat, pacem & vnitatem, ſed ex vnitate dogmatũ & rituum illi offerens. Cæterum qua ratione etiam illi Gregorius X. reſponderit, non illubet ex ipſa epiſtola cognoſcere. Ita habet.

*Magnifico viro Michaeli Palæologo illuſtri Imperatori Græcorum gratiam, per quam gloriam obtineat in futuro.*

*Magnitudinis tuæ literas, ac viros prouidos & diſcretos latores earum Apocriſiarios tui culminis, ad noſtram venientes præſentiam, ſerena facie & læto animo recepimus, & eis ſuper omnibus quæ proponere voluerunt, coram nobis & Fratribus noſtris audientiã benigna conceſſa, fideles adhibuimus interpretes, qui noſtrum eis, & ſuum nobis in omnibus & per omnia panderent intellectum; ipſum quoq; literarum tuarum initium, quod ex Pſalmis aßumpſeras ſpiritualibus nobilis citharedi, cordis tui gaudiũ manifeſtans, ex eo iuſta ratione conceptum, quod in domũ Domini te ſperabas iturum, illuc etiam tribus tribus Domini, Latinorum videl. & Græcorum pariter aſſenſuros, acceptum nobiſcum gaudiũ plurimum accepimus exultationis ingentis. Hoc enim eſt quod & nos totis viſceribus cõcupiſcimus, quod in ipſis Miſſarum ſolenniis à Domino petimus inceſſanter, vt ſuam videlicet Eccleſiam, toto Orbe terrarum adunare dignetur. Hoc eſt quod videre ſummopere cupimus, vt ipſius ruinas impleat, ſciſſuras reparet, muros ædificet, & ſanctorum cuſtodia muniat Angelorũ. Non ſunt enim nobis incognita damna populi Chriſtiani quæ iamdudum Latinorũ & Græcorum diſſenſio peperit annoſa pariter & damnoſa, dum diuiſos inter ſe populos, & in ſua, ſe aduerſis mutuo debilitando conatibus, conuerſos viſcera, frequentius & liberius furor hoſtilis inuaſit, qui eiſdem glutino veræ charitatis vnitis, obeſſe minime potuiſſet. Sane olim ad fel. rec. Vrbanum Papam prædeceſſorem noſtrum, cum tuis literis ſolennes Nuncios deſtinaueris, tuum modo conſimili per eoſdem Nuncios & literas pium deſiderium explicãdo, inter cætera poſtulaſti, vt ad tuam præſentiam apocriſiarios ſuos mitteret ſeu Legatos, pacis homines & pacificos Chriſti diſcipulos gaudentes non in vanitate verborum, neq; bono pacis mundanam ſapientiam præponẽtes; qui tuis votis annuens in hac parte viros electos de Fratrum Minorum Ordine, viros vtiq; pauperes in hoc mundo, in Fide diuites, in lege Domini plenius eruditos, Fratres, ſcil. Simonem de Aluernia, Petrum de Moras, Petrum de Caſtras & Bonifacium de Yporia cum ſuis ſub certa forma literis ad te miſit. Licet autem prædeceſſor noſter, Celſitudinis tuæ literas ſupradictas cum magno gaudio recepiſſet & in ipſis contenta literis ſingillatim inſpecta, pietatis perpenderet ſpeciẽ obtinere, ad cõtentum tamen in eis ordinem ſicut non debuit, ſic nec potuit ſe arctare. Tu quidem eorundem Latinorum & Græcorum diſcordiã, diſſolutis inimicitiis in charitate mutua prius decreueras ſolidandum, & tunc demum videbatur tibi commodior de dogmatibus Fidei & rituum diuerſitate tractatus; & ad huiuſmodi probationem Ordinis ex Scripturis authenticis argumenta multa compegeris, ad probandum, quod bonorum omnium ſit charitas fundamentum: ipſe vero tuis non obuians argumẽtis, nec præconia charitatis attenuans, quam Sedes Apoſtolica illibatam ſeruat ad Filios etiam indeuotos, ſed Fidei primum & ſolidum fundamentum attendens, ſine qua impoſſibile eſt Deo placere, non iniuſte de conſonantia Fidei tractatum cenſuerit præmittendum. Abſit enim vt Rom. Eccleſia, quæ nec rugam habens nec maculam, illam tenet hodie quam ſemper hactenus tenuit Fidei veritatem, Filios etiam ſe auertentes ab ea odio proſequi fateamur, cum eadem proculdubio Mater Eccleſia, iuſtis & peccatoribus, obedientibus & rebellibus exhibens piæ charitatis affectum, ad ſalutem omnium quibus põt modis intendat; nec ideo minus diligere ſit cenſenda, quòd interdum exigente iuſtitia peccatorum conſtringit cornua, qui ſalutarib. monitis obtemperare cõtemnunt. Sicut nec recto iudicio dici poteſt medicus odioſus, qui curandis vulnerib. ferrum vel ignem adhibet, quæ leuioris medicamine antidoti non curantur. Stetit inquã cum Fide charitas apud ipſam Sedem. Itaq; quæ Fidem contaminauit, neceſſario deſeruit charitatem: ad quam nullus eſt reditus, niſi prius, quam non receperant, vel receptam abiecerant Fidei veritatem agnoſcat: cum ſit ille fons viuus charitas, cui nullus communicat alienus. Vt igitur rectius eſſet ad pacis optatæ colloquium & tractatum ingreſſus, miſſi ſunt ad tuam magnitudinẽ dicti Fratres de dogmatibus Fidei, & Eccleſiaſticis ritibus tractaturi; ac inſuper de concordia ſuper aliis inter prædeceſſorem ipſum & te tuumq; populum reformãda, in eius prædeceſſoris literis hoc expreſſo, quod ſi ex huiuſmodi tractatu, tibi & ipſis Fratribus videretur, quod tam pium tamq; ſalubre negotium progreſſum laudabilem & egreſſum deberet habere felicem, per te ordinari poſſet & eas, quod pro eiuſdem conſummatione negotii ſolennes Nuncios cum authoritate & poteſtate plenaria, & ſufficienti mandato, ad Sedem Apoſtolicam ex parte tuæ Celſit. mitterentur, vel alia inueniretur via conueniens, per quam promptius ad negotii conſummationem ipſius, Deo procederetur auctore. Cæterum Fratres ipſi aliquamdiu in tua Curia commorati, cum non poſſent ad plenum aßequi quod volebant, volentes tamen obtinere quod poterant, in quandam tecum, vt dicitur, conuenere Scripturam, certos articulos continentem: magnitudini tuæ bona fide ſpondentes, ſe apud dictam Sedem inſtitutos, quantum eſſet in eis, vt Scripuram huiuſmodi Sedes tandem acceptaret. Nuper autem tuis apocriſariis ſupradictis ad noſtram præſentiam accedentibus, & à nobis prius ſecreto, vt eis placuit, ac in Fratrum noſtrorũ præſentia ſubſequẽter auditis, ſuper Fidei veræ dogmatib. cum eiſdem conferre voluimus, non contentioſæ diſputationis certamine, ſed verbis ſimplicibus, & Euangelicæ conſonantib. veritati; iſtudq; recuſantib. ipſis admittere, tractatores eis obtulimus, de dictarũ Fratrum noſtrorũ collegio, qui in colloquio familiari diſcurrerent cũ eiſdem, quibus modis, quibuſue gradibus tam ſalubre poſſet negotiũ conſummari; ipſi nec iſtud recipere voluerunt præponentes finaliter, quod nec ad diſputandum, nec ad tractandum venerint, ſed per nos roborari petebant, quæ à prædictis Fratrib. Simone & Collegis ipſius, in tua, vt dicebant, præſentia fuerant accepta, prout cuiuſdam Scripturæ ſeries quam in noſtra protulerunt præſentia cõtinebat; de qua tamen pro te tuiſq; ſubditis roboranda, etiamſi nos acceptare vellimus eandem, nullam ſe recepiſſe penitus poteſtatẽ coram nobis & eiſdem noſtris Fratribus iidem tui aprocriſarii ſunt confeſſi. Quibus auditis mirati ſumus tanti apocriſarios Principis, qui ſi ea quæ in eiuſdem prædeceſſoris literis expreſſa ſupra meminimus adeo proceßiſſent, quod iuxta eorum ſeriem exiſtimares non immerito Nuncios deſtinandos, mitti à te debuerunt vt præmittitur cum authoritate & poteſtate plenaria & ſufficienti mandato, ſic inſtare ſuper eiuſdem corroboratione Scripturæ; cum tamen ad hoc petendum nec in ſcriptis, nec in alio mandatum aliquod exhiberent; imo nec prædictæ Celſitudinis tuæ literæ nobis præſentatæ per ipſos de petitione huiuſmodi, vel præfata Scriptura, ſeu etiam de prædictis Sedis eiuſdem aprocriſariis aliquam facerent mentionem, ais quod ipſis tuis apocriſariis fides à nobis deberet ſuper his, quæ pro parte tua proponerent adhiberi; ſed ne ipſos contemnere videremur, benigne eis oſtendimus, quod præfata Scriptura nobis per ipſos exhibita, non potuit à ſæpedictis Fratribus dictæ Sedis apocriſariis, eiuſdem Sedis nomine approbari: cum ad id ab ea non habuerint poteſtatem. Tractatores ſiquidem miſſi fuerant, non negotii perfectores; ſicque per conſequens eorum incumbebat officio, tractatus ſui ſummam ipſi Sedi referre, illiuſque approbationem eiuſdem Sedis iudicio reſeruare. Quod & ipſimet conſultius attendentes, circa finem præfatæ Scripturæ, fatentur ex iniuncti miniſterii debito dictæ Sedi ſe cuncta renunciare debere. Nec approbationis ſibi vſurparunt officium, ſed inſtantiæ ſuæ miniſterium promiſerunt, ſpondentes, vt diximus, ſe inſtaturos apud dictam Sedem, quantum in eis erat, vt Scripturam approbaret eandem. Videat itaque tua ſublimitas, quam pure, quam liquide dicti Fratres apocriſarii Sedis eiuſdem, ſuæ poteſtatis & miniſterii reſerarunt ſeriem, & fines ſeu terminos repreſſerunt; quam clare, quam aperte, ſuæ intentionis aperuere propoſitum. Quid enim clarius ſcribi, vel dici potuit, vt nondum actum quid diceret, quod adhuc omnino ex alterius approbatione pendebat? Fratres ergo memorati apocriſarii dictæ Sedis, nec roborauerunt, nec intenderunt, ſicut nec etiam potuerunt prædictam ſecundum eius Sedis conſcientiam roborare Scripturam. Nos quoque petitionem à præfatis tuis aprocriſariis ſuper ipſius Scripturæ roboratione propoſitam, eiuſdem Scripturæ inſpecto tenore, cum nonnulla quæ continentur in ea, nec accõmoda, nec vtilia, imo diſpendioſa & dãnoſa potius tãto & tali negotio reputemus, de prædictorũ FF.*

*noſtrorum conſilio, eiuſdem negotii qualitate penſata non duximus admittendam. Præſertim cum ipſi tui apocriſarii, ad roborandum eandem pro te tuiq; imperii clero vel populo, nullum vt præmiſimus mandatum, vel poteſtatem haberent, nec tu de petitione præmiſſa tuis aliquid dixeris literis inſerendum: imo ab eadem Scriptura, vtpote de cuius corroboratione iam elapſo fere triennio non curaſti nec per noſtros aprocriſarios primo ſuperius nominatos nouiſſime ad te miſſos, qui apud te moram diutius cōtraxerunt nobis miſiſti aliquid verbo vel ſcripto, receſſiſſe veriſimiliter credi poſſes; quanquam etiam alias non fuiſſet eadem à nobis petitio admittenda. In his enim quæ ſunt Fidei, & veritatem reſpiciunt ſine qua ſalus eſſe non poteſt, explicite, non ſub inuolucro eſt agendum. Ideoque vt in lucem omnia veniant, ne verborum ambagibus intentionis noſtræ puritas inuoluatur, tenore præſentium duximus declarandum; quid tibi, ac Prælatis & cæteris ſub tua ditione degentibus faciendum incumbat, vt ad ſinum eiuſdem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Matris tuæ, ſano fretus conſilio redeas reuerenter. Quod ſi faciendum Domino decreueris inſpirante, ipſa Mater piiſſima Filio redeunti ſinum ſuum largiſſima pietatis aperiens, in tuos læta properabit amplexus.*

ARTICVLI NOSTRÆ FIDEI.

*Ecce ergo quod corde firmiter credimus, & quod ore ſimpliciter confitemur, tibi plane proponimus, exponimus, nec in velamētis ænigmatum dogmata noſtra tegimus, ſed omnino verbis explicitis & apertis notam eſſe volumus vniuerſis, profeſſionem Fidei quam tenemus; quam à te, Clero & populo prædictis exigimus, vt eandem tu & ipſi profiteamini, ſi ad noſtram quod deſideramus redire volueritis vnitatem. Ea inſuper quæ circa eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Primatum, de cuius veritate, nonnulla, præfatæ Scripturæ ſeries continebat, à te, ac ipſis Clero & populo recipi & acceptari volumus, vlterius & apertius explicantes. Et quidem.*

*Credimus ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vnum Deum omnipotentem, totamq; in Trinitate Deitatem, coeſſentialem, conſubſtantialem, coæternam, & coomnipotentem, vnius voluntatis, poteſtatis & maieſtatis, Creatorem omnium creaturarum, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia quæ ſunt in cœlo & in terra, viſibilia & inuiſibilia, & corporalia & ſpiritualia.*

*Credimus ſingulam quamque in ſancta Trinitate perſonam, vnum verum Deum, plenum & perfectum.*

*Credimus ipſum Filium Dei verbum Dei æternaliter natum de Patre, conſubſtantialem, coomnipotentem, & coæqualem per omnia Patri in diuinitate: temporaliter natum de Spiritu ſancto ex Maria ſemper Virgine, cum anima rationali; duas habentem natiuitates; vnam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem; Deum verum, & hominem verum proprium in vtraq; natura atq; perfectum non adoptiuum, neq; phantaſmaticum; ſed vnum & vnicum Filium Dei, in duabus & ex duabus, diuina ſcil. & humana naturis, ſed in vnius perſonæ ſingularitate, impaſſibilem & immortalem diuinitate, ſed humanitate pro nobis & pro ſalute noſtra paſſum vera carnis paſſione, mortuum ac ſepultum; & deſcendiſſe ad inferos, & tertia die reſurrexiſſe à mortuis vera carnis reſurrectione, die quadrageſimo poſt reſurrectionem cum carne qua reſurrexit & anima aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram Patris; inde venturum iudicare viuos & mortuos, & redditurum vnicuiq; ſecundum opera ſua, ſiue bona fuerint ſiue mala.*

*Credimus etiam Spiritum ſanctum plenum & perfectum verumq; Deum, ex Patre & Filio procedentem, coæqualem, & coeſſentialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio.*

*Credimus hanc ſanctam Trinitatem, non tres Deos, ſed vnum Deum omnipotentem, æternum, inuiſibilem, & incommutabilem.*

*Credimus ſanctam Catholicam & Apoſtolicam, vnam eſſe veram Eccleſiam, in qua vnum datur baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum.*

*Credimus etiam veram reſurrectionem eiuſdem carnis quam modo geſtamus, & vitam æternam.*

*Credimus etiam noui & veteris teſtamenti, legis ac Prophetarum, & Apoſtolorum, vnum eſſe auctorem Deum ac Dominum Omnipotentem.*

*Hæc eſt vera Fides Catholica, & hanc ſuper dictis articulis tenet & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia. Sed & propter diuerſos errores, à quibuſdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat, eos qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos, ſed per veram pœnitentiam ſuorum poſſe conſequi veniam peccatorum. Quod ſi vere pœnitentes in charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari; & ad pœnas huiuſmodi releuandas prodeſſe eis quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueuerunt ſecundum Eccleſiæ inſtituta. Illorum ergo animas qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel corporibus exutæ eiſdem pœnis prout ſuperius dictum eſt ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere; pœnis tamen diſparibus puniendas, eadem ſancta Romana Eccleſia credit & firmiter aſſeuerat. Et quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem. Tenet autem & docet eadem ſancta Romana Eccleſia, ſeptem eſſe Eccleſiaſtica Sacramenta. Vnum ſcilicet baptiſma, de quo dictum eſt ſupra. Aliud eſt Sacramentum confirmationis, quod per manus impoſitionem Epiſcopi conferunt chryſmando renatos. Aliud eſt pœnitentia. Aliud eſt Euchariſtia. Aliud eſt Sacramentum Ordinis. Aliud eſt matrimonium. Aliud eſt extrema vnctio, quæ ſecundum doctrinam B. Iacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Euchariſtiæ ex azymo conficit eadem Romana Eccleſia, tenens & docens, quod in ipſo Sacramento panis natura tranſubſtantiatur in corpus, & vinum in ſanguinem Domini Ieſu Chriſti. De matrimonio vero tenet, quod nec vnus vir ſimul plures vxores, nec vna mulier ſimul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege Matrimonii per mortem alterius coniugum, ſecundas, tertias, & deinceps nuptias ſucceſſiue licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum ex cauſa alia nō obſiſtat.*

*Ipſa quoque ſacroſancta Romana Eccleſia, ſummum & plenū Primatum, & Principatum ſuper vniuerſam Catholicam Eccleſiam obtinens, quem ſe ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum Principe ſeu vertice, cuius Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter & humiliter recognoſcit, ſicut præ cæteris tenetur Fidei veritatem defendere, ſic &, ſi quæ de Fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debent iudicio definiri. Ad quam poteſt grauatus quilibet, in negotiis ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus appellare.*

*Sed & in omnibus cauſis ad examen Eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius poteſt recurri iudicium, & eidem omnes Eccleſiæ ſunt ſubiectæ; ipſarumque Prælati, & obedientiam, & reuerentiam ſibi debent. Apud quam ſic poteſtatis plenitudo conſiſtit, quod Eccleſias cæteras ad partem ſollicitudinis admittit; quarum multas, & Patriarchales præcipue, diuerſis priuilegiis eadem Romana Eccleſia honorauit; ſua tamen prærogatiua, tam in Generalibus Conciliis, quam in quibuſcunque aliis ſemper ſalua.*

*Porro præſcriptam, puriſſimam, & certiſſimam, & ſolidiſſimam Orthodoxæ Fidei veritatem, Euangelicæ doctrinæ conſonā, ac à ſanctis Patribus traditam, & Romani Pontificis in ſuis Synodis definitione firmatam, ſicut nec decet, ſic nec volumus nouæ definitioni & diſcuſſioni ſubiicere, ipſam, quaſi per hoc quomodolibet eſſet fas & licitum, in dubium reuocando. Ideoque licet in præfata Scriptura, de conuocatione Concilii ageretur: licet per tuas præfatas literas Concilium in terra tua conuocari petieris, nos tamen nullo modo proponimus Concilium, ad diſcuſſionem ſeu definitionem huiuſmodi conuocare, non quod faciem cuiuſquam vereamur, vel eandem ſacroſanctam Romanam Eccleſiam ſuperari Græcorum prudentia timeamus; ſed quia prorſus indecens foret, imo non licet, nec expedit in dubium reuocari præmiſſam veræ Fidei puritatem, tot ſacræ Scripturæ auctoritatibus, tot Sanctorum roboratam ſententiis, tot Romanorum Pontificum ſtabili definitione firmatam; pro cuius defenſione, ſi neceſſe eſſet, parati eſſemus ſubire Martyrium, & morti etiam exponere corpus noſtrum. Quam ideo ad præſens nequaquam auctoritatibus, quarum tamen ſatis magna copia nobis pro voto ſuppeteret, munire curauimus, ſed in ſimplicitate veridica, ſic pure, ſic explicite, tam prædictis tuis exhibendam Nunciis, quam tibi decreuimus deſtinandam,*



*quia vel notā prolixitatis, minime diffuſus epiſtolæ textus incurreret, ſi auctoritatum multitudinem quibus eadem roboratur veritas contineret; vel ſi notam vitare volens huiuſmodi, tam prolixam tot articulorum materiam breui ſermone perſtringeret, de defectu forſitan qui procul dubio minus foret in tanto notabilis & periculoſus negotio notaretur.*

*Et quia prouida deliberatione concepimus, apocriſarios aliquos in lege Dei peritos ad tuam præſentiam deſtinare, cum quibus tu, ac prædicti Clerus & populus ſuper præmiſſis conferre poteritis, & ſicut ſperamus ipſi vobis ſufficienter, diuina eis donante clementia reſpondebunt, ſed nihilominus, ſi quid tuum tuorumque animos concutit, ſi quid turbat, vt eorum aliquid quæ ſupraſcripſimus vereamini vt petimus, profiteri, aliquos de peritioribus quos in prædictis reperies Clero vel populo, ad noſtram mitte præſentiam. Noſque qui iuxta eiuſdem Principis Apoſtolorum ſententiam, parati ſumus omni poſcenti nos, de ea quæ in nobis eſt Fide & ſpe reddere rationem, illos quos miſeris charitatiue tractabimus, & patienter quicquid proponere voluerint audiemus, & tam plene donante Domino ſatisfaciemus eiſdem. quod amoto cuiuslibet dubietatis ſcrupulo, Fidei veritatem agnoſcent, & in agnita ſalubriter gloriantes, ad te cum gloria remeabunt. Ipſis quoque apocriſariis tuis, cum de præmiſſa profeſſione Fidei eis vt præmittitur copiam fecimus, clementer obtulimus benigne ipſis ſatisfacere, ſi ſuper ea in aliquo dubitarent. Ideoque excellentiam tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino IESV CHRISTO, per aſperſionem ipſius pretioſi ſanguinis obſecrantes, quatenus diligenter attendens, quantum tibi accreſcet ad meritum, quantum accedet ad gloriam & exaltationem tui nominis ampliandam, ſi datum tibi deſuper fuerit, vt oues quæ perierant, tuæ diligentiæ ſtudio, ad caulam Domini reducantur: ſi tuis fiat laboribus, vt vnum ſit ouile, vnuſque paſtor, Latinorum & Græcorum populis, tuis temporibus in vnitate præmiſſæ Orthodoxæ Fidei adunatis; ſic ſtudeas habilitare materiam, ſic animos tuos tuorumque diſponere, quod in prædictorum Apocriſariorum noſtrorum aduentu, te, ac præmiſſis Clero & populo, præſcriptam humiliter ſuſcipientibus & fideliter profitentibus Fidei veritatē facilis ſit ad reliqua, Domino fauente proceſſus. Quod ſi poſtquam taliter ſuprapoſitam, tu, idemque Clerus & populus veritatem Fidei ſuſceperitis ac profeſſi fueritis, & ad obedientiam eiuſdem vt præmiſimus veneritis Matris veſtræ, Concilium per Sedem ipſam, ad locum qui ad hoc eidem Sedi videatur idoneus conuocari petieris, ad charitatis vinculum inter Latinos & Græcos perpetuo fœdere roborandum, Legatos ſuper hoc poteris ordinare: quibus fauente Domino reſponſum dabimus, quo tuum deſiderium ſatiari poterit & debebit. Ad præmiſſæ ergo tam ſalutiferæ vnionis ſalutare commercium, efficaciter ſolicitudo tuæ ſublimitatis intendat: & vt animarum & corporū diſcrimina quæ vigent, & inueterata diſſenſio præſcindātur præmiſſa paterna monitione requirimus implere feſtinet. Securа, quod occaſione tractatus huiuſmodi, nec his qui à tua magnificentia ſe grauatos eſſe queruntur, ſicut nec debemus, in ſua iuſtitia deeſſe proponimus: nec à proſecutione tanti negotii per alias vias, quas ad animarum ſalutem Dominus monſtrauerit deſiſtemus.*

Hæc Gregorius Michaeli Palæologo Græcorum Imperatori reſpondebat, indignum iudicans, in dubium vocare, ſemel à Sanctis Patribus traditam doctrinam. Ad eundem modum & Benedictus Pontifex, Barlaamo Abbati Conſtantinopolitano reſpondit, neque dignum eſſe duxit, Concilium Generale, diſcutiendis articulis Fidei, in gratiam Græcorum hæſitantium conuocare. *ex Regeſt. Pontif.*

XXXV. B. MARIÆ VENETÆ ORDIN. S. DOMINICI VITA ET OBITVS.

Hoc anno ad cœlos emigrauit, Beata Maria Veneta, tertium Diui Dominici Ordinem, quem de pœnitentia vocant, profeſſa. Storionam familiam illa multis virtutibus ornauit: nacta inprimis puellaribus annis maritum tam nobilitate generis præſtantem, quam moribus diſſolutis diſſimilem. Eo ad bellum abeunte, Maria frequentius Eccleſiam inuiſere, concioneſque B. Thomæ Senenſis ex animo audire voluerat. Ab his vanitatem mundi contemnere, & ſpiritualia conſectari docta, in principio conuerſionis confeſſione quam generalem vocant, totius vitæ peccamina expiauit; deinde in ſuperiori parte ædium ſecretius cubiculum ingreſſa, veſtes & alia ad laſciuiam lenociniumque compoſita dilacerauit; mox totam ſe Diuino cultui addixit: habitum tertii Ordinis Dominicani primum occulte ſub veſte exteriori geſtans; ac paulo poſt eundem in Baſilica Diuorū Ioannis & Pauli publice induta, eamque religionem amplexa. Ab ea hora cilicium aſperrimum, & ferream catenam nudo in corpore geſtauit, carnes numquam eſitauit, ieiunia ieiuniis continuauit, noctes fere integras in orationibus & contemplatione inſomnes vigilauit; à concionibus audiendis numquam abeſſe ſuſtinuit; lectioni ſacrorum librorum tanto cum ſtudio incubuit, vt & multos B. Thomæ Confeſſoris ſui ſermones, Italicos ex Latino fecerit, & epiſtolas complures Spiritum ad hæc vſque noſtra tempora redolentes doctiſſime ſcripſerit. Ex frequentia procumbendi in genua, callos contraxit. In orationibus oculos in cœlum contentos ſemper defixit. Sacramentorum vſum fere quotidianum habuit. Proximorum amantiſſima, omnia in pauperes diſtribuit, nec niſi pauca vitæ prorogandæ ſibi ſeruauit. Contumelias & iniurias grauiſſimas ab aliquibus paſſa, iucundo vultu & animo tolerauit, & in aduerſarios quam poterat beneficentiam exercuit: proque perſecutoribus Deum impenſe flagitauit. Caſtitatem tam exacte ſeruauit, vt fomitem incentiuum libidinis, prope extinctum in ea omnes exiſtimarent. Modeſtia, humilitate, obedientia, & cæteris virtutibus gradum ſibi ad ſanctitatem ingentem fecit. Marito à prælio reuertente, in ægritudinem incidens, occaſionem conſeruandæ caſtitatis lubens volens accepit, eamque vſque ad vitæ extremum integerrime conſeruauit. In mortis articulo, vbi plurimos Sanctorum ſibi apparentes aſpexiſſet, *O quam pulcher cœtus Cœleſtium: Eia, eia quoque tu mea animula ad cœlos properare perge*; aliquoties exclamauit: & tandem poſt illud Pſalmi, *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*, cum aduerſum illum, *Libera animam ancillæ tuæ, ſicut liberaſti Beatam Teclam de tribus tormentis*, *Amen* reſpondiſſet, ex hac vita deceſſit. Statim à morte, quamplurimis, & præcipue Matri ſuæ glorioſa apparuit, & agonem ſuum, propter vitam retro ſancte actam, non pœnalem quemadmodum peccatoribus, ſed iucundum vtque aliis iuſtis, ſibi fuiſſe narrauit. In vultu defunctæ, Angelica quædā venuſtas emicuit, & ab vniuerſo corpore ſuauiſſimus odor exhalauit. Anno poſt recluſo ſepulchro, integerrimum eius cadauer repertum, eundem pretioſum odorem ſpirauit: In Cœnobio Sacratiſſimæ Euchariſtiæ Venetiis. *Michael Pius de fœmin. Illuſtr. Ord. S. Dominici lib. 3. ex aliis auctoribus.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1340.

### BENEDICTI PAPAE XII.
### Anno 6.

I. Sicilia tota diris ſubiicitur à Legatis Pontif. Vltio divina.

DE poſſeſsione Siciliæ, hactenus graue bellum inter Robertum & Petrum Reges trahebatur. Inter eos vt Benedictus Pontifex pacẽ componeret, Robertum Conſtantinopolitanum Patriarcham, & Epiſcopum Vaſionenſem Legatos ad Petrum miſit. Hi cum à Meſſanenſibus ex portu miſsilibus & machinis repulſi eſſent, diplomate Pontificio ad littus relicto Siciliam omnem inſulam diris execrati ſunt. Secuta eſt diuina vltio, in maieſtatis Pontificiæ contemptores. Claſsis 23. triremium Regis Petri diiecta, multi Proceres Siculi, & in his Rolandus Aragonius Petri Spurius frater interceptus, & à Roberto Rege in vincula coniectus, carceris ſqualloribus multo tempore vexatus eſt. Huius ignauiæ cũ amiſſam claſſem Petrus adſcriberet, redimere noluit.

Ingratitudo notabilis.

Erat eo tempore Meſſana mulier quædam Camiola Turringa nomine omnium ditiſsima, quæ audita Rolandi calamitate viſa eſt videre viam à fortuna ſibi paratam, vt Regij ſanguinis virum ſperaret. Itaq; miſsis Nunciis, & per Procuratores matrimonio inter eos firmato, ipſum duabus auri vnciarum milibus Camiola redemit. Reuerſus Meſſanam Rolandus deſponſationem abnegauit; vtpote ſanguine Regio ortus humili ortam loco & genere deſpiciens. Mulier iuſto cõpulſa dolore, Rolandũ ad tribunal cõuincit. Coactus igitur in publico conuentu totius vrbis nuptias cum ea celebraturus aduenit. At Camiola vbi honori ſatisfecit, in Rolandum conuerſa commemoratis ſuis in eum meritis, illiuſque in ſe, quod tam impudenter fidem violaſſet, ingenti ingratitudine, palam ſe nuptiis tam ignaui hominis renunciare dixit, atq; pro nuptiis Deo ſe dicauit. *Fazell. de reb. Sicul. dec. poſt. lib. 9.*

II. Motus Romae.

Romæ hoc anno, nonnihil tumultuatum. Franciſcus Ceretanius Alberteſcus, & Hannibaldus Montecompatrius, grauiſsimis ſceleribus ſeſe impiarant. Eos cum Theobaldus Euſtachianus, & Martinus Stephaneſcius Senatores Vrbani, pro officio caſtigare vellẽt, non potuerunt: Bertoldo Vrſino & Iacobo Sabello patrocinium reis præbentibus. Eos enim ſecum vſque pone Capitolium, armatorum caterua ſtipati adduxerunt, & non tantum vindictæ eripuerunt, verum etiam nonnullos ex popularibus adeo commouerunt, vt per tumultum, illorum alterum, ſcilicet Bertoldũ, & Paulum Comitem Capitaneos ſuos eſſe iuſſerint, & Eccleſiam Aræcælitanam non per oſtium, ſed per montem auerſum ingreſsi occupauerint, periculumque Senatoribus tale creauerint, vt illi dignitatẽ ſponte reliquerint, deque Capitolina Curia deſcenderint: quamquam populi multitudo pro ſenatoribus ſtetiſſet, & Vrſinum ac Sabellum paulo poſt monte Capitolino deieciſſet. Vrbe ad eum modum tumultuante, præcepit Pontifex; Senatoribus quidem, vt dignitatem adminiſtrationemque derelictam reciperent, populo vero vt eis in omnibus obſequerentur, neque amplius turbas commouerent.

Liberalitas Benedicti Pp.

Laboratum eſt per hos tumultus aliquantum, præcipue inter pauperiores, annonæ inopiæ. Eam vt Benedictus aliqua ex parte ſubleuaret, Ioanni Epiſcopo Anagnino, ſuo in ſpiritualibus Vrbano Vicario, nec non Guigoni Prouinciæ Patrimonii Rectori, & Petro Laurentii Cuſtodi aræ maximæ Sancti Petri, poteſtatem fecit, vt à mercatoribus Societatis Azaiclorum quinque millia florenorum aureorum nomine Apoſtolicæ Sedis acciperent, frumenta & reliqua vitæ ſuſtinendæ neceſſaria emerent, & ex conſilio XII. proborum virorum, inter pauperes vrbicos, ex fide diuiderent. Non neglexit etiam Regni Franciæ Benedictus ind gentes, ex continua bellorum iniuria ad mendicimoniam vſque redactos. Inter eos enim, præſertim in Laudunen. & Nouiomen. prouinciis, VI. millia nummum aureorum ex reditibus cameræ Apoſtolicæ, ſuo diſpenſatori hoc anno diſtribuere imperauit, eorumque egeſtatem recreauit. *Epiſt. Bened. hoc ann.*

III.

In reliqua Italia, hoc anno omnia quietiora, Vrbibus paſsim Ludouicum Bauarum execrantibus. Monuerat eumdem Benedictus Pontifex, vt tandem ad faſtum deponendum, & ad pacem cum Rege Galliarum ineundam animum inclinaret. Cum varia tergiuerſaretur, & tum Principum diſſenſum, tum ālia opponeret, ac Benedictus ſe velle eius Nuncios vſque ad feſtiuitatem Pentecoſtes præſtolari reſponderet, ille nequicquam titulos regni & Imperii Romanorum aut arma ponere voluit: quin potius nouis facinoribus iram Pontificiam in ſe prouocauit. Inter Ioannem filium Regis Boemiæ, & Margaritam filiam Henrici Carinthiæ principis, in pueritia adhuc matrimonium fuerat contractum. Quattuor annos inter ſe pueri, & alios ſeptem iam pubeſcentes conſueuerant, neque tamen prolem aliquam ſuſcipere potuerant. Eam occaſionem petulans mulier nacta Ioannem inſontem de impotentia coram Ludouico Bauaro accuſauit & diuortium poſtulauit. Eo verò contra matrimonium contractum, auctoritate vſurpatâ, ſententiam ferente, Margareta in Othonis eius filii nuptias vnà cum Ducatu Carinthiæ tranſiuit. Non erat Benedicto Pontifici iſtud facinus ferendum. Itaque ne Ludouicus eccleſiaſticam auctoritatem in diſſoluẽdis matrimoniis ſibi arrogaret, pro officio illum admonuit, tamque in illum quàm in fœminam contumacem anathema tulit. Ac ſanè Margaretæ accuſatio valde ſuſpecta, de impoſtura, fuit, eò quòd Ioannes filiolum ex quadam concubina iam procreaſſet. Sequutum eſt inde inter Bauarum & Boemum atrox bellum, quod cùm gliſceret Bauarus cum ciuitatibus ad Rhenum ſitis inito fœdere contra eos, qui diſtractione ab ſe Principum Germaniam in libertatem vendicabant, arma mouit.

IV. Ciuitates Italiæ Ludov. deſerunt.

Ad eum modum, & à Deo; & à Summo Pontifice, & ab vniuerſis hominibus Ludouico execrato, Vrbes Italiæ necquicquam communicare amplius ſuſtinebant. Quamobrem certatim ab eo auertebantur, & communionem Eccleſiæ Romanæ, miſſis Auinionem ad Benedictum oratoribus poſtulabant. Nouarienſes, Lucani, San Domniani, Cremonenſes, Cumani, Bergomenſes, Papienſes, Terdonenſes, Albiganenſes, & alii, iuramento obſequentiæ interpoſito, diris quibus deuoti inſorduerant à Benedicto exſoluti fuere; poſtquam etiam ſinguli, in ſuis ciuitatibus, Oratorium titulo S. Benedicti Abbatis, ſeſe extruere velle, concionibus intereſſe, panem vnum nomine eleemoſynæ offerre, numquam in poſterum Ludouico adhærere, & alia à Summo Pontifice præſcripta præſtare ſpopondiſſent. *Regeſtr. Bened. 12. hoc anno.*

V. Bononienſium ad Pont. legatio et promiſſa pro abſolutione à cenſuris Eccleſiaſticis obtinenda.

Bononienſes quoque, qui ante aliquot annos, Bertrandum Cardinalem Oſtienſem Epiſcopum, Sedis Apoſtolicæ Legatum, poſt præſtitum obedientiæ Sacramentum, facto ad ſonum campanarum tumultu, in caſtro quod is ædificauerat, inuaſerant, totoſq; decem dies integros obſidentes, non tantum victui neceſſaria ei inferri, aut cum obſeſsis quicquam commercii habere populo interdixerant, verum etiam lapidibus & ſagittis contortis obſeſſum impetierant, clamoribuſque contumelia plenis. Moriatur Legatus & ille nequam de lingua Occitana, ad mortem depoſcentes, inprimis Oliuerium Beraldi procancellarium illius interceptum ſpoliarant, & plagis ac vulneribus deformatum in carceres teterrimos conieceerant, deinde ipſum



pſum Legatum turpiter vſque ad tegmina verecundiorum denudantes, nec non eadem contumelia Petrum Mirapicenſ. & Bertrandum Bononienſ. Epiſcopos, & vna cum eis Bernardum Monantulanum, & Iacobum ſancti Stephani Bononienſ. Abbates, atque vniuerſam Ebredunenſis Archiepiſcopi Sedis Apoſtolicæ Nuncii familiam afficientes, in ergaſtulum Rectoris Bononienſis, & in carceres Epiſcopales detruſerant, & aliis decem diebus fame; ſiti, & pædore macerauerant; ac tandem vrbe omnes ſpoliatos eiecerant, & Bertrandum Glarium Bononienſis Epiſcopi familiarem in fruſta conſciderant, membraque deciſa canibus dilaceranda proiecerant, inſuper caſtrum à Legato vrbi impoſitum ſolotenus diruerant, Thadæumque Pepulum vrbi tyrannum impoſuerant, & Mediolanenſis atque Rauennatis Archiepiſcoporum, Benedicti Pontificis Commiſſariorum monita; adeoque Sedis Apoſtolicæ cenſuras & pœnas pertinaci animo contempſerant, ac propterea anathemate & maledicto percuſſi fuerant: hoc anno Nuncios Auinionem ire iuſſerunt, qui culpam apud Benedictum deprecarentur; & omnia Romano Pontifici & Sedi Apoſtolicæ pollicerentur. Octo millia nummum aureorum cenſus nomine, Benedicto, in ſingulos annos offerebant. Eiectis libertatem & Ciuitatis ius reſtituebant. Legato & omnibus ſpoliatis, vel quacumque iniuria laceſſitis abunde ſatisfaciebant. Fœdera cum extraneis inita, iuramentoque confirmata eiurabant. Adminiſtros quoſcumque à Pontifice impoſitos, modo ſingulis ſex menſibus per vices alii ſubrogarentur admiſcebant. Ducentos equites ad quoſuis Eccleſiæ caſus & nutus, ad vſque ſeptuageſimum à Bononia lapidem ſtipendiis propriis in tres menſes ſubmittere, neque alios præſidiarios milites, quam qui Sacramento fidelitatis ſe ſe Eccleſiæ Romanæ aſtrinxiſſent ſe velle impoſterum admittere, aut alicuius hoſtis Eccleſiæ, communionem vel protectionem exambire, vel quemquam talium in patrocinium aut intra mœnia ſuſcipere, ſed omnino Eccleſiæ obſequentes fore in ſe recipiebant. Ita tum primum plenarie, omnibus Apoſtolicis ſententiis à Benedicto ſoluti ſunt: cum Bauari Societatem deſeruiſſent, ſeque dominio Eccleſiæ permiſiſſent. *Cod. Columm. ex regeſt. Bened. fol. 45.*

VI.

Æſculum quoque, & Plura alia Piceni & Marchiæ Anconitanæ caſtra, ad poſſeſſionem Eccleſiæ Romanæ hoc anno redierunt; interfecto Mercenario Monteuiridiano, qui ea per tyrannidem occupauerat. Eius vniuerſa bona, Benedictus Pontifex Romanæ Eccleſiæ fiſco addixit, & ciuitates oppreſſas in libertatem reuocauit. Benedictus etiam Caietanus, & Paulus de Comitibus, Caſtrum Seciæ quod per vim occupauerant, Rectori Campaniæ & maritimæ, pro Sede Apoſtolica reſtituerant: nec non Patriarcha Aquilegienſis, vna cum nonnullis Italiæ Principibus, & Comite Tyrolis filio Regis Boemiæ, ſuadente Nicolao Epiſcopo Tridentino aduerſus Ludouicum Bauarum fœdus percuſſerant, vt illum in Italiam penetrare cogitantem aditu prohiberent. Cum autem aliqui non deeſſent eius partiarii, qui eum vt veniret inuitarent: Monebat Benedictus, Patriarcham, vt caute in fœdere obſeruando ageret, confœderatiſque auctor eſſe vellet, ne Imperium per contumaciam ſibi arrogantem, ad Italiæ turbationem ingredi permitterent. *Epiſtol. Benedict. hoc anno.*

VII. Forma diuortii inter filium Regis Bohemiæ et Ducissam Carinthiæ per Ludouic. celebrati.

Quod diuortium Margaritæ ab Ioanne Boemo, & diſpenſationem inter eandem Margaritam & Ludouicum Ludouici filium attinet, quanquam Auentinus, per Friſingenſem Epiſcopum factam eſſe affirmet, eaque propter Bauarum excuſare conetur; ſine iudicio tamen Eccleſiaſtico id geſtum fuiſſe, Albertus Argentinenſis, Trithemius, Nauclerus, Dubrauius & alii aſſeuerant, ac ipſa diplomata teſtantur. Placet vtriuſque actus formulas, in veteribus membranis inuentas, illuſtrandæ hiſtoriæ ſubſcribere, Ita habent apud Redborſium. Forma diuortii matrimonialis inter illuſtres vocatos coniuges, Ioannem videlicet Regis Boemiæ filium, & Margaritam Duciſſam Karinthiæ, celebrati per Dominum Ludouicum Quartum Dei gratia Roman. Imper.

*Nos Ludouicus Quartus, Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, vniuerſis Chriſti fidelibus quorum inter eſt, vel intereſſe poterit in futurum, manifeſtum eſſe volumus & facimus per præſentes: quod in iudicio coram nobis per ſe, ſeu per certos Nuncios ſuos ſeu Procuratores expoſuit illuſtris Margarita Duciſſa Karinthiæ & Tyrolis Comitiſſa, quod vir nobilis Ioannes Regis Bohemiæ filius iamdudum ſibi matrimonio copulatus, & poſtmodum in ætate debita conſtitutus, ac per tanta temporum ſtatia ſecum habitans, quanta ſufficiant ac ſufficere debent, ſecundum ſtatuta tam diuina quam humanæ legis, ad debitum carnalis copulæ per virum ſiue maritum ſuæ vxori reddendum, eadem Margarita in ætate ſufficienti ſimiliter conſtituta, & ſeipſam vt conueniens fuerat præbente & exhibente ad præfatam copulam carnalem explendam: non potuit dictus Ioannes neque valuit ſicuti neque valet, aut poteſt, nec vnquam poſſe creditur in futurum, eandem carnaliter cognoſcere ſibi coniugem Margaretam; quemadmodum multis & quaſi omnibus poſsibilibus modis hoc tentans, eundem Ioannem impotentem, & omnino inhabilem ad opus præfatum ſe dicit expertam: ac aduerſus eumdem Ioannem, ſibique præfatum defectum inexiſtere, coram nobis in iudicio ſe reddidit per experimenta ſufficientia & teſtimonia qualibet ad hæc neceſſaria probaturam. Quare ſuper hoc habito maturo & deliberato conſilio ſuorum procerum & conſiliariorum omnium, noſtram clementiam atque iuſtitiam vna cum præfatis implorauit & requiſiuit inſtanter, vt eidem ſuper hoc prouidere de conuenienti remedio dignaremur: & taliter etiam, quod per ius ſiue ſententiam noſtram licite poſſit à ſupradicto Ioanne, iam vocato marito ſiue coniuge ſuo, de matrimonio ſeparari, propter caſum ſiue impedimentum prædictum, & ab eodem Ioanne totaliter ſic abſolui, vt eidem de cætero ad nullum matrimonii debitum teneretur, ſed poſſet de ſeipſa & ſuis omnibus ordinare, ſecundum quod ſibi expediens videretur. Nos vero, cuius debitum eſt omnibus ac ſingulis reddere iuſtum, ex officio & auctoritate qua fungimur, præfatam Margaritam cum præfatis ſuis omnibus iuſtitiam inſtantiſsime requirentibus & ſupplicantibus, nobis dignum duximus exaudire: & nihilominus abſque offenſa iuris præfati IOANNIS iam vocati coniugis ſui, ſi ius aliquod in contrarium habuiſſet, ad expeditionem ſeu terminationem litis præfatæ inter vocatos coniuges præmiſſos proceſsimus in hac forma; videlicet, quod vocatos coniuges præfatos citari fecimus atque vocauimus in iudicio coram nobis, aſsignantes eiſdem ſecundum formam iuris debitum atque tutum locum, & temporis ſpatium, infra quod poſſent & deberent in iudicio coram comparere, ad agendum & defenſandum, & cætera faciendum, quæ neceſſaria forent pro inquirenda veritate ſuper lite præfata. Verum Margarita iam dicta, per ſe, ſeu per ſuos certos Nuncios, ſiue procuratores ſufficienter comparuit in iudicio coram nobis per omnes terminos ſibi aſsignatos, & cum omnibus probationibus & teſtimoniis ſufficientibus, ad conuincendum ſæpedictum IOANNEM impotentem eſſe, atque priuatum naturali potentia ipſam carnaliter cognoſcendi, aut quamuis aliam mulierem: ſeipſam quoque virginem eſſe vſque in tempus & diem dati præſentis reſcripti, per ſufficientia teſtimonia demonſtrauit. Supradictus vero Ioannes in præfatum iudicium coram nobis, impoſiti ſibi defectus per præfatam Margaretam veriſimiliter conſcius, nec per ſe, nec per aliquem legitimum nuncium ſiue procuratorem comparuit tempore debito ſiue ſtatuto: nec quicquam in contrarium impoſiti ſibi defectus per Margaretam præfatam per ſe vel per alium allegauit: ſed contumax ex natura ſe conuictum reddidit, atque confeſſum de his omnibus quæ ſibi per prædictam Margaritam fuerant tam impoſita, quam probata, ſufficientia quidem ad matrimonii diuortium inter ipſam & præfatum Ioannem per ſententiam conſummandum. Nec poteſt, nec vnquam cum veritate poterit ſæpedictus Ioannes, aut quiuis alter pro ipſo, iudicem, vel locum comparendi per nos ſibi aſsignatum allegare ſuſpectum. Nam hactenus retroactis temporibus, tam IOANNI Regi Boemiæ patri ſuo, quam etiam Karolo de Boemia fratri ſuo, pluries, & locis pluribus noſtræ coactiuæ poteſtati ſubiectis, ſi-*

*ctis, fidum ac tutum placitandi nobiſcum aſſignauimus locum, in quo perſonaliter aſſuerunt, & cum omni tranquillitate manſerunt, ac inde abſque moleſtia qualibet ſecundum ipſorum beneplacitum receſſerunt. Quod & ante dicto Ioanni benigne offerri fecimus, & acceptare contempſit, vt ſupra iam diximus. Per auctoritatem ergo nobis rite debitam & conceſſam, & legi diuinæ conformiter, ſicuti certum eſt, & aſſerunt Sacræ ſcripturæ, ſiue leges diuinæ atque ciuiles ſententiæ ſufficientes, ac comprobati doctores, ad diuortium, ſiue ſeparationem matrimonii faciendam inter vocatos coniuges* IOANNEM & MARGARITAM *prædictos procedere volentes atque debentes, infraſcriptam ſententiam tulimus in hac verba: Nos Ludouicus quartus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro tribunali iudice ſedentes in cauſa ſiue lite diuortii, ſeu ſeparationis matrimonii, quæ vertebatur inter illuſtres perſonas, Ioannem Regis Boemiæ filium requiſitum parte ex vna, & Margaretam Duciſſam Karinthiæ & Tyrolis Comitiſſam, ex altera parte tanquam actricem, ac requirentem à dicto Ioanne iam vocato coniuge ſuo de matrimonio ſeparari: Viſis & intellectis tam per nos quam præfatos Doctores, iuribus, rationibus, probationibus & teſtimoniis Margaritæ præfatæ, nec non contumacia iam dicti Ioannis, dicimus, diffinimus, & determinamus, præfatam Margaritam ſeparari debere, ſeu poſſe de matrimonio, à ſæpedicto Ioanne, eque conuerſo, cum iiſdem, vel ipſorum alteri id videbitur expedire. Ipſam quoque Margaritam hoc requirentem inſtanter, vt ſupra, ſeparamus, abſoluimus, & ſeparatam eſſe iudicamus in matrimonio à iam dicto Ioanne, per hanc noſtram ſententiam definitiuam: Simili quoque modo ſupradictum Ioannem à præfata Margarita in matrimonio, per auctoritatem & hanc noſtram ſententiam definitiuam ſeparantes. Ita videlicet, quod de cætero præfatus Ioannes ſupradictæ Margaritæ in nullo matrimonii debito teneatur, neque ſimiliter præfata Margarita ſupradicto Ioanni: ſed liberum ſit vtrique de corpore proprio ſiue perſona, & omnibus bonis propriis, iuribus ac rebus tam mobilibus quam immobilibus facere vel diſponere, & quodlibet ordinare pro ſuæ propriæ libito voluntatis.*

VIII. TENOR DISPENSATIONIS SVPER AFFINITATE INTER MARCH. BRANDEBVRG. ET DVCISSAM KARINTHIÆ A LVDOV. DATA.

Forma diſpenſationis ſuper affinitate conſanguinitatis, inter illuſtres Ludouicum Marchionem Brandeburg. & Margaretam Duciſſam Karinthiæ: necnon legitimationis liberorum eorundem procreandorum factæ per Dom. Ludouicum Quartum Dei gratia Roman. Imp.

*Nos Ludouicus Quartus Dei gratia Roman. Imperator Auguſtus, vniuerſis Chriſti fidelibus quorum intereſt aut poterit intereſſe, notum eſſe volumus & facimus per ſeriem infraſcriptam: quod in noſtra præſentia perſonaliter conſtituti, Illuſtres Ludouicus Marchio Brandeburgenſ. & Margarita Duciſſa Karinthiæ ac Tirolis Comitiſſa, poſt habitum ipſorum maturum ac deliberatum conſilium, animum atque actualem voluntatem habentes ſe inuicem in matrimonio legitime copulandi: dubitante tamen præfato Ludouico & Margarita, ne gradu aliquo affinitatis ſanguinis tale coniugium ſiue matrimonium humanarum legum, aut Romanorum principum ſtatuto, decreto, vel ordinatione alia quomodolibet appellata, impedimentum aliquod pateretur: ſupplicauerunt ac petiuerunt inſtanter, tale impedimentum conſanguinitatis,* * *ſi quod inter ipſos affuerit, vel adeſſet, per diſpenſationem noſtram relaxari, ac per noſtram auctoritatem atque ſententiam totaliter amoueri. Nos vero propter communem & euidentem reipubl. vtilitatem manifeſte viſam ſequi, ad coniugium ſupradictum præfatum impedimentum affinitatis ſanguinis, ſi quod inter ipſos adeſſet, iudicamus eſſe tollendum, & ſimpliciter amouendum. Cum gradus affinitatis ſanguinis, præſertim infra ſorores & fratres matrimonium non impediat, diuinæ ſeu Chriſtianæ legis ſtatuto aliquo vel præcepto: quemadmodum certitudinaliter nouimus tam per nos quam per ſupradictæ legis diuinæ idoneos ac probatos Doctores. Idque etiam aſſerente Beato Auguſtino libro XV. de Ciuitate* DEI, *cap. XVI. dum de talibus affinitatis ſanguinis gradibus tractans inquit: Quod hoc videtur matrimonium licitum fieri inter affines conſanguineos, nec lex diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Quibus ſiquidem verbis duas ſententias expreſſit Auguſtinus, vnam videlicet ſupradictam: quod lege diuina legitimum matrimonium fieri non eſt prohibitum inter perſonas ſanguinis affinitate coniunctas. Secundam vero ſententiam ſcire fecit: videlicet, quod talis prohibitio matrimonii inter conſanguineos fieri habeat autoritate legislatoris humani, aut eius principantis, ſupremi Principis Romanorum. Idem quoque concedere atque fateri conuenit Romanum Epiſcopum,* PAPAM *vocatum, cum ſuorum Clericorum cœtu, quos Cardinales appellant, veritate cogente. Nam præfatus* PAPA *Romanus ſuper impedimento affinitatis ſanguinis per diſpenſationem tollendo à ſanguinis affinitate coniunctis, inuicemque matrimonium contrahentibus, ad ſuam authoritatem aſſerit pertinere: ac in talibus matrimoniis pluries diſpenſauerunt de facto præteriti quidam Pontifices Romanorum. Quod ſi talis gradus affinitatis ſanguinis matrimonium legitimum impediret, legis diuinæ ſeu Chriſtianæ præcepto, non poſſet aliquis hominum, quinimo neque Angelus de cœlo, dictum impedimentum per diſpenſationem aliquo modo amouere: hoc* CHRISTO *teſtante; facilius eſt cœlum & terram tranſire, quam vnum apicem à lege cadere. Rurſusque idem Dominus dixit: Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea permanebunt in æternum. Ex quibus quidem manifeſte apparet, ac fateri cogitur Romanus Epiſcopus, & per factum confirmatur ipſius, quod gradus affinitatis ſanguinis non impediet matrimonium fieri legis diuinæ ſeu Chriſtianæ præcepto: & quod ſi gradus affinitatis ſanguinis quamquam licitum matrimonium impediat fieri, hoc autem factum eſſet præcepto, ſiue ſtatuto legis humanæ. De cuius ſiquidem legis præceptis ſiue ſtatutis diſpenſare ſolummodo pertinet ad auctoritatem Imperatoris, ſeu principis Romanorum. Nec obſtat dicere, præfata matrimonia eſſe prohibita lege diuina, eo quod mali moris ſunt, & propterea etiam peccata mortalia fore prohibita, ac proinde obligantia contrahentes ad damnationem æternam: & contrariam diſpenſationem in his ad miniſtrum ſolummodo Eccleſiaſticum, Epiſcopum ſiue presbyterum pertinere. Hic enim ſermo rhethoricus ſiue apparens, Sophiſticus eſt. Falſum namque recipit: quoniam præfata matrimonia non ſunt mali moris, præſertim in aliquo caſu. Nam & ipſa, tanquam in caſu licita, fieri concedit Romanus Pontifex. Nec etiam rurſus mali moris ſunt, abſolute loquendo: quoniam non ſunt cum malitia conuoluta confeſtim veluti furtum & crimina reliqua: & propterea nec ſunt lege diuina prohibita, quemadmodum dixit Beatus Auguſtinus. Non ſyllogiſatur autem, neq; concluditur propterea, diſpẽſationem de talibus ad Epiſcopum quemquam ſiue presbyterum pertinere. Eſto quod ſint abſolute prohibita lege diuina, & ſub pœna damnationis æternæ: quoniam de his prohibitis nullus hominum, quinimo nec Angelus de cœlo diſpenſare poſſet, vel ordinare ſiue concedere quod licite fierent, vt deductum eſt ſupra. Vnde etiam iuxta prædicta, de præceptis ſacræ ſcripturæ ſiue mandatis loquens Apoſtolus, inquit: Etſi Angelus de cœlo euangeliſaret vobis aliud, præter id, id eſt contra id, quod euangeliſatũ eſt à nobis, anathema ſit. Nec propter aliud, niſi quod euangeliſata erant per Apoſtolum diuina prohibita, vel præcepta. Rurſus, quoniam præfata matrimonia non fuerunt mali moris, neque prohibita ſecundum veterem legem, quamuis aliquando peccata fiant, ſiue fuerunt in antiqua lege, non quod ſunt abſolute, ſiue confeſtim cum malitia conuoluta, neque mali moris, ſed ſolummodo quod lege prohibita fuerant, veluti carnes porcinas, & beſtias non ruminantes comedere, quod ideo peccatum effectum eſt, quia prohibitum fuerat in lege Moſayca: non tamen propter malum, aut mali moris ex ſe, quemadmodum furtum, homicidium, falſum teſtimonium, & huiuſmodi reliqua, quæ prohibita ſunt legibus diuinis & humanis, eo quod ex ſe mala ſunt, & mali moris, confeſtim cum malitia conuoluta. Ex his igitur omnibus iam prædictis manifeſte apparet, cuilibet non corrupto ignorantia vel malitia, vel vtraque, auctoritatem diſpenſandi atque tollendi à matrimonio impedimentum inter perſonas, & à perſonis ſanguinis affinitate coniunctis, ad Romanum Principem pertinere. Propter quod nos Ludouicus quartus Romanorum Imperator* AVGVSTVS, *præfatum affinitatis ſanguinis impedimentum, ſi quod eſſet inter præfatos Ludouicum & Margaretam, quo minus poſſint, aut prohiberentur per humanæ legis aut Romanorum Principum ſtatuta, ſiue decreta, vel alias ordinationes quomodolibet appellatas in matrimonio copulari, tollimus: & per noſtram auctoritatem atque ſententiam tenore præſentium totaliter amouemus. Concedentes eiſdem ac cuilibet ipſorum, vt abſque offenſa*

* *Eorum aui germani fuerant, & ſic ipſi ſobrini.*

cuius-



*cuiuslibet iuris humani, ſtatuti vel ordinationis alterius quomodolibet nominatorum, licite ſe poſſint ac valeant in matrimonio copulare. Abſolutos etiam eoſdem, ipſorumque legitimos filios, & filias, ac hæredes, nunc & in perpetuum, à pœna qualibet reali perſonali, & infamia, & alia quauis quomodolibet nominata, ſi qua foret impoſita contrahentibus matrimonium infra conſanguinitatis gradus aliquos nominatos, per quemquam Principem Romanum etiam, vel per leges, aut communitatem aliquam, collegium vel ſingularem perſonam, cuiuſcumque authoritatis, vel dignitatis exiſtant. Quibus omnibus & ſingulis, & à quibus excipimus caſum prædictum, de præfatis videlicet perſonis, Ludouicum & Margaritam prædictos, & in quantum huic noſtro reſcripto, ſiue diſpoſitioni, & conceſſioni noſtræ contradicunt, totaliter aut in parte, per hoc ipſum noſtrum præſens reſcriptum derogamus, & volumus derogari: eodem nihilominus ſemper in ſuo robore duraturo.* Hæc Ludouicus Bauarus, & titulum Imperatoris, & iuriſdictionem Epiſcopalem ſibi vſurpans, in cauſis matrimonialibus, in rem ſuam ſanciebat.

IX. BENED. LVDOV. ANATHEMATE PROPOSITO TERRET.

Offendit ea res Summum Pontificem. Quamobrem cum Boemos, Hungaros, & Germanorum plurimos, in Ludouicum vtrumque, arma mouiſſe intellexiſſet, ipſe quoque armis ſpiritualibus vſus, Margaritam petulantem, & Ludouicos patrem ac filium, anathemate propoſito, officii admonuit. Eo Ludouicus ſenior nonnihil perterritus, contumaciam deponere, & tum ad Sedem Apoſtolicam nuncios vna cum Principibus Germaniæ pro reconciliatione velle mittere, tum ab Edouardi Anglorum Regis ſocietate diſcedere, tum Philippo Galliarum Regi conciliari, viſus eſt. quanquam per id temporis Edouardus, inſigni clade apud cluſas Gallis proſtratis victoriam retulerit. *Crantz. Saxon. lib. 9. cap. 16.*

X. ACTA BENED. PRO CONCILIATIONE REGVM FRANCIÆ ET ANGLIÆ.

Inter eos totius Europæ turbines, Benedictus nihil non egit, vt Ludouicum ad mentem ſaniorem reuocaret, & inter Edouardum atque Philippum concordiam ſanciret. Et inprimis quidem ſaluum quem vocant cõductum Nunciis Bauari & Germaniæ Principum, modo ne numerum ſexaginta perſonarum excederent, pro reconciliatione mittendis conceſſit. *epiſt. Benedict. hoc anno*, deinde ſupplicationes publicas, vniuerſo populo Chriſtiano, data epiſtola, 273. pro pace Regum à Deo flagitanda indixit. Poſtea Ioannem Cantuarienſem Archiepiſcopum, vt Regem Edouardum ab armis auerteret, & ad diſcordias ex animo deponendas hortaretur, induxit. Enituit tunc virtus & cõſtantia Ioannis, tũ erga Regẽ, tum erga Pontificẽ. Poſt Cluſianã victoriam, decreuerat Edouardus cũ quadraginta tantũ nauibus in Flandriam traiicere. Ab ea paucitate claſſis, Ioannes occaſionem nactus, Edouardum à ſuſcipiendo in poſterum bello dehortatus eſt. Namq; inſtructiſſimam Gallorum aciem in inſidiis, ad eum excipiendum, renunciauit, & ideo ne ſe in præſens diſcrimen coniiceret obſecrauit. Cæterum cum Edouardus conſilium illius releciſſet, & ad illud iter animum prorſus obfirmaſſet, Ioannes dolens Regem tam præcipitem ad ſuam perniciem, receſſit, & Cancellariæ (quo munere fungebatur) ſigillum ei remiſit. Robertus Morleius Maris præfectus, & Crabbius rei maritimæ peritiſſimus, idem quod Ioannes Regi ſuadebant. Verumtamen ille conſpirationem cum Ioanne interceſſiſſe exiſtimans, probris eos primum excepit: & cum ſe primos capita velle periculis expendere profeſſi eſſent, tandem conſtantia eorum fractus, tantiſper ſe continuit, & Ioanni ſigillum remiſit. paulo tamen poſt claſſe inſtructiore amiſſa, eumdem in crimen vocauit; quaſi per illum ſteriſſet, quominus ſecundam victoriam obtineret. Ioannem quoque Stonherium, & alios quoſdam laicos, in turrim coniecit: ac Ciceſtrenſem Epiſcopum & alios ex Clero, à Reipublicæ functionibus, eodem titulo abdicauit. Sed in neminem quam in Ioannem ſtomachoſior, aut rabioſior, in quem varia, neque leuia crimina accumulauit. Criminabatur eum, quaſi illius potiſſimum conſilio, quo vnice nitebatur, theſaurus Regius nimiis in eum & alios his beneficiis parum dignos largitionibus exhauſtus eſſet; deinde quod ſua & conſiliariorum æſtimatio valde per eum eſſet læſa, quos quaſi Eccleſiaſticæ & popularis libertatis in pecuniis emungendis oppreſſores publice notaſſet. demum, per eum potiſſimum accidiſſe, quod Tornacenſem obſidionem turpiter, pecuniæ inopia ſoluere coactus eſſet. Ad hæc crimina abluenda, Ioannes à Rege vocatus non adfuit; ſed inſidias vitæ ſuæ ſuppoſitas obtendens, Regi ſcribens, quantum ſplendoris & amplitudinis Salomoni, quod prudentibus & ætate prouectis, contra quantum detrimenti Hieroboamo filio, qui Conſiliariis nec prudentia, nec ætate maturis vtebatur, acceſſerat, admonuit. & ne tam longinqua repeteret, iſtud vnicam fuiſſe patris ſui peſtem oſtendit. Neque etiam reticuit, quam omnia ipſi Edouardo, ad prima regni initia dura & aduerſa, ob eandem cauſam acciderant; quam maculam & ſi præclaris ſuis actionibus, magis idoneos ſibi adhibendo conſiliarios ita deleuiſſet, vt nominis ad rerum præclare geſtarum gloria vrbem impleret; cauere tamen debere, ne in priores ſe imprudens coniiciat plagas, ſi, vt per id temporis accidit, peruerſis conſiliariis, qui omnia ſuis potius quam reipublicæ commodis, aut Regis dignitate, atque ſalute metirentur, aures præberet; ſique contra legum inſtituta & Regni priuilegia, quæ ſuo iuramento firmaſſet, Clerum, proceres, & populum vexaret. Occinere illos quidem populo grata & plauſibilia quæ ageret: ſed fore vt ipſo rerum exitu interpellatis quæ præclare cogitarat, & incæperat conſiliis, nec ſine ſuo periculo rem ſe aliter habere intelligat, & in poſterum acrem in conſiliis aſciſcendis delectum adhibeat. Addidit etiam Ioannes, ſe quidem quoſdam, magna gratia apud eum florentes, quod læſæ maieſtatis, & aliis iniuſtis ipſum oneraſſent criminationibus, anathemate iam perculiſſe; cæterum quod ad res Tornacenſes ſpectaret, obnixe rogare, vt commodo aliquo procerum populique Comitia indiceret, quibus ſecure intereſſe poſſet; omnibuſque ibi rationibus atque diligentia inquireret; quinam ſint pecuniæ publicæ reliquatores; nec deprecari ſe, quin in huiuſmodi ex legum præſcripto vindicetur. Rogare etiam, vt ſi quæ aduerſus ſe inſtituatur accuſatio, ea procerum, vt moris eſt, iudicio, & ſalua Eccleſiæ dignitate, atque libertate expediatur. rogare, ne pernicioſo exemplo, cauſa non idonee cognita, homines damnentur. rogare, vt procerum populique erga ſe beneuolentiam, omni diligentia foueret: atque æqui & boni hanc illius in dicendo libertatem (quæ ab eo qui eſſet, & ſemper fuiſſet maieſtatis illius obſeruantiſſimus, & patre illius ſpirituali proficiſceretur) acciperet. *MS. Bibilioth. Vatic. de rebus Angl. Sect. XIV. ex Thoma Valſingamo.*

IOAN. CANTVARIEN. ARCHIEP. IN PONTIF. ET REGEM SVVM CONSTANTIA ET VIRTVS

IOAN. ARCHIEP. CRIMINIB. SIBI A RE-

OB IMPOSITIS RESPONDET.

XI. QVOMODO TORNACENS. OBSIDIO MIRACVLOSE SOLVTA FVERIT

Tornacenſis obſidio quam ſoluere oportuit, vehementer Edouardum angebat. Ideoque vel maxime ea de cauſa Ioannem Archiepiſcopum in crimen vocabat: cum potius Summo Pontifici & Numini grates habere deberet, quod à tam periculoſo bello auerteretur, in quo pro Tornacenſibus ipſa Diua Deipara depugnare viſa fuit. Rem compendio denarrabo. Ad vltimos dies Aprilis Philippus Rex miſerat ad Flandros, omne ſe æs alienum, omnia pacta & obligationes, omnia Pontificum fulmina remiſſurum, mercaturam denique vtriuſque regni ac neutralitatem conceſſurum, ſi ab Edouardo recederent. Reſponderant Flandri, commercium Anglorum ex vſu reipublicæ, omniaque illa quæ Rex polliceretur, remiſſa eſſe per Regem Edouardum, eaque remiſſione ſe eſſe contentos. Hæc cum accepiſſet Pontifex Benedictus, toti Flandriæ ſacris interdixerat. Epiſcopi, Tornacenſis, Morinenſis, & Cameracenſis primi fuerant, ad ſententiam exequendam. Vnde Sacerdotes vniuerſi adeo reſtricti erant, vt nemo per totam Flandriam ſacro miniſterio ſuo auſus ſit vti. Ceſſante Sacrificio Dominico, ſilentibus campanis, negato baptiſmo ſepulturaque defunctorum, & benedictioni-



bus

bus nuptiarum, cum neque ægrotantibus Sacramenta adminiſtrarentur, ingens orta fuit perturbatio. Hæc omnia ob metum Epiſcoporum negantibus domeſticis, conducebantur externi Sacerdotes vndelibet venientes, illique ſacra omnia populo communicabant, iactante Edouardo ſe Sacerdotes miſſurum, qui vel inuitis omnibus Gallorum Epiſcopis, miſſas quoque concinerent in Flandris. Hinc magna commotio, in illos qui Pontificio interdicto obtemperantes à Sacris abſtinebant. Nam templa eorum diſpoliata, aræ euerſæ, campanæ confractæ, Monaſteria alia exuſta, alia direpta, Monachi capti & in ergaſtula coniecti, oppidani promiſcue interempti, Tornacum obſeſſum, grauiſſime oppugnatum; ſed potenti virtute Diuæ Deiparentis defenſum. Viſa eſt à Gandenſibus, inter oppugnandum, Virgo Mater ſtans ſuper murum, vt ciuitatem, cuius ipſa eſſet præſes tutaretur. Inter hæc Philippus Rex, à Benedicto Pontifice admonitus, ſtatim atque cognouit quanta obſeſſi Tornacenſes premerentur anguſtia, nihil inexpertum reliquit, quod ad eorum liberationem pertinere arbitratus eſt. Sed quando armis experiendum non exiſtimabat, ſubornauit Ioannam Valeſiam ſororem ſuam (quæ cum bona opinione ſanctimoniæ poſt viri Guillelmi Comitis Hannoniæ obitum, ſumpto velo caſtitatis, apud Fontanelam in Cameracenſibus præerat Veſtalibus) eandem Edouardi Socrum, atque cum magnis donis miſit ad filiam ſuam Reginam Gandauum, vt illa apud maritum Regem, vel pacem, vel ſaltem inducias impetraret. Multa alia præterea Philippus munera aliis ſpargere, nihilque penſi habere quæ quantaque polliceretur ac daret iuſſerat, dummodo copioſum Edouardi exercitum diſſolueret, Tornacenſeſque quos vnice amabat obſidione eximeret. Tantum valuerant Valeſiæ preces, cum apud filium Guilelmum Comitem, tum apud Philippum Reginam ſuam filiam; tantum preces & interceſſio ipſius Reginæ, apud maritum Regem; tantum regale numiſma Philippi Regis, vt Edouardus, iam etiam defectus pecunia, inducias vnius anni pepigerit, ac obſidionem, quæ tum hebdomadas decem, & dies quattuor tenuerat diſſoluerit. Interim BENEDICTO Pontifice iubente, in Flandris magno gaudio templa aperta, & ritus ſacræque cerimoniæ inſtauratæ: deinde conſentientibus Regibus, Atrebatum

CONVENTVS ATREBATI PRO PACE.

indictus Conuentus de pace. Eo venere Cardinales à Pontifice Maximo, Neapolitanus & Claromontanus; Archiepiſcopi Senonum, cum Epiſcopis Bellouacenſi, Sacrocæſarienſi, Lincolnienſi & Dunelmenſi; Carolus Alenconius, Ludouicus Borbonius; Comites Flandriæ & Bleſenſis; Comes item Varuicus, Robertus Atrebas, Ioannes Hanonius, & Henricus Flandrenſis. In eo conuentu, cum Angli multa poſtularent, nihil actum eſt aliud, præterquam quod impetrante Pontifice, induciæ in duos annos fuerint prolongatæ. *Annales Fladr. libr. 12. Ioannis Villani libr. 11. cap. 191.*

XII. SARACENI CHRISTIANOS ARMIS INFESTANT.

Hæc dum inter Europæos Principes agerentur, Sarraceni, Chriſtianos tum in Oriente, tum in Occidente armis infeſtis inuadebant. In his locis quæ ad Orientem vergunt, hi qui ſub Regis Marocci, quem Bon-Iacobum dicebant, imperio degebant, ſuam potentiam in dies cum maximo Chriſtiani orbis detrimento, longe lateque proferebant; & præter cæteras clades Chriſtianis inflictas, quatuordecim onerarias, & octo ac viginti triremes Chriſtianorum, inter quas fuit etiam quædam Liguſtica, quæ ad Cæſarianos pertinebat, intercœperant. Ad illorum ingentes auſus atque conatus aliqua ex parte inhibendos, cum Benedictus Pontifex Sacrum bellum indixiſſet, Genuenſis Principis auctoritate ac Senatus decreto, Simon Quartus popularium partium ſtudioſus claſſem eduxit. Secunda nauigatione Peram delatus, cum Zarabim Sinopis regulum, cum duodecim roſtratis, & duobus aliis nauigiis, in Ponto Euxino Chriſtianorum res mirum in modum diuexare pro certo intellexiſſet, ipſe confeſtim ad eum contendit, locoque ab omnibus inſidiis ac periculis remoto, in eius colloquium admiſſus, tandem ſic ab eo diſceſſit, vt ex eius verbis ac promiſſis firmiter crederet, illum, prout ſe facturum receperat, ſeque, adhibito etiam iuramento aſtrinxerat, Chriſtianorum rebus nihil prorſus incommodi ac detrimenti in poſterum illaturum eſſe. Inde Pontum Euxinum emenſus, Simon, Caphan, olim Theodoſiam, vbi Ligures Chriſtiani varia mercimonia exercebant, incolumis peruenit, & Prælatis in Tartarorum regionibus degentibus, litteras *numero centeſimo quinquageſimo ſecundo*, à BENEDICTO Pontifice miſſas detulit; quibus eos hortabatur, vt Fidem Catholicam, ex formula in illis præſcripta, Gentilibus illis annunciarent; neque interim illius alterius, ab Alexandro Quarto prædeceſſore, Soldano Perſarum, ante centum annos præſcriptæ obliuiſcerentur.

XIII. ALEX. PP. IV. AD SOLDANVM PERSARVM HORTATORIA AD FIDEM CHRISTIANAM SVSCIPIENDAM EPISTOLA.

Digna eſt ea Alexandri Pontificis epiſtola, qua Soldanum Perſarum vt fidem Chriſtianam recipiat hortatur, quæ ab omnibus qui ad Gentilium conuerſionem mittuntur legatur. Ita habet.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Magnifico viro Soldano Perſarum veritatem agnoſcere, & agnitam cuſtodire.

*Ex litteris tuis & nunciorum tuorum fideli relatione cognouimus, quod in votis habeas conuerti ad CHRISTVM. Cumque iam receperis vt audiuimus Penthateucum Moyſi, Prophetiam Iſaiæ & Hieremiæ, Pauli etiam epiſtolas, atque Ioannis Euangelium & Matthæi, poſtulas tibi virum mitti aliquem Orthodoxum, per quem in lege Chriſti, quaſi vice noſtra plenius inſtruaris. Nos autem petitioni tuæ plurimum in Domino commendabili grato conniuentes aſſenſu, tales excellentiæ tuæ procurabimus deſtinare, qui apud te in doctrina ſana & ſalutaribus monitis vices Apoſtolicæ authoritatis ſuppleant, quorum etiam mores & merita ab honeſtate & munditia eruditionis Euangelicæ non diſcordent. Quoniam vero noſtræ Fidei ſeriem & tenorem litteris tibi poſtulas aperiri, nos tuis congratulantes deſideriis, illam ſub quodam compendio, & quaſi digitotenus intimamus.*

*Illud igitur pie credas & fideliter teneas, quia vnus DEVS eſt. Sic tamen vt in aſſignatione Deitatis, ſit vnitas in ſubſtantia & Trinitas in perſonis. Eſt enim DEVS Pater, DEVS Filius, DEVS Spiritus ſanctus: Sed Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus vnum ſunt. Eſt enim diſcretio in perſonis, vt nec Pater ſit Filius, nec Filius ſit Spiritus ſanctus, nec Spiritus ſanctus ſit Pater aut Filius. Res quidem difficilis eſt intellectu, & aciem rationis humanæ tranſcendit: ſed tanto elegantius Fides habet meritum, quanto eſt difficilior ad credendum. Porro licet nulla inueniantur, quibus poſſimus de illa ſumma eſſentia digne loqui, quod poſſumus id facimus: & quaſi balbutientes per verba rebus accommodata tranſitoriis rem tibi ineffabilem aperimus.*

*PAVLVS dicit Apoſtolus, quod inuiſibilia DEI per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Vide ergo mentem hominis: corpus etiam ſolare conſidera: & in duobus qualitercumque, licet tenuiter, & quaſi oculo conniuenti, quandam ſimilitudinem Trinitatis agnoſces. Eſt enim in mente hominis, intelligentia, memoria & voluntas. Mentem autem notamus memoriam, mentem dicimus intelligentiam, mentem dicimus voluntatem. Memoria, intelligentia & voluntas ſunt vna mens, ſed nec memoria eſt intelligentia, vel voluntas. In eodem corpore Solari, video radium, ſentio calorem, & agnoſco ſplendorem. Hæc tria vnius ſunt eſſentiæ: nullum tamen illorum eſt alterum. Sic & in illa ineffabili & incircumſcriptibili gloria Deitatis, eſt Filius à Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque. Cumque Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, eiuſdem ſubſtantiæ, eiuſdem potentiæ & gloriæ ſint, non ſunt tamen tres Dii, ſed in tribus perſonis ſunt vnæ ſubſtantiæ, & vnius potentiæ, & in vna ſubſtantia tres perſonæ. Hæc Fidei noſtræ profeſſio, non tamen à CHRISTO &*





*eius ſequacibus ſumpſit exordium, ſed à Moyſe, & Patriarchis, atq; prophetis ſuum habuit fundamentum. In libro Moyſi, diuinæ eſſentiæ vnitas declaratur, vbi dicitur: Audi Iſrael, Dominus DEVS tuus vnus eſt. & iterum: Ego ſum Dominus DEVS tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Non erunt tibi Dii alieni præter me. Pluralitatem vero perſonarum ibi patenter inſinuat, vbi dixit: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Cum enim verbum Dei ſit Filius Dei, ſicut Ioannes, cuius Euangelium recipis, proteſtatur dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Vides quod ad Filium & Spiritum ſanctum, Patris ſermo dirigitur cum hæc duo pluraliter dicat,* Faciamus, & noſtram. *Per Verbum enim & Spiritum ſanctum Dominus operatus eſt vniuerſa: ſicut Dauid propheta commemorat: Verbo Domini cœli firmati, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Id ipſum etiam propheta miſterium Trinitatis eleganter inſinuat, vbi ter, hoc nomen Deus in eodem verſiculo repetit, & includit dicens: Benedicat nos Deus, Deus noſter, & benedicat nos Deus. Et prænominatus Ioannes in epiſtola ſua canonica dicit: Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. Iſaias etiam propheta quem recipis, ſe audiuiſſe teſtatur Seraphim clamantia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth. Quare tertio replicat Sanctus, niſi vt in Domino Deo exercituum Trinitatem inſinuet perſonarum: Eſt itaq; in ſumma & Beatiſſima Trinitate, Pater qui Filium genuit: Filius qui genitus eſt à Patre: Spiritus ſanctus qui progreditur ab vtroq;: nec in illa proceſſione vel genitura damnum reſecationis vel immutationis paſſa eſt in Patre diuina ſubſtantia. Sicut enim lumen à lumine ſumitur ſine mutatione luminis à quo ſumitur: ſic æquale à Patre Filius, & vtriq; coæqualis procedit ab vtroq; Spiritus ſanctus.*

*Modum autem geniture aut proceſſionis iſtius, humana ratio non attingit. Vnde cum Iſaia de Filii generatione conſtaret, modum tamen generationis inenarrabilem eſſe fatetur, Generationem eius, inquit, quis enarrabit? Dauid Propheta, de hac Filii generatione, ſic loquitur: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu ego hodie genui te. Salomon, quem Deus ſapientia & intellectu mirabiliter illuſtrauit, in perſona Chriſti; qui eſt, ſicut Paulus ait, Dei virtus & Dei ſapientia, ſi tamen eum recipis, ita dicit: Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum: antequam quidquam faceret, ab æterno ordinata ſum; antequam terra fieret: necdum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: quando præparabat cœlos aderam; quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Apoſtolus etiam Paulus Spiritui ſancto, imo toti Trinitati teſtimonium perhibet, dicens: Miſit Deus Spiritum Filii ſui, in corda noſtra; & alibi; Si Spiritus eius qui Ieſum ſuſcitauit, habitat in vobis; viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. Si Chriſti teſtimonium de vnitate eſſentiæ & perſonarum Trinitate deſideras, ipſe in Euangelio dicit: Ego & Pater vnum ſumus. Chriſtus etiam diſcipulis ſuis dicit: Ite, baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

*Cum autem homo perdidiſſet per inobedientiam paradiſum, & infernales miſerias perpetuo meruiſſet, miſſus eſt à Patre Filius. Dignumq; fuit vt mitteretur Filius, & non Pater. Cum enim à nullo ſit Pater, Filius autem erat ab aliquo; erat q; conuenientius, vt habeat in tempore Matrem, qui ab æterno habuerat Patrem. Cum autem ſcriptum ſit in Pſalmo Dauid; Non eſt qui redimat, non eſt qui ſaluum faciat. Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Non eſt qui det placationem pro anima ſua. Miſſus eſt à Deo Patre Filius, vt homo pro homine moreretur; & pro homine captiuo tributum mortis tanquam homo perſolueret, eumq; tanquam Deus cœleſti poteſtate redimeret. Huius aduentum deſiderauerant Patriarchæ, & Prophetæ prædixerant, atq; illius dilationem impatientius ſuſtinentes querela communi dicebant; Quando veniet? Quando videbimus? Da Domine mercedem ſuſtinentibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur. Vtinam, dicit Iſaias, Domine diſrumperes cœlos & venires; & Dauid; Domine inclina cœlos tuos, & deſcende; & teſte Iſaia; Angeli pacis, pro dilatione noſtræ ſalutis amare flebant. Item notat Iſaias, de CHRISTI Natiuitate manifeſtius loquens: Ecce, inquit, virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Cum autem ibi traheret originem de Ieſſe, idem propheta Natiuitatem Mariæ, & per Mariam CHRISTI, atq; plenitudinem gratiæ ſpiritualis in CHRISTO, manifeſte declarat dicens: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus.*

*Natus eſt itaq; Filius DEI de virgine incorrupta, Spiritu ſancto in ea operante, noſtræq; ſalutis negotium ineffabiliter procurante. Abyſſus enim inſcrutabilis eſt, incarnationis Dominicæ Sacramentum. Plurima tamen antiquis Patribus acciderunt, in quibus Natiuitatis huius figura præceſſit. Quod enim vellus Gedeonis rore cœleſti completum eſt, cum area circumquaq; arida remaneret, eo Spiritus ſanctus deſignatur, in virgine, quæ ad hoc propter humilitatem ſuam ſpecialiter eſt & ſingulariter à Domino præelecta: cui Pſalmiſta concordat dicens: Deſcendat ſicut pluuia in vellus. Quod Moyſi ignis in rubo apparuit, & non eſt rubus igne corruptus, virginitatis integritas in Maria demonſtratur. Quod virga altarium tribuum remanentibus ſiccis, virga Aaron de cuius ſtirpe Beatiſſima virgo traxit originem fronduit & floruit, Florem de virga Ieſſe, quem vaticinauerat Iſaias, partum ſcilicet incorruptæ virginis indicauit.*

*Cum autem inimici DEI eſſemus, per aduentum CHRISTI reconciliati ſumus, ſicut prophetæ dixerant & pax, inquit erit in terra, cum venerit. Ideoq; Angeli in ipſius Natiuitate glorioſæ pacis canticum cantauerunt: Gloria in excelſis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Noua etiam ſtella Magis apparuit, atq; hiſtoriarum teſtimonio, Romæ fons olei de terra fluxit in Tyberim. Templum etiam quod idola non ruiturum prædixerant donec virgo pareret, eadem nocte funditus corruit. Probatica etiam piſcina, quæ Hieroſolymis erat, ad aduentum Angeli moueri: & ſanitatem conferre tunc cœpit. Vehementer fuit nobis nocuus vetus Adam, ſed plus profuit nobis nouus. Amplius nobis contulit huius humilitas, quam ſuperbia illius abſtulerit. Nam Paulo Apoſtolo teſte, non ſicut delictum, ita & donum. Damni exiſtimationem, beneficii magnitudo tranſcendit. Quem prius habuimus terribilem Deum & Dominum, nunc habemus humilem Fratrem & proximum.*

*CHRISTVS itaq; curſum noſtræ mortalitatis tranſigens, in fame & ſiti, in laſſitudine & dolore, & vniuerſis miſeriis huius vitæ, demum traditur à diſcipulo, & tanquam vile mancipium venditus, flagellatus, conſputus, ſpinis coronatus, clauis affixus ſtipiti, & morte turpiſſima condemnatus: quæ non rapuerat ſoluit: & ſponte morti ſe offerens, eam in humilitate ſuſtinuit, ſicut Iſaias commemorat. In humilitate, inquit, iudicium eius ſublatum eſt. Sicut agnus ad occiſionem ductus eſt, & ſicut ouis coram tondente ſe, ſic non aperuit os ſuum. Qui ergo puerulus à iuſto Symeone ſemel oblatus in templo fuerat, in veſpera legis & fine temporum, pro redemptione noſtra in Cruce manus ſuas leuauit, ad Patrem, iuxta illud Dauidicum: Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum: Sic reatus quem Adam per ſuperbiam ligni delectatione contraxerat, mortis amaritudine per humilitatem Chriſti ſublatus eſt: ſuoq; ſanguine ſine culpa, omnium culparum chirographa ſunt deleta.*

*Alium ſiquidem redemptionis modum poterat Dominus procuraſſe: ſed nullus ſuæ benignitati, noſtræq; ſaluti congruentior occurrebat. Cum enim homo iuxta præuaricationis ſuæ culpam captus à diabolo teneretur: poſtulabat iuſtitia vt non eriperetur per violentiam: & quia per ſuperbiam lapſus eſt, humilitate ſurgeret. (ſed quia ſua non poterat humilitate) ſaltem reſurgeret aliena. Et ita Chriſtus innocens, quem Agnus Paſchalis in lege ſignauerat, ſe pro nobis hoſtiam obtulit ſalutarem. Cumq; lex Moyſi capram vel ouem conſtituiſſet pretium ad redemptionem hominis à peccato, Chriſtus per quem gratia & veritas facta eſt, attendens vmbratiles legis ceremonias non ſufficere ad ſalutem hominis, qui æſtimatione plurimi faciens quam ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſanguinem & mortem ſuam pro noſtra ſalute obtulit, & ſic ſemel introiuit in ſancta ſummus & verus Pontifex æterna redemptione inuenta. Aperuit itaq; librum*

*& ſoluit ſignacula eius, leo de tribu Iuda: & quod hoſtiæ legales non potuerant, gladium amouit verſatilem, & paradiſum qui omnibus antiquis clauſus fuerat, reſerauit: Sicut olim in morte ſummi Pontificis ſolebat illis qui ad ciuitatem confugerant ſecurus ad propria reditus indulgeri.*

*Olim conſueuerat homo cauſari, & dicere: Cur exigit à me Dominus amplius, quam à cæteris creaturis? Quid pro me fecit? Quid pro me laborauit? Dixit, & factus ſum. Sicut iumenta, & arbores, & cætera vniuerſa: ſic ſuæ potentiæ nutu, ſoloq; iuſſionis arbitrio me creauit. Sed iam obſtructum eſt os loquentium iniqua, & iam bonum diſſimilare non licet: quanta Dominus pro eo fecerit, qui vt ſeruum redimeret, proprio Filio non pepercit.*

*Porro in hac noſtra ſalutis diſpenſatione, dilectio Chriſti nobis medullitus intimata eſt: qui cum in lege Moſayca dilectionem Dei & proximi dedit in mandatis: eamdem & in Schola Euangelicæ diſciplinæ frequentius & fortius, verbis, & tandem exhibitione operis inculcauit. Maiorem charitatem nemo habet, quam quod animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Dedit itaq; materiam diligendi ſe, qui in ſuis dilectionibus nos præuenit: nec aliud à nobis exigit, niſi vt ipſum diligamus ex corde. Sane inhumanus eſt & crudelis, qui miſericordiam eius non recolit: qui Dominum tam clementem, ex affectu non diligit: qui ſe pro eo, ſi opus eſt, mortis periculo deſiderabiliter non exponit.*

*Chriſtus autem mortuus & ſepultus, tertia die reſurgens à mortuis, ſicut diſcipulis prædixerat, eiſdem poſtea frequenter apparuit, & cum ipſis loquens, & comedens, oſtenſis vulnerib. manuum & pedum ac lateris, in cordib. quorumdam qui adhuc hæſitabant in fide, oſtenſione vulnerum vulnus dubitationis amouit. Quadraginta itaq; diebus cum eis viſibiliter conuerſatus eiſdem comedentibus, venit in montem Oliueti, & videntibus illis in cœlum eleuatus eſt, & aſcendit ad Patrem, vbi eum eſſe in Patris coæqualitate credimus, atq; in communi reſurrectione viuorum & mortuorum iudicem expectamus.*

*Si ergo habes in deſiderio, de tenebris prodire ad lucem, & amplecti ſaluberrimam legem Chriſti, tuæ conuerſationis primitias baptiſmali lauachro neceſſe eſt conſecrari: quatenus depoſita in aquis regenerationis vetuſtate peccati, in nouam animæ innocentiam & vitæ infantiam renaſcaris.* Hæc Alexander Pontifex Soldano præſcribebat.

XIV. NAVALIS CHRISTIANORVM DE SARACENIS VICTORIA.

Sed nos ad Simonem Genuenſem, qui Capha, Trapezuntem, vetuſtam admodum ciuitatem, à Græcis in extremo Ponticę oræ conditam, propter publica Chriſtianitatis negotia, duos Legatos cum duabus triremibus amandauit. Interea ſinopis regulus, ſumma perfidia, iuxta illius gentis morem & conſuetudinem, vſus, reliquarum Liguſticarum triremium reditum eo conſilio præſtolabatur, vt illas ſub fide tradita aliquo modo ſui iuris ac poteſtatis faceret. Iſtud vero ſimul atque à Genuenſi præfecto haud obſcuris indiciis ac teſtimoniis reſcitum eſt, cum maxima leuiſſimi iuxta & crudeliſſimi hominis perfidiæ vlciſcędæ cupidine inardeſceret, ad illum enauigauit, ea quidem fiduciæ diſſimulatione, vt nihil minus quam de illius fide ac beneuolentia quicquam omnino addubitare videretur. Et quoniam ab exploratorib. didicerat hoſtem contra ſe cum decem triremibus egreſſum, illis quas tunc temporis apud ſe habebat, viginti nauigia Caphæ ſumma feſtinatione ſub alia ſpecie inſtructa adiunxit, breuiq; aduerſarię claſſi obuiam factus, acieq; militariter diſpoſita, & ſuos cohortatus, in eum protinus intendit, ac intrepide fortiterq; conflixit, eo quidem ſucceſſu, vt breui capta hoſtili claſſe, præclaram de Saracenis atq; inſignem victoriam retulerit. *Petr. Bizar. hiſt. Genuenſ. l. 6.*

XV. TARTARI IN POLONIAM A RVSSIS EVOCATI IRRVMPVNT.

Ea victoria Saraceni reliqui irritati, quod nauali prælio non poterant, terreſtri excurſione in Poloniam facta, vindicare ſe de aliis Chriſtianis decreuerant, à Daſcone, quem Caſimirus Rex Præmisliæ præfecerat, & Daniele Oſtrogio, & nonnullis aliis Ruſſis, res nouas molientibus euocati. Per id enim temporis, Boleslao Halicienſium & Leopolienſium principe, ſiue propter intemperantiā illius, ex qua vxoribus, filiabus, & ſororib. Ruſſinorum ſtupra inferebat, ſiue ꝓpter grauiores exactiones, ſiue ob magiſtratus externis mandatos, ſeu denīq; pp diuerſitatē religionis ſiue rituum, de medio, venenata potione ſublato, cum rex Caſimirus ratus veniſſe tempus, quo Ruſſiam maiorum ſuorum negligentia amiſſam, facile in poteſtatē iam poſſet redigere, ſubitario coacto exercitu, Præmisliam, Sanocum, Haliciam, Trebouuliam, Lubaſſouiam, Tuſtanum, Leopolim caput gentis, & in ea præter ingentem vim auri, argenti, gēmarum, pretioſarum veſtium, vetuſtamq; Ruſſorum Ducum Gazā, inſignes duas aureas Cruces plurimis & pretioſis gēmis diſtinctas, quarum altera portionem ligni, in quo Chriſtus Ieſus pependit, incluſam habuit, itemq; duo diademata cum ſella, & veſte auro gemmisq; rigente accepiſſet, cæterisq; omnib. eius orę munitionib. potitus, ad Cremeneciam vſq; arma circūtuliſſet, Ruſſi Tartarorum copias in Poloniam exciuere: nacti tempus quo Rex Caſimirus longiſſime aberat, Cruciferorum colloquiis, Sileſico bello ad Vuſchouā, & filiæ Eliſabethæ nuptiis apud Poſnaniā occupatus. Miſerant ii Legatos clam, admonentes principē Tartarorum, ne tributariam ſibi Ruſſiam, à Polonis occupari pateretur; non defuturam ipſi fidem ſuam, operamque polliciti. Habebant a. ii inuiſum Polonorum imperium cum q̄ non libenter fere externis parent homines, tum q̄ ſectæ ritibusque ſuis, ne callide ſenſim abolerentur, metuebant. Videbant n. multos de ſuis opera FF. Prædicatorum & Minorum ad Latinos ritus, & ad Romanam ſiue adeo Catholicam Eccleſiam ſe transferre, pluresq; in dies honorib. & aliis præmiis à Rege oſtentatis inuitari. Ab his igitur exciti & adiuti Tartari, ingentem cladem Poloniæ vſq; Lublinum attulere. Eam vehementer Benedictus Pontifex indoluit, & Sacram Crucis prædicationem contra Tartaros in Polonia euulgauit. *ep. num. 239. Cromer. Polonicarum rerum l. 12.*

Promiſcue tunc ſæuitum eſt à Tartaris in Sacra, & viros ſacratos. Ex his Vilnæ Gaſtoldum Epiſcopum, & Stanislaum Cracouienſ. vna cum triginta ſex Fratribus Minoritanis, necnon complures Prædicatores, die 24. Maii: necnon Stanislaum Lithuanum Ordinis S. Baſilii, cum aliis eiuſdem inſtituti Monachis, ibidem: Leopoli a. Stanislaum Minoritani cœnobii Præfectum, & alios complures religioſos, pro fide Chriſti interemerunt. Vilnæ in Lituania, in Eccleſia SS. Trinitatis, Stanislaus Baſilianus, non ſine miraculis quieſcit, *Martin. Baron. in Vitt. Patronorum Poloniæ.*

XVI. ALFONSVS REX CASTELLÆ NOVAM CLASSEM CONTRA MAVROS PRÆPARAT.

In Hiſpaniis, Rex Caſtellæ Alfonſus, non contemnendam cladem à Saracenis ad Algeziram, Tenorii Præfecti temeritate acceperat. Is quod Maurorum copias, per ſummam ignauiam, fretum traiicere non prohibuiſſet, proditionis apud Regem accuſatus, vt culpam vel ſanguine elueret, cum vniuerſa claſſe hoſtium dimicare auſus, inſignem iacturam Chriſtiani populi fecit. Ex ea Alfonſum animo fluctuantem, & grauiora à Mauris metuentem, Benedictus Pontifex literis datis conſolatus, admonuit ne animum deſponderet, ſed in eo qui vicit mundum bene ſperaret futurū, vt à benedictione Pontificia victoriam de hoſtib. nominis Chriſtiani reportaret. Agebat tunc Auinione apud Benedictum, Ioannes Leiua Alfonſi Legatus: & veniam delictorum iis concedi impetrauit: qui ſacram militiam aduerſus Mauros, tribus menſibus, ſuis ſumptibus toleraſſent. Pontificia auctoritate & indulgentia Alfonſus animatus, & ipſe claſſem comparauit, & Reges Aragonium & Luſitanum in auxilia aduocauit. Aragonius claſſem reuocatam remiſit, Petro Moncada præfecto. Duodecim triremes Luſitanus, Pecano duce miſit. Genuenſes quindecim triremes Regis Alfonſi ſumptibus adiunxere. Caſtellani ſuos etiam inſtruxere: vix tamen quartam partem hoſtium ſuorum numero exæquabāt: equites quatuordecim millia, pedites ad viginti quinque.

TARIFFAM A MAVRIS OBSESSAM LIBERARE CONATVR.

Tariffam, à Mauris obſeſſam, eliberare conabantur. In conſpectum hoſtium cum veniſſent, mille equites, pedites millia quatuor nocte intempeſta Tariffam præmiſerunt, partim vrbi præſidium, partim vt à latere hoſtes aggreſſi è cliuo deiicerent: reliquos corpora curare iuſſerunt, atq; vti ſimul cum ortu ſolis pugnam inuaderent, paratos eſſe. Plauſus lætitiaq; in caſtris Hiſpanorum fuit: vota Diuis nuncupabantur: ſanctiſſimo interſe iureiurando ſocietas ſanciebatur, per turmas & manipulos, niſi victores domum non redituros, in que periculo, auxilio inuicem ſibi futuros. Lucis aduentu, Reges, & eorum exemplo cæteri, confeſſione & Euchariſtia rite procurati ſunt: mox acies ad pugnam inſtructæ. In primo agmine Lara Emanuel, & Diui Iacobi Magiſter conſtituti: in poſtremo Gonſaluus Aquilarius: pedítum incondita multitudo in ſubſidiis Petro Nonnio Duce: mediam aciem cum robore copiarum Reges obtinebant. Aderat Egidius Toletanus Præſul, aliique Epiſcopi & Proceres. Vexillum crucis Iugus natione Gallus, Romani Pontificis iuſſu geſtabat. Milites omnes rubra cruce diſtincti, vti aduerſus impios pro religione pugnaturi. Luſitano inuadendi Granatenſes cura impoſita eſt. Ad peculiarem manum adiuncti, Calatrauæ & Alcantaræ Magiſtri. Caſtellæ Rex Albohacenum Maurum inuadere parans, concione aduocata, hac oratione milites inflammauit.

ALFONSI SVOS AD PRÆLIVM COHORTANTIS ORATIO.

*Profunda auaritia, infinita imperandi libido, odium Chriſtiani nominis implacabile, nulla iuſta belli cauſa hanc barbariem in Hiſpaniam attraxit: incónditam, mihi credite, & ex colluuione multarum gentium conflatam. Nemo numero terreatur: ſua ſe multitudine impedient: neq; ordines ſeruare, neq; imperia accipere idonei. Quanto ſibi minus quiſq; pepercerit, tanto tutior erit: neq; decet in pedib. potius præſidium, quā in virtute armiſq; ponere: nudum cacumq; tergum hoſti feriendum præbere. Aut barbaris ſeruiendum, aut ſtrenuè pro patria, pro vxoribus & liberis, proq; ſanctiſſima religione pugnandum: victoriæ ſpe certa: nihil in nobis vanitatis eſt. Quod ſi aliter eueniret, vbi maiori fructu, maiori q; gloria, vita breuis & paulo poſt interitura ponatur? Quid ſalutarius, quam breui moleſtia cœleſtes ſedes parari? quod Crux illa ſanctiſſima, cuius auſpiciis pugnamus, & ſanctiſſimi Pontifices pollicentur. Læti ergo, plenique bona ſpe in hoſtes inuadite.* Dato ſigno, mota continuo agmina. Pręterfluebat intra vtraque caſtra ſalſus amnis, vndē prælio nobiliſſimo victoriæq; nomen factū. haud longo ſpatio decurrens in mare. Qui priores traieciſſent, ab iis pugnæ initium futurum erat. Miſſi à Rege barbaro equites ad duo millia, Chriſtianorum tranſitum prohibituri. Ipſe interea ſpe tumidus, de victoria certus, ad circumfuſas legiones:

MAVRI AD SVOS ORATIO.

*Si noſtram,* inquit, *ætatem, resq; in Africa geſtas tantum reſpicerem, nihil ad vitæ fructum, gloriamq; nominis deeſſe videbatur: omnium circum nationib. veſtra milites virtute ſubditis. Gentis amor, patriæ religionis ſtudium, vobis impulſoribus in Hiſpaniam attraxit. Turpe erit quod in pace eſtis polliciti, in pugna non poſſe præſtare: domi procaces, in bello ignaui. Si numero pares congrederentur, veſtræ virtuti crederem tamen. Si certa peſtis adeſſet, mori ſatius iudicarem, quā vt tantum dedecus inureretur. Nunc aduerſus paucos, inermesq; tyrones pugnabitis nullo vſu firmatos, nulla ſcientia militari. Atq; illud potius verendum eſt, ne Africæ domitorib. cum tali hominum genere pugnaſſe turpe ſit: illis glorioſum quocunq; tandem euentu. Phutenſes, Tremeſenias, Algarbienſes victorias cogitate. Eo animo, eaq; fiducia quæ perpetuo victoribus eſſe debent, pugnate, erecti conſtantes periculorum, hoſtium, mortisq; ipſius contemptores.* His dictis ad flumen progreſſum. Lara & Emanuel diu ſubſtitere, metu incertum, an re alia: doli certe & coitionis ſuſpicionem præbuerunt, quæ ſuſpicio late per acies manauit. Laſſi fratres, Gonſaluus & Garſia, exiguo ponte tranſmiſſi: primi omnium cum multo maiori numero hoſtium pugnare cœperunt.

PVGNÆ INITIVM.

Periculo proximos Aluarus Guſmanius ſuo aduentu ſeruauit. Secuti cęteri: Luſitanus lęua collium latus radens. Caſtellæ Rex aliquanto locorum flexu verſus mare in hoſtes irruit.

INSIGNIS CHRISTIANORVM DE MAVRIS VICTORIA.

Vtrimq; clamor ingens, mutuo ſe ad pugnam hortantium: pugnatum eſt acriter omnib. partib⁹: donec Chriſtianorum pars notis tramitib. à cęteris diuulſi caſtra Maurica inuaſiſſent, cœpiſſent, diripuiſſentq; ſuperato p̄ſidio. Ea re cognita reliqui Mauri, qui eatenus in pugna conſtiterant, perculſi, & loco pulſi, deinde in fugam conuerſi ſunt. Magna eorum cędes facta: ſupra ducenta Maurorum millia in pręlio fugaq; ceciderunt: captiuorū ingens numerus fuit. In eis Farima Tunetani Regis filia, Albohaceni Regis vxor præcipua, tres aliæ vxores, Abohamarus filius capti, in pugna caſtriſq; eo minorem dolorem barbaro Regi inuſſerunt: duo alii Albohaceni filii in pugna ſunt occiſi. Caſtra hoſtium plena omnis opulentiæ regiæ priuatæque erant: multa veſtis pretioſa: auri & argenti tantum, vt valor in Hiſpania monetæ imminueretur, mercium precium accreſceret. E Chriſtianis, (quod prope miraculum ſit) viginti deſiderati non amplius. Egidius Toletanus Præſul, à Regis Caſtellæ latere nunquam diſceſſit: deſertumq; pene à ſuis, & in confertos hoſtes irruere parantem, voce manuq; retinuit, ne triſtis caſus certam victoriam corrumperet. Tertio Kal. Nouembr. die Lunæ, victoriam nobiliſſimam partam eſſe, in Toletanis faſtis notatum eſt: vbi anniuerſariis ſacris, feſtaq; lætitia, veteri inſtituto eius diei memoria celebratur. Victores Reges eadem nocte in caſtra redierunt, pars cædendis inſequendiſq; hoſtibus feſſi, pars quib. minor animus fuit, maior auiditas, Mauricis ſpoliis onuſti. Die proximo Tariffam inuecti, refectis mœnibus quæ multis partibus erant quaſſata, præſidio muniendam curarunt. Ab Algeziræ obſidione, propter commeatus inopiam, & ꝓpter anni tempus in hyemē inclinantis, re neceſſaria compulſi recedentes, Reges Hiſpalim reuerſi ſunt. Eos triumphi perſimili pompa, omni ætate, omniq; ordine obuii ciues, patrię liberatores, impietatis vindices, victores, Auguſtos, fauſtis vocibus acclamantes in vrbem excepere: reliqua Hiſpania decretæ, habitæq; ſupplicationes. Diuis immortalibus actæ gratiæ: ac dies feſti ludis, ſpectaculis, tripudiiſque, Hiſpanorum more agitati. Rex Luſitanus ephippiis, gladiisq; Mauricis ex omni præda acceptis, vt victoriæ monumento eſſent, in patriam ſeſe retulit: rei Chriſtianæ adiunctæ, inuictæq; virtutis laudem ferens. Additi nonnulli captiui nobiliſſimi: abeuntis iter Rex gener ad Caſſaliam oppidum officii cauſa ꝓſecutus eſt. Auinionem equi centum phalerati, gladii, totidem dependentes, ac parmæ è corio, centum item Agareni qui eos ducerent, cum vaſis aureis & argenteis, & gemmis magni pretii è præda Maurica, Benedicto Pontifici miſſa ſunt: quatuor pręterea & viginti Maurica ſigna: equus vexillumq; Regis, necnon quib. in pręlio vſus erat alia, Io. Martini Leiua Legatus, aliquanto ſpatio à Cardinalib. & Prælatis obuiis, ſummo honore exceptus, Pontificis voce, cum ſacris de more eſſet operatus, Alfonſi Regis laudes, maximo Principum hominumq; concurſu, pro concione celebratæ ſunt. Victoriæ cœlitus partæ memoria, in Toletana Eccleſia, ſingulis anniuerſariis in perpetuum inſtituta. *Mariana de reb. Hiſp. lib. 16. c. 7. & 8. Ciacc. in Benedicto XII. Ioan. Villani lib. 11. c. 119. Regeſtr. Bened. XII. hoc anno ep. 14.*

XVII. BENED. AVCTOR PACIS INTER LVSITANVM ET ALFONSVM.

Hæc contra Mauros, à Rege Caſtellæ Alfonſo, interuenientibus Aragoniæ & Luſitaniæ Regibus geſta hoc anno. Nam interponente auctoritatem ſuam Benedicto Pontifice, pax inter Luſitanum & Alfonſum coierat: cum eodem admonitore Benedicto, vterq; poteſtatem decernendi ſuper diſcordiis vertentibus, eidem Pontifici detuliſſet, ſiue adeo iuſſioni ſedis Apoſtolicæ lubenti animo obtemperaſſet: & diſpenſante Benedicto affinitatem ex matrimoniis ſanctis contraxiſſet. Conſtantia Ioannis Emmanuelis filia Petro principi primogenito Regis Luſitaniæ deſponſa & in Luſitaniam miſſa: vbi Eboræ regio apparatu nuptiæ confectæ, dote tercentorum millium aureorum aſſignata. *Epiſtol. Benedict. XII. hoc anno: & Mariana lib. 16. c. 6.*

XVIII. INGENS MORVM IN HISP. CORRVPTELA EX CONVERSATIONE CHRISTIANORVM CVM SARACENIS.

Aragonius Rex poſt victoriam diuina ope partam, ſempiterniſq; ſeculorum ætatibus memorandam, facti belli cauſam prætexens, vt militum animos ſpe prædæ deliniret, finib. Almerienſis regni bellum referre minabatur: eaq; de cauſa eo ipſo tempore, Raymundū Cornelium, Barcinone, mox Valentiæ ad 10. Kal. Ian. Sanctium Aragonium patruum, & Ferrerium Cannetum, ad Benedictum Pont. Max. decimarum Eccleſiaſtica. in tres

in tres annos conferendarum, & cenſus Sardiniæ regni in quinquennium remittendi, oratores miſerat. *Surit. lib.3.* Indicio eſt Regem, nonniſi animo demulcendi milites eam expeditionem in Mauros prætexuiſſe. Is namq; non adeo vehementer cupiditate extinguendi nominis Maurici flagrare viſus eſt: cum & Saracenos, & Iudæos promiſcue cum Chriſti fidelibus in terris ſuis commorari atq; conuerſari ſuſtinebat. Vnde ingens in Chriſtianis corruptela morum, & occaſio tum apoſtaſiæ, tum blaſphemiarum, maximo Chriſtianæ religionis probro. Quamobrem Benedictus Pontifex, Regem, Epiſcopos, Prælatos & Proceres Aragonios neceſſe habuit monere, vt Clementinæ ex Concilio Viennenſi Conſtitutionis meminiſſent, & perfidos profanosq; à conſortio fidelium piorumq; excluderent. *ep. Bened. hoc anno.*

XIX. CAROLI REG. HVNGAR. STVDIVM IN EXTIRPANDIS HÆRETICIS.

Neq; tantum Iudæorum & Saracenorum communionem, ſed & hæreticorum cum Orthodoxis interdictam eſſe cupiebat, Benedictus. In principatu Boſnenſi apud Illyrios, quamplurimi errantium ſuccreuerant, multos Catholicorũ ſeducentes, & in errorem mittentes. Doluit iſtud vehementer Carolo Regi Hungariæ. Itaq; Fratri Geraldo Generali Miniſtro Minoritarũ auctor fuerat, vt ſe in prouinciam conferret, & Stephanũ Banum Principem induceret, ad hæreticos expellẽdos. Libenter Banus audiuit Orthodoxiæ prædicationem: neq; tantum ipſe Fidem Catholicam admiſit, verum & reliquos ſuæ gentis ad eandem amplectendam hortatus, errores ꝓuincia excedere iuſſit. Gratiſſimum iſtud Benedicto fuit. Itaq; & Stephanum vt id prompte faceret, & Carolum Regem vt principi in extirpandis hæreticis, auxilium, conſilium & fauorem impenderet, admonuit, datis literis vtrique.

XX. SENENSES A BENED. COARGVVNTVR.

Senenſes in Ethruria, per id temporis nonnullas leges ſanxerant, ne Quæſitores Fidei, ex legibus Eccleſiaſticis in hæreticos agerent. Seuere, quemadmodum par fuerat, Benedictus eos coarguit: necnon Epiſcopo Senenſi, vt eos ad illas abrogandas Pontificia poteſtate compelleret, imperauit. Iniquum eſſe exiſtimans, vt paruum fermentum corrumpat totam purioris congregationis maſſam.

XXI. FALSVM ARCHIEP. CAPI MANDAT BENEDICT.

Neapoli in Campania, aliquis Armenorum, quem Fratrem Apoſtolum ſalutabant, neq; iuxta ritum C.E. baptiſmo ablutus, neq; in vnitate Rom. ſedis fidelibus adiunctus, titulum Nicopolitani Archiepiſcopi ſibi per ſcelus vſurpabat, & tum clericos Latinos ordinare, tum Eccleſias & altaria conſecrare, tum ſacrum chryſma cõficere, eoq; Latinorum frontes inungere præſumebat: adeoq; non tantum ſchiſmate, Eccleſiam ſcindebat, verumetiam errore ſimplicium animos inficiebat. Hunc vt Archiepiſcopus Neapolitanus caperet, & ſub fida cuſtodia Auinionem mitteret, Benedictus Pontifex præcepit. *ep. Bened. hoc anno.*

XXII. BONORVM ECCLESIASTICORVM CVRAM CVRAT.

Sed non modo Fidei Eccleſiaſticæ, verum etiam bonorum Eccleſiaſticorum curam hoc anno Benedictus curabat. Patauii, Marſilius Carrarius maximam partem monaſterii S. Iuſtinę reddituum occupauerat, inq; proprios vſus conuerterat. Tandem extrema ægritudine confectus, vbi ſacra confeſſione animum expiaſſet, nomine ſatisfactionis, XXII. millia nummum aureorum eidem Cœnobio depoſuerat. Verebatur Pontifex ne ea ſumma ab aliquo interuerteretur. Quamobrem ſedis Apoſtolicæ in partibus Venetiarum Nuntio, Ruthenenſi Canonico præceperat, vt in vtilitatem eiuſdem Cœnobii, illam pecuniam expenderet. *epiſt. Benedict. hoc anno.*

XXIII. PHILIPPI ET THACLAVARETH SCEVANORVM EX ORDINE PRÆD. VITÆ, MIRACVLA, ET MARTYRIA.

Per id temporis in Indiis Orientalibus, duo viri inſignes, Philippus, & Thaclauareth Sceuani, Ordinem Prædicatorum ſub diſciplina Fratrũ S. Dominici, quos Ioannes XXII. ante aliquot annos in Orientem deſtinauerat, profeſſi floruerunt. Philippus patre Glareacas Rege natus, ſtatim à pueritia habitum eius religionis ſumpſerat, & per varias virtutum exercitationes ad faſtigium pfectionis euaſerat. Sacerdotio initiatus, cum primum ſacris operaretur, ab Angelo præparatam hoſtiam accepit, & duobus à terra in aere cubitis eleuatus aſtantib. apparuit. Ieiunio vel maxime macerabat corpus: quod dum Quadrageſimæ tempore magis exacte ieiunaret, ſingulis diebus ab eodem Angelo vaſculum mannæ, qua ſola reficeretur, accipiebat. Carnes, neq; infirmus, vnquam guſtauit. Nudo corpori aliquot cinctus ferreos circumdedit; flagris ferreis ſeſe ſingulis diebus vſq; ad ſanguinis effuſionem flagellauit. A ſecularium conuerſatione omnino remotus, nonniſi orationi & lectioni ſacrorum librorum incubuit. Cœnobio cuidam prælatus, in pauperes multas largitiones fecit. Sequentibus ſe in quandam ſolitudinem triginta viris, cum præ inedia pene deficerent, ſola oratione cibos impetrauit. Statim enim Angelus ei familiaris adfuit, & tantum mannæ quantum reficiendis illis ſufficeret, deportauit. Aliquando ignem, Cœnobium ſuum depaſcentem, vnico ſigno Crucis extinxit. Regem quẽdam Indum, duarum vxorum connubio pollutum, cum ab auctoritate Patriarchæ coarguiſſet, & in contumacem anathema ſtrinxiſſet, tum etiam ſacra Chriſtianis interdixiſſet, multa grauiſſima propterea paſſus, ſolum vertere fuit coactus. Quo tempore alibi vixit, in prouincia Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita neq; pluit, neq; terra quicquam germinauit. Vnde poſt ſterilitatem fame ſuccedente, tanta mortalitate indidem laboratum eſt, vt homines & iumenta paſſim interirent. Nequicquam tamẽ Rex ille obtemperare Philippo aut Patriarchę voluit: fretus perſuaſione Samuelis cuiuſdam pſeudoreligioſi, qui polygamiam ei fore licitam ſuggeſſerat: non tamẽ impune. Lepra n. imprimis pcuſſus, & poſtea hydrope tumens: crepuit dimidius. Iſtud Rex cum vidiſſet, ſeditionemq; populi metueret, alteram coniugum reliquit, & abſolutionem poſtulauit.

PHILIPPVS.

Reuertens in prouinciam Philippus, duos vita functos in itinere ad vitam reuocauit: duos limpidiſſimos fontes in eremo oratione aperuit; nec ſemel cibum cœlitus pro ſe & familiaribus delatum guſtauit. Regẽ ad vomitum redeunte, ille tamen in Regiam penetrauit; atq; conſtanti fortitudine, tyrannum libidinantem coarguit. Non poterat ferre impius ignita verba Philippi. Quamobrem contumeliis & lędoriis affectum, veſtibus ſpoliari, & virgis cædi tamdiu imperauit, donec ſemimortuus conciderit. Relatum poſtea à Fratribus in cœnobium fuſtib. mactari voluit, ad 4. diem Nouemb. Audierunt pleriq; illo in cœlos abeunte, Angelorum in aere concentus: cum etiam corpus occiſi ſuauiſſimum odorem ſpiraſſet, & ad ſepulturam eius multi energumeni à dæmoniis liberati, plurimi infirmi perſanati, innumerabiles ex ergaſtulis per miraculum educti: alii vero gratiis & votis optatis donati fuiſſent. Regi porro carnifici, non inultum fuit crimen. Egredientem enim è cœnobio poſt cædem patratam, fulgura & fulmina exceperunt: viſusq; eſt S. Michael Archangelus de cælis fulmen in impium vibraſſe, inq; ipſo momento homicidam vſtulaſſe, miniſtris carnificinæ pars diſſipatis, pars proſtratis.

THACLAVARETH.

Non impar Philippo, Thaclauareth Sceuanus, nepos ex ſorore Presbyteri Ioannis Abyſſinorum Monarchi. Octauum annum ingreſſus, Prædicatorum togam induit, eamq; profunda humilitate, obediendi promptitudine, modeſtia, comitate, orandi & meditãdi ſtudio, aliisq; virtutibus ornauit. Decimo octauo ætatis anno, quanquam renitens ſacerdotio initiatus, cum ſacram hoſtiam offerret, in extaſim & in aera frequenter rapiebatur. Tanta ei cum Angelo & Cœlitibus familiaritas, vt ſæpius quadam nubecula circumdatus, Hieroſolymam vſq; ab eo deportaretur, & à Diua Deipara munuſculis quibuſdam cœleſtibus ditaretur. Aliquando in monte Caluariæ, ab ea viſibiliter apparente, vaſculum argenteum ſuauiſſimo quodam liquore redundans accepit: ex quo cum delibaſſet, vtriusq; teſtamenti ſcientiam diuinitus infuſam acquiſiuit, omniaq; ad ſalutem pernecceſſaria didicit. Alias alio tempore, ad Chri-





ſti ſepulchrum ab eadem cælorum Regina, alium ſed iam aureum craterem oblatum promeruit: ex quo cũ illam ambroſiam cœleſtem deguſtaſſet, in extaſim raptus, cœlitum ordines, & manſiones illas multas in domo Patris ſupremi præparatas aſpexit: & quantum mortali homini ſcire de futura felicitate fas eſt, cognouit. Aliquis Chriſtianorum non tantũ homicidio, ſed etiã immanitate ſe impiauerat, corde occiſi hominis præ furore extracto, & comeſo. Pœnitenti illi, vt diuinã clementiã conciliaret, centũ viginti diebus cõtinuis in quadam eremo ieiunijs & orationib. perpetuo vacauit: herbis crudis & aqua ſola contentus. Interea cũ Saluator mũdi ſemel & ſecundo ei apparuiſſet, & indignum venia immanem illum pronũciaret, Thaclauareth tãto ardentibus precib. pro ſalute perditi hominis incubuit, & totis quadraginta dieb. in modum Crucis panſis manibus, ſine cibo & potu, inſomnis etiam perſeuerauit, donec conciliatus Ieſus tertio illi ſeſe obieciſſet, & condonatum peccatum homicidæ aſſeueraſſet. In eadem ſolitudine: ſemel ei Chriſtus in forma egẽtis apparuit, & ſtipẽ ab eo mẽdicauit. Reſpõderat ille, ſe nihil ad manũ quod daret habere: cæterũ in cellulã non procul remotã ſe ſequeretur: illic forte quippiã quod offerret reperturũ. Negabat pauper ſe iturũ, quod pedibus debilis eſſet, neque ſe loco mouere poſſet: cũ Thaclauareth miſericordia motus in humeros illum tuliſſet, & ad cubiculum ferre voluiſſet. Inter ferendũ, qui pauperis ſpeciẽ gerebat, deponi in terrã poſtulauit: atque mox depoſitus, ex oculis pii geſtatoris in cælos aſcendens euanuit. In monaſteriũ reuerſus, cũ ſub ipſa feſta paſchalia cibus Fratres deficeret, bene ſperare illos iuſsit, & poſtea Sacrã pompam indutus, ſacrificio Miſſæ oblato, Angelum ferentẽ vas mannę excepit, ex quo famelicis cibum ſuauiſsimum miniſtrauit. Ad vicinã prouinciã prædicandi gratia profectus, cũ Regiã quandã vxorẽ, ſanguine calicis Dominici capillos imbuiſſe intellexiſſet, zelo ſancto permotus, illos ei præſcidit, & Regem in ſuam necem prouocauit. Furore. n. exardeſcens, ſanctum in Eccleſia fuſtib. mactari præcepit. Adfuerunt Angeli, qui ſanguinem deſtillantem in vaſculum quoddam exceperunt, & ſepulturã martyri pręparauerunt, concẽtibus omnia exhilarãtes. Viuentes tres mortuos vitæ reſtituit: mutos, ſurdos, cęcos paraliticos, à dæmone obſeſſos, aliiſq; malis obnoxios liberauit. Mortuus, perfidũ Regem fulminib. extinxit: & ſingulis anniuerſariis mortis ſuæ, decem cedrina poma Fratrib. ad ſepulchrum ſuum vigilibus, mittere cælitus olim ſolitus fuit: quæ in minutas partes diuiſa, Monacho Abyſsinorũ & Proceribus, magno pro munere diſtribuerentur. *Michael Pius l. 2. de viris Illuſt. Ord. Præd. ex Ioanne Marietta in Triũpho virorũ illuſt. Ord. Præ.*

XXIV.

Venetiis hoc anno vixit quidã, Paulucius Rimanus, homo idiota, qui plures Quadrageſimas ſine cibo, ſolo aquæ tepentis potu tolerabat: ſed Paſchali feſtiuitate adueniente, ſupra omnes edones non quidem manducabat, ſed vorabat. Ea de cauſa ab Epiſcopo, & Fidei Sacræ Quæſitoribus in vincula coniectus, & diligenter aliquot Quadrageſimas concluſus: fidem rei fecit.

INITIVM SECTÆ FLAGELLANTIVM A PRESBYTERI CVIVSDAM PELLICE COEPIT.

In agro Cremonenſi, ad vigeſimum quintum diẽ Martii, in pago Corrigiſiordæ, ad decem millia hominum promiſcui ſexus, ex Brixiana, Mantuana, Cremonenſi, Placentina, Parmenſi & Reghina diœceſibus, congregati, nudi pedes, & pannoſis veſtimentis induti, flagellantium ſectæ initia aperuere. Per vicos & oppida incedebant, flagris ſeſe percutientes, & eleemoſynas quãplures erogantes. Auctorem habuit ea colluuies ſimpliciorum, puellam quandam forma venuſtiſsimam, ſpeciem ſanctitatis apud omnes mentientem. Eam cũ Epiſcopus Cremonenſis comprehendi imperaſſet, pellicem flagitioſi & pernicioſi cuiuſdam presbyteri fuiſſe deprehendit: quam is & ſimulachra colere, & libidinari perpetuo, & per hypocriſim ſcelera occulere docuerat. In carcerem vna cum profano detruſa, ignibus damnata fuit: *Bernardin. Cor. hiſt. Mediolan. parte 3.*

Felicior apud Batauos Beata Gertrudis ab Oeſten, quæ hoc anno, ipſa ſancta Paraſceues, vulnera Chriſti ſuo corpori ſenſit impreſſa: vnde multis diebus quotidie ſepties manauit ſanguis: populo ad tam illuſtre miraculum obſtupeſcente. Placet vitam illius, à Surio mutuare.

XXV. B. GERTRVDIS AB OESTEN VITA.

Eſt apud Batauos pagus Voerburg, medius inter Hagam Comitis & Delphos. In eo nata eſt hæc Gertrudis parentibus ruriculis, atq; ab iiſdem ſimpliciter educata. Vbi autem nonnihil adoleuit, cœpit non ſolũ apud Deum, ſed etiam apud homines ſingularis in ea prudentia elucere. Venit igitur Delphos, ſeruitura illic, vbi poſſet, propter inopiam. Nulla tunc in ea vrbe erant Monaſteria, ſed ſolum templa duo, quorum vnum erat parœciæ, in quo tria tum altaria inerant: alterum domus hoſpitalis pauperum, in qua altare erat propter ægrotos.

Multæ quoque domus vacuæ habitatoribus tum illic cernebantur: attamen feſtis diebus multi vtriuſque ſexus homines confluebant, non ob audiendam concionem, ſed ad choreas ducendas. Ibi hæc Chriſti ancilla tam pie & religioſe in hoſpitiis ſeruiebat, adeoq; vitæ internæ dedita fuit, vt haud raro non minorẽ in illis turbis ſenſerit diuinæ bonitatis ſuauitatem, quam poſtea inter ſanctimoniales degens. Hanc tamen gratiam illa caute celauit, nec quiſquam eam cognitã habuit, donec cum virginibus ſacris habitans, eam honeſtæ cuidam perſonæ reuelarit, ex ea percunctanti, vti ſe inter illos ſtrepitus hominum geſsiſſet. Ita. n. animus virginis in ſeculo procul à ſecularibus rebus, & temporariis ſeparatus, Deo intendebat, vt mente placida, hilaris facie, humilis corde omnibus eſſet amabilis. Ab Oeſten cognomentum accepit, à carmine quodam cui id nominis inſertum fuerat: quod illa quidem cecinit, ſed ſpiritu referebat ad dilectum ſuum Dominũ Ieſum Chriſtum. Per id tẽporis duæ ancillæ, Lielta & Dieuuera crebro ad eam venientes, idem carmen cum illa in pontib. vrbis, & aliis locis opportunis concinebant. Sed eę poſtea, vt & Gertrudis, à vana cõuerſatione ſeculi ad Dominum conuerſæ ſunt, & Dieuuera Gertrudi in cœnobio cohabitauit. Gertrudi ea occaſio fuit, ad melioris vitæ ſtatũ. Quo tẽpore in hoſpitibus recipiendis operam nauauerat diligentem, quanquam Soli Deo ſeruire, & vni ſponſo cœleſti placere in animo habuiſſet, non potuit tamen effugere, quin cuidam adoleſcenti in futurum matrimonium illiceretur. Facta ſponſione, cũ ab illo deſpecta, alteri coniunctum, & ex ea prolẽ ſuſcepiſſe vidiſſet, fallacem mundi fidẽ deteſtata, Regis cœleſtis cuius eſt conſtans promiſsio familiaritatem & ſpirituales nuptias tanto ardentius expediuit. Huic integritatis ſuæ ſeruatori, vt omnib. mũdi curis exonerata, abſq; impedimento vacaret, in Delphenſi sãctimonialium Cœnobio, ſacrum velũ ſuſcepit, Ibi inter virgines admiſſa, cum ſummo ſtudio & multa deuotione totam ſe Chriſto obtulit, omnemque dedit operam, vt verbis, factis, habitu, geſtu, & tota conuerſatione humilitatem oſtenderet, patienterq; ferret; quicquid moleſtiæ vſpiam accidiſſet. Primis quatuordecim diebus, à lachrymis non potuit ſibi temperare: quę dieb. & noctibus vberrime illi profluebant. Peccata ſacerdoti cũ vehementi dolore confeſſa, ibi tum ſibi eſſe remiſſa, à reuelatione diuina cognouit. Ab eo lacrymarum profluuio ſuper niuem dealbata, vitã viuebat immaculatam inq; ſemita mandatorũ Dei progrediens, nihil eorum quæ grata ſpõſo ſuo fore ſciret omittebat. Ita fiebat, vt magis ac magis in vera humilitate, voluntaria paupertate, puritate Spiritus, in amore Dei, in ſui ipſius & omniũ rerum labẽtium contemptu, aliiſq; virtutib. proficeret, quib. placere poſſet Ieſu ſponſo, & ab eo veniam, gratiam & gloriam impetrare. Initio conuerſionis ſuæ, victum ſibi emendicabat, quippe pauper & inops. Sed in hoc ipſo amore delectabatur illius, qui cum diues eſſet, propter nos egenus factus eſt. Si ab aliquo ad ſumendum cibum eſſet inuitata, cum gratia-

rum actione illum præſumebat, quem ſibi mendicando parauerat. Non raro tum ancillas, tum alios quoſcumque admonebat, vt vitam moreſque corrigerent Sciſcitantibus ancillis vnde alimenta compararent. Torquere fuſos, &bona eſſe prędítas voluntate, ancillis Dei ſufficere, reſpōdebat. Aliquādo à matrona Alcide Villemanni ad epulum inuitata, cum in ceſpitibus conſediſſet, mentis exceſſum paſſa eſt. Sæpius intra cubiculum ſuum, ad ſex vel eo amplius hærebat hebdomadas ſoli Deo intenta, qui tum ei occulta ſapiētię ſuę manifeſtabat. Septennio toto de neceſſario ſibi ſomno non minimum detraxit: quo ſpatio multas dæmonis tentationes& moleſtias perferēs, illud dicebat: Apage miſer Satan, in infernum, in quod è ſublimi cœlo deciditi. Iſtud ille ferre nō ſuſtinens, crebro illam è locis aliis ad alia tranſtulit: nōnunquam etiā in aera ſuſtulit, ſed illęſā depoſuit, Chriſto non ferente vt ei malignus noceret. Poſt eas tentationes illa in Domino exultabat, ſciens beatum eſſe qui ſuffert tentationem: quod poſt probationem ſi ſit inuentus fidelis, accipiet coronam vitæ quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Sciens etiam neminem coronari, qui legitime non certauerit. Amabat vero pueros& infantes: idq; non ignorans cacodæmon, tranſfigurabat ſe indētidem, nō in Angelum lucis, ſed in formam pueri plangentis&lugentis, vt, ſic virginis animum à rebus diuinis auocaret. Sed illa id non ignorans, aiebat ei: Abſcede maligne dæmon: non es tu ille, quem diligit anima mea.

Solebat illa quotidie ſe exercere in vita & paſsionē Chriſti; meditanda, &commemoranda: ſed interim tamē temporibus, itemq; officiis Eccleſiaſticis ſe accōmodabat. Itaque in Aduentu Domini animo voluebat antiquorum Patrū ardētiſsima deſideria, mirabaturq; incredibilem Dei erga nos beneuolētiam, quod ad nos venire, & ex virgine naſci voluerit: quinimo etiam dignetur quotidie in animas noſtras venire, & māſionē ſibi in illis facere, modo ſermones eius ſeruemus, & fidelem ei exhibeamus ſeruitutē. Cogitabat inſuper beneficia ipſi ſpecialiter diuinitus gratuito collata, quod à Chriſto in ſponsā & filiā fuiſſet electa. Pro his &aliis omnib. ingentes Deo gratias agebat, & admirans lætabatur. In Chriſti natiuitate, ſummam eius humilitatē, extremā paupertatē, & id genus alia animo verſabat. Horum cogitatio maximā ei afferebat mentis dulcedinem, & ad laudandum Deum, ac gratias medullitus agendas excitabat. Contigit quādoq; illa in eiuſmodi meditationibus cum multa cordis deuotione & ſuauitate verſante, ſeq; paruulo Ieſu oblectante, vt eius virginea vbera tumeſcerent, lacteq; quotidie à Chriſti die natali vſq; ad Purificationis feſtum manarent.

Erat in Delphenſi virginum cœnobio, etiam Lielta illa, virgo Deo deuota. Ea Spiritu ſancto plena Gertrudi prædixit, anno elapſo fore, vt vulnera Chriſti, eius manibus, pedibus & lateri imprimerētur. Sed illa vere humilis, tanta ſe gratia indignā exiſtimans, ſic reſpōdit: *Et vnde hoc mihi, vt tāto Dei munere digna efficiar, Agnoſco ſiquidem me ingentem peccatricē, & omnis virtutis expertē. Oro itaq; ſoror mea, ne & labia tua, & aures meas hiſce ſermonibus fruſtra defatiges. Sū iā tot & tātis Dei affecta beneficiis, vt numquā ei pro dignitate ſufficiā grates exſoluere.*

STIGMATA VVLNERVM CHRISTI IN EIVS CORPORE INPRIMVNTVR.

Euenit q Lielta prædixerat. Anno enim euoluto, nocte Paraſceues aduenieute, cum ſe Gertrudis in cubiculo ſuo coram Crucifixi imagine corde attētiſsimo proſtrauiſſet, & prolixius orans, immenſam illam Chriſti charitatem cogitaret, qua voluit propter nos crudeliſſimum teterrimumq; Crucis perferre ſupplicium: totiſq; viribus eum laudaret, eiq; gratias perageret: mirifica animi deuotione& pietate perfuſa, ſingulari eaque ſtupenda gratia in manibus, & pedibus, & latere ſibi ſenſit vulnerū Chriſti notas ſiue ſtigmata impreſſa. A diuina igitur contemplatione ad ſe reuerſa, cum ad vocem clamantis Dieuuera accurriſſet, ſigna ea in vtraque manu, pedibus& latere diuinitus illi inſculpta aſpexit. Neque tantummodo illa nocte, ſed etiam clara iam die, atque item diebus non paucis ſequentibus, vt minimum vſque ad feſtum Aſcenſionis Dominicæ, ex illis vulneribus profluxit ſāguis gratiſsimi coloris, idque quotidie ſepties ad ſingulas horas Canonicas.

EX STIGMATIBVS FLVIT SANGVIS.

Eum vero cruorem Gertrudis excepit, linteolis ad eū ipſum vſum ab ea præparatis. Non potuit iſtud inſigne miraculum diutius latere. Itaque non ſolum Delphenſes, ſed & vicini circumquaque aduolarunt, cupientes rem viſere. Iſtud Gertrudi valde permoleſtū fuit, quod numeroſi hominum concurſus nimium eā impedirēt à ſpiritualibus exercitiis, & piis meditationibus, quibus in Deum rapiebatur, & mentis exceſſū patiebatur. Sciēs igitur omni homini neceſſarium eſſe timorem Dei: & in hoc niſi quis ſe contineat, cito ſubuerſum iri domum illius cōſciētię: idq; vel à carne propria, vel à mundo, vel à Satana: ſimulque reformidans ne forte placeret ſibi, & hoc ipſo Deo iam diſpliceret: nec nō animaduertens turbas ipſam viſitantiū, medium quoddam inter Deum & ipſam efficere, in hunc finē Dominum precata eſt: *Si placet tibi, bone Ieſu, oro vt hæc vulnerā ſtigmata aboleātur in corpore meo: ne forte ſeparer à te, ſi incipiā inde mihi cōplacere, aut aliis inſidiis inimicus appetar.* Exaudiuit vero eam Dominus, ita vt ſāguis quidem ex vulneribus non manaret, ſed tamen notæ vulnerum vſque ad ſupremum eius vitæ diem remanerent.

EIVS HVMILITAS.

At vero poſtea circa cor, omni ex parte magnos ſēſit dolores. Cogebatur enim carere iam illa ſuauitate, quam perſenſerat cum ex eius vulneribus ſanguis efflueret. Magno igitur cœpit ęſtuare deſiderio illa vulnera recuperandi, inque eiuſmodi voces erupit: *O ſi mihi dulciſsimus ſponſus meus Ieſus Chriſtus dignetur vulnera ſua reſtituere: O ſi cōtingat mihi iterum cruēta illius vulnera viſibiliter ferre in corpore. Nō, nō amplius poſtulabo, vt ea mihi auferat. Mallem enim in ſublimi loco ab omnibus conſpicienda reponi, vt cuncti ea diuinæ benignitatis monimneta in me indigna cernerent, & præpotentem DEVM collaudarent.*

Poſt ea accepta vulnera, Gertrudis, fere decem&octo annos ſuperuixit: ſed adeo imbecillo corpore, vt templū aditura, bis terue in itinere quieſcere cogeretur. Quamquam autem corpulentior fuerat, cibo tamen & potu parciſsime vtebatur, nec niſi panem aut mucidum, aut induratum comedebat. Accidit aliquādo, vt deſiderio panis recentioris & caſei teneretur: cum Deus ruſticum quemdam permouit, vt ſumpto pane & caſeo Delphos proficiſceretur, neſciens quo, & cui ea ferret. Cum iuxta cœnobium ſanctimonialium veniſſet, Gertrudis in Spiritu id cognoſcēs, licet hominem non noſſet, neque ab eo cognita eſſet, accerſiuit Dieuueram, vtq; panem & caſeum à ruricola allatum acciperet dixit. Iuit illa continuo, & hominē ad fores cœnobii panem & caſeum ferentē cernens illi ait: Amice, iam te noueris eo perueniſſe, quo Deo volente pergebas. Tradidit ruſticus obſonia, quæ detulerat: ex quibus Gertrudis deguſtans, diuinam beneficentiam collaudauit.

MIRA EIVS ABSTINENTIA.

Habuit vero Gertrudis etiam prophetiæ donum. Anno ſalutis milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo, Imperatrix cum filio ſuo Duce Willelmo apud Moſam prælium commiſit. Sentiens a. in Spiritu Gertrudis periculum quod tum imminebat (erat vero per id tempus, cum ſororib. in vrbis tēplo) toto corpore ſe proſternens, hortabatur ſorores vt orarent: *Iam enim*, inquit, *prælium ad Moſam committitur, & orandi tēpus eſt.* Paulo poſt prælio commiſſo, ait ad virgines: *Laudemus Dominum, ſorores meæ: noſtris enim ceſſit victoria.*

CLARET PROPHETIÆ DONO.

VNA.

Sanctimoniales quædam recens conuerſæ, quodam tempore in templo cum multa contritione peccata ſua lugebant. Nouerat hoc Gertrudis in Spiritu, eaſq; domum reuertentes, hunc in modum conſolata eſt: *Et ſi, ſorores meæ, mala vita veſtra Dominū grauiter offendiſtis: ſed ſi peccata veſtra lachrymis dilueritis, & ad breue tēpus nūc vos*

ALTERA.





*angoribus dederitis: ego verbis omnipotentis Dei affirmo vobis, nunquam vos damnatum iri.* Sedens aliquando in ſuo cubiculo, ſenſit commune patriæ impendere exitium, ex nimia Rheni inundatione. Itaque cum Monialibus ad Dominum deprecandum ſe conferens, Crucis in modum humi proſtrata, periculum illud auertit.

ALIA.

Venit quandoque ad eam viſendam fœmina quædam, Elizabetha nomine, quæ alioqui eam frequenter adire conſueuerat, veſtibus cultioribus induta, & vita ac moribus ſæcularis. Ei ergo ſciſcitanti, quo pacto poſſet cœlorum regnum obtinere, ſic Gertrudis reſpondit: *Crede mihi, veniet ille dies, quando & tu mundo crux eris, & ille tibi.* Neque prædictio vana fuit. Nam poſtea illa vſque adeo paralyſi diuexata fuit, vt claudicans & ſcipionibus innixa incederet.

ALIÆ EIVS PROPHETIÆ.

Nouerat etiam Gertrudis occulta poſt futura; vti Nicolaus Hondepilius, qui ei à ſacris confeſſionibus fuerat, reipſa expertus eſt. Erat is Sacerdos ſingulari pietate, veteris Eccleſiæ Sacellanus, adeo paupertatis amans, vt cum eſſet extra notos & cognatos, oſtiatim panis fragmenta emendicaret; dignus plane, cuius conſiliis & inſtitutione Gertrudis ad virtutes capeſſendas informaretur. Cum igitur aliquando cum ipſa virgine Gertrude loqueretur, de Magiſtro Theodorico de Renen, per id temporis hoſtibus reconciliato, ſub finem ſermonis Gertrudis ait; eum ab hoſtibus trucidatum iri. Admirante Nicolao, & dicente, eum cum hoſtibus in gratiam rediiſſe; illa repetiit, ſic omnino futurum eſſe, idque propediem. Et ecce Theodoricus paulo poſt extra portas vrbis Delphēſis progreſſus, hoſtium inſidiis interceptus, tantaque immanitate ab illis peremptus fuit, vt membra eius collecta in ſportulis domum relata ſint. Quod vbi comperit Nicolaus, deinceps maiori in pretio habuit, quæ à Gertrude dicerentur.

Volebat ille poſtea in Delphenſi oppido domum ſibi comparare. Sed cum id Gertrudi indicaſſet, illa diſſuaſit, prædicens fore, vt breui tempore, viliſſimo pretio domos offenderet. Id quod factum eſt, cum poſtea ea vrbs obſidione premeretur: quo quidem tempore Gertrudis iam è viuis exceſſerat.

Aleidis VVillemanni matrona nobilis, valde metuens extremum illud horrendumq; Chriſti iudicium, pœnaſque ſempiternas, ſæpe veniebat ad Gertrudem, orabatque, vt precibus ſuis impetraret ipſi gratiam à Domino, ne cum impiis damnaretur. Ea ipſa aliquando ingreſſa eſt cubiculum, vbi Gertrudis erat in contemplatione ſuſpenſa. Cumque tandem ad ſe rediiſſet, magna voce ait ad Aleidem: *En ego tibi affirmo, per Dei gratiam & miſericordiam, te ab æterna damnatione fore immunem.* His verbis Aleidis non immerito magna ſe ſenſit conſolatione affectam, egitque gratias Deo pro miſericordia eius ſingulari. Maritus Aleidis petiebat, idem quoque ſibi diuinitus impetrari. Cæterum Gertrudis ſapienter reſpondit, ſe id illi promittere non poſſe, niſi prius à diuina reuelatione edoceretur.

EIVS OBITVS.

Cum autem iam annos non paucos, inter Sanctimoniales, in feruore, & vitæ duritia & ſeueritate haud vulgari, egiſſet Gertrudis, ad eam peruenit diem, qua erat itura ad ſponſum cœleſtem, de quo ſolebat & loqui ſuauiter, & pie meditari, & dulciter decantare. Itaque ſacroſanctis munita myſteriis, ad ſodales ait: *Sorores meæ, ego iam in domum meam proficiſcor.* Illis exiſtimantibus præ morbi vehementia ſic eam loqui, dicentibuſque ipſam domi eſſe; rurſum ſana mente ait: *Nequaquam ſum domi, ſed illic volo eſſe, vbi plateæ ſternuntur auro mundo.* His dictis, paulo poſt ſpiritum ſuum Deo commendans, in pace obdormiuit, videbanturque in manibus eius defunctæ digiti tanquam eburnei. Obiit decimo octauo anno poſtquam ſacra ſtigmata recepiſſet, ſcilicet à Chriſto nato M.CCC.LVIII. ipſo ſancto die Epiphaniarum. *Surius Ianuar. 6. tom. 7.*

XXVI. OBITVS F. MATTHÆI VRSINI CARDINALIS ET EPISC. SABINEN. EX ORDINE PRÆDICATORVM

Hoc ipſo anno, diem clauſit extremum, æterna memoria longe digniſſimus, F. Matthæus, Franciſci Neapoleonis Vrſini Cardinalis S. Luciæ in Silice ex fratre nepos, Vrſinus, Romanus, Ordinis Prædicatorum Theologus, ex prouinciali Romano Epiſcopus Agringentinus, poſtea Archiepiſcopus Sipontinus, deinde presbyter Cardinalis SS. Ioannis & Pauli tituli Pammachii, & ad extremum Epiſcopus Sabinenſis. Fuit vir litteris haud mediocriter eruditus, religione conſpicuus, ſolers & prudens in rebus agendis. Multo tempore, eo quod inter Doctores lauream obtinuerat, Sacras literas adhuc ſæcularis docuerat. Canonicatum Eccleſiæ Sancti Stephani in Gallis nactus, cum iuri Pontificio operam daret, Prædicatorum Ordini ſe addixit. Sub Dominicanorum inſtituto, cum & ſanctitatis & doctrinæ, & integritatis laude præſtaret, Theologiæ Magiſtris adnumeratus, Ramiſiis, & Florentinæ, ac deinde Pontifice Ioanne vigeſimo ſecundo iubente, ac ſtipendia impendente, Romæ ſacras litteras ingenti cum gloria interpretatus eſt. In pluribus ſui Ordinis, tam prouincialibus, quam Generalibus Comitiis, Definitoris quem vocant titulo præſidens, ad propagationem Religionis multum operæ contulit. Romanæ Prouinciæ à Patribus prælatus, eam ſanctiſſime adminiſtrauit. In eo munere, graui & à medicis deplorata ægritudine correptus, per miraculum prodigioſe conualuit. Eius virtutum fama Ioannes Pontifex permotus, Epiſcopum Archiepiſcopum & Cardinalem diuerſis temporibus creauit. Emit Cardinalis factus, in territorio Bononienſi agros plurimos, pro ſtudiorum amplificatione; & hac conditione cœnobio credidit Sancti Dominici, vt annuatim quandam pecuniæ ſummam, patres Prædicatores in quædam pia opera impenderent, & ad Synodum Generalem habendam, perpetuo nonnullas pecunias tribuerent. Eius rei cauſa Ordo Prædicatorum in Capitulis Generalibus, perpetuam Matthæi commemorationem facit. Obiit Auinione ad decimumquintum Kalendas Septembris. Corpus Romam relatum, in Sacrario Cœnobii Prædicatorii ſuper mineruam, in arca marmorea candida, vna cum oſſibus Beati Latini Cardinalis Vrſini, conditum eſt. Patres eius Monaſterii, inter Beatos Matthæum quoque referunt, & miraculis claruiſſe tradunt. Paulo antequam Matthæus, in viuis eſſe deſiiſſet, mortalitatis & pietatis memor, teſtamentum condidit, & inæſtimabilem fere ſupellectilem auream & argenteam, tum innumerabilem pecuniam, in vſus pios aſſignauit; exemplo reliquis Eccleſiæ proceribus, ne canibus Palatinis, panem egenorum derelinquant *Ciacconus in Ioanne 22 Leander de viris illuſtr. Ordin. Prædic.*

QVALIS IN VITA FVERIT.

# IESV CHRISTI
## Annus 1341.

## BENEDICTI PAPÆ XII.
### Anno 7.

I. STVDIVM BENEDICTI PRO CONCILIATIONE PACIS INTER ANGL. ET GALL. REGES.

INduciis inter Philippum Gallorum & Edouardum Anglorum Regem anno ſuperiore pactis, Benedictus nihil magis ſub tempus earum curabat, quam pacem ex integro inter illos componere. Itaque huic rei duos Cardinales etiam hoc anno in Angliam miſit: quorum opera ac diligentia rurſus induciæ ad triennium conſtitutæ ſunt: vt interim vterque ad Romanum Pontificem Legatos ſuos tranſmitteret, quo ille tandem controuerſiam eorum explicaret & expediret. Viſuntur aliæ ad Benedictum Edouardi litteræ,

quibus iterum ſignificat, ſe non praua aliqua animi cupiditate, aut regnum iniuſte ampliandi libidine, ſed cauſæ ſuæ iuſtitia & æquitate ductum, Gallo negotium faceſſere. Aſſeruantur & Benedicti Pontificis ad Edouardum, monitoriæ, ad concordiam ex animo amplectendam. Sed & Ludouicus Bauarus iam Philippo Gallo conciliatus, datis literis Edouardo ſuadebat, vt arma deponeret, & Pontificis, vel ſuo etiam arbitrio totum negotium committeret. Se maxima ſpe niti, poſſe rationes componendarum omnium diſcordiarum inter eos inueniri. Viſus eſt non æquo animo Edouardus ferre, eam Ludouici à ſe ſeceſſionem, & cum Philippo conſenſionem. Quamobrem queſtus viri ſiue perfidiam, ſiue inconſtantiam, non eius, ſed Sedis Apoſtolicæ iudicium cum Philippo poſtulauit. *Manuſcript. Bibliothec. Vatican. de rebus Anglic. Thomas Valſing. hiſtoriar. Anglic.*

II. MEDIOLANENSES AD OBEDIENTIAM SED. APOSTOL. REDEVNT ET A CENS. ABSOLVVNTVR.

Quanquam autem Ludouicus Philippo Galliarum Regi conciliatus fuiſſet, ad Imperium tamen aſpirabat, & non tantum in Germania, verum & in Italia res occulte miſcebat. Mediolanenſes Luchinus & Ioannes Vicecomites, qui pro illo ſteterant, diris ab Ioanne & Benedicto Pontificibus ſummis percuſſi: donec hoc anno exemplo aliarum Vrbium ad mentem rediiſſent, & Nuncios, Guillelmum Calicem, Leonem Dugnanum, & Maximum Sanſonem, Auinionem ad Sedem Apoſtolicam deſtinaſſent. Hi in conſeſſum Purpuratorum admiſſi, coram Benedicto culpam confeſſi, intercedente Vercellino Vicecomite, à cenſuris abſolutionem, & Sacrorum vſum, ex decreto Concilii obtinuerunt: cum in ſe, principum nomine recepiſſent, duo Oratoria titulo Diui Benedicti Abbatis, alterum in Ambroſiana, alterum in Diuæ Deiparentis Baſilica extruere, ornare, ditare, Sacerdotia perpetua in eis inſtituere; eaque ſolennitate anniuerſaria Diui Benedicti ſolemni ſacro vna cum Vrbis Præſide & Senatu Populoque Mediolanenſi intereſſe; Necnon duobus millibus pauperum, panes ſingulos duodecim vnciarum, in ſingulos egentes perpetuo diſtribuere.

ALIA CAVSA CVR VICECOMITES EXCOMMVNICATI FVISSENT.

Erat & alia cauſa, ob quam Vicecomites, anathemate fuiſſent percuſſi. Superioribus enim annis Ioannes Vicecomes, Bononiam, Pontificii iuris vrbem, in poteſtatem redegerat. cum Thaddæus Pepulus vir nobilitate opibuſque inſignis, qui patriæ libertatem inuaſerat, Pontificiis oppugnatus armis, ab Ioanne matura ope implorata, validiſque Inſubrum auxiliis defenſus eo demum deſcendit, vt acceptis Crepacorio Nouantulaque caſtellis, ac multo inſuper auro, patriam vendere quam ſuſcepti principatus nomen tueri mallet. Ea vrbe occupata Ioannes finitimis terrori eſſe cœperat, vſque adeo vt Florentini antiquæ iniuriæ, & Veneti recentis acceptæ cladis memores, Pontificiis copiis vires adderent, initoque cum Pontifice fœdere, confeſtim impetrarent, vt dirum illud religionis telum interdicendis ſacris in Ioannem & Luchinum vibraretur. Miſit ex ſententia Sacri Senatus, Pontifex Guillelmum Griſantem Legatum, qui poſtea Vrbani quinti deſumpto nomine Eccleſiæ præfuit; qui cum Mediolanum veniſſet, tranſegit, vt Ioannes Pontificatum Mediolanenſem, Luchinus vero tamquam beneficiario iure conceſſam à Pontifice Vrbem, titulo Vicarii retineret, & quotannis ſexaginta pondo auri tributi nomine ſoluerentur.

IOANNES VICECOMES CREATVR ARCHIEPIS. MEDIOL.

Neque obiter prætermittendum videtur ſuperbi Ioannis factum, quo Pontificium imperium magnifacere quidem in ſpeciem, reuera autem eludere viſus eſt. Cum enim paulo ante id tempus à Pontifice expetentibus Florentinis Auenionem, ſub anathematis pœna citaretur, lætiſſima fronte reſpondit, ſe eo vti fidelem dictoque parentem ſeruum deceret, inſtructa mature profectione, venturum: vt præſenti obſequio prouolutus ad pedes ſacroſanctum Pontificem veneraretur.

FASTVS IOANNIS ARCHIEP.

Cæterum Legatos præmiſit, qui per omnes Vrbis regiones ampliſſimas domos, perſoluta eius anni penſione conducerent, ingentemque omnis generis commeatus copiam compararent, qua numeroſus comitatus aleretur. Porro Quæſtor multa onuſtus pecunia, adeo in id profuſe operam impendit, vt & mirum in modum annona in foro creſceret, & peregrini negocioſique homines ex omni Europa Auenionem ad Pontificiam aulam confluentes, nullum omnino tectum aut hoſpitium, Inſubri omnia occupante vacuum reperirent: & propalam populus, & inquilini, de annonæ caritate quererentur. Quibus vocibus permotus Pontifex, Mediolanenſes Legatos cuncta prodige coementes vocauit, & cauſam quæſiuit, cur tantum commeatus accumularent, totque paſſim ampliſſimarum ædium hoſpita inani ſumptu ad querelam publicam conducerent? Cum Legati ita parare ſe iuſſos à Ioanne Vicecomite reſpondiſſent, qui ſeptem millia armatorum equitum, totidemque peditum, præſidii & comitatus cauſa ſit adducturus: Intellexit illico Pontifex, quo rerum ſuarum periculo, Ioannes tantis inſtructus viribus eſſet expectandus; leniterque ſubridens, tanti itineris laborem, Præſuli tamquam occupato, & præclare Pontificii nominis ſtudioſo benigne ſe remittere, dixit: cum is etiam adeo ſe demiſſe per Nuncios coram ſuprema ſede geſſiſſet. Cum Legati dimitterentur, honeſtiſſimis viris virtutis nomine, aut parum ditibus, conductas domos gratuito conceſſerunt; ita vt commeatum quoque omnem, aut ſacratis cœnobiis, aut è plebe miſeris & egentibus largirentur: tanta cum laude, vt nemo eſſet, qui Ioannem non dignum eſſe adminiſtratione Eccleſiæ Mediolanenſi iudicaret.

III. VICARIOS DIVERSIS ITALIÆ VRBIBVS IMPONIT BENEDICTVS SVB ANNVO CENSV.

Ita quidem tunc Benedictus, Ioanni Archiepiſcopatum, Luchino autem titulum Vicarii Mediolanenſ. permiſit: cum etiam hoc anno Placentiæ, Laudæ Pompeiæ, Cremæ, Carauagii, Martinenghii, Caſtro Nouo, & Brucaduæ, Vicarios impoſuiſſet, qui Cameræ Apoſtolicæ pro feſtiuitate Petri & Pauli Apoſtolorum, decem millia nummum aureorum perpetuo dependerent. Vicecomitibus Sedi Apoſtolicæ conciliatis, & Mediolanenſes, Bergomates, Papienſes, Nouarienſes, Cremonenſes, Vercellenſes, Comenſes, Bobienſes, Soncinates, SanDomniani, vna cum reliquis propter communionem cum Vicecomitibus, à communione piorum excluſis, à cenſuris exſoluti ſunt; fere eadem conditione, qua ipſi Vicecomites. *epiſt. Benedict. hoc anno. Corius hiſtor. Mediolan. parte 3. Paulus Iouius in Ioanne. Bonincontrius in annalibus. Bardus in Chronolog.*

IV. ROMANIS FACVLTATEM ELIGENDI SENATOREM CONCEDIT.

Hoc ipſo anno Benedictus Pontifex, Romanis conceſſit, vt Senatorem vnum aut alterum vrbi deligerent, qui ad ſex menſes tantum iuri dicundo, & publicis rebus adminiſtrandis præſiderent. Præpoſuerunt illi Vrſum Comitem Anguillarium, & Iordanum de filiis Vrſi: qui ad Quintum Idus Aprilis Franciſcum Petrarcham natione Ethruſcum, poſtquam & Auenione Summo Pontifici, & Neapoli Roberto Regi Hieruſalem ac Siciliæ doctrinam ſuam probaſſet, ac vtriuſque calculos promeruiſſet, laurea poetica in Capitolio Vrbano, præſente Senatu Populoque Romano exornarunt. Extat diploma laureationis illius in Manuſcript. Vatican. *numer. 4999.*

PETRARCHA LAVREA DONATVR.

V. LEGATIONEM REGIS CASTELLÆ EXCIPIT BENEDICT. PP.

Eodem anno, Alfonſi Caſtellæ Regis, à victoria de Rege Marrochitarum recens parta exultantis, Ioannem Martini Leyuam Nuncium, Benedictus audiuit, ac munera regia, quorum ad finem ſuperioris anni meminimus, recepit. Cæterum, quod intelligeret Saracenos collectis viribus, Luſitano Regi velle ar-





ma inferre, Archiepiſcopo Bracarenſi, qui nomine Apoſtolicæ Sedis ſacrum bellum indiceret, ſubque crucis ſigna Chriſti fideles congregaret, iniunxit: cum etiam Regi omnium reddituum Eccleſiaſticorum decimas in regnis Portugaliæ & Algarbii, ad duos inſequentes annos conceſſiſſet. In inſulis, Sardinia & Corſica, exdecimationem ſex annos, ad ſubſidia belli ſacri, ex Concilij Viennenſis decreto impoſita, necdum omnia fuerant ex fide exacta, quod plurimi conſanguineorum per abuſum, in bona demortuorum Epiſcoporum & Prælatorum inuaderent, atque ea ſibi per ſcelus vſurparent. Hæc vt Pontifex in libertatem vindicaret, & à reliquatoribus decimas vſui ſacro aduerſus Saracenos exigeret, Nuncium in eas Inſulas ablegauit; poteſtatem illi vtriuſque rei conficiendæ ampliſſimam fecit. *epiſt. Benedict. hoc anno 143. 145.*

NVNCIVM IN SARDIN. ET CORSIC. CONTRA VSVRPATORES BONORVM ECCLESIASTICORVM ABLEGAT.

VI. LEGATIO REGIS POLON. AD BENEDICT.

Ioannem quoque Epiſcopum Cracouienſem, & Niemiram Nobilem Polonum, Caſimiri Regis Poloniæ Oratores benigne accepit. Per id temporis Rege, coram Gallardo de Carceribus Titulenſe Præpoſito diœceſis Colocenſ. & Petro Geruarii Canonico Anicienſe, Sedis Apoſtolicæ Commiſſariis; Theodoricum Aldeburgium Magiſtrum & Fratres Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum, ingratitudinis, iniquitatis, & rapinarum ac cædium, necnon aliorum grauiſſimorum ſcelerum accuſante, ijdem ipſi Commiſſarii poſt multas iuris & facti inueſtigationes, Cruciferos, Pomerania, Dobrinenſi & Cuiauienſi prouinciis per ſententiam definitiuam, velut iniuſtos occupatores exigendos eſſe decreuerant; nec non mulctæ nomine, pecuniarum non modica ſumma damnauerant; vt eam Regi numerarent imperantes. Ea iudicum ſententia, vt in perpetuum Apoſtolico decreto approbaretur, Caſimirus, per Oratores, Benedictum poſtulabat. Porro, cum illam Pontifex cenſuræ quorundam Cardinalium ſubieciſſet, & Cruciferis metuentibus ſibi aurem benigniorem dediſſet, Guillelmo tituli Sancti Stephani in Cœlio monte Cardinali commiſit, vt cum Regis ac Cruciferorum Nunciis Auenione præſentibus ageret, ſi quo modo Regem inter, & Cruciferos concordiam ſtabilire poſſet.

FOEDVS INIT REX POLONIÆ CONTRA CRVCIGEROS.

Non valde grata fuit Caſimiro, ea in cauſa tam iuſtiſſima Pontificis dilatio. Quamobrem, vt Cruciferos Germanico milite feroces, refrenaret; Ioannis Boëmiæ Regis affinitatem petijt. Pragam profectus, deſpondit ei Ioannes Rex Boëmorum filiam ſuam Margaritam à Palatino Rheni defuncto viduam relictam, icto contra quoſuis hoſtes fœdere. Cum autem ea ex dolore in morbum incidiſſet, & interim defuncta ante nuptias eſſet, fœdus quidem cum Ioanne & Carolo eius filio Marchione Morauiæ, ea lege Caſimirus confirmauit, vt Ioannem in loco patris, Carolum vero in loco fratris vterini haberet; & auxilia ab eis aduerſus Cruciferos ſi res illi nouarent, exſpectaret: ipſe quoque aduerſus quoſuis eorum hoſtes, excepto Rege Vngarorum, & Boleslao Duce Suidnicenſium (quos Caſimirus excipiebat, ſi eis Boemus bellum faceret) arma ferret. Hoc autem ita conſtituto, vxorem duxit Caſimirus Adleidam, ſiue Heduigim, Henrici Heſſorum Landgrauii filiam. quæ cum eſſet deformior, mox eam deſpicatui habere cæpit; & concubinarum, quas pluribus in locis alebat, amoribus & illecebris captus atque faſcinatus, quo maiore licentia libidinibus indulgeret, ſegregatam à ſe in Carnouecenſem arcem relegauit, adeoque iram Numinis, & Summi Pontificis in ſe prouocauit. *epiſt. Benedict. hoc anno. Henricus Redborf, in annalibus. Cromerus de rebus Polonorum lib. 12.*

CASIMIRVS REX POLONIÆ ADVLTERIIS SE FOEDAT.

VII. NANKERVS VVRATISLAVIEN. EPIS VENENO EXTINGVITVR OB DEFENSIONEM IVRIVM ET BONORVM ECCLESIAST.

Eodem anno, Nankerus Vratislauienſium in Sileſia Epiſcopus religioſiſſimus, & continentiſſimæ vitæ, veneno, vt creditum fuerat, extinctus eſt, à Rege Ioanne Boëmiæ. Eripuerat is Eccleſiæ Vuratislauienſi caſtrum Mielicz, plurimiſque incommodis, damnis, ac iniurijs Eccleſiaſticos affecerat. Propterea anathemate à Nankero percuſſus, cum furiis aduerſus iuſtum agitaretur, Nankerus autem & cenſuras contra raptorem ingeminaret, & Sacra Vrbi ac diœceſi interdixiſſet, & profanos Sacerdotes Sacra celebrare præſumentes execraretur, per ſummum ſcelus potione mortifera ſublatus eſt. Maxime doluit Benedicto, ea Epiſcopi mors indigna. Quamobrem, cum diras in auctores & ſocios ſceleris protuliſſet, & calamitatem Eccleſiaſticorum ſublenare vellet, Prædislaum Pogorelecium, gente Grimalium, Bononiæ tunc ſtudijs doctrinæ vacantem, ſucceſſorem Nankero dedit. Hic paulo poſt, cum Ioanne Boemorum Rege, de iniuriis Eccleſiæ Vuratislauienſ. Pontifice Maximo arbitro tranſegit. De Nankero refert Matthias Miechouienſ. Cracouienſ. Canonicus, quod fuerit plenus bonis operibus; quodque in morte eius quædam religioſa fœmina ſuauiſſimum audiuit cantum. Cui reuelatum eſt, animam Nankeri Epiſcopi Vuratislauienſ. ab Angelis in cœlum deferri. Fertur ſubordinatione Ioannis Regis & Comitis de Luczembergh veneno propinato mortem violentam incidiſſe. Fertur quoque hic Epiſcopus miræ deuotionis, ac magnæ abſtinentiæ fuiſſe. Miſſas quotquot legi poterant in Eccleſia, in qua aderat, audiuiſſe, & ad quamlibet earum ſpecialem oblationem obtuliſſe. Fertur etiam ſingulis annis, certam ſummam pecuniæ, Vicarijs Eccleſiæ Cracouienſis, pro annua ſtrena (vulgo columbatione) Vratislauia miſiſſe. *Miechonius libro quarto cap. vigeſimo tertio rerum Polonic.*

QVALIS FVERIT NANKERVS.

VIII. OCCIDITVR ALIVS EX ORDINE PRÆDICAT. PRO DEFENSIONE FIDEI.

Occidit etiam tunc, pro defenſione Fidei, & Sacrorum, Fr. Ioannes Suenckefeldius Suidnicenſ. Inquiſitor hæreticorum Vratislauienſ. Ordinem Prædicatorum profeſſus. Rege Ioanne ad eum quem diximus modum, in Epiſcopum Nankerum & reliquos Eccleſiaſticos debacchante, perſuaſerat è proxima Bohemia, Petri Ioannis Piranenſis, (qui poſtea, ex ſententia Clementis VI. Pont. Max. exhumatus, & flammis exuſtus fuerat) Vuratislauiam impius error, infandaque hæreſis contra Eccleſiam Catholicam, eiuſque ſacros Hierarchas. Namque coniuente Rege, præter alias blaſphemias, in compitis & circo, profani homines ſuggeſtibus excitatis, Babylonis, magnæque meretricis nomine, intelligendam eſſe Catholicam Romanamque Eccleſiam contendentes, illam etiam Eccleſiam carnalem, beſtiam, & Satanæ Synagogam, Summum vero Pontificem Antichriſtum vocabant. Præter hæc Animam rationalem, qua rationalem, humani corporis eſſe formam negabant. Apoſtolos, nonniſi ſecundum literalem, non vero iuxta ſpiritualem ſenſum, Euangelium prædicaſſe docebant. In Baptiſmo, neque gratiam, neque virtutes Theologicas infundi affirmabant. Chriſtum, adhuc viuentem, lancea perforatum eſſe blaterabant. Super omnia vero, Eccleſiaſticos, cane peius & angue oderant, & quibuſuis iniuriis impune poſſe affici publicabant. Ex his cerdonum aliquis, apud Vuratislauienſes dignitatem Conſularem, per id temporis adeptus, auſus eſt, & ipſe exedra in publico erecta, in poteſtatem Pontificiam debacchari, & alios petulantes plurimos, in omne ſcelus effuſos, aduerſus Clerum magis irritare, & facinus Ioannis excuſare voluerat. Extant in archæo Cænobij Cracouienſis SS. Trinitatis, (ex quo hæc certiora quam alibi de nece, & cauſa, ac modo necis, Ioannis Inquiſitoris accepimus) inuectiuarum ſeu calumniarum, contumeliarum & blaſphemiarum ſcripta monumenta, quibus impij & profani, impiarant profanarantque aures innocentum. His cum ſe Ioannes Inquiſitor, pro ſuo munere iuxta ac Zelo oppoſuiſſet, & vna feſtiuitatum, in conferta populi multitudine, in platea publica, malignantium dolos re-

HÆRESIS NEFANDA VVRATISLAVIÆ REGE IOANNE DISSIMVLANTE.

texiſſet, malitiamque ſuffudiſſet aduerſariorum, ac proinde apologia pro ſacris rebus, & ſacratis viris dicta, eo rem adduxiſſet, vt pro conciliando Rege, & pro ſacris vrbi reſtituendis, proque toto negotio conficiendo, Pragam à Clero, Senatu, Populoque Vratislauienſi meliore mitteretur: Pragam veniens, in conſpectum, ac colloquium Regis adductus, menſaque Regia ſemel dignatus, vbi ſpem, totius controuerſiæ ex ſententia animi componendæ feciſſet, mortem violentam ſubiuit. Duo ſicarij, ab hæreſi infectis quibuſdam Senatoribus Vuratislauienſibus pretio conducti, mane poſt conuiuium Regale, ad S. Clementis, vbi tunc Ioannes Inquiſitor diuerſabatur, venientes, per ſpeciem ſecretioris confeſſionis faciendæ, Ioannem ex cubiculo ad Clauſtrum euocarunt, ſeductumque in partem, gladiis & pugionibus, primo ictu in mamillam ſiniſtriorem, altero in ſcapulam, reliquis in reliquas partes corporis datis, confoderunt. Ad vocem exclamantis, Fratres Prædicatores accurrentes, iſtud præter alia, teſtimonij à moriente audierunt; ſe pro Fide Catholica, proque veritate & iuſtitia cæſum innocentem eſſe, indicioque fore poſterioribus ſæculis, veſtem nigram ſuperiorem, quam Dominicani Cappam vocant, nunquam à tineis corrumpendam, *ex MS. Conuentus Cracouien. vitæ B. Ioannis Inquiſitoris.* Anno ſalutis noſtræ M.DC.VII. nos eam veſtem ictibus confoſſam, ſanguineque recenti aliquot locis non tam deformem quam illuſtrem, & vidimus, & multis ex Clero Vuratislauienſ. oſtendimus, adeo integram, vt quaſi biennio ante, conſarcinata fuiſſet. Eam Epiſcopi mortem, & Inquiſitoris cædem, habuit quod Benedictus anathemate vlciſceretur. *ex re ſubiecta oculis & Miechou. ſupr.*

MIRACVLVM DE VESTE OCCISI.

IX. LEGATIO REGIS ARMENIORVM AD BENEDICT.

Hoc ipſo anno, Benedictus Pontifex, Fr. Danielem Ordinis Minorum, & Thoroſium Ioannis nobilem, Leonis Regis Armeniorum Nuncios, in publico Patrum conceſſu audiuit. Poſtulabant nomine Regio, ſubſidia bellica, aduerſus Saracenos, à quibus grauiſſimis iniuriis afficiebantur Chriſtiani Armeniorum, adeoque vehementiſſime opprimebantur. Non poterat eis commodum Pontifex reſpondere, ægritudine diuturniore confectus. Interim à teſtimonio aliquorum omni exceptione maiorum, & à lectione nonnullorum librorum Armeniorum, tam minoris quam maioris Armeniæ Chriſtianos pleroſque cognouit, erroribus aduerſus Fidem Orthodoxam hactenus eſſe infectos.

ARMENIORVM HVIVS TEMPORIS ERRORES, CALVINIANIS OMNINO PERSIMILES.

A Iacobo Zanzalo, & ab Euchario Mantacune, quemadmodum Nicephorus auctor eſt, eas hæreſes exhauſerant, & mordicus retinebant: viam Caluiniſmo præſtruentes. Nam vix ouum ouo tam ſimile, quam errores illorum Caluinianis. Ad libellam vtroſque, *Gualterius Societ. Ieſu* doctiſſimus Theologus, compoſuit. Placet à viro erudito, in ſuffuſionem Caluiniſtarum mutuatos, iſthic proponere.

Primo, Armeni, Deum mendacii inſimulabant. Caluiniani autem, non mendacium tantum, ſed omnia omnino Dæmonum, hominumque flagitia Deo adſcribunt; & quidem vt primariæ, imo vt vnicæ cauſæ. Deinde, nullius eſſe momenti aiunt, vt quis credat vera eſſe, quæ vtriuſque teſtamenti paginis continentur. Præterea iactant, Fidem errore ſemper permixtam eſſe, docti nimirum à Caluino, qui hæc lib. 3. Inſtitut. cap. 2. §. 9. 10. prædocet. Quando enim, inquit, Fides diuina reuelatione nititur, hanc etiam neceſſe eſt fraudi obnoxiam eſſe; ſic errore fides ipſa nunquam vacat. Denique, cum ex ſententia Caluini affirmant, Eccleſiam non modo errare poſſe, ſed etiam erraſſe ſæpius; nihil aliud inferunt, quam neceſſe eſſe Chriſtum ipſum adeoque Spiritum Sanctum, à fraude & mendacio alienos non eſſe. Neque enim ambigi de Chriſti verbis fas eſt, quibus ſe promiſit Eccleſiæ vſque ad conſummationem ſæculi affuturum, & ipſum Patris Spiritum in Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus loquuturum.

Secundo, Armeni, Spiritum Sanctum à patre ſolum, non item à Filio procedere aiebant. Peiores his Caluiniſtæ, qui ipſam Filij & Spiritus Sancti proceſſionem omnino interimunt. Cum enim Caluinus abneget Filium à Patre, & Spiritum Sanctum ab vtroque eſſentiam accipere, proceſſionem ipſam neget neceſſe eſt; quæ aliud nihil eſt, quam eſſentiæ receptio; vt & productio, eiuſdem eſſentiæ communicatio eſt.

Tertio, aſſerebant, Chriſtum Dominum Sabbatho poſt Paraſceuen à mortuis ſurrexiſſe, hora diei ſexta: tametſi Scripturæ non obſcure ſignificent, & Chriſtus ipſe id tanto ante ſuis promiſiſſet, die tertia ſurrecturum. Qui ſane ſi culpa non vacant, quod in vna Reſurrectionis circumſtantia errarint; certe Caluinum nemo ferat, qui reclamante Eccleſia vniuerſa, & Patrum conſenſu, Chriſtum negat è tumulo penetrato lapide exiiſſe; & eo vſque prorumpit audaciæ, vt dicat ipſi aliquid ad perfectam reſurrectionis gloriam defuiſſe.

Quarto, Iudaico ritu ſacrificabant cæſis bobus, & agnis; & Paſcha non iam Dominico corpore, ſed agno toſto celebrabant. Neque vero amplius, aut melius habet popina Caluiniana. Adde quod deterius eſt, incruentum Sacrificium omnino tollere de medio, quod Caluiniani, & reliqui Nouatores faciunt; quam, quod Armeni, Sacrificiorum veterum vmbras quaſi poſtliminio reuocare.

Quinto, Cruci nullum prorſus honorem habebant; quin eam prius humano ritu baptizaſſent, & in eius centro clauum defixiſſent: qua ſcilicet cerimonia ſignificarent, vnam è ſanctiſſima Trinitate perſonam ligno adfixam; prætereaque ſanguine ſacrificalis agni inunxiſſent. Plenum hoc quidem fatuitatis. Cæterum, non amplius ſapiunt Caluiniani, qui Cruci ſanctiſſimæ, omnem penitus cultum, reuerentiamque ademerunt.

Sexto, Humano arbitrio peccatum nullatenus adſcribebant, ſed ſoli Dæmonum impugnationi; ſine quibus peccatum nullum fore contendebant. Deterius Caluiniſtæ, qui arbitrium deſtruunt, Deumque auctorem peccati faciunt.

Septimo, Negabant futuram corporum mixtionem, atque humanum genus corporum commixtione propagatum iri, ſi ſibi primi parentes à peccato temperaſſent. Longe inſanior Lutheranorum Caluiniſtarumque ſententia, qui cælibatus odio, eorumque quos ad altiorem gradum virtutis Deus euocauit, impulſi, viri & fœminæ coniunctionem ita neceſſariam affirmant, vt facilius eſſe putent cibo, potu, ſomno, & re quauis alia abſtinere. plane pecuino prorſus ingenio.

Octauo, Peccatum originale, quemadmodum & Caluiniani negabant.

Nono, Statuebant omnes mortales Chriſti paſſione anteriores, æternis damnatos ſupplicijs, non ex originali culpa quam tollebant, ſed ex proprio Adami peccato. Quod nemo non videt, quam ſit à diuina bonitate ac iuſtitia alienum, quæ pœnas ab eo non repetit, qui eas ſua culpa non meruit. Non paulo tamen atrocior blaſphemia Caluini, dum ait, Dei voluntate homines æternis deſtinari ſupplicijs, nec ob aliam cauſam reprobari, quam quod ipſos hæreditate excludi placeat.

Decimo, Sacramentis omnem prorſus adimebant vim gratiæ conferendæ, quantauis cum diſpoſitione quis accederet. Idem prorſus inſinuabat Caluinus, in quarto Inſtitutionis libro.





Vndecimo, Illi res ſacras promiſcue vendi poſſe aiebant: Caluiniſtæ, nulla eas à cæteris religione ſecernunt.

Duodecimo, Quamuis peccatum originale tollerent, & Sacramentis vim conferendæ gratiæ adimerent, Baptiſmum tamen ad ſalutem eſſe neceſſarium docebant, ita vt eam aſſequi poſſe negarent, quotquot Baptizati non eſſent. Quæ ſententia, quamuis ſecum ipſa pugnet, abeſt tamen plurimum à Caluiniani dogmatis impietate: dum enim Baptiſmi neceſſitatem Nouatores impugnant, nec infantes niſi ſub concionem expiant, quæcumque tandem neceſſitas vrgeat, innumeris ſpem ſalutis eripiunt.

Decimotertio, Fidelium liberos non baptizatos in paradiſum terreſtrem mittebant, infidelium autem filios vna cum parentibus ſuppliciis mactandos credebant. Longe turpius errant Nouatores, qui pueros etiam non baptizatos cœlo admittere non verentur, quo ex Apocalypſis capite vigeſimo primo, nihil intrat coinquinatum.

Decimoquarto, Aiebant, Baptiſmum ſine Chriſmatis vnctione nullum eſſe. Vanum hominum genus, qui non intelligerent, quid inter Baptiſmi eſſentiam (quæ in lotione aquæ & verbis conſiſtit) & eius ceremonias, & accidentia interſit. Deteriores tamen his pſeudo-Euangelii præcones, qui cum ceremonias prope omnes huius Sacramenti proculcant, tum & ipſam quodammodo eſſentiam, dum aiunt poſſe ex quouis liquore, ſi deſit aqua, Baptiſmum adminiſtrari. Iſtud vero nihil aliud eſt, quam baptiſmum irritum reddere, & plurimorum ſalutem periculo manifeſto obiicere.

Decimoquinto, Baptiſmum ſine Euchariſtia nemini conferebant. Pernicioſior tamen Nouatorum doctrina, qui non modo infantes quotidie plurimos Baptiſmo defraudant, verum etiam non paucioribus adultis, videlicet ægrotis Euchariſtiam denegant. Præſtare quippe aiunt viatico indonatos abire, quam id ad ægrotorum domos more noſtro deferri.

Decimoſexto, Baptizatos in Eccleſia Romana rebaptizabant; eo quod in ea verum non eſſe Baptiſmum dicerent. Collegerunt etiam has anabaptiſmi fæces Caluiniſtæ, qui in Vapincenſi Synodo irritum & repetendum Baptiſmum pronunciarunt, qui ab alio quam à Miniſtro, etiam à Proponente, ante manuum impoſitionem collatus eſſet.

Decimoſeptimo, Contendebant nefas eſſe panes azymos conſecrare: ideoque Latinos omnes Azymitas nominabant: nec Latinorum Presbyterorum quemquam ad Altaria ſua admittebant. Quod ſi à quoquam, illis inſciis, vel inuitis, ibidem res diuina facta eſſet, tum vero Aras quaſi profanatas abluebant. Hic Caluinus tametſi libro quarto Inſtitut. non magnopere repugnandum cenſeat, ſiue quis in Azymis, ſiue in fermentato conſecrare malit; tamen, ne quam occaſionem prætermittat ab antiquis Eccleſiæ ritibus diſcedendi, ad Armenos potius accedendum ſibi putat. Cui ita aſſenſere cæteri per Galliam Miniſtri, vt ſuam Cœnam etiamnum nonniſi fermentato pane celebrent.

Decimo octauo, In Euchariſtia vino mero, nec minima aquæ ſtilla permixto vtendum dicebant. Id autem aſtute authore Nicephoro, ne duarum in Chriſto naturarum vnionem, quam oderant, factam adumbrarent. Huic errori non modo adſtipulatur Lutherus, qui in primo ſcripto ſuo contra Regem Angliæ, *fatuos & ſtolidos* vocat eos, qui cenſent peccare, quotquot hanc aquæ infuſionem omittant, oppoſitum *melius & tutius* affirmans; verum etiam Caluinus ipſe, aſſertore Petro Richerio Miniſtro, homine de Caluini ſinu, qui referente Villagagnono, *hæreticos, blaſphemos, ſacrilegos, falſarios* nominat, quotquot aquam miſcent; quod ſe doctore Caluino didiciſſe gloriatur. Sane nuſquam operum ſuorum Caluinus, ſiue in Inſtitutione, ſiue in Catechiſmo, aut Formula adminiſtrandorum Sacramentorum, aquam vino miſceri ſinit.

Decimonono, Negabant, indirecte ſaltem, Chriſti corpus realiter in Euchariſtia eſſe, cum dicerent, *ſacrificium Panis carnis Ieſu Chriſti* (id eſt, eius panis qui eſt caro Ieſu Chriſti) *nequaquam Chriſti eſſe corpus, ſed diuinitatem.* Quod effatum nemo non videt affine, chimericæ Caluiniſtarum & Sacramentariorum communioni; quibus vtique vmbraticum tantum Chriſti corpus in cœna ſua præbetur.

Vigeſimo, Euchariſtiam, corporis dumtaxat incolumitati vtilem; ſiue vt alii malunt, neque vtilem, neque noxiam. Non ſapientius ratiocinatur Caluinus, qui, ne Chriſtum corporis tantum Redemptorem dicere cogeretur, aſſeruit ipſa etiam damnatorum ſupplicia pertuliſſe; quæ quidem ſi pati detrectaſſet, rem infectam futuram fuiſſe. Itaque atrocius hic blaſphemat, qui Chriſti paſſionem inanem reddere conatur.

Vigeſimo primo, Neminem è Iudæis, niſi Sacerdotali ſtirpe genitum ad Sacerdotium admittebant. Magis pericuIoſe Lutherus & Caluinus errarunt, qui vt oppoſita via à veritate recederent, omnes tum viros, tum fœminas pariter Sacerdotes ac Clericos eſſe docuerunt, imitatione Marcoſianorum.

Vigeſimo ſecundo, Peccata quædam eſſe, quæ à nullo penitus Sacerdote condonari queant. Tranſeunt hos limites Caluiniſtæ, & omnem vim Sacramento pœnitentiæ adimunt, omnemque ſoluendi ac ligandi poteſtatem, à Chriſto Eccleſiæ ſponſæ conceſſam auferunt. Quin etiam omnem peccatorum remiſſionem abiiciũt. Docent enim latere perpetuo in conſcientiis Fidelium peccata; nec deleri Baptiſmo ipſum peccatum originale; Innocentiam vero, iuſtitiam, & puritatem imputatione duntaxat acquiri.

Vigeſimotertio, Negabant, Matrimonium eſſe Sacramentum. Hos ſequuti Caluiniſtæ, pari verborum Diui Pauli obliuione, deliquerunt, contrarium manifeſte aſſerentis.

Vigeſimo quarto, Solui poſſe Matrimonium, vbi coniugatis viſum fuerit. At non minorem diuortiorum, mutationumque coniugum licentiam inuenio in Caluiniana conſcientiæ libertate. Imprimis enim abrumpi vult Caluinus matrimonium, abſque parentum conſenſu initum. Nihil quippe diſcriminis agnoſcens inter id quod illicite factum eſt, & id quod inualide: cum tamen nemo ſit tam exiguo ingenio, vt non intelligat, in omni rerum ac negotiorum genere multa eſſe, quæ tametſi facere non liceat, vbi tamen ſemel facta fuerint, neque infecta eſſe, neque reſcindi queant. Satis igitur eſſe Caluino debuit, obedientiæ, obſeruantiæque deſpicientiam in iis liberis carpere, qui vel inuitis, vel inſciis parentibus ineunt coniugium. Idem ipſe ſtatuit de matrimonio à iuuenibus leuiter celebrato, quando Curatores, vt dirimatur poſtulant. Idem, ſi quæ pro virgine accepta eſt, non eſſe virgo deprehendatur. Idem, ſi alter coniugum, lepra, aliove morbo contagioſo & inſanabili laboret. Idem, ſi adulterium interueniat. Idem, ſi ab vxore maritus diſcedat ad vagandum, iterum ac tertio monitus. Idem denique, ſi alteruter ab altero perperam per annum abſit. Lutherus idem ſtatuit, inter virum pauperem & fœminam diuitem, quam ille retinere nequit, ob affinium amicorumque obſtacula. Idem, quando coniunx coniugem ad furtum, aliudve peccatum inducit. Idem, ſi mulier Chriſtiana ab Ethnico, vel pſeudochriſtiano relinquatur. Idem, ſi ob frequentes rixas conuerſari nequeunt. Idem Bucerus, quoties alter coniugum ad alterius arbitrium ſe non accommodarit, id eſt, quotieſcumque vxor marito, vel maritus vxori diſplicuerit. Idem Lutherus, quando alter alteri vel debitam beneuolentiam, vel debi-

tum coniugale denegarit. *Hic enim opportunum eſt*, ait Lutherus, *vt maritus dicat; ſi tu nolueris, alia volet. Si Domina nolit, adueniat ancilla.*

Vigeſimo quinto, Purgatorium explodebant Armeni. Explodit pariter Caluinus.

Vigeſimoſexto, Vtrique, ex ſuperiori mendacio inferre coguntur, vanas eſſe preces quæ pro fidelibus defunctis funduntur.

Vigeſimoſeptimo, Inferorum pœnas æternum duraturas negabant. In quo profecto ſecum ipſi pugnabant, dum infernum purgatorio permutabant. Neque conſultius agunt Caluiniani, qui pœnas illas ab initio contrahunt, cum Dæmonum hominumque cruciatus, ad extremum vſque iudicii diem dilatos eſſe pronunciant.

Vigeſimooctauo, Damnatos omnes, ab inferis à Chriſto Domino ad illa loca accedēte ereptos comminiſcebantur. Alio quidem abeunt Caluiniſtæ, ſed pari fraude veritatis. Negant enim veteris teſtamenti Patres è Limbo ereptos; imo neque vllam mentionem Limbi ſuſtinent. Negant etiam deſcenſum Chriſti ad inferos: quo nomine nonnulli ſepulchrum ſignificari contendunt; alii damnatorum pœnas, quas à Chriſto toleratas proiecto ad impudentiam animo mentiuntur.

Vigeſimonono, Negant fœminas poſt Reſurrectionem fore vllas, ſed in viros omnes eſſe commutandas: quorum ineptias iampridem S. Auguſtinus confutauit. Audent aliquid etiam nequius Caluiniſtæ, qui repugnante ſcriptura, negant quemquam in hoc ſuo corpore reſurrecturum.

Trigeſimo, Nullas omnino animas, ante Iudicii diem vita frui beata docuerunt. Facem ſcilicet prætulere Caluino, vt hunc in modum loqueretur: *Cum Scriptura vbique iubeat pendere ab expectatione aduentus Chriſti, & gloriæ coronam eouſque differat, contenti ſimus his finibus diuinitus nobis præſcriptis: animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, vbi cum felici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ expectant: atque ita omnia teneri ſuſpenſa, donec Chriſtus appareat Redemptor.* Ex his verbis Caluini intelligas eum non modo diuinis repugnare literis, quæ manifeſte admonent, eos qui venerunt de magna tribulatione eſſe ante thronum Dei, & ſeruire ei die ac nocte in templo eius; Verumetiam ſibi ipſi aduerſari. Limbum enim imprudens conſtituit; quo vtique nomine nihil aliud exprimunt Catholici Doctores niſi locum quēdam quieti opportunum, in quo felicitatem ſibi debitam animæ expectarent.

Trigeſimoprimo, Negabant Armeni diuinam eſſentiam à Beatis conſpiciendam, ſed eius radium duntaxat, ac lucem quandam, in qua felicitas noſtra ſita foret. Quæ ſi erroris merito arguimus, quod ſacris aduerſentur paginis, vtpote admonentibus, *mundos corde Deum viſuros: Angelos* paruulorum cuſtodes, *videre faciem Patris: A nobis videndum ſicuti eſt*: nemo Caluinum culpa vacare putet, dum Fidem Beatis attribuit, quam obſcuram ſuapte natura eſſe docet Apoſtolus. Imo eam Caluinus cum cœleſti gloria cōfundit, dum in Harmonia ſic habet; Spiritus eſt, qui Mariam, eo quod credidit, beatam eſſe pronunciat: & Mariæ fidem laudando, generaliter admonet, vbi ſit vera hominum felicitas. & in Inſtitutione. Fides ipſa certa quædam eſt ac ſecura poſſeſſio, eorum quæ nobis à Deo promiſſa ſunt.

Trigeſimo ſecundo, Aiebant Dominicis & Sabbathis Quadrageſimæ veſci lacte, caſeo, & ouis licere. Caluiniſtæ ad quiduis audendum paratiores, ieiunium illud Quadrageſimale funditus ſuſtulerunt.

Vltimo, Romanum Pontificem contemnunt, quem cæteris ſuperiorem eſſe negant: pro eo autem, proprium habent Primatem, cui in rebus omnibus tamquam Summo Pontifici obediunt. His quidem adhæſerunt Caluiniſtæ, quod ad prius caput attinet, nullam contemptus aut maledicentiæ occaſionem in Romanum Pontificem omittentes; quod autem ad poſterius, in oppoſitum ſeſe errorem coniecerunt, omni prorſus Eccleſiaſtica authoritate excuſſā. *Gaulterus Chronolog. ſæculo VII.* Quin vero, Armenis, Caluiniſtæ, quantum ad prius caput deteriores euaſerunt. cum hi nullam iuriſdictionem aut poteſtatem Romano Pontifici attribuunt; illi vero plurimum ei detuliſſent, Legatione ad illum honorifica inſtituta, auxilia aduerſus hoſtes Fidei Chriſtianæ ab eodem poſtulantes. Exprobrauit Regi Leoni & omnibus illis Benedictus Pontifex ſuperius enumeratos, alioſque errores; quos in libellos ſingulares deſcribi, & dogmata eis oppoſita ad confutationem illorum adiungi voluerat, atque tum Regi, tum eius ſubditis Armenis miſerat; excuſans ſe non poſſe eis ſubſidia ſubmittere, quamdiu iis erroribus tenerentur. Quod ſi illos emendare, aut eiurare, & ad vnitatem doctrinæ; ac Fidei puritatem in Orthodoxa Romana Eccleſia redire Primatumque Eccleſię confiteri decernerent, promptiſſimum ſe & Apoſtolicam Sedem, ad ſuppetias illis ferendas, & ad Doctores Theologiæ ſcientes mittendos, ſpondebat; modo Rex & reliqui Proceres, Concilium Prælatorum Armeniæ indicerent, in quo quicquid ad extirpationem hæreſum neceſſarium ipſe illis præſcripſiſſet, omnimodis adimplerent. In eam etiam rem Benedictus ſcripſit Catholico quem vocabant Armenorum: necnon Archiepiſcopis, Sancti Thadæi in Armenia Maiore, Tarſenſi, Aſſiſii, & Soltanienſi. *ex regeſt. Bened. huius anni epiſt.* 137.

X. Ad Tartaros mittit Bened. qui Euangelium prædicent.

Hoc etiam anno, à Benedicto Pontifice duo Minoritæ ad Tartaros ſeu Scythas miſſi, tamquam Apoſtolici Legati, cum aliis ſociis, accepta ab Imperatore illo promulgandi Euangelii facultate, multa denuo & templa, & Monaſteria, cum diuini cultus propagatione, multaque animarum conuerſione inſtruxerunt. *Platus de bono ſtatu religion. libr. 2, ex Chron. Franſciſcan. & regeſt. Bened.*

XI. Palatium Auenione Pontificibus addicit.

Eodem anno, commoditati Pontificum Romanorum Auinione in Galliis tunc commorantium, Benedictus Pontifex, Palatium olim Epiſcopale addixit, & Palatium Apoſtolicum deinceps eſſe & nominari voluit, cum prius nonnullas domos ab Arnaldo, Sanct. Euſtachii Diacono Cardinale relictas, Petrus Epiſcopus Præneſtinus, & Gocius tituli Sanct. Priſcæ presbyter, Cardinales, nomine & ſumptibus Cameræ Apoſtolicæ, apud hæredes Arnaldi emiſſent: & illas pro Epiſcopali aula Benedictus commutaſſet, Palatiumque Epiſcopale eſſe & appellari in poſterum decreuiſſet. *ex regeſt. Bened.*

XII. Barlaam Conſtantinopolim reuerſus cum Græcis de viſione Dei iterum depugnat.

Eodem anno, Barlaam Monachus Conſtantinopolim reuerſus, Patriarcham Ioannem, & Imperatorem Andronicum adiuit, & ad vnitatem Eccleſiaſticam amplectendam, ex mente Benedicti Pontificis inuitauit. Obſtabant Monachi montis Atho, quos ille à precibus Euchitas & Omphalopſychos, quaſi vmbilicanimos dicas, & aliis id genus nominibus appellabat, eaque ratione ſectæ Maſſalianorum condemnabat; quaſi eos & lingua & ſcriptis gloriantes audiret, ſe corporeis oculis Dei naturam videre. Erant & Epiſcoporum plurimi, quibus dogma de Spiritus Sancti à Patre ac Filio proceſſione non vehementer probabatur. Gregorius Palamas, omnia præcipue miſcebat: Gregorius Monachus, Acindynus cognominatus, Barlaami in profana & ſacra doctrina longo tempore diſcipulus, pro Barlaami ſententia depugnabat: nec Omphalopſychiæ modo & adulterinarum precum, ſed etiam blaſphemæ Theologiæ Palamam accuſabat. Nam eum & nouis vocibus in myſtica Eccleſiæ Theologiæ vti, & neſcio quæ monſtra cernere ſe profiteri, iactantiæ & arrogantiæ plena.

Synodus indicitur.

Itaque decretum eſt, vt in Sacroſancto diuinæ ſapiētiæ Templo Synodus haberetur, Imperatore cū Ioanne Patriarcha præſidentibus, reliquis Epiſcopis, multiſque Proceribus & Senatoribus aſſidentibus. Deſignato





die, præſto fuere omnes, non ii modo quibus adeſſe neceſſe erat, ſed etiam popularis turbæ innumera fere multitudo: atque ipſe Andronicus Imperator, cum meliuſculus eſſet, ac firmior ſolito euaſiſſet, & ipſe ad ſuggeſtum venit, & ad ſacerdotes. Ac ea quæ ad Theologiæ reprehenſionem pertinerent, ſilentio tegenda eſſe cenſuit, tum quod Sacra Theologiæ myſteria, profanis vulgi auribus non ingerenda cenſeret: tum ne Barlaamo rationes dogmatum reddente, Palamas etiam blaſphemiæ & importunæ Theologiæ reus eſſe videretur: atque inde loco pacis, quam res flagitaret, atque boni ordinis tumultus & ingens confuſio oriretur. Primum itaque crimina precationis proponebantur. Quæ vero ad Maſſalianam hæreſim, & quæ alia contra Palamam afferebantur, pertinebant, in paucos dies dilata ſunt: & niſi mox Imperatoris mors conſecuta eſſet, celeriter vehementes in Palamicam hæreſim velitationes abſolutæ eſſent: hoc eſt, ea, quæ futurum erat, vt augeretur, extirpata tum fuiſſet. Cum vero etiam Barlaamo non concederetur, vt ex aliis Palamæ ſcriptis, Theologica eius crimina demonſtraret, ſed tam Imperator, quam Patriarcha, vtroſque de pace admonerent, Synodum dimiſerunt, Barlaamo iudicium valde claudicaſſe proclamante, & ignominiam illam Eccleſiaſticorum, quod Imperator Synodo præfuiſſet, & tum Patriarchæ, tum Epiſcopis neceſſitatem in ſuam ſententiam eundi impoſuiſſet, indigne ferente. Ad eum modum cum per Imperatorem ſtetiſſet, ne pro veritate calculus ferretur, Barlaamus plenis velis in Italiam abiit.

Synodus re infecta ſoluitur.

Imp. Andronicus diuinitus caſtigatur.

Soluta Synodo, & aliis ſingulis alio diſperſis, Imperatorem ſtatim plaga diuinitus excepit. Namque in *Hodegium monaſterium corpore admodum male af*fecto, tum è concione illa, tum è ſplenis morbo, reuerſus, cum ſub noctem fere mediam accubuiſſet, & largius quam decebat cœnatus eſſet, poſtridie in ſomnum ſtupori atque exanimationi pene ſimilem incidit. Continenter quoque febricitare cœpit, iudicaruntque medici, ex perturbatione in Synodo, & priore inedia febrim excitiſſe. Tertio die tum medicorum, tum cœleſtium luminum opem *implorauit, quod ea non modo* non impedirent, ſed etiam iuuarent medicæ artis conatus & experimenta. In maiorem ſtuporem relapſus, & extremum Spiritum agens, in tertium ferme diem iacuit, ac Iunii decimoquinto, ante ſolis ortum defunctus eſt: exemplo omnibus Principibus ſecularibus, ne ſibi in ſacra auctoritatem ſumant: ſed politicarum rerum adminiſtratione poteſtatem ſuam contineant.

Imperatoris Andronici obitus.

XIII. Qualis Andronicus.

Nicephorus Gregoras, facilitatem, benignitatem & clementiam in Andronico laudabat, quod acceſſu eſſet hilaris & facilis, maximaque ex parte ſine cuſtodia, & ſine Imperatoriis ſatellitibus ageret: ſæpe etiam eos quos retia & laqueos contra ſe inſtruere *ſciret*, in eaſdem ædes admitteret, & menſæ adhiberet. Dicebat enim, vitam hominis in manu Dei eſſe poſitam: à quo vbi eius deſtructio permittatur, tunc omnibus periculis fores patere. Fere etiam nuſquam Imperatoriæ maieſtati, magnificentiæ & magnitudini ſtudebat, ſed ſæpe ſubditis humilius ſe gerebat. Idq; ex vno è multis facile apparebit. Imperatoriorū tricliniorum pauimenti ſummitates ambæ inter ſe oppoſitæ eminebant ſupra interiectum ſolum vſque ad ſpithamæ trientem, vbi etiā Imperatorium ſolium erat conſtitutum, nimirum, vt & in eo Imperator aliquid præ cæteris eximium haberet, ſiue in ſacris hymnodiis perſiſtens, ſiue nunc ſubditis, nunc exterarum nationum Legatis reſpondens: nec in illo loco cuiquam mortalium licebat illi adſtare, præter vxorem, liberos & fratres, & patruos fortaſſe. Verum Andronico ibi ſtante & diſſerente, non modo omnis nobilitatis adoleſcentia illi aſtabat, ſed & plebeiorum miniſtrorum quilibet. Vnde ſæpe turba hominū ita premebatur, & vrgebatur, vt ipſe deflecteret, ac loco cederet: aliſq; ſuperiore ſtatione conceſſa, paulatim ad inferius pauimentum deſcenderet, nemini omnium ſuccēſens. De capitis porro tegumento, apud ſuperiores Imperatores moris erat, vt ætate prouectiores aulici proceres pileis turbinatis vterentur, ſerico tectis, pro dignitate cuiuſque: adoleſcētes vero omnes prorſus nudis eſſent capitibus. Illo vero Imperatore, is mos vſque adeo oboleuit, vt omnes ſimul & ſenes, & adoleſcentes pileis vterentur, non minus in palatio quàm in agris: iiſque multiformibus & peregrinis, & quales cuique probabantur: alii Latinis, alii Myſiis & Triballicis, alii Syriis & Phœniciis, ſuo quiſque arbitratu. Eodem more in veſtibus etiam vſi ſunt: *vt prudentiores* nouitatem aliquam & deſtructionem imperii, & finem inſtitutorum ac morum illius diuinarent. Idem certius etiam ex eo colligebatur, quod Imperatoriæ & illuſtriſſimæ quæq; ædes fere omnes deſtructæ, & in cloacas & fimeta erant redactæ. Eodemque modo de moribus & rebus Patriarcharum, eorumque maximis & illuſtriſſimis ædibus indicabant, quæ firmiſſimum ornamentum, ſimul & *munimētum maximi templi diuinæ ſapientiæ fuerunt*, tum à primis architectis confectæ, tum ab iis qui ſecuti ſunt pulcherrime adiectæ & primis operib. admodum conuenientes, quæ æque omnes corruptæ & deſtructæ iacebant.

XIV. Mutatio mortem Imperat. ſecuta.

Secuta eſt mortem Imperatoris ingens mutatio. Cum enim Ioannes Cantacuzenus Magnus Domeſticus, Annam Andronici relictam Auguſtam, & Ioannem Imperatorem nouem annorum puerum, necnon fratrem illius Manuelem in tutelam ſuſcepiſſet, & vniuerſus Clerus è vicis & oppidis vicinis, Conſtantinopolim, præconis iuſſu euocatus, cum ingenti multitudine ſacerdotum & Epiſcoporum ſacris veſtibus indutorum, ſub vno Patriarcha duce, defunctum Imperatorem, in Sophiæ templo, alternatim diuinos hymnos modulantes, ſacris funebribus expiaſſent, ac Ioannes Cantacuzenus, Ioannem Patriarcham iam in Barlaami & Acyndini ſententiam, adeoque ad Eccleſiæ Romanæ vnitatem inclinaſſe, certo certius intellexiſſet, affectati imperii apud Imperatricem accuſauit; occaſionemq; ex cauſa huiuſmodi finxit.

Cantacuzenus per inuidiam Ioann. Patriarch. apud Imperatricem accuſat.

Non parum diu ante exceſſum, Andronico Imperatori Ioannes Cantacuzenus Mag. Domeſticus conſilium dederat, Patriarchæ auctor eſſet, pœnam & eiectionem ex Eccleſia interminandi, ſi quis Imperatore mortuo filiis eius inſidiaretur, & imperium illis nefarie adimeret. Perſuadendi cauſa addiderat, nihil indecens, aut inopinatum facturos quin etiam non modice filiis profuturos, ſi quid humanitus illis accidiſſet. Ex ſententia illius Andronicus, Patriarcham cum Epiſcopis quotquot Byzantii verſabantur, permouerat, vt in eos anathema dicerent, qui ſe mortuo filios eius per ſcelus adorirentur. Compleuerat iuſſa Patriarcha: & hac nimirum de cauſa, *poſt Andronici obitum*, ad ſe quoque tutelam pueri Imperatoris pertinere exiſtimabat: vt auctoritate ſua illi imperium conſeruaret. Pupugit ea res Ioannem Cantacuzenum. Itaque illum principatus eſſe ambientem conqueſtus, multis turbationibus & ſeditionibus imperium compleuit, atq; viam ſibi ipſi per varias artes & ſtudia, ad purpuram aperuit. Poſt varias enim criminationes & ſimultates, cum Patriarcha & Apocauco exercitas, cum & *illos* & *pleroſque* proceres in odium Annæ Imperatricis & militum adduxiſſet, Didymotichi veſtem imperatoriam induit: deinde in conſpectu omnium pedes crepidis purpureis exornauit, imperialemque tiaram ante immaculatæ virginis Dei Matris imaginem humi poſitam manu ſua tollens, ipſe capiti ſuo impoſuit, & præconibus acclamationes imperatorias præcinere iuſſit: vbi primum quidem ANNÆ AVGVSTAE acclamatum: tum *IOANNI* filio Imperatori, tertio loco ipſi IOANNI CANTACVZENO Imperatori, cum Irene coniuge Imperatrice. Inde poſt ſacra, in quibus eodem ordine, Imperatorum, & ſimiliter Ioannis Patriarchæ facta eſt men-

Cantacuzenus Imperator acclamatur cum vxore.

tio, poſtque ſolemnem populi applauſum, equo inſidens Cantacuzenus, aliis omnibus quotquot erant in equis proſequentibus, templum magni martyris Georgii Palæocaſtritæ petiuit, eumque precibus veneratus gratias egit, & quibuſdam de Latinis auxiliis cum ſolemni cerimonia equeſtrem dignitatem contulit. Hinc in palatium reuerſus, cum vxore magnificentiſſimo epulo accubuit, frequenti corona; vt Imperatoribus ſolet circumſtante. Epulantibus, Ioannes & Manuel fratres Irenæ imperatricis, & Ioannes Angelus Imperatoris conſobrinus miniſtrabant. Ad hunc modum Ioannes Cantacuzenus imperium Conſtantinopolitanum arripuit, cum Ioannem Patriarcham ambitus poſtularet. Exinde non nemo illum Conſtantinopoli maledictis & conuiciis proſcindebat, & Anna Auguſta ingratitudinis condemnabat, quod ſummis ab Imperatore demortuo beneficiis ornatus, & tantopere dilectus, ex diametro ingratus, & erga eius liberos maleuolus exiſtens, tyrannidem affectaſſet. Patriarcha interim legum Eccleſiaſticarum ſecurus illum anathemati cum ſequacibus ſubiecit: quod in Imperatricem ſe nequam præſtitiſſet. Deinde monachum ab eodem ad ſe literas ſecretiores ferentem, & imperii inuaſionem excuſantem, vt atrociſſimi ſceleris reum, in carcerem coniecit: ſicque Cantacuzenum aduerſum ſe concitauit, vt ille poſtea rerum potens, è patriarchico ſolio eum deiecerit: maxime quod ab ſchiſmate & hæreſi receſſiſſet, & pro iuſtitia depugnaſſet, atque imperium Ioanni puero vindicaret. Sed de his quemadmodum acciderint, inferius narrabimus. Quid tum in creatione Cantucazeni euenerit, ipſe idem enarrabat.

*XV. Qvid in creatione Cantacvzeni evenerit.*

*Hora*, inquit, *inaugurationis, qua nouum Imperatorem cultum ſumere imperatorium oportebat, interiorem veſtem plus æquo ſtrictam eſſe contigit, vt quamuis multum diſtenta operire corpus non poſſet: exteriorem plane contra plus iuſto laxam: tametſi ambas idem feciſſet artifex, qui antea multas ſæpe, & habiles, & aptas confecerat. Ibi tum aſſiſtens quidam familiariſſimus prædixit, principia illi admodum arcta, & difficultatis plena fore, quemadmodum nunc interius indumentum corpus nimium aſtringeret: ſubſequentia ex diametro oppoſita, nimium lata, remiſſionis & quietis abundantia.* Eadem luce, dum miſſæ ſacrificium conficeret, euenit, vt in Euangelio illa ſententia recitaretur, qua Saluator noſter, & Rex ſeculorum Ieſus Chriſtus, de futuris eorum caſibus diſſerens ait: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* quæ verba arripientes quidam, multas calamitates illi prænunciarunt affuturas. Didymotichi quoque Epiſcopus ei dixerat: *Imperium quidem illi à Deo decretum eſſe: verumtamen labra eius extumeſcent*, inquit, *qui vuam acerbam comederit.* Quibus verbis innuebat, illum multis ante periculis & tentationibus circumuentum iri. Cum vellet autem velut ſub oculos ſubiicere Cantacuzenus, vnde, & à quo pericula illa imminerent, ſomnii ſui cuiuſdam memorem fecit, quo viuente adhuc Andronico iuniori ſuper futuro rerum ſtatu fuerat præmonitus. Iſtud, hunc in modum Cantacuzenus narrabat.

*Didymotichi Epiſcopi ſomnivm ſvvm narrat Cantacvzenvs.*

*Viuo adhuc Imp. Andronico, cum ipſe priuati ſortem, locumque teneret, & in eo plane acquieſceret, ſecum hunc Epiſcopum aliquando congreſſum, monuiſſe, ne Apocaucum admodum magnificeret: ſed ab homine, vt ingens aliquando damnum inuecturo, caueret. Cum ipſe iocabundus ſubieciſſet, qualetandem damnum lapidi ouum importare poſſit: illum reſpondiſſe: ſuperbiam ingens eſſe malum, quod præcipue ad ſummum felicitatis euectos comitetur. Tum ſeita occurriſſe, non ex ſuperbia hæc à ſe, ſed ex certatum ſuarum virium, tum Apocauci imbecillitatis conſcientia dicta eſſe: niſi quis lupum & leonem audaciæ accuſet, quia ille oue, hic ceruo multo ſe robuſtiorem iudicet. Præterea oraſſe, vt ſibi ſomnium, ſeu viſum detegeret. Tunc Epiſcopus: Te, inquit, videre coram me ſtantem videbar, ſtatimque Apocaucum cum impetu ſuperuenire, & te tanta violentia impellere, vt propemodum humi affligeret: certe in alterum genu te procidere, alteroque pede, & ſiniſtra manu terræ contra impulſum niti, ipſumque quantumcunque conaretur, plus non poſſe. Te à caſu exſurgentem, crebrius illi in caput fuſtem impingere, & plagis non reſiſtentem humi cadere: te iacenti nouacula ceruices repente præcidere. Ab hoc ſomnio, Epiſcopus Cantacuzeno portendebat grauia & multa pericula impendere: quod Deus permittat, ſchiſmaticis quoque, de rebus futuris coniectare: cum etiam Nabuchodonoſorem & Balthaſarum Reges per ſomnium, & Balaam per aſinam, futurorum euentuum admonuiſſet. Nicephor. Greg. lib. vlt. Ioan. Cantucazen. lib. 2. cap. vltim. & lib. 3. cap. 27. & aliis.*

Cum autem Patriarchales ſedes plerumque ſchiſmatici id temporis occuparent, quid in ſurrogandis Patriarchis agendum foret, Benedictus iſtud conſtituit.

*XVI. Conſtitutio Benedicti pro ſvrrogatone Patriarcharvm.*

*Sancta Romana Eccleſia, quæ diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum à Deo, vtpote mater vniuerſorum Chriſti fidelium & magiſtra quatuor Patriarchales ſedes inſtituit, inter quas poſt ipſam Romanam Eccleſiam, Conſtantinopolitanam primum, Alexandrinam ſecundum, Antiochinam tertium, & Hieroſolymitanam quartum locum voluit obtinere, ipſaque multis prærogatiuis, & honoribus ac priuilegiis decorauit: de quarum prouiſionibus, cum eas vacare contingit, tanto eſt accuratius cogitandum, & attentius prouidendum, quanto maioris eminent altitudine dignitatis, & periculoſe erraretur in prouiſionibus earundem. Super hoc igitur cum Fratribus noſtris habita deliberatione matura, inter alia conſiderationi noſtræ occurrit, quod omnes (proh dolor) prædictarum Sedium Patriarchalium Ciuitates, aut ſunt deſtructæ, aut occupatæ ab infidelibus, vel à ſchiſmaticis detinentur, ipſorum Capitulis, ſeu continentibus & Canonicis diſperſis vndique extra Ciuitates ipſas, per alias regiones, ſeu loca à Ciuitatibus ipſis remota. Ex quo contingit, (ſicut experientia nuper nos docuit) quod vacante Conſtantinopolitana Eccleſia per mortem bonæ memoriæ Petri Patriarchæ, ſolum per vnam duntaxat eius Canonicum fuit de nouo paſtore electio celebrata, aliis Canonicis ſuis agentibus in remotis: dictus tamen electus, ius, ſi quod ſibi ex electione huiuſmodi competebat, in noſtris manibus ſponte ac libere reſignauit. Ideoque de eorundem Fratrum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, vt quamdiu Ciuitates ipſæ, ſchiſmaticorum aut infidelium ſubſunt, aut ſuberunt ditioni, aut detinebuntur per eos, Canonici dictarum Patriarchalium Sedium, cum eas, vel ipſarum aliquam, ſeu aliquas vacare contigerit, ad electionem, poſtulationem, ſeu quamuis prouiſionem de præficiendo ſibi Patriarcha, vel Paſtore nullo modo procedant, quouſque ad Apoſtolicæ Sedis notitiam deducatur. Nos enim à data præſentium, decernimus irritum & inane, ſi ſecus per prædicta Capitula, Conuentus, vel Canonicos, aut quemuis alium, vel alios, ſcienter vel ignoranter fuerit attentatum. Non obſtantibus quibuſcumque ipſarum Eccleſiarum, vel alicuius earum conſuetudinibus, vel ſtatutis, iuramento, confirmatione dictæ ſedis, vel quacumque alia firmitate vallatis, ſeu Conſtitutionibus, priuilegiis, vel indulgentiis ſedis eiuſdem, per quæ effectus præſentium impediri poſſet quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum in noſtris literis habenda eſſet mentio ſpecialis. Nulli ergo, &c.* Datum Auinione 10. Kalendas Ianuar. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

*XVII. Vita et obitvs B. Ivlianæ Falconeriæ ex Ordin. Servorvm.*

Hoc anno in humanis eſſe deſiit, Iuliana Falconeria, virgo Florentina, Ordinem Seruorum Florentiæ profeſſa. Hæc ab ipſis incunabulis DEI-Genitricis cultui addicta; & Beatum Alexium patruum, vnum ex primis illius Ordinis conditoribus imitata, inque eodem adſcripta, ſic vitam inſtituit, vt tribus cuiuſque hebdomatæ diebus perpetuo ieiunaret, ſola Sacra Euchariſtia contenta. Feria enim quarta & ſexta, in memoriam paſſionis Dominicæ nihil prorſus cibi capiebat. Sabbatho vero ſolum pane & aqua refecta, in honorem Beatæ Mariæ Virginis ieiunabat. Ad eum porro modum in Dominicæ paſſionis meditatione exardeſcebat, vt crucifixi imaginem carni eius iuxta cor impreſſam, ab iis qui corpus defunctæ curauerunt repertam, ſcriptis priſci Seruitæ prodiderint. Cum autem ex ieiunandi aſſidua conſuetudine, continuiſque vigilijs





gilijs difficillimum ſtomachi morbum contraxiſſet, & in extremam ægritudinem incidiſſet, læta tamen & ad paradiſi gaudia aſpirans, nulla querulosa depromebat verba: illud tantum maximopere dolens, quod alijs ſacroſanctis myſterijs munita Cœleſte viaticum Dominici corporis percipere non poſſet. Cumque moritura ſibi ſanctiſſimam Euchariſtiam, ad adorandum delatam, non ſine lachrymis & ſingultibus venerata eſſet, & ipſa mox ridens expirauit, & ſimul ſanctiſſima Euchariſtia diſparuit. Migrauit è vita hoc anno, ad 13. Calend. Iulij, & in Diuæ Annunciatæ apud Florentinos condita, multis ſubſecutis miraculis. Caput in vaſe aureo, in eius Sacello aſſeruatum, magnam ibidem habet venerationem. *Michael Florentin. in Chron. Seruorum.*

*XVIII. Vita B. Dalmatii Moner Ord. Præd.*

Eodem anno, die 24. Septembr. Gerundæ in Hiſpaniis, naturæ conceſſit Dalmatius Moner Diui Dominici inſtitutum, anno ætatis tertio ſupra vigeſimum complexus. Præter artium, Philoſophiæ & Theologiæ ſtudia, quibus inſomnes noctes vigilans incumbebat, nihil aliud quam puritatem & ſimplicitatem cordis à Deo poſtulabat. Super hæc humilitatem demiſſam amplectens, neque dignitates, neq; honorarios titulos Lectoris aut Doctoris admittere ſuſtinebat. Si aliquando quiſpiam in laudes illius erupiſſet, in momento fugiebat. Contemplationi deditus, conuerſationem aliorum deuitabat: & à filijs Regis Aragonum, nec non Epiſcopo Gerundenſ. ac pleriſque Proceribus ſæpius accitus, venire recuſabat, ne à Rachelis ſpiritualis ſuauitate vel per horam ſepararetur. Fœminarum inprimis conſpectum exhorrebat. Quamobrem & à ſororibus euocatus, vel non accedebat, vel præcepto ſuperiorum accedere coactus, dimiſſo in terram vultu eas ne quidem aſpiciebat, ſed paucis expediebat. Virginitatis amantiſſimus nihil non egit, vt eam immaculatam vſque ad vitæ extremum conſeruaret.

Quamobrem carnes nunquam niſi infirmus eſitauit. Vinum adeo aqua dilutum bibit, vt vini ſaporem & colorem amiſerit. Cilicinum induſium, & femoralia perpetuo geſtauit. Sex menſes continuos, præter ieiunia Eccleſiæ & Ordinis, ſingulis annis ieiunabat. Leguminibus & herbis crudis, cinere & aqua conditis vitam ſuſtentabat. Veſtes pannoſas, non tamen ſordidas induebat, & ſi quando nouum indumentum à Priore accepiſſet, illud vtendum alteri tantiſper concedebat, donec veteraſceret. Lecto duriſſimo incubabat, faſciculo lignorum loco puluinaris capiti ſuppoſito. Somni parciſſimus, totas noctes orationi in locis ſecretioribus templi, ne ab aliquo deprehenderetur dabat. Flagris aſperrimis, ſcapulas vſque ad ſanguinis effuſionem cruentabat. Antrum Diuæ Mariæ Magdalenæ permiſſu maiorum ingreſſus, ſanctam peccatricem in pœnitentiæ aſperitate imitatus eſt tempore non modico. Gerundam reuocatus, quatuor annos continuos in quadam ſpelunca, lachrymis, orationibus & meditationi vacauit, nec niſi ad templum vel commune triclinium egrediebatur. Aliquando in forma Crucis, alias in modum orantis, ſemel in ſpeciem volantis, in aere in extaſi eleuatum ſuſpenſumque aliqui aſpexerunt. Contentionis inimiciſſimus, etiam culpas quas non admiſiſſet, ne cum accuſatoribus contenderet non negabat. Semel in loco Capitulari apud Hugonem Campanum Dominicanæ religionis Generalem Magiſtrum, quaſi alium Fratrem in oratione incommodaſſet, intentumque precibus diſtraxiſſet poſtulatus, culpam innocentiſſimus agnouiſſe viſus, ad pedes accuſatoris proſtratus condonationem humiliter flagitauit. Aliqui referebant, illum familiariter cum Angelis conuerſari, & quotidianos cum illis miſcere ſermones. Prudenter ille veritatem & celauit, nec negauit, cum reſpondiſſet, verum eſſe tunc temporis, quando trium puerorum hymnum recitaret.

*Ea enim hymnodia, Angelos*, inquit, *ego vna cum reliquis Fratribus tunc alloquor.* Spiritu prophetico multa futura prædixit, multaſque ſanitates quamplurimis impetrauit. Socium à latrante rabido cane, ſola iuſſione liberauit. Febricitantem quandam matronam, ſola confeſſione auriculari perſanauit. A pyratis, quamplurimos oratione eripuit. Alium ſocium in itinere ſiti prope enectum, per miraculum recreauit: cum ad orantis preces, puer craterem aquæ limpidæ & frigidæ ferens illico miraculoſe in loco deſerto apparuiſſet. Quendam pœnitentem, cum ei peccata ſua in confeſſione exponeret, Satan ſalutis humanæ inuidens rapuerat, & pede tenus per templum trahebat. Eum fiduciæ & virtutis plenus Dalmatius, dæmoni eripuit, & in libertatem filiorum Dei vindicauit. Quinquagenarius defixis in Crucifixi imaginem oculis ſancto fine quieuit, & multa miracula ſtatim à morte egit: cum & ſupra ſpeluncam pœnitentis lux cœleſtis apparuiſſet, & multis gloria animæ illius reuelata fuiſſet. *Franciſcus Diagus in hiſt. Prouinciæ Aragoniæ Ord. Præd.*

*Prophetiæ Dono et Miracvlis Vivens Clarvit.*

*Eivs Obitvs.*

*XIX. Ingens in Oriente Miracvlvm de Probatione per Ferrvm Candens.*

Per id temporis Didymotichi in Oriente ingens miraculum oſtenſum eſt, ſiue innocentiæ tuendæ, ſiue pœnitentiæ probandæ. Ciuis quidam haud ignobilis vxorem adulterio pollutam ſuſpicabatur, nec fallebatur. Eam ſuſpicionem præ Zelotypia celare non ſuſtinens, probationes eam poſcebat, quibus refutatus ſuſpicari deſineret: alioquin exemplo peſſimo miſeram cruciaturum minabatur, quæ tam petulanter matrimonij ſacra contaminaſſet. Probatio hæc erat, vt ferrum candens in manus ſumeret: aliter credere ſe non poſſe. Mulier intelligens quam periculoſum eſſet, facinus admiſſum confiteri, quando huic in maritum iniuriæ mors eſſet propoſita: & ferri contrectationem intolerabilem manifeſtum fore turpitudinis indicium: atque ita vtrimque ad ſummam conſilij redacta inopiam, ad Epiſcopum ſibi confugiendum ſtatuit: quem re tota expoſita orauit, vt i ſe tuendam ſuſciperet: neue malo conſilio in extremum prolapſam infortunium deſpiceret: ſed virum ab huius experimenti cupidine auctoritate ſua auerteret: doceretque, de quo is ſuſpicionem haberet, id illam non feciſſe.

Percunctatus Epiſcopus, num libidinis pœniteret, & de cætero pudicitiam promitteret, vbi effuſiſſime lachrymantem aſpexit, & affirmantem audiuit, nunquam ſimilia perpetraturam, quin etiam delicti pœnas ſubituram: cum prius de coniugali caſtitate, & de fide legitima viro ſeruanda diſputaſſet, deinde iuſſit ferrum ignitum, id quod maritus voluerat, fidenter contingere. Illa ad virum rediit, & explorationem adhiberi poſtulauit. Maritus quia facere non poterat, quin aliquo minime dubio argumento ſuſpicione ſe exſolueret, ſolam in quoddam templum ſeduxit, ferrumque quantum poterat igneſcere curans, & forcipe corripiens, manibus coniugis impoſuit, ac ter ſacrum ſuggeſtum circumire iuſſit. Quod vt fecit, tamque illæſa manſit, quam ſi ignem nullum tetigiſſet, maritus veritatis vim admiratus, abiecta ſuſpicione, ferrum ſuper ſuggeſto reponi mandauit: quem, quia nimium candebat, vſtulando penetrauit, & in terram decidit. *Cantacuz. hiſt. lib. 3. c. 27.*

*Talis Probatio per Sacros Canones Nvnc Svblata.*

Hæc purgatio per ferrum candens, quamquam eam Deus miraculis aliquoties confirmare viſus fuerit, à ſacris tamen canonibus c. *Conſuluiſti.* cap. *Mennam*, 2. q. 5. & c. *Dilecti* ext. de purgatione vulgari, interdicta eſt. Propter rationes à Diuo Thoma Aquinate 22. q. 95. à 8. ad 3. allatas: ſcilicet, & quod ſuperſtitioſa videatur, & Deum tentare: & ſit contra illud Deut. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

XX.

Tuendis innocentib. communior ratio ex iuriſprudentia

SYVO ADVOCATVS PAVPERVM.

dentia: in qua per hæc tempora ſumma cum laude verſatus eſt Iuo natione Bryto, eruditiſſimus iuris conſultus, qui præter doctrinam & eloquentiam ſingularem, mira etiam pietate & miſericordia in pauperes vſus, Aduocati pauperum nomen promeruit. Nam cum ampliſſimum patrimonium haberet, ſpem ſuam omnẽ in Deo collocans, illorum, & orphanorum, ac viduarum cauſas pro virili tuebatur. Propter iſtud pietatis opus, condignam laboris & patrocinij ſui mercedem à Domino poſtmodum grandem percepit, miraculis illuſtris. *Supplem. Chron. lib. 13.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1342.

### CLEMENTIS PAPÆ VI.
### Anno I.

I. OBITVS BENEDICTI PP.

AD 25. diem menſis Aprilis, Benedictus Pontifex ex tibiæ dolore, quam imperiti medici ne flueret impedire ſero conati ſunt, ſancto fine quieuit: longiore vita, ad Eccleſiaſticam diſciplinam inſtaurandam, adque Eccleſiam & rempubl. Chriſtianam florentiſſima pace ſtabiliendam digniſſimus. Gallis quibuſdam profanis, quod non omnia ex voto concederet, neque libidini eorum ſeruiret, mors eius non ingrata fuit. Quamobrem ineptientes, in ſanctam eius memoriam impie luſerunt, hac lædorio ſepulturæ inſcripto. *Hic ſitus eſt Nero, laicis mors, vipera clero. Deuius à vero, Cuppa repleta mero.* Pij omnes mortem eius deplorarunt, qui meminiſſent illum bono publico vixiſſe, nec quicquam ſuis conceſſiſſe. Ex ſex enim Purpuratis, quos ſemel toto ſui Pontificatus tempore dixit, neminem ſuorum creauit, ſed viros egregios vndequaque ad tantam dignitatem vocatos. Multam vim auri, non cognatis ſuis aut affinibus, ſed Eccleſiæ reliquit. Tantæ præterea conſtantiæ fuit, vt dimoueri à recto, neque vi, neque precario, neque pollicitationibus vnquam potuerit. Bonos quoque impenſe diligebat, & viciſſim malos ac ſceleratos aperte odio habebat. Cumque reliquis omnibus vitiis inſenſiſſimus eſſet, tum potiſſimum proditores, periuros, fœdifragos, perfidoſque perſequebatur. Ludouico Bauaro aliquando reſpondit: *Dominum, perfidiam non impunitam abire permiſſurum.* Hæc cauſa fuit, cur illum, quamquam propenſum haberet erga eum animum, anathemate non exſoluerit, neque ad Romana ſceptra admiſerit. Virorum Doctorum ſtudioſus extitit Benedictus, & præcipue poetæ famoſiſſimi Petrarchæ, & magnorum Theologorum illius temporis Gregorij Ariminenſis, & Thomæ Argentinenſ. Quamobrem illo bonis literis fauente, floruerunt multi hoc æuo viri pietate & doctrina inſignes, Bernardus Dominicanus, Simon de Caſſia, Gerardus Senenſ. Hermanus de Scildis, Simon Cremonenſ. Michael de Maſſà Henricus de vrimaria, Ordinis Eremitarum S Auguſtini Theologi, vna cum aliorum Ordinum luminibus. Iottum quoque pictorem Florentinum hac ætate egregium, ad pingendas Martyrum hiſtorias in ædibus ab ſe Auinione extructis conducere in animo habuit Benedictus. Pœnitentiariorum, & Notariorum Apoſtolicæ ſedis collegium, nec non Ordinem Ciſtercienſium ac plures alios ſanctis legibus reformauit, adque arctiorem viuendi rationem reuocauit. Beneficia Eccleſiaſtica in curia per obitũ vacantia, ſedi Apoſtolicæ reſeruauit. Viſitatoribus Prælatis, ne ſumptus immoderatos in viſitationibus facerent, præſcripſit. Defunctus, in Eccleſia S. Mariæ Donorum, Auinione, ingenti cum luctu bonorum, nec ſine funebri pompa ſepultus quieſcit.

OMNIBVS VITIIS FVIT INFENSISSIMVS.

BENED. DOCTORVM VIRORVM AMATOR ET BONARVM LITERARVM FAVTOR.

II. CREATIO CLEMENTIS VI. PP.

Nouemdialibus in Baſilica maiore, Cardinales, abſolutis, III. Nonas Maii, poſt votiuum de ſancto Spiritu ſacrificium conclaue in ædibus FF. Prædicatorum ingreſſi, ipſis Nonis Maii Fratrem PETRVM Rogerij, presbyterum Cardinalem SS. Nerei & Archilei tt. Faſciolæ, Pontificem elegerunt, & Clementis ſexti nomine ſalutarunt. Natus Clemens apud vicum Roſeum Lemouicenſ. diœceſis patre Guillelmo, ante pubertatis annos religioni Diui Benedicti, apud Caſam-Dei, in præaltis ac vicinis Aruernorum iugis, ſe addixerat. Lutetiam ad ſtudia literarum capeſſenda miſſus, quod eſſet perſpicaci ingenio, tanta auiditate philoſophiam & Theologiam complexus, vt paucos ſuperiores habuerit. Petrarcha, literatiſſimum Pontificem appellabat. Ioanni XXII. propter incomparabilem ſcientiam gratiſſimus, Sancti Baſilij apud Nemauſum cœnobio, Prioris cum dignitate prælatus fuit. Exinde Abbas Fiſcanenſ. in Normandia, poſtea Atrebatenſis Epiſcopus, mox Regij ſcrinij & ſigilli præfectus poſtea Senonenſ. deinde Rothomagenſis Archiepiſcopus, & à Benedicto Cardinalis creatus gradum ſibi per virtutes ad eam dignitatem fecit. Pontificatum illi aliquis, ſiue prædixiſſe, ſiue ominaſſe fertur. Cum enim Lutetiæ Pariſiorum Doctoris Theologi nomine & laurea donatus, ad monaſterium Caſæ Dei reuertens, in itinere apud Aruernos in ſaltu Randanio in latrones incidiſſet, & ab illis viatico & veſte ſpoliatus, præter induſium lineum & vitam incolumem nihil aliud, Turetum, ad Stephanum Aldebrandum, qui Eccleſiaſticum beneficium modici reditus obtinebat, attuliſſet, atq; ab eo miſerante ſpoliati monachi caſum benigne habitus veſte & neceſſarijs donatus: *Ecquando acceptum ego beneficium referre potero?* interrogaſſet: Aldebrandus ei repoſuit: *Tum cum eris Romanus Pontifex, tunc par pari referes.* Renunciatus Pontifex, memor veteris officij, Auinionem Aldebrandum euocatum, primo cubicularium, mox Tholoſanum Antiſtitem eſſe iuſſit: cum paulo ante, ipſa feſtiuitate Pentecoſtes 14. Calend. Iunij, Auinione in Baſilica Prædicatorum, Ioanne primogenito Regis Galliarum, & Cardinalibus, Epiſcopis, Clero & populo præſentibus, à Neapoleone Vrſino Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiacono inſignia Pontificatus ſumpſiſſet, & aſſumptionis ſuæ omnes Reges ac Principes admonuiſſet. Romam perlato eius rei Nuncio, Stephanus Columnius, & alij nobiliſſimi Ciues Romani, Clementem ſtatim rogarunt, vt ineunte Pontificatu, Romæ Diui Petri ſedem inuiſeret & annum Iubilæi ad quinquageſimum reduceret. Alij quoque Italiæ proceres, Franciſcum Petrarcham Auinionem deſtinarant, qui ad profectionem illum hortaretur. Cæterum ille omnibus, ſe id quidem cupere, ſed nondum venire poſſe, reſpondit.

QVALIS ANTE PONTIFICATVM CLEMENS.

CLEMENS BENEFICII MEMOR.

INVITATVR VT ROMAM VENIAT.

III. PETRARCHÆ CARMEN DE ROM. ECCLES. PONTIF. VIDVATA.

Extat Petrarchæ carmen elegantiſſimum, dignum quod propter multiplicem rerum Romanarum notitiam legatur, in quo Eccleſiam Romanam ſponſæ viduatæ ſchemate inducit, hunc in modum compellantem Pontificem, vt Romam properaret.

*Spes mihi longa nimis Pater ô Sanctiſſime Patrum*
*Obfuit, expectans ſenui, ſponſumque morantem,*
*Increpitans, reuocanſq; domum. Non litera ſupplex*
*Eu aluit mouiſſe loco, non ora relictæ*
*Coniugis, aut lachrymæ, quotiens ſibi triſtis, egenu*
*Occurri, gemituq́; genas madefacta recenti.*
*Heu Parthis miſeranda prius, quam chara marito.*
*Qui mihi labenti in cineres, & ſæpe roganti*
*Auxilium, aut ſeræ ſaltem ſolatia mortis,*
*Nil niſi blanditias tempuſq; trahentia verba*
*Reddidit ac miſeram tenui ſpe pauit amicum*
*Nunc reditum morbus, nunc quæſtio lenta retardat*

Quid



*Quid videant animæ felices, corpora poſtquam*
*Exierint: nunc perplexas componere leges*
*Aut mores formare nouos, nunc deſtruere arces*
*Aerias, cæloq́; pares attollere turres*
*Interea dum multa parat, dumq; vltima ſemper*
*Cura mei, externis nimium dum torpet in oris,*
*Tempus abit, fugiuntq; dies, morſq; impia tandem*
*Abſtulit æterna præfixum lege tributum.*
*Sic viduæ viduata domus, tenebriſq; tenebræ*
*Acceſſere meis, ſed enim miſerata ſuperne*
*Te pietas diuina mihi ſeruabat egenti.*
*Sæpe dolet mens cæca hominum, trepidatq; gemitq;*
*Eſt vbi gaudendum, rumor modo mortis acerbæ*
*Intulit haud merita ſubitum pietate dolorem.*
*Mox ſuperaduenienſ miſeræ mihi nuncius alter*
*Deterſit lachrymas, atram deponere veſtem*
*Iuſſit, & ex imo fœlicem coniuge dixit.*
*Obſtupui auditis, & vix bene credula veri*
*Multa ſub ambiguo verſabam pectore mecum*
*Gaudia non capiente animo, certiſſima poſtquam*
*Nuncia magnanimi nomen Clementis ad aures*
*Fama tulit noſtras, timui ne læta repente*
*Opprimerent fragilem nimia dulcedine mentem.*
*Lætior haud charo genitrix fuit obuia nato*
*Quem periiſſe truci quondam ſub Marte putabat.*
*Ergo iter arripiens glacialem tranſvehor alpem*
*Lætitia minuente viam, & mulcente laborem*
*Ante pedes ventura tuos, dulciſſime coniunx.*
*Alme parens miſerere precor, noſtramve querelam*
*Suſcipe, neu viduam ſponſæ patiare ſenectam*
*Non ignara quidem, nec rerum neſcia veni.*
*Eſt mihi longinquæ fateor telluris origo,*
*Et patriæ prædulce ſolum, ſerieſque iuuentæ*
*Eſt aliis traducta locis, ſunt agmina Regum*
*Chara, nec exiguos tibi Gallia iungit amicos.*
*Hæc nocitura mihi poterunt fortaſſe videri,*
*Sed ſponſæ ſuperabit amor, pietaſq; decuſq;*
*Sedis honoratæ: quamquam tibi protinus vni*
*Omnia ſubiaceant, Dominum licet vltima norint*
*Regna ſuum, Herculeis qua conſignata columnis*
*Helleſpontiaco tellus diſtinguitur æſtu.*
*Hæc tamen eſt tua prima Domus, tua maxima ſedes*
*Quam ſacri tenuere Patres, quam corpore Petrus*
*Innocuo parili quam Clemens nomine preſſit.*
*Tu Clemens qui Petrus eras hanc cernere ſedem*
*Nonne voles, cupieſq; caput contingere mundi?*
*Nonne pedis iuuat in ſolido veſtigia ſaxo*
*Fixa, ſalutiferi Faciemq; agnoſcere Chriſti?*
*Vel quæ fœmineo ſeruatur condita panno.*
*Vel populo quæ viſa olim ſub vertice templi*
*Emicuit, perſtatque minax horrore verendo.*
*Quid referam noſtræ cunabula parua ſalutis*
*Et ſacros poſtes, vbi rerum Conditor ingens*
*Conticuit ſomnos blande ſuadente MARIA.*
*Lac quoque vel puero optatum, vel Virginis Almæ*
*Leue puerperium, puraque ex carne reciſam*
*Particulam infanti, precioſaque fragmina veſtis,*
*Et cuſtoditos in ſecula noſtra capillos.*
*Quid digitum Agnetis, & nunc quoque fulgidus ornet*
*Annulus, impoſuit cupida quem mente miniſter*
*Prorſus inardeſcens, ſacroque aſſenſerit illa*
*Coniugio, ac tali placarit fœdere flammas.*
*Quid Petri trepidatis iter, Dominique monentis*
*Occurſu poſuiſſe fugam, & rediiſſe volentem*
*Compreſſo terrore ſenem, cunctiſque paratum*
*Exequar? Ipſe oculis ſpectacula pulchra videbis*
*Extat opus, lateriſque tremuit domus arcta caduci*
*Et teſtis pictura rei, cui maxima quamuis*
*Cauſa nocet celerans impendet ſæpe viator*
*Nec ſe victa quidem, ſed viuos cernere vultus*
*Colloquiumque audire putans, & territus hæret,*
*Triſtis imago Dei. Romana palatia verſus*
*Tendit enim contra ille humilis ſimiliſque precanti*
*Flectitur, & pauido gradientem ſuſpicit ore*

VERONICÆ SVDARIVM.

*Si mortis ſecura igitur veſtigia flexit*
*Ille retro, nec pertimuit tormenta Crucemque*
*Me repetens, tu quid dubitas, cui dulcia mecum*
*Omnia, cui placidæ patet auguſtiſſima vitæ*
*Conditio, & ſummi tranquillum culmen honoris.*
*Quid capita heroum memorem, claramque Ioannis*
*Ore cicatricem rigido, duramque Leuitæ*
*Craticulam, & gemino fœcundum martyre buſtum,*
*Collegæ ceſſiſſe locum quo maximus hoſpes*
*Traditur, immotis vbi nunc amplexibus ambo*
*Fœlices ſine fine iacent. Quis cuncta Caliſti*
*Funera dinumeret, cumulis ſurgentia miris*
*Oſſeus eſt paries, illic vbi terra cruentis*
*Imbribus, & ſacra diſtillant tabe cauernæ?*
*Quiſve Vaticano latitantia corpora clauſtro*
*Expediat, quæ ſumme parens agnoſcere coram*
*Quid niſi cæleſtis fuerit regionis imago?*
*Condita quin etiam ſupremo mœnia monte*
*Æſtiuæ niuis indicio, delubraque partu*
*Obruta virgineo, & fontes torrentis eliui*
*Ac Tybridos commixta vadis, noua flumina cernes*
*Quaſque dedit ſcatebras Pauli ſanctiſſima ceruix*
*Dulcis aquæ? Quo Syluester latitarit in antro?*
*Quæ Conſtantino ſpecies oblata Deorum*
*In ſomnis, niueo quas idem marmore cruſtas*
*Liquerit infamem monſtrato gurgite morbum*
*Propellens? vt cœpta Deo lis teſte quierit*
*Quod Magus infando macularit corpore ſaxum*
*Fluxerit offenſo quisnam de numine ſanguis*
*Quiſque ſacer tellure cruor? Quis vindice cælo*
*Sanctorum capitum per maxima mœnia fures*
*Nexibus implicuit foribuſque auertit apertis*
*Ac trepidos meritam ad mortem circumtulit error?*
*Non ego nunc Aron virgam, nec fœderis arcam*
*Nec teſtamenti veteris mea pignora, quot ſint,*
*Quotque noui monimenta ſequar, prius aſtra ſerenæ*
*Noctis, & Oceani numero ſtringentur arenæ.*
*Illa libens Sileo quæ ſponſo magna minori*
*Quæ vel prima florent, tam multis clara triumphis*
*Limina, tot celebres domitis regionibus arcus*
*Inſculptoſque Duces inſcriptaque marmore bella*
*Iſta nihil motura animum, & vulgata relinquo*
*Hos equidem ex multis reor admiraberis actus*
*Cæſareos, vt Tarpeio veſtigia colle*
*Fatidicæ quondam ductu monitiſque Sybillæ*
*Preſſerit Auguſtus Cæſar, viſoque feratur*
*Obſtupuiſſe Deo, quid tum niſi talia voluens,*
*Alme puer, decus æthereum, ſtirps certa tonantis*
*Iſta tibi ſimul atque tuis vrbs inclyta ſemper*
*Præſtabit ſedem, Cælique vocabitur Ara.*
*Iſte locus, ſurgens Matris ſub nomine Templum.*
*Tu Dominum rerum, charoſque habitare nepotes*
*Omnipotens hac arce iube populoſque ſubeſſe,*
*Atque Duces, validaſque vrbes, Regeſque ſuperbos*
*In manibus Deus ecce tuis, & fata locarunt.*
*Profuerintve preces, an ſparſerit irrita ventus*
*Tam pia verba Ducis, quem tu de pectore noſtro*
*Per cunctos age cælicolas auerte pauorem*
*Cuius non animum moueant tam grandia rerum*
*Nomina ſub noſtras Hieroſolyma ducta ſecures*
*Vilis & Auſonia venalis turba ſub haſta*
*Nec minus admirans Romani frena tenentem*
*Principis aſpicies viduam natique perempti*
*Poſcere vindictam, ſimul illum fronte benigna*
*Reſpondere pium miſere dare verba gementi*
*Pollicitis captare moras, nempe ipſe reuertar*
*Lege caput fontis feriam. Contra acrius illam*
*Obniti, & cohibere manu, ſpes iſta futuris*
*Qui niſi forte redis, meus hæc ſucceſſor, honori*
*Quid virtus aliena tuo. Qua voce coactum*
*Siſtere prærapidas acies & figere ſigna*
*Nec prius auerti quam iuſto colla nocentis*
*Supplicio afficeret, lenito pectore tandem*
*Fœmineo tenuiſſe viam, victricibus aſtris*

Quo

*Quo merito infernis valida prece captus ab vmbris*
*Nunc fœlix cœlo fruitur, nec fortius vllo*
*Exemplo flectendus eris, pro coniuge ſupplex*
*Aduenio, ne temne preces, neu debita differ*
*Tempus in alterius. Quid quod prius ipſa placebam*
*Quam tibi vincta forem, pigeat niſi vera fateri*
*Et niſi ſordet inops, vetus eſt niſi nupta pudori*
*Congreſſus optare meos faciemq; ſolebas,*
*An verear ne chara minus tibi ſim tua, quam dum*
*Alterius fueram, vulgi mos iſte prophani.*
*Inſperata petit cupide, poſſeſſa relinquit,*
*Et probat, & damnat temere, & faſtidit, & ardet.*
*At tibi mens alta eſt, nunquam vulgaria tanto*
*Corda dedit natura viro. Cur publica differs*
*Gaudia? Cur ceſſas tibi me, mihi redde quietem*
*Italiæ mundoq; decus, finemq; malorum.*
*Quem ſi fata vetant, abſentem proſpice ſaltem.*
*Et memor eſto mei, nutant ingentia longo*
*Templa ſitu, laſſiſq; tremunt iam mœnibus arces.*
*Prætenduntq; grauem nullo reparante ruinam.*
*Rara mihi veteris ſuperant inſignia formæ*
*Effigieſq; antiqua perit, vix illa putatur.*
*Si prope conſpiciar, ſic me fregere labores*
*Aſſidui, longuſq; dolor, viduumq; cubile*
*Coniugibuſq; orbata domus, tot triſtibus vna*
*Maieſtas inuicta viget, ſintq; omnia poſtquam*
*Obruta, ſupremis inerit per ſæcula ſaxis.*
*Eſt mihi ſacra domus gemino fundata Ioanni*
*Heu dolor, heu pietas, heu verſus ad arma vetuſta*
*Religionis honor, flammis abſumpta nefandis.*
*Tecta diu neglecta iacent, ſuccurre, nec vltra*
*Nix ſacrum premat alta ſolum, parieſq; nec imbri*
*Nec vento aſſidue circum quatiente fatiſcat*
*Impleat hic factis meritum Clementia nomen,*
*Et tua tangantur noſtro præcordia damno*
*Quod quondam caput exanimis miranda relatu*
*Vera tamen memoro, & pallentia contigit ora*
*Quo furibunda die ſanctis incendia muris*
*Hæſerunt tremefacta nouo pia turba tumultu*
*Et circum ſua damna frequens afferre parabat*
*Auxilium fruſtra namq; hinc violenta fauillas*
*Hinc fumi per inane globos ſimul aura ferebat*
*Arcebatq; aditu, iam tum penetralia raptim*
*Dum vacuat trepidus pereant ne cuncta ſacerdos*
*Pancratii caput extulerat, medioſq; per ignes*
*Geſtabat voti compos, generoſa ſupellex*
*Splendidior gemmis, rutilo pretioſior auro*
*Sanguineo ſudore palam lachrymiſq; viciſſim*
*Largiter interea monſtrum memorabile ſemper*
*Manebat, proceresq; & turbam exterruit omnem.*
*Teſtis adeſt populus: quid ſpem mihi præripit ergo*
*Lumina viua negent lachrymas quas protulit horrens*
*Sinciput, & ſicci ſtillarunt verticis oſſa.*
*Quin & Achillei, & ſocii domus inclyta Nerei*
*In titulos erecta tuos ſuprema minatur*
*Arcus effigies, ſed adhuc ſpecimenq; ſuperni*
*Quatuor alterno radiant ſplendore columnæ*
*Illa etiam ſuprema tremunt, cuſtode ſine vllo*
*Auxiliumq; tuum expectant, miſerere, nec illam*
*Celſior arx memori tulerit de pectore ſedem.*
*Non etenim noſtro quamuis cœlum omne tonanti*
*Pareat aſtrorum quamuis regat ille meatus*
*Neglexit terras ideo, rerumve minorum*
*Cura fugit meminit ſibi quæ cunabula mundus*
*Obtulit infanti, quidnam vaga præbuit vnda*
*Obſequii. Quid terra manens, quid flamma, quid æther*
*Nec tibi iam cœliq; gradus & ſumma tenenti*
*Excidat aſſatus veteris cognominis vnde*
*Vectus es ad ſuperos. Solio Saluator ab alto*
*Spectat Auentini diſiectum vertice templum*
*Teq; parum fauſtis ſuccurrere mœnibus orat.*
*Infinita ſequor. Quot ſunt mihi templa, quot arces,*
*Vulnera ſunt totidem: Crebris confuſa ruinis*
*Mœnia reliquias immenſæ & flebilis vrbis*
*Oſtentant, lachrymaſq; mouent ſpectantibus: his tu*
*Affer opem, qui cuncta potes, cui debita ſoli*
*Noſtra ſalus, viduæ caſus miſerere malignos.*
*Hoc vnum poſt multa precor, breuiore recurſu*
*Annus eat redeatq; ſacer, mundoq; ſalubris*
*Stat morbis medicina patens, ſit proxima culpæ*
*Spes veniæ pelaguſq; graui iactante procella,*
*Sit prope naufragium portus, ne littora longe*
*Dum petimus miſeri mediis moriamur in vndis*
*Nam quis ad extremæ longiſſima tempora vitæ*
*Peruenit, aut æui centenos conficit annos?*
*Non modo tantorum corpuſcula nempe dierum*
*Præſtat iners natura homini, præteruolat ætas*
*Viuimus & morimur oculi trepidantis in ictu.*
*Ergo retro metam ſtatuas, quæ crimina mundi*
*Diluat, abſoluatq; reos, & vincula ſoluat.*
*Nec noua res petitur, nec ſcriptis diſſona ſacris*
*Quæ tibi nota vni, niſi me tua fama fefellit.*
*Certe ego commemini dum quinquageſimus annus*
*Sanctus in Orbe fuit, Dominiq; hæc iuſſa notaui*
*Sanctificabis eum, qui noxia cuncta remittet.*
*Et Iubilæus erit: Scis quid loquor: annue tandem*
*Quod tua Roma gemens genubuſq; affuſa precatur.*
*Nam mihi deuotas quando omnia regna cateruas*
*Tranſmittent, Italiſq; pluent à finibus vrbes*
*Limina ſanctorum cupidamq; inuiſere matrem*
*Tunc Dominum licet abſentem complexa videbor*
*Ipſa meum, dulces genitrix velut anxia natos*
*Coniuge longinquo circum ſua pectora cernens*
*Seq; virum ſpectare putant, complectitur illos*
*Quos videt & preſſo ſuſpirat conſcia voto*
*Sic ego conſpiciens quorum ſumus ambo parentes*
*Meq; laresq; meos ſolabor prole frequenti*
*Perdita poſſeſſis mulcens & triſtia lætis.*

Hæc Petrarcha Clementi Pontifici, nomine vrbis & Rom. Eccleſ. pangebat, reditum in vrbem, & Iubilæi ad annum Quinquageſimum indictionem proſopopæia efficta depoſcens.

IV. LITERÆ CLEMENT. PP. QVIBVS IVBILÆVM AD ANNVM QVINQVAGESIMVM REDVCIT CVM CONCESSIONE INDVLGENTIARVM.

Et quidem Clemens annum Iubilæum à centeſimo ad quinquageſimum reduxit, eaſque quas adſcribere volui, Archiepiſcopo Tarraconen. eiuſque ſuffraganeis, nec non omnibus aliis Prælatis Eccleſiarum deſtinauit. Ita habent ad verbum. *lib. 5. extr. commun. tit. de pœnitent. & remiſſionibus.*

*Vnigenitus Dei Filius, de ſinu Patris in vterum dignatus eſt deſcendere matris, in qua, & ex qua noſtra mortalitatis ſubſtantiam, diuinitati ſuæ in ſuppoſiti vnitate ineffabili vnione coniunxit: id quod fuit permanens, & quod non erat aſſumens: vt haberet vnde hominem lapſum redimeret, & pro eo ſatisfaceret Deo patri. Vbi enim venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ſub lege, natum ex muliere, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem reciperent filiorum. Ipſe namque factus nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio, non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Non enim corruptibilibus auro & arguto, ſed ſui ipſius agni incontaminati, & immaculati pretioſo ſanguine nos redemit: quẽ in ara crucis innocens immolatus, non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſet, ſed copioſe, velut quoddam profluuium noſcitur effudiſſe: ita vt à planta pedis vſque ad verticem capitis, nulla ſanitas inueniretur in ipſo. Quantum ergo exinde, vt nec ſuperuacua, inanis, aut ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſiuit, volens ſuis theſaurizare filiis pius pater, vt ſic ſit infinitus theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt, Dei amicitiæ participes ſunt effecti. Quem quidem theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per Beatum Petrum cœli clauigerum, eiuſque ſucceſſores ſuos in terris Vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum: & propriis, & rationalibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quam ſpecialiter (prout cum Deo expedire*





*cognoſcerent) vere pœnitentibus & confeſſis miſericorditer applicandum. Ad cuius quidem theſauri cumulum, Beatæ Dei genitricis, omnium electorum, à primo iuſto vſque ad vltimum, merita adminiculum præſtare noſcuntur, de cuius conſumptione, ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum; tam propter infinita Chriſti (vt prædictum eſt) merita, quam pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iuſtitiam, tanto magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum. Quod felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter pie (ſicut indubie credimus) conſiderans, & attenta meditatione reuoluens, quantum apud homines glorioſi principes terræ, Petrus & Paulus, (per quos Euangelium Chriſti Romæ reſplenduit, & per quos Eccleſia religionis ſumpſit exordium: qui facti Chriſtiani populi per Euangelium genitores, gregis Dominici paſtores, Fidei lucernæ, Eccleſiarum columnæ, præ cæteris Apoſtolis peculiari quadam prærogatiua in ipſo Saluatore, Fidei virtute præcellunt; quorum vni, ſcilicet Apoſtolorum Principi, ſicut bono diſpenſatori, claues regni cœlorum commiſit; alteri tanquam idoneo Doctori, Magiſterium Eccleſiaſticæ eruditionis iniunxit) in ſpeciali veneratione haberi debeant, & debita honorificentia venerari, pro ipſorum memoria recolenda crebrius, & reuerentia à cunctis Chriſti fidelibus eis deuotius adhibenda, ipſorumque patrocinio fauorabilius aſſequendo, inconſumptibilem theſaurum huiuſmodi, pro excitanda, & remuneranda deuotione fidelium voluit aperire; decernens, de Fratrum ſuorum conſilio, vt omnes, qui in anno à Natiuitate Domini M. CCC. & quolibet anno centeſimo extunc ſecuturo, ad dictorum Apoſtolorum baſilicas de Vrbe accederent reuerenter, ipſaſque, ſi Romani, ad minus XXX. ſi vero peregrini aut forenſes fuerint, XV. diebus continuis, vel interpolatis, ſaltem ſemel in die; dum tamen vere pœnitentes, & confeſſi exiſterent, perſonaliter viſitarent: ſuorum omnium obtinerent pleniſſimam veniam peccatorum.*

*Nos autem attendentes, quod annus Quinquageſimus in lege Moſaica, (quam non venit Dominus ſoluere, ſed ſpiritualiter adimplere) Iubilæus remiſſionis, & gaudij, ſacerque dierum numerus, quo lege fit remiſſio, cenſebatur: quodque ipſe Quinquagenarius numerus in Teſtamentis, veteri quidem ex legis datione, nouo ex viſibili Spiritus ſancti in Diſcipulos miſſione, per quẽm datur peccatorum remiſſio, ſingulariter honoratur; quodque huic plurima, & grandia diuinarum adaptantur myſteria Scripturarum: & clamorem peculiaris populi noſtri Romani, videlicet hoc humiliter ſupplicantis, ac nos inſtar Moyſis & Aaron, per proprios & ſolennes nuntios ad hoc deſtinatos ſpecialiter, orantis pro toto Chriſtiano populo, & dicentis: Domine, aperi eis theſaurum tuum, fontem aquæ viuæ: deſiderantes benignius exaudire; non quidem, vt ſicut illius Iſraelitici populi indurati ceſſet murmuratio, ſed vt iſtius prædilecti populi, & cunctorum fidelium augeatur deuotio, Fides ſplendeat, ſpes vigeat, charitas vehementius incaleſcat: volenteſque quamplurimos huiuſmodi indulgentiæ fore participes, cum pauci, multorum reſpectu propter vitæ hominum breuitatem valeant ad annum centeſimum peruenire: de Fratrum noſtrorum conſilio, prædictam conceſſionem Indulgentiæ, ex ſupraſcriptis, & aliis iuſtis cauſis, ad annum Quinquageſimum duximus reducendam. Statuentes, de Fratrum conſilio prædictorum, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, vt vniuerſi fideles, qui vere pœnitentes & confeſſi, in anno à Natiuitate eiuſdem M. CCC. Quinquageſimo proxime futuro, & deinceps perpetuis futuris temporibus, de quinquaginta in quinquaginta annis, prædictas eorundem Petri & Pauli Apoſtolorum Baſilicas, & Lateranenſem Eccleſiam (quam inclytæ recordationis Conſtantinus, poſtquam per B. Syluestrum, ſicut per eoſdem Apoſtolos Deo reuelante cognouit, renatus fonte baptiſmatis fuerat, & à contagio lepræ mundatus, in honorem Saluatoris conſtruxiſſe, quamque idem B. Syluester, nouo ſanctificationis & chriſmationis genere dedicaſſe legitur; & in cuius Eccleſiæ parietibus, præfati Saluatoris imago depicta primum toti populo Romano viſibiliter apparuit deuotius veneranda: quam ex his, & aliis certis & rationabilibus cauſis, vt ipſa Eccleſia pariter indulgentiæ prædictæ priuilegio decoretur, & deuotius ab eodem Saluatore, qui in præfatis Apoſtolis mirabilis prædicatur, eorum meritis & precibus indulgentiæ mereatur percipere largitatem, in hoc cenſuimus venerandam) cauſa deuotionis modo prædicto viſitauerint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum veniam conſequantur; ita videlicet, vt quicunque voluerit indulgentiam huiuſmodi aſſequi, ſi Romani, ad minus triginta; ſi vero peregrini, aut forenſes, modo ſimili quindecim diebus ad prædictas baſilicas, & Eccleſias accedere teneantur. Adijcientes, vt ij etiam, qui pro ea conſequenda ad eaſdem baſilicas & Eccleſias accedent, poſt iter arreptum impediti legitime, quo minus ad vrbem illo anno valeant peruenire, aut in via, vel dierum prætaxato numero non completo in dicta Vrbe deceſſerint, vere pœnitentes (vt præmittitur) & confeſſi, eandem indulgentiam conſequantur. Omnes nihilominus, & ſingulas indulgentias, per nos, vel prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, tam prænominatis, quam aliis Baſilicis & Eccleſiis de dicta Vrbe conceſſas, ratas, & gratas habentes, ipſas auctoritate Apoſtolica confirmamus & approbamus, ac etiam innouamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reductionis, conſtitutionis, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſeſe nouerit incurſurum. Datum Auinione VI. Calend. Februarij, Pontificatus noſtri anno primo.*

*Quocirca Fraternitati Veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſinguli veſtrum, in ſingulis veſtris Ciuitatibus & diœceſibus, prædictas noſtras literas, ſubditis vobis Clero & populo publicetis, & intelligibiliter exponatis; vt annuente Domino, ad promerendam huiuſmodi indulgentiam ſe diſponant. Cæterum, quia præſentes literæ nequirent forſitan propter viarum diſcrimina, vel alia legitima impedimenta ſingulis veſtrum commodè præſentari; volumus, quod per te frater Archiepiſcope, dictarum literarum tranſumptum, manu publica ſcriptum, tuoque munitum ſigillo, vobis fratres ſuffraganei tranſmittatur. Cui velut originalibus literis, adhiberi volumus plenam fidem. Datum, &c.*

V. VISIO QVÆ CLEMENTEM MOVIT AD HVIVS MODI REDVCTIONEM FACIENDAM.

His literis Clemens Pontifex annum Iubilæi indicebat. Cæterum non eſt ſilentio inuoluendum, id quod Albericus à Roſate, qui his temporibus vixit, eique Iubilæo cum vxore & tribus filiis interfuit, in ſuo Iuris vtriuſque Dictionario verbo *Iubilæus annus* inſeruit, ſcilicet Clementem Sextum alias literas indictionis Iubilæi concepiſſe, & cauſam quæ illum ex viſione quadam permouerat, expreſſiſſe: iſtis verbis inter alia.

*Noueritis filij chariſſimi; quod venerunt ad ciuitatem Auinionis, vbi nunc tenemus curiam Romanam, venerabiles dilecti filij noſtri Iacobus Sauelli, Bricius Sauli, & Iacobus de Columna ciues nobiliſſimæ ciuitatis Romanæ, & Sindici totius Senatus eiuſdem, referentes nobis plurima. & quia ſeries verborum narratione plena erat, in craſtinum mandauimus Conſiſtorium conuocari; & nocte Conſiſtorium præexiſtente, apparuit nobis in viſione quædam reuerenda perſona, in manu duas claues gerens. quæ nobis verba ſequentia dirigebat. Aperi oſtium, & ex eo ignem mitte, quo caleſiat, & illuminari valeat totus mundus: & in craſtinum celebrauimus Miſſam de Sancta Maria vt ſi viſio iſta à Deo erat, iterum appareret: ſi autem phantaſma eſſet vel illuſio, totaliter euaneſceret. Præmiſſa igitur huiuſmodi oratione, ſecunda nocte vidimus ſimilem viſionem. Quare vocauimus Fratres noſtros Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & clerum in noſtro palatio coram nobis*; & cætera quæ ſequuntur de indictione Iubilæi.

VI. QVARE CLEMENS NON POSSET IN ITALIAM VENIRE.

Non erat integrum Pontifici in Italiam venire, quod Ludouicus Bauarus comitiſſa Tyrolen. olim Ioanni filio Regis Boemiæ deſponſa, filio ſuo Ludouico, in matrimonium collocata, per ſpeciem occupandi Comitatum, Tridentum iam peruenerat, & in Italiam penetrare decreuerat, ad Imperium ſibi inuito Pontifice ſtabiliendum, & ad ſtatum Italiæ perturbandum. Statim enim atque Benedictum fatis conceſſiſſe intellexit, Vicarios vrbibus, etiam Pontificiis auctoritate vſurpata præfecit. Ioannem Vici Dominum Viterbienſibus; Galeotum Malateſtam Arimino, Piſanis, Fanenſibus & Vrbinatibus Antonium Feretrarum; Eſſio, Galeſio, Senogalliæ Criuellum: Fabrianenſibus Bagaretum; Metellanis Iſmiducium; Sanſeuerinatibus Gentilem Veranum: Camertibus Michaelem; Montemilionibus Pangonum; Cingulanis Nicolaum Boſcaretum; Rauennatibus, Guidonem Polentanum; Foroliuienſibus & Cæſenatibus, Franciſcum & Sinibaldum Orde-

laſios: Fauentinis, Ioannem Manfretum. Aduentu Ludouici in Italiam futuro, Gibellini excitati, in Pontificis ſtudioſos Guelfos multa perpetrarunt: plurimoſque eorum vrbibus eiecerunt. Florentini, Baldos & Treſcobaldos, cum eorum familia & clientibus vniuerſis, ſolum vertere coegerant: cæterum in ſuam oppreſſionem Malateſtam exciuerant. Oppreſſorum precibus Robertus Siciliæ Rex victus, Florentinis Gualterum Brenenſem Gallum, præſidiariis multis auctum miſit ſubſidio. Pontifex porro, vt Vrbis & Italiæ ſtatum pacificum conſeruaret, & ab Italiæ ingreſſu Ludouicum prohiberet Matthæo Vrſino & Paulo Comiti, Senatoriam dignitatem vſque ad futuram Natiuitatis Domini ſolennitatem, datis literis Idibus Maij conceſſit. Deinde Guillelmum tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, & Aymericum tituli Sancti Martini in Montibus Cardinales Apoſtolicæ Sedis Legatos in Æmiliam, Inſubriam, Liguriam, Flaminiam & Etruriam deſtinauit, qui Principes Italiæ aduerſus Bauarum fœdere deuincirent, & venienti in Italiam confœderatos opponerent. Præter hæc anathema in temerarium ſtrinxit, & tum Patriarchæ Aquilegienſi, tum omnibus Europæis Archiepiſcopis, eorumque per Italiam, Gallias, Hiſpanias, Germaniam, Angliam, Boemiam & Poloniam ſuffraganeis, vt proceſſus à Sede Apoſtolica aduerſus profanum promulgatos euulgarent; & Sacra locis ab eo pollutis interdicerent præcepit. datis literis 2. Nonas Auguſti.

Cæterum cum proceſſus à Ioanne XXII. in illum promulgati longe prolixiores eſſent, quam vt ſingulis diebus Dominicis & feſtiuis poſſent commode, ad minimum vſque verbum pronunciari, decreuit Clemens, vt poſteaquam ſemel illos continuata ſerie ad populum euulgauerint, deinceps à repetita lectione eorum prolixa abſtinerent, contenti ſingulis Dominicis & feſtis diebus, pulſatis campanis & candelis accenſis, Ludouicum Bauarum diris deuotum pronunciare. Dedit ea de re Clemens literas apud villam Nouam Auinionenſ. Diœceſis 2. Non. Auguſti.

VII. CITATVR MOGVNTINVS ARCHIEPISCOPVS AD SEDEM APOSTOLICAM.

Eiecit inſuper Clemens cætu piorum, omnes & ſingulos, quicunque Ludouico adhæſiſſent, aut conſilio vel auxilio illi fauiſſent. Henricus Moguntinus Archiepiſcopus in his fuerat, qui Ludouico fauebat, & cenſuras Apoſtolicæ Sedis aduerſus illum publice contemnebat. Hic quod armis potens eſſet, Benedicti Pontificis monita & diras ob eam communicationem cum Bauaro X. Cal. Martij Pont. anno 4. prolatas nec quicquam penſi faciebat. Cumque ad eum non tutus pateret acceſſus, Clemens adfixo oſtiis Auinionen. Eccleſiæ monitorio edicto, diem illi apud Sedem Apoſtolicam infra quatuor menſium decurſum dixit. datis literis Auin. XVI. Cal. Nouembr.

VIII.

Vt autem poſt Robertum Siciliæ Regem recens defunctum, Ioannam Reginam & Siculos aduerſus Ludouicum animaret, Aymerico Legato iniunxit, qui illam conueniret, & Sedis Apoſtolicæ beneficio, Regnum illi Siciliæ iure fiduciario confirmaret; atque homagij quod vocant iuramentum, fidelitatiſque & obſequij ſponſionem, cenſu annuo interpoſito, ab ea exaudiret. Dedit ea de re literas Clemens, XIV. Calend. Decembr. cum illum quidem 2. Idus Octobr. Guillelmum vero XIV. Cal. Auguſti in Italiam ire iuſſiſſet.

*Regeſt. Clementis hoc anno. Platina; Ciacconius, Maſonius, Richardus Cluniacen. in Clemente. Petrarcha in operib. ſuis. Bonincontr. in annalib. Redborf. in annal. Mutius Chron. c. German. libr. vigeſimoquarto, Ioann. Villani lib. 12. Annal. Flandr.*

IX. OBITVS ROBERTI SICILIAE REGIS.

Ioannem in regno Siciliæ Roberto Regi ſucceſſiſſe conſtat hoc anno. Namque hoc ipſo ad XVI. diem Ianuarij Menſis, Robertus Rex Neapoli agens fatis conceſſit, nullis filiis, ſed tantum tribus neptibus, Ioanna, Maria, & Margarita, poſt ſe relictis, quas ex Carolo filio, Duce Calabriæ ſuſceperat. Earum natu maximæ Ioannæ regnum teſtamento legauit, hac conditione tamen, vt illud beneficiario iure à Sede Apoſtolica obtineret, & Andreaſſo Caroli Humberti filio, CAROLI vero Martelli fratris ſui nepoti nuberet, ac paribus auſpiciis regnum cum eo gubernaret.

ROBERTI ET EIVS VXORIS VIRTVTES.

Fuit Robertus vnus ex prudentiſſimis ſapientiſſimiſque Principibus, iuſtus, benignus, religioſus, liberalis, doctorum virorum amator, virtutis autem longe amantiſſimus. Habuit vxorem Sanciam Maioricæ Reginam, Aragonici Regis filiam mulierem ſanctiſſimam, ex qua Carolum ſuſcepit, & cuius gratia multa templa monaſter aque condidit, vtpote Neapoli Templum Sanctæ MARIÆ CRVCIS, quo Regina condita iacet, & Monaſterium Sanctæ CLARÆ. Conſtruxit quoque templa quædam in Prouincia Narbonenſi, & Hieroſolymis id quod in monte Sion Sanctæ MARIÆ dicatum eſt, atque aliud quoddam Sacellum pretioſiſſimum in defuncti Caroli memoriam. Inter eius magnifica geſta hoc conſtat, nunquam gratiam alicui factam vlla ex cauſa retraxiſſe. *Bonincontr. in Annal. Colenutius hiſt. Neapol lib. 5.*

X. EPITAPHIVM ROBERTO à PETRARCHA SCRIPTVM.

Mortuo Roberto Franciſcus Petrarcha iſtud quod adiungo Epitaphium adſcripſit:

*His ſacra magnanimi requieſcunt oſſa Roberti.*
*Mens cœlum generoſa petit, nunc gloria Regum*
*Interiit noſtriq; ruit decor vnicus æui.*
*Militiæ flos ſummus erat ſpeciemq; vetuſtæ*
*Indolis, egregius bello, ſed pacis amicus.*
*Hoc duce Barbaricum poteras Hieroſolyma collo*
*Excuſſiſſe iugum; poteras hoc arma mouente,*
*Pellere peſtiferos Trinacria ſerua tyrannos.*
*Rex erat ambabus, mors impia clauſit vtriq;*
*Libertatis iter, merito gemis vtraq; tellus*
*Seruitio damnata fero. Hæc gratia linguæ*
*Nec minor ingenij laus, hunc quam gloria dextræ*
*Extulerat ſiluit ſacræ tuba maxima legis,*
*Qui ſupereſt alius naturæ conſcius vſquam*
*Herbarumq; potens, nitidi ſpectator Olympi*
*Morte ſua viduæ ſeptem concorditer artes*
*Et Muſæ fleuere nouem, dulcedine morum*
*Angelicæ factiſq; fuit patientia templum*
*Pectoris huius habens illo pereunte peribat.*
*Omnis in hoc virtus ſecum iacet orba ſepulchro*
*Acceptus fuit ille Deo, venerabilis Orbi*
*Tranſcenditq; hominem, gemitu prohibente maligno*
*Digna nequit calamus tanto præconia Regi*
*Reddere; ſed terras canit hunc ſua fama per omnes*
*Æternumq; canet nullum tacitura per æuum.*

XI. ROBERTVS STVDIORVM AMANTISSIMVS.

Præter Epitaphium iſta quoque de ROBERTO Petrarcha ſcripſit. quod is Rex Regum, & Philoſophorum huius æui princeps, per ſingulos dies ſtatutis horis, è mediis Regiæ vitæ turbinibus, in otium, velut in aliquam quietiſſimam ſtationem ſeſe conferre conſueuerat, vti ſtudiis vacaret. Variante aliquando fortuna, maximis periculis circumuentus, inſuper & carcerem paſſus, nec minis, nec inſultibus, nec blanditiis fortunæ, nec inertia temporum à ſtudiis abſtrahi potuit vnquam, ſeu pacis, ſeu belli negotium tractaret, ſeu curam corporis ageret, per diem & per noctem ambulans, ſedenſq;, libros prope ſe voluit.

Omnis etiam eius de rebus altiſſimis ſermo erat, & quod de Cæſare Auguſto aiunt, hic multo minore, & quaſi nulla prorſus ſubſiſtente materia diligentiſſime ſemper cuſtodiuit, vt ingenia ſæculi ſui complecteretur benignitate Regia, & inuentiones nouas recitantibus non tantum patientiſſimus auditor, ſed plauſor & humaniſſimus fautor aſſiſteret. Hæc vita eius vſque ſub extremum fuit; nihil vnquam puduit addiſcere ſenem Philoſophum & Regem. Aliquan-





do audiuit Regem Galliarum indigne ferentem, quod eius filius ſtudiis incumberet. tum generoſo ſpiritu infremens, & toto corpore cohorreſcens, in hanc vocem prorupit: *Sic eſt vita hominum; ſic ſunt iudicia, & voluntates variæ. At ego*, inquit, *iuro dulciores & multo chariores mihi literas eſſe quam Regnum: & ſi alterutro carendum ſit, æquanimius me diademate quam literis cariturum.*

QVI SE ROBERTVS REX IN EXITV è VITA HABVERIT.

In melioris vitæ exordio, ſcilicet in exitu è vita ſic ſe habuit. Decubuerat corpore quidem languidus, ſed animo alacri & infracto, nullus dolor, nulla conſternatio, nullus egrediendi metus, nullum manendi deſiderium, in illo præſertim habitaculo, vbi tanto cum honore permanſerat corporis ergaſtulum; artuſque ſatis fatiſcentes velut totidem libertatis ſuæ vincula cernebat. arebat cutis, & vitalis calor infra ſenile pectus iam redactus, aſſidue decreſcebat: ingeminabant morbi, rareſcebant Spiritus, tranſibat dies vltimus, extremæ horæ tempus inſtabat, nullæ interim querelæ audiebantur, nullæ ipſius lacrymæ fluebant, cum alienas abſtergeret.

Videbat Andream & Ioannam adoleſcentulos Regni ſucceſſores, & ætatem multis obiectam periculis verebatur. Nouerat ſacrum religioſæ coniugis arcanum, fugam è ſæculo, illo adhuc ſuperſtite meditantis. Quamobrem multa voluentis animum angebant, quis habenas rerum poſt ſe flecteret, quiſue regnum ſtatus acciperet, aut quæ ab auſtro, quæ ab aquilone procellæ imminerent, prouinciis tum quietis. Tot difficultatibus rerum, quæ vegetum licet ac validum fatigare debuiſſent, circumcluſus, non ſuccubuit tamen, ſed moriens indefeſſo animi vigore conſuluit. Primum omnium flentes ac eius conditionem miſerantes magnifice caſtigatos docuit, nihil ſibi triſte, nil aſperum, nil miſerabile, nil moleſtum, denique nihil niſi ſuaue prorſus & iucundum morte contingere. Satis ſe iuxta Cæſaris ſententiam, vel naturæ vixiſſe, vel gloriæ.

Optare ſe iam ex corporis ſtatione diſcedere; ſperare ab hoc mortali ſolio digreſſum ad ſtabiliora regna proficiſci. Minime itaque lugendum, ſed omni gaudio proſequendum iter ſuum. Itaque ad eum modum omnium gemitus oratione compeſcuit, ſicque omnem miſeriarum mortis opinionem ex audientium pectoribus extirpauit, vt ſeſe felices arbitrarentur, illi quibus eum ex ipſa morte concionantem contigit audire. Demum cum iam aduerſus omnes caſus fortunæ ſucceſſores Reges ſaluberrimis monitis præmuniiſſet, tota mente in Deum verſus expirauit, & è corporis vinculis lætus exceſſit. *Franciſc. Petrarch. lib. 1. 2. 3. memorand. variis locis.*

XII. REGNO SICILIÆ ADMINISTRATOREM CLEMENS PP. PRO SEDE APOSTOLICA PRÆFICIT.

Cæterum, cum ROBERTVS tum pueris Curatores, tum Regno Siciliæ adminiſtratores præter ſententiam Sedis Apoſtolicæ dediſſet, & Ioanna neque per ætatem, neque per difficultates ſubinde enaſcentes, iuramentum fidelitatis & ligium homagium Clementi Pontifici & Romanæ Eccleſiæ præſtare poſſet, CLEMENS Pontifex Aymericum tituli Sancti Martini in montibus Presbyterum Cardinalem, Legatum, Vicarium, & quem vocabant Baliuum, pro ſe & Sede Apoſtolica in Regno Siciliæ conſtituit, neque potuiſſe Robertum Regem, aut Gubernatores regno, aut Curatores Ioannæ citra voluntatem Romani Pontificis præficere, renunciauit, omniaque hactenus ab eis geſta abrogauit, & totius regni adminiſtrationem Aymerico Vicario conceſſit: cum etiam IOANNÆ diem prorogaſſet ad ſacramentum iuriſiurandi dicendum. datis literis hoc Anno Septimo Calend. Iunij.

XIII. GALLVS QVIDAM FLORENTINORVM DOMINIVM ARRIPIT.

Aliquid tunc temporis, viuente adhuc Roberto, rerum nouarum apud Florentinos accidit, non iniucundum quod ſciatur.

Præter Roberti Regis voluntatem, Gualterus, Florentinos graui tyrannide oppreſſerat. Placet commemorare ad monendum eos, quibus externa dominatio placet, & illos quoque, qui dominium alicuius reipublicæ nacti, per ciuium iugulos calamitatem ſibi, & tandem necem accerſunt. Iſta habet Leonardus Aretinus rerum Florentinarum ſcriptor non indigna quæ legantur.

XIV. QVIS ILLE FVERIT ET QVOMODO DOMINIVM VSVRPARIT.

Gualterus erat Gallus, claro natus genere, quem nudo inanique titulo Athenarum Ducem vocitabant. Hunc nuper feruente bello cum Neapoli applicuiſſet, cognito Florentinorum conatu, amor cœpit in expeditionem veniendi. Fuerat enim per tempora Caſtruciani belli Florentiæ commoratus, cum Carolo Roberti Regis filio, moreſque ciuitatis & homines cognouerat. Quare inuitatus à Florentinis ciuibus, alacri ſe animo ad iter parauit, peruenitque ad exercitum cum parua equitum manu, ea ipſa die qua Malateſta Dux è colle quo caſtra fecerat deſcendens, ſtructas copias hoſtium caſtris admouit. Ibi ille in exercitu, vigilando, & impigre res obeundo, commendationem ſibi non exiguam comparauit. & tam nobilitatis fauore, quam virtutis opinione, quam etiam ciuium diſcordia, quaſi idoneus rebus ſanandis, præfecturam vrbis & belli curam, cum poteſtate legitima accepit.

Poteſtatem domi militiæque nactus; multa ſecum voluere & cogitare cœpit, quemadmodum pro arbitrio dominari poſſet. Artificum & aliorum plebeiorum conſilio, reſpublica Florentinorum per id temporis ſtabat. Gualterus Gallus, & Gallorum moribus aſſuetus, vbi plebs pene ſeruorum habetur loco, nomina artium artificumque ridebat, multitudiniſque arbitrio regi ciuitatem ridiculum exiſtimabat. Faciebat vero animos, diſcordia ciuium, plenæque odiorum mentes.

Primo nobilitatem, duris legibus obnoxiam, iniquo animo conſtituta ferentem, ſuam fore totam arbitrabatur; propterea quod quæ pars ciuitatis premitur, ea ſemper nouas res conſueuit optare. Tenues vero & opifices, ac totam illam ciuitatis turbam, nullum negotium putabat ad ſe traducere. Nullam enim his, neque dignitatis, neque libertatis curam intelligebat eſſe. Remanebat medius populus, in quo omnis difficultas verſabatur. Igitur in hunc audendum putans, homines Lucenti proximo negotio verſatos, atque ob id recenti inuidia flagrantes, arripi iuſſit. Ex his Ioannem Medicem Florentinum Equitem ſecuri percuſſit.

Naddo autem Oricellæ, & Ricciardo Riccio, qui item Lucæ cum poteſtate publica fuerant, eidem ſupplicio deſtinatis, ſummis ciuium precibus vitam largitus eſt, grandiori tamen pecunia multatis. Obiectum erat alteri, quod pecunias à Piſanis accepiſſet, vtrique quod rempubl. in prætura fraudaſſet. Poſt hos Guilelmum Altouitam cœpit, extremoque ſupplicio affecit. Cauſa adſcripta, quod dum Aretio præfuiſſet, multa propter pecuniam nefaria commiſiſſet. Hanc eius ſiue crudelitatem, ſiue ſæuitiam in ciuibus puniendis multitudo, vſque adeo lætis animis ſuſcipiebat, vt palam gratularetur; huncque virum fortem & interritum prædicabat, cæteros Magiſtratus, potentiorum ſatellites, carnificeſque veniſſe; hunc vnum repertum, qui in potentiores ipſos animaduertere non formidaret.

His vocibus vbique nomen eius celebrabat extollebatque multitudo; ac ſi quando per vrbem incederet, laudibus acclamationibuſque proſequebatur. Accedebat nobilitatis fauor, vt verbis occultior, ſic efficacior ad agendum. Optimates etiam quidam vel metu publico, vel priuata familiaritate, ſeſe illi addixerant. & iam ſuadebant multi totius ciuitatis frena capeſſere. Ipſe quoque in ſpem elatus, non

dubitabit cupiditatem animi præ ſe ferre. Modus tantum facinori quærebatur.

Priores qui tunc erant viri integri libertatiſque tenaces, varie per illius fautores tentati, non modo non concedebant, ſed etiam repugnabant aperte. Quare alia ingrediendum via ratus, in concionem populum vocauit. Hoc fecit per præconem, cum iam adueſperaſceret. Concio in craſtinum erat futura. Neutrum erat obſcurum, nec quid ille vellet, nec quid multitudo ſentiret. Itaque priores curis anxij, per noctem ad eum conuenerant, queſti palam de vocatione populi, oſtendenteſque ſe inconſultis nihil tale factum oportuiſſe. Ille contra verba dedit; populum quæ velit declarare poſſe; aliter non libertatem populi, ſed ſeruitutem eſſe.

Tandem ita deciſum eſt, vt proxima concione Imperium ſibi Priores in annum decernerent, iiſdem exceptionibus quibus Carolo Roberti Regis filio fuerat ante conceſſum. His compoſitis ad multam noctem Priores diſceſſerunt. Poſtridie orto Sole concio erat frequens. Gualterum in concionem venientem, multi è nobilitate comitati ſunt. Quidam etiam populares illius fautores circumſtabant, & arma veſte contegebant. Vbi in concionem ventum fuit, Priores pro roſtris ſedentes medium exceperant. Aſſurgenſque vnus è Prioribus concionari cœpit, ea populum rogaturus, quæ per noctem conueniſſent. Vix principia orationis ingreſſo, cerdones & opifices ac tota illa ciuitatis fex, ab extrema concionis parte acclamare cœpit, ac Dominum ſine vlla exceptione eſſe iubere. Suſceptus eſt à fautoribus eius clamor, ac ſecunda per comitium aura cucurrit. Ita concione tota acclamante Priores decepti, ac metu perculſi conticuerunt, vltra repugnare non auſi. Itaque Gualterum principes nobilitatis ſublatum manibus palatio intulerunt, & in ſolio collocarunt.

CONSILIVM CAPIT QVO DOMINIVM ADEPTVM RETINERE QVEAT.

Factus per hunc modum Dominus, & quid poſt hæc geſſerit, & quamdiu regnarit, eſt à nobis explicandum. Res enim digna eſt quæ literis adnotetur, vel pro admonitione ciuium, vel pro caſtigatione regnantium. Apparebit enim ciuibus, nihil magis formidandum eſſe quam ſeruitutem; dominantibus vero nihil magis ad ruinam ſternere viam, quam immoderatam inciuilemque ſuperbiam. Parto igitur vt voluerat dominatu, de ſeruando illo cura iam ſupererat. Huius autem gratia, & foris, & domi multa duxit profitendum. Itaque ſtatim per Legatos Aretij & Piſtorij concionibus aduocatis, imperium à populis earum ciuitatum ſuſcepit, non iam Florentini populi, ſed ſuo ipſius nomine. Id aſtuto conſilio factum, quo ſibi beneuolentia aliqua deuinciret ciuitates. Exiſtimauit enim velut beneficium ſe conferre, ſi quæ dudum Florentinis ſubeſſent, eas æqua conditione cum Florentinis redderet, nec ipſe per alios, ſed per ſe ipſe voluntariis dominaretur.

PACEM CVM PISANIS FIRMAT.

Poſt hæc bellum tollere adortus, pacem cum Piſanis firmauit, nulla honoris aut dignitatis cura. Conditiones huiuſmodi fuerunt. Vt Piſani Lucam quindecim annis retinerent; arcem cuſtodirent. poſt id tempus liberam dimitterent. Exules Lucenſium omnes ab exilio reuocarent, bona reſtituerent. Captiuos Florentinorum ſociorumue, ſine pretio dimitterent. Caſtella Florentinus populus quæ Lucenſis agri tenuiſſet, retineret. Penderet inſuper Piſanus in ſingulos annos auri nouem millia. Florentinus vero exulibus, quicunque Piſanis in eo bello fauiſſent, reditum in vrbem permitteret, bona reſtitui iuberet. Sacouem & agnatos qui captiui tenebantur dimitteret. Pacem his ac cæteris, qui vel Aretio, vel Florentiæ bellum intuliſſent, daret. Lucæ, durante eo tempore, Magiſtratum imponeret. Hoc extremum nonnihil videbatur, ſed erat parum. Nam cum Piſani arcem præſidio vrbemque tenerent, Domini ac moderatores omnium eſſent, nudum Magiſtratus nomen ac titulo duntaxat ſpecioſum habebatur. Ex hac pace, nobilitatis ea pars quæ per ſeditionem nuper pulſa fuerat, Florentiam rediit: & quidem ſumma dominatoris gratia, quaſi eius beneficio reſtituta. Sacon vero & agnati carcere exempti, Bibienam ac cætera eorum caſtella circa Aretium tenuere. Cum de Piſano prouidiſſet bello, aliis rurſus curis intentus, Gallos omnes qui erant per Italiam euocauit. Frequentes, etiam domo fama illius potentiæ exciti aduenerunt.

CONSTITVIT CORPORIS SVI CVSTODES.

Ex his confecit equites circiter octingentos, quos circa ſe cuſtodes habere conſtituit. Societatem poſt hæc & amicitiam cum Piſanis iniuit, magis vt apparebat contra Ciues quam contra hoſtes externos. In hanc ſocietatem duo millia hominum deſcripta. Hæc foris prouiſa non incaute, domi vero omnia peruerſe; quædam vero leuiter & ſtulte. Priores (qui ſummus in ciuitate eſſe conſueuerat Magiſtratus) non ſuſtulit ille quidem, quod ipſum fuit tolerabilius, ſed omni auctoritate ſpoliatos, paruo admodum miniſterio relicto, quaſi ſpectaculum quoddam acerbum miſerabileque in oculis ciuium dereliquit. Cumque CAROLVS Roberti Regis filius, qui ante hunc ciuitatis Imperium obtinuerat, vir tanto genere tantaque expectatione dignitatis nunquam ab honore ædium publicarum Priores dimouiſſet, ſed ipſe alibi habitaſſet, hic longe diſpar ac diſſimilis, Priores ædibus ſuis expulit, ipſe incubuit. Vexilliferos ac ſocietates funditus ſuſtulit; arma ciuibus ademit: honores ac magiſtratus omnes irritauit, niſi qui ab eo eſſent conceſſi.

PESSIMVM EIVS REGIMEN.

In ciuium autem fauore ita variauit, vt modo nobilitatem, modo populum videbatur præferre; ſæpe his reiectis ad plebem magis inclinare. Et ſane multitudini plura indulſit, quam alij cuiquam parti ciuitatis. Pecunias omnes publicas cupidiſſime in ſe vnum conuertit; quarum etiam gratia portoria auxit, & noua excogitauit. Vectigalia & tributa inſuper impoſuit crebra. Conſignationes à populo factas iiſdem ex pecunijs irritas duxit. Obſides Maſtino datos pro quibus ſoluendum fuit, neglexit, cum ſumma querela propinquorum, ſummoque dedecore Ciuitatis. Accipiendis computandiſque pecunijs publicis, de fide ciuium diffiſus, peregrinos homines impoſuit.

AVARITIA.

Arcem inde facere aggreſſus, proximas palatio ædes turreſque adiunxit, crepidaſque effecit; palatio ipſo propileas; feneſtris cancellos ferreos impoſuit; plateam dilatauit; portas vrbis turreſque deſuper communiuit, aliaſque iuxta ſingulos populi ad vſum populi ſtruxit. Delationes Ciuium ita moroſe ſuſcepit, vt ſæpius eos qui deferrent, nec perueſtigata quidem re, neque perquiſita, talione mulctaret. Interdum vero ob maledictum, ad crudelitatem irritatus eſt. Ciui paulo ante Prioratu egreſſo, quod mediocriter queſtus de republica eſſet, funditus iuſſit linguam euelli.

CRVDELITAS.

In exilium actum quendam quod de ſe male loqui ſuſpicabatur, per ſimulationem veniæ reuocatum ſupplicio crudeli indignoque occidit. Cum intolerabilis videretur, ac indies creſcerent mala, ſuperante iam odio metum, variæ primo querelæ ciuium, mox coniurationes ſunt conſecutæ. Et quidem plures vno tempore ignorantibus aliis alias conſilium inuadendi varium fuit. Fuerunt, qui in palatio ipſo vi irrumpendum necandumque putarent. Fuerunt, qui dum per vrbem incederet, quod ille frequenter ab initio faciebat. Sed inerat in his rebus difficultas, quod ſuſpicio ex conſcientia malefactorum coorta, cautum magis diffidentemque indies reddebat. Quare & intra palatium firmo ſtabat præſidio, & foris nec temere, nec ſine ingenti comitatu verſabatur. His difficultatibus res protracta eſt, nec prius confecta quam patefacta: Senenſis erat quidam vir militiæ cognitus, & ob id à ſtudio nobilitatis nequaquam abhorrens. Is igitur cum forte aſcitus eſſet, commotus primo aſpectu, rem totam ad Franciſcum Burnelletium equitem Florentinum cuius familiaritate plurimum vtebatur, detulit. Ille re ſubita perculſus, cum eſſet totius coniurationis ignarus, tyranno quid ex Senenſi audiſſet patefecit.

DIVERSÆ IN IPSVM CONIVRATIONES.





SÆVIT IN CIVES.

Index ſubito accerſitus duos nominauit; quibus ſtatim correptis cum tormenta adhiberentur, capita ipſa ac principes coniurationis extorſit. Magnitudo multitudoque ciuium tyranni animum conterruit. Igitur parumper primo cunctatus, tandem ex illo numero Adimarem Baldinreci filium, virum & genere & potentia clarum, per apparitorem ad ſe vocauit. Paruit ille vocanti, ſiue ignoratione periculi, ſiue fiducia multitudinis coniuratorum. quo deprehenſo atque conuicto, cum alios quoque complures verſari in ea coniuratione tyrannus comperiſſet, bifariam fluctuare cœpit. ardens quidem animo ſupplicium ſumere; metuens vero multitudinem ciuium, quos eſſe conſcios affineſque eius rei deprehenderat.

His curis anxius conſilium cepit, ante omnia militum præſidia ex finitimis oppidis in vrbem vocare. Ea intercapedo fuit dierum ſex. quæ cum iam conueniſſent, tempus adeſſe ratus ea quæ cogitauerat patrandi, egregium quemque ciuem ad ſe vocauit. Numerus vocatorum fuit, circiter trecenti, cauſa prætendebatur, vt de coniuratione ad conſilium referret. cæterum id agebatur, vt cum hi conueniſſent, in palatio ipſo opprimerentur, reliqua inde iam ſecure tranſigeret. Fuerunt in numero vocatorum plerique ex coniuratis, qui forte, vt fit, ex conſcientia periculum ſuſpicantes, metumque apud alios de induſtria augentes in eam formidinem adduxerunt, vt nemo vocanti pareret, nemo in conſilium iret. Ex hoc iam ciuitas aperte rebellis, qui coniurauerant vltro ſeſe nudantibus, vna omnium mente in tyrannum ſurrexit. Tunc demum compertum eſt, tres in ciuitate coniurationes iampridem aduerſus tyrannum initas viguiſſe. Nec erat ferme vlla paulo amplior familia ex nobilitate aut plebe, quæ expers eſſet coniurationis. Armis igitur populariter ſumptis, cum arcem circumſtetiſſent obſidere ex compoſito perrexerunt. contra vero tyrannus tela deſuper iacere, ac repugnare, & populi impetum arcere. Quæ poſtquam in caſſum agitare vidit, quo multitudinis placaretur ira, concidere animo ac vltro ſe ſubmittere ſtatuit. Itaque poſtridie orto ſole, Antonium Adimarem equeſtribus donatum inſignibus dimiſit. Idem fecit de cæteris, quos in captiuis habebat. Prioribus vero (eos namque ab initio tumultus in palatium traxerat) contra conſuetudinem ſuam honorem exhibuit: & vexilla quædam populi, quaſi libertatis ab ſe vltro permiſſæ indicia, ex ſumma arce protulit. Sed ob eas res nihilo magis pacata ciuitas eſt. Vrebat enim mentes vlciſcendi libido, eorum præſertim quorum ille propinquos agnatoſque necarat: nec ſine ſanguine tyranni expiari poſſe cædem ſuorum arbitrabantur. Vt tamen multitudo, quæ ſine vllo publico decreto, ſine vllo duce legitimo in armis erat modum aliquem formamque ſuſciperet, Principibus vocantibus concio populi conuenit ad Diuæ Repatatæ ædem. Ibi per ſuffragia XIV. viri cum Imperio delecti ſunt, ad rempublicam confirmandam, ordinandamue ciuitatem. Additus eſt his Angelus Acciaiolus Præſul, vir ſummo conſilio ſummaque auctoritate, qui fere princeps fuerat libertatis recuperandæ. Obſidio inter hæc & oppugnatio, neque die, neque noctu intermittebatur.

OBSIDETVR IN ARCE A CIVIBVS.

Sed erat cum tyranno manus valida militum ferme trecentorum, locus vero egregie munitus. Verum hæc talia erant vt procraſtinationem tantum periculi, non ſpem vllam ſalutis viderentur afferre. Quare, modo colloquia ciuium poſcere, modo fidem implorare, ſupplicare denique & obteſtari obſeſſi pergebant. Quin etiam, quo piaculo aliquo deliniretur ira tyranni, ſatellites quondam in ſuppliciis ciuium debacchatos, quos ad vindictam depoſci ſentiebant, per vim porta detruſos gladiis ardentis populi obiecerunt: qui illico membratim diſcerpti fructum crudelitatis ſuæ digniſſimum reportarunt. Ex hoc iam reſtincta parumper ciuium ira, Præſul & XIV. viri colloquia magis iniuerunt. Denique mitiori conſilio, tyranno & cum illo obſeſſis vita permiſſa eſt arcem dedenti, ac omni poteſtate quam iuſſu populi habuiſſet ſponte ſe abdicanti. Eam abdicationem, quo vitium abeſſet, extra territorium quoque fieri placuit. Ita arce Præſuli & XIV. viris tradita, tyrannus ſeſe in manus eorum permiſit. Cuſtoditus poſt hac biduo in ipſa arce, ne à populo violaretur, tandem noctu Vrbe emiſſus, in Caſentinatem iter primum fecit. Ibi abdicatione iterum facta abijt, decimo fere menſe poſtquam regnare inceperat. *Leonardus Florentinus libr. 6. hiſtor. Florentin.*

DEDIT SE ET OMNI POTESTATE SE ABDICAT.

Hæc ipſa de Gualthero tyranno Ioannes Bocatius lib. 9. de caſibus virorum illuſtrium, ſed longe copioſius narrabat. in quib. quod extremi quoq; exitus illius meminerit, operæpretium eſt propter tyrannos adiungere. Ita habet.

XV. BOCATII COPIOSIOR DE GVALTHERO GALLO FLORENTINORVM TYRANNO NARRATIO. EIVS ORIGO.

Gualtherus Athenarum Dux, cuius ſemitexturi ſumus hiſtoriam; ſi maiores eius intueamur, qui origine fuere Galli; ſatis claritate ſanguinis conſpicuus fuit: eſto degener moribus. Et cum vetus ei eſſet Brennen. Comitatus, inſignem Athenarum ducatus titulum, quo pacto neſcio ſibi etiam priores quæſiere ſui. cuius dum poſſeſſionem genitor armis poſceret, ab hoſtibus captus, & capite mulctatus occubuit. Et is dum maximo bellicoſorum nobilium apparatu conatur patrem vlciſci, Græca fraude deluſus vnicum perdidit filium. Quibus agitatus curis, dum hos illoſque ſollicitat Principes, & Catherina Imperatrice Conſtantinopolitana, in vindictam ſuſceptorum dedecorum, apud Neapolin Campaniæ multa pertractat, actum eſt vt obſideretur Luca Ciuitas, à Piſanis quam paulo ante maximo auri pondere perſoluto ſeu promiſſo, ſuæ ditionis Florentini fecerant. Quamobrem ad liberandam obſidione ſociam vrbem, collectis à Florentinis vndique viribus itum eſt: & clade ſuſcepta, paucis interpoſitis menſibus iterum fracti reparauere vires. & facta longe lateque ſecundi certaminis fama, cum plurimi ardore belli, hinc inde robuſti iuuenes veniſſent, ſic & Gualtherus omiſſis cæteris, conſcio fere nemine peregrinationem fingens, citato greſſu à Neapoli ſe Florentiam contulit; & confeſtim conceſſit in caſtra. Verum cum nihil ex tam longinquo veniens memoratu dignum egiſſet, Luca Piſanis tradita, Florentiam ſe contulit. Et cum iam plurimum dicta clade, & importabilibus ſumptibus Florentinorum eſſent attritæ vires, frequenti ſenatu pro ſalute publica iniere Florentini conſilium, vt inſtructo bellicis artibus viro, qui & ſeditiones ciuium & hoſtium coerceret impetus, ampla cum licentia daretur imperium. Quod poſt multa, huic tamquam ſpectatæ fidei amico, legibus limitatum, conceſſum eſt: nec à principio feciſſe pœnituit. Sane cum iamdudum importabilis rabies quorundam potentium ciuium, quos veteres dixere magnates, in id reliquam multitudinem mercimoniis ſeu artibus vacantem coegiſſet, vt in ſe leges acerrimas diceret, & omnem reipub. magiſtratum ſurriperet, tentatumque fruſtra ab eiſdem ſæpius fuiſſet illas infringere; & ob id tanquam iniuria preſſi continue in ſua vigiles perfidia erant, pro votiſque tempus videretur ad eas diſſoluendas leges oblatum, eo quod in primores ob male rem geſtam odium cernerent vulgi, & omnes pariter ciues ob grauiſſimas pecuniarum exactiones querulos, & ratione ſuſcepti

ADVENTVS IPSIVS FLORENTIAM.

conflictus pauidos atque diffidentes, & quod longe plus illis afferebat ſpei in ciuitate ſuetum dominij cupidumque hominem, quem penes foret omnis publicorum armorum potentia, dare operam rei ſolerter diſpoſuere, & ignauiter eligentes potius tyrannidem quam ignorabant, quam ciuilium legum quarum conſuetudinem nouerant, iugum ferre minus de ſe confidentes ſibi ciues alieno obligatos ære iunxere, quorum ingens copia erat ea tempeſtate. Qui vt eis amplior redimendi temporis licentia eſſet, auditis conſiliis, tam nefaſto cœptui ceſſere faciles. nec mora, cum ſatis ſibi virium arbitrarentur apud iniquum hominem Florentinæ libertati, tam veteribus quam nouis honoribus obligatum, de ſubigenda ciuitate dominio eius habuere ſermonem.

DOMINIVM DOLOSE INVADIT VVLGI FAVORE.

Qui honeſtate ſua atque fide poſtpoſita, ſæua regni cupidine agitatus, infauſtas præbens aures, cernenſque ſi animus eſſet, non defuturum verbis effectum, ne armis tentaret, quod gradatim incedens per dolum obtinere poſſe arbitratus eſt, firmatis cæteris fide rempublicam gubernantibus, inquit ſe ardua quædam in exitium imminentia ciuitatis, non ſatis poſſe commodo publico perficere atq; auferre, niſi illi amplius concederetur arbitrium. Quod poſtquam à timidis credulisque conceſſum eſt, ne fruſtra periiſſe videretur, in quoſdam deſæuiit ciues quorum cæde forte merita, Florentinos iugum pati poſſe percipiens, impulſu malignantium percitus, iterum exitium Magiſtratibus imminere teſtatus eſt: ni maius illi daretur imperium. Obſtupuere primates, ſeraque animaduerſione ſenſerunt, quorſum tenderet illa petitio. Nam lictorum præfectus nomine Raynerus Yoth, cui magiſtratus ſalutem ſuam populique Florentini fere omnem commiſerant, noctu per fraudem apertis ianuis ciuitatis, compleuerat ciuitatem ſatellitibus miſſis in auxilium ſcanſuri tyranni, eoſque magnatum domibus omnes abſconderat. Quamobrem cum iam excogitatum facinus, ſero tamen ſentirent Præſides, & inde commodum quæſitum negare nequeuntes, qua potuere ſagacitate conati ſunt Ducis frenare nequitiam: ſecum vna conuenientes, vt annua illi poteſtas omnis eſſet in ciues. Ipſe vero anno tranſacto, eos in ſua libertate dimiſſurus, ſuper verum Chriſti corpus iuramento firmauit. Inde præconis voce in concionem vocatis ciuibus, factuſque omnium concurſus in publicum, ſedentibus iam præ foribus palatij publici Magiſtratibus, & ecce præmiſſis armatorum equitum turmis peditumque agminibus, dum ab eiſdem fere locus omnis occupatus eſt, ciueſque circumſeſſi, nefarius homo Caterius magnatum ſub veſtibus armatorum aduenit. quem cum ſuis omnibus dixiſſes facile in ſanguinem ciuium ruiturum, ſi quid à quocunque incompoſitum diceretur. qui dum Comitiorum ſublimiorem locum conſcenderet, vrgente Magnatum turba Magiſtratus compreſſi ſunt, quibus etiam manus iniicere vix abſtinuerunt. Tandem cum conſediſſet, & indicto ſilentio pulpitum conſcendiſſet orator, cœpiſſetque explicare compoſitum, quam cito de Imperio annuo verbum fecit, cœpit vulgus præmonitum, imo vulgi fæx clamitare, illudque exorare perpetuum; & è veſtigio proditoris Raynerij opere, tyranno armariſque illis palatij publici patuere fores: intratur: ſcanditur: & ſi eſſent qui illi promiſſa nuper ſepiſſime in memoriam reuocarent, tumultuantibus cunctis audientibuſque iam magnatibus, impulſu manibuſque, magiſtratus à tyranni lateribus amouere, verbiſque iniurioſis ſilentium eiſdem indicere, fracta fide & calcata, ac iuriſiurandi fabula riſa, occupata Florentinæ libertatis arce quaſi ab optimatibus daretur, quod à fæce plebeia clamabatur, ordine quodam violento ſuſceptum eſt durante vita dominium. Eam ergo vrbem, quam non ſolum à progenitoribus liberam, orbem intrantes ſuſcepimus, ſed nec vllius vnquam memoria cuiquam, exceptis Imperatoribus Romanorum ſubditam, his artibus iniquiſſimi ciues, exteri ac ſceleſtiſſimi hominis tyrannidi ſubiecere. & quaſi nō ſuæ ſed alterius tantum libertati iniecissent vincula, cæpere magnates tripudijs ſubacti populi celebrare triumphos: & qui alienum æs debuerant, in creditorum pauperiem debacchari. Sic & plebs inferior diſcurrere vndique, & ignotum ſibi Capitolium conſcendere, rimari cuncta, ſcommatibus ignominioſis & cantibus diem agere celebrem: eo quod nulli ſit die illa negatus ingreſſus, aut clauſæ fores, & patebant omnibus omnia, ſibi, inertes, non tyranno arbitrabantur quæſiiſſe dominium. Miſeri Magiſtratus, qui ſummas erant ſoliti tenere ſedes, exauctorati priuatique lictoribus, in infimam fere palatij cellulam dimittuntur, tyranno occupante cætera. Sed quid multa? Aretium & Piſtorium inſignes Tuſciæ ciuitates nuper Florentinæ ditionis dominam ſequentes, tyrannum ſuſcipiunt. Sic caſtra omnia, ſic oppida quæque vicique vltro, inſuper & Volaterræ vetuſtate celebris ciuitas, iugum ſubiit. Sic Geminiani oppidum inſigne. Sic collis Vallis Elſæ regale caſtrum. Venere præterea ſponte ſua ex Apennino Alpigenę nobiles, Comiteſque quamplures tyranno obedientiam offerentes. quibus effectus prægrandis, etiam cunctis Italis formidandus eſt. Et cum ſibi deberi Tuſcorum regium auſpicaretur, elatus aiebat ſe in diem veniſſe in quam ſe vt cantu excubitoris auis quem effigiatum in cunctis geſtabat veſtibus euocari teſtabatur, & gloria ingenti perfuſus ſepoſitis in priuata domo Magiſtratibus cœpit ritu ſuo cuncta diſponere. Et ad ius dicendum ciueſque terrendos, truculentiſſimis viris præpoſitis aſſentatores colere, lenones aduocare: & quoſcunq; malarum artium imbutos in ſuum conſilium ſumere, à ciuibus graues cenſus exigere, ſubſtantias publicare, in ſe cuncta conuertere, miſereri nemini, nullas gratias facere: inde blanditiis, muneribus, minis & violentiis in ſuum concubitum virgines, & quaſcunque matronas attrahere, adoleſcentes ingenuos proſtrare, ſuiſque infanda quæque permittere. & breuiter, ſpurcitiis ſuis humana pariter & diuina fœdare. Qui miſeri ciues initio anxij, pauidi, & elingues effecti, ingemiſcere, male cognitam deiectamque libertatem cœpere; mortem deiectionemque tyranni cupere, deſidiam ſuam damnare, & ſi via daretur ſe in libertatem redigere priſtinam exoptare. Verum deſolationum Vrbicarum radix diſcordia, ex proximo fidem ſumere neminem permittebat. Quamobrem diutius quam opportunum fuerit paſſi iugum tepentes ſtetere. Tandem miſertus Deus indignis, vt ad proſpectandas infelicitates ſordidæ ſeruitutis oculos eorum aperiri permiſerat, ſic & virtute ſua roborauit trepidantia corda, diſſidentia copulauit, & ad præſidentis exitium animauit, permittens vt magnates qui aduerſus libertatem publicam coniurarant, ad ſuam ſuo opere teſtificandam nequitiam primi aduerſus fidem à ſe tyranno præſtitam deuenirent. Hi ergo cernentes nihil ſibi promiſſi ſeruari, nihil tyranni munificentia concedi, adoleſcentes ſuos, filias, ſorores, coniuges ante oculos in libidinem eius trahi, rabiem ſuam, rapacitatem pręter ſperatum arctioribus vinculis ſolito coerceri, eumque bilinguem, auarum, detractorem, immanem, inexorabilem, ingratum, ſceleſtum, ſoli ſibi vacantem; nil ſancti, nil iuſti nil boni habentem: Deumque iam nedum homines aſpernantem, irritati, poſt diutinam patientiam, per intermedios caute in confidentiam popularium deuenere, & in deiectionem tyranni coniurationis principes iurauere. Sane dum opportuna tanto facinori ordinantur, tyrannus compoſita, ſeu alterius relatione, ſeu ſua animaduerſione præſentiens, dum ſæuitia cœptis obſiſtere conatur, in ſe maturius contraxit perniciem. Nam percipientes rerum conſcij ex coniuratis quoſdam detentos torqueri, atque ſibi metuentes, in ſolum ſuæ ſalutis remedium proſilire in publicum armati, fidem ciuium implorantes, libertatem ſuadentes publicam, tyranni depoſitionem orantes & mortem. O bone Deus, quam

ALIÆ CIVITATES ET OPPIDA POST FLORENTIAM SVBACTAM TYRANNVM SVSCIPIVNT. EIVS TYRANNIS ET SCELERA.

CONIVRATIO IN EVM.





mirabilia ſunt iudicia tua! Pauci coniurata pernoctarant, nec ante conclamatum eſt, quam omnis ciuitas tanquam geſtorum conſcia, concitata, in arma ruens, tyranni conuenit in mortem. Fit ergo concurſus ciuium armatorum vndique, fit clamor ingens, panduntur crimina, poſtulatur vindicta, & Gualterius ipſe in victimam tot ſcelerum totis votis optatur ab omnibus. Et poſtremo in arce, in quam per poſticum iam nobiles & mercenarii milites tyranni, atque quos ipſe noſtris præfecerat diffugerant; tyrannus obſidetur. Ipſe vero effæminatus homo vecors, & ſuæ perfidiæ conſcius, tanta tamque repentina rerum permutatione perculſus tum ad exitum horraretur, in populum nondum concordem, & abſque duce ruentem, vilis tremenſque in querelas ſe dedit & lachrymas. Sic Deo placuiſſe manifeſtum eſt, non equidem Florentinorum meritis, ſed nequitia imperantis, quæ iam cœlum premebat & ſuperos. Arbitrantur enim talia agnoſcentes eum victorem euaſurum, ſi ad exitum animus ſuffeciſſet.

OBSIDETVR A CIVIBVS IN ARCE.

Cum ergo obſeſſus cerneret vires ciuium validatas, & in ſe obſidentium clamores in cœlum vſque tendentes audiret, & ſuos introrſum iam fame ſitique periclitari cognoſceret, & in ruinam arcis foſſores incumbere aduerteret, tot hinc inde malorum iructium anxius, per caduceatores obtulit libertatem reſtituere ciuibus, ſi ſalus ſibi ſuiſque daretur. Et vt paululum ſe poſtulantium atrocitas ſedaretur, ſicarium quendam Guillelmum Aſſiſinatem, quem Conſeruatorem ciuium titularat omni bellua immaniorem, cum filio patre truculentiore exhiberi poſtulantibus iuſſit. cum propter demeritum paſſus eſt Deus, vt qui plures iam parentes orbauerat ſua ſæuitia, ſe coram cerneret trucidari filium, poſt quem & ipſe trucidatus eſt. dignior ſi permiſſum foret, vt quod excogitarat in alios, pateretur ipſe, vt membratim ſcilicet diſcerperetur, & per mille vulnera deueniret in mortem, qui mille tormentis alienas quæſierat.

Hunc in expiationem ſuorum facinorum, primam victimam in oculis ſuis vidit Gualterus. Coram quo & Henricus quidam peſſimus, Florentinus Ciuis, cuius demonſtrationibus Ciuium ſenſim ſubtrahebat ſubſtantias pedibus ſuperius appenſus ad tignum, more ſuis exenteratus eſt, & poſtremo in fruſta diſcerptus. Attamen, quod in noxam factum eſt, in eius ſe vertit commodum. Nam his illatis cruciatibus, ciuium mollitus eſt animus: & in id poſt dies paucos ventum eſt, quod ipſe poſcebat. & ſic nondum vndecimo menſe exacto, à die qua Florentinorum libertatem occupauerat, illam noctu trepidus abiens, in formam priſtinam reliquit abiectus. Sic ergo prægrande dominium, & regnum quod auſpicabatur in poſterum, homo inſolens perdidit, & ex aſſumpta iniuſte gloria, iuſtam ignominiam conſecutus eſt.

AVFVGIT NOCTV.

Porro vt omnino innocua ciuitas ex nocuo tyranno liberaretur, Dei iudicio factum eſt, vt dum in armis aduerſus Edouardum Angliæ Regem, ea in pugna in qua Ioannes Francorum Rex captus eſt, eidem Ioanni militaret, cerneretque rem aliter agi quam in thalamis matronarum, ac puſillanimis Rege ſuo relicto terga daret, ſiniſtro ſuo omine ſatellitibus Florentinis, qui tunc forte mercenariam militiam Ioanni præſtabant factus obuius, & turpiſſimis redargutus verbis, ab eis in hoſtes redactus eſt: & equo deiectus, ac ex accepto vulnere viribus exhauſtus, vt fama fert, à Florentino ſatellite, Edouardo militante cognitus, iugulum dare coactus eſt: vt qui in ſanguinem Florentinorum ſæuierat, Florentina manu vita priuatus ſuum effunderet: exemplo futurus tyrannis, qui magis truculentia, quam beneuolentia ciuium, ſibi, vel apud ſuos, vel apud exteros Regnum conſtabiliri exiſtimant; reipſa autem, tum Dei vindictam, tum ſubditorum furorem, in ſuam perniciem ſibi accerſunt.

OCCIDITVR IN BELLO A QVODAM FLORENTINO.

XVI. CVRA CLEMENTIS PRO CONCORDIA PRINCIPV̄ CHRISTIANORVM.

Sed nos ad Clementem Pontificem reuertamur, cui præter pacem Italiæ, concordia quoque aliorum Principum Chriſtianorum curæ fuit. Inprimis enim in Belgium, Beltraminum Bononienſem Epiſcopum cum poteſtate Legati à Latere, ſi quomodo Flandrenſes Philippo Regi Galliarum conciliare poſſet deſtinauit. Si vero refractarii eſſe pergerent, ad eos reprimendos, decimationem in duos annos, intercedentibus Ioanne Normandiæ Duce Regis Philippi primogenito, & Odone Duce Burgundiæ, qui inaugurationi Pontificiæ interfuerant, Philippo ad vſus belli conceſſit.

Ad ſecundum vero Calend. Iulias, Petrum Præneſtinum S. Romanæ Eccleſiæ Procancellarium, & Annibaldum Tuſculanum Epiſcopos Cardinales Legatos, ad Reges Galliarum & Angliæ, ire iuſſit. Edouardus Rex Angliæ, ſtatim à Benedicti Pontificis morte, exercitum ingentem, & in Scotos, & in Gallos conſcripſerat, & ſupplicationes publicas in vniuerſo Regno indixerat, ad bellum profecturus. Huic vt arma excuteret CLEMENS, & ad concordiam cum Philippo induceret, Legatis munus iniunxit. Quid hi porro effecerint, *Thomas Walſingamus* memorabat hiſce verbis.

XVII. TREVGÆ INTER FRANC. & ANGL. REGES MEDIANTIBVS LEGATIS PONTIFICIIS INITÆ CONDITIONES.

Hoc anno inita eſt treuga inter Reges Franciæ & Angliæ, mediantibus duobus Cardinalibus, in hunc modum. videlicet, *quod ſuper omnimodis controuerſiis & diſſenſionibus, mittantur ad Curiam Romanam aliqui de ſanguine Regum dictorum nobiles, & alii habentes poteſtatem concordiam ordinandi, affirmandi & roborandi, ſuper cauſis à partibus oſtenſis, ſecundum tractatum Domini Papæ, & nobilium prædictorum. & poterunt partes dicere & proponere rationes ſuas coram Domino Papa, non tamen ad finem diſſenſionis & dandi ſententiam, ſed pro facienda pace meliori & tractatu. Item quod antedicti nobiles, qui ad Curiam mittentur Romanam, ſint in Curia circa feſtum S. Ioannis Baptiſtæ proximè futurum, negotiaque præfata diuino mediante ſuffragio, necnon Summi Pontificis inſtantia circa feſtum Natalis Domini, etiam de aſſenſu dictorum nobilium, termino illo nullatenus prolongato maneant expedita. Si vero Dominus Papa fuerit impeditus, vel pacem & concordiam inter Reges præfatos reformare non poterit, treugæ nihilominus vſque ad terminum infra poſitum perſeuerent, & firmiter ab omnibus conſeruentur. Ad finem quoque illum, vt negotia ſupradicta meliorem plenioremque ſortiantur effectum, concedantur treugæ, vt ad feſtum S. Michaelis in menſe Septembri proximo futurum, & à feſto illo vſque ad finem trium annorum proxime ſequentium, inter prædictos Reges Angliæ & Franciæ, Regemque Scotiæ, Comitem Hannoniæ, Duces Brabantiæ & Gelriæ, Marchionem de Gellers, Dominum Ioannem de Hannonia, & gentem Flandriæ, omneſque eis adhærentes in omnibus terris eorundem, à tempore datæ treugarum præſentium, per totum tempus ſupradictum. Inſuper Rex Scotiæ, Comes Hannoniæ, & dictis Regibus cæteri nobiles alligati, mittant Nuncios ſuos ad Curiam præfatam, cum poteſtate conſentiendi & affirmandi, ſecundum tractatum coram Domino Papa habendum, in quantum eos attinet, circa feſtum S. Ioannis pernotatum. Si vero dictorum nobilium aliqui, nuncios (vt præmittitur) ad Curiam Romanam mittere non curauerint, negotia ſupradicta nequaquam ob hoc maneant prolongata. Conſeruentur quoque præfatæ treugæ in Britannia inter ſupradictos & eis adhærentes quamquam in Ducatu illo ius ſe dixerint poſſidere. Durante vero treuga, ciuitas de Vanes in manibus Cardinalium nomine Domini Papæ detineatur. elapſiſque treugis de vrbe illa ſuam faciant voluntatem. Cardinales inſuper partes ſuas diligenter apponant pro abſolutione Flandrenſium, & ſententiis quas incurrerunt amouendis; & quod via bona & rationabilis inueniatur, curioſe ſtudeant laborare. Comes Flandriæ ſine medio, & medius velut ſuperior, durante treuga rem ineat in Flandria; ita tamen quod hoc fiat de aſſenſu populi Flandriæ. Si vero aliqui in Vaſconia, vel alibi, durante treuga, vicinis ſuis, vel inimicis partis alterius guerram ſuſcitent dicti Reges per ſe, nec per alios, directe vel indirecte, ſe nullatenus intromittant, nec ob hoc treugæ violatæ ſint infectæ. Dicti vero Reges, partes ſuas diligenter ſine fraude apponant, nec vnius partis ſubditi durante treuga, parti alteri*

*in Vaſconia & Britannia guerram moueant quoque modo; nec aliquis vni parti obediens, pendente treuga, parti alteri fœdus ſiue amicitiam inire permittatur, nec detur vel promittatur quicquam durante treuga directe vel indirecte pro guerra ſuſcitanda; & tam per terram, quam per mare, treugæ firmiter ab omnibus ſint conſeruatæ. In Vaſconia vero & in Flandria, infra quindecim dies; in Anglia & in Scotia infra quadraginta dies treugæ fiant proclamatæ. Omnes captiui partis vtriuſque à Dominica ante Feſtum Sancti Vincentii proximè præterita, vſque ad diem præſentem de carceribus emittantur, bona rapta reddantur, & liberi prout ratio exigit dimittantur. Nulla nocumenta vel inuaſiones durante treuga inter partes in præiudicium treugæ fiant, vel deſpectum. Dicti quoque Reges & eis adhærentes durante treuga in tali remaneant poſſeſſione & ſecuritate, qua hodie perſiſtunt in omnibus bonis, terris & poſſeſſionibus quas detinent, vel acquiſierant quoquo modo. Et ſecure de vna terra in alteram redibunt, & omnes mercatores cum mercibus, & cæteri ſinguli fideles, tam per terram quam per mare & aquas conſuetas, portoriis tamen in regno perſolutis, ita libere veniant & ſecure, ſicut tempore prædeceſſorum dictorum Regum ire ſolebant & redire; exceptis bannitis dictorum regnorum pro aliis cauſis, & pro guerris Regum ſupradictorum. Sed Borones Vaſconiæ, & cæteri de Ducatu eodem banniti in dicta guerra ccontinentur, & ire, & redire poterunt, durante treuga ſæpedicta; banniti vero patriæ Flandrenſis & fugitiui, qui fuerunt ex parte Regis Franciæ durante treuga, Flandriam intrare non potuerunt.*

*Dictæ vero treugæ continebunt & comprehendent, Hiſpanos, Cathalanos, Ianuenſes, Prouinciales, Epiſcopum Cameracenſem, & capitulum Cameratum, caſtra pagi Cameracenſis, Dominum de Brette Vicecomitem de Fronſas, Dominum de Tynbon, Dominum de Roya. Dominus vero Odo Dux Burgundiæ, Dominus Petrus Dux de Burbon, in animam Domini Philippi Regis Franciæ, & Dominus Henricus Lancaſtriæ, Dominus Willelmus de Buon, Dominus Willelmus de monte acuto Comites, in animam Domini Eduardi Regis Angliæ, ſecundum mandatum eis per Reges ſæpefatos factum, tactis ſacroſanctis Euangeliis iuramentum præſtiterunt concordale. Datum in Prioratu Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Maletrete, Ordinis Sancti Benedicti, Diœceſis Nauet. Thomas Valſingam hiſtor. Anglis. in Eduardo.*

XVIII. LEGATI ANGLICI AD PŌT. PRO CONFIRMATIONE INDVCIARVM.

Iuit nomine Regis Angli ad Clementem Pontificem Henricus Comes Lancaſtrius Comes Darbeius, & Ioannes Oxonienſis Epiſcopus, vt confirmationem induciarum poſtularent, & de toto negotio diſceptarent. Legatio hæc nullum optabilem exitum conſequuta eſt, ſed ad rem bellicam poſtea ventum, quod per Regem Galliarum (quemadmodum Edouardus Clementi Pontifici, iterum per literas ad pacificationem exhortanti reſpondebat) ſtetiſſet, quominus diſcordiæ illorum componerentur. Namque tam ſuperioribus, quam aliis Legatis Pontificiis, propoſitas ab Edouardo honeſtas & æquas pacis conditiones, Philippus reiiciebat. In quem ne plus quam ratio & æquitas propenderet Clemens, illum vt Summum totius Eccleſiæ ſecundum Chriſtum iudicem vehementer Edouardus obſecrabat: neue iniquam illius cauſam foueret interpellabat: prouocaturum ſe alioqui ab illo ad ſupremum iudicem Chriſtum. *MS. Bibl. Vatic. de rebus Anglicanis. & ep. Clem. 14. Cal. Iun.*

XIX. OBITVS PETRI REGIS TRINACRIÆ ET CORONATIO LVDOVICI EIVS FILII.

Apud Siculos in oppido Calaxibetto, ad VI. Idus Auguſti, Petrus Rex Trinacriæ fato functus eſt. Ioannes Dux Randatii patruus, cum adminiſtrationi inſulæ præeſſet, Eliſabethæ Reginæ perſuaſit, vt Ludouico Petri filio quinque annos & ſeptem menſes nato, corona donaretur. quippe quod non eſſet tutum apud ſe Principatum manere, quem ipſe Regio ſanguine exortus, aliquando ambitionis ſtimulis agitatus ſibi poſſet præſcribere. Itaque ad VIII. Decembris 11. Indict. hoc Anno Domini 1342. Eliſabethæ Reginæ permiſſione Ludouicum Regem Trinacriæ, Panormi in Eccleſia ſalutatum, Ioannes Tolonus Franciſcanus genere Catalanus, Andrauillæ Peloponneſiacæ ciuitatis Epiſcopus diademate Regio coronauit, & oleo ſancto perunxit: Panormitano Archiepiſcopo, & cæteris Siciliæ Epiſcopis, propter Pontificis Romani execrationes, quibus vniuerſa adhuc Sicilia tenebatur, id munus recuſantibus exercere. *Fazellus Dec. 2 lib. 9. Surita lib. 3.*

XX. ARAGONVM ET MAIORICARVM REGES DISSIDĒTES CONCILIARE STVDET.

In Hiſpaniis, Petrus Aragonum, & Iacobus Maioricarum Reges inter ſe vehementiſſime diſſidebant. Aragonius in Regnum Balearicum, ex indignitate & iniuria fraterna, animum intenderat, & ex ſacro, Sardooque bello copias contractas aduerſus nihil minus quam vim aut arma extimeſcentem eduxerat. Eos vt in concordiam Clemens adduceret, inprimis Armandum Archiepiſcopum Aquenſem; deinde Andream tituli S. Suſannæ presbyterum Cardinalem, Sedis Apoſtolicæ Legatum miſit, datis ad III. Cal. Ian. vtrique Regi litteris; quibus eos hortabatur, vt de controuerſiis ſuis, iure potius quam bello diſceptarent. Conuenit inter eos, vt Barcinonem ad tractationem conuenirent. Ibi fraus & dolus Petri Aragonii apparuit: qui mox Regem, & ſororis virum, & maximis præterea propinquitatis & neceſſitudinis vinculis ſibi coniunctum, in inuidiam falſi criminis adduxit; & calamitatem hoſpiti machinatus eſt. Simulauit enim & affinxit, tunc Balearicum operam nauare, vt ipſe, & Petrus patruus, ac Iacobus frater ſublicio ponte, qui ex æde ſacra Minorum ſtationi maritimæ adiungitur contineturque, aueherentur, & actuariis nauibus in Maiorem Balearium deportarentur, atque detinerentur Alaronis arce, quoad fœderum vinculis, quibus Aragoniæ Regibus aſtrictus erat, ſoluerentur. Crimine conficto, Iacobum primo, deinde Conſtantiam ſororem, cum miſſum eius virum feciſſet, demoratus eſt: & poſt abeūtem, Ductores copiarum cum numeroſa prædatorio equitatu ad inferendum bellum miſit. *epiſt. Clement. & Surita hoc anno.*

XXI. DECIMATIONEM REDDITVVM ECCLESIASTICORŪ IN VSVM BELLI CONTRA MAVROS CŌCEDIT.

Gliſcebat tunc in Hiſpaniis bellum, Alphonſo Caſtellæ Regi à Saracenis illatum. Benamanius Rex cædem filii ſui vindicaturus, innumerabilem eorum exercitum aduerſus Alfonſum eduxerat: Algeziram vrbem nobiliſſimam Alfonſus manu non exigua militum obſidebat. Cumque magnæ difficultates in eius Caſtris eſſent, pecuniæ vero permaxima; eam exhauſta penitus prouincia, ab externis Principibus Alfonſus petere compulſus eſt, Summo Pontifice, Luſitano Rege. Clemens in quinque annos ſequentes, decimationem redituum Eccleſiaſticorum in eius regno, conceſſit, Sacrumque bellum in regnis Aragonum & Nauarræi prædicari aduerſus Saracenos imperauit; data poteſtate eam pecuniam colligendi Conchenſi & Zamorenſi Epiſcopis. *Ad XVI. Calend. Auguſt. ſcripto diplomate.*

In ea Algeziræ obſidione, magnis præmiis propoſitis, de Regis Alfonſi capite, quo ſuperſtite quietem nuſquam fore prouidebant, obſeſſi liciabantur. gratiſſimam ſuperis victimam fore prædicabant, inimicum Maurico nomini Regem mactari. Neque deerant qui eo facinore clari aut nobiles cuperent euadere, nulla ſalutis propriæ cura, quæ ſæpe magnis conatibus adueſatur. Itaque à pluribus in Regis necem coniuratum fuit, vti ex Mauro, quem altero minorem oculo interceperant intellectum eſt, ea mente in Regia caſtra veniſſe. Idem paucis poſt diebus duo alii Mauri, de iis quæſtione tormentis habita profeſſi ſunt. Cœleſte tunc numen Alfonſum protexit, atque ab inſidiis, & periculo eripuit. *Mariana de rerebus Hiſpan. libr. decimoſexto cap.* 10.

XXII. GENVENSIVM VIRTVS ET VICTORIA OPE B. BARNABÆ.

Genuenſium hoc anno virtus emicuit. Vndecim triremes, Alfonſo ſuppetiarum tranſmiſerant. Earum Præfectus, cum forte in nouem onerarias & tres roſtratas Boniacobi Mauritani Regis, qui maximis terreſtribus ac maritimis copiis Hiſpaniam ea tempeſtate mirũ in modũ diuexabat in loco ab indigenis Bellenoce nũcupato incidiſſet, ſtatim illas ſummo impetu adortus, poſt longum atq; atrox certamẽ profligauit, & mox deſcenſione





facta terreſtrem exercitum inuaſit, eo quidem euentu, vt de hoſte præclaram ac ſingularem victoriam ope numinis retulerit, multaque præda & gloria onuſtus Genuam reuerterit: vbi propter rem feliciter geſtam, cum multo gratulantium concurſu actæ ſuperis grates, & publici gaudii haud leuia ſigna paſſim edita fuere. *PETRVS Bizarus hiſtor. Genuenſ. lib. 6.*

Profuit Genuenſibns ad eam victoriam obtinendam, cultus in Diuum Barnabam Apoſtolum exhibitus. Cum enim Hugo Luſignanus Rex Cyprius, caput eius Diui à reliquo corpore ſeiunctum, argenteo viri cingulotenus ſimulachro multis gemmis & lapidibus pretioſis ornato incluſiſſet, & Regi Aragonum domum per Minoritas aliquos deſtinaſſet, nauęque naufragium paſſa, Franciſcani ſchaphæ impoſiti per multos immenſoſque fluctus primo ad Montis roſei littus vna cum ſacro pignore eiecti, mox Genuam delati fuiſſent, Boccanegrius Dux, ac S. P. Q. Genuenſis ingenti cum deuotione, ſolennitate & pompatico ornatu, caluariam illam accepit, & apud Diui Laurentii honorificentiſſimo in loco collocauit. *Iuſtin. Hiſt. Genuen. lib.* 4.

Fuit Boccanegrius cultus diuini adeo ſtudioſus, vt omnia ei propagando poſthabuerit, & in proceſſione diuiniſſimæ Euchariſtiæ, ipſe facem accenſam manibus propriis præferre conſueuerit. *Idem Iuſtinian.*

XXIII. DISPENSATIO.

Indulſerat iſto anno, ad IV. Calend. Iulii, Clemens Pontifex Petro Luſignano, Hugonis Regis filio, vt Helias quondam Nicoſien. Archiepiſcopus, id temporis ad Patriarchium Hieroſolymitanæ Eccleſiæ euectus, poteſtatem ei faceret, in matrimonium aſſumendi Echiuam Rupini Monfortii filiam, gradu ſanguinis ei coniunctam, *epiſt. Clement.*

XXIV. VVRATISLAVIENS. RES IVDICE PONT. MAX. COMPONVNTVR.

Vratislauienſis Eccleſia, Epiſcopum hoc anno accepit, Prædislaum Pogorelecium, genere Grimalium, Bononiæ tunc ſtudiis doctrinæ vacantem. Hic cum Ioanne Boemorum Rege, de iniuriis Eccleſiæ Vuratislauienſis, Pontifice Maximo arbitro & iudice tranſegit. Vuratislauienſem quoque Senatum nudis pedibus & capitibus, diſcinctumque & palliis depoſitis ad ſe venientem & ſatisfacientem, deprecante Carolo Marchione Morauiæ in gratiam accepit; neque multo poſt tota Vuaratislauia arſit. *Cromer hiſtor. Polon. libr. duodecimo.*

Matthias Miechouius rerum Polonic. lib. 4. cap. 23. eam rem paulo fuſius narrabat. Eodem, ait, anno Preczlaus de Pegorzeleez ſucceſſor Nankeri in Epiſcopatu Vuratislauienſ. per Benedictum Papam XII. confirmatus & conſecratus, ex curia Romana reuerſus Niſſam venit. vbi ad illum Carolo Marchione Morauiæ filio Ioannis de Luczemburgk Regis Boemiæ adueniente, reconciliationem cum eo æquis conditionibus ſuper interdicto compoſuit. Eodem Niſſa Vuratislauiam diuertente, & Carolo Marchione eum comitante, Conſules ac iurati Vuratislauienſes pedibus nudati ac capitibus, palliis quoque & cingulis amotis, ex Prætorio vſque ad Monaſterium Sancti Adalberti Ordin. Prædicatorum venerunt, & proſtrati, culpaque ſimpliciter recognita, veniam ſuppliciter depoſcebant, per plures execrationes aſtringentes ſe, nunquam ſimili rebellione Eccleſiam Vuratislauienſ. moleſtaturos. His tranſactis, interdictum Epiſcopus ſuſtulit.

VLTIO DIVINA.

Verum digna plaga, indignam expulſionem Epiſcopi Nankeri ac cleri & cædem F. Ioannis Suenckefeldii Ordin. Præd. Inquiſitoris Vuratislauienſ. repente ſuperuenit. Caſuali enim igne, octaua die Maii in die S. Stanislai Vuratislauiæ exorto, tota ciuitas conflagrauit. Viſuſque eſt tempore incendii, à quadam religioſa fœmina apud S. Mauritium extra muros Vuratislauienſ. incluſa, Angelus contra ciuitatem exertum geſtans gladium, & ardentibus carbonibus ciuitatem feriens & incendens. *Miechouius ſupra.*

XXV. RES POLONIÆ CVRAT CLEMĒS.

In Polonia Caſimiro Regi cum Theutonicis Cruciferis non omnia adhuc quieta. Culmenſem, Cuiauienſem, Dobrinenſem, Michalouienſem, & Pomeraniæ Prouincias Regno Poloniæ iſti detrahebant, ſuique iuris eſſe volebant. Benedictus XII. Pontifex, controuerſia partium audita, Cuiauienſem & Dobrinenſem, Regis iuris fore decreuerat, & decem millia nummum aureorum Cruciferos in compenſationem expenſarum Regi Caſimiro damnauerat. Quod vero Culmenſem, Michalouienſ. & Pomæraniæ Ducatus attineret, Cracouienſi, Culmenſi & Miſnenſ. Epiſcopis poteſtatem fecerat, de tota re, quemadmodum Iuriſperitis placet, ſummarie ac de plano cognoſcendi, ſtatuendi, & vt partes porro decretis obtemperarent, anathematis propoſita pœna compellendi. Necdum ad hoc temporis quicquam effecerant.

Itaque Clemens illos monebat, adeoque præcipiebat, ne cognitionem controuerſiæ iſtius amplius differrent, ſed ex æquo & iuſto quamprimum rem vniuerſam bono publico definirent. Ad VI. Idus Iunii Auinione, in hoc negotio Clemens ſcribebat.

XXVI.

Hoc anno deceſſit Boleslaus Princeps Brigenſis ac Lignicenſis, in Sicilia. Religioſum in obſeruatione ieiunii Quadrageſimalis, memorant *Annales Sileſiæ*. Poſt cuius mediam, cum in vna menſa tredecim pullos gallinaceos comediſſet, & varia potuum genera vſque ad nauſeam infudiſſet, in ægritudinem ipſis feriis Paſchalibus incidit, & tandem non multo poſt, primum ieiunio, deinde repentina repletione fracta valetudine expirauit. documento omnibus, vt rationabile exhibeant obſequium Deo, & ne crapula ac ebrietate aggrauent corda & corpora ſua; neue exinde mortem ſibi accelerent: ſed in omnibus modum adhibeant. *Annal. Sileſiæ.*

XXVII. AVXILIA IN ORIENTEM CONTRA TVRCAS MITTIT.

In Oriente, Chriſtianis, omnia infeſta à Turcis. illis oppreſſis vt CLEMENS auxilia ſubmitteret, inprimis ſocietatem cum Venetis, & militibus Hieroſolymitanis iniuit; claſſemque XVI. triremium, quantam per iniuriam temporum comparare poterat, ad Inſulam Nigropontanam deſtinauit. Eam vt magis augeret HVGONEM Luſignanum Regem Cyprium, quattuor triremes ad Calendas Nouembres poſtulauit.

Sanciam vero Siciliæ Reginam, Catherinam Imperatricem Conſtantinopolitanam, Robertum principem Achaiæ, Ioannam deſignatam Siciliæ Reginam, Bertucium Ducem Venetiarum, Magiſtrum & Fratres Sancti Ioannis Hieroſolymitani, ad parandos commeatus hortatus: decimationem omnium bonorum Eccleſiaſticorum in vniuerſo orbe Chriſtiano, in auxilium Chriſtianorum contra Turcas ſanxit: inque Italia ſacri belli & Crucis militiæ prædicationem inſtituit: datis ampliſſimis priuilegiis, iis qui opem & operam aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes afferrent. Datum *apud Villam Nouam VI. Idus Auguſti.*

XXVIII. APOCAVCVS IMPERIVM CONSTANTIN. AFFECTAT.

Niſi fallor, occaſionem ſumpſerat CLEMENS, ex litteris, quas impoſtor Apocaucus, vt ANNÆ Imperatrici, matri IOANNIS Imperatoris pueri periculum crearet, nomine eiuſdem Annæ ad eum ſcripſerat: Tumultuatum eſt tunc in Oriente, per factiones IOANNIS Cantacuzeni, qui Didymotichi diadema Imperatorium præſumpſerat, & ſecundis auſpiciis cum Calo Ioanne Imperare cupiebat. Diſtractis hinc inde hominum voluntatibus, Magnus Dux Apocaucus, vt ad ſe parem poteſtatem pertraheret, Imperatricis affinitatem per filiæ matrimonium quæſiuit: apud ſe reputans: ſiquidem illa connubio annueret, ſe patrem Imperatorum eſſe velle, habereque totum

Imperium in manu ſua, & facere quæ libuiſſent. Cæterum quod dubitaret, ne propter ignobilitatem ſuam hanc conditionem recuſaret, huiuſmodi contra eam inſidias nequiter ac ſubdole excogitauit.

Falsas sub alieno nomine ad Pontificem literas mittit.

Litteras in eius perſona ad Pontificem ſcripſit hoc exemplo. Se moribus, ac legibus Romanorum educatam, eadem cum Romana Eccleſia dogmata colere ac venerari. A ſuis autem conſanguineis (Allobrox fuerat) Imperatori olim locatam, velit nolit eius religionem ſimulare. Verumtamen quam ab infantia imbiberit religionem, fidem, concordiam, Romanæ Eccleſiæ integram inuiolatamque cuſtodire: & ipſum Parentem, Magiſtrum, ac Ducem Fidei agnoſcere; voluiſſeq; mox poſt mariti obitum ſtatum ei ſuum exponere, & conari, vt totum quoque imperium, ſeu voluntarium, ſeu coactum eandem ſecum religionem profiteretur: ſed bellis vrgentibus, & hodie vſque durantibus, quibus apud Romanos potentiſſimi ſuper imperio ſecum dimicent, impeditam fuiſſe. Vnde ſe precari illum, primum quidem, vti numen ſibi propitiet, quod peruerſitatem iſtam dogmatum ſectata videatur; deinde contra hoſtes eam pro viribus adiuuet; quibus ſubuerſis, ſtatim Romanæ Apoſtolicæ Eccleſiæ doctrinam, & ritus publice celebraturam, & aliis exemplo præituram.

Imperatricis litteræ ad Papam, qui hac tempeſtate Clemens erat, huius nominis ſextus, huiuſmodi fuerunt. Eas pictori cuidam, cui nomen Præpoſitus, cum tradidiſſet Apocaucus, ad Papam miſit, mandans ne cui arcanum Auguſtæ patefaceret, Clemens litteris acceptis, omnibus inceſſit lætitiis, Imperatricem ſecum communicare, & ſi bello defungeretur palam id facturam reſcripſit. ac principio eam de conſtanti voluntate laudauit, quod quamuis ſub iniquo domino, à legitimis tamen dogmatibus non diſceſſerit, ſed cum Romana Eccleſia conſentiat. Deinde quomodo iiſdem perpetuo adhærere, & alios in fraudem inductos, atque à veritate deuios, eodem reducere deberet edocuit.

Tandem bene precatus, bene ſperare iuſſit, quantumque in ſe eſſet opem laturum pollicitus, auxilia tum ſubmiſit, tum ab illis principibus poſtulauit: quod Cantacuzenus, Turcarum & barbarorum copias aduerſus eam euocaſſet. Et id quidem Clemens ſcripſit.

Dolus & fraus Apocauci.

Has vero litteras cum Præpoſitus attuliſſet, ipſe Apocaucus arcane ſeruauit, vt ſiquidem Anna petita ſibi concederet, nihil moueret; ſin minus, per eas in conuentu lectas, plebem ad ipſam vna cum liberis interimendam concitaret. Sciebat enim id ægerrime laturam, facillimeque cuiuis ſe oppoſituram, ſi eam Latinorum decreta complexam intelligeret. Sic totum ſe Byzantii, inſularumque Imperium adepturum. Quod ſi id ſecus euenerit, neque Byzantini ad Imperatricem cum liberis trucidandam adducerentur, tum rebus deſperatis, aut in arce Magnanenſi munitiſſima, & quæ toti Conſtantinopoli poſſet reſiſtere, ſe includeret: aut triremi ad Epibatas ſecederet, ibique liber ac tutus reliquum æui perageret.

Non impune fuit fraus & dolus Apocauco. Nam cita numinis vltione occubuit; ex hac cauſa. Politiam in tyrannidem mutare conſtituerat, & per exactiones nummarias, perque oppreſſionem potentiorum, rem ſuam conſtabilire voluerat. Claſſem enim & cataphractos comparauerat; ad quos alendos, illamque armandam, quotquot Byzantii eſſent vel nummati vel proceres, eos pecunia & potentia ſpoliabat, & ſpoliatos in carcerem contrudebat. Inſuper cæteris omnibus annuas penſiones præſcripſerat, è quibus quæſtum colligens, militem & triremes ſuſtentaret. Carcerem autem in palatio Conſtantini Magni communem ædificare cogitabat.

Nam cum eſſet ibi domus, Magnum Iuſtinianum appellata tecto vetuſtate conſumpto, deſtructis conclauibus ipſe domunculas plurimas ſub terra ab vtraque parte inædificare volebat, & in his reos funibus demiſſos condere. Ibi tum vincti, carcerem adeo tetrum parumque à ſepulchris differentem conſtrui cernentes, & ſcopum minime ignorantes, labores per ſe inſpicientem & fabros perurgentem Apocaucum mactare cogitarunt; vtrouis modo cædem ipſius ſibi profuturam rati. Siue enim quod deſtinabant animis aſſequerentur, à tanto malo immunes fore: ſiue exciderent, morte luituros: & ita rurſum magno malo, ne ſcilicet viui ſepelirentur, cariturus. Hoc illi conſilium capiebant, & tempus captabant, quo eum adorti, rem perficerent. Ille autem, cum alias Magni Conſtantini palatium ingreſſurus ſolicite ſibi ſemper caueret (ſemper namque armatorum ſatellitum caterua eum ſequebatur, & vinctos prius in ergaſtulis claudi iubebat, quoad abiret) tunc quo facto maxime vſus erat, prætermiſit, à Deo mente priuatus, & ad cædem deſertus. Cæterum captiui atrium palatii ſparſim obambulabant, & ipſe ſatellitio ſuo foris relicto, vno tantum comite ingrediebatur.

Imposturæ suæ poenas luit.

Tum illi, vt ita incuſtoditum aſpexerunt, tempus adeſſe rati inſiluerunt, pauci quidam primum qui forte ſimul erant, in quibus & Alexius Dux, Cantacuzeni cauſa & ipſe damnatus carcere, ſororis filius ab auunculo ſuo. Ergo lapidibus eum initio inſecuti ſunt, quod ferrum in promptu non erat. Poſt quidam fuſtem fortuito repertum, ſæpius in caput impegit, ad extremum arrepta bipenni à fabris materiariis, qui carcerem extruebant, caput illi amputarunt. Cuſtodiis & ſatellitibus metu attonitis ac fugientibus, captiui reliqui ad tumultum omnes concurrentes, cadauer de muro ſuſpenderunt, caputque telo præfixum ſimiliter in muro pro ſpectaculo ſtatuerunt. Iſtum in modum tulit pœnas eius impoſturæ Apocaucus, quam in Imperatricem cum illuſione Summi Pontificis confinxerat. Sed & alia non minus ignobili fraude, eam calamitatem ſibi conſciuit.

XXIX. Alia Apocauci impoſtura.

Multi qui in Conſtantini Magni palatio vincti continebatur, cum iam dies ieiuniorum agerentur, & quemque de rebus ſuis ad Patrem ſpiritualem referre, peccatorumque exomologeſin inſtituere oporteret; quandoquidem ipſis introducere cui fiderent non licebat, petierunt à Magiſtratibus, vt eo mitterent quem vellent. Hi inprimis Apocauco magno Duce, Glycam quendam hominem nequam, poculis & aliis inhoneſtioribus rebus vacantem, magno (quod dicitur) ſchemate veſte monaſtica indutum, pro ſpirituali Patre miſerant, cui mandauerant, explorare illorum animos, quid de Cantacuzeno ſentirent, numue alios noſſent qui ſecum paria ſentirent. Glycas perſonam hanc queſtus gratia libenter induit, & ad vinctos adiens, poſt admiſſorum confeſſionem, quemq; ſeorſum etiam de Cãtacuzeno, quid meditaretur interrogauit. At illi non quod erat, ſed reuera Patrem ſpiritualem, factioni autem Apocauci deditum ſuſpicati, à peccatis detegendis omnino ex timore abſtinuerunt. Illuſor vero ille, cum nequitia ſua nihil inde promouiſſet, exiuit, & quæ male induerat veſtimenta exuens, cum ſæculari cultu iterum artem conſuetam factitans circumibat.

Mos Græcorum cõfitendi in Quadrageſima.

Perpetuus apud Græcos fuit vſus annuæ in Quadrageſima confeſſionis; apud quos Confeſſarius, ſeu pater ſpiritualis πατέρα πνευμάτικον, vel abſolute, vel ſine adiuncto πνευμάτικον dicebatur. Eius munus erat, eſſe ſpiritualem medicum, ſpiritualia accurate doctum: quemadmodum confitentis, vt quemadmodum fieri & recordari poteſt, peccata in ſpecie confiteri cum corde contrito & humiliato, vt Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſua Cenſura capit. vndecimo, confitetur; & in cap. ſequenti de ſatisfactionibus & pœnitentiis ab illo imponi ſolitis fuſe diſſerit. Neque hic mos à





Nectario Patriarcha ſublatus fuit. Nam presbyter ille, cuius officium abrogaſſe fertur, non priuatæ, ſed publicæ pœnitentiæ præerat. Ita tum impoſtoris fraudes Deus vltus eſt morte intempeſtiua Apocauci.

XXX. Aliæ Apocauci fraudes et fallaciæ.

Pene prætermiſeram alias fraudes eiuſdem impoſtoris, ex quibus ille etiam ſibi non minimam vltionem diuinam accelerauit. Deſponderat Gabalæ Logothetæ eam filiam, quam Ioanni Imperatori collocare cogitauerat. Cumque dare amplius non luberet, hoc dolo hominem non tantum illuſit, ſed & ad extremam miſeriarum coniecit. Non illepidum eſt quod narrabo. Gabalus Logotheta, quoniam tempus longum iam abierat cum Apocaucus Dux filiam ſuam ſecus quam iurat nuptum ſibi non daret, moram valde indignatus de matrimonio illum appellauit orans, vt quod iuraſſet aliquando præſtaret. Reſpondit ille, ſe quoque id percupere, nec ei rei quidquam peruertendum ducere: ſed ſponſam & matrem eius ab eo vt nimium corpulento atque obeſo abhorrere. Proinde medicamentis vtendum, ſi forte contractis viſceribus gracilior, & ſponſæ ſuæ amabilis redderetur. Propter vaſtitatem enim illam, & proportionem non bene reſpondentem, nihil eſſe eo deformius atque iniucundius. Gabalas hoc merum eſſe figmentum, & aſtutam diſſimulationem ſuſpicabatur. Quia vero amori puellæ penitus ſuccubuerat, quæ quis vel paulum prudens non ignoraſſet, ipſe neſcire volebat: & eius cauſa etiam riſu digniſſima ſibi experiunda cenſebat. Collocutus igitur cum quodam medico, qui ex Italia nuper venerat, de iſta corpulentia, ingenti mercede eum demulſit, & is ſe corpus eius quibuſdam medicinis ad decorem & gracilitatem traducturum ſpopondit. Mox poſthabitis omnibus, ad præſcriptum medici, balneis, vomitionibus, crebris alui ductionibus dedit operam; parum cibi & potionis adhibuit, cæteraque omnia ad corporis extenuationem valentia ſedulo vſurpauit. Ex quibus languor, imbecillitas, neruorumque diſſolutio exiſtebat; at ventris moles parum minuebatur. Veritus autem Magnus Dux, ne tandem pharmacis defatigatus technam perſpiceret; & timens, ne quia contemptus eſſet, rurſus arma contra ipſum ferret, atque Imperatricem ad fœdus cum Cantacuzeno patrandum impelleret, quo nullum periculum impenſius metuebat, illius quoque interficiendi rationem excogitauit. Nam quoſdam ſibi à ſecretis miſit, qui, vt Magno Logothetæ beneuolo animo indicarent, Auguſtam ei iratam eſſe vehementer; cauſam ſe neſcire. Talibus nunciis hominem exterrebant. Deinde & iuramentum exigebant, horum arcanorum indices nemini prodituros. Sic illi in comentitiis ſecretis ſignificandis ſe malitioſe gerebant. Gabalas mendacium minime olfaciens, vndique cogitationum fluctibus iactabatur, meditabundus, pallidus, & præ ſolicitudinibus contabeſcens.

Magnus autem Dux rei geſtæ ignorationem præſeferens, triſtitiæ & palloris huius cauſam exquirebat. Tum Gabalas candide, tamquam ſocero, & vicem ſuam dolituro arcanum vt erat reſerauit, eiuſque opem aliquam & conſilium implorauit; quo vſus, diſcrimen euaderet. Nam tunc inter ſuſpectum eſſe & iugulari, nihil erat medium. Hic Magnus Dux, ſe quoque hæc de illo audiuiſſe: putare tamen vera non eſſe. Nihilominus vti facultates ſuas amicis concederet, monere. quæ enim nunc apud Græcos regnum tenerent Sycophantia & calumnia, eas cauere vnumquemque oportere.

Nam & ſe totius reipub. caput, ac principem, honoribuſque ac felicitate inter Græcos præcipuum, neutiquam illis fidere, ſed maiorem ac pretioſiorem rerum ſuarum partem Epibatis in Caſtello, & arce in Manganis recondidiſſe. Ipſi vero, quoniam caſtello careret, quo in iſtiuſmodi rerum commutationibus vteretur, alio quodam modo facultates ſuas mendas: vt ſi quid aduerſum accidat (non enim fruſtra apud Imperatricem in ſuſpicionem incidiſſe) ſaltem ſua retineat, ne ſimul illis, tanquam amplo magiſtratu priuetur. Magnus Logotheta non intellectis inſidiis patuit, & fortunas ſuas apud amicos collocauit. Quid multis? ſubito Magnus Dux miſit, qui, quod agebatur, Imperatrici, quaſi ſe minime conſcio patefacerent. Et hortabantur qui nunciabant, ne rem iſtam negligeret. Non enim Magnum Logothetam ſincero fine res ſuas apud amicos depoſuiſſe: ſed aut ſeditionem ad Cantacuzenum recipiendum machinari, aut ad illum cogitare deficere.

Imperatrix dicta examinans, vt à multis vera eſſe audiuit (clam ſiquidem à conſciis Magni Ducis, eo id ſtruente in multos ſecretum hoc diſſeminatum fuerat) acerbe tulit, manifeſtamque defectionem rata, quid pœnarum in eum ſtatueret, deliberabat. Cum inſidiæ proceſſiſſent, & Magnus Logotheta Gabalas facultatibus alibi depoſitis ſederet, carceremque expectaret, & Auguſta vt perfido iraſceretur, Magnus Dux ſimulata neceſſitate quadam publica, Hierum, quod eſt oppidum ad oſtia Ponti, triremi conſcenſa nauigauit; quique primum Logothetæ iram Imperatricis indicarant, eos ad finem negotio imponendum reliquit.

Rurſum igitur accedentes ipſi perfuſique lachrymis, & deiectis humi vultibus certiorem fecerunt, illa nocte in ſummo diſcrimine futurum, Imperatrice ſcilicet iracundia efferueſcente, & hortabantur, vt ſibi prouideret. Subornarant interim ex alia conſpiratione, qui eadem hora ad eius ædes venirent & ſine nomine, num ipſe eſſet intus ſciſcitarentur: velut his verbis horribile quiddam præſignificantibus. Non enim alias ſic tractare illum Græci, ſed multa cum obſeruantia, & aſſentatione conſueuerant. Gabalas omnibus indiciis necem ſibi in foribus eſſe coniiciens, & formidans, ne quibuſdam ex odio in ſe irruentibus male periret, cum tremore ac pauore magno in templum Sophiæ, tanquam ad aſylum facta fuga, quoniam ne ſic quidem ſe ſaluum fore credebat, & producere vitam non mediocriter cupiebat, monachi habitum induit. vix etiam hac ratione ſe ſeruatum iri ſperans; adeo minis attonitus, & concuſſus erat medullitus. Magnus Dux totum maleficium ex ſententia eueniſſe poſtquam intellexit, Hiero reuerſus, illicet ædem Sophiæ petiit, inuentoque ibi Logotheta cum habitu Monaſtico, mirum in modum planxit, & viduitatem filiæ lamentatus, dolorem inconſolabilem ſe dolere finxit. Logotheta doli ignarus, eius luctum leuare multis verbis voluit, aitque: nihil contigiſſe noui, ſi humanis rebus ſemper aliter & aliter voluentibus & inconſtantibus, nunc quidem meliora, nunc deteriora & ipſe expertus eſſet. Et apparebat Apocaucum ad hæc aliquantum acquieſcere. Paulo poſt Magnus Logotheta Imperatricis iuſſu, ad Monaſterium S S. Virginis abiit. In fuga autem, abiecto Monachi cultu, adornanda deprehenſus, in carcerem coniectus eſt, fraude Apocauci, qui condignam mercedem, pro peſtiferis facinoribus ſibi conſciſcebat.

Interim etiam Ioannes Patriarcha Conſtantinopolitanus, pueri Imperatoris & Annæ eius matris tutela ſuſcepta, inuaſorem Imperii Cantacuzenum anathemate damnare non negligebat. Hic porro, non vim eius cenſuræ, neque poteſtatem principis ſacrorum eleuabat; ſed non ſe eo vinculo teneri, (quaſi innocens damnaretur) excuſabat. Non indigna eſt ea oratio, quæ in conſolationem illorum, qui ſine noxa diras patiuntur, adſeratur. Ita habet.

XXXI. Oratio Cãtha-

*Homines quidam vitam ſancte, & diuinis legibus conuenienter inſtituunt, atque in religione firmi ac ſtabiles ſunt: quidam prorſus contraria via gradiuntur. Quotcunque igitur aut*

CVZENI ADVERSVS PATRIAR. CONSTĀTINOP. SENTENTIAM.

*libidine, aut periurio, aut homicidio, aut alio quopiam interdictorum ſe contaminant, aut in Fidei doctrina aliquo errore ducuntur, hi ſe à Chriſti parte alienarent. nulla quippe ſocietas luci ad tenebras. Epiſcopi autem diuinæ voluntatis interpretes, & doctores ſunt. Itaque illi primi à Spiritu docti, quinam propter pertinaciam in malo à Deo præciſi ſint, alios doceant: ne cum ipſis commiſceantur, neque cibum ſimul capiant, neque ipſis vt à Deo ſeparatis adhæreant: quo ſeparatione iſta pudefacti, aut reſipiſcant, aut alii ex eorum conſuetudine nihil detrimenti accipiant. procliuius eſt enim à vitio, quam à virtute ſimilitudinem trahere. Quodſi Patriarcha obiiciat; quorſum igitur Chriſtus dixit, Omnia quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis? At Sanctum Petrum ipſum audiat; cuius gratia poteſtas data ſit.*

*Is Clementi ſucceſſori ſuo perſpicue ita præcipit; Solues, & ligabis, quæ fas eſt. vt Chriſtus quidem Petro abſolute mandet, vtpote ſciens, neminem immerentem ligaturum; Petrus autem poſtea, à Magiſtro ipſo inſtinctus, certos terminos conſtituat. Timuit, vt videtur, ne olim morbus talis irreperet; putarentque Epiſcopi, propter priuatas querimonias, & animorum ſuorum perturbationes auctoritatem ſe habere, à Deo ſeparandi quos luberet: quod in præſens iſti vſum poteſtatis ſuæ neſcienti accidit. Patet itaque, ſi quis vt à diuina communione ſecludatur commeruerit, etiam antequam Epiſcopi aliis palam faciant, à Deo abiectum & ſecluſum eſſe. quemadmodum D. Petro Alexandrino Pontifici de Ario contra Chriſtum furente prius etiam quam à Sacra Synodo præſcinderetur, à reliquo Eccleſiæ corpore à DEO amputatum, & gehenna inferorumque ſuppliciis dignum eſſe, diuinitus demonſtratum eſt. Si vero nihil tale feciſſe certum ſit, ſed eum diuinis parere præceptis, quæ maxime efficiunt, vt in membris Chriſti numeremur, non vtique ab illo ſeparabitur, ſi motu aliquo turbido, & à ratione auerſo, Epiſcopi illum fidelium communitate prohibuerint. Magnum enim orbis terrarum lumen, Ioannes ille oris aurei, per nefas à grege ſuo Epiſcoporum ſententiaque depulſus, ac pluribus miſeriis opertus, & anathemate percuſſus de gloria ſua nec hilum amiſit. Verum is quidem cum Chriſto viuit, & cum eodem honoratur: qui autem illum communione multarunt, magis ſemetipſos à Dei gloria alienarunt, inuidia, ſycophantia, obtrectatione, & aliis vicioſis monitionibus, quibus ſe ſubiecerant vel trecentis. Nam vt præclare ſcriptum extat apud Magnum Dionyſium, Diuinum numen cum ratione pugnantes Epiſcoporum affectiones non ſequitur.* Hæc Cantacuzenus aduerſus Patriarchæ ſententiam excipiebat, promptus alias, ſi ille à Deo ſeparatum oſtendiſſet, & pœnam modice ferre, atque ad emendationem peccatorum omnem diligentiam adhibere. *Cantacuz. lib. 3.*

XXXII. ALIÆ CLEMĒTIS RES GESTÆ.

Eodem anno, 1. ad 3 Calen. Iunii, defuncto Martino Edeſſenorum Archiepiſcopo, Ioannem Dauidem Armenum ex Monacho Archiepiſcopum ſuffecit, & ab Annabaldo Epiſcopo Cardinali Tuſculano initiatum, dato ei plenitudinis Pontificiæ pallio; ad regendam illam Eccleſiam deſtinauit. 2. Franciæ Prouinciali Ord. Præd. vt ex Ioannis XXII. priuilegio, Quæſitores Fidei in prouincia Toloſana inſtitueret, permiſit. 3. Falſarios Monetarios in Galliis, anathemate damnauit. 4. Fratribus Sancti Pauli primi eremitæ in Vngaria, vt ex præſcripto regulæ Sancti Auguſtini vitam inſtituerent, ad Ioannis XXII. exemplum conceſſit. 5. Comitantibus diuiniſſimam Euchariſtiam, cum ad ægrotantes defertur, X. dierum indulgentiam conceſſit. 6. Eccleſiam Pragenſem titulo Metropolitanæ ornauit, inq; eadem Vrbe ſtudium generale, quod Vniuerſitatem vocant, inſtituit, ac multis dignitatibus & priuilegiis ditauit. *epiſt. Clementis hoc anno.*

XXXIII. AMADEI V. SABAVDIÆ COMITIS OBITVS. CÆDES DELPH. ALLOBROGVM

Hoc anno in viuis eſſe deſiit Amadeus eius nominis Quintus Sabaudiæ Comes. Bellum ei fuit aliquando cum Guigone Delphino, qui ad Pierriercam arcem telo confoſſus occubuit. Eam cædem Delphini maximæ admirationis fuiſſe referunt annales, & dignam quæ mortalibus omnibus ante oculos ſemper obuerſetur, vnde manifeſto intelligant, Deo, vti ſecuritatem noſtram, ita quoque & vltionem curæ eſſe.

MIRABILIS.

Gerebat itaque hic Delphinus Allobrogum, bellum cum Sabaudo, ob controuerſiam finium, vir bello quidem inclytus, ſed alienarum vxorum pudicitiæ infeſtus. Boemus auxilio illi ſocio amicoque cum ire conſtituiſſet, filius eius Carolus (vt Pontifex Pius narrat) per quietem viſus eſt ſibi videre, viri diuina ſpecie præditi iuſſu, præſtanti iuuenem forma, editiorem in locum raptum, detractaque veſte exectum, ſibique interroganti, Cur, & quiſnam tam egregia indole adoleſcens, tam fœde atrociterque haberetur, reſponſum; Delphinum aliena cubilia attrectare ſolitum, meritas pœnas Numini dare. Somnium filii in præſentia eluſit pater. biduo viam progreſſus, certum nuntium accepit, Allobrogem in oppugnatione oppidi, vulnere accepto deceſſiſſe.

Quod minus memorabile, & fortaſſe vanum credi poſſet, niſi ſub idem tempus hoſtium telis occubuiſſe, eius gentis annales authores eſſent; & in agro Parmenſi, vbi nocturna quiete id obuerſatum fertur, ædem Virginis, vt monumento foret Boemum ſtruxiſſe, locupletaſſeque vectigalibus, hancque rem teſtatam tabulis Boemi Regis, legiſſe ſe Pontifex tradidiſſet. *Paradin. in hiſt. Allobrog.*

XXXIV. SIMONIS SALTARELLI PISANORVM ANTISTITIS EX ORDIN. PRÆDIC. VITA ET OBITVS.

Eodem anno, Nono Calend. Octobr. Spiritum cœlo reddidit, Simon Saltarellus Florentinus Piſanorum in Ethruria Antiſtes. ex inſtituto Prædicatorum ad eam dignitatem euectus. Ante octuaginta annos, patre Guidone ciue primario natus, puer tantam opinionem in animis omnium de ſe inuexit, vt ſummam ſpem de illo futuræ virtutis & probitatis conceperint.

A Diuinis rebus initium magnitudinis deſumere voluerat; quibus ita animum intenderat, vt poſthabitis omnibus ſæculi curis, quicquid temporis furto potuerit ſubripere, totum ad eas conferret. Exinde in Deum feruenti amore deflagrans, ex voluptate, hoſte omnium nocentiſſimo, præclaram victoriam tulit; cum nec parentum iam charitate, nec vanis vulgi rumoribus, nec diuitiarum aut deliciarum lenociniis, nec deſponſatæ ſibi coniugis gratiæ ceſſit, quominus ad Prædicatorum religionis præſtantiam adoleſcens viginti annos natus conuolaret, primoſque iuuentutis ſuæ flores, virginitatis amatori conſecraret. Ægre fuit parentibus Simonis, ſpem in eo defixam ſobolis & familiæ propagandæ, ea vitæ mutatione labefactatam eſſe.

ORDIN. PRÆD. INGREDITVR.

Quamobrem ſponſa illi deſponſa, forma, gratia, & diuitiis ac nobilitate præſtante virgine aſſumpta, cæteriſque cognatis ſibi adiunctis, nihil non egerunt, vt innocentis animum ad ſæculum ex ſententia reuocarent. Cæterum ille adoleſcentem Euangelicum imitatus, venditionem omnium rerum, & ſui, patris, matris, ſororis, vxoris, & reliquorum pernecesſariorum abnegationem, ex conſilio illius, qui ad ſummam perfectionem virtutum iter monſtrauit, adque ſupremam felicitatem ſemitam prætriuit, feliciſſimo conatu elegit.

RELIGIOSÆ EIVS EXERCITATIONES.

Cum autem accepiſſet, Sapientiam cœleſtem in maleuolentem animam non intrare, neque habitare in corpore ſubdito peccatis, puritati inprimis cordis, deinde cæteris virtutibus religioſis ſedulo incubuit. Itaque & victus parcitati, & vigiliarum inſomniis, & auſteritate vitæ, & humilitate demiſſa, & aliis religioſis exercitationibus ſeſe exornauit adeo facillime, vt ea omnia quaſi à primis annis imbibiſſet.

Quærebant nonulli ex eo; Quonam pacto illa omnia, ſuperioribus temporibus delicatule nutritus efficere poſſet, quæ ad perfectos in religione viros attinere magnopere viderentur. Ille vero reſpondebat; ſe cum ſæculari habitu, iuuentam, delitias, & quoſuis carnis exuiſſe affectus, ac ita animum inſtituiſſe,





vt non veſtem, ſed carnalem hominem exuiſſet. Neque enim Monachum cuculla, ſed opera faciunt. In religione; primus ſemper in gerendis omnibus Simonis erat aggreſſus, poſtremus illi fuit ſemper receſſus. Nihil præterea ob eas res probe geſtas, in eo tumoris vel arrogantiæ cernebatur, nihil præſumptionis; quod tanta ei ineſſet facilitas morum, & mentis prudentia, vt tempus quam negotium magis homini deeſſe videretur.

HVMILITAS

Cum ſolus meditaretur, ac ſecum plerumque diuinis rebus intenderet, tum quam maxima conficiebat animo, tumque ſenſim edebat egregios virtutum flores, qui ſecuturos antecederent fructus. Quæ omnia ita charum & acceptum omnibus reddidere, vt tametſi ingenti conatu illa refugeret, quę ad honores & vulgarem hominum famam attinere viderentur, præclaros tamen magiſtratus in ſua religione & domi & foris perciperet. Neque vero ſibi ita faciendum exiſtimauit, vt pleroſque videmus, qui cum vel minimam attigerint bonarum artium diſciplinam, magiſtri atque primi omnium haberi exambiunt. Obque id omnia & ſingula faciunt, vt primas cathedras occupent: ſed cum in eo eſſet multarum rerum cognitio, & vt in homine Prædicatore multa ſcientia, nunquam tamen ob humilitatem nomen ſibi magiſterii vſurpauit.

Dicebat; nullam religionibus pernicioſiorem calamitatem poſſe aliunde magis accidere, quam ex crebris magiſteriorum nominibus, quæ etſi ad dignitatem ordinis pertineant, non promiſcue tamen debent multiplicari.

FIT PRIOR FLORENT. CŒNOBII.

Præfecturam Cœnobii Florent. non niſi inuitus ſuſcepit, tantaque moderatione geſſit, vt moleſtus nemini, omnibus vero eſſet chariſſimus. Spiritum enim lenitatis, ex præſcripto Apoſtoli, ſibi ante oculos proponens, vitia coercebat, virtutes exemplo magis quam verbo ſerebat, probos amabat, delinquentes complectebatur, nec tam rem familiarem amplificare, quam morum elegantiam & ſtrictioris vitæ rigorem augere curabat: quod ſciret non affluentia rerum, ſed exercitatione virtutum, religiones ampliſſimas conſtare: nec non parſimonia ac paupertate ſuperiores patres inſtitutum Prædicatorium fundaſſe, & in hanc vſque diem multa rerum geſtarum gloria hoc fundamento ſteriſſe, pariter & floruiſſe. In hoc munere obeundo, tantum opinionis apud maiores conſecutus eſt Simon, vt paulo poſt omnium cauſarum religionis, publice & priuatim apud Pontificem Maximum agendarum curam illi detulerint, ac titulo Procuratoris ordinis (quæ maxima apud Dominicanos dignitas eſt) ornatum, Auinione apud Pontificia ſubſellia eſſe illum voluerint. Quo in officio, multa pro conſeruanda religione Prædicatoria apud Pontifices egit, tantumque nominis propter ſolertiam & integritatem ſibi conciliauit, vt etiam ſumma capita Eccleſiæ, de rebus grauiſſimis eius ſententiam rogarint.

ELIGITVR PROCVRATOR ORD.

PRÆFICITVR ECCL. PARMEN. A IOAN. XXI.

Clemens certe V. nullum aptiorem iudicauit, quo in conciliando Philippo Rege Galliarum, quem male habuerat, quod non omnia, poſcenti, Pontifex recti & æqui tenax concederet; quoue in Gibellinæ factionis hominibus demulcendis familiarius vteretur. Parmenſi Eccleſiæ ab Ioanne XXII. Clementis ſucceſſore Epiſcopus prælatus, non iam, vt plerique ſolent, ſuæ religionis aut habitum peroſus, aut fratrum conſortium exhorrens, ab illis reſiliuit: nec quicquam de prioris vitæ auſteritate remiſit, nec humilitati, aut manſuetudini renunciauit, ſed ad maiorem perfectionis gradum ſemper contendens, omnium virtutum exemplar & formam exhibuit; quandoquidem iam non ſui ipſius modo, ſed vniuerſi gregis ſibi commiſſi rationem ſe nouerat Domino redditurum. Quare collapſam ſanctiorem diſciplinam in clero & populo, ad veterem morem reuocare; & per factiones Rolandi & Ioannis Quirici tumultuantem ciuitatem ad concordiam reducere, prædicatione & priuatis adhortationibus conatus, cum etiam pauperum & egenorum curam non neglexiſſet, non multo poſt ad Piſanam Eccleſiam translatus, ingenti omnium gratulatione ſuſceptus eſt: quod omnes ſperarent, omnibus æquum fore, & nec ambitioni, neque potentiæ cuiuſquam quicquam deferre. Archiepiſcopi, & Primatis Corſicæ ac Sardiniæ, nec non Legati nati dignitate auctus, qua ratione inprimis Florentinos cum Piſanis in gratiam reduceret laborauit. Deinde diſpenſatorem non Dominum ſe eſſe exiſtimans, quatuor primarios ciues, qui viduis, pupillis, orphanis, ægrotis, & indigentibus quibuſcumque, abunde ex bonis Eccleſiæ illius omnia ſubminiſtrarent delegit. Mox ad lites ciuium componendas, & cleri mores reformandos, nec non ad ſacram Eccleſiæ Piſanæ pompam, auro & argento & pretioſa ſuppellectili augendam, animum adiecit, multaque propria ornamenta & vaſa inæſtimabilis precii eidem Baſilicæ attribuit.

TRANSFERTVR AD ECCL. PISAN.

PIA EIVS STVDIA ET OPERA.

Translationi Diui Zenobii, cum Florentino, Spoletano & Feſulano Epiſcopis, anno Domini 1330. menſe Ianuario Florentiæ interfuit. Inter Piſanos & Senenſes concordiam ſtabiliuit. Romanæ Prouinciæ Cœnobia donariis quam maximis ditauit. Prouinciam vniuerſam, ſanctis moribus & inſtitutis informauit. Florentinorum iniuriis laceſſitus, quod in Piſanos magis inclinare dicerent, patienter non minus quam conſtanter tulit: repoſuitque obtrectatoribus; ſe ſponſum ſuæ Eccleſiæ eſſe, neque ſibi amplius integrum fore, illam aut negligere, aut relinquere, aut vero non omnibus modis ornare. Annos 16. integros, cum Metropoli Piſanæ præfuiſſet, illamque Eccleſiam maximis virtutibus illuſtraſſet, ſanctis in extremo agone perceptis Sacramentis, in manibus Fratrum Dominicanorum octuagenarius è ſæculo migrauit. Vir certe ſummus, & omnium memoria digniſſimus. *Ioan. Carol. Florentin. apud Leandr. lib. 3. de viris illuſtrib. Ord. Præd.*

MORITVR.

XXV. OBITVS CAROLI REGIS VNG. CVI SVCCEDIT LVDOV. FILIVS.

Eodem anno 17. Kal. Auguſt, Carolus Rex Vngariæ, apud Viſſegradum, non ſine nominis ſui immortali gloria, ſupremum diem obiit, in Diui Stephani Baſilica apud Albam, poſt ſolennem parentationem reconditus. Succeſſit ei Ludouicus filius, adoleſcens auitis moribus imbutus, à cuius generoſa indole, ac ſtudioſiſſima patris & aui educatione, fauſtiſſima quęque vulgus ariolabatur. Pollicebatur ſpem optimam ingenuus adoleſcentis aſpectus, cui tantum inerat maieſtatis, vt ſpectatorem quemque facile ſibi conciliaret, adduceret in admirationem, ac tacitam ſibi quandam reuerentiam poſtularet. Liberalis eius facies, non tam libera reſponſa, quam facilem gratiam & officia indicabat. Quamuis autem ingentem animi magnitudinem præſeferret, pudore tamen ſummaque modeſtia non carebat. Feruentis ætatis impetus, grauitate ac moderatione quadā ita coercebat, vt vno eodemq; tempore, in eodem homine, & iuuentutis alacritatem, & grauitatem ſenectutis liceret intueri.

QVALIS LVDOVIC.

Exornabat hæc omnia magna religio, inaudita pietas, iuſtitia ſingularis, ingenita clementia, maturaque conſilia cū ſumma magnanimitate coniuncta. Augebat gratiam & decorum popularitas incredibilis, & affabilitas indefeſſa, ingenium eius & mores, ad regnandum natum eſſe portendebant. Optimas quaſq; dotes Gallici Pannonicique ſanguinis, in hunc omnes conueniſſe iudicabant.

XXXVI.

Nihil indignius moleſtiuſq; tulit, quam beneficentia & liberalitate vinci, aut ſui regni iura ab aliis occupari vel vſurpari. Dolorem publicum ex patris, auique Roberti interitu conflatum, ſpe omnium officiorum leniuit relaxitque; poſtquam in regalis comitiis Rex ab omnibus declaratus, Albæ continuo in frequentiſſimo Pannonum conuentu, ſacro ritu, ab Archiepiſcopo Strigonienſi rite coronatus eſt. *Bonfin. rer. Vngaric. dec. II. lib. 10.*

Ciccvs Asclan. ob magiam exvstvs.

Hocanno, Ciccus Aſculanus, qui Roberto regnante claruerat, ac iſta tempeſtate inter Aſtronomos & Magos excellentiſſimus habebatur, quia Ioannæ Caroli Ducis Calabriæ filiæ fata prædixerat, ab Accurſio Inquiſitore criminis conuictus, extremo ſupplicio affectus eſt. Ad cometarum aſpectus diuinationem retorſiſſe aliqua aſſeuerant ex quibus vnus menſes quatuor apparuit, & antequam occideret, alter duos menſes emicuit. Ex quibus quod non difficile exiſtimarent, duorum Regum fata prædicere, iniqua morte multatum eſſe plerique cenſebant: cum tamen is propter interdictæ artis exercitium, velut magus flammas meruiſſet. *Bonſin. ſup. lib. 9.*

# IESV CHRISTI

## Annus 1343.

### Clementis Pap. VI.

### Anno 2.

I. Clemens Lvdovic. hæreticvm declarat et imperio per sententiam privat.

AD II. Idus Aprilis Clemens Pontifex, in Ludouic. Bauarum contumacem, publice, coram innumera populi multitudine omnes Ioannis XXII. proceſſus & cenſuras confirmauit, atque renouauit: ipſumque & hæreticum & ſchiſmaticum declarauit, omnique authoritate & honore Imperiali priuatum denunciauit, & per ſententiam priuauit; nec non Treuerenſi Archiepiſcopo, ac reliquis electoribus Imperij perſcripſit, vt ſe ad alium Imperatorem deſignandum diſponerent, *ep.* 210.

Cavsæ sententiæ Clementis.

Huius ſuæ declarationis & ſententiæ has præcipuè cauſas adiunxit Clemens: Primum, quod affirmaret Ioannis XXII. definitionem de paupertate Chriſti & Apoſtolorum eſſe hereticam, & iuraſſet ſe credere contrarium. Deinde quod aſſereret ad authoritatem Imperatoris pertinere, Papam inſtituere & deſtituere. Adhuc quod citatus ſuper hæreſi, & propter contumaciam excommunicatus inforduerat in cenſuris annis plus decem. Item, quod Ioan. de Ianduno hæreſiarcham domi ſuæ fouerit. Quod Epiſcopos conſtituere præſumpſerit. Quod Eccleſiaſticum interdictum violarit, & eos qui violare noluiſſent Sacerdotiis expulerit. Quod matrimonia in facie Eccleſiæ ſolennizata diſiunxerit, & alios in gradibus prohibitis coniunxerit. Poſtremo, quod olim idolum in Eccleſia Dei conſtituerit, ſc. Petrum Corbarium Antipapam creauerit, & legitimum Pontificem deponere conatus ſit. Hæ cauſæ condemnationis & depoſitionis Ludou. fuere.

Mogvnt. Archiep. excommvnicatvr.

In quibus quod *Henricus Vrembergius Moguntin. Archiepiſcopus* Ludouico communicaret, eundem Clemens anathemate damnauit, & ad dicendam cauſam, diem illi Auinione dixit, *ep.* 64

II. Lvd. Eccl. statvm miserrimvm facit.

Ab his diris Ludouicus magis irritatus, animi & bilis ſatis habens, Pontificem contempſit, edictaque nihil duxit.

Cum autem Clemens, pro zelo paſtorali in furibundum magis procederet, ipſe non eſſe verum Pontificem vbique blaterauit: donec in maximas difficultates ſeſe conieciſſet, cum paſſim ab eo proceres deſciſcerent, & popularium tumultus conciretur. Ibi Gallorum Regem interpellauit, vt Clementem ſibi propitium redderet, & ab eo dignitatem Imp. obtineret. Non abnuit Clemẽs, ſi modo Ludouicus Legatos ad Sedem Apoſtolicam mitteret, qui eius nomine omnes hæreſes & errores quorum reus peragebatur eiurarent, atque imperii titulum in Pontificis arbitrio deponerent.

Misit Legatos ad Pont. quorum tamen pactis stare non vvlt.

Miſit ille ad Henricum Archicancellarium & auunculum ſuum, Auguſtanæ & Bambergenſis Eccleſiarum præpoſitis comitatum, qui iuſſa Ludouici perficerent. Et ſpes erat illum in gratiam Sedis Apoſtolicæ poſſe redire, niſi aliqui Principes Germaniæ hominem præcipitem ſeduxiſſent, vt is comitio Francofordiam indicto negauerit ſe pactis velle ſtare, quaſi legati contra iura Imperii egiſſent, & Pontificiæ auctoritati nimium detuliſſent. Non deerant plurimi, qui Romanæ Sedis authoritatem reuerendam eſſe & tuendam multis comprobarent; illud ſolenne inculcantes; *Religionem ante omnia ponendam fore: quæ niſi ſit in ſuo loco & dignitate, Reſpub. nulla conſiſtere poteſt.*

Ab horum conſiliis, alios Legatos Ludouicus ad Clementem ire iuſſit, qui ſanctionem Francofordianam illi referrent, & prioris tranſactionis legatorum irritationem poſtularent. Quos vt Clemens audiuit inque contumacia Ludouicum perſiſtere agnouit, Gallorum & Boemiæ Reges aduerſus illum euocauit, vtque Eccleſiæ propter eum laboranti auxilium ferrent inuitauit, *Mutius Chron. Germ. lib. 24.* Cum etiam hoc anno Ioann. Boemiæ indulſiſſet, vt Reges Boemi, non amplius à Moguntino, ſed à Pragenſi Archiepiſc. inaugurarentur, *ep.* 1095.

Regnvm Siciliæ Eccles. Rom. vindicat. III.

Rebus ad eum modum pro dignitate imperii conſtitutis Clemens, ad Siciliæ regnum Eccleſiæ Romanæ vindicandum animum conuertit; & Aymerico Cardinali Sedis Apoſtolicæ indidem Legato, poteſtatem illius cum titulo Vicarii & Balini tantiſper conceſſit donec cũ Andrea & Ioanna, à Roberto defuncto ſucceſſoribus deſignatis, tranſegiſſet.

Inter reliqua Clemens Aymerico commiſit Legato, vt omnes conceſſiones ab Ioanna quibuſcunque perſonis factas feudorum, & bonorum omnium immobilium ad integritatem Regni Siciliæ pertinentium abrogaret, omneſque eorum bonorum vel feudorum occupatores, ad reſtituendum prolatis in refractarios cenſuris Eccleſiaſticis compelleret. Fecit ille ſatis mandatis, & apud S. Germanum publicato edicto, bona & feuda male conceſſa, Eccleſiæ vindicauit. *Cod. Columm. M.S.*

Sanctia Siciliæ et Hiervsalem Regina ordinem S. Claræ ingreditvr.

Quo anno Sanctia Siciliæ & Hieruſalem Regina, paucis poſt menſibus quam Robertum virum amiſerat Franciſcanum habitum Neapoli induit, S. Claræ regulam paupertatemque profeſſa, in qua nihil proprii, ne commune quidem habere licebat. Cuius tantum fuiſſe ferunt humilitatis ardorem, vt à miniſtro generali ſupplex petierit, vt ſeuere prohiberet, ne amplius Reginæ nomine, ſed ſororis, vt aliæ omnes appellaretur. *Platus libro 2. de bono ſtatus religioſi, capite 27. ex hiſtor. Franciſcana.*

IV. Elisabeth Reginæ Vngariæ Neapol. adventvs.

Neapolim per id temporis conceſſerat Eliſabetha Vngariæ Regina, Andreæ mater, multis Pontificibus doctrina & pietate præſtantibus comitata. Iam coronandi Andreæ & Ioannæ vxoris tempus inſtabat; ſed aliam coronam quam à Pontifice Romano impetratam geſtare non licebat.

Conuocatis itaque principibus, eo Senatusconſulto Nicolaus Palatinus, Paulus aulæ præfectus, Thomas Rufus, Vitus Nitrienſis Epiſcopus, Thomas Petri filius, item Metropolita Beneuentanus, cum magna nobilitatis manu legati Auinionem deſtinati, Clementem conuenerunt, vt ab eo, cuius imperio Siciliæ regnum parere debet, Andreæ ac vxori diadema impetrarent.

Romam venienti vniversvs popvlvs et clervs occvrrit.

Nec dum quicquam certi conſtitutum fuerat, & dies inaugurationi deſignata imminebat. Hæc vt ad feſtiuitatem ſacratiſſimæ Pentecoſtes anni ſubſequentis prorogaretur, Clemens conceſſit, *epiſt. Clem.* Cum interim Eliſabetha in ſolennibus ſanctæ Crucis Neapoli egreſſa, cum delecta antiſtitum & optimatum manu, Romam contendit, vt Apoſtolorum baſilicas inuiſeret. Apropinquanti ad tertium lapidem, vniuerſus populus, & Sacerdotum ac Senatorum ordo occurrit.





Quum ad Diui Petri Baſilicam perueniſſet, Pontifex Reatinus vrbis Vicarius cum frequentiſſimo Sacerdotum collegio eam excepit. Ad magnam ſaluatoris aram ab eo ducta, ingens numini donatiuum obtulit, ſacras veſtes margaritis excultas, item vaſa candelabraque aurea gemmataque, ac cætera tale genus.

Dona ecclesiis Vrbis ab ea data.

Quater inſuper mille ſeſtertium aiunt addidiſſe. Luſtrauit & cætera templa, ſacraq; collegia, quorum nullum ſine regalibus donis prætermiſit. Sacra autem virginum cænobia, incredibili beneficentia proſequuta eſt. Sudarium etiam Saluatoris, vbi deſudatam numinis imaginem intueri fas eſt, facta ſemper conſcendendi poteſtate, reuerentiſſime viſitauit, & ad excolendum eius tabernaculũ multum auri argentique dedit: vbi tam pie collachrymaſſe memorant, vt omni ibidem delictorum impunitate donatam, plerique ſcripſerint: ſuuſque confeſſor, ſacerdos profecto grauiſſimus, poſt eius obitum id vulgo prædicaſſe & aſſeueraſſe perhibetur. *Bonſinius rerum Vngar. dec.* 11. *lib.* 10.

V. Cavsæ cvr Pontifex cõcessionem Regni Siciliæ aliqvantvlvm distvlerit.

Erat quod Clementem remoraretur, ne tam cito Regni Siciliæ poſſeſſionem Andreę & Ioannæ concederet. Mores inprimis Ioannæ, non pro ea ætate ac dignitate fuerant. Ipſa Eliſabetha quam aliquantiſper Neapoli apud filium ſubſediſſet, illius inſolentiam, temeritatem, indomitamque libidinem continuo intellexit, nihilq; in ea penſi, nihil pudoris & religionis vidit. Aſpernabatur hæc Andræam, & imperare potius quam parere viro contendebat. Præferebat impudicam leuitatem, & præter faſtum intolerabilem, dominantemq; libidinem nil aliud in ea cernere erat. Improbi illius mores continentiſſimam ſocrum vſque adeo cruciabant, vt in Pannoniam reiicerent. quod antequam pateretur, ne quid optimæ parentis officii prætermitteret, mitibus illam monitis & hortationibus primum auertere conata eſt. quibus quum nihil ſe proficere intelligeret, ſeueriorib. quandoq; verbis increpuit; ponens ante oculos Regiæ poteſtatis dignitatem, turpitudinis, infamiæ, & prophanæ mentis incommoda præſentanea, ſcelerumque ſupplicia: quibus improba haud quaquam mouebatur. Quam vbi deperditæ audaciæ, ac impudentiſſimi fore ingenii indies intellexit, deſperata eius ſalute, ac dimiſſo non ſine dolore filio, quem male coniugatum nouerat, primo Barium vt Diui Nicolai ædem inuiſeret, muneribuſque oblatis pietatem ſuam teſtaretur, deinde in Hungariam rediit. quamuis Legati qui Auinionem in Galliam ad Clementem contenderant, nondum rediiſſent; quia difficilem in coronando Andrea aliquantiſper offenderant Pontificem. *Bonſin. ſup.* Offendebatur Clemens, & Andreæ pueri ignauia, quod is virum non ſe poſſet quam par erat demonſtrare. Vnde ſecuta multa Neapoli & in vniuerſo regno incommoda, cum Fra. Robertus Eremita inſtitutum primi Pauli profeſſus, Andreæ Curator, conaretur Ioannæ poteſtatem imminuere, & Andreæ aſſerere. Nitebatur Ioanna, Roberti Regis defuncti familiaribus amicis, à quorum conſiliis Regnum illud adminiſtrabat. Hos Fr. Robertus paulatim à latere illius amouit, ſuique iuris regnum fecit, in locum deiectorum aliis, & fere omnibus Vngaris ſuffectis. Non poterant illi miſeri dignitatibus & fortunis ſpoliati ferre iniuriam, & impotentem eremitæ atque Pannoniorum dominatum. Quamobrem totum negotium Pontifici detulerunt, & is inaugurationem aliquantum diſtulit. *Summontius hiſt. Neapoli. lib.* 3. *c.* 4. *parte* 2.

VI. Qvis tvnc Regni Neapol. statvs.

Quis tunc Neapolitani Regni ſtatus fuerit, Franciſcum Petrarcham placet audire. Iſta Ioanni Columnæ ſcribebat. *Roma digreſſus Neapolim veni, Reginas adii, & Reginarum cõſilio interfui. proh pudor, quale monſtrum? Auferat ab Italico cœlo Deus genus hoc peſtis. Putabam Chriſtum apud Nemphim & Babylonem Mechiamque contemni. Compatior tibi mea nobilis Parthenope; vere tu harum qualibet facta es. Nulla pietas, nulla veritas, nulla fides. Horrendum tripes animal, nudis pedib. aperto capite, paupertate ſuperbum, marcidum deliciis vidi: homunculum fuluum ac rubricundum, obeſis clunib. inopi vix pallio contectum; & bonam corporis partem induſtria retegentem, atque in hoc habitu non ſolum tuos, ſed Romani quoque Pontificis affatus velut ex alta ſanctitatis ſuæ ſpecula inſolentiſſime contemnentem.*

F. Robertvs.

*Nec miratus ſum; radicatam in auro ſuperbiam ſecum fert. Multum enim, vt omnium fama eſt, arca eius & toga diſſentiunt. ac ne ſacrum nomen ignores, Robertus dicitur, in illius Roberti sereniſſimi nuper Regis locum; quod vnum decus ætatis noſtræ fuerat, æternum dedecus Robertus iſte ſurrexit. Iam minus incredibile putabo, è ſepulti hominis medulla naſci poſſe ſerpẽtem; quoniam à ſepulchro Regio, aſpis hæc ſurda proſiliit, ô ſuperum pudor. quiſnam ſolium tuum inuaſit Regum optime? Sed hæc fortunæ fides eſt. Humanas res vertit pariter & euertit. Non fuit ſatis mundo ſolem abſtuliſſe, niſi atras inſuper tenebras attuliſſet; & erepto Rege vnico, non alter qualibet virtute inferior ſuccederet, ſed hæc atrox & immitis bellua. Siccine nos aſpicis aſtrorum Rector? hic tanto Regi ſucceſſor idoneus? Hic poſt Dionyſios Agathoclemq; & Phalaridem cunctis obſcœnior, & clam licet immanior, fato debitus, reſtabat aulæ Ficulæ (vt Macrobii verbo vtar) inclementiſſimus incubator. qui miro genere tyrannidis, non diadema, non purpuram, non arma, ſed ſqualidum palliaſtrum induit; eoq; non totus vt dixi, ſed dimidius obuolutus, nec tam ſenio curuus quam hypocriſi, nec tam eloquio fretus quam ſilentio & graui ſupercilio, per Reginarum aulas diſcurrit, & bacillo innixus humiliores proterit, iuſtitiam calcat; quicquid diuini aut humani iuris eſt polluit; qui quaſi nouus Tiphys, alterque Palinurus, fluitantis cymbæ clauum regit, cito (ſi quid mihi credis) ingenti naufragio peritura. Multi enim ſunt tales, & fere omnes, propter vnum Canallicenſis Eccleſiæ Præſulem Philippum, qui ſolus pro deſerta iuſtitia partes facit. Sed quid faciat agnus vnicus, in tanto luporum agmine? Quid faciat, niſi quamprimum fugiat ſi poſſit, & ouile ſuum repetat? quod ipſum meditari arbitror; ſed miſeratione regni labentis, & vltimæ obſeruationis Regiæ memoria, ceu geminis compedibus detinetur.*

*Interim quantum in maleſuada aulicorum acie, ſanè vnius vox audiri poteſt, Dei & hominum implorans fidem, obſtrepit iniquiſſimis conſiliis, & auctoritate ſua retundit multorum impudentiam; ſubmittit humeros publicæ ruinæ, ne respubl. decidat, Roberto ſuperſtiti; qui tum perfidiæ principatu, tum nouitate habitus, primum inter monſtra curiæ promeruit & nomen & locum. Ter niſi fallor aut quater ipſum carceris limen ingreſſus, Capuana caſtrum dicitur amicos tuos vidi compedibus, iuſtitiam ſibi ſuam damnoſam fuiſſe querentes. Regina ſenior coniunx olim Regis, nunc miſerrima viduarum, miſeretur, vt dici, nihil amplius ſe poſſe confirmans.*

*Cleopatra cum Ptolomæo ſuo miſereri poſſent, ſi Photinus Achilleſque permitterent. Tu vero reprehenſione non carebis, niſi de ſingulis, quæ aliis ſecretioribus ad te literis latius ſcripſi, Romanum Pontificem certiorem feceris. Vnum illi meis verbis in fine dicito. Siquidem reuerentius, vt opinor accepiſſet exhortationes Apoſtolicæ ſedis Saracena Suſis aut Damaſcus, quam Chriſtiana Neapolis, quod niſi ſanctitatis veneratio prohiberet, adderem Ciceronianum illud;* iure quidem plectimur. *Niſi enim multorum ſcelera impunita tuliſſemus, numquam ad vnum tanta licentia perueniſſet. Petrarch. libro quinto, de rebus famil.* Iſta volui adſcribere, tum vt cauſas Clementi fuiſſe, quod non tam cito Regnum Andreæ deferret explicarem; tum vt omnes religioſos, rerum apud Monarchos potentes admonerem, ne præpoſtera conſiliorum ſuggeſtione, regna, & ſe vna cum eis in extremum malorum, cum perpetua ignominia adduxerint, ſiue adeo præcipitarint.

VII. Clemens Legatos ad Regem Angliæ mittit.

Hoc anno ad XI. Calendas Nouembris Clemens Pontifex, Nicolaum Archiepiſcopum Rauennatem, & Petrum Aſtoricenſ. Epiſcopum, in Angliam, ad Regem Edouardum Legatos, de negotiis quæ Eccleſiæ Romanæ intererant deſtinauit. *Rubeus hiſtor. Rauennatis libr.* 6.

Male habebat Anglos, quod Romani Pontifices non ſolum primos fructus omnium ſacerdotiorum in Anglia vacantium ſæpe ſibi decerperent, verum & legatis ſuis in Angliam itineris ſumptus ex Angliæ Ec-

ANGLI INNOVANT. DECRETVM CONTRA IMMVNIT. ECCLES.

cleſiis ſuppeditari decernerent. Quodque grauius accipiebant, Sacerdotia, præbendas, cœnobiorum præfecturas, Epiſcopatus & Archiepiſcopatus exteris, vel his qui à ſuis ſemper functionibus abeſſent, donarent: nec non penſionibus in Cardinalium vſum Eccleſias Anglicanas grauare viderentur. Iſtud incommodi vt à ſe depellerent, inprimis communibus parlamenti ſuffragiis, decretum parlamenti quod 35. anno Edouardi primi, contra huiuſmodi (vt appellant) prouiſiones & reſeruationes editum innouarunt. Deinde ab ampliſſimis totius Regni Comitiis literas Clementi miſerunt. In quibus etſi cum omni verborum honore animique demiſſione ſummam illius in Eccleſiaſtica adminiſtratione amplitudinem agnoſcerent, rogabant tamen, vt deinceps ab huiuſmodi reſeruationibus, prouiſionibus & collationibus, quibus & ipſe, & alii quidam ante eum Romani Pontifices vſi fuiſſent, pro ſua pietate temperaret.

QVERELÆ ANGLORVM AD PONT.

*Fuiſſe iam olim à maioribus ſuis Eccleſiam Anglicanam aiebant, magnifice & ample Epiſcopatib. Archiepiſcopatib. Cœnobiis, Sacerdotiis, aliiſq; Eccleſiaſt. poſſeſſionib⁹, dignitatibus annuiſque redditibus & priuilegiis atq; prærogatiuis inſtructam & ornatam, vt Sacerdotes Dei in nocturnas diurnaſque perpetuo accurateque preces, tam pro ſalute animarum illorum defunctorum, à quibus tanta hæc beneficia in Clerum manarent, quam totius populi Anglicani, eorumque præſertim qui ad peculiarem eorum curam & ſolicitudinem per ſingulas Parochias pertineant, incumberent, vt ad ſacras omnes functiones, ad Sacramenta, ad auguſta ſacrificia populo exhibenda ad ſacras conciones; ad animas hominum ſacra exomologeſi expiandas, ad omnem denique diuinam laudem, liberi & ſoluti iam à quotidiana victus conquirendi cura & ſolicitudine parati & expediti forent. Vtque Parochianis ſuis tenuioribus, aliiſque quos rerum inopia & anguſtia afflictarent, ex Eccleſiæ patrimonio (quo ſine ſuo ſudore abundarent) pie & liberaliter ſuccurrerent; vtque templa, & alia Eccleſiaſtica ædificia, ſarta, tecta, atque integra conſeruarent. Hæc autem omnia tam præclara & neceſſaria Chriſtiano populo officia valde imminui & labefactari, imo ſæpius extingui, euerti, & obrui, ex his inuſitatis atque extraordinariis Eccleſiarum donationibus. Cum præſertim exteris, idque tam multis conferantur, qui neque reſideant in Anglia, neque ſi reſiderent, cum rudes ſint linguæ & morum populi Anglicani, officio ſuo & Parochianorum (quorum ſaluti nulla idonea cura impenderetur) expectationi ſatisfacere poſſint.*

*Accedere ad indignitatis cumulum, quod huiuſmodi Sacerdotia ad Regis & Regni hoſtes transferrentur; quodque multi pii & docti viri ex indigenis, propter ita occupatas ab exteris Eccleſiæ poſſeſſiones, ſumma inopia conficerentur, & literarum ſtudia frigerent. animiq; Anglorum ad ea capeſſenda valde debilitarentur, & frangerentur; cum viderent iuſtum ſuum doctrinæ & pietati deeſſe fructum atque honorem.*

*Hinc fieri, vt & quibus donatio facta eſt, & patroni qui Sacerdotia contulere idoneis hominibus, iure ſuo excidant. Hinc etiam, cum Pontifex omnia ſuo arbitrio Sacerdotia conferat, eorumque adeo primitiis fruatur, amplam ex Anglia, ad ſummum Reipub. detrimentum, & contra voluntatem eorum, à quibus hæc tam opima Eccleſiæ dos olim ad Clerum profecta eſt, exportari pecuniam.*

*Rogare itaque ſe, quanta in ipſis cadere poſſit animi demiſſione, qua ad pedum ipſius oſcula prompti & parati erant, vt præ ſapientiæ ſua luce, qua pro dignitatis ſuæ magnitudine totam Eccleſiam ſuam velut Sol quidam illuminare & illuſtrare deberet; pro illa amplitudine qua illum Deus in Eccleſia vt illius Principē & caput ornauit; pro ſua in Deum & Dei Eccleſiā pietate, vt æquis & propitiis aurib. hanc ipſorum poſtulationem exciperet, opportunumque his tantis malis, quæ vlterius diſſimulare non poſſent, remedium primo quoque tempore adhiberet.*

Hæc Angli ad Clementem perſcribebant. Is porro, quod ſumptibus in ſtipendia belli Orientalis, aduerſus Turcas pro Chriſtianis indigeret, & ab Alfonſo Rege Hiſpaniarum aduerſus Mauros auxilia poſtularetur, nec quicquam de reſeruatis primitiis fructuum remiſit, ſed collectores illos, qui exigerent miſit: in reliquis propitius, *MS. Vatic. de rebus Anglic. & Thomas Valſing. & ep. 47. Clementis hoc anno.*

VIII. MONET REGEM ANGLIÆ PON. VT DECRETA CONTRA ECCL. ANTIQVET

Monuit præter hæc Edouardum Regem & Regni proceres, vt ea recens innouata contra Eccleſiam decreta antiquarent: alioquin ſibi non defore Eccleſiaſticam cenſuram, ad libertatem Eccleſiaſticam vindicandam. *ep. 622.*

IX.

Porro, cum per id temporis Clemens Pontifex, duobus Cardinalib. nonnullos redditus aſſignaſſet, & Procuratores eorundem Cardinalium, officiales Regii primo expuliſſent, deinde retractos in vincula cõieciſſent, hanc pro immunitate Eccleſiaſtica vindicanda Edouardo ſcripſit epiſtolam, quam adiungo. Ita habet.

TENOR LITERARVM CLEMENTIS AD REGEM ANGLIÆ PRO IMMVNITATE ECCLESIAST. VINDICANDA

CLEMENS EPISCOPVS ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio, Edouardo Regi Angliæ illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*Dudum poſt creationem nouorum ſacroſanctæ Roma. Eccleſiæ Cardinalium, prouida & matura deliberatione præuia per nos facta, honoribus Dei & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, ac vtilitatibus Reipublicæ conuenire, quod Cardinales ipſi, qui ſuper expediendis negotiis, ad alueum Apoſtolicæ Sedis vndique confluentibus nobiſcum labores & onera partiuntur, & haberent congrue, vnde ſuis valeret neceſſitatibus ſecundum ſtatus ſui decentiam prouideri. Demum excogitatis viis & modis licitis, quibus abſque maiori Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum grauamine huiuſmodi prouiſio ſequi poſſet, de beneficiis Eccleſiaſticis tunc in diuerſis regnis in partibus Chriſtianitatis vacantibus, & in antea vacaturis, vſq; ad certam ſummam, pro ſingulis eorundem nouorum Cardinalium, & ſub certis formis & limitationib. præfatis Cardinalibus, diſtinctis eis, prout expedire vidimus prouinciis, gratias fecimus ſpeciales.*

*Cum autem duobus ex eis de Ducatu Aquitaniæ oriundis, videlicet dilectis filiis noſtris, Adamaro, titulo S. Anaſtaſiæ, & Geraldo, titulo S. Sabinæ presbyteris Cardinalibus, de huiuſmodi beneficiis in regno & terris tuis (fili chariſſime) conſiſtentibus, in forma pro ipſis & aliis prædictis Cardinalibus, cum magna deliberatione conſilii ordinata, gratias huiuſmodi prouiderimus faciendas, ipſiq; pro eis conſequendis gratiis certos Procuratores & nuncios ſuos Eccleſiaſticos, viros ſcilicet prudentes & literatos ad partes regni tui Angliæ deſtinarent, ipſi procuratores & nuncii poſtquam ad regnum peruenientes prædictum, inceperunt ibidem Dominorum ſuorum prædictorum negotia proſequi ſupradicta, per gentes & officiales Regios non ſolū impediti ſuper eis, quin imo captiuitati, & tandem de regno prædicto expulſi cum ignominia, ſicut infeſtis nimis relatibus percepimus, extiterunt. Profecto (fili dilectiſſime) ſi præmiſſa, quæ de procuratoribus prædictis præmittimus, veritate nituntur, attenta deuotione ſincera quam ad Dominum & ſacroſanctam Roman. Eccleſiam matrem tuam gerere dignoſceris, ſicut claræ memoriæ progenitores tui Reges Angliæ geſſerunt, dum in humanis agerent, ea de tua proceſſiſſe conſcientia faciliter credere non valemus.*

*Certum eſt autem, quod non ſolum in regno & terris tuis prædictis, imo quaſi in omnibus regnis & partibus tam propinquis quam remotis, vbi Catholicæ fidei viget cultus, aliis nouis Cardinalibus conſimilem gratiam fecimus, in quibus rebellionem aliquam præter prædictam, quam (ſi vera ſit) cum dolore cordis referimus factam, nullatenus audiuimus vſquequaque: ſatis namque honoribus & commodis Regiis credebamus, & credimus expedire, quod Cardinales, & illi maxime, qui naturaliter afficiuntur ad honores & commoda tua Regia, in Regno & terris tuis beneficia obtineant Eccleſiaſtica; quia ex hoc proculdubio libentius & frequentius ad promouendos profectus Regios inducuntur. Et vtinam illi, qui nutriti de micis eiuſdem Romanæ Eccleſiæ, & ad honores & ſtatus exaltati per eam, impedimenta & alia prædicta procuraſſe non abſque magnæ ingratitudinis vitio, & aliis ſuis periculis veriſimiliter æſtimātur, ex quibus propter hoc excommunicationis & aliis pœnis & ſententiis promulgatis aduerſus tales à canonibus, ſe periculoſe nimium ſubiecerunt, quæ ſalutis, famæ & honoris Regii felicia reſpiciunt incrementa, fidelibus, intenderent ſtudiis, & contrarium attentando nequaquam lucra propria ſub manu Regia venarentur.*



*Demum Regiam rogamus excellentiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus his quæ præmiſimus, & aliis quæ in hac parte circumſpectioni Regiæ poſſunt occurrere, diligenti præmeditatione intra pectoris Regii clauſtra diſcuſſis, ea quæ contra dictos procuratores, & quoſdam alios præfati Cardinalis Adamari, qui poſtmodum in eodem Regno capi & detineri dicuntur, facta fuerunt, reparari & reuocari decenter & benigne faciat, ipſoſq; procuratores Regio fauore ſuffultos, circa proſequenda in eodem regno ſupradicta negotia plena ſecuritate gaudere, pro diuina, & noſtræ, dictæque ſedis reuerentia faciat Regia celſitudo; aures non accommodando Regias, in illis quæ in Dei offenſam, Eccleſiæ prædictæ contumeliam, ac honoris, ſalutis & famæ tui culminis læſionem, poſſent quomodolibet redundare; vt Dominum tibi ſemper propitium, & ſedem prædictam ſuper tuis opportunitatibus conſtituas promptiorem. Reſcripturus nobis, fili dilectiſſime, quæ tua Regalis circumſpectio circa hæc prouiderit ordinanda.* Datæ apud Villam nouam Auinioneſ. diœceſis 5. Kal. Sept. Pontificatus noſtri anno. 2.

X. MIRABILIS HISTORIA DE HENRICO LINCOLN. EPISC.

In hunc annum reiiciunt annales, mortem Henrici Lincolnienſis Epiſcopi, de quo admirabilem quæ poſt illius obitum contigit hiſtoriam, illorum temporum æqualis refert. Tradit itaque Henricum rei ſuæ familiari cum aliorum iniuria augendæ ac cumulandæ, plus iuſto fuiſſe addictum, & damas ſepto apud Tingehurſtium incluſiſſe, continentes colonorum ſuorum contra ipſorum voluntatem terras adieciſſe, ſaltum illum ſæpibus & foſſa muniiſſe. Quæ res effecit, vt in diras multorum execrationes incurreret. Poſt obitum vero cuidam ex familia ſua viſendum ſe dediſſe inſtar ſaltuarii breui & viridi tunica indutum, cornuq; à collo & ſagittarum pharetra à latere dependente, arcumque manu tenentem.

*Noueriſque*, inquit, *magna cum Dei pauperumque offenſione hunc à me ſaltum obſeptum, & hanc mihi iuſto iudicio Dei pœnā irrogatam, vt iſto hic habitu oberrem, donec damnū datum pauperibus reſarciatur. Abi itaq; actutum ad fratres meos Lincolnienſis Eccleſiæ Canonicos, & roga, vt miſericordiam mei capiant, priſtiniſq; poſſeſſoribus reſtituendas has terras curent.* Hæc vbi Canonicis relata ſunt, nec ignorarent tenuiores illos homines iniuria per Henricum affectos, miſere Gulielmū Bachelerium vnum ex ſuorum numero, qui ſepta illa reuelleret, latam foſſam quam ſaltui circum dederat oppleret, & omnia in priorem conditionem reponeret. *MS ſup. Anglic. rer.*

XI. ALIVD MIRABILE DE QVODAM IVVENE.

Eodem quoque tempore contigiſſe quiddam memorabile in partibus Borealibus de quodam iuuene, *Thomas Walſignanus* narrabat. Rem ipſiſſimis eius verbis dabo. *Fuerat aliquis iuuenis in familia Baronis Grayſtockii, qui cum equitaret latus & hilaris per quendam campum ſeminatum ſiligine, & cerneret ſiliginem in morem æquoris fluctuare, repente vidit quendam homunculum rubeum de ſiligine caput erigere; qui quanto plus conſiderauit eundem, tanto plus videbatur ſibi eum creſcere in ſtatura. Hic appropinquans arripuit frenum eius, & vellet nollet duxit eum intra ſiliginem, ad locum vbi (vt ſibi viſum fuit) pulcherrima Domina cum multis puellis ſibi ſimilibus reſidebat. Hæc iuſſit eum mox equo deponi, & pelle carnibuſque lacerari, ac demum excoriari. Deinde (vt putabat) prædicta Domina caput ſuum per medium ſecans, cerebrum abſtuliſſe, caputq; vacuum recluſiſſe ſibi viſa eſt. Quib. ita geſtis eum in equum leuari fecit, & abire permiſit. Is porro ſine mora, expers & inops ingenii furere, & geſtus furioſos continuare cœpit. Cumq; ad villam proximam perueniſſet, quædam puella familiaris ad eum venit, & curam illius egit; & ne damna miniſtrantibus ſibi inferret, cathenis eum coarctari fecit; adque multos ſanctos tranſmarinos pro ſanitate cõſequenda duxit. Non tamen ſibi ille rubeus & rufus defuit, ſed vbique illi viſibilis apparuit & adfuit. Et licet tribus aut quatuor cathenis ligatus fuiſſet, eas tamen ſemper ſoluere conſueuit.*

*Tandem apud S. Ioannem de Beuerlaco, poſt ſex annos huius miſeriæ integram ſanitatem recepit. In placidum nempe ſoporem reſolutus, viſum fuit ſibi pulcherrimam Dominam eius caput iterato diuidere, & cerebrum per priorem ablatum Dominam, loco ſuo reſtituere. Reſtitutus priſtinæ ſanitati, puellam quæ eū circum duxerat in matrimonium duxit, & ex ea quindecim filios generauit. Qua defuncta, ad Sacerdotium Eccleſiæ Thorbaſſetti euectus cum aliquando miſſam, ſumma cum deuotione celebraret, & corpus Chriſti (prout moris eſt) populo videndum manibus eleuaret, apparuit illi rufus prædictus, & ait: ſit amodo tibi cuſtos, quem tu tenes in manibus; nouit enim ipſe te quam ego melius cuſtodire.* Thomas hiſt. Anglic. in Edouardo III.

XII. CLEMENS ALPHON. REGEM PECVNIA ET ALIIS SVBSIDIIS CONTRA MAVROS IVVAT.

Quod bellum aduerſus Saracenos in Hiſpaniis attinet, Clemens Pontifex Alfonſo Regi Caſtellæ, præter mutuam pecuniam, tertiam quoque decimationem redditoū Eccleſiaſticorum in ſumptus belli conceſſit, nec non omnibus qui pia arma caperent, ſpem veniæ fecit. His auxiliis fretus Alfonſus, Mauricā claſſem numeroſam, ad ſeptem diſſipauit. Rem Chriſtianam tunc periculo proximam, Diui tutelares Hiſpaniæ ſuſtentarunt, perpetuaque Regis aduerſus ingruentia mala, animi conſtantia atque felicitas, *epi. Clem. 1108. Mariana de reb. Hiſpan. lib. 16. c. 11.*

MONSTRVM.

Quo anno, menſe Auguſto, Ceruerae in agro Vrgelitano, infans gemino capite, quatuor cruribus natus erat. Prodigium vnde perniciem rebus portendi ſuperſtitioſo homines ingenio ſibi perſuaſerant, infantis cæde auerruncari placuit. Viuus ſepultus. In parentes, quoniam iis volentibus factum erat, parricidii lege actum eſt. *Mariana ſup.*

XIII. LEGATVS IN HISP. PRO PACE INTER ARAGONVM ET MAIORICARVM REGES CONCILIANDA MITTITVR.

Hoc ipſo anno Clemens Pontifex, Bernardum Cardinalem tituli S. Cyriaci in thermis, Legatum in Hiſpanias, qui pacem inter Aragonum & Maioricarum Reges conciliaret, ire iuſſit. *ep. 124.*

Acciderat & iſtud, vt Petr. Rex Aragonū à falſis quorundam ſuggeſtionibus Epiſcopo Gerundenſi & Canonicis infenſior, vrbe & toto Regno eiecerit, iuſtamque Sedis Apoſtolicæ vindictam in ſe prouocarit. Ad cor reuerſus, omnes reuocauerat, & honore merito exceptos ad Eccleſiam reuerti permiſerat. Supplex Pontifici obtinuit, vt is Bernardo Cardinali commiſerit, qui anathemate illum exſolueret & ſacra vniuerſo Regno interdicta reſtitueret, Datum literis *Auenion. 4. Idus April.*

XIV. AFFLICTA CHRISTIANORVM RES IN ORIENTE.

In Oriente, omnia Chriſtianorum afflicta à Turcis. Ioannes Cantacuzenus vir opulentus, magnaque potentia ſubnixus, cum vrgentibus & opitulantibus Græcis, ad Imperii curam ſemet extuliſſet, & Ioannem Palæologum Imperatorem puerum tutelæ ſuæ commiſſum, Imperio exuere conatus eſſet, Orchanem Turcam quem data in vxorem filia, affinem amiciſſimum & familiariſſimum ſibi fecerat, in auxilia aduerſus Calazoannem & Annam eius matrem Andronici viduam relictam vocauerat. Is poſtquam vniuerſam Lydiam imperio ſuo addidiſſet, & poſtea in Cappadociam bellum tranſtuliſſet, Græciſque in Aſia morantibus plurima oppida ademiſſet, à Bithyniæ excurſione, Cyprum quoque, Cretam, Rhodum, Pharum & reliquas Ionii & Ægei maris inſulas, ad ditionem ſuam adiungere cogitabat, quo tempore Byzantii maximo inter ſe odio certabant. Ab his inſulis vt extremam calamitatem Clemens auerteret, quotidie auxilia poſtulantium Chriſtianorum preces miſeratus, ſacrum fœdus cum Rege Cypri, ſenatu populoque Veneto, ac militibus Hieroſolymitanis percuſſit.

Quatuor triremes ſumptibus Apoſtolicæ Sedis ſubmiſit ipſe; quinque ſenatus populuſque Venetus, quatuor Rex Cypri, vnam Nicolaus Senuccius dedit; ſex reliquas militibus Hieroſolymitanis imperauit; claſſi vniuerſæ Henricum Patriarcham Conſtantinopolitanum Legatum præfecit; & ſacro fœderi conſeruando, poteſtatem ei in regnis Cypri, Cretæ & Patracen. ſpiritualem, cum titulo Legati de latere & facultate indicendi bellum ſacrum attribuit. Cum etiam Calo Ioannem Imperatorem Græcorum ad vnitatem Eccleſiaſticam literis datis inuitaſſet; & ſiquidem ille Eccleſiam Orientalem coniungere Romanæ in animum induceret,

ret, ſubſidia illi tam contra Cantacuzenum, quam aduerſus barbaros quoſcumque ſe miſſurum ſpopondiſſet. *Epiſtol.* 19. 27. 35. *&* 414. *Boſius libr. 2. hiſtor. milit. Hieroſolymit.*

XV. Eam in Chriſtianos vexationem à barbaris, & inteſtina bella inter Græcos, fas eſt credere, Deus permiſit, vt illorum quidem mores corruptos caſtigaret, horum vero intellectum à vexatione ad veritatis & vnitatis Eccleſiaſticæ cognitionem aperiret, hocque quaſi flagro ad vnicam Eccleſiæ Orthodoxæ communicationem intrare compelleret. Non enim ſine permiſſione diuina Cantacuzenus Imperium arripuit: neque, niſi Deo illius manu advindictam malorum vtente, tantas victorias aduerſus Calo Ioannem obtinuit, illumque in ordinem redegit. Et Eccleſiaſticos, vt vel ſero ſaperent, & ad gremium matris Eccleſiæ ſerio redirēt, afflixit. Quanquam ſchiſmaticum; ſucceſſiuum tamen ſecundum ſomnium admonuit, verum etiam mores illorum quos per eum vexauerat, abunde depinxit.

Cantac. somnium imperium ei portendentis.

Aliquando contra Batazen & Perſas pugnaturus, & inter colloquendum dormitans ſomno conſopitus, viſus eſt videre duos adoleſcentes pulcherrimos, tenentes veſtem ſtragulam colore Phœniceam, ſuper qua expreſſa crux aurea, ad quatuor eius angulos pertingens. Circum crucem auream ſcriptum erat literis aureis, *Ieſus Chriſtus vincit.* Eam veſtem afferentes illi adoleſcentes, Cantacuzenum dormientem cooperiebant. Imperio illum potiturum, aliqui ex hoc ſomnio coniectabant.

Manuelis Cantacuzeni filii aliud de patre somnium.

Cum autem Orchanis ſubſidio, omnia oppida ad oram Ponti ſita præter Sozopolim ſubegiſſet, ſub idem tempus Manuel iunior filius eius Berrhææ manens, tale viſum per ſomnum ſibi oblatum ſcripſit. Videbatur ſibi ſedere ſuper lectulo, patrem autem togam, & tunicam purpura pretextas indutum, geſtantemque à collo pendens monile Sacerdotale aureum accedere, dextra læuaque ſtipatum duobus, quorum alter ignotus Prophetæ Iſaiæ volumen apertum tenebat, alter Lanizarerus gladium Imperator, manu portabat, & ipſum Cantacuzenum ceram & ſigillum ambo rubra porrigentem, dicentemque; *Signa.* Cum ſignaſſet, viuum leonem in cera impreſſum apparuiſſe, dextro pede ſtellam tenentem lucidiſſimam, & iuxta armum aliam ſtellam modicam velut inſculptam habentem. Tum Cantacuzenum dicere; *Excita ipſum.* Quod cum faceret, qui librum Iſaiæ tenebat, hæc inde videbatur recitare; *Dominus Dux eius fuit ex Ægypto, vt gloriam vnicornis eius, vt comedat gentes inimicorum eius, & iaculis eorum iaculabitur, & craſſitiem eorum emedullabit. Recubuit, & quieuit vt leo, & vt catulus leonis; quis excitabit eum? Qui benedicunt tibi, ſunt benedicti; & qui maledicunt, maledicti.* Hæc ille libro inſcripta recitare videbatur. Cantacuzenus rurſus filium ſignare iuſſit. Cum ſignaſſet, expreſſa eſt viua pardalis, altero pede chartam ſuſtinens, cum hac inſcriptionē: *Ecce fera altera vt pardus, & poteſtas ei data eſt.* Cumque Cantacuzenus ei qui librum tenebat præcepiſſet, vt feræ Prophetiam legeret, eadem legebat. Tertium ſignare iuſſit. Cumque ſignaſſet, felis etiam viua exiuit, quæ lingua extra dentes electa, terram lambere videbatur. Quam cum filius in ſublime extuliſſet, lingua felis extendi, & terram ſimiliter circumlingere viſa eſt. Tum qui librum ferebat, iuſſu Cantacuzeni Prophetiam legit: *Ecce fera altera; & dixerunt ei, aſcende comede carnes multas.* Poſt hæc Cantacuzenus ſigillum aliud viride filio dans, in ceram imprimere iuſſit. Cumque impreſſiſſet, exiuit viua ciconia, ſcyphum vitreum pede ſuſtentans, in quo acetum ineſſe apparebat. Tenens autem librum legebat: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Videbunt, in quem transfixerunt.* Adhuc iuſſus ſignauit, & hippocentaurus exiuit, dextra manu haſtam geſtans. Qui autem vaticinia legebat; *Ecce,* inquit, *aliud animal præcellens, & validum vehementer.* Videbatur ad extremum mandare filio Cantacuzenus, vt animalia occultaret, quæ mox in cerea ſigilla conuertebantur, quæ manibus vt poterat occultans, cum patre, depoſito monili ſacro exiuit, & in eo articulo ſomno ſolutus eſt. Talis ſpecies Manueli dormienti obtigit.

Portendebat Cantacuzeno, quod is non tantum in prophana, verum etiam in ſacra ius ſibi aliquando vſurparet: nec tantum purpuram Imperatoriam, ſed etiam Patriarchicum monile exambiens, de rebus & perſonis ſacris quoque cognitionem vendicaret. Viuumq; leonem ſc. Calo Ioannem Imperatorem tantiſper dormitantem opprimeret, quoad is ſomno & ignauia excuſſa in libertatem ſeſe aſſereret. Viua Pardalis Annam Imperatricem: viua felis Apocaucum, viua ciconia Ioannem Græcorum Patriarcham, à Cantacuzeno in ordinem redactum, & amaro felle calamitatum propter ſinceriora dogmata potum: hippocentaurus quemlibet rerum potentem, Cantacuzeno aduerſum deſignare videbatur. Euenere omnia quemadmodum præmonſtrata fuere.

XVI. Coronatio Cantacuzeni Adrian.

Adrianopolim Cantacuzen. cum veniſſet, & ibi Lazarus Patriarcha Hieroſolymitanus, & Epiſcopi complures coram adeſſent, paratis omnibus ad celebritatem cæremoniamque accommodis, à Lazaro Patriarcha Hieroſolymitano, menſe Maio, quando Conſtantini Magni, & Helenæ matris eius, Apoſtolis comparandorum memoria colitur, coronam Imperii accepit, moxque Irenen coniugem ſuam ſolitis ritibus coronauit. Congregatiſque illic propter diem feſtum hunc Epiſcopis, de Ioanne Patriarcha; ecquid eius Sacerdotium revereri, & cum illo cōmunicare oporteret, quando iam à Græcorum ſchiſmate receſſiſſet, & ab Epiſcopis etiam, qui Byzantii in ædib. interdicto acceſſu coercebātur, ab eius communione abſtinendi poteſtas iam conceſſa eſſet; quæſtionem inſtituit; deinde cum viſum eſſet vniuerſis, ab eius ſocietate penitus recedendum, ſententiā illorum ſuffragio ſuo comprobauit, & vt è ſacris omnibus eius nomen expungeretur, deque cætero ne quis illum pro Patriarcha agnoſceret decreuit, & è palatio ſimiliter memoriam illius profligauit.

Byzantii, iam à ſchiſmaticis Epiſcopis, Ioannes Patriarcha fuerat condemnatus, quod in Gregorium Palamam propter impietatis crimen ſententiam dixiſſet, & Barlaamum Monachum non ita pridem, propter dogmata ſanctorum ſcitis de recta & ſana fide conformia, iniuſte à Synodo damnatum, Gregorio Acindyno Monacho rurſum in iudicium cauſam illius adducente affirmanteque iniuria damnatum eſſe, cum recte ac vere ſentiret, innocenter oſtendiſſet; Palaamam autem & ſocios de praua religione accuſatos conuictoſque, carcere detinuiſſet: Multiſque Epiſcoporum præterea, & præcipuis de Monachis (Archontibus eius pietatem non parum adiuuantibus) propter conſenſionem erroris cum Palama ſanctorum calculis damnato dicam ſcripſiſſet, & non tantum cætu piorum excluſiſſet, verum etiam in ædibus concluſiſſet. Ab horum querimoniis Ioanna Imperatrix, Synodum Epiſcoporum ſchiſmaticorum in palatium conuocauit, & cum diem Ioanni Patriarchæ dixiſſet, ipſa cum filio præſidens, dogmata diſcuti præcepit, atque falſas criminationes in Patriarcham audiuit, damnarique priuatim ſuſtinuit. Ad eum modum Pſeudoſynodus in palatio, Patriarcham in germanis Eccleſiæ dogmatibus ſapientem, & alios ad ſibi aſſentiendum cogentem, concordibus ſententiis exauctorauit. Scilicet hoc etiam ſupererat ad perituræ Græciæ fœditatem, vt fœmina cum filio quindecim annorum præſideret Synodo, & innocentem Patriarcham per calumnias opprimi toleraret. *Cantac. libr. 3. hiſtor.*

XVII. Clemens mittit Imp. Palæologo auxilia contra Turcas.

Miſerat per id temporis, Ioannes Palæologus & Ioanna Imperatrix, Philippum ſancto Germanum Sabaudum, ad Clementem Pontificem, Nuncium, auxilia aduerſus Turcas poſtulatum. Eum cum Clemens benigne audiuiſſet, cum ſubſidiis non contemnendis remiſit, ſimulque Bartholomæum Canonicum Romanum Humberti Delphini Viennenſis Nuncium, Con-





ſtantinopolim ad Imperatorem & Imperatricem ire iuſſit. Qui tum literas deferret, tum coram nonnulla exponeret, à Sede Apoſtolica pro vnitate Eccleſiarum, & fors etiam pro concordia inter Palæologum & Cantacuzenum concilianda, commiſſa. Monebat Clemens Ioannam, Ioannem, Patriarcham, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Clerum, Monachos, Calogeros Montis ſancti, Principes, Barones, populumq; Imperii Græcorū, & inprimis Conſtantinopolitanos, & inter hos Alexiū Magnum Ducem, vt is quemadmodum promiſerat ad vnitatem fidei & Eccleſiæ reuerteretur, & tum Imperatorem tum reliquos ſchiſmate præciſos, ad ouile Orthodoxum reducere curaret. Obſecrabat inſuper Clemens Palæologum & Ioannam (quam Cantacuzenus Annam appellat) vt Philippo & Bartholomæo, in rebus à Sede Apoſtolica commiſſis fidem adhiberent, & ad Eccleſiam populos ſibi creditos adducere properarent, *ep. Clem.* 414. *& ſequent. pluimis.*

Porro ne qua in re Clemens deeſſet, Balulo Venetiarum Conſtantinopoli, & proceribus populoque Petano, vt Imperatori puero aduerſus hoſtes ne deeſſent, priori autem Prædicatorum & Præfecto Cœnobii Minorum tum Peræ, tum Conſtantinopoli, vt inprimis ad vnitatem Eccleſiaſticam ſchiſmaticos reducere laborarent, conſilioq; & auxilio Palæologum & Patriarcham iuuare conarentur, iniunxit, *ep.* 423.

XVIII. Sub hoc tempus Martinus Benedicti Zachariæ frater ciuis Genuenſis claſſi præfectus, cum Henrico Patriarcha Conſtantinopolitano (quem Pontifex Clem. Legatum miſerat) duodecim triremibus Smyrnam appulſus eſt, quam & prius Latini poſſederant. Cantacuzenus vtrumque cæſum tunc fuiſſe commemorat, hūc in modum. Patriarchæ (quem, inquit, poſt diuiſam Eccleſiam Papa eligere conſueuit, velut vrbe ad Latinos adhuc pertinente, quia ſub ipſis aliquando fuit) placuit in Smyrnenſe templum olim metropolitanum ingredi, & illic ſacris operari, iuſſitque milites armatos ſequi. Martinus, & alii nauarchi factum hoc, vt periculo non carens, diſſuadebant. Dum neceſſitati parere non vult, & in æde ſacrificium facit, Amurius cum armatis ſuperuenit. Et milites quidem Latini cernentes Perſas inuadere, ad caſtellum ſuum confugientes, mortem euaſerunt. Patriarcha vero ſacris indutus veſtibus vna cum Martino, pauciſque nobilibus à Perſis obtruncatus eſt. *Cantacuz. lib. 3. hiſt. c.* 95.

Genuenſium rerum ſcriptores, quindecim triremes Chriſtianorum, quarum ſex Venetorum erant, quinque Genuenſium, & reliquæ Romani Pontificis, numerant, & duce Martino Zacharia Smyrnas inferiores ex manibus Saracenorum ablatas commemorant; nequicquam eius cædis facta mentione. *Petrus Bizarus libr.* 6.

XIX. Querelæ aduersus Hospitalarios apud Pōt.

Magnam tunc operam in Orientalibus rebus iuuandis nauarant milites Hieroſolymitani, Clementis exhortatione excitati, vt crimina ſibi iniuſta eluerent, & religionis ſuæ diuiſionem, quam non tantum Chriſtiani Principes verum etiam aliqui milites apud Sedem Apoſtolicam vrgebant, præuerterent. Probro dabatur, quod illi bonis & facultatibus in Chriſtianorum tutelam addictis abuterentur; & nequicquam officii ſui in partibus vltramarinis meminiſſent. Sed pecuniis corradendis promiſcue vacarent, pompatice induti, equos, canes & aues venaticas alerent, venationibus tantummodo incumberent, ac per omnem luxum & laſciuiam libidinibus indulgerent. Propterea non deerant, qui partem bonorum illis detrahendam, & nouam militarem religionem ex illis erigendam decernerēt. Indigne eas querimonias aduerſus Hiſpitalarios, quemadmodum par erat Clemens accepit, eoſq; officii, datis literis 8. Auguſt. Pont. anno 2. Elioni Villanouano totius inſtituti Magiſtro, admonuit. Submiſerunt illi ſex triremes in ſubſidium Chriſtianorum, & ad reformationem inſtituti ſui plurimum collaborarunt. *Boſius ſup. libro ſecundo.*

XX. Controversia de nonnullis reliquiis.

Incidit inter hæc inter Conradum Brinanum ciuem Genuenſem, & Petrum Rogerium Gallum, controuerſia de nonnullis particulis ſacrarum reliquiarum in eo bello Orientali acquiſitarum. Alteruter ſibi æquo iure eas deberi contendebat, & de tota re, apud Clement. Pontificem ambo diſceptabant. Ioannes Palæologus Imperator pro Conrado intercedebat: cui, quod iure æquiore niteretur, illas Clemens reſtitui imperauit; ſibi autem nonnihil ex ligno viuificæ crucis, & particulam vnguis digiti S. Præcurſoris reſeruauit, ac totum Ioanni Imperatori ſignificauit, *ep.* 517.

XXI. Cantac. postquā Constantinop. ingressus est res gestæ.

An porro Benedictus Canonicus, ſchiſmaticis ſeſe Conſtantinopol. adiunxerit, & in rem Cantucazeni, eas quas ipſe Cantacuzenus, eius nomine ad Clementem & Delphinū ſcriptas refert, reuera ſcripſerit, penes auctorem ſchiſmaticum fides eſto. Nobis quæ ad hiſtoriā illuſtrandam adiungere viſum, non illubuit omittere. Cenſura penes Lectores eſto: an ex fide Cantacuzenus de ſe, id quicquid eſt ſcripſerit. A Byzantina coronatione differentem audiamus.

Perfoſſo muro Ioannes Cantacuzenus, Conſtantinopolim ingreſſus, etiam palatiū (ita vt is ipſe lib. 4. ſuæ hiſt. cap. 1. & ſeq. ſcribebat) introiuit, Annamque Auguſtam ante Deiparæ Hodegetriæ imaginem cum filiis ſtantem inuenit, quo magis illum illa ad miſericordiam permoueret, efficeretque, vt recordationem omnium, quæ per bellū grauia ſibi & odioſa accidiſſent deponeret. Ille primū Dei matris iconē ſupplex veneratus, deinde ſuper ea vniuerſis audientibus iurauit; ſe nec meditatum eſſe, nec feciſſe, qualecunq; contra ipſam & filios, priuſquam ab illis bellum moueretur. Neque eam cum filio Imperatore imperio ſpoliare vllo modo cogitaſſe: ſed omnia meras eſſe fabulantium criminationes, confictaſq; calumnias. Sibi inde ab initio fuiſſe propoſitum, quemuis laborem ſubire, & quantum haberet opum, ad communem Imperatricis, filiorumque fructum, ac ſuam deniq; gloriam in priuato habitu manē rem impendere. Poſtea Deo exquiſitas egit gratias, cum viuus ad illum diem perueneriт, ex quo manifeſtiſſime obtrectationibus, & iniuſtis accuſationibus liber futurus ſit; cum rebus ipſis obtrectatorum nequitiam, modeſtiamq; ſuam palam declarauit. Tum vna cum Auguſta, & filio Imper. in conclaue ſibi paratum ingreſſus eſt. Ibi ſermonem induxit de Repub. & adoleſcenti de ſponſa Helena filia. Cœpit enim ſtatim vehementiſſime iuuenem diligere, non ſolum ob amorem quo in patrem eius fuerat, ſed etiam quod videbat eſſe gratiarum omnigenarum domiciliū. Nec enim tantummodo forma duntaxat ei inerat digna imperio; verum etiam fortitudinis atque prudentiæ non vulgarem præ ſe ferebat indolem; quæ virtutes poſtea quoque, vt ſperabatur, in eo eluxerunt. Nulli quippe maiorum ſuorum Impp. intelligentia ſecundus erat, & generoſam ſæpe numero audendi fiduciam hoſtibus demonſtrauit. Poſtridie Cantacuz. edixit, vt qui ſecum eſſent extra vrbem morantes, & qui ab Imperatrice eſſent optimates, milites, aliiq; nobiles, Sacramento concepto fidem & ſibi, & Ioanni Palæologo, & Annæ Impp. adſtringerent, & vniuerſis vni ſe Imperio ſubiicientibus, ceſſaret omnis diſſenſio, & omnes diſcordiæ aliquando tandē finirentur. Quotquot in vrbe cum Anna Imperatrice erant, & gratias Cantacuzeno egere, & Sacramentum libenter dixere. Foris plures, & quidem nobiliſſimi repugnarūt, profeſſi, Cantacuzeno ſoli ſe parituros, præterea nemini eſſe per abſurdum cenſentes, cum tot tantoſq; labores bello exantlauerint, facultateſque, propinquos, ſemetipſos pro nihilo habuerint, vt hoſtes debellarent; iā cum debellauerint, repente ipſoſmet debellatos ſuperatoſq; videri: & ſubeſſe illis, quib. & ante, tam multarū moleſtiarum adhuc expertes ſubeſſe poterant ſi voluiſſent. Sic per triduum, ne idem quod cæteri facerēt, neu iunioris Imp. iugum acciperent renitebantur. Cantac. contumaciam videns, paucis, ac ſumma ſeueritate edixit, qui genero parere nollent, à ſe quoq; diſcederent.

Ioan. Palæologi laudes.

Nolle cuiquam ſibi parendi neceſſitatem imponere quemadmodum necantehac impoſuiſſet: ſed ſi quis ſibi ſubdere ſe cupiat, eum & Imperatorem generum oportere Dominum agnoſcere. Aliter enim lites, & diſſidia nunquam ſublatum iri. Cum tandem omnes ceſſiſſent, atque vt ita iuſſi erant agnouiſſent; multis aliis poſtea actis, vxorem cum filiabus Adrianopoli euocauit.

HELENA CANTAC. FILIA IOH. NVPTVRA IMPERATRIX SALVTATVR.

Venientibus, Anna Imperatrix & filius Ioannes Imperator, cum magiſtratibus & nobilitate vniuerſa, vſque ad templum Deiparæ ante vrbem (quod vt nomine πηγὴ, id eſt, fons dicitur, ſic reipſa curationum plurimarum fons eſt) obuiam iuit: vbi Helena adoleſcenti Ioanni nuptura, patre & ANNA AVGVSTA iubentibus, Imperatorio cultu exornata, & Imperatrix ſalutata eſt.

XXII. AMEDEVS ALLOBROX RES NOVAS IN GRÆCOS PARAT.

Cantacuzeni ſtudiorum interim, Amedeus ſextus Allobrox, Marchio è Lombardia Princeps, Imperatoris Andronici ſenioris ex filio nepos, qui præ cæteris omnibus ſibi Imperium tanquam debitum vendicabat, (cuius etiam pater Theodorus cum Andronico Iuniore de eodem litigauerat) certior factus, quomodo Græcis iam imperaret, ac præter Byzantium, Theſſalonicam, & Ænum, reliquum omne imperium filiis defuncti Imperatoris abſtuliſſet; conſiderabat, quomodo & ipſe adducta claſſe harum trium vrbium ſibi potius ex paterna hæreditate, quam Cantacuzeno debitarum potiretur.

Ad hoceum mirifice Cumintzes Cardinalis, vxoris eius frater ſollicitabat; qui etiam nauibus ædificandis non exiguam pecuniam, & alioqui ad apparatum bellicum impenſam non modicam cõferebat. Iamque inſtructus erat, vt huius anni vere ineunte Byzantios magna potentia nauali aggreſſurus.

XXIII. BARTH. VIENNEN. DELPHINI AD ANNAM IMP. LEGATI EPISTOLA DATA AD PONT. DE CANTAC.

Verum enimuero ex Bartholomæo quodam intelligens, Cantacuzenum iam Byzantium atque Imperium vniuerſum ſub ſe redegiſſe, ab inſtituto quieuit. Hic namque Bartholomæus à Delfino Viennenſi ad Annam Imperatricem Legatus; cum interea, dum ipſe legationem obit, Cantacuzenus Conſtantinopolim occupaſſet; congreſſus cum eo, eiuſque prudentiam admiratus, CLEMENTI PAPÆ, & DELFINO à quo miſſus fuerat, ſcripſit. Eas epiſtolas in hiſtoriam hanc ad verbum illigauimus. Quæ quidem ad Papam eſt, ſic habet.

*Vniuerſus populus exultet, victoriaque tanti Imp. totus terrarum orbis gratuletur. Dies enim ſanctificatus Chriſtianis illuxit, 3. Nonas Februar. quo nimirum Deus emiſit Angelum ſuum præparare viam ſuam ante illum, & lumine ſuo ſplendidiſſimo belli tenebras procul diſpellere: qui pacem, tanquam virentis oliuæ ramuſculum attulit. Hic enim eſt Rex pacis, alter Salomon, cuius faciem omnis terra videre deſiderat. Ecce enim vt oſtenderet Dominus, nõ in equi robore aut in potentia hominis, ſed diuina virtute erectum hoc trophæum, à præcellentiſſimo & inuictiſſimo Domino Ioanne Cantacuzeno Auguſto Imperatore, poteſtatis ſuæ theſauros aperuit, & in illum ſuorum chariſmatum dona effudit, dum videlicet illi hanc reginam vrbium, Conſtantinopolim inquam, & quantumcunque eſt imperium, cæleſti virtute in potentia armorum, & brachio extento tradidit, vt in ipſo donorum eius, & miſericordiæ fluuii perennes clarius apparerent. Hic enim eſt, de quo ſcriptura, qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus; facere mala & non fecit. Imo profecto Chriſtum imitatus, bonum pro malo reddidit; memor miſerationis, & immemor iniquitatis.*

*Qui etiam fuit bonus miles, ſecundum exemplar primi athletæ Stephani, orantis pro perſecutoribus ſe lapidantibus, dicentiſque; Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum; quia neſciunt quid faciunt. Nunquam poſt homines natos vllius tam ſingularis incredibiliſque virtus audita eſt, neque Octauiani, neque Theodoſii: vt quos vi armorum proſternere potuit, illis, omnium in ſe commiſſorum oblitus, pie miſericordiam ſuam impertiret. Lætare igitur ſanctiſſime Domine, adeo felici, adeo triumphali, incruentoque, & Chriſtiano populo minime noxio ingreſſu. Iterum gaude quoniam veritas per veritatẽ ſuſcepta eſt. Chriſti enim veritas, huius inſontis Imperatoris veritatem oſtendit; propterea quod veritas & miſericordia illi obuiauerunt, iuſtitiaque & pax inter ſe oſculatæ ſunt. Equidem hoc ad pacem potius, & optimum vniuerſi popul. Chriſtiani ſtatum, & ad incrementum trophæi contra inimicos Crucis Chriſti pertinere confido: quemadmodum non mediocri detrimento fuit Romanorum Imperatoribus, longiſſimo tempore amplificata diſcordia. Proinde etſi quædam nefanda facinora de nominato à me ſereniſſimo Imperatore & Auguſto Domino Iohanne Cantacuzeno (qui etiam pater nunc eſt ſereniſſimi Imperatoris & Auguſti Romanorũ, Ioannis Palæologi) ſanctitati tuæ narrata ſunt, certe nequaquam admittenda, nec vllo modo credenda ſunt. Arbitror enim beatitudinem tuam, de his ab ipſis Dominis, Imperatoribuſque noſtris, ſiue per Legatos, ſiue per literas probe & verius, atque liquidius nihilominus cogituram.*

XXIV. LITERÆ EIVSDEM BARTH. AD DELPHINVM VIENNEN. IN EANDEM MATERIAM.

Hæc ad Papam Clementem VI. Bartholomæus de Imperatoribus. Ad Imbertum autem Delfinum Viennenſem, à quo etiam Legatus ad Annam Imperatricem venit, in hæc verba literas dedit.

*Totus fidelium populus iubilet hilariter: pſallat Chriſtianorum chorus: in ſacro S. Eccleſiis illuſtriſſimi dies feſti renouentur: feriant ſydera pſalmodia: eant cœlo monachorum organa: voluãtur per omnium ora, omnemque circum circa regionem peruagentur hæ iucundæ panegyres, vt gaudentium clamor non à terreſtribus ſolum, ſed etiam à cœleſtibus ciuibus exaudiatur. Audite igitur cœli quæ loquar, & audiat terra verba oris mei. At enim quis non libenter audiat, quis nõ ſollicite dictis adhibeat animum, factam eſſe ſc. manum Domini ſuper Romanum Imperium, quia dies illuminauit noctem, & ſplendor fugauit tenebras, ſedentibuſque in tenebris & vmbra mortis lux de cœlis orta eſt? Videte quomodo lux hæc de ſuper orta ſit, vt qui ſedet ſuper omnes excelſiſſimus, non apparatu bellico eximio, ſed ſua ipſius virtute, magno & inclytiſſimo Imperatori, Domino Ioanni Cantacuzeno, eidemq; Imperii & Imperatoris parenti, hanc omnium vrbium reginam traderet, & huc vſque iuſtus Iudex hoc ei Imper. pro munere ſeruaret: vt omnibus hoc à Domino Deo, non ab homine factum plane conſtaret. Ait n. ſapientiſſimus Salomon, tempus cuiq; rei ſub cœlo, & omnia bona in tẽpore ſuo. Tempus flendi, & tẽpus lætandi. Sic aliquando & Chriſtus; nondum venit hora mea. Et alibi: pater, venit hora & nunc eſt, vt clarificetur filius tuus: ſtatimque paterna vox ad filium: & clarificaui, & iterum clarificabo. Etiam in Euangelio legimus, Ioanni Chriſto noſtro ad Iordanem dicenti: ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? reſpondiſſe Chriſtum, ſine modo: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Verba illa: ſine modo, nondum adeſſe tempus ſignificabant exaltationis & gloriæ: quoniam nondum venerat hora benedictionis & gratiæ. Hæc igitur luminis hora Romanorum ſeruata eſt Imperio: ne ſi repente & improuiſo munus hoc fidelibus exhiberetur, vilipenderetur. Hic eſt, qui cœlum ac tempeſtates ſerenat. Hic ille, qui poſt lamentationem & lacrymas lætitiam infundit. Quem enim S. Patrum exaltauit in gloria, tribulationibus prius non exercitum? ſicut & ſcriptura perſpicue clamat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Et Deus dicit: quos diligo, arguo & caſtigo. Sic & pſalmicen, cœleſtis ille citharædus Dauid, cecinit: caſtigans caſtigauit me Dominus: ſed morti non tradidit me. Et alio loco: Pater meus, & mater mea, & omnes noti mei dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me. Tu quoque amabiliſſime Dux, hunc de quo loquor, Imperatorem admitte, quem Deus ad Imperium temperandum delegit: & hunc inter præcipuos numera, quem Deus imperio cuſtodiuit. Omnis namque poteſtas à Dn. ad bonum aliquem finem inſtituta eſt: & qui poteſtati imperantis reſiſtit; ſecundum Apoſtolum diuinæ ordinationi reſiſtit. Et caue, ne quando vnus de illorum ordine reperiare, qui à iuſto Iob reprehenduntur iſtis verbis. Hi ſunt, qui reſiſtunt luci. Hi ſunt deſertores luminis quod in tenebris ſine crimine lucet: ſiquidem tenebræ id non comprehenderunt. Et exemplum æterna dignum memoria Chriſti cultorib. exhibeto, quomodo Magnus iſte Imp. Magni Conſtantini Clementiæ in ſe ipſo fert imaginem: qua infantes, in quorum cruore à lepra curandus erat, iugulari vetuit. Et humanitatem illius, qui poſt Iulium Cæſarem imperauit Octauiani (propter quã humanitatis Rex vocatus eſt) noſter Imp. ſuperauit: æqualis, ſi non etiam maior pietate, opt. Imp. Theodoſio. Vicit æquitatem ac bonitatem Scipionis Africani, qui Africam nobis Italis tributariam fecit. Nam cum multi, diuerſiſque moribus & ingeniis mortales Imperatorem talem offendiſſent, meritoque capitis pœnam timere potuiſſent, ſimul atque vi bellica intra mœnia fuit,*

nulli



*nulli malo aliquo inflicto nocuit; de omnibus autem bonis & malis bene mereri cupit: Deum in hoc imitando, qui ſolem ſuum ſuper bonos & malos oriri facit. Quoniam igitur modo Chriſtianis iſtis bonum non velim? Quomodo Romanorum genus, quod Chriſtum in Crucem actum adorat (quem vetus ac nouum teſtamentum agnoſcit & ſequitur) in medio cordis mei non collocem? Propter quem neque ſanguine humano gladii imbuuntur, neque malum malo, imo malum bono penſatur. Quæ cum ita ſint, tuam Ducalem poteſtatem hortor, vt huncce Imperatorem Ioãnem, cuius nomen gratiam Dei ſonat, arctis amicitiæ vinculis tibi aſtringas, nihilque contra illum noui vel facere, vel audire ſuſtineas. Hic enim Ioannes gratia dicitur; nec falſo, cum ſit gratus & iucundus omnibus; quique cum Apoſtolo dicere queat, gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia Dei in me vacua non fuit, ſed ſemper in me manet.*

*Quoniam enim ex fructu arbor cognoſcitur, & fructus ab arbore laudatur, in virtute Chriſti ſpero, Imperatorem de quo agimus, ex bonorum operum fructu cogitum iri. Etenim vnumquemque ad ſe referentem facile & humaniter audit, leniter reſpondet, ſapienter inquirit, iuſte iudicat. Hæc ſunt illa quatuor, quæ Impp. perpetuo habere debent. Hæ ſunt virtutes, quæ à ſapientiſſimis rectoribus poſtulantur: de quibus Plato Philoſophus, tum demum fore beatas Reſpub. cum earum moderatores ſapientia inſtructi, & ornati fuerint, cuius quidem ſapientiæ eximia eſt ſane dignitas, quæ & Socratem Athenienſem ſummo Deo ſimilem reddidit. Ego igitur ſp. bona ſum Imper. huius viri Chriſtianis ad pacem, Iſmaelitis ad repulſam, atque ad iuſtitiam & miſecordiam ſuo populo et ſubiecto futurum: quod miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem (quemadmodum in Prouerbiis ſcriptum eſt) & firmabitur in iuſtitia thronus eius.*

Hæc ille etiam ad Imbertum; vt Marchionem Sabaudum, per huiuſmodi laudationem Cantacuzeni, à Græcis magna claſſe inuadendis reprimeret. Siquidem Papa & Principes Italiæ, cum multa & indigna de illo ad eos perferrentur, Marchioni expeditionem commiſerant.

XXV. CANTAC. CÕTINVAT PERSECVTIONEM IN IOHAN. PATRIAR.

Conſtantinopoli potitus Cantacuzenus, ab Ioanne Patriarcha perſequendo non deſtitit, prauorumq; dogmatum, cum de fide Orthodoxa tum Sede Apoſtolica ſentiret, inſimulatum, in quæſtionem vocauit. Epiſcopi, & Monachorum præcipui, aulicorumque procerum lectiſſimi, in palatium conuenerant, vt in eius dogmata inquirerent. Euocarant Patriarcham; ille diſtulit, & ſe venturum negauit. Iterum ac tertium vocatus, iudicium ſchiſmaticorum ſemper detrectauit. Vnde Epiſcopi decretam exauctorationem, non iuxta Patrum de his rebus ſanctiones, ſed pro libidine & furore in innocentem ratam faciendam conſtituerunt. Non permittens Cantacuzenus inauditum damnari, ipſe Patriarcham adiuit, quæſiuitque, num ad cauſam dicendam vellet occurrere. Quo apertè, etiam illo præſide, iudicium repudiante, Epiſcopi conſenſu abdicationem eius in literas redegerunt, & de dogmatis tomum erroribus plenum ediderunt, Acindynumque & eius cætum (quib. cum & Patriarchæ Ioanni eadem ſentienti conſuetudo fuerat) praue atq; impie de religione ſentire, Palamam autem cum ſui ſimilibus diuinorũ Theologorum placitis cõſentanea & ſapere, & profiteri, per ſummum ſcelus pronunciarunt.

IOAN. E THRONO EIICITVR ET DEPORTATVR ET ISIDOR. INTRVDITVR

Tali modo Ioannes Patriarcha throno eiectus, cum Eccleſiaſticis quibuſdam, & Epiſcopis, ac priuatis nonnullis, ſibi iniuriam in iudicio factam conquerebatur, vociferans contra ſectarios qui ei Patriarchatum abrogauerant. Cantacuzenus cum innocentem tueri deberet, Didymotichum deportari iuſſit, & eo exauctorato, Iſidorum in ſolium Patriarchicum ſubrogauit. Multi tunc à ſchiſmate reduces, inter diſcipulos Acindyni nomina dabant: quique tutores errorum Palamæ longe primi ante videbantur, ſententia repente mutata, eorum facti ſunt vindices, quorum prius fuerant accuſatores. Conabatur eos Cantacuzenus ad ſchiſma reuocare. At illi ſimul ab illo, & ab erroribus ſe abſtrahentes, ipſum diris inſectabantur, & hæreſim veritati patrocinantes euertebant Barlaami & Acindyni Orthodoxa dogmata per veſtigia inſequentes. Iſidorus porro intruſus Patriarcha breui poſt inaugurationem, etiam alios Epiſcopos ſecum habens quotquot affuerant, dum ipſo belli initio Ioannes Patriarcha in Ioannem Cantacuzenum deuotioris carmen pronunciaret, eoſdem inquam ſecum habens, in ambonem qui dicitur aſcendens, quo clarius ab omnibus exaudiretur, anathematiſmum præſente populo reſcidit. *Cantacuzen. hiſt. lib. 3. & 4.*

XXVI. ALIA CLEMENT. PP. ACTA.

Eodem anno Clemens Pontifex, 1. Imperatori Tartarorum vt ad fidem Chriſtianam accederet, & Chriſtianos ne affligeret ſcripſit, *ep.* 82. 2. Mortuo Ioanne Marrochitano Epiſcopo, eigenti Alphonſum Bonhominium fratrem Ordinis Prædicatorum, Antiſtitem à Gancelino Epiſcopo Albanen. Cardinale conſecratum præfecit, *epiſt. Non. Ianuar. dat.* 3. Quendam viginti annos natum, vt ad Epiſcopatum eueheretur, legibus Eccleſiaſticis exſoluit, *epiſt.* 274. 4. Vt Eccleſiæ Caſſinenſi Epiſcopus, non niſi ex ordine S. Benedicti Monachorum nigrorum præficeretur, cõſtituit, *epiſt.* 1130. 5. Cardinalibus Epiſcopis abſentibus, fructus Eccleſiarum ſuarum attribuit, *ep.* 832. 6. Cardinales, ne præceptorias domos, & Eccleſias S. Ioannis Hieroſolymitani in prouiſionem exambirent, aut reciperent interdixit, *ep.* 1683. 7. Vt feſtum S. Martialis, quemadmodum de vno Apoſtolorum, ſolenni ritu, in prouincia Aquitaniæ celebraretur, poteſtatem fecit, *ep.* 19. 8. In feſtiuitate ſacro S. Euchariſtiæ, & octo diebus ſequentibus, iis qui diuinis officiis intereſſent, indulgentias complures largitus eſt, *ep.* 705.

Magnum Regem Suetiæ, quod Egilum Epiſcopum Aroſien. propter falſificationem ſigilli Regii perſequeretur, ſeque de ea re literas Pontificias, quaſi is factum laudaſſet, comminiſceretur, reprehendit, *6. Kalend. Nouembr.*

XXVII. VITA MIRACVLA ET OBITVS B. TVSCANÆ VERONENSIS.

Hoc anno diem clauſit extremum Tuſcana Veronenſis, multis miraculis clariſſima. Hæc Zeueti pago Veronenſi quondam claro, ab ipſa vrbe 7. lapide poſito, honeſtis parentibus nata, à teneris annis ita pudicitiam adamauit, vt nobilis diu ne matrimonio iungeretur repugnarit, nec virum quamuis ex nobili Canoculorum familia præſtantem niſi coacta receperit. Nupta, ad reddendum debitum vix adduci poterat, vitamque in matrimonio quaſi cœlibem ducebat. Cumque caſtitatem tantopere amaret, breui nulla procreata prole cõiugii onere leuata eſt.

Quare defuncto viro, venditis omnibus, pretioque in pauperes erogato ſe totam Chriſto dedicauit. Cuius pudicitiæ hoſtis generis humani inſidiari non deſtitit. Nam tres adoleſcentes nimia illius pulchritudine capti dæmonis conſilio collem in quo habitabat, ea intentione, vt per feneſtram vnius poſtabulum ad eam violandam intrarent aſcenderunt. Cumque primus cæteris audacior feneſtram per vim ingreſſus cubiculum, in quo Tuſcanam orantem inuenit irrupiſſet, illico à dæmone arreptus ſuffocatus eſt. Alter ex ſociis moræ impatiens, cum primus non egrederetur, ingreſſus, primumque exanimem & iacentem intuitus, tanto repentino timore correptus eſt, vt & ipſe corruens expirarit. Tertius, ſocios non redeuntes vt condixerant, adhuc in obſcœnis actibus occupatos exiſtimans, multa vi ad ſanctam mulierem ingreſſus, & ipſe illico vita exutus eſt. Quid tunc ſanctiſſima & pudiciſſima mulier faceret, cum ante ſe tria cadauera iacentia conſpiceret? quæ ſepelire horrendum, celare difficile, in publicum efferre periculoſum erat.

Itaque inter has anguſtias, ad orationem confugit, & interea parentes filios diutius præſtolati, ac quo introiuiſſent à vicinis edocti, collem conſcenderunt, Tuſcanamq; nunquid de illis ſciret quæſiuerũt. Illa rem oẽm vt euenerat narrauit, & ad filiorum cadauera viſenda illos introduxit, dixitq; *Iuſtus Dñs, & iuſtitiam dilexit.* Illi ſingultib. & lacrymis viduam orarunt, vt pro malo bonũ redderet, ac precib. ſuis vitam filiis impetraret. Tuſcana porro fletib. & mærore parentũ cõmota, Deũ ex intimo

corde

corde orare cœpit, vixque precandi finem fecit, cum (mirabile dictu) tres ſimul rediuiui ſurrexerunt, & vbi fuiſſent, quæ vidiſſent & audiſſent, quæque pœnarum genera iam experti fuiſſent, non ſine lachrymis narrarunt. Qui poſtea diutina ob delictum pœnitentia peracta, illico ſani rurſus expirarunt. Tuſcana autem eo domicilio relicto, ad cœnobium S. Sepulchri religionis Hieroſolymitanæ, vt ibi inſeruiret perrexit; ac veſtem religioſam induit, atque adeo paupertatem coluit, vt non erubeſceret mendicare, ab omni prorſus conuerſatione humana abhorrens. Dies noctesque fere integras in vigiliis, orationibus & meditationibus inſumebat; ſingulis diebus, exceptis Dominicis, pane & aqua ieiunabat.

Cum aliquando ad Eccleſiam viſitandam exiuiſſet, & latrones chlamydem illi ex humeris detractam, arefactione manuum miraculoſa luiſſent, proſtratis & veniam precantibus ſanitatem impetrauit. Antequam expiraſſet, Angelica viſitatione & locutione recreata, in febrem incidit, & tum vocem de cœlo delapſam audiuit, quæ inuitaret; *Veni ſponſa Chriſti Tuſcana, accipe coronam quam tibi Dominus præparauit in æternum.* In hac voce expirauit, & multis miraculis inclaruit. Quæ cum multo frequentiora ad eius ſepulturam fierent, Epiſcopus Veronenſis exinde (nam in via iuxta Xenodochium Hieroſolymitanum ſepeliri voluerat) in Eccleſiam S. Sepulchri in paratum ſarcophagum, magna populi frequentia, pridie Idus Iulii eius corpus tranſtulit. Aliquis ei hunc hymnum panxit.

AD B. TVSCANAM HYMNVS.

1. *O diem gemma niuea notandum*
*Ecce Verona decus, & Iebeti*
*Gloriam caſtri nitidi, nouumque*
*Sydus Olympi.*

2. *Regna Tuſcanam reſonant ſuperna.*
*Templa Tuſcanam celebrant quotannis,*
*Noſque Tuſcanam veneramur vno*
*Ore colendum.*

3. *Virginem, nuptam, viduam, peræque*
*Sæcla laudarunt ſua: nunc beatam*
*Laudibus, votis, precibus pioque*
*Munere adorant.*

4. *Hæc febres omnes fugat inuocata*
*Demit angores animis, ſalutem*
*Reddit ægrotis, iuuat ipſa cunctos.*
*Rite precantes.*

*Ex libro SS. Eccleſiæ Veronen.*

XXVIII. NEAPOL. OB SCELERA TEMPESTATE ET TERRÆ MOTV DIVINITVS PVNITVR.

De anno, Deus, Neapolim, propter ſcelera grauiſſima, immani tempeſtate & terræ motu caſtigauit. Calamitatem eam memorabat *Franciſcus Petrarcha* iſtis verbis. *Nihil vnquam ea tempeſtate horribilibus, nihil concitatius viſum eſt. Præuenerat quidem, mirum dictum, inſtantis mali fama, religioſo quodam Epiſcopo aſtrorumque curioſo, aliquot ante diebus periculum nunciante. Sed vt fere nunquam conjecturis ad verum penetrant, non maritimum, ſed terreſtrem motum prædixerat, ruituramque Neap. ad 7. Kal. Dec. 1343. Hic vſque adeo magnis cuncta terroribus impleuerat, vt maxima pars populi peccatorum pœnitentiæ, & ſub mortem mutando vitæ ſtatui intenta, omne aliud negotii genus relinqueret; multis contra vanos metus irridentibus; eoque magis, quod per eos dies non paruis quibuſdam tempeſtatib. in die erratum, & tota vaticinii fides abſumpta videbatur. Ego nec ſpei plenus, nec timoris, vt ad neutrum prolapſus; ſic ad vtrumlibet pronus eram, ſed pronior ad timorem. Nam & fere hoc in reb. eſt, vt ſegnius ſperata quam formidata proueniant: & multas eo tempore cœli minas audieram, ac videram, quem gelidis in regionibus habitare ſolito, monſtri inſtar, hyemali frigore, in metum ac pene in religionem verteram. Quid plura? Nox aderat, quam lux ſuſpecta ſequebatur, trepidula fœminarum turba periculi potius quam pudoris memor, per vicos plateaſque diſcurrere, atque ad vbera preſſis infantib. ſupplex & lachrymoſa, templorum liminib. obuerſari. Trepidatione igitur publica permotus, prima veſpera domum redii. Solito quidem tranquillius cœlum erat; qua fiducia, qui mecum ſunt maturius in cubiculum conceſſerant. Mihi expectare viſum eſt, contemplaturo qua luna fronte occuberet; erat autem, niſi fallor, ſeptima. Inſtituti igitur ad occaſum ſpectantibus feneſtris, donec eam obuolutam nymbis, & mœſta facie ante medium noctis proximus mons abſcondit. Tum demum & ego lectulum meum, dilatum ſoporem excepturus ingredior. Vix dum totus abdormieram, cum repente horribili fragore, non tantum feneſtræ, ſed murus ipſe ſaxea teſtudine ſolidus, ab imis fundamentis impulſus tremuit, & nocturnum lumen ſopito mihi vigilare ſolitum extinctum eſt. Excutimur ſtratis, & in locum ſomni vicinæ metus mortis ingreditur. Ecce autem dum inter tenebras alter alterum quærit & beneficio diræ lucis, oſtenſos trepidis inuicem nos vocibus cohortamur. Religioſi viri, in quorum ædibus habitamus, & ſanctiſſimus eorum prior, quem honoris cauſa nomino, Dauid, qui ex more ad nocturnas Chriſti laudes ſurgebant, repentino malo territi, crucibuſque ac ſanctorum reliquiis armati, & alta voce Dei miſericordiam implorantes, thalamum vbi eram, prælatis facib. irrumpunt. Reuixi tantiſper. Omnes inde ad Eccleſiam pergimus, ibique effuſi multis cum gemitibus, pernoctamus: cum iam iam affuturum finem, & ruitura circum omnia crederemus. Longius eam, ſi omnem illius infernæ noctis horrorem verbis amplecti velim: & quamuis longe cætera verum ſiſtat, viri tamen fidem tranſcendet oratio; qui imber, qui venti, quæ fulmina, quis cœli fragor; quis terrarum tremor, quis mugitus pelagi, quis hominum vlulatus. Cum in hoc ſtatu quaſi magicis carminibus, geminato noctis ſpatio ad auroram vix tandem veniſſemus, & diei vicinitas magis conjectura animi quam lucis indicio appareret, amicti Sacerdotes, ſacra altaribus inſtaurant: & nos cœlum nudum intueri auſi, in vda & nuda circum tellure proſternimur.*

*Cæterum, cum haud iam dubia licet nocte ſimillima dies, & omnis repente clamor hominum ſuperiore vrbis parte ſiluiſſet, ſed de littore regio magis magiſque crebreſceret, neque percontando, quid rei eſſet appareret, deſperatione (vt fit) in audaciam verſa, equos aſcendimus, & ad portum viſuri morituri que deſcendimus. Deus bone quando vnquam tale aliquid auditum eſt? Diſcrepiti nautæ, rem ſine exemplo aſſerunt. In ipſo portus medio fœdum ac triſte naufragium, ſparſos æquore miſeros, & vicinam terram manibus prendere molientes. Vnda ſaxis impegerat, & ceu totidem tenera oua diſiecerat. Totum eliſis, & adhuc palpitantibus refertum cadaueribus littus erat, huic cerebrum, illi præcordia fluebant. Hæc inter, tantus virorum ſtrepitus, tantaque mulierum eiulatio, vt maris cœlique fragorem vincerent. Accedebat ædium ruina, quarum multa funditus, violentior fluctus euertit, cui nullus die illo limes, nulla vel humanæ manus reuerentia, vel naturæ ſtatutos fines & littora conſueta tranſcenderat, & tam moles illa ingens, ſtudio hominum aggeſta, quæ obiectu laterum portum efficit, quam omnis vicina maris regio vndis obruta: & vbi planum ſiccis pedibus interfuerat, periculoſa nauigatio facta erat. Mille illic vel eo amplius Neapolitani equites, velut ad exequias patriæ conuenerant. Et ego turbæ immixtus iam parcius timere cœperam, tanta cum acie periturus, dum nouus repente clamor tollitur. Locus ipſe in quo ſtabamus, fluctu ſubter penetrante domitus ruebat. Eripuimus nos in editiorem locum. Non erat oculos in altum mittere. Iratam Iouis, ac Neptuni faciem mortalis acies non ferebat. Mille inter Capreas atque Neapolim fluctuabant vndarum montes: non ceruleum, aut (quod in magnis tempeſtatibus ſolet) nigrum; ſed canum horrifico ſpumarum candore fretum cernebatur. Regina interim iunior nuda pedes, & inculta comas, & cum ea fœmineum ingens agmen, expugnata periculis verecundia Regia egrediuntur, & ad Reginæ virginis templa feſtinant, orantes veniam rebus extremis. Sed iam tanti pauoris exitum, pauide, niſi fallor, expectas. Ægre nos in terris euaſimus: in alto nauis nulla par fluctib. inuenta: ne in portu quidem. Tres Maſſilienſium longas naues (quas galeas vocant) quæ Cypro reduces, & tot maria emenſæ, mane nauigaturæ in ancoris ſtabant, illachrymantib. vniuerſis, nemine autem auxilium ferre valente fluctibus mergi, nautarum atque vectorum ne vno quidem ſaluo, vidimus. Aliæ quoque maiores, & omnis generis naues; quæ in portum velut in arcem tutiſſimam confugerant, pari ſine conſumptæ ſunt. Vna tam multis ſola ſuperfuit, onerata latronib. quib. iuſtum ſupplicium remiſſum erat, vt in expeditionem Siculam mitterentur, & huic gladio erepti, in illos inciderent. Horum ingens quadam, & fortiſſima, & taurinis coriis armata nauis, cum vſque ſub occaſum ſolis vim pelagi pertuliſſet, tandem & ipſa vinci cœperat. Illi vero vndique fatiſcenti carinæ, ſupremis vrgentibus*





*periculis occurrunt. Erant enim, vt aiunt, quadringenti numero; turba claſſi, nedum nauigio ſufficiens: & erant viribus pollentes, & qui à morte liberati, nil iam grauius formidarent, eoque pertinacius atque animoſius obſiſterent. Itaque dum diſſeruntur, ſenſimque merguntur, vſque ad proximæ noctis partem naufragium traxere, tum victi, deſertis armis, in ſuperiora nauis eruperant, dum ecce præter ſpem, & cœli vultus ſerenari, & feſſi maris ira leneſcere cœpit. Itaque cunctis pereuntibus, peſſimi omnium euaſere, ſiue* quia ſeruat multos fortuna nocentes: *vt* Lucanus *ait; ſiue quia Deo aliter viſum eſt; ſiue vt intelligi detur, illos inter mortis pericula tutiores, quibus vilior vita eſt.* Petrarcha lib. 5. ep. lib. 5. de reb. famil.

# IESV CHRISTI

## Annus 1344.

### CLEMENTIS PAPÆ VI. Anno 3.

I. LVDOVICI ET EIVS ASSECLARVM CONTVMACIA.

In hunc annum, in 19. Septembr. diem, Nauclerus rerum Germanicarum ſcriptor refert, Comitium Francofordianum à Ludouico Bauaro aduerſus Pontificem Clementem coactum. In quo aſſeclæ Ludouici à contumacia ebrii, authore Moguntino Archiepiſc. Sedi Apoſtolicæ refractario decreuerunt, Oratores ad Pontificem mittendos, qui referrent, Ludouicum Pontificiis edictis minime teneri; nec quicquam ex imperatis facere illum velle; etſi Roman. Pontifex pergeret illi aduerſari, Renſium Rhenanum ſe properare velle, deliberaturos, quomodo conatibus Clementis reſiſterent, atque Ludouico Imperium & Regnum Romanorum aſſererent. Audiuit Oratores Clemens. Cumque nullum cum eo tractandi mandatum ſed tantum referendi quid ſtatuiſſent, quidue molirentur, illos habuiſſe intellexiſſet, quemadmodum par erat indigne contemptum ac illuſionem ſui tulit: ac tum demum ſerio, quomodo contemptorem ſupremæ poteſtatis vlciſceretur, cogitans, Ioannem Regem Boemiæ & filium eius Carolum Morauiæ Marchionem totius rei admonuit. *Naucl. vol. 2. gener. 45.*

II. LVDOVIC. ITERVM A CLEMEN. EXCOMMVNICATVR.

Ludouicus porro Bauarus propter ſolutum vſurpata auctoritate Ioannis filii Regis Boemiæ & Duciſſæ Carinthiæ matrimonium denuo à Clemente Pontifice excommunicatus fuit, ac tandem ab Imperio depoſitus, cum etiam hoc anno, vniuerſis, vt proceſſus contra eum ab Ioanne XXII. factos publicarent præcepiſſet, Clemẽs *ep. 24.*

III. QVARE TREVER. ET COLONIEN. LICEAT TOTO ANNO EXTRA QVADRAGES. LACTICINIIS VTI MOGVNTIN. NON ITEM

His temporibus Clemens Papa VI. miſſis in Germaniam Legatis, (recenſet Trithemius) commune paſſagium contra infideles Turcos prædicari fecit; inq; ſubuentionem Chriſtianorum de bonis ſuis ad ciſtas in Eccleſiis ad hoc deputatas contribuentibus, non ſolum conſuetas indulgentias, ſed etiam quędam inſolita conceſſit. Adeo vt etiam iis qui ſua ad certam quantitatem taxata impoſuiſſent, eſum ouorum & lacticiniorum ſextis feriis cæteriſque extra quadrageſimam diebus indulſerit. Quod eatenus per Alemaniam fieri non conſueuit.

Balduinus Treuerenſis, & Walramus Colonienſis Archiepiſcopi, cum quibuſdam aliis, pecunia non modica ad impenſas belli ſacri collecta numerataque, tunc à Sede Apoſtolica obtinuerunt, vt omnibus in eorum diœceſibus conſtitutis, extra ſacram quadrageſimam omni tempore liceat vti lacticiniis, butyro & ouis, quod vſque in præſentem diem ita ſeruatur. Nam Treuerenſes & Colonienſes, per totum annum, quadrageſima ſola excepta, lacticiniis ouiſque in cunctis ſanctorum vigiliis & ieiuniis Eccleſiaſticis vtuntur. Henricus Moguntinus Archiepiſcopus, quia Ludouico Bauaro pertinaciter adhæſerat, gratiam Sedis Apoſtolicæ non habuit. Et ideo neq; ad ſacrum bellum quicquam contribuere voluit, neque eas indulgentias curauit. Vnde licitum non eſt vſque in hodiernam in Moguntina prouincia, tempore cuiuſcunque ieiunii Eccleſiaſtici ouis aut lacticiniis veſci.

IV. SMYRNÆVM OPPIDVM A CHRISTIANIS CAPITVR.

Ab illa ſacri belli indictione, Chriſtiani è tota ferme Europa coadunati, Smyrneum oppidum, magna vtriuſque gentis clade hoc anno cœperunt: cæſo Patriarcha Hieroſolymitano Henrico, & Martino Zacharia ciue Genuen. claſſis præfecto. *Chron. Hirſaugien.* Cum paulo antequam prælium committeretur Clemens Pontifex eidem Patriarchæ, Sedis Apoſtolicæ in Oriente Legato commiſiſſet, vt Guidoni Regi Armeniæ, ac eius populo, aduerſus Saracenos opem quacunque poſſet ferret, *ep. 6. Idus Septembr.*

VENETOR. PRINCEPS VICTORIAM PONT. SIGNIFICAT.

Andreas Dandulus Venetorum Princeps eam victoriam Clementi inprimis ſignificauit. Quod cum is alacri animo accepiſſet, gratias quidem publicas, Deo ter op. max. egit. Deinde Senatum populumque Venetum, vt Petrum Zenum triremibus ab eis ſubmiſſis præfectũ, adhuc militare iuberent, per communem Chriſtianorum ſalutem obſecrauit *ep. 3. Non. Iun & 2. Idus Auguſt. ann. ſubſequent.*

V. CYPR. REGIS FILIVS VICTORIAM DE TVRCIS MIRACVLOSE REPORTAT.

Apud Thebas etiam Bœtiæ, Regis Cyprii filium, aduerſus innumerabilem Turcarum multitudinem, per miraculum victoriam obtinuiſſe, Piſtorienſ. hiſtoriarũ auctor qui hoc tempore viuebat memorabat. Refert apud Aquilam vrbem in quadam Eccleſia, ſuper altare, Diuam Deiparentem filio onuſtam, qui Crucem manu geſtabat, apparuiſſe, maiorique ſplendore quam ſolari oculos omnium qui ad ſpectaculum confluebant, perſtrinxiſſe.

Infantes etiam eo die natos, in humero dextro, crucem impreſſam ſecum ex vtero tuliſſe. Quibus miraculis plurimos Italorum permotos, in ſacrã militiam transfretaſſe: ibique ante tentorium filii Regis Cyprii, equitem humana ſpecie maiorem, vexillum candidum rubea cruce diſtinctum præſeferentem pelle cameli indutum, facie extenuata quidem ſed pluſquam Sol illuſtri, barba cana prolixaque aſpexiſſe, audiuiſſeque; vt conſtanti pectore aduerſus Crucis Chriſti aduerſarios gladios ſtringerent, penes Chriſti cultores victoriam fore. Tum demum inſtructa acie conflixiſſe, & ad internecionem hoſtes, amiſſis 3053. ex ſuis deleuiſſe: moxq; Diuum Ioannem ſecundo illis apparuiſſe, & interrogãtibus quis eſſet; *Ego ſum qui dixi; ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* reſpondiſſe: ac ſolicitis de internoſcendis cadaueribus ſuorum, ſignum feſtucam flore candido rotundo in modum ſacræ hoſtiæ grauem, literis, *Chriſtianus* circumſcripto, in cuiuſque Chriſtiani ore enatã, dediſſe. *hiſtor. Piſtor. hoc anno.*

VI. GENVENS. DE BARBARIS VICTORIA.

Genuenſes pariter hoc anno de barbaris triumpharunt. Rex Scytharum cum ingenti exercitu, vrbẽ Theodoſiam in Euxini ora ſitam, Genuẽſium Coloniam obſederat, eamque plurimis bellicis ac tormentis ac æneis machinis adortus, grauiſſime afflixerat. Cæterum oppidani, poſt diutinam atque acerrimam defenſionem, cũ tandem deſperatis auxiliis & fere ad extremum redacti, nullum propugnationi locum ſibi vlterius relinqui animaduerterent, liberationem ac ſalutem in ſolo auxilio diuino reponentes, ſub occulto noctis eruptione facta, hoſtem tunc palantem inopinato aggreſſi, ac vno eodemque momento tædis ac facibus quas ſecum geſtabant machinis incenſis, in eos impreſſionem fecerunt, eo quidem ſucceſſu, vt licet non vſque cæde ſuorum, circiter quinque millibus contrucidatis, & quam plurimis ſecum in captiuitatem abductis, omnia illorum caſtra diſſipauerint: ſic vt barbari hac clade perculſi, & quia tempus anni bellis gerendis aduerſabatur, ab ea expeditione q̃ primum recedere coacti fuerint, eorumque Rex ſuũ legatũ, Torim nomine, Genuam miſerit, q certis qbuſdã cõditionib. cũ ſenatu paciſceretur, ſimulq; ablatarum facultatũ reſtitutionẽ, ſeq; illata incommoda

& detrimenta reſarciturum pollicebatur. *Bizarrus hiſt. Genuen. lib. 6.*

VIII. Rex Vng. feliciter contra Tartaros pugnat.

Polonorum quoque & Hungariæ Regibus, hoc anno contra barbaros fuerat dimicandum. Lituania Chriſtianæ religionis expers, veræ pietatis iura ſubire pertinacius recuſabat, & Poloniam infeſtis armis vexabat. Rex Poloniæ Caſimirus, vt gens illa recte ſaperet, poſtquam ne quouis alio pacto fieri poterat, armis cogere ſtatuerat. Ad ſalutare bellum Ludouicum Hungariæ Regem acciuerat, qui cum validiſſimo equitatu in loceri auxilium, & propugnandæ fidei ſpem eo contenderat.

Paratis omnibus quæ bello vſui fuerant, in Lituaniam cum innumera copiarum multitudine per glaciem conceſſere, & quum obſtinatam gentem ad ſalutem monitis ac precibus adducere non poſſent, ferro & igni ſæuiendum eſſe cenſuere. Sed ingruentibus Auſtris quibus glacies omnis ſolui cœperat, pedem illico re infecta, & fruſtratis viribus referre coacti ſunt. Felicius ipſe Ludouicus contra Tartaros pugnauit. Tranſyluaniæ prouinciæ fines inuaſerant, Siculoſque Valachis finitimos grauiſſime infeſtabant. In eos exercitum cum miſiſſet, in fugam coegit: in qua plurimos illorum palantes interfecit; Atlamo duce intercepto, & paulo poſt in caſtris obtruncato.

Capta tunc direptaque hoſtium caſtra, & ſigna cum innumera multitudine capta, quæ concatenata omnis Viſſegradum ducta, celebrata victoria diuino auſpicio & Ludouici felicitate parta, & gratiæ triduo Diuis vindicibus actæ. In eum modum fere vbique feliciter aduerſus Crucis Chriſti inimicos pugnatum, ab orationibus piorum, pro ſalute publica à Clemente Pontifice indictis, & alicubi prouinciarum ſubſidiis ſubmiſſis. Namque nihil amplius curandum ſibi deſignauerat, quam vt barbarorum audaciam reprimeret, & eliminata ſpurciſſima ſuperſtitione, veri Dei cultum, ex fidei Chriſtianæ præſcripto vbique induceret. *Bonfin. dec. 2. libro 10.*

VIII. Alphonsi Regis Caſtellæ de Mauris victoria.

In Hiſpaniis quoque hoc anno Alphonſus Rex Caſtellæ, aduerſus Mauros feliciter pugnauit, & Algeziram vrbem diu oppugnatam, die 26. Martiis his conditionibus per deditionem accepit: Vt Granatenſis qua ante belli tempus lege Caſtellæ vectigalis eſſet. Obſeſſis incolumitas, & cum rebus ſuis quo vellent, diſcedendi data facultas. Induciæ decennales cum Mauris Regibus pactæ. Fœdere ſancito, Mauri frequentes in Africam conceſſerunt. Alphonſus Caſtellæ Rex in vrbem ſolenni ſupplicatione ingreſſus, ſexto Kalend. Aprilis, proxima luce templo maximo Mahumetanæ ſuperſtitionis ſordibus expiato, Diuæ Mariæ Palmæ nomen indidit; quod Dominicus Palmarum dies eſſet. In eo templo ingenti omnium lætitia & gratulatione, ſacra ex ritu Chriſtiano peracta ſunt; agri militibus dati, eo domicilium transferre, propter locorum amœnitatem certatim cupientibus.

Duæ Alboharceni filiæ ſuperiori ad Tariffam prælio captæ ad patrem remiſſæ. Id promerendo Regi barbaro datum; qui munificentia vinci paſſus non eſt. Namque legatos continuo amplaque munera ex Africa ad Regem miſit. Victoriæ fama per Hiſpaniam, atque adeo Europam vniuerſam pios omnes, & in primis Clementem Pontificem, & purpuratorum Collegium compleuit. Hic propter confectum Mauricum bellum duos Reges ſuperatos, vires Africæ concuſſas, inſtituta ſolẽni Auinione ſupplicatione, & miſſa ſolemniter oblata Deo grates egit, & Regi gratulatus, Algeziræ ciuitatis maiorem Baſilicam Diuæ Deiparæ Mariæ dicatam in Cathedralem erexit. Dato *diplomate ad* 14. *Kalend. Auguſti.*

Ab eo Pontificis exemplo omnes vbique dies feſtos egere. Omnis ætas, ſexus ordo templa adiere, vota exſoluere, nullumq; lætitiæ ac religioſæ gratulationis genus prætermiſere, quod ad oſtentandam conceptam animis lætitiam pertinere iudicarant.

IX. Mompellerium quomodo ad Reges Galliæ peruenerit.

Quo hæc tempore in Bœtica gerebantur, Aragonia arma mota ſunt, Rexque Balearis paterno imperio eiectus eſt, in quo præſidium eſſe debuit, ſumma Aragonij Regis iniquitate atque perfidia. Dira ambitio dominandi tranſuerſum egit, ne propinqui Regis calamitate moueretur; aut quid homines iudicaturi eſſent, conſideraret. Mompellerium nobilis & opulenta ciuitas in Gallia Narbonen. Magalonæ Pontificib. olim ſubiecta fuit. Iis ſiue concedentibus, ſiue diſſimulantibus, peculiares eius vrbis principes extiterunt beneficiarij Pont. Eo principatu ad Aragonios primum, deinde Baleares Reges deuoluto, Magalonæ Pontificum auctoritas contemni ſenſim abrogarique cœpit. Vis Regum & libido, non ius aut æquitas valent. Illi cum priſtinæ auctoritatis locum recuperare non poſſent; quod proximum erat, vindictæ ſtudio Gallis Regibus vrbis eius Imperium precio vendiderunt, ante quinquaginta amplius annos.

Eo Galli Reges iure innixi, Reges Baleares ſollicitare non deſiſtebant, vt quaſi beneficiarij fidem ſacramento firmarent; ciuibus Luteriam prouocandi libera facultas eſſet. Negare illi detrectareque Imperium; non exoleris vetuſtate annalium tabulis & exemplis Imperia conſtare, ſed recentiſſimæ conſuetudinis vſu. Quod datum non erat Magaloniæ Epiſcopis, neque Galliæ Regibus concedendum: quippe illorum Vicariis. Itaque vis admota; contributa Mompellerio oppida Gallicis præſidiis occupata. Rex Balearis arma expediuit; Aragonii Imperii beneficium Aragonius armis defendi poſtulauit, ſperauitque.

Aragon. Regis ambitio et fallacia.

Rex Aragonius profunda calliditate, immenſaque ambitione Gallo gratificari magis velle viſus eſt; Regem propinquum per ſe imbecillum externo præſidio deſtitutum, præda fore prouidens cupienſque: tametſi de ferenda ope appellatus, ſpecioſa verba dabat, nihil prætereа. Mutuo colloquio habito, ita ſe facturum quæ poſtulabantur reſpondit; ſi iure agere Gallus recuſaſſet. In eam rem miſſi vltro citroque Legati, diſtinendi animo, nulla opitulandi voluntate. Quæ vt honeſtatis ſpecie velaret grauia crimina miſero Regi imponenda curauit. Regis eum Aragonii Imperium detrectare; neque vocatum ad Comitia venire. Inſolenti forma & pondere monetam, quod nefas erat, Perpiniani percuſſam; in Aragonii Regis necem Barcinone, quo per fidem colloquii venerat, conſpiraſſe; Index, Regina ipſa Conſtantia Balearis vxor, de fratre ſollicita: demum eum Gallo, Italis Principibus, ipſo Marrocio Rege feciſſe fœdus aduerſus Arragonium. Hæc accuſationis capita fuerunt, ſiue vera, ſiue conficta: vt fama tulit, cui calamitoſi Regis exitium fidem conciliauit, iniuria fuiſſe oppreſſum. Hæc fatalis diſſidii initia, quæ Clemens Romanus Pontifex miſſis anno ſuperiore Nunciis, & Sanctia Regina Siciliæ vtriuſq; Regis propinqua ſopire hactenus conati nihil profecerant.

Balearum Rex Aragon. se dat.

Ad arma ventum; Balearicus ſuaſu ſuorum Aragonio ſe dedit, & Perpiniano in Aragonia caſtra quæ ad Elenam vrbem erant, proceribus tum ſuis tum Aragoniis comitantibus veniens, miſerandum ſpectaculum de ſe exhibuit. Ad Regem deductus, in genua procumbens cum dexteram oſculatus eſſet, mox allocutus: *Erraui* inquit, *Rex inuicte, erraui. Error tamen perfidiæ culpa vacat. Quod imprudentia peccatum eſt, clementia virtus Regum, hoc eſt, tua propria condonare debet Regi ſupplici, propinquo, neceſſario: præterea quatenus rationes noſtræ tulerunt, veſtræ maieſtatis in paucis ſtudioſo, nouiſque & maioribus officiis in poſterum ſuperiores offenſas compenſaturo. Peccato in vno, non ſemel peccatum fateor; ſed tunc præcipua clementiæ laus, cum iræ caußæ iuſtiſſimæ. Alioqui tuus ſum: de me ditioneque mea, vt libet ſtatue benigne (vt ſpero) memor modo inconſtantiæ rerum humanarum.*

Ad hæc Aragonius fallaci adblandiens vultu, peccatum excuſauit, ac pœnitentia veniam promereri ait. verbis contraria fuerunt facta. Aliquanto poſt Barcinone procerum concilio aduocato, Baleari Regium





nomen honoremque detraxit, nec niſi annuum vectigal aſſignauit, vnde vitam ſuſtentaret. Tum ille, quam grauis caſus ex regno eſſet reputans, deceptumq; ſe ſua opinione, blandiſq; ſuorum verbis tandem intelligens, magnis præſidijs nudatus bellum reſumpſit: inque Galliam profugus Clementem Pontificem primum adiit.

Clemens Pp. Balearici Regis patrocinium ſuſcipit.

Clemens egeni & profugi patrocinio ſuſcepto quod aliud non poſſet, Bertrandum tituli S. Marci Cardinalem, Legatum ad Regem Aragonium miſit, & Petro Iacobi Iacoboq; Alfonſi Regum Aragoniorũ infantibus, necnon Raymundo Berengarij Comiti Empuriarum, alijſque Regni proceribus iniunxit, vt pacem inter Reges conciliarent: cum etiam Petro Aragonio, & Iacobo Balearico Regibus concordiam ex animo ſtabiliendam commendaſſet. *datis literis III Idus Iunij.*

Venditur Regi Galliæ Mompellerii principatus.

Ad Gallum quoq; Regem, vnde tempeſtatis initium extiterat Iacobus confugit, & in belli ſumptus Mompellerij principatum, de quo cõtentio erat, pretio centum millium aureorum vendidit, bellumque repetijt: quo Baleares, Ceretanos, Ruſcinonenſeſque inuadens, magnis conatibus nihil aliud quam vitæ exitium peperit, quinque poſt annis in Baleari maiori acie ab Aragonijs victus cæſuſque. Is fuit calamitatis exitus. Honos ſupremus extincto habitus eſt: corpus Aragonij Regis iuſſu Valentiæ translatitio funere tumulatum. Filij tum ipſius, tum Ferdinandi fratris, paulo ante belli tempus defuncti, alieni criminis, ſi tamen crimen fuit, pœnas luere: capti; profugi, egeni, ſine lare familiari vagantes, quod iniquiſſimum pleriſque viſum eſt, præſertim iure regnandi innocentes filios propter vlla parentum peccata ſpoliari, Ipſo anno, quo Algezira capta eſt, & Rex Balearis regno decidit.

X. Horribilis terræmotus Oliſipone ob Eccleſiaſt. immunit. violatam.

Oliſipone ad oram Oceani, terra horrendo fragore mouit, magna mortalium tripidatione ædificia concuſſa: templi maximi fornix collapſa. Scilicet immunitatem Eccleſiaſticam Alfonſus Luſitanus Rex violatam, non impune in vrbe principe habebat. Multa is bona Eccleſiæ Portugalenſis & iura Petro Epiſcopo eripuerat & per iniuriam occuparat. Itaq; Deus ferre non poterat eam iniuriam ſacrorum, quin vlciſceretur. Ne vero grauiorem vindictam ſibi & ſuo Regno Alfonſus accerſeret, Clemens Pontifex vt benigne cum Petro Antiſtite agere vellet eum admonebat. *datis literis* 11. *Idus Auguſti. & Mariana de rebus Hiſpan. lib. 16. cap. 12.*

XI. Alia Clement. in Angliam legatio.

In Gallias & Angliam, Clemens Pontifex, hoc anno Preneſtinum & Hannibaldum Cardinales Legatos deſtinauit, qui pacem inter Philippum & Edouardum Reges ſtabilirent. De ea cum non poſſet conuenire, inducias prorogarũt, intra quas vtrique, Oratores ad Sedem Apoſtolicam, mitterent, vt Romanus Pontifex de tota controuerſia decerneret.

Viennenſis Delphinus Ordin. Prædic. ingreditur. Primogenitus Galliarum Regis quare Delphinus dicatur.

Inter hæc, cum Humberto Viennenſi Delphino, nec liberi, nec liberorum ſpes eſſet, is ad vicinum ſibi Regem proſpiciens, à quo principatus eius pace belloque adminiſtrari poſſet, Philippum Philippi Regis filium ſucceſſorem atq; hæredem inſtituit, nec multo poſt ab expeditione Oriẽtali reuerſus, accepta à Philippo Rege de qua conuenerat pecunia mundo abrenuncians, Prædicatorum Ordinẽ Lugduni profeſſus eſt, cum prius Clemens Papa eam Delphinatus Viennenſis Philippo conceſſionem, diplomate dato III. Non. Auguſt approbaſſet, ea conditione, vt primogenitus Regis Galliarum ſucceſſor, Delphinus vocaretur. *Guaguin. hiſt Gal. lib. 8.*

XII. Legatio Regum Angliæ et Franciæ ad Clement. Pp.

Eodem anno, Philippi iuſſu Ioannes Normanorum Dux Auinionem profectus eſt, vt ſicut conuenerat de Regum controuerſia, apud Pontificem ageretur. Edouardus quoq; Concilio ad Vueſtmonaſterium habito, Henricum Comitem Lancaſtrij & Derbij ex Comite Ducem & Rodulfum Staffordium Ducem, nec non Hugonem Spenſerium, atque Epiſcopum Oxonienſem ad Clementem ire iuſſit. Hi quod non ſatis ſufficientem experiendi in iudicio poteſtatem haberent, re infecta redierunt. Erat per id temporis Compendij ciuis Simon Poilletus, qui verbi prodigus dicere non veritus eſt, Edouardo quam Philippo plus iuris ad Franciæ regnum pertinere. Quam ob rem mox comprehenſus, atque in tabulatum elatus, brachijs primum, deinde cruribus atque poſtremo capite exſectis, diras pro ſua temeritate pœnas luit. *Guaguin. ſupra & Thomas Valſing. hiſt Anglic.*

XIII. Inſtitutio Ordinis Garterio[illegible]

Inſtituit hoc anno Edouardus Rex Garterium ordinem, cui tantus deinceps acceſſit honor, vt maximos quoſque Reges non pœnituerit in id venire collegium. Erant numero ſex & viginti Garterij equites, (ſic enim appellabantur) & alius in alterius demortui locum per electionem reliquorum cooptabatur. Horum autem princeps eques Rex Anglus habetur: vtuntur pallio cæruleo: crus ſiniſtrum patum infra genu corrigia fibulata gemmis & auro ornata cincti, à qua quidem corrigia nomen Ordini inditum conſtant: quod garter lingua Anglica, id ligaculum ſignificet, quo mulieres tibiarum tegumenta ſibi ligant, illa præterea corrigia ornatur eiuſmodi titulo Gallicis verbis inſcripto: *Hony ſoit, qui maly penſe.* id eſt. *vituperetur, qui male cogitat.* Ordo vero eſt Diuo Georgio, vt bellatorum præſidi dicatus. Quare equites quotannis diem ei ſacrum multis cæremonijs colunt, in templo ad Vindeſorium Caſtrum, vbi loci eius collegij ſedes eſt; opiparoque conuiuio diem illum feſtum agitant. Eo loci Edouardus Rex celebre ſacerdotum collegium, qui res diuinas curarent inſtituit. Item cum diuum Georgium ſuæ militiæ præſidem optaſſet, poſtea ei armato & equo inſidenti, dedit ſcutum album rubra cruce perinſigne, dedit & militibus ſuis ſaga alba, vtrimq; binis crucibus etiam rubris munita, quæ illi ſuper armaturam inducerent, vt tam decorum quam magnificum eſſet, videre Anglicanas legiones armatas inſtar Orientis ſolis procul albeſcere, micare, fulgere. Habent iſti equites certas leges: quibus cum primis illud eſt conſtitutum, vt mutuo ſe iuuent ac defendant, atque bellando nunquam in turpem fugam ſeſe conjiciant. Habent inſuper apparitores Miniſtros, quos Haraldos dicũt, quorum præfectus armorum Rex vocitatur. Hi bello & pacis nuntij, Ducibus, Comitibuſque à Rege factis inſignia aptant, ac eorum funera curant.

Cauſa inſtitutionis Ordinis ſecund. vulgi opinionem.

Fama apud vulgus etiam nunc obtinet, originem huius ordinis extitiſſe, ab hoc ridiculo. Edouardum aliquando è terra collegiſſe Reginæ ſeu amicæ tibiarum tegiminis ligamen, quod forte ita reſolutum, vt vſu venit ceciderat: & nonnullis heroibus id videntibus, ac iocoſe cauillantibus dixiſſe, breui futurum, vt eiuſmodi cingulo etiã ab illis ſummus haberetur honor: atque non multo poſt iſtiuſmodi ordinem inſtituiſſe, ac eum addidiſſe titulũ, quo teſtaretur ipſos heroes, contra quam erat, de ſe iudicium feciſſe. *Polyd. Virgil. hiſt. Ang. lib 19.*

XIV. Miraculum in Anglia per interceſſionem S. Albani.

In Anglia, hoc ipſo anno ingens miraculum per Diui Albani interceſſionem patratum eſt. Quædam puella quinque annos nata apud molendinum de Bertleſpole iuxta Redburnam cadens in aquam ſubito ſubmerſa eſt. Cumque eodem tempore molendinum moleret, & rota vehementius per aquæ abundantis decurſum volueretur, eiuſdem puellæ cadauer pertranſiuit rotam: ſed, quod credebatur, ſub rota conquaſſatum vel contritum, integrum permanſit & illæſum, ab ipſius rotæ oppreſſione: Aduolantes plurimi ad ſpectaculum, cum matrem afflictã aſpicerent plorare, ad commiſerationem moti, orationibus ad beatum prothomatryrem Albanum incubuere: cum extemplo cœpit puella reuiuiſcere, & poſt modicum temporis perfectæ ſe vitæ redditam demonſtrare.

XV. Rex Angliæ diploma publicat pro libertate Eccleſias.

Clerus Anglicanus, eodem anno Regi Edouardo decimas triennales conceſſit: hic vero pro libertate Eccleſiaſtica diploma publicauit; vt nullus Archiepiſcopus ſiue Epiſcopus cauſa cuiuſcumque criminis, apud ſubſellia Regia conueniretur, nullus etiam Clericus, coram tribunali laico, reſpondere cogatur: ſed ſtatim atque dixerit; *ſe membrum Eccleſiæ ſanctæ eſſe:* ad forum Eccleſiaſticum remittatur. *Thomas Valſing. hiſt. Ang.*

XVI. CLEMENS. CREAT PRINCIPEM INSVLARVM. FORTVNAT.

Eodem anno, Clemens Pontifex, in Conſiſtorio publico, Ludouicum de Hiſpania Regis Galliarum Oratorem, Principem Inſularum Fortunatarum, aſſumpto themate pro Concione, *Faciam principem ſuper gentem magnam.* creauit, poteſtatemque acquirendarum earum fecit: conditione adiecta, vt eas iure beneficiario, ab Eccleſia Romana in feudum poſſideret, atq; cenſum deſignatum, ſingulis annis, Sedi Apoſtolicæ dependeret. *Epiſt. Clem. 9.*

XVII. QVIBVS CONDITIONIB. IOANNÆ REGNVM SICILIÆ CONCESSERIT.

Ioannæ quoque, Caroli Ducis Calabriæ filiæ, Regnum Siciliæ iure fiduciario his conditionibus conceſſit.

1. Nullum fœdus, nullamque amicitiam cum inimicis Eccleſiæ Romanæ & ſummi Pontificis ſtabiliret.

2. Ad Imperii Romani dominium nec per ſe nec per virum aſpiraret.

3. Omnes beneficiorum Eccleſiaſticorum collationes, & Eccleſiarum prouiſiones in Regno Siciliæ, ſummo Pontifici liberas eſſe ſineret: neque in ijs diſponendis quicquam attentaret: aut in Eccleſiaſticos iudicium ſibi vſurparet: vel ad Sedem Apoſtolicam appellationes interpoſitas impediret: vel denique quicquam ſibi in ſacra & ſacratas perſonas vendicaret.

4. Singulis annis octo millia vnciarum auri, & album equum, Romano Pontifici, cenſus nomine repræſentaret.

5. Singulis annis, ad nutum ſummi Pontificis, vel trecentos equites, vel claſſem armatam, in tres menſes mitteret.

6. In Etruria, Lombardia, & alijs terris ſeu feudis Eccleſiæ Romanæ, nihil omnino iuris quæreret.

7. Collectas, taleas, & alia grauamina Eccleſijs non imponeret.

8. Si quæ eſſent contra Eccleſiaſticam libertatem ſtatuta reuocaret.

9. Appellantes ad Sedem Apoſtolicam, libere venire permitteret.

10. In ciuitate Beneuentana nullum officium exerceret, neque quicquam iuris in ea ſibi præſcriberet.

11. Pro prima Regni inueſtitura, quinquaginta millia marcarum ſterlingorum Romanæ Eccleſiæ numeraret.

XVIII. IOANNA REGINA IVRAT HOMAGIVM IN MANIBVS LEGATI APOST.

His conditionibus propoſitis Iohannæ, Clemens, Aymerico Cardinali Legato & Regni Siciliæ pro Romana Eccleſiæ Baliuo, poteſtatem fecit, homagium & iuramentum fidelitatis ab Ioanna Regina, ex formula præſcripta recipiendi, datis literis *6. Nonas Iulij.* quemadmodum illa poſtmodum (vt eſt *in Archiuio Neapolitano apud Summontium lib. 3.*) iurauit homagium in manibus Aymerici presbyteri Cardinalis ſancti Martini in Montibus, Apoſtolicæ Sedis Legati in Templo Diuæ Claræ; die vltimo Auguſti 1344. præſentibus Illuſtriſſimis Principibus, Andrea eiuſdem Reginæ viro: inclytis & Excellentibus Dominis, Domino Roberto Romaniæ Deſpoto, Achaiæ principe: Carolo Duce Duratij: & Ludouico de Tarento fratribus eiuſdem Reginæ: nec non Reuerendis in Chriſto patribus Dominis, Ioanne Dei gratia Archiepiſcopo Neapolitano: Rogerio Epiſcopo Barenſi: Dino Archiepiſcopo Piſano: Rizardo Archiepiſcopo Capuano: Guilelmo Archiepiſcopo Brundiſino: Philippo Epiſcopo Cauillonenſi, eiuſdem Dominæ Reginæ Cancellario: Hugolino Epiſcopo Caſtellano: Domino Philippo Comite Alti montis: Thoma de Sancto Seuerino Comite Marſici: Goffredo de Marzano Comite Squillarij Regni Siciliæ Admirato: Gaſſo de Tufsiaco Terlicij Comite: Berardo de Aquino Laureti Comite: Thoma Comite Lyptouien. de Vngaria: Domino Raymundo de Bautio: Domino Ioanne de Caſtellono: Domino Ioanne de Brayda: Domino Ioanne Comite Palatino militibus: Matthia de Geſualdo: Thoma de Aquino filio dicti Domini Comitis Laureti: Corrado de Caranzario: Domino Ioanne de Tarento: Domino Franciſco de Turri: Domino Ioanne de ciuitate Theatina: Domino Ioanne Acconzaioco: Domino Ioanne Faſæno de Neapoli militibus: Domino Iohanne Siripanno de Neapoli Cancellario Domino Principis Tarentini: Domino Iacobo Capano milite, Magiſtro Nicolao de Aliſie, Domino Mazzeo de Porta, de Salerno iuris ciuilis profeſſore Magiſtris Rationalibus Magnæ Curiæ Reginalis, Magiſtro Bartholomæo de Biſento milite profeſſore Medicinalis ſcientiæ, Domino Egidio de Bauaria, Domino Conſtantio de Caua, Magiſtro Ioanne de Squillatio Theſaurario dictæ Dominæ Reginæ, Magiſtro Nicolao de Andria, Magiſtro Andrea de Conca, & Domino Franciſco de Piſis, cum alijs quam plurimis Prælatis, Comitibus, Baronibus.

XIX. CLEMENS LEGATVM SVVM A REGNI SICIL. ADMINISTRATIONE DISCEDERE IVBET.

Iuramento ex præſcripto litterarum Clementis dicto, Ioanna, Clementi eidem ſupplex fuit, vt Aymericum Legatum à Regni adminiſtratione diſcedere iuberet. Reuocauit illum Clemens, & Ioannæ Regni adminiſtrationem, adiunctis ei in conſilium aliquibus viris principibus, permiſit, admonens, vt ex recto & iuſto Rempublicam curaret: nihil aduerſus ſancte inſtituta innouorent, nihil è bonis Regni detraherent aut alienarent: theſaurum à Roberto Rege relictum inuiolatũ ſeruarent; ac omnia ad Dei Laudem, & vtilitatem populorum referrent. *Cod. Colum. Vatic. Clem.*

XX. OPIZO MARCHIO FERRARIÆ ABSOLVTIONEM A CENS. A CLEMENT. IMPETRAT. ARGENTAM VRBEM AB ARCHIEP. RAVENNAT. RECIPIT.

Eodem anno, ad VIII. Calend. Martij, Opizo Marchio Ferrarien. intentus in omnes occaſiones vel confirmandi, vel proferendi Imperij, à Clemente VI. omnium execrationum abolitionem impetrauit, quibus eum Ioannes XXII onerauerat, poſt fuſum fugatumq; Legati exercitum: eiuſq; rei ampliſſimum diploma obtinuit. A Nicolao quoq; Archiepiſcopo Rauennæ municipium Rauennæ recepit, quod deinceps Ferrarienſis ditionis ſemper fuit. *Pigna de rebus Ateſtinorum li. 4.*

Iſtud vero quomodo acciderit, Rubeus li. 6. hiſt. Rauennatis exponebat, iſtis verbis. Cum ijs diebus, inquit Clemens Pontifex, multis de cauſis, Opizonem Eſtenſem Ferariæ Vicarium nouis pactionibus probaſſet, hac motus opportunitate Nicolaus Archiepiſcopus, qui præſens aderat, apud ipſum Pontificem & Cardinales conqueſtus eſt, Argentam Eccleſiæ ſuæ Rauennatis oppidum iam diu ab Opizone & Nicolao Marchionibus Eſtenſibus occupari: Itaque etiam atque etiam petere, vt illud reſtitui curaret. Reſpondentibus autem Marchionum Eſtenſium internuncijs, paratos Marchiones eſſe ad ea facienda quæ Pontifex imperaſſet: Clemens Gaucellino Epiſcopo Albanenſi, Bertrando tituli ſancti Marci, Stephano tituli SS. Ioannis & Paulo Sacerdotibus, & Galliardo S. Luciæ in Silice Diacono, Cardinalibus mandauit, vt de concordia agerent inter partes.

Poſtquam vero diu multumque, & ſatis magno labore tractatum eſt, ipſo Archiepiſcopo Dalphino Fleiſſo ciue Ferrarienſi Iuriſperito & Deleo Mutinenſi ſcriba Eſtenſium Procuratoribus præſentibus, iudiciumque eius rei integrum ad Pontificem referẽtibus, Pontifex oppidum illud ſtatim in ipſa Romana aula, Nicolao Archiepiſcopo, & à Marchionibus Eſtenſibus in Italia, reipſa, intra tres menſes reſtitui iuſſit. Vt Nicolaus Archiepiſcopus idem oppidum, eiuſq; profanam iuriſdictionem, in ſexennium, Marchionibus locaret, ijs conditionibus: vt quotannis Marchiones pro ea locatione Archiepiſcopo ſoluerent florenos aureos, nota Florentina ſignatos, bis mille. Ciues Ferrarienſes decem totidemque Mutinenſes huius rei vades fierent. Iuriſdictio ſacra eſſet Archiepiſcopi, Eccleſiæq; Rauennatis. Villæ portus maioris, & aliquot præterea locorum venditionem, quam Bertrando Cardinale Oſtienſe Epiſcopo Legato decernente, quod ſpectat ad prophanam iuriſdictionem, Aymericus olim Archiepiſcopus, tunc titulo S. Martini in Montibus Sacerdos Cardinalis, vniuerſitati Ferrarienſi, ſex florenorum aureorum millibus fecerat, Nicolaus probaret: penſionem

termi-



terminos moderatos aſſignaret: Archiepiſcopis ad illud oppidum, eaque loca adire: ſic tamen vt ne veriſimilis ſuſpicio de Archiepiſcopo & ſuis daretur, libere liceret. De his omnibus litteras ſuas Clemens Pont. *Auinione VII. Idus Aprilis.* ad Archiepiſcopum Arelaten. & Epiſcopos Ferrarienſem Vercellenſemque dedit.

XXI. FACTIOSOS ROMÆ CONCILIARE STVDET.

Romæ hoc anno nonnihil tumultuatum, per factiones Ceccanorum, & Annibaldi Epiſcopi Tuſculani nepotum. Hi ad inuicem diſſidentes, ferro & igni totam Maritimam & Campanam prouinciam defœdarant. Inter eos, vt vel ſaltem inducias Clemens ſtatueret, Reatino Epiſcopo vrbis Vicario, & Anagnino ac Terracino Epiſcopis totum negotium commiſit: *datis litteris III. Non. Octobr.*

XXII. ALIA CLEMẼT. PP. GESTA.

1. Aurei quoq; numeri correctionem hoc anno fecit. *Epiſt. 305.*

2. Duci Normanniæ, vt omnia ſacra, excepta diuiniſſima Euchariſtia poſſet manu contrectare, indulſit. *Epiſt. 66.*

3. Iudæis Signum, quo à Chriſtianis diſcernerentur, aſſignauit. *Epiſt. 881.*

4. Cenſum à Rege Aragonum ex Regnis Sardiniæ & Corſicæ exegit. *Epiſt. 47.*

5. Cuidam qui Epiſcopatu ceſſerat, vt Epiſcopalibus ordine, & Pontificalibus quemadmodum prius vteretur, conceſſit. *Epiſt. 236.*

XXIII. VLTIO DIVINA IN VXORICIDÃ.

Per id temporis in Germania innocentiam cuiuſdam nobilis matronæ, per ſcelus à marito violatam, Deus vltus eſt. Maſſenhauſſen vicus eſt inferioris Boiariæ, Rhodano amni conterminus. Eius dynaſta Arnolphus Zelotypus vxorem ſuam, filiam Ottonis de Greyffenberg cum miniſtro, à quo falſo ſuſpicabatur adamari, illam in Cronſperg combuſſit. Mulieris innocentis, imprecantiſque viro matrimonia infœcunda, vota Deus audiuit. Eius progenies defecit, opes in fiſcum redactæ ſunt. Sepultura horum Landſutæ in templo Dominicanorum eſt. *Annal. Baiorum lib. 7.*

# IESV CHRISTI

## Annus 1345.

## CLEMENTIS PAP. VI.

### Anno 4.

I. DIVERSORVM APVD SED. APOSTO. PRO REGNO SICILIÆ INSTANTIÆ.

QVid ambitus dominandi quidue fœminea libido, & impotens animus, in ſcelere excogitando patrandoue poſſit Andreæ Caroli Hungariæ Regis filii tragicus caſus, facile oſtendit. Robertus Siciliæ Rex eius patruus illum adhuc puerum Neapolim euocauerat, & Ioannæ ex Carolo Duce Calabriæ nepti deſponderat, cum ſpe in Regnum Siciliæ, conceſſu Romanæ Eccleſiæ cuius eſt hæreditarium, iure beneficiario ſuccedendi. Iam Ioanna beneficio Romani Pontificis poſſeſſionem vna cum diademate ſuſceperat. Ludouicus Vngariæ Rex pro Andrea fratre apud Clementem Pontificem interpellabat, vt non tantum thori, ſed & ſceptri conſortem eſſe iuberet. Carolus Duratii Dux, tum conſanguineorum Principum, tum præcipue Philippę Catanenſis conſiliis incitatus, vt Siculis ipſe imperaret, Andreæ adoleſcenti negotium apud Sedem Apoſtolicam faciebat. Pontifex nonnullis Cardinalibus vniuerſam rem cognoſcendam commiſerat: hi, quod & Carolus Duratius propinquitatis iure niteretur, & multa interceſſione Regis Galliarum iuuaretur, non poterant, tam cito quam volebant controuerſiam definire. Non quod opulentiſſimam cauſam ſortiti (quemadmodum Bonſinius mentitur) in rem ſuam cognitionem protraherent, ſed quia multæ intercederent ab vtraque parte competitorum difficultates: propter quas Clementi opus fuit toties prorogare diem Ioannæ, ad Sacramentum dicendum.

DECERNITVR ANDREÆ HVNG. REG. FILIO SICIL. REGNVM.

Ad vltimum re coronationis Andreæ, ad Apoſtolicum Senatum relata, & pactis conditionibus in formula iuriſiurandi præſcribendis, inque animam Andreæ ab Oratoribus illius confirmatis, tandem Clemens ex ſacratioris Senatus Conſulto, Regnum Siciliæ illi decreuit & Guillelmum Epiſcopum Carnotenſem, qui illum ſacro chryſmate inungeret, diademateque Regio inſigniret, Neapolim iure iſſit. *Ep. Clement. hoc anno 777. Bonſin. dec 2 lib. 10.*

II. IOANNA REGINA INFRENATÆ LIBIDINIS.

Dolebat iſtud inprimis Ioannæ Reginæ: quod Andreas, etiamſi admodum iuuenis eſſet, tamen viu Veneris infrænatæ illius libidini minime ſufficeret: Iamque grauioribus odiis cum eo certaret, neque quicquam gratiarum illi tribui ſuſtineret. Fertur etiamnum publice Neapoli, Andream aliquando, cum Reginam aſpexiſſet, bene craſſam chordam aureis filis texere & adornare, quæſiuiſſe ex illa, vt fieri ſolet familiariter à maritis: in quem vſum tam craſſam chordam torqueret: & illam ſubridendo reſpondiſſe: vt illum aliquando ſuſpenderet. Vſque adeo illum ſecordem, ſalax & virilis audaciæ mulier parui faciebat. Non ignara eorum diſſidiorum fuerat Catharina Philippi Tarentini, Roberti fratris iam defuncti vxor, quæ Imperatricis Conſtantinopolitanæ & Principis Achaiæ titulos vendicabat.

CÕSILIA DE ANDREA REGE NECANDO.

Hæc itaq; occaſionem nacta, vt alicui ex filiis ſuis regnum acquireret, perdendi Andream conſilium Ioannæ iam ſatis ad ſcelus incitatæ dedit, & Ludouicum quem ex Philippo ſuſceperat, illi maritum futurum propoſuit: poſtquam Andream inertem extinxiſſet. Carolus quoque Duratius, vt ſibi ad Regnum quacumque ratione viam aperiret, Ioannæ auctor fuit, vt de Andrea enecando quam citius decerneret. *Collenut. hiſt. Neapol. lib. 5. Summontius hiſt. Neapolit. lib. 3. Bonincontr. in annalibus.*

In ſceleris etiam conſenſionem venit Philippa Catanenſis, è ſordidiſſima ſorte ad incredibilem magnitudinem euecta. Sed de hac fœminarum infeliciſſima, & de vniuerſa tragœdia, placet Bocatium audire, qui omnia vidit & ſcripſit.

III. HISTOR. PHILIPPÆ CATÃNẼSIS ET EIVS MARITI EX BOCATIO.

Me, inquit, adhuc adoleſcentulo, verſanteque Roberti Hieruſalem & Siciliæ Regis in aula, ſolutus erat vir animoſus & ingenti memoria valens, Marinus Bulgarus, origine Sclauus, & à iuuentute ſua nauticæ rei peritiſſimus, & ſecum Calaber quidam Conſtantinus de Roccha, homo tam ætate quam meritis venerabilis, qui antiquitates ſeu ſchemata curialium recenſentes inter alia referebant, Robertum tunc Calabriæ ducem, iuſſu Caroli Regis tunc patris ſui aduerſus Fridericum, Siciliæ Inſulam occupantem expeditionem ſumpſiſſe: & dum haud longe Drepanum caſtris poſitis bello vacaret, contigiſſe Violantem eius coniugem peperiſſe filium, actumque ob mulierum penuriam, vt ipſa Philippa in cuius ſermonem intrauimus, iuuenis forma & ſtatura decenti, & ob pauperiem alienarum veſtium lotrix, quæ forte paucis ante diebus ex piſcatore enixa filium fuerat, in nutricem nati ſumeretur infantuli, & cum Duciſſæ meruiſſet gratiam ſecum redeunte veniſſe Neapolim, ac inter alias pediſſequas alumno iam mortuo remanſiſſe.

QVÆNÃ FVERIT ISTA PHILIPPA.

QVIS FVERIT PHILIPPÆ MARITVS.

Sic & Raymundum quendam de Cabanis Æthiopem affirmabant, cuius effigies aſſertioni in nihilo derogabat: eumque à Raymundo de Cabanis Coquinæ Caroli Regis præfecto à piratis emptum, & demum ob inſignem eius ſolertiam à Domino de ſacro fonte ſuſceptum, & ſuo nomine atque cognomine ornatum, libertateque donatum, & ei fere omne coquinæ officium fuiſſe commiſſum: nec poſt multum Raymundo patrono ſumente militiam, libertum eius loco fuiſſe ſuffectum: & exinde eum, domicilium, ſupellectilem, equos & ſeruos habere, & nobilium gratiam Regiſque captare, & congregare diuitias cœpiſſe, atque à coquina, amicis procurantibus ad coſtodiam veſtimentorum Regalium fuiſſe promotum, quibus ſic ſe habentibus, adiungebant, dum vellet Ducilla, Philippam, cuius

CONNVBIŨ PHILIPPÆ ET RAYMVNDI ÆTHIOPIS.

longo vſa fuerat obſequio promouere, ea ſe aſſerente viduam, nemine aptiore comperto, eam Raymundo iunctam fuiſſe connubio. Qui vt lætiores clarioreſque nuptias celebraret vir extremæ audaciæ, & ergaſtuli, ac pridianæ ſuæ conditionis oblitus, Regia petiit inſigniri militia. qua ſumpta miles Æthiops Cathinenſis lotricis thorum conſcendit. Hæc igitur ſenum dictorum relatione prima nobilitatis, ſeu claritatis, vt rectius dixerim Philippæ rudimenta fuiſſe audiui. Sed quæ fere viderim ipſe iam referam.

RAYMŨDVS EX SERVO POPINARIO MILES.

Raymundus quidem ex ſeruo popinario miles factus, & claro Philippæ Cathinenſis ſublimatus coniugio, ſolerter inter milites ſe nõ minimum gerere, com miſſa peragere, multa tractare, rem inſuper priuatam ſummo ſtudio augere cœpit. Sic & Philippa, Violante iam mortua, venienti Janciæ Roberti iam Regis vxori, ſe ſumma cura obſequentem inferre: Sic & Mariæ Roberti Regis filii coniugi: eiſque aſtare, ſeruire, & imperantibus ſe promptam præſtare, & lotionum variarum Magiſtram percommode exhibere.

PHILIPPA PRÆFICITVR CVSTOS IOANNÆ REGINÆ. RAYMŨDVS FIT REGIVS MARESCHALCVS.

Quibus agentibus, cum & ætate cæteras mulieres Reginales excederet, & iam trium adultorum filiorum ex Raymundo milite mater eſſet, & ſatis ob longam conſuetudinem Regalium morum inſtructa videretur, actum eſt, vt ex Carolo Calabriæ Duce Ioannæ natæ, in Magiſtram atque cuſtodem præficeretur à matre. Hinc demum Raymundus, Reginali aulæ præfectus conſtitutus eſt: nec longum tempus effluxit, Carolo & Maria mortuis, Philippa tanquam Ioannæ mater honoraretur, & Raymundus efficeretur Regius Mareſchallus. Ridiculum erat vidiſſe, ex ergaſtulo ſe nuper, ac nidore popinæ Æthiopem, Roberto Regi regalia obſequia exhibentem, nobilibus iuuenibus præeuntem, & Curiæ præſidentem, iuſſaque reddentem petentibus. Aucti igitur vir & vxor, duo ex filiis claris coniugiis, & militia decorantur, quibus cum eſſent oppida, vici, iura, opimi reditus, equi, numeroſa familia, ſplendidæ veſtes & affluenter omnia, Regios iuuenes potius quam Æthiopes credidiſſes. Mortuo tandem Raymundo, & Regio fere ritu delato eius officium milites ſui exercere orſi ſunt.

MORITVR RAYMVNDVS ET DVO EIVS FILII.

Dem m cum natu minor poſt aliquot annos moretur, Robertus ex filiis tertius abiecto clericali habitu, ſumpſit è veſtigio militarem. Cæterum cum labentibus annis maior quoque diem clauderet, Sancia filia admodum grandiuſcula derelicta quam vna ab ineunte infantia, æua, continue cum Ioanna nutriuerat, quaſi hæreditarium patris fratrumque, ſolius Roberti aſſumpſit affectum. His quidem viro ac filiis ſic ſubtractis, Philippæ paululum eſt concuſſa felicitas. Sed ſuccedentibus annis, eius fulgor in longe maius lumen effulſit.

FILIVS PHILIPPÆ FIT MAGNVS SENESCALCVS REGNI SICILIÆ ET SANCIA EIVS NEPTIS NVBIT COMITI MARCONIS.

Nam tradita Iohanna in coniugem Andreæ Caroli Vmberti Vngariæ Regis filio, & Roberto Rege defuncto, ac Sancia Regina Monaſterium ingreſſa, orta iniqua ſuggeſtione quorundam inter Iohannam & Andream ſeditione, & vilipenſo Andrea, eo quod Roberto Rege viuente, in verba Ioannæ iuraſſent proceres Regni, Robertus inter alia ex Seneſchalco Curiæ, à Ioanna Magnus Regni Siciliæ Seneſcalcus dictus eſt, & Sancia neptis ſua Carolo Comiti Marconis coniugio iuncta. His aucta titulis atque præfatione Philippa cunctis iam tenere abſque nomine Reginæ faſtigium videbatur. Sed non pepercit animoſitati fortuna, quinimo quod elatæ mulieri atque iam decrepitæ per tempuſculum ſeruabat, in ſubitam rerum reuolutionem tanto emiſit impetu, tantaque reſperſit caligine, vt ſplendores præteriti, in ſuam ignominiam quam decus potius viderentur. Nam Ludouicus Vngariæ Rex ægreferens Andream fratrem ſuum adeo indigne, à Ioanna & complicibus ſuis tractari: (aduerſus tamen intentionem veterem Roberti Regis & vltimam voluntatem) ipſum Regnorum Hieruſalem & Siciliæ coronari auro, à Clemente Summo Pontifice obtinuit.

CONIVRATI OPERAM DANT NE ANDREAS CORONETVR REX SICILIÆ.

Itaque qui mandata ferebant, Caietam appulerant. Verum cum quidam ex Regni proceribus, iam præcognitam in ſe ſeueritatem Regii iuuenis, & forte meritam indignationem timerent: & ſibi, ſi Rex fieret, præſagirent ſupplicium, coniurantes in eum clam, ne coronaretur, operam dare cœperunt.

ANDREAS REX À CONIVRATIS LAQVEO SVSPENSVS OBIIT.

Qui fuerint; quo ordine in mortem iuuenis itum ſit: inſtantis exercitij non eſt, quod tamen ad intentionem pertinet, ſatis habemus, ſcilicet quod dolo coniuratorum noctu, apud Auerſam ciuitatem, ex Regio thalamo euocatus, ab eiſdem laqueo diem claudere coactus eſt. Execrabile vero facinus mane compertum, primo ciuitatem, inde fama volucri regnum omne in turbationem, atque clamorem in parricidas exciuit. Sane cum impetu primo in expiationem tam ſceleſti operis iuuenes quidam Calabri, olim cubicularij Andreæ, truci ſupplicio dedecoroſæque morti traditi eſſent, non acquieſcentibus innocuis, actum eſt vt Hugoni Comiti Auellini, conſenſu omnium procerum, commiſſum ſit tanti ſceleris conſcios perquirere, & compertos pro arbitrio iudicare.

CONSCII PERQVIRVNTVR.

Ipſeque, qua cauſa tractus neſcio, Comitem Terlitii, Robertum de Cabanis, magnum hactenus Regni Siciliæ Mareſchallum, Sanciam Marconis Comitiſſam, & annoſam iamq; infelicem Philippam Cathinenſem, cum alijs quibuſdam traxit in carcerem. Nec mora, erecto in naui equuleo in conſpectu Neapolitanæ vrbis, medio maris in ſinu, toto regionis ſpectante populo, Philippam torſit miſellam, Sanciam, & Robertum. Quid exhauſerit; incertum eſt, executis tamen, hos in morte Andreæ fuiſſe noxios, pro conſtanti habitum eſt.

PHILIPPA CVM FILIO ET NEPTE IN CARCEREM TRAHŨTVR.

Nam poſt dies aliquot, nudis corporibus, Philippa, Sancia & Robertus, curribus impoſiti, & mulis alligati tribus educti ſunt, extraque omnem vrbem tracti, & concurrentibus clamantibuſque vndique in eorum dedecus popularibus, nunc ignitis forpicibus torti, nunc acutis nouaculis excarnificati, eo quo flammis erat auferendum miſeræ vitæ reſiduum vltimo deuenere. Ibi quidem cum toleraſſe dolores ſenicula nequiuiſſet inter tortorum manus præmortua & exenterata à carnificibus Philippa eſt, & eius cor cum omni iecore vni ex portis Neapolis appenſum diu teſtimonium atrocitatis exhibuit, & inde cadauer reliquum flammis iniectum. Sancia è curru depoſita, miſerabiliter palo alligata, viua exuſta eſt. Sic & Robertus. Quæ cum non ſuffeciſſent ſpectantibus, ſemiuſta cadauera flammis erepta, præcordiiſque pectoribus extractis, & ferali ritu à nonnullis comeſtis, iniectis vncis corporibus per omnem denuo ciuitatem tracta, cœno cloaciſque fœdata, & huc illuc diſcerptis partibus derelicta. Is finis Philippæ fuit: cui profecto ſatius erat in aquis labore paupertiem ſuſtentare ſuam, quam in delitijs Regijs maiora per crimen appetere: vt ignibus damnata, ſe cum quæſitis tam fœde deperderet. *Bocacius de Caſibus virorrum illuſtr. libro. vltim.*

POST DIVERSOS CRVCIATVS FLÃMIS TRADŨTVR.

IV. QVOMODO ANDREAS REX À CÕIVRATIS CONSCIA VXORE OCCISVS FVERIT.

Quintodecimo Kalend. Octobris, Auerſæ, in caſtro, eo loci quo Cœleſtinorum cœnobium poſtea extructum eſt, Andreas è feneſtra ſuſpenſus eſt, hunc in modum. Regina Ioanna quo clam omnia fierent, Auerſam deliciarum ſeceſſerat, & Andream maritum paulo poſt Neapolim acceſſerat. Nocte concubia cum Ioannæ coniaceret ab vno ex coniuratis euocatus, vt Neapolim quantocius properaret, aliquid accidiſſe quod aduentum expoſceret.

Statim atque ille thalamo Reginæ exiuit, oſtio à cubiculario Ioannę oppeſſulato, excluſus, in manus coniuratorum, Caroli Artuſii Roberti Cabani Mareſchalli, Nicolai Mirizani cubicularij, & Comitum Turlizij, Leoneſſæ, & Stellæ, incidit. Hi laqueum ab Ioanna olim tortum, Andreæ, collo iniecerunt, & trabi appenſum pedum attractione in momento ſtrangularunt, ſtrangulatumque è feneſtra in ſubiectum hortum eiecerunt, cogitantes per noctis obſcurum ſepelire, rem





que aliqua ratione occultare. Ad caſum deiecti cadaueris excita aliqua cubicularia gente Pannonia, conclamauit, & coniuratos in fugam ex timore coniecit. Ioanna porro, vt à ſe crimen occiſi mariti amoliretur, Neapolim ſummo mane reuertit, & poſt eiulatus muliebres, vniuerſis Regni proceribus coram, & per litteras inprimis Clementi Pontifici & Ludouico Vngariæ Regi, deinde reliquis Principibus Chriſtianis innocentiam ſuam oſtendere contendit. Ludouicus autem necquicquam eius excuſationes admiſit, ſed vnica breuique epiſtola facinus ei exprobrauit. Eius verba ſunt iſta. *Inordinata vita præcedens, retentio poteſtatis in regno, neglecta vindicta, vir alter ſuſceptus, & excuſatio ſubſequens, necis viri tui te probant eſſe participem & conſortem. Memineris tamen, neminem, diuini humaniue iudicii pœnas nefario ſceleri debitas, euaſurum.*

IOANNÆ REGINÆ ADVLTERIA.

Exprobrabat Ioannæ Ludouicus vitam inordinatam præcedentem; quod ea Roberto Cabano Philippæ filio ſuccumbere conſueuiſſet. Neglectum vindictæ etiam obiectabat, quod de potentioribus Duce Duratii & Comitibus non ſumpſiſſet ſupplicium; quamquam Hugonem Balzium Quæſitorem coniuratorum, ſed magis in ſpeciem inſtituiſſet. Virum alterum illi obiiciebat, nempe Ludouicum principem Tarentinum, cuius illa conſortium exambiuit. Excuſationes præterea frigidas reiiciebat, quod eæ nulla veritate niterentur. *Summontius hiſt. Neapolit. lib. 3. Villani lib. 12. cap. 51.*

V. PETRARCHA MORTEM ANDREÆ REGIS DEPLORAT.

Franciſcus Petrarcha Barbato Sulmonenſi ſcribens, cum Andreæ mortem deploraret, hæc in Neapolim & Auerſam querebatur: *Tulit ecce feraciſſima ſcelerum ætas noſtra, quo glorietur antiquitas, quo ſe poſteritas conſoletur: vtque omne æuum fiat excuſabile, hoc in tẽpus Sæuitiæ ac totius inhoſpitalitatis erupit. O breui multum mutata Neapolis, ô infelix Auerſa, vere auerſa. Nomen ex re ſumptum; auerſa inquam prorſus ab humanitate ac fide, quarum prima homini, ſecunda Regi & iuſto Domino debebatur. In te enim vtriuſque ſpreta reuerentia, vtriuſque in te ſacrum gentibus fœdus fractum. In te fraude impia periit Rex tuus, ferrò vtinam, aut virili morte alia, vt hominum manibus interfectus, non ferarum dentibus atque vnguibus laceratus videretur. O iniquò condita ſydere, infauſto ſignata vomere, cementis exructa ſanguineis, & vipereis habitata cultoribus; Magiſtra vrbs crudelium exemplorum. Abunde impietatis & criminum erat, animantum principis ſacroſanctam effigiem ad imaginem Dei factam, violare tam atrociter, tam ſuperbe: nunc id ſcelus, non in homine quolibet auſa es, Sed mitiſſimum, innocentiſſimum hominum, & Dominum tuum, & ante annos tui ſollicitum, tui amantem, raræ indolis puerum, magnæ ſpei Regem truculentiſſime laniaſti. Imo non tu, ſed in te acres, & immites: dicam homines, an belluæ? an aliquod aduentitium genus monſtri, qui orbem Italicum barbarica feritate maculantes tuum ſuumque Regem non gladio, non veneno, dura licet ac ſolita Regum morte, ſed velut incendiarium aut latronem, infami laqueo peremerunt; & cuius vertici debitum ac ſperatum diadema, diu perfida tergiuerſatione diſtulerant, eius collo reſtem & nodos miſerabiles iniecerunt; vt exequiarum genere alio, & vita longiore digniſſimi corporis ludibria indigna prætercam: ſi noſtro forte ſilentio poſterorum notitiæ ſubtrahantur. Tu quidem miſera ciuitas, hæc perpeſſa tuis in penetralibus, quæ omnes terras & omnia ſæcula triſti ſint inquinatura memoria. Cæterum & culpæ expers, niſi quod patientia criminum, ſæpe conſenſui proxima eſt: & nec obſtare poteras, nec vlciſci miſeratione potius digna quam odio. lib. 6. epiſt. de rebus familiaribus.*

VI.

Exequiarum genus aliud quam Regium, Petrarcha memorabat. Namque aliquantum in horto feneſtris ſubiecto inſepultum cadauer, ad ludibrium iacuerat: neque quicquam Iohanna de illo ſepeliendo decreuerat. Vrſus Minutolus Canonicus Neapolitanus miſeratione motus, illud ære collato Neapolim tranſtulit, & in cathedrali Baſilica, in Oratorio Diuo Ludouico dicato depoſuit. Diutius in ignobili ſarcophago iacuerat, donec ſuperioribus annis, Franciſcus Capicius Abbas ei tumulum candido marmoreum erexiſſet, & epitaphium inſcripſit quod adiungo.

EPITAPHIVM ANDREÆ REGIS.

ANDREÆ CAROLI VBERTI PANNONIÆ REGIS F.
NEAPOLITANORVM REGI
IOANNÆ VXORIS DOLO, ET LAQVEO NECATO.
VRSI MINVTOLI PIETATE HIC RECONDITO.
NE REGIS CORPVS INSEPVLTVM SEPVLTVMVE FACINVS
POSTERIS REMANERET
FRANC. BERARDI FILIVS CAPICIVS TIT. NOMENQVE
MORTVO ANNORVM XIX.
M. CCC. XXXXV. XV. KAL. OCTOB.

VII. SANCIÆ REGINÆ SANCTISSIMÆ EPITAPHIVM.

Paulo ante, Sancia Regina Diui Franciſci, Clariſſarum religionem profeſſa, Neapoli, ne tam fœda ſcelera aſpiceret, ex humanis abiit: in Eccleſia SS. Virginis Mariæ quæ à Cruce denominationem obtinuit recondita. Cuius Sanctitatis fuerit, placet ex ſepulchrali lapide cognoſcere, cui ſequens Epitaphium inſculptum.

*Hic iacet ſummæ humilitatis exemplar, corpus venerabilis memoriæ, Sanctæ Sororis Claræ, olim Dominæ Sanciæ Reginæ Hieruſalem, relictæ claræ memoriæ Sereniſſimi Domini Roberti Hieruſalem & Siciliæ Regis quæ poſt obitum eiuſdem Regis viri ſui agens viduitatis debitæ annum, deinde tranſitoria cum æternis committans, ac inducens in eius corpore pro amore Chriſti voluntariam paupertatem, bonis ſuis omnibus in alimoniam pauperum diſtributis, hoc celebre Monaſterium Sanctæ Crucis, opus manuum ſuarum, ſub Ordinis obedientiæ eſt ingreſſa. Anno Domini M. CCC. XLIV. Die XXI. Ian. XII. Indict. In quo vitam beatam ducens ſecundum Regulam Beati Franciſci patris pauperum, tandem vitæ ſuæ terminum religioſe conſummauit. Anno Domini M. CCC. XLV. Die XXVIII. Iulij XIII. Indict. Sequenti vero die peractis exequiis tumulatur.* Summont. hiſt. Neapol. lib. 3.

VIII. CLEMẼS PP. CENSVRAS IN LVDOVICVM PVBLICAT.

Eodem anno Clemens Pontifex, in Ludouicum Bauarum, omnia in Germania & Italia miſcentem, diras Eccleſiaſticas, Idibus Aprilis publicauit, & ad euulgandum omnibus Prælatis Eccleſiarum deſtinauit. Iam in Italiam, è comitatu Tyrolenſi recens occupato cogitabat Ludouicus deſcendere, & quod erat reliquum, poſtquam nonnullis vrbibus Vicarios impoſuiſſet, Imperium ſibi in Italia vindicare. Eum vt Clemens diſtineret, conatuſque nefarios impediret, Bertrandum tituli S. Marci presbyterum Cardinalem Ebredunenſem, Apoſtolicæ ſedis in Etruria & reliqua Italia inferiore, ac præſertim in prouinciis & vrbibus Romanæ Eccleſiæ ſubiectis Legatum inſtituit: qui populos, prouincias & vrbes Eccleſiaſticæ ditionis in officio contineret, refractarias ad parendum reuocaret, nec non fœdere cum principibus Italiæ ſtabilito, Ludouici conatibus obſiſteret. Dedit ea de re litteras, *Auinione Idibus Martii. Pontif. anno IV.* Henricum quoque Moguntinum Antiſtitem, quod Ludouico Bauaro adhæreret, anathemate percuſſit, ac omni dignitate Eccleſiaſtica indignum perpetuo iudicauit, publicato edicto, *Auinione VII. Idus April.*

RES ITALIÆ CONTRA EVNDEM CVRAT.

EDICTVM CONTRA MOGVNTINVM PVBLICAT.

IX. MONET ELECTORES PRO ELECTIONE IMPERAT.

Cæterum ne diutius Imperium, legitimo Imperatore, Eccleſia vero potentiſſimo defenſore deſtitueretur, Electores Principes admonuit, vt in locum Comitiis Electoralibus deſignatum quantocius conuolarent, & Imperatorem aliquem virum probitate, iuſtitia, & inprimis pietate ac religione inſignem deligerent, à ſede Apoſtolica probandum *Epiſt.* 1042.

X. LEGATŨ IN SICILIAM MITTIT.

Ne etiam Regnum Siciliæ, Andrea interfecto, per Ioannæ impotentiam aliquo vel incommodo perinteſtina diſſidia afficeretur, vel periculo externo exponeretur, Aymericum Cardinalem Legatum Vicarium in temporalibus indidem eſſe voluit: quoad conſtaret an Ioanna Regina, complex parricidii, an innocens eſſet. Legato enim ſuo Clemens, & Nouello Balzio Comiti Adriano commiſerat, vt in authores tam immanis ſceleris inquirerent, ac demerita ſupplicia illis decernerent. *Epiſt* 1366.

XI. STATVS REGNI GALLIÆ.

In Gallia vndique res turbatæ, mœrore Clementem compleuerant. Itaque Regi Philippo cum Edouardo Anglo amplius conciliando, Annibaldum Epiſcopum Tuſculanum, & Stephanum tit. SS. Iohannis & Pauli Presbyterum, Cardinales, Legatos ad vtrumque Regem miſit. 2. *Calend. Nouembr.* Hi quod pene nihil proficerent, & Edouardus victoriis continuatis ferocior ad concordiam non inclinaret, Pontifex datis litteris *Auinione Ibidus Nouembr.* omnes prælatos Eccleſiarum, exemplo Ioannis 22. ad publicas preces, pro impetranda à Deo inter Chriſtianos principes concordia hortabatur. Fuit autem canticum, quo Dauid ſanctus Rex, Lætatus ſum, inquit, in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. quo abſoluto addebatur, vt Deus ſaluos Reges & populum conſeruaret: benediceret hæreditati ſuæ: regeret eueheretque Chriſtianos: pax fieret florentiſſima: affluerent bonis omnia, Eccleſiæque ſuæ ſupplicationes placatus admitteret. *Rubeus hiſt. Rauennat. libr. 6.*

PVBLICÆ PRECES HABITÆ PRO CONCORDIA INTER CHRISTIANOS PRINCIPES IMPETRANDA.

XII. LEGATIO ARAGONII AD CLEMENTEM

Ab altera etiam parte, Gallo bellum imminebat. Iacobus Balearium Rex, regno ab Aragonio Rege exutus ad illum profugerat: quem illi Clemens reconciliare fruſtra tentauerat. Itaque Petrus Aragonius, cum aduerſus Philippum expeditionem meditaretur, Michaelem Pereſium Zapatam, Ioannem Ferdinandum Munionium regiis rationibus, & Bernardium Olzinelium ærario præpoſitum, Oratores ad Clementem delegauit, qui poſcerent, ne Pontifex amplius de reſtitutione Balearici regni laboraret: quod per Iacobum ſtaret, quominus illo potiretur. Ad 11. Idus Martii Pontifex eos audiuit, Regique Aragonio præcepit, vt Conſtantiam Balearico vxorem dimitteret, & Lectorenſi Antiſtiti Apoſtolico nuncio ad virum Regem deducendam committeret. Impetrarunt tunc Legati Regi ſuo decumas Eccleſiaſticas eius regnorum in decem annos, in ſumptus claſſium, quæ ad Herculeum fretum Mauruſiorum appulſibus reſtiterant: dimidia etiam ex parte Sardoo tributo, à Pontifice remiſſo ad aliquot annos. *Surita lib. 3.*

XIII. SACRAM MILITIÃ PRÆDICARI CVRAT.

In ſumptus quoque belli Orientalis, Clemens decimationem triẽnalem omnium fructuum in Gallia, Anglia, Hiſpania & Italia omnibus Eccleſiaſticis imperauerat, atque in regno Cypri, Italia, Romania, nec non in Archiepiſcopatibus Mitilenenſi & Smyrnenſi, Sacram militiam cum ampliſſimis largitionibus prædicari condixerat.

Nam Orcanes Turcarum tyrannus, quamquam ſuperiore anno à Venetis, qui cum Ioanne Paleologo & Ioanne Cantacuzeno Byzantiis Imperatoribus arma coniunxerant, ſuperatus, tamen reſumptis hoc anno viribus, multa denuo occupauerat loca. Aduerſus illum voluit Clemens opponere virum rei militaris ſcientem, Imbertum Viennenſem Delphinum, quem terreſtri vniuerſo exercitui Chriſtianorum Ducem præfecerat, & quem proprijs manibus Cruce ſignauerat, cuique Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vexillum præſens contulerat. apud Villam Nouam Auinionenſis diœceſis VII. Kalend. Iulij. Bertrandum deinde Baucium Principem Cortedonium claſſi maritimæ, in locum cæſi Martini Zachariæ ſubſtituit, & Conradum Picamiglium Gennenſem, pro eo abſente triremibus Cypriis præeſſe imperauit: cum etiam Legationis munus poſt Patriarcham Conſtantinopolitanum occiſum, Epiſcopo Bononienſi detuliſſet, & pro ea, antequam ad claſſem appelleret, Archiepiſcopo Candiæ curam rei benegerendæ, cum titulo pro-Legati commiſiſſet. Voluiſſetque vt ſacro fœdere Romanæ Eccleſiæ deuincti Principes Hugo Rex Cyprius, Senatus populuſque Venetus, atque Magiſter & religio Hieroſolymitana, tamdiu arma non deponerent, donec de hoſte Crucis Chriſti triumpharent. *Epiſt. Clement. hoc anno, & Boſius lib. 2. hiſt. milit. Hieroſolymit.*

XIV.

Cantacuzenus Græcorum Imperator de ſe ipſo narrabat: quemadmodum ad Clementem Pontificem legationem adornarit, vt falſam opinionem amoliretur, & auxilia contra barbaros promitteret. Non piget illum ipſum audire ſcribentem, licet pleraque mentientem. Qui hæc ipſa habet.

QVID CANTACVZENVS REFERAT DE LEGATIONE QVAM DICIT SE AD PP. CLEM. MISISSE.

Reuerſus Conſtantinopolim Imperator, ad Clementem Epiſcopum vrbis Romæ Georgium Spanopulum Protoueſtiarium, & Sigerum Prætorem populi, & de Latinis Franciſcum quendam nomine, veterem Miniſtrum ſuum, Papæ notum ac familiarem Legatos delegit.

Legationis capita erant, *vt deleret ex animo eius, quam de eo opinionem ille conceperat. Non enim ignorabat auditum à Romano Pontifice, quomodo belli tempore, barbarorum vſus eſſet auxilio, qui Chriſtianorum plurimos occidiſſent, & captiuos rapuiſſent quotidie. Idcirco minimopere deſiderabat Papam cauſas eorum quæ geſta erant edocere: nempe bello premente id feciſſe non quod ex animo communionem barbarorum amplecteretur.*

*Deinde rogabat, quam ipſe Papa, & cum eo Italiæ & occidentis Principes, contra barbaros Crucis hoſtes expeditionem meditati eſſent, ſe nunc Imperatore ſuſciperent. Plurimum enim ſe illorum peſte & internecione lætari, ſeque adiutorem fore maximum: non ſolum tranſitum expeditum exercitui in Aſiam concedendo: ſed cum ſuis quoque copiis proficiſcendo, & vna certamen cupide obeundo. Aliis enim prærogatiuis, anteceſſoribus ſuis Imperatoribus libentiſſime cedere: alacritate autem ad res honeſtas, & deſiderio videndi barbaros eadem pati, quæ Chriſtianis tamdiu nefarie intuliſſent, nemini decedere.*

RESPONSIO PP. AD LEGATIONEM.

*Legatio ita ſe habebat, & ibant ex ſententia Imperatoris omnia. Cum enim Legati expoſuiſſent Papæ, quorum gratia aduenerant, ille exorſus omnia bello geſta tam exactè, quam ſi coram affuiſſet, recenſebat. Mirantibus Legatis, ac percunctantibus, vnde hæc illi tam certa notitia, à Zampæa Sabaudienſi fœmina, quæ in comitatu Imperatricis inde ab exordio belli vſque ad extremum verſata eſſet, ſe accepiſſe dixit: quæ capta Byzantio in patriam remigrans, penitus omnia vti contigiſſent, diligenter enarraſſet. Laudabat etiam Cantacuzenum, vel ex hac cauſa, quod cum Auguſta & filiis eius, vt ſtudio illo Imperatoris amici erga ſe dignum videbatur, egiſſe viſus eſſet, & placidum ſe in ſuos aduerſarios demonſtraſſet, & Imperatori adoleſcenti filiam copulaſſet, inque paterno illum imperio conſeruaſſet.*

DE PONTIFICIS AD CANTACVZENVM LEGATIONE.

*Tractati autem Legati fuerunt honorificentiſſime, in primis ſedibus, in deductionibus, in deceſſionibus de via, & aliis quibus decuit, cum duobus Epiſcopis, quorum vnus erat Ordinis Minorum Guilelmus nomine, alter ex Prædicatorum familia, Hugo de Spert vocabatur, vterque virtuti deditiſſimus, & in ſacris profaniſque litteris apprime verſatus. Quare & in congreſſu erant feſtiuiſſimi, & poterat multum eorum ad perſuadendum ſermo. Quos Imperator perbeneuole: & magno cum honore excepit, quotidieque cum illis iucunde collocutus eſt: ipſique operæ pretium maximum duxerunt, omnia quæ is in dies ſingulos propoſuiſſet, & ſuper propoſitis diſſeruiſſet, toto illo tempore quo apud illum manſiſſent, litteris conſignare, ne è memoria elaberentur. Legationis hæc erat ſumma:*

LEGATIONIS SVMMA.

*Primum, cum bonis omnibus gratias agebant, quod iunior Imperator, eiuſque mater, illi curæ ſint: cum, quæ nemo vmquam expectaſſet, poſt ſæuum bellum, & inimicitias implacabiles, & criminatorum in illum ſcelus, non ad præterita reſpexerit, ſed ſatis eſſe exiſtimarit, ſi tantum belli cauſarum purus eſſe videretur: & quaſi nihil noui interueniſſet, priſtinis moribus vixerit, ſtatimque à morte Imperatoris Andronici benignam voluntatem ac ſollicitudinem erga eius filios ſuſceperit. Præterea quod de bello barbaris inferendo animum ſuum ſignificauit. Et aliis quidem ante ipſum Romanis Epiſcopis fuiſſe id optatiſſimum: ſibi tamen longe magis: crebroque ac multum ſuper eo cum Italiæ dynaſtis egiſſe, omneſque hortatum communiter ad opus, vnde Chriſtianorum libertas à barbaris aſſeratur: & quod ad ſe attineat, pecuniam, & copias quantas maximas poſſit, omninoque ad ſumptus non modicos pro ſua parte conferendos paratum eſſe. Nunc etiam amplius, eius, Legatorumque verbis exarſiſſe: & gratias agere, cum ſe ad barbaros pro Chriſti fidelibus expedition.*

lacef



*laceſſendos adeo propenſum demonſtret. Quod ſi præter alia bona, quæ Græcis conciliare enitatur, etiam Eccleſias concordia deuincire conetur, vt diuulſa Chriſti membra per eum conglutinentur, non hominibus duntaxat vniuerſis, ſed cœleſtibus etiam poteſtatibus, ipſiq; Deo id magna voluptati futurum.* Hactenus Papa per Legatos Epiſcopos.

RESPONSIO IMPERATORIS AD LEGAT. PONTIF.

*Imperator illi gratias agere de beneuolentia, & quod vltro contra barbaros Chriſtianorum inimicos exarſiſſet, ſeque dupliciter hoc bello lætum eſſe: tum quia pro communi Chriſtianorum vtilitate gerendum ſit; tum quia & ipſe tam pulchrum hoc certamen certantium ſocius & commilito futurus ſit. Sic enim ſe ſtatuiſſe & claſſe, & ſumptibus, & armis, & equis, & quibuſcumque rebus poſſit illos inuadere, putareque ſe fore beatiſſimum, ſi in tali cauſa oppetere mortem contingeret. Quanto autem diſtractorum Chriſti membrorum coniunctio, atque concentus, & pax Eccleſiarum ſibi deſiderio ac ſtudio ſit, verbis ſe effari haud poſſe. Enimuero ad hoc tantopere ferri ſeſe, & incitari, vt ſi pro concordia interfici oporteret, non ſolum interficienti iugulum, ſed & gladium alacriter ipſe porrigere vellet: aut ſi putaretur ipſe exuſtus per cineres corporis ſui Eccleſiis conſenſum conſpirationemque tributurus, ipſum ſe ante alios ligna in pyram, quæ in cinerem redigeretur, impoſiturum. Attamen tale, tamque magnum & admirabile, & vnum inſtar omnium opus, non ita indiligenter, ac temere, & inconſulto fieri, ſed antegreſſa indagatione multa, omnique ſedulitate ad vere bonum cognoſcendum adhibita, ſic demum ea eligere oportere, quæ fidem germanam, & tutam complecti videantur. Ineptum quippe ac turpe videri, de quibuſdam fluxis & caducis conſilia agitantes, quæ & adeptis haud ingens emolumentum, & fruſtratis leue damnum pariunt, in illis nullam diligentiæ partem omittere, ne quod bonum apparet amittatur cum de cœleſtibis, & de veritate dogmatum Fidei quæſtio eſt parua tangi ſollicitudine, & fidere ſibi ſoli, perinde ac ſi ſolus ad tam ſublimem cognitionem ſis idoneus.*

*Hoc enim, hoc eſſe, vnde à primordio in Eccleſia diſſenſio manauerit. Si enim, qui primi doctrinam, quæ nunc apud Romanam Eccleſiam viget, intulerunt, non ſibi tantum arrogaſſent, neque alios vilipendiſſent, ſed in medium ab aliarum Eccleſiarum rectoribus diſcutiendam propoſuiſſent, tantum mali non vidiſſemus; neque diſtracta Chriſti membra ſibi bellum inteſtinum indixiſſent.*

*Aut enim vt pura puta ab vniuerſis, abſque refragatione accepta fuiſſet (quippe quam communis conſenſus approbaſſet) aut ſi à recto nonnihil deuia, æqualiter ab omnibus obliuioni, altoq; ſilentio mandata fuiſſet. Vetus eſt hic mos, & à primis Euangelij præconibus in pretio habitus.*

*Nam & Paulus quantumuis in tertium cœlum raptus, & arcana myſteria edoctus, Euangelium ſuum cum Apoſtolis communicauit; timens, inquit, ne in vacuum curram, annuntians quæ Deo non placent. Quin & primo ex Palæologis Imperatoribus Michaeli hic auſus non profuit: deterius enim ſchiſma, & pernicioſius diſſidium conſecutum eſt. Quare nec mihi aliquando perſuaderi patiar, vt antequam congregata Synodus Oecumenica, quæ ſecure credenda ſit diſcernat, etiam ipſe nouitates conſecter, & alios ad id cogam: idque non propter Eccleſiam, & vniuerſitatem Chriſtianorum modo, ſed & propter meipſum. Etenim ſic ſum comparatus, vt credere velim omnia, quæ commune Epiſcoporum iudicium & ſententia de fide conſtituerit: extra hoc nulli me nouitati addicam. Et cum Epiſcopos omnes, tum alios Eccleſiaſticorum dogmatum defenſores, ac patronos hoc propenſiſſime facturos opinor. Sin auctoritate imperiali compellantur, aures obturaturos, vt nec primam vocem excipiant. Quamquam nec apud vos mihi fidem habitum iri puto, ſi ita leuiter, nulloque examine dogmatis veſtris ſubſcripſero. Qui enim parum conſtanter inhæret, & paratus eſt deſerere quæ illi maiores tradiderunt, & in quibus eſt educatus, quam quæſo, teneat de recentibus fidem? Quocirca neceſſarium arbitror, ſi idem vobis probabitur, ſuper rebus adeo magni momenti Orientalium Occidentaliumque Epiſcoporum conuentum Oecumenicum celebrari. Id ſi fiat, fidelis eſt Deus, qui nos à veritate aberrare non patietur.*

*Si igitur Aſia & Europa, quemadmodum olim, in Romanorum imperio cenſerentur, apud vos Synodus cogenda eſſet. Quod cum iam fieri nequeat. (Nam & Papa huc proficiſci nequit: & mihi tam longe ab imperio diſcedere propter continentia bella, vicinoſque barbaros, & dynaſtas alios nobis vndique incumbentes, qui cum de fide nobiſcum ſentiant. tamen hoſtes ſe profitentur, non eſt facile) ſi & Patri Papæ videbitur, ad locum aliquem maritimum, in medio vtrorumque ſitum conſenſu deueniemus: ille cum Occidentis Epiſcopis, ego cum Patriarchis eorumque Epiſcopis.*

*Et in ſpe ſum, Deum benignitate ſua adducturum nos in omnem veritatem, nec permiſſurum, vt negotio infecto reuertamur. Ad extremum adiecit, ſi Papæ placeret Synodum colligi, celerrime ad ſe nuncios mitteret: qui ſe & annuiſſe illam, & de loco ac tempore, quando & vbi congregari debeant, certiorem faceret. Sibi enim ad Patriarchas alioſque Epiſcopos conuocandos mora longiore opus fore.*

*Hæc Imperator ad legationem Papæ: quæ Legati Epiſcopi vehementer approbantes, & cum antea, tum diſceſſuri, multis ab eo muneribus culti, in Italiam redierunt: ac Pontifici legationem renunciantes, multis Imperatorem laudibus prædicarunt: exarataſque à ſe ephemeridas oſtenderunt. PAPA & ipſe non ſe admodum à Synodo abhorrere profeſſus, celeriter miſit, qui ei dicerent, conſilium eius ſe valde amplecti, Conuentum Epiſcoporum ſibi eſſe in optatiſſimis. Cæterum Epiſcopos ſuos omnes in vnum congregatos, locum & tempus Synodi agendæ nominare debere.*

*Interim haud multo poſt rurſum à Papa literæ Imperatori redduntur, quibus monebatur, vt procraſtinationem Synodi negligentiæ alicui ne attribueret: Se quidem Eccleſiarum redintegrandæ concordiæ nihil anteuertendum ducere, & hoc vnum in ſumme neceſſariis numerare: bello autem maximo inter potentiſſimos regulos in Italia exorto, multiſque millibus hominum concurſuris, decere ſe inprimis, vt Patrem ſpiritualem, pacem illis & concordiam conſuadere.*

*Quo ex ſententia perfecto, nihil antiquius habiturum, quàm conſultis Epiſcopis ſuis, & tempus, & locum ei ſignificare quo conueniant, & de coniungenda ac pacificanda Eccleſia inter ſe diſſerant.*

*Tum & Imperator ex amicis Galatæ habitantibus IOANNEM ORDINIS PRÆDICATORVM ad PAPAM mittens, gratias egit liberales de propenſa voluntate ac diligentia, quam ſuper Eccleſiarum reconciliatione demonſtrabat: petijtque rurſum; ad rem eamdem incumberet, neu bellum Eccleſiæ illatum, quod tolli poſſit, per ſocordiam deſpiceret.* Cantacuzen. hiſt. lib. 4. c. 9.

XV. CANTACVZENI EA IN RE MENDACIA CONFVTANTVR.

Hæc Cantacuzenus cætera felix & magnus, hoc vno miſer & minutus, à ſchiſmaticis Epiſcopis & Monachis, præſertim à Palama & Philotheo in præceps actus, à Clemente Pontifice (quemadmodum ipſe aſſerit) flagitabat, & multa aduerſus Eccleſiam Romanam impudenter ementiebatur. Falſum ſiquidem eſt, quod ait, Latinos ſua dogmata, ab aliarum Eccleſiarum Rectoribus diſcutienda non propoſuiſſe, nimiumque ſibi, contemptis cæteris arrogaſſe. Poſt inobedientiam enim & ſchiſma (quemadmodum Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus pro Concilio Florentino cap. 5. ſect. 16. Græcis exprobrabat) Nicolaus primus Pontifex Maximus, ipſemet Conſtantinopolim Photij tempore profectus, vt tolleret ſchiſma, nihil non, verbis & ſcriptis egit. Leo quoque nonus Papa, in eamdem curam per literas & apocryſiarios diligentius incubuit.

Vrbanus ſecundus, apud Barum, cum Græcis & Latinis, circa annum Domini M. CX. Concilium de dogmatis propoſitis celebrauit, in quo ſanctus Anſelmus euidentiſſimis rationibus Græcos conuicit. Innocentius etiam III. ante centum triginta annos Laterani, Concilium conuocauit, & tum Græcis tum Latinis conſentientibus, & approbantibus & ſubſcribentibus, *ſpiritum SANCTVM à PATRE FILIOQVE procedere deffiniuit.*

Gregorius etiam decimus Lugdunum Græcos frequentes ad Concilium euocauit, & in eo conſentientibus vtriſque, dogma de proceſſione ſpiritus Sancti ex Patre & Filio deffiniuit, & à conſenſu Græcorum cantatum eſt Symbolum cum additione, *filioque*, ter Græce, ter Latine. Abſoluto Lugdunenſi Concilio, cum iterum Græci defeciſſent, iterum (vt Gennadius commemorabat) Legatos Eccleſiæ receperunt. Tunc coacta eſt Synodus Conſtantinopolitana cum Papæ Legatis, Ioannis Becci Patriarchæ Conſtantinopolitani temporibus, & vnionem amplexi ſunt ad breue tempus, obedientiam oſtendentes & pacem. Itaque cum Romana Eccleſia, dogmata omnia cum Græcis controuerſa, rectoribus aliarum Eccleſiarum in tot Conciliis propoſuerit & tandem ea de fide decreuerit, quæ omnium conſenſione recepta ſunt, potuit Cantacuzeno & Palamæ, & Philotheo, illud opponi, quod Capreolus Carthaginenſis Epiſcopus, in epiſtola ad Patres Magni Concilij Epheſini præſcribebat:

*Si quis in ea, quæ iam olim dijudicata ſunt, denuo inquirere tentauerit, is ſane aliud nihil facere cenſebitur, quam de fide quæ hactenus valuit, aperte dubitare. Vnde ad poſteritatis exemplum, tum vt ea quoque, quæ iam olim pro Catholica fide definita & conſtituta ſunt, perpetuam firmitatem obtinere valeant, oportet ea omnia inconcuſſa, immotaque conſeruare, quæ ſuperioribus temporibus à ſanctis Patribus conſtituta ſunt: quia*, vt Martianus Imperator recte ait, *Iniuriam facit iudicio reuerendiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel iudicata & recte diſpoſita reuoluere, & publice diſputare contenderit.*

Falſum quoque eſt & iſtud quod Cantacuzenus inſinuabat, cum ſcriberet; Doctrina, quæ nunc apud Romanam Eccleſiam viget; quaſi recens, & non olim, ab Apoſtolorum etiam temporibus, eam doctrinam tenuiſſet, atque adeo nouitatis accuſanda merito eſſet. Namque non ſemel, & quidem euidenter Latini demonſtrarunt, omnia dogmata de quibus Græci Latinis diem dicunt, ab Apoſtolicis temporibus ſemper in Eccleſia Romana viguiſſe, neque nudius tertius nata eſſe; vt ſunt Græcorum placita & decreta; quæ, quibus auctoribus & quando proſeminata ſint, Latini ſæpe ſæpius oſtenderunt. Vt enim tantum nominem quinque illa capita, de quibus Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus aduerſus Græcos pro Concilio Florentino accuratiſſime diſputat; ſpiritum Sanctum à Patre Filioque procedere: Purgatorium eſſe: in azymis Euchariſtiam rite & legitime celebrari; Animas iuſtorum, quibus nihil maculæ in Purgatorio expiandæ ineſt, ſtatim ab exceſſu Deum videre: Romanumque Pontificem omnium Eccleſiarum principem & caput eſſe, ſemper credidit & docuit Romana Eccleſia. Quare licet ſine Concilij decreto his dogmatis Cantacuzenus ſe addixiſſet, minime nouitates, ſed venerandam antiquitatem ſectatus fuiſſet. Cæterum maluit, ex ſchiſmaticorum genio Concilium poſtulare: quod etſi Clemens conuocaret, Græci tamen decretis illius non acquieſcerent, & ad vomitum, quemadmodum non ſemel antea reciderent. Solenne eſt ſchiſmaticis iudices petere: Sed vbi dati fuerint, à ſententia eorum alio appellare. Teſtes ſunt, vt alios non nominem, Donatiſtæ; qui controuerſiæ cum Cæcilio iudicem flagitarunt. Datus eſt à Conſtantino Imperatore Melchiades Pontifex Romanus. Abſolutus eſt Cæcilianus: damnati Donatiſtæ: Non acquieuerunt, ſed aliud tribunal, à quo etiam condemnati ſunt, quæſiuerunt. Damnari potuit pertinacia, vinci aut frangi non potuit. *Puto quod ipſe Diabolus*, inquit S. Auguſtin. epiſt. 167. *Si auctoritate iudicis quem vltro elegerat toties vinceretur, non eſſet tam impudens, vt in ea cauſa perſiſteret.* quemadmodum Cantacuzenus perſiſtebat, & ad Concilium fruſtra prouocabat: quod nimirum ex Palamæ & Philothei æqualibus vel ſimilibus, qui placentia loquerentur, & non ex Orthodoxis quos in apoſtatarum loco haberi iudicauerat, conſtare volebat. Nam & iſtud Gennadius Græcis exprobrabat: *Vos*, inquit, *Latinos tamquam à fide alienos exiſtimatis, & ab eis refugere, tamquam à facie ſerpentum ſimpliciores edocetis: idque liquido patet. Acſi quis ex Latinis videtur ſanctus, vos hunc ſalutare non vultis, imo vero maledicta ingeritis. Græcos quamuis flagitioſiſſimos & ſtultiſſimos, ſi ſolum aduerſus Latinos dicant, omnium ſanctiſſimos arbitramini: inter alios quidem multos quemdam, qui vocatur Palamas, & Epheſi Marcum, hominem nec ſatis mentis compotem, ſed tumidum ſapientiæ oſtentatorem, nulla virtute, vel ſanctitate ſubnixos: quia loquuntur ſolum & ſcribunt contra Latinos extollitis & celebratis, eorumque imagines exornatis, feſtumque agentes diem colitis, ac veluti ſanctos adoratis. Latinos vero, quamuis iampridem Eccleſia pro ſanctis colendos duxerit, vos inceſſanter blaſphematis: ita & de ſummo Pontifice facitis: nam illum omnino Chriſtianum eſſe non exiſtimatis, quia Latinus.*

Hæc Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus; Græcis ſuo tempore opprobrabat; quiſve hoc tempore Palamas fuerit indicabat. Huic tamen Cantacuzenus tantum fidebat; Et iſtud quoque temeritatis ab eo exhauſerat, vt non vereretur effutire, quod ſi Aſia & Europa quemadmodum olim in Romanorum imperio cenſerentur, Synodum cogendam eſſe apud Græcos: cum ſemper ſummi Pontificis munus eſſet, vt Synodum indicere & conuocare, ita & locum deſignare; à quo rurſus cogendo; non modo res toties diſcuſſa, diſceptata & diiudicata, ſed etiam ſumma obſtinatio, pertinacia, leuitas & arrogantia Græcorum, & ipſe etiam ſchiſmaticorum genius Clementem abſterrere debuerat, ac merito potuerat. *Cum multitudo ita confirmata & in fide defixa ſit*, inquit ſchiſmaticus Gregoras, qui hoc ipſo tempore viuebat, *vt ferri naturam facilius mutes, quam eos paululum à patriis dogmatibus abducas; quid opus eſt diſputationibus*, & Conciliis, *nihil profuturis? Vt enim & ipſe Apoſtoli verbis opportune vtar, perſuaſum habeo, neque mortem, neque vitam, neq; Angelos: neq; principatus, neq; poteſtates, neq; præſentia, neq; futura, neque altitudinem, neq; profunditatem, neq; vllam aliam creaturam poſſe populum à patriis inſtitutis & decretis abducere.* Gregoras ad finem li. 10. hiſt. Byzantinæ.

XVI. CENSVS ECCLESIÆ DEBITOS EXIGIT.

Eodem anno Clemens Pontifex, cenſum ab Areſtinis ex ducatu Ferrarien. & à Thadæo Pepulo ex vrbe Bononien. & à Rege Trinacriæ, & à Lugdunen. ac Petragoricenſib. exegit. *ep. diuerſ.* Deinde iudicibus Regis Cyprij qui Sacerdotes Græcos, & alios ſacris Ordinibus initiatos, capere & detinere non metuebant, vt ab his auſis abſtinerent, & illos Prælatis eorum Latinis relinquerent puniendos, anathemate propoſito prohibuit *ep. 275.* ſtatuta quoq; Ordinis B. Mariæ ſeruorum reformauit. *ep. 637.*

XVII. DE VITA ET MIRACVLIS B. PEREGRINI ORD. SERVORVM.

Floruit per id temporis in eo Ordine, B. Peregrinus Confeſſor. Is Foroliuij ex Latioſa familia natus, cum adoleſcens quadam die in maiore Eccleſia ante Deiparæ Virginis, cui maxime deuotus erat, imaginem, vt vias ſuas dirigeret, oraret, illam pretioſis veſtibus indutam, ſibi vt ad ſeruos ſuos ſe conferret, præcipientem audiuit. Quare confeſtim Senas Angelo comite profectus, à Priore Seruorum, viſione & mandato SS. Virginis expoſitis, ad Ordinem receptus eſt: ſplendore quodam cœleſti, quo eius futura ſanctitas monſtrabatur, caput circumfulgente. Annos natus xxx. Foroliuiumque remiſſus, aſſiduis laboribus, vigiliis, ieiuniis, precibus, aliiſque corporis macerationibus operam dedit. Illud mirandum, numquam per annos 30 ſedit; ſaxo pro cubili, ſi ſomno aut laſſitudine victus ſtare non poſſet vſus eſt: nec vnquam in lecto, etiam infirmus decubuit. Noctes fere omnes inſomnes in orationibus & meditationibus duxit. Nulla die examen conſcientiæ & ſacramentalem confeſſionem prætermiſit, adhibito etiam lachrymarum profluuio.

Admirabili quoq; patientia fuit. Nam cum crus ſibi ex ſacro morbo putrefactum dolorem maximum afferret, ſic abſq; querimonia fuit, vt ciues illum alterum Iobum appellarent.

Quod crus cum ex medicorum conſilio amputandum eſſet, Peregrinus noctu ex loco in quo iacebat in Capitulum reptans, atq; ante imaginem Crucifixi (quæ





adhuc apud Foroliuienſes venerationem habet) orans obdormiuit atque Chriſtum de Cruce deſcendentem, & crus ſibi tangentem vidit. quod expergefactus ita perſanatum ſenſit, ac ſi nunquam putruiſſet. Tandem octuagenarius piis laboribus, ætateque confectus, febribus correptus, ipſis Calend. Maij anno ſalut. 1345. in cœlos euolauit, Beato Philippo, (qui ei ingrediendæ religionis occaſionem nonnullam dederat) & Beato Franciſco Senenſi comitantibus. Poſt mortem multis claruit miraculis; in quibus cæcus, Peregrino (cum ſepulchro inferendus eſſet) ex feretro manum oculis illius admouente lumen recepit: mulier multis dæmonibus obſeſſa, ad ſacrum eius cadauer perducta liberata eſt. Quidam etiam ex arbore procera delapſus Peregrini nomine inuocato, abſque læſione decidit. Foroliuienſes & alij finitimi populi ad eum venerandum Calendis Maij confluunt; PAVLVS vero V. Pontifex Maximus vt illius officium propriis lectionibus à ſacra Rituum Congregatione anno Domini 1609. approbatis recitaretur, dato diplomate XVIII. Calend. Maij eiuſdem anni indulſit. Nicolaus Burgeſius Patricius Senenſis vitam illius ex fide ſcripſit. *Philippus Ferar. in Cathal. SS. Italiæ.*

Hæc eſt vita B. Peregrini, in lectiones officij matutini, probante Paulo V. diducta.

Peregrinus Foroliuij ex nobili Latioſorum familia ortus, Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ deuotus, quadam die in Eccleſia Cathedrali ante illius imaginem diutius orans & petens, vt vias ſuas dirigeret, eam pretioſis veſtibus indutam, ſibi, vt ad ſeruos ſuos ſe conferret, præcipientem audiuit.

Quare Adoleſcens Angelo comite Senas profectus, Priori Seruorum viſionem, mandatumque Virginis expoſuit, ac recipi humiliter poſtulauit. In receptione ſplendore quodam cœleſti, quo futura ſanctitas eius præmonſtrabatur, caput illius circumfulſit. Triginta annos natus, Foroliuium remiſſus, vbi diu laboribus, vigiliis, ieiuniis, orationibus, variiſque corporis macerationibus exercitam vitam duxit. Nunquam (mirandum) per annos triginta ſedere viſus; at ſi quando ſomno, aut laſſitudine victus ſtare non poſſet, ſaxo pro ſede vtebatur. Nunquam in lecto neque infirmus decubuit; noctes fere omnes inſomnes in orationibus, & piis meditationibus ducere ſolitus. Nulla die conſcientiæ examine, & ſacramentali confeſſione prætermiſſis, peccata lachrymis etiam exterioribus deflebat.

Admirabili fuit patientia. Nam cum crus ex cancri morbo intumuiſſet, atque putredine adeo eſſet infectum, vt fœtorem omnibus inferret, ſic tamen abſque omni querimonia ſemper fuit, vt ciues illum alterum Iob appellarent. Cum autem crus illud medicorum conſilio amputandum eſſet, Peregrinus nocte præcedente ſolus ex loco, in quo iacebat, ſurgens, & reptans, vt poterat, in capitulum venit, ibique ante Crucifixi imaginem (quæ adhuc manet, & magnam habet apud Foroliuienſes venerationem) vehementius orans, & obdormiſcens, Chriſtum de Cruce deſcendentem, & crus tangentem vidit. Expergefactus, ita crus ſanatum ſenſit, ac ſi numquam tumidum, vlceratum, putridumve fuiſſet. Medici vero mane, vt crus ſecarent aduenientes, cum illud ſanum vidiſſent, ſtupore affecti, domum, tanto miraculo per Vrbem diuulgato, regreſſi ſunt.

Peregrinus piis laboribus, ac ætate confectus (erat enim octogenarius) breui febre correptus, Calendis Maij, anno ſalut. 1345. migrauit ad Chriſtum; cuius animam B. Philippo Ord. Seruorum B. Mariæ Virginis (qui, vt ipſe Religionem ingrederetur, dux fuerat) & B. Franciſco Senenſi eiuſdem Ordinis comitantibus, à Virginibus in cœlum deferri viſam, memoriæ proditum eſt.

Multa poſt mortem miracula ſanctitatem ipſius declararunt. In quibus cæcus, Peregrino manum ex feretro oculis illius admouente, lumen recepit. Mulier etiam multis obſeſſa Dæmonibus, ad ſacrum corpus ipſius perducta, liberata eſt. Quidam ex arbore procera in terram delapſus, Peregrini nomine inuocato, ſine vlla læſione repertus fuit. Ad cuius tumulum Cal. Maij non tantum Ciuitas Foroliuienſis, ſed & finitimi populi quotannis ad illum venerandum confluere, votaque ei nuncupare ſolent.

Quibus omnibus & ſingulis cognitis & approbatis, Paulus Quintus Summus Pontifex, anno milleſimo ſexcenteſimo nono conceſſit, vt Officium Diuinum in toto Seruorum Ordine recitari poſſit.

XVIII. MIRACVLA ET OBITVS B. GERHARDI VALENTINI ORDIN. FRANCISCAN.

Apud Franciſcanos quoque Panormitanos, rebus humanis exemptus eſt hoc anno, Gerhardus Valentinus vir inſigni ſanctitate. Is Valentiæ oppido Liguræ (quod olim Forum Fuluij appellatum eſt) natus cum quatuordecim annorum iuuenis, à propinquis vt vxorem acciperet moneretur, patria relicta in ſolitudinem prope vrbem Romanam abiit, ibique mira abſtinentia Deo inſeruiit.

Quod cum & apud Neapolim feciſſet in Siciliam profectus, ibi in monte Eryce vſque ad annos plures ſolitarius vixit. Inde in Ordinem Minorum quadragenarius cooptatus, mirum in modum, in obedientia, humilitate & cæteris virtutibus profecit. Randacij culinæ præpoſitus, cum orationis dulcedini intentus, in die Reſurrectionis Dominicæ cibos Fratribus parare oblitus eſſet, ab Angelis paratum prandium repertum fuit: cum is excuſans Dominum prouiſurum dixiſſet. Panormi vitream ampullam à nouitio Miſſæ inſeruiente fractam, integritati reſtituit. quod etiam præſtitit, cum coram Guardiano ciathus quo ægrotis potum miniſtrabat, in terram ſibi decidens confractus fuiſſet, & cum puer amphoram plenam vino fregiſſet. Lymphatos autem præcipue, morbiſque aliis oppreſſos, adhuc viuens curauit.

Fratrem Ioannem Cathanenſem calculo laborantem ſua oratione ad ſanitatem reſtituit. Henricum de Abbatibus, Iuſtitiarum ciuitatis Panormi, infirmum ad mortem, à morte liberauit. Comitiſſam Panormitanam doloribus partus vexatam, ſanitati ſuis precibus reſtituit. Petrum Antiochenſem Regis Siciliæ Cancellarium, à grauiſſima ægritudine precibus curauit.

Ad inuocationem S. Ludouici, cuius ipſe præcipuus cultor fuit, mira quædam circa ægrotos operatus eſt. Spiritu Prophetico clarus, multa euentura prædixit. Panormi maior ſeptuagenario, meritis & ætate grauis die 29. Decembris exceſſit. In eius obitu, cum de more campanæ pulſarentur, ruptis funibus, ſonitum edere non ceſſarunt: & ex illius corpore ſuauiſſimus odor efflabatur, tota pene ciuitate ad rei nouitatem confluente; ſanatis quamplurimis ægrotis ad eius contactum. In ſacello S. Ludouici ſepulturæ traditus, innumeros dæmoniacos per tempora liberauit. quin & Piſis Diana annos triginta nata, & 16. annis à Dæmone obſeſſa, cum permiſſione diuina ante imaginem illius aliquantum in oratione perſeueraſſet, infra Octauam Apoſtolorum Petri & Pauli fuit liberata. *hiſt. Franciſcan. p. 2. li. 9 & Thoſingn. hiſt. Seraph. relig. lib. 1.*

Par huic profeſſione & ſanctitate Algothus, cuius vitam mihi tranſmiſit Ioann. Vaſtouius Prodnicen. Præpoſitus, Regis Poloniæ Sigiſmundi III. Capel. quæ ita habet.

*Vita B. Algothi Ord. S. Franciſc.*

Algothus bonam à Deo ſortitus animam, à puero pietatem cum literis auidiſſime imbibit, & poſtquam humanioribus excultus fuiſſet, Lutetiam Pariſiorum ad ſolidiora ſtudia ſeſe contulit, ibique partim Philoſophicis, partim Theologicis tamdiu operam dedit commentationibus, donec Doctoris in ſacra Theologia inſigne mereretur. Inde poſtmodum rediens tam amplo literarum ditatus talento, Deo inſeruire diſpoſuit ſtatimque ſeculo renuncians, habitum ſuſcepit Franciſcanum.

Quare liberior in ſeruitiis diuinis factus, bonis operibus perpetuo erat intentus, vt malignus Spiritus hoſtis humani generis perpetuus eum ſemper occupatum inueniret; caſtitatis fuit per quam ſtudioſus, obedientiæ ſanctæ conſtanter addictus, paupertate & humilitate facile omnes anteibat; concionibus quoque ad populum frequentibus mirifice incendit corda auditorum & animos ad pietatem commouit. Erant enim verba illius ſpiritu plena interiora animi penetrantia. Porro cum vbique, tum Scaris, vbi monaſterij Priorem egit magna doctrinæ ac ſanctitatis ſuæ reliquit monumenta, donec laboribus feſſus, tribus ante mortem annis cæcitate ad meritorum cumulum maiorem & patientiæ præmium vberius percuſſus, & graui dolore calculi preſſus, fine quieuit beato. Aderat tunc Scaris B. Birgitta, & Deum præpotentem ſolicite precabatur pro Algotho vt ſanaretur. Orando autem audiuit in ſpiritu reſponſum tale. Ipſe eſt ſtella quædam fulgida, non expedit vt fuligine vitæ mortalis denigretur eius anima. Iam enim certamen certauit, & curſum conſummauit, & nihil reſtat, niſi vt coronetur. Et hoc erit tibi ſignum, quod ab iſta hora alleuiabuntur dolores carnis; verum anima ardentiori inflammabitur charitate mea. Deinde ad animam conuerſa vox: *Veni electa mea in gaudium quod deſideraſti: veni ad dulcedinem quæ nunquam finietur, perfruendam, fonte vitæ inebriaberis, cuius riuulos tantopere ſitiuiſti.* Quę dum cupide audiret beatus Spiritus corporeis exolutus vinculis, ſuperorum choris eſt inſertus. Obiit autem anno poſt Chriſtum natum 1345. *De eo lib. 6. Reuel. S. Birgittæ, c. 31.*

XX.

Hoc anno Ioannes de Monteforti in Galliis, impos mentis, vita exceſſit, apparentibus illi in ipſo exceſſu dæmonibus. Tanta ſiquidem coruorum turba ædibus morientis inſedit, quantam eſſe in Gallia nemo iudicaſſet. Non nemo coniiciebat, à Deo, ſcelerum vltore immiſſos ad intercipiendam animam illius, qui ſe multis peccatis dignum fecerat gehenna. *Guagnin. libro octauo.*

XXI. OBITVS B. IACOBI GERII ORDINIS CAMALDVLIN.

Pariter hoc anno numerum cælitum auxit, Iacobus Gerius Diui Romualdi inſtitutum apud Camaldulim Florentinam profeſſus. In hydropem ex nimio viuendi rigore cum incidiſſet, tanta patientia decubuit, vt *Tobiæ & Iob nomine audiret* Nemini moleſtus; à nemine quicquam requirens, ſed ad oppoſita quæque illud reponens; *omnia bona ſunt: omnia accommoda: omnia ex charitate prolata.*

Quinta dies Auguſti extrema ei fuit: in qua cœlos conſcendentem eius animam Angeli comitati, ſe videndos Silueſtro & Paulæ Camaldulenſibus, exhibuerunt: cum etiam cadauer exangue & luridum, colorem roſeum recepiſſet. *ex hiſt. Camaldulen.*

XXII. VITA B. GERECHINI ORD. CISTER.

Eodem anno in cœlos emigrauit Gerechinus ordinem Ciſtercien. profeſſus. Eius vitam lege ex ea quam mihi tranſmiſit idem Ioannes Vaſtouius Sigiſmundi III. Poloniæ & Sueciæ Regis Bibliothecarius, quæ ita habet.

Gerechinus in ipſo ætatis flore ſpreto mundi huius luxu Aluaſtrenſ. monaſterium Ord. Ciſter. ingreſſus eſt. Eum multa gratia & benediction. dulcedine præuenit Dom. & ad tantam mentis ſublimitatem euexit, vt vita eius fuerit ſemper ſpeculum innocentiæ ac ſanctitatis: In cuius anima videbatur reſplendere quædam imago diuinæ bonitatis. Quadraginta integros annos nunquã extra monaſterij ſepta quoquam prodiit, ſed diebus ac noctibus orationibus deditus hanc gratiam ſingularem à Deo obtinuerat, vt nouem choros Angelorum quaſi continue in oratione videret & in eleuatione ſacroſanctæ hoſtiæ Chriſtum in ſpecie pueri ſibi dicentem. *Ego ſum filius Dei & filius virginis* ſæpius audiret. Humilitatis & obedientiæ ſtudioſiſſimus fuit, cuius illud præclarum ſpecimen edidit. Præceperat ei aliquando Abbas, vt eos qui in piſtrino laborabant adiuuaret. Ipſe artis piſtoriæ ignarus imaginem quandam B. V. Mariæ in pariete depictam more ſolito venerando ſic affatus eſt. *Domina mea chariſſima D. Abbas præcepit vt vna cum piſtoribus laborem, tu autem ſcis me prorſus in ea arte rudem eſſe; veruntamen iuxta voluntatem tuam facere ſum paratus quod mihi ſuggeſſeris.* Cui imago, *fac quod hucuſque feceras & ego pro te ſeruiam in piſtrino.*

Abiit ille ad locum conſuetum, orareque perrexit cum interim viſa ſit alia perſona, Gerechini ſpeciem præ ſe ferens miniſtraſſe, ipſe vero ſub idem tempus fixus in oratione deprehenſus in Eccleſia. Venerat aliquando ad illud monaſterium D. Birgitta ſpirituales collectura flores, tunc miratus Gerechinus & zelo regulæ ac ſanctitatis tactus dixit in corde ſuo. *Quid agit iſta Domina in monaſterio monachorum, quid contra Regulam noſtram nouam eſt auſa inducere conſuetudinem?* Quem dubietatis ſcrupulum viſione tali diſpellere voluit Dominus. Vidit enim D. Birgittam in ſublime elatam, & de ore eius flumen egrediens. Ipſe vero mentali oratione abſorptus vocem diuinitus factam audiuit. *Hæc eſt mulier, quæ à finibus terræ veniens propinabit innumerabilibus gentibus ſapientiam. Et hoc erit tibi ſignum quod ipſa diuinitus edocta, dictura eſt tibi finem vitæ tuæ & exultabis in verbis & aduentu eius, & complebitur citius deſiderium tuum, ne videas mala, quæ inducturus eſt Deus ſuper hanc Domum.*

Gerechinus igitur per eam certior de obitu ſuo factus, maiorem quam alias de ipſa opinionem concepit, & quod ab ea didicerat, fratribus communicauit; Interea domui ſuæ diſpoſuit, cupiebatque diſſolui & eſſe cum Chriſto, iam iamque moriturus auream vidit ſcripturam tribus duntaxat comprehenſam literis *P. O. &* T. eamque adſtantibus interpretatus, dixit: Veniendum mihi & feſtinandum, non tamen ſoli, trium comitatu gaudebo; Petrum Olaum & Tordonem hæ denotant literæ; quibus vocatis anima illa ſanctiſſima carnis ſoluta vinculis tranſuolauit. Illi vero confratres nominati, intra octiduum omnes per mortem in vitam ſempiternam Gerechinum ſubſecuti, Ann. ſalutis 1345. *De eo lib. 4. Reuel. S. Birgittæ c. 121. Extrau. c. 55. & in vita S. Birgitt.*

XXIII. LECTIO THEOLOGICA SEDIS VALENTINÆ ASSIGNATVR ORDINI PRÆDICAT.

Hoc anno Raymundus Gaſton. Valentinus in Aragonia Epiſcopus, Tarraconenſis Eccleſiæ Metropolitanæ exemplo, Lectorem Theologum perpetuum ex Ordine Prædicatorum eſſe voluit, & iſtud diploma quod adiungo dedit, dignum quod pro gloria eius inſtituti & Eccleſiæ Valentinæ legatur. Ita habet.

In nomine Domini Amen. Anno Domini 1345. die quæ fuit 3. Calend. Aprilis, nos Raymundus miſeratione diuina Valentinus Epiſcopus, & Capitulares, ſeptimana Paſchali Capitulum vt moris eſt generale facientes, in Sacriſtia eiuſdem ſedis congregati, in quo Capitulo omnes res communes Capituli tractantur, & fiunt abſque conuentione Canonicorum abſentium, attendentes & conſiderantes, quod viri litterati fulgere debent in Eccleſia militante; ideo ad inſtar Metropolitanæ Eccleſiæ Tarraconenſis, cum voluntate & conſenſu Reuerendorum Patrum Dominorum Imberti & Gocij Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Præpoſitorum in dicta Eccleſia Valentina, de quorum conſenſu nobis conſtitit per literas eorum, prouide duximus ſtatuendum: quod de cætero ſit in Valentina ſede perpetuo vnus Lector in Theologia Religionis approbatæ. qui legat ſacram in ipſa ſede Theologiam annis ſingulis, Canonicis, Rectoribus, & aliis Clericis ac laicis, qui dictam ſcientiam audire voluerint, & inſtrui in eadem.

Cui Lectori dentur pro ſuo labore per nos Epiſcopum, & ſucceſſores noſtros annis ſingulis duodecim libræ Regalium, & per quemlibet Præpoſitum viginti ſolidi dictæ monetæ in quolibet menſe.

Et quia aliqui prædeceſſores noſtri Epiſcopi, recepto habitu Ordinis Fratrum Prædicatorum, ſub ipſo habitu laudabiliter vixerunt, & dies finierunt cum





* Fr. Andr. Albalatius & Fr. Raymundus de Ponte.

eo; ex quo tenemur ipſum Ordinem proſequi gratijs & fauore; ideo nos & Capitulum prædictum ſtatuimus & ordinamus, quod Lector qui dictam ſcientiam in dicta ſede leget, ſit perpetuo ordinis Prædicatorum, & ipſum officium Lectoratus dicto Ordini ex certa ſcientia aſſignamus. Sub tali tamen conditione, quod ipſe ordo, ſeu ille ad quem pertinebit ponere & aſſignare, teneatur in Lectorem perſonam ſui ordinis ſufficientem & idoneam, ad cognitionem noſtram Epiſcopi & ſucceſſorum noſtrorum & Capituli prædictorum. In quorum omnium teſtimonium præſentem ordinationem ſigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari. quod fuit actum die, & anno, & loco præfixis. *Franciſ. Diagus in hiſt. Aragon. Ord. Præd.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1346.

### CLEMENTIS PAPÆ VI. ANNO 5. Caroli IV. Reg. Roman. Anno I.

I. CLEMENS IN LVDOVICVM ANATHEMA GRAVISSIMVM STRINGIT ET IMP. PRIVVM IVDICAT.

NON amplius ferendum ſibi Clemens Pontifex, Ludouicum Bauarum putauit, qui cum Germaniam diro ſchiſmate, ferro & cædibus fœdaſſet, Italiam quoque inficere, & miſcere properabat. Tridenti in faucibus alpium ſubſidens, per factiones Principum Italiæ, ad Imperium ſibi iter parabat, & Pontificijs vltimam internecionem circumferebat, necquicquam monentem Pontificem rectaque ſuadentem audire amplius volebat. Itaque Pontifex ad diem Cœnæ Dominicæ, pro Concione, in coram vniuerſo Patrum purpuratorum collegio & innumera populi multitudine, cum primum væſaniam in peius ruentis deploraſſet, anathema grauiſſimum, in illum hæreſis & ſchiſmatis reum ſtrinxit. Imperialibus inſigniis & iuribus quę vſurpabat priuum fecit, & indignum quacumq; dignitate in poſterum iudicauit, atque fidelitatis ſacramento omnes qui ſe ei aſtrinxerant, exſoluit.

LEGATOS AD ELECTORES DESTINAT.

Legatos deinde Apoſtolicos & litteras ad Principes Electores Imperij deſtinauit, qui eos per amorem Matris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & per omnia ſacratiora interpellarent, ne amplius Ludouico hæretico & ſchiſmatico adhærerent, ſed profanum deſererent, & alium Regem Romanorum ac Imperatorem, propter ſalutem animarum quotidie pereuntium, & propter tutelam Eccleſiæ in dies magis ac magis periclitantis deſignarent. Diem quoque Clemens Pontifex Electoribus præſcripſit, quo niſi mandatis ſuis obtemperarent, ille & Sedes Apoſtolica, à qua ius & poteſtas electionis Imperatorum ad Principes peruenit, ex mente ſacri Concilii Imperatorem deligeret.

II. CRIMINA QVORVM PONT. LVDOVICVM ACCVSABAT.

Crimina quorum Pontifex Ludouicum accuſabat, erant iſta grauiora, pro concione euulgata. Primum hæreſis. *Ipſe enim (inquit Clemens) aſſeruit determinationem de paupertate Chriſti & Apoſtolorum per Ioannem XXII. factam eſſe hæreticam, & iurauit ſe credere contrarium.*

*Item aſſeruit: Ad imperatorem pertinere, deponere Papam & inſtituere.*

*Item citatus ſuper hæreſi, noluit comparere, neque ſatisfacere Eccleſiæ.*

*Item propter contumaciam anathemate percuſſus, fere toto decennio in execratione voluit ſordeſcere.*

*Item, IOANNEM de Ianduno hæreſiarcham ſecum in aula tenuit.*

*Item Epiſcopos conſtituit, interdictum Eccleſiaſticum violat, & illos qui nolunt violare, de ſacerdotiis expellit: pro arbitrio ſuo ſacerdotia confert: & omnes Clericos quos Pontificis ſententiam ſequi cognoſcit, à dignitate & officiis deturbat: Matrimonia in facie Eccleſiæ ſolemnizata, contra iura Eccleſiaſtica, & poteſtatem ſoli ſummo Pontifici conceſſam ſeparat: & inter conſanguineos affineſque, in gradibus prohibitis coniungit. Præterea contra diuinam inſtitutionem, alia quædam in contrahendis dirimendiſque Matrimoniis perpetrauit: & idolum in Eccleſia Dei, id eſt antipapam conſtituit, & legitime creatum ſummum Pontificem IOANNEM XXII. de facto depoſuit: necnon periurio, fidei violatione, rapinis, & cædibus ſe commaculauit; adeoque dignum ſe iuſta Pontificia caſtigatione conſtituit.*

Eodem tempore Clemens, Carolum Marchionem Morauiæ, & patrem eius IOANNEM Regem Boemiæ Auinionem euocauit. Et de Carolo ad Imperium euehendo, cum Patribus deliberauit: ſi modo is nonnulla ex re Reipublicæ Chriſtianæ in ſe reciperet. Ibi Carolus in conſeſſu publico Patrum, Pontifici & Romanæ Eccleſiæ, ſpopondit, ſi aliquando benignitate Apoſtolicæ Sedis ad Imperialem dignitatem eueheretur, reſcinderet omnia ab Henr. auo Imperatore contra Robertum Siciliæ Regem, & contra Florentinos, Senenſ. nonnulloſque ciues Romanos acta, & quatenus opus foret, Pontifici & Sedi Apoſtolicæ omnes prædictos proceſſus factos, abrogandi poteſtatem fecit. Item omnes diſcordias inter Imperium & Regem Galliarum vertentes, arbitrio Pontificis permiſit, necnon auxilia Clementi & Romanæ Eccleſiæ aduerſus Ludouicum Bauarum pollicitus eſt. Inſuper omnia facere, concedere, præſtare, & confirmare Sedi Apoſtolicæ, omnia facta conceſſa, præſtita, & confirmata per Ottones, Carolos, Pipinum, & Henricum Imperatorem, auum ſuum; necnon omnes proceſſus factos per quondam Ludouicum de Bauaria Imperatorem nominatum, contra quoſcumque reuocare & annullare; dominia Apoſtolicæ Sedis intra & extra Italiam non inuadere, nec turbare, ſed conſeruare, defendere, amiſſa recuperare, & libertatem Eccleſiaſticam integre ſeruare: populos Italiæ ad iuramentum Eccleſiæ Romanæ præſtandum compellere, Reges vel Mandatarios Eccleſiæ non recipere: nec vrbem Romam ante diem præfixum ad diadema recipiendum intrare. Item omnia fidelitatis iuramenta, ſi quæ hactenus præſtita fuerunt per ciuitates ſubditas Romanæ Eccleſiæ miniſtris Imperialibus relaxare; ac omnia illa generaliter facere & præſtare quæ recens electi Romanorum Reges, Apoſtolicæ Sedi facere & præſtare tenentur, promiſit: etiam dato diplomate confirmauit Auinioni die 22. Aprilis Anno 1346. quæ omnia Ioannes Rex Boemiæ Caroli pater, in coram tunc iureiurando, tum datis literis pariter ſpopondit. Ad eum modum Clemens, cum Carolum fore Eccleſiaſticæ libertatis defenſorẽ in maxima ſpe haberet Duci Auſtriæ, Rodolpho Duci Saxoniæ, Friderico Marchioni Miſnen. Ruperto, Rodolpho & Adolpho Comitib. Palatinis Rheni, Ducibus Bauariæ, & Principibus Electorib. Imperii, nec non omnib. Prælatis, Procerib. Ciuitatibuſque Germaniæ, Imperij depoſitionem Ludouici ſignificauit, & Carolum Marchionem commendauit; nec non Aconen. Epiſcopo vt Balduinum Archiepiſcopum Treueren. Balduino vero vt reliquos Coelectores ab omnibus cenſuris Eccleſiaſticis per communicationem cum Ludouico abſolueret permiſit. epiſt. Clem. 1025. 1033. 1037. 1042. 1089. 1093. 1094.

III. CONCORDATA INTER CLEM. ET MARCHIONEM MORAVIÆ IN IMP. ELIGENDVM.

VI. MOGVNTINVM SVBMOVET ET ALIVM SVBSTITVIT CLEMENS.

Henricum autem Viernbergium, quod Ludouico author & complex rebellionis & aliorum criminum eſſet, Archiepiſcopatu Moguntino ſummouit, & in locum eius Gerlacum Naſſouium Archiepiſcopum ſubrogauit. Iſta pro concione enumeratis facinoribus Henrici, poſt eius damnationem Clemens dicebat, cum deſignaret Gerlacum: & ne dicta Eccleſia incommoda ſuæ viduationis deploret, authoritate Dei Omnipotentis, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius & noſtra de conſilio Fratrum noſtrorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Gerlacum filium Comitis de Naſſau Capellanum noſtrum, Decanum dictæ Eccleſiæ præficimus Archiepiſc. vt cum principibus ſedeat & ſolium gloriæ teneat.

Hæc omnia cum & fama ſparſiſſet, & legati Apoſtolici per Germaniam diuulgaſſent, multi Epiſcoporum & Procerum à Ludouico deſciuerunt, & cum Pontifice in gratiam redierunt: quod eos & longa odioſaque diſcordia fatigaſſet, & terror conſcientiarum ſapere docuiſſet, & benignitas Pontificia ad reuertendum inuitaſſet. Itaque non amplius differendum exiſtimantes, auctoritate Apoſtolica à Gerlaco Moguntinen. Archiepiſc. Sedis Apoſt. Legato euocati ad diem Mercurij quæ erat II. Iulij poſt feſtiuitatem Diuæ Margaritæ, apud Renſium (quod Francofurtum in poteſtate Ludouici teneretur) oppidum, frequentes conuenerunt, cauſa eligendi alium Imperatorem & Regem Romanorum. Ex Electorib. fuerunt Balduinus Lucemburgicus Treueren. Vualframus de Iuliaco Colonienſ. Gerlaccus Naſſouius Moguntinenſ. Archiepiſcopi, Rudolphus Dux Saxoniæ, & Ioannes Rex Boemiæ. Hi communibus ſuffragiis, ſuaſu & authoritate Romani pontificis, deſignarunt Regem & Imperatorem Romanorum filium Regis Boemiæ, Carolum Marchionem Morauiæ Balduini Treuerenſ. Henrici VII. Imper. fratris Nepotem.

ELIGITVR IN IMP. CAROL. MARCH. MORAV.

V. LEGATIO CAROLI IMP. AD PONT.

Statim atque is electus eſt, Erneſtum Archiepiſcopum Pragenſ. Ademarum Valentin. Amadeum Gebennen. Comites & Ludouicum de Sabaudia, Gancherium de Monelio, Ioannem de Aſpromonte conſanguineos ſuos, nec non alios complures Legatos Auinionem ad Sedem Apoſtolicam deſtinauit, qui ex formula præſcripta Clementi Pontifici & Romanæ Eccleſiæ, nomine Caroli electi Sacramentum dixerunt & iura omnia, libertates, & immunitates Eccleſiaſticas, exemplo ſuperiorum Regum & Imperatorum probarunt, & priuilegio ſcripto ſignatoque confirmarunt, & quantum opus foret innouarent: tum deinde vnctionem, conſecrationem, & Romani Imperij diadema, ex manibus Pontificiis electo impertiri poſtularunt. Auinioni die vltima Iulij.

VII. CLEMENS POST IVRAMENTA DEBITA PER CAROLVM PETITAM EIVS ELECTIONEM PROBAT.

Miſit deinde Clemens Iſembardum Apoſtolicum Prothonotarium ad Carolum, qui in eius manibus iureiurando interpoſito promiſit: Si quando contingeret, electionem ſuam per Sedem Apoſtolicam confirmari, faceret & promitteret omnia iuramenta, obedientias, conceſſiones & donationes, & alia, quæ quondam Henricus Imperator auus ſuus fecit & præſtitit Sedi Apoſtoli. Procuratores deinde alios vltima die Septembris ad Sedem Apoſtolicam ire iuſſit, qui eius nomine & literis hæc omnia quæ ipſe coram Iſembardo pollicitus fuerat, dicerent & ſignarent. Hos cum Clemens publice audiuiſſet & diplomata confirmationis accepiſſet, ad VIII. Idus Nouembris probauit, &c. Probauit electionem Caroli, calculis omnium S.R.E. Cardinalium laudatam. Et cum defectus quoque, ſi qui forte in eam irrepſerant, de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ ſuppleuiſſet; Carolumque pro concione illuſtriſſimis elogiis ornaſſet, vnctionem, conſecrationem, & coronationem Imperialis diadematis, opportuno loco & tempore illi dare decreuit, omnibusq; Imperij & Regni Romanorum Principibus & ſubditis; vt ei tanquam Regi in Imperatorem Romanorum promouendo, ſecundum Deum & iura obtemperarent imperauit tutelamque Eccleſiarum omnium, & inprimis Romanæ illi commendauit. *Epiſt. 27. 56. 268. 290. 738. 1166.*

VIII. MITTIT QVI A CAROLO SACRAMENTVM AVDIRET A REGIBVS ROM. ANTE ET POST INAVGVRATIONEM PRÆSTARI CONSVETVM.

Miſit deinde Geraldum de Magnaco Archidiaconum de Batteſio in Eccleſia Conſtantienſ. Apoſtolicæ Sedis Capellanum, qui ſacramentum à Carolo audiret præſtari conſuetum à Regibus Romanorum ante & poſt inaugurationem. epiſt. 29. & 1069. Iſtud eſt diploma confirmationis electionis.

IX. DIPLOMA PONTIF. CONFIRMATIONIS ELECTIONIS CAROLI IN REGEM ROMAN.

*Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Caroli Regi Romanorum Illuſtri ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Romanus Pontifex, cui Rex æternus & ſummus, in perſona B. Petri Apoſtoli æterni vice clauigeri, cœleſtis ſimul & terreni iura Imperij, & plenitudinem poteſtatis conceſſit, ſuper cunctos fideles ſuæ curæ commiſſos, conſiderans & intendens circa ea quæ fidelibus ipſis ampliora pacis & iuſtitiæ offerre commoda exiſtimat, tanto diligentiorib. ſe tenetur impendere ſtudijs quanto ad hoc iniunctæ deſuper Apoſtolicæ ſeruitutis officium ipſum ſtimulat & perurget. Et quia regnantium recte ordinata regimina nutrire conſueuerunt iuſtitiam & Chriſtiano populo pacem dare, Pontificis eiuſdem authoritas cui dictum legimus à Domino per Prophetam: Ecce conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna vt euellas, deſtruas, diſperdas & diſſipes, ædifices & plantes ad erigenda & dirigenda huiuſmodi regimina, prout ad ſuam ſpectat ſollicitudinem, nequaquam debet tepeſcere, ſed potius operoſas apponere, cum expedire conſpicit manus ſuas.*

*Sane dudum Imperio Romano, per obitum claræ memoriæ Henrici vltimi Roman. Imperatoris vacante, duo videlicet Fridericus quondam Auſtriæ, & Ludouicus tunc Bauariæ, Duces, in Regem Romanorum in diſcordia electi, vt dicitur, extiterunt: denique Friderico prædicto humanis rebus exempto, Ludouicus prædictus, propter ipſius exceſſus, culpas, crimina, & alia demerita deteſtanda, quaſi totum diuulgata per orbem, per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædeceſſorem noſtrum, de Fratrum ſuorum conſilio extiterit omni iure, ſi quod eidem Ludouico ad Regnum vel Imperium Rom. ex electione diſcordi prædicta, vel alias competere poterat quoquo modo, iudicio iuſto priuatus, & ſubſequenter de hæreſi & ſchiſmate ſententialiter condemnatus. Nos autem poſtmodum licet inſufficientibus meritis ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, attendentes quod ex his Regnum & Imperium prædicta diu vacauerant & vacabant: & ob hoc ſancta Romana mater Eccleſia per longa tempora ſuo caruerat & carebat ſpeciali Aduocato & legitimo defenſore, in Catholicæ Fidei, & eiuſdem Romanæ ac Eccleſiarum aliarum, & libertatis Eccleſiaſticæ reique publicæ grande præiudicium, multiplex detrimentum, & multarum periculum animarum: ac huiuſmodi diſcordiis & periculis quæ tollerare ſalua conſcientia non poteramus, vlterius occurrere paternæ ſollicitudinis ſtudiis cupientes, Principes tam Eccleſiaſticos quam Seculares, ad quos ius eligendi Regem Romanorum & Imperatorem poſtmodum promouendum pertinebat, Apoſtolica authoritate monuimus, eis diſtrictius iniungentes, vt pro electione Regis Romanorum & Imperatoris vt prædicitur promouendi, de Perſona idonea facienda conuenirent inuicem, & ad electionem huiuſmodi procedere non differrent, alioquin Apoſtolica Sedes, à qua ius & poteſtatem huiuſmodi electionis ad principes peruenisse conſtat, ſuper hoc de opportuno remedio prouideret. Præfati vero Principes ſalutaribus noſtris monitis huiuſmodi deuota ſe promptitudine conformantes, a certis die & loco pro electione huiuſmodi celebranda, illi videlicet qui debuerunt, potuerunt, & voluerunt intereſſe conuenientes in vnum poſt diligentem deliberationem & tractatus, prout tanti magnitudo negotij requirebat habitos inter eos, te Marchionem Morauiæ, nunc etiam Regem Boemiæ, in Regem, promouendum poſtmodum in Imperatorem Romanorum vnanimiter & concorditer elegerunt: Tuque deliberatione præhabita ſuper hoc, ad inſtantiam electorum prædictorum & aliorum multorum, electioni huiuſmodi conſenſiſti. Poſt hoc autem Venerabilis Frater noſter Erneſtus Archiepiſcopus Pragen. & dilecti filij Magiſtri, Ioannes de Piſtorio Decanus ſancti Ioannis Traiecten. & Nicolaus de Luczenburgo Præpoſitus Saczen. Pragen. Decanus, aut Geraldus de Magnaco Archidiaconus de Balthiſio Conſtantien. Eccleſiarum Capellani noſtri, necnon nobilis vir Ademarus de Pictauia miles, procuratores & Nuncij tui ad noſtram præſentiam ſuper hoc deſtinati, habentes ad infraſcripta omnia plenum ſufficiens & ſpeciale mandatum, ſicut per patentes literas tuo ſigillo munitas nobis extitit facta fides, coram nobis & Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, in ſolemni & publico Conſiſtorio, præſente tam prælatorum & Clericorum aliorum quam laicorum multitudine copioſa fidelium conſtitutis, pro parte tua inter cætera proponere curauerunt, electionem ad Regem Romanorum de te ad Imperium poſtmodum promouendo, ab omnibus principibus tunc in electione huiuſmodi vocem habentibus, qui vt præfertur, debuerunt, potuerunt & voluerunt intereſſe, fuiſſe concorditer & vniformiter celebratam, Teque vt prædicitur, electioni huiuſmodi conſenſiſſe, filialem reuerentiam quam tu ad nos & eandem Romanam Eccleſiam matrem tuam geſſiſti, gerebas, & geris, & pro-*





*ponis gerere in futurum ſinceris affectibus exponentes, ac inter alia ſupplicantes, tibi noſtros fauores & gratias exhiberi, necnon inunctionem & conſecrationem per manus noſtras impendi, Teque Imperiali diademate coronari, offerenteſque ſe paratos, & promptos, ſuper te & animam tuam præſtare debite nobis & eidem Eccleſiæ fidelitatis & cuiuslibet alterius generis iuramentum. Tandem autem prædictis procuratoribus per ſe & vna cum dilectis filiis & nobilibus viris, Henrico Comite de Salmis Gaucherio de Montilio, Gerardo de Vſſla, & Ioanne de Aſpero monte militibus, Treueren & Valentinen. Verdunen. Diœceſ. ac Rudolpho dicto Loff officiali Traiecten, procuratoribus & nunciis tuis, vna cum eis per alias litteras tuas ſimiliter conſtitutis, hæc omnia pluries petentibus ac deuote offerentibus coram nobis. Nos præmiſſis per eoſdem procuratores & Nuntios tuos propoſitis diligenter auditis, factaque nobis de huiuſmodi electione concordi & vnanimi plena fide, eaque, nec non perſona tua, inquantum tua patiebatur abſentia, diligenter examinatis, ac de tuis fide, probitate, ac conditionibus omnibus quæ requiruntur in illo qui eſt electus ad Imperialis culminis apicem ſublimandus, cum pluribus Prælatis, aliiſque magnæ authoritatis viris, qui tuos mores, conditiones & ſtatum plenius nouerant, inquiſitione facta, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & beatæ ac glorioſæ ſemperque Virginis Dei genitricis Mariæ, Beatorum quoque Apoſtolorum Petri & Pauli, & exaltationem, & honorem Eccleſiæ, & bonum & promotionem Imperii prædicti, & proſperum ſtatum mundi, de Fratrum eorumdem conſilio, Te in ſpecialem noſtrum & Eccleſiæ filium ſuſcepimus, Tibi noſtros fauorem & gratiam concedentes, perſonaque tua, cuius nos & iidem Fratres noſtri ſpecialem prius notitiam habebamus, idonea reputata, Te denominamus, denunciamus, declaramus, & aſſumpſimus in Regem Romanorum promouendum in Imperatorem, eandem tuam approbantes perſonam, & ſufficientem & habilem declarantes ad ſuſcipiendum Imperialis Celſitudinis dignitatem, ac inunctionem, benedictionem, conſecrationem, & coronationem Imperialis diadematis tibi per manus noſtras opportuno loco & tempore impendendam, ſupplentes quoque omnem defectum ſi quis aut ratione formæ ſeu tuæ aut electorum prædictorum perſonarum qui electioni tuæ interfuerunt, ſeu ex quauis alia ratione ſiue cauſa in eadem electione interuenit quouis modo, ex certa ſcientia & de Apoſtolicæ ſedis plenitudine poteſtatis, Præcipientes etiam omnibus fidelibus & Vaſallis Regni & Imperii prædictorum, vt tibi tanquam Regi Romanorum in Imperatorem promouendo pareant efficaciter & intendant. Et nihilominus ibidem à Procuratoribus prædictis & Nunciis tuis, ad hoc, vt præmittitur, plenum, ſufficiens, & ſpeciale mandatum habentibus, prout ipſi nobis frequenter obtulerunt fidelitatis recepimus iuramentum.*

*Attende itaque fili chariſſime quæſumus, & intra præcordia tua diligenter reuolue dona magnifica, & multiplicia beneficia, quibus te largitor bonorum omnium in ſuis benedictionibus dignatus eſt præuenire, illaque ſibi deuotione humili & operoſis affectibus recognoſcens, ad eius mandata & beneplacita in omnibus te coapta, & vitare ſtude ſummopere, quæ ſuos offenderent oculos maieſtatis. Pone greſſus tuos ſemper in ſemitis mandatorum eius, & eius miniſtros condigna honorificentia proſequi non omittas. Præfatam quoque Romanam Eccleſiam matrem tuam, quæ internæ charitatis officio & affectu, de tui ſtatus & honoris augmento ſollicita redditur, filiali veneratione reuereri ſemper ſtude, iuſtitiam dilige, veritatem ama, ſectare pacem, æquitatem ſerua & Clementiam quæ amicos & deuotos multiplicat amplexare; vt inde lætentur cœli & exultet terra, & de tuis benignis & virtuoſis actibus, vniuerſæ reipub. populus hucuſque vehementer afflictus hilareſcat. Iugo tuæ dominationis, ſuperbæ mentes hoſtium comprimantur, contriti & depreſſi ſubditorum tuorum animi, ope tuæ miſericordiæ releuentur: te virtus cœleſtis gratiæ terribilem tuis inimicis faciat; pietas ſubditis benignum oſtendat, tuiſque felicibus temporibus in pulchritudine pacis populus Chriſtianus conquieſcat, & in tabernaculis fiduciæ habitet, & in requie opulenta quieſcat. Tuque his & aliis tuis bonis operibus in conſpectu diuinæ Maieſtatis acceptus, poſt multorum annorum curricula, de terreno ac temporali Regno, ad cœleſtis & æterni Regni prouehi gloriam merearis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum, conceſſionis, monitionis, denunciationis, declarationis, aſſumptionis, approbationis, conſtitutionis, & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Auinione VIII. Idus Nouembr. Pontificatus noſtri anno Quinto.*

Volebat Carolus ſtatim Aquiſgranum proficiſci, vt ibi diadema Regium obtineret. Cæterum quod Aquenſes, cum Adolpho Comite Palatino Rheni, & Henrico ex Archiepiſcopo Moguntino partes Ludouici ſequerentur, neque illum admittere vellent, Bonnam poſtea diuertit, & indidem Regni inſignia, in magna Procerum frequentia ab Archiepiſcopo Colonien. accepit.

Ludouicus interim Principes aliquos ſibi addictos Spiram euocauerat, & in ſuperiore Germania dominationem ſtabilire conſtituerat. Magnum tunc ſecutū eſt inter Germanos ſchiſma, quibuſdam Ludouicum, aliis vero Carolum ſequentibus, Et illi quidem mandata Pontificia contemnebant; & in armis erant: Hi vero Sedis Apoſtolicæ reuerentes, pro Carolo dimicare decernebant. Pontifex vt Carolo Imperium deſignatum aſſereret, Regem Galliarum & alios Principes Chriſtianos illi ſubſidio eſſe iuſſit.

X. GERMANIA DIVISA. CRESCIACENSIS PVGNA ET GALLORVM INSIGNIS CLADES.

Non poterat quicquam Philippus Rex Galliarum Carolo opis ferre, ab Edouardo Rege Anglo, qui in Normaniam hoc anno traiecerat, inſigni clade accepta. Creſciacenſem adhæc vſque tempora dicunt, qua nulla vnquam maior Gallis acciderat. Succubuit in ea Ioannes Boemiæ Rex pater Caroli electi. Nam & ſi captus erat oculis, in hoſtem tamen voluit pugnare. Occidit & Carolus Alenconii Comes Philippi Regis frater: Philippus autem fuga vix euaſit. Vndecim Principes, octoginta Barones, mille ducenti equites, & plus minus triginta millia ex Gallis deſiderati ſunt, ad ſeptimum Calend. Septembr. quantum nulla alia funeſta Francis, nobilique ſtrage Ducum. Plurimus imber arcuum Gallicorum neruos emolliuerat, laxaratque; & repente, tanquam numen ab hoſte ſtaret, ex turbida minacique tempeſtate liquidiſſima lux refulſit, & libero alacrique hoſtium ore, nitidiſſimus ſol Francorum oculos perſtringebat. Sed cæca pugnandi cupiditas rabieſque, mentem, ſanitatemque ademerat. Inſequens etiam dies Gallis aduerſus fuit. Nam cum matutina caligo exorta in multum diei lucem obſcuraret, Angli quæ de Francis ſigna ceperant, locis editioribus propoſuerant.

Ad quam illecebram certiore tandem luce, qui ex Francico exercitu aut per errorem vagabantur, aut vulneribus, aut ſimulata morte fuerant retenti, tanquam ad ſuos læti ab hoſte opprimebantur.

XI. CALETVM AD DEDITIONEM A REGE ANGL. COMPELLITVR CALESIANORVM CIVIVM PIETAS ET CALAMITAS.

Iuit poſtea Edouardus ad Caleſium oppugnandum. Quod cum ad deditionem obſidione longiore compuliſſet, maxima tunc aliquot ciuium pietas, in ſeruanda cætera multitudine enituit. Iratus ob longinqua obſidione, ſuique apud eos contemptione victor Edouardus graues conditiones imponebat. Niſi omnia ferro ignique miſceri vellent, ſex ciuitatis primores ad ſupplicium producerentur; cæteri oppidani cum ſingulis abirent veſtimentis. Cum in ſenatu ciuitatis inter neceſſitatem indignitatemque animi ancipites diſtinerentur, ſilentiumque ac torpor cæteros defixiſſet; qui eorum primus ſedebat, ſurrexit, ſeque iræ hoſtium offerre, ac patriæ vitam condonare profeſſus, æmulationem pietatis reliquis iniecit.

Ita ſurrexit ſecundus, & deinceps cæteri, quoad iuſtus numerus effectus eſt pro communi ſalute ſe deuouentium optimatum. Sua eos pietas, Numenque ſeruauit, placabilemque Regem vel ſua Regiaque natura vel fortuna præbuit.

Philippa Regina vterum ferens, productos eos reſteque illigatos forte vidit: precibus vitam miſeris ab Rege marito impetrauit, authoritate etiam ſuorum

Ducum deterrito ne in oppidanos, præſidiumq; Francorum quicquam durius ſtatueretur vt ſunt res humanæ, exemplum fortaſſis in Anglos verſurum, ſi obſeſſis & fame edomitis fœda etiam mors ſit oppetenda. *Albertus Argentinenſ. in Chron. Mutius libr. 24. Naucler. generat. 45. Trithem. in Chron. Hirſaugien. Diplomata Caroli 4. in archiuo Rom. Paulus Æmil. libr. 9. Froſſard. lib. 1.*

XII. PRODIGIVM CLADEM CRESCIACEN. PRÆCEDENS.

Creſciacenſem cladem ex indicio tali, Ioannes Rex Boemiæ fere prædixit. Multi corui, cornices & monedulæ cadauerum ſectatrices ſupra Francicum exercitũ volitabant. Quod cum Ioannes accepiſſet prodigium, inquit, eſt hoc & dirum ſignum: & ſignificat exercitum fore mactandum. *Thom. Valſingen. hiſt. Anglic.* Poſt Creſciacenſem victoriam Angli inſolentiores facti, Taruannam interceperunt ac diripuerunt, direptamque incenderunt. Euenit hic admirandum miraculum.

MIRACVLVM.

Cum templum deſpoliari ceptum eſſet, & Anglus quidam iactu ſagittæ coronam Deiparæ, quæ ſublimi quodam ſtetit pegmate, conaretur deiicere, fractus arcus circumſtantes grauiter fragmentis ſuis vulnerauit. Tum parcitum eſt templo, creditumque diuinitus direptionem prohiberi. Religioſe poſtea ſupplicatum, ac dona ab Anglis altari virginis collata. *Annal. Flandr. libr. 13.*

XIII. FVSIOR ENARRATIO PIETATIS ET CALAMITATIS CALESIANORVM.

Quod Caleſianorum Ciuium pietatem iuxta & calamitatem attinet, placet ad exemplum illam altius ex *Flandricis Annalibus* commemorare. Ita eam *ſcriptor* illorum deſcribebat, *lib. 13.*

Poſt Gallorum, inquit, diſceſſum Edouardus cum perdere ferro & igni minaretur obſeſſos, ob longinquam obſidionem & maximos ſumptus, flexus tandem procerum ſuorum precibus, has illi imponebat conditiones. Sex præcipui totius oppidi ad ſupplicium producerentur, ſi reliquam multitudinem ſaluam vellent, alioquin omnes ferro perituros. His in oppidum nuntiatis, fletus & eiulatus ortus incredibilis, adeo vt nec ipſe præfectus Ioannes lachrymas teneret. Conuocato ſenatu vt conſuleretur qui forent producendi, cæteris cunctantibus Euſtathius à Fano Petri oppidi totius facile princeps ſurgit, ſeque pro miſera multitudine deuouit, ne tam multi pereant, dicens ſe certo ſcire inuenturum ſuam mercedem apud Deum. Huic ſe iungit Ioannes ab Ariaco: ſurgit & Iacobus à Wiſſantho vir locupletiſſimus, dicitque ſe velle adiungi ſuis duobus cognatis pro ciuium ſalute. Idem facit Petrus à Wiſſantho Iacobi Germanus, quintuſque & ſextus quorum non inuenio edita nomina. Hi laqueos collo, claues oppidi manu geſtantes in amictu interiori, capita pedeſque nudi ad pœnas producti necari à Rege iubentur. Intercedit vehementer nobilitas, ne victoriam crudelitate macularet; Fœdum fore exemplum, & haud dubie in ſe aliquando verſurum. dignos eſſe vita, qui tanta charitate ad liberandos communes ciues ſe offerrent: Orare ſuppliciter pro illorum ſalute. At ille pertinaciter preces omnes reiicere. Tum Philippa Regina vterum geſtans ac partui propinqua, patria Hannonienſis Belgarumque amans, honeſta ac pia matrona cum lachrymis ad Regis ſe proiicit pedes Domine, inquit, poſtquam huc domo euocata ad te veni, nihil abs te quicquam petii. Nunc autem propter amorem Ieſu Chriſti, dona mihi iſtos ſex homines. Ad hæc Edouardus non tenens vltra lachrymas (vnice enim eam dilexit) vellem, inquit non adeſſes. Habe eos, & hinc faceſſant ex meo conſpectu. Regina acceptos ciues in ædes ſuas introduxit, ablatis laqueis prandio refecit, ſingulisque ſenos nobiles aureos donauit, & liberos dimiſit.

Ioannes Viennenſis aliique præfecti, ducti captiui in Angliam, pecunia redimendi. Miſeri populares poſtquam cibum accepiſſent, lares focoſque in ſumma miſeria relinquere coacti, cum ſingulis veſtimentis diſceſſerunt. Pars ad Fanum Odomari, alii alio deuenerunt. Nobiles tandem ære redempti, hoc apud Gallos ſolatii inuenere vt ante alios ad honores & dignitates promouerentur. Plebis nulla habita ratio eſt.

XIV. LVDOVICO IN ITALIAM PARANTI S. R. E. VEXILLIFERVM OPPONIT CLEMENS.

Auctorem habeo, huius temporis ſcriptorem rerum Piſtorienſium, qui aſſerit Ludouicum Bauarum iterum cum Edouardo Anglorum Rege, aduerſus Carolum Romanorum & Philippum Galliarum Reges fœdus iniiſſe, & quemadmodum Albertus Argentinenſis huius temporis ſcriptor meminit, Tridentum, ſiue vt Carolum ab ingreſſu Italiæ arceret, ſiue vt Principes Italos contra eum concitaret, veniſſe, ac Clementem Pontificem, illi, Luchinum Vicecomitem titulo Vexilliferi Romanæ Eccleſiæ oppoſuiſſe: omneſque Principes Italos vt Carolo præſto eſſent, & in Ludouicum arma mouerent monuiſſe. Verum enim vero Ludouicus non poterat adeo magnum operæ pretium tunc facere.

LVDOVICVS CANCRO LABORAT.

Laborabat enim pedum vlceribus, quæ cancer ſenſim rodebat, carnes ſurarum pauxillatim deuorans, nec vllis medicamentis cedens, quemadmodum nec ipſe de impietate ſua cedebat, licet à tertio iam Romano Pontifice ad pietatem recipiendam paterne inuitatus. Hæc etiam fuit occaſio Clementi Pontifici, Carolum quantocius deſignandi. quod animaduerteret Ludouicum longa quiete ſibi aliisque inutile opus habere, nec vlli amplius multum nocere potuiſſe.

XV. PIETAS CAROLI IMP. IN PATREM ET IN SEDEM APOST.

Magna fuit pietas in Carolo. Nam & patri, non aliter quam olim priuatus omnia officia exhibuit, ad que nutum illius ſemper præſto fuit: & Clementi Pontifici, vt omnes iniurias à Ciuitatibus & Ciuibus Italiæ nonnullis Imperio illatas remitteret, omniaque ex recto & æquo inter ſe & quoſcumque hoſtes Imperii componeret, poteſtatem fecit. Inſuper de nouo voce & ſcripto, omnia priuilegia data Eccleſiæ & donationes tam per Henricum Imperatorem auum ſuum, quã per alios, Conſtantinum, Othones, Carolos, Papinos, Fridericum, Rudolphum & Albertum factas confirmauit: & inter cætera promiſit, quod omnia geſta per Bauarum reuocabit: nec aliquas terras Eccleſiæ intra & extra Italiam occupabit: imo curabit, & faciet, vt populi Italiæ iuramentum præſtabunt eſſe fideles Eccleſiæ; nec moleſtia aliqua afficiet aliquos Reges, vel Vicarios Feudatarios Eccleſiæ, nec recipiet aliquam terram etiam ſponte ab eis vel à quocumque ſubdito Eccleſiæ oblatam, & præcipue Comitatum Venuſinum, qui pleno iure pertinet ad Eccleſiam Romanam, quin etiam ſi qui vellent bona Eccleſiæ occupare propriis ſumptibus defendet; & occupatas, ſi fuerit requiſitus recuperabit: neque ſe quocumque colore vel titulo ingeret in ipſis terris Eccleſiæ Romanæ, ſiue per appellationem, ſiue alio quouis modo. Neque ab eis recipiet aliquam obligationem aut fidelitatem: recedetque in continenti ab Italia poſt receptionem coronæ. Et ſe Defenſorem non inuaſorem Eccleſiæ præſtabit. *hiſt. Piſtorien. Albertus Argentinenſ. in Chron. Dubrauius hiſt. Boem. libr. 21. Diploma Caroli IV. in Archiuo Eccleſ. Rom. 162. & 59.*

XVI. ITALIAM TVMVLTIBVS PLENAM CVRAT CLEMENS.

Cum hæc in Galliis & Germania agerentur, Italiam quoque Clemens non neglexit. Fere vniuerſa perturbata fuerat, poſt indignam necem Andreæ, mariti Iohannæ Reginæ Siciliæ. Namque plurimi Principum Regia morte indignati, & quæ, vnde minime debuit profecta eſt. Iohannam omnes in inuidiam addoxere. Mirabantur enim è Roberto Rege, omni ſapientia, & optimarum artium doctrina præſtante, vnico illius têporis ornamento, tam facinoroſam neptem promanare potuiſſe.

Itaque vlciſcendam innocentiſſimi ac probi adoleſcentis mortem; omnes exclamare; ſummum Pontificem officii admonere; iubere præterea bellum indicis prædicare vulgo, totius eſſe Italiæ tantum nefas vlciſci. Ludouicum Andreæ fratrem ad vindictam è Pannonia euocandum, multi ad eum principes ac reguli ex Italia ſcripſere, orantes vt cum vniuerſo in Apuliam



pulliam traiiceret exercitu, Regnum ſibi debitum vindicaret; non pateretur à nefariis parricidis indigne poſſideri, Ipſi in Italia neque auxilia, neque commeatus, atque opem, neque ſupplementa vnquam defutura.

XVII. QVID POST NECEM ANDREÆ REG. STATVERIT CLEM. TVM CONTRA PARRICIDAS TVM PRO REGIMINE ET ADMINISTRATIONE REGNI SICILIÆ.

Clemens Pontifex vbi primum cædem Andreæ intellexit, in publico Patrum conſeſſu ad Februarii Calend. in frequenti Concione, vehementius cum omnibus indoluit: atque iuſta ira excandeſcens, anathema in parricidas, authores, adminiſtros, & quoſcumque complices ſtrinxit; tum infamiæ notam omnibus inuſſit, omnibus *dignitatibus & honoribus priuos fecit*, eos ac eorum hæredes vſque ad tertiam generationem indignos quouis munere & honore publico iudicauit, bona illorum publicauit ac fiſco Regio & Cameræ Apoſtolicæ attribuit; inſuper ſententia capitali dignos dixit; Auinione in palatio Apoſtolico ipſis Februarii Calend. Et cum cognitio tam enormis facinoris ad Sedem Apoſtolicam pertineret, diem omnibus parricidis & ſociis & auctoribus quibuſcumque, etſi Regia, Ducali, vel alia quacunque dignitate eminerent, intra ſpatium trium menſum deſignauit, vt ſe Apoſtolico conſpectui Auinione repræſentarent, demeritas pœnas recepturi. Poſtquam edicta citationum Auinione euulgaſſet, Bertrandum Bauicum Comitem Montiſcauioſi Cognitorem criminis inſtituit; qui maiori qua poſſet diligentia reos authores & ſocios perquireret, omniaque ſcripto publico concepta & ſignata ad Sedem Apoſtolicam remitteret, & in quoſcumque ſontes ex ſeueritate legum animaduerteret.

Quod ſi Reginam quoque ipſam, aut aliquem ex principibus, *criminis affinem eſſe intellexiſſet*, Pontifici referret; quod ipſius ſententia eſſet, Reginam & Regales quoſcumque, ſuo & Apoſtolicæ Sedis iudicio, propter atrocitatem ſceleris, reſeruare. Dedit ea de re Clemens litteras, *Auinion. 151. Non. Iun. epiſt. 55.* Duos quoque Epiſcopos, Ildebrandinum Patauinum, & Guilelmum Caſſinenſem Nuncios Apoſtolicæ Sedis in Siciliam ire iuſſit, qui partim cognitioni cauſæ intereſſent, partim inter Principes regios tumultuantes, *Duces*, Tarentinum & Duratii pacem conciliarent, partim ne quid in regno Romanæ Eccleſiæ hæreditario nouari permitteretur.

XVIII. LEGATO APOSTOL. ADMINISTRATIONEM REGNI SICIL. COMMITTIT.

Alteri dedit litteras XVII. Calend. Iunii alteri II. Idus Iunii apud Villam Nouam Auinionenſ. diœceſis, epiſt. 110. 111. Bertrandum quoque Cardinalem Legatum paulo poſt Neapolim deſtinauit, eique adminiſtrationem totius Regni Siciliæ commiſit. Et Catherinæ imperatrici Conſtantinopolitanæ, cuius conſiliis Iohanna Regina acquieſcebat vt Legato circa regimen vniuerſi Regni obtemperaret, & Ioannem, Ludouicum principem Tarentium, ac Carolum Ducem Duratii ad pacem ſeruandam induceret præcepit. *epiſt. 109. 200.*

BERTRAN. ARTVSIVS INTER PARRICIDAS PRIMVS.

Bertrandus Caroli Artuſii, inter parricidas primus cenſebatur. Is in tutela Catherinæ Imperatricis cum fuiſſet, edixit illi Clemens, vt eum Baucio Comiti, is vero Epiſcopo Caſſinenſi dederet: porro hic Auinionem reum tranſmitteret, vbi de conſcelerato ſupplicium ſumeretur. *epiſt. 598. 599.*

Legatus Cardinalis, præter quam quod nonnullos iuſtitiæ præfectos Neapoli inſtituit, non magnum hoc anno operæ pretium fecit, & Beneuentum ſeceſſit, quod & Ioanna non ex dignitate Regia viueret, & Ludouici Regis partiarii plurimum miſcerent.

IOANNA REGINA SVSPECTA STVPRI

*Ioanna* Regina, Robertum Principem Tarentinum, copiis Regiis Ducem præfecerat, ſummamque rei illi conceſſerat, ad recuperandum, redintegrandum, & defendendum iura & bona Regia aduerſus Ludouicum ac eius partiarios, & ad vindicandũ honorem ſuum, & Regni ſtatum pacificum conſeruandum. Præter hæc, cum Ludouicum cum exercitu aduenire intellexiſſet, & in Caſtrum Nouum Neapoli, ſpecie tuendi honoris, & filioli poſthumi, quem ad 26. Decembris pepererat, & Carolo Robertum ex ſacro fonte appellari iuſſerat, ſeceſſiſſet, inter nobiles principes & Matronas, Robertum quoque intereſſe voluerat.

CVM ROBERTO PRINCIPE TARENTINO.

Fama erat, Andrea adhuc ſuperſtite, Robertum inter delicatos Ioannæ fuiſſe, & corpus ei miſcuiſſe, & poſtea miſſitabatur, Andrea defuncto, Carolo Robertum non tam Andreæ, quam Roberto filium ſuſcepiſſe: iſtudque Ludouico Regi nõ clam fuiſſe. Hanc ſeceſſionem quamprimum ex literis, & Philippo Epiſcopo Cauallicen. ac Petro Comite Bellantio Nuntiis Ioannæ Clemens accepiſſet, quæue illi Ludouicus Rex de Roberto Tarentino perſcripſerat illis oſtendiſſet, contra Ioannam exarſit, & pro officio eam admonuit, ne ſuſpicionem cædis & ſtupri augeret, ne occaſionem maiorem Ludouico daret, neue ſibi periculum famæ & vitæ amplius crearet.

CLEMENS SEVERE IOANNAM REGIN. MONET.

Sed Legato in his quæ honorem & dignitatem eius ſpectarent, aurem daret. Eum quoque in modum Roberto principi ſcripſit, & Guillelmo Caſſinenſi Epiſcopo ſuo nuncio literas miſit. *Dat. Auinione XII. Calend. Iunii Pontif. anno V.*

Iam Ludouicus Rex non tam multorum literis ſollicitatus, quam ſua ſponte, & vlciſcendi fratris gratia, & iuuandi Ludouici Bauari cauſa, exercitum duo deuiginti legionum per Iſtrios & Foroiulianos circumacto Adriatico ſinu in Italiam ducebat: non multum addictus Pontifici Clementi, Martio menſe huius anni, Legationem ad Sedem Apoſtolicam adornauerat, vt ei Clemens Regnum Siciliæ poſt mortem Andreæ decerneret, & de ſontibus quicumque illi forent, iuſtum ſupplicium deſumeret.

XIX. LEGATOS LVDOV. REGIS HVNC IN PVBLICVM CONSESSVM PRINCIPVM NON ADMITTIT CLEMENS.

Cardinalem Petragoricenſem Caroli Duratii amitinum & Carolum Ducem ſuggillabat, quaſi eorum cognatorum factione, qui regiam poteſtatem anhelabant, & conſentiente vxore Ioanna, Andreas ſerico laqueo facinoroſiſſime necatus cecidiſſet. In publicum conſeſſum Oratores Clemens non admiſit, nec quicquam de regni poſſeſſione Ludouico decreuit; quod is cum Ludouico Bauaro ab Eccleſia damnato fœdus pepigiſſet, & arma ſocialia cum hæretico iunxiſſet, Quamobrem Ludocus Pannonius magis *inflammatus, maiores quas potuit copias contraxit*, & in Italiam properauit.

COMITIS NOVELLI VLTIO DE PARRICIDIS.

Comes Nouellus interim, Andreæ neceſſarius, Regiæ mortis indignitatem ferens, Corradem Cathancium & Cheuſam militem ſeu carnificem ne per impunitatem nefarii parricidæ elaberẽtur, tumultuaria manu eos cœpit. Comperto facinore, ne minus quidem ac illo, in eos immaniter animaduertendum eſſe cenſuit; vt vno eodemque tempore ſui principis indignum fatum vlciſceretur, & hoc ſeueritatis exemplo cæterorum audaciam à diris ſceleribus abſterreret, per omnes namque comitatus ſui vicos parricidas circumferri, candentibus fuſtillatim forcipibus diſcerpi, demum quadripartito diſcindi iuſſit. Philippum Catanen. & Sanciam eius neptem, Ioanna Regina tuebatur: ſed tandem Nouello vt trucidarentur permiſit, qui eas die 2. Auguſti, & Comitem Trolizium, & Comitem Ebulitanum quo cum Ioanna conſueuerat, & poſtea die 7. Auguſti Reymundum Catanenſ. & Nicolaum Mirazanum diris tormentis extinxit. *Ioan. Villani lib. 12. c. 51. Bonfin. rer. Vngaric. dec. 2. lib 10.*

XX. CLEMENS IN OMNES SICIL. REGNVM INVADENTES ANATHEMA PRONVNTIAT.

Inter hæc etiam Genuenſes, ſiue à Ludouico Vngaro excitati, ſiue *ipſi facinus Ioannæ perosi*, ſiue vt Albintimilii & aliorum caſtrorum quæ eis Ioanna interceperat, damna reſarcirent, triginta trium triremium claſſe inſtructa, regnum Siciliæ variis excurſionibus infeſtabant, & multas turres ac propugnacula diſiecerãt, nec non Nicolaum Fundorum Comitem, Bonifacii VIII. Pontificis nepotem, ſed per id temporis Romanæ Eccleſiæ rebellem, in Tarracinæ obſidione grauiſſimis damnis affecerant. Hos vt ab inuaſionibus Clemens deterreret, anathema in omnes Regnum Siciliæ inuadentes pronunciauit, deinde vt inter eos & Ioannam Reginam concordiam conciliaret, Ildebrando Patauino Epiſcopo ſedis Apoſtolicæ Nuncio, rem commiſit,

RIGOR ET INVICTVS ANIMVS LIGVSTICÆ CLASSIS PRÆFECTI.

datis literis *apud Villam Nouam 2. Idus Iunii.* Rebus feliciter inter aduerſantes confectis, Genuenſes cum Albintimilium & reliqua ablata recepiſſent, claſſem ad Chium inſulam recipiendam auexerunt. Enituit tunc inſignis iuſtitia Simonis Vignoſii Liguſticæ claſſis præfecti cuius exemplum placuit producere. Cum vrbe Chio potitus, ingreſſum in ciuium prædia militibus edicto interdixiſſet; ac vnicus filius Franciſcus nomine, qui nondum ex ephœbis exceſſerat, paterna indulgentia ſeſe aduerſus edicti ſeueritatem ſatis munitum ratus, & cuiuſdam ciuis fundum temere ac per laſciuiam ingreſſus, nonnullos vuę racemos ſecum aſportaſſet, ab indigenis quibus erat incognitus, deprehenſus eſt, & ad Præfectum adductus. Etſi vero, vbi primum eius eſſe filium intellexerunt, ipſi vna cum primoribus totius exercitus apud eum multis ac demiſſis verbis inſtarent, vt hoc teneræ ætati condonaret; nullius tamen precibus locum reliquit; ſed ſtatim illum, racemis collo ad maiorem ignominiæ notam ſuſpenſis, palam virgis cædi, totaque vrbe circumduci iuſſit: Memorabili ſane, ac rigidi & inuicti animi exemplo, omnemque paterni amoris ſenſum in Ducum imperiis, militarique diſciplina & obedientia ſancienda ſuperantis. *Bizarrus hiſt. Genuen. lib. 6.*

XXI. BIZARI DE EXPVGNATIONE CHII RELATIO.

Bizarrus non omnia ex fide cōmemorat, cum iſtud narrat, quod cum Simon Vignoſius inchoatam nauigationem proſequutus, exiguo temporis ſpatio, proſperis ventis afflantibus, ad Eubœam Ægei maris inſulam peruenit; ibique cum in ſex ac viginti nauium claſſem, quarum maxima pars Venetorum erant, reliquæ vero equitum Rhodienſium; quibus omnibus præerat Ingibertus Delfinus, Vienna oriundus, incidiſſet, Delfinuſq; oratione primo ac precibus, deinde magnifico promiſſo anniuerſarii vectigalis decem millium aureorum nummum, Simonem reuocare contendiſſet ab incepto celebris nominis inſulæ Chii, quam vna cū Smyrna Aſiæ vrbe, Michael Peleologus Genuenſi populo olim donarat; deinde temporis decurſu, propter mutua Genuenſium diſſidia, Græciæ Imperator, qui hanc ad ſe pertinere multis rationibus contendebat, aliorum Principum ope & patrocinio adiutus, illam ſibi vſurparat, armis repetendæ, cuius inſulæ commerciis tam opportunæ, ipſe, quamquam alia in ſpeciem præferens (ſunt etiam qui tradant, hunc à Venetis clam plurima largitione magniſque pollicitis allectum, in eam expeditionem ſubornatum fuiſſe, vt hoc pacto, ſub externo ſcilicet præfecto, ſua conſilia multo facilius occultarent) inhianti cupiditate imminebat: Simō fœdæ rei mentionem auribus aſpernatus, ac inſtituto itinere pergens, ad eam inſulam celerius quam aduerſarii, cum ſua claſſe pertexit. At Delfinus de ſecundo rerum ſucceſſu ſibi prorſus diffidens, alio nauigationis curſu inflexo, ab ea prouincia ſuperſedit; quod quidem Vignoſio multo liberiorem expugnandæ vrbis commoditatem tribuit, ita ſane, vt ſummis viribus eam adortus, tandem poſt longam & difficilem oppugnationem, vrbe, atque adeo vniuerſa inſula cum inſigni ſui nominis gloria, & immortali ſuæ patriæ beneficio potitus fuerit; breuique poſt, paribus fortunæ auſpiciis, vtramque Phocæam, quæ Ioniæ vrbes, Foliæ nouæ ac veteres vulgo appellantur, cum illarum munitionibus & propugnaculis, Liguſtico nomini atque Imperio adiunxit. Hæc de Chio expugnata; an ex fide narret Bizarus, Iudex eſto Clemens Papa, qui hoc anno, XVII. Calend. Iuli. datis literis apud Villam nouam Auinionenſ. diœceſis, ad Ioannam Andronici Imperatoris Conſtantinopolitani relictam, Imberto Delphino claſſis Chriſtianorum aduerſus Orchanem Turcam præfecto, eam inſulam ab Imperatoribus Orientis ad tres integros annos ſubſequentes ex pacto obtinuit. quo ibidem claſſis Vnionis & facilius conueniret, & negotia belli ex communi conſilio tractaret; & in hyberna quando opus fuiſſet concedere poſſet, ne aliis Chriſtianorum inſulis & prouinciis aliquo modo incommodaret. Illud certum, claſſem vnionis, multos progreſſus aduerſus Turcas hoc anno feciſſe: ſuppeditante commeatum & ſubſidia claſſiariis Clemente.

CLASSIS VNIONIS PROGRESSVS CONTRA TVRCAS.

XXII. GOZO EQVITVM RHODIORVM PRÆFECTVS DRACONEM MIRÆ MAGNITVDINIS MIRO COMMENTO.

Enituit tunc virtus Deodati Gozonis Præfecti equitum Rhodiorum, de quo iſtud proditum eſt memoriæ. Draco ingentis magnitudinis, altero lapide ab Vrbe Rhodo, ad radices collis ſancti Stephani, in cauerna quadam excubans, fontem inde ſcaturientem, & aerem circumuicinum halitu peſtifero inficiebat, & fame vrgente, non tantum pecora, ſed etiam homines quos poterat deuorabat. Nullus erat qui auderet monſtrum extinguere, præter Deodatum: qui iſtud ab belluam enecandam commentum adinuenit. Draconem tantæ, quantæ erat viuus, magnitudinis, formæ, & coloris effingi ex linteaminibus, infarcirique imperauit: alas ei ſimiles draconeis affinxit, & ſubtus pedes rotulas abſcondit, quibus vel leuiter impulſus, hac & illac moueretur. tum deinde duos moloſſeos canes viribus & agilitate præſtantes aſſumpſit, & ipſe cataphractus, equum armis vndique circumtectum, lancea & conto onuſtus conſcendit: eo conſilio, vt inſiliens in draconem effictam, & equum, & canes, ad audendum, inuadendum, & extinguendum viuum draconem aſſueſceret. Facto experimento aliquoties, dum & equus plane nihil à monſtro horrendo metueret, & canes velut agniculum non tantum vellicarent, ſed etiam lacerarent laniarentque illud, ipſe poſt, aliquot famulis comitatus, in draconem armatus proceſſit, & ſigno viuificæ Crucis, necnon patrocinio Diuæ Deiparentis munitus, quamquam non ſine ſuo extremo periculo, belluam è cauerna irruentem, illo artificio, & auxilio Diuæ, ferocia canum & equi calcitrantis confecit. *Bozius lib. 2. hiſt. Rhodien.*

XXIII. CLEMENS LABORAT PRO VNIONE ORIENT. CVM OCCIDENT.

Per hanc occaſionem belli Orientalis, Clemens Pontifex non intermiſit negotium Vnionis Eccleſiarum Orientalium cum Occidentali curare. Hærebant Auinione, Apocriſiarii Ioannis Palæologi, & Ioannis Cantacuzeni Imperatorum, à Sede Apoſtolica, auxilia aduerſus Turcas flagitantes, atque nonnullam ſpem eius Vnionis inicientes. Hos redire Clemens Papa, & præterea Sedis Apoſtolicæ Nuncios, (de quibus anno ſuperiore ex Cantacuzeno mentionem fecimus) cum literis Apoſtolicis ad Imperatores ire iuſſit, qui ex conſilio Cardinalium à Pontifice, nonnulla viuæ vocis oraculo commiſſa, Imperatoribus renunciarent, & ad optatam vnionem illos, & vniuerſos Græcos hortarentur. Nicolaus Piſanus claſſis Venetæ præfectus, multam Sedi Apoſtolicæ operam in eo Vnionis negotio nouauit. Itaque vt eum magis ad conandum Clemens animaret, admonuit, ne in cœpto opere deficeret. Sed eo labore tam pio, tamque vtili, & apud Deum merita cumulare, & apud Sedem Apoſtolicam vberiorem gratiam promereri ſtuderet. *Dat. apud Villam Nouam 12. Cal. Iul.*

XXIV. DISCORDIAM INTER CASIMIRVM POLONIÆ ET IOAN. BOHEMIÆ REGES CLEM. AVCTORITATE SVA COMPESCIT.

Inter Caſimirum Poloniæ, & Ioannem Boemiæ Reges, anno ſuperiore nonnihil diſcordiarum interuenerat. Caſimirus Rex Henrico Zeganenſium Duci bellum intulerat, vt Vuſchonenſe territorium, quod Teuthones Freiſtatenſe vocant, à maiore Polonia auulſum recuperaret. Henrico Duci vt Ioannes Rex ſuppetias ferret, & Caſimirum ab eo bello auerteret, in Poloniã cum exercitũ penetrauit. ac tãto quidem ardore animi id fecit, vt cum ſenio laboribuſque confectus fuiſſet, ac alterum quoq; oculũ iam amiſiſſet, tũ deinde ſe libẽter moriturũ affirmaret, cũ Cracouiæ muros victrice manu palpaſſet. Sed eũ ſpes ſua fefellit; Polonis neq; frumentari, neq; pabulari eũ libere ſinentib. nec pugnandi copiã facientib. Vnde ille veritus ne in anguſtũ redigeretur, cõmeatu deficiẽte, & metu Vngaricorum auxiliorũ à Ludouico rege Vngariæ Caſimiro miſſorum, obſidionem ſoluit, & multis ſuorum apud Bialam & Pogoniã pagos amiſſis, in Boemiam mæſtus & pudibundus rediit: indeque Auinionem conceſſit, ad licitandum imperiale diadema, Carolo filio, Marchioni Morauiæ: Ibi cum eſſet. Caſimirus Pontifici omnia vt acciderant ſi-





gnificauit. Aegre eas inter Reges diſcordias Clemens tulit, atque ad id Ioannem & Carolum præſentes authoritate Apoſtolica adegit, vt ſe totos in ea cum Caſimiro controuerſia ſedi Apoſtolicæ permiſerint, & multam decem millium Marcharum auri in ſe, ſi quid præter voluntatem Romani Pontificis contra Polonos tentarent, receperint, ac manu ſacroſanctis Euangeliis contactis, in conſpectu Pontificis & Cardinalium iureiurando eam ſubmiſſionem confirmarint. Ea omnia Clemens, Caſimiro, per literas & Nuncium, Guimundum à S. Albino equitem ſignificauit, & Archiepiſcopo Gneſnenſi iniunxit, qui Regem moneret, vt Nuncios ad ſedem Apoſtolicam deſtinaret, quo inter ipſum & Ioannem concordia ſtabiliri poſſet. Dat. *Auinion. xi. Cal. Iun.* Non multo poſt Ioannes occubuit, apud Creſciacum ab Anglis confoſſus.

Egit hoc anno Caſimirus Comitia Viſliciæ. in quibus leges ſanxit, quibus Palatinorum & Iudicum infinita poteſtas certis cancellis coercita eſt: vt ne ex moribus, aut è libidine ſua, ſed è ſcripto iure deinceps iudicarent. Certæ etiam mercedes eis & aliis Miniſtris iudiciorum conſtitutæ ſunt, vt ne quid præterea à litigantibus exigeretur; mulctæque, quas Iudices arbitratu ſuo dicebant, & exigebant, definitæ. Adhæc ſublatus mos barbarus, iuriſiurandi conceptis verbis dandi; in quo ſi quis verbo lapſus eſſet, atque adeo titubaſſet, cauſa, quamuis iuſta cadebat.

XXV. MIRACVLVM DE SACRO S. HOSTIA.

Nec illud ſane ſilentio prætereundum eſt, quod eodem anno apud Cracouiam accidit. Nam cum conſcelerati quidam homines ſacrilega cupiditate adducti, ſanctiſſimum corpus Chriſti cum ferculo ſuo è templo Omnium Sanctorum memoriæ dicato ſuffurati eſſent, atq; id ferculum non aureum, vt crediderunt, ſed ęreũ inauratum eſſe cõperiſſent, apud Bubalũ ſiue Bauolum pagum ſuburbanum, qui erat in ditione Collegii Baſilicæ Cracouienſis, in cœnoſam paludem id impie & irreuerenter abiecerunt. Mox locus crebris ignibus atque faculis, dies noctéſque aliquot perpetes colluſtratus eſt. Id miraculum cum ad Epiſcopum perlatum eſſet, neque cauſa tamen eius pateret, poſt indictum triduanum ieiunium, Epiſcopus eo cum ſolemni pompa ſacerdotum, & ſupplicationibus profectus eſt, repertumque ſanctiſſimum corpus ingenti cum veneratione eo vnde ſublatum erat retulit. In eo vero loco vbi id repertum eſt, Caſimirus Rex inſequenti anno auguſtum templum titulo Corporis Chriſti ædificauit; ſucceſſuque temporis peramplum ſpatium muro complexus nouum oppidum condidit, & Caſimiriam de ſuo nomine appellauit, alio ampliſſimo Monaſterio & templo Diuæ Catherinæ Martyri dicato, & ſodalitati Auguſtinenſium eremitarum addicto. *Cromerus hiſt. Polon. lib. 12.*

XXVI. NONNVLLA ALIA CLEM. PP. ACTA.

Eodem anno Clemens Pontifex I. cenſum annuum à Regibus Aragoniæ & Trinacriæ, necnon ab Etruſcis, Bononienſibus, Piſanis & Genuenſibus numerauit. *epiſt. diuerſ. 2.* ad Regem Armeniorum legationem, vt eum in fide Eccleſiæ Romanæ confirmaret, & Chriſtianis contra Turcas pugnantibus ſocium adiungeret, deſtinauit. *ep. 3.*

XXVII. DE B. VENTVRINO EX ORDINE PRÆDICAT.

Venturinus Bergomas Dominicanæ familiæ, Clementi auctor fuerat, vt frequenter, intermiſſam Orientalẽ expeditionem, tanto acrius vrgeret. Cumq; magnę apud Vmbertũ, Viennenſem Delphinũ totius claſſis architalaſſum (qui illũ quemadmodũ mortuũ ad vitam reuocare aſpexerat) auctoritatis fuiſſet, effectum eſt; vt cum F. Nicolao Fauentino idem vitæ inſtitutum profeſſo, ſocius nauigationis & conſcius conſiliorum illi à Pontifice adiungeretur. Vbi cum Achaiam, & Eubœam inſulam quam Nigripontum iuniores appellarunt concionando peragraſſet, Smyrnam cum Archiepiſcopo eius Vrbis profectus, Calendis Martii, qui fuit Quadrageſimalis ieiunii dies primus huius anni, animos omnium ad ſanctam expeditionem inflammare cœpit. Aliquot diebus poſt cum à longo ac difficili admodum itinere, & à continuis laboribus in ægritudinem Idibus Martii incidiſſet, ſanctiſſimam animam in ſummo omnium mærore ac luctu efflauit; quinto Calendas Aprilis. In eius felici egreſſu perhibent incredibilem in eius facie ac toto corpore claritatem eſſe perſpectam, vt minime dubium cuiquam fuerit, beatam illam animam continuo in cœlum euolaſſe, ſempiterna gaudia cum ſanctis fruituram. Mortem eius plurima prodigia præceſſere; ac miracula ingentia ſucceſſere. Bononiæ in Monaſterio S. Mariæ Magdalenæ ſacrarum Virginum Præfectæ ex febribus laboranti, & opem illius imploranti, viſus eſt ſacra illam aqua reſperſiſſe, & ſic febrem depuliſſe.

MIRACVLA POST OBITVM B. VENTVRINI BERGOMAT. SVCCESSA.

Mulier item quædam laborans in partu, cum primum illius auxilium inuocaſſet, ſtatim puerum peperit, & Venturinum appellauit, Luciæ cuidam Florentinæ, quæ monaſticam inter virgines vitam agebat, ſacrum ignem & ſalſum flegma depulit; poſtquam diu tentata medicorum remedia ſanare nequiuerant, Venturinus illi ſole illuſtrior apparuit, & precibus ei ſanitatem ſe illi impetraſſe nunciauit. Cæterum cum non conduceret impetraſſe, redituram mox morbum quo antea laborauerat prædixit. Aliæ mulieres duæ febre ingenti exæſtuantes, quarum altera etiam fluxum ſanguinis è naribus à media nocte in horam diei tertiam paſſa fuerat, inuocata illius ope continuo ſoſpites euaſere. *Leander. libr. 5. de viris illuſtr. Ord. Præd.*

XXVIII. CLEMENS PP. REG. RASSIÆ AD COMMVNIONEM SEDIS APOST. INVITAT.

Proficiſcens in Orientem Venturinus, cum per loca Iſtriæ, Dalmatiæ Epyri Macedoniæ & reliqua circumnauigaret, Regem quoque Raſſiæ conuenit, & vt ad Vnionem cum Eccleſia Romana inclinaret, plurimum laborauit. Itaque Clemens hoc anno datis ad Regem litteris illum impenſe laudauit, quod à ſchiſmate ad communionem ſedis Apoſtolicæ venire decerneret: vtq; iſtud vna cum ſuis quantocius præſtaret, Apoſtolica authoritate admonuit. *ep. 1019.*

XXIX. FLORENTIÆ LEX IN QVA IN CLERICOS FERTVR.

Hoc ipſo anno apud Florentinos creſcente in potentiores odio, duæ ad populum leges latæ ſunt. Vna in Clericos iniqua; per quam omnibus eorum priuilegiis derogabatur. Altera in ciues ingrata, per quam dona ac munera hactenus quibuſcumque meritis à populo tradita in irritum vocabantur. Additum, vt qui ex nobilitate apud quemquam Regum tyrannorumue degerent, cõtinuo domum remearent: exilium & publicationem bonorum niſi legi parerent ſubituri. Huius poſterioris ferendæ non maleuolentia modo cauſa fuit, verum etiam ſuſpicio, ne maiori gratia apud Reges & principes inita, aliquid per fauorem illorum aliquando molirentur. Prioris legis exlegis occaſionem ſumpſerant, ex Petro Aquilano Minorita ſacræ fidei Quæſitore, cui etiam Petrus Cardinalis Hiſpanus poteſtatem fecerat, exigendi XII. M. nummum aureorum à Societate Aciacola, quos ei debebat. Ea Societas quod bona fere vniuerſa decoxiſſet, & multis æs alienum debuiſſet, Priores ſeu Rectores vrbis, id quod reliquum erat bonorum Cardinali tantiſper donec diſſolueret addixerant: inſuper & vades addiderant. Petrus ab iis aurum depoſcebat; illi quod debentium proprium eſt, cunctabantur. Cumque nec monendo, nec obſecrando quicquam proficeret, tres apparitores miſit, qui Silueſtrum Baroncellum, ſocium Aciacolorum, è palatio prodeuntem comprehendi imperauit. Tumultu in foro mox excitato, hi quibus poteſtas Inquiſitoris fuerat inuiſa, impetu in apparitores facto, vinctum eis omnes eripuerunt.

DISSENSIO FLORENTIÆ INTER INQVISITOREM ET PRIORES VRBIS RATIONE IVRISDICTIONIS.

Re ad Priores relata, quod maieſtatem ſuã læſam eſſe exiſtimarent, apparitoribus inquiſitoris manus præcidi iuſſerunt, eoſque non tantum vrbe, verum etiam vniuerſa ditione Florentina proſcripſerunt. Inquiſitor cũ ſibi à furibũda plebe timeret, Senas ſeceſſit, & in Præfectum, Priores, & adminiſtros facinoris anathema tulit; inſuper & ſacra omnia Vrbi interdixit: donec Silueſtrum Baroncellum ſuæ iuriſdictioni interceptum reſtituerent. Priores & reliquus Magiſtratus vrbis, appellatione interpoſita ad Clementem Pontifi-

cem, inprimis Oratores qui factum excuſarent, & in Petrum multa crimina conferrent, deſtinarunt: deinde Florentinum & Feſſulanum Epiſcopos & Clerum, ad ſacra obeunda impulerunt. Cum autem eorum plurimi ſacra facere recuſarent, leges iniquas in clericos tulerunt, & priuilegia eorum imminuere conati ſunt. Præter alia præſcripſerunt. Ne Inquiſitor quemquam, pecuniaria pœna multaret, ſed ſi quem hæreſi imbutũ inueniſſet, flammis adiiceret. Ne carceres in domo Inquiſitionis haberet, ſed omnes vinctos in ergaſtulum Prætorianum coniiceret. Nullus ex Magiſtratu Vrbico, inſciis & inuitis Prioribus, illi apparitores ad capiendum quemcumque concederet: nullos etiam ipſe armaret aut faceret. Præter ſex familiares qui arma ferrent, non plures Inquiſitor; Epiſcopus Florentinus duodecim, Feſulanus non niſi ſex aleret; neque pluribus, ex ciuibus, quam ſex Inquiſitor, Feſulanus Epiſcopus totidem, Florentinus autem duodecim, poſſint arma permittere. Præter leges iniquas carcerem quoque ſanctæ Inquiſitionis diruerunt, & omnibus vinctis dimiſſis, à teſtimonio iniquorum multis calumniis Petrum Inquiſitorem apud ſedem Apoſtolicam onerarunt: quaſi is plurimos, per auaritiam & per impoſturas, vt tantum pecuniarum extorqueret, in vincula cõiecisſet: & VII. M. Nummum aureorum non integro biennio ex multis pecuniariis, & permiſſione armorum corraſiſſet; adeoque plurimos potentiorum aduerſus Priores armaſſet, innumerabiles vero innocentes, nulla eorum culpa pecuniis atque bonis exuiſſet. Franciſcus Brunelleſcius. Anton. Adimarius, & Bonacurſius, Freſcobaldius principes Legationis fuere. Inter quos & alios collegas, cum non bene conueniret, & ex diſcordia illorum, Clemens violatum fuiſſe Inquiſitorem ſatis perſpiceret, poſtulante Petro qui Auinionem ſeſe contulerat, diem Priorib. Præfectis Vrbicis, & reliquis authoribus ſceleris & ſociis apud ſubſellia ſedis Apoſtolicæ dixit. *Leonard. Aretin. hiſt. Florent. lib. 7. Ioannes Villani lib. 12. c. 57.*

PRIORES FLORENTINI AD SEDEM APOSTOLICAM A CLEM. CITATI.

XXX. FLORENTIN. ET FESVLAN. EPISCOPI A PONT. AVENIONEM CITATI.

Florentinæ Eccleſiæ tunc præerat, Angelus Aciaiolus, ab inſtituto Dominicano ad Epiſcopalem dignitatem euectus. Is, ſine minis tenatus populique Florentini perterriens, tum iniuriæ neceſſariorum ſuorum ab Inquiſitore violatorum compatiens: necquicquam edicto Petri Aquilani, quo is ſacra Florentinæ Vrbi interdicebat, parere voluit: quin & Feſulanum Epiſcopum in eam ſententiam traxit, vt & is quoq; ſacris in ſua diœceſi operaretur. Quam ob cauſam Clemens Pontifex, vtrumque Auinionem euocatum, cauſam dicere iuſſit. *Villani ſup.*

XXXI. QVIS FVERIT ANGELVS ACCIAIOLVS FLORENTIN. EPISCOP.

Fuit Angelus, ex nobili Acialolorum familia Florẽtiæ natus. Angeli nomen in ſacro baptiſmate obtinuit, quod & grata corporis venuſtate, & morum ſuauitate excelleret. Puerilibus annis ſub cura parentum decurſis, non inertiæ animum, aut ignauiæ corpus dedit; ſed cum S. Mariæ Nouellæ cœnobium, honeſtæ diſciplinæ & bonarum artium domicilium eſſe perſpexiſſet, plurimoſque illuſtrium ſanctitate & doctrina viros in eo ſuſpiceret, reiectis omnibus vitæ præſentis præludiis, Prædicatorum ordinem indicibili omnium lætitia complexus eſt. Nihil vero poſthac ſæculare, aut mundanum eius animo placuit, quod ſeſe totum diuinis rebus addixiſſet, & breui tempore eximium vitæ degendæ ſpecimen, & poſteritati exemplar euaſiſſet inſigne. Necquicquam illi prior in ſæculo conuerſatio, vel ob nobilitatis præſtantiam, vel ob educationis mollitiem obfuit, quominus viles Ordinis exercitationes ingenti amore perficeret; quod omnia rebus diuinis poſthabuiſſet. Litterarum tantum hauſit, quantum homini religioſo pariter & Prædicatori futuro conuenire intelligeret: cæteris, quæ magis ad curioſitatem q̃ ad vtilitatem ſpectant prætermiſſis. Præter alia, ſacrarum literarum cognitionẽ ſuauitate eloquentiæ temperare inſtituit: & apes florilegas imitatus, flores ſelectiores ſcientiæ in melliticium dulciſſimum congeſſit. Qua ex re tantum ſibi apud Ioan. XXII. exiſtimationem conciliauit, vt ſimul atq; ſacerdotii gradum aſcendit, quamuis ætate iuniorẽ, Aquilanæ Eccl. præfecerit. Vix hominem potuerat ad eam dignitatem ſuſcipiendam, adducere, quod illi nihil clauſtrali quiete acceptius, nil orationum perſeuerantia iucundius, nihil denique ſolitudine religioſa ad ſalutem animæ & corporis obtinendam commodius videbatur. Permultis n. ab ipſa religione alienis, ac propemodum peregrinis occupationibus, quib. carum dignitatum faſtigia implicantur, *fieri interdum non poſſe*, inquiebat, *quin animus diſtrahatur humanus, atque in diuerſa feratur; quæ cum ab ipſa contemplationis dulcedine abſint longius, difficillimum eſt illum ad conſueta optimarum artium ſtudia reuocare. Quocirca gratius ſibi fore, cum Fratribus ſuis inopem tranſigere vitam, quam Pontificali dignitate, ſua omnia ingenti labore quæſita diuturnis huius vitæ fluctibus nequaquam ſatis conſulto exponere.* Itaque quantum poterat, in eo officio virtutes religioſas conſeruabat. Manſuetudinem inprimis, benignitatem, & pietatem in omnibus oſtendebat. Apud Robertum Siciliæ Regem multum gratia potens, pro ſubditorum eius ſalute & commodis multa egit. Illud vel præcipue inculcans: *Regalem magnificentiam, non alia magis virtute quam clementia & liberalitate cõſtare:* Nihilq; eius coronæ ita cõducere, quam ſi auaritiam longius propulſaret, ſi iuſtitiam coleret, ſi populos ſibi ſubiectos amore potius quam violentia retineret; hiſq; duntaxat cẽſibus, quos ex fœdere percepturus eſſet, contentus, eos diuites in ſuo quam in alieno regno mallet. Quod ad rem Eccleſiaſticam attinet, memor Apoſtolici exempli, qui dicebat; *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei:* in Epiſcopatu, non dominum ſed diſpenſatorem ſe eſſe reputans, neceſſitatibus egenorum quam maxima poterat diligentia prouidebat. Controuerſias ciuitatis vel ciuium, ſemper ad æquitatis libellam componebat. Crimina grauiora, quæ acriorem diſciplinam poſtularent, ſeuere corripiebat, Cleri pupillorum, & religioſorum amore ingenti tenebatur; adeo vt omnes illum Patris & patroni loco haberent. Neque n. quicquam labori vel tempori cõcedebat; quominus eorum commodis ſpiritualibus & corporalibus inſeruiret. A Clemente ſexto ab Eccl. Aquilana, ad Florentinam regendam tranſlatus, cum Vrbem per factiones ciuium diſtractam, & nonnullorum ſcelere perturbatam repeviſſet, abunde commotus, qua ratione omnes ad concordiam reuocaret, & ciuibus ereptam libertatẽ aſſereret cogitauit: exemplo Paulino, qui omnibus factus fuerat omnia, vt omnes Chriſto lucri faceret.

AQVILANÆ ECCLESIÆ A IOAN. XXII PRÆFICITVR.

A CLEM. VI. TRANSLATVS AD FLORENTINAM ECCLES.

Accidit iſtud quod narrant, vt apparitores Inquiſitoris à Magiſtratu Florentino temere violati eſſent, ac propterea vniuerſa ciuitas ſacris ablatis mulctata fuiſſet. Ibi Angelus Aciaiolus, ſiue quod Petrus Inquiſitor, ſe inſcio ac inuito eas diras promulgaſſet; ſiue q̃ ciuitas ea diſciplina percuſſa, inter tumultũ, omnib. Eccleſiaſt. rebus ac perſonis vltimum exterminium, tum lege lata, tum manu armata adducere poſſe videbatur, niſi ſeueritas Inquiſitoris aliqua ratione temperaretur, à ſacris officiis minime abſtinuit; & ad rationes facti reddendas, Auinionem à Clemente euocatus fuit. *Villani ſup. Leand. de viris Illuſtr. Ord. Præd. lib. 3.*

XXXII. ALIA CLEM. RES GESTÆ.

Quo etiam anno, Clem. i. Florent. & vniuerſæ eorũ ditioni Cenſorem Fidei dedit, *ep.* 504. 2. contra Epiſc. Seleucienſem, qui in Euang. Diui Ioannis Commentarios quoſdam deſcripſerat, & in linguam Armenã tranſtulerat, atq; in illis aſſirmauerat, Ieſum Chriſtũ & Apoſtolos, nec in communi, nec in ſpeciali aliqua habuiſſe, anathema tulit. *ep.* 2. 3. Doctores Scholæ Pariſien. qui à ſoliditate doctrinæ Catholicæ, ad vanas argutias & ſophiſticas quæſtiunculas docendas, ſeſe auerterãt, vt iſtis reiectis peregrinis, vanis, inutilib. quin & nociuis & periculoſis captiunculis, ſolidam Catholicam veritatem ex ſenſu Patrum interpretarentur admonuit. Dat. literis XII. *Cal. Iunii.* 4. Fratrib. S. Pauli primi eremitæ, Præmõſtratenſib. Guillelmitis, & Clariſſis, priuilegia à ſede A-





poſtolica conceſſa, Approbauit *ep. Clem. diuerſa* 5. In occupatores bonorum ſedis Apoſt. ſententiam dixit, quæ ita ad verbum habet.

XXXIII. BVLLA SEV SENTENTIA CLEM. PP. CONTRA OCCVPATORES BONORVM SEDIS APOST.

Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

*Etſi ſolertem adhibere vigilantiam ne quarumlibet Eccleſiarum iura depereant ex debito noſtri officii teneamur: in manutenendis tamen, defendendis, recuperandiſq; occupatis iuribus Eccleſiæ Romanæ, ſponſæ noſtræ, quæ diſponente Domino caput omnium, & magiſtra cæteris altiore dignitate præcellens maioribus eſt iuuanda præſidiis & amplioribus honoribus attollenda, eſſe debemus ſolliciti & attenti. Ad obuiandum igitur peruerſis illorum conatibus qui ſibi commoda, non ſe commodis patrimonii Beati Petri in Tuſcia, quod iuris & proprietatis eiuſdem Eccleſiæ fore, ac eidem immediate ſubeſſe dignoſcitur applicantes temere ciuitates, Caſtra & Villas eiuſdem patrimonii ad eandem Eccleſiam pertinentia, eorumq; dominium, ſuperioritatem in ipſius Eccleſiæ graue præiudicium contra Conſtitutiones & ordinationes olim per fel. rec. Vrbanum IV. & Ioannem XXII. ac diuerſos alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros editas non verentur diuerſis exquiſitis coloribus occupare, & ſibi in eiſdem dominium ſuperioritatem & præeminentiam vendicare, hac perpetua conſtitutione ſancimus, vt nulla Ciuitas vel Communitas nullaq; ſingularis perſona cuiuſcunq; conditionis vel ſtatus exiſtat deinceps in aliquibus ciuitatibus caſtris ſeu villis ipſius Patrimonii ad prædictam Romanam Eccleſiam ſpectantibus, dominium, ſuperioritatem, capitaneatum, aduocationem, iuriſdictionis ſeu aliquam præſidentiam ſeu præeminentiam prætextu cuiuſcunq; venditionis, ſubmiſſionis, recommendationis, conceſſionis, recognitionis, obligationis, contractus, vel pacti, aut cuiuſuis alterius commercii abſq; auctoritate ſedis Apoſtolicæ ſpeciali recipere audeat, vel ſibi dominium, præſidentiam. Capitaneatum ſeu iuriſdictionem in prædictis ciuitatibus, Caſtris ſeu Villis ex quauis occaſione cauſa quomodolibet vendicare: quodq; ciuitates & ſingulares perſonæ ſubmiſſiones, ſuppoſitiones & ſubiectiones quaſcunq; iam in eas factas & receptas ſeu de facto, cum de iure non teneant quomodolibet attentatas dimittere teneantur, nec ciuitates caſtra ſeu loca alia quæ ſe eis vt præmittitur, ſubmiſerunt vel quomodolibet ſubiecerunt, virtute ſubmiſſionis & ſuppoſitionis aliculus, vel cuiuſuis contractus titulo valeant retinere, nullaque Vniuerſitas ſeu communitas ciuitatis, caſtri ſeu villæ Eccleſiæ Romanæ ſubiecta in terris Patrimonii conſtituta alicui Vniuerſitati ſeu communitati, vel priuatæ perſonæ cuiuſcunq; conditionis aut ſtatus exiſtat, ſe ſubiicere, ſubmittere ſeu ſupponere valeat, conſtituendo, recognoſcendo ſeu profitendo ſe ſubeſſe alicui Vniuerſitati, vel priuatæ perſonæ, ſeu ad eoſdem ſuper eos, & in ipſis ac dictis ciuitatibus caſtris & villis aliquam iuriſdictionem, dominium, Capitaneatum ſeu quamuis aliam præeminentiam pertinere.*

*Etſi quæ Ciuitates, Caſtra vel loca iam de facto ad ſummiſſionem & ſuppoſitionem aliquibus ciuitatibus vel priuatis perſonis de ſe factam, venditionis, donationis, vel cuiuſuis alterius contractus colore vel titulo proceſſerunt, illa quamuis de iure valeant quatenus de facto proceſſerunt realiter, & effectualiter ſtudeant reuocare, nec illis vnquam vtantur, nec virtute ſummiſſionum huiuſmodi vel alias illis quibus quouis titulo vel colore ſe ſummiſerint vllatenus obediant, pareant vel intendant, contrarium non facientes directe vel indirecte per ſe vel alios tam illi & eorum ſinguli, qui in Ciuitatibus, caſtris, aut Villis eiuſdem Patrimonii vel eorum aliquo huiuſmodi dominium, ſuperioritatem, capitaneatum, aduocationem, iuriſdictionem quamcumque præeminentiam, ſeu præſidentiam ſine licentia ſedis Apoſtolicæ ſpeciali recipient in futurum, & qui iam ex quocumque contractu vel obligatione receperunt, ſeu quauis vſurpatione quomodolibet occupauerunt, niſi ſic recepta & occupata infra duorum menſium ſpatium poſtquam præſens conſtitutio ad eorum notitiam peruenerit, vel per eos ſteterit quominus valeat peruenire, dominium ſeu præſidentiam, ſuperioritatem, capitaneatum, aduocationem, iuriſdictionem quamcunque ſeu præeminentiam huiuſmodi realiter dimiſerint cum effectu, illa nullo vnquam tempore abſq; ipſius Sedis licentia reſumpturi: quam illi qui ſe ſummiſerint, ſuppoſuerint ſeu ſubiecerint, vt præfertur ſimili modo cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtant ſingulares perſonæ ſententiã excommunicationis incurrãt, ac terræ ipſorum vbiunq; fuerint, Eccleſiaſtico interdicto ſubiaceant ipſo facto. Ciuitates autem, Caſtra & Villæ quæ in antea ſe ſubmittent, ſupponent ſeu ſubiicient, & quæ ſubmiſſionem, ſuppoſitionem ſeu ſubiectionem huiuſmodi recipient ſiue quemlibet occupabunt: Ciuitates quoque Caſtra etiam loca quæcunque quæ ſe iam quouis colore vel titulo vt præmittitur, ſummiſerunt & ſubiecerunt, ac ciuitates quæ ſummiſſiones & ſubiectiones huiuſmodi receperunt niſi infra prædictum duorum menſium ſpatium ab omni effectu, dictæ ſummiſſiones & ſubiectiones realiter deſtiterint ipſis vlterius non vſuri, ſeu contra conſtitutionem & inhibitionem noſtram venire directe vel indirecte per ſe vel alium ſeu alios attentabunt Eccleſiaſtico ſubiacere decernimus interdicto, & nihilominus omnibus indulgentiis, priuilegiis ac gratiis, necnon feudis, bonis & honoribus & iuribus quibuſcunq; quæ ab eadem Romana & aliis Eccleſiis obtinent priuamus & priuatos & priuata volumus eſſe ipſo facto. Non obſtantibus ſi eis vel eorum aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quod excommunicari ipſorumq; Terræ & loca Eccleſiaſtico interdicto ſupponi non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de huiuſmodi ac eorum perſonis, locis, ordinibus & nominibus propriis mentionem.*

*Nos inſuper omnes ſummiſſiones, ſubiectiones, ſuppoſitiones ſuper prædictis factas, & obligationes, pacta ſeu conuentiones, ſub titulo venditionis vel cuiuſuis alterius contractus quomodolibet initas & habitas & quaſcunque pœnas adiectas, & iuramenta præſtita ſuper illis, ſub quibuſcunque modis & forma vel expreſſione verborum, præſertim cum in præiudicium eiuſdem Eccleſiæ redundent, ac iuramentum, vinculum iniquitatis eſſe non debeat, decernimus fore nulla, vacua, irrita & inania; & nullius exiſtere firmitatis, & quatenus ad illa de facto proceſſum extitit tollimus, & reuocamus omnino & iuribus vacuamus. Cæterum cum præfatus IOANNES PAPA XXII. prædeceſſor noſter dudum vniuerſis & ſingulis tam clericis quam laicis cuiuſcunque ſtatus, ordinis, conditionis, præeminentiæ vel dignitatis exiſterent etiamſi Pontificali, vel Imperiali ſeu Regali vel quauis alia dignitate fulgerent, ac omnibus Principibus Ducibus Marchionibus, Comitibus, Baronibus & nobilibus, ac Poteſtatibus, Capitaneis & aliis Officialibus quibuſcunque Comitibus Baronibus & nobilibus ac Poteſtatibus & populis ciuitatum terrarum, caſtrorum, & aliorum quorumcunque locorum vbicunque conſiſtentium, & omnibus aliis quibuſcunque auctoritate Apoſtolicæ inhibendum per ſuas litteras vim conſtitutionis habentes duxerit, & mandandum ne per ſe vel alios directe vel indirecte Patrimonii Romandiolæ Marchiæ Anconitan. Ducatus Spoletan. Campaniæ, Maritimæque ac Maſſæ Trebariæ Prouincias Venaiſſini, & Vrbanitus, olim Comitatus, ac Vrbinat. & Rauenaten. ciuitates & alias terras, Ciuitates, Caſtra, Villas & loca quæcunq; ad eandem Romanam Eccleſiam pertinentia, vel ipſorum vel alicuius eorum partem occupare, inuadere, aut turbare ſeu fidelibus eorundem iniurias, damna ſeu violentias irrogare, aut occupatoribus inuadentibus, turbantibus, vel iniurias, damna ſeu violentias irrogantibus publice vel occulte aſſiſtere, aut auxilium, conſilium, vel fauorem directe vel indirecte publice vel occulte, per ſe vel alium ſeu alios præſtare præſumerent quoquomodo, in omnes ſingulos, contra inhibitionem & mandatum huiuſmodi venire aut attentare per ſe vel per alios præſumentes tam clericos quam laicos, etiamſi vt prædicitur Pontificali aut Imperiali ſeu Regali vel alia quauis dignitate fulgerent, de fratrum ſuorum conſilio, excommunicationis, quam eo ipſo incurrerent ſententiam promulgauit, ipſorumque Terras necnon quaslibet Vniuerſitates, Communitates, & populos ipſorum Ciuitates, Terras, Caſtra Villas, & loca in præmiſſis vel aliquo præmiſſorum culpabiles Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, & eos ac ipſorum quemlibet omnibus Priuilegiis, indulgentiis, gratiis & immunitatibus realibus, & perſonalibus ab eadem Eccleſia & Imperio Romano conceſſis eiſdem, omnium etiam feudorum, bonorum, honorum, officiorum, iurium, & iuriſdictionum quæ ab Eccleſia & Imperio prædictis obtinerent, de ipſorum fratrum conſilio auctoritate priuauerit ſupradicta, ipſos ad illa & ſimilia & qualibet alia, eorumque filios & Nepotes ad quælibet beneficia Eccleſiaſtica, dignitates, perſonatus & officia cum cura vel ſine cura, quouis nomine cenſeantur, auctoritate qua-*

*libet obtinenda vſq; ad tertiam generationem excluſiue reddendo inhabiles & indignos.*

*Nos per præmiſſa vel quæcunq; alia inhibitioni mandato pœnis & ſententiis per ipſum prædeceſſorem factis, & promulgatis, vt ſuperius eſt expreſſum, aliisq; contentis in litteris ſupradictis non intendimus in aliquo derogare inhibitionem, mandatum, pœnas & ſententias & alia ſupradicta per præſentem conſtitutionem noſtram roboramus, & in ſui vigoris efficacia volumus & decernimus permanere.*

*Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ priuationis, admonitionis, reuocationis, roborationis voluntatum & conſtitutionum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Auinioni XII. Calend. Auguſti Pontificatus noſtri anno 5.*

# IESV CHRISTI Annus 1347.

## CLEMENTIS PAPÆ VI. ANNO 6. Caroli IV. Regis Roman. ANNO 2.

I. *NOVITAS ROMÆ MIRABILIS: ET AVDACIA INAVDITA CVIVSDAM GABRINI ROM.*

MONSTRVM ingens, Romæ hoc anno ipſo Pentecoſtes die apparuit. Nicolaus Gabrinus Laurentii ciuis Romani filius, & ſcriba publicus, vir ingentibus animis, nemine bonorum ſciente, Capitolium cum armatis hominibus conſcendens, libertatem populi Romani, aliquoties conclamauit, & facto concurſu promiſcuæ plebis, Senatores Vrbis, quorum eligendorum ius populo Romano à Clemente Quarto fuerat conceſſum, Capitolio eiecit, illudque ipſe occupauit: tanto populi fauore, vt ſolus Rempublicam Romanam quocumque volebat flectere potuerit. Prætextus erat, libertas, quam à tyrannide Senatorum & ab Optimatibus nonnullis oppreſſam reſtituere, & antiquum Romani Imperii decus reuocare ſe poſſe aiebat.

Calendis Auguſti, nomen Tribuni Romani & inſignia aſſumpſit: cingente eum gladio inaurato, Sindico, quem vocabant, populi Romani, calcaria autem aurea pedibus aptante, Nicolao Peruſino equite aurato. Hac aurea dignitate auratus, libertatem, & ius ciuitatis Romanæ, omnibus Italiæ ciuitatibus publicauit, & ex quinque vexillis magnificis, vnum Florentinis, alterum Peruſinis, tertium Tridentinis miſit: quartum in Baſilica Laterana ſuſpendit, quintum ſibi ſemper præferri imperauit.

Comitio poſtea populi indicto, annonæ copiam, vrbium reliquarum ſocietatem, & abſolutionem ab omnibus noxis, ſe curaturum promiſit. Quod ſibi non fore difficile dixit, permiſſa poteſtate Vicarii Pontificii Cardinali Petragoricen. quem diademate inſolenti delato in Baſilica Capitolina captare decreuerat: eoque conniuente, amicitiam Italiæ procerum ſibi pollicebatur. Vt autem pietatis ſpecie populo inſanienti illuderet, ſolemni pompa, in Lateranenſis Baſilicæ Conſtantini Magni labro, lauari, ac rebaptizari voluit.

*CVRAT SE REBAPTIZARI.*

Ab ea ſacrilega lotione, titulos faſtu & væcordia plenos ſibi aſcripſit, & litteris præſcripſit: Nicolaus, candidatus Spiritus Sancti miles, & Clemens, libertatis, pacis, iuſtitiæque tribunus, Sacræ Romanæ reipub. liberator illuſtris Vrbis, Zelator Italiæ, amator Orbis, Auguſtus Gabrinus. Ea verborum pompa, tantam admirationem & opinionem ſibi apud nonnullos finitimos conciliauit, vt Legatos ad eum fœderis paciſcendi cauſa deſtinauerint, ac pacem amicitiamq; ab eo expetierint.

Annulum ſinguli, à ſingulis ciuitatibus illi relinquebant, theſſeram concordiæ ſempiternæ: quod exiſtimarent auctore Nicolao, rempublicam Romanam veterem dignitatem recuperaſſe. Horum potentia væcors fretus, Clementi Pontifici animoſe ſcripſit: niſi intra anni decurſum Romam reuerteretur, ſedemque Romanam vrbi reſtitueret, ſibi & Romanis in animo eſſe, alterum ſummum Pontificem Romæ deſignare.

*PONTIFICI MINATVR.*

*CAROLVM ROM. REG. ET LVD. BAVAR. AD SVBSELLIA SVA EVOCAT.*

Carolum quoque Romanorum Regem iam inauguratum, & Ludouicum Bauarum, de iure Imperii armis decernentes ad ſubſellia ſua euocare non erubuit, eaſque quas adiungo, væſaniæ calamo ſcriptas vtrique dedit: dignas quæ vel cachinno effuſo legantur. Ita habet.

II. *TENOR CITATIONIS CVM MINIS IN CONTVMACIAM.*

*Ad honorem & gloriam ſummi Dei, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Sancti Ioannis Baptiſtæ, in cuius ſacratiſſimo templo militarem accepimus gloriam, necnon ad reuerentiam & honorem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Domini noſtri ſummi Pontificis ſtatum proſperum, ac augmentum Sanctæ Romanæ vrbis, Sacræ Italiæ, & totius fidei Chriſtianæ: Nos candidatus Spiritus Sancti miles Nicolaus, ſeuerus & clemens, liberator vrbis, Zelator Italiæ, Tribunus Auguſtus, volentes & deſiderantes donum Spiritus Sancti, & liberatores antiquos Romanos Principes, quantum nobis permittitur, imitari: notum facimus vniuerſis, quod quidem à nobis poſt aſſumptum Tribunatus officium, Romanus populus, de conſilio omnium & ſingulorum Iudicum, Sapientum & Aduocatorum vrbis, recognouit ſe adhuc illam habere authoritatem poteſtatemq; atq; iuriſdictionem in toto orbe terrarum, quam habuit in principio, & ſummo augmento vrbis præfatæ: & omnia priuilegia, facta in præiudicium authoritatis, & poteſtatis, & iuriſdictionis huiuſmodi, ad ſe reuocauit expreſſe.*

*Nos itaque authoritatem, poteſtatem, & iuriſdictionem antiquam nobis conceſſam à populo Romano, in publico Parlamento, & nuper à Domino noſtro ſummo Pontifice, vt patet per Apoſtolicas bullas eius, ne videamur dono & Spiritus Sancti gratia & ſacri Romani populi fauoribus ingrati, iure & forma quibus melius poſſumus & debemus, decernimus, declaramus, & pronunciamus, Romanam Vrbem caput orbis, & fundamentum totius Fidei Chriſtianæ ac omnes & ſingulas ciuitates Italiæ liberas eſſe cenſemus: & ex nunc omnes præfatos populos, ac ciues Ciuitatum Italiæ, facimus, declaramus, & pronunciamus, Ciues eſſe Romanos: quos & Romana libertate volumus gaudere.*

*Eadem authoritate & gratia Dei & Spiritus Sancti, ac Romani populi, dicimus. profitemur, ac etiam declaramus, Romanum Imperium, iuriſdictionem, ac etiam Monarchiam totius ſacri Imperii, ad ipſam almam vrbem, ac eius populum, necnon ad vniuerſam Italiam pertinere, & eaſdem fore legitime deuolutas multis rationibus & cauſis, quas ſuo loco & tempore declarari faciemus, dantes & præfigentes in his ſcriptis omnibus & ſingulis prælatis, Imperatoribus electis, Electoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, Comitibus, Marchionibus, populis, vniuerſitatibus, & quibuſcunque aliis in genere & ſpecie, cuiuſcumque prouinciæ ſtatus & conditionis exiſtant, & contradicere volentibus, ſeu in electione præfata ac ipſo Imperio Iuriſdictionem, poteſtatem & authoritatem prætendentibus quoquomodo, terminum hinc ad feſtum Pentecoſtes proxime futurum: ita quod infra prædictum terminum, in ipſa alma vrbe, & ſacroſancta Laterana Eccleſia, coram nobis & aliis Officialibus Domini noſtri Papæ & Romani populi, debeant cum eorum iuribus comparere: alioqui à dicto termino in antea procedetur, prout de iure fuerit procedendum. Et nihilominus ad prædicta omnia, in ſpecie, citari facimus Illuſtres Principes Ludouicum Ducem Bauariæ, & Carolum Regem Boemiæ, qui ſe aſſerunt Imperatores ad Imperium electos, Ducem Saxoniæ, Marchionem Brandeburgen. Archiepiſcopos Moguntinum, Treueren. & Colonien. qui in dictis termino & loco comparere debent, coram nobis, & aliis Romani populi Officialibus perſonaliter. Alioqui in eorum contumaciam procedemus, eorum abſentia non obſtante.*

Hæc



Hæc Nicolaus audacter audebat: qui, vt Petrarcha Carolo Romanorum Regi ſcribebat, nudiuſtertius caput extulerat, ex plebe Romana humili, non Romanorum Rex, non Conſul, non patritius, & vix bene cognitus Romanus ciuis, nullis ſociorum titulis, nullis maiorum imaginibus, denique nullis ad id temporis virtutibus ſuis clarus præfractè tamen vindicem ſe Romanæ libertatis aſſerebat. Obſcuri hominis clariſſimæ profeſſioni, illico Thuſcia cupide manus dedit, Imperia excepit. Iam ſenſim omnis Italia ſequebatur, iam Europa, iam totus orbis in motu erat: cum is non populum, ſed populi partem peſſimam amaret, coleret, admiraretur, illique in omnibus obſequeretur: tanta hypocriſia, vt cum Spiritu Sancto bonorum operum conſultore, continuo colloqui putaretur. Populus Romanus in duas partes ſciſſus, ad inuicem tumultuabatur. Tribunus porro, cum deteriori ſatisfacere cupiebat, alteram ſibi infeſtam faciebat.

*EIVS SEQVACES.*

*CAROLO ROM. REG. PERSEQVENTE NOCTV EXAVFVGIT.*

Cumque eam alteri conciliare contenderet, neque quicquam efficere poſſet, illam ſuo Imperio indignam pronunciauit. Sciuit hæc omnia Clemens Pontifex, & Carolo Regi Romanorum, data Epiſtola numero M. C. XI. ſignificauit. Is autem ex ſanioris partis Florentinis, Peruſinis, Senenſibus & Tridentinis exercitu collecto, cum & Patrimonii, & Campaniæ, & reliquarum Pontificiarum Vrbium milites præſto eſſe iuſſiſſet, in væſanum ducere imperauit. Quod cum primum Nicolaus intellexiſſet, amicis omnibus & cognatis conſilii ſui ignaris, mutata veſte, nocte intempeſta velut alter Catilina, vrbe exceſſiſſet, & ad Carolum Regem Romanorum, ſi forte homini imponere poſſit, conceſſit. *Nauclerus & Bonincontr. hoc anno. Corius hiſt. Mediolanen. parte 3. Blondus dec. 2. libro decima. Mutius hiſt. Germ. l. 24.*

III. *FVSIOR DE ISTO GABRINO TRACTATVS EX VILLANO.*

Albertus Argentinenſis, qui hoc tempore ſcripſit, Affirmat, vnum ex Vrſinis à Nicolao fuiſſe capite imminutum, Columnenſes autem Vrbe eiectos. Rem vniuerſam ad eum modum accidiſſe narrat Ioannes Villani, qui etiam per id temporis Florentinorum hiſtoriam, & res alibi geſtas memoriæ dedit.

Nicolaus Gabrinus, legatione Romanorum apud Clementem Pontificem Auinione defunctus, poſtquam nonniſi ſpes & pollicitationes, de referenda in Vrbem ſede Romana Pontificia, à Clemente retuliſſet, in Capitolium pro concione populo conuocato, vt erat eloquentiæ artibus inſtructus, & perſuadendi potens, multa de præſenti reipublicæ Romanæ ſtatu, & à proceribus oppreſſione populari, in commune dixit: adeoq; libertatis aureæ mentionem iniecit: quam facile eſſet adipiſci, Pontifice vltra montes ſedente, & fere nihil rerum in vrbe potente. Arrectis auribus, nonnulli populärium, hanc eius concionem audiuerunt: &, vt à natura mutabiliora ſunt vulgi conſilia, ad libertatis nomen exſultantes, Tribunum vrbis Nicolaum eſſe iuſſerunt.

*LIBERTATIS MENTIONE POP. AD SE TRAXIT.*

*TRIBVNVS FIT ET SENATVM CAPITOLIO EIICIT.*

Ibi Nicolaus fretus eorum viribus, ſenatum Capitolio deiecit: publicas S. P. Q. Romani ædes occupauit: nonnullos procerum Romanorum interceptos, ſententiæ capitali addixit: adeo vt plurimi Vrſinorum, Columnenſium, & aliorum ex Nobilitate, metuentes vulgi impetum, & Tribuni crudelitatem, Vrbe exceſſerint. Societate poſtea cum aliquibus Italiæ ciuitatibus inita, cum ſatis ſibi virium eſſe aſpexiſſet, equitis aurati inſignia in Baſilica Diui Petri Vaticana accepit, & vexilla vrbibus Italiæ miſit: Peruſinis quidem, Iulii Cæſaris ſtemmate & obeliſco aureo inſigne: Florentinis autem, Romanæ vrbis ſymbolo depictum, in quo Roma viduæ ſquallidæ habitu ſedens viſebatur, ab altera adoleſcente venuſti aſpectus, totius mundi chorographiam, quam manu porrigebat accipere.

*FIT EQVES AVRATVS.*

*CORNETI DOMINVM SVSPENDIT.*

Quod autem populo, nobilitatis potentiam inuiſam eſſe videret, multa pro conſeruanda eius libertate, proque adminiſtratione iuſtitiæ dixit: & ſtatim Corneti dominum, impotentis licentiæ accuſatum, tribus lignis addixit. Ludouicus Vngariæ Rex, qui hoc anno ad vlciſcendam Andreæ fratris mortem in Italiam penetrauerat, eius ſocietatem, miſſis Oratoribus expetiit, qua ille auctus, Præfectum vici Viterbienſibus dominantem, Guidum Comitem, eiusque fratrem ac duos filios, necnon alios plures nobilium, ad epulum per fraudem inuitatos, poſtquam abunde genio indulſiſſent, in vincula & carceres publicos coniecit, & Legato ſedis Apoſtolicæ, Bertrando, tituli Sancti Marci presbytero Cardinali, tales metus incuſſit, vt ille non auderet Romam deſcendere: apud Montem Faliſcum conſilii & virium inops. Vrſinorum alii, è campo Floræ, & Monte Iordano, vt primoribus Columnenſium incommodarent, à partibus Tribuni ſtabant: pars eorum non modica aliis Columnenſibus adhærebant. Itaq; cum Stefanus, Stefanucius, Ioannes & Iordanes Columnii 550. equitibus & plurimis peditibus à Legato Apoſtolico aucti, Romam, noctu, perrupta Tyburtina porta in vrbem irrupiſſent, Vrſinorum illi & plures nonnulli ad ſonitum campani æris à Tribuno excitati, ad arma procurrentes, Columnios vrbe excluſerunt, Stephanucio, Ioanne, & altero Ioanne, Præpoſito Marſilien. & aliis eius ſtirpis occiſis, ad diem XX. Nouembr. Inſolenter tunc, die XXIV. Nouembr. Nicolaus triumphauit, tum equitatu ſuo vniuerſo ad Diui Laurentii extra muros producto, tum Laurentio filio nomine Victoriæ impoſito, tum ſupplicatione totius Cleri ad Sanctæ Mariæ Maioris Baſilicam indicta. Cumque Clemens Pontifex Vicarium vrbi præpoſuiſſet, auſus eſt homo arrogans, illo præſente in Capitolio, verba ad populum facere; propoſito themate ex Pſalmo XVIII. verſu illo: *Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum.*

*LVDOV. HVNG. REX EIVS SOCIETATEM PER ORATORES PETIT.*

*COLVMNII IN VRBEM IRRVMPENTES REPELLVNTVR TRIVMPHAT.*

Comitem quoque Palatinum Altemuræ ad ſua ſubſellia euocauit, vt de eo ſupplicium ſumeret. Cæterum ille 150. cathaphractis, à Præfecto Patrimonii, opera Cardinalis Legati acceptis in vrbem venit; non vt cauſam diceret, ſed vt inſolentem Tyrannum, in ordinem redigeret. Columnenſibus, & ſanioris partis Vrſinorum aliquibus adiunctus, ad diem XV. Decembris, clamore, *Moriatur Tribunus:* excitato, omnibusque plateis vrbis occupatis, in Capitolium penetrauit: ex quo tyrannus, tum ab aliis Vrſinis, tum à reliquo populo deſertus, mutato habitu, primum in molem Adriani nulli cognitus conceſſit, & tandem vrbe & Italia exceſſit: exemplum vniuerſis, qui fauore populari inſolentes, ad faſtigia rerum aſpirant, vel enituntur: ne volubili auræ fidant. *Villani lib. 12. c. 89. & c. 104.*

*A POPVLO DESERTVS FVGIT EX VRBE.*

Sed quid Nicolao acciderit præſtat ex MS. Diario Vaticano cognoſcere, illo ipſo tempore ſcripto. Ita refert. Natus eſt Nicolaus Romæ, obſcuris parentibus, patre Laurentio popinario, Matre Magdalena lotrice & aquæbaiula: regione vrbis quam Regulam vulgus vocat, non longe à receptaculo Hebræorum, vico qui Moletrinis fuit propinquior.

*EIVS NATIVIT. PVERITIA.* *Diar. ex MS. Vatic. num. 5522.*

IV. *COPIOSISSIMA PRÆDICTI GABRINI HISTORIA.*

A pueritia ſtudiis litterarum innutritus, eloquentiæ in primis operam dedit: deinde iuriſprudentiæ, ac hiſtoriarum lectioni adeo feliciter incubuit, vt Ciceronem, Maximum, Titum Liuium, & Senecam vtrumq; memoriter recitaret. Commentarios Cæſaris præ cæteris lectitabat, & fere totos dies, in ſcrutandis epitaphiis, ſculpturis, cæteriſque antiquitatibus conſumebat. A quorum admiratione tantam ſibi apud populum admirationem conciliauerat, vt antiquarii titulum meruerit.

*ADOLESCENTIA.*

Adoleſcentiam ingreſſus, iam tunc cogitabat, qua ratione populares ad libertatem ambiendam incitaret, viamque ſibi ad honores & dignitatem aliquam inſignem aperiret. Vnde ſi aliquod buſtum, vel caput ſtatuæ antiquioris alicubi reperiſſet, antiquam magnitudinem populi Romani, & viros libertatis Romanæ

vindi-

vindices, exclamabat, temeritatemq; ſuperiorem temporum, ſibi ac populo nouarum rerum auido optabat.

V. AVENIONEM AD PONTIF. PROFICISCITVR.

Accidit, vt quiſpiam fratrem illi occiderit: cuius necem vt Nicolaus vlciſceretur, Auinionem profectus, Clementi facinus exagerauit: & per occaſionem quamplurima in Proceres Romanos dixit: homicidas, adulteriis & ſtupris infames, viarum inſeſſores, manipulum latronum in fortunas & vitam miſerorum, ex conſceleratis confœderatorum, per quos Romana vrbs in ſolitudinem deſolata iaceret, accuſauit.

ACCVSAT PROCERES ROM.

Ea libertate Ioannem Columnam Cardinalem vehementer offenderat Nicolaus: ſeq; in tantas anguſtias coniecerat, vt omnibus exhauſtus vix in prochodochio, ægritudine inſuper confectus, ſeminudus, Iro ipſo pauperior locum inueniret. Verumtamen vt erat dicendi & fallendi artifex, cumprimum conualuiſſet, Columnio reconciliatus, illi tam vafie impoſuit, vt is Clementi Pontifici hominem æquitatis & iuſtitiæ amantem eſſe dixerit, Clemens vero ſcrinio Capitolino illum præfecerit, ac multis beneficiis affecerit.

IMPONIT CARD. COLVMNIO.

ROMAM REDIT.

Romam reuerſus, popularium gratiam captare, omnibus arridere, aſſurgere, prono officio ſibi omnes conciliare, maiores ad iuſtitiæ adminiſtrationem, reliquos autem ad pacem, concordiam, & Apoſtolicæ ſedis reuerentiam hortari cœpit. Populus, ad ſalutem vrbis deſtinatum eſſe, propter eas artes exiſtimabat. Euenit, vt ſemel vnus ex Columniis, Populi Romani Camerarius, illum alapa percuſſerit, quod intempeſtiue officii Senatores & Adminiſtros boni publici admonuiſſet, ne ſimul cum fortunis ſanguinem populi Romani, tam auare, quam crudeliter exhaurirent.

ALAPA PERCVTITVR A CAMERAR. P.R.

VI. SYMBOLICVM SCHEMA IN CAPITOLIO EXPONIT.

Ea iniuria Nicolaus tantum abeſt vt de libertate dicendi quicquam remiſerit, vt multo etiam grauiora tentauerit ac fecerit, quibus ſibi populares coniungeret. Pictam imaginem, in Capitolio ante aulam Comitiorum ſymbolico ſchemate expoſuit, quo ſub tyrannide potentiorum calamitatem Populi Romani adumbraret.

*In mari procellis concitato, nauis fluctuabat exarmata ferens viduam ſqualidam, crinibus ſparſis, manibus paſſis, genu flexo, pietatem ſuperum, ploratibus & eiulatibus immenſis implorantem. Nomen ſupraſcripſerat fœminæ naufraganti: Roma. Ab vno latere eius prætoriæ, quattuor naues omnibus inſtrumentis aut fractis aut amiſſis, gurgitis profundum implebant: in quibus totidem fœmellæ exangues demerſæ iacebant: hac nomenclatura inſignes: Babylonia, Carthago, Troia, Hieruſalem.*

Legebantur & iſta verba: *Submerſæ iacent propter iniuſtitiam.* Ad *latus ſiniſtrum eiuſdem prætoriæ, tres ſcopuli eminebant: in quorum vno, Italia ſpecie virginis pudicæ, caſum Romanæ vrbis plangebat: in altero quattuor virtutes Cardinales, totidem virginum imaginibus, manibus ad genua dimiſſis, calamitatem Populi Romani dolebant: in tertio autem Fides Catholica, habitu candido puellæ, Deum pro Salute vrbica humili geſtu poſcebat. Ad dextrum latus multiuariæ animalia, cornibus armata, ventum & turbinem excitandæ procellæ ex ore efflabant, & ad naufragium Lyburnam Romanam impellebant. In primo ordine viſebantur leones, lupi, vrſi, cum elogio:* Senatores, Proceres, Nobiles Romani, *alterum agmen ducebant, pardi, tigrides, & leopardi cum inſcriptione:* Conſultores, ſuggeſtores, Excubitores Nobilium. *Sequebantur dracones, vulpes, hyrci cum nomenclatura:* Iudices, Scribæ, Adminiſtri. *Vltimo adreptabant, Simii, feles, & reliquæ feræ rapaces popularium quorumdam per homicidia, ſtupra, adulteria, & reliqua ſcelera infamium indices. Cœtus deſuper apertus conſpiciebatur, ex quo Iudex mundi duos gladios ab ore ancipites vibrans, quaſi ad extremum iudicium veniebat: coram quo hinc Petrus, hinc Paulus Apoſtolorum Principes procubui orarent.*



Ea pictura, non modicum ſibi auctoritatis apud populum Nicolaus conciliauit. Paulo poſt ad Baſilicam Lateranenſem profectus, promiſcuam plebem pro concione allocutus, multis in Senatum ac populum inuectus eſt: ac in continenti tabulam æneam literis, quas nullus alius legeret aut interpretaretur præter ipſum, exaratam, pariter pone chorum inſeri imperauit: quæ etiam repræſentaret, Populum Romanum, Imperatori Veſpaſiano deferentem Imperium. Innuebat ea imagine, Imperii Romani poteſtatem, penes Populum Romanum eſſe: adeoq; omnes meminiſſe debere officii, ne ea dignitas cuiquam, ab altero quopiam, quam à populo Romano decerneretur. Pronis auribus audiebantur iſta omnia non tantum à popularibus, verumetiam ab ea Nobilitate, quæ Pontificiam authoritatem non tanti æſtimabat.

ALIA IMAGO.

Quamobrem ab ea aura, maiora auſus Nicolaus: tabulatum in Baſilica Lateranenſi concioni faciendæ extructum, in coram Stephano & Ioanne Columniis, & pleriſq; aliis ex nobilitate, pompam inſolentem candidam, auro intertextam indutus, gladio accinctus conſcendit & magna fiducia, de maieſtate imperii, de poteſtate ac libertate populi Romani verba fecit: deinde Veſpaſianeæ tabulæ myſteria propoſuit, quæ cum ingenti facundia explicaſſet, mox ex ſchedula aliqua pacta recitauit: quibus Populus Romanus Veſpaſiano Imperium deferebat.

CONCIONEM AD POP. ROM. IN BASIL. LATER. HABET.

Addidit eam ſemper fuiſſe Romani populi poteſtatem, vt penes illum ſumma rerum foret. Ad extremum, calamitatem & ſeruitutem qua à Nobilitate opprimebantur, oculis ſubiecit, & vt aliquando libertatem iuxta ac dignitatem recuperarent, tum optauit, tum voluntatem ſuam illis ſignificauit.

VIII. ALIAM IMAGINEM AD POP. COMMOVENDVM SVPPONIT.

Iam vulgus nihil aliud quam antiquum decus Imperii ſomniabat, & non alium reſtituendo illi quam Nicolaum Laurentii à Diis deſtinatum eſſe in ore habebat. Non ignorabat iſta venerator, ad omnes occaſiones arripiendæ tyrannidis intentus, qui vt populum magis ac magis ad res nouandas inflammaret, aliam imaginem ad Baſilicam Sancti Angeli in foro piſcario clam ſuppoſuit. *Proſtabat ignis ardentiſſimus fumans & flammans vſque ad nubes. In eo præter Reges & principes extinctos, eminebat matrona annoſa duas partes corporis aduſta, tertia illæſa. Ab altera parte templum viſebatur, ex quo Agnus veſtem purpuream indutus, gladium geſtans manu exibat, manumq; alteram matronæ periclitanti, vt eam è flammis eriperet porrigebat. Super campanaria turri, Principes Apoſtolorum Petrus & Paulus de cœlo deſcendere videbantur, qui orarent: Agnus Dei, ſuccurre huic quæ nos hoſpitio excepit. Cadebant etiam de cœlis in flammas multi accipitres extincti: & ſuper eos columba candida, myrteam coronam ore ferens deuolabat, quæ illam paruula cuidam volucri non maiori quam carducli imponeret quæ ales paruula ornata in cœlos ſubuolaret, & accipitres illos de ſuperis in medias flammas deiiceret. Adſcriptum fuerat imagini: Nunc venit tempus iuſtitiæ, & tu præſtolaris tempus iuſtitiæ?* Nemo Romanorum tum ſtupidus fuit, qui ignoraret, quorſum iſtæ imagines. Addidit, & hanc aliam Impoſturam Nicolaus.

IX. ALIA GABRINI IMPOSTVRA.

Primo die ſacri Quadrageſimalis ieiunii, portæ S. Georgii Martyris, ſchædam quaſi ab aliquo prophetarum concepta eſſet affixit. Scriptum fuit: *breui tempore, Romanos priſtinum decus recuperaturos.* Ab his populum & pleroſq; ex nobilitate, cum non obſcuris indiciis ad libertatem aſpirare vidiſſet Nicolaus, in montis Auentini locum quemdam ſecretiorem quamplurimos eorum euocauit: ac lachrymis profuſis calamitatem vrbicam in coram eis deplorauit: mox periculi in quo verſarentur, niſi obſtarent, admonuit: facileq; poſſe maieſtatem antiquam populi Romani recuperari, multis edocuit: ſi illi tantum viri eſſe vellent, neq; amplius diram ſeruitutem ſub iugo tyrannico ſeruire ſuſtinerent.





ANIMAT AVDITORES AD AVDENDVM.

Quod ſumptus attineret: trecenta millia nummum aureorum, quæ ſummo Pontifici Romano ſingulis annis ex redditibus portorlis, ſalis vectigali, & cenſis domibus numerabant, præuertenda eſſe interim aſſeruit: Hacq; vel ſola ratione animos auditorum, ad audendum animauit: quod & abſenti Pontifici tantam pecuniam ſubmittere durum exiſtimarent, & inſolentiam paucorum effrenem non ſibi amplius tolerandam putarent. Namq; Roma à flagitioſis inſeſſa, ſtabulum flagitii videbatur.

X. QVIS TVNC STATVS VRBIS ROMÆ.

Petrarcha, vel quiſquis ille eſt, qui inter eius epiſtolas, aliquot ſine titulo ſcripſit, hæc quæ adiungo de ſtatu Romanæ vrbis ſcripſit: *Temporibus antiquis, inquit, iocabatur fortuna, nunc ſæuit. Redde Neronem precor, redde Domitianum: apertior quidem perſecutio, ſed leuior erit & breuior. Liceat pretio modici ſanguinis mercari cœlum, & ad gloriam martyrio peruenire: latenti tabe conſumimur: non vita præcipitur, ſed virtus: nec bene viuere ſinimur, nec honeſte mori. Quicquid de Aſyria, vel Ægyptia Babilone, quicquid de quattuor labyrinthis, quicquid denique de Auerni limine, deq; tartareis ſyluis, ſulphureiſq; paludibus legiſti: huic tartaro admotum, fabula eſt.*

*Hic turrificus ſimul atque terrificus Nemroth, hic pharetrata Semiramis; hic inexorabilis Minos; hic Rhadamantus, hic Cerberus vniuerſa conſumens, hic tauro ſuppoſita Paſiphae, mixtumque genus (quod Maro ait) proleſque biformis Minotaurus ineſt, Veneris monimenta nefandæ; hic poſtremo quicquid confuſum, quicquid atrum, quicquid horribile vſquam eſt, aut fingitur, aſpicias. Putaſne ciuitatem hanc eſſe quam vidiſti? Longe alia eſt, longeque diſſimilis. Fuit illa quidem omnium piiſſima, eaque tempeſtate fœdiſſima: hæc vero non iam ciuitas, ſed laruarum ac lemurum domus eſt: & vt breuiter dicam, ſcelerum atque dedecorum omnium ſentina, atq; ille viuentium infernus, tanto ante Dauidico ore notatus, quam fundatus aut cognitus.*

Hæc & alia plura ille ſcribebat: propterea quod Pontifice abſente, Rectores populi nequicquam poterant prohibere, quin cædes, latrocinia, ſtupra, raptus, adulteria, vrbem deformarent: quoq; aliquis potentior eſſet, eo maiora conſciſceret.

XI. FOEDVS INITVR CONTRA PROCERES.

Commemoratio iſtorum adeo commonit populares, vt non difficile contra Proceres fœdus inierint, & ad ſonum æris campanæ ad ſancti Angeli in foro piſcario Baſilicam frequentes conflaxerint, vbi Nicolaus armatus poſtquam à triginta ſacerdotib. de S. Sancto ſacrificium offerri inſpexiſſet, tria vexilla explicauit. Primum purpureum, præferebat Romanam vrbem, duobus leonibus inſidentem, & palmam manu tenentem: cum inſcriptione: *Libertas.* Alterum candidum ſancti Pauli gladium vibrantis, & coronam iuſtitiæ proferentis imagine, fulgebat. Tertium S. Petri clauigeri icona ornabat.

DOMINVS VRBIS CONSALVTATVR GABRIN.

Attulit & Diui Gregorii tutelaris vrbis vexillum. Centum armati latus illius cingebant, cum ſuggeſtum conſcendens, libertati aſſerendæ quindecim & amplius plebiſcita, aduerſus Proceres ex ſcheda recitari imperaſſet. Ibi popularium clamoribus, Dominus vrbis conſalutatus, totius adminiſtrationis ſummam accepit; ac penes Pontificis Vicarium, nonniſi vmbra poteſtatis remanſit: cum Nicolao, vt quicquid liberet faceret, permiſiſſent.

XII. TVMVLTVS POPVLARIS CONTRA COLVMNIVM.

Stephanus Columnius primus fuit ex nobilitate, qui facinus improbaret. Quamobrem Corneto venienti, Nicolaus, dicta dixit: at is ſchedam minutatim diſcerpſit, omniaq; extrema Nicolao imprecatus, Saxi Tarpeii illum admonuit.

Non tulit eam contumeliam Nicolaus: ſed in momento ad ſonum campanæ populum conuocauit: actumque fuiſſet tunc de Stephano, niſi vrbe excedens Prænestem confugiſſet. Populo propter facinus Columnii in nobilitatem fremente, Nicolaus omnes Proceres ab vrbe diſcedere iuſſit die ſequenti, omnes vrbis pontes cuſtodiis armatis cinxit: poſtridie adminiſtros



iuſtitiæ deputauit: atq; ſub ipſa hora, aliquos capite minui, alios patibulis affigi, nonnullos aliis cruciatibus exanimari propter flagitia decreuit: adeo vt populares quibus inuiſa fuerat nobilitatis potentia, titulum Tribuni illi detulerint: parique cum Pontificio Vicario poteſtate eſſe voluerint.

CREATVR TRIBVNVS

XIII. NOBILIVM CONTRA IPSVM FOEDVS.

Nobilitas quæ ſe in caſtella receperat, eam indignitatem perculſa, fœdus aduerſus Nicolaum percuſſerat, deq; opprimendo cogitabat: verum tamen per diſcordiam aliquorum nihil operæpretium efficere poterat. Quod ſimul atq; Nicolaus intellexit, ſingulos ad ſua ſubſellia edicto euocauit.

IVRAMENTVM RECIPIT A NOBILIBVS.

Primus cui dicto paruit, fuit Stephanus Stephani Columnii filius: quem tribunus, propoſita ſacra Euchariſtia & Euangelii codice, in verba ſua iurare coegit. Raynaldus Vrſinus; Ioannes, Iordanus & Stephanus Columnii, Franciſcus Sabellus, & plerique alii ex nobilitate etiam adfuerunt, & iuſiurandi ſacramento ſe tyranno adſtrinxerunt, quod ſibi à populo metuerent.

Namq; Capita, Iudices, Sodalitatum & vicorum præfectos, Notarios, ſibi iuramento Nicolaus deuinxerat: & iam tyrannidi imminebat. Quam vt inuaderet, Palatium pro iuſtitia adminiſtranda ſingulare deſignauit, ptoq; faſtigio illius vexillum Diuo Paulo inſigne explicauit. Mox legem talionis ad inſtar Moſaycæ tulit: vt ſi quis oculum alteri effodiſſet, exocularetur: ſi dentem excuſſiſſet, dente quoque imminueretur: prius tamen aliqui pacarii curarent, ſi quomodo ad concordiam mutuam poſſent adducere. Itaque ſi quis exoculaſſet alterum, ad Scalas Capitolinas, ante iniuriam paſſum procumbens, plorabat culpam dimitti: adſtabant & pacarii, qui ad condonandam iniuriam inuitarent: Cæterum ſi is ex rigore legis agi poſtularet, carnifex accerſiebatur, qui oculum erueret. In capitis reos, ſine vlla miſericordia animaduertebat, adeo vt ne Sacratis quidem viris vitam concederet. Vnde quendam ex Diui Anaſtaſii ad guttam iugiter manantem cœnobio, capitis imminutione mulctauit. Qua ſeueritate, tantum terroris malefactoribus iniecit, vt multi, ne interciperentur, vrbe exceſſerint.

LEGEM TALIONIS FERT.

EIVS SÆVITIA.

XIV. INVITAT OMNES ITALIÆ PRINCIPES AD FOEDVS.

Omnibus ad nutum eius nutantibus, tantum ſuperbiæ concepit, vt crederet, ſe non amplius humanum caput, ſed quippiam ſupra humanum gerere. Quamobrem & de reliqua Italia in poteſtatem redigenda, & de titulo Imperii vendicando, ſerio non modo cogitauit, ſed etiam egit. Et inprimis quidem Vrbibus Etruriæ, Campaniæ, Æmiliæ, Flaminiæ, Maritimæ, Liguriæ, Duci ac Senatui Veneto, Luchino Mediolanenſium Præfecto, Marchionibus Ateſtinis, nec non reliquis Principibus Italiæ ſcripſit, eoſque ad fœdus percutiendum, vt Procuratores mitterent, inuitauit: adfore iam tempus, quo Italiam Imperio Romano refloreſcentem aſpicerent, ſi modo Vrbium Dominam, armis & conſiliis adiuuarent. Regios quoque principes, Tarentinos, Dyrrachii, & alios in ſuam ſocietatem adducere, miſſis veredariis conatus eſt.

LVD. BAVAR. ET CAROL. ROM. REGEM AD CAVSAM DICENDAM EVOCAT.

Inſuper eo audaciæ & temeritatis proceſſit, vt & Clementi Pontifici, niſi ad diem deſignatum Romam reuerteretur, alium Pontificem per comminationem oſtentaret, & tam Ludouicum Bauarum, quam Carolum Regem Romanorum, ad ſubſellia Capitolina, vbi cauſam vſurpati regni & Imperii Romanorum dicerent, vocare non dubitauerit. Ludouicus Pannonum Rex, amicitiam eius ſponte expetiit. Robertus Tarentinus quemdam Minoritam Archiepiſcopum Oratorem, fœderi percutiendo ad eum deſtinauit. Plurimi proceres, ac vrbes Italiæ, miſſis procuratoribus, annulos aureos indices fidelitatis ei detulerunt. Philippus Gallus temeritatem hominis, ſcripta epiſtola mercatoris in modum, riſit & damnauit.

Clemens Pontifex, Carolum Regem ad excindendum monſtrum litteris excitauit: quod audiret hominem ad extremum veſaniæ prorupiſſe, & iam tyrannidem diu expetitam arripuiſſe. Veredarii, quos innumerabiles hincinde dimittebat, virgam ligneam inargentatam, inſigniis Populi Romani & NICOLAI illuſtrem præferebant: quaſi ſignum reſtitutæ dignitatis & libertatis antiquæ, vt penes illos Imperii decus & poteſtas eſſe videretur. Ipſe tribunus toruum aſpiciens, armatus, & paludamento purpureo indutus, diras ſpirans apparebat. Latus tyranni ambiebant, nugiuenduli, paraſiti, obſonatores, pantomimi, obærati, poetæ, muſiciamuſi, cantores, tibicines, tubicines, & cum his carnifices. Statim atq; is edixerat, ad cruciatus, lanienam, atque mortem raptabant.

XV.
VARII SVPPLICIO EXTREMO AFFECTI.

Martinus Cardinalium Annibaldi Ceccani, & Iacobi Cacrani nepos, infelicem tunc ſubiit mortem: quamquam ex hydrope ad extremam fere lineam adductus, & ab appatitoribus Nicolai raptus, & inter leones Capitolinos latrocinii damnatus, furcis in area Capitolina immaniter appenſus eſt, inſpectante Marina Alberteſcha acerbam coniugis necem. Duos Senatus ſcribas contumelia mitræ chartaceæ notauit, & repetundarum nomine pœna pecuniaria multauit. A Stephani Columnæ palatio quoſdam eductos lignis affixit: Omnes qui antea Senatoriam dignitatem geſſiſſent, centum aureis damnauit: totidem omnibus & ſingulis ex nobilitate, quaſi Palatinæ Capitolinæ reædificandæ impoſuit. Petrum Agapiti Columnium huius anni Senatorem in ergaſtulum coniecit. Palatinam Capitolinam, non tantum præſidiariis militibus, verumetiam ligneis tranſtris & aliis ædificationibus communiuit: cæterum omnium nobilium ædes, ſeptis, tranſtris, & aliis munitionibus diſiectis exarmauit: omnibus ciuibus vt ad tinnitum campanæ in aream Capitolinam toties quoties voluiſſet ſignificare confluerent imperauit: deinde commeſſationibus, crapulæ, ebrietati, ludis, & omni licentiæ viuendi ſe dedit. Mille & trecentos pedites, trecentos ſexaginta equites armatos ſacramento iuriſiurandi ſibi adſtrinxit: in quorum ſtipendia nouum vectigal Romanis impoſuit. Cumq; ſe aduerſus omnem impetum optime munitum eſſe perſpexiſſet, pompam ſolennem indutus, die S. Ioannis Baptiſtæ, & poſtea pro celebritate Principis Apoſtolorum, frequentia nobilitatis in modum proceſſionis eum comitante & antecedente ſtipatus, Baſilicas Lateranen. & Vaticanam eques acceſſit.

TYRANNICVM REGIMEN.

XVI.
QVA POMPA BASIL. LATERAN. ET VATIC. ACCESSERIT.

Candidis auro intertextis veſtibus oblongis indutus, albicante equo ferebatur, in manu geſtans ſceptrū chalibæum cruce aurea, quæ particulam ligni Dominici continebat, ornatum. Præibant iuuenes armati, ſequebantur officiales Capitolini: mox quattuor Præfecti aulæ palatinæ: inde aliquis ferens poculum ingens argenteum inauratum: poſtea equites cataphracti, deinde tubicines, tibicines, argentea inſtrumenta inflantes, vel pulſantes: poſt eos gladium diſtrictum aliquis præferens: poſt hunc qui pecuniam in vulgus ſpargerent: deinde vexillum candido ſericum aureo ſole in medio, & ſtellis argentatis, necnon columba niuei coloris coronam oleagineam ore ferente inſigne: mox ipſe Tribunus haſtatis quinquaginta circundatus. Ad gradus Baſilicæ Vaticanæ deſcendentem clerus Eccleſiaſticis veſtibus indutus, excepit, & hymnum Veni creator præcinens vſque ad aram maximam adduxit. Vbi cum nonnulla donaria intuliſſet, gladium euaginatum ad tres plagas mundi circa aram ſtrinxit, dicens: *Iſtud eſt meum: iſtud eſt meum, & iſtud eſt meum.* Ibi Vicarius Pontificis temeritatem hominis admiratus, cum primum illum arrogantiæ coarguiſſet, accitis Tabellionibus proteſtationem contra veſanum Pontificio nomine impoſuit, quæ ne à quoquam ex ſcripto recitata audiretur, tubas inflari & diuerſos tumultus ex citari Nicolaus imperauit: mox ſacrificio Miſſæ ſolenni execrandus interfuit: deinde epulum publice omnibus qui vellent accumbere exhibuit, & congiarii in modum populo nonnulla largitus eſt: cum etiam equus æneus Conſtantini per tubos immiſſum vinum & aquam illud rubens vna iſtam limpidam altera nare, in concham marmoream *Conſtantinianam* totam diem & noctem ſtillaret, ſitimque omnium venientium extingueret. Vicarius Pontificis coactus, menſæ conuiualis caput erat: accumbebant promiſcue Proceres, Nobiles, Mercatores, plebei, vulgus reliquum, viri, fœminæ, adultæ, impuberes, virgines, coniugatæ, & reliquæ: Inter abundantiam ferculorum & affluentiam vini, pantomimis, & perſonatis circumſtrepentibus. Ipſe Nicolaus ante Vicarium Pontificem ſedebat, pileo gemmis operto, qui etiam columbam niueam repræſentaret, caput tectus, atq; purpuram indutus.

HOMINIS VESANIA.

SOLEMNIS EIVS EPVLVM ACCVMBENTE PONT. VICARIO.

XVII.
SENATORES ET ALIOS TVM EX VRSINIS TVM EX COLVMNIIS IN VINCVLA CONIICIT.

Ad 15. Auguſti, Tribunitiis inſigniis in Baſilica Laterana, poſt lauacrum in labro Conſtantiniano, acceptis, iam tum ſerio de tyrannide ineunda conſilia inita expedire cœpit. Et poſtquam CLEMENTEM PONTIFICEM & LVDOVICVM BAVARVM atque CAROLVM Regem Romanorum ex ſuggeſtu citaſſet, STEPHANVM Columnium per ſpeciem conuiuii euocatum cœpit, & in Capitolino carcere concluſit. Deinde PETRVM AGAPITI Columnium *Marſilienſis Eccleſiæ* præpoſitum, Vbertellumq; Bertoldi Vrſini filium Senatores Romanos eius anni, in idem ergaſtulum duci præcepit. Mox Proſperum & IOHANNEM Columnios, IORDANVM, REGINALDVM, NICOLAVM BERTOLDVM, & Vrſum Vrſinos, necnon plurimos nobilium vinculis alligauit, crimenq; coniurationis & proditionis libertatis illis impoſuit.

AD PETITIONEM POPVLARIVM ALIQVORVM VITAM ILLIS DONAT.

Iam nocte inſequente, qui illorum ſacras confeſſiones exciperet, ſacramq; illis Euchariſtiam porrigeret Sacerdotem ſubmiſerat, inque aulam rubicundo panno inſtratam, ad ſonum campanæ ſub ipſam lucem, ad ſupplicium produxerat: cum aliqui populariu m & nobilium interceſſiſſent, furoremque tyranni verbis ſupplicibus mitigaſſent, ne quod animo deſignauerat, capitis vinctos damnaret, vt autem ſpecie clementiæ ſitim ſanguinis contegeret, multa pro concione in illa verba orationis Dominicæ: Dimitte nobis debita noſtra, dixit & pro metu mortis impendentis iam ſemimortuis illis non tantum vitæ vſuram donauit, ſed & plurima dignitatis ornamenta conceſſit: ſibi tamen certam perniciem creauit.

PROCERES CONTRA TYRANNVM.

Nam proceres fœdere inter ſe percuſſo, cum præſidiis omnia loca ſua extra vrbana muniuiſſent, Romæ eo fine infeſti fuerant. Vt Nicolaum in campeſtria exciterent: vbi per abſentiam vrbanæ multitudinis facilius tyrannum profligarent. Animos illi maiores aſſumpſerant, quod per hos dies Nicolaus Reynaldi & *Iordani Vrſinorum imagines*, *inuerſo* ordine & poſitura, ſcil. capite deorſum & pedibus ſurſum ante palatium Capitolinum appenderat. Qua in dignitate illi & reliqui irritati, armis & flammis omnia circumuaſtabant: donec Tribunum elicerent, vt caſtra Marino admoueret.

XVIII.
A PONT. LEGATO ROMAM VOCATVR AD CAVSAM DICENDAM.

Interim Pontifex Aymericum Cardinalem Legatum Romam ad ſedandas ſeditiones miſit: is vero in Palatium Vaticanum deſcenſione facta, Tribuno vt obſidionem Marini ſolueret, & Romæ ad cauſam dicendam acceleraret, præcepit. Venit ille tandem non vt reus, ſed Imperatorio paludamento, & dalmetica gemmis & auro ornata indutus, diadema in capite, virgam chalibæam in manu ferens. Perſonabant illi tubicines, cum Legatum ſuperbe interrogaſſet: An ille ſe euocare auſus fuiſſet: & ecquid illi ſecum eſſet? Cumque Legatus, ſe nonnulla à Pontifice quæ renunciaret habere reſpondiſſet, ibi ille in furorem actus





PONTIF. LEGAT⁹ TERRETVR IPSO VISO.

vociferari, &c, quæ nonnulla? à quo Pontifice? præfracte repetere. Coactus eſt tunc Legatus ſeſe interius recipere: maxime quod videret veſanum armatis cinctum grauiſſima conari.

XIX.
MILITEM AD PVGNAM ANIMAT.

A Palatio reuerſus, pro concione populum vocauit; & tum D. Martinum, qui ſibi citam de hoſtibus victoriam polliceretur, tum S. Bonifacium VIII. Pont. qui eum ad ſumendam de hoſtibus Columniis vindictam exhortaretur, ſibi ſecundum quietem apparuiſſe dixit: eoque modo militem animatum, contra Columnios ad portam Tiburtinam irrumpere tentantes eduxit: cum prius præfectum vici ex primaria nobilitate Romana principem, ac eius filium in vincula conieciſſet, & bona eius publicaſſet. Eruptione facta, Ioannem, Stephanum, & Petrum Agapiti Columnium, vniuerſamque eorum phalangem vnico prælio proſtrauit, reliquos ſociorum profligauit, mox cadauera trium illorum in profluentem, niſi citius ſubducta fuiſſent, Tyberim demergere voluit: ac filium ſuum ad lacunam, ſecundum quam cæſi iacuerant, & quam ſanguine imbuerant, adductum, eadem aqua aſperſit, nomenque ei Laurentii à Victoria ibi impoſuit: quod diceret, auriculam ſe à capite recidiſſe, cui præcidendæ neque Pontifex, neque aliquis Imperator par eſſe poſſet. In Capitolium more ouantium reuerſus, gladium ſanguine cæſorum Columniorum fumantem, paludamenti lembo deterſit, inque vaginam recondidit: minas & cædes ſpirans in reliquam nobilitatem, ſi quid mouere pertentaret.

VICTORIAM DE COLŪNIS REPORTAT.

CAPITOLIŪ OVĀS INGREDITVR.

XX.
LEGAT⁹ PONT. ANATHEMA IN ILLŪ PRONŪTIAT.

Cardinalis Legatus à proceribus aliis, præſertim Luca Sabello, & Sciarra iuniore Columnio animatus, anathema Maranatha tyranno, nonniſi ſanguinem Romanum ſitienti, & tyrannidem ambienti dixit, nec non hæreticum qui mandata Pontificia contemneret, pronunciauit. deinde Ioanni Pepino Comiti Altamurano, tunc temporis in vrbe hærenti, atque Vrſinorum Principibus animos, qui in illum arma ſumerent, fecit. In ſumma: tantum odium nobilitatis populique Romani incurrit, vt ii tumultu excitato, tyrannum pompam deponere, & habitu mutato clam vrbe excedere coegerint. Vxor Nicolai, quod contumeliam metueret, griſeam D. Franciſci religionis tunicam & cucullam induta, ſpecie mendicantis Roma exceſſit. *MS. Vatic. numero* 5522.

TVMVLT⁹ IN TYRANNŪ ET EIVS FVGA.

XXI.
INCERTI AVCTORIS SCRIPTA PRO GABRINO QVÆ PETRARCHÆ ATTRIBVVNTVR.

Mirum eſt, quomodo Petrarcha, Columnenſium partiarius, potuerit Nicolaum Tribunum Auinione apud Pontificem agentem, ad ſuſcipiendum iſtud munus adhortari; ac deinde poſt tantam Columnenſium cædem, quanta poſtea Nicolao auctore facta fuerat, illius tamen cauſam tueri, eaſque tum in Romanam vrbem, tum in Auinionenſem ciuitatem contumelias, probra, conuicia, & impoſturas, ſcribere: quando Nicolaum Pontifex à Carolo Rege Romanorum miſſum in vinculis habuiſſet. Indigna ſunt illo calamo, quæ tum in Summum Pontificem, tum in ſacratiorem Ordinem, tum in vtramque vrbem, Babylonis titulo indicatam, tum in maieſtatem Imperialem, populariter euomuit, quam vero ex vero, vel ex ſenſu? ex iſta vnica quam populo Romano, vt libertatem, & eiuſdem aſſertorem tueatur, ſcripſit vide & ride. Ita habet inſaniæ plena. *lib. epiſt. ſine titulo.*

*Apud te quidem inuictiſſime, domitorque terrarum popule meus, apud te, clam, paucis, res magna tractanda eſt: aduertite animos, quæſo, obteſtorque vos viri clariſſimi: veſtra res agitur. Magna, inquam, nec ſolum magna ſed maxima, & cui in terris nulla par eſſe poteſt. neue forſitan ſciendi auidos expectatione conſiciam, aut rem ſuapte natura permaximam nitar verbis augere, præfationibus omiſſis, ad rem ipſam venio. Tribunus olim veſter, nunc captiuus alienus, ô triſte ſpectaculum, ceu fur nocturnus, aut patriæ proditor, ex vinculis cauſam dicit; & quæ nulli vmquam ſacrilego prærepta eſt, apud iudices orbis terrarum, & iuſtitiæ magiſtros, iuſtæ ſibi defenſionis facultas eripitur. Eſt ille forte non indignus hæc perpeti, qui ſuo ingenio, ſuiſque vt ita dixerim manibus plantatam, & iam radicatam florentemque Rempubl. in ipſo glorioſiſſimi ſucceſſus flore deſtituit; at minime digna eſt Roma, cuius olim ciues lege inuiolabiles, & ſupplicio exempti, nunc non modo ſine ſceleris infamiæ, ſed multa quoque cum laude virtutis, paſſim ſæuo quorumlibet arbitrio violenter. Ne enim cauſam ignoretis viri illuſtres, qua olim caput & rector, nunc ciuis dicam an exul veſter opprimitur, rem neſcio an vobis incognitam, ſed certe mirabilem & indignam audietis. Non ille quidem neglectæ, ſed defenſæ libertatis arguitur, nec deſerti, ſed occupati Capitolii reus eſt. Illud ſibi ſummum, & crucibus expiandum ſcelus obiicitur, quod affirmare præſumpſerit, Romanum Imperium, nunc etiam Romæ, & penes P. R. eſſe. O impia ſæcula, ô truculentam inuidiam, ô maliuolentiam inauditam! Tu vero nunc infallibilis & incorrupte rerum arbiter Chriſte, quid agis? Vbi ſunt oculi tui, quibus humanarum miſeriarum nebulas ſerenare ſolitus es? Cur illos auertis? Cur non ancipiti fulmine, cauſam dirimis ſceleratam? etſi non meremur, aſpice in nos, & miſerere noſtri. Reſpice inimicos noſtros, nec minus tuos: quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt nos, nec minus te. Diſcerne quæſumus, inter partes, omni ex parte diſſimiles; denique de vultu tuo iudicium noſtrum prodeat, oculi tui videant æquitatem. Certe, ſi iugo Romano, quod omnium iuſtiſſimum atq; ſuauiſſimum fuit, aliqua gēs, imo vero gens omnis vt cernimus voluit colla ſubducere, nihil eſt quod indignemur aut miremur. Eſt enim animis mortalium libertatis inſitus appetitus: ſæpe etiam inconſultus, ac præceps: & ſæpe dum parere melioribus pudor vetat, qui bene ſubeſſent, male præſident. Sic omnia miſcentur, atque turbantur. Vnde nonnumquam in loco digni imperii ſeruitium indignum, & in loco iuſti ſeruitii, iniuſtum imperium videmus. quod niſi ita eſſet, meliori loco eſſent res humanæ, & adhuc incolumi capite, mundus integrior. Id ſi mihi non creditur, experientiæ credatur. Quando vmquam tanta pax, tanta tranquillitas, tanta iuſtitia, tantus virtutis honor, tanta bonis præmia, tanta malis ſupplicia, tam bene cōſultum rebus, quam poſtquam vnum caput Orbis habuit, caputque ipſum Roma fuit? quo potiſſimum tempore, amator pacis ac iuſtitiæ naſci Deus ex virgine, terraſque viſitare dignatus eſt. Singula quidem ſingulis corporibus data ſunt capita, & Orbis vniuerſus, cui à Poeta magni corporis nomen aſcribitur, vno temporali capite debet eſſe contentus. Monſtruoſum enim eſt omne animal biceps: quanto magis horrendum & immane prodigium eſt, animal mille capitum diuerſorum, ſeſeque mordentium, inuicemque pugnantium? Quod ſi capita plura ſint, vnum tamen quod cuncta compeſcat, atq; omnibus præſit, eſſe debere non ambigitur, vt totius corporis pax incōcuſſa permaneat. Certe, quod experimentis innumeris, & doctiſſimorum hominū auctoritate deprehenſum eſt, & in cœlo, & in terra, optima ſemper fuit vnitas principatus. Is ſane ſupremum caput, velle ſe Deus omnipotens, non aliud eſſe quam Romam multiplicibus declarauit indiciis: quam belli paciſque gratia, quamque mirabilem ſine exemplo virtutis tanta præeminentia dignam fecit, quæ quamuis ita ſint, adhuc tamen, ſi humani more animi, malo ſuo quotidie gaudentis, aliqua gens, vt dixi, damnoſam & ambiguam libertatem, quam tutum & ſalutare publicæ matris imperium mallet amplecti, poſſet inſolentiæ vel inſcitiæ venia deberi. Illud vero, quis inoffenſis auribus accipiat, inter homines doctos quæri: an Romanum Imperium Romæ ſit? Ergo apud Parthos, Perſaſque, & Medos. Parthorum, Perſarumque & Medorum regna conſiſtent, Romanum Imperium vagum erit? Quis hanc indignitatem ſtomachus ferat? Quis non potius euomat penituſque reiiciat? Si Imperium Romanum Romæ non eſt, vbi quæſo eſt? Nempe ſi alibi eſt, iam Romanorum Imperium non eſt, ſed eorum penes quos illud volubilis fortuna depoſuit. Etſi enim ſæpe Romani Imperatores, pro neceſſitate Reipub. in Orientis aut Occidentis extremo, ſæpe ſub borea vel auſtro cum exercitibus agerent, Romanum tamen interim Imperium Romæ erat, & de Romanis Imperatoribus, quo vel præmio vel ſupplicio digni eſſent, Roma cenſebat. De Capitolio petebatur, quis honorandus, quis plectendus, quis vrbem priuatus, quis ouans, quis triumphans introiret. Inquiunt poſt Iulii Cæſaris ſeu tyrannidem, ſeu dicere malumus Monarchiam, Romani principes, quamquam iam Deorum concilio aſcripti, adhuc tamen à S. P. Q. R. gerendarum rerum licentiam poſtulaſſe compertum eſt: & data, vel negata licentia, egiſſe quæ deſtina-*

*uerant, vel ceſſaſſe. Imperatores igitur vagi eſſe poſſunt: ſtabile fixumq; ſemper Imperium eſt; nec de temporali ſtatu, ſed de perpetuitate Imperii dixiſſe credendus eſt Maro, vbi ait:*

*Dum domus Aeneæ Capitoli immobile ſaxum*
*Accolet, imperiumq; pater Romanus habebit.*

*neq; enim hæc dicens, centum aut mille annorum, ſed immortalem illis duobus gloriam ſpondebat. Neue quiſquam verba hæc blanditias vocet, quæ profecto, nec lingua mea, nec veſtris auribus dignæ ſunt, digreſſione opus eſt. Scio ego, de hac re Virgilium quodam loco ab Auguſtino reprehenſum, non iniuſte: ſed ibidem mox iuſtiſſime excuſatum, cum Poeta loquentem de vobis Iouem faceret, ſic ait:*

*Romulus excipiet gentem, & Mauortia condet*
*Mœnia, Romanoſq; ſuo de nomine dicet.*

*& origine perpetuitatem adiiciens, inquit:*

*His ego nec metas rerum, nec tempora, pono.*
*Imperium ſine fine dedi.*

*Hoc nõ immerito quidem notat Auguſtinus. Quomodo enim Imperium ſine fine dabit, qui nihil vmquam dedit, aut dare potuit, niſi quod homo ſceleratus & mortalis poteſt, falſa diuinitatis opinione, non ornatus, ſed oneratus & oppreſſus? Prætereo autem hæc quiſquis Imperium Romanum dedit (quod non dediſſe certum eſt, niſi Omnipotentem Deum, cuius in cælo & in terra Imperium vnum eſt, vnde Imperia cuncta deſcendunt) vbi tamen hoc Imperium ſit, quærit Auguſtinus; in terra, an in cælo? Et vtiq;, inquit, in terra eſt: & ſi eſſet in cælo; cælum & terra trãſient; tranſient quæ ipſe fecit Deus; quanto citius, quæ fecit Romulus? Hæc Auguſtinus in Virgilium. Et certe perſpicuum eſt, regna omnia, & quicquid vſquam clarum aut magnificum oculis noſtris apparet, & ſi ante non ruerint, tunc ſaltem ruitura eſſe, dum cælum & terra mouebuntur: illo concutiente qui creauit, quique nouum cælum nouamque terram faciet non mentiturus, vt Iupiter, cum ipſe ſit veritas. Eius eſt regnum illud principio carens, & fine cariturum, de quo ſcriptum eſt: Et regni eius non erit finis. quod licet forte Virgilius ignoraret, cui Deus ingenium excellens eloquiumq; præſtiterat: verum hæc à ſapientibus abſcondita, & paruulis reuelanda negauerat: illud certe non ignorabat, peritura eſſe omnia regna, quæ initium habuiſſent. Ingenti igitur cautela vſus eſt. Siquidem vbi immortalitatem Romano pollicebatur Imperio, non ipſe loquebatur ex perſona propria, ſed Iouem loquentem inducebat: vt mendacis Dei, mendax oraculum eſſet, & falſa promiſſio. Ipſe autem ad gratiam P.R. alieno mendacio vtebatur. At alibi, quando ex perſona ſua loqui voluit, veritatem ipſam Poeta non tacuit. At enim res Romanæ peritura q; regna.*

*Quis igitur clare non videat, inter Imperium ſine fine, perituraque regna, quid interſit? Sed hic Virgilius, ibi Iupiter loquebatur: hic homo ingenioſus, illic falſus Deus: aliis quidem verbis, ſed hac plane ſententia, Virgilium accuſat & excuſat Auguſtinus, ſecundum quam intelligo quæ dixi, & quæ dicam. Certe Romanus erat, ille qui ſcripſit. Omnia orta occidunt, & aucta ſeneſcunt. Seneſcent ergo hæc omnia, ſi durent: & ſi cuiuſque rei finis eſt ſenectus ſua, vtique om̃nia ſeneſcent. niſi iam forte ſenuerint, quando & quæ ſtant cuncta occident: & occaſum, ſi non præuenerit, ſaltem comitabitur ſenectus. Ita, nulla eſt exceptio, ſeu durent, ſeu non durent, orta omnia, aut ſerius, aut ocyus tandem occident & ſeneſcent. Voluet motu continuo rotam ſuam inſtabilis fortuna, & degente ingentem volubilia regna verſabit, Faciet illa cum volet Reges ex ſeruis, ſeruos ex regibus: & in vrbem Romam, & in orbem Romanum ſuam ineluctabilem potentiam exercebit: quam præcipue in vos, viri optimi, multis forte miſerantibus, nullo penitus ſuccurrente, diu miſerabilibus modis exercuit, & exercet. Scio, doleoque, & pluſquam credi poſſit indignor: quid amplius faciam, non habeo. Nec me angit, quod fortuna ſuo iure vtitur, vt in reliquis ſic in vobis: atque vt ſe rerum humanarum dominam probet, ipſum rerum caput attingere non veretur. Scio violentiam, inſtabiles mores noui, quarumdam vero indomitarum gentium inanem iactantiam ægre fero, quarum nunc Romano trita iugo colla laſciuiunt: ita pudor, & felix fabula iam (vt cætera multa & grauia ſileam) in quæſtionem venit: an Romanum Imperium Romæ ſit?*

*Enimuero vbi nunc horrida ſylua eſt, poterunt regia tecta conſurgere: atque vbi nunc atria ſunt auro rutilante fulgentia, poterunt cupidi greges paſci, & penetralibus regum vagus paſtor inſiſtere. Non detrecto fortunæ Imperium: poteſt illa funditus, vt vrbes alias, ſic reginam vrbium pari niſu, ruina maiori proſternere, quod heu magna iam ex parte fecit. Illud profecto numquam potuit efficere, vt Romanum Imperium alibi ſit quam Romæ. ſimul enim vt alibi eſſe cœperit, deſinet eſſe Romanum. Hæc ſe mirabilis ciuis veſter affirmaſſe, & affirmare non negat. & hoc eſt graue illud crimen, vnde in diſcrimen capitis adducitur. addit autem, ſe id multorum conſilio ſapientum dixiſſe: nec puto mentitur: & defenſionis copiam aduocatumque ſibi dari flagitat: Negatur. & niſi diuina miſericordia veſterque fauor occurrerit, actum eſt: innocens, indefenſuſque damnabitur. hominum magna pars compatitur: nemo fere eſt qui non miſereatur, præter eos quibus proprium erat miſereri, & parcere erroribus, non inuidere virtutibus. Iuriſconſulti inſignes hic etiam non deſunt, qui iure ciuili aſſerant, hanc ipſam ſententiam probari clariſſima ratione: nec deſunt, qui ex hiſtoriis ſe multa & valida probaturos dicant, ad eiuſdem ſententiæ firmitatem, modo liberam vocem liceat emittere. Nunc tamen nemo eſt, qui mutire audeat, præterquam in angulis, in tenebris, in timore. Ego ipſe qui vobis hæc ſcribo, & forte pro veritate non recuſem mori, ſi mea mors collatura aliquid reipub. videatur: nunc taceo, neque his ipſis ad vos ſcriptis meum nomen adiicio: ſtylum ipſum ſufficere arbitratus hoc adiecto, Ciuem Romanum eſſe qui loquitur: quod ſi tuto in loco, apud æquum iudicem, & non ad tribunal hoſtium res agatur, ſpero, veritate animum illuſtrante, & linguam ſeu calamum dirigente Deo, poſſe aliquid dicere, quo luce clarius appareat, Imperium Romanum quamquam fortunæ iniuria attritum, oppreſſumque diu, & quamquam varie ab Hiſpanis, Aphris, Græcis, Gallis, Theutonibus occupatum, adhuc tamen quantulumcunque eſt, Romæ eſſe non alibi, ibidemque manſurum: & ſi nihil prorſus ex tanta vrbe, præter nudum ſaxum Capitolii ſupereſſet, quin etiam tunc, quando nondum externis manibus agebamur, tantumque Romani Cæſares imperitabant, non penes eos, ſed penes Capitolii arcem, ac Populum Romanum, omne ius Imperii fuiſſe: ſi verum eſt, quod malæ fidei poſſeſſor, vllo tempore non præſcribat.*

*In hoc autem rerum ſtatu, dum dies trahitur, quod forte deſuper datum eſt, vt quod modo nec ſperare quidem auderetis, tanta res in lucem veniat, vnum quod ad veſtram & Romani nominis dignitatem ſpectare viſum eſt, diſſimulare non potui, cogente me ad calamum fide illa, qua vos vrbemque veſtram, inter omnes ſingulari quodam amore ac veneratione complector. Claritatem igitur veſtram hortor atque obſecro, ne ciuem veſtrum in extremis poſitum deſeratis, ſed veſtrum eſſe monſtretis, ſolennibus eum nunciis repoſcentes. Etſi enim vobis Imperii titulum nitantur eripere, nondum tamen eo væſaniæ ſunt euecti, vt negare audeant, vos in veſtros ciues ius habere. Certe ſi quid homo iſte peccauit, Romæ peccauit: nec dubitari poteſt, de commiſſis Romæ peccatis, veſtrum eſſe iudicium. Niſi vobis fundatoribus legum atque cultoribus, & qui iura gentibus tradidiſtis, eripitur ius commune. Vbi enim iuſtius delicta caſtiges, quam vbi commiſſa ſunt? Vbi ſcil. & locus ipſe memoriam criminis reuocans, ſceleratis pars non parua ſupplicii, & ſcelerum ſpectatores, pœnæ ſpectaculum aut ſoletur, aut terreat. Quod ſi forte Tribunus veſter, quoniam multi, quin potius boni omnes ita ſentiunt, non ſupplicio ſed præmio dignus eſt, vbinam melius quod meretur accipiet, quam vbi fecit propter quod talia meretur? Nuſquam præmium viri fortis exſoluitur, quam vbi fortiter geſſit: vt qui actum viderint, ad imitandum præmio accendantur. Fidenter itaque repoſcite ciuem veſtrum, nihil nouum, nihil iniuſtum poſcitis: potiuſque delinquitis, ſi tacetis. Quod ſi communis iure patriæ, vbi nunc captus eſt puniendus aſſeritur, quanto verius communis patria Roma eſt, vbi ille natus educatuſque eſt: vbi quidquid id eſt vnde accuſatur admiſit, qui contra nihil hic vel laude vel vituperio dignum fecit. Si vero contra morem maiorum, cum fortuna ceciderunt animi, adeoque degeneratum eſt, vt iuſtitiam poſcere temeritas videatur, his quorum patribus nihil olim difficile viſum eſt; at ſaltem, quod ab omni quæ legibus viuat barbarie poſci poteſt, poſcite, vt ciui veſtro audientia publica, & defenſionis legitimæ non denegetur copia: neue qui in luce fecit omnia, imo qui quantum per hominem fieri poterat, lucem mundo reddidit, in tenebris condemnetur. Oſtendite vos denique cauſam ac fortunam non negligere Ciuis veſtri: reſiſtite iniuriæ, prohibete nefas, protegite innocentem, reum vel nocentem iudicate: aut ſaltem, ne pro cuiuſquam libidine iudicetur, occurrite. Ferte quam poteſtis, & quam debetis opem Tribuno, vel ſi id nomen euanuit, Ciui veſtro, multa de repub. bene merito: atque illud inprimis quod quæſtionem magnam atque vtilem mundo, multis ſopitam ac ſepultam ſæculis ſuſcitauit: quæ vna ad reformationem ſtatus publici, atque ad auri ſæculi initium via eſt. Succurrite illi viro, neque contempſeritis ſalutem eius, qui pro veſtra ſalute, ſeſe mille periculis, ac ſempiternæ obiecit inuidiæ. Illius propoſitum atque animum cogitate: & memineritis quo in ſtatu res veſtræ fuerant; & quam repente vnius viri conſilio atque opere, quantum in ſpem, non Roma tantum ſed Italia omnis erecta eſt: quantum ſubito nomen Italicum, quam renouata ac deterſa Romana gloria: quantus hoſtium metus ac dolor: quantum gaudium amicorum: quanta populorum expectatio: quam immutatus rerum tenor: quam facies orbis alia: quam diuerſus habitus animorum: quam nihil ſibi ſimile ex omnibus quæ ſub cælo ſunt. tam mira, & tam repentina mutatio rerum fuit. Septem enim menſium non amplius ſpatio frena reipubl. tenuit, vt vix ab origine mundi maius aliquid attentatum rear: & ſi ſucceſſiſſet vt cœperat, diuinum potius quam humanum opus eſſe videretur. & profecto, quicquid ab homine bene agitur, diuinum opus eſt.*

*Huic ergo, quem veſtræ gloriæ, non ambitioni propriæ deſudaſſe notum eſt, fauor haud dubius debetur: de euentu fortuna culpanda eſt. Si quis autem torpor feruenti principio interuenit, humanæ varietati atque imbecillitati veniam date, & dum licet vindicate Ciuem veſtrum ab iniuria: qui Græcos à Macedonum, Siculos à Carthaginenſium, Campanos à Samnitum, Tuſcos à Gallorum iniuriis, non ſine graui veſtro periculo vindicaſtis. Extenuatæ ſunt fateor opes veſtræ! at numquam plus animorum patribus veſtris fuit, quam dum Romana paupertas, diues virtutum viguit. Imminuta veſtra potentia eſt, non ignoro! ſed mihi credite, ſi qua priſtini ſanguinis gutta ſupereſt, non parua vobis eſt maieſtas, neque mediocris authoritas. Audete aliquid, adiuro vos per memoriam rerum Romanarum, per maiorum cineres ac gloriam, per nomen Imperii, per miſericordiam IESV CHRISTI, qui diligi proximum, & ſuccurri iubet afflictis. Audete, oro, aliquid, præſertim cuius & honeſta petitio, & inhoneſtum ac turpe ſilentium eſt: & ſi non propter illius ſalutem, at propter veſtrum decus. Audete aliquid, ſi vultis eſſe aliquid: nihil minus Romanum eſt, quam timor. Prædico autem vobis, quoniam ſi timetis, ſi vos ipſos contemnitis, multi vos quoque contemnent, metuet nullus. Sin ſperni nolle cœperitis, longe lateque metuemini: quod cum ſæpe olim, tum nuper apparuit, illo rempub. gubernante de quo loquor. Aperite tantum vnanimiter ora veſtra: ſentiat mundus vnam eſſe vocem P.R. Nemo vſquam illam irridebit, aut ſpernet: nemo non venerabitur aut timebit. Repoſcite modo captiuum hunc, vel iuſtitiam poſcite: alterum non negabitur. & qui parua quondam legatione, Regem Aegyptium ab obſidione Syriaca liberaſtis, nunc ciuem veſtrum ab indignis carceribus liberate & valete.*

XXII. Hæc pro Nicolao Tribuno, ad P.R. Petrarcha ſcribebat: ſi tamen ille ſcribebat, & non aliquis alius maleferiatus, vt ſcœnæ ſuæ obſcœnæ, inquam & Romanam & Auinionenſem vrbem, & non neminem ex clero produxerat, fidem à ſpecioſo Petrarchæ nomine faceret, fingebat. Namque coniectura eſt, Petrarcham non ſcripſiſſe, ab his argumentis.

RATIONES CVR HVIꝰ MODI EPISTOLAS PETRARCHA NON ESSE SED POTIVS ALICVIꝰ HÆRETICI CALVMNIATORIS IVDICARI POSSIT.

Innocentem hic facit Tribunum Nicolaum, & præmio magis quam probro dignum. At quorſum illa obiurgatio, quam in altera cui nomen ſuum præſcripſit Petrarcha, libro ſeptimo de rebus familiaribus, Nicolao vrbis Tribuno ſcripſit iſtis verbis. *Non te populum vt ſolebas, ſed partem populi peſſimam amare: illi obſequi, illam admirari, quid dicam, niſi quod Ciceroni ſcribens Brutus, pudet conditionis ac fortunæ? Mundus ergo te videbit, de bonorum duce, ſatellitem reproborum: ſic nobis ſubito turbata ſunt ſydera? ſic infenſa diuinitas?* Quorſum deinde illa monita: *Caue obſecro, ſpecioſiſſimam famæ tuæ frontem, propriis manibus deformare. Hanc mihi duriſſimam neceſſitatem exime, ne lyricus apparatus tuarum laudum, deſinere cogatur in Satyram. Si tuam fortaſſe negligis, at ſaltem famæ meæ conſule. Scis quanta mihi impendeat procella: quanta ſi labi cœperis, in caput meum reprehenſorum turba conſpiret. proinde dum tempus eſt, etiam atque etiam cogita: circumſpice oro ſummo ſtudio quid agas, excute acriter teipſum, examina tecum nec te fallas, qui ſis, qui fueris; vnde, quo veneris, quorſum inoffenſa libertate progredi fas ſit, quam perſonam indueris, quod nomen aſſumpſeris, quam ſpem tui feceris, quid profeſſus fueris: videbis te non Dominum reipublicæ, ſed miniſtrum.*

Si itaque innocens fuit Nicolaus, & præmio non ſupplicio dignus, quid neceſſe habuit moneri? deinde quomodo innocens, ſi ſatelles reproborum? ſi amicus nocentium? Iam quid eſt; Imperium eſſe penes P. R. adeo vt ille ſolus ſit ſuprema auctoritate, qui Imperatores ſufficiat, atque deiiciat; cum in epiſtolis ad Carolum IV. cuius vnius initium eſt; *Præcipitium horret epiſtola Sereniſſime Cæſar*, in MS. Vaticano numero 3355. & alterius, *Olim tibi princeps inclite, quod famæ tuæ, ſalutique publicæ*, in MS. Vaticano numero 5621. totum oppoſitum diſertiſſimis verbis, non ſemel oſtendat: & Carolo Imperatori, non à P.Romano ſed à Septemviris electo, ſummam rei deferat, atque ad capeſſendum Imperium modis omnibus perurgeat? Deinde quid illa ſunt, quæ ad quattuor Cardinales Legatos, reformando Reipubl. Romanæ ſtatui à Clemente id temporis deputatos, in epiſtola, cuius initium eſt, *Fragilibus humeris grande onus imponitur*, & in altera quæ incipit: *Inter humilitatem ſobriam, effrenemque ſuperbiam iudices deputati &c.* ſcribit, pronuncians non penes populum Romanum, ſed penes Summum Pontificem arbitrium vrbis eſſe? In his & aliis epiſtolis, cum non aliud ab Imperatore & Cardinalibus reformatoribus requirat, quam ne Senatoria dignitas alicui externo, ſed tantum ciui Romano permittatur: aliquis nomine Petrarchæ ementito, finxit in vrbem Romanam quæ finxit, & propter conficta facinora, Babylonis ei nomen imponere non erubuit. Volui iſta breuiter perſtringere, vt oſtenderem, nullius eſſe fidei eas Petrarchæ ſi Petrarchæ epiſtolas, quas ſine titulo, inter eius reliquas, aliquis hæreticorum vel impoſtorum, Baſileenſibus typis inſeruit, doctus criminationum & calumniarum in ſacrum Ordinem, & Eccleſiam Romanam. Si enim eo tempore tam nequam Pontifices, vt ſcriptor epiſtolarum ſine titulo mentitur; quid illa ad Benedictum XII. ipſius Petrarchæ, *Henrici Petri an. 1554 Mẽſe Martio.*

*Te cui telluris pariter pelagiq; ſupremum*
*Contulit Imperium virtus, meritumq; pudorq;.*

Quid illa Clementis VI. laudatio prolixa, cum illum ad inuiſendam vrbem Romanam metro inuocabat? Quid ad Vrbanum Quintum prolixiores litteræ, quibus hortatur, vt Romanam Sedem Romæ reſtituat? Quid ad ſacri collegii plures Cardinales, quos Auinionem poſcit relinquere, & in vrbem vrbicæ ſalutis cauſa concedere? ſi illi tam corrupti moris? ſique illi Auinionenſem aulam & auram ſceleribus imbuerunt: ſed hæc ſatis ſuperq; occaſione Nicolai Tribuni, quem Petrarcha totius illius proſcœnii, ſi non auctor, ſaltem conſcius, liberatorem oppreſſorum aſſerebat.

XXIII. VITA S. IVONIS PAVPERVM ADVOCATI.

Felicior Nicolao ille, cuius hoc anno ad XIV. Cal. Iunii memoriam æternitati conſecrauit Clemens Pontifex, ex cuius præſcripto, in Tabulario Romano iſta leguntur.

In Britannia minori, Sancti Iuonis preſbyteri & confeſſoris, qui pro Chriſti amore cauſas pupillorum, viduarum, ac pauperum defendebat. *Rom. martyrolog. hac die.*

Quo tempore mundus inſolitis quibuſdam tenebris ac procellis agitabatur, & in magnum ſalutis periculum adductus, propter impunitam flagitiorum omnium licentiam periclitabatur: opportune nouus quidam ſplendor diuinæ bonitatis è Britannia exortus minore, horrendam caliginem diſſipauit, & gratum adeo pietatis ac religionis iubar attulit; vt hoc ipſo tempore, quo rarius, tanto pretioſius & admirabilius omnium in oculis ſit: ideoque ab omnibus Iuriſconſultis (quorum eſt patronus) ſtudioſe colendus, vt eodem pietatis officio, facili atque expedita via, eandem cœleſtis gloriæ coronam conſequi mereantur.

EIVS ORIGO.

Fuit autem hic Iuo claris ſane natalibus, patre Aheloro Cancieti militis filio, matre vero Azona ortus. Et quidem antequam in lucem ederetur, in pago Sancti MARTINI, non longe ab vrbe Trecorenſi, multis & admirandis ſane matri ſecundum quietem viſionibus oſtenſum fuit, quantis inter mortales miraculis corruſcaret, & ſuæ virtutis exemplo, vera ſolidaque pietatis fundamenta penitus collapſa reſtauraret. Quod qua via modoque perfecerit, dignum eſt perpendere. A primis ætatis annis ad ſupremum vſque vitæ diem, conuenienter doctrinæ Apoſtolicæ, ſobrie, iuſte, & pie vixit in hoc ſæculo. Vbi ad quartumdecimum plus minus ætatis peruenit annum, Pariſios profectus eſt, præ amore CHRISTI libenter carens parentum amicorumque ſolatiis, & apud ignotos & exteros degens.

EIVS STVDIA.

Poſtquam autem animum omnium bonarum artium diſciplinis egregie imbuiſſet, Lutetia Aureliam ſe contulit, vt Sacræ Theologiæ & Iuris Pontificii ſtudiis ſeſe traderet. Vbi ſane vino & lautioribus ferculis, vitæque huius oblectamentis & deliciis, quantum potuit, ſibi interdixit, corpuſq; ſuum variis modis macerauit. Conſiderabat enim omnem inprimis cupiditatis immanitatem coercendam, totumque animum à contagio corporis auocandum, illi qui cupit in veræ ſapientiæ ſtudio proficere, & diuinas opes in ſacris litteris abditas intueri.

IVDICIS OFFICIVM GRATIS IN SE RECIPIT

Cum autem in his ſtudiis iam diu, cum non mediocri laude verſatus eſſet, à quodam Rhedonenſi Archidiacono accitus eſt, vt iudicis Eccleſiaſtici officio apud illum fungeretur. Ille vero memor illius propheticæ ſententiæ; *Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore*, eam functionem gratis in ſe recepit: & quæ facienda erant, benigne, amanter, & abſque dilatione exequi conatus eſt. nec tamen committere voluit, quin Sacræ Theologiæ prælectioni intereſſet quotidie, & corpus ſuum multiplici abſtinentia afficeret.

OPERA CHARITATIS.

Cum autem fractis hoc modo rebellibus corporis motibus, ſumma contentione animi puritatem conſeruaret, tum vero illa ſanctiſſima piacula reputabat, quæ diuini iuris cultu, & hominum charitate ac beneuolentia continentur. Itaque benefaciendi diſciplinam colebat aſſidue; iudiciorum æquitatem ſanctiſſime conſeruabat; iniuria oppreſſos ſubleuabat; pupillis opem afferebat; viduarum cauſas ſuſcipiebat; & vt ſummatim dicam, calamitoſos homines incredibili humanitate & patrocinio fouebat. Inter diſcordes pacem & amicitiam conciliabat; & ſi quando ſententia in iudicio proferenda eſſet, id non ſine lachrymarum imbre faciebat. Denique vſque adeo ſe totum in hæc ſtudia contulerat, vt nocte dieque nihil aliud meditaretur, quam vt iudicia pecuniæ cupiditate corrupta reſtitueret, iudiceſque ſuo exemplo informaret; vt priſcorum iudicum ſeueritatem ſanctitatemque imitarentur.

Interim cum hæc tam admiranda iuſtitiæ & ſanctitatis eius opinio inclareſceret, fama ad Trecorenſis Epiſcopi aures perlata eſt, qui eum ad ſe allexit, & iudicem diœceſis ſuæ generalem conſtituit. Cum autem in eo munere ſtrenue & fideliter aliquandiu verſatus eſſet, acriore diuinarum rerum amore inflammatus, eo ſe officio abdicauit, atque ad Eccleſiam de Lohaneto cuius erat moderator ſe contulit, totumque ſe rebus diuinis mancipauit: prorſus, vt veſtibus mollibus, & delicatis, quibus antea pro ſtatus ſui ratione vſus fuerat, illico abiectis, panno albo, coque rudi & exigui pretii contentus, pauperum monachorum inſtar ſculponeis vteretur.

VITÆ AVSTERITAS RELICTIS SÆCVLI CVRIS.

Carnem vero cilicio edomabat; quod ne ſub cuiuſquam conſpectum veniret, induſio craſſiſſimo contegebat. Porro ieiunia omnia ab Eccleſia inſtituta ita ieiunabat, vt pane & aqua ſolum famem ſitimque profligaret. Ab eſcis delicatis ſemper abſtinebat: in cibatu quotidiano, pane & pulmento viliſſimo contentus. Somni parciſſimus, in nuda humo cubabat; neque prius ſomno indulgebat, quam lectione vel itinere fatigatus, neceſſitate opprimeretur. Ad hæc incredibili ardore in precibus & meditationibus perſiſtebat; adeo vt quodam tempore ſeptem dies continuos omni cibo abſtinuerit, cœleſtique conſolatione refectus, nulla omnino perſeuerantis inediæ incommoda perſenſerit. Nullo non die ſacrificium, niſi legitime impeditus eſſet, offerebat; nocturnis vero diurniſq; precibus attentiſſima cura ſemper intererat.

MIRACVLVM.

Quodam die offerente illo ſacrificium, cum ex more ſacram hoſtiam eleuaret, globus igneus magni ſplendoris ipſam ambiebat, caliceque eleuato ac rurſus depoſito repente diſparuit.

Porro ex hoc tam incenſo in Deum amore, egregia nimirum illa charitas in proximos redundabat; quos (præcipue pauperes & egenos) tanto amore complectebatur, vt quicquid poterat, totum id in eos conferret. Semper aliquos inopes, menſæ ſuæ voluit eſſe participes, & haud ſecus eos quam fratres ſuos fouebat.

IN PAVPERES ET EGENOS AFFECTVS.

Hominem quemdam inopem, cum vxore & liberis quattuor, nouem plus minus an̄is domi ſuæ benigne aluit, & cuncta quæ ad victum cultumque pertinebant, liberaliter ſuppeditauit. Eiuſmodi autem pietatis officiis certas aſſignauerat ædes, in quibus iis ſemper vacare poſſet. Conuocabat enim calamitoſos omnes, quibus ſe mire comem & affabilem exhibebat, eorumque pedes propriis manibus abluebat, appoſitiſq; dapibus eos recreabat. Et vt charitati qua feruebat abū̃de ſatisfaceret, ipſe ſibi vltro res vitæ degendæ neceſſarias ſubtrahebat; & vt pauperibus benigne faceret, veſtes & alimenta ſua illis impartiebatur.

ALIA MIRACVLA

Accidit quandoque, quod in ſumma frumenti caritate, vnicus tantum viro ſancto panis eſſet: quem cum pauperibus elargiri vellet, Vicarius eius ingenti ex ea re moleſtia affectus, conquerebatur. Tum vir Dei, dimidia parte Vicario relicta, alteram pauperibus diſtribuit. Sed cum iam tempus eos ad prandium inuitaret, Vicarius dimidium illum panem, quem diligenter abſconderat, reperire non potuit. Ecce autem diuino nutu matrona quædã pia ilico adfuit, & tres panes ſatis magnos menſæ illius intulit, nec vltra à quoquam videri potuit. Alio die cum inopes plurimi, lachrymabili voce ſtipem ab eo peterent, paucis panibus, diuino implorato auxilio omnibus ſatisfecit. Quod nequaquam viro ſancto inſolitum fuit. Tanta namque fiducia diuinæ bonitati & potentiæ innitebatur, vt quotieſcunque proximi calamitas vrgeret, cuncta ſine vlla dubitatione exhauriret, & tamen nihil cerneret imminutum. Ægrotos, languidos, & à malo dæmone obſeſſos, mira facilitate curabat: & omnes omnium hominum neceſſitates, ipſe vel precibus, vel præſenti virtute ſubleuabat.





INCENDIVM RESTINGVIT. PVPILLORVM ET ORPHANORVM PATROCINIVM SVSCIPIT.

domum quandam vorax flamma vaſtabat: cumque vicini ei remedium adferre fruſtra conarentur, vir Dei intellecto periculo furentes flammas precibus illico extinxit.

Sed hæc omnia minima ſunt, ſi cum ea virtute & benignitate conferantur, quam pupillis & orphanis præſtabat, quorũ cauſa, diuerſis in locis adibat iudicia, ſolaq; pietate & iuſtitia permotus, patronum ſe illis ſane perquam vigilantem exhibebat: adeo vt tota illa in regione Aduocatus pauperum merito appellaretur. Pacis conciliandæ, Eccleſiaſticæque libertatis aſſerendæ fuit perquam ſtudioſus; adeo, vt eius cauſa mortis diſcrimẽ non dubitauerit adire.

ALIA MIRACVLA.

Valebat autem dicendi facultate plurimum; & quia in vna ſua paræcia, Euangelii cura ei commiſſa erat, tã lucul ẽtis verbis de regno Dei diſſerebat, vt plurimos è cœno vitiorum extraheret, & à diaboli ſeruitute ad Chriſti obſequium traduceret. Cum aliquando diuerſa loca ſeminandi Euangelii cauſa peragraret, venit ad flumen quoddam, cuius pontem inundantes aquæ plane operuerant.

Edito igitur Crucis ſigno aquas diuiſit, liberumque iter & ſibi & famulo à Deo impetrauit. Fuit etiã contemplator egregius, adeoque frequẽter ad cœleſtia toto animo ſuſpenſus, vt Angelica viſitatione refici & recreari meruerit. Sedenti quandoque ad menſam, pauper vili indutus habitu, & plane, vt videbatur, miſerabilis, ſupplicem ſe illi præbuit. quem ilico comiter & multa cũ humanitate vir ſanctus excepit, ſuoque lateri aſſidere fecit. Sed cum extremis vix labiis cibum deguſtaſſet, mox à menſa ſurgens; *Dominus*, inquit, vobiſcũ, & ecce qui viſus fuerat abiecto habitu & deformis, iam pulcherrimus multaque luce corruſcans, & candida amictus veſte conſpectus eſt: qui immenſo ſplendore & iucunditate animum illius mentemque perfuſam reliquit.

EIVS OBITVS.

Tandem multis ieiuniis & laboribus exhauſtus, cum diuinitus obitus ſui tempus eſſet edoctus, omni medicamine neglecto, humi ſe proſtrauit, oculiſq; in Crucis imaginem perpetuo defixis, multis cum lachrymis & ſuſpiriis Deum precatus eſt. Cũ autẽ extremæ vnctionis Sacramentum percepiſſet, crucis ſigno ſe muniuit; ſpiritumque ſuum humiliter reddidit præpotenti creatori. Corpus eius fuit in Trecorenſi Eccleſia ſepultum: vbi innumeris corruſcans miraculis, animam in cœlo perpetuo viuere teſtatur.

A CLEM. PP. CANONIZATVS.

Clemens Pontifex, facto prius de vita, virtutibus & miraculis illius examine, eum hoc anno Sanctorum cathalogo ſolenni ritu aſcripſit; & diploma dedit, *num. 18. inter eius epiſtolas, huius anni.*

Albertus Krãtzius affirmat, quod Iuo Angelica fuit continentia: cui ſeruandæ, vitam ſuam à vino & ab eſu carnium omnino conſeruauit intactam: corpus cilicio operuit; ieiuniis, vigiliis & orationibus diſciplinas miras, pluſquam monaſticas adiungebat; nudam pro cubili terram luteam, rigidum ſaxum pro ceruicali; ſacræ Bibliæ volumen, quod indeſinenter portabat, capiti aptabat; ſuamque omnem cum pauperibus, quos procurando defendebat, conuerſationem duxit humillimam. Extant verſiculi, eius laudem vtcumque perennantes.

*Iuo, pater legum, cuſtos, protector, & amplum*
*Egregiumq; decus: cui ſe debere fatentur*
*Iura, tuo toties iam debellata fauore.*
*Promptus eras iuſtas miſerorum ſumere cauſas.*

XXIV.

Hoc anno, non tantũ Romæ ſed & in vniuerſa Italia omnia turbata. Ioanna Siciliæ Regina, vt & libidinationibus ſuis per honeſtatẽ matrimonii ſpecioſius indulgeret, & virum aliquem haberet, cuius ope & opera regnum ſibi ſtabiliret, atque aduerſus quoſuis hoſtes illum armatũ opponeret, Ludou. Sobrinum, Roberti, dicti Imperatoris Cõſtantinopolitani ſecundo genitũ, ad diem XX. Auguſti duxit maritum, Clemente Pontifice legibus eam Eccleſiaſticis ſoluente. Iſtud cum Ludouicus Pannonum Rex, Andreæ enecti frater intellexiſſet, tanto magis in ſuſpicionẽ venit, Ioannam, & Ludou. & Carolũ Ducẽ Duratii, & alios principes familiæ Regiæ, auctores fuiſſe cædis fraternæ.

LVDOVICVS HVNO REX IN ITALIA

Quamobrem non ſatis habuit, Ioannæ excuſanti, crimen per litteras exprobraſſe: veruntamen exercitu conſcripto in Italiam vt mortẽ fraternam vlciſceretur penetrauit, & in peruigilio Natiuitatis Dominicæ, Aquilę ſubſiſtẽs, Celanum, Lauretanum, San Valentinum Comites, Neapoleonem Vrſinũ, & alios Brutiorũ Proceres fidem Sacramento obſtringentes audiuit. Quacumque per Forum Iulium, & Galliam Ciſalpinam, Æmiliã & Flaminiam tranſibat, principes Italiæ factionis Gibellinæ, vt rebus ſuis conſulerent vel ipſi obuiam ibant, vel legationibus adornatis eius amicitiam ambiebant: adeo vt etiam Florentini, quamquam Pontificibus quam Imperatoribus æquiores, Oratores Franciſcum Strozium, Simonem Perucium, Andream Rucellaium, Antonium Albizium, Vannum Mediceum, & alios duos deſtinarint, qui Regi omnia ſua permitterent, & pacem cum eo ſtabilirent.

XXV QVIS RERVM PONTIF. STATVS IN SICIL. ET ITAL.

Non in paruum diſcrimen adduci videbantur res Pontificiæ, tum Romæ, tum in regno Siciliæ, tum in vniuerſa Italia. quod & Carolus Rex Romanorum electus non omnino abhorrebat ab expeditione Italica, & Ludouicus Rex iniquior Clementi factus, regnum Siciliæ non beneficiario, ſed hæreditario ſibi iure deberi exiſtimaret. Itaque præfectis vrbium Pontificiarũ in fide cõtinendis, & Romanis rebus quæ per Nicolaũ Tribunũ turbatæ fuerant componendis, nec non regno Siciliæ adminiſtrando, ſeruandoque, & ſuppliciis de conſceleratis Andreæ parricidis ſumendis, Clemens, Bertrãdum tituli S. Marci presbyterum Cardinalem, Legatum à Latere in Italiam ire iuſsit.

LEGATVS A PONT. LVDOVICVM REG. MONET.

Hic Ludouicum Regem apud Fulginates primo conuenit, *& ne nimis ſeueram vltionem de parricidis ſumeret, neue aut in innocentes, aut in Sedis Apoſtolicæ deuotos ſæuiret, neq; quicquam in regno Siciliæ Romanæ Eccleſiæ hæreditario ſibi vſurparet, aut citra Summi Pontificis & totius Sacri Senatus conſenſum illud occuparet admonuit: niſi vellet cœtu piorũ autoritate ſuprema excludi.*

ACERBVM LVDOVICI REG. RESPONSVM.

Ferocius quam par fuerant, Ludouicus, Legato reſpondit: *quod exiſtimaret per Põtificem, auctore Ægidio Petragoricenſe Cardinale ſtetiſſe, ne Andreas tam cito quã ſperauerat, Regni Siciliæ diademate ornaretur. Itaque nihil ad Sedem Apoſtolicam pertinere dixit, quam is vellet de parricidis vindictam accipere. Quod regni poſſeſſionem attineret; ſuum eſſe, omni humano iure, aſſeuerauit: & tum demum, cum illud in poteſtatem recepiſſet, de eo cum Sede Apoſtolica ſe velle agere propoſuit. Si vero Clemens, interim, anathematis ſpiculum in eum vibrare decerneret, eſſe ſupremum in cœlis Deum oſtendit, qui iuſtam illum cauſam habere euentibus demonſtraret.* Ita Ludouicum Legato reſpondiſſe, Ioannes Villani commemorat.

XXVI. LVDOVICI REG. IN ITALIA PROGRESSVS ET PONT. ILLI OBSISTENDI CVRA.

Quindecim millia equitum ſelectorum Ludouicus in exercitu ſuo numerabat: quorum potentia fretus, Aquilam vſque, nemine obſiſtente, ſed paſsim omnibus principibus in eius occurſum venientibus, ad diẽ XXIV. Decembris penetrauit. Huic cum obicem ponere neceſſe habuit Clemens, Roberto dicto Imperatori Conſtantinopolitano ſcripſit, vt Bertrando Legato, in omnibus quæ ad regni pacificam poſſeſsionem, & inter principes domus Regiæ concordiam attinerẽt obtemperaret: & vt Caietanos, qui Epiſcopum Caſsinenſem, Sedis Apoſtolicæ, ad Ioannam & ipſum Nuncium in vincula coniecerant, variiſque iniuriis affecerant caſtigaret, nec non bona Bertrandi Artuſii parricidæ fiſco Cameræ Apoſtolicæ addici permitteret admonuit, *datis litteris numero* 51. 736. 941. Deſierat eſſe per id temporis in humanis, Catherina dicta Imperatrix Conſtantinopolitana, vxor Philippi Principis Tarentini quæ vni ex filiis ſuis, Ioannam in vxorem deſignabat. Cum itaq; Ludouicus

quo cum Ioanna ante conſueuerat, hanc ſibi coniunxiſſet. Ne etiam cælebs Robertus permaneret, Clemens Pontifex permiſit, vt is Margaritam alias Mariam Borboniam, Guidonis primogeniti Hugonis Regis Cypri relictam, in matrimoniũ aſſumeret: gradu propinquitatis non obſtante. Dedit ea de re litteras *numero 126. Nonis Iulij Pont. an. 6.*

PRINCIPES ITALIÆ LVDOVICI REG. PARTES SEQVENTES.

Bonfinius fere ſingulos ex nomine, Principes Italiæ memorabat, qui ad honeſtandum Ludouicum Pannonium vel occurrerent, vel per Legatos perſoluere officium. Hi fuere. Luchinus Vicecomes, Maſtinus Scaliger, Philippus Gonzaga, Albertinus Carraria, Opizo Eſtenſis, Guido Polctenſis Rauennas, qui paulo ante à Summo Pontifice, Vicariorum nomine in dominatibus certis præpoſiti erant. Vbi in Flaminiam ventũ eſt, Galeotus Malateſta fratreſque in occurſum cum magnifico equitatu occurrere. horum quoque ſocius Franciſcus Foroliuienſis fuiſſe dicitur, & Ioannes Manfredus Fauentinus. In agro Piceno, Antonius Feretranus Vrbinas, Alegretus, Clauellus Fabrianenſis, Bulgarutius Matelicenſis, Iſmeducius Seuerinas, Gentilis Varanus, Michael Milonianus, Pangonus Cingulanus, Picentum tyranni, quacumque potuerunt gratitudine, item commeatibus ac donis Regem adiuuerunt. Multi ex his, & præſertim Ordelafus & Gonzaga, cum multis Picentibus Præcutiniſque Nobilibus, cum honorifico comitatu eum Neapolim vſque ſecuti ſunt.

Inter hæc, cum iidem fere omnes Principes veluti antiquam populi Romani poteſtatem & Imperium requirentes, Nicolao populo Romano Tribuno, quem aperte Ludouico Pannonio confœderatum eſſe cernebant, nec non ad Carolum Romanorum Regem clam profectum, vt cum illo fœdera percuteret, fore intellexerant, certatim auxilia, fortunas, & vires vniuerſas pro reſtitutione Romanæ reipublicæ offerrent: quin etiam ad hanc famam, omnes externæ populi Romani prouinciæ præ nimia lætitia exultare dicerentur; Dolonus Auximas cum Anconitanis, rebellis Romano Pontifici factus, Auximum Piceni ciuitatem armis cepit, & caſtrum obſidione cinxit. Hunc vt ab obſidione auerteret, & tum Auximates, tum Anconitanos ad poſſeſsionem Sedis Apoſtolicæ Clemens reuocaret, Ioannem Riparium Domorum Vrbis & Piſarum Diui Ioannis Hieroſolymitani Priorem, Piceno Rectorem præfecit, & ad rebelles coercendos animauit: fretus auxiliis S.P.Q. Veneti, cuius opem, datis 6. *Calend. Iunij* litteris implorauit. Peruſinorum proceres & populus, in fide Pontificis, conſtantiſsime perſeuerarunt, & Ripario aduerſus refractarios non contemnendos ſuppetias miniſtrarũt: vt is Picenum vniuerſum, in officio contineret. *Bonſin. decad. 2. lib. 10. & epiſt. Clement. hoc anno.*

DOLONVS REBELLAT SED. APOST. ET AVXIMVM OCCVPAT.

VENETI PONT. OPEM FERVNT.

XXVII. VICARIOS ET EPISC. IN ITAL. CREAT CLEMENS

Hoc etiam anno Clemens, Rectorem Flaminiæ dedit Aſtorgium è Curoforti, militem Lemouicenſis Diœceſis, & cum prophanis illum cauſis tantum præfeciſſet, Stephano Epiſcopo Fauentino, per litteras X. Calend. Ianuarii Pontif. anno 7 Auinione datas, mandauit, vt ſacra exercenda iuriſdictione prophanam Aſtorgii fulciret.

Eodem tempore Clemens, Nicolaum Rauennatem Archiepiſcopum in aula Pontificia commorantem, Patracenſem Antiſtitem creauit: Rauennatique Eccleſiæ Archiepiſcopum præfecit Fortanerium Vaſſelli, Franciſcani ordinis Generalem Miniſtrum, quem plerique Sertorium etiam vocant, & Vrſinæ gentis fuiſſe Matthæus Villanus autor eſt, domo Britannum, ex oppido Galeaſo, diuinarum rerum peritiſsimum, earumque editis doctiſsimis libris clariſsimum interpretem. hunc tamen aliqui Valuenſem, & Aquitanum dicunt. Statim autem ſcriptis ad populum ciuitatis, diœceſiſque Rauennatis, IX. Calend. Nouembr. Pontificatus anno 6. Auenione litteris, admonuit, iuſſitque, vt ipſum deſignatum Archiepiſcopum honeſte exciperent, benigne complecterentur, & vt decet illi obedirent. *Rubeus hiſt. Rauenn. lib. 6.*

XXVIII. INSTITVITVR INQVISITOR HÆRETICÆ PRAVITATIS IN ÆMILIA ET FLAMINIA.

Aimericus Cardinalis Legatus, Aemiliæ & Flaminiæ præerat: Bertrandus apud Peruſinos, & circumuicinos Vrbi populos hærebat. Vbi, cum per tumultus bellicos metueret, ne hæreticorum contagio prouinciam inficeret, Inquiſitorem hæreticæ prauitatis authoritate Apoſtolica inſtituit. Inſigne hoc reſcriptum, quo præſcribitur modus inſtituendorum Inquiſitorum, placuit ſubſcibere. Ita habet:

XXIX. MODVS INSTITVENDORVM HVIVSMODI INQVISITORVM

*Bertrandus miſeratione diuina tituli Sancti Marci presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ac Terrarum & prouinciarum Romanæ Eccleſiæ in partibus Italiæ conſiſtentiũ reformator, & Vicarius Generalis. Dilecto in Chriſto fratri Ioanni Iacobi de Spello Ordinis Fratrum Minorum, Salutem in Domino.*

*Inter ſolitudines varias quibus ex officio iniunctæ nobis Legationis aſtringimur, ſolicite cogitare nos conuenit, vt officiũ hæreticæ prauitatis exerceatur ſolicite, & perſonis talibus cõmittatur, quod eorum ſacro miniſterio, errantes ad lumen redeant veritatis.*

*Nuper ſiquidem Sanctiſsimus Pater & Dominus noſter Dominus* CLEMENS *diuina prouidentia Papa ſextus, nos ad regnum Siciliæ, & totam terram ipſius regni citra Farum, & Tuſciæ, ac nonnullas alias partes & Prouincias in litteris ipſius Domini* PAPAE *nobis ſupra noſtra Legatione conceſsis ſpecialiter nominatas, commiſſo nobis plenæ Legationis officio in eiſdem pro vrgentibus & arduis Eccleſiæ Romanæ negotiis deſtinans, nobis conceſsit ſuas Apoſtolicas litteras in hæc verba.*

CLEMENS *Epiſcopus Seruus Seruorum* DEI, *dilecto filio Bertrando tituli Sancti Marci presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Plenam de tuæ probitatis & circumſpectionis prudentia, & donis virtutum tibi conceſsis à Domino fiduciam obtinentes, te ad regnum Siciliæ, ac Terras & prouincias Eccleſiæ Romanæ immediate ſubiectas, cæteraſque partes Alias Italiæ, plenæ legationis officio & aliis negotiis tibi per nos commiſsis, variis & diuerſis de Fratrum noſtrorum conſilio prouidimus deſtinandum. Cupiẽtes itaque negotium Fidei ſic ſollicite vbique dirigi, quod nihil circa illud inhoneſtum committatur, quomodolibet vel ſiniſtrum: vt per te, vel alium, ſeu alios, de Inquiſitorum hæreticæ prauitatis, infra terminos Legationis tuæ conſtitutorum exceſsibus inquirere, ac de illis quibuſuis conquerentibus iuſtitiam facere, ac illos de quibus tibi videbitur à ſuis officiis remouere, & alios ſubſtituere valeas: contradictores, per cenſurã Eccleſiaſticã appellatione poſtpoſita compeſcendo, plenam tibi concedimus tenore præſentium poteſtatem, Dat. Auinioni IV. Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno quinto.*

*Quarum litterarum Apoſtolicarum authoritate, te quem largitor gratiarum omnium, litterarũ ſcientia, & aliis multis virtutibus, ſicut fide dignorũ teſtimonio accepimus, laudabiliter inſigniuit, & in cuius affectu ſicut firmiter credimus ſpecialiter geritur, quod Fides Catholica, extirpatis erroribus ſuſcipiat incrementũ: Inquiſitorẽ hæreticæ prauitatis Prouinciæ ſancti Franciſci Vallis Spoleti, vſque ad Apoſtolicæ Sedis beneplacitũ, atque noſtrum, conſtituimus, tenore præſentium, ac etiam ordinamus, cum omnibus iuribus, honoribus, & priuilegiis, à iure, vel à Sede Apoſtolica, ſeu quibuſcumque aliis conceſſis Inquiſitoribus illarum partium hæreticæ prauitatis: recepto prius à te corporali iuramento, quod officium ipſum ad honorem Dei ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, & exaltationem Catholicæ Fidei diligenter & ſalubriter exercebis. Dantes tibi eadem authoritate tenore præſentium, plenariam poteſtatem infra dictam Prouinciam inquirendi, contra quoſcunque hæreticos, vel de hæreſi quomodolibet ſuſpectos, fautores, receptatores & defenſores eorum, ipſoſq; capiendi & detinendi, condemnãdi, abſoluendi, liberandi, ac omnia alia & ſingula faciendi, quæ ad huiuſmodi Inquiſitionis officium de iure pertinere*

*noſ-*



*noſcuntur. Mandantes eadẽ authoritate tenore præſentiũ vniuerſis & ſingulis eiuſdem Prouinciæ Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Capitaneis generalibus & officialibus vniuerſis, & eorum Vicariis, cæteriſq; Eccleſiaſticis & ſecularibus perſonis ſub excõmunicationis, ſuſpenſionis & interdicti pœnis: vt tibi in iis quæ ad huius Inquiſitionis officium pertinere noſcuntur, benigne pareant & intendant, ac cum per te requiſiti extiterint, dent per ſe & alios prout opportunum fuerit, conſilium, auxilium & fauorem. Nos enim ſentẽtias ſiue pœnas quas rite tuleris, ratas & gratas habebimus, ipſaſque faciemus auctore Domino inuiolabiliter obſeruari: per præſentem autem commiſsionem noſtram, nolumus, nec intẽdimus Inquiſitori alias per nos in dicta Prouincia deputato, in aliquo derogare, quoniam idem Inquiſitor officiũ ipſum poſsit & valeat ſicut prius libere exercere. Datum Ariani 9. Calend. Septembr. Pontificatus eiuſdem Domini Clementis* PAPAE VI. *Anno ſexto.*

Hæc Bertrandus Cardinalis Legatus ſtatuebat, quod per id temporis Gazarenorum & Patarenorum reliquiæ ab alijs ſuperioribus Pontificibus damnatæ, etiam in Italia repullularent, Contra quos, exemplo aliorum pontificum, etiam CLEMENS, hoc anno anathema tulit: quod inter eius Epiſtolas numeratur 196. Cæterum, cum etiam multi, inter hos turbines rerum plurima patrimonij Beati PETRI vſurpaſſent, atque occupaſſent, eoſdem cætu piorum CLEMENS excluſit, publicato diplomate *numer.* 9. Inter hos IOANNES Dux Meſſanenſium, LVDOVICI pueri, ex fratre nepotis tutor, non ſatis habuit inſulam Trinacriæ, Romano Pontifici hæreditariam, per vim occupaſſe: niſi etiam reliquæ Siciliæ cis Farum immineret: Ab eo metuens Ioãna Siciliæ & Hieruſalem Regina, quod etiam Ludouicum Regem Vngariæ ceruicibus ſuis impendere videret, miſsis vltro citroque nuntiis tranſegit, vt is inſula Trinacriæ potiretur, illam vero reliquæ Siciliæ cis Farum dominari toleraret, neque armis infeſtaret.

PETITVR à PONT. CONFIRMATIO PACTORŨ INTER IOANNEM DVCEM MESSA. ET IOANNAM REGINAM RATIONE REGNI SICILIÆ.

Non poterant ea pacta, citra conſenſum Sedis Apoſtolicæ rata haberi. Igitur vtrique ſupplices fuere Clementi, vt ea approbaret. Conuenerat, vt Sicilia Inſula, perpetuo apud Ludouicum eſſet: qui pro annuo cenſu, ad vnciarum tria millia, Romano Pontifici, in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, Reginæ Ioannæ nomine pendenda teneretur: vt idem, ſi Regnum Neapolitanum ab hoſte, quandoque inuaderetur, claſſem triremium quindecim, ad trimeſtre, cum ſoluto milite auxiliares mitteret: Ioanna vero Regina ius ſi quod in Sicilia, & inſulis obiacentibus habebat, Ludouico in perpetuum cederet.

Romanus quoque Pontifex, Siculos & Regem à diris, & præteritorum annorum cenſibus abſolueret, pacemque probaret: atque Ludouicus Rex bona Eccleſiaſtica quæ hactenus occupauerat, ſuo iuri reſtitueret, Sãdalus Imbriada genere nobilis, patria Neapolitanus, & Archiepiſcopus Amalphitanus, Nuncij Apoſtolicæ Sedis, illud tantum in mandatis habuerant, vt inter Ioannam & Siculos, inducias trium annorum obtinerent: per quos cum ſtetiſſet, vt conditiones non ſatis æquæ fuerint propoſitæ ſeu ſtabilitæ, neque ſatis Eccleſiæ iuribus à Ludouico cautum eſſet, eas anno inſequente Clemens reprobauit: data *Epiſtola numer. 95. Fazellus de rebus Siculis dec. 2. lib. 9.*

XXXI. OBITVS LVDOVICI BAVARI NON SINE SVSPICIONE VENENI.

Cum hæc in Italia agerentur, & Ludouicus Bauarus in Germania, aduerſus Carolum Romanorũ Regem & Clementem Pontificem, vna cum Henrico ex Archiepiſcopo Moguntino omnia tentaret, tandem à numine, iniurias Apoſtolicæ Sedis & Romanæ Eccleſiæ vlciſcente, extinctus eſt. Iohanna Duciſſa Auſtriæ, quam ob tetram faciei diſpoſitionem Maultaſch, hoc eſt, oris peram, vel ſaccum appellabant, ex Alſatia in Auſtriam reditura illum conuenerat. Hæc, ſiue calamitatem Friderici Pulchri, quem Imperij competitorem Ludouicus ante aliquot annos captiuum tenuerat & ſqualore carceris vexauerat, ſiue amores contemptos vlciſceretur, quamquam honorifice à Ludouico haberetur, veneno eum tollere tentauit. Non omnino cõtinentem fuiſſe Ludouicũ ex eo ſuſpicari quis poſsit quod ſtatim, Ioanna abeunte, Burggrauiam Norimbergenſem quam amabat acceſſerit. In itinere, quod ilico à conuiuio ſurgens ſuſceperat, nonnihil punctionum circa cor perſenſit: ſeque veneno petitum ex indiciis intellexit. Cumque vomitionem fruſtra irritaſſet, ad venationem perrexit, vt agitatione ac labore corpus calefaceret, & toxicum diſſolueret. Syluam ingreſſus, inuſitatæ magnitudinis vrſum fortuito offendit: in quẽ vehementiore impetu incurſans, de equo præcipitatus crus fregit, & corpus graui colliſione concuſsit: ſubitaq; apoplexia percuſſus, circa meridiem eius diei qui Diuo Gereoni martyri ſacer eſt, 5. Idus Octobr. ſubitanea morte deceſsit: ſecundo lapide à Monachio, non longe à vico Buech, vbi Diua Edigna humata colitur.

DE POENITENTIA LVDOV. VARIANT SCRIPTORES.

De pœnitentia in extremo vitæ articulo, variant authores, qui Ludouici mortem deſcribunt, ſed nihil de illius pœnitentia vel impœnitentia commemorãt. *Villanus tamen & Rebdorf. impœnitentem, mortuum fuiſſe aſſerunt, quin Rebdorf. in annalibus* iſtud addit quod adiungo. *Et ſic notabiliter diuina plaga interiit, non ſine cauſa: quia aliquot annis ante obitum ſuũ officiis & iudiciis ſuis præpoſuit tyrannos & excoriatores pauperum, minimam iuſtitiam facientes. In expeditionibus ſuis permiſit terram & pauperes excoriari: in hoſpitiis, Eccleſiis, Monaſteriis, ſecularibus & religioſis prælatis, ipſe & filii ſui grauiſsimi fuerunt. Clerũ ſecularem odio cordis habuit: immo pluries dixit: Quod ſi theſauriz aret theſaurum de luto, collegia ſecularia nõ fundaret: & ſic non abſolutus à ſententiis excommunicationis Eccleſiæ, quas Ioannes Papa contra ipſum fulminauit, miſerrime expirauit, & in Parochia B. Virginis in Monachio ſepultus eſt.* Sunt autem ex aduerſo alii auctores qui vel cum ſignis pœnitentiæ, vel corde compunctum vel contritum diſceſsiſſe teſtantur, iïque ſunt Cuſpinianus Pantalec, Auctor Anonymus Paulus Longius, Krantzius, Standelius, vitus Areinbeckius Chriſtianus, inter quos Cuſpinianus ſic ſcribit. *Deſtitutus omnibus ſenſibus Ludouicus ac viribus cùm ad ſe rediiſſet, eleuatis in cœlũ oculis & genibus flexis pulcherrima ac deuotiſsima ardentiſsimaq; oratione, cum maximo ſingultu Deum rogat vt animæ ſuæ miſereatur, & peccatis ignoſcat, & per filium ſuum Ieſum Chriſtum vitam æternam largiatur.* Standelius autem ſic ſcribit, *Ludouicus Imperator obiit Monachij, in Eccleſia Parochiali B. Virginis ſepultus, qui in fine dixit, Deus propitius eſto mihi peccatori, quia quamuis ſæpiſsime peccaui nunquam tamen te Deum miſerationum fide vel voto negaui.*

XXXII. CANITVR TE DEVM, OB LVDOVIC. MORTEM ET PONT. DEO GRATIAS AGIT.

*Nicolas Serrarius in Moguntiacis lib. 5.* fuiſſe in more per id temporis recenſuit, vt propter maximam rerũ difficultatem, amicta ſtola crux in ſummi templi medio poneretur, & coram ea quotidie à Clero, *Media vita*, & Pſal. *Deus laudem meam ne tacueris* caneretur. Sublato autem Ludouico, fuit & illa ſolenniter ſublata, cantãtibus omnibus *Te Deum laudamus*: præſentib. Carolo IV. Moguntino, Treuerenſi & Colonienſi Archiepiſcopis: Herbipolenſ. Spirenſi, Argentinenſi, & Bambergenſi Epiſcopis, aliiſque plurimis principibus, & viris nobilibus; vt habet M.S.L.

De ea Ludouici morte, cum Pontificẽ Clementem Carol. IV. certiorem feciſſet, & ipſe grates quã maximas Deo habuit, quod pacẽ Eccleſiæ atq; Imperio reddidiſſet. Quamobrẽ & Caroli Regis Nuntius benigne audiuit, & ſine difficultate triumphatori, gratulatus eſt victoriam; datis literis numero 909. Inſuper, vt Redborſius memorabat, abſolutionem ſententiarum

in fau-

in fautores & adhærentes Ludouico extincto in Alemania latarum, Archiepiſcopo Pragenſi & Epiſcopo Bambergenſi in ſolidum commiſit: cum hac conditione, vt Clerici & laici qui abſolutionem poſtularent, ſolenniter ex forma cõmiſsionis data à Sede Apoſtolica, iurarent, *1. Se credere, quod non ſpectat ad Imperatorẽ Papam deponere, & alium creare: & oppoſitum eſſe hæreticum. 2. Nulli deinceps vt Imperatori ſe velle obedire, niſi prius foret per Eccleſiam approbatus.*

CONDITIONES QVIBVS ABSOLVEBANTVR FAVTORES LVDOV.

XXXIII. CAROLVS ROM. REX SACRAMENTVM OBSEQVẼTIÆ DICIT PRIVILEGIA ECCLESIÆ CONFIRMAT.

Ea propter Carolus IV. Rex Romanorum Anno ſuperiore deſignatus, vt confirmationem à ſede Apoſtolica, & diadema Regium aſſequeretur, ex formula præſcripta, in coram Geraldo de Magnaco Sedis Apoſtolicæ Prothonotario, Sacramentum obſequentiæ, Romano Pontifici dixit: nec non Priuilegia, Romanæ Eccleſiæ, à ſuperioribus Regibus & Imperatoribus data, iureiurando, & ſcriptis datiſque priuilegiis confirmauit, neq; prius à Colonienſi Archiepiſcopo, Bonnæ ſacro vnguine inunctus eſt.

Tridenti hoc anno iurauit, donauit, confirmauit, innouauit, & referendi ſingula & omnia quæ alii Imperatores & Reges Romanorum iurarunt confirmarunt, donarunt, innouarunt, promiſerunt, & inter alia proceſſus Henrici aui & Ludouici Bauari contra Robertum regem Siciliæ & alios Pontificios abrogauit: contra Bauarum tanquam contra hæreticũ bellum ſe ſuſcepturum ſumptibus propriis ſpopondit: & non tantum amicum ſed etiam defenſorem ſe fore Eccleſiæ Romanæ & ſummi Pontificis, ac libertatis Eccleſiaſticæ dixit. Clementique poteſtatem fecit, remittendi omnes offenſas, qui aliqua ratione Henrico auo incommodaſſent. *Extr. priuileg. in Archiuo molis Adrian. iſtis verbis.*

XXXIV. LITERAE CAROLI ROM. REG. AD CLEM. CONTINENTES PROMISSIONES SEDI APOST. ET ECCLES. PER IPSŨ FACTAS.

*Sanctiſsimo in Chriſto Patri & Domino ſuo Domino Clementi Sacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Carolus Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, & Boemiæ Rex, cum reuerentia debita, & deuota, pedum oſcula Beatorum.*

*Summis & feruentibus deſideriis in ſpiritu humili cupientes Sanctitatis veſtræ pedib. & Apoſtolicæ Sedi toto corde & animo zelũ veſtræ reuerentiæ, fidei & deuotionis offerre, veſtris ſanctis diſpoſitionibus, monitis, exhortationibus & mandatis, nos pro totis viribus coaptando, reuerenter & deuote in manib. diſcreti viri Magiſtri Geraldi de Magnato, & Archidiaconi de Balthesio in Eccleſia Conſtantienſ. Capellani veſtri, veſtræ Sanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ nomine, de mandato veſtro ſpeciali eidem ſuper hoc facto, recipientis promiſsiones, iuramenta, & cõceſsiones omnes & ſingulas infraſcriptas ſigillatim, & ſpecifice, tactis ſacroſanctis Euangeliis, renouauimus, renouamus, fecimus & de nouo facimus, præſtitimus, & præſtamus, approbauimus & approbamus, ratificauimus, & ratificamus, & primo facimus, præſtamus, concedimus, & promittimus omnia iuramenta, omnes obedientias, promiſsiones, cõceſsiones, donationes, ratificationes, confirmationes & cætera omnia, quæ claræ memoriæ Dominus Henricus vltimus Imperator auus noſter, per ſe, vel per aliũ, ſeu alios, fecit, præſtitit, promiſit, conceſsit & confirmauit: nec non & omnia alia iuramenta, obediẽtias, promiſsiones, cõceſsiones, donatiões, ratificationes, & cõfirmationes, & cætera omnia, quæ olim electi in Reges Romanorum, & aſſumpti ad Imperium, ſiue etiam non aſſumpti ſiue antequam aſſumerentur, ſiue poſt per ſe, vel alios, Summis Pontificibus & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſeu eorum alteri, per ſe vel per alios reperiẽtur ſuis tẽporibus præſtitiſſe feciſſe, ac cõfirmaſſe, ſeu quomodolibet cõceſsiſſe. Itẽ omnes proceſſus factos, & quaslibet ſentẽtias latas, & qualibet alia, quocunq; nomine cenſeantur Roma, ſeu vbicunq; alibi geſta, per Ludouicum de Bauaria per Eccleſiã de hæreſi & ſchiſmate iuſto Dei iudicio condemnatum, ac priuatũ omni iure, ſi quod per electionem in Regem Romanorũ de ipſo factã ei fuerat acquiſitũ, ſeu per alios, eius nomine vel authoritate, ſub Imperiali titulo quẽ ſibi indebite vſurpauit: nec nõ & omnia quæ per ſe vel alium in Italia fecit, ſeu geſsit, etiã ſub Regali nomine: & cætera etiã omnia vbicunq; geſta ab eo, per ſe vel alium, quæ ex defectu iuriſdictionis vel poteſtatis facere ſibi non licuit, nulla eſſe, ac caſſa & irrita pronunciamus & declaramus: illa etiam quatenus de facto proceſſerunt annullamus, & penitus in his ſcriptis reuocamus.*

*Item promittimus, & ad Sancta Dei Euangelia corporaliter per nos tacta iuramus, quod non occupabimus, nec recipiemus, nec acquiremus, nec quouis modo vſurpabimus, Romam, aut prouincias, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Anconitanũ, Ferrariẽſ. ciuitates, oppida, caſtra, terras alias, ſeu territoria, vel loca Eccleſiæ Romanæ, ſeu ad ipſam mediate vel immediate ſpectantia, in Italia, vel vbilibet extra Italiam, ſicut eſt Comitatus Venayſini, qui ad Romanã Eccleſiã pleno iure noſcitur pertinere, & plura ẽt alia ad eandem Eccleſiam pertinentia extra Italiam conſtituta: & ſpecialiter, nec Regna Sicil. Sard. Corſ. quæ de dominio directo, iure & feudo eiuſdem Romanæ Eccleſiæ eſſe noſcuntur, nec alia feuda, retrofeuda, ſeu qualibet alia loca ad eandem Eccleſiã mediate vel immediate ſpectantia: nec iura, perſonas, vel res aliquas in eiſdẽ: nec aliquibus inuadentibus, ſeu occupantibus, vel quomodolibet vſurpantibus, ſeu inuadere, occupare, vel quomodolibet vſurpare attentantibus, ſeu volentibus prædicta Regna Siciliæ, Sardiniæ, vel Corſicæ, ſeu Romã, aut prouincias, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Anconitanum, Venayſin. Ferrariam, Ciuitates, oppida, caſtra, terras alias ſeu territoria, vel loca Eccleſiæ Romanæ, ſeu ad ipſam Eccleſiam mediate vel immediatè ſpectantia ſiue ſint intra Italiam, ſiue extra Italiam, ſeu aliqua prædictorum, nõ iuuabimus, nec eis adhærebimus, nec ipſis etiam dabimus aliqualiter auxilium, conſilium, vel fauorem: quinimo, quoſcunque inuadentes, occupantes, ſeu quomodolibet vſurpantes, ſeu inuadere, occupare, vel vſurpare volentes vel attentes, dicta Regna Siciliæ, & Sardiniæ, & Corſicæ, & vrbem Romanam, ac Ducatus, Marchionatus, Comitatus, prouincias. Anconitan. Venayſin. Ferrariam, Ciuitates, caſtra, & terras ſeu quæuis alia loca Romanæ Eccleſiæ, vel aliqua ex eiſdem; retrahemus & impediemus poſſe noſtro, eiſdem nos cũ armis opponendo. Et ne conatus talium, effectum habeat, cum tota noſtra potentia reſiſtendo, ac vobis & Eccleſiæ Romanæ pro defenſione Regnorum, Prouinciarum, terrarum, & locorum prædictorum, contra quoſcunq; occupatores, inuaſores & vſurpatores, ſeu occupare, inuadere, vel vſurpare attentantes fideliter aſsiſtendo: nec dabimus, nec concedemus vllo vnquam tempore, in perpetuum, vel ad tempus aliquid de prædictis, ſub colore, conditione, vel titulo quibuſcunque. Quodque prædictã Eccleſiam Romanam, aut vos Dominum noſtrum Papam, ſeu ſucceſſores veſtros, vel officiales, Miniſtros, Vaſallos, & ſubditos veſtros non inquietabimus, vel quomodolibet moleſtabimus, in dictis Regnis, Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ, nec in vrbe Romana, terris, prouinciis, Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Anconitan. Ferraria, Ciuitatibus, Caſtris, oppidis, & aliis terris, ac territoriis ſupradictis, ſeu aliquo prædictorum. Sed nec etiam loca prædicta, ratione quorumlibet delictorum vel exceſſuum in locis eiſdem commiſſorum, vel committendorum, aliquem vel aliquos puniemus, vel alias perſequemur: niſi hoc ad nos de iure pertineret, ex alia ratione, quã territorii cũ territorii ratione, hoc ad Regem, vel Imperatorem Romanorum quantum ad loca prædicta, nullo modo valeat pertinere. Et hoc caſu promittimus, & iuramus vt ſupra, quod tales contra iuſtitiã nõ grauabimus, nec eis in caſu ẽt aliquo, Reges prædictorum Regnorũ, aut Miniſtros, Vaſallos, & ſubditos eorũdem in Regnis prædictis, ſeu pro eis, vel qualibet eorum parte, aliquatenus moleſtabimus, nec aliquod dominium, iuriſdictionem, ſuperioritatem, ſeruitutem poteſtariam, Capitaneatum, vel aliud officium, quocunq; nomine cenſeantur, accipiemus, vel vẽdicabimus, vel per nos, vel per alios exercebimus in prædictis, Roma, Regnis, prouinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Anconitan. Venayſin. Ferraria, Ciuitatibus, oppidis, locis, terris, & territoriis ſupradictis, vel pro aliquo eorundem: nec ẽt pro quibuslibet rebus, vel iuribus, in præmiſsis, Roma, Regnis, prouinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Anconitan. Venayſin. Ferraria, Ciuitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris, & territoriis ſupradictis, vel in eorũ, ſeu in aliquib. pertinentiis, cõſtitutis, etiãſi nobis à quibuslibet communitatibus, vel perſonis ſingularibus offerẽtur. Nec ius etiã aliquod aliud qualecunq; vendicabimus, acquiremus, vel occupabimus, ſeu quomodolibet per nos, vel aliũ, ſeu alios v*

ſurpa-



*ſurpabimus, recipiemus, vel exercebimus: nec concedemus etiam recipi vel haberi, in Roma, Regnis, prouinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus Aconitan. Venayſin. Ferraria, Ciuitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris, & territoriis ſupradictis, vel in aliquo de eiſdem: & ſpecialiter, in prouinciis, ciuitatibus, terris & locis expreſsis in quibuſdam literis dicti quondam Henrici Imperatoris, quarum tenor inferius eſt inſertus.*

*Ad euitandam quoq; occaſionem veniendi contra prædicta, vel aliquod prædictorum, promittimus vt ſupra, quod ante diem nobis pro coronatione noſtra Imperiali præfigendam, non ingrediemur vrbem Romanam: quodq; eadem die, vero & legitimo impedimento ceſſante Imperialem recipiemus coronam: & quod ſiue illa die, ſiue, vero & legitimo impedimento ceſſante, alia die dictam recipiemus coronam, ipſa die qua coronam huiuſmodi receperimus, dictam vrbem, vero & legitimo ceſſante exibimus, cum tota etiam, quantum in nobis fuerit gente noſtra, & ceſſante etiam impedimento legitimo, continuatis moderatis dietis, extra totam terram Rom. Eccleſ. nos recto greſſu transferemus, verſus terras Imperio ſubiectas: nunquam poſtmodum ad vrbem, Regna prædicta, Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ, prouincias, ciuitates, vel alias terras Romanæ Eccleſiæ, niſi de ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ acceſſuri.*

*Iuramus quoque ſuper ſancta DEI EVANGELIA, per nos corporaliter manu tacta, quod ſuper his vel eorum aliquo, nullum impedimentum fingemus, aut præſtabimus, aut fingi aut præſtari, per alium, aut alios, quantum in nobis fuerit, permittemus.*

*Item promittimus, quod contra prædicta, vel eorum aliquod nullatenus per nos, vel alios veniemus. & ſi contrarium quouis modo contingeret fieri, per nos vel alios noſtros noſtro nomine quandocunque, ſtatim cum hoc ad noſtram notitiam deductum fuerit, illud reuocabimus, & faciemus, quantum in nobis fuerit effectualiter reuocari: & pro non facto volumus & decernimus haberi, & etiam reputari.*

*Item ſi per præfatum quondam Henricum Imperatorem auum noſtrum, vel per iam dictum Ludouicum, ſeu per quemcunq; alium, ſeu alios, ipſorum vel alterius nomine, ſeu authoritate, aliquæ ſententiæ fuerint promulgatæ, ſeu proceſſus aliqui facti, ſeu arreſtationes perſonarum, aut rerum, vel aliqua ad iuriſdictionem pertinentia, attentata in Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Ciuitatibus, mediate vel immediate ſubiectis, illa omnia decernimus, & in his ſcriptis pronunciamus eſſe nulla. Quodq; ſi aliquæ fidelitates, homagia, obedientiæ, recognitiones, donationes, aduocationes, occupationes, ſeu conceſsiones qualeſcunq; à prædictis Henrico & & Ludouico, vel eorum altero, per ſe vel aliũ, ſeu alios factæ fuerint, vel receptæ, pro Roma, Regnis, prouinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Ciuitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris & territoriis ſupradictis, vel eorum aliquo: vel pro quibuſlibet rebus, vel iuribus in eis, vel ſub eis etiam conſtitutis, à quibuſcunque vniuerſitatibus, vel perſonis ſingularibus, quouis modo: illa omnia fore nulla pronunciamus, & quatenus proceſſerunt de facto, totaliter reuocamus, & etiam pro non factis volumus & decernimus haberi.*

*Item promittimus & iuramus, quod quandocunque in Lombardiam & Tuſciam, vel earum alteram, aliquem vel aliquos mittemus, pro terris & iuribus Imperij gubernandis: quotiens illum vel illos tranſmittemus: faciemus eum & eos iurare, vt adiutor, & adiutores Domini PAPAE ſint, ad defendendum terram Sancti PETRI & Romanæ Eccleſiæ ſecundum ſuum poſſe.*

*Item promittimus & iuramus, vt ſupra, quod omnia & ſingula ſupraſcripta & infraſcripta per nos promiſſa, & per nos præſtito iuramento vallata, bona fide & inuiolabiliter obſeruabimus, faciemus, implebimus, & integraliter attendemus, iuxta præſentium continentiam & tenorem, & nihilominus ipſa omnia & ſingula præmiſſa, poſt inunctionem, conconſecrationem & coronationem Imperialem, infra octo dies inunctionem, conſecrationem & coronationem eandem immediate ſequentes, pro maiori firmitate omnium prædictorum, ipſa omnia & ſingula ratificabimus, & etiam renouabimus ſingulariter & expreſſe & ſuper præmiſsis omnibus & ſingulis, dabimus literas noſtras quadruplicatas eiuſdem tenoris patentes, & ſufficientes, Imperialis Maieſtatis typario communitas.*

*Inſuper ſuper Sancta DEI EVANGELIA corporaliter manu tacta iuramus, quod nullam omnino promiſsionem, nullum pactum, nullumq; iuramentum, nec aliquid aliud faciemus, per quod præmiſsis, vel eorum alicui poſsit in aliquo quomodolibet derogari, & nihilominu ſuper ſancta DEI EVANGELIA corporaliter manu tacta iuramus præmiſſa omnia & ſingula nos facturos & completuros, & nullo vnquam tempore, per nos, vel alios, contra illa, vel aliquod de illis venturos. & ſi, quod abſit, contingeret nos facere, dicere, promittere, vel iurare, aliqua, vel aliquod, quæ præmiſsis, vel eorum alicui poſſent quomodolibet obuiare, vel nos ad ſecus agendum inducere vel nobis occaſionem agendi contra prædicta, vel eorum aliquod quomodolibet miniſtrare: nihilominus illis nequaquam obſtantibus, prædicta omnia & ſingula complebimus: & inuiolabiliter obſeruabimus, & ad ea complenda, & inuiolabiliter obſeruanda ex promiſsionibus & iuramentis præmiſsis, ſemper nos volumus remanere efficaciter obligatos. & ex nunc etiam atteſtamur, & proteſtamur, nos velle & intelligere præmiſſa omnia & ſingula, ſic excluſa fore ab omnibus factis, & promiſsionibus, ac iuramentis ſpecialibus & generalibus, per nos quomodolibet faciendis, per quæ præmiſsis, vel eorum alicui poſſet quomodolibet derogari: quod illorum prætextu, vel occaſione nobis nullo modo liceat, licereue poſsit mutare aliquid in præmiſsis, vel facere contra ea, vel aliquod de eiſdem.*

*Promittimus etiam bona fide quod intruſos in Eccleſiis infra prædictum Regnum & Imperium conſiſtentibus, & qui eas contra ius & libertatem, ſuperioritatem & authoritatem Romanæ Eccleſiæ detinent occupatas, vel detinuerint in futurum, ſi ſuper hoc per vos Dominum noſtrum PAPAM, vel Sedem Apoſtolicam fuerimus requiſiti, expellemus, & pro poſſe faciemus expelli de illis: & prouiſos per Sedem Apoſtolicam iuuabimus, & faciemus iuuari, vt ad Eccleſias de quibus eis per Sedem Apoſtolicam prouiſum eſt, vel fuerit in futurum, realiter admittantur, ſuiſque iuribus libere vti poſsint.*

*Tenor autem ſupradictarum literarum quondam Henrici Imperatoris ſequitur ſub his verbis.*

INSERTIO LITERARVM HENRICI IMP.

*Sanctiſsimo in CHRISTO PATRI & Domino ſuo, Domino Clementi Sacroſanctæ Romanæ ac Vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Henricus diuina fauente clementia Imperator ſemper Auguſtus, cum reuerentia debita, pedum oſcula beatorum.*

*Dudum antequam ſuſcepimus Imperij diadema, in humilitatis ſpiritu, quæ virtutum comprobatur origo, ſicut Sacroſanctæ Matris, Eccleſiæ filius, noſtræ deuotionis & fidei zelum vobis & ipſi Eccleſiæ feruenti deſiderio oſtendere cupientes, reuerenter, in manibus diſcreti viri Iohannis de Mollans Scholaſtici Tullenſis, Capellani veſtri, de mandato per vos ei facto, veſtro, Eccleſiæ prædictæ & Sedis Apoſtolicæ nomine recipientis, ſacroſanctis Euangeliis corporaliter per nos tactis præſtitimus iuramentum, quod tenor literarum noſtrarum ſuper hoc confectarum, noſtro Regio pendenti munitarum ſigillo continet ſerioſe, promittentes, noſque firmiter obligantes cum omni efficacia & effectu, quod poſt diadematis Imperialis à nobis coronationem ſuſceptam, omnia in iuramento & literis contentæ prædictis ratificaremus, recognoſceremus, faceremus, ſeruaremus, atque iuraremus, & de his omnibus, infra octo dies poſt coronationem huiuſmodi, ad perpetuam rei memoriam, ac veſtram, & ſucceſſorum veſtrorum, & Eccleſiæ ac Sedis prædictorum ſecuritatem atque cautelam vobis patentes quadruplicatas, Imperialis maieſtatis typario communitas traderemus, litteras, huiuſmodi literarum noſtrarum ſeriem continentes. quæ talis eſt.*

*Sanctiſsimo in Chriſto Patri & Domino ſuo, Domino Clementi SS. Rom. ac vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Henricus Dei gratia Rom. Rex ſemper Auguſtus: cum reuerentia debitæ deuota pedum oſcula beatorum.*

*Feruenti deſiderio cupientes Sanctitatis veſtræ pedibus, & Apoſtolicæ Sedi toto corde & animo zelũ noſtræ reuerentiæ, fidei & deuotionis offerre, veſtris ſanctis monitis, exhortationibus, & mandatis nos pro viribus coaptando, & honorẽ veſtrum ac S. R. Eccleſ. & aliarum Eccleſiarũ iura diligere, & pro poſſe protegere ac ſeruare. Attendentes propenſius, quod nihil eſt quod legitime clarius perfulgeat quam recta fides in Principe, nihilque quod*

ita

*ita nequeat occaſui ſubiacere, quam vera religio, & quod ad Dei timorem ſeruandum, mandataq; eius cuſtodienda factus eſt omnis homo, ſed præcipue Imperialis & Regalis poteſtas, quæ à Domino Deo eſt, & ad eius miniſterium exequendum, ad fidem & reuerentiam ſui nominis dilatandam in omnes regiones & regna: promittimus & obligamus nos cum omni efficacia Deo Omnipotenti, vobiſque Domino noſtro Clementi Summo Pontifici, veſtriſq; ſucceſſoribus, ac ſacroſanctæ Sedi Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ, quæ Eccleſiarum omnium Caput eſt & Magiſtra, quod ſacroſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, Fidemq; Catholicam fundatam ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarũ, ipſo ſcilicet angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino. In cuius nomine omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium & infernorum: nec eſt nomen aliud ſub cœlo in quo ſaluari oporteat: credentes toto corde & animo, pura fide & ſancta intentione conſeruabimus, reuerebimur, atq; defendemus totis viribus & toto poſſe: & omnem hæreſim & ſchiſma extollentem ſe contra ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam exterminabimus pro viribus: & omnes hæreticos cuiuſcunque ſectæ & conditionis exiſtant: facies quidem habentes diuerſas ſed caudas ad inuicem colligatas, quibus vineam Domini Sabbaoth perdere & vaſtare nituntur, omneſq; fautores & adiutores, valitores & receptatores, ac defenſores eorum, & quod nullo tempore coniungemur, confœderabimur, parentela, vel fœdere, vel vnione quacumq; cũ quocunq; Saraceno, vel pagano, vel ſchiſmatico, Rege vel Principe, vel quocunq; alio, Fidei Catholicæ communionem non habente: neq; cum aliquo rebelle, vel inimico ipſius Romanæ Eccleſiæ, vel eidem manifeſte ſuſpecto.*

*Item promittimus & obligamus nos cum omni efficacia & effectu quod perſonam veſtram, ſtatum, & honorem, & ſucceſſorum veſtrorum, contra quemcunque ſeu quoſcunque homines cuiuſcunque ſtatus præeminentiæ vel dignitatis exiſtant conſeruabimus, defendemus, & manutenebimus: nec non omnia priuilegia Regum & Principum & Imperatorum Romanorum prædeceſſorum noſtrorum cuiuſcunque tenoris & continentiæ exiſtant, quocunque tempore conceſſa S. R. Eccleſ. ac Romanis Pontificibus, & Sedi Apoſtolicæ, & quibuſcunque Eccleſiis, prælatis & miniſtris ipſarũ conſeruabimus & manutenebimus, nec aliquo vnquam tempore contraueniemus, vel aliquem quantũ in nobis erit venire permittemus, quacunque occaſione, vel titulo allegato iuris vel facti. Imo ad perpetuam rei memoriam, & S. Rom. Epiſc. ſecuritatem atque cautelam, ipſa priuilegia omnia, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris ratificamus, confirmamus, recognoſcimus, innouamus, & de nouo concedimus, prout melius & plenius poſſumus, ex certa ſcientia, cum omni efficacia & effectu. Volentes ac etiam decernentes, quod iſta generalis ratificacio, confirmatio, recognitio, innouatio, & de nouo conceſſio, perinde robur obtineat perpetuæ firmitatis, ac ſi omnia & ſingula priuilegiorum verba de verbo ad verbum præſentibus inſerta fuiſſent ſingulariter & expreſſe.*

*Specialiter autem & expreſſe cum omni efficacia & effectu ſupradictis, ratificamus, confirmamus, recognoſcimus, innouamus, & de nouo concedimus omnia priuilegia, Conſtantini, Caroli, Henrici, Ottonis Quarti, Friderici Secundi, atque Rudolphi Regum & Principum ſeu Imperatorum Romanorum quecunque tempore conceſſa ſuper quibuſcunque, cuiuſcunque continentiæ vel tenoris exiſtant, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Romanis Pontificibus, & Sedi Apoſtolicæ.*

*Promittimus etiam, & obligamus nos cum omni efficacia & effectu, omni iure & forma, quo melius & efficacius fieri poteſt, manutenere & conſeruare omnia priuilegia cuiuſcunq; tenoris vel conditionis exiſtant, & nullo vnquam tempore contrauenire, vel aliquem, quantum in nobis eſt venire permittere, quacunq; occaſione, vel cauſa, vel titulo allegato, iuris, vel facti, per quoſcunq; Reges vel principes, ſeu Imperatores Romanos: & præcipue per ſupradictos Conſtantinum, Carolum, Henricũ, Ottonem Quartum, Fredericum Secundum, atq; Rodulphum conceſſa Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romanis Pontificibus & Apoſtolicæ Sedi, ſuper recognitione, innouatione, aduocatione, conceſſione, quitatione, renunciatione & libera dimiſſione terrarum & prouinciarum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vbicunq; poſitarum, præcipue Marchiæ Anconitanæ, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & iuriſdictionibus earundem. Exarchatus Rauennæ, & Pentapolis, ac Romandiolæ, & Bertenorij Comitatus, cum ciuitate Bononiæ, & cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus, integraliter & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus eorundem. Vallis quoq; quæ Spoletana dicitur ſiue Ducatus, cum ciuitatibus Peruſij atq; Caſtelli, & cum omnib. ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, confinibus, integraliter: & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem. Maſſæ quoq;, quæ Trebaria nuncupatur, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus eorumdem. Patrimonij etiam Sancti Petri in Tuſcia, cum ciuitatib. Tuderti, Narniæ, vrbis veteris, & Reate, & cũ omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem. Comitatus quoque Sabinæ, cum ciuitate Interamnenſ. & cum Arce Cæſarum, & terra quæ dicitur Arnulphorum, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem. Comitatus quoq; Maritimæ atque Campaniæ, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus ſuis integraliter, & cum omnibus iuriſdictionibus & iuribus earumdem.*

*Et ex abundantia, de nouo, ad maiorem cautelã ſupradictas omnes terras, atq; prouincias, cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus, terminis, limitibus & confinibus earumdem, & ius ac poſſeſſionem, & proprietates ipſorum, cum omni plenitudine recognoſcimus iure pleniſſimo, ad ius & proprietatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſpectare, ac omnimode pertinere: ac ipſas omnes terras, atq; prouincias de nouo annotamus, & innouamus, atque concedimus, & quitamus libere & dimittimus, reſtituimus, & renunciamus: nec non ad omnem ſcrupulum remouendum, & vt pax, quies atq; tranquillitas inter Eccleſiam & Imperium iugiter vigeat, & futuris dante Domino temporibus feliciter augeatur, & omnis contentionis & diſſenſionis cuiuſlibet materia præcludatur, prout melius & efficacius fieri & intelligi poteſt, concedimus ipſas, conferimus & de nouo donamus, promittentes & obligantes nos prout plenius & efficacius poſſumus, quod nullo vnquam tempore occupabimus, vel occupari, quantum in nobis eſt permittemus, ciuitates, loca, caſtra, terras & prouincias ſupradictas, vel aliquam ipſarum, vel earũ partem: nec in ipſis, vel aliqua ipſarum, vel earum parte iuriſdictionem aliquã per nos vel per alium geremus, vel exercebimus: nec iura aliqua, poſſeſſiones vel tenutas habebimus, vel poſſidebimus in eiſdem terris vel prouinciis, vel aliqua ipſarum, ſeu parte earum: nec officium aliquod geremus per nos vel per alium poteſtariæ vel Capitaniæ, ſeu quocumq; nomine cenſeatur in ipſis, vel aliqua ipſarum, vel earum parte: & quod tanquam Catholicus princeps, Aduocatus & Defenſor Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iuuabimus ipſam, ſibique aſſiſtemus, contra quoſcunq; occupantes, inuadentes, vel turbantes prouincias ipſas, ciuitates, loca, caſtra, & terras, vel aliqua ipſarum, ſeu earum partem: & quoſcumque inobedientes, ſeu rebelles Eccleſiæ, præcipue in prouinciis, ciuitatibus, locis, caſtris, & terris eiſdem in nullo fouebimus, vel manutenebimus, ſeu per quoſcunque foueri, ſeu manuteneri, quantum in nobis eſt permittemus, ſed contra ipſos aſſiſtemus conſiliis, auxiliis & fauoribus oportunis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romanis Pontificibus, & Apoſtolicæ Sedi, quouſq; rebelles & ſubditi, ad plenam reuerentiam & obedientiam reducantur promittentes quoq; dictam Romanam Eccleſiam, & Eccleſias alias, ac libertatem Eccleſiaſticam, & bona, iura, prælatos, & miniſtros ipſarum manutenere, conſeruare, & pro viribus defenſare. Vaſſalloſq; quoq; Eccleſiæ Romanæ contra iuſtitiam non offendere: & quoſlibet deuotos & fideles Eccleſiæ, etiã in Imperio conſtitutos benigne tractabimus, & contra Iuſtitiam non opprimemus, neq; per alium quantũ in nobis eſt opprimi permittemus, ſed conſeruabimus in iuribus & iuſtitiis eorundem. Prædicta autem omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruare, & obſeruari facere, & nullo vnquã tempore contrauenire iurauimus ad ſancta Dei Euangelia tacto libro, in manibus diſcreti viri Ioannis de Mollan. Scholaſtici Eccleſiæ Tullenſis veſtri Capellani, nomine Romanæ Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ ac veſtro, & de veſtro mandato ſpecialiter recipientis: de qua etiam receptione tam per noſtras præſentes, quam per ipſius recipientis literas, ſeu inſtrumentum publicum plene conſtat. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, & S. R. Eccleſiæ ac Sedis Apoſtolicæ & Romanorum Pontificum ſecuritatem*





*atq; cautelam, præſentes literas Regiæ Maieſtatis ſigillo munitas fecimus communiri. Promittentes & obligantes nos cũ omni efficacia & effectu, quod poſt Imperialis diadematis coronationem ſuſceptam, prædicta omnia ratificabimus, confirmabimus, & recognoſcemus, & faciemus. & ſeruabimus, atq; iurabimus, & de ſupradictis omnib. infra octo dies noſtras patentes dabimus literas quadruplicatas, harũ ſeriem continentes, ad perpetuã rei memoriã, & ad ſecuritatẽ & cautelam veſtrã & ſucceſſorum veſtrorũ, & S. Rom. Eccl. & Apoſtol. Sedis, Imperialis Maieſtatis typario communitas. Datũ Lauſanæ 5. Idus Octob. An. Dom. Milleſimo trecenteſimo, decimo, Regni vero noſtri anno ſecundo.*

*Tanto itaq; feruentius ad Sanctitatem veſtram, ſanctam Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem zelo fidei & deuotionis accenſi, quanto ſumus amplius per ſuſceptionem Imperialis diadematis diuinæ gratiæ munere ſublimati, omnia in iuramento & literis contenta prædictis ratificamus, confirmamus, recognoſcimus, & ea ſeruabimus, & etiã faciemus, ac prædicta omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruare & obſeruari facere, & nullo vnquam tempore contrauenire, denuo iuramus ad ſancta Dei Euang. corporaliter tacto libro, in manibus venerabilium Dominorum miſeratione diuina Arnaldi Sabinenſis Apoſtol. Sedis Legati, & Fratris Nicolai Oſtienſ. & Velletr. Epiſcoporum nomine R. Eccl. Sedis Apoſt. ac veſtro, & de mandato veſtro ſpecialiter recipientiũ: de qua receptione, tam per noſtras præſentes, quã ipſorum recipientium literas plene conſtat. Et ad prædictorum omnium, perpetuam rei memoriam, ac S. R. Eccl. ſedis Apoſtolicæ & Romanorum Pontificum ſecuritatem atq; cautelam, præſentes literas quadruplicatas tenore prædictarum literarum noſtrarum eis inſerto, Imperialis maieſtatis typario communitas, iuxta promiſſionẽ & obligationem noſtras prædictas Sanctitati veſtræ conceſſimus, & eas per eoſdem Dominos Sabin. & Oſtienſ. Epiſcopos duximus tranſmittendas. Datum Romæ apud S. Sabinam II. Nonas Iulij. Anno Dom. Milleſimo, Trecenteſimo, duodecimo. Regni noſtri anno quarto, Imperij vero noſtri anno primo.*

*Item nos Carolus Rex Romanorum prædictus, quia per claræ memoriæ Henr. vltimum Imperatorẽ auum noſtrũ, ſeu authoritate ipſius, plures proceſſus facti fuiſſe, & etiã plures ſententiæ capitales, & proſcriptiones bonorũ, & aliarum pœnarum, & mulctarũ diuerſarũ inflictiuæ diuerſis temporibus promulgatæ fuiſſe dicuntur, tam contra claræ memoriæ Robertum Regem Siciliæ, quam contra quondam Ioannem Ducem Duratij Regis eiuſdem germanum, ac etiam contra vaſallos, & alios eidem Regi immediate vel mediate ſubiectos Regni Siciliæ, & Comitatus prouinciæ, & aliarum terrarũ Regis eiuſdem, quã contra nonnulos ciues & incolas ciuitatis Romanæ, nec non contra ciuitatẽ & commune Florent. ac Poteſtates, Capitaneos, Officiales, Miniſtros & nõnullas ſingulares eiuſdem ciuitatis perſonas, ac etiã contra alias ciuitates, & loca, & contra nonnullas perſonas ſingulares: quæ quidem ciuitates & perſonæ, tempore dicti Henrici adhæſerunt Regi præfato: oẽs huiuſmodi ꝓceſſus & ſententias propter quoſcunq; ẽt & qualeſcunq; exceſſus, inobedientias, rebelliones, & iniurias ipſi ꝓceſſus facti & ſententiæ ꝓmulgatæ fuerunt, quatenus proceſſerunt reuocamus, & eos & effectum eorũ annullamus, & tollimus in totũ, & quicquid ẽt ex eis ſecutũ eſt, vel ob eos. Et inſuper oẽs exceſſus, rebelliones, inobedientias, iniurias, & offenſas, qui, vel quæ commiſſi, ſeu cõmiſſæ fuerunt per Regẽ, & alios ſupradictos, vel ipſorũ aliquẽ, vel aliquos, & per ciuitates, cõmunitates & loca ꝑdicta in partib. Italiæ contra præfatũ Henr. vel ſuos Officiales, ſeu contra Imperiũ quouis modo, in quantũ proceſſerũt, & ad nos & ad Imperium noſtrum pertinere poſſunt, remittimus, tollimus, & penitus abolemus, & in integrũ aduerſus prædicta reſtituimus, omnes & ſingulos ſupradictos, ac ciuitates, communitates, & loca prædicta, ſic ꝙ illorum occaſione vel cauſa, ipſi vel ſucceſſores eorũ, non poſſint, per nos aut noſtros quoſlibet ſucceſſores, vel per alios, noſtro vel eorundẽ ſucceſſorũ nomine vllo vnquã tempore, impeti, ſeu inquietari, vel ẽt alias quomodolibet moleſtari: nec ſucceſſores dicti Regis Siciliæ ratione vel occaſione cuiuſcunq; cõmiſſionis, cõfiſcationis ſeu incurſus, ſeu ex quauis alia cauſa ꝓ præterito tẽpore ſuꝑ Comitatib. Prouinciæ, Forcalquerij, & Pedemõtis inquietabimus, moleſtabimus, nec aliꝗ ius in eis vel aliquo eorum vendicabimus ob præmiſſa, vel aliqua eorundem.*

*Item ob reuerentiã veſtri Domini noſtri Papæ, & propter etiã bonum pacis, vobis Domino noſtro Pp. cõcedimus irreuocabiliter, & damus per præſentes plenam & liberã poteſtatem quitandi, & remittendi omnib. ciuitatib. & cõmunitatib. quorũcunq; locorũ omniũ partium Italiæ, nec non & quibuſlibet perſonis ſingularib. partium earundẽ, cuiuſcunq; ſtatus aut conditionis exiſtant, oẽs iniurias, rebelliones, inobedientias, & offenſas cõmiſſas hactenus quãdocunq; & quomodocunq; contra Imperiũ, & Reges, ac Imperatores Romanorum, ſeu Officiales, Miniſtros, vel gentes eorũ: ac etiã proceſſus quoſcũq; & ſententias inde ſecutas, quatenus ad Reges & Imperatores eoſdẽ, qui fuerunt pro tempore pertinuit cognitio & punitio prædictorũ, & ad nos illorũ iuris Regni vel Imperij poterunt pertinere, tollendi, caſſandi, reuocandi, & totaliter annullandi, pœnaſq; quaſlibet corporum & bonorũ, & mulctas ẽt & infamias à iure vel homine illorum exceſſuũ occaſione vel cauſa inflictas vel infligi poſſibiles in futurum remittendi, & penitus abolendi: & contra prædictos exceſſus, proceſſus, ſententias, pœnas, & infamias huiuſmodi in integrum reſtituendi, & alias de illis, & ſuper illis omnib. & ſingulis, quandocunq; & quomodocunq; vobis placuerit, inſimul vel diuiſim, per vos vel aliũ ordinandi, & diſponendi, alte & baſſe pro libito voluntatis, quicquid placuerit veſtræ Sanctitati: & ſuper hoc, in ſcriptis vel ſine ſcriptis, nobis ẽt abſentib. & non vocatis, nec alio quocunq; pro nobis requiſito, nec etiã requiſitis: ratum quoq; & gratũ per nos, & pro ſucceſſorib. noſtris habituri promittimus, quicquid ſuper præmiſſis & eorum quomodolibet per Sanctitatẽ veſtrã remiſſum, ſublatũ, caſſatum, annullatum, reuocatũ, reſtitutum & abolitũ fuerit, vel quomodolibet ordinatum: & ſuper hoc ſufficientes iuxta voluntatẽ veſtram patentes vobis concedemus literas noſtras, munitas ſigillo, quotiens per vos ſuper hoc fuerimus requiſiti. Poteſtatẽ aũt præmiſſam durare volumus per annum integrũ, computandũ à tempore, quo poteſtatem huiuſmodi vobis conceſſerimus, & nos eiuſdẽ conceſſionis poteſtatis literas fecerimus aſſignari. Eo tamen adiecto, quod ſi poſt approbationem prædictã, durante anno prædicto, illi vel aliqui ex eis de quibus præmittitur, nobiſcũ amicabiliter conuenirent, poſſimus eis vel pro eis remiſſionem ac alia prædicta facere, conceſſione Sanctitatis prædictæ ſuper his facta nequaquã obſtante: quæ tamen in ſuo effectu plene remaneat, quoad omnia alia, de quibus ſic duxerimus ordinandum.*

*Item, cum ſicut eſt per diuerſas Orbis partes longe lateq; diffuſum, & notum, ac etiam diuulgatũ, Ludov. de Bauaria propter multiplices, graues, execrabiles & enormes atq; notorios eius exceſſus, offenſiones, iniurias, rebelliones, cõtumacias, & contemptus ac hæreſes & ſchiſmata, aliaq; nonnulla deteſtabilia crimina notorie cõmiſſa per eum, ac exigentib. ſuis demeritis & culpis horrendis, fuerit & ſit per ſedẽ Apoſtolicam pluribus, variis & diuerſis excommunicationũ & anathematũ, ac aliis pœnis & ſententiis innodatus, ac omni iure, ſi quod vnquã ſibi in Regno & Imperio Romanorũ competere potuiſſet, nec non omnibus feudis quæ tunc à Romana vel aliis Eccleſiis, vel dicto Imperio obtinebat, & ſpecialiter Ducatu Bauariæ, ac ẽt bonis aliis ſuis omnib. mobilib. & immobilib. iurib. & iuriſdictionib. priuatus perpetuo, iuſtitia ſuadente, ac de hæreſi & ſchiſmate, & aliis diuerſis criminib. & exceſſib. condemnatus, ac hæreticus & ſchiſmaticus publice nunciatus: & propterea in pœnas & ſentẽtias diuerſas tã in proceſſib. dictæ ſedis huiuſmodi occaſione habitis contra eum cõtentas, quã in iure contra tales inflictas incidiſſe, & eas omnino incurriſſe ſit & fuerit declaratus, ac etiã Chriſti fidelib. expoſitus impugnandus: Nos tanq; deuotus S. R. E. filius, veruſq; cultor Cath. fidei, obſtinatã & pernicioſam nimiũ Ludouici præfati pertinaciam & perfidiã abhorrentes, & conſultius attendentes ꝓceſſus ſedis eiuſdem vt præmittitur habitos contra eum, & conſiderantes etiam, quod hæretici & ſchiſmatici ſunt à Catholicis pro viribus expugnandi: & quod eiuſdẽ fidelibus nõ licet cum ipſis ſchiſmaticis & hæreticis amicitias, ſocietates, confœderationes, pactiones, colligationes, vel ligas aliquas facere, vel habere, ob zelũ Dei, & eiuſdẽ Fidei, ac ad honorẽ ipſius S. R. E. Matris noſtræ, & ob deuotionem quam habemus ad ipſam, ac etiam conſcientia merito nos vrgente, intendentes Ludou. præfatum iuxta ipſorum proceſſuum ſeriẽ, prout erit nobis poſſibile impugnare bona fide promittimus, & ad ſancta Dei Euangelia per nos corporaliter ſponte tacta iuramus, quod quamdiu idem Ludouicus in huiuſmodi perfidia, hæreſi, ſchiſmate, pertinacia, exceſſibus, & criminibus permanebit, & quamdiu ſubiacebit pœnis, ſententiis ſupradictis, & quamdiu erit extra gratiã dictæ ſedis, nullã amicitiam, ſocietatẽ, confœderationem, pactionẽ, colligationem, vel ligam cum eo faciemus: & ſi aliquas hactenus feciſſemus, eis de cætero non vtemur.*

*Item promittimus & iuramus, quod nullam parentelã conſanguinitatẽ, vel affinitatem cum Ludou. præfato, nec matrimonium vel ſponſalia aliqua, parentelam, conſanguitatem vel affinitatem, cum aliqua, vel aliquũ, ſeu aliquib. ab eodem Ludouico per maſculinum vel fœmininam lineam deſcendentibus contrahemus, Romano Pontifice inconſulto, & abſque ipſius Sedis licentia ſpeciali. Nec eidem Ludouico conſilium, auxilium, vel fauorẽ impendemus, per nos, vel aliud, ſeu alios, directe vel indirectè publice vel occulte: quinimo eundẽ Ludouicum iuxta eorundem proceſſuum continentiam totis noſtris virib. impugnabimus, expugnabimus, & perſequemur: & ſuper his faciemus totaliter, realiter & efficaciter poſſe noſtrum. Quæ quidem omnia & ſingula ex cauſis prædictis, & ob eas modo prædicto, recte & pura fide, ſine omni dolo & fraude promittimus, & ad Sancta Dei Euangelia corporaliter ſponte tacta iuramus, nos efficaciter, ſeruaturos & cõpleturos toto poſſe: & quod contra præmiſſa vel eorũ aliqua per nos vel aliũ ſeu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, aliqua ratione, occaſione, vel cauſa, ingenio vel colore nullatenus veniemus: & ad prædictorum omniũ perpetuam rei memoriam, & S.R.E. ac Sedis Apoſtolicæ, & Rom. Pontificum ſecuritatem atq; cautelam præſentes ſcribi literas, & Regiæ Maieſtatis ſigillo fecimus communiri. Promittentes & obligantes nos cum omni efficacia & effectu, quod poſt Imperialis dignitatis coronationem ſuſceptam, prædicta omnia ratificabimus confirmabimus & recognoſcemus, & faciemus & ſeruabimus, atque iurabirabimus, & de ſupradictis omnibus infra octo dies noſtras patentes dabimus literas quadruplicatas, harum ſeriem continentes ad perpetuam rei memoriam, & ad ſecuritatem & cautelam veſtrã, & ſucceſſorum veſtrorum, & S. R. E. & Sedis Apoſt. Imperialis Maieſtatis typario communitas. Dat. Tridenti 5. Cal. Maij An. Dom. 1347. Regnorum vero noſtrorum Anno 1.*

XXXV. HENR. EX ARCHIEP. MOGVN. NOMINAT SVCCESSOREM LVDOVICO.

Henricus, Moguntina ſede à Clemente deiectus, Comitis Cunonis Falckenſteinij & Wittembergenſis, quem ſibi datis quibuſdam Moguntinis arcibus & oppidis, velut quemdam fidum Achatem deuinxerat, adiutorio fretus, auſus eſt Ludouico ſucceſſorẽ nominare Edouardum Angliæ Regem: deinde cum is abnueret, Fridericum Miſnenſem Marchionem, Ludouici generum: deniq; cum & is non grauate, ſiue pecunia Caroli corruptus, ſiue potentiam eius ſubmetuens, honorem hunc poſthaberet, Guntherum Schuuarzenburgenſem, quem & Aquiſgrani poſtmodum coronauit: cum Adolphum Comitem Palatinum Rheni, Othonem & Ludouicũ Brandenburgenſ. & alios Bauariæ principes in ſuã ſententiam adduxiſſet.

CITATVRA D SED. APOST. AD RESPONDENDVM DE ARTICVLIS FIDEI.

Multa præterea Henricus non tantum contra Carolũ tentauit, ſed etiam aduerſus fidẽ Orthodoxam & ſcripſit, & dixit: cauſamque Clementi Pontifici dedit, vt is Præpoſito S. Victoris extra muros Moguntinos, nec non S. Mauritij & S. Ioannis Moguntin. Scholaſticis commiſerit, qui apud ſedem Apoſtolicã illi diem dicerent, vt ibidem ſuper articulis Fidei reſponderet. *Dedit ea de re litteras 2. Idus Feb. anno 6. Serrarius Mogunt. lib. 5. Trithem. in Chron. vtroque.*

XXXVI. WILHELMI OCKAM HÆRESIARCHÆ PESTILENTISSIMI OBITVS.

Sex menſibus ante Ludouici Bauari obitum, ex hac etiam vita migrauit Monachij ille omnium incentor malorum *Willelmus Ocham* Anglia ortus, in adito templi Franciſcanorum, vna cum conſectariis Bonagratia Bergomate, & Michaele Cæſenatico, hæreticis & ſchiſmaticis tumulatus. Conradus Maidenburgenſis Parochus, & myſta Reginoburgenſium, illius & Luitpoldi Bambergenſis Epiſcopi peſtilentiſſimis libris: reſpondens, multa ad Carolum IV. Imperatorem præfatus, Willelmum authorem ſcelerum, cultorem tenebrarum, hæreſiarcham, & deprauatorẽ tum Philoſophiæ, tum Theologiæ nuncupauit, qui ſuis argutiis ineptiſſimis, nobiliſſimæ ſimplicitati Ludouici Principis alioqui natura optimi impoſuerit: vt quicquid is in Romanam Eccleſiam peccauerit, authore atque conſultore Occhamo commiſerit. Sathanæ calamo ea ſcripta, libenti oculo legunt & impudenti temeritate laudant omnes hæretici, quod is hominum petulantiſſimus, Fidei Catholicæ, & modeſtiæ non tantum religioſæ, verum etiam Chriſtianæ oblitus, à nullo ſcurrilitatis, maledicẽtiæ, & blaſphemiarum genere abſtinuerit, quo minus iis Pontificiã dignitatem proſcinderet. Franciſcanorum plurimi cum illius ſcripta tutarentur, Religionem Minoritanam in tantum diſcrimen adduxerant, vt de illa, quemadmodum ante aliquot annos Templariorum, extinguenda, Ioannes Pontifex ſerio cogitauerit: nec niſi Diui Franciſci tam admirandæ ſanctitati, ne vniuerſam extirparet, conceſſerit. *Annal. Boiorum libr. 7. & Annal. Franciſcan. p. 3.*

XXXVII. VLRICI HANGENOHE ADVERSVS PONTIF. DICACISSIMI OBITVS.

Per idem tempus extinctus eſt, Vlricus Hangenohe, ſcrinij apud Ludouicum præfectus, homo omnium procaciſſimus, quo in ſcribendis dicaciſſimis aduerſus Pontifices epiſtolis vſus eſt. Hic effoſi corporis contumeliam ſubmetuens; teſtamento cauit, ne in templo, ſed extra humaretur. Inuenit qui æthiopem lauaret, Hainricus à Schoneck Auguſtanus Epiſcopus Ludouici Sectarius, in templo eum magnifice condidit, hoſtis ex aduerſo Pontificis Clementis, merito ab eo diris deuotus. *Annal. Boior. lib. 7.*

XXXVIII CLEM. CAROL. IMP. OFFICII MONET.

A morte Ludouici lætior Carolus Rex Romanorum, haſtiludijs & torneamentis tempus fallebat, neque ex Regia dignitate ſpectaculis cruentis intereſſe volebat: & veſtes iuſto breuiores induebat. Habuit eum Clemens officij & grauitatis admonere, ſeuerioribuſque verbis ad decorum reuocare, *Epiſt.* 1162. Cum autem Delphinum Viennenſem Humbertum vehementius metueret, ne ille claſſem contra Turcas in Oriente inſtructam reduceret, & aliquod ei negotium faceſſeret, Clemens Pontifex pro Delphino ſpopondit: quod atque primum confecto Orientali bello reuertiſſet, Sacramento fidelitatis ſeſe illi aſtringeret, *Epiſtol.* 1077.

XXXIX. PROGRESSVS CLASSIS VNIONIS CONTRA TVRCAS.

Ingentes progreſſus in Oriente, aduerſus nominis Chriſtiani hoſtes faciebat hoc anno claſſis Vnionis, à prudentia & fortitudine Vmberti præfecti, & à virtute Rhodiorum, nec non reliquorum confœderatorum. Præcipue vero tunc enituit virtus illorum, cum Turcæ, per ſpeciem tractationis induciarum, centum & quinquaginta triremium claſſe inſtructa, Imbrim Archipelagi inſulam inuaſiſſent. Sub idem enim tempus claſſis Vnionis ſuperuenit, & incredibili celeritate, Turcos profligauit, centum decem octo nauigiis interceptis, reliquis demerſis, & quinque millibus Chriſtianorum captiuorum liberatis. Maxima lætitia ſe ex ea victoria perfuſum: Clemens datis 24. Iunij hoc anno ad Magiſtrum Rhodiorum literis ſignificauit, & ad maiora tentanda confœderatos admonuit. Ea victoria Turcæ conſternati, cum etiam Rhodios pro Conſtante Rege Armeniæ aduerſus Saladinum Ægypti in Cilicia, eodem fere tempore feliciter pugnaſſe intellexiſſent, inducias ad decem annos à Pincipibus confœderatis obtinuerunt: nec quicquam contradicente quem conſuluerant Pontifice, quod is ærario Eccleſiaſtico exhauſto, ſubſidia quę mitteret non haberet, & in Italia à Ludouico Rege Vngariæ grauiſſima metueret. *Boſſius hiſt. Rhodianæ lib.* 2. nec non vniuerſa fere Europa in armis eſſet.

XL. INDVCIÆ INTER ANGL. ET FRANC. REGES.

Philippus enim Rex Galliarum, aduerſus Edouardum Anglum pugnabat. Quibus conciliandis Clemens, Guidonem Cardinalem Bononienſem Legatum miſit. Legato operam interponente induciæ inter Reges in fine Septembris pactæ ſunt, vſque ad Natalem Diui Ioannis Baptiſtæ inſequentis anni, non comprehenſa in iis Britannia, in qua duæ mulieres, altera Ioannis Monfortij defuncti, tanquam duæ Amazones inter ſe dimicabant. Sub 7. Idus Octobris Edouardus in Angliam reuertens, orta tempeſtate ventorum, amiſſis aliquot nauibus, vix ipſe periculum euaſit, interceſſione proculdubio Beatæ Dei parentis, cui hunc in modum conqueſtus eſt: *Sancta Maria*, inquit, *Domina mea, quid eſt quod verſus Franciam nauigando, felici aura, pacato mari feror, omniaque mihi feliciter ſuccedunt: in Angliam autem reuertenti, omnia ſecus eueniunt? Vualſingam hiſt. Anglic. in Edouardo 3. & Annal. Flandr. lib. 13.*





*infra octo dies noſtras patentes dabimus litteras quadruplicatas, harum ſeriem continentes ad perpetuam rei memoriam, & ad ſecuritatem & cautelam veſtram, & ſucceſſorum veſtrorum, & S. R.E. & Sedis Apoſt. Imperialis Maieſtatis typario communitas. Dat. Tridenti V. Kal. Maij An. Domini 1347. Regnorum vero noſtrorum anno 1.*

Henricus.

XLI. NVNCIVM DESTINAT CLEM. PRO PACE INTER ARAG. ET FRANC. REGG. CONCILIANDA

Contra Philippum quoque Regem Gallorum, Petrus Rex Aragonum arma parabat, quod multi Proceres Galli, Balearico Regi, ad inuadendum Aragoniæ regnum, non tantum ſuppetias tuliſſent, ſed etiam militaſſent. Inter eos vt Clemens pacem conciliaret, atque bellum anteuerteret, Ioannem Rhemenſium Archiepiſcopum Nuncium deſtinauit ad VIII. *Idus Iunij* huius anni. Guillelmum Coſtam Sacræ Fidei aduerſus hæreticos Quęſitorem inſtituti Dominicani Theologum inſignem, & Bernardum Vlzinelium I. V. Doctorem Conſiliorum Regiorum participes, & Nuncios, Petrus Rex ad Clementem deſtinauerat, qui Pontifici mortem Mariæ Reginæ inprimis renunciarent, & Alfonſi Luſitaniæ Regis Eleonoram filiam, Petro ſanguinis tertio gradu propinquam, legibus Eccleſiaſticis ad matrimonium contrahendum exſolui poſtularent. Indulſit Pontifex quæ honeſte flagitabant, & de omnibus Petrum certiorem fecit. datis litteris *Auinione XIV. & VI. Cal. Iulii.*

XLII. VLTIO DIVINA OB SACRORŨ EXPILATIONEM.

Quo tempore Edouardus in Galliis depugnabat, Rex Philippus, in Scotiam, ad Dauidem Regem Legatos miſit, qui monerent vt Dauid Rex ex fœdere cum exercitu in Angliam ingrederetur, ac hoſtem ex Gallia reuocaret. Miſerat & Edouardus ad eumdem, inducias poſtulatum, redditurum ſe ſpondens Beruicium cum Edouardo Baliolo, cuius gratia tanta iam bella ſuſtinuiſſet. Poſtquam ſententiis varie certatum fuiſſet, tandem in Anglos bellum decretum, atque ſimul ſuſceptum eſt, ſed exitu infelici. Iniuſtam enim Sacrorum expilationem, iuſta vltio ſecuta eſt diuinitus. Ferunt in ſomno Dauidem Regem monitum, vt ab agris Diui Cuthberti abſtineret; alioqui infelicem exitum temeritatem eius habituram: ſed à ſomno excitatum, vana eſſe ſomnia dicentem mandaſſe, ne cuiquam agro, neque villæ parcerent, verum omnia corrumperent. Peruentum tandem eſt cruentiſſima deuaſtatione in Dunelmiam, quæ in tutela eſt Diui Cuthberti, eamque adeo violenter peruagatus eſt, vt omnibus & fortunis & habitatoribus exhauſtam reddiderit; caſtellum quoque Lidaldail vi captum diruerit. Angli, quamquam Duce Nortumbriæ militem aliquem ſcripſiſſent, nuncios tamen ad Dauidem ire iuſſerunt, qui monerent, vt exercitum reduceret, atque meminiſſet, vltores iniuriarum ſuarum ſuperos eſſe. Neque enim ab impuberibus, neque à Sacerdotibus, quos violare impium eſſe, neque ab Eccleſiaſticis agris, quod ſacrilegum, temperatum eſſe. Addebant Legati; ſi dum in Gallia ageret, fama cladis ipſorum à præſenti numinum ira illatæ ad ipſum non perueniſſet, rogaret ab amicis, in quorum conſpectu fœdiſſime primum claſſis lacerata erat, ac partim ſcopulis illiſa ſubmerſaque, partim vix Nautæ euaſere. Poſtea quum ſpolia templorum denuo in nauem pertuliſſent, nulla maris tempeſtate vt primum ſoluta erat, cum omnibus in profundum acta. Non pluris ea Dauid faciens, quam inſomnium aut viſum dudum fecerat, infeliciter pugna inita, exercitu amiſſo, acceptis duobus vulneribus, telis corpore etiamnum hærentibus, in hoſtium poteſtatem venit. Telum vnum eius tibiæ infixum extrahi ſtatim non potuit, nec priuſquam Sanctum Niſanum inuiſeret, Viſa eſt enim tum tibia manifeſto aperiri, atq; telum proſilire.

XLIII. MEMORANDÆ ALIÆ

Memorandas per id temporis vindictas Deus ſumpſit, de violatoribus ſacrorum, quas Legati Anglorum Dauidi vel inſinuabant, vel in memoriam reuocabant.

VINDICTÆ DIVINÆ DE VIOLATORIB. SACRORVM.

Baliolus Edouardi Regis Angli iuſſu, ad obſidionem -ſtelli in Leuino lacu apud Scotos ſiti, duces aliquot præmiſerat. Hi cum ad lacum veniſſent, colluſtrato circumquaque loco caſtris ponendis idoneo, templum Diuo Seruano ſacrum, ac cæmeterium occupant, nefandaque in eo loco plurima committunt, Scorta in templa adducentes, ac omnibus libidinibus commaculantes, equos ad aras alligantes, & quod Deo dicatum erat contumelioſe defœdantes, ſacra prophanaque iuxta habendo. Cum ipſum caſtrum propter virtutem defendentium non tam facile poſſent capere, conſilium iſtud aſtutum excogitant. Os fluminis è lacu prodeuntis aggeribus obiectis obſtruere tentantes, quo retenta tanta aquæ vi, inundatione caſtellum ſubmergerent. Congerunt itaque quæcunque adportare poſſunt, lapides, arbores, ceſpites magno cumulo, omniſque exercitus operi faciundo vacabat. Conſilio inſuper aquam ductis per nouos alueos ex locis vicinis torrentibus auxerunt, vt tanto rem maturius perficerent. Sed euenit, vt exercitus Dux Ioannes Stiruelein religionis cuiuſdam gratia aſſumpta exercitus parte maiori Dumfermilem profectus, occaſionem Alano arcis præfecto dederit, vt is noctu aggerem obiectum perfodere ſat temporis habuerit: atque aqua derepente effuſa, hoſtilem reliquam exercitus partem & vniuerſa caſtra adeo inundarit, vt cum impedimentis & equis, aliiſque iumentis aquæ impetu in mare rapti perierint. Creditur ſanctus Seruanus, quod templum nomini eius Sacrum fœde paulo ante violauerant, aquæ vim impuliſſe, aduitaſſeque ad ſumendum de hoſtibus tantorum flagitiorum ſupplicium.

ALIA.

Iſtud quod adiungo, euidentius diuinæ in ſacrilegos vltionis ſignum. Edouardi Regis naues in Emoniam inſulam venientes, totam depredatæ, nec ſacris rebus abſtinuere. Abbatiam Diui Columbæ ſacram pretioſo ornatu ſpoliantes, calices argenteos ſacris faciendis deſtinatos, thuribula, candelabraque argentea, ac omnem pretioſam ſuppellectilem ſacram, ſimulachraque nonnulla cum libris aliquot rapientes. Nec diu inultam ſacrilegam auaritiam tulere. Nam cum reditum in Angliam pararent, orta repente vehementis procella tempeſtatis, mirum in modum omnia vndique ſacrilega prædonum nauigia diſiecta, iactataque, partim ſubmerſa ſunt, partim ſcopulis illiſa. Qui autem in reliquis ferebantur, religione tacti, quod vindicare iniurias ſuas Diuos credebant, vouerunt ſe quicquid Sanctæ Columbæ abſtuliſſent, cum amplis remunerationibus reddituros. Itaque ſedata tempeſtate, vniuerſa retulere, votaque ſua abunde ſoluere. Paulo poſt claſſis refecta Edouardi ad Forthiam appulſa, cum expoſitis militibus omnem Fifenſium agrum infeſtum vaſtationibus feciſſet; nec tunc etiam quamquam ſuperiori tempore moniti ſatis erant milites, à Sacris Sanctis Columbæ abſtinuerunt; nec is Diuus inultos iterum ſacrilegos abire permiſit. Nam præda omnis ex templis eius in Liburnicam portata, vbi primum ea ſoluiſſet, ſine vlla tempeſtate in profundum demerſa eſt.

ALIA.

Helcanus quoque Edouardi Regis frater, violatorum ſacrorum pœnas dedit. Is in Occidentali Scotiæ plaga, plurimos inique, & ſi Anglorum partes ſequerentur, grauibus tamen iniuriis affecerat, nonnullos occiderat, prorſuſque bacchantis in morem omnem eam regionem peruagatus, Gallouidiam, Carictam, Coil, Cunegame, ac alias nonnullas veluti hoſtiles regiones flamma ferroque proſtrauerat; neque confugientibus ad ſacra diuorum templa, nec ipſis etiam ſacratiſſimis templis pepercerat. Diui quoque Machuti ædem, cum mille hominibus, qui ad eam vitæ ſeruandæ gratia confugerant, incendio corruperat. His flagitiis Eduardus percitus venientem illum ad ſe Perthum ad Diui Ioannis, ac dum increparetur, inſolenter adhuc reſpondentem, ante diui Ioannis aram

gladio conſodit. *Sic abeant, inquiens, quibus ſacra atque prophana, hoſtes atq; amici iuxta habentur. Non te hic ſacer locus, quominus ſacraſq; pœnas dares tutatus eſt, qui tot hominum millia cum Sacris Diuorum templis fœde abſumpſeris. Hector Scotor. hiſtor. lib. 15.*

XLIV. LEGATIO REG. SVETIÆ AD CLEMEN.

Eodem anno Clemens, Magni Regis Sueciæ Magnum Surandonium Linoopenſ. & Videmanum Vffredi Aboenſ. Canonicos, Oratores audiuit, munera nonnulla Regia accepit, & in negotio diſpenſationis matrimonij reſpondit. *Auin. 2. Idus Septemb.* Vtque Dominicũ ſepulcrum cum 100. perſonis poſſit viſitare indulſit, *6. Idus Septembr.* nec non vt coram eo miſſum de B. Virgine Sacerdos celebrans, poſſit 40. dierum indulgentiam concederere, poteſtatem fecit.

# IESV CHRISTI Annus 1348.

## CLEMENTIS PAPÆ VI. ANNO 7. Caroli IV. Regis Roman. anno 3.

I. LVDOVICI PANNONII PROGRESSVS IN ITALIA.

LVDOVICVS Pannonum Rex Italiam ingreſſus, cum Sulmonem, Beneuentum, Capuam, & nonnullas alias Siciliæ Regni ciuitates in poteſtatem recepiſſet, Neapoli exercitum mouens, Auerſam vſq; proceſſerat; quo in loco, Ioanna Regina Andream maritum, Ludouici fratrem necauerat. Hæc aduentu hoſtis perterrita, Neapolim ad diem, quintumdecimum Ianuarij menſis deſeruit, & cum tribus triremibus Regno excedens, Auinionem, in Narbonenſem Galliam nauigationem inſtituit.

FVGA IOANNÆ REGINÆ ET EIVS MARITI.

Paulo poſt Ludouicus princeps, & ipſe vrbe fugit; lemboque nonniſi paruo ſalutem ſuam credidit: quod ab omnibus regni Siciliæ principibus, & fere ab vniuerſa nobilitate deſertum ſe vidiſſet. Hi enim, cum omnes promiſcue ad Ludouicum declinare viderent; Auerſam obuij proceſſere; vt officiis ſuis ferocientem demulcerent, & iureiurando aſtringerent, ne is paſſim in ſontes atque inſontes ſæuiret. Robert. Imp. Conſtantinopolitan. dictus, & Philipp. Princeps Tarentinus Ludouici profugi fratres, Carolus Dyrrachinus qui in Andreæ mortem conſenſerat, & cum Ioanna rem veneream habuiſſe dicebatur; Ludouicus & Robertus eius fratres, Ioannis Principis Achaiæ filij: Ioannes Cantelmius, Gotfredus Squillacius Comites, & complures alij proceres, & nobiles, Ludouicum conuenerunt, fideique Sacramento præſtito Regem ſalutarunt, quod is etiam, ſe nihil aduerſi in eos tentaturum ſponpodiſſet, eaque die & ad oſculum, & ad epulum eos admiſiſſet.

II.

Vigeſima tertia dies erat Ianuarij menſis, infauſta Principibus. Ludouicus enim omnes ſuos in armis eſſe iuſſit, & Neapolim proficiſci deſtinauit. In equis eum eſſent, Carolum, vt in aulam in qua Andreas enectus fuerat ſeſe duceret, admonuit. Carolus excuſabat, ſe locum omnino neſcire; neque expedire, vt Rex eo ſe conferret.

VERBA LVDOVICI PANNONII AD CAROL. DVRATII DVCEM.

Ibi Ludouicus vindicias animo voluens, equo deſcendit, & in aulam conſcendens, neceſſitatem Carolo & reliquis principibus vt aſcenderent impoſuit. In aula cum cuncta diſpiceret, & feneſtram ex qua deiecerant adoleſcentem enectum acceſſiſſet, ad Carolum conuerſus; *& an tu proditor*, inquit, *vita fratrem meum exuiſti; qui etiam ne Regio diademate ornaretur, vna cum Egidio Petragoricenſ. auctor fuiſti?* Excuſanti illi, & vitam deprecanti, cum Ludouicus perfidiam, oſtenſo eius epiſtolio ad Carolum Arthuſium parricidam ſcripto, adulteria, fraudes & alia ſcelera exprobraſſet, Philippo Pannonio innuit, qui nefaſtum occideret.

CAROLVS DVRATII DVX IVGVLATVR ET E FENESTRA DEIICITVR.

Iugulauit iſte in momento, fruſtra miſericordiam implorantem Carolum, & è feneſtra eadem deiecit? vbi cadauer aliquando tempore inſepultum, tandem Neapolim in S. Laurentij, Rege permittente illatum eſt. cum hoc epitaphio adiuncto. *Hic iacet corpus Sereniſſimi Principis & Domini, Domini Caroli Ducis Duratij, qui obiit Anno Domini M. CCC. XXXXVIII. die XXIII. menſis Ianuarij primæ indictionis, cuius anima requieſcat in pace. Iacet hic tumulatus, Dux Duratij virtutibus ornatus.* Carolo occiſo, proculdubio Ludouicum & Ioannam eodem ſupplicio affeciſſet, niſi fuga ſibi conſuluiſſent.

PRINCIPES REGII IN VINCVLA CONIICIVNTVR.

In vincula autem ſtatim dedit Robert. Imperatorem, Philippum eius fratrem, & Ludouicum ac Robertum Caroli fratres; ac multos præterea proceres, necis fraternæ ſuſpectos. Caroli vidua relicta, ne in ferocientis Regis manus veniret, duabus filiabus onuſta, in Cœnobium SS. Virginis cui à Cruce nomen eſt, vix fugere potuit.

FVGA VXORIS CAROLI IN HABITV MINORITÆ.

Vbi etiam cum non ſe omnino tutam videret, habitu religioſi cuiuſdam permutato, Minoritani ſpecie aufugit, & in Gallias conceſſit. Ludouicus Ioannæ maritus, cum Florentiam appuliſſet, vrbe excluſus eſt. Tanto enim hominum odio iam grauati erant, Regina atque Tarentinus maritus, vt Florentini, neque antiqua cum Galliæ Regibus amicitia; neque ea quam cum Andiouina familia habuiſſent, vllo modo permoueri potuerint, ad auxilia ferenda: adeo vt etiam ne voluere quidem ei tranſitum per vrbem concedere, Pannoni metu, quo cum fœdus percuſſerant.

IOANNÆ REGINÆ CAPTIVITAS.

Ioanna, cum Nicæam præteruecta ad Anchiſis portum appuliſſet, in manus Balciorum incidit; à quibus in caſtro Arnaldi pluſquam integrum menſem, ſiue iuſſu Clementis, ſiue illorum motu proprio in cuſtodia, quamquam honorifice habita, liberari non potuit, donec Ioannes Philippi Regis Galliarum filius Auinionem conuolans, liberationem eius impetraſſet; quod aſſeueraret, illam, non tam periculi à Ludouico impendentis metu, quam deſiderio famæ emaculandæ, Auinionem, ad Supremum Tribunal properare: promptamque fore, ſi ſceleris alicuius vel à Ludouico, vel à quoquam alio conuinceretur, quiduis à ſede Apoſtolica ſupplicii decretum, æquo animo ſufferre.

III.

Angelus Aciaiolus Florentinorum Epiſcopus, cum Nicolao fratre, Regni Neapolitani Magno Seneſchallo, multum operæ apud Clementem poſuere, pro cauſa Iohanne aduerſus Ludouicum, plus nimio in Neapolitanos ſibi arrogantem.

LVDOVICI PANNONII CRVDELITAS ET ARROGANTIA.

Is namque, in Auerſano caſtro, Regiis principibus cuſtodiæ datis, Neapolim, poſt Caroli cædem ingreſſurus, vexillum atri coloris, in quo Andreæ enecti effigies, laqueum collo ferens, lurida & horroris plena, proſtabat, ante ſe præferri iuſſerat, & viros à Neapolitanis Electos, qui illi obuiam extra proceſſerant, atque omne demiſſionis officium in illo ſalutando non intermiſerant, furibundo animo deſpexerat; inſuper nec ſub vmbella à principibus Neapolitanæ vrbis delata incedere voluerat; quodque grauius eſt, clauibus vrbis dedititio more receptis, eos Pannonij permiſerat, prius hoſpitalia iura violare, & in omnes promiſcue, præcipue vero in familiam Regiorum principum debacchari, quam iuſtum dominium quæſiuiſſet. Reliquerat Iohanna ad regni cuſtodiam, Ludouicum Dyrachij Ducem, Comitem Grauinæ. quem cum Pannonius cœpiſſet, eodem loci quo Andreas interierat ſuſpendi, & cadauer volatilibus proiici imperauit. Iordanum quoque Vrſinum Talacotij comitem, in quatuor partes diſtractum occidit. neque contentus de eo ſupplicio, quod Baucius de coniuratis ſumpſerat, victoriæ non temperans, omnes quotquot vel in minimam ſuſpicionem cædis veniſſent, per varia tormenta interemit.

IV.

Verumtamen, quemadmodum & Dirrachinus, &





CARNIFICINA PRINCIPVM.

Artuſius, & Philippa, & reliqui pœnas occiſi Andreæ dedere! à quibus etiam non omnino libera fuit Ioanna Regina cum Ludouico marito; ita etiam Ludouicus violatis Regiis principibus, plus nimio iuſtam ſeueritatem, Italicæ temperiei intemperantem diuturnare non potuit:

V. LVDOVICI PANNONII EX ITALIA DISCESSVS.

poſt quartum menſem ac in Italiam penetrauit, fugienti ſimilis in Hungariam vnica triremi reuectus. Ad XXIV. Maij diem è portu Barletano ſoluit, relicto regni Adminiſtratore Gilfortio Lupo Theutone, & Apuliæ præfecto Conrado Lupi fratre.

VI. IOANNA REGINA CAVSAM SVAM CORAM PONTIFICE DICIT.

Ioanna porro Clemente Pontifice ad audiendum illam inclinato, die XV. Martij, Auinionem, ſub vmbella, ſolenni pompa ingreſſa, tanta facundia, cauſam necis Andreæ coram Purpuratis Patribus dicebat, vt ipſis Oratoribus Ludouici Pannonij quid reſpondere poſſent, nonnihil negotij faceſſeret, præſertim quod & ex PHILIPPÆ Carthaginenſis ac ROBERTI & Sanciæ quæſtionibus, necquicquam quod Ioannam culpæ eſſe vicinam aperte produceretur.

VII. CLEMENS INSTAT PRO LIBERATIONE PRINCIPVM REGIORũ.

Falſum eſt quod hiſtorici narrant, quaſi Clemens ſecundum illam Auinione pronunciauerit, & Ludouici Tarentini cum ea matrimonium non tantum probauerit, ſed & Reges Siciliæ eſſe voluerit. Namque nihil aliud nunc Pontifex egit, quam diem ad dicendum cauſſam Ioannæ deſignauit, & interim ad Ludouicum, Guidonem Cardinalem deſtinauit, qui inducias armorum tantiſper donec de iure diſceptaretur, & vt principes Regios liberos dimittere vellet, poſtularet. Duriorem ſe initio tractationis Pannonius oſtendit Legato; ſiue quod vindictæ grauioris cupiditate flagraret, ſiue quod Regni Siculi, quod iam Carolo Roberto infante Andreæ poſthumo, ſtatim atque in Vngariam delatus fuerat defuncto, ſpe vniuerſa deuorauerat, delicias & poſſeſſionem certam ſibi deſtinarat. Siue quod ab Aymerico Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato, anathematis à Clemente Pontifice, in vniuerſos Regni Siciliæ inuaſores publicatione (namque is hoc anno Romæ ſubſidens edictum Pontificium vbique vulgauerat) longe acriores iras coquebat: ſiue quod à tribus Cardinalibus iudicibus, in cauſa ſucceſſionis Regni Siciliæ inter eum & Ioannam ac Ludouicum Tarentinum à Sede Apoſtolica deputatis, omni ſpe decidens, nihil in gratiam Pontificis facere volebat. Quamobrem Clemens habuit neceſſe, & Legatum ne ab incepto conatu tractandæ pacis deſiſteret admonere, & à Carolo Rege Romanorum poſtulare, qui operam ſuam in liberatione principum Regiorum, apud Ludouicum Pannonium, interponeret: eoſque modis omnibus quibus poſſet in libertatem aſſereret. Neapolitani charitate ſuorum permoti, quod & Ludouicum præfracte, & Lupos ab eo relictos vere lupino more agere viderent, Pontifici pro Ioanna & Tarentino ſupplices fuerunt, ac illam & illum vt ad regnum capeſſendum maturarent, inuitarunt; eum & hoſte Vngaro quaſi à Deo profligato, & Ludouico Trinacriæ inſulæ occupatore, ad concordiam propenſo, pacem cum omni felicitate ſibi poſſent in Siciliæ Regno polliceri.

VIII. IOANNA REGINA ET EIVS MARITVS VENDVNT PONT. ROM. IVS SVVM IN AVENIONEM.

Diſceſſit clam Auinione, Ludouicus & Ioanna Hieruſalem & Siciliæ Regina, ad cauſam dicendam à Clemente vocati, cum iam acceptis LXXX. millibus nummum aureorum, ius omne in Auinionem Pontifici Romano in perpetuum vendidiſſent; & cum Ludouico Trinacriæ occupatore, per Sedis Apoſtolicæ conceſſionem his conditionibus III. Idus Iulij tranſegiſſent: ſcilicet vt Ludouicus Tarentinus & Ioanna, Regni Siciliæ, Ludouicus vero, Regi Trinacriæ titulo gauderet: & vtrique, præter alia, cenſum Romano Pontifici, ad diem deſignatum, ſingulis annis perſoluerent, neque quicquam ſibi in adminiſtratione ſpirituali, vtrobique vſurparent, ſed omne ius in ſpiritualibus, Romano Antiſtiti & Sedi Apoſtolicæ, integrum eſſe ſinerent.

IX. ACTA CLEM. Pp. QVOAD REGNVM SICILIÆ.

Difficilem ſe anno ſuperiore, Clemens, in probandis pacis conditionibus oſtenderat; quod & præter ſcientiam illius pactæ, & non ſatis per illas iuribus Eccleſiæ Romanæ cautum eſſet. Eas itaque, cum ad æquitatem, Ioanna Regina cum Ludouico, & Bartholomæus Altauilla Panormitanus Ludouici Trinacrij nomine, tamquam eius Nuncius ſcripto concepiſſent, & ſigillis ſignatas, dominium directum, in regno Siciliæ, cis & vltra Pharum, Sedi Apoſtolicæ & Romano Pontifici iam olim acquiſitum eſſe teſtarentur, Clemens Pontifex accepta ſignata ſcheda ex omnium Cardinalium conſenſu, Ludouicum alterum, Regem Trinacriæ, iure fiduciario, certis cum conditionibus, in Sacramento homagij expreſſis, eſſe decreuit. Præter hæc in Regno Trinacriæ, ad vſque Octauum ſolennitatis Epiphaniarum diem, interdicti Eccleſiaſtici ſententiam nihil operari voluit; & eum diem Ludouico Trinacrio & Siculis inſulanis præſtituit, quo iuribus Eccleſiæ Romanæ proſpicerent atque ſatisdarent. Per id enim temporis, non poterant omnia negotia tranſigi; peſtilentia vbique locorum graſſante, propter quam, & Cardinales oportuit alio alium commigrare, & vnumquemque à contagione ſibi cauere. Creauit interim Clemens, Petrum Portaſium Meſſanenſibus Archiepiſcopum, & Iſacium Vuicionem, Sancti Saluatoris de lingua Phari cænobio Abbatem; cum etiam Mariæ dictæ Imperatrici Conſtantinopolitanæ, Roberti intercepti vxori, poſtquam eam de captiuitate mariti conſolatus fuiſſet, & ſe pro liberando illo multa apud Ludouicum egiſſe dixiſſet, imperauit, vt Nicolao Patracenſi Archiepiſcopo caſtrum quoddam reſtitui iuberet. *Epiſtol. Clement.* 225. 1198. 217. 418. *Summont. Hiſtor. Neapolitan. part.* 2. *lib.* 3. *Bonfin. dec.* 2. *lib.* 10. *Collenutius hiſtor. Neapolitan. lib.* 4. *Boninconrr. in annalib. Villani lib.* 12. *cap.* 114.

Quod ad emptionem Auinionenſ. ciuitatis attinet, eam ex infraſcripto inſtrumento accipe. Ita habet:

### In nomine Domini Amen.

X. INSTRVMENTŨ EMPTIONIS AVENIONENS.

*Vniuerſis præſentes literas ſeu præſens inſtrumentum publicum inſpecturis, Ioanna Dei gratia Hieruſalem & Siciliæ Regina Prouinciæque & Fortalquerii Comitiſſa, & Domina Ciuitatis Auenionis ſalutem & præſentibus perpetuam dari fidem. Notum facimus quod in præſentia Notariorum publicorum ac teſtium infraſcriptorum ad & propter infraſcripta coram nobis accerſitorum ſpecialiter vocatorum perſonaliter exiſtentes gratis & ſponte, & non coacta, non ſeducta nec ab aliquo in aliquo circumuenta, ſed ex mera libera & ſpontanea animi voluntate noſtra ſuper hoc ducta, & ex certa ſcientia noſtra, de & cum voluntate & conſenſu Illuſtriſſimi viri Domini LVDOVICI de Tarento Comit. Prouinciæ legitimi viri & mariti, noſtri ibidem ad hoc præſentatis, & ad infraſcripta licentiam & auctoritatem ſi & quatenus in hac parte indigemus nobis ſuperſequentibus omnibus & ſingulis præſtandis, vendimus, cedimus, concedimus ad perpetuum, & quietamus pro nobis & hæredibus ac ſucceſſoribus noſtris quibuſcunque Sanctiſſimo ac Beatiſſimo Patri, & Domino Noſtro, Domino CLEMENTI Diuina prouidentia PAPAE VI. Sacroſanctæ Romanæ & Vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, ſucceſſoribus ſuis, ac Sacræ Romanæ Eccleſiæ Venerabili Viro Magiſtro Guglielmo de Molotico Clerico Cameræ ipſius Domin. Noſtr. Papæ, ac procuratore in hac parte per eundem Domin. Noſtr. Papam tam pro ſe quam etiam nomine dictæ Romanæ Eccleſiæ ad hæc legitime conſtituto ibidem præſenti & recipienti, ac pro ipſo Domino Noſtro Papa, eiuſque ſucceſſoribus ac Eccleſia memoratis ſuper ſingulis infraſcriptis ſolenniter ſtipulan. ac in ipſo, & Domin. Summum Pontificem eiuſque ſucceſſores, ad Eccleſiam prælibatam titulo puræ, & perfectæ venditionis transferimus irreuocabiliter pleno iure ad haben. tenen. & perpetuo ac pacifice poſſiden. per d. Domin. Noſtr. Papam & eius ſucceſſores, ac Ro-*

manam Eccleſiam ſupradictos, & alios ad faciendum eorum omnimodam voluntatem, videlicet ciuitatem noſtram Auenionenſ.cum ſuburbiis, & toto territorio & confinibus quo prætendunt inter territoria & confines Caſtrorum pontis Sorgiæ & de Vedaia Caſtrinorum, & de Clauis mentibus ex parte vna & Comitatum Venayſſini ex altera, & territoria Caſtrorum nouorum Caſtri Raynandi, & Caſtri de Berbentana ex alia, & territoria Caſtrorum Rapæ maioris, Podij alti, Rupæ fortis de Sado, & de termino, ac fluminis Rhodani quantum ad nos ſpectat tantum confrontationes & limites Ciuitatis eiuſdem ac territorij ipſius, & reliqua, ac cum omnibus & ſingulis villis, caſtris, Burgis, locis, adiacentiis, pertinentiis, ſequelis vniuerſis, hominibus, vaſallis, emphiteotis, homagiis, feudis, retrofeudis, proprietatibus, ædificiis, fortalitiis, ingreſſibus & egreſſibus, ac omni dominio & omni iuriſdictione & iuſtitia alta, media & baſſa, mero & mixto Imperio ſuperioritate, omnique actione reali & perſonali ad nos pertinent. ratione prædictæ Ciuitatis Auenionenſ. & aliorum præmiſſorum vel alicuius ex his infra fines territorij & diſtrictus ipſius Ciuitatis conſiſtentium, ac cum omnibus & ſingulis cenſibus, redditibus, reſidentiis, iuribus, deueriis, honoribus, ſeruitiis, emolumentis & expletis, quos, quas & quæ habemus & habere poſſumus & debemus quoquo modo, & ad nos ſpectant & pertinent quacumque cauſa ſeu ratione in Ciuitate præfata eiuſque territorio, diſtrictu, ac pertinent. eorundem, nihil actionis, petitionis, poſſeſſionis, proprietatis dominij iuriſdictionis meri & mixti Imperij, honoris, reſerti, ſuperioritatis, ſeruitutis, emolumenti, vel expleti, ſeu cuiuſcunque alterius iuris nobis penitus retinenda pro precio videlicet octuaginta millium florenorum auri de Florentia boni, & legitimi ponderis. Quos quidem octuaginta mille floren. auri. Nos dicta Regina venditrix recognoſcimus publice & in veritate legitima confitemur nos habuiſſe & recepiſſe plenarie & integre precio antedicto à Domin. Noſtr. Papa præfato per manus Reuerend. Patris in CHRISTO Domin. Stephani Dei gratia Epiſcopi Sancti Pont. Thomarum Camerarij eiuſdem Domin. Noſtr. Papæ & Apoſtolicæ Sedis in bona & electa pecunia numerata. Et de quo quidem precio præfatum Domin. Papam & eius ſucceſſores, ac Eccleſiam Romanam pro nobis & hæredibus ac ſucceſſoribus noſtris, per in perpetuum ſoluimus & quietamus omnino, cum pacto valido & ſolenni per Nos ſuper hoc interpoſito de vlterius ab eodem Domino Papa, eius ſucceſſoribus, & Eccleſia Romana cauſarum ratione huiuſmodi aliquid non petendo eiuſmodi pecuniam nos dicta Regina recognoſcimus in euidentem vtilitatem noſtram, ac pro neceſſariis & vtilibus negotiis fuiſſe conuerſam, etiam ex nunc quicquid dicta Ciuitas Auenion. tum eius territorio pertinentiis & diſtrictu, ac iuribus ſupradictis valet ſeu in futurum plus valebit precio antedicto, conſiderantes quod ſecundum Apoſtolum verba Domini IESV memorantur, Beatius eſt dare, quam recipere, hoc ideo præfato Domin. Summo Pontifici, & dicto eius procuratori recipient. & ſtipulan. vt ſupra, & dictæ Eccleſiæ Romanæ ex certa ſcientia, donatione pura, ſimplici & irreuocabili facta cum inſinuatione præſentium ſolenniter inter viuos in totum illud plus meliori modo & forma quibus poſſumus, damus cedimus, concedimus, ac perpetuum, penituſque quietamus, ac donamus, cedentes nihilominus, & quietantes nos dicta Ioanna Regina prædicto Sanctiſſimo Patri & Domin. Noſtr. Papæ, eiuſque ſucceſſoribus ac Romanæ Eccleſiæ prælibat. ac in eos transferen. titulo & cauſa prædicta perpetuo, totaliter pleno iure omnia nomina, iura & actiones quaſcunque, ac quicquid iuris actionis, iuriſdictionis, dominij meri & mixti Imperij, honoris, & ſuperioritatis, reſerti, cenſus, reditus, reſidentiæ, ſeruitij, emolumenti & explecti proprietatis, cognitionis, poſſeſſionis & deuerij habemus, habereue poſſumus, & debemus, quacunque cauſa ſeu ratione in dicta Ciuitate Auinionenſ. eiuſque territorio ac diſtrictu, villis, Burgis, locis: adiacentiis, confinibus, ſequelis & pertinentiis eorundem ratione Ciuitatis eiuſdem, ac in & cum omnibus Vaſallis ſubditis noſtræ Ciuitatis, territorij & diſtrictus ipſius cuiuſcunque conditionis exiſtant, nec non omnes actiones reales & perſonales, mixtas, vtiles prætorias, & ciuiles nobis & noſtris quomodolibet competen. & competituras in præmiſſis ſeu pro præmiſſis omnibus & ſingulis, ac contra quaſcunque perſonas ratione & occaſione præmiſſorum, ſeu alicuius ex eis, ac inſuper prædictum Domin. Noſtr. ſummum Pontificem, eiuſque ſucceſſores ac Romanam Eccleſiam memoratos ex nunc facimus & conſtituimus in prædictis omnibus, & ſingulos vero Dominos proprietarios, poſſeſſorios, procuratores, actores, vt in rem tuam propriam & diueſtientes nos de Ciuitate præfata, eiuſque territorio, diſtrictu, pertinent. & ſequelis, ac aliis omnibus vniuerſis & ſingulis ſic vt præmittitur per nos venditis perpetuo & quomodolibet, & de omni iure, nobis & noſtris in præſenti & in futurum quomodolibet competenti & competituro in eiſdem præfatum Domin. Noſtr. PAPAM in perſonam dicti procuratoris ſui ibidem præſentis & recipientis, ac vice & loco, nomine & auctoritate, ipſorum Domin. Noſtr. PAPAE, & eius ſucceſſorum & Eccleſiæ Romanæ in hac parte ſolenniter ſtipulan. per traditionem annuli noſtri de eisdem liberaliter inueſtimus, conſtituentes nos nihilominus ex nunc præmiſſa omnia & ſingula ſic per nos vendita, vt præfertur, ipſorum Domin. Noſtr. PAPAE eiuſque ſucceſſorum & Eccleſia Romana precario nomine & iure & non aliter nec alias à modo tenere & etiam poſſidere, donec poſſeſſio, vel quaſi dictæ Ciuitatis fuerit per ipſum Domin. Noſtr. PAPAM vel ſucceſſorem ſuum ſeu alium vel alios nomine ipſorum realiter apprehenſa dantis & concedentis plenariam & liberam poteſtatem memorati Domin. Noſtro PAPAE, vt amodo per ſe vel alium ſiue alios dictæ Ciuitatis & territorij ac deſtrictus, villarum, locorum, homagiorum, recognitionum, & aliorum præmiſſorum, iuriumque & pertinentiarum eorundem poſſeſſionem, vel quaſi pacificam, liberam & quietam auctoritate propria quandocunque voluerit apprehendendi, & perpetuo penes ſe retinendi, mandan. nihilominus per præſentes hominibus & vaſallis, emphyteotis, ac ſubditis vniuerſis, & ſingulis Ciuitatis præfatæ, & eius territorij mandan. & diſtrictus pertinentiarumque ipſius cuiuſcunque fuerint conditionis, vt amodo eidem Domin. Noſtr. PAPAE, eiuſque ſucceſſoribus, ac Eccleſiæ Romanæ prælibatæ reſpondeant, pareant, obediant efficaciter & intendant, tanquam verum Dominum ciuitatis eiuſdemmet territorij ac diſtrictus, pertinentiarumque ipſius, ac cum ipſo eiuſque ſucceſſoribus ac Eccleſia Romana præfatis dein ceps in omnibus & per omnia perpetuo ſequantur præfatos Vaſallos emphiteotas, homines & ſubditos cuiuſcunque conditionis exiſtant, & à Sacramento fidelitatis, & ab aliis iuribus quibuſcunque ad quæ nobis ratione dictæ Ciuitatis & territorij, diſtrictus & pertinent. eiuſdem quoquomodo, ſiue ratione eorumque tenor infra Ciuitatem, territorium eoſdem ex quacunque cauſa tenebantur, ac teneri poſſent & debent ex nunc pro nobis & noſtris præfatis ſoluimus & liberamus penitus perpetuo atque quietamus, cum pacto valido & ſolemni per nos ſuper hoc legitime interpoſito de vlterius aliquid ab eis ſeu eorum aliquo modo in perpetuum non petendo; quod ſi faceremus quod abſit, nolumus non audiri aliquatenus nec admitti, imo perpetuum ſilentium nobis & noſtris prædictis imponimus in hac parte, promittimuſque inſuper nos dictæ Reginæ præfato Domin. PAPAE & eius procuratore pro ipſo Domin. eiuſque ſucceſſorum & Eccleſia præfata ſolemniter interpoſita, ſuper hoc ſtipulatione præfata omnia & ſingula ſicut prædicitur per nos eis vendita & quietata tam in proprietate quam in poſſeſſione legitime defendere & perpetuo guarentire, & in ea pace teneri ab omnibus contra omnes, & ab omni Domino, & dominio communi Collegio, Vniuerſitate, lite, quæſtione, cauſa, calumnia, Briga, controuerſia, ſchiſma, euictione vniuerſali & particulari, comparamento, perturbatione & alio impedimento quocunque promittimus etiam vt ſupra litem, delictum ſeu controuerſiam non facere aut fieri permittere vel procurare in futurum per Nos vel alium ſeu alios contr. dict. Romanum Pontificem memoratum, qui nunc eſt, & qui pro tempore erit ſeu Eccleſiam Romanam præfatam, aut eorum gentes, vel officiales quoſcunque quoquo modo, ratione præmiſſorum ſeu aliqua eorundem cauſa vel occaſione quacunque, immo omnem cauſam, litem, brigam, controuerſiam ſi quæ in poſterum mouerentur per aliquem ſeu aliquos contra præfatum D. Papam, ſeu eius ſucceſſores, ac Eccleſiam





Romanam ratione præmiſſorum, ſeu aliquorum ex eis in nos totaliter aſſumere, & in expenſis noſtris propriis, ac ſine ipſius Domini eiuſque ſucceſſorum & Eccleſiæ Romanæ aliquibus cuſtodibus & expenſis vſque ad finem debitum proſequi & finire, nihilominuſque omnia & ſingula damna intereſſe pariter & expenſas, quæ & quas memoratus Dominus Papa, ſeu eius ſucceſſores aut Eccleſia Romana ob cauſam & defectum guarentigiæ huiuſmodi quomodolibet facerent ſeu ſuſtinerent in futurum promittimus legitime & bona fide eidem Domino noſtro & dicto eius procuratori, vt ſupra ſtipulan. reddere, ſoluere, emendare, refundere & reſarcire omnino, quodque ſimplici verbo dicti D. Papæ, ſeu eius ſucceſſorum de damnis, intereſſe & expenſis huiuſmodi ſtare, credere efficaciter & parere pro omni & ſufficienti probatione, non obſtante iure dicente quod aliquis in cauſa ſua propria Iudex, teſtis, vel arbiter eſſe, nequit cui iuri, certiorate & expreſſe renunciamus in hac parte. Cæterum nos dicta Regina certificata prius legitime quid ſonant renunciationes ſequentes, & de effectibus earum renunciamus deliberate & conſulte ac expreſſe omni exceptioni doli & fraudis læſionis & venditionis præſatæ per nos ſicut præmittitur de prædictis non factæ, nec habitæ, nec receptæ per nos numeratæ pecuniæ ob cauſam præſatam, & omni ſpei numerationis & receptionis futurarum actioni & exceptioni in factum & iuri per quod læſis & deceptis vltra dimidiam iuſti precij vel alias quomodolibet ſubuenitur beneficium minoris ætatis & reſtitutionis in integrum ſi nobis forſan competeret in hac parte & legi Iuliæ de fundo dotali non alienando, & omni alij iuri & priuilegio in fauorem mulierum introducto & quomodolibet introducendo & omnibus iuribus, legibus Authenticis, & gloſſis in toto corpore vtriuſque iuris Canonici & ciuilis contentis, ac etiam cauillationibus, obuiationibus & cautelis, ſtatutis ac conſuetudinibus patriæ ſiue loci quibuſcunque, per quæ præſens venditio & donatio huiuſmodi poſſent caſſari, infringi, irritari, aut alias quomodolibet annullari in totum, vel in aliqua parte ſua etiam minima, & de quibus in præſentibus literis ſeu inſtrumento publico expreſſam oporteret fieri mentionem. Et ſpecialiter illi iuri per quod cenſetur inualida renunciatio generalis niſi quatenus in contrarium fieri expreſſa. Pro quibus omnibus & ſingulis ſicut præſcriptum eſt tenendis per nos & faciendis & complendis, attendendis & inuiolabiliter obſeruandis. Nos dicta Regina venditrix hæredes & ſucceſſores noſtros iure pignoris & hypothecæ obligamus, afficimus, & conſtituimus, ac ſpecialiter & expreſſe Regna noſtra Hieruſalem & Siciliæ ac Comitatus noſtros Prouinciæ & Fortalquerij, & alias terras noſtras omnes & ſingulas vbicunque ſint & exiſtant, ac omnia alia bona noſtra mobilia & immobilia præſentia & futura quæcunque noſtro nomine dici poſſint. Quæ quidem Regna, terras, bona & alia ſupraſcripta conſtituimus nos à præfato Dom. Noſtr. Papa emptore, & ſucceſſoribus ſuis, ac Eccleſiæ Romanæ præfatis precario nomine poſſideri, donec poſſeſſio dictæ Ciuitatis per ipſum D. Papam vel ſucceſſores ſuos vel alium ſeu alios eius & dictæ Eccleſiæ Romanæ nomine fuerit apprehenſa.

Propterea ſi aliquod dubium ſeu obliquum erat vel forſitan emergebat in futurum in & ſuper præmiſſis & ea tangentibus. Nos dicta Regina volumus, & ex certa ſcientia concedimus, quod memoratus Dom. Noſter Papa illa & illud poſſit interpretari, declarare & intelligere, ac in & ſuper præfatis clauſulis addere, corrigere & detrahere pro libito voluntatis, ac beneplacito Sanctitatis eiuſdem coram interpretationem, declarationem, intellectum habere volumus pro voluntate noſtra, ac legis habere vigorem, efficiamque perpetuam obtinere, perinde ac ſi ore noſtro proprio expreſſiſſemus. Volumus etiam & concedimus quod ſiant ſuper his literæ ſeu inſtrumenta Sigillo noſtro ſigillan. meliori modo & forma quibus fieri potuerunt, & lectare de & cum conſilio ſapientum, volentes & conſentientes inſuper nos ſupraſcripta Regina ſi cum quando, & quoties opus fuerit nos & hæredes ac ſucceſſores noſtros quoſcunque cogi, compelli ad obſeruantiam omnium & ſingulorum præfatorum per Auditorem, Viceauditorem, Locumtenentem, Officiales & Commiſſarios Curiæ Cameræ Apoſtolicæ D. N. Papæ, & per quaſcunque alias Eccleſiaſticas perſonas Eccleſiaſtica cenſura, & per brachium ſæculare ſtrictiori & fortiori modo, quo fieri poterit coniunctim & diuiſim ſemel & pluries vno & eodem tempore vel diuerſis, prout melius viſum fuerit expedire, & per ſolam exhibitionem ſeu extinctionem præſentium hominum Iurantes nihilominus nos dicta Ioanna Regina tactis Sacroſanctis Euangeliis manu noſtra contra præſentem venditionem & donationem ac contractum ratione minoris ætatis, vel alias vllatenus in poſterum nos venire, nec aliquid per nos vel alium, ſeu alios facere vel procurare clam vel palam, directe & indirecte, propter quod venditio, donatio, translatio, ceſſio & quietatio huiuſmodi poſſent aliquatenus in toto vel in parte infirmari vel etiam irritari, poſtquam incontinenti Nos memorata Regina pro ſecuritate & cautela præfati Dom. Noſtr. Summi Pontificis & Eccleſiæ Romanæ tenore præſentium facimus & conſtituimus noſtros veros procuratores legitimos in meliori forma, videlicet Venerabiles & diſcretos viros D. Bernardinum de Vexouio Archidiaconum Antrepicenſ. in Eccleſia Laumeracenſi Præpoſitum & Sacriſtam Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Domo, Decanum & Sacriſtam Eccleſiæ ſancti Agricoli Auenionenſis, Decanum Beatæ Villenenſis, Auenionenſis, Diœceſ. qui nunc ſunt & pro tempore erunt Magiſtrum Petrum de Metaute Cartuenſ. & Guilielmum de Bordis Agemienſ. Eccleſiarum Canonicos & Ioannem de Raiboro Licentiatum in legibus, licet abſentes tanquam præſentes, & eorum quemlibet in ſolidum, ita tamen quod non ſit melior conditio occupantis. Sed quod per vnum eorum inceptum fuerit per alium ſeu alios eorundem proſequi mediari valeat & finiri ad comparendum pro nobis & noſtro nomine ad omnes dies, loca & locos quandocunque, quotieſcunque & vbicunque ad confitendum & recognoſcendum coram Domino Auditore Curiæ Cameræ D. Noſt. Papæ, eiuſque locumtenentem & Commiſſario quolibet ipſius ſeu Iudicibus aliis quibuſcunque ac eorum quolibet omnia & ſingula ſuperius in præſenti inſtrumento contenta cum omnibus expenſis damnis, & intereſſe ſi quæ eſſent vel fuerint per d. D.N. ſeu eius ſucceſſores ac Romanam Eccleſiam in futurum prout ſupra factum eſt occaſione præmiſſorum & iuriſdictionem omnium & ſingulorum iudicium prorogandi in eos & eorum quemlibet ex nunc tanquam in proprios iudices conſentimus, vt poſſint nos & hæredes ac ſucceſſores noſtros prædictos condemnare & mulctare & excommunicare, & omnem Iuriſdictionem pro expreſſis in nos ac noſtros prædictos exercere Eccleſiaſticam vel ciuilem, & eſſe ſubmittend. Nos & hæredes & ſucceſſores noſtros ſupradictos & Regna noſtra Comitatus præfatos, Terras noſtras & alia bona noſtra quæcunque Eccleſiaſtico interdicto, & alias iuriſdictioni & mero examini eorum & cuiuſlibet eorundem, & audiendum & recipiendum pro nobis noſtro nomine ac noſtris ſupradictis omnem condemnationem, præceptum, nominationem, nouumque terminum longum vel breuem, ac excommunicationis ſententiam in nos & noſtros prædictos & interdictum in ipſa Regna & terras noſtras quaſcunque & Comitatus prædictos & alia remedia, quæ de iure poſſent ſuper hoc adhiberi de omnibus & ſingulis ſupradictis loco & tempore per dictos Iudices, ſeu alterum eorundem, & ad volendum & conſeruandum quod dicti Auditor, Viceauditor, Locumtenens, Commiſſarius & alii Iudices in & contra nos hæredes & ſucceſſores noſtros prædictos excommunicationis ſententiam ferant, ac in Regnis, Comitatibus & aliis terris noſtris ſupradictis interdictum Eccleſiaſticum apponant, ac cenſuram Eccleſiaſticam aggrauent & promulgent, & quoſcumque alios proceſſus faciant pro præmiſſis, & generaliter ad omnia alia vniuerſa & ſingula faciendum & dicendum quæ nos faceremus & facere poſſemus ſi perſonaliter præſentes eſſemus. Promittentes Nos dicta Regina Notariis publicis infraſcriptis & publicis perſonis, nec non dicto procuratori vt ſupra ſtipulantes ſolenniter nomine illorum omnium quorum intererat pro nobis ratum & gratum habiturum quicquid per dictos procuratores noſtros & eorum alterum dictum, factum, recognitum, confeſſatum, ſubmiſſum, conceſſum, receptum, ſuſceptum ac geſtum fuerit, vel alias quomodolibet procuratum. Et eoſdem procuratores non reuocare immo præmiſſa omnia & ſingula tenere & inuiolabiliter obſeruare, & contra non facere aliquatenus in poſterum, vel venire per nos vel interpoſitam perſonam ſub bonorum noſtrorum omnium præſentium & futurorũ obligatione & hypotheca. Cæterum Nos Ludouicus de Tarento,

ſupra nominatus Comes Prouinciæ, & maritus legitimus præfatæ Ioannæ Reginæ Comitiſſæque omnibus, vniuerſis & ſingulis dumprout ſuperius ſcripta ſunt per eandem conſortem noſtram chariſſimam de eius licentia & auctoritate aſſenſu pariter & conſenſu noſtris per Nos eidem penitus in hac parte liberaliter præſtitis conceſſis agerentur & fierent ibidem in præſentia Notariorum publicorum ac teſtium ſupraſcriptorum perſonaliter exiſtentes & ea audientes pleniuſque intelligent. ac recognoſcen. & confitentes publice & legitime penitus eſſe vera, ſponte, prouide, & ſcienter, ac deliberate & conſulte ac expreſſe in eiſdem omnibus vniuerſis & ſingulis noſtrum liberum impartimur aſſenſum pariter & conſenſum. Et nihilominus ad inſtantiam & requeſtam præfatæ Reginæ Comitiſſæq; conſortis noſtræ quantum in nobis eſt, & ad nos pertinet melioribus iure, forma, modo, quibus poſſumus eadem omnia vniuerſa & ſingula ex certa ſcientia noſtra laudamus, approbamus, emologamus, authorizamus, ac ratificamus expreſſe pro nobis & hæredibus & ſucceſſoribus noſtris quibuſcunque ac ea valere volumus & tenere ac habere perpetuo roboris firmitatem, & in ſingulis prædictis nos efficaciter obligamus ſub omni iuris & facti renunciatione ſecuritate pariter & cautela, eaque bona fide tenere promittimus & inuiolabiliter obſeruare, & contra in aliquo nunquam facere, vel venire ratione minoris ætatis, vel alios ſeu aliquid attentare quoquo modo, nec contrauenire volenti aliquatenus conſentire, ſeu alias dare opem, operam, auxilium, conſilium, fauorẽ, verbo vel facto per Nos vel alium ſeu alios, clam vel palam, directe vel indirecte ſub bonorum noſtrorum omnium præſentium & futurorum obligatione & hypotheca procuratore prænominato, ac Notariis publicis infraſcriptis vice & nomine dicti D. N. Papæ, & eius ſucceſſorum ac Eccleſia Romana prælib. ſuper omnibus & ſingulis præfatis & infraſcriptis ſolenniter ſtipulan. in hac parte, etſi forſan aliquid contra prædicta ſeu aliqua ex eis, quod abſit, in futurum Nos, ſeu hæredes ac ſucceſſores noſtros facere vel attentare quoquo modo contingeret, volumus, & expreſſe concedimus Nos hæredes & ſucceſſores noſtros prædictos de euictione totali ſupradicta D. Noſt. Papæ prædicto eiuſque ſucceſſoribus ac Sacræ Romanæ Eccleſiæ teneri omnino, & per hoc totaliter repelli, ac inſuper Nos Ludouicus Comes præfatus modo ſimili quemadmodum prædicta Regina, Comitiſſaque cariſſima conſors noſtra coercitioni & compulſioni Curiæ Cameræ Dom. Noſtr. Papæ, & aliorum Iudicum Eccleſiaſticorum, & ſæcularium quorumcunq; ſe ſuppoſuit, ac voluit compelli per Auditorem Viceauditorem, Locumtenent. & Commiſſarios eorundem, & per alios quoſcunque Iudices Eccleſiaſticos & ſæculares coniunctim vel diuiſim, prout ſuperius plenius habetur. Nos etiam pari modo & forma compulſioni & coercitioni præfatis nos & noſtros antedictos ac terras noſtras quaſcunque ſupponimus & ſubmittimus & volumus per eoſdem Auditorem, Viceauditorem, Locumtenentem & Commiſſarios, & quoſcunq; alios prælibatos ac eorum quemlibet cogi & compelli, & nihilominus ad actus omnes & ſingulos ſupranotatos ad quos & prout memorata Regina & Comitiſſa conſors noſtra prænominatos procuratores ſuos fecit & conſtituit nos ipſoſmet & ſingulos, ac quemlibet eorum in ſolidum pro nobis facimus & conſtituimus procuratores noſtros in meliori forma per præſentes. Quos quidem procuratores noſtros promittimus, vt ſupra nullatenus reuocare, immo promiſſa omnia & ſingula ſeruari ſub bonorum noſtrorum omnium expreſſa obligatione, in quorum omnium præmiſſorum teſtimonium Nos Ioanna Regina Comitiſſaque, & Ludouicus Comes, Conſortes præd. præſentes literas, ſeu præſens publicum Inſtrumentum fieri fecimus, & mandauimus per Notarios publicos infraſcriptos ac ſigillum noſtrum vna cum ſigno & ſubſcriptione ſolitis. Notarij eorundem noſtrum qualibet fecimus appenſione muniri. Acta vero fuerunt hæc Auinioni in domo habitationis noſtræ conſortium præfatorum videl. die nona menſis Iunij anno à Natiuitate Domini Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octauo, indictione prima Pontificatus præfati D. N. D. Clementis Papæ VI. anno VII. præſentibus dicto R. in Chriſto Patre Stephano Epiſcopo Sancti Pont. Thomarum ipſius D. Papæ Camerario, Nicolao de Atherolit Milite, & Ioanne de Bancano Iuriſperito in legibus conſiliariis noſtris Reginæ & Com. præfatorum Magiſtris Betrando de Camiaco Cler. Cam. Apoſt. Tornacen. & Ioan. Regis ſcriptore pœnitentiariæ D. N. Papæ teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter erogatis. Tenor autem procuratorii ſeu mandati ſupra nominati Magriſtri Gulielmi de Maloſucco procuratoris D. N. Papæ præfati pro eodem eiuſque ſucceſſoribus ac Ecclſia Romana memoratis ſuper præfatis omnibus & ſingulis ſuperius vt præmittitur ſtipulan. ſequitur ſub his verbis. CLEMENS Epiſcopus Seru. Seruor. Dei Dilecto filio Guglielmo de Maleſiis Clerico Lungenenſ. Cameræ noſtræ Clerico Salutem & Apoſtolicam benedict. De tuæ circumſpectionis & fidelitatis induſtria, quam in commiſſis tibi negotiis laudabili experimento probamus vtilem & plenam in Domino fiduciam obtinen. te noſtrum verum & legitimum iconomium procuratorem, actorem, factorem, negotiorum geſtorem, & nuncium ſpecialem tenore præſentium facimus, conſtituimus, creamus, & etiam ordinamus, dantes & concedentes tibi plenam & liberam poteſtatem & ſpeciale mandatum cum plena libera & generali ac ſpeciali adminiſtratione noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine, ac pro nobis & eadem Eccleſia emen. & emptionis ac alio quocunque titulo acquiren. à cariſſima in Chriſto filia noſtra Ioanna Regina Hieruſalem & Siciliæ Illuſtriſſim. Ciuitatem Auenionen. cum eiuſdem Ciuitatis territorio, diſtrictu, Iuribus, fructib. redditibus, prouentibus, iuriſdictione alta & baſſa mero & mixto Imperio hominib. Vaſallis emphiteotis, aquis, aquarumq; decurſibus, paſcuis, terris, poſſeſſionibus, obuentionibus, deueriis & emolumentis pertinen. & ſequelis quocunq; nomine cenſeantur ad Dominium & iuriſdictionem ſpectan. ac omne ius quod dicta Regina habet vel eius prædeceſſores habuerunt & habere conſueuerunt, in Ciuitate territorio, diſtictu hominibus, vaſallis emphiteotis, aquis, aquarumq; decurſibus, paſcuis, terris & poſſeſſionibus præfatis ac aliis quibuſcunq; : de precio quoq; emptionis huiuſmodi faciendi conuenindi & cõcordandi Inſtrumenta inſuper, literas, & quaſcunq; cautelas, alias cum oportunis obligationibus, renunciationibus, hypothecationibus, promiſſionibus, iuramentorum interpoſitionibus, & pœnarum adiectionibus, quæ in contractibus conſueuerũt apponi ſuper huiuſmodi emptione fieri faciendi ipſamq; emptionẽ firmandi, vallandi & roborandi, prout melius & validius fieri poterit pro cautela & ſecuritate noſtra & dictæ Eccleſ. Rom. ad conſilium ſapien. inueſtituram præfatam detemperationem tranſlationem & aſſignationem, nec non corporalem poſſeſſionem & tenutã Ciuitatis, territorij & diſtrictus, iuriũ, fructuũ, reddituum, prouentuum, obuentionũ, iurisdictionis altæ & baſſæ, meri & mixti Imperij hominum Vaſallorũ emphiteotarũ & aliorũ emolumentorum præfatorũ ac omnium iuriũ quæ Regina habet & habere viſa eſt, & prædeceſſores ſui præfati habuerunt, & habere conſueuerãt in Ciuitate, territorio, diſtrictu, pertinen. & ſequelis, iuribus, fructibus redditib⁹, prouentibus, iuriſdictione alta & baſſa mero & mixto Imp. hominibus, vaſallis, emphiteotis, obuentionibus, deueriis, & emolumentis præfatis ex dicta cauſa recipien. ac huiuſmodi corporalẽ poſſeſſionem tenutam intrandi, nanciſcendi, adipiſcendi & retinendi homagia, præterea & fidelitatis & alia qualibet iuramenta conſueta & debita ab hominibus, ciuibus, habitatoribus, & vaſallis, emphiteotis Ciuitatis. Territorij & diſtrictus præfatorũ petendi & recipiendi, nec nõ conſenſum, aſſenſum & authoritatem dilecti filij noſtri Ludouici de Tarento marito ipſius Reginæ ſi & in quantum futura emptio rerum præfatarũ facienda ipſum tangit, vel tangere poterit nunc & in futurum petendi & requirendi pro nobis & Eccl. Rom. præfata ſolenniter ſuper præmiſſis omnib. & ſingulis ſtipulandi & celebrandi ſuper præfatis omnib. & ſingulis contractum quacunq; efficacia ſeu firmitate vallatũ ac alia omnia & ſingula faciend. gerendi, procurandi, ac libere exercendi, quæ in præmiſſis & quolibet præmiſſorum, & circa ea fuerint quomodolibet oportuna & quæ veri & legitimi procuratores, ſindici & œconomi facere poſſunt & debent, etiamſi mandatũ exigerent ſpeciale, & noſmet facere poſſemus ſi præſentialiter eſſemus in illis ratum, gratum & firmum perpetuo habiturum quicquid per te actum, factum geſtum & procuratum fuerit in præmiſſis & quolibet præmiſſorũ. Dat. Auenioni octauo Idus Iunij. Pont. noſtri an. VII. Et ego Simon de variis Clericus Lemouicen. diœc. publ. apoſt. & Imperiali auctoritate Not. qui licentiam & authoritatẽ aſſenſus pariter & conſenſus præfatorum præſtationi & conceſſioni venditioniq; donationis, diueſtionis & inueſtituræ, pactis, conuentionibus, renunciationibus, iuramentis, præſtationibus, obligationibus, ratificationibus, & aliis omnib. & ſingulis præfatis, vt & ibi ſuperius continentur: dum inter contrahentes præfatos agerentur vna cũ prænominatis teſtibus, ac notario publico infraſcripto præſens in-

terſui



terſui, eaque manu propria ſcripſi, notaui & in hanc publicam formam redegi, de mandato Dominorum Reginæ & Ludouici Comitis conſortium præfatorum, ac ſigno meo ſolito ſignaui inſtrumentum huiuſmodi vna cum appenſione ſigillorum conſortium eorundem rogatus in teſtimonium veritatis. Et ego Ioannes Palaiſini Clericus Cantura diœceſ. public. Apoſtolica auctoritate Notarius præmiſſis omnibus & ſingulis vt & vbi ſuperius continentur dum per eos Reginam & Ludouicum Comitem conſortes prædictos, vt præmittitur, agerentur vna cum præſcripto Notario publico ac teſtibus ſupraſcriptis præſens interfui, & de mandato ipſorum conſortium hic me manu propria ſubſcripſi, ac ſignum meum huic inſtrumento publico appoſui conſuetum, vna appenſione ſigillorum eorundem rogatus in teſtimonium veritatis. Extractum à ſuo originali extante in Archiuio præſentis Ciuitatis Auin. per me Henr. Secretarium.

XI. Carol⁹ Rom. Rex Pont. procedit ius ſuum ſi quod habet in Auenionẽ.

Hoc Anno, Carol, Rex Romanorum, Aliotum Lucenſ. Canonic. Narnienſem, Clementis Pontificis Nuncium, ea qua par erat benignitate audiuit, & dato aureo diplomate, iuri omni, ſi quod in vrbem Auinionenſem titulo imperij habere poſſet, ſedi Apoſtolicæ & Romano Pontifici volens lubens ceſſit, datis literis in oppido Gorlitzio, Calendis Nouembris anno Chriſti 1348. Regni eius anno III. In Archæo Vaticano & molis Adriani. & ep. Clementis hoc anno 85.128.658.

Vagabatur Carolus hinc inde, propter peſtem vbique terrarum graſſantem, quæ infinitum numerum mortalium abſumſit. In Oriente, inprimis immoderata pluuiarum copia, quæ à die natalitio Diui Ioannis Baptiſtæ ad Chriſti natalitium diem è cœlo continuo demittebatur præceſſit, deinde comitem habuit peſtem, quæ domos, pagos, & prouincias in ſolitudidem pene redegit, vt nec vetera cœmeteria vllo modo, nec viui ſatis ſufficerent humo condendis defunctorum corporibus.

XII. Horribilis per vniverſum orbem peſtis in Oriente primum incipiens. In Anglia. In Sicilia. Conſtantinopoli.

In multis cœnobiis, ex viginti vix duo ſupererant multorumq; opinio fuit, vix decimum quemq; hominem ſuperſtitem relictum. In ſolo Smitsfeldenſi Londinenſium apud Anglos cœmeterio, 50. millia cadauerũ repoſita numerabantur. Nec minor lues mox in animalia, quæ humanis vſibus inſeruiunt, incubuit, M.S. Vatic. de reb. Anglic. In Sicilia, Meſſanam primum, & poſtmodum Catanam graſſando peruaſit: cuius metu Ioannes Dux Ludouici Regis pueri tutor, ad Maſculas Regium oppidum profugus, in æde Diuo Andreæ ſacra quam ipſi erexerat reſedit, ibiq; peſte correptus hoc anno deceſſit. Fazell. de reb. Siculis dec. 2. lib. 9. Petrarcha ſuo ſacrati ſcribens aiebat, à peſtilentia hoc anno 1348. graſſante, non hanc aut illam partem terrarum, ſed vniuerſum fere orbem ſine habitatoribus remanſiſſe: & vacuas domos, derelictas vrbes, ſqualida rura, arua cadaueribus anguſta, horrendam vaſtamq; toto orbe ſolitudinem attuliſſe. Ioannes Cantacuzenus Græcorum Imperator, Andronicum minimum natu ab eadem peſtilentia extinctum amiſit: quæ tunc Conſtantinopoli graſſabatur: quæque, vt ipſe memorabat, à Scythis Hyperboreis incipiens, ferme omnes oras maritimas peruaſit, magnamq; indigenarum partem abſumpſit. Nec enim Pontum tantummodo, Thraciam, Macedoniam, ſed etiam Helladem, Italiam, inſulas omnes, Ægyptum, Libyam, Iudæam, Syriam, & orbem fere vniuerſum in circuitu permenſa, ac peruagata eſt. Sic autem erat incurabile malum, vt neq; vlla diæta, neq; robur corporis poſſet reſiſtere, cum omnia æque valida vt imbecilla corpora proſterneret: quique maxima impenſa curabantur, non ſecus ac pauperrimi moriebantur. Quod ſi quis etiam ante aliquantulum ægrotaret, omnia in illud morbi genus ſe exonerabant. Muſſabat ars medicorum tota. Nec ſimiliter omnes occupabat, ſed alij quidem continuo, nec paulum durantes, ipſo die, quidam ipſa hora animas ponebant. Quotquot autem biduum, triduumve reſtitiſſent, primum quidem febrim habebant acutiſſimam, & morbo caput inuadente, elingues, & ad omnia quæ fierent ſtupidi reddebantur; ac velut ſomno profundo abſorbebantur. Sin forte ad ſe redirent, loqui nitebantur illi quidem: ſed hæreſcente lingua, multa inarticulata, neruis in occipitio emortuis promebant, & exſpirabant celerrime. Aliis non in caput, verum in pulmones malum incidens, mox præcordia inflammabat, & dolores acutos circum pectus afferebat: & ſputa ſanguine contacta eiiciebant, atque è viſceribus Spiritus tetrum foras odorem voluebat. Fauces & lingua calore exaruerant, nigra & ſuffuſa ſanguine: nec plus proficiebant ſi multum, quam ſi parum biberent. Somno vti nullo poterant, & vndequaque angebantur. In brachiis ſupra & infra, non paucis item in maxillis, & quibuſdam in aliis corporis partibus abſceſſus, ſiue vlcera, his maiora, illis minora exiſtebant, & nigræ papulæ enaſcebantur. Quibuſdam velut atra ſtigmata per totum corpus erumpebant, aliis rariora, magiſque conſpicua: aliis denſiora, & obſcuriora: & omnes perinde ex his omnibus moriebantur.

Nonnullis enim cuncta hæc, aliis plura aut pauciora contingebant: compluribus vnicum tantummodo ex iſtis omnibus mortiferum erat. Quicumque vero de multis pauci euaſerant, non amplius eo malo corripiebantur ſic, vt etiam interirent: quamobrem rurſus correpti, bene confidebant.

Fiebant porro magni abſceſſus in femoribus, aut in brachiis: quibus ſectis, multa & fœdita ſanies effluebat, & morbus turbante materia ſic emiſſa leuabatur. Complures his omnibus obſeſſi, præter opinionem conualeſcebant. Nec vllum vndecumque certum auxilium inueniebatur. Quod enim vni ſalutare, alteri idem patienti venenum erat: alterque ab alterius curatione morbum indipiſcebatur: & cumulabantur funera, quibus multæ domus vacuabantur, cum & incolæ, & brutæ animantes vna cum dominis vitam redderent. Sed nihil erat deſperatione miſerabilius. Cum enim quis tam ægrum ſe ſentiebat, ſpes nulla incolumitatis relinquebatur, ac deſperabundi ſemetipſos abiiciebant, morbumque non mediocriter iſta deiectione triſtitiaque augentes, repente animas efflabant. Species igitur iſta luis, ſatis exprimi verbis non poteſt. Vnde maxime intellectum eſt, non humanæ naturæ quiddam agnatum, & conueniens, ſed diuinitus immiſſam caſtigationem fuiſſe: multique inde ad ſanitatem mentis conuerſi, meliores euaſerunt, non illi modo qui ea peſte morte occubuerunt, ſed quotquot ea liberati vitam retinuerunt. Tunc enim vitiis omnibus deſertis, virtuti ſtudebant: & multi facultates ſuas in pauperes diſtribuebant, etiam priuſquam à morbo illo inuaderentur. Quo ſi ſe affectos diſprehenderent, nemo tam lapideus erat, animoque plane immedicabili, atque inſanabili, vt non pœnitentiam de peccatis ſuis præſeferens, DEO apud tribunal illud ſui ſaluandi aliquam occaſionem daret. Cantacuzen. hiſtor. libr. 4. cap. 8.

In Hiſpania.

Ab Oriente in cæteras regiones eadem contagio graſſata, præter Italiam & Siciliam, Sardiniam ac Baleares, Hiſpaniæ etiam prouincias vrbes omneſque vexauit: prorſus vt Octobri menſe, Cæſarauguſtæ, in rationem Libitinæ trecenta funera quotidie venirent, aeris vitium, curatio ipſa, & contactus ægrorum vulgabat morbos. Infecti tabo, aut neglecti moriebantur, aut aſſidentes curanteſque eadem vis morbi inuadebat. Ita aſſuetudo mali animos efferarat, vt exhauſtis lachrymis inſepulta, ſtrataque corpora iacerent: miſerandaque rerum facies per vrbes & oppida tota Hiſpania erat, Marian. lib. 16. c. 15.

In Italia.

In Italia, per varios populos peſtilenti contagio euagata, alia ſubinde appetendo loca regiones cumulatis funeribus inanierat. Febris erat peſtifera & inguinis tumor. Id quaſi venenum quoddam robuſtiſſimos iuuenes, alioquin ſanos repente inuadens, pauciſſimis interdum enecabat horis. Contagia omnia exitioſa erant. Ea tunc Florentiam ingreſſa, imbecilliora primum corpora puerorum puellarumque conficere cœpit: indeque ad firmiora tranſgrediens

per omnem ſexum ætatemque vagata eſt. Sexaginta amplius hominum millia defuncta intra Florentiam conſtat, alij ſcribunt centena millia & inſignes viros quorum conſilio reſpubl. nitebatur, ferme omnes ſublatos. In agro autem exinanita cuncta atque deſerta. Conuentus Religioſorum copioſi in ciuitate & alicubi locorum fere euacuati ſunt. Et tunc (vt dicitur) cœperunt Religiones mendicantium quæ in Eccleſia Dei florebant tepeſcere & relaxari: tum deficientibus in eis ex morbo plurimis Patribus & illuſtribus viris, qui eas doctrina & exemplis ornabant: tum ex cauſa tot & tantarum calamitatum relaxato regularis obſeruationis rigore: qui quidem reparari non potuit, ex tepiditate ſuperuenientium tam Prælatorum quam ſubditorum. *Antonin. 3. p. titul. 21. §. 3. Bocatius initio Decameronis.*

IN GALLIIS ALEMANNIA SCOTIA VNGARIA.

Vnius, Adriatici, maris littora præcipue infeſtauit: Maſſiliam fere inhabilitabilem reliquit: Auinione tribus primis diebus ante Dominicam quartam Quadrageſimæ, M. CCCC. homines abſumpſit: in Galliis, Alemania, Scotia, Vngaria, vix tertiam partem viuentium reliquit: nec non quaſi omnia mundi regna contaminauit, glandibus ſub axillis vel in inguinibus promiſcue naſcentibus. *Redborſ. in annalibus.*

XIII. VLTIO DIVINA IN REGNO POLONIÆ OB SACERDOTEM À REGE IN AQVAS SVBMERGI IVSSVM.

Septemtrionalia quoque Regna non intacta reliquit: & præcipue Poloniam, in vltionem ſceleris Regij, permittente numine infeſtauit. Caſimirus Rex à Ruſſica expeditione reuerſus, & ſecundis rebus laudibuſque hominum inſoleſcens, de libidinibus conſuetis nihil remiſerat, ſed palam concubinas Opocini & Creſſouiæ alebat: & cum à Bozenta Cracouienſi Epiſcopo officij ſui admoneretur, non modo non reſipuit, ſed etiam ſubiectos ipſi homines in territorio Sendomirienſi per Ottonem Pilecium gente Toporum, Palatinum & Præfectum eius loci indebitis tributis & laboribus vexauit. Porro cum his de rebus Epiſcopi Poloni Pontifici Maximo indicaſſent, iſque moneri eum ſuo nomine vellet, Martinus cognomento Bariſca (familia eſt nobilis Varſouiæ, vbi anno 1603. Cœnobium Diuo Hyacintho, in regno Poloniæ hoc titulo primum condebamus, multis nominibus, præcipue vero pietate in Deum, & beneficentia in pauperes & viros Eccleſiaſticos; etiamnum hoc anno 1616. quo hæc ſcribimus illuſtris: & ex qua Stanislaus Bariſca Conſul Varſouienſis, ex Heduige coniuge matronarum pientiſſima, multa ſobole felix, non minimum erga Religionem Diui Dominici & Franciſci addictis iis ordinibus duobus filiis, & profuſiſſimis pietatis Chriſtianæ officiis meruit) vnus de Vicarijs Canonicorum Baſilicæ Cracouienſis, qui ſolus id facere auſus eſt, in profluentem Viſtulæ demergi ab eo iuſſus eſt. Verum id ſcelus, diuina maieſtas non diu inultum eſſe ſiuit. Nam & Rex diris deuotus eſt à Bozenta Epiſcopo, & peſtis acerba, quam epidemiam Græci vocant; quaſi nos dicamus popularem, duobus annis continuis Poloniam omnem peruaſit: tanta vi graſſata, vt pagos atque oppida hominibus vacua redderet. Ac initio quidem triduana febris ardens, cum ſputo ſanguineo, miſeros mortales paſſim abſumebat: deinde vero in quintum prolata diem, carbunculis & apoſtematibus enecabat. Quamquam autem arcano id fiat Dei Optimi Maximi iudicio, & ab hominum intelligentia abſtruſo, tamen non nouum, neque inuſitatum eſt, pro Principum peccatis ſubiectam eis multitudinem pœnas expendere. Nec Poloniam ſolum peſtis ea tunc vexauit, ſed vniuerſum fere terrarum orbem peruagata eſt. Creditum eſt autem vulgo, eam à Iudæis, infectis veneno fontibus, effectam eſſe. Itaque exquiſitis ſuppliciis ij, nullo neque ſexus, neque ætatis diſcrimine per Italiam, Germaniam & Gallias affecti, & facultatibus ſpoliati ſunt.

XIV. FLAGELLANTIVM SOCIETATES EXTINGVVNTVR.

Increbuere tunc per vniuerſum fere Chriſtianum orbem greges virorum pariter ac mulierum, nudis ſuperne vmbilicotenus corporibus obambulantium & flagellãtium ſeſe, diuinamq; clementiam miſerabilibus vocibus implorantium, vexillis præeuntibus. Itaque in Poloniam quoq; ij tunc venere ex vicina Hungaria. Sed cum ea confluges hominum, à flagitiis & prauis dogmatibus non penitus immunis eſſe deprehenderetur, pœnis coercita & extincta eſt. *Cromer. lib. 12.*

XV. PESTIS VENETIIS.

Venetias antequam ea calamitas inuaſiſſet, annonæ caritas præceſſit: deinde ſubito motu terræ ita vehementer ciuitas concuſſa eſt, vt ædificia multa tam publica, quam priuata ingentem traxerint ruinam. Sacrarum enim ædium multæ turres vehementi motu deiectæ, aut corruerunt, aut terribili ſpecie acclinarunt. Secuta grauiſſima peſtis: ex qua ex omni languentium numero centeſimus quiſque mortem euaſiſſe traditur: aut ſex, ſeptemue ad ſummum. Cadebant miſeri mortales alii ſuper alios procumbentes. Deſerebant parentes filios, frater germanum, maritum vxor: non medicus vllus, non remedia aderant: funera, lamentationes, ploratus paſſim audiebantur: tribuſque menſibus ea vis morbi ſæuiſſime graſſata eſt, quæ vrbem mirum in modum populo exhauſit. Et quia vaſtitas infrequentiaque habitantium ingens in ciuitate facta erat: ad reparandam ſolitudinem lata lex eſt, vt quicumque Venetias habitandi cauſa per id tempus migraret, fuiſſetque ibi totum biennium, pro ciue haberetur. *Petrus Iuſtinian. hiſt. Venet. lib. 4.*

IN LIGVRIA.

Genuam quoque & Liguſticæ oræ tactum tabifica ea lues inuaſit. Domus corporibus exanimes, itinera funeribus complebantur. Non ſexus, non ætas periculo vacua. Seruitia perinde ac ingenua plebes raptim extingui, inter coniugum & liberorum lamenta: qui dum aſſident, dum deflent, ſæpe eodem morbo abſumebantur. Equitum, Senatorumq; ac principum virorum interitus promiſcui, ſic ſane, vt per multos annorum ambitus, nunquam vllibi gentium atrocius graſſata fuerit. *Bizarus hiſt. Genuenſ. lib. 6.*

XVI. INGENS TERRÆMOTVS ROMÆ.

Quod terræ motum attinet, iſtud de eo Petrarcha Socrati ſuo ſcripſit. *in MS. Vatic. numero 5821. Tam in occaſu, quam in Oriente, tanquam ſub Borea quam ſub Auſtro, multis in locis alpes radicibus motæ ſunt, inſueto ac ſerio venturo præſagio. Italiæ ſimul ac Germaniæ magna pars tremuit. Secuta mox mala, quæ nec meminiſſe ſine lachrymis poſſumus, neque numerare ſufficimus. Nouiſſime cum iam laſſatam mortem, placatamque* DEI *iram ſperaremus, nos pauculi qui erepti publico naufragio videbamur: ecce Roma ipſo inſolito tremore concuſſa eſt: tam grauiter, vt ab eadem vrbe condita ſupra duo annorum millia tale ibi nihil acciderit. Cecidit ædificiorum veterum neglecta ciuibus ſtupenda peregrinis moles: Turis illa toto orbe vnica, quæ Comitum dicebatur, ingentibus rimis laxata diſſiluit, & nunc velut trunca caput ſuperbi verticis horrorem ſolo effuſum deſpicit. Denique vt iræ cæleſtis argumenta non deſint, multorum ſpecies templorum, atque inprimis Paulo Apoſtolo dicatæ ædis bona pars humi collapſa, & Lateranenſis Eccleſiæ deiectus apex, Iubilæi ardorem gelido horrore contriſtant. Cum Petro mitius eſt actum. Res equidem ſine exemplo eſt, & quæ multorum animos iure deijciat. Si enim membrum tremor tantarum calamitatum portendit euentum, quid non minatur tremor capitis? Stomachentur & murmurent qui aliquid viderunt. Mundi Caput eſt Roma, & licet obſoletum impexumque, terrarum tamen omnium caput haud dubie Roma caput eſt. Hoc mihi, ſi vna voce poſſit loqui mundus ipſe non negat. Ne autem peſſimum augurium de nihilo finxiſſe metu cenſear, & recentibus malorum exemplis, & auctoritate Plinij longe clariſſimi ſcriptoris excuſer. Nunquam, inquit ille, Roma tremuit, vt non futuri euentus alicuius id prænuntium eſſet.*

XVII. SIMILIS TERRÆMOTVS IN GERMANIA.

In Germania, eodem die Conuerſionis S. Pauli, quo in Italia, Suenia, Bauaria, Auſtria, Styria, Carinthia, & Alpes tremuere. Caſtrum Filachum, & quædam caſtra inter alpes ad Eccleſiam Bambergenſem ſpectantia funditus ſunt ſubuerſa, & pluſquam V. millia hominum perierunt. *Redborſ. in annalibus.*





Sex atque viginti vrbes & alia caſtella proſtrata eſſe, ſunt qui prodant. Homines cum pecoribus interierunt, mœnia, templa, ædes ſubuerſa ſunt. Duo alicubi montes concurrerunt, vrbibus deuoratis, agrorumque tractu hauſto. Hiatus ſubſecutus partim remanſit, partim cuncta ſorbuit, ita inducto ſolo vt nulla veſtigia extent. Quinquaginta amplius homines, villicas mungentes, cum vaccis extinctas diriguiſſe, & corpora à Spiritu terreno in ſalarias ſtatuas redactas apud Charinos, hæcque ſimulachra ſibi & Cancellario Auſtriaco conſpecta eſſe, refert Conradus Meidenbergius huius temporis Philoſophus.

PESTIS PER GERMANIAM SÆVIT.

Subſequens ibidem poſtilentia in Alemania, vrbes, monaſteria, inſulas deuaſtauit. Ferunt ſolatio fuiſſe huic tanto luctui, quod pueri innocentes morituri, plerique & iubilando & gaudendo laudes Deo dixerint: peccatores etiam priuſquam vim contagionis ſentirent totis animis pœnituerint, & vltro mortem petierint.

XVIII. IVDÆI PESTEM INDVXISSE INFAMATI VBIQVE CREMÃTVR.

*De hac peſte*, inquit Nauclerus, *infamati fuerunt Iudæi, quod eam fecerint fontibus infectis: & propter hoc cremati ſunt à mari vſque in Alemaniam præter Auinionem, vbi illos Pontifex præſeruauit.* Habitus fuerat Benfeldij Alſatiæ oppido, & vt dicebatur, quidam ex Iudæis inuenti fuerant quaſi omnium maleficiorum genera commiſiſſe, & in Hiſpania de veneficiis conueniſſe, tum de nece multorum puerorum, de falſificatione ſuper debitis inſtrumentorum & monetæ conuictos fuiſſe. Inuenti etiam fuerunt in fontibus & puteis ſacculi veneno pleni. Potentiores nitebantur eos defendere: plebs furibunda omnes traxit ad ſupplicium. Cremati ſunt in plurimis locis, vel etiam ipſi ſe in domibus includentes, ne in poteſtatem Chriſtianorum venirent, cremauerunt. Ciuitates Imperiales domos Iudæorum diruerunt, & ex lapidibus earum ac cœmeteriorum Iudaicorum, turres, pontes, & muros conſtruxerunt. Rupertus Comes Palatinus Rheni, & quidam principes ac nobiles Germaniæ, pecuniis multis acceptis conabantur eos defendere. Veruntamen necquicquam potuerunt efficere, plebe aduerſus fautores Iudæorum furente. Duodecim millia eorum in ſola Bauaria pœnas crudeliter dediſſe, horum temporum ſcriptores referunt. Multi tunc ex vtriuſque ſexus baptiſati ſunt, non tam amore DEI, quam timore pœnæ. *Naucler. generat. 45.*

XIX. PIETAS CLEM. Pp. ERGA ÆGROTOS.

Magna tunc pietatis Chriſtianæ admirandaque opera Clementis Pontificis Auinione fuere, erga eos qui tabe illa infecti erant, quos foueri ſumptibus ſuis, ac ne inſepulti iacerent, pie à ſeruis publicis propoſita iuſtiſſima mercede ſepeliri curauit, in agro quem ipſe emerat: vbi templum ſacræ virgini conſtrui iuſſit annuiſque redditibus donauit, vt beneficij illius memoria ad poſteros quoque peruenire poſſet. *Maſſonius in Clemente 6.* Indulgentias quoque plures iis, qui ad ſonum campanæ, pro laborantibus in extremis Deo preces offerrent, aut ſacrificiis eos iuuarent, conceſſit *Epiſt. 660.* inſuper ad cœleſte auxilium implorandum, peculiare ſacrificium aduerſus peſtem inſtituit, *Annal. Boiorum lib. 7.*

XX. CLEMẼS CÕMITTIT ABSOLVTIONEM FAVTORVM LVDOVICI BAVARI À CENSVRIS ECCLES.

Inter hæc Clemens Pontifex, non omittebat, Imperium & Regnum Romanorum Carolo Regi ſtabilire, atque ab Eccleſia propter Ludouicum olim alienatos, ad Eccleſiam reuocare. In id enim vnum Carolus incubuerat, ſi quomodo Pontificem, ad relaxationem proceſſuum contra adhærentes Ludouico factorum, & ad abſolutionem eorum qui propterea diris tenebantur, induceret. Namque ob id etiam vnicum, quod in exeeratorum numero haberentur, & à ſacris arcerentur, Carolo non ſatis æquiores fuerant: & præſertim quod viderent plurimos ex Ludouici fautoribus in campis, extra cœmeteria iacere: eandemque calamitatem morientibus indies imminere. Facile aſſenſus eſt Clemens ſententias illas à ſede Apoſtolica prolatas mitigare, vel etiam antiquare. Itaque Macrouardum Pandeckun Præpoſitum Babenbergenſ. ad Epiſcopum Babenbergenſ. & Ioannem Piſtorium à ſecretis, ad Carolum Regem & Præſules Germaniæ ire iuſſit, qui literas Commiſſionis, ſuper abſolutione reorum, & reſtitutione ſacrorum ferrent.

XXI. SVMMA LITERARŨ COMMISSIONIS.

Summa erat earum quæ ad Epiſcopos & reliquos: *Cum multi contra proceſſus & ſententias Ioannis Papæ agentes, adhærentes quondam Ludouico de Bauaria hæretico, redire cupiant ad vnitatem Eccleſiæ: committimus tibi, vt qui confeſſi fuerint errores ſuos: & pœnas in quas inciderunt explicite vel implicite agnouerint: & iurauerint deinceps Fidem Catholicam tenere, & nulli deinceps hæretico vel ſchiſmatico fauere & credere: & quod non ſpectat ad Imperatorem Papam deponere & alium creare, ſed hoc hæreſim eſſe damnatam: & quod nullum Imperatorem habebunt, niſi per ſedem Apoſtolicam approbatum: nec relictæ & liberis ipſius Ludouici fauebunt. niſi cum Eccleſia reconcilientur, & Carolo Romanorum Regi per Eccleſiam approbato parebunt: ab huiuſmodi ſententiis & pœnis abſoluas: ita tamen, quod ſi in aliquo contrauenerint, in ſententias & pœnas priſtinas relabantur.*

XXII. MVLTI AD OBEDIENTIÃ SED APOST. REDEVNT.

Has literas Conſtantienſ. & Babenbergenſ Epiſcopi primo acceperunt, & poſtquam in diœceſibus ſuis eas publicaſſent, multos ad obedientiam ſedis Apoſtolicæ reuocarunt, nec non ciuitates & oppida vt Carolo Regi obedirent adduxerunt. Ratiſponenſes primum, deinde Nurimbergenſes, poſtea Baſilienſ. Wormatienſ. & reliqui ad extremum, exemplo aliarum vrbium, Eccleſ. Roman. beneficium agnoſcentes, capita abſoluentibus Epiſcopis ſedis Apoſtolicæ Commiſſariis inclinarunt, ſeque Carolo Regi dediderunt. Plures interdicti, in Eccleſiis & cœmeteriis ſepulti, fuerunt tunc reconciliati, propter teſtimonium fide dignorum, quod in extremis ſigna pœnitentiæ oſtendiſſent.

XXIII. SCRVPVLVS DE IIS QVI COMMVNICASSENT PERFICACIB⁹.

Remanebat ſcrupulus; ne abſoluti, ſi cum peruicacibus communicaſſent, in cenſuram inciderent, Itaque F. IOANNES de TAMBACO Ordinis Prædicatorum Doctor Theologus, Caroli Regis & Pragenſ. Antiſtitis Nuncius, Clementem Pontificem in publico Patrum conſeſſu flagitauit, declarare vellet, quod nullus Clericus, vel laicus, quemcunque ligatum per ſententiam execrationis, ſuſpenſionis vel interdicti latam in genere, ab homine, vel à iure, ſiue per modum ſtatuti, qualitercunque, teneatur ratione ſententiarum huiuſmodi quomodolibet, præterquam in crimine vitare, aut quæcumque interdicta eodem modo ſeruare: quouſque de locis, & perſonis, aut vniuerſitatibus per ſententiam huiuſmodi directe comprehenſis, nominatim fuerit denunciatio ſubſecuta. *Talis enim* (vt aſſerebat) *declaratoria Conſtitutio eſſet vniuerſis Chriſtianis ad ſalutem animæ neceſſaria, à multis erroribus præſeruatiua, cenſuræ Eccleſiaſticæ conſeruatiua: cum neq; iure communi fortaſſis aduerſaretur, ſed conſona eſſet multis iuribus, amica conſuetudinis, conformis Doctorum ſententiis, ambiguitatis & ſcandali excluſiua, & vniformis obſeruantiæ cauſatiua: Cleri ab occaſione, damnis & iniuriis defenſiua: fauoris ad Eccleſiam reformatrix, charitatis exercendæ occaſio, diuiniq; cultus amplificatio.*

Ad hanc poſtulationem in præſentiarum necquicquã Clemens reſpondit, ſed ad deliberandum rem diſtulit: donec breui tempore, omnibus impedimentis ſublatis, omnes quoque Ludouicum & cum eo omnem hæreſim eiurantes, ad Eccleſiam vniuerſalem reduces, Carolo fidem dederunt, & beneficium abſolutionis vna cum ſacris meruerunt.

XXIV. COMITI SVVARTZENB. IMPERIŨ PER REBELLES SED. APOSTOLI CÕ DEFERTVR.

Henricus ex Antiſtes Moguntinus nonnihil miſcebat. Sub initium enim Ianuarij menſis, cum Ludouico Marchione Brandeburgenſ. & Ruperto Comite Palatino Rheni, nec nõ Erico nouo Duce Saxoniæ, ad Edouardum Anglorum Regẽ Legationẽ adornarunt, ſi quo modo illum ad Regnum & Imperium Romanorũ capeſſendũ inducerent. Excuſauit ille, & gratias retulit: quod ſcirent non ſibi integrum fore contra ſtimulũ calcitrare. Fridericum et Marchionem Miſnenſ. oblata ei in ma-

trimonium Beatrice Ludouici relicta tentarunt. Sed neq; is tantã dignitatem penſi fecit: quin potius Carolo Regi Sacramentum fidelitatis dixit. Menſe Februario deinde coeuntes, Regnum & imperiũ Günthero Comiti Suuarzenburgio deferebant. Neq; detrectauit iſte, ſed copiis quam maximis contractis Francofordiã primo cinxit: quod dicerent ciues, qui ei vrbem clauſerant, ante hominum memoriam hoc ſe priuilegio communitos, Regem in diſcordia electum, qui competitorem patiatur, non ante admittere in vrbem, priuſquam nouem ſeptimanis obſidione perurgeat: vt per hoc tempus digladientur inter ſe Reges, & ſuperior vel iure vel gladio factus, in vrbem ſuſcipiatur. Ibi cum hæreret Guntherus, & à medico venenum hauſiſſet, neque ſe poſſe diutius viuere, aut bello gerendo par eſſe præſenſiſſet, in manus Caroli Regis, cum reliquis citra effuſionem ſanguinis venit: cumq; Carolo Rege, pecuniam inſumptus factam vt ſibi numeraretur pactus, anno ineunte liberum ei regnum reliquit, ipſumque Regem

PACTVS CVM CAROLO RELINQVIT ET BREVI POST IMODVM MORITVR. PRINCIPES ET CIVITATES GERMANIÆ CAROLO RECONCILIANTVR.

conſalutauit: nec diu poſt viuendi finem fecit. Multi autem dicebant, vindicta diuina Guntherũ occubuiſſe. Ludouicus quoq; Marchio Brandeburgenſis, in Iſenaco Thuringæ oppido Carolum conuenit: & poſt ſex horarum in quodam Fratrum Prædicatorum conclaui colloquium, Carolum Regem publice ſalutauit: poſtque illi Carolus Rex abductæ Ioanni fratri coniugis iniuriam condonaſſet, nec non Bauariæ & Corinthiæ Ducatus, Marchionatumq; Brandeburgenſ. titulo iuris fiduciarij conceſſiſſet. Rupertum quoq; Comitẽ Palatinum Rheni, ſibi facile conciliauit. Cum enim ſuperiorem inferioremque Germaniam peragrans ab omnibus Imperialibus ciuitatibus, magno cum honore & lętitia, propter reſtituta à Commiſſariis Apoſtolicis Sacra, & propter ſingularem humanitatem, comitatem, & ſummam in rebus ſtatuendis diſcernendiſque integritatem atque æquitatem exciperetur, debitumque ſibi ab illis iuramentum, quemadmodum paulo ante ab ipſis principibus acciperet.

XXV. MATRIMONIVM CONTRAHIT CAROLVS.

Deflectens inde ad Palatinum Rheni principem, viduitatis ibi oblitus, cum Anna eius filia matrimoniũ contraxit, atque ibidem apud ſocerum nuptias concelebrauit, promulgato ad cæteros principes omnes edicto, vt Herbipolim ad diem certum conuenirent. Itaq; hoc anno menſe Iulio, Epiſcopus Curienſis, in cuius diœceſi eſt caſtrum Tyrolis, ſolemnem ſententiam diuortij inter Ioannem fratrem Caroli, & filiam quondam Ducis Carinthiæ cui Ludouicus Marchio Brandeburgenſ. veluti vxori ſuæ pluſquam ſeptem annis cohabitauerat, nec non duos pueros ex ea ſuſceperat promulgauit: quod aſſereret Ioannem frigidum & impotentem ad copulam carnalem, & ideo non fuiſſe matrimonium inter eos. Eodem menſe Iulio, nouus ſponſus Carolus, Aquiſgranum venit, & die Diuo Iacobo Apoſtolo ſacra, ab Archiepiſcopo Colonienſ. conſenſu ſeptem virum, & Principum ac ciuitatum imperij, diadema ferreum ſecundo ipſe, & vxor eius accepit: cum primum in ſe recepiſſet, apud Clementem intercedere, vt pacta cum Bauaricis principibus conuenta, rata haberet. *Naucler. gener. 45 Iacobus Moguntin. in Chron. Rebdorf. in annal. Crantz. Saxon. lib. 9. c. 26. Dubrau. hiſt. Boem. lib. 22. Cuſpinia. in Carolo.*

CORONATVR AQVISGRANI.

XXVI. ARTIFICIVM QVO VSVS EST CAROL. AD COMPELLENDVM BRANDEBVRGICVM VT SVAM GRATIAM AMBIRET.

Monuerat Clemens Pontifex Carolum, ne cum filiis Ludouici Bauari, quicquam ſine ſenſu Apoſtolicæ ſedis tranſigeret, aut tractationem pacis, præter voluntatem & conſilium Romani Pontificis concluderet, *ep.* 201. Namq; ſciebat Ludouicum Brandeburgicum, non omnino ſponte ad conciliationem acceſſiſſe: & ideo poſſe, quemadmodum poſtea accidit, facillime reſilire. Artificio vſus fuerat Carolus ad Ludouicum compellendum: quod placuit enarrare.

Cum hic rebellis eſſe, Germaniamq; contra Carolum turbare nõ ceſſaret, Carolus indignum duxit cum quo ipſe contenderet. Itaq; æmulum illi excitauit, qui ſe Valdemarum Marchionem, cuius nomen apud Brandeburgenſes valde gratioſum erat, diceret, rumoremq; de morte ſua ſparſum, non ſolum peregrinatione ſua longinqua, ſed ætate, formaq; & ſtatura inſupe refelleret. Nam iis omnibus haud diſſimilis in Valdemarum fuit: denique à Brandeburgenſibus, non alius quàm legitimus Valdemarus creditus tantoq; vulgi fauore qua ibat exceptus, vt ei complura caſtella & municipia ſua ſponte aperirent. Acceſſit mox frequens nobilitas: poſtquam Albertus & Ioannes Comites Megapolienſes Praga domum reuerſi ſunt: cum ampliore quam exierant dignitate. Ambos enim Carolus ad principalem honorem extulit, vnam hanc beneficij gratiam tacite exigens, vt Valdemaro, in aſſerenda quam vocant Marchia adiutores ſe præberent: quod quidem Albertus ſedulo præſtabat, tanquam grauis Ludouico Marchioni ingruebat, vt extremum ille à Rege Daniæ affine ſuo auxiliũ cogeretur implorare. Namq; Valdemarus plane belliſſime marchionem eum qui ſingebatur, ſe ſimulabat. Id cum Ludouico grauiſſimum eſſet, quod ipſorum etiam principum, ille, vt ipſe dicebat, nebulo, mentes oculoſque adeo hebetaret, vt nec iudicium, nec veritas apud eos valeret, tandem omnes copias contra eum contraxit, & Francofordiam duxit. Non poterat rebus ſuis tunc deeſſe Carolus. Itaque & ipſe quaſi pro Valdemaro, exercitum Ludouico oppoſuit. Promptus hic erat ad congrediendum, ſi Duces militię eius ad diſſuadendam pugnam obuiam non proceſſiſſent, quaſi miſeratione permoti, futuræ tot vtrimq; nobilium, in tanto vtriuſq; exercitus apparatu cædis, eiuſque, quod omnium indigniſſimum eſt, ab vnius latrunculi impudentem audaciam ſubeundæ, quem alia paulo poſt ventura pœna illo digna maneret. Sed hæc Duces, Carolo gratificantes, à quo erant ſubornati, dicebant: qui iure ſuæ ipſius conſcientiæ metuebat, ne ipſe reus apud Deũ eius ſanguinis efficeretur, quicunque in pręlio, ſi ad manus ventum eſſet, funderetur. Ea ſpe deiectus Ludouicus, quamquam inuitus, diſſimulauit tamen, & gratiam Caroli exambiuit. Quam ſubmiſſionem & amicitiam cum non diuturnam fore diuinaretur Clemens, hortatus eſt Carolum, ne ſine ſedis Apoſtolicæ ſcientia, cum eo quicquam decerneret. *Dubrau. ſupr.*

XXVII. STVDIVM CLEMENTIS PRO CAROLO ROM. REGE.

Interim Annibaldo Tuſculano Epiſcopo Cardinali, in Germania ſuperiore & inferiore ſedis Apoſtolicæ Legato, Clemens data *ep. num. 655.* præcepit, vt negotia Caroli Regis ageret, & omnem operam impenderet, vt reliquorum Germanorum principum, animos illi conciliaret. In Belgio tunc hærebat Cardinalis Legatus, ſi quo modo diuturnas illas inter Galliarum & Angliæ Reges controuerſias poſſet componere: atque tumultuantes Belgas, principi Ludouico morigeros reddere. Effecit tandem vt induciæ inter Reges in triennium prorogarentur: cum pacto vt Dauid Rex Scotorum, & Guillelmus Duglas ab Anglo ex cuſtodia dimitterentur. Namque Clemens dat. 6. Cal. Iunij Philippo Regi Galliarum litteris, iſtud vt cordi haberet, qua ratione liberarentur commiſerat.

XXVIII. REX PHILIPPVS EMIT DELPHINATVM.

Emit hoc anno Philippus Rex ab Vmberto Delphino, Delphinatum, vnam ex ſeptem prouinciis regni Arelatenſis Imperio ſubiecti: pacta Carolo Regi Romanorum conditione, vt in fide atq; clientela imperij Regum Gallicorum filij Delphinatum poſſideant. Accepit autem à Philippo Rege Vmbertus præ manu quadraginta millia coronatorum aureorum, & decem millia florenorum annua dum viueret factuſque eſt Dominicanus Lugduni in conuentu Prædicatorio: poſtea creatus presbyter Cardinalis, & ad extremum Patriarcha Alexandrinus. *Annal. Flandr. lib. 13.*

XXIX. ALIA CLEM. Pp. ACTA.

Monuit hoc anno Clemens Carolum Regem 1. vt Ioanni Brabantiæ Duci auctor eſſet, qui reſtitueret caſtrum S. Trudonis Eccl. Leodienſi. *ep.* 1245. 2. vt miniſtros imperij compeſceret, ne Epiſcopo Cameracenſi amplius iniurij eſſent, quin potius bona feudalia illi ablata reſtituerent. *ep.* 169. 3. vt ne ægre ferret, quod non ſtatim ei concederet, quæ ex parte Eccleſiæ Vuratiſlauienſ.





poſtulabat, *Epiſt.* 656. 4. vtque Vromoldum Archiepiſcopum Rigenſem ad Eccleſiam ſuam reuertentem commendatum haberet. *Epiſt.* 786. 5. Abſoluit interim à ſententia anathematis Valdemarum Danorum Regem quod inſcio ſe ſepulchrum Domini viſitaſſet. *Epiſt.* 720. 6. Annibaldum Legatum Cardinalem, ex Belgio reducem, in Siciliam Etruriam & Campaniam, atque reliquas ſedis Apoſtolicæ in Italia ditiones præſertim ad Siciliæ Regnum per Ludouici Pannonij & Principum factiones turbatum Ioannæ Reginæ & Ludouico Tarentino deſignandum & ad componendos motus per Nicolaum Tribunum excitatos 2. Calend. Decembr. deſtinauit. *Ep.* 1. 7. Opizium Eſtenſem, quod non ſatis pactis conuentis ſtaret, anathemate percuſſum & dominio Ferrariæ priuum, in integrum reſtituit. *Epiſt.* 904. 8. Epiſcopo Trecorenſ. vt corpus S. Iuonis in locum eminentiorem transferret, permiſit. *Epiſt.* 469. 9. Archiepiſcopis & Epiſcopis Galliarum, ne in Comitio Philippi Regis præſentes, aliquid contra libertatem Eccleſiaſticam conſtitui vel fieri tolerarent, mandauit. *Ep.* 619. 10. Archiepiſcopo Nicoſienſi, vt à caſibus ſedi Apoſtolicæ reſeruatis poſſet pœnitentes abſoluere, indulſit. *Epiſt.* 279. 11. Iudæi, quos vulgus infectorum fontium inſimulabat, ne iniuria innocentes afficerentur conſtituit. *Ep.* 280. 12. Guidonem Abbatem Amerienſem, ad conciliandos Regem Aragonum & Ferdinan. fratrem, Nuncium in Aragoniam miſit. Leonora nouerca, Ferdinandum Regis fratrem aduerſus Regem per occaſionem datam commouerat, vt ille non dubitauerit ipſum caput atque opes regni adoriri. Abbas Merenſis pacificatoria legatione functus, ſi res vlla pacis ac fœderum conditione ſedari poſſent, Regi ac Reginæ Leonoræ nouercæ, ac eius liberis tolerabiles conditiones pertulerat: conabaturque Regem ad eas

CONDITIONES PRO PACE INTER REGEM ARAGONIÆ ET EIVS FRATREM.

perducere, modo exercitus vtrimque dimitterentur, & præſidia remouerentur. Conuenit, vt Rex hæreditaria iura Ferdinando fratri deferret: cum Moruiedri haud aliter, atque in libera cuſtodia attineretur. Itaque ſtatuit regni ſucceſſionem fratrem aditurum, ſi ipſe liberis maribus non ſuperſtitibus decederet. Conceſſit poſt hanc tractationem, Rex Valentiam vbi indigne, neque pro Regiæ maieſtatis decore, à ſeditioſis exceptus, ab impetu populari periculum adiit. Nam duces factionum turbas concitauerant, & ciues aduerſus ciues impulerant. Cæſi ſunt intus multi mortales, & ſaccis obuoluti, in profluentem deiecti. Nihil per eos dies inauſum intentatumve, ſeditioſorum & pernitioſorum ciuium duces reliquerunt: vlciſcente Regem numine, quod in Regem Balearem affinem iniurius fuiſſet.

SEDITIO VALENTIÆ.

*Surita lib.* 3. In pacificandis iis diſcordiis, cum Guidonem Abbatem mors præmatura oppreſiſſet, Clemens Pontifex Berengarium Abbatem monaſterij Arularum Ordinis Cluniacenſis Diœceſis Elnenſ. ad reliquum negotij conficiendum, 16. Calend. Decemb. Nuncium ſubmiſit: quod ſciret Regem victorem, Valentiam in poteſtatem receptam, à fundamentis euertere, aratro more hoſtili proſcindere, ſale ſuper ſeminare, & neminem viuum velle relinquere, in vltionem ſeditionis excitæ, *Epiſt. Clem.*

XXX. ALIÆ CLEM. RES GESTÆ.

Eodem anno Clemens Pontifex I. ad reformandam Cleri Vaſconiæ, per bella diuturna neglectam Eccleſiaſticam diſciplinam, Amaneuum Archiepiſcopum Burdegallenſem deſtinauit, vtque ei in tam ſancto negotio, Cadurcenſis & Vaſatenſ. Epiſcopi, nec non Seneſchallus Vaſconiæ, præſto eſſent, admonuit *Epiſt.* 15. *Cal. Iul.* 2. Pariſienſi & Conſtantienſi Epiſcopis, & Abbati maioris Monaſterij Turonenſ. vt in in Gerardum de Vlmis Canonicum Meldenſem, ſedis Apoſtolicæ Capellanum, Si Rex Philippus falſi & proditionis criminum illum conuiciſſet, ex præſcripto canonum animaduerterent: vel etiam ſi is innocentem ſeſe probaſſet, à calumnia liberarent, poteſtatem fecit *ep.* 13. *Cal. Iun.* 3. Stephano Archiepiſcopo Beneuentano, vt Ioannam Siciliæ Reginam, ad reſtitutionem dotalium rerum, nec non pecuniarum debitarum Mariæ relictæ Caroli Ducis Dyrrachij, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compelleret, commiſit, *Epiſt. 6. Calend. Septembr.* 4. Ioannem de Piſtorio Decanum Eccleſiæ S. Saluatoris Traiectenſ. ſedis Apoſtolicæ Capellanum, ad Ludouicum Regem, & Eliſabetham ac Ioannam Reginas Hungariæ: & cum is neque Regem conuenire, neque apud Reginas quicquam operæ pretium facere potuerit: Leonardum de Tocco nobilem equitem Neapolitanum, ad eoſdem, pro liberatione Roberti dicti Imperatoris Cõſtantinopolitani ablegauit: quodque in Vngariam non ſineretur penetrare, Mariæ Roberti vxori ſignificauit. *Epiſt. 2. Id. Septembr.* 5. Prioribus FF. Prædicatorum, & Miniſtris FF. Minorum Prouinciæ Vngariæ, vt ad prædicandam fidem Catholicam Cumanis, & aliis populis infidelibus intra fines Regni Vngariæ conſtitutis, viros doctrina, eloquentia, & morum integritate præſtantes ſubmitterent, delegauit. *Epiſt. 2. Cal. Iun.* 6. Superioribus menſibus, partam à Claſſe Vnionis, de Turcis victoriam, quod illi centum & XVIII. nauigia hoſtilia partim demerſiſſent, partim intercepiſſent, exercitumque vniuerſum, cœſo Marbaſano Turco Duce profligaſſent, datis Archiepiſc. Smirn. & Nobili viro Barnabæ de Parma Domicillo Parmen. & Capitaneo Comitatus Smirn. literis gratulatus eſt: eoſdem vt in perſequendis inimicis Crucis Chriſti perſeuerarent, neque vlla ratione pactorum aut pacis tranſactione, caſtrum Smirnenſ. (quod Turcæ in pacta referri poſtulabant) demoliri patiantur, admonuit. *Epiſt. 16. Calend. Septembr.* 7. Petrum Gordacum Rectorem Eccleſiæ Tonurgenſ. pro grauiſſimis Eccleſiæ negotiis nuntium ad Magnum Suetiæ & Noruegiæ Regem deſtinauit. *Nonis Decembris.*

XXXI. PRODIGIVM.

Hoc anno, ad diem 20. Decembris ſole orto, Auinione, ſupra Pontificium Palatium, columna ignea cœlitus demiſſa apparuit, totamque integram horam, maximo aſpicientium ſpectaculo, indidem ſuper ædes ſtetit. *Villani lib. 12. c. 119.*

XXXII. GLIRVM COPIA IN DIOECESI OSNABVRGENSI.

In diœceſi Oſnaburgenſ. in Germania, glirium ingens copia in vltionem auaritiæ per miraculum erupit. Res eſt. Benno Epiſcopus eius Eccleſiæ, anno Domini, M.LXVIII. ſtatuerat certam eleemoſynam & ſtipem dari per Epiſcopatum propter glires. Interim, quoad illa erogabatur, nunquam in illa diœceſi glires vel ratti patuerunt. Cum autem Gotfridus de Arnsburg Epiſcopus illam eleemoſynam dimiſerit, ſtatim glirium copia rediit anno Domini 1348. & Epiſcopus ille miſerabiliter vitam finiuit. *Serrarius Moguntiac. rerum libr. 4.*

XXXIII. VITA B. BERNARDI SENENS. ORD. MONTIS OLIVETI CONDITORIS.

Eodem anno 11. Calend. Septemb. B. Bernardus Senenſis, Ordinis Montis Oliueti conditor, feliciter è terris emigrauit. Ioannis nomen è Sacro fonte acceperat, natus Senis ex nobiliſſima Ptolemæa familia. A prima ætate literis humanioribus, deinde iuriſprudentiæ operam dedit: quam facultatem, publice, factus Doctor, ſumma cum laude interpretatus eſt. Cum aliquando ſemel publicam habiturus diſputationem in grauem ægritudinem oculorum incidiſſet, ſanctiſſimã virginem Deiparentem precatus eſt, vt ſi ſibi lumen, & priſtinam oculorum ſanitatem interceſſione reſtitueret, ſe ſuo famulatui relicto ſeculo perpetuo addiceret. Compos ſtatim voti factus, loco lectionis atque diſputationis grauem habuit de ſeculi huius contemptu concionem, in maxima auditorum, quibus, quæ ſibi accidiſſent narrauit, frequentia. Neque mora, promiſſionis & voti memor, rudi amictu indutus, vrbeque egreſſus, ſe in Montem Oliuetum apud Montem Ilcinum contulit. Patricius ex Patricia familia, & Ambroſius Picolomineus ambo nobiles Senenſes, eodem propoſito vitæ ſanctioris illum ſecuti ſunt. Ibi ædicula celluliſque extructis, Ordinis fundamenta iecit, facultatibus ſuis ei dicatis: aſperamque cœpit in ieiuniis, vigilijs, & orationibus vitam agere. Semel inter orandum, ſcalam ad cœlos vſque pertingentem, Angeloſque

loſque deſcendentes, monachos alba toga indutos per ſcalam ad ipſum Angelorum Regem eiuſq; Genetricem candido amictu fulgentes deducere aſpexit. Cum multi indies ad eum diſcipuli confluerent, aliqui æmuli, ſanctos viros quaſi hæretici eſſent, apud Iohannem XXII. Auinione agentem detulerunt. Accerſiuit eos ad ſe Ioannes: & ratione viuendi eorum perſpecta, ad Guidonem Aretinum Epiſcopum; in cuius diœceſi erat locus, qui innocentibus regulam præſcriberet, ſodalitatiſque inſtitutum authoritate Apoſtolica approbaret remiſit. Epiſcopus itaque, cum ſibi ſanctiſſima Deipara, ſecundum quietem, albis induta veſtibus & Angelis circumdata, habitum album & Regulam S. Benedicti ei porrigens apparuiſſet, recentemque Congregationem commendaſſet, illos inter Miſſarum ſolemnia, in Eccleſia Cathedrali, ſolemni adhibita benedictione die 21. Martij anno Domini M. CCC. XIX. habitu candido induit, eiſque Regulam S. Benedicti Abbatis præſcripſit: Congregationi autem titulum Sanctæ Mariæ Montis Oliueti, & Iohanni nomen Bernardi indidit. Reuerſi ad propria, Patricium, Bernardo primatũ detrectante, primum Congregationi Abbatem præfecerunt, quo in Domino defuncto, Ambroſium: & huic è vita ſublato Simonem, hocq; ſancte obeunte, rurſus Bernardo vel reluctandi dignitatem Abbatis Oliuetani detulerunt. Ad eam euectus nihil de vitæ aſperitate remiſit: aſſiduis vigiliis, orationibus, meditationibus, ieiuniis, aliiſq; corporis macerationibus intentus. Propagata multis in locis ea religione, cum eiuſdem confirmationem à ſede Apoſtolica obtinuiſſet, eidemque totis XXVII. ſancte præfuiſſet, Senis, dum ſuis monachis peſtilentia, quæ tunc in ea vrbe graſſabatur, infectis, propriis manibus inſeruiret, & ipſe peſte percuſſus ſpiritum Deo reddidit. *Chron. Ord. M. Oliuetani. Morigia de Origine Religionum, c 37.*

PESTE OBIIT.

XXXIV. VITA F. SYLVESTRI MONACHI CAMALDVLENS.

Eodem anno, quinto Nonas Iunij humanis rebus exemptus eſt Florentiæ, B. Syluester, Camaldulenſem Ordinem profeſſus. Is loco obſcuro vallis Sieue ignobilibus parentibus, natus, Florentiæ fulloniam exercẽs, pietatis operibus, ab auſcultatione concionum incubuit. Per id temporis B. Iordanes Piſanus inſtituti Dominicani, apud S. Mariam Nouellam Florentinis, pro concione verbum diuinum ſumma cum laude & vtilitate auditorum adeo feliciter annunciabat, vt neque templum quamuis ampliſſimum, neque platea vaſtiſſima populum confluentem capere ſuſtineret. Ab eius conſuetudine & conſilio Ventura (nam id nomen Syluestro in baptiſmate impoſitum fuerat) doctus, deliberauit omnia relinquere, & nonniſi ſalutem propriam curare: cui rei ab eo tempore magis incubuit, cum in Eccleſia S. MARTINI attentius oranti Redemptor mundi cruci confixus, totus plagis conciſus apparuit. Nam ab ea viſione in amorem DEI adeo exarſit, & tantam peccati deteſtationem concepit, vt fere nihil aliud cogitarit: illud perpetuo in ore habens: ſi DEVS intantum dilexit me, vt Filium ſuum daret pro me: quid ei dignum tam immenſo amori rependam? Et ſi ille Agnus innocens, tantum paſſus eſt pro me: quid me peccatorem par eſt pro meo peccato ſuſtinere & agere? Hæc dixit, & habitum vilem indutus, pro Venturæ Vincentij nomine ſumpto, Dino Caſtaneo eremitæ apud Vallem Marinam comitem ſe adiunxit, par illi in nuditate, ieiuniis, diſciplinis, orationibus, vigiliis, & mortificatione corporis. Aliquando tentationem grauiſſimam carnis paſſus, oratione, & vrticis quibus ſe cruentauerat, profligauit. Poſt multos in ea ſolitudine profectus ſpirituales, cum non ſibi integrum videret ſine merito obedientiæ viuere, relicto eo loco, Camaldulenſium religioni ſe dedit in Cœnobio Angelorum Florentiæ: poſtquam ad id vitæ inſtitutum, à noua viſione cœleſti animatus eſſet. Ibi nomen Syluestri adeptus, & coquinæ addictus, ingenti cum humilitate & charitate operas viliſſimas faciebat. Vidit iſtud dæmon, & inuidit: ſtatimque illum ad deſerendam vitæ rationem incitauit: recordatione ſolitudinis, in qua perpetuo orationi & ſpiritualibus exercitijs magis quam in cœnobio vacaret. Iam ad limen monaſterij in eremum reuerſurus aduenerat: cum à custode portæ, qui hominem tentationi ſuccumbere perſpexit, perſuaſus, ſeipſum puſillanimitatis redarguit, & in coquinam redux, nonniſi duas diurnas, & totidem nocturnas horas orationi & contemplationi deputauit: quod videret magis mereri charitate atque humilitate; quam deuotione. Tanta porro attentione illis horis orabat, vt ſæpius in extaſim raperetur: non ſemel autem facie ardentiſſima & quaſi inflammata videretur, quaſi demutatus in illum qui ignis eſt cœleſtis, & qui venit ignem mittere in terram. A ieiunandi pertinacia, in ægritudinem periculoſam inciderat, ex qua admirantibus medicis quaſi per miraculum euaſit: cum aliquot guttas vini dulcioris deguſtaſſet. Aliquando in contemplatione poſitus, animam Beati IACOBI GERII Camaldulenſis, ab Angelis cum gaudio in cœlum deferri aſpexit, hymnoſque tunc ab eis decantatos audiuit.

Ab officio culinæ, ad curam Refectorij, poſt quartum à profeſſione annum translatus, poſt obſonationis miniſteria, pari charitate atque demiſſione cunctis exhibita, magis temporis ad orationem nactus, diuinitus ſcientiam infuſam promeruit: adeo vt doctiſſimi etiam Theologiæ Magiſtri, ad eum conſulendum accederent. Inter hos Simon de Caſſia Auguſtinianarum profundiſſimus Theologus, ſæpius eum de rebus grauiſſimis conſuluit. Aliquis ſanctitatem Diuæ Catherinæ Martyris admiratus, auſus fuerat pertinaciter dicere: illam, ſi tempore incarnationis ſuperſtes fuiſſet, in Dei parentem, præ ſanctiſſima virgine eligendam. Ad quam blaſphemiam Syluester exhorreſcens, væſanum blatteronem temeritatis coarguit, doctiſſimiſque rationibus hæreticam illam eſſe aſſertionem demonſtrauit. Generalis Camaldulenſium inſtituti; P. Bonauentura, fere nihil ſine conſilio Syluestri decernebat: quem inter Abbates primo loco, & ſedere, & audire volebat. Namque Syluestro nihil magis in ore & corde fuerat, quam antiqui rigoris monaſticæ diſciplinæ obſeruatio: ad quam omnes paſſim, magna libertate ſermonis inuitabat. Cæterum, non minus in ſe, quam in aliis, rigidum cenſorem agebat: præcipue ab illis verbis: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis*: à quibus ſe mirari dicebat, quomodo eorum qui hæc recitarent, corda non liqueſcerent: à contemplatione benignitatis eius qui habitans in cœlis, tot argumenta beneficentiæ ſuæ hominibus demonſtrauit in terris. Quamobrem tanta illi exuberantia lachrymarum, vt ab Euangelio in templo recitando defugeret, ne hypocriſis damnaretur: tunc cum profluuium ex oculis continere non poſſet, à ſermonibus mellifluis. Tantum in abdita illa miſteriorum Dei penetrabat, tantamque dulcedinem ex intimiore cognitione arcanorum Dei concipiebat. Affluebat deinde illi ex hac meditatione, medendi omnibus hominum affectibus promptum antidotum: vt ſiue carnis, ſiue auaritiæ ſiue ſuperbiæ morbo quis, vel aliquo altero peſtilentiore laboraret, Syluester ei à promptuaria ſua penu, panaceam ex ſacra ſcriptura accommodam, tam facile, quam lubenter adhibebat. Neque tamen quicquam ſupercilij ab hac diuinæ bonitatis prærogatiua erigebat: ſed omnium ſe peccatorum maximum exiſtimans, etiam pro culpis, ea quæ omnem cenſuram effugerent, agnoſcebat, ac in omnium conſpectu, in loco Capituli, ſe ingentium criminum reum eſſe fateretur. Morituro, Saluator mundi apparuit, & tandem virtutibus excultum ad paradiſi gaudia extulit. *Ex Chron. Camaldulenſ.*

XXXV. OBITVS B. BARTHOLOMEÆ SENENS. TERTI. ORD. SERVORVM.

Hoc etiam anno in humanis eſſe deſiit Bartholomea Senenſis, tertium Ordinem Seruorum B. Virginis Mariæ profeſſa. Hæc à B. Franciſco Florentino edocta, cum religionis inſtitutum ſubiiſſet, caſtitatis votum vouit, &



inuiolabiliter obſeruauit. Conſilia, quaſi præcepta eſſent adimpleuit. Orationes ac ſacra confeſſio, fuerunt illi eloquia caſta, quæ ſemper in ore habebat. quinquagies enim in die, & totidem vicibus in nocte; Chriſtum atque Deiparentem vt remiſſionem peccatorum & mentis iubilum conſequeretur ſalutabat: piacula vero quotidie expiare conabatur: imo Sacerdotum pedibus aduoluta, quædam in quibus vix aliquid inquinationis appareret, cum lachrymis confitebatur. Ieiunia & carnis macerationes quaſi dulciſſimas epulas reputabat. Aliquando panem manducanti dæmon exprobrando; ô guloſa, quid mereris manducando, dixit. at illa in contemptum inimici magis manducauit, eumque contemptum tentationis profligauit. Eius ſancti cineres Senis in æde Seruorum B. M. Virginis miraculis clarent. Ipſius enim venerabile caput, ſuper infirmorum capita impoſitum eos à languoribus ſanat, obſeſſoſque à dæmonio eliberat. *Chronic. Ord. Seruorum.*

XXXVI. DE QVODAM NOVITIO DOMINICANO.

Ex Maioricæ quoque inſulæ quodam cænobio, aliquem nouitium Dominicanum cum Magiſtro cœlum petiiſſe hoc anno, grauiſſimi auctores prodiderunt, in hunc modum. Exhauſtis peſte cænobiis, coacti fuerant etiam pueros ad religionem recipere. Inter hos quidam ſimplicior, ante imaginem Deiparæ puerum lactantis ſæpius procumbebat, & quid quod puer non ſugeret pueriliter mirabatur. Ad triclinium inde accedens, obſonium linteolo recondebat, & puero adferens, vt comederet inuitabat. Videbatur infans ex materno gremio deſcendere, & nouitio conuiuari. donec quoque eum ad epulum cœleſte inuitaſſet, & is ſecum Magiſtrum adeſſe poſtulaſſet. *Franciſcus Diagus hiſt. Prouinciæ Aragon. Ord. Præd.*

XXXVII. VITA B. ISRAELIS FRATRIS B. BRIGIDÆ.

Eodem anno ad cœlos abiit Iſrael Summo apud Sueones genere natus, frater B. Birgittæ. Is ab infantia domeſticis creuit exemplis; in pietate & moribus non molli educatione nutritus, ſed optimis inſtitutis imbutus; ætate non ſenſu puer videbatur, vt iam tum omnibus firmum relinqueretur argumentum, qualis futura eſſet ſeges adultæ ætatis. Prauorum fugiebat conſortia, & bonos pia æmulatione ſuperare nitebatur. in B. vero Virginem præcipua ferebatur deuotione, eius patrocinio ſe ſuaque ſemper commendans. Pauperum amator fuit inſignis, quibus toto affectu ſubueniebat, & humanitatis obſequia præſtabat. Cumque iam honoribus ætas apta eſſet, & ſummos exigerent eius virtutes & in Regem ac patriam præclara merita, Nericiæ legifer proclamatus eſt; quam ille dignitatem, priuato ſtatu contentus, diu reluctando repudiauit, nec precibus vllis Regis & amicorum adduci potuit; donec reuelatione B. V. monitus, id muneris ad honorem ſui filij ipſiuſque ſpiritualis augmentum profectus ceſſurum tandem conſenſit: ac tanta adminiſtrauit authoritate ac pace, quanta à grauiſſimo viro deſiderari poterat. Ea enim illi fuit comitas, ea facilitas, ea erga omnes beneuolentia, vt ad ſe venientes benigniſſime exciperet; ea demum reuerentia, vt timeretur à malis, & coleretur à bonis: inter magnates honorabilis, inter minores humilis. Delicta rationibus, non conuitiis arguebat: in dicendo erat efficax: promptus & argutus in reſpondendo; in decernendo ſolidus, aſpectu iucundo, vt omnes ad ſe alliceret, naturali præditus prudentia, qua ex propriis ſingulos moribus diſcernebat; Dei & iuſtitiæ intuitu ſua cuique tribuens. Interea graue incubuerat Gothis & Sueonibus bellum cum Moſcouithis & Eſtonibus, Schiſmaticis Barbariſque. qua occaſione, martyrij decus adeo cor eius peruaſerat, vt pretioſam pro Chriſto mortem ſuper omnia virtutum merita peroptaret: nec deſtitit prius apud Regem inſtando, quam optata proficiſcendi potiretur licentia. Lectiſſimo igitur ſecum milite ſumpto, nauem conſcendit, & Rigam Liuoniæ Metropolim peruenit, iam iamque caſtra contra Dei & Eccleſiæ hoſtes producturus in ægritudinem incidit, ſentienſque tabernaculi ſui depoſitionem imminere; aſcendit cum aliquibus in Eccleſiam Cathedralem, ibique digito imaginis Beatiſſimæ Virginis cui templum dicatum erat, annulum quem geſtabat pretioſum impoſuit dicens: *Tu mihi Domina es, ſemperque fuiſti chariſſima, ſuper quo teſtem inuoco filium tuum, ideo me & animam meam tuæ prouidentiæ, do, dico, addico.* Mox ſacroſanctum Chriſti corpus Chriſtianæ peregrinationis viaticum ſibi popoſcit: quo autem cultu; qua veneratione, quibus pietatis & religionis ſignis non facile quiſquam diceret. Venienti Domino, quantum potuit tota mente obuiam proceſſit, etiam corpore quatenus per exhauſtas vires licuit humi ante altare poſitus, atque proſtratus cœleſti pabulo refectus; tota mente & oculis in cœlum intentis, beatam Deo animam reddidit; & vere beatam, quam etſi perſecutoris gladius non abſtulit, palma tamen martyrij non fefellit. Obiit autem anno reparatæ ſalutis 1348. Corpus eius ab vxore Ramfride in Sueciam perductum, paterno Stockholmiæ illatum fuit ſepulchro. *De eo lib. 6. Reuelat. D. Birgittæ, c. 95. & lib. 8. cap. 29. & alij nonnulli rerum Suet. Script.* qui dignitatem Regiam cum Regni corona ipſi delatam, poſtquam Rex Magnus Smeck in Noruegiam profugiſſet, conſtanter Iſraelem repudiaſſe aſſeuerant.

EIVS OBITVS.

# IESV CHRISTI
## Annus 1349.

## CLEMENTIS PAPÆ VI. ANNO 8.
## Caroli IV. Regis Roman. Anno 4.

I. SÆVA ET HORRENDA PESTIS PER EVROPAM.

PEſtis ſæuiſſima, & hoc anno, per vniuerſam graſſabatur Europam, quam ante XXX. annos Robertus Auinionenſis Dominicani Ordinis vir ſanctiſſimus prædixerat. Tam immane ſæuiebat, vt vrbes, oppida, vici, pagi, templa, agri, prouinciæ & regna protinus vacua relicta ſint. Hinc vrbes & loca culta ſic fuerant deſolata, vt neque arari, neque ſeri potuerint. Quare fere fruticibus vbique excreſcentibus, paſſim in ſyluas & lucos omnia ſuccreuerant. Ruebant domus, oppida ruinis depreſſa, templa diruta ac euerſa ob ingruentes pluuias, eo quod non eſſet qui aquas prohiberet. Viris illuſtribus exhauſta cænobia, corruerunt, religioniſq; rigor eneruatus eſt; eo quod ſuperſtites Patres, cogerentur adoleſcentulis recens receptis nonnihil indulgere; ne tædio aut odio auſteritatis, vitam religioſam relinquerent. *Leander de viris illuſtrib. Ord. Præd. in Raymundo XXIII. Generali.*

II. DE SECTA FLAGELLANTIVM ET EIVS ORIGINE MORIBVS ERRORIB. PROGRESSIBVS HABITV ET MODO QVEM IN SVPPLICATIONIBVS SVIS TENEBANT

Inter Sarracenos quoque non deſæuiit: cæterum eius rabies illorum animos adeo perculit, vt multi ad religionem Chriſtianam inde traducerentur: qui tamen cum viderent eam, non minus violenter in Chriſtianos graſſari ad veterem ſuperſtitionem rediere. *Robertus Aueſturius hiſt. Anglic.* Eius peſtis precibus auertendæ cauſa, ex Vngaria in Germaniam ſuperiorem & prouincias circumuicinas profecta eſt mala quædam & miſeranda mortalium ſecta, quæ Flagellantium dicebatur. Crucibus rubris erant ſignati à fronte, & à tergo. Vagabantur per varias claſſes. Bis ſe palam de die, ſemel de nocte clam nudos ad ſanguinem vſque flagellabant. Nemo ex illis mendicabat. Nemo in conſortium admittebatur omnino inops. Nemo niſi peccata ſua confeſſus; niſi de conſenſu ſuæ vxoris; niſi iniuriam omnem inimicis remiſiſſet. Hos adeo ſunt admirati initio Germani, vt certatim omnes vbique ad menſas ſuas inuitarent. Sed nuſquam bis pranſi ſunt, aut morati vltra diem, aut noctem vnam. Cœpit ſe illis iungere ex omni fere ordine & ætate magna hominum multitudo. In Flandria ſe illis ſociabant ſectæ

quædam nouæ, quæ Lollardi, Collani, & Beggardi vocabantur. Simul monachæ quædam, quas Lunæca appellabat ætas. Cæperunt & concionari, apud populum: ſed nec Sacerdotes, nec Euangelium, nec rem diuinam, ipſumque corpus Domini reuerebantur. Soli ſuæ fidebant inſaniæ. Aſſerebant inter alia ſua deliria, ſi quis eam flagellationem per dies XXXIII. continuaſſent, omni crimine eſſe purgatum, omnem illi pœnam & culpam remiſſam. Finxiſſe & quædam mendoſa referuntur miracula. His ſe quoque adiunxerunt in Flandris perditiſſimi quique, vt exules, fugitiui, ſeditioſi, decoctores, adulteri & adulteræ, ſcortatores, ſcorta, & qui ære alieno nimis premebantur. Fures præterea, & homicidæ, & periuri, & latrones, & per alia flagitia infames. Adeo autem populum dementauerant, vt & magni quidam Epiſcopi, & clerici eos ſequerentur. Cruces ligneas in manibus ſinguli, mares ſimul ac fœminæ mixti, ſeminudi portabant. caput caputio & pileo, pudenda vero membra lineo velamine tecti, flagellis tres in acumine nodos & aculeos habentibus ſemetipſos publice in Eccleſia & extra cruentabant. hymnum de paſſione Domini idiomate materno conceptum, & carmina quædam Chriſtianæ fidei vt plurimum vel contraria, vel ſuſpecta, proceſſionaliter incedentes cantabant; ſæpiuſque ſe in formam crucis proſternentes orabant. pœnitentiam ſine arbitrio Sacerdotis ſibi ipſi imponebant.

Eodem anno Londinum ex Holandia, Selandia, & aliis locis aliqui eorum penetrarunt. Inferiores corporis partes linteis paruis tegebant, cætera nudi: capillos vero capitis habebant ante & retro cruce rubea inſignitos. Singuli manibus gerebant ſingula flagella, ex tribus cordulis contexta, quas ſingulas nodus exaſperabat, cui & aculei infixi erant. Hi alias in Diui Pauli templo, alias alibi, quaſi ſupplicationes obeuntes, totum corpus flagris nunc flendo, nunc canendo cruentabant. Quatuor vero in cantione præeuntes, reliqui eandem repetentes ſubſequebantur. In illis vero ſupplicationibus, humi ſe, manibus ad crucis figuram conformatis proſternebant; quilibet vero ſocium iacentem canentemque tranſiliens vnico flagelli ictu cecidit. Induebant poſtea veſtes, & hoſpitia repetebant: ſed nec Cruces de capillis, nec flagella de manibus interim remittebant. Hæc diſciplinæ ratio, quod priuata auctoritate, inconſulto Romano Pontifice inuenta, ac præterea multis erroribus referta eſſet, Clementi diſplicuit. *Robertus Anesburius hiſt. Anglic.* Gaulterus Annonæenſis eos cum Caluinianis huncin modum componebat.

A. III. ERRORES IPSORVM ERRORIBVS CALVINISTARVM CŌPARANTVR.

I. Flagellantium dolus imprimis erat, multa crimina ac mendacia fucolo pietatis ac mortificationis vultu contegere; præſertim virgis ſeac flagellis interpoſita nodorum aculeorumque ſerie conſperſis verberare; idque maioris eſſe ad delenda quæuis peccata efficacitatis, quam vllam Confeſſionem aſſerere. Aſtutum ſane Diaboli ſtratagema, ad auocandam à Sacramento pœnitentiæ inſanorum illorum cogitationem. At longe eſt aptior ad promouendam carnis libertatem Caluinianorum & reliquorum Nouatorum diſciplina, quibus non minus moleſtum eſt vlla verberatione auſteritateue corpus ſubigere, quam ſalutari confeſſione animum demittere; ſibi nimirum perſuadentibus ſe per fidem ſuam ſolam de ſalute certos planeque ſecuros exiſtere.

B. II. Suam flagellationem putabant Flagellantes Martyrio æquiparandam eſſe, imo & præferendam; quod ſua ſponte (aiebant) ſuum ipſi ſanguinem effunderent; Martyres vero nonniſi vi externa compellente. Longe altius prætentam ſuam fidem euehit Euangelium Geneuenſe, quando illam non omnibus tantum operibus ac tolerantiis, ſed etiam omnibus Sacramentis anteponit: hinc videlicet prædicans hominem ſola fide iuſtificari, abſque operum ſuorum etiam ſpiritualium ſubſidio; illinc vero Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramenta nullam habere vim iuſtitiæ aut gratiæ conferendæ.

C. III. Docebant aquæ benedictæ non plus ineſſe virtutis ac roboris, quam ei quæ nullam benedictionem, nullumque exorciſmum accepit. Idem in ore habent Caluiniſtæ, & alij Nouatores.

D. IV. Baptiſmum aquæ terminatum eſſe, & cum baptiſmo ſanguinis commutatum. Si Baptiſmum non plane terminat ac tollit Caluiniſmus, quod ad vſum ſpectat; ſecundum fidem tamen deterius quid molitur. Etenim dum ſuam illi efficacitatem eripit, & quidem à prima eius inſtitutione, tum illum cum figuratiuo Ioannis baptiſmate confundendo, tum nullam illi prærogatiuæ particulam in Sacramenta veteris legis relinquendo; perinde haud dubie facit, ac ſi inefficacem inutilemque perpetuo fuiſſe affirmaret. Quod mendacium Chriſto Domino nihilominus iniurioſum ignominioſumque eſt, quam ſi quis omnino abnueret Baptiſmum à CHRISTO fuiſſe vmquam inſtitutum.

E. V. Neminem poſſe vel ſaluum, vel verum Chriſtianum eſſe, niſi ſuo ſanguine per verberum ictus baptizetur. Inſania hæc erat, dicent Nouatores; fateor. Sed hos velim attente maturoque iudicio perpendere, ſitne minus à ratione alienum, ſibi cum Caluino perſuadere, ſatis homini eſſe ad iuſtificationem & ſalutem, ſi ſe iuſtificatum ac ſaluum credat? Certo enim certius, dummodo omnem inordinatum affectum anticipatamque ſententiam caueant, ſomnium æque illic chimericum animaduerterent, ac ſi in mentem ſibi inducerent, credendo ſe eſſe diuites, Reges, Imperatores aut principes, ſe ſtatim hac ipſa credulitate vere ac reipſa diuites, Reges, Imperatores ac principes euaſuros.

F. VI. Iam ab ipſorum Flagellantium aduentu, Euangelium ad exitum perueniſſe. Hæc fabula non magis ridicula eſt, quam Caluiniſtarum deliratio, qui in aduerſo poſiti extremo, dicere in ſui Catechiſmi principio non erubeſcunt, ante ſuum aduentum, Eccleſiam fuiſſe omnino corruptam.

G. VII. Cenſebant Flagellantes licitum eſſe periurium; vetus illud Priſcillianiſtarum dictum crebro ſermone vſurpantes.

*Iura, periura, ſecretum prodere noli.*

Si vlli vmquam hæretici fuere arcani ac clandeſtini, id de Caluiniacis aſſerendum eſt quippe qui ſuis Conſiſtoriis priuatis (ad quæ nonniſi Miniſtris ac quindecim ſexdecimue Senioribus diu multumque probatis, & Caluiniſticæ cabalæ apprime addictis patet aditus) minime contenti, habent inſuper alia arctiora ſecretioraque & occultiora Conſiſtoria peſtilentioribus ſtratagematis deſtinata, ad quæ non introducunt Miniſtri, niſi quatuor aut quinque conſcios, quos tetriore Caluiniſmi ſui nigrore ſuffuſos norunt. Quod periurium attinet, haud facile nobis in mentem inducent Miniſtri ſua illa vſque adeo clauſa conſilia periurij eſſe expertia; tum quia palam prædicant vota Deo nuncupata (quæ nemo neſcit ſanctiora eſſe ac diuiniora iureiurando hominibus dato) violari poſſe ac debere; tum quia vniuerſe docent, impoſſibilem eſſe diuinæ legis obſeruationem; quam tamen ſpondent in baptiſmatis ſuſceptione. Hæc Gualtherus in Chronolog.

H. Cruces præferebant; quas Caluiniani execrantur. Peccata confitebantur: cæterum Caluiniſtæ confeſſionem nec audire neque ſuſtinere poſſunt. Proſtrati in terram orabant; quod Nouatores exſibilant: in hoc eis pares, quod carmina materno idiomate etiam hi concipiunt, hæreſibus & blaſphemiis refertiſſima. Clemens Pontifex eam profanorum væſaniam, auctoritate Apoſtolica compeſcuit, edita *Conſtitutione numero* 105. contra hæreticos Flagellatos. *Annal. Fland. libr. 13. Magnum Chron. Belgic. Chron. Hirſaugien. Thomas Valſing.* HÆC SECTA A CLEM. PP. CORRECTA





*de reb. Anglicanis. Nauclerus generat. 47. Prateolus de ſectis hæretic.*

IV. IVBILÆVM ANNI L. INDICIT CLEMENS.

Cæterum, vt puriore, certioreque diuinitatis cultu, maieſtatem ſupremam populo conciliaret Clemens, Sacrum Iubilęum à centeſimo ad quinquageſimum annum, propter grauiſſimas cauſas contractum, in annum ſubſequentem 1350. ad Calendas Ianuarias indixit; & cum Annibaldo Ceccano Cardinali Legato quattuor exempla, quorum vnum ad Principes Apoſtolorum Vaticanam Baſilicam, alterum ad Lateranenſe Patriarchium, tertium ad Diui Pauli ampliſſimas ædes affigeret, quartum vero apud ſe haberet, Romam miſit, tum vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis publicationem eiuſdem Iubilæi commiſit, datis literis hoc anno ad *IV. Idus Aprilis. num.* 241. & aliis ad XV. Calend. Septembr.

V. SANGVINIS PROFLVVIVM ET SACER IGNIS SÆVIVNT IN ORBE.

Præter peſtilentiam, duobus aliis grauiſſimis morbis vniuerſi mortales præſertim in Germania conflictabantur. Sanguinis profluuium, hominum ingentem multitudinem inaudito genere cruciatus abſumebat. Sacri etiam ignis aduſtio, tanta immanitate ſæuiebat, vt quēcunque inuaſiſſet, mox carnem vſq; ad oſſa penitus cōſumeret; nec viuis tantum infeſta, ſed etiam mortuorū inuadens cadauera inſepulta, carnes antequam ſepeliri potuiſſent eroderet, neque niſi nuda oſſa relinqueret, *Chron. Sponheimen.* Itaque ad has præcipue calamitates leuandas, Clemens Pontifex iubilæi celebrationem indixit, vt populus frequens ad limina Apoſtolorum confluens, per veram peccatorum expiationem, diuinam miſericordiam imploraret; quo tandem his calamitatibus finem aliquando Deus imponeret. Premebatur præter hæc Germania & Italia bellis ciuilibus, Hiſpania vero arma Maurica metuebat.

VII. REBELLES IMP. CAROL. INQVIETANT ET MOGVNTINI AD OBEDIENT. SED AP. REDIRE CVPIVNT.

In Germania Guntherus Comes Suarzenburgius, Ludouicus Marchio Brandeburgenſis, Ludouici Bauari filius, cum Henrico ex Antiſtite Moguntino, & nonnullis aliis proceribus hoc anno inquietus, Carolo Regi Romanorum negotium de poſſeſſione Regni faceſſebat. Vtrumque cum multis aliis, & cum nepote Bauari, quod Carolus citra effuſionem ſanguinis in poteſtatem redegiſſet, Clemens ei Pontifex datis litteris gratulatus eſt. Quod autem Carolus deſignaret, Ludouicum interceptum Sedi Apoſtolicæ Auinionem tranſmittere; iſtud Clemens interdixit; & apud Carolum detineri voluit: quod exiſtimaret illi profuturum ad reliqua Imperii negotia expedienda. Dedit ea de re litteras XIV. Cal. Iun. ad Carolum Pōtif. anno VIII. Quod vero Moguntina ciuitas ad obediētiam Apoſtolicæ Sedis reuerti vellet, ſumma cum voluptate ex litteris manu propria Caroli ſcriptis intellexit, Caroloque iniunxit, vt auctor ciuibus eſſe vellet, qui Procuratores Auinionem ad tranſigendum cum Romana Eccleſia deſtinarent: quo tandem reconciliari poſſent Matri omnium Eccleſiarum. Poſtulabant Moguntini à cenſuris propter communionem Bauari prolatis abſolui. Cæterum quod Carolus nihil de formula abſolutionis à Ioāne XXII. præſcripta iuxta quam omnes principes Sacramentum dicentes exſoluebantur: an in integrum obſeruari deberet: eam ob rem Clemens Carolum, vt aliquem ex ſuis familiaribus Auinionem, quo cum de toto negotio cōferret, admonuit. datis litteris VII. Idus Iunii huius anni. Aquenſes etiam frequentibus diris coacti, reditum ad Eccleſiam cogitabant. Itaque Clemens Archiepiſcopo Treuerenſ. Epiſcopo Aquenſi & Præpoſito Pragenſi, vt interdictum Eccleſiaſticum in ea ciuitate tantiſper ſuſpenderent, quoad illi perfecte reconciliarentur Romanæ Sedi, poteſtatem fecit; iſtudque Carolo Regi ſignificauit. Quod autem Carolus Eccleſiam Vratiſlanienſem, Praganæ poſtulabat adiungi: id Clemens Pōtifex aperte negauit, quod Caſimirus Rex Poloniæ, titulo iurispatronatus eam Eccleſiam Gneſnenſi Metropoli perpetuo adiunctam, inque poteſtate Regum Poloniæ perpetuo eſſe oſtenderit. *epiſt. Clement. pagina* 141. *huius anni.*

VIII STATVS RERVM SICILIÆ ET NEAPOLIS POST PANNONII DISCESSVM.

Ludouicus Pannoniæ Rex, Robertum dictum Imperatorem Conſtantinopolitanum, & alios principes Regios necdum dimiſerat. Itaque Clemens, Ioannem inprimis Capraſinum Canonicum Cameracenſ. cum Nobili viro Guillelmo Quinando, *Idibus Februarii datis* Auinione Regi, Prælatis, ac omnibus principibus Vngariæ litteris miſit: deinde Guidoni Cardinali Portuenſi Apoſtolicæ Sedis Legato iniunxit, vt eorum liberationem procuraret. cum etiam ad interceſſionem illius, Philippus Rex Galliarum, Petrus & Iacobus Duces Borbonii Ludouico pro libertate eorum ſcripſiſſent: & Carolus Rex Romanorum, poſtulante eodem Clemente, omnia pro euinculandis illis apud Ludouicum tentaſſet. Roberti cauſam vt magis faciliorem redderet Clemens, eum in clientelam Sedis Apoſtolicæ ſuſcepit, *epiſt.* 110. Vt autem in Italia per adminiſtros Ludouici Lupos, motus excitatos compeſceret, & ius ad Regnum Siciliæ non tam Ludouico Tarentino, & Ioannæ Reginæ quam Eccleſiæ Romanæ ſtabiliret, Annibaldum Ceccanum Legatum Neapolim ire iuſſit. qui cum fruſtra Conradum Lupum ad concordiam ineundam inuitaſſet, animos militum Germanorum datis CXX. millibus nummum aureorum fregit: vt hi recepta pecunia in Germaniam reuerterint, & Conrado Lupo neceſſitatem in Apuliam ſecedendi attulerint. His abeuntibus, facile Capua, Auerſa, & aliis vrbibus, Ludouicus potitus eſt: cum Pannonii & Germani præſidiarii eas deſeruiſſent. Impoſitis recentibus præſidiis Ludouicus Tarentinus, eos qui nouandis rebus ſtuduerant ſecuri percuſſit; & inter hos Franciſcū Baucium Auellini Comitem vltimo ſupplicio affecit, quod fugientem in Gallias Ioannam Reginam indigne habuerat, & vni ex nepotibus ſuis in triremi vim intulerat: ſcilicet Margaritam Roberti & Philippi Principum Tarentinorum ſororem, inuitis principibus per vim ſibi deſponderat. Sunt qui affirment, Ludouicum primo diſſimulaſſe, & non tantum culpam ignouiſſe, verum etiam titulo Ducis Andriæ Franciſcum exornaſſe, cum is ſupplicis in modum errorem deprecatus fuiſſet. Iſta pleraque *Sumont. hiſtor. Neapol. libr. 3.* affirmabat. Certiora ſunt, quæ ex litteris Clementis Pontificis, Guidoni tituli S. Cæciliæ, Apoſtolicæ Sedis Legato Cardinali, ad XVI. Calend. Septembr. hoc anno datis, habentur.

*Guido Legatus, tandem, inducias inter* **Ludouicum** *Pannonium & Reginam Ioannam ſtabiliuerat. Ludouicus porro, conditiones infraſcriptas proponebat: & ad ſingulas ex ſcheda Regia oblata, Pontifex reponebat.*

1. *Induciæ ab Ioanna & Tarentino ſeruarentur. Reſpondit Clemens, ſe iam iſtud Annibaldo Epiſcopo Tuſculano ſcripſiſſe, velleq; modis omnibus curare, ne ab illis violarentur.*

2. *Maria relicta Caroli Dyrachii, aut vna ex filiabus ſuis, Stephano Principi Tranſyluaniæ, cum dote Regni Siciliæ, in matrimonium, ſoluta canonibus, collocaretur. Reſpondit Clemens, ſe nihil magis cupere, perq; Sedem Apoſtolicam licere, vt noua affinitate iungerentur. Cæterum quod Regni poſſeſſionem attineret, ſe nihil poſſe in præſentiarum præſcribere: quod Ioanna in manib. Aymerici Cardinalis Legati, fidelitatis & homagii S.R.E. Sacramēto dicto, nondum poſſeſſione regni Siciliæ excidiſſet: neq; ante ſententiam definitiuam priuari ea poſſeſſione debeat, tum quod neq; ſceleris adhuc conuicta eſſet, neq; deceret executionem ante ſententiam præcedere. Quod ſi etiam mortis Andreæ conuicta foret, & ea propter regni poſſeſſione excidere merito deberet: nondū ſit exploratum, aut demonſtratum, an Mariæ vel eius filiabus, an vero Eccleſiæ Romanæ poſſeſſio Regni conueniret.*

3. *Inquiſitio & actio de nece Andreæ, aduerſus Ioannam ne intermitteretur. Reſpondit Clemēs: id quod erat ſui officii feciſſe, & tum Ioannæ, tum Ludouico Tarentino, diem, miſſo Stephano Arelatenſi Archiepiſc. Sedis Apoſtolicæ Camerario, ad dicēdam perſonaliter cauſam dixiſſe. Verumtamen illos inſalutato Pontifice, Auinione diſceſſiſſe: nec niſi ad excuſandam diſceſſionē procuratorem reliquiſſe: qui diceret, neceſſitate coactos iter arripuiſſe; quod ipſe Ludouicus Rex, regnū prępoſtere inuaſiſſet, mi-*

*ſcuiſſet & vſurpaſſet: adeoq; neceſſitatē vtriq; impoſuiſſet vt reuerterentur ad iniuriam propulſandam. Quod vero proſecutionē cauſæ attineret, ſe necquicquam decernere poſſe; quod proceſſum à Bertrando Baucio Comite Montis caueoſi à Regibus detētum, necdum haberet: & Bertrandus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, Guillelmus tituli S. Stephani in Cœlio Monte, presbyter, atque Galhardus tituli S. Luciæ in Silice Diaconus, Cardinales Commiſſarii, necdum quicquam certi inueſtigaſſent.*

*4. Omnia in Regno Siciliæ, à Ludou. conquiſita, vrbes, ciuitates, oppida, caſtra, & oppida Summo pontifici aſſignaret. Iſtud porro vt faceret Ludouicus, Clemens ei præcepit. quamquam factum dillaudauit, quod Ioannem, quamuis contumacem, arreſto quod vocant, grauare voluerit.*

*5. CC. Millia nummum in ſumptus belli reponi, tum Principatum Salernitanū & honorem Montis S. Angeli, in titulum fiduciarii iuris concedi: vel ſi Ioanna iure Regni excideret, etiam vniuerſum Siciliæ Regnum, ſub cenſu annuo ſibi à Sede Apoſtolica deſignari volebat. Clemens porro, primum & ſecundum, ſine cōſcientia Ioannæ ſe poſſe concedere negabat: in reliquo autem ſpem ei nonnullam, ſi Ioanna damnaretur, oſtendebat.*

*6. Pollicebatur Ludouicus, ſi Ioanna vel contumaciæ damnaretur, vel induciis ſtare vellet, exercitum abſq; vllo damno S. R. E. & Regni, extra Regnum educere, & principes Regios captiuos dimittere: ſi tamen ille quoq; à cenſuris & pœnis propter inuaſionem Regni Siciliæ in eum promulgatis, exſolueretur. Reſpōdit Clemens id ſibi gratiſſimum fore: poteſtatemq; abſoluendi illum & ſocios Legato feciſſe: dummodo damnum paſſis ſatisfieret, & iureiurando ſuper Sacroſanctæ Euangelia concepto ſeſe aſtringeret, non amplius Regnum Siciliæ inuadere aut occupare.*

Interim non deerant, qui Ludouicum Regem à victoria inſolentem, ad reuertendum perurgerent; & is vt in officio illos contineret, ad XV. diem Octob. ſe affuturū promitteret: idq; data Syngrapha Procerib. aſſeueraret. Quamquam a. ſciret Pontifex vel crederet, illū aduerſus tranſacta non facturū; Annibaldo tamen Cardinali commiſit, qui Ioannem & Ludouicum moneret, vt caſtra recuperata præſidiis munirent, neq; iniuriæ hoſtili exponerent. Dedit ea de re litteras *apud villā nouam XIV. Cal. Octob.* Cæterum quia tutius exiſtimabat, illa omnia Regni Neapolitani bona, poſſe Regis iniuriā euadere, ſi in manib. Rom. Eccl. eſſent, ſcripſit Ioannæ Reginæ, vt Regnum vniuerſum, eius adminiſtrationem, in manus Sedis Apoſtolicæ, Romani Pontificis, vel alterius perſonæ, ſibi & marito ſuo Ludouico non ſuſpectæ, interim quoad totum negotium inter eam & Ludouicum Pannonium componeretur, deponeret. dat. indidem litteris ad *X. Cal. Octob.*

IX. MOTVS IN CAMPANIA ORITVROS ANTEVERTERE STVDET.

Reynaldum Vrſinum, Fundis per id temporis apud ſororem afflictam hærentē, Ioannes & Bellus Caietani fratres, ſuaſu Thomæ Ceccani fratris Annibaldi Cardinalis Legati, nocte concubia inuaſerant, & è lectulo raptum in captiuitatem abduxerant. Ingentes motus in Campania vniuerſa, ab hoc auſu metuebantur; quod Vrſinus clientelis potens eſſet, & multa apud Ludouicū & Ioannam authoritate polleret. Itaq; Clemens cum Annibaldum Cardinalem officii admonuiſſet, Neapoleoni Thibertino Priori Domus Venetiarū S. Ioannis Hieroſolymitani, Rectori Campaniæ, & Thomæ Ceccano præcepit, vt Reynaldum à carceribus quamprimum liberarent. *epiſt. dat. Auinione VI. Idus Februarii.*

X. VICTORIÆ CHRISTIANORUM IN ORIENTE CONTRA TVRCAS.

Præerat tunc Campaniæ & maritimæ prouinciis pro Sede Apoſtolica Neapoleon. Piceno autem & vniuerſæ Marchiæ Anconitanæ, Ioan. Riuarius Prior Romanus; Ducatui vero Spoletano & Vmbriæ Amerigus Peſtellus cum Rambaldo Mombrione Commendatore Montis belli militiæ Rhodianæ: quæ tum temporis in Oriente aduerſus Turcas victoriis felix, Calabim rerū apud Saracenos potentē eo adegerat, vt is Legatos Auenionem ad Clementem Pontificem miſerit, ad inducias belli poſtulandas, & ad pacis conditiones ſtabiliendas.

DELIBERATIO SVPER LEGATIONE TVRCARVM AVINIONEM AD PONT. MISSA.

Non poterat quicquam Clemens, ea in re, ſine Hugone Rege Cyprio, ac Duce & Senatu Veneto, cęteriſq; ſacræ vnionis cōfœderatis Principibus decernere. Itaque, quanquā ex cōſilio Sacri Senatus, ad probanda pacta conuenta inclinaret Clemens, maxime quod & anguſtia rei pecuniariæ in ſubſidia laboraret, & celebrando iubileo omnia poſthabenda Patres exiſtimarent, Principib. tamen ſacri fœderis de tota re ſignificauit: & quid ipſi quoq; ex occaſione faciēdū eſſe arbitrarētur requiſiuit. Interim tamen Rhodiis militibus, vt à bello abſtinerent, tātiſper donec ex voto confœderatorū de vniuerſo negotio decerneretur præcepit: quod etiam Calabis in ſe recepiſſet ſuos in officio continere, & nouam legationem ad Maias Calendas Auinionem pro dirimendo bello deſtinare. *Boſius hiſtor. Rhodianæ lib. 2.*

XI.

Tantum metus, confœderati incuſſerant barbaris in Oriente, vt etiā Mauri, qui in Hiſpaniis aduerſus Chriſtianos bellum pro defenſione ſuorum ſuſceperant, cū mortuo per id temporis Alfonſo Rege Caſtellæ, Chriſtiani diſcederent, illos non fuerint perſecuti: quod metuerent, ne quicquam impedimenti præſtarēt, quominus inter Calabim & fœderatos principes pax coaleſceret. Namq; hoc anno Mauricis rebus in Africa per ciuiles diſcordias turbatis, ſuam occaſionē Chriſtiani Hiſpaniarū facere cupientes, Heracleā obſederant. Ingenti tunc extirpandæ inimicæ gentis cupiditate Alfonſus Rex æſtuabat. Sacramēti religio opponebatur, qua decem annorū induciæ, Romano Pontifice permittente, cū Mauris firmatæ erāt: ſed Principis mutatione, quaſi diminutione capitis exſoluta eſſe, prudentiorib. videbatur. Namq; Abohanenus patris Albohaceni Imperio repudiato, Phutenſe regnum in Africa, in Hiſpania Heracleā, Arundā, & quidquid Afris reliquū in eo tractu erat, armis prę̨ſidiiſq; occupauerat, perfido pro more gētis ingenio, paternaq; iura contemptui habens prę cupiditate imperādi, nihilo cautior fraternæ cladis exēplo. Patris ignauia cū magno dedecore nominis Maurici, priores calamitates acceptas eſſe accuſabat. Si ſe duce conſiderent, iniurias vlturū. Ad eas voces vulgus nouarū rerū auidū, vitio humanæ naturæ, futuræ præſentib. commodiora fore ſperabat: quæ leuitas maxime Afrorū genti innata eſt. Ab iſta principis mutatione, rebus omnib. inuerſis, belli inſtaurandi ardor Alfonſum inſtigabat, expugnandiq; Heracleam, cuius munitio Chriſtianorū conatib. quaſi frænos iniiciebat, cupido eum habebat. Pecuniæ conquiſitio nonnihil ſolicitudinis iniecerat Alfonſo: quam tamen ei exemerat indulgentia Clementis Pontificis, à qua decimationem omnium fructuum Eccleſiaſticorū in ſumptis belli Maurici impetrauerat; cum etiā Complutum in Carpetanis prouincialibus omnibus euocatis, ſubſidia imperaſſet.

ALPHONSVS CASTELLÆ REX AD BELLVM MAVRICVM ET HERACLEÆ RECVPERATIONEM SE PRÆPARAT.

Enituit tūc in eo Comitio ſolers prudentia Regis Alfonſi, in dirimenda quadā controuerſia. Toletani ciues ad conuentū venientes, proximū honoris & auctoritatis locum deberi ſibi diſputabant: at Burgenſes magno animo reſiſtebant, poſſeſſione melioris, ancipiti cauſa. Ab illis ciuitatis amplitudo, vetuſtas, nobilitas, tēpli celeberrimi ſanctitas, Prę̨ſulis, qui cęteris p Hiſpaniā Epiſcopis iura daret maieſtas, pclara maiorū facta ad victoriæ argumentū vertebātur: Gotthorū tēpore Regiā vrbē fuiſſe: recenti memoria Imperii titulo auctā. Iniquū videri, q̄ Diui homineſq; prætuliſſent, ipſaq; natura loci in vmbilico Hiſpanię, lociſq; maxime editis, vnde diuortia aquarū ſint poſita, ea de dignitate cuiq̄ vrbi concedere; atq; ea maxime de cauſa ad conuentū euocatā videri, vt ludibrio omnib. eſſet. Quod Burgenſes poſtularent, eodē ſe iure reliquas ciuitates tueri poſſe, poſtremūq; ipſi locū idq; præcario relinquere: cauſam cōmunē omnium eſſe, Toletiq; ignominia vniuerſę Hiſpanię dedecus cōtineri. Ad hæc Burgēſes Caſtellę ſe pręrogatiua tueri, vbi principē ipſi locū obtinerēt: antiquiſſimæ poſſeſſionis iura pferre, cōtra quæ exoleta vetuſtate exempla nihil valerēt. Si de honore certandū ſit, vnde inſtaurandæ religionis principiū? vnde Mauricę gentis pfligandæ ſpes factæ? Eo merito, Regum priorū domicilium fuiſſe. æquum non eſſe in pace eripi, quem armis multoq; ſuorum ſanguine honoris gradum tenuiſſent: teque Rege, à maioribus tuis data priuilegia, nulla

SOLERS PRVDENTIA ALPHONSI REG. IN DIRIMENDA QVADAM CŌTROVERSIA.





idonea cauſa abrogari. Proceres in ea cauſa di ducti in partes; vt quiſque propinquitate aut alia neceſſitudine alterutram ciuitatem attingebat. Diſceptata controuerſia conuenit tandem, vti Burgenſibus honoris locus, & primi ſuffragii ius relinqueretur: Toletani ſede diſcreta à cæteris ex aduerſum Regis poſita priores nominarētur, Rege prudentiſſimo ad hunc modum pronunciante: Quod ego iuſſero, Toletum faciet: idque eius nomine dico. Burgenſes loquantur. Ea arte, eoque temperamento, contentio in præſenti ſedata: quod ad noſtram ætatem perpetuo more conſeruatum eſt. Hinc nouum vectigal conſtitutum, lectæ copiæ, caſtra Heracleæ admota necquicquam operæ factum; quod & Mauri Granatenſes incurſarent & carperent diſpalatos; deinde obſeſſi erumperent, & Chriſtianos vellicarent: quod peſtis lues repente in caſtris vulgata opem Mauris attuliſſet, Chriſtianorumque rationes conturbaſſet. Multos in dies morbi contagio abſumebat. prior alacritas, metu, luctu, & mœrore mutata. Magnam rerū humanarum inconſtantiam. Plures auctores diſcedendi erant: auerſantibus ſuperis, alieno anni tempore, conatus fore exitiales. poſtremo neceſſitati cedendum. Furori proximum fore contra ſpem in exitium ruere. Ad has Rex voces commoueri quidem videbatur: cæterum oppidi capiendi, quod ſe Rege amiſſum erat, cupiditas retardabat: & præteriti temporis felicitas, qua ſæpe proſpere auſus erat, animos addebat. Strenuos etiam contra fortunam niti dictitabat; ignauos ad deſperationem formidine feſtinare. Si vitæ exitus appropinquaret, nullibi honeſtius quam in caſtris moriendum homini à prima ætate enutrito in armis, Regique in ipſo conatu Chriſtiani nominis amplificandi.

XII. OBITVS ALPHONSI XI. REGIS CASTELLÆ IN OBSIDIONE HERACLEÆ. OBITVS QVOQVE PHILIPPI REG. GALLIÆ.

Ea conſtantia ſiue obſtinatio Alfonſo exitialis fuit. Glandula enata deceſſit, Martii 26. die, ſalutis anno 1350. qui annus Clementis Pontificis conſtitutione ſæcularis fuit; inſignis etiam obitu Philippi Regis Galliæ, cui Ioannes filius ſucceſſit, excelſo generoſoque Rex animo, minime omnium ſimulator, nobilis ſua & regni Gallici calamitate. Hunc vitæ finem Alfonſus Caſtellæ Rex eo nomine XI. octauo & trigeſimo ætatis anno habuit: ſi vita longior contigiſſet, Maurorum reliquias exciſurus in Hiſpania, magniſque Principibus comparandus, rerum geſtarum magnitudine, ſcientia militari, ciuili prudentia. Vna domeſtica incontinentia ad reliquarum virtutum iniuriam non leuem acceſſit. Vindicis nomen iuſtitiæ amor ad populum conciliauit, aliquando fortaſſe nimius. Extincti Regis corpus obſidione ſoluta, Hiſpalim relatum, & in Regum ſacello conditum: inde Cordubæ, vti moriens cauerat teſtamento, Henrico eius filio Rege. Obſeſſi barbari, virtutem etiam in hoſte admirati, Regemque periiſſe dictitantes, cui ſimilis in terris nullus ſupereſſet, & ſatis magnum fructum arbitrati, metu eſſe liberatos, Chriſtianos diſcedentes perſecuti non ſunt. *Mariana de reb. Hiſpan. lib. 16. cap. 15.*

XIII. MITTVNTVR A CLEM. DIVERSI NVNCII APOST. AD IMPP. GRÆC. PRO NEGOTIO VNIONIS ECCLESIARVM.

Cum hæc in Occidente & in Oriente aduerſus Saracenos agerentur, non intermiſit Clemens apud Imperatores Græcorum negotium vnionis Eccleſiarum curare. Miſerat Ioannes Cantacuzenus, & Ioannes Palæologus Leonardum Bartholomæum genere Anconitanum ciuem Conſtantinopolitanum, ad Clementem, qui ſolita ſubſidia à Sede Apoſtolica, & indictionem Concilii pro toto negotio vnionis conficiendo poſtularet. Audiuit lubens, & binas Imperatorum litteras datas legit, quidue flagitaret intellexit. Vtq; aſpirantibus ad vnitatem manum porrigeret, internuncios Guilhelmum Chiſſamenſem & Giſbertum Cenetenſem Epiſcopos, Conſtantinopolim deſtinauit: quibus plenam poteſtatem tranſigendi cum Imperatoribus cum dediſſet, Ioanni vtrique Imperatori, Ioanni Patriarchæ Græcorum, Calo Ioanni Aſſano Capitaneo Ciuitatis Conſtantinopolitanæ, Andronico & Manueli Aſſanis, & Matthæo Cantacuzeno, ſcripſit, qui fidem in omnibus illis adhiberent, ad vnitatem fidei & communionem Eccleſiæ Romanæ reuerterentur, Franciſco quoque Peruſio plurimum apud Imperatores potenti commiſit, qui negotium Eccleſiaſticæ vnionis modis omnibus curaret, *epiſt.* 148. 149. 150. *& ſeqq.* Alios Nuncios cum ampliore facultate Imperatores mitti flagitabant. Itaque Clemens Ioannem Coronenſium, & Antonium Caietanorum Epiſcopos in Orientem ire imperauit, qui tandem tandem ad finem optatum negotium perducerent. *epiſt. pag. 59. Secretorum huius anni.*

XIV. LAZARVS PATRIARCHA HIEROSOL. DEPONITVR A IOANN. PATRIAR. CONSTANTINOP. OB SCHISMA ET FALSA DOGMATA

Ioannes Patriarcha multum tunc operæ nauauit, ad Orthodoxiam ſincere conſtabiliendam. Venerat per id temporis Conſtantinopolim, Lazarus Patriarcha Hieroſolymitanus, homo verſipellis, & ſchiſmaticis addictus. Eum Ioannes ex ſententia Epiſcoporum, iuxta Patrum ſcita condemnauit, Geraſimo Epiſcopo, accuſatore, in eius locū ſanctæ ciuitati prælato. Cumque ille poſtea Galatam ad Chriſtianos Catholicos inficiendos penetraſſet, eum ſibi dedi poſtulauit; & in ſordibus perſeuerantem abire permiſit: quod hominem ſanare non poſſet; quem etiam Galatæi fruſtra curaſſent. Namque optionem ei integram reliquerant, aut ſecum communicare in dogmatis, & de cætero inter ipſos habitare, quem & ipſi nunc beneficentiſſime tractaturi, & Romanus Epiſcopus poſtea magnis meritis proſecuturus, ſuiſque Epiſcopis annumeraturus eſſet; aut petenti Patriarchæ eum tradi. Ille vero temeritatis ingens, in obſtinatione perſtabat, ſibique ſtulte pollicebatur, facilius ſe illos à veris dogmatis reuocaturum, quam vt ipſe cum illis aut ingentium bonorum ſponſionibus, aut teterrimorum ſuppliciorum minis ſimul in ſententiam adduceretur. Pie & religioſe Galatæi, qui Lazarum iſtum vlceribus obſitum perſanare ſtudebant; ſchiſmaticè & pertinaciæ conuenienter Lazarus, qui medicos obſtinato animo reſpuit: in qua mentis obſtinatione, ita excellunt Orientales ſchiſmatici, vt cum Nouatoribus noſtri ſæculi de pertinaciæ palma certare queant, non ſine certa ſpe victoriæ. *Adeo ſtolidi ſunt*, inquiebat Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus, *vt aperte Latinos hæreticos eſſe dicant, & Papam præter cæteros omnes, hinc vnionem refugiunt, neque Papæ memoriam audire, neque qui vnionem ex illorum Sacerdotibus amplectuntur videre ſuſtinent: neque qui cum ipſis communicant omnino pro Chriſtianis habent. & ſi forte contingit, vt in aliquod incurrant quod eos Papa commonefaciat, panem oblationis non accipiunt, ſed furiis agitantur, ac dentibus aduerſus ipſos Sacerdotes frendent, & Iudæis deteriores eſſe putant. Quomodo Ioannes & Mambres* (inquit in ſchiſmaticos & hæreticos ex Apoſtolo Sanct. Cyprianus libro de vnitate Eccleſiæ,) *ſic & hi reſiſtunt veritati: homines corrupti ſenſu, reprobi circa fidem: ſed non proficient plurimum: Imperitia enim eorum manifeſta erit omnibus ſicut & illorum fuit. Adimplentur quæcumq; prædicta ſunt, & appropinquante iam ſæculi fine, hominum pariter ac temporum probatione venerunt. Magis ac magis aduerſario ſæuiente error fallit, extollit ſtupor, liuor incendit, cupiditas excæcat: deprauat impietas, ſuperbia inflat, diſcordia exaſperat, ira præcipitat. Non tamen nos moueat, aut turbet multorum nimia & abrupta perfidia, ſed potius fidem noſtram prænuntiante veritate corroboret.* Poterant Galatæi, hoc eſt Genuenſes qui Galatam ſeu Peram incolebant, in Lazarum vſurpare illud Sanct. Auguſtini, Emmeritum Donatiſtam Epiſcopum ad Eccleſiam traducere admitentis. *Multa diximus, etiam fatigati: & tamen frater noſter, propter quem iſta dicimus vobis, & cui pariter dicimus, & pro quo tanta agimus, adhuc pertinax conſiſtit. Conſtantem ſe putat fortitudo crudelis. Non adhuc, de vana & falſa fortitudine glorietur. audiat Apoſtolum: virtus in infirmitate perficitur. Nec ideo negligenda eſt medicina, quia nonnullorum inſanabilis eſt peſtilentia. Opto equidem dilectiſſimi fratres*, iſta aiebat Cyprian. libro citato, *& conſulo pariter & ſuadeo, vt, ſi fieri poteſt, nemo de fratribus pereat, & conſentientis populi corpus vnum gremio ſuo mater gaudens includat. Si tamen quoſdam ſchiſmatum duces, & diſſenſionis auctores, in cæca & obſtinata*

GRÆCORVM STVLTA PERSVASIO.

*dementia permanentes, non potuerit ad viam ſalutis conſilium reuocare; cæteri tamen vel ſimplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis aſtutiæ calliditate decepti, à fallaciis vos laqueis ſoluite, vagantes greſſus ab erroribus liberate; iter rectum viæ cæleſtis agnoſcite.*

XV. CANTACVZENVS LAZARVM SCHISMATICVM EX AVCTORATVM RESTITVERE STVDET.

Hæc pauca occaſione Lazari Patriarchæ, quem vt in Sedem ſuam reſtitueret Cantacuzenus, Manuelem Sergopulum ciuem Byzantium, ad Ægypti, Syriæ & Iudææ Sultanum, Oratorē deſtinauit. quod ſine conceſſu ac mandato Sultani, non erat licitum quemq; ā Epiſcoporum per vrbes hiſce barbaris ſubditas reſtituere: ſic Deo permittente, vt agnoſcit Cantacuzenus, ob multa quæ, inquit, in ipſum peccauimus, & etiamnum peccamus nos qui à Chriſto nomē ducimus. Plane eadem excuſatione vtebantur poſtea Græci, quando capta Conſtantinopoli, Turcico iugo penitus ſubiecti ſunt. Cauſam duriſſimæ huius ſeruitutis reiiciebant in peccata cunctis mortalibus communia. Sed Gennadius, re accuratius expenſa; *Si dixeritis*, aiebat, *vt dicere conſueſtis, ob noſtra delicta hæc eueniſſe; non ita ſe res habet. Ego dicam, quoniam non magis nos, quam cætera Chriſtianorū gentes noſtris criminibus Deum irritamus. Sunt enim & aliæ nationes magis ſceleribus & peccatis obnoxiæ, quomodo non affliguntur, vt noſtra infeliciſſima & miſeranda natio? Væ mihi miſero; alius ex alio ſubinde fio, cum ad hæc animū conuerto, & cor meū conturbatur, & ſpiritus meus æſtuat.* Nonne reliquum eſt plorare *& lamentari, ac diſquirere cauſam, & videre propter quæ patimur hæc? Ego vero aliam non poſſum inuenire, niſi ſchiſma, & quod ſe ſubtraxerit ab obedientia & ſubiectione Romanæ Eccleſiæ; eam & ſolā decerno eſſe cauſam interitus noſtræ gentis. quia poſtquam ab ea diuiſi ſumus, maledictionem accepimus; & patimur, quæ nos patimur: nec ideo pœnitet nos, ſed deteriores euadimus, & maledictis impedimus ipſam Eccleſiam, dicenda & tacenda aduerſus eam impudenter euomimus.* Hanc cauſam infelicitatis illius & calamitatis ſi Cantacuzenus reddidiſſet, propius ad verum acceſſiſſet. Nam quo magis Orientales à Sede Apoſtolica per varios errores multiplicesq; hæreſes abierunt, eo magis Mahometani inualuerunt; & nō tantum plebem, ſed & Clerum Clerique principes, Patriarchas & Epiſcopos ſibi ſubiecerunt, vt ipſis inconſultis nihil agere poſſent. Idem Græcis euenit, quod flebilibus plane modis deplorat Gennadius.

PROPTER SCHISMA ORIENTALIBVS ET GRÆCIS OMNIA MALA EVENERVNT.

XVI. QVANTA SERVITVTE ET CALAMITATE PREMANTVR GRÆCI.

Quanta enim tyrannide & ſeruitute premantur nunc à Turcis Epiſcopi Græci, & præſertim Patriarcha Conſtantinopolitanus perſpicue docet hiſtoria Mixobarbara de Patriarchis, qui thronum Conſtantinopolitanum poſt captam à Turcis vrbem tenuerunt. Deiiciuntur enim de ſede & reſtituuntur, & in exilium aguntur, arbitratu tyranni, non ſecus atque viliſſimi capitis mancipia. Ipſi itidem inter ſe, tamquam ſchiſmatici, & hinc charitatis expertes perpetuis rixis agitantur, quaſi non ſat iugi & oneris ipſum iugum & onus Mahometanum creet. Nec fraudibus duntaxat ſe mutuo de dignitate deturbant, ſed & muneribus. Quare qui plus affert Charatzii (ſic enim annuum vectigal à Patriarcha pendendum nominat; quod nequitia & ambitione Græcorū ad centum & quattuor millia florenorum peruenit) item plus Peſceſii (hoc enim nomen habet vectigal perſoluendum à quouis Patriarcha initio ſui Pontificatus, quod eadem Græcorum improbitate ad tria millia aureorum adſcendit) is Patriarcha fit. Quod qui conſiderauerit, non aliud inueniet quod dicat, quā illud, *iudicia Domini abyſſus multa*: ſimulq; in Cantacuzenum aliosque Græcos Imperatores cauſam tantæ miſeriæ conferet, qui pertinaciter in ſchiſmate perſiſtendo, ea quæ Imperatoribus minime conueniunt, vt eſt Epiſcoporum confirmatio, ſibi vſurparunt. Neq; enim quis à condita Chriſtianitate vmquam audiuit Patriarcham Hieroſolymitanum ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis aut confirmatum eſſe, aut confirmari debuiſſe. & tamen Lazarus iſte confirmationis gratia ad Cantacuzenum aduenerat. Idem ius arrogabant ſibi olim Reges Italiæ Arriani, in Summos Pontifices Romanos, qui electi ſuo munere fungi nequibant, niſi Regis impu



permiſſio acceſſiſſet. Verum non mirum eſt hæreticos Arrianos id feciſſe, illud magis mirandū, Imperatores Græcos impiam hanc conſuetudinem poſt receptam à Gothis Romam multis annis retinuiſſe, illamq; iuſtam Diui Gregorii Magni in expoſit. 4. Pſal. pœnit. indignationem excitaſſe. Illud etiam non minus mirandū Imperatores ſchiſmaticos poſtea in omnes Epiſcopos hāc licentiā ſibi ſumpſiſſe, quaſi vmquam viſum auditumue ſit, vt ouis paſtorem confirmet atq; approbet, ita vt paſcere nequeat, niſi præcipuæ ouis calculus accedat. Quanto melius & ſibi, & Lazaro ſuo, & omnib. Epiſcopis Græcis Cantacuzenus conſuluiſſet, ſi (quod poſtea fecit Gennadius Patriarcha) his verbis Græcos ex animo ad ſtudiū pacis & charitatis cohortatus fuiſſet; *Accedamus veræ Chriſtianorum vnioni; agnoſcamus peccata noſtra; ne peiores Iudæis euadamus, neue falſa ſuaſione, malitia & præſumptione ita aures obſtruamus, vt nec audiamus, nec intelligamus. Audiamus Chriſtum clamantem Apoſtolis: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autē me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. Vere ergo licet dicere; qui Papam audit, Dominum audit: qui vero Papam non audit, Dominum non audit: qui vero Dominum non audit, audit captiuos & gladiis communitos:* hoc eſt Ianizaros & Baſſas; hos enim Gennadius intelligit, quia & ex captiuis ſunt, & circumciſi. Propter quorum tyrannidem poſſunt Græci canere cum Hieremia threnum illum; *Serui dominati ſunt noſtri, non fuit qui redimeret de manibus eorum.*

XVII. LAZARVS SCHISMATICVS EX PATRIARCHA A SVLTANO SEDI RESTITVITVR.

Porro Lazarus eiecto Sultanica potentia Geraſimo; non multum diu quiete rebus ſacris Hieroſolymis præfuit, ſed etiam numinis vindictam in ſe propter ſcelus in Patriarcham admiſſum prouocauit. Nam Sultano illo mortuo, alius in principatu ſuffectus eſt, quem nulla cauſa manifeſta ad Chriſtianos perſequendos commouit: ſed quidā Sichun Archiſatrapa, plurimum gratia & auctoritate apud illū valens, incitauit; homo Chriſtianis omnibus infenſiſſimus, præterquā Iacobitis hæreticis, quorū in ſancta ciuitate præſertim, ac per Ægyptum & Syriam magna multitudo cū Epiſcopo proprio viſebatur: quib. non tam propter bonitatem, quā metum parcebat. Fertur n. gens magna, Iacobi hæreſim pertinaciſſime cōplexa Nilum accolere, quam Sultanus Ægypti officiis demereri neceſſe habebat; propterea, quod illa Nilum alio poterat diuertere. Quod ſi deriuabat, tota Ægyptus & Syria, quæ inde affatim alluuntur, fame funditus interiiſſent. Hac de cauſa & tunc barbari ſolis Iacobitis erant propitii; reliquos Chriſtianos oēs ſic premebāt, vt complures variis tormentorum generib. excruciatos è medio tollerent, non paucos etiam à fide in Chriſtū ad ſua ſacra pellicerent. Tum igitur & Lazarum comprehendentes, primum quidem blanditiis eum captabāt, eumque à Chriſtiana religione abſtrahere nitebantur. Cumq; obduraſſet, carcere, flagris, & reliquis ærumnis diutius afflixerunt: fruſtra martyrii coronam ſibi deſignantem. *Tales* enim ſchiſmatici, quemadmodū S. Cyprianus libro de vnitate Eccleſiæ inquit, *ſi occiſi in confeſſione nominis fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ, nec paſſione purgatur. Eſſe Martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt: ad eum peruenire non poterit, qui eam quæ regnatura eſt dereliquit. Exhibere ſe non poteſt Martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem. Docet hoc & conteſtatur Apoſtolus Paulus dicens: Etſi habuero fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Etſi in cibos pauperum diſtribuero omnia mea: & ſi tradidero corpus meum vt ardeam; charitatem autem non habeam, nihil proficio. Cum Deo manere non poſſunt, quia eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi vel obiecti beſtiis animas ſuas ponant: non erit illa fidei corona, nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt. Sic ſe Chriſtianum profitetur quomodo & CHRISTVM Diabolus ſæpe mentitur, ipſo Domino præmonente & dicente: Multi venient in nomine meo dicentes: Ego ſum CHRISTVS, & multos fallent. Sicut ille CHRISTVS non eſt, quamuis fallat in nomine illius: ita nec Chriſtianus videri poteſt, qui*

IACOBITÆ NILI ACCOLÆ.

DIVINA IN LAZARVM RESTITVTVM VINDICTA





*non permanet in Euangelii eius & fidei veritate:* Sanctus etiam Auguſt. lib. 1. contra Parmenianum c. 7. iſtud ipſum ait: *Non quiſquis in aliqua religionis quæſtione fuerit punitus ab Imperatore (Sultano) martyr efficitur. Non enim ex paſſione certa eſt iuſtitia, ſed ex iuſtitia paſſio glorioſa eſt. Ideoq; Dominus ait, ne quicquam in hac re nebulam offunderet imperitis, & in ſuorum damnatione meritorum laudem quæreret Martyrum, non generaliter ait: Beati qui perſecutionem patiuntur: ſed addidit magnam differentiam, qua vera à ſacrilegio pietas ſecernatur: ait enim: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. nullo autem modo* patiuntur *propter iuſtitiam, qui Chriſti Eccleſiam diuiſerunt;* vt fecerunt ſchiſmatici Græci, *& cum ea quaſi ſimulata iuſtitia conantur ante tempus à palea ſeparari, ac frumenta eius falſis criminationibus inſectantur, dum ipſi ab ea potius, tanquam leuiſſima palea variis rumorum flatibus ſeparati ſunt.* Cantacuzen. hiſt. lib. 4. c. 15. 16. & Iacobus Pontan. in notis.

XVIII. DE IACOBITIS, HÆRESES IACOBITARVM.

Quod Iacobitas attinet, qui in pretio fuere apud Sultanum, emerſerunt hi à quodam Iacobo genere Syro, temporibus Pelagii huius nominis ſecundi Romanorum Pontificis, & Mauritii Imperatoris, circa annum Domini 584. Hic ſuæ ſcholæ nomen dedit, ex Eutychetis, Dioſcori, Gnaphæi & Seueri obſoletis & detritis ſcrutis, variæ ac multiplicis hæreſeos centone conſuto.

1. Ab eo in Syria Iacobitæ propagati, à Diuo tamen Matthæo Apoſtolo Euangelium ſe accepiſſe mentiebantur.

2. Sacroſanctam Trinitatem minime credebant, ſed vnam duntaxat in diuinis perſonam eſſe docebant: ideoq; Crucis ſignum digito vnico pingebant.

3. Vnam tantum in Chriſto naturam profitebantur.

4. Paruulos ſuos fronti aut genis inuſto cauterio circumcidebant: putantes ea aduſtione peccatum originale expiari: quod apud Matthæum de Chriſto dixiſſet Ioannes: ipſe vos baptizabit in Spiritu S. & igni: iſtudq; ad literam ſolum exponebant.

5. Euchariſtiam ſub vtraq; ſpecie Infantibus lactentibus etiam impertiebant.

6. Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi apud eos adſtabant ſimul omnes ad altare, vnaq; communicabant: exemplo, vt nugabantur, trium illorum Regum, qui Chriſto ſimul ad præſepe munera obtulerunt.

7. Confeſſionem, quam ſacerdoti ad aurem facimus, inutilem dicebant: ſatisq; eſſe ſoli Deo confiteri prædicabant. *Prateolus de vitis & ſectis hæretic.*

Eorum etiam ſalutem non neglexit Clemens: ſed ſuperiorum Pontificum exemplo, ad eos conuertendos FF. Prædicatores & Minores hortatus eſt. *ep. Clem. 6.*

XIX. CLEMENS PRO CONVERSIONE LITVANORVM SOLLICITVS.

In Polonia quoq; vt Lituanorum Duces cæca gentilitate adhuc detenti, ad fidei Chriſtianæ lumen adducerentur, Clemens hoc anno Pontificatus ſui octauo curauit. Namq; Gneſnenſi Archiepiſcopo iniūxit, vt ſacerdotes idoneos ad Keiſtutum & germanos ſuos Duces Lituaniæ, in fide Chriſtiana inſtruendos, & ſacro baptiſmate abluendos, deſtinaret: quod hi ſedi Apoſtolicæ ſignificaſſent, velle ſe ad veram Chriſti fidem venire, & ſacra Chriſtianorum amplecti. Eius rei certiorem Caſimirum Regem Poloniæ Clemens fecit: & vt Archiepiſcopo auctor eſſe ne grauaretur, ad eam copioſam meſſem metuendam admonuit. *dat. ep. huius anni.*

Fingebat Keiſtutus ſe eſſe cupidum fidei Chriſtianæ: vt hac ratione è captiuitate euaderet. Cum n. is Ruſſiā Polonicæ ditionis prouinciā ferro & igni fœdè vaſtaſſet, tandem in manus Caſimiri victoris venit: & cum religionem Chriſtianam ſuſcepturum ſe eſſe vna cum cæteris fratrib. deieraret, non ita multo poſt è captiuitate euaſit: ſed & fidem fefellit & fœdus ictum ſtatim rupit, irruptione noua in Poloniam facta.

XX. VLTIO DIVINA DE PATRIÆ PRODITORE.

Ductorem ſe Lituanis præbuerat inter alios Petrus Pſonca, gente Ianinius: verumtamē ingenti numinis in patriæ proditorem vindicta. Forte fortuna à barbaris in interiorem Poloniā excurrere deſtinantibus, ad explo-



randa vada Viſtulæ præmiſſus, inuentum vadum, & infixis in alueo fluuii prælongis ſtipitib. notatum Lituanis renunciauit. Paulo poſt cum piſcatores ad eum locum naviculis aducti, ſtipites infixos animaduertiſſēt, id quod erat ſuſpicati, euulſos eos non longe in profundiori & vorticoſo flumine infixerunt. Nocte intempeſta Lituani, quo facilius Polonos fallerent, & incautos trans flumen opprimerent, ad Viſtulam venientes, ſecundum ſigna, monſtrante Petro, traiicere incipiunt: & non pauci qui primi ex agmine in flumen ſe præcipitauerant, eius altitudine & vorticibus abſorpti, vna cum equis perierunt. Id vbi duces animaduertere, dolum ſubeſſe rati, Petrum quaſi proditorem in ripa capite plexerunt: maioresq; inſidias veriti, interdiu latitantes, nocturnis itineribus receſſerunt. *Cromer. hiſt. Polon. l. 12.*

XXI. CASIMIRVS REX POENITENS A PRESBYTERICIDIO ET EXCOMMVNICATIONE ABSOLVITVR A CLEM. PP.

Tartari quoq; per idem tempus, ab Olgerdo vno de Ducibus Lituanorum euocati, Ruſſiam inferiorem, quæ Podolia dicitur, quæ & ipſa in Caſimiri ditione iam erat, populati ſunt. His tot tantisq; calamitatibus admonitus Caſimirus, tandem admiſſum in Martino Bariska ſacerdote necando ſcelus, lachrymis & auſteriore vita expiare inſtituit: miſſoq; Alberto Cancellario Dobrinenſ. abſolutus, & ſocietati Eccleſiaſticæ à Clemente ſexto Pontifice Maximo reconciliatus eſt. Simul autem impetrauit, vt ſibi decima decimarum ab vniuerſo ordine Eccleſiaſtico totius Poloniæ, quadriennio, in ſubſidium aduerſus barbaros Lituanos atque Tartaros conferret: itemq; ne Vratiſlauienſis Eccleſia à Gneſnenſis Archiepiſcopi iuriſdictione abſtracta, Pragenſi, quemadmodum Carolus Imperator & Rex Boemorum contendebat, adderetur. Reſtituit autem tunc Caſimirus Rex Eccleſiæ Cracouienſi immunitatem ademptam, cum quæ ad aſcriptitios eius & agreſtes pertinebat, tum quæ ad conuectionem & venditionem decimarum, rapinasq; earum coercendas. Ad hæc poſſeſſiones ac prædia, Radlouienſe, Vſſeuenſe, cæteraq; in regione ſubmontana, quæ per vim occupauerat, reddidit Epiſcopo, qui in eum anathema prius vulgauerat. Condidit etiam in ſatisfactionem violati ſacerdotis, & læſæ Eccleſiaſticæ libertatis, complura templa partim cocto latere, partim ſecto quadratoq; lapide: in quibus ſunt Sendomirienſe, Viſlicienſe, Sidlouienſe, Stobnicenſe, Zagoſcenſe, & Gargouienſe: multaq; præterea ad publicādam diuini numinis iram, pia & præclara opera tunc edidit. *Idem qui ſupra Cromer. & Dlugoſius de rebus Polon.*

XXII. CLEMENS PRO PACE INTER ANGLVM ET FRANCVM CONCILIANDA MVLTVM SED FRVSTRA LABORAT.

Inter Philippum Galliæ, & Edouardum Angliæ Reges hoc anno occaſione Caleſii intercepti bello recrudeſcente, Clemens Pontifex, Bernardum Caaleſonium Archidiaconum Elnenſem ſedis Apoſtolicæ Capellanum, ad Reges miſit oratum, vt nuncios vtriq; Auinionem mitterent, pro pace ineunda. Conuenerant, vt in campis Caleſianis primo rationes aliquas concordiæ ſtabiliendæ tractarent. Itaq; Clemens & Gualthero Duci Athenarum id negotii vt quam diligentiſſime curaret commiſit, & Paſtorem Ebredunenſium Archiepiſcopum, necnon Bertrandum Cenetenſem Epiſcopum ad Reges deſtinauit, omnibusq; Principibus & Prælatis vtriusq; Regni, vt Reges ſuos ab armis auerterent, & ad pacem ineundam inducerent iniunxit. *datis literis 4. Idus Martii.* Non potuit quicquam decerni, quod Galli numerata pecunia cuſtodi portæ Caleſiæ, dolo intercipere voluiſſent caſtrum: quod vbi Edouardus didiciſſet, proditori vitam pactus eum adduxit: vt Gallorum partem introduceret, & reliquam ponte ſublicio eleuato excluderet. Fecit Ianuenſis quemadmodum Edouardo promiſerat: Edouardus porro more apri frendens, & Sanctos Edouardum ac Georgium in ore habens, multos ex Galliis proſtrauit, reliquos vero profligauit: hoc ipſo anno, quo peſte ſæuiente in Anglia, Clemens omnibus morientibus, vere contritis & confeſſis, plenam remiſſionem peccatorum conceſſit: poſtq; THOMAM Braduerdenum Archiepiſcopum Cantuarienſem vita

functum, Simonem Iſlepium monachorum ſuffragatione electum; non quidem ex illorum ſuffragatione, ſed abſoluta ſedis Apoſtolicæ auctoritate, Eccleſiæ Canthuarien. præfecit: quod viuo adhuc Thoma, ex cautione & prouiſione, ſibi ſoli vel Romano pro tempore Pontifici futuri Archiepiſcopi deſignationem illibatam & integram eſſe voluiſſet. Londoni in Eccleſia Diui Pauli, vbi Canonicus ſacrum & humanum ius optime callebat Thomas, Pontificia auctoritate conſecratus, munus illud ſuſcepit. *M.S.Vatic.de reb.Anglic.*

CANTHVARIENSI ECCLES VACANTI PASTOREM ABSOLVTA AVCTORITATE APOSTOLICA PRÆFICIT

# IESV CHRISTI
## Annus 1350.

### CLEMENTIS PAPÆ VI. ANNO 9. Caroli IV. Regis Roman. ANNO 5.

I. PRIMVM QVINQVAGESIMARIVM IVBILÆVM CELEBRAT CLEMENS.

STatim atq; Pontificatum inierat Clemens, annum ſecularem quem Iubilæum appellant, à centeſimo ad quinquageſimum reduxit, hocq; anno celebrari voluit, conceſſa ampliſſima remiſſione delictorum, his qui Baſilicas Romanas viſitaſſent. His impertiendis, & Romanæ vrbi per factiones ciuiles turbatæ tranquillandæ, Annibaldum Epiſcopum Tuſculanum; & Guidonem tituli S. Cæciliæ presbyterum, Cardinales Legatos deſtinauit. Incredibilis omnium Europæ gentiũ concurſus Romam hoc anno factus eſt, ſpe conſequẽdæ liberationis peccatorum. Hos quia vrbs capere non poterat, & annonæ vbertas non ita afflueret, conceſſit Annibaldo Pontifex, vt numerum XV. dierum forenſibus deſignatum pro arbitrio imminuere poſſent: non obſtante quod ipſe in Diplomate indictionis, vt forenſes, totis XV. diebus Romanas Baſilicas pro imploranda diuina benignitate inuiſerent præſcripſiſſet. Dedit ea de re literas Auinione X. Calend. Martii: ex quibus non difficile coniiçere eſt, quam innumerabilis multitudo tunc vrbem Romanam, ſtatim ineunte anno acceſſerit. Eandem poteſtatem fecit Clemens Pontio Epiſcopo Vrbeuetano, ſuo in vrbe Vicario, ſi Legatos quauis de cauſa abeſſe contigiſſet. Cæterum, quod Principes & Domini extra Montani, Romipetas, inſolentibus exactionib. offenderent, Clemens in omnes qui noua quæ vocant pædagia ſeu vectigalia ab iis extorquerent, anathema tulit, eiusq; abſolutionem Romano Pontifici reſeruatam eſſe voluit, publicato edicto, X. Calend. Martii, hoc anno. Quacunque Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis tranſierat, vbique à Prælatis & Principibus honorifice habitus eſt. Inſuper omnes Apoſtolicæ ſedis ditiones in itinere, ad obſequentiam reduxit: niſi quod Franciſco Ordelapho ciui Fauentino electo, nimis quam par erat credidit: nec ſecundum demeritorum qualitatem illum proditorem caſtigauit. Auxit tamen ſibi famam ex meritis, quod miſerabilem vrbis Romanæ ſtatum, punitis pacis turbatoribus vel proſcriptis, pace reddita felicem reddiderit, ac Romipetis ſecurum iter aperuerit. Qua in re vt perſeueraret, & neſcio quas diſcordias inter Iohannam Siciliæ Reginam ac Ludouicum Tarentinum eius maritum recens exortas componeret, proceſſusque à Bertrando Epiſcopo Sabino aduerſus Nicolaum Laurentii profugum factos, & in poſterum ab ipſo faciendos Auinionem tranſmitteret, ipſumque Nicolaum comprehendere & Auinionem mittere curaret, admonuit: datis literis VIII. *Idus Iunii.* Iam Nicolaus in manibus Caroli Romanorum Regis fuerat. Quod vbi Clemens intellexit; Regi Carolo, & Erneſto Pragenſi Archiepiſcopo ſcripſit, vt Ioanni Epiſcopo Spoletano, Rogherio de Molendino nouo, & Hugoni Carlutio familiaribus Pontificis illum traderent, Auinionem ad cauſam dicendam tranſmittendum. *Secret. Clement. pag.* 207.

ANATHEMA CONTRA OFFENDENTES ROMIPETAS NOVIS EXACTIONIB.

GABRINVS TRIBVNVS CAPTIVVS.

II. QVALIS ROMAN CONCVRSVS PRO IVBILÆO OBTINENDO.

Henricus Rebdorfius, in ſuos annales id quod vidit retulit, quod maximus concurſus fuerit ad vrbem Romanam, propter plenam remiſſionem culpæ & pœnæ anni Iubilęi, à ſummo Pontifice indicti. ita vt in Dominica Paſſionis Domini, qua canitur, *Iudica me*, & in qua primum oſtenſum fuit Sudarium Domini, ſeu imago vultus Dominici per Veronicam delata, ex nimia preſſura in Eccleſia S. Petri (*me inquit præſente*) multi ſint ſuffocati. Venit etiam tunc ad eandem vrbem Dominus Annibaldus Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Legatus à Pontifice miſſus, & Guido Cardinalis Legatus in Vngariam deſtinatus. Hi XV. dierum tempus, quo peregrini forenſes, volentes indulgentiarum participes fieri, manere debebant in vrbe, propter nimiam populi preſſuram, & annonæ penuriam, atque alias cauſas diuerſas, ad octo dies contrahebant, ſeu commutabant. Ægre fuit iſtud propolis & popinariis, qui lucrum ex quæſtu curabant. Vnde ſeditione inter populum & Cardinales excitata, parum abfuit quin à tumultuantibus violarentur. Prudenter tamen tumultum ſedauerunt, & pacis turbatores alios proſcriptione, alios aliis pœnis mulctauerunt, poſtquam totis octo diebus ſacris vniuerſis vrbi interdixiſſent. Iſtud in gratiam forẽſium conceſſerunt, vt Sudarium Dominico vultu inſigne, ſemper octauo quoque die demonſtraretur: cum antea nunquam niſi in Quadrageſima populo oſtenderetur.

III. ANNIBALDVS CARDINALIS LEGATVS APOSTOL. GRAVISSIMAM PERSECVTIONEM PATITVR.

Guido Cardinalis menſe Maio ab vrbe receſſit: ſed Hannibaldus indidem reformationi vrbis intentus, procellam perſecutionis grauiſſimam paſſus, etiam ſagittas clam in ſe contortas excepit, lapidibus quoque in palatio Vaticano appetitus. Res eſt, præter Annibaldum & Guidonem, duos alios Cardinales, Petrum Cyriaci Lemouicenſ. tit. S. Chrypogoni, expoſcentibus Romanis Clemens deſtinauerat reformandæ vrbi Romanæ. Ad hoc Franciſci Petrarchę extat epiſtola, qua eis conſulit atque orat, vt Senatores promiſcue ſicut caſus dederit ex plebe & nobilibus, vel potius ex ipſa plebe ſolos deligi aſſumique conſtituant: aſſerens: nonnullos ex iis, qui nobiles dicerentur alienigenas, ac multis eſſe in plebe annumeratis ignobiliores. Et erat Petrarcha Columnenſi familiæ deditiſſimus, verumtamen in partes Rentianorum inclinans, popularium potius quam nobilium partem agere videbatur. Detulerant Cardinales Senatoriam dignitatem Iacobo Columnio & Iordano Vrſino: quorum paulo poſt deſignationem Clemens approbauit, epiſt. num. 40. Irritati ea deſignatione Rentiani, Annibaldo Legationis principi perniciem creare voluerunt. Sumptum initiũ à camelo, quem deferendis ſarcinis è Gallia adduxerat. Die enim condicto plebs ad ſtabulum Legati, quaſi per occaſionem demirandæ belluæ confluens, illam ſtimulis agitare, pilos euellere, lutum & lapides coniicere cœpit. Monebat aliquis præfectus ſtabulo, ne inſolenter innocuum animal exagitarent: at illi nihilominus tiores facti magis etiam illum monitorem prouitare, & in Cardinalem contumelias vomere voluerunt: donec exacerbatus aduocata familia, primum probris, deinde verberibus aliquos inſolentium excepiſſet. Tumultu inde orto, in palatium quoque Vaticanum ad primos rumores obſeratum incurſarunt, & lapides, ligna, contos, ſpurcitias, ex oppoſito cubiculi in quo Legatum eſſe non ignorabant coniecerunt: proculdubioq; illum tunc indignius habuiſſent, niſi Ioannes Lucenſis Hoſpitalarius S. Spiritus cum ſuis ſuperueniſſet, & tumultuantes compeſcuiſſet. Aliquot poſtea diebus, ibat, vt ſeptem Baſilicas ex more viſitaret. Cum autem non longe à Baſilica Sancti Spiritus eſſet, è quadam ædicula, duo emiſſarii ſubornati, duas ſagittas in prætereuntem illum contorſerunt: ſed alteram irrito volatu, alteram quæ caput petiit, & galerum purpureum

INITIVM.

LAPIDIB. APPETITVR.

SAGITTÆ IN EVM EMITTVNTVR.

transfi-



transfixit. Iterato tumulto exorto, vix potuit in palatium Vaticanum ſeſe ſubducere. Quæſiti diutius emiſſarii, nullibi reperiebantur, neque quiſquam authorem facinoris reuelebat.

In Rentium ſcelus reiiciebatur, quaſi is per literas, aliquos in necem Legati ſubornaſſet. Itaque in illum, & ſocios, vel cõſcios, anathema Legatus tulit, Patarinumque hęreticum fore pronunciauit. Roma, tum æſtus vrbani fugiendi, tum negotiorum Regni Siciliæ cauſa, abeuntem Neapolim Annibaldum, menſe Iulio in S. Georgii oppido Mors excepit: nec ſine opinione ardentiſſimi veneni vino immixti: cui extinguendo & viſceribus refrigerandis, lac caprinum & cucumeres Guido Pratenſis, & Matthæus Viterbienſis medici fruſtra Cardinali obtulerunt. Eodem fato ſtatim exceſſit Ioannes Ceccanus nepos, & fere omnes familiares Legati, qui vinum à quodam Cardinali oblatum deguſtarant. *M.S. Vatic. num. 9522. de rebus huius anni.*

VENENO EXTINGVITVR

IV.

Relato in vrbem cadauere Legati, inq; Baſilica Vaticana ſepulto, quamquam Romani Cardinalem adeo indigne habuiſſent, & per ſummam auaritiam Romipetas expilarent, non tamen deuotio populi Chriſtiani à viſitandis Baſilicis imminuta fuit. Ex vniuerſis enim Europæis Regnis turmatim innumerabiles, in dies ſingulos confluebant, ita vt quandoq; ad octingenta millia peregrinorum numerarentur: quos oportebat in cãpeſtrib. ſub dio commorari: quamquam vniuerſæ Romanorum ędes in diuerſoria redactę, multos gratia cõpendii admitterent. In itinere cum Baſilicas inuiſerent, aliquando duodecim, aliquando plures vel pauciores comprimebantur: numeroſiores eo tẽpore, quo Sanctũ Sudarium, cui à Veronica nomen eſt, oſtẽdebatur. Singulis a. diebus Dominicis, & quandoq; feſtis ſolennioribus exponebatur, *Matth. Villan. lib. 1. hiſt. ſui temp. c. 55.*

V. LVDOVICI HVNGARIÆ REGIS IN ITALIAM REDITVS.

Ludouicus Hungariæ Rex, hoc anno in Italiam reuerterat: quod Regina Ioanna, Ludouicuſq; Tarẽtinus, recepta Neapoli, Auerſa, & aliis vrbibus, Apuliæ quoque imminerent. Cui defendendæ, cum Stephanus Palatinus pro Ludouico Pannonio Præfectus par non eſſet, Regem euocauit: atq; is imminẽti repente periculo ſuſcitatus, in Apuliam traiecit: mox Sipontum, Theanũ, Barletum, Barium recepit. In Canuſii oppugnatione, cũ ſcalas admotas primus ſubiret, lapidib. deturbatus, & fere vſq; ad necem contritus, vitæ diſcrimen adierat. In expugnatione Auerſæ, dum inter conferta tela ſe ingereret, pedem retulit lethali ſagittæ vulnere confoſſum, ex quo ope medicorum indidem curatus, quod Neapolitanis non ſatis fideret, qui eum mulctam pecuniarum quod Ioannam admiſiſſent, poſtulantem contempſerant, adeoq; prius vitam quam pecuniam profundere ſe velle reſponderant: deinde quod peſtis vbique in Italia graſſaretur, & Iubilæi deuotio, qua delictorum venia & animorum luſtratio Romæ à reſipiſcentib. facile impetrabatur, nunc primum inuitaret: diſpoſitis, præfecturis cæteriſq; rebus quæ maioris momenti eſſe videbantur, Rex religioſiſſimus ac pietati deditiſſimus, pretioſam humanæ ſalutis occaſionem nequaquam prætermittendã eſſe ratus, vrbem Romam viſere, & mox in Vngariam redire decreuit: comprobantib. ſententiam cęteris procerib. Vngaris: quippe qui Orthodoxam fidem quanto difficilius admiſerunt, tanto pertinacius retinebant & colebant. Romam ingreſſus, & in palatium Põtificis, vt honeſtius acciperetur introductus, mox à quibuſdam Rentianorum vt oblatam Rom. Reipublicæ ſummam ac tutelã acciperet, pertinaciſſime renuit: ne quid Rom. Eccl. dignitati derogaret. Pedes Apoſtolorum Baſilicas ſæpe luſtrauit: in æde Principis Apoſtolorum quotidie ad magnam aram ſacris interfuit. Saluatoris vultum Sudario expreſſum, affectatiſſime quotidie vidit, cæteriſq; fidelibus ſimul ſpectandum ſecum exhibuit: ad Saluatoris aram Pontificia authoritate luſtratus, & omnium erratorum veniam aſſequutus, qua ter mille aureorum aris obtulit, & alia donatiua reliquit: nulla Baſilica indonata relicta.

ROMAM AD IVBILÆVM VENIT.

ROM. REIPVB. TVTELAM ACCIPERE RENVIT NE DIGNITATI ROM. ECCL. DEROGARET.

VI. PONT. LEGAT CVM LITERIS CLEM. AD LVD. PANNONIVM ABEVNTEM

In Pannoniam reuertentem Guido Cardinalis Legatus cum literis Pontificiis conſecutus, curabat, vt inter eum & Ioannam Reginam apud Caietanos hærentem, pacem conficeret. Scribens Pontifex orabat, *vt quando ſatis ſuperq; inter cognatos luſum erat, pro ingenita probitate ſua, obſecrantis Eccleſiæ Collegiiq; Apoſtolici gratia, bellũ cum ſuis componeret, Ioannæ ſorori ius poſſeſſionis remitteret, indulgeret aliquid ſanguini: & potius quid ipſum deceat, quid Italiæ quies poſtulet, quid Pontifex cum ſacro Senatu inſtantiſſime expoſcat, quam quid mulieris ingenium, & facinoroſa quorumdam audacia mereatur ſecum reputaret. Satis ex illis pœnarum exactum, ſatis in Italia ſæuitũ: nunc tempus eſſe fluctuantiſſimũ pacare regnum, deſidere tempeſtatem, & benignitate ſua nõ modo regnum, ſed Romanam ſibi Eccleſiam perpetuo obligare. Quid Romanæ Eccleſiæ dignitas poſtulet, à qua progenitores regnũ hoc precario poſſidendum impetrarunt, ſecum cogitaret. Exiſtimet, aliquid ſummo Põtifici tribuendum, cuius eſt omne ius Regni Siciliæ hæreditarium. Ad hæc adiiciebat, ſatis illi eſſe regnorum, neque duobus regnis tãto locorum interuallo ſeiunctis, vtriſq; ſuapte natura fluctuantiſſimis, item maximæ molis & periculi, vnum Regem ſat poſſe præeſſe: neq; Legatos, Magiſtros equitum & præfectos, contentioſum regnum ſine præſentia Regiæ Maieſtatis, bene gubernare poſſe. Iubebat ad hæc, Ludouicum fluctuantis Eccleſiæ reminiſci, in Galliis Petrum Chriſti Vicarium exulare, relegatum eſſe in prouinciam Narbonenſem, necubi gentium quietem inuenire. Romana ſede eiectum plus pietatis apud Barbaros, quam Romanos & Italos inueniſſe. Longe commodiorem Chriſtianæ reipublicæ in Pannoniis, Myſis, & Dacis Ludouicum fore quam in anguſto Siciliæ regno coniectum, aut ingrato ocio emarceſcere, aut Italicis factionibus implicatum, nihil immortalitate dignum agere. Proinde etiam atq; etiam Ludouicum obſecrare, vt pacandæ Italiæ gratia, ius omne poſſeſſionis regni quodcumq; ſuum eſſe poſſit, Ioannæ cederet, Ludouico Tarentini fratri ignoſceret: principes Regios quos in Vngariam captiuos duxerat, pontificio rogatu miſſos faceret: rem cum ſuis componeret: ſuo beneficio patrueles ſibi oſtringeret: bello abſtineret: illinc reuocaret exercitum: & quod Pontificiæ ditionis eſt, Pontificia voluntate, ſuaſu, prece, iuſſuq; ſuo ſanguini dimitteret.*

VII. PONT. MOREM GERIT LVDOVIC. PANNON IVS ET PETITIS ABVNDE SATISFACIT.

Perſuaſus epiſtola Clementis Ludouicus, intercedente Guidone Legato, Pontifici morem geſſit, & ex voluntate illius, de tota re compoſuit. Ad Calendas Aprilis anni inſequentis, Ludouicus totum ius ſuum Ioannæ conceſſit: vltroque non tantum regnum reſignauit, ſed etiam CCC. millia nummum aureorum decreta, illi remiſit: cumq; tantum quantum par erat Pontificiæ tribueret auctoritati, Ioannem Veſprimienſem Epiſcopum, cum pleriſque optimatibus, ad Clementem quamprimum legauit, qui vrbes, oppida, munitiones & caſtella cuncta reſignarent, reſtituerent Ioannæ regnum: & perpetuum obſeruantiſſimi filii obſequium ſummo Pontifici, ſacriſque Patribus nomine ſuo pollicerentur. Principes inſuper Regios & regni proceres, quos in Viſſegrado retinuerat, magnifice donatos in Apuliam remiſit, & pro arbitratu Pontificis cuiq; reddi proprium dominatum imperauit. Miris deinde laudibus à Clemente, & vniuerſo collegio Ludouicus euectus eſt: quippe qui magnanimitate, clementia, & probitate ſua perpetuam Apoſtolicæ ſedis gratiam promeruerit: inimicos, quos prius armis deuicerat ſingulari officio conciliarit: & non minus denique belli quam pacis ſe artificem oſtenderit. Sed nonniſi anno 1352, vt inferius oſtenditur. *Bonfin. rerum Vngaric. dec. 2. lib. 10. & liber ſecret. Clementis hoc anno. Summont. de reb. Neapol. p. 2. libr. 3.*

VIII. CLEM. CONCEDIT REGNVM SICILIÆ IOANNÆ

Clemens porro Ioannæ Reginæ, Regnum Siciliæ Romanæ Eccleſiæ hæreditarium, ex cenſu annuo ſexaginta millium nummum aureorum conceſſit, eamq; diris exſoluit: cum prius illa iuramentum homagii, & innocentiæ mortis Andreæ præſtitiſſet. *Bonicontr. in annalib. & ep. Clem. Secret. num. 48.*

IX. CLARIVS PRÆDICTA RECENSENTVR.

Porro præſtat hæc omnia & alia magis exactius ex literis ipſis Clementis cognoſcere. In his lego, 1. quod Clemens Pontifex, Hugonem Aſpagonem Canonicum Ruthenenſem, ad Ioannam Reginam & Ludo-

uicum

uicum Tarentinum rie Nuncium iuſſit: qui eos moneret, vt tantiſper Regno excederent, & omnes ciuitates, oppida & caſtra quæ poſſidebant, in Pontificiis vel alterius non ſuſpectæ perſonæ manibus deponerent, donec de cauſa necis Andreæ, ac de iure poſſeſſionis Regni à ſede Apoſtolica cognoſceretur: præſertim cum etiam Ludouicus Pannonius vellet omnia hactenus occupata deponere in manus Guidonis Cardinalis & præterea decerneret militem Germanum & Hungarum regno educere. Itaque vt & illa vna cum marito, Cardinali Annibaldo omnia ſupradicta bona Regni permitteret, ſummus Pontifex monebat: datis literis *XII. Cal. Febr.* 2. Inter hæc Ludouico Pannonio Neapolim reuertente, vt illum à nouandis rebus auerteret, Eliſabethæ matri illius Clemens ſcripſit, ne permitteret Regem filium in Siciliam properare, aut indidem quicquam turbarum mouere, vel Reginæ Ioannæ & Ludouico Tarentino quicquam incommodare. *epiſt. 9. Cal. April.* Cumq; poſtea pactis inter diſcordes induciis Ludouicus Pannonius, miſſo Paulo Archidiacono Nitrienſ. Oratore, per literas Clementem interpellaret: ne impune eſſet Ioannæ & complicibus, cædes Andreæ: reſpondit Clemens: decretum eſſe, vt eis dies iterum diceretur, deque vniuerſo negotio decerneretur. Conuenerat inter partes: ſi Ioanna & Ludouicus cædis conuincerentur, Regni poſſeſſione exciderent. Si vero innocentes ſe eſſe probaſſent, Regno quidem potirentur: & Ludouicus Rex vniuerſa quæ de eis cepiſſet illis reſtitueret: atque nomine ſumptuum in bellum factorum CC. millia nummum acciperet. *Matth. Villani libr. 1. cap. 92.* Huic conuentioni Ludouicus vt ſatisfaceret, Regno exceſſit, & omnia quæ occupauerat in manus Guidonis depoſuit: cautione & poſtulatione interpoſita, ne ea Pontifex hoſtibus ſuis ex aduerſo, ante plenariam cauſæ cognitionem reſtitueret: ſeq; interim & omnes alios ſuos complices cenſuris Eccleſiaſticis exſolueret, ſi eas propter inuaſionem & occupationem Regni Siciliæ merito incurriſſent. Promiſit Clemens ſe curaturum, ne bona, depoſiti nomine Guidoni Cardinali Legato data, in manus hoſtium venirent: poteſtatemq; eidem Legato fecit, qui Ludouicum & ſocios anathemate liberaret, & futuram illius coniugem Regio diademate exornaret. Quod indulgentiam Iubilæi, quam pro ſe & matre Eliſabetha Ludouicus à Clemente poſtulabat attineret, ex ſententia ſacri ſenatus ſe velle decernere Pontifex reſcripſit: neue amplius in regnum reuertere, & Regios Principes quamprimum liberaret, ſerio admonuit. *ep. 19. Cal. Maii dat.* Non ſatis ſteterat conditionibus Ludouicus, ſed vrbe egreſſus, in Regnum iterum reuerterat: poſtquam Guido Cardinalis Patauium Roma diſceſſiſſet. Monebat Pontifex Guidonem, vt relicto Patauio Ludouicum conueniret, vel ſaltem Ildebrandinum Epiſcopum Patauinum, vel Abbatem Monaſterii Sanctæ Secanæ Ordinis S. Benedicti Lingonenſis diœceſis, ad eum nomine Apoſtolicæ ſedis deſtinaret, qui Regem ad officium reuocarent, & ſi opus eſſet Eccleſiaſtica diſciplina percellerent. *dat. ep. apud Villam nouam Auinionenſ. diœceſ. 2. Idus Maij.* Non poterat Guido Cardinalis propter grauiſſima negotia Patauio abeſſe, & in Siciliam penetrare. Quamobrem Annibaldo Cardinali, iſtud officii Clemens commiſerat, vt pacem vel inducias inter Ludouicus & Ioannam ſtabiliret. Verumtamen cum etiam is Roma, tum propter celebrationem Iubilæi, tum ne eo abſente nouæ turbæ inter Romanos exorirentur, diutius abeſſe non poſſet, & Regno maximum periculum interim per occaſiones belli crearentur, miſit eo Clemens Nuncium Raymundum Antiſtitem Morinenſem, datis literis Ludouico Regi, Ludouico Tarentino, & Ioannæ Reginæ, *9. Cal. Iunij*: vt ei fidem adhiberent, & obſequerentur. Porro cum poſtea Pontifex intellexiſſet, Ludouicum vtrumque & Ioannam cupere, vt Annibaldus Legatus coram adeſſet qui ex æquo inter eos componeret, permiſit eidem Clemens, vt eo ſe conferret: formulamq; in ſcriptis dedit, ex qua de toto negotio inter diſſidentes arbitraretur. *datis literis 6. Cal. Iunij Auinione, Pont. anno 9.* Annibaldo ad eum quem diximus modum extincto, Clemens Raymundum Morinenſem Epiſcopum, non amplius Nuncium, ſed Legatum à Latere datis literis 2. Idus Auguſti, eſſe iuſſit. Guidonemq; Cardinalem Legatum, Romam reuerti præcepit: vt ille pacis negotium feliciſſime compoſitum præſentia ſuo conſtabiliret, & is Romanæ vrbis quietem procuraret. Namq; inter hæc Cardinales, Auinione poſt diuturnam partium controuerſiam, ſecundum Ioannam Reginã pronunciauerant, innocentemq; eſſe cædis Andreæ mariti dixerant: propter quam ſententiã Ludouicus Pannonius Regno Siciliæ exciderat, & Clemens Pontifex illud Ioannæ Reginæ decreuerat: cum nihil aliud aduerſus eam aduerſarii probaſſent, quam quod à veneficio quodam eos inter per maleficia nonnulla ſtetiſſet, quo minus illum Ioanna conſtanti ſeu flagrantiore amore dilexiſſet. *Matth. Villani. lib. 2. c. 23.* Apud Sermonetam Rex Pannonius hærebat, cum pro innocentia ſua latum à Pontifice edictum, Ioanna Regina vbiq; vulgaret, literaſq; Pontificias Comitibus, Ducibus, Domicellis, Archiep. Epiſcopis, Prælatis, Cõmunitatibus, Ciuitatib⁹, Clero & populo, vt in obedientia & fidelitate Reginæ Siciliæ perſeuerarent, datas, omnibus in Regno Siciliæ diſtribueret. *ep. 4. Cal. Iun.* Quare, ne Ludouicus Rex irritaretur, monuit Pontifex Ioannã & Ludouicum Tarentinum, vt proceres Regni ad eum deſtinarent, qui illum omni genere officiorũ demererentur, & pacta conuenta magis ac magis cõprobarent. *ep. 9. Iun.* Verumtamen ne quicq̃ interim miſceret Pannonius, & occaſione diſcordiarum per id temporis inter Ioannam & Tarentinum enatarum in rem ſuam vti vellet, Ioanni Neapolitano Archiepiſcopo iniũxit, qui coniuges inter ſe diſcordes cõciliaret: ac vniuerſos Proceres ad Regni defenſionem ſi opus foret paratos eſſe iuberet. *ep. 4. Cal. Iun.* Stephano quoque Archiepiſcopo, & ciuibus Beneuentanis præcepit, vt maiorem numerum præſidiariorum vrbi imponerent, ne cui iniuriæ per occaſionem aliquam ſuccumberent. *ep. 6. Id. Iul.* Nihil omnino intentatum reliquerat Ludouicus Pannonius, vt ſibi viam ad Siciliæ Regnum aperiret, aut etiam communiret. Itaq; inter induciarum tempus, Mariæ relictæ Caroli Dyrrachii, quem Auerſæ occiderat, matrimonium expetebat: non quod illam deperiret, ſed vt Ioannæ Reginæ quicquam negotii in iure regni faceſſeret. Iſtud vt prudenter, Annibaldus eo tempore quo viuebat, tractaret, neq; quicquam ſine ſcitu ſedis Apoſtolicæ Ludouico concederet, Clemens præſcripſit. *Auinione Idib. Iunij.* Cæterum, vt magis Ioannæ & Tarentino Regnum confirmaret, poſtulante Bertrando Epiſcopo Aplienſi Ludouici Oratore, ex ſententia ſacri Senatus, Ludouicum Tarentinum Regem Siciliæ dixit. *ep. dat. 3. Cal. Aug.* Cumq; paulo poſt Hugo Baucius Auellini Comes claſſe aliquot triremium inſtructa, portum Neapolitanum occupaſſet, indidemque vexillis S. R. E. explicatis, ſe eſſe Clementis Pontificis & Apoſtolicæ ſedis Nuncium, ad negotia quædam in regno Siciliæ pro ſede Apoſtolica expedienda mentiretur: Clemens Pontifex datis Ludouico & Ioãnæ literis, ſcrupulum de regno Siciliæ pro Romana Eccleſia recipiendo metumq; omnem eis exemit: cum aperuiſſet, nec quicquam Baucio commiſiſſe: ſed illum aliqua in vtriuſq; iniuriã moliri, eaq; ſpecie legationis dolum malum occultare. *ep. 10. Cal. Sept.* Res erat. Mariam illam infelicem relictam Caroli Roberto filio ſuo Baucius deſignabat: quæ apud Neapolitanos in caſtro cui nomen ab ouo eſt viduitatẽ ſuam & mariti cædem deplorabat. Venit illo Baucius, duobus filiis & aliquot familiaribus ſtipatus: ſpecie, quaſi vellet mærentem affinem conſolare. Intromiſſus in caſtrum, cuſtodes portæ in cuſtodiam duci iuſſit: & interim Mariam, vt Robertum, in coniugem acciperet hortatus eſt. Recuſantem conſtanter, per vim deſpondit, & caſtitatem de[illegible] vel reluctante ea [illegible]

RAPTVS MARIÆ RELICTÆ CAROLI DIRRACHII.

moxq;



moxque vniuerſa ſuppellectili pretioſa conuaſata, plorantem triremibus impoſuit, vt in Gallias aueheret.

VLTIO DIVINA SECVTA.

Suo & ſtirpis ſuæ damno iſtud facinoris perpetrauit. Namque ventorum vi ad portum Caetanum (vbi Ludouicus cum Ioanna caſum cognouerant) appulſus, cum aquationis gratia nauarchos in terram expoſuiſſet eoſque Ludouicus intercepiſſet, ac alios ad triremes remiſiſſet, hi Baucium extra portum in anchoris conſiſtẽtem, ſex vel ſeptem triremibus circumcluſerunt, portumq; ſubire compulerũt. Euocauerat eum Ludouicus, vt in caſtrum veniret. Is tamen dolores arteticos excuſabat, neque ſe poſſe incedere fingebat. Qua ſimulatione Ludouicus magis irritatus, ad triremes armatus conceſſit: cumque Hugoni proditionem & ſcelus in maieſtatem Regiam admiſſum exprobraſſet, infelicem gladio confixit, Mariam cum vniuerſa ſuppellectile recepit, duoſque filios Hugonis in carceres coniecit. *Matth. Villani lib. 1 c. 93.*

X. MOTVS ROMÆ.

Romæ, hoc anno, non ſemel tumultuatum: quod plebs inſolens diuitiis à Romipetarũ profuſione aucta, Imperium recuſaret. Iordanus Vrſinus Senator, & Pontius Perottus Epiſcop. Vrbeuetanus pro ſede Apoſtolica Vicarius, rempublicam adminiſtrabant. Cæterum Iordanus parum æqui memor, cum per nefas multa indigna committeret, populum adeo in ſe commouerat, vt Senatoriam dignitatem relinquere, & ad defenſionem caſtri ſui cuiuſdam, q grafſatores impugnabát properare fuerit coactus. Eo Roma abeunte, Pontius Vicarius in Capitolium ad ius dicendum conceſſerat. Illum tamen Iacobus Sabellus Columniorum partiarius per vim eiecerat, neque quicquam publici agere illi permiſerat. Stephanus quoque Columnius, turrim quam Comitum vocant occupauerat, populoq; permiſerat vt in fortunas tam ciuium, quã Romipetarum impune graſſaretur. Vnde non tm̃ furta, verum etiã rapinæ, latrocinia, cædes, ſtupra, & alia facinora in vrbe volitabant: cũ nullus eſſet qui cõſceleratos caſtigaret, Senatore & Vicario profligatis. Doluit iſtud melioribus, & inprimis Sodalitati SS. Deigenitricis, q̃ tum apud S. Mariã Maiorem frequentiſſima florebat. Hæc ad diem Natiuitatis Domini in Baſilica Liberiana communicato cum aliquibus popularium conſilio, Ioanni Cerrono ciui ætate & moribus grauiſſimo, vrbis adminiſtrationem detulit, Rectoremq; Romanum eſſe iuſſit: cum is primum fidei Catholicæ profeſſione facta, ſe in poteſtate Clementis Pontificis & ſedis Apoſtolicæ futurum, necnon omnia in rem R. E. adminiſtraturum, corã Pontio Vicario, interpoſito iureiurando promiſiſſet. Ad eum modum à Pontio & Populo Romano Rector dictus, Capitolium, eiecto Luca Sabello, in poteſtatẽ recepit, & omniũ quæ tunc acciderant Pontificem admonuit. *Villani. li. 2. c. 46.*

XI. ALII PER ITALIÃ MOTVS.

In reliqua Italia, non omnia Eccl. Rom. quieta. Flaminiæ vrbes, Ioan. Manfredi ciuis Fauẽtinus, & reliqui aliarum ciuitatum tyranni vexabãt, adeoq; occupabant. Ad eos refrenandos, & interceptas vrbes recuperãdas, Clemens Aſtorgum Duraforcium Comitem Flaminiæ creauit, & in ſumptus belli multam pecuniam miſit: tũ deinde principibus Æmiliæ ſcripſit, qui illi ſuppetias armorum ferrent pro Romana Eccleſia. *Villani lib. 1. c. 57.*

BONONIA VENDITVR À PEPVLO.

Bononia quoq; eodem anno, ad Ioan. Vicecomitem Mediolanenſium Archiepiſcopũ defecerat. Ioannes Pepulus vrbi præerat: cæterum R. E. infidus, populũ multa tyrannide premebat, & Pontificiæ factionis Guelfos extirpare deſtinabat. Hi porro aduerſus tyrannum armati, Florentinorum, quos ſedi Apoſtolicæ addictos ſciebant, patrocinium tantiſper implorabant, donec Clemens Pontifex aliquem alium modum liberandæ vrbi ſubmitteret. Pepulus, cũ ſibi & à populo, & à Florentinis metueret, certa pacta pecunia Bononiã Ioanni vendidit: & is ad extremos dies Octobris miſſo Bernaboue Vicecomite nepote ſuo, oblatũ ſibi eius vrbis dominium ſuſcepit. Grauiter eam rem Clemens Pontifex tulit. Quamobrem Ioanni Archiepiſcopo, Galeatio & Bernaboui Vicecomitibus, Iacobo & Ioanni Pepulis, ac reliquis ſociis & fautoribus, qui Bononiam ſedis Apoſtolicæ iuris vrbem aut vendidiſſent, aut dediſſent, aut ẽt occuparent, diem Auinione dixit. Cumq; præſcripta die neq; factum excuſaſſent, neq; interceptam vrbẽ reſtituiſſent, ad 12. Cal. Decemb. edicto Auinione inprimis, & poſtea alibi locorum publicato, anathema in illos pronunciauit. *Script. 14. Calen. Decemb.* Legatum deinde Pontifex ad Florentinos & reliquos Italiæ principes deſtinauit: qui ſocietatem cum illis ad comprimendam Mediol. potentiam iniret. Is enim poſt mortem Luchini ſuſcepto à ſuis dominatu, cũ late per Galliam Ciſalpinam imperaret, & ad veterem ſuorum potentiam maximis additis incrementis, omnium tyrannorum egregie potens factus, iam formidabilis eſſe vniuerſis inceperat. Ad hunc igitur refrœnandũ, & ad Bononiam vindicandam Pontifex præter Eccleſiaſticam diſciplinam, fœdus cum aliis percuſſit. *Leonard. Aretin. de reb. Florentin. lib. 7. Villani lib. 1. c. 65.*

PONTIFEX FOEDVS INIT PRO RECVPERATIONE BONONIÆ.

In eos ſumptus belli, Clemens Põtifex, omnibus Prælatis & Abbatibus, Auinione ignaui ocio marceſcentibus, & reſidentiam perſonalem Eccleſiarum ſuarum refugientibus, quintam portionem redituum omnium imperauit: collectoreſq; eius pecuniæ, Bertrandum Oſtienſem Epiſcopum, & Stephanum tituli SS. Ioannis & Pauli presbyterum Cardinales inſtituit: qui vſq; ad minimum quadrantem impoſitam pecuniam exigerent. *Dat. 16. Cal. Octobr. Auin.* Ea ratione Clemens, Auinionem ignauis Paſtoribus purgauit: cum illi ad Eccleſias magis reuerti, quam rei nummariæ tantam iacturam facere eligerent.

XII. LVDOVIC. BOIVS PRO HABENDA CVM CAROLO RO. REGE PACE RELIQVIAS INSIGNES EI DONAT.

In Germania, Carolo Romanorum Regi hoc anno omnia quietiora & feliciora. Ludouicus Boius, rurſus inquietus, miſcere iterum, neq; fidem Carolo datã ſeruare decreuerat. Hanc eius nimis pertinacem aduerſus potentiorem ſe rebellionem, Palatinus tandem authoritate ſua, tanquam ætate maior gentilis hoc conſilio ſ[illegible] dauit. Conſueuerant Cæſares inſignia Cæſarum cum ſanctis quibuſdam reliquiis apud ſucceſſores deponere, quæ tunc omnia Ludouicus poſt obitum patris in ſua poteſtate habuit. Gladius magni Caroli erat, Lancea Chriſti, dextra portio S. Crucis, cum vno clauo & mappa, qua vltima menſa Domini ſtrata fuit, non magni videlicet cuncta pretii apud talium rerum contemptores; at apud Chriſtianiſſimum Carolum in tanto pretio poſita, quanto nulla res profana vel pretioſiſſima. Proinde conſilium Palatini fuit, vt Ludouicus nactus reliquiarum tantum æſtimatorem, illas pro redimenda pace, quietaq; Marchionatus Brandeburgenſis poſſeſſione permutaret. Quod vbi ille fecit, Carolus ſine vlla cunctatione illum veſtibus Marchionis, & ornamentis ſolenniter inueſtiit, comitemq; poſtea in Italiam cum ipſo Palatino ſocero ſuo habuit.

XIII. CAROLVS EX VENENO PERICVLVM VITÆ ADIIT.

*Dubrauius hiſt. Boem. libr. 22. Redborf. in annalibus* addit, Carolum Regem hoc anno periculum vitæ adiiſſe, totoq; integro anno paralyſi vexatum, manibus pedibuſque impotentem multos cruciatus ſuſtinuiſſe: ex veneno, à fratre, quem comitatu Tyrol. eiecerat, porrecto. *Matthæus Villani libr. 1. c. 33.* reliquit, Carolo id periculi ab Agnete iuuencula vxore creatum eſſe: quod illa ab iuuenili calore in virum flagrantior, vt amorem ſeu excitaret, ſeu inflammaret, poculum amatorium Carolo porrexiſſet: à quo ille glaber, & vſu membrorum omnium pene deſtitutus, iacuerat. Cumque duos ex intimis Caroli ad necem duci Agnes vidiſſet, illam marito crimen confeſſam, inſontes gladio ſubduxiſſe, ſeq; non extinguendo viro, ſed in amorem coniugalem magis inflãmando philtrum miſcuiſſe, aſſeuerauit. Addit Villani, Carolum voto ſeſe aſtrinxiſſe: ſi ad vſum vitæ euaderet, ex nemine ſupplicium deſumeret, qui eius criminis in ſe admiſſi auctor foret. Succeſſuum cum Boiis Carolus, miſſo Friderico, qui illi à ſecretis fuerat, Clementem admonuit. Cæterum hic, quod concordiam non ex integro factam exiſtimaret, quid ad hæc reſponderet, ſe per id temporis non inuenire reſpondit: ſimulque Carolũ admonuit, vt Aquenſi Epiſcopo priuilegia

à Re-

à Regibus & Imperatoribus Romanorum conceſſa & probaret, & integra eſſe vellet: neque permitteret iura illius Eccleſiæ imminui, aut violari. *epiſt. Clemen. huius anni.*

XIV. De lancea Carolina hiſtoria.

Quod lanceam Carolinam attinet, non ea eſt, quæ latus Chriſti aperuit, vel ipſo Lupoldo Bambergenſ. teſte, qui hæc ſcripſit de lanceis.

*Henricus Princeps inquit, audito quod Rudolphus Rex Burgundiorum qui tribus annis in Italia regnauerat, dono acceperat à quodam Comite Italiæ Sampſone nomine, lanceam arte noua & forma elaboratam, quæ iuxta mediam ſpinam habuit vtrobiq; quaſi feneſtram, & in media ſpina cruces ex clauis manibus & pedibus ſaluatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti affixis, & quæ fuiſſe Conſtantini Magni Sanctæ Helenæ filij dicebatur ad habendam hanc lanceam vt erat totius Religionis amator dictum Regem præmiis tentauit quem ſic emoliri nequiens regnum eius depopulari cædibus & incendiis minabatur. Quia vero munus quod petebatur illud erat, quod cæleſtibus terrena coniunxerat, Deus, Rudolphi Regis cor emolliuit, iuſtoque Regi iuſta iuſte petenti protinus tradidit. Quanto autem amore Rex Henricus eandem ſacram lanceam dilexerit, id multis in rebus, in hoc tamen maxime claruit; quod huius datorem non ſolum auri argentiq; muneribus, verumetiam Alemaniæ ſeu Sueuiæ parte non minima honorauit. Et hanc eſſe credimus, quæ extunc hodieque in Regum & Imperatorum Romanorum ſolet cuſtodia permanere. hæc in Hiſtoria Francorum & Cronica Euſebij ſcripta leguntur. Refert tamen Cronica Gotfridi quoſdam dicere eandem lanceam à Boſone Rege Prouinciæ per Ottonem Primum dicti Henrici filium, ad Regnum & Imperium fuiſſe translatam. Licet autem Hiſtoria & Chronica prædictæ referant, Henricum Regem in acquiſitione ſacræ lanceæ iuſte feciſſe, id tamen quoad zelum duntaxat Chriſtianæ religionis quē in hoc habuit intelligo verum eſſe, non autem ſecundum ſententiam iuſte fecit. Prætor enim naturali motus æquitate ait quod metus cauſa geſtum eſt ratum non habeo videlicet ff. quod met. ca. l. 1. Et eſt ſimile huic quod legitur & nou. XXXII. q. VII. c. offerebat & de quæſt. d. III. perlatum. Nec eſt putandum, quod ferrum huius lanceæ, ſit illud quo vnus militum tempore paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſacroſanctum latus eius aperuit. Nam hæc lancea capta Ciuitate Antiochiæ per exercitum Chriſtianorum, ac deinde per Turcos Perſas & alios Saracenos obſeſſa fuit in Eccleſia Sancti Petri ſub anno Domini M.XCVIII. per quendam ruſticum origine Prouincialem ex Beati Andreæ Apoſtoli reuelatione repertam. Dubitantibus autem pluribus, an eſſet lancea Chriſti quidam Bartholomæus nomine cui Chriſtus in viſu apparens de lancea ſignificauerat, cum ignem XIII. pedum quem iuſſit fieri pertranſiuit illæſus. Et ſic Chriſtianorum exercitus firmam in Chriſto & eius lancea gerens fiduciam ad pugnandum cum hoſtibus ſigno ſalutari præeunte intrepide foras muros proceſſit, ac de ipſis diuina ſuccurrente clementia triumphauit: hæc ex hiſtoria Francorum ac Gotfridi & Martini Cronicis ſunt collecta. Iſtius lanceæ ferrum cum haſta Willelmus Durandi ſe vidiſſe refert Pariſiis in Capella Regis Franciæ videlicet in ſuo rationali lib. VI. Cronic. de Sabbat. Sancto Paſchæ. Hæc Lupoldus Babembergenſis I.V.D. in libro cui titulus eſt, de veterum Germaniæ Principum, in religione Chriſtiano zelo.*

Ex quo non nemini euidens eſt, lanceam illam, cuius ferrum Pragæ inter Imperialia ſacra pignora aſſeruatur, non eſſe eam qua Chriſti latus ſtatim à morte transfixum eſt: ſed ex aliqua clauorum Domini, vel particula deciſa, vel limatura deraſa. De ferro lanceæ, quod Pariſiis adſeruatur, olim Conſtantinopoli Venetias, & hinc Lutetiam delatum cenſent partem tantum eſſe. *Bergomas in ſupplemento & Boſius de Cruce.*

Lancea Chriſti eſt Romæ.

Namque ipſa illa lancea, qua latus CHRISTI apertum eſt, non cuſpidata, Romæ in baſilica Principis Apoſtolorum ſeruatur, miſſa à Baiazite Turcorum Tyranno, Pontifici Innocentio Octauo, vt captiuum fratrem Romæ eliberare poſſet. Iſtud ferrum lanceæ, qua miles latus Saluatoris aperuit, cum primum ab Oratore Baiazitis Anconiam allatum eſſet, ad illud excipiendum, omnes comprouinciales Epiſcopi conuenientes, ſolemni pompa illud circumtulerunt, & quanta potuerunt deuotione rem diuinam celebrarunt. *Marcus Vigerius Sanctæ Mariæ transtyberim Cardinalis, in libello de dignitate veſtimentorum & ſancti lanceæ ferri Domini Ieſu Chriſti, ad Hiſpan. & Aragon, Reg.*

XV. Qua pompa fuerit lancea Criſti Romæ excepta.

Qua autem deuotione & pompa ſolemni, Romæ receptum fuerit, Ioannes Burchardus Clericus ceremoniarum Innocentij Octaui, in ſuo diario adſcripſit. Ita habet:

*Anno M.CCCC.LXXXXI. feria VI. quarta Maij Innocentius Papa Octauus, voluit & ordinauit, ferrum hoc ſolemniter recipi debere, deputauit propterea Nicolaum Ronciardum Archiepiſcopum Arelatenſem & N. Epiſcopum Fulginacenſem Prælatos ſuos domeſticos qui Anconam irent & ibidem ferrum ipſum reciperent è manibus Oratoris magni Turci, & inde cum proceſſionibus in ſingulis ciuitatibus & terris per viam exiſtentibus Romam conducerent, & ad id commodius faciendum datum fuit eis quoddam tabernaculum Chryſtallinum ex Sacriſtia Papæ & equus cum capſa cooperta & aliis ornamentis, quibus Sacramentum PAPA Pontificaliter equitante deferri ſolet, & lanterna pro lumine continuo ante ipſum portando, & hac de cauſa receſſerunt ab vrbe Anconam die Lunæ VII. Maij præfacit.*

*Feria tertia XXII. dicti Menſis idem ſummus Pontifex legatos de latere creauit Reuerend. Cardinales Sancti Petri ad vincula qui poſtea Iulius ſecundus dictus eſt & Portugallenſem vt reliquiæ ferri lanceæ Domini Narniam vſque obuiam irent & ob huiuſmodi cauſam die Iouis 24. eiuſdem receſſerunt ab vrbe. Feria quinta XXXI. Maii feſto Aſcenſionis Domini noſtri IESV CHRISTI bono mane Innocentius Octauus indutus amictu, alba, cingulo & ſtola precioſa alba ſupra capuccinum album praceden. Cruce & Cardinalibus venit ad Eccleſiam Beatæ MARIÆ de populo. Facta in dicta Eccleſia oratione ante altare extracto ſibi cappuccio retenta ſtola accepit deſuper Pluuiale precioſum & Mitram precioſam. Interim ibidem omnes Cardinales & Prælati intra & extra Eccleſiam acceperunt paramenta ſibi conuenientia, officiales ſuperpellicia; tum ſanctiſſimus proceſſionaliter venit tunc ſine baldachino propter maximam proceſſionem populi praceden. officialibus Cruce Prælatis & Cardinalibus ac aliis more ſolito extra Portam de populo ſeu flaminiam ad paſſus circiter XXXX. vbi ſtabant Reuerendiſſimi Cardinales Sancti PETRI ad Vincula & Vlixibonenſ. in ſuis Baramentis cum eorum familiis & plurimis intorticiis ardentibus, Appropinquante PAPA iidem Cardinales ferrum in tabernaculo Chryſtallino quod ſuis manibus tenebant eidem ſummo Pontifici ſub quibuſdam breuibus verbis ad hoc conuenienter compoſitis obtulerunt: & ſanctiſſimus Pontifex depoſita mitra etiam breuibus verbis reſpondit & accepit tabernaculum cum ferro & illud oſculatus eſt reuerenter, impoſita eſt PAPÆ mitra & proceſſio per Reuerendiſſimum Dominum Camerarium ordinata, ad quam PAPA non impoſuit incenſum neque in Eccleſia de populo neque extra portam propter tumultum Cleri vrbis cum ſocietatibus ſiue confratriis ſaluatoris Annunciatæ Conſalonis & pluribus aliis hinc inde per dictam Eccleſiam erat in tanta confuſione quod pluſquam per horam proceſſionem retardauit ante quam poſſet per Reuerendiſſimum Camerarium ordinari. Nam ſocietates volebant ſequi Clerum & etiam mutuo inter ſe ſuper præcedentia contendebant. Tandem Reuerendiſſimo Domino Cardinale ipſis quod recederent vel procederent ſub pœna mandante proceſſerunt & ſecuti ſunt noſtri ordine infra ſcripto.*

Ordo proceſſionis:

*Clerus vrbis ſuo ordine*
*Collectores Plumbi*
*Solicitatores literarum Apoſtolicarum*
*Notarii Auditoris Cameræ*
*Notarii Auditorum Rotæ*
*Procuratores Pœnitentariæ*
*Procuratores Contradictarum*
*Abbreuiatores de prima viſione & parco minori*
*Scriptores Pœnitentiariæ*
*Scriptores Apoſtolici*
*Magiſtri vtriuſque Regiſtri*
*Abbreuiatores de parco maiori*
*Bullatores*





*Magiſtri Plumbi.*
*Procuratores Ordinum.*
*Procuratores Principum.*
*Secretarij & Aduocati.*
*Cubicularij extra Cameram.*
*Oratores Principum & Laici & Barones.*
*Cantores Papæ.*
*Acolyti.*
*Clerici Cameræ.*
*Auditores Rotæ.*
*Accolyti cum candelabro & thuribulo.*
*Subdiaconus cum cruce & ſociis.*
*Pœnitentiarij, Abbates, Epiſcopi, Archiepiſcopi parati.*
*Omnes Prælati aſſiſtentes Papæ parati.*
*Diaconi Cardinales non aſſiſtentes medius inter digniores.*
*Princeps Capuæ.*
*Ide Presbyteri poſtea Epiſcopi Cardinales.*
*Duo diaconi Papæ aſſiſtentes.*
*Scutiferi Papæ cum intorticiis.*
*Duo Accolyti cum Candelabris.*
*Duo Accolyti cum thuribulis.*
*Papa ſub baldachino.*
*Auditor de mitra ſeruiens.*
*Protonotarij aſſiſtentes.*
*Prælati non parati.*
*Alij Protonotarij.*
*Generales Ordinum.*
*Togati alij.*

*Baldachinum portarunt Barones & nobiles qui cum Principe Capuæ Romam venerunt vna cum aliis noſtris nobilibus, &c. Omnis via vſque ad Baſilicam Sancti Petri bene mundata, pannis ornata, & velis cooperta & præſertim ante domum Cardinalis Parinenſis (nunc eſt familiæ Caietanæ Regionis Pontis) ab Eccleſia autem Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ (iuxta arcem Sancti Angeli) vſque ad eandem Baſilicam Cardinales aulæis ornarunt. Idem magiſter Cæremoniarum noſcens Summum Pontificem Innocentium per viam grauatum ſeſſum ac debilem eſſe, non longe à platea Sancti Iacobi Coxacaballi dixit ſanctitati ſuæ commodius futurum ſi recta via benedictionis publicæ locum aſcenderet populo ibidem ſolenniter benedicturus & inde ob quietem in Ædes ſuas ſe reciperet; Cardinalibus venientibus ad miſſam in Baſilica celebrandam. Hoc placuit ſanctitati ſuæ & dimiſſa proceſſione ſub Porticu Baſilicæ Prælati & Cardinales parati poſt Crucem Pontificalem locum præfatum aſcenderunt, ibique Pont. populo ſolenniter manu ſua more ſolito benedixit & Roderico Borgia Vicecancellario Cardinale Portuenſe tabernaculum cum ferro interim apud Pontificem tenente & plenarias Indulgentias ibidem præſentibus & in Eccleſia exiſtentibus qui proceſſioni non interfuerant dedit, quas Reuerendiſſimi Domini Camerarius Latine, & de Columna Cardinales vulgariter publicarunt. Deinde Pontifex cum tabernaculo ferroque ſignum Crucis ſuper populum produxit. Acceſſit poſtea ad Pontificem Caſſum Regi. Orator magni Turci per quem Turcus ipſe ferrum præfatum miſerat & ſanctitati ſuæ quaſdam literas præſentauit ſupra & infra. Pontifex aſcendit inde ad palatium & Cardinales venerunt in Baſilicam vbi Dominus de Ruuere Cardinalis Sancti Clementis celebrauit miſſam publicam, & omnia more ſolito obſeruata fuerunt.* Hæc Burchardus.

*Ferrum hoc ſacroſanctum à Baiazethe Turcarum Tyranno, vt dictum eſt pro magno munere miſſum quo gratiorem Pontificem redderet erga fratrem ſuum, quem Romæ captiuum detinebat Pontifex ipſe data populo benedictione in cubiculum ſuum detulit, ibi apud ſe interim ſeruaturus donec ſacellum in Baſilica præfata cum Liborio ad id continendum magnifice ædificaret. Verum non multo poſt in grauem incidens morbum quo ab hac vita deceſſit dum in extremis eſſet accito ad ſe Laurentio Cardinali Beneuentano ſuo ex fratre nepoti ferrum ipſum in eadem Baſilica perpetuo ſeruandum reliquit, ſacellum in honorem Deiparæ Virginis perficiendum & ornandum ac amplo reditu dotandum mandauit. Cumq; in limine mortis eſſet à Collegio Reuerendiſſimorum Cardinalium in Baſilicam præfatam delatum fuit ſanctum ferrum ac in nouo Liborio reconditum vt notat Demetrius Guaſſelius libro inſtrumentorum folio 410. in dicto Archiuo.*

*Laurentius vero Cardinalis olim eius Baſilicæ Canonicus piam patrui voluntatem exequens ſacellum perfici ornarique curauit, Dei Genitrici Mariæ Virgini dicauit. Quatuor Sacerdotes qui ſexagies Miſſæ ſacrum quolibet anni menſe ibi peragerent optimis prædiis ac domibus attributis perpetuo inſtituit, Iuriſdictioni Archipresbyteri eius Baſilicæ ſubiecit.*

*Habitu Beneficiariorum & loco in choro ornauit, obſequio diuinorum Dominicis & feſtis adegit. Ius conferendi ad Illuſtriſſimos Cardinales S. Marchi & Sanctæ Praxidis hiſq; alicubi abſentibus ad Cardinalem Sanctæ Cæciliæ pertinere voluit. Hæc & alia Pontificio Alexandri Sexti diplomate in dicto Archiuo aſſeruato ſub XVI. Kal. Nouembr. M.CCCC.XCIX. ſtabiliri fecit. In altari cui ciborium imminet hanc marmore inciſam inſcriptionem poſuit, quæ nunc inde amota in cubiculo nouæ Baſilicæ, quod pone aram Beatæ Virginis in Columna ſitum eſt parieti affixa fuit.*

GENITRICI DEI MARIÆ A GREGORIO III. P. M. ANTE POSITVM ET DEDIC. INNOCENTIVS VIII. CIBO. GENVENSIS P. M. LAVRENTIO NEPOTI S. CÆCILIÆ PRESBYTERO CARDINALI BENEVENTANO A FVNDAMENTIS RENOVAND. SVPRAQVE FERRVM QVO PATVIT LATVS SALVATORIS SANCTIS. SVÆ MAIESTAT. BYZANTIO MISSVM A MAX. TVRCARVM AD SERVANDVM RELIQVIT. ANNO DOMINI MCDXCV.

XV. Petrus poſt obitum ſuccedit in Regno Caſtellæ. Qualis Petrus.

Duos Reges hoc anno fatum extinxit: Philippum Gallorum & Alfonſum Caſtellæ, inter quos dum viuerent, non ſatis conueniebat. Dies XXV. Martii Alfonſum abſtulit, & Petrum eius filium Caſtellanis dedit Regem; ſed omnibus Regibus & Principibus in exemplum, quos relinquant pueris ſucceſſoribus Curatores. Hic Petrus defuncti regis ex iuſta vxore filius, in caſtris continuo ab obitu patris, vti neceſſe erat rex proclamatus, nonniſi quindecim annos & menſes ſeptem natus regnum obtinuit. In ea ætate curis grauioribus non pari, inerant magnarum virtutum ſemina, audaciæ, conſilii: neque labore corpus, neque animus vlla difficultate vinci poterat: aucupio potiſſimum deditus, iuſti tenax. Inter has virtutes non minora vitia conſpiciebantur, inchoata tunc cum ætate robur accepturа: contemptus hominum, dicta contumelioſa, ſuperbæ aures, aditus non alienis, ſed domeſticis etiam difficilis. Hæc in teneris annis. Auaritia, libidinis licentia, ſæuitia morum conſequenti tempore acceſſerunt. Praua iſta vitia naturæ robur acceperunt ab inſtitutione Alburquerquii, cui pueri mores conformandi cura erat à patre data. Hic præcipua apud regem gratia & in rebus omnibus auctoritate, vt priuatas opes augeret, malo publico quamplurima Petro indulgebat: vnde Caſtellam vniuerſam turbidæ tempeſtates, varii caſus, atrocia prælia, fraudes, proditiones, exilia, cædes excepere. Multi viri principes ferro interempti, multa bella ciuilia extiterunt: Sacri externique nulla cura; noui Regis culpa, vnde illi Crudelis cognomen vulgo factum. Et quidem ſtatim atque regnum iniit, ſæuire, maxime in ſuos cœpit. Erant ei ex Eleonora Guſmania hi fratres, Henricus Tranſtamaræ Comes Fridericus D. Jacobi Magiſter, Ferdinandus Ledeſmiæ, Tellius Aquilariæ reguli: præterea Sanctius, Johannes, Petrus, & Joanna.

Parricidio regnum ſuum fœdat.

Ad hos opprimendos, Maria Regina filii potente faceſque animo ſubdente, nouus rex inclinauit: atque Eleonoram inprimis, Talaueræ in cuſtodiam dedit, & poſtea interficiendam imperauit. Cædis miniſter fuit Alfonſus Olmedus, magna noui principatus inuidia, cuius tale ſpecimen initio cernebatur. Nam & Fridericum fratrem, quem vultu verbiſque fallacibus receperat, eodem gladio iugulari præcepit.

Aliæ eius crudelitates.

Cumque ex morbo decumberet grauiſſimo, & proceres in eius valetudine à medicis deſperata, pro more multos ſucceſſores deſtinarent, & ille poſtea ſanitate recuperata omnia didiciſſet, nouis rationibus irrita-

tus in deſignatos bacchari voluit: vt vere inuiſi Principibus ſunt, quicumque ad ſucceſſionis ſpem proxime deſtinantur. Hinc nouæ offenſiones, & implacabiles ſimultates in principes; ex quibus Garſias Laſſus Burgis adempta defenſione, ſociiſque in vincula raptis, intra ipſum Regis palatium, eius iuſſu comprehenſus interfectuſque eſt, nulla culpa. Henricus Regis frater Algezira pulſus; de Ioannis Laræ defuncti Nunnio infante Viſcaiæ principe in Regis poteſtatem redigendo conſilia agitata, quem Mentia fœmina primaria, cuius fidei puer erat concreditus, regiæ iræ auaritiæque ſubtraxerat, in Viſcaiam aufugiens, Cantabrorumque fide ſperans Regios impetus poſſe retardari. Regis tanta iracundia fuit, vt fugientis veſtigiis inſiſteret; & cum conſequi non poſſet, ditionem omnem armis occupare deſtinaret: quod puero intra paucos dies defuncto factum eſt, Ioanna & Iſabella eius ſororibus in Regis poteſtatem redactis; Viſcaia, Lerma, Lara, aliaque oppida & arces ad Regis ditionem Imperiumque ſubiuncta. *Mariana de reb Hiſp lib.16.c.16.*

XVI. PHILIPPO DEFVNCTO SVCCEDIT IO. FILIVS IN REGNO GALLIÆ.

Petri adoleſcentis ferocientem animum, vt Clemens emolliret, concordiamque inter illum & finitimos Reges ſtabiliret, datis literis *Auenione III. Non. Iulii*, admonuit, vt fœdus paternum cum Philippo Galliarum Rege innouaret, & Ioannam Caroli Regis Nauarræi ſororem, in matrimonium ſibi adiungeret. Nondum per eos dies, quum hęc Clemens ſcriberet, Philippus exceſſerat. Namque hic nonniſi menſe Auguſto humanis rebus exemptus eſt, cum nimium deditus colendæ formoſiſſimæ vxori, corporis vires debilitaſſet. Illiteratum fuiſſe Petrarcha dicit: Bene fortunatus primum, deinde felix, poſtremo optimus Chriſticola appellatus eſt, *apud Guagninum.* Papirius ingenio ad imperium nato digniſſimum omni laudum genere, pronunciauit, niſi crebra mutatione monetæ indigenas, inauditiſque vectigalibus Francos afflixiſſet, & mercatores extraneos fortunis euertiſſet. Florentinos enim vniuerſa Gallia eiecerat, & bonis omnibus ſpoliauerat. quibus vt in Regno & morari & mercaturā exercere liceret, Clemens Pontifex Ioanni nouo Regi, ad 11. *Non. Octob.* ſcripſit. Hic enim ſua & regni calamitate notiſſimus, Regium nomen atque ornatum accepit hoc anno, VII. Calend. Octobr. poſtquam Regem patrem in templo Diui Dionyſii condidiſſet. Et hic etiam à crudelitate regnum adminiſtrare incœpit: cæſo Rodulpho Magiſtro equitum, quem Anglus ad Cadomum in poteſtatem redegerat. Eum ex Anglia reuertentem Ioannes nouus Rex ſecuri percuti imperauit, cum proditionis reus non ſatis purgare ſe videretur inauſpicatis Regni primordiis. Is erat Comes Guinenſis, & patriæ ac libertatis deſiderio pactus erat, ſi redire in Galliam permitteretur, numeraturum Anglo aureorum octuaginta millia, aut ſi id præſtare non poſſet, Comitatus Guinenſis poſſeſſione deceſſurum. iſtud pactum cum Ioanni non placeret, Rudolphum proditionis accuſatum damnatumque in carcere obtruncauit. *Papyrius lib.3.& 4. Guagnin. lib.9. P. Æmilius lib. 9. rerum Gallicarum.*

A CRVDELITATE REGNVM ADMINISTRARE CŒPIT.

XVII.

Inter hæc Clemens, IV. Calend. Septembr. ad Edouardo Rege Anglo datas apud Weſtmonaſterium 18. menſis Iulii literas accepit. Promittebat iſte ſe miſſurum Auinionem; Wilhelmum Epiſcopum Neruicenſ. Henricum Lancaſtrium & Richardum Arondelium Duces, & nonnullos alios viros principes Nuncios, qui tandem tandem ex integro pacem inter ſe & Philippum Regem conciliarent. Iam hic per hos dies vltimam metam adierat. Quamobrem Pontifex Anglum monebat, vt inducias tantiſper concederet, & vel eoſdem, vel alios Oratores ad Sedem Apoſtolicam deſtinaret, qui de toto negotio, cum Oratoribus Ioannis Regis, arbitrante ſacro Collegio componerent. Vt autem id amplius non differret Edouardus, Raymundum Pilagninum Canonicum Londinenſem, & Androinum Abbatem Sancti Securii, Nuncios ad eum ire iuſſit, qui miſſionem Oratorum perurgerent: cum idipſum quoque ab Ioanne Rege poſtularet. datis vtrique Regi literis, 2. *Calend. Septembr. & III. Non. Septembr.* Factæ tunc ſunt cum Anglo induciæ, in biennium. quarum dies priuſquam exiret, Angli, pecunia corrupto arcis præfecto, arcem Guinenſem ceperunt, expoſtulantique Franco reſponderunt; rerum coemptione religionem induciarum non violari, confeſſione Franci. Eum enim per inducias ſollicitaſſe Præfectum Itii, commercii felicitatem illi defuiſſe: ſui ſibi conſilii euentum datum, pari vtrimque conatu. Clemens porro, vt Galliæ & Nauarræ Reges per matrimonia & affinitates mutuas coniungeret, Carolo Regi Nauarræo ſuaſit, vt Ioannam Ioannis per id temporis Ducis Britanniæ filiam, quanquam ſibi conſanguinitatis nexu propinquam, in matrimonium acciperet. poteſtatemque Guillelmo Beluacen. Hugoni Laudunen. & Petro Canoſien. Epiſcopis fecit, qui vtrumq; lege Eccleſiaſtica exſoluerent. *ep. Calend. Iun.* Caſus grauiſſimus per id temporis excepit Carolum Nauarræum, non omnino indignus qui memoretur.

INDVCIÆ BIENNALES INTER ANGLOS ET FRANCOS.

XVIII. CASVS GRAVISSIMVS.

Ioannes Rex in locum Magiſtri equitum Rudolphi ſuffecerat Carolum, cognomento Hiſpanum. Pronepos erat Ferrandi, cui Caſtulonenſis Regis filio nupſerat Agnes Diui Ludouici Regis filia. In matrimonio habebat Bleſenſis Comitis filiam: Inter hunc Hiſpanum, & Carolum Nauarræ Regem eundem Ioannis generum, ſimultates intercedebant, præter æmulationem aulicam eo etiam exacerbatæ, quod Engoliſmenſis Comitatus, quem ſuum Nauarrus Rex eſſe defendebat, ab Rege Franco donatus fuerat Hiſpano: quo viuo aduerſario, omnia infeſta ſibi ducebat, ab eoque capiti ſuo inſidias factas credebat. Querelas proinde Nauarrus apud Ioannem multiplicabat, ad quas mitigandas ſedandaſque, Medunta & quædam circumiecta oppida attributa ei ſunt, & certa pecunia partim præſens, partim quotannis numerari iuſſa. Quæ ad eius dolorem leniendum fiebant, ea magis irritarunt. His enim perpaucis delenimentis fruſtrationibuſque demi ſibi poſteriſq; omnem ſpem nobiliſſimorum Comitatuum recuperandorum ratus, omnem iram in vnum Hiſpanum Regi acceptiſſimum gratiſſimumque effudit, cumque ad Aquilam Normanniæ vicum, ſubmiſſis percuſſoribus, nocturna vi nihil tale timentem occidit; continuoque, vt ex præparato, literas ad proceres miſit, hoſtem iure à ſe cæſum, à quo ſe petitum inſidiis comperiſſe ſe diceret. Atrox facinus, viſaque Francorum maieſtas, Magiſtro equitum cęſo, lęſa. Quæſtio, etiam iubente Pontifice decreta; dies dicta; ad quam non adfuit, contra iudiciorum exempla, niſi accepto obſide Ludouico Andium Comite Regis filio, quem in Eburouicibus Philippo fratri cuſtodiendum tradidit.

Ita quem dare vades, qui ſiſterent luerentve, oportuerat, is animum Regis ſibi accepto in poteſtatem filio oppigneratum habuit; eaque ſuperbia contumaciaque, non multominus quam cædes audaciaque Francum offendit, mouitque. Lutetiæ cauſam Nauarrus dixit Præſide Rege: deprehenſis inſidiis quæ ſibi ab Hiſpano fierent, neceſſario inſidiatorem occupaſſe: non contemptu maieſtatis in Magiſtrum equitum quicquam auſum? ſe per patrem matremque Regiæ Francorum propinquum. Manifeſtam vim fecerat; factam paratamque ſibi, ne leui quidem argumento confirmabat. Leges erant; iudicia fiebant exercebanturque, quibus florentibus indicta cauſa clariſſimam virum ſuſtulerat.

Conſtitutum eſt cædem illam perduellionis teneri. Reſpectus dati obſidis cruentas in præſentia pœnas ſumi prohibuit. vt tamen iudicii ſpecies aliqua foret, Iacobus Ducis Borbonii frater, nouus Magiſter equitum manum iniecit, ducique à lictoribus iuſſit. Ex compoſito factum videri poteſt. Extemplo tres Reginæ intromiſſæ, Ioanna Nauarri amita, quæ Caroli Pulchri Regis vxor fuiſſet: & Blancha eiuſdem Nauarri ſoror, eadem Ioannis Regis nouerca, ſed indul-

gentiæ



gentiæ maternæ; ſimul & altera Ioanna, eadem filia Ioannis Regis, & Nauarri vxor. Hæc patrem, vt quem maritum ſibi recens dediſſet, eundem ſibi condonaret; illæ vti veniam daret, hocque viduitatis ac ſolitudinis ſolatium ſibi reliquum eſſe vellet: omnes ad pedes proſtratæ orabant. Ad hoc ipſe Nauarrus & Rex, & gener, & conſanguineus, vt ignoſceretur ſibi ſupplicabat. Ita cum quatuor capita, quæ corona Regia redimita fuiſſent, demiſiſſime precandi finem non facerent, Ioannes veniam dedit: Sed ingrato. Cum enim ille à Sacerdotio, nobilitate & plebe ſubſidia belli poſtularet, Nauarrus ne contribuerentur interceſſit, & cum æs militare in Atrebatibus decretum colligeretur, ſeditionis author fuit. Cuius interceſſionis & audaciæ Ioannes memor, magiſque irritatus, quod qui gener ingens ſcelus ingenti officio expiare debuerat, ac iram ſoceri pietate obſeruantiaq; placare, is atrocitatem priſtinam noua indignitate licentiaq; cumularet, Ludouico filio recepto, Carolum Delphinum filium Normanniæ Ducem dedit: ad quem ſalutandum cum Nauarrus veniſſet, illum Ioannes è menſæ luxu, vt cum Delphino aduentitia cœna feſſi diſcubuerant, abſtraxit, Lutetiamque in cuſtodiam miſit; ſecuri percuſſo Ioanne Haricuria, ſocio conſiliorum illius, quem conuiuantem vna Ioannes cum delectis adueniens prehenderat. *P. Æmil. ſupr.*

XIX. TVRBÆ IN ORIENTE INTER VENETOS ET GENVENSES PROGRESSVS CLASSIS VNIONIS IMPEDIVNT.

In Oriente, hoc anno magnæ turbæ inter Venetos & Genuenſes exortæ, maximo impedimento fuere, ne claſſis Vnionis Principum Chriſtianorū aduerſus Turcas inſtructa, alicuius momenti progreſſus faceret. Genuenſes enim, cum ea tempeſtate per totum Eoi maris tractum longe lateq; dominarentur, magnum negotiū Venetis negotiatoribus, præſertim vero circa Thraciū Boſphorum faciebant. Vario hinc inde euentu certatū; donec Genuenſes aliquot Venetorum & Cretenſium naues Caphatam ex inſtituto curſu retraxiſſent, diripuiſſent, & mercatores detinuiſſent, neq; repetitas merces aut homines reddere volētes, Venetos in ſe amplius prouocaſſent: hiq; triginta quinq; triremium claſſe comparata, Duce Marco Rucino, quatuordecim longas Genuenſium naues omni mercium genere onuſtas, ad Caryſtium portum intercepiſſent. Vbi vltra decem naues captas, multoſq; contrucidatos ſeptuaginta & amplius nobiles cum mille aliis Liguſtici nominis militibus aſſeruandi cauſa in Eubœam deportati ſunt: quadringenti vero in Cretam inſulam traducti. Ea victoria lætus Venetus, cum in feſtinatione magnam reliqui opprimendi hoſtis ſpem poneret, exiguo reficiendis corporibus conceſſo tempore, ſumma diligentia & commoda nauigatione vſus, Helleſpontum ac Propontidem emenſus, non antea ſubſtitit, quam Boſphorum perueniſſet. conſtituerat enim, Perenſes improuiſos & imparatos, inopinato acceſſu opprimere. Prior victoria, qua ad Caryſtium Lygur victus eſt, in Ioannis Baptiſtæ decollationis lucem incidit, iſq; ſolennis religioſuſq; exinde in hunc vſq; diem habetur. Eam cladem, vt Genuenſes Venetis reponerent, Philippum Aurium ſubmiſerunt, qui claſſe inſtaurata, Eubæam ſine maiore certamine cepit, & captiuos omnes recepit: turbaq; ingenti ciuium abducta vrbem incendit. Flagrabant Veneti cupiditate vindictæ; neq; minus Genuenſes aliud animo coquebant, quam vt hoſtem opprimerent, per quorum diſcordias, ne res Chriſtiana à Turcis quicquam grauius pateretur, Clemens Pontifex Andream Dandulum Ducem, Senatumq; Venetum, datis literis *III. Idus Septemb.* ad pacem cum Genuenſibus ineundam hortatus eſt. *Petrus Bizarrus de bello Veneto lib. 2. Petrus Iuſtinian. hiſt. Venetæ. lib. 4.*

XX. QVID DE BELLO SACRO.

Commodum tunc Venetias Auinione reuertebantur, Nicolaus Piſanus, Pancratius Georgius, & Ioannes Steno, Senatus populiq; Veneti apud Clementem Pontificem Oratores. Per eos Andream Dandulum, & vniuerſum Senatum Clemens admonuit, vt pacta, inter eos, ac Regem Cypri, militeſq; Hieroſolymitanos conuenta, ex fide publice data, aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes probarent: nec nō quartam pecuniarum partem in ſtipendia Smyrnæ prę ſidiariorum quantocius numerarent. Eundem in modum Regi Cyprio & Hieroſolymitanis, Clemens perſcripſit. *3. idus September.* Namq; & Rex, & milites, Auinionem hoc anno Oratores præmiſerant, qui coram Pontifice de rebus ad fœdus vnionēque ſpectantibus diſceptarent. Conuenit, ne Turcis poſtulantibus, ijs quibus proponebant conditionibus induciæ concederentur; & octo triremes, duæ quidem Cypri Regis, tres Venetorum, totidemq; Hieroſolymitanorum ſumptibus, armis viriſq; cuſtodię maris cauſa inſtruerentur, quartaq; pars ſumptuum, à Clemente Pontifice & Sede Apoſtolica in eam rem dependeretur. In eos pecuniæ colligendæ, Clemens, Raymundum Bononienſem Epiſcopum claſſis Vnionis Legatum deſtinauit, qui authoritate Apoſtolica decimationem omnium fructuum Eccleſiaſticorum, perſonis omnibus Eccleſiaſticis Romanæ Eccleſiæ in Oriente ſubiectis imponeret, eamq; ſummam pecuniæ exinde contraheret. Cumque tam cito quam oportebat ea pecunia non potuerit exigi, ſcripſit Clemens Principibus Vnionis, vt tantiſper illi quartam eam partem ſupplerent, quoad illa ex decimatione colligeretur. Andreas Dandulus Dux Venetiarum, ne triremes ex compoſito pactas ſubmitteret, excuſabat, quod ſuſpicione laboraret, quaſi Hieroſolymitani Genuenſibus aduerſum ſe ſuppetias miſiſſent. Purgauit crimen obiectum, Magnus Rhodiorum Magiſter: cui etiam Clemens ſerio iniunxit, ne rem Chriſtianam in diſcrimen adduceret, ſed vna cum Rege Cyprio profligandis Turcis operam nauaret. *ep. Clem. hoc anno, & Boſius. hiſt. Rhodienſ. lib. 2.*

XXI. CLEMĒS MONET PETRVM NOVVM CASTELLÆ REG. PRO RESTITVTIONE BONORŪ ECCLESIASTICORVM AB ALPHONS. VSVRPATORVM.

Alfonſus Rex Caſtellę hoc anno moriens, teſtamento extremæ voluntatis decreuerat, vt bona & poſſeſſiones quas de Rhodianis militibus per iniquitatem occupauerat, & vel fiſco Regio addixerat, vel inter familiares & aulicos prępoſtere diſtribuerat, ijſdem reſtituerentur. Stimuli conſcientiæ moribundum pupugerant, quod iniuſte ea rapuiſſet, diſtractaq;, neq; ad preces & monita, neq; ad anathemata Pontificia militibus concedere voluiſſet. Alfonſo ſuccedens Petrus filius, poſſeſſione prædæ inefcatus, necquicquam de reſtitutione cogitabat. Itaq; opus habuit Clemens, illum & Mariam Reginam matrem admonere, ne detentione eorum bonorum, mortui Regis animam, ſuaſque conſcientias grauarent. Quantum enim in auctoritate Sedis Apoſtolicæ foret, ſibi decretum ſedere, omnes Alfonſinas donationes, conceſſiones, & quaſcunq; vſurpationes bonorum prędictorum reſcindere, abrogare, antiquare: inque detentores iniquos cenſuram Eccleſiaſticam diſtringere. *ep. Clem. hoc anno.*

XXII. ARMENIS NEGĀT SVPPETIAS NISI AD ORTHODOXAM FIDEM REDIRENT.

Armeniorum Rex Conſtantinus, nobilem virum Conſtantium militem, hoc anno miſerat Nuncium ad Clementem, ſuppetias aduerſus Saladinum Ægypti & Saracenos poſtulatum. Non eas poterat Clemens ſubmittere, quod Rex & Armenij in errores quamplurimos ſeducti, non ex integro cum Romana Eccleſia ſentirent. Ab illis tenebris cupiebat eos Pontifex ad veram lucem, prius educere. Quamobrem Ioannem Methonenſem electum, & Antonium Caietanum Epiſcopum in Armeniam Nuncios miſit. ex quibus cum Antonius indidem obiiſſet, Ioannes autem ad Archiepiſcopium Piſanum euocatus eſſet, Armenij vero neq; errores eiuraſſent, neq; ſubſidia implorare deſinerent, Clemens; Philippo Nicoſienſi Archiepiſcopo formulam fidei Orthodoxæ ſcripſit. ex qua ſi Conſtantinus Rex, vna cum populis ſubditis Fidem Romanæ Eccleſiæ profiteretur, Epiſcopus Paphenſis Sedis Apoſtolicæ Nuncius, ex pecuniis Cameræ Apoſtolicæ, ei ſex millia aureorum numeraret. *dat. ep. 16. Cal. Octob. num. 70. Secret. Clem.*

XXIII. EXCOMMVNICATIONEM ALPHON

Alfonſus Rex Luſitaniæ, non parum, hoc anno, Clementem Pontificem offenderat. Aliqui Proceres Luſitani, Eccleſiæ iniurij libertates Eccleſiaſticas violauerant; nec impune. Apoſtolicæ enim Sedis Nuncij cauſa

...ſo Portvg. Regi interminatvr.

probe cognita, eos cœtu piorum excluſerant, & omnibus diris deuouerant. Rex porro Alfonſus publicatis vbiq; edictis, ne à quoquam Chriſti fidelium vitarentur, edixerat & Nuncios Apoſtolicos in carceres coniecerat. Indigne eam contumeliam tulit Clemens; Regemque admonuit, vt errata corrigat, neque in poſterum ſimilia admittat; niſi velit inter profanos ab Eccleſia damnatos numerari *ep. dat. 3. Non. Septembr.*

XXIV.

Siciliæ inſulam, eodem anno nonnulli pyratæ inuaſerant. Aduerſus eos Clemens, anathema tulit, & cenſum annuum à Rege Trinacriæ numerauit. *epiſtol.* 183.

XXV. Bertrãdvs Pat. Aqvileien. pro defenſione ivrivm Eccles. occvmbit.

Hoc ipſo anno Bertrandus Patriarcha Aquileienſis, pro defenſione iurium Eccleſiæ cæſus, occubuit. Fuit is claro genere San Geneſiorum in Galliis natus, & à teneris annis in literis & pietate educatus. Cum iuris vtriuſque Doctor euaſiſſet, inter Auditores Sacri Palatij Apoſtolici annumeratus, XVII. annos eam dignitatem ſuſtinuit. Pagano Patriarcha Aquileienſi defuncto, datus Anno Domini 1333. ſucceſſor, tanta vigilantia in curam paſtoralem incubuit, vt nihil quod ad officium ſuum pertineret omittere videretur.

Erat enim horis canonicis aſſidue intentus; in Diœceſis viſitatione frequens; in orationibus & ieiuniis, perſeuerans. Cumque ſæpius noctem orando inſumeret, & in Eccleſiam nudis pedibus noctu ad orandum pergere à familiaribus & canonicis deprehenderetur, ne iſta cuiquam palam facerent, eos iureiurando adſtringebat. Curam quoque gregis ſibi commiſſi ſollicitus gerebat. Sæpiſſime enim, in ſolennitatibus maxime concionem ad populum habebat. Synodum etiam prouincialium Epiſcoporum conuocauit, in qua multa pro Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtitutione conſtituit. In pauperes, tamquam verus eorum pater, inque omnia loca pia munificus fuit; ac multas Eccleſias ſuis ſumptibus refecit atque muneribus exornauit. Vtini, duo cœnobia, alterum virorum, alterum virginum conſtruxit, & redditibus ditauit. Numerum Canonicorum. auctis etiam ex ſuo diſtributionibus quotidianis auxit. Dominicanis bibliothecam copioſam attribuit. Cum his temporibus fames maxima poſt peſtilentiam vigeret, omnes facultates pauperibus alendis inſumpſit: ex quibus etiam toto quo in Pontificatu vixit tempore duodecim menſæ quotidianæ propriæ adhibuit. Fuit Eccleſiæ iurium defenſor acerrimus. Comitem Goritiæ & alios bonorum Eccleſiaſticorum inuaſores, collecto milite repreſſit. A Concilio Patauino, quod Guido Cardinalis Legatus hoc anno coegerat, ad Eccleſiam reuertens, quamquam à ſuis ne Sacile vlterius progrederetur, ſerio de inſidiis hoſtium moneretur, ire tamen voluit, conſtanter dicens; *ſe pro Eccleſia ſua mori* paratum eſſe. In ea planitie quæ inter Sacile & Spilimbergum latiſſime patet, ab hoſtibus captus, & vulneribus confoſſus, cum illis veniam precatus eſſet, eaque verba Pſal. *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*, VIII. Idus Iunij expirauit, apud Spilimbergum. Corpus Vtinum relatum, in Eccleſia maiore ſub pedibus celebrantium, vt ipſe viuens mandauerat ſepultum eſt. Propter crebra miracula, quæ poſt eius mortem, in morbis præſertim inſanabilibus curandis perpetrata ſunt, in multa veneratione apud Vtinenſes habetur. *ex eius vita MS. Vtino tranſmiſſa.*

Claret miracvlis post obitvm.

XXVI. Vita B. Matthiæ S. Brigittæ in spiritvalibvs præceptoris.

Eodem ipſo anno, Stockolmiæ in Suecia, diem clauſit extremum Matthias, S. Brigittæ in rebus ſpiritualib. præceptor.

Is honeſtis natus parentibus, & naturali quadam alacritate donatus, præclaris vitæ inſtitutis à teneris aſſueuit. Nam poſtquam domi egregia in humaniori litteratura ieciſſet fundamenta, florentiſſimas aliorum adiit Academias, breuique tantum profecit, vt in ſacra Theologia lauream magna cum laude perciperet. Et cum litteratum ſcientia præſtans eſſet, cœleſtis quoque vitæ ac innocentiæ laudibus floruit. Quamobrem in patriam redux, Lincopenſem Canonicatum obtinuit, meruitque diuinorum arcanorum conſcius fieri, quæ Deus tum temporis D. Brigittæ reuelauit. Ei quippe à confeſſionibus fuit; totam eius domum regebat, eamque cum filia D. Catharina, pietatem Chriſtianam, ex præcepto Chriſti docuit, & in viam virtutum ſpiritualibus exhortationibus direxit. Erat enim vir Sanctus, & potens ſpiritu non minus opere quam ſermone. grauitatem etiam quandam habuit humanitati atque benignitati coniunctam, qua omnes ad quandam erga ſe reuerentiam inuitabat, vt nulla ambitio, nulla eum priuata gratia vel odium permoueret. In bonis operibus fuit aſſiduus; quorum impedimenta, laqueos vocabat Diaboli; & ſi quando tribulationum ingruebat tempeſtas, ſuſtinuit patienter, ſciens modicum atque adeo momentaneum tribulationis, æternum gloriæ pondus in cœlis operari ſolere. Senſit aliquando Matthias acerrimum duorum in ſe ſpirituum conflictum, falſitatis ſcilicet & veritatis.

Videbantur enim illi omnes ab orco hæreſes ſuſcitatæ ante oculos conſiſtere, vnam Catholicam & Apoſtolicam fidem ac Eccleſiam impugnare, vnoque ore procaciter effutire: *nos ipſiſſima ſumus veritas.* Quo loco illud mox beato viro in mentem venit; conſueuiſſe ſemper Angelum tenebrarum, ſe ſe in Angelum lucis transformare; vt eo facilius hominem illaqueatum teneat. Quare non credidit ſenſilibus figuris, nec ambulauit in mirabilibus ſupra ſe; ſed auxilio, à Domino, qui fecit cœlum & terram implorato, tanta gratiæ diuinæ vi & efficacia immiſſas ſuggeſtiones ſuperauit, vt nullas amplius reliqua vita Dæmonum technas ac fraudes experiretur.

Ad rem diuinam erat attentus inprimis; & cum populo concionaretur, in modum torrentis orationem fundebat. Plerumque enim commonendo, ſæpe ſuauiſſime adhortando, nonnunquam etiam libere obiurgando vel caſtigando leniter, aut multorum infirmitatibus compatiendo, omni enitebatur ſtatui & negotio prouidere. Cum Commentarium ſcriberet in totam Sacram Scripturam, multa verbi Dei arcana myſteria, præſertim in D. Ioannis Apocalypſi, Spiritus Sancti inſtinctu meruit & ipſe percipere, & aliis interpretando explicare. Complures etiam reuelationes D. Brigitta dictante, conſcripſit, eiſque prologum à ſe compoſitum præfecit: quæ omnia Archiepiſcopo, & duobus Epiſcopis tranſmiſit. Verba pro concione quadam vice de more faciente, armiger quidam inſtar furioſi in has deſperationis prorupit voces; *Si anima mea cœli ſedibus non potietur, viuat more beſtiarum, terreno pabulo & præſentibus oblectamentis contenta.* Quo audito Beatus Matthias & inepta garrientem, temeritatis arguit, & in arrepto propoſito contentius perſtitit, populumque euidenter docuit, animas beatas, & à peccatorum reliquiis expurgatas, clare frui æterno conſpectu Dei. Miles autem temeritatis impietatiſque ſuæ iuſtas dedit pœnas.

Nam cum ſalutares monitus naucifaceret, quarto poſt die, nihilo mollior aut melior factus, mortuus eſt, & ſepultus, continuiſque aliquot noctibus auditus eſt ingeminare; *Ve, Ve; ardeo, ardeo*; donec vocibus importune vexatorum vxor admonita, ſepulchrum eius aperuit, vt alio forte corpus transferret; in quo præter panniculos, quibus cadauer inuolutum fuerat, & calceos, nihil inuenit. Matthias vero laboribus, vigiliis, ieiuniiſque attritus, mirabili quodam feruore animi in omni perfectione, & vitæ ſanctitate vſque ad extremum diem inceſſit.

Obiit Stockholmiæ in Suecia, Anno incarnati verbi 1350. quo tempore D. Birgitta Romæ conſiſtens, orando audiuit in ſpiritu vocem in hunc ſenſum dicentem: *O felix Magiſter Matthia, pro corona quæ tibi in cœlis præparata eſt, ſapientiæ flagrabas deſiderio, nunc cum ſapientia quæ nunquam exhaurietur perpetuo verſaberis.* De





*eo libro 1. Reuel. D. Birgitta cap. 3 & 52. libr. 5. interrogatione 16. in reſponſione quæſtionis primæ, libr. 6. cap. 75. 89. & 90. Extrau. cap. 61. & 63. & Ioannes Vaſtouius Præpoſitus Brodnicenſis, Sigiſmundi III. Regis Poloniæ & Sueciæ Bibliothecarius.*

---

# IESV CHRISTI Annus 1351.

## CLEMENTIS PAPÆ VI. ANNO 10. Caroli IV. Roman. Regis Anno 6.

I. Bononiam a Pepvlo Ioanni Vicecomiti venditam repetit Clemens.

SVperiore anno, Ioannes Vicecomes Archiepiſcopus Mediolanenſis, Bononiam iuris Pontificii vrbem occupauerat. Ioannes enim Pepulus, vir nobilitate opibuſque inſignis, qui patriæ libertatem inuaſerat, Pontificiis oppugnatus armis, ab Archiepiſcopo matura ope implorata, validiſque Inſubrum auxiliis egregie defenſus, eo demum deſcenderat, vt acceptis Crepacorio, Nouantulaque caſtellis ac multo inſuper auro, patriam vendere, quam ſuſcepti principatus nomen tueri mallet. Bononia parta Ioannes, finitimis terrori cum eſſe cœpiſſet, Florentini antiquæ iniuriæ, & Veneti recentis acceptæ cladis memores, Pontificiis copiis vires addiderunt, initoque fœdere cum Pontifice confeſtim impetrarunt, vt dirum religionis telum interdicendis ſacris in Ioannem & reliquos vibraretur. Admonuerat inprimis Clemens Ioannem, & Galeatium Vicecomites, vt intra quadrageſimum diem, Bononiam Eccleſiæ reſtituerent.

Cæterum illi monentem, & gratitudinem ab eis expoſtulantem contemnentes, in tantum irritauerunt, vt is anathemate eos damnauerit, & Mediolanum, Bononiam, ac reliquas vrbes quas vel occupaſſent, vel poſſediſſent, Eccleſiaſtico ſuppoſuerit interdicto. Sunt qui ſcribant, Ioannem, Nuncio Pontificio Bononiam repoſcenti, poſt ſacram ſolenni ritu in Eccleſia oblatam hoſtiam ſe velle reſpondere dixiſſe; atque ibidem in maiore Baſilica ſacrificio abſoluto, manu ſiniſtra Crucem, dextera gladium, quo accingebatur euaginatum prætuliſſe, ſuique iuris & ſpirituale, & temporale dominium tum Mediolani, tum alibi fore, non minus præfracte, quam ſuperbè, Nuncio, modeſtiæ Pontificiæ illum admonenti reſpondiſſe: ſeque gladio temporali aduerſus quoſuis hoſtes defendere decreuiſſe. Addunt illi ipſi ſcriptores, cum à Pontifice Auinionem citaretur Ioannes, magnam vim pecuniarum illo præmiſiſſe, & vrbana omnia hoſpitia occupaſſe, omnemque annonam in integrum annum coëmiſſe; ſpecie, quaſi is conduceret vna ſecum multa millia armatorum. Meminerunt & alii epiſtolæ, clanculum in publico patrum conceſſu ſuppoſitæ, cui titulus eſſet; Princeps tenebrarum, Clementi ſuo in terris Vicario, & eius Cardinalibus à Secretis. In ea epiſtola, multa crimina in Clementem & Cardinales, auctor fingebat; vtque per ea facinora Regnum ſibi apud inferos ſtabilirent admonebat. Fama fuit Ioannem ſcripſiſſe, eaque ſimulatione ſua ſcelera occulere voluiſſe. Quamobrem Pontifex magis incitatus, anathemata multiplicauit; & principes confœderatos in eum excitauit. qui cum vario euentu cum copiis Vicecomitum certaſſent, tandem Clementem totius periculi, quod Eccleſiæ Romanæ & vniuerſæ Italiæ imminebat, admonuerunt, ac ſuppetias poſtularunt.

Svperbvm et insolens Ioannis responsvm

II. Ioannes tvmore deposito cvm Pon. paciscitvr de Bononiæ retentione.

Inter hæc Clemens aliis grauiſſimis in Oriente & Europa negotiis diſtractus, cum gerendo bello ſubſidia quæ mitteret non haberet, Guillelmum Griſantem Abbatem Sancti Victoris Maſſilien. qui poſtea Vrbani Quinti deſumpto nomine Pontifex factus eſt, Nuncium ad Vicecomitem deſtinauit. Illum Ioannes quo par fuerat honore audiuit, & tandem omni depoſito tumore veniam criminis precatus, centum quinquaginta millibus florenorum Pontifici numeratis, cum Guillelmo tranſegit, vt tanquam beneficiario iure conceſſam à Pontifice vrbem retineret, & quotannis ſexaginta pondo auri tributi nomine perſolueret.

Florentini et eorvm socii legatos ad Pontif. contra Ioannem Vicecomitem mittvnt.

Inter hæc Ioannes Florentinis infeſtior erat: per quod tempus eorum ſociorumque Legati nuper in Galliam miſſi, cum ad Pontificem perueniſſent, magno in honore ſuſcepti, ac benigne auditi, ſpecioſa quidem verba, ſi rem opinione languidiorem repererũt: quod Ioannes ſolers, impigre obeundo magnificeque largiendo Regem & Principes Galliæ, Patrumque magnam partem in fauorem ſui conuertiſſet, necnon Pontificem ſibi iam deliniuiſſet. Hæc domi per literas Oratorum cognita, fecerunt, vt aliam ſubinde ſpem ciuitates reſpicerent. Carolus erat ad Imperium delectus. Is quia dudum adoleſcens ſub patre ciſalpinam per Galliam longo tempore militarat, variieque in his locis fuerat iactatus, lætus iam tunc à Vicecomitum familia, ob eamque rem hoſti credebatur infenſus. Conſilium itaque initum eſt à ciuitatibus, hunc in Italiam accerſendi. Arcane tentata res vſque adeo non ingrata Carolo fuit, vt eius rei gratia quendam ex familiaribus amiciſque Florentiam miſerit, quaſi occulte gubernatores reipublicæ alloqueretur pactaque componeret. Quæ quidem res, vt ſpem afferebat maximam, ſic etiam non minores difficultates habere videbatur. Namque & Vicecomes ſibi non defuit, ſed Oratoribus Caroli honorifice ſuſceptis, arbitrum illum inter ſe & Florentinos ac ſocios fieri poſtulauit, Clementem Põtificem Florentini Carolo ſuſpectum facere volebant, qualis is Vicecomites aduenienti illi in Italiam opponere deſtinaret. Verumtamen Clemens datis litteris Carolo, mendacii Florentinos coarguit, ac Sleſuicen. Epiſcopo Caroli apud ſe Legato palam fecit, nihil cum Archiepiſcopo Mediolanenſi, contra eius honorem & iura Imperii, ſed tantum de reſtitutione Bononiæ egiſſe. Demum Clemens, ab iiſdem Florentinorum ſociarumque Etruriæ ciuitatum Oratoribus, aſſidua prope flagitatione pulſatus, tria eis propoſuit.

Differentiæ inter Florentinos et Vicecomitem ad arbitrivm Pont. referuntvr

*Societatem Romanæ Eccleſiæ, tranſitum in Italiam Caroli ad Imperium delecti, pacem cum Præſule Mediolanenſi.* Horum trium quod mallent Oratores eligerent: ſeſe eorum voluntatem electionemq; ſecuturum. Legati vero inter ſe cogitata re, tandem præſtare exiſtimarunt, ad arbitrium eius totum referre. Quod cum feciſſent, ſuſcepta optione Pontifex mitiſſimam innocentiſſimamq; partem ſibi placere dixit. eſſe vero eam, pacem dare, neque enim aliud Romanum Pontificem, ſi optio illi detur, eligere decere. Itaq; ſe daturum operã, vt pax præſtabilis habeatur. Ita Clemens facultatem nactus, abſque ciuitatum querela hoſtis in ordinem redigendi, publico in auditorio coram omni multitudine, ad V. diem Maii quæ in Dominicũ inciderat cenſuras in præſulem Mediolanenſem latas remiſit, illumque in gratiam recepit, in duodecim annos gubernatione Bononiæ illi conceſſa. De pace inter Ioannem & Florentinos, quaſi illa tractatum exigeret longiorem, dilata res eſt. Induciæ tantummodo ex auctoritate Pontificis ad annum indictæ, vt per hoc medium tempus tractandi maturius agitandiq; facultate affutura. In hoc Pontificis facto, multa ſimul, Florentini Oratores ægreferebant maxime tamen omnium indignabantur, adproperatam in eorum oculis reconciliationem hoſtis, pacis vero negotium dilatum atque poſthabitũ: cum per commodum dicerent non prius illud quam hoc expedíri. Deinde vicinum ſibi pergrauem atque infeſtum auctoritate Põtificis datum confirmatumq; exiſtimantes dolebant. Namq; is Scarperiam vſq; penetrauerat, à cuius obſidione, Ioannes Medix iam tunc inde clara vir fama vix illum ſubmouerat. Augebat inſuper dolorem aduerſariorum lætitia, qui quaſi illis repugnantibus omnia conſecuti exultare gaudio triumphareq; videbantur.

Florentini Pontif. indignati.

debantur. Itaque, ne induciæ quidem à Legatis comprobatæ ſunt; ſed cuncta ciuitatum ſuarum arbitrio integra reliquere. Hæc ab Oratoribus per litteras nunciata, ciuitates permouerunt, vt nullo Pontificis reſpectu ad ſpem conuerterentur. Cumque ſatis tractata res eſſet, conditiones acceptæ ſunt. Fuerunt autem vt ſummatim dixerim eiuſmodi. Carolus contra Mediolanenſem in Italiam veniret, hi pecunias præberent; eique vt Romano Pontifici fauerent. Euocabat Carolũ & Ioannes Vicecomes, inque illum controuerſiæ arbitrium deponebat: quod idipſum & Clemens Pontifex, reuertente Sleſvicenſe Epiſcopo permittebat. *epiſt. Clement. Secret. hoc anno. Leonardus Florentinorum hiſt. lib. 7. Blondus Dec. 2. lib. 10 Corius hiſt. Mediol. parte 3 Villani lib. 2. c. 47. 65. 67. & lib. 3. ca. 1 2. 3. 4. Boſius Chron. Mediol. Iouius in Ioanne Vicecomite. Bonicontr. in annalibus.*

III. Præpoſuit tunc Ioannes Bononiæ, Ioannem filium, cognomento Aulegium, quod eum in hoc vico ex cõcubina ſuſcepiſſet. *Is* porro curam eorum, qui neci publicæ deſtinati in carcere tenebantur, Deuotis S. Mariæ mortis commiſit, qui ſe ſtudioſe tum in eiuſmodi charitatis operibus exercebant. Itaque illi eorum, qui publico damnati ſupplicio erant, confirmandorum officium ſuſceperunt, atque in foro Boario ædem decollationi Sancti Ioannis Baptiſtæ ædificauerunt, vbi eiuſmodi vita ſpoliatos homines honeſtæ ſepulturæ mandarent. *Carol. Sigon. lib. 3. de Epiſcopis Bononienſibus.*

CONCEDIT ITERVM PRINCIPATVM FERRARIÆ OBICIO ATESTINO SVB CENSV ANNVO.

quo etiam anno Clemens, miſſo Nicolao Caſtellano Venetoque Epiſcopo, & Raymundo Cœnobii ad S. Nicolaum in littore Veneto Abbate Nunciis, Principatum Ferrariæ Obicio Ateſtino iterum iure fiduciario, ex cenſu annuo decem millium aureorum, ad XIV. diem Septembr. conceſſit: viro vtique maturitate conſilii, vnde tanquam ex oraculo principes reſponſa petebant, prudentia, grauitate, liberalitate, facundia, multiſque aliis virtutibus, maxime vero ſtudio ac ſolertia in captandis rei bene gerendæ occaſionibus, & aduerſis declinandis fortunæ incommodis, commodiſque augendis ornatiſſimo. *Corius hiſt. Mediol. par. 3. Pigna hiſt. Ateſtinæ lib. 4.*

IV. EVBŒAM INSVLAM GENVENSES VASTANT ET PRIMARIAM VRBEM OCCVPANT CVM INGENTI PRÆDA.

Non ingratum beneficii Ateſtinum, Clemens, expertus eſt: eius induſtria quamplurimum vſus, in Bononia iuribus Eccleſiæ Romanæ vindicanda, & Venetis cum Genuenſibus conciliandis. Id enim temporis Genuenſes, Philippo Auria viro ſtrenuo & rei naualis peritiſſimo duce, Eubœã inſulam variis populationibus & incendiis deuaſtarant, & Chalcidem vrbem illius inſulæ primariam ſubito appulſu Venetis eripuerant. in qua Philippus captiuos adinuentos recepit, omnemq; oppidanorum turbam inde abduxit, vrbeq; direpta & incenſa, pretioſis captæ vrbis ſpoliis onuſtus, cum viginti tribus patricii ordinis ciuibus Venetis captiuis Chium reuerſus, captæ ciuitatis claues ad ſempiternam memoriam ad eius vrbis portas, more Romano, qui ad roſtra hoſtium exuuias ſpoliaque ſuſpendere ſolebant affixit. Deinde victor ex Boſphoro reuerſus, omnis maris tractum late audacterque circumuectus, nullo relicto, vel ſtatim prodire audente aduerſario, ouans cum magnis ſpoliis & opima præda, quæ ad quadringentas, vel vt aliis placet, trecentas auri myriades æſtimata eſt, Genuam cum ſumma Patrum totiuſque populi congratulatione remigrauit, adeo vt effuſa vrbana multitudine, magnus illi eiuſque ſociis honor haberetur. Eam ignominiam Veneti vt delerent, ac nouis auſis & recenti expeditione iniurias & clades vlciſcerentur, cum Petro Aragonum Rege, operante Michaele Steno Legato, ſocia aduerſus Genuenſes arma iunxerunt; cumq; Ioanne Cantacuzeno Græcorũ Imperatore (qui hoc anno expulſo Ioanne Palæologo Andronici iunioris filio, ſuo genero, contra ius & æquitatem imperium occuparat) per Ioannem Delphinum Oratorem, fœdus atque amicitiam confirmarunt: cum etiam Genuenſes ſibi non defuiſſent, ſed cum Anna Sabauda Palæologi matre, Andronici Imperatoris relicta,

VENETI SOCIETATEM CVM ARAGONVM REGE ET IMPERAT. GRÆCORVM CONTRA GENVEN. INEVNT.

Theſſalonicæ per id temporis cum filio Imperatore ſubſidente, ſocietatem iniuiſſent. *Petrus Iuſtinian. de reb. Venet. lib. 4. Petrus Bizarus hiſt. Genuen. de bello Veneto lib. 2.*

V. CLEMENS VTRISQVE LEGATOS MITTIT PRO INEVNDA PACE.

In ingentem totius Chriſtianitatis calamitatem, hæc diſſenſio, & præparatio armorum erumpere poſſe videbatur; cum his inter ſe dimicantibus, Turcæ ad omnem occaſionem intenti, poſſent claſſi Vnionis principum confœderatorum imminutæ vehementer incõmodare. Negotium quoque vnionis Orientalium Eccleſiarum cum Romana, non infeliciter inchoatum, periclitabatur, Imperatoribus Græcorum inter ſe propter ſtudia partium commiſſis. Quamobrem Clemens inprimis Iuſtinopolitanum Epiſcopum 2. Non. Iulii, deinde Fortanerium Patriarcham Gradenſem, ad Genuen. & ad Andream Dandulum Ducem ac Senatum populumque Venetum, Legatum ire iuſſit, qui rationes concordiæ inter eoſdem Venetos & Genuenſes iniret, omneſque controuerſias prudentia ſua dirimeret. *ep. Clem. 9. Cal. Nouemb.* Benigne Legatum tranſeuntem Obicius habuit, & conſiliis iuuit; plurimamq; hoc nomine gratiam apud Clementem promeruit, qui æque Venetos ac Genuen. ad pacem mutuam inuitauit. *datis litteris eodem 9. Cal. Nouembr.*

VI. CANTACVZENI PERFIDIA.

Theſſalonicam hoc anno conceſſerat Anna Imperatrix cum Ioanne Palæologo filio Imperatore, quem Cantacuzenus non tantum Imperio, ſed & vita exuere cogitabat. Venenum iuueni paratum fuiſſe multi affirmabant: alii alias fraudes tollendo illi comminiſcebãtur. Eius itaque vim vel fraudes vt Anna effugeret, Theſſalonicam ſeceſſerat, occaſionemq; Cantacuzeno fecerat, quo ſibi & Matthæo filio Imperium magis ſtabiliret. Veruntamen vt eum quoquo modo diſtraheret, fœdus cum Genuenſibus Venetorum hoſtibus percuſſit, qui Imperatori, prætextu Venetæ ſocietatis ab eo initæ, negotium faceſſerent. *Matth. Villani lib. 2. ca. 26. 27. Cantacuzen. hiſt. lib. 4 c. 26. 27.*

VII. PRÆSAGIVM LVBECÆ.

In Septentrione hoc anno peſtis nondum deſæuierat Lubecæ, ad 90. hominum millia elata eſſe feruntur. vbi tum præſagium mirabile memorãt extitiſſe in Cõuentu Prædicatorum, quod nouitate ſua narrationem à nobis impetrauit. *Audiuit frater ex conuerſis, qui curam haberet præ cæteris coquinæ, nocte vna ſubter ſe, quum in ſtrato eſſet in hoſpitali domo, ſtrepitum, & interea vocem loquentis ad feneſtram coquinæ; Coce, para cibum abituris fratribus. Et ille denuo: Quot ſunt tranſituri? Tum ille; Triginta ſex de conuentu, & duo aduenæ cum illis profecturi. Miratus ille frater de intempeſtæ noctis cibo, & quod illi talium rerum curam habenti, nihil tale à Priore eſſet inſinuatum: cœpit cum horrore cogitare, eſſe fantaſticam rem quæ gereretur. Tum curioſitate ductus, deque lecto ſurgens, intuetur per foramen quod viſum admittebat in domum hoſpitalem; videt aſſidere menſæ in albis numerum fratrum quem audierat, velatis frontibus, vt fieri ſolet iam tumulandis. Horrens de viſionis forma rediit in ſtratum: nec erat cui rem detegeret. Sed quum euentus omnia probaſſet, funeratis triginta ſex de conuentu fratribus, & duobus qui Hamburgo venerant, iam palam edixit quid antea vidiſſet.*

VIII. FLAGELLATORVM SECTA PER GERMANIAM GRASSATVR.

Hac peſte epidimiæ vbique per Germaniam graſſante, ſecta flagellantium etiam vehementer per prouincias creſcebat, authore illo primum inſtituta, quem cæteris non vigilantibus tradit Euangeliũ zizania ſuperſeminaſſe, vnde & acephali ſunt nominati, homines rudes, qui per Germaniæ agros flagellis ſe atteruerant: Cruces in veſte præferebant; ad vrbes gregatim ibant proceſſione diſciplinata; capitum opertmentis ad oculos demiſſis, luminibus in terram defixis, triſtes & mœſti ſemper cernebantur. Flagella tribus reſtibus erant trinodia, nodi ferrum in crucis formam eminens habebant; liuentes ex crebris ictibus ac vulneribus ſcapulas & dorſa prætulere. Eccleſiam ingreſſi, poſitis veſtibus, ſubligacula linea ab vmbilico demiſſa ſumebãt. Ita egreſſi, per cemeteria nudi ſternebantur, alii proni in faciem, alii in latus, nonnulli in dorſum; quidam extentis in altum palmis, pœnitentiæ formam ad ſingula peccatorum genera in geſtu ſignificabant. Progreſſus





ex omni numero vnus, ſingulos tangebat dicens; *Det tibi Deus remiſſionem peccatorum tuorum. Surge.* Inde in ordines digeſti, præcinentibus duobus, verſum chorus iterabat. Vbi Dominicæ paſſionis in cantu quædam mentio incidiſſet, mox vna in terram proruebant, non (vt ſolemus) primo geniculantes, ſed vno impetu, velut præcipitata ligna vel ſaxa, quem quiſq; ſtans locum forte habuit, ſcrupeum, lutoſum, in eum nihil cedens ſe proiiciebat: tum ſigno dato ſurgebant. Ferrea corda molliebant conſpecti hominum geſtus. Neminem rogabant aliquid, oblata ſponte cum gratitudine ſumebant. His tamen religionis ſignis ſcelera tegebant, alebant occulte. Aliquando à duobus Fratribus Prædicatorib. interpellati, quid, nemine mittente docere & prædicare preſumerent; vnum ex eis lapidib. iuxta Moſam obruerunt, cum alius vix ſibi fuga conſuluiſſet. Ad hos fanaticos extirpandos, Carolus Rex Romanorum plurimum operæ poſuit: cui Pontifex Clemens, decimam omnium redituum Eccleſiaſticorum, in Regno Boemiæ & Prouincia Lucemburgen. hoc anno in ſumptus ſacri belli conceſſit: Garinumq; de Caſtro nouo ad Pruſſos & Lituanos infideles oppugnandos proficiſcentem, vt eum modis omnibus iuuaret, commendauit. *ep. 594. Secret. huius anni.*

MILITVM THEVTONICORVM DE LITHVANIS VICTORIA.

Hoc enim anno Magiſter Ordinis Theutonicorum vocatis ad arma ex vniuerſa Pruſſia & Liuonia fratribus, Lituaniam ipſo die purificatæ virginis armatus intrauit, inque conſpectum gentilium apud Trocos venit. Cumque prius omnis exercitus in ſolo pane & aqua ieiunaſſet, & vt pro ſui nominis gloria Deus, interuentu Diuæ Genitricis de perfido populo victoriam concedere dignaretur humiliter poſtulaſſet, octo millia hoſtiũ proſtrauit: duo millia poſtea cepit, inque Pruſſiam vt baptizarentur, & ritus perdiſcerent Chriſtianos retraxit: quo facilius ad ſuos reuerſi, oſtenderent quid pietatis, & quantum ſuauitatis, nihilque oneris haberet formidata ab illis religio, de multis auſteritatibus in ea gente per id tempeſtate diffamata.

IX. Duo tunc in Germania accidiſſe miranda, narrabat is qui de rebus Vandalicis ſuperiora ſcripſit *Albert. Krantzius Vandal. l. 8. c. 28. 29. 30.*

MIRABILE.

*Quidam in Hachmolen oppido ad Veſeram, in area, quum foueam teneret rebus ſeruandis frugibus aut aliis idoneam; eam iam vetuſtate obſoletam innouare conſtituens, immiſit foſſorem qui purgaret. Ille, neſcio quid paſſus, ſubito intercipitur mortuus. Deſcendit alius, vt videret quid prior pateretur; & ille quoque ſtatim expirauit. Mirati qui ſupra ſtabant, quum clamoribus nemo reſponderet, & hunc mortuum intellexere. Tertius fune immiſſus, iubebat ad primum ſignum ſe retrahi: vix mediam peruenit in ſpecum, & iam ſpiritu cœpit intercipi, clamans vt extraheretur. Eductus vix ſpiritum retinuit; multos poſtea dies elanguens. Baſiliſcum ineſſe putabant, qui viſu interficeret immiſſos. Alii cauſam veram dixerunt aerem in imo corruptiſſimum, qui concretus humoribus peſſimis magis atq; magis putreſcens, adeo cœperit eſſe venenatus, vt flatum draconis aut viſum baſiliſci ſuperaret.*

ALIVD.

*Per eam quoque ætatem in oppido Wittembergico iſtud ferunt contigiſſe. Incendium ædium furtim procuratum, imponebatur in eo oppido innocenti. Ille quam ſancte iurans, eius ſe culpæ non eſſe affinem, purgationem afferebat vulgarem de ignito ferro: quã iuribus interdictam aut ignorauere, aut contempſere qui iudicio præerant laici. Ferrum ergo ignitum ille deportauit itinere non paruo: tum manibus excutiens, nihil læſionis præferebat. Euanuit ferrum ex oculis omnium mirantium. Annus pene totus interceſſerat, quum alius iam ſilicib. viam ſtraturus in oppido publicam, in arena loci manum vertit, & inuento ferro adhuc igneſcente dexteram aduſſit. Mirati qui aſtitere, rem loci præfecto detulerunt. Illi mox incidit ſuſpicio, illum eſſe hominem criminis reum quod innoxio imponebatur. Mox iuſſu ad quæſtionem abripi. Confeſſus eſt crimen, & vltimo addictus ſupplicio, fractis rota cruribus interemptus eſt: cum diuino iudicio proditus fuiſſet noxius.* Krantz. ſupr.

X. DISSENSIONES INTER IOANNAM REGINAM ET EIVS VIRVM EXORTAS SOPIRE STVDET.

Neapoli, Ludouicus & Ioanna, filius quondam Hugonis Comitis Auellini, quem Ludouicus propter Mariæ Dyrrachianæ raptum occiderat, adhuc in vinculis tenebant. Eos vt Clemens Pontifex in libertatem aſſereret, nonnullaq; negotia cum Ludouico tranſigeret, Ioanni Archiepiſcopo Brundiſino Sedis Apoſt. in Regno Siciliæ Nuncio, iniunxit, qui curam omnem curaret, vt quamprimum eliberarentur. Forte ex hac occaſione nonnihil ſimultatum inter Ludouicum & Ioannam interceſſerat. quæ periculum potuerant creare Roman. Eccleſiæ, in iuribus Regni Siciliæ, de cuius poſſeſſionis prætextu, nondum plene Ludouicus & Ioanna ſatisfecerant Ludou. Pannonio. Quapropter Clemens Brundiſinũ monuit, vt amorẽ coniugalem inter Ludou. & Ioannam reſtitueret, ſeu confirmaret. Cumq; illi ipſi pro liberatione Principum Regiorum Pannonio, CC. millia nummum aureorum ſpopondiſſent, & Clemens niſi ad feſtiuitatẽ Natiuitatis Dom. redemptionẽ numeraſſent 25. millia aureorum ſoluere in ſe recepiſſet: ideo vtrumq; hortatus eſt, ne ſolutionem eius pecuniæ ſubterfugerent, neue auctione damnorum, Rom. Eccleſiã defraudarent, quæ tantopere honores & emolumenta vtriusq; curaſſet. *ep. Clem. Secretor. Non. Iunii Pontif. anno* 10. Quod ad ceſſionem tituli, iurium, & bonorum Regni Siciliȩ attineret, Pannonius omnia illa ex pactis Ludouico & Ioannæ conceſſerat; ſi modo illi CCC. millia florenorum auri dependiſſent. Cæterum, cum vtriq; non ſatis fideret: & Pontifex pro ambob. cum hac præſcripta conditione fide iuſſiſſet, vt Salernon, Caieta, Stabia, Scala, & nonnullæ aliæ ciuitates vadium loco eſſent: ea propter Clemens *datis literis Cal. Septembr.* Præſides earum ciuitatum, & vniuerſitates ipſas officii admonuit. Cumq; necdum ſatis inter Ludouicum Tarẽtinum & Ioannam conueniret, vtriq; præcepit, vt Nuncios Auinionem tranſmitterent, ex quibus de toto diſſidii negotio cognoſceret, & ex æquo omnia inter eos componeret. *Iãib. Septemb.* In Brutios Ludouicus Tarentinus volebat exercitum ducere, ad quoſdam refractariorum reprimendos. Eum vt prudenter ageret, deque vario euentu belli ſerio cogitaret Clemẽs hortatus eſt. 11. *Cal. Decemb.* Quod autem Ludouicus Friderici Trinacriæ Regis filius, vnam ex neptibus Pontificis ſibi in matrimonium dari poſtularet: Clemens excuſauit, affirmans; neptem ſuam tanto imparem eſſe faſtigio, ſeu connubio. Et quidem Euſtachium Paſchalem ciuem Meſſanenſem Nuncium Regium benigne accepit, cæterum affinitatem Regiam pro modeſtia recuſauit. *epiſt. Non. Iulii.*

RECVSAT AFFINITATEM REGIAM CLEMENS.

XI. IOANNES REX GALL. AVENIONEM AD PONT. VENIT.

In Galliis, Ioannes Rex inſigniis Regni ab Archiepiſcopo Rhemorum ritu ſolenni inauguratus, ſtatim à feſtiuitate Natiuitatis Dominicæ, Auenionem miro apparatu ad ſalutandum Pontificem acceſſit. Summo honore illum habuit Clemens, inque coram illo, XII. inſignes viros addidit Pontificio Senatui: cum prius ipſo ſolenni die Natiuitatis Domini Humbertum Vienẽſem Prædicatorium Ordinem profeſſum, in Miſſa Gallicinii Subdiaconum, in ſacrificio auroræ Diaconum, in ſolenni autem holocauſto incruento ſacerdotem initiaſſet, iſq; ipſo illo die primum ſacrum obtuliſſet. & Calendis Ianuarii Patriarchæ Antiocheni dignitatem à Pontifice obtinuiſſet. quo item anno, paulo poſt aliquot menſes, Clemens, quendam Fratrem Ordinis Minorum in vincula coniici iuſſit, quod is multa futura, de Romanis Pontificibus, & Imperatorib. in poſterum ſuccedentibus, & de Ordinib. Mendicantium fingens prædiceret, & multa alia miranda effutiret. *Henricus Rebdorf. in Annalibus.*

XII. TRANSLATIO CORPORIS B. ROBERTI ABBATIS MONASTERII CASÆ DEI.

Cumq; B. Robertus quondam Abbas Monaſterii Caſæ Dei Claromontanæ Diæceſis ingentibus miraculis fulgeret, Epiſc. Anicienſi Clemens poteſtatem fecit, qui illum de loco in quo conditus iacebat, ad alium eminentiorem, vel ad maius altare eiuſdem Eccleſiæ maiore qua poſſet reuerentia transferret, diemq; illius translationis ſolennem eſſe perpetuis temporibus eo in loco iuberet; & tum illis qui translationi præſentes adeſſent, tum qui octo diebus ſubſequentibus,

ſacrum eius corpus viſitarent, XV. annos & totidem Quadragenas; qui vero in anniuerſario tranſlationis & octauis ſolemnib. in poſterum ſingulis annis illo ſe conferrent, VII. annos, & totidem Quadragenas, indulgentiarum conceſſit. datis litteris *apud Villam nouam 16. Cal. Octobr.*

XIV. Mandat formari proceſſum, pro canonizatione B. Elzearii Comitis Ariani.

Beatus quoq; Elzearius, Comes olim Ariani, maxima per id temporis miracula defunctus edebat, in Eccleſia Aptenſi Fratrum Minorum ſepultus. Eum vt Clemens in albo Sanctorum ſcriberet, Aquenſis & Arelatenſis Archiepiſcopi, vna cum Epiſcopis ſuffraganeis poſtulabant. Non poterat Clemens quicquam concedere, antequam exploratam haberet vitæ ſanctitatem, & gloriam miraculorum quæ indies vulgabantur. Itaque cum Patribus in conſeſſu publico deliberatione præmiſſa, ex Purpuratorum conſenſu, inquiſitionem vitæ & miraculorum eiuſdem Elzearii, Epiſcopis Vicen. & Carpentoracten. commiſit, qui diligenter inueſtigarent, an ex vero omnia eſſent quæ propalam ab omnibus de Eleazario dicebantur, *epiſt. 2. Decemb. nu. 165. hoc anno.* Perfuncti ſunt illi diligenter officio, proceſſumque quem vocant pro canonizatione Diui, à relatione fide dignorum ſcripſerunt, qui extat *in Bibliotheca Vaticana num.* 4018. Hæc eſt ſumma vitæ illius in compendium redacta.

XV. Summarium vitæ S. Elzearii Comitis Ariani.

Calendis Octobris, hoc anno in patriam cæleſtem emigrauit, S. Elzear. Comes Ariani. Hic in Gallia Narbonenſi, patre Harmongao Sabrano, matre Lauduna Albana, natus, ad eum modum à diuina clementia in benedictionibus gratiarum præuentus eſt, vt intra ipſa matris viſcera ſancto Spiritu imbutus eſſe videretur. Eo mater onuſta, magnam animi ſenſit mutationem, ita vt ſanctis ardens deſideriis, mundi illecebras cogitauerit, atq; voluerit, ſi ei per mariti licentiam licuiſſet. Enixa infantem Elzearium, ſtatim obtulit Deo, dicens; Si illum noſſet fore diuinæ voluntati rebellem, vbi ſacro baptiſmate eſſet candidatus, è medio auferret. *Satius enim* aiebat, *eſt eum innocentem & nullis propriis auctum meritis tecum, ô Deus, viuere, & mundo emori, quam in hac mortali vita tuam offendere maieſtatem.*

Eius infantia. Pueri in pauperes liberalitas.

Tantam porro menti infantis Deus inſtillauit in ipſis incunabulis pietatem, vt vix trimulus, cum pauperem aliquem aſpiceret, ab eiulatibus non ſibi temperaret, donec eleemoſynam erogari egeno vidiſſet. Ea propter nutrices panem ſecum circumferebant, quem pauperibus largiri animaduertens infans, mirum in modum exultabat. Quinq; annos natus, pauperes ad prandium paternum inuitare non ceſſabat, & quicquid rerum nanciſci apud parentes poterat, obuiis indigentibus diſtribuebat. Curæ Wilhelmi Sabrani patrui Abbatis Maſſilienſis traditus, ætatem virtutibus præueniebat, maiorque ſeipſo indies fiebat, verbis parcus, ſed affabilis, moribus maturus ſed comis, liberalis & manſuetus, obediens & humilis, caſtus & honeſtus, & quantum illa ſinebat ætas, prouidus & moderatus. Zelo fidei in illa tenera ætate adeo inflammatus ardebat, vt cuidam monacho ſæpius diceret, magno ſe deſiderio teneri proficiſcendi ad infidelium regiones atq; illic è vita per martyrium in confeſſione Chriſti nominis excedendi. Decimotertio ætatis anno, puer Angelica puritate, & columbina ſimplicitate, non tam ſua ſponte, quam voluntate maiorum, Dalphinam vxorem accepit: virginem duodecim annorum, in Chriſti timore confirmatam, diuinoque amore accenſam.

Matrimonium contrahit.

Hæc prima nocte in eius cubiculum admiſſa, arcanum pectoris de virginitate perpetuo ſeruanda illi aperuit, ſeque inuitam ad matrimonium acceſſiſſe dixit: tantumque apud ſponſum innocentem egit, qua ſuadendo, qua deprecando virginitatem decretam: vt is intactam ea nocte reliquerit, neque aliquo verbo minus honeſto eam interpellarit, tota nocte Deum lachrymis & orationibus fatigantem, eiq; virginitatem ſuam commendantem. Noctibus deinde conſecutis, ſimul atque in cubiculum conueniſſent, prudens virgo caſtis, honeſtis & religioſis ſermonibus ſponſum anteuertebat, effeceratq;, vt ambo integritatem corporis ſeruarent.

Continentia.

Aliquando à petulantioribus ex familia Abbatis patrui, ad fœdas carnis libidines ſollicitatus, fortiſſimo animo reſtitit; dicens, potius velle mortis diſcrimen adire, quam vel Deum mortifero peccato offendere, vel fidem lectiſſimæ coniugi ſpoponſam violare. Quanquam autem illam non contingeret, propoſitum tamen ſuum & illius prudentiſſime celauit; dixitque; *Eſt mihi, vt noſtis, coniunx eleganti forma, & ea mihi ſufficit.* Continentiæ vero ſeruandæ cauſa, nodoſa chordula nudum corpus tam fortiter ſtringebat, vt è ſaucia carne ſanguinem exprimeret.

Virginitatem ſeruare proponit.

Quintodecimo ætatis anno, cum in feſto Aſſumptionis Sanctiſſimæ Virginis Deiparentis, Sacroſanctam Euchariſtiam ingenti cum deuotione ſumpſiſſet, tum demum animo & corpore ex redundantia gratiæ immutatus, in mundi contemptum vehementius exarſit, ab eoq; tempore ſeriam curam cogitationemq; ſuſcepit, qua ratione cautius virginitatem ſeruaret, Deoq; vni & ſoli placeret. Volebat, omnia temporaria relinquere, & in deſertum aliquod ſecedere, vbi omnibus ignotus, diuino cultui totum ſe dicaret; cum ab oratione, vocem alicuius in ſe ipſo loquentis audiuit, ne ſtatum ſuum deſereret, nec aliquo ſecederet, neque res facultateſque ſuas abiiceret. Illo reſpondente, ſe propter fragilitatem non poſſe hac ratione in illo diuini amoris feruore viuere ac perſeuerare, rurſus dictum eſt ei; *Scio equidem quantum poſſis; quodque tu non poteris ego faciam & ſupplebo.* Simulq; eum admonuit, vt virgo permaneret. Ab hac diuina viſitatione, tantum confirmatus fuit, vt neque hæredis ſuſcipiendi, neque honoris terreni, neque temporalium rerum deſiderio amplius teneretur, Dalfinæ, in vno cubiculo velut ſorori non coniugi conuiuens. cui quanto propinquior fuerat, tanto virginitati ſuæ minus metuebat: plane vt delectationibus carnis mortuus videretur. Iuuabat adoleſcentem ad integritatem corporis ſeruandam, orandi perpetua conſuetudo, & ieiuniorum exacta obſeruatio. Fere enim totas noctes ducebat inſomnes, precationi & meditationibus intentus.

Viſio.

Aliquando viſus eſt ſibi videre in quadam planicie aperta, ſacrificium in memoriam paſſionis Dominicæ, à quodam Sacerdotum offerri, adque hymnodiam Cantorum, præcinentium, *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti,* Chriſtum in cordibus fidelium paſſionem ſuam renouare. ex qua viſione adeo cum Crucifixo Domino fuit confixus, vt non ſolum eius paſſionem & mortem in ſuo pectore perpetuo circumferret, ſed etiam pro Chriſto mortem oppetere ardentiſſime deſideraret. Atque deinceps iniurias, afflictiones, pericula & damna non modo ferebat patienter, ſed etiam rebus aduerſis lætabatur, ſuosque perſecutores & aduerſarios plus ſolito diligebat, & pro illis Dominum ſpecialiter precabatur.

Altera viſio.

Altera vice cum totam noctem in precibus exegiſſet, Dalphina, vidit ab eius vultu quandam proficiſci claritatem, luce candelæ ſplendidiorem atque pulchriorem. Ea claritas & faciem eius & locum illum ſpecioſum & luculentum reddebat. Narrauit ille poſtea ſponſæ ſuæ; ſe tota illa nocte vidiſſe & perſenſiſſe ineffabilem Dei benignitatem, ac præmia vitæ æternæ, quæ Devs præparauit diligentibus ſe: atque idcirco ab omni alio amore ſe prorſus abhorrere. Perſpicue tum videbat & continue ſentiebat, Devm ſemper paratum eſſe ad impertiendum hominibus dona & chariſmata ſua, ſi inueniret, qui tam libenter vellent accipere, quam ille largiri. Exinde ei in more poſitum, prolixis ante ſomnum precibus incumbere, faciem lachrymis rigare, diuinam opem attentius implorare, cœleſtium

rerum



rerum meditatione animum paſcere, mente & cogitatione, cœli ſpatia peragrare, ſponſam eodem amore accendere: idque ea cum ſuauitate & fructu, vt oppreſſis ſæpe ſenſibus, totus in diuinæ benignitatis conſideratione exultans abſorberetur.

Alia viſio.

Aliquando in extaſi vidit cum inæſtimabili gaudio, quemadmodum Pater in Trinitate gignit filium, & vt Spiritus S. ab vtroque procedit, qui eſt amor in diuinis perſonis, & vt tres perſonæ nonniſi vnus ſint Deus. Nõ tamen potuit huius generationis & ſpirationis modum vllis explicare verbis, ſed quoties aliquid pro viribus, vel ſponſæ, vel Confeſſario ſuo F. Ioanni Iuliani Minoritæ dicere volebat; *O quam male,* inquit, *& imperfecte loquor: non poſſum explicare quod vidi, nec efferre lingua quod experimento didici.* fatebaturque non ſine magno cruciatu ſe inde dicere, cum ſint inexplicabilia, ſeque in toto mundo nihil quicquam vel auditu vel cogitatione percepiſſe, quo ſecundum aliquam vel ſimilitudinem vel proprietatem declarare poſſet ea quæ tunc viderat. In eadem viſione oſtenſum eſt ei, quomodo Deus vt ſuam bonitatem diffunderet, creauerit Angelos & homines; quanto cum amore hominem plaſmauerit, omniaque propter eum condiderit; quomodo cadentem Adamum, ſempiterno exitio non damnauerit, ſed cauſa redemptionis generis humani ſeſe carnem induerit, & ex immaculata Virgine Maria natus, ſalutem mortalium totis triginta tribus annis operari, inq; crucis ſtipite pro homine peccatore mori, necnon ſeipſum in ſacramento Euchariſtiæ modo ineffabili communicare, tum deinde à mortuis reſurgere, in cœlos conſcẽdere, Spiritum ſanctum in Eccleſiam demittere, gentibus vniuerſis nomen & ſecreta ſua reuelare, adeoq; Regni cœlorum cohæredes ſcribere voluerit. Ab hac contemplatione Angelicus iuuenis flebat vberrime, dolens ignauiam ingratitudinemq; Chriſtianorum, quod per eos ſtaret, quominus tam exuberantem Dei charitatem expenderent, atque diligerent.

Diuina reuelatio de ipſo.

Garſenda Alphanti matrona religioſiſſima, quæ viuente etiam marito, voto caſtitatis ſeruandæ ſeſe vna cum viro aſtrinxerat, dignamq; ſe cæleſtibus reuelationibus reddiderat, ſæpe pro Elzeario Deum deprecabatur. Hæc quadam nocte in Eccleſia orans, Chriſtum dicentem ſibi audiuit: *Iuuenem huic pro quo tam multum oras, noueris me Matrem meam dediſſe Magiſtram. nihil ergo de illius perſeuerantia aut ſalute deſperaueris.* Cumque dubitaret illa ne forte illuſio eſſet, ideoque certior fieri deſideraret; poſt ſacræ hoſtiæ conſecrationem iterum audiuit; *Quæ ſuperiori nocte de Elzeario tibi dixi, vera & certa eſſe ne ambigas.* Retulit ea omnia Elzearii Confeſſario; is vero ab eo, quem patronum præ cæteris imploraret, interrogauit. hic porro reſpondit; *Equidem Virginem ſanctiſſimam mihi patronam & aduocatam elegi. Cumq; ad orandum me præparare volo, vilitatem meam prius conſidero, atque ita matri gratiæ me commendans eam precor humiliter, vt ea quæ ipſi & eius benedicto filio grata ſint, ponat in corde & in ore meo; ſimulq; quanta poſſum animi deuotione, Angelicam ſalutationem ei offero. Ea dicta, nunquam mihi deeſt noua rerum diuinarum materia.* Vt plurimum Sabbatho & nocte ſequenti, ſanctus iuuenis diuinitus viſitabatur.

Alia

Alio quoque tempore, eadem Garſenda, noctu in ſacello Sanctæ Catherinæ apud Auſoiſium orans, manũ vidit lapidem pretioſum tenentem, ex quo tantus radiabat ſplendor, vt totum illud ſacellum illuſtraret. Admirans autem lapidis ſplendorem, & cogitans quid eſſet, audiuit vocem dicentem; *Lapis hic ſplendidus, eſt virginitas Elzearii, pro quo tu rogas, quæ ad eum modum in mundo fulgebit.* Verſoque lapide, tanta inde claritas, tamquam feruens lux proceſſit, vt oculi eius ferre non poſſent.

Alia religioſa matrona, Mablina Simania, vidit in Spiritu ſanctum iuuenem habitu ſplendido indutum, in ampliſſima planitie manibus ferentem vexillum candidum & illuſtre, cuius candor & elegantia totum aerem & planitiem illam illuminaret. Sequebatur autem eum multitudo innumera hominum vtriuſque ſexus, diuerſarum ætatum, conditionum & ordinum. Cumque viſionis ſignificationem imploraret, audiuit cœlitus: *Hæc eſt virginitas & Sanctitas Elzearii, quem totus Orbis venerabitur, & multi imitabuntur.*

At vero vbi ad annum ætatis peruenit vigeſimum, nec animus eius in caſtro Auſoiſii optata poſſet tranquillitate potiri, propter importunam aui eiuſque familiæ curam, qua eum ſplendidis huius mundi titulis ornatum cupiebant, multa precum inſtantia in caſtrum Podij Michaëlis, quod erat virginis Dalphinæ ex paterna hæreditate, migrandi copiam obtinuit. Vbi ſane nouus paterfamilias, nouo quodam modo familiæ ſuæ præſidens, haſce inſignes leges ſuis præſcripſit.

Leges quas S. Elzearius familiæ ſuæ præſcribit.

1. Vt diebus ſingulis integrum Miſſæ ſacrificium pia mente audirent.

2. Caſte & pure viuerent: qui nollent, domo excederent, ne alios inficerent, neue peccato diuinam iracundiam prouocarent.

3. Qualibet hebdomada animorum ſordes per confeſſionem eluerent; ſingulis menſibus cœleſti pane ſeſe reficerent.

4. Nobiles virgines & matronæ, à primo diluculo aduſque prandium precibus & diuinarum rerum commentationi incumberent; à prandio operibus manuarijs ſedulo vacarent.

5. Nemo Diuinam maieſtatem, Sacroſanctam Virginem, vel aliquem Sanctorum blaſphemaret: nullus falſo, vitioſe aut leuiter iuraret; ſed ne inhoneſtum etiam aut otioſum verbum proferret. Huius conſtitutionis violatores, hac ratione puniri voluit, vt vel toto prandio, ſolo pane & aqua contenti coram alijs humi procumberent; vel tota die cubiculo incluſi reatum ſuum digne expiarent.

6. Nulli fas eſſet teſſeris, aut alio luſu illicito ludere, aut turpi vel inhoneſtæ recreationi indulgere. Si quis contra feciſſet, grauis illum pœna manebat.

7. Omnes è ſua familia, communi paci & charitati aſſiduo ſtuderent: alius alium neque verbo, neque facto offenderet. Si quis aliquid in alterum peccaſſet, mox cum offenſo in gratiam rediret.

8. Quotidie à prandio, vel hora veſpertina, niſi legitimum incideret impedimẽtum, aliqua collatio de verbis Domini, pro morum reformatione & animarum ſalute ipſo præſente, ab vno ex familia fieret. cui non tantum auſcultarent cæteri, verum etiam pro dicente preces ex animo funderent, qui Deus illi ſubminiſtraret ſermonem. Id ſi quis non obſeruaſſet, à tam pio colloquio, & conſortio excluderetur.

In hoc virtutis theatro primus eminebat Elzearius, verbo & exemplo inſtruens ſubditos, Deum timerent, à peccatis abſtinerent, diuinis præceptis obtemperarent, atque inprimis à vitiorum ſuorum conſideratione humilitatis fundamentum ſtruerẽt, in quo cæteras virtutes ſuperædificarent. Ab hac eius diſciplina, permulti nobilium caſtitatem perpetuo ſeruauerunt, pleriq; etiam virgineam puritatem & integritatem Deo ſacrauerunt: cum ipſe Comes reliquos omnes anteiret, pietateque ſua & morum ſuauitate omnium animos ad æmulationem virtutis prouocaret.

Caſtigat corpus ſuũ.

Ad hæc Elzearius, preces horarias, pro Romanæ Eccleſiæ ritu & conſuetudine, tam pie & attente perſoluebat quotidie, vt audientes non mediocriter ad deuotionem & pietatem incitarentur. Ieiuniorum vigiliarumq; mire patiens, aſpero inſuper cilicio ſub veſtibus pretioſis carnem edomabat. Sæpe catenulis ferreis rebelles corporis motus infringebat, & ad quemlibet verſum Pſalmi quinquageſimi, trinos ictus dorſo fortiter infligebat. Octauo vero quolibet Quadrageſimæ & aduentus die, ac permultis Sanctorum feriis, præſertim Sacrarum Virginum, cœleſti epulo ſe muniebat. Cubiculum quo ſe cũ Dalphina cõtinebat, præ aſſiduitate orandi, in

templum

templum eſſe demutatum videbatur: cum vna cum ea, nonniſi aut orationibus, aut rerum diuinarum meditationi vacaret. Contigit aliquando ſororem Dalphinæ Alaſiam, virginem Deo ſacratam, graui tentatione carnis vexari. Hanc illa, nonniſi circutione thori Sanctorum coniugum, orationeque per illorum virginitatem Deo oblatam depuliſſe memoratur: adeo, vt poſtea vix impuram cogitationem admitteret: quod cubiculũ illorum verſum eſſet in Oratorium, anima autem vtriuſque eſſet verum Dei templum. Porro Elzearius in tria præcipue erat intentus.

Tria in quæ Eleazarus intentus.

1. Vt peccatum omne, & quicquid Deum offenderet; haud ſecus atque ipſas gehennæ flammas vitaret.

2. Vt animum ſuum ardenti amore ac pietate Deo offerret. quo fiebat, vt non ſine magno animi dolore mundi negotiis, quæ eum hinc auocabant, occuparetur: nec tamen audebat ea à ſe abiicere, quod Deus iuſſiſſet illum in ſuo ſtatu permanere.

3. Vt bona quæ ageret in occulto, diuinaſque viſitationes & illuminationes, quas crebro percipiebat, celaret; præſertim homines mundo & carni addictos.

Eius in pauperes et leprosos beneuolẽtia.

Cæterum inter alias virtutes præcipue erga pauperes & leproſos beneuolentia, & benigne faciendi ſtudium ſumma liberalitate coniunctum, in hoc viro relucebat. Quotidie ſiquidem duodecim pauperes habebat, & leproſos, quorum pedes ipſe lauabat, eorumque ori peramanter oſcula figebat, ac poſtremo cibo potuque refectis largas eleemoſynas diſtribuebat. Die quodam venatum cum ſuo comitatu abiturus, omnes antecedere iuſſit, ipſe vero vno apud ſe milite cum tonſore retento, ad quoddam leproſorum domicilium diuertit, ibique ſex horrida percuſſos lepra reperit. Videbantur eorum labia exeſa plane atque abſumpta, prorſus vt ſine horrore aſpici non poſſent. Quos Sanctus iuuenis vt vidit, ſalutatione humaniſſime impertita, ſalutaribus monitis ad diuini numinis timorem cultumque aſſiduum hortatus eſt.

Osculo leprosos sanat.

Inde ſingulis peramenter oſculatis, ſanitate repentina donauit; ex qua mox tota domus odore ſuauiſſimo fragrauit. Ille vero cum præſtita inſuper eleemoſyna recederet, igneus quidam & luculentus radius ab eius capite, cunctis cernentibus emerſit, tamque diu perdurauit, donec ad ſuam familiam perueniſſet. Præter hos, alia leproſorum domicilia inuiſebat, ibique flexis genibus eorum pedes abluebat, vulnera oſculabatur, purgabat, obligabat, curabat, neque ab vllo vnquam paupere faciem auertebat. Accidit, vt propter ſterilitatem maximam, annona incolis ſuis deeſſet. In eorum vſum nonnullam portionem frumentorum reſeruarat Elzearius, liberaliterque diſtribuerat.

Miraculum.

Exhauſto granario, aliquis acceſſerat ſtipem orans. Ibi Comes ancillæ iuſſit, vt aliquid petenti erogaret. Excuſabat illa, nihil amplius ſupereſſe: cum ille fiducia maxima concepta, vt granarium aperiret, & ecquid ſupereſſet inquirere iuſſit. Ingreſſa illa tantum frumenti ibidem reperit, quantum à principio in vſum pauperum ſepoſitum fuit.

Alio quoque tempore, horreo vniuerſo exhauſto, cum pauperi aliquid dari præcepiſſet, tantum annonæ inuenit, quantum alendæ familiæ & egentium turbæ, vſque ad plenam meſſem ſufficeret. Apud Arelatem, puellam ſeptennem Conſtantiam nomine, cum ipſa morte colluctantem, ſola manus impoſitione matri viuam exhibuit.

Iniuriarum inuicta tolerantia.

Anno ætatis tertio & vigeſimo, patre orbatus, inque Comitatum Ariani ſuccedens, maximas à ſubditis, toto triennio rebellibus, patienter tulit iniurias. Tantum enim abeſt, vt vnquam vindictæ cupiditate exarſerit, vt etiam Tarentinum principem, vltionem expetentem, prohibuerit, ne vel leui pœna in delinquentes eos animaduerteret. Ita ſiquidem animo conſtitutus erat, vt eos potiſſimum charos haberet, qui variis eum aduerſitatibus ad pietatem & virtutis ſtudium exercebant. Qua ſane patientia id obtinuit, vt poſtea ab illis omnibus vt Dominus honoraretur, & velut pater amaretur. Mirabatur Dalphina, inuictam eius tolerantiam, quod ne vultu quidem ad iniurias moueretur; cumque nonnunquam ſugillabat, quod velut truncus eſſet. At ille dignam Chriſtiano homine dixit ſententiam: ſe quidem nonnihil animo interdum moueri; veruntamen ad Chriſti iniurias reſpicere, & ab eo patientiam addiſcere, nihilq; eas quas pateretur ipſe iniurias eſſe, ſi ad Dominum Redemptorem qui maiora perpeſſus eſt, referrentur.

Comitatum porro & Barionatum ſuum magno ære alieno obſtrictum, eximia dexteritate alleuiauit, conſtitutis certis hominibus, qui nonnullos prouentus ad ſe reciperent, atque inde paulatim omnia debita exſoluerent. In adminiſtratione quoque iuſtitiæ, quam diligentiſſimus fuit. Nam in maledicos & alios conſceleratos pro ratione culparum animaduertebat. Iudices ſi quos iniquiores compeiiſſet, ſeuere caſtigabat. Si quibus autem æs alienum vt diſſoluerent ſuppetias ferebat, id nonniſi manu aliena faciebat; ne impunitas licentiæ occaſio eſſet. Fiſco etiam, ſi quorum facultates lege addicerentur, eas vxoribus & filijs, clam reſtituebat, aliqua alia manu interueniente. A Roberto Rege Siciliæ, Neapoli, dignitate equeſtri ornatus, alijs circa mundana occupatis, ipſe tota mente cœleſtibus inhærens, non multo poſt cum Dalphina ſponſa voto virginitatis ſeſe aſtrinxit, tunicam tertij Ordinis Sancti Francisci indutus. Carolo Regis Roberti filio præceptor datus, adoleſcentem illum præclaris moribus & pietate informauit. Pauperum cauſis auditor Præfectus, ſuſceptum pietatis opus tam egregie executus eſt, vt cum aliquando lotis iam manibus ad menſam accedenti pauper domum intrans importunius ſeſe ingeſſiſſet, ſciſcitans, de ipſius ſupplici libello quid actum eſſet, ille ſtatim benigne reſpondens; ſuſtine, inquit, parumper, & ego priuſquam cibum ſumam, rem tuam expediam, ſurgenſq; à menſa, recta in aulam abiit, reuertenſque pauperi in omnibus ſatisfecit.

Iuſtitia et miſericordia.

Factum eſt, vt in toto regno, Comes Ariani Aduocatus pauperum diceretur. Lutetiam à Roberto Rege miſſus, ibique graui morbo correptus, poſtquam Sacramentis Eccleſiaſticis munitus eſſet, & de hoſte humani generis apparente extremam victoriam retuliſſet, ſplendore eximio circumfuſus migrauit è vita, Aptam in habitu Franciſcano translatus. Ad eius nominis inuocationem, virtute diuina excitati ſunt mortui, cæci illuminati, contracti ſoluti, & permulti morbidi homines, præter naturæ ordinem ſanitati reſtituti: necnon regnum Maioricarum, importuno bello perturbatum, abſque ſanguinis effuſione, mirabiliter eſt tranquillatum, ipſo viſibiliter apparente. *Surius tomo 5.*

Obitus et miracula obitum ſub ſecuta.

XVI. Alia Clemẽt. Pp. geſta.

Indidem in Galliis Clemens, Quæſitores Fidei plurimos ex Ordine Prædicatorio, aduerſus repullulantes hæreſes inſtituit. *epiſt.* 206. & dogmata Henrici ex Archiepiſcopi Moguntini, contra fidem Catholicam & Sedem Apoſtolicam diuulgata anathemate damnauit, omnibuſque vt eius doctrinam, falſam & erroneam eſſe publicarent præcepit. *epiſt.* 75. Cum autem in Gallijs ſuperſtitio inualuiſſet, vt ſub nomine S. Antonii Abbatis porci nutrirentur, iſtud ne amplius fieret, interdixit. *epiſt.* 112.

Cæterum, ne inter Ioannem Galliæ, & Edouardum Angliȩ diſcordiæ aliquȩ maiores erumperent, Egidium tituli S. Clementis, & Nicolaum tituli S. Vitalis Cardinales Legatos ad vtrumq; miſit, qui concordiam inter Reges inducerent. *dat. ep. idib. Iun.*

XVII. De Simone Iſlepio Canthuar. Archie.

Viuebat id temporibus in Anglia, Simon Iſlepius Canthuarienſis Archiepiſcopus, libertatum atque prærogatiuarum, tum ſuæ Canthuarienſis, tum totius Anglicanæ Eccleſiæ, diligens & acer aſſertor. Pro his conſeruandis, cum diceret Diuum Thomam





capite luiſſe; in eos qui illas ſcientes & prudentes violarent, anathema diſtrinxit, Regemque admonuit, ne Clericorum bona, (qui per ipſius miniſtros alicuius criminis damnati eſſent, ſeque deinde in Eccleſiaſtica cognitione de illis idonee purgaſſent) ab illis ad ſe auerteret. Sanciuit vero, vt huiuſmodi reorum carceribus addictorum (quorum admiſſa certa & explorata eſſent, neque vllo probabili prætextu aut excuſatione tegi poterant) nulla ratione ſatisfactio aut purgatio admitteretur ab Eccleſia. Vtque quarta & ſexta feria atque Sabbatis ſola aqua & pane, cæteris diebus pane & tenui ceruiſia vterentur; niſi quod Dominico legumen accederet: eaque cautio adhiberetur, vt decretum non relaxaretur, etiamſi amicorum, aut eorum qui ſimul conniuerent liberalitate, aliquid aliud ad potum aut ad cibum daretur. Sed nec cæteros ad purgationem recipi mandauit, niſi exactiſſime in iis locis, vbi crimen admiſſum dicebatur, præeunte inquiſitione, nec minus ſeuere, etiam aliorum cuiuſcunque Ordinis hominum crimina vindicauit.

XVII. Impia contra immunitatem Eccleſ. Parlamenti Anglici decreta.

Edouardus interim Clementi Pontifici non ſatis æquus, Weſtmonaſterium in Comitium, vniuerſam nobilitatem euocauit, decretoque Parlamenti conſtituit, vt perpetuis vinculis aut exilio multarentur, qui aliquod beneficium Eccleſiaſticum in Anglia, ex donatione Pontificia conſequerentur, aut literas pro eadem in Angliam importarent. Cautum fuit ibidem, vt niſi *Archiepiſcopi, Epiſcopi, Cœnobia*, & reliqui ex Clero, ad quos patronatus Sacerdotii aut dignitatis per Pontificem collatorum ſpectaret, intra quattuor menſes deſignarent aliquem, qui curam huiuſmodi Sacerdotii vacantis capeſſeret, totum illud ius deſignandi, ad Regem deuolueretur. Cautum præterea, quod ſi quis Epiſcopatum donatum amplecti recuſaret, niſi ex donatione illa Pontificia, poſſeſſionibus Epiſcopatui attributis, niſi Regis gratia & venia intercedente, priuaretur. Data etiam fuit Regi facultas, ea ſacerdotia dignitateſque conferendi, quibus peregrini homines in ditione inimicorum ſuorum moram trahentes fruebantur. Conſtituti item ſunt, qui ad portus maritimos excubarent, & tranſmiſſuros diligenter excuterent, & ſi quis forte huiuſmodi diplomata, aut alias quaſcumque literas, à Romana Curia deferret, eas Cancellario, aut Præfecto portuum, ſub omnium bonorum iactura exhiberet. Cautum præterea, vt donatio Pontificis de Eboracenſi Decanatu, deque duobus millibus marcarum ſoluendis duobus Cardinalibus ex Prouincia Canthuarienſi & Eboracenſi, reſcinderetur: neve quiſquam conduceret quicquam à Monacho aliquo extero, aut bona huiuſmodi hominum emeret; neve Cardinalium, & aliorum Pontificis Nunciorum, qui pacis conciliandæ gratia in Angliam venirent, ſumptus per Clerum reficerentur. Atque hæc quidem Clemente adhuc ſuperſtite, in his regni Comitiis decreta, non valde accurate obſeruabantur: quod Cardinales Legati, huic ſanctioni contradixiſſent, multaque pro Romani Pontificis in omnes Orbis Eccleſias poteſtate, egiſſent apud Regem.

Cum vero euſque progreſſa eſſe Regiorum miniſtrorum audacia, vt ſacerdotibus & aliis ex Clero, dum diuinis rebus in templo & cœmeteriis operam darent, & Sacroſanctum Chriſti corpus in Euchariſtia ad ægrotos deferrent, per reſcripta Regia manus iniicerent, interpellarent, præciperentque vt ſe Regio tribunali ſiſterent; & huic quoque iniuriȩ intercedentibus Legatis & Simone Archiepiſcopo, ex Parlamenti authoritate occurſum. *MS. Vatican. de rebus Anglicanis.*

XVIII. [illegible]

Eodem anno, Clemens, Ioannem Guilaberti Nuncium in Sueciam & Noruegiam, pro colligenda decima in quinq; annos impoſita, deſtinauit. VI. Idus Aug. Deinde Sigfridum Lincopen. Ord. Prædicatorum pœnitentiarium Apoſtolicum, Epiſcopum Stauangren. creauit. III. Cal. Iun. ac Petrum ex Lincopen. Epiſcopo Vpſalenſem Archiepiſcopum conſecrauit. X. Cal. Dec. Petri etiam regis Arragonum Nuncios, Abbatem Ripolium, Bernardum Capreram, Lupum Gurream, & Bernardum Okinellium IC. audiuit. Inter Ioannem Galliarum regem & Petrum, pace conciliata, conuenerat, vt Ludouicus Andegauenſis Comes Ioannis regis F. Ioannam natu minorem Petri F. duceret coniugẽ: modo nexu propinquitatis ſanctionibus Canonicis à Summo Pontifice ſoluerentur. Iſtud non difficile, à Clemente, Legati impetrarunt; cuius etiam auctoritate pacta intra reges conuenta roborauerunt. *Surita libr.* 3. Carolus Vaſconum rex, etiam regis Siciliæ ſororem, quemadmodum & Petrus Caſtellæ rex Blancæ Caroli ſororis viduæ à Philippo Galliarum relictæ, matrimonium ambiebat. Vtrumque è conſilio Pontificis, excuſatum; quaſi Galliæ moribus ſuſceptum eſſet, ne reginæ quauis ætate viduæ ſecundo nuberent. Tandem Vaſco Palentino Præſule, Regii Scrinii Præfecto, & Alburquerquio rerum in Hiſpania apud Petrum Caſtellæ regem potente annitentibus, reginæ matri perſuaſum eſt, vti alia, ſed ex Gallia quoque coniux regi iuueni peteretur; quod ætati lubricæ non aliunde maius periculum immineret, quã ex voluptatibus circumfuſis vndequaque, ſimul in ſpem regni prolis ſuſcipiendæ cura erat. Ea cauſa, Ioannes Roelius Burgenſis Epiſcopus, & Aluarus Albornozius ciuis Conchenſis, in Galliam legati ſunt, Ioannis Ducis Borbonii Regio Gallorum ſanguine nobiliſſimi atque potentiſſimi filiam, è ſex quas habebat, eam experituri, quam regio thoro idoneam fore maxime iudicarent. Blanca, concedente patre, delecta: eique continuo ſponſalia data, præſtantibus animi & corporis dotibus felix, quas ſecum ipſa quaſi certans natura, cœlumque, ac Deus, benigne contulerat. Infelix coniugio; vnde bonorum cumulus expectabatur. *Mariana, ex Roderico Sanctio lib. 16. c. 17.*

XIX. Crudelitas filii matre.

In Germania, non tanta charitas inter filium & matrem, quanta inter Petrum Caſtellæ regem & ſuam genitricem. Relicta Ludouici Bauari, Hollandiam, Zelandiamque cum Hannonia tenebat. Eas omnes Prouincias, vel viua matre ſibi vendicabat eius filius. Cumque poſtulando nec quicquam proficeret, armis repetere cogitauit, copiaſque quantas potuit vel maximas contraxit. Quarto die Iulii, pugna nauali in amne Moſa inter matrem & filium commiſſa, tandem mater victa, fugam arripere in Angliam ad ſororem reginam coacta fuit. neque aliud à filio infeliciter victore, & etiam Pontifice intercedente potuit obtinere, quam ſolius Hannoniæ, in vita principatum. *Annal. Flandr. lib. 13.*

XX. Armenis auxilia petentibus articulos fidei præmittit.

In Oriente, Conſtantinus rex Armeniorum, à Saladino Ægyptio maiores motus metuens, auxilia à Principibus Chriſtianis, & præſertim à Clemente Pontifice maiora poſtulabat. Quæ vt tanto facilius impetraret, ſpondebat, Patriarcham Armeniorum, quem Catholicum (quod multis imperaret Chriſtianis) appellabant, inque eius poteſtate fuerat, atque vniuerſos ſubditos, ad veræ fidei confeſſionem, & ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam adducere velle. Miſit itaque Clemens Nicoſienſi Archiepiſcopo, Fidei articulos, quos Conſtantino regi & Patriarchæ Catholico oſtenderet. Quos ſi vterque vna cum populo ſubiecto, citra fucum profiteretur, eis pecuniaria ſubſidia ille ipſe Archiepiſcopus, ex pecuniis Cameræ Apoſtolicæ miniſtraret: Magiſter vero militiæ Hieroſolymitanæ, cæteris poſthabitis in auxilia Armeniorum, terreſtres & maritimas quas habere poſſet copias educeret. *ep. XI. & VIII. Calen. Nouembr. Secret. huius anni.* Hæc ſunt quæ in eo negotio Pontifex ſcribebat.

XXI. Bulla Clemen. ad Patriarc. Armenorum.

Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei.

*Venerabili Fratri Conſolatori, dicto Catholico Armenorum, ſalutem, &c.*

*Super quibuſdam Capitulis, quæ pro pleniori eruditione tua & Eccleſiæ Armenorum in fide recta & vera S. Rom. ac vniuerſalis Eccleſ. quæ fauente Domino qui eam fundauit, rexit, & regit, qui que vt fides eius non deficeret exorauit, per veritatis viã impolluto*

*calle inceſſit & graditur, dudum per venerabilem Fratrem noſtrum Ioannem Archiepiſcopum Piſanum tunc electum Coronèn. & bon. memor. Antonium Epiſcopum Gaietanum, quos ad partes ipſas commiſſo eis in illis plenæ legationis officio ſignanter præterea miſimus, reſponſiones tuas & Eccleſiæ minoris Armeniæ, per eundem Ioannem Archiepiſcopum præfato Antonio in ſui proſecutione itineris iubente Deo naturæ debitum exſoluente, ſub certis Capitulis comprehenſas benignè recepimus, & ſuper eis cum venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac nonnullis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis aliiſque Prælatis Eccleſiaſticis, ac Sacræ Theologiæ Magiſtris & Decretorum Doctoribus habita deliberatione matura non potuimus, nec poſſumus ex reſponſionibus huiuſmodi quoad plura elicere, quid tu & eadem Eccleſia minoris Armeniæ ſincere & pure credatis, ac etiam teneatis. Et ideo, quia confeſſio S. & Catholicæ Fidei ſimplex debet eſſe & clara, ſicut Saluator & Redemptor noſter nos edocens; qui facit, inquit, veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo facta ſunt, & è contra, quia male agit odit lucem, & non venit ad lucem, ne fiant opera eius, manifeſta. Nos de tua cæterorumque Armenorum, ſicut aliorum quoque fidelium, quorum curam prouidentia nobis diuina commiſit, & paternæ charitatis affectu attente ſolliciti, vt noſtrum in hac parte debitum impleamus, quibuſdam ex ipſis tuis & eiuſdem Eccleſiæ minoris Armeniæ reſponſionibus, ex quarum aliquibus conditionata, ex quibuſdam vero diminuta vel imperfecta, & ex nonnullis forſitan ſcriptoris vel interpretis vitio minus vera confeſſio manifeſte colligitur, interrogationes prouidimus ſalubriter ſubnectendas, vt tu & eadem Armeniæ Eccleſia, non in tenebris, ſed in luce, ad illas pure ac ſimpliciter reſpondentes, effecti lucis filii, illius luminis veri de lumine quod indeficiens perſeuerans omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, in æternæ beatitudinis patria felici viſione perfrui valeatis.*

I. *In primo ergo capitulo reſponſionis tuæ, in quo pro fundamento ipſius Catholicæ Fidei præmittis, quod tu & Eccleſia Armenorum quæ tibi obedit, creditis & tenetis, promittitis tenere & dicitis tu & tota Eccleſia Armenorum tibi obedientium, quod eadem Eccleſia Romana, cuius Summus Pontifex eſt Papa Romanus, eſt ſola Catholica, & in ea ſola eſt vera ſalus, & vna vera fides, & vnum verum baptiſma, & vera remiſſio peccatorum. Quærimus primo, ſi creditis, tu, & Eccleſia Armenorum quæ tibi obedit; omnes illos qui in baptiſmo eandem Fidem Catholicam receperant, & poſtmodum à communione Fidei eiuſdem Eccleſiæ Romanæ, quæ vna ſola Catholica eſt, receſſerunt vel recedunt in futurum, eſſe ſchiſmaticos & hæreticos, ſi pertinaciter diuiſi à Fide ipſius Romanæ Eccleſiæ perſeuerent.*

*Secundo petimus, ſi creditis tu & Armeni tibi obedientes quod nullus homo viator extra Fidem ipſius Eccleſiæ & obedientiam Pontificum Romanorum poterit finaliter ſaluus eſſe.*

II. *In ſecundo vero Capitulo, dicis te credere & tenere, quod ſolus Pontifex Romanus habet plenitudinem poteſtatis, quam Beatus Petrus Apoſtolus habebat, & quod ipſe Pontifex Romanus ſolus eſt vniuerſalis Chriſti Vicarius; & quod tu Catholicon Armenorum, es & eſſe debes obediens Pontifici Romano. Propter hanc tamen obedientiam non vis te vel tuam Eccleſiam in aliquo minorare, nec perdere, nec diminuere, gratias, libertates, curas, diœceſes, iura & poteſtatem iubendi omnibus Armenis, quæ tui prædeceſſores & Eccleſiæ Armenorum receperunt & tenuerunt ab ipſa Romana Eccleſia; imo deprecaris quod tibi & Eccleſiæ tuæ prædictis remanentibus, nos qui ſumus Romanus Pontifex accreſcere faciamus libertates & iura tua, & tuæ Eccleſiæ, quantum ſecundum Deum fieri poteſt, ad noſtri memoriam ſempiternam.*

*Item dicis te credere & tenere, quod Antiſtites de Catholica & Apoſtolica Eccleſia debent eſſe obedientes Romano Pontifici; quia Chriſtus plenitudinem poteſtatis dedit B. Petro pro ſe, & pro locum tenentibus eius.*

*Item dicis te credere, quod quilibet Pontifex Romanus, qui Summus eſt præteritus præſens, & futurus, erat, eſt, & erit locum tenens Beati Petri, quia fuit, & eſt, & erit immediate vniuerſalis Chriſti Vicarius.*

*Item promittis, quod quantum in te erit, facere curabis omnes ſubditos tuos Eccleſiaſticos & ſæculares prædicta omnia & ſingula firmiter credere & tenere. Super his ergo quærimus.*

INTERROGAT *Primo; Si credidiſti, credis, vel credere es paratus cum Eccleſia Armenorum quæ tibi obedit, quod Beatus Petrus pleniſſimam poteſtatem iuriſdictionis accepit ſuper omnes fideles Chriſtianos à Domino Ieſu Chriſto. & quod omnis poteſtas iuriſdictionis, quam in certis terris, & Prouinciis, & diuerſis partibus orbis ſpecialiter & particulariter habuerunt Iudas & Thadeus, ac cæteri Apoſtoli, ſubiecta fuerit pleniſſime auctoritati & poteſtati quam ſuper quoſcumque in Chriſtum credentes in omnibus partibus Orbis B. Petrus ab ipſo Domino Ieſu Chriſto accepit: & quod nullus Apoſtolus, vel quicunque alius, ſuper omnes Chriſtianos, niſi ſolus Petrus pleniſſimam poteſtatem accepit.* PATRIARCHAM SVPER ARTICVLIS FIDEI.

*Secundo: ſi credidiſti, tenuiſti, vel credere ac tenere paratus es cum Armenis tibi ſubiectis, quod omnes Romani Pontifices, qui B. Petro ſuccedentes canonice intrauerunt, & canonice intrabunt, ipſi Beato Petro Romano Pontifici ſucceſſerint & ſuccedent in eadem plenitudine, iuriſdictione poteſtatis, quam ipſe Beatus Petrus accepit à Domino Ieſu Chriſto ſuper totum & vniuerſum corpus Eccleſiæ militantis.*

*Tertio: ſi credidiſtis & creditis, tu & Armeni tibi ſubiecti, Romanos Pontifices qui fuerunt, & nos qui ſumus Pontifex Rom. ac illos qui in poſterum ſucceſſiue erunt, tamquam legitimos & poteſtate pleniſſimos Chriſti Vicarios omnem poteſtatiuam iuriſdictionem, quam Chriſtus vt caput conforme in natura humana habuit immediate ab ipſo Chriſto ſuper totum ac vniuerſum corpus militantis Eccleſiæ accepiſſe.*

*Quarto: ſi credidiſti & credis, quod omnes Romani Pontifices, qui fuerunt, nos qui ſumus, & alii qui erunt in poſterum, ex plenitudine poteſtatis & auctoritatis præmiſſæ, potuerunt, poſſumus, & poterunt immediate per nos & eos, de omnibus tanquam iuriſdictioni noſtræ ac eorum ſubditis iudicare, & ad iudicandum quoſcunque voluerimus Eccleſiaſticos iudices conſtituere & delegare.*

*Quinto: ſi credidiſti & credis, quod in tantum fuerit, ſit, & erit ſuprema & præeminens auctoritas, & iuridica poteſtas Romanorum Pontificum, qui fuerunt, noſtri qui ſumus, & illorum qui in poſterum erunt, vt à nemine iudicari potuerint, poterimus, neque in poſterum poterunt, ſed ſoli Deo iudicandi ſeruati fuerint, ſeruemur, & ſeruabuntur: & quod à ſententiis, & iudiciis noſtris, non potueris, neque poſſit, nec poterit ad aliquem iudicem alium appellari.*

*Sexto: ſi credidiſti & adhuc credis plenitudinem poteſtatis Romani Pontificis ſe extendere in tantum, quod Patriarchas, Catholicon, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates & quoſcunque Prælatos alios de dignitatibus in quibus fuerint conſtituti, poſſit ad alias dignitates maioris vel minoris iuriſdictionis transferre, vel exigentibus eorum criminibus ipſos degradare & deponere, excommunicare & Sathanæ tradere.*

*Septimo: ſi credidiſti, & adhuc credis, Pontificalem auctoritatem non poſſe, nec debere ſubiici cuicumque Imperiali, vel Regali, aut alteri ſæculari poteſtati, quantum ad inſtitutionem iudicialem, correctionem vel deſtitutionem.*

*Octauo: ſi credidiſti, & credis, Romanum Pontificem ſolum poſſe ſacros Generales canones condere, pleniſſimam indulgentiam dare viſitantibus limina Apoſtolorum Petri & Pauli, vel ad terram Sanctam accedentibus, aut quibuſcumque fidelibus vere & plene pœnitentibus confeſſis.*

*Nono: ſi credidiſti & credis, omnes qui ſe contra fidem Romanæ Eccleſiæ erexerunt, & in finali impœnitentia mortui fuerunt damnatos fuiſſe, & ad perpetua infernorum ſupplicia deſcendiſſe.*

*Decimo: ſi credidiſti & adhuc credis, Romanum Pontificem circa adminiſtrationem Sacramentorum Eccleſiæ, ſaluis ſemper illis quæ ſunt de integritate & neceſſitate Sacramentorum poſſe diuerſos ritus Eccleſiarum Chriſti tolerare, & etiam concedere, vt ſeruentur.*

*Vndecimo: ſi credidiſti & credis, Armenos, qui Romano Pontifici in diuerſis partibus Orbis obediunt, & formas & ritus Rom. Eccleſiæ in adminiſtratione Sacramentorum, & in Eccleſiaſticis officiis, ieiuniis & aliis cæremoniis ſtudioſe & cum deuotione obſeruant, bene agere, & illa agendo vitam æternam mereri.*

*Duodecimo: ſi credidiſti & credis, neminem de dignitate Epiſcopali, ad Archiepiſcopalem, Patriarchalem, vel Catholicon poſſe transferri auctoritate propria, nec etiam auctoritate cuiuſcunque principis ſæcularis, ſiue Rex fuerit, ſiue Imperator, vel quicunque alius, fultus qualicunq; poteſtate & dignitate terrena.*

*Tertiodecimo: ſi credidiſti & adhuc credis, ſolum Rom. Pont. dubiis emergentibus circa fidem Catholicam poſſe per determinationem*





*tionem authenticam, cui ſit inuiolabiliter adhærendum, finem imponere; & eſſe verum, & Catholicum, quicquid ipſe auctoritate clauium ſibi traditarum à Chriſto determinat eſſe verum, & quod determinat eſſe falſum, & hæreticum ſit cenſendum.*

*Quartodecimo, ſi credidiſti, & credis, nouum & vetus teſtamentum in omnibus libris, quos Romanæ Eccleſiæ nobis tradidit auctoritas, veritatem indubiam per omnia continere.*

III. ALIÆ CLEM. INTERROGATIONES. *Reſpondendo vero ad articulos etiam minoris Armeniæ Eccleſiæ, per nos miſſos, præmittis, quod, quæ dicturus es, ſunt de doctrina veteris & noui teſtamenti, Thadæi & Bartholomæi Apoſtolorum, & vniuerſalis Concilij S. Catholicæ, & Apoſt. Eccleſiæ, tradita vt credenda & tenenda Eccleſiæ Armenorum, &c. Super quo à te quærimus, quæ ſequuntur.*

*Primo, ſi credidiſti, quod doctrina noui & veteris teſtamenti à Beatis Apoſtolis Thadæo & Bartholomæo fuerit edita, vel ſolis illis prædicantibus Eccleſiæ Catholicæ per eos manifeſtata.*

*Secundo, ſi credidiſti, & credis, Iudam Thadæum, & Bartholomæum, Andreæ, Iacobo maiori & minori, Ioanni Euangeliſtæ, ac cæteris à Petro Apoſtolis præfuiſſe, vel maioris auctoritatis fuiſſe.*

IV. *Secundo capitulo ſcribis, te, & Armenos tibi obedientes, credere, quod Sp. S. procedit à Patre & Filio, & quod vſque nunc particulariter tu & Armeni tibi obedientes dixiſtis; ſed deinceps, quantum poteris, facies hoc generaliter dici. Circa quod capitulum per te ad ſequentia volumus reſponderi.*

*Primo, ſi credidiſti, & tenuiſti, eſſe de neceſſitate ſalutis credere, quod Spiritus S. non à ſolo Patre, ſed etiam à Filio ab æterno procedit.*

*Secundo, ſi illos, qui expreſſe negabant, Spiritum S. à Filio procedere, pro ſchiſmaticis & hæreticis habuiſti, habes, & es ſemper in poſterum habiturus.*

*Tertio, ſi in officio Miſſæ, diebus, quibus ſecundum conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ cantatur Patrum Symbolum, es paratus & promptus cantare, & coram populo profiteri, quod Spiritus Sanctus à Patre Filioq; procedit, prout in dicto Symbolo continetur.*

*Quarto, ſi credidiſti, & credis, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, tanquam ab vno principio, per vnam ſpirationem, communem Patri & Filio exiſtentem, prout docent Romanæ Eccleſiæ, Concilium generale, & Doctores Catholici, quos eadem Eccleſia veneratur vt Sanctos.*

*Quinto, ſi credidiſti, & credis, Spiritum Sanctum cum Patre & Filio eſſe vnum Deum, & eis per omnia eſſe æqualem poteſtate, voluntate, immenſitate, & in omni perfectione non inferiorem gradu, nec tempore poſteriorem; ſed eadem æternitate æternum.*

*Sexto, quia ſcribis, quod vſque nunc particulariter dixiſti, Spiritum S. procedere à Patre & Filio, ſed deinceps, quantum poteris, facies generaliter dici.*

*Quærimus à te, ſi per particulariter intelligis quod ad partem, & non in publico dicebas, vel quod aliqui ex Armenis, licet particulares & pauci credebant, & dicebant, Spiritum S. procedere à Patre & Filio, generaliter tamen Armeniæ minoris communitas, quod à Filio Spiritus S. procederet, non credebat, nec dicebat, neque videtur ad dicendum parata faciliter, quia tu ſcribis, quod, quantum poteris, facies generaliter dici.*

*Secundo capitulo ſcribis, te credere, & tenere, quod in vna ſola perſona Chriſti ſunt duæ naturæ, humana ſcilicet & diuina vnitæ. Super quo ſcire volumus, ſi credis, vel credere es paratus tu & Armeni, qui tibi obediunt, in Chriſto ſolam perſonam æternam eſſe Dei Filij, in duabus perfectis & integris naturis: diuina ſiquidem, quam æternaliter habuit, & humana, quam ex tempore de virginali vtero B. Mariæ matris ſuæ aſſumpſit.*

*Secundo, ſi reputas omnes illos hæreticos, qui credent, & credunt in futurum, quod in Chriſto non manet niſi vna natura: quemadmodum in eo non eſt niſi vna ſola perſona, etſi tu, & Armeni, qui tibi obediunt, deteſtamini Euticen, & Dioſcorum, ac cæteros eorum complices hæreticos, Chriſti carnem, & diuinam eſſentiam in vnam confundentes naturam: vel dicentes, Chriſtum nihil matris ſubſtantiæ ſuſcepiſſe, ſed tantum Dei naturam ſub habitu latere humano, quemadmodum latet homo ſub indumento, & B. Leonem, ſub quo celebratum eſt Calcedonen. Concilium, & prædictam hæreſim, & dictos hæreticos condemnauit, firmiter creditis diuinam eſſentiam inter Sanctos alios clare videre, & beatifice ea frui.*

*Tertio, ſi credidiſti, vel credere es paratus, Macharium Antiochenum Epiſcopum, & eius complices ſocios, qui vnam voluntatem & operationem aſtruebant in Chriſto, per Rom. Pontificem Agathone in ſexta Conſtant. Synodo cum eorum hæreſi iuſte & Catholice condemnatos & anathematizatos fuiſſe.*

*Quarto, ſi credidiſtis, & creditis, tu, & Armeni, qui tibi obediunt, Varten, quem, prout nobis à Patribus eſt relatum, & aſſertum, Armeni pro ſpeciali Doctore habuerunt, & qui multos de Armenia labe hæreſis infecit, docens & ſcribens, quod Spiritus S. non procedit à Filio, ſed à ſolo Patre, & quod Chriſtus non habet niſi vnam ſolam naturam, & quod non dedit ipſe Chriſtus maiorem poteſtatem Petro, quam aliis Apoſtolis; & quod Romana Eccleſia non habet iuriſdictionem, nec aliquam poteſtatem ſuper Eccleſiam Armenorum, & quod ſpiritus omnium hominum fuerint inſimul à Deo creati, & quod animæ ſaluandæ & damnandæ vſque ad diem iudicij manent extra paradiſum, & extra infernum, nec ſanctæ animæ Deum per eſſentiam beatifice videbunt, neque fruentur eo, vſque ad diem iudicij, nec illæ, quæ cum peccato mortali à ſuis corporibus receſſerunt, vſque ad prædictam diem finalis iudicij cruciabuntur in inferno, & quod pro animabus Beatæ Virginis, Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, & omnium Sanctorum noſtrum, & illorum, qui deceſſerunt ſine culpâ quacunque, & abſque omni obligatione ad purgatorij pœnas ab Eccleſia Catholica, eſt orandum; & quod Chriſtus ſecundum humanitatem eſt æqualis Deo Patri: & ſic de multis aliis erroribus, quibus eſt vnus magnus liber, quem dictus Varten compoſuiſſe aduerſus fidem S. Romanæ Eccleſiæ dicitur, per totum repertus fuiſſe hæreticum, & hæreſiarcham peſſimum, ac ipſum cum dictis hæreſibus & aliis quibuſcunque in libro illo, vel in aliis ſcripturis aut doctrinis eiuſdem contentis, in quantum ſcripturæ illæ, aut quæcunque eius doctrinæ vel dicta contraria ſunt ſcripturæ & doctrinæ fidei Ieſu Chriſti, quam Romana docet & tenet Eccleſia, & omnia Armenorum Concilia, vbicunque & per quoſcunque fuerint congregata contra fidem Romanæ Eccleſiæ, & articulos fidei Chriſtianæ quos docet & tenet Romana Eccleſia, reputatis, creditis & tenetis fuiſſe congregationes hæreticorum & aduerſariorum fidei Domini noſtri Ieſu Chriſti; et ſi eos, qui talia docuerunt, hæreticos, & eorum doctrinam vt hæreticam anathematizatis & deteſtamini vt fidei Ieſu Chriſti venenum.*

*In tertio capitulo dicitis nos credere, quod nati & naſcituri ex viro & muliere contrahunt originale peccatum præter peccata perſonalia, quæ primi parentes comedendo de fructu ligni vetito contra præceptum eis datum à Domino, contraxerunt. Circa quod capitulum à te, & ab Armenis, qui tibi obediunt, ſcire volumus. Primo, ſi creditis, quod actualia primorum parentum peccata nati & naſcituri ex eis contraxerunt, & contrahent in futurum, quemadmodum ab ipſis contrahunt originale peccatum.*

*Secundo, ſi creditis, quod propter omnia actualia peccata primorum parentum contrahatur originale peccatum.*

*Tertio, ſi creditis, quod circa apertionem Regni cœlorum tantum operaretur circumciſio ante inſtitutionem baptiſmi & omnium hominum per propagationem à primis parentibus deſcendentium in vtroque ſexu obligationem ad Chriſtum, quantum ex tunc operatur baptiſmus.*

*Sexto capitulo dicis, te cum Armenis tibi obedientibus, credere, quod omnes animæ defunctorum ex toto purgatæ à peccatis, poſt paſſionem Chriſti ſtatim vadunt ad regnum cœlorum, vbi Deum manifeſte vident. & animæ decedentium in peccato mortali vadunt in infernum damnationis, vbi nunquam Deum videbunt, ſed ſenſuali purgatione ibidem puniuntur.*

*Circa quod ſcire volumus à te: Primo, ſi credis, vel credere es paratus, quod poſt paſſionem & aſcenſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti animæ eorum, qui deceſſerunt in Chriſti gratia, & in quibus nihil fuit purgabile, quando deceſſerunt; aſcendant in cœlorum regnum, & paradiſum cœleſtem, & cum Chriſto & SS. Angelorum conſortio congregato diuinam eſſentiam videant viſione faciali, ſicut eſt ipſa diuina eſſentia ſe immediate clare & aperte eis oſtendente.*

*Secundo, ſi credidiſti, vel credere es paratus, quod eadem fruantur eſſentia animæ, nihil habentes purgabile à ſuis corporibus ſeparatæ, & quod ex viſione & fruitione diuinæ eſſentiæ ſint vere*

beatæ, & quod hominis intuitiua & facialis clara & aperta viſio & fruitio in eiſdem animabus ſine aliquâ interciſione ſeu euacuatione continuata, exiſtit & continuabitur vſque ad finale iudicium, & ex tunc vſque in ſempiternum.

Tertio, ſi credis, vel credere es paratus, quod animæ decedentium in actuali mortali peccato, mox poſt mortem ſuam ad inferna deſcendunt, vbi pœnis infernalibus cruciantur ſine remedio & ſine extinctione ignis, cum perpetua pœna carentiæ viſionis & fruitionis beatæ.

Septimo capitulo dicis, te, cum Armenis tibi obedientibus, credere, quod vera felicitas ſtat in viſione Dei, & non in viſione alicuius alterius rei, circa quod volumus à te ſcire: Primo, ſi credidiſti, & credis, quod vera fœlicitas non conſiſtat in viſione Dei per ſpeculum in ænigmate, ſed in viſione, quâ facie ad faciem Deus, ſicuti eſt, videtur.

Secundo, ſi credidiſti, & credis, quod vera fœlicitas ſine dilatione coruſcante faciali Dei viſione non habetur.

Circa octauum capitulum quærimus: Primo, ſi credidiſti, & credis, quod Chriſtus ſecundum humanitatem non excedit infinita perfectione omnem creaturam, nec beatitudo creata, quâ eius anima eſt beata infinita perfectione, excedit beatitudinem Angelorum, vel beatarum animarum.

Secundo, ſi credidiſti, & credis, Chriſtum ſecundum humanitatem, quâ minor eſt Patre, excedi in infinitum, & ſine termino à perfectione quam habet ſecundum Diuinitatem, in qua Patri & Sancto Spiritui eſt æqualis.

Circa decimum capitulum quærimus, ſi credidiſti, & credis, purgatorium eſſe, ad quod deſcendunt animæ decedentium in gratia, quæ nondum per completam pœnitentiam de ſuis ſatisfecerunt peccatis.

Item, ſi credidiſti, & credis, quod igne crucientur ad tempus, & quod mox purgatæ etiam citra diem iudicij ad veram & æternam beatitudinem perueniant, quæ in faciali Dei viſione & dilectione conſiſtit.

In duodecimo capitulo dicis, quod baptiſmus ſecundum formam Eccleſiæ receptus, ſine ſimulatione delet omnia peccata illorum, qui ſemel baptizantur, ſiue originalia ſint, ſiue actualia; ſed cum aliqui baptizantur bis in eodem baptiſmo, non delentur peccata illorum, imo potius adduntur & committuntur per ſanctum baptiſmum.

Circa quod primo volumus à te ſcire, ſi credis, quod baptiſmus ſuſceptus ſecundum formam Rom. Eccleſ. quæ eſt: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. in illis, qui non ſimulate nec ficte ſuſcipiunt, deleat omnia originalia & actualia, ſi inſint illis, peccata.

Secundo ſi credis, prædictam formam, quâ Rom. Eccleſia vtitur, Chriſtum inſtituiſſe, & tradidiſſe Apoſtolis, & ipſam à Chriſto & per Apoſtolos fuiſſe impoſitam Cathol. Eccleſ. quæ Rom. eſt, ad ſeruandum.

Tertio, ſi credis, quod à quocunque mortali homine, habente fidem Sacramenti, etiam non Sacerdote vel Clerico, ſed laico, vel muliere, baptiſmus conferatur in forma, quâ vtitur Rom. Eccleſ. verum baptiſma eſſe, nec poſſe ſcienter iterari ab aliquo miniſtro, nec ſuſcipi ab illo, qui in dicta forma Rom. Eccl. ſemel fuerit baptizatus ſine mortali peccato.

Quarto, ſi credis, poſito, quod licitum eſſet interprolationem verborum formæ baptiſmi, & lotionem cum aqua baptiſmali, Euangelium, vel aliquas orationes interponere, quod multo melius & magis ordinate fiat, ſi quando proferuntur verba baptiſmi; lotio ſimul fiat cum aqua baptiſmali illius, qui baptizatur.

Quinto, ſi credis, nulla auctoritate, cui à Catholico ſit adhærendum, aut efficaci ratione poſſe probari, quod forma, quâ vtitur Rom. Eccleſ. baptizando, ſit dubia, & incerta, & quod Apoſtoli ca vſi non fuerint baptizantes; quod pro tanto à te ſcire volumus, quia miſiſti quaſdam rationes debiliter concludentes, pro eo, quod maxime, quod ſupponis, in omnibus illis rationibus; quæ deberes probare.

Circa 17. capitulum, in quo dicis te credere, quod matrimonium eſt Sacramentum Eccleſiæ, & quod actus matrimonialis, ſi congruo modo fiat, eſt meritorius. Volumus à te ſcire, ſi credis matrimonij Sacramentum perfectum, & per carnalem copulam conſummatum nunquam poſſe diſſolui, quantum ad vinculum aliter quam per mortem alterius coniugis, vel amborum, dicente Domino: quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. Secundo, ſi credis, quod vxore mortua, qui fuit vir eius, poſſit nubere cum ſecunda, & illa mortua, cum tertia, & ſic deinceps, quamdiu placuerit, ſicut fuerit coniugio aptus, & quod ſimili modo vxor ſuo primo viro mortuo poſſit ſecundo nubere, & tertio, mortuo ſecundo, & ſic de aliis mortuis viris primis. Circa 23. capitulum, in quo dicis te credere, quod natura humana aſſumpta à Verbo, eſt ſubſtantialiter vnita Verbo in vnitate perſonæ, quærimus à te, ſi credis, vnitate naturæ humanæ & diuinæ in Verbo non eſſe ſubſtantialiter, ſed ſuppoſitionaliter in vnitate perſonæ. Circa 24 capitulum, in quo dicis, & promittis, quod curabis facere, vt ſubditi tui non recipiant manuum impoſitionem, niſi ab his, qui obediunt tibi, ſicut & tu Eccl. Rom. quærimus primo à te, ſi credis, quod illi, qui Romanæ Eccleſ. & tibi obediunt, à Rom. Pontif. vel ab aliis Epiſcopis, auctoritate Rom. Pontif. poſſunt recipere manuum impoſitionem. Secundo, ſi credis, quod omnes, qui tibi obediunt, teneantur immediatius & principalius quam tibi Rom. Pontif. obedire. Circa 30. & 31. capitula, in quibus dicis primo, quod cruores animalium, quæ occiduntur pro ſepulturis defunctorum vt adiuuentur per eleemoſynas, & quod diſtinctio de mundis & immundis animalibus, quantum ad eſum, quæ præcipiebantur in lege veteri, ceſſauit, & euacuata eſt per aduentum Chriſti. Quærimus à te, ſi credis, quod huiuſmodi eleemoſynæ, quæ fuerint de carnibus prohibitis in lege, proſint animabus defunctorum, plus quam ſi fierent de non prohibitis, & quod proficerent eis, ſi de pane, vino, vel panno, ſeu rebus aliis quibus Sacerdotes, & alij pauperes tantum, nil amplius indigerent. Circa 32. capitulum, in quo ſcribis, non eſſe de conſuetudine Armenorum, piſces & oleum comedere in diebus ieiuniorum, imo per mandatum Eccleſiæ Armenorum, prohibitum eſt comedere piſces & oleum, & quod laudatis illos, qui vna comeſtione contenti ſint in diebus ieiuniorum. Quærimus primo à te, ſi credis, non eſſe mandatum Eccleſiæ Catholicæ, quod in diebus ieiuniorum omnes ieiunantes abſtineant à piſcibus & oleo, nec quod talis abſtinentia ſit de neceſſitate ieiunij à S. Patribus inſtituti. Secundo, ſi credis, quod qui pluribus vicibus in die, quam vna comedunt, violant ieiunium à Rom. Eccl. & S. Patribus inſtitutum. In capitulo 39 dicis, quod rite baptizati in Eccl. Cathol. & Apoſt. nullo modo ſunt iterum baptizandi. Circa quod quærimus à te, ſi per Eccleſiam Cathol. & Apoſtol. intelligis Eccleſiam Romanam. Secundo, ſi in Symbolo, vbi nos habemus in vnam S. Cathol. tu, & Armeni, qui tibi obediunt, habetis, & in hanc S. Catholicam, & ſi eſtis parati dicere, & in vnam, vt Rom. Eccl. dicit. In 42. capitulo dicis, te credere, & tenere, quod corpus Chriſti natum de Virgine, & mortuum in cruce, quod nunc eſt in cœlo verum, poſt verba conſecrationis panis, quæ ſunt, hoc eſt corpus meum, eſt in Sacramento altaris, ſub ſpecie & ſimilitudine panis. Ex quo quærimus à te, primo, ſi credis, quod panis tranſſubſtantietur in corpus Chriſti. Secundo ſi poſt illa verba, hoc eſt corpus meum, Sacerdotes in Eccleſia Armenia vtuntur orationibus, per quas videantur orare, quod panis conuertatur & tranſeat in corpus Chriſti, vel quod fiat in corpus Chriſti, & ſi huiuſmodi orationes es tu & Armeni, qui tibi obediunt, paratus, omnino & ex toto committere, vel ſaltem corrigere, quantum ad hoc, quod optando oratur, vt corpus Chriſti fiat in altari, poſtquam per verba conſecrationis vere & realiter in ipſo Sacramento eſt corpus Chriſti. Tertio quærimus à te, quibus verbis vtuntur Sacerdotes Armenorum in conſecratione ſanguinis Ieſu Chriſti. Et pro concluſione eorum, quæ ſcripſiſti in capitulis 53. volumus à te ſcire, ſi omnia ſcripta per te ſubmittis correctioni noſtræ tanquam veri Vicarij Ieſu Chriſti, & ſucceſſoris S. Petri principis Apoſtolorum in pleniſſima poteſtate, ſuper omnes, qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, & correctioni etiam ſucceſſorum noſtrorum, ac Rom. Eccl. quæ nunquam poteſt deficere in credendis. Rurſus circa reſponſiones tuas ad inſtructiones datas tibi & Armenis, qui tibi obediunt, per ſæpedictos Ioan. Archiepiſcopum, & Anton. Epiſcop. reſponſiones dediſti, quæ nos inducunt, vt à te ſequentia requiramus. Primo de conſecratione chriſmatis. Si credis, quod per nullum Sacerdotem, qui non eſt Epiſcopus, chriſma poteſt rite & debite conſecrari. Secundo, ſi credis, quod Sacramentum confirmationis per alium, quam per Epiſcop. non poteſt ex officio ordinarie miniſtrari. Tertio, ſi credis, quod ſolum per Rom. Pont. plenitudinem poteſtatis habentem, poſſit diſpenſatio Sacramenti confirmationis presbyteris, qui non ſunt Epiſc. committi. Quarto ſi credis, quod chriſmata per quoſcunque Sacerdotes, qui non ſunt Epiſcopi, neque à Rom. Pontif. ſuper hoc commiſſionem ſeu conceſſionem aliquam receperunt, iterum per Epiſc. vel Epiſc. ſint chriſmandi. Circa inſtructionem ſecundam, quod paruulis, quando baptizantur,





non debet dari corpus Chriſti, nec poni in ore eorum, reſpondes, quod dabitur ſolummodo illis, qui in ætate adulta baptizantur.

Circa quam reſponſionem quærimus, ſi credis, quod ante vſum rationis nulli miniſtranda ſit hoſtia conſecrata. Secundo, ſi ætatem adultam, in qua nullus ſit idoneus recipere corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti, non credis, vſquequo ſaltem compleuerit ſeptimum annum.

Circa quartam inſtructionem, in qua agitur de Sacramento extremæ vnctionis. Si credis, quod omnis homo mortalis adultus in eo ſolo caſu, quo grauiter eſt infirmus, & in mortali peccato conſtitutus, debet deuote & fideliter ſemel duntaxat in eadem infirmitate Sacramentum extremæ vnctionis requirere, & ſuſcipere; quod ſi non habens fidem huiuſmodi Sacramenti omitteret, vel Sacerdos ex eadem cauſa adminiſtrare nollet, peccarent ambo grauiter, & errarent in fide.

Circa inſtructionem nonam, quæ erat, quod Armenis, qui rationabiliter dubitabant, vtrum veraciter in forma, quâ Armeni baptizant, ſiunt baptizati, non prohibeantur baptizari ſecundum formam Eccleſiæ Romanæ conditionaliter. Reſpondiſti, quod rite baptizati in Eccleſia Armenorum, à quocunque baptizentur, nullo modo iterato baptizandi ſunt, ſed qui dubitabunt, rationabiliter debent dubitationem ſuam deferre ad ſapientes Prælatos Eccleſiæ Armenorum, qui, ſi opus fuerit, baptizabunt eos ſecundum formam Armenorum.

Circa quam reſponſionem primo quærimus à te in caſu, quo baptizati in forma Armenorum dubitarent, an eſſent baptizati, vel non, & pro dubitatione amputanda de cordibus eorum, ad Romanam Eccleſiam recurrerent, ſi paratus es credere, verum eſſe, quod Romana determinaret Eccleſia. Secundo, ſi Armeni dubitantes de forma baptiſmi, in qua baptizat Eccleſia Armenorum, ad ſapientes Prælatos Eccleſiæ Armenorum ſuam dubitationem deferrent, volumus à te ſcire, vtrum tales benigne & charitatiue ſuſciperent, & dubitationi eorum per Sacræ Scripturæ inſtructionem ſatiſfacerent, vel potius dubios flagellarent, incarcerarent, & occiderent, ſicut nobis relatum eſt, quod fecerunt de illis Armenis, qui ſecundum formam Romanæ Eccleſiæ per dictos noſtros Nuntios ſub conditione baptizati fuerunt.

Circa inſtructionem vndecimam, quæ eſt, vt Armeni feſtiuitates celebrent in diebus per Romanam Eccleſiam inſtitutis, reſpondes, quod capitales feſtiuitates ita celebratis, ſicut Rom. Eccleſia, alias autem feſtiuitates celebratis ſecundum Kalendarium Armenorum.

Circa quam reſponſionem quærimus, ſi es paratus tu & Armeni tibi ſubditi celebrare feſtiuitates Sanctorum, quos honorat & veneratur vbique Romana Eccleſia, & ſi Kalendarium, quo vtitur Romana Eccleſia, eſtis parati recipere, vt vtamini eo in benedicendo & honorando Sanctos, quos veneratur & honorat Romana Eccleſia, diebus ad hoc per Romanam Eccleſiam inſtitutis.

In ſextadecima inſtructione reſpondes, quod illos Sanctos, quos Catholica & Apoſtolica Eccleſia iam acceptauit & honorauit, tu & Armeni acceptatis, & honoratis, ſimiliter & Sanctos, quos acceptat & honorat Eccleſia Romana, acceptatis & honoratis, de cætero & acceptabitis, & honorabitis, ſicut ſanctum facietis de voluntate & ſcitu Eccleſiæ Romanæ.

Circa quam reſponſionem primo quærimus à te, ſi credis, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam eſſe eandem, vel aliam, quam Romanam Eccleſiam, quod pro tanto cogimur quærere, quia in reſponſione immediate præmiſſa ſanctam Catholicam Eccleſiam videris diſtinguere à Romana, ac ſi crederes, Eccleſiam Romanam non eſſe Catholicam. Secundo, ſi credis, hæreticos, & hæreſiarchas, ſicut dicuntur fuiſſe Dioſcorus, Eriſcartus, Iacobus, & Raſſus, & plures alij, non eſſe per Eccleſiam Catholicam honorandos & venerandos vt Sanctos, ſed potius anathematizandos, & deteſtandos.

Circa inſtructionem XIX. de illegitime natis, quod non promoueantur ad ſacros ordines ſine diſpenſatione Romani Pontificis, reſpondes, quod Catholicorum Armenorum vſque nunc diſpenſauit, & vis, quod de cætero ita fiat, quamuis raro cum talibus diſpenſetur.

Circa quam reſponſionem volumus à te ſcire, cum diſpenſatio cum illegitime natis, vt ad ſacros ordines valeant promoueri, ſit caſus inter alios ſpecialiter Romano Pontifici reſeruatus, ſi tu vis, vt cæteri Epiſcopi obedientes Romano Pontifici, in præd. caſu non poſſint diſpenſare ſine ſpeciali priuilegio, & conceſſione Pontificis Romani.

Circa inſtructionem XX. quæ eſt de libris, quibus vtitur Eccleſia Armenorum, reſpondes, quod in illis non ſunt errores, ſed laudes, & gloria Dei, & in quibus neceſſe eſſet eos corrigere, corrigerentur.

Circa quam reſponſionem quærimus à te, quare libros, quibus in officiis Miſſarum, & horarum, & ordinationum, & conſecrationum Epiſcoporum, vtitur Eccleſia Armenorum, non exhibuiſti, nec etiam ad legendum exhibere voluiſti interpreti Archiepiſcopi & Epiſcopi præfatorum. Secundo volumus à te ſcire, ſi fideliter & integre es paratus eos exhibere noſtris Nuntiis, cum per eos fueris requiſitus. Tertio, tu non reſpondes de libris illorum, quos apud Armenos reputas Doctores, in quibus, vt nobis delatum eſt, ſunt multi errores & hæreſes contra eandem fidem Catholicam, quam tenet & docet S. Mater Eccleſia. Volumus igitur à te ſcire, ſi es paratus ad mandatum noſtrum, quando ad te peruenerit, libros huiuſmodi exhibere.

Poſt prædicta omnia mirari cogimur vehementer, quod in quadam Epiſtola, quæ incipit: Honorabilibus in Chriſto Patribus, ſubtrahis de 53. primis capitulis capitula 16. Primum, quod Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio. Tertium, quod paruuli ex primis parentibus contrahunt originale peccatum. Sextum, quod animæ ex toto purgatæ ſeparatæ à ſuis corporibus, manifeſte Deum vident. Nonum, quod animæ decedentium in mortali peccato in infernum deſcendunt. Duodecimum, quod baptiſmus deleat originale & actuale peccatum. Decimumtertium, quod Chriſtus non deſtruxit deſcendendo ad inferos inferiorem infernum. Decimumquintum, quod Angeli à Deo fuerunt creati boni. 30. Quod effuſio ſanguinis animalium nullam comparat remiſſionem peccatorum. 32. Quod non iudicent comeſtores piſcium in diebus ieiuniorum. 39. Quod in Eccleſia Catholica baptizati ſi efficiantur infideles, & poſtmodum conuertantur, non ſunt iterum baptizandi. 40. Quod paruuli ante octauum diem poſſunt baptizari, & quod baptiſmus non poteſt eſſe in liquore alio, quam in vera aqua. 42. Quod corpus Chriſti poſt verba conſecrationis ſit idem numero, quod corpus natum de Virgine, & immolatum in cruce. 45. Quod nullus etiam Sanctus corpus Chriſti poteſt conficere, niſi ſit Sacerdos. 46. Quod eſt de neceſſitate ſalutis confiteri proprio Sacerdoti vel de licentia eius omnia peccata mortalia perfecte & diſtincte. Quia igitur verba illius Epiſtolæ, in qua ſcribis, quod diminuiſti 16. capitula de 53. capitulis per dictos Archiepiſcopum & Epiſcopum tibi exhibitis, & ad ſingula per te illis in ſcriptis reſponſionibus datis intricata ſunt, & obſcura. Ideo volumus clare, & ſine velamine à te ſcire, ſi prædicta 16. capitula diminuiſti de 53. pro eo, quod non credis ea eſſe vera, neque Catholica, vel ex qua cauſa ipſa capitula diminuiſti.

Item, in ſcriptis rogaſti Archiepiſcopum & Epiſcopum antefatos, vt eſſet inter eos & te verborum finis, & quod amplius non laboraretis in verbis inſtructionis, ad quam laborem iidem Archiepiſcopus & Epiſcopus per Rom. Sedem fuerunt ad te miſſi, & cum tuæ reſponſiones in pluribus ſint dubiæ, cauilloſæ, obſcuræ, & ſuſpectæ, ſcias, quod non poſſemus nos, qui ſalutem tuam & Armenorum ipſorum, ſicut tenemur, ardenti deſiderio ſitimus, finem imponere, nec à labore & fatigatione ceſſare, niſi prius pure, clare, perfecte, & integre, tu & Armeni, de tua obedientia fidem illam receperitis, quam ipſa Romana tenet & docet Eccleſia, quæ cunctorum fidelium mater eſt & magiſtra.

Ad hæc cum canonizat. ſanctorum, & promotiones illegitimorum ad ſacros ordines, ſint caſus, qui inter alios tantummodo Romano Pontifici reſeruantur, & ad nullum alium Prælatum Eccleſiæ pertinentes, niſi ipſe Rom. Pontifex ſpecialiter aliquibus duxerit committendos, miramur, quod te dicis prædictos duos caſus auctoritate propria velle penes te retinere, quod nullum ſignum eſt obedientiæ, & reuerentiæ, quas ad Roman. Pont. in præmiſſis capitulis te prætendis habere.

Quapropter adhuc cogimur te requirere, vt nobis in ſcriptis reſpondeas, ſi vis traditiones Orthodoxorum Patrum, ac decretales ſeu conſtitutiones Sanctæ & Apoſtolicæ ac Romanæ Sedis reuerenter ſuſcipere, docere, atque ſeruare.

Cæterum, quia fide dignorum plurium, & quorundam etiam Armenorum relatio frequenter noſtris auribus inſtillat, quod tu & anteceſſores tui Catholicon Armenorum ac tibi & eis obedientes Ar-

*tes Armeni, ea, quæ circa ipſius fidei noſtræ cultum nobis & prædeceſſoribus noſtris Rom. Pontif. tuis & eorum literis deſcripſiſtis, & promiſiſtis etiam nos facturos, in nullo penitus obſeruaſtis. Imo, quod eſt deteſtabilius, & nos amplius deploramus, Nunciorum & Legatorum dictæ Sedis, quos ad te ac illos Sedes ipſa de tua & illorum ſalute anxia curioſitate ſolicita deſtinauit, ſalubria monita, & ſanam Catholicamq; doctrinam per eoſdem Legatos & Nuntios tibi & tuis anteceſſoribus & obedientibus tibi, & eis Armenis eiſdem communicata & tradita contempſiſtis, & abieciſtis omnino, ac fidem ipſius Eccleſiæ Romanæ, extra quam nulla eſt gratia, nulli ſalus, habuiſtis damnabiliter in deriſum.*

*Et ideo fraternitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur, attente tibi tuæ ſalutis intuitu ſanis conſilijs ſuadentes, quatenus reſponſiones per te ad interrogationes noſtras huiuſmodi faciendas, & omnia, quæ tu, & iidem obedientes tibi, vt præfertur Armeni cura, ipſius fidei noſtræ negotium promittetis, & dicetis, nos credere, ac tenere, quanquam ſperemus indubie, quod ſimplicia verba tua & Armenorum ipſorum pura & vera tua, & eorum conſcientia, quicquid ille vel illi conentur aſſerere comitetur, tactis ſacroſanctis Euangeliis, iuramentis ſolennibus roboretis, & nihilominus ſub iuramentis ſimilibus promittatis, quod nobis & ſucceſſoribus noſtris Rom. Pontif. canonice intrantibus, & eidem Eccleſiæ Romanæ, ac noſtris, & eorum præceptis & iuſſionibus, ſicut vere obedientes parebitis cum effectu, vt ora de te & Armenis eiſdem ſic grauiter ſicq; notabiliter obloquentium obſtruas, & Armeniæ Cleri & populi Paſtor bonus ſic eis ſalutis ducatum & paſcua præpares, quod dum tempus reſolutionis aduenerit ad ſancta ſanctorum purificatis cum ipſis introire mentibus merearis: Noſq; laborum noſtrorum, quod cum tanta cordis affectione ac ſinceritate ſubiuimus, & ſubimus fructus vtiles, & diu & anxie concupitos, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt caput Eccleſiæ, colligamus.*

*Sciturus pro certo, quod præter ſalutis æternæ præmia & famæ titulos, quæ prouide conſequeris, dabit tibi Deus ille omnium opulentiſſimus retributor, vnde in præſenti quoque ſæculo gratiis & beneficiis affluas, & nos licet inſufficientibus meritis dignatione ſua eius in terris Vicarius, qui honori, & ſtatui Eccleſiæ, Sediq; tuæ non detrahere, quimmo adiicere tuis, vt ſperamus, exigentibus meritis, Deo fauente, proponimus, magnis & amplis priuilegiis, gratiis, & libertatibus, te ac ipſam tuam Eccleſiam honorare.* Datum apud Villam nouam Auinion. Diœceſ. 13. Kalend. Octobr. anno 10.

XXII. In eandem materiam ad Reg. Armen. Clementis epiſtola.

CONSTANTINO *Regi Armeniæ Illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro. Sicut, vt credimus, memoria tua tenet, iamdudum percepto, quod Catholicon & Eccleſia Armenorum in fide Catholica, quam tenet, docet, & prædicat S. Romana mater Eccleſia, extra quam nulli eſt gratia, nulli ſalus, aliqualiter vacillabant, nos illius, cuius licet immeriti vices in terris gerimus, & qui ſalutem omnium quærens neminem perire vult exemplo commoniti, cupientes, quod ipſi Catholicon & Armeni in eadem vera fide ſolidius roborati, antiqui hoſtis, qui primum ſchiſma ſuſcitauit in cœlo, confutatis fraudibus, & tentationibus ſuperatis, verum lumen Catholicæ veritatis agnoſcerent, & vnitati eiuſdem Romanæ Eccleſiæ aggregati, fierent hæreditatis Dominicæ cohæredes. Venerabilem fratrem noſtrum Ioan. Archiepiſcopum Piſanum tunc electum Coronen. & bonæ memoriæ Antonium Epiſcopum Caietan. viros vtique, ſicut experientia didiciſti, multarum virtutum meritis plenos, timentes Deum, & in Lege eius plenius eruditos commiſſo eis per nos plene legationis officio, ad partes ipſas, ſub ſpe ac fiducia eius, qui concordiam in ſublimibus ſuis parat, & parietem vtrumque connexuit, duximus deſtinandos, vt corda in fide ipſa debilia ſalutaris doctrinæ pabulo refouerent, ſolidarent, vacillantia & ſolida fortius roborarent.*

*Qui calcatis maris & terræ periculis ac laboribus ſpretis, poſtquam ad partes ipſas duce Domino peruenerunt, ſuſcepti miniſterij partes, ſicut Dei miniſtri, deuote ac fideliter exequentes: demum cum ipſi ſuper articulis certis, quos eidem Catholicon per Ioannem & Antonium prædictos direximus, vt ipſe ac Armeni prædicti per illos ad veram agnitionem ipſius Catholicæ fidei veſtigio recto pertingerent, quibuſdam ab eodem Catholicon reſponſionibus habitis, ad eandem Sedem Apoſtolicam remearent, idem Antonius in ſui proſecutione itineris, iubente Deo, ſoluto naturæ debito in Domino requieuit.*

*Tandem Ioanne ad nos redeunte præfato, & ab huiuſmodi prædicti Catholicon reſponſionibus ad memoratos articulos habitis ab eodem, ipſiſq; per nos vna cum venerabilibus fratribus noſtris S. Romanæ Eccleſiæ Cardinal. & nonnullis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac aliis Eccleſiarum Prælatis, & viris Eccleſiaſticis Magiſtris in Sac. pagina, & Doctoribus decretorum diligenti & ſana examinatione diſcuſſis, comperimus earum aliquas obſcuritates nube velatas, quaſdam implicitas, & quaſdam ſcriptorum forſitan, aut interpretum vitio veritati Catholicæ repugnantes.*

*Dei ergo, cuius perfecta ſunt opera, fiducia roborati, & freti auxilio, nolentes imperfectum deſeri, quod pro tot tantorumque ſalute dedit diuina bonitas inchoari ad huiuſmodi reſponſiones ipſius Catholicon quaſdam interrogationes ſalubriter & cum magna deliberatione formari fecimus, & eidem Catholicon per alias noſtras literas deſtinamus, ad quas ſingulariter ſingulas, cum ſint in ipſius fidei vnitate formatæ per eundem Catholicon, non ſub obſcuritatis nube, aut duplicitatis pallio, vel ſub incertitudinis ſeu imperfectionis cuiuſpiam detrimento, ſed vnde clare, pure, ſimpliciter, & aperte volumus reſponderi, vt zelus ſuus ad eandem fidem non obliquus, ſed rectus appareat, & ſic ipſe in offenſo veſtigio & recto calle fideliter gradieris, æternæ lucis, quæ Chriſtus eſt, ſplendore luſtratus, erroris cuiuslibet ſe gaudeat amiſiſſe caliginem, ac tandem Armenorum populo parans ſalutis pabulum, & ducatum vna cum eis ad ſancta ſanctorum mentibus purificatis introeat æternæ beatitudinis indeficientibus gaudiis perenniter potiturus. Quapropter Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, tuæ ſalutis obtentu attentius obſecrantes, quatenus prudenter attendens, quod Catholicorum Principum opus eſt pro augmento Chriſtianæ religionis & fidei labores amplecti, curas ſuſcipere, ſolicitudines non vitare, apud eundem Catholicon, quod ſalutaribus monitis & exhortationibus noſtris obtemperans, non in corde & corde, ſed pure, ac ſimpliciter, & ſecundum exigentiam Catholicæ veritatis eiſdem interrogationibus noſtris reſpondeat, & reſponſiones ſuas iuriſiurandi adiectione confirmet pro diuino maieſtatis reuerentia noſtræ interuentionis obtentu, & tua inſuper conſideratione ſalutis efficaciter & ſolerter inſiſtas, vt eo cum vniuerſo Armenorum clero & populo tuo felici tempore huiuſmodi aggregata vnitati Eccleſiæ memoratæ obſtruantur ora obloquentium; plurium Catholicorum etiam Armenorum, qui Catholicon ipſum & Armenos alios non in veritatis ſimplicitate, ſed fictione quadam ipſius fidei negotium proſequi: imo, quod deteſtabilius eſt, & amplius deploramus, communicatum eis per Legatos eiuſdem Sedis ſalutarem doctrinam ipſius fidei in contemptum & deriſum habuiſſe firmiter aſſeuerant, tuq; tanti boni promotor & auctor claris attollaris vbiq; præconiis, & ſolum Regni tui in terris ſtabilius robores, & cum tempus reſolutionis aduenerit, ad participium æternæ gloriæ in Regno cœleſti cum ſanctis & electis Dei, ab eo, per quem Regni ſceptra ſuſcepiſſe ac gerere noſceris, admittaris, pro certo ſciturus, quod nos qui ſalutem tuam, & tui ſubditi populi in hac parte proſequimur, & ſimpliciter quærimus, Te, Regnumque tuum, non ſolum ſpiritualibus gratiis, ſed & temporalibus fauoribus atque ſubſidiis diſponimus, præſtante Domino, multipliciter confouere. Quod vt ex nunc aliqualiter ſentias, de pecuniis Apoſtolicæ Cameræ ſex millia florenorum in Regno Cypri tibi ſeu procuratori tuo mandauimus exhiberi.* Datum apud Villam nouam Auinionenſ. Diœceſis, 18. Kalend. Octobr. anno 10.

XXIII. Obitus B. Ioan. Cremon. ord. Seruorum.

Apud Cremonen. hoc anno, Ioanna Cremonenſis, ordinem ſeruorum B. V. Mariæ profeſſa, extremum naturæ debitum ſoluit, celebris miraculorum gloria, virtutumque omnium fulgore ornatiſſima, quæ etiam virginis amictum geſtauit, ac vitæ ſuæ calcem præſciuit, & quindecim dies duntaxat Chriſti corpus in cibum, & ſanguinem in potum ſumpſit. Atque à multis in coniugium olim expetita, recuſauit; virginitatemque integerrimam ad exitum vitæ ſeruauit; vt ſui temporis virginum exemplar, iure merito poſſit appellari. *Chron. Seruorum.*

XXIV. De B. Conrad. Placen. ord. Tertiar. S. Fran.

Hoc anno, ad 11. Kalend. Martij apud Netinos in Sicilia, naturæ conceſſit B. Conradus Placentinus, Eremita. Is Confaloniorum nobili ſtirpe progenitus, eam habuit occaſionem ad terrenas opes relinquendas. Mira venationis capiebatur voluptate. Accidit ſemel, vt magno rerum apparatu feras inſecutus, quod in ſaltus vepribus obſitos incolumes confugiſſent, voti compos non eſſet. Cogitans quid faceret, ignem vepribus ſubdidit: qui modicis initiis, à magno ventorum impetu adeo creuit, vt proximæ ſyluæ non minimum exuſſerit. Præfectus vrbis incendiarium quærens, in quendam infimæ plebis hominem incidit: captum torqueri, & crimen, cuius inſons fuerat, fatentem, ad patibulum duci imperauit. Ibi audito innocentis periculo Conradus, extemplo prodiit, & caſum, vt acciderat, narrauit, pretioque pro exuſto nemore exſoluto, innocentem morti eripuit.





Hinc perfectioris vitæ deſiderio inflammatus, conſilium vxori aperuit, eaq; in monialium cœtum abeunte, diſtributis omnibus, quæ habuerat, pauperibus, habitu religioſorum, qui D. Franciſci Tertiarij dicuntur, indutus, primo in eremum Placentiæ proximam, deinde Romam, ad viſitanda Apoſtolorum limina, ac tandem naue Liguſtica in Siciliam traiecit, inque ſuperiori Netinæ vrbis ingreſſu, à Friderico Trinacriæ Rege, quem ab apro incurſante eripuerat, domunculas aliquot pauperibus & peregrinis excipiendis obtinens, pietatis operibus aliquandiu incubuit. Poſtea in colles, quibus nunc à D. Conrado nomen ſupereſt, ſecedens, eremiticam ibi vitam, in fame & ſiti, in vigiliis & orationibus, in nuditate & aſperitate, inq; aliis monaſticæ vitæ exercitiis duxit.

Eius miracula.

Eius ſanctitatem Deus nonnullis miraculis illuſtrauit. Antonius Seſſa ciuis Netinus, illum ad crucifixum adorandum feria ſexta venientem, prandiolo exceperat. Inter colloquendum acerbiſſimo laterum dolore correptus, pij conuiuæ precibus liberatus eſt: cum etiam is apud Malphitaniam locum, infantem ab herniæ morbo laborantem, ſolo crucis ſigno perſanaſſet. Petrum quoq; Bucherium frigoris morbo afflictum, Conradus priſtinæ ſanitati reſtituit. Aliquem à ſagitta cœleſti interficiendum, præuiſo periculo eripuit. Laurentij Cardi filium, legumina quædam ſibi à patre miſſa ferentem, ab inimico humani generis doctoris ſpecie apparente, in præcipitium quoddam adductum, ex horrendo illo loco, apparens opem imploranti, eduxit. Famulo, qui alterum vas vini dono ſibi miſſum, altero dato, retinuerat, periculum à ſerpente in orificio vaſis abſcondito renuntiauit. Inuitatus à quodam amico ad prandium, piſciculos paratos, à fele comeſos, in ſpiritu cognouit. Adueniente ad eius antrum vacuum Syracuſano Epiſcopo, quatuor placentas calidas candidasque pro tanto hoſpite diuinitus accepit. Aliquando ab irriſoribus ad prandium feria ſexta accitus, cum ſuillam illi obtuliſſent, in piſces commutatam comedit, & in huius rei teſtimonium, ſpinas & ſquammas, illudentibus, quod ſuillam feria ſexta comediſſet, oſtendit. Ad Syracuſanum Epiſcopum profectus, à pluribus auiculis iuxta palatium quaſi gratulantibus, circumdatus fuit. In antro, vbi accommodandæ aræ crucifixi ſaxum ingens excidi curauerat, immenſæ illud molis nullo negotio eduxit, paneſque adhuc fumantes hominibus, quos ad operam euocauerat, per miraculum obtinuit, tot quot illi numerabantur. Tentationes gulæ & Veneris, vepribus & rubetis, quibus ſe cruentabat, depellere ſolebat. Diſcipulo ad ſæculum reuertenti, quod ab auerſa haſta interficeretur, prædixit. Sacris more Chriſtiano procuratus, imminentem ſui tranſitus horam prænuntiauit, febrique correptus, coram crucifixi imagine genu flexus, poſt multa deuicta certamina, ad cœleſtem gloriam emigrauit. Sacerdos, qui pridie confitentem audierat, genuflexum mortuum, in antro mirabili ſplendore illuſtrato reperit, adeo vt viuentem adhuc primo aſpectu crederet. Campanæ Neti & Hyblæ, nullo pulſante, adeo omnes & fortiter ſonuere, vt omnes Conradum vita functum fuiſſe certiſſimo argumento didicerint.

Obitus, et miracula ſuccedentia.

Inter Netinos & Hybleńſes certamine de ſacro cadauere exorto, cum libera poteſtas facta eſſet, vt illi ad ſepeliendum acciperent, quibus loculus ſuccederet: Hyblenſibus adeo grauis fuit, vt ne loco quidem potuerint dimouere, omnem operam perdiderunt, quod loco moueri nequiuit: in D. autem Nicolai templum, à duobus leuiſſime delatum eſt. Vbi quamplurimi infirmi, hernioſi, cœci, ſurdi, muti, & aliis morborum generibus oppreſſi, ſanitati reſtituti ſunt. Leo Papa X. Pontificatus anno 3. Netinis conceſſit, B. Conradi reliquias poſſe coli, & per vrbem circumduci. Vnde anno ſalutis 1516. prima Conradi ſolemnitas incepta eſt: qua die miracula patrata, Ioannes Huncana Netinus, Epiſcopus Scuterenſis collegit. Paulus IV. conceſſit eiuſdem Beati feſtiuitatem, extra ciuitatem Netinam & diœceſim Syracuſanam poſſe celebrari. Dato diplomate Romæ, anno ſalutis 1544. 3. Kal. Nouemb. *Vincentius Littara de rebus Netinis, & Petrus Maria Camp. Canonicus Placentinus, in vita Beati.*

## IESV CHRISTI
## Annus 1352.

### CLEMENTIS PAPÆ VI. ANNO 11.
### Caroli Regis Romanorum anno 6.

I. Quid inter Lud. Pannonium et Tarent. à Clem. ratione Regni Siciliæ ſtatutum ſit.

HACTENVS Nuntij Regum Siciliæ & Vngariæ, coram Summo Pontifice, Auinione, de iure poſſeſſionis Regni Siciliæ egerunt. Pro Ludouico Tarentino & Ioanna, Epiſcopus Aptenſis, Raymundus Baucius Comes Præfectus Cameræ, & Matthæus Porta Salernitanus Regni Siciliæ rationum Magiſter, regni titulum publice & priuatim flagitabant: pro Ludouico autem Pannonio, Ioannes Epiſcopus Veſprimienſis, & Vlricus Vulfordius Comes Caſtri ferrei ſanciebant. Conuenit ad extremum, vt Ludouicus Tarentinus, Romanæ Eccleſiæ beneficio titulum ac diadema Regni Siciliæ, citra tamen ius ad Regnum obtineret: adeo, vt ſi Ioanna Regina ſine liberis præmoreretur, Ludouicus titulum ac dignitatem Regiam ſtatim atq; ipſa fatis conceſſiſſet, amitteret, neque quicquam de Regni iuribus aut bonis ſibi vſurpare poſſet: ſed totum ius poſſeſſionis, iuxta formulam pactorum inter Sedem Apoſtolicam & Carolum primum conuentorum, ad Mariam Ioannæ ſororem, adque eius filios deuolueretur: cum proteſtatione à Sede Apoſtolica interpoſita, ne Ludouicus, à morte Ioannæ, coronationis cuiuſcumq; prætextu, ſe Regem verbo amplius diceret, aut in literis publicis iuxta ac priuatis Regē aut Regis titulum ſubſcriberet. Quod ſi contra facere præſumeret, ſtatim in excommunicationem latæ ſententiæ incideret: hæc vero ante diem coronationis iureiurandi ſacramento interpoſito in ſe ſancte ſuſciperet, datoq; publico diplomate comprobaret: ſine vllis verborū inuolucris illud præcipue ſpondens: ſi mortua ſine liberis Ioanna, titulum Regis Siciliæ ſibi verbo vel ſcripto arrogaret, aut dignitatem Regiam verbo vel facto præ ſe ferret, aut iura vel bona quæcumq; Regni Siciliæ vſurpare amplius contenderet, ex nunc, prout ex tunc, anathematis telum, abſq; vlla noua Sedis Apoſtolicæ declaratione vel renuntiatione, in ſe ſuſciperet, ſeque ipſe cœtu piorum excluſum eiectumque decerneret. Conuenit præterea, vt iureiurādo Romanæ Eccleſiæ à Ludouico Tarentino, quemadmodum prædictum eſt, coram Wilhelmo Archiepiſcopo Bracaren. vel ſi is non poſſet, coram Petro Archiepiſcopo Beneuentano Sedis Apoſtolicæ Legato præmiſſo, vnus ex eis, qui præſens adeſſet, diadema Regium illi & Ioannæ imponeret, ſacroque ritu inungeret, ac Reges Hieruſalem & Siciliæ pronuntiaret: Ludouicus autem Pannonius, omni iuri, quod quo-

quo modo ad poſſeſſionem Regni Siciliæ prætendere poterat, renuntiaret, vrbesque, & ciuitates, atq; omnia bona, quæ hactenus in Regno Siciliæ occupauerat, Romanæ Eccleſiæ reſtitueret: militemque vniuerſum, & Præfectos militiæ Regno Siciliæ deduceret, neq; quicquam in poſterum in eodem Regno ſibi vendicaret. Wilhelmo Archiepiſc. Bracarenſi, vel, eo abſente, Petro Archiepiſcopo Beneuentano, inungendi coronandiq; Reges, iuraměta audiendi, & pacta ab eis recipiendi, Clemens poteſtatē fecit: Petrumq; Comitē S. Martialis Lemouicen. Diœceſis Wilhel. Bracharěſi ſocium commiſſarium dedit, qui à Ioanne Veſprimien. & Vlrico Vulfordio Ludouici Pannonij commiſſis, vrbes, caſtra, oppida, & alia Regni Neapolitani bona, pro Romana Eccleſia recuperarent. Actum iſtud in conſeſſu Patrum publico *Auinione, 14. & 10. & ipſis Kalendis Februarij* huius anni; quibus de rebus literas Clemens Pontifex, Ludouico Tarentino & Ioannæ, Ludouico Pannonio, & Archiepiſcopis dedit: cum etiam *Idibus Februarij*, omnibus Prælatis, & Proceribus Regni Siciliæ, dies 30. præſcripſiſſet, intra quorum decurſum, Ludouico & Ioannæ Regibus, homagij & fidelitatis ſacramentum dicerent; nec non die deſignato, inaugurationi Regis & Reginæ interforent.

II. LVDOV. PANNON. PAVLVLVM REFRACTARIVS.

Ludouicus Pannonius, præter omnem expectationem, non omnino morigerum ſe Clementi Pontifici exhibuit. Cum n. de tranſactione per nuntios Auinione facta certior factus eſſet, Guidoni Cardinali Epiſc. Portuen. ſcripſit, oratoribus ſuis non omnia, quæ in pacta deduxerant, commiſiſſe, plurimaq; præter voluntatem & conſenſum ſecretioris ſui Senatus illos egiſſe; ideoq; nuntios alios in Siciliam ſe miſiſſe, quibus imperaſſet, ne præfecti ciuitatum & caſtrorum ea cuiquam reſtituerent, neve præſidia, aut reliquos exercitus Regno deducerent, quouſque is aliud decreuiſſet. Cauillationes erant Pannonij. Quamobrem Clemens Ludouico & Ioannæ ſcripſit, caute agerent, & tum negotium inaugurationis, tum reliqua in pactis expreſſa quãtocyus expedirent. Pannonium quoq; admonuit, ne amplius tergiuerſaretur, ſed pacta per oratores conuenta ſtabiliret, & tum Principes Regios dimitteret, tum ciuitates Regni Siciliæ reſtitui iuberet, *ep. 5. Kal. Iul.*

III. PONT. MOREM GERIT LVD. PAN.

Tandem tandem Pannonius Pontifici morem geſſit, & inprimis duos Principes, deinde & reliquos liberos in Italiam remiſit, pacta conuenta diplomate dato confirmauit; miſſoq; Paulo electo Gurcan. Epiſcopo oratore, omnia in arbitrio Pontificis eſſe iuſſit; ciuitates, oppida, & caſtra reſtitui imperauit, præſidiarios, & reliquos militum reuocauit; literis Pontif. *datis Idibus & 8. Iulij*, pro libertate iurium Eccleſiæ Romanæ ſatisfecit; nec non in pactis aſſignata in ſumptus belli factus 300. millia nummûm aureorum Regibus dimiſit. Itaque Clemens Pannonio, ne quis ei propter inuaſionem Regni Siciliæ, & capturam principum Regiorum, & occupationem bonorum Romanæ Eccleſiæ, in iudicio, vel extra negotium faceſſere poſſet, indulſit, atque eius oratores, & milites, qui nondum è Regno Siciliæ exceſſerant, in patrocinium B. Petri & Apoſtolicæ Sedis ſuſcepit: idque vt Archiepiſcopus Bracarenſis Legatus omnibus palam faceret, edixit: ne forte aliquis iniuriarum nomine eos vel in Regno, vel abeunte è Regno, violare præſumeret, *ep. 4. Id. Febr.*

IV. SOLLICITVDO CLEMENTIS PRO QVIETE REGNI SICIL.

Robertus dictus Imperator Conſtantinopolitanus nuper ex Vngaria redux, & Maria Dyrrachij Princeps Caroli Ducis relicta, nec non plures alij Regij Principes, recuſabant iuramentum fidelitatis Regibus præſtare. Quodque grauius eſt, inter eos nonnullas diſcordias ſerebant, adeo vt Ioanna Ludouico non vſquequaque bene vellet. Monuit Clemens Neapolitanum & Beneuentanum Archiepiſcopos, qui illos Principes & Robertum ac Mariam ad officium Regibus præſtandum, anathemate etiam propoſito compellerent: nec non eadem cenſura eos omnes, qui diſcordias inter Regem & Reginam excitaſſent, percellerent, *ep. 911.* Regique & Reginæ ſerio præſcripſit, qui ſe mutuo diligerent, neque per offenſiones leues occaſionem Principibus & populis darent tumultuandi, aut ſeditiones concitandi, *ep. Kal. Febr.*

V. CORONATIO LVD. ET IOAN.

Ad 4. Kal. Iunij, ipſa feſtiuitate Pentecoſtes, Willelmus Bracarenſis, nomine Clementis Pontificis, Ludouicum & Ioannam ſacro balſamo inunxit, & diademate Regio auxit, cum eos Reges Hieruſalem & Siciliæ eſſe iuſſiſſet.

CASVS LVD. REG.

Mali ominis caſus Ludouico Regi eo die ſolenni pompa per Neapolitanam vrbem equitanti accidit. Aliqua fœminarum è feneſtra nonnullos flores in prætereuntem Regem ſparſerat, à quibus equus Regius perterritus illum excuſſit. Decidenti, ſeu, quod alij volunt, demittenti ſe ex equo ferociente Ludouico, diadema è capite decidens in tres partes diſtractum eſt: citra tamen Regis noxam. Reſtauratum ex tempore Rex iterum capiti impoſuit, & alteri equo impoſitus, reliquum itineris abſoluit, data venia omnibus, qui antea pro Pannonio ſtetiſſent, ſi modo intra diem præſcriptum abſentes venirent, & homagij iuramentum præſtarent.

Non poterat Ioanna, virilis audaciæ mulier, & libidinibus aſſueta, Ludouicum ferre, quod eius prurigini non plane ſatisfacere videretur. Quamobrem is occaſiones occupationum quærens, in Ludouicum Trinacriæ Regem arma mouere decreuit: ſpecie quidem vt Claromontanis contra Palicios tumultuantes opem ferret, reuera autem vt à Ioanna auerſa, ipſe quoq; auertendi ſe anſam arriperet.

VI. MVLIEBRIS TVMVLTVS CONTRA PALIC. QVENDAM.

Erat apud Siculos Matthæus Palicius Regis adoleſcentis tutor, Regnique Adminiſtrator; qui, quod præfracte imperaſſet, multaque in rem ſuam conſtitueret, Claromontanæ familiæ Principes adeo in ſe irritauerat, vt non tantum proceres, verum etiam fœminæ, & promiſcua plebs, perfidiam, crudelitatem homini exprobrantes, vitam Regi, populoque, ac mortem illi, vt proditori, pacisque hoſti, concepto præconio imprecarentur.

Meſſanæ tunc Ludouicus adoleſcens, vna cum Matthæo, & cum ſorore germana Diuæ Claræ Meſſanenſis Abbatiſſa, Ioanne & Friderico fratribus, & aliis proceribus Paliciis hærebat, cum populus Matthæum ad necem poſtularet. Ad has voces horrendas, mulieres ædibus egreſſæ, Regis vexillo ab vna earum elato, ad Palatium euaginatis enſibus accurrunt, ianuas ſibi aperiri, dedique ad cædem Matthæum Palicium infeſto agmine poſtulantes. Quas cum è feneſtris Ludouicus Rex bonis verbis mulcere ac mitigare conaretur, exaſperata etiam mulierum audacia, minis, atque demum igne ad ianuas exurendas iniecto, ni Mattheus dedatur, Regem terrebant. Quibus Rex perterritus, per poſticum periculo ſe eripere coactus eſt.

PRODITVR A FAMVLO PALICIVS, ET CRVDELITER EXCARNIFICATVR.

Eoq; demum egreſſo, Henricus Rubeus ex Comitibus ſolus, & promiſcua Meſſanenſis plebs eadem porta in palatium irruentes ſubtili inueſtigatione Matthæum Palicium quæſiuerunt. Quo non inuento, in quendam eius familiarem ac portitorem incidentes, irruerunt, & trucidare perrexerunt. At ille ſupplex vitam ſuam precatus, locum eis oſtendit, in quo infelix diliteſcebat. Is erat aula ſubterranea, quam ſibi Eleonora Siciliæ olim Regina, ad terræmotus, qui Meſſanæ frequentes ſunt, & tonitrua vitanda fabricauerat; vbi Matthæum inuenere. Qui vna cum Margarita Teutonica vxore, & liberis, à plebe promiſcua captus, & Rubeo præſentatus, ſupplex quidem & ad pedes eius prouolutus veniam precabatur; ſed ab irruentibus mulieribus & plebe, Henrici mandato cum ſuis omnibus interfectus, ac ſubinde traiectis fune tibiis, equisque in diuerſa raptantibus, per vrbem diſtractus eſt. Vxoris quoq; cadauer adeo ignominioſe affectum eſt, vt non modo barbaris, ſed tigribus ipſis horrori eſſe potuerit. Caput Matthæi, & brachium Meſſanenſes plerique, poſtridie Catanam ad Blaſcum, rem ei gratam facere rati detulerunt. At ille viſis membris, gemitu & lachrymis caſum inimici proſecutus eſt: Catanen-





ſibus interim tota vrbe gratulantibus. Et ne naturæ deeſſet, honorifico funere, ingentique exequiarum apparatu ea membra ad Diui Dominici ædem, quæ iuxta arcem erat, tumulari iuſſit: raro pietatis in hoſtem exemplo. Ad eum modum Matthæus Palicius extinctus eſt, in exemplum eorum, qui apud pueros Principes omnium potentes, fortius in rem ſuam, quam in publica commoda reſpicientes, perniciem ſibi accerſere ſolent. *Thomas Fazellus de rebus Siculis, dec. 2. lib. 9. Bonicontr. in annal. Matth. Villani hiſtor. lib. 3. cap. 5. epiſt. Clem. huius anni ſecret.*

VII. ALIA CLEM. PP. GESTA.

Inter hæc Clemens, 1. Ludouic. & Ioannæ poſtulantibus, quod Archiepiſcopum Bracarenſem inter Patres purpuratos per id temporis recenſere non poſſet, excuſauit: cæterum primo quoq; tempore, quo reliquos in Senatum allegaret, ſe facturum promiſit; quod iam vniuerſi Senatus Patres, ſuffragiis ſuis illum futurũ Cardinalem, non tam propter conſanguinitatis vinculum, quo Pontifici deuinciebatur, quam propter virtutes deſignaſſent, *d. ep. apud Villamnouam, 10. Kal. Iun.*

2. Archiepiſcopo Bracharenſi præcepit, vt modis omnibus apud Ludouicum Siciliæ Regem, liberationem Mariæ Dyrrachianæ & filiarum illius procuraret, *Auinion. Idib. Iun.*

3. Ludouico & Ioannæ iam inauguratis, congratulatoriis datis, bene precatus, pacis, concordiæ, & æquitatis eos admonuit, *8. Idus Iul.*

4. Ludouicum Pannonium, quod Regio animo noxas cunctis donaſſet, omniaq; ex voto Sedis Apoſtolicæ egiſſet, laudauit; vtq; ex ſchiſmaticis circumuicinis acquiſitas ciuitates, caſtra, vel oppida, & terras, retinere, vel in poſterum acquirere poſſet, Regnoq; Vngariæ incorporare indulſit. *Auin. Idib. Iulij.*

5. Reatinis, quod Archiepiſcopum Bracaren. & Petrum S. Martialis Comitem Apoſtolicæ Sedis Nuntios è Regno Siciliæ Auinionem reuertentes inhumaniter habuiſſent, & neque in ciuitatem admittere, neque in ſuburbano hoſpitio ſuſcipere, neque quicquam commeatus pro pecunia oblata vendere voluiſſent, diem Auinione ad cauſam dicendam dixit: miſſis edictis Vrbeuetano, Reatino, & Aſſiſienti Epiſcopis, qui barbara immanitate infames vbique renuntiarent, & ad comparendum coram Pontifice compellerent. *Auin. 8. Kal. Nouembr.*

6. Dionyſio Archimandritæ monaſterij S. Ioannis Thereſtide Stilo ordinis S. Baſilij Squillacenſis diœceſis, Regni Siciliæ, vt à quocunque maluerit Catholico Antiſtite, munus benedictionis poſſet percipere, conceſſit, *ep. 33.*

7. Ab ægritudine grauiſſima conualeſcens, Petrum Iacobi Regis Aragonum filium, valetudinis recuperatæ certiorem fecit, *Auin. 4. Kal. Febr.*

8. Conſtitutionem de conclaui futuro, cum certo numero ſeruorum & famulorum claudendo, citæ mortis memor edidit, *ep. 141.*

9. Incolis Regni Maioricarum, indulgentias Iubilæi Romani impertiuit, *8. Idus Septemb.*

10. Petri Regis Aragonum Oratores, ex Illerdenſi Comitio, Nouis Iunij celebrato, miſſos audiuit: & ab illo Rege, cenſum ex Regno Aragonum atque Sardiniæ numerauit: tum deinde Regis & procerum promptitudinem, quod Pontifici, ſaluam, in ſpiritualibus, in eodem Regno iuriſdictionem eſſe voluiſſent, & non tantum adminiſtros, verum etiam collectores Pontificios admiſiſſent, & cenſuum nomine ſe Eccleſiæ Romanæ obnoxios eſſe, Gerundæ ad 24. Septem. anno ſuperiore profeſſi fuiſſent, laudauit; pactaque propterea innouata probauit, *lib. Secret. Clem.*

VIII. DISSENSIONES INTER GENVENSES ET VENET.

Cum autem intellexiſſet, Petrum vndecim actuarias naues, & longe plures triremes Venetis aduerſus Genuenſes ſubſidio miſiſſe; vt eorundem Venetorum & Genuentium paci conſuleretur, & terra marique omnia pacata redderentur, è Repub. Clemens fore exiſtimans, Regem ſummopere ad compoſitionem ineundam, vt animum adiiceret, hortatus eſt. Rex prætera Romanorum Carolus, & Ioan. Francorum Rex, vt ab armis recederetur, ſe in eam pacificationem interpoſuerant.

COMPONERE STVDET DIVERSIS LEGATIS MISSIS.

Poſtulabat Petrus, vt Genuenſes Corſica inſula excederent, & quæ in Sardinia eorum armis fuerant expugnata, redderentur. Genuenſes ex aduerſo, ius bellicum opponebant, & in auxilia Ioan. Palæologum aduocabant. Raymundus Coponius, & Franciſc. Romanus Petri Regis Legati, Auinione de cõditionibus pacis cum Venetorum Legatis deliberantes, à Pontifice obtinuerunt, vt is Apoſt. Sedis auctoritate, rei tam arduæ conſultationi Præneſtinum, & Talairandum Albanen. & Sabbinen. Epiſc. & Guillelmum tituli S. Stephani in monte Cœlio, & Egidium Aluarum Albornozium tituli S. Praxedis presbyteros S. R. E. Cardinales præfecerit. Genuenſes, cõditionibus pacis, quibus Corſicæ propugnaculis excedere cogebantur, non conſentientibus ad 13. Kal. Decem. Valentiæ Rex Raymundum Lullium ad Andream Dandulum Venetiarum Ducem, de apparanda atque inſtruenda claſſe, aduerſus communes hoſtes Legatum miſit. Nam Ioan. Gradonic. & Nicol. Quirinus Venetorum Legati, eandem ob cauſam Regem conuenerant, *Surita lib. 3.*

IX. VENETI CONTRA GENVEN. INFELICITER NAVALI PRÆLIO PVGNANT.

Quod ſub tempus tractationis pacis, Veneti, Aragoniis copiis & ſua potẽtia freti, Genuenſibus bellum inferre conati eſſent, Deus non impune tulit. Inprimis n. medio maris curſu fœda tempeſtas orta, totam fere claſſem, quæ quadraginta Venetis, triginta Aragonum ſubſidiariis triremibus conſtabat, huc atq; illuc diſiecit: atque vna ex triremibus vndis abſorpta omnino periit: ac pleræq; aliæ male habitæ proximis littoribus impactæ ſunt: vbi non defuerunt, qui interpretarentur, triſti hoc omine confœderatis Principibus aduerſa prænuntiari. Remittente demum tempeſtate, claſſe recollecta, circa Boſphorum, inter Conſtant. & Chalcedonẽ, quanquã Ioan. Cantacuzeni tertia claſſis ſe illis adiunxiſſet, infeliciter pugnarunt: cum pugna per totam noctem, inter armorum & incurrentium in ſe nauium, ac decidentis imbris ſtrepitũ, pugnantium clamores, cadentium gemitus, vſq; ad lucem extracta eſſet: quæ exorta fœdam & horridam rei faciem aperuit, mari ſanguine rubente, ac ſcutis, telis, thoracibus, remis, malis, antennis, nauiũ fragmentis, humanis capitibus, brachiis, cruribus, corporibus detruncatis conſtrato.

VICTORIA GENVEN. HAVD TAMEN LÆTA.

Victoria penes Genuenſes fuit, triginta Venetorum, & decemocto Aragonum triremibus captis, ac nonnullis depreſſis, quatuorque millibus hoſtium cęſis: in quibus fuerunt Pontius titulo S. Paulæ Aragoniæ claſſis præfectus, ex Venetis Pancratius Iuſtinianus, Thom. Gradonicus, Steph. Contarenus, Ioan. Stennus, & Benenatus Bembus viri patritij: quorũ nonnulli muneribus & procurationibus fungebantur. Captiuorum numerus non traditur. Neq; Genuenſibus, qui decem triremes recuperarunt, incruentum prælium, aut ſincerum gaudium fuit: Septingentis ipſorum cæſis, in quo non exiguus ciuium numerus fuit nobilitate & honoribus præſtantium; cuius damni maior prope Genuæ, quam tãtæ partæ victoriæ ſenſus fuit. Ideo neque victoria, quæ tot domos lugubres feciſſet, vllis viſitatis lætitiæ ſignificationibus celebrata eſt. *Vbertus Folleta hiſt. Genuen. lib. 7. Petr. Iuſtinian. hiſtor. Venet. lib. 4. Petr. Bizar. de bello Veneto lib. 2. Matth. Villani l. 2. c. 58. 59. 74.*

X. GENVEN. CONSTANTINOP. OBSIDENT.

Parta ea victoria, Conſtantinopolim obſidione cinxerunt, quod Ioan. Cantac. Græcorum Imper. ſubſidia Venetis miſiſſet, & confœderato illis Principi, Ioan. Palæologo vero Imp. apud Theſſalonicã exuli Imperium eripuiſſet. Ioannes Cantacuzenus aliam cauſam, & ſucceſſus eius belli cum Genuenſibus, atq; quid obſidionis tempore acciderit, enarrabat iſtis verbis.

XI. CANTAC. DE PRÆDICTIS FVSA RELATIO.

Cantacuzeno apud Didymotichum ægro, à Latinis Galatæis bellũ oritur, tali initio. Genus hoc hominum ſemper inſidioſum, & infeſtum Romanis fuit, atq; vbi commoditatem aggrediendi animaduertit, ad fidem prodendam paratiſſimum. Nam & Imper. Andronico iuniore ſuperſtite, Phocæã & Mitylenen. perfidioſe oc-

cuparunt, (etſi prauitas nihil eis profuit, quandoquidem egregie, & quo debuerũt cum dedecore inde pulſi ſunt) & poſt illius obitum tempore belli ciuilis Chium adorti, fœdus cum Anna Imperatrice ſancitum poſt habentes, eam ſubegerũt. Poſtea pace compoſita, & Cantacuz. ſummam tenente Rempub. adeuntes, rogarunt, vt, quod ſupra oppidulum eſſet regionis, ipſis concederetur: ſpecie quidem oppiduli ampliandi, reuera autem ſpatium illud muro volentes intercipere, ne facile obſideri poſſent. Nam ꝙ accliue, & velut imminẽs ipſorum capitibus, incõmodum erat valde, ſi quando cum Romanis bellũ gererẽt. Nihil enim humile cogitabant; ſed mari volebant imperitare, & Romanos nauigationẽ excludere, quaſi id ipſis deberetur (videbant quippe Romanos magis tunc quam antea id frequentantes, eorumque naues longas, & alias onerarias non paucas, multum ſtudij in id Cantac. impendente) quod Imper. minime toleraturum verebãtur. Quare, priuſquam cogitata aperirent, locos ſuſpectos, vnde ſe lædi poſſe exiſtimabant, præoccupare cupiebant. Imperator vafrum illorum commẽtum non ignorans, naues comparabat, vt ſi bello opus foret, ne imparatus eſſet: & ſpatium illis negabat penitus, quod eos timore magis, quam æquitate, & iuramenti religione, peruerſis conſiliis temperaturos nouerat. Quare & ab aliis Latinis cum aſinis conferuntur. Etenim aſinus, ſi agaſo forte debilior non poſſit valide fuſtem incutere, haud recta ingreditur via; ſed exorbitat, & deflectit, & propter agẽtis imbecillitatem ambulare deſinit: ita hi, niſi pœnam ſupra caput aſtantem metuant, nulla alia de cauſa, quod debent, præſtabunt. Quocirca Imp. vt dicebamus, eorum improbitatis haud neſcius, loco, quem expetebant, minime ceſſit. Illi triremes compingi cernentes, paritérq; & loci fruſtrationem, & multitudinem onerariarũ, quas Romani habebant, indignantes, bellum facere decernunt; vt ſimul & Romanos mari arcerent, & locum, ſi potuiſſent, vel inuito Imp. communirent. Poſtquam autem Imper. Didymotichi morbo affectum cognouerũt, rati adueniſſe rei incipiendæ occaſionem maximã, noctu de improuiſo Romanos primum è regione incolentes inuadunt, ædes omnes inflammant. Poſtridie triremes ſuas iam paratas, item acatia, & lembos, quotquot erant, armatis inſtruunt. Byzantij ædificia extra muros ad mare incendunt, & onerarias alias quidem capiunt, alias exurunt. Quin etiam conſtructis triremibus vniuerſis, tribus tantum exceptis, ignem iniiciunt. Quas tres, reliquis flamma abſumptis, tollentes Byzantij è loco, vbi parabantur, Coſmidio appellato, filio Imper. Manuele mandante, per fluuium Piſſam interfluentem in terram ſubduxerunt, & cuſtodiam illis vtrimq; adhibuerunt. Sic Latini bellum Romanis apertum inferentes, & ex eo iam maris potentes oras legebant, omniaq; direptionibus & incendiis permiſcebant; & egreſſus populus frequentiſſimus, primum quidem collem, in eius iugo turri excitata muniebant, omniq; in eam rem conatu, mulieres iuxta atq; viri incumbebant; ne vel illuſtriſſimi ad ædificationem ſociare operam dedignabantur. Deinde, & reliquum ſpatij occupantes muro includebant, quoad calx & cæmenta ſuppeditarent; qui in altitudinem magnam ſatis ſurrexit. Quin alias quoq; ſtructuras omnes ad ſecuritatem facientes adiungebant. Qua autem defecti murali materia, producere opus nõ poterãt, excelſis aggeribus & crucibus eam partem circumdabãt, breuiq; tempore, quicquid erãt ſpatij, comprehenſum eſt. Imperator de audacia Galatæorũ factus certior, maximopere doluit; propterea quod hæc à Latinis Romanum ſolum accolẽtibus, & qui merito ſubeſſe, ac parere ſedulo deberẽt, pateretur. Tamen quanquam adhuc morbo cruciaretur, vt potuit, Byzantium iniuit; vbi eum ſtatim mercatores potiſſimum & opifices in palatio conuenerunt, orantes, ne ſe ita contemni à Latinis Galatæis, & intolerandis exagitari iniuriis ſineret: ſed armatis triremibus, nefarie perpetratorum pœnas exigeret: ſe impenſam ad bellum prompte pro facultate collaturos. Illata ſiquidem à Latinis detrimẽta magis ad ipſos pertinebant, quod naues, ſupellex, & domus incenſæ, omnia fere illorum erant. Imperator eos primum de intempeſtiua cupiditate reprehendere. Tunc enim prompte conferendam fuiſſe, cum ipſe auctor fiebat. Ita nunc Latinos nihil tale auſuros fuiſſe. Nam cum hoc longa rerum experientia doctus præuideret, antequam fieret, ſuadere voluiſſe, quæ paulo poſt plurimum profutura putaret. Nihilominus & ipſe, poſtquam bellum viſum eſt capeſſendum, Byzantios pecuniam numerare iuſſit; & Conſtantinum Tarchaniotam exactioni præfecit, eique triremium ædificandarum negotium dedit. Tenentibus autem mare Galatæis, cum per id ligna conſtruendis nauibus ſubuehere difficile eſſet, bobus & mulis iunctis, ex Sergentij montibus aduehi iuſſit; quod operoſe admodum & difficulter fiebat, atq; in Heptaſcalo nauali triremes fabricabantur. Cæterum Galatæi Imperatorem, vt venit, ſtatim bello aduerſus ipſos deſperantem, quæ vellent, omnia conceſſurum, & ad pacta deſcenſurum, eosque maris dominos relicturum confidebant. Aſt vbi nihil eis pro opinione euenit; ſed naues compingi, & ad pugnam inſtrui viderunt, mutata voluntate, legationem de pace miſerunt. Imperator eis iniquitatẽ ſtultitiamq; exprobrare, quod nihil vnquam ab eo læſi, nec vlla belli occaſione data, tam improbi extitiſſent, & tantas aliis iniurias, tantamq; perniciem vltro intuliſſent. Deinde campum muro ſeptũ relinqui, murum deiici imperare: ſic enim ſecũ, damna data ignoſcente, fœdus & pacem fore. Illi iuſſa auribus auerſari, ac dicere; oportere ipſis locum iam munitum cedere; aut nihil, quod quidem in ſe ſit, omiſſuros: & ſimul bellũ inualeſcebat, & nauibus vagantes, obuios dire multabant. Sublata Romanis nauigatione, in prægrãdi oneraria muralem machinam conſtituerunt, ex qua ſaxa tanti ponderis emittebãtur, quantum homo robuſtus ferre poſſet. Tum triremi onerariam circumtrahentes, vndique in vrbem, ſed citra damnum iaculabantur. Imperator, quoniam in præſens mari occurrere illis nequibat, quod triremibus careret, miſit, qui ex continente crebris incurſionibus, quãtum poſſent, illis incommodarent. Neque tamen mare penitus negligebat, ſed tormenta ſtatuebat immenſæ magnitudinis, vnde lapides Byzantio Galatam explodebantur. Pertingebant enim eo, ac domos complures, præſertim ad littus poſitas, conterebant: nec parum ea ſaxa Latinorum onerariis nocebant. Quin etiam illam, qua machina ſuſtentabãtur, claſſiariis vix effugientibus lapidum iactu, Byzantij ſummerſerunt. Latini de pace oratores iterum, ac tertium mittere: Imperator eos ſe auditurum negare, niſi muro euerſo, quod loci vendicarunt, relinquerent. Conſumpto in his multo tempore, confectis triremibus, remiges, & milites legit, & alia ad pugnã omnia adornauit, ducesq; præfecit: illis quidem apud Piſſam ternis triremibus Phaceolatũ Protoſtratorem, aliis in Heptaſcalo conſtructis Zamplaconẽ Magnum Ducem, qui cõtendebat enixius, inſuper ſuas allaborari ac perfici. Erant n. viſenda mole, quas ligneis turribus impoſitis, & remigibus deſuper tabulato cõtectis (ſuper quo grauis armaturæ, & velitum multitudinem conſtituebat, quod magno ei in pugna detrimento fuit) duplicabat. Pridie porro illius diei, quo triremes è nauali educendæ erant, oneraria quæ genua ſoluerat, in alto conſpecta eſt, magnis, vt aiebant, onuſta diuitiis. Malacia autẽ ventis ponentibus oppreſſa, ad Principis inſulam anchoris fundata eſt. In eam ex Imper. triremibus duæ, cum totidem vniremibus, noctu è nauali profectæ inuaſerũt: vectoribusq; fortiter ſe defendentibus, ignem iniecerunt, atq; ita victores in eam inſiluerunt, nec paucis obtruncatis, onerũ potiti ſunt. Verum vbi rumor incerto authore manauit, Latinas triremes è Galata eo curſum dirigere, perculſi Romani, circiter quinquaginta de ſuis in oneraria relictis, fugam arripuerunt. Sed hic rumor plane mendax erat. Deſerti in oneraria Romani, triremes abnauigaſſe cum ſentirent,

conſilij



conſilij inopes, cum Latinis iam victis colloquuntur; & conuenit, vt communiter incendium reſtinguerent, ne & ipſis vna pereundum foret. Poſtero die, ſi Romani adnauigantes onerariam caperent, ipſi Latinos, exoratis ducibus, conſeruarent. Sin Latini, vt Romanis idem officium Latini præſtarent; quod & factum prima luce. Paratis enim ita omnibus Imperatoris triremibus, Latini allabentes, ſemiuſtam onerariam abſtraxerunt: quique in ea vehebantur Latini, ex iuramento Romanis incolumitatem impetrarunt. Imperatoriæ triremes inſtructæ omnes, & paratæ penitus, ornatæque inſigniter, & armatorum numero, ſplendore ac magnitudine apparatus, nihilo antiquis Romanorum claſſibus inferiores, è nauali deducuntur. Vniremes non paucæ ſequuntur; lembi item, & actuaria, & in iis cataphracti, qui omnes odio Latinorum cupide militatum proficiſcebantur. Latini tanto apparatu attoniti, omnia potius cogitabant, quam cum triremibus Imperatoriis decertare. Suas autem ante oppidum inſtructas habebant; opinionem præbentes in Imperatorias, ſi venirent, ituras. Sic autem erant comparati Galatæi, vt, ſi Imperatorias accurrere viderent, funibus ſuas retraherent, ac de muris ſeſe tuerentur. Verum enimuero etiam in muris ſui ſeruandi ſpem gerebant inaniſſimam. Triremes Imperat. deductæ, ea nocte prope nauale ſteterunt, vt altero die cum tribus, quas Phaceolatus ducebat, coniunctæ, in Galatæos agerentur. Phaceolatus & ipſe paratus erat, vt poſtridie erumperet. Et Imperator cum filio Deſpota frequentem ac ſtrenuum equitatum mittebat, vt, congreſſis triremibus, ipſi quoque à continente irruerent. Die iam procedente, naues à nauali ad portam Eugenianam cernebantur: quibus autem Phaceolatus Protoſtrator præerat, & ipſæ pulſu remorum agitatæ, aliis ſeſe aggregare feſtinabant.

CLASSIS GRÆCORVM CONTRA GENVENSES NAVFRAGIVM PATITVR.

At enim Deo, qui gubernat omnia, & cuique ſua iuſte diſpenſat, Romanos, vt apparuit, propter præterita, eaque multa delicta puniente, & à multo inferioribus ſuperari permittente, ecce tibi magna vis venti cooritur, & primas triremes, in quibus ligneæ turres, euertit, ſimulque milites, cum ipſis armis, & remiges in pelagus decidunt, & omnes vno momento vectorum vacuæ aſpiciuntur. Eodem puncto temporis, qui ſtabant in tabulatis, earum, quas Phaceolatus ducebat, ſimiliter in vndas delapſi ſunt; eratque multiplex nautarum ac militum interitio. Complures ſane, quoniam iuxta littus naues euertebantur, euaſerunt: aquis ſuffocati circiter ducenti: & de Zamplaconis grege Menali Ducis filius, Manuel Philanthrop. præfectus nauis prætoriæ, vir manu promptus, Imperatorique chariſſimus. Tum Galatæi inſtauratis animis prouehuntur; naues hoſtium retrahunt, easque, nemine prohibente, aut vlciſcente, flammis implent, & victoriam ſine ſanguine conſequuntur. Qui vero in continente cum filio Imperatoris erant, operi quidem ſeſe accingebant, putantes, etiam nauales ſocios è mari impreſſionem facturos. Aſt vbi naues Roman. inanes ſubduci conſpexerunt, etiam ipſi retroceſſerunt. Imperator, videns tantam copiam gratis periiſſe, tam graui calamitate Rom. ingemuit, vt qui Deum offenſum hoc egiſſe intelligeret. Nihil tamen de altitudine animi diſceſſit; nec, quia victus, etiam fractus: quin ſubito ad nouas triremes ædificandas lignatum ire præcepit, & operi curatores præfecit.

Galatæi porro diem illum fauſtiſſimum numerantes, quo tot hoſtium nauibus nullo ſuo labore potiti eſſent, non ſolum epinicia, ſed inſuper ſoteria celebrabant. Iam enim tota ſpes ſalutis leui momento illis pependerat. Die ſequenti omnibus triremibus ſuis inſtructis, & tanquam in victoria coronatis, eleganterque in modum exornatis, ex aduerſo palatij ſurſum ac deorſum nauigantes, Imperatoria ſigna capta ad ludibrium, vt mos eſt, trahebant. Et Imp. propter aduerſum caſum etiam animo ſuccubuiſſe, ſtatimque bello poſito pacem expetiturum, & ſpatium, de quo ſupra, illis donaturum, arbitrabantur.

Sed vt ſpem euentus fefellit, cumque nouas triremes compingendas locauiſſe audiuerunt, pacem per Legatos popoſcerunt. Ac primum quidem de loco ſibi relinquendo Imperat. tentauerunt, quem, vt intrepidum, & animo inuictum, putantemque, triſtem illam fortunam aliorum quorundam delictorum eſſe pretium, & in priore ſententia immobilem viderunt, nec, ſi millies talia contingerent, locum illis donaturum, & iratum, frementemque potius, quod victus, & ad vires reparandas alacriorem, velut tum primum arma capeſſiuiſſet, metuentes, ne ſibi parum feliciter caderet diuturna contentio, locum remittere de compacto ſtatuerunt, factaque pax in hanc conditionem, vt ſpatium illud Imper. redderent, veteri ambitu contenti, & inito fœdere, nouam munitionem Deſpotæ Imper. filio, cum agmine armatorum venienti, reſtituerunt.

Imperator autem, accerſitis eorum optimatibus, comiter ac placide illos affatus, locum ſponte donauit. Aiebat enim, non de tantilla, ac nullius pretij Regiuncula; ſed de iure Imperij Romani cum ipſis ſibi controuerſiam eſſe.

Haud enim cum ratione congruere, cum ſint aduenæ, & à Romanis Imperatoribus complura conſecuti beneficia, vt ſubeſſe, ac parere iure optimo debeant, adhuc impudenter agere, & ipſis nolentibus aliquid de Imperio velle decerpere. Atque ob hanc cauſam magis, quam ob loci poſſeſſionem, ſe ad bellum aggreſſum. Quia vero Chius iniuſte, & contra fœdus, à Genuenſibus teneretur, ad principem eorum (ducem ipſi appellant) ad Senatum populumque Imperator Legatos miſit, inſulamque ſecundum ſancita cum Romanis fœdera repetiuit. Dux, Senatus, populusque reſponderunt, iuſta quidem Imperatorem poſtulare; veruntamen inſulam non ſententia, ac ſuffragio ſuo, ſed quorundam apud ſe nobilium, ſeu Patritiorum, qui ſuis ſumptibus claſſem inſtruxiſſent, audacia obtineri, quos in præſens coerceri non poſſent; opus enim fore grandi impenſa, & apparatu non minimo: quibus cum carerent, eos inſula nequire depellere; ſed tempore procedente, induſtria potius, ac prouidentia quadam illis ademptam, Imperatori haud dubie reſtituturos. Hæc reſponderunt, & ſimul Iacobum Herminium, & Antarum Pinellum de nobilitate, fidei faciendæ miſerunt. Imperatori reſponſum non placuit, voluitque diem præſtitui reddendæ inſulæ; aut ſe periurij ne accuſarent, ſi eam extorquere potuiſſet.

PACTA INTER GENVEN. ET IMP. GRÆCOR.

Et conuentum eſt in eam conditionem, vt Latini vrbem inſulæ, etiam Chium nominatam, ad decennium retinerent, fruerenturque redditibus pendentes in annos ſingulos Imp. duo & viginti aureorum millia. Inſuper vexillum Imperatorium in vrbe pro conſuetudine erigerent; Epiſcopi Græci ritus pro Græcis ex Eccleſia Byzantina acciperent, & Sabbatis pro more fauſtum Imperatoribus acclamarent; eorumque memoriam Sacerdotes in ſacrificio Miſſæ frequentarent, nec ab vllo prohiberentur. Reliqua inſula tota, cum caſtellis & vicis ſub Imperat. eſſet, qui Præfectum pro arbitratu conſtitueret: & is Romanos, qui intra vrbem verſarentur, regeret, priuatasque eorundem controuerſias diſceptaret. Quod ſi Latinus quiſpiam Romano, aut Romanus Latino litem intenderet, Prætores, ſeu Præfecti, ſimul ius illis dicerent, & ſecundum alterutram litem darent. Poſt decem vero annos ab occupato à Cantacuzeno Byzantio, Latini Chio penitus excederent. Hæc pacta Legati Genuenſium cum Imperat. inierunt, qui, quod à Carolo Romanorum Rege, & reliquis Principibus Europæis, hoc pro Ioanne Palæologo exule conantibus metueret, etiam anno ſe eſſe cupidum vnionis cum Eccleſia Romana, præ ſe tulit, multaque apud Clementem Romanum

Pont.

Pont.egiſſe viſus eſt, quo Orientales Eccleſiæ Occidentalibus iungerentur. *Cantacuzen.hiſt.lib.4.cap.11.12.& lib. Secr.Clem.hoc anno.*

XII. QVA EX CAVSA ATROX ILLVD BELLVM INTER GENVEN. ET VENETOS CONFLATVM SIT.

Cauſa porro belli Venetis & Genuenſibus (quod vtrique magnæ laudi fuit) ea eſſe à Cantacuzen. memoratur, quod Tanaim ambobus mercatus gratia nauigantibus, Genuenſi cum Scytha quodam altercante, lis vſque ad cædem peruenerat. Dumque Scythæ tuentur ſuum, & Latini ſuum ſimiliter, communis & publica inter vtramque gentem pugna commiſſa eſt, multique Latini, ſed amplius altero tanto Scythæ oppetiuerunt. Poſtea Latinis ad naues reuerſis; Scythæ, quia nocere nequibant, vtpote maris expertes, funditus Capham Genuenſium oppidum in maritimis Scythiæ ædificatum oppugnare inſtituerunt, obſederuntque biennio continenter. Quo tempore & de ſuis aduerſo Marte multos amiſerunt, & Latinos ad grandes impenſas adegerunt. Nam muris oppugnandis haud ſatis valebant, quod caſtellani viriliter ſe acriterque defenderent: mercatorum vero mercimonia, & illa multa per Scythiam occupantes, & conductitios ad oppidi præſidium alere cogentes, non parum eis detrimenti creabant. Verum vt labor inanis apparuit, bellum fœdere diremerunt. Quo dirempto, Genuates neque Romanum, neque Venetum mercatorem, nec de ſuis vllum Tanaim nauigare voluerunt: verbo, ne rurſus ipſis belli cum Scythis gerendi naſceretur materia: re, vt magnorum vectigalium cauſam ſibi pararent. Sic enim ratiocinabantur: ſi Capha vndecumque aduentantibus commune emporium fieret, quæſtum vberem argenti exactione collecturos: aut ſi iſtuc non probarent, belli ſumptum vna tolerarent. At Venetis Tanai prorſus excludi non videbatur è Republica; de communitate autem ſumptuum horrebant audire: aiebantque, neminem ſibi nauigationem, quo ſperata inuitaret vtilitas, adempturum; ſimulque, nolentibus etiam Genuenſibus, Tanaim curſum dirigebant: qui per vim obſiſtebant, & quoſdam mercatores cum onerariis intercipientes, mercibus eos multabant. Inde bellum atrox conflatum, nec parum pecuniæ & triremium vtrinque deperditum: cum etiam Ioannes Cantac. Venetos, & Ioannes Palæologus, atque Orchanes Turca Genuen. adiuuarent, inter ſe diſcordes. Non deerant aliqui, qui Palæologum Theſſalonicæ agentem, ad arma ſocero inferenda ſolicitarent. Aiebant enim, moleſtum ſibi accidere, quod paterno fraudatus imperio, tam iniuſte haberetur. Etenim non hoc ſolum eſſe iniquum, quod ille totum ſibi aſciſcens Imperium, Imperatoris vocabulum inane ac nudum prorſus ei reliquiſſet; ſed quod etiam quaſi exilio damnaſſet, abductumque in mediis hoſtibus deſeruiſſet, nulla cura adhibita, quemadmodum diſcedens promiſiſſet; ſed bellorum cauſas confingendo, ipſe Romanum tenens principatum ſederet; eum vero, vt hominem nullius frugi, aut à Triballis expugnandum, aut à tam turbulento, & ad omnem audaciam præcipiti populo prodendum abiiceret. Quæ animaduertenda ſit, & conſiderandum, quo pacto maiorum ſuorum Imperium recuperet: in quo quidem nulla ſit futura difficultas. Cralem enim Cantacuzeno infenſiſſimum, tota potentia libenter auxilio ſuccurſurum. Se quoque, quamuis dimicationem capitis eius cauſa minime recuſaturos, cupideque vna & pecuniis, & armis, & corporibus certaturos. In eis diſcordiis Imperatorum ſopiendis, Anna Imperatrix, ſuadente Clemente Pontifice, multum laborauit, filiumque Palæologum eo adduxit, vt is ſponte Byzantium reuerterit, & ad concordiam ineundam inclinauerit. Pugnam, quæ Venetis, & Genuenſibus, & Cantacuzeno fuit hoc anno Cantacuzenus longe diuerſa ratione deſcripſit, *hiſt.lib.4.cap.28.29.30.31.*

CANTAC. ET VENET. PALÆOLOGVS ET ORCHANES TVRCA GENVENSES IVVANT.

SOLLICITATVR PALÆOLOGVS AD IMPERIVM RECVPERANDVM.

XIII. TVMVLTVS RATIONE PATRIMONII D.PETRI OCCVPATI.

In Occidente hoc anno non omnia quieta. Patrimonium D.Petri, quod Romanæ Eccleſiæ eſt, Præfectus Vicanus Ioannes Viterbio occupato vexabat. Aduerſus eum Romanus populus, Iordanem Vrſinum, & Nicol. Serram cum exercitu deſtinauit. Sed is nequicquam operæ pretium fecit, Nicolao copiarum præfecto ab equo oppreſſo, & exercitu diſſipato. Non poterat populus Romanus ferre, vt volebat, ſubſidia, Ioan. Cerrono Rectore Romani populi vrbe pulſo: & Reginaldo Vrſino Senatore, ne quicquam rerum potente.

Lucas Sabellus ciuium potentiſſimus vtrique infeſtus, magnam populi partem aduerſus vtrumque irritauerat: adeo vt Rector in Comitium non amplius potuerit populum congregare. Ad tinnitum æris Capitolini, cum nullus conueniret, actum de ſe putans Ioannes, fugam arripuit, & acceptis 6. millibus nummûm aureorum, quos popularibus Clemens ſubmiſerat, in Brutios conceſſit. *Matth.Villani lib.3.cap.14.29.*

Florentini, quod cum Ioanne Archiepiſc. Mediolanen. de Bononiæ poſſeſſione, Clementem conueniſſe intellexiſſent, atque ab eodem Ioanne agrum illorum infeſtante ſibi metuerent, Carolum Regem Romanorum, rebus componendis in Italiam vocabant. Sed & Clemens, ne illorum deſiderio aduerſari videretur, inuitare, qui veniret, deſiſtebat.

XIV. CLEMENS EDVARD. REG. AD SEDEM APOST. CITAT.

Inter Ioannem Galliæ, & Edouardum Angliæ Reges, ſub tempus induciarum nonnihil turbarum. Waltherus Bendeleius Britanniæ Armoricæ cuſtos, Mareſchallum Galliæ venientem armis infeſtauit, & multos ex eius copiis proſtrauit, plurimos in poteſtatem accepit. Quam induciarum violationem, Clemens indigne ferens, diem Edouardo Anglo apud ſubſellia Apoſtolicæ Sedis dixit; promulgato edicto in publico Patrum conſeſſu. *Thom.Valſi.hiſt.Anglic. Henricus Rebdorffius in Annalibus.*

XV. JOHAN. WICLEF. HÆRESIBVS ANGLIAM FOEDAT.

Quo anno Ioannes Wicleffus damnatæ memoriæ hæreſiarcha emerſit, qui hoc ſeculo Angliam prauis erroribus fœdauit, variaq; & impietatis plena dogmata de iure tum diuino, tum humano, de Eccleſia, de Monachis, de cæremoniis, de decimis, de obedientia, & aliis multis ſpargere incepit. Fuit is natione Anglus, profeſſione Sacerdos ſæcularis, artium Magiſter, acer ingenio, & eloquentia non mediocri, lepidus, ſed lingua, calamo, & moribus hæreticus: cui hoc vnum propoſitum fuit, vt ſermonibus & libellis tum Latino, tum Anglico idiomate ſcriptis, Rempublicam Chriſtianam ſubuerteret. Quadraginta quinque præcipuos articulos Pſeudo-Chriſtianus, aduerſus religionem Chriſtianam & fidem Catholicam diuerſis temporibus pertinaciter aſſeruit, & dogmatizauit, quos iſthic duximus inſerendos: qui ſequuntur.

## Articuli Ioannis Wicleff.

1. *Subſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis, manet in Sacramento altaris.*

2. *Accidentia panis non manent ſine ſubiecto in eodem Sacramento.*

3. *Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identice & realiter in propria præſentia corporali.*

4. *Si Epiſcopus vel Sacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat.*

5. *Non eſt fundatum in Euangelio, quod Chriſtus Miſſam ordinauerit.*

6. *Deus debet obedire Diabolo.*

7. *Si homo debite fuerit contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis.*

8. *Si Papa ſit præſcitus & malus, & per conſequens membrum Diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ab aliquo ſibi datam, niſi forte à Cæſare.*

9. *Poſt Vrbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed viuendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.*

10. *Contra Scripturam Sacram eſt, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.*





11. *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat, eum eſſe excommunicatum à Deo: & qui ſic excommunicat, eſt ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.*

12. *Prælatus excommunicans clericum, qui appellauit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipſo traditor eſt Regis & Regni.*

13. *Illi, qui dimittunt prædicare, ſiue audire verbum Dei, propter excommunicationem hominum ſunt excommunicati; & in die iudicii traditores Chriſti habebuntur.*

14. *Licet alicui Diacono vel presbytero prædicare verbum Dei, abſque authoritate Sedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopi Catholici.*

15. *Nullus eſt Dominus ciuilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.*

16. *Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, id eſt, ex habitu, non ſolum actu delinquentibus.*

17. *Populares poſſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.*

18. *Decimæ, ſunt puræ eleemoſynæ; & parochiani poſſunt propter peccata ſuorum Prælatorum, eas ad libitum ſuum auferre.*

19. *Speciales orationes applicatæ vni perſonæ per Prælatos, vel religioſos, non plus proſunt eidem, quam generales; cæteris paribus.*

20. *Conferens eleemoſynam Fratribus, eſt excommunicatus eo facto.*

21. *Si quis ingreditur religionem priuatam qualemcunque, tam poſſeſſionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad obſeruantiam mandatorum Dei.*

22. *Sancti inſtituentes religiones priuatas, ſic inſtituendo peccauerunt.*

23. *Religioſi viuentes in religionibus priuatis, non ſunt de religione Chriſtiana.*

24. *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.*

Prima pars eſt ſcandaloſa, & præſumptuoſe aſſerta, pro quanto ſic generaliter & indiſtincte loquitur: & ſecunda erronea, pro quanto aſſerit, Fratribus mendicitatem non licere.

25. *Omnes ſunt ſimoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubuenientibus.*

26. *Oratio præſciti nulli valet.*

27. *Omnia de neceſſitate abſoluta eueniunt.*

28. *Confirmatio iuuenum, clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſeruantur Papæ, & Epiſcopis, propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.*

29. *Vniuerſitates, ſtudia, collegia, graduationes, & Magiſteria in eiſdem, ſunt vana gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ, ſicut Diabolus.*

30. *Excommunicatio Papæ, vel cuiuſcunque Prælati, non eſt timenda; quia eſt cenſura Antichriſti.*

31. *Peccant fundantes clauſtra, & ingredientes ſunt viri Diabolici.*

32. *Ditare clerum, eſt contra regulam Chriſti.*

33. *Sylueſter Papa & Conſtantinus Imp. errauerunt Eccleſiam dotando.*

34. *Omnes de Ordine Mendicantium, ſunt hæretici; & dantes eis eleemoſynas, ſunt excommunicati.*

35. *Ingredientes religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad ſeruandum diuina præcepta, & per conſequens ad perueniendum ad regna cœlorum, niſi apoſtatauerint ab eiſdem.*

36. *Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus, ſunt hæretici; eo quod poſſeſſionem habent; & conſentientes eis, omnes videlicet Domini ſæculares, & cæteri laicorum.*

37. *Eccleſia Romana eſt Synagoga Sathanæ, nec Papa eſt immediatus & proximus Vicarius Chriſti, & Apoſtolorum.*

38. *Decretales epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt à Chriſti fide, & clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eas.*

39. *Imperator, & Domini ſæculares ſeducti ſunt à Diabolo, vt Eccleſiam bonis temporalibus dotarent.*

40. *Electio Papæ à Cardinalibus, per Diabolum eſt introducta.*

41. *Non eſt de neceſſitate ſalutis, credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.*

Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat vniuerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares, aut Romanum Pontificem in rebus fidei errare diceret.

42. *Falſum eſt, credere indulgentiis Papæ, & Epiſcoporum.*

43. *Iuramento illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & commercia ciuilia.*

44. *Auguſtinus, Benedictus, Bernardus, damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intrauerunt religiones: & ſic à Domino Papa, vſque ad infimum & vltimum religioſum, omnes ſunt hæretici.*

45. *Omnes religiones indifferenter introductæ ſunt à Diabolo.*

XVII. ALII EIVSDEM WICLEF. ARTICVLI.

Hi quadraginta quinque Ioannis Wicleffi articuli, ſyllabatim ex Concilio Conſtantien. in quo recitantur, & condemnantur, deſcripti ſunt. Præter quos ſunt & alij quindecim, ex eius ſcriptis à Doctoribus collecti; quos ſupradictis viſum adiungere.

46. *Igitur eſt, hominem carere libero arbitrio.* Caſtr. verb. libertas. h.1.

47. *Omnia prædeſtinatorum peccata eſſe venialia, reproborum autem omnia eſſe lethifera.* Caſtr. verb. peccatum. h.12. *Ex quo ſequitur, homini reprobo peccatum eſſe mortiferum, ſi ligulam aut aciculam furetur: hoc eſt, æterna morte dignum, & quod inde infertur, dignum patibulo, rota, & quauis alia temporali morte: quippe quam planum eſt, ſemper eſſe morte æterna leuiorem.*

48. *Neque honorandos, neque inuocandos eſſe Sanctos.* Caſtr. v.Sancti.

49. *Nec Sanctorum, nec Chriſti ipſius reliquias eſſe venerandas.* Caſtr.v.Reliquiæ.

50. *Crucem Redemptoris nullo penitus modo eſſe adorandam.* Caſtr.v.Adoratio.

51. *Idololatriam eſſe, imagines habere in Eccleſia.* Caſtr.v. Imago.

52. *Vota omnia eſſe damnanda* Caſtr.v.Votum.

53. *Rem eſſe libertati Chriſtianæ repugnantem, quod quis ad horas canonicas recitandas, vel ad preces certo aliquo ſtatoq; tempore fundendas adigatur.* Caſtr. verb. Horæ Canonicæ.

54. *Cantum Eccleſiaſticum eſſe deridendum, eoſque, qui in Eccleſia concinunt, Sacerdotes Belial nuncupandos.* Caſtr.verb. Cantus.

55. *Benedictiones omnes Eccleſiaſticas, vſum eſſe necromantiæ.* Caſtr.v.Benedictio.

56. *Nullum eſſe meritum in ieiunio, nullum in abſtinentia à certis cibis.* Caſtr.v.Ieiunium.

57. *Baptiſmum infantibus non eſſe neceſſarium ad ſalutem.* Caſtr.v.Baptiſmus.h.9.

58. *Baptiſmo admiſcendam non eſſe olei vnctionem.* Caſtr. v.Baptiſmus.h.8.

59. *Epiſcopum non eſſe ſimplici Sacerdote ſuperiorem.* Caſtr. v.Epiſcopus.h.1. *Quem in errorem, inſtar Aerij, eo prolapſus eſt, quod ſe indignaretur non potuiſſe conſequi Vigornenſem, quem ambiebat, Epiſcopatum, vt memorabat* Genebrard. in Innocentio VI. Pontifice.

60. *Matrimonium lege diuina licitum eſſe inter fratrem & ſororem; nec niſi humana inuentione atque ordinatione interdictum.* Wicleff. in Trialogo.

61. *Creaturam quamlibet eſſe, ac vocari poſſe Deum; quod illius perfectio ſit in Deo, vt in cauſa ſua; & quidem modo ideali atque exemplari.* Walden. lib.1. Doctrinal. art.1. c.1. & ſeqq.

Iſtos Wicleffi errores volui numerare, vt omnibus liqueat, Lutheraniſmum & Caluiniſmum nihil aliud eſſe, niſi antecedentium errorum, à Concliis, Romano & Conſtantienſi damnatorum, redulcerationem. *Prateolus de vitis & ſectis hæret.lib.9.*

XVIII. *Lamper. hæretici à Wiclef. defluxerunt.*

A Wicleffo, Lamperiani, hoc eodem ſæculo defluxerũt, qui ſe Apoſtolicos, & ad Apoſtolorum ordinem pertinere, iactitabant. Nihil vero eſſe faciendum ex neceſſitate, ſed omnia debere fieri libere, & citra vllam coactionem, aſſerebant: hac ſola Prophetæ ſententia moti: *Voluntarie ſacrificabo tibi.* Qua etiamnum ratione ducti, omnia vota aſpernabantur, & condemnabant, ea nihil prodeſſe, dicentes, quod neceſſitatem & coactionem quandam viderentur hominibus inferre; quodq; eorum votorum fundamentum, ſanctorum Patrum obſeruationi eſſet contrarium. *Prateol.ſupra lib.10.*

XIX. *Sectarii in Arag.*

Aragoniæ quoq; Regnum per id temporis ſectariis non caruit. Erant, qui aſſererent, ſanguinem Chriſti in paſſione effuſum, adorandum non eſſe latreuſi: quod exiſtimarent illum non amplius eſſe coniunctum Diuinitati: quemadmodum cum in viuente Dei Chriſti corpore vniebatur. F. Nicol. Roſelli ſupremus eodem in Regno fidei Catholicæ Quæſitor, ex ordine Dominicano aſſumptus, hunc errorem doctiſſimis argumentis confutauit: Clemens vero ſextus, eundem ipſum errorem hæreſis damnauit. Mirum vt ſit Pij ſecundi Pontif. temporibus, aliquos Franciſcanorum illum ipſum voluiſſe defendere, inque controuerſiam vocare ea, quæ Clemens Pontifex authoritate Apoſtolicæ Sedis condemnaſſet. *Franciſc. Diagus lib.1.hiſt.Prouinc.Arag.Ord.Prædic.c 22.ex Director.Inquiſit.Eymer.p.2.q.10.*

*Theomachi ibid.*

Non tantum F.Nicol. ſed etiam plures alii Inquiſitores, contra Theomachos dimicarunt. Superiore enim anno Clemens Pontifex poteſtatem eidem fecerat, Inquiſitores in Regno Aragoniæ inſtituendi, dato, quod ſequitur, diplomate.

XX. *Facultas inſtituendi Inquiſitores in Regno Aragoniæ à Clem. data.*

CLEMENS EPISCOPVS SERuus Seruorum Dei, dilecto filio Nicolao Roſelli, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtro, Priori Fratrum dicti Ordinis Prouinciæ Aragoniæ, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

*Fidei Catholicæ, extra quam nulli eſt gratia, nulli ſalus, affectantes ſummopere vbilibet pollere nitorem, ad effugandas nebulas hæreticæ falſitatis, quas aduerſus illam malignus Spiritus per miniſtros ſuos perditionis filios indeſinenter exſufflat, opportuna ſollicite remedia ex debito ſeruitutis Apoſtolicæ prouidemus, vt ſuper excreſcentibus in vinea Domini Sabbaoth tribulis falſitatis huiuſmodi falſæ fidei reſecatis, vinea ipſa fructus ſalutis & gratiæ cultoribus ſuis in vbertate producat. Cum itaque ſicut nobis exponere curauiſti, Priori Prouinciali Fr.Ordinis Prædicatorum Prouinciæ Hiſpaniæ, de qua Prouincia, Prouincia Aragonum tunc temporis exiſtebat, per literas Apoſtolicas hactenus conceſſum extiterit, vt ipſe aduerſus hæretica labe reſperſos, necnon credentes, fautores, receptatores eorum, Inquiſitores, quoties opportunum foret, auctoritate Apoſtolica deputaret; & ab aliquibus reuocetur in dubium, an poſt diuiſionem eiuſdem Prouinciæ Hiſpaniæ, Prouincialis ipſius Prouinciæ Aragoniæ poſſit aduerſus huiuſmodi hæretica labe reſperſos, credentes, fautores, & receptores huiuſmodi, Inquiſitores ex Fratribus dicti Ordinis deputare; nos volentes ſuper hoc de opportuno remedio prouidere, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi & ſucceſſoribus tuis Prioribus Prouincialibus Fr.Ordinis ac Prouinciæ Aragoniæ Prædicatorum, qui pro tempore fuerint, auctoritate Apoſtolica indulgemus, vt tu, & ipſi, ſic de Inquiſitoribus ex eiſdem Fratribus Ordinis & Prouinciæ præfatorum, aduerſus hæreticos, credentes, fautores, & receptores eorundem, in dicta Prouincia Aragoniæ, ac omnibus & ſingulis regnis chariſſimi in Chriſto filij noſtri Regis Aragonum illuſtris, ſubiectis dominio prouidere, ac eos inſtituere & deſtituere valeatis, ſicut ante diuiſionem huiuſmodi, in dicta Prouincia Aragoniæ, Prior Prouincialis eiuſdem Prouinciæ Hiſpaniæ poterat antefactus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.* Datum apud Villamnouam Auinionen. diœceſis 3. Idus Aprilis. Pontificatus noſtri anno 9.

Hæc Clemens Pontifex Nicolao Roſello Prouinciali & ſucceſſoribus indulgebat. Ille porro officij non immemor, ad hoc inuigilabat, vt integritas fidei Orthodoxæ quam exactiſſime in Regnis Arag. Regis ſeruaretur. Hæc in Aragonia circa fidei cuſtodiam agebantur.

XXI. *Duo mirabilia exempla.* I.

In reliqua Hiſpania, duo ingentia exempla, alterum mirandum quidem, ſed non ſequendum; alterum, non tantum non ſequendum, ſed etiam deteſtãdum, à Principibus data ſunt hoc anno, alterum caſtitatis, alterum libidinis. Caſtitatis iſtud. Alfonſus Coronelius vir magnarum opum, magnæq; inter Boeticæ regulos auctoritatis, Regis Petri munere Aquilariam obtinebat: ſed interim Regem offenderat, quod eo Hiſpali decumbente, Ioanni Laræ regnum deſtinaſſet. Itaq; de poſſeſſione oppidi, de quo illi cum Bernardo Cabrera diuturna contentio fuerat, Regi diffiſus, oppida & arces munire, præſidia comparare, in Aquilariæ munitione magnam ſpem habere, proceres ad arma ſocianda ſolicitare, externaq; auxilia voluit conquirere. Ea cauſa, Ioannem Cerdam generum ad Mauros Oratorem miſit, qui poſt Albohacenum fuſum, in eo prælio, cui ipſe interfuerat, in Luſitaniam rediit, exul, profugus, ſpemq; patriæ aliena miſericordia ſuſtentãs. Eius vxor Maria Coronelia, cum mariti abſentiam non ferret, ne prauis cupiditatibus cederet, vitam poſuit, ardentem forte libidinem igne extinguens, adacto per muliebria titione. Inſigne fuit ſtudium caſtitatis: ſed alio modo, non vitæ periculo ſeruandæ.

2.

Iſtud libidinis deteſtandum. Petrus Caſtellæ Rex, pleriſque oppidis Coronelio ablatis, cum Aquilariam inuadere pararet, propter nouos tumultus in Aſturibus excitatos comprimendos, Boetica relicta, in Aſtures ibat. Eo in itinere illius animus Mariæ Padillæ, quæ in Albuquerquij Curatoris Regij familia educabatur, eximia pulchritudine captus, cum ea ad S.Facundi oppidum ſtupri conſuetudinem habere cœpit, ſponſæ Blancæ Iohannis Ducis Borbonij regio Gallorum ſanguine nobiliſſimi potentiſſimique filiæ immemor, nouiſque amoribus amens; vnde Reipublicæ Regique ipſi ſupremum exitium parabatur. Ioan. Hineſtroſa puellæ auunculus internuntius, prauæque conſuetudinis conciliator. Teneram Principis ætatem, praui homines obiecta omni ſpecie libidinum, conciliandiſque voluptatibus, quod genus obſequij peſſimum eſt, expugnare conabantur; nulla neque honeſtatis cura, neque metu turpitudinis. grauiſſimo Reipublicæ damno, odioque communi Regis gratiam aucupantes. Domi laſciuia erat, foris ſæuitia, cui cæteræ Principis cupiditates cedebant, quæ illi ipſi certiſſimum exitium parabant. *Mariana de reb.Hiſp.lib.16.c.17.*

XXII. *Mirabilis interitus Citizenſis Epiſc.*

Non minus deteſtandum iſtud in Epiſc. Citizenſi, de quo iſta *Paulus Langius in Chron. Citizen.* Eodẽ anno, Ioan. Epiſc. noſter, in die Ioan. Euangeliſtæ, ob honorem ſui nominis complures dominas ſpecioſas & nobiles inuitauerat: chorizanſq; inter duas medius, quas ipſe manibus tenebat, repente cadens miſerabili morte expirauit, non vt Epiſc. neq; vt Sacerdos, ſed velut hiſtrio vanus, & vir ſeculo deditus: mortuus non in atrio, ſed in theatro, nõ in loco ſacro, ſed prophano, nõ in Eccleſia, ſed chorea. Proinde ex fine eius & operibus ille præſul probatur fuiſſe ex grege illorum præſidum, qui non per oſtium, ſed aliunde in ouile Chriſti conſcendũt, qui officium Epiſcopale neſciunt, curam paſtoralem poſtponunt, clerum contemnunt, populum ſibi cõmiſſum negligũt, pauperes floccifaciunt, & fame perire ſinunt; qui cartiludio aut fritillo potius quã Euangelio intendunt, & Venerẽ Bacchumq; magis quã Chriſtum venerantur





& colunt, qui denique delitiis corporalibus, & mundi voluptatibus ſine Dei metu inſeruientes, ſola terrena ſapiunt, pariterque & propriæ & commiſſorum ſalutis immemores, futura minime proſpiciunt; qui, vt Baptiſta Mantuanus pangebat:

*Neglecto ſuperûm cultu, ſpretoq; tonantis*
*Imperio, Baccho indulgent, Veneriq; miniſtrant:*
*Sacra ferunt auro: nummis altaria condunt:*
*Auro vina libant: auro laquearia fulgent:*
*Scorta tegunt gemmis; canibus conuiuia ponunt:*
*Exuuiis inopum culti, diteſq; rapinis:*
*Succeſſu elati; ſuperos Acherontaq; rident.*
*Heu fruſtra inceſtis iterant ſacra orgia dextris,*
*Sancta Deum vanis penetralia vocibus implent.*
*Irritant, iraſq; mouent, non numina flectunt.*

XXIII. *Obitus Clem.Pp. et prodigia præcedentia.*

Eodem anno, ad VIII. Idus Decembris, Clemens Pontifex ex febre continua, deceſſit, Pontificatus ſui anno X. menſe VII. Paulo ante eius mortem dirus Cometes fulſit, & quatuor diebus ante eius obitum IIII. Nonas Decembris turris cimbalaria S.Petri in Vaticano fulmine cœlitus tacta eſt; magnaque ex parte culmen eius diſiectum, & violentia ignis campanæ fuſæ ſunt. Qua ex re populus coniiciebat, Pontificem breui moriturum.

*Breuis geſtorum Clement.Pp. recollectio.*

Is pro Romana Eccleſia Comitatum Auinionenſem emit. Pontificium palatium, à Benedicto XII. inchoatum, abſoluit. In Eccleſia auguſtiſſima Beatæ Virginis Mariæ, cui nomen à donis aliquot Canonicatus nobiles inſtituit, redditibusque annuis ditauit. Templum SS.Deiparenti eo in loco, vbi ingens peſtilentia confectorum iacebat numerus, extruxit, prouentusque in ſacerdotia donauit. Theſauros Eccleſiæ in ſumptus defendendæ ab Anglorum incurſibus Galliæ, Regi Philippo diſpertiit. Rothomagenſem Eccleſiam multis priuilegiis ornauit, ac XVI. presbyteros, qui diuinas preces cum cæteris illius Eccleſiæ miniſtris nocte dieque decantarent, auxit, multiſque prædiis & facultatibus locupletauit. Inſuper & Collegium ampliſſimis conſtructum ædificiis habitationi eorum deſtinauit. Doctorum virorum conſuetudine delectatus, multos illorum in pretio habuit. Regnum Siciliæ citra & vltra Pharum Sedi Apoſtolicæ vindicauit. Iubilæi ſacram celebrationem ad quinquageſimum annum contraxit. Florentinam Academiam tunc naſcentem priuilegiis illuſtrauit, vtque in ea Theologia & reliquæ facultates docerentur, præcepit. A Ioanne Rege Galliarum iuſiurandum, pro recuperatione terræ ſanctæ, audiuit. Principes Chriſtianos aduerſus Turcas ſacro fœdere vniuit, inque belli ſacri ſubſidia ſumptus multos fecit. Vitio homini dabatur, quod ſumptuoſiſſime vixiſſet, propinquos diuitaſſet, inque ſacrum Senatum quoſdam, nulla habita ætatis ratione, & in his aliquot pene pueros, magno Eccleſiæ probro creaſſet: cum hi diſciplinæ Eccleſiaſticæ non addicti, ſacram purpuram inconceſſis libidinationibus fœdarent, illaque facinora patrarent, per quæ dignitas ſuprema in ludibrium adducta videbatur. Sepultus eſt Clemens in monaſterio Caſæ Dei, quemadmodum viuens mandauerat.

Aliquis olim viuenti offerens libellum ſupplicem, panxerat verſus nonnullos: qui ſi eius ſupplicatio audiretur, ordine recto in eius laudem; ſi vero reiiceretur, ordine retrogrado in eiuſdem contumeliam legi poterant. Ita habent:

*Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum,*
*Scandere te fecit hoc decus eximium.*
*Pauperibus tua das, nunquam ſtat ianua clauſa.*
*Fundere res quæris, nec tua multiplicas.*
*Conditio tua ſit ſtabilis, non tempore paruo*
*Viuere te faciat hinc Deus Omnipotens.*

*Matth.Villani lib.3.c.39. Ciaccon. Platina, Richardus, Papyrius, in Clemente VI. Magnum Chron.Belgicum.*

XXIV. *Creatio Innocentii VI. Pp.*

Mortuo Clemente, Ioannes Gallorum Rex, vt Pontificem ſuæ factionis crearet, Auenionem magnis itineribus contendit. Eapropter Cardinales, ne aduentus Regis libertati Eccleſiaſticæ quicquam officeret, comitia maturarunt: & vndecimo vacantis Sedis die, ſcilicet XV. Calend. Ianuarij, Romanum Pontificem deſignarunt Stephanum Alberti filium, Lemouicis in Galliæ prouincia Aquitania mediocri genere ortum, optimæ honeſtiſſimæque vitæ, & non mediocris eruditionis fama conſpicuum.

*Qualis ante Pontificatum fuerit.*

Hic nondum Cardinalis, propter Iuriſprudentiæ præſtantiam primo Palatij Apoſtolici cauſarum Auditor, deinde Epiſcopus Nouiodunen. & poſtea Claromontianus in Aruernis; deinde presbyter Cardinalis SS.Ioannis & Pauli tituli Pammachij, & maior Pœnitentiarius, demum Epiſcopus Oſtienſis & Veliternus à Clemente VI. creatus, ex eo gradu ad ſummum ſacerdotium aſcendit. Die Dominico, infra Octauam Natiuitatis Dominicæ, IIII. Calend. Ianuarij, à Galhardo Mota Cardinali S.Luciæ in ſeptiſolio Diaconorum primo, inſignia Pontificatus, in Baſilica SS.Virginis Donorum, ſolemni ritu accepit. Innocentij nomine voluit appellari, fortaſſe quia nemini nocere decerneret, imo vero omnibus bonis & piis viris prodeſſe.

XXV. *Summarium geſtorum Innocentii initio ſui Pont.*

Ad Pontificatum vir ſummæ integritatis, magnæque conſtantiæ & ſeueritatis euectus, aſſumptionis ſuæ Carolum Regem Romanorum admonuit: hortatusque eſt per literas, vt ſe verum Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ Sedis defenſorem præſtaret, inque adminiſtratione Eccleſiaſtici regiminis ſibi aſſiſteret. Inito Magiſtratu tam arduo tamque difficili, omnia dedecora à comitatu ſuo, quæ plurima ſub deceſſore ſuo irrepſerant, abegit, ſimulque frugalitatem, quam ipſe ſibi pridem indixerat, vniuerſo comitatui, aſſectatoribus Cardinalium, auliciſque omnibus indixit. Itaque vt aulæ vitia corrigeret, multa ſaluberrima decreta initio edidit. Sacerdotia, & beneficia Eccleſiaſtica, non niſi probatiſſimis viris, vitæ integritate & doctrina præditis, conferre voluit. Omnibus Prælatis, & quibus animarum cura impendebat, vt ad Eccleſias ſuas proficiſcerentur, ſub anathematis pœna imperauit: illudque ſempiterna memoria edixit: *Oues à ſuis Paſtoribus, non à mercenariis paſcendas eſſe.* Domeſticos ſumptus à Clemente in immenſum auctos, diminuit. Familiam Pontificiam ad certum & honeſtum numerum redegit: neque niſi viros integerrimos in aulam Palatinam admiſit. Ad bona Sedis Apoſtolicæ de tyrannis recuperanda, ſtatumque tum Italiæ vniuerſæ, tum præcipue Vrbis Romæ reformandum, animum adiecit: Senatusque ſacri conſultationem de hac re habuit. Vt Cardinales probra familiæ abigerent, acerrimo edicto mandauit, dicens: *Suam, ac omnium Eccleſiaſticorum vitam cæteris exemplo eſſe debere, ad imitationem Saluatoris noſtri, cuius tota vita ad inſtitutionem totius humani generis reſpiciebat. Platina, & Ciaconus in Innocent. VI. & epiſtolæ ſecret. Innocent. huius anni.* In ſumptus tranſlationis Clementis anteceſſoris, quinque millia aureorum numerauit: cum Hugo S.Laurentij in Damaſo, Guillelmus S.Mariæ Tranſtyberinæ, presbyteri, Guillelmus S.Mariæ in Coſmedin, Nicolaus S.Mariæ in via lata, Petrus S.Mariæ nouæ Diaconi Cardinales, funus ad monaſterium Caſæ Dei Ordinis Claromoren. S.Bened. transferrent. VI. *Cal. Martij anni inſequentis epiſt.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1353.

### INNOCENTII PAPÆ VI. ANNO I.
### Caroli IV. Regis Romanorum
### Anno 7.

I. QVOD eſt in prouerbio: *Cuneus cuneum trudit:* hoc in liberanda vrbe Romana à recenti tyrannide Deus præſtitit, tyrannumq; nouitium, pridiani tyranni aſtu & potentia excluſit, quin & hunc quoq; tyrannidi ſecundo imminentem extremo ſupplicio caſtigauit. Res eſt. Intercepto Nicolao Laurentij, Romanæ vrbis ante ſex annos tyranno, non deerant, qui ad libertatem, quam ille falſo pollicebatur, aſpirarent. Id vero tanto ardentius appetebant, quo Procerum Romanorum potentiam, per captiuitatis Tribunitiæ occaſionem, magis auctam exaſperatamque, nimis grauem experirentur. Frequentiora furta; audaciorem licentiam; effuſam in fortunas, honorem, deniq; & vitam popularium, graſſandi libidinem, in horas ſingulas experiebantur; & rapinas, deflorationes virginum, ſtupra matronarum, adulteria coniugum, compilationem bonorum, quin & arma, & cædes, & ignominias indigniſſimas ab inſolentia nobilitatis ſuſtinere cogebantur. Doluit iſtud vehementer Franciſco Baroncello, Iacobi ex Sulpitia Lunella filio, ciui inter Romanos non poſtremo. Itaque is Nicolai felicitatem in adipiſcenda Tribunitia, non autem in amittenda calamitatē animo verſans, poſtquam hominem in vinculis eſſe didiciſſet, vinculorum immemor, memor autem purpuræ, de inuadenda tyrannide cogitauit, atque modum non difficilem excogitauit. Nonnihil inimicitiarum inter Paulum Iancolinū Præfectum Sagittariorum Capitolinorum, & Nicolaum Caluium ciuem interceſſerat. Illum itaque, vt Palatio Capitolino Cuſtodem excluderet, lanienæq; aduerſarij obiiceret, adeoq; Cuſtode Capitolino cæſo, ipſe Palatio inprimis potiretur, deinde dominium vrbis arriperet, Nicolao Caluio amico ſuaſit, vt hoſtem ante Diui Marci Baſilicam, ipſo Euangeliſtæ ſacro die operiretur, occaſionemq; adoriendi non intermitteret, hortatus eſt: ſe interim auxilio, ad ſonitum campanæ Capitolinæ affuturum. Aduenit ea feſtiuitas; Nicolaus, Paulum ſacrificio in S. Marci templo præſentem cum armatis ante veſtibulum expectauit: Franciſcus Baroncellus occaſioni inhians, per interpoſitos conſcios campanam Capitolinam pulſari fecit. Paulus cumprimum tinnitum æris campani audiuiſſet, in aream proſiliens, à coniuratis exceptus interiit. Tumultu interim excitato, cum libertatis nomē aliqui ex coniuratis inclamaſſent, ac Luchinus Adornius Genuen. pro Pontifice Vicarius, cum Iordane Vrſino, & Petro Columnio Senatoribus in templo incluſi, ad nouitatem facti, & armorum fragorem, necnon ſonum campanæ Capitolinæ expauefacti, quid in præſenti decernerent, non habuiſſent, Franciſcus Baroncellus Palatium Capitolinum, fugientibus Senatoribus, occupauit, & vexillum Populi Romani publicitus explicauit; non intermittentibus inter gladios diſtrictos, & cadauera ex conflictu populari iacentia, quibuſdam, qui libertatis nomen incompoſitis vocibus geminarent. Aliquis poſt quatuor aut quinque horas populum armatum in aream Capitolinam vt conſcenderet, euocauit; vbi Baroncellus tubas inflate ante Palatinam iuſſit, ac ſilentio facto ad Baſilicam, cui ab Ara cœli titulus eſt, omnes inuitauit: *eſſe quædam gratiſsima, quorum populum admoneret.* Baſilicam ingreſſis, ipſe arma paludamento longiore tectus, ex ſuggeſtu ad latus ſummi altaris erecto: non ambitione, neq; priuatæ rei gratia, ſed bono publico, ſe in eum locum conſcendiſſe, dixit: quod videret vrbem latrociniis plenam, vias à ſicariis inſeſſas, iuſtitiam proſtratam, pudicitiam promiſcue violatam, ſacra omnia, iuxta ac profana, per ſummam nobilitatis intemperantiam temerata: ac in ſumma omnia ſus deque commixta: quæ ipſe cuperet vindicare, & priſtinum decus, pacem, quietem, felicitatemque Populo Romano reſtituere; ſi modo in craſtinum eodem in loco pro concione præſto eſſent. Non difficile fuerat Baroncello, populum, quo collimabat, traducere: quod & Lucas Adornius, & Iordanus Vrſinus in latebras ſe conieciſſent, & Petrus Columnius Vrbe clam exceſſiſſet. Itaque dum, quibus intererat impetum populi in præceps ruentis prohibere, non adeſſent: populus, Nicolai Rentij ſeueritatis, iuxta ac ſecuritatis, libertatisq; vrbicæ memor, quamplurimis iniuriis à Nobilitate irritatus, Franciſcum patienter audiuit; & concione dicta, hymnum, *Te Deum laudamus*, ab eodem inchoatum, vſque ad finem cantauit: Palatiumq; Capitolinum eidem commiſit. Ad diem ſequentem Comitio in aula Palatina conuocato, multa de felicitate, dignitate, ac poteſtate olim Populi Romani, imitatione Nicolai Tribuni perorauit: ingentemque Vrbis hoc tempore calamitatem à proceribus Romanis per ſummum ſcelus excitatam deplorauit; deinde in Summum Pontificem Innocentium, quod per eius abſentiam ſtaret, vt populus duriſſimam ſeruitutem ſub iugo intolerabili ſeruiret, inuectus, plurima indigna, probra & contumelias in Chriſti Vicarium ſparſit: inque Romam Auinione reuerteretur, grauiſſima ei comminatus, actum eſſe de Populo Romano finxit. Poſtea Nicolai Tribuni mentionem iniecit, ac Vrbis ſtatum, ſtatim atq; is Tribunitiam dignitatem accepiſſet, felicitate florentem commemorauit; niſiq; ille ad frontem ridentis fortunæ deflexiſſet, & tantæ dignitati notam per libidinationes & tyrannidem inuſſiſſet, fore æternum Vrbem beatam. Sibi in animo eſſe, ſi per eos liceret ſceptrum Tribunitium gerere, ea, quæ vel per Senatorum conniuentiam, vel per Rentij licentiam, vrbanam tranquillitatem corruperant, corrigere, iuſtitiam ſubſelliis reddere, potentiorum audaciam comprimere, vias latronibus purgare, annonam penuria fugatam reuocare, ſacris reuerentiam, priuatis æquitatem, publicis maieſtatem reſtituere: adeoq; illos omnes in libertatem, ad quam nati, aſſerere. Dixit, & ſchedam è ſinu protulit, haſq; leges, tyrannidi viam ſternentes, euulgauit:

NOVVS ROMÆ INSVRGIT TYRANNVS FRANCISCVS BARONCEL.

BARONCELLVS TVMVLTVM POPVLAREM IN VRBE EXCITAT.

AD CONCIONEM POPVLVM CONVOCAT.

INVEHITVR IN PONTIF.

LEGES TYRANNIDI VIAM STERNENTES EVVLGAT.

1. *Qui adminiſtrationem vrbanam, aut perturbare, aut criminari, aut de ea aliquid muſſare præſumpſerit, tamquam perduellis & hoſtis patriæ mulctator, bona eius publicentor, domus vſque ad fundamenta diruuntor. Profugus, contumeliam imaginis pedibus ſurſum obuerſæ in pariete Capitolino ſuſtineto.*

2. *Occidens, occiditor. Profugus homicida, ſi intra menſem ad cauſam dicendam non adfuerit, pœnam homicidæ incurrito.*

3. *Accuſator, in faciem accuſato crimen obiicito. Si in probatione defecerit, talionis pœna in eum decernito.*

4. *Qui victualia alio detulerit, bonis excedito.*

5. *Procerum Romanorum cum ſubditis controuerſiæ, ad ſubſellia Tribuni deferuntor.*

6. *Proceres Romani, ſi in eorum terris ſubſeſſores viarum fuerint, illis terris priuantor.*

7. *Si quis nobilium aliquem malefactorem receperit, mille marchas argenti in orphanos & viduas appendito.*

8. *Vectigalia, portoria, & omnes redditus Vrbici, non niſi bono publico expenduntor.*

9. *Centum pedites, & viginti quinque equites, in ſingulis vrbicis Regionibus, excubias, dies noctesq; agunto.*

10. *Sacra hæc Romana militia, ad nutum præfecti Regionarij, & is ad ſonitum æris Capitolini præſto eſto.*

11. *Proceres, Barones, Nobiles dominij Vrbici: terræ, caſtra, oppida, ciuitates dominio Romano ſubiectæ, ad Imperium Reipub. Romanæ, toties, quoties vocabuntur, adſunto.*

12. *Si quis ſciat aliquid bono Reipublicæ profuturum, admoneto.*

Hæc euulgata cum populo placuiſſent, Franciſcus omnem operam, officiumque ſuum illis obtulit, per fictitia vota & ſuſpiria, ad Vrbis tyrannidem aſpirans.

Neque



Neque multum temporis interceſſit, vt frænos omnibus iniiceret. Sequenti luce comitio indicto, per Vrbis Regionarios ſacramento ſibi vniuerſum populum adſtrinxit: quod illi genuflexi manibus Euangeliorum libro ſuprapoſitis, nomine Populi Romani, præeunte quodam Fratre Minorita dixerunt. Indidem in Baſilica Aræcœli, Tribunitiam veſtem, & dignitatis equeſtris inſignia, è manu Tarquinij Lellij Regionariorum Præfecti, deinde paludamentum aureum Senatoriæ Maieſtatis, & ſceptrum argenteum cruce aurea ornatum accepit; deferente ei Tribunitiam poteſtatem vniuerſo populo, & P. Roſcio Cancellario hos titulos illi conclamante: *Franciſcus Baroncellus, ſecundus Tribunus, & Conſul Almæ Vrbis Romæ.* Eam poteſtatem adeptus, vexillum S.P.Q.R. Thomæ Monte Rocchio commiſit, & throno purpurato inſidens, Regionarios, & Magiſtratus vrbicos ad oſculum manus, inter acclamationes popularium admiſit. Mox adminiſtratione publicarum rerum, aliquibus ſubmotis, alios, ſed partiarios ſuos in locum eorum ſubrogauit; Nihil aliud poſt vnum aut alterum verbum eis dicens, quam; *diligite iuſtitiam.* Ex eis, quos gradu mouit, tres populi ſcribas furcis incontinenti affixit; alios fuſtigatione caſtigauit: Nonnullis pœnas atrociores vel leuiores, pro grauitate criminum, irrogauit: illud alta mente repoſtum voluens: *Oderint, dum metuant.* Innocentium Pontificem literis contumelia plenis inceſſit: atque eorum, quæ præfracte commiſerat, non minus ſuperbe admonuit: ad reliquos autem Italiæ Principes, præſertim Gibellinos, epiſtolas, quibus eos ad ſocietatem armorum inuitabat: necnon Carolo Regi Romanorum, vt quamprimum ad Vrbem acceleraret, & Imperatoriam dignitatem vel inuito Pontifice, à volente Senatu populoque Romano ſuſciperet, ſcripſit: vbique vindicem ſe Imperatoriæ Maieſtatis, ac Populi Romani poteſtatis præ ſe ferens. Vt autem tanto facilius in capita populorum, & Nobilitatis Principes deſæuire potuiſſet, eos ad Vrbem inuitauit: quod non ex decoro eorum eſſe diceret, ſi per villas & caſtella diſſipati, vitam ſolitariis aut feris propiorem, quam hominibus vrbanis, tranſigerent. Ioannes Præfectus vici, quod ſibi à tyranno metueret, omnia priuilegia Vrbi à Pontificibus & Imperatoribus conceſſa, cum illi obtuliſſet, ſummam rei eidem detuliſſe viſus eſt: quam ille adeptus, Rentiani exitus immemor, totum auaritiæ & licentiæ ſeſe dedidit. Ac inprimis duobus ſuis filiis, quos ei Ludouica Barati coniunx genuerat, omnia permiſit. Hi ſiue raptus, ſiue ſtupri alicuius poſtularentur, Baroncellus ſurda aure audiebat: nec niſi in rem propriam intentus, horum bona publicabat, illos proſcribebat, alios aliis pœnis damnabat, vt ſibi imperium ſtabiliret.

POPVLVM SACRAMENTO SIBI ASTRINGIT, ET TRIBVNITIAM POTESTATEM ACCIPIT.

PONTIF. CONTVMELIIS INCESSIT. ET LITERAS AD PRINCIPES ITALIÆ NECNON AD REG. ROMAN. DESTINAT.

Non potuit tyrannidis ſementem & ſeminatorem ferre Richardus Tancredi. Itaq; ſemel animi gratia prodeuntem Franciſcum adortus, aliquot vulneribus deformauit: & hominem occidiſſe exiſtimans, fuga ſibi conſuluit. Nemo erat, qui fugientem Tancredum perſequeretur: iam nonnihil alienata plebe à Franciſco; qui etiam vix è medio tumultuantium in Capitolium ſeſe recepit: ſed ſtatim quinque ex famulitio Richardi in vincula coniectos, & per varia tormenta fruſtra interrogatos, in quatuor partes diuidi, & partes in diuerſis locis vrbicis affigi imperauit: deinde Fabricium Corſum equitem auratum capite imminuit: Tiberium Tozium, & alterum ciuem Romanum, necnon ſeptem neceſſarios eorum furcis appendit, bonaque eorum publicauit: Richardum autem, & duos alios ciues, imaginis contumelia notauit, ac palatia illorum dirui iuſſit: Cæſarem quoque Marganium capitali ſupplicio affeci: & Angelum Brancham in quatuor partes diſcerpſit: ſed non ſibi ſecuritatem peperit: quanquam etiam non neminem innocentem, qui audiri poſtulauerat, vel fortunis, vel ipſa vita exueret. Sorianum ad Vrſinos affines Richardus conceſſerat, vnde omnia infeſta Romanis faciebat.

BARONCELLVS ALIQVOT VVLNERIBVS DEFORMATVR.

SÆVIT CRVDELITER IN DIVERSOS.

Quæ omnia cum Innocentius Pontifex ex literis Adornij intellexiſſet, Ægidium Cardinalem Hiſpanum Legatum in Vrbem miſit, comitemque ei Nicolaum Laurentij adiunxit, vt cuneum cuneo excluderet: cum iam in publico Patrum conſeſſu Baroncellum cœtu piorum excluſiſſet. Et in perduellionis crimine damnatum, poteſtatem omnibus feciſſet: præſertim quod tyrannus omnes ſibi ſuſpectos habens, promiſcue in omnes, etiam inſontes, ſæuiret: & in his Thomam Monterocchium, cui ante paucos dies vexilliferi dignitatem contulerat, capite in ergaſtulo nocte concubia imminuiſſet, nec non cadauer iugulati ad ſpectaculum expoſuiſſet: inque participationem coniurationis, Cæſarem è Comitibus, Paulum Annibaldum, Nicolaum Sabellum, Franciotum Vrſinum, Franciſcum Palumbarium, Iacobum Stallium, & alios proceres ab eo euocatos eſſe, in proceſſu ad arbitrium facto finxiſſet: ac Franciſcum & Poncellum Vrſinos in vincula duci iuſſiſſet, quaſi ab eorum ſubornatione aliquis ſagittam acutam in Cæſarem filium ſuum torſiſſet: quamquam iuuenem non confodiſſet.

Iam Legatus cum Rentio Vrbi appropinquabant, & populus aura mobilior, neque congiarium, quod diſtribuerat Baroncellus, neque annonæ copiam, quam conuehi iuſſerat, neque pollicitationes reſtituendæ libertatis, neque auxilia aliunde expectata, quicquam penſi ducens, à tyranno ſe eſſe alienum, non obſcuris indiciis indicabat: quamquam is ex vanis inſomniis, quæ arbitrio ſuo exponebat, & ex literis Imperatoris, atq; Principum Gibellinorum, quibus illi ſpem nonnullam faciebant, certam ſibi de Pontifice, Legato, & Nicolao victoriam polliceretur.

LEGATOS PONTIF. ADVENTANTE POPVLVS BARONCELLVM DESERIT.

Ab omnibus itaque præter exiſtimationem derelictus, vxorem & filios cuculla Franciſcana indutos, ad Præfectum vici, gemmis & ſupellectile pretioſa onuſtos, clam emiſit: mox Nicolao Vrbem ingreſſo, à populi furore interiit: exemplo omnibus, qui vel in Petram ſoliditatis æternæ incurrunt, vel tyrannidem arripere præpoſtero vulgi fauore exambiunt, vix totos quatuor menſes Baroncellus imperauit, in eodem loco cæſus, in quo ſanguinem plurimorum per tyrannidem effuderat. Globum cœleſtem, ramo oleagineo circumdatum, tæniis candidis & rubicundis diſtinctum, Senatus Populique Romani nomine inſcriptum, pro inſigni ferebat, & illum nummis imprimebat, atque imaginibus & vexillis adpingebat, tyrannus ſanguini exhauriendo natus. *MS. biblioth. Vatic.*

TYRAN. A POPVLO INTERFICITVR.

II. Paulo atrocius fatum, Nicolaum Rentium excepit. Is poſtquam inter Eremitas Montis Maiellæ, ex quo olim Petrus Moronus ad Pontificatum euaſit, multo tempore pœnitentis habitu occultus vixiſſet, & tandem à Carolo Rege Romanorum Pragæ interceptus, Auinionemque Pontifici miſſus, cauſam hæreſis & tyrannidis ex carceribus non minore facundia quam fiducia dixiſſet, & tum Brunonis Commiſſarij, tum Cardinalis Ceccani ſententias inæquitatis oſtendiſſet, in gratiam Innoc. variis artibus ſeſe inſinuans, tantum effecerat, vt comitem illum Ægidio Cardinali in Italiam Legato Pontifex deſignauerit, Senatoremque Vrbicum decernere voluerit. Romanorum plurimi illum, vt celerius aduolaret, rebusque per Baroncellum turbatis opem ferret, inuocabant. Legatus hominis ingenium explorabat, neque primo ei ſatis fidebat, donec is Peruſium profectus, Annibaldum & Bertrandum fratres Narbonen. F. Montrealis germanos, in ſpem maximarum rerum adductos ad contribuendam pecuniam adduxiſſet, nonnullamque aliam mutuo à quibuſdam ciuibus Peruſinis accepiſſet, & exercitu non contemnendo conſcripto, Cardinali operam ſuam probaſſet, quod poſſet ſtatum Vrbis per factiones commotum quieti reſtituere, & Baroncellum tyrannum proſternere.

HISTORIA DE INFELICI EXITV NICOLAI RENTII, QVI ANTEA TYRANNIDEM IN VRBE EXERCVERAT.

Credidit Legatus omnia fauſta promittenti, & in Vrbem præmiſit; vbi incredibili plauſu & lætitia popula-

palmarum, oliuarum ramos præferentium, & *Benedictus qui venis* conclamantium exceptus, per arcus triumphales in aduentum illius erectos, & plateas floribus ſtratas aulæisque pretioſis ornatas, vſque in Capitolium palatium, præcinentibus muſicis, & tubis præſonantibus, deductus, Tribunitiam iterum dignitatem vſurpauit: cum pro concione, ſeptem ſe annis, quemadmodum olim Nabuchodonoſor, vitam omnium calamitoſiſſimam duxiſſe, ac tamdem Dei benignitate ad ſolium, ex quo libertas Populi Romani & ſalus penderet, reducem, velle publicæ omnium vtilitati intendere, dixiſſet. Non æque lætam atque initio frontem Romanorum plurimi illi ſeruarunt, quod ipſo concionis die viderent illum ad grauiorem tyrannidem aſpirare; & à frugalitate, moderatione, & temperatione priſtina multum degeneraſſe. Namque inter Germanos & Boemos, quos diſputationibus & narrationibus hiſtoricis Pragæ & alibi terrarum recreabat, helluare doctus, ebrietati continuæ ſeſe immerſerat; Vinum, quod Græcum vocant, aliis non minus generoſiſſimis temperabat, inque ſingulas horas effuſe bibebat. Vnde illi tremor manuum, vultus rubedo, oculorum tumor & inflammatio, totius corporis habitus immutatus; & quod peius eſt, mentis inconſtantia, iræ præcipitatio, & reliquorum affectuum impotens dominatio. Acceſſit intempeſtiua dominandi cupido. Omnibus Proceribus Romanis, ac inprimis Stephano iuniori Columnio diem ad comparendum in Curia Capitolina dixerat; at is Bucium Iubilium, & Ioãnem Caffarellum in vincula primum dedit; deinde ſingulis dentibus vni & alteri excuſſis, quadringentorumque aureorum ſumma ab vnoquoq; nomine redemptionis exacta, deformatos in vrbem remiſit. deinde prædas ex vniuerſo agro Romano egit, vt ad pugnam campeſtrem Rentium eliceret. Eduxit paucos, quos poterat, milites Nicolaus, & Tibur conceſſit: deinde Præneſte obſedit, vbi præter intempeſtiuas in Stephanum abſentem minas, nihil operæ pretium egit: quod, ſtipendia vnde colligeret, non haberet. Annibaldus, Bertrandus, & F. Monrealis, ſolutionem ſtipendij, & mutuum, quod dederant, perurgebant. Quibus cum non eſſet ſoluendo, tandem per calumniam, Monrealem, quaſi is ſeditionem in Vrbe moliretur, in vincula duci, & innocentem capite imminui iuſſit. Fratres quoque Monrealis ferro onerauit, & Annibaldum Cardinali Legato vinctum miſit. Mox ad extorquendam pecuniam animum adiecit, & vniuerſo Populo Romano vectigal intolerandum impoſuit, pretiaque omnium rerum vænalium auxit: vt à tanta pecuniarum ſumma tantum emungeret, quantum ſtatuiſſet. Offendit ea res populum, cuius nomine cum Pandulfus Guidus Nicolaum admonuiſſet, ille hominem iugulari iuſſit: ſed ea crudelitate magis vniuerſos irritauit. quod proditorem, qui ne ab amicis ſibi temperaret, & tyrannum impotentem, qui æque in ſontes atque inſontes graſſaretur, iudicarent. Inerat Nicolao audacia, temeritas, cum inconſtantia coniuncta. In loco conſilij obtinebat omnem ſuam voluntatem, nullo conſiliario contradicente. In vno eodemque inſtanti ridens plangebat, & emittens lachrymas ac ſuſpiria ridebat. tanta fuit homini varietas & mobilitas voluntatis. Promittebat, & nihil eorum, quæ pollicitus fuerat, præſtabat. Vnde & populus annonæ caritate laborabat, & pedites ac equites Regionarij, quos excubitorum loco collocauerat, nullis receptis ſtipendiis, omnes promiſcue iniuria afficiebant. Intoleranda ea calamitas viſa eſt populo. Quamobrem ad VIII. diem Septembris, non ſine conſciis Columniis, ſummo diluculo tumultu excitato, ad conclamationem: *Viuat populus, moriatur tyrannus*, cum innumerabiles armati confluxiſſent, Nicolaum ad necem poſtularunt. Ibi miſer mentis & conſilij inops, neque campanam Capitolinam pulſare voluit, neque, quo ſe verteret, prorſus ſciuit; quod ab omnibus ſe derelictum cognouiſſet. Vexillum tandem Populi Romani manu ferens, populum è loco editiore Palatij alloqui auſus, non niſi lapides, lutum & ſagittas accepit. Erant aliqui, qui ignem portæ Capitolinæ admouiſſent; vt vel exurerent tyrannum, vel exeundi neceſſitatem illi imponerent. In quas anguſtias coniectus infelix, armis & veſtibus ſpecioſis depoſitis, perſonatus effugere decreuit; barbam totondit; vultum atro colore tinxit; veſtem ſordidam paſtoritiam induit, & capiti gauſape impoſuit; ad eumque modum deformatus palatio exiuit. Non tamen circumdantes fallere potuit; quamquam voce incondita, vt *occideretur tyrannus, & viueret populus*, conclamaret. Nam vnus aliquis eum ex indiciis cognouit, populo indicauit; populus illum miſericordiam implorantem inter medios leones marmoreos, quo in loco plurimum ſanguinem crudelis fuderat, duxit. Vbi cum pro ſpectaculo ad ludibrium populi ad vnam horam ſteriſſet, & fruſtra veniam poſtularet, Cecchus Vecchius pugione miſerum confodit: mox nonnemo accurrens, gladio vel conto iam exanimem confixit; ita vt vulneri non eſſet locus; cum cribri inſtar cadauer pateret. Ab eo deinde loco vſque ad S. Marcelli Baſilicam exangue cadauer raptarunt, & reuulſo à buſto capite, ſemilacera membra pedibus cuidam ligno appenderunt: omnique contumeliæ genere affecerunt. Duos integros dies & vnam noctem pependit, Iudæorum quoque probris expoſitum: qui faſciculis lignorum, cardorum, & ſentium congeſtis, tamdem illud exuſſerunt, & cineres in profluentem proiecerunt. In cubiculo infelicis, ſpeculum chalybæum characteribus & figuris ex arte necromantica inſignitum, quo malum genium concluſum conſtrictum conſulere dicebatur, repertum eſt. In pugillaribus etiam deſcripta per claſſes nomina omnium Romanorũ inuenta ſunt; quorũ alios quingentis, alios 400. alios 300. alios 200. alios 100. alios 50. alios decẽ nummis aureis multare decreuerat. Nepotẽ ſe Henrici VII. Imperatoris, ex eius ſpurio, coram Carolo Rege Romanorum Pragæ dixerat: natus ad exemplum eorum, qui fortunam irreuerenter habent, de ſtercore ad ſummum faſtigium euecti. Ad hũc modum Populus Romanus, hoc anno duos tyrannos euexit atque deiecit, cum etiam hoc ipſo anno, Bertholdum Vrſinum Senatorem, ante imaginem Diuæ Deiparentis procumbentem, quod annonæ inopia ipſo negligente Vrbem oppreſſiſſet, lapidibus obruiſſet. Secuta eſt vindicta numinis Bertholdum, quod is Eccleſiæ Romanæ iniurius, etiam anathema Romani Pontificis contempſiſſet. *Villani lib. 3. cap. 53. 74. & MS. Biblioth. Vatican. de rebus vrbanis.*

III. Tyranni in Italia omnia pene Eccleſiæ bona occupant.

Rebus vrbanis per eos tumultus popularium aduerſus nobilitatem turbatis, prout quiſque procerum, vel potentior, vel Sedi Apoſtolicæ iniquior erat, eo magis Eccleſiæ Romanæ bonis inhiabat. Vnde euenerat, vt in Romandiola, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, & Patrimonio Beati Petri in Tuſcia, nihil fere reſidui Summo Pontifici remanſerit, cum tyranni omnia ſibi arrogarent. Ioan. Præfectus Vici, Viterbium, Vrbem veterem, Martham, Caninum, cum ſex caſtris, Ameliam præterea, & alias ciuitates ac oppida occupauerat, Peruſioque imminebat. Anconam, & vniuerſum Picenum Malateſta detinebat. Franciſcus Ordelaphus Foroliuium, Cæſenam, & reliqua Flaminiæ in poteſtatem redegerat.

Omnes vero fidelibus ipſius Eccleſiæ incolis & habitatoribus, iniurias grauiſſimas irrogabant: neq; quicquam monita Pontificum, Ioannis XXII. Benedicti XII. & Clementis VI. vt ablata reſtituerent, & ab iniuriis inferendis temperarent, curabant. His Eccleſiæ bonis recuperandis, & ſtatui vrbico tranquillando, Innocentius Pontifex Cardinalem Legatum Ægidium Carillam Conchenſem deſtinauit, mandauitque, vt adempta Eccleſiæ Romanæ loca recipere pro viribus curaret, atque bello tyrannos perſequeretur. Petrocinum quoque, Rectorem Flaminiæ, & Comitatus Britonorij (ita enim adhuc ſcribere in literis Pontificiis conſueuerant) apud Villam nouam Auinionenſis diœ-





ceſis, Kalend. Septembris, Pontificatus anno primo conſtituit, vtque Cardinalem Legatum in recuperandis bonis Eccleſiaſticis adiuuaret, imperauit. Magna per hos dies in Flaminia mutatio rerum acciderat, cum Ioannes Manfredus Ricardi filius, Franciſco Ordelaſo & Fauentinis aliquot ciuibus iuuantibus, Pontificium eius prouinciæ Rectorem & Comitem expulerit Fauentia, & illius dominationem vrbis Ioannes Manfredus Albergettino genitus, ea tota decurſa ſibi aſciuerit; confeſtimque Ludouicus Ordelaſus Franciſci filius, Britonorium adortus, eius occupauerit ſuburbium. Rector, Comesque Prouinciæ forum Cornelij interea ſe receperat, euocatiſque illuc Ioannis Vicecomitis Mediolanenſis Archiepiſcopi, Opizonis Eſtenſis, Maſtini Scaligeri, & Pepolorum Bononienſium auxiliis, recuperare Fauentiam parabat: cum ipſi contra Ordelaſij, Manfredique tanta copiarum mole deterriti, ſuiſque diffiſi viribus, Guarnerium ducem, eiusque copias, Societatem appellatas, quæ in Neapolitano, Pannoniæ Regi Ludouico militauerant, accerſunt. Ea cum in Fauentinum Forliuienſeque perueniſſent, Ordelaſus Britonoriana arce munitiſſima, quæ à Romana Eccleſia ſtabat, potitus eſt, nec diu poſt Caſtrocarum, Imeldulam, Caſtelnouum quoque cepit.

IV. Innoc. Pont. mittit Legatum pro rebus Eccleſiæ vindicandis.

His itaque & aliis Eccleſiæ Romanæ vindicandis, & Legatum miſit, & nouum Rectorem Prouinciæ Innocentius præfecit. In Piceno aduerſus Malateſtas, qui omnem fere illam Prouinciam ſibi aſciuerant. Egidius Cardinalis, Rodulfo & cæteris Varaniis fratribus Camertium Principibus iuuantibus, totum negotium feliciter confecit: & facta deinde pace, Galeotum Malateſtam è carcere eductum Eccleſiæ vexilliferum creauit. Bernardinus Polentanus multa ſibi arrogabat, & Rauennate Imperium conſecutus, multa inſtituens, multa quotidie ad ſe trahebat. Ad hunc euocandum, Innocentius Pontifex, III. Nonas Iulij datas apud Villam-nouam literas Rauenam miſit, in quibus illi dicebatur dies, quo ſe Pontifici Auinione præſens ſiſteret. Is contumax, vnum ex alio cauſatus, cum diceret, ſe multis occupationibus impeditum, conferre eo non poſſe, procuratorem fecit Petri è Tudurano filium, qui illum accurate Pontifici purgaret. Præſtat porro datas Cardinali pro ea legatione literas iſthic ſubſcribere, vt ex eis neceſſitas eius legationis cognoſcatur. Ita habent:

V. Literæ Innoc. pro ea legatione.

*Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, dilecto filio Egidio, tituli ſancti Clementis presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato, ac in Patrimonio Beati Petri in Thuſcia, Ducatu Spoletano, Marchiæ Anconæ, ac Romandiolæ, Campaniæ & maritimæ prouinciis, ac omnibus & ſingulis ciuitatibus, & terris Romanæ Eccleſiæ immediate ſubiectis, & intra terminos tuæ Legationis conſtitutis, noſtro & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ in temporalibus Vicario generali, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Cum onus vniuerſalis regiminis dominici gregis, nobis ſuperna diſpoſitione iniunctum attendimus, & noſtrum attente proſpicimus imperfectum, videntes, nullo modo per nos ipſos poſſe exſoluere debitum Apoſtolicæ ſeruitutis, nonnumquam Fratres noſtros, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, viros electos ex millibus, ſcientia præditos, & virtute, in quibus timor Domini ſanctus permanet, in ſolicitudinis partem aſſumimus, eoſdem ad vniuerſas mundi prouincias & partes incumbentibus negotiis deſignantes, vt ipſis vices noſtras ſupplentibus in eiſdem, & ipſorum cooperatione laudabili, noſtri oneris alleuationem facientibus, nos miniſterium nobis commiſſum, fauente diuina gratia, facilius & efficacius exequamur. Sane, licet ad cunctorum Chriſti fidelium curam & regimen, veluti ipſarum ouium Paſtor & Rector, intente mẽtis noſtræ aciem extendamus, prouincias tamen, & terras temporaliter Sedi Apoſtolicæ ſubiectas, & ipſarũ diuerſos populos, ipſius Romanæ Eccleſiæ ſpeciales filios & deuotos præcordialius intuemur, & ſuper eorum felici regimine, & ſtatu proſpero & tranquillo, ſpecialius affectibus peculiaribus cupimus prouidere. Attẽdentes itaque, quod tu potens opere & ſermone, quem in magnis expertum & arduis, probitate ac fidelitate probatum, gratiarum Dominus, ſcientiæ magnitudine, induſtriæ claritate, maturitate conſilij, morum elegantia, & aliis grandium virtutum titulis inſigniuit, in cuius affectu geritur, vt indubitanter tenemus, pacificare diſcordes, ſedare fluctuationes, ac turbines, iuſtitiæ terminos colere, & errantes ad viam rectam reducere veritatis; quod nos abſentes repugnante natura non poſſumus efficere, commiſſam tibi curam diuina gratia prudenter & fideliter exequeris, matura cum Fratribus noſtris deliberatione præhabita, de ipſorum communi conſilio & aſſenſu, te in patrimonio Beati Petri in Tuſcia, Ducatu Spoletano, Marchiæ Anconæ, Romandiolæ, Campaniæ, ac maritimæ prouinciis, ac omnibus & ſingulis ciuitatibus & terris eidem Romanæ Eccleſiæ temporaliter mediate vel immediate ſubiectis, infra terminos Legationis tuæ, vt præmittitur, noſtrum, & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Vicarium in temporalibus, reformatorem, ac pacis & prouinciarum conſeruatorem conſtituimus generalem: circumſpectioni tuæ Patrimonium, Ducatum, Marchiam Anconæ, prouincias, ciuitates, & terras prædictas, præfatæ Romanæ Eccleſiæ nomine, prout & in quantum ad Romanam Eccleſiam pertinet, reformandi, regendi, gubernandi, & adminiſtrandi: ac in eis iuriſdictionem plenariam, prout & in quantum ad dictam Eccleſiam pertinet, vel pertinere poterit, exercendi; Ciuiles & criminales cauſas, per te, vel alium, ſeu alios, audiendi, examinandi, diſcutiendi, & cauſarum cognitionem & deciſionem, alij, ſeu aliis, communiter, vel diuiſim, generaliter, vel ſpecialiter, committendi, & ad te, cum placuerit, reuocandi: omneſque, & ſingulos, cuiuſcumque excellentiæ, auctoritatis, nobilitatis, præeminentiæ, conditionis aut ſtatus exiſtant, quos iuſtitia ſuadente priuandos videris, priuandi eos ſtatibus, dignitatibus, honoribus, Principatibus, Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Baroniis, dominiis, terris, feudis, retrofeudis, iuriſdictionibus, iuribus, rebus, & bonis mobilibus quibuſcumque, eaſq; dictæ Romanæ Eccleſiæ confiſcandi, & applicandi: ac in Patrimonio, Ducatu, Marchia Anconæ, prouinciis, ciuitatibus, & terris eiſdem, Rectores, Poteſtates, Capitaneos, vexilliferos, & Caſtellanos, Iudices, & quoſcumque Officiales alios generales, temporales, vel ſpirituales, & officia prædicta, & omnia alia & ſingula, generalia & ſpecialia, quocumque nomine vel titulo fungantur, vel nuncupentur, prout ad Roman. Eccleſ. pertinuerit, creandi, conſtituendi, inſtituendi, ſuſpendendi, remouendi, deponendi, & deſtituendi; & culpabiles, ciuiliter & criminaliter, per te, vel alium, ſeu alios puniendi; & querelas contra ipſos per quoſcumque propoſitas audiendi, ſummarie & de plano iudicandi, & emendas, & ſatisfactiones debitas fieri faciendi: Inter Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Dominos temporales, Nobiles, & perſonas alias, Communitates, & Vniuerſitates, ac populos, & omnes alios & ſingulos diſcordes & diſſidentes, Patrimonij, Ducatus, Marchiæ, Prouinciarum, Ciuitatum, & terrarum prædictarum pacem & concordiam reformandi, & inter ipſos treugam inducendi, ipſoſq; ad eas, eorumq; conſeruationem quibuſcumque pœnis, & diſtrictionibus, ac ſententiis, prout ad dictam Eccleſiam pertinuerit, concordias in charitatis æternæ vinculo confirmandi: colligationes, confœderationes, pactiones, conuentiones, ſocietates, & ligas, contra Romanam Eccleſiam, vel contra bonum pacis & ſtatum illarum partium pacificum, ſeu in præiudicium vel damnum Patrimonij, Ducatus, Marchiæ, Prouinciarum, Ciuitatum, & terrarum prædictarum initas, ac etiam iniendas, caſſandi, & annullandi, & pœnas ſuper illis adiectas vel adijciendas relaxandi: occupata iniuſte, ab occupatoribus & detentoribus quibuſvis eripiendi & recuperandi: eiectos & expulſos à locis, & rebus ac bonis ſuis quibuſcumque, ac inique priuatos, ad loca & bona eorum propria reducendi, reſtituendi, & integrandi: & ſuper quibuſcumque delictis forte factis, aut rebellionibus, per quaſcumque vniuerſitates, vel ſingulares perſonas commiſſis, vel in poſterum Vicariatus tui tempore committendis, diſpenſandi, componendi, concordandi: & delinquentes ad Eccleſiæ Romanæ gratiam & obedientiam reducendi: & ſuper inhabilitatibus & infamiis, quas propterea incurrerint, diſpenſandi, & vniuerſitates, & perſonas huiuſmodi ad ſtatum priſtinum in integrum reſtituendi: generales & particulares exercitus in auxilium eiuſdem Eccleſiæ, ac protectionem ſtatus pacifici Patrimonij, Ducatus, Marchiæ, Prouinciarum, Ciuitatum, & terrarum prædictarum: & contra rebelles, & ſtatus pacifici turbatores, & quoſcumque ex cauſis, & aliis quibuſcumque, & quomodocum-*

*quæ dicuntur, indicendi, faciendi, congregandi hoſtes, rebelles, & contradictores quoslibet, per admonitionis, priuationis, depoſitionis, relegationis, proſcriptionis perpetuæ vel temporalis ſententias, prout ad ipſam Eccleſiam pertinuerit (ſublato appellationis obſtaculo) compeſcendi & coercendi: & de cauſis appellationum ad Sedem Apoſtolicam cognoſcendi, & eas ſine debito terminandi, ac faciendi, ordinandi, ſtatuendi, & reali executioni mandandi, & omnia, quæ ad huius pleni Vicariatus in temporalibus & reformatoris officium pertinent, & quæ neceſſaria vel vtilia fuerint, quocumque modo in præmiſſis & ea tangentibus & quolibet eorum, & quæ ad honorem & commodum eiuſdem Romanæ Eccleſiæ, ad vtilitatem, & proſperum & tranquillum ſtatum Patrimonij, Ducatus, Marchiæ, Prouinciarum, Ciuitatum, & terrarum prædictarum cedere videris, & tibi viſum fuerit expedire.*

*Non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, vel Imperialibus, ſub quorumcumque verborum expreſſione conceſſis, & iteratis, etiam Patrimonij, Ducatus, Marchiæ, Prouinciarum, Ciuitatum, & terrarum prædictarum ſtatutis, conſuetudinibus obſeruatis, (per quæ nullum cuique cuiuſcumque præeminentiæ, dignitatis, excellentiæ, conditionis aut ſtatus fuerit, in hac parte volumus afferri ſuffragium) concedente, liberam & plenariam facultatem. Vicariatus autem curam, regimen, gubernationem, adminiſtrationem, poteſtatem, ac iuriſdictionem huiuſmodi tamdiu volumus perdurare, donec per Sedem eandem aliud contigerit ordinari. Nos inſuper proceſſus, ſententias atque pœnas, quos & quas proferri, ac etiam, quæ per te rite fieri contigerit, rata habebimus, & faciemus, auctore Domino, inuiolabiliter obſeruari. Per hæc autem Rectoribus & Officialibus in Patrimonio, Ducatu, Marchia, Prouinciis, Ciuitatibus, & terris prædictis per Sedem Apoſtolicam conſtitutis, quo minus iuriſdictionem & poteſtatem eis conceſſam, quamdiu in ſuis officiis & adminiſtrationibus præſederint, exercere libere, ſicut prius, valeant, non intendimus aliquod præiudicium generari. Vt igitur præmiſſa omnia & ſingula melius, plenius, & vtilius exerceri poſſint, vniuerſis & ſingulis Patrimonij, Ducatus, Marchiæ, Prouinciarum, Ciuitatum, & terrarum prædictarum Rectoribus, Vicerectoribus, Poteſtatibus, Capitaneis, Officialibus, & cæteris noſtris & Eccleſiæ ſubiectis, cuiuſcumque ſtatus, præeminentiæ, dignitatis Eccleſiaſticæ vel mundanæ, Ordinis vel conditionis exiſtant, damus diſtrictius in mandatis, vt tibi efficaciter pareant, & intendant.*

*Nulli ergo, &c. Dat. apud Villam-nouam Auinionen. diœceſis II. Cal. Iunij, Pontif. noſtri anno I.*

Hæc Innocentius Pontifex Egidio Cardinali committebat: vt tyrannos Italiæ bello perſequeretur, & ditionem Eccleſiaſticam de iniquis poſſeſſoribus recuperaret.

VI. Quo honore exceptus fuerit Legatus Pont. in Italia.

Ioannes Mediolanenſis Antiſtes ſupremo honore Legatum Mediolani habuit: non tamen Bononiam ſibi iam à Clemente Pontifice in XII. annos conceſſam admittere voluit: ne aduentu illius quicquam nouaretur. Florentini extra Vrbem in modum ſupplicationum ſolemnium effuſi, illum excepere, & centum quinquaginta armatos illi aduerſus hoſtes Eccleſiæ attribuere.

Romanorum proceres ad Montem Faliſcum vſque Oratores, qui aduentum gratularentur, & vt acceſſum ad Vrbem pacificandam maturaret, flagitarent, deſtinarunt, inque venientis occurſum fauſta cum lætitia prodeuntes, ingenti cum gaudio ſalutarunt, omniaque vrbana Sedi Apoſtolicæ permiſerunt. *Villani lib. 3. cap. 80. 87.*

VII. Legatus Pont. eiectis tyrannis bona Eccleſiæ recuperat.

Tribunis duobus ad eum modum in Vrbe ſublatis, omnia faciliter Romanis Legatus indulſit, & Guido Iordani Vrſino de Patritiis officium Senatoris pro hoc anno conceſſit, vir ſapientia, magnanimitate, & multarum rerum experientia præſtans, Traiano, Adriano, & Theodoſio virtute æquiparandus, quos principes Hiſpania Romanæ Reipublicæ præſtantiſſimos pridem ſaluberrimosque ediderat. Huic etiam, cumprimum ad ſacræ Reipublicæ ſummam cum Imperio in Italiam veniſſet, auxiliares copias Ludouicus Rex Pannoniæ ſubmiſit: quibus fretus, Flaminiam, Picenum, Vmbriam, & Diui Petri patrimonium, eiectis inde tyrannis, (quandoquidem hæc omnia, inſtigante Ludouico Bauaro, multi tyranni quondam inuaſerant) ſpatio quinquennij in Apoſtolicam ditionem reuocauit: Proceres, qui Imperata feciſſent, Vicarios & Rectores creauit, aut comprobauit. In vrbibus Eccleſiaſticis, quo eas facilius in obſequio retineret, arces erexit: multaque ex maieſtate & vtilitate Apoſtolicæ Sedis conſtituit.

Extant libri ſex Conſtitutionum Romanarum, quas ille pro ſtatu vrbico reformando, inque officio continendo, Senatui ac Populo Romano ſanxit: quas etiam ſuccedentibus annis Sixtus IV. dato diplomate approbauit. *Fl. Blondus dec. 2. lib. 10. & MS. Bibl. Vatic. numero 3939.*

VIII. Nouum nauale bellum in Oriente inter Venetos et Genuenſes, Venetis victoriam inſignem reportantibus.

Cum hæc in Latio & reliqua Italia agerentur, inter Venetos & Genuenſes bellum nauale in Oriente recruduit. Genuenſes, ne recens victoria ipſorum deſidia ac negligentia luxuriaret, ſeu vana euaderet, cum felicia initia vrgere decreuiſſent, ſexaginta triremes armarant, quibus Antonium Grimaldum præfecerant, ſtrenuum quidem hominem, nec bellicarum rerum imperitum; cæterum ſui fiducia nimium interdum ſe prouehi ſinentem.

Is igitur Genua ſoluens, fœderatorum octuaginta triremium claſſem, quarum quadraginta quinque Venetæ fuerant, Nicolao Piſano Præfecto, Catalanæ triginta quinque, quas ducebat Bernardus Cabrera, ad Lungherium adeptus, quæ vrbs eſt in ſinu Callaritano, nihil maiore hoſtilium nauium numero deterritus; ac, ne animo Pagano Auriæ cedere videretur, qui numero nauium tanto inferior, eundem hoſtem ſuperaſſet; varietatem atq; humanarum rerum viciſſitudinem haud ſecum reputans; neque conſiderans, Paganum loci natura & fauore ventorum adiutum, tantam victoriam peperiſſe, prælium non detrectauit. Concurſum eſt ingentibus animis, Genuenſibus ad partum decus obtinendum, hoſtibus ad acceptam ignominiam delendam contendentibus. Ceſſit victoria Venetis atque Aragoniis. Numquam maiorem plagam Genuenſes acceperunt; vna enim & quadraginta triremes amiſſæ ſunt, partim demerſæ, partim captæ, octo millia hominum cæſa, tria millia & ducenti capti. Tanta clades audita, vrbem, & totam Liguſticam oram luctu & lamentationibus impleuit; memoria tot egregiorum ciuium ſuperiore anno amiſſorum mœrorem cumulante.

Doluit ea clades Innocentio Pontifici. Quamobrem miſſo Genuam Fr. Petro Thomæ Carmelitano, S. T. Magiſtro, datisq; ad eos literis, dolorem ſuum illis ſignificauit, & ad pacem cum Venetis ineundam hortatus eſt. *III. Cal. Octob.*

Cæterum non tam miſerabilem eo tempore tanta accepta clades ciuitatis Genuen. ſtatum fecit, quam ciuium ſtultitia; cuius tanta vis illorum mentes tenuit, vt pro eo, vt res afflictas prudentia ſua erigere ac ſubleuare ſtuderent, eas inſuper inteſtinis odiis & diſcordiis ciuilibus aggrauarint. quas externorum malorum mœror non modo non extinxit, aut conſopiuit; ſed magis etiam accendit; quibus vnum illud pudendum remedium inuentum eſt, vt, quoniam ipſi per ſe prudentia ſua ſtare non poſſent, ſeſe aliis regendos permitterent.

Alij Regem Gallorum, nonnulli Germanos Principes, quidam Conſtantinopolitanum Imperatorem ad tradendum Genuæ dominium nominabant. Vicit tamen ſententia, vt Ioanni Vicecomiti ſe dederent. *Petr. Iuſtin. hiſt. Venet. lib. 4.*

Ioannem igitur Vicecomitem Archiepiſcopum, ac Principem Mediolanenſem ſibi Dominum aſciuerunt, qui ipſos auctoritate ſua in officio contineret, iis conditionibus, quæ illum verius arbitrum & diſceptato-





rem, quam Dominum, facerent. *Folieta Genuen. hiſtor. lib. 7.*

Non minore ſtultitia peccarunt Genuenſes, cum pacis oblatas conditiones à Legatis Regis Aragonij & Venetis, coram Innocentio repudiarunt. Petrum ſiquidem Regem, Ioannes Vicedominus Aretinus, Caroli Regis Romanorum ab epiſtolis Magiſter, deprecabatur, ad pacis pactiones conditionesque accederet, quæ inter Genuenſes & Venetos, pacificatorio illius interuentu proponebantur. Et quidem Petrus, ſe Innocentij & Clementis Summorum Pontificum reuerentia pacem concupiuiſſe, atque pollicitum eſſe, aſſeuerabat; ſi modo Genuenſes Corſica decederent: cæterum illi detrectarunt. Quamobrem Petrus non modo arma non depoſuit, quin etiam nouam claſſem auxit, Venetosque ad proſequendum bellum incitauit: cum etiam illi magnum ſibi bellum cum Vicecomite inſtare præſagientes, finitimos Principes Carrarium, Scallanum, Gonzagam in fœdus vocaſſent. *Petr. Iuſtinian. ſupra.*

X. Aragonius Rex legatione miſſa ſe Sedi Apoſt. ſubiicit, et iura Regni Sardiniæ eidem addicit, cenſumque ex Regnis Eccleſiæ Rom. debitum dependet.

Miſit hoc anno Petrus ad Innocentium Pontificem, Lupum Gurream, Bernardum Thouſium, & Franciſcum Romanum Legatos, qui de more, Pontifici atque Sedi Apoſtolicæ, Regem ſubiectum, atq; obedientem futurum, iuriſiurandi fide ſancirent, & iura Regni Sardiniæ, ſuprema Eccleſiæ ſtipulatione addicerent. Ex formula Bonifaciana, omnia pacta conuenta, pro Sardiniæ & Corſicæ Regnis, Innocentio iurarunt: literasque Regias aureo ſigillo munitas, Valentiæ die v. Octobris ſcriptas, pro eius ligij homagij fide Romanæ Eccleſiæ dederunt. Miſit etiam idem Petrus Aragonum Rex, F. Ioannem Heredium Caſtellanum Empoſtæ ad eundem Pontificem, qui cenſum ex Regnis iiſdem Romanæ Eccleſiæ debitum dependeret, & Regem anathematis vinculo, propter aliquantiſper dilatam ſolutionem illigatum, abſolui poſtularet. *Surita lib. 3. & ep. Petri hoc anno, in archæo Molis Adrianæ.*

XI. Petrus Rex Caſtellæ in ſuis ſæuitia et crudelitate pergit.

In reliqua Hiſpania, Petrus Rex Caſtellæ, per ſæuitiam & crudelitatem notiſſimus, non adeo libenter Eccleſiæ, & Innocentio Pontifici obſequebatur, ſed cædes cædibus addebat, & libidinatione præpoſtera, cenſuram Pontificiam, & vltionem diuinam ſibi acceſſiebat. Inprimis Alphonſum Coronelium, inter Hiſpanos non poſtremum Principem, nihil tale merentem, Aquilaria vi expugnata, extinxit. Sacris Coronelius operabatur, cum hoſtes intra munitiones irrupiſſe nuntiatum eſt: neq; deſtitit tamen, priuſquam diuina hoſtia ſacrificatum eſſet, mortem adeſſe certus, nulla ſpe veniæ. Captus illico, in quam ſe præſidij cauſa incluſerat, maieſtatis lege pœnas ſoluit. Idem fecerunt quinq; alii ſocii primarii: oppidum mœnium corona nudatum, multitudo conſeruata. Cordubæ, quo ſe Rex Aquilaria capta contulit, Beatrix ex Padillia pellice illi nata eſt. Vnde cum in Carpetanos iret Torrigis municipio,

Vltio diuina.

vltio eum diuina excepit. Cum enim in eis, victoriæ, nataeque filiæ lætitiæ ludicro militari celebraretur, vulnus Regi in manu inflictum eſt, ex quo vitæ diſcrimen adiit, vix vllis medicamentis ſanguine retento. Non tamen ab hoc flagello Rex quicquam emendauit: ſed retinere aliena conſtituit: inq; iis Ioanni Cerdæ Regio Principi bona erepta reſtituere noluit: vi & libidine apud eum dominante. Non alia ratione excuſabat Rex, quam quod magnam eorum oppidorum partem filiæ nuper natæ donaſſet, coniugio dotem, vitæ ſubſidium. Per idem tempus Blanca Borbonia, Narbonenſi Vicecomite proſequente, atq; Friderico D. Iacobi Magiſtro, qui honoris gratia obuiam proceſſerat, Valliſoletum tandem appulſa erat.

Pellicis amoribus æger nouam ſtatim nuptam faſtidit.

Nuptias maturandas Albuquerquius diſputabat: pro auctoritate imperare videbatur; conſilio nonnunquam: Padilliæ propinqui, ne principem gratiæ locum occuparent, haud temere verebatur, dolebatque. Rex parendi ſibi neceſſitatem imponi non ferebat, Padilliæ amoribus æger, & cum annis ſeipſo ferocior, & Albuquerquius minori in gratia eſſe cœperat: vt ſæpe facinorum miniſtri conſultoresque, quaſi exprobrantes aſpiciuntur. Inde illi caſus initium: eo minore populi miſeratione: quod omnium, quæ perperam geſta erant, auctor eſſe credebatur. Nuptiæ III. Nonas Iunii modico apparatu celebratæ, infauſtum fore coniugium pleriſque ominantibus. Auſpices nuptiarum Albuquerquius ipſe, & Eleonora Regina. Vix nuptiarum celebritate peracta, Petrus Rex nouam nuptam faſtidiuit, in Padilliæ amorem effuſus. Et ſi Regiæ ſtirpi compararetur, ignobilis fuit, neq; maiori pulchritudine formæ. Tanti plerumque eſt præpoſteræ animum libidini mancipari. Biduo tranſacto, Montalbani arcem ad Tagi fluminis ripam, vbi amicam antea, nunc pellicem reliquerat, continuato itinere feſtinare parabat: cum Regina mater, Eleonora amita Regis conſilio indicato, eum remotis arbitris per omnia numina, & quicquid in terris ſanctum eſt, ne ſe, Regnum, fortunas, nominis exiſtimationem præcipiti temeritate perditum iret, profuſis lachrymis obteſtantur. *Quid Orbi ſermonem Gallis iniuriam non laturis arma ciuibus diſſidiorum materiam daret? Ignorare videlicet, integra probitatis fama, humana Imperia conſtare, quos deſtitui à numine, quibusve infenſum cœlum eſſe ſemel fuerit perſuaſum in eos homines, malaq; omnia quaſi facto agmine impetum dare. Lectiſſimæ coniugis luctu moueretur, eiuſq; amore fœdam libidinem commutaret, neque flagitio in exitium rueret.* Ad has ille voces nihil moueri: inde negare tantum ſibi id eſſe propoſitum, mox clam adductis iumentis fugienti ſimilis diſceſſit.

Monetur Rex a Cardin. Toletano.

Vnus Egidius Carrillius Toletanus Præſul, priſci moris vir, monere ſalubria non deſiſtebat, literisque Regem caſtigare. Iam enim ille, ſtatim atque Petrus Regnum iniiſſet, venia diſcedendi impetrata, in Galliam ſeſe contulerat, & à Clemente VI. in Cardinalium numerum cooptatus, atque hoc anno in Italiam Legatus ab Innocentio Pontifice fuerat deſtinatus, vt verbis non potuerit inſolentem arguere. Grauis tamen Regi quamuis per literas fuit, mirum eſt, qui Petrus, miſſo Ordonio Garſia familiari, ab Innocentio contenderit, ne propter negotia ſua fineret Egidium Auinione abeſſe: neve illum in Italiam deſtinaret. Incertum, an vindicias, an vero ſuppetias de Egidio Rex expeteret, cum ab Innocentio poſtulabat, qui vellet Egidium ab ea Legatione auocare, & Auinione ſubſiſtere gratia negotiorum Regiorum. Excuſauit Innocentius, *data ep. 162.* ſe id præſtare non potuiſſe: quod ea reuocatio maximo Eccleſiæ damno, pariterque probro futura eſſet, quod iam maiorem partem bonorum Eccleſiæ tyranni occupaſſent, quæ nullus alius præter Egidium recuperare potuiſſet. Regem non niſi ſuo commodo de Egidio cogitare: neq; Padilliæ amoribus renuntiare cupere: cum is ſumma Procerum contentione, ad nouam nuptam vix reuocatus, non amplius biduo apud eam ſubſtiterit; tanta impudici amoris impatientia væſaniaque, vt iniectam carminibus amentiam fama vulgauerit, zona Iudæi cuiuſdam arte medicata draconis ſpecie regiis oculis obiecta. Cum tamen ſit, vbi tetri amoris flamma pectori inſederit, non alia phildra amatoria quærenda, neque alias offenſionis cauſas præpoſtere excogitandas: vt iuuenis animus in furorem agi, & de poteſtate mentis exiiſſe videatur. Quibuſdam ſuſpicio, temeraria ſane & impudens fuit, Regem non ſine cauſa à Blanca vxore alienatum, vitiumque illi à Friderico fratre illarum: natumque ex eo commercio Henricum, quem Columba Iudæa Hiſpali nutrice educatum, Henricorum familia nobiliſſima auctorem generis nominat, Regio inſerti, à Regioq; deducti. Res tamen eſt, Mariæ Padilliæ amoribus irretitum, Blancam faſtidiuiſſe. Nam ab hac Valliſoleto fugiens, Olmedum abiit, eodemque Maria Padillia eius accitu Toleto venit: coniugis Reginæ nulla amplius neq; memoria, neque miſeratione. Illa infelix Regina, Medina Campeſtri, vbi cum Regina Maria ſocru honeſtis ſolatiis vitam tolerabat, prius propemodum vidua, quam coniux, Areualum, iubente Petro, ducta eſt, ſublato etiam ſermonis cum ſocru, aliisque Prin-

Regina amovetur, et Pellicis propinqui Regem ac Regnum gubernant.

cipibus commercio. Petrus Gudiel Segobienſis Epiſcopus, Tellius Palomechius ciuis Toletanus cuſtodes adhibiti, minime fugituræ: aulæ inſuper miniſteria mutata: cum ſe Rex & Rempublicam Mariæ propinquis gubernandum tradidiſſet; quorum arbitrio belli & pacis conſilia gererentur. Inter hæc proceres, ipſique Regis fratres tempori ſeruire, atq; ad fortunæ motum ſe mouere, & ad Mariæ gratiam, donis, officiis, aſſentatione aditum certatim captare; quod viderent Alburquerquij odio Regem flagrare, multosq; regulos ab illo honoribus ornatos ſpoliari. Sic ſunt rerum humanarum vices: nihil inſtabilius inconſtantiusq; Regum gratia, præſertim malis artibus parta. *Mariana de reb. Hiſp. lib. 16. c. 18. & ep. Innocent. hoc anno 162.*

XII. Regem admonet Innoc. Pp.

Quo tempore Blancha apud Mariam ſocrum honeſte habebatur, non omiſit Innocentius illam Mariæ per literas commendare, atque Petrum Regem ad verum coniugij amorem hortari, datis literis Petro & Mariæ, Auinion. Cal. Maij. Ad IIII. porro Idus Auguſti, apud Villam-nouam data epiſtola Pontifex excuſauit, quod Egidium reuocare non poſſet: promiſit tamen negotia Petri cordi habere, ſiue ea Ordonius, ſiue quiuis alius Orator proponeret. *ep. Innocent. hoc anno.*

XIII. De Petri Regis et Blancæ Reginæ negotio historia ex Sanctio.

Rodericus Sanctius ex Ptolemæo Lucenſi, eam de Petri & Blancæ negotio hiſtoriam mutuatus, iſtis verbis tradit:

Petrus arte magica in odium Reginæ devenit.

Petrus Blancam Reginam tenerrime dilexit, velut quæ venuſtate corporis & morum integritate pollebat; ſed (vt aiunt) inimico humani generis procurante, implacabile odium poſtea contra Reginam innocentem conceperat, maleficiatus (vt creditur) induſtria Mariæ de Padilla, quam prius concubinam dilexerat. Nam illa videns per Regem contemptui ſe habitam, machinata eſt per tritos in arte magica Regem ipſum in Reginæ odium adducere. Quam rem per certa maleficia Dæmonum quidā Iudæus ſe facturū obtulit, qui etiam ſingulari odio contra eandem Reginam conſpirauerat, pro eo, quod deuotiſſima Catholica Regina apud Regem effecerat, ne Iudæi in Regis curia fauores, officia, & honores obtinerent. Quinimo apud eundem Regem pene concluſerat, vt omnes Iudæi, vt in Francia factum erat, ex Hiſpania pellerentur. Modus autem inducendi odia per maleficia (vt aiunt) talis fuit: Donauerat Regina Petro auream zonam pulcherrimam, multis gemmis & pretioſis lapillis ornatam, quam Petrus Reginæ amore ſæpe deferebat. Maria vero Padilla callide operata eſt, vt zona illa ad manus magici Iudæi aliquando perueniret, quam hic tali maleficio affecit, vt, dum quadam feſtiua die Rex illa præcingeretur, à cunctis intuentibus, atque à ſeipſo, non zona aurea, ſed quodam horribili ſerpente præcinctus videretur. Ibi Rex merito perterritus, cum quæreret, quidnam illa res eſſet, à nonnullis Reginæ æmulis reſponſum eſt, zonam Reginæ talem pulchritudinem peperiſſe. Ex hac hora Petrus infeſtiſſimam Reginam habuit, nec amplius illam videre, aut cum ea conuerſari voluit: quinimo adeo contra eam inflammatus exarſit, vt proceſſus aduerſus eam formari iuberet. Henricus, & reliqui fratres Petri conati ſunt nedum Reginam defendere, ſed etiam, vt ad maritale conſortium reduceretur, efficere. Sed eo magis animus ſui natura ſæuus ad iram & vindictam prouocabatur. Itaque non paucos Prælatos & nobiles à Regno fugauit, aliosque gladio percuſſit, ac totum Regnum ſanguine nobilium cruentauit, nec non implacabili diſſidio conturbauit. Ea re ad Innocentium VI. delata, Guillelmum S. Mariæ in Coſmedin Diaconum Cardinalem Legatum in Hiſpanias deſtinauit, vt Regem cum Regina & Magnatibus conciliaret. Cæterum Legatus Regem implacabilem inflexibilemque reperiens, parum profecit. Ita tum in Hiſpania euenit illud Nahum Prophetæ vaticinium: *Ecce corruet ciuitas propter fornicationem meretricis ſpecioſæ & gratæ, habentis maleficia, quæ venit ad gentes & familias in maleficiis ſuis.* Quod zonæ mutationem in aſpectu attinet, *Nemini dubium eſt*, ait S. Auguſtinus, lib. 18. de ciuit. Dei, *arte Dæmonum effici poſſe, vt videantur eſſe, quæ non ſunt, non quidem realiter commutando, ſed phantaſiam hominis alterando: quæ etiam cogitando per rerum innumerabilia ſigna variatur: & cum corpus non ſit, tamen ſimiles mira celeritate formas capit, ſopitis ac oppreſſis hominum ſenſibus: ad ſenſuum aliorum neſcio quo ineffabili modo figuram corpoream poſſe produci.* Referunt hiſtoriæ, eundem Iudæum, ac tanti ſceleris complices, paulo poſt ab eodem Petro, propter alias cauſas iuſto gladio cæſos fuiſſe, vt verum ſit illud Ezechielis: *Qui oderit ſanguinem innocentem, ſanguis perſequitur eum.*

Petri Regis corruptissimos mores Rex pater prævidit, et prædixit.

Petri Regis corruptiſſimos mores præuidiſſe, & prædixiſſe ferunt Regem Alfonſum patrem. Cum enim peſte percuſſus moreretur, & Proceres, cui illos commendatos relinqueret, perquirerent: ille ſenſum verborum perſpiciens, quaſi vellent dicere: *Si Petro tuo filio nos commendas, gladio nos committis*: reſpondit: *Deo ſummo Regi vos committo.* Cum vero etiam ſciſcitarentur, *cui Petrum committeret*: Ille ingemiſcens, *Vobis*, inquit, *ſi bonus erit: ſed id me pluris, quàm mors, angit. Cum enim, qualis futurus ſit, non ignorem, doleo acerbiſſime, talem vobis relinquere hæredem & Dominum, qui meliorem vobis filium dimiſiſſe optarem.* Subdidit: *Licet enim Adriani Cæſaris ſententia fuerit: quia ſucceſſorem nemo odit: ego fateor, Petrum vt filium diligo, vt ſucceſſorem non amo, nec vt Regem futurum lætor.* Hæc Alfonſus de Petro, qui initia Regni ſui tyrannide & laſciuia defœdauit. *Roderic. Sanctius hiſtor. Hiſpan. part. 4. cap. 13. 14.*

XIV. Vltio Regiæ foeminæ de viro suo sumpta ob vim antea sibi illatam.

Atrocius quiddam in thoro geniali, hoc anno, apud principes Regios Neapoli perpetratum eſſe video. Robertus, Hugonis Comitis Auellini filius, Mariam Caroli Dyrrachiani Ducis relictam, & Ioannæ Reginæ Sobrinam, in matrimonium per vim ſibi coniunxerat: ac propterea à Ludouico Siciliæ Rege, cæſo patre, ipſe quoq; in vincula datus erat. Conabatur Innocent. hominem liberare, & inter illum atq; Reges pacem conciliare. Cæterum fruſtra operam impendebat, quod & Maria indigne ferret contumeliam ſibi à Roberto illatam, & Reges amplitudinem dignitatis Regiæ contemptam vindicare cogitarent.

Vlta eſt Maria, Ludouico & Ioanna, ſiue conniuentibus, ſiue adeo iubentibus iniuriam acceptam. Namque pugione arrepto, quatuor ſatellitibus comitata, in ergaſtulum, vbi Robertus vir detinebatur, acceſſit: & cum inprimis præpoſteram libidinem illi exprobraſſet, tum deinde indignum ſe ſuo matrimonio addidiſſet, quatuor illis apparitoribus, quos ſecum adduxerat, vt proditorem ſanguinis ac honoris Regij confoderent, iniunxit. Aliquot ictibus confoſſum, per decipulam in mare piſcibus eſcam proiecerunt, capite à ceruicibus reciſo. Ad hunc modum ille pœnas vltori Deo dependit, quod vim ſeu ſtuprum Regiæ fœminæ intuliſſet. *Villani lib. 3. cap. 66.*

XV. Donationes in præiudicium Eccles. factas revocat.

Inter hæc Robertus, dictus Imperator Conſtantinopolitanus, vna cum aliis principibus Regiis ex Hungaria reuerterat. Contra illos ne quicquam Ludouicus & Ioanna molirentur, neve etiam illi aliqua iniuria prouocati, vicem Regibus rependere deſignarent, Innocentius Pontifex curauit: & tum Regibus Principes commendatos fecit, tum Principes officij erga Reges admonuit, dat. literis *III. & II. Calend. Ianuarij Auinione.*

XVI. Quæsitorem contra hæreticos in Regno Siciliæ emergentes destinat.

Per id temporis Ludouicus & Ioanna à Regno Siciliæ multa detraxerant, quæ plurimis perſonis donatione perpetua conceſſerant. Has donationes, quod Eccleſiæ iuribus præiudicarent, Innocentius reuocauit, & arrogauit. *apud Villam-nouam 6. Idus Maij.* Cæterum cum filios Caroli Dirrachij Reges adhuc in poteſtate haberent, voluit Pontifex, vt eo Ludouico patruo reſtituerent, qui eorum curam haberent. *Auinion. III. Non. Octobr.*

XVII. Principes Regios ex Hungaria redeuntes, Regibus commendat Innoc.

Indidem in Regno Siciliæ nonnihil periculi emerſerat Fidei Orthodoxæ, à nonnullis hæreticis. Horum multitudo è montanis Ebredunenſibus, in qui-

bus



bus diutius latuerant, Inquiſitorum Fidei ſeueritatem refugiens, in extremam Calabriam confugerat, populumq; ſimpliciorem inficere inceperat. Aduerſus perfidos Innocentius, F. Alexandrum Padulam Dominicanum Quæſitorem hæreticæ prauitatis deſtinarat: vniuerſumque Regnum Siciliæ cenſuræ illius ſubiecerat. Hunc in perſequendis impiis conſtantiſſime laborantem, vt Ludouicus & Ioanna Reges conſilio & auxiliis opportunis adiuuarent, Pontifex præſcripſit. *VI. Id. Ian.*

XVIII.

In Germania, Carolo Regi Romanorum, omnia hoc anno feliciora. Namq; multæ vrbes in eius poteſtatem ſponte concedebant; quod viderent manſuetudine & miſericordia ingenti præſtantem, Robertum Ducem in Marchia Brandeburgenſi à Duce Saxoniæ captum, inter alios multos, cum caſtigare ſeuerius potuiſſet, in libertatem aſſeruit. Moguntiam Carolo venienti, clerus & populus, prælato vexillo crucifixi occurrit, vindictamq; de Henrico ex Archiepiſcopo, & Cunone Falkenſtenio eius Procuratore, qui nimium illis graues erant, expetiit.

Vltio divina in Henr. exantistitem Mogun. et Guilielmum Pannoniæ Regis fratrem.

Secuta eſt diuina vindicta oppreſſorem populi Henricum. In peruigilio enim Natiuitatis Dominicæ, ſubitanea ac improuiſa morte extinctus, pœnas dedit flagitiorum, hæreſis, tyrannidis, & imprimis contemptus Pontificiæ auctoritatis. Non minus vltorem Deum expertus eſt Guillelmus Regis Pannoniæ frater. Is enim poſt matris obitum incidit in furorem, ex diuina vindicta, quod arbiter ſuper diſſenſione inter Ducem Brabantiæ, & Comitem Flandriæ electus, cum ſuper Sacramento Euchariſtiæ ſolenni ritu iuramento ſeſe aſtrinxerit, ſententiam iuſtam ferre, pecunia corruptus tuliſſet iniquam. *Rebdorff. in Annalibus.*

XIX. Diversæ Innoc. Pp. res gestæ.

Indulſit hoc anno Innocentius Carolo Regi, vt Abbas Monaſterij Pragen. S. Ambroſij, ex formula Ambroſiana poſſet diuina officia vna cum Monachis celebrare: & inter eadem, Pontificia ornamenta, annulum, infulam, & pedum deferre. Conceſſit & Sacerdoti cuicunque, ſuper altari, in quo ſacræ Imperiales reliquiæ exponerentur, vt mitratus poſſit diuinam hoſtiam offerre. *ep. 166.* Cæterum, cum Vratiſlauienſis Epiſcopus ab Eccleſia Gneſnenſi, quæ Metropolis Poloniæ eſt, ſeparationem poſtularet, idemq; negotium Carolus Rex perurgeret, diſerte Innocentius negauit, quod Rex Poloniæ Caſimirus & Archiepiſcopus Gneſnenſis diceret, ſui iuris eſſe Eccleſiam Vratiſlauienſem. Ita ſpe ſua fruſtratum Epiſcopū, Pontifex Auinione diſcedere iuſſit, & factum apud Carolum excuſauit. Miſerat & Abbatem Opatouicenſem Carolus Rex Oratorem, qui Innocentium officij in adminiſtranda Eccleſia, & Italia pacificanda admoneret. Hunc Pontifex benigne audiuit, nihilque ſibi poſt Deum, reformatione morum, & florentiſſima pace melioris partis orbis reſpondit: vtq; pro munere paſtorali vtraq; poſtliminio reuocaretur, in ſe recepit. Quod pacem Italiæ attineret, ad eam conciliandam, Egidium Carillum Cardinalem in Italiam deſtinauit, vniuerſisq; Principibus & Rebuſpublicis Italiæ præſcripſit, qui Legato concordiam inſerere inter diſcordes cupienti obſequerentur. *ep. dat. apud Villam nouam Cal. Aug.* Vt autē mores per id temporis corruptos, ad integritatis Chriſtianæ formam conformaret, contra homicidas, luſores, impoſtores, meretrices, hæreticos, & id genus flagitioſos homines multa ſaluberrime conſtituit: publicatis edictis *apud Villam nouam, Idibus Iulij, & IV. Cal. Aug. & ep. 10.* Germaniam plurimi hæreticorum dogmate peſtifero inficiebant. Aduerſus eos Pontifex, pro die Cœnæ Dominicæ anathema tulit: & tum Carolo, tum Prælatis, Principibusq; Chriſtianis iniunxit, qui auxilio Quæſitoribus Fidei in eos animaduertentibus eſſe vellent. *ep. 167.* Orientales Chriſtiani à Turcis bello premebantur, & ſubſidia bellica ab Innocentio flagitabant. Hos vt Pontifex iuuaret, tertiam partem decimæ ex omnibus fructibus Eccleſiarum Galliæ, Germaniæ, Boemiæ, Græciæ, & aliam XXIII. Prouinciarum Præfectis Eccleſiarum impoſuit, Calend. Decemb. adq; illam in Germania exigendam Ioannem Patauinum Epiſcopum Nuntium & Collectorem Sedis Apoſtolicæ deſtinauit: vtque illum Carolus Rex in tam ſancto negotio adiuuaret, perſcripſit. Ioannes Cantacuzenus, vt ſibi & filiis aduerſus Ioannem Palæologum Imperatorem Imperium firmaret, vnitatem Eccleſiarum Orientalium cum Romana pollicebatur. Eum itaq; hoc anno Innocentius, vt & ipſe ad gremium Romanæ Eccleſiæ quantocyus reuerteretur, & clerum populumque ſchiſmate præciſum ſecum adduceret, datis literis hortatus eſt. Idem negotium Ioanni Palæologo Imperatori & Annæ eius matri relictæ Andronici nec non Ioanni Aſani ſerio commendauit. Porro quod Smyrnenſes in maximo diſcrimine inter Turcas verſarentur, Magiſtro Rhodianæ militiæ Pontifex imperauit, vt illis præſto eſſet, neq; eos à Turcis opprimi ſineret. *dat. ep. 3. Decembr.* Philadelphienſes non in minore periculo erant, à Turcis ferro & flamma Orientem vaſtantibus. Itaq; vt rebus ſuis conſulerent, Emanuelem Magulam Presbyterum, & Emanuelem Theodorucanum ciuem, ad Pontificem Oratores miſerunt, qui ſuppetias poſtularent, & reuerſionem ad Romanam Eccleſiam pollicerentur. Pollicitus eſt ea Pontifex, ſi modo prius ad Eccleſiam reuerterentur. Hæ ſunt epiſtolæ, quas Innocentius Cantacuzeno, Aſani, & Philadelphienſibus ſcripſit.

I.

XX. Hortatoria epistola Innoc. Pp. ad Cantac. pro Ecclesiarum vnione.

Ioanni Cantacuſeno Imperatori Græcorum Illuſtri, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

*Affectionem, quam habere monſtraris ad vnionem Latinorum & Græcorum Eccleſiarum auctore Domino faciendam, adhuc in minoribus conſtituti, nuntiorum tuorum, quos ad Sedem Apoſtolicam felicis recordationis Clementis Papæ VI. prædeceſſoris noſtri tempore propterea deſtinaſti, relatione cognouimus, & literæ tuæ aureæ bullæ magnitudinis tuæ appenſione ſignatæ, quas eidem prædeceſſori direxeras, ac nobilis viri Nicolai Sigero Prætoris populi Romaniæ tranſmiſſæ nobis ad Apoſtolatus apicem iam aſſumptis, recentiori quadam memoria indicarunt: ex quo ingentis lætitiæ rore perfuſi, Redemptori noſtro, qui hunc tibi formauit animum, & infudit affectum, debitas laudes referimus, & vberes gratiarum exſoluimus actiones, ſperantes, quod ipſe lapis angularis abſciſus de mente ſine manibus, qui parietem vtrumque connexuit, & qui concordiam in ſublimibus ſuis parat, affectioni tuæ tam ſalutari, tam vtili, efficacis promotionis operam dono ſuæ gratiæ ſociabit, & dabit promotionis inſtantiæ fructum anxie à Chriſti fidelibus concupitum. Et ideo Serenitatem tuam rogamus & obſecramus in Domino, tibi in remiſſionem tuorum peccaminum ſanis conſiliis ſuadentes, quatenus prudenter conſiderans, quod probatio affectionis cuiuslibet ipſa exhibitio operis eſt, & quod vnumquodq; opus ab exitu denominatur, attendens, quodq; currentes in ſtadio niſi poſt conſummationem inſtantis curſus acceptione brauij minime præmiantur, affectionem tuam huiuſmodi effectu operis impleas, & ad vnionis huiuſmodi perfectionem votiuam operarias manus ſublato præiudicio moroſæ dilationis appanas, vt eo, cuius in hac parte negotium agitur operationibus tuis infundente gratiam & præſtante virtutem, negotium ipſum ad optatæ conſummationis exitum perducatur, tuq; in præſenti thronum tuum fortius robores & ſtabilias firmiter, ac in futuro cum vniuerſo populo tuo, cui ad æternam vitam ducatum præbes, & vehiculum præparas, ad ſancta ſanctorum purificatis introire mentibus merearis.*

II.

XXI. Alia similis ad Assanos.

*Dilectis filiis nobilibus viris Ioanni Aſſani, & Ioanni Aſſani militibus Conſtantinopolitanis gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

*Dilecti filij Leonardi Bartholomæi de Ancona ciuis Conſtantinopolitani exhibitoris præſentium, & aliorum plurium grata nobis relatione comperimus, quod miſericors & miſerator Dominus ſic tetigit corda veſtra, ſic Sancti Spiritus vnctione perfudit, ſicq; ſui veri luminis ſplendore illuſtrauit, vt ad cognitionem & amplexum Catholicæ fidei, quæ velut indiuiſibilis ſciſſuram non admittit aliquam, ſic accendit, vt Eccleſiæ Græcæ variis compatientes erroribus, quibus eam fallax ille deceptor, qui primum ſchiſma ſuſcitauit in cœlo ſuper inducto ſchiſmate implicauit, ipſius ad gremium Sanctæ Romanæ Catholicæ ac vniuerſalis Eccleſiæ, cuius fides ſupra firmam petram, quæ Chriſtus eſt, firma*

*conſiſtit,*

*conſiſtit, reditum & vnionem deſideretis attentius, & velut Dei athletæ feruenter & ſtrenue cum omni ſolicitudine procuretis. De quo prorſus gaudiis exultantes in Domino, & inde ſibi vberes laudes & gratias referentes, ac piæ mentis veſtræ ſtudia multipliciter commendantes, in ipſo nobilitatem veſtram monemus, requirimus, hortamur, & rogamus attentius, ſinceris vobis affectibus ſanisq; conſiliis ſuadentes, quatenus prouide intuentes quod vniuſcuiuſque opus commendatur ab exitu, & quod ſicut currentes in ſtadio ſi perſeuerantes fuerint victoriæ compotes acceptione brauij præmiantur, ſic Omnipotens Deus retributor iuſtus & verax, cuius opera perfecta ſunt, militantes ſibi, quos perſeuerantiæ virtus ad victoriam vſque perduxerit laurea æternæ ſcilicet & immarceſcibilis gloriæ retributione coronat, ad tam ſalutaris, tamq; accepti Redemptori noſtro negotij conſummationem votiuam, cum omni ſolicitudine ac ſolertia efficacis promotionis operam impendatis, vt eo, cuius negotium agitur, operationibus veſtris præſtante virtutem, antiqui hoſtis confundatur iniquitas, & inueterati rubigo ſchiſmatis deleatur, ſicq; eidem Eccleſiæ Græcorum lumen veræ fidei eluceſcat, & vtrique populo, Latino ſcilicet & Græco, vna ſit fides mentium, vna pietas actionum, voſq; operum veſtrorum mercedem præter cœleſtis regni gloriam, fauoris Apoſtolici plenitudinem, quam vobis proinde pollicemur, conſequi valeatis.*

### III.

XXII. ALIA PHILADELPHIENSIBVS IN EANDEM MATERIAM.

Clero & populo Ciuitatis Philadelphiæ veram fidem agnoſcere, & agnita cuſtodire.

*Felicis recordationis Clemente Papa VI. prædeceſſore noſtro adhuc in humanis agente, venerunt ad Sedem Apoſtolicam Emanuel Magula Referendarius Eccleſiæ Philadelphiæ, ac nobilis vir Emanuel Theodorucanus miles Philadelphiæ Nuntij & Ambaſſiatores veſtris & hoſtilibus perſecutionibus ac impugnationibus grauibus, quibus infidelium Turcorum nefanda crudelitas & ſæua impietas vos inceſſanter afflixerant, & inhumaniter affligebant, inſinuatione prouida recenſitis, eidem prædeceſſori humiliter & lachrymabiliter ſupplicarunt, vt ipſe ad vos pietatis ſuæ viſcera clementer aperiens, aduerſus eorumdem Turchorum ſæuitiam vobis opem ferre ſalutaris auxilij dignaretur, offerentes pro parte veſtra eidem prædeceſſori, quod vos Ciuitatem veſtram, nec non caſtra fortalitia Ciuitatis ipſius, & alia, quæ poſſidetis, ac vos ipſos quoad temporalia, ſubiiceretis, & daretis eidem prædeceſſori, & Sanctæ Romanæ ac vniuerſali Eccleſiæ in perpetuum iure dominij: & quod illi, vel illis, quem, vel quos idem prædeceſſor deputaret, ad id prædeceſſoris & Eccleſiæ prædictorum nomine in huiuſmodi temporalibus pareretis. Idem vero prædeceſſor huiuſmodi miſerabili & calamitoſo ſtatu veſtro, non ſine affectu multæ compaſſionis audito cogitabat anxie, qualiter vobis non ſolum temporaliter, ſed & ſpiritualiter ſubueniret, vt iniquis Turcorum ipſorum conatibus in virtute Domini ſuperatis, & abdicatis erroribus, quibus antiquum ſchiſma vos à gremio ipſius Eccleſiæ, extra quam nulli eſt gratia, nulli ſalus, ſeducente illo, qui primum ſchiſma ſuſcitauit in cœlo, fecerat alienos, ſicut temporalibus adiuti ſuffragiis triumpharetis de temporalibus hoſtibus, ſic readunati ſpiritualiter fidelium cœtui; & velut pecudum more vagantes in caulam Domini, ipſam ſcilicet Eccleſiam congregati æternos cruciatus etiam neſciretis. Sed quoniam ille, qui viuificat & mortificat, quiq; ducit ad inferos, & reducit, terminos, qui præteriri non poſſunt, ipſius prædeceſſoris vitæ conſtituens, eum de tenebris mundi huius æternam vocauit ad lucem, cogitatus ſuus, quem ſuper hoc in Domino ipſe inſtauerat, effectum debitum habere nequiuit. Eodem itaque prædeceſſore in Domino quieſcente, nos, permittente Deo, licet inſufficientibus meritis ad apicem Apoſtolicæ dignitatis aſſumpti, huiuſmodi negotio neceſſariam & vtilem proſecutionem deeſſe nolentes, & attendentes, quod, iuxta doctrinam Domini ſalutarem, regnum Dei primo quærendum eſt, vt adiiciantur omnia poſt hæc nobis, Nuntios & Ambaſſiatores ipſos coram nobis & Fratribus noſtris eiuſdem Eccleſiæ Cardinalibus perſonaliter accerſitos interrogauimus: Vtrum ſuper ſpiritualium negotio, ſcilicet ſuper abiuratione ſchiſmatis & errorum, nec non recognitione Primatus ipſius Eccleſiæ, ac regreſſu veſtro libero, puro, ſimplici, & effectuali ad ipſius vnitatem Eccleſiæ haberent aliquam poteſtatem. Cumq; ipſi dicerent, ſe ſuper hoc poteſtatem aliquam non habere: nos attendentes, quod ſalus corporibus firma eſſe non poterat, quorum animæ languoribus prægrauatæ ac tenebrarum caligine obſitæ, ipſum verum lumen de lumine, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, vera & irrepercuſſa non poſſunt acie intueri, cum eiſdem Fratribus noſtris deliberationem ſuper hoc habuimus diligētem, & demum, licet noſtra & omnium Fratrum ipſorum corda ſuper tot tantiſque afflictionibus veſtris multa fuerint pietate commota, & ad impendendum vobis ſuper eis auxilium, noſtra & eorum vota communiter reſediſſent: tamen vtilius, imo neceſſarium amplius viſum fuit, vt prius negotium ſpiritualium huiuſmodi ſoliditatem reciperet, quam vobis auxilium temporaliter præberetur. Sperantes igitur, quod illius ſpiritus, qui, vbi vult, ſpirat, ſpiramine inſpirati, animarum veſtrarum ſalutem protectioni & defenſioni corporum præferatis, & quod illa inſpirationis veſtræ principalis intentio fuerit, vt cum tuitione corporum ſaluationem quoque animarum ſalubriter peteretis: & confiſi etiam, quod ille, qui vobis hunc pietatis ſuæ rore infudit & inſpirauit affectum, vos efficacia virtutis ſuæ in eo conſtanter & ſolide roborabit, vniuerſitatem veſtram requirimus & hortamur in Domino, illam attentius deprecantes, ac ſanis vobis conſiliis ſuadentes, quatenus attendentes, quod ille princeps cœleſtis exercitus, ille dux ætherei principatus, in conſpectu cuius non eſt differentia in multis liberare, vel paucis, ſi, relictis omnium errorum & ſchiſmatum tenebris, ad Catholicæ ac indiuiſibilis fidei limpidam veramq; lucem, & vnitatē Eccleſiæ prædictarū puris cordibus & ſinceris mentibus redeatis, paucitatē veſtram aduerſus multitudinem Turcarum ipſorum, eo fortificabit robore, eaq; fortitudine roborabit, quod, ipſo præſtante, vnus veſtrûm mille perſequetur ex illis, & duo decem millia tranſmouebunt. Prædictos, qui ad vos de noſtro beneplacito reuertuntur, vel alios nuntios veſtros cum pleno & ſufficienti mandato, ad abiurationem & recognitionem huiuſmodi, pure, ſimpliciter, & abſq; omni velamine faciendas, ad nos cum omni celeritate ac feſtinantia remittatis, vt eis regredientibus ſuper hoc ſufficienter, vt præfertur inſtructis & opportuna poteſtate munitis, ad conſummationē votiuam, felicem, & proſperam tam ſalutaris negotij debita proſecutio ſolicite impendatur, ſicq; vobis ipſius veræ fidei verū lumen reſplendeat, & ſicut ſpiritualiter, ſic & temporaliter vobis à Domino per noſtrum miniſterium ſalus fiat. Intendimus enim eo caſu ad vos, fauente Deo, trāſmittere aliquos viros, timētes Deum, & in ipſius lege plenius eruditos, quorum ſana doctrina errores confutare quoslibet, & ad veram ipſius fidei notitiam recto tramite venire poſſitis. & nihilominus proponimus ſic vobis, quātum cum Domino poterimus cōmode præſtare temporaliter auxilium & fauorem, quod in virtute dextera eius, qui Pharaonem Dei populum perſequentem, & ipſius exercitum demerſit in mare, Turchorum ipſorum compeſcetur audacia, comprimetur furor, contereretur iniquitas, & doloſis machinationibus ſuperatis, conatus improbi elidentur: ſicq; vobis erit ſicut animarum, ſic & corporum pax & quies. Dat. Auinion. XIV. Cal. Febr. anno 1.*

XXIII. LEGATIO IMP. CONSTANTINOP. AD CAROL. ROMAN. REG.

In hunc modum Innocentius Philadelphiis, Aſſanis, & Cantacuzeno reſpondebat, quo tempore, cum Carolus Rex Comitia Principum, de reformanda Eccleſia, deq; rebellibus Eccleſiæ & Imperio domādis, Vormatiæ celebraret, venit ad eum quidā Archiepiſcopus, vir præſtans corporis & animi dotibus, Legatus Imperatoris Conſtantinopolitani, qui amicitiam pacemque petiit, attulitq; regia dona Carolo. Egit cum eo Carolus quamplurima de Turcarum viribus & conſiliis, & de rationibus, quibus ei poſſit reſiſti. Namque Legatus eum incenderat cupiditate & ſtudio arma capiendi contra Turcas. Super ea re ſcripſit Carolus Innocentio Pontifici, admonēs, vt in Italia, Gallia, & Anglia pacem componeret, ac omnes Chriſtianos Principes contra hoſtes fidei animaret, neq; eos inter ſe dimicare pateretur. Namque etiam hoc tempore graue bellum fuerat Ioanni Gallorum Regi cum Edouardo Anglo. Anglus quoque Pontificem Romanorum deſpiciebat, inque Eccleſiis Anglicanis pro animi ſui arbitrio dominabatur, neque quiſquam audebat vel nominare Romani Pontificis auctoritatem. His Regibus conciliandis, & libertati Eccleſiaſticæ conſulendæ, Innocentius Guidonem Epiſcopum Portuenſem Cardinalem Legatum deſtinauit, & tum Regibus concordiam ſuaſit, tum Reginas, Prælatos, & Principes, vt Reges ad eam ineundam inducerent, hortatus eſt. *Ep. Non. Ianuar. & 7. Cal. Febr. Henricus Mutius Chron. Germ. lib. 25.*

Quis



XXIV. LITERÆ INNOC. PP. AD CANTAC. QVIBVS IPSVM AD VNIONEM ECCLESIARVM ANIMAT.

Quis iſte Archiepiſcopus Imperatoris Conſtantinopolitani fuerit Legatus, Mutius non meminit. extat tamen in literis Innocentij, Ioanni Cantacuzeno ad extremum huius anni ſcriptis, mentio F. Ioannis Ordinis Prædicatorum, Legati eiuſdem Imperatoris: quas literas placuit inſerere ſuis verbis. Ita habent:

### IIII.

Ioanni Cantacuſeno Imperatori Græcorum Illuſtri, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

*Magnitudinis tuæ literas præſentatas nobis per dilectum filium Ioannem Ordinis Fratrum Prædicatorum Ambaſſiatorem & Nuntium tuum latorem præſentium, & ipſum quoq; Ambaſſiatorem conſideratione tua benigne recepimus, & tam eiſdem literis ſerioſe perlectis, quam his, quæ præfatus Ambaſſiator pro parte tua nobis prudenter & prouide reſerauit, diligenter auditis, innotuit nobis deſiderij feruor, & affectionis patuit plenitudo, quibus mens tua indeſinenter exæſtuat, vt inueterati ſchiſmatis purgata rubigine, ac errorum tenebris effugatis, ad vnitatem Sanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ, & agnitionem Catholicæ Fidei, quam Eccleſia ipſa, veritatis Magiſtra, & neſcia falſitatis, tenet, docet, & prædicat, quamq; Redemptor omnium Chriſtus, qui author eſt eius, diuidi non patitur, vna cum populo tibi ſubdito reuertaris; ſicq; tibi & ei ſalubriter conſulens, ducatum præbeas ad ſalutem. Ex quo magnificauit anima noſtra vtique Dominum, & in Deo ſalutari noſtro ſpiritus noſter in eo potius exultauit, quo veriſimiliter credimus, & in eo, qui parietem vtrumque connexuit, confidimus amplius, & ſperamus, quod vnionis vtriuſque Eccleſiæ, Latinæ ſcilicet & Græcæ negotium, in cuius proſecutione multorum prædeceſſorum noſtrorum pia ſtudia quam maxime laborarunt, ad optatæ conſummationis exitum perducetur; ſicq; temporibus noſtris Dominicus Grex, præſtante illo, qui eum nobis paſcendum regendumq; commiſit, antiqui hoſtis ſuperatis fraudibus, vno ſolum Paſtore paſcetur, vno tantummodo quieſcet ouili. Eia igitur, Princeps inclyte, animum robora, fortifica mentem, & conſiderans, quod, teſtante veritate, inchoare non ſufficit, ſed perſeuerare expedit ad ſalutem, quodq; nullus certantium pugilum, niſi compos victoriæ coronatur, opus tam ſalutaris negotij, confiſus in eo, qui imbecillia quæque roborat, & firmat infirma inſtantius operare, imple inchoati miniſterij partes, & in caulam Domini, vbi nec lupi rapacis inſidias paueant, nec rugitus leonis timeant deuorantis, oues congrega oberrantes; fer ad aream Domini manipulorum copiam, vt inde paleis & ariſtis tritura & ventilabro veritatis excuſſis, inferatur in horrea diuina frumentum; firmiter credens, & indubie tenens, quod ab eo, per quem Reges regnant, & curuantur Imperia, & in præſenti quibuſcumque procellarum & tempeſtatum aduerſum te commotis fluctibus nutu ſuæ potentiæ quietatis, ſtatus tui robur, & in futuro æternæ beatitudinis gaudia mercedis præmium conſequeris; quodq; nos, qui vices illius licet immeriti gerimus, tibi velut filio de regione diſſimilitudinis venienti, cum ingenti lætitia apertis brachiis occurrentes, non ſolum ſpiritualibus, ſed temporalibus quoque præſidiis, quantum cum Deo poterimus, te, quod affectu prætendis, effectu operis, vt fiducialiter credimus, exequentem, fauorabiliter perſequemur. Cæterum, quod de promotione noſtra ad apicem Apoſtolicæ dignitatis exultans, affectum tuæ circa nos indicas charitatis, debitas tibi gratias agimus: ſed vnde tibi oritur materia gaudij, inde nos pauor concutit, terret nos inde timor. Siquidem honoris faſtigium, oneris molem habet annexam; ad quam ſupportandam imbecilles nobis humeros intuemur, de propria virtute diffidimus, & de qualitate meriti deſperamus. Sed in eum, qui fuit oneris auctor, ſperantes, adminiſtrationis etiam adiutorem ipſum ſuppliciter exoramus, vt infirmitatem noſtram ſic roboret, ſic noſtros ſuppleat imperfectus, quod, eo præſtante, præfatam Eccleſiam, ad ſui laudem & gloriam, ac ſalutem eiuſdem commiſſi, vt præmittitur nobis gregis vtiliter regere, ac tandem cum ipſo populo, ad Sancta Sanctorum puris introire mentibus mereamur. Dat. Auinion. VI. Cal. Nouembr. anno 1.*

XXV. CANTACVZENI FALLACIA, QVAM VLTIO DIVINA SECVTA EST.

Pollicebatur Cantacuzenus Innocentio ad vnitatem Eccleſiæ venire, ſubditosque populos adducere: ſed non niſi vt Pontificem à ferendis auxiliis Ioanni Palæologo auerteret, Imperiumque ſibi & filio ſuo ſtabiliret. Namque etiam huic rei cum Amurathe in Europam tranſgreſſo ſocietatem contraxerat: quamquam non impune. Deus enim ſtatim vindicauit, iſtum in modum. Rebus Europæis Amurates Sauzem natu maximum filium reliquerat adminiſtratorem, ipſe in Aſiam reuerſus. Hic ſeditione concitata, cum Græcorum nobilium in Europa animos conciliaſſet, deficere à patre cogitans, Andronicum Cantacuzeni filium ſeniorem eo adduxit, vt vterque à patre deficeret ſuo, paternumque regnum teneret, eundemque & hoſtem & amicum duceient, quem alter iuſſiſſet. Præterea, ſi quid ingrueret, alter alteri auxilio eſſe ne cunctaretur. Hæc cum ipſis viſa eſſent, quo maioribus animis obſeruarentur, iuriſiurandi religio vtrinque interpoſita eſt; quibus expeditis, quam commodiſſime ex aperto præparabantur inprimis obſiſtere Amurati, ſi in Europam tranſire conaretur. Vbi de iſtis rebus certior factus fuiſſet Amurates, Cantacuzeno crimen obiecit, quaſi is filio author ſeditionis fuiſſet. Cantacuzenus excuſabat, dicens: *Nequaquam, ô Rex, hanc culpam vere in me reiicies. Nam ſi nunc mihi daretur filius ille meus, quem, ais, adeo impia in te patrare, ſane cogniturus eſſes liquido, quam ardentiſſimis ſtudiis te tuumque Regnum complecterer. Sin autem mihi animaduertendi in filium negotium iniunxeris, ne me adeo dementem fore exiſtimes, vt quicquam gratia repreſſus de pœnæ ſeueritate remittam: præſertim cum is puniendus ſit, qui tibi mihiq; inimiciſſimus & infeſtiſſimus eſt.* Cantacuzenus dicendi cum finem feciſſet, placuit, vt vterque parens ſuum filium ſimili pœna, cum crimen vtriuſque ſimile foret, feriret. Pœna autem erat conſtituta, videlicet, vt vtriuſque oculi eruerentur. Factum paulo poſt. Nam Cantacuzenus infundens filij oculis acetum feruidum, viſum ei ademit: cum etiam Amurates Sauzem filium oculis priuari iuſſiſſet. *L. CH. de rebus Turc. lib. 1.* Ad eum modum Cantacuzenus, vt rebus ſuis conſuleret, nunc iſtius, nunc illius amicitiam exambiebat, & inter hos tam Clementi, quam Innocentio, reuerſionem ad Eccleſiam Romanam promittebat: cum alias nihil minus, quam vnionem cogitaret. Namq; per hæc tempora Ioannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, recte de dogmatis cum Barlaamo ſentientem, Sede ſubmouerat: inque locum illius Patriarcham Iſidorum ſubdiderat: nec non Gregorium Palamam Theſſalonicenſibus Epiſcopum præfecerat, hominem multis erroribus implicatum, & ſacræ vnionis oſorem. Iſidoro quoq; extincto, Calixtum ſuffecerat, eidemq; poteſtatem Synodi conuocandæ fecerat: in quo Barlaamum & Acindynum, ſchiſmatici, diris deuouerunt. Ex his, quæ ipſe Cantacuzenus de ea Synodo aduerſus Orthodoxos facta ſcripſit, non difficile erit cognoſcere veteratorem: qui dolo malo voluerit, Innocentio, & ante eum Clementi, Pontificibus Romanis imponere. Placuit inſerere ad verbum: admonitione tamen præmiſſa, vt caute legantur, & inter has aculeatas ſchiſmatici calami ſpinas, roſæ ſublatentes legantur. Ita nugatur in parte: EX EIVS ACTIS APPARET DOLVS.

XXVI. QVID CANTACVZENVS VETERATOR SCRIBAT, ET DE SYNODO CONTRA ORTHODOXOS DE EIVS LICENTIA FACTA NVGETVR.

*Poſt hæc Imperator confuſionem horribilem, & turbas in Eccleſia excitatas intuens, atque à communione reliquorum diſceſſiſſe Barlaami & Acindyni ſectatores, multoſq; ab iis ſeductos, & illos Eccleſiam peruerſorum dogmatum accuſare, & iudicium poſtulare, tumultuantes quotidie, rogantesque, ad rationem reddendam ſe vocari, Calliſto Patriarchæ, & aliis Epiſcopis, Monachorumq; primariis, quod ſeditioſis ac diſtractoribus illis contraria ſentirent, ſimiliter orantibus Synodum congregari, & dogmata examinari, æquum exiſtimans, non hæc vilipendere, ſed, quantum poſſet, paci conſulere, Synodum agi permiſit: & cum alios Epiſcopos, tum Gregorium Palamam Theſſalonicenſem literis accerſiuit. Quamquam ſtatim ab initio, poſtquam fluctus belli ciuilis reſederunt, totius iam compos Imperij, neceſſarium reputans, quomodo ciuiles, ſic etiam Eccleſiaſticas ſedaret lites atque controuerſias, Gregorium Acindynum adhuc ſuperſtitem, qui cum Barlaamo huic diſſidio auctor & patronus fuit, non ſemel, ſed ſæpius aduocauit; & aduerſarios, ſi quid haberet, manifeſte reos peragere iuſſit: maxime enim ſe, partibus diſceptantibus, veritatem ex mutua contentione elucentem velle cognoſcere. Acindynus ſiquidem ipſe libere loqui non audebat: ſed alios quoſdam farinæ ſuæ allegans, ſuadebat eis nequiter, vt Imperatorem*

turba-

*turbarent, & actionem, tamquam læſi, deq; corruptela rectorum dogmatum falſo accuſati poſtularent, cum potius ſocij Palamæ tales eſſent, & proſcribi mererentur. Quocirca Imperator maiorem Acindyno libertatem impertiebat, hortans, ne ſe occultaret, aut per alios controuerſias ſuſcitaret: ſed palam ac per ſe aduerſariis reſiſtens, aut vinceret, ſi magis pietatem ipſe colere videretur, aut victus corrigeretur; neve impudenter ageret, aliis diſſenſionem à veritate exprobrans, cum in eo ipſemet ſcelus admitteret.*

*Ille, verbis Imperatoris ſibi renuntiatis, percupere ſe, dixit, palam reſpondere aduerſariis; timere autem, ne, ſi publico ſe credat, pœnas repoſcatur eorum, in quibus Patriarchæ Ioanni belli tempore ſubſeruiens, Imperatorem offenderit. Imperator ſtatim edictum proponit, vt Acindynus nihil durius formidans, de dogmatis, quæ vera putaret, citra metum expromeret. Nibilominus ille etiam tanta libertate conceſſa, ſe occulere, & in latebris vſque ad obitum deliteſcere. Poſt hominis obitum, eius ſectæ affines diſſidium excipientes, (Epheſiorum Antiſtite, & aliis, qui ſe throno Patriarchico, quem ſperauerant excidiſſe, indignabantur, accedentibus: quamuis Barlaamum à principio damnaſſent, poſteaq; contra Ioannem Patriarcham & Acindynum fremuiſſent, & omnibus calculis illum de gradu deturbaſſent, ob hoc ſolum, quod Barlaami & Acindyni doctrinam admiraretur,) tumultuabantur, & Eccleſiam criminabantur, quod de dogmatis fidei, quæ Theologi non tradidiſſent, ipſa & honorifice ſentiret, & alios doceret. Idcirco Imperator, coacta Synodo, dogmata in diſquiſitionem adducenda cenſuit. Vbi vndiquaque Eccleſiarum Rectores conuenerunt, & vtraque pars affuit in palatio in Blachernis quæ dicuntur: affuit etiam Cantacuzenus Imperator, & de nobilitate Romana Illuſtriſſimi quique, inq; controuerſiarum quæſtione dies quatuor conſumpti ſunt. Quænam igitur ibi altercationes extiterint Palamæ Theſſalonicenſis Epiſcopi (cum eo enim potiſſimum certamen erat) & Acindynianorum (quorum capita & anteſignani Epheſi & Ganimetropolitæ, Gregoras item & Dexius erant) commemorare hoc loco ſuperuacaneum eſſet. Si cuius ea noſſe intereſt, Tomum ſuper hoc conſcriptum, & ſigillatim omnia recenſentem legat licet, ſat ſuperq; omnia diſcet.*

*Illud tantummodo huic hiſtoriæ inſerendum duximus, Acindyni ſectatores, quaſi in ipſo furto, vt dicitur, cum Barlaamo de Eccleſiæ dogmatibus ſapere, deprehenſos fuiſſe. Quapropter Synodus, Epheſi & Gani Epiſcopos ordine mouendos decreuit: Barlaamum vero & Acindynum à reliquo Eccleſiæ corpore, vt membra morbo inſanabili infecta, nulliuſq; correctionis poſt mortem capacia, manifeſte amputauit. Si quis autem eorum nefaria impietate damnata ad rectam ſemitam rediens, incorruptam Eccleſiæ doctrinam complecteretur, eum ab Eccleſia ſuſcipiendum, & vt membro legitimo ſine vlla præteritorum reprehenſione aut exprobratione prouidendum ſtatuerunt. Qui vſque ad extremum ſpiritum obſtinatus maneret, iiſdem pœnis, quibus Barlaamus & Acindynus, multaretur. Secundum hæc, Tomus tertius, duobus prioribus eſt additus.*

*Nam ille poſt Ioannis Patriarchæ abdicationem conſcriptus, (cui etiam Patriarcha Hieroſolymorum ſubſcripſit) Barlaami & Acindyni ſceleratam impietatem, & germanorum dogmatum corruptionem detegit (quam ob cauſam & Ioannes Patriarcha Sede ſua depulſus eſt: quod nimirum cum Barlaamo ſentiret) & primus poſt dijudicationem Andronici Iunioris Imperatoris compoſitus, quando & Patriarcha Ioannes Synodo præſidebat, quem & ipſe manu ſua ſubſignauit, non ſolum Barlaamum & Acindynum, vt iniuſtos Monachorum accuſatores damnat: ſed & ſi quis alius, inquit, quidpiam à Barlaamo blaſpheme, & hæretice contra Monachos, imo vero contra Eccleſiam ipſam, dictorum ſcriptorumve rurſum Monachis obiecerit, aut omnino in talibus eos perſtrinxerit, eadem pœna à noſtra mediocritate damnatur, atque à Sancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia, & orthodoxo Chriſtianorum cœtu etiam ipſe exterminatur, atque præciditur. Sic itaque & tertius Tomus duos præcedentes conſequens factus eſt, eademq; contra Barlaami & Acindyni ſequaces decreta: cui Calliſtus Patriarcha cum Epiſcopis ſubſcripſit; & ante eos Cantacuzenus Imperator, deinde Ioannes Palæologus Imperator iunior, Eccleſiæ concors & ipſe rubrica ſubſignauit. Diſcuſſione dogmatum penitus abſoluta, & Tomo plane iam perfecto, Calliſto Patriarcha in templo Diuinæ Sapientiæ cum reliquis Epiſcopis Miſſæ ſacrificio fungente, Cantacuzenus omni Imperatorio ornatu excultus, intra adyta, Patriarchæ, reliquoq; Epiſcoporum Ordini Tomum tradidit. Poſtea Barlaami & Acindyni diſcipuli, ab Imperatore & Patriarcha iuſſi ſunt de dogmatis nihil neque dicere, neque ſcribere: ne ſinceriores ſuis fallaciis peruerterent. Horum alij obedientes quieſcebant, alij tacere non poterant; ſed cum voce, tum ſcriptis diſſerendo, plures inſuper deprauabant: quare & carcere ab Imperatore puniti ſunt, quem ad tempus habitarunt. Eorum illuſtriores in ſuis ipſorum ædibus attinebantur, ne cum illis verba miſcerent. Ità timentes ſceleri modum faciebant. Si qui etiam poſt ablatam cum omnibus colloquendi poteſtatem, cum quibuſdam per literas, aut coram ſuper dogmatis agerent, id clam, & cum multa latendi prouidentia fiebat.*

*At Nicephorus Gregoras, nec ante, nec poſt ceſſabat; ſed primum quidem datis Trapezuntium literis ad amicos, Byzantinam Eccleſiam, vt rectorum dogmatum deſertricem, accuſabat; docebatq; audacter, ab ea vt morbida ſecedendum. Deinde & in Cyprum ad ſui cupidos. Præ aliis autem ad quendam Georgium Lapitham, apud quem non ſolum Eccleſiam communiter, ſed & ſeparatim eius Magiſtratus in vituperationem adducebat: cum tamen nihil quidquam ſanum cuiquam ſcriberet: ſed de induſtria, mendacia & calumnias confingens, quæ nec erant, nec in ſermonem venerant de dogmatis, ea ille accuſabat. Vbi vero huiuſmodi facinoroſa audacia diutius latere non potuit, pariterq; Imperator & Patriarcha pro intolerando habuerunt, eum non ſibi tantum, ſed aliis præterea multis idem exitium parare, Monachis in Monaſterio, quod Chriſti appellatur, (& eſt in regione ſolitario) quoniam & Gregoras inter eos longo iam tempore viuebat, mandarunt, neminem aditum ad eum permitterent, cauerentque, quantum poſſent, ne foras literas quopiam daret, ac fraudibus ſuis multos circumduceret. Cum voluntatem explere non ſineretur, nihilominus contra Imperatorem æque vt contra Eccleſiam inſaniens, vtrumque ſcriptis lacerauit. Et contumeliis quidem in Eccleſiam, Tomi in tertia Synodo ſuper Acindyni & Palamæ diſſenſione facti reprehenſionem præpoſuit; ſemper pollicens, ſe oſtenſurum, illum librum valde ac turpiter mentiri, ſanctorumq; Patrum ſcitis contraria continere: nec tamen vmquam, quod pollicetur, aliqua ex parte præſtare valet. Cum enim ad ipſum articulum venit, quo probare debet, de quo quæritur, quaſi oblitus, quæ in manibus erant, ad alia quædam, nihil ad inſtitutum pertinentia, aut ad quoſdam calumniis & maledictis inceſſendos (quod illi in omni ſcriptione ſolemne eſt) aut ad narrationem ineptam delabitur; & fruſtra atque inaniter verbis velitando, nihilq; opportunum proferendo deſipit. Poſtquam vero Cantacuzenum Imperatorem ipſum per ſe deprimere atque euertere non potuit, Palæologorum Imperatorum bellum mutuum pro argumento ſumens, & partim ignorantia rerum geſtarum, partim gratia corrupta veritate, ac totis viribus velut in fabula comminiſcenda mentiens, deinde ordine ad bellum, quod noſtra memoria contra Cantacuzenum excitatum eſt, progreſſus, tum alia complura crimini dat, ſeruitutes, cædes, trucidationes, populationes, & quæcumque Romanis per id bellum luctuoſa acciderunt, illi adſcribens; tum ob amorem dominandi, imperialiſq; faſtigij cupidinem, malorum illorum nullam duxiſſe rationem affirmat. Illud autem Cantacuzenum ante alia vellicat, & cor eius vrit, quod mentitur, eum, adhuc viuente Andronico, Imperij Romani longe appetentiſſimum, cum id aſſequi non poſſet, ad Monachos in monte Atho, qui viri ſancti, & à Deo afflati, futurorum præſenſionem habere iudicabantur, profectum eſſe, de futuris, & an ad ſe Romanum Imperium peruenturum eſſet, percunctaturum. Poſt ad Monachos conuerſus, multis & acriter in eos, non ſolum vt Maſſalinos, & praue de religione ſentientes, ſed etiam vt crapulæ ac vinolentiæ deditos inuehitur. Comedunt enim, inquit, plus quam ſues, & bibunt plus quam elephanti.*

*Vbi autem ebrietatem nimiam edormierunt, arcana Dei ſe ſcire contendunt, & reſponſa edunt. Deinde aliorum quorumdam eos inſimulat, quæ præter ipſum nemo illis intentaſſet. Deinde cum de bello mirifice mentiendo narraſſet, iamq; eo perueniſſet, vt ab Eccleſia diſſenſionem quorumdam exponeret, ipſe docet, quo pacto Imperator in fidem Orthodoxam offendat, & dogmata patrita conuellat. Quare nec iudicium ab illo iudicatum, approbatione dignum putat, vt, qui Palamæ adhæreat, eandemq;*





*doctrinæ peruerſitatem colat. Quæ cum legiſſet Cantacuzenus Imperator (in manus enim eius venerunt) de accuſatione quidem tomi nullum ſe verbum dicturum ait, cum is ſemet tueri maxime poſſit. Si namq; ex eo eius rectitudo & veritas demonſtratur, quia Sanctis Patribus, & à ſacris antea Synodis de germana fide conſtitutionibus conſentanea loquitur, & is hæc ſemper ſtudet, eique rei diligenter proſpicit, alia probatione opus non eſt, cum ſufficiat, quæ ſuppeditat. Quin & ipſe accuſator teſtis idoneus fuerit, qui in aliis ſcriptis ſuis praua Barlaami dogmata liberrime vituperat, quando mortuum Andronicum iuniorem lamentans, inter cætera encomia ſic prædicat.*

*Sacri Eccleſiæ Præſides, feruidum amatorem & tutorem dogmatum, qui in montibus & ſpeluncis habitatis, veſtræ claritudinis & gloriæ defenſorem ac propugnatorem, Sacrorum Monaſteriorum moderatores, veſtri roboris arcem deſiderate. Mementote ſupremos eius pro vobis agones quomodo debilitato iam penitus toto corpore hoſtilibus vulneribus, medicorumq; vſtionibus, & inde ad mortem tendente ſe contempſerit; vitæq; haud pepercerit, alacriter ad tribunal & ſacrorum antiſtites venerit; nec prius inde abierit, quam inſectatores veſtros, & deprauata illorum dogmata, & inducta Eccleſiæ naufragia contriuerit, & imis perditionis exitiiq; fluctibus dederit.*

*Talis item fuit eius priuſquam perueteretur de dogmatis ſententia. Non enim dici poteſt alia fuiſſe, quæ iudicio ſuo, vt deprauationem ac perniciem veritatis condemnauit Imperator: alia tomum ſub me confectum ex Eccleſia exturbaſſe (aduerſum quem tomum mirum eſt quantum ſtudij adhibuerit) ſed eadem penitiſſime. Idem & de Sanctis in monte Atho habendum, quos temulentia ac ventris vitio deditos mentitus, quando vita & mores omni luce clarius, illorum virtutem & cum Deo coniunctionem produnt. Tantum enim ſemper à vinolentia & crapula abfuerunt, quantum accuſator à veritate. Græci fabulantur Atlantem quemdam diis cum Saturno cœlo pulſis, hac pœna à Principibus punitum, vt terræ columnas ſuſtineret, atq; ita ponderis vaſtitate premeretur. Atqui ego veritate mihi atteſtante, hoſce homines vita puriter admodum agenda hunc honorem à Deo conſequi dixerim, vt terrarum Orbem, eius numen precibus illi placantes, fulciant ac ſuſtentent. Me autem, etiamnum viuo Andronico Imperatore ad eos profectum, de Imperio Romano, vt mihi vaticinarentur rogaſſe, ecquid ad me venturum eſſet, aperte mentitur: quem hoc ipſum mentiri certiſſima probatio eſt, quod toties etiam in aliis mentiri conſueuit. Imprimis autem & Anna Imperatrix, eorum omnium mihi conſcia, veritati teſtimonium impertiet. Non enim minus illa me, quam Imperator commouit, vt deliberata in aliud tempus differrem. Non ego, vt ille mendax ait, tunc ad monachos in Atho monte diſceſſi, vt futuros euentus ex eorum prædictionibus elicerem: ſed ante omnia, vt Imperatoris valetudinem, qua in vita nihil habebam melius ac precioſius, eorum votis precibuſq; commendarem. Item, vt eorum pro me ſupplicationes impetrarem: qui quod toties Deum offendiſſem perpetratorum ſupplicia poſt obitum luenda pertimeſcerem. Ad hæc cũ animo ſederet, poſt humanæ gloriæ, felicitatis ac deliciarum ſatietatem à tumultibus recedere, præſtare cogitabam, alicui Monaſterio me mandare, ibique reliquum annorum meorum ab inanibus mundi perturbationibus ſtrepituque remotum, in tranquillitate conſumere. Placebat autem magis Batopedij Monaſterium. Moxq; Monachis illis dato argento præcepi domicilia mihi conſtruenda locarent, quæ vſq; nunc extant: veritatemque, qua nihil colo ſanctius, teſtantur clariſſime. Cur autem non illic Monachi habitu indutus manſerim, ſed ad Imperatorem negotiorumque tumultus redierim: nec amor mundi in cauſa fuit, nec ad res humanas laude dignas torpor quidam, ſed Imperator ipſe immodice mihi affixus, & qui ſine me vitam ſibi inſuauem atque acerbam putaret. Vt enim ſciſcitatus, quid me Atho adduxiſſet, cauſam percepit, nempe, liberandi me à curis & negotiorum turbis, viteq; innocenter actitandæ deſiderium: amicitiam à me magnopere violatam conqueſtus eſt: quod priuata ſectans commoda, publica negligerem: & ipſum ſolum in tanta occupationum multitudine moleſtiaque deſtituens, ipſe ſecedere, & tranquillo otio perfrui meditarer: erumpenſque in me ſtomachum, propoſitum meum iniuriam, & amicitiæ ſuæ contemptum appellabat. Me autem aſſirmãte, animam curare voluiſſe, & æquum cenſente, nihil hoc vno præſtantius exiſtimari: magiſq; ipſum iniquum eſſe ſi me eo incumbentem, & honeſtam aliquam reſponſionem apud formidabile illud Dei tribunal pro admiſſis acquirere laborantem prohibere conaretur, poſtquam animum meum flectere nequiuit, & in ſuſcepto conſilio obfirmatum vidit, Auguſtam aſciuit ſociã. Inde ambo multis verbis & argumentis me pertraxerunt, ne tum quod cupiebam, exequerer. Quanquam, (amica enim veritas) nec ipſe, etſi impenſe volebam, propter coniunctiſſimam familiaritatem ab Imperatore ſeparare poteram. Nec tamen ab ea mente prorſus diſceſſi, ſed tum quidem pro eo ac illi petebant, rediturum me promiſi: & vbi ſanctos illos allocutus, effeci, vt in Batopedio habitaculum mihi conſtrueretur, Theſſalonicam ad Imperatorem redij. Erat autem in animo rebus meis bene compoſitis reuerti, & inter Monachos illos, eadem vitæ inſtituta legeſque profiteri. Breui interuallo Imperatore mortalitate perfuncto, quia aliud non licebat, tota rectione in humeros meos tranſlata, detentus ſum etiam inuitus. Cum autem Sycophantæ illi bellum ſuſcitaſſent, & me meoſque adeo in ſummum diſcrimen coniecisſent, non meæ potius quam omnium ſaluti conſulturus, Imperatorem Romanum me fieri ſuſtinui, tantumq; malorum examen tamdiu oppugnatus toleraui. Quod cum ita ſit, Gregoras mentitur ea impudentiſſime, quæ non refutari modo, ſed facillime refutari queant. Quod porro me partibus Palamæ addictum, iniuſtam tuliſſe ſententiam, ait, atque ideo nec ſe pariturum, cum iudicio diſceptantibus idem & iudex & aduerſarius fuerit, nullo negotio eius vanitatem demonſtrabo. Contra enim potius Barlaamo, eius diſſenſionis incentori à principio adhærebam, quem & in ædibus meis cum fratribus hoſpitio exceperam, & curabam ſtudioſe, numerabamque in amiciſſimis: cui præ aliis patebat ad me aditus: aſſiduo enim mecum verſabatur, reſq; ſuas exponebat mihi accuratiſſime, & docebat quotidie. Vnde non eſt, cur quis fingat, me, quæ Palamas quidem pro veriſſimis duceret & confirmaret, non ignoraſſe: ignoraſſe autem quæ contra ab aliis dicerentur. Sed ſi vera licet loqui, cum illis & prius, & bello finito, poſtquam Imperio vniuerſo potitus ſum, egi: tantumque abfuit, vt magis temeritate quadam ab aliis ſtarem, vt Ioannem Patriarcham ſæpius in his ipſis examinandum ad iudicium prouocarim: ſiquidem eorumdem reus erat. Et poſt illum rurſus Acindynum (qui ſe parietibus tegens, alios mittebat, male à ſe perſuaſos vt tumultuarentur, perinde quaſi corruptorum Eccleſiæ dogmatum per nefas accuſaretur, cum ipſi potius aduerſarij ea corrumperent) non præterii: ſed ad quæſtionem de ſe habendam ire, & iuri ſtare iuſſi, fidemq; dedi, nihil ei triſte euenturum: timere enim ſe affirmabat, ne iuſſu meo in carcerem raperetur. Tempore procedente, vbi ipſe Gregoras, & alij Barlaami, & Acindyni hæreſis ſucceſſores exorti Eccleſiam perturbarunt, & tribunal appellarunt, denuo rem minime diſſimulandam cenſui; ſed multorum Epiſcoporum Synodum coegi, Gregoriumque Palamam Theſſalonicenſem Antiſtitem accerſiui, de quibus accuſabatur reſponſurum: quamuis antea bis decretis merito contentus eſſe potuiſſem. Nam & laudatiſſimus ille Imp. Andronicus cum Synodo, non Barlaamum ſolum, ſed ſi quis in poſterum paria ſentire reperiretur, penitus damnauit: & poſtea me abſente, Anna Imperatrix cum Epiſcopis, quando Ioannem Patriarcham propter opinionis errorem, ſimulque omnes eadem ſentientes, aut ſenſuros exauctorauit, cum plures eorum, qui contradixerunt aſſentirentur, immo rei agundæ præeſſent potius. Cum itaque, vt narraui, decretis contentus eſſe poſſem, non quieui, quin me quoque Imperatore, quæ dicta ſunt in diſquiſitionem vocarentur: & iuſtitiæ rationem habui, ſententiã veram & iuſtã, nullo vel ad amicitiam, ad odiũ, vel ad aliud quidquam reſpectu tuli. Qui enim, nec ob parua quædam & deſpicabilia litigantium iura vilipendi, ſed ex vero & iuſto ius omnibus dixi multo minus in dogmatum iudicio, vbi id de quo periculum eſt, Deus eſt, veritate quidquam antiquius habui: ſed tamquam præſente & audiente numine, dogmata, ad liquidum & fideliter diſcutienda cum curaſſem, Palamam & ſocios ſanctis Patribus ſumme congruentes, eorumque veſtigia manifeſte prementes, Gregoram vero & alios qui his aduerſabantur, Barlaami, & Acindyni geminos diſcipulos inueni, quorum placita cum veritate pugnantia, & pietate fidei à S. Patribus traditæ eſſe contraria: licebat etiam magiſtris prioribus tomis diſcere. Nihilominus cum præſcriptis ab Eccleſiæ Doctoribus velut canonibus ea comparaſſemus, minime dubiam plane deprauationem vidimus. Quocirca Epiſcopis omnibus approbantibus, illos quidem vt recte ſentientes abſolui, hos condemnaui: ac de cætero, vt æquum erat, victoribus omni ratione adiutorem me præbui, victis, amiſſa fronte*

*nec ad veritatem redire, nec quieſcere volentibus, nec ſua tantum pernicie contentis, ſed ad idem barathrum & alios illicientibus, ſine vlla verecundia contumelioſis, & ſupra omnem modum impudentibus (id quod à principis inimicis veritatis, & Eccleſiæ hoſtilibus in more fuit) pœnam debitam inflixi: immo enimuero minorem debita. Neque enim, vt illi malum quod merebantur acciperent, ſed ne poſſent malum dare prouidebam. Eſt autem, opinor, lex & in aliis vitæ humanæ publicis priuatiſque criminibus, iudicem, priuſquam litigatores cauſam dicant, nullum damnare, niſi ab officio velit diſcedere: auditis autem vtriſq; partibus, & ad alteram reſpiciente victoria (quod omnino oportet) & ipſum ad validiorem accedere, illamq; aliam quæ læſerat ad officium compellere. Non igitur iniurius quilibet propterea contra iudicem excipiet, eumq; pro iniuſto traducet, quia ſe ad violati partes adiunxerit. Quod Gregoras nunc faciens, non magis mendacii, quam amentiæ & improbitatis opinionem conſequitur. Quod autem legitimum de veritate ſenſum in ſe corrumpi paſſus, à Barlaamo & Acindyno hæreticis, propter improbitatem ſuam & fruſtrationem eorum quæ ſperauerat, nec ipſi animæ ſuæ pepercit, vt vlciſceretur tantummodo, à quibus ſe læſum putat, mihi eadem obiicit, mirari nemo debet. Qui namq; Deum ipſum non eſt reueritus, ſed propter odium ſuum in quoſdam, aduerſus illum mendacia multa effudit, longe minus ab Imperatore, præſertim cum ei offeciſſe videretur, temperare voluit. Pietati autem meæ, & in vera atq; auita religione conſtantiæ, tota Eccleſia, gratia Dei in veritate ſtabilita, & Apoſtolicis traditionibus ſedulo inhærens teſtimonium dabit: nec minus ipſe Gregoras accuſator meus, qui toto belli tempore non ſolum de laudibus meis multa diſſeruit, ſed etiã beneuolentia quadam in me, mea cauſa extrema perpeti paratus fuit, quando eadem ſentiebam quæ hodie ſentio. Nam damnationem Barlaami: quâ illum feriit Andronicus Imperator, ipſe approbaui, & poſt eius mortem rurſus Acindynum damnaui, Ioanne Patriarcha Synodum conuocante, & ſtomachante vehementius, propterea quæ Acindynus Barlaamo patrocinans, in Palama cæteriſq; Monachis iniuſte accuſauerat.*

Hæc Cantacuzenus Imperator. *Poſtea cum ſcripta Gregoræ in manus eius veniſſent: pro ſe reſpondit; ipſumq; falſa & incredibilia ſcripſiſſe demonſtrauit. Deinde honoratiſsimis & nobiliſsimis Romanorum dedita opera conuocatis, in eorum præſentia recitari ambo iuſſit; omneſque Gregoram mendacem graphicum, & hominem bene inuerecundum ac leuem pronunciarunt, quod de publicis rebus, quas plerique omnes noſſent, figmenta litteris mandare non dubitaſſet, adeo vt mendaciorum conuinci facillime poſſet. Gregoras audito quod Imperator feciſſet, & quomodo de eius commentis triumphum egiſſet, triſtitia non vulgari affectus, eum conuenit, deque triumpho illo, vt ad dedecus ſuum inſtituto conqueſtus eſt. Quæ contra tomum dicta ſint, ſua eſſe; quæ contra ipſum Imperatorem, neſcire ſecuius ſint: velle autem, vbi inciderit, ea ſupprimere: quæ ſi prius accepiſſet, quam ad aliorum aures venirent, igni mandaturum fuiſſe. Hic Imperator, non ſe perſpicere quorſum verba eius pertineant. Si enim ſcripta ſua nolebat exire in publicum, cur tantum laborem in componendo ſuſceperit? Si autem, quod æquius, publica volebat eſſe, etiam magnas ſibi gratias merito debere, cum coram tam multis & illuſtribus, & vim dicendi admirari ſcientibus, ea legenda dederit, vt & laudaretur, & laborum ſuorum fructum viuus adhuc perciperet, gloriamq; ſentiret. Quod ſi propterea doleat, quia eius mendacia deprehenſa ſint, quæ nullo fundamento ipſe excogitarit, non ſe illi cauſam doloris eſſe, quandoquidem non ſuaſerit, vt tam improbe contra veritatem mentiretur. Oportere tamen etiam ob hoc mœrori non indulgere: niſi tantum propter hoc, ne in futuro iudicio quomodo aliorum criminum in hac vita deſignatorum, ſic mẽdacii quoq; calumniarumq; pœnas perſoluamus: potiſsimum, ſi præter iniquum odium, nullam aliam mentiendi calumniandiq; cauſam habuerimus.*

Hæc poſtea à Cantacuzeno facta & dicta ſunt, quum Imperatori genero Imperium transdidit, & ſub habitu Monachi vitæ genus pacatum & quietum agere conſtituit. Tunc autem Synodo prorſus finita, & Acindyni ſectatoribus impietatis euidenter conuictis, ciuilibus actionibus ſe ſe reddens, expeditionem in Triballos adornauit. *Cantacuz. hiſt. lib. 4. c. 23. 24. 25.*

XXVII. Ea omnia, quæ ex Cantacuzeno totidem verbis dedi, mirari me faciunt, quomodo Cantacuzenus, Barlaamum, Acindynum, Gregoram, Ioannem Patriarcham, Metropolitam Epheſinum, & tot alios viros propter Catholicæ Fidei ſinceriora dogmata (quemadmodum ſuperius demonſtrauimus) illuſtres, tantis probris quantis eius hiſtorica narratio ſcatet afficiens, in animum potuerit inducere, vt ſincere tum Clementi tum Innocentio Pontifici polliceretur, non tantum ipſe ad Eccleſiam Orthodoxam redire, verumetiam reliquos Græcorum adducere; niſi forte in pſeudoſynodo actorũ poſtea pœnituerit, atq; F. Ioannes Dominicanus virum ab errore auerterit, meliuſq; ſapere docuerit. Vtut tamẽ eſt, Ioannes Cantacuzenus vnionem cum Eccleſia Romana non ſemel expetiit eumq; Innocentius hoc anno officii admonuit.

XXVIII. *Alia Innoc. Pp. acta.* Hoc ipſo anno Innocentius Pontifex. 1. Annibaldo tituli S. Sixti presbytero Cardinali, Præpoſituram Francofordien. conceſſit. Clerus & populus, ne poſſeſſionem obtineret Cardinalis, impediuit. Pontifex Carolum Regem, vt Sedis Apoſtolicæ authoritas ac poteſtas non inficiaretur, hortatus eſt. 2. Carolum Regem, quod ſe ad ſalubrem Eccleſiæ vniuerſalis adminiſtrationem hortaretur laudauit, ac ſummas ei grates habuit, ſuoq; officio nolle deeſſe ſignificauit. 3. Guidoni Cardinali Portuenſi, ad conciliandos Galliæ & Angliæ Reges Legato, vt pacta conuenta confirmare, confœderationes alias cum aliis Regibus ſtabilitas, quæ paci ineundæ obſtare poſſent abrogare, iuſiurandum ab vtriſque Regibus vel eorum Procuratoribus ſuper conuentionibus & tranſactionib. factis audire poſſet, conceſſit. 4. Vt contra Regem Luſitaniæ, cenſuræ Eccleſiaſticæ ab Epiſcopo propter violationem libertatum Eccleſiaſticarum prolatæ, tantiſper donec de iniuriis per Sedem Apoſtolicam cognoſceretur ſuſpenderentur, edixit. 5. Philippum Cauallicenſem Epiſcopum, qui diſcordias inter Delphinum Viennenſem & Sabaudum componeret, Nuntium deſtinauit. 6. Robertum, dictum Imperatorem Conſtantinopolitanum, qui inter Ludouicum Regem Siciliæ, & Talairandum Epiſcopum Albanen. Cardinalem Sedis Apoſtolicæ Legatum, nec non principes Regios ac Regem, pacẽ firmam ſtabiliret, obſecrauit. 7. Narſeti Archiepiſcopo Manaſguerdenſi, Sedis Apoſtolicæ apud Armenos Legato, vt illis populis articulos fidei Catholicæ à Clemente Sexto propoſitos exponeret, eoſque ad profeſſionem dogmatum ex formula præſcripta adduceret, iniunxit. *ep. Innoc. hoc anno* 8. Magno Sueciæ Regi, vt inter Archiepiſc. Rigenſem & Theutonicos pacem conciliaret, inſinuauit VII. Cal. Iul.

XXIX. *Principis Hannoniæ vxor mariti adulterium vlciſcitur.* Hoc anno Ludouicus Princeps Hannoniæ, pœnas violati genialis thori vidit. Is cum eſſet in flore ætatis, ad omnem ſe dederat voluptatem atq; delicias. Cantoribus imprimis omniſq; generis muſicis, ingenioſiſq; voluptatum inuentoribus maxime delectabatur. Quicquid libitum erat licere ſibi putabat: ſcortationes & adulteria pro ludo ducebat. Secuta res triſtis & probroſa. Profectus in Galliam, venuſtam quandam puellam ex ſe grauidam reliquit, deq; prole baptizanda, puerperaq; iuuanda negotium dedit. Id vbi primum Margareta eius coniux reſciuit, dolo ad ſe vocata puella nares ei detrũcauit: vnde intra dies ternos præpropero partu gemellos maſculos enixa, ſtatim vna cum infantibus extincta eſt. *Annal. Flandr. lib. 13.*

XXX. In Polonia, eodem anno, cum Martius Aprilis & Maius vltra medium verno ac pœne æſtiuo calore ad calamos, & ariſtas ſegetes perduxiſſent, coorto de repente acri frigore & gelu, nix duos cubitos alta terram operuit, & in ſextum vſq; diem durauit. Qua ſoluta poſtea cum corruptas eſſe ſegetes omnes exiſtimarent, tanta præter ſpem vbertas frugum, quanta vix vmquam alias fuit. *Cromer. de reb. Polon. lib. 12.* Alicubi ſub Septemtrione cœleſtis trabs priori ardente parte in Auſtrum labi per cœlum viſa fuit, & flamma cœleſtis poſt Solis occaſum, inter Zephyrum & Auſtrum latiſſime excreſcens terribileq; oſtentans incendium, tandem ingenti fragore ruit. *Magn. Chron. Belgic. hoc anno.*





# IESV CHRISTI Annus 1354.

## INNOCENTII PAPÆ VI. ANNO 2. Caroli IV. Roman. Regis Anno 8.

I. *Quibus conditionibus Dominium Genuæ Ioanni Vicecomiti traditum fuerit.* SVperiore anno, Genuenſes, clade à Venetis accepta, fractis animis (pecunia enim ad aliam claſſem ædificandam carebant, & populus annonaria difficultate conflictabatur, cum Veneti poſt victoriam mari dominarentur, nec frumentum ſubuehi paterentur; & agrum, cuius fructibus victum tolerarent non habebant) operæ pretium cenſuerant, Mediolanenſium Principi potentiſſimo ſubmittere, ac ſubiicere ſeſe, qui eorum inopiæ inprimis poſſet conſulere. Pecuniæ namque ditiſſimus erat; nec modo equeſtribus, ſed & pedeſtribus copiis, quibus illi egebant, abundabat. Præterea ampla illi & fertilis regio, qua eos vndecumque frugibus importandis alere potuerat. Hoc decreto ei per Legatos vrbem tradiderant: quæ res illi pergrata acciderat. Nam & ante beatum ſe fore iudicabat, ſi Genuæ, vtpote vicinæ, dominus fieret: ſancitumque fœdus, vt is illis, & pecunia, & armis, & militibus, & quibus demum poſſet, contra hoſtes adiumento eſſet: ipſi eum quoad viueret Dominum agnoſcerent, neque vmquam rebellarent; Præfectum ab eo acciperent, totaque politia commutata, eius arbitrio regerentur. Sic Genuenſes bello afflictati, abiecta priſtina iactantia, depoſitaque ſuperbia, rem nec ingenuam, nec liberalem admittere compulſi ſunt, & Simoni Bucanegræ Duci ſuo abrogato Magiſtratu, Præfectum à Mediolanenſium Archiepiſcopo receperant. Qui, vt ſuis iam, prouidens, frumenta & reliquum victum, pecuniam quoque in apparatum belli, & militem ſuppeditabat affatim, iubebatque denuo triremes contra hoſtes inſtrui. *Cantacuzen. hiſt. lib. 4. c. 32.* Hæc Genuæ ſuſceptio nimis formidoloſa Venetorum Duci atq; Senatui fuit. Itaque cum his vna coierant, Patauinus, Veronenſis, Ferrarienſis, cæterique Vicecomitis veteres inimici. Florentini ac reliqui Etruriæ populi, ab Ioanne diuturno bello vexati, ab eadem ſocietate aduerſus communem hoſtẽ non abhorrebant. His vnum propoſitum, Carolum Regem Romanorum in Italiam euocare, quo ab eius præſentia, Ioannis præſulis inuidioſa ac ſupra modum aucta potentia, aut labefactaretur aut imminueretur. *Leonard. Aretin. hiſt. Florent. lib 7.*

*Carolus Rex ſollicitatur vt in Italiam veniat.* Non illaudauit Innocentius, Principum confœderatorum factum: quin potius ipſe datis litteris, Carolum ad iter Italicum accelerandum quam diligentiſſime hortatus eſt: vt is tandem, & diademate Imperatorio ſolenni ritu inaugurauetur, & concordiam Italiæ populis poſtliminio reſtitueret, & Eccleſiæ Romanæ bona à tyrannis occupata vindicaret. Promiſit pariter Innocentius Carolo paratum iter, ſimulque certiorem fecit, iam factiones per Italiam tumultibus ſuis inteſtinorum bellorum fatigatas cupere eius aduentum vt iuſte gubernet, paucoſque admodum ſupereſſe quibus pax cordi non eſſet. Itaque Legato Caroli, Epiſcopo Mindenſi quem ille ad poſtulandam à Pontifice in Italiam deſcenſionem, miſerat in publico Patrum conſeſſu, ad primos dies Februarii reſpondit, vt quantocius ad Carolum reuerteretur, illumque ad maturandam profectionem perurgeret. Ex Vormatien. Comitii, quod menſe Ianuario Carolus coegerat, ſententia, Legatum Auinionem deſtinauerat, quem poſtea reducem, Metis in alio Comitio audiuit, rebuſque Germaniæ compoſitis, ad 14. diem Octobris Vtinam Fori Iulii, ad III. Nouembr. Patauium, & paulo poſt Mantuam hoc anno venit: cum interim die IV. Octobris, Ioannes Vicecomes Archiepiſcopus Mediolanenſis, rebus humanis exemptus eſſet. Modicus anthrax in fronte illi enatus, nonnihil deformauerat. Hunc ille nihili faciens, cum iuſſiſſet præcidere, in momento eodem corruens expirauit. *Matth. Villan. lib. 3. c. 99 & lib. 4. c. 18. 24.*

II. *Obitus Ioannis Vicecomitis et eius Epitaph.* Conditus eſt marmoreo tumulo iuxta Othonem ante ſacrarium templi maximi: vbi hęc carmina rubro lapidi inciſa leguntur: quæ ex eius rudis ſæculi memoria, ad iucundam ingeniorum æſtimationem præterire noluimus.

*Quam faſtus, quam pompa leuis, quam gloria mundi*
*Sit breuis, & fragilis humana potentia quam ſit,*
*Collige ab exemplo qui tranſis, perlege, diſſer,*
*In ſpeculo ſpeculare meo lachrymabile carmen.*
*Qui ſim, qui fuerimq; licet, qui marmore claudor.*
*Sanguine clarus eram. Vicecomes ſtirpe Ioannes;*
*Præſuleram paſtorque fui, baculumq; gerebam,*
*Nomine nullus opes poſſidebat latius orbe*
*Imperio tituloq; meo mihi Mediolani*
*Vrbs ſubiecta fuit, Laudenſe ſolum, Placentia grata,*
*Aurea Parma, bona Bononia, pulchra Cremona,*
*Bergoma magna ſatis lapidoſis montibus altis*
*Brixia magnipotens, Bobienſis terra, tribuſq;*
*Eximiis dotata bonis Derthona vocata*
*Cumarum tellus, nouaq; Alexandria pinguis*
*Et Vercellarum tellus, atq; Nouaria & Alba,*
*Aſt quoq; cum caſtris Pedemontis iuſſa ſubibant,*
*Ianuaq; ab antiquo quondam quæ condita Iano*
*Dicitur, & vaſti narratur Ianua mundi,*
*Et Sauonenſis Rex, & loca plurima quæ nunc*
*Difficile eſt narrare mihi, mea iuſſa ſubibant:*
*Triſtia tota meum metuebant languida nomen:*
*Per me obſeſſa fuit populo Florentia Plena.*
*Bellaq; ſuſtinuit tellus Peruſina ſuperba*
*Et Piſæ, & Senæ timidum reuerenter honorem*
*Præſtabant, & me metuebat Marchia tota.*
*Italiæ partes omnes timuere Ioannem.*
*Nunc me petra tenet, ſaxoq; includor in iſto*
*Et lacerant vermes laniant mihi deniq; corpus,*
*Quid mihi diuitiæ, quid & alta prolatia proſunt?*
*Cum mihi ſufficiat, quod paruo marmore claudor.*

III *Vicecomites poſt mortem patrui dominium partiuntur.* Extincto Ioanne, non multum Carolo Regi metuendum à Vicecomitibus fuit. quod hi Mediolanenſe dominium poſt mortem patrui inter ſe partiti, etiam animis diſſiderent. Matthæo ſecundo, Bononia, Lauda Pompeia, Placentia, & Parma obtigerat. Cæterum non diuturno tempore ea potiri potuerat. Namque Ioannes Olegianus Archiepiſcopi nothus ſub id tempus quo Archiepiſcopus ſuprema tentatus valetudine fuerat, cum rebellantes nonnullos Patricios Bononien. ſecuri percuſſiſſet, atque ædificatam à Ioanne Antiſtite veterem arcem egregie permuniſſet, arripiendi Imperii, cuius ipſe præcipuus defenſor extiterat, cupidus, fortuna nefariis ceptis aſpirante, Prætorem militareque præſidium Matthæi patruelis, inſigni compoſita fraude, vrbe expulit, Bononienſeſque armis territos in nomen ſuum iurare coegit. Ad eum modum Matthæus Bononia excluſus, in Galeacii quoque & Barnabæ odium incurrit: quod Creſcentiaco in vico, quum forte in cœna Galeacius, & Barnabas, tanti Imperii à maioribus conditi amplitudinem atque opulentiam laudarent, omniumque pulcherrimum fortunæ munus principatum eſſe faterentur: ille incaute ſubiunxiſſet: id quidem ſine controuerſia verum eſſe incomparabileque videri, modo Principatus conſorte ſocioque careret: adeo vt non obſcure Ioannem patruum perſtrinxiſſe videretur, qui ſecus ac maior auus feciſſet, non vnum Galeacii primi atque Actii exemplo, ſed tres ſimul iniquo iure diuiſi Imperii hæredes ſcripſiſſet. Id dictum ſub amaro ſale ſcommatiſque nomine prolatum, vſque adeo in pectus fratrum alte deſcendit, vt ſequenti cœna ſuillos lumbos, cuius obſonii Matthæus erat appetentiſſimus toxico illitos appoſuerint: ex quo ille anno inſequente, diuturna febricula tabefactus interiit. *Mathæus Vicecom. a fratribus veneno extinguitur.* Erat Matthæus ingenio ciuili potius quam militari, ne ideo ad vindicandam

candam iniuriam parato: vt pote qui nihil ex auo Matthæo, ſi ſpeciem corporis demeres, præter nomen referret. Ignobili enim ocio delectatus, nequaquam bellica laude ducebatur: eique ſummæ curæ ſummæque voluptati erant accipitres; atq; ea omnis Venatio, quæ vel fœminas admittens, prorſus ſine ſudore exerceretur. Has autem diurnas exercitationes, nocturnæ libidines excipiebant: quibus adeo intemperanter corpus atque animum effœminauerat, vt inter duas ſæpe concubinas eneruatis viribus cubitans, inſtillaret muliebrib. locis vnguenta peregrina, quibus intermortuę Veneris ſegnitiem prodigioſa titillatione ſuſcitaret. Non eſt paſſus Deus Sardanapalum nouum diuturnare, quem propemodum manu fraterna, in vltionem libidinationis mōſtruoſæ extinxit. *P. Iouius in Ioanne & Matthæo Vicecomitibus.*

IV. Innoc. Pp Carolo Regi in Italiam venturo iter parat.

Itaq; Vicecomitibus inter ſe diſſidentibus, tanto magis audacter Carolus in penitiorem Italiam properabat, imminuta potentia hoſtis tam formidoloſi, aucta vero non modicum ſua, à confœderatione Italiæ procerum, in quam Veneti, Patauinus, Gonzaga, Florentini & reliquæ Etruſcorum ciuitates cum Carolo coiuerant. Innocentius quoque Pontifex animos illi maiores fecit, cum aduentum ei felicem gratulatus, Egidium Carilium Cardinalem Legatum ad eum deſtinati, qui illi in Italiam venienti imprimis bene precaretur, deinde copias Eccleſiaſticas eius exercitui coniungeret, illique in omnibus conſilio & opera præſto eſſet: quo tandem iura & bona tum Eccleſię, tum Imperii ab iniquis occupatoribus vindicaret. Indulſit pariter Carolo, vt diadema ferreū Mediolani ex manibus vel Conſtantinopolitani vel Aquilegienſis vel Gradenſis Patriarcharum recipere poſſet, ſi per id temporis, mortuo Ioanne Archiepiſcopo, nemo Eccleſiæ Mediolanenſi præfectus præſens foret. *ep. pag.* 213. 214. Scripſit eadem de re Patriarchis vt non obſtante conſuetudine antiqua, illi ipſi Carolum ſolenni ritu Mediolani inaugurarent: Principibus autem & populis Italiæ, vt eidem pro iuribus Eccleſiæ & Imperii laboranti, obſequerentur, imperauit. *pag.* 215.

Cum autem paulo poſt, Roberto, Talairandi Epiſcopi Cardinalis Albanen. nepoti, ex electione, Eccleſia Mediolanen. obtigiſſet, illum Matthæo Barnabæ & Galeatio Vicecomitibus Pontifex commendauit, vtq; Carolo in Italiam venienti adhęrerent, iniunxit: dat. litteris Auinion. V. Idus Nouemb.

V.

Inter hæc Balduinus Archiepiſcopus Treuirenſis Caroli patruus, ad primos dies Ianuarii, fato conceſſerat. Is quod tempore Clementis Sexti, multum æs alienum apud Rom. Eccleſiam contraxiſſet, hocque nomine Sedi Apoſtolicæ plurimum deberet, Innocentius Carolum hortatus eſt, vt ex omnibus Balduini relictis, tantum Sedis Apoſtolicæ Nuncio numeraret, quantum debito diſſoluendo ſatis eſſet. Cæterum, quod Bohemundus, Caroli interceſſione ſucceſſor in Archiepiſcopio Treuerē. deſignatus, nonnulla pacta in præiudicium Eccleſiæ ſuæ cogitabat inire, cum Vuenceslao Duce Lucemburgico Caroli filio: admonuit Innocentius, nequicquam ſine conſilio & conſenſu Sedis Apoſtolicę decerneretur, aut ſtabiliretur: quin potius, vt, tum in adipiſcenda poſſeſſione, tū in vindicandis quibuſdā caſtris, Carolus Archiepiſcopū adiuuaret, ſerio edixit. Marchio quoq; Brādeburgicus Epiſcopo Tridentino, Tridentum vrbem, ac nonnulla caſtra, & bona per vim eripuerat. Iniunxit Carolo Pontifex, qui raptorem Marchionem ad reſtituendum, & ad ſatisfaciendum compelleret: ſi Defenſoris Eccleſiæ nomine vellet audire. Cum autem decimatio, pro ſubſidio Orientalium Chriſtianorum, in Germania indicta, non ſatis à Nuncio Apoſtolico exigeretur: eius ſacrę pecuniæ Collectores Innocentius inſtituit, Archiepiſcopos, Moguntinum, Treuerenſem & Colonienſem: qui exactam Nuncio numerarent. Vt autem deuotionem Caroli Regis & populi Germaniæ atq; Boemiæ erga ſacra pignora magis excitaret, conceſſit inprimis, vt ſacræ reliquiæ Imperiales, lancea, clauus, portio Crucis Chriſti, & vna ex ſpinis coronæ Dominicæ, ſtatis diebus in altari exponerentur, quas, ſi quis corde contritus & ore confeſſus pie veneraretur, indulgentias deſignatas conſequeretur. Deinde vt tanto amplius pietas Chriſtiana, erga memoriam paſſionis Domini inflammaretur, feriā VI. quæ Octauas Paſchatis ſequitur, ſolennem eſſe in Germania & Boemia perpetuo voluit, in honorem lanceæ & clauorum Domini: data commiſſione omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Prælatis Germaniæ atque Boemiæ, qui populos ſubiectos ad celebrationem eius feſtiuitatis hortarentur *ep. Innoc. hoc anno.* Volebat Carolus pietate in Diuos Imperium auſpicari, & profectionem Italicam, necnon conatus aduerſus hoſtes communes, ſacrorum cultu præmunire, cum in Italia cunctos diſſidiis laborare intellexiſſet. Neq; enim Genuenſes omnino ſibi quieſcendum quamuis clade accepta exiſtimarunt: cum viderent Venetos cum Patauinis, Veronenſibus, Eſtenſibus, Mantuanis, Florētinis, fœdus percuſsiſſe, inque ſocietatem armorum etiam Carolum Regem euocare. Itaque de rebus ſuis ſolliciti illi quoque enixe adlaborabant, ne negligentia, vel imprudentia, minima etiam in re peccarent, vel laberentur. Proinde ſumma prouidentia & celeritate, quinque ac viginti triremium claſſe præparata, Paganum Auream maritimo negotio atque nauali bellicæ expeditioni cum ſuprema poteſtate præfectum, aduerſus Venetos ire iuſſerunt.

Innoc. Pp instituit festum solemne lanceæ et clauorum in Germ. et Bohem.

VI. Marinus Falerius Dux Venetorum creatur.

Interim Andreas Dandulus, poſt annos duodecim quibus Reipub. Venetæ præfuerat defunctus, ſucceſſorem acceperat Marinum Falerium per id temporis Oratorem apud Innocentium Pontificem: virum quidem opibus affluentem, ſed in adminiſtranda repub. infauſtum. Namq; maximis aduerſis, domi & foris eo Principe iactata eſt Reſpub. Veneta, quod infauſtus eius in vrbem ingreſſus præſagiuit; quum iis ſub obſcuram noctem per geminas Diui Marci areæ columnas, vbi reis capitale irrogatur ſupplicium, ex Clodienſi cymba in terram deſiliens in Ducariū perrexerit. Quæ res infauſtam adminiſtrationem, triſtemque eius caſum denunciauit. Namque, præter quod fame, peſtilentia, variiſque prodigiis ſub eo conflictata eſſet ciuitas, cladem quoque ingentem terra mariq; accepit. Paganus enim Auria, Adriaticum mare ingreſſus, non exiguis detrimentis Venetam ditionem affecit, & in his Parentium vrbem vi captam incendit, corporibus Sanctorum martyrū Martini & Eleutherii prius ablatis, quæ Genuam reuerſus, in æde Diui Matthæi religioſe repoſuit. In Orientem porro claſſe ducta, apud Oenuſas, eo in loco quem Sapientiam dicunt, Venetam claſſem oppreſsit, ac ſine cæde ac ſanguine memorabilem victoriam obtinuit: captis quinque millibus, & in his Nicolao Piſano præfecto, nec non vexillo Diui Marci: quod ad puppim oblique inuerſum atque affixum, vna cum captiuis, Genuam tranſmiſit.

Veneti ingentibus cladibus à Genuensibus domi forisque afficiuntur. Duce Pagano Auria.

Hanc funeſtam cladem, ex ante currentibus notis prædictam fuiſſe, plerique commemorāt. Nam pridie illius diei qua accidit, ex manifeſto ac mirabili augurio, haud pauci male Venetis ominabantur. Coruorum enim agmen aduerſo volatu inuicem infeſtantium, atque miro ſtrepitu & rixis ſe mutuo lancinantium, in ipſo aere ſupra Venetorum claſſem ab omnibus ſumma cum admiratione viſum & obſeruatum fuit. Quod ſane prodigiū, hoc certiorem Venetis denunciabat infelicitatem, quod poſt multam contentionem, mutuus concurſus & impetus in lucta fuerit, tam ardens, & vehemens, vt dimicando ita inuicem attererent, quod alarum plumæ vi euulſæ deciderent, & effuſo cruore Venetas triremes aſpergerent.

Præsagia futuræ cladis.

Accedebat tam tetro & prodigioſo ſpectaculo, aliud indubitatæ calamitatis haud leue argumentum, quod remex vnus ex ſua in proximam nauim tranſilire conatus, cum ita pede aberraret, vt cum ſaltu interſtitium inter vtramque nauem poſitum tranſmittere nequiret, in mare prolaberetur; qui actutum ab immani-





piſce exceptus & deuoratus fuiſſe narratur. Eius victoriæ, ſicut etiam prioris ad Helleſpontum habitæ, memoriam, ſacro anniuerſario ſolenni, donoque aulæi aurei ad ædem Diui Matthæi, quotannis, pridie Nonas Nouembris Genuenſes celebrant: tunc decreto triumpho Pagano Auriæ victori, danſq; ei magnificentiſſima, in foro Auriano, ad perpetuum virtutis teſtimonium, ex publico aſſignata.

VII. Mors Pagani Auriæ.

Fœdauit eam Genuenſium lętitiam, pręproperа mors Pagani; cui etiam, quod ſumptus priuati non eſſent, publicis fuit parentatum, & in æde Diuo Dominico ſacra marmoreum monumentum erectum. Fuit Paganus tanta animi celſitudine atq; præſtantia, tantaque demum aduerſus cupiditates omnes continentia & moderatione, vt cum ſolum ad gloriam atq; laudem reſpiceret, & ad has, ceu vnicum fidiſſimum ſcopum, omnes ſuas cogitationes & ſtudia conferret, ac dirigeret, nullam prorſus opum rationem habuerit: ita vt poſt eius obitum, præ rei familiaris anguſtia & tenuitate, prout etiam Græci de Ariſtide prodiderunt, in eius ædibus non eſſet: vnde illius cadaueri iuſta pro dignitate perſoluerentur. Ad hanc victoriam parandam, plurimum contulerunt opes & ſubſidia, Galeacii & Barnabæ Vicecomitum Ioannis Archiepiſcopi extincti nepotum, in quos conceſſa Ioanni ciuitatis iura Genuenſes tranſtulerant, ſic vt Liguriæ vrbes à Coruo Lunenſi Promontorio, ad Herculis Monæci portum vſque horum imperio ſubiicerentur.

Sumptu publico propter eius paupertatem sepelitur.

VIII. Pont. laborat pro conciliandis Venet. et Genuen.

Non poterat Innocentius Pontifex ferre, eam Genuenſium cum Venetis conflictationem, quod ſucceſsibus in Oriente aduerſus Turcas plurimum incommodaret. Itaq; Carolo author fuit, & Vicecomitibus, vt eam diſcordiam inter duos populos terra marique potentiſſimos, diuimerent. Mantuæ aliquot diebus ea de cauſa Carolus ſubſtitit, nihilque non egit, ſi quo modo concordiam inter eos, monente Pontifice componeret. *ep. Secret. Innoc. hoc anno. Petrus Iuſtin. hiſt. Venet. lib.* 4. *Petrus Bizarrus de bello Veneto lib.* 2. *Vbertus Folieta hiſt. Genuen. li.* 7.

IX. Alii inter Reges et Principes tumultus.

Non autem tantum inter duos Italiæ populos, & occaſione illorum inter Palæologum & Cantacuzenū Imperatores Græcorum, verum etiam alibi inter Reges & principes tumultuatum eſt hoc anno. Iohannes Gallorum Rex & Edouardus Anglorum non ſatis concordes fuere. Quapropter cum Innocentius Pontifex non mediocriter angeretur, ex eo tam pernicioſo rebus Chriſtianis Regum diſsidio, iterum diligenter cum vtroque per litteras egit, vt tandem tam exitiales inimicitiæ idoneis aliquibus rationibus ponerentur.

Et Edouardus quidem Lancaſtriæ Ducem Henricū (qui primus huius honoris inſignibus paulo ante ornatus erat) cum Guillelmo Nordouicenſi Epiſcopo, Richardo Comite Arundeliæ & aliis, Auinionem ad Pontificem eius rei gratia remiſit: quo & Iohannis Galliæ Regis Legati conuenerant, & iam antea inter ſe Reges de tota re tranſegerant, tranſactionique robur iuramento vtriq; addiderant: non tamen tranſactionis acta conſignarant.

Quæ eo recidebat, vt Edouardus Aquitaniæ, ex ſummo Galli conſenſu, Principatu potiretur, frueretur ue: ipſe vero rurſus nihil ſibi deinceps iuris atque poteſtatis in Franciæ Regno attribueret aut vendicaret. Re ad Pōtificem relata, etiam ab hac ipſa concordia (neſcio qua inferni Erynne tanto bono inuidente, nouaſque odiorum faces accendente) receſſum eſt. Sollicite interim Innocentius egit cum Edouardo per litteras, de Carolo Bleſenſi Britanniæ Duce, qui paulo ante per Regios milites captus in Edouardi poteſtatem venerat honeſtis conditionibus dimittendo. Quam etiam rem, Simon Islepius à Pontifice per litteras admonitus diligenter curauit, ac tandem obtinuit, vt Rex Carolum dimiſerit.

Guidonem etiam Portuenſem Epiſcopum Cardinalem Legatum Innocentius ad Reges miſit, qui matrimonium inter Ioannem primogentium Caroli Ducis Britanniæ, & Margaritam filiam Edouardi Regis, nec nō inter filium Regis Angliæ, & Iohannam filiam eiuſdem Caroli ſtabiliret, atq; in canone Eccleſiaſtico diſpenſaret. 2. Id. Ian. & 6. Cal. Febr.

X. Oxoniæ inter Scholasticos et ciues grauiter tumultuatum.

Tumultuatum eſt id temporis, Oxoniæ, à ciuibus aduerſus Academiam concitatis: niſi me coniectura fallit, propter erumpens peſtiferum dogma Vuicclefli. Ab eo principio exortam eſſe lego. Aliquis Scholaſticorum in taberna vinaria ebrius, vinum in caput vinarii per temulentiam effuderat, eiuſq; deinde caput poculo in illud illiſo comminuerat: cum oppidani, ciuis ſui vindicandi cauſa, iram ſuam in reliquos omnes Scholaſticos nimis effrenato impetu effunderent. Biduo, quaſi inſtructa & hoſtili acie inter eos dimicatum eſt: multi vtrimq; vulneribus affecti, aliquot etiam interempti. Cumq; poſtridie viri Monaſtici ad placandum Deum, atq; leniendas & molliendas tantas animorum offenſiones ſupplicationem habuiſſent, in qua Sacroſancta Euchariſtia deferebatur: ne hæc quidem ſacra terrorem aut religionem ciuium animis iniicere potuerunt, aut à pugna deterrere. Imo Scholaſticum quendam, vt vitæ conſuleret, ad Sacerdotem qui venerandam Euchariſtiam deferebat, ſubſidii cauſa confugientem, qui nihil eos læſerat, inſequuti, grauiſſimis & lethalibus vulneribus confecerunt. Sedatus eſt tamen poſtea eodem die tumultus, videbaturque vtraq; pars ad pacem inclinata, quæ & publico edicto diuulgata eſt.

Tertio nihilominus die veteres pugnæ recruduerūt, Ciueſq; accita ſibi ad ſubſidium ingenti ex vicinis pagis multitudine, in Scholaſticos irruerunt, domos illorum effregerunt, libros cultellis & ſecuribus diſciderunt, atq; diſcerpſerunt, ſupellectilē diripuerunt, & aliquot peremerunt: qui caſus vacuam & fere deſolatam ad multos menſes, Scholaſticis alio ſe ſubducentibus, Academiam reddidit, ſolitis omnibus Scholarum exercitiis interruptis. Ob hanc cauſam, Linconienſis Epiſcopus, Oxonienſibus ſacra Eccleſiaſtica interdixit: & Rex Edouardus datis ad Simonem Islepium litteris, ſe vehementer offenſum teſtatus eſt, quod præclarum Cleri (per quem & religionem Catholicam conſtabiliri, & magnam Reipub. partem illius potiſſimum conſilio prudenter adminiſtrari dicebat) ſeminarium eſſet diſſipatum.

Edouardus Rex tumultum compescit et Ciues mulctat.

Mandauit itaq;, iubente etiam Innocentio Pontifice, vt omnes neruos Islepius intenderet, vt diſsipatos ad Academiam reuocaret, quos in ſuam ſe fidem & tutelam, vt eos ab omni iniuria & contumelia deinceps integros & incolumes præſtaret, recipere profitebatur. Redierant itaque tandem, & perturbata atq; intermiſſa ſtudia repetierunt. Actione cuiq; ſua de damnis priuatim acceptis reſeruata, ciues 250. libris Academiæ pendentis multati: Academia nouis priuilegiis munita: primæ rerum in eo oppido adminiſtrandarum: pretiumq; panis & vini aliarumq; rerum in foro venalium, quæ ad victum cōmeatumq; pertinerent, cōſtituendi poteſtas Academiæ Præſidi delata: Ciues ad ſatisdādum adacti, ſe deinceps quietem & tranquillitatem Academiæ haud perturbaturos, quibus conſtitutis, tandem poſt triennium Ciues ab interdicto ſoluti ſunt. *M S. Vatic. de rebus Anglican. Villani lib.* 4. *ca.* 35.

XI. Abominabilia Petri Regis Castellæ facta.

In Hiſpaniis grauiora: quia vniuerſi Regni ſalutem reſpiciebant. Petrus Rex Caſtellæ, Mariæ Padiliæ amoribus ſemel deditus, Blancæ Reginæ vxori lectiſsimæ occaſionem dederat, vt ea clam Regno exceſſerit, & in Gallias ad patrē reuerterit. Magna hæc ſeceſsio Reginæ perturbationem in Regno fecerat, quod proceres arma Gallica metuerent, ne illis iniuria Blancæ illata vindicaretur.

Itaque Petrum perſuaſionibus & comminationibus adeo perpulerunt, vt is Mariam, reciſis ei veſtibus

vſq; ad latera (probrum eſt moris Hiſpani, quo pellices publice afficiuntur) eiecerit, atq; Blãcam iterum adhortante etiam Innocentio reuocarit. Noctem tantum vnã cum illa manſit, & ſtatim Padiliam in eius locum ſubrogauit, raptim perturbateq; nullo comitiorum ordine. Regia voluntas pro lege fuit. Neq; hic petulantiſſimus iuuenis ſubſtitit, ſed qua inſtituerat ſocordia, nouo flagitio priora ſcelera cumulauit: prorſus, vt ſi aliorum turpitudo excuſari poſſet, hoc crimine prorſus obruatur. Ioanna Caſtria, Diegho Haro marito defuncto vidua, cui forma comparari nulla poterat, inſigni pudicitię laude viduitatis incommoda ſuſtentabat. In eam Rex prauis cupiditatibus imperare neſcius, oculos iniecerat, & quia pudicitiam expugnare non ſperabat, coniugii ſpeciem prætendit, cœlibemq; ſe eſſe finxit, quod Blancæ nuptias ex animo auerſatus fuiſſet: cuius rei teſtes indiciaq; (neq; enim deeſſe poterant) haberet. Epiſcopi, Sanctius Abulenſis, & Petrus Salmanticenſis ad ſeruitutem nati, de re ea appellati, ſecundum Regis libertatem pronunciarũt: furenti Principi repugnare non auſi vincenteq; honeſtatis iura metu periculi. Sic erat: acerba gentis fata exagitabant. Sententia pronunciata, Cuellare, quo Rex venerat, nuptiæ feſtinatæ ſunt. Copia faſtidium vt antea faciente, paucis apud nouam nuptam diebus (ſunt qui vna tñ nocte dicant) moratus, prætextu initę inter proceres coniurationis diſceſſit, Padiliamq; iterum depopoſcit. Ioanna Caſtria Regiam auctoritatem Donniis nominetenus tuebatur, acceptæq; ignominiæ velamen honeſtũ ſcilicet atq; præclarum. Ioannes filius ex iis nuptiis procreatus eſt, matri ſolamen, fortunæ ludibrium futurus. Inter hæc Petro, neq; ius neq; æquitas valebat, ſed raptim in omnes ſæuiebat. In his Ioannem Nunnium Calatrauæ magiſtrum, blandis litteris ex Aragonia reuocatũ, Macquedæ in cuſtodia obtruncari ſtatuit, doloremq; ſimulauit, vt atrocis facinoris infamiam inuidiamq; à ſe amoueret, deriuaretq; in alios. Crimẽ Nunnii erat, conſilium datum Regi, vt ad Blancam deſertam rediret. In Albuquerquii quoq; Ioannis oppida impetum Petrus fecit, & repetundarum per calumniam inſimulauit. Cumq; is ad Luſitanum Regem ſeceſſiſſet, miſſis Oratoribus dedi poſtulauit: Regiorum vectigalium, quæ diu penes ipſum fuiſſe conſtabat, rationem redditurum, lege peculatus poſtulato receptum in Luſitania eſſe non debere. Ad hæc Albuquerquius reſpondiſſe fertur: Qui reipublicæ malegeſtæ crimen imponeret, eum ad ſingulare certamen prouocare. Ferox animus continuis incommodis irritatus, contumeliam non ferebat. Quod de fiſci rationibus peteretur, non recuſare: exigerentur modo in Luſitania. Præter Albuquerquiũ, Tellium quoq;, Viſcaiæ principatu dotali ſpoliauit Petrus: quod is ſocius conſpirationis eſſet, in quam etiam Petrus Luſitani Regis filius ab Albuquerquio vocabatur.

CONIVRATVR IN PET. REG. A PROCERIBVS.

Namque Petrus Rex à tot probris infamis, vniuerſos fere proceres aduerſum ſe concitarat. Ferdinandus Caſtrius Ioannæ ſororis ignominia percuſſus, vindicareq; armis certus, coniuratorum partes ſecutus eſt. Idem fecere Tolerani ciues Regis væſaniam deteſtati, Blancæ Reginæ commiſeratione. Cordubenſes, Giennenſes, Conchenſes, Talauerã, Toleti auctoritatem ſecuti. Acceſſere paulo poſt Aragonii fratres. Fauebant Reginæ Eleonora Mariaq;, Regem malo non aliter ſanari poſſe ſperantes. Sic belli ciuilis atq; internecini fundamenta ponebantur viamq; ad regnum Henrico ſtatamonſtrabant. Non defuit Innocentius paſtorali officio, ſed datis litteris, & miſſo Bertrando Epiſcopo Senecenſi Nuncio Petrum væſanientem, ad ſanitatem reuocare conatus eſt: quanquam fruſtra. Ita animo obdurnerat, vt recte ſuadentem Pontificem negligeret. *ep. Innoc. Secret. hoc anno. Mariana de reb. Hiſp. libr. 16. c. 18. Matth. Villani libr. 4. cap. 17.*

XII. Ad XIII. Calend. Maii Innocentius Bertrandum Nuncium miſit, qui Petrum à damnatis adulteriis Mariæ & Caſtriæ, etiam per cenſuram Eccleſiaſticam reuocaret: & non tantum ipſum ſed & quoſcumque Regni Proceres ac Prælatos, qui impedimento forent anathemate percelleret. Cumq; Petrus per vim & tormenta nonnullas confeſſiones à Blanca innocentiſſima extorſiſſet, & in eis confidens, prætextum adulterio quæreret, grauiſſimis verbis & rationibus Innocentius ei crimen exprobrauit, poteſtatẽq; Nuncio Apoſtolico fecit, qui aduerſus illum, ac Prælatos & Proceres, nec non vniuerſitates ſocias inquiſitionem & iudicium inſtitueret, Petro & Sanctio Epiſcopis, qui matrimonium inter Regem & Caſtriam celebrauerant, diem ad cauſam coram Apoſtolica Sede dicendam deſignaret: omniaq; faceret, quæ ad emendandum caſtigandumq; Regem eſſe per neceſſaria, iudicaret. IV. Cal. Maii. quo etiam die omnibus Principibus & Prælatis Regni ſcripſit, vt Bertrando Nũcio ope & conſilio, in eo negotio adeſſent. Calamitatum quas patiebatur, Blanca, Innocentium admonuerat. Eam itaque datis 8. Idus Maii litteris Pontifex ad patientiam hortatus eſt: pollicitus, Deum cito impoſiturum finem miſeriis quibus afficeretur: cum is nihil eorum intermitteret, quæ ad Petrum reuocandum ad mentem videbantur. Nam & Mariam Reginam, matrem Petri, & Petrum Regem Aragonum, & omnes Regni Principes ac Prælatos interpellare litteris non deſiſtebat, vt authores eſſe vellent Petro ſanæ mentis. XIV. Calend. Iunii.

LABORAT INNOC. VT PETRVM AD SANAM MENTEM REVOCET.

## Cariſſimo in Chriſto filio Petro Regi Caſtellæ & Legionis Illuſtri Salutem.

XIII. LITTERÆ INNOC. PP. AD PETRVM REGEM CASTELLÆ VT EVM AD MENTEM REVOCET.

*Tuarum ſeries litterarum & Regionum inculcata relatio nũciorum, per quas nobis innotuit, quod quibuſdam tractatib. habitis inter Clar. mem. Alfonſum Caſtellæ & Legionis patrem tuũ & Abdalam Illuſtrem Montium Clarorum Reges, qui dicto patre tuo inchoante ac proſequente te paganæ cæcitatis relinquere tenebras, & ad lumen accedere Catholicæ deſiderat veritatis, pro exaltatione ac dilatione Chriſtianæ fidei, cuius feruentibus ſtudiis zelaris honorem proſecutionis fauorabilis adiicere operam proponebas, ingẽti vos exaltatione ac lætitia reſperſerunt, dum diuinis beneplacitis ætatis tuæ quæuis ditare primordia, & his portandis negotiis offers te ſubiecturum ſtrenue adhuc teneros humeros, quæ virum robuſtioris ætatis expetunt & requirunt, ac ſubſequẽtes deinde aliæ litteræ tuæ, per quas dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Mariæ de Padelha, quam tibi ſeducente Diabolo, & ſtimulantibus ſanguinis iuuenilis illecebris nefando commercio ſociaſti, pro ſtudio & laudãdo deſiderio fauens, ſupplicaſti nobis, vt eidem mulieri, quæ ſicut ipſamet per litteras tuas nobis aperuit, maculam commiſſæ culpæ deſiderat abluere pœnitentiæ lachrymis, conſtruẽdi vnum monaſterium Ord. S. Claræ in quo ipſa cum deputandis in eo Virginibus ſacris, vitæ reſiduum in Dei ſeruitium conſummare proponit, licentiam concedere dignaremur, ad exultationis & lætitiæ cumulum adiecerunt, noſq; ad exauditionem petitionis huiuſmodi eo promptius inclinarunt, quo per eam ad quam ſicut tuæ fauor interceſſionis accedit, ſic ſperamus felicem exitum acceſſiuum tuæ dictæq; mulieris ſaluti, de qua nimirum ſolliciti reddimur auctore Domino conſuletur, tuq; redderis liberior & efficacior miniſter ad huiuſmodi quæ proponis aggredi negotia Domini explicanda, cum ſolutus vinculis quibus damnabiliter illigaris fies de peccati ſeruo, amicus Domini Dei tui: ſiquidem ſicut ipſius mulieris ad contubernium tuum admiſſio deteſtanda te ipſi Creatori tuo proculdubio fecit & facit odibilem, ſic profecto abiectio & ſeparatio eius à te illi conſtituet & reddet acceptum, quia licet peccatores odio habeat Dominus; & inquinatorum ſordibus obſequia non acceptet, imo ab eis faciem turbatus auertat, peccatum execrans, de conuerſatione tamen eorum quaſi pater benignus exultat. Age itaq; fili, & ſicut ipſius mulieris fauiſti deſiderio, precibus ſic ad huiuſmodi operis quod eſt Dei, cuius perfecta ſunt opera, perfectionis operam ſolerter impende, vt omnis in te aboleatur infamia, & omne fiat à te periculum alienum. Mulierum etenim forma deceptrix & demulcens perſuaſio, multis fuit præcipitii cauſa, & multorum gloriam offuſcauit: nam Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier expulit, & Samſon fortis & validus qui leonem ſuffocauit, diſſoluit heſtium vincula*





*& alienas meſſes incendit, quoniam amorem ſuffocare non potuit, & cupiditatum ſuarum nexus explicare nequiuit, Dalidæ accenſus igniculo virtutis ſuæ meſſem indecenter amiſit. Dauid quoque Rex de poſt fetantes acceptus, quanquam polleret Spiritu Prophetiæ, quia in Berſabeæ concupiſcentiam exardeſcens amoris illiciti faces neglexit extinguere in innocentis Vriæ necem immaniter deſæuijt, nec duxit nefas ei vitam adimere, qui pro ſalute ſua aduerſus rebellantem Abſolon decertabat: Salomon præterea, qui velut quoddam luminare magnum, præ cæteris Regibus ſapientiæ luce reſplenduit, & vſq; ad ſenium in ſemitam mandatorum Domini ambulauit, ætate iam frigidus, ſed flammis amoris incenſus ad adorandum Aſtartem & Achamos ac Maloch Sidoniorũ & Moabitarum ac Amonitarum ſurda & muta ſimulacbra, oblitus gloriæ præpotẽtis Domini genua incuruauit, propter quod Regnum eius ſcidit & diuiſit Dominus indignatus & duodecimam tantum eius quæ remanſit regnanti poſt eum filio ſuo Roboam Dauid patris eius merita impetrarunt.*

*Multi & multi etiam alij quorum nomina & caſus deſcribere longum eſſet, & plures quorum nec celebris memoria eſt per effrenis voluptatis abruta vagantes, præcipites corruerunt. Hæc tibi licet pauca libenter exempla deſcripſimus, vt in eis quaſi quodam in ſpeculo intuearis quot & quantis diſcriminibus ſubiacent ſectãtes improuide impudicitiam mulierum, ad huius præfatæ Mariæ proculdubio neceſſariam tibi & ei conſummationem deſiderij nullas moras temporis patiaris, ne præoccupatus die mortis ſpatium pœnitentiæ quæras & nequeas inuenire.*

*Frequenter enim expectans tempus temporis conſecutione fraudatur & quod ire non intelligit demum ſentit neceſſitate cogente, vltimam tranſmiſſæ ac immutabilis ſententiam mortis excepit ſæpe iuuenis ante ſenem.*

*Et quoniam properanti cuilibet ad ſalutem non ſufficit à ſe mala quæq; præſcindere, niſi ſtudeat bonis operibus inſudare oportet inclite Princeps, & magnitudini tuæ neceſſario expedit, vt cariſſimam in CHRISTO filiam noſtram Blancham, Reginam Caſtellæ & Legionis illuſtrem vxorem tuam quam antefatæ mulieris demulcentib. illectus & deceptus blanditiis, non ſine graui creatoris tui contumelia ſalutis ac famæ diſpendio, Regnorum tuorum periculo & exemplo deteſtabili contempſiſſe & contemptam dimiſiſſe diceris, omnino recipias, & receptam ſicut eam quam diuinæ diſpenſationis munere ſortitus es vxorem, & ſociam, & quæ tecum diuinæ legis indiſſolubili ſententia facta eſt vna caro, prout decet tanti ſanguinis Principiſſam & tanto Principi matrimonio copulatam ſic amabiliter tractes & honorificentia debita proſequaris quod ipſe Rex Regum per quem tibi regnare conceſſum eſt, & quem eius præcepta contemnens in ipſius vxoris tuæ dimiſſione offendiſti & offendis grauiter ſufficienti ſatisfactione pacatus & propitius tibi factus, ac eandem Reginã de ſolio ſuo ſancto reſpiciens, tollat de domo tua in qua velut vnicum lumen irradias ſterilitatis opprobrium & populorum tuorum expectantium de femore tuo Ducem & Principem qui te tuis dormiente cum patribus eos regat, fecunditate numeroſæ prolis benigne conceſſa, deſideriis annuat, roboret thronum & ſtabiliat ſceptra tua, tuq; hæreditatem tuam verteudam ad alienos nõ metuas, quinimo læteris te illam propriis hæredibus relicturum. Dei namq; iuſſa contemnere grauis eſt culpæ, quam quia Saul Rex electus à Domino non aduertens Agag Regem & pinguia Amelech contra mandatum Domini præſeruauit, iram in ſe diuinæ vltionis accendit, & abiectus eſt à Domino ne Rex eſſet, & Regnum ſciſſum eſt ab eodem cum ſit melior obedientia victimis, & auſcultare arietum adipi præferatur.*

*Cum ergo vir proprij corporis poteſtatem non habeat ſed mulier ſibi vera vxor cui homo dimiſſis parentibus propriis adhæreat, ac in matrimonio conſtitutis ne proprias vxores dimittant, à Domino ſit præceptum, ſic amantiſſime fili errata corrigas, ſic erga Reginam eandem zelum tuæ tepeſcentis excites caritatis, ſicq; diuinis iuſſionibus obedias reuerenter, quod non tranſgreſſor temerarius, ſed diligens cuſtoditor huiuſmodi præceptorum Domini re & nomine comproberis. Cæterum attendentes quod inexpugnabile munimen quibuſcumq; regnantibus amor eſt populorum, precibus & exhortationibus noſtris adijcimus, vt Magnates & Nobiles & cæteros populos Regnorum ipſorum & præcipue dilectos filios Ioannem Alfonſi de Albuquerquio, & quoſdam alios viros Nobiles genere ac virtute contra quos diceris ex cauſis imo verius occaſionibus friuolis liuorem odij concepiſſe benigne tractes, & placide proſequaris, vt ſublata qualibet occaſione rãcoris eorum ad te creſcat ſemper deuotio, amplietur fides, ac tua quoq; ad eos dilectio augeatur, ſicq; decurrente reciproca inuicem caritate, tibi honor & gloria ac Regalis ſtabilitio ſolij & vtriſq; proſperitatis & tranquillitatis arrideat plenitudo.*

*Sub his autem venerabilem fratrem noſtrum Bertrandum Epiſcopum Senecen. Apoſtolicæ Sedis Nuntium latorem præſentium virum vtiq; multæ probitatis & gratiæ ad te prouidimus deſtinandum, vt noſtram ad te viua voce plenius inſinuet & exprimat caritatem.*

*Et ideo petimus, vt ipſius Epiſcopi ſuper his & aliis quæ tuum & Regnorum tuorum prædictorum honorem ſtatumq; reſpiciunt pro parte noſtra relatibus cum ſperatæ ac placidæ ſatisfactionis effectu adhibeas plenam fidem. Dat. Auenion. VIII. Idus April. anno ſecundo.*

II.

## CARISSIMÆ IN CHRISTO Filiæ Blanchæ Reginæ Caſtellæ & Legionis Illuſtri Salutem, &c.

XIV. LITERÆ CONSOLATORIÆ INNOC AD BLANCAM REGINAM PETRI VXOREM.

*Litteræ tuæ per quas cariſſimi in Chriſto filij noſtri Petri Reg. Caſtellæ & Legionis Illuſtris viri tui iuueniles actus & motus, qui nec maritali pudicitiæ nec Regiæ grauitati conueniunt filialibus Nobis litteris deſcripſiſti, graui nos amaritudine reſperſerunt & ad compaſſionis erga te plenioris affectum, eo potius excitarunt, quo te ſinceriori proſequentes in Domino caritate, afflictiones & anguſtias tuas, quibus te Saluator humani generis zelo paternæ dilectionis exercet quadam tecum communicatione partimur.*

*Sed quoniam generoſos ſpiritus Deus temptat & eos quos diligit ne per inertiam langueant frequenter aduerſitatum agitatione confirmat. Nos per huiuſmodi afflictiones tuas, amorem ad te feruere Domini cognoſcentes & ſperantes indubie quod eo citius & plenius tibi tranquillitatis votiuæ proſperitas illucebit quo aduerſitatis procella fortiter intumeſcens à ſolo ſpiritu voluntatis præcipitis ſuſcitatur. Serenitatem tuam attente rogamus, quatenus hæc prouide intuẽs cõfor teris in Domino & in eo qui poſt nubila ſerena tempora benignus indulget confiſa quod anguſtiis tuis imponet cito miſericors terminum conſoleris. Nos quoq; ad ipſius præceſſæ pacandos turbines Apoſtolicæ auctoritatis zelum erreximus & ſic iniuſtos motus comprimere iuſte proponimus duce Deo quod iuſtitiæ tuæ prouiſio non deerit oportuna.*

*Et vt huiuſmodi negotium celeriorem & fauorabiliorem habeat Deo præſtante progreſſum venerabilem fratrem noſtrum Bertrandum Epiſcopum Senecen. Apoſtolicæ Sedis Nuncium cum opportunis fauorabilibus & efficacibus litteris ad eundem Regem propter hoc ſpecialiter deſtinamus. Datum apud Villamnouam Auinion. diœc. VIII. Id. Maij an. 2.*

XV. STATVS RERVM ITALIÆ.

In Italia, CARDINALI EGIDIO Sedis APOSTOLICÆ LEGATO, ex animi ſententia plurima eueniebant. Cum enim ſtatum vrbis Romanæ, inſigni dexteritate compoſuiſſet, & præclaris legibus pacem concordiamque ciuium conſtabiliuiſſet, exercitum contra IOANNEM Vici Præfectum, qui Viterbium, & nonnulla Patrimonii Diui PETRI bona Eccleſiæ Romanæ occupauerat, & anathema à Pontifice in contumacem ad 11. Idus Martii latum contempſerat duxit, tantumque ſatagendo egit, vt is ſponte ad Legatum concedens, genu flexo, Viterbium, & cuncta quæ vſurpauerat, reſtituerit.

Exemplum Præfecti & Viterbienſium Vrbeuetani ſecuti, duce Radulpho Camerte ſeſe Legato permiſerunt, iuramentoque dato obedientiam Sedi Apoſtoli-

cæ ſpoponderunt: die VIII. Decembr. Eugubinorum etiam tyrannus, Ioannes Cantucius, ad primos dies Iunii, ſe & ciuitatem Legato dederat: Gentilis quoque Moglianus, Firmum & reliqua Marchiæ Anconitanæ ei reſtituerat: Malateſta & Galeotus Ariminum reddere recuſabant. Contra quos Innocentius, edictum Ioannis XXII. Benedicti XII. & Clementis VI. aduerſus occupatores bonorum Eccleſiæ prolatum, innouauit. Nec non in contumaces, quod ad diem deſignatum, vt cauſam coram Apoſtolica Sede dicerent, non veniſſent, quinimo & alias ciuitates in Picæno inuaſiſſent, anathema tulit: diemque illis, vt tamquam hæretici, de fide reſponſuri, intra quatuor menſium decurſum Auinione comparerent dixit. publicato monitorio in audientia contradictarum per edictum. *ep. Secret. Innoc. hoc anno Liber Iuramentorum M.S. Vatic. coram Egidio Cardin. Villani lib. 4. c. 8. 9. 12. &c.*

XVI.
Edictum Innoc. PP contra Ordelaffum et eius ſocios bonorum Eccleſiaſt. occupatores.

Franciſcus Ordelaffus Foroliuien. tyrannus, Malateſtarum imitatione, & ipſe nonnulla occupabat. Contra hunc & ſocios quoſcumq;, Innocentius, ſubſequens edictum promulgauit. Ita habet.

*Innocẽtius Epiſcopus ſeruus ſeruor. Dei. Ad futuram rei memoriam. Sedentis in throno paſtoralis eminentiæ ſtudium adhoc laborat aſſidue, ad id enititur inceſſanter, vt proſpiciens remedia opportuna ſubiectis, nunc illis vtilia ſtatuat nunc perículoſa & nociua ſuccidat, & nonnunquam miſericordis patris implens affectum, ac frequenter exercens officium iudicis cum iuſtitia ſæuientis exerit quia ex ore procedit ipſius gladius acutus, quo ſicut viros timoratos medicinaliter parturit, ſic vtiq; pertinaces & impios ſpiritualiter ferit, temporaliterq; percellit. Dudum ſiquidem fel. rec. Ioannes Papa XXII. prædeceſſor noſter omnibus Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Poteſtatibus, Capitaneis, & Officialibus quibuſcunq; ac alijs vniuerſis & ſingulis Clericis & Laicis cuiuſcunq; ſtatus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis exiſterent, etiamſi Regia vel Imperiali aut Pontificali ſeu quauis alia dignitate fulgerent, Cõmunitatibus quoque ac Populis Ciuitatum, Terrarum, Caſtrorũ, & aliorũ locorũ quorumcũq; vbicũq; conſiſtentiũ de fratrum ſuorum conſilio auctoritate Apoſtolica diſtrictius inhibuit, ne per ſe vel alium ſeu alios directe vel indirecte, publice vel occulte Romãdiolæ, Marchiæ Anconitanæ, Ducatus Spoletani, Patrimonij B. Petri in Tuſcia, ac Maſſæ Trebariæ prouincias, nec non Venayſini, Bretenorij, & olim Vrbin Comitatus, ac Vrbinatẽ. Rauen. Beneuẽtan. & alias Ciuitates, Terras, caſtra, villas, & alia loca quæcunque ad Romanam Eccleſiam pertinentia, vel ipſorum, aut alicuius eorum partem occupare, inuadere vel turbare, ſeu fidelibus ipſius Eccleſiæ incolis & habitatoribus eorundem, iniurias, damna ſeu violentias irrogare, aut occupantibus, inuadentibus, & turbantibus ea vel iniurias, damna ſeu violẽtias irrogantibus illis inſiſtere, aut conſilium, auxilium vel fauorem præſtare præſument, ac in omnes & ſingulos contra inhibitionem huiuſmodi venire aut attentare quomodolibet præſumentes tam Clericos quam Laicos, etiamſi vt præmittitur Regali aut Imperiali vel Pontificali, ſeu quauis alia dignitate fulgerent, ſententiam promulgauit excommunicationes & nonnullas alias ſpirituales & temporales ſententias atque pœnas. Et ſubſequenter piæ memoriæ Clemens Papa VI. dicti prædeceſſoris Ioannis ſucceſſor, prædeceſſor noſter proceſſus eiuſdem prædeceſſoris Ioannis inhibitionem & promulgationem huiuſmodi continentes, de fratrum ſuorum conſilio de quorum numero tunc eramus innouauit & confirmauit, ac voluit vim perpetuæ conſtitutionis habere. Poſtmodum vero cum damnationis filius ac perditionis & abominationis alumnus Franciſcus de Ordelaffis Miles Foroliuien. Ceſenat. & Foropopulien. ciuitatum primo & ſubſequenter Bretenori, Meldulæ, Caſtricari & nonnulla alia Caſtra in & de dicta Prouincia Romandiolæ ad Nos & dictam Eccleſiam Romanam immediate ſpectantibus exiſtentia, quæ ad Nos & Eccleſ. ipſam nullo medio pertinent, execrabilis ambitionis ardore tyrannice occupaſſet, illaque detinuiſſet, & detineret, prout detinet in animæ ſuæ præiudicium & grauamen, diuinæ Maieſtatis offenſam, eiuſdem Eccleſiæ damnum fidelium & deuotorum ipſius diſpendium & iacturam, pernicioſum exemplum, & ſcandalum plurimorum damnabiliter occupata & ob hoc huiuſmodi excommunicationis & alias ſententias & pœnas ſpirituales & temporales in prædictis eiuſdem prædeceſſoris vt præfertur, contentis proceſſibus manifeſte & notorie incurriſſet, eaſq; ſuſtinuiſſet per plures annos & ſuſtineret, prout ſuſtinet vilipendens claues Eccleſiæ animo indurato. Idem prædeceſſor Clemens præfatum Franciſcum de Ordelaffis poſt ſalutaria monita & paternæ ac dulcis exhortationis affatus, quibus erga eum hærentem luto damnationis æternæ immo in illud præcipitãter immerſum per Legatos & Nuntios ſuos & Apoſtolicas litteras ſtudio pij patris frequenter inſtiterat, vt obtenebratos caligine peccatorũ oculos ablueret pœnitẽtiæ lachrymis, & illos ad Deũ Creatorem ſuum attolleret lotos, vt ſalutis lumẽ recipere mereretur. Et quod ipſe Franciſcus de Ordelaffis obturatis auribus obſtinati cordis contumaciter obaudiens ea omnino cõtempſit, tam ex præmiſſis quam aliis cauſis habens merito de fide ſuſpectum, ipſum primo & ſecundo peremptorie citauit, vt infra certos competentes terminos, quos ei peremptorie ſtatuit, ſucceſſiue coram eo prædeceſſore Clemente reſponſurus de ipſa fide perſonaliter compareret.*

*Cumq; Franciſcus idem aliquo dictorum terminorum, & poſt ipſos de benignitate Sedis Apoſtolicæ diutius expectatus comparere minime curauiſſet, imo quaſi pepegiſſet cum iniquitate fœdus, mala malis accumulare, ac prioribus adijcere peiora, quæ ſilentio ex cauſa relinquimus, non timere idem prædeceſſor Clemens VI. Idus Iulij Pontificatus ſui anno vndecimo memoratum Franciſcum reputans prout erat in cauſa ipſius fidei contumacem in eum tamquam contumacem in dicta cauſa excommunicationis ſententiam promulgauit.*

*Et licet Eccleſia ipſa, quæ per fundatoris & rectoris ſui Chriſti Ieſu veſtigia gradiens, non vult mortem peccatoris, ſed vitam eius quærens conuerſionem ipſius ex affectu maternæ pietatis expectat, antefatum Franciſcum hucuſque expectauerit anxia, ſperans quod ipſe accedens ad cor carneum & ſpiritum compunctionis aſſumens pedes ſuos ab inuio reuocaret ad viam, & errata corrigens ea fruge vitæ redimeret melioris. Ipſe tamen Eccleſiæ memoratæ, clementia & benignitate abutens, in ſuperbia & contemptu & cum Sathana, in cuius ſortem prauis operationibus ſuis ceſſit perire malens quam per contritæ mentis humiliationem & pœnitentiæ lauacrum accedere ad ſalutem, huiuſmodi excommunicationis ſententiam in eum per eundem prædeceſſorem Clementem in cauſa eiuſdem fidei, vt prædicitur latam per annum, & amplius ſuſtinuit & ſuſtinet animo pertinaci, & propter quod eſt merito velut hæreticus condemnandus. Nequeuntes igitur & nolentes ipſius Franciſci de Ordelaffis virulentam nequitiam, quæ ſerpit & mordet vt coluber, pungit vt ſcorpio, rodit vt cancer, demolitur vt tinea, & inficit vt venenum, vlterius ſub nociuæ ac periculoſæ conniuentiæ pallio præterire, immo ſic ipſius notam fieri & omnino conteri prauitatem, vt nulli ſub pelle ouino de cætero, lateat lupus rapax, ſed ipſius Eccleſiæ iuſtæ ſententiæ cenſura colliſus, velut opprobrium hominum, & plebis abiectio ab omnibus confutetur, ipſum per hoc publicæ citationis edictum, cuiuſmodi citationis modum ex certis rationabilibus cauſis duximus eligendum, peremptorie præſente hac fidelium multitudine copioſa citamus, vt vigeſima die menſis Iunij proxime futuri, quã ei pro perẽptorio termino aſſignamus, hora conſiſtoriali compareat perſonaliter coram nobis auditurus ſententiam per nos in cauſa huiuſmodi fidei proferendam. Vt autem huiuſmodi noſtra citatio ad dicti Franciſci de Ordelaffis & ad aliorum quorum intereſt notitiam deducatur, cartas ſiue membranas citationem continentes eandem in audientia publica literarum noſtrarum legi, & maioris Eccleſiæ Auinionen. affigi oſtiis ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ citationem eandem ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, vt ijdem Franciſcus de Ordelaffis & alij quorum vt præmittitur intereſt, quod ad eos non peruenerit, vel quod ignorauerint eandem, nullam poſſint excuſationem prætendere vel ignorantiam allegare, cum non ſit veriſimile apud eos remanere incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.*

*Denique volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod citatio ipſa perinde Franciſcum de Ordelaffis arctet eundem, ac ſi ei perſonaliter & præſentialiter inſinuata & intimata fuiſ-*





*ſet. Non obſtantibus Conſtitutionibus contrariis quibuſcumque. Cæterum licet venientes ad dictam Curiam, morantes in ea, & recedẽtes ab ipſa, debeant plena ſecuritate gaudere, ac inſpoliantes, capientes, & detinentes venientes ad dictam Curiam, morantes ibidem vel aliunde recedentes huiuſmodi excommunicationis & anathematis ſententiæ ſint per proceſſus Apoſt. promulgatæ, necnon dictus Franciſcus de Ordelaffis Rom. Curiam communem omnib. patriam locum ſibi minus tutum, aut propter inimicitias, vel ex aliis cauſis imminere ſibi periculum in itinere veniendi ad dictam Curiam ad excuſationis ſuæ velamen ſeu pallium forſan alleget, vniuerſos & ſingulos Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos ac alios Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælatos & Clericos ac perſonas Eccleſiaſticas, nec non Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Milites, Poteſtates, Capitaneos, & Officiales, eorumque Locumtenentes, nec non Communia Ciuitatum, & Vniuerſitates oppidorum & aliorum quorumcumq; locorum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium requirimus & hortamur, vt eidem Franciſco de Ordelaffis, & familiæ ſuæ veniendo ad dictam Curiã, morando in ea & recedendo ab illa, in perſonis, bonis, & rebus eorum nullam inferant iniuriam, moleſtiam vel offenſam. Nulli ergo, &c. noſtræ citationis, aſſignationis, voluntatis & conſtitutionis infringere &c. Dat. & act. Auinion. in Palatio Apoſtolico II. Id. Martij Pont. noſtri anno 2.*

XVII.
Ordelaf excommunicatur.

Huic edicto tantum abeſt vt Ordelaffus obtemperauerit, vt etiam magis obdurauerit. Quamobrem neceſſe habuit Innocentius, tamquam in hęreticum & Romanę Eccleſiæ hoſtem anathema pronunciare, ſacris in omnibus locis quæ occupauerat interdicere, & bellum ſacrũ in prophanum edicere. Impius ad ſonitum campanæ quando diris deuouebatur, etiam ipſe alias campanas pulſabat, & in Summum Pontificem atque Cardinales, ex aliqua materia effictos ac fœno infarctos anathema pronunciabat: nec non clerum ad ſacra obeũda per vim compellebat. Quod ſi qui contrairent, eos ad necem dabat. Septem ſacerdotes furcis appendit, & totidem viuos excoriauit, quod ſacrificare noluiſſent. Si quos autem ex Cruce ſignatis militibus comprehendiſſet, eorum plantas pedum, ferro ignito in formam Crucis effigiato adurebat, & ſignatos dimittebat: in contumeliã Crucis dicens; *illud ſignum è panno tincis patere*, à ferro autem impreſſum perennare. Alios ex eiſdem forcipibus ignitis nudos vellicabat, & vel patibulis affigebat, vel capite imminuebat, vel pellem viuis detrahebat, aut aliquo alio modo innocentes enecabat: cum hac irriſione; *melius illis fore, ſi contriti & confeſſi in ea diſpoſitione morerentur, quam dimiſſi, occaſionem haberent in peccatum relabendi, M.S. Biblioth. Vaticanæ de rebus huius temp.*

Immaniter in ſacerdotes et Cruceſignatos ſæuit

XVIII.
Multi Minoritæ falſa dogmata ſpargunt contra ſum. Pont.

Manauit iſtud, contemnendi claues exemplum, à nonnullis Minoritanis, quibus illud ſolenne iurgium, de Chriſti & Apoſtolorum paupertate, contra Apoſtolicã Sedem placuerat. Hoc etiã anno (Rebdorffi verbis narro) multi de Ordine Minorum Fratres inceperunt dogmatiſare, & diſputare, de proprio & paupertate Chriſti & Apoſtolorum, contra diffinitionem & determinationem Ioan. Papæ XXII. aſſerentes, quod Papa non potuit reuocare Conſtitutionem Nicolai Papę III. quæ incipit. *Exijt qui ſeminat. de hæret. lib. 6. & de verborum ſignificationib.* Item quod Papa ex quacumque cauſa non poſſit delere Ordinem Fratrum Minorum. Vnde duo apoſtatæ prædicti Ordinis capti ſunt in monte Peſſulano, vnus Sacerdos, alter Conuerſus, & ducti Auinionem, & de mandato Innocentii Papæ examinati, confeſſionem ſuam in quodam longo libello, multos circa præmiſſa articulos continente, legerunt: publice affirmantes, quod Papa Ioannes prænominatus, & omnes ſucceſſores ſui, necnõ ipſe Innocentius Papa, contrarium aſſertioni illorum aſſerentes fuerint & eſſent hæretici & peruerſi: nec ad quamcumq; dignitatem vel beneficium Eccleſiaſt. titulum haberent. Propter quod iidem Minores, ſacerdos quidem degradatus, Conuerſus vero habitu Ordinis exutus, in præſentia Dom. Papæ traditi ſunt curiæ ſeculari, & infra octauam Pentecoſtes igne cremati. Hi dum ad ſupplicium irent, alta voce clamabant; *Gloria in excelſis Deo*: Et dicebatur publice, quod plures profeſſi Ordinis illius fuerint traditi curiæ ſeculari, & cremati in Vaſconia, & in Italia propter præmiſſos articulos: quos duo præmiſſi dicebant vere Martyres. Adeo a. dementauerant plurimos, vt non pauci ex illis qui præſtare ſcientia dicebantur, eoſdem errores defenderent. *Rebdorff. in Annal.* Fuere ex illis, qui ſe à reliquo Franciſcanæ religionis corpore diuiſerant. Qui vt à reliquis diſtincti agnoſcerentur, temeritate propria quoſdam habitus cum paruis caputiis curtos, ſtrictos, inuſitatos, & ſqualidos aſſumpſerant quemadmodum ſuperius ann. 1318. Io. 22. depinxerat. In hos auulſos, & in errorib. variis obſtinatos, Innoc. Pont. hoc anno ſententiam tulit. *ep. 202.*

XIX.
Aliæ diverſæ Innoc. Pap. res geſtæ.

Eodem anno Pont. 1. Petrum Regem Aragonum, ne à Capit. Vrgelitano inuito, ſubſidium in ſumptus bellicos extorqueret, propoſito anathemate, inhibuit. XVII. *Cal. Febr.* 2. vt & ille, & Petrus Rex Caſtellæ, bona quondam militiæ templi à Clem. Quinto, & Io. XXII. Hieroſol. militib. attributa, reſtituerent, impetrauit. XII. *Cal. April.* 3. vt Petrus Rex Caſtellæ, ad conuerſionem Mauritanorum attenderet, admonuit. *ep. 45.* quodq; Monaſterium S. Claræ, ad inſtantiam Mariæ Padillæ, in quo illa repudiata reliquum vitæ vna cũ aliquot virginib. Deo ſacratis exigere poſſet, ædificare decreuerat, quam primum erigeret: & tum Blancam vxorem honeſte haberet, tum Io. Alphonſi Albuquerquium, & cæteros nobiles, Regni ſui benigne proſequeretur, pro ſuo iure interpellauit. VIII. *Id. April.* 4. vt Ioan. Vicecomes Archiepiſc. Mediolanen. neptem ſuam Roberto Dyrrachiano in matrimonium collocaret ſuaſit. *Non. Mart.* 5. Ne Ludou. & Ioann. Reges Siciliæ, qui per ſeditionem Trinacriorum, aliquot eius inſulæ ciuitates ceperant, à progreſſibus bellicis aduerſus iniquos occupatores Regni Siciliæ deſiſterent, ſed victorias continuare pergerent, mandauit: cenſumque ex eo regno conſuetum exegit. *ep. 175.* 6. Henr. Ducẽ Brunſuicen. contemptorẽ ſuperum, qui Eccleſiaſt. nerui vincula diu diſſimulans tolerauerat, Eccleſiæque Hildeſemen. grauiſſimus incubuerat, tandem pænitentem & Eccl. ſatiſdantem, anathemate exſoluit. *Crantz. Saxon. li. 9. c. 28.* 7. Marchionem Brandenburgen. qui Eccleſiam Tridentinam, fere omnib. bonis exuerat, vt Carol. Rex Roman. armis compeſceret, hortatus eſt *Auin. Non. Nouemb.* 8. vt Robert. Dyrrachianum, recens Mediolan. electum, Iacob. Sabaudiæ Comes è vinculis liberaret, nihil non egit, adeoq; diris contemnentem deuouit. 2. *Non. Nouem.* 9. Caſimiro Regi Poloniæ aduerſus paganos Lituanos dimicanti, decimam omnium Eccleſiaſt. in regno prouentuum conceſsit. *x. Cal. Decem.* 10. Stephanum Regem & Ioannicium Patriarcham Raſsiæ, vt erroribus relictis, ad vnitatem Fidei Orthodoxæ redirent, populumque reducerent, miſsis Oratoribus & literis admonuit Placet ſtatum eius Eccl. ex literis ipſis Pont. cognoſcere. Ita habent.

I.

Stephano Regi Raſciæ Illuſtri gratiam in præſenti quæ perducat ad gloriam in futuro.

XX.
Lit. Innoc. Pap. ad Reg. Raſsiæ quib. patet quis ſtatus tunc fuerit Eccl. dicti Regni.

*Per dilectos filios Nobiles viros Boſſidarium Iudicem generalem & Neſtegium Cephaliam Seren. ac Damianum de Catani Ciuem Cataren Apocriſarios & procuratores Magnitudinis tuæ ad nos & Sedem Apoſt. dieb. non longe præteritis deſtinatos, & præſentatas nobis per Apocriſarios ipſos literas Regias aurea tua bulla munitas, noſtro Apoſtolatui intimaſti quo audito quod quidam Eccl. & Monaſteriorum Prælati Regni tui fideles eiuſdem Eccl. erant Eccl. & Monaſteriis in quibus canonice inſtituti fuerant per quoſdam abominationis filios contra iuſtitiam deſtituti, & quod alii quidam eiſdẽ ac aliis fidelib. S. Rom. Catholicæ & Apoſt. Eccl. in eodẽ Regno morantib. iniurias & cõtumelias irrogarãt & quoſdam ex fidelib. ipſis ad reiterandũ baptiſmatis & confirmationis per eos rite ſuſcepta irreiterabilia Sacramenta inuitos coegerãt nõ ſine graui offenſa Dei & læſione fidei Chriſtianæ, tu velut ſincerus ipſius fidei zelator & cultor id moleſte ferens ac gerens prout debueras admodum diſplicenter, & cupiens pro reuerentia Redempt. tui, qui eiuſdẽ auctor eſt fidei, & pro ſalutis tuæ merito tãtis malis prouiſionis tuæ ſtudio ſalubriter obuiare, ſub indagationis tuæ*

*pœnis diſtricte præceperas prælatos deſtitutos eoſdem ad Eccleſias & monaſteria ipſa quibus fuerant ſicut præmittitur deſtituta reſtitui cum effectu ſex monaſterijs tunc expreſſis duntaxat exceptis quibus de propriis Abbatibus ad euitanda ſcandala & pericula imminentia tunc reſtitutio non poterat fieri, & ad quæ poſtmodum tempus opportunitate captata illos reſtitui procuraſti; quodque publice ac patenter & ſub formidabilibus pœnis edixeras, quod nulla Eccleſiaſtica ſæculariſque perſona Latinos vel alios fideles eiuſdem Eccleſiæ ſecundum verum & Catholicum ritum eius baptizatos & confirmatos rebaptizare ſeu reconfirmare aut eiſdem fidelibus iniuriam ſeu violentiam irrogare ſiue ipſos perſequi vel moleſtare præſumeret quoquo modo & quod omnes Epiſcopi & Abbates ac alij Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælati Presbyteri & Clerici ſeculares & regulares fideles ipſius Eccleſiæ vbicumque & quomodocunque in Regno detenti prædicto reſtituerentur debita libertati, & ad Eccleſias Monaſteria, & Eccleſiaſtica beneficia ſua quemlibet libere ac ſine impedimento redirent, diuina in eis celebrarentur officia, & prout ad eos alias pertineret miniſtrarent eiſdem, ac alijs Chriſti fidelibus iuxta Eccleſiæ præfatæ conſuetudinem rectam & obſeruantiam ſalutarem Eccleſiaſtica ſacramenta; & quod licitum eſſet omnibus in dicto Regno morantibus fidem quam Eccleſia ipſa tenet docet & prædicat tenere libere ac prout eis competeret illam docere voce libera & publice prædicare & quod vt ſinceriorem te probares verioribus argumentis ipſius Catholicæ fidei amatorem, eos qui ſecundum huiuſmodi ritum & formam Eccleſiæ prædictæ baptiſmatis, & cōfirmationis ſuſceperant ſacramenta, & vel vi metuve coacti ſicut prædicitur vel forſan errore deuij huiuſmodi ſacramenta iuxta vſum immo abuſum verius & abominationem aliam damnabiliter iterarant, arbitrio eorum libertatique relinquens ipſis ab huiuſmodi reatu beneficium abſolutionis impendi, eoſque reaggregari vnitati eiuſdem Eccleſiæ deuota mente petieras ac pro ſtudio procuraras, ac tandem Eccleſiam ipſam dominam & Magiſtram Chriſtianorum omnium ac Romanum Pontificem vniuerſalem Chriſtianorum ipſorum patrē & verum ipſius Chriſti Vicariū ac Beati Petri Apoſtolorū Principis ſucceſſorem firmiter aſſerens ſimpliciter confitens & humiliter recognoſcens deuota inſtantia ſupplicaſti, vt tibi Apoſtolicæ benedictionis munus per Apoſtolicas litteras mittere & nihilominus deſtinare ad Regnum ipſum aliquos viros probos timentes Deum, & in lege ipſius plenius eruditos, qui venerabilis fratris noſtri Bartholomæi Epiſcopi Tragurien. dudum in partibus illis Apoſtolicæ Sedis Nuntij feliciter fauente Deo inchoatis operibus proſecutionis adijcerent ſtudium per quod ad optatum perducerentur exitum dignaremur, Idemque Tragurien. Epiſcopus cuius relatibus adhiberi fidem per eaſdem litteras petijſti nobis expoſuit quod tu populo Chriſtiano partium Orientis ſuper afflictionib. & perſecutionib. duris quib. eos Turchorū furor immanis indeſinenter angariat viſcera pietatis Regiæ ad compaſſionem aperiens, & ad opprobria exprobrantium nomini Chriſtiano tollenda, & auferendam perfidam gentem credentium de finibus accedens animi tui zelum & excitans potentiam Regiæ dignitatis deſiderabas ab eadem Eccleſia Matre tua contra Turchas ipſos Capitaneus ordinari, vt ipſius Eccleſiæ ſpirituali adiutus auxilio & directus conſilio in virtute altiſſimi, qui piis fauet libenter operibus gregem Domini ipſum videlicet populum de luporum eorumdem ſcilicet Turchorum faucibus potenter erueres & ſubactam iugo miſerabilis ſeruitutis Chriſtianam abſolueres libertatem. Quibus omnibus intellectis exultauit cor noſtrum in Domino lætatus eſt ſpiritus, & mens ipſa in iubilum gaudij potioris erupit ac eadem Eccleſia mater tua ei qui vbi vult ſpirat & corda Regum in manu ſua continet poteſtatis, quique hunc tibi formauit animum & infudit affectum ſuppliciter agens humiles gratias & laudationum debita vota perſoluens ipſum orauit & orat aſſidue, vt te in hac zeli rectitudine in hoc feruore ſpiritus, in hac puritate fidei, in hac deuotionis ſinceritate conſeruet, dieſque tuos longæuos faciat; & poſt bella Domini ad quæ robur tuæ potentiæ animoſe ac ſtrenue obtuliſti feliciter conſummata in ſua pace diſponat, ſicque tibi te ac ſubditas tibi nationes regere & gubernare concedat, quod poſt huiuſmodi labilis peregrinationis excurſum vna cum eis ad Sancta Sanctorum puris introire mentibus merearis.*

*Porro fili cariſſime poſt dictorum Apocriſariorum tuorum ad te reditum affectionis quam ad tanti boni felicem exitum nimirum gerimus, nos continua ſollicitauit inſtantia, & eo nobis ſtudium diligentiæ potioris indixit attentius, quo in rebus auide concupitis ſicut frequenter experientia didiciſſe te credimus, ipſa quoque celeritas ſæpe tarditas reputatur. Tandem cogitantes & perquirentes cum omni ſolertia viros quos tanti miniſterij promotioni vtili vtiliter deputare poſſemus, inter cæteros quos indagationi noſtræ idoneos ad huiuſmodi miniſterium conſideratio multiplex obtulit, idem Epiſcopus Tragurien. occurrit. Etenim ipſe cum ſit tibi familiariter notus, & ſicut eædem literæ teſtabantur pro meritis ſuis acceptus & carus, poterit efficacior promotor eſſe negotij, & pro eo quod tanto bono, bonum, Deo fauente dedit initium, vt illud ad finem ipſo dirigente ac promouente perducat inſtantius laborabit, cum ex more opifex quilibet conſummationem ſui afficiatur ad operis & ad conſeruationem eius ſollicitus inducatur. Cui etiam venerabilem fratrem noſtrum Petrum Epiſcopum Pacten. Magiſtrum in ſacra pagina, virum vtique religioſum vita & moribus conuerſatione laudabilem & plenum timore Domini, dedimus ſocium, ac ſimul ambos ad te ipſumque Regnum tuum ſub fiducia eius, qui concordiam in ſublimibus ſuis parat, quique parietem vtrumque connexuit præſentialiter deſtinamus, vt ex ſparſo in eodem Regno per Epiſcopum Tragurien. eundem ſemine verbi Dominici vitalem ſegetem pullulantem, doctrinæ ſalutaris aqua irrigent, ſuccidant renaſcentium ſpinas errorum, euellant ſchiſmatum ſuccreſcentium tribulos, & ſeminatorum eradicent zizaniam ſcandalorum: ſicque ex huiuſmodi ſegete diligentibus purgata cultoribus, dante illi Domino incrementum manipulorum multitudo, fidelium ſcilicet numerus copioſus, meſſis in tempore colligatur, & fides ipſa quam mediator Dei & hominum Chriſtus ſupra firmam Petri petram, id eſt, ipſam Romanam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, cuius ipſe Chriſtus caput fundator & Rector eſt, ſic firmiter ſtabiliuit, ſicque illam eidem Eccleſiæ inſeparabiliter copulauit, quod licet multos ab ipſius Eccleſiæ corpore fallente Diabolo vel contagioſus hæreſis morbus abiecerit vel ſciſſura damnati ſchiſmatis ſepararit, ipſius tamen fidei immaculata ſinceritas apud eandem Eccleſiam permanēs velut tritici granum in area, quod per paleæ purgatur abſceſſum & lux fulgentis ſideris quæ irradiat per excuſſionem offuſcantium ſplendidius clarior eluceſcit, palmites ſuos vbique dilatans figenſque radices emicet purior & fructus quibus eadem mater Eccleſia, quaſi renaſcentis prolis numeroſitate, fœcunda auctori ſuo iocunditatis & lætitiæ cantica replicet, in vbertate producat. Quapropter Serenitatem Tuam monemus, requirimus & hortamur in Domino, illam attente rogantes, tibique in remiſſionem tuorum peccaminum ſuadentes, quatenus eoſdem Epiſcopos pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reuerentia benigne recipias & fauorabiliter proſequaris, ipſorumque ſalutaribus monitis & doctrinæ deuotius acquieſcas, ac intuens quod Dei noſtri perfecta ſunt opera & quod iuxta Euangelicam veritatem non qui incepit ſed qui perſeuerauerit ſaluus erit, ipſius Redemptoris noſtri actiones pro viribus imiteris, ac in bono conſtanter opere perſeuerans ad ipſius feliciter inchoati negotij votiuam conſummationem ſic velut diligens operator ſolerter intendas, quod in eo præſtante Domino & tuo cooperante miniſterio ſtudioſo, noſtris & communibus fidelium Chriſti votis & expectationibus ſatisfiat, ipſeque retributor omnium bonorum Deus cuius eſt idem negotium proprie proprium, & cui nunquam ſine remuneratione ſeruitur eiuſdem Regni tui terminos ampliet, dilatet fines, thronum corroboret & ſceptra confirmet ac tandem te ſubiectoſq; tibi populos cæleſtis Regni faciat cohæredes. Noſq; non ſolum in huiuſmodi Capitaneatus officio ſed in quibuſcūq; aliis honeſtis & licitis vota tua quantum cum Deo poterimus Apoſtolicis fauoribus proſequamur. Datum Auen. VI. I. Id. Ianuar. Anno 2.*

Eodem modo ſcript. Helenæ Reginæ, & Oroſio Regis filio, atq; Regni principibus, pauculis immutatis.

Vene-



II.

Venerabilibus fratribus Bartholomæo Tragurien. & Petro Pacten. Epiſcopis Apoſtolicæ Sedis Nuntiis ſalutem, &c.

XXI. EIVSDEM INNOC. AD NVNTIOS APOST. IN REGNO RASSIÆ MONITORIÆ LITERÆ DE ERRORIBVS RECENS NATIS EXTIRPANDIS.

*Inter cætera quæ Apoſtolatus officio, cui quanquam immeriti diſponente Domino præſidemus imminent peragenda, illud potiſſime humeris noſtris incumbit vt contra Schiſmaticorum & hæreticorum venena peſtifera quibus Catholicæ fidei puritatem conantur inficere per nos & alios prout locorum & temporum qualitas exigit partes Apoſtolicæ ſolicitudinis apponamus. Nuper ſiquidem rumor infeſtus ad noſtrum non ſine graui mētis turbatione perduxit auditum, quod nonnulli iniquitatis filij ſe Chriſtianos ſolo nomine profitentes, fidei tamen Chriſtianæ prorſus aduerſi in Regno Raſciæ ac Albaniæ & Sclauoniæ, ac aliis circum adiacentibus partibus inconſutilem tunicam Domini noſtri diuidere & lacerare conantes ac pernicioſa ſchiſmata ſuſcitantes nouas inducunt ſectas varioſq; ſeminare moliuntur errores. Ex quibus vt aliquos recitemus falſo & pertinaciter aſſerunt Spiritum Sanctum non à filio, ſed à ſolo patre procedere non attendentes quod ſicut Sacroſancta Romana Catholica & Apoſtolica Eccleſia mater fidelium omnium & magiſtra tenet & docet, ac Orthodoxorum Patrum atq; doctorum Latinorum pariter & Græcorum habet incommutabilis & vera ſententia, ſacriq; Concilij declarat authoritas, idem Spiritus Sanctus æternaliter ex patre & filio quod ex vno principio vnica inſpiratione procedit. Item mendaciter aſſerunt contra ea quæ præfata Romana tenet & docet Eccleſia, corpus Chriſti non in azymo ſed in fermentato pane confici debere, & quod in azymo confectum eſt, eſſe denegant corpus Chriſti, illudq; in ſuæ damnationis cumulum blaſphemiis inclamare, deturpare manibus, & quod ſceleratius eſt conculcare pedibus non verentur, dicunt etiam formam baptiſmatis, & confirmationis iuxta ritum quem præfata ſeruat Eccleſia falſam eſſe, ac iuxta formam huiuſmodi baptizatos & confirmatos baptiſmati & confirmationis ſic ſuſceptis damnabiliter renunciare & rebaptizari & reconformari compellunt.*

*Propterea damnabiliter deteſtatione dicuntur aſſerere eandem Eccleſiam, cui vniuerſi Chriſtianæ fidei profeſſores ſubeſſe noſcuntur eiuſq; tenentur inſtituta ſeruare in pleriſq; aliis quæ præſentibus exprimere non curamus à veræ fidei tramite deuiare. Intelleximus etiam quod nonnulli Archiepiſcopi & Epiſcopi partium earundem ſacros ordines indecenter & contra ſacrorum canonum inſtituta conferunt, & ſuper matrimoniis contrahendis in gradibus prohibitis diſpenſare contra inſtituta præfata propterea temeritate præſumunt quodq; religioſi quamplures mēdicantium ordinum commiſſum ſibi fore ab Apoſtolica Sede in eiſdem partibus legationis officium minus veraciter aſſerunt, eoq; prætextu nonnulla illicita temere attēptare præſumūt in ſuarū & aliarū animarum periculum & ſcandalum plurimorum. Cupientes igitur huiuſmodi eiuſdem Orthodoxæ fidei & animarum periculis prout ex debito præmiſſi tenemur officij opportunis & efficacibus ſtudiis obuiare, ac de veſtræ circumſpectionis induſtria gerentes in his & aliis fiduciam in Domino ſpecialem fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum ad loca dictarum partium de quibus vobis magis expedire videbitur vos perſonaliter conferentes & contra errantes præſumptores & attemptatores huiuſmodi pro Eccleſia Sācta Dei vos defenſionis murum viriliter opponētes præmiſſa ſchiſmata diſſipare, ſectas diſſoluere, errores euellere, exceſſus corrigere, deformata reformare, & errantes ipſos ad veram ipſius Catholicæ fidei vnitatem & Eccleſiæ præfatæ ritus & mores reducere, quantum vobis inſpirabit Altiſſimus, authoritate noſtra fideliter ſtudeatis inuocato adhoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis. Contradictores quoslibet & rebelles cuiuſcunque præeminentiæ ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtant, auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Quæcunque vero in præmiſſis duxeritis facienda & quæ nobis vel circa ea videantur agenda Nobis fideliter & ſolerter intimare curetis, vt ſuper ipſis prouidere ſalubriter auctore Domino valeamus. Datum Auenione VI. Calend. Ianuarij Anno ſecundo.*

III.

Ioannichi Patriarchæ Seruiæ, gratiam in præſenti quæ perducat ad gloriam in futuro.

XXII. HORTATORIA INNOC. PAP. EPIST. AD PATRIARCHAM SERVIÆ VT REDEAT AD ECCL. VNITATEM.

*Mediator* DEI *& hominum* CHRISTVS IESVS *in Petri Petra Roman. videlicet & Catholica & Apoſtolica Eccleſia omnium fidelium* CHRISTI *mater quam ſolus ipſe fundauit & rexit ac regit, & quæ ſuper cunctas alias Orbis Eccleſias obtinet, diuina diſpoſitione primatum fidei cuius idem ipſe Chriſtus actor eſt ſic ſolide fundamenta locauit, ſicq; illam inſolubili vinculo & inſeparabili vnione copulauit eidem, quod licet multos ab ipſius Eccleſiæ corpore fallente Diabolo vel contagioſus hæreſis morbus abiecerit, vel ſciſſura dānati ſchiſmatis ſepararit, ipſius tamen fidei immaculata ſinceritas apud eandem Eccleſiam inſeparabiliter permanens, velut granum tritici quod per abſceſſum paleæ purgatius remanet, & lux fulgentis ſideris quæ apparet clarior per excuſſionem offuſcantium nebularum ſemper purior eluceſcit.*

*Hæc ſane chariſſimus in* CHRISTO *filius noſter* STEPHANVS *Rex Raſciæ Illuſtris prudenter conſiderans, & dolens multos ex nationibus ei ſubditis ab eadem Eccleſia per ſciſſuram inueterati ſchiſmatis procurante ſeminatore ſcandali patre doli fuiſſe diuiſos, ac ſaluti multitudinis quæ ignara itineris veritatis per abruta gradiens in præcipitium ruit, & quaſi nauis in medijs fluctibus ſine remige mergitur, deſiderans prouidere apud nos per litteras & nuncios ſuos ſuppliciter inſtitit, vt ad partes ipſas viros aliquos timentes* DEVM *& in lege eius plenius eruditos tranſmittere dignaremur, qui errorum inde tribulis extirpatis & euulſis ſpinis quorumlibet ſcandalorum in eis ſererent ſemen vitæ.*

*Nos autem præfati Regis huiuſmodi pium deſiderium & laudabile propoſitum opportunis in Domino fauoribus proſequentes & ſperantes in illo qui eſt verum lumen de lumine omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, quique lapis eſt angularis miſſus ipſius Eccleſiæ fundamentum parietem vtrumque connectens quod ipſe de cordibus errantium quorumcumque ignorantiæ tenebras virtutis ſuæ potentia effugabit ac illuminabit claritatis ſuæ luce oculos mentium eorundem, vt greſſus eorum ab inuio retrahant & dirigant in ſalutem, ac ad eandē Eccleſiam vniuerſalem omnium fidelium* CHRISTI *matrem conuerſi incipiant* CHRISTO *viuere, qui viuentes mundo ipſi* CHRISTO *mortui comprobantur, Venerabiles fratres noſtros* BARTHOLOMÆVM *Tragurien. & Petrum Pacten. Epiſcopos Apoſtolicæ Sedis Nuncios viros vtiq; probitatis expertæ, profundæ ſcientiæ, probatæ virtutis, ac zelum diuinæ legis habentes, ad Seruiæ, Raſciæ & Albaniæ Regna, & terras præfati Regis ſubiectas Domino prouidimus, deſtinandos.*

*Ideoq; diſcretionem Tuam monemus requirimus & hortamur in Domino illam attentius deprecantes, tibiq; in remiſſionem tuorum peccaminum iniungentes, quatenus prudenter conſiderans quod ſic fides quæ non niſi vna eſt & in nullo poteſt ſui eſſe diſſimilis apud eandem Eccleſiam inſeparabiliter ſicut præmittitur permanet, ſic qui extra ipſius Eccleſiæ communionem fuerit eſt proculdubio extra fidem, & qui extra fidem manſerit diuinæ gratiæ particeps eſſe non poterit, nec adoptionem recipiet filiorum, ac intuens quod ſpecialiter tibi qui in grege Domini ipſa videl. multitudine paſtoris geris officium, quamquam illicite cum nō per oſtiū, id eſt, per ipſam Eccleſiam in ouile ouium ſed aliunde intraueris, incumbit ex debito, vt prius viā veritatis intelligas & cuſtodias intellectā & ſic per illā incedens puris & rectis greſſib. eidem gregi vita morib. & doctrina ducatum præbeas ad ſalutem, ſicq; illum ad æternæ vitæ paſcua introducas, dictos Epiſcopos tanquam Dei miniſtros pro diuinæ maieſtatis ac noſtra & Apoſt. Sedis reuerentia*

benigne

*benigne recipias, honorifice tractes, ac fauorabiliter proſequaris, & eorum ſalutaribus monitis, & doctrinæ deuotius acquieſcas, ipſiſq; in proſecutione tam ſalutaris & Deo accepti negotij aſſiſtas conſiliis & auxiliis opportunis. Itaq; negotium ipſum præſtante Deo cuius eſt proprie proprium & tuo cooperante miniſterio ſtudioſo votiuum perducatur ad exitum, & eandem Eccleſiam renaſcentis prolis multitudo lætificet, tuq; à retributore bonorum omnium cui nunquam ſine remuneratione ſeruitur, mercedis præmium æternæ vitæ gloriam percipere merearis. Dat. Auenion. VIII Id. Ianuarij anno 2.*

Cæterum, quod Innocentius, Petrum Regem Caſtellæ conuerſionis Mauritanorum admonebat, qua occaſione id fecerit, lubet etiam ex ipſis literis cognoſcere. Ita habent.

## Cariſſimo in Chriſto filio Petro Regi Caſtellæ & Legionis Illuſtri Salutem, &c.

XXIII. LITERÆ INNOC. AD REG. CASTELLÆ IN CAVSA CONVERSIONIS REGIS ABDALÆ AD FIDEM CATHOL.

*Ex tuis, & Abdalæ Regis Montium Clarorum Illuſtris litteris præſentatis nobis per dilectum filium Didacum Garſia ſocium Eccleſiæ Hiſpalenſis Nuncium tuum, quas & ipſum quoque Nuncium benigne grateque recepimus, etiam eiuſdem Nuntij relatione placida, nobis innotuit, quod olim idem Abdala veræ lucis quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat ſplendore luſtratus, paganæ cæcitatis abiurare tenebras, & erroribus renunciare Sathanæ omnino proponens, ac deſiderans, vt renatus fonte baptiſmatis & rudimentis CATHOLICÆ fidei roboratus, ſibi & ſubditis ei populis ducatum præberet fauente Domino ad ſalutem cum cla. mem. Alfonſo Rege Caſtellæ & Legionis patre tuo tunc in humanis agente, certos tractatus habuerit per quos huiuſmodi negotium ſperabat felicem exitum habiturum, & quod idem pater tuus ſicut Princeps Catholicus & ſincerus ac feruidus fidei memoratæ zelator, pro reuerentia Regis Regum, ac eiuſdem honorificentia fidei, ad cuius ampliandos fines & terminos dilatandos, velut Athleta Chriſti fortiſſimus & pugil intrepidus vtiliter laborabat, tractatus huiuſmodi opportuno tempore ſe obtulit efficaciter & fauorabiliter promoturum, quodque memorato patre tuo in Domino quieſcente, ac propterea ipſius tam ſalutaris negotij proſecutione ſuſpenſa idem Abdola ab ipſo patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt, confortatus, & Spiritus ſancti gratia errore perfuſus in bono propoſito perſiſtens firmus & conſtans, te vt habitis cum eodem patre tuo tractatibus huiuſmodi operam neceſſariæ proſecutionis potenter adiiceres, cum inſtantia requiſiuit, & proprium filium, ac certos Magnates & commilitones ſuos, vt de ſincera ipſius, curam idem negotium plenius intentione conſideres ad te obſides deſtinauit, & quod tu ſicut in Regio ſolio, ſic in proſecutione operum & negotiorum Dei, eiuſdem Patris tui ſucceſſor verus & hæres non degener prudenter conſiderans, quantum ex his adijcietur honori & ſtatui fidei memoratæ, & quã magnæ multitudini per abrupta vitiorum & errorum præcipitanter vagantium ſalus proueniet animarum, & quantum quanq; gratum eripiendo tot millia hominum de mortis æternæ laqueis & inferni legibus tuo præſtabis obſequium Creatori, huiuſmodi eiuſdem Abdalæ requiſitionibus inclinaſti benignus aurem, & ad perfectionem dictorum tractatuum, excitaſti ſtrenuus zelum tuum ac inuicti animi robur impauidus erexiſti, adſtringens te ad conſummationem tractatuum eorundem, in quibus quæris non quæ tua ſunt, ſed quæ Chriſti, per patentes litteras tuas quas ſuper hoc eidem Abdalæ conceſſiſti. Quare idem Nuntius tuus nobis humiliter ſupplicauit vt huiuſmodi tuo vtiq; laudando propoſito, quod fauente Deo cuius eſt proprie proprium in proximo conſtanti propoſito fauorabiliter exequi decreuiſti, fauoribus Apoſtolicis aſſiſtentes, aliquibus Prælatis prædicationem viuificæ crucis per tua & cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Aragonum & Nauarræ ac Portugaliæ Regum Illuſtrium Regna & Terras cum poteſtate tradendi venerabile ſignum eius volentibus illud deuote ſuſcipere, committere, & nihilominus tibi vexillum Romanæ Eccleſiæ matris tuæ, huiuſmodi eiuſdem crucis ſalutiferæ ſignum & clauium quibus aperitur ianua fidelibus ad ſalutem typũ exprimens, quod ante te ipſius negotij proſequutione durante deferri faceres, concedere dignaremur, vt aſſumptioni memorati negotij fauorabiliorem progreſſum, & feliciorem ſucceſſum ille qui in ara crucis ipſius, vt mortem noſtram moriendo deſtrueret, voluit immolari dono ſuæ gratiæ largiretur. Porro chariſſime fili Magnificat anima noſtra Dominum & in Deo ſalutari noſtro ſpiritus noſter lætanter exultat quod ipſe iuueniles annos tuos ſic moribus ſenilibus imbuit, ſic ætatis tuæ tenellæ primordia roborauit, ſic fortificauit & cor, vt laborum tuorum primitias diuinis obſequijs & ipſius dilationi fidei diſponas more Catholicorum & Deum timentium Principum deputare, ipſumq; Redemptorem tuum, qui ſuaui ſpiritus eius hunc tibi formauit animum, infudit & mentem; ſuppliciter exoramus, vt ipſe te in hac zeli rectitudine in hoc fidei feruore cuſtodiat, dieſq; tuos in ſua pace diſponens eos ad felicem prouehat ſenectutem.*

*Veruntamen quia ipſius negotij ſic ſunt prouide diſponenda principia, ſic ad proſecutionem illius ante tempus omnia præparanda, vt in tempore promotioni eius neceſſarium nihil deſit, magnanimitatem tuam ex affectu paternæ charitatis, quæ non eſt ocioſa ad filios admonemus eamq; requirimus & hortamur attente illam attentius deprecantes, quatenus hæc in ſtateram prouidæ conſiderationis appendens, conſulte deliberes & proſpicias diligenter, qualiter negotij tanti molem ad Dei laudem & gloriam ac honorem tui nominis portare vtiliter, illudque ſicut deſideramus & ſperamus in Domino ad optatæ conſummationis exitum valeas promouere. Ita quod aſſumptionem tuam huiuſmodi iuuenilis audaciæ, quod auertat Dominus, æmulus arguere nequeat, immo eam prudentis & maturæ animoſitatis fœlix exitus euidenter oſtendat.*

*Et ideo precibus noſtris adijcimus, vt huiuſmodi negotij qualitatem, circumſtantias, conditiones, & merita omnia ſignificare nobis pure, ſimpliciter, diſtincte ac particulariter Sublimitas tua velit, vt ſuper eis nos quoque conſultius deliberare poſſimus, quoniam noſtra & tua deliberationibus concurrentibus inuicem de ipſius negotii ſalubri exitu, Deo propitio non poterit dubitari, teſte Rege prudentiſſimo Salomone qui ait, vbi multa conſilia ibi ſalus.*

*Tunc enim notis tuis in neceſſaria præſtatione fauorum ſecurius & efficacius ſecundum Dei beneplacitum aſſiſtemus. Dat. Auenion. XII. Cal. April. anno 2.*

In eandem rem Pontifex ſcripſit.

## Abdalæ Regi Montium clarorum Illuſtri, Gratiam in præſenti quæ perducat ad gloriam in futuro.

XXIV. ABDALÆ REGI IN EANDEM REM SCRIBIT.

*Ex Cariſſimi in Chriſto filij noſtri Petri Regis Caſtellæ & Legionis Illuſtris, & tuis litteris præſentatis nobis per dilectum filium Didacum Garſiæ Socium Eccleſiæ Iſpalenſis & Nuncium Regni ipſius, quas benigne grateque recepimus & eiuſdem Nuntij relatione placida nobis innotuit, quod olim tu veræ lucis quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat ſplendore luſtratus, paganæ cæcitatis abiurare tenebras, & erroribus abrenunciare Sathanæ omnino proponens, ac deſiderans vt renatus fonte baptiſmatis & rudimentis Catholicæ fidei informatus tibi & ſubditis tibi populis ducatum præberes fauente Domino ad ſalutem, cum cla. mem. Alfonſo Rege Caſtellæ & Legionis, tunc in humanis agente certos tractatus habuiſti per quos ſperabas huiuſmodi negotium felicem exitum habiturum, quodque memorato Alfonſo Rege tela vitæ ſucciſa in Domino quieſcente, ac propter hoc ipſius tam ſalutaris negotii proſecutione ſuſpenſa, tu ab ipſo patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt roboratus, ac Sancti Spiritus inſpiratus gratia & rore perfuſus, in bono propoſito perſiſtens firmus & conſtans, cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Petrum Regẽ Caſtellæ & Legionis Illuſtrem ipſius Alfonſi Regis natum, vt habitis per te cum eodem Alfonſo Rege tractatibus huiuſmodi operam proſecutionis adiiceret, cum inſtantia requiſiſti.*





*De quo anima noſtra tanto potius laudat & magnificat Dominum tanto ſpiritus noſter in eo exultat amplius & in iubilum lætitiæ maioris erumpitur, quanto ſperamus certius & credimus firmius, quod omnipotens Deus cuius perfecta ſunt opera cuiuſq; dona imperfectionis detrimenta non norunt, perficiet benignius in te, quod tuis præcordiis miſericors inſpirauit. Eia igitur Princeps inclyte, accinge fortitudine mentem tuam, arma conſtantia, cor animum inuictæ firmitatis virtute corrobora, & intuens quod non ſufficit inchoare quinimo continuare vſq; in finem expedit ad ſalutem conceptum pium atque laudabilem ſalutarem producas in partum, vt te Rectore, te duce, populus gẽtium, qui in tenebris ambulat, & in vmbra mortis ſedet lucem magnam, lucem inquam æternæ ac immarceſcibilis vitæ inſpicere & in manus pacis dominiq; omnem ſenſum exuperat pedes ſuos dirigere præſtãte illo ſine quo nullus regit aut regitur, nullus ducit vel ducitur, mereatur. Sane quia firmiter credimus & ſine dubitatione tenemus, quod ſicut ex more quemuis opificem conſeruatio ſui operis afficit, ſic magnitudo tua etiam ad conſummationem eiuſdem inchoati negotij animatur, apud te propterea non exhortationibus multis inſiſtimus ſed retributionis meritum & coronam gloriæ quæ ab eo cui nunquam ſine remuneratione ſeruitur, immo qui fidelibus ſuis quorum merita excellit & vota, multo maiora retribuit quam ipſi promereri valeant, percepturus es ex ipſius exitu & conſummatione felici negotii pollicemur. Nam ſicut in mundana republica qui ſalutem ſuam tuetur ab hoſtibus commendatur & recipit pro labore mercedem, & qui ſeipſum ac patriam periculis eripit, præter clarioris famæ titulos vberioris collatione repenaii præmiatur, ſic in illa magna Republica quæ ſurſum eſt omnis miles qui Chriſtianæ Religionis armis aduerſus latentis hoſtis fallaciam intrepidus dimicans ipſius impugnationibus quæ multæ ſunt nõ ſuccumbit, recipitur, & is qui ſuam multorumque ſalutem procurat & cuſtodit ſtrenuus altiori gradu, & munere inſignitur. Quantæ igitur erunt gloriæ tuæ quanta rependia, quantaque inſignia & faſces honorum ſi tot millia perſonarum per abruta vitiorum, & deuia peccatorum pecudum more vagantium à frementium beſtiarum incurſibus liberes, ſubducas morſibus, & in caulam Domini reinducas, profecto nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec humanæ linguæ poſſet miniſterio enarrari. Exulta igitur & lætare Princeps magnifice tantorum fiducia præmiorum, gaude ac iubila, quoniam & terreni Regni clarificabis ſolium, roborabis & ſceptra, & æterni ſinu potentiſſimo exceptus indeficientibus operibus & delitiis potieris. Dat. Auenion. VIII. Kal. Aprilis Anno ſecundo.*

---

# IESV CHRISTI Annus 1355.

## INNOCENTII PAPÆ VI. ANNO 3. Caroli IV. Imperat. Roman. Anno 1.

I. FALERIVS VENETORVM DVX QVI DOMINIVM REIPVB. OCCVPARE TENTABAT VNA CVM CONIVRATIS SVPPLICIO AFFICITVR.

VEnetorum res hoc anno, fere ad extremum diſcrimen erant adductæ. Falerius Dux, cum interim mẽſes nouem Reipub. præfuiſſet, homo nefarius, ad Rempublicam per tyrannidem occupandam animos adiecerat. Quod vt facilius conſequeretur, cum plurimis plebeii ordinis viris, ad perpetrandam Optimatum cædem conſpirauit: & ex illis ſexdecim coniurationis principibus negotium dedit, vt ſinguli cum ſexaginta armatis ſtatuto tempore in Curiam prorumperent, & ex nobilitate obuium quemque conficerent, & demum Faleriũ, non Principem, ſed Dominum clamarent. Diuina prouidentia accidit, vt Bertrandus ex plebe homo ex coniuratis vnus, pœnitẽtia forte tanti ſceleris ductus, aut timore compulſus, Nicolao Leono Patricii Ordinis compatri ſuo, rem omnem communicauerit. Re accepta Leonus, atrocitate rei commotus, confeſtim Seniores Patrum & Decem viros adit, illiſque rem omnem aperit. qui ad Rempub. præſenti periculo leuandam conuerſi, coniurationis principes in primis in poteſtatem redigendos curarunt. Sexdecim ea nocte capti, ſceleris conuicti, ſuſpendio necati ſunt. Falerius etiam eodem die, ſuper atrii ſcalam lapideã, ſecuri percuſſus eſt: alii plerique capitali ſupplicio affecti, quidam etiam culeo inſuti in mare merſi. Indici coniurationis mille aureorum nummum ſtipendium annuum decretum, iſque ad Patricium ordinem redactus. qui poſtea cum Patres ingratitudinis accuſaret, eorumque famæ detraheret, Raguſium ſtipendio adempto in decennium relegatus eſt. *Petrus Marcellus in Falerio.*

II. PROLIXIOR DE EA RE NARRATIO.

Petrus Iuſtinianus, rem prolixius cum omnibus circumſtantiis, hunc fere in modum deſcripſit. *Falerius interim Princeps, quum iam nouem menſes, rempub. adminiſtraſſet, execrabili inductus ſpiritu, ad opprimendam patriæ libertatem, vt ſolus regnaret, nefarius homo animum adiecit. Beneficiorum namque oblitus, quæ in ſuos maiores & in ipſum ciuitas contulerat, crudele & atrox facinus machinatus eſt. Statuerat ille immenſa regnandi ambitione tractus, optimatibus cæſis rempub. inuadere, mutatiſque pro arbitrio magiſtratibus apertam tyrannidem exercere. Ad hoc etiam ſcelus eum impuliſſe dicitur, leuis cauſa, ab adoleſcentulis quibuſdam patritiis profecta, circa vxoris impudicitiam; in quos leni admodum pœna à Triumuiris aduocatoribus animaduerſum fuerat. Is vt facilius conceptum facinus exequi poſſet, multos ex infima plebe ſocios ſibi adiunxit, quos nobilitati infeſtos eſſe ſciebat. In his fuit Bertutius Iſraelo, primus coniurationis author. Accidit enim, vt is qui inter nautas honeſtum locum habebat, à Ioanne Dandulo viro Patritio ad armamentarium, remigum expediendorum locum, colapho percuſſus fuerat. Quo facto Bertutius ira accenſus percuſſorem interficere cogitabat: ſtipatuſque facinoroſorum hominum manu publico loco Danduli vitæ inſidiabatur. Nam per forum deambulando pone ſatellitum armatorum caterua inſequente, conceptum ſcelus exequi omnino volebat. Dandulus hæc metuens, Principem & Patres de Bertutij inſolentia admonitos orauit, vt inſidiatorẽ à vi inferenda quoquomodo deterrerent: Princeps porro, Bertucium ad tribunal euocatum ſimulate amariſſimis verbis increpauit; quod ad eam temeritatem impudentiamque is proruperit, vt publica contempta maieſtate, nautarum ganeonumque turba ſtipatus, vim in Patritium virum pararet: neque cum Dandulo legibus experire iuſtitiam vellet. Dimiſſus tunc à Falerio Bertucius, & ſub noctis vmbra iterum euocatus, non difficulter à Principe in ſocietatem coniurationis aduerſus Optimates illectus eſt. Accedere & alij ſexdecim, de plebe audaciſſimi, quorum ſinguli ſexaginta ſub ſe armatos adducerent: vt ſtatuto die coacta hac facinoroſorum hominum colluuie nobilitas omnis trucidaretur. Conuenerat, vt cum ſignum campanæ datum fuiſſet, ſub ſimulato Lyguſticæ claſſis aduentantis metu continuo ſuis ſedibus exciti diuerſis itineribus in Curiam armati prorumperent, atque liminibus inſeſſis obuium vnumquemque ex nobilitate trucidarent: qua extirpata, tum demum Falerius, non Princeps amplius, ſed Dominus ſalutaretur. Interim etiam ad augendum in Optimates plebis odium, noua res à coniuratis excogitata dicitur. Nam profunda nocte per vrbem aliqui ex his diſcurrebant, qui in plebeios homines coniurationis ignaros, alta voce cõuicia iactabant, eorũque vxores, & filiæ ad ſtuprum euocabantur; datoque ſibili ſigno cachinnantes inter ſe cognomina nobilium familiarum enunciabant, vt hæc illi audientes in Patritios excandeſcerent. Oppreſſa tunc fuiſſet Veneta libertas, niſi diuina prouidentia ſcelus detegeretur, per Beltrandum, vnum ex coniurationis principibus, pridie eius diei qui cædi deſtinatus erat. Is pœnitentia tanti ſceleris adductus Nicolao Leono facinus & ſocios detexit: hic porro Seniores Patrum, & decem viros ad Saluatoris ædem occulte euocatos periculi admonuit. Miſſi lictores, principes coniurationis eadem hora in poteſtatem redegerunt, & in Curiam adductos reſte ex ipſis columnis ſuperiori parte Curiæ appenſi ſunt. Falerius Princeps, ſummo mane iuſſu Patrum ſuper marmorea palatij ſcala ducalibus exutus inſignibus, capitali ſupplicio affectus eſt. Ad quadringentos ſupra, intra octo dies ſceleris conuictos ferunt: ex quibus alij necati, alij in exilium abducti. Corpus Falerii ad ædem Gemellorum parua cimba ſine vllo honore elatum eſt. Imago ex comitio, (vbi ſub tecti aurei conuexura, ex maiorum inſtituto, viuo ore omnium Principum figuratæ locis ſuis*

*ordine imagines repræſentãtur) vt eius memoria perpetuo deleretur, decreto publico ablata; throno vacuo, nigro velo operto relicto, cum hac inſcriptione;* Hic eſt locus Marini Falero decapitati pro criminibus. *In pernicioſiſſimi Falerij locum, Ioannes Gradonicus Naſono cognominatus Dux declaratus, Innocentio Pontifice & Carolo Imperatore authoribus, arma Veneta aduerſus Genuenſes terra mariq; ſublata depoſuit, pacemq; non tantum cum his, ſed etiam cum Barnaba & Galeatio Vicecomitibus iniuit, reſtitutis hinc inde captiuis. Id namq; præcipue Innocentius apud Carolum egerat, vt non tantum Nicolaus Piſanus à Genuenſibus, verum & reliqui vtrimq; dimitterentur. Ex his Genuenſes interciſa Diuæ Magdalenæ luce, qua vinculis fuerant exſoluti, ad illius ædem in Canaregium vrbis partem longo agmine acceſſerunt, gratiiſq; Diuæ actis, omnes, qui ad duo millia fuiſſe dicuntur, ſalui incolumeſq; domum rediere.* Petrus Iuſt. hiſt. Venet. li. 4. epiſt Secret. Innocent. 6. hoc anno.

III. CAROLVS ROM. REX MEDIOLANI DIADEMA FERREVM ACCIPIT.

Pace inter Venetos, Genuenſes, & Vicecomites, ex auctoritate Innocentii conſtituta, Carolus Mediolanũ conceſſit, indidemq; ad VI. diem Ianuarii, ipſa feſtiuitate Epiphaniæ Dominicæ, ad aram Diui Ambroſii, diadema ferreum, à Roberto Vicecomite Archiepiſcopo, præſentibus Patriarcha Aquilegienſ. & aliis Epiſcopis, accepit. Hoc diademate auctus, Vicecomitibus, Matthæo, Barnabæ, & Galeacio principatũ Mediolani confirmauit, Vicarioſq; Imperiales nuncupauit: nec non duos Galeacii paruulos Ioannem & Marcum militari auro inſigniuit: multoſq; Principum, & Legatos ciuitatum Imperialiũ, officium obſequiumq; ſuum pollicentes & fidelitatem iurantes audiuit.

PONTIFEX POTESTATEM EI FACIT ROMAM EVNDI.

Iuramento Carolus ſeſe aſtrinxerat, ne Romanam Vrbem accederet, antequam ei dies à ſummo Pontifice, & à Sede Apoſtolica deſignaretur. Itaq; cum Mediolano ſoluere cogitaret, Innocentius illum Sacramento iuriſiurandi, datis litteris *pag. 26. Secret.* abſoluit, poteſtatẽque fecit Romam ingrediendi, & ibidem diadema & titulũ Imperii, à Petro Oſtienſi Epiſcopo, & Egidio Carillo tit. Sanct. Clementis presbytero, Cardinalibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, accipiendi. His enim duobus, Innocentius commiſerat, qui ſolenni ritu Carolum, Imperatorem inaugurarent, renunciarẽtq;; ſi prius ille ex formula in diplomate Pontificio præſcripta, iureiurando ſeſe aſtrinxiſſet, litteriſq; quadruplicatis, tum ante, tum poſt inaugurationem datis, aureaq; bulla Imperatoria ſignatis ſpopondiſſet, ſe omnia iura & bona Eccleſiæ Romanæ, integra ſeruare, defendere, atq; à tyrãnis vindicare velle, dedit ea de re Innocentius litteras, Petro & Egidio Cardinalibus, *Auinion. 2. Cal. Febr. & IV. Idus Febr.*

IV. QVID POST ADVENTVM CAROLI IN ITALIAM SECVTVM.

Mediolani peractis ſolennibus, Carolus Etruriam petiit. Piſas cum ingreſſus eſſet, reuolutiones rerum maximæ ſecutæ ſunt: & gubernatores reipublicæ, qui auctores fuerant recipiendi, ab eo ipſo qui receptus erat oppreſſi. Ad Carolum Piſis degentem, Florentini, Senẽſes & Aretini confœderati, Oratores ſimul miſere. Erat autem conſilium, vt quemadmodum decet ſocios, eadẽ cuncti & ſentirent, & loquerentur. Iſtud, à Senenſibus ſeruatum non eſt. Nam hi in rebus agendis, longe ſe magis Carolo permittere viſi ſunt. Per eoſdem dies Volaterrani ac Miniatenſes, abſq; vllo Florentini populi ſcitu, ſeſe ac vrbes ſuas Carolo tradidere. Exules Aretinorum, Carolum in vrbem vocabant. Senas cum veniſſet, tumultus quidam ſecutus eſt. *Leonard. Aret. hiſt. Florent. lib. 7. Henricus Mutius rer. Germ. li. 25. Boſius in Chron. Corius part. 3. ep. Innoc. Secret. hoc anno.* Quis tumultus Carolum Senis exceperit, *in Magn. Chron. Belg.* reperio iſtis verbis. Æmuli Caroli diſpoſuerant, vt ibidem interficeretur, idq; per Legislatores. Vnde accidit, cum de militibus vnus adamaret hoſpitam, cuius maritus Legislator erat, vt hoſpita per militem moneret Dominum Imperatorem, quo ſibi caueret, quia perfide occidi deberet, quod audiuerit à marito ſuo: quod ſic accidit. Cubabat dictus miles cum eadem domina hoſpita, & ipſa tunc plorauit dicens; Ecce amodo non videbo te, quia cras de mane hora conſilii Dominus Imperator, & omnes ſui in conſilio occidentur, & ſic tu ſimul peribis. In cuius facti ſignum videbis, in prima porta loci conſilii ſtare duodecim armatos, vbi ſolum ſex ſtare ſolent ſine armis. Ita ſtabunt in ſecunda porta viginti quatuor, vbi alias ſolum ſtant duodecim: & camera conſilii cuſtodietur per quinquaginta viros armatos, & omnes conſiliarii erunt armati. Hæc audiens miles, accepit factum cordi, & ſtatim Imperatori reuelauit, qui præhabito cõſilio altera die mane per duas horas ante horam conſilii intrauit locum conſilii, & reperit viros ſtantes ſub numero prædicto ad portas. Imperator igitur ad quamlibet portam duplo plures viros appoſuit, vt reſiſteret, ſi opus eſſet. Hora autem conſilii, Legislatores & conſiliarii, manu armata venerunt ad cõſilium, & iam eum inuadere parabant; ſed ipſe euaſit, & per portas exiuit. Et niſi ita fuiſſet præmonitus, fuiſſet interfectus. Senenſes igitur videntes euaſiſſe Imperatorem, captiuauerunt Imperatricem vxorem, & poſuerunt in lupanari in ſcandalum Imperatoris: ſed tamen illibatam exire permiſerunt. *Magn. Chronic. Belgic. hoc anno.*

CONIVRATIO SENENSIVM CONTRA CAROLVM.

V. CAROLVS ROMAM INGREDITVR.

Senis diſcedens Carolus, antequam ſolenni ritu Romam ingrederetur, ſpecie & habitu peregrini, paucis tãtum familiaribus cognitus, feria Cœnæ Dominicæ Vrbem intrauit. hinc Sacro Paraſcheues die, & Sabbato Sancto, Eccleſias Vrbanas & extra Vrbanas pedes viſitauit, eodemq; die ſub veſperam in caſtra ſeceſſit. Feſto Reſurrectionis die, pompam Imperialem indutus, Vrbem ingreſſus eſt, ſumma cleri, principũ, & populi lætitia adusq; Principis Apoſtolorum Baſilicam adductus. Verebatur Pontifex, ne per abſentiam ſuam formula inaugurationis Imperatoris immutata, aliquid iuri Eccleſiæ Romanæ decederet. Itaq; diploma ad cautelam à Carolo obtinuit, in quo hæc forma inaugurandi illius à Pontifice præſcripta habetur. Libuit adſcribere quod ita habet.

VI. DIPLOMA CAROLI ROM. REG. QVO IVXTA FORMAM ILLIVS INAVGVRANDI À PONT. PROSCRIPTAM ET HIC INSERTAM IVRAMENTA ANTE CORONATIONEM PRÆSTITA RENOVAT ET PRÆTESTATIONI AC DECRETO PONT. CONSENTIT OB FORMAM ANTIQVAM INAVGVRATIONIS NON SERVATAM.

*Sanctiſſimo in Chriſto Patri ac Domino ſuo Domino Innocentio digna Dei prouidentia Sacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Carolus Quartus diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Boemiæ Rex, cum debita reuerentia ac deuota pedum oſcula beatorum.*

*Sanctiſſime Pater & Domine Reuerendiſſime, litteras Sanctitatis Veſtræ de manibus Reuerendi in Chriſto Patris Domini Petri Oſtienſis Epiſcopi Apoſtolicæ Sedis Nuncij, amici noſtri chariſſimi, cum reuerentia debita ac honore congruo deuote ſuſcepimus, quarum tenor ſequitur in hæc verba. Innocentius Epiſc. Seruus Seruorum Dei, venerabili Fr. Petro Epiſc. Oſtien. Apoſt. Sedis Nuncio ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Speciosus forma præ filiis hominum Ieſus Chriſtus militantem Eccleſiam ſponſam ſuam, ſicut poteſtatis plenitudine ad ſalutare Orbis regimen communiuit, ſic etiam vt decoro gloriæ ſponſo iuncta pulchrior appareret, honorum faſcibus & ſtemmate dignitatum, quaſi quibuſdam renidentibus margaritis ornauit. Sed & illud ei conceſſit gloriæ potioris inſigne, quod ipſa ſublimioribus quibuſdam poteſtatibus, quibus idem ipſe Chriſtus eam prætulit vniuerſaliter omnibus, velut Sol copioſus proprij luminis erogator, ad ornatum adiiciens, quo largitus de plenitudine honorum ſuorum communicat aliis, eo refulget amplius eo reſplendet potius, eo eſt honoratior in ſe ipſa. Dudum ſiquidem poſt electionem de chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Rege Romanorum Illuſtri celebratam concorditer per Principes Regni Alemaniæ, in electione Regis Romanorũ vocẽ habentes, felicis recordationis Clementi Papæ ſexto prædeceſſori noſtro per ſolennes dicti Regis Ambaſſiatores & Nuncios, ad ipſius prædeceſſoris præſentiam deſtinatos, electionis eiuſdem præſentato decreto, ac tam ſuper ipſius electionis forma, quam ſuper idoneitate ac ſufficientia & habilitate perſonæ dicti Regis informatione habita diligenti per quoſdam ex Fratribus prædeceſſoris ipſius de quorum numero tunc eramus, quibus idem prædeceſſor informationem huiuſmodi duxerat committendam, ac per Commiſſarios huiuſmodi facta prædeceſſori memorato in præſentia dictorum Fratrum de informatione habita ſuper his relatione fideli; dictus prædeceſſor*





*de Fratrum conſilio prædictorum, ad deuotæ ac humilis ſupplicationis inſtantiam per dictos Ambaſſiatores & Nuntios eidem prædeceſſori frequenter effuſam, prædictum Regem in ſpecialem filium ſuum & Eccleſiæ memoratæ ſuſcepit, ſibi, ſuos fauorẽ & gratiam benigne concedens, ac ipſius Regis perſona idonea reputata, eũ nominauit, denunciauit, aſſumpſit, & declarauit Regem Romanorum, & approbans perſonam ipſius eum ſufficientem & habilẽ declarauit, ad ſuſcipiendum Imperialis celſitudinis dignitatem, decernens, vnctionem, conſecrationem, & coronationem Imperialem per manus ſuas eidem Regi, opportuno loco & tempore impendendas, ac ſupplens ex certa ſcientia & de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis omnem defectum ſi quis aut ratione formæ, aut ratione Regis prædicti, aut electorum ſuorum perſonarum, ſeu ex quauis alia ratione vel cauſa in huiuſmodi electione interuenerat quouis modo, ac præcipiens omnib. fidelib. & vaſallis Imperij, vt præfato Regi ſicut Regi Romanorũ in Imperatorem promouendo, intẽderẽt efficaciter ac parerent. Poſtmodum vero prædeceſſore ipſo ſicut Domino placuit naturæ debitum exſoluente, nobiſq; licet immeritis ad faſtigium Apoſtolicæ dignitatis aſſumptis, præfatus Rex per venerabilem Fratrem noſtrum Theodoricum Epiſcopum Mindensẽ Nuntium & Ambaſſiatorem, ac litteras eius nobis intimare curauit, quod ipſe Italiæ partes eidem Imperio ſubiectas intrauerat, & ab incolis & habitatoribus ciuitatum aliorumq; locorum Lombardiæ honorifice pacificeq; receptus, vnctionem & diadematis Imperialis inſignia in Baſilica Principis Apoſtolorum de vrbe Deo propitio ſuſcipere in proximo diſponebat. & intuens ſicut Princeps, diſcretionis & circumſpectionis virtute conſpicuus, quod nobis in partibus Ciſmontanis multorum grauium & vrgentium negotiorum inuolucro præpeditis, huiuſmodi vnctionis & coronationis inſignia per manus noſtras, non poſſent ei in Baſilica memorata concedi, per dictos Epiſcopum & litteras nobis humiliter ſupplicauit, vt per aliquos de Fratribus noſtris huiuſmodi vnctionis & coronationis aliaq; inſignia, in dicta impendi ei baſilica facere dignaremur. Nos autem, qui ad ipſius Regis honoris & ſtatus incrementa, ex paternæ charitatis inſtinctu affectionem gerimus promptiorẽ, huiuſmodi antefati Regis litterarum ſerie, & quæ idem Epiſcopus verbo ſubiunxit diligentius intellectis; attendentes, quod ſicut idem quoq; Rex conſiderauit prudenter & prouide ſic huiuſmodi negotiorum pondere premimur, & eorũ nodis implicitis implicamur, quod coronationis & inunctionis & aliis ſolenniis peragendis eiſdem non poſſumus noſtram præſentiam exhibere: & cupientes in executione ſolennium ipſorum, quibus mente dederimus per miniſtros quos tãti negotij celebritas exigit ſuppleri corporalis abſentiæ noſtræ vices, ad te ac dilectum filium noſtrum Egidium tituli S. Clementis presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum, quos virtutum grandium ſplendor illuſtrat, quoſq; in magnis & arduis operarios vtiles multa experientia comprobauit, conſiderationis noſtræ direximus oculos & ſperantes quod induſtria tua & Legati præfati, quæ in quibuſcunque operibus ſemper emicuit clarior, hoc etiam inſigne opus ad Dei laudem & gloriam ac honorem & decus ipſius Eccleſiæ ſponſæ ſuæ ipſo præſtante qui bonorum director eſt actionum laudabiliter exequetur, memorati Regis deuotis ſupplicationibus inclinati, te dictumq; Legatum ad celebritatem huiuſmodi honorabilis peragendam miniſterij deputamus. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad eandem vrbem te perſonaliter conferens, ac ibidem, die quam idem Rex adhoc duxerit eligendam cum Legato conueniens memorato, tu in dicta Baſilica Miſſam celebres, & Regem inungas eundẽ, & tu dictuſq; Legatus Regi præfato, & chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Annæ Reginæ Romanorum illuſtri vxori ſuæ, mitras & diademata Imperij, ac eidem Regi ſceptrum, pomum & gladium & alia ſolennia, prout infra patentius, clariuſq; diſtinguitur, tribuatis, ipſorumq; inclytos vertices, inſignijs eorumdem adhibitis, vetuſtæ conſuetudinis ſolennitatibus decoretis. Et ne quis in huiuſmodi peragendis ſolennijs error poſſit interuenire quod abſit, modum & formam agendorum, & vbi ac per quas perſonas agenda fuerint particulariter & diſtincte duximus præſentibus inſerenda, prout in archiuo ipſius Eccleſiæ, ac Pontificali Ordinario continetur: quorum forma talis eſt.*

*Cum Rex in Imperatorem electus peruenerit ad portam Collinam, quæ eſt iuxta caſtellum Creſcentij, recipiatur honorifice à Clero vrbis cum crucibus & thuribulis, & proceſſionaliter deducatur vſq; ad gradus Baſilicæ S. Petri, cantantibus vniuerſis; Ecce mitto Angelum meum &c. Camerariis eius miſſilia ſpargentibus ante ipſum, & Præfecto vrbis gladium præferente. Cum autem peruenerit ante Baſilicam in platea quæ Cortina vocatur, dextrãdus eſt à Senatoribus vſq; ad gradus prædictos. vbi eo deſcendente, tradendus eſt equus cui Rex inſederat illis. Interim autem Summus Pontifex, cum omnibus Ordinibus ſuis præparat ſe in Secretario tamquam celebraturus diuina, & proceſſionaliter exiens vſq; ad ſuggeſtum areæ ſuperioris quæ eſt in capite graduum, ſuper faldiſtorium ibi ſedeat, conſedentibus ſuper gradus à parte dextra Epiſcopis & presbyteris, à ſiniſtra vero diaconis Cardinalibus, & in proximiori gradu Subdiaconis & Acolythis, Primicerio & Cantoribus aſtantibus circa illos, cum Magnatibus & Nobilibus, Officialibus & Miniſterialibus aulæ Papalis. Tunc Rex cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Principibus & Magnatibus ſuis accedens ad Summum Pontificem reuerenter oſculetur pedes ipſius, & offerens ei aurum, quantum ſibi placuerit, benigne ab eo recipiatur ad oſculum & amplexum. quo demum ſurgẽte, Rex ipſe à parte dextera, & prior Diaconorum à parte ſiniſtra deducant eum vſq; in Eccleſiam Sanctæ Mariæ in turribus, vbi ante altare, Subdiacono Euangelij textum tenente, Rex ſuper illum corporaliter præſtet huiuſmodi iuramentum.*

*Ego Carolus Rex Romanorum, futurus annuente Domino Imperator, promitto, ſpondeo, & polliceor coram Deo, & Beato Petro, me de cætero protectorem & defenſorem fore Summi Pontificis & Sanct. Rom. Eccl. in omnibus neceſſitatibus & vtilitatibus ſuis, cuſtodiendo & conſeruando poſſeſſiones, honores & iura eius, quantum diuino fultus adiutorio fuero, ſecundum ſcire & poſſe meum, recta & pura fide. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia. Forma autem iuramenti præſtiti in Auinione per Procuratores & Nuncios prædicti Regis Romanorum, tempore ſuæ coronationis renouandi talis eſt.*

*Vobis Sanctiſſimo Patri & Domino, Domino Clementi diuina prouidente clementia Papæ ſexto.*

*Nos Arneſtus Archiepiſcopus Pragenſis, Ademarus Comes Valentinen. Henricus Comes de Salinis, Gerhardus de grandi prato, de Enſaliſia, Gautherus de Montilio, & Ioannes de Aſpero monte, Geraldus de Magnaco Archidiaconus de Bauceſio in Eccleſia Conſtantien. Rudolphus dictus Lorſe Officialis Treuerenſ. Ioannes de Piſtorio Decanus Eccleſiæ S. Saluatoris Traiecten. & Nicolaus de Lutzemburgo Præpoſitus Eccleſiæ Sancten. Pragen. diœceſis, Nuncij & Procuratores Sereniſſimi Principis Domini Caroli Romanorum Regis, habentes ad infra ſcripta plenam & generalem ac liberam poteſtatem, & ſpeciale mandatum ab eodem, prout conſtat per prædictas patẽtes litteras, & per aliud publicum inſtrumentũ, quorum tenores ſuperius continentur, ipſius vice & nomine dicti Domini Regis, & in animam ipſius, promittimus & iuramus, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & per hæc Sancta Dei Euangelia, & per hoc lignum viuificæ Crucis, & per has reliquias Sanctorum, quod nunquam vitam, aut membra, aut ipſius honorem quem habetis, ſua voluntate, aut ſuo conſenſu, aut ſuo conſilio, aut ſua exhortatione, perdetis; & in Roma, nullum placitum, aut ordinationem faciet de omnibus quæ ad vos pertinent, aut ad Romanos, ſine veſtro conſilio, aut conſenſu, & quicquid de terra Romanæ Eccleſiæ peruenerit ad ipſum aut perueniet, vobis reddet quam citius poterit, & quomodocumq; in Lombardiam aut Tuſciam aliquem mittet, pro terris ac iuribus ſuis gubernandis, quotiens mittet, faciet iurare eum, vt adiutor veſter ſit ad defendendum terram Romanæ Eccleſiæ, & Romanam Eccleſiam, ſecundum ſuum poſſe. Et ſi, permittente Deo, dictus Dominus noſter Rex Romam venerit, Sanctam Romanam Eccleſiam & vos Rectorem ipſius, & ſucceſſores veſtros exaltabit ſecundum ſuum poſſe. Et cũ Romæ, vel alibi per vos in Imperatorem fuerit coronatus, Dominus noſter Rex prædictus, iuramentum & alia fieri conſueta ad requiſitionem veſtram, tempore coronationis ſuæ perſonaliter renouabit.*

*Deinde Summus Pontifex cum ordinibus ſuis ad altare procedit, & facta ibi oratione, ad ſedem aſcendit, Rege cum ſuis tribus Epiſcopis, videlicet Oſtien. & Portuenſ. & Albanenſ. in Eccleſia S. Mariæ in turribus remanente; vbi à Canonicis S. Petri receptus in fratrem, Imperialibus induatur inſigniis, dato ipſius pallio Camerario Domini Papæ, qui præcedentib. illum Canonicis & cantantibus,* Petre amas me, &c. *cum ad oſtium Baſilicæ Principis Apoſtolorum peruenerint, quæ porta argentea nuncupatur, deducentibus eum hinc inde, Comite Lateranen. palatij & primicerio iudicum Romanorum, Albanenſis Epiſcopus ante ipſam portam*

*argenteam, hanc ſuper eum benedictionem effundat:* Deus in cuius manu ſunt corda Regum &c. *Cum autem intra Eccleſiam in medio rotæ peruenerit, Portuenſis Epiſcopus hanc orationem decantet:* Deus inenarrabilis actor mundi &c. *Qui cum ad confeſſionem Beati Petri peruenerit, proſternat ſe pronus in terram; & prior Diaconorum ſuper eum faciat letaniam, qua finita, primus presbyterorum dicat orationem Dominicam cum Capitulis iſtis: Saluum fac ſeruum tuum Domine. Mitte ei auxilium de ſancto: Domine ſaluum fac Regem. ac deinde dicat orationem iſtam: Actiones noſtras quæſumus Domine &c. Poſt hæc procedant ad altare Sancti Mauritij, vbi Oſtienſis Epiſcopus vngat ei de oleo exorcizato brachium dextrum, & inter ſpatulas, hanc orationem dicendo: Domine Deus Omnipotens, cuius eſt omnis poteſtas &c. Item aliam orationem: Deus Dei filius Ieſus Chriſtus &c. Ita his peractis, Rex aſcendat ad altare S. Petri, vbi Summus Pontifex facta confeſſione recipiat eum ad oſculum ſicut vnum ex Diaconis. Ipſe procedat ad pulpitum vel ambonem, vbi thalamus conſtructus de lignis & ornatus de palliis debet eſſe paratus, & ibi cum ſuis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Principibus & Magnatibus ſecundum capacitatem loci conſiſtat. Primicerius autem & ſchola cantorum in choro ante altare decantent Introitum, & poſt Kyrieeleyſon & hymnum Angelicum decantata, Summus Pontifex dicat orationem, quæ competit illi diei, & hanc orationem pro illo Imperatore: Deus regnorum omnium &c. Item aliam orationem: Suſcipe Domine preces &c. Item aliam orationem: Deus qui ad prædicandum, &c. Cum lecta fuerit epiſtola, & graduale decantatum, Imperator aſcendat proceſſionaliter ad altare. Summus Pontifex imponat ei mitram clericalem in capite, & ſupra Imperatoris diadema, dicens:* Accipe ſignum gloriæ &c. *Deinde ſceptrum & pomum aureum tradat ei, & poſt cætera gladium, ita dicens:* Accipe gladium ad vindictam &c. *Qui coronatus incedens, portet in dextera manu pomum, in ſiniſtra ſceptrum, & ſic ad thalamum redeat, ipſoque ibi cum Principibus ſuis conſiſtente, Prior Subdiaconorum cum Subdiaconis Romanæ curiæ, & Capellanis aulæ Imperialis, ad pectorale dextrum ante Crucifixum, agentes laudem Imperatoris, alta voce decantent hæc verba:* Exaudi Chriſte; *Scriniarij vero vrbis ſericis cappis induti ante pectorale conſiſtentes, in choro, reſpondeant;* Domino Carolo inuictiſſimo Imperatori Romanorum & ſemper Auguſto, ſalus & victoria. *Qua laude tertio repetita, prior Subdiaconorum cum ſuis tribus vicibus dicat,* Saluator mundi *& Scriniarii viciſſim reſpondeant:* Tu illum adiuua. *Deinde iſte cum ſuis duabus vicibus dicat:* Sancta Maria. *& illi viciſſim reſpondeant:* Tu illum adiuua, *& ſic deinceps. Sancte Michael. Sancte Gabriel. S. Raphael. S. Ioannes Baptiſta. S. Petre. S. Paule. S. Andrea. S. Steph. S. Laurenti. S. Vincent. S. Sylueſt. S. Leo. S. Gregor. S. Bened. S. Baſili. S. Sabba. S. Agnes. S. Cæcilia. S. Lucia. quibus finitis, iſti bis dicant Kyrieeleiſon. & illi viciſſim reſpondeant, Chriſte eleyſon, ac deinde ſimul omnes, Kyrieeleyſon. Poſt hoc Euangelio decantato, Imperator corona & manto depoſitis, accedat ad Summum Pontificem, & offerat ad pedes eius aurum quantum ſibi placuerit: ipſoque Pontifice deſcendente pro perficiendis Miſſarum myſteriis, ad altare, Imperator more Subdiaconi offerat ei calicem & ampullam: & ſtet ibi donec Pontifex ad ſedem reuerſus communicet, ſacramque communionem de manu ipſius ſuſcipiat cum oſculo pacis: & ſic ad thalamum rediens, in ambone reſumat mantum pariter & coronam, Miſſaque finita, Pontificalem benedictionem reuerenter accipiat, & ſtatim procedat ad locum vbi debet Summus Pontifex equitare, & cum ipſe Pontifex equum aſcendet, teneat ſtapedium eius ſellæ, & arrepto freno aliquantulum ipſum addextret: moxque ſuum equum aſcendens, procedat iuxta Summum Pontificem vſque ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Transpontina, vbi dato ſibi oſculo, ab inuicem non corde ſed corpore ſeparentur.*

*Si vero Regina fuerit coronanda, debet ſuper lectorium ex oppoſito thalami præparari, vbi cum duabus [illegible] puellis & aliquibus ex Principibus Imperii, tam Eccleſiaſticis quam mundanis reſideat: & poſt coronationem Imperatoris deducatur ad altare ante Summum Pontificem amicta Regalibus indumentis. cui Summus Pontifex mitram imponat, ita quod cornua mitræ ſint à dextris & à ſiniſtris, & ſuper mitram imponat coronam, ita dicendo:* Accipe coronam Imperialis excellentiæ &c. *Coronata vero Regina reducatur ad thalamum, & poſt Euangelium deducatur ad oblationem Summo Pontifici exhibendam, ſtetque in gradibus iuxta abſidam, verſus altare Sancti Leonis, donec de manu Summi Pontificis poſt Imperatorem ſacram communionem accipiat. & tunc ad thalamum reducta, permaneat vſque ad finem Miſſæ. Conſueuit autem Imperator larga presbyteria omnibus Ordinib. exhibere, quibus ea cum coronatur Summus Pontifex, videlicet Epiſcopis presbyteris & Diaconis elargitur, Cardinalib. Primicerio & Cantoribus, Subdiaconis Baſilicariis, & Regionariis, vniuerſitati cleri Romani, Capellanis & cæteris Officialibus & Miniſterialibus Curiæ: Præfecto vrbis, Senatoribus, Iudicib. Aduocatis, & Scriniariis, ac præfectis naualium. Conſueuit etiam Rex, quando deſcendet de Monte gaudii, & venit ad Ponticellum, præſtare hoc iuramentum Romanis.*

*Ego Carolus Rex futurus Imperator, iuro me ſeruaturum Romanis bonas conſuetudines ſuas. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta &c.*

*Quia vero propter noſtram abſentiam, nonnulla ſolennia ex prædictis perſonam noſtram tangentibus expedit intermitti, volumus atque decernimus: quod non obſtantib. his quæ ſuperius deſcribuntur, in gradibus ſcalarum dictæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum, idem Rex Romanorum ſolennitate & honorificentia debitis recipiatur ad oſculum, per te & Legatum eundem, ſtantes in ordinib. veſtris indutis tamen mitris, pluuialibus, proceſſionaliter obuiantes eidem cum Subdiaconis & acolytis, Primicerio & Cantorib. aſtantibus, circa te, dictumque Legatum, Magnatibus, Nobilib. Officialibus & Miniſterialibus aulæ noſtræ. Aurum vero quod Rex in eiſdem gradibus Apoſtolico conſueuit offerre poſt genuflexionem & deoſculationem pedum, omiſſis illis quæ nec tibi nec dicto Legato faciet idem Rex, quia ſoli Romano Pontifici competunt & debentur in eodem loco per eundem Regem tibi & dicto Legato humiliter offeratur, ita dicente: ſi Sanctiſſimus Pater Dominus noſter, Dom. Innoc. Sum. Pont. eſſet hic præſens ſibi offerrem aurum iſtud: vobis Dominis Epiſcopis & Legato recipientib. illud vice & nomine dicti Domini Domini noſtri Papæ. Quo facto idem Rex exiſtens in medio tui & dicti Legati, veniat cum vtroque veſtrum ad altare Sanctæ Mariæ in turribus, & cum ibidem fuerit, publice in præſentia tui & dicti Legati recipientium, noſtro & ipſius Eccleſiæ Romanæ nomine, præſtet idem Rex Sacramentum, ſub expreſſo nomine proprio de verbo ad verbum, prout ſuperius continetur. Renouet etiam Sacramentum per Procuratores ſuos præſtitum, ſeu approbationis tempore coram nobis, ſecundum tenorem ſuprascriptum. Et ſi in aduentu ſuo in gradibus, vbi eidem tu & Legatus obuiabitis, ante ſcalas, renouationem prædictam facere prælegeret, contentamur. Tu vero vt præmittitur Miſſam celebres, & Regem prædictum iunges, prout in ordinario continetur. Letanias dicat diaconus, qui tibi celebranti in Miſſa tunc plenius miniſtrabit. Orationem autem quam dicere debet prior presbyterorum Cardinalium, dicat idem Legatus. Præſtito autem in capella ſanctæ Mariæ de turribus iuramento, prædictus Legatus cum Rege remaneat, memorato. Oratio vero quæ dicenda competit Epiſcopo Albanen. tu dicas loco & tempore debitis. Sed orationem quam debet dicere Portuenſis Epiſcopus ſi adfuerit, dicat præfatus Legatus. Recepto autem ad oſculum, inter Diaconos Cardinales poſt confeſſionem in altari Beati Petri factam, quia ſol. Romano Pontifici competit & concurrit, cum oſculo pectoris omittatur. Tu autem & prædictus Legatus, impoſitis mitras ſuo modo Regi ſiueque Reginæ prædictis, prout in dicto Ordinario, de Summo Pontifice continetur: & diademata Regi & Reginæ prædictis. Verba vero dicenda in impoſitione diadematum, ſcil.* Accipe ſignum gloriæ &c. *quo ad Regem; Item,* Accipe coronam Imperialis excellentiæ, *quoad Reginam, dicat idem Legatus alte atque ſonore, ita quod ab aſſiſtentib. audiatur. Licet enim ratione Prioratus hoc eidem Legato non competat, quia tamen in legatione ipſe noſtram repræſentat perſonam, hoc per eum volumus adimpleri. & tu verba eadem ſubmiſſe dicas, ſic vt nequaquam audiri poſſint, ſicut in conſecrationib. Prælatorum fieri conſueuit, pro quo aſſiſtente principaliter conſecranti. Verba autem competentia in aſſignatione gladii, poſt ſceptrum & pomum aureum, ipſumque gladium per te & Legatum eundem tradita, ſcilicet;* Accipe gladium ad vindictam malefactorum &c. *tu idem alta & ſonora voce dicas & proferas, prædicto Legato ſubmiſſa voce eadem verba dicente, prout in verbis impoſitionum mitrarum & diadematum ſuperius eſt expreſſum. Decantato autem Euangelio, Rex coronandus offerat aurum, quod ad pedes Romani Pontificis conſueuit offerri, ad pedem maioris altaris, quod*





*tu ac Legatus id ſimul noſtro recipiatis nomine. Cætera vero ſolennia peragantur, cum omni ſolennitate & honorificentia, prout in Ordinario continetur. Oblatio vero calicis & ampullæ, per Imperatorem iam coronatum, decantato Euangelio, mitra & manto depoſitis more Subdiaconi Romani facienda Pontifici, & aſſiſtentia eidem facienda per Imperatorem, donec Romanus Pontifex ad Sedem propriam reuertatur, quia ſoli Romano Pontifici competunt, omittantur. Idem tamen Imperator ſi voluerit ſacram communionem, de manu recipiat celebrantis, oſculo tamen omiſſo. Quibus peractis ad thalamum rediens, in ambone reſumat mantum pariter & coronam. Proceſſus autem huiuſmodi Imperatoris ad locum vbi Summus Pontifex equitare dicitur, & detentio ſtapedij ſellæ eius, & arrepto freno equi, cui Romanus Pontifex inſideret, adextratio, officiique ſtratoris exhibitio, quia ſoli Romano Pontifici competunt, & præſentiam ipſius exigunt corporalem, omittantur omnino. Reliqua autem ſolemnia, prout exprimuntur in Ordinario, ſolenniter & honorifice compleantur.*

*Quia autem, vt ex prædictis apparet, multæ obſeruantiæ, multaque ſolennia, multæque reuerentiæ & honorificentiæ, Romano Pontifici competentia, propter noſtram abſentiam, omittuntur, proteſtamur & volumus, & Apoſtolica authoritate decernimus, quod nullum ex hoc iuris vel facti, Romanæ Eccleſiæ, ac nobis, noſtriſque ſucceſſoribus præiudicium generetur; quin cum caſus Regis Romanorum in Imperatorem coronandi occurret, omnia exhibeantur, & fiant per coronandos Reges Romanis Pontificibus, ſicut in forma quæ in archiuo Eccleſiæ & Pontificali Ordinario continentur eiſdem, ſuperius deſcripta ſerioſius & expreſſim.*

*Ad eiuſdem a Eccleſiæ Romanæ, noſtram & ſucceſſorum noſtrorum conſeruationem iuris atque cautelam, volumus per te ac dictum Legatum, ab eodem, tam Rege coronando, quam Imperatore coronato, expreſſe his noſtris, proteſtationi & decreto conſentiente, recipi patentes litteras quadruplicatas, de verbo ad verbum tenorem præſentium continentes, ſub Regali primum ſigillo, & poſtmodum ſua Imperiali bulla communitas, quas tu & idem Legatus, aut alter veſtrum nobis aut cameræ noſtræ fideliter aſſignetis. Quod ſi te vel dictum Legatum, cui ſimiles litteras mutatis mutandis dirigimus, contingeret forſitan impediri, ille veſtrum qui executioni præmiſſorum vacare potuerit, ea omnia exequatur. Dat. Auinione II. Cal. Febr. Pontificatus noſtri anno 3.*

*Cum igitur Sanctiſſime Pater & Domine Reuerendiſſime, propter veſtræ Sanctitat. abſentiam, circa Imperialis coronationis noſtræ ſolennia, nonnullas obſeruantias, & multa ſolennia, variaſque reuerentias & honorificentias Romano Pontifici competentes, vt eiuſdem Sanct. veſtræ litteris. Reuerendo in Chriſto Patri Domino Petro Oſtien. Epiſc. Cardinali Apoſtol. Sedis Nuncio amico noſtro chariſſimo directis colligitur contingat omitti, & ob hoc fueritis in eiſdem Apoſtolicis literis proteſtati, volueritis queque & Apoſtol. authoritate duxeritis decernendum, quod ex hoc nullum R. Eccl. vobis & veſtris ſucceſſorib. iuris & facti præiudicium generetur, quin occurrente caſu, quo Rex Romanorum in Imperatorem fuerit coronandus, omnia exhibeantur & fiant per coronandos Reges, Romanorum Pontificibus, ſicut in forma ſuperius deſcripta, quæ in archiuo Eccleſiæ & Pontificali Ordinario continetur clarius, vt præmittitur, eſt expreſſum. Nos qui ſupra, Carolus IV. diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Boemiæ Rex ſupradictis proteſtationi & decreto, ſicut ante coronationem noſtram Imperialem conſenſimus, ita denuo Sanct. veſtræ conſentimus expreſſe: nec non omnia & ſingula iuramenta in litteris Sancti. veſtræ prædictis contenta, ante coronationem noſtram præſtita, & conſenſum prædictum renouamus, ac de nouo iuramus, tactis ſacroſanctis Euangeliis in manibus prædicti Domini Cardinalis Oſtienſis, nomine Romanæ Eccleſiæ, Sedis Apoſtolicæ atque veſtro, & de mandato veſtro recipientis, de qua receptione, tam per noſtras præſentes, quam ipſius Domini Cardinalis recipientis litteras plene conſtat. Et ad prædictorum perpetuam rei memoriam, S.R.E. & Sedis Apoſtolicæ, & Romanorum Pontificum ſecuritatem, iuris conſeruationem atque cautelam, præſentes litteras quadruplicatas, tenore prædictarum litterarum Sanct. veſtræ eis de verbo ad verbum inſerto, Imperialis Maieſtatis typario communitas, eidem Sanct. veſtræ conceſſimus, & eas per eundem Dominum Oſtien. Cardinalem duximus tranſmittendas. Dat. Romæ poſt ſuſceptionem Imperialis noſtræ coronæ, anno Domini M. CCC. LV. Indictione VIII. Nonas April. Regnorum noſtrorum an. IX. Imperij vero anno I. & ego Ioannes, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Luthomiſlien. Epiſcopus, ſacræ Imperialis aulæ Cancellarius, vice Reuerendi in Chriſto Patris Domini Guillelmi Colonien. Archiepiſc. ſacri Imperij per Italiam Archicancellarij recognoui & manu propria ſubſcripſi.*

VII. Coronatio Caroli Rom. Reg. in Imperatorem.

Inter Miſſarum ſolennia, Petrus Oſtienſis Epiſcopus, & Egidius S. Clementis Cardinales Legati, poſtquam Sacramentum ab eo ex præſcripta formula Eccleſiæ & Summo Pontifici dictum audiuiſſent, ſacro oleo inunxerunt, & Imperatorem conſecratum, diademate, ac reliquis inſigniis Imperii ornarunt: cum is omnia, quæ olim V. Cal. Maii, anno 1347. Tridenti, in manibus Gerardi Archidiaconi Sedis Apoſtolicæ Nuncii, nunc Epiſcopi Tridentini, ad inſtar Henrici VII. promiſerat, tum ante, tum poſt coronationem confirmaſſet, innouaſſet, conceſſiſſetque Romanæ Eccleſiæ; datis litteris, in quib. Henrici VII. diploma, datum Lauſanæ V. Idus Octobr. inſeruit, & ad cuius inſtar, Romanum Ducatum, Marchiam Anconitanam, Exarchatum Rauennæ, Pentapolim, Romandiolam, Comitatum Bretenerii, Ciuitatem Bononienſem, Vallem Spoletanam cum toto Ducatu, Comitatum Peruſii & Catelli, Maſſam Trebariam, Patrimonium Beati Petri in Thuſcia cum ciuitatibus Tuderti, Narniæ, vrbis veteris & Reatæ, Comitatum Sabinæ, Ciuitatem Interamnen. Arcem Cæſarum cum terra Arnulphorum, Campaniam & Maritimam cum omnibus ciuitatibus, Romam & Ferrariam, cum omnibus ad eam ſpectantibus, Regnum Siciliæ cis & vltra Pharum, Sardiniam & Corſicam, Comitatum Venayſinum, ciuitatem Auinionen. & omnia alia bona ac iura Eccleſiæ, Pontifici Romano ab Imperatoribus olim data approbauit, & aurea bulla quattuor diplomata eius approbationis, innouationis & conceſſionis ſignata Legata Sedis Apoſtolicæ dedit, Laterani Nonis Aprilis. Anno Domini M. CCC. LV. Regnorum IX. Imperii I. Inter alia Carolus iurauit, 1. In Italia, nullos Vicarios vrbibus Imperialibus præficeret, ſine ſcitu Pontificis. 2. Vicariis quos vrbibus præficeret, neceſſitatem iuriſiurandi imponeret, vt Eccleſiam Romanam aduerſus quoſuis hoſtes tuerentur. 3. Ipſe pro Eccleſiæ bonis ac iuribus, propriis ſumptibus tamdiu militaret, quoad illa ab iniquis poſſeſſorib. vindicaret. 4. Pontificiarum partium homines, à Gibellinis tueretur, neq; illos opprimi fineret. 5. Egidium Cardinalem Legatum aduerſus tyrannos laborantem iuuaret. 6. Proceſſus ab Henrico auo contra Florentinos & Robertum Siciliæ Regem factos abrogaret. 7. Vniuerſitatibus, communitatibus, ac ſingulis perſonis in Italia, omnes iniurias anteceſſoribus Imperatoribus & ſibi quoquo modo factas remitteret. 8. Ex eo, quod propter abſentiam Pontificis, formula antiqua inaugurationis Imperatorum, in eius conſecratione ſeruata non fuit, nihil contra recens in litteris Legatorum præſcriptam opponeret, aut priuilegiis Apoſtolicæ Sedis derogaret; quo minus eius in poſterum ſucceſſor, aut non poſſit à Romano Pontifice coronari, aut eidem Romano Pontifici, ea omnia obſequia præſtare, quæ in antiqua formula præſcripta ſunt. 9. Romana vrbe ſtatim à coronatione diſcederet, neque inuito Pontifice reuerteretur, *extat in libr. 3. priuileg. Rom. Eccl. pag. 132. 234. 328. & authographum in mole Hadriani.*

VIII. Forma Iuramenti Caroli Rom. Reg. in ſuſceptione Imperialis Coronæ in manibus Legatorum Innoc. Pp. præſtiti cum priuilegiis et conceſſionibus Rom. Ec.

*Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & Domino ſuo, Domino Innocentio, digna Dei prouidentia Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ Summo Pontifici, Carolus Quartus diuina fauente Clementia Rom. Imperator ſemper Auguſtus & Boemiæ Rex cum reuerentia debita & deuota, pedum oſcula beatorum.*

*Sanctiſſime Pater & Domine Reuerendiſſime Litteras Sanctitatis veſtræ quas clementia veſtra nobis curauit tranſmittere de manibus R. in Chriſto Patris Domini Petri Epiſc. Oſtienſis Apoſtolicæ Sedis Nuncij amici noſtri chariſſimi, in ciuitate noſtra Senarum, in Imperiali palatio, cum reuerentia debita & honore congruo deuote ſuſcepimus, quarum tenor ſequitur in hæc verba.*

*Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Carolo Romanorum Regi Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Sicut filius benedictionis & gratiæ, humilitatis à Domino vir-*

CLESIÆ PER IPSVM FACTÆ. TENOR LITTERARVM INNOC. PP QVIBVS IVRAMENTVM à CAROL. REGE EXIGIT.

tute præuentus, deuotionis & fidei tuæ Zelum Romanæ Eccleſiæ matris tuæ olim offerens, reuerenter, iuramẽtũ, quod ſeries infraſcriptarũ literarum tuo munitarum pendenti ſigillo continet ſerioſe, dudum in manibus bonæ memoriæ Gerardi Epiſcopi Tudeſtini, tunc Archidiaconi de Balthesio in Eccleſia Conſtantiens. Capellani Sedis Apoſtolicæ de mandato per felic. record. Clementem Papam VI. prædeceſſorem noſtrum eidem Gerardo facto, prædeceſſoris & Eccleſiæ prædictorum, ac Apoſtolicæ Sedis nomine recipientis, tactis per te ſacroſanctis Euangelijs, ſicut per eaſdem litteras plene conſtat corporaliter præſtitiſti, promittens teque firmiter obligans cum omni efficacia & effectu, quod poſt Imperialis diadematis à te coronationem ſuſceptam, omnia in iuramento & litteris contenta prædictis ratificares, confirmares, recognoſceres, faceres, ſeruares & iurares, ac de ſupradictis omnibus infra octo dies tuas patentes litteras dares quadruplicatas, prædictarum litterarum ſeriem continentes ad perpetuam rei memoriam, & ad ſecuritatem & cautelam dudum prædeceſſoris, & ſucceſſorum ipſius, ac Romanæ Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ prædictorum, Imperialis Maieſtatis typario communitas. Quare magnificentiam Regiam paterno rogamus & hortamur affectu, quatenus deuotionis & fidei ac reuerentiæ feruorem huiuſmodi, cum tuæ promotionis & exaltationis augmento, per clara tuæ Celſitudinis geſta erga nos & præfatam Eccleſiam demonſtres, in manibus dilecti filij Egidij tituli Sancti Clementis Presb. Cardinalis Legati, & venerabilis fratris noſtri Petri Oſtienſ. Nuncii Sedis Apoſtolic. vel alterius eorundem, quos ad tui præſentiam duximus deſtinandos, quibuſque & cuilibet eorundem in ſolidum iuramenti & aliorum prædictorum omnium & ſingulorum receptionem per noſtras litteras ſpeciales commiſimus, poſt ſuſceptum per te, vt præmittitur ipſum diadema, omnia in iuramento & litteris contenta prædeceſſoris ratifices, confirmes, recognoſcas, facias, ſerues & præſtes de nouo ſimile iuramentum, nobiſque ſuper his omnibus & ſingulis, iuxta tuam promiſſionem & obligationem, eaſdem prædictas litteras quadruplicatas, eiuſdem Imperialis Maieſtatis typario communitas, in eis tenore prædictarum tuarum litterarum inſerto concedas, illaſque nobis per eoſdem vel alterum eorundem tranſmittas.

Tenor autem prædictarum litterarum tuarum, vt de his plenam certitudinem habeas, de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, qui talis eſt.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino ſuo, Domino Clemẽti, S. S. Rom. ac vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Carolus Dei gratia Rom. Rex ſemper Auguſtus, & Boemiæ Rex, cum reuerentia debita, deuota pedum oſcula beatorum.

Summis & feruentibus deſideriis in ſpiritu humili cupientes Sanctitatis veſtræ pedibus & Apoſtolicæ Sedi toto corde & animo zelum veſtræ reuerentiæ, fidei & deuotionis offerre, veſtris ſanctis diſpoſitionibus, monitis, exhortationibus & mandatis nos pro totis viribus coaptando, reuerenter & deuote in manibus diſcreti viri Magiſtri Geraldi de Magnato, Archidiaconi de Balthesio in Eccleſia Conſtantienſi Capellani veſtri, veſtræ Sanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ nomine, de mandato veſtro ſpeciali eidem ſuper hoc facto, recipientis promiſſiones, iuramenta, & conceſſiones omnes & ſingulas infraſcriptas ſigillatim, & ſpecifice, tactis ſacroſanctis Euangeliis renouauimus, renouamus, fecimus & de nouo facimus, præſtitimus & præſtamus, approbauimus & approbamus, ratificauimus & ratificamus; & primo facimus, præſtamus, concedimus, & promittimus omnia iuramenta, omnes obedientias, promiſſiones, conceſſiones, donationes, ratificationes, confirmationes & cætera omnia, quæ olim electi in Reges Roman. & aſſumpti ad Imperium, ſiue etiam non aſſumpti, ſiue antequam aſſumerentur, ſiue poſt, per ſe, vel alios, Summis Pontificibus & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſeu eorum alteri, per ſe vel per alios reperientur ſuis temporibus præſtitiſſe, feciſſe, ac confirmaſſe, ſeu quomodolibet conceſſiſſe.

Item omnes proceſſus factos, & quaslibet ſententias latas, & qualibet alia, quocunque nomine cenſeantur, Romæ, ſeu vbicunque alibi geſta, per Ludouicum de Bauaria per Eccleſiam de hæreſi & ſchiſmate iuſto Dei iudicio condemnatum, ac priuatum omni iure, ſi quod per electionem in Regem Romanorum de ipſo factã ei fuerat acquiſitum, ſeu per alios, eius nomine vel authoriate, ſub Imperiali titulo quem ſibi indebite vſurpauit; nec non & omnia quæ per ſe vel alium in Italia fecit, ſeu geſſit, etiam ſub Regali nomine; & cætera etiam omnia vbicunq; geſta ab eo, per ſe vel alium, quæ ex defectu iuriſdictionis vel poteſtatis facere ſibi non licuit, nulla eſſe, ac caſſa & irrita pronunciamus & declaramus: illa etiam quatenus de facto proceſſerunt annullamus, & penitus in his ſcriptis reuocamus.

Item promittimus, & ad Sancta Dei Euangelia corporaliter per nos tacta iuramus, quod non occupabimus, nec recipiemus, nec acquiremus, nec quouis modo vſurpabimus, Romam, aut prouincias Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Anconitanũ, Ferrariã, ciuitates, oppida, caſtra, terras alias, ſeu territoria, vel loca Eccleſiæ Romanæ ſeu ad ipſã mediate vel immediate ſpectantia, in Italia, vel vbilibet extra Italiã, ſicut eſt, Comitatus Venayſini, qui ad Romanã Eccleſiam pleno iure noſcitur pertinere, & plura etiam alia ad eandem Eccleſiam pertinentia extra Italiam conſtituta. & ſpecialiter, nec Regna Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ, quæ de domino directo, iure & feudo eiuſdem Romannæ Eccleſiæ eſſe noſcuntur, nec alia feuda retrofeuda, ſeu quælibet alia loca ad eandem Eccleſiam mediate vel immediate ſpectantia: nec iura, perſonas, vel res aliquas in eiſdem; nec aliquibus inuadentibus, ſeu occupantibus, vel quomodolibet vſurpantibus, ſeu inuadere, occupare, vel quomodolibet vſurpare attentantibus ſeu volentibus, prædicta Regna Siciliæ, Sardiniæ, vel Corſicæ, ſeu Romam, aut prouincias, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Anconitanum, Venayſin. Ferrariam, Ciuitates, oppida Caſtra, terras alias ſeu territoria, vel loca Eccleſiæ Romanæ ſeu ad ipſam Eccleſiam mediate vel immediate ſpectantia, ſiue ſint intra Italiam, ſiue extra Italiam, ſeu aliqua prædictorum, non iuuabimus, nec eis adhærebimus, nec ipſis etiam dabimus aliqualiter auxilium, conſilium, vel fauorem: quinimo, quoſcunq; inuadentes, occupantes, ſeu quomodolibet vſurpantes, ſeu inuadere, occupare, vel vſurpare volentes vel attentantes, dicta Regna Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ & vrbem Romanam, ac Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Prouincias, Anconitan. Venayſin, Ferrariam, Ciuitates, caſtra, & terras ſeu quæuis alia loca Romanæ Eccleſiæ vel aliqua ex eiſdem retrahemus, & impediemus poſſe noſtro eiſdem nos cum armis opponendo. Et ne conatus talium, effectum habeat, cum tota noſtra potentia reſiſtendo, ac vobis & Eccleſiæ Romanæ pro defenſione Regnorum, Prouinciarum, terrarum, & locorum prædictorum, contra quoſcunque occupatores, inuaſores & vſurpatores, ſeu occupare, inuadere, vel vſurpare attentantes fideliter aſſiſtendo, nec dabimus, nec concedemus vllo vnquam tempore in perpetuum, vel ad tempus aliquod de prædictis, ſub colore, conditione, vel titulo quibuſcunque. Quodque prædictam Eccleſiam Romanam, aut vos Dominum noſtrum Papam, ſeu ſucceſſores veſtros, vel officiales, miniſtros, vaſallos, & ſubditos veſtros non inquietabimus, vel quomodolibet moleſtabimus, in dictis Regnis, Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ, nec in vrbe Romana, terris, prouinciis, Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Anconitan. Ferrar. Ciuitatibus, caſtris, oppidis, & aliis terris, ac territorijs ſupradictis, ſeu aliquo prædictorum. Sed nec etiam loca prædicta, ratione quorumlibet delictorum vel exceſſuum in locis eiſdem commiſſorum, vel committendorum, aliquem vel aliquos puniemus, vel alias perſequemur; niſi hoc ad nos de iure pertineret, ex alia ratione, quam territorij: cum territorii ratione, hoc ad Regem, vel Imperatorem Romanorum quantum ad loca prædicta, nullo modo valeat pertinere. Et hoc caſu promittimus, & iurantes vt ſupra, quod tales contra iuſtitiam non grauabimus, nec eis in caſu etiam aliquo, Reges prædictorum Regnorum, aut miniſtros, vaſallos, & ſubditos eorundem in Regnis prædictis, ſeu pro eis, vel qualibet earum parte, aliquatenus moleſtabimus; nec aliquod dominium, iuriſdictionem, ſuperioritatem, ſeruitutem, poteſtariam, Capitaneatum, vel aliud officium, quocunque nomine cenſeantur, accipiemus, vel vendicabimus, vel per nos, vel per alios exercebimus in prædictis, Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Anconitan. Venayſin. Ferraria, Ciuitatibus, oppidis, locis,





terris, & territoriis ſupradictis, vel pro aliquo eorumdem: nec etiam pro quibuslibet rebus, vel iuribus, in præmiſſis, Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Anconitan. Venayſin. Ferraria, Ciuitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris, & territoriis ſupradictis, vel in eorum ſeu in aliquibus pertinentiis conſtitutis, etiamſi nobis à quibuslibet communitatibus, vel perſonis ſingularibus offerentur: nec ius etiam aliquod aliud qualecunque vendicabimus, acquiremus, vel occupabimus, ſeu quomodolibet, per nos vel alium, ſeu alios vſurpabimus, recipiemus, vel exercebimus: nec concedimus etiam recipi vel haberi, in Roma, Regnis, prouinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus Anconitan. Venayſin. Ferraria, Ciuitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris, & territoriis ſupradictis, vel in aliquo de eiſdem: & ſpecialiter, in prouinciis, ciuitatibus, terris & locis expreſſis in quibuſdam literis dicti quondam Henrici Imperatoris, quarum tenor inferius eſt inſertus.

Ad euitandam quoq; occaſionem veniendi contra prædicta, vel aliquod prædictorum, promittimus vt ſupra, quod ante diem nobis pro coronatione noſtra Imperiali præfigendam, non ingrediemur vrbem Romanam: quodque eadem die, vero & legitimo impedimento ceſſante Imperialem recipiemus coronam: & quod ſiue illa die, ſiue, vero & legitimo impedimento ceſſante, alia die dictam recipiemus coronam, ipſa die qua coronam huiuſmodi receperimus, dictam vrbem, vero & legitimo ceſſante exibimus, cum tota etiam, quantum in nobis fuerit gente noſtra, & ceſſante etiam impedimento legitimo, continuatis moderatis diætis, extra totam terram Rom. Eccleſ. nos recto greſſu transferemus, verſus terras Imperio ſubiectas: nunquam poſtmodum ad vrbem, Regna prædicta, Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ, prouincias, ciuitates, vel alias terras Romanæ Eccleſiæ, niſi de ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ acceſſuri.

Iuramus quoque ſuper ſancta DEI EVANGELIA, per nos corporaliter manu tacta, quod ſuper his vel eorum aliquo, nullum impedimentum fingemus, aut præſtabimus, aut fingi aut præſtari per alium, aut alios, quantum in nobis fuerit permittemus.

Item promittimus, quod contra prædicta, vel eorum aliquod nullatenus per nos, vel alios veniemus, & ſi contrarium quouis modo contingeret fieri, per nos vel alios noſtros noſtro nomine quãdocunq; ſtatim cum hoc ad noſtram notitiam deductum fuerit, illud reuocabimus, & faciemus, quantum in nobis fuerit effectualiter reuocari: & pro non facto volumus & decernimus haberi & etiam reputari.

Item ſi per præfatum quondam Henricum Imperatorem auum noſtrum, vel per iam dictum Ludouicum, ſeu per quemcumque alium, ſeu alios, ipſorum vel alterius nomine, ſeu authoritate, aliquæ ſententiæ fuerint promulgatæ, ſeu proceſſus aliqui facti, ſeu arreſtationes perſonarum, aut rerum, vel aliqua ad iuriſdictionem pertinẽtia, attẽtata in Roma Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Ciuitatibus, mediate vel immediate ſubiectis, illa omnia decernimus, & in his ſcriptis pronunciamus eſſe nulla. Quodque ſi aliquæ fidelitates, homagia, obedientiæ, recognitiones, donationes, aduocationes, occupationes, ſeu conceſſiones qualeſcunque à prædictis Henrico & Ludouico, vel eorum altero, per ſe vel alium, ſeu alios factæ fuerint, vel receptæ, pro Roma, Regnis, prouinciis, Ducatibus, Marchionatu, Comitatibus, Ciuitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris & territoriis ſupradictis, vel eorum aliquo: vel pro quibuslibet rebus, vel iuribus in eis, vel ſub eis etiam conſtitutis, à quibuſcunque vniuerſitatibus, vel perſonis ſingularibus, quouis modo: illa omnia fore nulla pronunciamus, & quatenus proceſſerunt de facto, totaliter reuocamus, & etiam pro non factis volumus & decernimus haberi.

Item promittimus & iuramus, quod quandocunq; in Lombardiam & Tuſciam, vel earum alteram, aliquem vel aliquos mittemus, pro terris & iuribus Imperij gubernandis: quotiens illum vel illos tranſmittemus, faciemus eum & eos iurare, vt adiutor, & adiutores Domini PAPÆ ſint, ad defendendum terram Sancti PETRI & Romanæ Eccleſiæ ſecundum ſuum poſſe.

Item promittimus & iuramus, vt ſupra, quod omnia & ſingula ſupraſcripta & infraſcripta per nos promiſſa, & per nos præſtito iuramento vallata, bona fide & inuiolabiliter obſeruabimus, faciemus, implebimus, & integraliter attendemus, iuxta præſentium continentiam & tenorem. & nihilominus ipſa omnia & ſingula præmiſſa, poſt inunctionem, conſecrationem & coronationem Imperialem, infra octo dies inunctionem, conſecrationem & coronationem eandem immediate ſequentes, pro maiori firmitate omnium prædictorum, ipſa omnia & ſingula ratificabimus, & etiam renouabimus ſingulariter & expreſſe. & ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, dabimus litteras noſtras quadruplicatas eiuſdem tenoris patentes & ſufficientes, Imperialis Maieſtatis typario communitas.

Inſuper ſuper Sancta DEI EVANGELIA corporaliter manu tacta iuramus, quod nullam omnino promiſſionem, nullum pactum, nullumq; iuramentum, nec aliquid aliud faciemus, per quod præmiſſis, vel eorum alicui poſſit in aliquo quomodolibet derogari. & nihilominus ſuper ſancta DEI EVANGELIA corporaliter manu tacta iuramus præmiſſa omnia & ſingula nos facturos & completuros, & nullo vnquam tempore, per nos, vel alios, contra illa, vel aliquod de illis venturos. & ſi, quod abſit, contingeret nos facere, dicere, promittere, vel iurare, aliqua, vel aliquod, quæ præmiſſis, vel eorum alicui poſſent quomodolibet obuiare, vel nos ad ſecus agendum inducere vel nobis occaſionem agendi contra prædicta, vel eorum aliquod quomodolibet miniſtrare: nihilominus illis nequaquam obſtantibus, prædicta omnia & ſingula complebimus, & inuiolabiliter obſeruabimus, & ad ea complenda, & inuiolabiliter obſeruanda ex promiſſionibus, & iuramentis præmiſſis ſemper nos volumus remanere efficaciter obligatos. & ex nunc etiam atteſtamur, & proteſtamur, nos velle & intelligere præmiſſa omnia & ſingula, ſic excluſa fore ab omnibus factis, & promiſſionibus, ac iuramentis ſpecialibus & generalibus, per nos quomodolibet faciendis, per quæ præmiſſis, vel eorum alicui poſſet quomodolibet derogari: quod illorum prætextu, vel occaſione nobis nullo modo liceat, licereue poſſit mutare aliquid in præmiſſis, vel facere contra ea, vel aliquod de eiſdem.

Promittimus etiam bona fide quod intruſos in Eccleſiis infra prædictum Regnum & Imperium conſiſtentibus, & qui eas contra ius & libertatem, ſuperioritatem & authoritatẽ Romanæ Eccleſiæ detinent occupatas, vel detinuerint in futurum, ſi ſuper hoc per vos Dominum noſtrum PAPAM, vel Sedem Apoſtolicam fuerimus requiſiti, expellemus, & pro poſſe faciemus expelli de illis: & prouiſos per Sedem Apoſtolicam iuuabimus, & faciemus iuuari, vt ad Eccleſias de quibus eis per Sedem Apoſtolicam prouiſum eſt, vel fuerit in futurum, realiter admittantur, ſuiſq; iuribus libere vti poſſint.

TENOR LITERARVM HENRICI IMP. AD CLEM. PP IN EIVS INAVGVRATIONE

Tenor autem ſupradictarum literarum quondam Henrici Imperatoris ſequitur ſub his verbis.

Sanctiſſimo in CHRISTO PATRI & Domino ſuo, Domino Clementi ſacroſanctæ Romanæ ac Vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Henricus diuina fauente clementia Imperator ſemper Auguſtus, cum reuerentia debita, pedum oſcula beatorum.

Dudum antequam ſuſcepimus Imperij diadema, in humilitatis ſpiritu, quæ virtutum comprobatur origo, ſicut Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ filius, noſtræ deuotionis & fidei zelum vobis & ipſi Eccleſiæ feruenti deſiderio oſtendere cupientes, reuerenter, in manibus diſcreti viri Ioannis de Mollans Scholaſtici Tullenſis, Capellani veſtri, de mandato per vos ei facto, veſtro, Eccleſiæ prædictæ & Sedis Apoſtolicæ nomine recipientis, ſacroſanctis Euangeliis corporaliter per nos tactis præſtitimus iuramentum, quod tenor literarũ noſtrarum ſuper hoc confectarum, noſtro Regio pendenti munitarum ſigillo continet ſerioſe, promittentes, noſq; firmiter obligantes cum omni efficacia & effectu, quod poſt diadematis Imperialis à nobis coronationem ſuſceptam, omnia in iuramento & litteris cõtenta prædictis ratificaremus, recognoſceremus, faceremus, ſeruaremus, atq; iuraremus, & de his omnib. infra octo dies poſt coronationẽ huiuſmodi, ad perpetuã rei memoriã, ac veſtram, & ſucceſſorum veſtrorum, & Eccleſiæ ac Sedis prædictorum ſecuritatem atq; cautelam vobis patentes quadruplicatas, Imperialis maieſtatis typario communitas traderemus, litteras, huiuſmodi literarum noſtrarum ſeriem continentes. quæ talis eſt.

*Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino ſuo, Domino Clementi S S. Rom. ac vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Henricus Dei gratia Rom. Rex ſemper Auguſtus: cum reuerentia debita deuota pedum oſcula beatorum. Feruenti deſiderio cupientes Sanctitatis veſtræ pedibus, & Apoſt. Sedi toto corde & animo zelum noſtræ reuerentiæ, fidei & deuotionis offerre, veſtris ſanctis monitis, exhortationibus, & mandatis nos pro viribus coaptando, & honorem veſtrum ac S. R. E. & aliarum Eccleſiarum iura diligere, & pro poſſe protegere ac ſeruare. Attendentes propẽſius, quod nihil eſt quod legitime clarius perfulgeat quam recta fides in Principe, nihilq; quod ita nequeat occaſui ſubiacere, quam vera religio, & quod ad Dei timorem ſeruandum, mandataque eius cuſtodienda factus eſt omnis homo, ſed præcipue Imperialis & Regalis poteſtas, quæ à Domino DEO eſt, & ad eius miniſterium exequendum, ad fidem & reuerentiam ſui nominis dilatandam in omnes regiones & regna, promittimus & obligamus nos cum omni efficacia DEO Omnipotenti, vobiſq; Domino noſtro Clementi Summo Pontifici, veſtriſq; ſucceſſoribus, ac ſacroſanctæ Sedi Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ, quæ Eccleſiarum omnium caput eſt & magiſtra, quod ſacroſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, Fidemque Catholicam fundatam ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſcilicet angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino: in cuius nomine omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum: nec eſt nomen aliud ſub Cœlo in quo ſaluari oporteat: credentes toto corde & animo, pura fide & ſancta intentione conſeruabimus, reuerebimur, atque defendemus totis viribus & toto poſſe: & omnem hæreſim & ſchiſma extollentem ſe contra ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam exterminabimus pro viribus: & omnes hæreticos cuiuſcunque ſectæ & conditionis exiſtant, facies quidem habentes diuerſas, ſed caudas adinuicem colligatas, quibus vineam Domini Sabbaoth perdere & vaſtare nituntur, omneſque fautores & adiutores, valitores & receptatores ac defenſores eorum: & quod nullo tempore coniungemur, confœderabimur, parentela, vel fœdere, vel vnione quacunque, cum quocunque Saraceno, vel Pagano, vel ſchiſmatico, Rege vel Principe, vel quocunque alio, Fidei Catholicæ communionem non habente: neque cum aliquo rebelle, vel inimico ipſius Romanæ Eccleſiæ, vel eidem manifeſte ſuſpecto.*

*Item promittimus & obligamus nos cum omni efficacia & effectu, quod perſonam veſtram, ſtatum & honorem, & ſucceſſorum veſtrorum, contra quemcunque ſeu quoſcunque honores cuiuſcunque ſtatus, præeminentiæ vel dignitatis exiſtant conſeruabimus, defendemus, & manutenebimus: nec non omnia priuilegia Regum & Principum & Imperatorum Romanorum prædeceſſorum noſtrorum cuiuſcunque tenoris & continentiæ exiſtant, quocunque tempore conceſſa Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romanis Pontificibus, & Sedi Apoſtolicæ & quibuſcunque Eccleſiis Prælatis & miniſtris ipſarum, conſeruabimus & manutenebimus, nec aliquo vnquam tempore contrauenìemus, vel aliquem quantum in nobis erit venire permittemus, quacunque occaſione, vel titulo allegato iuris vel facti: imo ad perpetuam rei memoriam, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſecuritatem atque cautelam, ipſa priuilegia omnia, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris ratificamus, confirmamus, recognoſcimus, innouamus, & de nouo concedimus, prout melius & plenius poſſumus, ex certa ſcientia, cum omni efficacia & effectu. Volentes ac etiam decernentes, quod iſta generalis ratificatio, confirmatio, recognitio, innouatio, & de nouo conceſſio perinde robur obtineat perpetuæ firmitatis, ac ſi omnia & ſingula priuilegiorum verba de verbo ad verbum præſentibus inſerta fuiſſent ſingulariter & expreſſe.*

*Specialiter autem & expreſſe cum omni efficacia & effectu ſupradictis, ratificamus, cõfirmamus, recognoſcimus, innouamus, & de nouo concedimus omnia priuilegia, CONSTANTINI, CAROLI, HENRICI, OTTONIS quarti, FRIDERICI ſecundi, atque RVDOLPHI Regum & Principum ſeu Imperatorum Romanorum quocunque tempore conceſſa, ſuper quibuſcunque, cuiuſcunq; continentiæ vel tenoris exiſtant, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Romanis Pontificibus, & Sedi Apoſtolicæ.*

*Promittimus etiam, & obligamus nos cum omni efficacia & effectu, omni iure & forma, quo melius & efficacius fieri poteſt, manutenere & conſeruare omnia priuilegia cuiuſcunque tenoris vel conditionis exiſtant, & nullo vnquam tempore contrauenire, vel aliquem, quantum in nobis eſt venire permittere, quacunque occaſione, vel cauſa, vel titulo allegato, iuris, vel facti, per quoſcunque Reges vel Principes, ſeu Imperatores Romanos: & præcipue per ſupradictos CONSTANTINVM, CAROLVM, HENRICVM, OTTONEM Quartum, FRIDERICVM II. atque RODVLPHVM conceſſa Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romanis Pontificibus & Apoſtolicæ Sedi, ſuper recognitione, innouatione, aduocatione, conceſſione, quitatione, renunciatione & libera dimiſſione terrarum & Prouinciarum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vbicunq; poſitarum: præcipue Marchiæ Anconitanæ, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & iuriſdictionibus earundem. Exarchatus Rauennæ, & Pentapolis, ac Romandiolæ, & Bertenorij Comitatus, cum ciuitate Bononiæ, & cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus eorundem. Vallis quoque quæ Spoletana dicitur ſiue Ducatus, cum ciuitatibus Peruſii atque Caſtelli, & cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis, confinibus, integraliter: & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem. Maſſæ quoque quæ Trebaria nuncupatur, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus eorundem. Patrimonij etiam S. PETRI in Tuſcia cum ciuitatibus, Tuderti, Narniæ, Vrbeveteris, & Reate, & cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem. Comitatus quoque Sabinæ, cum ciuitate Interamnenſi, & cum Arce Caſarum, & terra quæ dicitur Arnulphorum cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem. Comitatus quoque Maritimæ atque Campaniæ, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus ſuis integraliter, & cum omnibus iuriſdictionibus & iuribus earundem.*

*Et ex abundantia, de nouo, ad maiorem cautelam ſupradictas omnes terras, atq; prouincias, cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus, terminis, limitibus & confinibus earundem, & ius ac poſſeſſionem, & proprietates ipſorum, cum omni plenitudine recognoſcimus iure pleniſſimo, ad ius & proprietatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſpectare, ac omnimode pertinere: ac ipſas omnes terras atque prouincias de nouo annotamus, & innouamus, atque concedimus, & quitamus libere & dimittimus, reſtituimus, & renunciamus: nec non ad omnem ſcrupulum remouendum, & vt pax, quies atque tranquillitas inter Eccleſiam & Imperium iugiter vigeat, & futuris dante Domino temporibus feliciter augeatur, & omnis contentionis & diſſenſionis cuiuslibet materia præcludatur, prout melius & efficacius fieri & intelligi poteſt, concedimus ipſas, conferimus & de nouo donamus, promittentes & obligantes nos prout plenius & efficacius poſſumus, quod nullo vnquam tempore occupabimus, vel occupari, quantum in nobis eſt permittemus, ciuitates, loca, caſtra, terras & prouincias ſupradictas, vel aliquam ipſarum, vel earum partem: nec in ipſis, vel aliqua ipſarum, vel earum parte iuriſdictionem aliquam per nos vel per alium geremus, vel exercebimus: nec iura aliqua, poſſeſſiones vel tenutas habebimus, vel poſſidebimus in eiſdem terris vel prouinciis: vel aliqua ipſarum, ſeu parte earum: nec officium aliquod geremus per nos vel per alium poteſtariæ vel Capitaniæ ſeu quocunque nomine cenſeatur in ipſis, vel aliqua ipſarum, vel earum parte. & quod tanquam Catholicus Princeps, Aduocatus & Defenſor Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iuuabimus ipſam, ſibique aſſiſtemus, contra quoſcunque occupantes, inuadentes, vel turbantes prouincias ipſas, ciuitates, loca, caſtra & terras, vel aliqua ipſarum, ſeu earum partem. & quoſcunque inobedientes, ſeu rebelles Eccleſiæ, præcipue in prouinciis, ciuitatibus, locis, caſtris, & terris eiſdem in nullo fouebimus, vel manu tenebimus, ſeu per quoſcunque foueri, ſeu manuteneri, quantum in nobis eſt permittemus: ſed contra ipſos aſſiſtemus conſiliis, auxiliis & fauoribus opportunis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romanis Pontificibus & Apoſtolicæ Sedi, quouſque rebelles & ſubditi, ad plenam reuerentiam*



*tiam & obedientiam reducantur. Promittentes quoq; dictam Romanam Eccleſiam, & Eccleſias alias, ac libertatem Eccleſiaſticam, & bona, iura, prælatos, & miniſtros ipſarum manutenere, conſeruare, & pro viribus defenſare. Vaſſalloſq; quoq; Eccleſiæ Romanæ contra iuſtitiam non offendere: & quoslibet deuotos & fideles Eccleſiæ, etiam in Imperio conſtitutos, benigne tractabimus, & contra iuſtitiam non opprimemus, neque per alium quantum in nobis eſt opprimi permittimus, ſed conſeruabimus in iuribus & iuſtitiis eorundem. Prædicta autem omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruare, & obſeruari facere, & nullo vnquam tempore contrauenire iurauimus ad ſancta Dei Euangelia tacto libro, in manibus diſcreti viri Ioannis de Mollans Scholaſtici Eccleſiæ Tullenſis veſtri Capellani, nomine Romanæ Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ ac veſtro, & de veſtro mandato ſpecialiter recipientis: de qua etiam receptione tam per noſtras præſentes, quam per ipſius recipientis literas, ſeu inſtrumentum publicum plene conſtat. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ac Sedis Apoſtolicæ & Romanorum Pontificum ſecuritatem atq; cautelam, præſentes literas Regiæ Maieſtatis ſigillo munitas fecimus communiri. Promittentes & obligantes nos cum omni efficacia & effectu, quod poſt Imperialis diadematis coronationem ſuſceptam, prædicta omnia ratificabimus, confirmabimus, & recognoſcemus, & faciemus, & ſeruabimus, atque iurabimus, & de ſupradictis omnibus infra octo dies noſtras patentes dabimus literas quadruplicatas, harum ſeriem continentes, ad perpetuam rei memoriam, & ad ſecuritatem & cautelam veſtram, & ſucceſſorum veſtrorum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis, Imperialis Maieſtatis typario communitas. Datum Lauſanæ 5. Idus Octobr. Anno Dom. 1310. Regni vero noſtri anno 2.*

*Tanto itaq; feruentius ad Sanctitatem veſtram, Sanctam Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem zelo fidei & deuotionis accenſi, quanto ſumus amplius per ſuſceptionem Imperialis diadematis diuina gratia munere ſublimati, omnia in iuramento & litteris contenta prædicta ratificamus, confirmamus, recognoſcimus, & conſeruabimus, & etiam faciemus, ac prædicta omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruare & obſeruari facere, & nullo vnquam tempore contrauenire. Denuo iurauimus ad ſancta DEI EVANGELIA corporaliter tacto libro, in manibus venerabilium Dominorum, miſeratione diuina Arnaldi Sabinenſis Apoſtolicæ Sedis Legati, & Fratris Nicolai Oſtienſis & Velletren. Epiſcoporum nomine Romanæ Eccleſiæ, Sedis Apoſtolicæ ac veſtro, & de mandato veſtro ſpecialiter recipientium: de qua receptione, tam per noſtras præſentes, quam ipſorum recipientium literas plene conſtat. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Sedis Apoſtolicæ & Romanorum Pontificum ſecuritatem atque cautelam, præſentes litteras quadruplicatas tenore prædictarum literarum noſtrarum eis inſerto, Imperialis Maieſtatis typario communitas, iuxta promiſſionem & obligationem noſtras prædictas Sanctitati veſtræ conceſſimus, per eoſdem Dominos Sabinenſ. & Oſtienſ. Epiſcopos duximus tranſmittendas. Datum Romæ apud S. Sabinam II. Non. Iulij Anno Domini 1312. Regni noſtri anni 4. Imperij vero noſtri anno I.*

CONTINVATIO LITERARVM CAROLI REGIS.

*Item nos Carolus Rex Romanorum prædictus, quia per claræ memoriæ HENRICVM vltimum Imperatorem auum noſtrum ſeu authoritate ipſius, plures proceſſus facti fuiſſe, & etiam plures ſententiæ capitales, & proſcriptiones bonorum, & aliarum pœnarum, & mulctarum diuerſarum inſtitutionem diuerſis temporibus promulgatæ fuiſſe dicuntur, tam contra claræ memoriæ Robertum Regem Siciliæ, quam contra quondam IOANNEM Ducem Duratij Regis eiuſdem germanum, ac etiam contra vaſallos, & alios eidem Regi immediate vel mediate ſubiectos Regni Siciliæ, & Comitatus Prouinciæ, & aliarum terrarum Regis eiuſdem, quam contra nonnullos ciues & incolas ciuitatis Romanæ, nec non contra ciuitatem & commune Florentin. ac poteſtates, Capitaneos, Officiales, miniſtros, & nonnullas ſingulares eiuſdem ciuitatis perſonas, ac etiam contra alias ciuitates, & loca, & contra nonnullas perſonas ſingulares: quæ quidem ciuitates & perſonæ, tempore dicti HENRICI adhæſerunt Regi præfato omnes huiuſmodi proceſſus & ſententias propter quoſcunque, exceſſus, inobedientias, rebelliones, & iniurias ipſi proceſſus facti & ſententiæ promulgatæ fuerunt, quatenus proceſſerunt reuocamus, & eos & effectum eorum annullamus, & tollimus in totum, & quicquid etiam ex eis ſecutum eſt, vel ob eos. Et inſuper omnes exceſſus, rebelliones, inobedientias, iniurias & offenſas, qui vel quæ commiſſi, ſeu commiſſæ fuerunt per Regem, & alios ſupradictos, vel ipſorum aliquem vel aliquos, & per ciuitates, communitates, & loca prædicta in partibus Italiæ contra præfatum HENRICVM, vel ſuos Officiales, ſeu contra Imperium quouis modo, in quantum proceſſerunt, & ad nos & ad Imperium noſtrum pertinere poſſunt, remittimus, tollimus, & penitus abolemus, & in integrum aduerſus prædicta reſtituimus omnes & ſingulos ſupradictos, ac ciuitates communitates, & loca prædicta, ſic quod illorum occaſione vel cauſa, ipſi vel ſucceſſores eorum, non poſſint per nos aut noſtros quoslibet ſucceſſores, vel per alios, noſtro vel eorundem ſucceſſorum nomine vllo vnquam tempore, impeti ſeu inquietari, vel etiam alias quomodolibet moleſtari: nec ſucceſſores dicti Regis Siciliæ ratione vel occaſione cuiuſcunque commiſſionis, confiſcationis ſeu incurſus, ſeu ex quauis alia cauſa pro præterito tempore ſuper Comitatibus Prouinciæ, Forcalquerij, & Pedemontis inquietabimus, moleſtabimus, nec aliquod ius in eis vel aliquo eorum vendicabimus ob præmiſſa, vel aliqua eorundem.*

*Item ob reuerentiam veſtri Domini noſtri PAPÆ, & propter etiam bonum pacis, vobis Domino noſtro PAPÆ concedimus irreuocabiliter, & damus per præſentes plenam & liberam poteſtatem quitandi, & remittendi omnibus ciuitatibus & Comitatibus quorumcumque locorum omnium partium Italiæ, nec non & quibuslibet perſonis ſingularibus partium earundem, cuiuſcunque ſtatus aut conditionis exiſtant, omnes iniurias, rebelliones, inobedientias, & offenſas commiſſas hactenus quandocunque & quomodocumque, contra Imperium, & Reges, ac Imperatores Romanorum, ſeu Officiales, miniſtros, vel gentes eorum: ac etiam proceſſus quoſcunque & ſententias inde ſecutas, quatenus ad Reges & Imperatores eoſdem qui fuerunt pro tempore pertinuit cognitio & punitio prædictorum, & ad nos illorum iuris Regni vel Imperij poterunt pertinere, tollendi, caſſandi, reuocandi, & totaliter annullandi, pœnaſque quaslibet corporum & bonorum, & mulctas etiam & infamias à iure vel homine illorum exceſſuum occaſione vel cauſa inflictas, vel infligi poſſibiles in futurum remittendi, & penitus abolendi, & contra prædictos exceſſus, proceſſus, ſententias, pœnas, & infamias huiuſmodi in integrum reſtituendi, & alias de illis, & ſuper illis omnibus & ſingulis, quandocunque & quomodocunque vobis placuerit veſtræ Sanctitati, & ſuper hoc, in ſcriptis vel ſine ſcriptis, nobis etiam abſentibus & non vocatis, nec alias quocunque pro nobis requiſito, nec etiam requiſitis: ratum quoque & gratum per nos, & pro ſucceſſoribus noſtris habituri promittimus, quicquid ſuper præmiſſis & eorum quolibet per Sanctitatem veſtram remiſſum, ſublatum, caſſatum, annullatum, reuocatum, reſtitutum & abolitum fuerit, vel quomodolibet ordinatum: & ſuper hoc ſufficientes iuxta voluntatem veſtram patentes vobis concedimus literas noſtras, munitas ſigillo, quoties per vos ſuper hoc fuerimus requiſiti. Poteſtatem autem præmiſſam durare volumus per annum integrum, computandum à tempore, quo poteſtatem huiuſmodi vobis conceſſerimus, & nos eiuſdem conceſſionis poteſtatis literas fecerimus aſſignari.*

*Eo tamen adiecto, quod ſi poſt approbationem modo prædictam, durante anno prædicto, illi vel aliqui ex eis de quibus præmittitur, nobiſcum familiariter amicabiliterq; conuenirent, poſſimus eis vel pro iis remiſſionem ac alia prædicta facere, conceſſione Sanctitatis prædictæ ſuper his facta nequaquam obſtante: quæ tamen in ſuo effectu plene remaneat, quoad omnia alia, de quibus ſic duxerimus ordinandum.*

*Item, cum ſicut eſt per diuerſas orbis partes longe lateque diffuſum, & notum, ac etiam diuulgatum LVDOVICVS de Bauaria propter multiplices, graues, execrabiles & enormes*

mes atq; notorios eius exceſſus, offenſiones, iniurias, rebelliones, contumacias. & contemptus ac hæreſes & ſchiſmata, aliaque nonnulla deteſtabilia crimina notorie commiſſa per eum, ac exigentibus ſuis demeritis & culpis horrendis, fuerit & ſit per Sedem Apoſtolicam pluribus, variis & diuerſis excommunicationum & anathematum, ac aliis pœnis & ſententiis innodatus, ac omni iure, ſi quod vnquam ſibi in Regno & Imperio Roman. competere potuiſſet, nec non omnibus feudis, quæ tunc à Romana vel aliis Eccleſiis, vel dicto Imperio obtinebat, & ſpecialiter Ducatu Bauariæ, ac etiam bonis aliis ſuis omnibus mobilibus & immobilibus, iuribus & iuriſdictionibus priuatus perpetuo, iuſtitia ſuadente, ac de hæreſi & ſchiſmate, & aliis diuerſis criminibus & exceſſibus condemnatus, ac hæreticus & ſchiſmaticus publice nunciatus: & propterea in pœnas & ſententias diuerſas tam in proceſſibus dictæ Romanæ Sedis huiuſmodi occaſione habitis contra eum contentas, quam in iure contra tales inflictas incidiſſe, & eas omnino incurriſſe ſit & fuerit declaratus, ac etiam CHRISTI fidelibus expoſitus impugnandus: Nos tanquam deuotus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ filius, veruſque cultor Catholicæ fidei, obſtinatam & pernitioſam nimium Ludouici præfati pertinaciam & perfidiam abhorrentes, & conſultius attendentes proceſſus Sedis eiuſdem vt præmittitur habitos contra eum & conſiderantes etiam, quod hæretici & ſchiſmatici ſunt à Catholicis pro viribus expugnandi: & quod eiſdem fidelibus non licet cum ipſis ſchiſmaticis & hæreticis, amicitias, ſocietates, confœderationes, pactiones, colligationes, vel ligas aliquas facere, vel habere, ob zelum DEI, & eiuſdem fidei, ac ad honorem ipſius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ matris noſtræ, & ob deuotionem quam habemus ad ipſam, ac etiam conſcientia meritis nos vrgente, intendentes LVDOVICVM præfatum iuxta ipſorum proceſſuum ſeriem, prout erit nobis poſſibile impugnare bona fide promittimus, & ad ſancta DEI EVANGELIA per nos corporaliter ſponte tacta iuramus, quod quamdiu idem LVDOVICVS in huiuſmodi perfidia, hæreſi, ſchiſmate, pertinacia, exceſſibus, & criminibus permanebit, & quamdiu ſubiacebit pœnis, ſententiis ſupradictis, & quamdiu erit extra gratiam dictæ Sedis, nullam amicitiam, ſocietatem, confœderationem, pactionem, colligationem, vel ligam cum eo faciemus: & ſi aliquas hactenus feciſſemus, eis de cætero non vtemur.

Item promittimus & iuramus, quod nullam parentelam, conſanguinitatem, vel affinitatem cum LVDOVICO præfato, nec matrimonium vel ſponſalia aliqua, parentelam, conſanguinitatem vel affinitatem, cum aliquo, vel aliqua, ſeu aliquibus ab eodem LVDOVICO per maſculinam vel fœmininam lineam deſcendentibus contrahemus, Romano Pontifice inconſulto, & abſque ipſius Sedis licentia ſpeciali. Nec eidem LVDOVICO conſilium, auxilium, vel fauorem impendemus, per nos, vel alium, ſeu alios, directe, vel indirecte, publice, vel occulte: quinimo eundẽ LVDOVICVM iuxta eorundẽ proceſſuũ cõtinentiã totis noſtris virib. impugnabimus, expugnabimus, & perſequemur: & ſuper his faciemus totaliter, realiter & efficaciter poſſe noſtrum. Quæ quidem omnia & ſingula ex cauſis prædictis, & ob eas modo prædicto, recta & pura fide, ſine omni dolo & fraude promittimus, & ad ſancta DEI EVANGELIA corporaliter ſponte tacta iuramus, nos efficaciter ſeruaturos & completuros toto poſſe. & quod contra præmiſſa vel eorum aliqua, per nos vel alium ſeu alios, directe vel indirecte publice, vel occulte, aliqua ratione, occaſione, vel cauſa, ingenio vel colore nullatenus veniemus. & ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Sedis Apoſtolicæ & Rom. Pontificum ſecuritatem atq; cautelam præſentes ſcribi litteras, & Regiæ Maieſtatis ſigillo fecimus communiri.

Promittentes & obligantes nos cum omni efficacia & effectu, quod poſt Imperialis dignitatis coronationem ſuſceptam, prædicta omnia ratificabimus, confirmabimus & recognoſcemus, & faciemus, & ſeruabimus, atque iurabimus, & de ſupradictis omnibus infra octo dies noſtras patentes dabimus literas quadruplicatas, harum ſeriem continentes ad perpetuam rei memoriam, & ad ſecuritatem & cautelam veſtram, & ſucceſſorum veſtrorum, vt Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ Imperialis Maieſtatis typario communitas.

Tanto igitur feruentius ad ſecuritatem veſtram, Sanctam Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem zelo fidei & deuotionis accenſi, quanto ſumus amplius per ſuſceptionem Imperialis diadematis, diuinæ gratiæ munimine ſublimati, omnia in iuramento & literis contenta prædictis, ratificamus, confirmamus, recognoſcimus, & ea ſeruabimus, & etiam faciemus, ac ſimilia iuramenta, prout in eiſdem continentur literis de nouo præſtamus, facimus, & renouamus, & prædicta omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruare, & obſeruari facere, & nullo vnquam tempore contrauenire, denuo iuramento ad ſancta DEI EVANGELIA corporaliter tacto libro, in manibus ſupradicti Reuerendi Patris Domini Petri Oſtienſis Epiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Nuntij amici noſtri chariſſimi, nomine Romanæ Eccleſiæ, eiuſdem Sedis Apoſtolicæ & veſtro, & de mandato veſtro ſpecialiter recipientis: de qua receptione, tam per noſtras præſentes, quam ipſius recipientis litteras plene conſtat. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ, & Rom. Pontificum ſecuritatem atq; cautelam, præſentes litteras quadruplicatas, tenore prædictarum noſtrarum eis inſerto, Imperialis Maieſtatis typario communitas, iuxta promiſſionem & obligationem noſtram, noſtras litteras Sanctitati veſtræ conceſſimus, & eas per eundem Dominum Petrum Oſtienſem Epiſcopum duximus tranſmittendas. Datum Romæ poſt ſuſceptionem Imperialis noſtræ coronæ, Anno Dom. M. CCC. LV. Indictione VIII. Nonis Aprilis. Regnorum noſtrorum anno IX. Imperij vero noſtro anno I.

Et ego Ioannes DEI & Apoſtolicæ Sedis prouidentia Luthomislienſ. Epiſcopus, ſacræ Imperialis aulæ Cancellarius, vice Reuerendi in CHRISTO PATRIS DOMINI GVILLELMI Colonienſ. Archiepiſcopi, Sacri Imperij per Italiam Archicancellarij recognoui & manu propria ſubſcripſi.

IX. Carol. Imp Romanis vt finem nouandis rebus imponant et Pont. obedientes sint severe mandat.

Aliqui Romanorum vrgebant Carolum, vt vrbis poſſeſſionem inuaderet, & Romanos in antiquum ſtatum reſtitueret. Cæterũ ille iuriſiurandi memor, deliberaturum ſe cum reſpondiſſet, vrbe per venationis ſimulationem egreſſus, ad Diui Laurentij Baſilicam in agrum Verranum, ſtatim à conuiuio Paſchali ſeceſſit, & poſtero die Tibur iuit: dato ſeueriſſimo mandato, vt finem tandem Romani mutandis nouandiſque rebus imponerent: memores Sacramenti apud Romanum Pontificem ſemel depoſiti, quod ſi violatum iuerint, aut ſi Legato etiam Pontificis rebelles fuerint, perfidiam illorum ſe armis vindicaturum. Ad eum modum Carolus Romæ à duobus Cardinalibus Imperator inauguratus, in Etruriam, inde in Lombardiam, moxque in Germaniam rediit. Villani lib. 4. c. vlt. & lib. 5. c. 1. Dubrau. hiſt. Boem. lib. 22.

X. Thauleri ex Ordin. Prædic. Theologi profundiss. obitus.

Quo ipſo anno in Germania in humanis eſſe deſiit, Ioannes Thaulerus Ordinis S. Dominici Theologus profundiſſimus, & Colonienſis Ciuitatis fulcimentum, in declamandis concionibus nemini ſua ætate ſecũdus, vir in diuinis & humanis ſcientiis eruditiſſimus, vnctioneq; Spiritus ſancti excellenter illuminatus. Scripſit ſermones de internæ vitæ perfectione valde vtiles, & tractatus aliquot de virtutibus, & epiſtolas varias Spiritum deuotionis redolentes. & prophetico ſpiritu prædixit plagas & hæreſes contra Sacramenta & dogmata Eccleſiæ Catholicæ orituras. Trithem. lib. de ſcriptorib. Eccleſiaſt. Placet vitam illius commemorare, vt etiam ex illo euidẽter appareat, quemadmodum ſtulta mundi eligat Deus, vt fortia quæque confundat.

XI. Vita Thauleri.

Ante nouem annos, Coloniæ, maximo cum plauſu omnium concionabatur Ioannes. Eius doctrinæ fama, cum longe lateque diuulgaretur, idiota quidam diuina gratia abunde præditus, & ſecundum ſomnium ter admonitus, ad eum videndum perrexit. Quarto & quinto cum concionantem audiuiſſet, non tam experimento quam in ſpiritu didicit, illum eſſe virum natura bonum, manſuetum, ſuauem, perbenignum, & ſacrarum litterarum apprime intelligentem: obſcure tamen, &

abſq;



abſq; lumine gratiæ diuinæ. Eius cæcitatem idiota miſeratus imprimis in cõſuetudinem illius ſeſe inſinuare cõtendit, & tum peccata ſua in aurem illius deponere, tum Sacroſanctam hoſtiam ex manu eius frequentius recipere, totis tribus menſibus continuauit.

XII. Puncta à Thaulero propoſita ad ſupremum perfectionis gradum in hac vita adipiſcendum.

Ex ea familiaritate audacior factus, poſtulauit, vt publicanos pro concione doceret, quo pacto poſſit quis ad ſupremum perfectionis gradum, quatenus in hac vita poſſibile eſt, quam proxime peruenire. Obſecutus flagitanti Thaulerus, quatuor & viginti puncta, quibus ſuprema continetur perfectio, populo enunciauit. Hæc vero ſunt ipſa ipſiſſima, eiuſdem ſtylo exarata.

1 Primum articulum ipſe ſupremus omnium Magiſtrorum Doctor, cunctarumq; artium totiuſq; ſapientiæ Magiſter Chriſtus Ieſus Dominus noſter commemorat, vbi ait: In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem: & præceptum illud meum ſeruaueritis, quo iuſſi, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos, tanquam diceret: Licet ſcientia, ſapientia & ſublimi intellectu polleatis, ſi nõ & fidelitas & charitas adfuerint, parum vobis contulerit. Certe de Balaam fertur, tanto eum ingenij ac rationis acumine fuiſſe præditum, vt ea quæ Deus poſt multa demum annorum cẽtenaria facturus erat ſiue manifeſtaturus intelligeret: cui tamen parum id profuit, quod non, quomodo oportuit, multa cum fidelitate & dilectione agnitæ inhæſerit veritati.

2 Vt à ſeipſo ſit liber & expeditus: quod tamen haud quaquam illi videbitur: ſed potius ſemper ita ſentiet, ſe adhuc magis magiſq; expediri debere, & rebus omnibus abrenunciare.

3 Vt ſit Deo funditus reſignatus, ita vt nullum in eo Deus reperiat impedimentũ, ſed opera ſua libere in ipſo perficere queat: quod tamen non ſibi temere aſcribet, quin potius ad hoc ſemper omnino ſe reputabit ineptum.

4 Vt & ſeipſum, & omnia, in quibus ſeſe prius inordinatius dilexit, quæſiuit & intendit, ſiue in tempore ea ſint, ſiue in æternitate, prorſus exuat abnegetq;.

5 Vt quæ ſua ſunt, nullo modo vel in ſe, vel in aliqua creatura quærat.

6 Vt ſemper & vbiq; diligenter attendat & obſeruet, quid ab eo Deus exigat & fieri velit, eiq;, gratia illius fretus faciat ſatis: nec tamen ſibi aliquid inde arroget, quale quale illud fuerit.

7 Vt continue, ſine intermiſſione diuinæ ſe conformet voluntati, ita vt nihil aliud velit, quam quod vult Deus.

8 Vt tam fortiter. tam ſtrenue in Deo ſe exerceat, illiq; immẽſa quadam vi amoris adeo ſe aſtringat vni, atq; vt nec Deus in ipſo ſine ipſo, nec ipſe ſimiliter ſine Deo quicquam poſſit operari.

9 Vt in omnibus quæ illi euenerint, ſiue dulcia ſint, ſiue amara in cunctis quoq; operibus ſuis, in omni demum loco & tempore, Diuina præſentia perfruatur.

10 Vt nihil omnino accipiat à creaturis quibuſcunq;, neq; grata videlicet, neq; moleſta, ſed nude omnia de manu Dei ſui, vt quæcunq; Deus per creaturas agit ſeu fieri permittit, non ſecus tamen nec aliunde quam ab ipſo Deo accipiat.

11 Vt à nulla ſuperari ſe delectatione vel ſapore creaturarum ſecundum naturam abſq; rationabili neceſſitate patiatur.

12 Vt non nimium deprimatur, nec immodice angatur intus ex qualibet etiam aduerſitate, quæ ipſum à veritate poſſet auertere, ſed ſemper conſtantiſſime adhæreat veritati.

13 Vt à nullo falſo lumine nec ab vlla relucente ſpecie creaturarum ſe decipi ſinat, ſed pie & amicabiliter omnia in ſuo relinquat eſſe, ex cunctis optima ſemper eliciens, melioraq; ex omnib. ex nullo peior fieri contendens.

14 Vt ſemper paratus ſit, cunctiſq; virtutibus inſtructus, & armatus, ad reſiſtendum vitiis vniuerſis, vt nunquam non victor euadat, nunquam non palmam ferat.

15 Vt veritatem nude cognoſcat & contempletur, ſicuti eſt (quatenus Deus vult, & ipſi poſſibile eſt) in ſeipſa, iuxtaq; eam ſuã inſtituat vitam, agnitæq; ſtudeat ſatis facere veritati.

16 Vt perfectus & iuſtus ſit, nihilq; minus tamen, quam ſe talem putet.

17 Vt parcus ſit in verbis, ſed plurimum habeat vitæ interioris.

18 Vt verax, interna, humiliſq; vita eius, exemplo potius quam verbis prædicet omnibus, & faciendo loquatur.

19 Vt præ omnibus Dei gloriam quærat, nec aliud aliquid intendat in actibus ſuis.

20 Vt ſe libenter vinci ab omnibus, qui cum ipſo contendunt patiatur: idq; præcipue in his quæ pertinent ad ipſum, non quæ pertinent ad Deum.

21 Vt nullo quacumq; in re priuilegio gaudere velit, ſed etiam minimis quibuſq; ſe prorſus iudicet indignum.

22 Vt ſe inutiliſſimum quem mundus habeat, hominem ex animo credat: at nihilominus magnã in ſe ſtrenuitatem, fidẽ, ſpẽ, charitatemq; reperiri ſinat. Nihili quoq; pendat ſuam propriam ſapientiam, & vniuerſa ſua opera ex humana ratione facta.

23 Vt tam in verbis quam operibus ſuis vitam & doctrinam Domini noſtri Ieſu Chriſti ſibi tanquam ſpeculum proponat, in eiſq; ſeſe contempletur: & quantum fieri poterit, omnia illa à ſe abdicet, abijciat, mortificet, quæcumq; à digniſſima illius imagine aliena ſunt.

24 Vt nunc primum, tanquam paruulus adhuc in vera, ingenti, perfecta humilitate proficere incipiat, ſibiq; perſuaſum habeat, ſe iam primum inchoare velle diuinam implorare miſericordiam, vt illa ſibi ſubueniat, & opem ferat, vt in bonum hominem poſſit euadere. Et ſi talis etiam ab aliis habeatur, aut vilis propterea in oculis hominum fiat, id charius illi ſit acceptiuſq;, quam ſi omniũ fauore gauderet.

Hæc pro Concione, Ioannes, in frequentiſſimo auditorio edixerat: cum idiota ſpiritu diuino edoctus, illum inanis gloriæ, ſuperbiæ, & iactantiæ phyltro irretitum, nec non cuiuſdam virginis amoribus, quamquàm occulte, inflammatum cognouiſſet: audacterq; illum, ſecreto, Phariſæi vocabulo appellaſſet, quod non ex præſcriptis articulis vitam inſtitueret, ſed aliter viueret quã doceret: ſeipſum quæreret & amaret, neq; Dei gloriam intenderet in omnibus, adeoq; vel nihil, vel parum in populo proficeret.

XIII. Alphabetum Thaulero datum quo vitam ſuam corrigeret.

Audiuit hæc omnia non illibenter Thaulerus: & interiore diuini luminis radio illuſtratus, cũ idiotam ſanctitatis laude inſignem fore didiciſſet, magiſterio illius ſe ſubdidit, iſtudq; Alphabetum ex quo vitam ſuam corrigeret ab eo accepit.

## Alphabetum Aureum.

A. Aggredienda tibi inprimis eſt vita bona, pura, ſpiritualis, non quidem leuiter aut pueriliter, ſed ſtrenue & animo virili.

B. Bonum facito, & malum declinato, idq; ſedulo ac diligenter.

C. Congruum ac temperatum in omnibus medium ſeruato.

D. Diſce & intus & exterius modeſtiam & humilitatem præferre.

E. Extirpa funditus & abnega propter Deum propriam voluntatem tuam, vt poſſis vnitus in Deo manere, & Deus in te.

F. Fortiter ac ſerio continue in Deo perſeuera.

G. Gaudens ſimpliciter ac ſtudioſe obedito, & ad omnia quæ Dei ſunt, ſine murmure voluntarium te præbeto.

H. Haudquaquam retro vel ad ſeculum, vel ad naturam, vel creaturas, & actus earum reſpicias.

I. Intus in corde diuina ac ſpiritualia meditari ac ruminare, tuamq; veterem vitam lachrymis abluere & deplorare cõſueſce.

K. Conſtanter & audacter diaboli, mundi, & carnis tentationibus reſiſte.

L. Læto ac forti animo per temporalia ad æterna contende, ac penetrato.

M. Maneat ſemper in te dilectio Dei & proximi.

N. Nullius omnino bona, qualiacunque ea ſint, concupiſcas.

O. Ordinate omnia in meliorem, non peiorem partem trahas.

P. Pœnitentiam, ſiue pœnam peccati, vndecunq; ea tibi obueniat, ſiue à Deo, ſiue à creaturis, peccatis tuis libenti animo ſuſcipias.

Q. Qualeſcunq; te vnquam offenderunt ſeu læſerunt, cogitando, loquendo, operando, eis omnem iniuriam ex animo remittas.

R. Re-

R. *Retine tibi omni cum diligentia corporis & animæ caſtitatem.*

S. *Serua in omnibus manſuetudinem, & ex omnibus ſtude melior fieri.*

T. *Tene fidem, cuſtodi veritatem erga queſuis abſq; dolo, ſimulatione & fraude: & exerce te in operibus miſericordiæ cũ corporalibus, tum ſpiritualibus, prout potueris.*

V. *Vide diligenter, ne vel in edendo & bibendo, vel qualibet alia re, modum & menſuram excedas.*

X. *Χριστι vitam atq; doctrinam ſemper animo reuolue, eamq; pro viribus imitare: & iuxta eam, vitam tuam inſtitue.*

Y. *Intemeratam virginem Mariam deuotis pulſato precibus, vt auxilio ſit tibi in perdiſcenda hac inſtitutione mea.*

Z. *Zeloſus conſueſce voluntam ac ſenſualitatem tuam ſub diſciplina continere ac cohibere, vt pacifice conſentiant in omnia, quæ Deus euenire tibi permiſerit, aut egerit tecum.*

XIV. CONSILIA THAVLERO ALPHABETO SVBIVNCTA.

Huic Alphabeto vere aureo, idiota addidit conſilia, quæ ſequeretur Ioannes.

1 *Inprimis, inquit, conſulo tibi ex charitate Dei, vt Ordini ac ſuperioribus tuis ſemper ſis ac maneas obediens. Vix enim aliter fieri poterit, quin ſi rectius, vicinius, & anguſtum velis iter ingredi, premi te oporteat & vexari, & maxime ab Ordine & confratribus tuis. Cumq; id tibi euenerit, ſubtilis intellectus & ſenſualitas tua multa ſecum cogitabunt, & ad ſummum Pontificem, aut alio te ire hortabuntur, ac alios deniq; varios modos exquirent, quo Crucem hanc euadere poßint. Cæterũ id tibi ſummopere cauendum erit: quin potius quidquid tibi moleſtum acciderit, feres patienter, perpetuoq; in obedientia humili perſeuerabis. Nam & eadem tibi via gradiendum erit, quam Dominus Euangelico adoleſcenti oſtendit. Accipias igitur oportet in humeros crucem tuam, & Dominum Saluatorem, illiuſq; aliquomodo exemplar ſecteris, idque cum vera, grandi ac patienti humilitate.*

2 *Oportet etiam, vt acuto, ſubtili, ac pompoſo intellectui tuo, quem ex ſcripturis tibi comparaſti, renuncies. Nec tam amplius ad tempus aliquod lectioni aut ſtudiis incumbes: ſed nec Conciones habebis. Cumq; illi qui tibi confiteri ſoliti ſunt, ad te pro Confeßione facienda venerint, quandam præ te ſimplicitatem feres: ita vt Confeßione facta ſtatim ab eis recedas, nihilque eis loquaris nec aliquot conſilium præſtes, ſed dicas eis: Prius ipſe diſcam, quo pacto mihi conſulere debeam: & vbi id probe didicero, deinde etiam vobis conſilium impendam. Et ſi quæſiuerint, quando concionari velis, poteris citra veritatis iniuriam ſimpliciter reſpondere: habere te aliquod negotij quod agas: atq; ita paulatim te ab hominibus abalienabis.*

3 *Ad cellam tuam te recipies, & preces tuas horarias leges, eaſdemq; vbi poteris, in choro cum cæteris perſolues.*

4 *Omni quoq; die, niſi aliquod iuſtum habueris impedimentũ, ſacrum facies ſiue Miſſam celebrabis.*

5 *Deinde vero ſi quod tempus ſuperfuerit, illud in meditatione vitæ paßionis, & exemplorum Chriſti expendes, conſiderando diligenter, quam vita tua illius vitæ diſparſit.*

6 *Interim quoq; omnes annos tuos, & omne præteritum tempus in quo teipſum male amaſti, recogitabis in amaritudine animæ tuæ: attendendo quam modicus erga Deum fuerit amor tuus: & contra, quam ingens illius erga te dilectio. Sic fieri poterit vt ad veram paulatim pertingas humilitatem, & à veteri conuerſatione priſcis conſuetudinibus tuis in melius commuteris.*

XV. MVTAT VITAM IN MELIVS.

Propoſuerat hæc & alia nonnulla Thaulero idiota: quibus ille auſcultans, breui tempore adeo profecit, vt in virum alterum fuerit mutatus. In contemptum tamẽ, tam Fratrum, quam amicorum & promiſcuæ plebis incidit: quod ſeipſum ab officiis conſuetis abſtraxiſſet, & cellæ ſolitudine damnaſſet. Acceſſit etiam ex mutatione vitæ dolor ingens capitis, ex quo totis fere viribus cœperat deſtitui. Cum quibus difficultatibus dum confliсtaretur, & identidem in meditatione, ad Cruci affixi Ieſu imaginem reſpiciens, ſeipſum quod auctorem ſalutis non vſquequaq; imitaretur damnaret, in extaſim incidit: poſtquam ſibi redditus, voceque cœlitus delapſa confirmatus, nouam quandam virtutem & fortitudinem, nec non claram ac luminoſam diſcretionem, ſeu rationem illuminatam, quam nunquam antea fuerat expertus, ſibi collatam eſſe ſenſit. Qua ex re inflãmatus, & idiotæ monitionibus excitatus, tertio poſt die ſe concionaturũ dixit. Die tertia adueniente, cum ſuggeſtum conſcendiſſet, & orationem iaculatoriam, vt Deus voluntatem ſuam in eo adimplere dignaretur præmiſiſſet, ſine vlla eius cooperatione, tantus lachrymarum impetus cœpit ex eius oculis defluere, vt ſermonem inchoare deſignatũ nulla ratione potuerit: quoque magis Deum flagitabat, vt lachrymarum profluuiũ cõtineret, eo abundantius affluebant. Vnde coactus diſcedere, magis contemptui apud omnes eſſe cœpit, quod verba ad populum habere voluiſſet, & nec vllum quidem ex re protuliſſet. Monaſterio quoque Præfectus, illi officio, concionandi ex tunc interdicere conſtituerat, quaſi is ex deliquio capitis rem non ſano conſilio pertentaſſet. Eam confuſionem Thaulerus in partem Crucis & mortificationis patienter accepit: & ex idiotæ inſinuatione, quinque integros dies in contemplatione quinque Chriſti vulnerum, omni humano colloquio & ſolatio excluſo perſeuerauit: quibus exactis, Præfectum, vt illi poteſtatem concionandi faceret, obſecrauit: periculũq; ſui omnibus Fratribus in Triclinio præſentibus ſemel & iterum fecit.

XVI. EX CONCIONE IPSIVS DE GAVDIO SPONSÆ COELESTIS MVLTI IN EXTASIM RAPTI SEMIMORTVI IACENT.

Ex quo, cum omnes præſtantem, ſpiritualem, atq; diuinam illius doctrinam admirarentur, coegerunt, vt ad populum euangelizaret. Tum ille, aſſumpto themate, *Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei*, de Chriſto vero animæ ſponſo, deq; connubio ſpirituali, atq; gaudiis ex eiuſmodi cõſortio in anima reſultantibus, adeo abunde diſſeruit, vt quidam ex auditoribus magna voce exclamauerit, *Verum eſt, Verum eſt*: & his dictis mox in terram velut mortuus ceciderit: & haud dubio, tunc temporis expiraſſet, niſi auditores, Thaulerum, vt ceſſaret à concione, interpellaſſent. Dicebant namq; alta voce: *Ceſſa Domine Doctor: alioqui homo iſte inter manus noſtras ſpiritum exhalabit.* Concionis autem argumentum, ad hoc punctum Ioannem deduxerat, vt oſtenderet gaudium ſpõſę ſpiritualis, quod à Chriſto Ieſu ſpõſo percipit tam immenſum eſſe, vt nulla ipſum ratio, nulluſue ſenſus capere queat, aut attingere. In his verbis, hominem extaſis corripuerat, & extra omnes ſenſus poſuerat, præ magnitudine amoris diuini quem ex auditione conceperat. Cõcione quoq; abſoluta, duodecim viri ad hortum coniunctum cœnobio ſecedentes, cum verba ignita Thauleri ſecum conferrent, in extaſim rapti, diutius quaſi mortui permanſere, nõ ferentes ingentem lætitiam ab admirabilibus ſermonibus conceptam.

XVII. CONCIONATVR DE MVLIERE IN ADVLTERIO DEPREHENSA ET EXEMPLVM ADFERT AD GRAVITATEM ADVLTERII EXAGGERANDAM.

Altera die, qua hiſtoria de muliere in adulterio deprehenſa recitatur coactus concionari, Apoſtolica acrimonia, vtriuſq; ſtatus & ſexus graſſantia tunc vitia perſtrinxit. Cum in adulterium inueheretur, quamque grauia ex eo mala ſequerentur oſtenderet, quid ſuo tempore alicubi locorum in Germania acciderit, his verbis narrauit.

*Cum*, inquit, *trigeſimum fere ætatis annum agerem, & in oppido quodam ex voluntate ſuperiorum meorum ſtudiis incumberem, in eodem oppido cum duobus ciuibus notitiam & familiaritatem contraxi. Erant autem ambo ætate iuuenes, & ſatis diuites mercatores. Hi miro ſe inuicem amore proſequebantur, & bona ſua in commune adminiſtrabant: erantque illis duæ æque iuuenes vxores, quæ ſe non minori dilectionis ſtudio mutuo complectebantur. Et ſi quando alterum eorum pro negotiis quoquam proficiſci contingeret, vxorem, domum, & omnia quæ ſibi mutuo confidebant fide ſeruanda commendabat. Horum notitiam cum forte anno vno habuiſſem, altera ex vxoribus ipſorum quadam vice ſecretius voce lugubri & multis cum lachrymis mihi retulit, ex multo tempore enormem ſe peccatricem fuiſſe, nihilque aliud quã titionem infernalis incendij fore. Quibus dictis, præ nimia lachrymarum abundantia, ne verbum quidem potuit adiicere. Cuius*

ego



*ego lachrymis commotus, & dolori compatiens, rogaui eam, vt cauſam tanti mœroris aperiret; promittens me fidele conſilium, opitulante Deo, cuius immenſam eſſe dixi miſericordiam, illi ſubminiſtraturum. Tandem reſumpto ſpiritu illa dixit: Domine, filia N. non eſt legitima, ſed per adulterium ſuſcepta è ſocio mariti mei. Cum enim maritus meus ante quindecim annos longius abiiſſet, ſocius eius quadam vice, nimia quæ (vt noſti) inter nos eſt fidelitate abutens, cum familiarius inter nos loqueremur, tandem in adulterii crimen lapſus eſt, & ex ipſo eam filiam N. concepi. Deinde in cumulum damnationis meæ, peccatum iſtud poſt lapſum numquam confeſſa ſum; ſed inſtar Iudæ traditoris, ſacratiſsimum corpus Domini polluto corde & ore nouem vicibus ſuſcepi. Quibus auditis, rogaui eam, vt ſi recte ſibi conſultum vellet, nuda veritate diceret mihi, ſi plus quam ſemel cum adultero illo peccaſſet, & ſi ille noſſet hanc filiam N. ex ſe generatam. Reſpondit illa: Gratia Dei, nonniſi vnica illa vice peccatum hoc admiſimus; quod tam ipſum quam me adeo pœnituit, vt maxima pecuniarum ſumma, ſi licuiſſet, ipſum infectum reddere cuperemus. Nec vllo pacto vmquam ille reſcire potuit, hanc eſſe filiam ſuam. adeo propter certas quaſdam cauſas ſemper illud habui ſecretum. Dixi ergo illi mulieri: Imprimis conſulo tibi, vt aliquem modum excogites, quo tuto poßis marito tuo rei geſtæ indicare veritatem. Ad quod illa: Prorſus, inquit, facere id non audeo. Sin vir meus id reſciuerit, certa ſum, quod aut adulterum illum vna mecum occidet, aut certe interficietur ab illo: & ita in omne ſtatim vulgus hæc res diffundetur. Tum ego: ſi ergo, aio, hoc conſiliũ attentare non audes, vel hoc omnibus modis agas, vt filia tua illegitima in aliquo Monaſterio collocetur, nec vllo pacto vna cum veris hæredibus in bonorum mariti tui poſſeßionem ſuccedat, in damnum verorum hæredum, & æternam animarum condemnationem, quando quicquid de bonis mariti tui perceptura eſt, iniuſte vtiq; poßidebit. Dicaſq; marito tuo, te filiam illam religioni deuouiſſe, & ipſum obnixe preceris, vt te ſinat ſatisfacere voto tuo. Quod cum mulier iſta frequentius feciſſet, & ego ſuccedens multis rationibus idem viro illius perſuadere tentaſſem, nec tamen aliquid nos perficere cernerem; tandem mulieri dixi, vt ſi animam ſuam liberare vellet, modum aliquem excogitaret, rem geſtam marito, ſuauiori quo poſſet ordine ſignificandi, ne tam grauate, vt ipſa ſuſpicabatur id acciperet, antequam hæc filia nuptui traderetur, quod ſic demum ab hoc periculoſo & moleſto conſcientiæ remorſu liberaretur. Et cum diutius res iſta penderet, contigit duos prædictos Mercatores, amicorum interueniente conſilio, matrimonium conficere inter filium vnius & filiam alterius, vt putabatur; reuera autem inter fratrem & ſororem. Qui ſic inceſtuoſe coniuncti, miro ſe inuicem amore proſequebantur. Ibi tum ego videns tantam iniquitatem, ex miſericordia compatiens miſeris, tentaui diuerſis modis, ſi qua ab inuicem potuiſſent ratione ſeparari. Sed cum nihil me proficere viderem, fieretq; prædicta virgo N. è fratre marito grauida, meq; iuſſa ſuperiorum meorum ad domum propriam reuocarent, conſului primæ adulteræ & peccatrici, vt totum grauamen ſuum Fratri N. pio & erudito in confeßione detegeret; & eius conſilio vteretur. ſicq; receßi. Quam male vero poſtea illis ſucceſſerit, vti Frater ille mihi ſcripſit, vix explicare ſufficerem.*

XVIII.

Et quidem hæc per id temporis accidiſſe Thaulerus memorabat; cum grauitatem adulterii exaggeraret. In alia quoq; flagitia, pari zelo inuectus fuerat, adeo, vt Fratres metuentes ne à Magiſtratu vtroq; quicquam grauius illi vel illis accideret, à concionandi munere illum arcuerint. Magiſtratus porro æquanimiter arguentem ferens, obtinuit, vt Ioannem munere Euangelico libere defungi permitterent; quod cernerent, ingentes fructus in populo, ex eius concionibus promanaſſe. Itaq; cum die ſacro Paraſcheues iterum concionari compelleretur, non minore conſtantia, varia populi ſcelera coarguit: ſecutus exemplum Diui Baptiſtæ, qui audacter in flagitioſos inuehebatur.

XIX. EXPLICAT GRAVITATEM POENARVM PVRGATORII ALLATO AD ID EXEMPLO.

Erant non pauci, qui pœnas expiatorii ignis pro nihilo æſtimarent. In quos Thaulerus inuectus, quid ſibi acciderit, quantaq; earum grauitas ſit, his verbis pronunciauit.

*Quodam, inquit, tempore ſolus ſedebam in cella quadam, & cum mecum cogitare cœpiſſem mirabilia Dei, & quam admirabilis eſſet hoc tempore Eccleſiæ ſtatus, vt omnis bona ordinatio plus ſatis negligeretur & peſſum iret, inter has meditationes, corporeis auribus meis vocem quandam percepi loquentem ad me, tametſi omnino nullum viderem. Loquebatur autem ad me in hæc verba: Surge, iam quædam experienda tibi ſunt, vt tanto certius proximis tuis veritatem palam edicere auſis. Atq; in hoc vltimo verbo, omni ſenſuali ratione mea deſtitutus fui; factuſq; in extaſi, ſub ipſo hoc raptu purgatorium permiſſus videre fui; vbi tam cruciabilia & acerba nimis multorum hominum, ex quibus etiam pleroſq; noui, tormenta, pœnaſq; tam immenſas, & dolores tam intenſos atq; pauendos aſpexi, vt nulla ratio, nullus intellectus exprimere ſufficiat. Hoc itaq; certum habetote, tam multa, tam varia & diuerſa illic tormentorum genera, mirum in modum excruciantia me inſpexiſſe, vt tãtus inde me terror, & tremor inuaſerit, vt cuncta naturalia vitæ huius gaudia haudquaquam me exhilarare poßint; & ſi vel centum adhuc annis ſuperuixero, numquam me lætificandum putem, niſi id Deus ſupernaturali quodam modo faciat. Sed oro vos dilectiſsimi fratres, ne quis hinc ſcandalizetur, quod hæc vobis referre volui. Timeo equidem, quoſdam cogitare fortaßis, quod meam in his exponẽdis gloriam quæſierim. Atqui certiſsimum vobis ſit, me nullius gloriam, ſed nec alicuius ſubſtantiam huius gratia quærere vel optare. Satis enim ſuperq; contentus ſum his, quæ mihi in Monaſterio meo iuxta Conuentus conſuetudinem miniſtrantur. immo numquam non vereor, ne quæ forte ſuperflua capiam ex his, quæ mihi in refectorio apponuntur. Et certe, nullum hic adeſſe credo, qui, ſi vidiſſet & expertus eſſet ea quæ ego vidi & expertus ſum, tam videlicet horrenda & metuenda ſupplicia, non melius forte paucis ſibi appoſitis atq; conceßis contentus foret, quam ſim ego. Ideoq; nemo veſtrum ex prædictis verbis meis ſcandalizetur. Ego ſane nullam aliam reperio cauſam, quare me Deus iſta cernere voluerit, niſi ob culpas & defectus meos; & vt meipſum corrigerem, & aliis veritatem quam certo agnouiſſem, fidentius edicere auderem, vitiaq; & peccata ipſorum minime palparem. Vnde & ſi certus forem, me hac de cauſa neci tradendum eſſe, nihilominus nudam ac ſimplicem eloquerer veritatem. Sane vidi nonnullos intenſiſsimis pœnis illis torqueri; de quibus me vehemens cepit admiratio, quod tam diu in tantis cruciatibus permanere debuiſſent; ante multos ſiquidem annos aliqui ex eis ex hac vita deceſſerant, quos dum viuerent, etiam bonos & pios eſſe credebam; & tamen iidem in locis illis purgatoriis tam ingentia & ineffabilia ſupplicia ſuſtinebant, vt nemo ea digne in hac vita penſare aut intelligere poßit. Quocirca id omnibus nobis ex animo conſulo, ne Purgatorium paruipendamus, ſed conuertamur citius, & ſerio nos emendemus.*

Et quidem iſta de Purgatorii pœnis Thaulerus euulgauit. Futuras quoq; hæreſes, Vuiclefo auctore inſurgentes, ex Anglia in Europam diſſeminandas, annis ſeptem ante obitum prædixit. *Exurget*, inquit, *vox fallax, quæ omnes paternæ voci auſcultare nolentes in errorem abducet. Sonat autem nobis paterna vox, per vocem S. Matris Eccleſiæ, in omnibus doctrinis, præceptis atq; conſiliis illius. Væ proinde, ac iterum væ omnibus, voci huic obtemperare nolentibus, vt ſeipſos in veritate paruipendant, & humiles eſſe ſtudeant. His enim teterrimæ deſperationis vox inſpirabitur, docentibus pſeudodoctoribus, falſum eſſe, atq; confictum, quicquid vmquam priſcæ veritatis Doctores hic edocuere. Quicunq; igitur in fundo ſuo humilitate deſtituti fuerint, & pro ſuo ipſorum ſenſu ac proprio beneplacito, in ſuis illis vafris ac ſubtilibus conceptibus perdurauerint, hi omnes in tantos abducentur errores, vt cunctos Eccleſiæ ritus ac inſtituta, fallacia & à veritate aliena ſint credituri. Quamobrem, quæ nunc pace multa gaudere videntur, in maxima tunc vexatione erunt, & verba Dei peruertentur, cultuſq; diuinus pene in obliuionem ibit, & vnus huc, alius illuc properabit; nec facile ſciri poterit, quorſum hæc tandem euaſura ſint. Hinc maximis anguſtiis & periculis, mundus ipſe, & quotquot Deo in fundo ſuo, vel ſaltem Dei amicis reuera non adhæſerint, inuoluentur, & terribiliter cum eis agetur, & vera fides conculcabitur, & in tantam homines fluctuationem ac errorem præcipites ibunt, vt cuinam ceu Catholicæ veritatis aſſertori credere tuto poßint, atq; confidere, prorſus ſint ignoraturi. Et hæc quidem idcirco diuina permittet iuſtitia, quod nos iam ex multo tempore ita negligenter, imo & vitioſe viuendo, ipſam fidem moribus ac vita impugnauimus, ac digniſsimum CHRISTI corpus vna*

XX. HÆRESES FVTVRAS SEPTENNIO ANTE OBITVM SVVM PRÆDICIT.

*cum aliis Eccleſiæ Sacramentis, cum omni denique ſanctimonia Chriſtiana, tam plane irreuerenter, indigne, impune, infructuoſe tractare ac ſuſcipere auſi ſumus. Magna igitur tunc pericula contaminatis, vitioſis, & diuinam inſpirationem contemnentibus imminebunt. Quotquot vero ſignum Thau frontibus ſuis impreſſum habuerint, id eſt, omnes qui per Fidem Chriſti viuam, in quodam melioris vitæ initio atq; profectu inuenti fuerint, ab his plagis immunes erunt. Id quod Beatus Ioannes Apocalypſeos capite nono, has plagas, ſub obſcuris quidem verbis, ſed à Beata Hildegarde luce clarius detectas, recenſens teſtatur. Porro conſultum eſt illis, qui periculoſis ipſis temporibus victuri ſunt, vt ſeneſcenti, ac propemodum effœtæ Matri ſuæ Eccleſiæ Sanctæ, animo reſignato ac propinſiſſima voluntate, patienter atq; humiliter condeſcendentes, omnibus ordinationibus atq; doctrinis illius, quæ nobis hucuſq; palam in ſuggeſtu à Concionatorib. proponuntur, ſpontanea ac obedienti ſubiectione obtemperent; nec vlli alteri perſuaſioni fidem adhibeant, etiamſi vel Angelus de Cœlo, præter id quod euangelizatum eſt annunciet, ac perſuadere moliatur; ſicut & à Domino noſtro Ieſu Chriſto diligenter præmoniti ſumus:* Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & phariſæi: Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis ſeruate & facite; ſecundum opera vero eorum nolite facere. *Item Beatus Paulus;* Sed licet nos, *inquit,* aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præter quam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. *Immenſa illa ac inexhauſta Dei miſericordia, dignetur vos in viua ac vera Chriſti fide ſemper ſtabiles conſeruare.* Hæc de futuris hæreſibus Thaulerus prænunciabat.

XXI. THAVLERVS POST OBITVM APPARENS DVBITATIONEM DE SVA SALVTE EXIMIT.

Nouem annos poſt conuerſionem ſuam in magna ſanctitate vixit, tantæq; propter gratiarum affluentiam auctoritatis apud omnes fuit, vt ex eius conſilio velut ab oraculo aliquo dependerent. Viginti continuis hebdomatibus, paralyſi afflictus ante mortem decubuit, mortisque horam ſibi imminere ex diuina gratia agnouit. Qua adueniente, conſtitutus in agone terribilibus motibus, animam exhalauit; adeo vt Fratribus metum incuſſerit, ne forte ex deſperatione obiiſſet. Cæterum ille ſuo idiotæ ſtatim poſt mortem apparens, omnem trepidationem de ſua ſalute illis exemit, cum dixit; ſibi dæmones præſentes fuiſſe, multisque ſubtilibus & aſtutis fallaciis, in diffidentiam adducere voluiſſe, necnon anguſtiis quamplurimis obruere & in barathrum inferni detrahere miſſos eſſe. Quorum cum inſultus per Dei miſericordiam euaſiſſet, ab Angelis adiutoribus ſuſceptus, & in cœleſtia regna translatus, felicitate perpetua potiatur. *ex vita illius operibus adiuncta.*

XXII. REFELLITVR ECKII DE THAVLERO SENTENTIA.

Nimis iniquus fuit in Ioannem Thaulerum, Eckius diſputans aduerſus Lutherum *libro 3. de Purgatorio:* quod is ipſe hæreſiarcha, magnifice Thaulerum laudauerit, eiuſque ſententiis ſua praua dogmata confirmare niſus fuerit. Quemadmodum enim neq; Sancti Patres, neq; Sacrorum Bibliorum ſcriptores, in crimen hæreſis aut impoſturæ poſſunt vocari; eo quod peſtilentiſſimus Lutherus; ipſorum & diuinæ ſcripturæ verbis perperam allegatis, impudentiſſime, ad ſuam hæreſim ſtabiliendam abutitur; ita neq; Ioannes Thaulerus eiuſdem criminis damnandus, aut acerbe in odium adducendus, ſed vt eximius, Orthodoxusq; Theologus, ac ſingularis Dei amicus commendandus fuit: cum & vita ſancte inſtituta, & ſcriptis ex ſenſu Catholico editis, Eccleſiæq; Romanæ calculo probatis, vere Catholicum ſeſe probauerit: dignus, qui vbiq; gentium, nec tantum in Monaſteria recipiatur, & ab omnibus legatur; quod vel ex vnius eius ſcriptis, omnes hæreſes quæ hiſce temporibus emerſerunt, pleniſſime confutari poſſint, & quæ ad vitam ad ſummum perfectionis gradum efformandam promouendamq; faciunt, ab illius exemplis & doctrinis abunde omnibus ſuffecerint. Feruens zelus, quo Eckius in hæreſiarcham inuehebatur, facile illum præcipitauit, vt iniquam præpropere de viro ſanctiſſimo ſententiam protulerit. *Ludouicus Bloſius Abbas Lætienſis, in apologia pro Thaulero. & Michael Pius lib. 1. de viris Illuſtrib. Ord. Præd.*

XXIII.

Sed ad Carolum Imperatorem, ab vrbe in Germaniam redeuntem reuertamur. Monuerat eum Innocentius Pontifex, 1. Vt Dei timorem haberet, necnon miſericordiam, pietatem ac iuſtitiam obſeruari ſtuderet. 2. Facta à Ludouico Bauaro in præiudicium Romanæ Eccleſiæ reuocaret, ac Vicarios vrbibus Pontificiis à tyranno impoſitos deponeret. Obediuit Carolus monitori, multasque minas renunciauit Præfectis, quos Bauarus per Æmiliam & Picenum regionibus Pontificiis præfecerat, ſi ciuitates Pontifici ſuas vltro non reddidiſſent. Malateſta & Galeotus de Malateſtis, qui Ariminum occupauerant, multam indolis fiduciam habentes, Carolo Senis hærenti, & cum Petro ac Egidio Cardinalibus de adminiſtranda Italia agenti vix non impoſuerant; ne dominio Arimini excideret. Eorum mendaciis ne circumueniretur Imperator, ſed vt Egidium contra illos abeuntem viris & armis iuuaret, Pontifex hortatus eſt.

CAROLVS IMP. LEGATVM APOST. IN RECIPERATIONE BONORVM ECCLESIÆ ABVNDE IVVAT.

Iuuit abunde Carolus Legatum, qui fere omnia de Romandiola, Picenoque, ſeu Marchia Anconitana, & patrimonio S. Petri à tyrannis receperat, paucis admodum exceptis. Non alius inuentus eſt obſtinatioris rebellionis, Franciſco & Sinibaldo fratribus Ordelaffis, quos perpetua duorum annorum obſidione, Forolinio, Foroque Pompilio, & Cæſenæ vrbibus atque caſtellis ſupra eas ad Apenninum vndiq; pertinentibus deturbauit.

ORDELAFFI OBSTINATIO.

Qua obſidione cum hi premerentur, Legatos ad Pontificem mittentes, vſi ſunt interceſſione Iacobi Columnenſis Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui ſtudio partium Italiæ illis fauens, eo rem deduxerat, vt ſi partem dominatus vel minimam dimittere voluiſſent, reliqua potuerint, ſicut Malateſta ac Poletenſis, pro Eccleſia & Pontifice retinere gubernanda. Sed Franciſcus præceps ingenio reſpondit, ſeſe nunquam oppidum ſalutare, erat enim omnium exile, vt dimittat adduci peruinciq; paſſurum. Paulo poſt cum vrgeretur Franciſcus, fatumq; recognoſceret ſuum, ab eodem Cardinali pariter orato, id breue habuit ex Pſalterii carminibus reſponſum: *Defecit in ſalutare tuum anima mea.* Petrarcha Ordelaffo præſcripſerat, ex Canonico; *Ita fac, quaſi quum ludas teſſeris: ſi quod opus eſt iactu non cecidit, id vt arte ſuppleas.*

XXIV. PETRARCHA QVALIS.

Fuit Petrarcha partium Gibellinarum ſtudioſiſſimus, adeoq; Pontificibus Romanis inimicus, vt non obſcure bilem in eos in diuerſis litteris oſtenderit: ſi tamen illius ſunt, quæ ſine nomine circumferuntur. Innocentius Magiæ ſuſpectum accuſabat; ſed hic excuſabat, viciſſimq; probra & conuicia, tum in Pontificem; tum in aulam Auinionenſem reponebat: quæ omnis æui ſcarabei perlibenter legunt: odio in Romanam Eccleſiam inflammando. Nicolaus Buratelus Tolentinis, Nolfus & Henricus Montefeletrii pro Eugubinis, Smidutii pro Sanſeuerinatibus, Iomentarius pro Camertibus, Petrellus Moglianus pro Firmanis, Raynaldus Montanus pro Senogallienſibus, alii Procuratores & Syndici, pro Ariminenſibus, Fanen. Piſauren. Vrbinatibus, Calliis, Cingulanis, Anconitanis, Eſculanis, Maceratanis, Rocchæ Contratæ populis, necnon pro aliis caſtris & oppidis, Cardinali Egidio ſeſe dedentes, Sacramentum fidelitatis dixerunt. *Blondus decad. 2. lib. 10. Dubrau. hiſt. Boem. lib. 22. ep. Innoc. hoc anno. liber iurament. coram Egidio Legato huius anni MS. Vatic. Matth. Villani lib. 5.*

XXV.

Inter hæc Carolus reuertens, ſiue quod ſtudio partium Guelfarum aduerſus Gibellinos impenſius flagraret, ſiue quod milites illius & adminiſtri graues nimis populo eſſent; non æquis oculis à populo videbatur. Senenſibus Patriarcham Aquileienſem Vicarium præfecerat. hunc illi aliquot poſt diſceſſum diebus vrbe eiecerunt.

INSIDIÆ PISIS CAROLO STRVVNTVR.

Franciſcus porro Gambacurtius, inſidias ipſi Carolo inſtruxerat. Is Piſanorum potentiſſimus, Carolum rogauerat, vt Piſas ad diuerticulum ſibi notum, & nuper haud ingratum reuerteretur. Nihil mali ſuſpicans, Piſas adiit, & in domo Prætoria hoſpitio





publico diuertit, cum ſumma eorum qui cum Franciſco conſpirauerant perfidia, qua mox ad opprimendum hoſpitem Cæſarem (cogitabant illum & vxorem furcis appendere & reliquos trucidare) vſi ſunt. Primo enim ignem multa nocte Prætorio ſubdiderunt, cuius magnitudine prope fuit, vt Cæſar cum Anna coniuge prope ambureretur. opportune Regiæ cuſtodiæ aſſuetis ambos pene ſeminudos ſubductos, in alium ſecuriorem locum deduxerunt. Nocturna fraude non ſuccedente, poſtera ſtatim luce palam cum armatis in forum deſcendunt, & ad popularem tumultum concitandum conclamant, Cæſarem non vt hoſpitem, ſed vt manifeſtum incendiarium vrbem ſubiiſſe, vt illam combuſtam Florentinis hoſtibus tradat, ſi ipſi tempus tradendi illum non acceperint.

TVMVLTVS POPVLARIS CONTRA CAROLVM.

Diſcluſis ponte fluminis hoſpitiis, Boemi & Moraui, qui cum Cæſare venerant tenebantur, eaq; res longe maximam dimicationem attulit, dum Piſani tranſitum pontis Boemis prohibere, & illi viciſſim illum vi ſuperare conarentur, vt Domino & Regi ſuo, obſidione in hoſpitio Ioannis Epiſcopi Olomucenſis (quo Arneſtus quoq; Archiepiſcopus confugerat) laboranti ſuccurrerent. Pro Piſanis multitudo erat, ſed incompoſita & inordinata. Boemis, quantum de numero detrahebatur, tantum animi virtus nobilitasq; & vſus militiæ ſupplebat. Equeſtri deniq; procella, à Marquardo Epiſcopo Auguſtano, qui primus vexillo erecto in hoſtes prodierat victoria parta eſt, Piſanorum multo ſanguine ex vtraq; pontis parte cadentium, antequam Franciſcus caperetur.

SVPPLICIVM DE CONSPIRATORIBVS SVMITVR.

Franciſcus interceptus, & per tormenta interrogatus, authores tanti ſceleris cum Florentinos nominaſſet, ſecuri, cum aliis quinq; Gambacurtiis necnon decem aliis complicibus percuſſus eſt; reliquis aurum imperatum & palatia diruta. Piſis relicto Marquardo Imperii Vicario recedens, cum audiſſet corpus Diui Viti, à Regibus quondam Lombardiæ Papiæ iacere reconditum, miſſis Oratoribus Papiam, à Senatoribus eius vrbis illud impetrauit, & Pragam intulit, cum eum Diuum, in tutelarem ſuum & Regni Boemiæ, adoptaſſet. *Dubrau. ſup. & Rebdorf. in annal.*

XXVI. MANDATA CAROLO IMP. AB INNOCENTIO.

Interim Innocentius Carolo perſcripſit, 1. Vt Epiſcopo Aretino, per Guillelmum Petramalanũ bona erepta reſtitui imperaret. 2. Ab Eccleſia Sedunenſi, Vicarium, quem vſurpata authoritate inſtituerat, amoueret, & ad reſtitutionem bonorum Eccleſiæ compelleret. 3. Donationem Duci Brunſuicenſi, de caſtro S. Lamberti & aliis ad Eccleſiam Carpentoracten. ſpectantibus factam abrogaret. 4. Apud Iacobum Sabaudum, ſatisfactionem Roberto Dyrrachiano olim captiuo procuraret. 5. Bernardum Aytenſem Epiſcopum, Ludouici & Ioannæ Regum Siciliæ Nuncium, auxilium contra Landianam ſocietatem poſtulantem, benigne exaudiret, ſeſeq; illi ſocietati, regnum Siciliæ inuadenti opponaret; aut Regibus arma, viros, & reliqua ſubſidia ſubmitteret. 6 Clerum ciuitatis & metropolis Moguntinæ, ad ſolutionem decimationis triennalis induceret, necnon ipſe opportuna Smyrnæ defendendæ auxilia decerneret. 7. Raymundum Lancaſinum, ad Caſimirum Regem Poloniæ pro grauiſſimis Sedis Apoſtolicæ negotiis Nuncium euntem adiuuaret. 8. Imperium ex æquo & bono pacifice adminiſtraret; hæreticos perſequeretur & extirparet, Eccleſiarum vero omnium curam ſingularem haberet. 9. Florentinos, ad reuocanda nonnulla ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam facta compelleret, *epiſt. Secret. Innocent. hoc anno.*

XXVII. INNOCEN. STVDIVM PRO SMYRNIS IVVANDIS.

Quod ad Smyrnenſe negotium attinet; deſtituta fuerat ea vrbs, fere omnib. ad victum præſidiariorum neceſſariis. Stipendia etiam illis non ſoluebantur, & Turcarum colluuies inuaſionem cogitans, Chriſtianos quaſi obſidione cinxerat. Hugo Rex Cyprius vnus ex confœderatis Principibus, pactis non deerat, ſed tria millia nummum aureorum Smyrnam hoc anno tranſmiſerat. Epiſcopus Paphenſis Sedis Apoſtolicæ Nuncius & Collector, non, quemadmodum volebat, poterat tam cito decimas in Oriente in ſacrum bellum impoſitas exigere. Itaq; Innocentius Magiſtrum Rhodiorum militum, hortatus eſt, qui pecuniam ex conuentionibus ſacræ Vnionis debitam, etiam ante tempus deſignatum præſidiariis ſubmitteret, arbitrio Præfecti copiarum & bonorum aliquot virorum inter milites partiendam. Impedimento Chriſtianis non modico fuerat, diſcordia inter Iacobum Allobrogem Achaiæ Principem, & Amadeum Comitem Sabaudiæ. Eam vt Innocentius dirimeret, Magiſtro Rhodiorum ſuaſit, qui numerata pecunia principatum illum emeret; vt tandem Iacobus quoquo modo Amadeo ſatisdaret. Non poterat ille, tantam, quanta ſufficeret emendo corrogare; quod Petrus Rex Caſtellæ, necquicquam monita & anathemata Clementis ſexti æſtimans, bona Templariorum Rhodianis attributa occuparet. Hunc itaq; Innocentius Pontifex monendum per literas putauit, rapacitati modum imponeret, & iniuſte ablata Hieroſolymitanis militibus reſtitueret; inque his & reliquis, Guillelmo tt. S. Mariæ in Coſmedin Cardinali, Legato, non tantum fidem daret; verum etiam obtemperaret. *Boſius hiſt. Rhodiana lib. 2.*

XXVIII. LEGATVM IN HISPANIAS AD REGEM CASTELLÆ CVM REGINA VXORE CONCILIANDVM TVMVLTVSQVE CIVILE COMPESCENDOS.

Miſerat id temporis ad 8. Cal. Iunii Innocentius, in Hiſpanias, Guillelmum Cardinalem Legatum, qui Blancam Reginam Petro Regi exoſam iterum conciliaret, & tumultus aduerſus Regem concitatos componeret. Namq; & Petrus Fernandum Gondiſaluum Canonicum Legionenſem & Blanca Regina Oliuam Ottobonum Theſaurarium ſuum Nuncios ad Innocentium miſerant, queſtum de alternis iniuriis. Eos cum Pontifex audiuiſſet, & 7. Kal. Iunii redire iuſſis aliqua commiſiſſet, tandem Cardinalem Legatum, Alfonſo olim & Petro Regibus à Conſiliis, inque aula Pontificia negotiorum eorundem curatorem, deſtinauit. Non placuit Petro, ea Legati integerrimi miſſio. Quamobrem Innocentio ſupplex fuit, ne mitteret. quod Regnum Caſtellæ (eludebat) ſterilitate fameſceret, neq; Eccleſiæ per decimationes exhauſtæ ſumptibus Legato miniſtrandis potis eſſent. Iam Legatus iter arripuerat, neq; commode reuocari potuerat. Bellum interim internecinum aduerſus Regem feruebat. Itaque Innocentius excuſauit, quod non poſſet reuocare; tum Regis & Regni commodo commodando; tum Apoſtolicæ dignitati, ac inprimis iuſtitiæ conſeruandæ. *dat.* 10. *Kal. Septembr.* Monuit interim Pontifex Mariam Reginam & Proceres ac Prælatos Caſtellæ, qui concordiam inter Petrum & Blancam inſererent. *Idib. Ianuarii, & Kalend. Iunii.* Torquebat Petrum ea Innocentii ſolicitudo. Itaq; Toletum conuolans, nonnihil lætioris frontis Blancæ oſtenderat, eiusq; rei tum ipſe, tum Blanca Pontificem certiorem faciens, interdicta Regno ſacra reſtitui poſtulabant. Pollicebatur omnia Pontifex 8. *Id. Iulii.* ſi modo ille amore non ficto Reginam complecteretur. Quod ille cum non feciſſet, imo & Reginam in cuſtodiam dediſſet, aliamq; ex conſilio Salmantini & Abulenſ. Epiſcoporum, præter pellicem ſuperinduxiſſet, cenſuræ eidem Regem & Regnum ſubeſſe decreuit; tum etiam Cardinali Legato poteſtatem fecit 17. *Kalend. Septembr.* Salmantinum & Abulenſem Epiſcopos caſtigandi; quod diuortium, & nouum connubium Petri probaſſent. *Lib. Secreto. Innocent. hoc anno.* Placet commemorare, ea quæ Mariana de rebus hoc atq; ſuperiore anno in Caſtella geſtis prodidit; vt Reges vniuerſi alieno exemplo diſcant, à ſæuitia & libidine ſibi temperare. Nam vtrumq; ſcelus, certiſſimum exitium cunctis parit. Ita habet.

XXIX. DE GESTIS INTER REGEM CASTELLÆ ET CONIVRATOS REGNI PROCERES.

Albuquerquii oppidis à Petro Rege tentatis magnaque ex parte captis, cum in Fridericum fratrem ſe Seguræ arce munitiſſima tenentem ducere pararet, Toleto, Hineſtroſam, in vlteriorẽ Caſtellam amandauit, vt Blancam Reginam, belli cauſam, captiuæ inſtar in ea vrbe cuſtodiæ mandaret. Graue id decretum fuit: Inno-

centis puellæ calamitatem, non vno loco conſiſtere. Illa Toletanum templum ingreſſa, quaſi exſoluendi voti ſpecie, pedem inde referre recuſauit; loci ſanctitate ſalutem tueri cupiens; ſi quid tñ audaci iuueni & temerario ſanctum eſſet. Ille eo nuncio concitatus Ocaniã ſeſe retulit, quo in municipio Ioannem Padilliam Villagetæ regulum, in Friderici fratris locum Diui Iacobi Magiſtrum ſubſtituendum curauit, & quidem coniugem, contra ſuperioris temporis exempla. Nouum exemplũ, legib. moribusq; validius fuit: ab eoq; initio ſuſceptũ, vt coniugès iidem & Magiſtri eſſent. Mariæ in gratiam; quæ noui Magiſtri ſoror erat, maiorũ inſtituta violata. Inter hæc procerum vires confirmabantur, Ioannesq; Cerda Hiſpali veniens ſeſe illis adiunxit; optimus quiſque ſequebatur; omnesq; viri ſtrenui nauare coniuratis operam & ſtudium volebant. Regem ſuper inſitam ſæuitiam auerſę procerum voluntates, Toletanaq; rebellio ſollicitabat: vim adhibere, imminutæ copiæ prohibebant. Neceſſario in vlteriorem Caſtellam abiit, ſubſidia belli comparaturus. Ventum Tordiſillam, vbi Regina mater morabatur. Fridericus Magiſter interea à Toletanis euocatus, vrbi præſidium cum ſeptingentis equitib. venerat; alii ꝓceres coniurati ex diuerſis locis in vnum coeuntes circum Tordeſillã, quaſi circumſeſſo Regi tẽdebant, armis acturi, niſi iuſtiſſimis poſtulatis annuiſſet. Ea erãt, ita ſtupri fœditate recederet; Blancam Regio thoro reſtitueret; Padilliam pellicẽ regni finibus arceret; eius propinquos à republica amouendos curaret, atq; perficeret. Ea ſi præſtita eſſent, vti neceſſe erat, paratos ſeſe omnia quæ imperarentur facere. Cum his mandatis Eleonora Aragoniæ Regina miſſa, quo minus violaretur, ius gentium valuit; ſexus, propinquitas, auctoritas tutatæ ſunt. Re infecta, dimiſſa. Albuquerquius apud Medinam Campeſtrẽ deceſſit noxio medicamine venis cõcepto; quod Paulus medicus Romanus, magnis pollicitis corruptus ægro diluerat. Proceres tum ſpe delecti, tum factis irritati, matre Regina filioq; elapſis, adhuc tamen Regis animum tentare cogitarunt. Miſſi denuo ab eis legati viri primarii, ſi forſan eius animus tempore pacatior, vt iis nunciatum erat, ad meliora conſilia traduceretur, re integra. Colloquio dies, locus, tẽpusq; deſignatum. Venere ex vtraq; parte quinquaginta equites parib. armis in pagum non procul Tauro oppido, inſidiis minime idoneum. Ibi cum inter ſe officioſe ſalutaſſent, & proceres coniurati, more gentis Regis dexteram deoſculati eſſent, Gutterius Toletus pauca ex ſententia Regis præfatus; *Graue*, ait, *accidiſſe, tantos viros, ea nobilitate, eo ſplendore, alienato animo eſſe. Eripere Principi velle, quod eſſet beatiſſimum, decernendi libertatem, eosq; charos acceptosq; habere, quos fidos maxime iudicaret. Cæterum errori per imprudentiam commiſſo veniam ſe dare paratum, modo copias militares dimitterent. Quod de Blanca poſtularent, niſi forte ea obtenderetur ſpecies maiora conantibus, facturum ſeſe quæ vellent.* Ad hæc Procerum conſilio habito, eorum verbis Ferdinandus Aiala poteſtate dicendi facta ſic incepit,

PROCERVM POSTVLATA.

ALBVQVERQVII OBITVS.

VERBA ORATORIS REGIS AD PROCERES

RESPONSIO PROCERVM.

*Quod contra exempla maiorum, magnanime Princeps, armati venimus, veniam dari poſtulamus. Inimicorum inſidiæ, à quib. nulla innocentia tuta, compulerunt, tuoq; permiſſu factum eſt. Alioqui tui ſumus; de ſubditis & ſupplicibus, vt libet ſtatue. Habet hoc Regia fortuna, vt nihil occultum eſſe patiatur; omnia populo proponit, atq; explicat, turpia honeſtaq;. Blancæ Reginæ, cui diadema impoſuimus, cui coniugii ſanctitate nobis præſentib. deuinctus es, exitium ab æmula comparari ægre ferimus, Principisq; auribus inſidias à prauis hominibus tendi graue ducimus: nulli magis quam tibi gratificaturi, vbi ſedata animi ægritudine, fraudeq; perſpecta (quod propediem fore cupimus ſperamusq;) maior ætas acceſſerit. Quanto difficilius eſt alios præſtare, quam ſe, tanto laudabilius in eam curam incumbere, vt optimus quiſq; ad tuum contubernium recipiatur. Multis alioqui claris Principib. dedecori fuit, domeſtica infamia. Tua coniuge quid ſanctius? quid nobilius? quamquam modico cultu, quanta morum ſuauitate? forma quæ alii comparanda? Eam grauiſſimo luctu leuari, & in debitũ dignitatis locum reſtitui, ſi homines ſilerent, ſi aliena eſſet, tu ipſe armis copiisq; omnibus conari atq; efficere deberes. Illud caue, ne præpoſteris blanditiis illectus per errorem committas, vnde tibi, nobis, vniuerſoq; nomini Hiſpano luctum inſanabilem, ignominiam ſempiternam inuras.*

XXX.
REX CASTELLÆ POTESTATI MATRIS POSTQVAM SI COMMISISSET ARCTA CVSTODITVR ET PRÆCIPVA EIVS AVLÆ MINISTERIA MVTANTVR.

De re tanta, breui ſtatui non poterat. Conuenit, vt quaterni ex vtraq; parte delecti, de pacis conditionib. diſceptarent. Sic à colloquio diſceſſum, moxq; eius Regis tergiuerſationibus intellectum eſt, nihil eum pro ſano facturum; præſertim cum eodem tempore Tauro digreſſus ad amicam iuiſſe conſtaret. qua occaſione Regina mater pridem à coniuratis voto ſtans, eos Taurum euocauit, eisq; oppidum tradidit. Eo nuncio perculſus Rex, totiusq; Regni defectionem veritus, Hinneſtroſa & Samuele Iudæo (is ærarii pręfectus erat charus inprimis) comitantibus, Taurum repetiit, matriq; complexum ferens in eius ſe poteſtate futurum dixit. Comites continuo detracti, datiq; in cuſtodiam. præcipua aulæ miniſteria mutata. Fridericus Magiſter Regio cubiculo præfectus, ſcrinio Ferdinandus Aragonius; Ioanni Cerdæ vexilliferi honor eſt datus, Ferdinando Caſtrio Regia procuratio concredita. In hoc honoris ſpecie prouidebatur, vt Rex captiui inſtar teneretur, ſublata etiam ipſum adeundi promiſcua libertate. Albuquerquii cineres, quaſi victoria parta, in monaſterio Ciſtercienſi, cui à Spina in Vaccæis nomen, ſepulturæ ſunt dati. Magnum reipublicæ nominiq; Hiſpanico vulnus inflictũ, Principem gentis, parentẽ & columẽ obſideri, capi, includi; niſi atrocitatem facti ſalus publica, Principis inuidia, infamiaq; excuſarent. Venationis tãtum libertas relicta erat; qua ille occaſione, & nonnullis proceribus eius calamitate magnisq; in poſterũ pollicitis, æquioribus factis Segobiã ſeſe proripuit, proſequente Samuele, qui datis prædibus, è cuſtodia liberatus fuerat. Secutus eſt etiam Telius frater, cui eo die Regis cuſtodiendi cura concredita erat, haud diuturna gratia futura. Inde maiorum motuũ initia; cum Regni conuentus Brugis indictis, de Procerum inſolentia cõqueſtus Rex, vindicare iniurias paranti vti opem ferrent petiit, In Principe vniuerſam nationẽ violatam, grauiq; ignominia affectam eſſe. Publica inuidia, communibus armis perfidiam vindicandam, æs militare ciuitatibus imperatum.

REX EFFVGIT ET AD VINDICANDVM IPSIVS INIVRIAS POPVLOS EXCITAT.

XXXI.
QVIS RERVM STATVS IN REGNO CASTELLÆ SECVTVS.

Burgenſi conuentu dimiſſo, in Medinam Campeſtrẽ primus abs Rege impetus factus eſt. Villega Rogiusq; cumprimis nobiles occubuerunt; capti alii. Hineſtroſa Tauro dimiſſus, fide data niſi Rege placato in cuſtodiã rediturũ, id liber non præſtitit. Henric. & Frider. Toletũ admiſſi, Regios conatus occuparũt. Iudæorũ cædes factæ, direptaq; bona eorũ q̃ ad forum rerum venalium domicilia habebant, mercesq; & ſcruta vendebãt. mille amplius cecidere, non ſine coniuratorum inuidia. Rex periculo nunciato, eodẽ feſtinauit, priusq̃ ſe hoſtes vrbe munitiſſima firmarẽt. Admiſſos, fratrib. fugæ neceſſitatẽ attulit, celeritas ſaluti fuit: ira in ciues verſa; è nobilitate nonnulli cæſi ſunt, è plebe duo & viginti. In eo numero aurificis filius octodecim annos natus pro patre octogenario, ſupplicio ſeſe vltro obtulit, Regeq; ꝓ venia, q̃ eximia pietas omnium iudicio merebatur, permutationẽ concedente, ſubiit. fœdum populo ſpectaculum, miſericordiæ pmixtã crudelitatẽ. Nomina memoriæ ſubtracta, de facto ſatis conſtat. Petro Barroſo Epiſcopo Seguntino, inſigni ea ætate viro; ob eximiã iuris cognitionẽ, quoniã ciuium ſuorum ſtudiis, Blãcæq; Reginæ fauere viſus eſt, manus iniectæ. Regina ipſa Seguntiam cuſtodienda amandata. Toleti rebus compoſitis, reliquæ ciuitates ſubigendę erant. Cõchenſes maiori inter ſe cõcordia venienti Regi portas clauſere: vim adhiberi, firmitas loci prohibuit. Sanctius Regis frater, qui in ea vrbe educabatur, quamuis eo periculo liberatus, in Aragoniam aliquanto poſt ab Aluaro Albornocio, cuius fidei creditus erat, ſubductus eſt. Taurus obſeſſa, vbi Regina mater; HENRICVS, FRIDERICVS & STEPHANVS CARPENTARIVS, qui ſe Calatrauæ Magiſtrum ferebat, roburq; coniuratorum erat; eoq; diuturna obſidio fuit. quo tempore

PIETAS ADMIRANDA. CRVDELITAS NEFANDA.





ad Tordiſillam (Turrim Sillæ alii vocant) Maria Padillia filiam enixa eſt, Iſabellæ nomine. Ioannes Padillia illius frater, Diui Iacobi Magiſter, ad Vrceſiam, in tumultuaria pugna occubuit: honor importunè delatus exitialis fuit. Meſſia, Carilliusq; ex eo Ordine Friderici partibus fauentes, cædis auctores fuerunt. Præfici in eius locum alium Rex vetuit, cum ætate prudentior, Fridericoq; fratri aditum ad gratiam parans.

XXXII.
MICHAEL. LANEA.

Inter hæc Bononiæ Cardinalis iiſdem diebus ab Innocentio Pontifice Legatus de pace, nihil impetrauit, rebus adeo exulceratis. Petro tantum Barroſo Epiſcopo, libertas data eſt. Henricus in Calæciam Tauro euadens, ſeſe periculo eripuerat; Fridericus accepta incolumitatis fide ad Regem egreſſus eſt. Vrbe ipſa tandem, incolæ cuiuſdam proditione capta, Carpentarius, Caſtaneda, aliiq; viri primarii, in ipſis Reginæ matris oculis, ad tetrum etiam ſpectaculum exanimatæ decidentisq; obtruncati. Ea ſibi reddita, filii caput maledictis contenta voce defigere, paucisq; interiectis diebus, commeatu impetrato, in Luſitaniam conceſſit; haud honeſtius quam antea, pudicitiam habitura, Martini Tellii Luſitani amoribus cum licentius indulgeret, fratris Luſitani Regis iuſſu, veneno perempta eſt. quidam à patre interfectam affirmant. Ita effrenata libido Petri Regis, vniuerſam fere Caſtellam præcipitauit, exemplo Regibus, ne ſe eo exemplo perditum eant: memores illius quod Salomon dixit; *Fouea profunda meretrix eſt*: in cuius amores non nemo, nonniſi exitio ſuo ſe coniicit. quod non tantum à Petri, & matris illius euentis, verum & ab alterius Petri Luſitanæ iuuentutis Principis ſucceſſu, documentum habet, hoc ipſo anno. Huic cum Agnete Caſtria ſtupri vetus conſuetudo erat. Eandem ſuperiori anno vxorem contra leges duxerat, ſugillata in eo Regia maieſtate. Ignominiæ depellendæ, filiiq; ſanandi cauſa, Regis patris iuſſu Conimbricæ interfecta eſt. tametſi iniquum erat filii libidines amicæ interitu lui. quo etiam anno Ioannes Galliæ Rex, Nauarreum Regem, à Carolo Delphino Nortmanniæ Duce conuiuio exceptum cæpit, atq; ex vinculis cauſam dicere iuſſit; Maieſtatis legẽ poſtulatum, quod Galliæ multis nominibus beneficiarius Princeps, Anglis faueret. *Mariana de rebus Hiſpan. lib. 16. c. 20. 21.*

XXXIII.
BELLVM INTER GALL. ET ANGL. REG. RECRVDESCIT.

Sollicitum adhuc etiam hoc anno totum Occidentem diſcordiæ inter Ioannem Galliæ & Edouardum Angliæ tenebant. Auinione vtriusq; Regis Oratores, de tota re apud Summum Pontificem diſceptabant. Pontifex auditis Legatis, cum vnam rem peterent, hoc eſt regnum, quod conſortem non patitur, talia mandata dedit: Debere vtrumq; Regem pertinaciæ finem facere, & ab armis diſcedere, neque amplius fortunam belli periclitari, cum ſatis eſſent magna vtrimq; incommoda accepta, quæ pro diſciplina habere poſſent, vt reliquos caſus timerent. Hæc mandata cum Edouardus accepit, tantum abfuit vt quieuerit, vt etiam longe ardentiſſime ad arma eundum cum primum per anni tempus liceret ſtatuerit. Itaq; Edouardum filium principem Vualliæ, cum valido militum robore in Aquitaniam miſit; qui per Toloſatium agrum erumpens, omnem eam regionem vſq; Narbonem vrbem impune populatus, inde ſecundum Garumnam flumen iter tendens, Burdegalam cum magna præda profectus eſt. Fama huius cladis, maxima affecit Innocentium moleſtia, quod ſua mandata nihil ponderis apud principes habuiſſent. Duos igitur continuo Nuncios inprimis, Ioannem Epiſcopum Ebredunen. & Androinum Abbatem Monaſterii Cluniacenſ. *ad 6. Calend. Martii*, deinde Ioannem Archiepiſcopum Capuanum & Petrum Epiſcopum Tiraſonen. *Nonis Nouembr.* in Aquitaniam miſit, qui & Edouardi principis ferociam ſaltem mollirent, & Ioannem Regem ob recentem acceptam plagam vlciſcendi auidum compeſcerent: ne dum hic vlciſci tentaret, ille inſtar leonis irritatus maiore ira excandeſceret. Summa mandatorum fuit, vt concordiæ inprimis inter Reges conglutinandæ ſtuderent; ad quos etiam Pontifex dederat litteras vno exemplo, *ep. Secret. Innocent. huius anni & Polydor. hiſt. Anglic. l. 19.*

XXXIV.
QVÆ HOC ANNO IN ANGLIA CONTIGERINT.

Inſignis hic annus in Anglia fuit, iſto memorabili, quod menſe Ianuario ſalices eſſloreſcẽtes & gemmantes, fructus ad inſtar roſarum, & ſambuchi ad inſtar ceraſiorum produxerint. Multorum ingenia torſit iſtud ſpectaculum, dum quid hoc portenderet, inutili labore expiſcari conarentur. Quo anno etiam cautum eſt in Parlamento, ne (quod hactenus obſeruatum erat) cauſæ litigioſæ in Gallica lingua, quam neque qui intendit, neq; qui excepit actionem intelligeret, ſed in vernacula lingua per patronos earũ expedirẽtur. *MS. Vatic. de rebus Anglican.* quo item anno Edouardus Angliæ Rex Scotiam populabatur, hac vindicta cælitus punitus. Handitounium cum milites illius appuliſſent, nec procul ſacellum diuæ Virginis, quod Album vocant, in terram egreſſi ſpoliaſſent, vbi in nauem cum ſpoliis reuertiſſent, tanta repente Aquilone vehementius ſolito flante tempeſtas exorta eſt, vt illiſa ad ſcopulos claſſe, exceptis paucis qui nudi enatarant, omnes fluctibus obruti ſubmerſiq; perierint. His percitus malis Anglus, velut cum ſuperis illi bellum eſſet, in ſacroſancta Diuorum templa, in Monaſteria, abbatiasq; ſæuire cæpit, quæ in Handintoun erant, ac per Laudoniam quicquid nuperrimo furori ſuperfuerat, ſi quicquam tamen eſſe potuit, magna indignatione corrupit. Ferunt Anglum quemdam, dum album Sacellum diriperetur, hominem nefarium ornamenta ſtatuæ diuæ Virginis appenſa, vbi detraxiſſet, ouantem per templum ac ſpolia oſtentantem, comminuto per Crucem, quæ è ſublimiori in caput eius loco concidit, cerebro, pœnas à numine ſacrilegii pependiſſe. Acta hæc ſunt poſtridie, qui dies ſacer eſt celebrandæ diuæ Virginis Dei Matris purificationi, qui frequentibus lucet in templis diuorum cereis. Ac quoniam incendiis tunc villarum omnia collucebant, vernacula Scotorum lingua, dies ille, *Bruit Candilmes*, id eſt, ignitum candelarum ſeu purificationis feſtum exinde dictus eſt. *Boeth. Scot. hiſt. l. 15.*

VLTIO DIVINA IN SACRORVM VIOLATORES.

XXXV.
VLTIO DIVINA IN VIOLATOREM NOMINIS DEIPARÆ VIRG.

Hoc ipſo anno, Bononiæ in Italia, violatum nomen B. Virginis aliquis laiſſe memoratur. Ludens ante imaginem Deiparæ Virginis, in Porta, quæ S. Mamæ ad balneum marinum dicitur, depictam; cum amiſſa pecunia efferatus inceſto ore nomen eius venerabile laceraſſet, extemplo membris, atq; imprimis oculo altero captus procubuit, ac mox ad Hoſpitale mortis delatus occubuit. Qua re cognita quindecim iuuenes graui ſuæ adhibitæ ſæpe in Sanctam Virginem procacitatis pœnitentia capti, repente ſe rebus humanis abdicauerunt, ac ſibi domum eo in loco comparauerunt, atq; Monaſtico aſcito habitu inierunt: quos accenſa funalia præferentes die S. Michaelis, multi laici pii officii cauſa, cum tibiis præcinentibus aſſectati ſunt. *Carol. Sigon. l. 3. de Epiſc. Bononienſ.* Felicius Florentini anno ſuperiore fecere Diuam Virginem Dei parentem honorantes. Tres & amplius menſes cœlum non pluerat, & arentia arua fere omnibus ſegetibus iacturam ferebãt. Ibi Florentinorum populus, imaginem B. Mariæ Virginis, quæ apud Pruneranum ſacellum ſeruabatur, in ſupplicatione publica deferendam cenſuit; quæ dum circumferreretur, eo ipſo die cœlum nubibus obductum fuit, & poſtridie pluere tam abunde cæpit, ſeptemq; diebus continuis pluit: adeo, vt vbi ſterilitatem metuebant, omnia abundanter prouenerint: ab interceſſione Reginæ cæli, quam illi ſuppliciter implorarant. *Villani l. 4. c. 6.*

PLVVIA INTERCESSIONE DEIPARÆ IMPETRATA.

XXXVI.
DIVERSA INNOC. GESTA RATIONE REGNI SICILIÆ.

Hoc anno, ad 12. Cal. Nouembr. Ludouicus Trinacriæ Rex Iacii mortuus eſt, & Catanæ ſepultus. Fridericus eius frater Dux Athenarum & Neopatriæ Regnum inuito Pontifice Innocentio occupare tentauerat. Ea propter Innocentius, in occupatorem anathema tulit, & ſacris vniuerſæ inſulæ interdixit: cum et-

iam Ludouicus & Ioanna Reges Siciliæ, bellum acerrimum Friderico intuliſſent. *Surita lib.* 3. Nonnulla calamitate premebantur hoc anno Ludouicus & Ioanna. Inprimis enim quod annuum cenſum Eccleſiæ Romanæ non ſoluiſſent, neq; Innocentio Pontifici iuramentum homagii hactenus præſtitiſſent, ad diem Auinione deſignatum euocauit vtrumq; Pontifex, vt iure regni excidiſſe ambos renunciaret. Præter hæc, anathema in ambos tulit, & interdicto Eccleſiaſtico Regnum ſuppoſuit; Prælatisq; Regni ſerio præcepit, qui ſingulis diebus Dominicis & feſtiuis, pulſatis campanis & candelis accenſis cenſuras in Ludouicum & Ioannam promulgarent *V. Idus Ianuarii*. Mouit ea res vtrumque, tanto amplius, cum ſocietas Landiana Regnum inuadere pararet. Itaq;, Nuncios, Ioannem Capuanum, & Pinum Brunduſinum Archiepiſcopos, necnon Ioannē Portam Salernitanum, Auinionem miſerunt; qui à Pontifice dirarum remiſſionem, & auxilia aduerſus inuaſores poſtularent. Cumq; Eccleſiæ Romanæ plurimum intereſſet, ne Regnum Siciliæ præda hoſtibus eſſet; inprimis Pontifex edictum Ioannis 22. contra inuaſores Regni Siciliæ publicauit: deinde cenſuras aduerſus Reges latas, ad feſtum Natiuitatis Dominicæ ſuſpendit 10. *Kal. Iulii*. Regem inſuper Ludouicum, vt arma contra magnam Societatem ſumeret, animauit: Nobiles & ciuitates Regni, vt fidem Regibus ſeruarent, Carolum autem Imperatorem, Florentinos, Senenſ. & Peruſinos vt eis opem ferrent admonuit; necnon Ludouico, vt vexillum; clauibus S. R. Eccleſiæ inſigne in bello deferret, indulſit, *Nonis Maii*, & 16. *Kal. Iul.* Philippus, Vrſillus, & Ioannes Minutuli Paloctæ, cum armatorum ſocietate, Ioannem Archiepiſcopum Neapolitanum, id temporis à viſitatione Monaſterii Sancti Seuerini reuertentem, fere in ipſo veſtibulo Eccleſiæ S. Stephani inuadentes, ex equo præcipitarant, armis & lapidibus violarant, vnoq; familiarium ipſius interempto, etiam ipſum, niſi impedimento aliquis fuiſſet, occidere voluerant. Eos omnes Innocentius Sathanę tradidit, bonis omnibus exui imperauit, atq; dignitatum omnium vſq; ad ſecundam generationem incapaces fecit. *In Palatio Auinionenſi, 2. Id. Octobr.*

XXXVII. CANTACVZENVS IMP. ET EIVS VXOR IMPERIVM ABDICARE COGVNTVR.

Per id temporis, in Oriente, inter Palæologum & Cantacuzenum Imperatores de Imperio varie actum eſt; donec Franciſcus Cataluſius Genuenſium potentiſſimus, multa ſubſidia Palæologo ad confirmandum Imperium tuliſſet, & is Cantacuzeno neceſſitatem impoſuiſſet, Imperium abdicandi. Hic namq; tandem ornamentis Imperatoriis in ipſo palatio depoſitis, veſte Monaſtica ſe operuit, ac pro Ioanne Ioaſaph ex illo vocari cæptus eſt. Eadem hora & Irene Imperatrix Cantacuzeni vxor, ipſa quoq; Imperio valere iuſſo, monachæ habitum induit, & pro Irene, Eugeniam ſe nominauit. Poſthæc in Manganenſe, Cantacuzenus, quod ante ſtatuerat, Eugenia in Marthæ Monaſterium Cantacuzeno ex materna hęreditate debitum, ſe incluſit. Cumque aliquamdiu in Manganenſi cænobio vixiſſet, poſtea apud Atho ſacrum montem, in Batopedii monaſterio ſe condere, & reliquum ibi ænum exigere decreuit. *Villani l. 4. c. 45. Folieta & Bizar. de reb. Genuen. Cantacuzen. l. 4. c. 42.*

XXXVIII. PALÆOLOGVS IMP. AVXILIA CONTRA TVRCOS AB INNOC. POSTVLAT.

Nactus liberam & abſolutam Imperii adminiſtrationem Palæologus, quod & à Turcis premeretur, & à Græcis rebellionem metueret, opem Innocentii Pontificis poſtulauit; datis litteris pollicitus, omnia ſe ſeruaturum, quæ Archiepiſcopo Smyrnen. Sedis Apoſtolicæ & Innocentii Nuncio ſpoponderat, Scilicet; 1. & ipſe reuerteretur, & ſubditos omnes reducere conaretur, ad vnitatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. 2. Tria collegia Conſtantinopoli erigeret, in quibus literæ Latinæ filiis procerum & optimatum Græcorum publice prælegerentur: 3. Palatium pro dignitate Apoſtolicæ Sedis, Conſtantinopoli, deſignaret Apoſtolico Legato, qui indidem cum poteſtate reb. ſacris, & fœderi ſacro præſideret: 4. Filium primogenitum Pontifici Romano, non tam obſidem quam diſcipulum daret; à cuius Magiſterio ille, & linguam, & fidem, & conſuetudines probatas Latinorum ediſceret. Dedit eas litteras, Conſtantinopoli Palæologus in Palatio Blachernarum, à Conſtitutione mundi ſexto milleno, octauo centeno ſexageſimo quarto. à Natiuitate Chriſti, 1355. die 15. Decembr. Ita habent.

XXXIX. QVÆ PALÆOLOGVS IMP. INNOC. PONT. DATIS LITTERIS MEDIO IVRAMENTO SPOPONDERIT.

*Ego Ioannes, in Chriſto Deo, fidelis Imperator & Moderator Romeorum Palæologus, iuro ad Sancta Dei Euangelia, tactis ſacroſanctis ſcripturis, & per Sanctam Trinitatem Patrem & Filium & Spiritum ſanctum vnum verum Deum & tres perſonas, & per Ieſum Chriſtum Deum noſtrum & Saluatorem, & per Virginem Mariam Dei genitricem, & per ſanctam & viuificam crucem Chriſti, & per Sanctos Apoſtolos, & omnes alios Sanctos, quod abſq; dolo, fraude, & defectu, toto meo poſſe, omnibus viribus meis & cuncto conatu obſeruabo firmiter, & integre, & adimplebo ego ipſe, & per alios faciam adimpleri, & obſeruari omnia iſta & ſingula quæ ſequuntur, quæ promiſi Reuerendiſſimo in Chriſto Patri Archiepiſcopo Smirnen. Domino Paulo, nomine & vice Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini Innocentii Diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ Papæ ſexti, & ita Deus & omnes Sancti eius me adiuuent, ſicut ego obſeruabo, & adimplebo; & faciam per alios obſeruari & adimpleri omnia & ſingula quæ ſequuntur.* 1. *Inprimis quod ero fidelis, obediens, reuerens, & deuotus Beatiſſimo Patri & Domino, Domino Innocentio, ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ, ex digna Dei prouidentia Summo Pontifici, & eius ſucceſſoribus, & obſeruabo, & complebo debitam obedientiam & reuerentiam ad ipſum ſanctiſſimum Dominum Papam, & eius ſucceſſores: & recipiam Legatos & Nuncios ſuos cum omni reuerentia & deuotione.*

2. *Item quod faciam toto poſſe meo, & toto conatu, quod omnes populi ſub noſtro Imperio conſtituti, & noſtræ iuriſdictioni ſubiecti, ſiue ſint laici, ſiue clerici, cuiuſcumq; conditionis & ſtatus aut dignitatis exiſtant, erunt fideles, obedientes, reuerentes & deuoti eidem Domino noſtro Summo Pontifici & eius ſucceſſoribus.*

3. *Et quia diuturnitas temporis indurauit & aggrauauit animos populorum, & vix poſſent à conſuetis retrahi, & per viam nouam incedere ſeu dirigi, niſi cum modo ſapientia & moderatione prudentiæ, iſtum modum qui ſequitur deliberaui, tractaui & ordinaui cum eodem venerabili Patre Archiepiſcop. Smirnen. & cum dilecto familiari & Mega Hetæriarcho Imperii noſtri Domino Nicolao Sygeros, per quos me facturum, obſeruaturum & completurum prædicta promiſi & ſpopondi, videlicet, quod prædictus Sanctiſſimus Pater remittat eundem Archiepiſcopum Smirnenſem & prædictum familiarem noſtrum cum Galeis tribus. & quando ipſi venerint Conſtantinopolim, per iuſiurandum quod feci, promitto dare filium meum, glorioſiſſimum ac feliciſſimum Deſpotam, Dominum Manuelem Palæologum, Domino Archiepiſcopo Smirnenſi, ad prædictum Dominum noſtrum Papam, cum vna Galea mittendum; & ille dimittet mihi duas galeas; & alias duas armabit in partibus iſtis, & dimittet eas ſub noſtro præcepto, ad defenſionem iſtarum partium.*

4. *Item Dominus noſter Papa ſub celeritate qua poterit, poſtquam filium meum habuerit in manibus ſuis, mittet mihi Vſcheria quindecim, cum equitibus quadringentis: & alios centum equites cum nauibus, & mille pedites; ita quod erit exercitus totus, Vſcheria quindecim, galeæ ſubtiles quinq;, equites quingenti, & pedites mille.*

5. *Quando dictus exercitus applicuerit Conſtantinopolim, per Dei gratiam, erit ad noſtrum præceptum, pugnandi contra Turcos & Græcos inimicos noſtros vſq; ad menſes ſex. In quo tempore Legatus Domini noſtri Papæ, dabit beneficia & dignitates Eccleſiaſticas perſonis ſufficientibus Græcis, quæ ad vnionem & obedientiam Eccleſiæ ſponte redibunt; ſecundum quod ſibi & nobis melius videbitur. Vbi vero infra ſex menſes, poſtquam exercitus Conſtantinopolim applicuerit, per benignitatem & gratias, Græci, ſponte ad obedientiam Eccleſiæ noluerint redire, quod non credimus; promittimus exnunc protunc, quod faciemus cum conſilio & deliberatione*





*Legati Domini noſtri Papæ, quod omnino erunt obedientes.*

6. *Item dabimus Legato Domini noſtri Papæ Palatium magnum, in quo ipſe cum ſuis habitabit: & ſic per conſequens, dictum Palatium erit Domini noſtri Papæ & Legatorum ipſius in perpetuum.*

7. *Item dabimus ſibi pulchram & venerabilem Eccleſiam, in qua dictus Legatus, & alii qui poſtea venient à Domino noſtro Papa, tanquam in propria Eccleſia celebrabunt diuina officia, & Eccleſiaſtica Sacramenta.*

8. *Item dabo filio meo primogenito vnum Magiſtrum Latinum, qui docebit eum literas & linguam Latinam, de conſilio & voluntate prædicti Legati.*

9. *Item dabo Hoſpitia tria magna in quibus tenebuntur Scholæ literarum Latinarum: & ego dabo operam, & efficaciam, & fauorem cum corde ſyncero, quod filii Magnatum & Potentū Græcorum ibunt addiſcere literas Latinas.*

10. *In caſu, vbi prædicta omnia & ſingula non obſeruarem, (quod abſit: & Deus auertat à me tantum malum) exnunc protunc iudico auctoritate Imperiali, me indignū Imperio, & priuo memet ipſum iure Imperii: & transfero, do, cedo ius & poteſtatem Imperii & Imperandi, in prædictum filium meum: & exnunc protunc conſtituo, facio, creo & ordino ipſum Imperatorem & Moderatorem Græcorum.*

11. *Item in prædicto caſu (quem Deus auertat) exnunc protunc, do, cedo transfero ius patriæ poteſtatis in prædictum Dominum noſtrum Summum Pontificem, ſuper dictum filium meum: quem exnunc protunc eius poteſtati ſubiicio, ipſum eidem in adoptionem tribuens & concedens, omni modo & forma quibus melius de iure poſſum.*

12. *Item do, concedo, & trado poteſtatem & authoritatem eidem Domino Summo Pontifici, quod poſſit acquirere, petere, requirere, & capere Imperium noſtrum prædicto filio noſtro, tanquam pro vero & legitimo Imperatore: & dare eidem filio meo vxorem, Baiulos, tutores & Curatores, vſq; ad præfinitum tempus à iure: & poſſit de prædicto Imperio ordinare & diſponere, tanquam de Imperio iure ſibi debito, vice & nomine prædicti filii noſtri, quem exnunc protunc à noſtra patria & propria poteſtate eximimus & liberamus: & in patriam poteſtatem, per adoptionem, eidem Domino Papæ ſubiicimus & donamus renunciantes omnibus exceptionibus quas poſſemus contra prædicta obiicere, & omni iuri, & legi, quibus contra prædicta non obſeruanda & explenda, poſſemus nos aliquo modo defendere, ſeu tueri.*

13. *Item in caſu, vbi prædictus Archiepiſcopus veniret cum tribus galeis vel pluribus, & nos non daremus ſibi dictum filium noſtrum, vt duceret ipſum ad Dominum noſtrum Summum Pontificem, obligamus nos & omnia bona noſtra, & omnes noſtros Græcos & bona eorum, quod Dominus noſter Papa & ſui Nuntii ſeu Procuratores poſſint capere & petere ſuper dictis bonis & perſonis vſque ad valorem quatuor millium florenorum pro qualibet galearum, quas prædictus Dominus Archiepiſcopus, & præfatus familiaris noſter duxerint Conſtantinopolim, in omni loco, & ſub quolibet iudicio Eccleſiaſtico ſeu ciuili, in Peyra, Rhodo, Chio, & Cypro, & omnibus aliis locis: non obſtante aliqua exceptione, ſeu iure, quo vel nos, vel noſtri Græci poſſemus nos defendere, ad non ſoluendum prædictam ſummam florenorum.*

14. *In caſu vero, vbi omnia ſupradicta complerem, volo quod dictus Dominus Papa me adiuuet, contra omnes inimicos meos, & maxime infideles, cum maiori exercitu & multitudine Chriſtianorum, qui reſiſtere poſſent multitudini infidelium, & eos expellere de terris Chriſtianorum, quas iniuſte per violentiam ſuæ infidelitati ſubiecerunt.*

15. *Item, quod Dominus noſter Papa prouideat nobis de expenſis fiendis, & de ſtipendiis erogandis pro aliqua parte exercitus: cum Imperium noſtrum pro præſenti non poſſet expenſas ſuſtinere.*

16. *Item, quod ego ſim principalis Capitaneus, Signifer & Vexillarius S. Matris Eccleſiæ, cum mero & mixto Imperio, & plenaria poteſtate ſuper omnem exercitum Chriſtianorum, qui ad partes citramarinas tranſiuerint, vel ſtipendiati per Eccleſiam, vel per alios ex mandato & indulgentia Eccleſiæ, vel qui ſponte venerint pro ſalute animarum ſuarum.*

17. *Item, in caſu, vbi ego omnia ſupradicta complerem, Dominus noſter Papa remittet mihi filium meum, cum honore & apparatu conuenienti. Et eſt intelligendum, quod ſi forte ſupradicta omnia & ſingula non complerem, pro eo quod potentiæ & nō voluntas deficeret & ego perſonaliter accederem ad ipſum Dominum noſtrum Papam, in illo caſu Dominus noſter Papa teneatur defendere & adiuuare me ad recuperandum Imperium meum ſicut pro filio meo feciſſet, me ad ipſius præſentiam perſonaliter non accedente: & non videar in aliquam pœnam incidiſſe, vel contra feciſſe, ſi neceſſitate impotentiæ & non voluntate, ſupradicta omnia non compleſſem. Ad quorum omnium ſecuritatem & euidētiam pleniorem, præſens Sacramentale priuilegium, aurea bulla munitum fieri iuſſit Imperium noſtrum, literis rubeis manu noſtra propria more ſolito ſubſcriptum, & aurea bulla Imperii noſtri inferius appenſa munitum.*

*Actum in vrbe magna Conſtantinopoli, in noſtro Sacro Palatio Blachernarum, anno à Conſtitutione mundi, ſexto milleno, octauo centeno, ſexageſimo quarto: à Natiuitate autem Domini, Milleſimo, Trecenteſimo, quinquageſimo quinto, die quinta decima Decembris.* Extat originale in archæo molis Adriani.

Hæc Palæologus Imperator Innocentio Pontifici ſpondebat, vim metuens & à Græcis, quorum pars Matthæo Cantacuzeni filio Imperium à patre Cantacuzeno aſſignatum integrum eſſe volebant, & à Turcis qui multas incurſiones in Chriſtianos faciebant, olim contra Palæologum ab Ioanne Cantacuzeno adducti.

XL. DE MATTHÆO CANTACVZENO IOANN. FILIO QVOMODO IMPERATOR RENVNTIATVS FVERIT.

Quod Matthæum Cantacuzenum attinet, iam ille vna cum coniuge in templo Deiparæ in Blachernis, à Philotheo pſeudopatriarcha (Calliſtū, Palæologi partibus, adeoq; Latinis fauentem, Ioan. Cantacuzenus gradu ſubmouerat, & Philotheū ſubrogarat) & patre, coronatus, conſorſq; Imperii renunciatus erat: inuito Calliſto Patriarcha legitimo. Hunc n. Cantacuzenus domi conuenerat, & quid de Matthæo filio ad Imperium euehendo proceribus reſponderet quæſierat. Is vero, quod ſciret Cantacuzenum modis omnibus velle Matthæo Imperium conciliare, in præſentia tum nihil certi decernens, in diem tertium dilationem ad deliberandum poſtularat: ac tertio die illuceſcente, neque in palatio apparuerat, neq; de eo quod propoſitum fuit diſſeruerat: ſeptima autem luce à Patriarchio in Monaſterium Mamantis martyris, ſibi peculiare ingreſſus, per internuncium Imperatori ſignificauerat; ſe nec in Palatium venturum, nec in Patriarchium reuerſurum, niſi ſacramento ſibi confirmaret, nunquam Matthæum filium Imperatorem creaturum. Durius hæc verba acceperat Cantacuzenus: iterum tamen orabat, & hortabatur Calliſtum, ad ſe veniret. Patriarcha autem non ignarus quorſum vocaretur, recuſabat: & iterum, iterūque accitus, non comparebat. Euenit, quod timebat. Namq; Cātacuzenus Ioannes, paucis poſt diebus, præſente nobilitate in palatio, Matthæum filium Imperatorem renunciauit: vbi pedibus eius inductæ crepidæ purpureæ, & tiara lapillis ac margaritis ornata, pro more, capiti eius impoſita, fauſtæ acclamationes inſonuerant: & in ſacris, eius, vt reliquorum Imperatorum frequētari cœpta memoria. Ioannis autem Palæologi nomen, in acclamando, atque inter Sacra Cantacuzenus ſocer tacere iuſſerat: & Annæ Imperatrici, ac nepoti Andronico acclamari, vt prius, & in ſacrificio miſſæ eoſdem nominari. Hoc facto: Cantacuzenus cogitabat Matthæum etiam ſacro oleo inungere, ſimulq; Calliſtum Patriarchatu deiicere. Quamobrem Epiſcopos, quotquot commodiſſime poterat, ex vrbibus Thraciæ acceſſiuit, eóſq; præſentes ſimul cū iis qui Byzantii degebant, in palatium conuenire iuſſit: & quid Calliſto faciendum eſſet interrogauit. Cuncti reſpondebant, in thronum reuocandum, quandoquidem à nemine accuſaretur: ille tamen exauctorationem hominis animo verſans, talem dolum excogitauit. Danielem Æni, & Ioſephum Tenedi Epiſcopos, nec non Cabaſilam ſacrarum ædium Byzantii, & Perdiccam ſacrorum vaſorum Præfectos, ad Calliſtum miſit, qui in Sedem ſuam Patriarchalem, ad inungendum nouum Imperatorem illum vocarent. Patriarcha, breuiter, eum

qui ſibi propter hoc neceſſitatem imponeret, anathematis carmine deuouit. Et quidem is clare dixit: ſcilicet, qui ſibi neceſſitatem, in Patriarchium, propter hoc, vt filium Cantacuzeni inungeret reuertendi inferret, ille anathemate percelleretur: Ioſephus tamen, Cabaſillas, & Perdicca affirmabant nihil aliud eſſe, *propter hoc*, quam; qui neceſſitatem ſibi imponeret, vt ad Eccleſiæ gubernacula, quæ conſtanter recuſet, eaque neq; libens, neque coactus repetiturus ſit, rediret, ille anathema eſſet.

Hæc cum cæteri Epiſcopi audirent, Cantacuzeno libertatem eligendi alium eis faciente, ſiue adeo iubente, Philotheum Heracleæ, Macarium Philadelphiæ Epiſcopos; & priuatum adhuc Nicolaum Cabaſilam Cantacuzeno propoſuerant: hic vero Philotheum maluerat, quod ſciret ad ſeruitutem natum, quo pro voluntate abuteretur. Calliſtus porro Patriarcha, cum perdiu in monaſterio Mamantis martyris delituiſſet, primum quidem Galatam confugit, vbi ad tempus inter Latinos ſe abdidit. Inde eorum opera Tenedum ad Ioannem Palæologum Imperatorem peruenit: à quo perbeneuole habitus eſt, vt qui ipſius cauſa tantam ærumnam paſſus eſſet. Tandem cum Palæologus Byzantium reuertiſſet, & Philotheus populi incurſum in ſe metuens, è Patriarchio fugiſſet, ac ſeſe latebroſe à Palæologo propter Calixtum irato occultauiſſet, eadem hyeme Tenedo reuerſus, Eccleſiaſticam poteſtatem recepit, cum contradicere nemo auderet: quin, nec ipſe Epiſcoporum de reſtitutione ſua ſuffragium expetiit, ſed indigniſſime non à Cantacuzeno ſolum, verumetiam ab Epiſcopis violatum ſe arbitratus, ſuo ſibi ſuffragio reditionem confirmans, iniuriæ auctores ad pœnam depopoſcit. Interceſſit tamen Palæologus Imper. præteritas contentiones, & qui tum fuit rerum ſtatus pro nihilo habendum autumans. *Cantacuz. hiſt. lib. 4. cap.* 36. 37. 38. 40. Innocentius Pontifex, anni ſequentis initio, ad hunc Calliſtum literas dedit, monuitque, vt Imperatoris Palæologi, & omnium Orientalium curæ ſuæ ſubiectorum, cum Eccleſia Romana vnionem, ad optatum tandem finem adduceret. *ep. anni 4. num.* 136.

XLI. ALIA INNOC. GESTA. Eodem anno Innocentius Pont. 1. Rudolphum Camertem, Sedis Apoſtolicæ, in Picæno, Vexilliferum conſtituit. 2. Beneuentanam ciuitatem Sedis Apoſtolicæ vectigalem, limitibus certis diſtinxit, & aduerſus inuaſores quoſcunque anathema tulit. 3. Feſtum S. Auguſtini vt Angli ſolemniter celebrarent, indulſit. 4. Vt Bertholdus Borachius Begardus Spiræ combureretur præcepit. Is namque inter alia blaſphema docebat, Chriſtum in paſſione derelictum, adeo vt etiam de ſalute dubitaſſe blatterarit. Sequitur Borachium Caluinus lib. 2. Inſtitut. c. 16. ſect. 11. & ſæpe alibi, dignum olla operculum. *Genebr. Chron. lib.* 4.

# IESV CHRISTI Annus 1356.

## INNOCENTII PAPÆ VI. ANNO 4. Caroli IV. Roman. Imperat. anno 2.

I. BVLLA AVREA CAROLINA. CArolus Imperator, Roma reuerſus, in Comitio Nurimbergenſi, omnibus Imperii & Regni Romanorum Principibus Prælatis ac populis regalia conceſſit, ſeu adeo confirmauit. Cæterum, vt Electoribus Imperii; ſua authoritas & dignitas integra maneret, probante Sedis Apoſtolicæ Legato (cui etiam hunc honorem exhibebat, vt menſæ Imperiali adſidere, & cibum vna ſumere voluerit,) de communi omnium Procerum conſenſu, Carolinam auream tulit: dignam, quę propter notitiam multarum rerum, legatur. Ita habet ad verbum.

*In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis fœliciter, Amen. Carolus Quartus diuina fauente clementia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Omne Regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. Nam Principes eius facti ſunt ſocii furum; ob quod Dominus miſcuit in medio eorum ſpiritum vertiginis, vt palpent in meridie ſicut in tenebris, & candelabra eorum mouit de loco ſuo, vt cæci ſint & Duces cæcorum. Et qui ambulant in tenebris offendunt, & cæci mente ſcelera perpetrant, quæ in diuiſionem contingunt. Dic ſuperbia quomodo in Lucifero regnaſſes, ſi diuiſionem auxiliatricem non habuiſſes? Dic Sathan inuide, quomodo Adam de Paradyſo eieciſſes, niſi eum ab obedientia diuiſiſſes? Dic Luxuria, quomodo Troiam deſtruxiſſes, niſi Helenam à viro ſuo diuiſiſſes? Dic ira quomodo Romanam Rempublicam deſtruxiſſes, niſi in diuiſione Pompeium & Iulium ſæuientibus gladiis ad inteſtina prælia concitaſſes? Tu quidem inuidia. Chriſtianum Imperium à Deo ad inſtar ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis fide, ſpe & charitate, virtutibus Theologicis roboratum, cuius fundamentum ſuper Chriſtianiſſimo Regno fœliciter ſtabilitur, antiquo veneno, quod velut ſerpens in palmites Imperiales, & membra eius propinquiora impio ſcelere vomuiſti, vt concuſſis columnis totum ædificium ruinæ ſubiiceres. Diuiſionem inter ſeptem candalabra lucentia in vnitate ſpiritus ſeptiformis Sacrum illuminari debet Imperium, multotiens poſuiſti. Sane cum ex officio, quo Cæſarea dignitate potimur futuris diuiſionum & diſſenſionum periculis inter Electores ipſos, de quorum numero, vt Rex Bohemiæ eſſe dignoſcimur, ratione duplici, tam ex Imperio, quam electionis iure quo fungimur, occurrere teneamur. Infraſcriptas leges ad vnitatem inter Electores fouendam, & electionem vnanimem inducendam, ac deteſtandæ diuiſioni prædictæ, variiſq; periculis ex ea ſequentibus, aditum præcludendum, in ſolemni curia noſtra Nurenbergenſi aſſidentibus nobis omnibus Principibus Electoribus Eccleſiaſticis & Secularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium & Ciuitatum, multitudine numeroſa, in ſolio Maieſtatis Cæſareæ Imperialibus infulis, inſigniis & diademate decorati, matura deliberatione præuia, de Imperialis poteſtatis plenitudine edidimus, ſtatuimus & duximus ſanciendas ſub anno Domini Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto. Nona indictione. Quarto Idus Ianuarii, Regnorum noſtrorum anno decimo, Imperii vero ſecundo.*

TITVL. I. QVALIS DEBEAT ESSE CONDVCTVS ELECTORVM ET À QVIBVS. *Decernimus, & præſenti edicto Imperiali perpetuo valituro ſancimus, ex certa ſcientia & de Imperialis plenitudine poteſtatis, quotieſcunque & quandocunque futuris temporibus neceſſitas ſiue caſus electionis Regis Romanorum in Imperatorem promouendi emerſerit, & Principes Electores ad electionem huiuſmodi iuxta antiquam & laudabilem conſuetudinem habuerint proficiſci, vnuſquiſque Princeps elector, ſi & quando ſuper hoc fuerit requiſitus quoslibet Principes Electores ſuos vel ipſorum nuntios, quos ad Electionem ipſam tranſmiſerint, per terras, territoria, & loca ſua, & etiam vltra ſicut longius poterit conducere teneatur. Et eis abſq; dolo præſtare conductum verſus ciuitatem, in qua talis electio fuerit celebranda, & ab illa etiam redeundo ſub pœna periurii ac perditionis pro illa duntaxat vice, ſuæ vocis; quam in electione huiuſmodi fuerat habiturus. Quas quidem pœnas, eos vel eum, qui in præſtando memorato conductu rebelles ſeu rebellem, negligentes vel negligentem ſe præbuerint, eo ipſo decernimus incidiſſe.*

*Statuimus inſuper & mandamus vniuerſis aliis Principibus, feuda à Sacro Imperio Romano tenentibus; quocunque nomine cenſeantur. Nec non Comitibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Nobilibus & Ignobilibus, Ciuibus & Communitatibus Caſtrorum, Ciuitatum & locorum Sacri Imperii vniuerſis, vt eodem tempore dum videlicet Regis Romanorum in Imperatorem promouendi, electio celebranda occurrerit, vnumquemque Principem Electorem ab ipſis vel eorum aliquo conductum huiuſmodi poſtulantem, vel eiuſdem nuntios quos ad electionem ipſam direxerit, vt præfertur, per territoria ſua, & alias quanto potuit remotius, abſque dolo, modo præcedenti conducant. Si qui vero huic noſtræ conſtitutioni contraire præſumpſerint; ſubſcriptas ipſo facto pœnas incurrant. Omnes quidem Principes & Comites, Barones, Nobiles, Milites, Clientes, ac vniuerſi nobiles contra-*





*rium facientes reatum periurii, & priuationem omnium feudorum, quæ à Sacr. Roman. Imperio, & à quibuſcunque aliis obtinent. Et etiam omnium poſſeſſionum ſuarum à quocunque habitarum incurrant. Omnes quoque ciues & communitates contra præmiſſa facere præſumentes, ſimiliter ſint periuri. Et nihilominus vniuerſis ſuis iuribus, libertatibus, priuilegiis & gratiis à Sacro obtentis Imperio ſint omnino priuati, & cum perſonis & bonis ſuis omnibus Bannum & proſcriptionem Imperialem incurrant, & eoſdem ipſo facto ex nunc prout ex tunc iure priuamus.*

*Deinceps cuiuslibet hominum auctoritate propria, & ſine iudicio ſeu inuocatione magiſtratus cuiuslibet impune licebit inuadere, nullamque pœnam propter hoc inuadens, ipſos, debebit ab Imperio, ſeu quouis alio formidare, præſertim cum contra Rempublicam, & Sacri Imperii ſtatum & dignitatem, ac etiam contra honorem proprium & ſalutem tantæ rei temerarii neglectores, tanquam rebelles, inobedientes & perſidi infideliter & peruerſe agere conuincantur.*

*Decernentes inſuper & mandantes, vt omnium ciuitatum ciues & communia iam dictis Principibus Electoribus, & eorum cuilibet hoc poſcenti, eorumque Nuntiis victualia in communi precio atque curſu, pro ſuis ſeu Nuntiorum prædictorum, hominumque ſuorum neceſſitatibus, dum ad prædictam ciuitatem cauſa celebrandæ electionis prædictæ acceſſerint, & etiam dum diſceſſerint ab eadem vendere ſeu vendi facere teneantur, nullam in præmiſſis fraudem quomodolibet adhibendo. Alioquin contratrarium facientes, pœnas illas volumus ipſo facto incurrere, quas in præcedentibus contra ciues & communitates duximus promulgandas.*

*Quiſquis inſuper ex Principibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Nobilibus ſeu ignobilibus, Ciuibus ſeu Communitatibus Ciuitatum, Principi Electori ad electionem de Rege Romanorum celebrandam eunti, vel ab ipſa denuo redeunti, hoſtiles cuſtodias tendere ſeu inſidias parare præſumpſerit, aut ipſos vel eorum aliquem in ſua vel ſuorum perſonis aut rebus inuadere vel turbare, ſeu ipſorum vel alicuius eorum Nuntios antedictos ſiue conductum petierint, ſiue etiam non duxerint exigendum, hunc vna cum vniuerſis malitiæ ſuæ complicibus, ipſo facto ſupradictas pœnas decreuimus incurriſſe. Ita videlicet, quod quæuis perſona pœnam incidat, ſiue pœnas quas iuxta præmiſſa pro qualitate perſonarum duximus infligendas.*

*Si vero aliquis Princeps Elector cum aliquo ſuo Coelectore inimicitias gereret, & inter eos quæcunque contentio, controuerſia, ſeu diſſenſio verteretur, his nequaquam obſtantibus, alter alterum, vel alterius Nuntios ad electionem huiuſmodi deſtinandos, præmiſſo modo conducere ſit adſtrictus, ſub pœna periurii ac perditionis, ea vice duntaxat ſuæ vocis in electione, vt ſuperius eſt expreſſum.*

*Si qui vero alii Principes, Comites, Barones, Milites, Clientes, Nobiles & Ignobiles, ciues vel communia ciuitatum, cum aliquo Principe Electore, vel pluribus ex eiſdem aduerſam gererent voluntatem, ſeu quæuis diſcordia inter ipſos adinuicem vel gevverra, ſiue diſſenſio verteretur. Nihilominus omni contradictione & dolo ceſſantibus, Principi Electori, vel Principibus, ſeu eius vel ipſorum Nuntiis, ad electionem huiuſmodi deſtinandis, & redeuntibus ab eadem, talem debeant præſtare conductum, prout ſinguli pœnas iamdictas per nos, videlicet in ſe latas, voluerint euitare, quas eos qui ſecus fuerint incurriſſe decernimus eo ipſo.*

*Ad præmiſſorum autem omnium firmitatem & certitudinem ampliorem iubemus & volumus, vt vniuerſi Principes Electores & cæteri Principes, nec non Comites, Barones, Nobiles, Ciuitates, ſeu ipſarum communitates, præmiſſa omnia literis & iuramentis ſuis firmare & ad ea bona fide, ac ſine dolo implenda, efficaciter ſe debeant obligare.*

*Quicunq; vero literas huiuſmodi dare renuerit, pœnas illas ipſo facto incidat, quas pro perſonarum conditione per præmiſſa, ſingulis diximus infligendas.*

*Si quis autem Princeps Elector aliuſue Princeps, cuiuſcunque conditionis aut ſtatus feudum vel feuda à Sacro tenens Imperio, aut Comes, Baro, vel Nobilis, ſeu ſucceſſores talium, vel hæredes ſupra & infraſcriptas, Imperiales noſtras Conſtitutiones & leges adimplere noluerit, aut eis contraire præſumpſerit, & ſi quidem talis Princeps Elector extiterit, ex tunc cæteri ſui Coelectores à ſuo ipſum deinceps excludant conſortio, ipſeque voce electionis & aliorum Principum Electorum loco, dignitate careat, atque iure. Nec inueſtiatur de feudis, quæ à ſacro Imperio niſus fuerit obtinere. Alius vero Princeps, aut vir nobilis, vt præfertur in has noſtras leges committens, ſimiliter non inueſtiatur de feudis, quæ à Sacro Imperio, vel alias obtinet à quocunque. Et nihilominus omnes pœnas præmiſſas, ſuam concernentes perſonam incidat eo ipſo. Quamuis autem vniuerſos Principes, Comites, Barones, Nobiles, Milites, Clientes, ciuitates quoque & communitates illarum ad præſtandum cuilibet Principi Electori, vel eius Nuntiis præfatum conductum, vt prædicitur indiſtincte, voluimus & decreuerimus obligari. Nihilominus eorum cuilibet ſingulares conductus & conductores, pro regionum & locorum adiacentia cuilibet magis apto duximus deſignandos vt ſtatim per ſequentia plenius apparebit.*

*Primo namque Regem Bohemiæ, Sacri Imperii Archipincernam conducent, Archiepiſcopus Moguntinenſ. Bambergenſ. & Herbipolenſ. Epiſcopi. Burgrauii Nurenbergenſ. Item Illi de Hohenloch & Wertheym, de Bruneck & Hanavve. Item ciuitates Nurenbergen. Rotenburg. & Windesheym.*

*Deinde Archiepiſcopum Colonienſ. Sacri Imperii per Italiam Archicancellarium conducent & conducere tenebuntur Moguntinus & Treuerenſ. Archiepiſcopi, Comes Palatinus Rheni, Lantgrauius Haſſiæ. Item de Catzenelnbogen. De Naſſavv. De Ditze Comites. Item de Yſenburg. de Weſterburg. de Runckel. de Limpurg. & Falckenſtein. Item ciuitates Wetſlar. Geylnhuſen & Fridberg.*

*Item Archiepiſcopum Treuerenſ. Sacri Imperii per Galliam & Regnum Arelatenſ. Archicancellarium conducent Archiepiſcopus Moguntinenſis. Comes Palatinus Rheni. Item de Spanheym & de Feldentz Comites. Item Rugrauen. Wildegrauen. de Naſſavv. de Iſſenburg. de Weſterburg. de Runkel. de Lympurg. de Ditz. de Catzenelnbogen. de Epenſteyn. de Falckenſtein. Item ciuitas Moguntina.*

*Deinde Comitem Palatinum Rheni, Sacri Imperii, Archidapiferum, conducere debebit Archiepiſcopus Moguntinenſis.*

*Ducem vero Saxoniæ, Sacri Imperii Archimareſchalcum tenebitur conducere Rex Bohemiæ, Moguntinenſ. & Magdeburgenſ. Archiepiſcopi. Item Bambergenſ. & Herbipolenſ. Epiſcopi. Marchio Miſſnenſ. Lantgrauius Haſſiæ. Item Fuldenſ. & Herſfeldenſ. Abbates, Burgrauii Nurenbergenſes. Item illi de Hohenloch, de Wertheym, de Bruneck, de Hanvve, de Falckenſtein. Item ciuitates Erffordia, Mulhuſen, Nurenberg. Rotenburg. & Windeſheym. Et hi omnes proxime nominati, Marchionem Brandenburgenſem, Sacri Imperii Archicamerarium ſimiliter conducere tenebuntur.*

*Volumus autem & expreſſe ſtatuimus, vt vnuſquiſque Princeps Elector, qui talem voluerit habere conductum his, à quibus ipſum poſtulare decreuerit, hoc ipſum adeo tempeſtiue, viamq; qua fuerit tranſiturus inſinuet, & talem conductum expoſcat, vt illi qui ad conductum huiuſmodi impendendum deputati, & qui fuerint requiſiti ad hoc opportune ſe valeant & commode præparare.*

*Præmiſſas vero Conſtitutiones circa materiam conductus editas. Ita ſane debere declaramus intelligi, vt vnuſquiſque ſuperius nominatus, vel forſan non expreſſus, à quo in caſu præmiſſo conductum requiri contigerit, ad præſtandum ipſum, per ſuas duntaxat terras & territoria, ac etiam vltra, quanto poteſt remotius abſque dolo ſub pœnis contentis, ſuperius eſt aſtrictus.*

*Præterea ſtatuimus, & etiam ordinamus, vt Archiepiſcopus Moguntinenſis; qui fuerit pro tempore ſingulis Principibus Coelectoribus, ſuis Eccleſiaſticis & Secularibus, Electionem eandem per ſuos Nuntios patentibus debeat literis intimare, in quibus quidem literis talis dies & terminus exprimatur, infra quem eædem literæ ad ſingulos eoſdem Principes veriſimiliter poſſint peruenire, huiuſmodi vero literæ continebunt, vt à die in literis ipſis expreſſa infra tres menſes continuos omnes & ſinguli Principes Electores Franckenford ſuper Moganum eſſe debeant conſtituti,*

vel ſuos legales ad eundem terminum atque locum Nuntios deſtinare cum plena & omnimoda poteſtate, ſuiſque patentibus litteris maiori cuiuslibet ſigillo eorum ſignatis, ad eligendum Romanorum Regem, in Cæſarem promouendum.

Qualiter autem, & ſub qua forma tales literæ confici debeant, & qua in eis ſolennitas debeat immutabiliter obſeruari. Et in qua forma & modo Principes Electores Nuntios ſuos ad electionem huiuſmodi deſtinandos ad poteſtatem, mandatum ſeu procuratoria ordinare debuerunt; ad finem præſentis libri ſcriptum inuenitur clarius & expreſſum, & eandem formam illic traditam mandamus, & de Imperialis poteſtatis plenitudine, vſquequaque decernimus obſeruari.

Cum autem ad hoc peruentum fuerit, quod de Imperatoris vel Regis Romanorum obitu in Diœceſi Moguntinenſi conſtiterit, extunc infra vnum menſem, à die notitiæ obitus huiuſmodi continue numerandum, ſingulis Principibus Electoribus obitum ipſum & intimationem, de quibus præmittitur per Archiepiſcopum Moguntinenſem, iubemus & decernimus ſuis patentibus litteris declarari. Quod ſi idem Archiepiſcopus in executione & intimatione huiuſmodi negligens aut remiſſus fortaſsis exiſteret, extunc iidem Principes motu proprio, etiam non vocati, pro fidei ſuæ virtute, qua Sacrum proſequi tenentur Imperium, poſthac infra tres menſes, ſicut in conſtitutione ſupra proxime poſita continetur, in ciuitate Franckenford ſæpedicta conueniant electuri Regem Romanorum, in Cæſarem promouendum.

Debet autem vnuſquiſque Princeps Elector, vel ſui Nuntii, prædictam ciuitatem Franckenford, cum ducentis equitaturis tantummodo præfatæ electionis tempore introire, in quorum numero quinquaginta tantum armatos, vel pauciores, introducere ſecum poterit, ſed non plures. Princeps vero Elector ad electionem huiuſmodi vocatus & requiſitus, & ad ipſam non veniens, vel legales Nuntios cum literis patentibus ſigillo ſuo maiori ſigillatis, plenamque & liberam, ac omnimodam poteſtatem continentibus, ad eligendum Romanorum Regem, futurum Imperatorem non dirigens, aut veniens, aut huiuſmodi Nuntios fortaſſe tranſmittens, ſi poſtea Princeps ipſe, aut prædicti Nuntii à prædicto electionis loco recederent, Rege Romanorum futuro Cæſare non electo, nec ad præmiſſa procuratore legitimo ſubſtituto ſolenniter, & relicto electionis voce ſeu iure, quod in eadem electione habuit, & tali modo deſeruit, careat ea vice.

Iniungimus autem ciuibus de Franckenford, & mandamus, vt ipſi vniuerſos Principes Electores in genere & quemlibet eorum ab inuaſione alterius, ſi quid inter eos aduerſitatis emergeret, & etiam ab omni homine cum omnibus eorum hominibus, quos ipſi, & eorum quilibet in præfato ducentorum ſuorum equorum numero ad præfatam duxerint ciuitatem, in virtute iuramenti, quod ſuper hoc ipſos ad ſancta præſtare ſtatuimus, fideli ſtudio, & ſolerti diligentia protegant ac defendant, alioquin periurii reatum incurrant. Et nihilominus omnia ſua iura, libertates, priuilegia, gratias & indulta, quæ à Sacro obtinere noſcuntur Imperio, omnino amittant. Bannum quoque Imperiale, cum perſonis & bonis ſuis omnibus incidant eo ipſo, & liceat extunc omni hominum auctoritate propria ac ſine iudicio ciues eoſdem, quos eo caſu ex nunc, prout extunc omni iure priuamus, tanquam proditores, infideles, & rebelles Imperii impune inuadere, ita quod inuadentes huiuſmodi pœnam quamcunque à Sacro Imperio, vel quouis alio, nequaquam debeant formidare. Ciues inſuper antedicti de Franckenford, per omne tempus illud, quo ſuper electione ſæpedicta tractari & agi contigerit, neminem in præfatam ciuitatem cuiuſcunque dignitatis, conditionis, vel ſtatus extiterit, intromittant, vel intrare quouis modo permittant; Principibus Electoribus, vel eorum Nuntiis & Procuratoribus antedictis, duntaxat exceptis, quorum quilibet cum ducentis equis debebit vt prædicitur intromitti. Si vero poſt ipſorum Principum Electorum introitum, ſeu in ipſorum præſentia in præfata ciuitate aliquem reperiri contigerit, illius exitum ciues ipſi debebunt, abſque mora & cum effectu, protinus ordinare, ſub omnibus pœnis contra ipſos ſuperius promulgatis, & etiam in virtute iuramenti, quod ciues ipſi de Franckenford, ſuper eo virtute præſentis conſtitutionis, præſtare debebunt ad Sancta, vt in præcedentibus eſt expreſſum.



## De electione Romanorum Regis.

TITVL. II.

## II.

Poſtquam autem ſæpedicti Electores ſeu Nuntii ciuitatem Franckenford ingreſſi fuerint, ſtatim ſequenti die diluculo in Eccleſia ſancti BARTHOLOMÆI APOSTOLI, ibidem in omni ipſorum præſentia, Miſſam de ſancto Spiritu faciant decantari ad finem, vt ipſe ſanctus Spiritus corda ipſorum illuſtret, & eorum ſenſibus lumen ſuæ virtutis infundat, quatenus ipſi ſuo ſuffulti præſidio hominem iuſtum, bonum & vtilem eligere valeant, in Regem Romanorum futurumque Cæſarem, ac pro ſalute populi Chriſtiani; Peracta quoque Miſſa huiuſmodi, omnes illi Electores ſeu Nuntii accedant ad altare, in quo Miſſa eadem extitit celebrata, vbi Principes Electores Eccleſiaſtici, coram Euangelio Beati IOANNIS, in principio erat verbum, quod illic ante ipſos poni debebit, manus ſuas pectori cum reuerentia ſupponant. Seculares vero Principes Electores, dictum Euangelium corporaliter manibus ſuis tangant, qui omnes cum tota ſua familia tunc ibi debebunt inermes aſsiſtere. Et Archiepiſcopus Moguntinenſis formam iuramenti eis dabit, & vna cum ipſis, & ipſi, vel abſentium Nuntii vna cum eo iuramentum præſtabunt vulgariter in hunc modum.

IVRAMENTVM ELECTORVM DVM AD ELECTIONEM DIVINIRE VOLVNT.

Ego N. Archiepiſcopus Moguntinenſis, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius & Princeps Elector, iuro ad ſancta Dei Euangelia hic præſentialiter coram me poſita, quod ego per fidem, qua Deo & Sacro Romano Imperio ſum aſtrictus, ſecundum omnem diſcretionem & intellectum meum, cum Dei adiutorio eligere volo temporale caput populo Chriſtiano, id eſt Regem Roamnorum in Cæſarem promouendum, qui ad hoc exiſtat idoneus, in quantum diſcretio & ſenſus mei me dirigunt, & ſecundum fidem prædictam, vocemque meam & votum, ſeu electionem præfatam dabo abſque omni pacto ſtipendio precio ſeu promiſſo, vel quocunque modo talia valeant appellari. ſic me Deus adiuuet & omnes Sancti.

Præſtito denique per Electores ſeu Nuntios in forma & modo prædictis huiuſmodi iuramento, ad electionem procedant, nec à modo de iam dicta ciuitate Francoford, ſeparentur, niſi prius maior pars ipſorum temporale caput mundo elegerit, ſeu populo Chriſtiano Regem, videlicet Romanorum, in Cæſarem promouendū. Quod ſi facere diſtulerint, infra triginta dies, à die præſtiti iuramenti præfati, continuo numerandos extunc tranſactis eiſdem triginta diebus ammodo panem manducent & aquam, & nullatenus ciuitatem exeant antedictam, niſi prius per ipſos, vel maiorem partem ipſorum, rector ſeu temporale caput fidelium electum fuerit, vt præfertur.

Poſtquam autem in eodem loco, ipſi vel pars eorum maior numero elegerit, talis electio perinde haberi & reputari debebit, ac ſi foret ab ipſis omnibus, nemine diſcrepante, concorditer celebrata. Sique per tempus aliquod morari, abeſſe, & tardare contingeret, aliquem de Electoribus ſeu Nuntiis antedictis, dum tamen veniret, antequam prædicta eſſet electio celebrata, hunc ad electionem ipſam in eo ſtatu admitti decernimus, in quo ipſa aduentus ſui tempore conſiſtebat.

Et quia de antiqua approbata & laudabili conſuetudine inconfuſe, quod ſubſcribitur, ſemper extitit hactenus obſeruatum. Ideoque & nos conſtituimus, & de Imperiali decernimus plenitudine poteſtatis, quod is, qui modo præmiſſo in Regem Romanorum electus fuerit, peracta ſtatim electione huiuſmodi, priuſquam in aliquibus cauſis aliis, ſiue negotiis, virtute Sacri Imperii adminiſtret; vniuerſis & ſingulis Principibus, Electoribus, Eccleſiaſticis, & Secularibus, qui propinquiora Sacri Imperii membra eſſe noſcuntur, omnia ipſorum Priuilegia, litteras, iura, libertates, conceſsiones, antiquas conſuetudines, & etiam dignitates, & quicquid ipſi ab Imperio, vſque in diem electionis ſuæ obtinuerunt & poſſiderunt, abſque dilatione & contradictione confirmare & ap-

probare



probare debeat per ſuas literas & ſigilla, ipſiſque præmiſſa omnia innouare, poſtquam Imperialibus infulis fuerit coronatus.

Confirmationem autem huiuſmodi electus ipſe cuilibet Principi Electori, in ſpecie primo ſuo Regali nomine faciet, & deinde ſub Imperiali titulo innouabit. Et in his ipſos Principes omnes in genere, & quemlibet eorum in ſpecie nullatenus impedire, ſed potius abſque dolo gratioſe tenebitur promouere, in caſu denique quo tres Principes Electores præſentes, ſeu abſentium Nuntii, quartum ex ſe ſeu ipſorum conſortio, videlicet Principem Electorem, præſentem vel abſentem in Regem Romanorum elegerint, vocem illius electi, ſi præſens affuerit, aut Nuntiorum ipſius, ſi eum abeſſe contingeret plenum vigorem habere, & eligentium augere numerum, partemque maiorem decernimus conſtituere, ad inſtar cæterorum Principum Electorum.

TITVL. III.

## De Seſsione Treuerenſis, Colonienſis, & Moguntinenſis Archiepiſcoporum.

## III.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis fœliciter; Amen. Carolus Quartus, diuina fauente clementia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, & Boemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam, decor & gloria Sacroſancti Romani Imperii, & honor Cæſareus, & Reſpublica grata compendia, Venerabilium & Illuſtrium Principum Electorum concordi voluntate fouentur, qui velut columnæ proceres, Sacrum ædificium circumſpecta prudentia ſolerti pietate ſuſtentant, quorum præſidio dextera Imperialis potentiæ roboratur. Et quanto mutui fauoris ampliori benignitate ſtringuntur, tanto vberioris pacis & tranquillitatis commoda fœliciter profluunt, populo Chriſtiano. Vt igitur inter venerabiles Moguntinenſis, Colonienſis, nec non Treuerenſis Archiepiſcopos, Sacri Imperii Principes Electores, omnium litium & ſuſpectuum, quem & qui de prioritate ſeu dignitate ſeſsionum ſuarum in curiis Imperialibus & Regalibus ſuboriri valerent in poſterum, perpetuis in antea temporibus amputentur, & ipſi in cordis & animorum quieta conditione manentes, & de opportunitatibus Sacri Imperii concordi fauore, & virtuoſæ dilectionis ſtudio conuenientius meditari valeant, pro conſultatione populi Chriſtiani habita deliberatione, cum omnibus Principibus Electoribus, tam Eccleſiaſticis, quam Secularibus, & de ipſorum conſilio decernimus, & de Imperatoriæ poteſtatis plenitudine, ac edictali lege perpetuo valitura ſancimus. Quod ſupradicti venerabiles Archiepiſcopi, Treuerenſis videlicet ex oppoſito lineari directione, verſus Imperatoris faciem, Moguntinenſis vero in ſuis Diœceſi & prouincia, & extra prouinciam ſuam in toto Archicancellariatu ſuo Germanico prouincia Colonienſi duntaxat excepta, & demum Colonienſis in ſuis Diœceſi & prouincia, & extra prouinciam ſuā in tota Italia & Gallia, in dextro latere Romanorum Cæſaris, ſedere poſsint, valeant, & debeant in omnibus publicis actibus Imperialibus, puta Iudiciis, collationibus feudorum, & in refectionibus menſarum, ac etiam in conciliis & omnibus aliis agendis, propter quæ contingit ſeu continget, eos pro honore ſeu vtilitate Imperiali tractandis, mutuo conuenire. Et hunc modum ſeſsionis ſub omni eo ordine ſicut expreſſatur ſuperius, ad prædictorum Colonienſis, Treuerenſis, & Moguntinenſis Archiepiſcoporum ſucceſſores perpetuo extendi volumus, vt nullo vnquam tempore ſuper his quæuis dubietas generetur.

TITVL. IV.

## De Principibus Electoribus in communi.

## IV.

Statuimus inſuper, vt quotieſcunque Imperialem curiam ex nunc, in antea celebrari contigerit, in qualibet ſeſsione videlicet, tam in conſilio quam in menſa, & locis aliis quibuſcunque vbi Imperatorem vel Regem Romanorum, cum Principibus Electoribus ſedere continget, à dextro latere Imperatoris vel Regis Romanorum immediate poſt Archiepiſcopum Moguntinenſem vel Colonienſem, illum videlicet quem tunc temporis pro qualitate locorum & varietate prouinciarum, iuxta Priuilegii ſui tenorem, dicto lateri dextro Imperatoris, aſsidere contigerit, Rex Bohemiæ, cum ſit Princeps coronatus & vnctus, primum & poſt eum continuo Comes Palatinus Rheni, ſecundum ſedendi loca debeant obtinere. Ad ſiniſtram vero partem immediate poſt illum, quem ex prædictis Archiepiſcopis in latere ſiniſtro ſedere continget. Primum locum Dux Saxoniæ, & poſt eum Marchio Brandenburgenſis alterum obtinebit.



Cæterum quotiens & quando deinceps Sacrum vacare continget Imperium, extunc Moguntinenſis Archiepiſcopus poteſtatem habebit, ſicut poteſtatem habuiſſe dignoſcitur ab antiquo, cæteros Principes antedictos ſuos in dicta electione conſortes, literatorie conuocandi. Quibus omnibus, ſeu his, qui poterunt & voluerunt intereſſe, in electionis termino inuicem congregatis, dictus Archiepiſcopus Moguntinenſis, & non alter eorundem Electorum ſuorum vota ſingulariter habebit inquirere ordine ſubſequenti.

DE MODO VOTANDI ET OFFICIO CVIVSLIBET ELECTORIS.

Primo quidem interrogabit à Treuerenſe Archiepiſcopo, cui primam vocem competere declaramus ſicut inuenimus hactenus competiiſſe. Secundo à Colonienſe Archiepiſcopo, cui competit dignitas, nec non officium Romanorum Regi primum Diadema Regum imponendi. Tertio à Rege Bohemiæ, qui inter Electores laicos, ex Regiæ dignitatis faſtigio, iure & merito obtinet primatiam. Quarto à Comite Palatino Rheni. Quinto à Duce Saxoniæ. Sexto à Marchione Brandenburgenſe, horum omnium vota præmiſſo iam ordine, dictus Archiepiſcopus Moguntinenſis perquiret, quo facto dicti Principes ſui conſortes ipſum vice verſa requirent; vt & ipſe intentionem ſuam exprimat, & ipſis aperiat votum ſuum. Præterea in celebratione Imperialis curiæ, Marchio Brandenburgenſis aquam lauandis Imperatoris vel Regis Romanorum manibus miniſtrabit. Primum vero potum Rex Bohemiæ, quem tamen ſub Regali corona iuxta Priuilegiorum ſuorum continentiam, niſi libera voluntate voluerit, non tenebitur miniſtrare. Comes etiam Palatinus cibum afferre tenebitur, & Dux Saxoniæ Mareſcallatus officium exercebit, vt ſolitum eſt fieri ab antiquo.

TITVL. V.

## De iure Comitis Palatini, & etiam Ducis Saxoniæ.

## V.

Quotiens inſuper, vt præmittitur, Sacrum vacare continget Imperium, Illuſtris Comes Palatinus Rheni, Sacri Imperii Archidapifer, ad manus futuri Regis Romanorum in partibus Rheni & Sueuiæ, & in iure Franckonico, ratione Principatus ſeu Comitatus Palatini Priuilegio eſſe debet prouiſor Imperii, cum poteſtate, iudicia exercendi, ad beneficia Eccleſiaſtica præſentandi, recolligendi redditus, & prouentus, & inueſtiendi de feudis, iuramenta fidelitatis, vice & nomine Sacri Imperii recipiendi. Quæ tamen per Regem Romanorum poſtea electum, ſuo tempore omnia innouari, & de nouo ſibi iuramenta ipſa præſtari debebunt, feudis Principum duntaxat exceptis, & illis quæ von Lehen vulgariter appellantur. Quorum inueſtituram & collationem ſoli Imperatori vel Regi Romanormm ſpecialiter reſeruamus. Ipſe tamen Comes Palatinus, omne genus alienationis ſeu obligationis rerum Imperialium huiuſmodi prouiſionis tempore expreſſe ſibi nouerit interdictum.

Et eodem iure prouiſionis illuſtrem Ducem Saxoniæ, Sacri Imperii Archimareſcallum, frui volumus, in illis locis vbi Saxonica iura ſeruantur, ſub omnibus modis & conditionibus, ſicut ſuperius eſt expreſſum. Et quamuis Imperator, ſiue Rex Romanorum ſuper cauſis, pro quibus impetitus fuerit, habeat, ſicut ex conſuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatino Rheni, Sacri Imperii Archidapifero, Electore Principe, reſpondere, illud tamen iudicium Comes ipſe Palatinus non alibi præterquam in Imperiali curia, vbi Imperator, ſeu Romanorum Rex præſens extiterit, poterit exercere.

De

TITVL. VI.

## De comparatione Principum Electorum ad alios Principes communes.

### V I.

*Decernimus vt in celebratione Imperialis Curiæ quotieſcunq; illam Principes celebrare contigerit, antedicti Principes Electores, Eccleſiaſtici & ſeculares, iuxta præſcriptum ordinem atq; modũ, à dextris & à ſiniſtris immutabiliter teneant loca ſua, eiſq; vel eorum alicui, in quibuſcunq; actibus ad curiam ipſam ſpectantibus, eundo, ſedendo vel ſtando, nullus Princeps alius cuiuſcunq; ſtatus, dignitatis, præeminentiæ vel conditionis exiſtat, vllatenus præferatur. Eo ſignanter expreſſo, quod nominatim Rex Bohemiæ in celebratione curiarum huiuſmodi, in omnibus & ſingulis actibus antedictis, quemcunq; Regẽ alium, quacunq; etiam ſingularis dignitatis prærogatiua fulgentem, quem quouis caſu venire vel adeſſe forte contigerit, immutabiliter antecedat.*

TITVL. VII.

## De ſucceſſione Principum.

### V I I.

*Inter ſollicitudines illas innumeras, quibus pro fœlici ſtatu Sacri Imperii, cui auctore Domino, fœliciter præſidemus, cor noſtrum quotidie fatigatur, ad hoc præcipue meditatio noſtra dirigitur, qualiter deſiderata & ſalubris ſemper vnio inter Sacri Imperii Principes Electores iugiter vigeat, & eorum corda in ſyncera concordia conſeruentur. Quorum prouidentia ſuo tempore orbi fluctuanti, tanto celerius, tantoq; facilius ſubuenitur, quanto inter eos nullus error ſurrepſerit, & purior fuerit charitas cuſtodita obſcuritate ſucciſa, & iure cuiuslibet dilucide declarato, ſane generaliter longe lateq; eſt publicum, & quaſi per totum orbem notorie manifeſtum, Illuſtres Regem Bohemiæ, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ & Marchionem Brandenburgenſem, virtute Regni, & Principatuum ſuorum, in electione Regis Romanorum, in Cæſarem promouendi, cum ceteris Principibus, Electoribus, ius, vocem, & locum habere, & vna cum ipſis cenſeri & eſſe veros & legitimos Sacri Imperii Principes Electores. Ne inter eorundem Principum ſecularium Electorum filios, ſuper iure, & voce & poteſtate præfata futuris temporibus ſcandalorum & diſſenſionum poſſit materia ſuſcitari, & ſic bonum commune periculoſis dilationibus impediri, futuris, auctore Deo, cupientes periculis ſalubriter obuiare, ſtatuimus & Imperiali auctoritate præſenti lege perpetuis temporibus valitura decernimus, vt poſtquam iidem Principes Electores ſeculares & eorum quilibet eſſe deſierint, ius, vox & poteſtas electionis huiuſmodi ad filium ſuum primogenitũ legitimum laicum. Illo vero non exiſtente ad eiuſdem primogeniti primogenitum ſimiliter laicum & ſine contradictione cuiuſpiam deuoluatur. Si vero primogenitus huiuſmodi abſq; hæredib. maſculinis legitimis laicis, ab hac luce migraret, virtute præſentis Imperialis edicti, ius, vox & poteſtas Electionis prædicta, ad ſeniorem fratrem laicum per veram paternam lineam deſcendentem, & deinceps ad illius primogenitum laicum deuoluatur, & talis ſucceſſio in primogenitis & hæredibus Principum eorundem, iure, voce & poteſtate præmiſſis, perpetuis temporibus obſeruetur. Ea tamen conditione & modo, vt ſi Principem Electorem, vel eius primogenitum, aut filium ſeniorem laicum, mori, & hæredes maſculos, legitimos laicos, defectum ætatis patientes relinquere contingeret, tunc frater ſenior eiuſdem primogeniti tutor eorum adminiſtrator exiſtat, donec ſenior ex eis legitimam ætatem attigerit, quam in Principe Electore decem & octo annos completos cenſeri volumus & ſtatuimus perpetuo haberi. Quam dum attigerit, ius vocem & poteſtatem & omnia ab ipſis dependentia, tutor ipſe ſibi totaliter cum officio teneatur protinus aſſignare. Si vero aliquem ex huiuſmodi Principatibus ipſorum Imperio Sacro vacare contingeret, tunc Imperator, ſeu Rex Romanorum, qui pro tempore fuerit, de ipſo prouidere debebit, & poterit, tanquam de re ad ſe & Imperium legitime deuoluta, ſaluis tamen ſemper Priuilegiis, iuribus & conſuetudinibus, Regni noſtri Bohemiæ, ſuper electione Regis in caſu vacationis per regnicolas, qui ius habent eligendi Regem Bohemiæ facienda, iuxta continentiam eorundem Priuilegiorum, & obſeruatam conſuetudinem diuturnam, à Diuis Romanorum Imperatoribus, ſiue Regibus obtentorum, quibus ex huiuſmodi ſanctione Imperiali, in nullo præiudicari volumus, imo, ipſa decernimus, nunc & perpetuis futuris temporibus, in omni ſuo tenore & forma indubiam tenere roboris firmitatem.*

TIT. VIII.

## De Regis Bohemiæ & Regnicolarum immunitate.

### V I I I.

*Cum per Diuos Romanorum Imperatores & Reges prædeceſſores noſtros Illuſtribus Bohemiæ Regibus & prædeceſſoribus noſtris, nec non Regno Bohemiæ, eiuſdemq; Regni coronæ olim conceſſum, ſitq; in Regno eodem à tempore, cuius contrarii hodie non exiſtit memoria, conſuetudine laudabili inconuulſe ſeruata diuturnitate temporum & præſcripta moribus vtentium ſine contradictionis aut interruptionis obſtaculo introductum, quod nullus Princeps, Baro, Nobilis, Miles, Cliens, Burgenſis, Ciuis, nulla denique perſona eiuſdem Regni, & pertinentiarum eius vbicunq; conſiſtentium cuiuſcunq; ſtatus, dignitatis, præeminentiæ vel conditionis exiſtat, ad cuiuſcunq; actoris inſtantiam extra Regnum ipſum, ad quodcunq; tribunal, ſeu alterius, præterquam Regis Bohemiæ & Iudicum Regalis curiæ ſuæ iudicium citare poterint, ſiue trahi nec vocari debeant, perpetuis in antea temporibus ſiue poſſint. Ideoq; Priuilegium, conſuetudinem & indultum huiuſmodi auctoritate Imperiali, & de Imperialis poteſtatis plenitudine, ex certa ſcientia innouantes, & etiam confirmantes, ac præſenti noſtra cõſtitutione Imperiali perpetuis temporibus valitura ſtatuimus, vt ſi contra Priuilegium vel indultum præfatum, quiſpiam prædictorum, puta Princeps, Baro, Nobilis, Cliens, Miles, Ciuis Burgenſis ſeu Ruſticus, aut alia quacunq; perſona præmiſſa, ad cuiuſcunque tribunal, extra Regnum prædictum Bohemiæ, in quacunq; cauſa criminali, ciuili vel mixta, ſeu ſuper quocunq; negotio citatus fuerit, quocunq; tempore, vel citatus comparere vel in iudicio reſpondere minime teneatur. Quod ſi aduerſus huiuſmodi non comparentes vel non comparentem à quocunq; iudice, cuiuſcunq; auctoritatis exiſtat, extra Regnum ipſum Bohemiæ conſtituto, iudicialiter procedi, proceſſus vel ſententias interlocutorias vel diffinitiuas, vnam vel plures, in quibuſcunq; prænominatis cauſis ſiue negotiis, quouis modo fieri vel promulgari contingeret, auctoritate præmiſſa de plenitudine inſuper antedictæ Imperatoriæ poteſtatis, citationes, præcepta proceſſus ſeu ſententias huiuſmodi, nec nõ executiones & omnia quæ ex eis vel aliquo ipſorum quomodolibet ſequi ac tentari poſſint vel fieri, irritamus penitus & caſſamus, adiicientes expreſſe, & edicto Imperiali perpetuo valituro, eadem auctoritate, & de præmiſſæ poteſtatis plenitudine decernẽtes, vt quemadmodum in prædicto Regno Bohemiæ, à tempore cuius contrarii non habetur memoria, iugiter obſeruatum exiſtat, ita nulli prorſus Principi, Baroni, Nobili, Militi, Clienti, Ciui, Burgenſi ſeu Ruſtico, nulli demum perſonæ ſeu incolæ Regni Bohemiæ ſæpedicti, cuiuſcunq; ſtatus, præeminentiæ, dignitatis vel conditionis exiſtant, vel exiſtat, à quibuſcunq; proceſſibus, ſententiis, interlocutoriis vel diffinitiuis ſiue præceptis Regis Bohemiæ, aut quorumcunq; ſuorum iudicum, nec non executione eorundem cõtra ſe in Regali iudicio ſeu coram Regis, Regni, ſeu prædictorum iudicum tribunalibus factis, aut latis, habitis vel ferendis, in antea ſeu fiendis liceat, ad quodcunq; aliud iudicium appellare. prouocationes quoque ſeu appellationes huiuſmodi ſi quas contra hoc interponi contingeret, eo ipſo viribus non ſubſiſtant, & appellantes ipſi pœnam perditionis cauſarum, ipſo facto ſe nouerint incurriſſe.*

TITVL. IX.

## De auri, argenti & aliarum ſpecierum mineris.

### I X.

*Præſenti conſtitutione in perpetuum valitura ſtatuimus, ac de certa ſcientia declaramus, quod ſucceſſores noſtri Bohemiæ Reges, nec non vniuerſi & ſinguli Principes Electores, Eccleſiaſtici & ſeculares, qui perpetuo fuerint vniuerſas auri & argenti fodinas, atque mineras, ſtanni, cupri, plumbi, ferri, & alterius cuiuſcunque generis metalli, ac etiam ſalis tam inuentas quam inueniendas in poſterum, quibuſcunque temporibus in Regno prædicto, ac terris & pertinentiis eidem Regno ſubiectis, nec non ſupradicti Principes in Principatibus, terris, Dominiis & pertinentiis ſuis tenere iuſte poſſint & legitime poſſidere,*





*cum omnibus iuribus nullo prorſus excepto, prout poſſunt ſeu conſueuerunt talia poſſideri. Nec non Iudæos habere thelonia in præterito ſtatuta & indicta percipere. Quodq; progenitores noſtri Regis Bohemiæ fœlicis memoriæ, ipſiq; Principes Electores, ac progenitores & prædeceſſores eorum legitime potuerint, vſq; ad præſens ſicut hoc antiqua laudabili & approbata conſuetudine diuturniq; ac longiſſimi temporis curſu præſcripta noſcitur obſeruatum.*

TITVL. X.

## De Monetis. X.

*Statuimus præterea, vt Regi Bohemiæ, ſucceſſori noſtro, qui fuerit pro tempore ſic conſtat, ab antiquo Illuſtris memoriæ Bohemiæ Regibus noſtris prædeceſſoribus licuiſſe, & in poſſeſſione pacifica continua ipſos fuiſſe iuris ſubſequentis, videlicet monetas Auri & Argenti, in omni loco & parte Regni ſui, & ſubiectarum ei terrarum & pertinentiarum omnium, vbi Rex ipſe decreuerit, ſibiq; placuerit cudi, facere & mandare, ſub omni forma & modo & in Regno ipſo Bohemiæ in his ad hac vſque tempora obſeruatis. Quodq; futuris perpetuæ Bohemiæ regibus, ac noſtra Imperiali Conſtitutione & gratia perpetuo valituris, à quibuſcunq; Principibus, Magnatibus, Comitibus, ac aliis perſonis quaſcunq; Terras, Caſtra, poſſeſſiones, ſiue bona liceat emere, comparare, ſeu in donum vel donationem ex quacunq; cauſa, recipere, ſub talium terrarum, Caſtrorum, poſſeſſionum prædiorum ſeu bonorum conditione conſueta, vt videlicet propria recipiantur, vel comparentur, vt propria libera & ea quæ dependunt in feudum, ſimiliter emantur in feudum, ſeu comparata taliter teneantur. Ita tamen quod ipſi Reges Bohemiæ de his quæ hoc modo comparauerint, vel receperint, & Regno Bohemiæ duxerint applicanda, ad priſtina & conſueta iura de talibus Sacro explenda & reddenda Imperio ſint aſtricti. Præſentem nihilominus conſtitutionem & gratiam virtute præſentis legis noſtræ Imperialis, ad vniuerſos Principes Electores, tam Eccleſiaſticos quam ſeculares ſucceſſores, & legitimos hæredes ipſorum, plene extendi volumus, ſub modis & conditionibus, vt præfertur.*

TITVL. XI.

## De immunitate Principum Electorum. X I.

*Statuimus etiam vt nulli Comites, Barones, nobiles, Feudales, Vaſalli, Caſtrenſes, Milites, Clientes, Ciues, Burgenſes, Nulla quoq; perſona, Colonienſis, Moguntinenſis & Treuerenſis Eccleſiis ſubiecti vel ſubiectæ, cuiuſcunq; ſtatus, conditionis vel dignitatis exiſtant, ad cuiuſcunque actoris inſtantiam, extra territorium & terminos ac limites earundem Eccleſiarum & pertinentiarum ſuarum, ad quodcunque aliud Tribunal, ſeu cuiuſuis alterius, præterquam Archiepiſcoporum, Moguntinenſis, Treuerenſis, & Colonienſis, & Iudicum ſuorum, Iudicium citari potuerint, temporibus retroactis, vel trahi ſeu vocari debeant perpetuis in antea temporibus, ſiue poſſint, ſicut in præteritis inuenimus temporibus obſeruatum. Quod ſi contra præſens edictum noſtrum, prædictos Eccleſiarum Treuerenſis, Moguntin. ſeu Colonienſis ſubditos vel eorum aliquem ſeu aliquos, ad cuiuſcunq; inſtantiam, ſeu ad cuiuſcunq; Tribunal, pro quacunq; cauſa criminali, ciuili vel mixta, ſeu quocunque negotio extra territorium, limites ſeu terminos dictarum Eccleſiarum, vel alicuius earum citari contingeret, comparere vel reſpondere minime teneantur, & Citatio proceſſus, & ſententiæ Interlocutoria vel diffinitiuæ contra non venientes, à talibus Iudicibus extraneis latæ vel factæ, fiendæ & ferendæ, necnon præcepta & præmiſſorum executiones & omnia quæ ex eis, vel aliquo eorum quomodolibet ſequi attemptari poſſent, vel fieri irrita decernimus eo ipſo. Adiicientes expreſſe quod nulli Comiti, Baroni, nobili, feudali, vaſallo, Caſtrenſi, militi, Clienti, Ciui, Ruſtico. Nulli demum perſonæ Eccleſiis huiuſmodi ſubiectæ, ſeu eius incolæ cuiuſcunq; ſtatus, dignitatis, vel conditionis exiſtant, à proceſſibus, ſententiis interlocutoriis & diffinitiuis ſiue præceptis Archiepiſcoporum & Eccleſiarum huiuſmodi vel ſuorum Officiatorum prædictorum iudicio factis aut latis habitis, vel ferendis, in antea ſeu fiendis ad quodcunq; Tribunal aliud liceat appellare, quamdiu in Archiepiſcoporum prædictorum & ſuorum Iudicio querulantibus non fuerit iuſtitia denegata, appellationes contra hoc factas non recipi ſtatuimus, caſſaſq; & irritas nunciamus. In defectu vero Iuſtitiæ prædictis omnibus ad Imperialem duntaxat Curiam & Tribunal, ſeu Iudicis immediate in Imperiali Curia pro tempore præſidentis audientiam, & etiam eo caſu, non ad quemuis alium Iudicem ſeu ordinarium ſiue delegatum, his quibus denegata fuerit Iuſtitia, liceat appellare. Quidquid vero contra præmiſſa factum fuerit, ſit irritum eo ipſo eandem conſtitutionem virtute præſentis legis noſtræ Imperialis, ad Illuſtres Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ & Marchionem Brandeburgenſem, Principes Electores ſæculares; ſiue laicos hæredes, ſucceſſores, & ſubditos eorum pleniſſime extendi volumus, ſub omnibus modis & conditionibus, vt præfertur.*

TITVL. XII.

## De congregatione Principum. XII.

*Inter illas multiplices Reipublicæ curas, quibus aſſidue mens noſtra diſtrahitur, multa conſideratione neceſſarium fore proſpexit noſtra ſublimitas, vt Sacri Imperii Principes Electores, ad tractandum de ipſius Imperii Orbiſq; ſalute frequentius ſolito congregentur, qui ſolidi baſes Imperii & columnæ immobiles, quẽadmodum per longinquas ad inuicem terrarum conſiſtunt diſtantias, Ita de incumbentibus regionum ſibi cognitarum defectibus, referre ſimul & conferre nouerint, ſaniſq; prouidentiæ ſuæ conſiliis non ignorant, ac commodis talium reformationibus ſalubriter opem dare, hinc eſt, quod in ſolenni Curia noſtra in Nurenberg cum Venerabilibus Eccleſiaſticis, & illuſtribus ſæcularibus Principibus Electoribus, & multis aliis Principibus & Proceribus per noſtram Celſitudinem celebrata, habita cum eiſdem Principibus Electoribus deliberatione, & de ipſorum Conſilio, pro bono & ſalute cõmuni, cum dictis Principibus Electoribus, tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus duximus ordinandum. Qui quidem Principes Electores de cætero per ſingulos annos ſemel tranſactis, à feſto Reſurrectionis Dn. quattuor ſeptimanis continue connumerandis, in aliqua Ciuitatum Sacri Imperii perſonaliter congregẽtur, & ad idem tempus proxime affuturum, ſeu anno præſenti Colloquium, ſeu Curia & Congregatio huiuſmodi in Ciuitate noſtra Imperiali Metenſi, per nos & eoſdem Principes celebretur, ac tunc & deinceps die quolibet congregationis huiuſmodi locus, quo ſequenti anno conueniant ipſorum Conſilio ſtatuatur, hac noſtra ordinatione ad noſtrum ac ipſorum duntaxat beneplacitum duratura, qua durante, ipſos ſub noſtro Imperiali conductu recipimus ad dictam Curiam accedendo, ſtando, & etiam recedendo, præterea ne tractatus communis ſalutis & pacis per tractũ & moram ſolatii, ſeu exceſſiuam frequentiam conuiuii retardetur. Vt aliquando fieri eſt conſuetum, concordi voluntate duximus ordinandum, vt deinceps Curia ſeu Congregatione præfata durante, generales omnium Principum celebrare alicui non liceat inuitatas, Particulares vero quæ expeditionem agendorum non impediant, cum moderamine ſint permiſſa.*

TIT. XIII.

## Reuocatoria priuilegiorum. XIII.

*Præterea ſtatuimus & hoc Imperiali perpetuo ſancimus edicto, quod vniuerſa Priuilegia & litteræ, quibuſcunq; perſonis cuiuſcunq; ſtatus, præeminentiæ dignitatis exiſtant ſeu Ciuitatum, oppidorũ & quorumlibet locorum Vniuerſitatibus, ſuper quibuſcunq; Iuribus, gratiis, immunitatibus, conſuetudinibus ſeu rebus aliis etiam proprio motu ſeu alias à nobis, vel recolendæ memoriæ Diuis Romanorum Imperatoribus & Regibus, prædeceſſoribus noſtris, ſub quibuſcunq; verborum tenoribus conceſſa, & conceſſa, ſeu à nobis vel ſucceſſoribus noſtris Romanorum Imperatoribus, & Regibus futuris temporibus concedenda ſeu etiam concedenda non debeant aut poſſint libertatibus, Iuriſdictionibus, Iuribus & honoribus, ſeu dominiis Principum Electorum Sacri Imperii Eccleſiaſticorum & ſæcularium, aut alicuius ipſorum in aliquo penitus derogare, etiamſi in talibus Priuilegiis & litteris, quarumlibet perſonarum, cuiuſcunque præeminentiæ dignitatis vel ſtatus extiterint, vt præfertur, ſeu Vniuerſitatum huiuſmodi expreſſe cautum ſit, vel fuerit in futurum, quod reuocabilia ſeu reuocabiles eſſe non debeant, niſi de ipſis & toto in eis comprehenſo tenore in tali reuocatione fieret de verbo ad verbum ſeriatim mentio ſpecialis, huiuſmodi namque priuilegia & literas, ſi & in quantum libertatibus, Iuriſdictionibus Iuribus aut honoribus ſeu dominiis quæ ſuperius exprimuntur dictorum Principum Electorum, aut alicuius ipſorum derogare vel obuiare cenſentur, in aliquo quo ad hoc reuocamus ex certa ſcientia & caſſamus, reuocataque & re-*

*uocatas intelligi, reputari & haberi volumus, de Imperatoriæ plenitudine poteſtatis.*

TIT. XIV.

## De his quibus vt indignis auferuntur bona feudalia. XIV.

*In pleriſq; partibus vaſalli & feudatarii, Dominorum feuda ſeu beneficia, quæ à Dominis ipſis obtinent, intempeſtiue verbaliter & in fraude renunciant ſeu reſignant, eademmet facta renũciatione huiuſmodi Dominos ipſos malitioſe diffidant, ſuasq; inimicitias eis denunciant, damna ipſis ſubſequenter grauia inferẽdo, & beneficia ſeu feuda ſic relicta, prætextu guerræ ſeu inimicitiæ iterum inuadunt & occupant, & detinent occupata. Ea propter præſenti conſtitutione in perpetuum valitura ſancimus, quod talis reſignatio ſeu renunciatio haberi debeat pro non facta, niſi libere & realiter facta fuerit per eoſdem, ita quod poſſeſſio beneficiorum & feudorum huiuſmodi dominis ipſis corporaliter & realiter aſſignetur, in tantum quod nullo vnquam tempore diffidentes ipſi in bonis feudis ſeu beneficiis reſignatis, dominos ipſos perturbent per ſe aut alios, aut moleſtent, nec ad hoc conſilium præſtent, auxiliũ vel fauorem. Contrarium faciens ſeu Dominos ſuos in beneficiis & feudis reſignatis vel non reſignatis inuadens, quomodolibet perturbans, vel damna in ipſis inferens, ſeu conſilium, auxilium præſtans talia facientibus, vel fauorem, feuda & beneficia huiuſmodi eo ipſo amittat, infamis exiſtat, & Banno Imperiali ſubiaceat, & nullus ad feuda vel beneficia pateat ei de cætero quocunque tempore aditus vel regreſſus, nec de nouo concedi ſibi valeant vllo modo, & facta eis contra, ac illorum conceſſio ſeu inueſtitura ſecuta, viribus non ſubſiſtat. Poſtremo omnes pœnas prædictas, illos vel illum, qui prædicta reſignatione non facta, contra dominos ſuos fraudulenter agentes, ſcienter eos inuaſerint vel inuaſerit diffidatione quacunq; præuia vel obmiſſa, vigore præſentis ſanctionis incurrere decernimus ipſo facto.*

TITVL. XV.

## De conſpiratoribus. XV.

*Deteſtandas præterea & ſacris legibus reprobatas conſpirationes & conuenticulas, ſeu colligationes illicitas, in Ciuitatibus & extra, vel inter Ciuitatem & Ciuitatem, inter perſonam, & perſonam, ſeu inter perſonam & Ciuitatem prætextu parentelæ ſeu receptionis in Ciues, vel alterius cuiuſcunque coloris coniurationes, inſuper confœderationes & pacta, necnon & conſuetudinem circa huiuſmodi introductam, quam cenſemus potius corruptelam reprobamus, damnamus, & ex certa ſcientia irritamus, quas Ciuitates ſeu perſonæ cuiuſcunq; conditionis aut ſtatus, ſiue inter ſe, ſiue cum aliis abſq; auctoritate Dominorum, quorum ſubditi vel miniſteriales, ſeu in quorum diſtrictu conſiſtunt eiſdem Dominis nominatim non exceptis fecerint hactenus, & facere præſumpſerint in futurum, ſicut per Sacras Diuorum Auguſtorum prædeceſſorum noſtrorum leges prohibitas non ambigitur, & caſſatas, illis confœderationibus & ligis duntaxat exceptis, quas Principes & Ciuitates, ac alii ſuper generali pace prouinciarum atq; terrarum inter ſe formaſſe noſcuntur. Illas enim noſtræ declarationi ſpecialiter reſeruantes, in ſuo decernimus vigore manere, donec de iis aliud duxerimus ordinandum; perſonam ſingularem quæ de cætero contra tenorem præſentis conſtitutionis ac legis noſtræ antiquæ ſuper hoc editæ, confœderationes, colligationes, conſpirationes & pacta huiuſmodi inire præſumpſerit, vltra pœnam legis eiuſdem notam infamiæ, & pœnam decem librarum auri, Ciuitatem vero vel vniuerſitatem in hanc legem noſtram ſimiliter committentem centum librarum auri. Necnon amiſſionis & priuationis libertatum & Priuilegiorum Imperialium pœnas incurrere decernimus, eo ipſo medietate pœnæ huiuſmodi pecuniariæ fiſco Imperiali, Reliqua vero Domino diſtrictius in cuius præiudicium factæ fuerint applicanda.*

TIT. XVI.

## De Pfalburgeriis. XVI.

*Cæterum quia nonnulli Ciues & ſubditi Principum, Baronum & aliorum hominum ſicut frequens ad nos querela perduxit, iugum ordinariæ ſubiectionis quærentes abiicere, imo auſu temerario contemnentes, in aliarum Ciuitatum ciues recipi ſe procurant, & frequentius in præterito procurarunt, & nihilominus in priorum Dominorum, quos tali fraude præſumpſerunt, vel præſumũt deſerere terris, Ciuitatibus, oppidis & villis, corporaliter reſidentes, Ciuitatum ad quas hoc modo ſe transferũt, libertatibus gaudere, & ab eis defenſari contendunt, qui in partibus Alamaniæ Pfalburgerii conſueuerunt vulgariter appellari. Quoniam autem patrocinari non debent alicui fraus & dolus, de Imperatoriæ poteſtatis plenitudine omnium Principum Electorum Eccleſiaſticorum & Sæcularium ſano accedente conſilio, ex certa ſcientia ſtatuimus & præſenti lege perpetuo valitura ſancimus, quod prædicti Ciues & ſubditi eis, quibus ſubſunt taliter illudentes in omnibus terris, locis & prouinciis Sacri Imperii, à præſenti die in poſterum Ciuitatum in quorum Ciues qui tali fraude recipi ſe procurant vel hactenus procurarunt, Iuribus & libertatibus in nullo potiantur, niſi ad huiuſmodi Ciuitates corporaliter & realiter tranſeuntes, ibiq; larem vouentes, continuo vere & non ficte reſidentiam facientes, debita onera & municipalia ſubeant in eiſdem. Si qui vero contra præſentis noſtræ legis tenorem recepti ſunt, vel fuerint in futurum, illorum receptio omni careat firmitate, & recepti cuiuſcunq; conditionis, dignitatis aut ſtatus exiſtant, in nullo caſu penitus ſiue cauſa Ciuitatum ad quas recipi ſe procurant, iuribus & libertatibus gaudeant quomodolibet vel fruantur non obſtantibus quibuſcunq; Iuribus, priuilegiis vel conſuetudinib. obſeruatis, quantocunq; tempore & obtentis, quas & quæ in quantum præſenti noſtræ legi obueniant præſentibus ex certa ſcientia reuocamus, & de prædicta Imperialis plenitudine poteſtatis, omni carere decernimus robore firmitatis, circa præmiſſa Principum Dominorum & aliorum hominum, quos taliter deſeri contingit vel continget. In poſterum iuribus circa perſonas & bona ſubditorum quorumcunq; ipſos ſæpedicto modo deſerentium ſemper ſaluis, hos nihilominus qui ſæpedictos Ciues & ſubditos alienos recipere contra præſentis noſtræ legis diſpoſitionem præſumpſerint, vel recipere in præterito præſumpſerunt. Si eos omnino non dimiſerint infra menſem poſt imitationem præſentium eis factam, centum marchas auri puri pro tranſgreſſione huiuſmodi totiens, quotiens deinceps factum fuerit incurrere decernentes, quarum medietas Imperiali fiſco noſtro. Reliqua vero Dominis illorum qui recepti fuerint, irremiſſibiliter applicentur.*

TIT. XVII.

## De diffidationibus. XVII.

*Eos qui de cætero aduerſus aliquos inſertam diffidationis cauſam ſe habere fingentes, ipſos in locis vbi domicilia non obtinent, aut ea communiter non inhabitant, intempeſtiue diffidant, declaramus damna quæcunq; per incendia ſpolia, vel rapinas, diffidatis ipſis cum honore ſuo inferre non poſſe. Et quia patrocinari non debent alicui fraus & dolus, præſenti conſtitutione in perpetuum valitura ſancimus diffidantes huiuſmodi quibuſcunq; Dominis aut perſonis, cum quibus aliqui fuerunt in ſocietate, familiaritate, vel honeſta quauis amicitia conuerſati, ſic factas, vel ſiendas, in poſterum non valere, nec licere, prætextu diffidationis cuiuslibet quempiam inuadere per incendia, ſpolia vel rapinas, niſi diffidatio per tres dies naturales ipſi diffidando perſonaliter vel in loco quo habitare cõſueuit, publice fuerit intimata, poſſitq; de intimatione huiuſmodi per teſtes idoneos fieri plena fides. Quiſquis ſecus quempiam diffidare & inuadere modo præmiſſo præſumpſerit, infamiam eo ipſo incurrat, ac ſi nulla diffidatio facta eſſet, quem etiam tanquam proditorem per quoſcunq; Iudices pœnis legalibus ſtatuimus caſtigari.*

*Prohibemus etiam & damnamus vniuerſas & ſingulas guerras, & lites iniuſtas, cuncta quoq; iniuſta incendia, ſpolia & rapinas, indebita & inconſueta Theolonia & conductus & exactiones pro ipſis conductib. extorqueri inconſuetas, ſub pœnis quib. ſacræ leges præmiſſa & eorum quodlibet ſanciunt punienda.*

TIT. XVIII.

## Litera intimationis. XVIII.

FORMA INTIMANDI PRINCIPP. ELECTOR. ELECTIONEM REG. ROM.

*Vobis Illuſtri & magnifico Principi Domino Marchioni Brandenburgenſi Sacri Imperii Archicamerario, Coelectori & amico noſtro chariſſimo. Electionem Romanorum Regis quæ ex rationabilibus cauſis iam imminet faciendam, præſentibus intimamus, voſque ex officii noſtri debito ad electionem præfatam rite vocamus, quatenus à die tali, &c. infra tres menſes continuo computandos, per vos ſeu nuncios aut procuratores veſtros, vnum vel plures ſufficiens mandatum habentes, ad locum debitum iuxta formam ſacrarum legum ſuper hoc editarum, venire curetis, deliberaturi, tractaturi & concordaturi, cum aliis Comprincipibus & Coelectoribus veſtris & noſtris, de electione futuri Regis Romanorum in Imperatorem poſtmodum (fauente Domino) promouendi, in eodem manſuri, vſq; ad plenam conſummationem electionis huiuſmodi, & alias facturi & proceſſuri prout in ſacris legibus ſuper hoc deliberate editis inuenitur expreſſum, alias non obſtante veſtra ſeu veſtrorum abſentia in præmiſſis cum aliis Cõprincipibus & Coelectoribus noſtris, prout legum ipſarum ſanciuit auctoritas finaliter procedemus.*

TIT. XIX. PROCVRATORIVM PRINC. ELECT. NVNCIOS MITTENTIS.

## Forma procuratorii mittendi per eum Principem Electorem, qui Nuncios ſuos ad electionem faciendam duxerit deſtinandos. XIX.

*Nos talis Dei gratia, &c. Sacri Imperii, &c. Notum facimus tenore præſentium vniuerſis, quod cum electio Romanorum Regis ex rationabilibus imminet facienda Nos de honore & ſtatu Sacri Imperii ſolicitudine debita intendere cupientes, ne tam grauibus diſpendiis periculoſe ſubiaceat, de fide & circumſpectionis induſtria dilectorum nobis, &c. fidelium noſtrorum obtinentes. Vtiq; præſumptionis indubia fiduciam ſingularem ipſos & quemlibet eorum inſolidum, ita quod non ſit melior conditio occupantis, ſed quod per vnum eorum inceptum fuerit, per alium finiri valeat & licite terminari, omni iure & modo & forma, quibus melius & efficacius poſſumus ſeu valemus, noſtros veros & legitimos procuratores & nuncios ſpeciales facimus, conſtituimus & ordinamus, ad tractandum vbilibet vna cum aliis Comprincipibus & Coelectoribus noſtris, tam Eccleſiaſticis quam Sæcularibus, & cum ipſis concordandum, cõueniendum & concludendum, de perſona quacunque habili ac idonea, in Regem Romanorum eligenda, & ipſis tractatibus ſuper electione talis perſonæ habendis, pro nobis loco & nomine noſtris intereſſendum, tractandũ & deliberandum. Nec non vice & nomine noſtris, eandem perſonam nominandam, & in ipſam conſentiendum, ac etiam in Regem Romanorum promouẽdum, ad Sacrum Imperium eligendum, ac in animam noſtrã præſtandum quodcunq; Iuramentum neceſſarium debitum ſeu conſuetum fuerit, circa præmiſſa & quodlibet præmiſſorum alium vel alios Procuratores in ſolidum ſubſtituendum & reuocandum. Et omnia & ſingula faciendum quæ in præmiſſis & circa præmiſſa etiam vſque ad conſummationem tractatuum, nominationis, deliberationis, & electionis huiuſmodi de præſenti facienda neceſſaria aut vtilia fuerint, ſeu etiam quomodolibet opportuna etiamſi præmiſſa vel aliorum quodlibet mandatum exigant ſpeciale: Etiamſi maiora vel magis ſingularia fuerint ſupradictis, & quæ noſmetipſi facere poſſemus, ſi huiuſmodi tractatuum, deliberationis, nominationis & electionis futuræ negotiis præſentes & perſonaliter adeſſemus, gratum & ratum habentes & habere volentes, & nos perpetuo habituros firmiter promittentes, quicquid per antedictos Procuratores ſeu nuncios noſtros, nec non ſubſtitutos aut ſubſtituendos ab ipſis ſeu eorum altero in præmiſſis ſeu præmiſſorum quolibet actum, geſtum ſeu factum fuerit, aut quomodolibet ordinatũ.*

TIT. XX.

## De vnione Principum Electorum & Iurium eis connexorum. XX.

*Cum vniuerſi & ſinguli Principatus, quorum virtute ſæculares Principes Electores Ius & vocem in Electione Regis Romanorũ in Cæſarem promouendi obtinere noſcuntur, cum iure huiuſmodi, nec non officiis, dignitatibus, & iuribus aliis eis & cuilibet eorũ annexis & dependentibus ab eiuſdem adeo coniuncti & inſeparabiliter ſint vniti, quod ius, vox, officium & dignitas, alia quoque iura ad quemlibet Principatum eorundem ſpectantia cadere non poſſint in alium, præter illum, qui Principatum ipſum cum terra, Vaſallagiis feudis & dominio ac eius pertinentiis vniuerſis dignoſcitur poſſidere. Præſenti edicto Imperiali perpetuo valituro ſancimus, vnumquemq; Principatuum prædictorum cum iure & voce electionis ac officio, cæteriſq; omnibus dignitatibus, iuribus & pertinentiis ad ipſum ſpectantibus, ita perſeuerare & eſſe debere vnitum perpetuis temporibus indiuiſibiliter & coniunctim, quod poſſeſſor Principatus cuiuslibet etiam iuris, vocis, officii, dignitatis & pertinentiarum omnium ad illum ſpectantum, quieta debeat & libera poſſeſſione gaudere, ac Princeps Elector ab omnibus reputari, ipſeq; & nemo alius per cæteros Principes Electores ad electionem & omnes actus alios pro Sacri Imperii honore vel opportunitate gerendos, omni tempore aſſumi, ſine contradictione qualibet & admitti, nec aliquid præmiſſorum ab altero, cum ſint & eſſe inſeparabilia diuidi vel nullo tempore debeant ſeparari, aut in Iudicio vel extra, diuiſim repeti valeant vel euinci, vel etiam per ſententiã ſeparari. Nec aliquis vnum ſine alio impotens audiatur, quod ſi per errorem vel alias auditus quis fuerit, aut proceſſus, Iudicium, ſententia, vel aliquid huiuſcemodi contra diſpoſitionem noſtram emanauerit, ſeu quomodolibet attentari contigerit, hoc totum & omnia ex his & quolibet eorum ſequentia eo ipſo viribus non ſubſiſtant.*

TIT. XXI.

## De ordine proceſſionis inter Archiepiſcopos. XXI.

*Quoniam autem ſuperius in principio Conſtitutionum noſtrarum præſentium circa ordinationem Eccleſiaſticorum Principum Electorum, in Conſilio & in menſa, vel alias quotiens Imperialem Curiam celebrari, ſeu Princeps Electores deincepes cum Imperatore vel Rege Romanorum congregari contigerit, ſufficienter duximus prouidendum, ſuper quæ priſcis audiuimus temporibus pluries diſceptatam, expedire credimus etiam proceſſionis & deambulationis inter eos ordinem diffinire. Quapropter hoc Imperiali edicto decernimus, vt quotieſcunq; in congregatione Imperatoris vel Regis Romanorum & Principum prædictorum, Imperatore vel Rege ipſo deambulante, Inſignia ante faciem ſuam portari cõtigerit, Archiepiſcopus Treuerenſis in directa diametrali linea ante Imperatorem vel Regem tranſeat, illiq; ſoli medii inter eos ambulent, quos Imperialia vel Regalia continget Inſignia deportare, dum autem Imperator vel Rex abſq; inſigniis eiſdem inceſſerit, extunc idem Archiepiſcopus Imperatorem vel Regem præfato modo præcedat. Ita, quod nemo penitus inter eos medius habeatur, aliis duobus Archiepiſcopis Electoribus loca ſua iuxta diſtinctionem prouinciarum ſuarum circa ſeſſionem ſuperius declaratam, etiam circa proceſſionem perpetuo ſeruaturis.*

TIT. XXII.

## De ordine proceſſionis Principum Electorum, & per quos inſignia deportentur. XXII.

*Ad declarandum autem in Imperatoris vel Regis Romanorum deambulantis præſentia proceſſionis ordinem Principum Electorum de quo ſupra fecimus mentionẽ ſtatuimus, vt quotieſcũque in celebratione Imperialis Curiæ Principes Electores cum Imperatore ſeu Rege Romanorum in quibuſcunq; actibus vel ſolennitatib. proceſſionaliter ambulare cõtigerit, & Imperialia vel Regalia debuerint inſignia deportari, Dux Saxoniæ Imperialem ſeu Regalem enſem deferens, Imperatorem ſeu Regem immediate præcedat, & inter illum & Archiepiſcopum Treuerenſem medius habeatur. Comes vero Palatinus pomum Imperiale portans, à latere dextro, & Marchio Brandeburgenſis ſceptrum deferens à ſiniſtro latere ipſius Ducis Saxoniæ linealiter gradiantur, Rex autem Bohemiæ Imperatorem ſeu Regem ipſum immediate nullo interueniente ſequatur.*

TIT. XXIII.

## De benedictionibus Archiepiſcoporum in præſentia Imperatoris. XXIII.

*Quotiens inſuper in Imperatoris vel Regis Romanorum præſentia Miſſarum ſolennia celebrari, ac Moguntin. Treuerenſ. & Colon. Archiepiſcopos, vel duos ex eis adeſſe contigerit, in confeſſione quæ ante Miſſam dici conſueuit, ac in porrectione Euangelii oſculandi, & pace poſt Agnus Dei portanda, nec non in benedictionibus poſt finita Miſſarum ſolennia, ac etiam ante menſam faciẽdis & in gratiis poſt cibum acceptum agendis, is inter eos ordo ſeruetur, prout de ipſorum conſilio duximus ordinandum, quod prima die hæc omnia & ſingula à primo, ſecunda die à ſecundo, tertia vero à tertio peragantur. Primum autem vel ſecundum, aut tertium hoc caſu, ſecundum quod prius vel poſterius quilibet eorũ conſecratus exiſtit, debere intelligi declaramus. Et vt ſe inuicem honore condigno præueniant, & exemplum aliis inuicem honorandi, is quem circa præmiſſa ordo tetigerit ad hoc alterum conuenientia & caritatiua inclinatione inuitet, & tunc demum ad præmiſſa procedat ſeu quodlibet præmiſſorum.*

*Infraſcriptæ leges promulgatæ ſunt in Curia Metenſi, per Dominum*

TIT. XXIV. ALIÆ LEGES PROMVLGATÆ IN CVRIA METENSI, PER CAROLVM IMP.

minum Carolum Quartum Romanorum Imperatorem & Bohemiæ Regem Auguſtum, Anno Domini, Milleſimo Trecenteſimo quinquageſimo ſexto. In die Natalis Chriſti, aſſiſtentibus ſibi omnibus S. R. Imperii Electoribus, præſentibus Dominis, Venerabili in Chriſto Patre, Domino T. Epiſcopo Albanenſi. S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali, ac Carolo Regis Franciæ primogenito, Normandiæ Duci Illuſtri ac Delfino Viennenſi.

CONTRA EOS QVI IN VITAM PRINCIPVM ELEC. ATTENTAVERINT.

Si quis cum Principibus, militibus, vel priuatis ſeu quibuſcunque perſonis, plebeis etiam, ſceleſtam factionem aut factionis ipſius inierit Sacramentum, vel dederit de nece Venerabilium & Illuſtrium noſtrorum & Sacri Romani Imperii tam Eccleſiaſticorum quam Sæcularium Principum Electorum, ſeu alterius eorundem. Nam & ipſi pars corporis noſtri ſunt, eadem enim ſeueritate voluntatem ſceleris, qua effectum puniri Iura voluerunt, ipſe quidem vtpote Maieſtatis reus gladio feriatur, bonis eius omnibus fiſco noſtro addictis; filii vero eius quibus vitam Imperiali ſpecialiter lenitate concedimus, Paterno enim deberent perire ſupplicio, in quibus paterni, hoc eſt hereditarii criminis metiuntur exempla, à materna vel auita omnium etiam proximorum hæreditate & ſucceſſione habeantur alieni, Teſtamentis aliorum nihil capiant, ſint perpetuo egentes & pauperes, infamia eos paterna ſemper comitetur, ad nullum vnquam honorem, nullaq; ſacramenta perueniant: poſtremo tales, vt his perpetua egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium & vita ſupplicium. Denique iubemus eos eſſe notabiles ſine venia, qui pro talibus vnquam apud nos interuenire tentauerint, ad filias ſane eorum quolibet numero fuerint, falcidiam tantum ex bonis matris, ſiue teſtata, ſiue inteſtata defecerit, volumus peruenire, vt habeant mediocrem potius filiæ alimoniam, quam integrum emolumentum, aut nomen hæredis conſequantur. Mitior enim circa eas debet eſſe ſententia, quas pro infirmitate ſexus minus auſuras eſſe confidimus.

Emancipationes quoque quæ à prædictis ſiue in filios poſt legem duntaxat latam, ſiue in filias fuerint collatæ, non valeant. Dotes, donationes, quorumlibet. Poſtremo item alienationes, quas ex eo tempore qualibet fraude vel iure factas eſſe conſtiterit, quo primũ memorati de ineunda factione ac ſocietate cogitauerint, nullius ſtatuimus eſſe momenti. Vxores ſane, prædictorum recuperata dote, ſi in ea conditione fuerint, vt quæ à viris titulo donationis acceperunt filiis debeant reſeruare, tempore quo vſusfructus abſumũtur, omnia ea fiſco noſtro ſe relicturas eſſe cognoſcant, quæ iuxta legem filiis debebantur. Falcidia etiam ex his rebus filiabus tantum, non etiam filiis deputetur, id quod de prædictis eorumque filiis cauimus, etiam de Satellitibus, Conſciis, ac miniſtris, filiiſque eorum ſimili ſeueritate cenſemus. Sane ſi quis ex his in exordio initæ factionis ſtudio veræ laudis accenſus, ipſe prodiderit factionem: & præmio à nobis & honore donabitur. Is vero qui vſus fuerit factione ſi vel ſero, tamen incognita adhuc Conſiliorum arcana patefecerit, Abſolutione tantum ac venia dignus habebitur. Statuimus inſuper, vt ſi quid contra prædictos Principes Electores Eccleſiaſticos vel Sæculares commiſſum dicatur, etiam poſt mortem rei, id crimen inſt urari poſſe. In hoc item crimine, quod ad læſam in Principibus Electoribus ſuis Maieſtatem pertinet, etiam in caput Domini ſerui torquentur.

Volumus inſuper & præſenti Imperiali ſancimus edicto, vt etiam poſt mortem nocentium, hoc crimen inchoari poſſit vt conuicto mortuo memoria eius damnetur, & bona eius ſucceſſoribus eius eripiantur. Nam ex quo ſceleratiſſimum quis cœperit conſilium, exinde quodammodo ſua mente punitus eſt. Porro ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare neque manumittere eum poſſe, nec ei ſoluere iure debitorem decernimus. In hac cauſa in caput Domini ſeruos torqueri ſtatuimus, id eſt, propter cauſam factionis damnandæ, contra Principes Electores Eccleſiaſticos & Sæculares vt præmittitur, ſi & deceſſerit quis propter inſertam perſonam, ſucceſſoris bona ſeruentur, ſi in cauſa huiuſmodi fuiſſe mortuus arguatur.

Si cæteros Principes congruit in ſua integritate ſeruari, vt corroboretur Iuſtitia, & ſubiecti fideles pace gaudeant, & quiete: Multo magis magnifici Principatus, Dominia, honores, & Iura electorum Principum debent illæſa ſeruari. Nam vbi magis incumbit periculum, maius debet remedium adhiberi, ne columnis ruentibus, baſis totius ædificii collidatur.

PROHIBITIO NE PRINCIPATVS

Decernimus igitur, & hoc perpetuis temporibus valituro ſancimus edicto, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus, inſignes & magnifici Principatus, videlicet Regnum Bohemiæ, Comitatus Palatinus Rheni, Ducatus Saxoniæ, & Marchionatus Brandenburgenſis terræ diſtrictus, Homagia, Vaſallagia & alia quæuis ad ipſa ſpectantia, ſcindi, diuidi, ſeu quauis conditione diſmembrari non debeant, ſed vt potius in ſua perfecta integritate perpetua maneant. Primogenitus filius ſuccedat in eis, ſibiq; ſoli ius & dominium cõpetat, niſi forſitan mente captus, fatuus, ſeu alterius famoſi & notabilis defectus exiſteret, propter quem non deberet ſeu poſſet hominibus principari, in quo caſu inhibita ſibi ſucceſſione, ſecundo genitum ſi fuerit in ea progenie, ſeu alium ſeniorem fratrem, vel conſanguineum laicum, qui paterno ſtipiti, in deſcendenti recta linea proximior fuerit, volumus ſucceſſurum. Qui tamen apud alios fratres & ſorores, ſe clementem & pium exhibebit, continuo iuxta datam ſibi à Deo gratiam, & iuxta ſuum beneplacitum & ipſius patrimonii facultates, diuiſione, ſciſſione, ſeu demembratione Principatus, & pertinentiarum eius ſibi modis omnibus interdicta.

ELECTORALES DIVIDI VEL DISMEMBRARI POSSINT.

DE IIS QVÆ IMP. VEL REG. ROM. DIE SOLENNIS CVRIÆ IMPER. VEL REG. PRÆFERRI DEBENT.

Die qua ſolennis Curia Imperialis vel Regia fuerit celebranda, veniant circa horam primam Principes Electores Eccleſiaſtici & Sæculares ad domum habitationis Imperialis ſiue Regalis, & ibi Imperator vel Rex ipſe omnibus inſigniis Imperialibus induetur, & aſcenſis equis omnes vadant cum Imperatore vel Rege ad locum ſeſſionis aptata & ibi quilibet eorum in ordine & modo ſupra in lege de ordine proceſſionis ipſorum Principum Electorum plenius diffinito, portabit etiam Archicancellarius, in cuius Archicancellariatu hæc fuerint, ſuper Baculo argenteo omnia Sigilla & Tiparia Imperialia ſiue Regalia. Sæculares vero Principes Electores ſceptrum, pomum, & enſem, ſecundum quod ſuperius exprimitur, deportabunt. Portabuntur etiam immediate ante Archiepiſcopum Treuerenſem ſuo loco tranſeuntem, Primo Aquiſgranenſis, ſecundo Mediolanenſis Corona, & hoc ante Imperatorem duntaxat, qui iam Imperialibus Infulis eſt decoratus, quas geſtabunt aliqui Principes inferiores, ad hoc per Imperatorem iuxta placitum deputandi. Imperatrix etiam vel Regina Romanorum ſuis auguſtalibus amicta inſigniis, poſt Regem vel Imperatorem Romanorum, & etiam poſt Regem Bohemiæ, qui Imperatorem immediate ſubſequitur competentis ſpatii interuallo ſuis aſſociata proceribus, ſuiſque comitata virginibus, ad locum ſeſſionis procedat.

## De officiis Principum in ſolennibus Curiis Imperatorum vel Regum Romanorum. XXV.

TIT. XXV.

Statuimus, vt quandocunque Imperator vel Rex Romanorum ſolennes Curias ſuas celebrauerint, in quibus Principes Electores ſua deſeruire ſeu exercere debent officia, ſubſcriptus in iis ordo ſeruetur. Primo enim Imperatore vel Rege ipſo in Sede Regia, ſiue ſolio Imperiali ſedente, Dux Saxoniæ officium ſuum agat hoc modo, ponetur enim ante ædificium ſeſſionis Imperialis vel Regiæ aceruus auenæ, tantæ altitudinis, quod pertingat vſque ad pectus vel antelam equi, ſuper quo ſedebit ipſe Dux, & habebit in manu baculum argenteum, & menſuram argenteam, quæ ſimul faciant in pondere duodecim Marchas argenti, Et ſedens ſuper equo, primo menſuram eandem de auena plenam accipiet & famulo primitus venienti miniſtrabit eandem. Quo facto figendo baculum in auenam recedet, & vice Mareſcalcus eius, puta de Pappenheym accedens, vel eo abſente Mareſtallus Curiæ auenam ipſam diſtribuet.

OFFICIVM DVCIS SAXON.

Ingreſſo vero Imperatore vel Rege ad menſam, Principes Electores Eccleſiaſtici, videlicet Archiepiſcopi, ſtantes ante menſam cum cæteris Prælatis, benedicent eandem ſecundum ordinem qui circa hæc eis in ſuperioribus eſt præſcriptus, & benedictione completa, iidem Archiepiſcopi omnes ſi adſunt. Alioquin duo vel vnus Sigilla & Tiparia Imperialia ſiue Regalia, à Cancellario Curiæ recipient, eoque in cuius Archicancellariatu Curiam ipſam celebrari continget, in medio procedente & aliis duobus ex alterutro latere ſubiunctis, Sigilla & Tiparia ipſa omnes quidem baculum, in quo ſuſpenſa fuerint manibus contingentes, ea portabunt & ante Imperatorem vel Regem reuerenter ponent in menſa. Imperator vero ſiue Rex eadem ipſis ſtatim reſtituet, & in cuius Archicancellariatu hoc fuerit vt præfertur, is maius ſigillum collo appenſum, vſque ad finem menſæ geſtabit, & deinceps donec ad hoſpitium ſuum perueniat, ab Imperiali ſiue Regali Curia equitando. Baculus vero de quo præmittitur, eſſe debebit argenteus, duodecim marchas argenti habens in pondere, cuius tam argenti quam pretii partem tertiam, vnuſquiſque Archiepiſcoporum ipſorum perſoluet, & baculus ipſe protinus vna cum Sigillis & Tipariis debet Cancellario Imperialis Curiæ aſſignari, in vſus ſuos beneplacitos conuertendos: Poſtquam autem is quem ordo tetigerit portando Sigillum maius ab Imperiali Curia ad hoſpitium ſuum redierit, vt præfertur, ſtatim Sigillum ipſum per aliquem de ſuis familiaribus, prædicto Imperialis Curiæ Cancellario remittet ſuper equo, quem iuxta propriæ dignitatis decentiam & amorem, quem ad Cancellarium Curiæ geſſerit ipſi Cancellario tenebitur elargiri.



OFFICIVM MARCH. BRANDEB.

Deinde Marchio Brandenburgenſis Archicamerarius, accedat ſuper equo, habens argenteas pelues cum aqua in manibus põderis duodecim marcharum argenti, & pulchrum manutergium & deſcendens ab equo dabit aquam Imperatori, vel Regi Romanorum manibus abluendis.

OFFICIVM COMIT. PALAT.

Comes Palatinus Rheni intrabit ſimiliter ſuper equo, habens in manibus quattuor ſcutellas argenteas, cibis impletas, quarum qualibet tres marchas habeat, in ſtatera, & deſcendens ab equo portabit & ponet ante Imperatorem vel Regem in menſa.

OFFICIVM REG. BOHEM.

Poſthæc Rex Bohemiæ Archipincerna veniat ſimiliter ſuper equo, portans in manibus cuppam vel ſciphum argenteum, ponderis duodecim marcarum, coopertum vino & aqua permixtim impletum, & deſcendens de equo, ſciphum ipſum Imperatori vel Regi Roman. porriget ad bibendum.

Sicut autem hactenus obſeruatum fuiſſe comperimus, ita ſtatuimus, vt peractis per Principes Electores Sæculares prædictis ipſorum officiis, ille de Falckenſtein Subcamerarius, equum & pelues Marchionis Brandenburgen. pro ſe recipiat. Magiſter coquinæ de Norenberg equum & ſcutellas Comitis Palatini. Vicepincerna de Lymburg equum & ſciphum Regis Bohemiæ, Vice mareſtallus de Pappenheim equum, baculum & menſuram prædictam Ducis Saxoniæ, ſi tamen ipſi in tali Imperiali ſeu Regali Curia præſentes exiſtant, & eorum quilibet in officio ſuo miniſtret. Si vero ipſi vel eorum aliqui à præfata Curia ſe duxerint abſentandos, extunc Imperialis vel Regalis Curiæ quotidiani miniſtri vice abſentium, puta quilibet in loco eius abſentis, cui in vocabulo ſeu officio communicat, ſicut geret officium, ſic tollat in præmiſſis & fructum.

DE MENSARVM DISPOSITIONE.

Imperialis inſuper menſa vel Regia ſic debet aptari, vt vltra alias aulæ tabulas ſiue menſas in altitudine ſex pedum ſit altius eleuata, in qua præter Imperatorem Romanorum duntaxat vel Regem die ſolennis Curiæ nemo penitus collocetur. Sedes vero & mẽſa Imperatricis ſiue Reginæ parabitur à latere in aula, ita quod ipſa menſa tribus pedibus Imperiali ſiue Regali menſa ſit baſſior, & totidem pedibus eminentior ſupra ſedes Principum Electorum qui Principes ſuas inter ſe in vna eademq; altitudine ſedes habebunt & menſas.

Intra ſeſſionem Imperialem, menſæ pro ſeptem Principibus Electoribus Eccleſiaſticis & Sæcularibus præparentur, tres videlicet à dextris, & tres aliæ à ſiniſtris, & ſeptima directe verſus faciem Imperatoris vel Regis, ſicut ſuperius in Capitulo de ſeſſionibus & ordine Principum Electorum per nos eſt clarius diffinitum. Ita etiam quod nullus alius cuiuſcunq; dignitatis vel ſtatus exiſtat, ſedeat inter ipſos, vel ad menſas eorum.

Non liceat autem alicui prædictorum Sæcularium Principum Electorum, peracto officii ſui debito, ſe locare ad menſam ſibi paratam, donec alicui ſuorum Conprincipum Electorum, eius officium reſtat agendum. Sed cum aliquis eorum vel aliqui miniſterium ſuum expleuerint, ad præparatas ſibi menſas tranſeant, & iuxta illas ſtando expectent, donec cæteri miniſteria ſua expleuerint ſupradicta. Et tunc demum omnes & ſinguli pariter ad menſas ſuas ſibi poſitas, ſe locabunt.

Inuenimus etiam ex clariſſimis relationibus & traditionibus antiquorum, illud à tempore cuius contrarii iam non habetur memoria, per eos qui nos præceſſerunt feliciter eſſe iugiter obſeruatum, vt Regis Romanorum futuri Imperatoris, in ciuitate Franckenford celebraretur electio, & prima Coronatio Aquſgrani, & in oppido Nurnberg prima ſua Regalis Curia haberetur, quapropter certis ex cauſis etiam futuris præmiſſa ſeruari debere temporibus declaramus, niſi præmiſſis omnibus, ſeu eorum alicui impedimentum legitimum obuiaret.

Quandocunq; inſuper aliquis princeps Elector Eccleſiaſticus vel etiam Sæcularis, iuſto impedimento detentus ad Imperialem Curiam vocatus venire non valens, nuncium vel Procuratorem cuiuſcunq; dignitatis vel ſtatus tranſmiſerit, miſſus ipſe liceat loco mittentis, iuxta datum ſibi ab eo mandatum, admitti debeat: In menſa tamen vel ſede quæ illi qui ipſum tranſmittit, deputata fuerit, non ſedebit.

## De Iuribus Officialium, dum Principes feuda ſua ab Imperatore vel Rege Romanorum recipiunt. XXVI.

TIT. XXVI.

Decernimus hoc Imperiali edicto, vt Principes Electores Eccleſiaſtici & Sæculares, dum feuda ſua ſiue Regalia ab Imperatore vel Rege recipiunt, ad dandum vel ſoluendum aliquid nulli penitus ſint aſtricti. Nam pecunia quæ tali prætextu perſoluitur, officiatis debetur. Cum ergo ipſi Principes Electores cunctis Imperialis Curiæ præſint officiis, ſuos etiam habentes in officiis huiuſmodi ſubſtitutos datos ad hoc à Romanis Principibus, & dotatos videtur abſurdum, quod ſubſtituti officiales à ſuis ſuperioribus quocunque quæſito colore encenia poſtularent, niſi forte ipſi Principes Electores ſponte & liberaliter iis aliquid largirentur. Porro cæteri Principes Imperii Eccleſiaſtici vel Sæculares, dum prædicto modo eorum aliquis feuda ſua ab Imperatore Romanorum ſuſcipit, vel à Rege, dabit officialibus Imperialis ſiue Regalis Curiæ, ſexaginta tres marchas argenti, cum vno fertone, niſi eorum aliquis priuilegio ſeu indulto Imperiali vel Regali tueri ſe poſſet, & probare ſe ſolutum vel exemptum à talibus, aut etiam aliis quibuscunque quæ ſolui in ſuſceptione feudorum conſueuiſſ nt.

Prædictarum inſuper ſexaginta trium marcarum & fertonis diuiſionem faciet Magiſter Curiæ Imperialis ſiue Regalis hoc modo: Primo enim decem marchas pro ſemetipſo reſeruans, dabit Cancellario Imperialis ſiue Regalis Curiæ decem marchas. Magiſtris, Notariis, dictatoribus, tres marchas, & Sigillatori pro cera & pergameno vnum fertonem. Ita videlicet quod Cancellarius & Notarii Principi recipienti feudum, non ad aliud, quam ad dandum ſibi teſtimonialem recepti feudi ſeu ſimplicis Inueſtituræ literam ſint aſtricti. Item dabit Magiſter Curiæ Pincernæ de Lympurg de præfata pecunia, decem marchas, Magiſtro Coquinæ de Norenberg decem marchas, Vicemareſtallo de Pappenheim decem marchas, & Camerario de Falckenſtein decem marchas: Tali tamen conditione, ſi ipſi & eorum quilibet in huiuſmodi Curiis ſolennibus præſentialiter adſint in ſuis officiis miniſtrando. Si vero ipſi vel eorum aliqui abſentes fuerint extunc officiales Imperialis ſiue Regalis Curiæ, qui talibus præſunt officiis, eorum quorum ſupplent abſentiam, ſinguli ſingulorum, ſicut vicem nomenque & laborem ſufferunt, ſic lucrum & commoda percipiant.

Dum autem Princeps aliquis equo vel alteri beſtiæ inſidens, feuda ſua ab Imperatore recipit vel Rege, equus ille ſeu beſtia cuiuſcunque ſpeciei ſit, debetur ſuperiori Mareſtallo, id eſt, Duci Saxoniæ, ſi præſens affuerit. Alioquin illi de Pappenheim eius Vicemareſtallo, aut illo abſente Imperialis ſiue Regalis Curiæ Mareſtallo.

Præterea conſummatis hiis quæ in Imperiali qualibet Curia ſiue Regali fuerint pro tempore diſponenda, recipiet Magiſter Curiæ pro ſe totum ædificium, ſiue ligneum apparatum Imperialis ſiue Regiæ ſeſſionis, vbi ſederit Imperator vel Rex Romanorum cum Principibus Electoribus, ad celebrandas ſolennes Curias vel feuda, ſicut præmittitur Principibus conferenda.

VT FILII PRINCIPVM ELECTOR. LAIC. IN VARIIS LINGVIS ERVDIANTVR.

Cum Sacri Romani celſitudo Imperii, diuerſarum Nationum, moribus, vita, & idiomate diſtinctarum leges habeat, & gubernacula moderari dignum eſt, & cunctorum ſapientum iudicio cenſetur expediens, quod Electores Principes ipſius Imperii columnæ & latera, diuerſorum idiomatum, & linguarum differentiis inſtruantur, vt plures intelligant & intelligantur à pluribus, qui plurimorum neceſſitatibus releuandis Cæſareæ ſublimitati aſſiſtant, in partem ſolicitudinis conſtituti. Quapropter ſtatuimus, vt illuſtrium Principicum, puta Regis Bohemiæ, Comitis Palatini, Ducis Saxoniæ & Marchionis Brandeburgenſis, Electorum filii vel hæredes & ſucceſſores, cum veriſimiliter theutoricorum idioma ſibi naturaliter inditum ſciri præſumatur, & ab infantia didiciſſe incipiendo, à ſeptimo ætatis ſuæ anno in Grammatica,

*matica, Italica, & Sclauica linguis inſtruantur, ita quod infra quartumdecimum ætatis annum exiſtant in talibus, iuxta datã ſibi à Deo gratiam, eruditi; cum illud non ſolum vtile, immo ex cauſis præmiſſis, ſummè neceſſarium habeatur, eo quod illæ linguæ vt plurimum ad vſum & vtilitatem Sacri Imperii frequentari ſint ſolitæ, & in iis plus ardua ipſius Imperii negotia ventilentur.*

*Hunc autem proficiendi modum in præmiſſis poſuimus obſeruandum, vt relinquatur optioni parentum in filios ſi quos habuerint, ſeu proximos quos in principatibus ſibi credunt veriſimiliter ſucceſſuros, ad loca dirigant, in quibus de huiuſmodi poſſint linguagiis edoceri, vel in propriis domibus padagogos, inſtructores & pueros conſocios, in his peritos eis adiungant, quorum conuerſatione pariter & doctrina in linguis ipſis valeant erudiri. Deo gratias.*

II. Hæc Carolus Quartus Imperator, conſentientibus Archiepiſcopis, Moguntino, Treuerenſi, & Colonienſi, nec non reliquis Electoribus & Principibus Imperii, approbante Apoſtolicæ Sedis Legato ſanciebat, quod hactenus multa in conuentu Imperii ſine ordine gererentur, nec ſatis ad liquidum conſtaret, quo quiſq; more res in cætu adminiſtrare deberet.

ORDO PROCEDENDI INTER ELECTORES BREVIVS RECENSETVR.

*Albertus Crantzius* in ſummam contraxit, ordinẽ procedendi inter Electores; videlicet; in ſeſſione publica Imperatoris Archiepiſcopus Treuerenſis Archicancellarius per Gallias, hoc eſt omnem Imperii Prouinciam vltra Rhenum & regnum Arelatenſe, è diuerſo à fronte Imperatoris conſideat. Moguntinus autem in prouincia ſua & Cancellariatu per Germaniam, à dextris: & item Colonienſis in prouincia & Cancellariatu ſuo à dextris Imperatoris: & viciſſim à ſiniſtris, alter è duobus, Nam vt Moguntinus per Germaniam, ſic Colonienſis per Italiam primatum tenet. Rex porro Boemiæ à dextris Archiepiſcopi, & illum ſequitur eodem latere Comes Palatinus Rheni. A ſiniſtris Archiepiſcopi Dux Saxoniæ, & illi Marchio Brandeburgenſis. In publicis quoque proceſſionibus, eodem ordine incedent. Treuerenſis ante Imperatorem, & alii Archiepiſcopi à latere iuxta modum dictum. Rex Boemiæ ſine medio ſequitur Imperatorem. Quod ſi Imperialia deferentur inſignia, Dux Saxoniæ enſem portans, ſtatim ante Imperatorem, medius inter ipſum & Treuerenſem. A dextris Ducis Comes Palatinus aureum malum; à ſiniſtris Marchio cum ſceptro. Nã Ducem Marſcallum vocant, hoc eſt belli adminiſtratorẽ Palatinum Dapiferum; Marchionem, Camerariũ. Officia vero ſua in Regis coronatione, hoc ordine exequentur. In Regia vel Imperiali Curia, quæ de magnificentia regni vel Imperii publice & ſolenniter peragetur, primus Dux Saxoniæ Marſcallus, plurimam auenam publico loco iubeat effundi: eam iumento ſedens ingreſſus, argenteam menſuram, cum cylindro ſimilis metalli, ſimul duodecim argenti marcharum in pondere præferat; primus auenam mẽſuret; eam tradat primum venienti. Abiens Dux, Vicemarſcallo, (is eſt ſenior domus de Pappenheim militarium) equum cum menſura & cylindro, vſibus eius & lucris deputanda, relinquat. Marchio deinde Camerarius, equo vectus inſigni, iumento deſiliens, lauacrum ex argento duodecim in pondere marcharum argenti teneat, & aquam manib. Regis vel Imperatoris affundat. Tollet mox Vicecamerarius de Franckenſtein, equum & lauacrum ſuis vſibus. Inde Palatinus Dapifer, iumento inuectus, quatuor argenti ſcutellas duodecim marcharum inferat, & iumento deſcendens, principi inclinans anteponat. Magiſter coquinæ de Noremberg, iumentum ſuis vſibus & ſcutellas tollat. Demum Rex Boemiæ ſi aſſit, equo ſimiliter inuectus, poculũ argenteum duodecim marcharum præferat Regi vel Imperatori, inclinans porrigat. Inde excipiat vicepincerna de Limborg militaris, regis equum cum poculo ſuis vſibus ſeruaturus. Sedente iam Rege vel Imperatore ad menſam, procedent tres Archiepiſcopi; is medius, in cuius prouincia res geritur, cæteris latera eius ſtipantibus. Præ ſe ferant baculum argenti marcharum duodecim in pondere, in quo ſigilla Regalia vel Imperialia, ad præſentiam accubantis proferant; quæ ille accipiens, reddat illi maius, qui rem medius geſſit, quod appenſum collo in hoſpitium geſtabit. Baculus Imperiali Cancellario proueniet, ad quem etiam ſigillum ex Archiepiſcopo referetur. Si Vicarii prænominati non aderunt, cedet abſentium prouentus conſuetus aulæ miniſtris. Menſa Regalis vel Imperialis ſex pedibus ſublimior eminebit cæteris. Si adſit Regina vel Imperatrix, eius ſit à dextris accubitus, tribus cæteris ſublimior gradibus. Electorum ex ordine ſeptem menſæ, ſic æquali paſſu ſtatuentur, quomodo eſt conſeſſus eorum. Ad eorum principum menſam nemo accedat, nec liceat cuiquam accumbere, quamdiu fuerit aliquid ſuperagendum ex comprincipibus. *Crantz. Saxo. lib. 9. c. 29.*

III. HÆRETICOS MALE HABET CAROLINA ROGATIO.

Hæc de Comitiis Cæſareis Carolina rogatio, male habet omnes hæreticorum: ex quorum numero vnus caninam exercens facundiam, auſus eſt pietiſſimo Imperatori adſcribere; quaſi is libertatẽ Germanam, maieſtatem Imperii Romani, populi victoris gẽtium fortunam, Chriſtianamq; ſimplicitatem hoſtibus Reipublicæ prodiderit, ſacerdotum furorem, illis inſeruiẽdo, magis inſtigauerit, illorumq; licentiæ non ſolum aperuerit viam ſed etiã ſtrauerit. Iſta Auentinus vomebat, contra Imperatoriam dignitatem, & contra Pontificiam authoritatem, cui ſuprema in terris ſuper oues Chriſti poteſtas.

IV. CAROLI IMP. PIETAS ET DEVOTIO.

Carolus porro ſciens, ſacerdotes eſſe diuinæ mentis interpretes, quorum labia cuſtodiunt ſcientiam, non tam magnificentiæ, quam conſilii gratia, Pontifices à latere ſuo nunquam abeſſe voluit: ex domeſticis Archiepiſcopum Praganum cum Olomucenſi, Lytomiſlien. Brandenburgenſem & Miſnen. Præter hæc, cum nouam Pragam condidiſſet, nouis illam templis, nouiſque ſacerdotiis exornauit. Nam & quos vocant Canonicos regulares, & Carmelitas, & Ambroſianos, & Auguſtinianos, per ſingula cõtubernia diſtributos in illam inuexit. Legit item ſeorſum contubernales, qui ſe Sclauos cognominabant, authorem religionis ſuæ Diuum Hieronymum facientes, quem hoc nomine Carolus peculiariter veneratus eſt, quod in Illyrico natus fuerit, vnde Boemi trahunt originem. Mox ſub nomine Caroli collegium præterea ſacerdotum inſtituit, & alterum ad Diuum Apollinarem ex Doctoribus ſacerdotibus, qui aliis quoque ſacras literas prælegerent. In hoc etiam zelum Catholicæ fidei demoſtrauit, cum graues pœnas ſanxit in eos, qui à regula orthodoxiæ, auitaque religione deuiarent; commotus reditu Dulcianorum hæreticorum & flagellatorum, qui flagris dorſa cædentes, intus vitiis intercutaneis ebullientes. Ne igitur vtrique ſanctum gregem ſua contagione pollucerent, partem eorum igne combuſſit, cæteros de ſententia Arneſti Archiepiſcopi perpetuo exilio relegauit. Eiuſdem Archiepiſcopi auſpicio, ad tertia matrimonii vota tranſiit, aſſumpta in vxorem Anna Ducis Suidnicenſis filia. Ad quod etiam matrimonium Innocentius eum hortatus eſt, data *epiſtola nu. 147. Dubrau. hiſt. Boem. lib. 21.*

V. DIVERSA INNOC. PP. ACTA.

Monuit id temporis Innocentius Carolum Imperatorem, 1. vt Prælatos ad ſolutionem decimarum in ſubſidia belli Orientalis impoſitarum induceret, Collectoreſque Apoſtolicæ Sedis in exigendis illis adiuuaret. 2. Epiſcopo Ratiſponenſi caſtrum Tuuſtaffen ereptum reſtitui iuberet. 3. Epiſcopum Cameracenſem Duci Brabantiæ & Comiti Flandriæ cõciliaret. 4. Quod Epiſcopum Mindenſem ad Eccleſiam Conſtantienſem poſt multis vulneribus hoc anno confoſſum à militibus Epiſcopum transferre non poſſet, non ægreſceret. 5. Carolum Ducem Normaniæ Ioannis Galliarum Regis primogenitum, ex prælio profugum reſiduum, pro liberatione capti ab Edouardo Anglo parentis benigne audiret; tum etiam Tallayrando Epiſcopo Alban. & Nicolao tituli Sancti Vitalis presbytero Cardi-





nalibus Legatis diem & locum deſignaret, quo coram eo, de pace inter Galliarum & Angliæ Reges conciliãda diſceptarent. *ep. Innoc. huius anni Secret.*

VI. COMMISSO INTER ANGL. ET GALL. PRÆLIO GALLI VINCVNTVR ET REX EORVM CVM FILIO CAPITVR.

Hoc enim anno Ioannes Rex Gallorum, non procul à Pictauio infeliciter contra Edouardum pugnauit. Eo diè quo ingentibus animis ad pugnam vtriq; accingerentur, Legati Pontificis in caſtra aduenere, qui varias pacis conditiones vtriq; Principi proponentes, magnopere ſtudebant iniurias reuellere, odium delere, & deniq; à prælio eos auertere. Petebat Edouardus antequam pax vlla fieret multa inhoneſta, quo pauca honeſta obtineret; illud ſcilicet, vt Ioannes quatuor datis obſidibus, ſeſe cum toto exercitu, vt iam victus ſuæ fidei committeret. Contra offerebat ſe paratum eſſe ad reſtituendum omnia loca, & captiuos omnes, quos paulo ante in poteſtatem accepiſſet. Noluit Ioannes eas pacis conditiones admittere, ſed ipſe quoq; aliquanto duriores propoſuit. Cardinales porro multum deſudabant, vt eis arma è manibus extorquerent. cæterum ab altero Regum audierunt, vt niſi de vita periclitari vellent, omnem pacis mentionem abiicerent. Quod illi videntes, rem ſcilicet eo loci eſſe, vt nihil amplius foret, quod de coagmentatione concordiæ vllius ageretur, etſi dolentes, caſtris exceſſerunt. Ventum eſt ad manus, pugnatum acerrime, nunc huc, nunc illuc aliquamdiu inclinante fortuna. Anglis tandem ceſſit victoria. Captus Ioannes Rex cum Philippo filio, & mille ſeptingentis nobilibus Gallis. Carolus Delphinus fuga ſibi ſalutem quæſiuit. Cæſa ad ſex millia Gallorum, & in his Robertus Dyrrachianus Tallarandi Legati nepos. Præda magna alia tum omnis generis, tum auri argentiq;, ſigna militaria vltra centum relata ſunt. Rex captiuus in Angliam miſſus, apud Weſtmonaſterium in ædibus Ducis Lancaſtrii ſeruatus cum filio eſt. Alii captiui, alio diſtributi. Parta hæc victoria, ad 13. Calend. Octobr. huius anni.

Carolus Delphinus fuga elapſus ſuos conſolando, non luctu ſed conſilio, cura, ſtudio, rebus afflictis occurrendum ratus, inprimis cum Pontifice Romano egit, vt ſua authoritate pacem demum cum Anglo conficiendam curaret. Quapropter is Cardinalibus Legatis ſerio in eam curam incumbere, atq; in Angliam transfretare, *datis literis Calend. Octobr.* iuſſit: qui paulo poſt Londinum venientes, Innocentii nomine omnem diligentiam adhibuere, vt in aliquam certam pacem vtrinque coiretur, quique Pontificia authoritate Edouardum hortabantur, vt humaniter, benigne, & moderate tanta victoria & Rege quem captiuum tenebat, vteretur. Ex ea moderatione, non minorem at maiorem potius quam ex ipſa victoria laudis & gloriæ acceſſionem futuram: quæ & ſi præclare geſſerat, fortunæ tamen & temporibus magna ex parte forſan à quibuſdam tribuerentur. Hanc omnem clementiæ & humanitatis laudem ſibi ſolus decerperet, in qua nullam partem haberet fortuna. Meminiſſet nihil humani à ſe alienum, & quantus eſſet humanarum rerum euripus. Complecteretur itaq; hanc quam omnium maximam habebat, ſolidæ laudis & gloriæ facultatem. Legati totum biennium, in eam cauſam, in Anglia impenderunt. Adfuit & tertius Cardinalis: ſed is officii tantum cauſa, vt Ioannem Regem inuiſeret, aduenerat.

IOA. GAL. REX BONORVM ECCLESIAST. VSVRPATOR.

Dedit Ioannes Rex pœnas violatæ iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & multarum cædium. Namq; is in ſumptus belli, propria authoritate & inuito Pontifice, præter pecunias quas à populo ſine modo exigebat, decimationem ex omnibus Eccleſiaſticis prouentibus extorquebat, & Carolum Regem Nauarræum, cum nonnullis principibus id factum palam improbantibus, in vincula coniecerat, multoſque optimatum ſecuri percuſſerat, *Polydor. libro decimonono, MS. Biblothec. Vatican. de rebus Anglicanis. Froſſardus lib. 1. Paulus Æmil. in Ioanne Rege lib. rerum Gallicarum.*

VII. INNOCEN. PP. MONITORIA AD IOA. REG. EPISTOLA OB VSVRPATIONEM BONORVM ECCLESIAST.

Non diſſimulandum ſibi Innocentius putauerat, in re tanti momenti. Quamobrem Ioannem admonuerat ne manus Eccleſiaſticis bonis inquinaret, neue ſibi diuinam vindictam conſciſceret. Ita habet Apoſtolico ſpiritu digna, quam Pontifex Ioanni ſcripſit.

*Chariſſimo in Chriſto filio, Ioanni Regi Francorum Illuſtri, ſalutem, &c.*

*Perſtrepit, fili chariſſime, Romana Curia querelis grauibus, & infeſtis rumoribus Apoſtolicæ Sedis tinniunt continuo quaſi aures; quod quidam officiales & miniſtri tui prætextu conceſſæ per Te illis, vt aſſeritur, poteſtatis, Eccleſias, perſonas Eccleſiaſticas Regni tui, præter alia inſolita grauamina plura, quibus eædem Eccleſiæ ac perſonæ premi & angariari dicuntur indifferenter, ſicut & laici ad ſoluendum tibi vel illis, nomine tuo decimam, ſiue ſubſidium, ad valorem decimæ vnius anni, de prouentibus Eccleſiaſticis eorundem, compellere moliuntur; occaſione cuiuſdam conceſſionis, ſeu promiſſionis, quam de illa vel illo, quidam pauci numero Prælati Eccleſiaſtici dicti Regni, nullum, à Prælatis illius aliis & perſonis eiſdem in mandatũ aut conſenſum habentes, tibi abſq; licentia Sedis eiuſdem, (ſine qua eis id facere non licebat,) improuide, ac in ſalutis eorum præiudicium feciſſe dicuntur. quodque officiales & miniſtri iidem, in exactione huiuſmodi decimæ, ſiue ſubſidii, tantum exercent ſine omni miſeratione rigorem, vt ſi quæ ſint ex perſonis eiſdem, quæ decimam ſeu ſubſidium huiuſmodi ſoluere aut impotentia preſſæ non poſſint, aut conſcientia motæ recuſant, bona earum ad manum tuam capiant, & detineant ſub eadem, & tot eos alias preſſuris affligant, vt vitæ neceſſariis deſtitutæ, Eccleſias & beneficia eorum relinquere compellantur. Vnde fit, quod Conditor Redemptorq; tuus, per quem Regio ſedes in ſolio, pro modico ſubſidio conferendo tibi, debitis efraudatur obſequiis; & miniſtrorum eius voces, ſolitæ illius exerceri ſemper in laudibus, querelis & clamoribus occupantur. Hæc Princeps Inclite, vbi ſemel & iterum noſtris in auribus ſonuerunt, nos conſiderantes attente puritatem deuotionis ad DEVM, & rectitudinem zeli, ad conſeruationem & ampliationem Eccleſiaſticæ libertatis, Catholicorum Principum progenitorum tuorum & tuam, credere nulla ratione potuimus: ſed tandem multiplicata querela, ac excreſcens continuo conquerentium numerus, & ipſa etiam immiranda nobis inſinuatio tua, renitentes impulerunt nos, ad credendum, & eo ampliori amaritudine repleuerunt, quo hæc tuæ ſaluti & famæ, (quas attenta ſinceritate zelamus,) contraria, & libertati Eccleſiaſticæ præiudicialia potius dignoſcuntur. Conſidera itaque amantiſſime fili, conſidera, vtrum perſonis eiſdem multiplicium onerum (quorum plurima, in tuum & ipſius Regni tui ſubſidium, de licentia tamen Sedis Apoſtolicæ ſubierunt) fatigatione laxatis, adiicienda ſit laxitudo. Conſidera, vtrum paucorum particularis oblatio, ſanctionibus Canonicis omnino contraria, ſit ad vniuerſale omnium extendẽda diſpendium, & ad ipſius libertatis Eccleſiaſticæ præiudicium retorquenda. Conſidera, quid Catholicis incumbat Principibus quando Pharao ille Diuinæ legis ignarus, cum ſeruituti cæteros ſubegiſſet, ſacerdotes & poſſeſſiones eorum non ſolum in priſtina libertate dimiſit; quinimo de publico, ſacerdotibus ipſis alimoniam miniſtrauit. Conſidera, qualia quantaq; pericula, in inferiores huius ſæculi poteſtates, hæc ſi quod abſit procederent, exemplari quodam alueo deriuarent; cum, vt noſti, imitatores plures facile culpa reperiat, quæ committitur à prohibitore culparum. Quid enim dicent, quidve facient reliqui Reges & Principes orbis Terræ, ſi te qui Eccleſias & perſonas eaſdem ſpeciali ſemper honorificentia proſecutus, & ad conſeruationem ac ampliationem libertatis ipſius Regios fauores impendens, ad id alios exemplis laudabilibus prouocaſti, talia ſenſerint vel audierint facientem? Erigent proculdubio ad vetita animos; extendent ad illicita manus; & ad inconceſſa digitos informabunt. Ad pietatem itaq; tuam, vt ſuper his remedia neceſſariæ prouiſionis acceleres, cum omni fiducia recurrentes, illam attente requirimus, & hortamur in Domino, ac attentius deprecamur, tibi huiuſmodi tuæ ſalutis intuitu, paternis conſiliis ſuadentes, quatenus hæc quæ ex paterna charitate deſcribimus, filiali benignitate recipiens, illaq; tecum aqua & tranquilla meditatione pertractans, malum hoc (ne ſi quod abſit irremediabiliter ſteterit periculoſius) quod nos moleſtat, de gremio vniuerſalis*

*Eccleſiæ, pro reuerentia illius, qui eſt fundator & fundamentum eius, auferre procures. Sic enim certe Dominus votis tuis benignus aſſiſtet, imponet ſolicitudinibus terminum; curas noxias ſubtrahet, multiplicabit facultates, vires augebit, & quibuſq; aſperis in plana conuerſis, tibi & ſubditis tibi populis, (ſicut deſiderantiſſime cupimus) optata quietis & pacis tempora propitius inſtaurabit. Super quibus vt mentis noſtræ amaritudinem, ſperatæ prouiſionis tuæ medela dulcoret, iterum rogamus & petimus, vt quæcunq; ſuper his agenda duxeris, nobis eueſtigio intimare procures: in qua Venerabilis frater Taleyrandus Epiſcopus Albanen. & dilectus filius noſter Nicolaus tt. S. Vitalis presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Nuntii, magnitudini tuæ ſuper eis pro parte noſtra retulerint firmiter crediturus. Datum apud Villam nouam Auinionen. diœc. 3. Non. Septembr. Anno 4.*

XI. IOAN. REX IN AVARITIA SACRILEGIO ET CRVDELITATE PERSISTIT.

Nihil his motus Ioannes Rex, Eccleſias malo ſuo oppreſſit, necnon etiam populares exactionibus intolerandis grauauit. ex quibus cum apud Attrebates colligeret pecunias, decem & octo ex primoribus exactoribus amiſit. Namq; ciues ſeditionem conciuerant; cauſati, iniqua collatione diuites leuari, pauperes premi. Compeſcuit hunc motum Ioannes; ſed magis ſe ſanguine impiauit; ex centum plebeiis ſupplicio deſumpto, Ioanne Comite Haricuriæ cæſo, & tribus aliis primorib. iugulatis. Erat & iſtud quo Numen diuinum & Anglicos proritauit. Conſtituerat, vt in poteſtatem redactos Anglos, partim extortos cruciatosq; interimeret, partim quibus mitiſſime conſultum vellet, dextræ pollicib. præciſis, virgisq; cæſos dimitteret. Hunc itaq; faſtum, ſuperbiam, impotentiam, immanitatemq; Deus vltus eſt: ſed præcipue auaritiam ſacrilegio auctam, quod ne ſacris quidem rebus abſtinuiſſet Ioannes, neq; monenti Pontifici obtemperaſſet. Inter occiſos Gallorum, præcipui deſiderabantur, Epiſcopus Catalaunorum Par Franciæ; Petrus Borbonii Dux, Galterus Magiſter equitum, Ioan. Claratmontanus, Robertus Duracius Cardinalis Petragorii nepos, Viſchardus Belliiocenſis, & Euſtachius Ribomontanus, quorum vltimus malo ſuo expertus eſt ſcitum illud; *Malum conſilium conſultori peſſimum.* Namq; is ſuaſor Ioanni fuerat, vt indignas conditiones paciſcendi Anglis præſcriberet, & armis potius quam conſiliis rem vniuerſam deffiniret.

IOAN. REX CARBVNCVLO VICTORIAM SIBI PROMISERAT.

Aliquis etiam Gallorum Reg. carbunculum ingentis eſſe aduerſus hoſtes virtutis, ex Plinianis ineptiis dixerat, atq; proinde certam victoriam pollicebatur de Anglis; ſed falſo. Quemadmodum enim nec olim Policrati ſardonix ille, ne morſu volucrum tenſus in cruce marceſceret; ita nec tunc Ioanni, nec acie victus in hoſtium manus perueniret ſuus valuit præſtare carbunculus; quem die illa in digito eius inuentum ereptumq; ſibi, & poſt annos aliquot ab amico quodam alio orbe redemptum remiſſumq; cernere fuit, ac tangere rem pretii infiniti, ſed nullius efficacitatis. *Paulus Æmil. in Ioan. 1. Maſſon. Annal. l. 4. Guagn. l. 9. Petrarcha l. 1. de remed. vir. fort.*

X. LABORAT INNOCEN. PRO LIBERATIONE IOANNIS REG. ET VTRIVSQVE REGNI PACIFICATIONE.

Non intermiſit Innocentius Pontifex, quanquam diuinę & Eccleſiaſticæ maieſtatis contemptorem Ioannem curare liberare. Inprimis enim Androinum Cluniacen. Abbatem Nuncium, 8. Idus Octobr. deinde Cardinalem Petracoricenum antequam in Angliam traiiceret, ad Carolum Imperatorem deſtinauit, qui vna cum Carolo Delphino Imperatori author eſſet, vt eius authoritate Ioannes eliberaretur, & pax inter duo florentiſſima Regna ęquis conditionibus ſtabiliretur. Ad proximos Natiuitatis Dom. dies Cardinalis & Carolus, Carolum conuenere, deq; Rege in libertatem aſſerendo plurimis egere. Mox iubente Pontifice, Cardinales, in Angliam traiecere, ſerioq; de dimittẽdo Ioanne cum Edouardo tractauere. Factum, vt induciæ tantum inter duo regna, vſq; ad Cal. Maias 1359. Pontificis opera ſint datæ: vt interim veteres diſcordiæ nouis pactionibus paceq; extinguerentur. Quod fieri minime potuit: quia medio tempore Lutetia regni caput, ꝓpter adulterinum nummum non ſublatum, & propter nouas exactiones clero & populo indictas, factionibus ciuium laborauit, Stephano Marcello rebellionis authore: cuius tanta audacia ac temeritas fuit, vt ad pedes Caroli Regii adoleſcentis tres eius fidiſſimos miniſtros & conſiliarios occiderit, Regemq; Nauarrę carcere liberatum Lutetiam admiſerit: vt eſſet quem Regis filio opponeret. Solum tunc Numen, piorum aliquorum precibus exoratum, Galliam texit. Namq; induciæ non ſatis tutabantur, quod cum conditione ab Edouardo pactæ eſſent; qui excipiebat, vt liceret ſibi & opem Nauarro ferre, & in Britannia contra partes Bleſenſis pugnare. Ab hac tranſactione Nauarrus audacior factus, non fractis cuſtodia ſpiritib. ſed ira aucta, concionem Lutetiæ habuit; indignitatem, iniuriam, contumeliam conquerebatur; ſtudioq; dicendi eo proceſſit, vt negaret ſe à iure diadematis eſſe alienũ: ſignificaretq; ſe etiam legib. propiorem eſſe nonnullis, qui iure controuerſo armis de regno decertarent. Ad eum modum tunc afflictabatur Gallorum regnum, propter vnius Regis ſacrilegia & impotentem dominationem. *Auctores ſuperiores, & epiſt. Innoc. huius anni Secretor. Redborf. in annal. & M. Chron. Belg.*

LVTETIA TVMVLTVATVR ET REGNVM GRAVITER AFFLICTATVR.

XI. SIMON ARCHIEP. CANTVAR. LIBERTATEM ECCLESIAST. CONTRA EDOVARDVM REGEM TVETVR.

Edouardus porro Rex, monitore Pontifice, Ioannem Regem benigne habuit, & equeſtribus ludis, quã quam non ſine nota alicuius contumeliæ, adhibuit. In quorum ſpectaculo, cum medius inter illum, & Dauidem Sacrorum, Reges captiuos ſederet, Ioannemq; vt lætitiam cum aliis caperet, hortaretur; ille dolorem quam maxime poterat premens, fertur ſubridendo illud propheticum iam celebre carmen repetiiſſe: *Quomodo cantabimus canticum Domini, in terra aliena?* Volebat etiam Edouardus aſſimili ſacrilegio quo Ioannes Rex ſeſe ante hanc victoriam impiare. Indixerat per id temporis Simon Archiepiſcopus Cantuarien. Synodum Londini. In eo Rex poſtulabat à Clero decimas ſexennes. Simon, vt erat libertatis Eccleſiaſticæ aſſertor, non permiſit, ſed per litteras ſubmiſſe Edouardum rogauit, ne vllam iam pecuniam conferre Clerus cogeretur. donaſſe enim Clerum prius decimam, reſtituendarum immunitatum conditione aſcripta, promiſſumq; proximo parlamento rem in integrum reſtituendam, ſed nullam hactenus opem allatam. Adhęc premi Clerum ſolutionibus procurationum, quas prope diem Simon Sudburius Pontificius Nuncius exigeret: eſſeq; in expectatione duorum Cardinalium aduentum, quibus itineris ſumptus forent reficiendi. Accedere, Sacerdotiorum reditus ita mutilatos & imminutos, vt vix dimidiato valerent.

Adiungebat & hoc, Regem Superiore perlamento laicos ab omni, quinta, decima, aliave ſolutione ad ſex poſtea annos promiſſo ſuo ſecuros & immunes reddidiſſe; itaque rogare, ne Clerus, (qui ſemper in hoc genere primas ferre ſolebat) iam deteriori loco conſtitueretur. Ad extremum monebat, ne rebus ſacris vim inferens, vltorem DEVM in vindictam proritaret. *MS. Vatican. & Polyd. de reb. Anglican. libro decimo nono.*

XII. CAROLVS IMP. REPETIT LITTERAS PRO EXACTIONE DENARII S. PETRI A REGIBVS BOHEM. ET POLON. SEDI APOST. DATAS.

Neſcio quo fato, hoc anno Principes, rebus Eccleſiaſticis inuertendis, aut imminuendis magnopere inhiabant. Nam & Carolus Imperator Burchardum Comitem Burgrauium Magdeburgen. ad Innocentium Pontificem miſerat, repetitum litteras Regibus Boemię & Poloniæ inprimis, Sedi Apoſtolicæ datas, pro exactione denarii Sancti Petri, in Ciuitate & Diœceſi Vuratislauienſi, Poſtulatione Imperatoris, ad Comitium Purpuratorum relata, litteriſq; Regum Polonorum & Boemorum præſente Burchardo in coram prælectis, decretum eſt, ne diplomata reſtituerentur, ſed in archiuo S.R.Eccl. deponerentur. Excuſauit itaq; Pontifex, quod ſibi integrum per id temporis non eſſet, ea in re Carolo ſatisfacere. *Auinion. 7. Cal. Octobr.*

XIII. MONETVR AB INNOC. CASTELLÆ REX OB INIQVVM EDICTVM ADVERSVS ECCLESIAM PROLATVM ET ALIA.

In Hiſpaniis grauiora. Petrus Caſtellæ Rex, Cardinali Egidio infeſtus, quod ipſius conſilio exiſtimaret Pontificem adeo enixe curare reconciliationem cum Blancha Regina, ꝓpter quam è vinculis liberandam &

Cardina-



Cardinalem Legatum miſerat, & diras ei oſtentauerat; iras in innocentem abſentemq; coquens, & Aluarum Garſiæ, Ferdinandumq; Gomeſii Germanos Cardinalis perſecutus fuerat, & lege iniquiore, vt fructus omniũ beneficiorum, in eius regnis non reſidentium Prælatorum, etiam S. R. E. Cardinalium, arreſtarentur quod vocant, promulgata, omnia bona & fructus quoſcunq; Egidio interceperat. Monuit inſolentem Pontifex, vt à perſequẽdis neceſſariis Egidii deſiſteret; Egidio omnia erepta reſtitueret; atq; edictum iniquiſſimum aduerſus Eccleſiam prolatum, abrogaret. Ita habent monitoria ſcripta *apud Villam nouam. 10. Cal. April.* poſt alteram *dat. 8. Id. Mart.*

XIV. LITTERÆ MONITORIÆ INNOCEN. PP. IN EAM REM AD PETRVM REGEM CASTELLÆ.

*Chariſſimo in Chriſto filio, Petro Regi Caſtellæ & Legionis Illuſtri, ſalutem, &c.*

*Quanquam, fili chariſſime, habuerit & habeat fide digna relatio, quod puritas tua, prauis conſiliis & iniquis perſuaſionibus circumuenta, ordinauit, quod fructus redditus, & prouentus Eccleſiaſtici, quos Venerabiles fratres noſtri Sanctæ Roman. Eccleſiæ Cardinales, & Epiſcopi, & alii Prælati, & perſonæ Eccleſiaſticæ, noſtris & ipſorum Cardinalium obſequiis inſiſtentes, in Regnis & Terris tuis obtinebant, & obtinent, tuam ponerentur ad manum, & tenerentur etiam ſub eadem; tamen zelus ſinceræ deuotionis & fidei, quo Catholici Principes, ex quib. ducis originem, Deum & Romanam Eccleſiam matrem tuam reueriti ſunt, & quibus ſicut ſuccedis in Regio culmine, ſic te in huius fidei & deuotionis feruore ſperamus, Deo propitio, ſucceſſurum, ſic nobis omnem huiuſmodi relatibus præbere fidem penitus diſſuaſit; quod licet hæc noſtris inſonuerint ſæpius auribus, cordis tamen ad intima vſq; pertingere minime potuerunt. Quis enim ſanæ mentis crederet, quod Princeps Catholicus, ex Chriſtianiſſimis parentibus editus, miniſtris Dei, per quem Maieſtatis Regiæ ſplendore coruſcat in terris, & æterna gloria coronari ſperat in cœlis, alimenta ſubtraheret; quando ille Pharao, Diuinæ legis ignarus, ſubactis cæteris ſeruituti, Sacerdotes Dei & poſſeſſiones eorum donauit in priſtina libertate, ac Sacerdotibus ipſis alimoniam de publico miniſtrauit? Quis rationis capax facile crederet, quod tu, cuius progenitores; Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas extulerunt, honoribus decorauerunt, priuilegiis ampliarunt, gratiis dotarunt, libertatib. & immunitatib. munierunt; quiq; pro fidei dilatatione Catholica, velut athletæ ac pugiles Chriſti fortes, aduerſus hoſtes eius ſtrenue decertarunt, & in virtute Domini, qui eiuſdem actor eſt fidei, ſuffragantibus & opitulantibus etiam miniſtrorum eius orationibus, ipſorum hoſtium domita ſuperbia, & alliſa potentia, Regnorum ſuorum fines & terminos ampliarunt, velis eorundem progenitorum tuorum virtutum derelinquere ſemitam; & id agere, aut agi permittere, per quod eis impar meritis habearis, ac fama, & per quod detrahatur Eccleſiaſticæ libertati, ipſi derogetur Chriſtianæ fidei, & ipſe inſuper Chriſtus grauiter offendatur? Sed quoniam relatio huiuſmodi, multiplicatis iam relatoribus creſcit in famam, & eidem famæ teſtis veritatis accedens proceſſus informis, qui aduerſus res & bona Venerabilis fratris noſtri Egidii Epiſcopi Sabinen. te iubente, immature nimis factus aſſeritur; opinioni multorum præſumptionem adiicit vehementem, & ſi relata credere nequeamus, credentes tamen ne credant prohibere nequimus.*

*Et ideo nos de honore ac fama ſaluteq; tuis, paterna cura ſolliciti, cupientes ſic mores tuos maturitate, virtutibuſq; componi, ſicq; ad ſalutaria ſemper in melius tuas dirigi actiones, quod in te nihil reprehenſibile notari poſſit, & nihil quod Diuinæ Maieſtatis offendat oculos valeat inueniri, quinimo exercitio virtutum inſignis, & fama celebris habearis, ipſiq; tuo Creatori pro meritis reddaris acceptus; Serenitatem tuam, monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attentius deprecantes, tibiq; ſanis conſiliis & ſinceris ac paternis affectibus ſuadentes, quatenus prudenter conſiderans, quod Cardinales iidem, ad regendum Vniuerſalis Eccleſiæ firmamentum indefeſſa nobiſcum operatione laborant; & quod ipſis velut quibuſdam columnis innititur ſtructura Eccleſiæ memoratæ, ac intuens etiam, quod qui ſeruitio Eccleſiæ generalis inſiſtunt, debent veluti reſidentes in Eccleſiis & beneficiis quæ obtinent reputari; quod noſtris & dictorum Cardinalium obſequiis immorantes, abſentiam ſuam ab Eccleſiis, in quib. beneficiati ſunt, quæ vbertim in neceſſaria præſtatione ſuorum in occurrentibus frequenter caſib. compenſant, pro reuerentia Dei, tua conſideratione ſalutis, & noſtræ interceſſionis obtentu, animũ tuum omnino ab huiuſmodi propoſito reuoces; & ſi forſitan propoſitum huiuſmodi proceſſit in actum, quicquid attentatum eſt irrites, & annulles. Quanquam enim error quantumcunq; modicus, in Principe maxime arguatur; quia tamen ſenſus hominum ab adoleſcentia ſua proni ſunt ad peccandum, laudatur induſtria eius qui errata qualibet in melius prouida diſpoſitione reformat. Super quo, vt noſtra cura hac tibi certius & plenius innoteſcat affectio, dilectum filium Gutterum Gomecii Cantorem Eccleſiæ Compoſtellan. latorem præſentium, quem tibi familiaritate & conuerſatione acceptum eſſe percepimus, ad tuam præſentiam deſtinamus, huiuſmodi precibus adiungentes, vt quæ ipſe tibi ſuper hoc pro parte noſtra retulerit credas indubie, & ad optatæ cõſummationis effectum, ſine moroſa dilatione perducas. Dat. apud Villam nouam Auin. Diœc. 10. Cal. April. Anno 4.*

XV.

Hæc Innocentius monebat Petrum Caſtellanum: qui occaſione Blancæ Reginæ, quam propter Padillã pellicem peſſime habens in cuſtodiam coniecerat, in omnes paſſim graſſabatur. Reuertebantur hoc anno, Auinione, Petrus Epiſcopus Seguntinus & Ottobonus Oliua ciuis Ianuenſis, Nuncii Blancæ Reginę. Hi, quod Regem Galliarum nondum per id temporis captiuum vellent conuenire, & ab eo auxilia afflictæ illi à tot calamitatibus eripiendæ poſtulare, obſecrauit Ioannem Pontifex, benigne illos audiret, & Blancham oppreſſam vindicaret. *ep. Cal. Iun.*

XVI. REX SVECIÆ MONETVR AB INNOCEN. OB INTERVERSAS SED. APOS. PECVNIAS.

Non melior in Sedem Apoſtolicam Magnus Rex Sueciæ, pecunias plurimas Sedi Apoſtolicæ interuerterat, neq; reſtituere voluerat. Monebat Pontifex Blancam Reginam, vt Regem ad reſtitutionem pelliceret. *6. Cal. Mart.*

XVII. MONET IMP. VT VIOLATORES IMMVNITATIS ECCL. PVNIAT.

Non æquior in Eccleſiaſticos eodem anno Albertus Dux Auſtriæ. Eius Miniſtri, Lucranum Diui Benedicti in Comitatu Farreliano Monaſterium occupauerant, & excluſis Abbate & Monachis omnia bona diripuerant, inq; ſpeluncam latronum ſanctitatis domicilium conuerterant. Monuit Carolum Imperatorem Innocentius, vt miniſtros illos Satanæ, qui plurimis ſceleribus monaſterium contaminauerant, vltro gladio caſtigaret, atq; Albertum ad reſtitutionem bonorum Eccleſiaſticorum authoritate compelleret, *epiſt. 6. Id. Maii.*

XVIII.

Non melior, in Religioſos, quos vocant Mendicantes, Richard. Armacanus Hyberniæ primas. Is primum in Anglia, deinde Auinione vbi tum Pontificia Sedes morabatur, in publico Cardinalium conuentu, multa contra eorum ſtatum euomuit: ſuo tamen exitio. Nam cum eam cauſam obſtinate vrgeret, non multo poſt è vita ſublatus eſt, & vna cum ipſo ipſius quoq; criminationes ſepultæ ſunt. *Annal. Franciſcani.*

XIX. PETRARCHA IN PONT. ET EIVS AVLAM INVECTVS.

Sed & Innocentius Pontifex, non vſquequaq; per id temporis ab iniuriis tutus. Franciſcum Petrarcham nobilem ſcriptione à ſecretioribus literis habere volebat, honeſtiſq; propoſitis præmiis euocabat. Hic porro ſiue aulæ faſtidio, ſiue priuatæ vitæ amore, officium detrectabat. Non deerant, qui recuſantem ſuperbiæ accuſarent, ac ſubinde Magiæ crimen homini imponerent. Acceſſerant & alii ex medicorum ſchola, illum conuitiis & lædoriis lacerare, Pontificemq; aduerſus eundem excitare. Sciuit hæc Petrarcha, & grauiora horum conjectans, vt par pari referret, in aulam Pontificiam, adeoq; in ipſum Pontificem calamum ſtrinxit, Auinionemq; labyrinthi Rhodani & Babylonis tertiæ nomine infamauit; vbi non carcer horrendus, non tenebroſæ domus error, non fatalis vrna humani generis fata permiſcens; deniq; non imperioſus Minos, non Minotaurus vorax, non damnatæ Veneris monumenta defuerint? ſed remedia, ſed amor, ſed charitas, ſed promiſſorum fides, ſed amica conſilia, ſed fila perplexum iter tacita ope ſignantia, ſed Ariadna, ſed Dedalus, vna ſalutis ſpes in auro eſſet, auro placaretur Rex ferus, auro immane monſtrum vinceretur, auro ſalutare lorum texeretur, auro durum limen oſtende-

retur,

retur, auro vectes & ſaxa frangerentur, auro triſtis ianitor molliretur, auro cœlum panderetur; quid multa? auro Chriſtus venderetur. Hęc & alia plurima indigna, in innocentem Innocentium Petrarcha proritatus, Gibellinisq; plus nimio addictus vomebat: ſi tamen eius ſunt epiſtolæ, quę ſine titulo circumferuntur, & ab oſoribus Apoſtolicæ Sedis libenter leguntur. *ex variis locis epiſt. F. Petrarchæ.*

XX. MARQVARDVS EPISC. AVGVSTA PONT. DITIONES INFESTANS VLTOREM DEVM EXPERITVR.

Porro, neq; Sedes Apoſtolica omnino iniuriarum expers hoc anno fuit. Marquardus Epiſcopus Auguſtanus, pro Carolo Imperatore, Vicarius Imperii in Italia Piſis relictus, Comiti Lando ſeſe adiungens, plurimum in Etruria, Apulia, Regnoq; Neapolitano, ſubditis Romanæ Eccleſiæ incommodabat. Quatuor millia militum ſupra ducentos, ac mille præterea pedites numerabantur Societatis quam vocabant maximæ, ex Theutonicis, & quibuſdam Bononien. Ferrarien. & Mãtuan. confœderatorum. Promiſcue, in homines Pontificiæ factionis ditionisq; graſſabantur. Monebat Carolum Innocentius, vt eam Societatem reprimeret, aut diſtraheret. Quod cum tam cito quam oportuit non fieret, Deus ſuos vindicauit. In conflictu cum Vicecomitibus, ope & fortitudine Barnabæ & Galeacii, vniuerſa coniuratorum manus profligata; quingenti milites cum Marquardo Epiſcopo capti, reliqui pars cæſi, pars fugati. *Rebdorff. & Boſius in Annal.*

XXI. MISCELLANEA.

Siciliæ autem inſulæ Regnum, Ludouicus & Fridericus Aragonii fratres, inuito Pontifice & Romana Eccleſia occupatum vſurpabant. Metuebat Innocentius, ne Petrus Aragonum Rex illis ſuppetias ferret, inq; detinendo Regno Apoſtolicæ Sedis eos iuuaret. Quamobrem Rex, Procuratores inprimis Nuncios Auinionem, qui in animam eius Innocentio ſacramentum dicerent, ad diem 28. Octobr. deſtinauit; tum deinde ipſe Pontificem conuenit, & tum iureiurando, tum diplomate dato ſeſe aſtrinxit, Ludouicum & Fridericum, in occupatione regni Trinacriæ, contra Pontificis & Sedis Apoſtolicæ voluntatem non iuuaret. Feſto Natiuitatis Dominicæ die Sacris à Pont. Max. ſumma religione, ſolenniq; cæremonia celebratis Rex adfuit: & poſtea de Corſicæ inſulæ poſſeſſione, controuerſiam Genuenſibus mouit. Ex poteſtatis Eccleſiæ, ac ſupremæ ditionis cum eſſet, ab Aragoniis Regibus iure fiduciario poſſidebatur. Genuenſes dimidiam illius partem, eodem iure à Pontificibus Max. ante CC. annos collato, pretendebant. Rex integram illius poſſeſſionem his ipſis concedebat, ſi modo L. M. florenorum annui tributi nomine ſibi dependerent. Nihil tunc potuit decerni, quod etiam Vicecomites neſcio quid iuris adducerent. Pontifex aliqua in re gratificari Petro cupiens, canonicis ſanctionibus Conſtantiam Regis filiam, quæ Friderico Aragonio conſanguinitate propinquo nuptura erat, ſoluit; contentionemq; omnem, quæ Friderico cum Eccleſia, de poſſeſſione regni Trinaciæ vertebatur, Bononienſi, Præneſtino, & Magalonenſi Cardinalibus commiſit. Excepit hoc anno bellum ingens, Petrum Aragonium, à Petro Caſtellæ Rege illatum: quod Franciſcus Periloſius IX. actuariis nauibus præfectus, quæ Francorum Regis ſtipendiis in Cataloniæ ſtationibus inſtructæ armatæq;, aduerſus Caſtellanum, occaſione Blancæ Reginæ fuerant, naues duas Placentinorum coram ipſo Caſtellano Rege, ludicra forte exercitatione, & thynnorum captura ludibũdo litus incurſante intercepiſſet, diripuiſſetq;, oſtioq; Bœtis fluminis inuectus, XVI. M. P. apertiſſime prædatus, nauigationiq; intentus in Gallaicis portubus piraticam faceret.

Accedebat & iſtud, quod apud Aragonium, Epiſcopus Seguntinus, Conſaluus Meſſia, & Gomezius Carillius, qui Blancæ partes agebant, publica fide morarentur, neq; Caſtellano poſtulante, regno expellerentur.

Ex his cauſis bellum ortum, conatus eſt Innocentius Pontifex dirimere, miſſo Bertrando Conuennarum Epiſcopo, qui vna cum Guillelmo Legato, pacem inter Reges conciliaret, *epiſt. 6. Idus Octobr.* Anni huius fine, cum Innocentius in Cardinalium Collegium, ſex inſigni religione, & doctrina præſtantes viros cooptaſſet, Nicolaum Roſellium, ex Aragoniæ prouinciæ, Prædicatorum inſtituto, qui multos annos cauſis Fidei quæſitor, iudexq; præſederat, inter eos numerauit. quo item tempore, ad 9. Calend. Ianuarias, Ludouicus & Ioanna Reges Siciliæ, Meſſanæ Regio apparatu excepti, Blancam & Iolantem Friderici & Aragonii ſorores interceptas Neapolim ablegarunt, nihilq; præter Catanam Vrbem & aliquot arces, Friderico reliqui fecerũt. Penè omnib. Siculis in Reginæ Ioannæ fide manentibus. *Surita lib. 3.* Suſpendit tunc Innocentius vſq; ad Calend. Febr. executionem diplomatis Pontificii, in regno Siciliæ; quo vniuerſi Sacris arcebantur, propter non exſolutum à Ludouico & Ioanna cenſum annuum, Romanæ Eccleſiæ conſtitutum. *ep. 2. Cal. Sept. apud Villam nouam.*

XXII. VENETIS SCRIBIT VT QVAESITOREM ORTHODOXIÆ OFFICIO SVO RITE FVNGI SINANT.

Venetorum etiam Magiſtratu acriorem zelum in cauſis Fidei deſiderauit hoc anno Pontifex. Per eos ſteterat, quominus Quæſitores Orthodoxiæ, officio ſuo rite fungerentur. Itaq; eis excitandis, hanc quam ſubiungo dedit epiſtolam.

*Dilecto filio nobili viro Ioanni Gradonico Duci Venetiarum: ſalutem, &c.*

*Ad audientiam noſtram peruenit, quod licet nonnulli hæretici qui de Iudaica perfidia tenebris ad lucem veritatis Catholicæ ſolũ ſe verbo conuerterant, quiq; huiuſmodi perfidia non deponentes errores, diu ſub nomine ac habitu Chriſtiano pompis ſathanæ quibus abrenunciauerant ipſo fallente, ad contumeliam ſuſceptæ iam fidei ſeruierant, & etiam ſeruiebant, per dilectum filium Inquiſitorem prauitatis hæreticæ capti pridie fuerint & detineantur carceribus mancipati, tamen quidam è ſubditis tuis, tuum nomen & titulum prætendentes, ſic ſe Inquiſitori præfato pertinaciter opponere præſumpſerunt, ſicq; per indirectum eiſdem patenter hæreticis fauerunt & fauent, quod Inquiſitor idem in hæreticos ipſos iuxta canonicas ſanctiones animaduertere hucuſque nequiuerit, & quod inſuper fautores iidem, familiares omnes Inquiſitoris ipſius ſub eo colore conficto, quod ipſi in captione dictorum hæreticorum quadam ex bonis ipſorum cœperant cum eiſdem, per miniſtros tuos capi, & quæſtionibus tormentorum ſubiici procurarunt, non ſine graui & enormi fidei memoratæ iniuria & Apoſtolicæ Sedis contumelia & contemptu. Attendentes igitur quam graues pœnæ ſpirituales & temporales aduerſus talia facientes, per ſanctiones eaſdem promulgatæ ſunt, & his non ſolum te, ſed quoſcunq; ſubditos & miniſtros tuos implicari directe vel indirecte nulla ratione volentes, nobilitatem tuam attente requirimus, & affectuoſe precamur, quatenus prudenter conſiderans, quod Inquiſitori præfato, cui pro ipſius reuerentia fidei fauere te conuenit, in aliquo obſiſtere, aut eius officium impedire, vel quod impediatur pati, puritatem tuam non deceret; imo eo culpæ accuſaret te grauioris, quo maiori potentia fultus es, & maiori præmines ratione, eidem Inquiſitori in executione huiuſmodi officii ſui nullum obſtaculum, nullamq; impedimentum patiaris inferri: imo ei, ſicut teneris, efficaciter faueas & potenter aſſiſtas. ita quod omnipotenti Deo, qui eiuſdem auctor eſt fidei gratus appareas, & in retributionibus iuſtorum ſalutis æternæ rependia percipere merearis. Auenion. Cal. Mai. anno 4.* Scripſit in eundem modum Innocentius Epiſcopo Caſtellano, qui Inquiſitori aduerſus hæreticos præfatos ſalutaribus conſiliis & efficacibus auxiliis adſtiterat, vt perſeueraret in officiis præſtandis.

XXIII. LVDOVIC. REX VNGAR. VENETOS INGENTI BELLO CASTIGAT.

Non inultum ſiuit eſſe crimen fautoriæ, Deus vindex fidei Orthodoxæ. Namq; hoc anno bello ingenti Venetos caſtigauit. Ludouicus Pannoniæ Rex, grauiter ferebat occupatam à Venetis oram maritimam, Regno Vngariæ addictam. Itaque litteris & Legatis frequentibus miſſis, cum ab illis nonniſi verba acciperet, armis dirimendam litem eſſe ratus, bellum eis indixit. Poterant illud anteuertere Veneti, ſi pro Dalmatico regno, equum albũ, annui vectigalis loco publico nomine Ludouico mittere decreuiſſent. Cæterũ, æquas conditiones repudiarunt, ſed ius Dalmatiæ pertina-



pertinaciter tueri voluerunt, adeoq; Regem infeſtum experti ſunt: qui conſcripto numeroſiſſimo exercitu, hinc Dalmatiam, illinc Iſtriam & Foroiulianum agrum inuaſit, ac vno prope tempore, Iadram, Sicium, Spolatrum, Traguriũ, Enonamq; obſedit. Mox inita clam cum Auſtriis, Aquileienſibus, Carrariis, Patauiisq; ſocietate, in Taruiſinum agrum deſcendit; quo vbi peruentum, Collatini Comites, ac pleriq; procerum nobiliumq; ad illum defecerunt. Cunianum deinde & Sacilium, paucorum dierum obſidione per deditionem accepit, deinde Taruiſium admotis caſtris obſedit. Inter hæc Pontifex Innocentius clade Venetorum permotus, Bon Ioannium Epiſcopum Firmanum, à Sede Apoſtolica Nuncium deſtinauit, ſi qua ratione Ludouicum Regem à bello auerteret, & pacem æquis conditionibus inter eum, & Venetos componeret. *dat. 4. Non. Iul. apud Villam nouam, & Bonfin. dec. 2. lib. 10. rerum Vngar. Petr. Iuſtinian. l. 4. rerum Vener.*

XXIV. LVDOVIC. REX VNG. MISSIS AD PONT. NVNCIIS PETIT VT REGNVM RASSIÆ OCCVPARE EI PERMITTAT.

Glíſcente prælio, Nicol. Patriarcha Aquileienſis, ex Baſilica Gradenſi, Sacra Diuorum Hermagoræ & Fortunati martyrum corporum, clam ſubtraxerat, & Aquileiam detulerat. Poſtulauit illum Ioan. Dux repetundarum, apud Pontificem. qui datis litteris grauiter ſacrilegum coarguit, hortatusq; eſt, ne materiam ingentib. ſcandalis & diſcordiis miniſtraret, neue iniuſte ablata Sanctorum pignora detineret, ſed in loco priſtino deponeret, aut remitteret. *dat. 7. Idus Maii Auinion.*

Cæterum, quod Ludouicus Rex, etiam Raſſiæ Regnum ſui & Vngarici iuris eſſe putaret, illudq; recuperare cuperet, inprimis Nuncios ad Innocent. Pontificẽ, vna cum diplomate aureo. *Zagabriæ 4. die Iunii anno 1356. dato,* miſit, poſtulatum à Pontifice, vt eius permiſſione, ſiue adeo authoritate, Regnum illud liceret ei occupare, atq; ad iuriſdictionem Regum Vngariæ reuocare. Spondebat, & iureiurando interpoſito confirmabat; iſtud ipſum Raſſiæ Regnum, obedientiæ Sedis Apoſtolicæ ſubiiceret: Eccleſias ſchiſmate diuulſas Romanæ vniret; hæreſes extirparet; populos neq; gladio, neq; tributis grauaret; principum aliorum ius, in recuperatione illius non violaret, neq; quemquam iniuſte offenderet; ac demum in poteſtatem Eccleſiæ & Pontificis Romani, in ſpiritualibus, illud contraderet. *Extat diploma in Arch. molis Adriani.* Duxit tunc exercitum Ludouicus, permittente Pontifice, in hoſtem; Regemq; eorum cepit. qui poſtea cum in manus Ludouici, ex formula ab Innocentio præſcripta iuraſſet, inq; fide & obſequentia tum Romanæ Eccleſiæ, tum Regum Vngariæ ſe futurum promiſiſſet, magnifice donatus, regno reddito dimiſſus eſt. *Bonfinius ſupra.*

XXV. CVRA INNOC. PRO VNIONE ECCLESIARVM ORIENTIS AD ROMANAM. HORTATORIA INNOC. AD PALÆOLOG. IMP. IN EAM REM EPISTOLA.

Aliarum quoq; Eccleſiarum totius Orientis ad Romanam vnionem adducendarum, non minorem curam Innocentius habuit: ſed Nuncios, Conſtantinopolim, qui Imperatorem Palœologum & Patriarcham Conſtantinopolitanum ad opus perficiendum hortarentur, miſit. Præſtat ex litteris cognoſcere ſtatum rerum. Ita habent, quæ Imperatori datæ.

*Magnifico Principi Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri, gratiam in præſenti quæ perducat ad gloriam in futuro: ſalutem, &c.*

*Venerabilis frater noſter Paulus Archiepiſcopus Smirnen. & Nobilis vir Nicolaus Sigeros, Megateriarchi & Apocriſiarii magnitudinis tuæ ad Sedem Apoſtolicam venientes. quaſdam clauſas per quas adhiberi fidem eorum relatibus petiiſti, & quaſdam alias patentes litteras tuas, aurea bulla tua & Imperialis manus ſubſcriptione munitas, nobis tuo nomine obtulerunt: inter cætera continentes, quod tu (vt litterarum ipſarum verbis vtamur) iurauerastactis per te ſacroſanctis ſcripturis, ad Sancta Dei Euangelia, & per Sanctam Trinitatem Patrem & Filium & Spiritum S. vnum verum Deum & tres perſonas, & per Ieſum Chriſtum Deum & Saluatorem noſtrum, & per Virginem Dei genitricem Mariam, ac per ſanctam & viuificantem Crucem Chriſti, ac per Apoſtolos alioſq; Sanctos, ac eidem inſuper Archiepiſcopo nomine ac vice noſtris recipienti promiſeras, quod abſq; dolo, fraude, ac defectu, toto poſſe ac omnibus virib. tuis & cuncto conatu, eſſes fidelis, obediens, reuerens & deuotus nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus; & quod reciperes Legatos & Nuncios noſtros, & eorum cum omni reuerentia & deuotione; ac facere toto poſſe totoq; conatu tuo, quod omnes populi ſub tuo Imperio conſtituti, & tuæ iurisdictioni ſubiecti, ſiue eſſent laici, ſiue clerici, cuiuscunq; conditionis & ſtatus aut dignitatis exiſterent eſſent fideles, obedientes, reuerentes, & deuoti nobis & ſucceſſoribus antefatis. Hæc Princeps inclyte, tuæ conuerſionis initia, hæc deuotionis primordia, hæc firma fidei fundamenta huiuſmodi litteræ tuæ vt præmittitur continebant, hæc iidem Apocriſarii viuæ vocis miniſterio clarius & ſerioſius reſerarunt, humiliter ſupplicantes, vt tibi velut de regione diſſimilitudinis venienti, effunderemus benedictionis Apoſtolicæ gratiam: panderemus paternæ dulcedinis gremium, & aduerſus inſultus & impugnationes hoſtiles Turchorum infidelium, ac rebellium tuorum audaciam auxilii dexteram ſalutaris extendere dignaremur. In quorum lectione melliflua, & placido auditu verborum tanto nos, & Fratres noſtri S. R. Eccleſ. Cardinales aliiq; Prælati exultauimus gaudio, tanta fuimus reſperſi lætitia, tantaq; iocunditate perfuſi, quantam vix intellectus capere ſufficit, vix humana poteſt lingua narrare. Exultauimus ſiquidem in tuo diu deſiderato & expectato reditu ad ipſius Eccleſiæ vnitatem; exultauimus in conuerſione numeroſæ multitudinis, quam præſtante Deo & te cooperante, abſq; dubitatione ſperamus. Exultauimus, quod malignus hoſtis, ſuperatis fraudibus eius, eluſis artibus, & vinculis diſſolutis ingemiſcit, & plangit, plebis quæ ſub ipſius antea tyrannide fuerat, libertatem, & animarum millia, quæ gehennæ flammis crucianda immaniter expectabat, ſentit & videt paradiſi gaudiis inferenda. Sed licet nobis, & vniuerſis, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur vna lætandi cõmunis ratio; tibi tamen principalis eſt cauſa gaudendi, tibi exultationis materia ſingularis, tibi iubilationis occaſio potior, tibi gloria principatus. Tu enim principii Princeps, tu miniſter huius miniſterii ſalutaris, tu opifex huius operis, tu promotor, tu populorum dux & director errantium, tu auriga, tu currus; tu illuminatus ab eo qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, lucernam in te Fidei & veritatis accenſam, ſic ſuper candelabrum altius ponere ſatagis, vt non ſolum tibi; ſed habitantibus in regione vmbræ mortis luceat ad ſalutem. Tu terreni regni gubernacula ſic ſtudes ſecundum beneplacita illius à quo tibi conceſſa ſunt moderari, vt nationes quæ Imperio tuo ſubſunt, & temporaliter iuſte regens, & ſpiritualiter etiam dirigens, errorum deliramenta quibus hactenus peccatis exigentibus oculi earum, ne lumen veritatis agnoſcerent tenebantur, pio laboras abiicere ſtudio ab eiſdem. Hæc ſunt quæ regnantium ſceptra clarificant; hæc principantium culmina erigunt: hæc Imperia roborant; hæc regna confirmant. Hæc certe Catholicorum Principum fides exigit, hæc requirit. Fides enim eſt, qua in Principe pulchrius nihil refulget. Fides eſt, quæ iuſtificat impios. Fides eſt, quæ de impiis efficit Sanctos. Fides eſt, extra quam nulli eſt gratia; nulli ſalus: quæ cum vna & indiuiſibilis ſit, quiſquis ab ea diuiſus eſt, abſciſſus eſt à ſalute. Age itaq;, & conſiderans, quod ſi bonum opus in intentione fuerit, erit in perfectione, quod laudabiliter proſequaris & ad finem vſq; perducas optatum. Conſidera, quod ſi gaudium eſt Dei Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quantis Curia illa cœleſtis perſtrepet gaudiis, quantis beata illa ſupernorum ciuium agmina laudum præconiis exultabunt in pœnitentia & conuerſione tam innumerabilium populorum; perſta, ſatage, & labora, vt ille cuius perfecta ſunt opera perficiat benignus per te, quod per te dedit pius & miſericors inchoare. Vnaquæq; enim res denominatur ab exitu; & ſicut ciuilis ſapientia clamitat, nihil actum videtur exiſtere, cum ſupereſt aliquid ad agendum, ac iuxta Euangelicam veritatem, non qui inceperit, ſed qui perſeuerauerit ſaluus erit. Vt ergo exitus acta probet, & nihil ſupereſſe penitus videatur opere feliciter conſummato, ac vſq; ad finem conſtantius perſeuerans, ſalutis æternæ mercedem percipere merearis, inſta iuxta doctrinam Apoſtoli, non ſolum opportune ſi ſufficit, ſed etiam ſi expedit importune. Tunc enim læta tibi & feſtiua celebritate præfata occurret Eccleſia; tunc in adiutorium tuum intendat ſollicita ſupplicationibus apud Deum, tunc tibi ſpiritualibus auxiliis aderit; tunc principum Chriſtianorum præſidia in tuum ſubſidium implorabit, vt eorundem infidelium perſecutione ſublata, & rebellium tuorum humiliata ceruice, tibi & eiſdem populis tuis hic pacis & quietis arrideat plenitudo, & in futuro cum S. & electis Dei gloria præſtetur æterna. Cæterum, vt noſtra tibi ſu-*

*tibi ſuper his affectio certius & plenius pateat, & quod Scriptura nequit compendioſa comprihendere ſuppleat ſermo viuus Venerabiles Fratres noſtros Petrum Paten. & Guillermum Siſopolitan. Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Nuncios latores præſentium, viros vtiq; pauperes ſpiritu, ſed inſignes virtutibus, & in lege Domini plenius eruditos, ad te ac partes ipſas prouidimus deſtinandos. & ideo Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attente rogantes, tibiq; tuæ ſalutis intuitu iniungentes, quatenus eoſdem Nuncios, pro noſtra & dictæ Sedis reuerentia benigne recipias, & eorum, & cuiuslibet eorum ſalutarib. monitis, ſicut ſperamus & credimus acquieſcas. Dat. apud Villam nouam Auinion. diœceſ. 12. Cal. Aug. anno 4.*

XXVI. Ad eum modum Pontifex Imperatori ſcribebat. Porro Nunciis committebat, vt eam Fidei confeſſionẽ, quam ſcripto conceptam ad Sedem Apoſtolicam ſuperioribus menſibus miſerat, publice coram omnibus, præſente Patriarcha in Baſilica Sapientiana, vel alia inſigni, ore profiteretur. Quod vbi præſtitiſſet, ſcribebat Innocent. Hugoni Regi Cyprio, Ludouico Regi Vngariæ, Ioanni Gradonico Duci Veneto, Senatui ac populo Ianuen. Franciſco Gattelaxio Domino Inſulæ Metellini, Magiſtro & equitibus S. Io. Rhodianis, vt eum contra Turcos, & contra rebelles, armis, viris, & pecuniis iuuarent. *ep. Secret. huius anni pag.* 140. *& ſeqq.* Monuit & Patriarcham Conſtantinopolitanum, vt Imperatori & vniuerſo Clero & populo author eſſet, ad optatam vnionem cum Romana Eccleſia conficiendam. Cæterum, quod Ianuenſes fœdus cum Turcis percuſſerant, eo tempore, quo bellum gererent aduerſus Regem Aragonum, Venetos, & Palæologum; præcepit illis Innocentius, vt illud omnino dirimerent, neq; impoſterum cum hoſtibus nominis Chriſtiani pacta contra Chriſtianos ſancirent. *dat. 8. Idus Auguſti.*

XXVII. Præter negotium Conſtantinopolitanum, commiſerat Innocentius Pontifex Petro Epiſcopo Pactenſi, vt ad Regẽ Raſſiæ diuerteret, & errores ac ſchiſmata, quæ tunc in eo regno pullulabant, tolleret. Cæterum necquicquam potuit initio curarum efficere; quod Rex ille non ex animo vnionem deſideraret, ſed vt hoc titulo bellum præuerteret, quod illi Ludouicus Rex inferebat. *Richard. Cluniacen. in Chron.*

XXVIII. ACTA ET PROGRESSVS LEGATI APOST. IN ITALIA CONTRA ORDELAFFVM MANFREDONIOS ET ALIOS SED. APOST. REBELLES.

In Italia, Egidius Cardinalis Legatus, Anconam, Eſculum, Maceratam, aliaq; loca Eccleſiæ Rom. recuperauit, *lib. Iurament. in arch. Vatic.* Deinde Fortanerio Archiepiſcopatus Rauennatis adminiſtratori mandauit, vt Pontificium Innocentii diploma, dat. Auinione 16. Cal. Ianuarii Pontificatus anno 3. in locis ad Aquilegienſem Gradenſemq; Patriarchatum, & Rauennatem Prouinciam ſpectantibus exequeretur. In eo Pontifex, quod diſerte copioſeq; deinde Fortanerius explicabat, Franciſcum Ordelaffum Forliuianum, & Ioannem ac Guillelmum Manfredios, quod Eccleſiæ Romanæ loca occuparent, piorum denuo communione pellit: *Illum*, ait, *damnato ſemine genitum, hos ciues Fauentinos appellat, doletq; beneficiorum ac meritorum Eccleſiæ erga ipſos immemores, paternis nequaquam veſtigiis inſiſtere, grati animi officium contemnere.* Eccleſiaſticæ deteſtationis pœna in eos qui talia committerent, ab Ioanne XXII. & Clemente VI. Summis Pontificibus propoſita, ſperabant Chriſti fideles, Ordelafum, Cæſenam, Forum-pompilii ac Liuii reſtiturum, & vt ea pœna eximeretur in quam incurrerat, periturum: ſed neq; id quidquam illum curaſſe, ac potius Caſtrocarum, Meldolam, Britonorium & alia Romanæ Eccleſiæ oppida rapuiſſe. Manfredios autem, & Magiſtratus Pontificios ex ea Vrbe eieciſſe, & fideles Eccleſiæ oppreſſiſſe, *lambentes*, vt inquit Pontifex, *eorum ſanguinem & miſeriis prementes.* Cumq; eorum ſalutis gratia, Clemens VI. reſtitui ab eis ea loca, non opportune modo, ſed & alieno tempore contendiſſet, monuiſſetque vt fidelium abſtinerent moleſtia, ac expectaret anxius atque exoptaret, vt ſe tandem aliquando colligerent, & reſipiſcerent; veritus etiam, ne rationem ab eo neglectæ illorum curæ depoſceret Deus, & inde redargueretur; ipſos eadem clementia ac patientia Summi Pontificis ac parentis abuſos, Eccleſiaſticæq; deteſtationis ſententiam ſuſtinentes, coram ſe adeſſe præcepit, de Fide reſponſuros, de qua ſuſpectos illos eo nomine habebat: atq; vbi auctoritati ſuæ non paruere, contumaces in cauſa Fidei à ſe habitos, communitatis Chriſtianæ expertes renunciauit. Innocentius a. Pontifex Clementi ſubrogatus, eorum ſalutis percupidus, Legato ab ſe Egidio in Italiam dedit in mandatis, vt ipſis Franciſco, Ioanni ac Guillelmo monitor etiam eſſet. Sed nihil curantes monita, cum iam annum atq; amplius execrationis in cauſa Fidei ſententiam ſuſtinuiſſent, diem dixit, quo ad cauſam Fidei dicẽdam apud Pontificem, ipſi accederent, & ſententiam præſentes audirent: præſtito dum irent, redirent, inq; Romana aula morarentur incolumitatis ſacramento, promulgatisq; diris in eos, qui euntes redeuntesve læſiſſent. Sed cum itineris adhuc diſcrimina proponerẽt, ſacros prophanosq; principes oẽs ac populos, Pontifex, de eadem incolumitate magnopere monuit; verum cum nec ipſi per ſe, neq; vero per Procuratores vſq; affuiſſent, capto conſilio de Cardinalium ſententia, perinde ac hæreticos, auctoritate Apoſtolica, abſentes damnauit, iisq; omnibus ſubiecit animaduerſionibus ac notationibus, quib. hæretici tenentur; quod & de illorum fautorib. ſanxit, militariq; illos cingulo, & omnibus honoribus ac priuilegiis mulctauit. Omni deinde Italia, Pannoniaq; verbum Crucis vt verbis illius vtar, proponendum decreuit, Egidioq; Legato mandauit, vt quos ipſe, vel ab eo ad id miſſi, idoneos putaſſet, vt ſignum Crucis imprimentes in mentibus, & in humeris defigentes, ad illorum ſeſe expugnationem accingerent, acriter hortaretur: ſe omnibus, qui criminum labe à confeſſionib. expiati, cruceq; inſigniti, propria impenſa, aut ipſimet, alienis licet ſtipendiis, per annum militaſſent, aut pecuniam per idem tempus in milites dediſſent, noxas ampliſſime remittere, abolereq; indulgentia ſingulari, vt iis condonari, qui terræ ſanctæ ſubſidio accedunt, conſueuere. Qui minori tempore meruiſſent, iis pro ratione laboris ac pietatis, veniam quoq; indulgere. Hæc menſe Martio paſſim è ſuperiori loco explicari Fortanerius curauit, ac ipſemet Arimini pronunciauit, necnon Malateſtas & alios ſexcentos Ariminenſes ciues crucis ſigno inſigniuit. quorum copiis auctus Legatus, tandem Manfredios parere iuſſis Pontificiis coegit: & Fauentiam, Foroliuiumq; recepit, inq; Bononienſes aduerſus Vicecomites occupatores deſcendit. Inter hæc etiam Rauennatum Oratores coram Legato confeſſi ſunt, in Romanam Eccleſiam, ſuperiores Pontifices, ipſumq; præſertim Innocentium, ac Legatum illius ſe grauiter deliquiſſe, quod ſe ab obſequio & dominio Sedis Apoſtolicæ ſubduxiſſent, diu in defectione perſtitiſſent, pactum cum perduellibus iniuiſſent; Rauennam, eiusq; agrum ad Romanam Eccleſiam, & Summum Pontificem ſummo iure ſpectantem, ſibi attribuiſſent, Gubernatoremq; ac defenſorem temere elegiſſent: adeoq; in cenſuras ab Ioanne XXII. Benedicto XII. Clemente VI. & Innocentio VI. promulgatas incidiſſent. Rogabant itaq; Legatum, vt dedentes ſeſe benigne reciperet, & Eccleſiaſticæ ditioni communitatiq; adiiceret. Commendauit eorum pietatem Egidius, ſacramentumq; apud ſe dicere iuſſit; Rauennates omnes Beato Petro Principi Apoſtolorum, Innocentio Pontifici ac ſucceſſoribus, Romanæq; Eccleſiæ ac Magiſtratibus illius, in perpetuum fideles atq; obedientes futuros. Poteſtatem deinde Fortanerio fecit, qui omnes Rauennates ſacramento iam obligatos, pœna Eccleſiaſticæ deteſtationis eximeret. *Rubeus hiſt. Rauennat. l. 6.*

XXX. BARNABAS VICECOMES EXCOMMVNICATVR.

Barnabas Vicecomes, cum Lugum oppidum occupaſſet, grauiſſimo facinore ſeſe hoc anno impiauit. Namque ſacerdotem, ſacram militiam aduerſus Ordelaffum Mediolani iuſſu Pontificio indicentem, comprehendi, & in cratem ferream dolii inſtar fabre-





factam compactum, igne ſuppoſito torreri circumuolutatione, atque cremari imperauit. Deinde Epiſcopum Parmenſem, qui animos Sacerdoti fecerat, Epiſcopatu exuit, aliumque in eius locum ſubrogauit; nec non Ordelafo contra Egidium Legatum, auxiliares copias ſub decem ſignis deſtinauit. Propter quam rem ab Innocentio Pontifice diris deuotus eſt. *Villani li. 6. c. 27.*

HAMBVRGENSES INTERDICTO LIBERANTVR.

Quo anno Hamburgenſes, cum per annos duodeviginti ſacris interdicti fuiſſent, diuina officia reſumi viderunt. Cauſa tanti mali, libertatis Eccleſiaſticæ minoratio, quod poſſeſſiones, clerus tenere in vrbe vetaretur. Immiſcuere ſe (vt fieri ſolet) nonnullæ iniuriæ. Ceſſit capitulum loco; indurauit populus cum plebe. Patres ipſi miſere rebus componendis ad Archiepiſcopum Burchardum, cum pleno mandato conſiliarios Oratores. Concluſum ibi, cum conueniret de legibus pacis: deinde miſſis ad eundem literis ratificationis ſuper omnibus concordatis, & tandem inde reſilierunt. Præualuit tamen in cauſa clerus, quanquam magno detrimento in fine rebus compoſitis, vnde in vrbem redierunt perſonæ capitulares, quæ illic ſuperextabant.

XXXI. ALIA INNOC. PP. ACTA.

Hoc eſt illud tempus, quo triſtis vbique regnabat erynnis. *Crantz. Saxon. lib. 9. c. 28.*

Namque non ex nihilo, Innocent. Pontifex 1. Carolum Imp. Sacramenti de non inuadendis bonis Eccleſiæ admonuit, *ep.* 68.

2. Epiſcopo Varnicenſi in *Pruſſia*, vt limites inter Epiſcopatum & terras *Pruſſiæ* & poneret, & tueretur, edixit, *ep.* 50.

3. Anathema in quoſdam, à quorum conſiliis Petrus Rex Caſtellæ bona Cardinalium occupauerat tulit, *ep.* 46.

4. Ne familiares Papæ, niſi coram Summo Pontifice conuenirentur conſtituit, *ep.* 132.

Aliaque plurima pro iuribus Eccleſiæ conatus eſt, *li. Secret. huius anni.*

XXXII. OBITVS B. MICH. VIDVÆ PISAVREN. TERTII ORDINIS S. FRANC.

Hoc anno, ad 13. Kalend. Iulii, rebus humanis exempta eſt Michelina vidua. Diui Franciſci inſtitutum profeſſa. Hæc Piſauri haud obſcuro loco nata, cum mortuo viro, quadam die in Eccleſia Franciſcanorum, cum Syriana tertii ordinis S. Franciſci moniali oraret, & quod propter curam filii, quem tamen vnice diligebat, ſe totam diuino obſequio mancipare non poſſet, conquereretur, vocem ab imagine Crucifixi audiuit: *Te hac quoque cura & amore leuabo.* Moxque domum reuerſa, filium inuenit defunctum. Eo ſepulto, facultates, contra propinquorum voluntatem pauperibus diſtribuit, vilemque tertii ordinis S. Franciſci habitum induta, vitam plane cœleſtem vixit. Namque aſſidue ieiunans, corpus ferro, cilicioque, intus præcincta catenis ferreis affligebat; humi cubabat; orationi ad eum modum vacabat, vt ex vulneratis genibus vermes ſcaturirent. Ægrotos per Xenodochia frequenter viſitans, cum quadam die leproſum oſculata eſſet, & ea tantum parte ſanum factum vidiſſet, tamdiu oſculari perſeuerauit, donec totus mundaretur. Mulierem quoq; leproſam oratione curauit. Tandem piis laborib. confecta, ad Chriſtum migrauit. Piſauri, apud quos in veneratione eſt, in templo FF. Minorum ſepulta. *Chron. Minor. lib. 9.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1357.

### INNOCENTII PAPÆ VI. ANNO 5.
### Caroli IV. Imper. Roman. anno 3.

I. BELLVM INGENS INTER CASTELLÆ ET ARAGONVM REGES.

PEtrum Regem Caſtellæ, in vltionem crudelitatis & libidinationis, Deus hoc anno varie exercuit. Bellum illi cum Petro Aragonum Rege. Rex vterque ardenti ingenio, omnis inſolentiæ impatiens, morum ſeueritate haud diſſimili; Caſtellæ, ferocior cum ætate. Cauſæ belli variæ prætexebantur. Ab Aragonio, quod Ferdinandum & Ioannem fratres, Caſtellanus apud ſe recepiſſet, iiſque auxilium turbandis rebus dediſſet; nec non aliqua Caſtella ab eis regi intercepta, præſidiis Caſtellæ occupaſſet. A Caſtellano porro, quod Aragonius rem frumentariam, fame in Boetica ingraueſcente impediuiſſet, claſſemque illius ad ipſum Boetis oſtium, magna prouinciæ clade oppreſſiſſet.

LEGATIO INNOC. PRO PACE CONC. LIANDA.

Cum vtrimque ingentes copiæ eductæ in armis conſiſterent, Guillelmus tituli S. Mariæ in Coſmedin. S. R. E. Cardinalis ab Innocentio Pontifice Legatus, Cæſaraguſtam ad 5. Id. Februa. venit, pacem inter Reges reuocaturus; deinde Deciam ad Regem Caſtellæ iuit, induciaſque 15. dierum inprimis impetrauit. Eas Caſtellanus cũ violaſſet, Turiaſonemq; Aragonio eripuiſſet, Legatus tamen tractationem pacis non intermiſit. Vnde maxima eius contentione vltro citroq, commeando conuenit tandem, vt induciæ annuæ & trimeſtres eſſent, dum de pacis conditionibus delecti proceres diſceptarent, pro Aragonio Cabrera, pro Caſtellano Hineſtroſa. Interim oppida vtrimque capta penes Legatum eſſent, quaſi ſequeſtri titulo. Qui prior initum fœdus violaſſet, anathematis ei ignominia, religioque obiecta. Ab Aragoniis, arces, continuo Cardinali Legato traditæ; eo promptius, quod pauciores ceperant. Caſtellæ Rex cæteris ſtare volebat; at vti Turiaſone nouos incolas deduceret, adduci non potuit; ſed Hiſpalim interea diſceſſit, vbi Alfonſæ Coroneliæ amoribus ita indulſit, vt præ illa, Padilia contemptui eſſet. Sic prauum animum, nullæ difficultates à turpitudine libidineque auocabant.

CASTELLÆ REX EXCOMMVNICATVR. REGNVM INTERDICTO SVPPONITVR.

Eius fruſtrationibus exceptionibuſque Legatus fatigatus, Regem quidem è piorum numero exemit; Caſtellæ vero vniuerſæ ſacrorum iuſtitium indixit, ad 6. Kalend. Iul. Tudelæ in æde B. Mariæ, coram Conuenate & Turiaſonen. Epiſcopis, Garcia Pereſio Regis Caſtellæ procuratore, & nonnullis Regis Aragonii Conſiliariis. Ea de cauſa excitatus magis Caſtellanus, in bellum ruebat. Quamobrem ad 12. Kalen. Decemb. Oſcæ, Legatus iterum ſententiam pronunciauit, qua illum ob violata pacta C. M. Marcharum argenti pœna multauit, à fidelium communione arcuit, diraſque grauiori denunciatione inflixit; nec non Edouardo Angliæ, Petro Portugalliæ Regibus, Leonoræ Reginæ, Ferdinando Principi Waliæ, Lancaſtriæ Duci, Ludouico Nauarræi Regis fratri, Armeniacenſi & Legurienſi Comitibus, ac aliis, communicatione illius, quod execrationibus deuinctus eſſet, interdixit. Iſtos enim Caſtellanus in auxilia euocarat. Quin & è Granata, valida manus Maurorum, cum quibus fœdus antea ictum ſtabat, rebus illius opitulatura aduolauerat: cum etiam Aragonius, Regem Marrocium ex Africa, quem hoſtis conatibus obiiceret, viresque exæquaret, acciuiſſet. De hoc graui dedecore, religionique ignominioſiſſimo, Pontifex grauiſſimis literis expoſtulauit: tantam eſſe lædendi cupiditatem, vt certam peſtem, vnde olim minori cauſa exitium extitiſſet, allicere atque attrahere in Hiſpaniam non formidarent. Recte atque opportune: niſi ſalutaribus paterniſque monitis, aures Principum

LEGATVS RE INFECTA REDIRE COGITVR.

fuiſſent obturatæ. Apud quos cum Legatus necquicquam proficeret, eum Innocentius redire iuſſit, execrato Caſtellano tanquam impio & ſcelerato; contra quem etiam multi hoc anno in Boetica motus excitati, ad mentem ſaniorem eum adducere non potuerunt. *Mariana de reb. Hiſp. li. 17. c. 1. 2. Surita de reb. Aragon. lib. 3. ep. Secret. Innoc. huius anni.*

II. CENSVS SED. APOSTOL. DEBITVS RATIONE REGNORVM SARDINIÆ, CORSICÆ ET SICILIÆ NVMERATVR.

Aragonius Rex, hoc anno, cenſum Romanæ Eccleſiæ pro regno Aragonum Sardiniæ & Corſicæ, quemadmodam & Ludouicus cum Ioanna pro regno Siciliæ numerauit. Varie certatum eſt ab vtriſque de poſſeſſione Trinacriæ. Meſſanam, & vere vniuerſam inſulam Ludouicus & Ioanna Reges Siciliæ poſſidebāt. Catanam, Fridericus Aragonius obtinebat. Hic quod in ſupremo verſaretur diſcrimine, neq; vllum aduerſæ fortunæ perfugium, niſi in ſoceri Regis auxiliis videret, ea ab illo flagitauit. Petrus porro Aragonum Rex, pactorum ſponſalium conditionibus initis, ſummopere laborabat, vt Fridericum generum Pontifici Eccleſiæque conciliaret. Namque is aduerſus occupatorem inſulæ Siciliæ, ſpiculum Eccleſiaſticum detorſeret, & vniuerſos Friderico addictos, à ſacrorum vſu cohibuerat. Potuiſſet facile tunc Ludouicus vniuerſam inſulam in poteſtatem redigere, ſi bellum reſtituiſſet. Sed claſſe amiſſa, reuerti prius Neapolim conſtituit, quam victoriam conſectari: quam Fridericus pene illi concedebat, cum ſumma omnium rerum amiſſione, & deſperatione recuperandi, aut ſtabiliendi regni, Leonoræ ſorori Aragoniæ Reginæ, Siciliæ inſulæ poſſeſſione decedere decerneret. *Surita lib. 3. Villani lib 7. c. 67. 69. 92. ep. Innoc. hoc anno 27.*

III. ACTA IN ITALIA PER LEGATVM APOS. CONTRA TYRANNOS.

Cauſam Ludouico & Ioannæ reuertendi Neapolim fuiſſe memorant ſcriptores, nonnullas turbas Neapoli à quibuſdam excitatas. Coniectura eſt, à reliquis Societatis Landianæ. Namque ea in Italia adhuc per id temporis res turbabat: neque tantum confœderatis Etruriæ & Æmiliæ principibus atque ciuitatibus, verum etiam Pontificiæ ditionis vrbibus ac populis incommodabat: in gratiam Barnabæ & Galeacii Vicecomitum, qui & ipſi nonnulla Sedis Apoſtolicæ bona vel occupauerant, vel vſurpare conabantur, & Franciſco Ordelaffo Foriliuli tyranno, toties diris percuſſo vires addebant.

Kalendis Maii huius anni Egidius Cardinalis Legatus anathema in Ordelaffum & ſocios adiutoreſque iterum tulerat, bellumque ſacrum in eos tanquam hæreſis & maieſtatis reos indixerat. Ex cuius & ſacrarum indulgentiarum promulgatione, cum aliquis Eremitanus Auguſtinianus, Narnienſium Epiſcopus, apud Florentinos Cardinalis Legati Collector, ingentem theſaurum corraſiſſet, neque tamen integre omnia collecta Legato numeraſſet, ab eodem in carcerem compactus eſt. Reuocauerat quidem eodem anno Innocentius Pontifex à Legatione Italica Egidium Cardinalem atque eius in locum Andræam Abbatem Cluniacenſ. cum poteſtate Nuncii Apoſtolici, datis literis 2. *Non. Maii* ſubmiſerat.

Cæterum cum is negotiis conficiendis initio non ſe parem eſſe videret, Legato ſupplex fuit, vt ad Septembris exitum in Italia ſubſiſteret. Remanſit ille non grauatim, quod ſperaret à tanta manu & Crueeſignatorum, & confœderatorum, non parum aduerſus impios ſubſidii. Namque Gonzagæ, Ateſtini, Scalani & Carrarii principes, contra Vicecomites ſocietatem inierant; & Florent. Piſani, Senēſes, ac reliqui Etruſci cōtra Landianam ſocietatem arma aſſumpſerant, & piam militiam innumerabilis multitudo vel ſuſcipiebat, vel pecuniis & commeatu adiuuabat: & tum Innocentius Pontifex, tum Carolus Imperator, ille quidem vexilliferum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, hic autem Vicarium Sancti Rom. Imperii, Ludouicum Regem Vngariæ contra turbatores Italiæ deſignarant; is vero ingentem exercitum ſub ſignis ducebat, atque iam Venetis grauis erat. In agrum Cæſenatem Legatus exercitum primo duxit, eamque ciuitatem, virili animo à Cia Ordelaffi vxore defenſam, oppugnauit, ac tandem recepit. Cumque Societas Landiana, Ciam adiuuaret, in vniuerſos inprimis manipularios anathema ſtrinxit; poſtea vero numerata eis ex tranſactione pecunia, prouinciam illis perpurgauit. Mox Bretonorium, caſtrum nouum, & nonnulla alia ignobiliora oppida recuperauit, Foroliuioque obſidione cincto, ipſe relicta cura belli ſacri Auinionem reuertit: Cum Innocentius Pontifex Carolo Imperatori iterum ſcripſiſſet, vt eam Societatem Landianam vniuerſa Italia excedere iuberet, *ep. Innoc. hoc anno, & Matthæus Villani, lib. 6. c. 3. 5. 12. 13. 59. & lib. 7. c. 53. 54. 59 & ſeqq.*

IV. MISCELLANEA.

Reuocauit etiam à Legatione iniuncta, Innocentius, Bonioannem Firmanum Epiſcopum, quod nihil inter Ludouicum Vngariæ Regem & Venetos pro concordia ineunda proficeret. Itaque, ne amplius manum huic negotio apponeret, & ad Eccleſiam ſuam quamprimum rediret, anathemate propoſito ei præcepit, *Auin. 6. Id. Febr.*

Porro, vt Pontius Vrbeuetanus Epiſcopus, pro Romano Pont. in vrbe Vicarius, Fratricellos hæreticos, qui clanculum ſeſe Romam inferebant, & fidem incontaminatam ciuitatis ſanctæ polluere vel inficere conabātur, inquireret, perſequeretur, & extirpare curaret, Innocent. ei ſeuere edixit: necnon omnibus Principibus ac prælatis Italiæ, & præcipue Iuſtitiario Comitatus Albæ mandauit, vt Thomam, quondam Epiſcopum Aquini, Fratricellorum anteſignanum caperent, & Auinionem pro demeritis caſtigandum mitterent, mandauit, *Auin. 11 Kal. Octob.*

Quo anno, duo Franciſcani ordinis Pſeudomonachi, poſt multa malefacta, Londini igne necati ſunt, quod de religione male ſentirent, *Polydor. hiſtor. Angl. lib. 19.*

IOH. RVPESCISS. MINORITA HÆRETICVS ET PSEVDOPROPH.

Quo etiam tempore *Ioannes Rupeſciſſanus* Minoritanus, propter hæreſim, Pſeudoprophetias, Auinione in carceribus detinebatur. Multa de duobus Antichriſtis, & deſolatione terrarum, & ſummis Pontificibus futuris, & generali conculcatione cleri, & reductione totius orbis ad fidem Chriſti, pluraque alia, quaſi ſibi à Domino *Ieſu* reuelata, quæ non euenerunt, ſcripſit finxitque: communi euentu eorum, qui dum tempora quæ *Pater cœleſtis poſuit in ſua poteſtate*, volunt temere perſcrutari, in errores prolabuntur. *Magn. Chro. Belgic.*

An iſte ille ipſe fuerit, cuius in Annalibus hoc anno meminit Henricus Rebdorffius, prorſus incertum eſt. Hæc de quodam narrat iſte. Eodem tempore quidam religioſus de ordine F. Minorum peritus in Aſtrologia, in Curia Auinionen, prognoſticat futura & terribilia: videlicet, quod ab eo tempore infra quatuor annos Cardinales de Auinione fugient. Et anno Domini 1365. vermes fortes de terra ſurgent, quæ beſtias & animalia deuorent. Mortales multi cadent, Antichriſtus publice apparebit, & ipſius diſcipuli Hieroſolymis prædicabunt; clades, tempeſtates, & diluuia aquarum, qualia nunquam viſa ſunt præter diluuium generale: & alia multa horrenda de perſecutione fidei Chriſtianæ prædixit: & propter hoc per Dominum Papam captus fuit. *Rebdorf. in Annal.*

V. CAR. IMP. IN CVRIA METEN. CONTRA HÆRETICOS ET PRO LIBERTATE ECCLES. DIVERSA STATVTA EDIT.

Aliqua pars legum Caroli Imperatoris fuit, contra profanos hæreticos. Namque hoc anno, in die natiuitatis Chriſti, Carolus in ſolemni curia Metenſi, aſſidentibus omnibus Sacri Romani Imperii Electoribus, præſente Theodorico Albanen. Epiſc. S. R. E. Cardin. alias leges promulgauit. Necnon pro libertate Eccleſiaſtica contra Dominos temporales plura ſtatuta edidit, & Eccleſiaſtica priuilegia libertatis perſonis ſpiritualibus amplificauit. In his, poſtquam ſtatuta laicorum contra Eccleſiaſticam libertatem edita, irrita pronunciaſſet, adiecit, vt quicunque laicus, cuiuſcunque ſtatus aut conditionis, auſu ſacrilego & prope temeritatis audacia, Sacerdotem & clericum ſecularem aut religioſum

diffi-



diffidauerit, proſcripſerit, captiuauerit, ſpoliauerit, mutilauerit, occiderit, aut in carcere detinuerit, aut huiuſmodi maleficia perpetrantes ſcienter receptauerit, vel fauorem eis præſtiterit, eo ipſo ſit infamis, & omni honore priuatus, nec ad placita aut conſilia nobilium admittatur quouis modo. *Magn. Chro. Belgi.*

SOCIETAS CONIVRATORVM IN GALLIIS.

Huic conſtitutioni ab Imperatore ſanciendæ non modicam occaſionem dederat Societas coniuratorum in Galliis, congregata ſub ſignis Archipresbyteri Petragoricen. vt fama erat, ſuaſu & authoritate nepotis Cardinalis Petragoricen. Duo millia equitum numerabantur, initio coniurationis: auctus eſt eorum & peditum numerus, poſteaquam quinq; Clementis defuncti nepotes, copias ſuas adiunxiſſent. Hi quanquam aduerſus Philippum Tarentinum, cognomento Imperatorem Conſtantinopolitanum, ſe arma ſumpſiſſe, vt hominē è Galliis eiicerent, profiterentur, atq; Pontifici Maximo iureiurando ſpondebant, neque illi neq; cuiquam Romanæ Eccleſiæ ſubditorum iniuriam facturos, Innocentius tamen Pontifex ab illis ſibi ac ſuis valde metuens, Imperatorem ad ſanciendam conſtitutionem impulit. Deinde omnes Auinionen. in armis eſſe iuſſit, ipſamque Auinionem muris, foſſis, & reliquis fortalitiis muniuit, *Villani libr. 7. c. 82. 91.* Porro in ſumptus belli emergentis, & præcipue in ſubſidium Ioannis Palæologi aduerſus Turcos & rebelles depugnantis, ab vniuerſo Germaniæ clero, cum non poſſet, præ potentia Moguntini, Treuerenſ. & Colonienſ. Archiepiſcoporum (hi enim vel ſoli in Comitio Meten. ne ſolueretur obſtiterant) decimationem fructuum obtinere, tantam pecuniam quanta in duas procurationes ſufficeret, ex pacto Sedi Apoſtolicæ oblatam poſtulauit: miſſoque Philippo Caualicen. Epiſcopo Collectore exegit. Cui rei vt Carolus Imperator non contradiceret, ſed modis quibus poſſet Pontificem recta conantem iuuaret, litteras & priuilegia Poloniæ & Boemiæ Regum, ſuper denario S. Petri Romanæ Eccleſiæ ſingulis annis ab Eccleſia & Diœceſi Vuratislauien. ſoluendo, Innocentius ei poſtulanti remiſit, eaque ſolutione abſoluit. *epi. ſecret. huius anni. & Chron. Sponheim.*

ABSOLVITVR ECCLESIA ET DIOECES. VVRATISLAVIEN. A SOLVTIONE DENARI. S PETRI.

VI. HENRICI MVTII SCRIPTORIS GERM. NVGÆ.

Henricus Mutius rerum Germanicarum ſcriptor, more ſuo nugatur, quaſi Pontifex Carolo Imperatori multa tunc iura dederit in rebus Eccleſiaſticis, pro eo ſubſidio obtinendo: verum Imperator ſolus in ea re neque permittere neque negare volens, cōuocauerit Moguntiam Epiſc. Treuerenſem & Colonienſem, Duces Bauariæ & Saxoniæ & alios Principes multos, quibus cōgregatis iuſſit Apoſtolicos Legatos coram illis mandata ſua exponere. Epiſcopus igitur Caualicenſis Legatus Pontificius multis orauit. Fine orationis facto, dixit Imperator: *Semirari, quo ore auderent tantam pecuniam petere, cum clerici Germaniæ tā male viuerent & nefandis modis pecunias dilapidarent? Cur non prius reformarent clerum vniuerſum, & oſtenderent illis vitam Chriſto & eius ſanctis dignam? vt etiam corda fidelium piorumque hominum vltro inclinarentur ad dandū aliquid, etiā ſi ab eis non peterent? Cur illis non inculcarent, vt conſiderent prædeceſſorum ſuorum vias, quātum abiiſſent ab illis? Cur iudicii diuini non admonerent, quod non ferret diutius?* Narrat iſta quæ adiungo idem ille.

*Aderat*, inquit, *forte Canonicus Eccleſiæ Moguntinenſ. nomine Cuno de Falkenſtein cum capitio ſerico aureis ligaturis intextis. Hoc capitium petiit Imperator ſibi dari, & capiti ſuo impoſuit, ſuo viliore depoſito, & conuerſus ad præſentes Principes dixit; vtrum militi an ſacerdoti ſimilior in hoc capitio videor. Subridebant præſentes omnes: Canonicus rubore ſuffuſus tacuit. Imperator vero ſeuero vultu exorſus eſt dicere longa orationé, de officio Clericorum, quod debeant eſſe exemplaria gregis, quod multum malorum in totam plebem emanet ex corruptis moribus Sacerdotum, & plurimum valeant bona exempla ad ædificationem.*

*Prænunciauitque illis quod iis futurum eſſet niſi mutent mores, ſeruiantque Domino non ventri, nihil enim ſtare poſſe diu quod non obit functiones ſuas à Deo & naturæ inſtitutas: nec non demonſtrauit, quomodo ſancte & inculpate vixerint in collegiis & Monaſteriis primi Patres, quibus beneuoli homines facti tantas facultates in eos contulerunt. Cum autem orationem finiuit ad Archiepiſcopum conuerſus grauiore voce dixit: Domine Archiepiſcope mandamus quā poſſumus maxima authoritate, vt Clerum veſtrum omnem reducatis in viam, quo bene præſint, & miniſtrent Eccleſiæ, vt ædificentur homines eorumque vita ſit illiteratis liber viuus, in quo diſcant pietatem & bonitatem veram. Præcipimus vero inquit, vt quamprimum abuſus veſtium & calceorum, ludorum & compotationum tollatur: & in ieiuniis ac orationibus ſint toti. Quod niſi fiat, comminatus eſt, ſe perſonas mutaturum, operamque daturum; vt pii viri & digni beneficiis Eccleſiaſticis fruerentur.* Pontificius Legatus hæc audiens, reſpondit *Innocentium in hoc eſſe, vt corrigat quæ emēdanda ſunt per Eccleſiam, & quotidie emendare. Sed nullum hominum ſtatum poſſe irreprehenſibilem eſſe, homines eſſe, non Angelos, in hac vita. Hæc locutus, Coloniam venit, ibique multam pecuniam collegit: quam Pontifex, in vſus belli ſacri expenderet. Mutius hiſt. Germ. lib. 25.*

VII. FELICES PALÆOLOGI A PONTIFICIIS AVXILIIS IN ORIENTE SVCCESSVS.

Feliciter hoc anno ceſſit in oriente Ioanni Palæologo, à Pontificiis auxiliis. Namque & Orchanes primogenitum Chalilem Turcam, in poteſtatem recepit, & Matthæum Cantacuzeni filium Imperii titulum vſurpantem repreſſit. Rem vniuerſam ipſe Cantacuzenus enarrabat hunc in modum.

*Per idem tempus ex Phocæa veteri, quam* Calothetus *gubernabat, prædatoria nauis in ſinum Aſtacenum piraticæ faciundæ deuenit, & Chalilen Orchanis filius caſu in portum illuc traiicientem (à piſcatione oblectationem quærebat) cepit, ſtatimque Phocæam recurrit. Orchanes, vt filium Phocæam captiuum abductum comperit, Phocæenſes vlciſci non poterat, quod nauali potentia non valeret, qua eos affligeret. Itaque in omnem ſe partem verſans & anxius animi, tandem ad Palæologi Imperatoris auxilium reſpicit, vt qui ſolus filium vinculis liberare queat, idque vt præſtare ne grauetur, miſſis oratoribus rogat. Imperator ſtatim ſpondet facturum omnia, & filium reſtituturum, ſi & ipſe à Matthæo contra ſe adiuuando ceſſaret. Orchanes quippe etiam poſt Cantacuzeni anachoreſin eius ſe cupidiſſimum demonſtrabat, atque idcirco & filio ipſius multum commodabat, & vrbibus eidem ſubiectis nihil moleſtiarum exhibebat, & quoties orabat auxilium ſubmittebat. Quæ cum Palæologo dolerent, pulchram nactus occaſionem, Orchanem à Matthæi amicitia diſiungere tentauit, promiſitque barbarus omnia modo filium reciperet: & quamdiu captiuus ille tenebatur, nec Matthæo aduerſus Palæologum ſubſidio, nec Byzantio aliiſque vrbibus eidem parentibus moleſtiæ fuit. Imperator exiſtimans, Calothetum, Orchani filium haud grauate redditurum, ſi tantum peteretur, petitum oratorem miſit, honores & alia nonnulla pollicitus. Calothetus his parum moueri, grandem pecuniæ ſummam poſtulare, quam numerare Imperator vix poterat. Cumque ei horribilia minaretur, ille nihilominus in impudentia perſiſtebat.*

*Quocirca armis in eum ire conſtituit, & triremibus bono numero comparatis, terra marique eum laceſſebat. Quoniam vero frequenti & valida oppugnatione tentatis mœnibus vrbem vi capi non poſſe animaduertebat, perſolutis Calotheto aureorum centum millibus, & Panhyperſebaſti dignitate addita, filium Orchanis liberauit, & ad Patrem remiſit: ac interim in Matthæum exercitum ducens, eum hoc fato accepit. Apud Philippos Matthæus contra Triballorum ingentem manipulum pugnans, cum multos ſuorum amiſiſſet, inprimis equo ſub eo confoſſo periculum adierat, niſi famulus quidam, Cypariſſiota nomine, cum præſenti capitis ſui periculo equum illi ſuum ſubieciſſet. Repente ſiquidem ab inſequentibus Triballis comprehenſus, & ad tempus vinculis mandatus, propter religionis communionem dimiſſus eſt. Matthæus porro cum Philippos veniſſet ſolus, & tranſitum obſeſſum conſpexiſſet, nihilque contra tam multos non poſſet, nec quid melius ageret haberet, in paludem, quā plurima arundo, ingreſſus eſt, latere ſe poſſe credens, quoad nox appetiiſſet. Cum autem paluſtre cœnum equi vngulas non ſuſtineret, & infixas retineret, deſcendit, ſeſeque occuluit. Philippenſes porro incurſantes (non enim ignorabant qui eſſet, quod Gacoras quidam de famulis eius ex vulnere apud ipſos decumbens, & iam vita deficiens*



*procul*

*procul illum agnouiſſet, & Matthæum eſſe qui veniret, citra hæſitationem dixiſſet) & virgulta canibus diligenter ſcrutantes eum cœperunt, atque in vrbem introduxerunt, deinde Boichnæ Cæſari tradiderunt. Palæologus inter hæc Gratianopolim occupauit, atque indidem Irenen Matthæi vxorem cum duobus filiis totidemque filiabus hærentem cepit. Mox Peritheorium reuerſus legationem ad Boichnam cum facultate in Matthæum vt liberet agendi miſit; addita pollicitatione immodicæ pecuniæ ſi illum ſibi vinctum traderet. Ille vt didicit, & vrbes, & liberos, Matthæi & vxorem captos eſſe, nullamque ſpem reſtare accipiendæ ab eodem Matthæo pecuniæ, aut commodaturum ad meditata ab ipſis perficiunda, qui iam ſine vrbe & foco eſſet, mutata ſententia, à Palæologo pecuniam pro eo paciſcitur. Qua data, veritus ne Ioannis gratiam aſſecutus, ſe poſtmodum propter proditionem vindicaret, oculos ei eruere cogitauit: ſperans id etiam Ioanni Imperatori gratum fore, ſi ab aliis non ab ipſo luminibus orbaretur: mittenſque rogabat, vt quod deliberaſſet exequi liceret. Palæologus hoc verbum auerſatus, niſi penitus integrum & incolumem redderet, recepturum negauit; & omni ope enitebatur, vt Triballo perſuaderet, ne quid eum læderet. Quamobrem corpore nihil mutilato ad illum miſſus eſt. Vt in triremibus Imperatoris fuit, certatim Romani Imperatorem hortati ſunt, vt fratri vxoris oculos effodi vellet: quo ſic multis defungeretur moleſtiis, & ne rurſus certaminũ periculorumq; ſibi, cæteris Romanis omnibus ciuilis belli occaſionem relinqueret. Hac in parte Palæologus Imp. non humanitatis ſolum & clementiæ argumenta, ſed & magnitudinis ac fortitudinis, & prudentiæ indicia dedit manifeſtiſſima. Et enim cum bello eouſque proceſſum eſſet, tantæque inimicitiæ inter eos extitiſſent, vt eſſent implacabiles, & alterum alter non imperio modo, ſed, ſi potuiſſet, etiam vita exutum cupiuiſſet omneſque neruos ad exitium aduerſarii contuliſſet, poſtea victorem, victum habentem in manu, ad antegreſſa non reſpexiſſe, nec conquiſiſſe, quomodo puniret à quo læſus videbatur: ſed hoc barbaris quibuſdam nihilo mitioribus & intelligentioribus quam ſunt immanes belluæ reliquiſſe: ipſum vero ſapienter & iuſte raciocinantem, humanamque naturam miſerantem, tot caſibus & mutationibus obnoxiam, ad vitæ ſecuritatẽ credidiſſe ſufficere, hoſtes deuiciſſe, & nihilo vltro deſideraſſe, opere docentem, barbares decere pugnare quamdiu poſſint, homophylis autem vſque dum præſtent, quomodo excelſi pectoris non ſit argumentum certiſſimum? Rurſum, quæ ſola illi fuiſſet maximi honoris occaſio, non eum è medio ſuſtuliſſe: ſed conſeruatum commode tractare, & apud poſteros æternæ gloriæ monumentum ſibi relinquere, ſapienti conſilio non immerito quis adſcripſerit. Igitur omnibus idem hortantibus, & quantum poſſent annitentibus, vt res expedita euentum ſortiretur, ipſum neque ad petitionem tanquam vtilem & iuſtam vt videretur, neque ad turbam conſentientium attendere, nihilque terrore aliquo percuſſum, præter decreta ſua committere, & in iis defixum hærere, quid aliud quam fortis ac robuſtus animus efficit? Quare aliorum rationibus vniuerſis poſthabitis, fratrem vxoris Matthæum inoffenſum (quod contra multi ſuadebant) in Tenedum deportauit, & cum vxore ac liberis ibi aliquandiu vitam agitare permiſit: ac tandem, vt liberis & vxore in Tenedo remanentibus, ſolus Matthæus in Leſbum adduceretur, mandauit, Conſtantinopolimque reuerſus in monaſterio Manganenſi ſocero rem omnem expoſuit, pauloque poſt Matthæum cuſtodia liberaturum ſe promiſit. Cantacuz. hiſt. lib. 4. c. 44. 45.*

VIII. ALIQVORVM GENVENSIVM PRÆCLARA FACTA.

In his aduerſus Cantacuzenum Palæologi conatibus, Genuenſium virtus maxime, & præcipue Franciſci Cataluſii præclara ſupra modum fortitudo enituit; adeo vt apud Imperatorem, propter ipſius egregia merita maximum auctoritatis & potentiæ locum obtineret, maritimis rebus cum ſummo imperio præfectus: eiuſque, præter reliquam ipſi Auguſto in multis locis nauatam operam, conſilio, virtute, cura & vigilantia, Cantacuzeni ſtudia, ingentibus ac periculoſis initiis res nouantis compreſſa ſunt. Quod egregium promeritum ampliſſimo præmio remunerans Palæologus, Franciſci memoriam, ac gentis Cataluſiæ nomen opulentæ celebriſque nominis inſulæ Leſbi, vrbiſque Mitylenes ditione nobilitauit, ac ſororem illi in matrimonium dedit, quo tempore etiam Philippus Auria, in Africam minorem delatus, Tripolim, vetuſtiſſimam & inſignem vrbem, in Lybiæ ora ſitam, poſt acrem & difficilem obſidionem vi expugnauit atq; diripuit, & Hieronymus Iuſtinianus Theodoſiæ pro Genuenſibus Conſul ingens integritatis ſpecimen oſtendit. Aliquis Perſa opulentiſſimus, ſed nõ bene cautus mercator, plurimam diuitemq; gazam furto amiſerat. Iuſtinianus maxima dexteritate vſus, fures exploratos in vincula coniecerat, vniuerſaque mercatori ablata recuperarat, inque palatium euocato ex fide reſtitui imperarat, ſumpto de facinoroſis ſupplicio. Perſa, vt ſe gratum officii beneficiiq; oſtenderet, pretioſiora quæ habuerat in palatium Iuſtiniano retulerat, vtque muneris loco acciperet perurgebat. Noluit quicquam ex oblatis Iuſtinianus contingere, ſed homini moleſtius poſtulanti reſpondit: ſibi abunde rempublicam Genuenſem omnia contuliſſe, vt eam vrbem ac prouinciam ex recto & æquo adminiſtraret, ac vniuerſos à latrociniis tueretur, ſiue vindicaret. Hanc vocem cumprimum Perſa audiuit, in genua procumbens, Theodoſiam domicilium veræ virtutis, ac religionis baſilicam ſanctiſſimam fore dixit: quæ præfectum haberet, cui poſt omnia ſanctiora, aurum nihil eſſet. *Bizarus hiſt. Genuen. lib. 6. Iuſtinian. hiſtor. Genuen. lib. 4.*

# IESV CHRISTI Annus 1358.

## INNOCENTII PAPÆ VI. ANNO 6. Caroli IV. Imper. Roman. anno 4.

I. QVIS RERVM STATVS IN GALLIIS DVRANTE REGIS CAPTIVITATE.

IN Galliis, Iohanne Rege adhuc apud Edouardum Regem in Anglia captiuo, ingentes turbæ hoc anno. Edouardus nec quicquam Regem dimittere volebat, priuſquam is multa aureorum millia dependeret, iureiurandoque ſe aſtringeret, ſe apud ſuos omni ſtudio elaboraturum, vt Regnum Galliarum beneficiarium Anglorum ſit, eique vniuerſi Galli ſint obedientes. Iohannes de auro nihil recuſabat: ius regni quale à parentibus accepiſſet, tale liberis ſe relicturum; nec ab hac ſententia vlla re aduerſa, neceſſitateue, aut mortis vllo cruciatuſue genere deſciturum prædicabat: nec ſuam filiique ac aliquot præterea procerum ſalutem, qui mortales ſint, tanti eſſe, vt immortalitati dignitatis Franciæ non proſpiciatur. Hæc Edouardi cupiditas, ad conſilium vniuerſæ Franciæ treſque ordines delata, omnes indignitate mouit.

Carolus porro Delphinus, opem rebus afflictis & patri, tum apud Pontificem, & auunculum Imperatorem, tum apud proceres & ciuitates colligens, Regnum in patris obedientia retinere pergebat. Ocitani & Campani ad ſumptus ſiue belli, ſiue redemptionis, etiam aurum matronarum & omnia ornamenta contulere, ac octo millia bellatorum armaturos ſe tutaturoſque profeſſi ſunt quoad Rex domum reſtitueretur.

Huic rei cauſa, legem ſumptuariam, & de mundo muliebri repetiuere: ſcilicet, vt deuitatis ſuperfluis expenſis, multo plus auri colligerent. Eum ſecundiorem rerum curſum Pariſii inhibuere, factionum ſtudia Rege Nauarræo excitante. Is namque Regnum Galliarum ad ſe pertinere affirmans, Carolo pro ſe & patre Ioanne laboranti, negotiũ faceſſebat.

SEDITIO PARISIIS.

Pariſienſes mutua confœderatione, quam caputiolis rubri blauiiq; coloris





in capite delatis ex pacto præſeferebant, deuincti, in partes Nauarri propendebant; neque inter ipſos proceres ſatis conueniebat, quod nobilitati cœpiſſet diſplicere triginta ſex virorum Imperiũ, qui regno pręfuerãt. Ea cum Carolus perſpecta haberet, Lutetia ceſſit, collectiſque copiis vrbem obſedit. In vrbe tumultuante quædam cædes factæ, & confugientes ad templorum tutelam abſtracti iugulatique. Violatores templorum cum mox ab aduerſa factione cæſi eſſent, ſacra ſepultura à Sacerdotio prohibiti fuere, nec pax funeri data. Pariſios admiſſus Carolus vitæ periculum adiit; in eius oculis nonnulli aulici cæſi. Neque ipſe aliter manus euadere potuit, quam inſigni Pariſienſium partium capitio ei impoſito. Partes Nauarri in Normania finitimiſque locis præualidæ formidoloſæque erant, & fauore Normanorum, & Anglicis auxiliis, &, quæ maior vis erat, decem millibus Normanorum accitis, inque oppida Pariſiis propinqua diuiſis. Ne vero quid miſero ſtatui rerum domeſticæ peſtis deforet, omni prope Francia plebs à nobilitate ſeceſſerat, quod eius ſuperbia euerſam Franciam dictitarent, inopemq; plebem ſeruorum loco haberi.

RVSTICI IN NOBILES CRVDELITER DESÆVIVNT.

Itaque videbatur maxime horrenda ſeditio & colluuies ruſticorum, qui vndequaq; collecti, in Campania & circum paulatim augebantur, ſic vt ad centum millia ipſorum turba aſſurgeret. Putabãt hi nobilitatem omnẽ regni interficiendam. Proinde facto impetu, diripere nobilium ædes, religare dominos ad poſtes, & in illorum aſpectu violare coniuges atque filias, totam deinde familiam mactare crudeliter & domos exurere. Cũque tanta eſſet illorum immanitas, vt fœminæ potentiores, ni vellent impuriſſimorum hominum libidini eſſe expoſitæ, cogerentur ſeſe abdere, pugnatum in eos, cum Delphinus Pariſienſe inſigne abieciſſet, relictaque Lutetia pacem cum Nauarro certis pactis confeciſſet, ac nobilitatis manum quàm maximam coegiſſet, in ſumptus belli pecunias Pontifice miniſtrante. Namque in ſingula capita Auinione, & in reliquis Romanæ Eccleſiæ bonis dimidiatum florenum impoſuerat, vectigaliumque omnium acceſſionem auxerat, vt eam colluuiem ad quotidianũ laborem aratrumque reuocaret.

TVMVLTVS SEDATI.

Nicolaum quoque tituli S. Vitalis presbyterum, & Talayrandum Epiſcopum Albanenſem Cardinales Legatos, 3. Kalend. Septemb. deſtinarat, qui diſcordias inter Carolum Nauarræum Regem & Carol. Ducem Normaniæ componerent, atque bellum dirimerent. Reconciliati ſunt principes, Legatorum Cardinalium cura, & Epiſcoporum quorundam interceſſione. In Bellouacis, ad tria millia agreſtium cæſa. Meldis cum agreſtis vrbanæ plebi ſe iunxiſſet, aliquanto maior vtriuſque ſtrages à Delphino facta. Quo metu cæterarum ciuitatum plebs fracta, Delphino ſe permiſit. Lutetiam CAROLVS admiſſus, duobus ſeditionis authoribus gulam fregit; multitudinemque inermem ad concionem vocatam, ac grauibus verbis increpitam in poteſtatem recepit. In nonnullos adhuc refractarios Innocentius anathema tulit, *ep. Secret. Innoc. hoc anno. Richard. Cluniacen. in Chron. P. Æmil. Guagnin. & Froſſard. de rebus Gallic.*

II. REX SCOTORVM LIBERATIONEM SVAM PACTVS AB ANGLO DIMITTITVR.

In Anglia Cardinales Legati ab Innocentio miſſi, ſub tempus induciarum, de liberandis Regibus, Ioanne Galliarum, & Dauide Scotorum, laborabant ſollicite. Vtque tandem inter Anglum & Scotum pax coiret, adiuuante illos in hoc tam pio negotio, Epiſcopo ſancti Andreæ apud Scotos effecerunt. Erant autem hæ conditiones initæ ſuſceptæque pacis. Primum, vt ne Scotus vnquam aduerſus Anglum inceptaret bellum, imo vt ſuos in Angliam volentes facere excurſiones, pro ſuo virili cohiberet. Deinde, vt in regnum reuerſus id ageret apud populum, vt Scotia eſſet Angliæ ſubiecta deinceps, ratione feudi, quod vocant, & inaugurationis. Quod etiamſi populus recuſaret, Scotus ipſe nihilominus perpetuam & firmam cum concordiam ſeruaret. Poſtremo, intra decennium quingenta aureorum millia Anglo dependeret; cuius quidem rei gratia, obſides aliquot regni principes viros, in Angli poteſtate donec depenſo auro fidem ſuam liberaſſet futuros, daret. His ita peractis & literis fide dignis in eam rem conſcriptis, Rex Scotus qui amplius nouem annos captiuus in Anglia fuit, ad ſuos reuertit. *Froſſard. hiſt. lib. 1*

III. AVDAX PHILIPPI GALLIARVM REGIS FILII FACTVM VNDE ET COGNOMEN EI INDITVM.

In eaſdem conditiones ab Edouardo propoſitas, Ioannes Galliarum Rex adduci non potuit. Quo tempore Philippus eius filius cognomentum Audacis promeruit, ab hoc auſu. In conuiuio permagnifico, pincerna Regis Angli pocula diſtribuens Ioannem Regem captiuum, per contemptum prætererat, & alteri ex conuiuis ſeu Edouardo quam Ioanni prius porrexerat, iniuriam non ferens Regius adoleſcens, colaphum vt erat menſæ accubuus pincernæ impegit, Regemque patrem, quamuis captiuum, tamen Regem Galliarum eſſe & præ Rege Anglo debere haberi admonuit. Volebat pincerna in oculis Edouardi pugione Philippum confodere.

Cæterum Edouardus prohibuit; & hunc quidem titulo Audacis inſigniuit, qui tam ſtrenue pro patre egiſſet: illum vero temeritatis redarguit, quod Regem etſi calamitoſum præpoſtere habuiſſet. *Annal. Flandr. & Thomas VValſing. hiſt. Angl.*

IV. DE IOH. LILEO DOMINICANO ELIENSI EPISC.

Viuebat hoc anno in Anglia, Ioannes Lileus Dominicanus, qui in Cantabrigien. Academia, ex Theologiæ doctrina quam partim ſcriptis libris complexus eſt, lauream conſequutus, partim concionibus & diſputationibus magna gratia pollens, Elienſi Epiſcopatui pręlatus eſt; ſed grauiſſimis & turbulentiſſimis poſtea (ab aduerſariorum calumnia) tempeſtatum fluctibus iactatus. Origo totius calamitatis illi, ab illuſtri fœmina Blanchia, qua cum illi erat propter Eccleſiæ ſuæ cauſas lis & contentio profecta. Et magna quidem aduerſus illum crimina congeſta ſunt; domuum vi effractarum, nocturni incendii, & quod furum & latronum eſſet receptator. Horum titulo ad cauſam dicendam, coram Regio tribunali vocatus, & à Regiis miniſtris; vna cum quibuſdam clericis ipſius captus, inque carcerem abreptus fuit. Sed interceſſit & oppoſuit ſe Simon Iſlebius Canthuarien. Archiepiſcopus, quod negaret huius capitalis cauſæ contra Epiſcopum cognitionem ad Regios Iudices pertinere: Ioannes quoque ipſe clamabat, ex ſcitis Canonum ad Eccleſiæ iudicium cauſam reiiciendam, paratumque ſe coram Simone Iſlepio criminationi illi reſpondere, obiectaque facinora diluere. Pergebant tamen nihilominus, cauſamque Regii miniſtri cognoſcebant. Et contra Ioannem ſententiam tulerunt, per quam 1310. libris multatus eſt. Ioannes ad Summum Pontificem prouocauit; qui literas ad Iſlepium dedit, vt is curaret omnia quæ coram Regiis Iudicibus in illa cauſa acta erant, ad ſe tranſmitti. Quib. alioqui niſi obtemperaſſent, graue anathema denunciaret. Illi cum eſſent appellati, vnus dixit ſe nunquam Iudicis officio ea in cauſa functum.

IOH. REX GALLIÆ È CARCERIBVS DIMISSVS.

Alius reſpondit, omnia huiuſmodi acta iampridem in archiuis Regiis recondita, à quibus illa non amplius poſſet eruere. Imo ſi apud ſe eſſent, non poſſe ſe niſi cum ſumma Regis offenſa, citra illius voluntatem huiuſmodi inſtrumentorum exemplum tradere. Alius aũt Nuntium ad ſe miſſum in carcerem coniecit. Quæ cum Iſlepius Pontifici ſignificaſſet, eos qui hæc negotia Ioh. ſtruxerant, Pontificia ille ſua execratione deuouit, ac Lincolnienſi Epiſcopo præcepit, vt ſi qui ex his qui ita deuoti eſſent, obiiſſent, defunctorum corpora è ſacro cæmeterio in locum prophanum proiicerentur. Ioannes porro ex carceribus dimiſſus, contra Regis voluntatem, ad Summum Pontificem, de iniuriis acceptis coqueſturus, profectus, id ad extremum calamitatis paſſus eſt, vt eius Nuncios, qui literas Pontificias Roffenſi Epiſcopo contra Regem & aduerſarios detulerant, aduerſarii comprehenderint, inque crucem egerint: atque ipſum poſt paucos annos, in Romana Curia pro iurib. Eccleſiæ laborãtem mors oppreſſerit: ingenti

probro Edouardi Regis, qui innocentem opprimi ſeu tolerauit, ſeu mandauit. *MS. Vatic. de reb. Anglic. ex VValſingamo & aliis.*

V. MISCELLANEA.

Diem tunc ex mœrore clauſit extremum Iohannes Schephius Roffenſis Epiſcopus, quod videret authoritatem Pontificiam indigne ab Edouardo haberi. Hic in ſupremæ ſuæ voluntatis quam accuratiſſime Deum rogabat, vt ſi quid eſſet adhuc peccati idonea pœnitentia non expiati, quod non cæli aditum præcluderet, vt ex abundantiſſima & affluentiſſima ſua gratia id aperiret, vt pœnitentia, dum adhuc viueret, illud poſſet eluere: ne pœnis purgatoriis poſt exitum torreretur.

Alia plura ibi viſuntur, quæ oſtendunt illum exquiſitam quandam animæ ſuæ ſalutis curam habuiſſe. Non admodum de apparatu & pompa funebri laborauit, imo diſerte cauit, ne quid fieret ambitioſius, neue nobiliores & ditiores regionis illius homines ad funebre ſuum epulum inuitarentur, ſed cœnobiorum BARLEI & LEDESII præfecti, qui ſacra funebria cum religioſis conficerent, corpuſque ſuum humo mandarent.

Satius dicens, expenſas epuli inſtructi, in perſonas deuotas quæ Deum precibus fatigarent, quam in homines prophanos, qui in menſa non niſi diſſidia quandoque ſererent, nec quicquam mortuo opis impenderent, referri. Succeſſit ei in Pontificatu GVILLELMVS WITTELESIVS Innocentii Pontificis deſignatione; qui viuo adhuc IOANNE, omnem deſignandi noui præſulis poteſtatem poſt obitum IOANNIS ad ſe decreto interpoſito tranſtulerat. Quo etiam tempore GVILLELMVS EDINDONIVS Vindonienſis Epiſcopus in pago natali, cœnobium illuſtre, illorum qui Bonihomines dicebantur, annuente Innocentio Pontifice exædificauit.

Poſuerat ibi prius Sacerdotes quos appellamus ſæculares, nulliſque ſeuerioris diſciplinæ votis implicitos. Cæterum cum melius rationes ſecum ſubduxiſſet, etſi non ignoraret (quod fatebatur) in hoc vitæ genere poſſe Sacerdotes plurimum apud Deum & homines mereri, vitamque traducere ſanctam atque illibatam, quæque ſuperis oppido quam placeat: illos ſe tamen homines, qui ſe penitus precibus rerumque cœleſtium conſiderationi atque meditationi totos affixiſſent, quam nullæ mundi curæ & ſollicitudines, nullæ deliciarum illecebræ, nulla honorum ambitio interpellarent; quiq; non tam mundum à ſe, quam ſeipſos ſuamque voluntatem (quam in alienam & ſuperioris tranſfuderant) prorſus abdicaſſent, in oculis ſe cumprimis habere, & ſupra reliquos ſuſpicere, omnique obſeruantia colere profitebatur. Quæ illum ratio mouit, vt illam ſocietatem, & quaſi Martham in Mariam, authoritate ab Innocentio interpoſita, conuerterit atque transformarit.

Egregium certe & ipſe modeſti, & minime ambitioſi hominis ſpecimen atq; exemplum poſtea dedit cum ſua ſorte contentus, oblatam poſt Islepii mortem Canthuariæ Metropolim, (ad quam omnium ad quos ea res ſpectabat ſuffragiis vocabatur) conſtantiſſime reiecit. *MS. Vatican. de rebus Anglicanis ex Regiſtris Pontificum.*

VI. INNOC. PRO ECCLESIAST. LIBERTATE TVENDA STRENVE LABORAT.

Eodem anno Innocentius Pontifex, alibi locorum, multa pro libertatibus Eccleſiaſticis conatus eſt. Inprimis enim CAROLVM Imperatorem, à ſequeſtratione bonorum perſonarum Eccleſiaſticarum, quæ aliquid deliquiſſent, authoritate Pontificia deterruit. Et ſi porro vlterius quicquam tentaret vel auderet, Philippo Caualicenſi Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ in Germania Nuncio, vt eum anathemate propoſito compeſceret, mandauit. Quod Eccleſiaſticorum correctio atque punitio Prælatis eorum de iure conueniat, & à Summo Pontifice committatur; *ep. 37.*

Dumque Dux Auſtriæ, auſu temerario, Patriarchæ Aquilegienſi per id temporis nonnulla caſtra & oppida ademiſſet, monuit Carolum Innocentius, qui illum ad reſtitutionem ablatorum armis compelleret: poſtquam cenſuras Eccleſiæ prophanus contemneret. Poſtulabat ab Innocentio Carolus Imperator, reuocationem duarum Clementis Quinti conſtitutionum, ex cauſa Henrici Septimi Imper. latarum. Earum primæ initium eſt, *Romani Principes*, tit. de iureiurando: alterius; *Paſtoralis* tit. de re Iudicata in Clementin. Eas quod non poſſet Innocentius antiquare, multis rationibus excuſauit, *ep. 27.*

Et interim ad poſtulationem Imperatoris Theodoricum Beyer ex Cantore in coadiutorem à Gerlaco Archiepiſcopo Moguntino deſignatum laudauit, atque probauit, *ep. 73.*

Archiepiſcopo quoque Moguntino, vt in diœceſi Wormatienſi, quamdiu Epiſcopus Wormatienſis anathemate exſolutus non fuiſſet, poſſet Sacra Epiſcopalia per ſe vel per alium adminiſtrare, indulſit, *epiſt. 14.*

In Regno Siciliæ, Ludouicus & Ioanna Reges, non nihil ſibi in ſacrorum diſtributione vſurpare videbantur. Vtrique Innocentius Pontifex ſeueriſſime interdixit, ne beneficia & dignitates Eccleſiaſticas apud ſe quocumque modo vacantes diſtribuerent. Quas ſcirent tum ex pactis conditionibus, tum ex recenti conſtitutione in vniuerſum Sedi Apoſtolicæ eſſe reſeruatas, *ep. 44.*

In Galliis, Adimarus de Pictauia, Ludouico Valentinenſ. & Dienſi electo Epiſcopo, plurimum incommodabat; adeo vt iſte cogeretur rem Eccleſiaſtiaam armis vindicare. Inter hos controuerſias exortas, vt Innocentius Pontifex componeret, Adimarum Viuarienſem Epiſcopum, & Petrum S. Rufi extra muros Valentinenſ. Abbatem Nuncios deſtinauit. Qui cenſura interpoſita, inducias ad Kalendas Nouembr. inter partes imponerent, & ad concordiam inuitarent, *epi. dat. 6. Idus Iunii.*

Cum autem ſub tempus induciarum inter Reges Galliarum & Angliæ, nonnulli milites Anglici, comitatum Venayſinum & alia bona Eccleſiæ Romanæ infeſtarent, nec non pagum S. Spiritus prope Auinionem occupaſſent, iamque Auinionenſi vrbi imminerent, Innocentius Pontifex, hos quidem numeratis XXXIII. M. aureorum abegit, Auinionenſes autem ad præſtandum obedientiæ & fidelitatis iuſiurandum, ad primos dies Aprilis adegit. Quod illi à tempore venditæ Romano Pontifici ciuitatis dicere diſtulerant. *Cod. Columnn. Vatican.*

TARACONA FIT VECTIGALIS ECCLESIÆ ROM.

Berengarius Comes Barcinonenſis, ciuitatem Taraconenſem, Eccleſiæ Romanæ hoc anno vectigalem fecit, adeoque in hæreditatem adſcripſit Diuo Petro Apoſtolorum Primarcho. *Monum. Arch. Vatic.*

VII. VETERES TVRBÆ INTER ARAGON. ET CASTELLÆ REGES.

In Hiſpaniis, Reges inter Caſtellæ & Aragonum, veteres turbæ, Aragonius aduerſus Caſtellæ Regem, Belamarinium Mauruſiorum Regem in auxilia euocarat, fœderaque amicitiæ cum eo percuſſerat. Cum ea Innocentius Pontifex maxime deteſtaretur, & hortaretur, vt ad pactionem cum vicino & præpotenti Rege ineundam animum induceret; Rex quod ſibi tam crudeliter inimicus eſſet, & Ferdinand. frater auxiliis Granatenſibus exitioſum bellum Valentino regno intuliſſet, externam opem Maurorum, aduerſus Mauros communes hoſtes, tam propinquos neceſſario acceſſiuiſſe, cauſatus eſt.

Accuſauit & Petri Caſtellæ Regis perfidiam, quod is inducias à Legato Apoſtolico interpoſitas violaſſet, cui querelæ coram Sede Apoſtolica proponendæ, Franciſcum Romanum pro Cancellario Auinionem ad Innocentium Pontificem ire iuſſit; vt Caſtellæ Regi læſæ fidei actionem intenderet. Cum etiam Bernardus Galcerandus Pinoſius, qui id temporis Auinione reſederat, quod ſolũ exilii cauſa vertiſſet, ex Catalanis proceribus inſigni virtute & generis nobilitate præſtans, co-





ram Summo Pont. ſingulis diebus in frequenti conſeſſu, eundem Caſtellæ Regem proditæ fidei arceſſeret, & ad certamen prouocaret. *Surita lib. 3.*

VIII. DETESTANDA CASTELLÆ REGIS SÆVITIA ET FOEDA CARNIFICINA.

Amentia Petrum Caſtellæ Regem, in vltionem flagitiorum occupauerat. Namque is quam plurimis ſeſe inquinauerat. Præter libidinationem, ſæuitia imponebatur, etiam in fratres eodem patre natos. Hoc enim anno Fridericum Magiſtrum, quamquam Iumilliam Aragoniis detraxiſſet, occupaſſetque, Hiſpali in oculis ſuis obtruncari ſuſtinuit; per ſpeciem, quaſi ad Aragonios frater deficere cogitaſſet: cum tamen Iumilliam de Aragoniis recepiſſet, atque occupaſſet. Ea nauatæ operæ merces fuit. Ex ea vrbe continuo in Cantabriam feſtinauit: quoniam fraterno ſanguine manus ſemel cruentauerat, in ea prouincia, ſimile ſeueritatis exemplum editurus.

Præoccupauit tamen Tellius fuga eius conatum, in Galliamque nauigauit: inde ſeſe in Aragoniam retulit, fraternam necem ſuamque iniuriam armis vindicaturus, Pro eo victima alia mactata. Iohannes Aragonius Tellio fugato, Viſcaiæ principatum debitum, pactumque, & nuper Hiſpali promiſſum, importunus efflagitator poſtulabat. Ea cauſa, ſiue quoniam cum cæteris Principibus conſpiraſſe compertum erat, ad Bilbaum municipium occiſus eſt à ſatellitibus: auctor etiam quidam ipſius Regis manu cecidiſſe ait. Sæuitiam deteſtandam. Corpus è feneſtra in ſubiectam plateam præcipitatum eſt, addita abs Rege contumelia verborum. *En*, inquit, *veſtrum Dominum, veſtræque regionis ambientem principatum.*

Inde Burgos relatum, funeris honore iureque ſepulturæ caruit, in præterfluentem amnem proiectum. Id ſcilicet ſæuitiæ genus ſupererat, vt exanimis corporibus inſultaret. Eodem impetu Eleonora Regina, Iſabellaque Ioannis interfecti vxor, Roa vbi ſeſe tenebant Caſtrum Sericium in cuſtodiam miſſæ. Fœda carnificina per prouinciam exercebatur. Sex nobilium capita, variis locis cæſa, Burgos allata ſunt; gratum Regis oculis ſpectaculum; optimo cuique fœdum. Plures alij Valliſoleti ad necem deſtinati, Henrici & Ferdinandi improuiſa irruptione in Caſtellæ fines, ſeruati ſunt. Ad eum modum Petrus Caſtellæ Rex in principum cædes ruebat, ſuperbus animo; quem nec flectere, nec frangere, etiam grauiſſima & inopinata incommoda potuerant, amentia percuſſum. *Mariana libro decimo ſeptimo, capite ſecundo.*

IX. VLTIO DIVINA IN HANN. ET HOLAND. COMITEM OB EIVS SCELERA.

Grauiore, non tamen nocentiore amentia fuit percuſſus eodem anno, menſe Aprili, feriis Diui Georgii martyris, Guilelmus Dux Bauarus, Hannoniæ & Hollandiæ Comes, homo auſterus. Gerardum VVeteringium militem, manibus propriis ſine cauſa interfecerat; caſtrum Nyenueltium ſubuerterat; magnam partem territorij Traiectenſis immerito combuſſerat atq; vaſtauerat; Margaritæ matri, Ludouici Bauari relictæ, rebellis, aſper ac durus, illam hæreditate paterna expulerat; aliiſque criminibus ſeſe impiarat. Itaque in vltionem ſcelerum, phreneſin & amentiam incurrit; adeo vt à proprio fratre, & primatibus patriæ in vincula coniici, & in his 19. annos vitam, vſque ad extremum diem tolerare habuerit. *Magn. Chron. Belg. & Annal. Flandr. hoc anno.*

X. TYRANNOS IN ITALIA RESVRGENTES PER LIGATVM SVVM REPRIMIT INNOC. BONAQVE ECCLESIÆ ABLATA RECVPERAT.

In Italia, hoc anno omnia turbata. Egidio enim Cardinale Legato Auenionem reuerſo, Vicecomites Galeazius & Barnabas, caput attollere cœperant, hoſtibuſque Romanæ Eccleſiæ bona occupantibus non occulte modo fauebant, verum aperta ſubſidia mittebãt. Quamuis autem Androinus Cluniacenſis Abbas, Sedis Apoſtolicæ Nuncius, ad curſum victoriæ, Britonorium & Imeldulam Summo Pontifici addidiſſet, Franciſco tamen Ordelaffio Forolinienſi tyranno, viribus externis præpotenti expugnando par eſſe non poterat. Vicecomites quoque alia parte, bona Eccleſiæ Romanæ ſibi, & in his Bononiam deſignabant. Ioannes Aulegianus Vicecomes Iohannis Archiepiſcopi ſpurius, eam vrbem defuncto patre, permiſſione Pontificia adminiſtrabat: paſſique ſunt Barnabas & Galeatius frater, quamdiu Carolus Imperator & Egidius Italiæ incubuerant, illum armis inſtructiſſimum, & ingenio audaciaque quod nouerant præſtantiſſimum, vrbem illam haudquaquam minori cuſtodia indigentem poſſidere. Quam primum vero tanta liberati ſunt externorum ſuſpicione, Barnabas Bononiam ab Aulegiano petitam, priuſquam ille potuerit reſpondere armis aggreſſus eſt, Aulegianuſque etſi primo reſtitit impetui, ſuas tamen metitus vires & imparẽ ſe agnatis dominatu recognoſcens, auxilia ab Abbate poſtulauit. Hunc rebus gerendis imparem cum Innocentius Pontifex cognouiſſet, Egidium ad extremos Octobris dies in Italiam reuerti imperauit, poteſtatemque ei & recuperandi ablata, & defendendi recuperata bona Eccleſiæ ampliſſimam fecit. Is à Florentinis, ſeptingentis equitibus ex pacto receptis, Florentia ad 16. diem Decemb. excedens, Aulegianum apud S. Petri Caſtrum in agro Bononienſ. obuium habuit, deque Bononia retinenda conſilia communicauit. Mox in Ordelafum Abbati cum copiis ire iuſſit: cumque Foropompiliani ab Ordelafo aduerſus Abbatem perpetua pertinacia ſtetiſſent, vrbem Egidius ſolo exequauit, & ſale ſparſam, ſede Britonorium tranſlata, in perpetuum Epiſcopatus dignitate nudauit. Forolinium quoque & cætera Franciſci Ordelafi oppida anno inſequente recepit, ipſumque Ordelafum poſtea periurum in fugam coniecit; qui Venetias abiens, infelix humanarumq; viciſſitudinum ſpecimen migrauit è vita. Ferunt, veneni genus huic fuiſſe ita temperatum, vt vel ſolo odore mortem inferret, & candentibus prunis iniectum, ſtatim, qui circum adeſſent, omnes interimeret. *Bl. Blond. dec. 2. lib. 10. Villani lib. 8. c. 102. 103. Rubeus hiſt. Rauenn. lib. 6. Richard. Cluniacenſ. in Innoc. 6.*

XI. INNOC. PRO CANONIZAT. LEOPOLI I MARCHIONIS AVSTRIÆ VITÆ AC MIRACVLORVM INQVISITIONEM FIERI MANDAT.

Feliciter ceſſit Innocentio Pontifici, recuperatio Eccleſiaſticorum bonorum, quod is initium anni à cultu ſanctorum Eccleſ. tutelarium auſpicatus fuiſſet. Namque poſtulante Rudolpho Seniore Duce Auſtriæ, vt Leopoldo Marchioni Auſtriæ ante CCXII. annos pie functo honores ſolemnes Beatis decernerentur, vitæ ac miraculorum inquiſitionem commiſit, his datis literis quas ſubiungo.

INNOCENTIVS EPISCOPVS ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Pragenſ. & Epiſcopo Olomucenſ. ac dilecto filio Abbati Monaſterii ſanctæ Crucis Patauienſ. diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*GRandis nobis & Eccleſiæ militanti, cui quanquam immeriti permittente Domino præſidemus, materia gaudii & exultationis offertur, cum de nouo percipimus terrenos milites ſic in eorum vita triumphaſſe de vitiis, & tenuiſſe cum virtutibus principatum, quod eos de mundi conflictibus ad cœleſtem militiam euocatos exercituum Dn. fulgorem ſua triumphantis Eccleſia nouis ſanctorum ſplendorib. ſemper adaugens, ſuamque per eos maxime gloriam & miſericordiam manifeſtãs, glorioſis facit in terris coruſcare miraculis; vt eorum merita cum veneratione debita recolantur, Chriſtiq; fideles per illa perſeuerent in fide conſtantius & ad eorum ſectanda veſtigia, & imploranda patrocinia feruentius animentur. Nuper ſiquidem pro parte dilecti filii nobilis viri Rodulphi Ducis Auſtriæ propoſitum fuit, in Conſiſtorio coram nobis, quod recolendæ memoriæ Lupoldus Marchio Auſtriæ, generis nobilitate præclarus, ac veræ fidei armis munitus, ſub S. Trinitatis ſignaculo & ſpe ſupernæ gloriæ in hoc ſæculo altiſſimo militans ſic ſuperauit vitia, virtutes excoluit, dilexit iuſtitiã & iniquitatem odiuit reddens viduis & pupillis opem, & cunctis proximis charitatem, quod ipſe retributor æternus eundem Lupoldum lætitiæ & ſanctitatis oleo inunctum fore demonſtrans, per ipſius merita apud Eccleſiam Monaſterii Neumburgenſ. ordinis S. Auguſt. Patauienſ. diœceſis per ipſum Lupuldum in eius vita fundati magnifice*

*& dotati, vbi corpus requieſcit eiuſdem; & alibi, pluribus cæcis viſum, mutis loquelam, debilibus & contractis, & præſertim podagricis membrorum robur reſtituit, multoſque à diuerſis aliis morbis ſanauit, infirmos, & vexatos à dæmone liberauit, aliiſque pluribus eum miraculis decorauit in terris; quem, ſicut pie creditur, coronauit in cœlis.*

*Quare pro parte dicti* Rudolphi *Ducis fuit nobis humiliter ſupplicatum, vt cum de prædictis, quæ in illis partibus quaſi notoria & manifeſta fore dicuntur, poſſit fieri per fide dignos & ſolennes viros & factorum euidentiam plena fides, mandaremus ſuper eis per aliquos probos inquiri: vt veritate comperta, & certitudine habita præmiſſorum, (cum non deceat eum apud homines ſine veneratione relinqui, quem merita & miracula ſanctum monſtrãt) ipſum dignaremur ſanctorum* Catalogo *aggregare. Nos igitur quos in certis cum prouidentiæ maturitate feſtinos & lentos conuenit, in dubiis inueniri; attendentes huiuſmodi negotium tam ſublime, tam arduum, inſcrutabile quaſi fore mortalibus, & profunde ipſorum ſenſibus abditum; cum nullus carne circumdatus arcana poſſit ex ſe ſcrutari cœleſtia; & vix queamus abſque labore, & quandoque defectu veridice inueſtigare terrena; & quod propterea* Romana *Eccleſia in tanto negotio conſueuit cum exacta diligentia multaque maturitate procedere. Conſiderantes etiam quod vos tanquam vicini loco habere poteritis de præmiſſis plenius certitudinem veritatis: huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, de fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos, vel duo veſtrum, in loco ſeu locis de quibus expedire videritis, de vita & conuerſatione ac meritis dicti Lupoldi, eiuſque miraculis, & de circumſtantiis omnibus negotium huiuſmodi contingentibus, iuxta formam quam vobis ſub* Bulla *noſtra mittimus interclusam, inquiratis diligentius veritatem: & quæ ſuper his inueneritis fideliter in ſcriptis redacta ſub ſigillis veſtris, & cum veſtris literis harum ſeriem continentibus, per viros idoneos ad Sedem Apoſtolicam deſtinetis: vt per inquiſitionem veſtram taliter inſtructi in huiuſmodi negotio ad laudem diuini nominis, ac honorem & firmamentum* Catholicæ *fidei, & conſolationem fidelium populorum, dirigente* Domino *actus noſtros, ſecurius procedere valeamus.* Dat. Auin, 2. Kal. Ianuarii Pont. noſtri anno 6.

FORMA EXAMINIS FACIENDI.

*Forma iuxta quam examinabitis teſtes legitimos, quos debetis recipere; ſuper vita & conuerſatione ac miraculis quondam Lupuldi Marchionis Auſtriæ, cuius corpus ſicut aſſeritur apud Monaſterium* Neumburgenſ. *ordinis S. Auguſtini Patauien. diœceſis requieſcit, talis eſt. Ipſos enim, prius per eos præſtito iuramento, ſuper præmiſſis & omnibus negocium contingentibus diligenter examinare curetis: & de omnibus quæ dixerint, interrogate eos, quomodo ſciunt; & quo tempore, quo anno, quo menſe, quo die, quibus præſentibus, quo loco, & ad cuius inuocationem, & quibus verbis interpoſitis; & de nominibus illorum circa quos miracula facta dicuntur: & ſi eos ante cognoſcebant: & quot diebus ante viderunt eos infirmos, & quanto tempore fuerunt infirmi: & quanto tempore poſt miraculum viſi ſunt ſani: & de quo loco fuerunt oriundi. Et interrogentur de omnibus circumſtantiis diligenter: & circa ſingula capitula fiant vt expedit quæſtiones præmiſſæ, & aliæ debitæ; & ſeries teſtimonii, & verba teſtis cuiuslibet, plene & diſtincte, fideliter redigantur in ſcriptis.* Hactenus Innocentius Pontifex committebat, pro canonizatione D. Leopoldi.

XII. QVIS FVERIT B. LEOPOLD.

Fuit Leopoldus eo nomine IV. cognomento Pius, Leopoldi Pulchri & Ithæ coniugis filius, à primis vnguiculis recte educatus, & à pueritia ſemper in egenos liberalis, in oppreſſos clemens, in feroces iuſtus. Poſt patris obitum, adoleſcens Marchionatum adeptus, tanta iuſtitia ac clementia illum adminiſtrauit, vt perpetuo Pii ac Felicis titulo Marchionis paſſim ab omnibus decantaretur, & vulgo Pater pauperum nuncuparetur.

Inter Henricum IV. patrem, & Henricum V. filium Imperatores, diſſidio orto, quod ſeniorem anathemate à Summo Pontifice deuotum, (quanquam eius filiam Agnetem in matrimonio haberet,) ſine cauſa grauiore reliquiſſet, & fidem ei datam fefelliſſet, pœnitentia ductus, & ab Agnete coniuge permotus, Monaſterium Neumburgenſ. neque ſine præuio prodigio, in ſatisfactionem criminis condidit. Suadebat illa continue, Leopoldo, vt locum aliquem deſignaret, in quo laudes Chriſto, & Diuæ eius genitrici dicerentur. Dumque in hac cogitatione verſarentur, accidit, vt ex arce in altiſſimo monte Cecio, vbi Leopoldus habitabat, fluenta Danubij vtroque contemplante, leui Zephyro flante flammeolum è capite Agnetis detractum, in nemus proximum in ripa Danubii deferretur. Iſtud poſt nouem annos Marchio venationi intentus, dum inter dumeta inſperato illæſum & recens reperiſſet, neque ſine diuini nominis voluntate factum agnoſceret, locum Monaſterio condendo deſignatum iudicauit. Moxque edictum vulgauit, vt ſi quis in eo loco ius quæſitum præſcriberet, ex æquo & iuſto pretium eius acciperet, ſpatiumque ædibus ſacris extruendis permitteret. Extructo Neumburgenſ. cœnobio, & Canonicis addicto, Ottonem filium ingentis doctrinæ & ſanctitatis virum ei præfecit.

Deinde cœnobium, quod Cellas Mariæ appellant, in ruinam & egeſtatem verſum; item aliud Melicenſe, vetuſtate & aſſiduis bellis, & ab Hungarorum irruptionibus collapſum inſtaurauit, ac cenſibus auxit. Nec non Monaſterium S. Crucis in valle nemoroſa, religioſis Ciſtercienſibus ædificauit. Cumq; quadraginta annis, Marchionatum ſumma integritate, clementia ac pietate adminiſtraſſet, diem extremũ ſanctiſſime clauſit 17. Kal. Decem. humanæ ſalutis anno M.C.XXXVI. Superſtite Agnete coniuge cum 6. filiis & 5. filiabus, in cœnobio Nouiburgi ſepultus, atque miraculis clariſſimus. *Cuſpin. in Auſtria, & M.S. proceſſus pro canoniz. in bibliot. Vatic. nu. 4023. & 4024.*

XIII. DE B. IOH. COLVMBINO ORDINIS IESVATORVM INSTITVTORE.

Hæc tempora illuſtrarunt duo inſignes viri, alter Guillelmus Anglicus ordinem ſeruorum B.M.V. profeſſus, alter Ioannes Senenſ. religionis Ieſuatorum inſtitutor. Guillelmus eximius concionator, ſanctiſſimis concionibus plurimos à prauitate auertit, ac non ſine opinione ſanctitatis ex humanis ſeceſſit; relictis doctrinæ ſuę teſtimoniis, ſermonib. qui Dominicis & Quadrageſimæ diebus inſeruiant. *Chron. Seru.* Ioannes Senenſ. nobili Columbinorum familia ortus, hunc in modum ad ſanctitatis faſtigium euaſit. Adoleſcens vxore ducta, ex ea marem & fœminam ſuſcepit. Cum vero in Repub. non infimus haberetur (fuit enim aliquando anteſignanus) ac augendis opibus animum intenderet, contigit, vt quadam die vxori, quod cibos non tam cito, vt is optabat, terrenis negotiis vacaturus paraſſet, præter morem ſuccenſeret, quæ vt parumper ſuſtineret orans, librum vitas Sanctorum continentem interim ei legendum porrexit.

Quem ille cum ira percitus proieciſſet, pœnitentia poſtea ductus illum recipiens, aperienſque, in S. Mariæ Ægyptiacæ vitam incidit; ex cuius lectione in alterum mutatus, cœpit terrena omnia deſpicere, pauperibuſque eleemoſynas large erogare, Eccleſias frequentius inuiſere, orationibus vacare, ieiunia frequentare. Erat is annus ſalutis 1355. Inde caſtitatis cupictiſſimus vxorem ad eam hortabatur. Ea conſentiente, quæ pro viri ſalute non ſemel orauerat, vterque caſtitatem vouit, ac Ioannes ſuper tabulis cubare, magnamque noctis partem in orationibus ducere inſtituit. Ad maiorem aſpirans perfectionem, vili amictu indutus, vitæ etiam auſteritatem amplexus eſt. Domi ſuæ peregrinos præſertim ægrotos excipiebat, quibus propriis manibus cibos miniſtrabat, & pedes lauabat. Aliquando in aditu maioris templi leproſum vlceribus plenum in humeros ſublatum, domum ſuam curandum & reficiendum deferre non erubuit. Quem cum vxor propter fœtorem & tabem ex plagis ſcatentem ferre non poſſet, Iohannes tamen libenter oſculabatur, illumque in balneo ablutum, à Franciſco Vincentio nobili Senenſ. diſcipulo adiutus, in coniugis lecto repoſuit, ac vxori donec ab Eccleſia cum ſocio rediret commendauit. Hæc cubiculum in quo leproſus iacebat ingreſſura, ſuauiſſimi odoris fragrantiam ſenſit, nec ingredi auſa fleuit,

quod



quod viro in receptione leproſi aduerſata fuiſſet. Interim Ioannes & Franciſcus poſt Miſſam, cum bellariis quibus infirmum recrearent redeuntes, cubiculum ingreſſi eandem odoris fragrantiam perceperunt: at leproſum nuſquam inuenerunt. Quo miraculo Ioannes magis commotus: ſoli Deo ſeruire decreuit. Cumque Chriſtus illi apparuiſſet, ſeque leproſum fuiſſe dixiſſet, conſentiente vxore, omnia pauperibus diſtribuit, nihilque ſibi retinens victum cum ſocio mendicare cœpit: ac peccatores ad pœnitentiam inuitans, perque vicos & oppida prædicans, ad 60. diſcipulos, in quibus aliqui nobiles & eruditi cenſebantur, collegit, nouamque religionem, titulo Ieſuatorum, inſtituit, quam paucis poſt annis Vrbanus V. Viterbii agens confirmauit: cum infantes lactentes, per miraculum locuti dixiſſent parentibus: Ieſuatis benefacite. *Syluanus Razius, de S. Etruria, in vita B. Ioannis Columbini.*

# IESV CHRISTI

## Annus 1359.

### INNOCENTII PAPÆ VI. ANNO VII.
### Caroli IV. Roman. Imperat.
### Anno 5.

I.

CArolus Imperator apud Innocentium Pontificem, camdem cantilenam repetiit: vt Clementis Quinti ſanctiones, altera, *Romani Principes*, tit. de iureiurando: altera, *Paſtoralis*, tit. de ſententia & re iudicata, reuocarentur. Cauſam prætendebat, quod Henrici VII. Imp. aui ſui, & aliorum antecedentium Imperatorum memoriam obfuſcare viderentur. Poſtulationem Imperatoris, Innocentius, ad Comitium Purpuratorum retulit. quibus firmum, ne conſtitutiones antiquarentur: quod forent cum multa ſolennitate editæ, cum magna deliberatione decretæ, & in Concilio generali Viennenſi multo conſiliorum libramine ponderatæ, ac denique cæteris conſtitutionibus Apoſtolicis in corpore iuris Canonici adiunctæ. Itaque ex ſententia Cardinalium, Pontifex, non ſibi integrum eas abrogare reſpondit. *X. Cal. Auguſti.*

II. INNOCEN. IMP. OFFICII ADMONET OB VSVRPATÃ IN CLERICOS AVCTORITATEM.

Cæterum, quod interim Imperator, cauſaretur Clericos negotiis ſecularibus ſeſe immiſcentes, ſæpius delinquere: eoſque authoritate vſurpata bonorum ſequeſtratione multaret: Pontifex eum officij admonuit, data ad eum epiſtola plane Apoſtolico ſpiritu digniſſima. Ita habet.

### CHARISSIMO IN CHRISTO filio Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto & Boemiæ Regi illuſtri ſalutem.

TENOR LITTERARVM INNO. PAP. AD CAR. IMP.

*HAbet fide digna inſinuatio facta nobis, quod tua Serenitas attendens quoſdam Clericos & Eccleſiaſticas perſonas tam ſæculares quam regulares in partibus Alamaniæ conſtitutos, effrenata quadam viuendi licentia contra Eccleſiaſticæ religionis decentiam, & clericalis habitus honeſtatem, ſæcularibus ſeſe actibus immiſcentes, ad coercendos illorum errores & tranſgreſſiones temerarias refrenandas, Imperialis ſolicitudinis operã adhibere feruore deuotionis intendit. Iamque ſuper his, nonnullis prælatis earumdem partium certas litteras deſtinauit, comminationes ſequeſtrationis Eccleſiaſticorum prouentuum faciendæ per ſæculares principes, continentes, ne Clerici ipſi, qui tamquam Dei miniſtri eſſe debent, cæteris modeſtiæ & grauitatis exemplar, in ſuam & aliorum perniciem incorrecti vlterius, per vitiorum lubricum gradiantur. Siquidem chariſſime fili, Zelum tuum quem habes ad domum Domini multipliciter commendamus, dum tamquam princeps Catholicus miniſtros Eccleſiæ fore modeſtia graues, pudicitia nitidos, denique & moribus exemplares, ſtudio piæ deuotionis affectas, vt qui dati ſunt ad abluendas peccatorum ſordes in aliis, ſuis ipſi maculis non ſordeſcant. Verum cum tu defenſor egregius & zelator præcipuus Eccleſiaſticæ libertatis exiſtas, decet excellentiam tuam accurata diligentia prouidere, ne per id quod ortum ex puritate deuotionis accepit debitos tranſeundo terminos, noſtro & Apoſtolicæ Sedis honori, ac præfatæ libertati Eccleſiaſticæ, quam potius defenſare te conuenit, poſſit in aliquo derogari. Ideoque magnitudinem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus ab huiuſmodi comminationibus ſequeſtrationis Eccleſiaſticorum prouentuum faciendæ, quod abſit, per ſeculares principes de cætero abſtinens, & ſi quid per comminationes ipſas attentatum forſan extiterit, quod non credimus, cum id procul dubio foret illicitum, & in poſterum eidem libertati poſſit præiudicium non modicum generare, in ſtatum priſtinum reformare procurans, prælatos de quibus expedire ſublimitas tua cognouerit, debita charitate ſollicites, & inducas, vt contra eoſdem tranſgreſſores ſui officii debitum exequantur. Vt taliter delinquentes, ad cenſuram debitam remittendo, aberrantes etiam Chriſti miniſtros tractare videaris honorificentia debita propter Chriſtum. Nos enim ad quorum ſpectat officium: ex iniuncto nobis deſuper onere miniſterii Paſtoralis, prælatos prædictos, per alias noſtras literas ſollicitos reddemus & vigiles, vt ſuper huiuſmodi prædictorum Clericorum & Eccleſiaſticarum perſonarum exceſſibus lima correctionis intendant: alias tam contra prælatos eoſdem, ſi circa præmiſſa negligentes extiterint, quam eorum ſubditos, cum de eorum defectibus ſufficienter informati fuerimus, Apoſtolicæ prouiſionis remedium tam ſollicite quam efficaciter curabimus adhibere. Cæterum eidem magnitudini ſuper præmiſſis, per dilectum filium Guillelmum Decanum Viſſegraden. Ambaſſiatorem tuum latorem præſentium noſtræ mentis intentio, quam eidem lõgiori ſermone duximus referendam latius & apertius innoteſcet. Dat. Auin. XII, Cal. Maii anno VII.*

III. COMMITTIT ARCHIEPISCOPIS QVIBVSDÃ CLERICORVM CASTIGATIONEM ET INDVLGENTIAS RELIQVIAS QVASDAM SACRAS VENERANTIBVS CÕCEDIT.

Præter has litteras, ſcripſit Innocentius Archiepiſcopis Treueren. Colonien. Moguntino, Bremen. Saltzburgen. & Magdeburgen. vt in ſuis prouinciis clericos ſæcularibus negotiis ſeſe immiſcentes, & non ad præſcriptam ſanctitatis normam viuentes corrigerent ac punirent. *III. Cal. Maii.* Porro in gratiam Imperatoris, nonnullas indulgentias conceſſit, omnibus qui præſentes adeſſent in Oratorio Caſtri Carloſtenii, quando ſacræ reliquiæ, videlicet, nonnullæ partes ligni S. Crucis, vnus ex clauis, ſpongia, & duæ ſpinæ de corona Saluatoris, nec non aliqua pignora S. Ioannis Baptiſtæ, cum aliis lypſanis ſanctorum, in cruce aurea gemmis & lapidibus pretioſis ornata recluſis, ad venerationem exponerentur. *Dat. Auin. 2. Non. April.*

IV. BERTHOLDI KORBACHII PRÆCVRSORIS CALVINI ERRORES EXECRANDI.

Exiſtimo motum fuiſſe Innocentium ad eas indulgentias concedendas, vt hac veneratione ſacrarum reliquiarum, cõfunderet hæreſim recens ſurgentem Bertholdi Korbachii, qui præcurſor Caluini, per id temporis Spiræ iudicabatur, quod Herbipoli, quoſdam execrandos articulos contra Redemptorem Orbis vomuiſſet: videlicet, 1. *quod Chriſtus in paſſione ſua ſic fuerit à patre derelictus, vt præ nimio dolore dubitauerit, ſaluarine anima ſua deberet.* 2. *quod Chriſtus in cruce, propter nimiam paſſionem & dolorem, B. Mariæ virgini maledixerit.* 3. *quod maledixerit terræ quæ ſanguinem eius de cruce ſuſcepit.* Addebat & iſtos alios errores. 1. *quod homo in hac vita in tantum proficere poſſit, quod nec orare nec ieiunare eum oporteret.* 2. *quod laicus illuminatus poſſit plus proficere in docendo, & plus ſibi ſit credendum, quam Euangelio, aut ſacræ ſcripturæ Doctoribus.* 3 *quod homo deuotus in perceptione cibi communis poſſit percipere tantam gratiam, ac ſi Euchariſtiæ ſacramentum acciperet.* Hos errores, cum ille veras propoſitiones eſſe aſſereret, relapſus, curiæ ſeculari traditus, flammis exuſtus eſt. Cæterum Innocentius & Carolus, vt ſanctitatem & innocentiam Saluatoris noſtri oſtenderent, non tantum ipſum aut eius imaginem, verum etiam inſtrumenta paſſionis illius digna eſſe adoratione cenſuerunt. *Naucler. hoc anno, & Henric. Mutius hiſt. Germ.*

BERTHOLDVS EXVSTVS.

V. EGIDII CARDIN.

Cum aſſit Barnabas Vicecomes, Bononiam intercipere Rom. Eccleſiæ conaretur, Innocent. Carolum Imperato-

APOST. LEGATI RES GESTÆ IN ITALIA.

peratorem admonuit, vt inuadere cogitantem repri-meret. Sed præſtat hæc & alia in Italia hoc anno accidentia ex geſtis Egidij Legati cognoſcere. Is inprimis authoritate Pontificia fretus, Romanis Senatorem dedit, Raymundum Senenſem, gente Ptolæmea natum. Romani enim interim ſuam continuantes libertatem, id præſtabant obedientiæ Summo Pontifici, quod ſelectos è nobilitate, prout fieri conſueuerat Senatores, à Pontifice confirmari ac præfici poſtularent. Eam dignitatem cum ſuperioribus annis Sarra Columnius, Nicolaus Vrſinus Comes Nolanus, Vrſus Vrſinus, & Petrus Capotius geſſiſſent, & ad antecedentis anni finem, diſcordia in plebe orta, vix Ioannem de Comitibus Senatorem elegiſſent, Pontifex earumdem populi diſſenſionum occaſione fretus, Egidio commiſit, vt Senatorem vrbi deinceps alienigenam imponeret. Itaq; hoc anno Salutis vndeſexageſimo terdecieſq; centeno Raymundus de gente Ptolæmea Senis nobili, primus externorũ Senatorum munus geſſit & altero qui ſequutus eſt anno Ludouicus de Rocha Piſanus, & Hungarus Saxoferratenſis ſemeſtrem vterq; Senatum habuit. *Blond. dec. 2. libr. 10.*

FRANCIS. ORDELAFFVS LEGATO SE DEDIT ET FACINORA SVA EIVRAT.

Romana vrbe ad eum modum conſtituta, ab Vrbeuetanis Sacramentum fidelitatis pro Romana Eccleſia prolatum audiuit. Mox in Franciſcum Ordelafum Foroliuii tyrannum, exercitum duxit, ipſumq; ſeſe dedentem in poteſtatem accepit, qui Fauentiam adductus, in publico omnium aſpectu, errores, hæreſes, & omnia facinora in Sedem Apoſtolicam admiſſa, confitens eiurauit, deteſtatuſque eſt: implorans humiliter clementiã Innoc. Pontificis, atq; Cardinalis Legati.

Ibi Legatus graui oratione pertinaciam Franciſci accuſauit, & omni dignitate, honore, officioq; priuum renunciauit, inq; pœnam flagitiorum, vt nõnullas Eccleſias Fauentiæ, ſupplicis in modum viſitaret ac certa ſigna pœnitentiæ ederet, impoſuit. Deinde Immolam profectus intercedente Aulegiano ad XVII. Iulij diem, pœnitentem illum & ſatis dare Eccleſiæ ſpondentem, cenſuris Eccleſiaſticis exſoluit: nec non ad priſtinum honorem reſtituto, Forumpompilii & Caſtrocarum iure beneficiario decem annos illi conceſſit, vxoremque & liberos, & clientes, & amicos illius ex cuſtodia educi imperauit. *Villani lib. 9. cap. 35.* quo anno, III. Idus Martij,

BERNARDINVS POLENTANVS RAVENNAS HOSTIS ECCLESIÆ DIVINA VINDICTA EXTINCTVS.

Bernardinus Polentanus, Rauennas hoſtis Eccleſiæ, à Diuina vindicta interiit, diuturno morbo confectus: Fuit is, perdita luxuria, animo feroci crudelique, alienæ virtutis atque opum formidoloſo. Hinc familias antiquã vetuſtate inſignes deleuit non tam rapiendorum bonorum cupiditate incenſus, quam metu, ne aliquando aduerſarentur. Itaque extra leuiores opifices & ruſticos, nemo tum Rauennæ eſſe; ipſe, Eccleſiæ Romanæ, quam debebat penſionem, palam quidem ſoluere, addictumque ſe illi & obſequentiſſimum ſe oſtendere; cum tamen magis vultum quam animum bonum haberet, occulte illam oppugnaret, & in Flaminia Picenoque eius hoſtes ac perduelles iuuaret. In Prætura Rauennate ſucceſſit illi Guido filius, qui nihil prætermittebat, quod ad promerendam Pontificis & Egidij gratiam facere arbitraretur. *Rub. hiſt. Rauen. lib. 6.* Nonis Auguſti datis Auinione litteris, Innocentius, Egidio Epiſcopo Sabinen. gratulatus quod Foroliuium recuperaſſet, hortatus eſt ad reliqua Eccleſiæ Romanæ bona de iniquis poſſeſſoribus vindicanda.

Inter hæc Barnabas Vicecomes, Landiana ſocietate profligata ad dominium Bononiæ aſpirans, Aulegianum fratrem, vt certis pactis eam ſibi traderet, poſtulauit. Cumque is varie Barnabam luſiſſet, contra eum, duce Franciſco Areſtino Ferraria proſcripto, copias præpotentes eduxit: ſeque longo & difficili bello, multis acceptis illatiſque detrimentis implicauit: quod in agrum Bononienſem profectus, validiores quam putarat hoſtes inueniſſet. Nam Florentini, Piſani, & Principes Ferrarienſis, Mantuanus & Veronenſis, communicato conſilio cum Egidio Pontificis Legato fœdus renouarant, ea mẽte, vt defenſa Bononia duorum præpotentium fratrum vires non paterentur nimio plus creſcere. Hos, & præcipuè Barnabam, vt Imperator reprimeret, Innocentius datis litteris implorauit. *Iouius in Galleacio ſecundo. Villani lib. 9. c. 55. 56.*

VI. LABORAT INNOC. PER LEGATVM SVVM PRO COMPONENDIS DISSIDIIS INTER CASTELLÆ ET ARAGONVM REGES SED FRVSTRA

Hæc in Italia, Egidij conſilio cum agerentur, Petrus Caſtellæ Rex coniectans, quantum ille apud Innocentium Pontificem poſſet, exiſtimabat eiuſdem ſuggeſtione fieri, quæ in Caſtella experiebatur. Quamobrem omnia bona illius in Hiſpanis, nec non reditus & prouentus beneficiorum vi occupauit, neque vnquam reſtituere voluit, quamuis illum Pontifex monuiſſet. Itaque datis ad eundem Regem, Innocentius, *VIII. Idus Maii* literis, Egidium excuſauit, innocentemque criminum quæ obiiciebantur oſtendit. Inſuper Cardinali Legato iniunxit, qui innocentiam Egidij Petro probaret, & ad reſtitutionem ablatorum hortaretur. Miſerat hoc anno Innocentius Guidonem Bononienſem, Regio ſanguine ortum, S. R. E. Cardinalem Epiſcopum Portuenſem, Legatum in Hiſpanias, vt inter Petrum Caſtellæ, & Petrum Aragoniæ Reges bellum dirimeret, nec non Blancham Reginam à Caſtellano repudiatam eidem reconciliaret. Is Almaſanum appulſus, facta à Caſtellano dicendi poteſtate, inprimis literas Pontificias illi dedit: deinde in Caſtellæ Regum laudes effuſus, paulo poſt dolere Pontificem dixit, quod inter ciuilia arma ſacri belli cogitatio omitteretur, à Rege, oppreſſioni cognatorum & neceſſariorum, cum ſumma ignominia ſua, cum inuidia & luctu plurimorum intento. Igitur ſuadebat, à fera cæde abſtineret, coniugem lectiſſimam admitteret, pellices à ſe amoueret, Regi Aragonio conciliaretur, atque in impios potius arma conuerteret. Addebat Pontificem ipſum venturum, niſi ætatis incommoda aliæque curæ auocaſſent, tantopere ea cura ſollicitari. Ad hæc Caſtellæ Rex reponebat: Aragoniis ſe fraudibus circumuentum, imagineque pacis & amicitiæ ſpecie ſæpe deceptum. Vnam tantum concordiæ conditionem ſupereſſe, ſi perfugis regno prohibitis, nonnulla oppida Ferdinando auo ſuo minore ab Aragoniis iniuria occupata redderentur: præterea in belli ſumptus quingenta florenorum millia numerarentur. Id Pontificis voluntati, Legati ipſius precibus, nobilitatique dare. Adiit etiam Cardinalis Aragonium, nonnulla ſpe pacis conſtituendæ; quoniam de conditionibus agi cœptum erat. Verum ille aduerſarii culpa, bellum ſuſceptum excuſabat: priorem intuliſſe arma. De patria, auitaque regione ditioneq; quidquam diminui, intolerandum videri. Controuerſiæ modo arbitrium Innocentio Pontifici permiſſurum, quamuis lite olim datis iudicibus diiudicata. Tempus altercationibus trahebatur nullo fructu: Tetrum ſpectaculum vtramque gentem in mutuum exitium ruere, ſublata opitulandi poteſtate. Ne induciæ quidem, vt fierent, à Legato impetratum. Quamque vero Innocentius, Legato, *ad VII. Id. Iulii*, iniunxiſſet, vt ſi nihil proficeret, Auinionem reuerteretur, Legatus tamen nullam occaſionem prætermiſit, vt de pace Reges appellaret, Caſtellanumque de reconciliatione cum Blancha admoneret: nullo tamen fructu. Inter hæc Petrus Caſtellæ reſumpſit in ſuos arma, cædeſque repetiit. Inprimis

INHVMANA PETRI REG. CASTELLÆ IN SVOS, ET ALIOS REGNI PRINCIPES CRVDELITAS.

Ferdinandum Aragonium Henricum & Tellium fratres, nec non omnes qui in Aragoniam refugerant, abſentes maieſtatis & perduellionis crimine, inſigni quadam nota & ignominia damnauit: & quod omnem immanitatem ſuperat, effera vi animi Eleonoram Reginam amitam, nullo neque ſexus, neque dignitatis, neque propinquitatis reſpectu, necnon Ioannam Larenſem ſtirpis Regiæ fœminam Tellii fratris vxorem, in cuſtodia, crudeli morte affecit. Iſabellam præterea Iohannæ ſororem, quæ Iohanni Regis fratri nupſerat Blancæ in arce Seguntina detentæ adiunxit, Cæſarianumque vtramque transferri mandauit, nec multo poſt veneno necauit. Ab Henrico &

Tellio



Tellio fratribus, & Aragoniis copiis clade accepta, doloris vlciſcendi ſtudio furens, duos fratres ſuos, Ioannem decem & octo, Petrum quatuordecim natum annos, Carmonæ vbi vincti erant, interficiendos curauit, nulla miſericordia innocentis ætatis. Ex eo magna apud populum inuidia Regi facta, conflataque eſt; nulla vtilitate publica, nulla priuata iniuria, tot Principes vnius hominis, feré ſerius immanis ſæuitia conſumptos, omneſque in vno facto humanitatis, pietatis, religioniſque leges violatas. Scilicet obcæcabat diuina vindicta ferocem, vt in præceps corrueret, neque vim ingruentem declinaret. Nam inde multi viri nobiles ad Aragonios, animos adiecerunt, ex alieno exitio cogitantes nullius ſalutem in Caſtella tutam eſſe. *Secret. Innoc. hoc anno, Mariana lib 17. c. 23. Surita lib. 3. Roderic. Santius in Petro cognom. crudele.*

VII. DIVERSI IN ARAG. HÆRETICI NICOL. CALABER ET EIVS ERRORES.

Aragonum Regem, Deus victoriis ornabat, propter odium hæreticorum quo flagrabat. Namque eo interpellante, F. Nicolaus Eymerici Dominicanus, rerum fidei in Regno Aragonum Inquiſitor, authoritate Pontificia fretus, non ſinebat eos nedum pullulare, ſed nec etiam viuere. In his Nicolaum Calabrum plurimos errores ſeminantem damnauit, relapſumq; ignibus exurendum Magiſtratui ſæculari addixit.

Docebat prophanus, 1. *Martinum Gonſaluum Conchenſem; hæreſiarcham inſignem, eſſe Dei filium in cœlis ab æterno natum; quanquam in terris videretur patrem & matrem habuiſſe.*

2. *Eundem Gondiſaluum nunquam moriturum, ſed in æternum victurum.*

3. *Spiritum ſanctum futuris temporibus in carne aſſumpta naſciturum & ad prædicationem Gondiſalui, vniuerſum mundum nouam fidem crediturum.*

Addebat, 4. *Quod ille Gondiſaluus in extremo die iudicii, pro omnibus in peccato mortali decedentibus, ad inferi ſupplicia damnatis oraret, eiuſque precibus omnes liberarentur atque ſaluarentur.*

5. *Quod in homine tria ſunt: anima quam formauit Deus Pater; corpus quod Filius plaſmauit; & Spiritus, quem ſanctus Spiritus inſufflauit:* adducens illud ſacræ ſcripturæ; *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in eum ſpiraculum vitæ: & factus eſt in animam viuentem.*

6. *Dæmones inuocandos eſſe aſſeruit, ipſeque multoties inuocauit.*

VIII. GVNDISALVVS HÆRETICVS ET EIVS HÆRESES.

Plurima alia erronea, falſa, temeraria, periculoſa, & hæretica aſſeruit, digniſſima quæ vna cũ auctore flammis vrerentur.

Viuebat & blaſphemabat id temporis Gondiſaluus, inter alia aſſerens, 1. *Quod eſſet Germanus S. Mich.*

2. *Quod pro eo ſeruaret Deus locum deſertum Luciferi.*

3. *Quod ipſe eſſet prima veritas & ſcala cœli.*

4. *Quod ſingulis diebus hora deſignata ſcanderet cœlum & oſcularetur illud.*

5. *Quod aduenientem Antichriſtum ad ſingulare duellum prouocaret, & cruce Chriſti diademate ſpineo ornata impium proſterneret.* Toletanus Archiepiſcopus prophanum ignibus damnauit. *Franciſcus Diagus in hiſtor. Prouinc. Arag. Ord. Præd. lib. 1. c. 24.*

IX. DE BART. IANOVEZ. ET EIVS IMPIIS DOGMATIBVS.

Non ſaniora blatterabat, id temporis, Bartholom. Ianouezius, ab inſula Maioricarum ortus. Libellum condiderat, ex quo infraſcriptos errores de Antichriſto euulgabat.

*Primo, conſtituebat certum tempus aduentus Antichriſti, ac diem indicabat, quo ipſius diſcipuli in lucem prodituri eſſent: diem ſcilicet Pentecoſtes anni 1360,* non attendens ad illud Actorum; *Non eſt veſtrum noſſe tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.*

2. *Anno eodem deſignato, ceſſaret incruentum ſacrificium, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta.*

3. *Chriſtiani omnes libero arbitrio prædıti, qui ab Antichriſto peruerterentur, & ſiue in fronte, ſiue in manu charactere eius inurerentur, ſic immobiliter adhærerent doctrinæ illius, vt nunquam ad fidem Chriſtianam conuerterentur, aut poſſent conuerti, neque æternam damnationem vllo modo declinare valerent; quinimo flammis è cœlo demiſſis, exurerentur quod character ille tantam efficaciam in animabus eorum haberet, vt inflexibilis arbitrii eos obſtinatos efficeret.*

4. *Non modo Chriſtianorum infantes, ſed omnes etiam Iudæi, Saraceni, aliique cuiuſcunque ætatis infideles, ab Antichriſto aliquando ſeducti, eo tandem extincto, ad Chriſtum ſeſe conuerterent; non autem Chriſtiani, qui iam adulti, & compotes rationis Antichriſto adhæſiſſent. Adeo vt vniuerſa Eccleſia Iudæis aliiſque infidelibus conſtaret, quos ille aiebat conuertendos.*

Hos quoque errores F. Nicolaus Eymericus fatuitatis iudicauit, librumque publice exuri imperauit, Bartholomæo publice pœnitente, & prophanas nouitates eiurante. *Nicol. Eymeric. 2. parte direct. Inquiſ. q. 12.*

Hauſit hæreſiarcha falſitatis plena dogmata, à quodam Ioanne fratre Minorita; qui multa mala, ad annos Domini 1346. 47. 48. & 49. euentura ante prædixerat, quem tamen Innoc. Pontif. apud Auinionem, propter falſa vaticinia, in carcerem coniecerat. *Annal. Flandr. in Ludov. Maleano.*

X. FAVTORES QVONDAM LVDOV. BAVARI INNOC. PP. INCLINARE VOLENTES QVIBVS CONDITIONIBVS ADMISSI.

In Germania, hoc anno, ſucceſſores & fautores olim Ludouici Bauari melius ſapere, & Innocentio Pontifici inclinare voluerunt. Ludouicus Marchio Brandenburgenſ. & Stephanus Boii, necnon alij hæredes & complices, iam duodecim annos, cenſuras Eccleſiaſticas ſuſtinuerant, occaſionemque dederant, vt ſubditis eorum Sacra Eccleſiaſtica interdicerentur, quod Ludouico Bauaro, in Sedem Apoſtolicam vſque ad extremum vitæ furenti adhæſiſſent, ſuppetiaſque tuliſſent. Præter hæc Ludouicus Marchio Margaritam vxorem fratris Caroli Imperatoris viuente illo ſeductam, tertio gradu conſanguinitatis ſibi propinquam, in matrimonium ſibi adiunxerat: ob eamque rem Romanum Pontificem magis in ſe concitarat, vt is anathemate vtrumque damnare, ſacrorumque vſum in prouinciis in quibus inceſti cohabitarent auferre neceſſe habuerit; propter diſciplinam Eccleſiaſticam ſanciendam. Rudolphus Dux Auſtriæ nihil non egit, vt peruicaces, Sedis Apoſtolicæ authoritatem reuererentur, ac Innocentio Pontifici & Eccleſiæ Romanæ conciliarentur. Tandem frequentibus monitis euicit, vt benignitatem Pontificiam implorarent. Quam hic non niſi his pactis & conditionibus oſtendit, 1. *Monaſterium aliquod inſigne, pro pœnitentia flagitiorum, Ludouicus & Margarita extruerent, ornarent, dotarent. 2. Duas imagines argenteas fuſiles, non exigui ponderis, alteram Diuo Petro, alteram Diuo Paulo conſecrarent. 3. CCC. equites, vno anno, ſuis ſumptibus, aduerſus hoſtes Eccleſiæ Romanæ alerent. 4. Bona Sedi Apoſtolicæ, & omnibus Eccleſiis erepta, & in his Tridentinam ciuitatem duodecim annos occupatam nec non reliqua caſtra & oppida Epiſc. Tridentino, ac reliquis poſſeſſoribus reſtituerent, & damnorum illatorum ratione ſatisdarent.*

LVDOV. MARCH. ET COMPLICES ANATHEMATE SOLVVNTVR. SACRA RESTITVVNTVR.

Has conditiones cum in ſe Ludouicus Marchio recepiſſet, proque eo Rudolphus Auſtriacus ſingrapham manu propria ſcriptam Innocentio miſiſſet: ac poſtea Ludouicus, cum aliis coram Archiepiſcopo Salzburgenſi, Sedis Apoſtolicæ Legato, iureiurando interpoſito, illas ſpopondiſſet: tunc demum Innocentius Paulo, quem ex Epiſcopo Gurcenſi Friſingenſem creauerat, poteſtatem fecit, qui Ludouicum Marchionem, Stephanum Ducem, reliquos hæredes & complices anathemate exſolueret, & ſacra ablata prouinciis, ciuitatibus & terris omnibus illorum reſtitueret: deinde legibus Eccleſiaſticis Ludouicum & Margaritam inceſtos deuinctos diſpenſaret, & de nouo auctoritate Apoſtolica matrimonio illos ſociaret, vtque poſſent ſimul cohabitare permitteret.

Monachii, ſacris ſolemniter operatus, Epiſcopus, ea clementiæ Pontif. argumenta illis impertiuit, homines abſoluit, & interdictum relaxauit. Poſtulabat inter hæc Marchio, vt Lud. Bauarus à 12. annis defunctus, vinculo excõmunicat. quo ligatus obierat exſolueretur. Cæ[...]

quod

quod Epiſcopo, non tantum quantum ille deſiderabat conceſſiſſet poteſtatis Innocentius Pontifex, excuſauit ille, & cadauer extumulare è loco ſacro voluit; niſi Ludouicus & Stephanus prohibuiſſent, & Innocent. ſupplices ſe fore pernuncios pro patre decreuiſſent. *Cod. Columm. Vatic. Rebdorff. in annal.*

XI. STILLICIDIVM EX CORPORE B. WALP. ET S. WIMBALDI.

Qui etiam refert, hoc anno, ad 11. Kalend. Aprilis, ſtillicidium de reliquiis B. VValpurgis in monaſterio Eyſtetenſ. conſuetum hactenus manare ceſſaſſe, quod fures noctu intrantes monaſterium, cuſtodem Eccleſiæ defendentem res ſacratas grauiter vulneraſſent. Quatuor ſeptimanas vel circa ſalutaris ille liquor non fluxit. Et poſt octauas Paſchales appropinquante feſtiuitate eiuſdem virginis, manauit vt ante. Quo item anno in octaua Pentecoſtes, ex tranſlato corpore S. Vunibaldi confeſſoris apud Haydenhaimium pagum, ſtillicidium in magna abundantia manauit. Quemadmodum etiam in Anglia apud Pontem fractum, eodem anno, vt refert *Thom. VValſing. in hiſt. Anglic.*

SANGVIS EX TVMBA D. THOM. COM LANCASTRIÆ.

Sanguis effluxit de tumba Domini Thomæ quondam Comitis Lancaſtriæ. Cæterum iſtud accidit in deteſtationem immanitatis & impietatis Anglorum, quorum etiam copias in Carnuribus fuſa de cœlo tam imbrium, quam miſſæ grandinis horrida tempeſtas grauiter verberauit, viſumque eſt orbatæ atque oppreſſæ Galliæ, in quam Angli populabundi irruperant, cœlum ſuppetias veniſſe.

EDOVAR. ITERVM IN GALL. CVM EXERCIT.

Namque hoc anno, quod Ioannes Rex apud Edouardum Londini captiuus, conditionibus iniquiſſimis nollet ſubſcribere, neque Petragoricen. & Vrgellitanus Cardinales Legati quicquam poſſent apud victorem Edouardum obtinere, illis menſe Aprili ex Anglia reuertentibus, Edouardus cum quatuor filiis, vniuerſiſq; Angliæ viribus Caleſiam applicuit, perque medios Atrebates ac Veromonduos exercitu ducto, primũ Rhemos, deinde Luteriam obſidione cinxit. Inde Cathalaunicos, Niuernenſes, Tricaſſes, Meldoſque peruadens, populationibus & incendiis omnia fœdauit: cum miles nulli ætati, ſexui, aut ordini pepercisset, neque à violandis templis & ſacris ædibus ac perſonis ſibi temperaſſet.

HORRENDA ANGLORVM MILITVM LIBIDO ET SACRILEG.

Tanta libido hoſtium fuit, vt in quadam Eccleſia, inter Miſſarum ſolemnia, formoſam quandam fœminam inuenientes, tamdiu ibidem intemperanter cum illa egerint proſtrata, donec fatigata ſpiritum exhalaret. Non tulit Deus eam militum petulantiam, ſed cœleſti iniuria vindicauit, multis damnis illatis exercitui Anglicano. *Annal. Flandr. & VValſing ſup.*

XII. COMES ALENCON. ORD PRÆDIC. INGREDITVR

Ornauit hoc anno, in Galliis Dominicanum ordinem, Carolus Comes Alenconius Philippi III. Regis Galliarum ex Carolo filio nepos Regio ſanguine iuuenis, togam eiuſdem inſtituti, inter turbines Gallicanos inductus paulo poſt Archiepiſcopus Lugdunenſis. Eam vitæ electionem adoleſcentis Regii, ægre ferebant parentes, & ſi Pontifex nollet proſpicere, vim inferre parabant, vt è monaſterio eriperent. Sciuit iſtud Pontifex Innocentius & grauiter tulit, hancque adiunctam ſcripſit, *pag. 56. Secret. huius anni.*

## DILECTO FILIO NOBILI viro Ioanni Marchioni Montisferrati, ſalutem, &c.

LITERÆ INNOC. AD MARRCH. MONTISF. IN CAVSA CAR. ALENCON.

*NVper dilecta in Chriſto filia Maria Comitiſſa de Alenconio matris gerens officium, & maternæ pietatis affectu compulſa per ſuas literas & proprium Nuncium, quem etiam duxit, vt credimus, ad tuam præſentiam deſtinandum, nobis humiliter ſupplicauit, vt cum dilectus filius nobilis vir Carolus Comes de Alenconio primogenitus eius nouiter ſæculari relicto habitu, Fratrum Prædicatorum ordinem fuerit ingreſſus; ex quo quidem ingreſſu Comitatus ſuo eiuſque ſubditis & vaſallis conſideratis conditionibus, partium illariumque continuis guerrarum turbationibus, & hoſtilibus diſcurſionibus opprimuntur, nec non eorum qui caſtra & fortalitia dicti Comitis cuſtodienda & tenenda eius nomine ab eodem Comite ſuſceperint, damna plurima & deſolatio maxima poſſent veriſimiliter prouenire, prouidere ſuper hoc, & maternis afflictionibus compati miſericorditer dignaremur. Nos vero licet præfatæ Comitiſſæ eiusque filiis complacere quantum cum Deo poſſumus, ac vaſallorum & ſubditorum dicti Comitis ſecuritati & quieti prouidere plurimum affectemus, nihilominus animarum ſalutem & vocationem Domini ſæcularibus deſideriis & inanibus huius mundi honoribus præponentes, nobilitatem tuam rogamus attente, quatenus ab eodem Comite cures ſui propoſiti ſeriem diligentius indagare. Quod ſi illum inueneris Euangelica proſequi conſilia, & mundum cum pompis & fallacibus ſuis illecebris voluiſſe & velle conſtanti perſeuerantia relinquere propter Deum, nos laudabile propoſitum ſuum multipliciter in Domino commendantes, nullatenus eum volumus ab inceptis diſtrahi, aut etiam aliquatenus impediri. Quinimo noſtris eum conſiliis ad conſummanda quæ cœperit exhortamur, & per te cupimus ſimiliter exhortari, eamque egregij Doctoris Hieronymi ſententiam ſuis quotidie auribus inculcari; Per calcatum patrem eſſe pergendum; & licet vbera quibus nos nutrierat mater oſtendat, ad vexillum Crucis ſiccis oculis eſſe euolandum. Si vero quod abſit, iuuenilis ei hoc leuitas perſuaſerit, ac deinde vel complexionis ſuæ debilitas, vel forte ignota ſibi prius religionis aſperitas, ex nunc ſibi perſeuerantiam interdicant, tunc eum tutioribus præuenire conſiliis, & debita prouidentia præmunire; vt ne peior priore in poſterum foret error, dum licet ante ſtatutum à iure profeſſionis terminum futura prouideat, & ſibi ac ſuis pro rerum grauitate conſulat, eadem nobilitas tua velit. Datum apud Villam Nouam Auin. Diœceſ. 10. Kal. Iul. anno 7.*

Hæc Innocentius Pontifex, in cauſa Caroli Alenconii ſcribebat. Qui poſtea non tam propter generis nobilitatem, quam morum probitatem, ad Eccleſiam Lugdunenſem regendam Archiepiſcopus creatus, quantum educatio religioſa illi ad ſummam virtutum contulerit, abunde oſtendit.

XIII. DE VITA ET MIRACVLIS B. EVPHEM. DOMICILLÆ ORDIN. S. DOMIN. EX STIRPE REG. POLONIAE.

Par huic nobilitate generis, Euphemia Domicilla, Leſci Ratiboriæ Ducis, ex Regum Poloniæ ſtirpe, nata, eundem ordinem Diui Dominici profeſſa, hoc anno ad Chriſtum migrauit. Hæc ab ipſa ferme infantia, virginitatem ſuam Chriſto virginum ſponſo conſecrauit. Teneros pueritiæ annos, innumeris virtutum coronis ornauit: nempe orandi & contemplandi in noctes vſque ſtudio protenſo; carnis per inediam, inſomnia, duritiem lectuli, diſciplinas vſque ad profuſionem ſanguinis, cilicii, imo & cathenæ ferreæ geſtationem perpetua maceratione; mentis humilitate demiſſa; pectoris munditia; cogitationum ſanctimonia; cordis erga ſaluatorem ſuum amore fragrantiſſimo; vſu ſanctiſſimi Sacramenti frequentiſſimo, mirabilique innocentia vitæ vniuerſæ. Annum excedens duodecimum, in matrimonium expetita fuit à Duce Brunſuicenſi, & Marchione Brandenburgenſi: quod illa conſtanti animo repudiauit, iam nobiliori, ſpecioſiori, ditiorique ſponſo Chriſto olim deuota. Diuinis reuelationibus & apparitionibus, non ſemel dignabatur. Ante religionis ingreſſum vna noctium in oratione perſeuerans, & poſtmodum è feneſtra cubiculi ſui, verſus Eccleſiam S. Spiritus ſororum Clauſtralium Ratiboriæ ab arce proſpiciens, trinos radios inſoliti luminis, ſupra illam Eccleſiam è cœlis deſcendere, inque medio radiorum columbam niuei candoris, in cuius ſpecie diuinus ille Spiritus deſcendere ſolet, intra monaſterii tecta delabentem vidit. Dum religionis habitum inter Miſſarum ſolemnia ſuſciperet, à tempore quo ſacra hoſtia fuerat à Sacerdote eleuata, ad vſque ſacram communionem, qua illa quoque reficiebatur, Angelorum concentus in aere, ab omnibus circumſtantibus auditus eſt; index lætitiæ, quam cœlites de hac Diua cœlibe conceperant. Adiecta illi religionis veſte, adiecit quoque illa virtutum exercitio indefeſſos conatus. Dotis nomine oppidum Iauoroum, cum ſeptem pagis ampliſſimis ſibi à parentibus relictum, religioſiſſimo illi Monaſterio donauit. Quod indigne ferendo poſtmodum Ianuſſii patrui ſui Nicolaus filius Dux Ratiboriæ, bona hæc opulenta per ſcelus inuaſerat, occupauerat, & propria ſibi fecerat: nec quicquam in eum & in filios ipſius Wenceslaum



ceslaum & Ianuſſium, ſceleris paterni complices: Apoſtolica cenſura prolata, efficiente, aut metum incutiente. Quo in ſtatu, in ſumma pauperie & patientia cum aliis ſanctimonialibus viuens Euphemia, & miraculis præfulgens, ac Prioriſſæ officio defungens, ad concupitos Ieſu Chriſti complexus migrauit. XVI. Calen. Febr. anno Domini 1359. In morbis, naufragiis, & neceſſitatib. quam maximis inuocata, plurimis miraculoſe ſuccurrens, magna apud Ratiborienſes, veneratione habetur. Ingruentes quoſuis caſus Ciuitati, vel Monaſterio ſororum, quemadmodum & mortes ſanctimonialium, intra ſepulchrum, aliquot ante diebus percuſſo lapide ſepulchrali ſolet portendere, & futuri euentus admonere. *MS. expedition. prouincial. Prouinciæ Poloniæ Ord. Præd. Miechouius in Chron. Polon. Martyrolog. & tradition. Monaſter. Ratiborien.*

XIV.

Non eadem felicitate, filiæ Petri Regis Trinacriæ, apud Ludouicum Regem Siciliæ victorem, qua & Euphemia, & Carolus, apud Regem Sæculorum, animorum Triumphatorem. Gemebant illæ Neapoli captiuæ, clementiam victoris Ludouici implorantes: necnon Innocentii Pontificis vindicatoriam authoritatem flagitantes. Innocentius porro, qua præditus erat tum cõpaſſione, tum æquitate hãc quam ſubiungo epiſtolam, Ludouico, pro calamitoſis ſcripſit: dignam quæ à victoribus, & à non victoribus, præſertim curioſis, quo in ſtatu res Siculæ his temporibus eſſent, legatur. Ita habet *pag. 61. Secret. huius anni.*

## Excellenti Principi Ludouico Regi Siciliæ illuſtri ſpiritum, &c.

EPISTOLA INNOC. PP. PRO FILIABVS REGIS TRINACRIÆ AD LVDOVICO REGE IN CAPTIVITATE DETENTIS.

*Licet pro liberatione dilectarum in Chriſto filiarum Nobilium mulierum Blancæ & Violantis puellarum natarum quondam Petri claræ memoriæ filii Frederici Regis Trinacriæ, per alias noſtras literas manſuetudinem Regiam rogandam duximus & hortandã, noſtra tamen precamina impellentib. nos paternæ pietatis effectibus, nec minus & Regalis excellentiæ decentia propenſius iteramus. In proceſſu ſiquidem bellico per te habito contra obſtinatam rebellium perfidiam Siculorum, ſatis quod non ſine mentis exultatione referimus vſque modo benigne annuit diuina prouidentia votis tuis, & ſperamus eandem ſi dona eius magnifice tibi impenſa integratitudinis recognoſcas, glorioſum tam nobilis rei exitum tuis manibus reſeruaſſe. Verum illud te latere non debet, ſi geſta Principum intra tui pectoris clauſtra debita meditatione reuoluas, inter cætera laudum præconia illud eſſe potiſſimum, quod poſt habitam per Duces exercitus felici ſucceſſu victoriam, ac ſopito furore certaminis exhibeatur humanitas in captiuos. Hinc enim nonnulli de numero Principum famoſorum, quorum laudabilia debes imitari veſtigia, illos etiam quos victoria captiuos fecerat liberos ad parentes & patriam ſine vllius redemptionis grauamine remittebant ſicque ipſi qui vicerant humanorum ſæpe pietate caſuum vincebãtur. Nã & de fœminis captiuis quid attinet dicere, quarum nonnullas ad ſuos ab hoſtibus rediiſſe conſtat, non tantum liberas, ſed dotatas? Hæc omnia diximus, vt ad rem præcipue ad quam noſtra dirigitur intentio veniamus. Non ſunt enim duæ infantulæ digna ſpolia, in quibus gloriari habeat Regia celſitudo. Magis ad excellentiæ tuæ laudem, Deo potius per te quam tuis viribus aſcribendam fuerat nobilis ac populoſa ciuitas Meſſanen. quo obſtinationem tandem ſuam debitæ fidelitatis obſequio recompenſans, ditioni tuæ colla ſubiecit humiliter vt decebat, vt ciuitates alias, caſtra & loca Inſulæ Siciliæ, quæ prius etiam in debitam fidelitatem venerant, taceamus. Adde etiam quod prædictas puellas non mediocre tibi vinculum conſanguinitatis aſtringit, vt quaſi tuum ſanguinem in illis videaris potius captiuaſſe. Etſi enim, prout ad noſtram audientiam grata fama perduxit, tu illas benigne tractaueris & Regia benignitate pertractes, donec tamen alieno tenentur arbitrio, dici non poſſunt, quantacumque familiaritate & indulgentia foueantur, liberæ ſed captiuæ. Nos igitur attendentes, quam ſit Deo gratum pariter & acceptum, ac Principum famæ conueniens, quod humanitatis & benignitatis ſpiritus, Regiam magnitudinem comitetur, Serenitatem tuam ſicut iterum ſic attentius rogandam duximus & hortandam, quatenus diuinæ pietatis intuitu noſtrorumque precaminum interuentu, de Regiæ manſuetudinis plenitudine prædictas puellas reſtituas plenariæ libertati: vt ſicuti in præfati belli Siculi magnificis cœptis, felicibuſque ſucceſſibus, fauente Domino titulus Tuæ poteſtatis extenditur, ita eodem inſpirante Regiæ pietatis liberalitas non minus quam victoria prædicetur. Quod ſi præfatæ liberationi annuendum duxeris, vt ſperamus, ecce per dilectum filium Magiſtrum Laurentium Taſſonis de ciuitate Sancti Angeli latorem præſentium, quem ad tuam propterea præſentiam deſtinamus, de puellis ipſis, quo & quibus comitatu ac vehiculis reduci habeant, debito ordine diſponetur, Dat. apud villam-nouam Auinionen. diœceſ. Calend. Iunii anno VII.*

XV. LVD. REX SICIL. EX COMMVNICATVS OB NON SOLVTIONEM CENSVS ROM. ECCL. DEBITI.

Hæc Innocentius Pontifex, pro liberatione innocentium Petri filiarum, Ludouico Regi Siciliæ conualeſcenti ſcribebat. Nam ante hos menſes, adeo valetudine aduerſa conflictabatur, vt de eius ſalute fuerit deſperatum. Committebat tunc Pontifex, Neapolitano & Beneuentano Archiepiſcopis, vt cenſuris Eccleſiaſticis, propter non ſolutionem cenſus Romanæ Eccleſiæ debiti obnoxium exſoluerent, in mortis articulo conſtitutum; nec non ad tempus ei vrbi, in qua contigiſſet illum ſepeliri, ſacra Eccleſiaſtica reſtituerent. *Dat. Auin. 3. Cal. Martii.*

XVI.

Hoc anno, in regno Poloniæ, controuerſiæ quædam de iure decimarum, de iure Eccleſiaſticorum iudicum, de viſitationibus, & exactionibus Archidiaconorum, præpoſitorum & paræcorum, de nouis paræciis inſtituendis, de moderatione immunitatis Clericorum, ac de ſemeſtribus vacantiarum paræciarum reditibus, qui iam inde à Naucleſo Epiſcopo in inſtaurationem Baſilicæ Cracouienſis vſurpabantur, inter Bozentam Epiſcopum Cracouienſem, & nobilitatem Cracouienſis & Sendomirienſis conuentus exortæ, interueniente Rege & Iaroslao cognomento Bogoria Gneſnen. Archiepiſcopo extinctæ ſunt: & Lublinenſis, Lucoulenſis ac Secechouienſis territorii homines, propter vaſtitatem ex Tartarorum & Lituanorum crebris excurſionibus, immunitate decimarum ſpatio triginta annorum donatæ. *Cromer. Polon. rerum lib. 12.*

Quo etiam anno, Cardinalis Florentinus Innocentii Pontif. Commiſſarius, menſe Octobri, ſententiam pro Archiepiſcopo Rigenſi, aduerſus Theutonicos Beatæ Mariæ milites tulit, quod bona nonnulla illius Eccleſiæ occupaſſent. *Richard. Cluniacenſ. in Innocent. Pontif.*

XVII. PIAM MILITIAM CONTRA TVRCAS IN ORIENT. EDICIT.

Turcæ, per id temporis Orientem infeſtabant. Contra quos cum *Ioãnes* Palæologus Imperator auxilia poſtularet: Innocentius, piam militiam pro more aliorum Pontificum, ad defenſionem Chriſti fidelium, & præſertim ad vrbis Smyrnæ tutelam edixit, ac Petrum Epiſcopum Coronen. Sedis Apoſtolicæ Legatum in Imperio Conſtantinopolitano; exercitui Cruceſignatorum præfecit. *V. Idus Maii Auinione ep. 27.* Quo etiam tempore, aduerſus hæreſes Neſtorianorum, & nouorum Manichæorum, inter Chriſtianos Tartaros exurgentes nonnullos Inſtituti Dominicani Fratres, Quæſitores Fidei in terris Tartarorum conſtituit. *ep. 51.*

XVIII.

Eodem ipſo anno Innocentius pro grauiſſimis Eccleſiæ Romanæ negotiis, Ægidium Cardinalem Epiſcopum Sabinum, Legatum in Siciliam ire iuſſit. *ep. 13.* & Abbati S. Georgii Venetiarum, vt corpora ſanctorũ Martyrum Hermagoræ & Fortunati, ab Eccleſia Gradenſi, per Aquilegienſ. Patriarcham ablata, & in caſtro Caſæmatæ Aquilegienſis diœceſis recondita, authoritate Apoſtolica iuberet reſtitui, & ad Gradenſem Eccleſiam referri. *XV. Cal. April.*

XIX. VITA ET OBITVS B. ALBERTI BESVTII CONFESSORIS.

Hoc ipſo anno ad cœlos emigrauit, B. Albertus Beſutius Confeſſor, in monte quodam lacui Verbano imminente. Hic ex Beſutia familia ortus, Ioannis XXII. Pontificis temporibus, augendis per fas & nefas opibus imprimis operam dabat. Cæterum ſemel intra Verbanum lacum, ob repentinam ac ſæuiſſimam exortam tempeſtatem, in ſummum diſcrimen adductus, vitam in melius ſe commutaturum vouerat, ſi incolumis euaſiſſet. Sedata poſt votum tempeſtate, Albertus domum reuer-

reuerſus vſuras reſtituit, bona ſua pauperibus erogauit, & ab vxore, quæ & ipſa continentiam vouens in Monaſterium ſeſe abdiderat licentiam ſolitariæ vitæ agendæ nactus, in montem excelſum, lacui Verbano imminentem, non ſine ingenti labore manibus pedibuſque reptans aſcendit; nihil ſecum aliud præter ciſtam, lagenam, & funiculum ferens. In eo monte ſpeluncam capacem reperit, in qua diu vitam eremiticam exercuit, nonniſi modicum panis à præternauigantibus ciſtulæ impoſitum recipiens, & aquam potui neceſſariam lagena demiſſa exhauriens. Inter hæc grauiſſimas dæmonũ tentationes & inſidias Angelica viſione roboratus ſuperauit. Cum autem ab Angelis paſtus ciſtam lagenamque per multum temporis demittere ceſſaſſet, eaq; propter à nauigantibus & incolis finitimis mortuus crederetur, ſplendor quidam inuſitatus circa illius tugurium apparens, quo tempore ingens peſtilentia graſſabatur, ſacerdotem quemdam induxit, vt Albertum adhuc viuere crederet, ac populis finitimis ſuaderet, ad illum accurrerent, vt opem illis in tanta calamitate ferret. Nec mora: multis adhibitis machinis monte tandem conſcenſo, Albertum haud longe à ſpecu digreſſum reperiunt, orantque vt ſuis apud Deum precibus populo ſubueniret. Hic arctioribus vſus ieiuniis, cum aſſiduis Deũ, ac Diuam Catherinam Virginem & Martyrem precib. interpellaſſet, ab Angelo ſibi apparente audiuit, fore vt lues ceſſaret, ſi templum prædictæ Virgini & Martyri eo in loco excitaſſent: viditque poſt Angeli diſceſſum, quadratæ formæ ſaxum ſanguine viuo conſperſum, formam ædificandæ Eccleſiæ præſeferens. Poſt octauũ diem, reuertentibus iuxta condictum populis, Angelicum reſponſum cum eis expoſuiſſet Albertus, ac illi ſacrum ædificium inchoaſſent, à grauiſſima peſtilentia liberari meruerũt. Albertus poſt hæc, ſenio, vigiliis & laboribus confectus, ac febre correptus, animam Deo reddidit III. Non. Septembris. Corpus eius aliquanto poſt effoſſa terra in ſarcophago marmoreo repertum, ſuauiſſimum odorem ſpirauit, inque ſacellum S. Catharinæ translatum eſt, Deo multa beneficia ad eius opem confugientibus conferente. *Ex vita B. Alberti, Papiæ excuſa anno Domini 1601.*

## IESV CHRISTI Annus 1360.

### INNOCENTII PAPÆ. VI ANNO 8. Caroli IV. Imper. Roman. anno 5.

I. Edovardus Rex tempeſtate territus animum ad pacem adiicit.

CArolus Normanniæ Dux, Ioannis Regis filius, nihil non egit hoc anno, vt patrem captiuum ab Anglo recuperaret. Itaq; ad Edouardum miſit ex conſilio Procerum Legatos, qui de pace agerent. Miſit & Carolus Imperator aliquot ex ſuis Principes, & imprimis Innocentius Pontifex, Androinum Abbatem Cluniacenſem & Nobilem virum Hugonem Gebenenſem, Dominum Hantonum deſtinauit, qui liberationem Regis Galli procurarent. Actum eſt varie, & vix videbatur poſſe inter Reges concordia coire. Nam Anglus hoc ſibi plane propoſitum habebat, iure ſibi Galliam deberi. Dum ita conſultaretur, prope Carnutenſes quod portenti miraculique loco Anglis fuit ſubito coorta tempeſtas, quæ & homines & equos inſolitæ magnitudinis grandine ac ignibus cœleſtibus proſtrauit, ita Edouardum propoſiti pertinacem commouit, vt ad B. Virginis Carnutum Præſidis ædem verſus, procumbenſq; veniam incendiorum, cruoriſque in Gallia hauſti poſceret, votumque faceret, ſe velle animum ad pacem adiicere, ſi modo ea tempeſtas diuinitus emiſſa ſedaretur.

II. Conditiones pacis.

Ad extremum tandem conuenit his conditionibus oblatis, ſuſceptis, iureiurando vtrinq; dato, atque Romani Pontificis authoritate firmatis. *Vt duo Edouardi Rex filiuſque remitterent Regi Gallo ſi quid iuris in Andes, Turones, Cenomanos, Normaniamque haberent. Anglis Aquitania redderetur, ſed iis finibus, vt ei Vaſconia & nonnulla alia contributa forent. Additum, vt caueretur, illa eo iure omnia Anglus haberet, quo quæ optimo. Rex Gallus intra certam diem, ea pluſquam annua erat, ſummo in Aquitanos imperio iureque cederet. Anglus viciſſim iureiurando, itidem ſolemni exueret ſe iure ſi quod illi in regnum Franciæ, ſummumque dominatum ſpemque hæreditarii diadematis extitiſſet. Numerarentur etiam Edouardis tricies centum ſcutatorum millia: deducerentur vtrimque exercitus, præſidia, milites. Interea darentur obſides duo filii Ioannis Regis, Duces Andium Biturigumque Ludouicus & Ioannes cum alteris duobus ducibus, Petro Alenconio, Borbonioque Ludouico.* His conditionibus, ac datis quos conuenerat obſidibus, Edouardus Ioanne dimiſſo in Angliam rediit.

Ioannis Gall. Regis liberatio.

Deoque gratiis peractis, quod repentina illa tempeſtate cum horrendo cœli fragore miniſque ſæuis exorta, admonitus ad concordiam inclinaſſet, & bellorum curis ſolutus eſſet, Diuo Georgio Ordinis ab ſe inſtituti præſidi votiuum templum intra Caſtrum Vindeſorium condidit, ibique ſacerdotum collegium inſtituit, quod & ampliſſimis poſſeſſionibus locupletauit. Iohannes Rex in Gallias reuertens, Pontificem inuiſit, eoque hortatore ſacram militiam profeſſus eſt, & pietatis cauſa, & vt omnem Galliam cõfluge militum liberaret, illoſque in verum hoſtem duceret. Nam deducta præſidia, cum in vnum coiiſſent, fortunas reliquas agreſtium agebant, ferebantque paci agriſque infeſta, ac vrbibus formidoloſa. Pace ad eum modum compoſita, Innocentius datis literis Anglo congratulatus eſt. Et quod Androinum Abbatem pacarium, poſtulãte vtroque Rege inter purpuratos referre per id temporis non poſſet excuſauit. *Epiſt. Innoc. 4. Non. Mart. & 6. Cal. Ianuari. Froſſardus li. 1. Æmilius in Ioanne 1. Guagninus lib. 9. de reb. Gallicis. Polydorus Virgil. hiſt. Anglic. lib.* 19.

III. Archiep. Viennen. ob ſcelera gradu movet. Innoc.

Inter eos bellicos tumultus, Petrus Archiepiſc. Viennenſis, dignitatis quam ſuſtinebat immemor, grauiſſimis ſceleribus ſeſe inquinauerat. Criminum cõuictum, Innocentius Pontifex diſciplina Eccleſiaſtica percuſſit, gradu mouit, nec niſi ſexcenta annua ſcuta in victum illi aſſignauit, data ad beneplacitum Apoſtolicæ Sedis Eccleſiæ Viennenſis adminiſtratione, Franciſco tituli S. Marci presbytero Cardinali. *ep. 5. Cal. Iulii.*

IV. Ad turbas in Italia compeſcendas animum advertit.

Pace Galliis & Angliæ reſtituta Innocentius, ad res Eccleſiæ Romanæ in Italia turbatas componendas animum aduertit. Campaniam & maritimam Prouincias nonnulli ſeditioſi dominio Sedis Apoſtolicæ ſubtrahere volebant. Romę quoque alii omnia miſcebant, poſt mores agreſtiores Thomæ Spoletini, eo anno Senatoris. Septem reipublicæ reformatores, qui Senatus poteſtatem magiſtratumq; gererent, creauerant, ad finem ſuperioris anni exorto tumultu. Romanos tantiſper Innocentius demulſit, præfecto eis Senatore Hugone Luſignano Rege Cypri, qui ab expeditione Turcica in vrbem venerat, & maiora à Chriſtianis authoritate operaque Pontificis præſidia expectabat, vt ſi Spoletinum exoſi fuerant ruſticum hominem, Regum nobiliſſimum omni ſtudio amplecterentur. Non diuturna Hugoni ea dignitas fuit. Fatis functus eſt hoc anno, eique Petrus filius in Regni adminiſtratione ſucceſſit. Cui ad IV. Cal. Iulii Innocentius compaſſionis plenas ſcripſit. Ad illos reliquos in officio continendos, Pontifex Bon-Ioannem Epiſcopum Firmanum Rectorem deſtinauit, & Honoratum Comitem Fundanum, qui eos armis paratis comprimeret, admonuit *XV. Calen. Iunii*, & Blondus decad. 2. lib. 10.

V. Bononia Sed. Apoſt. Legato reſtituitur et ab eo contra Barnabovem Vicecomitem ſtrenue defenditur.

Difficiliora in Æmilia emerſere, à Barnaba Vicecomitum potente. Ioannes Aulegius Vicecomes, illum grauiter offenderat, quod Ferrarienſis paci ſubſcripſiſſet. Contra hunc Bononiæ imperantem Barnabas arma mouit, ea intentione, vt Bononiam Pontifici detraheret. Aulegius deſperata ciuitatis defenſione, Egidio Cardinali Sedis Apoſtolicæ Legato Bononiam permiſit,





Firmo, Piceni agri vrbe in poſſeſſionẽ accepta. Ad XIX. Cal. Feb. huius anni tumultu graui in vrbe conflato, repente ex arce Aulegius vexilla Eccleſiæ atq; Egidii protulit, atq; Idibus Martii Petrum Nicolaum Farneſium, exercitus Pontificii Ducem recepit. Egidius die D. Simonis feſto, carrocio obuiam miſſo, honorifice ab occurrente ciuitate acceptus, Bononiam introiuit, nomineq; Eccleſiæ Romanæ poſſeſſionem iniuit. Barnabos vero tantam ſibi ciuitatem præreptam minime ferens, comparato ſtatim veteranorum militum exercitu, Bononiam circumſedit, contra, Egidius, magno præſentique animo ad excipiendam belli huius molem ſe parauit, tanta vi, tantaq; conſtantia, vt facile omnes difficultates ſuperaret. Pontifex porro, Guidonem Bayſium Legum Doctorem, & cauſarũ ſacri Palatii Auditorem, Nuncium ad Carolum Imperatorem, & principes Italiæ ac Germaniæ, ad Ioannem Delphinum Ducem Venetum, Guidonem & Hugolinum Gonzagas Dominos Mantuæ, Franciſcum Carrarium Dominum Patauii, Ioannem Buccanigram Ducem Ianuæ, Matthæum Aſculanum Ordinis S. Angeli, ad rempu. Florentinorum, nec non ad Regem Vngariæ Ludouicum, & ad Ludouicum Brandeburgenſem Marchionem deſtinauit, omnibuſq; ciuitatibus Italiæ ſcripſit, vt Egidio Legato contra Barnabam auxilia ſubmitterent. *ep. VI. Cal. Maii.* Malateſtani cohortes non contemnendas Legato ſubmiſere: Ludouicus etiam Rex ex Vngaria validas copias equitum præfecto Simone Comite ſuppetias miſit. Fœderatæ ciuitates ingentes turmas, Vgolino Gonzaga Imperatore in agrum Inſubrum ire iuſſerunt, rati Barnabouem fraterno periculo adductum Bononienſi agro detrahi & trans Padum reuocari poſſe. Tulit Cardinalis fortuna Barnabouem in Salariæ vico à ſociorum bello copiis ſuperari, adeo vt multi ex fortioribus eius exercitus ceciderint, & plurimi capti. ipſe Barnabas manum ſancius vix fuga euaſerit. *Pign. li. 4. Blondus deca. 2. li. 10. Ian. in Barnaba.* Sexto Idus Maii, Innocentius Aulegio, Antianis, & ciuibus Bononienſibus gratulatus eſt, quod vrbem ditionis Eccleſiaſticæ, Legato Sedis Apoſtolicæ reſtituerint.

VI. Innocen. litteras ſcribit adminiſtratori Archiep. Raven. adverſus Barnabovem per totam provinciam Raven. divulgandas.

Non defuit etiam Pontifex, quin ad prophana militariaque, auxilia adiungeret ſacra, & ad Fortaneriũ Rauennatis Archiepiſcopatus Adminiſtratorem, Auinione VIII. Cal. Septembr. literas aduerſus Barnabouem ſcriberet, omni Rauennate prouincia diuulgandas. In iis Pontifex altius exorſus, ſcribit, *Iohannem XXII. Summum Pontificem inhibuiſſe, ne quis Romanæ Eccleſiæ prouincias, Flamminiam, Picenum. Ducatum Spoletinum, Patrimonium B. Petri in Tuſcia, Latii regionem Campaniam appellatam, ac maritimam turbaret, occuparet, turbantibuſue aut occupantib. auxiliaretur. Qui ſecus feciſſet is omnibus mulctaretur dignitatibus: filii & nepotes ad ſacerdotia minime habiles eſſent. Eadem confirmauit Clemens VI. & diuulgari iuſſit. Cumque Ioannes Archiepiſcopus Mediolan. occupaſſet Bononiam, eum, illiuſque ſtudioſos lege illa teneri declarauit. Quamobrem Ioannes de Sylua è S. Miniate, popularis, Lucanæ diœceſis, & Guillelminus Arimundus Parmenſis, iuriſconſultus, Barnabouis, Matthæiq; Vicecomitum fratrum, ipſius Archiepiſcopi fratris genitorum procuratores, in Cardinalium ſenatum publice introducti, & apud ipſum Clementem Pontificem profeſſi, vrbem illos Bononiam & quadam alia in Flaminia, ad Sum. Pont. & Eccleſ. Rom. ſpectantia occupare, & alia loca inuadentibus fauiſſe, ſupplices poſtularant: cum paratos ſeſe dicerent ad parendum, vti eos abſolueret. Itaque Clemens illos ante, ita vt dictum eſt iuratos, abſoluit, ea conditione, vt ſi quid denuo ſimile tentaſſent, occupaſſent, eadem lege tenerentur. Cæterum eius ciuitatis tranquillitatem ſummopere expetens, Archiepiſcopum ad certum tempus, in quo ſi moreretur, Barnabouem & Matthæum, in reliquum temporis ſubſtituit, ſuos & Romanæ Eccleſiæ ibidem Vicarios, & Gubernatores fecit: ipſique Vicecomites per procuratores primo, deinde ipſimet ſacramento polliciti ſunt, aduerſus Pontificem Maximum, & Eccleſiam Roman. arma numquam ſumpturos, ſed ſtaturos ab illis, exterminaturos hæreticos, libertatem conſeruaturos Eccleſiaſticam, vrbem Bononiam ex ipſis legibus ciuitatis gubernaturos, Eccleſiæ loca non occupaturos: tamen haud ita diu poſt, iis ſpretis, ciuitatem Obitum & oppidum Bittonum Spoletinæ diœceſeos occupaſſe, damna incolis attuliſſe, Archiepiſcopum dum vixit, & eo mortuo Matthæum qui illi ſucceſſit, Bononiæ nequaquam iuxta illius leges ſed contra præfuiſſe, quoſdam ciues nobiles extremo affeciſſe ſupplicio, alios relegaſſe, eorum ſibi rapuiſſe bona, tributa inclementer impoſuiſſe exegiſſeque: & quamquam erant iis quas diximus legibus adminiſtratione Præfecturaque mulctati, Bernabos, Matthæo interim vita functo, ſeſe adhuc Vicarium ſimulans, Bononiam ex ipſius elapſam manibus inuaſiſſe, ciues tributum conferre coegiſſe, demum cum Ioanne Olegio milite Mediolan. qui tum ea potiebatur, nulla à Pontifice impetrata venia tranſegiſſe, Ioannem eam ſe vrbem retenturum, libertateque Eccleſiaſticæ penitus obtrita, ſacratis viris lociſque tributa imperaſſe ac mortem obtuliſſe, bellum grauiſſimum magno conſcripto exercitu pro recuperanda illa vrbe mouiſſe: Crepacorum, Caſtrum Francum & pleraque alia ditionis Bononienſis loca hoſtiliter & per proditionem capi curaſſe, caſtello ad Rhenum excitato, ipſam S. Mariæ diſturbaſſe canonicam, Ordinis Auguſtiniani Canonicis inde exactis. Quamuis autem Egidius Legatus ac Vicarius, Barnabouem primo, antequam ea in manus Pontificis rediret ciuitas per certos ſuos, & deinde etiam vbi magnis impenſis ac laboribus recepta eſt, quo Romanam Eccleſiam vt matrem ac Dominam recognoſceret, per Legatos atque internuncios de reſtituendis oppidis, & oppugnatione exercituque dimittendo ſæpe monuit, illi pollicitus atque etiam Gualdaſio Louabello Cremonenſi, quem Barnabos procuratorem ſuum ad Pontificem deſtinarat, non modo ſummatim ius ſe dicturum, ſed gratiæ daturum locum ſi quid illi ea in vrbe iuris eſſet: ipſe tamen nihil horum efficere, ac potius vrgere indies obſidionem, premere incolas, agros vaſtare, maiora dare omnibus ſacris ſuburbanis ædibus detrimenta, excitatumque ad Rhenum caſtellum retinere. Quæ quamquam erant nota, mandaſſe tamen Guillelmo tituli S. Mariæ trans Tyberim Cardinali, vt ea diligentius inueſtigaret, & referret ad Senatum; Guillelmum autem id accurate feciſſe, veraque eſſe retuliſſe.* Pontifex igitur per has literas Bernabouem, ac illius ſtudioſos monuit, vt intra quadrageſimum diem deducerent ab ea vrbe, illiuſque agro exercitum, cohiberent damna, oppida Egidio Legato, aut Braſco Fernandi, Rectori Piceni, ac eiuſdem ciuitatis pro Rom. Eccl. Vicario reſtituerent: alioqui omnem ſe abſolutionem reſcindere, atque irritam facere.

Has acceptas à Pontifice litteras, Fortanerius & palã recitauit ipſe, & ad ſubiunctos ſibi (ſuffraganeos appellant) Epiſcopos vt peruulgarent miſit, ii aũt in Fortanerii litteris Rauennati Eccleſiæ ſubiuncti numerabãtur: Feretranus, Saſſinas, Cæſenas, Ceruienſis, Foropopulianus, Forliuienſis, Fauentinus, Foro Cornelianus, Bononienſis, Ferrarienſis, Hadrianus, Cymaclienſis, Mutinenſis, Regienſis, Parmenſis, ac Placentinus. *Rubeus hiſt. Rauenn. lib. 6.*

VII. General. Ordin. Auguſtin in ferrea cavea unum ex ſuis includit ob delictum.

Inter hos tumultus Italiæ, Magiſter Generalis Ordinis Auguſtinenſium Eremitarum, F. Iacobum Buſularium, ſui inſtituti ſacerdotẽ, quod eo auctore, Papia, Marchionis Mõtisferrati dominio ſe ſubduxiſſet, ac Vicecomitibus ſeſe permiſiſſet, citatum, atq; tribunalib. ſuis perductum vinciri manibus pedibuſq; iuſſit. Dehinc clam ſummotum, ignorantibus cunctis quonam gentiũ perductus foret, Vercellis in ferrea cauea carceribus mancipauit, ſub arcta pœnitentia, vt ſ. ter in hebdomade, atque ſemel duntaxat in die pane ſolo & aqua veſceretur. *Boſius hiſt. Med.* documento religioſis omnibus futurum, ne ſe negotiis ſæcularibus immiſceant.

VIII. Aliæ Innoc. Pp. res geſtæ.

Eodem anno, Innoc. Pont. 1. à Ludouico & Ioanna Regibus Siciliæ, VIII. millia vncias auri, pro anno 1357. & X. millia florenorum pro portione anni 1358. cenſus annui ex Regno Siciliæ recepit. *XV. Cal. Iunii*, 2. Friderico Trinacriæ, vt Conſtantiam Regis Aragonii filiam in matrimonium ſibi collocaret, indulſit. *Faxellus decad. 2. lib. 9.* 3. Ludouici Comitis Andegauenſis Ioannis Galliæ Regis filii, cum Maria Caroli Bleſenſis filii, matrimonium confirmauit. *Surita lib. 2.* 4. Poſtulante Ioanna Duciſſa Normanniæ, & Bona Borbonia Comitiſſa Sabaudiæ, ſororibus Blancæ Reginæ Caſtellæ, Guidonẽ Cardinalem Portuenſem Epiſcopum admonuit, vt ipſi Pe-

tro Regi auctor eſſe vellet. qui Blancam Reginam coniugali amore proſequeretur, neq; illam amplius perſequeretur. In eam rem & Petro ſcripſit, *Nonis Martii* monens, vt & Blancam Reginæ loco haberet, & cum Proceribus pacem iniret, & cum Rege Aragonum concordiam ſtabiliret. Actum eſt Legati Cardinalis opera ſummaq; contentione, de ineunda concordia: nihil tamen perfectum eſt. Aragonii ſucceſſu elati erant.

Caſtellæ Rex iterum in Principes deſæuit.

Caſtellæ Rex quamuis rebus aduerſis, nihil de priori ferocia remittebat: tametſi nudatus præſidiis vagus incertuſq; agebatur. Inter belli paciſq; cōſilia ſuſpenſo animo nulli fidere: Præfectos indies mutare: virtuti an fidei ſuorū minus crederet dubitare, miſerabilis conditio, ſed tanti nequitia erat: à qua proceribus vindicandis erat intentus. Petrus Oſorius inter prandendum à Calatrauæ Magiſtro conuiuio exceptus, eo inſcio ſubmiſſis à Rege ſatellitibus Legione obtruncatur. Simili ſupplicio Maldonatus Archidiaconus Burgis, quo Rex feſtinauit, affectus eſt, nihil terrente quam gerebat ſanctitate, litteras ab Henrico Regis fratre deferre exitiale fuit. Nam is contra fratrem exercitū ducebat. Huic cum Petrus occurreret, & caſtra ad Aſoſram pagum admouiſſet, eo vir ſanctus illum periculi monuit, quod ab Henrico fratre iraq; numinis immineret. Diui Dominici Calſadii, cuius ille cultui dicatus erat, ſpeciem humanā auguſtiorē dormienti viſam id ſignificaſſe. Nuncius interpreti exitialis fuit: in ipſis caſtris igne combuſtus eſt. Præter hæc, à Petro, Petrus Guſmanius Hiſpali obtruncatur: Gometius Carillius in triremi cæditur qua Hiſpali vehebatur, quaſi Algeziræ Præfect' futurus Garſiæ fratri vxor à Rege ablata, illi fugæ cauſa extiterat: in hūc odii & ex mala conſcientia prauæ ſuſpicionis occaſio. Ad Alfarum Ferdinandus Toletus Regis ſuppellectili præfectus, eius iuſſu peremptus, luctuoſa viri nobiliſſimi & integerrimi cædes toti prouinciæ fuit. Aliæ cauſæ ad inuidiā mitigandam indignæ necis confictæ: re, monendi libertas exitio fuit, quæ apud malos Principes non poteſt non eſſe exitialis. Aſſentatio, etiam apud bonos ſine periculo peragitur. Eius in aulis Principum magna incrementa ſunt: nullius rei maior, quam vera monentium penuria. Vaſcus etiam Toletanus Præſul ſolum exilio vertere compulſus eſt, ſublata togam mutandi, aut partem aliquam domeſticæ ſuppellectilis efferēdi facultate: nulla alia culpa, quam quod pro eo ac par erat, Guterii fratris necem indigne tuliſſe videbatur. Conimbricæ is in Prædicatorum Monaſterio vitæ reliquum exegit. Samuel Leuites, Regia vectigalia gubernabat pro voluntate: vnde illi ingentes opes & gratia antea, nūc exitium. Vincula iniecta, quæſtiones tormentis habitæ, quorum grauitatem perferre non potuit. Interfecti bona in fiſcū relata. Fiſci cauſa ſub malo Principe numquam eſt mala, alioqui ad 400. aureorum millia occupata ſunt: præterea ampla ſuppellex, veſtiſq; pretioſæ tantum, vt miraculo eſſet Iudæum hominem tantopere creuiſſe, ſcil. Chriſtianorum calamitate. Ad eum modū Petrus Rex per cædes multorum cædem ſibi indubitatam parabat, vt gladio periret, qui gladio feriret. *Mariana de rebus Hiſpan. lib. 17. cap. 4.*

IX. Eodem anno Pontifex, Henricum Biſcop Canonicū Lubicen. & Ioann. Guilaberti Decanum Eccleſiæ Torpaten. Nuntios Apoſtolicæ Sedis in Regno Sueciæ, adminiſtratores Eccleſiæ Lundenſis nimium in temporalibus & ſpiritualibus deformatæ, vt illam reformarēt, inſtituit: nec non ſententias & cenſuras in magnum Regem, quod Cameræ Apoſtolicæ XV. M. aureorum nondum quemadmodum conuenerat, perſoluiſſet, prolatas, ſatisfactione in parte accepta ſuſpendit. *XIV. Cal. Iun.* inque Iacobum Archiepiſcopum Lundenſem, quod Nicolaum Aſilonem Præpoſitum Lundenſem Nuncium Apoſtolicum in carcerem coniecerat, anathema tulit. *XV. Cal. Iun.*

X. Carol. Imp. vniuerſita-

His temporib. Carolus Imperator, cum eſſet vir doctus, (quippe qui in Gymnaſio Pariſiorum multo tempore litteris operam dederat, amaretq; præ cæteris viros eruditos) vniuerſitatem Pragenſem pro decore Boemiæ regni laudabiliter inſtituit, quæ multis priuilegiis & donationibus ab eo illuſtrata, breui tempore vltra omnes totius Germaniæ vniuerſitates gloria & numero perſonarum creuit, donec poſt quinquaginta fere annos hæreſibus commacularetur. Epiſcopum quoq; Pragēſem, hactenus Moguntini ſuffraganeum, à Sede Apoſtolica in Archiep. creari curauit, multiſq; priuilegiis decorauit. Multas præterea in Boemia fundauit Eccleſias, fundataſq; reliquiis, ornatibus, picturis, clenodiis & variis donationibus magnifice honorauit. Aulam villæ Ingelheim, Imperialem, in qua Carol. Mago. gladium ab Angelo contra Saracenos pugnaturus cælitus accepiſſe fertur, in Monaſterium Canonicorum regularium S. Auguſtini commutauit Bohemiſque ſolis incolendum atatribuit. *Chron. Monaſt. Hirſaugien.*

tem Pragen. inſtituit et Epiſc. Archiepiſcopum à Sede Apoſt. creari curat.

XI. Lollhardorum Hæretic. in German. errores quidam.

Cum Lollhardi hæretici Germaniam erroribus commacularent, Variis infecti fuere: quibuſdam, quos cum Petrogruſſianis, Henricianis, Vualdenſibus atq; Albigenſibus communes habuere: propriis aliis, quorum

*Primus eſt Luciferum cum aſſeclis iniuria è cœlo deturbatum, atq; aliquando in Beatitudinem cum ipſis recipiendum.* Nihilominus à Lollhardis, Dœmonib. patrocinatur Caluinus: quum ſaltem vſq; ad generalis iudicii diem tormentis eos eximit, imo plane inferno, dum negat imaginandum locum, quo clauſi ſint dæmones.

*2. S. Michaelem, ac B. Angelos omnes, æternis ſuppliciis eſſe deſtinandos.*

*3. Beatiſſimam Dei Matrem à partu Virginem eſſe deſiiſſe, alioquin (ita illi bardi) non hominem peperiſſet illa, ſed Angelum.*

*4. Fugere diuinos oculos, aut minimum, vltrices manus, ea ſcelera quæ ſub terra perpetrantur.* Qua de cauſa impudicitias ſuas in ſubterraneis locis exercebant. Adeo, vt cum ex puella quadam flammis addicta, Giſla nomine, quæreretur, inter ipſos ignes, Virgone eſſet, illa reſponderit; *ſuper terram virgo ſum, non ſub terra.* Horrēda ſane blaſphemia, vt quæ ipſam Dei ſapientiam iuſtitiam petit. *Sanderus de viſibili Monarchia.*

XII. Richardus Armacanus hæreticus.

Richardus Armacanus, id temporis natione Hybernus, ordinem hierarchicum pulſabat. Is religioſis mendicantibus infenſiſſimus, turpe cenſebat *Chriſtiano, vltro ac ſponte mendicitatē amplecti.* Fuit & eius error præcipuus, *inferiores ſacerdotes abſente Epiſcopo, conſecrare Altaria. Oleum & Chriſma benedicere, conferre ordines, & alia munia Epiſcopalia poſſe obire.* Audaciores Nouatores noſtri temporis qui non modo hierarchiam Eccleſiaſticam ſic peruertunt, vt ſacerdotes omnes æquales eſſe velint, & Chriſtianos omnes faciant ſacerdotes: ſed prædictas etiam Epiſcopales functiones rident atque abiiciunt. *Prateolus de vitiis & ſectis hæreticorum.*

XIII. Hoc anno, in Anglia, Diabolus in humana ſpecie apparens, locutus eſt. *Thomas Vualſingh. hiſt. Anglor. in Eduardo III.*

# IESV CHRISTI Annus 1361.

## INNOCENTII PAPÆ. VI ANNO 9. Caroli IV. Imper. Rom. an. anno 6.

I. Res orientis curat Innoc.

SVperiore anno, Innoc. Pontif. Ioan. Reg. Gal. Londino reducem, Auinione, ſacro baltheo præcinxerat; vt in Oriente, hoſtib. Chriſtianorum obiiceret velut murum. Circa Rhodum & Cyprum frequentes Turcæ excurſabant. Huic incurſioni repellendæ, Rex Cypri Hugo in Occidentem traiecerat, auxilia à ſum. Pon. & Principibus Chriſtianis poſtulatum. Galli, non contemnendam armatorum manum, monitore Innocentio ſubmiſerant. Ioannes quoq; Palæologus, alia ex condicto poſtulabat ſubſidia. Nam & hic à Cantacuzenis Ioanne & Matthæo premebatur: donec diuina adiuuante prouidentia Matthæum in ordinem redigeret, & in carcerem coniiceret. Ingentem benignitatē Palæologus Matthæo





Benignitas Palæologi in Math. Cantacuz. captiuum ſuum.

captiuo oſtendit, cum poſſet victorum more ſolenni in illum grauius decernere. Poſtulabat, vt ſponte Imperio renuntiaret, priuati ſtatu cōtentus, & honorib. poſt Imperatores primis, liberos eius in omnibus (Andronico Imperatore excepto) antecederet. Licere etiā illi nouū genus veſtitus excogitare, eoque vti permittebat: modo ne faceret aut loqueretur aliquid velut Imperator eſſet. Quod ſi quis erga eū tanquā Imperatorē ſe gereret, aut eum hoc nomine appellaret, hunc iratus reiiceret. Talis erat Palæologi poſtulatio. Matthæus tota vita carcerem habitare, quam talē conditionē malle. Primū enim intolerabile alebat, qui heri & nudius tertius adoratus fuiſſet, vt Imperator, nunc ſubeſſe priuati habitu, & ab aliis parū aut nihil differre. Deinde neq; ipſam occaſionem carceris pudendam & contemnendā eſſe: ſed ob libertatem homophylorum quā barbari ereptū iuerint, ſe infelici marte pugnantem captum eſſe quod & antea multis Rom. Imper. acciderit: & nunc gloriæ & honoris cauſa velle aduerſa perpeti: id quod nemo prudens vitio daturus ſit. Quod ſi iſta miſeria, quę videtur, fractus, ſponte ſe ſubmittat, ſuamq; gloriā libens prodat, ab omnib. puſilli animi iure accuſatum iri. Quamobrē facilius tota vita in cuſtodia manſurum, q̄ propter liberationem malorū præſentium decora ſua vltro proiecturū: orabatq; Imperat. affinem, ſi vellet benignius agere, ne ſe vllo ornamento ſpoliaret: ſed cum ſe carcere abſolueret, tum Imperatorem eſſe pateretur. Hoc ſi ſibi negaret quoad viueret, in vinculis habere male.

II. Exhortatio Cantacuz. ſeu ad filium qua ei ſuadet petitis Palæologi Imp. acquieſcere.

Ioannes Cantac. cū hæc de filio audiiſſet, docere ſtuduit, ipſū à ſcopo aberrare. Digna eſt ea oratio, q̄ ab his legatur, qui in alios dominari concupiſcunt. Ita habet.

*Primum nihil ex omnibus rebus eſt,* inquit, *quod non diuina prouidentia adminiſtretur: præcipueq; ſi ſingula ab initio cōſideres, quæ tibi contigerunt. Omnia ſapienti numinis conſilio gubernata inuenies. Nā quod piratæ Phocaenſes, Bithyniæ orā prædandi cauſa legentes, & immenſum lucrū ducentes, ſi viliſſimos quoſdam in ſeruitutem poſſent abripere, tā ſecunda fortuna repente, & præter expectationem vſi fuerint, vt innumerabiliū mortaliū Principē, ac numeroſis valentē reſiſtere exercitibus ſine labore ceperint, Orchanes vero pater ſympathia erga filium enixe Imperatorem orauerit, vt filio libertatem conciliaret, magnaſq; huius beneficii compenſationes promiſerit (aliter enim è cuſtodia liberari nō poſſe videbat) Imperator aūt ipſe perſpexerit, hoc maxime modo Orchanē ſe ad ſuas partes adiuncturū, & vt abs te iuuando abſtineret effecturū: & hac ſpe triremes armauerit, ſemperq; mari incubuerit, & Orchani filiū recuperare contenderit: ſub idē vero tempus, & tu à Triballis accerſitus, cum ſolis barbaris in Macedoniam iueris, ea neceſſitate, vt Rom. exercitum relinqueres, Triballi vero, qui prius contra Perſas nec oculos audebant attollere, pauci aduerſum multos pugnauerint, Perſæq; quamquam hoſtib. longe potentiores, ſeipſi in fugam ſe coniecerint, ipſeq; relictus ſolus, ab hoſtibus captus, & vinctus ad Imperatorem affinem adductus ſis, qui ſtatim in vrbes tuas copias duxerit, iiſque leui negotio ſubactis, vxorem & liberos tuos in arbitrium ſuum redegerit: & ſic omnia de induſtria percurrendo; neminem ego repertum iri puto, ſi modo particula mentis vtatur, qui non omnia cœleſti prouidentia acta eſſe iudicet. Quod & tu credens non aliter ſe habere in diuinis decretis acquieſcere debes, nec poſt mitem hanc caſtigationem (caſtigauit enim te* [illegible]*, nec morti tradidit) reuocationem ab exilio recuſare: tametſi qua nuper fulgebas, Imperatoria gloria priuatus ſis. Quamquam nec ad alios huius vitæ honores caducos & fluentes obſtupeſcere, prudentium incorrupteque iudicantium eſt. Quæ autem ex Imperio iſto gloria percipitur, haud vulgare periculum non bene, atque vt decet Remp. adminiſtranti attulerit. Non n. quemadmodum aliis, ſi vitam ſolute tranſegerint ſic etiam Imperatoribus vſu venit, vt damnum ad ipſos modo pertineat: ſed & bona, & mala ipſorum ſubditis communia ſunt: & Imperatoris animam omnis virtutis ſpeculum. atque archetypum eſſe oportet, alioqui non ſolum ſuæ, ſed & aliorum ſegnitiei pœnas perſoluet. Quæ quis tandē non ſtultus ſecum reputans, nō vel obſcuriſſimus viuere malit, cum detrimentum non in deſpicabile quippiam, ſed in ipſam animam deriuetur, cui & bona & mala ſempiternum inerunt? Præterea & multis contentionib. laborib. & diſcriminib. in hac vita perfungēdum eſt Imperatori, ſi nolit quaſi aliud agens, verum vt ratio præſcribit, Imperio præeſſe. Etenim pro ſubiectis adire periculum, ſemper æquum eſt, nec dum ipſe modo ſecurus ſit, alienam ſalutem paruipendere, & cum in moderanda republica, tum in coercendis hoſtib. & foris inuadentib. & intus inſidiantibus, laborem quemuis capeſſere. Interroget quiſpiam, cum ſcirem quā is iſta functio impedita eſſet difficultatib. quotq; contentionib. ac laborib. Impe. animus volentis nolentis exerceretur, poſſemque priuati conditione & loco contentus, vacare iſtis omnib. cur tandem adeo multa pro Imperio adipiſcendo ſuſtinuerim, & periculis formidandis, variiſque caſib. me immiſerim. Ego vero illud, vt veritatis amans reſpondebo, me non Imperatorii principatus auidum, neq; eius maieſtati inhiantem ſed Homophylorum inſidiis, qui tot obtrectationib. & falſis criminationib. per dolum, ac fraudem conſutis ad ipſum me malorum colophonem compulerunt, ad hos agones deſcendiſſe: deterius enim ſperare nihil potueram. Et quia prouidebam ceſſioni Imperii contentos haud futuros: ſed, vt bellum geſſiſſe iuſtum viderentur, atrociter me, vt hoſtem nocentiſſimum occiſuros, liberoſq; meos, propinquos, & alios quotquot antea multis annis mihi ſtuduiſſent (quorum nec exigua eſt multitudo, nec condemnenda authoritas, cum maior pars Illuſtriores Romani ſint) interempturos: ipſorum, & eorum qui mecum erant ſalutem, Imperatoris appellationem aſſumpſi: quamuis multo ante penes me eſſet rerum arbitrium: non profecto ob hilaritatem ex Imperio orituram neque vt id filiis meis patrimonii loco relinquerem. Cuius meæ voluntatis, & priuſquam totius Imperii compos fierem, & per omne tempus, apertiſſimas ſignificationes dedi. Nam cū totus rogaret exercitus, vt te Imperatorem deligerem, nolui. Quin cū iam omnia ſubegiſſem, eademque multi & illuſtriſſimi flagitarent, tantum abeſt, vt illorum precib. vmquam annuerim, vt cum iam rerū dominus eſſem, poſſemque ſycophantas improbitatis euidentiſſime conuincere, omnes vias quæſierim, egerim, & molitus ſim omnia, vt procul ſtrepitu, ac tumultu Imperii, quod ſupereſſet vitæ, in tranquilla negotiorum vacuitate conſumerem, & ad illam numquam præterlabentem, immortalemq; vitam, omnem ſollicitudinem ſtudiumq; trāsferrem. Verum enimuero ſi quis etiam dixerit, me nominis propagandi, & delitiarum, aliorumque commodorum gratia, quæ ex Imperio putantur prouenire, labores & pericula tanta ſuſtinuiſſe: ob idipſum ego me aliis inprimis accommodatum fore magiſtrum, & inſtitutorem aſſero. Qui enim ab ipſa experientia eruditus clariſſime perſpexi, tantum Imperium bene, & cōuenienter, cum omnium Imperatoris Dei imitatione procurare, non eſſe in cuiuſq; volentis manu ſitum: ſed eorum, qui Spiritu Dei acti, omnia ex placito agentis agunt (quales erant Dauid, & Conſtantinus ille Magnus Imperator, & quicumque ad illorum præſtantiam proxime acceſſerunt) tutiſſimum conſilium dederim iis, qui tales non ſunt, vt etiam primo conatu abſtineant: quandoquidem non minus nocumenti è principatu reportaturi ſunt, quam ſe emolumenti reportaturos confidebant, ſemetipſos ludificantes, damna delitias, & vitam deſidioſam in bonis numerantes. Hæc itaque & plura huius generis, ſi quiſpiam in medium adducat, ſtudens alium reuocare ab ardenti appetitione huius terrenæ & conculcandæ gloriæ, quam & tempus, & rerum viciſſitudo, & peruerſorum hominum nequitia, & alia innumerabilia poſſint diſſoluere: ſi præterea Deus deſuper decernat, & manifeſte iubeat ſe Imperio abdicare, non omnia placentia cum æquanimitate faciemus, ſed adhuc contendemus, aut tota vita imperare, aut ſi id non detur, neque hunc cœli ſpiritum haurire amplius, neque ſolem hunc intueri, & vitam noſtram tenebris caliginique mādabimus? Enimuero, ſi minime dubiis ratiocinationibus certiſſime ſcire liceret, te, qui vbique terrarum ſunt barbaros deleturum, illuſtriaque & conſpicua trophæa de omnibus hoſtibus erecturum. & antiquam illam Romanæ reip. felicitatem reſtituturū, & dominos terræ mariſq; vt erant ſuperiorib. ætatib. cum floreret eorum potentia, effecturum, non prorſus à ratione alienum videretur, negato Imperio inſtare obfirmatius? ſi autē nihil intereſt, vtrum felicitates huiuſmodi vigilans cogites, an ſomnies, dormiens, quid quæſo attinet pro iis quæ numquam erunt defatigari! Porro plane neſcio vbi mens tua fuerit, cum magis perpetuum carcerem, quam Imperatoriæ dignitatis abdicationem elegiſti. Si enim poſtulationi affinis tui Imperatoris cedere iam detrectaueris, alterum è duobus neceſſarium erit, vt vel in vinculis moriare: vel vt cum techna aliqua euaſeris, Imperium labores recipere. Horum alterutrius ne poteſtatem nacturus ſis dubito. Quod autem, ſi bellum denuo ſuſcites, multi te labores ac diſcrimina maneant, multoque homophylorū ſanguine animam polluturus, & innumera-*

*bilia mala ſeruituteſque Romanis importaturus ſis, inde potiſſimum liquet, neque vel paucis verbis demonſtrare opus eſt. Nam cum ille ſit rerum omnium Princeps, auſus eiuſdem ab Imperio depellendi alia ratione non procedet, quam ſi diſcordia in populis cōcitata, bellum ciuile moueatur: aut alicunde, ſeu Græcorum, ſeu Barbarorum copiæ inducantur, quæ vrbes reſiſtentes facile expugnent, & captiuorum alios occidant, alios ſubigant, & ad ſibi obtemperandū compellant: quorum vtrumq; dedecore & ignominia plenum eſt. Quando igitur famæ tuæ celebritas, ſi quando videlicet ex ſententia res irent, admodū incerta eſt, infamia aūt, & improbiſſimus conatus ſtatim ab initio patent, nonne ad indubitatū decus, & gloriam magis prouehentia incertis anteponeſ? Sed etſi Imperator ipſe ex multa moderatione, & animi quadam magnitudine honorem quidem Imperatorium, qua ornatu, qua appellatione tibi concederet, non tamen etiam in Imperii conſortium admitteret, neque aliquas ſuarum ciuitatum tibi addiceret, (quod quidem niſi ſponte faceret, nemo eū cogeret) ſupereſſet aliud nihil, quā vt alias regiones & vrbes quæreres quib. imperares: quod vel cogitare horreat, cuicumq; mens ſana eſt: aut hic manens, nomen ſine re, & honorē vmbratilem materiā dedecoris poſſideres. Nō n. quomodo factorum gloria, beatis iuxta & calamitoſis manet (eſt n. ab anima virtutib. exornata) ſic qui ex cōſenſu hominū defertur honor, certus eſt & conſtans, quamuis ei opes opitulentur: ſed qua conſpiratione cuipiam ab initio conſtitutus eſt, eadem eripitur: cui minime ſtudendum, & ſi quis diadema geſtet, cū nihil lapillis differat, quorum cū quidā pretioſiſſimi reputentur, natura tamen non eſt alius alio precioſior. Fortitudo aūt prudentia, temperantia, iuſticia, non ſolum homines à brutis animantib. ſed & ipſos inter ſe diſtare oſtendūt, & tantū inter vtroſq; diſcrimē claret, vt illi quidem interdū ipſis quoq; hoſtib. admirationi ſint; Si vero apud oēs æque negligantur, ac diſpiciantur, parumq; à belluarū natura diſcrepare exiſtimentur. In quo honore, inquā, conſectando, arbitror iuſtū eſſe, & te & quemlibet vinci. Etenim cum turpius ſit non vinci, non magis vincere, quam nos in omnib. turpib. vinci ſinere perſuadet. Quod ſi quis maiorem, & admirabiliorē & homine digniſſimum honorē deſiderat qui & poſt funera perſeueret, & multam ac ſingularem ſe fruentibus vtilitatem ſuppeditet, illum eſſe norit, quem Deus his qui ſe dilexerint, & toto vitæ ſpatio eius mandatis cum animi modeſtia paruerint, impertiet. Quādo igitur præſtantiorum longe honorum participem fieri tibi licet, quib. te nemo, nec Imperator, nec priuatus ſpoliare velit, iſtum autem honorē in honorum, & prudentium iudicio paruifaciendum ipſæ res cogunt vilipendere: Deo imprimis, qui in nos ita conſuluit, tum mihi etiam ſuadenti obtemperandum eſt. Ac mea quidem opinione, nemo te tam familiariter, tamq; vtiliter hortatus eſt, neque te cuipiam hominum, quam mihi iuſtius eſt morem gerere.*

III. QVIBVS CONDITIONIBVS MATTH. CANTAC. IMPERIO SE ABDICAVERIT.

Perſuaſit Cantacuzenus filio, iſq; iurauit ſe Imperio abdicare, his conditionib. Vt Imperio, qua gubernatione, qua veſtitu, qua appellatione omnimodis depoſito, proximos Imperatori honores occuparet, & filios eius (Andronico iuniore Imperatore excepto) pcederet, & omni eos beneuolētia coleret: arma ob Imperiū nunq̃ illis inferret, neq; beneficii memoriā obliterari apud ſe pateretur. Deinde in Epibatis Imperatorib. & Imperatricib. Calliſto item Patriarcha, & Lazaro Hieroſolymorū, aliiſq; Epiſcopis, quotquot per id tēpus Byzantii degebāt, ſacras ſtolas indutis, ac toto ordine Senatorio præſentibus, Matth. Cantac. filius aſtante ēt vxore iurauit, ſe illa dū viueret ſeruaturum, nec aliquid aliquando ſcientem, ac volentē tranſgreſſurū. Super hæc & Calliſtus cum ſacra execratione percuſſit, ni iurata diligēter præſtaret: mox Epiſcoporū conuentus ſolutus eſt. Tanti fuit apud Deum pietas Ioannis Palæologi, in vnionem Eccleſiarum per id temporis incumbētis, vt inimicos eius conuerterit ad pacem. *Cantacuzenus. hiſt. lib. 4. c. 48. 49.*

IV. PETRVS CASTELLÆ REX BLANCAM REGINAM VXOREM SVAM INSONTEM DETESTANDO ET CRV-

Non ſic in Hiſpaniis Petro Caſtellæ Regi Diuū hominumq; contemptori ſuccedebat, cū ab eius ſanguinaria manu, innocentiū ſanguine vrbes & oppida, arces, agri, maria redundarent, ac vbiq; ſæuitiæ impreſſa veſtigia relinquerētur. Quāquam n. Cardinalis Legati opera, in Hiſpania, pax inter Aragoniū & Caſtellanū conſtitiſſet, quod tamen non ſynceris animis facta, nō diuturna fuit, Petro ad reliqua facinora, necē Blancæ Reginæ cōſciſcente, ſibiq; cladē extremā ab vltione diuina acceſſente. Henricus & alii fratres Regis tempori ſeruientes in Galliā conceſſerant, quorum partes in Aragonia Caſtellaq; præualide formidabileſq; Gallorū fauore & armis muniēdæ erant: bellumq; maiori quā antea impetu inſtaurandum. Blancæ Reginæ calamitas gentem permouebat, vt vires armaq; ſociarent. Nō latuere ii conatus Caſtellæ Regem, qui iram in Blancam, quaſi tantorum bellorum cauſam, continuo vertit.

DELISSIMO FACINORE VENENO PERIMIT.

Aſſidoniæ, vbi in cuſtodia ſeruabatur, ipſam adeundi, aut cū quoq; colloquēdi ſublata facultate, extincta eſt, veneno à medico viri iuſſu temperato. Deteſtandum, impium & crudele facinus id orbi viſum, puellam inſontē, regio ſanguine nobiliſſimam, lectiſſima forma, ſanctiſſimis moribus prudentiaq;, XXV. ætatis anno peremptam. Nulla ab omni memoria eo loco fœmina maiori miſeratione. Aliquas quidem à viris interfectas pulſaſue meminimus, ſed aliqua ſua culpa. Certe arridentem fortunam aliquando expertæ, præſentem dolorem melioris olim temporis recordatione lenire potuerunt. Blancæ primus nuptiarum dies, funeris inſtar fuit, relictæ, incluſæ, deductæ, vbi nihil præter calamitatem eſſet: pulſis domeſticis, pellice validiore, auxilio ſuorum longinquo. Sed te Rex truculente, fera verius immanis, diuina ira manet, tuum caput hoc ſanguine cōſecratur, breui gratiſſima ſuperis victima cades. Inſontis puellæ manes vltione felicioris, quam vita noctes dieſq; exagitabunt: atque ita, vt neque pudor à turpitudine, neque à periculo metus, neque ratio à furore reuocatura ſit in certum exitium ruentem.

PASTOR QVIDAM VENANTI REGI OCCVRRENS EXTREMA EI MINATVR.

Fama eſt, & idonei authores affirmant, Regi ad Aſſidoniam venanti, paſtorem occurriſſe vultu veſteq; horridum, capillo barbaq; ſqualidū, extrema comminantem ni mutata mente Blancæ calamitate moueretur. Miſſi q indagarēt, an Reginæ ſuaſu ea paſtor renūciaſſet, nixam genib. caſtiſſimis precib. vacantem, inuenerunt, aditu ita clauſo, vt omnis ſuſpicio amoueretur. Opinio hominum magis confirmata, cū paſtor è vinculis emiſſus numquā comparuiſſet, aliquo inſtinctu inflatuque diuino pdixiſſe futura. Iſabella Laræ filia Cæſariani & ipſa veneno ſublata eſt. Ab his funerib. ingens mœror prouincialium, ne ſimile exemplum paterentur ſingulis dubitantibus, nullius in tanto ſalutem eſſe.

V. OBITVS PADILLIÆ PELLICIS REGIÆ ET EIVS FVNVS.

Mœrorem hunc publicum aliqua ex parte, Mariæ Padiliæ Regis pellicis (quæ tot malorum occaſio) obitus Hiſpali menſe Iulio conſecutus mitigauit: fœminæ præter iniuriam pellicatus, magnis animi & corporis dotibus digneq; Imperio. Blancæ corpus Tudelæ in templi ſummi Sacrario, tranſlatitio, funere aliquanto poſt tumulatum eſt ab iis Gallis, qui Henrico opitulatū venerunt, cum in Galliam deferre ad maiorū ſepulchra propoſuiſſent. Padilliæ funus per vrbes & oppida magnifice, quaſi iuſtæ Reginæ celebratum, datæ vbiq; inferiæ, cineres in Studilli monaſterio, quod in Vacceis eius impenſa extructum erat, conditi ſunt: filii Regio cultu, & in ſpem paterni regni educati. Tria Tolleti in Diui Dominici Regio virginum monaſterio ſepulchra extant: Theraſiæ vnum, cui in obſequiis Reginæ matris verſanti, coniugii etiam ſpe facta, vitium Rex intuliſſe memoratur, ex eaq; filiam genuiſſe, cui Maria nomen fuit. Duo alia: huius vnum, cum ei Virginum collegio diu præfuiſſet: alterum Sanctii & Dieghi, eiuſdem Petri Regis filiorum ex Iſabella, nobili an obſcuro loco compertum non eſt. Sed nulla erat tanta pudicitia, tantiſq; præſidiis virtutum munita, quam impudici iuuenis libido audaciaque non perumperet. Ita expertecti viri, propinqui & neceſſarii eſſe non poterant, vt ab eo cauere poſſent, ſtudia omnia vincente temeritate.

VI. LEGATVS APOST. DE POTESTATE PONT. LATAM A REGE SENTENTIAM IRRITAT.

A morte Blancæ, ex Gallia belli metus impendebat, quem vt auerterent, Cardinalis Legati, qui ſe ea æſtate Pampelone tenuerat, cœli amœnitatem lociq; cōmoditatem ſecutus ſumma contentione, quos Petrus Rex perduellionis lege Almaſani damnauerat, fratres proceresque, vt iis ſententia reuocata integra venia eſſet, agebatur. Id icti nuper fœderis legibus contineri: iuſtiſſi-



Iuſtiſſimis poſtulatis ferox Petri animus nihil flectebatur, videbaturq; maius, quam quod geſſerat bellum, in Aragonios verſare. Legatus ergo Cardinalis pro iure ab Innoc. Papa acceptæ poteſtatis, latam à Petro Caſtellæ Rege in Henr. & ſocios maieſtatis ſententiam, irritam pronunciauit, Aragonio Rege impellente atq; incitante. Quare, illius animus in vindictæ ſtudium vehementius inflammatus, iram effudiſſet, niſi Maurico bello diſtineretur. *Mariana de reb. Hiſp. lib. 17. c. 4. & 5 Surita li. 3.*

Cardinalis Legatus, poſtquam à Caſtellæ Rege latā in Henr. & alios ſententiam reſcidiſſet, inque priſtinum ſtatum innocenter maieſtatis damnatos reſtituiſſet, Hiſpania exceſſit, Auinion. reuerſus. *Richar. Clun. in Chron.*

VII. PRÆSTITVTVM IN ANGLIA DE OBSERVANDIS PACTIS INTER ANGL. ET GALL. REGES IVRAMENTVM

In Angliam miſſi ab Ioanne Rege & Innoc. Pontifice, qui iuramentum à proceribus in fœdere deſignatis audirent, illud Londini in Baſilica, eo plane ritu, quo anno ſuperiore Pariſiis, Carolus & Princ. deſtinati præſtiterant audierunt. Archiepiſcopus Cantuarienſis miſſam de SS. Trinitate inprimis ſolenni ritu celebrauit. Poſtquam Agnus Dei tertio repetitum, & Dona nobis pacem ſubiunctum eſſet, ſacris operans manum vnam ſuper ſacratam hoſtiam, alteram ſuper Sacro San. Euangelium & Chriſti ſuffixi imaginem poſuit, verbiſq; cōceptis iureiurando ſe aſtrinxit, omnia inter Edouardū & Ioannem Regis pacta, auctoritate Pontificis Romani confirmata, inuiolabiliter ſeruaturum. Ad eum modum, & reliqui Proceres ſacramentum dixerunt. *Thom. Vualſingam hiſt. Angl.* Inter hæc.

VIII. DISPENSATIO MATRIMONIALIS PRO FILIO REG. ANGLIÆ.

Edouardus princeps Regis Angli filius, in matrimonium duxit Ioannam filiam Edmundi Comitis Cantij, paucis ante annis ob ſuſpitionē ſeditionis capite mulctati. Et quia Edmundus frater fuerat eius paterni aui Edouardi ſecundi, idcirco cum ea cognatio nuptias infirmaret, haud prius fieri potuerunt, quam Innoc. Pont. lege ſoluendo vtrumque, id impedimenti ſuſtulerit. Interea etiam temporis Edouardus Rex, cum cœpiſſet agere annum ætatis quinquageſimum, memor veteris Iubilæi inſtituti, quod quinquageſimo quoq; anno celebre erat, decreuit liberalitate aduerſus populum vti.

REX ANGLIÆ IVBILÆVM CELEBRAT.

Nā exules reuocauit, perduellib. pepercit, cuſtodias oēs dimiſit, condonatis maleficiorum pœnis, Concilio ad VVeſtmonſterium inſtituto leges aliquot ſalutares tulit; priuilegia olim à maiorib. populo irrogata, quæ vulgus magnæ chartæ immunitates vocitat de integro cōceſſit. Hinc ortum dixerim, vt Reges etiam nunc Iubilæum ætatis colerent. Verbi gratia; Rex ſeu Regina in annos ſingulos, tot inopes homines in cœna Domini veſtit, eiſq; largitiones facit quot illo ipſo die annos ætatis habuerit. Decreuit etiam, vt Iudices item atq; litigatores, patroni, procuratores, cauſarum cognitores nō amplius Gallice, vel potius Normanice, quemadmodū hactenus feciſſent, ſed Anglice loquerentur, atq; cauſarum actiones, ſententiæ, & cætera acta lingua Anglica, Latinaue conficerentur; id quod populo fuit commodo, quippe quem deinceps in cauſis agendis non oportuit vti interprete. *Polydorus hiſt. Angl, lib. 19.* In eo Comitio, nonnihil aduerſus Eccleſiaſt. Pont. Rom. authoritatem Edouardus ſancire voluit.

IX. INNOC. SVBSIDIŪ PECVNIARIVM A CLERO ANGLIC. PETIT & OBTINET PRO MALANDRINIS EXPELLENDIS.

Nihil tamen Innocentium decreta illa remorata ſunt, quominus & procurationes quas vocant, ſumptuſq; itineris Tabarrandi ac Nicolai Cardinalium Legatorum à Clero Anglicano exigeret. quas & ille exſoluit; & non modo ſacerdotia ac minores dignitates, ſed & Epiſc. ex prouiſione & reſeruatione (vt vſurpatis vocib. vtar) largiretur, Elienſem videl. Lichfeldenſem, Ciceſtrenſem, Vigornien. Aſſauen. Landauenſem & Meneuenſem. Qui cum hoſtes ipſius magnam partem Patrimonij Sedis Rom. occupaſſent, Sediſq; ſuæ partim in illis poſſeſſionib. recuperandis, partim in profligandis hoſtib. theſaurum exhauſiſſet, rogaſſetq; Anglicanum clerum, vt rei Rom. laboranti ſubſidio ſua liberalitate veniret, decimam ei Clerus largitus eſt, ex qua ſumma ad centum florenorū millia redacta illi remiſſa eſt. Extantq; eius ad Epiſc. & Clerum literæ, quib. gratias ob acceptum beneficium accurate egit; cumq; hoc tempore in Anglia, S. Edouardi Regis miracula percrebreſcerent, Inno. feſtum diem inſtituit, quem eius nomini conſecrauit. *MS. Vatican. de reb. Anglican. & Valſingham.*

Erat quod Innoc. eam opem poſtularet. Namq; pace inter Reges Anglum & Gallum compoſita, cum exercitus dimitterentur, ad XXV. M. numero, vt hominū fama erat, fuſi per oppida ac diſperſi, Malandrinorum nomen in vulgus retinuerant, paſſim tota Gallia vagantes, maximaſq; prædas facientes, cum in oppida hoſtiliter irrumperent. Ea ſocietas Anglicorum villam S. Spir. prope Auinionem diripuerat, Pontificemq; prouocauerat, vt bellum ſacrum indiceret, Præfecto exercitui Cruceſignatorum Cardinale Oſtien. Poſt multos hinc inde conflictus, res tandem eo cecidit, vt Innoc. XXX. M. florenorū eis numeraret, pacemq; redimere cogeretur. *Surita lib. 3. & Richard. Cluniacen. in Chron.*

In eos vſus belli Innoc. Ioan. Saluedium Canonicū Spirenſem in Germaniam miſerat, qui medietatem omnium fructuum beneficiorū vacantium & vacaturorum colligeret, & ad cameram Apoſt. referret. Cum viciſſim Carolus Imp. miſſo Archiepiſc. Pragen. & Ioan. Lechtenbergio Epiſc. Argentinen. iterum à Pont. poſtularet, vt à Clemente Quinto in cauſa Henr. VII. ſancita, inq; corpus iuris relata reſcinderet, atq; ab eodem Henr. contra Robertum Regem ſtabilita probaret. Nihil tunc conceſſit Innoc. gratiæ Imp. quamquam opera illius vehementius indigeret. *Nauclerus generat. 46.*

INNOC. PP. CŌSTANTIA.

X. PRODIGIŪ DE FILIO IMP. CAROLO NATO.

Natus eſt hoc anno Imp. Carolo VVenceſlaus filius, & aqua luſtrali Norbergæ tinctus, acciditq; vt eandem aquam, adhuc infans locio ſuo aſpergeret, ſicut alui ſimo ipſam aram in qua nondum bimulus coronabatur, coinquinauit. Vtrumque peritiores inter prodigia retulere, portendi per hæc dicentes, futuram quæ ſub hoc Rege euenit, ſacrorum fontium, altariumq; contaminationem & violationem. *Dubrau. hiſt. Boem. li. 23.* Miſit Imp. votum B. V. Mariæ Aquiſgranum, pueri VVenceſlai pondus, auri XVI. marcas & inſignia Imperij principibus oſtentauit. *Rebdorf. in Annal.*

XI. TECTVM LATERAN ARDET. EXERCITVS PONT. VICTORIĀ DE HOSTIBVS REFERT.

Arſit, hoc anno ad XXI. diem Auguſt. tectum baſilicæ Lateranen. & nonnihil Innoc. Pont. poſt victoriam de Barnaba Vicecomite receptā exhilaratum afflixit. Sept. enim Cal. Iul. Egidius Cardinalis Legatus auxiliis euocatis, cum magnum exercitum conflaſſet, præualentis populi armis adiutus, Bernabouis copias ad ædem S. Roffilli, primo à Bononia lapide pugna commiſſa, & ſumma contentione pugnata diſſipauit, ac prope deleuit: Fortanerio Rauennatis Eccl. Adminiſtratore pecuniam illi ſuppeditante. Hunc Innoc. Pont. & alios ſeptē viros Illuſtres in Cardinalium collegium cooptauit. Is vero Auinionem proficiſcens, vt ſacrum galerū de manu Pont. acciperet, in itinere Patauij obijt, ibidem ad D. Antonij ſepultus. Egidius Card. Legat. Epiſc. Sabinen. ne quid detrimenti Rauennas Eccleſ. in tot tumultibus ſentiret, ſtatim futuri Archiepiſc. nomine, oppida illius certis hominib. cuſtodienda tradidit. *Rube. hiſt. Rauen. li. 6*

XII. MISCELLANEA.

Hoc anno, Caſimirus Rex Polon. in oppido Caſimirien. Cracouiæ adiūcto, ſecus Eccl. S. Laurentij, domos, cameras, lectoria, lapideo muro, pro habitatione & lectionib. Doctorū atq; Magiſtror. nouæ Vniuerſitatis, pro decore Reg. Pol. erigendæ, ædificauit. *Miechou. de reb. Pol. li. 4. c. 21.* Milites Theutonici B. Mariæ, Keſtutū Lituanū prælio victū, in arcē Mariæburg. vinctum coniecerunt. *Richar. Cluniacen.* Fridericus Trinacr. occupator, Ioan. & Ludouic. Reg. Sicil. inſula eiecit: diademaq; Regiū ſolenni ritu, XVII. Cal. Oct. accepit. *Fazell. de reb. Siculis dec. 2 li. 9.* Vitalis Bonon Ord. ſeruorum B. M. Virg. profeſſus, ex legatione Aegyptia (ad Saladinum miſſus ab Innoc. fuerat, vt eum aduerſus Turcas pro Cyprio Rege excitaret) reuertens, Epiſc. Aſculanus ab eodem Pontifice creatus poſtquam terram ſanctam viſitaſſet, & vnam ex hydrijs Chanæ Galilææ reportaſſet, Bononiamque vna cum alijs reliquijs templo ſeruorum intuliſſet, diem clauſit extremum. *Chron. Seruorum.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1362.

### INNOCENTII PAPÆ VI. ANNO 10.
### Caroli IV. Roman. Imp. Anno 7.

I. Aſtruitur Palæologũ non primum Turcos in Aſiam induxiſſe.

QVI Ioanni Palæologo Græcorum Imperatori imponunt, quaſi is primus Thurcos in Aſiam induxerit inquiores ſe eſſe illi oſtendũt, vel ex teſtimonio inimico, Ioannis Cantacuzeni ex-Imperatoris, qui refert, hæc quæ addico.

*Per idem tempus*, (vel hoc, vel ad finem ſuperioris anni) *& Calliſtus Patriarcha, Legatus, ab Imperatore ad Eliſabetham Cralis coniugem, Pheris poſt illius obitum habitantem miſſus eſt: adhuc enim eo ſuperſtite inimicitias exercebant. Summa legationis erat, vt omiſſo bello inter ſe, barbaros qui eſſent in Thracia, Romanorum, Triballorumque prouincias infeſtantes, & aſſidue depopulantes, coniunctis copiis inuaderent. Cralæna, & omnes proceres Triballi legationem placide audierint, & æque viſum armis appetendos eſſe barbaros, Patriarchamque laudib. ac veneratione non parua afficiebant, & Eliſabetha præcipue mira illum beneuolentia tractabat, ſeſeq; Deum quemdam hoſpitio excepiſſe putabat. Euenit autem, vt & ipſe Patriarcha, & comites eius præter paucos ſæuo correpti morbo omnes interirent. Ducebat is ſecum de clero Eccleſiæ primarios: vnde fama per multos diſſipata eſt, veneno ſublatos à Triballis: Sane manifeſto mendacio, atque calumnia. Non enim ſolum Cralænæ æquitas & reuerentia, honor ac ſtudium erga Patriarcham viuum atque mortuum, ſed & morbi genus quo quiſque confectus obiit, talem de ea ſuſpicionem perhibibat. Diuerſis namque morbis, & nec duo ſaltem eodem extincti ſunt. Patriarchæ defuncto in metropoli Pherarum, ſumptuoſum & honorificium funus ab ea factum. ad quam cum ex monaſteriis in Atho, potiſſimum vero è ſacra Laura probatiores, ſanctioreſque monachi venirent, corpusque Patriarchæ in Atho tranſportandum, & apud ipſos ſepeliendum rogarent, illa recuſauit, quod diceret,* illud ſibi retinendum, magis enim eius viri patrocinio egere. *Palæologus Imperator audiens Patriarcham in legatione mortuum, circumſpiciebat, quem in Sede Patriarchica locaret, dans negotium Epiſcopis, vt de more conuentum agentes, & Eccleſiæ Rectorem deſignantes, ſuper eo certiorem ſe facerent. Vbi placuit Philotheum deſignari, Imperator miſſis filio Andronico Imperatore, & Manuele Deſpota, multiſque proceribus in Eccleſiam eum reduxit, & in ſolio Patriarchæ cõſtituit: qui ad verum lumen commiſſam ſibi Eccleſiam reduceret, ſalutaribus dogmatis pietatis eam enutriens, ac velut bona corporis habitudine confirmans, & mores componens, & quoad eius fieri poſſet, ex vita profana crebro docendo & monendo ad cæleſtem illam prouehens. Cantacuzen. hiſt. lib. 4. c. vlt.* Falſus in ea Philothei electione Palæologus fuit, quod ille pneumatomachia ſeſe polluerit, quemadmodum Pontanus in Notis ad Cantacuzenum obſeruabat.

II. Innoc. Pp. opem Orientis rebus ferendi cura & ſtudium.

In ſubſidia aduerſus Turcos, Palæologo & reliquis Chriſtianis Orientalibus, cum Innocentius Pontifex Regem Galliarum armaret, multoſque Principum & populorum ad ſacrum bellum inuitaret, nihil proficere potuit. Ioannes Rex, qua à coniuratis militum factionibus qui Galliarum prouincias vaſtabant, qua ab ingenti redemptionis ſuæ pretio, quod ex pacto Angliæ Regi Edouardo debebat, qua à vicinis Belgarum tumultibus, qui fines Galliarum regni infeſtabãt, diſtinebatur, quominus transfretaret. Venetis à Ludouico Rege Vngariæ, vna parte, & à Genuenſibus altera bellum renouatum erat. Florentini cum Piſanis tumultuabantur. Italiæ eam partem quæ ditionis Pontificiæ eſt, Vicecomites & alij vexabant. Germania & Hiſpaniæ, non omnino quieſcebant. Eas difficultates Orbis Chriſtiani, vt Innocentius pro munere Pontificio ſuperaret, & vt afflictis rebus in Oriente opem ferret, inprimis Androinum ex Abbate Cluniacenſi Cardinalem Legatum in Angliam miſit, qui pretium redemptionis Ioan. Regis, quod immane videbatur, minui ab Edouardo Rege, obſides liberari, & matrimonia ineunda concordiam firmiorem ſtabiliri procuraret. Nihil potuit obtinere Legatus, apud Regem lucris intentum, & parum Oriẽtalibus iuuandis attentũ: quamquam & Hiſpani, & Cypri, & Armeni milites auxilia aduerſus Paganos ab eo implorarent. Iſta pietatis ſpecie voluit auaritiæ ſordes oblitteraſſe, quod die Apoſtolorum Petri & Paulo feſto, Monaſterio VVeſtmonaſterienſi obtulerit veſtes, in quibus Beatus Petrus Apoſtolus ſacris operatus eſt. Caſtigauit Deus eam Regis Edouardi inhumanitatem peſtilentia grauiſſima, quæ & Ioannam Scotiæ Reginã, & Epiſcopos Lincolnien. ac Ciceſtren. & plures, mortalium abſumpſit, qui morbo letargico pereuntes multas calamitates futuras renunciabant. In locum extinctorum Epiſcoporum, authoritate Apoſtolica alios ſuffecit Innoc. *Valſigan. hiſt. Angl.*

Rex Angliæ auaritiæ notatur.

III. Diuerſi Italiæ Princ. Legato à poſt fœdere iunguntur.

In Italia Aldrouãdrino Ateſtino defuncto, Nicolaus II. ex vitio corporis cognomento Claudus ſuccedens, cum ſuperioris temporis vſu edoctus Bernabouis nullum neque cupiditatum, neque perfidiæ modum eſſe intelligeret, cum Egidio Pontificio Legato mutuæ ſecuritatis ergo, atque in Vicecomitum perniciem ſocietatem iunxit, eademque Gonzaghios, Carrarienſem, & Canem Signorium, qui Veronæ præerat obligauit. Poteſtas omnium rerum permiſſa Legato, vt is quocumque neceſſitas poſtularet, vel vniuerſum, vel partem exercitus deſtinaret, aduerſus hoſtes Eccleſiæ. Fœderi ſubſcripſit Innocentius VI. III. Cal. Iunij, qui decimũ iam annum ſuffectus Clementi VI. Pontificatum obtinebat. *Pign. lib. 6.* Cæterum quod Pontificem Rauennates non haberent, Innocentius ei Eccleſiæ præfecit Petrocinum Caſalectum Ferrarienſem, Diui Benedicti Monachum, Torcellanum prius Epiſcopum, & Flaminiæ prouinciæ pro Sede Apoſtolica Rectorem. Septimo Calendas Nouembris ad aram maximam templi Diui Apollinaris in oppido Aureolo Fauẽtinæ diœceſis, coram Stephano Epiſcopo Fauentino Innocentij Commiſſario ex formula iurauit, & pallium, inſigne poteſtaris Pontificiæ è manibus eiuſdem accepit. *Rubeus hiſt. Rauennat. lib. 6.*

IV. Obitus Reg. Sicil. & cura Innoc. de Regno.

Neapoli diem extremum clauſit, Ludouicus Siciliæ Rex morbo oppreſſus, Eidem cum iuſta funebria feciſſet Innocentius Papa, Guillelmum Grimoaldi Abbatem Maſſilienſem in Siciliam miſit, qui videret, ne quid à morte Ludouici Ioanna Regina in perniciem regni & Sedis Apoſtolicæ moliretur; neue aliquis exterorum vim aut illi, aut regno inferre conaretur. Namque periculum erat, à Friderico Trinacriæ, ne Aragoniis copijs fretus irrumperet. Siquidem Rex Aragonum Conſtantia filia illi in matrimonium collocata, Societatem cõfœderatorum Anglicorum, qui hactenus Galliam populabantur, magnis propoſitis ſtipendijs euocauerat; ſpecie quidem contra Petrum Regem Caſtellæ, dubio tamen euentu, ne ſuppetias genero ſubmitteret. Publicabantur interim anathemata aduerſus Caſtellanum, & Eccleſiis affigebantur; quod is pacta cum Aragonio, inita, & auctoritate Cardinalis Legati ſtabilita, non ſeruaret. *Ruhard. Ciſtercien. in Innoc. 6.*

V. Laur. Celſus Venet. Dux.

Venetiis etiam per id temporis, extincto Duci Delphino, Laurentius Celſus ſucceſſit, ſex & quadraginta annos natus. Ferunt aliquamdiu noui principis patrem tum in humanis agentem à ſalutationis officio publice abſtinuiſſe, ne filium pater nudo capite adiret: quaſi id nefas ac indecorum eſſet. Verum prudenti conſilio princeps Celſus vſus, Crucem paruam auream Ducali capitis inſigni impoſuit, vt ſi quando pater filium in eo faſtigio publice nudo capite adiret, non ſibi ſed Cruci honorem exhibere videretur. Exarſit tunc ciuilis rebellio in Creta, bellumque ingens parabatur: huic præuertendo, cum Legati inuigilarent, &, quod ritus Græcanicus in cæremoniis Eccleſiaſticis CATHOLICO prorſus ritu abolito, ab omnibus ſeruaretur, ad captandam Græcorum beneuolentiam decerneret, mirum

Ciuilis in Creta rebellio & quomodo repreſſa.



mirum mirandum iſtud accidit. Conſultantibus ex rebellium primoribus, an vexillum ſolitum S. Marci eleuari, attolliq; publice deberet, & facto populi maximo in forum concurſu, ingenti omnium vociferatione, cõclamaretur: *Viuat Sanctus Titus* diuq; illius figura vt terra mariq; publice eleuaretur, decretum eſſet, ipſa hora non ſine infauſto rebellium omine, dum vexillum San. Titi proclamãte vulgo ſupra turrim ſublatum eſſet pedes figuræ ſancti ſupino capite apparuerunt ſuperiores. Hoc oſtento multi ex rebellibus territi, hortabãtur inſulanos, vt ad priſtinam fidelitatem & obedientiam Venetorum reuerterentur. *Petrus Iuſtinian. de reb. Venet. li. 4.*

VI. Treuiren. Archiep. ſenio cõfecto datur Coadiutor ab Innoc.

In Germania, cum Boemundus Treuerenſis Archiepiſcopus ſenio confectus, Eccleſ. illi adminiſtrandæ par non eſſet, ab authoritate Innoc. Pont. Coadiutorem accepit Cunonem Falckenſteinium Moguntin. Eccl. Canonicum, qui virtutem ſuam contra hoſtes Eccl. omnibus probauerat. *Chron. Sponheimen.*

VII. De Ioan. Arkel Traiecten. Epiſc. et eius geſtis in Epiſc.

Floruit tunc ibidem Ioannes Arckel Traiectenſis Epiſcopus: qui cum Epiſcopatum ab anteceſſore ſuo vel impignoratum, vel vſuris & damnis grauatũ recepiſſet, & egregie contra omnes hoſtes graſſatores defendiſſet, tandem cuncta Eccleſ. debita ac vſuras diſſoluit, omnia impignorata redemit, abſtracta vel violenter detenta ad ius & proprietatem Eccleſ. reuocauit; Incurſiones & inſolentias deprædantium edomuit, multa prædonum caſtra deuicit, plurimos deiectos in gratiam recepit, caſtra & fortalitia Eccl. vel fecit vel renouauit, atque reb. neceſſariis repleuit, dirutas Eccleſias reſtaurauit, Monaſteria & templa pretioſa ſuppellectili & aliis ornamentis ditauit, plures bibliothecas inſtruxit, veriq; Paſtoris officium impleuit. *Magn. Chron. Belgic.*

VIII. Vita S. Birgittæ Suecæ, & eius origo.

Id quoq; temporis in Septentrione ſplendebat, S. Birgitta Suecorum Regiæ decus. Eius vitam placet in exemplum adducere, à grauiſſimis auctorib. exceptam, ab *Ioanne Vaſtauio* ſereniſſimi Sigiſmundi III. Poloniæ & Sueciæ Regis Bibliothecario. Ita habet:

S. Birgitta è Regno Sueciæ oriunda non tantum parentes habuit, tam coram Deo quam coram mundo illuſtres & potentes, verum & auos, proauos & abauos excellentes, legis diuinæ ſtudioſos, tum inquiſitores, tum executores; ad ſacras peregrinationes procliues, aliorumque piorum operum auidos frequentatores, quin imo omnis cognatio eius vt ſtirps quemadmodũ olim B. Tobiæ bonam vitam & ſanctam conuerſationẽ ſectata eſt adeo, vt tam Deo quam hominib. & cunctis vicinis vbicunq; tandem morarentur accepti & chari eſſent. Auus eius & proauus atq; abauus patris illius exempla Abrahæ & aliorum priſcorum patrum ſecuti peregrini eſſe voluerunt in hoc mundo; quantumuis eſſent diuites, ditiores in virtute vt eſſent, & voluntarium à terreſtri patria ſubierunt exilium, vt cœleſtis patriæ tempeſtiuius conſcriberẽtur inquilini. Vnde ſacramenta Dominicæ paſſionis, ad memoriam reuocantes peregre profecti ſunt, in ciuitatem ſanctam Hieruſalem, & ad alia loca quæ Ieſus Chriſtus corporali præſentia ſua illuſtrauit, idq; non ſine multo ſumptu & labore. Eorũ autem & exitum & introitum Dominus miſericorditer cuſtodiuit. Sed & pater S. Birgittæ Birgerus illorum veſtigiis inſiſtens multa loca ſanctorũ, puta S. Iacobi Cõpoſtellani, & alia circa mare Auſtrale deuotiſſime inuiſit, paratus etiam vlterius proficiſci ad terram ſanctam, niſi Apoſtol. Sedis conſilio propter cauſas rationi conſentaneas retardatus fuiſſet. Idem ipſe ſingulis ſextis feriis peracta ſua, ſacerdoti ſolebat humiliter confiteri, ſæpiſſime illis vſus verbis: *Ita me qualibet ſexta feria comparare volo, vt quicquid mihi cæteris diebus Deus impoſuerit æquo animo referre poſſim.* Identidem animo repetebat admonitionem illam ſapientis: *Non tardes conuerti ad Dominum & ne differas de die in diẽ.* Fecit conſimiliter filius eius, quoad vixit qui & poſt cõfeſſionem ſecreto acerrimis flagellis cædebat corpus ſuum, vt paratus in flagella Chriſtum flagellatum in ſuo glorificaret corpore & cum vitiis & cõcupiſcentiis iugiter crucifigeret carnem ſuam. Mater quoque B. Birgittæ, Sigridis, Nobilis & religioſa fuit, cuius pater ſanguine Regio procreatus erat, diligẽs decorem domus Dei, ita vt multas extruxerit Eccleſias & pro magnificẽtia ſua ampliſſimos eiſdem reditus dotis nomine aſſignarit. Porro ingreſſus B. Birgittæ ſponſę Chriſti in hunc mundum fuit velut quoddam diluculũ diei peramœnæ indicium diuinitus præparatum. Nam cũ adhuc geſtaretur vtero, accidit, vt mater eius in quodam maris ſinu naufragium faceret: & cũq; multi vtriuſq; ſexus ſubmergerentur, Dux Regni Henr. Fr. Regis Sueciæ, videns illam in periculo verſari, modis omnib. quibus potuit eam viuam ad littus perduxit. Eadem a. nocte illi aſtitit perſona quædã veſte luculenta induta; dixitq; ad eam: *Salua euaſiſti propter bonũ illud quod vtero geſtas incluſum. Itaq; cum enixa fueris, nutri illud pro Dei amore, ſciens ſpecialiter id tibi diuinitus eſſe donatum.* Nata a. puella ſacerdos quidam vicinioris Eccl. vitæ integræ & prouectæ ætatis, qui poſtea factus eſt Epiſc. Aboenſis, in Suedia inter orandum nocte vidit nubem lucidam, eiq; inſidentem virginem manu ſua librum complexam. Cumque quidnam viſum portenderet, hæſitaret, audiuit vocem eiuſcemodi. *Nata eſt Birgero filia cuius vocem mirabilem totus orbis exaudiet.* Ab ipſo a. ortu ſuo, triennium fere permãſit elinguis infantula, nec vllum edidit ſermonem, vt iã tunc quantũ eſſet ſilentium amatura & ſermones ſuos in iudicio diſpoſitura præſignaret. Sub finem vero triẽnii tam perfecte loqui cępit, vt iam non infantium balbutientium more, ſed contra eius ætatis vſum, abſolute ſua verba enunciaret. Interea mater eius eleemoſynis & bonis operib. ſemper dedita, morbo corripitur, & aliquot dieb. ante prædicit obitũ ſuum. Cum iam eſſet migratura de corpore, maritum ſuum & alios eius vehementi dolore ex eius obitu cõſternatos, admonuit, erexit, recreauit. *Quid ita doletis?* aiebat, *ſufficiat hucuſque prorogaſſe vitã. Gratulari potius mihi debetis, ſi me diligitis quod ad meliorum conſortiũ amicorũ, tametſi nec veſtri vnquam obliuiſcar, imperio Domini commigrem.* Inde accitis filiis cũ omnibus valedixiſſet, obdormiuit in Domino. Ea defuncta filiola eius Birgitta à patre tradita eſt nutrienda materteræ ſuæ, matronæ inſigni prudentia & religione. Et cum ſeptennis fere eſſet, vidit, quodam tempore euigilans è regione lectuli ſui altare, & ſuper illud Dominam quandam ſplendidis veſtib. indutam manu ſua magni pretij coronam ferentem ipſique dicentem: *Birgitta veni.* Surgenti illi, & ad aram properanti; *Vis ne,* inquit, *habere coronam hanc?* Illa libenter annuente, impoſuit eam capiti eius, ita vt ſentiret puella caput ſuum tanquam circulo quodam ambiri. Sed cum ad lectulum rediiſſet; viſio illa diſparuit cuius tamen nunquam potuit obliuiſci, ſingulari voluptate, quæ illam conſecuta fuerat perfuſa. Deinde annum ætatis decimum ingreſſa, inſtar puriſſimi lilij totius honeſtatis candorem retinens & ab illecebris labentis mundi, ad cœleſtium pulchritudinẽ ſeſe erigens, munditiam animi & corporis, ceu theſaurum abſconditum conſeruabat. Abundauit in ea totius forma virtutis: ſobrietas cum modeſtia, ſimplicitas cum verecundia; humilitas cum obedientia, iucunda conſcientia, hilaris patientia, charitas indefeſſa. Decimo ætatis anno, cum in templo ſermonem de acerbis Chriſti cruciatibus perattente audiuiſſet, nocte ſequente vidit in ſomnis Chriſtum, quaſi ea hora crucifixũ ſibi dicentem. *En vt cruciatus ſum.* Illa rata recenter illi tam crudelia inflicta vulnera. *Ecquis*, ait, *iſthuc tibi fecit Domine?* Subiecit Chriſtus: *Omnes vtiq; qui meam gratiam aſpernantur, & tantæ charitati reſpondere negligunt.* Tum illa ad ſe reuerſa vſque adeo deinceps fuit affecta, erga paſſionem Chriſti, vt eius myſteria raro ſine lachrymis, ad memoriam potuerit reuocare.

Viſio de ipſius natiuitate.

Trima perfecte loquitur.

Viſionem videt.

Alia viſio de Chriſto crucifixo.

Duodenis facta otium peroſa cum puellis quidem coætaneis acu telas pingebat, ſericum & aurũ inducens. Animam aũt cogitationib. piis occupabat ita vt ſæpius operi intendere non poſſet, Dei cõtẽplatione identidẽ abſtracta. In quo exercitio viſa eſt aliquando à circumſtãtib. aſſidere illi virgo quędã ignota, eã in eo opere adiuuans

Laborantem manib

ASTAT VIRGO IGNOTA QVÆ EAM IVVAT IN OPERE.

iuuans. Interrogata deinde quænam ipſi aſſediſſet, reſpondit ſe neminem conſpexiſſe. At matertera eius opus, quod tum præ manibus habuerat, attentius conſiderans, aduertit artificium maius puellari ingenio, vel facultate, credidítque diuinitus potius elaboratum fuiſſe, quod proinde inter ſacratiores reliquias fideliter aſſeruauit. Eadem matertera nocte quadam eius cubiculum latenter ingreſſa, inuenit eam, cæteris dormientibus in ſilentio ante lectum ſuum ſeminudam adorare cum lachrymis crucifixum. Suſpicata autem, leuitate quadam puellari id fieri, virga eam percuſſit; ſed ea in minutiſſimas partes confracta diſſiliit: tum admirabunda exclamat: *Quid egiſti Birgitta? Nam te vanæ mulierculæ ſuperſtitioſas edocuere preces?* Illa cum lachrymis reſpondit: *Non Domina mea: ſed ſurrexi è lecto, vt laudarem eum, qui mihi in omnibus fideliter opitulatur.* *Quis ille*, matertera ſciſcitante: *Crucifixus eſt*, inquit illa, *quem pridem conſpexi*: Ab illo ergo die matertera eius cœpit eam & amare impenſius, & amplius venerari.

NOCTV AD ORANDŨ SVRGIT.

VISIO ALIA.

Non diu poſt ludentibus puellis, Birgitta ſociata vidit diabolum tanquam centimanum & centipedem horrenda ſpecie deformem. Perterrita igitur cucurrit ad lectulum ſuum vt humiliter ſe Chriſto commendaret. Vbi rurſus ei teter ille ſpiritus apparens: *Nihil poſſum*, inquit, *niſi permittat Crucifixus.* Animaduertens autem pater eius quod virgo iam nubilis, & tanta morum elegantia ſpectabilis, velut altera Eſther, poſſet generi ſuo magnum adferre ſplendorem, & dignitatem, & inſtar parui fontis in maximum excreſcens fluuium, plurimis aquis redundare: ipſam licet ſummopere in virginitatis propoſito permanere cupientem, cuidam adoleſcenti, diuiti, illuſtri, cordato & prudenti deſpondit. Erat is Neruiæ legifer, & Vlpho de Vlphaſo dicebatur. Vixerunt autem poſt initum matrimonium annum vnum & eo amplius, vſu illius ſibi prorſus interdicto, obnixe interim Deum obſecrando, vt ſi ſecundum eius placitum mutuis amplexibus perfrui deberent, talem illis prolem donaret, quæ ipſius ſeruitio perpetuo manciparetur. Poſtquam iam inter ſe conuenerant ſemper in quadrageſima & diebus ſolennibus, & qualibet ſexta feria à carnali copula abſtinebant, quo tempore illa clã induta veſtibus, extra lectum cubabat in pauimento vel aſſere tapete inſtrato. Porro ambo ſimul Spiritu Dei illos gubernante, matrimonium honeſtiſſime coluerunt & tam Deo quam hominibus chari, in venuſta morum integritate & maturitate fœlices habuere progreſſus, filios ſuos Birgitta cum multa ſolicitudine & diligentia educauit: eóſque ceu aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, vnguibus caſtigationis & ſanæ doctrinæ, radiis ſolis iuſtitiæ obiecit, adhibens illis præceptores, qui eos in fide & moribus inſtituerent. Apparuit quandoque ei beatiſſimus Ioannes Baptiſta; & ait. *Quandoquidem plorasti, quod filius tuus offendit me, non obſeruato ieiunio in peruigilio feſti mei, malleſque eum ſeruire mihi, quam Regia dignitate excellere, Idcirco ego illum adiuuabo & armis meis communiam.*

NVBIT.

CÕTINENTIA IN MATRIMONIO.

APPARET EI IO. BAP.

Loca, leuitates, & perſonas omnes, vnde illi poſſet aliqua nota adſpergi, declinabat, ſemperque honeſtas ancillas & comites, omni morum honeſtate cõſpicuos apud ſe retinebat ne cuiquam obtrectandi occaſionem præberet, & quia à primordiis ætatis ſuæ, diuina erat gratia ornata & diuini amoris calore incenſa, ſurſum toto deſiderio ferebatur in Deum & ardentiſſime cœleſtia meditabatur. Ne quam autem Satanæ tentandi materiam offerret, ab ocio valde abhorruit, boniſque & ſanctis exercitiis ſemper vacans, nunc opere manuũ incumbebat cum famulis ſuis diuino cultui & proximorum vtilitati profuturo; nunc ſanctorum vitas in ſacra Biblia, quæ Gothico idiomate ſibi ſcribẽda curarat; lectitabat; nunc Eccleſiarum limina frequentabat, diuiniſq; officiis ſedula intererat: nec indulſit tenere cõplexioni corporis; ſed ſuaue & delectabile illi videbatur pedib. ſuis obire monaſteria & Eccl. primarias, tum ob Indulgentias ſiue cõdonationes promerendas, tum ob audiendas doctorum virorum conciones. Ieiuniis quoq; vigiliis & orationib. feruenter intenta docebat carnem parere ſpiritui; atq; à delicatiorib. eſcis abſtinẽtiam obſeruabat, quod tamen ea cautione faciebat, vt à marito & aliis non aduerteretur. Semper a. abſente marito veſte dura & aſpera tam interdiu, quam nocte corpus affligebat. Iam vero infirmorum morbidorum, & pauperum felix & inclita mater; Eleemoſynas largiſſimas omnib. gentib. præſtabat. Habebat a. ſpacioſas ędes pauperib. deputatas, & in iis fœminas quæ illorum miniſterio ſemper occuparentur. Sed & ipſa cũ multa humilitate nõ raro illis inſeruiebat, pedes abluebat & exoſculabatur. Quandoq; in partu ea periculoſe laborante, matrona quædã cãdidi ſerici veſte induta, viſa eſt ad eam ingredi, ſingula iacentis mẽbra contrectare. Quod vbi perfeciſſet, & ex oculis diſparuiſſet illa mox ſine vlla difficultate prolem incolumẽ edidit. Hanc ipſam B. Virginem Mariam fuiſſe poſtea per reuelationem intellexit. Maritus a. eius, cum eſſet vir ſtrenuus & potens & ex pręcipuis Regis cõſiliariis, perſpecta tanta eius virtute & gratia illius ſacris & ſalutarib. delectabatur ſermonib. & cõſiliis ita vt ſpretis omnib. mundanæ vanitatis honorib. & põpis ab aula Regis prorſus ſe ſubduceret, ſuauiq; iugo Domi. ſe totũ humiliter ſubmittens, quicquid eſſet æquum & iuſtũ, quicquid bonis morib. & honeſtati conſentaneũ, in gloriam & laudem Dei efficaciter exequi conaretur. Didicit vero ẽt à B. Birgitta legere preces horarias Beatiſ. Matris Dei. Ambo igitur feruentes Sp. vt ſe liberius à mũdi vanitatib. expedirent patria ſua relicta nõ ſine multo labore & ſumptu profecti ſunt in Hiſpaniam ad S. Iacobum & tandem multis peragratis ſanctorum locis, cũ iam eſſent in reditu, maritus cæpit apud Atrebates deteriori valetudine laborare. Increſcente a. morbo, cũ B. Brigittam magni tenerent angores; S. Dionyſ. conſolatus eſt videndũ ſe illi exhibens, his præterea verbis affatus: *Ego ſum Dionyſ. qui ab Vrbe Roma in Gallias veni prædicare verbũ Dei. Tu ergo quæ mihi ſingulari deuotione afficeris, noueris, quod per te velit Deus mundo innoteſcere, teq; meæ curæ commiſſam eſſe. Cuius rei hoc accipe ſignum quod maritum tuũ deinceps videbis ſanum.* Tranſactis inde aliquot eo in loco dieb. vidit in Sp. admiranda quædam, queadmodũ itura eſſet Romã & Hieroſol. & è corpore migratura. Rurſus aliquot euolutis diebus cum vir eius conualuiſſet, in patriam redierunt, ipſaque Deo dilecta maritum ſuum ſan. adhortationib. perfectius cum Deo viuit, & tũ precib. tum exẽplis ſuis, eum ad perpetuæ continentiæ ſtudium perduxit. Cumq; votum ille nũcupaſſet Deo quod monaſticũ vellet viuẽdi genus arripere, octo liberis procreatis, diu ſeruata cõtinẽtia in monaſterio Aluaſtra Ord. Ciſtertienſis feliciter cõuerſatus, vltimum diem obiit. Eo defuncto ſan. & pudica matrona mundo valefacto facultatib. ſuis inter proles diſtributis, habitum mutauit & vitam, feciſſetq; maiora niſi peregrinari diuinitus fuiſſet iuſſa. Vidiſſes deinde eam ceu alterã Iudith virtute caſtitatis inſignem, erga proximum officioſam, piam erga Deum, & quemadmodum Apoſt. docet, vere viduam & deſolatam, ſpem ſuam in Domino collocantem. Cum a. quodam tempore plus ſatis anxia eſſet, de mutatione ſtatus ſui, vt Deo liberius ſeruire poſſet, mentis ecſtaſin paſſa vidit nubẽ luculentam, & ex nube vocẽ audiuit: *Ego ſum Dom. Deus tuus, qui tecũ loqui volo. Tu eris ſponſa mea & canalis meus*, Iis verbis illa territa ꝙ reformidaret illuſionẽ rurſus audiuit. *Noli timere quia ego ſum conditor omnium, nõ impoſtor, nec tua vnius cauſa loquor, ſed propter ſalutẽ multorum. Audi ergo quæ ego loquor & deinde refer ea ad Magiſtr. Matthiã qui & mea gratia ex ſua experientia didicit Spir. veritatis à deceptore Sp. diſcernere.* Huic Matthiæ de quo ſupra ſuo loco commemorauimus, B. Birgitta in omnib. obediuit quemadmodum ei tum diuinitus præceptum fuit, cum cęleſtes primum cœpit habere reuelationes. Specialiter vero à Deo obtinuerat, vt annis viginti octo, poſtquam gratiam reuelationis accipere meruit, nihil vnquam egerit nullibi pedem poſuerit vel morata fuerit, niſi monente eam Spir. Dei.

SIVE EXERCITIA.

MISERICORDIA IN PAVPERES.

VISIO ALIA.

COMPOSTELLAM CVM VIRO SVO PROFICISCITVR.

S. DIONYSIVS EI APPARET.

MARITVS VOVET CÕTINENTIÃ ET MORITVR IN MONASTERIO CISTERCIEN.

VISIO POST OBITVM MARITI.

In[ſ]tituit



ORDINEM MONASTICVM INSTITVIT.

Inſtituit autem nouum monaſticum ordinem, & regulam ſiue Canonem ex ore Chriſti ipſi dictantis conſcripſit, quem monialibus cœnobij Vuaſtenæ ſeruandum reliquit. Interim propter ſubitariam vitæ mutationem & habitus vilitatem, à nobilibus, vitam eius non alio quam inſaniæ loco habentibus, contemnebatur; ſed illa dicere huiuſmodi ſolebat. *Nec propter vos incepi; nec propter vos deſiſtam. Statui autem apud animum meum verba hominum tolerare. Orate tamẽ pro me, vt perſeuerare queam.* Ita iſtos expediebat probe gnara, nec malam conſcientiam ſanare laudantium præconia, nec bonam lædere vituperantium conuicia.

CORPVS SVVM DVRE CASTIGAT.

Triginta annis ab obitu mariti, veſtibus lineis vſa non eſt, niſi duntaxat in capitis velaminibus; ſed aſpero induta cilicio carnem ſuam macerabat. Ante lectum ſuum iuſſerat poni tapetum ſimplex vel pallium & puluinar exiguum pro capite: ſicque cubare ſolebat. Interrogata, quinam ſic ſomnum capere poſſet in acerrimis frigoribus quibus eæ Regiones Aquilonares rigent, reſpondit: Ego tantum intra me ſentio ardorem vt frigus externum non magnopere curem. Nocte ac die toties flectebat genu, toties ſeſe inclinabat & oſculabatur humum, vel venias, vt dici ſolet, capiebat, vt mirũ videretur tam nobilem & teneræ habitudinis matronam, tantos potuiſſe perferre labores. Sextis feriis conſueuerat ardentis cerei ſtillas ignitas, in nudam demittere carnem, ita vt vulnerum veſtigia relinquerentur: quæ ſi ſua ſponte ante proximam feriam non nihil curata eſſent ſuis vnguibus ea lacerans, renouabat, ne corpus eius vulnerum afflictione vacaret. Habebat etiam nodoſa & aſperrima ligamina corpori circundata, quæ neque noctu, neque interdiu à ſe remouit. Qualibet ſexta feria propter Saluatoris paſſionem, & felleum potum ipſi in cruce oblatum, amariſſimam herbam quandam ore retinebat idque itidem aliis quoque diebus faciebat, ſi quod verbum inconſiderate protuliſſet. Et quia ſpreta mundanæ lætitiæ falſa pulchritudine, cor eius intolerabili mortis Chriſti acerbitate perfuſum erat, non abſurde dicere potuit, cum illa præclara vidua Noemi: *Ne vocetis me pulchram, ſed vocate me amaram, quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens.* Obedientiæ adeo ſtudioſa fuit, vt nullibi eſſe voluerit ſine præceptore.

QVAM SÆPE CONFITERETVR.

In facienda confeſſione humilimam & ad quamuis ſatisfactionem quæcunque ſibi iniungeretur, promptiſſimam ſe exhibuit. Ab infantia pro more habuit; ſingulis ſextis feriis confiteri peccata ſua poſtea tamen ea frequentia non contenta, quolibet die confitebatur etiam leuicula verba & cogitationes.

CÆLESTES DE IPSA REVELATIONES.

Ex obedientia in domibus monaſterio Aluaſtræ vicinis & contiguis morabatur, non vt aboleret canonem monaſticum illis fratribus pręſcriptum, nec vt nouum quendam morem, cum ipſa eſſet mulier, eo inueheret, ſed vt opus Dei mirabile in eo loco certius oſtẽderetur. In illo monaſterio frater quidam fuit ex iis, quos conuerſos vocant Gerchinus nomine, qui intra annos quadraginta nunquam è monaſterio fuerat egreſſus. Sed die ac nocte intentus orationi eam à Domino obtinuerat gratiam, vt nouem Angelorum ordines inter orandum quaſi continenter videret & ſub eleuatione hoſtiæ Chriſtum in forma pueruli crebro conſpiceret. Cum autem S. Birgitta ad illud veniſſet monaſterium illic moratura, hic frater ſecum tacitus admirabatur dicens. *Cur hæc Domina in Monachorum cœnobio reſidet, contra regulam noſtram nouam huc conſuetudinem introducens?* Raptus igitur in ſpiritu audiuit vocem perſpicue dicentem. *Noli mirari eſt enim hæc amica Dei atque ea cauſa huc venit, vt in hoc monte flores colligat è quibus etiam multi, vltra mare & in extremis orbis partibus degentes accipient medicinam:* Puta Teutones & alij in Oriente, Occidente & ad Auſtrum morantes. Ita in hac reuelatione præſignificatum eſt multos in hiſce locis degentes, aduerſum exitialia peccatorum vulnera medicinam ex dictis S. Birgittæ præſentem hauſturos. Prætereа vidit idem frater B. Birgittam à terra eleuatam & de ore eius latices fluminis inſtar erumpentes dictumque eſt illi. *Hæc mulier à finibus terræ veniens, innumeris gentibus propinabit ſapientiam. Et hoc erit tibi ſigni loco, quod ipſa indicabit tibi finem vitæ tuæ, exultabiſque in aduentu & ſermonibus eius citiuſque complebitur deſiderium tuum, vt non videas mala, quæ illaturus eſt Deus Domui iſti.* Quod & euentus comprobauit.

ALIA.

Prior quidam Dominicanus ægre poterat adduci vt B. Birgittæ reuelationibus fidem commodaret. Is cum aliquando dormiret, vidit ignem è cœlo in eam deſcendere. Stupefactus ea viſione putabat ſibi illudi. Itaque expergiſcens, rurſus obdormiuit viditq; ignem illum ex ore B. Birgittæ prodeuntem, multos circa illam ſtantes inflammare, ſimulque audiuit vocem dicentem. *Quis prohibere poteſt ignem hunc, vt non egrediatur? Ego enim Deus omnipotens, mittam hunc ignem ad Orientem & Occidentem, ad Aquilonem & Auſtrum & incendet multos?* Deinceps Prior ille credidit reuelationibus Sanct. Birgittæ, eaſque tuendas ſuſcepit. Huius fratris fit mentio ſexto libro Reuelationum cap. 30. Duobus fere completis annis in memorato monaſterio, Chriſtus iuſſit B. Birgittam laborem peregrinationis ſuſcipere, dicens ei familiariter: *Proficiſcere Romam, illic enim plateæ ſunt inæſtimabili auro inſtratæ, ſanctorum videlicet ſanguine rubricatæ, ibi propter condonationes ſiue indulgentias, quas promeruere ſancti, compendio venitur ad cœlum. Manebis autem illic donec videas ſummum Pontificem & Imperatorem*; Quo Chriſti mandato accepto, illa vtpote obedientiſſima nullas nectere moras auſa, ſed confeſtim aures auditui parere, linguam voci, pedes itineri, manus operi, totam ſe intus colligere vt mandatum conficeret imperantis. Egreſſa igitur è paterno ſolo crebris eſt diuinitus recreata conſolationibus, cum Romam veniſſet ſumma cum deuotione & multa aſſiduitate, nec mediocri labore viſitabat loca Sanctorum, nec facile colloquia miſcens inter eundum, niſi forte interrogata eſſet, & tunc verbis pauciſſimis ſciſcitanti ſatisfaciebat.

ALIA.

ROMAM À CHRISTO IRE IVBETVR.

Paupertas voluntaria adeo illi cordi fuit, vt omnes res & facultates ſuas cuidam commiſerit diſpenſandas & quoties aliquid inde, vel in ſuos, vel aliorum vſus conuerti cuperet, cum ſumma humilitate in nomine Ieſu Chriſti id ſibi dari petierit, perinde ac ſi nuſquam eas poſſediſſet. Solebat autem in eiuſmodi potendis rebus aliorum qui cum ipſa erant vtilitatem ſuæ anteferre, & propriam celans indigentiam, orare vt illis præberentur neceſſaria, licet ipſa plus cęteris iis egeret, frequenter etiam neceſſariis deſtituta, vti ſic proximum pure diligeret propter Deum. Poſt annos aliquot iuſſa eſt ire Neapolim & in Siciliam. Fecit illa, & à Regina Siciliæ multiſque nobilibus, propter vitæ eius ſanctitatem & ſynceritatem, multis eſt aucta & honorata muneribus & xeniis. Viſitatis autem in Sicilia ſanctorum locis, Neapolim venit, vbi moram fecit, & inſtar puriſſimi ſpeculi, virtutum de ſe exempla omnibus exhibuit, intrepideque doctos pariter ac indoctos verbis & exemplis ad viam veritatis reuocauit. Reuelationem quoque ipſi factam de populo ciuitatis illius, ipſimet Archiepiſcopo, doctis Theologis aliiſque & clericis & laicis ſapientibus exponens abſque metu quemlibet ſui officij commonefacit.

PAVPERTATIS STVDIVM.

NEAPOLIM & IN SICILIAM IRE IVBETVR.

REVELATIONEM DE NEAPOLI SIBI FACTAM ARCHIEP. EXPONIT.

Poſt annos multos cum Romæ ſolito feruentius Sanctorum limina viſitaſſet vnigenitus Dei filius præcepit vt iret Hieroſolymam. Prætexente illa incommodam valetudinem & ætatem, Dominus reſpondit. *Ecquis eſt naturæ conditor? Ego addam tibi vires: Ego proſpiciam de itinere; ego te ducam & reducam in locum hunc: denique ego ero cuſtos tuus quocumque perrexeris: nec dimittam donec compleuero vniuerſa quæ dixi.* Veniens Hieroſolymam mira audiuit à Domino de ſtatu Regnorum, de natiuitate & paſſione eius & de vocatione gentium.

HIERSOL. A CHRISTO IRE IVBETVR.

Porro loca omnia in quibus pro peccatorib. pati voluit Dominus Ieſus, ipſa deuotiſſime viſitauit & quaſi

VISIT ET LOCA SANCTA.

columba

columba nidificans in foraminibus petræ, ſuauitatem vulnerum eius meruit deguſtare, & diuinis intrinſecus viſitationibus crebrius illuſtrari. Ante autem quàm Hieroſolyma rediret, febri & ſtomachi infirmitate laborare cœpit eamque terra & mari inter labores & dolores ſuos integrum annum patientiſſime tulit.

VISIO ANTE OBITŪ.

Vbi Romam rediit, morbus inualuit cuius tandem vi extincta eſt. Cumque immineret dies obitus eius quinque dies ante, ruſus apparuit ei Dominus IESVS ante altare, quod erat in conclaui eius, iucunda facie & corporeis eius oculis viſibilem ſe præbens eique dicens. *Perinde tecum egi, atque ſponſus ſolet ſubducens ſe aliquantiſper à ſponſa, vt ardentius ab ea deſideretur. Non viſitaui te diuinis conſolationibus quandoquidem tempus erat, quo probareris. At nunc probata ſatis procede & præpara te. Tempus eſt enim, vt ſicut pollicitus tibi ſum coram altari meo monaſtico habitu induaris & deinceps non modo ſponſa mea ſed etiam monacha & mater in Vaſthena voceris. Attamen ſcias te corpus hic Romæ poſituram, donec veniat ad locum ipſi præparatum.*

*Placet mihi, finem vt imponas laboribus: accipio voluntatem tuam pro opere quod meditaris.* Deinde ſubiunxit. *Quinto abhinc die mane ſumptis ſacramentis conuoca ſingillatim quas tibi indicaui, & facienda illis demanda atque ita venias ad monaſterium tuum, id eſt, in gaudium meum porro corpus tuum in Vaſthena reponetur.* Ex his licet animaduertere B. Birgittam dum eſſet in corpore monaſtico habitu indutam non fuiſſe: neque illius Ordinis veſtibus, quem ipſa inſtituit: ſed emigrantem à corpore à Chriſto ſponſo ſuo accepiſſe eiuſmodi habitum incorruptibilem, ſicut ei in reuelationibus ſuis promiſerat. Itaque quod pingitur plerumque vt monacha, non tam indicium eſt facti quam voti; Neque enim Monialium amictum, dum vixit, induit, attamẽ expetiit veſte huiuſmodi veſtiri, quā nunc moniales Ordinis eius vtuntur, eam vero fulgentiorem accepit in cœlis.

NVNQVAM DVM VIXIT MONIALIŪ HABITVM INDVIT.

CHRISTVS DENVO EI APPARET ET POSTMODVM MORITVR.

Die quinto ſub ortum ſolis Chriſtus iterum ei apparens conſolabatur eam. Miſſa celebrata, perceptiſque ſacramentis inter manus earum, quas paulo ante diximus ſpiritum reddidit piiſſimo Saluatori, quem toto pectore amauit. O ineffabilem increatæ ſapientiæ benignitatem eos, qui concupiſcunt eam, præoccupantem, quibus prior hilariter ſe poſſidendam fruendamque offert. O ſponſæ ſingularem gloriam, qua ſponſus in fide & miſericordia ſibi deſponſas, verbis blandiſſimis conſolatur. O felicem nimium, quæ poſt multiplices toleratos labores exantlataſque ærumnas in pulchritudine pacis & requie opulenta commoratur. Felix obitus eius non obſcuris argumentis declaratus eſt. Quidam enim bonæ & venerabilis vitæ vidit quandam adornari lecticam, & à perſonis candidis veſtibus conſpicuis in ſublime ferri, dictumque eſt illi admiranti: *Perſona quam in hoc lecto cernis, ſponſa Dei eſt quæ in mundo contempta à multis, nunc tranſit de morte in vitam ſempiternam.* Eadem autem hora illa obiit: porro corpus eius ſumma cum laude ad monaſterium S. Laurentij deportatum, & illic honorifice ſepultum eſt; obiit anno ſalutis milleſſimo, treceteſimo, ſeptuageſimo tertio decimo Calendas Auguſti. Anno autem proximo poſt multorum miraculorum coruſcationem oſſa eius ab vrbe Romana multis per viam ſanctitatis editis argumentis, ad monaſterium Vuaſthenæ duodecimo Iulij die, cum ingenti populorum frequentia, & gaudio per ſanctam filiam eius Catharinam tranſlata ſunt. Vbi miris ſignis & multifariis miraculis eam ornat & illuſtrat Dominus Ieſus Chriſtus. Præſtatur cæcis viſus, ſurdis reformatur auditus, muti loquuntur, paralyticis membra diſſoluta confirmantur. Et vt paucis multa expediam morbidi omnes deuote illic Chriſtum inuocantes, meritis ſponſæ eius ab eo curantur. Id vbi innotuit Imperatori, Regibus, Reginis, Prælatis & Principibus, multiſque diuerſarum nationum Chriſtianis, apud Romanos Pontifices multis modis inſtiterunt, vt Dominam Birgittam in ſanctorum album referrent. Denique ad Bonifacium nonum re tota deuoluta, cum is de integro accuratiſſime in eius vitam & geſta inquiri curaſſet, ad eius canonizationem, vt vocant, ſolenniter ſe contulit eamque de conſilio & conſenſu Cardinalium & prælatorum omnium qui tum in Romana Curia verſabantur S. Catalogo adſcripſit.

VISIO DE OBITV IPSIVS. TRANSLATIO CORPORIS IPSIVS AB VRBE ROMA VVASTHENAM.

MIRACVLA AD EIVS SEPVLCHRVM.

À BONIF. IX. IN SANCTARVM NVMERVM RELATA.

De ea ſcriptores rerum Sueticar. Birgerus Archiep. Vbſalen. Surius 23. Iulij. Volateranus libr. 21. Geographiæ Trithemius in Chron. Polidorus libr. 7. capit. 4. Palm. in Chron. Lud. Boſius in Monili ſpirituali ca. 14. ad finem; Ant. Cordub. lib. 10. Quæſt. q. 44. in 4. prob. ſextæ con. Pet. Caniſius lib. 1. de B. Virg. c. 7. Michael. Medina libr. 2. de recta in Deum fide. Nicol. Sanderus lib. 6. Viſibilis Monarchiæ nu. 1046. Alphon. Mendoza in quodlibet. quæſt. 5. Mart. del Rio Tom. 2. li. 4. c. 1. q. 3. ſect. 4.

IX. PETRI REG. PLVSQVAM BARBARICA PERFIDIA.

In Hiſpaniis, Petrus Caſtellæ Rex, ad reliqua facinora, perfidiæ quoque adiecit, tanto grauius quanto in barbarum, qui ſatis moderate victoria vſus, Calatrauæ Magiſtrum captum ſine pretio dimiſerat. Granatenſis Rex erat Maurus cognomento Rufus. Huic cum Petrus metum grauiſſimum collecto exercitu incuſſiſſet, & ad hanc calamitatem domeſtica quoque peſtis accederet, re cum proceribus communicata Hiſpalim abire conſtituit, fide prius incolumitatis impetrata; alioqui in poteſtate Caſtellæ Regis futurus. Conſilij exitialis auctor Odricius comes periculi, magna ea tempeſtate inter Mauros authoritate, & à multo rerũ vſu facta prudentia clariſſimus. Quadringenti equites ſequebantur pedites dimidiato numero: argentũ aurumq; multum, gemmarũ veſtiſq; pretioſæ vis ingens. Hiſpali infra arcẽ admiſſus, factaq; conueniendi poteſtate innocentiam ſuam Regi commendauit, fide ſe publica tutum arbitrans. Ad huius ſermones Caſtellæ Rex fallaci eblanditus vultu verbiſque, gratum aduentum extitiſſe ait; bono animo eſſe iuſſit. *Hæc* inquit *dies neq; tibi, neq; tuis quicquam detrahet. Omnes cauſſæ neceſſitudinis intercedunt: alioqui non cum fortuna hominum, ſed aduerſus ſuperbiam ferociamque bellum gerere conſueuimus.* Hæc ait: ſimul à Diui Iacobi Magiſtro Garſia Toleto Rex barbarus ad cœnam deductus eſt. cœnanti vincula iniecta: ſic repente mutata aut detecta ſæui principis voluntate. Neque eatenus calamitas conſtitit: paucis poſt diebus Rex calamitoſus in purpura aſino impoſitus, & cum eo triginta ſeptem ſocii pœnas capite dederunt. Campus cui ad vrbem Tablatæ nomen eſt, ſupplicio deſignatus. Fama fuit theſauros quos attulerat malo fuiſſe, Regis animo auaritia corrupto: tyrannumq; ipſum ſua manu omnes interfeciſſe addunt, fœdum facinus, deteſtabile carnificis miniſterium, cædiſque genus morte ipſe grauius. Sermones hominum qui futuri eſſent, inuidiæ moles quanta, non conſiderabat. Vulneri verba contumelioſa addita: *Noſtra*, inquit, *manu cades. Aragonii fœderis tua cauſa importune icti, hæc merces eſto.* Ad quæ patria lingua Maurus: *Poſitis armis ſupplicem dedititium, (quanam gloria) fraude cædis.* Rufi interfecti corpus ad Lagum æmulum miſſum; qui continuo regno recepto Chriſtianos omnes ad Accim captos, liberos abire permiſit. *Mariana de rebus Hiſp. lib. 17. c. 5.*

X. TEMPESTATES & PRODIGIA OBITVM INNOC. PP. PRÆCEDENTIA.

Grauiſſimæ hoc anno tempeſtates, multas Eccleſias, domos & oppida proſtrauerunt. Solis defectio tanta, quanto poſt viuentium memoriam, nũquam viſa; Cometes quoque ingens apparuit, portendens mortem Innocentii Pontificis qui pridie Idus Septembris eiuſdem anni defunctus eſt, cum Pontificatũ adminiſtraſſet annis nouem, menſibus octo & amplius. Præter Vrbanos illos à Rentio & Baroncello motus excitatos, eo viuente plebs Romana claros ciues expulerat, ac ſe, reſque ſuas fidei Lelij Bonadotæ ſutoris commiſerat: ſed poſtea ad ſe rediens adminiſtrationem vrbis liberam ac reipublicæ curam Pontifici reſtituendam exiſtimauit, & reuera tradidit, ea lege, ne AEgidius Cardinalis Legatus aliquam in eo poteſtatem haberet. Scripſerat id temporis Ægidius Romanis ſaluberrimas leges,



ges, quas poſtea Xiſtus etiam IIII. lato diplomate cõfirmauit. *Maſſonius in Innocen. 6. & MS. Vatic. legum Ægidianarum.*

XI. CREATIO VRBANI V. PAP.

Eodem anno, x. Calend. Octob. finitis exequiis Innocentij defuncti, & Spiritus Sancti miſſa cantata, xx. Cardinales conclaue ingreſſi ſunt paratum Auinione in Apoſtolico palatio. In quo poſt multas difficultates, quum nemini ex purpuratis Pontificatum deferre voluiſſent, V. Calend. Nouembris eam dignitatem detulerunt Guillelmo S. Victoris apud Marſilienſes Abbati, Sedis Apoſtolicæ in Regno Siciliæ Nuncium agenti. Fuit is antequam ad Eccleſiæ clauum regendum aduocaretur, omnium teſtimonio ſingularis virtutis, ingentis animi, vitæque integerrimæ, quique omnes ſuas curas ac cogitationes in rem communem conferret. *Onuph. Panuinus in Chronol. Pontif.*

XII. VRBAN. À CARDINALIBVS OCCVLTE CREATVS.

Occultam eius electionem voluerant eſſe Cardinales, ne forte ab Italis in vrbe reſidere cogeretur. Quamobrem illi ſcripſerant, vt quamprimum Auinionem reuerteretur, vt neceſſitatibus Eccleſiæ per obitum Innocentij vna cum eis conſuleret. Tanto ſiquidem deſiderio reducendæ in vrbem Sedis tenebatur, vt Florentinis feratur dixiſſe; Si ſe Pontificem creatũ videret, Romam veniret, reductaque ad Sedem Petri Eccleſia, & repreſſis moleſtiſſimis Italiæ tyrannis, non amplius viuere cuperet. Auinionẽ reuerſus Octauo Idus Nouembris, Pontifex Maximus ſalutatus. Vrbani nomen cum diademate ſupremo accepit, illudque Dauidicum protulit; *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. M. Villani lib. XI. & Maſſonius in Vrbano V.*

## VRBANI PP. V. ANNO I.

I. PETRARCHA AD VRBANVM PP. DE EIVS ELECTIONE.

*FRanciſcus Petrarcha miraculo attribuens Vrbani electionem, hæc illi ſcribebat: Nemo te, inquit, fallat pater prudentiſſime, nemo tibi perſuadeat eſſe aliquem tuorum Cardinalium, qui vel ſemel cogitauerit te ad Papatum non dicam promouere, ſed poſcere. Si quis forte tibi aliud inſuſurrat; verba dat, te ſibi mendacio obligatum cupit. Deus te profecto. Deus inquam, ſolus & nemo mortalium elegit, linguis licet illorum vſus, quas ad aliud diſpoſitas ad ſuum vertit obſequium: quodq; ipſe volebat, dictu mirabile, per nolentes fecit, hoc tibi acutiſſimo hominum, quomodo rear incognitum, quod nemo fere vulgarium ignorauit? Sed ſi nunc etiam notius fieri vis quorum electus es vocibus, mores atq; animos tibi notiſſimos contemplare. Pone ante oculos faſtum illum nuſquam tanta rerum ſuarum æſtimatio, parque contemptus alienarum: alto loco aſſueti omnes, ad ſummum ſinguli aſpirant, quo vix eſt qui alium quam ſe vnum dignum cenſeat. Sed quoniam nominare alios eſt neceſſe, quiſq; ſe cogitans alium nominat viciſſim ab aliis nominandus. Ita neque ſe quiſquam nominare poteſt, neq; alium vult, niſi ex eodẽ numero, vnde tanti beneficij vicem ſperet. Quando ergo illi hoc indicio, & his moribus, quamuis vita conſpicuum, literis excellentem, humilis Abbatem cœnobij nominaſſent, aut tãtæ rei idoneum iudicaſſent, quomodo illis in animum veniſſet, quod ſibi quiſq; ſuis optabat; exteris dare, ſeu quem ex alto deſpicerent ſupra ſe cernere, ſeu quo miniſtro vſi eſſent Dominum habere, audacter forſan, ſed ni fallor vere dixerim, nunquam quo ſunt animo, tale aliquid ſponte pati, nedicam facere potuiſſent. Non refert autem quid homines velint, ſed quid Deus: Is vero te, non alium volebat, conſiliumq; ſuum vltro non conſenſuris occultabat, quibus ſcrutinia profunda verſantibus; ſic clanculum tuum nomen inſeruit, vt ex tot nominibus Romano cardine fulgidis; cum ſolus Abbas Maſſiliæ ſonuiſſet, dolor & timor malos, gaudium & ſpes bonos, admiratio ac ſtupor omnes arriperet: omnes tamen vna voce, variis licet affectibus, in laudem Dei qui facit mirabilia magna ſolus, ſtupentia ora reſoluerent.*

II. VRBANVS PAP. AD PRIN. ENCYCLICAS SCRIBIT.

Cumprimum Dei expreſſe nutu, quo inſperatius, eo ſanctius, ad humanæ excellentiæ gradum mundo ſalutiferum, vere Sanctiſſimus Pater, vereq; liberalis & vrbanus VRBANVS aſcendiſſet, Carolum Imperatorem, & reliquos Reges, Principes, Prælatos, Clerum ac populum aſſumptionis ſuæ admonuit. Deinde Antiſtites Eccleſiarum ad ſedes proprias reuerti iuſſit, ambitionique frenum poſuit, & vt vno aut paucis pro dignitate virtutis ac ſcientiæ beneficiis Eccleſiaſticis contenti eſſent edixit. Circa cultum corporis externum & veſtium honeſtatem multam curam ac ſtudium impendit: ad antiquum morem omnia reuocare cupiens, habitumque priſtinum & veſtitum reducere, atq; nimiam licentiam edictis ac legibus caſtigandam & comprimendam putauit. Sceleſti homines grauiſſimis facinoribus perpetratis, ad Cardinalium domos fugere ſoliti; legum nodis ac digno ſupplicio eximebantur: eam peſſimam cõſuetudinem primus ſuſtulit, indecorum iniuſtumque putans, vt refugium aſylumq; iuſtitiæ eiuſmodi reis patrocinaretur.

III. DIVERSA EIVS INITIO PONT. ACTA.

Ad eum ſalutandum, ex omni Europa cum Legati aduenirent, Ioan. Francorum Rex carcere Britannico ſolutus Auinion. viſendi illius cauſa acceſſit, ab eoque vt Bernaboui Mediolanenſium principi pacem daret expetiit. Intrepide Pont. reſpondit; id non poſſe fieri, niſi oppida vrbeſq; Eccleſiaſticæ redderentur, ac niſi obſequentem Rom. Pontifici ſe præberet. Præter hæc, præſentib. Bernabouis legatis Vrbanus in illum diras pronunciauit, procumbenſq; in genua & manib. paſſis, alta admodum voce; *Te quidem*, inquit, *cœleſtium pater hoc vnum poſco, vt tu illum cœlo liges, quemadmodum à me ligatum noſti.* Publicatæ ſunt Eccleſiaſt. cenſuræ, *Auinione* IV. *Cal. Decem.* & in Italiam ad diuulgandum miſſę aduerſus Bernabouem: qui illis nonnihil perculſus, Gualdiſium Louixellium ciuem Cremonen. & Franciſcolium Chambayliram Nuncios, Auinionem ad Vrbanum deſtinauit veniam certis conditionibus impetraturos. Eam rem Pontifex Egidio Cardinali Legato, *ad* XVI. *Cal. Ian.* datis literis ſignificauit, vtque de toto negotio cum confœderatis Principib. ac ciuitatib. conferret iniunxit: ac interim Nicolaum Spinellum, inter Iuuenatij ciues nobiliſſimum, Legum Doctorem in Italiam & Germaniam Nũcium miſit, ad ſubſidia ab Imperatore, Rege Vngariæ, Senatu populoq; Veneto, aliiſq; principibus aduerſus Vicecomites pro Eccleſia imploranda. 2. *Cal. Decemb.* Archiepiſcopo etiam Rauennati commiſit; vt Florentinos inter ac Piſanos pacem conciliaret, & vtriuſque vrbis populos in hoſtes Eccleſiæ armaret. *ep. Cal. Decemb.* Porro, ne regnum Siciliæ, per imbelliam viduæ Ioannæ Reginæ periclitaretur, ei ſuadebat Vrbanus, qui cum Philippo Duce Turonij Ioannis Regis Galliarum filio matrimonium cõtraheret. *ep.* III. *Cal. Dec.* Iſtud enim etiam Ioan. Rex præſens vehementius deſiderabat. Quod vt tanto facilius à Põt. aſſequeretur, Vrbano bellum ſacrũ in Orientem contra Saracenos & Turcas indicenti, operam omnem pollicitus eſt. Namq; & Petrus Rex Cypri Auinion. venerat, & Ioan. Palæologus Græc. Imp. miſſis Nunciis vrgebat, qui Pont. reb. eorum afflictis ſuccurreret. *Blond. Platina. Sabellicus. Richar. Cluniacen. in Chron.*

IV. INSTANTE REGE POLONIÆ IN RVSSIA METROPOLITICA CATHEDRA ET CRACOVIÆ ACADEMIA INSTITVITVR.

Miſerat & Caſimirus Polon. Rex Orat. Auinion. ad Pont. recens electum, à quo impetrauit, vt in Ruſſia cathedra Metropolitica, Cracouiæ vero ſiue adeo Caſimiriæ noua Academia inſtitueretur: id quod Carol. Imp. & Rex Boemorum Pragæ iam fecerat. Atque illud quidẽ perfectum eſt hoc anno, primuſque Archiepiſc. Leopol. fuit Chriſtinus, homo equeſtris Ord. à Gneſnen. Archiepiſc. præſente Rege conſecratus. Academiæ vero cœptũ opus, magna parte ędificiorum conſequentib. annis magno ſumptu excitata, ad finem tamen tunc perductum non eſt, Caſimiri morte intermiſſum. Præterea repullulans rurſus inter Epiſc. Cracouienſem & Reg. ſacrumq; & profanum. Ord. controuerſia de iure decimarum & interdictorum, eodem anno arbitrio Iaroſlai Archiepiſ. Gneſnenſis, qui tunc forte Cracouien. diœceſim viſitabat, ex compromiſſo ſedata eſt. Cuius decreti exemplum extat in Conſtitutionib. Regni, & Synodalib. vulgo editis. *Cromerus li. 12. de reb. Polon.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1363.
## VRBANI PAPÆ V. ANNO 1. CAROLI IV. Roman. Imperat. Anno 8.

I. GRAVES INTER CAROL. IMP. & LVD. VNG. AC CASIM. POL. REGES EXORTAS INIMICITIAS SEDAT PACEMQVE & AFFINITATEM INTER EOS CONFICIT VRBANVS.

INIMICITIÆ graues interceſſerant, inter Carolum Imperatorem Boemorum Regem, & Ludouicum Vngarorum Caroli generum, leuib. quibuſdam iniuriis, vt fit inter vicinos populos excitatæ, ſed conuicio Caroli ſic auctæ, vt bellum vtrimq; magnis virib. appararetur. Ludouicus Caſimirum Polon. cum Ruſſorum ac Tartarorum auxiliis, & per eum Valdemarum Danorum Reg. Boguslai Stecinenſium ducis propinquum in ſocietatem belli pertraxerat. Carol. Boemiam, Morauiam, & Germaniam omnem ad arma concitabat. Hoc vbi accepit Vrban. Pont. de pace cum vtriſque egit diligenter, per Nuncium ſuum, Ioan. quempiam ſodalem Franciſcan. virum prudentem & eloquentem: qui cum impigre iam ad Carol. iam ad Ludouic. & Caſimirum recurreret, illumq; eo adduxiſſet, vt ſatisfacturum ſe eſſe aduerſariis de conuicio reciperet mitigatis ea de re Ludouici & Caſimiriani animis, non modo pacem inter inimicos Reges, verum etiam affinitatem confecit, nempe, vt Carol. Imp. neptem Caſimiri Regis, Elizabetham Boguslai filiam, quartam vxorem duceret. Tertiam enim Annam Bernardi Suidnicienſium Ducis filiam, per quã Suidnicienſem dominatum ſibi & ſucceſſorib. ſuis Boemorum Regib. quæſiuit, paulo ante morte ſublatam amiſerat, cum Veneceslaum filium ex ea ſuſcepiſſet. Nuptiis dictus locus Cracouiæ ad Liberalia, quod Carniſprinium vulgo vocant. Conuenerant eo inuitati à Caſimiro Reg. Ludou. Vngarorum, Valdemarus Danorum, & Petrus Cypriorum: prętereà Duces Otto Bauarorum, Ziemouitus Maſouiorum, Boleslaus Suidnicienſium, Bern. defuncti F. Wladislaus Oppolien. & Boguslaus cum filia ſponſa. Ad extremum venit Carol. cum ſplendido comitatu. Cui venienti omnes Princ. atq; Reges cum Caſimiro Cracouia ad vnum milliarium obuiam profecti ſunt, & non modicum ſpatium pedib. progreſſi quod idem facere Imp. cognouerant, amice inter ſe cõſalutarunt. Nuptiæ magnifico apparatu celebratæ, Carol. Regib. conciliarunt. *Cromer de reb. Polon. li. 12.*

NVPTIÆ CAROL. IMP. CVM NEPTE CASIMIR. REG.

II. DIVERSOS PRIN. INTER SE DISSIDENTES CONCILIARE STVDET.

Inter eundem porro Carol. Imp. ac Ioan. Marchion. Morauiæ fratrem ſuum; necnon inter Ludouic. Regem Pannonium & Rudolphum Ducem Auſtriacum, nonnihil diſcordiarum gliſcebat. Eas vt Pont. Vrban. componeret, Petrum Epiſc. Vulteranum Pacarium miſit. IX. *Cal. Febr.* Porro cum Caſimiro Polon. Reg. cum Adleida Regina vxore non bene conueniret; eam enim multo ante Rex thoro geniali excluſerat: admonuit illum Vrbanus, vt eam maritali affectu complecteretur & ad cõiunctum Regium admitteret. quod ſi recuſaret ſciret ſibi Eccleſiaſt. cenſuram à Sede Apoſtolica imminere. Plura de eo negotio Pont. Ioan. Pacoslao Reſſonio militi Regio Oratori qui in ſubſidium Eccleſ. plurimos armatorum in Ital. aduerſus hoſtes adduxerat, reuertenti commiſit: necnon Henr. Haſſiæ Langrauio Patri Adleidæ ſcripſit, vt amorem mutuum inter Reges coniuges redintegraret. XVI. *Cal. April.* Comitem quoq; Sabaudiæ, cum Marchione Montisferrati armis certantem ſtuduit Vrban. ad pacem reuocare, miſſo ad vtrumq; F. Marco Viterbienſi Ord. FF. Minorum Generali Miniſtro. III. *Non. Iul.*

III. CASTELLÆ & ARAGONVM REG. INTER EXORTVM BELLVM PER LEGATVM COMPESCIT.

In Hiſpaniis, Petrus Caſtellæ Rex, ad arma rurſus cõtra Petrum Aragon. feſtinauit, externis auxiliis conquiſitis. Rex Angliæ, Walliæq; princeps ad ſocietatem armorum inuitati. Vaſconum quoq; Rex Carol. alia parte infeſtabat, vicinis vrbib. formidalib. Caſtellæ militum qui cum eo erant præcipua ſæuitia. Aragon. Rex, Henr. Caſtellani fratre duce validas ex Gallia copias ducebat. His vt Pont. arma ex manib. exturqueret, Abbatem Fiſcanum ad Reges miſit. Obtinuit, vt Regum conſenſu Ludouicus Vaſconius Fr. Legatus de pace eligeretur. qui vna ſecum Legati pontificij partes implente, vtrumque Regem adiit. Iis agentib. ferox Caſtellæ Regis animus mitigari viſus eſt: gemini coniugij etiam ſpe facta: Caſtellæ Regis & Ioannæ Aragonij filiæ; prętereà Ioannis Gerundæ Ducis, & Beatricis Caſtellæ Regis filiæ. Hæc palã iactata: ex arcano, Henr. Transſtamaræ Comiti Ferdinandoq; Aragonio, diſſidiorum in vtroq; regno præcipuis auctoribus, exitium moliebatur, Caſtellæ Rege id expetente. Aragonio graue id facinus & turpiſſimũ videbatur, fide publica munitos, nulla noua culpa interimi, alienaq; calamitate pacem redimere. Siue hæc cauſa fuit, ſiue alia. Ferdinan. Aragon. Caſtellonij ad Burrianã iuſſu fratris interfectus eſt. Veteris odij ſemina ad maturitatem peruenerunt, Henr. Tranſtamaræ comes vitæ diſcrimen ad Vncaſtellũ, quo Aragon. & Vaſco per cauſam mutui colloquij ad confines conuenerant, inſcius euaſit: felix dupliciter; Ferdinando grauiſſimo æmulo ſublato, ac euitatis inſidiis beneficio Arellani ei arci Præfecti, per fidem colloquij tantum principem interimi, ſuæq; familiæ proditæ fidei perpetuam inuri maculam paſſurum ſenegantis. Mirum inter fidem perfidiamq; ea tempeſtate fuiſſe diſcrimen: cædium frequentia, cunctorum animis efferatis, hominem externum Vaſconis cubicularium tanta conſtantia ſeſe duorum Regum conatibus oppoſuiſſe, mirum. Henr. cœlum, Imperium fratri nũ deſtinabat, cui humanę fraudes ſunt impares. Catanę in Sicilia per idem tempus menſe Iulio, Conſtantia Trinacriæ Regina extincta eſt. filia relicta cui Mariæ nomẽ fuit; quæ poſtea Aragonij Regis filio Martino nupſit. *Mariana de reb Hiſp. lib. 17. c. 6.* Initio menſis April. Aragonius Rex Legatos Auinionem miſit, qui Vrbano Pont. pro regnis Sardiniæ & Corſicæ homagium promiſerũt non tamen præſtiterunt. nec non cum Franciæ & Nauarræ Regibus, decernente Pont. in pacis fœdera Regem adduxerunt. Surita li. 3.

FERDIN. ARAG. IVSSV FRATRIS INTERFECTVS.

IV. REX ARAGON. HOMAGIVM PONT. PER LEGATVM PROMITTIT.

V. IOANNA SICIL. REG. MAIORICARVM REGI NVBIT CITRA TAMEN PRÆIVDICIVM SED. APOST.

Ioanna Siciliæ Regina, ne diutius ſine marito eſſet, neue authoritate aut. Pont. aut Regis Galliarum, ad matrimonij ſolemnia cum Philippo Duce Turonum amplius vrgeretur, Iacobum Maioricarum Reg. expetiit in conſortem; certis tamen pactis: inter quæ ne titulũ Regis Sicil. citra voluntatem Sedis Apoſt. vſurparet; ſed tãtum titulum Ducis Calabriæ præſeferret. Non omnino diſplicuit Vrbano iſta coniunctio. Quamobrem vtriq; gratulatus VI. *Id. Febr.* Regiæ familiæ principib. necnon Regni Siciliæ proceribus & in his Nicolao Spinello, Domino Græcij, venientem Iacobum commendatum fecit. VI. *Cal. April.* Hunc n. Nicolaum Spinellum Legum Doctorem, familiarẽ ſuum Vrban. pro grauiſſimis Ro. Eccl. negotiis Nuncium in Italiam deſtinauerat, & vt ei fides in commiſſis adhiberetur, Egidio Cardin. Legato in Italia Gabrieli Adorno Duci, Conſil. & ciuitati Ianuen. Regimini & Conſilio Biſan. Canſegnorio & Paulo Albuino de la Scala, Nicolao, Vgoni, & Alberto Ateſtinis, Franciſco Carrario Patauino Vicario, Angelo Tauernino Patrimonij theſaurario, & aliis quampluribus Ægidio Cardinali Principibus fœderatis, ſcripſit. Auinion. Cal. Maij. Cumq; poſtea non deeſſent, qui inter Ioannam & Iacobum diſcordiarũ ſemina iacerent, Iacobum incitantes vt contra pacta conuenta Regiam dignitatẽ vſurparet, admonuit illum Vrbanus, adulatores à ſe amoueret. neue quicquã contra conuentiones ante matrimoniũ initas attentaret. *ep.* III. *Non. Septemb.* Iacobus non diu cohabitauit Ioannæ, ſed quam primũ patri bellũ ab Aragonio inferri audiſſet, in Maioricam traiecit, infeliciterq; pugnauit. captus, & in cuſtodiã ductus, quem Ioanna XL. M. nummũ aureorum redemit. *Summun. hiſt. Neapol. lib. 3.* Auctor Magni Chronici Belgarum, memoriæ prodidit, Ioannã quoq; Auinionem hoc anno conceſſiſſe, ſiue vt Regium diadema Iacobo coniugi ab Vrbano Pontifice impetraret, ſiue vt ſibi ipſi tantũmodo regnum Siciliæ magis ſtabiliret. Cenſum ſane Pon

tifex



tifex annuum, è regno Siciliæ numerauit. *ep. Vrbani num.* 44. nec non Collectorem in Siciliam cis & vltra Farum, qui fructus beneficiorum vacantium ibidem pro Sede Apoſtolica conquireret, miſit. *ep.* 33. Inſuper Archiepiſcopo Neapolitano commiſit, qui in electiones ac poſtulationes ad Eccleſias in regno Siciliæ vacantes, quæ per impreſſionem, indebite, & contra ius Eccleſiæ Romanæ fierent, inquireret, deque omnibus Sedem Apoſtolicam certiorem redderet, indiculumque virorum ſanctitate & doctrina Illuſtrium, quibus Eccleſiæ committerentur, mitteret. *ep.* 277. Cum autem non deeſſent plurimi, qui Ioannam armis petere non dubitarent, Vrbanus Pontifex Egidio Cardinali Legato iniunxit, Ducem copiarum, vexillum Eccleſiæ Romanæ, cum exercitu quam numeroſo poſſet, in Siciliam mitteret, quoties Ioanna Regina vel poſtularet, vel neceſſe haberet. *ep.* V. *Cal. Apr.* Inter hæc & Vrbanus, Robertum dictum Imperatorem Conſtantinopolitanum, cenſuris Eccleſiaſticis propter occupatas quaſdam terras regni Siciliæ ſubiectum, ſatisdare ſpondentem abſoluit: vtque bona Archiepiſcopo Patraceno à fratribus occupata, vindicaret iniunxit. *ep.* 233. & 254.

VI. ROBERT. DICTVS IMP. CONSTANT. À CEN. ABSOLVIT.

VII. BELLVM SACRVM CONTRA TVRCAS & ALIOS ECCLESIÆ HOSTES INDICIT VRBANVS. PALÆOLOG. IMP. FIT TVRCARVM SERVVS.

Opus habuit Pontifex bellum ſacrum indicere, & vires Chriſtianorum cruce Sacroſancta armare, tum contra Turcas & Saracenos in Oriente, tum aduerſus hoſtes Eccleſiæ in Italia & Galliis bacchantes. *ep.* 161. & 36. Antea quidem Turcæ venerant in Europam: ſed nunc vſi nauib. Genuenſium tranſmiſerant in Græciã 60000. armatorum, ſpecie quidem iuuandi Imperatorem; ſed reuera vt occuparent (quod etiam fecerant) præcipuas ciuitates, Philippolim, Adrianopolim, aliaſque plures: quibus captis, Ioannem Palæologum vectigalem fecit Amurathes Turcarum princeps, & ex Imperatore ſeruum. Imperator enim dato filio obſide, nec militare, nec Imperium inire deinceps auſus eſt, niſi accepta à Turcis poteſtate, vt omnes fere hiſtorici obſeruant. Huic itaque vt Pontifex opem ferret, ſub ſignum Crucis Chriſtianos vocabat. Petrus quoque Rex Cyprius, ad XXIX. Martij Pontificem conuenerat auxilia contra Saracenos poſtulatum. Spem maximam cum illi Vrbanus feciſſet Rege Ioanne Gallo, & Petro Cyprio, & Valdemaro Dano qui ad XXVI. Ianuarij Auinionem venerat ipſo die paraſceues Cruce-ſignatis, & exercitui Cruce-ſignatorum Ioanne Rege, ac Talairando Legato præfecto, Comitem dedit ei vnum ex collegio Purpuratorum, quo cum Principes Chriſtianorum conuenirent, ſi forte illos ad pia arma ſumenda excitare poſſet, calamitate Chriſtianorum in terra ſancta afflictorum expoſita. Ioannes Rex Franciæ, decreta expeditione aduerſus infideles, prius in Angliam tranſmiſit, vt de obſidibus datis & ſecuritate pacis tranſigeret. Iuit eo, & Petrus Rex Cypri, necnon & Rex Scotorum, vt aliquid in commune decernerent. *Boſius hiſt. Rhodianæ lib. 3. Thomæ VValſing. hiſt. Anglic. Æmilius hiſt. Gallic. Richar. Cluniacen. in Chron.*

VIII. CAROL. IMP. EXPEDITIONEM HIEROS. RECVSAT & QVIB. DE CAVSIS.

Carolus Imperator ad eam expeditionem tranſmarinam adduci non potuit, quod diceret illam ſuſceptu, quam confectu multo faciliorem eſſe. Confirmabat dictum ex anteceſſorum ſuorum euentibus, quibus euenit, vt poſt multa etiam ſecunda prælia facta, poſtque multas receptas vrbes, quæ ſine magnis viribus & opibus contingere non potuerunt, ad extremum tamen alij eorum à militibus per ſeditiones tumultuantibus deſerti ſunt, alij vix cum decima exercitus parte domum reuertebantur. Fridericus vero Cæſar ibidem perierit. Omnes deniq; bona in Oriente parta, cito amiſerint, hoſtibus ſtatim à diſceſſu Cæſarum illa recuperantibus, cum miſerando Chriſtianorum exitio, quos in præſidiis relictos, vis & furor hoſtilis immaniſſime interficiebat. Sed nec hodie alium futurum exitum ſe videre, etiamſi Hieroſolyma recepta fuerit, quam vt illa manibus protinus elabatur. Si de proximo non aderit, qui illam cum Imperio tueatur. Hæc Carolus, in conſeſſu Principum diſſerebat, cum illum Legatus Pontificius & Petrus Cypri Rex auxilia poſtularent. *Dubrau. hiſt. Boem. lib. 22.*

IX. VENETI DE CRETENSIB. VICTORIAM REPORTÃT.

Cretenſes, non modo nihil aduerſus barbaros conferre volebant, verum etiam aduerſus Venetos Inſulæ Dominos per ſeditionem tumultuabantur, in ſua perfidia obdurati. Eam rem Veneti, Vrbano Pontifici, Carolo Imperatori, Ioanni Francorum, Ludouico Vngariæ, Petro Cypri, Ioannæ Siciliæ Regibus, cæteriſque Ducibus ac principibus Italis externiſque cum ſignificaſſent, auxilia ab eis oblata audiuerunt, vt pertinaces Inſulani ad Imperium retraherentur. Pugna aduerſus eos ſuſcepta, cum aliquot milites prædæ auidi temere excurſionem feciſſent, in hoſtium manus venerunt. Trucidatis genitalia & linguæ à Græcis abſciſſæ, illa dentibus, hæ natibus contumelioſiſſime inſerta, Deum ad vindictam prouocauerunt. Namque impreſſione militari facta Vrbem Veneti recuperarunt, & de authoribus ſeditionis ſupplicium ſumpſerunt.

X. PONT. & IMP. À BERNABOVE VICECOM. DECEPTI.

Congratulatus eſt Vrbanus eam victoriam Venetis, *ſcripta ep.* 250. eoſque hortatus eſt, ne Franciſco Carrario Patauij Domino quicquam negotij faceſſerent, quod is in fide & tutela Apoſtolicæ Sedis eſſet, ac numerum Confœderatorum contra Bernabouem vicecomitem principum numerum impleret. Itaq; non tanti Bernabouem, quanti dignitatem Romanæ Eccleſiæ, eiuſque æquiſſimam cauſam ſuſpicerent: quin potius aduerſus hoſtem, diris deuotum, & inter hæreticos iam pridem renunciatum arma cum reliquis coniungerent. Audiuerunt Veneti Pontificem monentem, cumq; Carrario conuenerunt. *ep. Vrb. in. 6. Cal. Aug. & 2. Cal. Sept.* Maxime quod viderent Bernabouem, & Pontifici, & Carolo Imperatori illuſiſſe. Is enim cum citerioris Galliæ nobilitatis florem, & in his Ambroſium ex pellice filium apud Salarolanum in conflictu amiſiſſet, eiuſmodi plaga vehementer ictus, nonnihil inflexo animo de pace cum Egidio Legato agere deſignauit, vtque cum confœderatis pacificaret, arbitrum ac diſceptatorem controuerſiarum illarum Imperatorem popoſcit. Mox datę fidei immemor, auiduſque ignominiæ delendæ, bellum reſtituit. Quamobrem deluſus Imperator omnibus eum Vicarij titulis atque auguſtalibus beneficiis Pragæ exuit, neue quis Imperij obſeruans illi opem ferret, interdixit. Pontifex etiam iterum, in ampliſſimo Cardinalium Senatu, genibus innixus, ſublatiſque in cœlum oculis ac manibus hæreſeos notauit, ac diris deuouit, adque Carolum Imperatorem Legatos miſit, vt Eccleſiam à Bernaboue & ab aliis hoſtibus defenderet; quod ille neque authoritatem Romani Pontificis, neque Diuinam maieſtatem reſpiciens omnia popularetur. Stephano quoque, Alberto, & Ottoni quondam Ludouici Bauari filiis III. *Id. Ian.* Vrbanus ſcripſit, vt ducentos grauioris armaturæ milites, contra Bernabouem in Italiam mitterent, quos illi ex pacto, pro ſatisfactione damnorum ac iniuriarum Romanæ Eccleſiæ illatarum, in XII. menſes proprio ære ſubmittere ſpoponderant. Tandem Bernabouem inter & Egidium Legatum conuenit, vt induciæ in duos menſes publicis tabulis deſignarentur; ab armis interim ceſſaretur; caſtella in agro Bononienſi capta, ſimulque Lugum oppidum communis quiſpiam amicus cuſtodiret, Bernabos adempta reciperet, captiui dimitterentur, Pontifex erratorum veniam Bernaboui concederet, & omnibus diris exſolueret. Miſit ea de re Auinionem Oratores Bernabos, qui Vrbano & Sedi Apoſtolicæ omnia abunde pollicerentur. Rex quoque Cyprius per eos dies Venetiis ſe continens, Pontificem ad pacem inclinare tentauit. Is vero Androinum tituli S. Marcelli Cardinalem Legatum in Italiam miſit, qui Bernabouem & ſocios audiret, abſolueretque; ſi modo is iureiurando ſeſe aſtrinxiſſet, obſequentem eſſe mandato Pontificis & Eccleſ. Romanæ. *ep.* IX. *Cal. Dec. Rubeus hiſt. Rauennat. lib. 6. Pigna de rebus Ateſtin. lib. 5. Mutius de reb. Germ. li. 25.*

IMP. EVM VICARII TITVLIS PRIVAT ET PON. EVM DIRIS DEVOVET.

INDVCIÆ INTER LEGATVM PONT. & BERNABOVEM.

XI. ALTAE VRBANI

Eodem anno Vrbanus I. Ioannæ Duciſſæ Dyrrachij, vt cum Friderico detentore Trinacriæ matrimonium contraheret indulſit. Si vero iſtud non ſortiretur eff-

ctum, ne alium virum inuito Pontifice acciperet, prohibuit. III. *Cal. Decembr.* 2. Iacobum Mutum Epiſcopum Marſicanum Romam miſit, qui nonnullas difficultates componeret, & illum quandoq; in vrbem venturum ſignificaret, ſi modo Romani iſtud depoſcerent. 9. *Cal. Octob.* 3. Duci Venetorum vt Petro Archiepiſcopo Creten. Sedis Apoſtolicæ Legato in his quæ pacem Cretenſium attinerent, obtemperaret præcepit. 8. *Idus Decembr.* 4. Archiepiſcopo Neapolitano, vt in Archiepiſcopum Compſanum, aſſerentem, quod qui in cœmeterio Eccleſiæ ſuæ ſepelirentur, à culpa & à pœna exſoluerentur, inquireret, commiſit. XI. *Cal. Ian.* 5. Inquiſitionem vitæ & miraculorum Dalphinæ Comitiſſæ Ariani aliquibus Prælatis permiſit. *ep.* 216. Priuilegia Ordinis Prædicat. Fratribus in partibus infidelium confirmauit. *ep.* 126. 7. Ioannis Virnebergij electionem ad Eccleſiam Colonien. abrogauit, & Adolphum ex Monaſterien. Epiſcopo, Archiepiſcopum Colonienſibus dedit. *Chron. Sponheimen.* 8. Epiſcopum Valentinum, qui Concilio per Patriarcham Hieroſolymitanum celebrãdo præſideret, deſtinauit. *ep.* 275. 9. Rectorem Comitatus Venayſini aduerſus quoſdam Eccleſiæ armauit. *ep.* 276. 10. Romanos proceres ad concordiam inuitauit. *ep.* 159. 11. Magno Regi Sueciæ, poſtulanti, vt loco ſuo Epiſcopum Lincopenſem propter delicta ſubmoueret, inque eam cathedram Gotſcalcum Fuldal. Ord. Præd. Confeſſorem ſuum eueheret, quod indicta cauſa id facere non poſſet, excuſauit; inque Sueciam Collectorem Apoſtolicæ Sedis prouentuum Guidonem de Cruce Apoſtolicum deſignauit. *Cal. Decemb.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1364.

## VRBANI PAPÆ V. ANNO 2. CAROLI IV. Roman. Imperat. Anno 9.

I.
Obitvs Ioann. Gal. Reg.

Romanorum Clerus, Senatus, ac Populus, cum primum intellexiſſet Pontificem cupidum eſſe reuertendi in vrbem, Legatos Auinionem deſtinauit, qui inuitarent, & cupientem vehementius inflammarent. Spem tantum Vrbanus Romanis oſtendit, neque tunc iter maturare potuit, rebus Gallicis nonnihil mutatis, à morte Regis Ioannis. *Richard. Cluniacen. in Chron.* Dati erant Anglo, duo filij Ioannis, & totidem ſanguinis Regij principes, apud Edouardum manſuri vſque ad integram ſolutionem eius auri quod in pactis erat.

II.
Qva solenitate Carolvs eivs filivs coronatvs fverit.

Ad eos viſendos liberandoſque Ioannes compoſitis vtcumque Galliæ rebus in Anglicam tranſiit, Carolo filio & proceribus Regni, ac fideliſſimis miniſtris fruſtra monentibus, ne vltro periculum ſubiret: Non multo poſt quam traiecit, aduerſa valetudine correptus ſupremum diem obiit v. Idus Aprilis. Relatum cadauer in Galliam, III. Non. Maias, ſuccollantibus Iudicibus Senatus Pariſienſis, in Diui Dionyſij conditum eſt, præſente Rege Cypri.

III.
Vrbanvs sedes Romanæ reddere cogitans qvomodo impeditvs fverit.

Poſtquam patrem Carolus extuliſſet, eodem menſe Maio, 14. Cal. Iun. in feriis SS. Trinitatis more inſtitutoque maiorum, operante Ioanne Craonio Archiepiſcopo Rhemorum ſacratus, ſumpſit regium inſigne. Coronationi interfuere inter cæteros, Rex Cypri, Wenceſlaus à Boemia, Dux Lutzenburgi & Brabantiæ, cum Franciæ proceribus. Ioannes Archiepiſcopus Rhemorum Regem ſacrauit & inunxit. Epiſcopus Laudunenſis ampullam cum ſacro oleo portabat. Epiſcopus Lingonum geſſit ſceptrum. Philippus Dux Burgundiæ tiaram Regis capiti impoſuit. Ludouicus Dux Andagauenſis Vicarius Ducis Aquitaniæ primum geſſit Regis vexillum quadratum. Wenceſlaus Dux Brabantiæ auunculus Regis, vicarius Ducis Normanniæ ſecundum Regis vexillum quadratum geſſit. Epiſcopus Bellouacenſis geſſit togam Regiam. Epiſcopus Nouiomagenſis zonam. Epiſcopus Cathalaunenſis annulum. Ludouicus Comes Flandriæ Regio enſe Regem accinxit. Robertus Dux Ambarorum Vicarius Comitis Tholoſani regia portabat calcaria. Dux Lotharingiæ Vicarius Comitis Campaniæ geſtauit ſignum militare Regium.

Inter hæc plena erat prædonibus Francia, qui neque Regis, neque Nauarri partes ſequebantur, ſed ſuo ipſi ductu, nunc pauci, nunc multi excurſiones paſſim prædaſque faciebant. Prima & Vrbano & Carolo cura fuit, huiuſmodi prædonibus Franciam purgare. Iſtud faciendi occaſio non defuit. Vrbanus Pontifex Petrum Caſtellæ Regem Eccleſiaſtico Ordini inuiſum in publico cætu hæreticos damnarat. Huic erat naturalis Fr. Henricus quem ad regnum capeſſendum & Pontifex, & Rex Aragonum, & Carolus quintus accendebant. Ad id bellum conficiendum, cum multi nobiliſſimi viri concederent, prædonum quoque Duces omni Gallia ſpe lucri ad eos confluxerant. Ab his prædonibus ex itinere Pontifex ipſe obſeſſus, ſuam ac Romanæ aulæ libertatem multo auro redimere coactus eſt. Quo defunctus periculo, hęc mala omnia hinc prouenire dixit, quod Petri ſuamque Sedem dessereret: ſeque indies grauiora metuere, ſi obſtinato animo deſeratur Sedes illa quam ſponſus eius Chriſtus elegerat. Intellexere Rom. Pontificem appetere vrbem, vtque id faceret tanto magis vrgebant. Cæterum non ſemel ſed ſæpe ac diu obſeſſus, cum etiam redemptionem ſeruiliter indictam ſolueret, ærario exhauſto non licuit ei accelerare. Carolus quoque Francorum Rex, Vrbano abitum meditanti, quos potuit laqueos direxit, quibus ſacris pedes Apoſtolicos ad omne pium ſanctumque opus paratiſſimos implicaret. Nam quemdam doctum ac diſertum virum Oratorem miſit, qui coram Pontifice, & Patribus cupide nimis audientibus verba faciens, in eo maximam ſuæ orationis partem cõſumpſit, vt cœlotenus ſuam Galliam extolleret, Italiamque deprimeret: iſto conſilio, vt Pontificem ab itinere inſtruendo auocaret. Inter hæc Vrbanus habita conſultatione Henricum Petri Caſtellæ Regis fratrem, & Aragoniæ Regem Petrum Auinionem venire iuſſit. Ibi legitimatus Henricus, declaratus eſt Caſtellæ Rex, excommunicato & reiecto tyranno. Cum illo ingens numerus prædonum iuit: reliqui in Britanniam abiere, dulcedine belli attracti, quod inter Carolum Bleſenſem, & Ioannem Montfortium de iure Britanniæ gerebatur, fruſtra contendente Petro Luſiniano Cyprio Rege, qui author erat, vt ſacrum bellum ab Ioanne Rege deſtinatum, eo defuncto nihilo ſecius ſuſciperetur gereturque, cæteris interea bellis omiſſis curiſque depoſitis. Bleſenſis commiſſo certamine, in acie cecidit, plurimis ſuorum amiſſis, Ioannes victor viſo eius corpore illachrymauit, & apud Guyngantam iuſſit ſepeliri, vbi ſancta poſt obitum memoria miris operibus claruiſſe perhibetur. Hæ difficultates Vrbanum remorabantur, ne profectionem Italicam acceleraret. *Froſſard li. 1. Guagnin. li. 9. Æmilius li. 9. de reb. Gallic. Maſſonius Annalium li. 4. Annal. Fland. li. 13.*

IV.
Rex Aragonvm ob vsvrpationem bonorvm Ecclesiasticorvm excommvnicatvr.

Erat & iſta ex proximo. Vrbanus Pontifex, ex quo in Pontificatum euectus fuerat, quamquam in Petrum Aragonum Regem ſumma benignitate vſus fuiſſet, & beneficia omnia Eccleſiaſtica Cardinalium, & aliorum morte vacantium indigenis elargitus eſſet decumaſque eorum in aliquot annos Regi contuliſſet, manus in vectigalia ac fructus omnes ſacros Cardinalium, & abſentium Pontifice maximo inſcio & obſiſtente, edictis publicis propoſitis iniecit. Cum de ea re ad Senatum Vrbanus retuliſſet, cenſuerunt, Regem imprecationum & interdictorum pœna coercendum, & Sardiniæ ac Corſicæ regno, Arborenſi Iudice Rege conſtituto, multandum. Earum pœnarum quæ proponebantur terrore commotus Rex, Petrum patruum, & rerum geſtarum decore, & religione Diui Franciſci cuius inſtitutum profeſſus fuerat, & prouecta ætate venerandum, & Gaſparem Treguram iuris & publici & pontificij ſcientiſſimum Oratores deprecandi cauſa, datis mandatis per quæ Pontificem lenirent ad Vrbanum delegauit. Cum excuſatione peruulgata vterentur, Regem inuitum ad ea ſubſidiorum remedia neceſſitate deſcendiſſe, & aliquos doctiores conſuluiſſe, eo rerum conflictu, cum aræ & foci, & penates ipſi hoſtili furori ſubiicerentur, licere non vectigalia modo Eccleſiaſtica, ſed aurum & argentum omne ſacrum, ex ſanctioribus ærariis, & dona præterea fanis atque delubrorum ſacrariis propter religionem dicata auferre: dum in neceſſarios propugnationum vſus conuertantur: quibus & ſacri, & profani Ordines, reipublicæ tuendæ cauſa æque aſtringuntur: modo Eccleſiis cautum ſit, vti in certum tempus ablata reponantur: Pontifex de conſilij ſententia amplius pronunciauit, Regique diem intra duos menſes dixit. Præſertim quod nondum ligium homagium reſpectu Sardiniæ & Corſicæ Sedi Apoſtolicæ præſtitiſſet, neque cenſum annuum dependiſſet, neque conditionibus à Bonifacio VIII. olim Iacobo præſcriptis ſatisfeciſſet. Fregit tandem authoritate Apoſtolica Regem, vt is & ſacramentum dixerit, & abunde omnia à Pontifice deſiderata effecerit.

V.
Grave Regis Aragonvm delictvm.

Impiauit ſe tunc Petrus Rex grauiſſimo ſcelere, quod Bernardum Cabreram proditionis inſimulatum, & nullius flagitij conuictum, ſed conſilij tantum ſuſpectum, ex quo filium dolo hoſti obſidem tradidiſſe arguebatur, occidi imperauit. Ioannes Regis filius, in ſolio, ornatu regali ſedens, maieſtatis & nefariorum ſcelerum crimine, lata ſententia, capitis innocentem condemnauit. Summum ſupplicium, cum tormentorum cruciatu conſtitutum fuit, Ioanne ipſo Iudicij præſide, & in nutritium animaduertente. Cæſarauguſtæ, in ipſo foro, illuuie & pedore obſitus ſqualenſque, vir exacta ætate, virtute & conſilio præſtantiſſimus, atque nobiliſſimus, ſumma rerum geſtarum gloria parta, capite obtruncatus eſt. Caput eius Barcinonem iuſſu Regis relatum, Rex ipſe vidit, effecitque verum illud prouerbium, in Aragonia bene meritis, ſupplicium irrogatur. Aliqui homini obiecerunt, iuſto Dei iudicio, quamquam non conuictum eſſe damnatum, quod eo olim legem dicente duo nobiles non conuicti, capite luiſſent. *Surita li. 3. ep., Vrbani & 75. 382. & Cod. Columnen. MS.* Mariana refert, cæſum eſſe, Rege ipſo ſententiam pronunciante, Ioanne filio eius iuſſa exequente. Magnum nefas, nutritium à quo erat ſanctiſſimis moribus informatus ab alumno interfici; præſertim innocentem, & cuius ampliſſima merita in Aragoniam Regiam extabant. nimirum incorrupta libertas maiori fama celebratur: obſequium Principibus magis probatur; & à Regibus ſæpe familiarium inuidia peccatur: qua vir præſtantiſſimus nulla præterea culpa oppreſſus eſt. Regina, Nauarreus, & Henricus Ripagorſæ Comes in eius necem conſpirarant.

VI.
Castellæ Rex à pericvlo servatvs voto satisfacit.

Caſtellę Rex, aduerſus Henricum fratrem educta numeroſa claſſe, eaque tempeſtate diſiecta à ſupremo vitæ periculo ſeruatus, voti reus vicinum Beatiſſimæ Virg. Mariæ templum, reliquis indumentis detractis in linea tunica adiit, reſti etiam collum implicitus: ingenio ſuo neq; immitis, neq; irreligioſus niſi iniuria prouocaſſet. *Mariana li. 17. c. 7.*

VII.
Discordias inter Aragonvm Regem & Venetos exortas compescere, stvdet.

Interceſſerat quoque plurimum diſcordiarum, inter Petrum Regem Aragonum & Ducem ac Senatum populumque Venetum, per id temporis. Ad eas tollendas Pontifex intentus vtriſq; mandauit. Nuncios Auinionem mitterent, cum plenaria poteſtate, agendi & conſentiendi in pacta ſtatuenda, ad concordiam conciliandam. *ep. v. Cal. Iun.*

VIII.

In Germania, feliciter ceſſit negotium, Petro Curſino Epiſcopo Florentino, Vrbani Pontificis ad Carolum Imperatorem & Ludouicum Vngariæ Reg. Nuncio. Eius opera & ſtudio, tandem firma pax inter eos Principes conſtitit: poſtquam F. Ioannes Minorita ſuperiore anno ad eam componendam miſſus, plurimum induſtriæ contuliſſet, & quaſi ad vmbilicum totam rem adduxiſſet. Gratulabatur Pontifex Curſino ea de cauſa, atque hortabatur, vt conuentionis tabulas Principibus ipſe offerret, quibus illi ſubſcriberent. XI. *Cal. Martij.* Non deerant qui ex hac occaſione Carolum vellent infeſtum Pontifici reddere, quaſi is Ludouici res magis curaret. Contra hos Vrbanus anathema tulit, ac Imperatorem ſuæ innocentiæ admonuit: Inſuper eo adduxit, vt is in Italiam voluerit concedere, quo Bernabouem & reliquos Eccleſiæ hoſtes reprimeret. *ep.* 178. & 192.

Carolvs Imp. itervm omnia privilegia Eccl. Rom. confirmat ivramentvmqve renovat.

Cæterum Carolus Imperator, vt omnem ſcrupulum Vrbano timenti, ne per aduentum illius in Italiam, res Eccleſiaſticæ & Sedis Apoſtolicæ quicquam detrimenti acciperent, eximeret, dato diplomate, iterum confirmauit omnia priuilegia ab Imperatoribus & Regibus Romanorum, Eccleſiæ Romanæ conceſſa: & in ſpecie, Marchiam Anconitanam, Rauennam, Pentapolim, Romandiolam, Britonorium, Ciuitatem Boniæ, Vallem Spoletanam cum Comitatu Peruſino, & Caſtellano, Patrimonium Beati Petri in Æthruria, cum ciuitatibus Tuderti, Narniæ, Vrbis veteris Reate, Interamnæ, Terram Arnulphorum, Campaniam, Maritimam, Romam, Ferrariam, Beneuentum, Siciliam cis & vltra Pharum, Sardiniam & Corſicam, cum omnibus terminis, confinibus prouinciis & vrbibus, ad Romanam Eccleſiam, cum omni plenitudine iuriſdictionis & poteſtatis pertinere aſſeuerauit, ſacramentoque ſe adſtrinxit, nihil pertinens ad Eccleſiam Romanam aut occupare, aut inuadere, ſed ab inuaſoribus defendere, & ab iniuſtis occupatoribus ablata recuperare, Eccleſiæque Romanæ reſtituere velle: *Dat. Viennæ Sexto Idus Aprilis, anno Domini* 1364. Conſentientibus & ſubſcribentibus diplomati aurea bulla munito Principibus Imperij. *ext. in archæo Molis Adrian.*

IX.

Boſſius narrat, Imperatorem, vſque Mantuam, in Italiam penetraſſe, indidemque Petrum Cypri Regem ad bellum ſacrum inuitantem audiuiſſe, neque tamen quicquam decreuiſſe quod videret Hieroſolymam à potentiſſimo hoſte infeſſam, non niſi multo ſanguine Chriſtianorum eripiant, retineri poſſe. Subſidia pecuniaria tanta in ſacrum bellum obtulit, quanta Vrbanus Pontifex numerari iuberet: *Boſius hiſt. Rhodian. li.* 3. Crantzius addit, eundem Imperatorem, etiam Auinionem conceſſiſſe, ibidemque ſacra ab Vrbano Pontifice recepiſſe, *lib. 9. Saxon. c.* 33. Certiora ex libro ſecretorum Vrbani accipio, Carolum ſuppetias tantum militares in Italiam miſiſſe *ep. p.* 99. Malateſtam Vngarum Pontificis Nuncium eas poſtulantem audiuiſſe. *epiſt. p.* 257. quo etiam, Agapitus Columna Epiſcopus Æſculanus, pro pace inter Saltzburgenſem Archiepiſcopum Duces Auſtriæ, & Bauariæ concilianda, à Sede Apoſtolica conceſſerat: nec non Epiſcopus Hildeſemenſis Imperatoris nuncius domum reuerterat, negotiis feliciter confectis. *ep. p.* 327. & 345.

XX.
Qvib. pactis Bernabos Vicecomes Pontifici reconciliatvs fverit.

Egit etiam Carolus Imperator, Carolus Rex Galliæ, Ludouicus Vngariæ, Petrus Cypri, Ioanna Siciliæ & Hieruſalem, Reges, necnon Rudolphus Dux Auſtriæ, vt Bernabos Vicecomes Vrbano Pontifici inclinaret, & ad æquas conditiones deſcenderet. Androinus tituli S. Marcelli præsbyter Cardinalis Legatus, Pacarij officio functus, rem ad finem deduxit iſtis pactis. 1. *Bernabos Vicecomes, titulo Vicarij Imperij ne amplius vteretur.* 2. *diplomata, quæ pro ea dignitate, à Carolo acceperat, reſtitueret, neque amplius quicquam tamquam Vicarius Imperij adminiſtraret.* 3. *Bononiam vrbem, ne deſideraret ne inuaderet, ne tentaret: & ſi quid iuris in poſſeſſionem illius putaret ſe quocumq; nomine habere, totum Romano Pontifici permitteret.* 4. *Caſtra Burgi, Crepacorij, Caſtri Franchi, Plutrani, Seruaualllis, ac omnia recens ab eo in agro Bononienſi fortalitia extructa, Eccl. Rom. concederet.* 5 *Neminem confœderatorum Eccleſ. principum & ciuitatum, bello laceſſeret, ac de eis recepta, ſingulis attribueret.* 6. *Guelfam apud ſe factionẽ ne opprimeret, ſed ex æquo omnib. ſuis ſubditis imperaret.* 7. *Pontifex Vrbanus, ratione caſtellorum recens extructorum, certam auri ſummam Bernabouii intra octo annos depẽderet.* 8. *Ana-*

*themate illum & ſocios exſolueret. 9. Sacra vrbibus & oppidis illius & ſociorum reſtitui iuberet. 10. Qui non ſatis pactis ſtetiſſet, CC. M. nummum auri multaretur.* Menſe Februario tabulæ eius conuentionis ſcriptæ: quo etiam, ad x. *Cal. Mart.* ab Vrbano Pontifice gratulatoriæ de pace Bernaboui miſſæ: Antonius Bentiuolus, pro Sede Apoſtolica, Bononiæ Rector datus: Guido Polentanus, propter obſequium ac ſtudium in ſummos Pontifices, & Romanæ Eccleſiæ defenſionem ſuſceptam, ab Egidio Legato Vicarius Rauennæ præfectus: Daniel è Marchionibus Carrecti, Ordinis equitum Hieroſolymitanorum Rector Flaminiæ inſtitutus: Bononiæ, collegium, eorum qui darent operam literis, ab Vrbano Pontifice conditum: in quo auditores viginti inopes, è locis Romanæ Eccleſ. nullo medio ſubiectis oriundi, ſua & Eccl. Rom. impenſa alerentur: inque locum decedentium vel diſcedentiũ alij ſufficerentur: captiui vtrimque ex pacto dimiſſi: caſtra intra menſem reſtituta: Androinus Legatus Mediolani ſummo cum honore acceptus, ſacra vrbi & reliquis reſtituit: ingenti pace Æmiliæ conciliata. Non tamen ea diuturna fuit, quod Bernabos eodem anno Guelfæ partis ſubditos iuit oppreſſum. Columnum, Robecum, Scandalariam, Gauardam, Martinengum, *Guaiam*, & plura alia non ignobilia in agro Mediolanen. Bergomaſte, Brixiano & Cremonenſi, Pontificiarum partium caſtra ſolo æquauit: ſpecie, quaſi incommoda eſſent defenſioni, reuera autem vt odio & vindictæ ſatis daret. *Corius hiſt. Mediolan, parte 3. liber ſecretor. Vrbani hoc anno, Rubeus hiſt. Rauen. li. 6. Cod. Columm. MS. in Vrbano.* Laboratum eſt in Italia, ſæuiſſima locuſtarum peſte, ab Oriente occidentem verſus migrantium: quorum tantus fuit numerus, vt & terram obducere, & ſolem obfuſcare dicerentur. *Boſius hiſt. Mediolanen.*

COLLEGIVM BONONIÆ AB VRBANO PP. CONDITVM.

LOCVSTARVM IN ITALIA MVLTITVDO.

XI.

PAX INTER FLORENT. & PISAN. PONT. NOMINE CONFIRMATA.

Petrocinus Archiepiſc. Rauennas, hoc anno, pacem inter Florentin. ac Piſanos, de ſumma rerum inter ſe acerrime decertantes, Pontificis nomine, cuius in Flaminia prophanarum rerum Vicarium agebat, confirmauit; cum huius negotij ſocium habuiſſet Marcum Viterbienſem, Franciſcani Ordinis Generalem Præfectum, poſtea Cardinalem. *Rubeus ſup.*

XII.

TVRBIS IN SICILIA OCCVRRIT.

In Regno Siciliæ, eodem anno, plurimum turbarum. Plurimi principum Ioan. Reginæ non valde addicti, nonnulla diſcordiarum ſemina inter eam & Iac. Maritum ſerere voluerant. Iacob. Tarraconen. Maioricæ infans, cum in Ioan. Reginæ matrimonium concederet, ex pacto, non Regium, ſed tantum Calabriæ principis nomen obtinuerat: in regni tamen adminiſtrationem temere ſe ingerebat neque pactis ſtare volebat. Monuit Iac. Vrban. vt abſtineret, & ea quæ hactenus contra Ioannam admiſerat corrigeret, meminiſſetque non ad illum, ſed ad Ioannam Regni curam pertinere. III. *Cal. Mar.* Cum autem Regina, atq; anteceſſores, illius Reg. Sicil. inſcio Rom. Pont. multa in præiudicium Regni & Sedis Apoſt. ad regnum ſpectantia alienaſſent, donaſſentque: & omnes eas alienationes, donationes, commiſſiones Clem. ſextus irritaſſet, abrogaſſetque. Vrban. Pont. eas Clem. anteceſſoris ſentẽtias approbauit. *Non. Febr.* necnon Archiepiſc. Neapolitano præcepit, qui ad Comitium Princ. Cleri ac populi vocaret, & pro defenſione iurium Sedis Apoſt. ac libertatis Eccleſiaſt. murum ſe opponeret: neque reformationem morum intermitteret. *ep.* 347. Ioanna ſolitæ libidinationi indulgebat: cui vt Veneris vſu Ludouicus Tarentinus ſecundus maritus perplaceret, ab eius nimia conſuetudine conſumptus interiit. Ferunt etiam, eandem Reginam, Iac. Tarraconen. caput amputaſſe, quoniam rem veneream cum alia muliere habuiſſet, ſeque non valde potentem petulanti fœminæ reddidiſſet. *Collenucius hiſt. Neapolit. li. 5.*

Auctorem habeo *Cyprian. Manentem libro tertio*, qui refert Gomeſium Carillam, Cardin. Egidij nepotem, exercitum contra Ioannam hoc anno duxiſſe, quod quidem incredibile video, cum lego Vrbanum Egidio tutelam Ioannæ commendaſſe, cum illam Iacobus non tantum verbis nefandis atque opprobrioſis affecerit verum etiam neque manus ab ea violanda tenuerit. *ep. p.* 106. Eodem anno, Adolphus Colon. Archiepiſc. apud Vrban. pontificem, quod bona Eccleſiaſt. dilapidaret, multaque indigna ageret accuſatus, eam dignitatem reliquit, inque matrimonium duxit ſororem Comitis Montenſis, ducatu Cliuenſi in dotem recepto. *Chron. Hirſaugien.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1365.

## VRBANI PAPÆ V. ANNO 3. CAROLI IV. Roman. Imperat. Anno 10.

I.

VRBANVS PP. MOTVS IN SICILIA POST OBITVM ROB. IMP. CONST. EXORTOS SEDAT.

Ad extremum ſuperioris anni, reuertens ex Oriente Robertus, cognomento Imperator Conſtantinopolitanus, quod iure materno Catherinæ Imperatricis iſtud imperium ſibi vendicaret, & iam Corcyram, Xantem, Ceſaloniam, Leucadas, & alias inſulas armis receptas retineret, Neapoli diem vltimum clauſerat, relicto ſucceſſore in principatu Tarentino, & titulo Imperij Conſtantinopolitani Philippo fratre ſuperſtite. Is quod nonnulla bona Regia Regum Siciliæ, in graue præiudicium Sedis Apoſt. necnon Regni Siciliæ, contra voluntatem Rom. Pont. dum viueret, poſſideret, inque eorum poſſeſſionem Philippus frater ſuccedere cogitaret, neq; adeo deſperaret: quod Mariam Ioan. Reginæ ſororem in matrimonio haberet: Vrban. Pont. Ioan. edixit, ne eadem bona Regia quocumq; titulo à regno alienare auderet: niſi vellet ipſa Regni poſſeſſione excidere. Philippo quoq; ipſi condixit, ne inconceſſa deſideraret; quæ nec Ioanna poſſet concedere. *ep. Non. Febr.* Offendit ea res Regios Princ. qui regia bona inter ſe, quaſi hæreditaria forent diſtrahere cupiebant. Itaq; ex ea occaſione nõ difficile in regno Siciliæ tumultuatum, per quæ inteſtinas diſcordias externi hoſtes prouocati, quietis perturbandæ, regniq; inuadendi. Ad eos motus reprimendos, quietemq; ac ſecuritatem Regni curandam, Vrban. Egidium Cardin. Legat. in Siciliam deſtinauit, necnon Reginæ, Regiis principib. ac reliquis cis & vltra Pharum procerib. author fuit, qui Legato auſcultarent. *ep. 6. Id. Aug.* Ex animi ſententia ceſſerunt omnia Egidio, qui compoſita deſiderata inter principes pace, repreſſiſq; externis inuaſoribus, Ioannam eo adduxit, vt aduerſus Bernabouem iterum væſanientem, pro Eccl. Rom. ſubſidiarias copias ſubmiſerit. *Cypr. Manent. in Annal.* Fractus Frider. occupator Trinacriæ, pacem cum Ioanna exoptabat. Eam tractationem Vrban. non improbabat, ſi modo Petr. ab Antiochia comes Capitij, cui aliquot caſtra detracta, iiſdem conditionib. teneretur. *ep. 5. Cal. Oct.* Porro, ne Regina quaſcumq; dignitates Regni, contra diſpoſitionem Apoſt. Sedis conferret præcepit. VII. *Calen. Nou.* Egidioq; Legato inſinuauit, vt in negotio fœderationis Bernabouis, Camerario Cardinalis Androini fidẽ adhiberet. Quod vero in vrbem reuerti in animo haberet, iſtud Philippo Imperatori ſignificauit, ipſumque vt Romam quoque eo tempore veniret, inuitauit. *Secret. p. 40. & 147.* Cæterum, quod id temporis Ioannes Vrbeuetanus Epiſcopus Pontificis in vrbe Vicarius diem clauſiſſet extremum, in vtraque dignitate Vrbanus illi Petrum ſuffecit. *datis literis* IV. *Id. Decembr.* Honoratum quoque Fundanum Comitem, quem anno ſuperiore XV. *Cal. Maij.* datis literis Vrbanus monuerat, vt Anagniam ciuitatem, & nonnulla caſtra Romanæ Eccleſiæ, in maximis Campaniæ turbationibus intercepta reſtitueret, Egidius Legatus, monitore Vrbano, qua perſuaſione, qua armorum oſtentatione permouit.

II.

DIVERSÆ VRBANI RES GESTÆ.





Cogitabat ipſe Pontifex Romanam Vrbem inuiſere, iſtud vbi populi & principes intellexiſſent; ingentem lætitiam præſetulerunt: & imprimis Senenſes, qui eam totius Italiæ expectationem Vrbano ſignificauerant. Egit gratias Senenſibus Pontifex *datis litteris IV. Idus Maij.* Venire tamen nõ potuit, à prædonibus iterum circumſeſſus: apud quos ſuam Romanæque aulæ libertatem, multo auro redimere compulſus eſt: omnino 300. florenorum millibus ſtipendii nomine. quo periculo defunctus, in Italiam, Sedem referre voluit, haud ſtabilem tunc: ſed vim numinis ſentiens, metuenſque indies grauiora, ob deſertum à maioribus religionis domicilium, & partam ab Egidio Cardinale veteris patrimonij hæreditatem cernere cupiebat, ſubditoſque populos in fide & officio confirmare. *Mariana de rebus Hiſp. lib. 17. cap. 7.*

Confirmabat egregie Pontificis nomine, populum Flaminiæ, Petrocinus Rauennas Archiepiſcopus, Vrbani Vicarius. Conuentu enim Procerum & Vrbium Procuratorum ad VII. Idus Martij Forliuij coacto, omnes eo adegit, vt obedientiam, obſequium ac Fidelitatem Romanæ Eccleſiæ, omnes prouinciales Flaminiæ iurarent. Vt autem firmius in officio populos Petrocinus continere poſſet, illi Vrbanus Pontifex *IV. Idus Maij.* Eccleſiaſticam etiam Iuriſdictionem, ſubſidio tantum prophanę adiunxit: nec diu poſt per litteras *XI. Cal. Iunij.* Auinione ſcriptas illi, & Danieli Caretto Flaminiæ Rectori mandauit, vt quamquam alteris ſuis litteris, mandata generatim dederit, conditiones pacis cum Bernaboue Vicecomite, milite Mediolanenſi (ita eum appellat Pontifex) & cum omnibus, quos eius fuiſſe ſtudioſos, Androinus titulo S. Marcelli ſacerdos Cardinalis Legatus declarauerat ſeruandas eſſe: ſigillatim tamen Franciſcum Ordelaſum militem Forliuienſem, eiuſque factionis cæteros, quos Bernaboui adhæſiſſe Androinus declaraſſet, ad eorum bona in Flaminia reſtitui, & ea pacta Franciſco ſeruari, quæ cum eo Egidius Epiſcopus Sabinus Legatus, feciſſet. *Rubeus hiſt. Rauenn. lib. 6.*

Per Bernabouem Vicecomitem ſtetit, quominus ea pacta ſeruarentur. Nam is Pontificiarum partium populis infenſus, etiam fratri Galeazio tantum metum incuſſit, vt de ſententia conſilij, & Blancæ vxoris perſuaſione Mediolano relicto Papiam commigrare, neceſſe habuerit, vbi in caſtro recens extructo furorem fraternum euaderet. *Corius hiſtor. Mediolanenſ. part. 3.*

III.

LOCVSTARVM IN DIVERSIS ITALIÆ LOCIS COPIA.

Iſtud minime ſilentio prætereundum videtur, circa hæc tempora apud Ligures, Inſubros, ac pleriſque aliis Italiæ locis, tantam locuſtarum vim & copiam fuiſſe, vt præ illarum numero ac multitudine, quæ ex æthere, inſtar denſiſſimæ niuis aut grandinis decidebant, vniuerſa cœli facies mira quadam & tetra caligine obumbraretur: hæque ambederant quicquid herbidum aut frondoſum erat, & grauiſſima damna intulerant. Portendebant militares copias paulo poſt Italiam vaſtaturas. quod Bernabos animi inquies, & occaſionum haud ſegnis, Imperij proferendi cupiditate æſtuans, nouas res ſubinde moliretur, & populum ad defectionem à Pontifice & Imperatore ſolicitaret. *Bizarus hiſt. Genuen. lib. 7.*

IV.

COMETES ET QVID PORTENDERIT.

Cometes quoque eo anno per plures dies apparuit inter Occidentem & Septentrionem, cuius radij ad Franciam pertinebant quaſi demonſtrantes eam paucis poſt diebus rurſus magnis belli motibus fluctuaturam, perinde vt accidit ex iſta occaſione. Edouardus Regis Angliæ filius, Petro Rege Caſtellæ in regnum ſuum reſtituto, non potuit promiſſum ſtipendium militi dare. Reuerſus Burdegalam, vt ne eum mercede fraudaret, pecuniæ indigens vectigalia Aquitanis adauxit, ac in ſingula hominum capita tributum impoſuit. Re inſolita Aquitani permoti rebellionem ſuſcitarunt, nacti duo fulmina belli, Ioannem Armeniacum & Carolum Petragoricum Comites, qui maxime omnium contra Edouardum facere non dubitarunt. Ii Carolum Regem Francorum continuo appellarunt, ad Senatumque Pariſienſem prouocarunt: perinde quaſi ad eos Aquitanorum adhuc querelæ cognitio pertineret.

Carolus Rex data occaſione perſequendi inimicitias, quas ſecreto cum Anglo, quod ab eo obſides nondum recipere potuerit, à Ioanne patre defuncto in Anglia relictos, habebat, Legatos in Aquitaniam miſit, qui Edouardo diem dicerẽnt, quo Lutetiam veniret cauſam in ſenatu dicturus. Cum quinquaginta millibus armatorum velle venire; reſpondit: atque abeuntes Legatos in itinere retineri iuſſit, ne per eos hoſtem præmoneret. Secuta defectio Aquitanorum: Carolo creuit animus, bellum Edouardo indicenti. Edouardo quoque par animus, ad arma veniendi. Ita vtrinque bellum ſummo ſtudio comparabatur. Iſtud cum Vrbanus Papa dirimere vellet, Angli Oratores apud eundem, Francorum fidem inuiſam facere ac deteſtabilem omnibus gentibus conabantur, quod à Britiniaco fœdere diſcedere eos dicerent: quod vtri priores violaſſent, eos fulmine itaque ſacroſanctæ poteſtatis feriẽdos conueniſſet: idque amborum iuſiurandum authore Pontifice ſanctum conſtitutum. Francus Orator, & memoriam Ioannis defuncti fraude liberauit, & Caroli factum à crimine periurij vindicauit.

NOVI INTER FRÃCOS ET ANGL. BELLI SEMINA.

Reliqua erat duplex diſceptatio, de iure & Regni, & belli. Eam cognitionem Pontifex non recepit, quod Anglus, cum inferior in controuerſia religionis inueniretur, cauſamque fidei datæ non probaret; ad ius belli & diſceptationem de regno tranſiret: quam rem ſui arbitrij non oportere eſſe cenſuit, cum apud eum de bello agere proponeret. Itum ab vtriſque in Germaniam, ad Carolum Imperatorem, quem arbitrum cauſæ Pontifex deſignarat, & Simonem Ordinis Dominicani profeſſorem Nuncium ad eum deſtinarat. Vtrinq; propoſitionibus auditis, decernere nequicquam in præſens potuit, ſed in Franciam ſe profecturum, daturumque operam ſpopondit, vt res componerentur: bellum inter duas clariſſimas præpotentesque Regias funeſtum, ac rei Chriſtianæ lugubre finiretur, ſacrorumque armorum agitarentur conſilia: poſtquam in Oriente Petrus Rex Cyprius nonnullos progreſſus contra barbaros feciſſet.

PONT. CONSTITVIT CAR. IMP. ARBITRVM CAVSÆ INTER FRANC. & ANGL. REGES.

Siquidem hoc anno Alexandriam cepit in Ægypto: magnum opus & memorabile, noſtræque religionis in immenſum amplificandæ fundamentum ingens, ſi quantum ad capiendam, tantum ad ſeruandam Vrbem animi fuiſſet: qui ſibi certe non defuit, vt fama eſt, niſi quod comitatus eius ex tranſalpinis maxime gentibus collectus; melioribus ſemper ad principia rerum quam ad exitus illum in medio præclariſſimi operis deſerentes, vt qui pium Regem non pietate ſed cupiditate ſequerentur, exuſta vrbe, collectis ingentibus ſpoliis abiere, pieque voti impotem auari voti compotes fecere. *Polydor. hiſtor. Angl. libr. 19. Aemil. hiſt. Franc. in Carolo ſapiente. Petrarcha lib. 8. epiſt. Senil. ad Bocatium. Thomas Valſingam de rebus Anglic. in Edouardo III. & liber Secret. Vrbani pag. 20.*

ALEXANDRIA ÆGYPTIÀ CHRISTIANIS CAPITVR SPOLIATVR ET INCENDITVR.

Excuſant alij Crucesignatorum copias, quæ cum Petro militabant: quod Saracenorum multitudini in ſubſidium Alexandrinorum conuolanti, pares ſe fore non viderent. Deinde Amurathes princeps Turcarum, ſexaginta millia armatorum, multis in Europa vrbibus occupatis, in Petrum Regem educeret, terrorique illi, & omnibus Orientalibus Chriſtianis eſſet. Iſtud cum Pontifex, primum ab Oratore Rhodianorum intellexiſſet, in ſacri belli Societatem, Venetos, Milites Hieroſolymitanos, Petrum Regem Cypri, Marchionem Montisferati, Ducem Genuę cum Romana Eccleſia adiunxit. Deinde Regibus, Galliæ, Nauarræo, Caſtellæ, Aragonum, Luſitaniæ, & Angliæ, qui auxiliares copias mitterent, iniunxit. *Boſius hiſt. Rhodian. lib. 3.*

VRBANI STVDIVM RES CRIENTIS IVVANDI.

V. Scribit ad Palæologum Imp. pro vnione Eccleſiarum.

Petrum quoque Patriarcham Conſtantinopolitanum ex Archiepiſcopo Creten. creauit inque Orientem deſtinauit, qui Ioanni Palæologo imprimis vnionem Eccleſiarum deſideratam commendaret: deinde bellum ſacrum aduerſus barbaros indiceret, & ad Crucis inſigne omnes vocaret: conceſſa ei ampliſſima Legati Sedis Apoſtolicæ poteſtate. *epiſt. 62.* Ita habet epiſtola Imperatori ſcripta qua eum ad vnitatem prouocabat.

*Magnifico viro Calo Ioanni, Imperatori Græcorum Illuſtri, gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futurum.*

*Licet tua Serenitas, ac Clerus, & populus Græciæ, à gremio Sacroſanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ, extra cuius obedientiam non habetur ſalus, damnabiliter deuietis, nihilominus tamen, qui ceenſemini eiuſdem Eccleſiæ filij, quamuis ſalutis propriæ prodigi, in regionem longinquam per inobedientiam abeuntes, veſtrum omnium filialem reditum, ad dictam matrem veſtram & cunctorum fidelium, tanto deſiderabilius affectamus, quanto remotiores ab illius vberibus facti eſtis, ad hocque non ſolum vos inuitamus eloquiis, ſed & factis inducimus, prout nobis ab illo qui omnium habet potentiam poſſibilitas miniſtratur. Cogitamus ſiquidem ſæpius, & cogitata in deliberationem & factum producere procuramus, quomodo infidelium, præſertim Turcharum abominabilium, qui tuum pene totum deſtruxerunt & occupauerunt Imperium, impietati, & potenti tyrannidi reſiſtatur: quomodoque inclyta ciuitas Conſtantinopolitana præcipue, & aliæ partes Græciæ adhuc tuo parentes Imperio, ab eorumdem impiorum incurſibus defendantur. Et quia ex certis impedimentis, generale paſſagium Occidentis Chriſtianorum non poteſt moderno tempore, quod dolenter referimus, proſperari, certam vnionem quorumdam fidelium, cum apparatibus galearum & armigerarum gentium, præſertim ad informationem & ſupplicationem dilectorum filiorum Magiſtri & Conuentus Hoſpitalis ſancti Iohannis Hieroſolymitani, ac nobilium virorum Marchionis Montisferrati, & Ducis & communis ciuitatis Ianuen. ad expellendos eoſdem Turcos de dicto Imperio prouidimus faciendam: eamque de proximo, certis receptis reſponſionibus, & inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Petrum Regem Cypri Illuſtrem, dictoſque Ducem & commune diſcordantes inuicem concordia reformetur, firmari, & ad actum duci auctore pacis adiuuante ſperamus. Ea propter Celſitudinem tuam hortamur in Domino, quatenus prudenter recogites, quantarum miſeriarum calamitas Græcis euenerit, poſtquam ab vnitate dictæ vniuerſalis Eccleſiæ diſceſſerunt, in quantiſque, tu, & ipſi ſitis ſpiritualiter & temporaliter periculis conſtituti: & tu ac iidem Græci diſponatis firmiter vniuerſitati fidelium aggregari: quorum orationum ſuffragia, & auxiliorum remedia proculdubio ſentietis. Et ſi pro hoc, vt te optare percepimus ad Apoſtolicam Sedem accederes, quod vtinam facto perficias, tantumque bonum & gaudium ſit ad noſtra tempora reſeruatum, lætificabis profecto Eccleſiam vniuerſam: noſque perſonam tuam inclytam lætantiſſime videbimus, & congruis honoribus curabimus honorare, ac de conſeruatione & augmento Imperialis ſublimitatis & ſtatus tui Imperij ſtudebimus prouidere.* Dat. Auin. XIV. Cal. Maij Anno III.

VI. Laſcaris et Demetrius Theſſalon. ad vnitatem Eccleſiæ redeunt.

Id temporis, Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Ioannem Laſcari Calopherum Conſtantinopolitanum, & Demetrium Angelum Theſſalonicenſem nobilem, ad gremium Eccleſiæ vniuerſalis reduxerat: & Laſcaris, Mariam Cantacuſenam neptem Imperatoris, in matrimonium ſibi deſponderat: eius tamen coniugio frui non poterat: quod Ioannes Imperator impediret. Interpellauit Vrbanum Laſcaris, Auinionem concedens, vt Imperatorem ad conſentiendum matrimonio inito induceret. Admonuit Pontifex Imperatorem, ne per eum ſtaret quo minus ille ſponſa potiretur: Petroque Patriarchæ negotium illius diligentiſſime commendauit. *datis litteris XIV. Calen. Maij.*

VII.

Cæterum, vt Fratres Prædicatores Saracenorum, & ſchiſmaticorum conuerſioni in Oriente & apud Tartaros intenti, tanto libentius operi incumberent, quanto id gratiſſimum fore Sedi Apoſtolicæ cognoſcerent, priuilegia eorum Vrbanus non tantum confirmauit, verum etiam amplificauit. *epiſt. 80.* Quod vero Iohannes Luſignianus Petri Regis Cyprij conſanguineus, in Armeniam vniuerſam ius ſucceſſionis ex hæreditate prætenderet, Pontifex, Prælatis & Proceribus Armeniæ ſcripſit, qui illum in poſſeſſionem hæreditariam admitterent. Admonuit inſuper, vt erroribus Neſtorianorum & aliorum reiectis, puritatem Catholicæ fidei profiterentur, nec ſe in partes diſtraherent. *III. Non. April.*

VIII. Studiũ Vrbani pro hæreſibus extirpandis moribus reformandis & libertate Eccleſiaſt. vindicanda.

In Galliis, cum Begardorum & Beguinarum innumerabiles, per conſuetas libidinationes ſeſe impiarent, ac longe lateq; ſpurciſſimas hæreſes ſeminarent, Vrbanus Prælatis & Inquiſitoribus Regni præcepit, ne impune hæreticos viuere tolerarent, ſed falce Eccleſiaſticæ diſciplinæ errones cũ erroribus extirparent. *III. Non. Septembr.* Quod autem fere vbique terrarum plurimi ex Clero, non ad regulam Apoſtolicam moribus compoſiti eſſent, & ea propter contemptibiles in populo facti, occaſionem Principibus porrexiſſent, multa aduerſus libertatem Eccleſiaſticam committendi: Pontifex, omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis totius Orbis Chriſtiani edixit, vt Concilia prouincialia & diœceſana quam citius indicerent, celebrarentque, ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſanciendam, dignitatemque iuxta ac libertatem Sacratioris Ordinis vindicandam. *VII. Cal. Decembr.*

Aliqui Prælatorum, ne in Eccleſiis reſiderent, aulas Palatinas Principum inſidebant, alii Auinionem ambiebant, alij per alias occaſiones vagabantur. In hos omnes anathemate propoſito, condixit, vt ad Eccleſias ſibi creditas abirent, & in curam paſtoralem inuigilarent. *VI. Cal. Decembr.*

IX. Alia Vrbani Pp. geſta.

Indidem in Galliis, Vrbanus Pontifex 1. conſtituit, ne Iudæi ad ſuſcipiendum baptiſma compellerentur. *epiſt. 251.* 2. Seneſchallo Prouinciæ, vt Iudæi Arelatenſes in loco à Chriſtianis ſeparato habitarent, ſignum quo à reliquis diſcernerentur publicitus deferrent, cæmeteriumque diſcretum haberent, præſcripſit. *epi. 98.* 3. Contra hæreticos in die cœnæ Domini anathema tulit. *epiſt. 48.* 4. Carolo Regi, pro expellendis prædonibus, decimam omnium fructuum Eccleſiaſticorum in duos annos, ea tamen conditione ne clerum aliis exactionibus grauaret, conceſſit. *III. Non. Septembr.* 5. Collectorem in prouinciam Turonenſem, Guidonem à Rupe, qui fructus Sedi Apoſtolicæ quæſitos conquireret miſit. *VIII. Cal. Ian.* 6. Vt appellationes Comitatus Venayſini à S. R. E. Camerario audirentur, perpetuo conſtituit. *I. Cal. Iun.* 7. Muros Auinionenſis vrbis conceſſa vtilitate vectigalium, his qui in ſumptus neceſſarios pecuniam mutuo conceſſiſſent, inſtaurauit. *VIII. Cal. Decemb.* 8. Ne quis Archiepiſcoporum, Epiſcorumue, aut aliquis ex clero Edmundum Regis Angliæ filium, cum Margarita Comitiſſa Flandriæ auderet matrimonio coniungere interdixit. *III. Cal. Nouembr.*

X. Caſimirus Poloniæ Rex monetur ab Vrbano ob vxorem eiectam et pellicem ſuperinductam.

In Polonia, Caſimirus Rex, Adleidam vxorem Reginam thoro eiecerat, conſuetudine pellicis cuiuſdam irretitus. Afflicta illa Romanum Pontificem interpellauerat: & is cauſæ cognitionem, Egidio tituli S. Martini in montibus presbytero Cardinali Legato commiſerat. Eadem controuerſia ad Vrbanum deuoluta, cum Auinione cognoſceretur, & Pontifex ſecundum Adleidam decreuiſſet, Caſimiroq; vt eam ad conſortium admitteret diſerte præcepiſſet: & Caſimirus litteris Pontificiis occultatis, ſecundum ſe prouinciatum finxiſſet, neq; illam recipere voluiſſet, iuſto zelo exardeſcens Vrbanus, Regem impoſturæ coarguit, vtque ſententiæ iuſtiſſimæ à Sede Apoſtolica prolatæ ſtaret admonuit. Alioquin ad iuſtam vindictam Apoſtolica authoritate procederet, ſi is diutius Adleidam affligeret. Hortatus eſt, & Ludouicum Vngariæ Regem, vt Caſimirum ad mentem ſaniorem reuocaret. Namque is domeſtica vita impurior, in libidines adeo proiectus fuit vt præter greges concubinarum, cum quibus magis quam cum iuſtis vxoribus conſueuerat, Bohemam quandam Rochicianam, captus eius pulchritudine, in loco iuſtæ





Caſimirus totus in libidines proiectus.

vxoris haberet, promiſſa ei conceptis verbis (cum aliter potiri ea non poſſet) fide matrimonij, interueniente abbate Tinecenſi thyara ornato, quem mulier Epiſcopum Cracouienſem eſſe crediderat. Sed eam deinde cum caluam & ſcabioſam eſſe comperiſſet, eiecit, & Iudææ cuiuſdam Heſter conſuetudine vſus eſt, de qua Nemiram & Pelcam filios ſuſcepit. Nam filias natas, vt in Iudaica religione permanerent, matri indulſit.

Huius Heſter opera, gens Iudaica magnas prærogatiuas in Polonia à Rege adepta eſt, cum nouas, tum quas ipſis olim Boleſlaus Dux Caliſienſis in ſua ditione conceſſerat. Quin & periculi; quod Carolus Rex Vngarorum cum vxore & duobus filiis à Feliciano intentatum adiit, Caſimiri huius libidinem in cauſa fuiſſe exiſtimant. Iuſta pœna diuinitus affectus eſſe videtur Caſimirus, quod nullos poſt ſe mares liberos reliquit. *Cromerus libro 12. de rebus Polon. epiſt. Vrban. III. Calend. Octobr.*

XI. Diſpenſat Vrban. cum Reg. Caſtellæ in gradibus prohibitis.

Sanior aliquantum Caſimiro Petrus Rex Caſtellæ, qui Blancha iuſta coniuge, & Maria Padillia pellice defunctis, ab Vrbano flagitabat, vt illi quamcumque, etiamſi ſecundo conſanguinitatis gradu coniunctam, liceret in matrimonium aſſumere. Conceſſit Pontifex, non in vniuerſum quidem, vt cum quibuslibet ille vellet, ſed tantum cum altera ex filiabus Regis Luſitaniæ, in ſecundo, vel tertio gradu matrimonium iniret. *XV. Calend. April.* Quod audem inter eum & Aragonum Regem, nondum certa pax conſtaret, Prælatis vtriuſque Regni, qui eam conciliarent, præcepit. *VIII. Calend. Ianuarij* quemadmodum etiam eandem inter Aragonium & Venetos ipſe curauit. *Nonis Aprilis.* Quamuis Regi Aragonum, propter non exſolutum ex Sardiniæ & Corſicæ Regno, Sedi Apoſtolicæ debitum cenſum, diem ex ſacri ſenatus ſententia, dixiſſet, Regnoque, niſi ſatiſdaret, mulctare decreuiſſet. *V. Id. Iun.*

XII. Pacem inter Florẽt. & Piſan. confirmat et pro expellendis ex Italia prædonibus Anglis laborat.

In Italia, pace inter Florentinos & Piſanos, authoritate Pontificis ſtabilita, quod ea magis Florentinis quam his ex viu eſſet, nonnihil ſcrupuli Piſanis inhæſit, ne per commercia mutua illis communicarent, aut ex animo æquiores eſſent. Timebat Vrbanus, ne iterum aliqua occaſio belli, ingenti perturbatione totius Italiæ naſceretur. Quapropter Tifernatem Epiſcopum Nuncium ad eos ire iuſſit, qui reformatæ paci robur perpetuum adiiceret. *IV. Calend. Maij.* Quum vero Piſani, tempore diſſenſionum, ſupra quatuor millia equitum & duo millia peditum Anglicorum, qui per Galliam variis bellis exercitati, tandem tranſmiſſis alpibus in Italiam deſcenderant, in auxilia vocaſſent, confectaque ex ſententia amici cum Florentinis concordia, illis ſtipendia dependiſſent: Angli vero milites prædationi aſſueti, ſocietate inita cum reliquo milite dimiſſo, Florentinis imprimis ac reliquis Etruſcis, deinde autem Romanæ Eccleſiæ ſubditis infeſti eſſe cœpiſſent: Pontifex, Florentino Epiſcopo, vt aduerſus prædatores vagabundos, Principes Italiæ fœdere deuinciret præcepit, ipſeque vniuerſis & ſingulis ſcripſit, ne permitterent manipulum conſceleratorum, in Italia, impune graſſari. *X. Cal. Octob.*

XIII. Pontif. Vrb. circa Bononien. ſtudium cura & affectus.

Eodem anno Vrbanus, à Carolo Imperatore impetrauit, confirmationem priuilegiorum Eccleſiæ & ſtudii Bononienſis, quæ alii Imperatores, & præſertim Fridericus ſecundus conceſſerat. Dedit ea de re diploma, Pragæ, IV. Idus Februarij, anno Domini 1365. Imperii anno 10. Regnorum decimo nono. Ipſe quoque Pontifex quemadmodum Petrarcha memorabat, ſingularem paternamque ſolicitudinem, circa idem Bononienſe ſtudium, quantam nullus vmquam Pontificum vel principum habuit: illudque maximis priuilegiis, ingenti magnificentia, inſigni pietate, longis ac iugibus bellorum turbinibus quaſſatum ſtratumque erexit, & antiquam illi non modo reſtituit, ſed etiam amplificauit dignitatem, Plane illo digniſſimum opus, cum nullus alius, ſtudiorum omnium, ſed præſertim iuris matrem ac nutricem magis conuenientius adiuuarit ac reformauit, quam Pontifex vtriuſque iuris peritiſſimus, alterius autem & conditor & interpres vnicus: qui quod litterarum ruinæ ſubiiceret humeros, Bononiamque è manibus tyrannorum ereptam illuſtrare ſtuderet, ſpem ingentem omnibus præbuerat, non illum Italiam negligere, cuius vrbem vnam, tanta clementia, tantiſque fauoribus proſequeretur. *Petracha libro ſeptimo, epiſtol. Senilium, ad Vrbanum Papam I.*

XIV. B. Henrici Suſonis Sueui ordin. S. Dom. vita.

In Germania, hoc anno, diem clauſit extremum B. Henricus Suſon, cognomento Amandus, gente Sueuus, Ordinem Diui Dominici profeſſus. Decimum octauum annum agebat, cum ſe ei religioni in Conſtantienſi cœnobio lubens dedit. Cæterum primis quinque tyrocinii annis, non adeo accurate vixit, vt à leuibus quibuſdam ſibi temperaret, quamuis in hoc totus eſſet, ne grauioribus Diuinam maieſtatem offenderet. Inter hæc leuiora, Deus tandem illi tantum faſtidium oblectationum exteriorum immiſcuit, vt paulo poſt omnibus repudiatis, totum ſe ei conſecrarit. Non defuit generis humani aduerſarius, qui varias tentationes obiiceret, & colluctantem in agone ſpirituali, aſtu ſupplantaret. Vnde ei maximum deſiderium conuerſationis cum Fratribus, quibuſcum & tempus tereret, & technas Sathanæ effugeret. A frequentiori congreſſu & colloquio, ingens ſatietas illum habebat: & quanta cupiditate ſolatia externa à commercio religioſo expetebat; tanto grauiore tædio poſtea afficiebatur: neque locum inueniebat, in quo aliquid conſolationis experiretur: donec ſemel chorum, (decantandis diuinis laudibus dedicatum locum appellant) ingreſſus, inque extaſim ab animi angore raptus, in obiectis diuinitus ſpeciebus aſpexit, & ab aſpectu guſtauit, & à guſtu deprehendit, quid ſit illud in paradiſo repoſitum, his qui in agone terreno, cum viriis & concupiſcentiis contendunt.

Rapitur in extaſim.

Poſt horam in ſe reuerſus, iam feruentiore charitatis radio inflammatus, exemplo illius in qua ſponſus charitatem ordinauerat, corpore languebat, & vix pedibus conſiſtere poterat, animo in flammas amoris diuini exæſtuante: à quo incendio, ſuſpiria, lachrymæ, voces interruptæ, nec aliud quam IESVM ſpirantes, & nonniſi ad cœleſtia aſpirantes. Hinc perpetuum propoſitum, dicendi illud Dauidicum: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper*, hinc dies noctesque, cum diuina ſapientia, quam ardentiſſime deperiebat, quamque ſibi præſentem eſſe exiſtimabat, confabulandi ſtudium & colloquia ſuauia. Hinc ſingultus, eiulatus, & flammæ amoris in cœleſtium contemplatione. Hinc denique verba ignita & melliflua, quæ vel duriſſimas petras emollirent, atque ad deſiderium ſupernorum inflammarent.

[V]iſion vidit.

Inter hæc verbum increatum, æterna ſapientia Patris æterni, inſolita quadam imagine menti illius ſe obiecit, inque ſeipſo theſauros inæſtimabiles repoſitos eſſe illi oſtendit, in quibus nihil deſideraretur, quod animum explere ſatis ſuperque poſſet. Ab ea viſione exardeſcens, gloriæ loco duxit, cultrum manu prehendere, pectus nudum illo ferire, inque vulnere hianti, nomen IESV exſculpere: quod concretam digitotenus eminebat, & ad motum cordis mouebatur, ſi quando præcipue nomen IESV ille conclamaret.

Inter ſculpendum vero, magnitudine doloris oppreſſus, cum ante imaginem Chriſti cruci affixi procidiſſet: *En deficio,* inquit, *mi IESV, meum mel: nec amplius potis ſum interius, nomen tuum ſuauiſſimum cordi moribundo indere. Tu qui character es & figura ſubſtantiæ Patris, te pone ſignaculum ſuper cor meum. Aperi per tuam pretioſam mortem cor meum, vt te Regem Regum, & Dominum Dominantium oculis integræ fidei ſemper aſpiciam. Pone meam in tuis vulnerib. philoſophiam, in tuis ſtigmatib. ſapientiã, vt vlterius in te ſolo charitatis libro &*

*morte tua proficiam, & omnibus mutabilibus rebus deficiam: ita vt ego, non iam ego, ſed tu in me, & ego in te, indiſſolubili vinculo amoris maneamus. Supple mi Ieſu, quod mihi deeſt, & me in holocauſtoma tuum per fice.* Dicebat iſta, & alia amplius ignita, cum in momento vidit ſecundum ſpiritum lucem immenſam, & Crucem aureo fulgore rutilantem, gemmis diuitem pretioſis, quæ nomen Ieſu inæſtimabile præferret, cælitus oſtenſum.

Alia viſio.

Amor eius erga Deiparam.

Neque tantum nominis Ieſu, ſed etiam Beatiſſimæ Deiparentis amor illi ingens. In Gallicinio præcipuè hanc conſalutabat, & laudes illi depangebat. Propterea promeruit, vt ei ſæpius apparuerint Angeli, ſuauiter concinentes: *Stella Maria maris, hodie proceſſit ad ortum.* Cum his ille aliquando concinebant, ab eis lumine cœleſti perfuſus, & de arcanis ſecretioribus inſtructus. Calendis Maij, & imprimis Ianuarij, quibus ſolent dediti ſæculo, tum xeniis, tum cantilenis, tum feſto apparatu genio indulgere, ille concentus ſuaues Iesv & Mariæ perſonabat, & ab illo & illa chariſmata potiora flagitabat. Crucem præterea variis floribus ornabat, & ante eam procumbens, cor, animam, mentem, ſpiritum, ſenſus, & corpus ſuum illi offerebat. Inde aſſurgens, oſculis Cruci affixum fatigabat, adeoque amore prouocabat, vt ille ſemel apparuerit, nomenque *Henricum Amandi* mutauerit.

Corpus caſtigat.

Incredibile fere eſt, qua ratione ille Chriſto ſe conformare, in perpeſſionibus ſtuduerit. Cilicium aſperrimum, & ſub eo catenam ferream nudo corpore geſtauit. Catena ferrea, cum prope eſſet vt illum enecaſſet: funiculum, centum & quinquaginta aculeis vndequaque acutum lumbis aſtrinxit, neque dies noctesque depoſuit. Cubaturus in terra, Crucem clauis acutiſſimis refertam ſibi ſupponebat. Cumque doloribus ſuſtinendis par non eſſet, & aliquando mucronem clauorum retuliſſet, pœnitentia ductus illos ad lanienam ſui corporis exacuit: inſuper chirotecas acubus impactis ſeu inſertis manibus impoſuit, vt magis copioſiorem ſanguinem à mortificata carne educeret. Præter hæc, inedia, ſiti, vigiliis perpetuis tantoperè corpus macerabat, vt neque cibum, neque potum capere aliquando potuerit, niſi Beata virgo cœleſti liquore illum recreaſſet. In intenſiſſimis Germaniæ frigoribus, hyeme nudipes incedebat, & matutino officio mediis noctibus aſſiſtens, prope congelato lapidi inſiſtebat. & pone ſacram aram adusque auroram nudus pedes orabat. Manus & pedes illi rigebant & fere rumpebantur ab intolerabili frigore: ipſe tamen totis viginti quatuor annis, neque ad ignem acceſſit, neque hypocauſtum tepens ingreſſus eſt, tantum ſpiritus incendium erat, vt iniurias cœli non ſentiret.

Victus.

Bis in ſingulos dies, flagris aſperrimis cruentabat corpus: vulnera hiantia aceto & ſale perfricabat. Semel in dies, panis vel leguminis aliquid, puſillum ſumebat. Viginti & duos annos, cum hanc aſperrimam vitam duxiſſet, audiuit à Deo, hæc initia eſſe virtutis, & quaſi primos ſeu extremos gradus ad perfectionem: quæ magis in ſenſuum & paſſionum mortificatione conſiſteret. Itaque eodem Deo iubente, inſtrumenta crucifigendo corpori apta dehinc abiecit, & communi cum reliquis cœnobitis vitæ viuendæ animum adiecit, neque à vino, modico quidem & diluto poſtea abſtinuit, ad amplius theatrum aſſumptus, in quo pro afflictionibus corporis, grauioribus quæ ſunt animi, per difficiliora certamina, exerceretur. Oſtendit illi eas omnes difficultates, Deus agonothetes, atq; poſtulanti, ne inferret, reſpondit: *oportere hunc quoque calicem amariſſimum deguſtare.*

Hinc nulla fuit calamitas, quâ patientiam illius Deus non probauerit, tentatore Sathana in eum qui vexaret immiſſo.

Decem annos integros, infidelitatis & deſperationis flabella, magna conſtantia, in fide & ſpe probatus, ſuſtinuit. Afflictionem cordis internam, quæ pectus illi emedullaret, ſpiritumque & oſſa arroderet, diuturno tempore paſſus eſt. Calumniatores non deerant, qui ſuſpectę cum aliqua fœminarum familiaritatis, falſo inſimularent, filiumque illi, quaſi ex ea ſuſcepiſſet aſſignarent. Alii ſacrilegum, quaſi ſacram pecuniam, & anathemata piorum, ſacris imaginibus appenſa abſtuliſſet, vociferabantur. Non deerant qui impoſtorem dicerent, quaſi is, digito ſemel vulnerato, & lateri Cruci affixi Iesv appoſito, ſanguinem ex vulnere defluentem recenti, vulneri Christi affingeret, populoque admiranti perſuaderet, quod is cruor à latere Chriſti manaret. Aliqui toxicum Iudæis in Belgio, vendidiſſe, nonnulli peſtilentibus erroribus & hæreſi refertos libros lucubraſſe: plurimi in hipocriſi gentem ſimpliciorem ſeducere, mentiebantur. Propterea amicorum, & religioſorum Fratrum animis, vt plurimum ab eo alienatis, iniuſte quandoque damnatus; etiam ad mortem quærebatur. Sub hac Cruce adeo depreſſus iacebat, vt exhauſto animi vigore, ſemimortuus videretur. Vnde graui aliqua afflictione, ab inſidiatoribus famæ & honoris irrumpente, vt quantocius illa omnia quæ conabantur in eum effunderent, audiebat diuinitus vocem quæ diceret: ſuſtineret, & cum colluctatione grauiore, prouentum vberrimum expectaret, neque ab incepto opere vnquam deſiſteret. Conuerſioni præcipue perditiſſimorum hominum inuigilabat, & ex his innumerabiles, & præſertim fornicibus incluſas ad pœnitentiam adduxerat.

Diuerſæ in eū calumniæ.

Eius patientia.

Hinc in odium Satanæ vehementius incurrit, qui vel occidendo, vel ſaltem infamando homini feruentiſſimo occaſiones quærebat. Neque tamen illum deiicere vnquam potuerat, quod ſpe firmus in Deum, in protectione Dei cœli commoraretur, exemploque Chriſti de maligno triumphatoris, ſciret conſtantiſſime perſeuerare in duello. Oranti illi, vt doceretur, qua ratione tentationes ſufferret, aliquando apparuit Chriſtus cruci confixus, in forma Seraphini, ſex alis conſpicuus. In earum duabus infimis, ſcriptum eminebat; *Afflictionem ſponte ſuſcipe.* In his quæ mediæ; *Feras crucem æquanimiter.* In ſuperioribus; *Diſce pati, Chriſto conformiter.* Ab hac viſione inanimatus, tanto fortius omnia aduerſa ſuſtinebat, vt & hoſtem in ſe prouocare, & à prouocato omnes inſultus contemnere, & contempto calcatoque ſub Crucis vexillo inſultare videretur: ſæpius ingeminans: *Nemo coronabitur, niſi qui legitime certauerit.*

Viſio.

Prioribus annis, quibus Coloniæ litteris incubuit, tantos in Theologia progreſſus fecit, vt inter doctiſſimos Theologos, & eloquentiſſimos Concionatores cenſeretur. Prefecti ſtudiorum laureā Magiſterii Theologiæ illi decernebant. Deus tamen ne ambiret, neue ſuſciperet inhibuit: quin potius verbo Dei prædicando inſiſteret admonuit.

Eius in Theologia progreſſus.

Inter afflictiones animi, non exſors fuit recreationis cœleſtis, non ſemel ab Angelis, à Deiparente Maria, & ab Iesv viſibiliter apparente confortatus, multiſque gratiis & donis ſpiritualibus ornatus. Viſiones, reuelationes, raptus, extaſes, tam illi familiares, quam cibus & potus. Concionantis facies aliquando velut ſol reſplenduit. Quid cum nonnullis defunctis in altero ſæculo ageretur, per ſpiritum cognouit: aliquem ex amicis à pœnis purgatorii liberauit. Hoſtium ſuorum aliquot peſſima morte luiſſe vidit: aliquorum ſalutem animæ & corporis impetrauit. Prioratus officium agens, vinum per miraculum multiplicauit. Dæmonem ſibi inſidias tendentem, & ſagittam acutam intorquere in eum parantem, ſolo nomine Beati Virginis Mariæ fugauit. Inter hæc certamina, hoc anno, ad diem XXV. Ianuarij

Vinum miraculoſe multiplicat.

Eius obitus.



nuarij in cœnobio Vlmenſi obiit, poſt mortem ingentibus miraculis clariſſimus. Viuenti, mortuus F. Bartholomæus Bolſenech, ſacri Palatii Magiſter apparuit, atque ne lucubrationes illius à maleuolis ſupprimerentur ambigenti renunciauit futurum, vt publicam lucem aliquando aſpicerent.

XV. Obitus alterius Beati ex Ord. Prædicat.

Coęqualis Henrico F. Albertus Germanus eiuſdem inſtituti Dominicani inſignis Prædicator, hoc ipſo anno, ex humanis diſcedens nonnullis deuotis quaſi in aëre ſuper populum pendulus viſus eſt. Cumque dubitaret aliquis ne caderet, Senior quidam qui ſimul apparuerat dixit: ne formidarent; quod Albertus eo loci conſiſteret, vnde nullus caſus. Audiuerunt poſtea eundem Albertum, initium Euāgelii S. Ioannis, vſque ad illa verba, plenum gratiæ & veritatis diſerte recitantem: quæ cum vera eſſe & propriis oculis ſignificata illorum, nēpe gloriam vnigeniti à patre aſpexiſſe affirmaſſet, diſparuit. *Michael Pius libro primò, de viris Illuſtr. Ord. Præd. ex Surio, & Leandri libr. 5. & aliis.*

XVI. F. Berchtoldus Niger Theuto Franciſcanus bombardæ inventor.

Hac tempeſtate floruit, apud Franciſcanos, F. Berchtoldus Niger, Theuto genere, bombardæ inuentor. Is cum ſtudio philoſophiæ diu operam dediſſet ac didiciſſet, duo corpora in eodem loco eſſe non poſſe, neque vacuum in rerum natura admitti: prætereà quod ignis leuius elementum maius ſibi ſpatium vendicaret quam terra, & quod omnia ex elementis mixta corpora in ignem redigantur: hæc omnia ab Ariſtotele & aliis naturæ ſcrutatoribus propoſita ipſe experimento facto clarius perſpicere voluit. Itaque æreæ ollæ vndique circumſeptæ, & obſtructæ, ſulphuris & nitri puluerem impoſuit, & ignem adiecit. Quo facto, cum materia ignem accepiſſet, naturali ratione olla frangitur, atque ignis & fumus ingenti ſonitu inſtar tonitrui in aerem ſpargitur, tanquam in locum apertum & patentem, indicium futuri bellici inſtrumenti exhibens. Eo viſo Berchtoldus delectatus, puluerem bombardicum pari ratione conficere cœpit. Sciebat autem contraria contrariis expelli, & frigidum atque calidum in extremis ſumme eſſe contraria. Itaque ex nitro, ſiue ſalpetra & ſulphure bene contritis puluerem confecit, & carbones nigredinis ergo adiecit. Hoc puluere arborum truncos diſiecit, atque lapides & globos miræ magnitudinis ex concauis & obſtructis machinis inſtar fulminis eiecit. Hac ratione inuentis inuenta addens, primo machinas ligneas, deinde autem ferreas atque æneas confecit, eaſque ex terribili & hactenus inaudito ſonitu Bombardas vocauit, ex quibus globos lapideos, ferreos & plumbeos eiaculatus, oſtendit pernitioſo ingenio, quomodo homines, muri, arces, vrbes, & fortiſſima monumenta tanquam fulmine proſternerentur. Superuenere poſtea alii atque alii indies artifices, qui id inuentum ſua induſtria auxerunt: magno fortitudinis & virtutis humanæ detrimento. *Polydor. de inuentoribus rerum.*

# IESV CHRISTI

## Annus 1366.

### VRBANI PAPÆ V. ANNO 4.

Caroli IV. Roman. Imper. anno 11.

I.

Quæ Vrbanus Pont. egerit vt conatibus Bernabovis de nuo tumultuantis obſiſteret.

In Italia rurſus magnæ turbæ, à Bernaboue Vicecomitum primario. Huius fidem ſuſpectam habens Nicolaus Ateſtinus, Pontificem Vrbanum cum illo voluit committere: ſic hominem aggreſſus vt diceret, efflagitari hoc ab eo, cuius munus ſit, tyrannorum vim comprimere, & indigna contumelia afflictos ſubleuare, opemque ſuam Italiæ impertiri. Cum autem Nicolaus non ignoraret perimbecillum fore conatum ſuum, ſi ſe Vrbanus trans alpes continuiſſet, vel eas ſine Caroli Imperatoris præſidio tranſcendiſſet, Pontificem ipſum vnaque conſpirantem Carolum ſtatuit in Italiam pellicere. Itaque Malateſtæ, Carrarii, Vidonis, Ludouici, & Franciſci Gonzagæ, comitantibus Legatis, Auinionem contendit, quo etiam Carolus Imperator conceſſit, ex occaſione Regum Galliæ & Angliæ conciliandorum euocatus. Actum in eo Concilio de pace Italiæ, bellum aduerſus Bernabouem, Genueſibus, & reliquis incommodantem, decretum. Carolus Imperator, exercitui confœderatorum Principum præfectus. Decimatio omnium fructuum Eccleſiaſticorum in Germania, in ſumptus indicta. Imperator, & Vrbanus, in Italiam deſcenderent: hic vt Sedem Romanis reſtitueret, ille vt tyrannos compeſceret. In prædones Anglos Italiam populantes, anathema pronunciatum, & copiæ militares deſtinatæ. Omnia vero decreta comitii altiſſimo ſilentio ſepulta: ſed tamen quæ Bernabos, ſiue per coniecturam, ſiue per quempiam ex legatis aſſecutus didicerit. Cognita itaque inimicorum Principum in ſe conſpiratione, quippe quo maiores ſunt motus, eo difficilius celantur, Lunatum perrexit ex compoſito colloquium Canis petens, qui tum erat Piſcheriæ: inque ipſa imminentium diſcriminum commemoratione docuit caſu ſuo Veronæ quoque caſum attractum iri: quo minore interuallo diſtent, eo magis & communi commodo, & auxilij copia ad ſocietatem impelli debere. Dedit præterea fidem, ſi Mantua potiri contingeret, quam primis conatibus deſtinauerat, quo deinde Ateſtinum aggrediatur, eam ſe illi traditurum. His conditionibus fœdus pepigerunt, in quod Ioannem quoque Agnellum Piſanorum principem ſollicitarunt, primo haud abnuentem, paulo autem poſt ad aduerſarios tranſgreſſum, cum eos validiores eſſe agnoſceret. Vt autem Bernabos confœderatis illuderet, Pontifici ſupplex fuit, vt & ipſe quoque aduerſus Societatem Anglicanam, iam à Peruſinorum copiis Egidio Cardinali Legato auctore profligatam, Mutinæ, Piſis & aliis vrbibus imminentem, in nummerum confœderatorum cenſeretur: cum tamen eodem tempore ſtipendia Anglis perſoluerit, & Ambroſium ex pellice natum ſibi filium, vt Præfectum agnoſcerent, donis militaribus inter eos diſtributis effecerit: coactoque ex illis, & Germanis, & Gibellinis non contemnendo exercitu, in Genuenſes in primis duxerit. Non ignorauit iſta Pontifex: verum vt fraudis architectum ſuis artibus comprehenderet, reſpondit, velle illum albo confœderatorum aduerſus Anglos inſcribere, ſi etiam fratres illius & quicunq; pernecellarii nomina quoq; ſua darent, iiſdemq; conditionibus quibus & reliqui teneri ſuſtinerent. Porro, quod Bernabos Carolum quoq; ea de re interpellaſſet, & capita quędam quæ Imperator probaret propoſuiſſet: Carolus autem, quid ei reſponderet ab Vrbano ſcire voluiſſet: ſignificauit Imperatori Vrbanus, de articulis propoſitis, quod eorum exemplar non viderit, nihil certi decernere potuiſſe: de aduentu vero in Italiam diceret, eo ſe paratum deſcendere atq; Societatem Anglicanam extirpare. Iam vbique fama vulgauerat, Imperatorem iter inſtruere.

Itaque

Itaque ad eum Pontifex comitium Norimbergæ agentem Epiſcopum Vlixiponenſem Nuncium, qui amplius exhortaretur & negotiis tractandis intereſſet, VII. Cal. Martii miſit: vt illam ſocietatem perditorum expelleret, Carolo iniũxit: proceſſum aduerſus illos ipſos Auinione publicatum illi ſcripſit: decimationem fructuũ Eccleſiaſticorum, ſi comitio Principum Germaniæ videretur, probauit; Venceſlao Duci, ac Principibus & Prælatis Germaniæ vt in Italiam penetrantem comitarentur iniunxit: à Ludouico Rege Vngariæ auxilia venienti poſtulauit: Indulgentias ampliſſimas tum comitibus itineris, tum hoſpitio recipientibus, tum locis omnibus quacumque iter conceſſit, deque ſuoipſius in vrbem reditu certiorem reddidit: Maio inſequentis anni ſe velle iter inire. *epiſt. Vrb. Secret 51. 95. 98. 100. 153. 166. 169. 191. Corius hiſt. Mediolan. part. 3. Pigna hiſt. Ateſtinor. lib. 5. Manent. lib. 3.*

II. CAROL. IMP. IN GALLIIS CŨ FILIO.

Imp. Carolus, & Venceſlaus filius, magno ſplendidoque procerum comitatu, quaſcumq; per vrbes Galliæ iter faciebant, occurrente pari dignitate Francorum Ducumque comitatu, apparatiſſime, magnificentiſſime, officioſe, amanterque excipiebantur. Infirma, & morbis confecta valetudine, Carolus Galliæ Rex, illis ad Dionyſii portam in lectica occurrit, quæ res ne ei pudori foret, Carolus Imperator ætatem podagramque excuſans lectica & ipſe Regiam vrbem ingredi voluit: Filius necdum adultus patris latus in equo texit. Feſti dies aduentu eorum celebreſque acti: vinctis dempta vincula, cuſtodiæ emiſſæ. De pace inter Carolum Gallum, & Edouardum Anglum Reges agere iam cœperãt: cum prius Reginæ Franciæ, ac prope continuatis funeribus, filiæ Regiæ mors, actionem eam interpellauit. Igitur atrata funeſtaque Regia, Imperator domum ſe recipiens, ac Rex Francus Lutetiæ morbo luctuque retentus, Gandauum Oratores miſere, quo & Angli Legati ex compoſito conuenerant, vt de pace commodiore loco ageretur. Affuit & Pontificis Maximi Legatus, Archiepiſcopus Rauennatium, qui ad id deſtinatus venerat. *P. Aemil. de reb. Gall. lib. 9.*

III. VRBAN. CAROL. IMP. DE DIVERSIS AD COMMVNEM VTILITATẼ SPECTANTIBVS MONET.

Conceſſit hoc anno Pontifex Imperatori poſtulanti, vt Marquardus Aquilegienſis Patriarcha deſignatus, ad Eccleſiam Saltzburgenſem transferretur. *pag. 7.* eumdemque Imperatorem admonuit, vt Galeazium Vicecomitem, Ioannæ Reginæ Siciliæ, in Pedemontio incommodantem, & Amædeum Sabaudum Imperii Vicarium, libertatibus Eccleſiaſticis iniurium reprimeret: ac ipſe nonnulla hominibus caſtri de Romanis contra Eccleſiam Viennenſem conceſſa, reuocaret: nec non auxilia Regi Cypri, poſt interceptam, vaſtatam, & amiſſam Alexandriam Ægyptã, à Saracenorum multitudine conuolante metuenti, ſubmitteret: atque ad extremum in Italiam properaret; poſtquam etiam ipſe vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, reditum ſuum in vrbem, publicatis litteris renunciaſſet. *ep. Vrban. part. 98. 132. 133. 147. 150. 160 Secretorum huius anni.*

IV. PETRARCHA PÕT. PER EPISTOLAM SVADET VT ROMAM ECCLESIÆ SEDEM REFERAT.

Franciſcus Petrarcha, prolixiore epiſtola, in peruigilio Principis Apoſtolorum Venetiis ſcripta, Vrbano ſuadebat Pontifici, vt Romam Eccleſiæ Sedem referret. Beneuolentiam imprimis captabat, apud Vrbanum, commemoratione illius virtutum, quas inito Pontificatu oſtenderat. ſcilicet, quod Prælatos Eccleſiarum, qui Romanã curiam frequentabant, ad Sedes proprias remiſerit, quod ambitioni antiquæ, quæ priorum licentia in immenſum creuit, frenum poneret, & vt vno aut paucis pro dignitate virtutis ac ſcientiæ beneficiis contenta eſſet, ediceret, quod circa habituum honeſtatem, multam curam, multumque ſtudium impenderet. quod ſingularem paternamque ſollicitudinem, circa Bononienſe ſtudium, quantam nullus vmquam Pontifi cum haberet, quod licentiam peſtilentem, quæ ſceleſtos homines, grauiſſimis facinoribus perpetratis ad Cardinalium domos fugere ſolitos, legum nodis ac digno ſupplicio eximebat, ſalubri falce rigoris æquiſſimi præciderit. quod peſſima conſuetudine, qua nihil infeſtius eſt virtuti, conuulſa, non amplius apud exemplares iuſtitiæ magiſtros, iniuſtitiæ refugium aſylumque nequitiæ reperiatur, effecerit: plurimaque alia, bono publico, virtute ac proſperitate comitibus, ediderit. Proinde Romam properaret, hortabatur: vt ſponſam Eccleſiam afflictam inuiſat, conſoletur, tueatur: ornet, illuſtret: *poſtquam, inquit, te abſente abeſt requies, pax exulat, bella aſſunt & ciuilia & externa, iacent domus, labant mœnia, templa ruunt, ſacra pereunt, calcantur leges, iuſtitia vim patitur, luget atque vlulat plebs infelix. Lateranum humi iacet, & Eccleſiarum mater omnium tecto carens, & ventis patet & pluuiis, & Petri ac Pauli ſanctiſſimæ domus tremunt, & Apoſtolorum quæ nunc ædes fuerat, iam ruina eſt informiſque lapidum aceruus, lapideis quoque pectoribus ſuſpiria extorquens: Inſuper famoſiſſimus atque altiſſimus Catholicæ Fidei vertex nutat: quem nemo felicius ſtabiliuerit, quam ipſe, cui Roma ſemper eſſe in ore dicebatur: quique diuino potius miraculo, quam humano ſuffragio electus ſit, vt Eccleſiam diu vagam, eo loci reponat, quo illam Chriſtus ab initio per Petrum collocauit. Addebat Petrarcha preces, quas contractiores adiungo: dignas ſane quæ propter notitiam multarum rerum legerẽtur, & legantur.*

*Vrbanus vrbem, Romanus Pontifex Romam petas, locum Deo gratum, hominibus venerandum, piis optabilẽ, rebellib. dum tu ibi fueris formidandũ, reformando orbi & regendis reb. idoneum, cui hactenus non fuit par; niſi me animi fallit augurium, nec futurus eſt. Arripe ergo, per Ieſum Chriſtũ obſecro, hanc occaſionem cœlitus tibi oblatam, neue indultum tanto operi ſpatium labi ſinas. Fugit enim tempus, nec reuertitur, nec ſubſiſtit, hoc ſi bene vſus fueris, in perpetuum gaudebis, Deo in æternum gratias ages, qui tibi decus hoc eximium reſeruauit, atque in illo gloriaberis, ſpreta hac vnde venis patria terrena, pro amore patriæ cœleſtis, ad quam pergis inter Syrenum cantus, clauſis auribus tranſeuntem, tacito licet Domini reuocantis Imperio paruiſſe. Inſonet, oro, iugiter Dauidicum illud animæ tuæ: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Quodque Abrahæ patri noſtro ait Dominus, tibi dictum puta: Egredere de terra, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrauero tibi, faciamque te in gentem magnam, & magnificabo nomen tuum eriſque benedictus. Hæc ſi tibi dicta credideris, cui ambiguum eſſe poteſt, quin confeſtim dimiſſa patria illa quæ tua dicitur, & carnalibus victis ac calcatis affectibus, tu quoque iures Domino, votumque voueas Deo non introiturum te in tabernaculum domus tuæ, nec aſcenſurum in lectum ſtratus tui, nec daturum ſomnum oculis tuis aut palpebris tuis dormitationem, aut requiem temporibus tuis, donec inuenias locum Domini, tabernaculum Deo Iacob. Nuper dum Maſſiliam peteres, pietate non dubitem vrgente, ac deſiderio reuidendi religioſum illum atque humilem nidum, vnde hinc cœleſti prouidentia, hinc tua virtute quaſi duabus alis ad ſuperos euolaſti, teque plebs deuota, & tui imprimis amantiſſima, non vt hominem, ſed vt Deum quẽ officio repræſentas, ſummo gaudio atque ingenti veneratione ſuſciperet, tam pio ſpectaculo permotus, neſcio an lachrymas, ſed certe verba non tenuiſti, quæ in noſtris gratius etiam fortaſſis, quam multorum qui aderant auribus ſonuerunt. Dixiſti autem inter multa: Quod niſi eſſet alia cauſa Romam atque Italiam petendi, niſi vt deuotionem fidelium excitares, abunde quidem hæc ſola ſufficeret. O ſanctum, & æterna memoria dignum verbum. Crede, ſi talis tibi occurrit Maſſilia, longe obſequioſa, deuota reuerens Roma occurret. Non affuſum modo, & præ gaudio lachrymantem, ſacramque tellurem piis fletibus irrorantem populum, ſed ipſos Dei Angelos in limine obuios habebis, qui Vicarium, ſponſamque ſui Domini in ſedem atque thalamum proprium redeuntes ineffabili gaudio & prædulcibus hymnis excipient. Neceſſitatem porro etiam tibi adfert Romam euolandi, hæc impia ac odibilis Deo ac mundo prædonum manus, quæ nunc miſeras Chriſtianorum regiones terribiliter peruagatur, à qua teipſum pecunia redemiſti, iſtudque Spiritu Sancto plenus poſt multas querimonias addidiſti: hæc mala omnia hinc maxime prouenire, quod Petri Sedem tuamque deſereres: teque indies grauiora metuere, ſi obſtinatis nunc etiam animis, deſeratur Sedes illa quam ſponſæ ſuæ Chriſtus elegerat. Vereita eſt. Propter hanc enim ſummæ Sedis viduitatem, atque hunc contemptum, & Curia tua nunc & totus inſuper Chriſtianus Orbis affligitur, & cito niſi prouides, ſi quid præſagire homini licet affligetur aſperius. Erumpunt ecce*





*noua latronum ſcaturigines: neque hic finis: alia ex aliis renaſcentur, illi ipſi quos fugaſſe videberis reuertentur. Nam quos auro placare putaſti, auro irritaſti, vt quibus infinita cupiditas præda eſt, nullus autem Dei timor, nulla fides fallendi, denique pudor nullus. nihil aliud reſtat, quam manuum iniectio, quam pietas cœleſtis auertat, teque à conuentu malignantium protegat, & quod diebus ſacris precamur aſſidue, non te tradat in manibus inimicorum tuorum, qui patri patrum, ac domino dominorum, ſeruiliter redemtionem impoſuerant. Age ergo vt coactus, vere autem lætus volenſque ſedem tuam repete, quam cum ſemel attigeris, & fortis armatus atrium tuum cuſtodieris, omnia erunt in pace, quæ nunc ideo ſunt in bello, quia tuum principale atrium non cuſtodis. Nec te terreat, quod Roma quoque per hoc tempus ſuas prædonum moleſtias eſt paſſa. rabies nempe barbarica, quæ nunc ſacram vrbem tentat acephalam, mox vt ſuum caput illa receperit, non dicam Romam, ſed Italiæ clauſtra proſpicere non audebit. Tempus etiam admonet, vt nunc adhuc vnum tam multis adijciam. O ſi igitur nocte hac, quæ Apoſtolorum Petri & Pauli glorioſo martyrio ſacra eſt, & hac ipſa noctis hora, qua tibi anxius, tam fidenter nec minus reuerenter hæc ſcribo, in baſilica Apoſtolorum principis, quæ peculiaris baſilica tua eſt, diuino quod nunc canitur officio, & matutinis Chriſti laudibus intereſſes, quantam & quam ſacram perciperes voluptatem, quæ ſuſpiria, quas lacrymas dares? quam doleres, quod non longior nox eſſet? Audebo te iterum orare, vt & hoc rurſum mihi credas; numquam parem tibi delectationem dabit Auinio, cum omnibus delitiis, quæ vel eſſe ibi, vel conuehi, vel animo fingi queunt. Vt enim omne ibi mundi aurum, omnes gemmæ, omnia vina, omnes epulæ aceruentur, numquam ibi erit illa deuotio, quæ felicem faciat animam; certumque id verumque dicere me, Chriſtianum genus omne fatebitur; in hoc ſaltem nullus locus Romæ par, aut ſuapte eſt natura, aut fauore quolibet hominum fieri poteſt. Vnum ſilui, ſiue ad extremum diſtuli, quod primum eſſe potuerat. Noſti, quo in ſtatu Chriſtiani tui ſint per Orientem; quin & propinquius malum eſt. Non audiſti, vt inermes Aſiæ populi, quos noſtra deſidia fortes facit, atque inprimis olim Phryges, Turci hodie, miſeram Græciam ſine fine diripiunt; & Ægeo ſparſas Cycladas populantur: quæ & ſi longis erroribus, obſtinatæ peruicaciæ iuſtas dent pœnas, inde tamen ad nos, veróſque Catholicos eſt tranſitus. Iam Cyprus, Creta, Rhodus, Eubæa, viciniorque nobis tentatur Achaia & Epirus. Iam Calabrum litus flentis Græciæ mæſtiſſimas voces, trepidis auribus accipit. Sic nunc itaque fides Chriſti, vt vides, ad Orientem periclitatur. Tu ad Occidentem ſedes adhuc. o maxime dux noſtrarum & Pontifex animarum; qui vt tuum munus impleres, niſi fallor, pridem ſurrexiſſe debueras, teque vel ſolum difficultatibus obuium ferens, non Romam modo, ſed Conſtantinopolim perrexiſſe. quamquam ſolus eſſe non potes: Chriſtus ipſe cuius res agitur tecum erit, & Chriſti acies quocumque ieris, te ſequetur. Non eſt boni ducis ſe periculo ſubtrahere: multominus autem labori; ſed illuc properare, quo eum plurimus bellantum clamor vocat. Potuit Chriſtus crucem fugere, ſi nos deſerere voluiſſet. Nullis noſtris meritis obſtrictus, pro ſalute noſtra mori voluit. Nos beneficio præuenti, pro illius gloria, non ſolum mortem fugimus, ſed laborem. Iamdudum debuit omnis ſtatus, omnis ætas arma corripere, & in illo ſpei ancoram figere, qui nullum vmquam in ſe ſperantem fefellit: qui Theodoſio, cum paucis contra immenſos exercitus barbarorum prælianti, miram incredibilemque victoriam dedit, & pro eo fecit elementa pugnare. Et nos dilecti Deo eſſemus, ſi eum qua tenemur mente diligeremus. Numquam nempe ſe diligentibus abfuit, vt qui interdum ſe perſequentibus affuit. Et nobis ab antris Chriſtus non Aeolus, armatas hyemes funderet: nobis æther, vt auxiliares ad claſſica venientes militarent venti. Sed quis ingratis militet? Quis ſopitis atque torpentibus opem ferat? Non ſopiti tantum, ſed exanimes, & mundo mortui. Longæua namque in naturam verſa voluptate marcuimus. Iam moribus malis obruti, ſepultique ob hoc ipſum cœleſtibus auxiliis deſtituti ſumus. Tu itaque ſi nominis, ſi officii, ſi Domini meminiſti, qui ſuis in paſcuis te paſtorem fecit: non illic hærebis vbi vmbra fortaſſis aut fons gratior, ſed vbi prædo aut lupus infeſtior: vbi neceſſitas gregis Dominici maior: memor illius Euangelicæ ſententiæ: Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis: mercenarius autem & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. Tu es paſtor, tuæ ſunt oues quæ Domini tui ſunt. Omnia tibi commiſit; omnem tibi gregis curam, omne ius contulit. Lupus ad ouilis oſtium fremit, & tu ceſſas? Si non mercenarius, ſed verus es paſtor, offer te præclaro pioque diſcrimini: quod ſicut temere optare non eſt prudentis, ſic molliter declinare, non eſt viri fortis ac magnanimi. Mitte itaque oculos in longinqua, non locorum modo ſed temporum, videbis quanta ibi calamitas præſens ſit, quantumque periculi futuri. Nam vt ait Comicus: Iſtud eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt, videre, ſed etiam illa quæ futura ſunt proſpicere. Certe niſi iam hinc proſpicis, niſi occurris, actum eſt. Pudendam nobis Chriſtiani nominis, illis in partibus ruinam, & prorſus indignam ac miſerabilem audiemus, quæ vt dixi, non Chriſti qui eſt iniuriæ inacceſſus, ſed noſtra iactura eſt. noſtra ſecordia, noſter pudor, qui iam tantus ibi eſt, vt an maior eſſe poſſit, in dubio ſim. Neſcio enim an peius ſit amiſiſſe Hieruſalem, an ita Byzantium poſſidere. Ibi enim non agnoſcitur Chriſtus, hic læditur dum ſic colitur. Illi hoſtes, iſti ſchiſmatici peiores hoſtibus. Illi aperte noſtrum Imperium detrectant, hi verbo Romanam Eccleſiam matrem dicunt: cui quam deuoti filii ſunt, quam humiliter Romani Pontificis iuſſa ſuſcipiant, tuus à te ille datus Patriarcha teſtabitur. Illi minus nos oderunt, quia minus metuunt: iſti autem totis viſceribus nos & metuunt, & oderunt. Conſtat, quia nos canes iudicant, & ſi loquendi libertas affuerit, canes vocant. Interfui ego ſolenni die, dum Romano ritu miſſa celebraretur, Græcus quidam homo non illiteratus, ſed multo maxime ſtultus & arrogans, exclamauit: Ego non poſſum pati, inquit, Latinorum nugas. quod verbum ſi intellectum fuiſſet à populo, non impune vt auguror tuliſſet. Sed ſic eſt, ſic de nobis ſentiunt, & baſilicas ſuas ſi quis ex noſtris introierit, quaſi humano ſanguine, aut fœdo facinore violatas, reconciliant & expurgant. Et hæc quidem Romana Eccleſia diu nouit & paſſa eſt, nec tamen vlciſci properauit ſed iuuare, vt ad iugum matris Eccleſiæ adduceret. Te itaque Romanorum Pontifex, Chriſtianorum Dux, Roma ſuum ſponſum, Chriſtianitas ſuum ducem, vocat altis vocibus, non ad requiem ſed laborem ad quem homo naſcitur; neque ad pacem, ſed ad bella repoſceris: in quibus tamen bellis temporalibus, æterna pax animæ, & multorum ſalus; & gloria tua eſt. Aſſurge animis, & vilia Auinionenſia diſce contemnere. Magna recepiſti, cui non hæc aut illa pars terrarum, ſed totus orbis eſt patria, imo exilium; & huius exilij ſedes Roma, non quidem ſola, ſed ſanctior gratiorque illi qui te hinc dum volet in patriam cœleſtem reuocabit. Inde non parua fateor à te repetuntur: apertum tibi miraculum diuinitas fecit. Nunc tu illud miraculum fac apertum, vt de tam profundo Eccleſiam ſuam eruas. Neque enim parui miraculi res fuerit, tot tam radicatos animos inde conuellere. Fiet tamen haud difficile, niſi tu etiam ibi radicatus ſis. quod ſi fueris, triſte omen Chriſtus auertat, quid inter te & illos intererit; quorum nunc inutilis moræ, & inanis gaudii fructus eſt dolor? Vnum addidero. Fama eſt, eſſe palatii tui partem quæ Roma dicitur: quam ingreſſus, ſponſæ te reddidiſſe, totumque prorſus impleſſe Romani Pontificis officium videare. Noli cum Domino tuo ludere, fruſtra fallaciunculis tentatur. Dialecticus ſummus eſt, cui ſophiſma nullum inſolubile. Scrutator infallabilis ac profundus intelligit cogitationes noſtras. De longe ſemitas noſtras, & funiculum noſtrum inueſtigat, & omnes vias noſtras præuidet; quæ ſi obliquæ ſint, & à pietate diſceſſerint, placere ſibi non poſſint. Ergo illas Deus aſpiciens, vt Sartyrici verbo vtar, ridet & odit: ridet captiunculas, odit finem. Scriptum eſt: Nolite errare, Deus non irridetur. Nec vero tibi fortuna blandiatur tua, nec te longæ vitæ ſpes decipiat; breuis eſt vita mortalium, maximeque Pontificum: ſeu quod ſenes ad hunc ſtatum veniunt, ſeu quia curarum pondus laborque perpetuus, & negotiorum æſtus neceſſe eſt vitam ipſam efficiant breuiorem. Cum autem ad tribunal Chriſti ventum erit, vbi non tu Dominus & nos ſerui, ſed vnus ille Dominus, nos conſerui omnes erimus; nonne putas tibi dicturus ſit: Ego te à terra ſuſcitans inopem, & de humilitate tua erigens, non ſolum cum principibus, ſed ſuper Principes collocaui, eoſque tibi ad genua pedeſque procumbere volui: tu Eccleſiam meam tibi creditam, vbinam gentium reliquiſti? Tu multis à me ſingularibus inſignitus donis, quid ſingulare mihi præter cæteros reddidiſti? niſi quod ſediſti in rupe Auinionenſi, Tarpeiæ rupis oblitus. An me credis, dum rerum caput eligerem non aliud eligere potuiſſe? An electionem meam*

*iudiciumque contemnitis? tuque inprimis, qui priorum corrigendis erroribus, mirabiliter per me aſſumptus, nihil penitus ab illorum tramite declinaſti; ingreſſu diſsimilis, cæteris progreſſu ſimillimus & egreſſu? Qui ad hanc interrogationem mihi ſeruo tuo non facile reſponderes, quid reſponſurus es Domino? aut quid dicturus Petro? Ego, inquiet, iuſto metu crudeliſſimi Neronis fugiens, Domini increpantis occurſu Romam redii ad ſupplicium & ad mortem: te quis Nero quiuue Domitianus expulit? Quis mortis aut ſupplicii metus, tam diu exulem fecit? Quid quæſo nunc Romæ ſit? quid mea domus? quid ſepulchrum? quid populus meus agit? An mihi non loqueris? An quæ te percontor ignoras? Vnde vero nunc mihi redis? An & tu ad Rhodanum exulaſti, qui ſi te ibi forſitan natum dicas, an non ego natus alibi? Sed vterque noſtrum aliam naſcendo, renaſcendo aliam patriam, nactus erat. Itaque conſcius ego Dominicæ voluntatis, Romæ poſtpoſui Galilæam, at tu Romæ Rhodanum prætuliſti.*

*Addo & iſtud fide pura, ac humili ſtylo. Cogita tecum, Pater beatiſsime, tecumque delibera, reiectis vanis conſultoribus: an quod ſupereſt temporis, in cœno Auinionenſi agere malis, an Romæ, quæ tota caro & ſanguis eſt martyrum? An in ſaxo illo, & in illa ventorum patria, quam nunc incolis; an in Vaticano potius ſepeliri eligas, locorum omnium noſtri Orbis ſine vlla comparatione ſanctiſſimo? Ad extremum, in die vltimi iudicii, an reſurgere amas inter Auinionicos peccatores famoſiſſimos nunc omnium qui ſub cœlo ſunt, an inter Petrum & Paulum, Stephanum & Laurentium, Sylueſtrum & Gregorium, & Hieronymum, & Agnetem, & Cæciliam, & tot millia Sanctorum, vel in Chriſti confeſſione feliciter quieſcentium, vel pro Chriſti fide felicius peremptorum? Denique quicquid elegeris, vnum Roma ſuo iure flebiliter poſcit, vt ſi tu illam ſpreueris, ſaltem ſibi Cæſarem reſtituas, quem Innocent. VI. is qui te proximus anteceſſit, ab amplexu eius iuſiurandi religione prohibuit: quia dum Roma ſponſis ſuis vidua, ſuisque luminibus orba erit, neque res humanæ vnquam bene ibunt, neque Chriſtiani fines conquieſcent. Chriſtus omnipotens, dies tuos proroget in longum æuum, aperiatque cor tuum conſiliis non blandis, nec fortaſſe delectabilibus, ſed ſanis ac fidelibus, vtque arbitror, Deo gratis.* Venetiis III. Cal. Iulias. *Pontifici Vrbano hæc Petrarcha ſcribebat.*

V. PRÆPARATIONES FIVNT PRO REDITV PONT. IN ITALIAM

Obtinuit, quod tantopere orbis vniuerſus deſiderabat. Enimuero, vt reipſa Vrbanus oſtenderet, quod Imperatori, & vniuerſis Principibus, ac populis promiſerat, ſcilicet Maio inſequente velle primum iter arripere; inprimis Senatui populoque tum Veneto, tum Ianuenſi ſcripſit, qui in Italiam traiicere cogitanti, triremes ſubmitterent. Venetorum reſpublica, decem inſtructas offerebat. Pontifex quinque tantum ſufficere dicebat; & ſi aliis opus foret, ſignificaturum ſe ſcribebat. *III. Idus Auguſt.* Cæterum iam ante hos dies Gaucellinum Pradallum, Anicienſem Canonicum, familiarem ſuum, Romam miſerat, qui Vaticanum ad Diui Petri palatium, pro eius aduentu inſtauraret. Egidio quoque Cardinali Legato, iniunxit, vt arcem quam is Viterbii extruxerat, omnibus neceſſariis, in ſuum aduentum inſtrueret: quod Viterbii per æſtiuos calores ſubſiſtere cogitaret. dedit ea de re litteras, *XIII. Calend. Aug.*

VI. VARIA VRBANI PP. ACTA

Porro vt in Italia, quantum poſſet fieri omnia pacata veniens inueniret, inprimis Egidio Cardinali in Italia Legato, vt Senatorem vrbi præficeret, poteſtatem fecit. *epiſt.* 221. 2. Honorato etiam Fundorum Comiti, vt Rectori Campaniæ prouinciæ, aduerſus nonnullos Sedi Apoſtolicæ rebelles auxilia præſtaret, iniunxit. *Calend. Septembr.* Cæterum, quod non ex re videret, Caſſinenſem Eccleſiam, ad Cathedralem dignitatem à Ioanne XXII. euectam, vt eo honore abuteretur; eam in antiquum ſtatum reduxit, & ex Cathedrali, Abbatialem (vt ita dixerim) quemadmodum prius fuerat, repoſuit: *apud Montem Peſſulanum.* 2. *Calend. Decemb.* 3. Nicolaum Vrſinum Comitem Nolanum, in prouincia patrimonij ſancti Petri, vexilliferum ab Egidio pro Sede Apoſtolica creatum confirmauit. 5. *Idus Nouembr.* 4. Egidio Cardinali in regno Siciliæ Legato, vt indidem grauiſſimas diſcordias componeret, vtque Ioanna Regina & proceres Regni illi in omnibus obtemperarent, mandauit. *VII. Calend. Decembr.* 5. Vt ibidem Caroli ſecundi Regis Siciliæ, contra excommunicatos conſtitutio, ſeruaretur; neue Regina Ioanna, Regni Siciliæ officia ac beneficia vacantia, præter diſpoſitionem Apoſtolicæ Sedis diſtribueret, edixit. *epiſt.* 305. & 323. Nec non ab eadem Regina cenſum conſuetum exegit, *epiſt.* 14. Cum etiam Regem Aragonum, propterea, quod ex Regnis Sardiniæ & Corſicæ illum non numeraſſet, ad dicendam cauſam, euocaſſet. *epiſt.* 304. Cum autem Ioanna Regina paſſa fuiſſet, vt inter Ludouicum infantem Nauarræ, & Mariam Ducifſam Dyrrachij neptem ſuam, in gradu à ſacris canonibus prohibito matrimonium contraheretur: diem illi & iſtis dixit Pontifex, ad dicendam cauſam. Quamquam vero Ioanna, proteſtationem aduerſus matrimonium ineundum interpoſitam à ſe eſſe, ſeque inuita contractum fuiſſe præſeferret, Pontifex tamen doli non ignarus, Procuratores vt mitteret imperauit; niſi vellet anathemati, & aliis pœnis, in diplomate de conuentione Regni Siciliæ cum ea expreſſis, ſuccumbere XIII. *Calend. Auguſt.* Metuebat ſcilicet Pontifex, ne Regina ſterilis, Regnum Siciliæ, vna cum nepte, Ludouico Nauarræo, citra Sedis Apoſtolicæ voluntatem, deſignaret. Quod autem Philippus Tarentinus, dictus Imperator Conſtantinopolitanus, Mariæ Senioris Ducifſæ Dyrrachij dotem interuerteret: Vrbanus Egidio Legato, qui in iudicium illum vocaret, & diris omnibus propoſitis ad reſtituendum compelleret, præcepit. *epiſt. pag.* 136.

Ianuenſes inter, Bernabos Vicecomes, dominio eius vrbis inhians, maximas diſcordias ſeminarat. Eas vt extirparet, atque ad mutuam beneuolentiam ciues reuocaret Vrbanus, primo Agapitum Brixienſem, deinde Petrum Curſinum Florentinum, ac paulo poſt Bucium Ciuitatis Caſtelli, & vltimo, Ioannem Albiganenſem Epiſcopos Nuncios deſtinauit. *XV. Calend. Ianuar.*

Nicolaus Marchio Ateſtinus, qua pietate pollebat, limina SS. Apoſtolorum viſitare pergebat; neque tamen in vrbe tantiſper ſuſtinere poterat, quoad ipſe Pontifex adueniſſet. Huic, vt Canonici Baſilicæ Vaticanæ, ſacrum ſudarium vultu Saluatoris noſtri inſigne, ſemel oſtenderent, indulſit *XIV. Calend. Martij.*

Sed nec reliquos Orbis Chriſtiani partes impacatas, antequam in Italiam abiret, voluit relinquere Vrbanus. In Galliis, Lutetiæ Pariſiorum tumultuatum, ex occaſione captorum à Regiis miniſtris quorundam cōſceleratorum, in territorio S. Thomæ de Lupara, prope muros Pariſienſes comprehenſorum. Periculum erat, ne maximo totius Chriſtianitatis & damno, & periculo, Vniuerſitas illa celeberrima diſſiparetur. Itaq; Pontifex, Carolum Regem admonuit, vt exemplo ſuperiorum Regum, in caſu ſeditionis, benigne cum ſontibus ageret. Hortatus eſt, & Epiſcopum Pariſienſem, & Præfectos ac Lectores Vniuerſitatis; illum quidem vt partes ſuas interponeret, in reconciliatione mutua conficienda; hos vero, ne ſe difficiles Regi exhiberent, neue intermitterent ſolitas prælectiones; aut alio commigrare cogitarent. 2. *Idus Nouembr.*

Cæterum quod brachium S. Ludouici Epiſcopi & Confeſſoris Fratris Petrus Aragonius Ordinem Minorum profeſſus, non Montempeſſulanum, quo loci Pontifex vt illud deferret voluerat, ſed in Aragoniam detulerat; ac inde non modica inter Reges Galliæ & Aragonum diſſenſio poſſe oriri crederetur; præcepit Petro Vrbanus, vt illud ad locum ſibi præſcriptum deferret, ac Montepeſſulanis reſtitueret: niſi vellet diris ſubiacere. *V. Cal. Febr.*

In Hiſpaniis quoque inter Regem Caſtellæ & Aragonum veteres turbas, vt ſedaret Vrbanus, Guillelmum Ciceſtrenſem Epiſcopum, cum ampliſſima poteſtate Nuncium deſtinauit. *Nonis Febr.*





VII. REX CASTELLÆ REGNO À FRATRE ILLEGITIMO PELLITVR DIVINA VLTIONE.

Henricus frater illegitimus Petri Caſtellę Regis, fretus auxilijs Aragonum Regis, bellum fratri inferebat. Præter ingentem apparatum, qui Petro metum incuſſerat, acceſſit noua calamitas, quod in regni conuentu Burgis habito, ſubſidia belli fruſtra quæſiuiſſet, cœlo contra eum irritato, omniumque hominum voluntatibus ab eo auerſis. Dabat conſilium aliquis, vti venales externoſque milites præbito auro ſibi conciliaret, ab Henricoque deduceret, fore id promptum tum gentis Anglorum ingenio, tum ob neceſſitudines quæ ſibi maximæ cum illis erant. His ſalutaribus monitis Regis aures occluſæ erant, natura ferocis, contemptoriſque periculi. Obcæcantur ſcilicet eorum animi, qui ad exitium nutu numinis deſtinantur. Inter pericula & fugam, Petrus regno pulſus, nihil tamen de ſæuitia remiſit. Cōpoſtellæ Seuerus Archiepiſcopus, & Petrus Toletanus decanus, eius iuſſu ſunt interfecti. Sic ne in periculo quidem ſæuus animus compeſcebatur, vltroque ruinæ cauſas agere non ceſſabat. Vagus poſtea, & extorris, ſuo tandem malo didicit, res humanas numquā eodem veſtigio conſiſtere; ſæpeque magnos Principes, quantacumque felicitate, & viribus, & copiis, inuidia tamen populari opprimi, meritiſque mercedem conſentaneam referre. *Mariana de rebus Hiſpaniæ libr.* 17. *cap.* 7. & 8.

VIII. PROGRESSVS CHRISTIANORVM INTRA SARACENOS.

Inter Saracenos Ægyptios, Petro Regi Cyprio, Venetorum, & Rhodianorum militum auxiliis potenti, feliciter omnia cedebant. Deuaſtata enim ante menſes aliquot vrbe Alexandrina, Tripolim quoque & alia non ignobilia oppida de Saracenis prehenderat, metumque illis adeo vehementem incuſſerat, vt ad Senatum populumque Venetum Nuncios miſerint, ſi quo modo eos à ſocietate ſacri fœderis diſſociarent, pacemque ab illis impetrarent. Sciuit iſtud Vrbanus, & Duci ac populo Veneto ſerio præcepit, ne quicquam ſine ſenſu Apoſtolicæ Sedis cum Soldano & Nunciis illius conſtituerent. *VIII. Calend. Febr.*

LEGATI VENETORVM AD PONT. PRO NEGOTIATIONE CVM SARACENIS

Porro, quod ex continuatione belli cum Saracenis, commerciorum mutua neceſſitudo intermitteretur, damnaque intoleranda mercatores vtrimque paterentur, Veneti, tres Oratores Auinionem ire iuſſerunt, qui à Pontifice poteſtatem cum Saracenis Ægyptiis negotiandi flagitarent. Non negauit Vrbanus, ſed quibuſdam conditionibus permiſit, idque Regi Cyprio ſignificauit. *Cal. Iulij.* Cum etiam in eius ſubſidia Carolum Imperatorem, Carolum Regem Galliæ, Ludouicum Vngariæ, Edouardum Angliæ, Dauidem Scotiæ, Petrum Aragonum, Valdemarum Daniæ, Caſimirum Poloniæ; Ioannam Neapolitanam Siciliæ, Reges, Albertum & Ottonem Auſtriacos, & Marcum Cornarum Ducem Venetorum iterum vocaſſet, indulgentiaſque ampliſſimas transfretantibus conceſſiſſet. *die ſexta Octobr. Boſius hiſtor. Rhodianorum libro tertio.*

IX.

Amedæus Sabaudiæ Comes, ingentem Cruceſignatorum numerum conſcripſerat, & in Terram Sanctam auxilio Chriſtianis futurus traiicere parabat. Huic vt Veneti ac Ianuenſes, nauium & triremium copiam, quanta transferendis ſufficeret, concederent, Ducibus ac Senatui earum ampliſſimarum vrbium, Pontifex iniunxit. *Cal. Martii.*

X. HVNGARIÆ REX AD BELLVM CONTRA TVRCOS SE PARAT.

Ludouicus Vngariæ Rex, Turcos ſibi deſignabat. Quorum cum ingentes progreſſus in Europa videret, calamitate Chriſtianorum in Oriente oppreſſorum motus, inprimis Palæologo Imperatori Græcorum ſuaſit, vt tandem ex animo ſincero ad vnitatem Eccleſiæ Romanæ & ipſe reuerteretur, & populos ſubiectos venire ſineret. deinde ab Vrbano Pontifice, ad quem Stephanum Epiſcopum Nitrienſem Oratorem miſerat, poteſtatem belli aduerſus Turcos ſuſcipiendi gerendique, nec non indulgentias, iis qui in ſuccurſum Terræ Sanctę proficiſcerentur concedi ſolitas, tum militantibus, tum ſubſidia ferentibus poſtulauit. Facile conceſſit Pontifex, quæ is flagitauerat: cumque ac Prælatos, & Proceres Vngariæ ad bellum acriter proſequendum excitauit. Inſuper, vt Ioanni Palæologo, & reliquis Græcis ad vnionem authores eſſent, hortatus eſt. *Cal. Iulii.*

PALÆOLOGI IMPER. INTERNVNCIVM AVDIT ET FORMĀ IMP. PRO ABIVRĀDIS ERRORIBVS PRÆSCRIBIT.

Ipſe quoque Georgium Magnicartium nobilem Conſtantinopolitanum, Palæologi Internuncium, pro Imperatore & Clero ac populo obſequentiam Romanæ Eccleſiæ pollicentem, vnionemque optatam Eccleſiarum ambientem, in conſeſſu Patrum publico audiuit; conficiendoque tam graui negotio, Guillelmum Noelletum Baiocenſem Canonicum Sacri Palatij Anditorem, ac Radulphum à Ciuitate Caſtelli Ordinis Heremitarum S. Auguſtini & S. Theologiæ profeſſorem, Nuncios Sedis Apoſtolicæ, *Cal. Auguſt.* Conſtantinopolim deſtinauit: tum articulos fidei quos Greci profiterentur, & formulam ex qua errores eiurarent & conceptum verbis diſertis Sacramentum quod Romano Pontifici & Sedi Apoſtolicæ dicerent, illis ſcripſit. Lubet iſta ex ipſis Pontificijs litteris cognoſcere. Ita habent. *ex libro Secretorum Vrbani huius anni. pag.* 34. 114. 117. 124. 133.

I.

XI. PONT. AD PALÆOLO IMP HORTATORIA PRO REDITIONE GRÆCORVM AD VNITATEM ECCLES. ROM.

*Magnifico viro Calo Ioanni Imperatori Græcorum illuſtri, gratiam in præſenti per quam obtineat gloriam in futurum.*

*Si antiquæ tuæ deuotionis propoſitum feruore charitatis ignitum de reductione videlicet populi tui ad obedientiam & vnitatem S. Romanæ Eccleſiæ, quod per Imperiales Nuncios & litteras Sedi Apoſtolicæ reſeraſti adimplere deſideras, & tua verba operum efficacia demonſtrare, tempus congruum quo Latinorum potentia Imperii tui finibus approquinquat; & hoſtium Chriſti ſæua tyrannis incipit conculcari, miſeratione illius qui non vult populo tuo iraſci perpetuo cernimus aduenſſe. In hoc quippe, vt eædem litteræ innuunt, tuus æſtuabat animus, tua hoc ſupplicatio poſtulabat. A parte ſiquidem terræ charißimum in Chriſto filium noſtrum Ludouicum Regem Vngariæ illuſtrem, deuotiſſimum & potentiſſimum vtique principem, ad eorundem hoſtium exterminium aſpirantem. eiſdem finibus vicinaſſe cognoſcis, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Petrum Regem Cypri illuſtrem, cum nonnullorum nobilium Latinorum auxilio competentem in mari habere potentiam, & iam mirabiliter triumphare de hoſtibus non ignoras, & quod tuo culmini æſtimamus fore gratiſſimum, dilectus filius nobilis vir Amedeus Comes Sabaudiæ conſanguineus tuus lator præſentium, de quo merito confidere poteris, multa nobilium comiticia ſtipatus, ad illas partes ſpiritu deuotionis accedit, ad noſtri militaturus obſequium Redemptoris, per quorum Regum & nobilium, ac aliorum Occidentalium, qui veriſimiliter imitabuntur eoſdem, geſta magnifica & deuota, ſperamus in illo cuius negotium agitur fidem exaltari Catholicam, & impiorum Saracenorum & Turcorum abominabilium, tuorum capitalium hoſtium ceruicoſam ſuperbiam edomari. Quid ergo tu, tuusque populus expectatis, cum acceptabile tempus & dies ſalutis vobis miſericorditer indulgentur, quibus veſtrarum animarum ſalus, quæ extra vnitatem vnius Sanctæ Catholicæ Apoſtolicæque Eccleſiæ, non habetur, proueniet, & Græcorum libertas & gloria, potentia & diuitiæ, quæ poſt inobedientiæ deuium miſerabiliter corruentes, numquam in eo potuerunt reſurgere, illo iuuante qui eſt trinus & vnus, vnitatemque renatorum in ſua fide diligit, & iniungit, inſtaurationis ſuſcipient felix initium & ſtabile firmamentum. Reuertamini itaque in ſinceritate cordium & voluntate non ficta, ad gremium Eccleſiæ prælibatæ tempuſque vobis datum à Domino agnoſcatis. Nos enim ſi hoc feceritis vos in chariſſimos habebimus filios, & deuotionem veſtram Apoſtolicis fauoribus & auxiliis prout poterimus paterna diligentia proſequemur. Et ſi quod abſit in obſtinata duritia elegeritis perdurare, cogamur ſecundum Apoſtolum vos habere vt publicanos & Ethnicos; & ſi à quocumq; fideli vel infideli vos moleſtari contigerit, abſciſſos ab vniuerſalis Eccleſiæ corpore, non poterimus, ſicut nec debebimus adiuuare. Super quibus Imperiali magnitudini plenius exponendis, dicto Comiti fidem velis plenariam adhibere.* Dat. Auinion. VIII. Calend. Februar. anno IV.

XII. Præſcribit formulam articulorum fidei.

## II.

*Magnifico viro Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum illuſtri, gratiam in præſenti, per quam gloriam obtineat in futurum.*

*Radicatum in corde tuo piiſſimæ intentionis propoſitum de reductione tua tuorumque populorum Græcorum, ad ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ vnitatem, argumentis probabilibus euidentius agnoſcentes, lætamur nimirum in Domino, & proinde ſibi gratiarum actiones referimus, qui animo tuo ſic abunde gratiam ſuæ benedictionis infudit, vt feruor deſiderii tui laudabilis ſemper cum tempore ſuſcipiat incrementum, dum vias & modos adinuenire conaris accommodos, quibus impletionem eiuſdem deſiderij conſequaris. Hoc enim tua ingens deuotio diuinæ claritatis lumine illuſtrata ſolicitare cœpit apud Apoſtolicam Sedem plurium annorum curriculis iam elapſis: & vt præſidium ad hoc efficaciſſimi mediatoris haberet proprij limites exceſſit Imperij, Chriſtianiſſimum & Deo amantiſſimum principem chariſſimum videlicet in Chriſto filium noſtrum Ludouicum Regem Vngariæ Illuſtrem in eius regno perſonaliter adeundo. Quis ergo non ſperet exitus felices ſuccedere, dum talia conſpexerit primordia præceſſiſſe? Quis credulas aures non præbeat? Quis manus ad operam non extendat, vbi tanti negotii diuinæ pietatis miſeratione diſpoſiti fictionem deceptoriam non formidat? Tanto enim nos per hoc ad Latinorum & Græcorum vnionem feliciſſimam delectabilius animamur, quanto id noſtris implendum temporibus ſpecialius à Deo recognoſcimus reſeruatum. Sane tam tu per nobilem virum Georgium Magnicarres militem Conſtantinopolitanum Cancellarium tuum, quam præfatus Rex glorioſus ſacratiſſimæ fidei propagator Regis Regum beneplacitis ſe coaptans, per Venerabilem Fratrem noſtrum Stephanum Epiſcopum Nitrienſem Ambaſiatorem ſuum nobis ſignificare curaſtis; quomodo tu eundem Regem in ſua ciuitate Budenſi fraternis affectibus perſonaliter viſitaſti, & de reconciliatione tua tuique populi cum præfata Romana Eccleſia matre omnium fidelium & Magiſtra, a cuius ſinu dicti populus procurante pacis æmulo & inuido charitatis longiſſimis deuiarunt temporibus, mutuis ſtudiis & affectibus tractauiſtis; ac tu eidem Regi promiſiſti ſolenniter & iuramento firmaſti, quod tu & nobiles viri Manuel & Michael nati tui acceptaretis, faceretis, & adimpleretis ad honorem dictæ Romanæ Eccleſiæ, ac augmentum Catholicæ fidei omnia quæ ſuper reconciliatione præfata, tibi & eiſdem tuis filiis mandaremus. de quo tam nos quam Fratres noſtri eiuſdem Eccleſiæ Cardinales ac Romana Curia multo fuimus gaudio recreati, & ei qui vbi vult ſpirat, & dat ſpirituales fieri homines deuotas gratiarum agimus actiones. Eia ergo fili, & illi gratias reddas humiliter, qui vota tua piiſſima gratioſe præueniendo aſpirat, & proſequitur adiuuando. Iſta humiliter precibus, & opere ſatagas, vt currens in ſtadio brauium apprehendas, & indutus talari perſeuerantiæ tunica perſeuerantium præmium nanciſcaris, ac tui nominis glorieris effectu, ſi Domini gratia in te tantum exuberet, quod velut alter præcurſor perfectam plebem parare altiſſimo comproberis. O quanta Chriſtianorum felicitas, quam nec lingua narrare ſufficit, nec capere intellectus, ſi tuis deuotis & continuatis operibus, ſciſſus templi Dei paries vniatur: ſi per te quaſi alterum lapidem angularem fiant vtraque vnum, Latinorum videlicet & Græcorum populi reuniti, & oues errantes reducantur ad caulam Dominicam, quæ proh dolor luporum ſpiritualium & temporalium morſibus fuerunt hactenus nimium laceratæ, ſub vniuſque paſtoris cuſtodia, in vno ouili, extra quod non eſt ſalus ſe gaudeant ſalubriter gubernari. O quantus timor & tremor veniet ſuper corda ſæuiſſima ferocium ethnicorum, quando poſt reconciliationem prædictam, dicto Rege aliiſque fidelibus in tuum adiutorium aſſurgentibus, videbunt reſurgere conculcatam iam per eos Græcorum potentiam, & extinctam pene gloriam celebrius renouari. Profecto ſperandum eſt quod iidem hoſtes ante tuam & dicti Regis athlethæ Chriſti fortiſſimi facies non ſubſiſtant, ſed aut inſpirante Deo conuertentur ad fidem, aut iuſto Dei ſubuertentur iudicio, vt cedant locum cultoribus Trinitatis. O quantum denique præmium animæ tuæ comparabis in cœlis, ſi de talento tibi credito tantam tamque gratam reddes altiſſimo rationem, vt in extremo iudicio reperiaris lucrifactor tuæ & aliarum innumerabilium animarum. ſicque duplici, imo omnimoda felicitate læteris, vt in terris glorioſe imperes, regnaturus demum cum beatiſſimis ſpiritibus in excelſis. Hæc tibi nota pleniſſime, ideo Apoſtolicæ charitatis diligentia, tuo intellectui ſub compendio repræſentat, vt certius noſcas, tanto gratiorem nobis eſſe reconciliationem huiuſmodi, quanto plura bona ſpiritualia & temporalia, ex ea coniecturis veriſimilibus proſpicimus euentura: & vt Imperialis ſerenitas ad conſummationem tam ſancti negotii eo animetur ardentius, quo ad ipſam per Chriſti Vicarium ſe nouerit clementius exhortatam. & vt tu, tuuſque populus eo reuerentius ſuſcipiatis inſtructiones, monita & mandata ſalubria, quo vtiliora in conſpectu omnium luculentius apparebunt. Ecce igitur quod corde firmiter credimus, & quod ore ſimpliciter confitemur, quodque per Sanctam Sedem Apoſtolicam alias fuit tuis prædeceſſoribus intimatum, tibi plene proponimus & exponimus, nec in velamentis ænigmatum dogmata noſtra tegimus, ſed omnino verbis explicitis & apertis, notam eſſe volumus vniuerſis profeſſionem fidei quam tenemus: quamquam à te, Clero & populo tui Imperij exigimus, vt eamdem tu & ipſi profiteamini, ſi ad noſtram vt deſideramus redire volueritis vnitatem. Ea inſuper quæ circa eiuſdem Eccleſiæ Romanæ Primatum, à te ac ipſis Clero ac populo recipi, & acceptari volumus plenius & apertius explicantes. & quidem.*

*Credimus Sanctam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, vnum Deum Omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem coeſſentialem & conſubſtantialem, coæternam & coomnipotentem, vnius voluntatis, poteſtatis & maieſtatis, creatorem omnium creaturarum, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia quæ ſiunt in cœlo & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, corporalia & ſpiritualia.*

*Credimus ſingulam quamque in Sancta Trinitate perſonam vnum verum Deum plenum & perfectum.*

*Credimus ipſum filium Dei, verbum Dei, æternaliter natum de patre, conſubſtantialem, coomnipotentem, & coæqualem per omnia Patri in diuinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto & Maria ſemper virgine, cum anima rationali, duas habentem natiuitates. Vnam ex patre æternam, alteram ex Matre temporalem: Deum verum & hominem verum, proprium in vtraque natura atque perfectum, non adoptiuum, neque phantaſticum, ſed vnum & vnicum filium Dei in duabus & ex duabus, diuina ſcilicet & humana naturis. ſed in vnius perſonæ ſingularitate, impaſſibilem & immortalem diuinitate, ſed in humanitate pro nobis & ſalute noſtra paſſum vera carnis paſſione, mortuum & ſepultum, & deſcendiſſe ad inferos, & tertia die reſurrexiſſe à mortuis vera carnis reſurrectione, die quadrageſimo poſt reſurrectionem cum carne qua reſurrexit & anima aſcendiſſe ad cœlum, & ſedere ad dexteram patris; inde venturum iudicare viuos & mortuos, & redditurum vnicuique ſecundum opera ſua, ſiue bona fuerint ſiue mala.*

*Credimus etiam Spiritum Sanctum, plenum & perfectum verumque Deum, ex patre & filio procedentem, coæqualem & coeſſentialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio.*

*Credimus hanc Sanctam Trinitatem, non tres Deos ſed vnum Deum Omnipotentem, æternum, inuiſibilem, & incommutabilem.*

*Credimus Sanctam Catholicam & Apoſtolicam vnam eſſe veram Eccleſiam, in qua vnum datur baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum.*

*Credimus etiam veram reſurrectionem eiuſdem carnis quam nunc geſtamus & vitam æternam.*

*Credimus etiam noui & veteris teſtamenti, id eſt legis ac Prophetarum & Apoſtolorum verum eſſe auctorem Deum, & Dominum Omnipotentem. Hæc eſt vera fides Catholica, & hanc ſuper dictis articulis tenet & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia. Sed propter diuerſos errores, à quibuſdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat eos qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos, ſed per veram pœnitentiam ſuorum poſſe conſequi veniam peccatorum. quod ſi vere pœnitentes in charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari, & ad pœnas huiuſmodi releuandas prodeſſe eis fidelium viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueuerunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta. Illorum igitur animas quæ poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum, nullam omnino*





*peccati maculam incurrerunt: illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ, prout dictum eſt ſuperius, ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi. Illorum autem animas qui in mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas, eadem Sancta Romana Eccleſia credit. & firmiter aſſeuerat; & quod nihilominus in die iudicij omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem. Tenet etiam & docet eadem Romana Eccleſia, ſeptem eſſe Eccleſiaſtica Sacramenta, vnum ſcilicet baptiſma de quo dictum eſt ſupra. Aliud eſt Sacramentum confirmationis, quod per manus impoſitionem Epiſcopi conferunt criſmando renatos. Aliud eſt pœnitentia: aliud eſt Euchariſtia: aliud eſt Sacramentum Ordinis: aliud matrimonij: aliud eſt extrema vnctio, quæ ſecundum doctrinam Beati Iacobi infirmantibus exhibetur.*

*Sacramentum Euchariſtiæ ex azimo conficit Eccleſia Romana, tenens & docens, quod in ipſo Sacramento panis vere tranſubſtantiatur in corpus, & vinum in ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

*De matrimonio vero tenet, quod nec vnus vir plures vxores, nec vna mulier ſimul habere permittit plures viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius coniugum, ſecundas, & tertias, & deinceps nuptias, ſucceſſiue licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum & cauſa alia non obſiſtat.*

*Ipſa quoque ſacroſancta Romana Eccleſia, ſummum & plenum Primatum & Principatum ſuper vniuerſam Catholicam Eccleſiam obtinens, quem ſe ab ipſo Domino in Beato Petro Apoſtolorum principe ſeu vertice, cuius Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter & humiliter recognoſcit: & ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debent iudicio definiri. Ad quam poteſt grauatus quilibet in negotiis ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus appellare. Sed & in omnibus cauſis, ad examen Eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius poteſt recurri iudicium. Et eidem omnino Eccleſiæ ſunt ſubiectæ, ipſarumque prælati obedientiam & reuerentiam ſibi debent: apud quam ſic plenitudo poteſtatis conſiſtit, quod Eccleſias cæteras ad ſollicitudinis partem admittit; quarum multas, Patriarchales præcipue diuerſis priuilegiis eadem Romana Eccleſia honorauit; ſua tamen prærogatiua, tam in generalibus conciliis, quam in quibuſcumque aliis ſemper ſalua.*

*Quare tuæ deuotionis ardorem, & ſolicitudinis ſtudium in præmiſſis adhibitum, dignis laudum præconiis in Domino commendantes, te paterna charitate rogamus, hortamur & obſecramus in Domino, quatenus quod ardenter exoptas, & auide poſtulas, cum effectu recipias, receptum in æternum cuſtodias, & cuſtoditum populis tuis ſtudeas, pure, ſincere ac ſimpliciter acceptandum, & perpetuis temporibus obſeruandum.*

*Cæterum quia omnia in præmiſſis tam arduis non poſſunt ſufficienter litteris explicari, aliquos viros diſcretos ad dictum Regem tranſmittimus, qui Regem ipſum ſuper prædictis & aliis, quæ idem Rex tecum quam cum Clero & populo Græcorum habebit agere plenarie informabunt. Auinione Cal. Iul. anno IV.*

## III.

### Eidem Imperatori.

XIII. Aſſignat formas iuramenti et abiurationis.

*Circa proſecutionem ſalubris negotii reconciliationis tuæ, tuorumque natorum, nec non Cleri & populi Græcorum, cum ſacroſancta Romana & vniuerſali Eccleſia, cum diuinæ propitiationis gratia faciendæ paterna ſolicitudine intendentes, profeſſionem ſacræ fidei quam tenet & docet eadem Eccleſia, quamque à te aliiſque Græcis exigimus, hodie per alias noſtras litteras tibi duximus deſtinandam, Et quia ad ſoliditatem & firmitatem eiuſdem negotii expedit, quod tu aliique Græci poſt profeſſionem eandem præſtetis debitum iuramentum, & abiuretis omne ſchiſma. formas huiuſmodi iuramenti & abiurationis olim per claræ memoriæ Michaelem Palæologum Imperatorem Græcorum prædeceſſorem tuum, in ſimili reconciliatione præſtitæ ac factæ, & per te ac eoſdem natos, nec non Clerum & populum ſupradictos præſtandi & faciendæ, ad tuam ac eorum natorum, nec non Cleri ac populi certitudinem fecimus præſentibus annotari. Forma ſiquidem dicti iuramenti talis eſt.*

*Ego Ioannes Palæologus Imperator Græcorum ſupraſcriptam fidei veritatem, prout plene lecta eſt, & fideliter expoſita, veram Sanctam & Orthodoxam fidem eſſe recognoſco, eam accepto, & corde ac ore profiteor, ipſamque prout veraciter tenet, & fideliter docet, & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia, me inuiolabiliter ſeruaturum, & in ea omni tempore perſeueraturum, nec ab ea vllo vmquam tempore receſſurum, quoquo modo deuiaturum vel diſcrepaturum promitto. Primatum quoque ipſius SS. Rom. Eccleſ. prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius Eccleſiæ obedientiam ſpontaneus veniens, fateor & recognoſco, accepto, ac ſponte ſuſcipio, & me omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem, quam circa eiuſdem Eccleſiæ Romanæ Primatum, & ipſorum recognitionem, acceptionem, ſuſceptionem, obſeruantiam ac perſeuerantiam ſeruaturum, præſtito corporaliter iuramento promitto & confirmo. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia. Quod ſi aliquid contra hæc ſentire, confiteri, aut alias agere præſumpſero, me ſchiſmaticum & anathematizatum eo ipſo recognoſco, ac ſeueritati ſacrorum canonum ſubiacere. Huic autem ſcripto, de mea recognitione, acceptatione, profeſſione, ſuſceptione, permiſſione, ac iuramenti præſtatione, ſponte mea facto, lecto & perlecto, ſponte ſubſcripſi, & ſigillum meum apponi feci. Porro, à prælatis erunt prædicta & alia exigenda. videlicet vt manualem obedientiam & reuerentiam exhibeant, & ſe ab illa nullo vmquam tempore receſſuros præſtito iuramento promittant. & nihilominus in eorum promiſſione veniat, quod nec contra ſuam profeſſionem aliquid publice prædicare, vel occulte ſuadere præſumant. Forma vero abiurationis ſchiſmatis talis eſt,*

*Ego Ioannes &c. omne ſchiſma prorſus abiuro, & ſupraſcriptam fidei veritatem prout plene lecta eſt, & fideliter expoſita, veram, Sanctam, Catholicam, & Orthodoxam fidem eſſe recognoſco, eam accepto, & corde ac ore profiteor, ipſamque prout eam veraciter tenet, fideliter docet & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia me inuiolabiliter ſeruaturum, nec ab ea vllo vmquam tempore receſſurum, vel quoquomodo deuiaturum, vel diſcrepaturum promitto. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius Eccleſiæ obedientiam ſpontaneus veniens, fateor, recognoſco, accepto, ac ſponte ſuſcipio: & omnia præmiſſa, tam circa fidei veritatem, quam circa eiuſdem Eccleſiæ Primatum, & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſeruantiam, ac perſeuerantiam ſeruaturum, præſtito in animam meam corporaliter iuramento, promitto & confirmo. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia. Dat. Auinione Cal. Iul. anno IV.*

## IV.

### Eidem Imperatori.

XIV. Credentiales litteræ Legatorum Apoſt. ad Pal. Imp.

*Commendandum tuæ deuotionis propoſitum, quod ſuper vnione Latinorum & Græcorum operum experientia manifeſtas, paternis affectibus, & cum gratiarum actionibus ineffabiliter habentes acceptum; quid ſuper huiuſmodi ſancto & à Deo inſpirato negotio ſit agendum, tam per Apoſtolicas litteras, quam per Nobilem virum Georgium Magnichartes militem Conſtantinopolitanum Cancellarium tuum ad Apoſtolicam Sedem tranſmiſſum Imperiali celſitudini tuæ referamus. Et nihilominus ad pleniorem inſtructionem dandum in ipſo negotio, dilectos filios Magiſtros Guillelmum Noleti Cantorem Eccleſiæ Baiocenſ. vtriuſque Iuris Doctorem, Capellanum noſtrum, & ſacri noſtri Palatii cauſarum Auditorem, ac Rodulphum de ciuitate Caſtelli Ordinis Heremitarum Sancti Auguſtini & ſacræ paginæ profeſſorem, viros prudentes, zelum dictæ vnionis habentes, de noſtra intentione informatos plenarie ad tuam præſentiam deſtinamus, quibus ſuper his quæ tibi pro parte noſtra retulerint, velis fidem indubiam adhibere. Dat. Auion. X. Calend. Auguſt. anno IV.*

XV. Aragonum Rex corpus D. Barbaræ.

Dum Vrbanus Pontifex, & Ludouicus Rex, vnionem Eccleſiarum curarent, Petrus quoque Cyprius, in Aegypto, progreſſus bellicos cum Cruce ſignatis fa-

à SVLTANO BABYLON. IMPETRAT.

ciebat. Inter hæc Cacinus Abuhalmalius Zababenus, Babylonius Imperator, (Sultanum vocabant) Chriſtianos omnes in Aſia & Ægypto negotiantes, commorantesque, cum comprehendi imperaſſet, quod Petrus Luſinianus Cypri Rex ſubita incurſione Ægypti oras incurriſſet, & Alexandriæ partem diripuiſſet, Petrus Rex Aragonum miſſis in Ægyptum Legatis, Catalonos omnes & Aragonios, à barbaro impetrauit. Eidem Regi honos eſt habitus, vt Diuæ Barbaræ corpus, quod Ægyptio quodam fano piereligioſeq; aſſeruabatur, & Rex ad ſe deduci ſummopere poſtulaſſet, Sultanus ad Regem aſportari permiſerit. ſumma tamen ſiue pietate, ſiue obſtinatione Chriſtianorum, qui vaſtas Ægypti ſolitudines incolunt, & Diuæ reliquias ſancte venerari, colereque, ac fauorem deprecari conſueuerant, ne ad Aragonios deueherentur, occultatæ fuere. *Surita. libr. 3.*

XVI.
DE OBITV ET MIRACVLIS B. AVERTAMI EX ORDIN. CARMEL.

Auertamus, quem alij Albertanum vocant, hoc anno, Lucæ, in Italia obiit. Is Lemouicis in Aquitania natus, & ad Ordinem Carmelitarum cooptatus, multis miraculis ſanctitatem ſuam declarauit. Qui cum in Italiam veniſſet, apud Lucam in Ætruria obitus ſui diuinitus præſcius, à portarum cuſtodibus (quod peſtis in locis finitimis graſſaretur) in vrbem minime admiſſus fuit. His ille prædixit, fore, vt quando ſe vellent introducere, non poſſent. Paulo poſt, graui morbo oppreſſus animam Deo reddidit, *ad V. Calend. Martias.* Cumque ex eius corpore tum ingens ſplendor, tum fragrans odor egrederetur, atque diuerſis languoribus laborantes inter accedendum ſanarentur, Lucenſes illud in vrbem trahere conati, numquam loco dimouere potuerunt: donec mutato conſilio, & extructo ei templo, ponte ſuper mœnia vrbis erecto, illius corpus non per portas, à quibus viuum excluſerant, introduxerunt, & ſepulchro honorifico indiderunt. ſubſecuta feruntur ſuper infirmis miracula infinita. *Chron. Ord. Carmelit.* Nuper, Fratres eiuſdem Ordinis Carmelitarum, quos Diſcalceatos vocant, à SS. D. N. Paulo V. obtinuere, vt de eo, officium Eccleſiæ poſſint recitare: quemadmodum ante aliquot annos fieri conſueuerat. *Cæſar Franciotus in hiſt. SS. Lucenſium.*

XVII.

Floruit etiam hoc anno, Petrus Archiepiſcopus Vpſalenſis in Suecia: de quo hæc infraſcripta recenſuit *Vaſtouius,* Sereniſſimi Sigiſmundi III. Poloniæ & Sueciæ Regis Bibliothecarius.

DE BEATO PETRO VPSALENSI IN SVECIA ARCHIEP.

Petrus Scheningiæ in Oſtrogothia honeſtiſſimis deuotiſſimiſque parentibus natus & ſingulari ingenio præditus, induſtria ſua ad ſummum eruditionis ac dignitatis culmen peruenit. Nam ex Regni Cancellario, Epiſcopus Lincopenſis, ex Lincopenſi mox Vpſalenſis Archiepiſcopus, & Regni primas factus, quot felicis ingenij virtutumque meritis ornatus erat, totidem pœne honorumque ac dignitatum titulis digniſſime auctus, pietate, humilitate & zelo comprimis claruit, nuſquam in bono opere remiſſus, quicquid Eccleſiaſticis negociis gerendis otij ſubducere poterat id totum deuotioni & pauperum vtilitati impendit, quibus iuuandis, nec vitæ, nec bonis vnquam pepercit. Paſſionis Chriſti contemplatione ſingulariter detinebatur & ad fortia deſignanda facinora accendebatur. Beatiſſimam V. M. peculiari coluit affectu & vero eius viciſſim patrocinia frequenter experiebatur; Crebris ad magnates & populum concionibus vberrimum fructum fecit, hos arguit, illos obſecrauit, alios vitiorum cœno demerſos in apicem virtutum extraxit, alios probitati deditos ſanctiores reddidit, multos Deo reconciliauit, multos illi addictos arctius copulauit. In omnibus autem ſe ipſum præbens exemplum bonorum operum, vti doctrina ſana; ita integritate vitæ ac grauitate aliis præluxit. Sed cum plurimos qui erant ex filijs lucis, mirum in modum ſibi deuinctos haberet filios tenebrarum quorum operibus inhoneſtis aduerſabatur, reddidit offenſos. Nec facile quis referre poſſet, quot ille fuerit impetitus calumniis, quotque perſecutionibus agitatus, quæ tametſi vel fortiſſimum quemque percellere potuiſſent, Petrum tamen à recto tramite nunquam dimouere voluerunt. Nam vir prudens, patientiæ clypeo protectus diuinoque fretus auxilio, inuicto pectore atque conſtanti pede tales ſeu inuidorum ſeu malignorum inſultus compreſſit, ſolum Deum cui ſe totum deuouerat commiſeratque præ oculis habens, ſatius pro Deo & veritate mori ratus quam iniquitati vel minimum cedere. Nec interim ſpe ſua fruſtratus eſt. Reuexit namque Dei fauore glorioſam tantis de tribulationibus victoriam, ſuperataque inuidia, maleuolentia, cæteriſque malorum peſtibus, multiplicia innocentiæ, conſtantiæ cæterarumque virtutum ſuarum poſteritati reliquit trophæa. Denique, magnis laboribus pro gloria Dei & patria perfunctus, meritis clarus obdormit in Domino 18. Octobris Anno Salutis milleſimo trecenteſimo ſexto ſupra ſexageſimum.

*De eo lib. 3. Reuel. D. Birg. cap. 13. lib. 4. c. 125. lib. 6. c. 22. Ioan. Mag. lib. 4. ſua Metrop. & alij ſcript. rerum Sueticarum.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1367.

### VRBANI PAPÆ V. ANNO 5.
### Caroli IV. Imperat. Rom. anno 12.

I.
VRBANI PAPÆ AVENIONE DISCESSVS ROMAM VT SEDĒ REFERAT.

GRauis anxietas omnes Gallos inceſſerat, cum viderent Pontificem Vrbanum, non diſſimulanter Italiam cogitantem. Carolus Rex nihil non egerat, vt abitum maturantem detineret. Non poterat; quod, & neceſſitates Eccleſiæ inuitarent, & Carolus Imperator intercederet, ne amplius diſtineretur, quominus Italiam accederet. Auinionenſes quoque, in rem ſuam intenti, metuenteſque, ne à Pontificio diſceſſu vrbs exhauriretur, diſceſſionem diſſuadebant, ſeu adeo impediebant: quod etiam Palatini tricas ſuas intricarent. Ab his vt ſe Vrbanus extricaret, Palatinis indulſit, vt qui vellent, remanerent; qui vero remanſiſſent, iure ciuitatis Auinionenſis potirentur, neque eo vmquam priui eſſent, etiamſi Pontificem ex Italia reuerti contingeret. Dedit ea de re litteras, Auinione, VII. Calend. April. Ignominia notare, atque nota ea inſignes excitare voluerat aliquos, quibus nihil aliud aut oleret, aut ſaperet, præter ſordes Auinionenſes. Tandem, tandem, volentes nolentes, ſed non ſine maxima difficultate, Auinionenſi aeri aſſuetos innutritoſque, Maſſiliam adduxit. Vbi cum plurimi tergiuerſarentur, an nauigia conſcenderent; Vrbanus commotior, birretum, capitis tegumentum, contrectans, ſe in illo tot pilos habere, quot creandis Cardinalibus ſufficerent, dixit; vtque amatos Gallicanos fluuios illi relinquerent, & in triremes à Venetis ſubmiſſas conſcenderent incitauit. Incitauit & hoc inſigni facinore, cum Guillelmum Agrofolium, virum omnibus virtutibus ornatum, fere in ipſo diſceſſu, die XII. Maii, Maſſiliæ, in Patrum numerum adlegiſſet; qui alios ignauos, ad felicius cœlum aſpiciendum inuitaret. Nauigio impoſiti, Deus bone, quantis, quamque muliebribus fere eiulatibus littora complerent. Petrarcha memorabat, fuiſſe nonnullos etiam ex illo venerabili ordine, qui confeſtim vt Venetus claſſem terris eripuit, ceu torti acriter, muliebri eiulatu omnium in ſe nautarum vectorumque ora conuerterent, quin & conuitijs, ne quæ ſtomachi eſſet excuſatio, blaſphemijſque non parcerent. O malum Papam! ô patrem impium! exclamantes; quonam terrarum miſeros filios rapit? Non quaſi ad Chriſtianitatis vnicam





cam ac ſummam arcem, ſed quaſi Cteſiphontem aut Memphim Saracenorum carceres traherentur. Tantum vero abeſt, vt Vrbanus his vocibus moueretur, vt nihil magis deſideraret, quam Eccleſiam Chriſti, quæ ad hoc tempus inter Burdegalas & Pictauos vaga, interque Carpentoractes Auinionenſeſque nouiſſime conſenuerat, atque torpuerat, illa de fœce erueret, & ad ſedem propriam reduceret. Decimo Calendas Iunij, cum quinque ac viginti triremibus Genuam appulit, eo animi conſilio, vt illinc Romam transfretaret: eumque Reſpub. ſummis & exquiſitiſſimis honoribus excepit, & ſecundo Calend. Iunij abeuntem, octo etiam Liguſticæ triremes, honoris ergo Cornetum vſque concomitatæ ſunt. Fama ſanctitatis conſpectus, cum omni honorum genere, cumque omnibus effuſæ lætitiæ ſignificationibus vbique accipiebatur. Franciſcus Petrarcha, hæc inter alia ſcripſit Vrbano reuertenti.

II.
VRBANO IN ITALIAM REVERTENTI PETRARCHÆ SCRIPTA.

*In exitu Iſrael de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro. Facta eſt in cœlis gratulatio Angelorum, atque in terris hominum piorum. Ecce Pater Beatiſſime beaſti, quod in te eſt, Chriſtianum populum. Iam non vltra vagabitur, aut Dominum aut Vicarium Domini ſui quærens: ſed illum in cœlo ſurſum, & in anima ſua intus, quoniam vtraque ſedes Dei eſt, hunc in terra, & in propria ſede ſua reperiet. Illa inquam ſede, quam Dominus prælegit, in qua etiam viuens Vicarius primus ſedit, & moriens reſedit. Orbem noſtrum ſerenaſti, & quaſi ſol oriens longæ noctis algorem ſimul ac tenebras effugaſti. O felicem te, conſcientia tam præclari operis. Feciſti, quod iam impoßibile homini videbatur. Sed Deus proculdubio tecum fuit, is qui ait Apoſtolis: ſine me nihil poteſtis facere. Hoc in te rarum & eximium, quod cum Deus ipſe amator & conditor humani generis, multis imo omnibus ſe offerat, ab omnibus fere repellitur. Mundus, caro, dæmonia, ſuperbia, voluptas, ac nequitia oppreſſere animos, vt aſſurgere porrigenti manum Deo nequeant: Tu imbecillitatis conſcius humanæ, non modo non repuliſti Domini cœleſtis auxilium, neque tibi ad aurem cordis ſalubria inſpirantem conſilia ſpiritum extinxiſti: ſed inuocaſti eum, ſcio, piis precibus lachrymiſque potentibus cœlum flectere, quas cum ille, qui nullum in ſe ſperantem deſpicit, auribus atque oculis percepiſſet, & poſcenti opem laturus adueniſſet, exiſti ei obuiam, & manu prehenſum Dominum tuum, intimo in thalamo fidelis animæ deuotione humili ſuſcepiſti: idque ſecretius, ne comperto aduentu Regis gloriæ, ſui & tui hoſtes obſtreperent, &, vt ſoliti ſunt, pium ſanctumque principium impedirent. Inde vbi ſecum in ſilentio deliberans quæ agenda eſſent, in illo tuo nobili & glorioſo propoſito confirmatus es, in apertum exiens, illo duce magnum opus aggreſſus, ſupra omnium ſpem magnificentiſsime conſummaſti. O iterum te felicem. O felicem diem, qui te matris ex vtero in lucem edidit, & ceu benignum ſydus aliquod mundo dedit. Nunc verus mihi, vere ſummus ac Romanus es Pontifex: vere Vrbanus, vere Petri ſucceſſor: vere Vicarius Ieſu Chriſti. Eras, & ante, non inficior, poteſtate, dignitate atque officio: nunc, quod eſt optimum, voluntate, pietate atque exercitio. Neque enim aut voluntas ſanctior, aut purior pietas eſſe poteſt homini, quam tibi eſt, ſemperque fuit vt puto: ſed nunc ita rebus ipſis emnuit, vt iam nemini poßit eſſe occulta: neque à quoquam promptius poſſet aut cautius in actum deduci: ſine quo quidem ſterilis eſt voluntas. Quinque Pontificum ſtatu parium non animis, & ſexaginta vel eo amplius annorum negligentias, vnus tu, diebus paucißimis emendaſti. Tu verus Pater Eccleſiæ, nihil verbo, multum corde pollicitus, ipſam Eccleſiam ægrotantem ſentiens, expertorumque conſilio medicorum vſus, ex infeſto exilio, ad originis illam ſuæ locum, & ad aerem proprium reduxiſti.*

*Non tamen à te id tam facile geſtum, quam à me facile dictum eſt. Magnus labor fuit, magna ſedulitas, ingens ars, mirumque alti pectoris acumen: vno attractu tot tam validas radices ſine offenſione conuellere. O quid loquor? imo vero cum offenſione acerrima, & multorum dolore grauißimo, ſed docta manus, ac ſuauis, aſperrima vulnera leui tactu mitigat. Gratias igitur Deo & tibi. Ecce video quod ſemper optaui, nunquam fateor ſperaui. Video matrem meam ſua in ſede: vbi te ſoſpite, diu ægra eſſe non poterit: te iubente reducta, te curante ſanabitur. Intende illi nunc Alme Pater, toto ſacra mentis ingenio. Quod tibi remediorum feracißimum is dedit, qui ſponte neceßitatibus & tanto te prædeſtinauit officio, mores corrige, medere languoribus, auaritiam frena, pelle procul ambitionem: ſobrietatem perditam repetamque reſtitue: fluxam ſiſte libidinem, vrge languidum torporem, feruidam iram ſtringe, reduc cæcam ad rectum iter inuidiam: ſupercilium elatum, & tumidam compeſce ſuperbiam: quod non facile potuiſſent, qui inter has peſtes educati, conſuetudinem in materiam verterant. Tibi inter virtutes his contrarias enutrito erunt cuncta facilia. Quod difficillimum fuerat perfeciſti, age iam reliqua. Reduc Eccleſiam tuæ creditam cuſtodiæ in antiquos mores, quam in ſedes priſtinas reduxiſti, vt vndique fiat irreprehenſibilis, & qualis olim fuit toto orbe venerabilis, eſſe rurſum incipiat ac dilecta, quod diu certe non fuit, eorum pace dixerim, qui in culpa ſunt. Tu ad hoc natus miniſterium glorioſum imple feliciter. Habes vrbem, conquaſſatam fateor, ſacram tamen, & humano generi ſed præcipue Chriſticolis venerandam: vrbem diuinarum & humanarum rerum omnium præcellentem gloria: vrbium parentem, Orbis caput, arcem fidei, vbi te fideles ament, vnde te metuant infideles: non ideo deſerendam, quod lacera & inculta eſt: ſed eo attentius atque obnixius reparandam, quo maius hinc meritum reparanti eſt. Spirituale Imperium illic PETRVS ſtatuit, Syluester auxit, GREGORIVS exornauit. Horum laudes omnium in te vnum transferendi, naturam tibi oblatam video. Non horum vni ſiue alteri, ſed ſimiliter omnibus comparari, ab incorrupta & memori poſteritate mereberis. Vtriuſque enim Imperij fundamenta, & incrementa, & ornamenta collapſa ſunt: tuque omnium inſtaurator.* Petrarcha li. 7. ſenil. Bizarus & Folieta hiſt. Genuenſ. Secret. Vrbani huius anni liber.

III.
VISIO CVIVSDAM FRANCISCANI DE REDITV PON. IN ITALIAM. PONTIFEX IN ITALIA DIVERSAS LEGATIONES AVDIT.

Ferunt, F. Petrum Aragonium, Diui Franciſci regulam profeſſum, viſionem ante quinque annos à Chriſto habuiſſe, Papam debuiſſe, Auinione relicta, Romam concedere, vniuerſalemque Eccleſiam in moribus reformare. Iterumque eundem per reuelationem cognouiſſe Papam, ſi ad locum electionis reuerteretur, futurum eſſe Ioſiam incipientem & non perficientem, & daturum locum ſchiſmati paulo poſt venturo, in quo millia innumerabilia animarum perirent. *Magnum Chron. Belgic.* A priore viſione Pontifex admonitus, Romam properauit. Die quarta menſis Iunij Cornetum appellenti, Egidius Cardinalis Legatus obuiam factus, & rationem adminiſtratæ legationis Italiæ poſtulatus, aliquot carros clauibus onuſtos Vrbano repræſentauit, dicens eas eſſe vrbium, de tyrannis, pro Sede Apoſtolica receptarum. Ad 18. Calend. Iulias Viterbium Vrbanus viniens, Nuncios Imperatoris Caroli, Regis Vngariæ Ludouici, Ioannæ Reginæ Siciliæ necnon Principes, Nicolaum Ateſtinum cum Vgone & Alberto fratribus, Franciſcum Carrarium, & Nicolaum ac Ludouicum Gonzagas, vna cum Oratoribus Romanis, Genuenſibus, & Florentinis, & aliarum vrbium confœderatarum, audiuit, atque contra Bernabouem Vicecomitem, & reliquos hoſtes Eccleſiæ, fœdere ſibi eos certis pactis conditionibus in cœnobio FF. minorum deuinxit, *ad vltimum Iulij.* 1367. curantibus eam rem Egidio & Anglico Cardinalibus. & Pileo Epiſcopo Patauino Ioannes etiam Pragenſis Decanus ædis Diui Apollinaris, à Carolo Imperatore miſſus. *Pigna. lib. 5.* & Nicolaus Spinellus, Legum Doctor, Regni Siciliæ Cancellarius, à Ioanna Regina Procurator & Nuntius, non parum ad eamdem confœderationem ineundam contulerunt. *Liber. diuerſar. confœderat. Sedis Apoſtol. ſub Vrbano V. pag. 11.* Propter eam, tam præclare à Nicolao Spinello nauatam operam, Vrbanus illum in Siciliam remittens, Reginæ commendatum fecit, admonuitque, vt virum ſcientia iurium redimitum, & iuſtitiæ zelatorem agnoſceret, eoq; conſultore, in regni ſui negotiis vteretur Raymundo quoq; Baucio, Comiti Soleti, Regni Siciliæ Camerario, & Gurello Turlo, Comiti Neapolitano, vt Reginam ad auſcultandum Nicolao inducerent, iniunxit. *Romæ apud S. Petrum 3. Cal. Decembr.*

IV. OBITVS ÆGIDII CARDINALIS TYRANNORVM IN ITALIA DOMITORIS.

Non multo poſt illam Principum confœderationem, ſcilicet 24. die Auguſti, diem extremum Viterbij obiit Egidius Cardinalis, vir domi militiæque clarus, tribus Pontificibus, Clementi, Innocentio & Vrbano charus. Is ditionem Eccleſiæ Romanæ, quam in Italia varij tyranni occuparant, iniuriaque abſtulerant felicibus armis reſtituit, iterque Romanis Pontificibus aperuit, vt Romam veterem Sacri Imperij Sedem repeterent. Cineres Aſſiſij in Franciſcano templo conditi; inde Hiſpaniæ motibus pacatis, Petri Regis cæde, Toletum vti ipſe teſtamento cauit relati ſunt, atque in Diui Illefonſi templi maximi ſacello compoſiti, tumulo marmoreo dicato. Pontifex, omnibus qui funus deferrent Egidij, indulgentias permaximas quantas ſcilicet viſitantibus Baſilicas SS. Petri & Pauli Apoſtolorum conceſſerat. Quamobrem, populi feretrum ſuccollaturi, veniæ peccatorum ſpe, toto itinere ab Aſſiſio Toletum vſque obuij cateruatim ſe effudere & humeris per vices ſuccollantibus, corpus illius ab Italia in Hiſpaniam, & in ſepulchrum detulere, Henrico Rege Petri ſucceſſore etiam humeros ſupponente. *Mariana libr. 17. c. 7. & lib. Secret. Vrb. hoc anno.*

V. VRBANVS PON. ROMAM INTRAT ECCLESIAS RESTAVRAT RELIQVIAS SANCTORVM ORNAT.

Caloribus æſtiuis, Viterbij, Vrbanus exactis, ad 16. diē menſis Octobris, Romam intrauit, ſuprema omniū gratulatione ſalutatus: quod à tempore Bonifacij Octaui, nullus Pontificem Romanum Romæ vidiſſet. Stàtim atque vrbem ſquallentem luſtrauit, Eccleſias dirutas & loca ſancta collapſa reſtaurauit: reliquias Sanctorum auro, argento gemmiſque pretioſis exornauit: & inter has capita SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, ingentis pretij loculis argenteis (mille ducentas marcas argenti in ſingulos loculos impendit) incluſit, inque Baſilica Lateranenſi recondidit. Mox ad mores corruptos reformandos, concordiam que ciuium Romanorum conciliandam, animum adiecit, tantaque beneficia vrbi & Eccleſiæ Romanæ præſtitit, vt propterea veri Pontificis & Patris Patrum nomine, ab vniuerſis audierit. *Walſingham de reb. Anglic.*

VI. PATRIARCHA CONST. LEGATVS PALÆOL. IMP. AD VRB.

Adfuit commodum & Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ab Ioanne Palæologo Imperatore, ad Vrbanum pro vnione Eccleſiarum curanda Orator cum aliis ſeptem vel octo deſtinatus. Hunc cum Romæ Vrbanus exaudiſſet & abunde omnia pollicitus eſſet, in Græciam cum ſociis reuertentem Magiſtro Rhodianorum militum commendauit: vtque is Petrum à Sancto Georgio nobilem Lemouicenſem, apud Turcos captiuum eliberare curaret, inſinuauit. *Boſius hiſt. Rhodian. lib. 3.*

Scripſit interim Helenæ Imperatrici Græcorum, Andronico primogenito, Manueli & Michaeli filiis Palæologi, Cantacuzeno ex-Imperatori Ordinis S. Baſilij Demetrio, Chidoni, & Strongillo militi, ac Ioanni Prætori Conſtantinopolitano, Franciſco Catelucio Domino inſulæ Mitileni, Nicolao Samnuto Duci Agiopelagi, Leonardo de Tocho Duci Lucate, & Comiti Ihecefalonio, Poteſtati & communi terræ Peyræ, Baiulo & Conſiliariis Venetorum Conſtantinopolis, & ciuitatis Nigropontinæ, Fratribus Prædicatorum & minorum, in vltramarinis partibus conſtitutis, qui authores eſſe vellent, huius ſanctæ vnionis 8. Idus Nouemb. Reginæ etiam Siciliæ & aliis iniunxit, vt venientes ſecure tranſire permitterent.

VII. VRBANI AD IOANNAM SICIL. REG. EPIST. PRO SECVRITATE GRÆCORVM AD SED. APOSTO. VENIENTIVM.

Ita habet ea quæ eſt ſcripta Ioannæ Reginę Siciliæ illuſtri.

*Ad notitiam Tuæ Serenitatis deducimus, quod magnificus vir Ioannes Palæologus Imperator Græcorum illuſtris, nec non Prælati, Clerus, Calogeri, Nobiles & populi Græciæ, cupientes vt aſſerunt ad obedientiam & vnitatem S. R. E. remeare, octo Ambaſſiatores ſolennes ſtatuum diuerſorum, vna cum venerabili Fratre noſtro Paulo Patriarcha Conſtantinopolitano, & dilecto filio Nobili viro Amedeo Comite Sabaudiæ, propter hoc ad nos venientibus, ad Sedem Apoſtolicam deſtinarunt, obtulitque ac pollicitus eſt Imperator præfatus ſe in menſe Maij proxime futuro, pro facienda ſua ſuiq; populi reconciliatione cum dicta Eccleſia ad Sedem præfatam, cum nonnullis Prælatis aliiſq; Clericis & religioſis, ac nobilibus & plebeis perſonaliter acceſſurum: vel eo impedito, quod abſit, ſuum primogenitum tranſmiſſurum. Quare cum ex dicta obedientia & reconciliatione, ſi eam fieri contingat Domino iuuante compleri, ſalus multarum alias pereuntium animarum, Chriſtianitatis augmentum, & tutela fortiſſima, infidelium repreſſio, aliaq; multa ſpiritualia & temporalia bona ſint probabiliter prouentura, omneſq; fideles Chriſti, præſertim perſonas ſublimes ad hoc deceat fauores & auxilia impertiri, Serenitatem tuam rogamus & hortamur attente, mandantes, quatenus vigilanter prouideas, quod dictis Imperatori & eius primogenito, aliiſq; Græcis & gentibus, qui cum eis vel eorum altero ad Sedem venient memoratam, per terram vel mare Regni Siciliæ, nulla iniuria, damnum aut impedimentum aliud irrogentur, ſuper hoc publicam proclamationem, cum grauium bannorum & pœnarum comminatione ac inflictione per dictum Regnum, vbi expedire cognoueris faciendo: quinimo Patriarchæ & Ambaſſiatorib. ſupradictis, ſi ad te declinauerint, literas ſecuri conductus, ac fidantiæ, pro iam dictis Imperatore ac primogenito & gentib. eorundē velis concedere gratioſe. Cæterum Patriarcham præfatum tuum natione Regnicolā, cui nuper ſuis exigentib. grandib. meritis commendauimus Eccleſiam Patracenſem in ſuis & ipſius Eccl. agendis Reginali celſitudini intime commendamus. Romæ apud S. Petrum 8. Idus Nouemb.* *Eodem modo ſcripſit Vrbanus Philippus Imperatori Conſtantinopolitano, Marco Cornario Duci Venetiarum, Gabrieli Adurno Duci ac Conſiliariis & cōmuni Ianuenſi, mutatis tamen mutandis.*

VIII. EIVSDEM AD TRES GRÆC. PATRIARCH. LITERÆ.

Porro nomina Oratorum hæc ſunt. A ciuibus Conſtantinopolitanis, Theodorus Magnus Domeſticus, & Conſtantinus Metaſopulus: ab vniuerſis magnatib. ac Baronibus Chriſtianis Imperij Græcorum, idem qui à Palæologo Paulus Patriarcha: à Philotheo Conſtantinopolit. Niſone Alexandrin. & Lazaro Hieroſolymitano Patriarchales Eccleſias more Græcorum Regentibus, Nilos Metropolites, & Theodorus Megatarſtophylax: à Prælatis Eccleſiarum Græciæ, Parachimomenos Theophilactus: ab Archimandritis, aliiſque Galogeris Græciæ, Marcharius Archimandrita. Ad eorum primores, Vrbanus, per eoſdem Nuncios reuertentes dedit, admonens ad vnitatem. Ita habet ea quæ eſt ad Philotheum, Niſonem & Lazarum Patriarchas Græcos ſupranominatos.

*Prudentibus viris Philotheo Conſtantinopolitanam, Niſoni Alexandrin. & Lazaro Hieroſolymitanam Patriarchales Eccleſias more Græcorum Regentibus, gratiam in præſenti, per quam obtineant gloriam in futurum.*

*Salutaris intentionis veſtræ propoſitum, ſuper reductione Græcorum ad Sacroſanctæ Rom. ac vniuerſalis Eccl. vnitatem nobis tam per literas veſtras, quam per venerabilem fratrem noſtrum Paulum Patriarcham Conſtantinopolitanum, ac prouidos viros Nilos Metropolitis, & Theodorum Megatarſtophylacas Nuntios veſtros latores præſentium reſeratum audiuimus cum multa lætitia, proinde deuotas gratias referentes Altiſſimo, qui tam laudandum propoſitum veſtris mentibus inſpirauit. Rogamus vos igitur & hortamur in Domino Ieſu Chriſto, quatenus in dicto propoſito immutabiliter perſiſtentes, lumen quod in vobis eſt in cognoſcendo vtilitatem veſtrarum & aliarum innumerabilium animarum, & corporum ex reductione præfata indubie peruenturam, non abſcondatis ſub modio, ſed ſuper candelabrum veſtræ ſynceræ prædicationis & operationis cunctis Græcorum populis oſtendatis: vt in ipſius claritate per ſemitam mandatorum Domini gradiantur, voſq; tanto plus apud ipſum Dominum laudari, ac altius ſuper plura conſtitui mereamini, quanto plures manipulos de credito vobis agro collegeritis, & ad aream Domini afferetis, quantoq; de datis vobis talentis datori reportabitis maius lucrum. Cæterum valde gratum habebimus, quod cùm magnifico viro Ioanne Palæologo Imperatore Græcorum illuſtri, & cum aliis multis viris literatis & authenticis de clero & populo Græcorum, ad Sanctam Sedem Apoſtolicam, Matrem & Magiſtram cunctorum fidelium, ad quā idem Imperator venturum ſe obtulit veniatis, vbi vos libenter videbimus & condignis honoribus proſequemur, ac dante Deo tollentur ſchiſmata, & alias ſaluti dictarum prouidebitur animarum.* Romæ 8. Idus Nouembr. Hęc Vrbanus Rectoribus Patriarchalium Sedium ſcribebat, cum optatam Eccleſiarum vnitatem curaret.

Scri-



IX. DE AGNO DEI.

Scriptor ceremoniarum S. R. Eccleſiæ, *lib. 1. ſect. 7.* auctor eſt, Vrbanum Pontificem tres particulas ceræ benedictæ, Agnos Dei communiter nominant, Palæologo Imperatori miſiſſe, hoſque verſus addidiſſe, quibus efficacia eius ceræ explicatur.

*Balſamus, & munda cera, cum chriſmatis vnda,*
*Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum:*
*Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum.*
*Fulgura deſurſum depellit, & omne malignum:*
*Peccatum frangit, vt Chriſti ſanguis, & angit.*
*Prægnans ſeruatur, ſimul & partus liberatur.*
*Dona confert dignis, virtutem deſtruit ignis:*
*Portatus munde de fluctibus eripit vndæ.*

Verſus iſtos, pro illa ætate, rudiores, Guillelmus Eſtius Theologus & Canonicus Louanienſis elegantiores dedit, hunc in modum.

*Quale ſit, & qua vi venerabile polleat Agni*
*Σταυροφόρου ſignum, carmine diſce breui.*
*Punica cera ſubeſt, mixtumq; opobalſamus vndæ,*
*Chriſmaq; Pontificis cuncta ſacrata prece.*
*Pellitur hoc ſigno tentatio dæmonis atri,*
*Et pietas animo ſurgit, abitq; tepor.*
*Hoc aconita fugat, ſubitaq; pericula mortis:*
*Hoc & ab inſidiis vindice tutus eris.*
*Fulmina ne feriant, ne ſæua tonitrua lædant,*
*Ne mala tempeſtas obruat, iſtud habe.*
*Vndarum diſcrimen idem propulſat, & ignis,*
*Illaq; ne noceat vis inimica, valet.*
*Hoc facilem partum tribuente, puerpera fœtum,*
*Incolumem mundo proferet, atq; Deo.*
*Vnde rogas vni tam magna potentia ſigno?*
*Ex agni meritis, haud aliunde fluit.*

Eas particulas ceræ benedictæ, cum verſibus ſuprascriptis, ſi Vrbanus Palæologo Imperatori miſit, forte eo conſilio fecit, vt Græcos eiurare doceret, errores de cæremoniis Eccleſiæ Romanæ. Nam & hi ſchiſmatici, pari cum hęreticis temeritate, hos Agnos Dei rident, inque locum vituli conflatilis, apud Catholicos contra Canonem Concilij Nicæni, aiunt ſucceſſiſſe. Horum errorem, Ioannes Molanus S. Th. profeſſor Louanienſ. oratione 1. ex tribus confutauit, & antiquitatem benedicendi Agnos Dei, vſum, efficaciam, ac modum quo peccatum ad inſtar ſanguinis Chriſti frangant, contra Illyricum oſtendit.

X. VRBANI GESTA ROMÆ.

Romæ, cum eſſet Vrbanus, poſtulante Imperatoris Caroli Oratore, duodecim ſacerdotum collegium, quod Pragæ Carolus condiderat, confirmauit. *epiſt. 33.* cum etiam paucis ante diebus, *Viterbij 7. Calend. Septembr.* flagitante Nuncio Ludouici Regis Vngariæ, Studium Generale omnium ſcientiarum ab eodem Ludouico in ciuitate QuinquEccleſienſi erectum, approbaſſet: hac tamen conditione, ſi modo Rex ſtipendia Lectoribus aſſignaſſet. Cum vero accepiſſet, Carolum Imperatorem proximo menſe Martio, pro negotiis Imperij grauiſſimis componendis, in Italiam velle penetrare, imprimis omnes Imperij Principes, vt ei comites eſſent itineris, obſecrauit: deinde pro expenſis neceſſariis itineri, decimationem omnium fructuum Eccleſiaſticorum, in annum vnum Imperatori venienti permiſit: ſi modo conſenſus Prælatorum accederet. *Romæ 16. Cal. Ian.* Cum autem Carolus Rex Franciæ, ære alieno grauatus fuiſſet, in duos annos decimas omnium fructuum Eccleſiaſticorum ab Archiepiſcopis Regni colligendas, illi cōceſſit. *Romæ 13. Cal. Nouembr.*

XI. SÆVITIA PETRI REG. CASTELLÆ.

In Hiſpaniis, Petrus Rex Caſtellæ in capita virorum Illuſtrium graſſabatur. In vrbe Corduba ſedecim viri primatij, noctu ſunt interfecti: priores hoſtem intra mœnia accepiſſe accuſabat. Hiſpali aliquot principes viri & fœminæ interfecti: ex eoque aucta inuidia vehementer, prauum animum ne calamitate quidem & exilio ſanari potuiſſe conſiderantium. Sumptum eſt & capitis ſupplicium lege perduellionis, de capto Magiſtro Diui Bernardi: quod Henrici fratris Regij partes cum multis ſecutus fuiſſet. Anathematis ignominia, eo nomine Petro inuſta fuit, qui hominem ſacratum interemiſſet. Namque miſſus ab Vrbano Pontifice Archidiaconus venerat, qui Petrum Regem eius cædis reum, & quoniam Epiſcopos Calagurritanum, Lucenſemque loco mouerat, ſacrificiis interdictum eſſe renunciaret, atque in impiorum numero haberi mandaret.

QVOMODO PON. LITERÆ ANATHEMATIS PETRO REGI INTIMITÆ FVERINT PROPTER PERICVLVM.

Cum is à ſæuo Principe periculum vereretur, cui religio & ſanctitas vilis eſſet, ad Hiſpalim ea parte agri vicini, cui Tablatæ nomen eſt, Regi ex vrbe forte egreſſo, biremi aduerſo flumine vectus occurrit, rogauitque, num de Orientis rebus cognoſcere cupiat, noua & admiranda recitaturum: recens ſe ex iis regionibus in Hiſpaniæ littora appulſum: accedentique eo ſtudio ad ripam Regi, Pontificias Vrbani literas legit, caputque diris defixit: tum ſe in fugam ſecundo flumine (& Oceani æſtus remittebat) remorum pulſu concitauit. Rex furore percitus, & tacentibus cæteris ſtolida audacia ferox, diſtricto gladio in medias vndas adacto equo inſiliit, Archidiaconumque ferire cupiens, vano ictu biremem percuſſit. Fugientes ſequebatur Rex, cum equus natando feſſus in mediis vorticibus deficere cœpit. Periculo vix ereptus, accurſu cymbæ contenta voce minabatur ſe Pontificis iugum excuſſurum, *violenter & ſordide*, aiebat, *imperantis*: atque vt idem facerent Aragonius & Vaſco, auctorem futurum: præterea vindicaturum bello iniuriam. Hæc flagrans oculis, truci voce, quo lætius audiretur cum conuitio effudit. Impenſa probra magis ipſi inuidiam, quam ſanctiſſimo Pontifici ignominiam attulerunt. Claſſem tamen inſtrui, & magnos delectus haberi, continuo mandauit. Veritus Pontifex impotens hominis ingenium, placare quacumque ratione conſtituit, quo maior auctoritas eſſet, Legato in eam rem Anglico Cardinali S. Petri. Eo agente, ſancitum eſt, ne Behetrias (bona Magiſtri Diui Bernardi erant) donandi, vendendi, alienandiq; poteſtas vlla eſſet, quoniam ſacræ militiæ erant addicta. Vt tertia decumarum, quæ Romanis Pontificibus obuenire ſolita erat è Sacerdotiis Caſtellæ, deinde eſſet Regibus belli ſacri ſubſidium, Mauris extirpandis. Epiſcopos, militares Magiſtros, Priorem Hoſpitalarium, aliaue minora ſacerdotia, Pontifex Romanus inſtitueret, donaretve moribus receptis, ad vetuſtatis exempla. Rex diris exſolueretur, & ſacra Eccleſiis reſtituerentur, data læſis ſatisfactione. *Mariana libr. 17. cap. 11. & liber Secret. Vrbani huius anni.*

FILIVS REG. ARAG. D. FRANCISCI INSTITVTVM AMPLECTITVR.

Hoc anno Petrus Aragoniæ Regis filius, Diui Franciſci inſtitutum amplexus eſt. Dum vero, vt fit, ancipiti carnis & ſpiritus pugna detineretur, apparuiſſe ei ferunt nocturno quodam viſo Diuum Ludouicum Epiſcopum Toloſanum, cum aliquot Fratribus ex eodem ordine multa gloria collucentibus, eumque animaſſe ad eam vitam complectendam in qua tantum eſſet præmij ac mercedis, quod ille breui exequutus, viginti annos in religione vixit, non ſuo tantum, ſed aliorum etiam multorum profectu, quod dicendo valeret, & multos ſuis concionibus ad Dei amorem inflammaret. *Annal. Franciſc.*

XII. PETRI LVSITANIÆ REG. OBITVS ET EIVS VIRTVTES.

Initio huius anni, Ianuarij die octauo decimo, Petrus Luſitaniæ Rex, annos natus quadraginta ſex, menſes nouem, dies vnum & viginti, ad Stremotium Luſitaniæ municipium deceſſit: coniuncto cum Agnetis Caſtriæ tumulo in Alcobaſæ monaſterio compoſitus eſt. Funus Regio apparatu magnifice factum. Sex ipſe ſacerdotes, quotidie ſibi & maioribus diuina hoſtia parentare, opimis reditibus deſignatis conſtituit. Æquitatis laude præſtantiſſimus, incredibile ſui deſiderium reliquit: cunctis quaſi publica lætitia felicitateq; eodem tumulo condita, mœrentibus. Regiis obſonatoribus, agalonibuſque, quicquam niſi ad veram æſtimationem pretio numerato vetuit accipere. Aduocatorum, iudicumque

atta-

auaritiam, fraudes, tergiuerſationes, vnde lites immortales extabant, ſanctiſſimis editis legibus reſtrinxit.

Scelerum omnium vindex acerrimus, præſertim in eos ſæuus, qui alieni tori iura violabant. Eius reum criminis Portugallenſem Epiſcopum ad ſe vocatum manu ſua pulſaſſe fertur. Vulgi opinionem, quæ flagellum ipſum cædendis hominibus geſtare conſueuiſſe vulgauit, ab hoc, aliiſque ea ſeueritate ſuppliciis, ortam eſſe arbitror. Argenti facti ſignatique magnum pondus, quotannis, ſuis, pro cuiuſque merito diſtribuere conſueuit: eiuſque illa vox fertur: *Indignum Regio nomine Principem videri, quo die nemini beneficium contuliſſet.* Succeſſorem habuit Ferdinandum filium, qui ſtatim Eleonoræ Meneſiæ indulgere cœpit amoribus, nulla honeſtatis cura, Laurentio Acunio viro detractæ; vnde is in Caſtellam profugus, conſueuerat in pileo argentea cornua geſtare, Regiæ intemperantiæ ſuæque ignominiæ argumentum inſigne. *Mariana ſupra c. 9.* Hæc in Hiſpaniis eo anno geſta.

XIII. ALIÆ VRBANI PP. RES GESTÆ.

In Regno Siciliæ, cum ex vna parte Fridericus Trinacriæ occupator, Ioannæ Reginæ incommodaret, remque iudicio Apoſtolicæ Sedis permitteret, ex altera Philippus dictus Imperator Conſtantinopolitanus, Franciſcum Baucium Ducem Andriæ opprimere niteretur, ex eoque fonte, plurimæ ſeditiones in Regno graſſarentur, Vrbanus, Friderico ſcripſit, vt Nuntios & Procuratores, cum plenaria poteſtate agendi, tranſigendique ad Sedem Apoſtolicam deſtinaret: quod ij quos hactenus miſiſſet, parum honeſta & iniqua proponerent. *Romæ 6. Idus Decembr.* Porro ad cognoſcendas nonnullas inter Philippum & Franciſcum controuerſias, ex quibus diſcordiæ & ciuile bellum natum, Guillelmum Epiſcopum Sabinenſem Legatum, in Regno Siciliæ deſignauit: qui pacem inter diſſidentes conciliaret, omneſque tumultus exortos ſedaret. *Romæ Nonis Decembr.* Quod ſi à iudicio Legati ad Sedem Apoſtolicam prouocarent, ipſi Romam concederent, aut Procuratores ſubmitterent: ac interim inducias authoritate Apoſtolica indictas, ne violarent. *ep. pag. 129. & 163.*

XIV.

Cæterum, cum Bernabos Vicecomes, Vrbanum Pontificem, Viterbij fœdus cum Carolo Imperatore, cum Ludouico Vngariæ & Ioanna Siciliæ Regibus, cum Nicolao, Hugone & Alberto Ateſtinis: Guidone, Ludouico & Alberto Gonzagis, cum Franciſco Carrario, cum Ducibus Veneriarum & Ianuæ, cumque Florentinis, Senenſibus, Piſanis & aliis, ad ſeptem annos percuſſiſſe intellexiſſet, timore ingenti correptus, Nuncios ad Pontificem ire iuſſit, qui tergiuerſationibus obiectis vt eum à bello inferendo auerterent, vel ſuſpicionem aliis confœderatis iniicerent, quaſi is ad concordiam inclinaret. Ea de re, ne Carolus Imperator quicquam turbaretur, Præpoſitum Nemauſenſem Nuncium ad illum miſit: & tum Ateſtinis, tum Carrario author fuit, vt & illi Dondatium Fondanam nobilem Placentinum, ad Carolum dimiſerint, qui ſcrupulum omnem, de reconciliatione Pontificis cum Bernaboue, quaſi ſecuta eſſet, Imperatori eximerent. *epiſt. pag. 5. 32. 51.* Tantum enim abeſt, vt Oratoribus Bernabouis quicquam conceſſerit, vt etiam aliquot Cardinales Legatos, in Æmiliam, Flaminiam, Etruriam & reliquam citeriorem Italiam amandarit, qui & vrbes pro Romana Eccleſia reliquias recuperarent, & recuperatas quacunque ratione detinerent, auxiliaque à confœderatis pacta conquirerent. *Corius hiſt. Mediolanenſ. parte 3.* Poſtquam Ioanna Regina exercitum contra Ambroſium Bernabouis ſpurium miſiſſet, eiuſque copiis profligatis ad Aquilam, ipſum quoque captum, vinctumque Neapoli in carcerem conieciſſet. *Corius ſupr.*

XV. REGEM CYPRI QVI ALIVM AD DVELLVM PROVOCAVERAT COARGVIT.

Petro Regi Cyprio, per hæc tempora graues contentiones, cum Florimundo Spaurio Burdegalenſis Diœceſis. Eas ille voluerat extinguere ſingulari certamine, ad quod è Cypro in Galliam traiicere decernebat. Non tulit iſtam prouocationem conatumque Vrbanus: ſed graui epiſtola Petrum coarguit, & à duellatione prohibuit: quod non deſint Chriſtianis aliæ rationes vel iniuriæ vindicandæ, vel controuerſiæ decernendæ. *Romæ apud S. Petrum 2. Non. Decembr.*

XVI. IESVATORVM RELIGIONEM CONFIRMAT.

Ioannes Columbinus Senenſis, hoc anno, ad quartum diem Iunij, Vrbano Pontifici Cornetum nauigio exſcendenti, obuiam cum ſexaginta pauperibus ſociis factus, & ab eo tum in itinere, tum Viterbij, quo etiam conceſſerat, benigne habitus, confirmationem Religionis Ieſuatorum obtinuit: poſtquam Cardinali Maſſilienſi à Prædicatorum Ordine Fidei Quæſitori, rationem dogmatum & Fidei Catholicæ, de qua ac ſi non recte ſentiret, à nonnullis maleuolis falſo accuſatus fuerat, reddidiſſet. Paulo poſt confirmationem eius inſtituti, ad cœleſtem patriam euolauit, viuens & vita functus, miraculis clarus. *Ex eius vita Romæ impreſſa.*

XVII. B. SIBILLINÆ VIRG. PAPIEN. TERTII ORD. S. DOMIN. VITA.

Papiæ etiam, cum ingenti opinione Sanctitatis diem clauſit extremum Sibillina virgo, tertium quem vocant Prædicatorum Ordinem profeſſa. Nata ex Biſcoſſa familia, à teneris annis orationi frequentiſſime incubuit, grauique ſcelere ſe impiari reputabat, ſi deſignatum orationum Dominicarum & ſalutationum Angelicarum pro ſingulis canonicis numerum, omitteret. Vix duodecimum annum egreſſa, oculorum lumen amiſit: pro cuius recuperatione cum aliquando ardentius oraret, in extaſim rapta, ſecundum ſpiritum aſpexit Diuum Dominicum luce illam incundiſſima perfundentem, præ qua omnia terrena deſpexerit.

Triennio poſt, eremitorio cuidam ad ædem Prædicatorum propinquo, contemplationis cauſa ſe incluſit, nec niſi ſemel pro ſacra hoſtia recipienda, ſemel vt quandam ſanctimonialium viſitaret, pedem inde extulit. Ibidem incluſa, pœnitentiam, quam admirari facilius quam imitari, in ieiuniis, vigiliis, caſtigationeque corporis egit. Septem annos, adeo acriter ſingulis diebus ſeſe flagellabat, vt ſanguinis riui, inter dulcedinem mentis quam percipiebat defluerent. Vnica ea veſte quam in æſtate induebat, contenta, non alias hyemis tempore quærebat, neque gelu cunctis rigentibus ad ignem accedebat, ligno quodam nudo noctu recubans, neque vlla lectiſternia requirens. Meditationi paſſionis Chriſti intenta, cum ſpoliationem Chriſti antequam Cruci figeretur, mente reuolueret, rapiebatur in ſpiritu. Particulam ligni viuifici, aliquis ei obtulerat. Eius veritatem vt illa exploraret cordi ſuprapoſuit, Deum precata, vt aliquo indicio, num illud eſſet in quo Chriſtus pependiſſet, oſtenderet: ac inter orandum cor ſibi moueri, palpitare, & quaſi ad adorandum illud vellet exilire perſenſit.

Aliquando IESVM Saluatorem in ſpecie puerili, radios lucidiſſimos circumquaque diffundentis, in oratione aſpexit, amplectique voluit, ineffabili lætitia exultans. Non ſemel, in diebus Pentecoſtes, Spiritum ſanctum deſcendentem per miraculum ſuſcepit. In eius eremitorio Sacerdote diuinam hoſtiam immolante, dulcedine cœleſti exæſtuabat, Ieſumque præſentem fore ſuſpiciebat. Semel, non conſecratam hoſtiam aliquis Sacerdotum per errorem ad infirmum deferebat. Iſtud in momento, Sibillina, quod ſolita dulcedine non frueretur, agnouit, Sacerdotem erroris coarguit, & confiteri quod temerarius egiſſet coegit. A religioſis & ſpiritualibus perſonis, ſi quid ſermonis de rebus cœleſtibus audiſſet, ſtatim in flammas ardentiſſimi amoris æſtuabat: & quamquam nullas literas didiciſſet, de altiſſimis Sacræ Fidei myſteriis, recondita ſenſa renunciabat. Spiritu prophetico repleta, multa occulte reuelauit, plurima futura prædi-





xit. Si quem criminis læthalis conſcium perſpexiſſet, euocabat, arguebat, & ad pœnitentiam, ſanctamque frugem hortabatur. Sexaginta quatuor annos intra eam cellulam recluſa, nonniſi ex eleemoſynis oblatis parciſſime, & in ſumma auſteritate vixit, feliciqne morte ſua præcognita ac prædicta, tandem octuaginta annos nata, 14. Calend. April. ad optatos ſponſi IESV complexus emigrauit, ſanctitatemque ingentem miraculis in vita & poſt mortem indicauit. In æde S. Thomæ apud Prædicatores ſepulta. *Michael Pius lib. 3. de viris Illuſtrib. Ord. Præd.*

XVIII. DE B. IOANNA FLOREN. ORDIN. SERVORVM.

Non impar huic Ioanna Florentina, Seruorum Beatæ Mariæ inſtituti, ipſo hoc anno fatis conceſſit. Hæc duodennis, à Beata Iuliana eiuſdem religionis, docta, omnia ſeculi oblectamenta ſpreuit, atque immaculatæ Deiparenti ſeſe dicauit, inter Sanctimoniales Seruorum. Non potuit ferre eius virtutes inimicus dæmon, ſed in Angelum lucis ſeſe transfigurans varias tentationes illi ſuggerere, eamque de ſemita perfectionis detrahere conatus eſt. Nam virginitatem ſeruanti, *Creſcite & multiplicamini* quaſi iſtud Dei præceptum eſſet, proponebat. Ieiunanti, illud Euangelicum: *Non quod intrat in os coinquinat hominem* inculcabat. Oranti, illam iam in Sanctorum numerum recenſitam eſſe mentiebatur. Hæc & alia maligni tentamenta prudens Ioanna intelligebat, ſignoque Crucis ſe muniens: illum ſuperabat. Tandem vita pie, iuſte, & ſancte tranſacta, variiſque virtutum monilibus exornata, in humanis eſſe deſiit, Florentiæ in Diuæ Annunciationis Baſilica condita. *Chron. Seruorum hoc anno.*

XIX. VITA B. HEMMINGI EPISC. ALBOENSIS IN SVECIA.

Hemmingus clariſſimum puritatis ſpeculum ab ineunte ſtatim ætate, multiplicia futuræ Sanctitatis edidit documenta. Nam quas ætas iuuenilis ſtudioſe ſectari ſolet vanitates, ille omnino execrabatur, nonniſi matura & ſancta voluens animo, conuerſatione videlicet in cœlis defixa: ſtudiorum quoque ſuorum non alium propoſuit finem, quam Dei & Eccleſiæ eius ſanctæ obſequium. Quare in Eccleſiaſticum cooptatus ordinem Vbſalenſis & Alboenſis Canonicus animarumque curator factus, meruit cœleſti reuelatione cognoſcere tempus natiuitatis D. Birgittæ. Cum enim nocte quadam orationi vacaret, nubem lucidam, & in medio nubis virginem ſedentem vidit, librum explicatum manu tenentem, ſibique dicentem: Nata eſt Birgero filia, cuius admirabili voce mundus vniuerſus perſonabit.

Fuit vero B. Hemmingo mira in concionando efficacia & vis ad permouendos, qua diſſolutos arguebat, obſecrabat pios: nulla eum flectebat perſonarum acceptio, nulla fauoris humani vel auræ popularis opinio demulcebat, ſed iuxta ſermonem Propheticum, quaſi plauſtrum trituraus, montes terrenæ ſublimitatis contriuit. Ignis enim zeli diuini, quo pectus eius æſtuabat, nullis aduerſitatum procellis, nulla minarum vi extingui potuit. Sic multos qui peccatorum oppreſſi veneno in morte dormiebant, excitauit in ſalutem: nec apud commiſſum ſibi gregem ſolum: verum etiam apud Reges & Pontifices diuinæ voluntatis interpres fuit laudatiſſimus. Omnes autem conciones ſuas à Beatiſſ. Virg. Laudibus, cui tota vita deuotiſſimus extitit inchoare ſolebat. Nullum tempus, cuius iactura vel minima nullo pretio æſtimabis, incaſſum elabi ſinebat, ſatis gnarus, exactiſſimam Deo de tempore reddendam fore rationem. Fugiebat colloquia vana: nullum verbum effluebat inane, vel riſu dignum, eiuſque præſentia tam chara erat omnibus & iucunda, vt odorem Chriſti vndequaque efflaret. Domeſticum hoſtem tanto periculoſiorem, quanto blandiorem carnem inquam aſſiduis vigiliis & dura abſtinentia edomabat. Præter conſueta enim Eccleſiæ ieiunia, ipſe ad ampliorem carnis cohibitionem, & perfectæ vitæ arctiora exempla ſubditis demonſtranda, quotidiana ſeſe macerabat abſtinentia, & inter plenas carnium delicias ſe ipſum cibos manducare viliores & inſipidos ſeuerus pædagogus cogebat. Nec ſolum vitia carnis mortificabat & eius incentiua frenabat, verum etiam exteriores ſenſus per quos mors intrat in animam, ſumma vigilantia cuſtodiebat. Quocirca mulierum familiaritates, colloquia & aſpectus, qui multis ſunt occaſio ruinæ ſolicite excitauit, identidem cum Dauide precatus: *Auerte oculos meos Domine, ne videant vanitatem.* Ad Epiſcopatum vero Alboenſem ſublimatus, vir in Dei timore fundatus, ſolita virtutum exercitia nequaquam derelinquebat, imo vero tum diligentius diuinæ ſeruituti totum ſe mancipabat, eo quod tunc ſe agnoſcebat velut in ſpecula excubitorem, vel ſuper montem ciuitatem ſubditis propoſitum, partim in cuſtodiam, partim in exemplum. Cum Propheta ſancto diligebat decorem domus Dei & loca habitationis gloriæ eius, & ea propter Eccleſiam Cathedralem multis iiſque pretioſiſſimis auxit ornamentis, in eaque Præpoſituræ beneficium fundauit, dotauitque prædiis ac poſſeſſionibus peramplíſſimis. Suſpendebatur multoties tanto contemplationis exceſſu eius animus, vt ſupra ſemetipſum raptus & diuinius quid humano ſenſu delibans, quid gereretur circa ſe exterius prorſus ignoraret. Cum ſic virtutum ſtadium perfecte decurriſſet Hemmingus, placuit altiſſimo ad brauium ſupernæ beatitudinis eum maturius vocare, ne mala gentis ſuæ, quæ iam D. Birgitta diuino oraculo prædixerat, videret. Igitur viſione cœleſti de obitu ſuo certior factus, cum in oratione poſitus eſſet, animam creatori ſuo reddidit immaculatam. Anno ab Incarnat. Dom. Milleſimo trecenteſimo ſeptimo poſt ſexageſimum, ætatis ſuæ 70. cum ſediſſet annis viginti. *De eo lib. 4. Reuel. D. Birgitt. c. 125. & 130. Extrau. c. 51. 85. 104. & 113. Bonifacius IX. in Bulla canonizat. D. Birgitt. Chron. Epiſcop. Alboenſ. & alij ſcriptores rerum Sueticar.*

In Suecia, floruit hoc anno Hemmingus Epiſcopus Alboenſis, cuius vitam *Ioannes Vaſtouius* recenſuit. Ita habuit.

XX. VLTIO DIVINA OB MANVVM IN CLERICOS INIECTIONEM.

In Sileſia, hoc ipſo anno ciues Bythomienſes furore acti, Paræcum & Prædicatorem ſubmerſerunt. Et propter hoc venæ argenti & plumbi olim fœcundiſſimæ, apud eos ceſſauerunt. *Miechouius de rebus Polon. lib. 4. cap. 28.*

Cromerus magis exacte rem memorat. Per hoc tempus metalla Bythomienſia, plumbi cum argento intermixto feracia, euanuerunt, poſt interfectos crudeliter ab oppidanis publico conſilio duos ſacerdotes, Petrum Paræcum oppidi, & Nicolaum, qui ipſi erat à Sacris Concionibus. Neque hac modo pœna Bythomienſes facinus illud luerunt, ſed etiam ab Epiſcopo Cracouienſi interdicto perculſi, & honore omni priuati ſunt, damnatique, ne qui ex poſteritate eorum deinceps Sacris initiarentur, aut vlla ſacerdotia obtinerent. Ab interdicto & cæteris pœnis, poſt biennium demum apud Pontificem Maximum permagno ſe redemerunt. *Cromer. de rebus Polon. lib. 12.*

## IESV CHRISTI Annus 1368.

## VRBANI PAPÆ V. ANNO 6. Caroli IV. Roman. Imperat. Anno 13.

I. CAROLVS IMP. MITTIT VRBA-

ROmanam cathedram, Romæ, implente Vrbano, Monarchi & Principes ad eum ſalutandum, adque limina Sanctorum Apoſtolorum viſitanda, certatim confluebant. Carolus, antequam Italiam intraret,

NO DIPLOMA IMPERIALE CONFIRMATIONIS IVRIVM ECCLESIÆ ET OBEDIENTIÆ DEBITÆ. CONTENTA DIPLOMATIS.

Gerardum Neuburgenſem Epiſcopum Oratorem miſit, qui Pontifici aduentum Imperatoris inprimis renunciaret: deinde ſolitum diploma Imperiale confirmationis iurium Eccleſiæ Romanæ, & obedientiæ debitæ deferret. In eo, *ad 3. Idus Aprilis*, bulla aurea ſignato, iureiurando affirmat, ſe pro dignitate Sedis Apoſtolicæ, in Italiam venire: neque velle iuribus & libertatibus illius quicquam detrahere: quin potius tyrannos aduerſus eam ſæuientes, bonaque illius vſurpantes & occupantes reprimere, neque vel minimum ei eripere: qui exemplo antecedentium Imperatorum, & præſertim HENRICI aui (cuius diploma ſuo diplomati inſeruit) præſenti inſtrumento, conſentientibus Imperij Principibus, Romanæ Eccleſiæ confirmaret omnia iura, priuilegia, bona, vrbes, terras, prouincias, Regna olim ab Imperatoribus Chriſtianis, Conſtantino Magno, Ottone, Carolo, & reliquis ſeu donata, ſeu probata: & præcipue Marchiam Anconitanam, Exarchatum Rauennæ, Pantapolim, Romandiolam, Comitatum Bretenorij, Ciuitatem Bononienſem, Vallem Spoletanam cum toto Ducatu, Comitatum Peruſij & Catelli, Maſſam Trebariam, Patrimonium B. PETRI in Tuſcia, cum ciuitatibus Tuderti, Narniæ, vrbis veteris & Reatæ, Comitatum Sabinæ, Ciuitatem Interamnenſem, Arcem Cæſarum cum terra Arnulphorum, Campaniam & Maritimam cum omnibus ciuitatibus, Romam & Ferrariam cum omnibus ad eam ſpectantibus, Regnum Siciliæ cis & vltra Pharum, Sardiniam & Corſicam, Ciuitatem Beneuenti, Comitatum Venuſinum, Ciuitatem Auinionenſ. cum omnibus pertinentibus. Hæc Carolus Quartus Romanæ Eccleſiæ inſtrumento publico, & Sacramento confirmabat, inſertis literis *Henrici VII. Imperatoris datis Lauſanæ.* Præſentibus teſtibus, quorum hæc ſunt nomina.

Albertus Patauienſ. Lampertus Spirenſ. Ioan. Brixienſ. Gerardus Neumburgenſ. & Otto Mindenſ. Eccleſiarum Epiſcopi. illuſtres, Albertus & Leopoldus fratres, Auſtriæ, Stiriæ & Carinthiæ Duces. Ioannes & Iodocus Imperatoris filij Marchiones Morauiæ. Spectabiles, Ioannes de Habesburg, Burchardus Burgrauius Magdeburgenſis, Ioannes & Burchardus de Retz Comites, Nobiles Vlricus de Boczkouicz, Sdenco & Albertus fratres de Sterenbergh, Radolphus de Eckertſon, Stephanus de Lembergh, Conradus de Buccendorff, & alij quamplures Comites, Nobiles, Imperatoris & Imperij Sacri fideles. *Ext. diploma authographum in mole Adriani.*

II. CAROLI IMP. IN ITALIAM ADVENTVS CVM INGENTI EXERCITV.

Statim atque Italiam, Carolus Imperator ingreſſus eſt, Petrum Epiſcopum Curienſem Oratorem, qui aduenisse illum Pontifici nunciaret deſtinauit. Gratulatus ei Vrbanus aduentum, *datis Romæ literis IV. Nonas Maij*: ſimulque admonuit, vt dignitatem iuxta & vtilitatem Sedis Apoſtolicæ tueretur. Sequebatur Carolum magna procerum Germanorum atque Boemorum frequentia, qui citeriorem Galliam nullo negotio armis obtritam putabant: nimirum coactis equitum ac peditum millibus XXV. in quibus fuere, Gomeſius Albornotius Hiſpanus Pontificij exercitus Imperator: nec non Nicolaus Areſtinus, in Auguſti cohortem receptus: Vgo etiam Seuerinas Ioannæ Siciliæ Reginæ Legatus. Habebat Carolus Germanos, Boemos, Polonos, Illyrios, multoſque alios è regionibus finitimis: Albornotius & principes confœderati, Nicolaus Areſtinus, Malateſta Malateſtanus, Franciſcus Carraria, Vgo & Albertus Gonzagæ, ac reliqui Italos, Hiſpanos, Britones, Aquitanos, & complures ex Prouincia Galliaq; ducebant. Vicecomes, præter Italicas cohortes, Germanos quoque, Anglos, & Sequanos equites, trahebat, fœdere percuſſo cum Edouardo Anglorum Rege, cuius filio Leonello Clarentiæ Duci Iolantidem Galeatij filiam matrimonio deſponderat. Auxerat Caroli copias Auſtriæ Dux, qui eodem tempore illum ſubſequutus magna cum Germanorum manu in Italiam deſcenderat, Vicentinoſque grauiter vexabat: cum etiam CAROLVS Veronenſium fines vaſtare cœpiſſet.

III. BERNABOS PACEM À PONTIF. IMP. IMPETRAT CERTIS CONDITIONIBVS.

Aduentu illius fractus Bernabos ac metuens ne non tanto oneri ſuccumberet, per Stephanum Bauarum Noricum Ducem generum ſuum, pacem à Pontifice & Imperatore impetrauit, hiſce conditionibus, vt Burgum fortem & caſtellum ipſe relinqueret: nullum omnino ius Vicecomitibus in Bononienſes eſſet: ſocij exercitum dimitterent: Caſtra Hiberiæ, S. MARTINI, Borſani, & Montiſricchi Rheginorum non Vicecomitum eſſent: Morianum, Decimum, Palaria, Monsfuſculus, S. Geruaſius Lucano Epiſcopo reſtituerentur: Bernabos Pontifici ſupplex clementiam eius imploraret: Pontifex diris illum exſolueret, atque Sacra eius ditionibus permitteret: Cæſar ad vrbem profectus pacis confirmationem à Pontifice obtineret, quam nouis quoque legibus Pontifice eodem conſulto temperare fas eſſet. Pace, ad eum modum, interueniente Anglico Albanenſ. Epiſcopo Legato conciliata, Carolus deinde cum Areſtino Mutinam abiit, quo paulo poſt Galeatius, & Bernabos Vicecomites, tum Scaligeri, atque aliorum ad quos ea res pertinebat Oratores conceſſerunt. In eorum concilio, probante Apoſtolicæ Sedis Legato, ex ſententia Pontificis, Carolus pacem promulgauit: inde vt receperat, recta ad vrbem, proſequente officij cauſa Nicolao Areſtino, contendit.

CAROLVS IMP. AD VRBEM CONTENDIT CVI PONT. OBVIAM PROCEDIT.

Iter per Etruriam habenti, Lucenſes, Piſani ac Senenſes, non ſolum quod in fide & clientela ipſius eſſent, ſed etiam veteris Imperij ac poteſtatis nomine, vltro portas aperuere. In his, cum Senenſes & Politiani inter ſe tumultuarentur, Petrum Ratoncinum, Capellanum, vt vocant, Apoſtolicum, Vrbanus ad Carolum miſit, poſtulatum, qui eos ad concordiam reuocaret. *8. Id. Maij.* Totam fere æſtatem Carolus in Etruria egit: cui vt propinquior eſſet Vrbanus, Roma Viterbium, & paulo poſt Montem Faliſcum conceſſit: vbi, & in vrbe veteri palatia conſtrui curauit, Palatinos Tranſalpinos, quos vel inuitos ac reluctantes in Italiam conduxerat, conſolaturus, qui loca ſcirent eſſe parata, in quibus Romani aeris grauitatem, per æſtatis caumata declinarent. *Blondus dec. 2. lib. 10. & liber. Secret. Vrb. hoc anno, pag. 71. 103. 104. 144. 146. 162. Pigna lib. 5.*

IV. IOANNA SICIL. REGINA ROMAM VENIENS HONORIFICE À PONT. ET PROCERIBVS EXCIPITVR.

Antequam Roma diſcederet Vrbanus, Ioannam Reginam Siciliæ, vt Iacobum Maioricatum Regem maritum, in Hiſpaniis pro Petro Caſtellæ Rege pugnantem interceptum, & apud Bertrandum Comitem inſulæ, captiuum, eliberaret, admonuit. *3. Cal. Feb.* Cumque Ioanna, Romam ingenti comitatu veniret, ac Comites, Nicolaus Vrſinus Manupellius, & Honoratus Caietanus Fundorum, cum maxima procerum & nobilium multitudine, vſque ad limites Regni Siciliæ, illi obuiam proceſſiſſent, Hugoni Bonouillareo Campaniæ & Maritimæ Rectori, qui venientem ſummo cum honore exciperet, præcepit. 12. *Cal. Mart. & 2. Non. Martij.*

Ad diem 17. Martij, die Veneris, Romam, Ioannæ Reginæ appropinquanti, Petrus Rex Cypri, qui ad Venerandum Pontificem traiecerat, obuiam ex vrbe iuit. Vrbanus, Cardinales omnes, & Proceres Romanos, in occurſum introeuntis ſubmiſit: ac ipſe ad gradus Baſilicæ Diui PETRI expectans, illam ad maiorem aram deduxit. Ad 19. diem Martij, in quem Dominica quæ Lætare dicitur inciderat, Sacris coram ea operatus, Roſam, quam ex antiquo more Pontifices eo die ſacrare conſueuerant, benedictione ſua inſignem, illi Sacrificio aſſiſtenti obtulit. Die etiam Sanctiſſimo Paſchalis feſtiuitatis, inter ſacrificandum, Vrbanus, in ara Principis Apoſtolorum, enſem auratum conſecrauit, illumque Ioannæ coram adſidenti, Ioanna vero Petro Regi Cyprio aſſiſtenti deſignauit: quo iſte accinctus, Nicolaum Spinellium Iuuenatium, Regni Siciliæ Cancellarium, baltheo militari or-





nauit: Romæ apud S. Petrum, hoc ipſo ſolenni Paſchæ die *lib. diuerſar. Chronic. Regni Sicil. MS. in Archiuo Vaticano, num. 454.*

V. MOENIA AVINION. PERFICI MANDAT VRBANVS.

Per id temporis, Philippus Patriarcha Conſtantinopolitanus, pro Sede Apoſtolica, Auinionenſis vrbis Gubernator eam adminiſtrabat Pontifice abſente. Admonuit illum Pontifex, vt eius vrbis mœnia inchoata perficeret; & ſi quæ domus, etiam Cardinalium eſſent, quæ conſtruendis, amplificandiſque incommodarent, eas dato pretio dirueret. *Romæ, VIII. Id. Febr.*

VI. BONONIÆ LEGATVM CARDIN. LEGATIONIS DIGNITATE EXVIT.

Bononiæ Vrbi, Androinus Cardinalis Legatus hactenus, ſed non pro maxima Sedis Apoſtolicæ dignitate præfuerat. Huic euocato, quamuis ſucceſſorem, Vrbanus, Anglicum Albanenſem Epiſcopum Cardinalem dediſſet, ille tamen Bononia excedere recuſabat. Itaque anathemate propoſito Pontifex reluctanti præcepit, qui Bononiam deſereret, neq; amplius rebus gerendis ſeſe immiſceret, Legationis dignitate exutus. *Romæ. III. Non. Martii.*

VII. SEDITIONE VITERBII ORTA PONT. IN MAGNO PERICVLO CONSTITVTVS FVIT.

Viterbium, cum acceſſiſſet Vrbanus, parum abfuit quin violaretur, tumultu, ex compoſito, è Catheſchis & aliis, Ioanni Præfecto Vicano fœderatis, iſtum incitante Bernaboue, excitato. Saluti fuit, in caſtrum ſe ſubduxiſſe; quo in loco Nicolaus Comes Vrſinus, & Nicolaus Farneſius Princeps Biſentii, cum ſociis eum tutati, ſeditionem repreſſerunt. Montem Faliſcum poſtea acceſſit, Viterbiumque ſolo æquare, propter contumeliam acceptam, conſtituit; niſi Carolus Imperator interceſſiſſet, & tantum authores coniurationis pœnas dare conſuluiſſet. Tumultuatum & Peruſiæ, à quibuſdã rebellibus, quos Bernabos ad defectionem ſollicitauerat. Ad eam vrbem & prouinciam in officio continendam, Vrbanus, Guillelmum Briſacum, Albanenſis Cardinalis nepotem, Vicarium deſtinauit, Ioannemq; Aucutum, duodecim millia pugnatorum ſub ſignis ducẽtem ſtipendio conduxit, vt tyrannos, & rebelles reprimeret. *Cyprian. Manent. lib. 3.*

VIII. SVMMARIVM QVORVNDAM GESTORVM VRBANI PONT. APVD MONTEM FALISCVM.

Apud Montem Faliſcum, 1. cum Carolo Imperatore, de pacificanda Italia, plurima conſuluit, atque decreuit, *liber Secret.* 2. Epiſcopum Suarinenſem, pro S. rachimiro, Georgio, ac Balza fratribus, Boſnæ Zupanis, ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ, à ſchiſmate venientibus, iuramentum obſequentiæ, & eiurationem ſchiſmatis audiuit; eoſque ad perſeuerantiam hortatus eſt: miſſa congratulatoria, *VIII. Cal. Iul.* ſcripta epiſtola. 3. Ioanni Caetano Nimphæ caſtri Domino, Honorato Comiti Fundano, pro caſtro Sermonetæ arma oſtentanti, vt ius ſuum coram Nicolao Epiſcopo Tuſculano communi arbitro per controuerſiam perſequeretur præcepit. *6. Idus Iunii.* 4. Nicolao Spinello Regni Siciliæ Cancellario, vt Ioannam Reginam, ad reſtituenda quædam Sedis Apoſtolicæ priuilegia, & inſtrumenta ad Eccleſiam Sancti Petri de Turri maiori, Ciuitatenſis diœceſis ſpectantia, Magiſtro Ioanni Benedicti, Rectori eiuſdem Eccleſiæ, & ſcriptori Apoſtolico, exque Archiuo Regio in quo repoſita fuerant extrahenda induceret, mandauit, eiuſque rei tum Reginam, tum Raymundum Baucium, & Ligurem Turlum admonuit. *5. Idus Iul.* 5. Symbolum fidei Catholicæ, quod *Saraceni* recens ad Chriſtianitatem conuerſi profiterentur, præſcripſit. *epiſt. pagin.* 107. 6. Contra hæreticos nonnullos *pagin.* 95. & contra eos, qui imagines argenteas, Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum ex Lateranenſi Baſilica furto ſuſtulerant, anathema dixit. *pag.* 155. 7. Nicolaum Capocium Epiſcopum Tuſculanum, die 26. Iulii amiſit. 8. Catharinæ Caroli Imperatoris filiæ, Marchioni Brandeburgenſi, vt Canonici Baſilicæ Vaticanæ, ſanctum Sudarium, Romam deuotionis cauſa properanti oſtenderent, commiſit. 18. *Calend. Septembr.* 9. Ne Carolus Bleſenſis, nuper in bello occiſus, quem, quaſi pro iuſtitia publica, vel fide Chriſtiana occubuiſſet, martyrem atque Sanctum, nonnulli, etiam religioſi, appellabant, atque pro tali prædicantes venerabantur, & in anniuerſario illius obitus ſolenne ſacrum inſtituebant, atque ad eius ſepulchrum proficiſcentibus, quemadmodum ad alia loca ſancta peregrinantibus ſolet fieri, ſigna quædam plumbea deferenda diſtribuebant, eiq; honorem, tamquam alteri ex Sanctis ab Eccleſia probatis, impendebant: ne id amplius, ante decretum Romanæ Eccleſiæ, Epiſcopi Britanniæ permitterent, ſed modis omnibus prohiberent edixit. 17. *Cal. Septembr.* 10. Ad XXII. diem Septembris, in Purpuratorum Senatum adlegit, Petrum Bercacum, Arnaldum Bernardi Alexandrinum Patriarcham, Philippum Cabaſolam Hieroſolymitanum Patriarcham, Simonem Langamum Archiepiſcopum Canthuarienſem, Bernardum Boſquetum Archiepiſcopum Neapolitanum, Ioannem Dornanum Epiſc. Belluacenſem, Stephanum Epiſcopum Pariſienſem, & Franciſcum Thebaldeſcum Priorem Sancti Petri de vrbe. Ne vero Philippus ex Patriarcha Cardinalis creatus, & adminiſtrationi Auiniouenſis vrbis pro Sede Apoſtolica intentus, eam vrbem ac illius curam deſereret, Pontifex ei præſcripſit. *8. Calend. Octob.* 11. In locum porro Simonis, Vuillelmum Vitleſeyum ex Epiſcopa. Vigorniæ, ad Eccleſiam Canthuarienſem, & Vuillelmum Lennium Epiſcopum Ciceſtriæ ad Eccleſiam Vigornienſem tranſtulit; Vuillelmum vero Rædum, Ciceſtrienſi Eccleſiæ præfecit. *Thom. Vualſingham de rebus Anglic.* 12. Cunonem Archiepiſcopum Treuirenſem, ab Engelberto Colonienſi Archiepiſcopo, ſenectute, paralyſi, & maximis debitorum oneribus grauato, Coadiutorem aſſumptum, probauit. *Chron. Sponheimenſe.* 13. Marauſum nomine, Neſtorianorum in Moſal, quæ eſt Seleucia Parthorum deſignatum Patriarcham, Romam venientem audiuit, eumque in Fide Catholica rite inſtructum, Sacris initiauit, & ad ſuos remiſit. *Iacobus Nauarcus in epiſtola Aſiatica.* 14. Romanorum Oratoribus, Paulo Vaiano, & Petro Sarragonio, qui vt ad vrbem quantocius reuerteretur, obſecrabant, cito ſe venturum, *Calend. Octobr.* reſpondit: nec multo poſt, Carolo Imperatore, Nicolao Areſtino, Franciſco Carrario, & aliis Principibus Italiæ & Germaniæ comitantibus, Romam reuertit. Vrbem ingredientem, omnes principes pedes ſecuti ſunt, Carolo Imperatore pedes quoque eunte, & frenum equi Pontificii, vſque ad Baſilicam Vaticanam Diui Principis Apoſtolorum tenente, & poſtmodum ſtratoris officio humiliter defungente. Indidem, cum Vrbanus Pontifex, Annam Caroli vxorem, Imperatricem renunciaſſet, ſacroque diademate exornaſſet, multos dies diſcutiendis conditionibus cum Bernaboue pactis, cum Imperatore impendit. Menſe Decembri, pace in vrbe Manguana publicata, cum Carolus & Pontifex nonnulla in tractatione dubia declarare differrent, Vicecomites collectis armis in agrum Mantuanum excurrentes *flammis* & cædibus pleraque fœdarunt, ac interim ad Pontificem & Imperatorem Oratores excuſatum ire iuſſerunt. Nolebat eos ſtatim audire Pontifex, ſed tandem & Caroli, & Cardinalium, & Principum perſuaſione adductus, eos in publico conſeſſu pacem probari poſtulantes exaudiuit, omniaque ex æquo & bono conceſſit: ſi modo Bernabos & Galeazius, Societatem Anglicanorum & Germanorum militum, perſolutis ſtipendiis abire ex Italia iuberent. *Corius hiſtor. Mediolan. parte 3. & M. Chron. Belgic.*

Inter hæc, cum Hugo Epiſcopus Lectorenſis, Campaniæ & Maritimæ, pro Eccleſia Romana Rector, Honoratum Fundorum Comitem, & Iacobum Caetanum Dominum Caſtri Spinei, vrgeret ſuper iuribus nonnullis in caſtris Sermonetæ, Baſſiani, & S. Felicis: veroque ſimillimum eſſet, poſſe pacem Prouinciarum illarum exinde turbari; Rectori quidem, ne quauis moleſtia illos afficeret præcepit; Arnaldum autem Archiepiſcopum Auxitanum Commiſſarium Sedis Apoſtolicæ deſignauit, qui de toto negotio cognoſceret, atque illis diem, ad homagium & iuramentum fidelitatis pro ca- IX.

ſtro Nimphæ Sedi Apoſtolicæ dicendum, deſignatum, vſq; ad proximam feſtiuitatem Reſurrectionis Dominicæ protogaret. *Viterbii XVI. Cal. Octo.* Cum vero idem Rector Campaniæ, Ioanni Caetano de Palatinis, ad diluenda nonnulla obiecta crimina diem dixiſſet, & is ad Sedem Apoſtolicam prouocaſſet, Pontifex eum peramanter ad ſe euocauit, *Rom. XII. Cal. Decemb.*

X. Venceslaus Dux Lutzemburgenſis, Eliſabetham neptem Ludouici Vngariæ Regis, ſibi in futuram vxorem deſponderat. Iſtud matrimonium futurum, quod non eſſet ex publica Chriſtianitatis re; Vrbanus, Ioannem Epiſcopum Aquenſem, & Petrum Begonis Archidiaconum, qui ſponſalia de futuro diſſoluerent, Nuncios ablegauit. Agapetum quoque Columnium, Epiſcopum Aſculanum, in Germaniam, pro grauiſſimis Apoſtolicæ Sedis negotiis Nuntium, cum ampliſſimis facultatibus deſtinauit *Romæ 5. Calend. Ianuar.* quo etiam Carolus Quartus Imperator, rebus ex ſententia animi cum Pontifice in vrbe compoſitis, Ianuario ineunte properauit, ingenti poſt ſe deſiderio relicto. *Cortus ſupr.*

XI. CONSTITVTIO VRBANI PRO IMMVNITATE ECCLESIASTICA. LAICI BANNIENTES SEV RELEGANTES AVT PROSCRIBENTES PERSONAS ECCLESIASTICAS EXCOMMVNICATIONIS SENTENTIAM INCVRRVNT.

Eodem anno Vrbanus Papa conſtitutionem pro immunitate Eccleſiaſtica euulgauit quæ ita habet.

Vrbanus Epiſcopus Seruus Seru. Dei, ad perpetuam rei memoriam. Quia ſicut diſplicenter accepimus, nonnulli diuerſarum partium principes, Marchiones, Duces, Comites, Barones, & alii Nobiles, necnõ poteſtates, capitanei, bauliui, ſcabini, aduocati, rectores, iudices & conſules, aliique officiales & conſiliarii ciuitatum, oppidorum, terrarum, caſtrorum, & aliorum locorum, aliique laici & laicales perſonæ, dominium ſeu iuriſdictionem in temporalibus obtinentes, necnon ipſarum ciuitatum communia & oppidorum, caſtrorum terrarum & aliorum locorum vniuerſitates, non attendentes quod laicis in clericos & perſonas Eccleſiaſticas & illorum bona, nulla ſit attributa poteſtas, nihilominus miniſtros Eccleſiæ, etiam interdum in dignitatibus conſtitutos temeritate propria bannire ſeu relegare aut proſcribere non verentur. Nos aduerſus temeritatem huiuſmodi remedium apponere cupientes, omnes & ſingulos talia præſumentes, & ea fieri mandantes, ſeu eorum nomine vel mandato facta rata habentes vel in eis faciendis dantes auxilium, conſilium vel fauorem, ſi ſingulares perſonæ fuerint, cuiuſcunque præeminentiæ, dignitatis, ſtatus vel conditionis exiſtant, earum videlicet ſingulas, ſi vero communitates vel vniuerſitates extiterint, omnes & ſingulos earum communitatum & vniuerſitatum poteſtates, capitaneos, baiulinos, ſcabinos, aduocatos, rectores, iudices, conſules & officiales quocunque nomine cenſeantur, ac conſiliarios & priuatas perſonas quæ huiuſmodi ſacrilegii principaliores patratores exiſterent excommunicationis ſententias incurrere, necnon quamlibet earumdem communitatum ſeu vniuerſitatum, ac illa ipſorum Principum, Marchionum, Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium & aliorum quorumcumq; laicorum & laicalium perſonarum talia præſumentium, in quibus talia fierent, ciuitates, terras, oppida, caſtra & alia loca Eccleſiaſtico interdicto ſubiacere volumus ipſo facto; nulluſq; ab eiſdem ſententiis per alium quam per Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo, poſſit abſolui, nec interdictum huiuſmodi per alium etiam relaxari. Non obſtante ſi aliquibus communiter vel diuiſim à Sede Apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari, ſuſpendi vel interdici non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi & eorum propriis nominibus mentionem, & quibuslibet conſtitutionibus, priuilegiis & literis Apoſtolicis contrariis, de quibus etiam plena & expreſſa in noſtris fieri oporteat mentio. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum quarto Idus Decembris anno ſex.

XII. LVDOVICI COM. FLAND. MAGNVM IN MATREM PIETATIS EXEMPLVM.

In Belgio magnum pietatis erga matrem exemplum dedit, Ludouicus Comes Flandriæ. Carolus Rex Galliarum, ad Calendas Septembris conceſſerat Tornacum, ad conciliandam matrimonium inter Philippum fratrem ſuum, & Margaritam filiam vnicam Flandriæ. Ea res cum parum cordi eſſet Ludouico, à Rege euocatus, Tornacum non venit, aduerſa valetudine ſimulata. Aymundo Cantabrigienſi, Flandri, paterque promiſerant, Galli per ſeptem totos annos ſponſam petierant, neque cum altero ſociaretur, etiam Pontificem Vrbanum, vt prohiberet, adduxerant. Mater Ludouici interim, quæ Gallorum tota erat, mirum in modũ filium ſollicitabat, vt deſpoſatione Anglica reſciſſa, Burgundica quoquo modo admitteretur. Cumq; cognouiſſet filium nullum finem facere tergiuerſandi, è veſtigio Mechliniam ad eum cõtendit. Vbi poſtquam de obſtinato ipſius animo & nuptiis Anglicis multa grauiter eſſet queſta, eumque grauiter increpaſſet, tandem reiecta ſuperiore veſte, dexteram mamillam exeruit, tenenſque illam in manu; *Ego, inquit, tua genitrix, & Comes Atrebateſia, te deprecor, vt de his nuptiis, & Regis tui, & matris facias voluntatem. Quod ſi recuſes hanc quæ te & non alios lactauit mamillam, in opprobrium tuum ferro abſciſſam canibus obiiciam. nec vmquam Comitatu meo Atrebatenſi frueris.* Ad hæc tã commotæ matris verba flexus naturali pietate Ludouicus, ad pedes ſe illi proiecit, modeſteque eam allocutus; *Mater,* inquit, *volo in tua manere poteſtate, tuæq; ac Regis obtemperare voluntati.* Sic placata vtcumque mater; nuptiæ tamen in annum adhuc proximum extractæ; quamuis Pontifex eos lege canonum exſoluiſſet, vt in gradu propinquo iungerentur. *Annal. Fland. lib. 13.*

XIII. VITA B. PAVLÆ CAMALDVLEN. VIRG. FLORENT.

Felicior, Paulæ Camaldulenſis, Florentinæ virginis pater, qui illam matrimonio deſtinatam, illa ipſa ſupplicante, atque Deo ipſo mouente, propoſitum mutauit, virginemque viuere ſuſtinuit. Nata hæc Florentiæ, & Tinga à parentibus olim appellata, ſtatim ab infantia ſua Beatæ Deiparenti eiuſque filio totam ſe conſecrauit neque ab imagine Diuæ puerum lactantis oculos fere vmquam auertit, totos dies nocteſque contemplationi lotenta. Meruit, eandem cum infantulo apparentem aſpicere, & ab oſculo puerulí lactis rorem deguſtare; à quo illa inebriata cum in amorem cœleſtium exarſiſſet, audiuit Virginem Matrem iubentem; iret ad proximum titulo SS. Angelorum cænobium, vbi Syluester Camaldulenſium Ordinem profeſſus, viam ſalutis æternæ illi aperiret. Cumq; ſe neſcire Monaſterium excuſaret, illico in viſione, illud & F. Syluestrum intuita eſt, ſpecie obiecta mox diſparente. Ad eundem Syluestrum à patre adducta, cum is ſimplicitate columbina virginẽ præditam eſſe intellexiſſet, deque viſione ſuperiore aliquid ab ea didiciſſet, ad virginitatis propoſitum hortatus eſt. Metuebat pater, ne illam à matrimonio ineundo Syluester retraheret; itaque Genuam ducere inſtituit; ſed tamen illam mox Florentiam ex itinere reduxit; motus eiulatibus puellæ, quæ in oratione ſponſum Ieſum ambiebat, quaſi ob oculos haberet imaginem illius pridem obiectam.

DIVERSÆ EIVS VISIONES.

Florentiam reducta, à Syluestro religioſo, flammeum virginitatis ſuſcepit, Paulæq; nomen adepta, in monaſterio S. Margaritæ ieiuniis, orationibus, & contemplationi rerum cœleſtium vacauit. Lachrymarum illi in meditatione tanta vbertas, vt pauimentum cui inſiſtebat inundaret. Præparatio ad ſanctiſſimam hoſtiam, ſingulis feſtiuitatibus Eccleſiaſticis accipiendam, vt etiam cœleſtibus reuelationib. dignaretur. Angelos quoque, ſuauiſſimos concentus edentes non ſemel audiuit, Chriſtum cæruleo paludamento indutum, aureo fulgore chordulas nonnullas illuſtres ferentem; alio tempore Angelum pallam auream manu ſtringentem ex qua ſuauis harmonia audiretur; necnon B. Iacobi Gerii Camaldulenſis animam ad cœlum ferri aſpexit, aliquoties



quoties etiam Ieſum cruci affixum; eundem item paruuli aſpectu, multoties vidit, quoties vel myſteriũ Dominicæ paſſionis, vel ouem ab Euangelico paſtore inuentam ſublatamq; in humeros, vel diuinam charitatem ex lectione Euangelii contemplaretur. Defuncto Syluestro præceptore, ſecũdum quietem aſpexit Deum Imperatoris ſpecie in ſublimi throno conſidentem, ſtipatum multo agmine Principum cœleſtium, inter quos Antonius Patauinus aſtaret, & ipſe Syluester tabellam diuiſam geſtans, in cuius parte altera imago Chriſti in cruce affixi, in altera SS. Virginis mirabiliter impreſſa eminerer; ex cuius aſpectu inenarrabili dulcedine perfunderetur. Piſanis agrum Florentinum ferro flammaq; vaſtantibus, anno Chriſti 1361. oranti, ne palatia circumuicina vrerentur, Saluator apparuit, lemboq; veſtis retracto, manu protenſa ad eam innuit; *Sineret ea incinerari, quæ domicilium eſſent Sathanæ, in quibus nullum flagitii genus non committeretur.* Arſerunt omnia circumcirca; domuncula tantum & vinea Camaldulenſium monachorum, pro quibus illa flagitauerat, illæſis. Biennio poſtea, cum Florentini in Piſanos exercitum duxiſſent, apud Portam S. Fridiani, Paula in ſpiritu rapta, S. Ioannem Baptiſtam crucem ſiniſtra ferentem, & dextera proficiſcentibus aduerſus hoſtes benedicentem vidit, certamq; victoriam ciuibus prædixit, quam cum illi obtinuiſſent, monente Paula, in Diui Ioannis patrocinium conceſſerunt. Alicuius fœminæ animam, purgatorii pœnis addictam, ab eiſdem oratione liberauit, poſtquam ſe illi quæ patiebatur obieciſſet.

EIVS OBITVS.

Salutis animarũ ſitiens, multos ad meliorem frugem ſanctis exhortationibus conuertit; necquicquam metuens, etiam Monachos, Sacerdotes, & religioſos ad amorem cœleſtium inflammare, vtque populis exemplo eſſent, admonere. In hoc virtutum exercitio cum quinquaginta annos exegiſſet, laboribus fracta in ægritudinem extremam hoc anno incidit. In qua, poſtquam Principes Apoſtolorum Petrum & Paulum intuita eſſet, & ab eis multam conſolationem perſenſiſſet, Sacramentis Eccleſiaſticis ſumma cum deuotione demiſſioneque animi ſuſceptis, nomine Ieſu frequentius inuocato, ex humanis deceſſit, ſexto Ianuarii die. Octauo poſt mortem anno, cuidam Monialium apparens, cænobium Camaldulenſium titulo SS. Anglorum Florentiæ, ne inter tumultum popularem tunc temporis excitatum, incenderetur, orationibus profuſis impetrauit. Aliquis iſtud diſtichon, illi & Syluestro Camaldulenſi ſcripſit:

*Quod Paulam docuit Syluester viuere Chriſto,*
*Atque mori; vtrique eſt vita beata Deus.*

*Auguſtinus Fortunius Feſulanus Monachus Camaldulenſis in vita B. Paulæ, Florentiæ excuſſa anno Domini* 1595.

XIV. OBITVS PHILIPPÆ EDVARDI REG. ANG. VXORIS.

In Anglia, circa hoc tempus obiit Philippa Edouardi Regis vxor, prolixe de Eccleſiis Angliæ & patriæ ſuæ, pauperibuſque vtrobique merita. Hæc Oxonii, aulam illam quæ Reginæ aula vulgo dicitur, condidit, & idoneis poſſeſſionibus ad diſcentium ſumptus inſtruxit. Cum ſupremum diem obiret, maritum præſentem enixe rogauit, vt tria ſibi mortuæ præſtaret. Primum, vt quæ Eccleſiis ſiue Angliæ, ſiue patriæ ſuæ donaſſet aut promiſiſſet, rata haberet; & ſi forte promiſſa omnia huiuſmodi ad rem non contuliſſet, prærnaturius erepta, vt ipſe illa perficeret & impleret. Secundum, vt æs alienum quod conflarat, diſſolueret. Tertium, vt quandocumque ipſe vitam humanam exueret, vt hactenus intimo & illibato amore coniungebantur, ita & communi ſepulchro coniungerentur. *MS. Vatic. de rebus Anglic. fol.* 169.

# IESV CHRISTI
## Annus 1369.

### VRBANI PAPÆ. V. ANNO 7. CAROLI IV. Roman. Imperat. anno 14. Ioannis Palæologi Imperat. Orientis anno 1.

I. PALÆOL. IMP. AMVRATHEM TIMENS IN ITALIAM PROPERAT.

AMurates Turcarum princeps, magnos per hæc tempora tum in Europa, cum in Aſia fecerat progreſſus. In eius poteſtatem venerat inprimis Rex Myſiorum Brageſes, Zarzi filius; necnon Bogdanus, qui Rhodopen imperio tenebat. Acceſſere etiam in ditionem & alii Europæi duces, Tryballorum videlicet, Græcorum & Albanorum. His omnibus Imperio ſuo admotis, etiam Aſianis ducibus ſtipatus, Ioannem quoque Palæologum imperatorem bello laceſcere conſtituit. Hic porro, cum animaduerteret, res illius incredibili ſucceſſu augeri, in Italiam nauigauit, primoque Ioannam Reginam Siciliæ, die Sacro Diui Laurentii adiit, oraturus auxilium. Pontificem quoq; Vrbanum interpellauit, inque eius poteſtate ſe futurum dixit, ſi modo ſuppetias aliquas aduerſus Turcas concederet. Romam præcipue properabat accedere, vt ibi in Orbis vniuerſi theatro, fidem Orthodoxam, ex formula Romanæ Eccleſiæ profiteretur, ſeque ac vniuerſos ſubditos Græcani ritus, Occidentali Eccleſiæ coniungeret.

ROMÆ FIDEM ORTHODOXÃ EX FORMVLA ROM. ECCL. PROFITETVR.

Huic profeſſioni audiendæ, & vniuerſo negotio peragendo, Vrbanus Papa, datis literis Viterbii, Nonis Octobris, Pontificatus anno VII. quattuor Cardinales Legatos in vrbem deſtinauit; Guillelmum Epiſcopum Oſtienſem, Bernardum Baſilicæ XII. Apoſtolorum, Franciſcum tituli S. Sabinæ presbyteros, & Raynaldum S. Adriani Cardinalem Diaconum. In coram eis, hæc infraſcripta ex ſcripto, Imperator, audiente frequẽtia populorum innumerabili, Græco idiomate pronunciauit, ſpopondit, iurauit, & dato diplomate confirmauit, in Baſilica principis Apoſtolorum. Ita habet exemplar, in archiuo molis Adriani.

*In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.*

II. ARTICVLI PROFESSIONIS ET IVRAMENTI PALÆOL. IMP. ET ALIORVM GRÆCORVM.

*Ego Ioannes in Chriſto Deo fidelis Imperator, & Romæorum Moderator Palæologus, Spiritus Sancti lumine illuſtratus, volens ſaluti animæ meæ prouidere, ſponte veni ad ſacram vrbem Romanam, Sanctiſſimum Patrem Dominum Vrbanum diuina prouidentia Papam Quintum, & Sanctam Sedem Apoſtolicam viſitaturus, ac eiuſdem Domini Papæ vel alterius, ſeu aliorum ab eo in hac parte deputatorum manibus recogniturus & profeſſurus Fidem Catholicam, quam Sacroſancta Romana ac vniuerſalis Eccleſia profitetur, tenet & docet, & circa perpetuam obſeruantiam eiuſdem fidei præfati Domini Papæ, ac ſuorum ſucceſſorum Romanorum Pontificum mandatis plenarie & efficaciter pariturus. Ideoque in præſentia veſtrum Reuerendiſſimi Patres, Domini, Guillhelme Epiſcope Oſtienſ. & Bernarde Baſilicæ Duodecim Apoſtolorum, ac Franciſce tituli S. Sabinæ presbyteri, & Raynalde S. Adriani Diacone, Cardinales, Commiſſarii ſuper hoc à præfato Domino Papa deputati, ac Venerabiles viri eiuſdem Sedis Notarii, & teſtium infraſcriptorum perſonaliter conſtitutus,* 1. *profiteor & credo Sanctam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, vnum Deum Omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem, coeſſentialem & conſubſtantialem, coæternam & coomnipotentem, vnius voluntatis, poteſtatis & maieſtatis, Creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia, à quo omnia quæ ſunt in cœlo & in terra, viſibilia & inuiſibilia, corporalia & ſpiritualia.*

2. *Item Credo ſingulam quamque in Trinitate perſonam, vnum verum Deum, plenum & perfectum.*

3. *Credo ipſum Filium Dei, Verbum Dei, æternaliter natum ex Patre conſubſtantialem, vnius & eiuſdem omnipotentiæ, & coæqualem per omnia Patri in Diuinitate: in tempore conceptum de Spiritu Sancto, natum ex Maria ſemper virgine cum anima rationali; duas habentem Natiuitates; vnam ex Patre æternam,* alteram

*alteram ex Matre temporalem; Deum verum & hominem verum, proprium in vtraque natura atque perfectum; non adoptiuum, neque ſecundum phantaſiam, ſed verum & vnicum Filium Dei, in duabus & ex duabus, diuina ſcilicet & humana naturis, ſed in vnius ſingularitate perſonæ; impaſſibilem & immortalem diuinitate, ſed in humanitate pro nobis & ſalute noſtra paſſum, vera carnis paſſione; mortuum & ſepultum; & deſcendiſſe ad inferos, & tertia die reſurrexiſſe à mortuis, vera carnis reſurrectione: die quadrageſimo poſt reſurrectionem, cum carne qua reſurrexit & anima aſcendiſſe ad cœlum, & ſedere ad dexteram Dei Patris; inde venturum iudicare viuos & mortuos, & redditurum vnicuique ſecundum opera ſua, ſiue bona fuerint, ſiue mala.*

4. *Credo etiam, Spiritum Sanctum plenum & perfectum verumque Deum, ex Patre & Filio procedentem, coæqualem, & coeſſentialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio.*

5. *Credo, hanc Sanctam Trinitatem, non tres Deos, ſed vnum Deum Omnipotentem, æternum, inuiſibilem & incommutabilem.*

6. *Credo, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam, vnam eſſe veram Eccleſiam, in qua vnum datur Baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum.*

7. *Credo veram reſurrectionem eiuſdem carnis, quam nunc geſtamus, & vitam æternam.*

8. *Credo etiam, noui & veteris teſtamenti, id eſt legis, & veteris, & nouæ Prophetarum & Apoſtolorum vnum eſſe Auctorem Deum & Dominum Omnipotentem.*

9. *Credo, hanc eſſe veram fidem Catholicam; & quod hanc ſuper dictis articulis tenet & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia; & propter diuerſas hæreſes, à quibuſdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductas, dicit & prædicat, eos qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos ſed per veram pœnitentiam, ſuorum poſſe conſequi veniam peccatorum. Quod ſi vere pœnitentes in charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis, poſt mortem purgari, & ad pœnarum huiuſmodi alleuiationem & liberationem prodeſſe eis fidelium viuorum ſuffragia, ſcili. ſacrificia, orationes & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueuerunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta.*

10. *Credo etiam illorum animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerũt, illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ prout dictum eſt ſuperius ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi: illorum autem animas qui in mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.*

11. *Eadem Sancta Romana Eccleſia credit & firmiter aſſeuerat, & quod nihilominus in die iudicii, omnes homines ante tribunal Chriſti, cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.*

12. *Item credo, ſicut tenet etiam & docet eadem Eccleſia Romana, ſeptem eſſe Eccleſiaſtica Sacramenta, vnum ſcilicet baptiſma, de quo dictum eſt ſupra. Aliud eſt Sacramentum confirmationis, quod per manus impoſitionem Epiſcopi conferunt, criſmando renatos. Aliud eſt pœnitentia: aliud eſt Euchariſtia. aliud eſt Sacramentum Ordinis: aliud Matrimonii: aliud eſt extrema vnctio, quæ ſecundum doctrinam Beati Iacobi infirmantibus exhibetur.*

13. *Sacramentum Euchariſtiæ ex azimo ſacrificat Eccleſia Romana prædicta, tenens & docens, quod in ipſo Sacramento, panis vere tranſmutatur in corpus, & vinum in ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

14. *De matrimonio vero tenet, quod nec vnus vir ſimul plures vxores, nec vna mulier ſimul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius coniugẽ ſecundas, & tertias, & deinceps nuptias ſucceſſiue licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum, & cauſa alia non obſiſtat.*

15. *Ipſa quoque ſacroſancta Romana Eccleſia, ſummum & plenum Primatum & principatum ſuper vniuerſam Catholicam Eccleſiam obtinet, quem ſcilicet ab ipſo Domino, in Beato Petro Apoſtolorum Principe ſeu vertice, cuius Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum plena poteſtate recepiſſe veraciter & humiliter recognoſcit: & ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones ſuo debent iudicio definiri: ad quam poteſt grauatus quilibet in negotiis ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus appellare. Sed & in omnibus cauſis ad examen Eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius recurri poteſt iudicium & eidem omnes Eccleſiæ ſunt ſubiectæ: ipſarumque Epiſcopi obedientiam & reuerentiam ſibi debent: apud quam ſic plenitudo poteſtatis conſiſtit, quod Eccleſias cæteras ad ſollicitudinis partem admittit; quarum multas, Patriarchales præcipue, diuerſis priuilegiis eadem Romana Eccleſia honorauit, ſua tamen præcellenti dignitate, & ſuperioritate, tam in generalibus Conciliis, quam in quibuſcumque aliis ſemper ſalua. Vnde ſupraſcriptam fidei veritatem, prout plene lecta eſt, & fideliter expoſita, veram, ſanctam, & Orthodoxam fidem eſſe recognoſco, eam accepto, & corde, ac ore profiteor, ipſamque prout eam veraciter tenet, & fideliter docet, & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia, me inuiolabiliter ſeruaturum, & in ea omni tempore perſeueraturum, nec ab ea vllo tempore receſſurum, ſeu quoquo modo deuiaturum promitto, & abrenuncio omni ſchiſmati.*

16. *Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius Eccleſiæ obedientiam ſpõtaneus veniens fateor & recognoſco, accepto, ac ſponte ſuſcipio: & me omnia præmiſſa, tam circa fidei veritatem, quam circa dictæ Eccleſiæ Primatum, & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſeruantiam & perſeuerantiam ſeruaturum, præſtito corporali iuramento promitto & confirmo. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia. Quod ſi contra hæc aliquid ſentire, confiteri, aut aliud agere præſumpſero, me ſchiſmaticum, & anathematizatum eo ipſo recognoſco, & ſeueritati ſacrorum canonum ſubiacere. Ad certitudinem prædictorum & cautelam maiorem, præſens iuramentum myſticum expoſui, & inſtrumentum feci bulla aurea munitum. Scriptum in antiqua Roma, anno ab incarnatione Domini M.CCC.LXIX. Indict. VII. die XVIII. menſis Octobris, præſentibus Reuerendo Patre Domino Paulo Patriarcha Conſtantinopolitano, Domino Nicolao Aurenopolitano Epiſcopo, Religioſo viro Fratre Antonio de Athenis interpretibus ad præmiſſa expoſitis, electis noſtris Reuerendiſſimis Cardinalibus ad præmiſſa authorizantibus, dictoque Imperatore ab ipſis ad oſculum pacis recepto, & gremio Sacræ Romanæ Eccleſiæ aggregantibus, vt vero Catholico Chriſtiano.*

Paulus Patriarcha, & F. Nicolaus Epiſcopus & F. Antonius Ordinis Minorum, fuere præſentes audiendæ profeſſioni Palæologi, quod hi à Commiſſariis Cardinalib. authoritate Apoſtolica, fuiſſent, auditioni & interpretationi, deputati, callentes linguam Græcam & Latinam, & iureiurando in ſe recepiſſent, fideliter referre Latino idiomate verba Imperatoris Græce profitentis, & aliorum Græcorum, qui ad exemplum Palæologi profiteri volebant. Actum Romæ, die & anno, quibus ſupra, Pontificatus SS. Domini Papæ Vrbani Quinti, præſente Nicolao tituli S. Mariæ in via Lata Diacono Cardinali, & Arnoldo Archiepiſcopo Auxitano, Franciſco Cataluſio Domino Inſulæ Metelini, Michaele Strongillo milite, Philippo Cauthaudelio Domicello Conſtantinopolitano, & aliis quamplurimis.

III.
PALÆOLOGVS IMP. PONT. VENIENTI OBVIAM PROCEDIT FRENVMQVE ILLIVS TENET, ET STRATORIS OFFICIO EODESCENDENTE FVNGITVR.

Eam profeſſionem fidei, coram Cardinalibus Commiſſariis factam, cum Vrbanus Pontifex accepiſſet, Romam, Viterbio properauit. Huic venienti Palæologus Imperator obuiam extra vrbem proceſſit, & deoſculatis ex more Pontificis pedibus, frenum equi illius tamdiu tenuit, donec ad gradus Baſilicæ Vaticanæ equo inſidentem Vrbanum, pedes incedens adduceret. Stratoris deinde officio, deſcendẽte ex equo Põtifice functus, ab eodem Vrbano ad aram maiorem Principis Apoſtolorum introductus, ibidem, audiente Nicolao tituli S. Mariæ in via Lata Cardinali, ex eadem formula profeſſus eſt fidem Catholicam: eiuſq; profeſſionis aliud inſtrumentum aurea bulla, eodem anno 1369. & menſe Octob. dedit ſignatum: cum Vrbanum Pontificem, facris more Latino operantem audiret.

IV.
OCCVPATORES BONORVM SED AP. ANATHEMATE DAMNANTVR.

Abiurato ſchiſmate Ioannes Palæologus Græcorum Imperator, mox ad alia tractanda cum Pontifice animum adiecit, omniaque pro voto obtinuit. Societas Anglicorum, Ioanne Auguto Duce, plurimum poſſe





nuare conatus illius adhæſiſſe Græcos videbatur. Ioannes Augut. & reliqui ſocii, quod Sedis Apoſtolicæ plurima caſtra & vrbes violaſſent, anathemate damnati, cœtu piorum excluſi fuere. Conceſſit Palæologo Vrbanus, dat. decreto *ad XI. Cal. Ian.* Augutum & ſocios tẽtandi, & in Orientem auxiliorum cauſa euocandi. Timebat is, ne fraude aliqua, ſub ſpecie colloquii interciperetur. Itaque tam illi, quam octo ſociis, Pontifex, veniendi, & cum Imperatore paciſcendi, nec non Conſtãtinopolim abeundi poteſtatem fecit. Inſuper Reginæ Siciliæ, & Philippo Tarentino dicto Imperatori Conſtantinopolitano, vt abeuntes benigne haberent, iniũxit: nec non Venetis ac Ianuenſibus, qui armis & viris Palæologum iuuarẽt, commiſit. Hærebat apud aliquos ſcrupulus, an vere & ex animo Imperator Græcorum ſchiſma eiuraſſet, & an illũ pro Orthodoxo habere deberent. Eum Vrbanus exemit, publicato edicto *Romæ, Idib. Nouem.* ne ſecus æſtimarent vniuerſi & ſinguli Eccleſiæ Romanæ deuoti, de Palæologo, quam ipſa Romana Eccleſia, quæ ſchiſma eiurantem, & Primatum Sedis Apoſtolicæ profitentem, albo Catholicorum Eccleſiæ filiorum aſcripſit.

V.

Antequam iſta Romæ agerentur, Carolus Romanorum Imperator, Italia, in Germaniam exceſſerat, euocatus tum domeſticis, tum externis bellis. Caſimirus Rex Poloniæ inimicitias cum eo ſuſceperat, iniuria prouocatus, quod Venceslao filio, Carolus, Annam, vel Cunegundem Caſimiri filiam deſponſari à Pontifice petiiſſet, & poſtea retractaſſet, exorto à Pontifice diplomate, quo cauebatur, ne ea diſpenſatio quicquam aut Ludou. Vngariæ Regi, aut Eliſabethæ Romanorum Imperatrici, vel Eliſabethæ Vngariæ Reginæ, aut Caſimiro Duci Steinenſi incommodi afferret. *Nonis Decemb.* Agebatur, vero, vt vterq; Rex alienus à conſanguinitate Imperatoria eſſet. Itaque & Ludouicus hoc ipſo tempore bellum Carolo indixit, & Morauiam infeſtis armis afflixit; & Caſimirus cum eo fœdus atque ſocietatem, contra Carolum Imperatorem & Regem Boemorum iniuit, animo iniurias perſequendi. Quas vt depelleret Imperator, in Germaniam reuerterat, occaſione relicta Vicecomitibus arma aduerſus Pontificem & Eccleſiam recipiendi. *Cromerus lib.* 12. Contra hos, cum imparatus eſſet Vrbanus, Ioannem Epiſcopum Aquenſem, & Petrum Begonis Archidiac. in Germaniã & Vngariam Nuncios miſit, qui inprimis ſponſalia inter Venceſlaum Regem Boemorum, & Eliſabetham neptem Regis Ludouici dirimerent, tũ deinde ad concordiam Carolum & Ludouicum reuocarent, ac quod in votis fuerat, auxilia aduerſus Bernabouem ab vtroque poſtularent. *epiſt. pag.* 14. 105. 118. Decem millia pugnatorum volebat ſecum ducere in Italiam Ludouicus, ac tantiſper donec hoſtes Eccleſiæ ad internecionem delerentur, Sedi Apoſtolicæ cum confœderatis principibus militare; ſi tamen Romanus Pontifex tertiam, reliqui duas partes ſtipendiorum illi numerarent. Iniunxit Pontifex Anglico Cardinali Albanenſi, Sedis Apoſtolicæ Legato, vt primo Florentinorum, deinde reliquorum animos Principum, num decernerent aliquid conferre, tentaret: & ſi Ludouicus in Italiam maturaret, ipſe & Petrus Cardinalis obuiam iret, & ſumma gratulatione exciperet. 17. *Calen. Ian.* Merito Vrbanus à Florentinis primo auxilia pecuniaria venabatur. Nam ipſis ab Ioanne Auguto, incitante Bernaboue, profligatis, ſubſidia tempeſtiua ſubmiſerat, data commiſſione Egidio Cardinali, qui cum armatis ſuccurreret. *VII. Idus Decembr.*

PACEM INTER CAR. IMP. ET LVDOV. HVNG. REG. PROCVRAT ET AB VTROQ. AVXILIA ADVERSVS BERNABOVEM NOVA MOLIENTẼ POSTVLAT.

VI.
AD QVAS CALAMITATES REDACTVS FVERIT VRBANVS AB ADVERSARIIS ECCLESIÆ.

Præter Vicecomites, contra Eccleſiam inſurgentes, Peruſini quoque ceruices exeruerant, adeoque dominium Sedis Apoſtolicæ detrectabant. Neceſſe habuit Vrbanus iniurias ab Auguto receptas (quadringenti Angli Pontificem apud Montem Faliſcum prope obſederant, & ſagittas in cubiculum trepidantis intorſerant vt aliquid pecuniarum extorquerent, ſiue adeo concitante Bernaboue conficerent) diſſimulare, vt eius opere aduerſus rebelles vteretur, quos Bernabos incitabat. *Cyprian. Manent. libr. 3. Corius hiſtor. Mediolan. parte 3.* Porro tam graues fuere aduerſarii Pontifici, vt is de deſerenda Italia iam tum cogitarit, nec non Carolum Imperio exuere (vt Trithemius memorat) voluerit, quod ſubſidia ex pacto debita non miſiſſet, quæ flagitabat. *Chron. Sponheim.*

VII.
MIRACVLVM BRVXELLIS DE SACRIS HOSTIIS A IVDÆIS PVGIONIBVS CONFOSSIS.

Duo tunc in Germania accidiſſe memorantur. Menſe Iunio, Iudæi Bruxellæ venerabile corpus Chriſti pugionibus & gladiis transfixerunt, vnde per miraculum cruor copioſe effluxit, propter iſtud ſcelus multi illorum in eodem oppido viui fuere concremati. *Annal. Flandr. lib.* 13. Alii rem accidiſſe in hunc modum tradunt.

Hoc anno Bruxellis in Belgio, Iudæi, in ſacram Euchariſtiæ hoſtiam, immanitatem exercuerunt, ſuccedente miraculo & vindicta. Præerat Brabantiæ Vuenceslaus filius Regis Boemiæ, Ioannæ filiæ Ioannis tertii Ducis Brabantiæ coniunx: cum Ionathas Archiſynagogus Iudæorum thecam cum 16. hoſtiis conſecratis, ab improbo quodam cuſtode Sacelli Diuæ Catherinæ Virginis & Martyris furto ablatam triginta argenteis emiſſet. Has ipſas eaſdem hoſtias ad ſuæ fæcis homines, in aliis locis commorantes miſit, vt ad Dei contumeliam eaſdem horrendis iniuriis afficerent. Factum eſt autem die Paraſcheue, cum Iudæi Bruxellis in vnum locum ſimul conueniſſent, vt eaſdem ſacras hoſtias in medium protulerint, pugionibus & cultris confoderint, & contumelioſe habuerint, adeo vt ſanguis exinde vberrimus, non ſine ipſorum admiratione effluxerit. Cupientes occultare id quod erat, matronæ cuidam Ioannæ, non ita pridem à Iudaiſmo ad Catholicam veritatem conuerſæ multam pecuniam numerarunt, vt hoſtias acciperet, & adhuc ſanguine ſcatentes occultaret. Accepit quidem illa, ſed acri conſcientiæ ſtimulo compuncta, &, vt par eſt credere, ab Angelo præmonita, Petrum Hedanum Parochum conuenit, ei ſcelus aperuit, hoſtias confixas & cruore madentes detulit, Iudæoſque ſacrilegos indicauit. Horum plurimos Vuenceslaus in vincula abductos, & ſceleris conuictos, forcibus igneis dilacerari, & tandem exuri præcepit. Annal. Belg.

MAGNA INTER CIVES ET CLERVM COLONIÆ COMMOTIO RATIONE IMMVNITATIS ECCLESIASTICÆ.

Eiſdem temporibus (verbis auctoris M. Chron. Belg. rem narro) ſurrexit magna commotio & turbatio inter Rectores & vniuerſitatem ciuium Colonienſium ex vna, & Eccleſias atque Clerum ipſius ciuitatis communiter ex altera parte. Nam Conſules & maiores ciuitatis Clero ſemper infeſti, ſtatuta & edicta publica de talliis ſcilicet rerum venalium generaliter per omnes ſoluendis, de euectionibus rerum neceſſariarum, præſertim vinorum extra Rhenum, de vinis ad forum commune nonniſi certis locis ſub certo pretio & menſura vendendis, & huiuſmodi ſimilia decreuerunt; per quæ ſub fucato prætextu publicæ vtilitatis perſonas Eccleſiaſticas & res ipſarum talliare & collectare, nec non libertates Eccleſiaſticas & immunitates ſupprimere occulte conabantur. Clerus igitur ciuitatis aduertens peruerſam eorum malitiam, vnanimi concordia pro iuſtitia & libertatibus ſuis conſeruandis viriliter ſe oppoſuit, & minas quas ciues contra eos fulminabant non curantes, iubente Vrbano Pontifice, ſacris ablatis vrbem multauerunt; perque ſpatium duorum fere annorum ſub Eccleſiaſtico interdicto detinuerunt. Cumque per huiuſmodi interdictum malitia ciuium vinci non poſſet, Clerici ſimiliter in ſuo propoſito perſeuerantes, & pro domo Dei, iuxta propheticam ſententiam, murum ex aduerſo ſe opponentes, & contra hoſtiles ciuium auſus contendentes, tandem vniuerſi relictis Eccleſiis & loco, domibus & habitationibus, ſe & Capitula ſua cum omni ſuppellectili extra ciuitatem ad loca alia omnes tranſtulerunt. Cum igitur extra ciuitatem per annum & dimidium iam manſiſſet clerus, dicti Rectores & populus ciuitatis ad cor reuerſi, cum abſentiam cleri propter multas tum honeſtates,

TOTVS CLERVS MIGRAT EXTRA CIVITATEM.

Ceſſ ad concord. veniunt cum Clero Paciſcuntur.

tam eorum vtilitates atque commoditates ſibi minime expedire viderent, facta concordia cum Clero, eos cum pace in ciuitatem reuocarunt: ſtatutis & adiectis, quatenus libertates & immunitates Eccleſiaſticas tangebant, penitus abrogatis, & inſuper omnibus quæ Eccleſiis & ſingularibus perſonis de clero, per talliationem dictorum ſtatutorum indebite abſtulerant, reſtitutis.

XI. Cvno Archiep. Trever. Eccleſ. Colon. administrator et eius res geſtæ.

Adminiſtrabat tunc temporis Colonienſem Eccleſiam, Cuno Archiepiſcopus Treuirenſis. Quamuis enim Vrbanus Pontifex conceſſiſſet, vt is mortuo Engelberto Colonienſe Archiepiſcopo, ad eam cathedram poſſet ſi vellet, per ſuffragationem Canonicorum tranſire; ipſe tamen poſtulationi electorum Colonienſium noluit aſſenſum præſtare; contentus primo Commendatoris, deinde Vicarii Pontificii, ac demum Adminiſtratoris titulo eam ſedem implere donec æs alienum Eccleſiæ illius diſſoluiſſet, poſſeſſiones obligatas pignori redemiſſet, alias iniuſte occupatas de iniquis poſſeſſoribus recepiſſet, Cleri atque populi corruptos mores ad diſciplinam Eccleſiaſticam reuocaſſet, & ſeditioſos, armis, qua ſpiritualibus, qua temporalibus parere & quieſcere docuiſſet. Is oppidum Tulpedenſe, nobilem & antiquam Colonienſis Eccleſiæ poſſeſſionem, à longiſſimis temporibus alienatum, à Vuillelmo Duce Iuliacenſi redemit. Deinde publicam vindictam in ſeditioſos oppidi Andernacenſis, qui contra Vuillelmum Colonienſem Archiepiſcopum quondam ſe erexerant, exercuit, ſeditionis authoribus capitis ſupplicio afflictis, & aliis perpetuo exilio relegatis.

X. Qvomodo Comitatus de Arnsberg Eccl. Colonien. acceſſerit.

Illo adhuc Eccleſiam Colonienſem gubernante, acceſſit eidem Eccleſiæ nobilis poſſeſſio, Comitatus Arnsberganus, cum vniuerſis caſtris, dominiis, terris, iuribus, ac pertinentiis ſuis, hoc modo. Godefridus vltimus Comes de Arsberg, habens vxorem nobilem, de domo Comitum Cliuenſium, cum ambo ad ſenilem perueniſſent ætatem, liberoſque non haberent, & ſtatum Colonienſis Eccleſiæ in partibus Ducatus Vueſtphaliæ, quæ ad Colonienſem Eccleſiam pertinent, concuſſione bellorum ac iniuriarum incurſu Comes ſæpe multumque turbaſſet, tandem ſano mentis conſilio, prioris conditionis tempora recenſens, & improuide geſta meliori commutatione corrigere ſatagens, coniuge ſua Comitiſſa ſimiliter annuente, donatione perpetua inter viuos, Comitatum Arnsberganum Eccleſiæ Colonienſi, cum caſtris, terris & dominiis, hominibus, miniſtralibus, vaſallis, & cum omni patrimonio, & ſpectantibus ad eundem Comitatum, donauit: quorum tamen nonnulla de caſtris, oppidis & iuriſdictionibus eiuſdem Comitatus antea ad ius Colonienſis Eccleſiæ iure dominii pertinentia, ab eadem Eccleſia Comes poſſidebat. Et vt huiuſmodi donatio Comitatus firmius ſubſiſteret, ipſe Comes perſonaliter de dicto Comitatu adhuc viuens ceſſit, & poſſeſſionem caſtrorum, terrarum & omnium bonorum ad eundem Comitatum pertinentium Colonienſi Eccleſiæ dedit, recipiens pro commutatione ceſſionis certa alia bona Eccleſiæ, quo ad vſque in viuis ipſe & Comitiſſa eſſet. Paucis poſt diebus vterque ſuperſtes vita deceſſit, donationemque Comitatus per obitum Eccleſiæ Colonienſi confirmauit.

Fridericus Cononis nepos in Archiep. Colon. à Sede Ap. poſtulatur Imp. neq. c. quam obſiſtente.

Hæc & alia, cum præclare Cuno egiſſet, apud Colonienſe Capitulum, & aliarum Eccleſiarum Colonienſium Capitula obtinuit, vt omnium eorum vota in Fridericum Canonicum Colonienſem, licet ætate iuuenem, maturitate tamen morum præſtantem conſpirarent, eumque ſibi Paſtorem præfici à Sede Apoſtolica poſtularent. CAROLVS Quartus Imperator quantum poterat, ne ſuccederet poſtulatio, obſiſtebat, quod Argentinenſem Epiſcopum ſibi ſanguine coniunctum, ad Colonienſem Eccleſiam prouehere cuperet.

Sed miſericors Dominus, Colonienſem Eccleſiam, iam longo tempore viduitatis ſuæ calamitates deplorantem, quia venerat tempus miſerendi eius, aliter ordinauit. Nam Vrbanus Pontifex, cum famam bonæ indolis Friderici poſtulati, fidelium digno teſtimonio audiuiſſet, & tandem eiuſdem conuerſationem, quam in ſtudio Bononienſi oſtendit, quamque poſtea in Vrbe Roma, quo ſe iam poſtulatus, pro confirmatione contulerat, tam Vrbano, quam collegio Cardinalium probauit, perſpectam habuiſſet, anno ſubſequente, 1370 die XIII. menſis Nouembris, Pontificatus ſui vltimo, deſideratis affectibus Colonienſis Eccleſiæ ſatisfaciens, eum Archiepiſcopum paſtoremque præfecit. *M. Chron. Belgic.*

XI. Qvis rerum in Hiſpania ſtatus.

Hiſpaniam citeriorem hic annus grauiter afflixit, donec omnium ſcelerum vindex Deus, Petrum Caſtellæ Regem, Diuina humanaque contemnentem, & ſanguini procerum & popularium inhiantem extinxiſſet, Toletani, ab Henrico Petri fratre circumſeſſi, quanquam conſtanti animo obſidionis mala tolerarent, ne defectionis culpa obſidium cæde lueretur, quos ſecum Petrus abduxerat ciuitatis nobiliſſimos; milites tamen & aliqui ciues ad mutandam fidem propenſi erant. Cordubenſes eodem tempore à Petro defecerant, tametſi auxilia longinqua erant: tanto ex eo facto Petri Regis dolore, vt iunctis cum Granatenſi Rege viribus eam vrbem impugnandam ſuſceperit. Reſtitere Cordubenſes, ſupremo virtutis conatu edito. Salutis deſperatio, ſi victi eſſent incitabat; acer ſtimulus ad virtutem depromendam. Itaque ſpe potiundæ vrbis depulſi Reges, Petrus quidem Hiſpalim abiit per cauſam belli comparandi; Granatenſis autem eius permiſſu, Giennium, Vbedamque vicinas vrbes, quoniam Cordubæ exemplo defecerant, ſubiecto tectis villiſque igne incendit. Bœticæ agris vaſtatis, multa millia capitum, in ſeruitutem abducta, planctu omnia tumultuque perſonabant; neque vllum mali genus deerat, cum per omnes ordines, ætateſque, hinc Maurica arma, inde Regia ſæuitia atque licentia vaſtarent. Scelera ſceleribus accumulabat, vindictamque ſibi propere accerſiebat Petrus, iam validis auxiliis nudatus, cæterorum fide ſuſpecta. Quod itaque vnum reliquum erat, rem in cauſam dare, prælioque experiri conſtituit; fama magis, quam vi regna ſtare, non ignarus. Vrbis Regiæ diſcrimen ſollicitabat & tuendæ auctoritatis cura. Repugnabant Hiſpalenſes; & Regem diſputabant in exitium feſtinatione ruere, Mora vires confirmandas videri; ſociorum & amicorum auxilia expectanda: quod omnino faciendum illi fuit; niſi mentem diuina vrgens vltio, magnitudoque ſcelerum obcæcaſſet. Acceſſit nouum incommodum. Victoria, Saluaterra, Lugrunium, finitimis armis vexatæ præſidio longinquo, Regi Vaſconum deditionem feciſſe nunciabantur. Tellius defectionis author, vtrique Regi Petro, fratrique germano ex æquo infenſus, atque Viſcaiæ oppidis ſeſe tenens. Toletani in partes ſciſſi. qui Henrico fauebant, turrim Abbatum (ſic vulgo vocatur) vnde in hoſtium caſtra deſpectus erat, ei tradere tentarunt, atque ab ea parte in vrbem accipere. Eo conatu depulſi, ponte cui à Diuo Martino nomen eſt, in vrbem hoſtes admittere conabantur: vnde inteſtini in vrbe motus, cædeſque factæ. Eo maiori feſtinatione Petrus auxilium afferre parabat, ne rebus perditis intempeſtiuus opitulator veniret. Sanctio itaque & Diegho filiis regiiſque theſauris Carmonæ relictis, in Carpetanos duxit, equites tria millia, maior pars Mauros, eoque minori fide atque animo pugnaturos.

XII. Mauri cuiuſdam.

Ferunt ſub ipſum diſceſſum Abenhatinum Granatenſem Maurũ, quo multũ & familiariter vti conſueuerat, conſultum, mortem denunciaſſe ex Merlini moni-





De morte Petri Caſtel. Reg. vaticinium.

mentis, hominis Britanni ante annos circiter quadringentos & quinquaginta. Aucem nigram in occiduis partibus fore vaticinantis, auri cunctorum voracem, ſitientem ſanguinis, euomituram prius comeſta: geminum deinde interitum profugæ abditæque in ſyluas imminere. Hoc ſiue verum vaticinium fuit, ſiue vaniſſimi hominis ludibrium euentu certe non caruit. Montielem, oppidum in Oretanis ſitum, mœnibus, arce & loco munitum Petrus, cum ſuis copijs venit. Adfuit & Henricus, obuiam hoſti prodire conſtituens. Manricus Toletanus Præſul. Magiſtri D. Iacobi & Calatrauæ, Meſſias & Munitius, & alij præterea viri principes ad ſtudium iuuandæ patriæ excitati Henricum ſequebantur: prius in hoſtium conſpectum, nocturno itinere feſſi omnes, peruenerunt, quã profectio eſſet nunciata. Quod poſtquam auditum eſt, Henricum cum exercitu adeſſe, tum vero ingens metus hoſtes inuaſit: credebant ſe proditos, inſidiiſque circumuentos. Vnde neque inter ſe ſatis fidebant, ne oppidanis quidem. Tamen cum ortu ſolis pariter, acies ad pugnam inſtruxerant. Henricus hanc ad milites orationem habuiſſe fertur.

XIII. Henrici pugnaturi ad milites ſuos verba.

*Hic dies, opes, gloriam, Imperium, aut dabit nobis omnibus, aut auferet: ærumnarum finis, felicitatiſve principium quocunque euentu futurus. Diutius ſuſtentare non poſſumus: niſi interimimus hoſtem, pereamus ipſi nec eſſe eſt: morſque, ſi cruciatus abſit in loco parte ponatur. Mortis quidem neceſſitatem natura omnibus, quaſi vectigal impoſuit: crudelitatem mortis, ignominiam, dedecus, virtus veſtra propulſauit, ſi maxime cætera abſint. Auertite ô ſuperi, & deteſtamini quæſo hoc omen, ſed quanam morte victis calamitoſior vita futura non eſt? Non eſt cum eo hoſte militès certamen, cum quo aliqua pacis conditio, aut qui tolerabili aliqua ſeruitute contentus eſſe poſſit. incredibili crudelitate fide nulla, Nullus ei ludus iucundior eſt, quam cruor, quam cædes, quam ante oculos trucidatio. Num cum ſcelerato homine atque nefario res eſt, & non cum immani tetraque bellua? quæ velut in cauea irritata, deinde emiſſa, nouas cædes, nouum furorẽ ſpirat? & quoniam vt ſpero, in caſſes incidit, teneatur neceſſe eſt, cunctorumque telis obruatur. Succurrite, per Deum immortalem, patriæ in ſolitudinem redactæ. Aſſinium propinquorum, ciuiumque ſanguinem vindicate. Deo freti, cuius ille religiones omnes ſpreuit, teterrimi tyranni capite, quaſi gratiſſima hoſtia cæſa, patrata ſcelera, immane monſtrum procurate.*

XIV. Pvgna inter Henricum et Petrum Regem fratres.

His dictis Henricus, in hoſtes continuo impetum fecit: turmatim, & quam maxime confertis equis pugnam inuaſerunt. Momento temporis diſpalati hoſtes, fugæ initium à Mauris factum eſt: cæteri aliquamdiu ſubſtiterunt: mox rebus deſperatis, in vicinum oppidũ ſeſe receperunt. Cædes Maurorum, præſertim in fuga facta. Pugnatum eſt pridie Idus Martij, die Dominico: hoc ſalutis anno milleſimo, trecenteſimo, ſexageſimo nono. Victor Henricus Montielem oppidum corona circumdedit, niſi Petro capto, inde non diſcedere certus: formaceis parietibus circumuallauit mœnia, ne aliqua parte exitus pateret. Aquæ penuria in oppido laborari cœptum eſt, frumentique, à militum aliquo induſtria corrupti. His malis Petrus circumuentus, fugæ conſilium cœpit.

XV. Fvga Petri Regis.

Erat Sanabria vir nobilis, Tranſtamaræ quidem natus, cæterum egregia in Petrum fide. Hoc internuncio, Bertrandum Clakinum, qui ſexcentos externos equites ex Gallia Henrico ductabat, placuit tentari, multis promiſſis oppidis, ducentiſque aureorum millibus, ſi mutata fide, Petro faceret poteſtatem euadendi. Excuſauit ille: ſempiternam perfidiæ maculam eo facto inuri. Vrgente Sanabria, ſpatium ad deliberandum ſumpturum ſe, ait: atque re cum fideliſſimo quoq; communicata, viſum eſt, Henricum de tota re monere. Hic magnis pollicitis ſuaſit, vt ſpe fugæ hoſti facta, eum in ſuũ hoſpitium eliceret. Petrus, noctu, aliquot comitib. ſtipatus, vt conuenerat, venit in caſtra: ſpei aliquantum: metus amplior, cognitis verbis recens auctus (ſic ferũt) quæ in præcipua eius arcis turri inſcripta erant: *Hæc eſt turris ſtellæ.* Acceperat à vatibus ſeu cõiectoribus, in eius appellationis turri exitium aſtra portendere. Sed eius artis, quanta ſit vanitas: & poſt res, affingi ſæpe rumores, nemo eſt qui ignoret. Illud prudentius ex medico Iudæo, qui noua Imperia, multum gloriæ & felicitatis ex natali die oſtendi Petro affirmarat: cum rebus aſperis, ac deſperatis, rogaſſet: ecqui vaticinij fides conſtaret? ſubdidiſſe impoſtorem aiunt: cœlo rigente, ſi quis in balneo lauet, nihilominus ſudaturum: aſtris, ſtudia vitæ, moreſque potentiores eſſe indicans. Ergo Petro Rege in Clakini tentorium ingreſſo, ac de fuga meditanti, accurrit Henricus: primumq; attonito ſimilis ſubſtitit: facinoris magnitudine credo, an quia inter ſe diu non viderant. Fluctuabant inter ſpem & timorem, omnium qui aderant animi. Monuit interim Gallus, intenta in tyrannum manu, eum hoſtem ſuum eſſe. Petrus illico reſpondit: *Ego, ego,* inquit, *ſum.* mox Henricus, pugione in faciem adacto, vulnus illi inflixit, deinde brachijs inter ſe eluctantibus, vterq; ad terram proſtratus eſt. Henricum, vt fama fert, Clakino iuuante, ſubſtratũque voluente, multis vulneribus confectus eſt Petrus. Tetrum ſpectaculum, Regem, Regumq; progeniem in ſuomet ſanguine volutari, à notho fratre cæſum. Sed cuius funeſta Hiſpaniæ vita fuerat, mors extitit ſalutaris: grauiq; documento monſtratum, nullis legionibus, opibus, potentia, tutam eſſe improbitatem. Exemplum editum, quod admirentur poſteri, perpetuoque exhorreant: atq; doceantur: *Principum ſcelera, non inuidia tantum præſenti, & certo exitio vindicari, ſed æternis etiam annalium monimentis, execrationeque: à qua improborũ manes nullo tempore conquieſcent. Mariana de rebus Hiſpaniæ lib. 17. c. 12. 13.*

Petrus Rex ab Henrico fratre ſuo occiditur.

# IESV CHRISTI

## Annus 1370

## VRBANI PAPÆ V. ANNO VLTIMO.

### Caroli IV. Rom. Imper. Anno 15.

I. Vrbani Pp. obitus et epitaphium.

AD 14. Calend. Ianuarij huius anni, rebus humanis exemptus eſt, Auinione, Vrbanus Pontifex Romanus, paulo poſt Maſſiliæ, in D. Victoris, ex quo ad Pontificatum aſſumptus fuerat, cœnobio ſepultus. Aliquis piorum iſtud ei epitaphiũ adſcripſit: rude quidem: ſed quod propter viri ſanctitatem, libuit adiungere.

*Hic requieſcit Vrbanus Pontifex in ordine Quintus*
*Summus diuinitus Romanorum Præſul electus.*
*Auctor bonorum, lux, cenſor normaque morum*
*Speculum cunctorum, dogma, duxque monachorum.*
*Bonorum ductor, malorum quoque corrector.*
*Iuſtitiæ tutor, ſtudiorumque reparator.*
*Nullius acceptor, direxit iuſtitiæ libram.*
*Virtutibus fulgens cunctis, iura reddidit idem.*
*Atque Simoniam ſui ſplendore fugauit.*
*Eccleſias nempe reparauit, Romæ diuinitus.*
*Apoſtolorumque capita nunc recondidit.*
*Pauperes alendo Chriſti mandata compleuit*
*Hicque bonus paſtor, ad fidem Chriſti reduxit,*
*Græcorum Cæſarem errorum caligine tectum.*
*Poſt labores tandem multos, deſuperque vocatus*
*Inter Fratrum manus illa facta membra reſoluens*
*Chriſti Vicarius tranſiuit ad aſtra beatus.*
*Quem Deus multum ex alto per ſigna monſtrauit.*
*Qualis enim fuerit ſigna tanta clare demonſtrant.*
*Ad tumulum huius languentum membra ſanantur:*
*In multis aliis prouinciiſque clare conſtat.*
*Nec non Italia ab ipſo multum amata.*

*Miraculu late hoc in Hiſpania patet*
*Ac in Boemia nobilique Francia tota.*
*Gaudet Prouincia Arelatenſis ſiue vocata*
*Per tanta ſigna meritu Vrbani ornata.*
*Ergo mente pura te Vrbano Beato*
*Pontifici Summo Lector deuote commenda.*
*Anno Milleno Trecenteno quoque ſeptuageno*
*Currente Domini menſiſque decima noua*
*Decembris erat dies, cum Beatus iſte*
*Vrbanus ad Chriſtum tranſitu felici migrauit.*

II. VISIO B. BRIGIDÆ DE VRBANO AVENIONEM REDIRE VOLENTE.

Antequam Vrbanus moreretur, S. Brigida Romæ tunc exiſtens, & Pontificem velle Auinionem omnino reuerti perſpiciens, in viſione audiuit Beatam Virginem Mariam ſibi dicentem: Papa vult adire Auinionem cõtra Dei volũtatem, & derelinquere Sedem Romanam. Sed ſi fecerit, ſtatim morietur, rationem abitus ſui Deo redditurus. Iſtam reuelationem S. Birgida, miſſo Montem Faliſcum Alphonſo qui ei à Sacris confeſſionibus fuerat, Vrbano renunciauit: ille tamen fatis & Cardinalibus vrgentibus, Auinionem reuerſus, defunctus eſt. *Gobelinus, ex libro reuelat. S. Brigidæ.*

III. PERVSINORVM AD VRBANVM DECVMBENTEM LEGATIO.

Ad eum decumbentem, Peruſini Oratores numero tres cum acceſſiſſent, ille autẽ graui morbo teneretur, tamen homines, ne diutius ſuſpenſos teneret, ad ſe vocari iuſſit: admonitos antea vt paucis loquerentur. Aliquis Doctorum, qui orationem longam in via quam habiturus eſſet ad Pontificem menti commendarat, nulla ratione habita morbi, aut quod in lecto iaceret, multis verbis vſus eſt: ita vt Pontifex moleſtiam audiẽdi ſæpius præſeferret. Cum tandem indoctus ille peroraſſet, quæſiuit pro ſua humanitate Vrbanus: *Num quid aliud vellent?* Tum alter ex Oratoribus qui & dicentis ſtultitiam, & Pontificiam moleſtiam percepiſſet: *Pater*, inquit, *ſanctiſſime, habemus hoc in mandatis noſtris, vt niſi nobis è veſtigio pro his quæ poſcimus feceritis ſatis, ſocius hic meus, antequam hinc recedamus, vobis iterum referat ſermonem ſuum.* Quo facete dicto cum arriſiſſet Pontifex, Oratores ſtatim expediri iuſſit.

IV. QVALIS IN MORTE ET IN VITA VRBANVS FVERIT.

Vix diſcedendi ab Vrbano facultatem impetrarant, cum is victus morbo exceſſit è vita, lectulum ſuum ante aram Petri Apoſtoli (in vicina Palatij Apoſtolici ea Parochialis ædes ſita eſt) cuius hoſpes erat ac ſucceſſor, ferri iubens, ibi tranquillam & felicem animam emiſit, Deum homineſque teſtatus, ſi Roma diſceſſum eſſet, non ſuam culpam, ſed eorum fore, qui reditionis illius inuenirentur auctores.

Ianuis patentibus, ſignum Crucis in manu tenens, veſtibus Pontificiis indutus, ingenti multitudine finem eius felicem aſpiciente, Catholicam fidem profeſſus, ſacriſq; ex more procuratus, circa horam nonam obijt, vir ſingularis virtutis, ingentis animi, innocentiſſimæ vitæ ad tuendam libertatem Eccleſiaſticam deſtinatus.

Præter illa, quæ ſuperius memorauimus; hic Pontifex, Lucenſium vrbem, Eccleſiæ deuotiſſimam, accito Carolo Quarto è Germania, erogatis quinquaginta millib. aureorum, à duriſſima & immaniſſima ſeruitute eripuit. Apud Mimatenſes D. Virginis Epiſcopalem, & S. Priuati ædem auguſtiſſimam, ſumptibus ſuis inſtaurauit, vaſaq; ex auro atq; argento puriſſimo, & auratas veſtes ac omnis generis inſtrumenta Eccleſiaſtica vtrique donauit. Beduæ vico Gaballorum, Canonicorum Collegium inſtituit, templumq; fieri iuſſit, & donariis plurimis redditibuſq; annuis ditauit.

Aliud Collegium Canonicorum, in vico cui Queſaco nomen eſt ad Tarnem auriferum, inſtituit, dicauitq; Virgini Deiparenti. Petri Apoſtoli Eccleſiam apud Mõtempeſſulanum extruxit, collegiumq; ingens cõdidit, in gratiam eorum qui medicinæ operam daturi eſſent, ſi modo Gabalos, id eſt Mimatenſis diœceſis eos eſſe conſtaret. Ibidem de nouo fundauit, conſtruxit, & dotauit Baſilicam D. Deigenetrici, SS. Benedicto & Germano Confeſſoribus. Romæ exiſtens ad obedientiam Catholicam recepit Imperatorem Conſtantinopolitanũ, qui ad eius pedes veniens, & ad Baſilicam D. Petri ductus, fidem Eccleſiæ Romanæ profeſſus eſt. Magnis ſumptibus, palatium S. Petri dirutum, & quintam partem Baſilicæ S. Petri, & maiorem partem Eccleſiæ Lateranenſis & Eccleſiam S. Pauli, via Oſtienſi reparauit. *Ciacconius & Maſſonius in vita Vrbani V.*

V. ACTA VRBANI PP. ANTE EIVS EX ITALIA DISCESSŨ.

Antequam ex Italia diſcederet Vrbanus, ſtatum vrbicum & Italiæ vniuerſæ, pace optata, rebuſq; omnibus florentem relinquere conſtituit. Inprimis enim, Berardo Monaldeſco Senatori, ac Conſeruatorib. Populoq; Romano, graui anathemate propoſito edixit, ne abrogatum Vexilliferorum Magiſtratum vnquam in perpetuum reuocarent, aut reſumere auderẽt, ſed ſcitum plebis, cõtra antiquatum, communib. ſuffragiis ſancirent: & omnes illos qui reuocare conarentur, tanquam Romanæ Eccleſiæ hoſtes, & patriæ perduelles haberent. *Romæ apud S. Petrum* 12. *Cal. Maii.* 2. In locum Berardi Monaldeſchi, Delianum Panziaticum nobilem Piſtorienſem, Senatorem Vrbi, in ſex menſes præfecit. *Nonis Maii.* cum etiam ibidem; Iacobum Epiſcopum Aretinũ, Vicarium in ſpiritualibus inſtituiſſet, eiq; & Guillelmo Epiſcopo Lucenſ. negotium reformationis vrbis demandaſſet. 5. *Cal. Iulii apud Montem Faliſcum.* Cum autem, pro conſeruanda pace, rerumque affluentia, Romanis nonnullas leges & capitula poſtea ſcripſiſſet, eas Iacobo Vicario ad publicandum in vrbem miſit, ac Senatori, Conſeruatoribus, Populoque Romano, qui illas acceptarent, & de acceptatione fidem publicam præſtarent, deq; præſtito Sacramento inſtrumenta publica facerent, & ſecundum illas tum viuerent, tum Romano Pontifici obtemperarent, præcepit. 12. *Cal. Sept.* 3. Duo adhuc incommoda, vrbem habebant. Annonæ inopia, & priuatorum quorundam diſcordiæ. Franciſcus Vicanus, Præfectus Vrbis, Ludouicus à Vico eius patruus, Baptiſta Præfecti frater, & Ioannes Sciarræ Vicanus, cũ Petro & Franciſco Anguillariis, ac Franciſco & Bucio Iordani Vrſini filiis, adeo graues inimicitias exercebant, vt ſingulari certamine vtriq;, Franciſcus videlicet Præfectus, & Franciſcus Vrſinus voluerint decernere. Diras oſtentauit Pontifex ambobus, atq; Senatui Populoque Romano, ne duellationem permitterent, ſed eos ad ſubſellia Sedis Apoſtolicæ, ad ius experiendum ire iuberent præſcripſit. 17. *Cal. Iul.* Cumq; poſtmodum ad cõcordiam reuocaſſet, inducias 100. annorum inter vtriuſq; gentis proceres ſanxit, eamq; rem Lucæ Sabello ſignificauit. 10. *Cal. Sept.* cum etiam inter Sanctiam Stephani Columnij relictam, & Agapitum puerum Columnam, pacem conciliaſſet. 11. *Cal. Sep.* & Rectori Campaniæ ac Maritimæ pro Sede Apoſtolica conſtituto, vt Bonifacio, Benedicto, Tutio, Cicco, & Antonio, Ioannis Caietani filiis, turrim Molendinorum in diœceſi Anagnina, occaſione cuius poterat pax prouinciarum conuelli, reſtitueret, præcepiſſet. 13. *Cal. Iul.* Porro, pro annonæ difficultate ſubleuanda, quæ propter frequentiam peregrinorum, ad vrbem, viſendi Pontificem cõfluentium, plus nimio populum premebat, Vrbanus, Ioan. Reginæ Siciliæ, Ludou. Nauarreo Duci Duratij, Rogerio Comiti Celano, Abbati Farfenſi, & nonnullis Regni Siciliæ proceribus, vt Apoſtolicis frumentatoribus, tantam quantam poſſent copiam frumentorum venum exponerent, ſcripſit. 1. *Cal. April.* cum etiam in vſum pauperum, omnes reditus Comitatus Venayſini, Gaucellino Epiſcopo Magalonenſ. pro Sede Apoſtolica Rectori impendere decreuiſſet. 2. *Non. April.* Inter hæc etiam, 4. Eccleſiam S. Marcelli in vrbe, Fratribus Seruorum B. M. Virginis attribuit. S. Petri Regis Aragonum, donationem, Baſilicæ Vaticanæ Principis Apoſtolorũ cenſuum quorundam oblatorum, approbauit. 6. ne quis capita Petri & Pauli Apoſtolorũ, argenteis loculis

ab eo



ab eo incluſa, gemmiſque pretioſis ornata, vel Crucem auream lapidibus pretioſis diuitem, & particula ligni viuifici inſignem, capiti S. Petri ab eo appenſam, vel alias ſacras reliquias Lateranenſi Eccleſiæ oblatas, dolo malo contrectaret, alio transferret, aut raperet, grauiſſimis pœnis promulgatis, conſtituit. 5. *Calend. Auguſti.* 7. Anglicum Epiſcopum Albanenſ. & Petrum tituli S. Mariæ trans-Tyberim presbyterum, Cardinales, Legatos, in Italia reliquit. *Idib. Iulii.* & Ioannæ Reginæ Siciliæ, Ducibus Venetiarum & Ianuenſium: Senatori, Conſeruatoribus, Populoque Romano: Nicolao Ateſtino, Franciſco Carrariæ, Guidoni Polentano, Galeoto Malateſtæ, Gomeſio Albonotio, Feltrino Gonzagæ, Bononienſibus, Florentinis, Piſanis, Aretinis, ac reliquis Principibus & Vrbibus confœderatis, vt Legatis in cauſa præſertim aduerſus hoſtes fœderis, præſto eſſent, perſcripſit, eoſque reuerſionis ſuæ Auinionem admonuit. 9. *Calend. Iun.* 8. *Idus Iun.* IV. *Non. Auguſti.*

VI. PERVSINOS REBELLANTES AD OBEDIENTIAM REDIRE COGIT.

Peruſini, per hæc tempora, Bernaboue perurgente, Romanæ Eccleſiæ dominium excuſſerant. Ad hos coercendos, & ſocietatem Anglicanam, quai li freti, diſſipandam, Vrbanus, à confœderatis auxilia ex pacto flagitauit: & Anglico Cardinali Legato in Æmilia & Flaminia poteſtatem fecit, qui Nicolaum Ateſtinum copiis Eccleſiaſticis Ducem exercitus præficeret 5. *Cal. Iulii.* Quidam ex fœderatis, & ex his Ateſtinus volebant Pontificem reuerſioni inſiſtentem conuenire, & abeuntem ſalutare. At is prohibuit, ne fruſtra ſeſe fatigarent, ſed hoſtibus profligandis incumberent. Romanorum proceres, poſtulante Latino Vrſino, ducentos equites Pontifici ſuppetiatum ſubmiſerant. 5. *Non. Maii.* Horum præcipue virtus, aduerſus Peruſinos, quos iam Vrbanus diris deuouerat, & non tantum in Italia, verum in Germania quoque, & præſertim Auguſtæ Vindelicorum, & Conſtantiæ Rauracorum, quod Flaccus Riſbachius Conſtantienſ. & Ioannes Retier Auguſtanus ſigna ſocietatis ducerent, publicari excommunicatos 11. *Calend. Iun.* præceperat, enituit: adeo vt illi in periculum adducti, Oratores ad Pontificem miſerint, reconciliationem flagitantes. Permiſit 4. *Calend. Auguſt.* Pontifex, qui Procuratores ad ſatisdandum Eccleſiæ Romanæ mitterent, vt de re tota in coram decerneret. Angebantur Romani, quod eos Pontifex videretur deſerere. Namque metuebant, ne forte cauſam diſceſſionis aliquam dediſſe viderentur. Eam dubitationem exemit illis Vrbanus, ſimulque promptitudinem in ſuſcipiendo, obſequendoque eorum laudauit: nec niſi corpore abeſſe velle ab eis dixit, cum eorum vtilitatibus, & honoribus intentus eſſet: neque in præſens aliud poſſet efficere, quin in Gallias reuerteretur, quo eum publicæ totius Chriſtianitatis neceſſitates euocarent. 6. *Cal. Iul.* Cumque tempus diſcedendi immineret, Ioannæ Reginæ, vt ſex triremes, ad 26. diem Auguſti in portu Cornetano ab ea ſubmittendas indixit, 3. *Idus Auguſti*, & interim aliqua negotia, publico bono curauit.

VII. ALIVD QVORVNDAM VRB. PP. ACTORVM SVMMARIVM.

1 Venetos, Genuenſes, & infantem Cyprij Regis, vt in fœdere aduerſus Turcos perſeuerarent, hortatus eſt. 15. *Cal. Iul.* 2. Venetorum Ducem, ac Senatum & Populum, quod Paulo Epiſcopo ſuo, & vniuerſis Eccleſiis atque pauperibus iniurij eſſent, ad ſua ſubſellia vocauit: curque id edicto publicitus affixo feciſſet excuſauit. 3. Ad Lucenſium inteſtinas diſcordias componendas, quod ipſe in procinctu itineris neminem Pacarium poſſet deſtinare, Cardinali Anglico Legato, Florentinis & Piſanis ciuibus, vt illi arbitros controuerſiarum mitterent, impoſuit. 8. *Idus Auguſti.* 4. In receptores & fautores hæreticorum, anathema in die cœnæ Dominicæ dixit: vtque Hydruntinus & Conſentinus Archiepiſcopi, cum Cataceno Epiſcopo aduerſus Fraticellos animaduerterent, ſerio præcepit 3. *Idus Auguſt.* 5. Nicolaum Vrſinum Comitem Nolanum, & Nicolaum Spinellum Regni Siciliæ Cancellarium, Ioannæ Reginæ Siciliæ Nuncios audiuit, deque annuo cenſu è regno Siciliæ, nomine illius ab eis perſoluto, ſignificauit, 2. *Idus Auguſti.* 6. Iacobum Archiepiſcopum Hydruntinum, Viſitatorem Apoſtolicum monaſteriorum Ordinis S. Baſilij in regno Siciliæ inſtituit, vtque illi ſi opus foret, Regina manum Regiam in viſitatione, correctione & reformatione accommodaret, præſcripſit. 7. *Idus Iun.* 7. Ne Fridericus detentor Trinacriæ, cum Bernaboue Vicecomite affinitatem, reſpectu natorum vtriuſque, quorum matrimonia deſignabantur, contraheret, ſed hæc tractatio, Romanæ Eccleſiæ, Reginæ Ioannæ & regno vniuerſo pernicioſa impediretur, Ioanni inprimis Claromontio, quid. miſſis monachis S. Martini de ſcalis diœceſis Montisregalis, Ordinis S. Benedicti, Ioannæ, & hæc Pontifici ſignificauerat, deinde Ioannæ Reginæ & Principibus Regiis iniunxit. 11. *Calend. Auguſti.* 8. Ludouico Regi, Eliſabethæ Reginæ Vngariæ, Tuarco Bano Boſnæ, ne filiam Gregorij, quondam Pauli Ducis Dalmatiæ, apud Tuarcum enutritam, vel Regi Raſciæ ſchiſmatico; vel alicui Turcarum, abſque ſcitu Sedis Apoſtolicæ, vel alicui Chriſtiano Catholico, abſque voluntate parentum, nuptui collocarent, mandauit. 6. *Idus April.* 9. Ladislaum Valachiæ Vaiuodam, Palatinum ſeu Principem vocant, vt à ſchiſmate ad vnitatem Eccleſiæ Romanæ reuerteretur hortatus eſt. 6. *Idus April.* 10. Abbati Sanct. Proſperi prope ciuitatem Rhegienſem, vt ex monaſterio, ad prioratum S. Matthæi in eadem ciuitate, corpora SS. Proſperi & Venerij Confeſſoris, ac S. Iucundæ Virginis transferret, conceſſit. 11. Die VII. menſis Iunii, apud montem Faliſcum, Petrum de Stagno Archiepiſcopum Bituricenſ. tituli S. Mariæ trans-Tyberim, & Petrum Corſinum Florentiæ Epiſcopũ tituli S. Laurentij in Damaſo Cardinales creauit. 12. Phillppo Tarentino, dicto Imperatori Conſtantinopolitano, vt Archiepiſcopo Montiſregalis ciuitatem Birecti reſtituat, Ioannemque Palæologum, in Græciam, armatorum copias ducentem, trãſire permittat, ac benigne recipiat, iniunxit. *Liber Secret. huius anni. pag.* 2. 3. 38. 48. 73. 102. 103. 113. 147. 408. *&c.*

VIII. DECLARAT PALÆOL. IMP. QVAM ROM. ECCL. NOMINE VELIT INTELLIGI ECCLESIAM.

Hoc enim anno, die 18. Martij ab vrbe diſceſſit, Ioannes Palæologus Græcorum Imperator, poſtquam iterum aliis diplomatibus fidem Catholicam magis diſerte profeſſus, pacta cum Sede Apoſtolica ſancita confirmaſſet. Ita habet vnum ex his, quo declarauit, quam Romanæ Eccleſiæ nomine intelligi vellet Eccleſiam.

*Nos Ioannes in Chriſto Deo fidelis Imperator, ac Romæorum moderator Palæologus. Notum facimus vniuerſis præſentes literas inſpecturis, quod cum die decima octaua menſis Octobris proxime præteritis in ſacra vrbe Roma fecerimus profeſſionem Cathol. fidei, per Reuerendiſſimos Patres Dominos Guillelmum Epiſcopum Oſtienſem, & Bernardum tituli duodecim Apoſtolorum, & Franciſcum tituli S. Sabinæ presbyteros, & Raynaldum S. Adriani Diaconum Cardinales, per ſanctiſſimum Patrem Dominum Vrbanum diuina prouidentia Papam Quintum ad hac ſpecialiter deputatos, nobis exhibitam ſponte fecerimus, ſub certa forma, prout apparet inde publicum inſtrumentum noſtra propria manu ſubſcriptum, noſtraque bulla aurea communitum: & in eadem profeſſione inter alia continetur talis articulus, videlicet: Credo hanc eſſe veram fidem Catholicam, & quod hanc ſuper dictis articulis tenet & prædicat ſacroſancta Rom. Eccl. &c. dicimus, ad omnem ambiguitatem tollendam, nos credere & intelligere R. Eccleſiam, cui nunc præeſt præfatus Dominus Papa, & ſui prædeceſſores Romani Pontifices præfuerunt, prout credimus intelligunt Catholici Chriſtiani in Occidentis partib. conſtituti. In cuius rei teſtimonium præſentes literas noſtra aurea bulla muniminime fecimus cõmuniri, & nos hic noſtra manu ſubſcripſimus vt eſt moris. Datum Romæ, die 20. Ianuarii. Anno Natiuitatis Domini Milleſimo, Trecenteſimo, ſeptuageſimo, Indictione octaua, Pontificatus dicti Domini Papæ, anno octauo.* Ext. in Archiuo molis Andrian.

IX. DIVERSOS AD EVAN-

Eodem anno, Pontifex Vrbanus, F. Guillelmum Pratum, quem euangelizandi cauſa Cataium deſtinauerat, Archiepiſcopum Cambalenſem in Tartaria creauit,

uit,

uit. & vna cum eo multos alios religioſos Ordinis Minorum, (pluſquam ſexaginta numerantur) ad propagationem Fidei in Oriente, cum FF. Prædicatoribus deſtinauit, datiſque literis 7. *Calend. Aprilis Romæ.* Magno Chamo, & aliis Imperatoribus Orientis & Septentrionis, illos commendauit, atque ad fidem amplectendam hortatus eſt. Antonium quoque Mileuitanum Epiſcopum, ad inſtruendos ſchiſmaticos Georgianos ire iuſſit, data ei poteſtate, ex quibuſcunque Monaſteriis ſecum ducendi XXV. Fratres Minores, ad eos conuertendos. *XI. Cal. Sept. apud Montem Faliſcum.*

(Margin: Euangelizandum in Oriente et Septentrione mittit Vrb. Pp.)

X. Nuntios in Hiſpanias pro turbis de poſſeſſione Regni Caſtellæ exortis componendis deſtinat.

In Hiſpanias etiam Bertrandum Conuenarum, & Agapitum Brixienſem Epiſcopos, Nuncios, qui pacem inter Caſtellæ Luſitaniæ, & Aragonum Reges: item inter Aragonum & Nauarræ Regem conciliarent, & ſacram militiam aduerſus Saracenos decernerent, amandauit. *Idib. Febr.* In illis namque Regnis occidentalibus, ſtatim à Petri exitu, magnæ turbæ; propter ortum apud externos Principes, de Caſtellæ poſſeſſione certamen, quis potior iure eſſet. Obſcuros Henrici, cuius manu Petrus occiderat natales, cuncti accuſabant, Imperio ineptos: pro ſe quiſque id habiturum putabat, in tanta permiſtione rerum & voluntatum, quod primus occupaſſet.

Sic ſæpe noui principatus conſtituuntur, veteres augentur. A Rege Vaſconum nobiliſſima Caſtellæ oppida occupata erant. Ab Aragonio, Molina, Cagnetum, Requena, præfectorum perfidia in poteſtatem redacta. Luſitanus, ad totius Imperij poſſeſſionem aſpirans, ſe Caſtellæ Regem ferebat, Sanctij Regis abſque controuerſia pronepos. Maurus ad nouas ſpes erectus erat, conſtanti in Petrum cæſum fide. (ſic videri voluit) Maior belli moles ex Anglia, Aquitaniaque imminebat. Ioannes Dux Leceſtriæ, Principis VValliæ frater, Conſtantiā occiſi Regis filiam in matrimonium acceperat. Comes Cantabrigenſium, & ipſe Principis frater Iſabellam natu minorem. Dos vtrique paterni theſauri, & Regni Caſtellæ ſpes, ſi armis eſſet in poteſtatem redactum. Sic in nobiliſſimo regno, vno tempore domeſtica pax conſtituebatur, foris noui bellorum motus terroreſque oſtētabantur. Celeritate, prouincialium voluntates confirmandæ erant, hoſtium conatus occupandi. *Mariana de rebus Hiſpan. lib. 17. c. 14.*

XI. Euangelizantiū in Oriente fructus.

Ab his initijs, cum Vrbanus Pontifex ingentem belli materiam conſurgere videret, illos Nuncios, pacem conciliare inter diſſidentes, & arma communia aduerſus Mauros hoſtes communes vt conuerterentur imperauit: necnon ipſe, vt ex propinquo rebus conſuleret, Auinionem accelerauit: non ignobilem fructum, in Oriente, à Prædicatoribus inter gentes & ſchiſmaticos ſubmiſſis, decerpens, lucri animarum. Cum enim Ludouicus Rex, finitimas quaſdam prouincias permiſſione Summi Pontificis recens ſubieciſſet, deſtinati eo Frāciſcani octo, & aliquot ex ordine S. Dominici, non pluribus diebus quam quinquaginta, CC. millia hominū ad Chriſtum adduxerunt. Quo ſucceſſu impulſus Rex optimus, ad ordinis Generales ſcripſit eodem tenore, vt duo mille fratres ad ſe mitterent: quoniam nulli eſſet opus defuturum. Leguntur adhuc, Vrbani Quinti Pontificis, ad vtriuſque inſtituti religioſos epiſtolæ, quibus eos ad tam optabiles, & glorioſos labores, pie & feruēter inuitabat, multiſque priuilegiis & gratijs excitabat. *Ex Chronic. Ord. Dominicani & Franciſcani. & liber Secretor. Vrb. V.*

Hæc eſt formula profeſſionis fidei, ex qua Neophiti confiterentur, & abiurarent.

XII. Vrbanus formam confitendi et abiurandi præſcribit.

Vrbanus Papa Quintus. Ad perpetuam rei memoriam.

*Ad propagationem Catholicæ fidei ſuper cuius cuſtodia ſumus licet inſufficientibus meritis à Domino deputati, & quorumlibet gloriantium nomine Chriſtiano ſed deuiantium à gremio ſacroſ. Romanæ ac Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Matris & Magiſtræ cunctorum Chriſtianorum fidelium, cui auctore ipſo Domino præſidemus, reductionem ad obedientiam & reuerentiam ipſius Eccleſiæ paſtorali ſolicitudine intendentes, viam & formam omnibus huiuſmodi deuiis tenemur oſtendere, per quas ſalubriter ad dictum gremium poſſint accedere, in eoque perpetuo commorari. Sane cum ſicut lætanter audiuimus, nonnulli Reges, principes, & alii Chriſtiani tam clerici & Eccleſiaſticæ perſonæ & etiam ſeculares, quam laici qui extra obedientiam dictæ Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus damnabiliter permanſerunt hactenus & permanere noſcuntur, ad dictæ Eccleſiæ redire, ſeu venire deſiderant vnitatem, ac obedientiam & reuerentiam debitam & deuotam. Nos volentes eos dictæ fidei profeſſionem, quam debent facere ſalutari edocere doctrina, infra ſcriptam formam quam in talibus ſeruare conſueuit dicta Eccleſia præſentibus fecimus annotari: volentes ac mandantes quod quilibet qui fuit ſeu eſt ſchiſmaticus & præciſus à præfata Eccleſiæ vnitate, & ad eam redire voluerit, dictam profeſſionem in manibus alicuius prælati, vel clerici aut religioſi Catholici, & præfatæ Eccleſiæ vnionem habentis, faciat in ipſa forma, quæ talis eſt.*

*Ego talis, &c. profiteor & credo S. Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum S. & reliqua vt eſt in formula ſuperiori profeſſionis Ioannis Palæologi, vſque ad hæc verba,* ac ſeueritati ſacrorum canonum ſubiacere. Nulli ergo, &c. Datū apud Monteſflaſconem Calend. Auguſti anno VIII.

XIII. D. Thomæ Aquinat. corpus Fratribus S. Dominici reſtituit Vrbanus.

Inter gratias porro quas FF. Dominicanis Vrbanus cōceſſit, ſacrum D. Th. Aquinatis eiuſdem inſtituti corpus Ordini reſtituit.

Ante ſeptuaginta & amplius annos ſanctus hic, à Gregorio X. Pontifice Maximo, ad Concilium Lugdunenſe pro Græcorum conuerſione euocatus, in itinere, apud monaſterium Foſſæ nouæ Ciſtercienſis Ordinis, in cœlum euolauerat, diſerte iſtud à Monachis flagitās, vt corpus ſuum, Neapolim ad cœnobium D. Dominici referri permitterent. Siue negligentia Fratrum, ſiue iniuria temporum intercederet: hucuſque apud Foſſanouanos quieuerat: donec aliquis Priuernatiū Dynaſtes, furto ſurripere, Reginaq; Siciliæ Ioanna auferre quoquo modo deſignaret.

XIV. De tranſlatione corporis D. Thomæ Aquinatis.

Honoratus Fundorum Comes, tunc rerum in Campania potens erat. Is ſiue ſua ſponte, ſiue ab Abbate Foſſanouano, metuente ne qua fraude, aut vi ſacrū pignus interciperetur, incitatus, Diui corpus, volente eodem Abbate, & odorem fragrantiſſimum ex aperto ſarcophago odorante abſtulit, inque monaſterio Prædicatorum Fundano, depoſuit, nomine S. Th. Aquinatis ſacris pignoribus non indito, ſed tantum iſto titulo præfixo: *Hic ſunt reliquiæ ſingulares.*

Aliquis Frater, Raymundus nomine, in eadem Eccleſia Fundani cœnobij, ante imaginem Cruci affixi deuotius orans, Diuum Thomam aſpexit Aquinatem, illas reliquias ſingulares ſuum eſſe corpus renunciantē. Re in publicū vulgata, cum Dominicani ſacrum Theſaurum, illis ipſis inſciis ad ſe delatum prædicarent, & monachi Foſſanouani, Honoratum fraudis accuſare vererentur, in Dominicanos accuſationem apud Vrbanum Pontificem ſcripſerunt: quaſi illi ſcalis admotis, deſcenſionem intra ſepta monaſterij feciſſent, ac perrupto ſarcophago A. Aquinatis corpus extuliſſent: perfricta fronte negante Abbate, quod ipſum inter, & Comitem Fundanum, clam actum fuit. Elias Toloſanus, Ordini Prædicatorum tunc præerat. Eum ad dicendam cauſam, Vrbanus Quintus euocauerat. Multis hinc inde productis, tandem cum ſolennitas ſacroS. Euchariſtiæ, infra octauas S. S. Trinitatis illuxiſſet: ac Vrbanus Pontifex pro ea feſtiuitate officium à D. Thoma Aquinate compoſitum fuiſſe intellexiſſet, ingentiq; lætitia ex eius lectione vniuerſam Eccleſiam perfundi perſpectū haberet: poſtquam Eliæ Generali venienti, *latronis* nomen voce ſonora, & manu protenta, per iocū impoſuiſ-

ſet,



ſet, in præmium nauatæ à FF. Prædicatoribus in conuerſione Gentilium & ſchiſmaticorum (quos etiam Sol Aquinas ſcriptis illuſtrauerat) operæ, decreuit: *Tibi, tuoq; Ordini reddi corpus ſacrum.* Reſpondenti poſtea ad interrogationem Pontificiam. Quo loci id vellet deponere: quod Toloſſam animus eſſet deferre, ſcil. vt tanti ſancti patrocinio, recens ſtudium Theologicum in ea vrbe coaleſceret: Vrbanus benigne omnia conceſſit, ſanxitque, ne caput, aut aliqua pars, vel minima corporis, à reliquo ſeiungeretur, aut ſubtraheretur, ſed totum integrum, quantum quātum erat, Tholoſſam in Eccleſiam Prædicatorū inferreretur. *epiſt. pag. 7.*

Quali pompa ſacrum corpus Tholoſſam delatum ſit.

Ad centum quinquaginta millia hominum, cum Carolo Rege Galliarum in occurſum ſacri corporis obuiam proceſſiſſe numerabant, qui viderant: quam ingenti pompa, quaſi rediuiuum Eccleſiæ Doctorem Galli exciperent. *S. Antonin. 3. part. titu. 21. c. 10. Michael Pius parte 2. lib. 2. de viris illuſtrib. Ord. Prædicat. ex variis.*

XV. Sanctio Vrbani Pp. de Doctrina D. Thom. Aquinat.

Præter hos honores Diuo Thomæ decretos, alium quoque inſignem Vrbanus adiunxit, cum eius doctrinam, tanquam veridicam & Catholicam Tholoſſatibus vt ſequerentur commendauit. Ita habet edictum Pontificis.

*Vrbanus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiſcopo Tholoſſano, & dilectis filiis, Cancellario Eccleſiæ Tholoſſanæ, vniuerſiſque Magiſtris & Doctoribus, cæteriſque clericis & laicis in ciuitate & Prouincia Tholoſſana commorantibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Laudabilis Deus in ſanctis ſuis, & in ſui Maieſtate mirabilis, cuius ineffabilis altitudo prouidentia, nullis incluſa limitibus, nullis terminis comprehenſa, recti cenſura iudicii cæleſtia pariter & terrena diſponit, & ſi cunctos eius miniſtros magnificat, altis decorat honoribus, & cæleſtis efficit beatitudinis poſſeſſores: illos tamen (vt dignis digna rependat) potioribus attollit inſignibus dignitatum & præmiorum vberiori retributione proſequitur, quos digniores cognoſcit, & quos commendat intenſior excellentia meritorum. Sic & alma mater Eccleſia, eius ſacra veſtigia inſequens, & exemplo inducta laudabili, licet vniuerſos in Regnis cæleſtibus conſtitutos ſtudiis honorare ſollicitis non deſiſtat, egregios tamen Doctores per quorum perlucida & ſalutaria documenta eadem Eccleſia illuſtratur, virtutibuſque & moribus informatur, libenter & ſolerter exequitur quæ ſunt Dei, præmiſſa meditatione perluſtrans, ad diuini nominis honorem & gloriam, & exaltationem Catholicæ fidei, ſalutemque fidelium rite cenſuit, meritoque prouidit eoſdem vniuerſali Eccleſiæ honorificentia prioris impendiis attollendos. Sane cum ſacrum & venerabile corpus B. Thomæ de Aquino ordinis Prædicatorum ſit de mandato noſtro ad Eccleſiam Fratrum Prædicatorum Tholoſſanam de proximo transferendum, nos attendentes, quanta à Deo ſcientia dotatus ordinem Fratrum Prædicatorum & vniuerſalem Eccleſiam illuſtrauerit, ac B. Auguſtini veſtigia inſequens, Eccleſiam eandem doctrinis & ſcientiis quamplurimis adornauerit: volenteſque præterea idem corpus ſpeciali honorificentia attolli, vniuerſitatem veſtram requirimus, & hortamur in Domino Ieſu Chriſto, vobis nihilominus per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus dictum corpus, cum ad partes eaſdem transferretur, benigne & honorifice ſuſcipientes, illudque deuote & venerabiliter pertractantes, faciatis ab aliis, quantum in vobis eſt, cum debita honorificentia & deuotione ſuſcipi & tractari. Volumus inſuper, & tenore præſentium vobis iniungimus, vt dicti B. Thomæ doctrinam, tanquam veridicam & Catholicam ſectemini, eandemque ſtudeatis totis viribus ampliare.* Dat. apud Montem Flaſconem 11. Calend. Septembr.

XVI. Propoſitiones Principū et Prælatorum factæ Commiſſariis Clem. VII. Antipap. pro Canonizatione Vrbani V. in quib. vita et præclara eius geſta ſummarie recenſentur.

Hæc pro Sancto Aquinate ſanciebat Pontifex Vrbanus. & ipſe viuens, vitaque functus ſanctitatis & doctrinæ ingens, adeo vt paucis poſt annis mortem eius ſubſequutis, Carolus Galliarum, & Ludouicus Siciliæ ac Hieruſalem Reges, Ioanna Bituricenſ. & Philippus Burgundiæ Duces, Adamarus Maſſilienſ. & Pontius Mimatenſ. Epiſcopi, vna cum Capitulis ſuis apud Clementem VII. Antipapam quidem, ſed quem illi verum Pontificem arbitrabantur, poſtulationem interponerent, vt albo Sanctorum Eccleſiæ Catholicæ inſcriberetur. Hæc ſunt pauca ex multis, quæ Petrus Olmarij Canonicus Aquenſis Procurator eorum Principum ac Prælatorum, coram Epiſcopis Vaſionenſi & Sinaulenſ. Commiſſariis Clementis, in hoc negotio proponebat.

I.

*Vrbanus Papa Quintus, apud Imperatores, Reges, Comites, Duces, Marchiones, Principes, Nobiles, & populum vtriuſque ſexus & ſtatus pro ſancto reputatur: eius patrocinia implorantur, & eius ſepulchrum cum deuotione viſitatur.*

II.

*In diuerſis & plurimis Eccleſiis, etiam Patriarchalibus, etiam Romæ, imago eius tanquam ſancti pingitur, & honoratur: & ad eam ex deuotione homines concurrunt, vota & oblationes ſancto offerunt: ſuffragia illius flagitantes: & iſta notiſſima ſunt vniuerſo Chriſtiano Orbi.*

III.

*Plurimi Catholici Eccleſiaſtici, maxime docti, deuoti, principes, & magnates, attenta famoſa deuotione populi erga Vrbanum V. optant illum à Sede Apoſtolica canonizari, ſanctum denuntiari, & de eo, quemadmodum de aliis ſanctis confeſſoribus officium & feſtiuitatem celebrari, & pro ſancto ab vniuerſali Eccleſia haberi.*

IV.

*Vrbanus Papa, olim Guillelmus Grimoardus vocatus, natus eſt ex legitimo matrimonio, patre Grimoardo Grimoardi Domino Griſani, & matre Amphceiſia de monte Ferrando: vtriſq; parentibus nobilibus, piis & Catholicis: qui illum ſobrie, pie, iuſte, in timore Dei & obſeruantia mandatorum diuinorum vſque ad exitum vitæ conuerſantes, in iiſdem virtutibus educarunt.*

V.

*Vrbanus, tempore pueritiæ, in ſuis geſtibus, moribus, & loquela, videbatur quaſi futuræ perfectionis idea: inclinationes ſingulares & ſanctas ad virtutes habebat: intentus literis, quibus primæ iuuentæ apud Montempeſſulanum operam dedit magno adeo profectu, vt ſcientiam illi diuinitus fuiſſe omnes coniicerent. Ad ſtudium Tholoſanum translatus, cum iuris ſtudio per quadriennium incumberet, honeſte & caſte conuerſatus, famam ſui nominis apud omnes excitauit.*

VI.

*Seculi vanitatem ex animo contemnens, Monaſticum D. Benedicti habitum induit, & expreſſe eam religionem profeſſus, ſuperiorib. obſequens, & ſumma cum laude monaſticis diſciplinis addictus, meruit proueht ad ſacerdotii gradum: neque vnquam, etiam ad Pōtificatum euectus, aut veſtes monaſticas depoſuit, aut duritiem lecti, aut parſimoniam victus regularis mutauit.*

VII.

*Voluntate maiorum ſuorum ad ſtudia Theologica, Tholoſſanum & Pariſinum miſſus, & laurea Doctoris inſignitus, cathedram conſcendens, innumerabiles diſcipulos ſanctitate & doctrina illuſtres reliquit, viginti circiter annis prælectoris officio publice defunctus: quo tempore, ſemper canonicas horas deuotus recitauit, præcepta Dei & mandata Eccleſiæ obſeruauit, habitus modeſtiam iuxta regulam S. Benedicti portauit, & in ſumma, nihil à præſcripto monaſticæ diſciplinæ deflexit.*

VIII.

*Propter ſapientiæ & ſanctitatis famam, Vicarius in ſpiritualibus, Claromontani, & poſtea Vticenſ. Epiſcopi inſtitutus, honeſtatis, probitatis, & iuſtitiæ laude inſignis, mitis, humilis, anima-*

rum

rum ſalutis cupiens, præter cauſarum cognitionem, etiam concionandi ſtudium non intermittebat: diſſentientes ad concordiam reuocabat: pacem & charitatem inter omnes conciliabat: adeo vt omnes illum velut parentem communem diligerent, atque reuererentur. Pauperum controuerſias libentius audiebat, & remedia iuris & facti afflictis ſuggerebat, neque quicquam oblatum à quocunque accipiebat, propter quam integritatis opinionem, arbitrum illum diſſidentes eligebant, quod ad nullius perſonam reſpiceret, ac ſolam æquitatem præ oculis haberet.

IX.

Occaſione meritorum, primo Antiſiodorenſi, deinde Maſſilienſi cœnobio Abbas Præfectus, Innocentio Sexto Pontifici ſuam operam obtulit, aliquot vicibus in Italiam, pro grauiſſimis Romanæ Eccleſiæ negotiis, Nuntius deſtinatus. Hæc ille pari dexteritate & integritate curauit, nemo vt de illius ſententiis quereretur.

X.

Toto tempore vitæ ſuæ, ab improborum & ſuſpectæ fidei & famæ hominum conuerſatione abhorrebat nec niſi probitate & doctrina conſpicuos ad conſortium admittebat: & in his, aliquibus, ſanctitatis & miraculorum gloria inſignibus familiariter vtebatur. Inter familiares, non niſi probatæ vitæ: & qui pompis ſeculi non oblectarentur, neque vanitatibus ſtuderent, recipiebat: ita vt eius domus, aula pietatis & ſanctitatis, ab exemplo illius & inſtitutione videretur.

XI.

Quamuis corporis delicias & ſeculi oblectamenta, atque vanitates contempſerat, nec non corpus ſpiritui ſeruire cogebat, per abſtinentiam tamen & macerationem corporis, non ſubtriſtis, non iracundus, non ſuperciliosus, ſed in ſancto ſpiritu, pacem, gaudium & lenitatem amans, prudens ſemper, humilis, caſtus, benignus, lætus, affabilis omnibus, præſertim pauperibus & afflictis apparebat, eſſeque volebat. Tria eſſentialia vota Religionis inuiolabiliter cuſtodiebat, ſemper obediens, ſine proprio, caſtus, imo virgo, à tactu mulierum immunis, & mundus, dignitatis contemptor, in obſeruantia Regulari exemplo omnibus, Deo non hominibus placere exambiebat.

XII.

Quinquaginta tres annos natus, cum Neapoli pro Sede Apoſtolica Nuncii officio Abbas defungeretur, inſpirante mentes Cardinalium ſancto Spiritu, in locum INNOCENTII ſexti defuncti, Pontifex aſſumptus, nonniſi coactus, eam dignitatem ſuſcepit, ac Vrbanus appellari voluit, quod Vrbanos anteceſſores Pontifices, ſanctos diceret, & ad imitationem illorum viuere, & Eccleſiam adminiſtrare deſideraret: omnibus Chriſtianis cenſentibus prædicantibusque, à DEO factam fuiſſe illius aſſumptionem: quæ vniuerſo mundo ingentem lætitiam attuliſſet.

XIII.

Sub tempus aſſumptionis illius, ad finem menſis Octobris, cum vernum tempus iam immineret, Auinione, & in ſuburbiis, ac territorio vniuerſo eiuſdem, per plures dies ac noctes, ros cœleſtis albus, quaſi congelatus, dulciſſimus, quem phyſici manna vocant, ad vtilitatem hominum maximam, ſuper folia herbarum & arborum defluxit: nunquam ante hominum memoriam in iis regionibus conſpectus.

XIV.

Diuina officia & ſacroſanctum ſacrificium Myſſæ, cum Summa attentione, clare & diſtincte recitabat, quotidie ſacris operabatur, vel impedimento aliquo adueniente, ſacrificanti adſiſtebat. Cæterum antequam ipſe ſacrificaret, humiliter confitebatur, & confeſſione abſoluta, orationi cum lachrymis & deuotione, in choro vacabat. Totum tempus matutinum, aut horis recitandis, aut venientibus audiendis, aut negotiis Eccleſiæ expediendis impendebat. Menſa frugali vſus, de pauperum & infirmorum neceſſitatibus inquirebat, illiſque neceſſaria miniſtrabat, & cibos menſæ ſuæ ſubmittebat: nec nō medicis, vt gratis operam illis impenderent, admonebat. Reliquum, à collatione meridionali, temporis, officio diuino recitando, & cauſis cognoſcendis aſſignabat, ſingulisque diebus officium mortuorum, pro animabus defunctorum abſoluebat. Cœna modica contentus, aliquem vel de vitis ſanctorum, vel de miſeria mundi, vel de quatuor nouiſſimis libellum legebat: ac poſtmodum matutinas preces, cum eo qui illi à Sacris confeſſionibus fuerat, legebat: ſomnoque ſe parciſſimo, integro habitu indutus, recreabat.

XV.

In verbis & factis, nec ventoſus, nec diſſimulator, nec bilinguis, nec mendax, nec fictus, nec hypocrita, nec iracundus, nec diſcolus fuit largus non prodigus, non auarus, nec cupidus: ſtudioſus legendi & imitandi dicta & facta Summorum Pontificum Romanorum, & aliorum Sanctorum & Illuſtrium virorum. Tota cura vitauit, etiam aſpicere inhoneſtas delectationes. Item audire verba, quæ Deum, homines & conſcientiam offenderent. Item abhorrebat, quamcunque libidinoſam oblectationem, gulam, ebrietatem, tactum mollem.

XVI.

Fuit vir Catholicus, magnus zelator Fidei Orthodoxæ, fidelis erga Sedem Apoſtolicam: amans Theologorum, qui Fidem Catholicam tuerentur & ornarent. Eorum plurimos ad Eccleſiaſticas dignitates euehebat: deuios à Fide, vel reducere ſatagebat, vel contumaces in hæreſi damnabat. Pro liberatione Terræ Sanctæ, præſente Galliæ & Cypri Regibus, pro Concione quam ipſe dixit, bellum ſacrum indixit, Reges & illos plurimos proceres Chriſti Cruce inſigniuit, & ad præliandum prælia Domini excitauit, Talayrando Epiſcopo Cardinali Albanenſ. exercitui Chriſtiano Legato præfecto.

XVII.

Iudæos, vt ad ſacrum baptiſma ſpontanei accederent, immunitatibus & priuilegiis maximis propoſitis inuitauit. Sanctum Elzearium Ariani Comitem, Sanctorum numero adſcripſit. Romæ exiſtens ad obedientiam Catholicæ Eccleſiæ induxit, ac recepit, Conſtantinopolitanum Imperatorem: qui ad eius pedum oſculum veniens, ante gradus Eccleſiæ Sancti PETRI, per ipſum Dominum Vrbanum ad manum in Eccleſiam intromiſſus, eiuſdem Vrbani Miſſam in Latino audiuit, & confeſſus proceſſionem ſancti Spiritus ſimul à Patre & Filio, nec non ſuperioritatem Romanæ Eccleſiæ ſuper omnes alias, omnium Catholicorum Romano & Summo Pontifici adhæſit & deuote obediuit, ipſum deuotiſſime venerando. In tantum quod propter deuotionem quam dictus Imperator Conſtantinopolitanus ad ipſum & omnes ſuos habebat ipſum ſæpiſſime viſitabat, & iocalia ſibi deuota tribuebat, & ſæpius ipſo Pontifice ignorante, non inuitatus, ad eius prandium veniebat, & ambo ſimul, diuerſis tamen menſis paratis, & ornatis more Pontificali & Imperiali ſua capiebant cibaria, pro ſolo VRBANO PAPA præparata, cum gratiarum actione & deuotione. Et dicebat Imperator, ſe in tali refectione melius refici in corpore & anima, quàm ſi ſolenniſſime ſibi prandium pararetur.

XVIII.

Cum Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum capita, argenteis loculis incluſiſſet, & aliqui trepidarent, ne aliquando ſurriperentur, dixit: Habet S. Petrus claues, & S. Paulus gladium, quibus ſe poſſunt defendere. Ad reparandum palatium Vaticanum, mille laboratoribus, qui ſe ea mercede ſuſtentarent conductis, eos, paucis comitatus veniens, partim verbo, partim eleemoſynis recreabat. Cumque nonnulli metuentes, ne ab aliquo





offenderetur, hortarentur, vt multo plures pro cuſtodia ſua adduceret, reſpondit: ſe nihil timere, quod nemo illi poſſet nocere, niſi Deo permittente.

XIX.

Quadrageſimæ & Aduentus Dominici tempore, totot dies ieiunabat. Feria 4. 6. & Sabbato, toto anno, aqua & pane vitā tolerabat: inq; Eccleſiaſticos omnes Palatinos anathema pronunciauerat, ſi quis in diebus Aduentus vel lacticiniis veſceretur. Ab ea ieiunandi conſuetudine, & ex laboribus continuis, ægritudines varias cōtractas, patienter tolerabat; & inter quieſcendum ſuſpiria ex imo corde ad Deum ducebat, vt muneri ſuo par eſſet, quamdiu ille permitteret. Porro ſi quando medicinam ſumere oporteret, illo tempore, quo illum oporteret negotiis vacare abſtinebat: quamuis non raro in diſcrimen vitæ adduceretur. Sed neque tunc negotia omittebat, ſed decumbens vel audiebat, vel reſpondebat, nullo die intermiſſo, quin ſacrificantem ſacerdotem audiret. Semel aliquis familiarium, ei narrauerat, ſe ex propria vxore ſuſtuliſſe infantulum. Quem Vrbanus reprehendens, quod importuna narratione illius aures quaſi violaſſet, dixit, quia magis vellet eſſe mortuus & ſepultus, quam eſſe vel fuiſſe macula carnali inquinatus.

XX.

Pompam Pontificiam, tantum propter dignitatem officii induebat, intus monachi habitu cultus: & aurum, argentum, atque lapides pretioſos, nonniſi terram pollutam appellabat. Oblatas ſibi in ſacri miniſterii officium res quaſcumq; pretioſas, diuino cultui deputabat: vel ſi taliæ eſſent, quæ pauperum vſibus commodarent, illa in egentes diſtribuebat: vel Eccleſiis, Monaſteriis, & Oratoriis erogabat. Cubiculum illius ſine ornamentis, veſtitu pretioſo, auro argento, aut libris ſuperfluis tam pauperrimum, quam pauperrimum fuerat, cum Monaſticam profiteretur. Theſauros à Bonifacio VIII. Aſſiſii reconditos, inter Eccleſias & pauperes Vrbanos diuiſit, neque aliud in Gallias tulit, quam caput S. Blaſii, Capillum [illegible] Beatiſſimæ Deiparæ, & portionem ligni Sanctæ Crucis: quæ tamen omnia diuerſis Eccleſiis attribuit.

XXI.

In ſuos parcus, neq; pugillum terræ eis dedit. quin cum aliquibus Ioannes Rex Galliæ nonnullos reditus vellet aſſignare, ille impediuit: & Patri ſuo, nonniſi pauciſſima quædam pro vitæ vſibus conceſſit. A muneribus alienus, tantum reculas quaſdam ex deuotione oblatas, ne contemnere paupertatem aut deuotionem aliquorum videretur, vix accipere ſuſtinebat. Collectores fructuum Cameræ Apoſtolicæ, ne moleſti exactores eſſent admonebat, quod ſi quempiam onerassent, illos caſtigabat. Cupiditatem, rapinas, & concuſſionem, anathemate pronunciato, palatinis ſuis inhibuit. Contra vſurarios ſeuerus, pœnis Eccleſiaſticis illos addixit. Simoniam, ambitionem, & ſordes quaſcumq; miniſtrorum Eccleſiæ repreſſit. Honores ſibi attributos, in ſolum Deum retulit. Quo tempore, Carolus Imperator Romæ vel illi obuiam procedens pedem oſculatus eſt, vel diaconi habitu indutus, Euangelium in miſſa recitatus, ad ſacrificium celebrandum miniſterium impendit: aut à Palæologo Imperatore, vel regibus Galliarum, Cypri, Siciliæ, diuerſa humilitatis obſequia illi facta ſunt, ille indignum ſe intra ſe eo honore reputans, nonniſi Pontificiæ dignitatis ſeruandæ reſpectu, illa humiliter admiſit: ſæpius illud dicens: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

XXII.

Aduerſa omnia, quamquam inopinato accidiſſent, conſtanti animo tolerabat, & à Deo auxilia Eccleſiæ laboranti implorabat: paratum ſe dicens, ad commoriendum & conuiuendum. Iniurias à nonnullis acceptas, ſolo verbo corrigere ſatis habuit, neq; vnquam ad vindictam exarſit.

XXIII.

Corruptos palatii mores, integritati reſtituit, deformes aulicorum habitus reformauit. Dilectionem Dei omnibus ſuis inſtillare curauit: nunquam aliud in ore, quam Deum & diuina habens. Plures Sanctorum reliquias, auro & argento incluſas, gemmiſque ornatas, quamplurimis Eccleſiis dedit, Collegia aliquot, ſumptibus propriis erexit; alia diruta inſtaurauit, ditauit, ornauit. Argenteas imagines, calices, veſtes & ornamenta pretioſa, libros vtenſiliaq; diuerſa variis Eccleſiis dedicauit. In pauperes munificus, eos ſubleuauit; & ſi aliquos ſtudiis aptos perſpiceret, bonis artibus inſtitui curauit. Vniuerſitates priuilegiis & poſſeſſionibus, in educandis inſtruendiſque pauperibus auxit: hoc vnum propoſitum habens, vt Eccleſiæ idoneos miniſtros prouideret.
Pauperes occultos, præ cæteris iuuabat. puellas nubiles, aſſignata dote, in matrimonium collocabat. viduis & pupillis indigentibus victum miniſtrabat. Infirmos datis medicinis & rebus neceſſariis recreabat. nudos & pannoſos veſtiebat. tempore grauis annonæ, cūctis abunde gratis communicabat. Aquitaniam, Auinionem, Comitatum Venayſinum, Campaniam & Maritimam ne fame homines interirent, liberalitate ſua ſeruauit. Romanos ad veterē frugalitatem, præſertim publicanorum ad XX. millia, Romæ ad veram pœnitentiam, & confeſſionem deteſtationemq; peccatorum, exemplo, & exhortationibus adduxit. Iuſtitiam poſtliminio reuocauit. Flagitioſos publice, non impune viuere ſiuit. Neq; Regibus, neque Cardinalibus, neq; Principibus, in adminiſtratione iuſtitiæ quicquam detulit. Ab oppreſſione potentiū pauperiores vindicauit. Adminiſtris iuſtitiæ, ne perſonam cuiuſquam reſpicerent, neue amore aut odio quicquam decernerent indixit. In violatores libertatis Eccleſiaſticæ ſeuerus vindex, nemini Imperatorum, aut Regū, quicquam conceſſit. Pacem, inter diſſidentes conciliare conatus eſt. In diſtribuendis Eccleſiaſticis dignitatibus, ad merita tantum perſonarum electarum aſpexit, recti tenax, promiſſorum memor, Deum & Eccleſiam præ oculis habens.

XXIV.

Ad extrema deductus, in ægritudine ſuprema, necquicquam de ſeueritate viuendi remiſit. Confeſſione ſacramentali præmiſſa, fidem Catholicam profeſſus, more pauperum monachorum vt ſepeliretur, mandauit. Sacro Miſſæ ſacrificio audito, diuinam hoſtiam accepit: mox ſacro oleo inunctus, morbo ingraueſcente ſpiritum efflauit, miraculis poſt mortē, à Deo Illuſtratus. Interea, Auinione, Philippellam puellam quinque menſium defunctam, ad vitam reuocauit. Bartholomæo Gaufredo, vigintiquinque annis tibiam retrorſum complicatam, perſanauit. Infantem alium quem non ſpirantem mater ediderat, vſu vitæ donauit. Bertrando Baucio, vno anno lumen oculorum amiſſum, reſtituit. Ioannam filiam Petri Clauſerii ex febribus defunctam, reſuſcitauit. Duo & octuaginta alia inſignia miracula, leguntur in proceſſu MS. vitæ & miraculorum eiuſdem Vrbani Quinti, in Bibliotheca Vaticana ſignato numero 4026.

XVII. CREATIO GREGORII XI. PP.

Sanctiſſimo Pontifice Vrbano vita functo, Cardinales mortem illius inprimis Anglico Cardinali Epiſcopo Albanenſi ſignificarunt; deinde Reginam Ioannam ne à Seneſculatu & adminiſtratione Prouinciæ, Nicolaum Spinellum Cācellarium Siciliæ, reipublicæ Chriſtianæ, & Eccleſiæ Romanæ tunc viduatæ pernecessarium auocaret obſecrarunt XII. Cal. Ianuarii. Deinde IV. Cal. Ianuarii finitis de more nouemdialibus exequiis, ſacro de Spiritu Sancto præmiſſo, conclaue ingreſſi, die ſequenti, id eſt III. Cal. Ianuarii, Petrum Rogerii Diaconum Cardinalem tituli Sanctæ Mariæ nouæ in Pontificem elegerunt. Fuit is Clementi Sexto ex Ioanna Rogeria ſorore nepos; natus patre Guillelmo Comite Belfortio. Hunc adoleſcentem, vix decimum ſeptimum annum attingentem Clemens eius patruus Cardinalem creauerat. & ne videretur carni ac ſanguini magis quam Eccleſiæ conſuluiſſe, eundem ad eruditiſſimos Doctores, maxime vero ad Baldum, qui tum Peruſii legebat, diſciplinæ gratia ſtatim ſubmiſerat. Vbi tantum in quouis genere profecit doctrinæ, vt idem Baldus eius authoritate in confirmandis rebus dubiis plerumque vteretur. Fuit præterea tantæ innocentiæ & placabilitatis, adeoque pius & humanus, vt ab omnibus vnice diligeretur. Non plures quam quinque & triginta annos natus, Pontificatum iniit, & Gregorii nomen aſſumpſit, vt vigilantiam ſuam exemplo Maxi-

morum Gregoriorum, qui illum in cathedra Romana præceſſerant, Eccleſiæ & reipublicæ Chriſtianæ probaret. *Liber Secret. Greg. XI. Onuphr. Platina, Maſonius & Ciaconus in Gregorio XI.*

XVIII. Caſimiri Magni, Polon. Reg. obitus.

Deſiit eſſe in humanis hoc anno, Caſimirus Magnus Rex Poloniæ. Is cum ſe viribus deſtitui cerneret, accerſito Cracouienſi Epiſcopo Floriano, itemq; inſignioribus nonnullis de cœtu ſacro Baſilicæ Cracouienſis, in Chriſtiana religione, vti Chriſtianũ decet, mori ſe profeſſus eſt. Teſtamento condito, multa Gneſnenſi & Poſnanienſi baſilicis, Cracouien. vero crucem auream inſignem, quam Leopoli deportarat, cum incluſa portione ligni Crucis Chriſti reliquit: ſacris myſteriis de more procuratus, nonis Nouembris vitam cum morte cõmutauit: pacis quam belli artibus & operibus clarior: vnde etiam Magni cognomen ſolus hic inter Polonorum principes, non tam virtute bellica & victoriis, quã operibus magnificis, & plurimarum arcium & oppidorum munitione meruiſſe videtur: & quod omniũ ſummorum pariter & infimorum hominum erga ſe beneuolentiam iiſdem quibus collegerat virtutibus, hoc eſt iuſtitia, facultate, humanitate, elegantia, & clementia ad extremum retinuit.

Caſimiri res geſtæ.

Hic Princeps inextricabiles iudiciorum laqueos reſecuit, leges barbaras & iniquas, quoad tunc potuit, vel ſuſtulit, vel correxit: adeuntibus facilis & comis, querimonias, etiam infimorum benigne & patienter audiuit: tenuiores à potentiorum vi & iniuria vindicauit, ſic vt æquior plebi quam nobilitati eſſe videretur: captos ab hoſtibus ſuos promiſcue redemit: ne cuiquam oneri eſſet, cauit: ſeueritate, vt medici ſolent vſtionibus & ſectionibus, nonniſi neceſſario vſus eſt. Præter alia templa, Nepolomicenſe, Corcinenſe, Solecenſe, Opocinenſe, Lapſicenſe, & in arce Cracouienſi duo, quorum alterum Sancti Michaelis, alterum Sancti Georgii nomine dedicatum eſt: à conſpectu vero eiuſdem arcis Rupenſe Diui Stanislai cæde nobile; Itemque prochodochium, ſiue hoſpitale Stradomienſe condidit. Præterea Corcini & Caliſſiti Franciſcanorum, Petricouiæ & Lanciciæ Dominicanorum Monaſteria; quibus omnibus amplam & luculentam ſupellectilem ad cultum diuinum accommodam attribuit. Mogilenſe quoque Monaſterium imperfectum conſummauit: Baſilicam etiam Cracouienſem exornauit. Ziemouitum Maſouiorum Ducem, Epiſcopo Poſnanienſi, vt decimas de noualibus agri reddi in ſua ditione iuberet, condemnauit. Quanquam vita impurior, Sacerdotes tamen continentes ſingulari fauore proſecutus eſt. Quod ſi etiam induſtria dexteritateque præditi eſſent, multum eis vtebatur: & quamuis plebeii & obſcuro loco nati eſſent, nobilibus eos non modo exæquabat, verum etiam anteponebat. Curabat autem, vt omnes ſacerdotes, quoad fieri poterat, ſacerdotia ſua per ſe ipſi præſentes adminiſtrarent. *Cromerus de rebus Polonorum lib. 12.*

Quo honore ſacerdotes proſequeretur.

XIX. Edouardus Rex Angl. iniquus in Eccleſiaſticos.

Diſſimilis erga Clerum Caſimiro, per id temporis viuebat, Edouardus Rex Angliæ, qui hoc anno, non tãtummodo à mercatoribus proceribus aliiſq; diuitibus, verumetiam à prælatis & viris Eccleſiaſticis magnas ſummas pecuniarũ, per ſpeciem mutui, quaſi in defenſionem Eccleſiæ Romanæ & Regni illis opus haberet, extorſit: cum tamen nunquam illas reſtituit, nec in rem Eccleſiaſticam, imo contra Eccleſiaſticos, & contra ipſum Pontificem Gregorium, cum Bernaboui auxilia ſuppeditaret aduerſus Eccleſiam Romanam, expendit. *Thom. Valſingham hiſt. Angl.*

His Eccleſiæ hoſtibus reprimendis, pacique inter diſſidentes conciliandæ, nec non reducendo in Italiam Romano Pontifici, atque Orbi Chriſtiano, qua exemplis, qua precibus, qua perſuaſionibus iuuando, viuebat hac tempeſtate S. Catharina virgo Senenſis, tertium Ordinem D. Dominici profeſſa. Placet hic breuiter, vitam illius, ex ea quam Nicolaus Burgheſius eques Senen. SS. D. N. Pauli V. proauus deſcripſit, in compendium redactam commemorare.

## I.

XX. Ex vitas Catherinæ Senen. edita à Nicolao Burgheſio equite Senen. Vitas Cather. Senen. Ordin. S. Dominici. Redemptorem adhuc in pueritia vidit.

Nata eſt Catherina, Senis Etruriæ, anno Dom. 1347. patre Iacobo, matre Lappa, probitate vitæ conſpicuis. Necdum ſextum annum egreſſa, tanta veneratione Diuam Deiparentem colebat, vt ſiue ſuperiora domus cõſcenderet, ſiue ad ima deſcenderet, Angelicam ſalutationem per ſingulos gradus genuflexo recenſeret. Aliquando ab ædibus ſororis reuertens, defixis in cœlum oculis ſupra baſilicam Diuo Dominico Senis dedicatam, Redemptorem Pontificiali veſte ornatum, Sedi ſublimi inſidientem, Apoſtolorum choro circũdatum, ſibi renitenti vultu benedicentem, ſeque Crucis ſigno inſignientem aſpexit: atque ab illo aſpectu puella, adeo in amorem cœleſtium exarſit, vt de ſolitaria vita inſtituenda cogitarit. Cumque per ætatem atque ſexum nõ liceret, domi abſtinentia rara, ac præter omnium exiſtimationem admiranda innocentia vixit: orationibus & meditationibus perpetuo intenta, ieiuniis & vigiliis aſſueta, nec niſi diuinis rebus iugiter abdicta.

## II.

Octauum annum ingreſſa, Chriſto Saluatori & Virgini Dei matri, virginitatem integerrimam cõſecrauit, & ad ſectanda D. Dominici veſtigia, cuius Ordinis religioſos maiorem in modum obſeruabat, animum, applicuit. Iſtud propoſitum Catherinæ, cum mater Lappa ignoraſſet, & in matrimonium cuidam viro clari nominis illam poſtea collocare voluiſſet, Catherina ſenſum ei ſuum aperuit, & capillis capitis ſibi reciſis, iã ſe Chriſto deſponſatam aſſeruit. Neq; amplius Lappa copulæ carnalis mentionem illi fecit; præſertim cum ſemel capiti Catharinæ orantis, columbam cœleſtem niue candidiorem ſuperuolaſſe vidiſſet: Catherinamque viſum quoddam referentem, & vitam à curis ſæcularibus ſecretam deprecantem audiſſet. Secundum enim viſionem in oratione aſpexerat, Diuum Dominicum manu altera candidiſſimum lilium, igne indeſinenti ardens; altera, habitum earum quæ de pœnitentia nomen habent, geſtantem, ſubque ea veſte, Deo militaturum aſſerentem.

Nuptias recuſat et virginitatem vouit.

S. Dominici apparet.

## III.

Eius vitæ inſtitutum cum mater probaſſet, eidemque locum domi ſemotum conceſſiſſet, tanto amplius in cœleſtem diſciplinam incubuit. Prima illi & aſſidua cura, contemplandæ imitandæque Chriſti paſſionis. Quãobrem ſublatis in imaginem Cruci affixi luminibus, omnia eius paremata multo cum lacrymarum profluuio expendebat, & ad manſuetudinis, patientiæ, humilitatis, mortificationis ac obedientiæ imitationem ſeſe vehementius incitabat: animo euoluẽs Chriſti Ducis verba monentis, vt omnes tollant Crucem ſuã, ſemetipſos abnegent, ſeque ſubſequantur præceſſorem. Ad mortificationem carnis & ſenſuum, ieiunium conducere non neſciebat. Itaq; primum carnibus & vino abſtinere, nec niſi herbacea deguſtare, deinde à quintodecimo anno, ſolo pane & aqua in dies victitare; & paulo poſtea adulto iam corpore, toto die nihil eſitare, & ieiunia ſolo Euchariſtico pane in plures hebdomadas producere conſueuerat. Super inediam, cilicium aſperrimũ induerat, cicloque ferreo lumbos ſuccinxerat; ac præter hæc ſtimulis flagelliſq; ferreis, tenerrimos armos noctibus ſingulis cruentare, neq; veſtem ad quieſcendum detrahere, neq; lecto ſed humo aut tabulæ incubare, & pro puluino ac culcitra lapidem capiti ſupponere, ac ſomnum nonniſi fallere didicerat. Sermonem nonniſi cum Deo, aut de Deo, ac virtutibus miſcebat. Quotidie cœleſti lumine perfundebatur, ac omnes vitæ rationes in Deum referebat, nec aliud quam veram beatitudinem ſuſpirabat.

Mira eius abſtinentia et corporis afflictio.

## IV.

Interim de induendo Diui Diminici habitu cogitabat. Cæterum mater non libenter iſtud eius conſilium audiebat, imo potius ab eodem inſtituto ineundo, Catherinam reuocabat. Huic rei ſecum illam ad thermas abduxerat, vt inter eundum atq; redeundum, à propoſito aliquid remitteret. Accidit illam tunc non ſemel, in feruentem aquam, matre inſcia, inſilire, & in ebulliente balneo magna cum tolerantia, nõ paruo temporis ſpatio, mortificando corpori perſiſtere. Cauſam & modum à Confeſſore rogata, quid ita faceret, & quonam modo ſuſtineret, reſpondebat; *Volutabam*, inquit, *interea animo ſæuiſſimas damnatorum pœnas; cruciatuſque longe acerbiſſimos: præ quibus membrorum meorum incoctiones perpeſſu faciles videbantur.* In vrbem reuerſa, cum in ardentiſſimam febrim incidiſſet, vix à matre obtinuit, vt ſibi deſideratum amictum, à Diuo Dominico inter reliquos religionum conditores apparente præoſtenſum, vel in extrema ægritudine induere liceret. Non abnuit Lappa, magis metu mortis imminentis perculſa, quam filiæ precibus victa. Catherina porro, voti compos facta, iam felix animi, è morbo conualuit, & albam tunicam vna cum pullo amiculo è manibus Prioris Prædicatorum, tam lubens, quam læta ſuſcepit.

In feruentes balnei aquas inſiſtit et ibi magna cum tolerantia perſiſtit.

Monaſticum habitum ſuſcipit.

## V.

Habitu Prædicatorio qui de pœnitentia vocatur induta, inprimis ſilentium ſibi indixit. quod primo tyrocinii triennio, adeo ſtricte obſeruauit, vt præter diuini officii penſum, & ſacram confeſſionem, nihil fere loqueretur. Silentio diligentius cuſtodiendo, poſtquam ab Eccleſia reuertiſſet, fere continuo in cellula concluſa morabatur, diuinis meditationibus intenta. In ea ſolitudine, dum conſpectum euitaret mortalium, cõuerſatione fruebatur Angelorum. quin & ipſe ſponſus eius ſe oculis ſæpiſſime inferebat, atq; de rebus cæleſtib. illam ſolus edocebat. Verebatur Catherina, ne dolis illius qui ſe in Angelum lucis transfigurat, aliquando caperetur. Quamobrem Saluator, rationem diſcernẽdorum ſpirituum illi aperuit, cum inquit: *acceſſus Regis æterni principio aliquid terroris incutit, mox vero ſecuritatem adfert: ſed aditus aduerſarii, primo lubentiam, poſtea pauorem, & ad extremum confuſionem ac dolorem relinquit. Viæ quoq; Dei, à viis preuaricatorum longe differentes. Siquidem via virtutis primo ingreſſu, tum arcta tum aſpera eſt; at vbi offendicula ſuperaueris, reliquum itineris planum eſt, & tutum, ac omni ſuauitate refertum. Cæterum vitiorum iter, primo procliue, laboris expers, & voluptatis plenum: at vbi progreſſus feceris, in ſalebras degenerat, & ad perniciem ex præcipitio trahit. Ex acceſſu meo, creſcit in animo veritatis cognitio; ex cognitione ſui demiſſio; à demiſſione ſui ſummi boni contemplatio; à contemplatione deſiderium, & ex deſiderio amor cœleſtium: cum anima ſeipſam nihili cognoſcit, & ad me contẽplandum elata, vbi æternam meam virtutem, gloriamq; perſpexerit, in meum amorem vehementius exardeſcit: veruntamen ſuperbia rege aduẽtante, excæcamens humana obſcuratur, inde inflatur, inde bonum faſtidit, inde in præceps ruit, inde in barathrum perditionis demergitur.*

Silentiũ ſolitudinem diligenter ſeruat.

Saluator aperit illi rationem ſpirituum diſcernendorũ.

## VI.

Iſtas ſalutares præceptiones, cum Catherina in pectus demiſiſſet, tanto magis ſe dignam reddidit apparitionibus reuelationibuſq; diuinis. Præſertim cum iam nullum in eius virgineo corpore peccatum regnaret, ſed tota igne cœleſti plane conflagraret. Itaque tanta inter eam & ſponſum Ieſum familiaritas interceſſerat, quanta intercedere vnquam poteſt, duos inter flagrantiſſimo amore ſeſe complectentes. Nam ſiue illa orabat, ſiue meditabatur, ſiue legebat, ſiue vigilabat, ſiue dormiebat, ſiue quippiam aliud faciebat, diuinis afflatibus recreabatur. Aliquando oranti Chriſtus ſe obiecit, ea ſpecie per cubiculum deambulans, qua in horto Gethſemani, orauerat. Sanguineum ſudorem adeo affluenter ſudabat, vt etiam pauimentum cubiculi imbueret. Ibi Catherina, illud à peccatorum humani generis confuſione, ſtillicidium profluere rubicundum intelligens, verecundiamque, quam tota die coram ſe fuiſſe teſtabatur, eas guttas expreſſiſſe perpendens; *Mai piu peccato*: quod idem eſt, ac, *Numquam in æternum peccauero, aut quicquam indignum admiſero*, dixit: *Si tu mi Ieſu, à peccato alieno, tantum erubeſcis, tantum palles.* In his contemplationibus mens Catherinæ adeo ad Deum trahebatur, vt ſopitis interdum corporis ſenſibus, aliquamdiu immobilis permaneret.

Quanta inter eã et D. Ieſum familiaritas. Chriſtus ei apparet et copioſum ſudans ſanguinem.

## VII.

Mirabatur Raymundus, cum virgo pro confeſſione, illi omnia hæc ſecretiora exponeret; atq; ſubmetuens, ne velut fæmella, ab hoſte humani generis deciperetur, cogitauit de ea, quantum apud Deum valeret periculũ facere. Itaque partim peccatorum ſuorum magnitudinem, partim animi impœnitentiam ſocordiamq; ſuam coram virgine accuſabat, & vt ſibi quoque iuſtum pro delictis dolorem impetraret; poſtulabat. Orauit Catharina; & Raymundo tantum lachrymarum copiam obtinuit, vt & ipſe poſſet dicere, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*; cum ex ſciſſo corde, ſegnitiem atque deſidiam ſuam deploraret. Hinc apertè intellexit, Catherinam plurimum valere apud Deum; vtpote cuius obſecrationibus, animo tãtam erratorum ſuorum amaritudinem concepiſſet. Magis poſtea ac magis in eam ſententiam iuit, cum ſecundo hæſitans, aſpexit Catherinæ faciem in virilem vultum commutatã; cuius aſpectus cum formidabilis, tum reuerendæ cuiuſdã maieſtatis, cum Raymundum in ſtuporem adduxiſſet, inque hæc verba ille prorumpens, *Quiſnam eſt quem video*, reſponſum, *Ego ſum, qui ſum* accepiſſet; & cõtinuo poſt hæc verba, in ſpeciem ſuam virginis facies rediiſſet; tanto amplius de Catherinæ ſanctitate neutiquam dubitauit.

Confeſſario ſuo maximam erratorum amaritudinem et lachrymarum copiam diuinitus obtinet.

Confeſſarii de ea viſio.

## VIII.

Non inſulſa, neque ſtulta, ſed ſummis ſapientiæ præceptis, à Chriſto inſtructa, Catherinę ſanctitas fuit. Eam enim Chriſtus ſæpius apparens, de arcanis ſecretis, altiſſimiſq; myſteriis edocuit. Quamobrem à tam ſublimi Magiſtro informata, libris variis editis, & epiſtolis ad aliquot Summos Pontifices, tum deinde ad Reges, Principes, Cardinales, Epiſcopos, Proceres, Prælatos, Religioſos, atque alios ſcriptis miſſiſque, reconditam ſapientiam, diuinitus acceptam ſibi infuiſſe indicauit. Inter alia docebat, vt in extremo rerum diſcrimine, curam noſtri Deo committamus. quod videlicet ipſa non ſemel experimentis didiciſſet, Deum vigilare pro nobis. Quo enim tempore, Auinione in Italiam reuertebatur, & nauis atro cœlo & violentia tempeſtatis in extremum periculum adducta, metum nauiculario & reliquis incuſſiſſet; & tum demũ Pater ſpiritualis Catherinæ qui aderat, conſternatus, illam ſui & alieni naufragii futuri admonuiſſet; illa voce tranquilla reſpondit; *Vita veſtra, quid ad vos?* Hæc dixit; demiſſo ſuppliciter capite orauit; ſtatim mare deferbuit: & ab imminenti periculo mortis omnes liberauit.

De arcanis ſecretis et altiſſimis myſteriis à Chriſto edocetur.

## IX.

Permiſit eam ſponſus non ſemel, ab hoſte tentari. Primam iſte ſagittam ſuperbiæ in virginem innocẽtem, intorſit. à qua cum non minimum illa torqueretur, Ieſu auxilium implorauit, & ſigno Crucis Regem ſuperbiæ proſternere condidicit. Immundis ſubinde ſpurcioribuſque cogitationibus virginem ſolicitauit. at eas virgo, vigiliis, ieiuniis, lecti duritie; & catena ferrea, qua ſe vſque ad ſanguinis effuſionem cruentabat, profligauit. A propoſito virginitatis deinde Catherinam auertere conatus, ſtatum matrimonii, à ſanctis veteris & nouæ ſucceſſionis mulieribus Sara, Rebecca, Rachele, Elizabetha & reliquis expetitum, ſancteque cultum, illi

Varias dæmonis tentationes Dei auxilio ſuperat.

obiiciebat. Verumtamen illa in numeroſum virginum agmen, & inprimis in Principem virginum Deiparentem oculos conuertens, tam facile quam ſtipulam flatus, maligni ſuggeſtiones refellebat. Aliquando dæmonum phalanx, virorum & mulierum varie laſciuientium in oculis Catherinæ ſpeciem induerat, eaque via violentiore ignem libidinis ſuccendere nitebatur. Inter hæc ſponſus Ieſus, vt patientiam conſtantiamque ce: tantis exerceret, ſuam virgini præſentiam, quemadmodum olim Antonio in eremo, non tam ſubtraxerat, quam occuluerat. Cæterum Catherina ſeipſa ab occulto Dei adiutorio maior facta, tantum abeſt, vt oculos in laſciuientia ſpectra intenderit, aut flammam aliquam inconceſſam à malo igne mutuare voluerit, vt etiam inter flammantes illas infeſtationes nihil de ſanctis exercitiis remiſerit, ſed orationi, diſciplinas, & lachrymis calentibus ſanguinea flumina addiderit.

CHRISTVS EI POST CERTAMĒ APPARET ET FAMILIARITER ALLOQVITVR.

Iſtum agonē Catherinæ cum Ieſus perſpexiſſet, ſuffixus in Cruce, tādem illi apparuit, hiſq; verbis ex nomine Catherinam compellauit: *Aſpice ô filia ſupplicium, quod ego pro te ſuſtinui. Tu quoq; tuam crucem pro me ne recuſes.* Paulo poſt Saluator mutata ſpecie, virgini ſe repreſentauit, quodq; in aſpero inſidioſoq; certamine, forti animo tētationes ſuſtinuiſſet, ipſam commendauit. Tunc virgo non ſecus atque olim D. Antonius interrogauit: *Dulciſſime Ieſu, vbinam eras quum cor meum à tam obſcœnis nefandiſq; ſpurcitiis fluctuabat?* Reſpondit ille: *In corde tuo; habitabam.* Mirabatur virgo, quomodo id ſe habuerit? Tum Ieſus renunciauit: *Præſentia mea & gratia tibi opitulabatur, ne hoſtibus dirum in modum te appetentibus ſuccumberet: neq; vlla ex parte ſordidis eorum ſuggeſtionibus aſſentires. nec tibi tamen concedebam, quo potis eſſet teipſam ſicut deſiderabas à tendiculis aduerſariorum explicare. Placebat enim mihi videre te viriliter pro viribus decertantem, vt lauream pretioſiorem ſortireris. Vbi vero tuper me illuſtrata, conſtituiſti ad meam voluntatem quaſcumq; pœnas ſufferre, ibi me iubente hoſtes turpiter fugientes terga dederunt.* Hæc locutus Ieſus, ſæpius Catherinam vel ſolus, vel aliis comitatus Diuis viſitabat, pſalmoſque alternis verſibus cum ea recitabat. Duos verſiculos pſalmi proinde Catherina frequentius in ore habebat: alterum; *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina:* alterum, *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus præualui aduerſus eum.* Orationem autem Dominicam vix incipiebat, cum diuinitus mente rapiebatur, & corpore prorſus inſenſibilis remanebat.

X.

A. B. VIRG. CHRISTO DESPONSATVR ANNVLVMQVE AB EODEM PRO ARRA BONE ACCIPIT.

Aliquando Ieſum vt ſe in fide ac dilectione confirmaret oranti, Diua virgo Sanctis Ioanne Euangeliſta, Paulo Apoſtolo, Dominico Patriarcha, & Dauide Rege pſalterium perſonante comitata apparuit, & manu Catherinæ apprehenſa, illam dexteræ Ieſu inſeruit, eaque ratione illam Chriſto deſponſauit. Chriſtus vero non abnuit, ſed annulo quatuor gemmis in formam Crucis diſpoſitis, & adamante ſuperius irridiatis pretioſo, digitum eius inſigniuit, huncque ſpiritualis deſponſationis, & futuræ felicitatis arrabonem in eius arbitrio reliquit: aſſeuerans, illam omnibus aduerſariis fore ſuperiorem maxime vbi in publicum pro ſalute animarum proceſſiſſet. Quamobrem, ne ſibi tantum, ſed & proximorum quoque ſaluti, exemplo ſuo & Diui Dominici attenderet, pro eo quo in genus humanum flagrat amore, admonuit. Excuſabat Catherina graue onus, quod & femellam, & viris docendis ineptam ſe eſſe agnoſceret. Veruntamen ſponſus qui infirma mundi eligere ſolet vt fortia confunderet, ſe illi præſto affore, & ſapientiam tantam, quanta inſtruendis, arguendis, conſolandiſq; peccatoribus, ac demum rebus pro Eccleſia bene gerendis neceſſaria eſſet, affundere, proſperoſq; ſucceſſus in omnibus concedere promiſit.

X I.

SOLITVDINEM RELINQVIT ET AD ALIOS IVVANDOS SE CONVERTIT.

Ab hoc diuino præcepto, Catherina, ſolitudine relicta, vitam tum domi, tum foris inter gentes agere, pro vtilitate aliorum inſtituit. Cæterum cum in hoc iuuandi alios propoſito, inprimis contemptum ſuiipſius perneceſſarium eſſe intelligeret, ab eodem ſibi incipiē dum deſignauit. Quamobrem humilitate profunda armata, omnia viliora domus officia obire, edulia coquere, vaſa mūdare, domum verrere, panem pinſere, lectos ſternere, languentibus miniſtrare, & in ſumma ancillæ viliſſima ſeruitia ſeruire voluit, neq; tamen, his occupata, à conuerſatione ſponſi ſeſe ſeiunxit. Quemadmodū enim ignis ſuapte natura in ſuperiora fertur; ita ſpiritus virginis diuini amoris igne inflammatus, ſurſum ad cæleſtia, inter terreſtres occupationes, rapiebatur. Hinc Dei potentiam miſericordiam, nomenque Ieſu & Mariæ, ſemper habebat in ore. Hinc etiam mente in Deum abſorpta, tanta vi ad paradiſi delicias & ad ſuperna eleuabatur, vt corporis grauitatem vna ſecum in aera pertraheret, & quaſi altera Magdalene ſublata ex humo, per aera nullo adminiculo corporali ſuſpenſa diutius perduraret. Iſtud & alia miracula à circumſtantibus circa eam conſpecta, plurimum admirationis adferebant. Inter hæc nihilominus, tentatoris ſuggeſtiones nōnunquam ſentiebat, eumque *Malataſcam*, quaſi *reconditorium totius nequitiæ* diceret, appellans, perpetuo triumphabat: in eo confiſa, qui potens eſt *Sathanam conterere ſub pedibus* humilium.

XII.

LIBERALITAS IN PAVPERES.

Miſericordiæ operibus exercendis, præcipue oblectabatur. Proinde, à parentibus poteſtate accepta, tantas quantas poſſet eleemoſynas cōferendi, liberali manu egenis miniſtrabat: & aduerſa valetudine affectis opem ferebat. Accidit vt ipſa ſemel decumberet, cum accepiſſet, viduam quandam paupertate oppreſſam, filios nondum adultos quibus educandis non ſufficiebat, moribundos præ fame aſpicere. Vehementerque ea indignitate afflicta, Deum enixe obſecrauit, vt ſibi tantum virium concedere, quo infelici matronæ, & miſeris illis ſuccurrere poſſet dignaretur. Facta voti compes, tantum panis, vini, olei, ciborum, quantum in plures dies reficiendis ſufficerent, inſuper & tritici ingentē ſaccum humeris impoſuit, & forte fortuna in apertam domum viduæ clam, ne agnoſceretur intulit. Effugere tamen non potuit, quin oculos viduæ non effugeret. quæ tanto beneficio affecta, vicinis benignitatem Catherinæ vulgauit, eamq; magna moleſtia affecit, quod & ipſa quoque exemplo D. Nicolai latere cuperet.

VIDVÆ EGENTI EXEMPLO D. NICOLAI SVBVENIT.

XIII.

CRVCEM ARGENTEAM PAVPERI DAT QVĀ CHRISTVS APPARENS EI OSTENDIT.

Aliquando in templo oranti, Chriſtus in ſpecie mēdici aſtitit, & aliquid opis ab ea poſtulauit. Nihil tunc præter vnam crucem paruulam argenteam, ad manus virgo habuit; quam etiam mendico petenti libens dedit. Mane ſubſequenti iterum Ieſus, ſed in ſuo decore illi apparuit, Cruceque illa oſtenſa, ſed iam pretioſis gēmis ornata, dixit: *Heus filia: Tu heſterno die, hanc mihi cupide largita es eandem ego tibi, in nouiſſimo iudicii die, præ oculis tot millium Angelorum & cœlitum reliquorum, ad ampliorem perpetuæ felicitatis gloriam exhibebo.*

XIV.

Altera die Chriſtus, nudi mendicantis ætate 33. annorum aſpectu adfuit, & veſtem qua nuditatem tegeret mendicauit. Induta erat Catherina, vnica, eaque ſine manicis: quam commiſeratione ducta ſibi detraxit, & indigenti conceſſit. Cumque ille, lineum aliquid extorqueret; ad domum paternam ſeducto,





CHRISTVS EI APPARET IN SPECIE NVDI MENDICANTIS.

induſium patris & reliqua tegendis pedibus neceſſaria, exhibuit. Querebatur rurſus ille, manicas tunicæ deeſſe, ſeque ab algore frigutire. at illa cum nullas alias haberet, à veſte ancillæ dirimit, pauperique largita eſt. Subiunxit pauper, ſe quidem abunde contentum eſſe; cæterum in Xenodochio ſocium habere, qui etiam indumento indigeret. Ibi Catherina anxia, ſuam quam vnicam induerat, an ancillæ reſiduam, concederet; pauperem ſubridentem audiuit; ſatis ſibi exploratam illius charitatem eſſe, neq; quicquam aliud deſiderare. Nocte ſubſequēte Chriſtus ſe ei oranti obtulit, donata amictus tunica ſed mirum in modum præfulgēti. Cumq; illa ſatis miraretur, ſponſus ad eam inquit: *Tu filia me heri iſta tunica donaſti, qua nuditati meæ proſpiceres: at ego te nunc veſtire ſtatuo longe meliori.* Simulque ex ſacratiſſimo latere ſuo tunicam traxit colore ſanguineo, virginemq; ſuis manibus veſtiuit: dicens: *Dono tibi trado pretioſiſſimam hanc veſtem cæteris inuiſibilem, tibi vero multo ſaluberrimam tactu; vtpote quæ te vindicet ab omni non minus animi quam corporis horrore, donec tu perpetuo redimita decore frueris Angelorum conſortio.* Dixit hæc Chriſtus; Catherina vero ex hoc tempore, vna vnica tunica contenta reliquam ætatem peregit, nec vlla vnquam vi frigoris commota eſt, ſiue per aera fureret Aquilo aſperrimus, ſiue niue aut pruina omnia alberent, ac penitus rigerent.

X V.

VINVM MIRACVLOSE MVLTIPLICAT.

In hoc operum miſericordiæ exercitio, Catherina occupata, vinum per miraculum multiplicauit. Dolium enim quoddam vini, quod vix in viginti dies ſoli familiæ ſufficeret, ad tres menſes, & familiæ, & pauperibus confertim venientibus, vinum vberrime affudit; quanquam Catherina non præparca menſura indigentibus miniſtraret. Porro quanta patientia Catherina foret, vel iſtud quod ſubiungam oſtendit.

X V I.

QVANTA PATIENTIA FVERIT.

Erat Senis quædam mulier, Cicca nomine, impetigine tota contaminata. Huic cum Catherina magna cum humilitate & diligentia ſeruiuiſſet, inimicum humani generis tanta demiſſione & charitate, aduerſum ſe prouocauit. Nam is Ciccam leproſam, ad tantum furorem concitauit, vt ad omnia Catherinæ officia indignaretur, omnia pro imperio extorqueret, & inſuper famulantem dictis contumeliarum plenis inceſſeret. Ferebat omnia iſta placide Catharina, ægramque animi & corporis, tum ad patientiam, tum ad lenitatem, lenitate & patientia incredibili adducebat. Id vero mater cum intellexiſſet, ſcilicet Catherinam & indigne haberi, & periculum contagionis ſubeſſe: ne Ciccam amplius conueniret, ſeuerius edixit. Cæterum Catherina prudenti reſponſo matrem emollire conata, & inſidiatum diaboli iſthic reconditarum admonuit, & à charitatis officio non propterea diſceſſit. quamquam non multo poſt, permittente ſponſo, à Satanæ manu, vtraque in manu lepra percuſſa eſt, adeo vt familia eius conuerſationem horruerit. Illa tamen necquicquam de pietatis famulitio remiſit, ſed conſtantiſſimo propoſito in miſericordiæ munere perſeuerauit, donec Cicca fatis concederet, eamque illa manibus propriis ſepeliret. Mox ſponſus Ieſus dilucide voluit indicare, quam acceptum tulerit miniſterium Catherinæ. Simul enim atque poſt humatum cadauer, manus aqua lauit, omnis lepra è manibus diſparuit; manuſque longe candidiores & ſuauiſſimis odoribus redolentes præſetulit; cum tertio in certamine palmam victoriæ retuliſſet. Neque iſtud quoque eſt omittendum, inſigne patientiæ illius argumentum.

X V II.

ALIVD PATIENTIÆ EIVS EXEMPLVM.

Indidem Senis fuit alia mulier nomine Palmerina, ſecundum exteriorem habitum, Catherinæ conſors eiuſdem culturæ: ſed adeo illi infenſa, vt ne nomen quidem audire toleraret. Conabatur Catherina illam ſibi conciliare. verumtamen, ſalutationibus, amœnitate verborum, officiis ſiue promiſſis, ſiue exhibitis, ſiue factis, magis irritauit; cum omnia in ſeciorem partem Palmerina acciperet. Accidit vt poſt aliquot dies, ægra valetudine corporis opprimeretur. Ibi Catherina Deum pro illa exorare, decumbentem viſitare, beneuolentiam illi oſtendere, ſimulque operam laboremq; ſuum cunctis in rebus eidem voluit offerre. At Palmerina nihilo mitior aduerſus Catherinam, facta, non modo hæc omnia recuſauit, ſed etiam domo ſua illam prohibuit. Ad extremam tandem vitæ lineam peruenit. Iſtud vero Catharinam adeo permouit, vt pro ſalute illius vtraque ſponſum ardentiſſime compellarit, neque prius ab oratione deſtiterit, donec is promiſiſſet, ſaluberrimum lumen Palmerinæ effundere: quo errata agnoſceret, veniamque offenſarum poſtularet. Itaq; certior de eius ſalute facta, eam iterum inuiſit: Palmerina autem contumeliarum dimiſſionem obſecrauit: tum deinde magna cum animi compunctione exomologeſi peracta, ſacramenta recepit, & in Domino quieuit. Simulatque defuncta eſt, animam illius ante oculos Catherinæ expoſuit, tanta pulchritudine florentem, vt explicari verbis non poſſet: pronunciauitque, Palmerinæ ſalutem de meritis Catherinæ proceſſiſſe. Hæc audiens Catherina à ſponſo Ieſu impetrauit, vt videret cæterarum latebras animarum, quo fieret ardentior ad orandum pro hæreditate regni cœleſtis ab illis adipiſcenda.

X V I I I.

ALIVD PATIENTIÆ ARGVMENTVM.

Andrea quoque fœmina, cancro inſanabili, propter virulentiam linguæ, in pectore percuſſa, patientiam Catharinæ exercuit. Etenim cum propter purulentum fœtorem nemo ad eam accederet, Catherina nihil prætermiſit, quod ad eius ſanitatem pertineret. Nam ſanioſum vlcus infirmæ, ſæpe & diligentius repurgabat: cunctaque quotidie exhibebat, quæ horribilis languor poſtularet. Iniecit tunc Virgini, Sathan, nauſeam, vt aliquando putorem illum exhorrere incœperit. Cæterum vbi ſe commotam perſenſit, ſancta quadam ira aduerſum ſe excanduit, molliciemque ſuam caſtigans, inquit: *Numquid tu ſororem tuam exhorrebis, tanto Chriſti ſupplicio redemptam? Nonne tu in deteriorem morbum quotidie potes incidere? Hoc certe non feres indultum.* Statimque tum ore, tum naribus vlceri incubuit: neque prius dimouit, quam abacta nauſea, ſubactoq; tentatore, neceſſitatem ſibi impoſuerit. Grauius tamen Satanam offendit, atque is procacem fœminam adeo irritauit, vt non modo probra in Catherinam coniiceret, ſed etiam pudicitiam virginis, & reliquarum eius inſtituti Sanctimonialium infamia aſpergeret. Non tamen intermiſit Catharina miniſterium ſuſceptum, perfuncta vero officio, expanſis manib. in cubiculo recluſa, hæc ad IESVM ait: *O dulciſſime in æternum ſponſe, non te latet, quam lubrica ſit omnium virginum fama. Scis etiam hanc ſuper me procellam inuidum illum ducem tenebrarum concitaſſe, me vt abſtrahat ab opera, quam tui gratia pro infirma ſuſcepi. Hac de cauſa dulciſſime Rex, te auxiliumque tuum imploro: cui liquido conſtat mea integritas.* Dixit, & in momento Saluatorem viſibilem aſpexit, qui manu dextera coronam ſpecioſam gemmis pretioſis cōtextam; ſiniſtra vero alteram ſpinis aſperrimis hiſpidam gerebat, atque, vtramuis eligeret, monebat. dicens coronam ſpecioſam in ſentes abire; ſenticoſam vero, paradiſi delicias poſt mortem polliceri. Tum illa, non niſi per crucis viam ſe velle ſponſum ſequi profeſſa, ſpineam auide excepit, capitique impoſuit: atque exinde longo tempore graui capitis dolore, à fixura ſpinarum laborauit.

EX DVABVS CORONIS SIBI à CHRISTO PROPOSITIS SPINEAM ELIGIT.

Non ignorauit mater probrum, quo illam Andrea affecerat; ideoque ne ſibi amplius infamiam accerſiret,

neue in ingratam officium conferret prohibuit. At illa pedibus maternis aduoluta: *Nunquid*, inquit *propter quotidianam mortalium ingratitudinem, Deus miſericordiam ſuam retrahit? Nunquid Saluator noſter in cruce affixus, propter oblata probra, contumelias, verbera, redimere poſthabuit genus humanum? Nunquid pereuntem abiicere opus? Siquidem illud veriſſimum eſt: Qui non adiuuat pereuntem, ſi poteſt, interficit. Hæc autem infirma, à dæmone deceptore ſeducta decipitur, errat & perit. Forſan reſipiſcet, aſpirante Deo, ſuumq; crimen agnoſcet.* Dixit Catherina; matrem blandiloquentia placauit, infirmam patientia perſanauit, vt ea errorem agnouerit, & famæ virgineæ innocentiam adſcripſerit. præſertim cũ aſpexiſſet, obſequente ſibi virgine, ſplendorem fulgentiſſimum circum cubile, tantum ſuauitatis afflantem, vt nullum interim teterrimi languoris odorem aut ſtimulum perſenſerit. Côuocatis deinde ſororibus, ſe omnium ſceleſtiſſimam eſſe dixit, quæ innocẽtiſſimam virginem auſa fuiſſet criminari: quam ſciret & videret non modo virginem incorruptam eſſe, ſed & terreſtrem Angelum ſoli Deo viuentem.

XIX.

TENTATVR ITERVM A DIABOLO.

Inter has victorias, iterum Satan Catherinam tentauit, & nauſeantem ſtomachum ad purulentiam ſaniei vſque ad vomitum irritauit. Cæterum illa magis mirabiliter eam tentationem ſuperauit. Totum enim marcorem, vt ex vlcere effluxerat, in ſcutellam indidit, atq; ſimul ingurgitauit: ſimulque omnem nauſeationem vna cum tentatione fugauit: ac ſacerdoti, quonam modo toleraſſet, interroganti; *ſe nihil vnquam, tum ſapidum, tamquam odoratum, atque purulentiam illam guſtaſſe*, reſpondit, Sed propterea meruit, ſponſum apparentem, deque ea victoria gratulantem videre. qui etiam lateri ſuo côfoſſo Virginem admonuit, dixitque: *Hauri cæleſte nectar ex meis coſtis pro ſaluando humano genere lancea tranſactis: quo ineffabile fomentũ cõſecutura es*, Ab ea hora, Virgo, tum gratia

VIVIT SOLA EVCHARISTIA.

tum virtute confirmata fuit, vt nullum poſtea cibum corporalem deſiderauerit: ſed ſola Euchariſtia in dies ſingulos victitauerit. Cogebatur à Sacerdote, aliquid eduli deſumere. Cæterum illa vt parendi promptiſſima, nonnihil quidem ſemel deguſtauit, verum tantum dolorem exinde ſenſit, vt prope mori videretur, neque vel modicum aquæ, quin ſtatim vomeret, ſuſtineret. Quare perſpecta ille, eam arbitrio ſuo dereliquit; iam edoctus, poſſe per miraculum, hominem vitam producere. Acceſſit & reuelatio Diuina, quæ certiorem reddidit, vitam Virginis ex Deo eſſe, nutuque ſuo fieri omnia per Catherinam quæ miranda, & vltra naturæ leges videbantur.

VARII DE EIVS IEIVNIO SERMONES.

Non potuit tamen, Virgo, hominum obtrectationes euitare. Inimicus namq; humani generis, multorũ linguas in eam exacuit. Quamobrem de illius ieiunio, varii varia iactabant. Alius, non maiorem Ieſu, Maria, aut Apoſtolis, qui cibo corporali indiguere, affirmabat. hic præcepta patrum, de ſingularitate vitæ vitanda, adducebat: alter, vel à Sathana ſeductam, vel in occulto cibum deſumere, & per hypocriſim ſanctitatem inediamque ſimulare mẽtiebatur. His & aliis calumniis Catherina onerata, omnes admiranda patientia ſuperauit. Interrogata, cur non comederet: reſpondit, Deus pro delictis meis deglutiendi mihi poteſtatem ademit. Nam libenter ederem, ſi liceret, & ſtomachus meus eſum non indignaretur, neque reiiceret.

XX.

CHRISTVS EI COR AVFERT ET ALIVD DONAT.

Inter hæc Catherina, cor nouum ſibi à ſponſo creari, ardentiſſime poſtulans, meruit Ieſum aſpicere, qui illius ſiniſtro latere aperto, cor carneum ſuſtulit, & poſt aliquot dies, cor aliud rubicundum lateri eius indidit, ſuumque proprium pro illius naturali commutatum corde, affirmauit: atque cicatricem in ſiniſtro latere, in tanti myſterii teſtimonium reliquit. Ex hoc tempore, in oratione, Catherina, non dicebat; *Commendo tibi Domine cor meum*, quemadmodum conſueuerat: ſed, *commendo tibi Domine cor tuum*. Ex hac etiam cordis mutatione, viſa eſt induiſſe aliam quaſi perſonam, tanta erat vitæ ad ſummam perfectionem commutatio, vt miraretur, quomodo propter dulcedines internas ſpirituales, anima à corpore non diſſociaretur.

Aliquando etiam ei Chriſtus, cum D. Maria Magdalena, viſibiliter aſtitit, eiq; Diuæ Catherinam cõmendauit. In ſacra quoq; hoſtia, Ieſus, varia ætate illi ſæpenumero apparuit: tantaq; ſuauitate odoris & lætitiæ, communicantem repleuit, vt præ gaudio & fragrantia indicibili cor eius exultare manifeſto ſentiretur.

XXI.

QVA IPSI CIRCA SACRAM COMMVNIONEM CÕTIGERINT.

In feſtiuitate Diui Alexii, cum diuinitus reuelatum ei eſſet, Chriſtum ipſum ad ſe communicandum ire; vt integre mundaretur, quo minus indigne ſacrificium ſuſciperet, impenſius orauit: moxq; ſuper animam ſuam, quaſi cum igne copioſam ſanguinis pluuiam diffundi perſenſit, ſcilicet, qua magis ac magis expiaretur. Illo die in extaſim rapta, cum poſt paradiſi delicias deguſtatas ad corporis ſarcinam reuocata eſſet, myſteria quæ humani eloquii facultatem ſuperabant recenſuit, vitæque mortalis pertæſa, quamprimum ex corporeis vinculis relaxari concupiuit.

Die S. Agapiti communicatura, cum dixiſſet; *Domine non ſum digna, vt intres in corpus meum*; audiuit à Ieſu: *at ego dignus ſum, vt tu ipſa intres in me*: moxq; ſacro refecta cibo, ad ſuperiora mente euecta, etiam corpus ex humo ſuſtulit, & aliquandiu in aere ſuſpenſa permanſit.

XXII.

Vna die Raymundus ſacris operatus, tertiam particulam diuinæ hoſtiæ, nuſpiam inuenire potuit. Adfuit Catherina in tẽplo, & conquerenti ſacerdoti de iactura, cum primum ſubriſiſſet, renunciauit. *Ne cruciaris mi Pater. Nam Saluator noſter ſuis manibus, tertiam ſacramenti partem, quam putas perditam, ori meo indidit.*

VISIONES EIVS DE SS. HOSTIA.

Inter myſtica ſacerdotis, & communiones, videbatur Catherinæ, interdum SS. hoſtia in nitidiſſimum infantem eſſe commutata. Interim Sanctorum & Angelorum Deum laudibus celebrantium circumdata. Alias conſpiciebat in vna tres facies ſubſtantia corporea ingenitas, alias totam aram ardere, & Chriſtum cum ſacerdote & ſeipſam inter ipſum vigere ignem. alias de altari per vniuerſam Eccleſiam mirum ſplendorem diffundi. Aliquando videbat in ſpiritu, cum ſacerdos hoſtiam bipertitus eſſet, vtrãuis partem nihilominus eſſe quam totum. alias ſupra altare Reginam paradiſi, exhibere ſacramento reuerentiam cernebat. aliquando per alias ſpecies ſignaue SS. Trinitatem beatis oculis conſpicabatur. Præterea, an hoſtia conſecrata eſſet, ſemper cognoſcebat.

XXIII.

Cum Ieſum deprecaretur, vt futuræ ſalutis Raymũdi (quo à confeſſionib. vtebatur) aliquod indiciũ Deus ei oſtenderet, Ieſus manum Virginis in amore inardeſcẽtis poſtulauit; quam ſimul atq; virgo porrexit, palmam quaſi ferreo clauo transfixam, maximo cum dolore, perſenſit: ſibique poſtea plagam vnam in dextera, quæ ab aliis non diſcerneretur, ineſſe aſſeuerauit.

XXIV.

CHRISTVS EI QVINQVE STIGMATA IMPRIMIT.

Cum Piſis in templo, iuxta altare S. Iuſtinæ, orantem inceſſiſſet cupido experiendi cruciatus quos Ieſus in Cruce pertuliſſet, vidit Ieſum ſupra ſe magno cum fulgore venientem, & quinque plagas è quibus totidem ſanguinei radii emanabant, præſeferentem, ſibique





eaſdem plagas imprimentem. Dum eas cum immenſo cruciatu exciperet, orauit, ne plagæ internoſcerentur. ſtatimque radij ſanguinei, in lucidiſſimos velut Sol cõmutati, cor, manus & pedes virginis ſimul petiere, & dolentem illam in terram proſtrauere: pariter ac ſi acutiſſimis pugionibus confoſſa fuiſſet. Aliquando percepta Euchariſtia, in feſto Conuerſionis Apoſtoli Pauli, in ſpiritu ad cœlum rapta, tres integros dies immobilis & inconniuens perſeuerauit, adeo vt defunctam exiſtimarent. Cauſſam à Raymundo requiſita, quid ita frequenter corporeis ſenſibus linqueretur, quidue in extaſibus aſpiceret; *Beatorum gloriam, & damnatorum tormenta*, reſpondit, ſc. vt ea mortalibus renunciaret, quo tandem agnoſcerent, quibus bonis ſe priuos facerent, quæue ſupplicia eos manerent, propter facinora.

XXV.

SALVTEM DIVERSIS IMPETRAT.

Morituro patri, à Ieſu impetrauit, vt eius anima è corpore liberata, è veſtigio in cœlum penetrarit. Andreæ Bellanto hominum flagitioſiſſimo, & in ſceleribus obdurato, contritionem & miſericordiam à Ieſu, quamquam ægre obtinuit. quod Ieſus virgini apparens, inter reliquas iniurias reputaſſet, quod Andreas, tabellam, in qua ipſe cum Maria Virgine depictus fuerat, per contemptum exuſſiſſet, neque eum factorum vnquam pœnituiſſet. Duos etiam facinoroſos, plane à dæmonibus tunc, in ſpecie muſcarum circumdatos, cum propter flagitia commiſſa candentibus forcipibus diſcerperentur, Deumq; & Sanctos per deſperationem execrarentur, ad ſpem ex deſperatione, precibus ardentiſſimis pro eis Ieſu Chriſto cruci affixo effuſis reuocauit, cateruamque dæmonum ab eis fugauit, vt ij ſacerdoti peccata confeſſi, magno cũ exemplo pœnitentiæ obierint. Vulgus primo ignorabat, vnde illis tanta contritio. donec diuulgatum fuiſſet, Catherinam à ſenſibus ſeparatam, tamdiu corpore ſuſpenſo ſteriſſe, quoad damnati, deteſtatione peccatorum facta, vita exceſſiſſent. Lappam etiam matrem, graui ægritudine afflictam, & pene iam extinctam, ſanitati per orationem reſtituit: adeoq; quaſi ad vitam reuocauit. In monaſterio D. Ioan. Baptiſtæ, octennem puellam à dæmone infeſſam: & aliã quandam fœminam, à Sathana occupatam, nec non plures alios, à maligno liberauit.

XXVI.

PONT. SEDEM PONTIFICIAM ROMAM REFERRE IMPVLIT.

Prophetico ſpiritu, multa futura prædixit. Gregoriũ XI. Pont. Max. Florentinis iratum, ſuſcepta Auenionem legatione, placauit atque conciliauit. Iubente Summo Pontifice, in conſeſſu Patrum Purpuratorum, adeo efficaciter diſſeruit, vt Gregorium & Cardinales, perſuaſione ſua, Romam, Sedem Romanam referre impulerit: adeoq; Romanæ vrbi, Rom. Pontificem, & Apoſtolicam Sedem, Apoſtolorum mauſoleo reſtituerit.

XXVII.

TRIGINTA TRIŨ ANNORVM EX HAC VITA DECEDIT.

In Italiam, cum Pontifice redux, laboribus & ægritudine confecta, cum vitæ finem ſibi imminere ſenſiſſet, documentis præclaris, vniuerſo Virginum cœtui præſcriptis, poſtquam de Sathana tentatore triumphaſſet, & ſacris ſacramentis ſeſe muniuiſſet, in verſu illo Pſalmi: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, animam efflauit; cum tres & triginta annis parem cum Chriſto ſponſo ſuo vixiſſet ætatem. Ad Vrbanum VI. & Greg. XI. Pont. Max. atque alios ſcripſit diuino ſpiritu refertas epiſtolas, aliaq; doctiſſima. Pius II. Pont. Max. eam Sanctorum numero adſcripſit. & ea quæ adiungo, in diploma canonizationis retulit.

A PIO II. CANONIZATA.

XXVIII.

CONTENTA DE EA IN DIPLOMATE ILLIVS CANONIZATIONIS.

*Virgo Catherina ex ciuitate Senenſi oriunda, mediocribus orta parentibus, prius Deo ſeſe dedicauit, quam Deum poſſet per ætatem cognoſcere. Sex annos nata, vt Domino ſeruiret, eremum concupiuit: & vrbe egreſſa, in cauerna loco ſolitario, delituit, quamuis iubente ſpiritu, paululum demorata, domum redierit. Angelicam ſalutationem edocta, quoties paternæ domus ſcalam aſcendit, toties per ſingulos gradus flexo geniculo, beatiſſimam Virginem matrem Domini ſalutauit. Et anno currente ætatis ſuæ ſeptimo, virginitatem ſuam conſecrauit Chriſto; quem ſua in maieſtate ſedentem mirabili viſione contemplata eſt, & arcana cœleſtis aulæ vidit, quæ non poteſt effari lingua mortalis. Mundanas delitias à ſe omnes abdicauit. Orationi totam ſe dedit, corpuſculum ſuum vigiliis, ieiuniis ac verberibus afflixit. Coæquales puellas, vt idem facerent, & docuit & ſuaſit. Pubes effecta, ſciſſis crinibus mortale coniugium recuſauit. Conuicia & maledicta hominum ſpreuit. B. Dominici habitum, quem fœminæ geſtant, de pœnitentia nuncupata, extorſit, protinuſque impetrauit. Ancillare officiũ in paterna domo exercuit, nihil magis cupiens, quam vilis apud homines & abiecta haberi. Pauperib. Chriſti (nam id pater ei indulſerat) larga manu ſubuenit: ægrotantibus ſumma diligentia miniſtrauit. Diabolicas tentationes & aſſiduas malignantium ſpirituum pugnas, patientiæ clypeo & fidei galea ſuperauit. Incarceratos & oppreſſos, quibus valuit modis conſolata eſt. Nullum ab ea verbum non religioſum, non ſanctum excidit. Omnis ſermo eius de moribus fuit, de religione, de pietate, de contemptu mundi, de amore Dei & proximi, de cœleſti patria. Nemo ad eam acceſſit, qui non doctior meliorque abierit. Doctrina eius infuſa, nõ acquiſita fuit. Prius magiſtra viſa eſt, quam diſcipula: quippe quæ ſacrarum litterarum profeſſoribus, ipſiſque magnarum Eccleſiarum Epiſcopis, difficillimas de diuinitate quæſtiones proponentibus, prudentiſſime reſpondit, & adeo ſatiſfecit, vt tanquam agnos manſuefactos dimiſerit, quos tanquam lupos ac leones feroces acceperat; quorum nonnulli, diuinam in Virgine ſapientiam admirati, diſtributis mox inter Chriſti pauperes, quas poſſidebant ſubſtantiis, accepta Domini Cruce, vitam deinde Euangelicam egerunt. Summa huius Virginis abſtinentia fuit, & admirabilis vitæ auſteritas. Nam cum vini & carnium vſum prorſus abieciſſet, nec pulmentariis vllis vteretur, ad extremum eo deducta eſt, vt nec legumina ederet, nec pane veſceretur, niſi cœleſti, quem verus Chriſtianus in ſacramento ſumit altaris. Inuenta eſt aliquando à die Cinerum vſque ad Aſcenſionem Domini ieiunium perduxiſſe, ſola Euchariſtiæ communione contenta. Per annos circiter octo, minimo herbarum ſucco, eoque parum retento, & communione ſacra, ſuſtentata eſt. Ad cibum quaſi ad ſupplicium pergebat.*

*Ad communionem altaris, quæ illi fere quotidiana fuit, quaſi ad cœleſtes nuptias inuitata eſſet, ſumma cum alacritate proficiſcebatur. Cilicio ſub veſte vtebatur, quo carnem macerabat. Nulla illi pluma, nulla puluinaria erant. Lectum ſibi ex tabulis confecerat, atque in eo iacens, breuiſſimum ſomnum accipiebat. Raro enim vltra duas horas interdiu noctuque dormiebat. Reliquum omne tempus, vigilando, orando, prædicando, opera miſericordiæ agendo, contriuit. Spiſſis chordulis carnem ſuam macerauit: dolore capitis pene aſſiduo torquebatur. Æſtuabat febrib. nec aliorum diuerſorum morborum cruciatu carebat.*

*Luctabatur quam frequentiſſime cum dæmonibus: multiſque illorum moleſtiis vexabatur. Sed aiebat cum Apoſtolo: Cum infirmor, tunc fortior ſum. Nec enim in tantis laboribus deficiebat, nec charitatis opera negligebat. Aſſiſtebat miſeris indigna ferentibus. Arguebat peccatores, & blandiſſimis verbis ad pœnitentiam reuocabat. Præcepta ſalutis omnibus læta dabat, quid ſectandum, quid fugiendum eſſet, alacri vultu oſtendebat. Diſſidentes ſummo ſtudio componebat. Multa extinxit odia, & mortales ſedauit inimicitias. Pro pace Florentinorum, qui cum Eccleſia diſſidebant, & interdicto ſuppoſiti Eccleſiaſtico erant, Appenninum & Alpes tranſire, atque vſque in Auinionem ad Gregorium XI. Pontificem Maximum anteceſſorem noſtrum proficiſci non dubitauit. Cui votum ſuum, de petenda Vrbe Roma, in occulto factum, & ſibi ſoli ac Deo notum, ſeſe diuinitus cognouiſſe monſtrauit. Fuit enim in ea ſpiritus prophetiæ, & multa prædixit antequam fierent & occultiſſima reuelauit. Rapiebatur ſæpe à ſpiritu, & in aere ſuſpenſa, diuinis cõtẽplationib. paſcebatur, adeo extra ſe acta, vt expuncta percuſſaq; nihilominus ſentiret, idq; frequẽter ei cõtingebat,*

*cum diuiniſſima reficeretur Euchariſtia. Magnum & ſanctum erat in plebibus Catherinæ nomen, & vndique ad eam ægroti, & malignis vexati ſpiritibus, deducebantur, & multi curabantur. Languoribus & febribus in Chriſti nomine imperabat, & dæmones cogebat ab obſeſſis abire corporibus. Propter quas res duobus Romanis Pontificibus Gregorio Vndecimo (cuius paulo ante meminimus) & Vrbano Sexto acceptiſſima fuit, adeo vt legationibus eorum fungeretur, multiſque & magnis ſpiritualibus gratiis ab eis donaretur. Eadem cum vitæ agonem iam peregiſſet anno ætatis ſuæ tertio circiter ac trigeſimo in Vrbe Roma diem ſuum clauſit. De cuius animæ in cœlum aſſumptione, & glorioſa receptione, ſtupendæ ac mirabiles reuelationes factæ reperiuntur apud eas perſonas, quæ Virginem dilexerunt, maxime vero apud eius confeſſorem Raymundum Capuanenſem Sacræ Theologiæ Magiſtrum, qui poſtea Generalis totius Ordinis Prædicatorum pater, magiſter, & rector effectus eſt. Is namque cum Ianuæ ageret, ea nocte qua Virgo migrauit, hora matutina in dormitorio apud imaginem matris Domini, eam contemplatus eſt miro ſplendore fulgentem, & verba ad ſe conſolatoria dicentem. Corpus eius aliquandiu ſeruatum, denique in Eccleſia fratrum Prædicatorum, quæ D. Minerua dicitur Romæ conditum eſt, non ſine magna populi deuotione ac reuerentia: Cuius tactu plerique ægroti ſalutem conſecuti ſunt à Deo, & nonnullis ſaluti fuit ea tetigiſſe, quæ ſacrata Virginis membra tetigere. Poſtea vero Virgo ipſa iam cœlo recepta, vota ſupplicantium benigne audiuit, & vt à ſponſo & Domino Chriſto ſuo Saluatore exaudirentur, curauit. Multi enim ex diuerſis ægritudinibus curati ſunt, qui audita Beatæ Catherinæ glorioſiſſima fama, eius patrocinium ſupplices petiuere. Propterea Venetiis vbi nunquam virgo ipſa fuerat, & multis in locis nomen eius cum veneratione receptum eſt, & vota ei plurima fiunt.*

*Hæc & alia quamplurima cum Venerabilis frater noſter Epiſcopus Portuenſis in Conuentu Cardinalium & Præſulum expoſuiſſet, & liquido probata eſſe affirmaſſet, rogati ſingulatim tum omnes Cardinales tum Præſules, qui plurimi affuerunt, ſententiam dicere, totis ſuffragiis Beata Virgo digna cœlo & aſtris declamanda viſa eſt. Nec quiſquam fuit, qui non magnopere canonizationem eius faciendam probauerit. Quibus ad longum auditis, iuſsimus in Baſilica Beati Petri Apoſtolorum Principis ſuggeſtum magnum & ornatum apparari, ſuper quo hodie adſtante populo & clero ſermone de vita & miraculis huius virginis per nos habito miſſarum ſolennibus celebratis, & conſuetis cærimoniis rite peractis, ad canonizationem huius Virginis, ſub his verbis duximus procedendum. Ad honorem omnipotentis & æterni Dei Patris, & Filii & Spiritus ſancti, ad exaltationem fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, Auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ac noſtra, Catherinam Senenſem illuſtris & indelebilis memoriæ virginem, cuius corpus in Eccleſia Prædicatorum quæ Minerua dicitur, Romæ iacet, & in cœleſti Hieruſalem, inter beatorum Virginum choros, quando id eius virtus, Diuina ſuffragante gratia meruit, iam pridem fuiſſe receptam, & æternæ gloriæ corona donatam, de Fratrum noſtrorum conſilio declaramus, eamue tanquam ſanctam publice priuatimque colendam eſſe decernimus diffinimus, atque in Sanctarum Cathalogo virginum, quas Romana veneratur Eccleſia redigi, & adſcribi mandamus.*

*Statuentes feſtum eius ſingulis annis prima menſis Maii dominica die, ab vniuerſali Eccleſia celebrandum eſſe, & omnes illi honores præſtandos, qui cæteris ſanctis virginibus conuenire noſcuntur. Et inſuper ſepulchrum eius in ipſo feſto viſitantibus, ſeptem annos & totidem quadragenas, de iniunctis eis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta miſericorditer in perpetuum relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum declarationis, conſtitutionis, mandati, ſtatuti, & relaxationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo. 3. Cal. Iulii. Pontificatus noſtri anno tertio.*

Sunt & alia Diuæ Catherinæ Senenſis præclare, præſertim pro ſalute publica, geſta & ſcripta, quæ inferius ex re narrabimus. Iſta libuit enumeraſſe, vt velut in tabella Lector habeat ſummam vitæ eius Sanctæ, quæ iam hoc anno vigeſimum quartum annum viuebat, ad vtilitatem Eccleſiæ Romanæ, nata & educata.

XXI. OBITVS F. ELIÆ GALLI ORDIN. S. DOMIN. IN ANTRO D. MARIÆ MAGDAL.

Viuere hoc anno deſiit, F. Elias Gallus; Diui Dominici Ordinem profeſſus, in antro Diuæ Mariæ Magdalenæ, poſt octuaginta ſex annos, in ſumma auſteritate conſumptos, pie defunctus: poſtquam ea quæ ſecundũ viſionem de ſancta peccatrice intellexerat, cuidam per reuelationem deſignato, renunciaſſet. Narrabat ea omnia Syluester Prierias Dominicanus, ex libello quem à F. Petro Veronen. Priore Brixiano, & à F. Ioanne Fabrianenſi, diuini verbi præcone, & hi à F. Honofrio Florentino acceperant: hunc vero quidam mercator Tuſcus, qui ad viſitandum antrum D. Magdalenæ iuerat, metro conſcripſerat. Ita habet narratio.

XXII. ANTRO OBITVM SECRETA REVELAT QVÆ IBI IN ANTRO CONTIGERINT.

*Viſitatis reliquiis & ſpelunca Magdalenæ, mercator, diem conſolatus diſceſſum meditaretur. Fratres Prædicatores penes quos forte gratiam inuenerat, eum B. Patris Eliæ ſermone amplius conſolari voluerunt. Cumque manibus Fratrum B. Peter Elias delatus fuiſſet (nam totus contractus nihil fere præter linguam habuit vitam participans) viſos peregrinos dulciter ſalutauit, ac Fratri ſe deferenti ait. Ad locum meum me deferas, quia ſecreta Dei volo reſerare quæ tacui. Locum vero ſuum dixit, eum in quo ad orationem in ſpelunca ſuper petra in qua nocte Magdalena quieuit, ſtare conſueuerat. Huc delatus pater Helias ſequentibus peregrinis & ad lachrymas ſanctitatis eius aſpectu concitatis, ait. Fratres, dies venit & hora mihi diu expectatæ mortis. Igitur quæ ad Beatæ Magdalenæ gloriam & veſtræ ſalutis augmentum enarro, percipite.*

*Cum Beatæ Magdalenæ ſeruiturus deſertum iſtud & rupem horridam petiuiſſem, exacto hic menſe ſolitudinem faſtidiens pœnitui, & diſceſſum tacitus cogitaui. Quadam igitur nocte cogitationibus agonizans, ſubito inſtar Crucis montem hunc lapideum in partes quatuor diuiſum aſpexi, atque mihi quatuor mundi partes Oriens, Occidens, Meridies & Septentrio patuere, & cœlum ſurſum abyſſuſque deorſum. Igitur timore perterritus in terram excors corrui. Cumque verbis quibuſdam dulcibus eleuatus ſpiritum collegiſſem, toto corde Magdalenam in auxilium euocaui. Hæc ſtatim affuit, tam ſereno & radianti vultu, vt in eam intendere non poſſem, operta capillis & nuda brachia, ac pedes floribus redimita dicens. Inconſtans ac rudis, te propter apertus eſt mons, & te propter ego aſſum, & per me modo velis, tua anima in æternam vitam dirigetur. Tu hinc à meo ſeruitio diſcedere cogitaſti, ſed audi quæ dicam, & demum age quæ libet. Vt noſti, inquit, ex Hieruſalem multi Deo volente, & naui ſubuehente, Marſiliam deuenimus. At vbi Marſilia & pars non parua regionis, Ieſu Chriſti fidem ſuſcepit, tantum circa nos humanus fauor & inquietudo creuerunt, quod hominum conſortia fugere cogitarim. Rapta diuinitus, ſub huius antri ore fui depoſita. Cumq; hinc inde per locum mihi à Deo paratum lumina direxiſſem, draconem illum quem poſtea mea ſoror Martha occidit, repente lucem inter & tenebras aſpexi, cuius horrorem ſufficienter exprimeret nemo. Bubalo erat maior. Vidi & omnis generis viperas. Illic in ſpelunca me apparente, & draco, & viperea multitudo excitantur, in me oculis ac ſibilis ſuum furorem præſeferentes. Et viperæ quidem innixæ caudis, pectoribus aſſurgebant, ſed draco omnib. immanior ita me conterruit, vt aſpectum eius timerem, imo nec ferre poſſem, quæ mortem non timebam. Tunc inquio, heu me Ieſu mi, niſi mihi ſtatim affueris, aut deuorabor, aut timore ſpiritum efflabo. Contraxit tunc draco caput, quaſi non me curaret: ſed denuo ſtatim extenſo ac dilatato vaſtiſſimo gutture, & concuſſis alis me deuorandam inuaſit. Cumq; iam deglutiendam in ſua ora traxiſſet, quia lingua non poteram, ſic ſum profundo & ſecuro corde locuta. Dulcis amor Ieſu, triſtemne ac ſolam in deſerto poſt innumera tua dona, me draconis eſcam effeciſti? Tunc ſubito Angelus, de ore draconis eductam me allocutus eſt dicens: Beata, quæ fidem tenes. ac draconem calce percutiens: egredere, inquit, hic draco, & reliqua turba: qui ſtatim & volans, & peditans antrum exceſſit, deſertumque adiuit, in quo illũ mea*

*ſoror*



*ſoror Martha ſuperauit. Poſtea Angelus Michael ſpiritum efflauit odoriferum, qui in flammam conuerſus, totam ſpeluncam lambens, immundas ac fœditas viperarum faces abſumpſit, & locum omnem mũdum ac redolentem effecit. Deinde vero ad me conuerſus: Deus, inquit, quem tantum ô Magdalena concupiſcis, & in corde ſemper habes, te vult hunc locum lachrymis irrigare profuſis, vt futuris ſeculis exemplum pœnitentiæ perpetuo fias. Remanſi, eo diſparente, perterrita, & loco luſtrato hominib. inuium, aſcenſum deſcenſumque rupe vetante, cognoui. Tunc amoris dulcedine in lachrymas reſoluta, me ad terram proſtraui, adorans ac dicens: Gratias tibi Chriſte ago, quod me omni mea affectione repleſti. Sed oro fontem in rupe hac exhibeas deprecanti. Crepuit ſtatim ſub meis oculis immane hoc ſaxum, & quas cernis, Helia, aquæ è duro ſilice ſcaturiere. Cumque ante ipſum limpidiſſimum fontem genu flexa Chriſto gratias agerem, ecce pluſquam mille ſpiritus vidi in ſpelunca dextera ſteriſſe, verba ſuauiſſimi amoris Hebraica lingua decantantes. Cum igitur poſtremo ſubintuliſſent, non expedire animæ tam aſſiduam orationum frequentiam, eleuatis oculis plenum aerem foras ſpeluncam ex ſimilibus aſpexi. Igitur cum eos dæmones ſuſpicata nimiumque territa Ieſum acclamaſſem, repente cum ſua militia Angelus Michael affuit dicens: Aſſum Magdalena, ne timeas: deinde malignis ſpiritibus congreſſus, eos omnes in fugam compulit, proclamantes: Nõ eris tamen ideo beata tu, quæ orationibus vacas in antro. Crucem igitur in ore ſpeluncæ Angelus erexit dicens: Caue, ne extimeſcas in poſterum, quia cuſtos tui Altiſſimus. Igitur ante Crucem eo diſparente tunc iacuis & orationi, timore nimio exſiccatis viſceribus, inſtare attenta non praualens, collectas duas radices in ore ſpeluncæ & latas comedens, aquam de fonte bibi, poſtquam humanum aliquid non guſtaui. Crucem deinde rurſum complexa, ea die ac nocte ſequenti orans, orto ſole, viſum ad crucem ipſam leuaui, coloris vt videbatur criſtallini, & radiis fulgentibus coruſcam. Cumque in me vehementiſſimi amoris flammam percepiſſem, ecce tam læta & iubilans Angelorum turba affuit, vt æternam vitam in hoc antro crediſſes. Repente autem ab his ad infernalia loca delata, pœnarum genera, & punitorum turmas aſpexi. Cumque ad loca purgatorii ventum eſſet, tanta dulcedine me ſpiritus deuoti circumſteterunt, vt mihi viderer eſſe in patria. Hi cum magna teneritudine ad me dixerunt; Ora pro nobis Magdalena noſtra. Quibus ego: Vtinam, inquio, veſtra voluntas per me impleatur. Animæ dixerco, quantum vobis auxilii ſit opportunum. Deinde vero ad Crucem iterum repoſitæ mihi Angelus ait: Quanto tempore tuus ac noſter amor Ieſus in terris propter te vixit, tanto tu quoque in hac ſpelunca moraberis. Steti igitur eo diſparente ad Crucem orans, & Chriſtum ſalutem meam contemplabar. Omni autem euoluto die Angelorum affuere miniſtri, & me tam ſublimem in aera ſuſtulerunt, vt cœleſtes audiuerim reſonare melodias: quod abinde citra ſepties infra diem ac noctem effecerunt. Frigus ac gelu, igne amoris ſuccenſa iam non curabam. Cumque meæ veſtes paulatim vetuſtate deciderent, paulatim quoque diuina pietate mei creuere capilli. In ipſa vero Cruce, myſteria Chriſti cuncta videbantur. Ibi Annæ & Ioachim hiſtorias, ibi Mariam, Ieſum meum mihi parientem: ibi Crucifixi tetrum liuorem: ibi pium cruorem, dura vulnera, paſſionem ac mortem eius dabatur intueri: & eundem regredientem ab inferis, & cœli ſydera penetrantem. Cum his cibata ferculis, nocte dieque flerem, cum lauãdi vultus gratia fontem petiuiſſem, obuium mihi humana forma Ieſum me his verba colloquentem vidi: Te propter Maria, loca hæc conſtitui. Circumſteterant cœleſtes militiæ Regem ſuum ſerta florum geſtantes, & oliuarum palmarumque ramos in manibus tenentes. Et ecce reſplenduit ſubito aſſumpta humanitas, & ſeipſum ad inſtar ſui cum eſſet in monte Thabor Saluator transfigurauit, adeo vt me oculos reflectere tanta maieſtas impulerit. Me quidem ad vultum dilectum oculos attollere dulcis amor inflammabat: ſed minime valuit. Cumq; multa mecum contuliſſet illapſus eſt cœlo, & quoad vixi, centies ac decies me ſua pietate in ſpelunca viſitauit. Itaq; Helia, tibi conſulo, vt in hac rupe Chriſti laudes exoluas, quo te ad vitæ portum tandem adducã. Sterilem locum ſola ac nuda ego adiui, tu vero Fratrum habes ſolatia, & victui veſtituique abunde opportuna. Tantum de perſeuerantia cogita. His dictis ab oculis meis, inquit Helias, Magdalena euanuit, & ego in hanc vſque horam omnibus hominibus prædicta celaui.*

*Cum autem hæc omnia Helias retuliſſet, poſt horulam expirauit, ſtatimq; ipſa campanula in ea ſuperſuſpenſæ, nulla hominum mouente iubilarunt.*

XXIII. DE QVIBVSDAM B. MAGDAL. RELIQVIIS

Omnia hæc ex præfato libello exſcripſit. *Prierias in Roſa aurea, feria V. infra Octau. Paſch.* qui etiam *anno* 1497. deuotionis gratia eo profectus, fatetur ſe apud ſanctum Maximinum vidiſſe, inprimis ſacrum & venerabile caput S. Magdalenæ grande valde, & totum vndique ad os vſq; denudatũ, excepta ea parte frontis, quã Saluator tetigerat. Ibi enim pellis ad inſtar quaſi æthiopiſſæ ſeu cadaueris iam diu occiſi apparet; & in pelle duæ foſſæ duarum extremitatum digitorum: quarum altera multo eſt reliqua euidentior atq; profundior. & ſub pelle cato ad albedinem declinans. Vidit etiam in vitrea ampulla eius capillos nõ oẽs, ſed qui pedes Chriſti terſere. necnon ampullam vitream plenam terra, habente colorem medium inter rubeum ac nigrum, quam in paraſceue B. Magdalena ſub cruce collegit: quæ, vt omnes ſine hæſitatione illi affirmabant, ſingulis annis in die Paraſcheue perlecta paſſione euidenter & clare ebullit, ac ſi ibi videatur ſanguis ebullire. Vidit & brachium eius magnum, & cerei coloris. Oſſa eius vero in capſa argentea videre non potuit recluſa. Vidit etiam Maſſiliæ in Eccleſia S. Victoris, alabaſtrum nardi ſpicati piſtici pretioſi. *Syluester. vbi ſupra.*

XXIV. QVOMODO INVENTŨ FVERIT CORPVS B. M. MAGDAL. A COMITE PROVINCIÆ.

Quod ipſum corpus S. Magdalenæ attinet, Carolus Comes Prouinciæ, poſtea Rex Siciliæ, illud *anno Domini* 1279. *die* 9. *Decemb.* in Oratorio, vbi S. Maximinus illud ſepulturæ tradiderat, reperit hunc in modum. In villa ad S. Maximinum, apertis tumulis à parte Oratorii hinc & inde, & effoſſa humo, in medio inuenitur corpus SS. Magdalenæ, non in tumulo de alabaſtro, quo primum conditum fuit, qui & ibidem cernitur, ſed in alio marmoreo è regione ad dextram introeuntibus collocato: cum ingenti odoris fragrantia, ſequentibus miraculis glorioſis. & ex eius lingua adhuc tunc capiti & gutturi adhærere, radix quædam cum ramuſculo fœniculi prominebat in longum (*ſicut à præſentibus audiuit qui hæc ſcripſit Richardus Ciſtercien. in Nicolao III. Papa*) quæ radix diuiſa in particulas, in multis locis, pro reliquijs conſeruatur. In eodem quoque tumulo, in teſtimonium veritatis, iuxta corpus ſanctiſſimum, inuentus fuit cartellus quidam vetuſtiſſimus, in ligno quodam conſeruatiuo à putrefactione, continens hanc ſcripturam, *Anno Natiuitatis Dominicæ Septingenteſimo decimo, ſexto die menſis Decembris, in nocte ſecretiſſime, regnante Odoyno piiſſimo Rege Francorum, tempore infeſtationis gentis perfidæ Saracenorum, translatum fuit corpus chariſſimæ ac venerandæ B. Mariæ Magdalenæ de ſepulchro ſuo alabaſtri, in hoc marmoreo, timore dictæ gentis perfidæ. & quia ſecretius eſt hic, amoto corpore Sedonei.* Hunc cartellum (*refert Richardus*) vidi & legi ego qui hæc ſcribo. Memoratus autem Carolus, viſis & inuentis prædictis, cõuocatis, Narbonen. Arelaten. & Aquen. Archiepiſcopis, aliiſque Epiſcopis, Abbatibus ac religioſis & nobilibus ſuis, cum Clero & populo congregato, die ad hoc ſtatuta, ſc. III. Non. Maij anno Dom. 1280. Pontificatus Domini Nicolaj Papæ III anno III. & vlt. leuauit, & in capſa pretioſa, ad hoc auro, & argento, & gemmis præparata locauit. Caput vero in theca ex auro puro incluſit. Reperta eſt etiam ſcriptura alia vetuſtiſſima, adeo quod vix legi potuit, in tumulo memorato, in cartello cera exterius cooperto: *Hic requieſcit corpus Mariæ Magdalenæ.* In eodem loco idem Princeps Carolus Rex Siciliæ iam effectus, Conuentum Præd. inſtitui procurauit, & in honorem B. Mariæ Magdalenæ, & aliorum Sanctorum in eodem Oratorio quieſcentium, ſc. S. Maximini, Sedonei, qui cœcus natus à Chriſto illuminatus eſt, & Marcellæ ancillæ S. Marthæ, quæ dixit Chriſto Domino, Beatus venter qui te portauit: Eccleſiam ſumptibus Regijs extruxit, & ornamentis pretioſis dotauit, translatis ex Oratorio monachis S. Victoris Marſilien, à Bonifacio VIII. Papa, anno Domini 1295. *Richardus ſupra.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1371.
### GREGORII PP. XI. ANNO I. CAROLI IV. ROM. IMP. ANNO 16.

I. CORONATIO GREG. XI. PP.

OCTAVO Idus Ianuarij, in Baſilica Auinionenſi, D. Deiparenti dicata, Gregorius Vndecimus Pontifex Maximus, à Guillelmo tituli S. Mariæ in Coſmedin S. R. E. Archidiacono Cardinali, præſentibus XIX. Cardinalibus, Epiſcopis, Clero & populo, diadema Pontificium accepit: cum illum omnes, propter ſingularem morum modeſtiam, pietatem & humanitatem, ſummo ſacerdotio dignum conclamarent. Poſtquam Imperatores, & Reges, ac Principes ſuæ aſſumptionis admonuiſſet, ſtatim inito Pōtificatu Orbem pacare cōſtituit.

II. NOVA INTER ANGL. ET FRANC. DISSIDIA.

In Gallijs ab Anglorū Rege rurſus cædes, & ex hinc inter Reges diſſidia. Superioribus menſibus Angli, adiunctis ſibi aliquot Belgis & Germanis, ducibus Roberto Canolo & Thoma Granſone, ex Caleſia in Attrebates ſe diffuderant. Erant non amplius pugnatorum millia XII. Hi ſuburbanum vrbis Atrebatium incenderant, Veromanduoſque, Nouiomagios, Pariſioſque, vel ad portas vrbis vſque percurrentes, nulli ſexui, nulli ætati, nulli ordini pepercerant. Veteres eſſe diceres Gothos aut Vandalos: adeo nihil ſæuitiæ, nihil atrocitatis prætermiſerunt. Iſtud inter Carolum Galliæ & Edouardum Angliæ Reges, paulo antequam moreretur Vrbanus Papa dirimere voluerat, iamque Simonem tituli Sanct. Sixti, & Ioannem tituli SS. Quatuor Coronatorum Cardinales Legatos huic negotio deſignarat. Vrbano vita functo, Reges arma non deponebant. Varie hoc anno certatum. Flandri etiam ab Anglo in numero hoſtium habiti, propter fidem nuptiarum non ſeruatam, pars cladium fuere. In mari cum eis pugnatum, multi vtrinque occiſi & vulnerati, victoria Anglis ceſſit.

III. LEGATOS MITTIT GREG. PRO DISSIDIIS CŌPONENDIS

Ad iſtos belli turbines ſedandos, ab Vrbano Cardinales deſignatos Legatos ire iuſſit, & tum ipſe coram, Carolo Regi Galliæ pacem ſuaſit, tum Edouardo Anglo, vt concordiam amplecteretur, armaque deponeret ſcripſit, tum Archiepiſcopo Canthuarienſi vt author amicitiæ eſſet, iniunxit. *datis literis 2. Idus Ianuarii.*

IV. NASCITVR IOANNES DVX BVRGVND.

Inter hos bellicos tumultus, Quinto Calen. Iunias, Margarita Flandrenſis Duciſſa Burgundiæ Diuione in Burgundia, Ioannem filium enixa eſt. Hunc Carolus Archiepiſcopus Lugdunenſ. ſacro tinxit baptiſmate. Suſceptores fuere Ioannes Dux Biturigū eius patruus, & Ioannes Epiſcopus Carpentoracten. miſſus à Gregorio Pontifice. *X. Cal. Iun.* Suſceptrix Margarita à Francia mater Ludouici Comitis. propter quem eæ inter Reges turbæ, quod is primum Anglo, poſtea mutata fide Philippo Regis Galliæ fratri Margaritam filiam deſponderat, *Annal. Flandr. lib. 13.*

V. EDVARD. ANGL. REX PECVNIAS A CLERO EXTORQVET.

Edouardus Angliæ Rex, Comitio apud VVeſtmonaſterium habito, tam à clero quam à populo in ſubſidium belli, quinquaginta millia marcarum poſtulauit, atque extorſit. Namque conuocatione cleri facta, ad eā ſummam perſoluendam, non tantum maiora, ſed etiam minora ſacerdotia taxata fuere, vt pro portione redituū vnuſquiſq; tantum conferret. In eodem Comitio Edouardus, Cancellarij, Theſaurarij, & clerici de paruo ſigillo, officia, in odium Eccleſiæ, Epiſcopis abrogauit, & laicis ea attribuit: cum necquicquam pro Eccleſiaſtica libertate atq; dignitate efficere poſſent Cardinales Legati, qui à Pontifice ad Comitium conuenerant, pro pace inter Edouardum & Carolum confirmanda. *Valſingam hiſt. Angl. in Edouardo III.*

VI. WICLEFI HÆRESIS IN ANGL. ERVMPERE COEPIT.

Quo imperante, & ô vtinam non fouente, aut certe conniuente, hoc tempore erumpere in Anglia cœpit, Ioannis VViclephi, certa & immanis totius Catholicæ religionis peſtis. Cum eius hæreſibus, ſi nihil Edouardo commune (quod optarem) fuerit, ſi nō vel ſimulando, vel diſſimulando (vt quidam putant) prouexerit: certe quod orientis contagionis, quæ ſemel adulta nūquam poſtea obrui potuit, fauces (quod facile fuit) non ſuffocarit, quodque naſcenti malo, vt Regem Chriſtianum decebat, authoritate ſua obuiam non ierit, non video quomodo rationes ſuas apud ſummū Dei tribunal expedierit. *M. S. de reb. Angl. pag. 165.*

VII. QVIS WICLEF. ET QVARE A FIDE CATHOL. DISCIVARIT.

Nicolaus Harpesfildus Anglus, qui de VViclefo, & de rebus Anglicanis hiſtoriam ſcripſit, cauſas aperiens, cur à Catholicæ Eccleſiæ caſtris leuiſſimus perfuga ita profugerit, narrat: VViclefum fuiſſe animo nimis elato & alto; gloriæ, laudis, honoris nimis appetenti; in ſuſcepta ſemel opinione, licet in errore verſaretur, tuenda, nimis præfracto atque pertinaci, quique vel iuſtam reprehenſionem nimis impotenter & amare ferret. Ingenio ſane fuit acri & acuto, ſed nimis vehementi atque populari. Cum iuuenis Oxonij in rebus dialecticis & philoſophicis verſaretur, nec ſatis in illis ſtudijs permouiſſet, in litteraria & ſcholaſtica quadam velitatione, vi & pondere argumentorum, quæ à concertantibus contexta erant oppreſſus, inconſulte eo ſe demiſit, vt fateretur accidens eſſe ſubſtantiam, quantum ex non quantis conflari, quidlibet eſſe Deum, & alia quædam valde abſurda. Huc ſemel temere præcipitatus, ne æſtimationem ſuam apud multitudinem minueret (cuius plauſus immoderate per omnem vitam captabat) neue errore & inſcientia lapſus, ſed conſtanter atque explorate hæc aſſeruiſſe videretur, hiſce reroribus tam firmiter adhæſit, vt nunquam illos poſtea per totam vitam deponere, in animum potuerit inducere. Cumque ex doctrinæ nouitate non paucos reperiret, qui vt fit applauderent, vt ab illis erroribus non emerſit, ita multos alios contra ſanctiſſimam atque caſtiſſimam Eccleſiæ religionem atque fidem (cum præſertim videret multos, qui laudibus conatus illius proſequerentur, & quaſi ingenij, doctrinæ & pietatis ipſius magnitudinem admirarentur) nefarie accumulauit. Sunt qui ſcribunt, importunam ambitionem deſiderati Epiſcopatus VVigornienſis, has ſcelerum quaſi faces illi vehementius accendiſſe, eumque, cum prædæ expetitę ſpe excidiſſet, priuatum dolorem ad contumeliam & vexationem Eccleſiæ, vt olim ob ſimilem Epiſcopatus repulſam, Nouatum, Ærium, Arrium & alios conuertiſſe. Fuit etiam non poſtremum illius in Eccleſiam & Romanum Pontificem odij ſeminarium, quod eiuſdem Pontificis decreto, à præfectura Collegij Canthuarienſis Oxonij, quod Simon Iſlepius Archiepiſcopus Canthuar. inſtituerat, quam præter ius & fas inuaſerat: quippe quæ ex ſcitis & præſcripto Simonis Iſlepij Monacho tantum debebatur; poſt longam cauſæ in Pontificio Romæ tribunali diſceptationem abdicatus fuiſſet. Itaque cum principatum quem expetebat in Catholica Eccleſia obtinere non poterat, vt ſaltem in hæreticorum gremio inueniret, in Eccleſiam & Romanum Pontificem odio exardeſcens, vlciſcendi cauſa hæreſes excitauit.

QVAS OPPORTVNITATES HABVERIT VIRVS SVVM SPARGĒDI.

Vt autem illa ſua praua dogmata longe lateque ſpargeret, illis temporibus multæ opportunitates illi accedebant. Edouardi primum Regis poſtremis annis non ſatis ſeuera conſtanſque fuit reipubl. gubernatio: vitaq; eiuſdem prouecta ætate diſſolutior. Igitur illa dogmata eo plauſibiliora fuerunt, quod ad Romani Pontificis (qui propter exactiones, quodque ad ſe ſacerdotiorum in Anglia collationē traheret, Regi inuiſior factus eſt, atque magis Gallorum Regis rationes tueri videretur) quanquam iſtud non eſſet) principatum ſubuertendū, quodque ad Regis, ciuiliumque Magiſtratuum authoritatem amplificandam potiſſimum ſpectarent. Accedebat Ioannis Lancaſtri Ducis, qui omnia, ſua authoritate, paulo ante Regis obitum adminiſtrabat,

magna



magna aliquandiu in Wiclefum propenſio, quam augebat, nonnulla inter eundem Ducem. & inter Guillelmum Courteneſum Londinenſem, atque Guillelmum W..cc..mum Wintonienſem Epiſcopum, inimicitia atq; concertatio. Hæc omnia Wiclefus auide arripuit, illiſq; impotenter, ad ſatisfaciendum animo exulcerato, hæreſes diſſeminandas, populumq; à Catholica fide, omniq; Pontificia atque Sacerdotum ſolita obſeruantia auertendū, turpiter abuſus eſt. Cuius diſceſſionis, quæ paulo poſt ſecuta eſt, & aliorum grauiſſimorum malorū quæ hinc pullulabant, triſte omen & augurium cenſeri

PROPHANATIO TEMPLI WESTMONAST.

forſan potuerit templi Weſtmonaſterien. indigna, eo ipſo anno, quo Richardus poſt aliquot principatū inijt, prophanatio; cæſo Roberto Hauleyo, ad ipſum templi (qui illuc tanquam ad aſylum confugerat) altare, vnoq; prætere ex Eccleſiæ miniſtris, vique inde abducto cō tra veteres immunitates S..hakelio. Cuiuſmodi quiddam Socrates in Græcorum Eccleſia ſimiliter violata atq; deformata, quo tempore Neſtorius ſuas blaſphemias euomebat, olim obſeruabat. *lib 7 hiſt. cap. 33.*

VICECOMITES ITALIAM TVRBANTES A GREG. PP. EXCOMMVNICĀTVR.

In Italia, veteres à Vicecomitibus Bernaboue & Galeazio turbæ. Regium Lepidi hoc anno interceperat, & Nicolao Areſtino Rom. Eccleſiæ fiduciario, bellum intulerat, ferro, flammaque omnia vſq; ad portas Ferrarienſ. vrbis populatus, ne à ſacris quidem rebus violandis miles abſtinuit. Præter hæc Barnabos Florentinorum animos ſpecie libertatis obiecta, ad res nouandas tentauit, adeo vt eorum aliqui ea de cauſa, ad libertatem ꝓclamarint. Cæterum vrbis primores, fœdus aduerſus illum percuſſerunt, & plurimas vrbes Eccleſiæ, Sedi Apoſtolicæ, olim Bernabouis ſtudio detractas fœdere ſibi adiunxerunt. Probauit Gregorius iſtud fœdus, *ep. p. 780* & ad pugnandum contra Bernabouem hortatus eſt. cū etiam à Carolo Imperatore auxilia poſtulaſſet, *ep. p. 1 6.* Peruſiam, non ita pridem in poteſtatem Anglici Cardinalis Legati reuerterat. Cæterum non multum in eius arbitrio manſit, Tiferno, Viterbio, Vrbeveteri, Spoletanis, Tudertinis, Eugubinis, Aſculo, Forolinio, & aliis vrbibus in Florentinorum fœdus abeuntibus. *Cyprian. Manent. lib. 3. Corius hiſt. Medielan. libr. 3.* Bernabouem Vicecomitem, Lugum & aliquot alia Rauennatis Eccleſiæ oppida, ipſamq; Bononiam repetentem, nouumq; bellum Ferrariæ, violata pace inferentem, Gregorius communione fidelium & omni dignitate priuauit. *Rubeus hiſt. Rauenna. lib. 6.* Cumque Friderici detentoris Trinacriæ, affinitatem, oblata ei vna ſuarum filiarum in matrimonium, ambiret, Gregorius, ne cum hoſte Eccleſiæ contraheret interdixit. *datis litteris 5. Idus Octobr.*

IX. GALEATIVS VICECOM. AFFINITATEM CVM REG. GALL. ET ANGL. CŌTRAHIT.

Bernaboue nihilo ſecius pertinaci ſtudio Bononiæ principatum, quaſi ſibi fraude ereptus eſſet, validis armis repetente, Galeatius etiam externas affinitates, decoras quidem Regio faſtu, ſed ſibi & poſteris damnoſas & fere exitiales quæſiuit; Iſabella ſcilicet Caroli Galliæ Regis ſorore Ioanni Galeacio filio expetita, Leonatoque Clarentio Britanniæ Regis filio in generum aſcito. huic enim ex nuptiis Violantis, cum ducenta millia aureorum nummum dotis nomine recepiſſet, Mons etiam Regalis atque Alba Pompeia vrbes ceſſerunt. Iſabella autem quæ Mediolanum venerat vſque adeo ſocero grauis fuit, vt ducentis millibus aureorum conſtiterit; quanquam Virtutis oppidi ditio, honeſtiſſimæque appellationis titulus, nouo ſponſo nomine dotis acceſſiſſet. Leonati porro aduentu tantæ opes admirabili liberalitate profuſæ ſunt, cum & nuptiale epulum daret, & equeſtres ederet ludos, & Britannos ex generi comitatu ſupra ducentos eximijs donis adornaret, vt opulentiſſimorum Regum ſplendorem ſuperaſſe cenſeretur.

QVAM EXCESSIVVM FVERIT NVPTIALE EPVLVM ET ADMIRABILES EXPENSÆ.

In conuiuio enim, in quo Franciſcus Petrarcha inter principes conuiuas diſcubuit, ſingulos ferculorum miſſus, qui ſupra triginta fuere, totidem inuſitata magnificentiæ munera ſequebantur; quæ omnia Ioannes Galeacius ad menſam perducens, Leonato obtulit. Fuere in vi..ranti.. ..ll.., ſ.. ...ginta equi inſignes argenteis & ſericis ephippijs ſtrati. In alijs vaſa argētea, hic o- falcones, venatici canes, equeſtria arma, nobiles loricæ, ſolidoque ferro ſplendidi thoraces, galeæque item & caſſides prææltis conis exornatæ, indumenta margaritis picta, balthei militares, poſtremo præſtantes aliquot gemmæ aureis emblematibus inſertæ, & aureæ, purpureæque telæ vis ingens ad viriles veſtes. Is porro conuiuij apparatus fuit, vt relatæ à menſa dapes, decem millibus hominum abunde ſufficerent. Scilicet didicit ſuo damno, imparium affinitatem quid ſit expetere. *Iouius in Galeacio 2.*

X. DISSIDIŪ INTER ARAG. ET IOANNAM SICIL. REGES CŌPONERE STVDET GREG.

Nihili iactura hæc videbatur Vicecomitibus qui ſcirent Britanniæ Regem Pontificibus Romanis non eſſe beneuolentem. Itaque quemadmodum ab illo, ſic etiam à Friderico Aragonio, per affinitatem ſuppetias aduerſus Pontificem mendicabant: quod & huic cum Ioanna Siciliæ Regina de poſſeſſione inſulæ, diſſidium. Iſtud Gregorius componere deſiderans, Ioannæ & Friderico, vt ad ſubſellia Sedis Apoſtolicæ, Procuratores, de toto negotio acturos, mitterent; fore non difficile ſpondens Friderico, vt pace æquis conditionibus ſtabilita, etiam Antoniæ F. Franciſci Ducis Andriæ, neptis Reginæ coniugio potiretur. Ad quam rem vt Friderici animum Ioannes Claromontius, Artaldus, & Franciſcus Vintimillij fratres, inclinarent, illis Pontifex ſcripſit. *5. Idus Octobr.* quod ſperaret, & Regni Siciliæ quietem hac ratione facile comparare, & valida ſubſidia Bernaboui, & alijs hoſtibus Eccleſiæ detractum iri.

XI. SVMMARIVM DIVERSORŪ GREG. PP. GESTORŪ

Inter hæc Gregorius Petrum tituli S. Mariæ tranſTyberim Cardinalem Legatum, in tota Italia: in terris autem Romanæ Eccleſiæ ſubiectis pro ſe Vicarium Apoſtolicum conſtituit. *epiſt. p. 789.* eique, vt dominium vrbis Romæ, Senatu ac Populo Vrbico inuitante acciperet, mandauit. *p. 342.* Deinde Iacobum Aretinum Epiſcopum, pro Sede Apoſtolica Vicarium, in vrbe confirmauit. *p. 764.* quodque Cardinalis Legatus, exercitui Eccleſiaſtico in prælio interfuiſſet, & in canonem Eccleſiaſticum irregularitatis incidiſſet, cum eo diſpenſauit. *p. 224.* vtque Epiſcopos, qui tenebantur Sedem Apoſtolicam viſitare, ad faciendum compelleret, admonuit. *p. 241.* Willelmum quoque Epiſcopum Maſſilienſem, Nuncium pro grauiſſimis Eccleſiæ & Regni negotijs, in Siciliam, amandauit. *p. 54.* Inter Vgonem Sanſeuerinatem, & Franciſcum Baucium, Reginæ valde dilectum, graues inimicitiæ fuerant. Inuiderat illi Vgo eam Reginæ gratiam, adeo vt per ſugillationes & artes fallaces eo Ioannam impulerit, vt Baucium in carceres coniecerit.

Cumque Baucius, fiducia eloquentiæ & formæ fretus, inq; colloquium Reginæ (quaſi aliquid arcani reuelare vellet, poſtulauerat colloquium) admiſſus, ad priorem locum & conſuetudinem (ſtupri fereban ) euertiſſe; Sanſeuerinas callide ſe ei conciliauit, atq; deinde, vt ab amico reconciliato fieri ſolet, aures eius, ſuſurratione de Ioanna titillauit. Indies poſtea, ille quidem, Reginæ maledicere, Vgo vero fingere, ſimulare, & Reginæ omnia referre, atq; à Baucio animum eius alienare, & viciſſim Baucio renunciare: donec eum abire Theanum compuliſſet, quaſi Ioannæ minus gratus videretur. Reuocabat illum Ioanna ſæpius datis litteris: cumque metueret reuerti, in cunctantem, ſententiam maieſtatis tulit: deinde Theani incluſum obſidione cinxit. Vnde illi euadens, in Galliam conceſſit, Pontifici fraudes Sanſeuerinatis retulit, inque Italiam reuertens, ſeptem millia equitum in Æmilia ære proprio ſcripſit, & in Regnum Neapolitanum duxit. *Bonicontr. in Annalib.* Adhanc inteſtini belli molem auertendam, Gregorius Pontifex Nuncium deſtinauit; & Reginæ Ioan. vt in ſumptus, ſi opus foret, belli poſſit ab Eccleſiaſticis charitatiuum ſubſidium poſtulare, atque ſponte oblatum recipere, conceſſit. *p. 467.* Philippo etiam, dicti Imperatori Conſtantinop. vt caſtra & oppida Franciſci

Baucij

Baucij occupata, Raymundo Baucio Comiti Auellini aſſignaret, neue materiam diſſidij maioris miniſtraret, præcepit. *p.* 468. Philippus Imperator, inter hos turbines, ab Ioanna Regina, Salernitanum principatum, & nonnullas regni ciuitates flagitabat: interceſſore vſus Ludouico Rege Vngariæ. Interdixit Gregorius, Ioannæ, & Philippo: huic quidem, ne inconceſſa deſideraret; Reginæ autem, ne bona Regia diſtraheret. *p.* 40. *&* 790. Ioannam etiam apud Ludouicum Regem, quod Philippo ſatisfacere non poſſet, excuſauit. *ep. p.* 55. quod Conſtitutiones & pacta Apoſtolicæ Sedis, nulla ratione alienationem Regiorum bonorum permitterent. Paulo poſt, Bertrandum Archiepiſcopum Neapolitanum, ad Philippum Imperatorem Nuncium, pro negotijs Sedis Apoſtolicæ ire iuſſit, eumq; Viſitatorem, & reformatorem omnium Eccleſiarum, perſonarum Eccleſiaſticarum & religioſarum in Regno Siciliæ citra Pharum conſtituit. *IV. Cal. Octobr.* Philippumq; anathemare propoſito, vt principatum Salernitanũ, & alia ſiue ablata, ſiue extorta, Ioannæ Reginæ reſtitueret, *p.* 790. & Conradum Malataccam Militenſem, ad ſatiſdandum Ioanni Epiſcopo Canuſino pro iniurijs & damnis irrogatis compelleret, hortatus eſt. *p.* 294. Conceſſit tunc Pontifex Monaſterio Cathanienſi, in quo ritus Græcorum & Ordo S. Baſilij ſeruabatur, vt in ritum Latinorũ, & D. Benedicti inſtitutũ poſſent Monachi Græci tranſire. *p.* 759. Indulſit pariter Ioannæ Reginæ, vt Iudæos per Synagogas inducere poſſet, qui ad religionẽ Chriſtianam conuerterentur, Iudaiſmo eiurato. *p.* 477.

XII. REX ARAGON. LIGIVM HOMAGIVM PONT. DICIT PRO CORSIC & SARDIN.

In Hiſpanijs, *Petrus* Rex Aragonum, Gregorio Pontifici, pro Regnis Sardiniæ & Corſicæ, Sacramentũ Ligij homagij dixit, & diploma Dertuſæ aurea bulla ſignatum, Apoſtolicæ Sedi ſcripſit: ijſdem conditionibus, quibus Bonifacius VIII. Iacobo auo ſuo ius beneficiarium præſcripſerat, in pacto expreſſis. *ext. in mole Adriani.*

XIII. SENTENTIA LEGATORVM APOST. CONTRA BOGNETAM MINORITAM ERRORES IN ARAGON. SEMINANTEM.

Quo tempore F. Petrus Bonageta, Minorita, nonnullos errores in Aragonia diſſeminans, ſubſequentem ſententiam, ab authoritate Apoſtolica promeruit. Ita habet.

*Miſeratione diuina Petrus S. Euſtachii & Guillelmus S. Angeli Diaconi Cardinales, Reuerendis Patribus, Tarracon. & Caſar. Auguſt. prouinciarum Archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis, necnon Inquiſitorib. hæreticæ prauitatis à Sede Apoſtolica in ipſis Prouinciis deputatis, ſalutem: & ſinceram in Domino charitatem.*

*Relatione religioſi Fr. Nicolai Eymerici Magiſtri in Theol. ac in dictis Prouinciis hæreticæ prauitatis Inquiſitoris, ad audientiã Domini noſtri Papæ peruenit, quod tam in veſtris, quam in ſuffraganeorum veſtrorum Eccleſiis, palam & publice, per certos religioſos prædicati fuerint tres articuli ſubſequentes in effectu.*

*1. quod ſi hoſtia conſecrata cadat, ſeu proiiciatur in cloacam, lutum, ſeu aliquem turpem locum, quod ſpeciebus remanentibus, ſub eis eſſe deſinit corpus Chriſti, & redit ſubſtantia panis.*

*2. quod ſi hoſtia conſecrata à mure corrodatur, ſeu à bruto ſumatur, quod remanentibus dictis ſpeciebus, ſub eis deſinit eſſe corpus Chriſti & redit ſubſtantia panis.*

*3. quod ſi hoſtia conſecrata à iuſto, vel à peccatore ſumatur, quod dum ſpecies dentibus teritur, Chriſtus ad cœlum rapitur, & in ventrem hominis non traiicitur.*

*Supplicato igitur per ipſum Inquiſitorem eidem Dom. noſtro Papæ ſuper huiuſmodi articulis, ex quorum prædicatione poſſent ſcandala ſuſcitari, ſalubriter prouideri: Idem Dn. N. Papa, nobis ibidem præſentib. viuæ vocis oraculo expreſſe commiſit, quatenus authoritate ſua Apoſtolica vobis mãdaremus, vt omnis moræ ſublato diſpendio, in dictis veſtris prouinciis, ſub pœna excommunicationis inhiberetis, ne quis deinceps dictos articulos publice præſumat prædicare. Nos igitur Petrus & Guillelmus Cardin. prædicti, huiuſmodi mandatum Apoſtolicum cupientes exequi, vt tenemur: vobis, & veſtrũ cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus. Ne ab inde in antea dictos articulos, ſeu eorum alterum, ſub eiſdem vel aliis verbis, idem ſonantibus in ſubſtantia ſeu effectu, in veſtris Eccleſiis, vel alibi, palam ſeu publice prædicari à quoquam permittatis: & hoc ſub pœna excommunicationis, quã contrarium facientes innodetis ipſo facto. Notificantes vobis nihilominus ſimili mandato per ipſum Dominum noſtrum Papã nobis facto, quod idem Dn. noſter Papa, Fr. Ioan. de Latone Ord. Fratrũ Minorum, qui aliquos de dictis articulis in veſtris Eccleſiis frequẽter recitãdo prædicauerat, inhiberi fecit ſub pœna excommunicationis, ne dictos articulos de cætero publice prædicare præſumat. In quorum omnium teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus duximus imponenda. Dat. apud Villam nouam Auin. diœceſis die 8. menſis Auguſt. An. Dom. 1371. Indictione nona. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris, Domini Dn. noſtri Gregorii diuina prouidentia Gregor. XI. anno* 1. ex Direct. Inquiſit. 1. part.



Nupſit hoc anno, Ioanni Duci Gerunden. primogenito Regis Aragonum, Ioanna filia Philippi quondam Regis Galliæ, quam ad maritum proficiſcentem, Gregorius Pont. Regi cõmendauit *XVI. Cal. Sept.* Cumque Vrbanus anteceſſor, paulo antequã moreretur, ad cæteros Reges Hiſpan. Henrico Caſtellæ cõcordiæ fœdere deuinciendos, Bertrand. Conuenatem, & Agapetum Brixienſem primo & poſt Oliſſiponenſem Epiſc. Nuncios ablegaſſet, nec illi hactenus quicquam operę feciſſent, vtrumq; tamdiu ſubſiſtere ibidem iuſſit, quouſq; inter Reges pacem cõciliarent, & eos ad ſacrũ bellũ aduerſus Saracen. intermiſſum excitarent. *ep. p.* 765. *& Surita li.* 3. addit, quod Pontifice adnitente, Henr. Rex Burgenſi Epiſc. & Aluaro Garciæ Albornocio, Petrus vero Aragonũ Rex Ilerdenſi Epiſc. & Raymundo Alamano Ceruilionio, vti de controuerſiis omnib. deliberarent, cõmendarint, Caſtelfauibij, Conuenati Epiſcopo, qui tunc in Cardinal. numerum cooptatus fuerat, adiuncti ſanxerũt, vti concordiæ pactionumq; ſummam tractãdam, conficiendamq; Reges ad Pont. Max. & ampliſſimum Ordin. in proximos 8. menſ. decidendam reiicerent: graui mulcta indicta, ſi quis pactas Ian. 4. die, ſalutis an. 1372. inducias violaret. Varijs Henrici tergiuerſationibus, verentis, ne Pontifex Aragonio æquior eſſet, concordiæ ſanciendæ tempus extractum eſt. Cum Regina Vaſconum conuenit, vt oppida, de quibus controuerſia erat, penes Gregorium Pont. quaſi ſequeſtrum eſſent. Additum in fœdere, vt Pontificius Legatus de omnibus controuerſijs diiudicaret, & Ioannes Arellanus, Dom. Vaſco, magnis ab Henrico Caſtellæ beneficiis obſtrictus, ea oppida, nomine Pontificis retineret; ſacramento adactus; ei redditurum, cui lite diſceptata iudicatum eſſet. Cum Luſitano Rege, non tantum difficultatis fuit. Namq; is Ferdinando Caſtrio, motuũ concitatore amiſſo, cladibus fractus (molli effœminatoq; voluptatibus corpori, acer & vehemens animus deuinctus eſſe nõ poterat) ad ineundam cum Henric. pacem, pronior eſſe cœpit. Alfonſus Guſmanius, facta ab vtroque Rege poteſtate. Cal. Mart. cõcordiæ author extitit, iſta lege, à Legato probata: vt oppidis, quæ belli tempore erant amiſſa Luſitano redditis, Eleonora Henrici filia coniux eſſet: Mirobriga, Valentiaq; in Tudertanis, in Calæcis Monteregio, dotali. Luſitani Imperij augendi magna oportunitas erat: ſed omnia peruertit dira tetri amoris flãma, quo Luſitani Regis animus Eleonoræ Meneſiæ deuinctus erat, eo amplius, quod ex ea Beatrix filia nata eſſet. Pſius nouo quod offerebat coniugio repudiato, reſtitutiſq; per Legatos vrbib. quas cœperat, amicã ſibi iuſtis nuptijs iũgere ſtatuit. Auſpices Tellius Barceloſij Comes, nouæ nuptæ patruus, Mariaq; eiuſdẽ ſoror germana. Multa. ũ ea res calamitatum extitit cauſa. Ciues Oliſſipon. correptis præ dolore armis, in Regiam impetũ fecerant, ſugillari maieſtatẽ eo cõiugio dictitãtes, fœdari gloriã nominis Luſitani. Nihil obiecto periculo obſtinatus Luſitani Regis animus motus eſt. Portũ vrbem clam ſe ſubducens, iis locis publice nuptias cõfecit. Sic cõcubinæ nomen, Reginæ appellatione mutatum eſt, addita ampla ditione, iuſſiſq; omnib. nouæ nuptæ manũ oſculo petere: quod Regii ẽt fratres præſtiterũt, vno excepto Dionyſ. qui facere palã recuſauit: tãta Regis ex eo iracũdia, vt pugione diſtricto vindicare vellet; Dionyſ. latebras captare cogeretur, donec ſe totum ad Henrici Caſtellæ Regis amicitiam trãſtuliſſet. Noua Regina ex eo tempore, Regis rerumque potens, quaſi veneficio virũ dementaſſet, omnia pro arbitrio guber-

XIV. PRO CONCILIANDIS HISPANIARVM REGIB. ET ILLIS HENRICO REGI CASTELL. VNIENDIS LABORAT GREGOR.

REX LVSITANIÆ CONCVBINAM SVAM IN VXORẼ DVCIT.





nabat. Eius cognati & neceſſarii nouis principatibus aucti; plurima gratia, potentiaq; Ioanni Andeiro. Natione is Calæcus erat, atq; Orenſi Comes creatus. Eo Regina multum & familiariter vſa remotis ſæpe arbitris, mutui ſtupri ſuſpicionem præbuit; vulgoq; iactatum filios ex ea conſuetudine Regi ſuppoſitos; mendacio an ex fide non ſatis compertum erat. Et ſæpe veritas vulgi rumoribus prona in deterius perſuaſione publicaq; inuidia corrumpi conſueuit. *Mariana de rebus Hiſp. l.* 17. *c.* 16. *&* 17.

SVSPICIO STVPRI INTER EAM ET ORENſII COMITEM.

XV. NONNVLLA ALIA GREGOR. GESTA.

Poſſeſſione Regni Sardiniæ & Corſicæ, à Sede Apoſtolica, Aragonum Rex Petrus accepta, Franciſcum Zagarigam militem in Prouinciam miſerat, qui exercitum ſcriberet, aduerſus inuaſores inſularum. Eum vt benigne haberet, militemq; conducere permitteret, Nicolaus Spinellus Regni Siciliæ Cancellarius, Prouinciæ pro Ioanna Regina Seneſchalus, Gregorius Pontifex admonuit, 15. *Calen. Ian.* vtriq; ortas inter Catalanos & Prouinciales grauiſſimas diſcordias, deputatis ad arbitrandum viris idoneis, componere curaret, eandemq; concordiam Petrus Rex Aragonum cordi haberet, vtriq; ſcripſit. 14. *Cal. Aug.* Cumq; id temporis, Nicolaus, Bertolum Arlunum Bernabouis familiarem, eius crudelitatem fugientem Nicææ intercepiſſet, & Bernaboui remittere vinctum cogitaret, Gregor. prohibuit, vtq; liberum abire ſineret, pœna anathematis ꝑpoſita mandauit. 6. *Idus Decembr.* cum ei paulo ante, caſtra Mirandæ & Galeſii, Interamnen. & Ciuitatis Caſtelli Diœceſis, cenſu modico deſignato, ad extremum vitæ illius vtenda, iure fiduciario conceſſiſſet; vtq; Petrus Cardinalis Vicarius poſſeſſionem illorum ei attribueret, ipſe vero iuramentum fidelitatis ab hominibus eorumdem caſtrorum audiret, reſcripſiſſet. 15. *Cal. Iun. & 2. Idus Iunii.*

Petrus Rex Aragonum, nonnulla attentauerat in præiudicium Eccleſiæ. Ea vt in priſtinum ſtatum reuocaret, Gregorius hortatus eſt. *ep. pag.* 33. cum etiam Regi Luſitano, vt ablata Archiepiſcopo Bracarenſi reſtitueret, proq; damnis & iniuriis illatis ex æquo ſatisfaceret præcepiſſet, *p.* 12. indulgentiaſq; in tranſlatione cadaueris Egidii Cardinalis Sabinen. impertiiſſet, *p.* 606. necnon in Regno Scotiæ, donationem à Dauide Rege, Epiſcopis de bonis eorumdem Epiſcoporum in morte relictorum, ne amplius fiſcus ea Regius occuparet, factam, confirmaſſet. *p.* 553. in Germaniam vero vniuerſam, fructuũ Apoſtolicorũ Collectorem miſiſſet. *p.* 24.

XVI. INGENS IN POLONIA MIRACVLVM.

In Polonis, hoc anno, ingens miraculum accidit. Lituani per id temporis genties excurſione in Poloniam facta, inter alia Lyſſecenſe, ſeu Calui montis Monaſterium diripuere. Vnde cum inter aliam prædam portionem Crucis Chriſti auro incluſam aſportarẽt, & ad fines Polonię perueniſſent, memorabilis iſta res euenit. Plauſtrum, quo Crux cum cætera præda vehebatur, nulla vi, neq; iumentorum, neq; hominum loco moueri potuit; quin ſubito concidebant exanimati homines, equi & boues, quicumq; id plauſtrum attigerant. Obſtupefacti re noua, Lituanorum duces, cum ex Ruſſo quopiã miraculi & cladis ſuæ cauſam cognouiſſent, mox crucem cum Chorabala nobili quodam captiuo libertate donato, ad locum ſuum remiſere, ipſi cum reliqua præda domos ſuas ſalui peruenere. *Cromer. l.* 13.

XVII. VISIO S. BRIGIDÆ DE GREG. PP. XI.

Sancta Brigida, Romæ, hoc tempore exiſtens, eam de Gregorio Pontifice recens electo habuit viſionem. Verbis Gobellini rem narrabo, *Audiuit*, inquit, *vocem, qua iubebatur ſignificare Papæ, velle Deum, vt Romam cum humilitate, & paterna charitate, & non cum pompa veniret. Hanc reuelationem Domino Gregorio Papæ Romæ Auinionem, Dominus Latinus de Vrſinis, miles nobilis Romanus attulit. Sed Papa diſtulit; & iterum de iſtâ profectione, & aliis rebus ſecretis nonnullis Dominam Brigidam interrogari iuſſit. quæ orauit Deum, & habuit reſponſum in hunc modum. Dic Alphonſo Heremitæ olim Epiſcopo, vt hanc reuelationem ſcribat, & clauſam & ſigillatam, ad Gerardum Abbatem maioris Monaſterii Turonenſis (qui poſtea factus fuit Cardinalis, tunc vero in Italia. Theſaurarii & Collectoris Apoſtolici munere fungebatur) perferri iubeat, quam ipſe ſtatim mittat Papæ. Scribat etiam ipſe Alphonſus dictæ reuelationis copiam in papyro, & portet ſecum apertam, & oſtendat eam dicto Abbati, vt ipſe legat & videat, quid in ea contineatur. Poſtea vero in præſentia Abbatis dilaceret ipſam copiam in fruſta. Sicut tunc copia reuelationis in fruſta dilacerabitur, ita ſi Papa Romam tempore ſibi aſſignato non veniet, ſciat terras omnes Eccleſiæ, quæ modo ſub vna Papæ obedientia ſunt, diſtrahi & dilacerari per manus tyrannorum & inimicorum Eccleſiæ debere. Nam in eadem reuelatione determinatum tempus, infra quod Papa Romam veniret, continebatur. Iſtam reuelationem apportauit Papæ Dominus Nicolaus Comes de Nola familiæ Vrſinæ princeps. Interim Domina Brigida Hieruſalem perrexit cauſa peregrinationis, & Papa Auinione manſit. Cum vero reuerſa à peregrinatione Neapoli reſideret, prædictus Nicolaus Comes nomine Domini Papæ, rurſus, quid de Romana Pontificis profectione Deo placeret, ex ea quæſiuit. Atqui Domina Brigida rurſus reſponſum per reuelationem vt prius accepit, cum comminatione indignationis diuinæ. quod reuelationis reſponſum Alphonſus memoratus Auinionem Papæ attulit,* Anno Dom. M.CCC.LXXII. *vt ipſe in tractatu ſuo, quem de electione Vrbani ſexti poſtea conſcripſit, teſtatur. Sed Papa venire Romam diſtulit, & terras Eccleſiæ perdidit; quæ ab inuicem dilaceratæ & perditæ ſunt, vt ei prædictum fuit. Nam ciuitates & communitates terrarum Eccleſiæ, vnionem quandam ſeu conſpirationem fecerant, & in ſignum rebellionis, arma (quantum ad illam conſpirationem inter omnes communia) ante valuas ciuitatum, oppidorum & caſtrorum depingebant, videlicet clypeum glauci coloris, cui litera aurea per obliquum declinantes inerant, hoc vocabulum, LIBERTAS exprimentes.* M. Chron. Belgicum.





Coniectura eſt, Diuam Brigitam Romæ peregrinam, in ædibus Vrſinorum diuertiſſe. Nam, non ex vano, tanta Vrſinis cum ea familiaritas, vt non niſi illis ſecretiores reuelationes Pontifici renunciandas crediderit: & hoſpitale pignus annulum aureum illis ipſis reliquerit, Crucifixi ſchemate effigiatum; qui in theſauris eiuſdem familiæ apud Excell. D. Paulum Iordanum Vrſinum Brachiani Ducem oſtenditur.

---

# IESV CHRISTI
## Annus 1372.

### GREGORII PAPÆ XI. ANNO 2.
### Caroli IV. Roman. Imperat.
### ANNO 17.

I. QVIS RERVM IN ITALIA STATVS.

PER Pontificis & Imperatoris in Italiam abſentiam, Bernabos Vicecomes turbandis rebus aſſuetus cum Nicolao Ateſtino bellum intuliſſet, in agro Ceſſio propugnaculum extruxerat. Huic ex aduerſo Nicolaus Ateſtinus, aliud pari magnitudine oppoſuerat. Hinc creſcente indies contentione, creſcebant & copiæ. Franciſcus Foglianus pro Eccleſia mille equites, Ambroſius Spurius pro Barnabove octingentos ducebat. Signis ad diem 2. Iulii collatis, Vicecomes non incruento prælio ſuperior diſceſſit. Foglianus vna cum Guillelmo nepote captus, Regiumq; ductus, ad contumeliam Cardinalis Legati, de pinna muri ſuſpenſus interiit.

Legatus ab hac clade accepta, non animum depoſuit, ſed cum Nicolao Marchione, reſtituto atq; aucto exercitu, hoſtem ab circumuallanda operibus Mutina prohibuit: quam ob cauſam Bernabos modico cum præſidio Parma & Regio magnam materiæ & operarum vim eo ſubmiſerat. Interceſſit nonnihil inter hæc offenſæ, inter Vicecomitem, & Ioannem Augutum, qui Anglicanam Societatem vagabundam ducebat, inq; caſtris Bernabouis cum parte eorum merebat. Itaq; non difficile fuit Legato, hunc Eccleſiaſticis copiis adiungere. quem vt ſibi Gregorius Pontifex magis fidum faceret, Cotignolam & Bagnacauallum oppida; iure fiduciario illi permiſit. Is vero iuramento à

ſubditis audito, cum nonnulla priuilegia incolis, pars à Pontifice impetraſſet, pars ipſe conceſſiſſet, immunita foſſa & vallo cinxit: quo vim hoſtilem poſſet excipere. Nicolao quoque Ateſtino, eodem beneficiario iure, cenſu 10. millium florenorum aureorum, in annos ſingulos impoſito, Ferrariam attribuit: conditionibus adiectis: ne propugnaculum aliquod extrueret: ne cum quopiam hoſte aut rebelli Eccleſiæ conſpiraret, aut quemquam ex eis reciperet, iuuaret, protegeret. quinimo aduerſus eos centum haſtatos, in tres menſes annuos, Eccleſiæ ſubmitteret, ſtipendiaq; ex ſuo dependeret. Petrus tituli S. Mariæ trans Tyberim Cardinalis Legatus, Bononiæ, Nicolaum Ateſtinum ſpondentem, hoc anno audiuit. *Cod. Columnen. Pigna li. 5. Bonincontr. in Annal. Corius p. 3.*

II. Meruerat Nicolaus Ateſtinus iſtud beneuolentiæ Pontificiæ indicium, quod & ſtrenuam operam aduerſus hoſtes Eccleſiæ nauaſſet, & cladis in agro Bononienſi ab aduerſariis acceptæ, Legato negligente, primus Pontificem admonens, ne animum deſponderet, ſed contra audentius conaretur, perſuaſiſſet. Viciſſim Pontifex Nicolaum ad conandum animauit, Petrum vero, quod nihil de rebus ſuccedentibus per id temporis ſignificaſſet, redarguit, cum aduerſa bellorum potius quam proſpera renunciari debeant, vt poſſit commode negotiis prouideri. Simul monuit Legatum, qui Bononienſes, ad fidem & patientiam in turbinibus bellicis ſeruandam hortaretur. 11. *Cal. Iunii.* quod ipſe, vna cum Purpuratorum collegio nihil magis in animo haberet, quam ipſorum & aliorum Eccleſiæ Romanæ ſubditorum commoda. Bononienſes, qua erant erga Romanam Sedem fidei, publice ac priuatim, bona & ſeipſos, omnes & ſingulos Pontifici pro Eccleſia conanti deſponderant, adeoq; GREGORIVM litteris permouerant vt is litteris reciprocis plenitudinem eorum laudauerit, & LEGATO, vt rationem eorum, & præſertim Canoſiorum & Folianorum haberet, iniunxerit; ac quod inprimis curandum fuit, pro ſalute eorum vigilans, ſubſidia tum præſentanea ſubmiſerit, tum alia quæſiuerit. 8. *Id. Iulii.*

III. PONTIFEX A CONFOEDERATIONE PACTA FOEDERATIONIS EXPETIT.

Carolus Imperator, ex pactis fœderationis cum Eccleſia, ea debebat. Pro his impetrandis, Pontifex, Ioannem Patriarcham Alexandrinum, ad Imperatorem, & reliquos in Germania, ſiue fœderatos, ſiue deuotos Principes ire iuſſit. Eadem, à Florentinis, Piſanis, Senenſibus, Lucanis, Aretinis, & aliis expetiit. Franciſcum Carrariam, vnum ex confœderatis Eccleſiæ Principibus, Veneti deſtinebant, bello laceſſentes, ne Eccleſiam adiuuaret. Inter hos & illum, vt Patriarcha Alexandrinus rationes concordiæ inueniret, Pontifex præcepit. 9. *Cal. Iul.* Cum hic nihil proficeret, & in Germaniam, Vngariamq; ad Carolum Imperatorem, adq; Ludouicum Vngariæ Regem properaret, Petro Cardinali Legato Gregorius, vt aliquos viros idoneos mitteret, ſcripſit, & ipſe tandem Henricum Epiſcopum Cumanum, ac poſtea Petrum Epiſcopum Teruiſinum, ad tractandam pacem deſtinauit; ac Imperatori & Ludouico Regi, vt in conciliandа inter eos concordia, partes ſuas interponerent, Venetis vero & Carrariæ, vt controuerſiarum arbitrium Sedi Apoſtolicæ permitterent, ac Procuratores vtrinq; ad ſubſellia ſua mitterent; Interim vero inter ſe inducias duorum vel trium annorum ſtatuerent, edixit. 5. *Calend. Octobr.* Michael Maurocenus reipubl. Venetæ apud Pontificem Orator, tandem aſſenſus eſt, vt arma deponerentur. Quamobrem militares copias, à Ludouico Pannonio, in auxilium Carrariæ, poſtulante Pontifice ſubmiſſas, aduerſus Bernabouem diſſidiorum authorem Gregor. duci imperauit, poſtquam Veneti ad pacem ineundam inclinaſſent.

Inter Carolum Imperatorem & Ludouicum Regẽ, item inter illum eumdem Carolum, & Duces Bauariæ; item inter Patriarcham Aquileienſem & Duces Auſtriæ; inter iſtos & Amedæum Sabaudum, inter hunc & Marchionem Montisferrati, inter Ianuenſes & Marchiones Carretanos ac Comites Lauanios, Fliſcos, vt plurimum incitante Bernaboue multum diſſidiorum, artificio, vt confœderatorum Eccleſiæ vires diſtraheret. His inprimis dirimendis Gregor. præter Patriarcham Alexandrinum & Epiſcopos deſignatos, Thomã quoque Franciſcanorum Generalẽ & Ioannem Epiſcopum Albigaunenſem, necnon Andream Archiepiſcopum Ianuenſem, deputauit: deinde Leopoldo, & reliquis Ducibus Auſtriæ, ne vel Bernaboui ſuppetias ferrent, vel Amedæo bellum inferrent præcepit. *ep. p. 64. & 281.* Item Generali Minoritano, vt Ianuenſes, Guillelmo vero Senenſi Epiſcopo, & Franciſco Carrariæ, ac Nicolao Ateſtino, vt Amadæum Sabaudum, in Societatem exercitus Romanæ Eccleſiæ aduerſus Vicecomites confœderatorum adducerent, iniunxit. Cumq; Comitem adduxiſſent: Dondario Fontanæ, & Raymundo Lupio, vt tamdiu apud eum verſarentur, donec is aliud decreuiſſet, inſinuauit 7. *Idus Iul. & 11. Cal. Iul. & 5. Cal. Octob.* Tulit perlibenter Amedæus Comes, ex pacto promiſſas ſuppetias.

IV. AVXILIA QVÆ A CONFOEDERATIS PONT. SVBMISSA FVERE.

Regina Siciliæ Ioanna, trecentos haſtatos, ſub auſpiciis Ioannis Minutali miſit. Otto Dux Brunſuicenſis, militares copias non contemnendas, cum Sabaudianis coniunxit, ante aduentum aliorum ſociorum rem prælio committere voluit; niſi id Pontifex dirarum interminatione prohibuiſſet. 4. *Non. Septembr.* metuens, ne in diſcrimen totum negotium conîicerent, ſi pauci innumerabiles prouocarent. Proinde, vt reliquos expectaret, hortatus eſt. Namq; Stephanus ſenior, & Stephanus iunior, Fridericus & Ioannes Bauariæ Duces, miſſo Georgio Valdecho Nuncio, omnem operam ſuam aduerſus Bernabouem, quanquam affinem ſuum, Pontifici pollicebantur; cum illos Gregorius, ne hoſti Eccleſiæ aut ipſi ſuppetias ferrent, aut ſubditos illi militare ſuos permitterent, admonuiſſet. 5. *Calend. Octobr.*

Ludouicus etiam Vngariæ Rex, miſſis Oratoribus, Alberto Vachenſtenio QuinquEccleſien. Canonico, & Galuano Bononien. Pontifici poſtulanti, omnia abunde offerebat: ipſe autem Pontifex quamplurimos milites in Galliis conſcriptos ducibus Nicolao Belfortio, & Raymundo Turrenio nepotibus, in Italiam deſtinabat: Petro Cardinali Legato præſcribens, vt Sedis Apoſtolicæ in Æmilia inferiore copiis, Galeotum Malateſtam Ducem exercitus præficerent. 8. *Calend. Nouembr.* cum etiam ipſe nepotibus ſuis, duos à conſiliis Epiſcopos, Ioannem Vercellenſem, & Guillelmum Lucenſem eſſe iuſſiſſet: & Comiti Sabaudo, ac Ottoni Brunſuicenſi, qui ſe reliquis coniungerent, inſinuaſſet.

In belli porro ſtipendia, inprimis quinquaginta millia nummum aureorum, Carolus Imperator, mutuo numerauit: Pontifex autem, in vniuerſa Germania, Boemia, Vngaria, Polonia, Dania, Anglia, Suecia, & Noruegia, decimationem in vnum annum, omnium Eccleſiæ redditaum impoſuit, atq; exigendæ illi, Heliam Vodronum Cantorem Eccleſiæ Xantonenſis, ad ea regna miſit: cum neceſſitates Eccleſiæ Imperatori, cui particulam ligni viuifici auro incluſam deſtinabat, ac Regibus, Principibus, & Prælatis Chriſtianis expoſuiſſet, 17. *Cal. Maii.*

Ruperti Bauariæ Ducis, inter alios enituit, erga Sedem Apoſtolicam zelus. Is namq; miſſo ad Pontificem Fr. Vlrico Dominicano, qui ei à ſacris confeſſionibus fuerat, Nuncio, ſuas vires quaſcunq; potuiſſet, Gregorio pro Romana Eccleſia, aduerſus tyrannum dedicabat. 5. *Cal. Maii.*

Inter ſubditos Eccleſiæ Romanæ, Peruſinorum fides inſignis id temporis; cum & omnia ſua Pontifici promiſiſſent, & propugnaculum fortiſſimum; non ſecus atque frenum ſibi à Gregorio imponi toleraſſent. Namque Pontifex Philippo Epiſcopo Sabinenſi in Italia Cardinali Legato præceperat, illud, accepta à Guillelmo





lelmo Epiſcopi Senenſi. Et Nicolao Vrſino Comite Nolano, Gubernatore patrimonii, pecunia quamprimum extrueret. *Idib. Maii & Iul.* Paulo poſt, Philippus Cardinalis diem clauſit extremum. per cuius mortem, ne quippiam nouaretur, adminiſtrationem prouinciarum & Vrbium eius legationis Geraldo Abbati Maioris Monaſterii Turonen. Theſaurario Sedis Apoſtolicæ in Italia generali, tantiſper commiſit, donec alium Legatum ſubmitteret. 6. *Idus Septembr.* Romani, vt Philippum Epiſcopum Tiburtinum Vrbis Vicarium, Pontifex eſſe adhuc iuberet deprecabantur. Non ſuſtinuit Gregorius, ſed Lucam Epiſcopum Nucerinum eo officio defungi voluit: necnon Anglico Cardinali Albanen. Legato, vt ad pacem inter confœderatos Eccleſiæ ſeruandam, totis viribus adniteretur, perſcripſit: cum prius die cœnæ Dominicæ; & aliis ſtatis Eccleſiæ ſolennitatibus, ex ritu antiquo, diris deuouiſſet Bernabouem & Galeazium Vicecomites ac ſocios. *ep. p. 12.*

OBITVS PHILIPPI CARDIN. LEGAT.

V. BERNABOS ECCL. ITERVM ILLVDERE TENTAT.

Perculit nonnihil, Bernabouem, iſtud fulmen: præſertim quod videret, tot tantosq; Principes aduerſum ſe conſpiraſſe. Itaq; Antonium Auriam, Auinionem amandauit, qui conditiones pacis Pontifici proponeret. Quamquam vero non ſemel, Eccleſiæ, Bernabos illuſiſſet, adeoq; indignum ſe reddidiſſet, qui audiretur; tamen Greg. totum negotium in Petrum Cardinalem Legatum reiecit; Vt is conditiones à Vicecomitib. propoſitas, ſociis oſtenderet, & ex eorum ſententia, quicquid ex æquo videretur, decerneret. *Idib. Iun.* Tempus extrahere, ac tædio afficere confœderatos, quodq; in votis habebat, diſtrahere cupiebat Bernabos. Quæ fraudes cum non laterent Legatum, ad arma venit, & prælio commiſſo, tyrannum nonnihil fregit. *Corius parte 3. hiſt. Mediolan.* Namq; is non omnino cogitationem depoſuerat, de auxiliis per affinitates Regias conquirendis, deq; ſociis Eccl. vndecunq; vexandis. Ioanni Aragonum Regis primogenito, Galeazii, aut ſuam filiam in matrimonium proponebat: ipſumq; Regem Petrum aduerſus Ianuenſes concitabat. Monuit Pontifex Regem, Reginam & Ioannem Aragonios, ne ſe anathemati ſubiecto hoſti Eccleſiæ commiſcerent, neue Regium ſanguinem militari contaminarent. 2. *Idus Iunii.* quod vero ad controuerſiam cum Ianuenſibus attineret, Rex Procuratores Auinionem ad tractandam pacem deſtinaret; Si neq; Oratores illorum ad Regem miſſi, neq; Guido Epiſcopus Portuenſis Cardinalis, in Hiſpaniis Legatus, quicquam obtinuiſſent, aut expediuiſſent. 3 *Non. Iunii.*

VI. PROGRESSVS COPIARVM ECCL. CONTRA VICECOM.

Premebatur, interim vehementer, Bernabos, ab Eccleſiaſticis copiis, & ſociis. Namq; Barnabas Lunenſis Epiſcopus, ciuitatem ſuam & ſeptem caſtra, de illo recuperauerat: non modica clade exercitui illius illata. Hunc Gregorius Pontifex, vt in perſequendis iuribus Eccleſiæ ſuæ perſeueraret, & ab hoſte laceſſendo non deſiſteret admonuit. *Idib. Nouembr.* Ioannes quoque Augutus, plurimas ditiones, Placentiæ & Papienſis diœceſis, Vicecomitibus eripuerat, adeoq; Pontificem ſucceſſu victoriarum in ſpem meliorem erexerat.

Eam rem Gregorius Comiti Amedæo, alia parte contra Vicecomites dimicanti ſignificauit, eaq; ratione animum illi excitauit. 7. *Idus Decembr.* Significauit & Imperatori, quid, tum à Vicecomitibus, tum à Confœderatis Eccleſiæ ageretur: eumq; datis litteris, vt Comitium Germaniæ Principum indiceret, omniumque quæ gererentur certiores faceret, hortatus eſt. *pagina 28.*

VII. BEGARDI ET FRATRICELLI VVICLEFI HÆRESIM IN GERMANIA ET ALIBI DISSEMINANT.

Inter hos Italiæ tumultus, in Germania, plurimi Begardorum & Fratricellorum à Ioanne Wiclefo recens exorto, magis Eccleſiaſticam poteſtatem contemnere docti, pullulabant, iamq; Magdeburgen. & Bremen. prouinciis infectis, partes Rhenanas, Hollandiæ & Brabantiæ inuaſerant, vniuerſaq; Pomerania peragrata, Stetinenſes tentauerant. Monuit Pontifex, Imperatorem & Principes Germaniæ, vt ad extirpationem hæreſum, eius criminis Inquiſitoribus opem ferrent. *Nonis Ianuarii.* Pro officio egit tunc Imperator, cum diuerticula hæreticorum dirui imperaſſet, & Conſtitutionem hac in re, contra clancularios errores ſanxiſſet. Eam Gregorius Pontifex probauit. *p. 35.* & Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis ex Ordine Dominicano aſſumptis, vt, & contra ſuſpectos criminis animaduerterẽt, & Concionum quarumdam hæreticarum libros vulgari idiomate conſcriptos vulgatosq;, ignibus exurerent præcepit. *p. 252.* cum etiam idem ipſe Pontifex, die cœnæ Dominicæ, aduerſus eos anathema pronunciaſſet. *p. 107.* atq; ſacræ Theologiæ Doctoribus, vt quædam dubia, in ſacra ſcriptura, à Fratribus Minoritis Vltramontanis miſſa declararent, commiſiſſet. *p. 87.* Necnon Imperatori, vt Inquiſitoribus, Principes opem ferrent, eos interpellandi poteſtatem quadantenus feciſſet. *p. 111.* Quoniam vero ex Gallia vicina, in Allobroges, eadem peſſima fæx hominum, qui ſe Turelupinos dicebant, deriuabat, Amedæo Comiti Sabaudiæ, qui eos flammis vltricibus perſequeretur, & Inquiſitoribus adſiſteret, iniunxit. Factum eſt, vt hæc ſecta ferina & agreſtis damnata, ignibus addicta, & penitus eraſa ſit hoc anno, tum propter errores Beguardorum, quibus adhærebat, tum propter iſtos duos ſuperinductos.

TVRELVPINORVM SECTÆ IN ALLOBROGIB. PENITVS ERADITVR.

VIII. DVO PRÆTER ALIOS TVRELVPINORVM ERRORES.

1. *Nihil pudere quemquam debere eorum, quæ à natura accepimus.* Sic perſuaſi, pudenda ſine tegumento oſtentabant, ac turpiter propalam coibant, Cynicorum inſtar Philoſophorum, vel canino potius, aut aliarum belluarum more.

2. Docebant Turelupini, *voce non eſſe orandum, ſed ſolo corde, eaq; ſpiritus libertate, quæ diuinis legibus ſubiecta non ſit.* Non diſſimili Caluiniana libertate, quæ primam Chriſtianæ libertatis in eo ſitam eſſe ponit, vt conſcientiæ, dum fiducia ſuæ coram Deo iuſtificationis quærenda eſt, ſeſe ſupra Legem erigant, totamq; Legis iuſtitiam obliuiſcantur. *Gualter. in Chronolog.* Ex iſtis hæreticis quamplures in Galliis, ignibus cremati ſunt Pontifice iubente. *Guaguin. de reb. Gallicis.*

IX. SPARGVNTVR IN HISPANIA RAYMVN. LVLLI ERRORES. MARIANÆ DE LVLLO SCRIPTVM.

Non etiam deerant in Hiſpaniis, qui Phanaticos Raymundi errores illius quem Lullum Catalani appellant, ab orco euocarent. *Mariana*, hominem, ſcribit, multa ſanctitatis, doctrinæq; fama. Narrat porro de illo hæc reliqua, quæ adiungere viſum, propter curioſos. *Raymundus*, inquit, *gente Catalaunus in Balearı maiore natus, iuuenis mercaturam exercuit ſpe quæſtus, maiorum veſtigia domeſticamq; laudem in eo ſecutus. Cum ætate, rerum humanarum tædio in ſolitudinem abſceſſit, congreſſu hominum vitato. Quo tempore artem conſcripſit, quæ nouis tramitibus compendio, in artium ingenuarum, philoſophiæ atque adeo diuinarum rerum cognitionem inducit: magna hominum admiratione, cum litterarum omnino expers, vt ne Latine quidem ſciret, ſermone patrio, viginti amplius voluminibus iuſti ponderis euulgatis, ea de rebus tum diuinis tum humanis tradat, quæ vix, ac ne vix quidem expoliti doctrina homines aſſequantur legendo: vt præſtigiæ oculorum, & ludibria potius artium, quam veræ artes quibuſdam videantur. Ipſe ea ſe diuinitus accepiſſe confirmat, in monte obiecta* CHRISTI DEI *ſpecie, quaſi cruci affixi. eo haud dubie meritus laudem, quod ſtudio religionis in Africa propaganda Bugiam in ora Mauritaniæ delatus, cum operi inſiſtens, monendi caſtigandique finem non faceret, lapidibus petitus occubuit. Corpus in Balearem maiorem translatum, magnam à populis venerationem habet, tantum non memoria conſecrata, nomineque in faſtos dato. De libris non vna opinio fuit, plerique accuſantibus, quaſi impios noxioſque: alii defendunt, quaſi delapſos cœlo, humanæ ignorantiæ remedia. Quingenti errores de religione ex iis libris decerpti nihilominus, Gregorii XI. Pontificis Maximi iuſſu, Auenione anathematis ignominia notati, agente Aymerico ex Prædicatorum Ordine Inquiſitore aduerſus hæreticos in Hiſpania. Ex iis propoſitionibus Petrus Tarraconenſis Præſul centum euulgauit, Directorii Inquiſitorum parte altera. in quibus, ſi verum fateri conuenit, non paucæ duriores ſunt & abſonæ, cum Eccleſiæ placitis pugnantes.*

*Sed nos bardi craſſoq; ingenio aſſequi non poſſumus ea, in quibus Raymundi ſectatores reconditas ſignificationes & arcana maiora contemplantur, melioribus oculis. An hallucinantur potius, & videre ſe fingunt, aut ſomniant, quod non vident: & digito conantur oſtendere, quod nuſquam eſt? quorum eſt noſtra etiam ætate magnus numerus, Schola etiam Barcinone iis libris explicandis dicata, conquiſitis lectitatisq; poſtquam reprobati ſunt; habendi licentia obliuionem attuliſſet. de Raymundo hactenus Mariana, libro 15. capite 4. de rebus Hiſpanicis.*

X. GENEBRARDVS DE LVLLO.

*Acriora*, de eodem *Genebrardus* iſtis notis.

*Raymundus Lullius Catalanus Monachus Tuneti in Africa, multa ſcripſit de rebus nimium curioſis. In eius libris adnotati fuere pluſquam quingenti errores, à Petro Tarraconen. Archiepiſcopo; vt Deum habere plures eſſentias (tale quidpiam hodie aſſerunt noui Trinitarii in Polonia) Patrem priorem Filio, Spiritum ſanctum conceptum ex Patre & Filio, &c. quæ tamen omnia, hæretica & pluſquam diabolica audacia, aſſerebat ſe à Chriſto ſibi apparente in forma crucifixi, in quodam monte accepiſſe; vt totum Orbem à tenebris, quibus detinebatur liberaret. Bern. Lutzenburgen. in cathalogo hæret.*

XI. ACRIORA DE LVLLO IACOB GVALT. EX SOC. IES.

Poſt Genebrardum, acriora adhuc de Lullo *Iacobus Gualterius Societatis IESV in tab. Chronographica*: cum eius dogmata Caluinianis erroribus compararet, illis verbis.

*Anno circiter* 1260. *in medium prodiit hic hiſtrio*, Raymundus Lullus: *multos ſpargens libellos, ac dictitans, Ieſum Chriſtum ſibi in Crucifixi forma apparuiſſe, ſeq; ex eius ore doctrinam ſuam accepiſſe. quamuis, vt verum fatear, libelli eius magia permixti, & pluſquam quingentis erroribus contaminati reperti ſint. Quos inter hi numerantur.*

LVLLI ERRORES.

*Inprimis aſſerebat, Deum habere plures eſſentias. Blaſphemia Lullo communis cum Beza, qui in ſua fidei confeſſione, haud ſatis habet cum Eccleſia Catholica realem tribus ſanctæ Trinitatis Perſonis diſtinctionem tribuere, niſi inſuper ipſimet Eſſentiæ Diuinæ realem diſtinctionem tribuat his verbis*; Dei verbum nos clare docet; hanc eſſentiam Diuinam realiter, & vere, & ab æterno diſtinctam eſſe in tres perſonas. *Quæ propoſitio, non Bezam minus, quam Lullum adigit, ad ſe Tritheiſtam profitendum, hoc eſt ad conſtituendos tres Deos. Satius multo vtrique fuiſſet, mentem ſuam ac linguam vetuſtis Chriſtianæ veritatis finibus concludere, quæ fidelibus ſemper in animum induxit, in ſanctiſſima quidem Trinitate tres eſſe perſonas realiter inter ſe diſtinctas, vnam tamen duntaxat eſſe atq; realiter indiſtinctam Diuinam eſſentiam, vnam Diuinitatem, vnum Deum.*

II.

*Deum Patrem fuiſſe antequam eſſe Filius. Arianiſmi ſinguli, quibus in Arianorum Collatione docui implicitum eſſe Caluiniſmum. Lectori nullo negotio indicabunt, quam multiplici iactu eundem in ſcopum Caluinus vel imprudens collimarit.*

III.

*Diuinam eſſentiam, cumocioſa non ſit, eſſentiare; naturam (hæc ſunt ipſa eius verba) naturificare, bonitatem bonificare, &c.*

*Eſt hic error, modo quodam cum præcedente copulatus, & ex reali eſſentiarum diſtinctione profectus. Quo fit, vt ſicut Beza cum Lullo ad ponendum illud fundamentum conſpirauit, ita & ipſum cum eodem ad ſuperædificandum hoc Babylonicum ædificium conſpirare neceſſe ſit. Adde quod aſſertio Doctoris Hugnoſtici in capite de Ioachimo Abbate memorati, qui ante aliquot annos Montilii aiebat*, Trinitatem generare, *non abeſt propius à vero, quam Lulli inſania. Siquidem Eccleſia Dei hoc de duabus Diuinis proceſſionibus ſemper credidit, ſemperq; prædicauit; Filium ex omni æternitate eſſentiam accipere, non ab eſſentia, vel à Trinitate, ſed à Patre, via vtiq; generationis intellectualis, & vt verbum æternum: Spiritum ſanctum item eandem eſſentiam ex omni æternitate accipere, non ab eſſentia, neq; à Trinitate, ſed à Patre & Filio, via dilectionis, & vt Amorem æternum.*

IV.

*Spiritum ſanctum eſſe conceptum de Patre & Filio. Modus loquendi erroneus, & Chriſtianorum fidei contrarius, quippe qui, vt iamiam tactum eſt, fide tenent, Spiritum ſanctum à Patre & Filio, tamquam ab vno æterno principio produci, non per conceptionem aut generationem, ſed per dilectionem ſpiritualem & æternam. At non minus odioſa ac reprehendenda ſunt illæ loquendi formulæ, quibus Spiritum ſanctum redigit Caluinus in Ordinem rerum creatarum, vt in Macedonianorum Arianorumq; Collationibus, tabulis conſignatis demonſtratum eſt.*

V.

*Crimen eſſe & iniuſtitiam, hæreticos vlciſci. Hic vna ex parte videtur cum hac opinione pugnare Caluiniſmus, maxime ſi ſpectemus non modo quam aſpere tractarit Caluinus Michaelem Seruetum, atq; alios, qui ſua commenta, Caluini ſomniis prætulerunt; verum etiam quam immani crudelitate eius aſſeclæ in Anglia, Scotia, Hybernia, Hollandia, aliiſq;, vbi dominantur, locis, Catholicos omnes apoſtatare nolentes diuexent. Aliunde vero, qui memoria repetierit illam religionum indifferentiam, ad quam velis remiſq; præcipitat Prætenta Religio, quemadmodum in capite de Mahomete docui, rurſumq; in capite de Caluiniſtis demonſtrabo: anſam habebit idoneam, vt hanc iudicet Raymundi Lulli deliramentis deteriorem ac peſtilentiorem.* Hæc de Lullo Gualtherus. De eodem Prateolus V. Raymundus Lullus. Et Nicolaus Sanderus H. 157. & Cardinalis Bellarminus in Cathal. ſcript. Eccleſ. Sec. 13. anno 1290. *Sed nemo certius, quam ipſe Aymericus, qui iubente* GREGORIO *Pontifice, in omnia inquiſiuit. Iſta habet.*

XII. AYMERICI INQVISITORIS ADVERSVS HÆRIT. DE LVLLO RELATIO.

*Poſtea Dominus Papa Gregorius XI. in Conſiſtorio, etiam de conſilio Fratrum interdixit, & condemnauit doctrinam cuiuſdam Raymundi Lulli Catalani mercatoris de ciuitate Maioricarum oriundi, laici, phantaſtici, imperiti, qui quamplures libros ediderat in vulgari Catalonico, quia totaliter Grammaticam ignorabat. quæ doctrina plurimum erat diuulgata, quam creditur habuiſſe à diabolo; cum eam non habuerit ab homine, nec humano ſtudio, nec à Deo, cum Deus non ſit author aut doctor hæreſum, nec errorum. licet ipſe Raymundus aſſerat in libris ſuis, quod eam habuit in quodam monte à Chriſto, qui ſibi (vt dixit) apparuit Crucifixus: qui putatur fuiſſe diabolus, & non Chriſtus.*

*Quæ doctrina durauit fere per octuaginta annos quouſq;, ſcilicet, Frat. Nicolaus Eymerici Ordinis Prædicatorum in Dominio Regis Aragoniæ Inquiſitor hæreticæ prauitatis, ex certis cauſis habens eandem multum ſuſpectam de hæretica prauitate, illam cum multo labore tranſcurrit, & poſtea præſentauit prædicto Domino Papæ Gregorio XI. viginti volumina. Et cauſa fuit commiſſa Domino Cardinali Hoſtienſi, & de eius mandato fuerunt per viginti & vlterius Magiſtros in Theologia diligenter examinata. Et tandem de Fratrum conſilio vt hæreticalia condemnata, & tota doctrina generaliter interdicta; quæ doctrina continebat pluſquam quingentos articulos erroneos.* Ex his centum tantummodo recenſet Aymericus, alios omittit dicens eos indignos qui numerentur, vtpote quod ſint hereticales, temerarii, periculoſi, nulla ratione apparente vel colorata fulti; ſed potius temeritati, præſumptioni, voluntati propriæ, & ignorantiæ multę & imperitiæ innituntur. Hęc eſt ſententia Gregorii, qua condemnantur viginti volumina Raymundi Lulli, & cętera eiuſdem opera interdicuntur, ne legantur, aut teneantur.

XIII. PONTIF. GREG. SENTENTIA QVA LVLLI OPERA CONDEMNANTVR ET LEGI AVT TENERI VETANTVR.

*Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Tarraconen. eiuſq; ſuffraganeis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Conſeruationi puritatis Catholicæ Fidei, quam multi nequam filii ſcelerati ſuis falſis aſſertionibus maculare nitentes, inter triticum purum agri Dominici peſtiferum ſemen zizaniæ ſeminant, cum ad noſtrum præcipue ſpectet officium, vt euellamus praua, & deſtruamus peruerſa, prouidere ſalubriter, & anima-*



*animarum illaqueationibus obuiare confeſtim plenis deſideriis affectantes, opportuna in his quæ poſſumus remedia, ſtudio paſtoralis ſollicitudinis prouidemus. Dudum ſiquidem dilectus filius Nicolaus Eymerici Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor, in ſacra Theologia Magiſter, in Regnis Aragoniæ, Valentiæ & Maioricarum Inquiſitor hæreticæ prauitatis nobis expoſuit, ſe in Regnis eiſdem inueniſſe viginti volumina diuerſorum librorum, in vulgari ſcriptorum, à quodam Raymundo Lull. ciue Maioricarum editorum, in quibus (vt ipſi Inquiſitori videbatur) multi continebantur errores, & hæreſes manifeſtæ: & quod nonnulli de prædictis & aliis regnis, libris vtebantur eiſdem, & eorum doctrinæ dabant fidem non modicam, in grande ſuarum periculum animarum. Supplicauitq; nobis Inquiſitor ipſe, vt (ne ſimplices deciperentur ex libris ipſis) dignaremur in hac parte de opportuno remedio prouidere. Nos autem cupientes animarum, iam forſan imbutarum, & quæ imbui poſſent ex peruerſo dogmate dictorum librorum, periculis celeriter obuiare, dictos libros per venerabilem Fratrem noſtrum Petrum Epiſcopum Oſtienſem, & per quamplures etiam vltra vigenum numerum in eadem Theologia Magiſtros, examinari fecimus diligenter; per quorum relationem tandem habuimus, quod ipſi dictos libros omnes cum multa diligentia legerant, & examinauerant, & quod vltra quadringentos articulos erroneos & hæreticales inuenerant in eiſdem. Super quibus inter eoſdem Epiſcopum & Magiſtros, ſæpius, & demum coram nobis habita diſputatione ſolenni, ipſos articulos (quos ad vitandam prolixitatis tædium, & horribilitatem eorum, haberi volumus præſentibus pro expreſſis) erroneos, & manifeſte hæreticales, de ipſorum Epiſcopi & Magiſtrorum concordi conſilio, cenſuimus reputandos. Cum autem, ſicut Inquiſitoris præfati continebat aſſertio, in prædictis Regnis alii libri, qui aſſeruntur editi à iam dicto Raymundo, reperiri dicantur, in quibus huiuſmodi iam reperti, & alii errores, & hæreſes creduntur probabiliter contineri. Nos volentes de huiuſmodi aliis libris & eorum doctrina informari plenarie, & ſuper eis prouidere ſalubriter, ne fideles in errores huiuſmodi damnabiliter prolabantur: Fraternitati veſtræ, de Fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus diebus Dominicis & feſtiuis, in ſingulis Eccleſiis veſtris Cathedralibus, accuratis, necnon Religioſorum quorumcumq; Ordinum, exemptorum, & non exemptorum etiam Ciſtercienſis, Carthuſienſis, Cluniacenſis, Præmonſtratenſis, Grandimontenſis, Sanctorum Benedicti & Auguſtini, ac Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum eiuſdem ſancti Auguſtini & Carmelitarum, & aliorum Ordinum, veſtrarum Ciuitatum & Diœceſum, intra Miſſarum ſolemnia exiſtentibus populis ad diuina, & in prædicationibus per vos & alios, quam cito commode poteritis faciatis proponi, quod omnes & ſingulæ perſonæ vtriuſq; ſexus, cuiuſcumq; ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtant, earumdem veſtrarum Ciuitatum & diœceſum, ſeu commorantes in eis, habentes libros quoſcumq; à præfato Raymundo editos (vt præfertur) ipſos infra vnius menſis ſpatium vobis aſſignare, & illi qui ſciunt alias perſonas libros eoſdem habentes, eas vobis reuelare ac nominare procurent: voſq; libros recipi faciatis eoſdem. quos cum habueritis, quam cito commode poteritis, curetis nobis fideliter deſtinare, vt ipſos ſimili examini ſubiicere valeamus. Cæterum quia doctrina, ſeu potius dogmatizatio prædictorum librorum examinatorum reperitur erronea, hæreticalis, & periculoſa nimium animabus: & vehemens ſuſpicio eſt habenda, quod in aliis libris editis à dicto Raymundo, ſimiles vel alii (vt præfertur) contineantur errores, vobis mandamus, quod omnibus & ſingulis eiſdem perſonis veſtrarum Ciuitatum & diœceſum, doctrinam ſeu potius dogmatizationem, & vſum huiuſmodi librorum interdicere ſtudeatis, donec ſuper his per Sedem Apoſtolicam aliud fuerit ordinatum.*

*Non obſtantibus, ſi aliquibus communiter vel diuiſim à Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra vel vltra certa loca ad iudicium vocari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, & quibuslibet exemptionibus, & aliis priuilegiis & litteris Apoſtolicis, quibuſcumq; locis, perſonis, vel ordinibus, ſub quacumq; forma vel expreſſione verborum ab eadem Sede conceſſis, de quibus eorumq; totis tenoribus, & de verbo ad verbum in noſtris litteris mentio ſit habenda: & per quæ præſentis mandati noſtri effectus valeat quomodolibet impediri. Inſuper volumus, quod per te frater Archiepiſcope tenor præſentium ſub tuo, vel Officialis tui ſigillo, ad tuos fratres ſuffraganeos tranſmittatur, cui per vos adhiberi volumus, velut ipſis originalibus plenam fidem. Datum Auinione 8. Calend. Februarii Pontificatus noſtri anno 6.*

Hæc Pontifex Gregorius poſt annos quattuor de libris Lulli aliis ſanciebat: cum hoc anno, omnibus inquiſitoribus datis litteris *pag.* 131. vt illos alios iam examinatos damnatoſq; exurerent præcepiſſet: necnon ipſe eo ipſo anno, Raymundi Neophyti libros hæreticales reprobaſſet. *p.* 197. *in minore volumine anni ſecundi ſecretorum.*

XIV. HÆRESES IN OPVSCVLIS LVLLI CONTENTÆ.

Scripſit Raymundus librum, de inuocatione dæmonum, qui incipit: *Miſericordia & veritas.* & alium quemdam, qui incipit; *Vtrum quilibet infidelis, tam diuinis, quam Apoſtolicis Canonibus teneatur obedire*: & alia quædam opuſcula hæreticalia. In his numerantur infraſcriptæ hæreſes.

1. Beata Maria Mater Chriſti, in conceptione filii ſui, ſic fuit gratia plena, quod extunc in gratia non profecit, nec potuit proficere.

2. Spiritus S. in die Pentecoſtes veniens in Beatam Virginem Mariam & in Apoſtolos, gratiam nullam contulit Beatæ Mariæ, ſed Apoſtolis: quia ſic erat gratia plena, quod proficere non valebat.

3. Peruerſum dogma impiiſſimi Almarici, Arrii, Sabellii, & aliorum hæreticorum non eſt hæreſis de ſe, niſi tantum apud illum, qui ipſum eligit animo pertinaci.

4. Licitum eſt creaturas adorare & honorare, honore & adoratione latriæ abſq; peccato, immo meritorie, in quantum ſunt repręſentatiuæ ſui Creatoris.

5. Licet dæmones adorare & honorare latria meritorie, ſi repræſentent ſuum Creatorem.

6. Non tantum abſque vitio hæreſis, immo etiam abſq; vllo peccato poſſunt dœmones adorari dulia, niſi quia prohibitum eſt per Eccleſiam Dei.

7. Æque & melius poteſt ſacrificans dœmoni excuſari ab idololatria, quam Chriſtianus adorans imaginem Chriſti vel ſanctorum.

8. De iure naturæ adoratio & ſacrificium debentur dœmonibus.

9. Qui victi ſuppliciis Deum negant ore, ſed corde adorant, non ſolum non peccant, immo ſunt digni remuneratione.

10. Laicus non tenetur ad aliquem fidei articulum explicite credendum, ſed ſufficit ſibi iſta concluſio in genere, quod credat omne illud quod credit ſancta Mater Eccleſia Dei. Et ideo quod ſi laicus teneat vel credat oppoſitum alicuius articuli ex ignorantia & tentatione diaboli, non peccat.

11. Omnis inobediens præceptis Dei vel Eccleſiæ, eſt hæreticus cenſendus.

12. Omnis peccans mortaliter eſt propriiſſime hæreticus.

13. Omnis peccans dum peccat, conformat voluntatem ſuam voluntati diuinæ.

14. Tantum placent Deo mala, quam bona.

15. Tantum placuit Chriſto Iudæ deſperatio, quantum Petri contritio.

16. Nullum legis præceptum in hac vita poteſt adimpleri.

17. In hac vita à nullo viatore, vt viator eſt, charitas poteſt haberi, nec aliqua virtus.

18. Abſq; charitate infuſa Deus poteſt ſuper omnia diligi meritorie, & abſq; ea haberi vita æterna de lege communi, & ſecundum leges nunc currentes.

19. Sine charitate nemo poteſt eſſe fidelis, & per conſequens peccat mortaliter, & non habens charitatem propriiſſime eſt hæreticus, quia peccat contra primum articulum fidei.

20. Homines æque conformant ſuam voluntatem

voluntati diuinæ demerendo, ſicut merendo, loquendo de voluntate beneplaciti Dei.

21. Tantum placet Deo voluntate beneplaciti Iudæ deſperatio, quantum Petri contritio, & tantum aliquem eſſe infidelem, quantum eſſe fidelem: & tantum mala eſſe, quantum bona.

22. Secta iniqui Mahometi eſt æque Catholica, ſicut fides Ieſu Chriſti.

23. Chriſtus, Apoſtoli, & omnes Angeli, & omnes beati ſunt ſchiſmatici, & quod perfectius eſt eſſe ſchiſmaticum quam Catholicum.

24. Solus Deus pater eſt optimus: & Dei filius eſt bonus in primo gradu: Spiritus S. eſt bonus in ſecundo gradu: ſed omnis creatura eſt bona in tertio gradu,

XV. ALII LVLLISTARVM ERRORES NVMERANTVR.

Hæc deliria phanatici hominis fuerunt examinata, à quamplurimis Theologis, coram Cardinalibus S. Euſtachii & S. Angeli: ac tandem à Gregorio Pontifice damnata: publico edicto, vt Archiepiſcop. Taraconenſis cum ſuis ſuffraganeis libellos igni exureret, & de Raymundo hæreſiarcha ſupplicium deſumeret.

Præter iſtos articulos, non deerant ſectatores Lulli, qui alios quoq; errores his temporibus aſſererent: ex quibus ſunt infraſcripti.

1. Raymundus Lull dogma ſuum non habuit per hominem, nec per ſtudium, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti, qui in inſula Maioricarum, in quodam monte ſibi apparuit Crucifixus: qui Dominus Ieſus ibi, illi dogma contulit antedictum.

2. Doctrina Raymundi Lull excellit omnium aliorum doctrinam in bonitate & veritate, etiam Auguſtini.

3. Theologi noſtri moderni temporis, nihil ſciunt de vera Theologia.

4. Deus veram Theologiam à Theologis moderni temporis propter peccata eorum abſtulit, & eam ipſis Lulliſtis contulit.

5. Omnes doctrinæ deſtruentur, niſi doctrina Raymundi Lull, quæ perpetuo remanebit.

6. Temporibus Antichriſti Theologi apoſtatabunt à fide: & tunc Lulliſtæ ipſi per doctrinam iſtius Raymundi reducent Eccleſiam, ad fidem Catholicam.

7. Doctrina veteris teſtamenti attribuitur Deo Patri: doctrina noui teſtamenti Deo filio: doctrina Raymundi Lull Spiritui S.

8. Doctrina Raymundi Lull non poteſt haberi, nec per ſtudium, neq; per hominem, ſed tantum per Spiritus S. reuelationem.

9. Doctrina Raymundi Lull ſic ab eius ſectatoribus per Spiritus ſancti reuelationem habetur, quod in triginta, quadraginta, quinquaginta, ſexaginta horis habetur.

10. Doctrinam ipſius Raymundi Lull nullus intelligit, nec intelligere poteſt, niſi ſoli ipſi Lulliſtæ.

11. Gregorius Papa XI. qui doctrinam Raymundi Lull in viginti eius voluminibus contentam, vt hæreticalem in quadringentis articulis Auinione in Conſiſtorio condemnauit, totamq; generaliter, vt ſuſpectam vehementer de hæreſi cunctis fidelibus interdixit: ſacrum Collegium quod conſenſit: Cardinalis Oſtienſis qui Commiſſarius in illa cauſa fuit: Magiſtri in Theologia vltra viginti, qui ad condemnationem prædictam conſilium præſtiterunt, iſti doctrinam Lulli non intellexerunt, decepti ſunt, & turpiter errauerunt.

12. Raymundus prædictus eſt in cœlis beatus, & pro tali habendus à ſuis ſectatoribus & nominandus. Ad eum modum Lulliſtæ, doctrinam Raymundi, licet hæreticam & peruerſam, atq; ab Eccleſia reprobatam, totis viribus ſuſtinebant atq; defendebant: & ipſi à Sede Apoſtolica damnati. *direct. inquiſit. part. 2.*

XVI. INFORMATIO ANTE ALIQVOT

Nuper, Anno Domini 1583. porrecta eſt Congregationi S. Officii Romæ, Illuſtriſſimis Cardinalibus de Raymundo Lullo, infraſcripta informatio, quam nos ex MS. Vaticano exſcripſimus. Ita habet.

## Iudicium, ſiue cenſura, de vniuerſis cuiuſdam Raymundi Lulli operibus in generali.

ANNOS IN CONGREGAT. S. OFFICII ROMÆ DE RAYMVNDO LVLLO PORRECTA CVM CENSVRA DE VNIVERSIS EIVS OPERIBVS IN GENERALI.

De libris Raymundi Lulli, duæ potiſſimum ſunt extremæ ſententię. Quidam enim eorum, penitus abolendos cenſent, alii contra, & retinendos, & multis nominibus etiam colendos contendunt, proponentes vitam eius, & mores, & ſtudia, quæ ſummatim talia fuiſſe dicunt. Fuit Raymundus ciuis Barcinonenſis; alii Maioricenſem faciunt, profeſſione Laicus: floruit circa annos Domini 1290. qui poſtquam functus honorifice fuiſſet apud Iacobum Regem Maioricarum multis muneribus, & officiis, relictis mundi huius illecebris & fallacibus gaudiis, apud Maioricas in heremum ſeceſſit. Randa vocant eum montem Maioricenſes, vbi vitam agens heremiticam, & diuinę contemplationi deditus,

DE LVLLO NARRATIO SVMMARIA.

infinitos prope ſcripſit materno ſermone libros, cum nullas vnquam Liberales Artes, aut in publicis gymnaſiis aut priuatim didiciſſet. Ex his libris multi iam ſunt in vulgus emiſſi, plurimi apud Maioricenſes adhuc manuſcripti reperiuntur, tametſi quotidie noui prodeant in publicum, partim natiuo ſermone, partim vero latini à ſuis diſcipulis facti. Inde is Raymundus amore prædicandæ Catholicæ fidei accenſus, in Aphricam nauigauit, & apud Bugiam ab infidelibus lapidatus interiit, cuius corpus Maioricas delatum & ſepultum religioſe colitur, & velut martyr Raymundus (vt quidam tradunt) auctoritate Apoſtolica à Maioricenſib. honoratur; atq; hæc quidem de hoc homine proponunt Raymundi ſectatores, ſed de eius libris eſt grauis controuerſia, cum non pauci ſint, qui contendant eos eſſe multis errorib. hæreticalibus reſperſos.

I.

XVII. PROPOSITIONES PRO ABOLENDIS LIBRIS.

*Primum ergo proponunt Raymundi huius imperitiam. Ille enim nullas vnquam didicit bonas artes, & Grammaticam penitus ignorabat, & ob id cum ſe ad ſcribendum contulit, vulgari ſemper vſus fuit ſermone, cum neſciret linguas eas, quibus ſcripta ſunt maiori ex parte artes liberales, quare non eſt mirandum, ſi imperitus multa ſcribens, & præſertim ad mores, & ad Religionem ſpectantia, in varios lapſus ſit errores.*

II.

*Præterea in huius hominis ſcriptis nullum apparet veſtigium ordinis, vel methodi, nullum Sanctorum Patrum, Conciliorum ſacrorum, aut aliorum Catholicorum dogmatum, quib. fides ſtabilitur Catholica, & mens Catholicorum illuſtratur, quia hæc ille nec vidit, nec, ſi vidiſſet intellexiſſet, cum harum rerum eſſet imperitus. Quamobrem eius doctrina diuerſa videtur à conuerſatione communi Catholicæ Eccleſiæ, propterea præſumendum videtur, quod multis erroribus ſcateat.*

III.

*Rurſus tota huius doctrina plena eſt propriis fantaſiis, & ænigmaticis locutionibus, quas Catholica Eccleſia nunquam habuit, nec habet in vſu; tanta eſt præterea obſcuritate perplexa, quod propter hanc ſolam cauſam cæteri omnes (præter paucos eius ſectatores) eum prorſus reputent inutilem; &* Hieronymus Cardanus *de huius auctoris libris loquens aliquando dixit. Aliud genus inutilis ſubtilitatis in libris Raymundi ſpectare licet, res prorſus ridicula, omnem ſcientiam tradere velle, nullam autem noſſe.*

IV.

*Superioribus addunt alia, quæ magis ad rem accedunt, & fortius totam Raymundi doctrinam oppugnant, inter quæ ſeſe ſtatim offerunt nonnulla eius opuſcula, quæ ab homine Catholico & pio ſcribi nec potuerunt, nec debuerunt,* nam (vt ait Lucemburgus in catalogo hæreticorum, & Prateolus l. 16. c. 2. de ſectis hæreticorum), *is Raymundus librum ſcripſit de Dæmonum inuocatione. Diſcipuli eius, cum hæc iis obiiciuntur, ſolent reſpondere hæc falſo eſſe Raymundo impoſita, ſed alii dicunt hoc eſſe extremum eorum refugium.*

V.

*Scripſit præterea de Alchimia libros aliquot, quibus intelligendis, & experiendis plerique inuigilant, & ingentes exhauriunt diuitias, & plerumque ad malas artes ſe conuertunt, vt, quod opere Alchimiæ non aſſequuntur, ope Dæmonum conſequantur; Certe de his rebus ſancti Patres, qui Spiritu Dei agebantur, non ſcripſerunt, ſed eas potius, cum ſe offerebat occaſio, acriter confutarunt. Ex his, & aliis fortaſſis grauioribus nata occaſio eſt, & cauſa data, vt cum mala opera Raymundi huius audirent, apud viros ſinceros, & Catholicos, delatum negotium fuerit; iam olim videlicet circa annos Dom. 1373. ad Greg. XI. Pont. Max. Auenione tunc commorantem, vt conſtat ex eius Regeſtro, quod in Bibliotheca Vaticana aſſeruatur, nam in minori volumine anni ſecundi fol. 131. reſcriptum extat Domini Greg. Papæ ad Archiepiſcopum Tarraconenſem, quo præcipit Papa ei Archiepiſcopo, vt ſibi faciat exhiberi libros Raymundi Lulli, quibus Laici paſſim vtebantur, quoniam intellexerat multis erroribus eſſe reſperſos, quod ſi ita eſſe inuenerit, combureret, & comburi faceret. Rurſus in Regeſtro eiuſdem Domini Papæ in 2. vol. anni quarti fol. 201. extat aliud reſcriptum eiuſdem Domini Papæ directum officialibus Epiſcopi Barcinonenſis, quibus præcipit, vt per idoneum portitorem, ſeu latorem ſibi diligenter tranſmittant*



1405. *quendam librum in vulgari editum per Raymundum Lullium, in quo plurimi hæreticales errores perhibeantur contineri. Ex his duobus reſcriptis non modica oritur ſuſpicio, quod in libris huius Raymundi hæreticales errores contineantur.*

VI.

*Hæc duo reſcripta ſubſequebatur tertia extrauagans eiuſdem Domini Gregorii anno VI. cuius initium eſt,* Conſernationi paritatis, *quam refert* Eymericus in Directorio Inquiſi-

1405. torum p. 2. q. 26. *per quam vniuerſa huius Raymundi opera damnabantur & interdicebantur;* Sed quoniam Raymundi fautores eam dicunt eſſe falſam, & obreptitiam, ac ſubreptitiam de ea paulo poſt dicetur.

VII.

*His omnibus ſucceſſit Index librorum prohibitorum auctoritate Domini Pauli IV. Pont. Max. in quo vniuerſa Raymundi huius opera fuerunt prohibita, & ita ſano & ſecuro conſilio obſeruatum eſt, & adhuc obſeruatur in tota Italia, vt primum Romæ Magiſter ſacri Palatii, inde in ſingulis ciuitatibus Apoſtolici Inquiſitores & Epiſcopi retineāt libros iſtius Raymundi quocumque idiomate ſcriptos, cum ſe offert occaſio, & haberi poſſunt, nec liberam eorum legendorum tribuunt facultatem.*

VIII.

*Ad hæc non eſt incognitum ſectatores Raymundi ſæpe conatos eſſe omni diligentia, & ſtudio efficere, vt in celebribus Hiſpaniæ Academiis, veluti in Salamanticenſi & Complutenſi Raymundi iſtius doctrina legeretur, eos tamen, qui eam introducere procurabant irriſos fuiſſe, ac exploſos; videntur enim eorum Gymnaſiorum rectores, & doctores aſſerere eam doctrinam à communi via, & doctrina bonorum Theologorū & Philoſophorum eſſe alienam.*

IX.

*Addunt præterea qui hæc diligentius conſiderant, poſt tempora iſtius Raymundi celeberrima Concilia Generalia, in Eccleſia Dei eſſe celebrata, ac inter cætera Conſtantienſe, Lateranenſe ſub Iulio II. & Leone X. Pont. Max. poſtremo ſacrum Cōcilium Tridentinum, in quibus plurima fuerunt ad fidem, & bonos mores ſpectantia declarata, & aduerſus incautos, & male ſentientes hæreticos ſimul ter ſtabilita, & diuinitus conſtituta: certe tamen doctrina iſtius Raymundi nullum Patribus in his Conciliis congregatis attulit præſidium, nullam vtilitatem, nullum bonum vſum.*

X.

*Poſtremo cum vita functo Romæ Cardinale Clarauallenſi, qui congregationi Indicis librorum prohibitorum auctoritate Apoſtolica erat præfectus, in locum eius eadem auctoritate ſuffectus eſſet cardinalis Sirletus, Lulliſtarum petitio, porrecta fuit, quæ ſupplicabatur, ne Magiſter ſacri Palatii huius Raymundi libros vbique repertos, & ſibi oblatos interdiceret, re maturius conſiderata tum ab Illuſtriſſimis Cardinalibus, tum etiam ab doctiſſimis Theologis, qui ex diuerſis prouinciis in ea congregatione ſolent conuenire, iudicatum fuit, id ita referente Cardinale Sirleto, Raymundi doctrinam alienam eſſe à communi Eccleſiæ Rom. conſuetudine & conuerſatione, ex eaque (ſi permitteretur) nullam poſſe vtilitatem oriri, ingentia vero incommoda, & Reipublicæ Chriſtianæ periculoſa inde poſſe prouenire. Vnde poſtea factum eſt vt Magiſter ſacri Palatii, ſicut & antea fuerat, libros Raymundi ſupprimat, atque interdicat, quod & Romæ nunc, & in vniuerſa Italia obſeruatur.*

XVII. PROPOSITIONES EORVM QVI LVLLI OPERA APPROBANDA CENSENT.

Atque hæc quidem proponunt qui opera Raymundi abolenda cenſent, ſed qui ea retinenda & approbanda contendunt, ſequentia aſſerunt eſſe notanda.

I.

*Primum ergo obiiciunt ante oculos Raymundi ſanctitatem, de qua paulo ante dictum eſt, eiuſque inſigne martyrium extollunt, quare non ſunt veri martyris vllo pacto damnanda opera, ſed reſpondent alii aliud eſſe aliquem eſſe ſanctum, aliud vero omnem eius doctrinam eſſe ſanam.*

RESPONSIO AD PRIMAM PROPOS.

De Raymundi ſanctitate non diſputatur in hac cauſa, quamuis certum ſit eum auctoritate Apoſtolica non eſſe in numerum ſanctorum relatum, & fortaſſis etiam in hoc grauiſſime erratur ab incolis eius Inſulæ quod colant honorifice eum velut martyrem, quem Sedes Apoſtolica non approbauit, nec eſt nouum aliquos, & in vita, & poſtea in morte aliquo tempore pro ſanctis haberi, & velut tales à populis honorari; poſtea vero per diuinam prouidentiam hæreticos detegi: Nam (vt pleroſque alios omittam) Hermanus Italus, qui dicitur fuiſſe auctor hæreſis Fraticellorum multis annis apud Ferrariam pro ſancto quondam habitus eſt, & cultus; Bonifacius tamen VIII. circa annos Domini 1297. eum exhumari fecit, & comburi, vt refert *Prateolus lib. 8. cap. 11. de ſectis hæreticorum.* Idem retulit *Pegna parte 2. Directorii Inquiſitorum qu. 9. & 26. de Petro Ioanne,* qui poſt mortem habitus fuit à multis pro ſancto; ſed Dom. Ioan. Papa XXII. eum repertum hæreticum exhumari fecit, & cōburi. Et quamuis hoc gratis cōcederetur, non propterea infertur eius doctrinam nullos continere errores, cum potuerit primum Raymundus à Dæmone ludificatus errare, & deinde ſanctus euadere, (nam vt cætera exempla omittam, quæ viris doctis facile occurrere poſſunt) B. Cyprianus errauit cum Epiſcopis Aphricæ, definiendo baptizatos ab hæreticis fore rebaptizandos, cum ad Eccleſiam Catholicam reuerterentur, ſed poſtea inſigni martyrio coronatus ſalutem æternam conſequutus.

II.

*Addunt præterea Lulliſtæ Raymundi doctrinam nō fuiſſe humano ſtudio comparatam, ſed à Deo ſibi reuelatam, atque hoc certe omnes conſtantiſſime aſſeuerant, Deus autem nō eſt auctor, nec reuelator errorum.*

RESPONSIO AD SECVNDAM.

Cæterum non facile hoc admittunt, qui Raymundi opera perlegerunt dicentes ei nullo pacto conuenire cōditiones doctrinæ diuinitus reuelatæ quas recenſet B. Paulus 2. ad Thimoth. cap. 3. In hæc verba: *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiēdum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Hæc Paulus. Cum itaque in libris Raymundi non appareat aliquod veſtigium doctrinæ Sanctorum Patrum, nec Conciliorū ſacrorum, non traditionum Eccleſiaſticarum, ſed omnia fuerunt propriis fantaſiis referta, non videtur tutum, imo valde eſt periculoſum (ne dicatur etiam impium) aſſerere eius doctrinam eſſe diuinitus inſpiratam.

III.

*Commemorant rurſus fautores iſtius Raymundi multorum Hiſpaniæ Regum priuilegia, quibus conceditur facultas, vt in publicis Regnorum Aragoniæ Gymnaſiis eius doctrina perlegatur, id quod hodie Barcinone, & Maioricis obſeruatur: non eſt ergo habenda hæretica, vel ſuſpecta.*

AD TERTIAM.

Reſpondent tamen alii hæc parum vrgere, quoniam agnati, & amici & diſcipuli Raymundi poſt obitū eius, & tranſlatā Sedem Apoſtolicā Auinione Romā multa diligentia curarunt, vt in gymnaſiis Cataloniæ, & Valentiæ aliquod eius hominis opus legeretur: ſalarium vero magiſtris perlegentibus primum iidem agnati miniſtrabant, vel gratis diſcipuli Raymundi in legēdi onus ſubibant, vt ſic paulatim introduceretur hæc tam ab ipſis amata doctrina; iidem ipſi agnati Raymundi poſtea obtinuerunt à diuerſis Regibus, vt liceret eorum auctoritate hanc doctrinam legi in hiſce gymnaſiis, ſed hæc omnia inſcio Pontifice Romano gerebantur,

tur, ad quem ſpectat ſanas doctrinas comprobare. Cæterum ſemper hoc prouidit miſericors Deus, vt in iiſdem gymnaſiis pauciſſimi id genus ſtudii profiterẽtur, quod experientia quotidiana ſatis demonſtrat.

IV.

*His omnibus accedit illud, in quo fautores Lulli multum confidunt videlicet inſtrumentum publicum, quod in Archiuio Barcinonenſi aſſeruatur. In hoc inſtrumento hæc in ſumma continentur. Poſt obitum Eymerici auctoris Directorii Inquiſitorum, quidam Cardinalis Legatus S. ſedis Apoſtolicæ, Barcinone iter agebat, Raymundi iſtius agnati & amici, & diſcipului ſupplicem libellum ei porrigentes petiuerunt, vt liceret ipſis inquirere & inueſtigare quidquid opportunum videbatur ad Raymundum defendendum, & ad eius doctrinam comprobandam, & ad reiiciendum quidquid in contrariũ opponi poterat. Is Legatus gratis eorum petitioni annuit, illi protinus deſiderato operi ſe accingentes, primum Auinione quærendã curant extrauagantem Gregorii XI. per quam dixerat Eymericus omnia Raymundi opera condẽnari, & relatum fuit eam in Regiſtro eius Pontificis non reperiri, & propterea ſcribi faciunt in eo Inſtrumento eam eſſe confictam itẽ obreptitiam, & ſubreptitiam, & ab Eymerico inuidiæ ſtimulis in Raymundum exagitato compactam. Inde congregant aliquot Theologos Raymundi etiam fautores, & Fratres Franciſcanos, qui poſtquam diſcuſſerunt cauſam in quodam Franciſcanorum Monaſterio, declararunt F. Eymericũ Dominicanum non intellexiſſe eas propoſitiones, quas Raymundo tribuit, & pleraſq; alias in eius libris non reperiri.* Hæc eſt ſumma eius inſtrumenti.

*Ad quartã.* Alii vero reſpondent primum in re tanti momenti, & in qua vertebantur multæ propoſitiones ad fidem ſpectantes non potuiſſe eum Legatum auctoritatem ſuam interponere, cum ad Romanum ſolum Pontificem ſpectet grauiores cauſas, qualis fuit iſta, declarare. Rurſus dicunt totum eius Inſtrumenti tractatum eſſe ſuſpectum, quoniam à Theologis contrariæ factionis res fuit geſta, & declarata. Item ab his, quos Raymundi agnati & amici diligenter conquiſiuerunt, vt ſui deſiderii finem conſequerentur. Quantum attinet ad extrauagantem, quam dicunt in Regiſto Papæ non reperiri, de ea mox dicetur; quare licet Inſtrumentum ſit publicum, factum fuit tamen de re, & actu penitus inualido, quem declarare non ſpectabat ad eos Iudices (vt manifeſtum eſt.)

V.

*Rurſus dicunt Lulliſtæ Nicolaum Eymericum propter eam calumniam fuiſſe in exilium miſſum, & officio priuatum.*

*Ad quintã.* Sed alii hoc fabuloſum putãt, & quamuis admittatur fuiſſe officio priuatũ, id cõtigiſſe ob alias cauſas; nec eſt nouum aut inſolitum, Inquiſitores hæreticæ prauitatis multis periculis eſſe expoſitos, cum multos habeant inimicos, ſi depoſitus fuit, honorifice quoque reſtitutus fuit. Auditum quoque eſt eum inter Beatos Ordinis Dominicani recenſeri.

VI.

*Dicunt præterea multam vim habere pro Raymundo quod cõmemorat Viletta Canonicus Barcinonenſis Lulliſta ſtrenuus in præfatione artis paruæ ipſius Raymundi quam non ante multos annos impreſſit videlicet ſe interfuiſſe Tridentino Concilio, & nomine agnatorum Raymundi petiuiſſe ab ipſo Concilio, vt iuberet eius opera recognoſci, atq; perpendi, quod cum impetratum eſſet, Concilium ad id deputauit pleroſq; illuſtres Theologos, qui ea opera & recognouerunt, & comprobarunt.*

*Ad ſextã.* Non negant alii actum fuiſſe in Concilio de pleriſque libris quid agendum foret: veluti de libris 3. ii & ſimilibus, quos poſtea Romæ examinari indies, & perpendi certum eſt: hoc tamen incertum eſt quod Theologi illi à Concilio deputati, opera Raymundi cõprobauerint, neq; de eo facto certo conſtat; non enim poterant comprobare quod non viderant, cum Lulliſtæ dicant multos adhuc libros nondum in lucem emiſſos, Maioricis cuſtodiri; ſane illos nec videre, nec comprobare potuerunt. De cæteris non videtur potuiſſe fieri auctoritate Concilii tam præceps iudicium, nec factum fuiſſe apparet.

VII.

*Sed quod nunc ſequitur, conſideratione dignum eſt: videlicet Inquiſitores Hiſpaniæ, qui diligenter tractant fidei cauſas, & remouent obſtantia, nondum cauerunt aliquo dicto, vt Raymundi iſtius opera prohiberentur: non ergo videntur hæretica, vel ſuſpecta.*

*Ad ſeptimã.* Reſpondebunt huic obiectioni qui aliam ſententiam fore ſequendam, vt magis tutam exiſtimant, hoc potuiſſe contingere ex multis cauſis. Primum quia fortaſſis hæc ex defectu delatorum, ſeu denunciatorum non aduerterunt. Item quia cum, vt plurimum, legantur hæc opera à tribus hominum generibus, videlicet à Lulliſtis, ab Alchymiſtis, & à Plebeis Laicis hominibus, duo priores nempe Lulliſtæ & Alchymiſtæ etiamſi inueniant errores, non detegunt, quoniam auctorem amantes, in bonam fortaſſis partem interpretantur eius dicta: Plebei vero non intelligentes errores ſi qui ſunt, eos non deferunt ad Iudices fidei, & propterea Inquiſitores Hiſpaniæ nondum curarunt de Raymundo. Item non curarunt, quia videbant ipſius libros viuere ſub bona fide, intelligentes publice fieri Lulliſtarum certamina in publicis gymnaſiorum diſputationibus, ex aliis etiam cauſis id potuit prouenire quod ſuperiores Iudices maturius conſiderabunt.

VIII.

*Poſſet item addi pro Raymundo & eius fautoribus ſequens cõſideratio, videlicet, quod Alphonſus Caſtro acer hæreticorum impugnator cum diligenter recenſeat omnium hæreticorum & nomina, & cognomina, & hæreſes, huius tamen Raymundi non videtur meminiſſe, quod nullo pacto foret omiſſurus, ſi eum hæreticum, aut eius opera in fide ſuſpecta eſſe crediſſet.*

*Ad octauã.* Alii huic coniecturæ facile reſpondent dicentes eum vel neglexiſſe vt hominem imperitum, vel non reuocaſſe ad memoriam, cum vtique in Regnis Caſtellæ pauci cognoſcant Raymundum, vel eius doctrinam ſciant, vel denique omiſiſſe ſicut & multos alios hæreticos; & hæretica dogmata, vt docet Feuardentius Minorita, qui multa ab Alphonſo relicta ſuppleuit, qui etiam de hoc Raymundo non meminit, quoniam fortaſſis eum hominem non dignatur in ſuis ſcriptis recenſere.

IX.

*Recenſent præterea Lulliſtæ multorum teſtimonium, qui miris modis & Raymundi ſanctitatem, & eius doctrinam extollunt, inter quos eſt Arnoldus Albertinus Maioricenſis, qui in poſtremis verbis repetitionis Rubricæ de hæreticis lib. 6. ait Raymundum potius catalogo Martyrum, quam hæreticorum fore adſcribẽdum, & articulos, qui ei adſcribuntur, temerarie fuiſſe ei impoſitos, & multa in hanc ſententiam recenſet, quæ tamen omnia ad hæc duo capita, quæ dicta ſunt referuntur.*

*Ad nonam.* Cæterum his reſpondent alii, non eſſe ſtandum teſtimonio diſcipulorum eius, nec Doctorum, aut ciuiũ Maioricenſium, qui pro Magiſtro, & conciue pugnant.

X.

*Poſtremo loco hic adducitur pro Raymundo, quod Lulliſtæ in primo loco ponunt, videlicet falſum eſſe quod refert Eymericus in Directorio Inquiſitorum parte 2. quæſt. 26. de condemnatione facta per dom. Greg. Pap. XI. de vniuerſis Raymundi operibus, aſſerentes illam extrauagantem, cuius initium eſt, Conſeruationi puritatis, ab Eymerico eſſe confictam contra Raymundũ, cui plurimũ inuidebat, potiſſima ratio eorũ eſt, quoniã in Regiſtro*

*Domi-*



*Domini Greg. non reperitur talis extrauagans, quare nunquam facta fuit, & quia in hoc eſt magna difficultas, & agitur de iudicio Sedis Apoſtolicæ retractando, vel inconcuſſo retinendo, propterea diligenter hoc declarandum eſt, ac primum dicendum eſt.*

*Ad decimũ.* REFVTATIO PRIMA. Verum quidem eſt quod illa extrauagans non reperitur in Regiſtro B. Greg. XI. quia Regiſtrum eius anni non reperitur, pro quo obſeruandum eſt diligenter, quod illa extrauagens dicitur eſſe facta anno 6. Pontificatus Sanctiſſimi Domini Gregorii XI. Deinde notandum eſt quod Regiſtrum Domini Greg. XI. quod Auenione factum eſt in hunc modum erat ordinatum. NOTABILE PRO REGISTRO ANNI VI. PONTIF. GREGO. XI. AVENIONE FACTO ET DEPERDITO. Nam de ſingulis annis fiunt aliquot volumina, videlicet vt plurimum, tria, & in his voluminibus, ſcilicet in duobus ſcribuntur litteræ Apoſtolicæ ſecretæ, & omnia concernentia ſtatum publicum, & hæc duo volumina ſunt cum magna diligẽtia ſcripta: in vno vero ſolo volumine non cum tanta diligentia ſcripto, ſicut alia ponuntur priuilegia, indulta & diſpenſationes, quæ maiori ex parte reſpiciunt facta, & cauſas priuatarum perſonarum; in anno autem ſexto deſunt illa volumina, quæ continent literas Apoſtolicas concernentes cauſas communes, & ſtatum communem Reipublicæ, & ſolum reperitur tertium illud volumen de indultis & priuilegiis, & diſpenſationibus, quæ perſonas priuatas concernunt. An autem caſu, vel malitia perdita ſint illa volumina anni ſexti Auenione, poſtquam Sedes Apoſtolica Romam translata fuit, ſub coniectura relinquitur. In illis autem voluminibus anni ſexti perditis, inſerta fortaſſis erat extrauagans condemnatoria operum Raymundi, prout veriſimile eſt ex multis coniecturis iam antea relatis: ea vero nunc propterea non reperitur in dicto Regiſtro, quia Regiſtrum ipſum eius anni non habetur, atq; hæc patent clarius ex re ipſa, id eſt, ex oculari inſpectione prædictorum librorum.

Deinde quanquam Regiſtrum ipſum reperiretur, nec ibi eſſet inſerta ea extrauagans, adhuc non eſſet facile contemnenda, SECVNDA REFVTATIO. cum non ſit hæc bona ratio argumentandi: hoc non reperitur in aliquo loco authentico, ergo non eſt authenticum, & ſimili argumentandi genere noſtri ſæculi vtuntur hæretici, dum contra Sacramenta, ritus Eccleſiæ Catholicæ, & Eccleſiaſticas traditiones impie agunt, quæ omnia, & pleraque alia propterea damnanda cenſent, quoniam in ſacro Euangelicorum cõtextu non reperiuntur, & ſimili argumẽtandi genere iam tum vtebantur qui Epiſtolas Pontificum decretales reiiciebant, vt patet *in c. ſi Romanorum 19. diſt.* Iam ſi occaſio ea ratione cuiq; præberetur ad reiiciendum quod ſibi liberet, facile in dubium reuocarentur, aut omnia, aut plurima Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis ſtatuta, & definitiones, quod Gelaſius primus Pontifex Rom. epiſtola quadam ad Epiſcopos Dardaniæ faciendum prohibet in hæc verba: *Quæ maiores noſtri Diuina inſpiratione cernentes, neceſſarie præcauerunt, vt quod contra vnamquamq; hæreſim coacta ſemel Synodus pro fide, communione, & veritate, Catholica atq; Apoſtolica promulgaſſet, non ſinerent poſt hæc nouis retractationibus mutilari, ne prauis occaſio præberetur, quæ medicinaliter fuerant ſtatuta pulſandi,* hæc ibi, Eadem quoque ratione reuocari poſſet in dubium an prohibiti cenſeri debeant & apocryphi libri illi, quos decreto ſuo Gelaſius Papa Primus Romæ circa annum Dom. 496. condemnauit, qui referuntur *in c. Sancta Romana 15. diſt.* Eadem ſcil. ratione poſſet dubitari, an prohibiti & apocryphi cenſendi forẽt, quoniam non reperitur authenticum ipſum, ſeu originale Gelaſii Pont. decretum, ſed neminem Catholicum credendum eſt ita fore dicturum, prout in ſimili cauſa latiſſime continetur, *in c. ſi Romanorum 19. diſt.*

Tandem quamuis libere concedatur non reperiri TERTIA. eam extrauagantem, nec habere vim, cum eius auctoritas dicatur incerta, & reuocetur in dubium, & propterea non conſtet clare & aperte de cõdemnatione operum iſtius Raymundi, nihilominus non conſtat de cõtrario, videlicet de abſolutione, ſeu de operum approbatione, remanent autem adhuc viua & certiſſima indicia, & ſuſpiciones, quod in eius libris reperiantur quamplurimi hæreticales errores, quæ indicia deſumuntur ex duobus illis authenticis reſcriptis Domini Greg. XI. anni ſecundi, & anni quarti, quorum paulo ante mentio facta eſt, *ex Indice librorum prohibitorum Pauli IV.* vbi hæc opera prohibentur, qua re diligentius perſpecta, ſecuriſſimum foret (ne dicatur,) neceſſarium ordinare nunc, & præcipue id ipſum quod D. Greg. XI. ſuo tempore ordinauit, videlicet quod libri omnes iſtius Raymundi ſupprimantur, nec permittantur legi, donec diligens fiat inquiſitio, & inſpectio an in eis vel errores illi, quos recẽſet Eymericus, vel alii ſimiles, vel maiores contineantur, nec in hoc videtur immorandũ. Nam ſi diutius in hac cauſa tardetur, doctrina, & lectio talium librorum poſſet plurimum officere, quanquam fortaſſis plurimum iam nocuit, nec in hoc eſſet aliquid de nouo ſtatuere, ſed ſolum exequi, quod iam olim per D. Gregorium fuit ſalubriter ſtatutum, quod cum propter temporum longa interualla iam fere obliuioni eſſet traditum, nunc (Deo fauente) detectum eſt; propterea fortaſſis ne ex ipſis, & in ipſis Catholicis Prouinciis oriantur, qui eas aliquo errore inficiant, poſtquam ab exteris nationibus ob prouidam Apoſtolicorum Inquiſitorum diligentiam infici non poſſunt, in quo eſt diligentiſſime vigilandum prouidendumque, videtur & omnino iubendum, vt omnia illa volumina Romam transferantur, illa inquam quæ natiuo ſunt ſermone conſcripta, nam alia præſumi poſſunt à diſcipulis corrupta, vt auferrent eos errores, quos Eymericus, & alii adnotarunt, traderenturque Magiſtro ſacri Palatii, vel aliis per ſanctiſſ. Dom. Papam, aut per Illuſtriſſimos Cardinales Inquiſitores in vniuerſa Republica Chriſtiana deputarẽt, qui lectis diligenter illis libris, & præſertim eis, quos nominatim recenſet Eymericus velut damnatos, & habita virorum doctorum Congregatione, tandem referrent quid in hac cauſa concludendum videretur, ne amplius ſimiles quæſtiones de ea re in Regnis Chriſtianorum orirentur poſtquam hæc ſcripta fuiſſent. Illuſtriſſimi DD. Cardd. Inquiſitores admonente Franciſco Pegna, qui credebat Auinione deliteſcere aliquot volumina Regiſtri Greg. XI. ad Illuſtriſſimum dominũ Cardinalem Armaniacum Auinionenſem Legatum ſcripſerũt anno (vt creditur) 1583. aut initio anni 1584. qui cum inueſtigari iuſſiſſet loca, in quibus olim fuerant libri Sedis Apoſtolicę, duo volumina Regiſtri inuenit, eaque Romam per Nuntium Apoſtolicum apud Ducem Sabaudiæ commorantem deſtinauit mittere. Ea volumina male affecta erant, & in multis locis lacera deerant pleriſque in locis aliquot folia, in quibus poterat eſſe illa extrauagans, quam Eymericus recitauit, quam Lulliſtæ aiunt fuiſſe confictam.

Ex his omnibus illud penitus conſequitur, quod paulo ante obſeruatum eſt, videlicet oportere, vt nunc opera ipſa Raymundi Lulli diligenti, ac acri cenſura animaduerſa diſcutiantur.

GREGORIVS PAPA XI. XIX. Data anno Domini 1372.
Scribit D. Papa Archiepiſcopo Tarraconenſi ſuper Libris Raym. Lulli.

GREGORIVS EPISCOPVS SERuus Seruorum Dei Ven. Fratri Archiepiſcopo Tarraconenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*NVper dilecto filio Nicolao Eymerici Ord. Fratrum Prædicatorum profeſſore Magiſtro in Theologia in partibus Aragoniæ Inquiſitore hæreticæ prauitatis nobis referente percepimus quod in partibus illis nonnulli Laici quamplures libros habent in vulgari per Raymũdum Lull. ciuem Maioricenſem compoſitos, in* *Vide Comment. in directorio inquiſit. part. 2. ſuper q. 26. circa finem.*

*qui-*

*quibus, vt idem Inquiſito. videtur aſſerere, errores quamplurimi in fide continentur. Nos igitur in præmiſſis prout ex debito tenemur Paſtoralis officii, prouidere volentes fraternitati tuæ, de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus quatenus huiuſmodi libros per quoſcumque habeantur, ſeu detineantur, tibi facias exhiberi, & ſi per tuam, ac dicti Inquiſitoris & aliorum Magiſtrorum in Theologica facultate, & Iuriſperitorum, quos propterea coram te euoces, repereris quod præfati libri errores in fide contineant, eoſdem libros comburas, & comburi facias, atq; mandes, inuocato ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſecularis contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia Iuris remedia, de quibus videbitur appellatione poſtpoſita compeſcendo, non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis de vna, & de duabus dietis, & aliis contrariis quibuſcumque, ſeu ſi eidem Raymundo, vel quibuſuis aliter, communiter, vel diuiſim à Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra vel vltra certa loca ad iudicium euocari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenã & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.* Datum apud Pontem Sorgiæ Auenionenſis diœceſis Nono Iunii Anno ſecundo.

XX.

## GREGORIVS PAPA XI. Scribit officialibus Epiſcopi Barcinenſis ſuper quodam Lulli libro.

Data anno Domini 1374.

GREGORIVS EPISCOPVS *Seruus Seruorum Dei dilectis filiis Franciſco Borele Priori Prioratus Eccleſiæ S. Eulaliæ de Campo, & Petro de S. Amantio Hoſpitalario Dartuſæ officialibus venerabilis Fratris noſtri Barcinonenſ. Epiſcopi ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

Vide comment. in direct. Inq. p. 2. ſuper q. 26. circa finem.

*AD audientiam noſtram fide digna relatione perducto quod dilectus filius Franciſcus Vitalis præfati Epiſcopi Notarius quendam librum Raymundi Lulli in pergamenis, & vulgari Cathalanico ſcriptum, aſſignatum eidem Franciſco in cuſtodiam per vos, & dilectum filium Nicolaum Eymerici Ordinis Prædicatorum Profeſſorem Inquiſitorem hæreticæ prauitatis, in quo errores ſcripti plurimi perhibentur, apud ſe habet, Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſtatim, viſis præſentibus, abſque alicuius moræ diſpendio præfatum librum ad manus veſtras receptum, ad nos per fidelem & idoneum portitorem mittere procuretis. Cauete ne vllam in his committatis negligentiam, vel defectum. Datum apud Villam-nouam Auenionenſis diœceſis Cal. Octobris Anno Quarto.*

XXI. LIBRI RAYMVNDI LVLLI QVI A PAVCO TEMPORE ROMAM ABLATI FVERVNT.

Hæc in materia doctrinæ Lullianę, coram ſacra congregatione ſanctiſſimæ Inquiſitionis Romanæ, Illuſtriſſimis S. R. E. Cardinalibus, cum ante annos triginti producta eſſent, & noſtro hoc tempore, Petrus Aragonius S. R. E. Cardinalis nomine eiuſdem S. Congregationis, datis ad Maioricenſes An. Domini 1612. die 14. Septembris litteris, vt libri Raymundi Lulli Romã cognoſcendi mitterentur imperaſſet: tandem aliquos eorum ſecum detulit adm. R. P. F. Ioannes Baptiſta--- Maioricen. Inſtitutum S. Franciſci eorum qui de obſeruantia vocantur profeſſus, à quo, & vitam Raymundi Lulli, Hiſpano ſermone, à Ioanne Segui, Pœnitentiario & Canonico Maioricen. ſcriptam, Maioricæque apud Gabrielem Guaſp. An. 1606. excuſam, & inſtrumentum examinis ac ſententiæ reſcindentis attentata per quoſcunque, occaſione bullæ Gregorii XI. contra doctrinam Lulli, cum multis aliis & memoriale Collationis 100. articulorum Lullianorum, ab Eymerico compilatorum, cum libris Raymundi Lulli factæ, & S. officio exhibita habuimus.

XXII. LIBER LVLLI DE SE. CRETIS NATVRÆ SEV QVINTÆ ESSENTIÆ.

Quod ad opera Raymundi attinet, extat vnum ex illis, titulo *de ſecretis naturæ, ſeu quintæ eſſentiæ.* Vidimus tria exemplaria illius, in Bibliotheca Vaticana. Vnum eſt manuſcriptum antiquiſſimum, adeo vt vix legi poſſit: numero 4093. Alia duo ſunt typis commiſſa diuerſis: alterum quidem cum libro Conſiliorum Iohannis Matthæi de Gradi Mediolanen. in folio. Venetiis apud Gregorium Arriuabenum, impenſis Octauiani Scoti, Anno Domini 1514. numero 1594. alterum vero in 8. Argentorati apud Balthaſarum Becle Anno Domini 1541. numero 4025. Contulimus quam diligentiſſime vnum alteri, & reperimus omnia inter ſe diuerſa: adeo, vt etiam principium libri ſeu præfatio quæ in Veneto eſt, in aliis non eadem ſit. Namque in Veneto conqueritur Raymundus, quod *contriſtatus eſſet, & non modica deſolatione repletus, quoniam tanto tẽpore laborauerat, vt ſua per terrarũ orbem diſpergeretur doctrina, & inde modicum effectum conſecutus fuerat: & etiam quia videret, quod ab his à quibus honorari debebat, deridebatur, & deducebant ipſum in ridiculum & ſibillum. Et quia etiam videbat quod Romana Eccleſia de ſua cura & ſententiis, & poſtulationibus minime curauerat, taliter quod finis propter quem erant exhibita minime ſequebatur. Et Ideo ingreſſus deſertum mœſtus & voce alta acclamare cœpit: Debeone ferre labores, & anguſtias, & tribulationes, propter artem & ſcientiam quam ipſe exhibui? Eo quia reputabatur tamquam ſtultus & phãtaſticus, & ſic lamẽtabatur, & vlulatu magno nauſeabat anima eius.* In eodẽ prologo introducit Raymundus, fratrem quemdam Oratorii S. Benedicti, qui cauſa mœroris cognita, illum induceret, ad eum librum de ſecretis naturæ ſcribendum: cui diceret iſta Raymundus: *Viginti ſeptem anni ſunt, quibus non ceſſo laborare, & lecturas materiei diuerſimodæ componere, ſed tam modicos Chriſti famulos comperio, quod iam nauſeat anima mea ſuper tanto labore ſine vtilitate. Librum tamen quem dicis, tibi componam: iuxta cuius doctrinam non ſolum corpora humana miraculoſe ſanabuntur, ſed etiam ipſa metalla imperfecta in purum aurum & argentum conuertentur.* Hæc ipſe Raymundus in eo opere. Fere eadem habet in prologo operis cui titulus: *Arbor ſcientiarum*, & eſt in Bibliotheca Vaticana MS. antiquiſſimus, numero 3468. Ita incipit.

XXIII. CONTENTA IN PROLOGO LIBRI CVI ARBOR SCIENTIARVM TITVLVS INDITVS A LVLLO COMPOSITO.

*In deſolatione & fletibus ſtetit Raymundus ſub quadam arbore pulchra, & ſuam deſolationem cantauit, vt modicum ſuum alleuiaret dolorem, quem habuit, quia negotium ſecundum Ieſu Chriſti, & totius Chriſtianitatis publicam vtilitatem in curia Romana non potuit obtinere. Dum ita ſtaret deſolatus in quadam pulchra valle pluribus fontibus & arboribus pulchris abundoſa, quidam Monachus veniebat, qui Raymundum cantare audiebat: & quia cantus ille erat doloroſus, & pius, ſequendo vocem vſque ad locum vbi ſtabat Raymundus & per habitum quem portauit, & per magnam barbam quam Raymundus habuit exiſtimauit quod eſſet aliquis religioſus extraneæ nationis, & dixit hæc verba: Amice quid habetis quare plangitis? Nomen veſtrum ſi placet, mihi dicatis, & in qua terra natus eſtis, quoniam ſi vos in aliquo iuuare poſſem, libenter meum poſſe facerem; quia videtur mihi vos multum eſſe deſolatum: & vellem vos eſſe in conſolatione: & quod cõſolationem in noſtro creatore haberetis, contemnendo & obliuiſcendo vitam breuem huius mundi. Reſpondit ei Raymundus, & dixit ei nomen ſuum, & magnam partem ſui ſtatus ei retulit. Multum placuit Monacho; quia Raymundum inuenit, cui dixit, quod diu ipſum quæſiuit, vt vnum librum componeret ad omnes ſciẽtias generaliter, qui leuiter intelligi poſſit: & per quem res ſua generalis quam compoſuerat facilius intelligi poſſit, quia nimis ſubtilis videretur ad intelligendum, & etiam, quia cæteræ ſcientiæ, quas antiqui ſapientes inuenerant, ita ſint difficiles, & ita longũ tempus requirunt, quod & difficile aliquis poteſt ad finem debitum deuenire, & etiam plura dubia ſunt, quæ quidam ſapientum contra alios habent ſapientes. Quare rogauit ipſum, quod vnum librum faceret generalem, qui ad alias ſcientias intelligendas iuuaret, quoniam intellectus confuſus periculum magnum, & magnæ deuotionis priuationem ad honorandum Deum cognoſcendum, amandum & ſeruiendum, & proximo ſuo ſalutem procurandam apportat. Reſpondit Raymundus: Domine, diu laboraui ad veritatem inueſtigandam, & per vnum modum, & per alium: ac per gratiam Dei ad finem & cognitionem veritatis deueni, quoniam ſcire tantum deſideraui. Et quæ in libris meis poſui, & etiam ſum deſolatus: quoniam id pro quo an-*





*nis XXX. laboraui ad finem deducere non potui. Item quia libri mei modicum appreciantur. Et dico vobis, quod plures me tenent pro fatuo, quod de huiuſmodi negotio me intromitto. Propter quod voluntatem non habeo, nec illum librum pro quo me rogatis, nec alium facere ſiue componere, imo in mea triſtitia deſolatus volo remanere, quoniam Dominus Ieſus Chriſtus tam paucos amatores habet in hoc mundo, & ad Saracenos redire propono ad proteſtandum & offerendum illis noſtræ fidei veritatem, & ad faciendum ei honorem ſecundum quod potero. Raymundo dixit Monachus, Faciatis hunc librum, & taliter faciatis, per quod homo veſtram intentionem cognoſcat: & quod de ſtultitia quam quidam vobis opponunt, quia nec vos nec libros veſtros agnoſcũt, ſitis excuſatus: & vt per hunc cæteri libri veſtri apprecientur maxime.* Tandem poſt multa Raymundus dixit: *Habeo voluntatem illum librum faciendi, de quo me rogatis.* Hæc Raymundus in prologo libri, *Arboris ſcientiarum*; adeo conſone ad prologum libri *de ſecretis naturæ*, vt nec lac lacti, nec ouum ouo ſimilius ſit.

XXIV. IVDICIVM IMPVGNATORVM DOCTRINÆ LVLLIANÆ DE EIVS LIBRIS.

Quæ tamen lamentationes & væ, quod in aliis exemplaribus non inueniantur, inque pluribus aliis, libri, libris iiſdem non ſint conformes, in ea ſententia iubent eſſe Raymundianę doctrinę impugnatores, quod Lulliſtæ honoris Magiſtri cupientes, Raymundi opera, etiam Gregorio Vndecimo viuente (quod Eymericus olim demonſtrauit) vitiauerint: ac vitiata detractis, & immutatis pleriſq; pro ipſis ipſiſſimis Sedi Apoſtolicæ repræſentarint: vnde Nicolao Eymerico negotiũ faceſſerent. Ex hac ipſa obſeruatione facile poſſe reſponderi putãt, ad *Memoriale collationis* 100. *articulorum Lullianorum*, oblatum ſacræ congregationi hoc ipſo anno 1617. quo hæc ſcribimus: & ad *Inſtrumentum ſententiæ reſcindentis attentata cont. Lullum*, factum olim Anno Domini 1419. ſecundo Calendas Martii, Barcinonæ, ex actis Bernardi Epiſcopi Caſtellani, Commiſſarii ab Alamano tit. S. Euſebii Cardinalis, in Aragoniæ, Valentiæ, & Nauarrę Regnis, ac Maioricarum, & Minoricarum inſulis Legato inſtituti: vbi Lulliſtæ oſtendere conantur, hæreſes & errores à Nicolao Eymerico in Lulli libris repertos, in eiſdem non reperiri, quod iidem Lulliſtæ eadem opera Raymundi deprauarint, neceſſitatemq; ſibi impoſuerint, vel originalia, vel antiquiora exemplaria producendi: quæ ſi cum aliis ſiue manuſcriptis, ſiue impreſſis conferantur, neſcio an non varia inuenientur. Ex eadem obſeruatione, non difficile, etiam in hunc ſenſum adducuntur, vt exiſtiment vitam Raymundi Lulli Hiſpano idiomate typis vulgatam alicuius otioſi hominis cõmentum eſſe. Enimuero, ſi verum eſt quod & Carolus Bouillus in vita Lulli, & ipſe Raymũdus Lullus non ſemel fatetur, quod XXVII. vel quod ãplius eſt XXX. annos integros in propagatione doctrinæ laborans, ab omnibus tamen, & præſertim ab his à quibus honorari debebat, & præſertim à Romana Eccleſia, deridebatur & pro ſtulto ac fatuo reputabatur: & parum proficiebat, & modicũ effectũ cõſequebatur: quomodo verum eſt, quod auctor vitæ iſtius Hiſpano ſermone ſcriptæ aſſerit, quod & Vniuerſitas Pariſien. à ſuffragio 40. Profeſſorum & Rex Galliarum Philippus deplomate dato, & Ioannes Duns Scotus voce publica, & Iacobus Conquiſitor Rex Aragonum, ſententia Regia & non nemo Doctorum, doctrinam Lulli viuentis ac docentis probauerint? maxime, quod & Carolus Bouillus ſcripſerit, Philippum necquicquam Raymundo Lullo conceſſiſſe; & Ioannes Duns Scotus ſiue anno 1308. ſiue 1294. Vt alii volunt, in viuis eſſe deſierit, neq; anno 1309. quod iſte auctor ſcribit, Lullum alloqui aut videre potuerit: & vniuerſitas Pariſienſis, Romanæ Eccleſiæ obſeruantiſſima, à Clemẽtis Quinti, & aliorum Pontificum ſententia, neſcio an deſciſcere voluerit: & Iacobo Rege Aragonum anno 1276. vita functo, Raymundus vix quicquam aut ſcripſerit aut docuerit.

XXV. RATIONES QVIB. ANTILVLLIS TÆ VERITATEM EIVS VITÆ IN DVBIVM VOCANT.

Quod vitam *Raymundi Lulli à Ioanne Segui Canonico Maioricano*, idiomate Hiſpano typis vulgatam, attinet, contra eam Antilulliſtæ opponunt. 1. quod auctor, poſt annos fere quadringentos à morte Lulli, eam proprio ingenio compoſuit, neq; eam ex authographo aliquo olim ſcripto, & authentice examinato produxit. 2. quod nonniſi vnius Petri Enſennatii Canonici, Maioricani, Lulliſtæ, cenſuræ eam ſubiecit: neq; eam authoritate & teſtimonio iuridico comprobauit. 3. quod Lulliſta de Lullo, diſcipulus & ſubſequa de Magiſtro & præductore ſcripſit. 4. quod de Lullo, in multis à Carolo Bouillo, (qui etiam vitam eiuſdem Lulli Latino idiomate vulgauit) diſſentit: imo etiam ab ipſiſſimis narrationibus ipſius Lulli diſcedit, aliudque quam Lullus de ſeipſo fatetur, de ſuo præceptore enunciat. 5. quod à Romana Eccleſia probatam Lulli vitam ac doctrinam, (cum tamen ſecundum Lulli ipſius confeſſionem, ipſo etiam viuente improbata fuerit,) affirmat. 6. quod Scotum, anno Domini 1309. probaſſe Lulli ſcientiam aſſerat: cum tamẽ Ioannes Duns Scotus, vel anno 1294. vel 1308, ex humanis abierit. 7. quod nullus veterum claſſicorum hiſtoricorum, qui de rebus Hiſpaniarum eo tempore quo Raymundus Lullus vixit, aut in viuis eſſe deſiit, accurate ſcripſerunt, nulluſq; Minoritanorum, qui annales Religionis Franciſcanæ condiderunt, Raymundi Lulli, quaſi is inſigni ſiue ſanctitate, & apparitionum, reuelationum, cœleſtiſque ſcientiæ diuinitus infuſæ gloria, denique & martyrii prærogatiua & cultu perpetuo apud populos Maioricanos illuſtris fuerit, meminit. 8. quod Lulliſtæ, id quod de cultu Lulli, quaſi is authoritate Apoſtolica vel decretus, vel toleratus, vel receptus probatuſque ſit aſſerunt, nunquam poſſunt probare.

XXVI. CONTENTA IN INSTRVM. SENTENT. RESCINDENTIS ATTENTATA VIGORE BVLLÆ GREG. XI. CONTRA DOCTRINAM LVLLI QVIBVS SE LVLLISTÆ TVENTVR.

Quod Inſtrumentũ ſententiæ reſcindentis attentata per quoſcumque, auctoritate Bullę Gregorii XI. contra doctrinam Raymundi Lulli attinet, hæc in eo continentur.

*Alamanus tituli S. Euſebii presbyter Cardinalis, in Aragoniæ, Valentiæ, & Nauarræ Regnis, ac Maioricarum & Minoricarum inſulis, Apoſtolicæ Sedis à Martino Quinto Legatus, Pontificatus eius anno ſecundo, à natiuitate vero Domini 1419. Barcinonæ 2. Calend. Martii, ad inſtantiam conſanguineorum & amicorum Lulli Bernardo Epiſcopo Caſtellano, vt ſi quid à Nicolao Eymerico inquiſitore Aragoniæ, contra Raymundum Lullum, vigore Gregorianæ bullæ, fictitie & temere attentatum fuiſſet, in ſtatum priſtinum reuocaret, totumque nullum, & caſſum, ac irritũ, authoritate Apoſtolica declararet, committebat. Porro coram Bernardo Commiſſario, dicti conſanguinei & amici Raymundi Lulli, infraſcripta, contra bullam Gregorii XI. proponebant. 1. quod non eſſet ex ſtylo Curiæ. 2. quod non eſſet Iuri conformis. 3. quod falſa Latinitate vitiata. 4. quod in regeſto Gregorii XI. non reperiretur: quemadmodum ex commiſſione Leonardi, tituli S. Sixti presbyteri Cardinalis, Apoſtolicarum litterarum regeſtratores Ioannes à Bonis, ac Bernardus Fortis, & Ioannes Ludouicus Notarius Cameræ Apoſtolicæ, qui ſcrutati fuerant, anno Domini 1395. die X. Iulii teſtabantur. 5. quod falſitati inniteretur, eo quod 100. articuli erronei & hæreticales Raymundo Lullo à Nicolao Eymerico attributi, in eiuſdem Lulli operibus non extarent: & loca librorum ex quibus extracti fuerant, fuiſſent ab Eymerico vitiata, & articuli malitioſe cum falſitate abſtracti, ſeu tranſlati: & modo per additionem, modo per abſtractionem, modo per mutationem intentionis Lulli, modo per poſitionem truncatam verborum hæreſi maculatis quemadmodum conſtare volebant ex inſtrumento ſententiæ & decreti, quod actum eſt per Bernardum Ermengun, prouincialem Prædicatorum & inquiſitorem Aragoniæ, in præſentia F. Antonii Falqueti, & F. Franciſci Marmandi Ord. Præd. Magiſtrorum in Theologia: nec non de conſilio F. Arnaldi Peregrini Confeſſoris Reginæ Aragonum & F. Bernardi Broli S. T. Magiſtrorum. & F. Berengarii Laqueti Cuſtodis, F. Gulielmi Arago Lectoris, F. Dalmatii de Claſclario, F. Ioannis de Pagueria Baccalaureorum Conuentualium Ordinis FF. Minorum in cella eiuſdem Magiſtri Arnaldi Peregrini, in eodem monaſterio Minorum, Barcinone, anno Domini 1386. die 19. Maii.*

Ex quo quidẽ Inſtrumento conſtare volebant, quod in libri Lulli titulo *Philoſophia amoris* inſcripto, hi tres errores quos Eymericus notauerat non inueniebantur. 1. *quod Deus habet multas eſſentias.* 2. *quod in faciendo bonum non oportet ſpectare, quod Deus incipiat: quia iam incipit, quan-*

*do nos creauit, & pro conſeruatione noſtra mundum nobis dedit, vt ei ſeruiamus & eum honoremus. 3. quod virtus ita eſt bona, & quantitate magna, quod omnis homo poteſt eam habere ſua voluntate.* Proponebant ad extremum, quod falſo Eymericus Lullo imponeret, quaſi hic erronee & hæretice vellet probare articulos fidei: idq; ex multis locis Raymūdi operum oſtendere conabantur, in quibus affirmabant Raymundum, Catholice, ea quæ credenda ſunt probare. Et quia hæc ad demonſtrandam ſubreptionem bullæ ſufficere exiſtimabant, de aliis nonaginta tribus articulis, nullam mentionem fecerunt, ſed Iudicem Commiſſarium adduxerunt, vt is Secundum Raymundum Lullum pronunciauerit attentata contra illum à Nicolao Eymerico caſſauerit, ac omnia illius dicta, ſcripta & opera ad ſtatum priſtinum reuocauerit. ſuppoſito tamen decreto ſuo ad arbitrium S. R. Eccleſiæ de canonizatione doctrinæ Raymundi Lulli. Barcinone 24. Martii, anno Domini 1419.

XXVII. ANTILVLLISTARVM OPPOSITIONES.

Ad hæc Antilulliſtæ opponunt. 1. *Non poterat Alamannus Legatus, ſine ſpeciali commiſſione Martini Quinti de re tam grauiſſima, aut ipſe cognoſcere, aut cognitionem cauſæ fidei committere. 2. Abſente Nicolao Eymerico, neque cauſam dicente pro eo quopiam, iudicium de eo factum eſt: inprimis quidem corā Bernardo Ermengando Prouinciali & inquiſitore, deinde coram Bernardo Epiſcopo Caſtellano. Et quidem illud prius, fuit etiam ſuſpectum ex eo, quod Petro Rege, Nicolai hoſte acerrimo poſtulante & vrgentibus amicis Lulli, fuit inſtitutum in Monaſterio non FF. Prædicatorum ſed Minorum: in loco vō Iudicis, ſed confeſſoris Reginæ; trib. tantū Dominicanis, ſex vero Franciſcanis Lulliſtis, cauſam aduerſus Nicolaum Eymericum, pro Lullo cognoſcētibus: non ad authographum Raymundi Lulli, de Philoſophia amoris librum, quem Nicolaus Gregorio XI. obtulerat, ſed à Raymundi perneceſſariis oblatum, & quid incorruptum ſeu vitiatum, tres errores ab Eymerico notatos & Lullo impoſitos, componentibus: & quid in gratiam Petri Regis, Reginæ Confeſſore cum cum ſuis Minoritanis præualente, ſententiam dicentibus. Secundum vero iudicium aiunt eſſe, vel etiam ex eo iniquum, quod ex vnico libro Philoſophiæ amoris, eoque à conſanguineis Raymundi Lulli viciato de omnibus libris Raymundi Lulli: & ex tribus tantum articulis Lulli qui in eodem libro, de centum & nonaginta tribus vel ad minus de nonaginta tribus aliis erroribus in aliis libris repertis, ſine examine & cognitione librorum, iniquam ſententiam Iudex, nullo opponente, nullo defendente, protulerit; falſitatiſque nomine Eymericum temere condemnaris: cum olim promptum fuit Nicolao, authographa librorum Lulli coram Gregorio XI. in conſeſſu Theologorū 20. producere: deinde tres alias bullas Gregorianas quæ in regeſtris adhuc extant, & ex eis nos eaſdem hic aſcripſimus, aduerſus Raymundi Lulli libros, vt conquirerentur & exurerentur, ex ipſis illis regeſtris adducere, demonſtrationemque facere, Gregorium Pontificem potuiſſe etiam illam, cuius initium eſt: Conſeruationem puritatis Catholicæ fidei, condere atque diuulgare: quam etiam, ipſi Lulliſtæ fatentur, in archiuis Barcinone, Tarracone & Valentiæ, anno Domini 1376. fuiſſe aſcriptam: vt etiam exinde demonſtratio ſit, non fuiſſe conſictam: quod eam Antiſtites tam celebrium ciuitatum, in monumentis Eccleſiarum ſuarum voluerint conſeruari.* Alia plura, aduerſus idem inſtrumentum opponunt, pro Nicolao Eymerico inquiſitore, à Petro Rege contra ius & fas dignitate & officio exuto, nec non è regno Aragonum pulſo, atque proſcripto; quod is cauſam fidei contra Lullum ſtrenue promouiſſet, & Romam cum Gregorio XI. profectus, eodem vita functo, & Vrbano Sexto ſuffecto iam ſedente, cognitionem cauſæ eiuſdē, apud Sedem Apoſtolicam perurgeret.

XXVIII. ANTILVLLISTARVM AD MEMORIALE COMPROBATIONIS ARTICVLORVM LVLLII OBLATVM

*Ad memoriale collationis, ſeu comprobationis* 100. *articulorum Lulli*, oblatum nuper ſacræ Inquiſitionis congregationi, inprimis reſpondent iidem Antilulliſtæ, facile potuiſſe vitiari libros Lulli, ab eius ſectatoribus: ac proinde in eis articulos, vel non, vel aliter conceptos reperiri, proinde poſtulant authographa Raymundi repræſentari, & exemplaria exemplaribus conferri. Hæc autem opera, quæ Nicolaus Eymericus in ſuo directorio nominat, (quod *Conſules iurati Regni Balearium*, in ea quā Petro Cardinali Arigonio, anno 1614. ſcribunt exempla, fatentur) quia non reperiuntur, gratis videntur cōcedere victoriam Eymerici defenſoribus, aſſeuerantibus Nicolaum virum grauem, publico officio defunctum, Gregorio XI. vero Pontifici, & Clementi VII. ac Benedicto XIII. Antipontificibus ſatis ſuperque ex authographis Raymundi Lulli probaſſe, eos errores quos recenſuerat, in libris Raymundi Lulli reperiri: neque veroſimile eſſe, vt is Romanæ Eccleſiæ voluiſſet imponere, cum Raymundum Lullum hæreſeos & Magiæ apud Sedem Apoſtolicam poſtularet, ſed hæc, & alia plura, illi de Raymundo.

SACRÆ INQVISITIONI RESPONSIO.

XXX. ALII IN SICIL. HÆRETICI PER ID TEMPORIS NON DEFVERVNT.

Præter iſtos hæreticos, fuit etiam Arnaldus Montaneſius Minoritanum Ordinem olim profeſſus. Hic ante aliquot annos, nonnullas hæreſes in diœceſi Vrgelitana ſparſerat, & à Nicolao Roſelli tit. S. Sixti Cardinale, tunc temporis inquiſitore, palinodiam cantare coactus, in errore obſtinatus clam aufugerat, inque partes vltramarinas concedens, longe plures errores & hæreſes diſſeminabat, poſtquam ſecundo, ab Aymerico Inquiſitore, Nicolai ſucceſſore, criminis conuictus, damnatuſque fuiſſet. Scripſit Gregorius Armando Ordinis Prædicatorum Vicario Aquilonari, qui perfidum intercipi, in vincula conlici, & ad Sedem Apoſtolicam tranſmitti curaret. *Auin. Idib. Ianuarii.* Non defuerant aliqui in Sicilia, qui nonnullos Fratricellorum, in hæreſi defunctos, pro ſanctis venerabantur, adorabant, & colebant. Iſtos vt Legatus Sedis Apoſtolicæ, & Prælati Eccleſiarum cohiberent, Gregorius lata ſententia edixit. *pag.* 53.

XXXI. BELLA ET MOTVS IN HISPANIIS MISSA LEGATIONE SEDARE LABORAT GREG. PP.

Nec tantum hæretici Orbem Chriſtianum inficiebant, verum etiam bella tum interna, tum externa vexabant. In Hiſpaniis, inter Caſtellam & Luſitaniam, maiori quam ante mole atque periculo bellum renatū. Multæ Cantabricæ naues, ferro, calybe, aliiſq; mercib. vt ſoli natura fert, onuſtæ, à Luſitanis interceptæ, occaſionem ei dederunt. Namq; Henricus Caſtellæ Rex miſſis fecialibus res repetebat, & niſi eſſet ſatisfactum, bellum denunciabat. Ab his initiis ventū ad arma: Rex ipſe in Luſitaniam irruit, ac vbi in hoſticum venit, agros populatus, pecora abegit, Villas vicoſque incendit. Inter eundem Henricum, & Petrum Regem Aragonum, & hunc inter & Carolum Nauarreum non negligendi motus, quos vt Gregorius ſedaret, miſſo Fratre Laurentio à Ripa aurea Dominicano, Guidonē Bononienſem Epiſcopum Portuenſem, Legatum in pacificandis Regibus eſſe iuſſit. Obſecrabat Henricus vti eius aduentum Caracæ operiretur, vbi Regina morabatur. Cæterum ille negauit, cum tantum belli eſſet excitatum, cuius componendi cauſa in Hiſpaniā miſſus eſſet. Ergo continuato itinere Mirobrigam appulit, vtrumque Regem adire conſtituens. Inter hæc Pontifex Henricum monuerat, pacem cum Luſitano ne detrectaret, caſtra ablata illi reſtitueret, bona Templariorum detenta illis quibus addicta fuerant aſſignaret. Iudæos & Saracenos ne defungi officio Chriſtianorum permitteret, ſubſidia pro neceſſitatibus Eccleſię Romanæ in regno ſuo conquiri ſineret, atq; Martino Epiſcopo Placentino, contra Concubinarios Sacerdotes Conſtitutiones Pontificias diuulganti opem ferret. Petrus Aragonius & Carolus Nauarræus arbitrio Pontificis controuerſias ſuas permiſerant iamque Procuratores negotiorum Auinionem ſubmiſerant. Hi quod non plenaria poteſtate fungerentur, ſcripſit Regibus Gregorius, ne per eos ſtaret, quominus diſcordiæ tollerentur. Cæterum, quod necdum Aragonius ſtatuta quædam aduerſus libertatem Eccleſiaſticam abrogaſſet, & nonnullæ diſſenſiones propterea inter Clerum & populum orirentur: hortatus eſt illum Pontifex, vt ea antiquaret: Bertrandus vero Cardinalis rationes concordiæ inueniret. *Marianæ lib.* 17. *cap.* 17. *& epiſt. Greg.* 11. *Cal. Maii* 2. *Idus Maii. Nonis Octobr. &c.*

XXXII. MISCELLANEA.

Erat Petro Aragonio vxor Eleonora Regina Trinacriæ Regis filia: ex qua etiam Conſtantia, Friderico de-





tentori Trinacriæ nupſerat. Hæc cum Fridericum à Iohanna Regina Siciliæ vexari intelligeret, & à quamplurimis proceribus ad Inſulę adminiſtrationem accerſiretur, Pontificem inprimis obſecrauit, qui illi poſſeſſionem Inſulæ concederet. Cumque is recuſaret, claſſem parari iuſſerat, qua in Trinacriam traiiceret. Admonuit Gregorius Petrum Regem, ne Reginam talia audere tolerart, ſed modis omnibus conatus illius impediret: quod ſibi certum eſſet eius auſus repri mere: quos certo certius ex litteris Nicolai Spinelli Prouinciæ Seneſcalli intellexiſſet. *VIII. Idus Febr.* Cæterum, vt aliquando tandem, diuturnis diſſenſionibus inter Ioannem Reginam Siliciæ & Fridericum Aragonium finis imponeretur, paſſus eſt Gregorius, vt inuicem inter ſe aliquas conditiones pacis inuenirent, neque tantum id fecit, verum etiam Philippo dicto Imperatori Conſtantinopolitano, qui illam conciliaret, inſinuauit, *pag.* 290. & poſtmodum cum inter eos cōueniſſet, Dionyſium Archiepiſcopum Meſſanenſem Oratorem, vtriuſque partis articulos & pacta ferentem audiuit. Cumque non ex re Sedis Apoſtolicæ forent, alios quibus ſubſcriberent, per Epiſcopum Sarlatenſem miſit: ac Bertrando Archiepiſcopo Neapolitano, vt Friderico author eſſet Antoniam Bauciam in matrimonium accipiendi, iniunxit: Ipſique Friderico ſignificauit, ſi conditionibus propoſitis ſubſcriberet, & Antoniam in coniugem aſſumeret, poſſet Nuncios pro inunctione, conſecratione & coronatione poſtulanda ad Sedem Apoſtolicam deſtinare: quæ omnia perlibenter concederet. *VIII. Idus Febr. IV. Cal. Maii. Idib. Octob.* Permiſit interim Pontifex, vt Ioanna Regina, per Procuratores legitimos, Sedi Apoſtolicæ Sacramentū homagii diceret. *pag.* 591. Cumque Philippus Tarentinus nonnihil ei incommodaret, Pontifex illum cohibuit admonens, vt ſi quid aduerſum illam haberet, ad ſedem Apoſtolicam referret: quod ſibi non difficile eſſet, aut iuſtitiam adminiſtrare, aut pacem ſtabilire. *pag.* 20. Id vero potius ageret, vt aliquid in trecentos haſtatos ab Ioanna Regina in ſubſidia Sedis Apoſtolicæ Bononiam miſſos contribueret, neque quicquam in Regno nouaret. *pag.* 40. & tum Carolum Topiæ principem, à ſchiſmate & hæreſi reuocare curaret *pag.* 10. tum Prorectori ſuo in partibus Romaniæ, ne perſonas Eccleſiaſticas opprimeret, præciperet *pag.* 209. tum Mariæ Armenorum Reginæ nepti ſuæ, à Turcis metuenti, auxilia ſubmitteret. *pag.* 7. tum Engerannum Dominum Conciaci, militares copias aduerſus Turcas in Macedoniam ducentem tranſire ſineret *pag.* 181. tum ipſe cum Palæologo Græcorum Imperatore contra eoſdem hoſtes fidei fœdus percuteret. Per id enim temporis, Maria Armenorum Regina, inprimis Manuelem nobilem Armenum, deinde Iohannem Siſienſem Archiepiſcopum, ad Sedem Apoſtolicam ſubſidia poſtulatum miſerat: & Franciſcus Archiepiſcopus Neopatreoſis, Pontifici, maximos Turcarum in Macedonia, Achaia, & Regno Raſſiæ progreſſus cū lachrymis expoſuerat, atq; rebus afflictis opē peti***at. Quod Mariam attinet, ſuadebat primum pontifex vt Ottonem Brunſuicenſem maritum acciperet: quod is Ducum Saxoniæ, Marchionis Montisferrati, & Regum Cypri conſanguineitate potens, poſſet Regnum illud defendere. Scripſit deinde Gregorius Regi Vngariæ, Ducibus Venetorum & Ianuenſium, Gubernatori Regni Cypri, & Magiſtro Rhodianorum, vt Mariam adiuuarent. *XI. Cal. Febr.* Cæterum vt longe maiora auxilia Chriſtianis periclitantibus afferret, Ioannem Palæologum Imperatorem Orientis, Ludouicum Regem Vngariæ, Philippum dictum Imperatorem Cōſtantinopolitanum, Ioannem Principem Antiochenum adminiſtratorem Regni Cypri, Raymundum Berengarii Magiſtrum Rhodianorum, Duces Venetorum & Ianuenſium, Franciſcum Cataluſium Dominum Inſulæ Metellini, Raynerium Aciaiolum Dominum ciuitatis Corinthi. Franciſcum Georgium Marchionem Bondaniciæ, Fridericum occupatorem Trinacriæ, Nicolaum de Carceribus Ducem Agyopelagi, Leonardum Tochum Ducem Leucatæum, Hermolaum Donatum Dominum Liferinum. Archiepiſcopos & Epiſcopos Achaiæ & Ducatus Athenarum Agiopelagi, Principes Ciliciæ & Prælatos Tranſmarinarum partium, hortatus eſt, aut ad Calendas Octobris anni inſequentis apud Thebas veteres præſto eſſent, ad fœdus contra hoſtes Chriſtianorum ſtabiliendum *pag.* 88. Laudauit Venetorum promptitudinem Gregorius, *datis literis V. Calend. Octobr.* qui triremes & onerarias quamplurimas in eam rem promiſerant. Ioanni Luſigniano Principi Antiochiæ, adminiſtratori Cyprio multum intererat, ſi Oratorem perpetuum, apud Sedem Apoſtolicam, pro negotiis Regni illius ſollicitum haberet. Cogitauerat & iſtud Petrus Rex Cypri eius frater, antequam occideretur. Itaque Gregorius Principi inſinuauit, qui Philippum Mazerium Regni Cancellarium, hoc munere defungi ſtatueret, quod id ex re & Regni & Petri infantis, & reipublicæ Chriſtianæ perſpiceret. *XIII. Cal. Iul.* In ſumptus belli, vt pecunias in promptu haberet Gregorius, in Poloniam, Vngariam, Daniam, Noruegiam, Sueciam, Hiſpanias, Luſitaniam, Boemiam Germaniam, & alia Occidentalia & ſeptentrionalia Regna Collectores deſtinauit, qui emolumenta Sedis Apoſtolicæ conquirerent. *pag.* 93. *&* 122. Lasko Dux Moldauię. per id temporis ad Fidem Catholicam reuerterat: vxore in primis erroribus perſeuerante. Gratulatus ei Pontifex, oblatam viam ſalutis, monebat, ne ab ea peruerteretur, aut ſeduceretur, cum id promptum foret mulieribus, coniugum ſaluti periculum creare *VIII. Calend. Febr.* Pari periculo ſeſe expoſuerat Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Samuele Iudæo tam familiariter vſus, vt etiam oppida illi regenda conceſſerit, & Chriſtianorum iudiciis præeſſe voluerit; inſuper pecunias à Chriſtianis per vim & metum tormentorum extorquentem ſuſtinuerit. Redarguit Pontifex Archiepiſcopum, qui ſe eo commercio contaminaſſet, dignumque Eccleſiaſtica cenſura reddidiſſet. *XVII. Cal. Iul.* quo etiam tempore Ioanne Archiepiſcopo Moguntino defuncto, cum Adolpus Naſſauius ſuccedere à ſuffragiis Electorum cogitaſſet, Gregorius Pontifex eam dignitatem Ludouico Epiſcopo Bambergenſi contulit: donec is igne interceptus periiſſet. *Chron. Sponheimen.*

XXXIII. RENOVATVM HOC ANNO PRÆLIVM INTER FRANC. ET ANG PONT. FRVSTRA PRO PACE LABORANTE.

Inter Reges Galliæ & Angliæ, etiam hoc anno pugnatum. Ad eos conciliandos, Pontifex, Ioannem tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, & Simonem tituli S. Sixti Cardinales Legatos deſtinauit. Effecerant illi apud Reges, vt ad diem deſignatum, in loco ab eis deputato, colloquium inſtituerēt, rebus componēdis. Quod vt porro facerent, Gregorius illos admonuit. *X. Cal. Febr.* Cum id vero non ſuccederet, Ludouico Comiti Andegauenſi, Comiti Armeniaci, & Prælatis ac Proceribus vtriuſque Regni ſcripſit, qui authores pacis eſſe vellent. *VI. Id Mart.* Vtque Carolum Regem Gallię ad concordiam ineundam magis inclinaret, pateram argenteam, & alia nonnulla à Conſtantino Magno olim Eccleſiæ donata, illi miſit *pag.* 108. Per Edouardum ſtetit, ne arma ſanguinolenta deponerentur. Namque is Comitem Penbrokium, iuuenem non maiorem viginti quinque annos natum, in Gallias traiicere imperauit. Pugnauit adoleſcens infelici euentu, Anglicis pene omnibus aut vulneratis, aut occiſis, ipſo duce capto. Contigit iſtud infortunium in vigilia Natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ in qua feſtum ſanctæ Etheldredæ virginis ſemper occurrit.

VICTORIAM GALLI OBTINENT

*Quod quidem infortunium* (verbis Walſingamii rem narro) *plures aſſerunt ſibi contigiſſe, propter iniuriam quam intulit Eccleſiæ ſupradictæ Virginis, in cauſis inter eandem Eccleſiam, & Eccleſiam ſancti Edmundi Regis & Martyris de Burii, priuſquam recederet de terra ſua. Pecunia vero quam vna cum Comite miles interceperat, quia collecta fuerat de ſancta Eccleſia, fuit Domino Regi minime fructuoſa. Alii etiam quidam aſſerunt dicta mala Comiti accidiſſe principaliter tribus de cauſis. Primo, quia ipſe vxoratus, rupto fœdere coniugali, cum aliis mulieribus*

*rem nephariam adulterando commiſit. Secundo, pernitioſus, quadam dementia & inſania fatigatus, iura & libertates Eccleſiaſticas in quodam parlamento deleuiſſe ex animo affectauit. Tertio, ipſe protinus exagitatus nequitiæ ſtimulo Regi ſuaſit, vt viri Eccleſiaſtici bellorum tempore, grauius quam alii ſeculares mulctarentur. Iſta vero vltima Dominis temporalibus ſumme placuerunt: quæ deinceps quaſi in conſuetudinem, licet numquam gaudentes traxerunt: reputantes ſe in hoc magnum aliquid conſecutos, ſi quandoque ſanctam Eccleſiam nouis impoſitionibus & tagallis valeant onerare. Igitur qualiter hi profecerint, & ſubſequenter quid vel Regno Angliæ, vel incolis eius ſucceſſerit, ſatis nouit & palam prædicat totus mundus.* Hæc *Valſingamus hiſt. Angel. in Edouardo. III.*

XXXIV. ALIÆ GR. PP. RES GESTÆ.

Rex Galliarum inter hæc Iolandem Flandram, Bari Comitiſſam, in cuſtodia habebat, interceptam. Eam vt in libertatem Carolus emitteret, Pontifex Cardinali ſanctorum Coronatorum, qui intercederet iuſſit. *6. Cal. Decembr.* Deinde Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Prælatos curam animarum habentes, aula Regia excedere, & ad Eccleſias commiſſas reuerti imperauit: neue Carolus id ægre ferret, admonuit: cum etiam ipſe ab aula Pontificia omnes Paſtores ad ſuum Ouile vnumquéq; redire voluiſſet. *6. Non. Maii.* Quod autem Albertus Dux Bauariæ Gubernator Hannouiæ, Epiſcopo Cameracenſi & Eccleſiaſticis iniurius fuiſſet, vt abſtineret, & ratione offenſarum ſatisfaceret, conſtituit. *18. Calend. Septembr.* Archiepiſcopo Acelatenſi, apud ſubſellia Nicolai Spinelli Seneſchalli Prouinciæ controuerſia fuerat, pro ablatis quibuſdam caſtris. Cui vt benignum & æquum Iudicem conciliaret Gregorius, eius cauſam Nicolao commendatam fecit. *p. 209.* cum eumdem admonuiſſet, vt Petrum Clementem, priſtinæ libertati, poſtulante Rege Aragonum, reſtitueret. *3. Cal. Ian.* Conceſſit Pontifex, eiuſdem Nicolai hæredibus vſq; in tertiam generationem, caſtra Mirandæ & Galeſii, eodem cenſu, conditionibus & pactis, quib. ipſi Nicolao. 8. *Idus Septembr.*

XXXV. Begardorum & Beguinarum hęreſes, negantium Eccleſiaſtica ſacramenta, hoc tempore in Germania vigebant: & Flagellantium nomen præſeferebant. In hoc Gregorius Valtherum Kerlingerum prouincialem Saxoniæ Ord. Prædicatorum Inquiſitorem Commiſſarium armauit, eumq; vniuerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis, aliisq; Eccleſiaſticis perſonis, necnon omnibus principibus Imperii commendatum fecit: iniungens, vt ei in negotiis fidei præſto eſſent. *Dat. Auinion. Non. Ianua. anno 2.* Cum vero in nonnullis ciuitatibus, caſtris, villis & aliis locis Inſulæ Siciliæ, quidam diabolica fraude decepti, oſſa & cineres quorumdam, de Fratricellorum, Dulcinorum & de paupere vita hæreticorum, ſæpius per Sedem Apoſtolicam reprobatorum, qui dum viuerent, vt ſimplices ſub ſpecie recti deciperent, ipſis ſimplicib. ſe viros pœnitentiæ oſtendebant, ac ſi cineres & oſſa huiuſmodi eſſent reliquiæ aſcriptorum ſanctorum catalogo, temeritate propria colerent, & Eccleſias ſeu capellas in honorem talium erigerent, & erectas cum luminaribus in anniuerſariis obitum eorumdem catervatim præſumerent annis ſingulis viſitare; ideo Gregorius Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliarumq; Eccleſiarum prælatis, in Inſula Siciliæ conſtitutis præcepit, vt id ſuperſtitionis genus prohiberent. *Auinione 2. Idus Septembr. Pontif. anno 2.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1373.

### GREGORII PAPÆ XI. ANNO 3.
### Caroli IV. Roman. Imperat. ANNO 18.

I. IOANNES Palæologus Græcorum Imperator, & reliqui Chriſtianorum in Oriente Principes, non poterant Turcorum progreſſus impedire, quo minus illi plures prouincias in poſſeſſionem ſuam armis vendicarent. Multa iam in Epyro & Macedonia occupauerant, atq; Athenarum Ducatui imminebant. Miſit Palæologus ad Pontificem, & Principes Europæos, Ioannem Laſcarim, qui calamitates Chriſtianorum exponeret, & ſubſidia flagitaret. Audiuit eum benigne Gregorius. *9. Calend. April.* & imprimis Carolo Regi Galliæ, Carolo Imperatori, & Regibus Septentrionalibus, commendatum in eo quod curabat negotio fecit. Deinde cum Ludouico Vngariæ, & Ioanna Siciliæ Regibus, cum Venetorum & Ianuenſium Ducibus, necnon militibus Rhodianis ſocietate armorum facta, quantam potuit claſſem Palæologo miſit *9. Calend. Iul.* atque piam militiam in Germania, Vngaria, Polonia & Beomia aduerſus Turcos prędicari fecit, cui, quod non modicum impedimentum afferrent diſcordiæ, inter Imperatorem & Duces Bauariæ, non omnino compoſitæ, Pontifex Ludouico Regi, vt partes ſuas in ea controuerſia dirimenda interponeret ſcripſit. *2. Non. Aprilis.* poſtquam pactis, inter eos à Ruperto ſeniore Duce Bauariæ ſancitis, non ſatis tenerentur. Hic enim multum operæ poſuerat, vt tandem aliquando diſſidentes conciliarentur: quod ex litteris Ioannis Patriarchæ Alexandrini, & Echardi Epiſcopi Wormacienſis Pontifex acceperat, & multam ſe Ruperto habere gratiam fatebatur. *10. Cal. Mart.*

AVXILIA CONTRA TVRCOS PALÆOL. IMP. MITTIT ET SACRAM MILITIAM PRÆDICARI FACIT.

II. Præter hæc Gregorius, omnibus Principibus Orientis iterum, vt apud Thebas veteres, ad diem Calendarum Octobrium huius anni conuenirent, inque commune contra hoſtes Fidei conſulerent, edixit. Confluxerunt non pauci, die deſignato. Inter hos Ioannes Palæologus Imperator, Ludouicus Rex Vngariæ, Petrinus Rex Cypri, Oratores Rhodianorũ, Andreas Contarenus Dux Venetus, Franciſcus Catalusius Dominus Inſulæ Metelini, Raynerius Aciaiolus Dominus Corinthi, Leonardus Tocus, Dominus inſulæ Leucateæ. Franciſcus Georgius Marchio Bondanicii, Hermolaus Minutus Dux Liuferiæ, Vicarius Ducatus Athenienſis, & alii Proceres non pauci, necnon Archiepiſcopi, & Epiſcopi Achaiæ, & Ducatus Athenarum & Agiopelagi. Nihil tunc poterant decernere, quod in diuerſas ſententias diſtracti eſſent: non ita pridem exortis, inter Regem Cypri & Ianuenſes diſcordiis, adhuc ferventibus. *Liber Secretor. Greg. huius anni, & Boſius hiſt. Rhodian. lib. 3.*

CONVENTVM PRINCIPVM ORIENTIS INDICIT.

III. Cauſa belli inter Venetos & Ianuenſes iſta fuit. Ante duos annos facta conſpiratione ab Ioanne & Iacobo Luſignanis, Antiochiæ Principibus, Rex Petrus Cypri, manu fratrem occiderat. Aliqui vindictæ cupiditate pro iniuriis receptis, alii regnandi ambitione ſcelus patraſſe affirmabant. Nam & Perinus eius filius ad necem quęſitus, vix à matre Eleonora fuit ſeruatus. Totos duos annos, Frater Berengarius Raymundus Rhodianorum Magiſter, & F. Petrus Aragonius Minorita, ab authoritate Pontificia regno pacificando inſudabant: Reginæ relictæ, & Luſignanis fratribus à conſiliis, vt puero Perino Regnum decernerent. Iſtud enim proceres Cyprii huic deferebant. Iam aderat inaugurationis dies, cum Præfecti mercatorum Venetorum & Ianuenſium, quos Baiulos vocant, de latere Regis dextro, quis illud cingeret contendere inceperant. Ianuenſibus

CAVSA BELLI INTER VENETOS ET IANVENSES.



bus Perinus Venetis Principes non obſcure fauere videbantur. Factum eſt vt cum Rex Famaguſtæ coronationis pompam duceret, Genuenſis Baiulus pelleretur, & Venetus locum occuparet, quem ambiebat. In ſolenni quoque epulo idipſum euenit, Veneto ad locum prouenięnte, Ianuenſi in ſeſſione poſthabito. Volebant Ianuenſes iniuriam in coram Rege vlciſci, & altera luce arma veſtimentis exterioribus tegentes, in Regiam frequentes conuenerant. Vſi ſunt in ſuam vtilitatem ea præparatione armorum Veneti. Regem namque inſidiarum, quaſi in ſalutem illius tenderentur, monuerũt: & vt exploraret, an armati venirent, perſuaſerunt. Cõcluſi intra Regiam, contrectati, armis onuſti cum apparuiſſent, non tantum illi de feneſtris præcipitati, qui aduenerant, ſed etiam vniuerſi per Inſulam negotiatores intercepti, pœnas capite dederunt. Contumeliam tam inſignem non potuerunt ferre Ianuenſes. Itaque Petro Fregoſio, & Dominico Cataneo claſſem in Regem Cyprium ducere iuſſerũt, ſpecie quidem vt mortem Petri Regis cæſi vlciſcerentur, reuera autem vt de Perino eius filio, & Luſignanis fratribus vindictam deſumerent. Noluit permittere Gregorius, vt ad arma venirẽt: ſed datis hoc anno *decima die Iunii* Magiſtro Rhodianorũ litteris, curauit id quicquid erat cõtrouerſiarũ, pacifice dirimere. Non potuit quicquam efficere, Ianuenſibus irritatis: qui Famaguſtam appellentes, ea per deditionem Eleonoræ Reginæ in poteſtatem recepta, de auctoribus iniuriæ pœnas ſumpſerunt, Iacobum Luſignanum Perini patruum, & duos eius filios captos, Ianuam abduxerunt, neq; aliter Perino pacem fecerunt, quamuis quadraginta millia nummum numeraſſet, quamuis etiam Pontifex, non tantum Magiſtrum Rhodianorum, ſed etiam Guillelmum Narnienſem Epiſcopum, & Ioannem de Abbatibus, Pacarios longe ante præmiſiſſet, & ad concordiam vtroſq; inuitaſſet. *X. Cal. Martii.* Ab his initiis, bellum quoque in Venetos, à Ianuenſibus decretum. Quod vt illi depellerent, claſſem inſtruxerunt, cui Victorem Piſanum præfecerãt. Inito prælio Venetis victoria primum ceſſit, deinde ad Ianuenſes inclinauit, Luciano Aurio Ianuenſium Præfecto, quindecim triremibus ab hoſtibus interceptis, ad duo millia hominum captis, pluribus cæſis, plurimis vulneratis. Luciano quoque Aurio deſiderato. Ita nihil potuit, à Chriſtianis principibus, in eo conuentu Thebano decerni, quod ex proceribus plurimi in partes ſcinderentur, & ſtudiis variarent. *Boſius ſupra & Bizar. de reb. Genuen.* Monuit tamen Pontifex Ioannam Siciliæ Reginam, Philippum dictum Imperatorem, & Principes ſacræ vnionis, vt aliquid in ſumptus belli orientalis tribuerent, & quanta poſſent maxima auxilia ſubmitterent. *pag. 58. 59.*

IV. In Hiſpaniis, Regem inter Caſtellæ & Luſitaniæ, nõ multum quietis. Vrebatur Luſitania belli flamma, fratre Luſitani Regis Dionyſio, apud Henricum Caſtellæ Regẽ ſtipendia faciente. Propter quam rem, cũ Henricus prælio ad Scalabim decernere voluiſſet, Luſitanus certamen detrectauit, minori copiarum numero, ſuorumque voluntati non ſatis credens. Olyſſiponem ab Henrico itum: ſuburbia occupata, pulcherrimis ædificiis iniectus ignis, multę naues in portu qua combuſtæ, qua captæ ſunt, à Caſtellæ claſſe, ingẽs præda fuit, multi captiui. Guido Cardinalis Portuenſis Legatus, inter Reges commeare non deſiſtebat, nullum laborem, nullum vitæ periculum recuſare certus pacis reuocandæ cauſa. Eo annitente, ad quintum Calendas Aprilis, fœdus iis conditionibus factum eſt. *Oppida vtrimque redduntor. Caſtellæ perfugæ omnino ad quingentos equites, Luſitaniæ finibus arcentor. Beatrix Luſitani ſoror, Sanctio Albuquerquii Comiti. Iſabella eiuſdem filia furto genita, Alfonſo Henrici filio Gegionis Comiti nubunto.* Regum & Cardinalis colloquium ad Scalabim in medio flumine fuit. Ibi concordia inter Reges ſanctiſſimo iureiurando ſancita. obſides à Luſitano dati, nuptię vt conuenerat, in eo oppido celebratæ, Sanctii ac Beatricis, Iſabella octo tãtum annos nata, viroq; immatura, in Henrici poteſtatem tradita eſt. Sic pace, authoritate Pontificis cõſtituta, è Luſitaniæ finibus diſceſſum eſt. Vis belli in Vaſcones verſa: ad Diui Dominici Calſadii fanum, Caſtellæ copiæ progreſſæ erant. Cæterum Cardinalis Legati Pontificii opera, priuſquã ad manus veniretur, ea etiam parte concordia ſancita eſt, Lagrunium, Victoriaq; Caſtellæ Regi reſtituta. Inter Eleonoram Henrici & Carolum Vaſconis filios, pactæ nuptiæ. Centum viginti aureorũ millia Vaſconi certis penſionibus numeranda erant dotis nomine: & propter eos ſumptus, quos iis oppidis muniendis, quæ reddebantur, tolerare neceſſe fuerat. Ad Briones municipium, in finibus vtriuſque Regni, Cardinalis & Regum colloquium fuit. Ibi auſpice Legato, Carolo puero Vaſconis filio & Eleonoræ ſponſalia data. Initæ pacis conditiones fore ſtabiles, Petrus minor Caroli frater, obſes fuit, in Caſtellæ Regia educandus. Fundata propemodum publicæ in Hiſpania libertatis ſpe, nouum Henrico, à Petro Rege Aragonum bellum imminebat. Angli Aragonium perurgebant, vt vel in commune arma cum illis conferret, ad Caſtellanum opprimendum. De Regibus itaque Caſtellę atq; Aragoniæ inter ſe conciliandis, Ludouici Andagauenſis à monitione Pontificia, præcipua diligentia agebatur, Carcaſone ſeſe tenentis, in eamq; cauſam intenti. Metus ne Angli, perpetui Gallorum hoſtes, rerum potirentur in Hiſpania ſollicitabat. Miſſi ea de cauſa ad Aragonium Legati. Eleonoram filio ſuo antea deſponſatam reddi Henricus poſtulabat: neq; recuſabat Aragonius honeſtiſſimam conditionem, modo iis vrbibus redditis, quæ priori tempore pollicitus erat. Excuſabat Henricus ſibi profugo atque exuli nullam opem allatam: contra cum hoſte infenſiſſimo fœdus pepigiſſe. Placuit tandem totius controuerſiæ arbitrium Guidoni Cardinali Legato permitti, pace inter Hiſpaniæ gentes conſtituenda, quam antea feliciori.

CASTELLÆ ET LVSITAN. REGES INTERCEDENTE LEGATO APOST. FOEDVS ICIVNT.

CONDITIONES FOEDERIS.

PAX SIMILITER INTER VASCONES ET CASTELLÆ REGEM COMPOSITA PONT. AVCTORITATE.

CONTROVERSIÆ INTER ARAGON. ET CASTELL. REGES ARBITRIVM APOSTOL. LEGATO PERMITTITVR.

V. Quo tempore hæc in Aragonia agitabantur, Octobris die quintodecimo, Gregorio Pontifici ratio viuendi probata eſt, quam ij monachi conſectantur in Hiſpania, quibus à Diuo Hieronymo nomen eſt, copijs, ædificiorum amplitudine, diuinas laudes concentu ſuauiſſimo decantandi ſtudio, clauſuræ patientia præcipui præ cæteris atq; præſtantes: natiuis lanarum coloribus extra veneto, intus candido diſtincti.

MONACHORVM ORDIN. S. HIERON RATIONEM VIVENDI PROBAT GREG.

Quidam viri Itali pietatis ſtudio incenſi, non procul à Toleto domicilium inſtituerunt, ab hominum conuentu ſecretum. Horum vitæ genus, propter excellentem ſanctitatis opinionem æmulati alij, ſeſe illis adiunxerunt. *Viri in eo numero primarij, Ferdinandus Iuanius* templi Toletani Canonicus. *Pecchæ fratres Alfonſus Petruſque*: hic Regius Cubicularius, ille Genuenſis Epiſcopus. Primum huic Ordini monaſterium, legibus inſtitutiſq; temperatum prope Caracam, ſupra Lupianam pagum. Regum Principumq; munificentia deinde multa alia fundata ſunt. Annis conſequentibus Iſidiorani monachi ab his profecti ſunt. *Mariana de reb. Hiſp. lib. 17. cap. 18.*

Non etiam neglexit Gregorius Pontifex, Minoritanos, in Hiſpanis vtriuſque ſexus profeſſores. Ad eos enim viſitandos veteriq; inſtituto confirmandos ad virorum quidem cœnobia, Arnaldum Seranum Prouincialem Prouinciæ Aquitaniæ, ad Clariſſarum autem contubernia, Arnaldum & Didacum Placentinos, & Ioannem Gonſaluum Optanum, Ordinis Minorum Lectores deſtinauit. *IV. Cal. Septembr.*

VI. In Siciliam quoq; zelus Paſtoralis ad reformandos religioſos penetrauit. Monachi Baſiliani, non ex æquo Regulam diui Baſilii obſeruabant, exemplis librorum deſtituti. Apud eos qui apud Cryptam ferratam in agro Tuſculano idem vitæ inſtitutum profitentur, vnum exemplar incorruptum extabat: Sed quod Hugo Sanſeuerinas, prętextu exſcribendi, ex deuotione intercepiſſet, neq; vnquã reſtituere voluiſſet. Non poterat quicquam in eo reformationis negocio conſtitui, abſq; formula

IN RELIGIOSORVM ET ALIORVM ECCLESIAST. REFORMATIONEM STRENVE INCVMBIT

mula Baſiliana præſcripta. Itaq; Pontifex Sanſeuerinatem, vt Bertrando Archiepiſcopo Neapolitano aſſignaret; Bertrandum vero vt in ſingula Regni Siciliæ Monaſteria exſcriptum exemplar diſtribueret, atque ad præſcriptum eius libri mores Monachorum ad veterem diſciplinam reuocaret, præcepit. *Nonis Iulii.* Neq; Monaſticorum aut religioſorum tantum, ſed etiam omnium Eccleſiaſticorum ſanctimoniam Gregorius curauit: & tum Siciliæ cis & vltra Pharum, tum totius Orbis Chriſtiani Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchiſq;, vt pro reformatione ſtatus Eccleſiaſtici & perſonarum Deo dicatarum, Concilia Prouincialia & Diœceſana quamprimum fieri commode poſſent celebrarent, & deprauatos aliquorum mores corrigerent, & caſtigarent: ac deinde pro Eccleſiaſtica libertate & iuribus Eccleſiarum ſeſe ſtrenue aduerſus violatores opponerẽt: nec modo hoc tantum anno, ſed etiam aliis ſubſequentibus iſtud efficerent præſcripſit. *pag.* 58. cum etiam ipſe exemplo illis præiuerit: quod & Regem Aragonum, vt ſtatuta contra immunitatem Eccleſiaſticam nonnulla recens facta antiquaret, & libertatem Eccleſiaſticam foueret, ſerio monuerit. *pag.* 231. & Regi Anglorũ Edouardo nec quicquam contra iura Eccleſiæ concedere poſtulanti voluerit. Hoc enim anno, Edouardus, miſſis ad Pontificem Nuntiis flagitabat: ne Pontifex in diſpoſitione Eccleſiarum Anglicanarum poteſtatis quicquam haberet, aut exerceret: ne prouiſionem ſeu diſpoſitionem beneficiorum Eccleſiaſticorum, in Anglia vacantium, ſibi vſurparet, ſeu reſeruaret, ne à ſuffragiis capitularium electos Epiſcopos in aſſequenda dignitate impediret: ne Metropolitanis, ius confirmandi electos Epiſcopos, violaret, aut iſtud ſibi tribueret: ne electiones Cathedralium Eccleſiarum, aut interuerteret, aut præter eas Epiſcopos Eccleſiis præficeret. Reiecit Pontifex Nuncios ad Comitium omnium Regni Procerum quod certo certius ſciret, iſta omnia non ex omnium ſententia, ſed à Rege, & quibuſdam æmulis Pontificiæ poteſtatis, incitante iam Wiclefo, proficiſci. itaq; Regem admonuit, vt Comitio indicto, ſententiam omnium ea de re requireret, & tum demũ Sedi Apoſtolicæ, quid decretum foret, ſignificaret. Interim autem mortuo I. Thoresbio Archiepiſcopo Eboracenſi, & I. Barnetio Elienſi, ac Wilhelmo Lynneio Wigornien. Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſiis viduatis Gregorius authoritate Apoſtolica præfecit, Alexandrum Neuylem Eboracenſi, Thomam filium Comitis Arundeliæ Elienſi, & Henricum Wakelfeldium Vvigornienſi. *Thomas VValſingham, hiſt. Anglic. in Edouardo. III.*

GREG. PP. PRO TVENDA ECCLESIÆ LIBERTATE STVDIVM.

VII. OBITVS B. ANDREÆ EPISC. FESVLANI.

Pro iuribus Pontificiis certanti Gregorio, reformationiq; Eccleſiarum & Monaſteriorum illi intento, allaborans Andreas Corſinus Feſulanus Epiſcopus, hoc anno in patriam cœleſtem emigrauit, maxima ſanctitatis laude & miraculorum gloria illuſtris. Fuit is patria Florentinus, gente Corſinus, profeſſione Carmelitanus, à Clemente ſexto Pontifice, anno illius Pontificatus octauo, propter religionis zelum literarum ſcientiã, vitæ ac morum honeſtatem, prouidentiam ſpiritualium & circumſpectionem temporalium, necnon propter alia multiplicia virtutum merita, quemadmodum Clemens in diplomate, quod incipit. *Inter cætera quæ ſuperna diſpoſitione, &c.* illi ad Epiſcopium deſtinato, ſcribebat, Eccleſiæ Feſulanæ præfectus: Noſtro hoc tempore, Religio Carmelitana, à SS. D. Noſtro Paulo Quinto Pontifice maximo, inquiſitionem vitæ & miraculorum illius authoritate Apoſtolica inſtitui poſtulauit, atque tandem obtinuit. Cuius ſummam adiungere viſum, vt Lector, quid in negotio canonizationis ſanctorum de iure conſueuit fieri, ab eius rei Tractatoribus, viris dignitate, doctrina, & virtutum ſplendore conſpicuis, intelligat, quidue de rebus B. Andreæ cenſere debeat, hic ante oculos conſpiciat. Dabo prius B. Vitam, quam Surius exſcripſit. Ita habet.

## VITA S. ANDREÆ ORDInis Carmelitarum.

VIII.

ANdreas Corſinus Florentiæ ex Corſinorum nobili familia natus fuit, Patre Nicolao, Matre vero Peregrina. His poſtquam in vnum matrimonium conuenerunt, nihil fuit antiquius, quam vt religionis præcepta in omnibus obſeruarent. Itaque libidine terrenorum poſthabita, iis, quæ Dei erant ſtudentes, ſæpius domũ Domini viſitabant. Cum vero, quod in Exodo legitur, audirent, primitias videlicet Deo offerendas eſſe: vt Deo eiuſque Genitrici gratam oblationem facerent, admodum cupiebant ex ſe filios procreare, vouentes primogenitum ſuum Mariæ religioni tradere. Quorum precibus beata virgo annuens, diuinitus [illegible] omnia adimpleuit. Poſt paucos dies Peregrina mater concepit: Cumque iam tempus pariendi immineret, in ſomnis ſibi viſum eſt lupum peperiſſe pro homine, qui cum Eccleſiam intraſſet, paulatim immutatus, in agnum ſe vertit. Quam rem expergefacta tacite conſiderans, nec viro quidem, quid in ſomnis viderit, eſt auſa confiteri. Proxima vero nocte, id eſt, pridie Cal. Decembr. puer naſcitur, qui cum luſtraretur baptiſmatis Sacramento Andreas nomen accepit, quod eo die natus ſit, quo Chriſtiana religio, beati Andreæ Apoſtoli ſolemnia celebraret. Puer educatus ingenue, creſcit, ſtudiis litterarum traditur. Cum autem admodum ſcitus puer eſſet & forma præſtante, vtrique parenti plurimum charus erat. Poſtremo factus adoleſcens, canes alere, equos mercari, ſodalitates parare, tractare arma, lites gerere cœpit, & ad hæc, omnia diuina pariter & humana promiſcua habere, parentibus non ſolum inobediens, ſed nec eos ſe caſtigantes perferre poterat. Parentes vero vbi intellexerunt quantum periculum adoleſcenti imminebat, timentes, ne ob eius facinora per dedecus vitam amitteret à tam peſſimis moribus illum iam ætatis ſuæ quintum decimum annum agentem reuocare ſtatuerunt. Igitur nacti opportunitatem Andream ad ſe accerſiri iubent, qui cum iuſſa parentum negligeret, contumelioſa verba reſpondens, ab eorum conſpectu improbe diſcedebat. Quem Mater, id inique ferens, animo concitato alloquitur. *Tu profecto*, inquit, *lupus es, quem in ſomnis mihi viſa ſum peperiſſe*, quibus verbis perterritus adoleſcens, retro ferens pedem, matrem orauit, vt quid ſibi vellent ea verba, ſignificaret. Tunc Mater, inquit, *audi fili mi verba mea, neque matris tuæ dicta contemnas. Ego vna cum genitore tuo ſterilis annos plurimos vixi, tantuſque ſobolis amor fuit, vt etiam pro habendis filiis vota ſuſceperim: Itaque primitias vteri mei Deo Mariaque Matri eius offerendas conſtantiſſime voui. Hoc idem Nicolaus pater tuus communi voto promiſit. Factum eſt vt Mariæ precibus conciperem, & cum iam pariendi tempus aderat, in ſomnis viſa ſum lupum parere, qui cum ingreſſus eſſet Eccleſiam, lupi formam deſerens agnus effectus eſt: Poſtridie vero te peperi, qualis ſuperiorem ætatem vixeris non te latet. Non enim vt homo ratione vtens, ſed vt rapaciſſimus lupus. Nunc iam tempus expoſcit, vt in agnum te vertas, & quæ pro te vota ſuſcepimus, velis pia mente perficere, nam non nobis ſed Mariæ Virgini, natus es. Expergiſcere igitur fili, nec velis longius per ſocordiam atque malos mores vitam inficere.* Poſtquam mater loquendi finem fecit, Andreas huiuſmodi oratione perculſus, ſuperiorem vitã ſuam tacitus conſiderans pœnitentia motus, multis lachrymis Virginem precabatur, vt pro ſe ad filium preces fundere dignaretur, ne inuenturis ſuæ delicta cognoſceret. Poſtridie vero mane ad Carmelitarũ Eccleſiam profectus eſt, ibiq; orando diu ante aram Virginis glorioſæ, lachrimis faciem irrigauit, cogitans vt ſe lupum in agnum conuerteret. Tandem ab oratione ſurgens Hieronymum Melioratum, qui ea tempeſtate, videlicet anno ab incarnatione Domini 1316. prouinciæ Tuſciæ curam gerebat, poſtulans orauit vt eum intra religionẽ acciperet, quod cum audiret vir præſtans, miratus ingenuum adoleſcentem ſummo loco na-

PARENTES POST VOTVM DIVINITVS FILIVM SVSCIPIVNT.

MATRIS TEMPORE PARTVS INSOMNIVM.

NATIVITAS.

IN ADOLESCENTIA PARENTIBVS INOBEDIENS.

MATER EVM INCREPAT ET SOMNIVM EXPONIT.

MATRIS VERBIS AD POENITENTIAM ADDVCITVR.

HABITVM CARMELITARVM SIBI DARI PETIT ET OBTINET.





tum, multiſque educatum deliciis, cupere ſacris initiari, ſeruitutemque religionis ſubire, miſit ad eius parentes, qui referant Andream filium habitum religionis petere. Parentes vbi cognouerunt per nuntios in filio ſuo Spiritum ſanctum tam cito mirabiliter operatum, ſtupore gaudioque repleti, eo, vbi Andreas erat, propere conceſſerunt, atque vnanimes filium, quem orantem inueniunt, ſicut vouerant B. Virgini offerentes, ſuſcepti voti officia perfecerunt. Ita Andreas in agnum verſus ad religionis obſeruantiam admittitur. Huic vt eius animi firmitatem experirentur, cuiuslibet viliſſimæ conditionis ſeruitia demandabant, ædes verrere, hoſtii curam gerere, interdum etiam patinas purgare iubebãt, quæ omnia ita libenti animo perferebat, vt mirum ſit eius obedientiam & humilitatem referre.

MIRA EIVS IN RELIGIONE OBEDIENTIA ET HVMILITAS.

Accidit vt prandentibus cæteris, Andreæ ianuæ cuſtodia mandaretur, qui neminem, quoad fratres cœnauiſſent, intrare permitteret, diabolus vero tantæ humilitati inuidens, adoleſcentem ſubuertere conatus, prædiuitis viri formam accepit, & comitatu ingenti ante monaſterii portam aſſiſtens, ſibi fores reſerari iubet. Andreas hominis importunitatem miratus, quid ſibi vellet interrogauit. *Cui ille,* inquit, *nonne me noſti ex cognatione enim tua natus ſum, qui cum audirem te religionem ſubiiſſe, iniquo animo ferens huc acceſſi, vt ex tam turpi vitæ conditione ad priſtinas delitias reuocarem. Itaque iam cito aperi, vt mecum domum pariter reuertaris. Iam tibi virginem ex nobilitate ingenti dote deſponſauit pater,* cui Andreas: *non vos cognoſco, nec noſtro quidem ſanguine nati eſtis, qui me quæritis à tam ſalubri officio reuocare. Parentes enim antequam natus eſſem, huc me genuerunt, vbi humilitatem amplexus, obedientiam ſponſam accepi.* Ita hoſtis ille ianua pulſus, atque deuictus conſtantia puerili, tantum facinus fruſtra ſuſcepit.

DÆMON IPSI FRVSTRA ILLVDERE QVÆRIT.

Poſtquam fratribus Andreæ humilitas & obedientia ſatis exploratæ ſunt, de more profeſſus eſt, & in verba Prouincialis, religionis ſolemnia vota ſuſcepit. His exactis animus adoleſcentis indies magis ac magis in diuino amore, atque virtute flagrabat, ieiuniis & abſtinentia atque corporis flagellatione terrenorum cupiditates ſuperabat: tantuſque ſilentii amator factus eſt, vt nonniſi vbi maxime opus eſſet, loqueretur. Diebus tribus in hebdomada ieiunabat, in quibus nihil cibi, præter panem & aquam ſumere conſueuit. Obedientiam adeo obſeruabat, vt nihil, magis cupere videretur, quam vt ſibi aliquis imperaret, non ſecus ac ſi intraſſet religionem ob id ſolum, vt ſeruiret. Orationibus ac ſacris litteris incumbens, nullum tempus conterebat in caſſum. Corpus ſuum aſſiduis flagellationibus macerans, in ſeruitutem redigebat, domabat cilicio, ieiunio caſtigabat. Appetens ſolitudinem, delicias fugiens, à iocis & ludis plurimum declinabat. Obturabat aures ſuas, ne audiret verba detrahentium ſibi. Nam vt moris eſt mendicantium, ſabbatho pro accipiendis eleemoſynis ciuium domos adire, Andreas, ob humilitatem, officium huiuſmodi plurimum exercebat, & cum à ſuis, qui in via maximas ædes haberent, eleemoſynam peteret, multis iniuriis ab eorum domibus pellebatur: Namque illis inuitis Andreas religionis habitum acceperat, irridebatur à notis, à ſodalibus ſpernebatur, & tanto tamque ſalutifero labori inertiæ nomem imponebant, huiuſmodi omnia Andreas ingenti patientia tolerabat ac ſi religionis perfectio in tolerandis iniuriis haberetur.

PROFESSIONEM EMITTIT.

IN VIRTVTIBVS SE EXERCET.

Ea tempeſtate Iohannes quidam Corſinus ex cognatione ſua, lupum morbum patiebatur in cruce, quę ægritudo per dies nocteſque hominem plurimum cruciabat, & vt huiuſmodi cruciatum mitigaret, quocumque genere ludorum vtebatur ita vt eius domum, luſorum porticam appellarent. Hunc vir Dei aggreſſus, ſic alloquitur: *Iohannes, ſi meis conſiliis acquieſcas, priſtinæ te ſaluti reſtituam, & ab hoſtium tuorum inſidiis diuino munimine liberabo.* Ille vix credens Andream in conſpectu Dei talem gratiam inueniſſe, vt morbos auerteret, tamen recuperandæ ſanitatis deſiderio; pollicitus eſt ſe facturum quicquid optimus adoleſcens imperaret. *Cui Andreas* (inquit) *opus imprimis, vt omnes has luſorum conſuetudines abiicias, poſthac vt vacando ieiuniis, Virginem Mariam ſummis precibus dies octo flectere nitaris.* Ioannes ſimplicitate verborum motus, ſtatim vota ſuſcipiens, quicquid ſibi ab Andrea iuſſum fuerat, mira deuotione perfecit, & meritis eius eſt ſolitam valetudinem conſequutus.

CVIDAM EX COGNATIONE SVA LVPO MORBO LABORANTI SANITATEM REDDIT.



Ita vir Dei ardens in virtutibus, & indies magis ſanctitate pullulans, ad ſacros ordines admittitur. Corſini omnes ſtatuunt, vt primam miſſam Andreas cantaturus, oblationem magnis apparatibus ingentique pompa celebraret. Sed ille vbi hoc audiuit, habita prius licentia à Prouinciali, ſeceſſit ſeptimo milliari ab vrbe in conuentum Siluarum, ibique deuotiſſime ſacerdotii ſui primitias offerenti beata Maria Virgo cum comitatu Angelorum apparuit, dicens ei, *Seruus meus es tu, quia ego elegi te, & in te gloriabor*; & hæc dicens paulatim in auras ſe eleuauit. Andreas ſtupore perculſus, non elatione extollitur, ſed magis per humilitatem nitebatur ſe dignum ſeruum efficere, humanas laudes fugiens, ſtudio bonarum artium ſibi immortalitatem parabat.

AD ORDINES ADMITTITVR.

PRIMITIAS CELEBRANTI B. VIRGO APPARET.

Erat ea tempeſtate vir nobilis, cuius filia, quam vnicam habebat, morbo hecticæ febris languens, nulla poterat medicorum arte curari. Hæc cum prodigia, quæ per virum Dei in dies fiebant, perciperet, ſperabat proculdubio ſanitati reſtitui, ſi manibus ſuis vir Dei ſibi pabulum miniſtraret. Quod pater intelligens, à Beato Andrea ſummis precibus impetrauit, vt filiam ſuam ægram inuiſere dignaretur, quæ in ſe vno omnem ſpem ſalutis poſuerit: Ille vbi puellæ fidem cognouit, diutina oratione præmiſſa, eam viſens, cibumque miniſtrans priſtinæ ſaluti reſtituit.

NOBILIS FILIAM HECTICA FEBRI CIBO DATO LIBERAT.

Poſt paucos annos Piſis Capitulum celebratur. Andreas Pariſios litteris imbuendus mittitur, inde poſt tres annos in Prouinciam reuocatur. Dum itaque in patriam reuertitur per Auenionem iter faciens, Petrum Corſinum quem poſtea Vrbanus V. inter Cardinales accenſuit, patruum ibidem eo tempore negotiis Eccleſiæ functum viſitat: Dum ibidem aliquot dies eſſet, cæcum quendam qui ad portam templi ſedens à prætereuntibus eleemoſynam petebat, inuenit, à quo cum is ſtipem peteret lumen recepit.

CÆCO VISVM RESTITVIT.

Poſt paucos dies Florentiam rediit, vbi tunc Capitulum Prouinciale fiebat, in quo Andreas conuentui Florentino præficitur, in qua adminiſtratione tanta vitæ ſanctimonia claruit, vt narratu difficile foret. Venturam Carmelitam Piſanum quendam ab hydropis morbo curauit.

HYDROPIM CVRAT.

Rogatus à quodam familiari, cui puer natus erat, vt eundem puerum baptiſaret, non recuſauit, ſed dum infans illuſtraretur aqua & Chriſmate, Andreas cui Deus futura reuelauerat, mirum in modum lachrimis irrigabatur: A quo cum pater pueri lachrimarum cauſam quæreret, Andreas inquit, hic puer ſibi ac familiæ ſuæ excidio natus eſt: pater vero præſagium huiuſmodi paruifaciens, viri Dei verba contempſit. Puer autem creſcens non ſecus ac Andreas prædixerat, flagitiis atque facinoribus coopertus, cum multis contra Rempub. coniurauit, qui in iudicium vocatus, tanti ſceleris pœnas ſoluit, omneſque cognati eius ab omni adminiſtratione reipub. fuerunt abdicati.

FVTVRA PRÆDICIT.

Non longe poſt vbi Deo obedientia ſerui ſui ſatis probata fuit, illum ad maiorem curam voluit accerſiri: Nam factum eſt vt Feſulanus Antiſtes extremum diem clauderet: poſtquam illi Pontificio more, magnifice fecerant obſequia, Canonici cæterique apud quos ius erat, conuenerunt in vnum, vt inter ſe de eligendo Pontifice tractarent, à quorum vnanimi conſenſu Andreas deſignatur: Ea cum Andreæ nuntiarentur, timens ne ſub tanto onere premeretur, tertio milliario ab vrbe apud Carthuſienſes latitauit: Canonici vero illum per

ELECTVS IN EPISC. FESVLAN. AVFVGIT ET LATITAT.

omnem Prouinciam quæri iubent, ſed vbi nequeunt eum inuenire, iterum congregatio de reuocanda electione decernitur, & dum illorum vacillantia corda in ambigeo verſarentur, Spiritus ſanctus per os infantis loquutus eſt dicens, *elegit Deus Andream in Sacerdotem ſibi, ecce enim apud Carthuſienſes orat, ibi eum inuenietis*; quibus verbis omnes ſtupore repleti, quicquid actum prius fuerat confirmant. Igitur decernitur vt ad Carthuſienſes Legati mittantur, vt Epiſcopum ad ſuſceptionem Pontificatus hortarentur: dum hæc Feſulis gerebantur,

SPIRITVS SANCTVS PER INFANTEM QVÆRENTIBVS EVM MANIFESTAT.

Andreæ oranti puer in veſte candida apparuit, nuntiãs ei *hoc diuino numine factum, vt Epiſcopus crearetur, neque laborem ſubterfugeret, nam datus ei cuſtos Angelus, qui eius veſtigia in Dei voluntate perficeret*: Andreas itaque Angeli viſione perterritus ab oratione ſurgens, Feſulanos ſe quærentes offendit, qui Epiſcopum ſalutantes hortantur vt gregem ſuum & oues paſcuæ ſuæ non contemnat, Andreas Deo gratias agens, onus, quod paulo ante excutere nitebatur, conſtanti mente ſuſcepit: Igitur factus Epiſcopus anno ætatis ſuæ 58. incredibile effatu eſt, quanta ſanctitate floruit, omnes terrenorum cupiditates pedibus ſubiecit, tantæ fortitudinis factus, vt cunctas animi perturbationes facile ſuperaret. Mulierum colloquia tanquam ſemina vitiorum magno ſtudio fugiebat, temperantiam amplexus, nulla concupiſcentia carnis premebatur, macerabat corpus ſobrie cibum ſumendo, ſubter tunicam ſuper nudo corpore cathena ferrea cingebatur. Sarmenta vitium, membris ſuis requiem nocturnam præſtabant, pacis ſeminis præcipuus ſeminator, bella inteſtina, ſeditiones ciuium & diſcordias plurimorum extirpabat. Diuinæ contemplationi intentus, nihil humanum aut quæ ad ſcurrilitatem pertinerent, loquebatur. Quanto enim dignitate ſublimior, tanto humilitate ſubmiſſior videbatur. In ædificiis ſacris plurimum intentus, Cathedralem Eccleſiam Feſularum, quæ ruinam vndique minabatur, ſumptibus datis muniri fecit. Quid de eius commiſeratione erga pauperes, quid de pietate eius in populum ſuum referam? non modo affectos egeſtate videre, ſed nec audire quidem ſine lachrymis poterat: tantæ enim liberalitatis fuit in pauperes, vt omnes egenos, qui tũc Feſulis eſſent, litteris mandaret, quibus clanculum præbebat eleemoſynam, Nemo vnquam egens ſine eleemoſyna ab eo recedebat, quin etiam cum annonæ magna penuria eſſet, & pro eleemoſynis ad eum plurimi confluerent, ipſe omnem panem in ſua domo repertum pauperibus erogauit, & cum tantæ multitudini minus ſufficeret, iuſſit ſibi vltra panes adferri, miniſtri vero qui ſciebẽt ne panem quidem vnum in arcula ſe dimiſiſſe, defeciſſe panes Epiſcopo narrauerunt, qui iuſſit vt in arca attentius quærerent, illi autem ne viderentur Epiſcopi iuſſa negligere, in penum reuertẽtes, panes in magno numero repererunt: quam rem mirati detulerunt ad Epiſcopum, ille vero panes accipiẽs pauperibus erogauit, vt in omnibus Saluatoris veſtigia imitaretur.

ANGELI HORTATV EPISCOPATVM SVSCIPIT.

QVALIS IPSE IN EPISCOPATV FVERIT.

MIRÁ IN PAVPERES ET EGENOS LIBERALITAS.

MIRACVLVM DE PANIBVS DIVINITVS EI SVBMINISTRATIS.

Conſueuerat vir Dei qualibet quinta feria in memoriam Dominicæ humilitatis pauperibus pedes lauare: Accidit vt quidam ex mendicis illis Epiſcopo reſiſteret ne pedes eius ablueret. A quo cum cauſam Andreas peteret, inquit ille, *crura mea morbo in putredinem verſa, timeo ne Excellentiæ tuæ ſtomachationem inferrent*, cui ait Epiſcopus: *Confide fili in Dominum Ieſum Chriſtum*, & infuſa aqua in peluim pauperis crura lauare cœpit: O rem mirandam, ille crura lotus ſtatim morbo ſolutus eſt.

PAVPERIS CRVRA MORBO PVTREFACTA LAVANDO SANAT.

Conſueuerat noctu poſt matutinale officium, vno tantum miniſtro comite, viſitare ædem ſiue Eccleſiam, quæ vulgo Abbatia dicitur, non longe à metropolitana Eccleſia. Factum eſt dum redirent, parietẽ ex tranſuerſo in via ædificatum inuenerunt, qua re perterritus miniſter dixit, *Pater Reuerende quis hic tam cito parietem conſtruxit?* cui inquit Andreas, *Oremus ne intremus in tentationem*, & proſtrati in terram, cantauerunt pſalmos, *Deus in adiutorium, & Domini eſt terra, &c.* & oratione facta paries euanuit.

PARIETEM TRANSITVM EI IMPEDIENTEM ORATIONE EVANESCERE FACIT.

Cum Bononiæ diſcordia ciuilis orta eſſet, adeo vt tumultus ille nullius auctoritate poſſet ſedari, Vrbanus V. Pontifex Max. qui etiam ob vitæ merita ſignis claruit, audita Feſularum Epiſcopi probitate, eum Legatum Bononiam mittit vt diſſidentia pectora mitigaret, flecteretque feroces animos ciuium. Andreas Pontificis iuſſa perficit, Bononiam profectus eſt. Ciues vbi Præſulis auctoritatem ac verborum ſuauitatem perceperunt, mox depoſitis animis reconciliantur, pauci vero huic rei aduerſabantur, atroci morbo percuſſi ſunt, qui tandem meritis beatæ Andreæ liberati, depoſita animi ferocitate, pacificantur: Ita vir Dei perfecto negotio, vna omnium commendatione, Feſulas regreſſus eſt. His artibus atque ſtudiis ad maturam ætatem peruenerat.

BONONIAM A PONTIF. MISSVS DISCORDIAM CIVILEM COMPONIT, ET CIVES PACIFICAT.

Anno igitur ætatis ſuæ 71. in nocte natiuitatis Domini in Eccleſia Cathedrali, dum ſolenni pompa rem Diuinam faceret, ei Virgo Glorioſa apparuit, nuntians ei obitus ſui diem in proximo menſe videlicet 8. Ianuarii, quo die Epiphania Domini celebratur: qua quidem reuelatione tanto gaudio repletus eſt, vt qui prius ob victus parcitatem macilentus atque ſqualore perfuſus erat ſeraphico pene colore perfuſus ſit. Non ſecus vt B. Virgo prædixerat, morbo correptus, eo die naturæ conceſſit, in cuius tranſitu multa diuinitus prodigia facta, illum ad ſuperos euolaſſe teſtantur.

B. VIRGO APPARENS EI OBITVS DIEM PRÆDICIT.

DECEDIT EX HAC VITA.

Ea nocte qua è vita deceſſit, multæ virgines viſiones viderunt. Namque vt fertur puella decem annorum in ſomnis vidit reſeratum cœlum, atque ſcalam, quæ ad cœlum vſque pertingebat, per quam Epiſcopus Pontificali veſte indutus aſcendit: Hunc alii duo Epiſcopi hinc & inde comitabantur, quam rem cum Matri indicaret, *Andreas Corſinus*, ait *illa conſcendit ad Superos*, & poſt cognouit B. Andream eadem hora tranſiſſe, qua virgo ad cœlos aſcendiſſe Epiſcopos in ſomno viderat.

VISIONES A MVLTIS EA QVA DECESSIT NOCTE VISÆ.

Ea nocte alia virgo nobilis, cui Andreas, cum adhuc viueret, diem mortis prædixerat, moriens alta voce clamauit: *Eia Chriſti præſul expecta me vt vna cœleſtem patriam ingrediamur*, his dictis ad cœlum ſupplices manus extẽdens ab hac luce migrauit.

ALIA VISIO.

Sed quid ego narrem, quæ circa huius B. Viri obitum geſta ſint, quæ verba, quæ præcepta vitæ, quas traditiones religionis dederit, quæ lux circumfulſerit morientem, quantæ ſuauitatis odor à defuncti corpore ſpirauerit, quam multi ex diuerſis languoribus ac morbis tacta ſacri corporis mirabiliter ſanitati reſtituti ſint?

DE IIS QVÆ CIRCA EIVS SANCTI OBITVM CONTIGERINT.

Mortuus eſt an. ætatis ſuæ 71. Pontificatus anno 12. Ab incarnatione vero Dom. An. 1373. 8 Ianuarii, cuius anima cum beatis ſpiritibus ſuperni Regis faciem contemplatur. Corpus eius de more funebri pompa Feſulis in Eccleſia Cathedrali lapideo buſto conditur, licet teſtamento reliquerit corpus ſuum apud Carmelitas Florentiæ ſepultum iri. Oppidani vero ob miram viri ſanctitatem, corpus Florentiam deferri non permiſerunt. Namque in eo protectionis plurimum fore ſperabant. Carmelitæ autem opportunitatem temporis nacti noctu clam corpus ſublatum Florentiam deferunt, vbi ex eo tempore multis miraculis coruſcauit.

DIES OBITVS ET EIVS ÆTAS.

CORPVS PER CARMELITAS FLORENTIAM DEFERTVR.

Poſt multum vero temporis, an. videlicet incarnationis Dominicæ 1440. Eugenio 4. Pont. Max. Philippus Maria Mediolanen. Dux, Eccleſiæ Florentiniſque vltro bellum intulit, ac per Nicolaum Piceninum præfectum militiæ ſuæ Florentinorum oppida multa cepit, multaque vaſtauit, itaque exercitus hoſtium iam loca vrbi propinqua occupauerat, Florentinos, Cardinaleſque qui Florentiæ cum Eugenio Summo Pontifice erant, metus inuadit, res omnes turbulentæ aſperæque videbantur. His rebus permota ciuitas trepidare, feſtinare, armiſque diffidere cœpit, & ſuo quiſque metu pericula metiri. Decernitur vt decemuiri belli gerendi crearentur, qui darent operam ne quid mali Reip. pateretur, quibus legiones parere, bellum gerere, cohortari ciues atque ſocios permittitur, in quibus fuit Coſmas Medices, Nerius Caponius, Angelus Acciaiolus Eques, Ioannes Scodellarius: Hi in vnum conuenientes, de tutanda Rep. tractare cœperunt, tanti belli diſcrimine eorum animi in ambiguo verſabantur, eorum Remp. imparatam, magnas forteſque copias hoſtium, deniq; euentus belli cogitabant. Dum hæc ſic agebantur, Diuus Andreas multis miraculis coruſcabat. Cum vero ex maxima deuotione vniuerſa fere ciuitas conflueret ad Eccleſiam Carmelitarum, vbi huius Antiſtitis corpus requieſcit, adoleſcens quidam præcipua deuotione vna cum cæteris venit: Apparuit autem ei Beatus Antiſtes dicens, *adoleſcens matur e propera ad decemuiros belli præfectos, meaq; hæc verba refer: Deus qui Iſrael de manu Pharaonis eripuit, ipſe confringet aduerſarios eorum; ne timeant cum hoſte congredi, nam Deus diſſipabit omnes vires illorum: Itaque audacter cum hoſte rem gerant armis, quinto die à proximo feſto S. Ioannis Baptiſtæ, quod hinc ad dies octo celebrabitur, de hoſtibus victoriam reportabunt.* Adoleſcens etſi viſione numinis perterritus extiterit, præfatos tamen viros adiens, quæ Sanctus apparens dixerit, nuntiauit: Quibus auditis Magiſtratus viſioni fidem adhibentes, animæquiores effecti ſunt, exercitum itaque parant 4. *Kal. Iulii* cum hoſte confligunt, ſed vbi multum vtrinque pugnatum eſt, hoſtium copiæ fuſæ ſunt: quod ſine nutu & ope diuina factum non creditur, quod ingens multitudo manu parua ſic pulſa ſit, vt vix pauci ex tam ingenti multitudine fuga euaſerint. Piceninus poſtquam ſuos deficere, reſque ſuas attritas videt, rebus ſuis diſſidens, in Burgum S. Sepulchri cum paucis aufugit. Poſtquam de huiuſmodi victoria Florentiæ nuntiatum eſt, ſubito ciuitas tota gaudio magno perſultat: Indictæ feriæ, ludi inſtituti atq; alia id genus lætitię ſigna edita, & ne pietatis viderentur immemores, decreto fit, vt omnis Clerus omniſq; Magiſtratus cum populo in Cathedrali Eccleſia conuenirent, ex quo loco ſolemni proceſſione vt moris eſt ad Eccleſiam Carmelitarum pergerent, vbi Diui Prẹſulis corpus iacet, ibidemque miſſam in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis ſolenniter canerent, corpuſque B. Andreæ vniuerſo populo cum funalibus atque thure multo oſtenderetur. Ac vbi hæc quæ ad cultum Beati viri pertinerent, non poſſent fieri, quin prius conſulerent Apoſtolicam Sedem, ſupplicatum eſt Eugenio Pontifici per Cardinales Reueren. Columnenſem, Andegauenſem, Placentin. S. Crucis, S. Marię Nouæ, quod huic corpori quotannis legitime huiuſmodi honores exhiberi poſſent. Eugen. tametſi multa prius intellexerat de ſanctitate viri, tamen rumoribus nouis permotus atq; tantorum virorum ſupplicatione, legitime fieri conceſſit, quod à Florentinis petebatur. Hæc, vbi impetrata ſunt, munus religionis, vt ſtatutum erat, mira populi deuotione perficitur. Decretum item fuerat, vt omnes Magiſtratus vrbis Florentiæ de more ſolemniter viſitarent Carmelitarum Eccleſiam, eo videlicet die, quo ipſi Carmelitæ annua huius Beati Viri ſolemnia celebrarent, quod quidem vſque hodie maxima deuotione obſeruatur.

FLORENTINIS A PHILIPPO MARIA MEDIOLANEN. DVCE AD EXTREMA PENE REDACTIS VICTORIAM DE HO-





STIBVS PRÆNVNCIAT ADOLESCENTI CVIDAM APPARENS

FLORENTINI PARVA MANV INGENTEM HOSTIVM MVLTITVDINEM VT SANCTVS PRÆDIXERAT FVNDVNT.

FLORENTINI PRO GRATIARVM ACTIONE SOLEMNEM AD CARMELITARVM ECCLESIAM VBI CORPVS SANCTI QVIESCIT PROCESSIONEM ANNVAM DE APOST. SED. LICENTIA DECERNVNT.

Petrus Victorinus ingenuus adoleſcens, cum auunculum, qui Prati quod oppidum decimo milliario eſt ab vrbe Florentia, prætor erat, viſitaret, vna cum ſodalibus ſuis, oppidi mœnia conſcendens, ex alta turri incaute cecidit, qui cum rueret, ſe B. Andreæ Corſino commendans, ex tanto vitæ periculo illæſus euaſit. Fecit & alia permulta miracula quę breuitatis ſtudio prætерimus.

ALIVD SANCTI MIRACVLVM.

IX.

# QVOD S. D. N. PAVLO PAPÆ V. RETVLERVNT

## Tres Rotæ Auditores Deputati

F. SACRATVS Archiepiſcopus Damaſcenus.
IO. BAPTISTA COCCINVS Decanus.
ALPHONSVS MANÇANEDO.

*Super Proceſſu*

## CANONIZATIONIS.

B. ANDREÆ CORSINI EPISCOPI Feſulani.

*BEATISSIME PATER.*

RELATVRI S. V. vt ea nobis mandauit per ſuum reſcriptum, quid geſtum, quidq; probatum ſit, in cauſa canonizationis bon. mem. Serui Dei Andreæ Corſini q. Epiſcopi Feſulani animaduertimus ſępe euenire in huiuſmodi relationibus, vt vna eademque propoſitio pluribus locis vſurpetur, repetitis rationibus, & argumentis quibus ea confirmetur, quem laborem aut faſtidium, vt nos euitaremus, expedire viſum eſt, prę mittere generalia quædam principia huius materiæ, quæ vere totam canonizationis rationem in eo, quod ad praxim ſpectat conſtituunt, quibus ſemel adductis ac probatis, vteremur deinde quoties opus eſſet, & ſuo loco exhiberemus quaſi regula quadam, & lapide lydio ad diſcernenda omnia, quæ nobis oblata ſunt circa vitam, & miracula præclari huius famuli Dei, quo S. V. diſtinctius, & facilius rem totam cognoſcere, & quid ſibi ſuper canonizationes viri iſtius ſtatuendum ſit deliberare poſſit: erunt igitur ſex partes relationis noſtræ. In primâ agemus de ſanctitate canonizandorum. In ſecunda de eorum miraculis. In tertia de modo probandi vtrumque. In quarta de ſanctitate Beati Andreæ. In quinta de eius miraculis. In ſexta de actis huius cauſæ, & legitima illorum confectione.

ORD. QVI SERVABITVR IN REFERENDO SANCTITATI SVÆ EXPONITVR PER MODVM PRÆLVDII.

## Pars Prima.

*De Sanctitate Canonizandorum.*

VT qui pro Sancto canonizari poſſit, ſanctum fuiſſe oportere indubitatum videtur, quandoquidem canonizatio non dat ſanctitatem, ſed illam tantum, quæ prius fuit in canonizando declarat, & facit obſeruari, qua ratione, vt ad canonizationem deueniri poſſit, probandam eſſe inprimis ſanctitatem concludunt omnes *in cap. 1. de reliq. & vener. ſanct. in cap. venerabilis de teſt. & in cap. nec mirum 26. quæſt. 5.* videndum igitur primo loco ſe offert quid ſit iſta ſanctitas, in quo conſiſtat, & quanta requiratur ad effectum, vt ſit locus canonizationi.

§. 1. VT QVIS PRO SANCTO CANONIZARI POSSIT DEBVIT FVISSE SANCTVS.

Sanctitas tam quoad comprehenſionem, quam quoad intentionem ſiue excellentiam large, & ſtricte accipitur, etenim quoad comprehenſionem ſanctitatis aliquando importat virtutem generalem, continentem omnes virtutes *ſanct. Auguſtin. libris de doctr. Chriſt. ſanct. Thom. 2. 2. quæſt. 81. articul. 8.* vbi late *Caiet. in comment.* aliquando refertur ad ſolam Charitatem *ſanct. Auguſt. lib. 1. de doctr. Chriſt. cap. 27.* ibi ille ſancte viuit qui ordinatam habet Charitatem, &c. aliquando ad ſolam

§. 2. QVID SIT SANCTIT. QVÆ REQVIRITVR PRO CANONIZATIONE ALICVIVS SANCTI. DIVISIO VOCABVLI SANCTITATIS.

inſtitiam, *idem S. Auguſt.lib. de ſalut. docum.* ibi ſanctitas conſiſtit in operibus iuſtitiæ aliquando ad ſolam munditiam, & temperantiam à ſordibus carnis. *S.Thom.d. quæſt.81. art.8.* aliquando videtur conſiſtere in renunciatione bonorum temporalium, & diſtributione illorum inter pauperes Matth. c.19. *ſi vis eſſe perfectus, vade & vende omnia, &c.* aliquando deniq; diſtinguitur inter ſanctitatem animæ, & ſanctitatem corporis. *S.Aug.lib.de ſalutar.docum.c.9. ſanctitas*, inquit, *corporis eſt caſtitas, animæ vero charitas & humilitas.*

Quo autem ad intenſionem ſiue excellentiam ſanctitatis aliquando capitur ita ſtricte, vt ſolus Deus ſanctus dici poſſit; iuxta illud quod canit Eccleſia; *Quoniam tu ſolus ſanctus. Tu ſolus Dominus tu ſolus altiſsimus Ieſu Chriſte*, aliquando vero ita large, vt quilibet iuſtus ſanctus dicatur Pſalm.17. *ibi cum ſancto ſanctus eris.*

§. 3. SANCTITAS HOC LOCO QVOMODO A CANONISTIS ACCIPIATVR. *Probatio 1.*

Quod ſpectat ad rem noſtram Canoniſtæ locis ſupra citatis capiunt ſanctitatem large quoad comprehenſionem, vt ſcilicet canonizandus fuiſſe debeat præditus omnibus virtutibus, & ſtricte quoad excellentiam, vt ſcilicet in illis fuerit valde excellens; fundant autem eorum intenſionem præcipue *Hoſtien. Innocen. Ioan. Andr. & Butr. in d.capite primo. de reliq. & vener.ſanct.* In illo Eccleſiaſt, capite 44. *laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua, multam gloriam fecit Dominus magnificentia ſua à ſæculo. Dominantes in poteſtatibus ſuis homines magni virtute, & prudentia ſua præditi, &c. Laudemus viros*, ecce canonizatio ſanctorum quam facit Eccleſia quia non iubet Spiritus ſanctus laudari mortuos ad finem humanum *parentes noſtros*, ecce quod ſoli fideles canonizantur, quia pauciſſimis exceptis ſoli parentes Hebræorum tunc fuerant fideles, *multam gloriam* ecce excellentia canonizandorum, quos non ſufficit eſſe ſimpliciter glorioſos, id eſt bonos, ſed debent eſſe multum glorioſi, id eſt pluſquam boni. *Fecit Dominus* ecce quod bonitas, & excellentia debet eſſe à Domino, hoc eſt circa virtutes infuſas, nec ſufficiunt mere naturales, aut habituales *magnificentia ſua.* Ecce neceſſitas gratiæ pluſquam ſufficientis & particularis electionis, quia alias Dominus cum eis magnifice non egiſſet, ſed ſecundum ſuam ordinariam bonitatē. *A ſæculo* quod exponunt, *id eſt ab initio eorum conuerſionis vſq; ad finem*, ecce neceſſitas perſeuerantiæ. *Homines magna virtute prudentia ſua præditi, &c.* Ecce multiplicitas virtutum.

*Probatio 2.*

Rurſus quod canonizandus pro ſancto debeat fuiſſe præditus omnibus virtutibus, & in gradu excellenti quoad omnes virtutes, ſic probatur, ſancti ſunt membra Chriſti *S. Hieron. rela. in c. ſi quis hominem 11.q.3.* membra vero debent eſſe bene ordinata erga ſuum corpus alias eſſet monſtrum iuxta illud *Humano capiti ceruicem pictor equinam iungere ſi velit, &c.* vt quis autem dicatur bene ordinatus erga Chriſtum tanquam ſuum corpus, debet non ſolum eſſe bene ordinatus erga illum immediate, ſed etiam mediate, nempe erga proximum & erga ſe ipſum propter Deum, vt patet ex præceptis Decalogi, quorum aliqua ducunt hominem immediate ad Deum, vt illud *non habebis Deos alienos coram me, &c.* aliqua vero ad proximum, *vt non furtum facies, &c.* aliqua demum ordinant illum erga ſe ipſum, ſiue in ſe ipſo tantum, *vt non concupiſces, &c.* ſola enim concupiſcentia non nocet proximo ſed ipſum tantum concupiſcentem inordinat erga Deum. Immediate ordinamur per virtutes Theologicas, quæ propter hoc à verbo θεος theologales dicuntur, erga proximum autem & noſmetipſos per morales, quæ & cardinales, id eſt principales vocantur, quarum vna præcipue reſpicit proximum, quæ eſt iuſtitia; aliæ duæ noſmetipſos, nempe fortitudo, & temperantia, quarta tamquam moderatrix, & electiua medii, in quo conſiſtit virtus, *vt per Philoſoph. 2. ethic. cap. 6.* reſpicit omnes tres. Quinetiam ipſiſmet theologalibus famulatur, nam circa fidem poſſumus errare, porrigendo imprudenter aures falſis magiſtris & ſophiſticis eorum argumentis, circa ſpem præſumendo de bonitate Dei pluſquam conuenit, puta quod nec etiam perſeuerantes in peccato ſit puniturus, circa charitatem per zelum indiſcretum velut ſi quis priuatus exiſtimaret, ſe licite poſſe occidere blaſphemantem ſanctiſſimum Chriſti nomen, vel poſſe cum vno peccato etiam veniali conuertere ad fidem Chriſtianam totum mundum.

*Probat. 3.*

Rurſus etiam tertio probatur neceſſitas omnium virtutum, quia virtutes ſunt arma, quibus armamur contra tela hoſtis generis humani. Sanctus Paulus 13. ad Roman. *induamur arma lucis*, & 6. ad Epheſ. *Induite loricam ſumentes ſcutum fidei, &c.* latius Diuus Hieronymus *relat. in cap. niſi 23. quæſtione 5.* Cæterum quia tela hoſtis generis humani non ſunt omnia vnius naturæ, ſed ſeptemplicis, ſingulæ enim virtutes habent ſua vitia oppoſita, vt docet *ſanctus Anton. in ſum. part. titul. 1. capite primo.* Ideo ſunt neceſſariæ omnes virtutes, quibus aduerſus ſingula vitia noſmetipſos tueamur, quia alias ſicut vulnus illatum ab vno telo occidit totum corpus; ita per lapſum in vno vitio omnium rei eſſemus iuxta *illud ſanct. Iacobi relat. in cap. conſideret diſtinctione 5.* vnde vnam virtutem ſine aliis eſſe non poſſe, concludit *ſanct. Thom. 12. quæſt. 65. artic. 1.* & hunc ſenſum habuerunt maiores noſtri in relatione S. Franciſcæ *in fin. primi articul. part. 2.* vbi concluſerunt, *illum vere ſanctum dici poſſe, qui omnium virtutum generibus decoratur.*

§. 4. QVOMODO INTELLIGENDA SINT PRÆDICTA DE NECESSITATE OMNIVM VIRTVTVM IN SANCTIS.

Quod autem præmiſimus de neceſſitate omnium virtutum, explicauimus ſolum in theologicis moralibus, nam virtutes mere intellectuales, vt ſapientia, ſcientia, & ſimiles improprie, & largo modo dicuntur virtutes, cum non perficiant hominem, quoad voluntatem, in quo conſiſtit vera virtus, & ſanctitas, ſed tantum quoad intellectum, vnde illas habentes poſſunt eſſe mali, vt late explicat *ſanct. Anton. in ſua ſum. part. 4. in princip.*

CIRCA THEOLOGICAS VIRTVTES QVISQVE CHRISTIANVS DEBET OPERARI.

Illud etiam non prætereundum exiſtimamus circa neceſſitatem omnium virtutum, nempe quod circa Theologicas quiſque Chriſtianus nedum Sancti, eſt obligatus operari, ex quo nunquam defuit obiectum, hoc eſt ipſe Deus. circa vero morales diſtinguendum eſt inter abſtinentiam, & operationem, in quibus conſiſtunt iſtæ virtutes, iuxta illud Pſalm. 33. *Diuerte à malo, & fac bonum circa* abſtinentiam quiſque eſt obligatus ſemper, & in omnibus eſſe virtute præditus, hoc eſt nunquam cogitatione, verbo, vel opere declinare in aliquod quod ſit vni ex prædictis virtutibus contrarium, alias omnium reus eſſet, per ea, quæ diximus ſupra circa operationem: ſubdiſtinguendum eſt, quia ad aliquas operationes tenemur ſub pœna peccati, puta ex præcepto Eccleſiæ officio aſſumpto neceſſitate proximi in ſimilibus, & tunc non ſolum perfecti, ſed quilibet Chriſtianus tenetur operari, alias diuinam gratiam, & inde habitum virtutis amittit, aliquæ vero operationes non ſunt nobis iniunctæ ſub pœna peccati, & tunc abſtinendo ab illis non amittimus habitum virtutis, ſed bene deficimus in excellentia, quæ requirit bonam operationem quotieſcunq; ſe offert occaſio, vt mox dicetur.

Circa excellentiam in virtutibus non eſt dubium ſingulas virtutes habere ſuos gradus ita vt in illa vnus dicatur excellentior altero, quin vna & eadem perſona poteſt in dies proficere in eadem virtute vt late per S. Ant. *in ſum. part, 4. tit. 1. c. 4.* & habetur *in c. cum ſanctam diſtinct. 2.*

§. 5. NON DEBENT CANONIZARI NISI PERFECTI ET EXCELLENTES IN VIRTVTIBVS ET QVA RATIONE.

Quod autem pro ſanctis non debeant canonizari niſi perfecti, & excellentes in virtutibus apparet, quia canonizatio fit vel immediate, ob gloriam Dei iuxta illud Pſalm. 67. *mirabilis Deus in ſanctis ſuis*, vel mediate, nempe aut vt illos inuocemus pro noſtris mediatoribus apud Deum, vel vt imitemur eorum virtutes non diffidentes poſſe homines ope diuina ad perfectionis gradus peruenire, vel denique propter retributionem nempe in præmium, & re-

tribu-



tributionem ipſorummet canonizandorum, quæ omnia tandem reſultant in gloriam Dei, & hæc ſingula requirunt excellentiam in virtutibus, & ſpeciale meritum, quia alias in ſimplici virtute, & ordinario merito Deus non eſſet admirabilis pluſquam ſit in numero infinito Beatorum, quos certi ſcimus eſſe in Cœlis iuxta illud Ioan. in Apoc. c.7 poſt hæc vidi turbam magnam, quam denumerare nemo poterat, &c. nec iſti eſſent meliores interceſſores quam illi, aut magis imitabiles, vel mererentur iſtam particularem gloriam.

§. 6. EXCELLENTIA ISTA CONSISTIT IN CHARITATE.

Remanet igitur difficultas vt videamus in *quo conſiſtat iſta excellentia*, & certum eſt illam conſiſtere in charitate, quia vinculum perfectionis eſt charitas, vt dicit S. Paul. 3. *ad Coloſſ.* quod repetit S. Greg. *lib.7 moral.* & alibi dicit idem D. Paul. *finem præcepti charitatis eſſe verum.* quia in hac Eccleſia militanti ſunt neceſſariæ operationes *Iacob. c.2.* & late proſequitur *Sot. 2. de nat. & gratia à c.3. vſque ad octauum*, & de occultis non indicat noſtra Eccleſia *c.1. de clandeſt. deſponſ. Rom. conſ. 106. num. 11.*

QVIS DICATVR HABERE MAIOREM CHARITATEM. QVÆ DICANTVR MELIORES OPERATIONES.

Ideo illam dicemus habere maiorem charitatem, atq; inde perfectionem, qui meliores operationes facit, quam praxim nos docuit Chriſtus Magiſter in Euangelio Matth. c.7. *ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Illas vero dicemus eſſe meliores operationes, quæ nobis minus ſunt communes cum ethnicis, vt nos docuit Idem Magiſter noſter apud Matth. c. 5. ibi *Nam & hæc ethnici faciunt.* Illæ autem quæ nobis minime ſunt communes cum ethnicis, erunt in primis omnes operationes, quæ ſpectant ad virtutes Theologicas quarum peritiam minime habent ethnici, & inter morales etiam ſunt nonnullæ ſpecies ſeu gradus virtutum ad quos non peruenerunt ethnici. Dominus apud Matth. cap. 5. ibi *Ego autem dico vobis Diligite, &c.* Item profunda humilitas, quæ virtus fuit ignota ethnicis, vt docet Cried. ſuper D. Thom. 2.2. *quæſt. 161. articul. 1. in ſolut. 1.* & S. Aug. de virgin. cap. 31. dicit *ſolum Chriſtum fuiſſe illius Magiſtrum, & Doctorem.* Item virginitas virtus Chriſtiana appellari poteſt, quandoquidem non modo apud ethnicos minime fuit in pretio, ſed neq; apud Hebræos, vt docet S. Thom. 3 *p. quæſt. 8. articul 4.* per illud Exod. 23. *non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua.* & Deuteron. *non erit apud te ſterilis vtriuſq; ſexus.* Item maceratio carnis, & caſtigatio proprii corporis ſunt virtutes, quas non habuerunt ethnici & ſignanter perſeuerantia, & quod quis fuerit in omnibus ſui ſimilis eſt proprium virtutis Chriſtianę, nam infidelis homo bene poteſt viribus naturalib. facere aliquos actus virtutis, & etiam acquirere habitum in aliqua ſpecie virtutis, ſed non ſemper, & in omnibus, vt docet S. Anton. in ſua ſumm. *p.4. tit. 1. c.1. §. 8.* de quo late per eum.

§. 7. QVOMODO INTELLIGENDA SIT NECESSITAS VIRTVTVM ET PERSEVERANTIA IN SANCTIS.

Rurſus quod diximus de neceſſitate omnium virtutum, & perſeuerantia in illis intelligimus quoad illos, qui poſt ſuam conuerſionem habuerunt tempus operandi, nam certum eſt multos ob vnum actum perfectiſſimę charitatis in hora mortis fuiſſe canonizatos, vt de bono latrone ſancto Maximo, & Ianitore 40. Coronatorum, & aliis qui eodem tempore fuerunt conuerſi ad fidem Chriſtianam & paſſi martyrium legimus in Martyrologio.

§. 8. ALIA SANCTITATIS SPECIES.

Adeſt & alia ſpecies ſanctitatis illorum ſcilicet, qui nullum omnino actum virtutis operati ſunt adhuc infantes propter Chriſtum paſſi fuerunt Martyrium prout ſancti innocentes qui ſub Herode paſſi ſunt, de quibus per S. Aug. *lib. ſermon. de ſanct ſerm. 8. cum trib. ſeqq.* & de cauſa illorum venerationis, Spec. in rational. diuin. li. 7. c. 42, ſuper quibus nos inſiſtimus cum non faciant ad caſum noſtrum, ſed iam ad miracula properamus.

## Pars Secunda.

### *De Miraculis Canonizandorum.*

§. 1. CANONIZANDVS DEBET FE-CISSE MIRACVLA. PRIMA RATIO.

VLtra excellentiam in virtutib. requiri etiam quod canonizandus fecerit miracula concludunt omnes *in d. c. 1. de reliq. & vener. ſanct. & in cap. venerab. de teſtibus.* vbi ſatis hoc indicat littera in verbo *miracula* & ibi etiam not. *gloſſ.* cuius rei duplex aſſignari poteſt ratio. Prima eſt, quod multi in hac vita incedunt, *induti pellibus ouium, cum tamen intus ſint lupi rapaces* Matth. 7. adeo vt nec martyrium ſub prætextu Chriſti nominis ſupportatum ſit concludens argumentum ſanctitatis, cum & hoc poſſe fieri ob vanam gloriam indicet S. Paul. *Prælatus in cap. vide 1. quæſt. 1. vbi gloſſ.* & proinde vbi magis eſt periculum deceptionis euidentiora argumenta requirunt. *cap. vbi periculum de elect. in 6. cap. nu. 7. quæſt. 2. cap. quieſcamus 42. diſtinct.*

SECVNDA RATIO.

Secunda ratio eſt quia etiam ſuppoſita ſanctitate non omnes ſanctos vult Deus in hoc ſæculo canonizari, id eſt nominatim coli pro ſanctis, forte ne cultus qui per homines debetur ſanctis multitudine ſanctorum, & aſſiduitate exercitii vileſcat. Iuxta not. *in cap. epiſ. 80. diſt. & in cap. legimus ad fin. 93. Hoſtien. in dicto cap. 1. num. 10. de reliq. & vener. ſanct. gloſſ. in cap. vnic. verb. ſedis. verſ. 5. tu in infinitum, eod. tit. in 6.* vnde infinitorum martyrum & aliorum ſanctorum nomina ſunt nobis adhuc incognita.

Nec propterea tales ſancti non canonizati deſinunt habere ſuam mercedem in cœlis iuxta Auguſt. relatum *in cap. teneamus. 1. quæſt. 1. erant quidam Chriſtiani, &c.* expectandum igitur eſt, vt Deus ſuis ſignis oſtendat, & quis vere fuerit ſanctus, & quem velit pro tali in hac ſua Eccleſia militanti nominatim coli.

§. 2. DEFINITIO MIRACVLI. EXPLICATVR DEFINITIO.

Miraculum alii aliter diffinire, nos autem diffinimus, *vt ſit factum inſolitum ſupra vires vel præter ordinem totius naturæ creatæ.*

Diximus *factum* ad excluſionem nonnullarum illuſionum, per quas Dœmones, ac etiam homines vafri faciunt nobis videri factum, quod vere non eſt factum, de quo per S. Thom. 2. 2. *quæſt. 128. art. 2. & in lib. 3. contra gentiles c. 103. & 104.*

AD DVPLICEM EFFECTVM FIVNT MIRACVLA.

*Inſolitum*, quia ſolita nec re, nec nomine conueniunt miraculo, non re, quia miracula præcipue fiunt ad duplicem effectum nempe, vel ad confirmationem prædicationis verbi Dei iuxta illud Marc. cap. 16. *illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequen. ſignis*, vel fiunt ad denunciandam facientis ſanctitatem, vt infra dicetur; ſolita autem neutrum operantur, nam ex apparentia ſolitorum neq; confirmaretur ſermo verbi Dei, nec oſtenderetur ſanctitas facientis vt de ſe patet. Non etiam conueniunt nomine, quia miracula dicuntur ab admiratione quam ſecum afferunt, vt per Archid. *in d. c. nec mirum nu. 6. 26. quæſt. 5. Bart. tract. de Teſtib. verſ. qualitas ſiue ſubſtantia nu. 57.* ſolita autem non mouent admirationem: vnde ſanctus Aug. *libr. 10. de Ciuit.* Dei dicit *miracula viſibilium naturarum licet maiora ſint iis, quæ rara ſunt, attamen propter illorum aſſiduitatem non mouere admirationem.*

MIRACVLVM DICITVR AB ADMIRATIONE QVAM SECVM ADFERT.

*Supra* non contra, vt dicit *gloſſ. in cap. vnic. verb. Sedis Apoſtolicæ verſicul. ſecundo, quod ſi contra naturam de reliq. & vener. ſanct. in 6. cum concord.* quia miracula fiunt à ſolo Deo, vt infra dicetur. Natura autem non contrariatur ſuo creatori, ſed cum illo eſt in ordine obedientiali; & illi libenter cedit, *cap. cum Martæ. §. requiſiſti* ibi cedit natura miraculo de *celebrat. Miſſ. not. ſpecis S. Thom. part. 1. q. 110. art. 2. S. Aug. lib. 3. de trinit. cap. 8. Archid. in cap. nec mirum. num. 6. verſic. & dicitur* miraculum Bellam. *num. 3. 26. quæſt. 5.* Ioan. Andr. *in cap. 1. num 4. Butr. num. 7. de reliq. & vener. ſanct. Ioan. Monac. in c. 1. num. 11. de confeſſ. in 6.* Caſtellan. *in tract. de canoniz. ſanct. Ioan. Monach. in cap. 1. n. 11. de confeſſ. in 6. Caſtellan. in tract. de canoniz. ſanct. q. 6. princip. verſ. ſecundum quod ſit Simonett. in relat. S. Franciſci de Paula §. illud tamen.*

*Vires* quia nihil eſt quod poſſit facere natura, quod miraculum dici poſſit, ſiue hoc procedat ex ſingulari artificio hominis, prout de columba lignea volante Archimedis, & æneis ſerpentibus ſibilantibus Boetii legitur apud Gellium *lib. 10. c. 12.* Caſſiod. *lib. 1. variar. epiſt. 45.* ſiue hoc fiat ex veloci operatione facta per Dœmonem applicando actiua paſſiuis de quo per S. Thom. *part. 1. q. 114. artic. 4. ad ſecundum.*

Præter

Præter ordinem nam multa ſunt miracula, quæ proprie non poſſunt dici ſupra vires naturæ; ſed tantum præter ordinem, nam natura indies illud facit, ſed non eo ordine: exemplum eſt in febricitante in inſtanti ſanato, quod pro miraculo eſt canonizatum, & in ſocru Petri, de quo *Luca c.4.* & in multis modernis canonizationibus. Natura enim in dies pellit febrim, ſed non illo ordine hoc eſt in inſtanti; de quo infra in gradibus miraculorum agetur.

*Totius natura* quia multa præter ordinem vnius naturæ contingunt, quæ non ſunt miracula, cum ſint ſecundum ordinem alterius naturæ, vnde non fuit miraculum eleuatio corporis Simonis Magi per aera, de quo per *Egeſip. libro 3. de excid. Hieroſolym. cap. 2. Sur. de vit. ſanct. in vit. ſanct. Petr.* neq; minus corporalis transportatio ſtrigarum, de quo late per bon. mem. Pæniam collegam noſtrum *in direct. parte 2. comment. 68. liter. R.* Nam licet hoc ſit præter vel ſuper naturam humanam, non eſt tamen præter vel ſupra naturam Dœmonis qui hoc operatur.

*Creatæ*, quia nihil eſt ſupra vires naturæ increatæ, id eſt Dei omnipotentis, vnde reſpectu illius, nihil poteſt dici miraculum, vt concludunt *ſanct. Thom. parte 1. quæſt. 105. articul. 8.* Caſtell. *de canoniz. ſanct. quæſt. 6. verſic. interdum in fin.* & maiores noſtri *in relatione ſuper proceſſu ſanct. Raymundi artic. 6. verſ. alterum parte 2.* Item diximus *creatæ*, quia non eſt dubium, quod Deus poteſt creare nouas naturas iuxta illud Auguſt. lib. 21. de Ciuit. Dei, *ſicut non fuit Deo impoſſibile; quas voluit naturas inſtituere, ita ei non eſt impoſſibile*, inquit, *quod voluerit quas inſtituit mutare.* hæc ille, vnde infertur, quod licet quando Dominus noſter Ieſus Chriſtus inſtituit ſanctiſſimum ſacramentum Euchariſtiæ, Baptiſmi, & aliorum fecerit maximum miraculum, dando illam admirabilem naturam ſiue vim illis, *Hoc eſt corpus meum*, & illis *ego te baptizo*, & aliis quæ in confectione ſacramentorum, quaſi non poſſunt dici nouum miraculum, quia ſunt effectus reſultantes ex antiqua inſtitutione illius ſanctiſſimi ſacramenti.

§. 3. SOLVVNTVR QVÆSTIONES DE QVIBVSDAM SANCTORVM MIRACVLIS.

Ex quibus poſſet reſolui quæſtio quæ alias occurrit de facto, nempe *an ebullitio ſanguinis ſancti Ianuarii in ciuitate Neapolitana vel fluxio manna ex ſepulchro S. Nicolai Baren. vel excreſcens vnguis S. Catheriæ Bonon. ſeu mirabilis incorruptio, & ſuauis odor, qui ex corpore plurimorum ſanctorum indies emanat poſſit dici vnum miraculum, vel plura.*

Et per præfata includuntur omnia requiſita ad miraculum, de quibus *per gloſſ. in cap. 1. de reliq. & vener. ſanct. Hoſt. & Goffred. in ſumm. d. tit. num. 3. Bellam. in cap. venerabilis de teſtib. numer. 3. Caſſan. in cathal. glor. mund. parte 3. conſid. 49.*

Nam primum quod ſit ex Deo reſultat eo ipſo; quod eſt verum miraculum quia ſolus Deus poteſt facere miracula, vt ſupra dictum eſt.

Secundum requiſitum, quod ſit ſupra vires naturæ, comprehenditur in verbis noſtræ diffinitionis.

Tertium, quod non ex vi verborum includitur per illud, quod iam diximus ſuper verbo creatæ.

Quartum quod ad corroborationem fidei vere non videretur neceſſarium, cum poſſit dari caſus, quod miracula fiant, ad alium finem, nempe ad denunciandam intercedentis ſanctitatem Beda *relat. in cap. quærendum, de pœnit. diſtinct. 2. ſanct. Thom. 2. ſecunda quæſt. 178. art. 1.* Bellam. *in c. nec mirum 26. quæſt. 5. num. 10.* qualia videntur eſſe miracula, quæ in dies fiunt inter Catholicos quorum reſpectu miracula non eſſent neceſſaria, iuxta illud Iſidor. lib. 1. de ſum. bon. *miracula*, inquit ille, *in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus, quia ſignum fidelib. non eſt neceſſarium qui iam crediderunt, ſed infidelibus, vt conuertantur Vnde Paul. pro non credentium infidelitate patrem Publii* de infirmitate febris curat, *infirmantem vero Timotheum, fidelem non oratione ſed medicinaliter curat, vt noueris miracula pro incredulis, non pro fidelibus fieri*, hæc ille.

§. 4. AN DE SVBSTANTIA MIRACVLI SIT VT FIAT IN INSTANTI. RESPONDETVR.

Controuerſia eſt inter Doct. *An de ſubſtantia miraculi ſit quod fiat in inſtanti*, de quo per Archid. *in cap. nec mirum num. 8. verſic. ſed quæro. An ſit neceſſe.* Bellam. *num. 5. 26. q. 5. Gemin. in cap. vn. num. 17. de reliq. & vener. ſanct. in 6.* Troil. Maluet. *tract. de canon. ſanct. dub. 3. num. 51.* late Caſtell. *eod. tract. quæſt. 6. verſic. quæro an ſit neceſſe.* Nos fœdere diſtinctionis opiniones conciliari poſſe exiſtimamus, nempe quod aut natura cum proceſſu temporis poterat cauſare illud factum, de quo quæritur, An ſit miraculum puta ſanare infirmitatem, & tunc de ſubſtantia miraculi eſt quod fiat continuo, ac ſtatim; alias non erit miraculum, cum poſſit eſſe, quod ſanatio proceſſerit ex operatione naturæ, ex qua poſſibilitate excluditur miraculum; ſaltem quoad probationem *ad l. non hoc. C. vnde legit. cum concordan.* vltra quod in iſto modo operandi non concurrit inſolitum, quod eſt vnum ex requiſitis miraculis vt ſupra demonſtratum eſt. Quod tamen diximus neceſſarium eſſe, quod fiat illico intelligendum eſt cum temperamento, nempe ſufficere, quod incontinenti recedat morbus principalis, licet remaneat conſequentia morbi, puta laſſitudo, cicatrix, & ſimilia, vt fuit ponderatum in pluribus relationibus in hac materia factis, & ſignanter *in relatione ſancti Raymundi p. 2. art. 5. verſ. quod ſi quandoq;* aut vero factum non erat tale, quod poſſet per naturam ex interuallo temporis contingere, puta illuminatio cœci à natiuitate, reſurrectio mortui, & ſimilia, & tunc etiamſi intercedat interuallum temporis, non videtur ceſſare vis miraculi, quia qualitas corporis cum minime conferat ad actum nullius eſt conſiderationis *Iuxta not. per Abb. in c. ad aures num. 2. Dec. num. 3. de reſcript.* Calder. *conſ. 10. eod. tit.*

§. 5. SOLVITVR ET ALIA QVÆSTIO NEMPE AN DE SVBSTANTIA MIRACVLI SIT VT NVLLVM REMEDIVM HVMANVM OMNINO FVERIT ADHIBITVM.

Et eadem diſtinctione ſolui poteſt alia quæſtio. *An de ſubſtantia miraculi ſit, quod nullum remedium humanum omnino fuerit adhibitum*, nempe vt inſpiciatur an illud remedium eſſet aliquo modo proportionabile ad producendum illum effectum, quod ſi non eſt, minime tollit vim miraculi, & proinde nec puluis qua vſus fuit Dominus noſter in illuminatione cæci, de qua *per Ioan. cap.* necnon pallium quo vſus fuit S. Franciſcus de Paula & S. Raymundus in transfretando mari, ſuſtulerunt vim miraculi, quia nullam habebant proportionem ad illa facta; & multo minus tolleat vim miraculi remedia adhibita poſt ſubſtantiam facti, ad tollendum reliquias morbi, de quo per *Maluet. tract. de canoniz. ſanct. 3. dub. num. 92.*

§. 6. SOLVITVR ALIVD DVBIVM AN DOLOR QVI PLERVMQVE INTERVENIT IN MIRACVLOSA SANATIONE TOLLAT VIM MIRACVLI.

Similiter occurrit dubitare *An dolor, qui plerumq; interuenit in miraculoſa ſanatione, vt eueniſſet in modernis proceſſibus, in hac materia factis paſſim legitur, tollat vim miraculi*, & pro affirmatiua allegatur, quod Deus, qui ſolus facit miracula non habet opus ſeruare modum, quo natura plerumq; vtitur in expulſionibus morborum, vt ſcil. fiant cum dolore, vt ad propoſitum animaduertit *Troill. tract. de canoniz. ſanct. dub. 3. num. 52. & 54.*

Item quod Deus ſolet eſſe in ſuis liberaliſſimus, & Spiritus S. cui principaliter attribuuntur miracula *c. de ſpiritu de conſecrat. diſtinct. 5. cap. quærendum de pœnit. diſtinct. 2. Caſſan. Cathal. glor. mund. conſid. 49. verſ. 1.* quod ex Deo dicitur ſpiritus conſolationis: dicitur enim Paracletus, quaſi conſolator *gloſſ. interlinealis ſuper Ioan. cap. 14.* vnde poſſet dubitari, An tale factum proceſſerit operatione diuina, contrarium tamen reſoluerunt maiores noſtri in relatione ſuper *proceſſu ſancti Caroli parte 3. mirac. 2. poſt mortem in fin. & noſmetipſi in relatione ſuper proceſſ. Beatæ Theretiæ art. 4. ſuper 11. mirac. poſt mor. in fi.* quod ſc. dolor non tollat vim miraculi, ex quo nec cum dolore poteſt natura operari illud factum, & dolor ea forte ratione relinquitur, vt in memoriam peccatorum iuxta *illud Geneſ. c. 3. in dolore paries filios:* quaſi quod ſic ſanati, debeant recordari morbum illum ſibi contigiſſe ratione peccati, ſi non actualis, ſalutem originalis.

§. 7. DE GRADIBVS MIRACVLORVM.

Solent etiam Doct. ponderare gradus miraculorum, vt ſc. illud maius dicatur miraculum, quod magis excedit vires naturæ *S. Thom. 1. p. quæſt. 105. articul. 8.* & maiores noſtri *in relatione ſuper proceſſu S. Raymundi art. 6. de grad. miracul. verſ. alterum p. 2. S. Franciſcæ p. 3. verſ. quarto permittendum eſt, & S. Caroli p. 3. de miracul.* & conſequenter,

quanto





quanto maiora erunt miracula concurrente probatione ſanctitatis, vt diximus ſupra, tanto euidentius conſtabit, & de ſanctitate canonizantium, & de voluntate Dei, quod canonizetur. Canoniſtæ conſtituunt duos gradus miraculorum, vt primus ſit quoad factum id eſt illud cui natura penitus repugnat quod fiat, puta quod ſol ſtet, alterum quoad modum, puta quod febricitans confeſtim ſanetur, non enim repugnat naturæ, quod febricitans ſanetur, cum mille febricitantes ſingulis menſibus ſanentur, ſed repugnat modo, hoc eſt, quod extemplo ſanetur ita *Archid. in c. nec mirum 26. q. 5.* quem alii paſſim ſequuntur.

Theologi autem inter iſtos duos conſtituunt vnum gradum medium quod vocant in ſubiecto, ſiue in eo, in quo exemplum dant in reſuſcitatione mortui, & illuminatione cæci: poteſt enim natura dare vitam, & lumen, ſed non cæco, aut mortuo ita *Sanctus Thomas p. 1. quæſtione 115. articulo 8. vbi Dominicus Banes idem S. Thom. libro 3. contra Gentiles c. 100.* Priorem opinionem ſcilicet quod duæ ſint tantum ſpecies ſequutus fuit. *Iaſ. Simonett. in relat. ſuper proceſſ. Sancti Franciſc. de Paula.* ſed poſterior, quod ſcilicet ſint tres placuit maioribus noſtris *in relatione Sancti Raymundi part. 2. articulo 6. & Sanctæ Franciſcæ, part. 3. art. 1. verſ. quarto præmittendum eſt: & ſancti Caroli part. 3. de miracul. in genere verſ. quarto licet*, & nobiſmetipſis in *relatione Beatæ Thereſæ* vnde nunc illam ſequimur.

§. 8. PRAXIS DISCERNENDI VERA MIRACVLA A NON VERIS.

Vlterius per *S. Thom. part. 1. quæſt. 114. art. 4. ad tertium argum.* datur praxis diſcernendi vera miracula à non veris, nempe efficacia, vtilitate, & fine, quam differentiam bene explicat *Toſtatus in Exod. cap. 7. quæſt. 11. verſicul. differunt ſigna*, quibus credimus addi poſſe qualitatem perſonæ, quæ facit miraculum, nempe ſi ſit aliunde probata in Catholica fide præſtans, in operibus iuſta, in moribus excellens, quia tunc facilius concludi poteſt, quod ſit miraculum Dei, non autem opus Diaboli, cum quo tales homines non habent commercium, immo vt dicit ſanctus Gregorius libro 24. moral. *Diabolus illis tanto eſt infeſtior, quanto videt illos poſſe ſua virtute aliis prodeſſe.* Et hæc in quantum dubitatur *An ſit opus Diaboli*, ſed quando dubitatur an ſit opus naturæ: exempli gratia quidam præcedente inuocatione alicuius, qui pro ſancto datur, reperitur ſanatus, dubitatur an ſit miraculum, hoc pendet ab eo an infirmitas ſecundum ordinem naturæ eſſet abſolute incurabilis, vel ſaltem non eo modo curabilis, tunc dicimus eſſe recurrendum ad peritos, & illis ſtandum: iuxta notata per ſcriban. *in cap. fin. de frigid. & maleſic.* & ſi alia miracula eiuſdem inuocati fuerunt clare probata, facilius admittitur, & hoc fuiſſe miraculum arguendo à conſuetis, *vt per ſcriben. in cap. prudentiæ in princip. de offic. deleg. & in l. ſi quis donatus vbi gloſſ. verb. vſitatum ff. de vſufr.*

§. 9. SOLVTIO DVBII AN MIRACVLA PER MALOS POSSINT FIERI.

Amplius quæritur *An miracula poſſint fieri per malos* ſuper quo illud in primis aduertendum eſt, quod licet *Doct. & textuſmet in dicto capitulo primo, de reliq. & vener. ſanct.* paſſim vtuntur hoc modo dicendi, quod homines faciant miracula, veritas tamen eſt, quod ſolus Deus facit miracula, & homo, cuius interceſſione fit deſeruit tantum pro inſtrumento *Sanct. Thom. 2. 2. quæſtione 178. articulo 1. ad tertium, & articulo 2. in corpore, & ad ſecundum*, & facit illud Pſalm. 135. *Qui facit mirabilia ſolus.* Quod pertinet ad propoſitam quæſtionem concluditur etiam malos quandoque facere vera miracula *cap. teneamus vbi Archid. numero tertio, Turrecrem. numero primo, Bellam. num. 2. prima quæſt. 2. Sanct. Thom. 2. 2. quæſtione 178. articulo 2. gloſſ. in cap. vnico. verſicul. Sedis Apoſtolicæ verſiculo 1. quod ex Deo de reliq. & venerat. ſanct. in 6. Hoſtien. & alia ſup. alleg. cap. 1. eod. titul. Aretin. in cap. venerabilis. numero ſecundo. de teſtibus Caſſan. Cathal. glor. mund. conſil. 49. verſicul. 1.* quod ex Deo, quod prouenit, vel ex omnimoda fide, quæ poteſt ſine charitate operari miracula iuxta illud D. Paul. 1. ad Corinth. *& ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum*, vel ob virtutem ſanctiſſimi nominis Chriſti inuocati, *vt per Hieron. ſuper illo Matth. c. 7.* nonne *in nomine tuo multas virtutes fecimus*, vel ob confuſionem, & iuſtiorem condemnationem facientis, vt de Prophetia Caiphę *S. Hieronym. vbi proxime ſupra* quod tamen procedit in vita, nam poſt mortem non niſi ſancti faciunt miracula vt infra dicetur.

§. 10. SOLVITVR ET ALIA QVÆSTIO AN SVFFICIAT CANONIZANDVM FECISSE VNVM MIRACVLVM AN VERO REQVIRANTVR PLVRA.

Occurrit etiam dubitare, *An ſufficiat canonizandum feciſſe vnum miraculum vel potius requirantur plura*, & quicquid de iure dici poſſet, placuit praxis, quod debeant expectari plura, *vt per Archidiaconum, in cap. nec mirum 26. quæſt. 5. num. 7, vbi Bellam. num. 4. verſicul. & nota Maluet. tract. de canoniz. ſanct. dub. 3. num. 60.* & tenuerunt maiores noſtri *in relat. ſuper proceſſu ſancti Hiacinthi tit. de miracul. verſic. iure etiam merito*, cuius ratio eſſe poteſt, quia in geminatis non cadit error, ſicut poteſt cadere in vno actu, vel circa ipſum factum, nempe quod vere ſit miraculum, vel circa interceſſorem, vel circa cauſam interceſſionis, quod ſcilicet miraculum minime fuerit factum ad denotandam intercedentis ſanctitatem, ad quæ faciunt *not. in l. Baliſta. ff. ad Trebell. gloſſ. in §. & hoc vero Auth. vt mille Iud. & in c. 1. verſ. noſcatur de conſtit. in 6.*

§. 11. RESPONDATVR ALTERI QVÆSTION. AN SVFFICIANT MIRACVLA FACTA PER CANONIZANDVM IN EIVS VITA.

Rurſus diſputari ſolet *An ſufficiant miracula facta per canonizandum in eius vita, abſque eo, quod probentur facta poſt mortem*, & in hoc placuit, quod non ſufficiant miracula in vita, quam etiam maiores noſtri ſequuti fuerunt in *relatione ſuper proceſſu ſancti Hiacinthi c. 2. verſ.* quibus addimus, *& ſanctæ Franciſcæ part. 3. art. 1. verſic. quinto promitten.* & ratio eſt, quia in vita etiam mali quandoque faciunt miracula vt ſupra dictum eſt, vnde non eſt concludens argumentum ſanctitatis: poſt mortem autem non niſi ſancti faciunt miracula vt videtur ſentire *ſanct. Thom. 2. 2. quæſt. 178. art. 2.* ceſſant enim rationes ſupra ponderatæ, ob quas mali faciunt vera miracula, poſſet enim eſſe quod non fuerint vera miracula, ſed illuſiones diabolicæ, vt mediante illo, ad cuius interceſſiones fiunt, homines adducantur in aliquem errorem, *vt de Geſt. per Simonem Magum & de gerendis per Antichriſtum legitur:* poſt mortem autem ceſſat iſtud periculum, quando ille ad cuius inuocationem fiunt, nullum reliquit malum dogma, vel exemplum per quæ poſſent fideles in errorem adduci. Præterea dato quod miracula in vita fuerint vera miracula, & qui fecit, fuerit illo tempore in ſtatu perfectionis, potuit recedere à vita ſalutis ante mortem, vnde legimus 3. *Reg. c. 3.* de Propheta miſſo ad Roboam, qui apud illum fecit tria miracula, & poſtea ſeductus à quodam falſo Propheta contra præceptum Dei manducauit apud eundem Roboam, propter quam inobedientiam paulo poſt in itinere occiſus fuit à leone. propterea concluditur requiri miracula quæ arguant ſanctitatem de tempore mortis. Ad illum autem quod diximus miracula non fieri per malos poſt mortem, non obſtat, quod *textus dict. cap. 1. de reliq. & vener. ſanct.* Loquens de occiſo in ebrietate, ſubdat illa verba *ibi etiamſi per eum miracula fierent*, vnde videtur ſupponere, quod miracula per malos etiam poſt mortem poſſint fieri, quia textus ibi accipit miraculum largo modo, nempe pro portento, & illuſione diabolica, quæ videntur miracula, cum vere non ſint, quod ſentit *gloſſ. ibi ſuper verbo miraculum, quæ alleg. pro concordan. text. in cap. teneamus 1. quæſtione 1.* qui textus expreſſe loquitur de miraculis Magorum Pharaonis & Simonis Magi quæ certe non erant miracula, demum illud omnino iudicari volebat Papa *dict. cap. 1.* non fuiſſe venerandum pro ſancto illum occiſum in ebrietate etiamſi per eum ſibi viderentur fieri miracula, quia vere non fuerint miracula, ſed illuſiones Diabolicæ, forte operatæ eo fine, vt populi non haberent pro malo ebrietatem, in qua ille homo occiſus fuerat, vel etiam Papa vſus fuit verbo miraculo ad tollendas iaculationes, quaſi dicat ſiue ſit, ſiue non ſit verum miraculum, non licet vobis quenquam venerari pro ſancto ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſed non propterea ex ſuppoſito inferendum eſt ad aſſertionem

affir-

affirmatiuam, quando ſequeretur abſurdus intellectus *ad l.nam abſurdum ff.de bon.libert.cap. in Geneſi de elect.*

Verum licet miracula in vita non ſint omnino, concludens argumentum ſanctitatis illorum tamen fuit ſemper habita magna ratio in canonizationibus noſtri temporis, quia miracula regulariter non fiunt per malos. Iuxta illud *Ioan.cap.9.relat.in cap.verum. diſtinct.2. ſcimus quia peccatores non exaudit Deus & dicit Beda relat. in cap. quærendum de pœnit. diſtinct.2. quod Spiritus ſanctus illa operatur vt interceſſores, quales intus ſunt foris appareant*, vnde quando operationes non diſcrepant ſunt magnum argumentum ſanctitatis vt dicit *Anchar. in cap. venerabilis num.2.de teſtib.* qua occaſione oritur alia dubitatio.

§. 12. ALIA QVÆSTIO ENVCLEATVR AN VLTRA MIRACVLA POST MORTEM DE NECESSITATE REQVIRANTVR AD CANONIZATIONEM MIRACVLA IN VITA.

*An vltra miracula poſt mortem de neceßitate requirantur ad canonizationem iſta miracula in vita*, & licet *gloſſ. in cap.vnic. ver. Sedis Apoſtolicæ verſic. quærendum etiam eſt de reliq. & vener.ſanct.in 6. Sil.in ſum.verbo canonizatio num.1. verſic.requiritur etiam Hoſtien. in ſum.de reliq. & ven.ſanct.numer.3. verſic. Item quærendum eſt. Bellam.in cap. Venerabilis num.2. verſ.4.nota de teſtib.Troil. Maluez.tract.de canoniz.ſanct.dub.3.num.73.* tenuerunt pro affirmatiua, nos tamen credimus veriorem eſſe negatiuam quam *S.Thom. 2.2.q.178. art.2.ver.2.aut Caſſan.catal.glor.mundi p.3.conſid.49.in prin. Pacin.in relat.canoniz.ſanct.Bernar.Senen.p.2.art.3. & maiores noſtri in relatione ſuper proc.S.Hiacinthi c.3. verſ. quibus addimus S.Raymundi.p.2.art.7.verſ.nos licet S.Franc.part.3. art.1.verſ.5.permittendum & S.Caroli part.3.verſ.veritas eſt*, quam etiam nos ipſi ſequuti fuimus in relatione ſuper proceſſu *B.Thereſiæ in princip.verſ. & quamuis* cuius ratio eſſe poteſt illud quod dicit. *S.Auguſt.lib.83.q.79.tom.4.* nempe quod *in vita Deus de facili non operatur miracula per interceßionem ſanctorum ne infirmi decipiantur extimantes eſſe maius bonum miraculum, quam opera Iuſtitiæ quæ iidem ſancti faciunt*: vnde veneramur pro ſanctis, Alexium Romanum, & alios quorum ſanctitas fuit incognita eorum vita durante, quod eſſe non poſſet ſi neceſſaria eſſet operatio miraculorum in vita, quod ſi illa fuiſſent, innotuiſſet illorum ſanctitas, vnde prudenter etiam Eccleſia laudat virtutes ſanctorum in vita, & miracula poſt mortem illis Carminibus:

*Qui pius prudens humilis pudicus*
*Sobrius, caſtus fuit & quietus.*
*Vita dum præſens vegetauit eius*
*Corporis artus.*
*Ad ſacrum cuius tumulum frequenter*
*Membra languentum modo ſanitati*
*Quolibet morbo fuerint grauata*
*Reſtituuntur, &c.*

## Pars Tertia.

### *De modo probandi ſanctitatem, & Miracula Principum.*

SAtis diximus de iis, quæ requiruntur in illo qui pro ſancto debet canonizari, cæterum quia in iure noſtro paria ſunt non eſſe & non apparere *l.penult.ff.de probat.cap.pr.iuncto c.laudabili de frig.& malef.* & quod non eſt de actis recte negatur eſſe mundo *Caſtren.in l.ait prætor §. ſi Iudex verſ. & probo ff. de re Iud.* Ideo ne quid in hac quæſtione deſideretur neceſſarium videtur agere de probatione non quidem in genere, & prout iſta materia eſt communis cum aliis, quia eſſet reuoluere immenſum Pelagus probationum, ſed de quibuſdam ſingularibus, quæ occurrunt in materia canonizat.

IN PROBATIONIBVS SANCTITATIS TRIA CONSIDERANDA.

In probationibus tria ſolent præcipue conſiderari. *Primum quod probatio ſit legitime propoſita nempe coram habente poteſtatem illam recipiendi citatis citandis cum ſimilib. Secundum quod ſit perfecta in genere ſuo. Tertium eſt, quod materia de cuius probatione agitur ſit probabilis per illud genus ſeu gradum probationis.*

### *De prima Conſideratione.*

§. 1.

§. 1. QVÆST. 1. AN PROBATIONES FACTÆ CORAM ORDINARIO SVFFRAGENTVR AD EFFECTVM CANONIZATIONIS.

Circa primum *quod* ſcilicet *probatio ſit legitime propoſita.* Primo occurrit dubitare an *probationes factæ coram Ordinario ſuffragentur ad effectum canonizationis.* Rationem dubitandi facit, quod actus canonizationis ſine dubio eſt de reſeruatis Papæ *cap.1.& ibi gloſſ.verſ.miracula Innoc. num.2.Hoſtien.num.3.& 7.cum pluribus ſeqq. Plut.num.7.de reliq.& vener.Gemin.in cap.vnic.num.11.eod.tit.in 6.Bellam. & Aret.in cap. Vene.in primo not. ante num.1. de teſt. Caſtell. tract.de Canoniz.ſanct.q.p.verſ.per Papam, & latius q.3. verſ. contrarium cum plur.ſeqq.Troil.Maluet.eod.tract.dub.2.* vnde videtur quod proceſſus tanquam neceſſarium antecedens canonizationis (regulariter enim iudicatur ſecundum acta, & probata *l.illicitas.§.veritas.vbi Bar.& alii. ff.de off.præſid.*) ſit & ipſe reſeruatus, neceſſarium enim antecedens ſolet determinari ſicut ſuum conſequens *l.2.ff.de iuriſd.omn.Iudic.l.illud ff.de acq. hæred.* Item cauſa propter quam ſummis Pontificibus ſit reſeruata, Canonizatio videtur eſſe ne in materia tam graui concomitetur error, verum error canonizationis poteſt oriri etiam ex proceſſu, quia regulariter canonizationes fiunt ſecundum acta, & probata, vt dictum eſt, ergo id Ius debet conſtitui circa proceſſum quod circa canonizationem *ad l. illud ff. ad l. Aquil.cum concord.* In contrarium dicitur quod Epiſc. eſt Iudex competens in qualibet cauſa occurrente in ſua Diœceſi *cap.cum contingat de foro compet.c.conquerente,& ibi gloſ.verſ.Iuriſd.de off.Iudic. ordin. c.cum Epiſc.eod.tit.in 6. c.omnes Baſilic.16.q.7.Bellam. conſ.6.n.4.Verall.deciſ.306.parte prima.* Et proinde cum non reperiatur Papæ fuiſſe reſeruatum pluſquam actũ canonizationis cætera remanent in diſpoſitione Iuris & ſic coram ordinario *ad l.commodiſſime ff.de liber. & poſthum.* Neceſſe eandem rationem in proceſſu, quam in canonizatione quia in canonizatione poteſt dici, quod ideo Papæ ſit reſeruata quia debet facere ius in vniuerſa Eccleſia Catholica, vnde non erat conueniens quod fieret per particulares Epiſcopos, quibus extra ſuam Diœceſim nulla debetur obedientia, & propterea potuiſſet euenire, quod quis in vna Diœceſi fuiſſet cultus pro ſancto, & in alia fuiſſet deteſtatus pro malo quod eſſet mali exempli in Eccleſia Dei, & durum videtur dicere quod diffidere debeamus de omnibus ordinariis quib. ex diſpoſitione Diuina ſalus tot millium animarum eſt commiſſa, & ad illud quod ordinarii poſſint errare circa proceſſum, reſpondetur, quod ideo nõ errabit Papa in canonizatione, quia verior videtur opinio, quod Papa cui aſſiſtit Spiritus ſanctus in iis quæ concernunt ordinationem vniuerſalem Eccleſiæ Catholicæ, non poſſit errare in faciendis canonizationibus, *de quo per Troill.Maluet.de canon. §.aggredior num.46. late Ambroſ.cat.de certa ſanctorum gloria lib. primo per totum Domin.Bannes.2.ſecundæ quæſt.prima art.10.dub.7. D.Card. Bellarm.de ſanct.beat.lib.1.cap.9.* & propterea proceſſus ordinariis poterunt deſeruire pro illa diligentia humana, quam Papa tenetur facere etiam circa ea, in quibus non poteſt errare *de quo per Bannes 2.ſecundæ quæſt.1.d.art. 10.dub.2.*

RESPONDETVR AD QVÆSTIONEM.

Nos in hoc articulo ſequimur mediam opinionem, quam in effectu poſtremo loco ſequuti ſunt maiores noſtri *in relatione ſuper canonizatione S.Caroli in præmißis in verſ. quia Mediolan.* quod ſcil. probationes factæ coram ordinariis non reiiciantur, ſed cum illis ſolis non fiat canonizatio, ſed addatur proceſſus Apoſtolica authoritate fabricatus, qui ſi correſpondeat probatis coram ordinario ex omnib. ſimul iunctis proceditur ad canonizationem, hoc tamen quod diximus habendam eſſe rationem proceſſus fabricati coram ordinario intelligendum eſt, niſi Papa iam appoſuiſſet manus, quia tum non poteſt amplius inferior ſe intromittere *Mohed.deciſ. 9.num.5.& 6.de præben.Put.deciſ.158.l.1. Creſ.deciſ.ſecunda de Paroch.* quod autem diximus de non reiiciendis probationibus factis coram ordinario procedere etiam in

SI PAPA APPOSVERIT MANVS INFERIOR NON POTEST SE INTROMITTERE.





factis coram Vicario tenuerunt maiores noſtri *in relatione ſuper proceſſu S. Raymundi part.prima art. 2. verſ.quia omitto & verſ.Ideoq; & verſ. quod decretum.*

QVÆST. 2. QVIS SIT ORDINARIVS IN ISTIS MATERIIS SOLVITVR.

Secundo quæritur *quis ſit ordinarius in iſtis materiis* nempe vel ille in cuius diœceſi ſeruatur corpus canonizandi; vel in cuius diœceſi extat fama ſanctitatis, ſiue ſucceſſit miraculum examinandi. Nos credimus vtrumque eſſe competentem Iudicem, quia materia canonizationis eſt publica, cum reſpiciat gloriam diuinam iuxta illud Pſalm. 67. mirabilis Deus in ſanctis ſuis, & proinde videtur quod iure ordinario poſſit recipere probationes, quæ occurrunt in ſua Diœceſi cum quælibet Diœceſis ſit ſub Dominio illius de cuius gloria agitur iuxta illud Pſalmiſtæ: Domini eſt terra & plenitudo eius.

QVÆST. 3. AN DELEGATI IN HAC CAVSA PER SVM. PON. POSSINT SVBDELEGARE.

Tertio quæritur *an delegati per Summum Pontificem in hac cauſa poßint ſubdelegare*, & in hoc non recedimus à regula iuris, quod ſubdelegatus à Principe poteſt ſubdelegare *l.à iudice C.de Iudic. Clem.vnic.de off. deleg. c. 1 1. cui eod. tit.in 6. nedum extraneum Iudicem* vt quotidie ſubdelegantur in remiſſoriis, ſed etiam poſſunt Iudices ſubdelegati ſe ad inuicem ſubdelegare, vt in ſpecie tradit *Caſtill. tract. de canoniz. ſanct. quæſt.8. Princ. §. quæro iuxta prædicta*, & fuit ſeruatum in *proceſſu S. Didaci, de quo in prin.relationis ſuper dict.proceſſu S.Franciſcæ in eius relat.part. prima art. 3.verſ. 1. Itaq;*

QVÆST. 4. AN IN FORMANDO ISTO PROCESSV ALIQVIS SIT CITANDVS.

Quarto quæritur *an in formando iſto proceſſu aliquis ſit citandus, & ſignanter Procurator Fiſcalis*, & in hoc ſequimur deciſionem *Egid. 772. Incip. extra Rotam*, quam ſequuti fuerunt maiores noſtri, nempe *in ſancti Hiacynthi, Raymundi, & aliis relationibus*, & vltra rationes alias allegatas non mouet quod iſta materia reſpicit cultum diuinum, non autem intereſſe fiſci repræſentatum per Procuratores Fiſcales.

QVÆST. 5. AN NOTARII IMPERIALI TANTVM AVCTORITATE POSSINT ROGARI DE PROCESSIBVS CANONIZATIONVM.

Quinto quæritur *an Notarij Imperiali tantum authoritate poßint rogari de proceßibus canonizationum*; quod dubium occurrit de facto in cauſa S. Didaci, S. Raymundi, & S. Franciſcæ in quibus fuit tentum pro affirmatiua, ea ratione, quod rogatus non eſt actus Iuriſdictionis cuius ſunt incapaces laici in materia Eccleſiaſtica, qualis eſt canonizatio, ſed eſt mera probatio, vnde ſicut poſſunt laici teſtificari in cauſis Eccleſiaſticis ita in eiſdem poteſt Notarius laicalis facere fidem de actitatis *ad l.Domitius ff. de teſt.* & quia iſtud non eſt niſi nudum miniſterium, quod laici præſtare poſſunt in cauſis Eccleſiaſticis *c. 1. de præb.in 6.* & quicquid dicendum foret ſi Notarius Imperialis propria authoritate ſe ingereret interrogando de actu Eccleſiaſtico ceſſat difficultas in iſtis proceſſibus, in quibus ſemper interuenit auctoritas Iudicis Eccleſiaſtici qui illum videtur approbare, vt conſiderarunt maiores noſtri in *relatione S. Raymundi part.prima art.2.in fin.*

QVÆST. 6. AN POSSIT IN HAC MATERIA COMMITTI NOTARIO EXAMEN ET RECEPTIO IVRAMENTI TESTIVM.

Sexto quæritur *an poßit in hac materia committi Notario examen, & receptio Iuramenti Teſtium*, & licet ſtylus ſit quod delegati examinent per ſeipſos, vt fuit dictum *in relatione S. Caroli*, & paſſim fieri conſueuit, tamen ſoluitur examen teſtium factum à ſolo Notario qui etiam recepit Iuramentum, vt in *in relatione Proceſſus S. Raymundi part. prima art.2.verſ.quia conſueuimus, & S. Franciſcæ part. 1. art. 4.in fin.* ea forte ratione quod Notarius ſecundum regulas Iuris poteſt hoc facere in aliis materiis *Mohed. deciſ.4. de teſt. Egid. deciſ. 43. Bald. in l. Iudices numero 1. verſ. quæro nunc quid C. de fid. Inſtr. Abb.in cap.cum cauſam numer. 2. in fin.de Teſt.Veſt.in prax.lib.6.cap.2.num.ergo*, & in materia canonizationis, cum non reperiatur prohibitum *ad l.commodiſſ. ff.de liber.& poſth.*

§. 2.

§. 2. NOTANDVM EST QVOD IMPERFECTIO

### *De ſecunda conſideratione.*

Circa ſecundam principalem conſiderationem *an probatio ſit perfecta in genere ſuo, vel ſuo gradu* ponderandum eſt, quod imperfectio poteſt contingere aut ex vitio extrinſeco; puta quod non adſit ſufficiens numerus teſtium vel quod patiantur exceptiones per quas de Iure non debebant admitti ad probandum vtique vel commodo vel quæſtu, vel ſtudio diuturno; aut alia quacunque de cauſa præterquam ſanctitatis, & diuinæ gloriæ, aut vero ex vitio intrinſeco; nempe quia Teſtes non concludunt in dicto, vel articuli non complectantur omnia probanda; circa primum defectum occurrit dubitare *an teſtes de religione canonizandi ſunt admittendi*, & reperimus fuiſſe admiſſos in pluribus canonizationibus nempe *S. Hiacynthi, S. Franciſcæ* & aliis ea ratione; quia vel hæc non eſt cauſa particularis ſui conuentus, ſed vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ, vel etiam ſi eſſet, de Iure poſſunt Religioſi examinari in cauſa ſui Monaſterij *gloſſ. in §. cogitandum verb. teſtes. auth.de Monach.Bald.in c. tert. loco. numero 4.de probat. Henric. Becc.in cap. Inſuper numero 11.& 15.de teſtibus Dec.conſ 62.in princip. Afflict. deciſ. 400. numero 2.* verum quidem eſt liberum eſſe Iudici propter præſumptam affectionem vel circumſtantias facti aliquid minus tribuere illorum depoſitioni, ſicut dicimus de teſtibus in cauſa ſuæ vniuerſitatis, qui propter præſuppoſitam illorum affectionem minus probant. *Dec.in cap. Inſuper. num.7.de Teſtib. Crauett. de antiq. temp.part.prima verſ. quod in libro numero 18. Menoch. de arbitr.caſ.106.in principio & numero 9. Afflict. dicta deciſ.400. num. 4.*

DVPLICITER CONTINGERE POTEST.

QVÆST. 1. AN TESTES DE RELIGIONE CANONIZANDI SINT ADMITTENDI.

QVÆST. 2. AN PERFECTA SIT PROBATIO QVOD TESTES DEPONVNT IN GENERE SVPER SANCTITATE.

Quoad ſecundum quæritur primo *an ſit perfecta probatio quod teſtes deponunt in genere ſuper ſanctitate* puta quod quis fuerit communiter habitus ſanctus, vel potius ſit neceſſarium quod deſcendant ad aliquas ſpecies virtutum, pro affirmatiua fecit quod poſitionem generis ſequitur poſitio ſpeciei *l.ſi Chorus in principio ff.de leg.3.l.ſi ita ff.de vſu, & habit.* & proinde probato in genere quod quis fuerit ſanctus, erunt probatæ ſingulæ ſpecies virtutum, contentæ ſub nomine ſanctitatis vt diximus ſupra in prima parte. Contra eſt quod in extimanda hac ſanctitate, populi de facili decipiuntur non ſolum circa intrinſeca propter Hypocriſim multorum, verum etiam circa extrinſeca: nam omiſſis gentilibus quorum inſania illuc vſque deuenit vt cui adulteria, ſtupra, & alia peiora attribuerent, (ſcilicet Ioui) eundem optimum maximum appellarent, de populis fidelibus dicit Eccleſ. cap. 8. *Vidi impios ſepultos, qui etiam cum adhuc viuerent in loco ſancto erant, & laudabantur in Ciuitate quaſi bonorum operum, & PP.in d.cap.de reliquis, & vener.ſanctor.* repræhendit quoſdam Chriſtianos, qui occiſum in potationibus, & ebrietate pro ſancto venerabantur. Nobis placuit praxis modernorum proceſſuum, quod deſcendatur ad ſpeciem per rationes proxime ponderatas; vt Summus Pontifex poſſit melius arbitrari an fuerit vera ſanctitas, vel ficta aut à populis male extimata; probatio enim ſpecialis eſt magis certa, vnde ſemper refertur generali. *Innocent. in cap. auditis. numero quarto de præſcript. Alexand. conſ. 148. numero quarto libro ſecundo Cagnol in l.in tot.numero ſecundo ff.de reg.Iur. Crauett.conſ.94.numero tertio.*

RESP.

GENERICA PROBATIO NON OMNINO REIICITVR.

Non tamen eſt omnino reiicienda iſta probatio generica quia in ijs, quæ referuntur ad virtutem nominis multum refertur communi reputationi *Bald.in l.prouidendum. C. de poſtul.* propterea illius ſemper magnam rationem habuerunt noſtri maiores in modernis relationibus, maxime quando eſt continuata per magnum temporis ſpatium quia non eſt veriſimile, quod in materia tam graui D. N. permittat populos fideles errare per magnum temporis ſpatium, vt dixerunt maiores noſtri in *relatione ſuper proceſſu Sancti Hiacynthi ad finem verſ. cæterum, & Sancti Raymundi part. ſecunda articulo ſecundo verſ. pro quibus.* Et ſicut ad probandum delicta in ſpecie multum defertur genericæ diffamationi *l. de minore §. tormenta, & ibi gloſſ. verbo examinationis Bart. numero quarto ff. quæſt. cum alius per Gomez. var. reſol. libr. tert. cap. 13. numero 20.* ita è conuerſo ad probandum virtutes in ſpecie multum confert fama ſanctitatis in genere, vt contrariorum eadem ſit diſciplina iuxta. *not. in l vri*

*maſſ. de ijs quæ ſunt ſui vel alieni iuris, & in l. & ſi contra ſſ. de vulg. & pupill.*

Qvæst. 3. An ſit neceſſarium probare quod canonizandus excelluerit in ſingulis virtutum ſpeciebus.

Secundo è conuerſo dubitatur, *an ſit neceſſarium probare, quod canonizandus excelluerit in ſingulis ſpeciebus virtutum, vel potius ſufficiat probare aliquam virtutem in ſpecie, & poſtea ſanctitatem in genere?* In hoc placuit nobis ſententia poſterior quia pro ſanctitate non eſt neceſſarium, quod canonizandus ſe exercuerit in omni ſpecie virtutum vt exemplo S. Pauli primi Heremitæ, & aliorum late *probat ſimonet vir noſtri Collegij in relat. S. Franciſci de Paula verſ. poſtremo non omitten.* & proinde ſi canonizandus ſe non exercuit in omnibus impoſſibile eſt probare omnes ſpecies, & excellentiam, quæ non niſi per actus exteriores dignoſcitur.

Qvæst. 4. An adſit aliqua virtus priuilegiata quæ ſit in ſpecie probanda. Signanter neceſſaria eſt probatio fidei.

Tertio ex iſtis reſultat quæſtio *an ſcilicet adſit aliqua virtus priuilegiata ita vt ſit in ſpecie probanda.* Nos fuimus in voto, quod ſaltem excellentia virtutum Theologicarum ſit in ſpecie probanda cum in illis conſiſtat ſanctitas, vt late explicauimus *ſupra part. 1.* & ſignanter viſa fuit neceſſaria probatio fidei non quia fides ſit maior cæteris cum immo charitas ſit maior illa, *ſanct. Paul. 1. ad Corint. c. 3. & probauimus d. part. prima.* ſed quia etiam infideles prætendunt ſe habere virtutes tam theologicas, quam morales, amant enim illum, quem credunt eſſe Deum, & ab illo ſperant bona, & propter hoc etiam aliquando bene ſe habent circa mores cum tamen ex præfatis veras virtutes minime conſequantur, nam ſine fide impoſſibile eſt veram ſpem, & veram charitatem, &c. quomodo enim poſſet quis ſperare in Deum, quem non credit, nec illum amare, vt dicit. Sanct. Gregor. in Ezechiel, & quo ad mores, vltra quod ſine fide impoſſibile eſt multum proficere in illis, vt probauimus *ſupra part. prim.* etiamſi viderentur optimi ſine fide non erant virtutes, ſed falſa ſpecies illarum vt probat *S. Auguſtinus relat. in cap. penultim. 28. quæſt. 1.* ex quibus apparet probationem fidei eſſe admodum neceſſariam in cognoſcendis aliis virtutibus vnde Canoniſtæ paſſim explicant excellentiam fidei, cæteras vero virtutes ſub vno nomine ſanctitatis vitæ, vel excellentiæ vitæ pertranſeunt, ita *Innoc. in ſæpe alleg. c. 1. de reliquiis & vene. ſanctorum vbi Hoſtienſ. numero S. Ioan. Andr. numer. 4. Butr. num. 7. & alij.* Cæterum quia excellentia fidei ſicut aliæ virtutes tanquam conſiſtentes in animo canonizandi non poſſunt probari niſi per ſigna exteriora, quæ ſigna in eo quod ſpecialiter ſpectat ad fidem de facili non occurrunt quando canonizandus vixit inter Catholicos quandoquidem inter iſtos non occurrit oſtendere ſe paratum martyrio vel ardenter inſectari hæreſes, & ſimilia, quæ proprie ſpectant ad fidem exiſtimauimus ſufficere quod appareat de Baptiſmo, & profeſſione nominis Catholici. ex quibus probatur fides Catholica *Simonet. in relat. ſuper proceſſu Sanct. Franciſci de Paula verſ. quod ſi æquus rerum Iudex.* Excellentiam autem fidei petendam eſſe, vel ex magna ſpe, & confidentia vnde Centurio, & Chananæa, qui illas habuerunt per Chriſtum fuerunt laudati de fide Matth. c. 8. Luc. c. 7. & è conuerſo Petrus qui ambulans ſuper aquas in ea defecit reprehenditur à Domino, tanquam modicæ fidei Matth. c. 8. vel ex contemptu rerum temporalium Sanct. Auguſtinus ſuper illo Paul. ad Hebræos 2. fide Moyſis grandis factus S. Anet. part. 4. c. 3. §. 7. ſed denique per excellentiam operum, nam ſi verum eſt, vt eſt veriſſimum, quod *fides ſine operibus mortua eſt* S. Iacobus in epiſt. & *qui bona opera non facit, Chriſtum dicatur negare* S. Gregorius in homil. Aſcenſionis ſuper illo Marc. c. 16. qui *vero non crediderit condemnabitur*, vbi refert Paulum & Ioannem ſic dicentes erit etiam verum, quod quanto maiora erunt opera maior erit fides arguendo à contrariis vt idem operetur oppoſitum in oppoſito, quod propoſitum in propoſito de *qub in l. final. §. fin. & ibi Bart. ſſ. de leg. 3. Bald. in l. prim. num. 3. quando liceat ab empt. diſcede. Iaſ. in l. ſi ex toto num. 1. ſſ. de leg. prim.* & quod fides ſe extendat ad operationem docet. *S. Thom. 2. ſecund. quæſt. 9. art. 3.* & ſignanter ad probandam excellentiam fidei multum conferunt miracula operata per canonizandum in vita, quæ regulariter procedunt à magna fide iuxta illud Marci 11. & Diu. Paul. 1. ad Corint. c. 13. *& ſi habuero omnem fidem ita vt montes transferam* iuxta ponderata vbi ſupra S. Chryſoſtomus homil. 29. dicit *fidem eſſe matrem ſignorum.*

Fama ſanctitatis et virtutum canonizandi debet eſſe continuata poſt mortem.

Non omittimus, quod fama ſanctitatis, & virtutum canonizandi debet eſſe continuata poſt mortem vnde in proceſſu ſuper canonizatione S. Franciſcæ licet in proceſſibus fabricatis per multum tempus ante eſſet plene probata fama ſanctitatis, & deuotio populorum erga illam, voluerunt tamen maiores noſtri quod probaretur continuatio vſque ad diem reaſſumpti negotij, & proinde ſuper hoc fabricarunt nouum proceſſum moti forte ea ratione, quod licet Dom. noſter per aliquod tempus permittat populos fideles errare in exiſtimatione ſanctitatis, vt exemplo ebrioſi de quo *in cap. 1. de reliquiis & vener. ſanct.* ſupra demonſtratum, & legitur de quodam inſtitutore hæreſis Fraticellorum non tamen permittit hoc per valde longum tempus *Simonet. in d. relat. ſuper proc. S. Franciſci de Paula §. vltra hæc qua ratione.*

Non eſt properandum in canonizationibus ſanctorum.

Nec eſſe properandum in canonizationibus ſanctorum docent. *Hoſtien. Io. Andr. Butr. & Abb. & alij in d. c. 1. de reliq. & venerat ſanctorum S. Auguſtinus Triumph. tract. de Eccleſiaſt. poteſt. quæſt. 16. artic. 12.* & fuit dictum in relatione *ſuper proceſſu S. Franciſcæ part. tert. art. 7.* & hic applicatur quod dicit Paul. *relat. in cap. quid eſt 78. diſtinct. nemini cito manus imponas* & Leonis *Papæ in cap. miramur 60. diſtinct. quod cæleſtes dignitates, & diuina munera non ſunt niſi ſpatio temporis diſpenſanda* & hæc quantum ad ſanctitatem, ſed circa miracula in hoc ſecundo cap. occurrit.

Qvæst. 5. Circa miracula. Quomodo teſtes poſſint concludere miracula in dicto cum miraculum nō habeat ſua principia ex quibus perficitur cognitio. Resp. Teſtis debet referre circumſtantias facti.

Primo videre *quomodo teſtes poßint concludere miracula in dicto, cum miraculum non habeat ſua principia, ex quibus perficitur cognitio vt per Io. Andr. in cap. primo num. 4. Io. Monac. num. 12. verſ. quia direct. Gemin. num. 8. verſ. nam probatio de confeſſ. in 6. Archid. in cap. nec mirum num. 6. verſ. quia directa. Bellam. num. 3. eod. verſ. 26. quæſt. 5.* ad hoc reſpondetur, quod miracula probantur directe ſeu indirecte quippe cum videmus aliquid quod ad principia naturalia reduci non poteſt indirecte, & per conſequentiam miraculum dicimus. *ita Archid. in d. c. nec mirum num. 6. Bellam. numer. 3. verſ. ſed dico quod indirecte 26. quæſt. 5. Io. Monac. d. c. 1. num. 12. & 13. Gem. numer. 8. de confeſſ. in 6. Caſtel. tract. de canoniz. q. 7. in princ. Simonet. in relat. ſuper proc. S. Franciſci de Paula. §. illud tamen.* Hinc infertur non ſufficere quod teſtis dicat N. miraculoſe feciſſe talem rem, ſed debet referre circumſtantias facti, ex quibus ſanctitas veſtra poſſit arbitrari an vere illud factum fuerit miraculum, & hoc etiam non interrogatus, ex quo res non eſt perceptibilis ſenſu corporis, ipſius Teſtis. *Iuxta not per Abb. poſt Innoc. in l. cum cauſam 1. 12. num 6. Felin. num. 3. verſ. fallit. 2. de teſt. Alexand. conſ. 198. numero 5. libro 2. & tradunt in ſpecie Bald. in l. ſolam num. 11. C. de teſt. Aret. in cap. vener. in fin. eod. tit. Caſtell. tract. de canoniz. quæſt. 7. verſ. adde etiam præfatis.*

Teſtis debet deuenire ad indiuidua miracula.

Vnde etiam poteſt negatiue reſolui alia quæſtio, an ſcil. ſufficiat quod teſtis deponat ſe ſcire, vel publicam vocem, & famam eſſe, quod N. fecit miracula abſque eo, quod deueniat ad miracula indiuidua pro quo faciunt ea, quæ diximus ſupra circa probationem ſanctitatis in genere *in principio huius §. in verſ. quo ad 2.* maiores tamen noſtri habuerunt ſemper rationem famæ miraculorum, & multitudinis tabellarum votiuarum & donariorum exiſtimantes impoſſibile eſſe, quod in exceſſiua quantitate illorum non adſint vera miracula, & quod tot fideles in eadem re fuerint decepti. ita *in relat. S. Hiacynthi fol. 24. verſ. & quamuis ac fol. 51. verſ. poſtremo. & Sanct. Raymundi part. 2. art. 2. verſ. quæ continuata.*

Qvæst. 6. Quomodo probetur miracula fuiſſe facta ad interceſſionem talis vel talis. Resp.

Item quæritur *quomodo probetur miracula fuiſſe facta ad interceßionem talis, vel talis*, nam certum eſt non ſufficere ad effectum canonizationis N. probare quod fuerit factum miraculum, ſed oportet probare quod fuerit factum ad interceſſionem dicti N. Reſpondetur interceſſionem probari, quocunque modo dictus N. fuerit inuocatus & ſtatim fuerit ſequutum miraculum, ſiue in perſona inuocantis ſiue tertij ſuper quo fuerit facta inuocatio, etiam in abſentia illius *iuxta illud Ioannis c. 4.* de filio reguli in eius abſentia à Chriſto D. N. ſanato: quin ex ſolo contactu canonizandi probatur interceſſio ad exemplum D. N. I. Chriſti Luc. cap. 6. *virtus de illo exibat, & ſanabat, &c.* & in *relatione ſanctæ Franciſcæ part. 3. artic. 2. mirac. 10. in fin. & miracul. 11. & B. Thereſiæ mirac. 2. in vita.* Item ex contactu veſtium inuocati vt in *relatione ſuper proc. S. Franciſcæ part. 3. art. 2. mirac. 11. & S. Caroli part. 3. mirac. 14. poſt mortem.*





## §. 3.

§. 3. Qvæst. 1. Qui gradus probationis requirantur, et an ſemiplena probatio ſufficiat.

### *De tertia conſideratione.*

Remanet tertia & vltima conſideratio, *quod ſcilicet materia ſit probabilis per illum gradum probationis:* vnde occurrit videre *qui gradus probationis requirantur* in hac materia, & quidem quod ſufficiat minor ſemiplena non eſt qui aſſerat, *ſed an ſufficiat ſemiplena.* Stat difficultas pro affirmatiua adducitur quod hic non agitur de præiudicio tertij *vt late per Egid. deciſ. 672. & 673.* vbi autem non agitur de præiudicio tertij ſolet ſufficere ſemiplena probatio *Innoc. in rub. de conſec. Eccleſ. nu. 1. But. in cap. propoſuiſti n. 7. Io. And. nu. 8. Abb. n. 6. eod. tit.* ſeu dictum vnius teſtis, qui alias non facit niſi ſemiplenam probationem *vt per Bart. in l. admonendi num. 36. ſſ. de iureiur. Socin. in l. Gallus. §. ille caſus num. 4. ff. de liber. & poſth.* tradiderunt in ſpecie. *Bald. in cap. licet vniuerſi num. 4. Fel. in fin. de Teſt. Iaſ. in repet. l. admonendi nu. 198. ſſ. de iureiur. Lap. alleg. 104. in fin.*

Argumentum quod ſufficiat. 2. Argv.

Cuius dicti illa ratio aſſignari poteſt quod ceſſat omnis ſuſpicio ſubornationis, cum non adſit cuius interſit fieri canonizationem, ceſſante vero commodo debet ceſſare omnis præſumptio doli, & ſimulationis *l. & eleganter §. final. vbi Bart. in ſum. ſſ. de dol. Alex. conſ. 127. numer. 11. lib. 4. Crauett. conſ. 319. num. 3. Ruin. conſ. 8. in fin. lib. 4. Cornel. conſ. 63. n. 9. li. 3. Menoch. de præſump. lib. 3. præſumpt. 130. num. 42.* confirmantur præfata: quia illa quæ ad canonizationem requiruntur regulariter non niſi inter Catholicos eoſdem magis deuotos, ac Dei timoroſos eueniunt, vnde ſit veriſimile quod non velint peccare in eo quod principaliter profitentur *l. 1. C. de præd. de cur. lib. 10. l. 2. de offic. ciuil. iud. Bald. in l. accuſationis n. 2. C. quod met. cauſ.*

3. Argv.

3. habemus exemplum Sancti Leonis Papæ tertij, qui canonizauit ſanctum Guibertum cum ſolo libro ſcripto per Marcell. Preb. de quo teſtatur Sanctus Lugedlus *in epiſt. ad Rerfridum Epiſcopum Traiecten. cap. 9.*

Argum. primum quod requiratur plena probatio.

In contrarium quod requiratur plena probatio ſuadet in primis grauitas cauſæ, quia agitur de uiolando Chriſti corpore, nam vt dicit S. Hieronymus relat. in cap. ſi quis dixerit 11. quæſt. 1. *ſi quis dixerit non iuſtum, iuſtum, abominabilis eſt Deo, ſi vero non ſanctum, ſanctum Chriſti corpus violat,* vbi ponderanda eſt illa diſtinctio inter ſanctum & iuſtum, vt cognoſcamus non ſolum errare qui dixerit non ſanctum, hoc eſt hominem præditum bonitate ordinaria ſanctum id eſt perfectum: quod probatur ratiocinando ſecundum ſimilitudinem corporis, & membrorum, de quibus *in dict. cap. ſi quis:* etenim ſicut violaretur corpus humanum non ſolum per appoſitionem membri, quod non eſſet membrum humanum, ſed etiam per appoſitionem membri humani loco tamen incongruo, puta ſi pes collocaretur loco manus, ita quantum in nobis eſt vitiaretur corpus Chriſti non ſolum ſi non iuſtus inter iuſtos collocaretur: verumetiam ſi ſimpliciter iuſtus inter ſanctos, hoc eſt perfectos, & electiſſimos poneretur.

Argv. 2.

Secundo quod requiratur plena probatio facit quia multi in hac vita ſunt hypocritæ, & incedunt induti veſtimentis ouium, cum tamen intus ſint lupi rapaces *Matth. cap. 7.* & propterea ſicut ſimulant ſanctitatem ita poſſent etiam confingere miracula niſi caute procederetur.

Argv. 3.

Tertio iſte videtur ſenſus doctorum dum ponunt antequam committatur cauſa ſuper canonizatione faciendum eſſe proceſſum informatiuum, an cauſa ſit committenda, & alia plura, de quibus per *Hoſtien. in d. c. 1. nu. 2.* quem ſequuntur *Io. Andr. nu. 3. But. & Abb. nu. 5. de reliq. & vener. ſanct. Caſſan. Catal. glor. mun. conſider. 50. lat. Troil. Maluez. de canoniz. dub. 4. nu. 7. cum plur. ſeqq.* quæ quidem diligentiæ minime fiunt in cauſis ordinariis, neq; etiam vbi plena probatio requiritur ſignum euidens, quod iſta materia non eſt leuiter tractanda & cum ſemiplena probatione concludenda.

Resp. ad primum argum. quod non agatur de præiudicio tertii.

Ad primum contrarium argumentum quod non agatur de præiudicio tertij reſpondetur non agi de præiudicio hominis particularis ſed Chriſti & eius Eccleſiæ cuius intereſt ne quantum in nobis eſt opponamus mēbrum Chriſto, quod vere non ſit, vel non apponamus loco incongruo & deformetur Eccleſiaſtica Hierarchia vnde dicitur agi de præiudicio omnium. quia cauſa religionis, & pietatis dicitur cauſa publica. *l. ſunt perſonæ vbi Albert. & alij. ſſ. de Relig. & ſumpt. funer.*

Ad 2. Arg.

Ad ſecundum quod non ſit veriſimile teſtes in hac materia in qua nihil temporale poſſunt lucrari, vel ex ſe ipſis deieraturos vel ab aliis ſubornandos, reſpondetur hanc veri ſimilitudinem non procedere reſpectu malitiæ, & pecuniæ, ſed reſpectu affectionis, & imperfectæ deuotionis aliquorum, qui exiſtimant bonū opus agere ſi addant aliquid de ſuo in honorem illius, quem iam animo ſuo conceperunt pro ſancto non ceſſare obiectū, præterea teſtis vnicus non ceſſat facere plenam probationem, ex eo ſolum quod dubitetur de illius fide, ſed etiam quia dubitatur de eius ſenſu, & intellectu quandoquidem docet experientia plures homines vel propter copiam humoris melancholici, vel alias propter imbecillitatem humanam exiſtimare ſe vidiſſe quod nō viderunt, vnde propter hanc etiam cauſam atteſtatio plurium deſideratur, vt conſiderauit *Rota in cauſa Calaguritana liquidationis 9. Iunij 1614. coram me ſacrato.*

Ad 3. Arg.

Ad tertium de exemplo Papæ Leonis tertij reſpondetur non conſtare quod non adeſſet alia probatio quā illa, quæ habebatur in illo libro. Item poſſe eſſe, quod Papa fuerit ductus particulari impulſu Spiritus ſancti in illo caſu iuxta illud *Paul. relat. in cap. duæ ſunt ſubl.* vnde caſus non eſt trahendus ad exemplum, & nos cum hac poſteriori opinione tranſimus, cum moderamine tamen,

Solutio quæſtionis.

quod ſufficiat ſemiplena in caſu in quo duo concurrunt nempe & plena alteri non poſſit, & quando miraculum eſt certum & quæritur tantum de interceſſore, vel circumſtantia prout quando inuocatur Sanctus in corde ſolum per illum qui obtinuit miraculum, vel quando illi ſoli apparet viſio *ita in relatione S. Franciſcæ par. 3. art. 3. mirac. 8. ead. part. 3. art. 3. mirac. 9. S. Caroli part. 3. mirac. 4. & 18. poſt mortem S. Raymundi part. 2. art. 2. verſ. nos autem,* quę diſtinctio fundatur duplici ratione prima quia quando materia de ſui natura eſt difficilis probationis, admittuntur probationes quæ alias non admitterentur *Iaſ. in l. 1. in 2. lect. nu. 48. in fin & nu. 50. C. de ſum. Trinit. & Fid. Cath. Dec. conſ. 342. nu. 2. & 3. Grammat. conſ. ciuil. 50. nu. 14.* Secunda quia circumſtantia, & qualitates facilius probantur, quā ipſa rei ſubſtantia hoc eſt miraculum *Angel. in l. ſi cert. annis nu. 11. C. de pact. Soc. conſ. 164. nu. 10. lib. 2. Dec. conſ. 442. nu. 22. Surd. deciſ. 322. num. 7.*

Non tamen requiri pleniſſimam probationem exiſtimamus, ſed ſufficere vnum teſtem de certa ſcientia cum duobus de publica voce & fama, vt fuit ſæpe firmatum per maiores noſtros *in relatione S. Franciſci de Paula §. viden. S. Hiacynthi fol. 51. verſ. ſuperioribus annis, & in relatione S. Caroli ac aliis.*

Et propterea non acquiri in hac materia qualitatem, quod teſtes probent omni exceptione carentes, ſed ſufficere, quod non appareat Canonicum impedimentū, vt euenit *in relatione S. Hiacynthi fol. 15. verſ. quatenus ad teſtium qualitatem*, & alibi, & ſignanter fuit ſæpius reiecta opinio Vincentij, quod ſit neceſſarium omnes teſtes deponere de omnibus miraculis *ita in relatione S. Fran-*

*ciſci de Paula* §.*nō omitto in S.Hiacynthi fol.*50.*verſ.nam præterquam.*Satis etiam fuit & de bono, & æquo in huiuſmodi cauſis vt ſemper actum reperimus per maiores noſtros, & quantum fieri potuit, fuerunt ſaluati proceſſus, & probationes vnde in cauſa S. Hiacynthi fuerunt ſaluati teſtes, qui non concordabant de anno miraculi, vt legitur *fol.*48.*ver.ſed leuem & in relat.S.Franciſcæ*,qui non concordabant de verbis dictis à canonizando *vt part.*3.*art.*2. *mirac.*4.*& ibidem part.* 1 .*art.*6.*verſ.nec obſtare* diximus, & ſuper ſingulis articulis poſſe Notarium ſcribere quod dixerunt omnes teſtes, & ſic ſcindere in partes depoſitionem in eadem S. Franciſcæ *d. verſ. neque obſtare & in S. Caroli part.prim. ſuper valid. proceſſus vig.remiſſ. verſ.* reſpectu iuramenti fuerunt ſaluati teſtes in quorum iuramento Notarius non dixerat *tactis, &c.* ſtante quod iuramentum fuerat præſtitum in præſentia iudicum ſicut etiam *ibidem verſ.* 2.*cenſuimus cum trib. ſeqq.* fuerunt ſaluati teſtes non examinati ſuper omnibus interrogatoriis, ex quo interrogatoria erant irreleuantia quo ad articulos ſuper quibus illi teſtes erant examinandi, non obſtante quod regula ſit quod teſtes debeant examinari ſuper omnibus interrogatoriis *cap.per tuas vbi Abb.num.* 1.*verſ.& nota in quantum Fel.num.* 20.*verſ. item fallit niſi dolo de teſt. Alex.conſ.* 104.*in ſin.lib.*5.*& in eadem part.prim. ſuper valid. Proc.vig.remiſſ.verſ.cæterum conſider.*admiſſi ſunt teſtes examinati ſuper articulis additionalibus datis in partibus pro explicatione cuiuſdam articuli dati in curia, rurſus in *eadem parte tert.mirac.* 18.*poſt mortem habetur ratio d. cuiuſdam ſanati de iis, quæ ibi euenerunt in infantia, & ſancti Didaci, & ſancti Hiacynthi fol.* 22.multum defertur libro ſcripto de vita canonizandi, *& in eadem S.Hiacynthi fol.* 4. *cum tribus ſeqq.* ſaluatur proceſſus non exiſtens in forma probanti, ex quibuſdam tantum circumſtantiis, *vt in S. Hiacynthi fol.* 22. *verſ.nec eſt nouum cum ſeq.& in S.Franciſcæ part.*2 *art.*12. enumerantur multæ canonizationes factæ ex ſolitis libris.

## Pars Quarta.

*De ſanctitate B. Andreæ Corſini principium.*

Dicturi de ſanctitate huius ſerui Dei proponemus 1. loco argumenta, ex quibus probatur ſanctitas in genere, quod quidem genus probationis multum confert ad probandum ſanctitatem in ſpecie *vt diximus ſupra par.* 2. §.2.*verſ.quoad ſecundum* 2.proponemus argumenta ſuper particularibus virtutibus. Tertio agemus in ſpecie de excellentia fidei.

### §. 1.

*De ſanctitate in genere.*

Sanctitas igitur in genere probatur.

PRIMVM GENERALE ARG. SANCTITATIS.

Primo ex communi opinione totius populi, & deuotione fidelium erga hunc Dei famulum, & concurſu ad eius ſepulturam, & inuocatione illius interceſſionis pro habendis gratiis cum affixione tabularum votiuarum, & ſignorum pro gratiis receptis, quæ omnia fuerunt continuata per ſpatium 240. annorum, quod factum probant 7.8. 15. 22. 25. 33. 37. & plures teſtes iuxta 10. & ſuper 38. 39. & 40. de viſu, & certa ſcientia quo ad noſtræ memoriæ tempora, & publica voce, & fama, quod antiqua, quæ publica vox, & fama ſufficit quoad antiqua *Bald. in l. propriet. numero tertio C. de probat. Alexand. in l.rem quæ numero* 18.*ff. de acquir. poſſ. Fel. in cap. veniens il primo numero* 16. *de teſt. Crauett. de antiq. temp.*§. *viſo in hac prima parte Caſſad. deciſ. ſecunda de probat. Verall. deciſ.* 344. *numero tertio &* 347. *numero quarto parte tertia. Rot. deciſ.* 171. *numero tertio parte prima diuerſ.* accedente maxime pro adminiculo inſtantia Reipublicæ Florentinæ quid iſte canonizaretur pro Sancto, de qua conſtat ex diuerſis literis miſſiuis ſcriptis, & inſtructionibus datis eius orationibus *in Proceſſ. actorum fol.* 294.*& ſeqq.* & etiam præfata communis reputatio ſanctitatis probatur ex quamplurimis hiſtoriis quarum aliquæ ſunt antiquæ vltra 100. annos, & aliæ grauiſſimorum virorum vnde illis multum defertur in hac materia *c.* 1. §. *in fine de ſacra vnct. gloſſ. in cap. inter dilect.* §.*ſed contra verbo magis & ibi Abb. numero* 13. *in fin. de fid. inſtr. Bart. in l. prima numero* 22. *Iaſ. numero* 25. *Dec. numero ſecund. in fin. Bologn. numero* 49. *ff. ſi cert. pet. Fel. in cap. ſecundo numero* 49. *de reſcript. mill. in verſ. ſcriptura noui, & veteris verſ. quædam enim Soc. reg.* 238. *incip. liber ſeu ſcriptura Fall. ſecunda Natt. conſ.* 636. *numero* 91. *libro tertio.* & ſignanter in hac materia canonizationis *Caſtell. tract. de canoniz. quæſtion. ſeptim. verſ. quæro an in canonizatione ſanctorum cronicis* & maiores noſtri in relatione *ſuper proceſſu ſancti Hiacynthi fol.* 28. *verſ. nec prædictorum fides, & ſancti Raymundi part. ſecund. articul. ſecund. verſ. hic vero cum duobus ſeqq.*

SECVNDVM GENERALE ARGVM. SANCTITATIS.

Secundo habemus cultum publicum, & non niſi Sanctis debitum ſiquidem dies eius obitus tanquam feſtus cum miſſa, & officio proprio ante annum 1440. vſque in præſens fuit ſemper celebratus in Eccleſia Beatæ Mariæ de monte Carmelo Florentiæ in tota diœceſi Feſulana, vt probatur ex dicto officio relato in librum aſſeruatum in ſacrario Eccleſiæ Feſulanæ, & inde extracto in dicto proceſſu actorum *fol.* 252. *&* 238. & per 7. 8. 15. 22. 25. 33. 37. & alios teſtes ſuper 37. quin hoc idem fuit obſeruatum in toto ordine Carmelitano, vt habetur in eius Miſſali, & Breuiario impreſſo vſque de anno . . . & cum Epiſcopus Feſulanus anno 1538. neſcitur de qua cauſa conſuluerit fel. rec. Gregorium decimum tertium ſuper celebratione huius feſti Cardinalis Sirletus per ſuas literas reſpondit, Papam annuiſſe vt poſſet celebrari miſſa, & officium proprium iuxta Miſſale, & Breuiarium Carmelitanum, quod factum probatur ex literis eiuſdem Cardinalis Sirleti in *proceſſu actorum fol.* 271. alias 280. vt per teſtes ſupra citatos vlterius de anno 144. Reſpublica Florentina ob memoriam victoriæ partæ per huius ſerui Dei interceſſionem (vt commemorabimus infra cum de miraculis agetur) de licentia Eugenij Papæ Quarti, cum multis Cardinalibus tunc Florentiæ degentis decreuit ſolemnem proceſſionem tam Eccleſiaſticorum, quam ſæcularium ab Eccleſia maiori ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Carmine vbi extat ſepulchrum huius Sancti viri, vbique celebrari miſſam ſolemnem, prout hæc omnia facta cum concurſu populi, & miſſæ, aſtiterunt plures Cardinales, & fuit habita ſolemnis oratio de vita, & miraculis Beatæ Andreæ, in qua orator de conſenſu Summi Pontificis Andream ſanctum, & Beatum ſemper nominauit, & denique cum luminaribus, & thurificationibus, cantibus, & ſono organorum fuit oſtenſum corpus huius Beati, acclamante populo *Sancte Andrea, ora pro nobis, Sancte Andrea intercede pro nobis*, hoc factum referunt *dict. Caſtan. Razz. pagin. penultima*, & teſtes de publica voce, & fama dicto articul. 29. quæ probatio ſufficit per ſupra allegata & probent maximum adminiculum mox dicenda.

Non contenta Reſpublica ordinauit, quod ſingulis annis in ſecunda Dominica Iunij DD. Priores liberati vexillifer Iuſtitiæ, & alij Magiſtratus deberent accedere ad Eccleſiam Beatæ Mariæ de Carmine, & ibi cum cereis accenſis offerre donarium in honorem Beatæ Andreæ. Cumque de anno 1466. per aliquot paucos annos dicta oblatio fuiſſet intermiſſa fuerunt in concilio narrata hiſtoria reuelationis, & effectus victoriæ ac dicta decreta tunc in memoriam beneficij in conſilio facta, & fuit decretum ne memoria dictæ reuelationis omitteretur, quod loco dictæ oblationis veſtirentur 10. Nouitij dicti Monaſterij B. Mariæ de Carmine, qui proceſſionaliter ire deberent ad Eccleſiæ

S.Pe-



S.Petri maioris, & inde ad dictam Eccleſiam de Carmine, quod vſque ad præſens ſeruatur, vt in dicto decreto, de quo in dicto proceſſu fol.289. & referunt *Caſtan.pag. final.verſ. & appreſſo ordinato* & vt deponunt 7. 8. 15. 22. 25. 33. 37. & alij teſtes ſub 29. & 30.

Inſuper adeſt in dicta Eccleſia B. Mariæ de Carmine altare cum icone huius Beati, in quo apparet pictum miraculum illuminationis cæci, vbi etiam conſeruantur mitra, baculus paſtoralis & calceamenta, & catena ferrea, quibus vtebatur iſte Dei vir & tanquam reliquiæ à populo habentur in veneratione, vt conſtat ex viſitatione d. Iudicum remiſſoriæ *de qua in prima part. proceſſ. remiſſ. fol.* 147. quæ omnia tendunt ad cultum publ. vt habetur *in ſacro Trid. conc. ſeſſ.* 25. *tit. de inuoc. & ven. & reliq. ſanct.* & per D. Cardinalem *Bellarminum de ſanct. Beat. cap.* 10. *lib. primo*, ex hoc cultu publico huic Beato exhibito de conſenſu Summorum Pontificum inſurgit magnum fundamentum ſanctitatis: ſiquidem cultus publicus non debetur niſi Sancto *c.*2.*de reliq. & ven. ſanct. & vbiq. Doct. D. Cardinalis Bellarminus d.c.* 10. *de ſanct. Beat. lib.*1.*&* Pontifices qui illum permiſerunt, non feciſſent hoc niſi tunc fuiſſent ſibi exhibita magna ſigna ſanctitatis vt fuit ponderatum *in relat. S. Hiacynthi fol.* 33. *verſ. & quamuis.*

TERTIVM GENERALE ARGVMENTVM SANCTITATIS.

Tertium generale argumentum ſanctitatis huius Beati præbent miracula per illum tam in vita, quam in morte operata, de quibus infra ſuo loco. Licet enim miracula in vita non ſint concludens argumentum ſanctitatis vt *ſupra in ſecunda part.* demonſtratum eſt: attamen vt ibi diximus magno argumento ſunt, miracula vero poſt mortem ſi vere ſunt miracula, concludunt ſanctitatem vt ibidem late explicauimus.

QVARTVM GENERALE ARGVM. SANCTITATIS.

Quartum generale argumentum, ſunt duo, quæ præceſſerunt natiuitatem huius ſerui Dei, quorum primum illud eſt, quod cum Nicolaus & Peregrina eius parentes Nobiles Florentini, & Dei timoroſi: per multum tempus ſimul cohabitarunt ſine prole, vterque altero inſcio eadem die & anno ſcilicet circa principium anni 1301. & in eadem Eccleſia Carmelitanorum ante eandem iconem B. Virginis, orauit pro ſuſcipienda prole, & vouit ſe Deo, & ipſi B. Virgini dicarunt primum filium, quem ſuſcipere contingeret, domumque reuerſi, votum ſimul cum admiratione communicauerunt, & ratum eſſe voluerunt, nec ita multo poſt Peregrina prægnans huius partus euaſit. Secundum fuit quod ipſa Peregrina dum eſſet prægnans, orans ad Deum obdormiuit, viſaque eſt ſibi in ſomniis parere lupum, qui ingrediens Eccleſiam ſtatim candidus agnus euaſit, hoc factum probatur per eos, qui eius vitam ſcripſerunt, videlicet *Caſtan. in d. proc. actorum fol.*304.*in fin. verſ. cum igitur & ſeq. Vorag. circa principium Sur. cauſa princ. Flam. cauſa princip. verſ. erano queſti Franc. Archi fol.*34.*in princ. Maff. poſt princ. verſ. ma vngiorno innanzi Raz. cauſa princ. verſ. onde hauendo vna volta & de fama per* 4. 5. 7. 8. 15. *& alios teſtes ſuper* 2. *&* 3. vtrimque ex prædictis effectus eſt ſubſequutus, nam B. Andreas ex illa prægnantia natus anno decimo quinto ſuæ ætatis ante iconem B. Virginis antequam fuerit factum dictum votum præſentibus, & auctorizantibus eiſdem parentibus ſe Deo, & B. Virgini, ingrediens religionem Carmelitanorum dicauit, & etiam idem Andreas vſque ad ingreſſum Religionis lupus fuit. Siquidem parentibus inobediens, canes alere, conuerſationes parare, rixas quærere conſueuit, vt tradunt ijdem, de quibus proxime ſupra: poſt ingreſſum, vere agnus candidus fuit vt infra, cum de eius virtutibus in particulari agetur, demonſtrabitur. huiuſmodi ſignis natiuitatem ſanctorum ſuorum, ſolet Deus omnipotens præmonſtrare, vt legimus de ſancto Dominico, S. Brigida, S. Arnulpho, S. Alberto, Carmelita. S. Elia, pariter Carmelita. S. Nicolao, & aliis.

QVINTVM ARGVMENTVM GENERALE SANCTITATIS.

Quintum argumentum eſt admirabilis vocatio huius ſerui Dei ad munus Epiſcopale, quæ ſic ſe habuit. anno 1348. vacante Eccleſia Feſulana per obitum ſui Prælati Capitulum nemine diſcrepante elegit B. Andream quo audito per Andream humiliter exiſtimans ſe tanto oneri imparem; fugit ad Carthuſienſes, ibique latitauit: facta autem per electores diligentia de illo reperiendo, cum eum non inueniſſent cogitauerunt de alio; quamobrem dum eſſent denuo congregati puer. 3. annorum dixit eis. *elegit Deus Andream in ſacerdotem ſibi, de alio non cogitetis, ad Carthuſienſes iter arripite, & ibi orantem inuenietis.* & ita præciſe euenit, & Andreas agnoſcens Dei voluntatem, onus ſuſcepit, hoc factum probatur ex relatione eorumdem hiſtoricorum videl. *Caſtan. fol.*314.*tit. quomodo, factus fuit Epiſcopus Vorag. col.*3. *verſ. onde eſſendo morto, &c. Suri. pag.*3.*verſ. non longe poſt. &c. Flam. pag.*4.*verſ. dopo ch' egli hebbe, &c. Alarez. pag.*2.*ante fin. verſ.* 4.*eſt vt extremum. Maff. pag.* 11. *verſ. era in que igiorni, &c. Razz. p.*6.*verſ. paſſato poi certo tempo, &c. & de fama per dd.* 4. 5. 7. 8. 15. *& alios teſtes ſub* 16. *&c.* Quæ ſpecies probationis ſufficit per ea, quæ diximus ſupra in primo argumento, vbi illud etiam addunt puerum candidum apparuiſſe B. Andreæ, illumque adhortatum fuiſſe, ne timeret ſubire onus Epiſcopale, quia ipſe illius cuſtos, & Maria in adiutorium futuri erant.

SEXTVM ARGVMENTVM GENERALE SANCTITATIS.

Sextum argumentum ſanctitatis facit, qualitas mortis huius ſerui Dei, cum enim in principio anni 1374. in nocte natiuitatis Domini B. Andreas antequam primam miſſam cantaſſet in Eccleſia B. Mariæ Feſulan. poſt celebrationem miſſæ dum oraret, apparuit ei B. Virgo prædixitque illi futurum, vt in nocte Epiphaniæ immediate ſequenti eſſet animam Deo redditurus; promiſitque ſe ad eum venturam, & eius animam ad Cœlum aſſociaturam quo nuncio B. Andreas tanto gaudio perfuſus eſt, vt ſtatim facies eius roſæ, & cherubino ſimilis euaſerit. Cum autem die ſequenti febris ſuperueniſſet, viſionem cuidam Canonico reuelauit, in nocte autem Epiphaniæ, cum ciues ſuos ad pacem hortatus fuiſſet, ſymbolumq; fidei deuote recitaſſet, cubiculum in quo iacebat factum fuit luminoſum, ſicut in meridie, & poſt ſpatium vnius horæ dicto cantico. *Nunc dimittis* anno 72. ſuæ ætatis obdormiuit in Domino, eiuſq; anima ab aliquibus deuotis viſa fuit aſcendere ad cœlum, hoc factum probatur ex dicta vita B. Andreæ, & in ſpecie *Caſtan. fol.*318. *tit. de ſuo glorioſo obitu. Vorag. col.*4.*verſ. con queſte ſorti, &c. Suri. pag.* 4.*verſ. anno igitur, &c. Flam. pag.*5.*verſ. nell' anno &c. Alarez. ante finem verſ. anno igitur ætatis, &c. Maff. pag.*14.*verſ. conſimil paſſi, &c. Raz. pag.*8.*verſ. l'anno adunque, &c.* & de fama per dd. 7. 8. 15. 22. 25. 33. 37. & alios teſtes ſuper 26. & 27. & ex libro dict. Monaſterij S. Mariæ de Carmine in dicto proceſſu actorum fol. 303. releuantia de ſe patet.

SEPTIMVM GENERALE ARGVM. SANCTITATIS.

Vltimum generale argumentum pro ſanctitate huius ſerui Dei deducitur ex miraculoſo odore, & incorruptione illius corporis, nam teſtes, & hiſtoriæ ſupra proxime citatæ dicunt corpus B. Andreæ poſt mortem remanſiſſe ita odoriferum, vt ex tali odore multi ex ſuis infirmitatibus fuerint liberati, & ad hoc adeſt viſitatio corporis per peritos ex ordine delegatorum Apoſtolicorum facta, de qua *in primo proceſſu remiſſ. fol.* 149. in qua fuit dictum corpus repertum integrum, & immaculatum, perinde ac ſi hodie defunctus fuiſſet, & præterea eſſe odoriferum, quæ omnia medici, qui partes dicti corporis diligenter inſpexerunt, & tetigerunt non ſine miraculo fieri poſſe retulerunt, hoc factum maxime ad ſanctitatē pertinere videtur, quia hoc ſigno ſolet Deus poſt mortem honorare corpora quæ in vita præbuerunt illi fidele miniſterium, vt legitur de cadauere S. Euphemiæ *apud Niceph. lib.* 15. *c.* 14. S. Ottimarij, S. Alberti Rothomagenſis S. Maximi Reginen. & fuit ponderatum *in relatione S. Raymundi parte* 2. *art.* 11. *mirac.* 8. & nouiſſime per noſmetipſos *in relatione B. Thereſiæ.*

### §. 2.

*De virtutibus particularibus B. Andreæ Corſini.*

Circa virtutes particulares Andreas poſt ſuam conuerſionem ad Deum cum lachrymis, & ſingultibus, vt dicunt Caſtag. & alij authores & teſtes ſupra relati in

comprobatione 4. argumenti generalis. Sanct. Monaſterium ingreſſus tanta fuit humilitate, vt viliora quæq; monaſterij officia inſeruiendo, vel ipſi etiam coquo obiret per ciuitatem cum ſporta oſtiatim quæreret eleemoſynam à notis præcipue, & cōſanguineis non erubeſcēs, quas ob res cum ab ipſis irriſiones, iniurias, & probra pateretur non ſolum non iraſcebatur, ſed etiam gaudebat, & ſe illis vltro ob Dei amorem offerebat, plurib. viſionibus B. Virginis & Angelorum quas habuit non modo non elatus eſt, ſed in humilitate ſua magis confirmatus euaſit, in oratione fuit ſemper aſſiduus, & contemplationi deditus ita vt ſæpe fratres coram ſe aſtātes, & pſalmos canentes neq; videret, neque audiret, contra mundi carnis, & diaboli tentationes fortis, & inuictus: vnde legitur diabolum illi quandoq; in forma humana apparuiſſe multiſq; argumentis vitæ mutationem ſuaſiſſe, ſed ſigno Crucis expulſum abiiſſe, quod & ipſum accidit eius conſanguineis illum ab incepto abducere ſtudentibus contra quos illud Pſalmiſtæ S. Vir pronunciauit *diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* Nullius fuit vnquam maior erga ſuperiores ſuos obedientia ſicut nec maior abſtinentia, & maceratio carnis, quandoquidem nō tantum ieiunia ab Eccleſia & Religione ſua in diæta obſeruauit ſed 7. præterea dieb. hebdomadæ, in 2. 4. & 6. feriis & in die Sabbathi in honorem B. Mariæ Virginis in pane, & aqua continuo ieiunauit, addidit inſuper lectum ſtramineum diſciplinas, & cilicia & catenam ferream, quæ adhæc vſque tempora pie conſeruantur. Obſeruator regulę ante omnes alios: primus ſiquidem fuit ſemper in choro, & aliis regulę ſuæ functionib. quib. non aperitur quod vna tantum vice defuerit. Illius caſtitas, & pudicitia eo vſq; euaſit, vt nedum exterarum mulierum, ſed etiam proprię ſororis colloquia extimeſceret, quod ſi alloqui illam neceſſitas ferret, hoc non niſi defixis ad terram oculis exequeretur, vnde cæcus, ſurdus & mutus à fratribus ſuis fuit quandoq; appellatus. Silentium, & ſolitudinem præcipue adamauit, ſola cella, chorus, & hortus fuerunt eius delitiæ, nunquam ſine neceſſitate verbum fecit cum aliquo, non caruit etiam S. vir literarum præcipue ſacrarum ſcientia, & bonarum artium diſciplina quib. ne dum per aliquod tempus nempe Grammaticæ & humanitati ante ingreſſum religionis operam dedit, ſed etiam poſt ingreſſum aliis ſcientiis ac Theologiæ præſertim per triēnium Pariſiis. Quantum fuerit cōtemptor rerum huius ſæculi ex eo facile dignoſci poteſt, quod vitam nobilis & diuitis, vnde primarios reipubl. Florentinæ honores præſidio amicorum, & conſanguineorum, quib. affluebat, ſperare poterat, cum humili, inopi atq; obedentiali vita commutauit, quin etiam Apoſtolicæ Sedis honores de facili ſperare potuiſſet, ſicut alios de eadem familia ad illa vſq; tempora conſequutos fuiſſe legimus, quandoquidem de Petro Cardinali Corſino per illa tempora in ciuitate Auenionen. commorante ad quem cauſa viſitationis acceſſit iſte Deo amabilis à ſtudio Pariſiorum reuertens, mentionem faciunt in eius vita *Caſtag. in proc. fol. 312. verſ. eo tempore in c. Surd.* aſſerens d. Cardinalem ibi legationis officio functum fuiſſe *in verſ. poſt paucos annos, &c. Idem Vorag. in verſ. ſtudio nell' vniuerſità, &c. Ioan. Auer. in verſ. poſt paucos autem annos, & Flam. in verſ. di lá non molto, &c. Razz. in verſ. paſſati poi non molt anni, &c. & Maff. in verſ. dei quali fauori.* Nec mediocre fuit iudicium oblatam ſibi dignitatem Epiſcopalem reſpuiſſe fugaq; & latebris quantum in ſe fuit euitaſſe ſicut ſupra demonſtratum eſt. Indicibile eſt quanta fuerit illius charitas in curandis infirmis, & ſedandis fratrum etiam ciuium controuerſiis, cui negotio ſpecialiter ſemper incubuit in diſtribuendis poſtquam Epiſcopus factus fuit redditib. ſuis inter Chriſti pauperes etiam ijs, quib. egebat pro vſu proprio; qua occaſione contigit inſigne miraculum multiplicationis panis de quo infra ſuo loco. Vnde etiam, & ex contemptu rerum ſæcularium, & alacritate in morte de quib. ſupra firmiſſima eius ſpes, & confidentia in Deo colligi poteſt. Admirabilis fuit ſemper iſtius viri prudentia, ſingularisq; in reb. gerendis dexteritas qua ratione, & media, in quibuſcunq; reb. ſemper inuenit, & Prælaturas ſuæ Religionis, & Epiſcopale munus ſumma cum omnium comprobatione adminiſtrauit ciuileſq; populorum cōtrouerſias penitus extinxit, edocuitq; hæc eſſe opera dęmonum quod & ſignis comprobauit. Etenim quodam die cum in platea Feſulana aſtantibus quibuſdam Florētinis verbum Dei prædicaret, & incidiſſet in ſermonem de Florentinorum diſcordiis. *Surgite*, inquit, *& leuate capita veſtra, & videte vnde Florentinorum diſcordiæ procedunt*, & ſurgentes viderunt infinitam coruorum, & miluorū ſuper ciuitate Florentiæ præliantium quantitatem, quos eſſe Dæmones non fuit qui dubitaret. Hanc viri prudentiam, & ſpecialem dexteritatem agnoſcens Vrbanus Papa Quintus illum ad ſedandas Bononienſium controuerſias deſtinauit: verum cum altera pars in non parendo mandatis Apoſtolicis ſe nimium pertinacem oſtenderet, ſanctus vir cui pectus virile non deerat, contumaces excommunicauit, verum illi nequiores facti B. Andream in carcerem, & compedes coniecerunt, eiuſq; familiares extra ciuitatem eiecerunt, quam iniuriam vir Dei ſumma cum patientia pertulit, ſed Deus Opt. Max. ſceleris authores intenſiſſimo renum, & brachiorū dolore percuſſit, ita vt nulla humana arte poſſet dolor leuari vel aliqua ex parte diminui, quamobrē illi in ſe reuerſi virum Dei è carcere eduxerunt, illiq; obedientiam præſtantes corporis, & animæ medelā obtinuerunt. In prædicto vitæ tenore famulus Dei perſeuerauit ab eius conuerſione, vſq; ad obitum, quin in virtutibus ſemper auxit, nam poſtquam creatus fuit Epiſcopus non ſolum remiſit aliquid de ſua humilitate, & maceratione ſeu vitæ auſteritate, quod pleriq; faciūt, ſed in illis ſemper maior factus lauando in qualibet feria quinta pedes pauperum eiſdemq; proprijs manib. cibum miniſtrando, panemq; diſtribuēdo ſolitis ieiunijs addidit totalem abſtinentiā ab eſu carnium, & certum pōdus cibo, & potui, qui erat aquæ modico vino tinctæ ordinauit, lectulus qui erat prius ſtramineum, factus fuit ſermentorum, cilicia nouo cingulo ferreo catenaq; ſtrinxit, & ligauit. Hæc facti ſeries circa virtutes particulares B. Corſini modo ſupra immediate narrato probatur. *ex Caſtag. Vorag. Turio. Nar. Flam. Maff. Raz.* & multis alijs q eius vitā ſcripſerunt, *Hier. Plat. de bon. ſtat. Relig lib. 2. ca. 29. reg. in d. proceſſ. actor. fol. 304.* & ex fama publica de qua per 4. 5. 7. 8. 15. 22. 25. 33. 37. & alios teſtes ſuper 8. 9. 10. 12. 14. 15. 19. 21. & 23. Quæ ſpecies probationum ſufficiunt in materia antiquiſſima, vt probauimus ſupra ac eadem parte quarta.

HVMILITAS. FORTITVDO CONTRA TENTATIONES. OBEDIENTIA, ABSTINENTIA, ET CARNIS MACERATIO. PVDICITIA ET CASTITAS. SILENTII ET SOLITVDINIS OBSERVANTIA DOCTRINA. CONTEMPTVS SÆCVLI. CHARITAS. PRVDENTIA ET DEXTERITAS.

Quod autem ex iſtis proxime recitatis vltra late deducta in ſuperiori §. remaneat probata ſanctitas iuxta requiſita, de quib. per nos in prima parte huius noſtræ relationis, res ipſa demonſtrat. ſiquidem ex hac facti ſerie apparet, in hoc Dei viro omnes virtutes, & quidem in gradu excellenti emicuiſſe.

§. 3.

*De excellentia fidei B. Andreæ Corſini.*

Ex deductis in proximo §. ſatis apparet, in hoc ſeruo Dei emicuiſſe omnes virtutes, & præcipue ſpem, & charitatem, reſtat vt de excellentia in fide iuxta ordinem, per nos ſupra part. 3. §. 3. præſcriptum aliquid dicamus, quod igitur fuerit Chriſtianus, & Catholicus nullum dubitandi locum relinquunt hæc quæ ſequuntur, nempe ipſum natum fuiſſe inter Catholicos ex pijs, & Catholicis parentib. & ſe talem vbiq; profeſſum, & pro tali ad ſacros ordines culmenq; Epiſcopalis dignitatis admiſſum, quandoquidem ex iſtis maxime ſimul iunctis probatur fides Catholica *cap. veniens de presb. non baptizatis Hoſtien. in ſum. eod. tit. nu. 2. verſ. ſed quis Caſtell. de canoniz. q. 4. princ. verſ. 2. per textum, Simonett. in relat. S. Franciſci de Paula §. quod ſi æquus rerum iudex.*

Quod vero ad excellentiā in fide, illa perſonaliter remanet probata, ex generali ꝓbatione ſanctitatis ex multitudine bonorū operū & ex miraculis quib. ſimul iunctis ꝓbatur excellentia in fide, vt late demonſtratum eſt

ſupra



*ſupra par. 3. § 3.* ſed vlterius concurrunt in iſto ſeruo Dei quatuor argumenta, quæ ſpecialiter inferunt ad excellentiam in fide *iuxta S. Ant. in ſum. 4. p. tit. 8. c. 3. § 7.* nempe 1. quod quis alta de Deo ſentiat. 2. quod tranſitoria pro præmio æterno contemnat. 3. vt in aduerſis de Deo confidat. 4. vt à bono opere non deſiſtat, nam quantum ad primum, ſicut centurio (qui datur pro exemplo per ſanctum Ant. vbi ſupra) credidit filium Dei potuiſſe ſanare puerum ſuum, abſq; eo, quod tectum ſuum ingrederetur, ita credidit iſte Beatus, poſſe eundem Dominum ſanare plures infirmos, & cum modico pane ſatiare turbas, vt infra cum de miraculis huius ſerui Dei agetur. Quod iſte contempſerit tranſitoria pro præmio ęterno, ſupra in proximo §. demonſtratum eſt. 3. de confidentia in aduerſis, patet ex dictis in eodem §. tam circa ſuperatas tentationes, quam circa ſupportatos carceres, & cōpedes & alacritate in morte. 4. de perſeuerantia vſq; ad extremum vitæ ſpiritum pariter probatum remanet ex iis, quæ diximus ſupra ab ingreſſu religionis, vſque ad felicem obitum.

## Pars Quinta.

*De miraculis B. Andreæ Corſini principium.*

Expediti de ſanctitate B. Andreę Corſini, deuenimus ad illius miracula, & licet probatio miraculorum in genere non ſufficiat, & miracula in vita non ſint neceſſaria, vt diximus ſupra in 3. partes nihilominus cū vtrumque conducat ad effectum; de quo agitur vt ibidem explicauimus, de vtroque agemus, & ſic iſta 5. pars erit diuiſa in 3. §. in quorum primo agemus de miraculis in genere, 2. de miraculis particularibus in vita, in 3. de miraculis particularibus poſt mortem.

§. 1.

*De miraculis in genere.*

Probatur in genere iuſtum Dei famulum multa feciſſe miracula primo ex pluribus hiſtoriis ſupra narratis, quæ vno ore affirmant iſtum Beatum multa feciſſe miracula, quæ hiſtoriæ in antiquiſſimis plene probant, vt diximus. *ſupr. p. 4. § 1.*

Secundo confirmatur iſta probatio ex epitaphio antiquo ſuper huius Beati ſepulchro *in proc. fol. 336.* quod inter alia habet hæc carmina.

*Qui qualis fuerit miracula multa fatentur,*
*Quæ Deus oſtendit corporis ad tumulum.*

Iſtis enim epitaphiis de iure multum defertur *Bart. & Bald. in l. monumentum C. de relig. & ſumpt. funer. Angel Aret. in § nihil autē inſt. de teſtam. Calcan. conſ. 90. n. 7. Rot. in cauſa Viterbienſ. Caſtrorum 29. April. 1613. corā me ſacrato & in iſtis terminis Pauin. in relat. ſuper canoniz. S. Bonauenturæ p. 2. art. 8. Iacob. Caſtell. tract. de canoniz. q. 7. c. fin. & auditores noſtri in canonizatione S. Hiacynthi vt in relat. impreſſ. pag. 28 & in canoniz. S. Raymundi p. 3. art. 2.* huius rei in noſtris terminis ſpecialis ratio aſſignari poteſt, nempe quod ordinarii, qui præſumuntur eſſe ſoliciti de his, quæ ſpectant ad eorum officium, *Rot. deciſ. 6. n 2. 3. & 11. de iur. patr. in nouis. Put. dec. 243. in fin. l. 2.* non permiſiſſent iſtas aſſertiones affigi in loco publico, & per longiſſimum tempus permanere, ſi non eſſent veræ, prout in ſimili de ſignis, & marmoribus enunciantibus ius patr. Eccleſiæ. tradunt *Bald. in conſ. 310. lib. 5. Dec. conſ. 1305. n. 1. Ioan. de Anna conſ. 86. cap. fin. Ferrett. conſ. 293. n. 9.*

Tertio conducit ad probationem miraculorum in genere, magnus numerus votiuarum Gabellarum, & ſignorum æreorum, & argenteorum ad ſepulchrum huius Beati appenſatorum, vt conſtat ex viſitatione, de qua *in proceſſ. actorum fol. 318.* quib. illi qui affixerunt, teſtantur, ſe per interceſſionem huius Dei viri, fuiſſe miraculoſe à diuerſis infirmitatibus ſanatos, licet. n. non ſit credendum omnia fuiſſe vera miracula, attamen è contra redditur omnino inueriſimile quod inter illa non adſint aliqua, quæ vere fuerint miracula, & quod tot homines in eadem re fuerint decepti, vel Deus omnipotens, qui cuſtodit mentes, & corda fidelium, permiſerit illos errare, vt ponderauimus ſupra. *p. 4. § 1.*

Quarto adeſt cōmunis opinio, publica vox, & fama, q iſte Beatus fecerit miracula, quod genus probationis in antiquiſſimis plene probat, *vt diximus ſupr. d. p. 4. § 1.* & præbent inſigne adminiculum antiquiſſ. literæ Reipub. Florent. de quib. *in proceſſ. actorum fol. 298. & ſeqq.* in quib. aſſeritur, iſtum Beatum feciſſe multa miracula, & etiam quoddam inſtrumētum extractum ex prothocollo Ser. Pauli Laurentij Notarij publici Florent. de quo *in proc. actorum fol. 228.* vbi narrantur duo miracula, interceſſione huius famuli Dei facta, alterum ſcilicet de ann. 1438. & alterum de anno 1440.

§. 2.

*De Particularibus miraculis B. Bndreæ Corſini in vita.*

PRIMVM MIRACVLVM.

Inter miracula in vita illud primo loco ſe offert, quod B. Andreas cum Ioan. Corſino agnato ſuo lupæ morbo laborante operatus eſt, *cum. n. dictus Ioan. à præfato morbo in crure per dies nocteſq; vehementer cruciaretur, vt minus ſentiret cruciatum, quocunq; genere ludorum vti conſueuerat. ita vt eius domus ludorum porticus appellaretur, huius rei miſertus vir Dei ſic fertur fuiſſe Ioan. alloquutus.* Ioan. ſi meis cōſiliis acquieſces priſtinæ ſaluti reſtitueris, & ab hoſtium tuorum inſidiis diuino numine liberaberis *Ioan. licet vix credere Andr. in conſpectu Dei talem gratiā inueniſſe, vt eius interceſſione tales infirmitates curari poſſent: attamen motus deſiderio recuperandæ ſanitatis, pollicitus eſt ſe facturum quicquid Andreas imperaret, tunc ait. Andreas,* opus in primis eſt, vt omnes has ludorū conſuetudines abiicias, poſt hæc vt ieiuniis vacando Virginem Mariam ſummis precib. dies 8. flectere nitaris. *Ioan. perfecit quod ſibi imperatū fuit. & finitis octo diebus à ſua infirmitate omnino liber euaſit ita vt ſicut per prius in lecto ſemper iacebat ita poſtea ſine aliqua difficultate, vbiq; libere ambularet, & vbi prius carnes erant corroſæ vſq; ad os, factæ fuerunt velati pueri paruuli.* Hoc factum referunt *Pet. Caſta fol. 309. in fin. Iacob de Volag. fol. 103. in princ. Auctor. Arn. relat. per Sur. to. 1. de vit. ſanct. die 6. Ian. pag. 148. alias 144. verſ. ea tempeſtate Gab. Flam. lib. 1. de vit. ſanct. die 6. Ian. fol. 29. verſ. era all' hora in Fiorenza Silua Raz. fol. 560. verſ. in quei tempi, & nouiſſime Io. Pet. Maff. de vit. 17. confeſſ. Chriſti fol. 490. verſ. & non laſciaua, &c.* & teſtes de publica voce, & fama ſuper 11. articulo, ex quibus ſimul iunctis in materia antiquiſſima erit plena probatio per ea, quæ diximus *ſupr. p. 4. § 1.* hoc idem aſſeritur in Breuiario Carmelitano in feſti huius ſerui Dei *in 5. lect.* & præbet adminiculum lata probatio miraculorum in genere de quib. in proximo §. & probatio aliorum miraculorum in ſpecie de quibus infra, quia vnum factum alteri eiuſdem ſpeciei adminiculatur vt conſiderauimus *ſupra p. 3. § 2.* quod autem hoc factum ſit miraculum, non videtur dubitandum, quia hoc genus morbi inueteratum non videtur curabile ſaltem per breue tempus 8. dierum vt tradit. *Galen. lib. de atra bile c. 3.* & ſignanter nō videtur quod tam breui ſpatio caro potuerit creſcere, & fieri quaſi pueri paruuli, vnde hoc pro magno prodigio in curatione Nahaman connumeratur à ſcriptura *lib. 4. Reg. c. 5. n. 14.* Quod a. fuerit operatum interceſſione huius ſerui Dei probatur ex præcedenti illius promiſſione cum effectu ſubſequuto.

SECVNDŪ MIRACVLVM.

Pro ſecundo miraculo in vita illud refertur, *quod cū in ciuitate Florent. quidam nobilis, & diues ciuis vnicam haberet filiam hectica febri laborantem, pro qua ſananda cum iuxta conſilium medicorum omnia poſſibilia feciſſet, nihilque profuiſſet, tandem ad puellam conuerſus, illam percunctari cœpit* num aliquod aliud remedium amplius deſideraret eius anima, ſe enim nullo pacto eius deſiderio defuturum *tunc puella reſpondit ſe in ſolo* auxilio & glorioſæ Virginis præſidio ſpem ſalutis habere, & propterea deſiderare, vt frater Andreas de Corſinis aduocaretur, vt manibus

ſitis ſanctiſſimis ſibi cibum præpararet, *ſeruus Dei accerſitus venit, & præuia oratione propinauit cibum Puellæ, & ſtatim obdormiuit puella, & paulò poſt excitata petit veſtimenta quoniam ab Andrea vocabatur: illis itaque induta pedibus ſuis ſine alicuius auxilio Deo gratias actura libera, & ſana cunctis mirantibus, & Deum laudantibus proporauit, Andreas vero, vt fieret monialis ſanctæ Annæ curauit, & obtinuit.*

Hoc factum referunt auctores ſupra in proximo miraculo relati, & teſtes de publica voce, & fama *ſuper* 13. *articulo* & concurrunt eadem adminicula de quibus proxime ſupra, quod hoc factum fuerit miraculum apparet, quia per prius fuerunt adhibita omnia remedia, quæ non profuerant, item quia morbus agnoſcebatur pro incurabili. Item quia curatio fuit in inſtanti quod non facit natura vt ponderauimus *ſupra p.* 3. & denique quia nedum incontinenti receſſit febris, ſed infirma recuperauit vires, & facultates ambulandi, quod non ſolet contingere in morbis longis, & diuturnis, quod autem miraculum contigerit per interceſſionem huius ſerui Dei, apparet ex firma ſpe infirmæ, quod per illius interceſſionem erat liberanda ex propinatione cibi, & oratione ſuper infirma per B. Andream facta per ea, quæ diximus ſupra *p.* 3. §. 2.

Tertiũ miracvlvm.

Tertium locum obtinet inſigne miraculum illuminationis cæci, quod ſic ſe habuit. *Cum reuerteretur ſeruus Dei à ſtudio Pariſienſi, applicuiſſetque Auenionem viſendi cauſa Petrum Cardinalem Corſinum gentilem ſuum, cuius mentionem fecimus ſupra p.* 4. §. 2. *viſitaretque Eccleſias & loca pia eiuſdem ciuitatis in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Donis, hora meridiei inuenit ante oſtium dictæ Eccleſiæ cæcum quendam eleemoſynam petentem, quem cum interrogaſſet* quomodo cæcus euaſiſſet *reſpondit cæcus*, artem ſuam fuiſſe purgare aurum & argentum, qua vxorem, & filios ſuſtentate conſueuerat, cumque vt ars ferebat, fixis oculis in igne continuo permanere cogeretur, ſe calore, & nimio lumine offenſum cęcum euaſiſſe ſeq; dolere vehementer non tam propter ſe quam propter filios qui tam paruuli erant, vt nõ poſſent ſibi victum quærere, & propterea ſe rogare Andreã vt pro eo ad Dominũ intercederet, *Non potuit ſeruus Dei continere lachrymas, reſponditque* Deus, qui eſt vera lux te illuminare dignetur, vt valeas ad ſui laudem filios tuos nutrire: *quibus prolatis cum Eccleſiam introiſſet, & ante altare maius prætentus per modum Crucis procubuiſſet, ac per ſpatium vnius fere horæ permanſiſſet, inde conſurgens ad hominem cæcum properauit quem aqua benedicta aſperſit, dixitque* Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cæcum à Natiuitate illuminauit, & lumen cæco in via reddidit ſua virtute, & potentia lumen tibi reddat: *iſtis verbis prolatis ſtatim cæcus aperuit oculos, & clare vidit, & gratias Deo agens per vniuerſam ciuitatem, vt debuit publicauit.* Hoc factum tanquam verum miraculum recenſent. *Pet. de Caſtag. Auct. Ann. relat. per Sur. Iacob. de Verog. Gab. Flam. Sil. mag. Io. Pet. Maff. locis ſupra allegatis, & vltra illos Franc. Nar. de vit. ſanct. fol.* 35. *re. ſic. poſt paucos annos*, & concurrit publica vox, & fama per teſtes *ſuper* 14. *art.* quæ probationes ſufficiunt per ea, quæ diximus in proximis miraculis, quod illuminatio cæci ſit miraculum, non indiget probatione, eo quod euenerit per interceſſionem huius ſerui Dei, conſtat ex ſerie facti videturque hoc miraculum commemorandum in ſecundo gradu miraculorum per ea, quæ diximus ſupra *part.* 2. *verſ. ſolent etiam.*

Qvartvm miracvlũ.

Quartum non minus illuſtre, quam tertium ſe offert nempe de multiplicatione panis quod ſic refertur: *poſtquam B. Andreas Epiſcopus fuit in quadam magna annonæ penuria ſingulis diebus panem inter pauperes diſpenſare conſueuerat cum quadam die pauperes in tanto numero multiplicaſſent, vt ſolitus panis non ſufficeret, plurieſque ad locum vbi panis aſſeruabatur reuerti opus fuiſſet: cumque neque hoc ſufficeret, ſeruus Dei, cuſtodi panis vt denuo panem afferret imperauit, cuſtos reſpondit ſe* 15. *tantum panes reſeruaſſe qui erant neceſſarii pro prandio, & propterea illos afferre recuſauit. Seruus Dei quaſi non crederet deeſſe panem, ſuum cuſtodem ad arcam panis venire iuſſit, quo vbi fuit peruentum cum cuſtos arcam claue aperuiſſet, inuenta fuit arca plena pane recenti, & calido, qui panis inter pauperes diſpenſatus fuit.* Hoc factum recenſent auctores in proximo miraculo citati, & habetur in Breuiario Carmelitano in facto huius ſerui Dei in octaua lectione.

Et ſuper hoc adſunt teſtes *ſuper* 18. *artic.* de publica voce, & fama quæ probationes ſufficiunt per ea, quæ diximus in proximis miraculis nec videtur elaborandum in probando, quod multiplicatio panis ſit miraculoſa, cum inter inſignia, & illuſtria miracula referatur, tam in veteri, quam in nouo teſtamento, vt habetur de multiplicatione panis facta per Eliſeum *libr.* 4. *reg. cap.* 4. *in fin.* & per D. N. Iesvm Christvm *Matth. cap.* 14. *Marc. cap.* 6. *Luc. cap.* 9. Vnde cum non immerito ſimilem multiplicationem in altiori gradu miraculorum, connumerauimus in relatione B. Thereſiæ *capit.* 4. Quod miraculum euenerit interceſſione B. Andreæ, agnouit ipſemet cuſtos & referunt prædicti auctores, deponunt iidem teſtes, *ſuper* 8. *art.* & habetur in Breuiario Carmelitano, & ipſamet facti ſeries oſtendit.

Qvintũ Miracvlvm.

Quintum miraculum de paupere habente tibias putrefactas integre ſanato non videtur omittendum, cum maxime patefaciat profundam ſerui Dei humilitatem, & poſſit non magis iuuare exemplo, quam mouere admirationem miraculo. *Conſueuit B. Andreas vt dictum fuit in* 4. *part.* §. 2. *in ſingulis quibuſcumque hebdomadis in* 5. *feria lauare pedes pauperum, & illis propriis manibus cibum ſubminiſtrare, quadam die cum ſeruus Dei poſtquam lauaſſet pedes aliquorum, ad vnum deueniſſet, recuſauit ille ſe poſſe ab Epiſcopo lauari, interrogatus de cauſa, reſpondit ſe habere tibias adeo putrefactas, vt indignum ſit tantum virum illas videre, nedum tangere aut lauare, cui B. Epiſcopus* veni *inquit* frater, & confide de potentia, & miſericordia Dei, quoniam ipſe ſanabit omnes infirmitates tuas, *obediuit pauper miſitque pedes & tibias in peluim, Epiſcopus autem eas lauit, terſit, & cum lachrymis oſculatus fuit, quo pretioſo lachrymarum vnguento æger ſtatim ſanus euaſit.* Hoc factum legitime probant auctores in proximis miraculis citati, & concludunt teſtes de publica voce, & fama *ſuper* 2. *art.* & habetur in eodem Breuiario Carmelitano in feſto huius Beati *in* 9. *lectione*: quod ſit miraculum denotat ſubitanea ſanatio, quod ex interceſſione Beati, de quo loquimur ipſa facti ſeries demonſtrat.

§. 3.

*De particularibus miraculis B. Andreæ Corſini poſt mortem.*

Reſtat vt iuxta ordinem per nos in principio huius ſanctæ partis præſcriptum agamus de miraculis, quæ poſt felicem Andreæ obitum D.O.M. per eius interceſſionem operari dignatus eſt, & ad hæc vſque tempora operatur, ita tamen vt prius referantur miracula antiqua deinde vero recentiora.

Primvm Mira-cvlvm.

Primo loco ſe offert, quod concorditer ſcribunt hiſtorici ſupra in hac quinta parte enumerati de ſuaui odore, qui ex corpore B. Andreæ defuncti emanauit, ita vt non ſolum mirum in modum oblectaret ſenſum odoratus, verum etiam multi ex diuerſis languoribus, ac morbis fuerint liberati. Hoc factum videtur legitime probatum auctoritate prædictorum auctorum & ex teſtibus de publica voce, & fama *ſuper* 27. *artic.* qui etiam deponunt de odore, qui exhalauit ex eodem corpore tempore tranſlationis eius de Eccleſia Feſulana ad ciuitatem Florentiæ, quod genus probationis in antiquiſſimis concurrentibus adminiculis continuationis, deuotionis, & aliorum ſufficere late probauimus *ſupra p.* 4. Quod autem ſit miraculum, quod corpus defuncti exhalet ſuauem odorem, & talem per quem curentur infirmi, ſatis per ſe patet, cum ex cadaueribus peſſimus odor, & ex illo infirmitates & peſtilentiæ oriri ſoleant, & ſimilis caſus inter miracula fuit computatus *in relatione ſancti Raymundi p.* 2. *art.* 10. *mirac.* 8. & nouiſſime per nos in alia B. Thereſiæ *art.* 4. *mirac. poſt mortem.*



Secvndũ Miracvlvm.

Secundum miraculũ recenſetur in perſona cuiuſdam D. Bettæ, q̃ cũ anno 1440. careret vſu brachij ſiniſtri, & ſimiliter parte ſiniſtra capitis, q̃ nõ poterat erigere, nec aure ſiniſtra audire dũ in Eccl. plebis S. Mariæ de Prato audiret quendã Magiſtrũ Petrum prædicantẽ miracula ſerui Dei Andr. Corſini firma ſpe concepta eius ſe meritis liberari poſſe mente conuerſa ad B. Corſinum, illum ex toto corde rogauit, vt apud Deũ pro ſua ſanitate intercedere dignaretur, quo facto fuit ſomno correpta, & obdormiuit per ſpatiũ medietatis horę dum pręfatus Magiſt. Petr. perſequitur ſuã concionẽ dumq; obdormiret, viſum ſibi fuit aliquid deſcẽdere de capite, & brachio & expergefacta ſanã ſe eſſe deprehendit, qm̃ brachium in altum leuauit, & audire cœpit. Quam ſanitatẽ tanquam miraculoſe acceptã per interceſſionẽ huius ſerui Dei agnouit, & propalauit, & deſuper inſtrumentũ publicum rogatis Not. & teſtib. confici voluit q̃ fuit regiſtratũ in hoc proceſſu. Factũ igitur probatur per aſſertionẽ infirmæ de qua in præfato proceſſu, & hoc idẽ recẽſuit *Caſta. in vita huius ſerui Dei circa finẽ*, q̃ genus probationis in materia antiquiſſima viſum fuit ſufficere. miraculũ apparet ex inſtantanea ſanatione ſine remedio humano quod p̃ interceſſionẽ ſerui Dei operatur. Ipſa facti ſeries demõſtratur nẽpe inuocatio, & ſtatim ſubſequuta liberatio.

Tertiũ Miracvlvm.

Tertium miraculũ nobilitate operis multiplicate factorũ, & claritate probationis ſuperat omnia alia & ſic ſe habet. *Anno Incarnat. Dom.* 1440. *Eug. Pp.* 4. *Florent. commorante Philippus Maria Mediol. Dux Summo Pontifici, & Florentin. bellum intulit, ac per Nicol. Piccininum præfectum ſuæ militiæ Florentinorum oppida deuaſtare cœpit. Cumq; multa deuaſtaſſet, & iam iam exercitus loca ciuitati Florẽtinæ propinqua occupaſſet; iamq; Florentinos, Cardinaleſq; ac Summum Pontificẽ magnus terror inuaderet, hiſq; rebus permota ciuitas trepidare, armiſq; diffidere cepiſſet: fuerunt electi X. viri, qui reb. bellicis præpoſiti darẽt operã, ne quid mali Reſpub. pateretur. Collectis itaque per eos vndiq; militib. paratiſq; quantũ pro temporis anguſtia fieri potuit legionibus. cum iam tanto belli diſcrimine eorum animi in ambiguo verſarentur, quippe quia videbant ſe imparatos aduerſus magnas forteſq; hoſtium copias, euenit, vt cum ex maxima deuotione, quam tunc temporis vniuerſa ciuitas habebat erga iſtũ ſeruum Dei populus ad Eccleſiã vbi illius corpus requieſcit & adoleſcẽs quidam præcipuæ erga illum deuotionis vna cum cæteris adueniret apparuit ei B. Antiſtes dicens* Adoleſcens propera ad viros belli præfatos meaq; hæc verba referas Deus qui Iſrael de manu Pharaonis eripuit ipſe confringet aduerſarios veſtros, ne timeatis cum hoſte congredi, nam Deus diſſipabit vires illorum, itaq; audacter 5. die à proximo feſto S. Ioannis Baptiſtæ q̃ intra dies 8 celebrabitur cum hoſte congredimini, quia de illis victoriam reportabitis, *paruit adoleſcens, & præfectis militiarum, quæ ſanctus apparens ſibi dixit, nunciauit præſentib. auditis, Magiſtratus fidem adhibuit, & die præfixo cum hoſte conflixit cumq; multum hinc inde pugnatum fuiſſet, tandem pro Florentinis ſtetit victoria, hoſtiumque copiæ vndique fuſæ ſunt, præcipue ex magno hoſtium exercitu fuga euaſerunt vixque Piccininus eorum Dux, quam victoriam tanquam miraculoſam, & per interceſſionem huius ſerui Dei agnoſcentes Florentini duxerunt ſolemnem proceſſionem cũ funalib. ad Eccleſiam Carmelitanorum, vbi fuit habita ſolemnis oratio de ſanctitate vitæ huius ſerui Dei, & illius corpus cum funalibus, & thurificatione oſtenſum, vt dictum eſt* ſupra *in* 4. *p. in* §. 1. Hoc factum ſicut ſupra narratum concorditer referunt ſcriptores huius ſerui Dei, nempe *Andr. Caſt. Iacob. Deuerad. Gab. Flam. Sil. Raz. Franch. Catan. Sur. & Io. Tamag. p.* 2. *Hiſt. mund. lib.* 9. narrat factum de magno exercitu exiguis Florentinorum copiis fuſo, licet non narret interceſſionem ſerui Dei, tanquam illud quod non erat ſui inſtituti, corroboratur probatio iſtius facti per decretum Reipubl. Florent. factum anno 1446. & ſic per 6. annos poſt de quo *ſupr. p.* 4 §. 1. per quod fuit ordinatum magiſtratibus, quod in memoriam accepti beneficii à ſeruo Dei Corſino, ſingulis annis impenſis communitatis 20. pauperes veſtirentur, quod paulo poſt fuit etiam ordinatum, vt decem nouitii Profeſſi Conuentus S. Mariæ de Carmine, vbi aſſeruatur corpus iſtius Beati, veſtirentur, & quædam alia præſtarentur, de quibus *in proceſſu actorum fol.* 289. *alias* 299. & teſtes ſuper 29. & 31. Quod autem factum contineat miraculum, immo plura miracula, non videtur poſſe negari, conſideratis circumſtantijs, nempe apparitione ſerui Dei, prædictione victoriæ, quæ ſucceſſit in die præfixo, & quod cum paruo exercitu ex gentibus collectitijs, & inexpertis comparato ſuperatus fuerit exercitus magnus, & veteranus, & illuc vſque victor, & ductus ab Imperatore inter inſignes illius temporis, & quod mirabile eſt, minimo victorum damno, adeo *vt refert Tarend.* decem, & ſecundum alios vnus tantum vir, nec quidem armis inimicorum ſed caſu perierit, ſunt enim illius verba hæc: *Dell' eſſercito vincitore, non ne morirno piu che dieci, alcuni vogliano, che in tutta la battaglia piu che vn ſolo huomo non ci moriſſe, negia de ferite, ma caduto da cauallo, & calpeſtrato da gl' altri.* In ſacris literis extant exempla ſimilia, inter quæ nobis retuliſſe ſat erit de exercitu Gedeonis, *libr. Iudic. cap.* 7. vbi paruus exercitus innumerabilem fudit gentium copiam, nullo de exercitu victore interfecto, quod miraculo attributum eſt, vt ſimiliter miraculo tribui poteſt prophetia, ſiue pronunciatio huius facti in die præciſo, cum prophetare ſit miraculum, iuxta illud *Petri cap.* 1. *non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines, Sanct. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 172. probat etiam adminiculum, quod fuerit miraculum illud, quod pro tali à maioribus, vſque ad minores habitum fuit, vt apparet ex ſolemni gratiarum actione, de qua ſupra, etenim pluſquam inueriſimile eſt, quod tantus numerus, qui interuenit facto, & vidit circumſtantias, errauerit in habendo pro miraculo illud, quod non erat: Quod autem miraculum ſucceſſerit interceſſione ſerui Dei, apparet per præfatam eius viſionem, prædictionem & communem totius ſenatus, populique Florentini reputationem, quin etiam D D. Cardinalium, Prælatorum, & Curiæ qui interuenerunt præfatæ ſolemni gratiarum actioni, vt dictum eſt *ſupr. p.* 4. §. 1. ac etiam ipſiuſmet Pontificis, qui eas modo ita ſolemni agi permiſit, & ſignanter ex præcedenti totius populi inuocatione, & concurſu ad illius ſepulchrum pro gratia habẽda, cum iſte ſit vnus ex modis probandi interceſſionem, vt diximus *ſupr. p.* 3. alia itidem miracula inter antiqua narrat *Petr. Andr. Caſta. lib. de quo ſupr.* nempe de quadam Bilia muliere Florentina, graui infirmitate ſanata: de quodam Petro Victorio ab alta Turri cadente, ope ſerui Dei liberato, & de infantula patiente morbum vermium, & de punitione cuiuſdam Nicolai, qui irridebat eos, qui venerabantur ſeruum Dei, & de curatione cuiuſdam Leonardæ ab infirmitate brachij, & de liberatione Marci Antonij ab infirmitate & dolore decennali in tibia, & liberatione Prouincialis Carmelitan. à febri, & à dolore capitis, quæ non fuerunt per nos reiecta, ſed tãquam minus neceſſaria, & non ita clara, vt ſuperiora probata illa voluntarie prætermiſſa, iudicauimus tamen poſſe ſeruire pro adminiculo.

Alia Miracvla ſed non ita clara.

Qvartũ Miracvlũ poſt mortem

Quartum locum, licet longo interuallo inter miracula poſt mortem obtinebit *ſanatio Bonauenturæ infantis duorum annorum filij Caſſandræ quon. Angeli Ricci, quandoquidem iſte de menſe Auguſti* 1607. *ſtetit per dies ſeptemdecim in cuna, & in vltimis tribus diebus neque cibum, neque potum ſumpſit, adeo vt Parochus, & Medicus illum pro mortuo declarauerint, quibus permota eius mater, curauit ad puerum perferri reliquias B. Andreæ prout factum fuit* 25. *eiuſdem menſis Auguſti, admotis ad puerum reliquiis, & recitatis nonnullis orationibus, puer ſtatim experrectus fuit, vocando* Mamma, *quæ puerum in brachiis accepit ſuis, & cum tunc per viam tranſiret quidam videns pira cocta, puer ſubiunxit* Mamma pere cotte, *cumq; mater dediſſet illi vnum ex dictis piris, puer illud manducauit, & alios deinde cibos ſuſcepit, voluit veſtiri, & in viã adduci ad ludendum cum aliis pueris, & nullam aliud amplius malum ſenſit.* Hoc factum probant tres teſtes *iuxta* 12. & deponunt de viſu, nempe Caſſandra mater Pueri, Catharina mater Caſſ. & Gineura, ſoror eiuſdẽ Caſſ. qui teſtes

pen

plene probant factum, iuxta illud *in ore duorum vel trium, &c.* nec illud, q̀ ſint conſanguinei pueri liberati tollit aliquid de earum fide, cũ non agatur de intereſſe liberati, *iuxta not. per Bald. in l. qui teſtam. §. quæcunq; col. 2. in fin. verſ. tu autem die, Alb. n. 5. Arec. pariter n. 5 ff de teſtam, Abb. in c. ſuper eo il. 2. n. 2. v. nota 4. de teſtib* Gabr. *concl. 17. n. 11. eod. tit.* miraculũ reſultat ex inſtantanea liberatione à longa infirmitate; ſine aliquo remedio humano & totali abſtinentia à cibo per tres dies, & ſignanter ex ſubita recuperatione virium, ita vt potuerit ſe regere pedibus, & ludere cum aliis. Interceſſio probatur ex deuotione matris, & admotione reliquiarum.

QVINTŨ MIRACVLVM.

Quintum miraculorum locum obtinet caſus ſororis Angelicæ de Caſtro de Rio. *hæc mulier portauerat manus leproſas per 30. annos cõtinuos, & pro ſanatione adhibuerat omnia remedia medicinalia aſſumẽdo vſq; aquã ligni, ſed fruſtra omnia fuerunt, quo viſo cum audiret fieri multa miracula per B. Andreã, recurrit ad eum, & rogauit, vt vellet à Deo impetrare ſanitatem, promittens allaturã ſe duas manus votiuas, quæ ſtatim cœpit conualeſcere, & infra octo dies fuit penitus mundata, & nunquam amplius malum huiuſmodi ſenſit.* Hoc factum recenſet ipſa ſoror Angelicæ 28. teſtis, omnes *iuxta* 12. nempe Angelica de facto proprio, & aliæ de viſu. Probatio legitima oritur ex depoſitione trium teſtium. Miraculum ex inſtãtanea liberatione à morbo habituali 30. annorum non curato, per remedia medicinalia adhibita, & licet interceſſerint octo dies, attamen attenta ſubita melioratione, & quód octo dies non erat tempus ſufficiens ad curationem tanti morbi, nullo maxime adhibito remedio exteriori, viſum fuit non ceſſare vim miraculi, *per ea quæ diximus 1. p. 2. verſ. nos fœdere diſtinctionis.* Interceſſio probatur per eoſdem teſtes.

SEXTVM MIRACVLVM.

Sexto loco ſuccedit liberatio Gineuræ q. Angeli Ricci de anno 1596. *quæ in partu filij maſculi incidit in infirmitatẽ, quæ durauit per tres menſes, & curatio medicorum priuauit eam lacte, & beneficio menſtruorum, & conſequenter mentis ſanitate, ita vt amiſerit omniũ cognitionem, & faceret multas fatuitates, in quo ſtatu medicus conſuluit mutationem aeris, & Caſſandra eius ſoror illam portare fecit ad locum Camalduli, vbi ipſa habitabat, & dicta Gineura ibi adducta faciebat maiora, & omnia proijciebat per terram, & retineri non poterat, quæ videns dicta Caſſandra, recurrit pro auxilio ad B. Andreã, & eius ſanctas reliquias ad dictum locum portari curauit, quibus ſupra dictam Gineuram poſitis incontinenti recuperauit cognitionem, & in ſpatio triũ horarum penitus liberata fuit.* Hoc factũ probãt ipſa Geneura 31. teſtis, quantũ ſibi licuit percipere, & clarius Caſſandra 3. teſtis, Catharina 10. teſtis oẽs *iuxta* 12. & deponũt de viſu, quia fuerunt præſentes, factũ legitime probatur ex præfato numero teſtium, miraculum ex inſtantanea liberatione, interceſſio ex depoſitione eorundẽ teſtium.

SEPTIMŨ MIRACVLVM.

Septimum miraculum contigit *in perſona Eliſabethæ de Cenanella infirma febri continua, & morbo comitali quo cadebat per quatuor vices in qualibet die cum omni aſperitate, cumq; hæc mala portaſſet per 30. menſes, nullo adhibito remedio ob ſui paupertatẽ, quadam die audiens, quod in domum vicinam debebant portari reliquiæ B. Andr. pro quadã puella infirma, rogauit vt poſtea ẽt ad ipſam portarẽtur, & interim toto corde orauit ad B. Andr. vt dignaretur pro ea impetrare à Deo ſanitatẽ, & portatæ fuerũt reliquiæ ad orantẽ, & poſitæ ſuper lectulo ſuper quo iacebat infirma, quæ ſtatim remanſit libera à febri & morbo comitiali, & ſanata ſurrexit, & ſic per annos quatuor cũ dimidio vſq; ad examen tranſactos conſeruata fuit.* Factũ ſic vt ſupra narratũ eſt, deponũt ipſamet Eliſabetha 65. teſtis Dominicus quon. Thomæ eius maritus 92. teſtis Magdalena Nicolai 67. teſtis oẽs de viſu, & præſentia *iuxta* 12. factum probatur ex præfato n. teſtium, miraculum ex inſtantanea liberatione à longo morbo præſertim comitiali, & hæc abſq; vllo remedio humano, interceſſio Beati ex illius inuocatione & admotione reliquiarum.

OCTAVŨ MIRACVLVM.

Octauum miraculum ſucceſſit in perſona Flãmettę, Iacobi Ferri Florentini, *hæc mulier in veſperis D. Petri anno* 1603. *in propria domo cadens in terram, cõfregit ſuum brachium ſiniſtrũ, & pro eo curando ſtante ſua paupertate, acceſſit ad hoſpitale S. Mariæ nouæ vbi dictum brachium fuit illi curatũ, & data illi quædam medicamenta cum quib. mederi brachiũ deberet, cum iſtis domum ſuã reuerſa expectauit per ſeptem hebdomadas, & cũ non ſolum dicta medicamenta brachium non ſolidauerint, verũ ẽt manum extraxerint, & dolores extremos induxerint, poſtquã pluries ſe B. Andr. commendauerat, quadam die audiens miſſam in Eccl de Carmine ad altare eiuſdem B. Andr. poſuit dictum brachium confractum ſuper dicto altari, & ex corde eum rogauit, vt vellet à Deo impetrare, vt poſſet cum d. brachio laborare, & ſua negotia peragere, quo facto refert ipſa, vt infra* all' hora mi ſenti vna coſa che mi tocco il braccio, & mi pareua che mi diceſſe va via, che adoprarai il tuo braccio, & ſei guarita, & ſic *rediit domũ, & vſa fuit d. brachio in ſuis negotiis, & nihil aliud mali in eo habuit*, de hoc facto deponit ipſa Flãmetta 169. teſtis, & ſunt conteſtes Iacob. Ferrus eius maritus 82. teſtis, & Magdalena q. Iacobi 71. teſtis, oẽs *iuxta* 12. factum probatur ex præfato ſufficienti n. teſtium, miraculum ex ſubitanea liberatione à morbo cui nõ profuerant remedia humana. Interceſſio ex eiſdem teſtib. & ſignanter admotione brachij ſuper altare eius Beati.

NONVM MIRACVLVM.

Poſtremũ miraculorum legitime probatorũ locum obtinet illud, q̀ contigit in Catharina vxore Iulij del Garbo, *hæc per longum tempus ſurda, & nihil audiens permanſit, cũque illi per nutus ſignificatum fuiſſet, quod in die Aſcenſionis proxima, debebat oſtendi populo corpus B. Andr. in vigilia de ſero contulit ſe ad Eccl. Carmelitarum & fratri qui aſcendebat ad ſepulchrum ad admouendas coronas cum maxima deuotione, & fiducia dedit ſuam coronam, & poſtquam ſanctus frater deſcendit, illam ſibi reſtitutam deuoluta fuit, & facta oratione granum illius immiſit in ſuas aures, & incontinenti* ſi ſenti vna coſa, che li calo abaſſo, *& auditum recuperauit, & nunquam dum vixit ſurditatem paſſa fuit*, de huiuſmodi facto deponunt ſoror Maria Hyacyntha eius filia 95. teſtis, Margarita Ioan. eius famula 98. teſtis, & Benedictus de Raiſtors 108. teſtis omnes *iuxta* 12. qui ſufficiunt quoad numerum, & concludunt miraculum in ſubitanea liberatione à morbo inueterato ſine remedio humano, & probatur interceſſio ex ipſamet ſerie facti.

## Pars Sexta.

*De actis cauſæ, & legitima illorum confectione.*

Diximus ſupra in principio tertiæ partis circa probationes tria ſolere conſiderari 1. q̀ ſint legitime propoſitę 2. q̀ ſint perfectæ in genere ſuo 3. q̀ materia ſit probabilis per illud genus ſeu gradũ probationis: de iis, q̃ pertinent ad 2. & 3. conſiderationẽ diximus in 4. & 5. parte, dum diſſeruimus de ſanctitate, & miraculis B. Corſini, vnde reſtat tantum prima conſideratio, ſub qua cadit legitima ratio proceſſuum in hac cauſa factorum.

Duo tantũ reperiũtur fabricati proceſſus in hac cauſa. primus de anno 1602. coram ordinario Feſulano ex ſua poteſtate, corã quo fuerunt extracta plura iura, & examinati 181. teſtes. ſecundus fuit fabricatus per ſubdelegatos ab Auditoribus Rotæ à fel. rec. Clemente 8. in hac cauſa deputatos, nempe à bonæ memoriæ Penia & Iuſto & D. Millino nunc S. R. E. Cardinali meritiſſ. in quorum locum ſucceſſiue fuimus poſtea nos tres per S. V. ſub delegati.

Super primo proceſſu non potuit per nos fieri fundamentum, quia fuit repertum fel. rec. Paulũ Pp. 2. & Sixtum Pp. 4. prius in hac cauſa appoſuiſſe manus cõmittendo illum tribus Card. vt patet ex plurib. literis, & inſtructionib. Reip. Florent. per illa tempora datis, de quibus in 2. proceſſu actorum *fol.* 294. vſq; ad *fol.* 300. quæ in materia antiquiſſima viſa fuerũt probare dictam manus appoſitionem *ad trad. per Alex. conſ. 90. n. 1. lib. 6. Aretin. conſ. 42. n. 1. verſ. 1. Socc. conſ. 86. n. 2. lib. 1. Dec. conſ. 13. n. 8. Crauett. de antiq. tem. p. 1. verſ. ampliatur nunc n. 12. cum duob. ſeqq.* quæ manus appoſitio operatur vt inferior ex poſt non poſſit ſe intromittere vt diximus ſupra *p. 3. §. 1. in 1. dub.* nec poteſt dici inſtantiam per lapſum 150. annorum fuiſſe peremptam, quia de iure canonico per lapſum temporis minime perimitur inſtantia *c. venerab. de iudic.* exiſtimarunt tamen prædeceſſores noſtri, per quos iſte articulus fuit diſputatus, *ſub die Sabbati 21. Apr. 1607.* priuatum proceſſum poſſe deſeruire pro adminiculo,





Circa ſecundum proceſſum adfuit modica difficultas, quia concurrunt omnia per nos firmata *ſuper p. 3. §. 1. per tot.* etenim de iuriſdict. præfatorum Rotæ auditorum conſtat ex commiſſionibus Apoſtolicis, de quibus in *dict. proc. fol.* 11. & in actis Notarij cauſæ & pręfatas cõmiſſiones præceſſerunt magnæ inſtantiæ apud Sedem Apoſtolicam, nempe Henrici IV. Francorum Regis, & Mariæ eius vxoris, necnon Ferdinandi Magni Etruriæ Ducis, totius Carmelitarum Relig. & denique nobilis Cortinorum familiæ, vbi patet ex dictis commiſſionib. adfuit etiam in ſubſtantia dicti proceſſus generalis informatiuus, cum pro illo deſeruierit fabricatus poteſtate ordinaria, & interuenerunt alia de quibus per ſcribẽtes *in c. 1. de reliq. & ven. ſanct.* licet non ſint omnino neceſſaria, & teneat proceſſus etiamſi talis ordo nõ fuerit ſeruatus, *vt per Hoſtien. d. c. 1. n. 5. & io. Andr. n. 3. circa fin.* quos alij ſequuti fuerunt.

De ſubdelegatione facta per dd. Auditores de Iudicibus, qui examinarunt teſtes & extraxerunt iura, ſuper quibus eſt fundata quarta, & quinta pars huius noſtræ relationis, conſtat ex literis remiſſorialibus, de quibus *in d. proceſſ. fol.* 11. Aduertendũ eſt, quod vnus ex tribus ſe excuſauit vt poterat iuxta formam remiſſoriæ, vt in eius requiſitione, de qua *in proc. fol. 8.* & in litteris miſſiuis *ib. fol. 36.* de deputatione Notarij qui de prædicto proceſſu fuit rogatus, conſtat in eius actis, de acceptatione facta per iudices, circa examen teſtium reperimus fuiſſe per dd. Iudices proceſſum ſeruatis ſeruandis, nempe præuio iuramento congruis modo, loco, & tempore præſtito *iuxta not. in l. iuriſiurandi cum ibi not.* C. *de Teſt.* citatio vero fiſci, vel alterius pro illo non fuit habita pro neceſſaria per ea, quæ diximus ſupra *in 3. p. §. 1.* Teſtes fuerunt examinati primo ſuper interrogatorijs, & poſtea ſuper articulis iuxta formam remiſſoriæ, & quilibet de per ſe, & ſecreto. *iuxta not. in c. cum venerab. de Teſt.* & fuit per nos dictum dicta *p. 3. §. 1.*

Quoad extractionem iurium cum in proceſſu actorum ordinarij ſaluato pro adminiculo, vt diximus ſupr. reperiuntur omnia iura ad cauſam facientia Procurator Religionis cum DD. de Corſinis *die 14. April. 1606.* produxit d. proceſſum coram præfatis Dominis Archiep. Florentino, & Epiſc. Feſulano iudicibus remiſſorialibus ac petijt, ac ab eis obtinuit mandari coram ſe exhiberi originalia iurium inſtrumentorum, literarum aliarumque ſcripturarum in d. proceſſu regiſtratarum, illaq; recognoſci, & cum eis exempla dicti proceſſus collationari, vt in dicto proceſſu remiſſoriali. *p. 3. fol. 1.*

Et die 17. eiuſdem in Archiuio publico reformationũ Florentin. à cuſtodibus fuerunt præfatis Dominis iudicibus exhibiti liber prouiſionum, & liber minutarum literarum Reip. Florentin. *de anno* 1466. & à duob. teſtib. medio iuramento fuerunt recogniti pro libris in dicto Archiuio cõſeruatis pro libris, Reip. & legalibus, & ſucceſſiue tenores literarum & decretorum dictæ Reip. in dicto proceſſu inſerti fuerunt collationati cum dictis originalibus, & concordantes reperti *in d. 3. p. fol. 5. & ſeq.*

Poſtea die 19. eiuſdẽ coram eiſdem Dominis iudicib. ſcriba, & cuſtos curiæ Epiſcopalis Feſul. & eius ſcripturarũ exhibuit librum *memoriale Epiſcopi nuncupatum*, ſcriptum manu B. Andreæ, & alios libros dictæ curiæ & literas miſſiuas à B. Andrea eius Vicario ſcriptas. Inſtrumentũ duorum miraculorum *de annis* 1438. & 1440. & tranſumptum literarum bonæ memoriæ Cardinalis Sirleti, quæ iura pariter à duobus ſaltem teſtibus eo modo, quo potuit, fuerunt recognita, & cum illis copiæ regiſtratę in dicto proceſſu fuerunt collationatę, & concordatæ *vt in d. 3. p. fol. 10. & ſeq. 14. & 16.*

Deinde eadem die D. Gaudentius Canonicus Feſulanus exhibuit coram Dominis iudicib. præfatis librũ ſacriſtæ Eccl. Feſul. in quo relatum eſt officiũ B. Andreæ, qui à legitimo numero teſtium fuit recognitus, & copia dicti officij ſcripta in dicto proceſſu fuit collationata, & concordata cum dicto originali, *vt in d. 3. p. fol. 19.* Quod autem dicti iudices habuerint facultatem non ſolum examinandi teſtes ſuper dictis articulis, ſed etiam compellendi ad exhibenda iura, examinandi teſtes ſuper illorum recognitione, eademque tranſumptandi patet ex literis remiſſorialibus *de quibus in 1. p. proceſ. fol. 11.*

Neq; obſtare viſum fuit, quod teſtes in recognitione dictarum ſcripturarum antiquarum non dicant cognouiſſe manum, quia fuit reſponſum, q̀ impoſſibilitas ob maximam antiquitatem operatur quod ſufficiat recognitio librorum Archiuij, & per comparationem literarum, *de quib. agitur ad trad. per Bald. in auth. quas actiones n. 18. C. de ſacroſ. Eccl. Alex. conſ. 101. n. 9. & 10. libr. 7. Afflict. deciſ. 251. n. 6. Put. deciſ. 151. lib. 1. Rota dec. 54. p. 1. diuerſ.*

Hiſtorias vero impreſſas quas allegauimus ſupra *in 4. & 5. parte* non viſum fuit eſſe opus producere, vel recognoſcere, cum ſint notoriæ, ex quo omnes illas ſciunt, vel de facili ſcire poſſunt *iuxta not. per Bart. in l. ſcriptus n. 2. ver. ſed dicas ff de reliq. & ſumpt. fun. quod verum notorium, Menoch. de arb. caſ. 166. n.* 7. & propterea ſufficit illas ſimpliciter allegare non opus eſt probare illarum exiſtentiam *gl. in Clem. appellanti verb. alias cauſa de appell. Innoc. in cap. tua nos. n. 2. & de cohab. cler. Bal. in l. ſi vero §. qui pro rei nu. 1. ff. qui ſatiſd. cog. cum concord.*

Ex quibus concluſimus proceſſus eſſe legitime confectos, & generaliter cauſam eſſe in eo ſtatu, vt poſſit S. V. quotieſcunque ſibi placuerit deuenire ad ſolemnem huius ſerui Dei canonizationem, & in Albo ſanctorum deſcriptionem ad laudem Dei omnipotentis, &c.

Sed hæc de negotio B. Andreæ Corſini ſatis ſuperq;.

X. OBITVS S. BIRGITTÆ REGINÆ. ET SVMMA RERVM ILLIVS VITÆ IN DIPLOM. PONT. CANONIZATIONI REPETITVM.

Hoc etiam anno, Romæ ad cœlos emigrauit, ſancta Birgitta Sueciæ Regina. Placet ex diplomate Pontificio Canonizationis illius à Bonifacio IX. dato, ſummam vitæ illius iſthic ſubiungere. Ita habet.

*Bonifacius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilib. Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filijs electis, & Patriarchaliũ, Metropolitanarũ, & Cathedraliũ Eccleſiarum Capitulis, vbilibet conſtitutis, ſalutẽ & Apoſtolic. benedictionem.*

*Ab origine mundi, poſt primi parentis lapſum, cum eam ob rem vniuerſum genus humanũ æternæ morti teneretur obnoxium, cunctipotens & miſericors Deus ex alto proſpiciens, ne in totum perderet hominem quẽ creauerat ſed ſuæ diuinitatis faceret eſſe participem, cum primos patres ex inſpiratione ſancti Spiritus afflatos prophetas aduentus filij ſui in carnem ſub typicis ænigmatibus ac diuinis reuelationibus nuncios præmiſiſſet, eundem vnicum ſuum filium ante ſecula genitum, adueniente plenitudine temporis, in vterũ præelectæ Virginis Matris, quæ imperſcrutabili ſancti Spiritus obumbratione Angelo nunciante concepit, de proprio ſinu trãſmiſit, qui ex eadẽ virgine natus, & progreſſus in tẽpus cœpit facere & docere, omnibuſq; monſtrare, qualiter ſacri baptiſmatis fonte renatis, de æterna morte via pateret ad vitam: & coadunatis diſcipulis, ne quis fidelis huius tranſitoriæ & fugitiuæ vitæ moleſtias, vel tædia, ſeu temporalis acerbæ necis pœnas pro æternæ adeptione vitæ perhorreret, ſeſe hoſtiã immaculatã cõſummato, debito curſu in ara crucis morte cruenta obtulit Deo patri: & militantem Eccl. fuſo pretioſo ſanguine fundauit, conſecrauit, & æternaliter ſtabiliuit. Tandẽ vero de mundo tranſiturus ad patrem, principi Apoſtolorum Petro cœleſti clauigero, in ſuã ſuorumq; ſucceſſorum Sũmorum Pontificũ perſonas collatis clauibus, ligãdi videlicet & ſoluendi tradita poteſtate, ſupremum Pontificium, ſpecialem curam ſui gregis, & regimen vniuerſale cõmiſit: pollicitus nihilominus Eccleſiam in æternum ſe non deſerturum eamdem. Ad cuius vberem vtilitatem diuiſiones gratiarum per Spiritum ſanctũ tribuit ſuis fidelibus. Nam ſecundum Apoſtolum: vnicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatẽ: alij quidem per ſpiritũ datur ſermo ſapientiæ: alij ſermo ſcientiæ ſecundum eumdẽ ſpiritum: alii fides in eodem ſpiritu: alii gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alii operatio virtutũ, alii propheta, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonũ. hæc autem omnia operatur vnus atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult quamq; militantem Eccl. pater luminũ ſubſtituit in eodem Spiritu S. ſtructura admirabili pretioſorũ lapidum mira varietate decorã ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, quos elegit ante mũdi conſtitutionẽ conformes fieri imaginis eiuſdem filii ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, in quo eos gratificauit, donãs chariſmata meliora qui ſuo exẽplo viã oſtẽderẽt excellentiorẽ. Hinc igitur Apoſtoli ſancti prodiere*

per vniuerſum Orbem, genus humanum quod ſub peccati iugo tenebatur, ad vitam & ſalutem excitantes, & cum firmiſſima conſtantia prædicantes verbum Dei, vt in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum. Splendidi quoque martyres fidei loricam induti, & inconcuſſæ ſtabilitatis baltheo ſuccincti, lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine innocentis agni, & imitati candidato exercitu CHRISTVM IESVM, ad ſtructuram ſupernæ Hieruſalem, hoc eſt, triumphantis Eccleſiæ, cum glorioſa victoria palmas geſtantes in manibus, ſeſe viuos lapides addiderunt, exemplum venerabile, & æternam dignamq; memoriam militanti Eccleſiæ relinquentes. Progreſſi ſunt & Doctores lucidiſſimi, qui pſeudo-Chriſtianis falſiſq; prophetis ſuperſtitioſas & varias opiniones in vera fide Catholica adducere, ipſamque fidem ſubuertere ſatagentibus ſe opponentes, talium confutatis erroribus, miro eloquio, & ſolidis ac rectis ſententiis operante ſancto ſpiritu, ipſam fidem & militantem Eccleſiam illuſtrarunt: quibus eadem Eccleſia communita progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Sequuntur & limpidi Confeſſores, ornati gemmis & virtutibus coruſcantes, Domino rationem de talentis creditis repoſcenti, cum ſe aſſidua & vigili ſanctarum operationum exercuerunt mercatura, vtpote fideles & boni ſerui, multiplicatum de ſuis laboribus fructum afferunt, ac donum reponunt in arcam. Etiam anachoretæ, & ſolitudinis ac heremi ſectatores, blandientis & captioſi, ſed venenoſi mundi vana ſpectacula fugientes, vt ſecuri ad patriam peruenirent latibula petierunt, & antris abditi, paruo & rudi victu, ſcaturientis aquæ & leui potu carnem propriam macerantes, & Sathanæ ſtimulos reprimentes, paliaſtro vel tegmine hirto amicti, vt plurimum nudis pedibus, & ſqualida humo, aut ſtraminco cubili feſſa membra ſomno refouentes, in ſacra contemplatione, & ſupernæ maieſtatis laude vacantes, demum ex hac lacrymarum valle, & miſeriarum aceruo, ad Dei præſentiam euocati, immarceſcibilibus deliciis potiuntur. Adſunt & virgines nitidæ, mundo corpore & corde ſyncero, mentem ſanctam, ſpontaneam, & oleum ſecum ſuis deferentes in vaſis, venienti ſponſo obuiam exeunt, eiq; deſponſantur, qui eſt præ filiis hominum ſpecioſus. Deuotæ autem & continentes viduæ, & aliæ ſexus vtriuſque perſonæ, piis ſanctiſq; operibus ſemper intentæ, ſe ante Dei tribunal cum plenis manipulis repræſentant, & cum ſanctis Angelis canunt gloriam in altiſſimis Deo, & in terra pacem bonæ voluntatis hominibus deprecantur. Hæc omnia profecto ille idem Spiritus, de quo ſupra, operatur miniſterio multiformiter admirando: & ſecundum ſanctam promiſſionem, Chriſtus Ieſus hanc vineam ſuam militantem Eccleſiam, poſt eius admirabilem aſcenſionem talibus cultoribus & cultricibus vſq; in diem hodiernum viſitauit, fouit, defenſauit, firmauit, iuuit, & auxit, & per ſui gratiam ſic in futurum faciet temporibus ſucceſſiuis. Nouiſſimis vero diebus, vt etiam ab Aquilone aliquid boni eſſet, ille cæleſtis agricola eamdem vineam ſuo de more viſitans, mulierem fortem procul & de vltimis finibus ſuum ſecum pretium deferentem, ad huiuſmodi vineæ culturam adduxit ineſſe, Beatam ſcilicet viduam Birgittam, quam vulgares Brigidam appellant, tam ſacro ſuperius deſcripto cœtui merito ſociandam, ſeu verius ſociatam. Cuius (propter quod præſentem operam nobis damus) vt originem, vitam, mores, & merita, nec non miracula, quæ in præmium ſanctitatis eius benedictus Deus mundo monſtrare dignatus eſt, ne de tam celebri muliere ætas præſens remaneat ignara, & ſurda poſteritas famam ingratam accuſare, vel prætendere poſſit, ſummotenus percurramus, de multis pauca admodum, eaque non prætereunda ſilentio excerpſimus, veſtræque charitati harum ſerie volumus intimare.

*Origo S. Birgittæ.*

Hæc nempe mulier glorioſa, ex patre Birghero, & matre Sighri de coniugibus, de nobiliſſima Regia ſtirpe Catholicorum Sueciæ Regum procedentibus, nec minus fide Orthodoxa, & animi conſtantia, ac virtutibus, quam nobilitate claris duxit originem. Quæ quidem mater, dum eam geſtaret in vtero, maris in quodam ſinu paſſa naufragium, cum multos promiſcui ſexus, in eodem naufragio procella abſorbuiſſet, ſana peruenit in litus, & nocte ſequenti in viſione, aſtitit ſibi perſona admirando veſtitu refulgens: & ne vidua tam venerandæ ſine prænuncio foret aduentus, dixit: Saluata es, propter bonum quod habes in vtero.

*Matris eam in vtero geſtantis ſomnium.*

Cumque puella Birgitta, de genitricis aluo in mundum recenter fuiſſet educta, ſacerdos Parochialis in Eccleſia propinqua, approbatæ vitæ & ætatis prouectæ, dum nocte orationi vacaret, nubem lucidam, & in medio nubis virginem ſedentem vidit, librum habentem in manu, ſibique dicentem: Nata eſt Birgero quædam filia, cuius vox per mundum admirabilis audietur.

*Triennis formate loquitur.*

Nata ergo puella, vſque ad finem triennij quaſi elinguis viſa eſt: ſed mox contra naturalem decurſum, non balbutiendo infantium more fari geſtientium quæ audierint, ſed completa & formata verba de auditis per eam loquebatur, & viſis. Procedens vero in annis, pueritiam mira deuotione tranſegit, orationibus videlicet ac ieiuniis: & alias nunquam à bonis operibus otioſa.

*Nubit.*

Tandem licet in ſtatu virginali ſeruire Domino totis deſideriis affectaret, tamen per parentes compulſa, quondam Vlphoni de Vlphaſum Principi Nericiæ, nobiliſſimo quippe & Chriſtianiſſimo iuueni, in matrimonium deſponſatur.

*Continentia.*

Et cum inſimul conuenire deberent, quamquam idonei eſſent ad viriles amplexus, maritus videlicet in decimo octauo, & ſponſa in tertiodecimo anno conſtituti, communi tamen voluntate Thobiam iuniorem, & Saram Raguelis imitati, annum continuum & vltra à concubitu abſtinuerunt, Deum humiliter deprecantes, vt ſi coniugi foret expediens, in commixtione non peccarent, & Deus illis talem prolem concederet, quæ ad ſeruitium eius eſſet. Simul poſtea conuenerunt in timore ac tremore, non libidini ſed poſteritati vacantes: cum interim deuota mulier, nec ieiunia, nec orationes, nec alia pia & ſolita opera præteriret.

*B. Virgo matri in partu periclitanti adeſt propitia.*

Et cum ſemper Beatæ Virgini præcipue deuota foret, ac tempore procedente pene partu periclitaretur, & obſtetrices ac mulieres aſtantes, de vita illius deſperarent, viſa eſt quædam imperioſa, ſed incognita mulier, albis ſericeis induta veſtib. intrare cubile, & aſſiſtere ſtrato, & ſingula iacentis membra pertractare. Mox cum talis mulier diſparuiſſet, eadem puerpera, ſine dolore partu integro exonerata remanſit.

*Perpetuam cum marito continentiam vouet.*

Et cum iſti dicti iugales adhuc eſſent iuuenes, & recentes, maritus felicis vxoris ſanctis admonitionib. perſuaſus, (cor. n. viri ſpoliis non indigens confidit in ea, reddidit ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ) ipſaq; mulier indixerunt ſibi ſponte inuicem, & perpetuam continentiam ſeruauerunt. Et nihilominus coniuges deuoti in Dei timore & amore proximi ſemper feruentiores limina Beati Iacobi in Compoſtella communi voto peregre viſitarunt, & ad propria reuerſi cum deliberaſſent, vt liberius deuotioni vacare poſſent, pro ſexus diuerſitate diuerſa ingredi monaſteria, dictus princeps in tali deliberatione quieuit in Domino.

*A Spiritu ſancto peregrinari ad loca ſancta iubetur poſt mariti obitum.*

Sancta a. vidua, quæ ab ineuntis ætatis principio Deo dicata fuerat ieiuniis & orationibus indefeſſe vacaret, ſoluto coniugio & ſui iuris effecta, quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum, à Spiritu ſancto præmonita, egrediens de terra & cognatione ſua, ad almam vrbem ac Hieroſolymam deinde perrexit: & loca ſingula, in quibus Redemptor noſter Ieſus Chriſtus, annunciatus, natus, educatus, baptizatus, conuerſatus, mirabilia operatus, illuſus, crucifixus & ſepultus fuit, & ad cœlos aſcendit, inſigni deuotione & venerabunda conſpexit. Ad vrbem quoq; regreſſa, cum antea ſiue in ſua patria, & partib. circumſtantibus, ſiue in Germania, ſiue in Galliis, ſiue in Hiſpania, ſiue Italia, ſiue in aliis ciſmarinis aut vltra marinis partib. ſanctorum ac ſanctarum corpora, ſeu memorandæ reliquiæ quieſcerent, pauca admodum abſque perſonali viſitatione dictæ ſanctæ viduæ fuiſſent prætermiſſa, in eadem vrbe reliquum vitæ peregit.

*Carnis maceratio et crebra ieiunia.*

Sed poſt mariti mortem, ob reuerentiam ſanctæ Trinitatis, ad nudam carnem quandam chordam de canopo cum pleriſq; nodis detulit ſtricte ligatam: & ſimiliter circa ſingulas tibias ſubtus genua ſingulas chordas ſimiliter connodatas, etiam tempore infirmitatis: nec non pannis lineis, præterquam in capite vſa: veſtes hiſpidas circa carnem, ſuperius vero non ſecundum perſonæ conditionem, ſed multum humiles & abiectas, & non ſolum eas, quas ſancta mater iubet Eccleſia vigilias ſeu ieiunia obſeruabat, ſed alia multa ſuper addebat, vt etiam vltra Eccleſiæ mandatum quater in hebdomada ieiunaret, & ſimiliter quater in hebdomada coniuge nondum vita functo, & poſt obitum eius continue, vſq; ad paucos annos ante ſuum felicem tranſitum ſolitis pannis induta ſuper tapeto, abſq; paleis, culcitra vel ſimilibus, ad terram vel pauimentum poſito, corpus ab orationibus, abſtinentiis, ac diurno labore feſſum, tenui & breui ſomno recreabat. Singulis ſextis feriis, ob memoriam ſacratiſſimæ paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, pane duntaxat & aqua contenta ieiunium non omiſit: cum etiam multos alios dies, ob diuerſorum ſanctorum reuerentiam ſimili abſtinentia pertranſiret. Et ſiue ieiunio abſtineret, ſiue aliter diſcumberet, cum ſobriiſſima foret, de menſa ſurgebat non ſaturata, ſed refota: eiſdem quoque ſextis feriis, de candelis cereis accenſis ſtillas candentes, & ignitas eliquabat ſuper nudam carnem, ita vt aduſtæ cicatrices continue remane-

rent:



rent, & gentianam amariſſimam herbam, ſeu radicem eius retinebat in ore.

*Quotidie Eccleſias Vrbis pedes viſitat.*

Romæ inſuper degens, non vigorem frigoris, non æſtiuos calores, non impedimenta viæ lutoſæ, non pluuiarum, aut niuium ſeu grandinum aſperitates curans, ſtationes per Eccleſiam ordinatas, variaſque alias ſanctas Eccleſias, licet eques pro ſuis facultatibus ire potuiſſet, tamen ſuper extenuati corporis vires enitens, peditans viſitauit quacunque die. Tot namque longis genuflexionibus vſa fuit, vt genua eius rigerent in duritiem, vt ita dixerimus, camelorem.

*Admirabilis humilitas.*

Admirabilis & ſpectatæ humilitatis extitit, ita vt nonnunquam cum pauperibus peregrinis incognita ſimul ſedens apud Monaſterium Sancti Laurentii in Paliſperna de Vrbe Ordinis Sanctæ Claræ, eleemoſynam reciperet, & oſcularetur cum gratiarum actione. & frequenter propriis manibus, & ob Dei reuerentiam reparabat pauperum veſtimenta.

*Frequentia confeſſionis.*

Tenacem obedientiam Prælatis, & ſuis ſuperioribus, & confeſſoribus obſeruabat, adeo quod ſaltem abſque confeſſoris licentia pene oculos attollere non præſumeret. & ſuperſtite marito, cum ſingulis ſextis feriis confeſſa fuiſſet, poſt eius tranſitum veram confeſſionem ſemel ſaltem in die cum magna contritione ſtuduit iterare; tam amare leuia, ſicut alii grauiſſima deplorans, & nihil de ſuis verbis, moribus, cogitationibus & actibus præteriens indiſcuſſum.

*Frequentia communionis.*

Verbi Dei prædicationibus, quas viri probati facerent aſſidua aderat & intenta. Singulis quoque diebus Dominicis, & ſolemnibus, cum deuotione & lachrymis ſumpſit venerabile Chriſti corporis Sacramentum. Conſiderans ſemitas domus ſuæ, ne panes comederet otioſa, manus ſuas aperuit inopibus, & palmas ſuas extendit ad pauperes.

*Charitas inexhauſta.*

Inexhauſtæ enim charitatis officia erga egentes, infirmas, & abiectas perſonas, ob Dei reuerentiam exercuit indefeſſe. Nam dum etiam adhuc maritus ſupereſſet, die qualibet duodecim pauperes conſueuit propria in domo cibare, illis inſeruiens & neceſſaria miniſtrans: & quintis feriis memor cœnæ Dominicæ, propriis manibus lauit pedes eorum. De propria quoque facultate reparauit in partibus ſuæ originis multa hoſpitalia deſolata; & pauperes, & infirmos ibi degentes, pia, benigna, miſericors & ſedula miniſtratrix cum ſumma pietate viſitauit. Vlcera eorum abſque horrore vel faſtidio attrectauit, lauit, circumligauit & fouit.

*Inſigne monaſt. pro monial. et fratribus conſtruit.*

In loco etiam de Vuatzſteno Lyncopen. diœceſis, de ſuis facultatibus vnum venerabile Monaſterium canonice conſtrui fecit, pro ſexaginta monialibus ſub clauſura viuentibus, & viginti quinque Fratribus Ordinis Sancti Auguſtini, Sancti ſaluatoris nuncupati; qui, tam Moniales, quam Fratres certas Conſtitutiones per ipſam Beatam viduam editas, & poſtea per Sedem Apoſtolicam approbatas obſeruare tenentur, ſufficiente dote nihilominus aſſignata.

*Mira eius patientia.*

Admirabilis patientia viguit in ea, vt infirmitates proprij corporis, iniurias illatas, mariti & Caroli filij mortem, & aduerſa reliqua toleraret patientiſſime ſine murmure, ſine querela, ſemper in cunctis cum humilitate ſummiſſima Dominum benedicens; in fide ſemper conſtantior, præſtantior ſpe, vera charitate ardentior; iuſtitiam ſumme dilexit, & æquitatem, ſtimulos carnis, & varias illecebras, prauitatem & arrogantiam, pompam & inanem gloriam, magnanimi curioſitate contempſit. De ſingulari continentia, & modeſtia ſua ſatis eſt ſuperius recitatum.

*Prudentia.*

Sed quis inueniretur illa prudentior, cum optima diſcretione, ab ætate primæua, vſque ad horam vltimam, quantum ſinebat humana fragilitas, cuncta ſecernens, non dixit bonum malum, neque malum bonum; nec poſuit lucem tenebras, nec tenebras ipſam lucem.

*Secreta cognoſcit viſiones et reuelationes videt & audit futura prædicit Obitus ſui diem prænunciat.*

Quibus quidem Sanctis, & abſque intermiſſione continuatis operibus, hæc generoſa vidua, per gratiam Sancti Spiritus promeruit, multis, eorum cogitationes & affectiones intimas, & geſta ſecretiſſima propalare, & viſiones ac reuelationes varias videre, & audire: ac ſpiritu prophetico multa prædicere; quorum nonnulla effectu completa fuere; prout hæc & alia in eius reuelationum volumine pleniſſime deſcribuntur. Quinta vero præcedente die, prænunciauit ſuæ vitæ finem adeſſe. & cum fuiſſet annum ſeptuageſimum ſupergreſſa, adueniente iam termino prænunciato, vocata familia, quæ fieri oporteret edixit; ac demum Birghero filio, & Catherina filia tunc ſuperſtitibus accerſitis, & de multis commonitis, vt ſuper omnia in Dei timore, & amore proximi, ac ſanctis perſeuerarent operibus, vltima confeſſione debite facta, ſumpto viatico & extrema vnctione delibuta, cum vſque ad flatus emiſſionem ſua memoria integra perduraſſet, dum miſſa coram ſe celebraretur, poſt adoratum corpus Chriſti, oculis eleuatis ad cœlum, dicens; In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, vocanti benemeritam animam reddidit Creatori.

*Obitus eius et ſepultura.*

Extemplo de tranſitu huius viduæ venerandæ, magna fit fama per vrbem; concurrit frequens populus cum ſumma deuotione ac reuerentia, ſacrum videre corpus, Deum vnanimiter glorificans & collaudans, ad monaſterium Sancti Laurentij ſupradictum, vbi ſe indicarat, funus in longe maiori populi frequentia defertur, & præ nimia multitudine vſque ad biduum apte non potuit ſepeliri; quod tamen cum eximia Dei laude fuit humatum.

*Liberat mulierem à mali ſpiritus accubitu.*

Dum autem celebris hæc vidua Neapoli degeret, Nolanen. quædam mulier Pictiolella nomine, quæ violentum mali ſpiritus in humanam ſe imaginem transformantis patiebatur accubitum; cui nec fortium vigiliæ, aut excubiæ obſiſtere potuerant: cum ad viduam ſanctam acceſſiſſet, eam ſuper tali materia, & expedienti remedio conſultura: mox vidua præcellens, & ſecreta mulieris præuidens, quæſiuit à muliere, an ſecum aliquid arte magica compilatum, vel quid tale deferret. Cum illa reſpondiſſet, quod non: egregia vidua ſubiecit: Quære in capillis, ſeu tricis tuis, & contrarium inuenies. Confuſa & recordata mulier, quod certum breue cum characteribus, & cantamine, propriis habeat in crinibus, ſuum fuit errorem ſponte faſſa. Inſignis autem vidua iniunxit, & ſuaſit illi vt deuote confiteretur, & veraciter pœniteret, & communicaret, ac etiam ieiunaret: quod & fecit. ac meritis & precibus memoratæ viduæ, numquam ſimilem accubitum paſſa fuit.

*Orantis ad reliquias Apoſt. Thomæ fruſtum oſſis dicti Apoſtoli in manus eius proſilit.*

Cum autem ſpectabilis hæc vidua de longa peregrinatione, ad Ortanam Theatuenſis diœceſis terram, in qua beatiſſimi Thomæ Apoſtoli reliquiarum pars magna ſeruatur, vice ſecunda ſuperueniſſet; fuerat enim antea longe per viſionem ſibi reuelatum, quod ſecunda vice ſui aduentus ad ipſam terram, deuotum eius deſiderium impleretur; & dum ſtans reliquias deuotione ſolita viſitaret; Idem Apoſtolus, deuotæ viduæ apparens dixit; Dabit tibi diu deſideratum. & mox nemine tangente vel alias impellente, de capſa, reliquiarum quoddam fruſtulum vnius oſſis dicti Apoſtoli ſuapte viduæ expectantis proſiliit ad manus; quod illa cum gaudio ac deuotione recipiens, ſumma veneratione ſeruauit. Fuit quoque hæc admirabilis vidua, dum orationi & contemplationi vacaret, per pleraſque deuotas perſonas, eleuata à terra per hominis menſuram, vel circiter, cum ſplendida & radiante facie ſæpe viſa.

*Mortua liberat mulierem à tumore gutturis.*

Funus nondum erat traditum ſepulturæ cum mulier quædam Agnes de Conteſſa nomine in vrbe commorans, quæ à natiuitate guttur habebat groſſiſſimum, ac deforme, cum aliis venerandum cucurrit ad funus, & cum propria zona manus ſanctæ iacentis Birgittæ cum deuotione tangi feciſſet, zonam eamdem ſimili deuotione circumduxit ad collum; & paulo poſt guttur detumuit, & ad conformitatem debitam diuino miraculo fuit redactum.

*Monialis biennio debilitatem et ſtomachi ægritudinem paſſa ad eius corpus [illegible] impetrat.*

Verum Franciſca de Sabellis, dicti Monaſterij Sancti Laurentii Monialis, quæ biennio debilitatem, & aduerſam ſtomachi valetudinem paſſa, fere ſemper lecto decubuerat infirma, & honorandæ viduæ familiaris fuerat; dum adhuc inſepultum corpus intra clauſtrum ſeruaretur, cum graui labore de lecto ſurrexit, tam longam infirmitatem patiens, & adiuta peruenit ad feretrum, & ſecus illud iacuit tota nocte; nec Deum deſiit cum deuotione & inſtantia deprecari, quod meritis & precibus viduæ cuius corpus aderat, tam moleſta, tamque diutina valetudine in tantum ſaltem alleuiaretur, quod cum reliquis monialibus diuinis officiis intereſſe, & per clauſtrum cum expediret, adiuta per neminem ire poſſet. Et mane facto reperit ſe circa proprii ſanitatem corporis, efficacius remedium, quam deprecata fuerat impetraſſe.

*Puer mortuus ad vitam reuocatur.*

Verum vt Deus benedictus huius dilectæ viduæ, mundo, magna merita demonſtraret, contigit, vt Elſebyſnara mulier dictæ Lincopen. diœceſis, cum infantulum mortuum peperiſſet, ſummo dolore plena, ac tandem ad ſe reuerſa, Deum prece humili exoraret; quod meritis viduæ tantopere celebrandæ infantulus vitam ſuſciperet. & emiſſo voto, quod cum infantulo, ſi ad vitam veniret, & imagine cerea ſepulchrum viduæ ſanctæ viſitaret: extem-

*plo infantulus caleſcere, & palpitare cœpit, vitamque plene ſuſcepit. Mulier vero plena deuotione, atque gaudio, votum impleuit emiſſum.*

DIVERSA ALIA EIVS TAM IN VITA QVĀ POST MORTĒ MIRACVLA.

*Sed quid pluribus immoramur? cum Deus omnipotens huius almæ viduæ meritis, ſurdis aures aperuit, mutis linguæ officium ſoluerit, tremulis paralyticis ſoliditatem præbuerit, curuis erectionem, contractis & inualidis liberum beneficium gradiendi, cœcis viſus, mulieribus partu periclinantibus liberationem, morbis alias incurabilibus ſanitatem: naufragos, & aquis vehementibus laborantes perduxerit ſalutis ad portum. & ſi ea quæ Deus benedictus viduæ ſæpedictæ meritis, tam illa ſuperſtite, quam poſt eius reſolutionem felicem mirabilia, præter & ſuper vires naturæ fuit operatus, nec deſinit operari, vellemus per ſingula recenſere; nos aliis diuerſis implicatos, longa valde in tali recitatione prolixitas detineret; poſſunt tamen fideles auidi talia geſta pernoſcere, librum in quo fideliter annotantur perquirere curioſe. Vota autem apud Monaſterium in Vuaſtheno ſupradictum, ad quod venerabile corpus huius benedictæ viduæ translatum fuit perſoluta, & appoſitæ imagines, ac ſtatuæ, magnum teſtimonium perhibent veritati.*

*Et quoniam per Sancti Spiritus operationem, hæc vidua peruigil, per excellentia merita in Dei patris gloria collocata, militantem propemodum illuſtrat Eccleſiam; noſque guſtamus & videmus, quia bana fuit, & eſt, negotiatio eius: & propterea in nocte ſuperuenientis temporalis mortis eius, virtutum & meritorum lucerna non debet extingui; eſt enim non ſub modio ſed ſuper candelabrum poſita, & per Domini vniuerſam domum inextinguibile lumen affert, quin potius filij Sanctæ Matris Eccleſiæ ſurgant, & beatiſſimam prædicent, eique dent de fructu manuum ſuarum, laudentque eam in portis Matris Eccleſiæ opera eius: Nos qui pro iniuncto miniſterii Paſtoralis officio, ſumus ſapientibus & inſipientibus debitores, per ea quæ tam de felicis recordationis Gregorii Vndecimi, & Vrbani Sexti Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, quam noſtro mandato ſuper his habita ſunt, de veritate præmiſſorum, per teſtes idoneos, & alias probationes legitimas certius informati, eisque veris compertis; & pro parte charisſimæ filiæ in Chriſto, filiæ noſtræ Margarethæ Reginæ Sueciæ Illuſtris, ac Prælatorum & Procerum Regni ſui, nec non dilectorum filiorum & populi Officialium Almæ vrbis, ac dilectarum in Chriſto filiarum Sancti Laurentij, & de Vuaſtheno Monaſteriorum prædictorum Abbatiſſarum Conuentuum, ſæpius & cum inſtantia requiſiti in nomine Domini, vt iam tandem viduam eius celeberrimam benedicentes benedicamus, & ſuper eam effloreat ſanctificatio noſtra.*

CANONIZATIO.

*Ad honorem Dei Omnipotentis, Patris & Filii & S. Sancti, & ad exaltationem Orthodoxæ Fidei, & Chriſtianæ Religionis augmentum, nec non ad ſedationem ſchiſmatis, ac fidei & Eccleſiæ vnionem, auctoritate ipſius Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac Beatorum Apoſtolorum Petri ſupradicti & Pauli, atque noſtra, de Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, omniumque Prælatorum in Romana Curia conſiſtentium, decernimus, declaramus, definimus, ſiue pronunciamus, bonæ memoriæ Beatam Birgittam, alias Brigidam ſupra ſæpius nominatam, Sanctam eſſe, & tamquam Sanctam ab vniuerſali Eccleſia venerari, ac Sanctorum Cathalogo adſcribi debere, & ipſam nunc aſcribimus de præſenti. Statuentes, vt ab vniuerſali Eccleſia, anno quolibet, in die qua illam poſt deuictum triumphatumque mundum in perpetuas æternitates præſens vita parturiit, videlicet, decimo Calendas Auguſti, feſtum ipſius & officium, ſicut pro vna ſancta non virgine, nec martyre, ſolemniter & deuote celebretur. Et vt ad venerabile ſepulchrum ipſius, ardentius & affluentius Chriſti fidelium confluat multitudo, & eiusdem Sanctæ celebrius colatur feſtiuitas, & eius nomen crebrius recolatur, auctoritate prædicta, omnibus veræ pœnitentibus & confeſſis, qui ſepulchrum eius huiusmodi apud ipſum Monaſterium in Vuaſtheno in eiusdem feſti, necnon Quinto Kadendas Iunii, quo videlicet die huiusmodi corpus venerandum apud ipſum Monaſterium translatum fuit, & ſub ad præſens occurrentibus diebus deuote viſitauerint annuatim, ſingulis videlicet eorumdem dierum diebus, quibus dictum ſepulchrum viſitauerint, vt præfertur, ſeptem annos, & totidem Quadragenas, de iniunctis eis pœnitentis miſericorditer relaxamus.*

*Quocirca vniuerſitatem veſtram monemus, requirimus, & hortamur, attente, vobis nihilominus in virtute Sanctæ obedientiæ, & ad æternorum præmiorum augmentum diſtrictius iniungentes, quatenus præſentes noſtras literas, cleris & populis veſtris auctoritate noſtra ſolemniter publicantes, feſtum huiusmodi venerabilis Sanctæ, cum ſolemnitate debita celebretis, & faciatis etiam celebrari, Omnipotentem Deum à quo Sancta deſideria, recta conſilia & iuſta ſunt opera, totis cordis affectibus humiliter deprecantes, vt eiusdem Sanctæ precibus & meritis exoratus, det ſeruis ſuis illam quam mundus dare non poteſt, pacem, vt & corda noſtra mandatis ſuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora noſtra ſint ſua protectione tranquilla; nobisque concedat, vt poſt peractum noſtræ villicationis miniſterium, vna cum credito nobis grege, mereamur ad ſempiterna gaudia peruenire. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Nonas Octobris Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

Sed nos ad Gregorium Pontificem, reliqua Orbis Chriſtiani hoc anno curantem, reuertamur.

XI. VLTIO DIVINA IN EXERCITVM ANGLICVM IN GALLIIS QVOD EDVARDVS REX STIPENDIA IN MILITĒ EX BONIS ECCLESIAST. EXTORSISSIT.

In Galliam, horrida tempeſtas rurſus irruit ab Anglia. Triginta armatorum millia per Caleſiam in Atrebates effuſa, apud Corbeiam Somona fluuio tranſmiſſo, Royano oppido concremato, quod ſacram ædem contra eas munitam capere nequirent, Iſaram, Albam, Matronam, Sequanam, Ionamque flumina, ſed infelici excurſione tranſierant. Voluit Deus vlciſci Edouardum Regem, ſtipendia in militem ex bonis Eccleſiaſticis extorquentem. Nam hoc anno Clerus Anglicanus decimam illi dependerat. Philippus Dux Bungundiæ palantes pone cum exercitu commeatu eos prohibuit, fameque adeo extenuauit, vt viris, equis, armiſque perditis, ex triginta millibus, inedia, labore, miſeriaque abſumptis, niſi ſex millia ſuperfuerint vagabundi, famem ſtipe mendicata tolerantes.

XII. SALTANTIVM HOMINVM GREGES IN BELGIO.

Quo tempore ex finibus Rheni & Moſę, magni greges ceu amentium hominum venerunt in Flandriam choreas ducentes ac continenter ſaltantes, & canentes haud ſecus ac furiis quibuſdam agitati. Accidit illis iſtud, propterea quod à pueritia legem Dei nō docerentur. erant enim tempora in Belgio tenebricoſa. *Annal. Fland. lib. 13. Valſingh. in Edouardo III.*

XIII. MVNERA ECCLESIIS VRBIS À CAROL. GALL. REGE MISSA.

Fors voti vel concepti, vel ſoluti cauſa, Carolus Rex Galliæ dona non contemnenda miſit Baſilicis Vrbanis, Eccleſiæ Sanctæ Agnetis, imaginem auream eiuſdem Diuæ, agniculo aureo quoque diuitem, cum trecentis aureis nummis: Baſilicæ Lateranenſi C C. Nummos aureos; totidem Vaticanæ Diui Petri; totidem S. Pauli via Oſtien. & C. Baſilicæ S. Mariæ Maioris. *VI. Calend. Iun.*

XIV. GREG. ANGL. ET GALL. REGES CONCILIARE STVDET. CŌTRA BEGARDOS ET BEGVINAS AC VVALDENSES LABORAT. HÆRETICOS DE SOCIETATE PAVPERVM IN GALLIIS EXTINGVIT.

Inter hæc autem Gregorius nihil omiſit, vt pacem inter Reges conciliaret. Ea propter Legatos Sedis Apoſtolicæ, apud eos ſubſidere iuſſit, donec illis armis extorquerent. Iis intercedentibus, actum eſt tandem de induciis, & conſtitutum tempus, quo Brugis, Flandriæ oppido rurſus conuenirent, de grauioribus tractaturi. *Froſſardus hiſt. libr. 1.* quo tempore dum in Galliis multitudo Begardorum & Beguinarum pullularet, ac Delphinatum Viennenſem plurimi Vualdenſium hæreticorum inficerent, hortatus eſt Carolum Regem Gregorius, ne Inquiſitoribus hæreſeos incommodare permitteret: quin potius eos iuuaret; & quemadmodum in Aquitania receptum fuerat, vt illi è Regijs vectigalibus ſtipendia acciperent; ac Regij adminiſtri mulctas omnes ab eis impoſitas exigerent, quas eiſdem in vſus vitæ aſſignarent, inſinuauit Pontifex Carolo, qui iſtud in vniuerſo Regno, ſanctum eſſe iuberet, adque perfidorum extirpationem opem ferret. Eiuſdem rei Ioannam Siciliæ Reginam, vt in Prouinciæ Comitatu, idipſum ſtatueret, præciperetque admonuit. *6. Calend. April.* Eius ſuperſtitionis genus, qui ſe de ſocietate pauperum vocitari gaudebant, finem in Galliis, conante Pontifice cepit, crematis eorum veſtibus & libris Lutetiæ in foro ſuillo, extra Sancti Honorati portam; & Ioanna Dabentonia, cum ſocio in carcere metu ſupplicij impendentis defuncto, eiuſdem ſectæ profeſſo-

ri bus



ribus exuſtis. Socius hic, ante damnationis ſententiam in carcere mortuus, diebus quindecim in aggere calcis ne putreſceret cadauer aſſeruatus, die ad ſupplicium præſcripto crematus eſt. *Guagninus hiſtor. Gall. libro nono.*

XV. FOELICES EXERCITVS ECCLES. CŌTRA TYRANNOS IN ITALIA PROGRESSVS.

In Italia proſpere, hoc anno, aduerſus Bernabouem, & Galeazium Vicecomites, hoſtes Eccleſiæ, actum. In Bononienſem agrum copias eduxerant, vt tandem ea vrbe potirentur, vel Nicolao Ateſtino ſaltem incommodarent. In alijs quoque Galliæ tranſpadanæ & ciſpadanæ locis, contra Pontificij fœderis ſocios multa egerant, non ætati, non ſexui, non ſtatui cuilibet parcentes. Templa & Monaſteria perrumpebant, ſacram ſupellectilem diripiebant, Sanctimoniales virgines ſtuprabant, vt reliqua facinora prætercam. Aduerſus eos vna parte Legatus Apoſtolicus, ab altera alij confœderati copias ducentes, multa oppida pars armis, pars deditione de Vicecomitibus receperant. In territorio Bononienſi, hoſtes fuſi profligatique, à Legato: Mutinenſem vrbem obſidione liberauit, Engerramus Sueſſionenſis Comes & Raymundus Torenius, cum mercenario Eccleſiæ milite: ex Brixiano agro ipſe Bernabos vix fuga euaſit, pulſus ab Haueuodio Pontificij militis præfecto: paulo poſt Ambroſius Bernabouis ſpurius interceptus, interemptuſque occubuit: Ager Parmenſis, Rheginus & Placentinus vaſtatus: Vercellæ, Sanct. Agatha, Sanct. Germanus, Sanct. Ioannes in Cruce, Galiata, Papienſe, & Placentinum propugnacula, & alia non ignobilia caſtra, à Comite Sabaudiæ, Marchione Montisferrati, & Nicolai Spinelli Regni Siciliæ Cancellarij genero, Ioanne Vrſino, pro Sede Apoſtolica militantibus, recepta: & inter hæc multi populi à Vicecomitibus deſciſcentes, tantum illi terrorem incuſſerant, vt is Engeramo Conciaco, Hugoni à Rupe Domino Turnonij, Amaueno Pomerio, & Ioanni Auguto Præfectis copiarum Eccleſiæ, varias pacis conditiones propoſuerit, quibus certa concordia ſtabiliretur. Monuit Pontifex Præfectos, ne amplius cum illo de pace agerent, ſed potius armis perfidiam vindicarent, quod ille non ſemel fidem variaſſet, Eccleſiæque per contumeliam multoties illuſiſſet.

XVI. DIVERSA PRO REB. ITALIÆ ET BELLO CVRAT GREG.

Quod autem Petrus Cardinalis Legatus, cuperet vires ſuas cum Amadæo Sabaudo, Romanæ Eccleſiæ exercituum Præfecto Generali, aliquoties victore, coniungere, ſcripſit Pontifex, vt id ſine periculo ſuo, Bononienſ. vrbis, & locorum Sacræ Romanæ Eccleſiæ, faceret: & ad conſilia belli admitteret, Danielem Carrettum Rhodianorum in Lombardia Priorem, Dondatium Fortanam, Guidonem Sauinam Folianum, & Guibertum Corrigium. Deſperatis rebus Bernabos, in Germaniam aliquos miſerat, qui militem ſcriberent, & in fœdus nonnullos Principes pertraherent. Miſit etiam Pontifex Huguicionem Thiennenſem Auditorem Cauſarum Palatij Nuncium ad Imperatorem, qui poſtularet, ne Carolus quippiam permitteret, neue Hugo, Albertus, & Henricus Comites Verdemberghenſes ſocietatem cum Bernaboue inirent, aut auxilia illi ſubmitterent. *pag.* 93. Miſit etiam Henricum Randuin, Gregorius, in Germaniam & Vngariam, qui decimam in ſubſidia belli ſacri impoſitam, ab Eccleſiaſticis exigeret. Cumque aliqui eo nomine offenderentur, & Ludouicus prætextu belli in Turcas ſuſcepti, remiſſionem illius flagitaret. Nuncio quidem, vt nomen decimæ in aliud commutaret inſinuauit; apud Ludouicum autem Regem excuſauit, quod grauiſſimæ neceſſitates Sedis Apoſtolicæ, iſtud ſubſidij, in omnibus Regnis Chriſtianorum Europæis impoſitum expoſcerent: cui ferendo ipſe ne deeſſet, neue exemplo ſuo, ſi negaret, aut remiſſionem perurgeret, Boemis & Germanis ad idem tentandum præiret. Ab iis præcipue, qui iure fiduciario Eccleſiæ Romanæ obſtricti eſſent, ſcilicet à Ioanna Regina, Philippo dicto Imperatore Conſtantinopolitano, à Friderico Aragonio, & à Proceribus Regni Siciliæ, hæc ſubſidia Pontifex deſiderabat. Ioannæ Reginæ nomine, Nicolaus Spinellus Prouinciæ Seneſchallus, non contemnendas copias deſtinauit, Duce Ioanne Vrſino, cui filiam in matrimonium collocauerat. Otto Marchio Brandeburgenſis, miſſo Auinionem Ioanne Roldenino Oratore, auxilia Sedi Apoſtolicæ offerebat, ſi modo Pontifex, pacarij munere inter eum & Imperatorem defungeretur. Non neglexit Pontifex iſtud officii agere, & Agapitum Epiſcopum Oliſſipon. eius rei gratia ad Imperatorem Nuncium ire iuſſit: qui etiam Carolum, cum Ducibus Bauariæ, & reliquis Principibus Germaniæ, pacem ſeruare admoneret: vt illi tandem non tantum armis, verum etiam ſuſpicione eorum depoſita, potius aduerſus Turcos Chriſtiani nominis hoſtes militaturi properarent. *pagin.* 40. 263. 18. 137. *epiſt. Non. Februar. Cal. Martij, XIII. Calend. April. X. Calend. April. 4. Calend. April. 4. Non. Maii. 4. Id. Maii. XI. Calend. Iun. 7. Idus Iul. Pigna de rebus Ateſtin. libro quinto; Corius hiſtor. Mediolanenſ. parte tertia.*

XVII. DIVERSÆ VRBES ITALIÆ POTESTATI PONT. SESE PERMITTVNT.

Otto Fliſcus Vercellenſis Epiſcopus, cum Ottone Bruſato, authores fuerant Vercellenſibus, qui ſe poteſtati Eccleſiæ permitterent. Eorum exemplum, Alexandrini, Aſtenſes, Nouarienſes, & plures alij ſecuti, alii Romano Pontifici, alii Carolo Imperatori ſe dedere volebant. Eos omnes, & alios quicumque vellent Vicecomites deſerere, vt in fidem, pro Sede Apoſtolica Commiſſarius Nicolaus Spinellus reciperet, Gregorius illi præſcripſit. & quidem vt Vercellenſes, cum omnibus caſtris, oppidis & toto territorio; Item Aſtenſes cum toto agro; Item Alexandrinos cum toto diſtrictu, pro Romana Eccleſia; Nouarienſes vero pro Imperatore Romanorum acciperet, cumque ciuibus, nobilitate & populis ſingularum vrbium nomine prædictorum paciſceretur; & qualcumque alias vrbes, communitates, nobiles, ac populos à tyrannide Vicecomitum, ad gratiam & tutelam Romanæ Eccleſiæ confugere, vel cum ea fœdus inire volentes admitteret, poteſtatem ei fecit, dato ei titulo Commiſſarij Apoſtolici ad promouendum bellum contra Vicecomites: cuius Imperio in abſentia Amadæi Comitis Sabaudiæ, & Ottonis Brunſuicenſ. & Nicolai Limolii, & Raymundi Turrenii, in Pedemontio omnes ſtipendia Eccleſiæ merentes, obtemperarent. Viginti & nouem epiſtolæ Gregorii Pontificis, apud Pontem Sorgiæ Auinionenſ. diœceſ. XII. Cal. Iulii hoc anno, datæ, Nicolao Spinello, in libro Secretorum Pontificatus anni 3. in eo negotio leguntur; præter alias, in quibus 1. concedit plenariam indulgentiam, omnibus ex eius exercitu, ſi eos in bello contra Vicecomites pro Eccleſia mori contigerit. *IV. Calend. Maii.* 2. ne immoderate vteretur facultatibus ampliſſimis ſibi ab Apoſtolica conceſſis: ne Cameram Apoſtolicam intolerandis expenſis aut exactionibus importunis exhauriret; neue in rerum tractatione, quicquam Pontifice inconſulto decerneret, aut ſtabiliret.

SVMMARIVM CŌTENTORVM IN EPISTOLIS GREGOR. AD NIC. SPINELLVM PROVINCIÆ SENESCALLVM.

2. *Idus Iul.* 3. inter Amadæum Comitem Sabaudiæ & Fridericum Marchionem Salutiarum inducias conſtitueret. 2. *Non. Octobr.* 4. inter Marchiones Cæue & Caretti, pacem componeret. *Calend. Septembr.* 5. inter Ludouicum & Guillelmum Sabranos controuerſias exortas audiret. *XI. Calend. Decembr.* 6. inter Ioannam Reginam Siciliæ, & Comitem Sabaudiæ, ac Marchionem Salutiarum concordiam conciliaret. 12. *Calend. Iul.* 7. Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, prælatis, cæteriſque Eccleſiaſticis, in Comitatibus Prouinciæ & Folcaquerij, vt Reginæ Ioannæ, pro recuperando Comitatu Pedemontis de manibus Vicecomitum, multas expenſas facienti, aliquod ſubſidium à Sede tamen Apoſtolica taxandum,

citra coactionem, voluntarie tribuerent, illis ipſis perſuaderet. *Auinione Ibidus Aprilis.* edixit.

XVIII. IOAN. REGINA SICIL. ET FRIDER. ARAGONIVS TRINAC. DETENTOR INTER SE SVB CERTIS PACTIS CONVENIVNT SVB BENEPLACITO SED. APOS.

In Regno Siciliæ, tandem, tandem, inter Ioannam Reginam Siciliæ, & Fridericum Aragonium Trinacriæ detentorem conuenit, certis pactis. Præſtat ea omnia ex litteris tum Regiis, tum Pontificijs cognoſcere. Ita habent.

TENOR LITERARVM IOANNÆ REG. EA DE RE.

*Ioanna Dei gratia Regina Hieruſalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, Prouinciæ & Folcaquerii & Pedemontis Comitiſſa. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Glorioſus Deus, & in ſua operatione mirificus, ſic omnia ſuo nutu dirigit, diſponit, & regulat, quod per eius ineffabilem potentiam dat noſſe cunctis, quod ſibi in ſolidum pareatur à nationibus hominum vniuerſis. Nam cum ſit conditor Rectorque Orbis, auctor pacis, amatorque ſalutis, ſic regnantium ſolia erigit, ſuſtentat, & deprimit alternate, & vnit, populoſque gubernat, eiusque virtute mirifica oſtendit patenter pro ſuo beneplacito dirigi ab eo vniuerſa. Quæ enim mentes, quiue Spiritus hominum potuiſſent meditari, tam grauis ſcandali, rancoris & odij, æmulationiſque antiquæ exortam materiam, & per tot curricula temporum conquaſſationibus bellicis nutritam & auctam, inter Sereniſſimos Principes claræ memoriæ progenitores noſtros Siciliæ Reges, & claræ memoriæ Illuſtrem Regem Federicum de Aragonia affinem noſtrum chariſſimum, hæredes & ſucceſſores ſuos ſubſequenter deriuatam ad nos, & illuſtrem Dominum Federicum de Aragonia dicti quondam Federici nepotem, ex occupatione & detentione illicita Inſulæ Siciliæ, ad noſtrum & dictorum Progenitorum noſtrorum rectum debitumque dominium pertinentis, crebreſcentium guerrarum nutritam fauoribus, tot ſtragibus hominum, tot damnis tantisque iniuriis hinc inde illatis, ac animoſis viribus proſequutam, noſtris fore ſedatam temporibus, per confœderationem pacis amabiliſque concordiæ, pari voto inter nos & ipſum Federicum illuſtrem, ſponte & voluntarie initæ, cum diſpenſatione & approbatione pariter Sanctæ Matris Eccleſiæ, Dominæ & Matris noſtræ, & Apoſtolicæ Sedis, certe ipſi ſoli DEO, qui omnium bonorum eſt auctor, & in tempore cuncta diſponit, huiuſmodi boni eſt ſupponenda prouiſio, gloriaque debenda ei per quem Reges regnant, & Principes in populis dominantur. Hunc igitur DEVM, eiusque vnigenitum Filium IESVM CHRISTVM, ad ipſius laudem & gloriam, pro tanti boni exaltatione, in cunctis actionibus noſtris ſignanter proponimus, tenentes indubie, firmiterque credentes, quod quicquid boni agimus, eo inſpirante qui bonorum auctor eſt, efficacibus actionibus ſemper complemus. Quapropter pateat vniuerſis huius ſeriem inſpecturis, tam præſentibus quam futuris, quod præcedente quidem quodam tractatu pacis atque concordiæ inter nos, & dictum Fredericum illuſtrem, adeunte & præſente proinde coram nobis venerabili & religioſo viro Fratre Vbertino de Carlono Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Magiſtro, nunc Venerabili Epiſcopo Cortocen. Ambaſciatore & Nuncio Domini Frederici Illuſtris miſſo propterea ſignanter ad nos, quædam fuerunt inter nos & ipſum Fredericum Illuſtrem, ſeu dictum Fratrem Vbertinum procuratorio nomine, & pro parte ſua condita & ordinata Capitula, ac ſolenniter in ſcriptis redacta, ſuper tractatu dictæ pacis atque concordiæ, cum multis promiſſionibus & declarationibus hinc inde habitis, & cum obligationibus & iuramentis firmata, cum reſeruatione aſſenſus & beneplaciti Apoſtolicæ Sedis, quæ pro parte noſtra, & D. Frederici Illuſtris, per venerabilem Fratrem Iacobum Epiſcopum Gramnonenſem Magiſtrum Capellæ noſtræ Confeſſoremque noſtrum, & per Leonem de Lamberto de Neapoli Militem, iuris ciuilis profeſſores, noſtros, & dictum Fratrem Vbertinum memorati Frederici Illuſtris Ambaſciatores & Nuncios ad Apoſtolicam Sedem miſſa, & delata fuerunt, præſentanda Domino Summo Pontifici & ſacro Collegio Dominorum Cardinalium, inſpicienda, & corrigenda, & approbanda per eos, prout Sedi Apoſtolicæ pro rei experientia viſum eſſet, & ſuæ voluntati placeret, pro firmiori & ſecuriori obſeruantia dicti tractatus, ac omnium & ſingulorum Capitulorum prædictorum, & contentorum in illis. quæ quidem Capitula, viſa per Sedem Apoſtolicam, & deinde in aliquibus correcta, ſuppleta, reformata, imminuta, & adaucta pro beneplacito Apoſtolicæ Sedis, de conſilio Dominorum Cardinalium Sanctæ Romanæ Matris Eccleſiæ, ad cautelam tam ipſius Sanctæ Matris Eccleſiæ, quam noſtram, hæredum, & ſucceſſorum noſtrorum, dictique FREDERICI Illuſtris hæredum & ſucceſſorum eius, in duabus patentibus paginis litterarum Papalium, vera & nota Bulla plumbea in filis ſericiis appoſita munitis, quorum vna Serenitati noſtræ tranſmiſſa, & per dictum Leonem Ambaſciatorem noſtrum in noſtris manibus præſentata fuit, & alia per dictum Fratrem Vbertinum, ad cautelam dicti FREDERICI Illuſtris delata fuit, prout de vtraque nobis conſtitit euidenter deſtinata. Nihilominus ad huius perfectionem negotii, prout Apoſtolica ipſa Sanctitas, pro firmiori expeditione prouidit Reuerendo Patri IOANNI Epiſcopo Sarlatenſi Apoſtolicæ Sedis Nuncio, cum patentibus litteris dicti Domini noſtri PAPÆ, eius vera & nota Bulla plumbea in filis canapis appoſita communitis, continentibus tenorem dictarum litterarum Apoſtolicarum, nobis vt præfertur aſſignatarum, quarum tenor, prout nobis innotuit & prout vidimus, auſcultauimus, & audiuimus, ac legi & diuulgari fecit idem Apoſtolicus Nuncius in conſpectu noſtro, ac nonnullorum Prælatorum, Magnatum atque Nobilium coram nobis adſtantium, talis erat.*

XIX. INSERVNTVR LITERÆ GREG. PP. AD EPISCOP. SARLATENSEM NVNCIŪ APOST.

*GREGORIVS Epiſcopus Seruus Seruorum DEI. Venerabili Fratri IOANNI Epiſcopo Sarlatenſi Apoſtolicæ Sedis Nuncio Salutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Quanto deſideremus affectu, quantoque deſiderio affectemus, vt in Regno Siciliæ ad nos & Romanam Eccleſiam ſpecialiter pertinente, vigeat tranquillæ beatitudo quietis, & inter chariſſimam in CHRISTO filiam noſtram IOANNAM Reginam Siciliæ Illuſtrem, & nobilem virum FRIDERICVM de Aragonia, quos & eorum progenitores, proh dolor, diutius continuata diſſenſio ac periculoſa pariter & damnoſa ſeiunxit hactenus & ſeiungit, ſolidæ pacis gratia nutriatur, tam per noſtram informationem ſuper his oraculo viuæ vocis tibi factam, quam per noſtras litteras ſuper certo tractatu, ſuper præmiſſis, per nos de conſilio & aſſenſu venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium facto confectis, quarum tenorem præſentibus inſeri, & plenarie informatum cognoſcimus & inſtructum. Tenor autem dictarum litterarum talis eſt.*

XX. BVLLA GREG. PP. REFORMATORIA PACTORVM SVPRADICTORVM.

*GREGORIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Redemptor noſter Dominus IESVS CHRISTVS, Princeps Pacis & humanæ ſalutis amator, per quem Reges regnant, Principes imperant, & qui ſolus habet in Regnis hominum poteſtatem, Vicario ſuo in militanti Eccleſia vices gerenti Apoſtolicam ſeruitutem commiſit, vt ſuper gentes & regna gerens ſpeculatoris officium, peruigilis more Paſtoris inuigilet, & quæ ad pacem ſunt nutriat, & interdum de Regnis quæ ipſis, & ſpecialiter, quæ Eccleſiæ Romanæ iuris & proprietatis exiſtunt, ad pacem & iuſtitiam populorum perpetua ſtabilitate ſeruandas diſponat, prout rerum & temporum qualitate penſata id conſpicit expedire.*

*Sane, ſicut euidentia facti inſinuat, hoſtis humani generis pacis æmulus, & diſſenſionum ac guerrarum, non ſolum amator ſed etiam ſuſcitator, dudum, tam inter chariſſimæ in CHRISTO filiæ noſtræ IOANNÆ Reginæ Siciliæ Illuſtris & dilecti filij nobilis viri FRIDERICI de Aragonia progenitores, quam etiam inter ipſos Reginam & FRIDERICVM adhærentes eiſdem grauis diſſenſionis materiam adeo bellicoſis actibus, & hoſtilibus congreſſionibus, terreſtribus & maritimis dire commouit, quod ex huiuſmodi periculoſa diſcordia, diuerſis vicibus & temporibus, eorum viribus conflatis in vnum, hinc inde ſtrages hominum, depopulationes & incendia locorum, & Eccleſiarum deſtructiones, facultatum lapſus, ſubditorum exilia & oppreſſiones innumeræ, & quod deflendum eſt potius, animarum pericula, & infinita enormia ſcelera, hinc inde proh dolor, ſicut eſt toti mundo notorium ſunt ſequuta. & quia præter hæc Inſula Siciliæ iam per longiſſima tempora ſubiacuit, & adhuc ſubiacet Eccleſiaſtico interdicto,*

a deo



*adeo in ea excreuit indeuotio populi, hæreſes pullularunt, quod de ſubuerſione Catholicæ fidei in eadem veriſimiliter dubitatur. quod Regina & Fridericus prædicti debita meditatione penſantes, certum tractatum pacis inter ſe habuerunt, quem per venerabilem Fratrem noſtrum Ioannem Epiſcopum Garimenſem, & dilectos filios, nobilem virum Leonem de Lambertis militem Neapolitanum Legum Doctorem Ioannæ Reginæ, & Vbertinum de Carolione, Ordinis Fratrum Minorum Profeſſorem, Magiſtrum in Theologia Friderici, prædictorum Ambaſciatores & Nuncios ad hæc ſpecialiter deſtinatos, à nobis auctoritate Apoſtolica confirmari humiliter poſtularunt; cuius quidem tractatus Tenor noſcitur eſſe talis.*

*Capitula pacis inita, iurata, & firmata inter Illuſtrem Dominam Ioannam Reginam Hieruſalem & Siciliæ ex parte vna, & Magiſtrum Vbertinum de Corolione Ordinis Minorum, Procuratorem & Ambaſciatorem Illuſtris Domini Regis Trinacriæ ex parte altera, olim tractata & ordinata, iurata & firmata inter dictam Dominam Reginam ex vna parte, & Petrum de Mauro, ac Iudicem Bartholomæum de Papa, Leone de Meſſana; Procuratores vt ſupra tunc dicti Domini Regis ex parte altera, ſunt hæc. Videlicet.*

XXI. PACTA INTER IOAN. ET FRID. A SEDE APOSTOLICA APPROBAN. ET CORRIGEN.

*Inprimis voluerunt dictæ partes, quod omnis tractatus intelligi debeat referendus Domino noſtro Summo Pontifici, & Apoſtolicæ Sedi; à qua Domina Regina tenet Regnum, & eſt Vaſalla pro illo, ſine cuius directione, conſilio, beneplacito, & mandato Domina non intendit ad aliquem tractatum procedere cum ipſa & Regnum conſiſtant in manibus eiuſdem Domini noſtri, & Sedis Apoſtolicæ, & ſit cauſa indiuidua vtriuſque. & intendit Domina ipſa, more progenitorum ſuorum, in omnibus tangentibus eam, & Regnum, & quæcunque ſua negotia, præmittere reuerentiam obedientiam, & honorem eiuſdem Domini noſtri, & Apoſtolicæ Sedis.*

*Item quod remiſſis ante omnia viciſſim rancoribus & odiis hucuſque habitis inter eos, nec non damnis cuiuslibet generis, ſeu lucri, præteritarum guerrarum temporibus commiſſis in Regno, tam vltra quam citra Pharum, tam pro ſe quam fidelibus & vaſallis ſuis, ac ſubditis, ſequacibus, & quibuſcumque fautoribus, habentibus cauſam dictæ guerræ inter eos, in perpetuum, vniuerſaliter & ſingulariter vigere debeat vera pax & ſincera concordia inter eos; dictoſque eorum fideles, vaſallos, & alios ſuperius nominatos, ſimpliciter & bona fide.*

*Item quod prædictus Rex recognoſcat per ſe, & hæredes, ac ſucceſſores ſuos tenere dictam Inſulam Siciliæ, ſeu Regnum Trinacriæ, cum inſulis adiacentibus ſuis, à prædicta Domina Regina, & eius hæredibus, ex ſuo corpore, legitime deſcendentibus tantum. & pro prædicta Inſula, ſeu Regno Trinacriæ, cum prædictis inſulis adiacentibus, prædictus Rex debeat facere homagium, & fidelitatis iuramentum per procuratorem ſufficientem & idoneum, ſufficienti qualibet poteſtate ſuffultum, eidem Dominæ Reginæ, & dictis ſuis hæredibus, ex ſuo corpore legitime deſcendentibus tantum; ipſumque fidelitatis iuramentum erit ſub hac forma. Quod prædictus Dominus Fridericus erit fidelis prædictæ Dominæ Reginæ, & prædictis ſuis hæredibus, ex ſuo corpore legitime deſcendentibus tantum. & quod ipſe diſturbabit omnia ſiniſtra, & præiudicialia ipſi Dominæ Reginæ, Regno, ſtatui, & honori ſuis, quæ ad notitiam ſuam peruenirent, quanto melius ſciuerit ac poterit. & quod non erit in facto vel conſilio, contra perſonam, Regnum & ſtatum, Regalem honorem dictæ Dominæ Reginæ, ſed perſonam, Regnum, ſtatum & Regalem honorem dictæ Dominæ Reginæ defenſabit toto poſſe, per ſe & ſuos, ſimpliciter, bona fide, contra omnem hominem viuentem, excepta Sede Apoſtolica. ita tamen, quod ex prædictis, recognitione Inſulæ, ac homagio, & fidelitatis iuramento, Comites, Barones, & omnes Vaſalli, & fideles Domini Regis prædicti, hæredum & ſucceſſorum ſuorum in Regno & Inſula ſupradictis, nullo reſpectu, nulloque iure intelligantur aſtricti, nec cenſeatur ſubiecti prædictæ Dominæ Reginæ, ſeu hæredibus ſuis: nec in eoſdem prædicta Domina Regina, ſeu hæredes ſui, cognitionem, iuriſdictionem, vel aliam poteſtatem exercere valeant. Imo prædictus Dominus Rex, hæredes, & ſucceſſores ſui, in dicto Regno, cum dictis Inſulis, in eoſdem Comites & Barones, & alios ſuos Vaſallos, principaliter, in capite, & per ſe, omnem & liberam poſſint, & debeant iuriſdictionem exercere, & pleniſſimam poteſtatem.*

*Item, quod ex cauſa dictæ pacis & concordiæ prædictus Dominus Rex, per ſe & dictos ſuos hæredes, & ſucceſſores, eidem Dominæ Reginæ, & hæredibus ſuis prædictis, prædictam recognitionem faciet de dicta Inſula, ſeu Regno, cum dictis Inſulis, ſub ſeruitio decem galearum, & centum militum armigerorum præſtando anno quolibet, à tempore notabilis inuaſionis ipſius regni, ac prædictis hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis in Regno, dum tamen, quod dictis ſucceſſoribus ipſa recognitio fieri non debeat, nec ad ipſos verbum recognitionis, ſeu ipſa recognitio extendatur. in hunc modum. Videlicet, Tertiam partem his temporibus, vt ſupra, ad reintegrationem ipſius Inſulæ, vel maioris & ſanioris partis ipſius, ad dominium & obedientiam prædicti Domini Regis Friderici, ad rationem quidem vnciarum centum quindecim per menſem pro qualibet galea, ipſarum decem galearum. quæ vnciæ reductæ ad florenos auri iuſti ponderis, & iuſti cunei Florentini, ad rationem de florenis aureis, qui nunc per vnciam faciunt ſummam vnciarum trium millium quadringentarum quinquaginta. & pro prædictis omnibus armigeris centum, ad rationem de vnciis duabus, pro quolibet ipſorum per menſem, in florenis prædictis faciunt ſummam vnciarum ſexcentarum. & tota prædicta pecunia erit in ſumma, pro tribus menſibus, vnciarum quattuor millium quinquaginta, ipſa inuaſione durante. Reintegrata vero dicta Inſula, ſeu ſaniori parte, & maiori parte ipſius, vt prædicitur, ad dominium & obedientiam prædicti Domini Regis Friderici, præſtabit idem Dominus Rex dictum ſeruitium ad rationes præmiſſas, modo prædicto, ſine diminutione quacumque. Et ſi dubium forſan contingat oriri, quando cenſeri debeat inutilis inuaſio dicti Regni, vel reintegratio dictæ Inſulæ, ſeu maioris & ſanioris partis ipſius, ſtetur dicto ſimplici Romani Pontificis; qui etiam declarare debeat, an in hoc vocandæ ſint partes, nec ne, de quo ipſo, partes, determinationi dicti Romani Pontificis ſtare voluerunt.*

*Item, quod ex cauſa pacis & concordiæ prædictarum, prædictus Dominus Rex, per ſe, & hæredes ſuos, ac ſucceſſores, ſoluet, tradet, & aſſignabit eidem Dominæ Reginæ, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis in Regno prædicto, anno quolibet, in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, in ciuitate Neapolis, vncias auri tria millia ad prædictam rationem, quæ ſunt reductæ ad florenos auri recti cunei, & iuſti ponderis Florentini, ad rationem de florenis quinque pro qualibet vncia, Florenorum quindecim millia contingentia dictam Inſulam ratione cenſus debiti, per ipſam Dominam Reginam, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedi. conceſſo tamen per eandem Dominam Reginam gratioſe, quod prædictus Dominus Rex eximatur, abſoluatur, & veniat liberatus per ſe, hæredes, & ſucceſſores ſuos, à præſtatione & ſolutione dicti cenſus, per annos tres proxime futuros, computandos à primo die Septembris inſtantis anni vndecimæ Indictionis proximæ futuræ. Completis vero dictis tribus annis, teneatur Rex ipſe dicta quindecim millia florenorum auri ſoluere anno quolibet, pro cenſu prædicto, eidem Dominæ Reginæ & ſuis hæredibus, & ſucceſſoribus in ciuitate Neapolitana prædicta, abſque diminutione quacumque, in prædicto Apoſtolorum feſto.*

*Item, quod ex cauſis prædictis, prædictus Dominus Rex, hæredes & ſucceſſores ſui, nullo vnquam tempore intitulabunt ſe titulo Regni Siciliæ, ſed tantum titulo Trinacriæ. Ipſa autem Regina, hæredes & ſucceſſores ſui intitulentur & vocentur titulo Siciliæ, ita tamen, quod intitulatio Regni Siciliæ, nullum afferat præiudicium intitulationi Regni Trinacriæ, nec è contra. imo quodlibet Regnum per ſe diſtinctum, ſuum habeat titulum, nec vni pro altero derogetur.*

*Item, quod prædictus Dominus Rex promittat ſolenniter non facere confœderationem, ſeu pactionem, cum aliquo Imperatore, aut aliquibus Principibus, ſeu communitatibus mundi, Chriſtianis vel Saracenis contra dictam Dominam Reginam, hæredes & ſucceſſores ſuos; & è contra, prædicta Domina Regina, prædictas confœderationes & pactiones promittet ſolenniter non facere contra eum, hæredes & ſucceſſores ſuos.*

*Item, quod prædictus Dominus Rex, ex cauſa pacis & concordiæ prædictæ, veniat liberatus ab omni & quolibet cenſu debito, pro dicta Inſula Siciliæ, dictæ Dominæ Reginæ, ſeu Romanæ Eccleſiæ, & habentibus cauſam ab eis, omnibus retroactis temporibus & vſque nunc, ratione Inſulæ ſupradictæ; ac e-*

iam ab omni iure, actione & debito, atque prædictus Dominus Rex teneretur, ſeu teneri poſſet ratione dictæ Inſulæ, & ex cauſa dictarum guerrarum, eidem Dominæ Reginæ, & dictis ſuis hæredibus, & ſucceſſoribus, vel quolibet teneretur. atque prædicta Domina Regina condeſcendit in fauorem pacis atque concordiæ, & oſtendendam maiorem Reginalem beneuolentiam erga Dominum Regem FRIDERICVM prædictum.

Item, quod ex cauſa pacis & concordiæ prædictæ, prædicta Domina Regina promittit per ſe & hæredes ſuos, prædicto Domino Regi, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis, nullo vmquam tempore dare conſilium, opem, auxilium, vel fauorem, nec modo aliquo aſſiſtere perſonæ oppugnare volenti, ſeu aliis contrariantibus prædicto Domino Regi, hæredibus, & ſucceſſoribus, & contra eius Regalem, & pacificum ſtatum venientibus, maxime vaſallis, Baronibus, & ſubiectis prædicti Domini Regis præſumentibus contra Regem ipſum Trinacriæ, & recuſantibus Regiis obedire mandatis. Et hoc caſu ſupradicti Barones, vaſalli, & ſubiecti Domini Regis prædicti, hæredum, & ſucceſſorum ſuorum, nullo modo audeant conuerſari, morari, nec habitare in ciuitatibus, terris, caſtris vel locis, nec cum vaſallis prædictæ Dominæ Reginæ, hæredum & ſucceſſorum ſuorum. quo caſu, ſi contra fieret, prædicta Domina procedere contra tales receptatores dictorum rebellium prædicti Domini Regis, tamquam receptatores maieſtatis rebellium ſuæ, & è contra, dictus Dominus Rex Trinacriæ, per ſe, hæredes, & ſucceſſores ſuos ſimilem promiſſionem faciet Dominæ Reginæ prædictæ, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis.

Item, quod ex cauſis prædictis, prædicta Domina Regina ſimpliciter & bona fide, & ſub fide Reginali, cum fauore & conſilio, promittet iuxta poſſe interponere partes ſuas, procurando & tractando vna cum Ambaſiatoribus dicti Domini Regis abſolutionem interdicti dictæ Inſulæ Siciliæ, ſeu Regni Trinacriæ, & aliarum adiacentium Inſularum, à Sancta Romana Eccleſia, & reconciliationem prædictam, nec non abſolutionem dicti Domini Regis, & aliorum Regalium, Baronum, & Comitum, & aliorum hominum ipſius Inſulæ & adiacentium Inſularum, à ſententia, ſeu ſententiis, excommunicationis & interdicti forte latis, & promulgatis dudum, tam per Dominos Summos Pontifices, quam à Canone vel à iure, contra præfatum Dominum Regem, Regales, & alios dictæ Inſulæ, & contra Inſulas ſupradictas, nec non confirmationis & approbationis aſſenſus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſuper concordia & pace præfatis.

Item, quod prædicta Domina Regina dabit & præſtabit, per ſe, hæredes, & ſucceſſores ſuos, præfato Domino Regi, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis, auxilium, conſilium & fauorem iuxta ſuum poſſe, circa reductionem, & reintegrationem dictæ Inſulæ Siciliæ, ad dominium & obedientiam præfati Domini Regis Friderici, non aſtringendo ſe, niſi iuxta velle & beneplacitum ſuum.

Item, quod Inſula Lippari, quam nunc tenet Domina Regina præfata, remaneat cum vaſallis, fortalitiis, iuribus, & pertinentiis ſuis, in dominio, poteſtate, & pleniſſima iuriſdictione prædictæ Dominæ Reginæ, donec vixerit. poſt mortem vero ipſius Dominæ Reginæ redire debeat cum omnibus ſupradictis iuribus ſuis, ipſo facto, ad dictum Dominum Regem, hæredes, & ſucceſſores ſuos, tamquam vna de adiacentibus Inſulis, dictæ Inſulæ Siciliæ. Quo caſu dicta Domina Regina iurat, & per ſtipulationem ſolennem promittit, per ſe, hæredes, & ſucceſſores ſuos, prædictam Inſulam cum iuribus antedictis reſtituere, & reſtitui facere prædicto Domino Regi, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis. & nihilominus prædicto caſu, præfatus Dominus Rex, hæredes & ſucceſſores ſui valeant, & licitum ſit eis auctoritate propria, ſeu qualitercumque melius poſſint, recuperare & capere dictam Inſulam, tamquam vnam de adiacentibus Inſulis, Inſulæ Siciliæ, conuento expreſſe, quod in ſuperioribus Capitulis, vbi ſit mentio de adiacentibus Inſulis, Inſula Siciliæ & regni Trinacriæ, non intelligetur de Inſula Lipari, niſi prout in iſto Capitulo continetur.

Item, quod prædicta Domina Regina, & prædictus Dominus Rex, per ſe, hæredes & ſucceſſores eorumdem promittent ſolenniter & iurabunt, ſeruare, & ſeruari facere, pacem & concordiam prædictas, ac omnia & ſingula in prædictis capitulis contenta, prout ad vnumquemque eorum pertinet, prout ſuperius eſt expreſſum.

Item, quod in prædictis omnibus & ſingulis reſeruatur, & reſeruatum intelligatur beneplacitum, & aſſenſus, confirmatio, ratificatio, & approbatio dicti Domini noſtri Summi Pontificis & Apoſtolicæ Sedis, ad perpetuam concordatorum hinc inde roboris firmitatem; ita quidem, quod vbi prædicta confirmatio & aſſenſus obtineri non poſſint, infra per totum feſtum Pentecoſtes proxime futuri anni decimæ Indictionis, ſeu poſt, donec ipſæ partes ipſum aſſenſum, confirmationem concorditer proſequi voluerint, prædicta concordia & omnia alia & ſingula, pro nullis, infectis habeantur penitus, neutri partium generando præiudicium. non obſtantibus quibuscumque citationibus, conuentionibus, & renunciationibus ſupradictis. nam conuentionaliter eſt inter dictas partes deuentum, quod dicta concordia & promiſſa hinc inde effectum, non habeant, ſine aſſenſu & confirmatione præfatis.

Item, quod quæcumque acta & geſta ſunt hic, ac promiſſa, & concordata hinc inde per procuratores, Ambaſiatores & Nuncios, eiusdem Domini Friderici Regis, & per dictam Dominam Reginam, eo caſu vigorem & efficaciam habeant, & valida firmitate ſubſiſtant, quo per eundem Dominum Regem Fridericum, & è conuerſo per eandem Dominam Reginam Ioannam, & eodem modo ac ſimillime fuerint perſonaliter approbata & ratificata, interueniente corporali Sacramento, ſicut cautius fieri poterit roborotis, infra tempus prædictum.

Item, quod de prædictis omnibus & ſingulis fieri debeant ſolennes cautelæ, cum obligationibus ſolennibus, pœnis & clauſulis opportunis, quæ ad obſeruationem inuiolabilem præmiſſorum expedire videbuntur, & etiam ad cautelam.

Nos igitur qui licet immeriti, Regis pacifici, in terris Vicarii conſtituti, ex iniuncti nobis officij neceſſitate conſtringimur, pro vniuerſo populo Chriſtiano vias pacis aſſidue cogitare, inſtando ſupplicationibus & orationibus inſiſtendo, vt ipſe Dominus pacis tempora tranquilla concedat, ceſſentque procellæ fluctuantium odiorum, & diſcrimina cuncta guerrarum, ad id tamen tanto feruentius diligentiæ noſtræ ſtudium debemus apponere, quanto partes illas & earum incolas, quæ iuris & proprietatis Romanæ Eccleſiæ exiſtere dignoſcuntur, in ſingularitate præcipuæ dilectionis habemus, & pro cordialibus gerimus in viſceribus charitatis. Eo enim animus noſter dolet non immerito vehementius, & eo potius intima cordis noſtri amareſcunt, acerbius, & durioris punctionis aculeo, quo periculoſas huiusmodi diſcordiarum & guerrarum circumſtantias nobis interioris conſiderationis diſcuſſio efficacius repræſentat. Et proprerea volentes ſic periculoſis obuiare periculis, & congruum, quantum nobis ex alto concedetur remedium adhibere, (cum ad nos, qui, licet inſufficientibus meritis, poteſtatis plenitudine fungimur, deſuper nobis conceſſæ, ſingulariter pertineat, pro vniuerſali Eccleſia, cunctaque congregatione fidelium pacem quærere, ac ipſam facere diligentius obſeruari;) tractatum ipſum per nonnullos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales fecimus cum magna diligentia recenſeri. Et quia, prout ipſius tractatus euidenter oſtendebat inſpectio, omiſſa erant aliqua, propter quorum omiſſionem directo Dominio atque iuri, quod nos & eadem Romana Eccleſia in prædicto Regno habemus, graue præiudicium generari poterat, quæ ſuppletionem, aliqua vero ſuperflua interſerta quæ reſecrationem, & nonnulla etiam ordinata, quæ ipſarum partium voluntate inſpecta neceſſario mutationem requirebant, prædictum tractatum prout nobis exhibitus non duximus admittendum, ſed ſuperfluis reſecatis, & illis quæ erant omiſſa ſuppletis, ac immutatis quæ immutanda nobis viſa fuerunt circa pacem prædictam, vbi dictarum partium conſenſus accedit, de fratrum noſtrorum conſilio, in forma infraſcripta duximus procedendum.

QVOMODO PACTA HVIVSMODI FVERINT à SEDE A-POST. CORRECTA OMISSIS ADDITIS ET SVPERFLVIS RESECATIS PRO MANVTENTIONE ET CONSERVATIONE IVRIVM ECCLESIÆ ET SED. APOST.

Primo ſiquidem, quia iura Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſponſæ noſtræ, conſeruare, protegere & defendere ex officij noſtri debito obligamur, ordinandum præuidimus, quod Ioanna & Fridericus præfati recognoſcant, ad nos & Eccleſiam Romanam ſpectare & pertinere de iure, directum





Dominium in toto Regno Siciliæ, tam vltra quam citra Pharum. cui directo Dominio & iuri, quod in toto Regno tam vltra quam citra Pharum nos & Eccleſia Romana habemus, non intendimus in aliquo derogare, ſed ea volumus & intendimus remanere illæſa: & quod tale & tantum ius nobis & Eccleſiæ Romanæ remaneat, in dicta Inſula, & adiacentibus Inſulis, quæ Regnum Trinacriæ intitulabuntur, quale & quantum habemus in terris citra Pharum: & ſi qua in præſentibus Capitulis inueniatur, quæ directo, vel per obliquum Dominio præfato, & iuri quod Eccleſia Romana habet in dicta Inſula & adiacentibus Inſulis quomodolibet præiudicaret, illa ex nunc pro non appoſitis & non adiectis habeantur: & quod ad contenta in iſto Capitulo Ioannæ & Frederici prædictorum expreſſus conſenſus accedat.

Item cum per Ioannam & Fridericum præfatos, in forma infraſcripta tractatus pacis prout ipſum tranſmittimus fuerit acceptatus, cum ſolemnitatibus debitis & cautelis, dictus FRIDERICVS & ſucceſſores ſui in Regno Trinacriæ, facient nomine directi & maioris dominij, quod ad nos pertinet, homagium ligium, nobis & Romanis Pontificibus, qui pro tempore fuerint, & Sacramentum fidelitatis præſtabunt ſub hac forma. Ego Fridericus DEI gratia Rex Trinacriæ, plenum & ligium homagium facio Domino noſtro GREGORIO PAPÆ Vndecimo, & ſucceſſoribus ſuis canonice intrantibus, pro Inſula Siciliæ cum adiacentibus Inſulis, quæ Regnum Trinacriæ nominantur, & iuro ſuper hæc ſancta DEI EVANGELIA, quod ab hac hora inantea, vſque ad vltimum diem vitæ meæ, fidelis & obediens ero Beato PETRO, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ prædictoque Domino GREGORIO, eiuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus: nec ero in conſilio vel facto, quod vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Conſilium quod mihi credituri erunt, per eos, aut per Nuncios ipſorum, ſiue per literas, ad eorum damnum, neſcienti nemini prodam: & ſi ſciuero fieri, vel procurari, ſiue tractari aliquid (quod abſit) in eorum damnum, illud pro poſſe impediam: & ſi non poſſem impedire, illud eis ſignificare curabo. Papatum Romanum, & Regalia Sancti PETRI, tam in Inſula Siciliæ, & aliis Inſulis adiacentibus, quam in Regno Siciliæ prædicto, quam alibi exiſtentia, adiutor eis ero ad defendendum, & retinendum, & recuperandum, & recuperata manutenendum, contra omnem hominem: & omnia, & ſingula Capitula, ſub forma fidelitatis comprehenſa inuiolabiliter obſeruabo, vniuerſas & ſingulas promiſſiones, conuentiones, & obligationes in præſenti priuilegio, literis ſiue inſtrumento contentas, & ſingula in eis contenta plenarie adimplebo, & inuiolabiliter obſeruabo, nec vllo vnquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

XXIII. FORMVLA HOMAGII LIGII ET SACRAMENTI FIDELITATIS PRÆSTANDI ROM. PON. PER REG. TRINACRIÆ.

Et quia volumus, quod per huiuſmodi homagium ligium, & fidelitatis iuramentum, quæ per dictum FRIDERICVM & ſuos in regno Trinacriæ ſucceſſores, nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus qui pro tempore fuerint præſtabunt, iuribus, eidem Reginæ & eius ſucceſſoribus in regno competentibus, quoad homagium & iuramentum fidelitatis eiſdem præſtandi vt ſequitur, nullum præiudicium generetur: faciet inſuper Dominus FEDERICVS & ſui in poſterum ſucceſſores in Regno Trinacriæ, eidem IOANNÆ Reginæ & ſucceſſoribus ſuis ex ſuo corpore deſcendentibus legitime tantum, homagium, & præſtabit debitæ fidelitatis iuramentum: & ſi ipſam IOANNAM ſine liberis ex ſuo corpore deſcendentibus mori contingat, ſinguli ſucceſſores eidem IOANNÆ Reginæ in Regno prædicto Siciliæ, dictus FRIDERICVS & ſui ſucceſſores in Regno Trinacriæ præſtabant fidelitatis debitæ iuramentum, ſecundum formam quæ infra in Capitulo ordinato ſuper hoc continetur. Huiuſmodi autem homagium ligium prædictum, quod nobis, ſucceſſoribus noſtris, & Eccleſiæ Romanæ præſtabitur, FRIDERICVS præfatus, & eius ſucceſſores in regno, ſi interim moreretur infra annum, poſtquam præſens tractatus fuerit approbatus per ipſos Ioannam & Fridericum, nobis & noſtris ſucceſſoribus qui pro tempore fuerint facere teneantur, & fidelitatis iuramentum præſtare, ſecundum formam præſcriptam: & tam ipſi quam ſinguli ſui ſucceſſores in Regno, infra annum, poſtquam ſucceſſio Regni eis delata fuerit, nobis, ſucceſſoribus noſtris ſingulis, ac ipſi Romanæ Eccleſiæ præſtabunt, & facient, ac renouabunt.

Item tam ipſe FRIDERICVS, quam ſinguli eius in dicto Regno Trinacriæ ſucceſſores, in talibus præſtatione & renouatione homagij huiuſmodi & fidelitatis iuramenti, tradent & realiter aſſignabunt nobis & ſucceſſori noſtro Romano Pontifici qui pro tempore fuerit literas Regias, aurea bulla bullatas: in quibus approbabunt omnes iſtas conuentiones, & id obſeruare promittent, & iurabunt, inſerendo eas de verbo ad verbum in iſtis literis, cum expreſſione propriorum nominum, Romani Pontificis qui tunc erit, & ipſius facientis homagium, & iuramentum prædicta: vel ſaltem infra menſes ſex, poſtquam huiuſmodi homagium præſtiterint, & fidelitatis debitæ iuramentum, literas prædictas aſſignare tenebuntur. Deſcendentes autem ex prædicto FRIDERICO, & eius liberis vtriuſque ſexus, ſuccedant in Inſula prælibata cum adiacentibus Inſulis ſuis, ſic tamen, quod de liberis maſculis, in eodem gradu, ac per eandem lineam concurrentibus, primogenitus de duabus fœminis, primogenita de viro & fœmina in eodem gradu ſimiliter concurrentibus, maſculus omnibus aliis præferatur. Sic tamen, quod filia tam mater dicti FRIDERICI admitti debeat ad ſucceſſionem prædictam, iuxta formam & ordinem in præſenti Capitulo declarata. Sed ſi aliquem de ſucceſſoribus ſuis, qui in dictis inſulis, ſeu regno Trinacriæ ſucceſſerit, ſine legitima prole ſui corporis mori contingat in futurum, ſuccedant ſeruatis gradibus, ſeu ordine ſupradictu, ſi ſuperſtites fuerint hæ perſonæ: dum tamen de deſcendentibus fuerint præfati Regis FRIDERICI, videlicet Regis, vel Reginæ ſine legitima prole, ſi qui corporis deſcendentes, frater vel ſoror ad collaterales: ſuperiores maris & fœminæ: vtpote patrui, auunculi, amitæ, & materteræ, & ſurſum vſque ad quartum gradum duntaxat: collaterales etiam inferiores ſuccedunt ſimiliter mares & fœminæ, vtpote nepos vel neptis, ex patre vel ſorore, & inferius, vſque ad eundem tantummodo quartum gradum: qui etiam de fœminis rectæ lineæ, & collateralium ſuperius eſt expreſſus, intelligendum eſt tam de nuptis: quam de innuptis, dummodo nuptæ ſint fidelibus, & Eccleſiæ Romanæ non ſuſpectis, ſed deuotis. Et ſicut inter has perſonas gradus ſeruari volumus, vt ſcilicet prior gradus poſteriori gradui præferatur, ſic & in eodem gradu pluribus concurrentibus, priorem natu poſteriori, & marem fœminæ, in huiuſmodi ſucceſſoribus volumus anteferri. Perſonarum autem deſcendentium huiuſmodi nulla ſuperſtite, Regnum Trinacriæ ſeu Inſula Siciliæ prædicta, cum aliis Inſulis adiacentibus, ad prædictam Ioannam Reginam Siciliæ, eiuſque ſucceſſores, in regno, ipſo iure libere reuertantur: aut, eiſdem Reginæ & ſucceſſoribus in Regno non exiſtentibus, vel exiſtentibus, in caſu, quo Regnum Siciliæ iuxta conuentiones habitas, inter ſe. rec. CLEMENTEM Quartum prædeceſſorem noſtrum, & claræ memoriæ CAROLVM Regem Siciliæ, eſſet ad Romanam Eccleſiam deuolutum, regnum Trinacriæ, ſeu Inſula prædicta cum adiacentibus Inſulis, ad præfatam Romanam Eccleſiam ipſo iure libere reuertantur.

Quod ſi forte deficiente maſculo contigerit fœminam innuptam ſuccedere in regno Trinacriæ ſeu Inſula prælibata, illa maritabitur perſonæ, quæ ad ipſorum regimen & defenſionem exiſtat idonea, Summi Pontificis qui erit pro tempore conſilio requiſito: vt nubat viro Catholico, & Eccleſiæ Romanæ non ſuſpecto, ſed deuoto, nec dictæ Ioannæ ſeu eius ſucceſſoribus in prædicto Regno Siciliæ inimico: & idem per omnia in filia primogenita, etiamſi nondum ei regni ſucceſſio ſit delata, quæ in regno veriſimiliter ſit ſucceſſura volumus obſeruari. & ſi contra hæc fieret, licebit Summo Pontifici qui erit pro tempore, ad priuationem regni ſeu Inſulæ prædictæ, & adiacentium Inſularum procedere, abſque omni iuris ſolennitate, & ſine ſtrepitu & figura iudicij, in quacunque ætate ipſam eſſe contigerit, ſi hoc ei videbitur expedire: & eo caſu, ad ipſam Reginam Siciliæ præfatam, ſeu eius ſucceſſores in Regno, ſeu ad Romanam Eccleſiam iuxta prænotatum ordinem, dicta Inſula ſeu regnum libere deuoluatur.

Illud etiam prouidimus ordinandum, quod ſi ille ad quem ſucceſſio regni Trinacriæ, ſeu Inſularum huiuſmodi deuoluetur, qualitercunque, ſeu quomodocunque, & maior XVIII. annis fuerit, liberè adminiſtret: ſi autem fuerit minor XVIII. annis, quouſque prædictam ætatem compleuerit, tam ipſius perſona, quam regnum, in cuſtodia, regimine, & adminiſtratione, noſtris, ſeu ſucceſſorum noſtrorum, & Eccleſiæ Romanæ remaneant libere abſque

*impedimento quocunque. Fructus tamen qui ſupererunt, deductis expenſis quæ fient pro ſtatu Regis & regni, manutenendi & conſeruandi, eidem Regi, poſtquam maior decem & octo annis fuerit, integre reſtituentur.*

*In Regno autem, ſeu in Inſulis prædictis, nullus ſuccedet, qui non fuerit ex legitimo matrimonio natus, nec aliquis ab eo mediate vel immediate deſcendens, & ſi ipſe fuerit de legitimo matrimonio procreatus: & quod dictus Fridericus, & ſucceſſores ſui Regnum Trinacriæ prædictum nullatenus diuidat: ſed ſemper dictam Inſulam cum adiacentibus Inſulis ſuis regnum teneat vnus tantum: modis, formis, & conditionibus ſupra & infraſcriptis, nec terras de maris inſularum, ſeu regni prædicti infeudabunt, ſeu alienabunt quouis titulo vel colore quæſito, niſi in filios vel filias, Regis natos ſeu natas, naſcituros & naſcituras, & deſcendentes ab eis, in quos loca & terras, quæ conſueuerant alienari tempore Regis Friderici aui ſui, & prædeceſſorum ſuorum in regno alienare poterũt: ciuitatibus tamen exceptis.*

*Item quod præfatus Fridericus promittet ſolenniter & iurabit, quod omnibus Eccleſiis tam Cathedralibus quam Collegiatis, Regularibus & Secularibus, nec non aliis Eccleſiis, & omnibus Prælatis & Clericis, ac vniuerſis perſonis Eccleſiaſticis, Secularibus & regularibus, & quibuſcunque religioſis locis & perſonis in Regno Trinacriæ, ſeu Inſulis, infra tres annos, imo quanto citius poterit bona fide aſſignabit realiter, & tum effectu, ſuo poſſe, omnia caſtra, fortalitia, iura & bona ad ipſas Eccleſias, ſeu Eccleſiaſticas perſonas ſpectantia quoquo modo, ſeu per eas, ſeu eorum nomine quomodolibet poſſeſſa, ſeu in quorum poſſeſſione, tempore quo Siculi contra inclitæ memoriæ præfatum* CAROLVM *Regem rebellarunt: imo quod de nullo curſu temporis opponatur eiſdem: cum notoriæ dictis temporibus hoſtilitates durauerint, niſi per Prælatos Eccleſiarum ipſarum vel auctoritatem habentes, aliqua ex prædictis caſtris, fortalitiis, poſſeſſionibus, iuribus, & bonis, quibuſcunque perſonis conceſſa, permutata, ſiue alienata legitime extiterint.*

*Quo caſu prædicta conceſſio, datio, permutatio ſeu alienatio inuiolabiliter obſeruarentur, & in ſuo robore perſeuerent. Quodque libertatem Eccleſiaſticam conſeruabit ſuo poſſe, vniuerſis perſonis Eccleſiaſticis, ac rebus & bonis eorum, & Eccleſiaſticas poteſtates, Eccleſiaſticas perſonas, omnia religioſa & pia loca, reſque & bona in ſuam libertatem reſtituet, & gaudere permittet, & curabit reſtitui facere, & gaudere permittet iuribus & iuriſdictionibus, priuilegiis, libertatibus à iure conceſſis, beneficiis, bonis, iuribus, redditibus, & prouentibus earumdem, nec aliquas exactiones, quouis quæſito colore petet vel exiget ab eiſdem, per ſe vel alium, directe vel indirecte, nec peti vel exigi permittet.*

*Ne autem ſuper iis reſtituendis ingeri poſſit aliqua difficultas, deputabuntur à Romano Pontifice aliqui viri diſcreti, ad quorum mandatum & arbitrium, iurium & rerum mobilium, ſi qua extent, reſtitutio plena fiat. Ita quod eadem, quorum dominia, vel proprietate, ſeu poſſeſſione notum fuerit, ad eorum mandatum & arbitrium mox reſtituantur. In dubiis vero per ipſos ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura iudicij veritas inquiratur, & iuſtitia miniſtretur.*

*Omnes inſuper Eccleſiæ, tam Cathedrales, quam aliæ, regulares & ſeculares, nec non omnes Prælati & Clerici, ac vniuerſæ perſonæ Eccleſiaſticæ ſeculares & religioſæ, in electionibus, nominationibus, prouiſionibus, & omnibus aliis, plena libertate gaudebunt: nec ante electionem, nec in electione, vel poſt, dicti Friderici, ſeu eius ſucceſſorum in regno ſeu Inſulis prædictis, auxilium vel conſilium aliquatenus exquiratur: quam vtique libertatem ipſe* FRIDERICVS, *ipſiuſque in dictis Inſulis ſeu Regno ſucceſſores, ſemper manutenebunt & conſeruabunt, & manu teneri facient ab omnibus ſubditis ſuis: ac dictæ Eccleſiæ & perſonæ, & omnia religioſa & pia loca vtentur libere omnibus bonis, & iuribus ſuis, ſaluo ſibi & ſucceſſoribus ſuis in regno prædicto Trinacriæ ſeu Inſulis, iure patronatus, prout & ſecundum quod patronis Eccleſiarum canonica inſtituta concedunt, & in illis tantum Eccleſiis in quibus Reges antiqui Siciliæ huiuſmodi ius patronatus habuerunt, ſalua ſemper circa Eccleſias Cathedrales, & alias, Regulares & Seculares, quaſcunque, ac perſonas & loca Eccleſiaſtica, tam in faciendis prouiſionibus & electionibus confirmandis, quam in reſeruationibus de ipſis Eccleſiis faciendis, quam in omnibus & quibuſcunque aliis, Romani Pontificis & Eccleſiæ Romanæ, iuriſdictione, ordinatione & auctoritate plenaria, & libera poteſtate. Omnes vero cauſæ ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, libere & abſque vllo impedimento agitabuntur, & ventilabuntur, & tractabuntur coram ordinariis, & delegatis Apoſtolicis, & aliis Eccleſiaſticis iudicibus, & terminabuntur per eos. Et ſi ad* SEDEM APOSTOLICAM *ſuper huiuſmodi cauſis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati, ad eandem venire Sedem pro appellationum proſecutionibus, libere & abſque inhibitione aliqua, & impedimento quolibet permittentur.*

*Sacramenta vero fidelitatis præſtabuntur* FRIDERICO *prædicto, & eius in regno Trinacriæ ſucceſſoribus, ſecundum antiquam & rationabilem conſuetudinem, prout canonica inſtituta permittunt, ab illis Eccleſiarum Prælatis, quorum prædeceſſores antiquis Regibus Siciliæ præſtiterunt. Si qui autem ſunt Prælati & clerici, qui temporalia, ſeu regalia bona teneant à dicto Rege, & aliis Dominis temporalibus, & qui rationem huiuſmodi bonorum ab antiquo conſueuerunt Regibus, & ipſis Dominis temporalibus exhibere, huiuſmodi honeſta & antiqua ſeruitia, ipſis Regi & Dominis, ſecundum rationabilem & antiquam conſuetudinem, & ſicut ſtatuta patiuntur canonica impendent: promittet: quod nullus clericus, vel perſona Eccleſiaſtica eorundem Regni, ſeu Inſularum, in ciuili vel criminali cauſa conueniatur coram iudice ſeculari: ſed omnes perſonæ Eccleſiaſticæ omnimode erunt liberæ, & in nullo, dicto* FRIDERICO, *ſeu eius ſucceſſoribus ſubiacebunt.*

*Nullas inſuper tallias, vel collectas, ſeu alia onera, Eccleſiis, Monaſteriis, Clericis, & iuris Eccleſiaſtici, vel rebus eorum directe vel indirecte imponent, imponi facient, vel permittent: & in Eccleſiis ac beneficiis vacantibus, ipſe* FRIDERICVS, *vel ipſius in Regno Trinacriæ vel Inſulis ſucceſſores, nulla habebunt Regalia, nullam cuſtodiam, nulloſque fructus, redditus, & prouentus, nullas obuentiones, & nulla prorſus alia percipient ab eiſdem: ſed cuſtodia earumdem Eccleſiarum, & beneficiorum interim libera penes perſonas Eccleſiaſticas, iure, & ſecundum ſtatuta canonica remanebit. Reuocabunt etiam omnes conſtitutiones, ſeu leges per eundem* FRIDERICVM, *ſeu prædeceſſores ſuos prædictarum Inſularum detentores, ſi quæ editæ exiſtant contra Eccleſiaſticam libertatem: quas nos etiam extunc irritas nunciamus: nec Conſtitutiones, vel ſtatuta edent, aut promulgabunt; quæ iuri vel Eccleſiaſticæ libertati in aliquo derogent.*

*Item quod dictus* FRIDERICVS, *& ſucceſſores ſui in Regno, ſeu Inſulis præſtabunt huiuſmodi iuramentum, ad hoc ſe obligantes, quod nunquam per ſe, vel alium, aut alios, ſeu quocunque modo procurabunt, vt eligantur, vel nominentur in Regem vel Imperatorem Romanorum, vel Regem Theutoniæ, ſeu Dominum Lombardiæ, vel Tuſciæ, vel maioris partis eorumdem Lombardiæ vel Tuſciæ: niſi hoc de expreſſa Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, proceſſerit voluntate. Et ſi electionem, vel nominationem ad ipſum Imperium, vel regnum Romanorum, ſeu ad regnum Theutoniæ, aut dominium Lombardiæ vel Tuſciæ, ſeu maioris partis eorumdem de eo celebrari contigerit, nullum huiuſmodi electioni vel nominationi aſſenſum præſtabit, vel intromittet ſe vllo modo de regimine ipſius Imperij, vel regni Romanorum, ſeu regni Theutoniæ, vel dominij Lombardiæ, ſeu Tuſciæ, vel maioris partis ipſarum, ad quodcunque horum nominatus fuerit, vel electus. Quod ſi ipſe, vel aliquis, ſeu aliqui ipſius in regno Trinacriæ, ſeu Inſulis ſucceſſores, ad Imperium Romanorum, vel ad dictum regnum Romanorum, vel Theutoniæ, aut dominium Lombardiæ ſeu Tuſciæ, vel maioris partis earum, procuratione eorum vel ſtudio nominari ſe fecerint, vel fuerint nominati ſeu electi, ſi hoc verum & manifeſtum fuerit, aut ſi poſt talem electionem vel nominationem, de Imperij, Regni Romani, ſeu Regni Theutoniæ aut*

Do-



*Dominij Lombardiæ ſeu Tuſciæ, vel maioris ipſarum partis regimine ſe manifeſte intromiſerit, ſeu intromiſerint, eo ipſo à iure regni Trinacriæ, ſeu Inſularum Siciliæ prædictarum cadat & cadent ex toto, ipſeque prorſus amittat & amittant: & prædictum Regnum ſeu Inſula, cum adiacentibus Inſulis, ad Ioannam prædictam, ſeu eius ſucceſſores in regno Siciliæ, ſeu regno ad Eccleſiam deuoluto, ad Romanam Eccleſiam libere reuertantur. Si autem ipſe, vel aliquis ex prædictis ſucceſſoribus, nominationi vel electioni factæ, eis non procurantibus conſenſerint, vel conſenſerit, tunc huic electioni, vel nominationi, vel iuri omnino renuntient & renuntiet: & quod Imperio, ſeu aliquo alio præmiſſorum, ad quod electi vel nominati fuerint, vel fuerit, ſe nullatenus intromittant, vel intromittat. Et ſi moniti, infra quatuor menſium ſpatium poſt monitionem huiuſmodi, tali electioni ſeu nominationi, vel iuri non renunciauerit, vel renunciauerint, ſeu de ipſo Imperio, vel aliquo præmiſſorum electi vel nominati fuerint, ſe intromiſerit, vel intromiſerint quoquo modo, ex hoc ſint, & ſit eiſdem Regno ſeu Inſula, cum adiacentibus Inſulis, & omni prorſus eorum iure in illis priuati & priuatus: & vt dictum eſt, ad prædictos, prout ſuperius eſt expreſſum libere deuoluantur.*

*Si vero ad ipſum* FRIDERICVM, *vel ipſius in dicto regno ſeu inſulis ſucceſſores, non poterit commode talis monitio peruenire, ſuper quo vtique impedimento, videlicet quod commode moneri nequeat, ſeu nequeant, credatur & ſtabitur aſſertioni Romani Pontificis, ſeu dicto, ſufficiat, ſuper hoc Romani Pontificis monitio publica & ſolemnis. Itaque ſi infra ſex menſes poſt illam, huiuſmodi electioni, nominationi ſeu iuri non renunciauerit, ſeu renunciauerint, aut de Imperio, ſeu de aliquo alio prædictorum, ad quod ipſe vel dicti ſucceſſores electi vel nominati fuerint, vel fuerit, ſe quomodolibet intromiſerit, vel intromiſerint, ex hoc cadant & cadat ab omni iure ipſorum regni, ſeu inſularum cum adiacentibus inſulis, & ipſa ad præfatos libere deuoluantur, vt ſuperius.*

*Cæterum ſi contingeret aliquem de ſuis ſucceſſoribus, qui deberet in prædictis regno, ſeu inſulis ſuccedere in Regem, ſeu Imperatorem Romanorum, ſeu Regem Theutoniæ, vel Dominum Lombardiæ, aut Tuſciæ, aut maioris earum partis nominari vel eligi, ſeu aſſumi, nullatenus poſſeſſionem dicti regni, ſeu inſularum nanciſcantur, vel habeat, nec de illorum cura, ſeu dominio & regimine, per ſe vel alios, ſe aliquatenus intromittat, niſi prius Imperio, vel regno Romanorum, ſeu regno Theutoniæ, aut Dominio Lombardiæ, aut Tuſciæ, aut maioris eorum partis ad quodcunque eorum electus, nominatuſue fuerit vel aſſumptus, & omni iuri ſibi in illo competenti omnino renunciet, & de illorum regimine, nec de iure, nec de facto illud gerens, vel retinens, ſe aliqualiter intromittat, ſed omnino dimittat ipſum, nullo vnquam tempore reaſſumpturus: alioquin cadat ab omni ſucceſſione & iure, quæ in dicto regno Trinacriæ, ſeu inſulis competerent ſibi eo ipſo.*

*Ita quod eadem, regnum, ſeu inſula ad prædictos iuxta prædictum ordinem plene & libere deuoluantur. Quod ſi non extantibus maſculis, fœmina in dicto regno ſeu inſulis ſucceſſerit, illa, Regi vel Imperatori Romanorum, ſeu in Regem vel Imperatorem Romanorum electo, aut Regi vel electo Theutoniæ ſeu electo ad eorum Dominium, nunquam matrimonio copuletur: & ſi contrarium fecerit, eo ipſo cadat à Regno ſeu Inſulis prælibatis, & iure quod in illis haberet: maneatque prorſus ipſorum iure priuata: ipſumque Regnum, ſeu Inſulæ, ad prædictos, iuxta præmiſſorum ordinem deuoluantur. Si autem dictus* FRIDERICVS, *vel alius ſuorum in regno ſucceſſorum contra hæc venerint, ſeu venerit, eo ipſo excommunicatus ſeu excommunicati: inſuper labe & reatu periurij notatus vel notati, exiſtat vel exiſtant.*

*In huiuſmodi quoque iuramento, ipſe* FRIDERICVS *nunc expreſſe addet, & per ipſius in dicto regno ſucceſſores addetur expreſſe, pro nullo vnquam tempore regnum ſeu Imperium Romanorum, aut regnum Theutoniæ, vel dominium Lombardiæ, ſiue maioris partis earum aut eaſdem Lombardiam ſeu Tuſciam, vel maiorem partem ipſarum, per ſe, vel alium, ſeu alios occupabunt, capient & acquirent, aut ſibi quomodolibet vendicabunt: & ſi ſecus fecerint, ſecundum formam præſcriptam, pœnas ſimiles incurrant.*

*Quod autem dicitur de maiori parte Lombardiæ, intelligitur ſcienter: ſi vero ignoranter ad mandatum Eccleſiæ dimittere teneantur. & ſi ea ad mandatum Eccleſiæ dimittant, non incidant in pœnam in articulo iſto & conſimilibus conſtitutam. Si vero moniti non dimittant, incidant in pœnas in articulo iſto & conſimilibus conſtitutas. Quod ſi forte in poſterum Regem Trinacriæ in Imperatorem contingat, vel Regem Romanorum, aut Theutoniæ, aut Dominum Lombardiæ ſeu Tuſciæ eligi, poſtquam fuerit ipſius Regni Trinacriæ ſeu Inſularum poſſeſſionem adeptus, ad Imperium, Regnum ſeu dominium prædicta, ſeu eorum aliquid non tranſeat: alioquin in pœnas incidat, in hoc articulo & ſimilibus comprehenſas. Quod ſi Regni Trinacriæ, ſeu Inſularum prædictarum poſſeſſione habita ſeu obtenta, vel nondum habita ſeu obtenta, in Imperatorem, Regem ſeu Dominum, electus, tranſire voluerit ad Imperium, Regnum, ſeu Dominium huiuſmodi, in manu prius Romani Pontificis, vel illius quem ad hoc idem Pontifex duxerit deſtinandum, filium ſuum ſucceſſorem in Regno Trinacriæ, ſeu Inſulis, cuiuſcunque fuerit ætatis, prius emancipet, & Regno, ſeu Inſulis prædictis renunciet, nihil Dominij, iuriſdictionis, aut cuiuſcunque ſeruitutis ſeu poteſtatis in eo vel eis retinens, clam vel palam: nec ipſum filium ad id quod ſeruitium vel ſubſidium faciendum, ſtipulatione, facto, iuramento vel voto, ſeu alias qualitercunque, ſibi vel ſuis ſucceſſoribus obliget vel aſtringat.*

*Quod ſi huiuſmodi emancipatione & renunciatione non factis, ad Imperium, Regnum ſeu Dominium huiuſmodi tranſiuerit, eorum vel alterius ipſorum adminiſtratione ſe qualitercunque immiſcendo, eo ipſo cadat à Regno Trinacriæ, ſeu Inſulis huiuſmodi: & ad dictam* IOANNAM, *ſeu eius in Regno Siciliæ ſucceſſores, vel Regno ad Romanam Eccleſiam deuoluto, ad ipſam Romanam Eccleſiam libere deuoluantur.*

*Quod ſi emancipatione, & renunciatione huiuſmodi factis, ad Imperium, Regnum, Dominium prædicta, vel eorum aliquid tranſiuerit: Filius eius ſic emancipatus ad ſucceſſionem Regni ſeu Inſularum prædictarum libere admittetur, ſicque factus filius ſui iuris, homagium ligium, & fidelitatis iuramentum, iuxta formam in præſentibus annotatam præſtabit Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, & alia faciet, quæ iuxta præſentis tractatus tenorem, Reges Trinacriæ, Romano Pontifici &* SEDI APOSTOLICAE *facere ſunt aſſueti. Faciet etiam prædictæ* IOANNAE *Reginæ, & ipſius in regno Siciliæ ſucceſſoribus; tam iuramentum fidelitatis, quam omnia alia & ſingula, quæ in capitulis præſentis tractatus, eoſdem* IOANNAM *& ſucceſſores tangentibus exprimuntur.*

*Et ſi, filium ipſum abſque liberis decedere forte contigerit, ad ſucceſſionem regni Trinacriæ ſeu Inſularum huiuſmodi, pater nullo vnquam tempore admittetur, Imperator, ſeu Rex Romanorum, aut Theutoniæ, vel Dominus Lombardiæ, vel Tuſciæ, ſeu maioris partis earum exiſtens. Si autem Imperio, Regno, ſeu dominio huiuſmodi veraciter, ſine dolo, & fraude, verbis & facto renunciauerit, & huiuſmodi Regno Trinacriæ, ſeu Inſulis velit eſſe contentus, ad ipſius filij ſucceſſionem huiuſmodi libere admittetur, facietque Romano Pontifici qui pro tempore fuerit, & Romanæ Eccleſiæ, ac dictæ Ioannæ Reginæ, & eius in regno Siciliæ ſucceſſoribus, omnia & ſingula, quæ ſupra, in eius filio ſunt expreſſa. Cum autem Rex Trinacriæ, ſeu Inſularum huiuſmodi legitimum non habens filium, ad Imperium, Regnum, vel dominium prædicta, ſeu eorum aliquid eligetur, ac huiuſmodi Regno Trinacriæ renunciare, & ad Imperium, regnum, vel dominium ad quod ſit electus, vel nominatus fuerit tranſire velit, filiæ, vel aliquæ aliæ de perſonis, quas ſupradiximus in regno Trinacriæ prædicto poſſe ſuccedere ſuperſtites fuerint: quæ de filio præordinauimus obſeruentur in illis, ex prædicto duntaxat emancipationis articulo, quæ in ſolis perſonis procedere poterit, quæ capaces emancipationis exiſtent, ratione patriæ poteſtatis. Si autem nullæ tales perſonæ ſuperſtites fuerint, Regnum Trinacriæ ſeu Inſulæ huiuſmodi ad dictam* IOANNAM, *ſeu eius in regno Siciliæ ſucceſſores,*

ceſſores: vel regno ad Romanam Eccleſiam deuoluto, ad ipſam Romanam Eccleſiam, iuxta prænotatum ordinem reuertantur libere. Declaratur etiam, quod ſi Regi Trinacriæ ſine filio decedenti ſuperſtes ſibi filia vel mulier alia fuerit, quæ iuxta prædictam formam debeat ad huiuſmodi ſucceſſionem admitti, & quæ Imperatori, aut Regi Romanorum, ſeu Theutoniæ, aut Domino Lombardiæ vel Tuſciæ, ſeu maioris partis earum, dum ipſe Rex viueret, fuerit deſponſata vel nupta, non ſuccedat in regno, ſeu Inſula prælibata. Et ſi regno, ſeu Inſulis ſibi delatis, Imperatori, vel Regi Romanorum, vel Theutoniæ, ſeu Domino Lombardiæ vel Tuſciæ, vel maioris earum partis nupſerit cedat protinus ab eiſdem: niſi in quocunque duorum caſuum præmiſſorum, vel eius Imperio, vel regno, ſeu Dominio prædictis prorſus renuncians, Regno, ſeu Inſulis ſolummodo ſit contentus: & hoc locum habeat, niſi de Romani Pontificis qui pro tempore fuerit, Imperium vel regnum, ſeu Dominium Lombardiæ, vel Tuſciæ, ſeu maioris partis ipſarum expreſſa acceptauerit voluntate.

In primo autem caſu, videlicet, quo filia vel mulier alia, Regi Trinacriæ ſine filio decedenti ſuperſtes extiterit, & quæ iuxta formam prædictam debeat ad ſucceſſionem admitti, Imperatori, Regi, aut Domino prædictis, Rege viuente, prout dicitur deſponſata vel nupta, propter quod à ſucceſſione prædicta vt præmittitur, repellatur, ad perſonas alias, ſeruatis gradibus, Regnum, ſeu Inſula, cum Inſulis adiacentibus perueniant, quas prænotauimus in Regno, ſeu Inſulis poſſe ſuccedere: in caſu quo Rege præmortuo filij non ſuperſint.

In ſecundo autem caſu, videlicet, quo Regno ſeu Inſulis ſibi iam delatis, Imperatori, Regi, aut Domino prædictis poſtea nupſerit, Regnum, ſeu Inſula, cum adiacentibus Inſulis, ad prædictam Reginam, ſeu ſucceſſores eius in regno Siciliæ, ſeu regno ad Romanam Eccleſiam deuoluto, ad Romanam Eccleſiam deuoluantur. Ita quod Regnum, ſeu Inſulæ, Imperio, regno, aut dominio prædictis, nullo modo ſubdentur, nec ſibi vllo vnquam tempore in eadem perſona quomodolibet vnientur, & præciſe ſuper hoc articulo, tam per pœnas ſpirituales, quam alias cautiones cauebitur iuxta Eccleſiæ voluntatem, quandocunque Romanus Pontifex hoc duxerit requirendum: cum prorſus intentionis noſtræ & Romanæ Eccleſiæ ſit, vt regnum Trinacriæ, ſeu Inſulæ prædictæ, nullo vnquam tempore Imperio aut Regno Romanorum, aut Theutoniæ, ſeu dominio Lombardiæ, aut Tuſciæ, vel maioris partis earum, vniatur: quod ſcilicet, vnus Romanorum Imperator, vel Rex Romanorum, aut Theutoniæ, vel Dominus Lombardiæ ſeu Thuſciæ, vel earum alicuius maioris partis, & Trinacriæ Rex exiſtat. Ita quod ipſe FRIDERICVS & ſui ſucceſſores in regno Trinacriæ, in vrbe, ſiue Campania, vel Maritima, ſeu Ducatu Spoletano, aut Marchia Anconitana, aut in patrimonio Beati PETRI in Tuſcia, ſiue in aliis quibuſcunque terris aut dominiis, aut feudis ipſius Romanæ Eccleſiæ vbilibet conſtitutis, ex ſucceſſione, legato, aut venditione, aut donatione, ſiue alio quocunque iure vel titulo, ſiue contractu, nihil vnquam ſibi acquirent, ſeu vendicabunt, ſeu poterunt acquirere, ſeu quomodolibet vendicare: & nihil vnquam recipient, habebunt, vel retinebunt, recipere, habere, vel etiam retinere poterunt, niſi in regno Siciliæ & terra citra Pharum, ſi ad ipſos de iure ſpectaret ſucceſſio. Ad quem caſum prohibitionis huiuſmodi, declaramus aliqualiter non extendi. Nullam etiam Poteſtariam, ſeu Capitaniam, vel Rectoriam, nullumque alium honorem, dignitatem ſeu poteſtatem, Senatoriam, vel quamcumque aliam adminiſtrationem, ſeu commendam nec quodcunque aliud officium recipient, ſeu recipere poterunt, habebunt, & retinebunt: recipere: habere, vel etiam retinere poterunt in eiſdem: quod ſi contra præmiſſa, vel aliqua contenta in præſenti capitulo facere vel attentare præſumpſerint, aut Campaniam, vel Maritimam, ſeu vrbem, vel Ducatum Spoletanum, vel Marchiam Anconitanam, ſiue patrimonium Beati PETRI in Tuſcia, vel alias terras quaſcunque Romanæ Eccleſiæ vbilibet conſtitutas, ſeu earum aliquam partem occupauerint, vel occupari fecerint, aut ſuper his offenderint vel moleſtauerint Eccleſiam, ſeu fecerint moleſtari: poſtquam à Romano Pontifice moniti vel requiſiti fuerint; vel ſi commode moneri vel requiri nequiuerint, iuxta ipſius Romani Pontificis aſſertionem vel dictum, poſtquam de hoc ipſe publice, vel ſolenniter eos monuerit, infra tres menſes, acquiſita vel delata, realiter non dimiſerint, aut à Capitaneatu, Rectoria, Senatoria, vel alio, quodcunque illud ſit, officio, eorumque, ſeu alicuius eorum exercitio omnino non deſtiterint, vel non reſtituerint integre omnia occupata, eo ipſo ab eorundem, regni Trinacriæ, ſeu Inſulæ Siciliæ, cum adiacentibus Inſulis, iure cadent totaliter, ipſa prorſus amittant, & ad prædictos Reginam & ſucceſſores eius in regno Siciliæ, vel Romanam Eccleſiam, iuxta prænotatum ordinem libere deuoluantur. Quod ſi etiam reſtituerint occupata, nihilominus ad plenum, de vniuerſis iniuriis & damnis illatis, ad mandatum eiuſdem Romani Pontificis ſatisfacere teneantur. Alij quoque ipſius Friderici hæredes, videlicet, qui ſibi non ſuccedent, in Regno, ſeu in Inſulis prædictis, ſi contra præmiſſa, vel eorum aliquod facere, vel venire attentauerint quomodolibet, eo ipſo ſint excommunicati, & tam ipſi quam eorum poſteritas in perpetuum, ad ſucceſſionem prædictorum Inſulæ, Regni, cum adiacentibus Inſulis, ſi in aliquo forte caſu eiuſdem ſucceſſio deuolueretur, ad illam nullatenus admittentur: & Rex Trinacriæ qui erit pro tempore, teneatur patenter aſſiſtere Romano Pontifici contra ipſos.

Nullam etiam confœderationem, vel pactionem, ſeu ſocietatem faciant, dictus FRIDERICVS, aut ſui ſucceſſores, aut parentalia contrahent, cum aliquo noſtro, vel ſucceſſorum noſtrorum, aut Romanæ Eccleſiæ inimico, nec etiam cum aliquo Imperatore, Rege, Principe, vel Barone Chriſtiano, Saraceno, Græco, aut cum aliqua prouincia, ciuitate, aut communitate, aut alio loco, ſcienter, contra Romanam Eccleſiam: & ne poſſet in poſterum ſuper hoc oriri dubietas, illum declaramus debere reputari noſtrum, ſeu Romanæ Eccleſiæ inimicum, de quo fuerit eidem Regi Trinacriæ per Romanum Pontificem, qui erit pro tempore, nunciatum, quod ſuus, ſeu Romanæ Eccleſiæ inimicus exiſtit, vel qui Eccleſiæ fidem non teneat, ſeu de quo manifeſtum eſt, quod Eccleſiæ Romanæ inimicus exiſtat, etiam ſi non fuerit ſibi nunciatum. Et ſi contra fecerit, vel fecerint, eo ipſo cadat, & cadant à dictis Regno Trinacriæ ſeu Inſulis, & ad prædictam Reginam, ſeu eius in regno Siciliæ ſucceſſores, ſeu ad Romanam Eccleſiam, iuxta præmiſſum ordinem libere reuertantur.

Item quod dictus FRIDERICVS habebit & tenebit inimicos noſtros, & Romanæ Eccleſiæ pro inimicis ſuis, & amicos noſtros pro amicis ſuis, & prædictos inimicos noſtros & eiuſdem Eccleſiæ, ad noſtrum & Summi Pontificis qui erit pro tempore mandatum, perſequetur toto poſſe.

Item quod nobis & ſucceſſori noſtro qui pro tempore fuerit, vbi nos vel ſucceſſor noſter pro tempore fuerit, vellemus pro ſubſidio terræ ſanctæ, licitum erit & liberum extrahi facere anno quolibet, prædicto occurrente caſu, de prædictæ Inſulæ partibus, ſalmas frumenti, ad menſuram Siciliæ decem millia: & vbi nobis vel ipſi ſucceſſori, qui pro tempore fuerit placebit, pro vſu noſtro & ſucceſſorum noſtrorum, & venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, noſtrorumque familiarium & ſuorum, quantum nobis, & ipſi ſucceſſori qui pro tempore fuerit videbitur expedire, liberas à quolibet iure exituræ, Dohanæ, ſeu alterius oneris, vel vectigalis quocunque nomine nuncupentur tranſuehendas, quo nos vel ſucceſſor noſter, vel Romana Eccleſia mandauerimus, iuxta noſtræ & ſuæ beneplacitum voluntatis.

Item quod omnia & ſingula contenta in pactis & conuentionibus habitis inter Romanam Eccleſiam, & prædictum quondam Carolum Regem Siciliæ, tam affirmatiue quam negatiue, quæ in dando, vel faciendo, vel mixtim, vel in non dando, vel non faciendo, vel mixtim conſiſtunt, ipſe Fridericus & ſui in regno Trinacriæ ſucceſſores, plene & integre ſeruabunt, quatenus non diſcrepant, nec contrariantur Capitulis in præſenti tractatu poſitis, prout ipſos contigit, vel contingere poſſet, & non aliter: præſertim in eo caſu, quo regnum Siciliæ ad Romanam Eccleſiam redire contingat.





Intendimus etiam, quod per nominationem ipſam Regni Trinacriæ, honori regalis tituli, quod de regno Siciliæ apud prædictam Ioannam eiuſque ſucceſſores in Regno Siciliæ remanet, quemque apud eam, & ſucceſſores eius remanere volumus, nullum etiam quantum ad vulgi labia, ſeu prolationem ſermonis præiudicium afferatur. Et ſi contingat, quod aliqua emergat dubietas, vel contentio in tractatu pacis prædictæ, vel circa ipſum, nos ſeu ſucceſſor noſter, qui pro tempore fuerit, tanquam ſuperior Dominus cognoſcamus, & ſtetur ſimplici dicto noſtro, & Romani Pontificis qui erit pro tempore, etiam ſi parte aliqua non vocata.

Omnes vero præmiſſas & ſequentes conditiones, quæ in perſona prædicti FRIDERICI apponuntur, circa ipſius etiam in dictis Inſulis, ſeu regno Trinacriæ ſucceſſorum intelligimus, & volumus eſſe dicta: & quod omnia & ſingula prædicta & infraſcripta, iuramenta, homagia, obligationes, promiſſiones, & conuentiones, quæ dicti FRIDERICI, in dictis regno ſeu Inſulis ſucceſſores promittere, renouare, præſtare, ſeruare, & facere tenentur nobis, & ſingulis Romanis Pontificibus, qui pro tempore fuerint, & Ioannæ prædictæ, & ſucceſſoribus ſuis in regno Siciliæ, in quantum ex tenore præſentium Capitulorum facere teneantur, eiſdem ſaluis omnibus, quæ circa alios hæredes dicti FRIDERICI ordinata conſiſtunt, prout ſuperius & inferius eſt expreſſum. Per aliqua autem in præſentibus Capitulis deſcripta, ſeu contenta, non intendimus pacta & conuentiones habitas inter Romanam Eccleſiam, & prædictum quondam CAROLVM Regem Siciliæ, quæ affirmatiue vel negatiue, in dando vel faciendo, vel mixtim, vel in non dando, vel non faciendo, vel mixtim conſiſtunt, & præſertim ſuper ſolutione cenſus, & exhibitione ſeruitiorum nobis & Eccleſiæ Romanæ debitorum, iuxta conuentiones prædictas mutare, innouare, ſeu eis in aliqua ſui parte detrahere, vel aliquid derogare niſi de expreſſo conſenſu Reginæ prædictæ, ſeu ad prædicta omnia & ſingula alia, dicta Ioanna, & ſucceſſores ſui in regno Siciliæ integraliter Eccleſiæ Romanæ, perinde remaneant obligati, ſicut ſi regnum ipſum Siciliæ cum ea integritate, qua dicto Domino CAROLO infeudatum exiſtit totaliter poſſideret, & omnia contenta in prædictis pactis & conuentionibus, cum cenſurarum, pœnarum ſpiritualium & temporalium adiectionibus, & omnibus capitulis & clauſulis ibidem deſcriptis, ſaluo quod in proximo capitulo ſequitur, inconcuſſa & illibata, in ſuo robore volumus remanere. Verum quia in conuentionibus inter Romanam Eccleſiam, & dictum quondam CAROLVM habitis continetur, quod Inſula Siciliæ, & terra alia citra Pharum diuidi non deberent: nos conſiderantes tot & tantas ſtrages hominum, deprædationes & diſſolutiones Eccleſiarum, raptus, incendia, diuini cultus diminutionem, & alia mala innumerabilia, quæ ex guerris quæ diu viguerunt inter dictam Reginam & ſuos prædeceſſores ex vna parte, & dictum FRIDERICVM & ſuos ex altera, quod dictam Inſulam, terram aliam citra Pharum, de facto diuiſas tenuerunt, iam per ſeptuaginta annos & vltra ſunt ſecuta: & quod propter interdictum, cui dictæ Inſulæ iam multis annis ſubiacuerunt, in dictis Inſulis tantum excreuit indeuotio populi, hæreſes pullularunt, quod de totali ſubuerſione fidei in eiſdem probabiliter dubitatur, nec non quietem quæ in ſubditis vtriuſque terræ, cuius ad nos directum dominium pertinet, prouenit ex pace prædicta, maxime quia quodammodo guerris huiuſmodi finis imponeretur, alias quam per pacem ſpes veriſimilis non habetur: imo quod ex dilatione ipſius pacis, Reginæ & ipſius regno, ac Romanæ Eccleſiæ hoſtes hoſtibus adderentur, non immerito formidatur: ex his & aliis cauſis iuſtis ad hoc nos mouentibus, dictam conuentionem, ad ſupplicationem ipſius Reginæ, de Fratrum noſtrorum conſilio, authoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia relaxamus. Adijcientes, quod ſi in aliquo caſu, iuxta huiuſmodi tractatus conuentionem, dictas Inſulas ad manus Ioannæ ſeu ſucceſſorum ſuorum in Regno peruenire ſeu reuerti contingat, reſumat ſuum robur præfata conuentio, ita videlicet, quod dicta Inſula ab alia terra citra Pharum nullatenus diuidatur.

Circa Capitula autem tractatus præfati habiti inter partes, nobis vt præmittitur præſentatis, modo & ſerie infraſcriptis duximus procedendum, videlicet; quod quia partes ipſæ viciſſim, rancores & odia hucuſque habita inter eos, nec non damna cuiuſcunque generis, ſeu intereſſe, quæ ex præteritis guerrarum temporibus vigentium in regnis, tam vltra quam citra Pharum, tam pro ſe quam pro fidelibus, & vaſallis ſuis, ſubditis, ſequacibus, quibuſcunque fautoribus, aut habentibus cauſam dictæ guerræ, etiam fructus, redditus, & prouentus qui percepti ſunt ab ipſo FRIDERICO, ſeu prædeceſſoribus ſuis, vel percipi potuerunt, ſeu occaſione, prætextu, vel cauſa præmiſſorum ab eodem FRIDERICO quomodolibet peti poſſent, ſibi inuicem remiſerunt: ſumus de ipſarum partium ſuper hoc ordinatione contenti: & propterea volumus, quod in perpetuum vniuerſaliter & ſingulariter, ſimpliciter & bona fide, vigere debeat bona pax & ſincera concordia inter eos, dictoſque eorum fideles, vaſallos, & alios ſuperius nominatos.

Item dictus FRIDERICVS & ſinguli ipſius ſucceſſores in Regno Trinacriæ, & ſingulis antedictis recognoſcant pro ſe & ſucceſſoribus ſupradictis tenere dictum regnum Trinacriæ, à dicta IOANNA Regina & ſucceſſoribus ſupradictis in regno Siciliæ ex ſuo corpore deſcendentibus legitime tantum. Poſt mortem vero dictæ Reginæ IOANNÆ, eiuſque hæredum ex ſuo corpore deſcendentium, ſeu eius, ſi nulli ex ſuo corpore hæredes ſuperſint, recognoſcent tenere in feudum Inſulam & regnum prædictum cum adiacentibus Inſulis ſuis, à nobis, & ſucceſſoribus noſtris, & Sancta Romana Eccleſia, tanquam à ſuperiori & directo dominio, honore Regalis tituli Regni Siciliæ, quem apud IOANNAM prædictam, ſuoſque ſucceſſores in regno remanere volumus ſemper: ſaluo vt in præſentibus capitulis continetur, reſeruatis obligationibus ſolutionis cenſus trium millium vnciarum, ſeruitij equitum & galearum, & præſtatione homagij & iuramenti fidelitatis eidem IOANNAE Reginæ, & eius hæredibus, ex ſuo corpore deſcendentibus, & etiam non deſcendentibus: & etiam reſeruatis ſingulis ſucceſſoribus ſuis in regno etiam non deſcendentibus ex ſuo corpore, obligationibus cenſus trium millium vnciarum, ſeruitij equitum & galearum, & præſtatione iuramenti fidelitatis, & aliis obligationibus, ordinationibus, retentionibus, ſupra & infraſcriptis in ſuo robore permanentibus.

Item quod dictus FRIDERICVS & ſucceſſores ipſius, vtriuſque ſexus deſcendentes ex eo, ſuccedentes in regno ſeu Inſulis prædictis, præſtabunt prædictæ IOANNAE Reginæ & ſingulis ſuis ſucceſſoribus in regno Siciliæ, ſeruitium decem galearum, & centum militum, præſtando in pecunia anno quolibet, tempore notabilis inuaſionis ipſius regni citra Pharum, in hunc modum: videlicet tertiam partem iſtis temporibus vſque ad reintegrationem ſupradictæ Inſulæ, vel maioris partis ipſius, ad dominium & obedientiam ipſius FRIDERICI, ad rationem quidem vnciarum centum quindecim per menſem, pro qualibet ipſarum galearum: quæ vnciæ reductæ ad florenos de auro, ad pondus generale regni Siciliæ, ad rationem de florenis quinque pro vncia, faciunt ſummam vnciarum trium millium centum quinquaginta, & pro prædictis militibus centum, ad rationem de vnciis duabus pro quolibet ipſorum per menſem, in florenis prædictis faciunt ſummam vnciarum ſexcentarum: & tota prædicta pecunia erit in ſumma pro tribus menſibus, vnciarum quatuor millium quinquaginta annis ſingulis, quibus continget fieri inuaſionem prædictam, computando vt ſupra. Re integrata vero Inſula, vel maiori parte ipſius vt ſupra, ad dominium & obedientiam ipſius FRIDERICI, præſtabit ipſe FRIDERICVS & ſui ſucceſſores dictum ſeruitium in pecunia iuxta præmiſſum calculum, ſine diminutione quacunque. Et ſi dubium oriri contingat, quæ cenſeri debeat notabilis inuaſio, vel reintegratio Inſulæ de quibus ſupra, ſtetur ſimplici dicto Domini noſtri, & Romani Pontificis qui pro tempore fuerit, etiam parte non vocata, ſi PAPA voluerit. Sufficiet autem dictam reintegrationem, de qua præmittitur, ſemel fieri, dictuſque FRIDERICVS per Procuratorem, & ſucceſſores ipſius vtriuſque ſexus deſcendentes ex eo, ſuccedentes in dicto regno Trinacriæ, ſeu Inſulis, per ſeipſos, niſi iuſtum impedimentum contigerit: quo caſu, per Procuratorem ſufficientem & idoneum, ſufficienti poteſtate ſuffultum, teneantur & debeant præſtare & facere, pro dictis Inſulis & regno Trinacriæ, homagium, fidelitatis iuramentum præfatæ IOANNAE,

& ſingulis ſucceſſoribus ſuis in dicto regno Siciliæ ex ſuo corpore deſcendentibus, & etiam ſingulis non deſcendentibus ex ſuo corpore, teneantur ſimili modo præſtare, & facere fidelitatis iuramentum, ſub hac forma.

XXIV. Forma homagii et iuramenti fidelitatis præſtandi Ioannæ et eius in Regno Sicil. ſucceſſorib. per Fridericum et eius in Regno Trinacriæ ſucceſſores.

Ego Fridericus Dei gratia Rex Trinacriæ, iuro ſuper hæc ſancta Dei Euangelia, quod ab hac hora in antea, ero fidelis vobis Sereniſſimæ Dominæ Ioannæ Reginæ Siciliæ illuſtri, & veſtris in regno Siciliæ ſucceſſoribus, ac impendia omnia ſiniſtra ac præiudicialia vobis, regno, ſtatui, & honori veſtris, cum ad meam notitiam peruenerirt, quanto melius ſciuero & potero auertam: quod non ero in conſilio vel facto contra perſonam, regnum, ſtatum & honorem regalem veſtrum, ſed ipſa, perſonam, regnum & regalem honorem defenſabo toto poſſe meo, per me, & meos bona fide contra omnem hominem viuentem, excepto Domino noſtro Gregorio Papa Vndecimo & eius ſucceſſoribus, ac Sede Apoſtolica: & omnia ac ſingula Capitula, ſub forma fidelitatis contenta inuiolabiliter obſeruabo: vniuerſas & ſingulas promiſſiones, obligationes, conuentiones, in præſenti priuilegio, inſtrumento, ſeu literis contentas, & omnia & ſingula in eis contenta plenarie adimplebo, & inuiolabiliter obſeruabo, nec vllo vnquam tempore veniam contra illa. Sic me DEVS adiuuet, & hæc ſancta DEI EVANGELIA. Ita tamen quod ex prædictis, recognitione regni Trinacriæ ſeu Inſularum, ac homagio & fidelitatis iuramento, Comites, Barones, & omnes vaſalli & fideles Federici præfati, hæredum & ſucceſſorum ſuorum, in Regno & Inſulis ſupradictis, nullo reſpectu, nulloque iure intelligantur aſtricti, nec cenſeantur ſubiecti prædictæ Reginæ, ſeu hæredibus ſuis, nec in eoſdem præfata Regina ſeu hæredes ſui, cognitionem, iuriſdictionem, ſeu aliam poteſtatem exercere valeant, nec prætendant: imo præfatus Federicus, hæredes & ſucceſſores ſui in dicto regno Trinacriæ, ſeu Inſulis, in eoſdem Comites & Barones, & alios ſuos vaſallos, per ſe omnem & liberam poſſint & debeant iuriſdictionem exercere, & pleniſſimam poteſtatem: iuribus tamen omnibus & ſingulis noſtris & Romanæ Eccleſiæ ſemper ſaluis.

Item, quod prædictus Rex hæredes & ſucceſſores ipſius in dicto regno Trinacriæ, ſoluent, tradent, & aſſignabunt, & ſoluere tenebuntur eidem Reginæ, & ſingulis hæredibus & ſucceſſoribus ſuis in dicto Regno, in quolibet feſto APOSTOLORVM PHILIPPI & IACOBI, in ciuitate Neapolitana, periculo & expenſis ipſius Friderici, & ſuorum ſucceſſorum in regno ſeu Inſulis, vncias auri tria millia ad rationem præmiſſam de florenis quinque auri, ad pondus generale regni Siciliæ pro qualibet vncia: quæ reductæ ad florenos auri, faciunt ſummam florenorum quindecim millia, contingentium dictas Inſulas ſeu regnum Trinacriæ, ratione cenſus debiti per ipſam Reginam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedi: conceſſo tamen gratioſe per eandem Reginam, quod prædictus Rex eximatur, abſoluatur, & veniat liberatus, pro ſe, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis, à præſtatione, & ſolutione dicti cenſus per annos tres, inchoandos in prædicto feſto ſanctorum Apoſtolorum proxime elapſo. Completis vero annis tribus, teneatur ipſe Rex ſoluere dictos quindecim millia florenos anno quomodolibet pro cenſu prædicto eidem Reginæ, & ſingulis ſuis ſucceſſoribus in Regno Siciliæ prædicto, in ciuitate Neapolitana, abſque diminutione quacunque, in prædicto termino, feſto Apoſtolorum Philippi & Iacobi, modo præmiſſo. In caſu vero quo contingeret Regnum Siciliæ redire ad manus ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, eo caſu teneantur, dictus Federicus & ſucceſſores ipſius prædicti, dare & ſoluere dicta tria millia vnciarum pro cenſu, in feſto APOSTOLORVM PETRI & PAVLI, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ anno quolibet, vbicunque Summum Pontificem, vel Romanam curiam adeſſe contingat, expenſis ſuis & periculo, ea remiſſione dicti cenſus de prædictis tribus annis futuris, per prædictam Reginam facta, ſi eis durantibus contingeret Regnum ad Romanam Eccleſiam redire, nihilominus in ſuo robore permanente. Si vero dictus Fridericus, aut ſucceſſores ſui in dicto Regno ſeu Inſulis, quomodocunque non ſoluerint integrum cenſum Ioannæ prædictæ, aut ſucceſſoribus ſuis in regno Siciliæ, vel Regno ad ipſam Romanam Eccleſiam deuoluto, ipſi Romanæ Eccleſiæ, & expectanti per duos menſes, terminum ipſum immediate ſequentes, de illo ad plenum non ſatisfecerit, aut ſatisfecerint, eo ipſo erit, & erunt excommunicationis vinculo innodatus & innodati. Quod ſi in ſecundo termino ſubſequente duos menſes, eundem cenſum ſine diminutione qualibet non perſoluerint, totum Regnum Trinacriæ & Inſulæ, Siciliæ adiacentes prædictæ, Eccleſiaſtico erunt ſuppoſita interdicto. Si vero nec in tertio termino, nec infra duos menſes prædictos, ad plenam ſatisfactionem eiuſdem illius cenſus ſibi non duxerint conſulendum, imo quod tranſactis eodem termino tertio, & duobus proxime ſubſequentibus menſibus, non ſit de tribus millibus vnciarum huiuſmodi primi termini, ipſi Ioannæ, ſeu eius ſucceſſoribus, aut Romanæ Eccleſiæ, iuxta ordinem prædictum integre ſatisfactum, ab ipſo Regno, ſeu Inſulis, ipſorumque iure cadat, ſeu cadant ex toto: & regnum ipſum, ſiue Inſulæ, ad prædictam IOANNAM, eiuſque ſucceſſores in Regno, vel Regno ad Eccleſiam deuoluto, ad Romanam Eccleſiam, ipſo iure, libere & integre reuertantur.

Si autem de cenſu trium millium vnciarum huiuſmodi primi termini, infra dictum terminum tertium, & duos ſequentes menſes plenarie ſatisfecerit, aut ſatisfecerint, nihilominus ſemper pro ſingulis tribus millibus vnciarum ſingulorum terminorum, ſi ſimili modo in eorum ſolutione ceſſauerit, vel ceſſauerint, vel ipſa non ſoluerit, vel ſoluerint, pœnas ſimiles incurret, & incurrent: ſaluis aliis pœnis & proceſſibus, quæ vel qui de iure inferri, vel haberi poterunt, per Romanum Pontificem, ſeu per IOANNAM Reginam, aut eius ſucceſſores in regno Siciliæ, in hoc caſu. In omnibus vero caſibus, in quibus vel per ceſſationem ſolutionis cenſus, vt dictum eſt, vel alio quoquomodo, Regnum Trinacriæ vel Inſula cum adiacentibus Inſulis prædictis, dictum Fridericum & ſuos ſucceſſores in Regno ſiue Inſulis, ſiue iure quod habet in illis priuari ipſo iure contingat, ſi priuari deberet, Regnum, Inſulæ ſeu iura prædicta ad Ioannam prædictam, ſeu eius ſucceſſores in Regno, ſeu Regno ad Eccleſiam deuoluto, ad Romanam Eccleſiam libere deuoluantur.

Item, quod prædictus Federicus, hæredes & ſucceſſores ſui, nullo vnquam tempore intitulabunt, nec ſcribent ſe titulo regni Siciliæ, ſed tantummodo titulo Trinacriæ, & intitulent, & ſcribant ſe Reges Trinacriæ, & non ſcribant, ſeu intitulent ſe Reges Siciliæ, nec alio titulo Siciliæ. Ipſa quoque Ioanna Regina, & hæredes, & ſucceſſores ſui intitulentur & vocentur titulo Siciliæ: ita tamen quod intitulatio Regni Siciliæ, nullum afferat præiudicium intitulationi regni Trinacriæ, & è conuerſo. Imo quodlibet regnum diſtinctum, per ſe habeat ſuum titulum, nec vni pro altero derogetur; ſeruatis dictæ Reginæ, & ſucceſſoribus ſuis, quæ occaſione præſentis contractus ad eos poſſunt quomodolibet pertinere.

Item, quod dictus Federicus pro ſe, & ſingulis ſuis ſucceſſoribus in regno Trinacriæ ſeu Inſulæ Siciliæ prædictis, promittet ſolenniter, non facere confœderationem ſeu pactionem cum aliquo Imperatore, aut aliquibus Principibus, ſeu communitatibus mundi, Chriſtianis vel infidelibus, contra dictam Reginam, hæredes & ſucceſſores ſuos in regno Siciliæ prædicto: & è conuerſo, dicta Regina prædictas confœderationes & pactiones promittat ſolenniter pro ſe & ſuis in regno Siciliæ ſucceſſoribus, non facere contra eundē Federicum & ſucceſſores ſuos.

Item quod prædictus Federicus veniat liberatus ab omni, & quolibet cenſu debito, pro dictis Inſulis, dictæ Reginæ, ſeu Romanæ Eccleſiæ, & habentibus cauſam ab eis, pro omnibus retroactis temporibus vſque nunc, ratione Inſularum prædictarum: ac etiam de omni iure, actione, debito, ad quæ prædictus Federicus teneri poſſet, ratione dictarum Inſularum, ex cauſa guerrarum, eidem Reginæ, & dictis ſuis ſucceſſoribus, & hæredibus, alias quomodolibet teneretur.

Item prædictus Federicus, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis promittet prædictæ Reginæ, & ſucceſſoribus ſuis, quod ipſe Federicus, aut aliquis eius in regno Trinacriæ ſucceſſor, non receptabit in dicto Regno Trinacriæ, rebelles, ſeu facientes guerram dictæ Reginæ, ſeu ſucceſſoribus ſuis: nec eiſdem præſtabit auxilium, conſilium, ſeu fauorem.

Item quod Inſula Lipari, quam nunc tenet Regina prædicta, remaneat cum vaſallis, fortalitiis, iuribus, & pertinentiis ſuis in poteſtate, & pleniſſima iuriſdictione dictæ Reginæ Siciliæ quamdiu vixerit. Post mortem vero ipſius Reginæ redire debeat,



beat, cum omnibus ſupradictis iuribus ſuis, ipſo facto ad dictum Federicum, hæredes & ſucceſſores ſuos, tanquam bona de adiacentibus Inſulis dictæ Inſulæ Siciliæ, quodq; prædicta Regina iuret, & per ſtipulationem ſolemnem permittat pro ſuis hæredibus, & ſucceſſoribus, prædictam Inſulam cum iuribus antedictis reſtituere, & reſtitui facere præfato Regi, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis. Et nihilominus prædicto caſu, prædictus Rex, hæredes, & ſucceſſores valeant, & licitum ſit eis authoritate propria, ſeu qualiter cumq; melius poſſint, recuperare, & capere dictā Inſulam, tanquā vnam de adiacentibus Inſulis, Inſulæ Siciliæ: prædicto pacis tractatu nihilominus in ſuo robore permanente. Conuento expreſſe, quod in ſuperioribus Capitulis, vbi ſit mentio de adiacentibus Inſulæ Siciliæ, & regni Trinacriæ, non intelligatur de Inſula Lipari, niſi prout in iſto Capitulo continetur. & cum firmata fuerit per partes, & ſolēniter roborata, contenta in præſentibus Capitulis, & tradita inſtrumenta ſeu litteræ aurea bulla bullatæ, vt inferius continetur, dictum Federicum in eo caſu, ex nunc REGEM TRINACRIÆ FACIMVS, conſtituimus & creamus, & concedimus authoritate Apoſtolica quod dictus Federicus & ſucceſſores ſui in Regno, ſeu Inſula prædictis, titulo prædicto Trinacriæ intitulare poſſit ſe, & non aliter, nec alio modo.

Item quod prædicta Regina, & eius in regno Siciliæ ſucceſſores, dabit & dabunt, præſtabit & præſtabunt prædicto Federico hæredibus & ſucceſſoribus ſuis auxilium & fauorem iuxta poſſe ſuum, circa reductionem & reintegrationem dictæ Inſulæ ad Dominium & obedientiam prædicti Federici & ſucceſſorum ſuorum; non aſtringendo ſe, nec ſucceſſores ſuos, niſi iuxta velle & beneplacitum ſuum, & eorum.

Et vt prædicta omnia, & ſingula, cum mutationibus, additionibus, & detractionibus, authoritate Apoſtolica per nos factis, per Ioannam Reginam & Federicum prædictos inuiolabiliter obſeruentur, prout ſuperius ſunt expreſſa, infra ſex menſis, à die qua eis fuerint præſentata, teneantur promittere, & tactis ſolenniter ſacroſanctis Euangeliis iurare, quod ipſa omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruabunt. De pœnis autem, obligationibus, clauſulis, ſolennitatibus & cautelis, pro inuiolabili obſeruantia omnium præmiſſorum, partes ipſæ inter ſe prouideant, ſicut eis videbitur expedire, tamen per nos pro obſeruātia præſentis tractatus generaliter, ſeu aliquorum Capitulorum in eo contentorum particulariter adiectis, in ſua nihilominus ſemper remanentibus firmitate. Declarantes expreſſe, quod per aliquas adſertiones, ad tractatum habitum inter partes, per nos factas, quæ ſuperius deſcribuntur, non intendimus iuri, quod ex feudatione facta de regno Siciliæ Carolo prædicto, & ſuis ſucceſſorib. cōpetit, Ioānæ prædictæ, ſeu eius in regno ſucceſſoribus in aliquo derogare: imo illud volumus remanere illæſum iis ſaluis quæ in præſentibus Capitulis continentur. Et vlterius declaramus ſponte & ex quo per præſentem tractatum, ſeu aliqua quæ continentur in eo, non intendimus iuri alieno quomodolibet derogare.

Volumus etiam, quod de contentis in præſentibus articulis, qui per nos æſtimantur, nihil partes ipſæ valeant immutare. & ad hæc vt firmius obſeruentur, Prælati, Principes. Duces, Comites & Barones, & Syndici notabilium Ciuitatum, ad hoc poteſtatem habentes, tam Inſulæ, quam terræ citra Pharum iurabunt, quanto commodius fieri poterit, infra tempus, noſtro arbitrio ſtatuendum, in illis, vel illorum manibus, quos ad hoc duximus deputandos, quod curabunt, & facient bona fide, quod præmiſſa omnia & ſingula, quantum eis erit poſſibile, fideliter & inuiolabiliter ſeruabuntur. Dabunt etiam inſtrumenta, ſeu literas, prædicta Ioanna Regina, & Federicus, nobis & Romanæ Eccleſiæ, aurea bulla bullatas, in quibus contineantur, & approbentur omnia de verbo ad verbum, prout ſuperius ſunt expreſſa, & in ſingulis homagiis, & fidelitatis iuramentis, Romano præſtandis Pontifici, per eundem Federicum & eius ſucceſſores in regno Trinacriæ antedicto, ipſe Federicus, & ſui in regno huiuſmodi ſucceſſores modo præmiſſo, bullas huiuſmodi renouabunt, cum expreſſione nominis Romani Pontificis qui pro tempore fuerit, & ipſius renouantis, prout ſuperius eſt expreſſum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit: indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum apud Villam nonam Auinionen. diœceſis, 6. Cal. Septem. Pontificatus noſtri anno 2.

XXV. Continuatio litterarum Gregor. ad Epiſcopū Sarlat. Nuncium Apoſt.

Quocirca pro tam ſalubri, tamque inhærente cordi noſtro, ac reipub. cunctoq; populo Chriſtiano, ſumme neceſſario negotio, auctore Domino per ſollicitudinis tuæ miniſterium adimplendo, te, cui Altiſſimus dedit ſcientiam, & prudentiam, vt ſcias cum expedit pro negotiorum & temporum qualitate vtiles proferre ſermones, ad ipſos Reginam & Fridericum, & etiam ad dictum Regnū, tam citra, quam vltra Pharum, vt ab eiſdem Regina & Federico, nomine noſtro, & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ approbationem ac ratificationem dicti tractatus, & eorum conſenſum, iuxta tenorem huiuſmodi tractatus, & contentorum in ipſo recipias: & concedente pacis auctore, huiuſmodi diſſenſiones amputes, & partes ipſas perpetuæ charitatis vnione coniungas prouidimus deſtinandum. Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ad partes illas te perſonaliter conferens, ſtudeas ſollicite, ſicut bonus operator præmiſſa, per nos circumſpectioni tuæ commiſſa fideliter adimplere. Vt autem in præmiſſis eo fauorabilius, & efficacius proſperari poſſis quo maiori fueris poteſtate ſuffultus recipiendi ab eiſdem Regina & Federico nomine noſtro & eiuſdē Romanæ Eccleſiæ approbationem & ratificationem dicti tractatus, & ipſorum Reginæ & Friderici conſenſum, iuxta tenorem eiuſdem tractatus & contentorum in ipſo, & ipſum tractatum, nec non perpetuam pacem & bonam concordiam, inter dictos Reginam & Federicum, ac quoſcunque Principes, & magnates, Valitores, auxiliatores, ac ſequaces eorum, ac adhærentes eiſdem, eadem authoritate Apoſtolica firmādi, vallandi, & etiam roborandi, ac faciendi ea per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita inuiolabiliter obſeruari. Turbatores inſuper, ac impeditores præmiſſorum nec non contradictores quoslibet & rebelles, cuiuſcunq; authoritatis, gradus, ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtant, etiamſi Pontificali, Regali, aut quauis alia præfulgeant dignitate, appellatione ceſſante, cenſura ſimili compeſcendi; Ligas inſuper & vniones quaſcumq;, confœderationeſq; alias, quocumq; titulo ſeu denominatione vocentur, etiamſi iuramentorum interpoſitionib. ac pœnarum adiectionibus vallatæ ſint, præmiſſorum executioni contrarias diſſoluendi, annullandi & irritandi, ac pœnas & iuramēta huiuſmodi relaxādi & inſuper ab eiſdē Regina & Feder. & eorum quolibet perſonaliter ſuper præmiſſis, approbatione & conſenſu eorum, noſtro & eiuſdem Eccleſiæ Romanæ nomine literas authenticas manu publica confectas, vel earum Bulla aurea bullatas, prædictum tractatum de verbo ad verbum continentes recipiendi, & exigendi, & omnia alia & ſingula faciendi, ordinandi diſponendique in præmiſſis, quæ circa ea videris expedire, etiāſi talia ſint quæ mandatum exigant ſpeciale, plenam tibi concedimus tenore præſentium poteſtatem. Non obſtante ſi aliquibus communiter vel diuiſim, à prædicta ſede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Datum apud Villam nonam Auinion. diœceſis, Cal. Octobr. Pontificatus noſtri anno 2.

XXVI. Continuatio litterarum Ioannæ Reginæ.

Præſentibus quoque ibidem & adſtantibus propterea coram nobis dictoque Apoſtolico Nuncio, ac audientibus & videntibus D. Fratre Vbertino Epiſcopo Corcocen. Ambaſciatore, nec non Iacobo Piſigne milite Magiſtro Notario, & Bartholomæo de Papaleone de Meſſana Iuriſperito, Magnæ Curiæ dicti Federici Illuſtris Iudice & Procuratoribus, negotiorum geſtoribus, Nunciis Illuſtris Federici prædicti, de quorum procuratione, nobis & ipſi Apoſtolico Nuncio plene conſtitit, quod dictum publicum Procuratorii inſtrumentum pendenti ſigillo dicti Frederici Illuſtris in cera rubea communitum, ſcriptum per manum Sartorii de præfata Regia authoritate, Inſulæ Siciliæ Notarii publici, & eius ſubſcriptione roboratum, præſentatum, viſum & lectum, publice coram nobis, cuius tenor per omnia talis eſt.

XXVII. Tenor mandati a Frid. Regis ſuis procuratoribus et nego[tiorum geſtoribus].

Federicus Dei gratia Rex Trinacriæ, ac Athenarum & Neopatriæ Dux, vniuerſis & ſingulis præſens commiſſorium ſcriptum, ſeu inſtrumentum publicum inſpecturis, volumus notum eſſe, quod cum inter ſereniſſimam Dominam Ioannam Hieruſalem & Siciliæ Reginam, honorabilem matrem noſtram proprio nomine ex vna parte, & Venerabilem magiſtrum Vbertinum de Coriliono Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Profeſſorem Capellanum & deuotum Nuncium noſtrum vice noſtra ex altera fuerit

TIORVM GESTORIB. IN CAVSA CONVENTIONIS CVM REGINA IOANNA.

dudum pacis tractatus, ſub certis conditionibus, conuentionibus, Capitulis, atque pœnis habitus & firmatus fuerit per dictam Dominam Reginam honorabilem matrem noſtram, & per nos mutuo & corporali Sacramento iuratus, ſub reſeruatione Apoſtolici beneplaciti & conſenſus, pro cuius obtentu ſuppliciter impetrando, eundem magiſtrum Vbertinus ad dictam Apoſtolicam Sedem Curiamque Romanam miſimus acceſſurum. Nuper vero de fide laudabili, ſufficientia cognita, & legalitate probata Iacobi Pitigne militis Magiſtri Notarii, & Bartholomæi de Papaleone de Meſſana Iuriſperiti, magnæ noſtræ Curiæ Iudicis, Conſiliarii, & familiarium ac fidelium noſtrorum plene confiſi, ac optantes vt inter dictam Dominam Reginam, & excellentiam noſtram, ac ſubditos vtriuſque vera pax vigeat, & firmiter ſeruetur illæſa, ipſos Iacobum & Bartholomæum præſentes, & onus commiſſionis prædictæ in ſe ſponte ſuſcipientes, & ipſorum quilibet inſolidum; ita quod non ſit præoccupantis conditio melior, nec potior cenſeatur, ſed quod vnus ipſorum inceperit, alter libere proſequi valeat, & debita concluſione finire, facimus, ordinamus, & conſtituimus, noſtros veros & legitimos Procuratores, Actores, factores, negotiorum geſtores, Ambaſiatores & Nuncios ſpeciales, & quocumque alio nomine ſiue modo efficacius dici poſſit, cum omni iuris & facti ſolennitate conueniente, ad acceptandum, ratificandum, & confirmandum, vice & nomine noſtris, præfatum pacis tractatum, cum eiſdem Capitulis, ordinationibus, conuentionibus prædictis, & clauſulis quibuſcunque quibus inter eandem Reginam & nos firmatus & iuratus exiſtit, vt præfertur; ſeu etiam cum additionibus, mutationibus, & reformationibus omnibus & ſingulis, prout per ſanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum noſtrum Dominum Gregorium diuina prouidentia Sacræ Romanæ Eccleſiæ Papam Vndecimum ordinabitur, & videbitur melius expedire, & ad promittendum pro nobis & ſucceſſoribus noſtris in Regno; & iurandum in animam noſtram, de obſeruantia ordinationum, adiectionum, & Capitulorum prædictorum, & omnium & ſingulorum contentorum in ipſis, ad dictum pacis tractatum ſpectantium, qualiter de ipſius Domini noſtri Summi Pontificis beneplacito & mandato erit ſolenniter ordinatum. ac etiam ad petendum, recipiendum, & habendum inueſtituram, & conceſſionem de nouo dicti Regni Trinacriæ, cum adiacentibus Inſulis, & omnibus aliis pertinentiis ſuis, à dicto Domino noſtro Papa, vel aliis Commiſſariis ad hoc ſpecialiter & expreſſe ſtatutis, vel de nouo forſan ſtatuendis, & quibuſcunque perſonis dictus Dominus Summus Pontifex ordinauerit faciendum; cum promiſſionibus, obligationibus, iuramentorum præſtationibus, pœnarum adiectionibus, & aliis circumſtantiis ſingulis, & clauſulis vniuerſis: ac etiam ad tractandum, & de nouo contrahendum, concedendum & ratificandum, prout opus fuerit dictum tractatum pacis, tam cum ipſa Domina Regina, ac cum aliis eius habentibus poteſtatem, quam cum prædicti Domini noſtri Papæ Nuncio, vel eius Commiſſariis, & Legatis, ad hæc Apoſtolica authoritate ſuffultis, ac firmandum & concludendum cum eiſdem ſub pacis prædicto tractatu, quicquid de nouo forſan occurrerit, vt prædictorum Nunciorum noſtrorum arbitrio & diſcretioni videbitur expedire. cum præfatis omnibus promiſſionibus, obligationibus, iuramentorum præſtationibus aliiſque clauſulis opportunis; pœnarum etiam adiectionibus ſolennibus, & ſtipulatione valoris, ſecundum quod fieri in talibus eſt conſuetum. Dantes, mandantes, & concedentes eiſdem Nunciis noſtris, ſub prædictæ pacis tractatu, & omnibus & ſingulis dependentibus, connexis, & emergentibus in eodem plenam licentiam, authoritatem omnimodam & liberam facultatem, cum generali, ampla, libera, ſpeciali & expreſſa poteſtate, ad agendum vice noſtra, & dicto eorum procuratorio nomine exequendi & complendi omnia & ſingula ſupradicta, ac omnia & quæcunque alia circa hæc, iuxta dictorum noſtrorum Nunciorum arbitrium, & eis largimur potentiam opportunam, ratificantes, confirmantes, ratum habentes & acceptantes, quicquid ſuper his dicti Nuncii & Ambaſiatores noſtri duxerint peragendum. Promittentes etiam, & nos firmiter obligantes, ab eo quod ipſi exinde perfecerint, nullo vnquam tempore reſilire; id ex nunc prout ex tunc ſub fide Regia firmiſſimum reputantes, ac prædictis ad petendum precibus inſtantibus, & deuote impetrandum, obtinendum, & accipiendum vice noſtra ab eodem Domino noſtro, vel alio, ſiue aliis quibuſcunque ad hæc ſtatutis, vel etiam ſtatuendis Commiſſariis, aut Delegatis, remiſſionem integram & totalem abſolutionem. Item dictarum pœnarum temporalium & ſpiritualium ſuſpenſionem omnium, quibus tam nos quam prædeceſſores noſtri bon. mem. noſtrique vaſalli & ſubditi, aut ipſum regnum noſtrum Trinacriæ, & prædictæ circumadiacentes Inſulæ, per ſententias Eccleſiaſticas, tam dicti Domini noſtri, quam aliorum prædeceſſorum ſuorum, in ſcriptis vel ſine ſcriptis videntur ſubiici, vel aliquatenus alligari; ac ad implorandam & habendam abſolutionem plenariam omnium debitorum contra eoſdem prædeceſſores noſtros, & nos hactenus contractorum, ratione iuris cenſus Eccleſiæ non ſoluti, atque quacunque alia ratione, occaſione, vel cauſa, ad quæ probabiliter obligari aut teneri, de iure vel de facto poſſimus, vt iam reconciliatione ſanctæ Matris Eccleſiæ optata, diutius obtenta ſalubriter, ac quas guerrarum introduxit calamitas, culpæ ex cœno ſimus quodammodo noua ſancti Spiritus infuſione renati: ac ad petendum, exigendum, recipiendum à dicta Domina Regina Ioanna, pro ſe, & hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis, aliiſque perſonis, prout extiterit opportunum, corporale & debitum, tactis ſacroſanctis Euangeliis iuramentum, ſuper obſeruantia Capitulorum prædictorum, conditionum & clauſurarum omnium dictæ pacis; ac ad requirendum, petendum, & habendum ab eodem Domino noſtro, aut ſtatutis, ſeu ſtatuendis Commiſſariis, vel Legatis diſpenſationem liberam, & confirmationem matrimonii tractati dudum, & iurati, inter prædictum Magiſtrum Vbertinum nomine noſtro, & Magnificum virum Raymundum de Baucio Magnum Regni Siciliæ Commiſſarium procuratorio nomine, & pro parte Illuſtris Dominæ Antoniæ, filiæ ſpectabilis Ducis Andriæ, ac vice & nomine eiuſdem Ducis: & ad requirendum, & habendum ſuper his, à quibuſcunque perſonis expediens fuerit faciendum; & fieri faciendum expediens reſcriptum, & publicas ſub debita forma ſcripturas, & generaliter ad gerendum & exercendum in præmiſſis, & ſuper præmiſſa cauſa, cum prædictis Domino noſtro Summo Pontifice, & Cardinalibus, & Commiſſariis aliis, aut Legatis ſpecialiter ordinatis, ſeu ordinandis vt ſupra, quam cum dicta Domina Regina, & perſonis aliis ſubiectis, & ad ea omnia & ſingula, quæ dictis Nunciis noſtris neceſſaria viderentur ſeu quomodolibet oportuna, & quæ veri & legitimi Procuratores facere poſſint & debeant, noſque poſſemus facere, ſi præſentes eſſemus, etiam ſi talia eſſent quæ mandatum exigerent ſpeciale! Volentes & concedentes, quod prædicti Nuncii noſtri, quoties voluerint, poſſint & valeant Procuratores ſemel, vel ſucceſſiue, vnum vel plures ſubſtituere, cum omni, etiam quam ipſi obtinent, ad vnum articulum, ſiue plures, & mandatum reuocare; & ad eos transferre negotium: quamuis dictus ſubſtitutus, vel ſubſtituti inceperint, & vt libet proſequantur. Promittentes; conſtituentes bona fide, tibi Sanctoro de Pereta Notario publico infraſcripto, familiari & fideli noſtro, pro parte omnium & ſingulorum quorum intererit, aut intereſſe poterit, ſtipulanti, ratum, firmum, gratum acceptumque habituros, omnique tempore inuiolabiliter obſeruaturos, totum id, quod in præmiſſis, & circa præmiſſa omnia & ſingula per eoſdem Ambaſiatores & Nuntios noſtros factum, geſtum, actum extiterit & completum, præter contradictiones, obſtaculum cuiuſcunque ſub hypotheca & obligatione omnium bonorum noſtrorum. Et ad maiorem rei geſtæ & gerendæ cautelam, præſens Commiſſarium ſcriptum, ſeu inſtrumentum publicum exinde fieri, noſtræque maieſtatis ſigillo pendenti iuſſimus communiri. Datum & actum Meſſanæ, anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo, Treceteſimo Septuageſimo ſecundo, die ſecunda menſis Martii, vndecimæ indictionis.

Et ego Sanctorus de Pereta; de Meſſana, qui ſupra, Regia authoritate Inſulæ Siciliæ Notarius publicus, de mandato prædicti Domini mei Regis, præmiſſis interſui, eaque omnia & ſingula in hanc publicam formam redegi, meoque ſolito Crucis ſigno ſignaui.

XXVIII. CONTINENTVR LITTERÆ IOANNÆ REG. QVIBVS PRÆFATA CAPITVLA OMNIAQVE ET SINGVLA IN DICTIS LITTERIS APOSTOLICIS CONTENTA AVT CORRECTA REFORMATA AVCTA VEL MVTATA IOAN. REG. ET FRIDER. REX RATIFICANT ET ACCEPTANT.

Quibus quidem Apoſtolicis litteris receptis, auditis & intellectis per nos, dictoſq; Procuratores Friderici Illuſtris, idem Apoſtolicus Nũcius requiſiuit, & ex parte dicti Domini Noſtri Papæ, eiuſq; Apoſtolicæ Sedis nos principaliter, & deinde pari cõcurſu dictos Procuratores prædicti Frederici Illuſtris, an dictũ tractatũ pacis, & cõcordiæ iuxta tenorẽ dictarũ Apoſtolicarum litterarũ ac omnia & ſingula contenta ordinata, reformata, declarata, & conſcripta in





illis, iuxta prouiſionem, ordinationemque dictæ Apoſtolicæ Sedis, ratificare & acceptare deberemus, pro nobis, noſtris hæredibus, & ſucceſſoribus in Regno prædicto; ac permittere & iurare; quod illos, & illas, & eorum quodlibet, iuxta eorum ſanum intellectum & ſenſum, omni futuro tempore attendemus, adimplebimus, & obſeruabimus; per nos, ſubditos, auxiliatores, valitores & ſequaces noſtros: & quod in nullo contra eas, ea, vel ipſorum aliquod faciemus, vel veniemus, vel ea quomodolibet infringemus. & quod ſimiliter dicti Procuratores, prædicti Federici Regis Illuſtris Procuratorio nomine, & pro parte ipſius, dictas Apoſtolicas bullas, ac omnia & ſingula contenta, ordinata, reformata, declarata & conſcripta in illis modo prædicto, ratificare & acceptare, deberent, ac ſolenniter promittere, & iurare in animam dicti Regis; quod idem Federicus Illuſtris, ac ſui hæredes, & ſucceſſores prædicti, illas, & illa, ac eorum quodlibet iuxta ſanum ſenſum, & intellectum eorum, omni tempore attendent, adimplebunt, & inuiolabiliter obſeruabunt, per ſe, ſubditos, auxiliatores, valitores, & ſequaces eorum; & quod in nullo contra eas, ſeu ea, vel ipſorum aliqua dicent, facient, vel opponent, aut ea quomodolibet infringent. Cuius quidem Apoſtolici Nuncii requiſitioni, Nos Regina prædicta, & deinde eodem inſtanti, non diuertendo ad alios actus, dicti Procuratores Procuratorio nomine quo ſupra, per reſponſiones viciſſim factas, & prædictis affectibus annuentes, factis, firmatis & adimpletis, ac publice diuulgatis inter nos, Nos proprio nomine pro nobis, hæredibus & ſucceſſoribus, & dicti Procuratores prædicti Federici Illuſtris Procuratorio nomine, & pro parte ipſius, iuxta mentem & ſeriem Procuratorii prædicti, & eis traditæ poteſtatis, dictum tractatum pacis ac ipſam pacem & concordiam probauimus, nec non (factis inuicem remiſſionibus, & relaxationibus, & alia, ſecundum formam & intellectum ſanum & ſenſum dictorum Capitulorum, ordinatorum & reformatorum vt ſupra, cum promiſſionibus ſolennibus, & iuramentis hinc inde præſtitis, ac obligationibus factis exinde, de obſeruandis & adimplendis eiſdem, & contra non veniendo, ſub pœnis in dictis Capitulis & apoſtolicis litteris contentis, declaratis, & ſcriptis: & ad maiorem cautelam, etiam ſub pœna centum millium florenorum de auro, obligationeque perſonarum, noſtri, & dicti Federici Illuſtris, ac hæredum noſtrorum & ſuorum, & bonorum omnium mobilium & ſtabilium, burgenſaticorum & feudalium, ſtipulata inuicem inter nos, & dictos Procuratores quo ſupra nomine, ſoluenda, & exigenda aperte contrauenientę & non obſeruante prædicta, & applicanda alteri parti obſeruanti & adimplenti, ac adimplere & obſeruare volenti omnia et ſingula ſupradicta) ratificauimus: homagia quidem præſtando & faciendo, nobis per eundem Illuſtrem Federicum iuxta ordinationem Apoſtolicam, et conuentiones prædictas, ac tenore dictorum Capitulorum nondum adimpleto, et facto vt decet, ſed præſtatione illius prorogata per nos, de certa cauſa vſque per totum inſtantem, ſeu prædictum futurum menſem Maii, ſub promiſſione & obligatione ſolenni, ac iuramento prædictis, perinde nobis & dicto Apoſtolico Nuncio in teſtimonio publico, prædictos Procuratores & Ambaſiatores, Procuratorio nomine quo ſupra, quo per totum eundem menſem Maii, & antequam ipſi Procuratores et Ambaſiatores de regno noſtro Siciliæ citra Pharum recedant & exeant, infra & per totum menſem eundem; ipſi Procuratores, et Ambaſiatores, vel alii legitime conſtituendi de nouo per eundem Illuſtrem Fredericum, omni ad id poteſtate ſuffulti, Procuratorio nomine, ac pro parte ipſius præſtabunt & facient ſolenniter, et legitime in teſtimonio publico, in manibus noſtris, in ciuitate Neapolis, vel alibi vbicunque præſtandi homagium, et fidelitatis debita iuramentum, iuxta tenorem dictarum literarum Apoſtolicarum, & conuentiones prædictas; quodque per totum, ſeu infra inſtantem, & ſucceſſiue futurum menſem Iunii, eiuſdem præſentis anni vndecimæ Indictionis, idem Federicus Illuſtris perſonaliter inſtrumento publico, in præſentia Procuratoris noſtri legitimi, & ſpecialis Nuncii acceptabit, ratificabit, & confirmabit ſolenniter & legitime dictum tractatum pacis & concordiæ, ac ipſam pacem & concordiam firmatas, et initas vt præfertur inter nos, & Ambaſiatores Procuratoreſque præfatos, & omnia & ſingula Capitula facta & ordinata per prædictam Apoſtolicam Sedem, pro firmitate tractatus prædicti, cum obligationibus, reformationibus, dictis adiectionibus, & aliis contentis & declaratis in illis, iuxta mentem & ſeriem dictarum Apoſtolicarum literarum, ac ratificata, & acceptata, & ſeruari promiſſa per Ambaſiatores Procuratoreſque prædictos, necnon & obligationes adiectas in eis, ac etiam obligationem factam inter nos et Ambaſiatores prædictos, vt præfertur; et ſimiliter homagium, vt prædicitur præſtandum nobis per Procuratores prædictos, omniaque et ſingula in dictis Apoſtolicis litteris contenta, facientia ad perfectionem tractatus pacis prædictæ, iuxta prouiſionem & ordinationem dictæ Apoſtolicæ Sedis: ac promittet, & obligabit ſe, hæredes & bona ſua, in ſolenni forma, ſub prædictis pœnis; et iurabit quod illos et illa omnia omni futuro tempore firmiter attendet, et effectualiter adimplebit, et inuiolabiliter obſeruabit, attendi, adimpleri, & obſeruari faciet, per ſe, hæredes, ſubditos, vaſallos, valitores, auxiliatores, & ſequaces ſuos; ac in nullo contra eos, vel ea, vel ipſorum aliquod dicet, faciet, veniet, vel opponet quomodolibet, publice vel occulte: & exinde fieri faciet, vel rogabit, ac aſſignabit, ſeu aſſignari & tradi mandabit, & faciet nobis, dicto Procuratori noſtro ſolenne publicum inſtrumentum, eius pendente ſigillo munitum, ſeu muniendum, pro cautela noſtra, hæredum & ſucceſſorum noſtrorum, prout in inſtrumentis publicis factis, ſeu fieri rogatis; aliis quidem per manus Iacobi de Madio de Neapoli publici authoritate noſtra, in toto regno noſtro Notarii, ac ſubſcribendis ſubſcriptionibus Iudicis Scriniarii de Neapoli, & ad contractus Iudicis, in toto regno prædicto, & teſtium qui interfuerunt in illis, ſeu aliquorum ex eis, iuxta morem & obſeruantiam Regni noſtri; & aliis per manus Londulphi de Caiatia publici authoritate Apoſtolica Notarii latius annotatur. Nos attendentes tam grande ſingulareque bonum, quod in vnione dictæ pacis atque concordiæ ſedatis diſſidiis euidenter ſuccedet, cum belli ſilebit calamitas, & pacis amœnitas reuiuiſcet, conformantes nos in his cum beneplacito dictæ Apoſtolicæ Sedis, à cuius prouiſione ac deliberatione in his & in aliis diſponimus nullatenus diſcrepare, prædicta Capitula omnia & ſingula contenta in dictis Apoſtolicis litteris, aut correcta, reformata, ad aucta, & immutata exiſtunt, cum omnibus adiectionibus, beneficiis & clauſulis contentis in tractatu prædicto, ac annexis & dependentibus ex eis, facientia ad perfectionem & obſeruantiam tractatus eiuſdem, ac obligationis exinde ſubiectis, & factas vt præfertur harum ſerie quantum in nobis eſt pro nobis & noſtris hæredibus, de certa noſtra ſcientia ratificamus, & acceptamus, & promittimus in fide noſtra, & ſupradictis pœnis in eiſdem Capitulis & litteris contentis, & declaratis, illas & illa, ac eorum quodlibet omni futuro tempore firmiter attendere, adimplere, & inuiolabiliter obſeruare, ac attendi, adimpleri, & obſeruari facere iuxta poſſe, per omnes ſubditos, auxiliatores, valitores & ſequaces noſtros, & quod in nullo contra ea, vel ipſorum aliquod dicemus, faciemus opponemus, vel quomodolibet veniemus, aut dici, fieri, opponi vel veniri aliquatenus faciemus & permittemus, quinimo dabimus opus & operam, ſicut expedit, quod ipſa & ipſorum quodlibet adimplebuntur, & effectualiter obſeruabuntur, ac fient. Et ad maiorem cautelam pro prædictis omnibus adimplendis & obſeruandis contra non veniendo, faciendo vel opponendo, corporale præſtitimus ad ſancta Dei Euangelia iuramentum, dictis Procuratoribus præfati Illuſtris Federici Procuratorio nomine, & pro parte ipſius ſimiliter ratificantibus, & acceptantibus in teſtimonio publico coram nobis, & dicto Apoſtolico Nuncio, dictum tractatum pacis, ac ipſam pacem, & prædicta omnia & ſingula Capitula, in præfatis Apoſtolicis litteris contenta, ordinata, declarata, reformata & inſcripta, cum omnibus adiectionibus, beneplacitis, declarationibus & clauſulis, contentis in tractatu prædicto, ac connexis & dependentibus in eis, ſuam prouiſionem & deliberationem dicti Dn. N. Papæ, & eius Apoſtolicæ Sedis, ac promittentibus ſtipulatione ſolenni ſub ſimilibus obligationibus pœnalib. contentis in illis, & iurantibus ad ſancta Dei Euangelia corporaliter tacta, in animam dicti Illuſtris Federici; quod idem Federicus Illuſtris per ſe, & hæredes ſuos in dicta Inſula modo prædicto attendet firmiter, adimplebit & obſeruari faciet per ſequaces, auxiliatores, ſubditos & valitores ſuos, omnia & ſingula ſupradicta, modo præmiſſo, iuxta mẽtem & ſeriem tractatus eiuſdem, & Capitulorum prædictorum, memorato Apoſtolico Nuncio, nomine & pro parte dicti Domini Summi Pontificis, ac S.R.E. eiuſque Apoſt. Sedis recipienti & ſtipulanti, à vobis & ipſis Procuratoribus Procuratorio nomine quo ſupra, ratificationes, approbationes, promiſſiones & iuramenta prædicto modo & forma præfatis; & cum tenor præfatæ ratificationis noſtræ, ex prolixa & diffuſa eius ſerie nequiuerit breui nar-

*rationeperſtringi, & in contextu vnius pergameni conſcribi, vt in memoriã ſuccedentium temporum pateret totius rei geſtæ ſubſtantia & effectus, nec cõmitteretur aliquid de contingentib. ratificationem ipſam, cum omnib. aliis ſolennitatib. & adiectionib. præmiſſis in trib. pergamenis ſeu chartis annotari mandauimus, & conſcribi, vno annexo ſc. alteri, & cum bitumine in artificiali cõnexione coniuncto. & ne ipſorum pergamenorum. ſiue chartarum annexio ſiue cõiunxio producat in his quouis tempore alicuius dubitationis anfractum, declaramus tenore præſentium, de certa noſtra ſcientia, prædictam ratificationem noſtram. ſicut præmittitur ſubſequutam in prædictis tribus pergamenis artificialiter ſic coniunctis annotatum fore. ſiue conſcriptum, quæ & infra deſcribitur in orationib. & ſcripturis, accipientia continuando præſentib. correſpondent. Nam primi pergameni vltima linea ſic finit, illa, & ſecundi pergameni immediate ſequentis illico reſpondentis prima linea ſic incipit, locũ, & ipſius vltimi pergameni prima linea correſpondens, ſic incipit, me. & ideo, de ipſa certa noſtra ſcientia volumus & declaramus expreſſe, quod prout ſonant noſtræ literæ in volumine dictorũ noſtrorũ pergamenorũ ſcriptæ, illũ vigorem, efficaciã habeant & effectũ, ac ſi tota eorũ ſeries in vno tantũ pergameno eſſet particulariter annotata, nec illorũ præmiſſa coniunctio inducat quouis tẽpore aliquod vitium, ſeu dubium pateat in futurũ. nihilominus de præmiſſis ratificationib. factis per nos ac Procuratores & Ambaſiatores dicti Illuſtris Fed. factæ ſunt, ſeu rogata, & iuſſa fieri, tam inter partes pro eorum cautela, quam pro cautela dictæ Ro. Curiæ publica inſtrumenta, per manus Iacobi de Madio publici Notarii in toto regno Siciliæ præſentib. ad prædicta, Venerabili Patre Nicolao Barenſi Archiep. Magnificis viris Raymundo de Baucio Soleti Comite. magno regni Siciliæ Camerario, Angelo de Aciaiolis de Florentia Comite, Magno Regni Siciliæ Seneſchallo, Ligono Rurulo de Neapoli milite, Logothetæ & Prothon. Regni Siciliæ, Collateralib. Nobilib. viris Landulpho Criſpano milite iuris ciuilis profeſſore, magnæ noſtræ Curiæ Magiſtro rationali, locum tenente dicti Magni Camerarii, Roſtayno de Cancillinis, Antonio de Alphia Prothon. Cameræ noſtræ, Bertrando de Maſſelo Licentiato in decretis nuncio Apoſtol. Archid. de Tarracone in Eccleſia Illerden. Bernardo Magaldi Succentore Eccleſiæ Pictenenſis, Ioanne de Croſſolis Domicello Caturc. diœceſis, Bernardo Carraciolo, Marino Caraciolo de Neapoli militibus, noſtri hoſpitij Seneſchallis, Ludouico de Obicis Curiæ Vicarii Regni Regente, Egidio de Oſcaite de Meſſana milite, Nicolao de Sancto Germano; Nicolao de Moraldo de Salerno Landulpho de Caiacia, & Ioanne de Mandono pro teſtib. ac Iudice Ludouico Scriniario pro Iudice, & dicto Notario Iacobo Madio de Neapoli Prothon. ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis, ac plurib. aliis. In cuius rei fidem perpetuamq; memoriam, & tam Rom. Ecc. quam omnium quorum, & cuius intereſt, & intereſſe poterit certitudinem & cautelam, præſentes literas exinde fieri, & aurea bulla noſtro impreſſa typario iuſſimus communiri, dictoq; Dn. Apoſtolico Nuncio tradi & Archiuio Rom. Eccleſiæ pro cautela, & futura rei mem. perpetuo conſeruandas. Dat. Auerſæ per manus viri magnifici Ligoni Ruruli de Neapoli militis, Logothetæ & Prothonotarii Regni Siciliæ, Collateralis, Conſiliarii & fidelis noſtri, An. Do. 1373. die vlt. menſis Martii, 11. Indictionis, Regnorum noſtrorum anno 31. Collationata cum Bulla aurea per me Marinum de Montealto Cameræ Apoſtolicæ Notarium concordat.*

XXIX. Pace firmata Salernita. Epiſc. in Sicil. deſtinat Greg. pro cenſuris tollendis.

Ad eum modum, Summo Pontifice inſigni ſanctitate prędito, principes omnes pacatos reddere adnitente, grauiſſimoque ad inſtituendam pacem auctore, & ad confirmandam virtute animi, atq; iuſtitiæ & innocentiæ exemplo maxime idoneo, ſumma perpetuaque concordia Frid. Trinacriæ, & Ioannæ Siciliæ Regibus, continenti bello implicitis conſtituta; ad interdicta, quibus per tot annos Siciliæ Inſula ſubiacuit, tollenda, Pontifex Salernitanum Epiſcopum in Siciliam deſtinauit. Hic poteſtate habita à Sede Apoſtol. omnes Siculos piaculo exſoluit. Dolebat Petro Regi Aragoniæ, vt fœminæ Trinacriæ Regum filiæ, virorum prole non ſuperſtite, Regia iura adipiſcerentur, quas Fridericus Rex maior patruus in partem hæreditatis minime vocaſſet. Itaque cum ad ſe eius Regni ſucceſſionem aliquando pertinere peruenireq; poſſe putaret, Raymundum Alamanum Ceruilionem ad Pontificem ire iuſſit, vt ſuo iuri apud Apoſtolicam Sedem patrocinium imploraret. quo anno in Aragonia maximo terræ motu, multi mortales in montoſis, atque æquis & planis lois perierunt, multæque turres & arces corruerunt, pluribus in locis labes facta magnaq; edita ſtrages. *Surita lib. 3.*

Magnus terræ motus in Aragon. Nuptiæ Frider. Reg. cum filia Ducis Andriæ et eiuſdem Reginæ obitus.

Antonia porro Ducis Andriæ filia, Friderico Regi deſponſa, in magno procerum conuentu Meſſanam ad Fridericum venit. dumq; nuptiæ adornarentur, Ioãnes Salernitanus Præſul à Gregor. Rom. Pont. Legatus aduenit, nuptias Regias conſecrauit, iuramentum fidelitatis à Friderico Rege accepit, atque à diris, quibus hactenus Sicilia fuerat inuoluta, eandem abſoluit, die 17, Ianuarii, anni ſubſequentis. Non diu ſuperuixit Antonia Regina. Cum enim Henricus Rubeus Comes, contra Regis mandatũ Meſſanam ingreſſus, in eius triremem hiſtiliter inſiliiſſet, eius impetu illa conſternata corruit, atque eo caſu perculſa in febrem incidit, qua ſeptimo poſtquam correpta eſt die, è vita exceſſit. *Phacell. de rebus Siculis dec. 2. li. 9. c. 6.*

XXX. Solicitudo Greg. de Lituanis vt ad fidẽ Chriſtianam redeant.

In Septentrione, cum Lituanos, ad Fidem Chriſtianam à gentilitate redire velle nunciatum eſſet, Pontifex, ad eos, Dobrogoſtum Præpoſitum Cracouienſem miſit, ſimulq; Ludouico Regi & Eliſabethæ Regin. Poloniæ, Ladislao Duci Oppolien. & Semouito Duci Maſouiæ, vt eos adducerent Ducibus Lituaniæ, vt veram fidem in qua ſaluarentur ſuſciperent ſcripſit, Prædicatoreſq; qui eos viam veritatis docerent, ſe velle deſtinare ſignificauit. 10. *Cal. Nouemb.*

XXXI. Mittit in Germ. ad cognoſcendam controverſiam de Marchionatu Brandeburg. ortam.

In Germania, inter Venceslaum Regem Boemiæ, & Ottonem Marchionem Brandeburgenſem, atq; Fridericum, Ioannem, Albertum, & Stephanum Duces Bauariæ, orta de Marchionatu Brandeburgenſi controuerſia, ad eam cognoſcendam, & Principes conciliandos, Gregorius, Agapitum Columnam Epiſcopum Vliſſiponenſem Nuncium ablegauit, inque eo negotio, tum Carolo Imperatori, tum Venceslao Regi, & Principibus memoratis, tum viris Illuſtribus qui eis fuerant à conſiliis, literas ſcripſit. 2. *Idus Martii.*

---

# IESV CHRISTI
## Annus 1374.

### GREGORII PAPÆ XI. ANNO 4. CAROLI IV. ROM. IMP. ANNO 19.

I. Greg. pro Orientali Eccleſia vigilat et pro reductione ſchiſmaticorum ad vnionem laborat. *Litera Greg. ad Palæolog. Imp.*

ORientalis Eccleſia, etiam hoc anno, vigilantiam Gregorii Pontificis deſiderabat. Qua in re? quamue ardua? Præſtat, ex ipſis litteris cognoſcere.

Ita habet ea, quæ eſt data.

Chariſſimo in Chriſto filio Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri ſalutem, &c.

*Circa tuam & populorum tuo Imperio ſubiectorum ſpiritualem & temporalem ſalutem, authore Domino prouenturam, & ad obſiſtendum impietati ſæuiſſimorum Turcorum hoſtium ſacri nominis Chriſtiani, meditatione paterna ſæpius cogitantes, ſuper vnione ipſorum populorum cum SS. Eccleſia Rom. matre & Magiſtra cunctorũ Chriſti fidelium, ſi forte eiuſdem vnionis aduenerit dante Domino facienda: & ſuper præſtando tuo culmini, & eiſdem populis petenti auxilio, contra dictos Turcos, per eandem Eccleſiam & Latinos; & quibuſdam aliis, quæ huiuſmodi ſalutem proſpiciunt, tibi plenius exponendis; viuæ vocis oraculo, dilectos filios Thomam de Bozolaſco Prouincialem Lombardiæ ſuperioris, & Barthol. Cherracii Fr. Prædicatorum & Minor. Ord. profeſſores in Sacra Theol. Magiſtros, necnon Bertrandum Froce & Heſſonem Slegibolez Neapolitanæ & Friburg. præceptoriarum præceptores Hoſpitalis S. Ioan. Hieroſol. Apoſt. Sedis Nuncios harum latores de noſtra intentione plene informatos, ad tuæ celſitudinis præſentiam deſtinamus, quib. ſuper his quæ Imperiali ſerenitati ex parte noſtra narrauerint, velis fidem plenariam exhibere.* Dat. 8. Cal. Aug. anno. 4.

Hos cum mitteret Gregorius, ſcripſit Simoni Archiepiſcopo Thebano, qui cum illis Conſtantinopol. iret, & negotiis commiſſis incumberet, Demetrio aũt Chidonii,





donii, Philippo Domicello, vniuerſis & ſingulis Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælatis, ac perſonis Eccleſi. ciuitatis Conſtantinop. nobilibus *viris* ac populis Cõſtantinopol, ac vniuerſæ Græciæ, Ioanni Cantacuzeno Ordinis B. Baſilii profeſſori: Poteſtati & communi terræ Peyræ, Franciſco Cathalucii Domino Inſulæ Metelini, Maximo Laſcari Abbati Monaſt. S. Diomedis Cõſtantinopolitano, & aliis Orientalibus Orthodoxis, vt reliquos ad vnitatem Eccleſiaſticam adducerent, commiſit: quod Turcarum impetus, magis à concordia fidei, quam ab armatis militibus & copiis, quas ſubmittere volebat, frangerentur. Gasbertus Cenetenſis Epiſcopus, à temporibus adhuc Clementis VI. multam operam nauarat, in ſchiſmaticorum Orientalium reuerſione ad Eccleſiam curanda. Fere nullæ literæ, Conſtantinopolim, ac in alias Orientis Prouincias à Sede Apoſtolica, in eo negotio reconciliationis Græcorum mittebantur, quas ille non diſpenſaret. Secretiora quoque conſilia tam Imperator Conſtantinop. quam Põtifices Rom. cum illo cõmunicabant: & quomodo refractarios Græcos ad vnionem reuocarent, & quibus modis res Chriſtianorum in Oriente afflictas ſubleuarent. In ea porro extrema, vnionis cura, tempore Vrbani V. & ſuccedentibus *annis* curata, quid hactenus ſit actum, quid Græci reſponderint, & per quẽ ſteterit, quominus, Imperatore Catholico, reliquo Græcorũ non eodẽ ſenſu fuerint, quidue opportunum ſit reliquo operi conficiẽdo, nemo melius ſciebat, præter ipſum. Itaq; vt omniũ eorum, & actorum, & agendorum, notas, vel Bernardo Bononienſi Epiſcopo, vel Raymundo electo Patauino mitteret, eum Gregorius admonuit. 14. *Cal. April.*

II. Valachi eiurato ſchiſmate ad vnitatem fidei redeunt.

*In Valachia*, magna pars populorum eiurato ſchiſmate Græcanico, opera Fratrum Prædicat. & aliorum Cooperariorum, ac Ludouici Vngariæ & Poloniæ Regis ad vnitatem fidei hoc tẽpore reuerterat, exemploq; aliis fuerat, vt reliqui ad idem ouile Catholicum redire cogitarint. Vnum oberat, quod Epiſcopum proprium nondum habebant, qui ex officio paſtorali, huic miniſterio aduigilaret, fere omnibus ex clero Vngaris Prælatis. Hortatus eſt Pontifex Strigonienſem & Colocenſem Archiepiſcopos, qui ex ſententia Regis, quid expediret ſaluti illorum populorum, decernerent. 4. *Id. Octo.*

Mittit ad Armenos qui eos quoque ad vnitatem reducãt.

Pro ſalute quoq; Armenorum ſchiſmaticorum procuranda, Ioannem Tauriſenſem Archiepiſcopum, & Epiſcopos Marragae. & Nachoanen. ac multos Dominicanorum ire iuſſit, eoſq; Duci Genuenſium, vt eos Peyræ, nauigio imponeret, commendatos fecit 14. *Calen. Maii.* Cum autem Ludouicus Rex, ad *Græcos* aduerſus Turcas iuuandos, non adeo feruens, vt prius, eſſet: eum Põtifex officii Chriſtiani admonuit. Miſeratis Auinionẽ, Stephanum Epiſcopum Zagabrienſem, & Petrum Zuder Banum *Sclauoniæ*, qui à Carolo Rege Galliarum (matrimonio, inter Ludouicum Secundogenitum Caroli, & vnam ex filiabus Regis Vngariæ, conciliando laboratum iuerat) reuertentes, apud Sedem Apoſtolicã, Ludouico Regi, poſt mortem Ioannæ Reginæ, Regnũ Siciliæ impetrarent: quod is Carolo Secundo Regi Siciliæ, ex patre Carolo Mortello illius filio, Rege Vngariæ, nepos, ius legitimum in illud Regnum ſe habere exiſtimaret. Poſt varias cum Oratoribus diſceptationes habitas, tandem Pontifex Ioannæ Reginæ ſcripſit, vt iurium ſuorum ſummam Auinionem mitteret, ex quorum cognitione, poſtulata Vngarica refelleret. 8. *Calen. Octobr.*

III. Hæreſes in Germ. ex lectione libri qui ſpeculum Saxonum dicitur ortas et alias à quodam Mallæſio diſſeminatas euellere conatur.

In Germania, hæreſes pullulabant, tum à lectione libri, cui titulus, *Speculum Saxonum*, tum à prædicatione, & ſcriptis Mallæſii Canonici Pragani. In illo libro, præter abſurda mendacia, plurimæ hæreſes ſcatebant, tãto pernicioſiores, quanto liber de legibus promiſcuis, omnium fere, & præſertim rudiorũ manibus tereretur. Iuſſit ea omnia Pontifex, ad libellam, examinari. Cumque damnatæ lectionis librum ignibus addixiſſet, Archiepiſcopis Moguntino, Treueren. Colonien. Bremẽ. Magdeburgen. Pragen. & Rigen. qui damnatum cunctis per Germaniam renunciarent; Carolo vero Imperatori, qui auxilium in conquirendis, exurendiſq; codicibus, tam *Epiſcopis*, quam Inquiſitoribus opem ferret præſcripſit *Idib. Octobr.* Mallæſius porro Canonicus Praganus, quod ſub ſpecie ſanctitatis, multos errores temerarios, iniquos & ſchiſmaticos, nec nõ hæreſes quãplures publicè euulgaret, iam que ſectam feciſſe, conquiſitis non paucis perfidię ſuæ ſectatoribus, videretur: Archiepiſcopo Pragano, & Epiſcopis Wratislauienſi, Lutomislien. & Olomucen. Pontifex, vt hæreticum ac ſectatores contumaces perſequerentur; Imperatori autem Carolo, qui eos & Inquiſitores iuuaret, commiſit. 4 *Idus Febr.*

IV. Encyclicas de ſuo in Vrbem reditu ſcribit.

Quod autem, anno ſubſequente, in Vrbem Romanam, Sedem referre decerneret, Imperatori, & Regib. Vngariæ, Siciliæ, & Trinacriæ, Ducibus Auſtriæ, & Bauariæ, Venetorum & Ianuenſium, ac omnibus Germaniæ & Italiæ Principibus, & Prælatis, renunciauit *Idibus Octobris*, Romanorum Senator, Magiſtratus & populus Pontificis præſentiam ardentiſſime flagitabant. Ob eam rem, ad Gregorium, Philippum Epiſcopum Tiburtinum, Iacobum Vrſinum Canonicum Baſilicæ Diui Petri, & alios tres Oratores illuſtres, ire iuſſerunt, qui poſcerent. Retulit poſtulationem illorum ad Senatum Purpuratorum Gregorius, & in ſpem eos aduentus ſui in Italiam erexit, ſi modo illi Deum precibus fatigarent, vt, inquit, votum noſtrum concurrens cum veſtro, circa præfatum acceſſum, ad ſui nominis laudem & gloriam dignetur miſericorditer adimplere. 6. *Idus Martii.* Interim autem, Vicarium Generalem Sacræ Romanæ Eccleſiæ, Guillelmum tituli S. Angeli Diaconum Cardinalem in Italiam deſtinauit, quod eius in rebus gerendis dexteritatem, Sedis Apoſtolicæ negotia deſiderarent.

V. Noui motus Tyrannorum in Italia reprimuntur.

Bernabouis Vicecomitis adiutorio, Guidus & Aſtor Ordelaffii, Fauentiam, Romanæ Eccleſiæ detraxerant. Aduerſus eos Cardinalis Legatus, monente Guillelmo copias duxit, & Fauentia breui recuperata, Aſtorem ſecuri percuti imperauit, Guidone fuga elapſo. *Cyprian. Manent. li. 3.* Vercellenſem ciuitatem Galeatius in maximum diſcrimen adduxerat, oppugnatione perpetua. Illi laboranti, Pontifex ſuppetiarum deſtinauit, Ottonem Marchionem Brunſuicenſem, qui vrbem ingreſſus, ciuibus animos auxit. Vicecomitum autem fregit: adeo vt hi Paulum Chriſtianum cum duobus aliis, ad Pontificem miſerint, pacem vel inducias poſtulatum. Inclinauit tandem Gregorius, & Guillelmo Cardinali Vicario poteſtatem fecit cum *eis* paciſcendi, vel inducias ſtatuendi. 7. *Idus Iul.* Cumque Vicecomites capitula nonnulla induciarum Sedi Apoſtolicæ proponerent, ea Gregorius, Ioanni Epiſcopo Aretino eiuſdem Sedis Apoſtolicæ in Italia Nuncio, & Amadæo Comiti Sabaudiæ examinanda miſit: permiſitque vt pacem vel inducias cum illis iniret, ſi ex re Eccleſiæ decernerent. 3. *Cal. Auguſt.*

Carolo tamen Imperatori, qui Albertum Ducem Auſtriæ, ab ineunda cum Galeazio (filiam eius deperibat) affinitate deterreret, & diuulgantib. anathematis; litteras aduerſus tyrannos Mediolanenſes, Pontificias, Notariis, Henrico de Hoſpitali, Franciſco Rodonzio, Maffeolo Surripano, & Ioanni Lucernenſi, auxilio eſſet, indixit. *p. 8. & 46.* miſſo ad eum pro grauiſſimis Eccleſiæ negotiis Nuncio, Thoma Amanato, Sacri Palatii Apoſtolici Auditore. *p. 18.*

VI. Pax inter Legatum Apoſtol. et Vicecomites initur. Dira Bernabouis in ſubditos car[nificina].

Ad extremum tandem, Nouembre menſe ineunte, agẽte Guillelmo & Cardinalibus Legatis, pax cum Bernaboue & Vice comitibus licet non ad vnguem inita eſt. A qua non mitior in ſubditos euaſit *Bernabos*, in fortunas & vitam miſerorum diſcinctus. Centum & amplius ex nobilitate, diuerſis cruciatibus excarnificatis, oculos erui, & furcis appendi imperauit. Innumerabiles alios facultatibus exuit, & in exilium abire coegit. Qui exactionibus ſoluendis non eſſent, eorum domus exuſſit.

NIFICINA ET TYRANNIS. Qui feram ſylueſtrem occidiſſet, eum diris tormentis extinguebat. Duos religioſos à crudelitate dehortantes, ignibus iniecit. Quinque millia canum Venaticorum, inter ſubditos, qui alerent diſtribuit. Qui extenuatos in luſtratione oſtendiſſent, vel nimium incraſſatos, bonorum publicatione; qui aſſignatos, mortuos edixiſſent, capite luebant. Aliquis leporem ligone occiderat, & Bernaboui eum amicus quidam, cui ſinitor clam dederat, dono obtulerat. Accerſitum miſerum, canibus laniandum dilacerandumque tyrannus obiecit, quod edicto non paruiſſet. Aliquem etiam Sacerdotem, caueæ ferreæ incluſerat & ignibus vſtulatum occiderat, neq; à violandis amicis ac familiaribus manus abſtinebat. *Corius hiſt. Mediolan. part.* 3. *Matth. Villani lib. 7. cap.* 43.

VII. Petrus Bituricenſis Sanctæ Mariæ Tranſtyberniæ Cardinalis, cum Ferrariæ ſubſtitiſſet, adque eum Comes Sabaudiæ, Nicolaus Gregorij Pontificis frater, Ioannes Haucath, Guido Polentenſis, Otto Brunſuicenſis Copiarum Eccleſiæ præfectus, Comes Gebennenſis Legati frater, veniſſent, ex eorum conſilio, cum Bernaboue & Galeacio, in duos annos ſtatuerat inducias. *Blondius decad.* 2. *lib.* 10.

VIII. GRAVES INTER FLORENTINOS ET SEDEM APOST. DISSENSIONES ET EARVM ORIGO. Quo tempore Vbaldinos, gentem nobiliſſimam Florentini oppreſſerunt, omnibus eorum Caſtellis in Apennino occupatis. Monebat illos Guillelmus Cardinalis, vt Vbaldinis ablata reſtituerent, & ſi quid iniuriarum eſſet, iure experirentur. Cæterum Florentini contempſerunt, & Guillelmo poſtea neceſſitatem impoſuerunt, vt Augutus, illo conniuente vel ſaltem impotente eis bellum inferret. Maxime etiam, quod ex pactis fœderibus cum Eccleſia, Eccleſiæ à Vicecomitibus laboranti auxilia non tuliſſent, quinimo Comitem Lucium in agrum Eccleſiaſticum graſſari cædibus & rapinis toleraſſent: adeoque pœnis, in ſanciendo fœdere decretis ſe obnoxios reddidiſſent. Ingenti tunc annonæ inopia, vniuerſa Italia, ſed præſertim Florentia premebatur. His frumentum ex agro Bononienſi petentibus, inprimis negandum eſſe duxit Cardinalis; ſiue quod etiam Bononienſe, & reliqua Eccleſiæ territoria indigerent, ſiue quod vlciſci Florentinorum audaciam perfidiæ coniunctam meditaretur. Iunio quoq; menſe agrum Florentinorum Augutus iterum ingreſſus, frumenta flaueſcentia voluit intercipere, aut cultoribus prohibere. quamquam irrito conatu. Namq; Florentini, Ducem pecunia corrupere.

Cum autem aliqui ex Pratenſibus per id temporis occulta de rebellione colloquia habuiſſent, Florentini re cognita, eos, quaſi Cardinali aures præbuiſſent, ſecuri percuſſerunt. Cardinalis iniuriam tam grauem vlturus, anathema in illos torſit, ac Vrbi ſacra abrogauit, Quæſitoribus Fidei facta poteſtate, qui in rebelles ditis deuotos aduerterent. Quod Florentini iniquius ferentes, Inquiſitoribus, leges libertati Eccleſiaſticæ aduerſarias præſcripſerunt, neue aduerſus ſontes quicquam grauius ſtatuerent, prohibuerunt, deinde octo viros bello aduerſus Cardinalem & Eccleſiam gerendo deſignarunt, militem ſcripſerunt, Libertatiſque nomine vexilla impreſſa, ad Vrbes Pontifici Romano ſubiectas miſerunt, ad res nouandas, Libertatemque capeſſendam inuitantes, & auxilia pollicentes. Primi Tifer-

PLVRIMAE VRBES ITALIAE AB ECCLESIA DEFICIVNT. nates præſidium Pontificium magna cæde profligarũt, Florentiniſque ſeſe dediderunt. Cardinalis cumprimum rebellionem Tifernatum intellexiſſet, Peruſio copias eduxit: parum tamen abfuit, quin à Paruſinis rebellibus violaretur, niſi inter tumultum exortum in arcem confugiſſet. Horum exemplum Tudertini ac Spoletani ſecuti, ab Eccleſia defecerunt. Foroliuienſes & Aſculani eadem fecere. Viterbienſes quoque multo poſt Florentinis adhæſere. Bononienſes, Ioanne Auguto vrbe, ad ſuccurrendum Granaroliæ arci egreſſo, portas clauſere, copiaſque interim Florentinorum admiſere.

Qua clade Pontifex audita, communicato cum Auguto & alijs conſilio, Carolum Ducem Duratij Ludouico militantem, ex Vngaria accerſiuitatque, à non multo poſt aduolauit, operæ pretio nullo facto, à Florentinis pecunia numerata. *Bonicontr. in Annalibus Blondus dec.* 2. *lib.* 10. *epiſt. ſecret. huius & ſequentis anni.*

IX. SPINELLO POTESTATEM FACIT GREG. CŌTRAHENDI FOEDVS CVM QVIBVSVIS CŌTRA HOSTES ECCLESIAE. Honoratus Comes Fundanus, calamitate Eccleſiæ Romanæ permotus, volebat tunc Auinionem concedere, & Pontifici conſilia communicare. Inuitauit illum Gregorius, qui veniret; ſi modo id illi non incommodum foret. *III. Non. Octobr.* Nicolaus Spinellus Regni Siciliæ Cancellarius, pro Ioanna Regina, in Prouincia Prouinciæ Seneſchalus, plurimum commodabat Eccleſiaſtico exercitui, contra hoſtes Eccleſiæ. Iſtud vt in poſterum longe efficacius præſtaret, Pontifex ei edixit, vt nomine Apoſtolicæ Sedis, Reginæ Ioannæ, & Principum confœderatorum, inducias cum Friderico Marchione Saluciarum iniret. 17. *Calend. Iun.* deinde eidem poteſtatem fecit fœdus contrahendi eodem nomine, cum quibuſcunque Chriſtianis Regibus, Principibus, nobilibus, Baronibus, Terris, Caſtris, & vniuerſitatibus, pro eo tempore, & termino, & cum illis pactis & conditionibus, quibus expedire iudicaret; dummodo Carolus Imperator, & cæteri Romanæ Eccleſiæ ſocii, non excluderentur. *Calend. Decembr.* Cumque Interamnates, Hortani, Reatini, Monte Faliſcani, nec non plures alij ad Patrimonium Diui Petri pertinentes in Tuſcia, Geraldi Abbatis maioris Monaſterij, Vicarij Apoſtolicæ Sedis Imperio parere recuſarent, ad eos coercendos, ſtatumque earum ciuitatum reformandum, Gregorius, Spinellum deſtinauit, donec Petrus tituli S. Euſtachij Cardinalis, in Etruriam Vicarius Generalis dimiſſus adueniret. *Cal. Decemb.*

X. NVNCII EX HISPANIIS AD PŌTIF. NAVARRAEO SVPER MORTE CARDIN. PORTVEN. ET A CASTEL. REG. PRO CONFIRMAT. PACTORVM INTER REG. CONVENTORVM. In Hiſpanijs, inter Caſtellæ, Aragoniæ, Luſitaniæ, & Nauarræ Reges, Guido Cardinalis Portuenſis, Gregorij Pontificis Legatus, pace ſtabilita, diem clauſit extremum. Carolo Nauarræo Regi imponebatur, quaſi is hominem veneno extinxiſſet. Quam rem cum Rex ſciret non clam eſſe Pontificem, Oratores miſit, qui innocentiæ ipſius teſtimonium apud Sedem Apoſtolicam ferrent. Henricus quoque Caſtellæ Rex alios ad Gregorium ablegauit, qui pactorum inter Reges conuentorum confirmationem obtinerent. 14. *Cal. Martii. &* 10. *Cal. Iul.*

XI. ANNALES INTER ANGL. ET GALL. REGES INDVCIAE. Inter Galliarum & Angliæ Reges de pace concilianda, Brugis cõuentus indictus eſt, hoc anno. Adfuit magna frequentia nobilitatis, Archiepiſcopus Rauennatium & Epiſcopus Carpentoracenſis Gregorij Pontificis Legati, Ducis Burgundiæ & Andegauorum Epiſcopus Ambianorum electus, Vellocaſſium Comes Salleburſius. Ex Anglis Ioannes Dux Lencaſtriæ, Epiſcopus Lundunenſis, Comes Saleberienſis, Aymundus Cantabrigius. Hic multa & varia quanquam de pace habita ſint colloquia, nihil attamen conuenit. Volebat Anglus Aquitaniam libere poſſidere, cum omni eius ſummo Imperio, quod quidem Imperium Gallus illi cedere, nullo modo ſuſtinuit. Annales duntaxat compoſitæ induciæ, maxime in Atrebatibus viciniſque locis & gentibus, à Calendis Maij vſque ad Maium anni inſequentis.

XVI. ALEXAND. SPIERINC QVOMODO DIVINITVS PERIERIT. Quo tempore in Belgio viuebat Alexander Spierinc Philippo Duci Burgundiæ & Comiti Flandriæ à Conſiliis, hac inſigni poſt ann. XXVIII. vindicta diuina extinctus. Præturam ſeu vindicias rerum capitalium in Flandris exercebat. Cum autem quendam reum abſque iuſta cauſa (vt reus dicebat) capite plecteret, citatus ab illo eſt intra dies octo ante conſpectum Dei. Cum autem octauo poſt die apud Tiletum, vbi habitabat, pila luſiſſet, inter confabulandum, *eram*, inquit, *vocatus ab illo reo intra octo dies ante thronum Dei: & ecce hodie octauus adeſt dies, & videtis me adhuc incolumem.* Vix hæc locutus erat, cum in grauiſſimum incidit morbum, & mortuus eſt, priuſquam idem ille octauus dies terminaretur. Quæ res tanto miraculo ac ſtupori omnibus





fuit, vt etiam in hæc tempora eius perſeueret memoria. *Annal. Flandr. lib.* 13.

XIII. MANIACA PASSIO S. IOAN. CHOREA DICTA MVLTOS INFICIT IN GERM. INFER. Quo etiam anno, ſcilicet iſto 1374. in inferiore Germania, Maniaca paſſio (quam S. Ioannis choream appellant) multos homines infecit. Hæc viros & mulieres, iuuenes & virgines, profugos & inſanos ex patria & cognatione eiecit, qui primũ in terram cadentes ſpumabant, poſtea ſurgentes vſque ad defectionem ſaltabant, donec fortiſſima ligatura ab alijs ſtringerentur. Ex ea occaſione multæ deceptiones fiebant. Nam plures, vt vel pecuniam mendicando perciperent, vel luxuriam ſuam explerent liberius, morbum fingebant. *Chron. Sponheim.*

Auctor Magn. Chron. Belg. hæc narrat, de eis. *In menſe Iulio*, inquit, *in craſtino diuiſionis Apoſtolorum, viſi ſunt chorizantes: qui poſtea venerunt Traiectum, Leodium, Tungrim & ad alia loca partium illarum in menſe Septembri. Et cœpit hæc*

DE HVIVSMODI MANIACIS. *dæmoniaca peſtis vexare in dictis locis & circumuicinis maſculos & fœminas, maxime pauperes & leuis opinionis, ad magnum omnium terrorem. Pauci clericorum vel diuitum vexati ſunt. Serta in capitibus geſtabant; circa ventrem & vmbilicum mappa ſe ſtringebant. Poſt ſaltationem cadentes nimium torquebantur, adeo vt medii crepare viderentur, niſi ſtringerentur, vel pedibus calcarentur. Eccleſias & cœmeteria chorizando occupabant: roſtra calceorum exhorrebant. Inter hos nonnulli à ſpiritu maligno vexabantur. Quidam ex eis Symbolum Apoſtolorum cum dixiſſet, curatus eſt. Super alterum Canonicus quidam, verba Euangelii: In principio erat verbum proferens, à dæmonio tum liberauit. Alios complures, alii exorciſtæ, Leodii perſanarunt*, M. Chron. Belgic.

XIV. QVAE IN CŌVENTV BRVGENSI PRO CONCORDIA INTER REGES ET POST ILLŪ SVCCESSERINT. Quod ad Conuentum, Brugis, pro concordia inter Reges indictum attinet, multa in eo Legati, Pontificis nomine coram pronunciarunt, quamobrem ab armis mature eſſet diſcedendum; multaſque propoſuerant conditiones, quas vterque princeps & dare & accipere deberet, idque multis verbis. Atqui animis commotis nihil videbatur æquum, vt quibus illud certum ſtaret, armis controuerſiam definire. Ac ita deſperato negotio, Legati, ad Pontificem redierunt. Edouardus Rex, Londini, ſuorum principum concilio habito, vt Epiſcopos & Prælatos ad contribuendam in milites pecuniam tanto facilius alliceret, illis iureiurando promiſit, per ſe non ſtaturum deinceps, quominus eſſet integrum, optare ſibi quos vellent Epiſcopos, alioſque præfectos: atque idem à Romano Pontifice concedendum, curaturum. Ita Patres, ex eius animi ſententia, pecuniam ad neceſſarios belli ſumptus faciendos imperarunt: cuius magnam partem Sacerdotes ſoluerunt, collato ex decima tributo. Tum enim primum anni fructus omnium poſſeſſionum Ordinis ſacerdotalis æſtimati ſunt, ac ſecundum eam æſtimationem, poſtea Sacerdotes, cum Romano Pontifici, tum Regi, permittente Pontifice, decimas ſoluerunt; cum antea quiſque ex decima vectigalium, quæ in ſingulos annos caperet, tributum conferret, quo anno Guillelmus Cantuarienſis Antiſtes mortuus, ſucceſſorem accepit Simonem ex Londinenſi Epiſcopio, non ſacerdotum ſuffragiis deſignatum, ſed Pontificis Romani authoritate translatum.

GREG. AGIT CVM EDVARDO REGE VT DECRETŪ CŌTRA AVCTORITATEM PŌT. LATVM TOLLERET. In eodem Comitio Edouardus decreuerat, ne quis impoſterum Anglicana Sacerdotia, à Romano Põtifice acciperet, aut cauſas, niſi per appellationem, ad eundem deferret. Cui decreto Gregorius Pontifex, vt par erat reclamauit, illud dicens; nihil eſſe hoc aliud, quam Chriſtianam Eccleſiam diuidere, religionem exinanire, ius faſque delere, ac concilia omnia deniq; reſcindere. Itaq; cum Edouardo egit, vt legem eam tolleret, neue poteſtatem Pontificiam iure diuino ſanctam, minueret. *Polydor. hiſtor. Anglic. lib.* 19.

XV. DE IAROSLAO ARCHIEPISC. GENESNĒSI ET EIVS PRAECLARIS GESTIS PRO BONO ECCLESIAE. In Polonia, Iaroſlaus Archiepiſcopus Gneſnenſis, Ziemouitum Maſouiorum Ducem Eccleſiaſtico interdicto perculit, eoque adegit, vt duorum pagorum donatione ipſi ſatisfaceret; pro eo quod Petraſſius Chriſtini Palatini Plocenſis filius, bona eius Eccleſiaſtica in Maſouia, iubente vel certe conniuente Ziemouito latrocinio infeſtaſſet, vexaſſetque. Nec multo poſt ſenio confectus & oculis captus Iaroſlaus, cum ſupra triginta annos Archiepiſcop. fuiſſet Nicolao Coſſutouio Præpoſito Gneſnenſi propinquo ſuo Archiepiſcopatũ cõcedere ſtatuerat. Sed cum is improuide ſine Regia cõmendatione, & Collegij Gneſnenſis conſenſu, Auinionem ad Gregorium VI. Pont. Max. ea de re ſe contuliſſet, infecto negotio rediit inanis. Neque tamen Iaroſlaus dimittẽdæ Archiepiſcopæ cogitationem depoſuit; ſed Ioannem Suchyuilcum, iuris canonici Doctorem, ſororis filium, ſucceſſorem ſibi legit. Verum is quoque pluſculum negotij in conficienda re habuit, palam cõmendante, & clam impediente eius cauſam apud Gregorium Pontificem Ludouico Rege. Ad extremum tandem, noua Regis commendatione, & Collegij approbatione adiutus, voti compos factus eſt. Iaroſlaus vero, Pomeranicis & Opatouicenſibus poſſeſſionibus, ac decimis in ora Caliſſienſi, indulgentia Põtificis Maximi ad vſum ſuum retentis, in Landenſe Monaſterium ſeceſſit, & biennium fere ibi exegit. Deinde pertæſus Monaſterij Caliſſiam commigrauit; vbi intra annum vertentem, vita exceſſit. Permultum hic Archiepiſcopatum amplificauit, & ornauit. Nam Louiciam, Opatounicum, Vneouiam, & Camenum arces condidit: Aulas Archiepiſcopales Gneſnæ, Lenciciæ, Veluni, Caliſſiæ conſtruxit. Louicienſes reditus primus ita auxit, vt cum antea cenſus duas marcas non excederet, tunc ad octingentas perueniret. Ædificauit etiam templ. Gneſnæ, Caliſſiæ, Cureloniæ, Opatouici & Vneouiæ; vbi & Collegium Sacerdotum inſtituit, & monaſterium Benedictinis condidit, ac Tinecenſis Abbatis iuriſdictioni id ſubdidit. Dotauit idem nouam parœciam in oppido nouo Crepicienſi, rogatu Caſimiri Regis. Atque ob eam rem, iuriſdictionem ſibi poſteriſque ſuis Archiepiſcop. in ea paræcia, in Cracouienſi diœceſi ſita, vſurpauit, conniuente Bozenta Epiſcopo Cracouienſi, qui dotare eã noluit. Iſtiuarta enim amnis; eo loci Gneſnenſem & Cracouienſem diœceſis dirimit. Memoratur etiam de eo illud excelſi animi facinus, quod cum iuuenis adhuc Bononienſis Academiæ Rector eſſet, trãſtulit inde Academiam ſua authoritate, propter Anglum quendam ſcholaſticum à Magiſtratu Vrbis capite plexum. nec prius eam reſtituit, donec pro cæde Angli ſatisfactum eſſet. Fertur autem Iaroſlaus mandaſſe moriens, vt cadauer ſuum, non oſtio, ſed pertuſo pariete in Baſilicam ſepeliendum inferretur, quod non rite, neque ordine, Archiepiſcopum ſe factum diceret. *Cromerus de reb. Polon. li.* 13. Tanta, & tam ingentia, pro bono Eccleſiæ, fecit Iaroſlaus; ſiue vt factum, in ingreſſu ad eam dignitatem admiſſum, aliqua ſatisfactione dilueret; ſiue quod non haberet altiorem in Polonia gradum, quem exambiret.

XVI. PESTE INGVINARIA AD MORTĒ LABORANTES PRECIBVS B. CATHERINAE SENEN. SANITATI RESTITVVNTVR. Hoc anno, peſtis inguinaria, Senas vaſtauit. quo tempore F. Raymundus Capitanus, qui S. Cather. Senen. à confeſſionibus fuerat, nõ ſine præſenti vitæ diſcrimine, ea peſte laborantibus, ne ſine confeſſione decederent, miniſtrauit. Ibi in domo quam S. Mariæ de miſericordia vocant, Matthæus præfectus vir vitæ venerabilis & integerrimæ ea peſte correptus, cũ morte luctabatur. Maxima in reuerentia, Catherinam Virginem, propter ſanctitatem vitæ habuerat. Ea cũ hominem decumbere didiciſſet, ad viſitandũ profecta, ad hominem eminus exclamauit *vt ſurgeret, quod non eſſet tempus molliter in lecto cubandi.* Miraculum ſecutũ. Nam ad verbũ, *Surge Matthæe*, is ſanus & incolumis ſurrexit, apoſtemate diſcuſſo, & peſte depulſa. Indidem, anachoreta quidam re & nomine Sanctus, poſtquam peſte percuſſus, ad domũ miſericordiæ è cellula delatus, mortẽ expectaret, à verbis Catherinæ, quæ dixerat, *Ne mortẽ timeret, quod hac vice non moreretur*, animatus, cum morte colluctabatur. Cumq; morb. ingraueſceret, & mors iam iam adeſſet, atq; Catherina dixiſſet; *Ego tibi præcipio in nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ne migres à vita*: illa e veſtigio ſe erexit, breuiq;

temporis ſpatio adeo curatus eſt, vt ſuperuixerit multis annis. Raymundus quoque Capuanus in ſancto opere occupatus, & peſtifero apoſtemate affectus de vita periclitabatur. Admouit illius capiti Catharina manus flexiſq; genibus pro illo orauit. qua hora, cum virgo in exceſſu mentis eſſet, ſenſit æger ex corporis ſui extremis partibus tanquam violenter quippiam extrahi, ſenſimque melius ſe habere, adeo, vt antequam ſacta virgo ſibi eſſet reſtituta plane curatum ſe experiretur. F. quoque Bartholomæus Dominici, ſocius Raymundi Patris, eadem peſte & acrius & diutius oppreſſus, Sanctæ Virginis precibus reſtitutus eſt. *Surius in vita S. Catherinæ Senen. ex Raymundo Capuano.*

# IESV CHRISTI
## Annus 1375.

### GREGORII PAPÆ XI. ANNO 5. CAROLI IV. ROM. IMP. ANNO 20.

I.
CANTACVZENVS EX IMP. CONSTANT. PRO SEDIS APOST. PRIMATV STRENVE ADLABORAT.

SI quis alius, ad vnionem Romanæ Eccleſiæ reuertentium, Ioannes Cantacuzenus ex-Imperator Conſtantinopolitanus, D. Baſilij inſtitutum profeſſus, pro Sedis Apoſtolicæ Primatu adlaborauit. Id vnicum, vel vnicum, Græcos ſchiſmaticos rudiores torquebat; an Pontifex Romanus, Superior omnibus Patriarchis, etiam Conſtantinopolitano, ab inſtitutione diuina eſſet. Cantacuzenus, extra omnem controuerſiam iſtud fore conſtantiſſime aſſeuerauit; nempe Eccleſiam Romanam, Matrem, Pontificem vero Romanum Patrem Patrum, atque Paſtorum omnium, quotquot ex grege ſupremi Paſtoris, ſiue ſint oues, ſiue Agni, ſiue ſimpliciores populi, ſiue Capita Populorum, non tantum Imperiali faſtigio, verum etiam Pontificali dignitate inſignia eſſe. Laudauit Gregorius, ingenuam viri Orthodoxiam, iſta quam adiungo epiſtola.

II.
EPIST. GREG. AD CANTACVZ. QVA INGENVAM EIVS ORTHODOXIAM LAVDAT.

*Ioanni dicto Cantacuzeno Ordinis S. Baſilii profeſſori, gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futuro.*

*Inter deſideria cordis noſtri illud noſcitur eſſe præcipuum, vt in commiſſo nobis Apoſtolatus officio, id agamus ſolertius, & agi per alios, noſtræ ſollicitudinis ſtudio procuremus, quod Saluatori noſtro Dn. Ieſu Chriſto (cuius licet indigni vices exercemus in terris) æſtimamus acceptius, pluribus animabus ſalubrius, fidei Catholicæ defenſioni validius, & expedientius tutelæ populi Chriſtiani. Et cum tantorum bonorum aſſecutionem indagine diligenti perquirimus, ea in vnione Latinorum & Græcorum (quos vna fides coniungit, ſed ſchiſma damnabile ſeparat,) confidimus inueniri. Propterea que, cum ſentimus aliqualem diſpoſitionem vnionis huiuſmodi, lætantes in Domino, optatam viam tutiores ingredimur, cuius patentiorem aditum inuenimus, ſperantes in illo qui dixit, Quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis, quod fructum noſtræ charitatiuæ inquiſitionis, cum eius gratia ſortiemur. Sane quia Venerabilis Fr. noſter Ioannes Epiſcopus Taruiſienſis lator præſentium nobis expoſuit, quod in quadam diſputatione quam nuper tu, & quidam alii Græci, tam Prælati, quam alii cum quibuſdam Fratribus Ordinis Prædicatorum quos ad partes Armeniæ maioris ad conſeruationem fidelium, & conuerſionem infidelium dictarum partium mittebamus, ſuper his, in quibus Græci à Latinis diſcordare noſcuntur, in Ciuitate Conſtantinopolitana habuiſtis, non immemor verbi Saluatoris noſtri qui dixit B. Petro, cuius ſumus diuina permiſſione ſucceſſor, Tu es Cephas ſponte confeſſus es, te credere & tenere Sanctam Rom. Eccleſiam, quæ mater eſt omnium fidelium, & Magiſtra, ſuper omnes Orbis Eccleſias obtinere Primatum: & quod ad hoc defendendum ſi expediret, morti exponeres corpus tuum: cuius quidem Epiſcopi vti fide digni relationi huiuſmodi, nos fidem indubiam adhibentes, quamplurimum ſumus de dicta confeſſione lætati, agentes Deo gratias, qui cordi tuo eſt dignatus infundere, vt verbum tam bonum tamque ſalutiferum eructaret. Cum enim huiuſmodi Primatus negotio olim præſumpta per Græcos eoſdem diſſidii Latinorum & ipſorum Græcorum fuerit cauſatiua, & conſeruatiua ſchiſmatis ſubſecuti, tuque prout fama publica prædicat ſis vir magna prudentiæ, morum grauitate conſpicuus, dono ſcientiæ redimitus, ac ex his & Imperiali celſitudine qua claruiſti conſtitutus in ſæculo, omnibus populis eorundem Græcorum venerandus, imitabiliſque exiſtas; ſperamus in Deo, qui tibi tam ſalubris confeſſionis, tanquam laudandi primordii largitus eſt gratiam, quod effectu obedientiæ & concordandi cum dictis Eccleſia & Latinis, in aliis in quibus hactenus diſcordaſti, donum pretioſius largietur. Nec ſi voles, ſolus accedes ad arcam Domini, ſed innumerabiles manipulos præſentabis eidem. Ideoque prudentiam tuam inſtanter requirimus & rogamus attentius, quatenus cum poſſis eſſe promotor præcipuus vnionis præfatæ: pro ea, vt ſit vnum ouile, & vnus paſtor, & inconſutilis tunica Domini non ſcindatur vlterius, & non pereant animæ in ſchiſmate conſtitutæ, glorioſus ſtatus Græcorum præfatorum, qui poſt ſchiſma iam dictum miſerabiliter corruit, Dei & prædictorum Eccleſiæ & Latinorum opitulatione reſurgat, exaltetur fides Catholica, & infidelium perfidia confundatur, velis totis tuis niſibus laborare: ac ob reuerentiam Dei, ac Apoſtolicæ Sedis & noſtram, tam Latinos ſpecialiter religioſos quam Græcos habitantes in ciuitate præfata, & dictæ Sedis magiſterio intendentes, ne lædantur in perſonis vel bonis, ſicut iam læſi dicuntur, tuis præſidiis confouere. Ceterum ſi ſuper tractãda vnione præfata, ad præſentiam noſtrã in Vrbe Romana, ad quã Deo præuio ire diſpoſuimus in autũno proxime ſecuturo accederes, id multum haberemus acceptum, teq; iocundis obtutibus videremus, ſperaremuſque tecum in vnione præmiſſa vtilem ordinem adhibere.* Dat. Auinion. V. Cal. Febr. Anno Quinto. Hæc Pont. Cantacuzeno ſcribebat.

III.
SCRIBIT IMP. PALÆOLOGO VT GRÆCIS OB SCHISMA EIVRATVM BENEFICIIS ET BONIS PRIVATIS ABLATA RESTITVI IVBEAT, ET NE TVRCIS NIMIVM FIDAT.

Cæterum, cum nonnullæ perſonæ Eccleſiaſticæ & Sæculares Ciuitatis Conſtantinopolitanæ, diuino lumine illuſtratæ, relicto ſchiſmate in quo damnabiliter hactenus perſtiterant, ad gremium eiuſdem Eccleſiæ ſalubri cõuerſione fuerint reductæ id temporis; & propter hoc ab aliis in ſchiſmate remanentibus, dignitatibus, beneficiis, locis, & bonis alijs ſpoliatæ, proſcriptæ, & pœnis multiplicis perſecutionis afflictæ fuiſſent; ſcripſit Pontifex Emanueli Palæologo Imperatori Græcorum, vt iuberet reſtitui ablata, & reuocare proſcriptos, atque in poſterum Catholicos defenderet Imperialis brachio poteſtatis. Admonuit pariter, ne Turcis nimiũ fideret, quibuſcum Ioannes Palæologus pater inducias feciſſet: quod illi in non parua multitudine Conſtantinopolim intrare, in illaque nonnulla enormia patrare præſumerent. *Auinion. V. Cal. Febr.*

IV.
ANIMATA SE IN ARMENIAM ABLEGATOS PRO CONVERTENDIS GENTIBVS.

Intellexit tunc Pontifex, ex Ioanne Epiſcopo Taruiſien. Conſtantinopoli Auinionem reduce, quid Maragaen. & Nacchoanen. Epiſcopi, cæterique Fr. Ordin. Prædicatorum, in Armeniam conuertendis gentibus à Sede Apoſtolica ablegati, tum Peyræ, tum Conſtantinopoli, diſputationibus pro erroribus ſchiſmaticorum retegẽdis, publice inſtitutis profeciſſent, & quam multos procerum, ac Prælatorum, & inter hos Ioannẽ Cantacuzenum, de Primatu Eccleſiæ Romanæ, deq; cæteris Catholicis dogmatibus rectius ſapere docuiſſent. Quamobrem ſcripſit eis Gregorius, vt in ea cultura vineæ Dominicæ perſeuerarent, neque Conſtantinopoli pedem efferrent, donec deſiderata, omnium cum Eccleſia vnio conficeretur. *Idib. Februar.* Præfectus mercatorum indidem Venetus, ex ſententia Conſilij, dicauit tunc Prædicatoribus Conſtantinopoli Oratorium S. Marci titulo, vna cum area non contemnenda, Cœnobio Dominicano extruendo. Quam donationem, vt Dux, Senatuſq; Venetiarum probaret, ſcripſit illis Gregorius. *V. Cal. Febr.*

V.

In Italia, ex Diuæ Brigidæ vaticinio, ingens vrbium Sedis Apoſtolicæ à Romano Pontifice ſeceſſio, hoc anno adoleſcebat, concitatoribus Florentinis. Gaſparem Vbaldinum, Iacobum Spinolothum gentis Tholomææ, & Ioannem Barbiani Comitem, nec non reliquos eorumdem gentiles, temere oppreſſerant. Hi facto vnanimi conſenſu, Guillelmi Cardinalis Legati, deinde Summi Pontificis opem implorauerant, ſeque in poteſtate Eccleſ. Romanæ futuros ſpoponderant,





Iſtud porro vt facerent, cum illos Gregorius, *X Cal. Iul.* admonuiſſet, grauiter Florentinos offendit; quaſi is ad dominium Etruriæ aſpiraret. Auxit opinionem illorũ, quod Geraldus Abbas Monaſterij Maioris Nuncius in Italia, concordiam inter Aretinos & Caſtillioneos, videretur impedire; & Salimbenijs, aduerſus Senenſes fauere diceretur: vnde illi certo certius Pontificem Etruriæ imminere exiſtimabant. Acceſſit & iſtud, quod Augutus, cum primum ſtipendia, à Legato, pro nauata aduerſus Vicecomites opera accepiſſet, necquicquam ſciente Guillelmo, copias in agrum Florentinũ duxit, nec niſi pecunia à Florentinis numerata, vim ab eis militarẽ prohibuit. Iſtud Florentini, in Guillelmum reiiciebant, quaſi ipſo auctore calamitatem paterentur. Florentia quoque annonæ charitate laborante, quamquam Pontifex poteſtatem eis feciſſet, frumentum ex agro Bononienſi extrahendi; Geraldus tamen Abbas, Pontificiæ voluntati ſatisfacere non omnino potuit, quod Bononia quoq; & aliæ Vrbes opus haberent *ex litteris Gregorii V. Idus Ianuarii, & IV. Non. Febr.* Et iſtud quoque nonnihil Florentinos mouit, quod Pontifex, cum Bernaboue Inducias ſtatuiſſet. Itaq; & fame, & bello ſe peti opinantes, aduerſus Eccleſiam ſeſe erexerunt, multaque indigna admiſerunt: cum etiam antea ſuperioribus menſibus huic rebellioni præluſiſſent, eaq; patraſſent, quæ illis Gregorius exprobrabat, ſcribens quæ adiungo:

FLORENTINI EX FALSIS OPINIONIBVS ADVERSVS ECCLESIAM SE ERIGVNT

VI.
EXPROBRAT FLORENTINIS GREG. REBELLIONES IPSORVM.

*Poſtquam inquit vos, de auxilio, aut vigore colligationis quam habebatis cum Romana Eccleſia, aut gratuito, aut mutuo impendendo eidem Eccleſiæ contra ſuos & veſtros hoſtes, qui ſtatum veſtrum & Tuſciæ interdum tractatibus, & interdum manifeſtis aggreſſibus, cõtra pacta vobiſcum & cum aliis Tuſcis inita infidelibus motibus perturbarunt, tam per literas, quam per Nuncios noſtros ſæpius, vt colligatos, & filios requiſiuimus confidenter; etiam cum iidem hoſtes in noſtro Bononien. territorio cædibus, rapinis & incendiis hoſtiliter inſiſtebant: nonnulli ex vobis, vt ſæpius & à pluribus fuit aſſertum, oblocutiones inhoneſtas, & fictas ſuſpitiones omnimoda veritate carentes aſſeruerunt haberi; dictamque Eccleſiam matrem veſtram, reliquiſtis in graui bellorum diſcrimine inadiutam, & per hoc indirecte aliorum Tuſcorum auxilium ſubtraxiſtis. Non tamẽ ſic egit erga vos dicta Eccleſia, quæ non obſtantibus ſuis guerris, quas pro magna parte reliquit, vobis contra hoſtes eoſdem, veſtris appropinquantes confinibus, quantum potuit magnificum gentium armigerarum auxilium deſtinauit: voſque cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Romanorum Imperatore ſẽper Auguſto, cum multa affectione & ſollicitudine concordauit. Nuper etiam de Tuſciæ, ac Lombardiæ, Mediolani & aliis partibus, noſtro eſt Apoſtolatui à diuerſis fidelibus reſeratum, quod vos, ſeu, vt agatur occultius, aliquæ ſingulares perſonæ, veſtrum tractatum habebatis cum hoſtibus prælibatis: quod tamen vix credere potuimus, cum tam execrabilis exceſſus denigraret indelebiliter famam veſtram, & vos à veſtra deuotione antiqua, ſine iuſta cauſſa degeneraſſe probaret, ac effectos eſſe filios alienos. Fertur etiam voce communi, quæ ex aliquibus ſignis videtur ſumpſiſſe radicem, quod de noſtro aduentu ad partes Italiæ doleatis. de quo ſatis mirandum exiſtit, cum exinde alii populi Tuſciæ & aliarum partium iocundentur: & vos, & ipſi, de illo, quietem, & pacem, ac protectionem & conſeruationem libertatis ſperare merito valeatis, & Principes ac populi citramontani de noſtra & Curiæ prædictæ vicinitate lætentur, & nimis doleant, quod de his partibus recedamus,* Idibus April. Auinione. Poſtquam iſta, & plura alia Florentini in Pontificem admiſiſſent, & monitorem Gregorium contempſiſſent, addiderũt & hæc reliqua, quæ Gregorius opponebat.

VII.
PROSEQVITVR GREG. PP. SVAM CONTRA FLOR. EXPROBRATIONEM.

*Vniuerſitas veſtra inquit falſis ſuggeſtionibus concitatæ, contra nos, & dilectum filium noſtrum Guillelmum S. Angeli diaconum Cardin. in nonnullis terris Romanæ Eccleſiæ pro nobis & Eccleſia ipſa in temporalibus Vicarium Generalem, in querelas & verba contumelioſa prorumpit, Deũ cuius vices in terris gerimus, præfatamque Eccleſ. cui licet immeriti præſidemus, ipſamque incorruptam veritatem lædere non verentes. Non conſiderant miſeri ſeductores ſeminatores ſcandalorum, quam grauiſſimis peccatis ſe alligant, quantoque animarum periculo ſe ſubiciunt, volentes diuellere filios à complexu matris, & procurantes eos à recta & ſolita via in deuium vertere, vt in præcipitium illos immergant. Neque circumſpiciunt, quod dati ſunt in reprobum ſenſum, quot mala quot & quanta pericula irremediabilia, & horrẽda, prudenter illa cogitantibus, ex eorum zizania ſequi poſſunt. Vnde autem tanta elatio, tantaque ſuperbia eiſdem ſeductoribus proueniat, niſi ab eo qui per ſuperbiam de cœlo cecidit? Comminantur, vt accepimus, terras noſtras & Eccleſia præfatæ ſubuertere, & ſecum inimicis Eccleſiæ colligare. Quid autem eſt, quod vos libertatem Eccleſiaſticam tyrannice contemnentes, impoſitiones & tallias enormiſſimas, Clericis perſoniſque Eccleſiaſticis, etiam Prælatis, & Epiſcopali dignitate fungentibus imponere, bonaque ipſorum propterea recipere, & nonnullos ex eis etiam perſonaliter capere, Epiſcopalem Curiam Florentinam inuadere, ac Notarios & familiares Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Florentini, ab ipſius Epiſcopi & Curiæ ſeruitio remouere; multoſque ex dictis Prælatis & Clericis, vituperiis & contumeliis, & grauibus iniuriis & offenſionibus afficere. & quod horrendum nimis & inſolitum factum eſt, ad bona Eccleſiaſtica vnius, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui ex patria veſtra originem traxit, & qui non deſinit pro vobis fauorabiliter operari, manus extendere, in Apoſtolicæ Sedis contemptum, & graue animarum veſtrarum periculum præſumpſiſtis. & quod deterius eſt, imo abominabilius, & horribilius, quendam Monachum in ſacerdotio conſtitutum, in euidenti & apparenti habitu & tonſura trucidari, & viuum ſepeliri feciſtis. Linguas veſtras in falſam diffamationem præfatæ Eccleſiæ dictæque Sedis, & totius Ordinis Clericalis temere profanantes, & non verentes pœnas excommunicationis, & interdicti, & alias quas propterea incurriſtis. Hæc profecto à nullis tyrannis, quantumcunque ſæuientibus bellis, etiam contra eandem Eccleſiam reperimus attentatæ: vos ipſi perquiratis & in medium, tyrannorum crudelium hiſtorias proferatis.*

VIII.
MONET PATERNE GREG. FLORENT. VT AD COR REDEANT. CALVMNIASQVE CÕTRA SE ET LEGATVM SVVM IMMENTITAS ET CONFICTAS REFELLIT.

Monebat proinde illos Pontifex, qui ad cor reuerterentur: neq; grauius adhuc quicquam in eos ſtatuebat, quinimo tantũ ſeſe demiſerat, vt eis innocentiam ſuam, & Guillelmi Cardinalis oſtenderet, ſuſpicionumque materiam friuolam demonſtraret. Quod enim frumẽtationem attinet, eorum ipſorũ Oratores Auinione agentes appellabat, quibus intercedentibus permiſit, vt Florentini mille modios ex Flaminia & Trebaria, ducentos modios à Ranucio & Puteo Farneſijs, multo vero plures aliunde coemerent, dummodo Prouinciæ Eccleſiaſticæ non egerent. Quod inducias cum Vicecomitibus pactas ſpectaret; reponebat; per illos ſtetiſſe, vt illas neceſſitate vrgente inire cogeretur. Si enim illi auxilia, ex pacto promiſſa, debitaque Eccleſiæ aduerſus hoſtes ſubmiſiſſent, in votis fuerat, ad nullas pacis vel induciarum pactiones deſcendere, ſed armis perfidiam caſtigare.

Proinde ſibi ipſis imputare debere, quod Eccleſiam deſeruiſſent, eique neceſſitatem paciſcendi inducias impoſuiſſent. Addebat Gregorius, ſe officio Pontificio non defuiſſe, ſed, quanquam deſerentes Apoſtolicam Sedem, tum illos, tum reliquos confœderatos Principes admonuiſſe, adque pacta ineunda illos & alios euocaſſe. Quod Augutus agrum illorum inuaſiſſet, neq; Guillelmum, neq; ſe auctorẽ eſſe; quod & Auguto per licentiam militarem liceret quo vellet excurrere; & Legato qui iam ſtipendia illi dependerat, non liceret illum tot militibus grauem, in ditione Eccleſiaſtica, niſi Sedis Apoſtolicæ ſubditos voluiſſet premere, vel noua ſtipendia ſine bello illi aſſignare, detinere. Addebat & iſtud, quod ipſe Inducijs pactis, cum ſciret militem abiturum, tum illos ipſos Florentinos, tum Senenſes, Aretinos, Piſanos, Lucanos, & reliquos Etruſcos, vt ſibi à milite palabundo cauerent, præmonuiſſet, *XI. Cal. Iulii.*

Porro, quod mentiebantur, quaſi ad dominium Etruriæ aſpiraret, & liberas vrbes opprimere cogitaret, Carolum Imperatorem aduocabat teſtem, à quo neque Lucam, neque plura alia in Etruria oblata caſtra, recipere, cum poſſet voluerat: tantum itaq; à ſe dicebat abeſſe, vt dominio inhiaret, vt etiam gratis delata repudiaret. Pratenſium de rebellione occulta colloquia, quanquam non clam eſſent Guillelmum nõ tamen eis cõſenſit, quinimo impedire curauit. quod nõ ſignificaſſet:

non potuiſſe eum illis renunciare: quod ea ſecreta, ne clericus quidem ſimplex, citra noxam, ne dicam Cardinalis poſſet retegere: cum & non defuerint vnde aliunde ſcirent, & ex calamitate illata coniuratis, cenſura Eccleſiaſtica, ſi reuelaſſet, obnoxium ſeſe reddidiſſet. De Aretinis, & Salimbeniis, & Senenſibus, nihil Geraldum, niſi quod ad pacem vniuerſæ Etruriæ ſtabiliendã proficeret egiſſe: propter quam etiam ſiue curandam, ſiue conſeruandam, Berengarium Abbatem Monaſterij Licaten. Ordinis Cluniacen. diœceſis Riuen. ad illos, & ad Piſanos, Lucanos, Senen. Aretinos, & Cortonen. Nuncium, menſe Februario huius anni ipſe deſtinaſſet, nihilq; prætermiſiſſet, quo eos paterno amore complecteretur. Cæterum illi maleſanis conſultoribus vſi præter ſuperius crimina patrata, etiam in negotiis Fidei peſſime de Eccleſia mereri pergebant. Namque ſtatuta quædam, aduerſus ſacrum Inquiſitionis tribunal ediderant, & non modo Tabularia legum, verum & angulos domorum, & compita, & baſilicas illis ipſis affixis onerarant. Et quamquã eos, ac Piſtorienſes, qui exemplo alieno peccauerant, vt leges iniquas abolerent, 7. *Idus Martij.* monuiſſet, ac Philippo Lippi ex Ordine Minorum in Etruria Inquiſitori, qui cõditores, exſcriptores, obſeruatores, & ſocios legis executores, à cenſura exſolueret, poteſtatem feciſſet, illoſq; ad benignitatis Apoſtolicæ gremiũ inuitaſſet; illi tamen dati in reprobum ſenſum obdurauerunt. & inprimis Pontificem & Guillelmum Cardinalem, ac vna cum eis, omnes Adminiſtratores Vrbium Pontificiarum, apud Carolum Imperatorem & Ludou. Vngariæ Regem intolerandis impoſturis & calumniis onerarunt: propter quas abſtergendas, Pontifex, quid à Florentinis pateretur, Carolo & Ludouico perſcripſit, litteraſq; Florentinorũ, ad Imperatorem & Vngarum aduerſum ſe & Eccleſiam infami calamo exaratas, Populo Vrbis, & omnib. Nobilib. maioribus ſtatus Eccleſiaſtici, nec non Piſanis, Lucanis, Senenſibus, Aretinis, Peruſinis, Tudertinis, Spoletanis Vrbeuetanis, ac reliquis Vrbib. & Principibus Italiæ, vt illis mala mẽs perfidorum clarius appareret, miſit: cum tamen interim non prætermitteret, illos ad ſaniora cõſilia reuocare. 6. *Idus Auguſti.*

IX. FLORENTINI OBSTINATI OẼS ECCLESIÆ CIVITATES AD REBELLANDVM ET SE EIS SOCIANDVM INVITANT

Nihil omnino proficere potuit monendo, & obſecrando. Namq; ij, ad omnes ſcripſerunt, ſe cunctas Eccleſiæ ciuitates in ſocietatem accepturos, ſi ſtudium libertatis profeſſæ fuiſſent, atque vt ipſi, pro inſigni publico, nomen Libertatis tuliſſent. Sin minus, ſe illas loco hoſtium habituros, belloq; enixe perſecuturos. Facile ad rebellionem quamplures impulerunt: qui Magiſtratibus Pontificiis omnibus pulſis, velle ſe pro Pontifice, ciuitates quiſque ſuas, adminiſtrare affirmabant. In his fuit Tifernum, Narnia, Centumcellæ, Forliuium, & aliæ in Picæno, Flaminia & Etruria, populari libertate inſoleſcentes. Viterbium & Ortam, Franciſcus Vicanus, vrbis Præfectus, occupauerat. Romanorum proceres, Columnij Sabelli, & alij nonnulli, auctore Franciſco Vicano, Pontificijs Magiſtratibus ſeſe aduerſos conſtituerant: præſertim, cum intellexiſſent Põtificem, profectionem in Italiam diſtuliſſe. Peruſini aliorum exemplum ſecuti, & ipſi deſciuerant; maxime, quod viderent, Florentinos, Geraldum recens Cardinalem creatum, in partibus Italiæ Sedis Apoſtolicæ Vicarium, in arce Pontificia, obſidione circumcluſiſſe: profligato inprimis Gometio Albornotio, Spoleti, & Aſculi, pro Eccleſia Præfecto, & copiarum Eccleſiaſticarum apud Peruſinos duce. *Rubeus hiſt. Rauen. lib. 6. Cyprian. Manent. lib. 3.* Præter hæc, Florentini, confœderatos Principes Pontifici detrahere volebant. Namque Nicolaum Ateſtinum, Ludouicum Gonzagam, Canſignorium Scalanũ, Franciſcum Carrariam, Senenſes, Lucanos, & Aretinos in ſocietatem belli, vocabant, cumq; recuſarent, vindicias in eos cogitabant.

X. QVÆ PONTIF. IN HOC RERŨ STATV CVRA ET SOLICITVDO.

Ad hos dehortandos, ne conſceleratis commiſcerentur, Pontifex, Paulum Lucenſem Epiſc. deſtinauit, 7. *Cal. Decemb.* cum prius, quid inter eum & illos negotij intercederet, omnibus renunciaſſet. *Nonis Octob.* In Prouinciam quoq; Prouinciæ, Georgium Grimaldum, & Gerium ciuem ſubmiſerant Florentini, qui & militẽ ſcriberent, & claſſem inſtruerent, quam venienti in Italiam Pontifici opponerent. cum etiam Franciſcus Vicanus eorum ſocius, triremes, & alia nauigia Ianuæ compararet. Scripſit Gregorius, Duci Ianuenſium, vt apparatum à Vicano inſtructum detineret, neue ſe eo ſcelere contaminaret. Nicolao autem Spinello Prouinciæ Seneſcallo, commiſit, qui Adminiſtris, vt duos illos Florentinos interciperent, præciperet. 4. *Cal. Ianuarii.* Poſtquam neque ipſe Nicolaus Spinellus, neque Philippus Corſinus Maſſætrabariæ & Vrbini pro Eccleſia Romana Rector, neque Nicolaus Siculus Minorita, Florentinis longe chariſſimus, quos ad ferocientes mitigandos. 11. *Calend. Nouembr.* Gregorius miſerat; neque Nicolaus Ateſtinus, neque Franciſcus Carraria, qui in conciliandis illis cum Eccleſia Romana, Oratoribus ad eos miſſis, partes ſuas interpoſuerant, quicquam penſi feciſſent. 8. *Calend. Nouemb.* Itaque Pontifex, Spinellum, Ateſtinum, Gonzagam, Carrariam, & reliquos ſocios, vt auxilio in Peruſina arce obſeſſis eſſent, rebelleſque vrbes ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ reuocarent, neue Florentinos ſubſidijs à Vicano & Bernaboue ſubmiſſis inſolentes, graſſari amplius tolerarent, hortatus eſt: maxime, quod illi Aimericum Bononienſem modo Epiſcopum, quia quæſtor Pontificis erat cæpiſſent, ac mori maturius coegiſſent, necnon Bononiæ graues eſſent; adeo, vt Bononienſes tumultu per quoſdam nobiles excitato, Guillelmum Sancti Angeli Cardinalem Legatũ Vrbe egredi paulo poſtea coegerint, ac Repub. inſtituta, quem ſtatum libertatis vocarant, XII. Antianos, & Vexilliferum iuſtitiæ creauerint. *Siganius lib. 3. de Epiſcop. Benonienſ. & epiſt. 7. Idus Decemb.* Iuſſit pariter Gregorius Nicolao Spinello, qui pacem inter diſſidentes Italiæ populos componeret, tumultuſque Vrbis Romæ ſedaret, 8. *Idus Decembr.* cui etiam rei, Honoratum Fundorum Comitem, Romam, accedere imperauerat, qui populum ſeditioſum compeſceret, breui affuturum Pontificem promitteret, & in fide ac obedientia Apoſtolicæ Sedis, Senatum Populumque Romanum contineret. 15. *Calend. Nouemb.*

XI. PONT. IN ITALIAM TRANSFRETARE COGITANS GRAVISSIMIS NEGOTIIS IMPEDITVR.

Paulo ante aliquot menſes, Bertrandum Raffini Archidiaconum Illerdenſem, Cameræ Apoſtolicæ Clericum, in Vrbem, Pontifex præmiſerat, qui neceſſaria in aduentum ipſius præpararet, 6. *Non. Martii.* cum iam ad V. Idus Ianuarij, Carolo Imperatori, Regibus Galliæ, Aragoniæ, Caſtellæ, Luſitaniæ, Nauarræ, Angliæ, & Vngariæ, aduentum ſuum proximo autumno futurum ſignificaſſet. Non potuit tam cito quam volebat, Gregorius, itineri ſe dare; quod eum grauiſſima Eccleſiæ negotia diſtinerent. Quamobrem, ad Romanos quidẽ, Præfectum Abbatem Sitrienſis Monaſterij ire iuſſit, cæteris vero Regibus & Principibus, ad proximum ver ſe velle Auinione diſcedere inſinuauit: ac, tum Reginæ Ioannæ, tum Friderico Regi Trinacriæ, tum Duci Venetiarum, tum reliquis, qui triremes, ad transfretandũ illi obtulerant, vt ad 3. *Cal. Febr.* præſto eſſent, ſignificauit. 5 *Cal. Auguſt.* Cumque rurſus grauioribus negotiis premeretur, iterum eoſdem præmonuit, ne ante vigeſimam quintam menſis Auguſti, vela darent ea nauigia, quæ tranſmittere decreuiſſent.

XII. INQVISITORIBVS AVXILIVM ADVERSVS HÆRET. IN DELPHINATV PRÆSTARI PETIT.

Anglicana & Gallica inprimis expedienda fuerant. Namq; rurſus, Brugis, Legati conuenerant, de pace inter Reges componenda, nihil aliud pactum eſt, præter inducias prolatas, aduſq; Natalem D. Ioan. Bapt. anni LXXVI. *Annal. Flandr. lib. 13.* quo anno Pont. Carolum Regem Franciæ monuit, qui auxilium Inquiſitoribus præſtaret, aduerſus hæreticos, in Delphinatu, fauore quorũdam Principum nimium potentes. *Non. Maii.* Eidẽ quoq; Regi præſcripſit, ne vltimo ſupplicio addictis,

pœniten-



pœnitentiæ ſacramentum, quod antea fiebat, denegari ſuſtineret. *V. Cal. Nouemb.*

XIII. DVCEM VENET. VT LEGEM OBSERVARI IVBEAT NE CRETENSES SCHISMATICI ALIORSVM EANT PRO ORDINIB. ACCIPIENDIS POSTVLAT.

Orientalia grauiora erant. Namque Turcæ (quod Pontifex præuidebat) Chriſtianis imminebant. Aduerſus eos cum Rhodiani, mille ex ſingulis Prouincijs milites mittere ſpopõdiſſent, vt idem, Reges Chriſtianorum præſtarent, Gregorius, eos poſtulauit. *6. Idus Decem.* Cum autem Cretenſes, ab Antipatriarcha Conſtantinopolitano, Antiepiſcopum Græcum, hæreticum & ſchiſmaticum, Machario ſchiſmatico pridem defũcto, non amplius haberent; ac propterea, extra Inſulam, ad Græcum ſchiſmaticum, Græci Cretenſes, pro ſacris ordinibus accipiendis, contra legem olim ſancitam erũperent: vnde ſchiſmata ac hæreſes nutrirentur, poſtulauit Andream Contarenum Ducem Venetiarum, Pont. vt legem ſanctiſſimam obſeruari iuberet; ne vllus Cretenſis ſchiſmaticus aliorſum iret, à ſchiſmatico Epiſcopo, ſacros ordines accepturus. Poſtquam Georgius Rãpani olim ſchiſmaticus, per id temporis Catholicus Græcorum Sacerdotum Archipresbyter, iſtud ex rè Eccleſiæ eſſe retuliſſet. *Secret. Greg. 6. Cal. Nouemb.*

XIV. DIVERSI IN GERM. ET ITAL. HÆRETICI

In Germania, hæreſes pullulabant. Ad eas extirpandas Pontifex Hermannum Hetſtedium Dominicanum Inquiſitorem deſtinauit, eumq; præ cæteris Friderico, Balthaſaro & Wilhelmo Marchionibus Miſniæ, necnon Henrico & Gunthero Comitibus Schvvartzenburgijs commendatum fecit. 12. *Cal. Aug.* Sed nec Italia, aut Sicilia hæreticis omnino carebat. Laudauit Pontifex, Panormitanorum zelum, qui hoc anno, Simoni Puteano ex Ordine Prædicatorum Quæſitori hæreticorum, annuos prouentus XII. vnciarum auri aſſignarint. *Nonis Maii.* Cæterum tam Epiſcopũ Taurinenſem, quam Comitem Sabaudiæ Amedeum poſtulauit, qui contra Bricaraxios in Taurinenſi Diœceſi ex hæreſi furentes animaduerterent.

XV. FR. ANT. PAVONIVS DOMINIC. INQVISITOR IN TAVRINẼS. DIŒC. AB HÆRET. PRO FIDE CATHOL. OCCIDITVR.

Frater Antonius Pauonus Dominicanus, hæreticæ prauitatis Inquiſitor, cum apud eos Inquiſitionis officium exequeretur, hora tertiarum miſſa celebrata, in qua verbum Dei deuote, propoſuerat, abſoluta concione, in platea publica, ante Eccleſiam, populo inſpectante, à duodecim hæreticis, multis vulneribus confoſſus, pro fide Catholica martyrium ſuſtinuit, ipſa octaua Dominicæ Reſurrectionis die. Duobus ante eum non integris menſibus, ipſi ſatellites dœmonis, in Cœnobio Dominicano Secuſij, feſto Purificationis Beatiſſimæ Virginis, alterum fidei Inquiſitorem pari ſupplicio extinxerãt. Eos, vt & Epiſcopus, & Comes inſequerentur, Pontifex præſcripſit. 13. *Cal. April.*

XVI. QVIS FVERIT B. PAVONIVS.

Fuit Pauonus religione profeſſus, vita ſanctiſſimus, ordine Sacerdos, officio Prædicator Euangelicus, & Inquiſitor conſtantiſſimus: errores diſſipans, hæreticos perſequens, omnia vitia euellens, fidei Catholicæ pugil ac defenſor ſtrenuus, iuſtitiæ cultor aſſiduus, ac doctrina clariſſimus. Cædem ſuam lõge ante præuidit ac prædixit. Cum enim tõſor barbam ei raderet, illi dixit: *Propediem, ad nuptiarum ſolennia in hoc ipſo caſtro vocatus ſum.* Illo expoſtulante, neque poſſibile fore, vt eum quæ indidem fiebant quicquam lateret, aſſeuerante; tandem Pauonus, nuptiarum ſolennia ſemper repetijt, prædicens, *ſe ad Agni immaculati delitias vocari.* A martyrio, plurimis claruit miraculis ex quibus vnum narrauit F. Petrus Sereni S. Th. Magiſt. & hæreticæ prauitatis Inquiſitor. Suo tempore Briantius Caparellus, Lagnaſcus, vir nobilis, ingentem pecuniam poſtulabatur ab æmulo, quaſi creditori non ſatisfeciſſet. Singrapham amiſerat, qua æs alienum ſoluiſſe promptum fuiſſet oſtendere. Cum vehementius vrgeretur, B. Antonium Pauonum, voto cõcepto (quinquaginta libras cereum pendentem, ad ſepulchrum illius offerre promiſerat) implorauit. & is ſecundum quietem viro apparuit, & chirographum, quo calumniam elueret, vbi locorum eſſet demonſtrauit. *Ambroſius Taegius 1. parte Monimentorum Ord. Prædicatorum in Bibliotheca Mediolanenſ. Sanctiſſimæ Virginis Gratiarum.* quo in cœnobio religioſiſſimo, ante annos XXIII. ſcil.

A MARTYRIO MIRACVLIS CLARVS.

anno Domini 1594. Theologiæ ſcholaſticæ operam dabam, præceptore doctiſſimo R. P. F. Ioanne Paulo Nazario Cremonen. S. Th. Magiſtro; qui Eccleſiam Catholicam, diſputationibus, lectione, & ſcriptis, publicatiſque ſubtiliſſimis lucubrationibus, non minus quam integritate vitæ illuſtrat. Beati Antonij Pauonij Inquiſitoris abnepotes hoc an. 1617. Romæ prælucent, Petrus Pauonus, Pauli Quinti Pontificis Max. Cubiculo Præfectus, & Ioannes Antonius Baſilicæ Vaticanæ Canonicus. Ante duos annos viuere deſijt Iulius Pauonus, Scipionis Cardinalis Burgheſij Cubiculo Præpoſitus.

PETRVS PAVONIVS S. D. N. PAVLI PP. V. CVBICVLO PRÆFECTVS. IVLIVS PAVONIVS SCIP. CARDIN. BVRG. CVBIC. DVM VIVERET PRÆFECT.

XVII.

Antonius Quærengus, hoc adiunctum carmen pangebat, ad Petrum Pauonium Pauli V. Pont. Max. Cubiculo Præfectum. In funere Iulij fratris.

*Percuſſum cari te funere fratris acerbo*
*Triſtia quis largis perfundere fletibus ora,*
*Miretur? queſtuq; pios & iuſta dolentis*
*Intempeſtiuus damnet ſuſpiria cenſor?*
*Nempe tuæ pars magna animæ, pars magna tuorum*
*Rapta ſimul, cum Parca manu crudelis iniqua*
*Stamina florentis iuuenis vitalia rupit.*
*Quis vero gemitum, quis non emittit amaras*
*Ad Iuli tumulum lachrymas? cui candida morum*
*Integritas, ſandiq; lepos, & verſa benignum*
*Semper in officium ſtudio flagrante voluntas*
*Non luctum ingentem propere intercepta relinquunt?*
*Ipſe vrbis decus æternum columenque Latinæ*
*Scipio tot preſſus curis, dum pondere magnum*
*Subleuat immenſo Paulum, fleuiſſe perempti*
*Non ſemel immites obitus, & funera fertur.*
*Iam tamen & pietas quantum tua plurima; quantum*
*Inſignis poſcebat amor te Petre dolentem*
*Vidimus, atque animo mœrorem indulſimus ægro.*
*Vlterius luxiſſe nefas, nec flendus in æuum,*
*Quem ſuper aſtrigeros orbes flammantis Olympi*
*Credibile eſt veræ iam præmia carpere vitæ.*
*Inde illum noſtras aciem dum flectit ad oras*
*Et verſa in geminos ſpectat tua lumina riuos,*
*Affari te hac voce puta. Parte optime tandem.*
*Parce piis lachrymis, & quas abeunte querelas*
*Germano commouit amor, ſors læta recepti*
*Felicem in patriam ſiſtat iam luce beata,*
*Cerne, fruor, ſummique premo pede cardinis axem.*
*Sed mea nil minuat iacturam gaudia veſtram,*
*Mœſta tamen grauibus ſubducito pectora curis,*
*Ne funeſta tuo ſit Principis aula dolore,*
*Fidus in excelſo vigilas cui limine cuſtos*
*Nec longe quærenda ſibi, quæ exempla ſequentem*
*Certa regant, memori tantum ſub corde reuoluas*
*Ingentis qua laude animi, quam fortibus armis*
*Inuictus cladi ſubitæ ſe obiecerit Heros*
*Cum dulcis comitem vitæ ſociumque laborum*
*Eripuit dilectum illi mors impia fratrem.*
*Non dolor indignas auguſto pectore voces*
*Elicuit, non ſacra manu languente remiſit*
*Fræna, quibus vaſti moles obtemperat orbis.*
*Hinc luctus diſce modum, nec tarda ſequentur*
*Tempora, cum meritis præſtantibus ille rependet*
*Debita munificus iamdudum præmia, teque*
*Plenius eximio attollet ſolatus honore.*

XVIII. MIRABILES CASVS IN TVTELÃ ORD. S. FRANC. *Plat. de bono ſtat. relig. lib. 1. c. 34. ex chron. Franciſc.*

Hoc anno, mirum valde mirandum contigit, in tutelam Ordinis S. Franciſci. Prælati quidam neſcio quo ſpiritu inducti de eodem ordine abolendo conſilia inter ſe contulerunt, & ad eam rem perficiendam quoddam aliquot Epiſcoporum conuenticulum coegerunt. Erat autem in eadem vrbe Eccleſia præcipua, & in Eccleſiæ feneſtris vitreis duæ imagines pictæ, vna S. Pauli qui enſem, altera Sancti Franciſci, qui Crucem manibus tenebat. Nocte Æditus viſus eſt ſibi Paulum audire hæc dicentem: *Quid agis Franciſce? Cur tuam non defendis familiam?* Cui ille; *Quid faciam? Nihil habeo præter Crucem, & hac ipſa me admonet de patientia ſeruanda.* Tum Apoſtolus hortari, ne tantam ferret iniuriam; ſuumque

illi offer-

illi offerre gladium. Territus Ædituus, ſimul ac illuxit, accurrit in templum, certoque vidit vtramque imaginem inſignia inter ſe commutaſſe, atq; in dextera Pauli adhuc Crucem eſſe, Franciſcum vero gladium habere cruore ſtillantem, quod dum ſecum tacitus miraretur, increbuit rumor, Epiſcopum illum, qui eius conſilij auctor fuerat, repertum eſſe mortuũ, præciſis ceruicibus. Ac ipſe quoque viſum narrare cœpit, ac pro eius fide ipſas imagines omnibus oſtentare. Ante viginti annos quoq; non omnino abſimile huic euenerat, in Armacano Hyberniæ Primate. qui primum in Anglia, deinde Auenione, vbi tum Pontificia Sedes morabatur, cum in publico Cardinalium Conuentu multa contra Ordinum Mendicantium ſtatum euomuiſſet, eamq; cauſam obſtinate vrgeret, non multo poſt è vita ſublatus eſt, & vna cum ipſo ipſius quoq; criminationes ſepultæ.

XIX. NOVI MOTVS IN POLONIA LADISLAO MONACHO REGNVM AFFECTANTE.

Poloniam noui motus excepere, à præpoſtera ambitione Ladiſlai, monaſticum inſtitutum profeſſi. Fuit is ex Caſimiro, Ziemomiſli, fratris Vladiſlai Loctici Regis Poloniæ filio natus. Hic ditionibus ampliſſimis, furore potius quam deuotione repudiatis, cum permulta loca peruagatus eſſet, tandem Ciſtercium veniens, monachus factus eſt. Nec multo poſt mutato conſilio, Diuione in Burgundia Benedictinorum religioni ſeſe addixit, & complures annos ibi commoratus, & ſororis, Caſimirique Regis liberalitate ſuſtentatus eſt. Cum igitur proceres quoſdam de maioribus Polonis nouarum rerum cupidos pœnitere, Ludouici Vngariæ & Poloniæ, tamquam externi Regis & abſentis, muliebriſque Eliſabethæ Reginæ dominationis cœpiſſet, communicato clam inter ſe conſilio Legationem ad acciendum Diuione Vladiſlaum miſère, quod nemo eo propinquior Caſimiro & Vladiſlao Regibus viueret agnatus. Is, vt erat leuis, facile in ſpem & cupiditatem adipiſcendi regni adductus eſt. Quoniam autem Diaconus iam erat, Auenionem ad Pontificem Maximum obtinendæ indulgentiæ ſiue diſpenſationis cauſa contendit, Legatis Baſileæ ſe expectare iuſſis. Et quamuis nihil à Pontifice impetraſſet, tamen Baſileam, atque de Legatorum ſuaſu, dimiſſis eis, in Vngariam diſſimulato propoſito ad affinem Regem profectus eſt. apud quem Reginæ propinquæ ſuæ magnis precibus perfecit, vt ad Pontificem Maximum pro ſe legationem mitteret, quo ſibi mutato Ordine, & abiecta profeſſione, poſſeſſiones & principatum obtinere liceret. Sed repulſam etiam tum paſſus, clàm ſe cum quattuor tantum Comitibus ex Vngaria ſubduxit, & in Poloniam veniens miſcere omnia voluit, donec deſperatis rebus, deditione cuiuſdam arcis facta, crematis prius ante arcem molitore ac genero eius, itemque ijs quorum opera eam interceperat, in Vngariam miſſus, decem millibus florenorum à Rege pro ea acceptis, Abbatia quoque quadam in Vngaria ſatis luculenta donatus eſſet. In qua aliquantiſper commoratus Diuionem rediit, ibique reſumpto Monachi habitu vitam finiuit: Monachis faſtuoſo, ſed probroſo epitaphio nunc etiam ſuperbientibus; quali Regem Poloniæ condidiſſent. Illi qui eum ad res in Polonia nouandas adiuuerant, partim voluntarium ſibi exilium indixere, partim carcere & bonorum confiſcatione damnati, pœnas dedere. *Cromerus de rebus Poloniæ libro XIII.*

XX. CONTROVERSIAM RATIONE QVARVNDAM ECCLESIARV̄ RVSSIÆ CO̅PONIT.

Quo etiam anno, orta inter Ladiſlaum Ducem Opolienſem Principem Ruſſiæ, ac Epiſcopum Lubuſſenſem, de Epiſcopatibus, Halicienſi, Præmiſlienſi, Wlodimirienſi & Chelmenſi, apud Sedem Apoſtolicam cõtrouerſia; Pontifex decreuit; eas Eccleſias Cathedrales ab iuriſdictione eiuſdẽ Epiſcopi Lubuſſen. exemptas fore. Ideoq; Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Cracouienſi, Plocenſique Epiſcopis, vt auctoritate Apoſtolica, de ſententia Ladiſlai Ducis, Epiſcopos iis Eccleſijs præficerent, poteſtatem fecit. *Idib. Februar.*

XXI. INDVCIÆ CVM VICECOMIT. PROROGATÆ.

Ex Germania, Otthonis & Stephani Bauariæ Ducum Oratores, Albertum Bathenſteinium, & Henricum Achter Dominicanum, Pontifex audiuit, & poſtulantibus Principibus, ad pacem cum Vicecomitibus amplius ſtabiliendam inclinauit. *Ibidus Martii.* Cumque iiſdem Vicecomitibus, vt Auinionem infra Calendas Decemb. Procuratores mitterent, edixiſſet, eiuſdem rei omnes Etruſcos admonuit, qui de rebus ſuis, etiam, in ea tractatione conſulerent. 9. *Cal. Oct.* Tandem tandem certis conditionibus induciæ prorogatæ, inter eos & Eccleſiam, fuere, quo etiam tempore, Petrum Corſinũ Cardinalem Florent. Epiſcopatu Portuenſi Gregorius inſigniuit.

XXII. MONET ARAGON. REGEM VT INFANTEM LVSITAN PRO CONTRAHENDO MATRIMONIO CVM TRINAC. REGE IRE PERMITTAT.

Ex Hiſpanijs, Pontifex, Mariam infantem Luſitaniæ viduam, Auinionem euocarat, vt ea Friderico Trinacriæ Regi in matrimonio collocaretur. Petrus Rex Aragonum eius coniugium exambiens impediebat, quominus accederet. Monuit eum Gregorius, ne amplius illam detineret, ſed iter ſuum inceptum proſequi permitteret; quod non poſſet; lege Eccleſiaſtica illum ſoluere: quemadmodum Romeus Illerdenſis Epiſcopus ſignificaret, 4. *Non Septemb.* Auſcultauit iubenti Pontifici Petrus, atque Mariam ire permiſit. Gregorius vero Ioannem Caſalenſem Minoritam ad Fridericum deſtinauit, renunciatum, vt Procuratores mitteret, ad ſacra matrimonialia contrahenda, *Idib, Decemb.* Eidem Friderico Pontifex permiſerat, vt in manibus Ioannis Sarlatenſis Epiſcopi ligium homagium, & iuramentum fidelitatis præſtaret; atque ab eo diadema Regium acciperet. 3. *Cal. April.*

XXIII. TVRBÆ IN SICILIA CONTRA IOANNAM REGIN.

In Regno Siciliæ, aduerſus Ioannam Reginam nonnihil turbatum. Philippo dicto Imperatori Conſtantinopolitano, Principi Tarentino hoc anno defuncto, Franciſcus Baucius hæres in principatu ſucceſſerat. Is affinitate Regia, opibus & clientelis potens, Materam ciuitatem, quaſi ea ad principatum pertineret, à Rugerio Sanſeuerinate per vim acceperat: Inſuper alia illi detrahere volebat. Regina Ioanna, illuſtrium virorum arbitrio, negotium cognoſcendum decernebat. Baucius recuſabat, & longe grauiora Sanſeuerinati intentabat: donec maieſtatis reus factus, omnia amiſiſſet, & Auinionem ad Pontificem, queſtum iniurias conceſſiſſet. Eius cauſa, Gregorius, Minoritanum quendam Epiſcopum Cauallicenſem, Nuncium ad Ioannam deſtinauit, qui pro Baucio intercederet. Cumque Regina necquicquam concederet, in illam contumacem, anathema torſit.

IOANNAM REGIN. CONTVMACEM ANATHEMATE FERIT GREGOR.

Qua percuſſa, tandem Raymundo Garſabello poſcenti, vinctum illum Auinionem ducendum dedit, ac Nicolaum Brancacium Archidiaconum Barenſem, Hugonem Sanſeuerinatem, Ludouicum Conſtantium, ad Pontificem Oratores ire iuſſit, qui acta aduerſus Baucium purgarent. *Sumontius & M S. Biblioth. Vatic. de reb. Siciliæ.*

XXIV.

In huncannum reijcit author eius libri, mortem Iacobi Balearici coniugis Ioannæ, quaſi Aſturæ in Hiſpanijs diem clauſiſſet extremum.

XXV. ALIA QVÆDÃ GREG. ACTA.

Eodem anno Gregorius Pontifex, 1. in vſurpatores bonorum Sacerdotum ac Prælatorum decedentium legem ſanxit. *p.* 276. 2. Prælatos ex aulis Palatinis, ad reſidendum in Eccleſiis expulit. *p.* 1022. 3. Reuertentibus à ſchiſmate Græcanico profeſſionem Fidei præſcripſit. *p.* 1025. 4. In Orbe Chriſtiano, nundinas diebus Dominicis fieri prohibuit. *p.* 1037. 5. Ne Iudæi habitum Chriſtianorum ferrent, neue diebus feſtiuis mœchanica exercerent interdixit. *p.* 1067. ſeque totum reformando Orbi Chriſtiano dedit: non neglecta cura iuuandi Cardinalem, Peruſij in arce à Florentinis & rebellibus Peruſinis obſidione oppreſſum.

XXVI. S. CATHERIN. SEN. DIVERSA DE STATV ECCLESIÆ PROPHETIZAT.

Eam Peruſinorum, & aliarum Pontificiæ ditionis ciuitatum defectionem, cum S. Catherina Sen. apud Piſanos agens intellexiſſet, multum dolens de tanta irreuerentia & obedientia Chriſtian. erga Eccl. quod etiam contemptui haberent Eccleſiaſticas cẽſuras, ingemuit; & tamen plorantibus alijs dixit; *ne tam cito inciperent flere, quia multum temporis ad plorandum ſupereſſet. eo quod comparatione ſubſequentium, præſentes Eccleſiæ calamitates*





*mellis & lactis loco poſſent eſſe.* Raymundus Capuanus, qui ſacræ virgini à Confeſſionibus fuit, interrogauerat; *Quæ grauiora mala poſſent accidere, præ his, cum Chriſtiani omnem deuotionem & reuerentiam erga Sedem Apoſtolicam perdiderint, neque anathemata quicquam æſtimarent.* Cui Catharina reſpondit: *hoc nunc facere laicos: breui facturos clericos, Romano Pontifici: quando voluerit ipſorum prauos mores corrigere fide eiurata. Tunc enim facient ſcandalum generale toti Eccleſiæ Dei,* quod, ait, *tamquam peſtis heretica ipſam ſcindet & contribulabit.* Cum Raymundus; *an noua hæreſis, vel noui hæretici iſtud facturi eſſent, inquireret.* Illa repoſuit: *Non erit proprie hæreſis, ſed quaſi hæreſis, & quædam diuiſio Eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis. His, ait, tribulationibus & anguſtiis, modo imperceptibili hominibus, Deus Eccleſiam ſuam ſanctam purgabit, & ſpiritum electorum ſuorum ſuſcitabit. Sequeturque poſt hæc tanta reformatio Eccleſiæ Sancti Dei, & renouatio ſanctorum, quod ex ſolo cogitatu meus Spiritus in Domino exultet. Namque ſponſa, quæ nunc eſt tota deformis & pannoſa, tunc erit pulcherrimis pretioſis monilibus ornata: cunctique fideles gaudebunt, ſe tam ſanctis paſtoribus decoratos, & populi etiam infideles bono Chriſti odore inuitati, ad ouile Catholicum reuertentur, & conuertentur ad verum paſtorem & Epiſcopum animarum ſuarum: cum poſt futuram tempeſtatem, dabit Deus gratia ſua Romanæ Eccleſiæ ſerenitatem.* Non poſt multos annos euenit quod Catherina prædixerat: exorto diriſſimo ſchiſmate, ſtatim ab electione Vrbani ſexti, qui mores Eccleſiaſticorum corruptos, ad veterem diſciplinã reuocare volens, plurimos corruptorum offenderat.

XXVII. S. CATHERINA SENEN. HOC ANNO SACRA STIGMATA REDEMPTORIS NOSTRI IN SVO CORPORE EXCIPIT.

In eundem annum, ſcriptores vitæ Catherinæ Senenſis, referunt, quod ea admirabili quadam ratione, ſtigmata Redemptoris noſtri, in corpore ſuo excepiſſet. Cum enim eſſet in ciuitate Piſana quadam die Dominica, audita miſſa in Eccleſia, & ſumpta communione ab ipſo magiſtro Raymundo, rapta eſt in extaſi ſenſibus alienata & poſt aliquod ſpatium ad ſe reuerſa, vocauit præfatum Raymundum, dicens: *Noueris, quod ego ſtigmata Domini mei Ieſu, in corpore meo iam porto.* Cumque ille, *quomodo id factum eſſet interrogaret,* illa renunciauerit: *Dominum,* inquit, *meum vidi crucifixum, ſuper me magno lumine deſcendentem: propter quod ex impetu mentis volentis ſuo creatori occurrere, corpuſculum coactum eſt ſeſe erigere. Tunc ex cicatricibus ſacratiſſimorum ſuorum quinque vulnerum, vidi radios ſanguineos in me deſcendere, qui ad manus, pedes ac latus mei tendebant corpuſculi. Aduertens myſterium, continuo exclamaui. Ah Domine Deus meus, non appareant cicatrices in corpore meo exterius. Sufficit mihi eas interius habere. Adhuc me loquente, antequam dicti radii perueniſſent, colorem ſanguineum mutauerunt in ſplendidum, & in forma puræ lucis ad quinque loca corporis mei ſcilicet, manus, pedes, & cor ad latus ſiniſtrum peruenerunt.* Interrogabat Raymundus; *an aliquo dolore cruciaretur, in eis locis.* Illa vero poſt grande ſuſpirium ait: *Tantus eſt dolor, quem in omnibus quinque locis, ac præſertim circa cor perpetior, vt niſi Deus nouum miraculum efficeret, iam pridem è vita abiiſſem.*

CHRISTVS CATHARINÆ COR AVFERT ET ALIVD SIBI IN LOCV̄ ILLIVS REPONIT.

Porro tam vehementi, Chriſti compatiendi tenebatur deſiderio Catherina, vt etiam quadam dierum orauerit Dominum, qui cor illi proprium, propriamque voluntatem auferret, atque ſuum illi cor, & voluntatem ſecundum ipſum tribueret. Paulo poſt videbatur illi, quaſi adueniens Ieſus, latus ei ſiniſtrum aperiret, & cor ei abſcinderet, atque auferret, non celauit iſta Sacerdotem, qui ei à Confeſſionibus fuerat. dixitque *ſe cor non habere.* cum paucis poſt diebus, in Eccleſia Dominicanorum, circumfulſit eam lux de cœlo, & in luce apparuit ei Dominus, habens in manibus cor rubicundum, & lucidum; ad cuius aſpectum illa cecidit; Is vero ei appropinquans, latus eius ſiniſtrum aperuit, dixitque: *Ecce filia, quemadmodum poſtulaſti pridie, abſtuli tibi cor tuum & dedi tibi cor meum, quo ſemper viuas.* Clauſitque latus, & abſceſſit: & pro miraculi indicio, in eodem loco cicatrix obducta remanſit, vt ſanctimoniales ſociæ, quæ non ſemel viderant, affirmabant. Ab ea cordis immutatione, tanta lætitia efferebatur, vt præ gaudio exilire videretur: tantaq; exultatione mentem ſuam præditam dicebat, quod vix poſſe ſibi videretur remanere in corpore. Non minus tamen perpeſſionum Chriſti particeps eſſe volebat. Quamobrem ſponſum Ieſum orabat, *dignaretur illam, paſſiones, quas olim ipſe pertulerat in corpore, vſque ad extremum vitæ participare: ne, poſtquam cum illo poterat gaudiis perfrui ſempiternis in cœlis, diſſociaretur (orabat) ab eo in terris, in ſuſtinendis pœnis.*

CHRISTVS MVLTA EI ABDITA MYSTERIORVM PASSIONIS SVÆ REVELAT.

Conceſſit illi Ieſus, quicquid ea concupiuit, atque abdita myſteriorum paſſionis ſuæ permulta illi reuelauit, ex quibus iſtud vnum populis Catherina renunciabat, quod Redemptor Ieſus, à primo momento incarnationis ſuæ, ſemper Crucem in mente ſua circumtulerit, propter ingentem charitatem qua dilexerat perditum genus humanum. Eam charitatem cum illa contemplaretur, ſæpe à corpore diſcedebat: non ſibi potis eſſe dicens, cum ad corpus reuertiſſet arcana quæ circa gloriam beatorum, & pœnas ſiue ſaluandorum ſiue damnatorum, ſecundum viſionem aſpexiſſet edicere. Inter aſpiciendũ, dixit illi Ieſus: *ad corpus rediret, & mortales omnes admoneret; quænam gloria, ſi mandata Dei ſeruarent, quæue ſupplicia, ſi tranſgrederentur. omnes ab hac vita manerẽt.* Cum iſtud officij Catherina renueret, ait Dominus: *Multarum ſalus animarum requirit, vt redeas cui operandæ, ego tecum ſemper ero, & te ducam, ac reducam. Tu honorem nominis mei, coram pluribus, etiam Pontificia dignitate eminentibus portabis: ego vero dabo tibi os & ſapientiam, cui nemo poterit reſiſtere: vt per infirma, confundam fortia; & per ſæculi ignobilia, ſuperborum colla Chriſtianæ diſciplinæ ſubiiciam. S. Antonin. p. 3. tit. 23. c. 14.*

# IESV CHRISTI

## Annus 1376.

## GREGORII PAPÆ XI. ANNO 6. CAROLI IV. ROM. IMP. ANNO 21.

I. CAROL. IMP. PRO FILIO SVO VENCESLAO SESQVIANNI AGENTI IN REGEM ROM. DELIGENDO LABORAT.

CAROLVS Imperator, vt filio ſuo Venceslao Regna Boemiæ, & Germaniæ, ſtabiliret, annuente Arneſto Archiepiſcopo Pragano, deinde cæteris primoribus, nihil referre dicentibus, vtrum infans, an adultus filius, quem pater ſuperſtes in conſortium Regni vocet, inauguretur, Regem illum Boemiæ olim renunciauerat, non plus quam ſeſquiannum agentem. Arneſtus illum ſolenni ritu vnxerat, & coronauerat, Ioanne Olomucenſi Præſule aſſiſtente. Cumque etiam cogitaret, eundem ad Imperij ſucceſſionem traducere, hoc anno differre vltra tempus prenſandi, ſuffragiaque pro illo colligendi noluit: ſumpto initio ab his ſuffragatoribus, apud quos gratia & authoritate plurimum valebat: deinde & ad alios, labori non parcens excurrebat, vt omnium voluntates exploratas haberet, quibus ſatis perſpectis, nulla videlicet ratione alia ſe illas niſi grandi pecunia adnumerata expugnare poſſe, in ſingulos Electores Principes centum millia aureum nummum ſe daturum ſpopondit: atque ita ſuffragia mercatus eſt. Norimbergæ primum die penultima Martii, deinde Renſij ad feſtum Pentecoſtes, Electores congregati, diem Comitio Imperiali X. Menſis Iunij deſignarant: authoreſque primum fuerant Carolo Imperatori, qui Vuormatienſem Epiſcopum, & Conradum Secretarium, nec non Odolerium Præpoſitum S. Egidij Pragani ad Sedem Apoſtolicam deſtinauerit, poſtulatum, vt ipſo viuente, Electoribus liceret, eius filium Venceslaum, in Regem Romanorum deligere.

II. QVIBVS CONDITIONIBVS ASSENSVS EST PONT. VT ELECTORES

Facile aſſenſus eſt Pontifex, ac tum ipſi, tum Principibus poteſtatem eligendi illum fecit: Si modo ante omnia, exemplo Henrici VII. Imperatoris, & ipſius Caroli, ex formula præſcripta iuraret, bona Eccleſiæ Romanæ non occupaturum, & libertatem Eccleſiaſticam non violaturum; quin potius, Aduocatum & Defenſorem Eccleſiæ futurum: cui imprimis omnia iura & pri-

AD ELECTIONEM REG. ROM. DEVENIRENT.

uilegia, à ſuperioribus Imperatoribus conceſſa, probaret, innouaret, concederet, & contra omnes hoſtes Sedis Apoſtolicæ promptum ſe fore iuraret. Inſuper promitteret ſe ante inaugurationem ſolennem, in adminiſtrationem Regni & Imperij Romani nolle immiſcere, neque hos titulos ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ viſurpare, atque adeo ad Romanum Pontificem, vnctionem & coronationem tum Regiam, tum Imperialem referret. pro qua impetranda, vel ipſe vna cum Patre Carolo, vel ſolus cum Archiepiſcopo Pagano & proceribus, ad Pontificem veniret, aut ſaltem oratores mitteret: atque diademate inſignitus Regio, Regias, Imperiali vero faſtigio ſublimis, Imperiales litteras aurea bulla munitas; quemadmodum olim Carolus Pater, in confirmationem iurium & bonorum Sedis Apoſtolicæ, Romanæ Eccleſiæ repræſentaret.

III. NVNCIOS IN GERM. AD IVRAM. AVDIENDA ET LITTERAS RECIPIENDAS DESTINAT PONT.

Ad ea iuramenta audienda & litteras tum ante, tum poſt electionem à Carolo & Venceslao recipiendas, Pontifex, Robertum Gebennenſem tituli XII. Apoſtolorum Cardinalem Legatum, ac Ioannem Agennenſem Epiſcopum Nuntium deſtinarat. Cumque oportuerit poſtea Cardinalem in Italiam, aduerſus hoſtes Eccleſiæ ducere exercitū, Gregorius, Ioannem Agennenſem & Thomam Nimocienſem Electum Epiſcopos, & Audebertum Pinchiacen. Præpoſitum Forolinien. diœceſis, Apoſtolicæ Sedis Nuncios in eam rem in Germaniam miſit, ac eorum quæ oportebat fieri Carolum, Venceslaum & Principes Imperij admonuit *datis literis Auinione Nonis Maii, & V. ac IV Nonas Maii: Pontif. anno* 6. Non defuerunt Nuntij ſuo officio, ſed iuramentis auditis & literis receptis à Carolo & Venceslao, tandem perſuaſerunt, vt poſt alia, hunc in modum Pontifici Gregorio Carolus & Venceslaus Imperator electus ſcripſerint. Ita habent.

I.

SANCTISSIMO IN CHRISTO PATRI & Domino noſtro Reuerendiſſimo Domino Gregorio digna Dei prouidentia Sacroſanctæ Rom. ac vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Carolus Quartus diuina fauente clementia, Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus & Boemiæ Rex, deuota pedum oſcula beatorum.

IV. LITERÆ CAROL. IMP. AD GREG PP. QVIBVS IPSI SIGNIFICAT FILIVM SVVM IN REG. ROM AB ELECTORIBVS ESSE CONCORDITER ELECTVM PETITQVE MVNVS CONSECRATIONIS AC DIADEMA IMPERII EI CONFERRE SVIS LOCO ET TEMPORE VELIT.

*Magnæ deliberationis ſtudio, Sacri Rom. Imperii Rempublicam, cui nos auctore ſuperno per multorum annorum ſpatia præfuimus, prout adhuc præſumus feliciter, & in cuius regimine ſalubri diuturnitate temporis & labore conſumpſimus corporeas multipliciter vires noſtras, vna cum aliis principibus Imperii Coelectoribus ſæpe ſæpius, imo ſæpiſſime prout expedit accuratius ponderantes, ſignanter multis periculis, ſcandalis & iacturis, ad diſſipationem, imo ſubuerſionem non ſolum Imperii, verum etiam Eccleſiæ ſanctæ Romanæ ſtatus tranquillitatis & commodi manifeſte tendentibus, & quæ prouentura forent, prout veriſimiliter præſumitur, ex Imperii vacatione Romani, ſi ſic nos decedere (quod abſit) contingeret ab hac luce, maxime cum tam Italiæ, quam aliæ partes Imperii inſolitis rebellionibus, & damnabilium nouitatum diſſidiis, ſint iſtis modernis temporibus inhumaniter inuolutæ quantum altiſſimus conceſſerit, ſalubriter occurrendum; nuper die ſancto Pentecoſtes, nos tanquam Rex Boemiæ, & alii Principes, Coelectores; videlicet Sereniſſ. Princeps Dominus Venceslaus Rex Boemiæ; Venerabiles, Ludouicus Moguntinenſ. Cuno Treuerenſ. & Fridericus Colonienſ. Archiepiſcopi: Rupertus Senior Comes Palatinus Rheni & Bauariæ Dux, Venceslaus Saxoniæ & Luneburgenſ. Dux, ac Sigiſmundus Marchio Brandeburg. conuenimus in pomeriis ſubtus Renſec, ſuper littus Rheni Treuerenſis diœceſis; in quo loco poſt varios tractatus deſuper habitos, nobis præſentibus quitiam viribus à corporea valetudine laceſſiti & ſenio multiplices Imperii labores & onera ſufferre commode non valemus: præſertim vt Imperium Rom. multis ſuis partibus in tanto diſcrimine ſic poſitis forti potentique præſidiatore non careat, pro ſalubri commodo totius Chriſtianitatis ac ſtatu, in releuamen & adiutorium noſtrum, de perſona idonea tractauimus, prout huiuſmodi negotii magnitudo requirit. Et ibidem altiſſimo diſponente in certam perſonã conuenimus in Romanorum Regem debitis loco & tempore nominandam; ac poſt hoc vt moris eſt ſolenniter eligendam. Demum illis tractatibus neceſſario ſicut præmittitur ſic finitis, omnibus nobis Principibus Electoribus Imperii taliter congregatis, de & ſuper certa nominationis & electionis huiuſmodi die concordauimus, in locum oppidi Franckenfurti, ſuper alueo Moſani Moguntinenſis diœceſis, videlicet 10. die menſis Iunii ad nominationem & electionem Rom. Regis prædictas volente Domino feliciter conſummandas: quæ dies nominationis & electionis futuri Rom. Regis ibidem in pomeriis Renſec, per dictum Cunonem Archiep. Treuerenſ. in dictorum Coelectorum & aliorum Eccleſiaſticorũ & ſæcularium Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, ac copioſa multitudine plebis, Imperii ſacri fidelium extitit ſolemniter publicata. Poſtquam die veniente prædicta, nos nec non omnes, & ſinguli Principes Electores Imperii ſupradicti, venimus ad dictum oppidum Franckenfurt, & ibidem dicta conſtituta die, nonnullis iterum deliberatione præuia tractatibus præhabitis Spiritus Sancti gratia deuotius inuocata ſignanter aduertimus, quod pro tanti regiminis apice totiuſque Reipub. laborum oneribus ſubeundis, in adiutorium noſtrum neceſſario conſtituendus foret Princeps Illuſtris, Catholicus iuuenis, fortis, potens, & tam terrarum rerumque diuitiis, quam etiam ſubiectorum hominum cæteros multa virtute præcellens, & per quem Imperio ſacro poſſit vtiliter prouideri ſicque conſideratis conditionibus & circumſtantiis multarum perſonarum, nec non ſtatus Reipub. tam Eccleſiæ Sacroſanctæ quam Imperii prædictorum, cauſis etiam extantibus prænotatis, & nonnullis aliis nos ad hoc legitime mouentibus. Viſum eſt nobis cæteriſque Coelectoribus, præfatum Sereniſſimum Principem Dominum Venceslaum Regem Boemiæ primogenitum noſtrum, aptum, habilem & idoneum, aggredi tanti laboris ſarcinam & honorem. & ſic his præmiſſis, eundem Sereniſſ. Principem Venceslaum Chriſtianiſſimum Regem Boemiæ, hodie in Eccleſia Collegiata B. Bartholomæi, in dicto oppido Franckenfurt, Sacris miſſarum finitis ſolemniis, vna cum omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis & Sæcularibus Principibus Coelectoribus prædictis, ad quos electio Romanorum Regis legitime ſpectare dignoſcitur: iidemque Principes Coelectores nobiſcum pariter in Roman. Regem promouendum in Imperatorem, rite, concordibuſque votis elegimus, nemine diſcrepante. Spem firmam & in eo confidentem fiduciam obtinentes, quod per ipſius electi magnificentiam, fidei puritatem, conſtantiam, potentiam, ſtrenuitatem, & multarum aliarum virtutum merita, noſtra fideliter imitando veſtigia Sacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ, tanquam eius Aduocatus præcipuus & defenſor, nec non Roman. Imperii Reſpublica, poſſit & debeat reformari viriliter, ſalubriter & potenter. Cui quidem electioni dictus primogenitus noſter Boemiæ Rex in perſonam ſuam ſic factæ, licet ſe tanquam inſufficientem ad tantæ ſublimitatis accingendos honores multipliciter excuſaret, tamen ratione victus, & precibus, conſenſit ad gloriam altiſſimi, proprios humeros tanto ponderi ſubmittendo. Quo facto nos & omnes dicti Coelectores, dignas Deo gratias referentes, primogenitum noſtrum prædictum in Romanorum Regem concorditer ſic electũ, cum decantatione diuini cantus, Te Deum laudamus per dictum Archiepiſcopum Moguntinenſem, ad Clerum & præfatum Ducem Saxoniæ, ad vulgarem populum, in copioſa valde multitudine congregatum, fuit, ſicut ab olim tentum eſt huiuſmodi Romanorum Regis electio ſolemniter publicata.*

*Quapropter veſtræ immenſæ clementiæ, cum dictis Coelectoribus Principibus ſupplicamus tam humiliter quam deuote, quatenus prædictum primogenitum noſtrum in Rom. Regem concorditer ſic electum, in Imperatorem promouendum, paternis affectibus benignius amplectentes, Regem Romanorum nominare, eiuſque perſonam ad apicem tantæ dignitatis reputare: nec non eidem munus conſecrationis, ac diadema Sacri Imperii loco & tempore opportunis, per veſtræ Beatitudinis ſanctas manus conferre dignemini, prout extat ab olim fieri ſolitum & conſuetum, vt ſciant & intelligant vniuerſi, quod poſuit in lucem gentium vos Dominus, & per veſtræ Sanctitatis arbitrium Orbi terræ poſt nubilum optata ſerenitas eluceſcat. Cæterum vt ſuper electione primogeniti noſtri prædicti, Sanctitas veſtra vnanimi vero cõcordes nos eſſe cognoſcat, præſentem ſignificationis & petitionis noſtræ litteram, cuius vobis ſimilis tenoris continentiæ & effectus, quilibet Coelectorum Principum Imperii ſuas ſpeciales litteras deſtinare debebit, ſigillo noſtro munitam, veſtræ Beatitudini tranſmittimus,*



*mus, ſicut expedit reuerenter. Perſonam veſtram Sanctiſſimam ſanam & incolumem conſeruare dignetur altiſſimus, cum dierum felicitate longæua regimini Eccleſiæ ſuæ ſanctæ.* Datum Franckenfurti Regnorum noſtrorum Anno tricesimo, Imperij vero 22.

II.

V. VINCESLAVS PROCVRATORES CONSTITVIT AD PETENDVM À PONT. IMP. CORONAM ET AD ALIA AD HOC REQVISITA FACIENDVM.

SANCTISSIMO IN CHRISTO PATRI ac Domino noſtro, Domino Gregorio diuina prouidentia, Sacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Venceslaus Dei gratia in Regem Romanorum electus ſemper Auguſtus & Rex Boemiæ, cum reuerentia debita deuota pedum oſcula Beatorum.

*Cvpientes feruenti deſiderio vobis Patri & Domino noſtro clementiſſimo, & Apoſtolicæ Sedi zelum noſtræ deuotionis offerre, noſque veſtris & ipſius Sedis beneplacitis coaptare, noſtroque & Sacri Romani Imperij ſtatui ſicut expedit prouidere, venerabilem Eckardum Vormacienſem Epiſcopum Principem Conſiliarium, & illuſtres Amedeum Comitem Sabaudiæ, Raymundum de Baucio Principem Auracienſ. Eberhardum de Koncenelbolgen Comites, nec non honorabilem Conradum de Giſenheim Decanum Spirenſem deuotos noſtros, nec non fideles dilectos, de quorum fidelitate, legalitate, & induſtria plenam obtinentes fiduciam fecimus & facimus, conſtituimus & ordinamus Nuncios & Procuratores noſtros, ipſoſque ad præſentiam veſtram pro noſtris & Imperij negotiis ſpecialiter deſtinantes, damus & concedimus eiſdem plenam generalem & liberam poteſtatem, & ſpeciale mandatum, in veſtræ Sanctitatis præſentia, deuotionem & filialem reuerentiam, quam erga vos & Sacroſanctam Romanam Eccleſiam matrem noſtram ſinceris affectibus gerimus exponendi petendi, procurandi, ſeu impetrandi pro nobis & noſtris fauorem & gratiam veſtram; nec non tractandi, explicandi, exercendi, permittendi, offerendi, ſeu præſentandi in animam & ſuper animam noſtram, debitæ vobis & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidelitatis, & cuiuslibet alterius generis iuramentum, ſpecialiter ad petendum à vobis, vnctionem, conſecrationem & coronam Imperij, de Sanctiſſimis manibus veſtris nobis impendendam, loco & tempore opportunis; ac faciendi omnia alia & ſingula quæ circa huiuſmodi noſtra & Imperij negotia tractanda, explicanda, exercenda, permittenda fuerint, ſeu etiam facienda, quæ ſecundum Deum & honeſtatem viderint expedire; & quæ ad nos promouendum ad Roman. Imper. fuerint facienda ac etiam requirenda, & cætera facienda quæ Regalis excellentia noſtra faceret & facere poſſet etiamſi in iis quæ mandatum exigunt ſpeciale, & perinde ac ſi omnes caſus, qui mandatum exigunt ſpeciale eſſent in præſenti Procuratorio ſpecialiter denotati.*

*Promittentes nos ratum, gratum, & firmum perpetuis temporibus habituros, quicquid in præmiſſis, aut circa præmiſſa per dictos Nuncios & Procuratores noſtros, omnes, vel maiorem partem eorum qui præſentes fuerint, expoſitum, petitum, impetratum, promiſſum, iuratum, ſeu factum fuerit, aut quomodolibet procuratum. Volumus inſuper ſaluis præmiſſis, quod prædicti Procuratores & Nuncii noſtri, poſſint omnes in ſimul, vel maior pars eorum facere Procuratorium fortius, quam fieri poterit nomine noſtro, in perſona noſtra, ſub ſigillis eorum, ad prædicta facienda ſi defectus aliquis fuerit in prædictis. Teſtes huius rei fuiſſe venerabilis* LVDOVICVS *Moguntinenſis Archiepiſcopus Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius. Illuſtris Venceslaus Dux Saxoniæ Sacri Imperij Archimareſcallus, venerabilis* IOHANNES *Pragenſis Archiepiſcopus Legatus Sedis Apoſtolicæ; nec non Illuſtris Iodocus Marchio Morauiæ, Henricus Bregenſ. & Bunczlaus Lignicenſ. Duces, Nobiles Petrus de Wartemberg Imperialis Curiæ Magiſter, Tymotheus de Koldicz Imperialis Cameræ Magiſter, & quamplures alii, noſtri & Imperii Sacri fideles dilecti, quos præſentes eſſe voluimus in teſtimonium præmiſſorum: præſentium ſub Regiæ Boemiæ Maieſtatis noſtræ ſigillo teſtimonio litterarum.* Datum & actum Franckenfurt, Anno Domini 1376. Indictione 14. 4. Idus Iunii, Pontificatus veſtri anno 6. Regni vero noſtri Boemiæ 13.

VI. PRINCIPES ELECT. IDẼ À PONT. PER LITTERAS SVAS POSTVLARVNT.

Præter Carolum Imperatorem & Venceslaum Electum, etiam Principes Coelectores, ſinguli ſeorſum, ex formula à Carolo præſcripta Summo Pontifici ſcripſerunt, vnctionem, conſecrationem & coronationem à Sede Apoſtolica Vencelao flagitantes. Cumque hoc anno, Gregorius, totum negotium ad Collegium Sacri Senatus retuliſſet, & illi exploranda omnia exactius exiſtimarent, ac interim etiam Pontifex Auinione relicta in Italiam maturaret, neque quicquam ea de re decernere potuiſſet, præterquam quod inaugurari Venceslaum Regio diademate, Colonienſi Archiepiſcopo permiſiſſet, oportuit anno ſubſequente, Venceslaum Sedi Apoſtolicæ iterum ſupplicem eſſe, & illas quas adiungo perſcribere.

III.

VII. ALIÆ EIVSDEM VENCESLAI AD PONTIF. GREG. IN EANDEM REM SVPPLICES LITTERÆ.

SANCTISSIMO IN CHRISTO PATRI & Domino noſtro, Domino Gregorio diuina prouidentia Sacroſanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Venceslaus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Boemiæ Rex cum reuerentia debita, deuota pedum oſcula Beatorum.

*Cvpientes feruenti deſiderio vobis Patri & Domino noſtro clementiſſimo, & Apoſtolicæ Sedi, zelum noſtræ deuotionis offerre, noſque veſtris & ipſius Sedis beneplacitis coaptare, noſtroque & Sacri Romani Imperii ſtatui ſicut expedit prouidere, meminimus nos dudum noſtros veros & legitimos Procuratores & Nuncios ſpeciales, ad Sanct. Veſtræ præſentiam, Venerabilem Eckardum Vuormacienſem Epiſcopum, nec non honorabilem Conradum de Ghiſenheim Decanum Spirenſ. & nonnullos alios pro ordinandis & expediendis negotiis noſtris, ac electionis noſtræ in Regem Romanorum deſtinaſſe. quibus noſtris prædictis Procuratoribus & citra reuocationem ipſorum, honorabilem Conradum de Vueſſel Decanum Vuiſſegradenſ. Pragenſ. Secretarium & deuotum noſtrum dilectum auctoritate præſentium duximus & decreuimus adiungendum: de quorum fidelitate, legalitate, & induſtria plenam fiduciam obtinentes, fecimus & facimus, conſtituimus, ordinamus, & ordinauimus omnes, & quemlibet eorum inſolidum, ita quod non ſit melior conditio occupantis, ſed quod omnes ſimul, vel eorum aliquis incœperit, per quemlibet ipſorum mediari poterit & finiri, Nuncios noſtros & Procuratores ad præſentiam Sanct. Veſtræ pro noſtris & Imperii negotiis ſpecialiter deſtinantes, damus & concedimus eiſdem plenam, generalem & liberam poteſtatem & ſpeciale mandatum, in Veſtræ Sanctitatis præſentia, deuotionem & filiam reuerentiam, quam ergo vos & Sacroſanctam Romanam Eccleſiam Matrem noſtram ſinceris affectibus gerimus, exponendi, petendi, procurandi ſeu impetrandi pro nobis & noſtris fauorem & gratiam veſtram: nec non tractandi, explicandi, exorandi, promittendi, offerrendi, ſeu præſtandi in animam & ſuper animam noſtram, debitæ vobis & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidelitatis & cuiuslibet alterius generis iuramentum. nec non ſpecialiter ad petendum à vobis, vnctionem, conſecrationem & coronam Imperii de Sanctiſſimis manibus veſtris nobis imponendam, loco & tempore opportunis, ac faciendi omnia & alia ſingula quæ circa huiuſmodi noſtra & Imperii negotia tranctanda; explicanda promittenda fuerint ſeu facienda, quæ ſecundum Deum & honeſtatem viderint expedire, & quæ ad nos promouendum ad Romanum Imperium fuerint facienda, ac etiam requirenda, & cætera facienda, quæ Regalis excellentia noſtra faceret & facere poſſet, etiam in his quæ mandatum exigant ſpeciale, & perinde ac ſi omnes caſus qui mandatum exigunt ſpeciale eſſent in præſenti Procuratorio noſtro ſpecialiter denotati. & ſingulariter ad petendum pro nobis & nomine noſtro dictam electionem publicari, ac litteras Sanct. Veſtræ deſuper procurari concedi. Promittentes nos ratum, gratũ & firmum perpetuis tempo-*

*ribus habituros; quidquid in præmiſsis aut circa præmiſſa per dictos Nuncios & Procuratores noſtros, omnes vel maiorem partem eorum fuerit petitum, impetratum, tractatum, promiſſum, iuratum, ſeu factum, aut quomodolibet procuratum. Volumus inſuper ſaluis præmiſsis, quod prædicti Procuratores & Nuntij noſtri poſsint omnes inſimul, vel maior pars, aut alter eorum facere Procuratorium, fortius quam fieri poterit nomine & in perſona noſtra, ſub ſigillis eorum, ad prædicta facienda, ſi defectus aliquis fuerit in prædictis præſentibus, ſub noſtræ Maieſtatis ſigillo teſtimonio litterarum. Datum & actum in oppido noſtro Pieska Pragenſis Diœceſis Anno Domini M. CCC. LXXVII. X. Calend. Octobris, Regnorum noſtrorum anno Boemiæ XV. Romanorum vero ſecundo. De mandato Domini Imperatoris Archiepiſcopus Pragenſ.*

VII. PONT. VOLEBAT VT CAROL. IMP. CŨ FILIO AD SED. APOST. VENIRENT. IVRAMENTORVM ET SPONSIONVM LITTERAS SEDI APOST. PERMITTIT CAROL.

Inter alia, quæ Nuntij Apoſtolici à Carolo & Wenceslao poſtulauerant, orabant, vt vterque ad Sedem Apoſtolicam ſeſe conferrent. cum etiam Gregorius ad proximos dies Septembris cogitaret in Italiam ſedem referre. Cauſæ fuerant grauiſſimæ, quas neque epiſtolis, neque nuntiis tuto committere fas erat, cur præſentiam vtriuſque Pontifex deſideraret. *MS. Archiu. Vaticani num. 33. de rebus Caroli 4. Imperatoris.* Excuſauit Carolus, ſe non poſſe, quemadmodum ante electionem ſancte iurauerat, tum valetudine aduerſa, tum incommodis aliis impeditus, in Italiam venire, neque minus filium Wenceslaum eo deſcendere. Quamobrem cum primum electionem Wenceslai, Pontifici ſignificaſſet, iuramentorum & ſponſionum quæ is fecit, inſtrumenta ac literas Sedi Apoſtolicæ præmiſit, ac munus vnctionis, conſecrationis, coronationiſque filio electo, à Pontifice poſtulauit. Francofurti XII. Iunij, Anno Domini M. CCC. LXXVI. Imperij XXI. *Extant omnia in mole Adriani, & lib. 3. priuileg. Rom. Eccleſ. pag. 125. & ſequentibus.*

VIII. MONET CAROLVM NE AD CORONATIONEM FILII ANTE CONSENSVM SED. APOSTOL. PROPERET.

Cum vero Carolus etiam diceretur, præpropere ante Pontificium conſenſum, diademate Regio Aquiſgrani velle Wenceslaum ornare. Pontifex datis literis, Carolo, quarum initium eſt, *Imperiales literas nuper recepimus*, vtrumque ab incepto deterruit: quod non approbata perſona electi, & confirmatione electionis non ſecuta, electus ipſe citra conſenſum Sedis Apoſtolicæ coronari non debeat. Nec actus Regius, vigore cuiuſcumque electionis, in eo, vel per eum valeret exerceri. Ideoque monebat, ne ex feſtinatione nimia proſiliat in id, quod poſſet totum negotium iſtud irritare, & Eccleſiam Romanam prouocare. *Auinione IV. Non. Maij.* Tandem permiſit, vt Aquiſgrani diademate Regio ornaretur.

IX. CAVSÆ PROPTER QVAS GREG. SE DIFFICILEM IN WENCESLAI ELECTIONE PRÆBEAT.

Præter cæteras cauſas, propter quas Pontifex adeo difficilem ſe in ea Wenceslai electione exhibebat, erat, quod Wenceslaus à moribus & pietate paterna degeneraſſe, parumque poſſe prodeſſe Eccleſiæ laboranti diceretur: ventri, deliciis, abdomini, ac euacuandis doliis potius, quam ſceptro & adminiſtrationi Imperij natus. Bacchanalia iſta, etiam ipſi hiſtorici Boemi adhuc in puero, ante eam electionem notarunt.

X. QVÃTAS CALAMITATES FLORENTINI TŨC ECCLES. ROM. INTVLERINT. ABOMINANDA FLORENTINORVM SCELERA.

Cæterum Eccleſia viro non euiro, Hercule non Baccho opus, id temporis habebat: præſertim cum Florentini ingenio & artibus potentes, ſexaginta & amplius vrbes Pontificias, ad defectionem impuliſſent, ipſumq; adeo Cardinalem Legatum Guilelmum, Bononiam deſerere compuliſſent. Poſt hominum memoriam, neſcio an aliqua vrbs, tantum calamitatis Eccleſiæ Romanæ, quantum Florentia iſto & ſuperiore anno intuliſſet. Namque vrbibus Pontificiis à Sede Apoſtolica alienatis, cum Gregorius Pontifex miſſo ad eos Nicolao Carthuſiano, illos officij admoneret illi Nuntium Apoſtolicum forcipibus ignitis laniarunt, carnes auulſas canibus proiecerunt, viuum adhuc & ſpirantem, ante Cathedralem Eccleſiam ſub furcis erectis ſepeliuerunt: Inquiſitoris domum exuſſerunt: Petri Corſini, Cardinalis Florentini, Epiſcopi Portuenſ. quamquam pro illis multum apud Sedem Apoſtolicam intercederet, bona publicarunt: familiares Epiſcopi Florentini ab eo detraxerunt: Conſtitutiones in fauorem hæreticorum cõdiderunt, atque diulgarunt: Humiliatorum Ordinis quendam Sacerdotem, ad retegendam cuiuſdam confeſſionem, per tormenta adegerunt; Illum quem Humiliatus Confeſſor per vim detexerat, furcis ante Cathedralem Eccleſiam appenderunt: Lucam Narnienſem Epiſcopum Sedis Apoſtolicæ Nuntium, pædore & inedia, in fœdiſſimis carceribus vix non enecarunt: Plebiſcita plurima, aduerſus S. R. Eccleſiam ediderunt: poſſeſſiones & redditus Eccleſiarum fiſco addixerunt: ad ea rapienda, atque omnes Eccleſiaſticos, adeoque Romanam Eccleſiam exterminio extremo delendam, octo viros deſignarunt: & quod grauius eſt, ſanctos appellarũt: vt & ipſi opere implerent, quod Saluator mundi prædicebat: vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. Non potuit eos grauiſſimos auſus diſſimulare Gregorius: maxime quod illi toties benigne monentem contemnentes, ipſius Nuntios per inauditam contumeliam violaſſent: ac inſuper Nuntij eorum duo, Alexander Antilla, & Donatus Barbadorus, per ſummam impudentiam multa contra Pontificis & Adminiſtrorum Pontificiorum innocentiam, in publico Patrum & Pontificis conſeſſu vomuiſſent. Leonardus Aretinus, Laurentius Bonicontrus, Pogius, & non nemo hiſtoriæ Florentinæ mercenarius palpo, Oratores ad eum modum dixiſſe, mentiuntur.

XI. ORATIO QVAM QVOSDAM FLORENTINORVM ORATORES AD PONT. HABVISSE MENTITVR ARETINVS ET EIVS ASSECLÆ.

*Si tui, Beatiſsime Pater, ſiue Præfecti, ſiue Legati, quos ad gubernandas Italiæ ciuitates miſiſti, gubernationem populorum amabilem, ac non tyrannidem horrendam in ceruices hominum fuiſſent meditati, nec tibi nunc accuſandi cauſa foret, nec nobis excuſandi. Quippe res tranquillæ pacatæque forent, nec vllius querimonia indigerent: Imo & gubernatores populorum fidelitatem, & populi ipſi gubernatorum moderationem debitis laudibus proſequeretur: finitimi vero, omni prorſus incuſatione carerent. Nunc autem, vt par eſt, querela multiplex, variaque inſurgit: Quod gubernatores, fidelium populorum infidelitatem accuſant, populi autem non vt fidelibus aut ingenuis, ſed vt ſeruis ac barbaris imperatum ſibi conqueruntur. ſuperbiaque, & auaritia, & libidinibus eorum neceſſario ſe compulſos aiunt, tam miſeræ ſeruitutis iugum excutere. Noſque deuotiſsimi ab antiquo Eccleſiæ filij, quos iſti nunc quaſi fautores adiutoreſque defectionis criminantur, luce clarius docere poſſumus, gubernatores illud idem nefarium ſeruitutis iugum, quo cæteros miſerabiliter premebant populos tyrannico nimium conatu in ceruices noſtras extendere voluiſſe. Tu igitur Beatiſsime Pater, æquiſsimas Sanctitatis tuæ aures inclina, & non vt pars, ſed vt Iudex rectus & æquus cauſas fidelium tuorum, de Pontificali Iuſtitiæ ſolio recognoſce. Quo enim longius abes, ac minus vel oculis inſpicere maleſacta gubernatorum tuorum, vel auribus percipere valuiſti, eo magis debet tua Sanctitas aures æquiſsimas nobis impartiri. Nos autem liberius de illis loquemur; quoniam certiſsime credimus, contra voluntatem tuam illa omnia proceſsiſſe. Cumque omnis legitima gubernatio, gratia eorum qui gubernantur inſtituta ſit, & pro eorum vtilitate: non debet tuæ Sanctitati populorum cauſa & Iuſtitia minus commendata eſſe, quam eorum qui à te miſsi ſunt ad gubernandum. Atqui cogitare debebant gubernatores illi, ſe non ad barbaros, neque Saracenos, ſed ad ingenuos & Chriſtianos populos gubernandos tranſmitti. Et quo Eccleſiæ nomen atque religio diuinius ſonat, eo quoque alienius à tyrannide armorumque violentia eſſe debet, eo mitius & humanius populos gubernare. Hi autem præclari homines obliti qui eos mitterent, ita demum ſe magnificos fore putarunt, ita demum vitia ſua exercere poſſe, ſi vim, & arma, & terrorem cum miſera gemendaque ſeruitute fidelibus populis inferrent. Quid enim quæſumus tot arces per ſingulas ciuitates infinito pene ſumptu ab illis ædificatæ? Qui tot mercede conductorum militum phalanges ſingulis vrbibus impoſitæ? Nonne hæc probant tales fuiſſe gubernatores, vt conſcientia ſuorum ſcelerum de ciuium voluntate, ſi qui, fuerit deſperandum? Fundamentaque ſtatus ſui collocaſſe, non in iuſtitia & benignitate, ſed in violentia miſeraque tyrannide, qua ſeruos nobis parere compellimus. Hæc, Beatiſsime Pater, à voluntate conſenſuque tuo ſemper aliena putauimus & putamus. At enim ſuperbia illorum moreſque nepharij, in gemitum, moxque in deſperationem populos adegerunt. Nec vllos infeſtiores per Italiam hoſtes habuit Eccleſia, quam Gubernatores ſuos. Ab his & contemptus hominũ ſuperbiſsimi,*



*mi, & intolerabiles rapinæ, & inhoneſtiſsimæ cupiditates, ne dicã libidines extitere. Hi populos, non verbis, ſed quod deterius rebus hortati ſunt; hi ad inobedientiam compulerunt. Doles tot ciuitates per Italiam defeciſſe? Gubernatoribus imputa, qui hæc machinati ſunt. Arma ſumpta libertatemq; proclamatam à populis indignaris? Eiſdem Gubernatoribus adſcribe, qui ſæuo tyrannidis iugo, in furorem & arma populos adegerunt. Equi & elephanti quibus non eſt intellectus, bonam vel malam gubernationem diſcernunt, atque huic obediunt, illam non ferunt, nedum homines ratione præditos hæc non intelligere arbitremur. Nobis autem ab antiquo Eccleſiæ deuotiſsimis filiis, qui perſecutiones ſtrageſq; innumeras pro defenſione Romanorum Pontificum certantes ſubiuimus; quid iſti Gubernatores fecerunt attende. Cum fame populus noſter laboraret (habemus namque ciuitatem populoſiſsimam, & quæ plurimum importatu indigeat) cum inquam ſuperiore anno fame laboraret populus noſter, ac Bononiæ cæteriſque Eccleſiæ Vrbibus permagna vis frumenti ſupereſſet. Neque precibus, neque obſecrationibus, neque lachrymis pro infima plebe effuſis impetrare à Gubernatoribus valuimus, vt de ſuperabundantia ſua plebi noſtræ fameſcenti, vel in aliqua ſaltem particula ſubuenirent; cum eſſemus loco proximi, publice ſocii, priuatim amici. Verum quamquam hæc dura ſint & inhumana, & charitatis expertia; tamen non magna ſunt, ſi ad ſequentia comparentur. Non contenti enim non ſubuenire poſtulantibus & indigentibus, ipſa etiam noſtra pro futura ſpe adimere malignitate mirabili Gubernatores tui quæſierunt. Nam cum aduenisſet iam æſtas, & omnis ſpes in ſegetibus eſſet, quæ iam flaueſcere incipiebant; ſcientes illi difficultates extremas noſtro populo adeſſe, nec aliud omnino refugium quàm in nouis ſegetibus habere, repente hi præclari Gubernatores, ſub ficto ceſſationis belli velamento, vniuerſum equitatum ſuum in incredibili multitudine contra ciuitatem noſtram miſere: vt extra vaſtatis agris, ſpeq; frumenti adempta, intus vero fame pereuntes, quod vnum reſtabat remedium, in eorum poteſtatem, id eſt, ſub eorum poteſtate & tyrannide viuere cogeremur. Quod niſi ſeruaſſet nos primum diuina benignitas, deinde pecuniarum magnitudo (centum enim & XXX. millia florenorum equitibus dedimus) proditionibus doliſq; ſubacti, in ſeruitutem illorum miſerabiliter trahebamur. Nam aduerſus tam repentinam vim, tantaſq; copias improuiſo inopinatoq; ſuperuenientes, reſiſtendi armis facultas non erat. Nec proderat ſeruare mœnia, cum victus neceſſarius intus deeſſet. Hæc autem qualia ſunt, Pater Optime? An non ſtupenda? an non deteſtanda? an non nepharia? Hac igitur fraude malignitateq; detecta, periculumq; experti, ſi ſic poſt hæc nos armauimus, vt iterum inferri nobis eadem pericula nequirent; vtrum hoc eſt ſtatum Eccleſiæ ſubuertere? an ſtatum noſtrum à periculo vendicare? Et vtrum nos qui obuiauimus ac reſtitimus illato nobis periculo, turbationis cauſa ſumus æſtimãdi, an illi qui periculum inferendo, nos muniri aduerſus eorum violentiã coegerunt? Quod ſi aliæ ciuitates videntes nos armari, fiduciam aſſumpſerunt, illorum nephariis iniuriis reſiſtendi; quis iuſtus Iudex imputare nobis debet, cum pro defenſione noſtra fecerimus omnia, non pro alterius impugnatione? Hæc pro nobis ipſis, & iuſta & legitima dixiſſe videmus: & Beatitudo tua, ſi recte iudicare voluerit, debet eadem comprobare. Sed quæ poſt hæc ſuſpicio reſtet, libere aperiemus. Auditum eſt enim à nobis, multa ſiniſtra per æmulos obtrectatoreſq; tuæ Beatitudinis auribus inſtillata fuiſſe, atq; diffuſa aduerſus deuotionem fidelitatemq; ciuitatis noſtræ. Itaq; neceſſarium videtur, quæ & qualis fuerit erga Eccleſiam Florentini populi deuotio fideſq;, vice verſa memorare. Populum Florentinum, Beatiſsime Pater, ſi antiquæ recitentur hiſtoriæ, ſemper aſſertorem præcipuum Romanæ Eccleſiæ reperies extitiſſe: Ob hoc etiam indignationes Imperatorum grauiſsimas, & perſecutiones innumeras pertuliſſe. Nullus contra Pontifices Romanos in Italia ſurrexit, qui non & Florentinum populum, vt aſſertorem fautoremq; illorum fuerit proſecutus: nec, rurſus, vllo in loco pugnatum eſt pro Eccleſiæ ſtatu, in quo Florentinus in armis non fuerit. Probat primi Friderici perſecutio; qui cum Romanam Eccleſiam crudeliter afflixiſſet, non minori ſæuitia Florentiam afflixit, vtpote Romanorum Pontificum ſingulariſsimam aſſertricem. Probat & Henrici filii perſecutio, identidem non eiſdem de cauſis illata. Probat & alterius Friderici: qui cum Romanos Pontifices exterminaſſet, ſtatumq; Eccleſiæ per Italiam euertiſſet; ita demum hoc ſtabile fore putaret, ſi Florentinos ſtudio Romanæ Eccleſiæ flagrantes è medio tolleret, atq; opprimeret. Itaque, & carcere, & tormentis, & gladio, & exterminatione ciuium, & omni crudelitatis impietatiſq; genere, in Florentinos deſæuiit. Succeſſit, vt in generis, ſic etiam in furoris hæreditatem Manfredus, qui Siciliæ Regnum poſt Fridericum occupauit. Hic rurſus, vt Pontificibus, ita & nobis, vt fideliſsimis Eccleſiaſticorum partium aſſertoribus bellum intulit, victoſque apud Arbiam maximo prælio domo pepulit, patria extorres diſsipauit: nec nos ante in patriã noſtram reſtituti ſumus, quam Romanus tunc Pontifex in Sedem ſuam. Sed Manfredus ipſe, non impune hoc egit. Nam Carolus ex Gallia in Italiam vocatus cum veniſſet, in illa memorabili pugna apud Beneuentum commiſſa, Florentini tunc exules ſuo agmine proprio; ſub vexillo quod eis Romanus Pontifex vt deuotiſsimis & fideliſsimis donauerat, aduerſus Manfredum vna cum Carolo pro ſtatu Pontificum pugnauere; victoq; & occiſo Manfredo, finem perſecutioni impoſuere. Poſt hæc, cum huius Manfredi nepos Conradinus Italiam ingreſſus contra Eccleſiam moliretur: noſtræ Ciuitatis auxilia interfuerunt, ad perſecutorem Eccleſiæ opprimendum. Quid poſteris temporibus, ac fere noſtra ætate, cum Ludouicus Bauariæ Dux, correptis Imperatoriis faſcibus, cum magno exercitu Italiam intrauit, Romam tenuit, falſum Pontificem Cardinaleſq; in ea creari feciſſet, quiſquam ne magis in veri Pontificis, veræque Romanæ Sedis deuotione perſtitit, quam ciuitas noſtra, quæ & aduerſus terrorem Ludouici armatam ſe obtulit? Nec terror armorum, nec imminentis periculi magnitudo, nec exempla cæterarum Ciuitatum, quæ falſo Pontifici adhærebant, populum noſtrum à vera fidelitate potuerunt deflectere; quamuis & bellum & obſidio grauiſsima, à Ludouico ſimul & à Caſtrucio nobis immineret. Hæc & huiuſmodi alia permulta, cum pro Eccleſia perpeſſus fuerit populus Florentinus, an ob hæc tibi videtur idem populus noſter, cui à tuis Gubernatorib. & Præfectis, in extrema fame ſubuentio frumentaria denegaretur? An tibi dignus videtur populus noſter, vt non ſolum ei frumentum negaretur, ſed equitatus Anglorum repente ad vaſtandas ſegetes agrorum illius mitteretur, vt per hoc miſeræ ſeruitutis iugum ſubire cogeremur? Hæc ſi volente, & iubente (quod credere non poſſumus) facta ſint: de Sedis Apoſtolicæ, de Eccleſiæ Romanæ, de Pontificis Summi ingratitudine & iniuria conqueremur. Sin autem ipſi Præfecti, contra voluntatem tuam hæc fecerunt; indignationem tuam ipſi merentur non Florentinus populus, qui contra illorum nefarios conatus neceſſario ſe armauit. Quocirca Pater Sanctiſsime, tibi ab intimis ſupplicamus, vt ſereno tranquilloq; animo cauſam noſtram diſcernas; iram vero & indignationem, ſi quam aduerſum nos doloſæ tibi linguæ impoſuerunt deponas. Neq; enim decet, in Cathedra Petri ſedentem ira vel odio commoueri. Pone tibi ante oculos infantes & pueros, & illam multitudinem Ciuitatis noſtræ fame laborantem, quibus non modo denegata eſt frumentaria ſubuentio à Præfectis tuis, verum etiam miſſus exercitus, ad vnicam ſalutis ſpem crudeliter auferendam. Subueniatur ciuitatum illarum miſeræ ſeruituti, quæ ſub illorum gubernatione fuerunt. Moueat deniq; lachrymas tuas Fauentia ciuitas fidelis, & innocens, ab equitatu Præfectorum tuorum hoſtilem in modum direpta. O miſerandam calamitatem. O ſceleratum facinus. O deteſtandam crudelitatem. Quis non fleat aſpiciens necatos ciues crudeliter? Virgines ac Matresfamilias ad ſtuprum libidinemq; reſeruatas? Infantium ac lactantium turbas, mulieresq; ætate profectas, longis agminibus, mendicaturas de propria vrbe, laribuſq; depulſas? Hæc ſunt opera Præfectorum tuorum. Hæc illorum ſanctitas & religio, quorum facta ſi tu non damnas, atq; eos perſequeris, qui aduerſus talia reſtiterunt: vide, quid Deus ipſe, de his iudicaturus ſit; & quæ de huiusmodi rebus opinio, in communi hominum iudicio relinquatur.*

XII. EFFICTA GREG. PP. AD FLORENTINORVM ORATIONEM RESPONSIO.

Hæc Florentinorum Oratores, partim excuſarunt, partim accuſarunt: ſi tamen illi iſtud egerunt, & non hiſtoriographi confinxerunt. Hi ipſi Pontificem aſſerunt reſpondiſſe hunc in modum.

*Audiuimus Florentini defenſionem veſtram, aduerſus crimina, per proceſſus noſtros vobis obiecta: quoq; accuratior fuit veſtra oratio, eo magis patet vos omnia collegiſſe, quæ vel in cauſa, vel extra cauſam dici pro excuſatione poſſent. Et nos quidem, vti ſuadetis, iudices erimus recti, nec ira, nec indignatione mouebimur, neque calumniis credemus, ſed ſolummodo veritati. Vos autem vice verſa hortamur, vt commiſerationes iſtas, & epilogos ac cætera huiuſmodi machinamenta & artes, quæ ad decipiendum*

iudicem pertinent, miſſa faciatis, & vna ſimul nobiſcum veritatem intueamini. Quæro igitur à vobis, cur populus veſter fuerit impulſor, adiutor, & auctor, ciuitatib. Eccleſiæ rebellandi? Nam id quidem patet; & negari non poteſt, quod eſt omnibus manifeſtum. Qua tandem ratione factum à vobis hoc, defendere aggredimini? Nempe illa, quod pro tutela veſtra dicitis id feciſſe. Sic enim quodam loco dictum fuit à vobis; ideo armaſſe vos, ne pericula vobis poſſent inferri. Hæc autem verba, fronte prima videntur bona & recta, cuique enim licet, aduerſus illatam vim, ſeipſum tueri. Verumtamen ſi arma capiat quis, non vt vim præſentem repellat, ſed occidat eum de quo ſuſpicatur, & metuit: iam homicida eſt, manifeſteque damnandus. Vos Florentini Tifernum, vos Bononiam, vos Peruſiam copias veſtras miſiſtis, ad arces expugnandas, ad Gubernatores earum deiiciendos & opprimendos. Hoc autem, (pace veſtra dictum ſit) nequaquam eſt vim repellere, ſed inferre; nec à domo ſua propulſare violentiam, ſed alienæ domui violentiam facere. Tale igitur eſt factum veſtrum, quale illius qui hominem occidit, de quo ſuſpicatur ne ſibi aliquando poſſit nocere. quod eſſe damnandum, & contra leges manifeſtiſſimum eſt. Quamquam, quid nos de ſuſpicione & metu loquimur, cum appareat, vos, non metu, vel ſuſpicione, ſed odio magis illa feciſſe. Omittamus Tifernum, Peruſiam, Bononiam, quas ad rebellandum compuliſtis, & quarum arces expugnaſtis. Fuerit in propinquitate, aliqua vobis ſuſpicio vel metus. At Aſculum in Picentibus, & aliæ locorum aliorum vrbes, tam procul à vobis, tam longinquæ, tam remotæ; nonne probant manifeſte, vos non ſuſpicione, vel metu, ſed odio contra ſtatum Eccleſiæ inſurrexiſſe, ad vrbes illas auferendas, nec minuere vires Eccleſiæ per Italiam, ſed euertere penitus, & delere funditus voluiſſe? Et poſtea aſſeritis, vos Eccleſiæ filios Romanæ eſſe: nec intelligitis, contra vos dicere, quanto grauius eſt, filium parenti manus afferre, quam extraneum. Abutimini ad omnia, Gubernatorum inuidia, & arces per ſingulas vrbes ab eis ædificatas vituperatis, quaſi tyrannicum: denique culpam omnem defectionis in Gubernatores refertis. Primum quidem, quantum ad arces pertinet; nec nos laudaremus, ſi populi ſemper ratione vterentur. Sed quia vt equi, otio & affluentia cibi intractabiles fiunt, & calcitroſi, ita & populi nimia interdum quiete & indulgentia inſoleſcunt, arcibus indigent quibus compeſcantur. Gubernationem legitimam omnem, pro eorum qui reguntur populorum vtilitate inſtitutam eſſe fatemur, talemque noſtram eſſe dicimus. Neq; enim ſumus tyranni neq; eſſe volumus. Arces tamen, ad populorum ſalutem & vtilitatem publicam pertinere credimus, vt ſe contineant, & acquieſcant, vt leues audaceſque homines, quibus plenæ ſunt vrbes, contra bonorum voluntates, res nouas ſuſcitare non audeant. Nam quod ad culpam Gubernatorum defectionem refertis, ſatis conſtat nobis, nullum ante populum defeciſſe, quam à vobis, ſuadendo & pellicendo fuerit ad defectionem impulſus; vt in vobis, non in noſtris Gubernatoribus cauſa reſideat. Ad extremum, calamitatem Fauentinorum miſerabiliter deploraſtis, quaſi vero calamitas illa, non ex Bononiæ defectione, & rebellione orta ſit. Numquam Angli Fauentiam inuaſiſſent, ſi Bononia in fide permanſiſſet. Et tamen noſtrum eſt dicere, quod qui rebellandi Bononienſibus cauſa fuerunt, iidem ipſi, miſerabilis excidii Fauentinorum cauſa extiterunt. Noſtrum etiam eſt, de ea calamitate, deq; ceteris malis, contra vos conqueri.

XIII. ATROCISSIMA FLORENT. IN ECCL. SCELERA REPETVNTVR.

Hæc Florentinorum hiſtoriographi Aretinum ſecuti, commemorant: alto ſilentio tegentes, illa atrociſſima ſcelera quæ tunc Florentini in Eccleſiam admiſerunt, neque vlla tergiuerſatione excuſari potuerunt: quod Eccleſiam aduerſus Vicecomites laborantem, in mediis bellorum periculis deſeruiſſent: quod pactis cum Eccleſia initis, non ſtetiſſent: quod conſilia ſecreta cum Vicecomitibus contra Eccleſiam habuiſſent, auxilia illis ſubmiſiſſent: ad ineundas inducias venire vocati cõtempſiſſent: Nuncios Apoſtolicos violaſſent: & reliqua grauiſſima facinora perpetraſſent. Sed nec illud pro innocentia Pontificis adduxerunt: quod non ad eos ſpectabat, in Gubernatorum Pontificiorum vitam & mores ea ratione animaduertere, vt Pontificias vrbes ad defectionem debuerint perurgere, adducere, & Cardinales S.R.E. vel obſidione premere, vel vrbibus expellere, vel etiam præſidia Eccleſiaſtica, per inuaſionem & tumultum eiicere. Quin, ſi eos commiſeratio oppreſſarum Vrbium Pontificiarum tenebat, par erat pro officio Pontificem admonere, non ad defectionem populos impellere, aut talia perpetrare, quæ vix Nero aut Domitianus, aduerſus Eccleſiam admiſiſſet.

XIV. GREGOR. PONTIF. SENTENTIAM ANATHEMATIS CONTRA FLORENTINOS FERT.

Hæc, & ſuperius commemorata, non potuit Gregorius Pontifex diſſimulare. Itaq; ad 3. *Idus Februarii*, Auinione, grauiſſimam ſententiam damnationis, anathematis, & maledictionis in Florentinos, octo viros primum, deinde in reliquos, auctores, Conſiliarios, ſocios, fautores, exequutores, & cohabitantes, pronunciauit, ſacris vrbi eorum interdixit, commercia cum reliquis prohibuit, perſonas & bona, vbi vbi locorum orbis Chriſtiani inuenirentur occupatoribus ſubiecit; honoribus, dignitatibus, & functionibus publicis, tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus, vſque ad quartam generationem priuos edixit: ſepultura Eccleſiaſtica, etiam ſi eos facti pœniteret, indignos iudicauit: & in ſumma anathema maranatha illis dixit. Sed quæ Florentini aduerſus Eccleſiam peccauerint, præſtat illa ex ipſa narratione Gregorii Pp. cognoſcere. Ita habet.

XV. TENOR SENTENT. ANATHEMATIS CONTRA FLORENTINOS IN QVA ABOMINANDA EORVM SCELERA FVSE RECENSENTVR.

*Graues & deteſtandos exceſſus impiorum Florentinorum, contra Romanam & vniuerſalem Eccleſiam ac ſtatum Reipub. cunctorumque Chriſti fidelium damnabili præſumptione commiſſos, ſic facti euidentia, & diuerſorum proceſſuum per nos habitorum, propterea de Fratrum noſtrorum conſilio, contra omnes frequens & repetita publicatio diuulgauit, vt ad omnium communem notitiam potuerint peruenire, nec opus eſſe credimus illos ſingulari diffuſa & moroſa commemoratione repetere, ſed quadam illorum generali & ſuccincta epilogatione præmiſſa ſufficere, aliqua explicite recenſere, per quæ iuſtitia & manſuetudo matris Eccleſiæ euidenter eluceat, & cunctis clarius innoteſcat. Sane dudum idem Florentini ab recta Dei & Apoſt. Sedis, & eiuſdem Roman. Eccleſ. à qua multa beneficia & grata ſeruitia receperant, reuerentia, Inquiſitoris hæreticæ prauitatis officium in ipſius libera executione impedientes, ſtatuerunt, quod non poſſit in eorum ciuitate, territorio, & diſtrictu, contra hæreticos, niſi certo modo procedi, nec dicti Inquiſitoris familiares, niſi ad certum numerum, & habita licentia eorundem officialium temporalium arma deferre valeant, ordinarunt. Quodque priores artium & vexillifer dictæ ciuitatis in principio eorum officii, de obſeruandis iniquis eorum legibus contra dictum Inquiſitorem & eius officium editis teneantur præſtare corporale iuramentum, ipſius quoque Inquiſitoris carcerem in quo hæretici ponebãtur, concitato tumultu populi totaliter deſtruxerunt, & Inquiſitorem qui tunc erat expulerunt; & quamplurima alia ſtatuta & ordinationes in præiudicium Inquiſitionis huiuſmodi hæreticæ prauitatis & hæreticorum fauorem, ac in Eccleſiæ libertatis præiudicium ediderunt, & ea de facto ſeruare non verentur, ac etiam ordinarunt, quod auctoritate litterarum Apoſtolicæ Sedis poſſeſſionem alicuius beneficii Eccleſiaſtici in præfata ciuitate & eius territorio & diſtrictu conſtituti nullus recipere audeat, niſi prius litteræ ipſæ Prioribus & Vexillifero dictæ ciuitatis præſententur, & licentiam obtineant ab eiſdem, & quod quando Clericus accuſatur coram Iudice temporali, vel ab eo aliquid ciuiliter petitur, & allegat priuilegium clericale, quod ex hoc ſit extra cuſtodiam dictæ ciuitatis: ita quod quilibet poſſit eum impune offendere & occidere: omneſque allegantes huiuſmodi priuilegium clericale, in quodam libro ſeu chartulario deſcribuntur, vt pateat omnibus licentia offendendi eos, & etiam occidendi. Et inſuper, dudum Priores & Vexillifer dictæ ciuitatis, qui tunc erant, ac populus & commune ſupradicti ſpiritu furoris accenſi, quemdam Nicolaum Monachum in Sacerdotio conſtitutum, quibuſdam ſceleratis viris (cum nullus officialis iuſtitiæ partium earundem de hoc ſe intromittere vellet) torquendum dederunt, qui Monachum ipſum in ſuæ religionis & clericalis ordinis vituperium, ad oſtendendum eum fore Sacerdotem, de nouo radi fecerunt, & eum in quodam curru poſuerunt, & cum tenaculis igneis ipſius carnes euellentes, eas canibus proiecerunt: & ſic eum per ciuitatem Florentinam prædictam tranſeundo etiam prope Eccleſiam Cathedralem, ad maius ordinis clericalis vituperium, vſq; ad locum vbi fures ſuſpenduntur, deduxerunt, ipſumque coram populo, clamantem, quod à ſibi im-*





*poſitis innocens erat penitus, & immunis, viuum ſepeliri fecerunt atque mori. Et inſuper in pluribus ciuitatibus, terris & locis atque caſtris noſtris, & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ in partibus Italiæ, & ſpecialiter in prouincia patrimonii Beati Petri in Tuſcia, Ducatu Spoletano, proxima Maſſatrebariæ, Marchia Anconitana, & Romandiola conſiſtentibus, cum eorum peruerſa aſtutia & inſita malitia, diuerſas Zizanias ſeminantes rebellionis contra nos & eandem Romanam Eccleſiam fieri procurarunt, & etiam ordinarunt. Quod Franciſcus de Vico, qui Præfectus vrbis nuncupatur, & Baptiſta eius frater Viterbienſis, Antonius de Comitibus de Monteferrato Vrbinat. & Sinibaldus natus damnatæ memoriæ Franciſci de Ordelaſis Foroliuienſ. Ciuitates, quæ Romanæ Eccleſiæ ab antiquo fuerunt & exiſtunt, ac nonnulli alii tyranni, terras, caſtra & alia loca noſtra, & ipſius Romanæ Eccleſiæ eorundem Florentinorum adiuti pecuniis, & ſuffulti gentibus & auxiliis, quamuis etiam nonnulli ex tyrannis huiuſmodi, & eorum progenitores, prædictorum Florentinorum, & earum partis inimici ſemper fuiſſent & hoſtes, tyrannice occuparunt, ac detinuerunt, & adhuc detinent indebite occupatas. Gentes quoque armigeras equeſtres & pedeſtres publice, in fauorem, ſuccurſum & defenſionem huiuſmodi noſtrorum rebellium tranſmiſerunt, & ipſas gentes tenent in terris huiuſmodi rebellatis; ac voluerunt & etiam ordinarunt, quod quicumque rebelles Eccleſiæ Romanæ, ex eo quia factus rebellis, cenſetur eorundem Florentinorum colligatus. Et cum in publicum huiuſmodi rebelliones proceſſerunt, ſtatim iidem Florentini duo erexerunt vexilla, videlicet communitatis Florentinorum, ac vexillum aliud cum campo rubeo, vbi litteris argenteis ſcriptum erat, LIBERTAS: ac nonnullas gentes armigeras cum huiuſmodi duobus vexillis in ſuccurſum ciuitatis noſtræ Peruſinæ, quæ ipſis procurantibus tunc rebellauerat, & aliorum locorum rebellium tranſmiſerunt, & ad faciendam guerram huiuſmodi, octo maledictionis filios ordinarunt. Et quia non vniuerſaliter poſſe per ſe eandem Romanam Eccleſiam inuadere, omnes quos poſſunt in adiutorium ſuis pecuniis ſollicitare, ac verbis & litteris fallacibus, & mendaciis inducere non ceſſant, & à Clero ciuitatis & diœceſis Florentinorum, & aliorum locorum quæ tenent, diuerſas pecuniarum ſummas importabiles etiam, omni humanitate prorſus abiecta extorſerunt: ac octo viros ſceleratos, quos publice octo ſanctos appellant, ad rapiendum bona Eccleſiaſtica deputarunt; qui Eccleſias, monaſteria, & alia pia loca, eorumque perſonas bonis ſuis ſpoliant, & huiuſmodi bona mobilia & immobilia vendunt & diſtrahunt pro libito voluntatis. Et inſuper dilectum filium Lucam de Florentia Ordinis Fratrum Humiliatorum profeſſorem, Sacræ Theolog. Magiſtrum ad reuelandum & declarandum quendam hominem, qui eidem peccata ſua, & inter cætera quædam furta per eum commiſſa confeſſus fuerat, ſigillum confeſſionis frangere fecerunt.*

*Ad hæc Priores artium & Vexillifer dictæ ciuitatis, qui tunc erant, & nonnulli alii Officiales ac populus & commune ciuitatis Florentinæ prædicti, venerabilem fratrem noſtrum Lucam Epiſcopum Narnienſem, Apoſtolicæ Sedis Nuncium, quem ſpecialiter ad partes dicti patrimonii deſtinabamus, & qui ab eadem Sede Apoſtolica recedebat, iniurioſis, violentis & ſacrilegis auſibus capere, & captum, aliquandiu crudeliſſimo carcere detinere miſerabiliter præſumpſerunt.*

*Rurſus Priores, Vexillifer, Confallonerii, & alii officiales dictæ ciuitatis qui tunc erant, ac populus & commune ciuitatis Florentinorum ſupradicti, ad inauditam Patris offenſam proſilientes, ac dolum & proditionem per eos præparatos conantes producere in effectum, dilectum filium noſtrum Geraldum S.R.E. Presbyterum Cardinalem in nonnullis terris noſtris Italiæ, pro nobis & eadem Eccleſia in temporalibus Vicarium Generalem, magnum & honorabile membrum Eccleſiæ, & in grandium agendorum executione probatum, hoſtiliter inſequentes, procurarunt, & de facto fecerunt gentes armigeras ad ciuitatem noſtram Peruſinam prædictam deſignando; quod dictus Cardinalis, ac etiam venerabilis frater noſter Bernardus Epiſcopus Bononienſis, cum nonnullis aliis perſonis Eccleſiaſticis eiuſdem Romanæ Eccleſiæ, ac noſtris officialibus obſeſſi fuerunt. Seu populo Peruſino matris & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ rebellibus, ipſos, Cardinalem, Epiſcopum & alios obſidentibus præbuerunt exfortium & iuuamen, in diuinæ Maieſtatis offenſam, Apoſtolicæ Sedis ac noſtri, & Eccleſiæ ſanctæ Dei totiuſque Chriſtianæ religionis opprobrium, læſionem libertatis Eccleſiaſticæ, ac eorundem Cardinalis, Epiſcopi, & aliorum ſupradictorum offenſam enormem, iniuriam, exempli perniciem, & graue nimis ſcandalum plurimorum, pœnas varias & ſententias tam in iure contentas, quam per proceſſus diuerſos, per felicis recordationis Iohannem Papam XXII. & nonnullos alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, contra tales factos, damnabiliter incurrendo; & alia quamplura enormia crimina contra nos & eandem Romanam Eccleſiam ac libertatem Eccleſiaſticam, quarum etiam aliqua hæreſim manifeſtam ſapere dignoſcuntur, perpetrarunt.*

*Et licet abſque alia dilatione vel monitione iuſte potuiſſemus animaduertere in Priores, Vexilliferos iuſtitiæ, Confalonerios, populum & commune, & alios ſupradictos; cum præmiſſa adeo eſſent, prout adhuc ſunt notoria, quod nullæ poterant, ſicut neq; poſſunt tergiuerſatione celari, ac etiam dilectus filius noſter Petrus tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis, cui ad cautelam & maiorem certitudinem præmiſſorum oraculo viuæ vocis commiſimus, vt ſe de eis informaret, quæ per informationem huiuſmodi reperiret nobis poſtmodum relaturus, eadem informatione per ipſum diligenter & debite recepta nobis in Conſiſtorio retuliſſet, ea eſſe notoria, & etiam manifeſta. Volentes tamen probare, de ſolitæ benignitatis Apoſtolicæ Sedis affectu, ſi aliqua in eis ſigna deuotionis remanſiſſent, per noſtras certi tenoris litteras, omnibus & ſingulis Prioribus, artium Vexilliferis, iuſtitiæ Confalloneriis, & aliis Officialibus dictæ ciuitatis Florentinorum, qui tunc erant, & à menſe Iunii tunc proxime præterito citra, in ciuitate ipſa fuerant, à quo menſe conſpirationes & tractatus eorum illiciti contra Romanam Eccleſiam publice patuerant, & extunc in antea in effectum deduxerant; nec non Officialibus guerræ, & octo ad diripiendum bona Eccleſiaſtica, & Eccleſiaſticarum perſonarum, vt præmiſſum eſt deputatis, quorum omnium nomina & cognomina perinde eiſdem noſtris litteris haberi voluimus pro expreſſis, ac eos omnes ac ſingulos proceſſibus noſtris huiuſmodi irretiri. Perinde ac ſi ſpecialiter & nominatim exprimerentur in eis. populo quoque & communi ſupradictis, ac eorum in hac parte complicibus, auxiliatoribus, conſiliatoribus & fautoribus, de Fratrum noſtrorum conſilio, per noſtras litteras, videlicet 3. Februarii proxime præteriti diſtricte & peremptorie præſente fidelium multitudine copioſa, præcipiendo mandauimus, eoſque monuimus, ac huiuſmodi mandati, & monitionis, ac etiam citationis per edictum, quem modum ex certis cauſis rationabilibus elegimus, vt à quacumque inuaſione, offenſione & turbatione prædicti patrimonii, & aliarum terrarum noſtrarum, & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ, necnon talliatione, & collectizatione, ac grauaminibus Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum, ac auxiliis, conſiliis, & fautoriis huiuſmodi, & ab aliis omnibus præmiſſis exceſſibus abſtinerent penitus & deſiſterent; nec aliquibus hæc vel ſimilia perpetrare volentibus, ſeu nobis rebellibus, quocumque quæſito colore, directe vel indirecte, publice vel occulte præſtarent auxilium, conſilium vel fauorem; præmiſſaque ſtatuta & ordinationes, Eccleſiaſticæ libertati obuiantia, de libris ſuis penitus aboleri facerent, ea vlterius nullatenus ſeruaturi, & etiam infra quinquaginta dies à dato ipſarum litterarum computandos, tam nobis & Eccleſiæ Romanæ ac aliis Eccleſiis, Monaſteriis, & piis locis, quam Cardinali & Narnienſi Epiſcopo, aliiſque perſonis, propter præmiſſa paſſis iniuriam, de receptis & occupatis per eos, nec non de iniuriis, damnis, & intereſſe, debite ſatisfacerent.*

*Et nihilominus quamplures ex huiuſmodi Prioribus, Vexilliferis, Confalloneriis, & officialibus dictæ ciuitatis, officiales quoque guerræ, & octo ad diripiendum bona Eccleſiaſtica nominatim expreſſos, ac etiam omnes alios & ſingulos Priores, nec non Vexilliferos iuſtitiæ, Confallonerios, ac officiales, qui in dicta ciuitate Florentinorum, ac prædicto menſe Iunii citra fuerant, & tunc erant, quorum omnium*

nomina & cognomina habuimus eidem noſtris litteris pro expreſſis, & ſingulariter nominatim, necnon populum & commune per eaſdem litteras citauimus, vt prædicti omnes & ſinguli in eiſdem litteris nominatim expreſſi, qui à prædicto menſe Iunii citra fuerant Priores, Vexilliferi iuſtitiæ, Confallonerii, officiales etiam guerræ, ad talliandos clericos & bona Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum capiendum, ſeu quomodolibet diſtrahendum deputati, perſonaliter, populus verò & commune prædicti per idoneum procuratorem, ſeu ſyndicum, apud dictam Sedem Apoſtolicam, vltima die menſis Martii tunc proxime futuri, ſi Conſiſtorium ſ[ier]et, alioquin prima die, qua extunc Conſiſtorium ipſum eſſet, quam quidem diem eis pro peremptorio termino aſſignauimus, hora conſiſtoriali comparerent coram nobis, ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis viſuri & audituri declarationem, publicationem pœnarum & ſententiarum tam à iure inflictarum, quam in prædictis contentarum proceſſibus, ac inflictionem & impoſitionem aliarum pœnarum; videlicet, confiſcationis bonorum ipſorum immobilium, ac expoſitionis perſonarum eorum vniuerſis CHRISTI fidelibus, vt capientium fierent ſerui, & bona eorum mobilia occupantibus concederentur, eiſque omne commertium omnium CHRISTI fidelium interdiceretur, & etiam aliarum pœnarum, de quibus nobis, exigentibus eorum demeritis, videntur expedire, & alias facturi & recepturi, quod iuſtitia ſuaderet: apertè prædicentes eiſdem, quod ſiue venirent, ſiue non in termino aſſignato, nos ad declarationem & publicationem à iure inflictarum, & in prædictis proceſſibus contentarum, & aliarum inflictionem & impoſitionem pœnarum, & ſententiarum, eorum non obſtante abſentia, prout nobis videretur & iuſtum foret, eos nominatim & ſpecifice exprimendo procederemus, ac voluimus & authoritate Apoſtolica decreuimus, quod monitio, mandatum, promulgatio, reſeruatio, electio, citatio, aſſignatio, caſſatio, conſtitutio & voluntas noſtra huiuſmodi perinde valerent, & robur obtinerent firmitatis; dictoſque Priores, Vexilliferos iuſtitiæ, ac Confallonerios, officiales, populum & commune, & alios quos concernebant omnino arctarent; quacumque conſtitutione contraria non obſtante, ac ſi eis intimata & inſinuata præſentialiter & perſonaliter extitiſſent, & deinde prædictos citatos in præmiſſo termino, ad quem vt præmittitur citati erant, contumaciter comparere non curantes, reputauimus, prout erant merito contumaces, & in ipſos Priores, Vexilliferos, Confallonerios, ac officiales, qui in dicta ciuitate FLORENTINORVM à prædicto menſe Iunii citra, vt præmittitur, ſimul vel ſucceſſiue fuerant; & tunc temporis datæ dictarum litterarum erant, quorum omnium nomina & cognomina etiam habuimus eiſdem noſtris litteris pro expreſſis & ſingulariter nominatis, propter contumaciam huiuſmodi excommunicationis ſententiam duximus promulgandam; ac conſideratis præmiſſis eorum grauibus exceſſibus & enormibus ſceleribus ac delictis, quæ vt præfertur adeò erant notoria, quod nulla poterant tergiuerſatione celari, quodque ipſi, noſtri, qui licet immeriti in terris CHRISTI vicem gerimus, ac Romanæ Eccleſiæ ſponſæ noſtræ hoſtes, inimici, ac perſecutores publici exiſtebant, dictos populum & commune, necnon ciuitatem & diœceſim FLORENTINORVM, eiuſdemque ciuitatis comitatum & diſtrictum, nec non alias ciuitates, terras, villas, caſtra & loca, communia quoque & vniuerſitates eorundem, dictis populo & communi etiam de facto ſubiecta, in pœnam illorum Eccleſiaſtico ſuppoſuimus interdicto; huiuſmodi ſententiarum excommunicationis abſolutionem (mortis articulo duntaxat excepto) & interdictorum relaxationem, nobis & noſtris ſucceſſoribus ſpecialiter reſeruantes. Et ſiquis forſan in mortis articulo, ab alio quam à Romano Pontifice abſolueretur, & antequam vt præmittitur ſe Apoſtolico conſpectui præſentaret, decederet, Eccleſiaſtica tamen careret ſepultura.

Et quia vtilius eſurienti panis tollitur, quam ſi de cibo ſecurus iuſtitiam vilipendat, præfatis Prioribus artium, Confalloneriis, Vexillifero iuſtitiæ, aliis officialibus, ac populo & communi, vniuerſis quoque & ſingulis perſonis de dictis ciuitate, ſeu Diœceſi FLORENTINORVM, & ipſius ciuitatis diſtrictu ac comitatu, ſeu de ciuitatibus ac terris, quæ per dictos FLORENTINOS etiam de facto detinentur commercium quorumlibet CHRISTI fidelium, ac pro eiſdem commerciis, communionem & participationem quaſlibet extunc interdiximus & prohibuimus omnino; ita videlicet, quod nullus eis pecunias, bladum, vinum, carnes, lanas, pannos, ligna, vel quaſcumque alias res vel merces deferre, portare, vendere, concedere, aut quocumque modo in eoſdem transferre, ſiue per mare, ſiue per terram, per ſe vel alium auderet, vel emere ab eiſdem, vel ſuſtinere, quod hæc fierent, ſi poſſit prohibere. Et ſpecialiter prohibuimus, vt nullus extunc pannos, arma, ſiue res alias quaſcumque, quæ in dictis ciuitate & Diœceſi, ac comitatu & diſtrictu FLORENTINORVM, ſeu aliis ciuitatibus, terris, villis, caſtris, locis prædictis FLORENTINORVM, etiam de facto vt præfertur ſubiectis, ſicut in antea fierent ſeu laborarentur, aut fabricarentur per quoſcumque ab ipſis FLORENTINIS, vel eorum aliquo, ſiue à quibuſuis aliis emere, vel in eorum fauorem recipere, vel contra prohibitionem huiuſmodi acquiſitis, vti quoquomodo; nec etiam pannos huiuſmodi, arma ſiue res alias quaſlibet, iam fabricata, laborata vel facta per quoſcumque ab eiſdem FLORENTINIS, vel aliis quibuſcumque, ad quos huiuſmodi taliter prohibita, poſt prohibitionem noſtram huiuſmodi perueniſſent quomodocumque recipere, vel acquirere, ſeu ſic acquiſitis vti præſumat: nec etiam ipſis FLORENTINIS cum ſtipendio, vel ſine ſtipendio ſeruiat, adhæreat, vel faueat quoquomodo, directe vel indirecte, publice vel occulte, etiam ſi ex contractu, vel quaſi, vel alia quacumque cauſa ipſorum FLORENTINORVM vel alicui ex ipſis aliqui debitores extiterint, aut ad eoſdem FLORENTINOS, ſiue Ciuitates, vel terras eiſdem adhærentes, vel aliquem eorundem, quaſcumque gentes cum armis, vel ſine armis in ipſorum ſubſidium vel iuuamen mittat; quin imo ne accedentes ad eorum ſeruitium, ſeu portantes aut ducentes præmiſſa, vel aliquid eorundem tranſeant. Et ne ipſis FLORENTINIS ac defenſoribus, receptatoribus & conſiliatoribus, auxiliatoribus, fautoribus, adhærentibus, ſeu ad terras eorum, vel alicuius ipſorum portentur & ducantur fideliter impediat toto poſſe. Et inſuper ne qui ſocietates, confœderationes, colligationes, conuentiones, & ligas quaſcumque cum FLORENTINIS eiſdem ineant, vel contrahant, nec initas vel contractas in eorum fauorem, auxilium, vel vtilitatem obſeruent. Et ſi quis contra præmiſſa, vel aliquid eorum fecerit, ſi perſona ſit ſingularis, etiamſi Regia, Imperiali, vel Pontificali, aut alia quacumque præfulgeat dignitate, excommunicationis; ſi vero ciuitas, caſtrum, villa, vel vniuerſitas fuerit interdicti incurrant ſententias ipſo facto, à qua quidem excommunicationis ſententia, ab alio quam à Romano Pontifice nunquam valeat liberari, niſi in mortis articulo, vt in alio caſu ſuperius eſt expreſſum, nec etiam interdictum relaxari, ac etiam huiuſmodi pecunias, bladum, vinum, carnes, lanas, pannos, ligna, merces, & quaſcumque res alias quæ eis deferrentur, & portarentur, vel venderentur, & concederentur, aut quocumque modo in ipſos transferrerentur, vel emerentur ab eiſdem, ſi mobilia eſſent, expoſuimus quibuſcumque fidelibus occupanda, & ſi immobilia forent, illa duximus confiſcanda.

Et quia etiam beneficia propter ingratitudinem merito reuocantur, ipſos Priores, Confallonerios, Vexilliferos iuſtitiæ, officiales, populum, commune, & quoſcumque ciues ſeu incolas FLORENTINOS, omnibus priuilegiis, libertatibus, immunitatibus, realibus & perſonalibus, ipſis ſub quacumque forma verborum ab Apoſtolica Sede, ſeu aliis quibuſcumque conceſſis, necnon feudis & bonis, quæ à Romana & ab aliis tenent Eccleſiis extunc ſententiando priuauimus: vaſallos & homines eorundem à iuramento & fidelitate, & quacumque obligatione qua tenebantur eiſdem abſoluentes, ipſamque ciuitatem ac populum & commune FLORENTINORVM ſtudio generali in quacumque ſcientia ſeu facultate, ac etiam vniuerſitate & iuribus vniuerſitatis, & etiam iuriſdictione tam in ipſa ciuitate, & eius comitatu ac





diſtrictu, quam in quibuſcumque aliis ciuitatibus, terris, caſtris, atque locis, eis etiam de facto ſubiectis priuauimus, ad ipſa ſeu eorum quodlibet, & qualibet alia ſimilia in antea habenda, tenenda, ſeu exercenda inhabiles reddendo. Et ne ipſorum temeritas tranſiret præſumptoribus in exemplum, bona ipſorum Priorum, Confalloneriorum, Vexilliferorum iuſtitiæ, officialium, populi & communis, & etiam quorumcumque FLORENTINORVM vbicumque conſiſtentium immobilia, de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio confiſcauimus, & perſonas ipſorum omnium & ſingulorum expoſuimus fidelibus, vt capientium fiant ſerui & bona eorum mobilia quibuſcumque fidelibus occupanda.

Et inſuper declarauimus ipſos Priores, Confallonerios Vexilliferos iuſtitiæ, officiales, populum & commune, & alios ſupra nominatos, pœnas & ſententias, inuadentes & turbantes patrimonium Beati PETRI & alias terras Eccleſiæ, & eis aſſiſtentes & dantes auxilium vel fauorem in proceſſibus, per dictum IOHANNEM prædeceſſorem habitis vt præmittitur, & etiam in iure contentis incurriſſe, nec non declarauimus prædictos populum & commune ciuitatis Florentin. impeditores & turbatores fuiſſe & eſſe Inquiſitionis & officij hæreticæ prauitatis, ac etiam vltra præmiſſa voluimus, ordinauimus, & ſententiauimus & declarauimus, quod prædicti Priores, Confallonerij, Vexilliferi iuſtitiæ, & alij officiales, qui à prædicto menſe Iunij, vſque ad datam prædictarum litterarum aliarum noſtrarum fuerant, quorum omnium nomina & cognomina habuimus eiſdem noſtris litteris pro expreſſis & ſingulariter nominatis, perpetuo eſſent infames, diffidati, nihilominus & banditi, inteſtabiles, vt nec teſtandi habeant liberam facultatem, nec ad alicuius bona ex teſtamento, vel ab inteſtato vocentur, quatenus ab omni ſucceſſione repulſi, publicaque repulſa confuſi, minus inueniant ſuæ malitiæ ſucceſſores. Fiant habitationes eorum deſertæ, & non ſit qui eas inhabitet: dentur cuncta ipſorum ædificia in ruinam; & vt perpetuæ notam infamiæ perpetua ruina teſtentur, nullo tempore reparentur.

Nullus eis debita reddere, nullus reſpondere in iudicio teneatur, quicquid etiam in bonis inueniretur ipſorum, fiſci vel Reipublicæ dominio applicetur, vt ex illis nihil tranſmittant ad poſteros, ſed potius cum ipſis quodammodo damnentur, & ſua. Si qua vera feuda, locationes, officium, vel beneficium ſpirituale vel temporale ab aliquibus Eccleſiis obtinerent, ſint eis priuati; quæ ſic libere ad Eccleſias reuertantur, quod Eccleſiarum Rectores de ipſis pro ſua voluntate diſponere poſſint. quodque ſi prædictorum filium vel filios habeant, nepotem vel nepotes per rectam lineam deſcendentes beneficiatum, ſeu beneficiatos quouis beneficio, etiam ſi Pontificialem adeptus vel adepti fuerint dignitatem, ſint eis priuati, ſpe promotionis omnino ſublata.

Nulli prætereà talium filiorum atque nepotum, ex virili ſexu deſcendentium ab eiſdem alicuius aperiatur ianua dignitatis, aut honoris Eccleſiaſtici vel mundani, ſeu ad alicuius loci regimen ſit aſcenſus. Sit eis poſtulandi negata facultas, ſit notorie iudicatus, & quodlibet aliud officium ſeu miniſterium publicum interdictum, in iudiciis etiam, eorum aſſertio circa quemquam, nihil fidei, nihil credulitatis inueniat, & ad teſtimonium reddantur prorſus indigni. Sit eis ad Ordines aſcenſus prohibitus, ſit ad beneficium vel officium Eccleſiaſticum negatus acceſſus. Et vt magis famoſa ſit eorum infamia, ad actus legitimos nullus eis pateat aditus, nulla porta pandatur eiſdem, ſuper aliquo præmiſſorum omni ſpe diſpenſationis adempta. Aggrauationem & impoſitionem aliarum pœnarum eis imponendarum iuxta noſtrum arbitrium, mediante ſemper iuſtitia, nobis ſpecialiter reſeruantes. Et ſi quid forſan huiuſmodi noſtris proceſſibus ex ſolennitate iuris omiſſum foret, ea omnia & ſingula ſuppleuimus de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis.

Et nihilominus nomina, cognomina Priorum, Vexilliferorum iuſtitiæ, Confalloneriorum, & aliorum officialium dictæ ciuitatis FLORENTINÆ, quæ in præfatis noſtris litteris aliis non exprimuntur, & etiam illa quæ minus plene exprimuntur, ſeu in quibus in toto vel in parte error foret, habuimus eiſdem noſtris literis pro expreſſis & ſingulariter nominatis, & proinde præmiſſis pœnis & ſententiis eos omnes & ſingulos ligari voluimus, & decreuimus, ac ſi eorum nomina & cognomina clare, & diſtincte, & particulariter expreſſa fuiſſent. Illud inſuper præfatos Priores, Confallonerios, Vexilliferos iuſtitiæ, officiales, populum & commune nolumus ignorare, quod contra eos vniuerſorum Imperatorum, Regum & Principum, vniuerſitatum & aliorum fidelium quorumcumque proponimus inuocare ſubſidium, & per omnem modum & viam, per quos iuſte poſſemus, proponeremus ipſorum ſuperbiam, ingratitudinem, & proteruiam domare ſic, quod illis reatus ſuos pœnarum acerbitate deflentibus, pœnales eorum fletus cederent perpetuo ipſorum poſteris ad terrorem.

Et ſubſequenter per nos accepto, quomodo extra huiuſmodi ciuitatem Florentinorum eiuſque comitatum & diſtrictum, ac ciuitates, terras, caſtra, & loca prædicta FLORENTINORVM, vt præmittitur, etiam de facto ſubiecta quamplures erant perſonæ etiam miſerabiles & impotentes, quæ in nullo culpabiles in præmiſſis exiſtebant, more pij patris in his ſalubriter prouidere volentes, auctoritate Apoſtolica per alias noſtras litteras declarauimus, illos qui ante datam primi proceſſus per nos contra ipſos FLORENTINOS facti, videlicet III. Idus Februarij proximi præteriti, extra huiuſmodi ciuitatem Florentinorum eiuſque comitatum & diſtrictum, ac ciuitates, terras, caſtra & loca prædictis FLORENTINIS etiam de facto ſubiecta habitabant, dum tamen re & facto, vel alias prout iura diſponunt, domicilium mutaſſent, & in dicta ciuitate Florentin. ſeu in comitatu, diſtrictu, ciuitatibus, caſtris, & locis eiſdem FLORENTINIS etiam de facto ſubiectis, nec bona, nec parentes, à quibus ſucceſſionem ſperare poſſent haberent, nec fratres aut alios cum quibus bona non diuiſiſſent, nec ipſorum FLORENTINORVM ſiue alicuius ex eis eſſent factores, aut alias ipſorum negotia exercentes, etiam in collectis & taliis, qui prædictor. Florentinor. pro tempore imponuntur non contribuiſſent, vel contribuant in futurum, nec non clericos, beneficiatos vel in ſacris ordinibus conſtitutos religioſos, etiam & illos qui 70. ætatis ſuæ annum attingebant, pueros quoque qui octauum ætatis ſuæ annum non peregerant, ac mulieres, nec non illos qui à prædicta ciuitate FLORENTINORVM, eiuſque comitatu & diſtrictu, ante datam dicti primi proceſſus banditi erant, huiuſmodi blando durante pœnis & ſententiis, quæ habitatoribus & incolis FLORENTINIS per proceſſus prædictos infliguntur, ſiue imponuntur, non ligari. Et inſuper voluimus Piſtorienſ. Pratenſ. illos de ſancto Miniato, ac etiam de Diœceſi Lucana prædictis Florentinis, etiam de facto ſubiectas præmiſſis pœnis & ſententiis, quæ habitatoribus & incolis FLORENTINORVM per dictos proceſſus noſtros, vt præmittitur, imponuntur, quoad confiſcationem bonorum immobilium, expoſitionem mobilium & perſonarum, & capientium fiant ſerui, non ligari.

Quoad prohibitionem vero commerciorum, interdictum & alias ſententias atque pœnas, in præfatis noſtris contentas proceſſibus, quæ Piſtorienſ. Pratenſ. illos de ſancto Miniato, & etiam de Diœceſi Lucanen. ſupradict. concernunt, voluimus ipſos Piſtorienſ. Pratenſ. illos de ſancto Miniato & de Diœceſi Lucana, prædictis FLORENTINIS, vt præmittitur de facto ſubiectis, eiſdem prohibitioni commerciorum, interdicto, & aliis ſententiis atque pœnis ſubiacere & eis ligari, iuxta ipſorum proceſſuum continentiam & tenorem.

Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus cum præſentes litteræ ad vos peruenerint, ſub pœna excommunicationis, quam ſi huiuſmodi mandato noſtro non parueritis cum effectu, incurratis eo ipſo, vos & ſinguli veſtrum per vos vel alium ſeu alios, etiam per religioſos Prædicatorum, Minorum, Eremitarum ſancti AVGVSTINI, aliorumque mendicantium ordinum, in Cathedralibus, ac Prædicatorum, Religioſorum & aliis Eccleſiis atque locis, de quibus vobis videbitur etiam extendentibus populis ad diuina & in prædicationibus proceſſum & inhibitionem huiuſmodi, & omnia contenta ſuperius, aucto-

*ritate Apoſtolica publicetis, ſeu mandetis, & faciatis publicari & exponi populis in vulgari. Contradictores auctoritate Apoſtolica appellatione poſtpoſita compeſcendo. Et inſuper omnes & ſingulas perſonas tam Eccleſiaſticas quam ſæculares, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtant, etiam ſi Regali, Imperiali, Pontificali, vel alia qualibet præfulgeat dignitate, auctoritate Apoſtolica publice moneatis, quos nos etiam tenore præſentium monemus, eis diſtrictius inhibendo, ne aliquem ſeu aliquos Florentinos in prædictis noſtris comprehenſos proceſſibus, in ſuis ciuitatibus, caſtris, terris, ſiue locis, niſi per aliquos capti fuiſſent, & tanquam ſerui non ſictitie, ſed vere manerent, ibidem ſtare, morari, vel aliquomodo conuerſari permittant: ſed eos omnes & ſingulos de huiuſmodi ciuitatibus, caſtris, terris, atque locis, niſi vt præmittitur ibidem ſerui non ſictitie, ſed vere maneant infra quindecim dierum ſpatium à die publicationis præſentium computandum expellant cum effectu. Alioqui omnia & ſingula, ciuitates, præter vrbem, caſtra, terræ atque loca, in quibus prædicti FLORENTINI fuerint, quamdiu ibi ſteterint ſiue manſerint, Eccleſiaſtico interdicto ſint ſuppoſita eo ipſo.*

*Non obſtantibus quibuſcumque exemptionibus & aliis priuilegiis eiuſdem Ordinibus, eorum quæ ipſis & locis vel aliis ab Apoſtolica Sede conceſſis, ſeu ſi eis & quibuſuis aliis communiter vel diuiſim à præfata Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, eorumque Ordinibus, locis & nominibis propriis mentionem.*

*Verum quia præſentes litteræ nequirent forſan propter viarum diſcrimina, vel alias, veſtrum ſingulis commode præſentari, volumus, quod per vos FRATRES ARCHIEPISC. veſtris ſuffraganeis & etiam aliis perſonis Eccleſiaſticis veſtrarum ciuitatum & Diœceſium, & per vos FRATRES EPISCOP. veſtris ſubditis dictarum litterarum tranſumptum manu publica confectum, & vnius ex vobis qui huiuſmodi triumphum tranſmittet ſigillo ſigillatum, vobis prædictis aliis tranſmittant, cui adhiberi volumus velut originalibus plenam fidem. Datum Auinione XII. Calend. Maij Pontificatus noſtri anno 6.*

XVI. Iniqua Barbadori Florent. ad Deũ appellatio.

Pari execratione, FRANCISCUM & IOHANNEM Baptiſtam Vicanos Viterbij inuaſores, nec non & reliquos FLORENTINORUM adhærentes, Eccleſiæ Romanæ rebelles, vnaque cum eis FLORENTINOS, ſecundo condemnauit: poſtquam intellexiſſet, Barbadorum, FLORENTINORUM Legatum, poſt ſententiam priorem, verſo vultu ad imaginem Crucifixi, hæc verba temere dixiſſe: *DEUS* (aiunt ita locutum eſſe) *nos Legati FLORENTINI populi, ab hac ſententia Vicarij tui inique lata, ad te, tuamque æquitatem appellamus. Tu qui falli non poteris, nec ira inflecteris, nec ſeruitutem populorum ſed libertatem amas, & tyrannos libidineſque odiſti FLORENTINO populo libertatem ſuam defendenti ſubuenies, ac propitius protectorque aderis.*

Hæc, aiunt dixiſſe Barbadorum, tam inopportune quam inique. quaſi vero, vel Pontifex, aut quiſpiam Cardinalium vel Eccleſiaſticorum, ad opprimendos FLORENTINOS inhiaret; vel ad FLORENTINOS, tutela Romanæ Eccleſiæ vrbium, aut populorum pertineret; vt eis ex æquitate licuiſſet, vrbes populoſque Romanæ Eccleſiæ, dominio illius detrahere: ne falſus coniector ſim; afflauerit eos forte an tunc, Anglicana peſtis, de qua anno inſequente.

Namque, nec frumentum illis fuit negatum, neque PRATENSIS coniurationis Legatus Socius, neque Magiſtratus tanta inſolentia, quam fingebant; ſed tantum mala mens, maluſq; animus quorundam impoſtorum, ad inſaniam eos contra Eccleſiam excitarat, vt hi bellum Eccleſiæ decreuerint, & huic gerendo octo viros deputarint: qui nihil quidem ferociter & propalam agendo, ſed remiſſe arcaneque ſingula obeundo, ac per ſingulas ciuitates homines monendo, & quibus opus erat auxilia pollicendo, ſtragem Eccleſiaſticorum ediderant.

XVII. Narratio malorum quæ Florentini Eccleſiae Ro. intulerunt ex S. Antonin.

Sanctus ANTONIUS Archiepiſcopus Florentinus, ex Leonardo Aretino, & reliquis hiſtoriæ FLORENTINÆ ſcriptoribus, recenſebat, quid Eccleſiæ Romanæ, FLORENTINI tunc fecerint. *Primo*, inquit, *omnium Tifernates, ab his impulſi, contra Dominatores inſurgentes, iugum ſeruitutis repulerunt. Erat in vrbe præſidium nequaquam contemnendum. attamen correptis armis Tifernates, contra præſidium ruentes, prælium commiſerunt, tandem multis interfectis; reliquos intra munimina arcis compulerunt: eaque ipſa nocte, FLORENTINI populi auxilia intra vrbem recepta, vna cum ciuibus arcem obſidentes, non multorum dierum certamine ad deditionem compulerunt.*

*Qui Peruſiam gubernabat Legatus, vbi rebellaſſe Tifernates, & arcem à ſuis teneri cognouit, coactis ſubito copiis, ad recuperandum Tifernum eas dimiſit. Id vero cum cernerent Peruſini, per abſentiam copiarum elati, raptis & ipſi armis in Cardinalem Legatum feruntur, & arcem, in quam is profugerat, obſederunt. Ad hos quoque ſtatim ſubmiſſa FLORENTINORUM auxilia. Et quamquam longior fuerit obſidio, tamen ad extremum ea quoque ciuitas pari tenore ſuſcepit libertatem.*

*Inter cætera, illi octo viri, de voluntate populi, ad augendas vires ſuas, contra Eccleſiæ Prælatos, fœdus cum Barnaboue & Vicecomitibus percuſſerunt. Quod cum Pontifex audiuiſſet, miſit Florentiam Oratores ſuos, qui pacem cum Florentinis componerent, ſi modo illi Bononiam Eccleſiæ reſtituerent. Namque per hos ipſos dies, cum Iohannes Augutus, pro recuperatione Granaroli oppidi quod nuper rebellauerat, copias eduxiſſet; Bononienſes iam pridem ab octo viris ſollicitati, ſumptis per abſentiam copiarum animis arma corripuerunt, ac ſe vt cæteri in libertatem vendicauerunt; & ſtatim, vt compoſitum fuerat populi Florentini auxilia Bononiæ affuerunt. Ciues Florentini, mentione pacis à Pontificiis Nunciis iniecta, facto conſilio aſſentiebant: ſed octo viri diſſentiebant, contra bonorum & ſapientium virorum ſenſum: qui exiſtimabant iniquum eſſe pacem cum Eccleſia detrectare, qua cum fœderati olim fuiſſent aduerſus Vicecomites, & reliquos ſuos hoſtes.*

*Non impune fuit Florentinis fœdus ictum rupiſſe, & Pontificem pacem offerentem ſpreuiſſe. Præter enim III. milliones auri, quos in bellum aduerſus Eccleſiam profuderunt, Vicecomitum aduerſum ſe potentiam auxerunt & tum externo, tum ciuico bello ab iis contra ſe concitato, per calamitates, & cædes, didicerunt, quid ſit contra Petram, quam nec inferi portæ poſſunt demoliri, inſurgere.*

*Pontifex porro, poſtquam Florentinorum vrbem maledicto ſubieciſſet,* ad VIII. Cal. Iulij, *Robertum Gebennenſem, tituli XII. Apoſtolorum Cardinalem, in Italiam Legatum miſit, qui bello Sacro contra perfidos Florentinos præeſſet Sex millia equitum, quatuor M. peditum ex Britannis & Gallis numerabantur in exercitu, quem ad rebelles vrbes ad Imperium Sedis Apoſtolicæ reuocandas Pontifex mittebat. Et quidem Florentinis in principio, cenſuras contemnere non placuit; maxime cum optima ratione probaretur, culpam omnem in peſſimos Reipublicæ Adminiſtros referendam eſſe, quorum etiam iſtud ſcelus fuit, vt coaceruandæ in ſumptus ſacrilegi belli pecuniæ, ſtatuerint; vt bona immobilia Eccleſiarum, agri & territorij Florentini, laicis, non ſolum voluntariis, ſed etiam coactis, ſi qui vicini eſſent ad emendum venderentur, & ex ſumma pecuniaria, nonniſi quinque nummi, à centum, vnicuique Eccleſiæ ſoluerentur. Venierunt tunc, etiam poſſeſſiones Epiſcopatibus adſcriptæ.*

*Robertus porro Italiam ingreſſus, quamquam milite copioſo præſtaret, tamen manſuetudine præſtantior, cum aduerſus Bononienſes rebelles duceret, nec agrum vaſtari, nec reliqua iure belli conſueta permittebat fieri, miſſis Bononiam nonnullis, qui præteritorum veniam impunitatemque offerrent. Inclinabant ad deditionem; nonnulli Bononienſium: non tamen quicquam effecere; quod Rodulphus Varianus Camerinenſis, Florentinorum auxiliis potens, Imperium Romanæ Eccleſiæ detrectaret. Non intermittebat Pontifex, anathemata aduerſus refractarios euulgare,*



*gare comedens contra bona & perſonas eorum, vniuerſis Chriſti fidelibus poteſtatem, vt vbicumque terrarum inueniri potuerint, interciperentur, & bonis omnibus exuerentur, ac ipſi tandem Florentini Seruorum loco haberentur. His pœnis cum in omnibus Regnis Europæis, à Principibus Chriſtianis multarentur, & inter ſe inuicem tumultuarentur, populo aduerſus Magiſtratum, propter ſacra adempta conſurgente; tandem in animum octo viri induxerunt, euitandorum tot malorum impendentium cauſa, pacem à Sede Apoſtolica implorare.*

*Opportunam huic negotio reputabant Diuam Catharinam Senenſem, id temporis propter inſignem ſanctitatis ac miraculorum gloriam Orbi illuſtriſſimam, ac Pontifici gratiſſimam. Quãobrem illam Piſis Florentiam euocarunt, ſuppliceſque fuerunt Auinionem concederet, & ſubiratum Gregorium vrbi reconciliaret. Non detrectauit illa opus, ſed Auinionem perrexit, inque Purpuratorum conſeſſum admiſſa, interprete Raymundo Capuano qui ei tunc ſacris Confeſſionibus, poſtea Ordini Dominicano Magiſter Generalis præfuerat, vſa, ingenti cum demiſſione, eloquentia, & ardore ſuaſit, vt Pontifex Auinione relicta, Romam Sedem Romanam transferret, & ſiquid offenſarum à Florentinis accepiſſet, Apoſtolica benignitate ignoſceret: neque armis onuſtus, ſed Cruce Chriſti venerandus, populum ad officium reuocaret. Tantum Catharina permouerat oratione Pontificem, vt quamquam non dubitaret Florentinos in ore pacem, in manu autem gladios præferre, vniuerſam tamen tractationem concordiæ cum eis ſanciendæ illius arbitrio permiſerit: modo illa honorem Eccleſiæ ſanctæ pro oculis haberet. Octo viri, filii Belial pleni omni fraude & dolo, per eam fictæ humilitatis & ſatisfactionis mentionem, à cenſuris Eccleſiaſticis exſolutionem non diſperabant, atque interim nihil aliud quam tempus extrahebant: adhoc vnum intenti, vt Eccleſia omni dominio temporali exueretur. Spoponderant, Catherinæ, ſtatim atque illa Pontificem deliniuiſſe ſignificaſſet, Oratores ad Sedem Apoſtolicam, plenaria poteſtate inſtructos deſtinare: qui nomine Reipublicæ probarent, ea quæ Catherina, Pontificem inter & illos arbitrata eſſet. Cæterum fidei datæ non omnino ſteterunt: namque neque tempeſtiue, neque plena poteſtate fungentes Procuratores Auinionem ire iuſſerunt: ita vt nihil potuerit quicquam cum eis decerni, aut conſtitui. Anton. 3 part. titu. 22. c. 1. & tit. 23. c. 14. ex vita S. Catherinæ Senen. ſcripta à Raymundo Capuano Generali Præd. Magiſtro.*

XVIII. S. Cath. Senen. inſtat apud Pont. vt Florentin. ignoſcat et Sedem Romam referat.

Catharina tamen non intermittebat, duas res à Pontifice poſtulare. Inprimis vt pacem Florentinis cõcederet, atq; peccatoribus viſcera benignitatis aperiret, neue fineret animas perire, pretioſo Agni immaculati ſanguine redemptas. Secundo, ne differret in Italiam concedere, neq; conſilijs diſſuadentium ſe deterreri pateretur, quod nihil tale in Italia deberet metuere, quale illi fingebant. Namque Pontifex interprete Raymundo Capuano illam flagitauerat, quæ Deo ſupplex eſſet, *vt ſi quod illum diſcrimen vel in itinere, vel in vrbe maneret, illi reuelare dignaretur.* Reſpondit Catherina, *ſe Deum interpellaſſe, & ab eo poſt Euchariſtiam ſumptam accepiſſe; nullum mortis periculum ei imminere.* Extant duodecim epiſtolæ eiuſdem Diuæ, datæ Gregorio Pontifici, quibus eum ad ignoſcendum Florentinis & reliquis hortabatur, atq; ad iter ſuſcipiendum animabat. *in lib. ep. S. Catherinæ Senen.*

XIX. Pont. auxilia contra Florent. à Regibus poſtulat

Inter hæc Pontifex, cum ſe videret ludificari à Florentinis, Carolum Imperatorem, Ludouicum Regem Vngariæ, ac Galliæ, Angliæ, Aragonũ, Caſtellæ, & Luſitaniæ Reges, auxilia miſſis ad eos Nunciis interpellauit; tum in ſubſidia belli gerendi, decimationem ab omnibus Eccleſiaſticis, deſtinatis vbiq; Collectorib. exegit. *MS. de reb. Sicul. in Archiu. Vaticano. & Crantzius Vandal, lib. 8. cap. 38. & 42.*

XX.

Galliæ & Angliæ Reges, induciis elapſis diffidebant. Pontifex, vt inter eos concordiam conuulſam reſarciret, miſſo Ioanne Ferdinando Eredia Rhodianorũ militum Magiſtro plurimum laborauit. Cum iterum apud illum Edouardus Rex controuerſiam illam de prouiſionibus, Cl. buiſſ. Bangorienſi Epiſcopo Ordinis Prædicatorij, & Veredo Theologiæ profeſſore, cum Gulielmo milite, potiſſimum vrgeret. Poſtulabant, ne ſe deinceps Pontifex, in huiuſmodi deſignationibus immiſceret vt liceret de veteri more Collegis & Cathedralibus Eccleſijs cœnobiiſque ſuos præſides, ſine aliqua interpellatione, nulloq; impedimento obiecto optare. Vtq; huiuſmodi Epiſcopi, à ſuis Metropolitanis confirmarentur. Diſtulit Pontifex certum reſponſum: ſed remiſit eos in Angliam cum litteris, per quas poſtulabat, vt ad certa capita, quæ his litteris complexus erat, Rex & proceres reſponſa darent; tum demũ ſe ſententiam ſuã expediturum.

Sanctio Regis et Procerũ Angl. de ſuper prouiſione Cathedralium vacantiũ quæ tamen nõ fuit ſeruata.

Coeunt interim Rex & Proceres Angliæ ad Comitia; in quibus ſanciunt, futuras in poſterum Cathedralibus Eccleſijs liberas & integras ſuorum paſtorum optiones; quib. Rex iureiurando promiſit, adeo ſe non interceſſurũ, vt omnibus potius viribus eas adiuuaret. Sed ficulneum & fragile fuit iſtud decretum, & in ipſo, vt ita dicam, partu, & quaſi in herba virenti ſuffocatum. Pendente autem hac deliberatione cum Pontifice, Eboracenſi, Elienſi, & Vuigornienſi Sedibus vacantibus, Pontifex de Paſtoribus prouidit & proſpexit. Sumptus, quos prolixos & ampliſſimos Pontificis in varia & diuturna legatione Nuntij, ſiue qui in Franciam & Flandriam, ſiue in Angliam, tam ob concordiam Regum reſarciendam, quam ob iſtam Edouardi cum Pontifice controuerſiam fecere, Anglicanus Clerus ſuppeditauit. Prouiſiones vero illæ ſenſim ab Anglia prorſus excluſæ ſunt propter legum aduerſus eos, qui illarum beneficio vterentur ſeueritatem, & immanitatem. Et pedetentim nihilominus in huiuſmodi Epiſcoporum optionibus, Collegij ſuffragationem Regia authoritas ſuo arbitrio adumbrata gubernabat, vt potius electionis ſpecies & nomen inane, quam conſtans vlla & ſolida electio deinceps vſurparetur. *M.S. de reb. Anglic. & Boſius de rebus Rhodian. lib. 3.*

XXI. Mittit vndique Greg. pro ſubſidiis corrogand. ſ.

In Boemiam quoque & Germaniam, nec non Poloniam, Gregorius, pro ſubſidijs corrogandis Nicolaum Maioricenſem Epiſcopum Dominicanum, ire iuſſit. Hic in Polonia, coacta Vnconiæ Synodo Epiſcoporum, impetrauit vt bini groſſi de vnius marcæ prouentu conferrerentur. Quoniam autem Prædislaus Pogorelius Epiſcopus Vratiſlauienſis, relicta ingenti pecunia paulo ante vita exceſſerat, præter contributionem redegit Legatus ex illa hæreditate triginta millia aureorum, & inſuper octo millia annua pactus eſt Pontifici, donec aliquis Prædislao ſucceſſor daretur. Namque de Epiſcopo inter ſuffragatores diſceptabatur, aliis Boemum, alijs Polonum volentibus. Hæc ſubſidia Põtifex tam anxie conquirebat, quod etiam in Turcas bellum, ad quod eum S. Catherina Senen. datis epiſtolis inuitabat, gerere decerneret. Namq; ab Ioanne Palæologo & à Principib. Orientalibus afflictis acceperat Gregorius, Turcas Amurathe primo duce, traiecto nauibus Genuenſium Helleſponto, plurimas Græcorum & Cõſtantinopolitani Imperatoris, à quo cõtra rebelles Principes ex Aſia prius euocati erant, vrbes cœpiſſe, magnaque ſtrage Bulgaros Serbos, & Albanos profligaſſe. Itaque Italiæ metuens, Romam properabat, vt ex proximo rebus etiam Orientalibus conſuleret, & Italiam atque Eccleſiam Romanam afflictã ſua præſentia recrearet. *Cromerus de reb. Polon. lib. 13.*

XXII. Reſpõſio cuiuſdam Ep. Pont. profectionẽ ſuam in Italiã maturaſſe ferunt

Authores habeo, qui affirment, Gregorium Pontificem, poſt exhortationes Catherinæ Senenſis, non parũ etiam motum fuiſſe ad profectionem maturandam, liberrimo cuiuſdam Epiſcopi reſpõſo. Cum enim iſtum, quod Eccleſiam ſuam deſereret ſequereturq; Curiam, increpitaret, ille, vbi per familiaritatẽ licuiſſe credidit, reſpondit: *Eadẽ mea quæ tua eſt cauſa, Maxime Pontifex: quod ego meam, tuque Romanam deſerimus Eccleſias: recteque me increpatum agnoſco.* Deſcendit altius ea reſponſio in pectus Pontificis, cogitabatq; ex ea die vrbem repetere. Germanum fuiſſe Epiſcopum, aliqui memorabant.

XXIII Mirum iuuene quodam qui per ſeptennium dormiuit.

Quo tempore, in Germania iſtud accidiſſe narrant, ſcilicet, iuuenem ſcholaſticis diſciplinis Lubicæ intentum, ſecretius, vt ſine interpellatione dormitaret, ſe recluſiſſe nemine ſciente. Quum non appareret: quid de illo eſſet actum, requiſiuere. Non inuenientes, arbitrati ſunt clam vrbe profectum in patriam: tranſieruntque

que ſeptem illo ſopore anni. Iam per caſum euenit, vt quiſpiam curioſe ſcrutaretur, quid concamerato in muro capſa contineret. Vidit iuuenem ſoporatum; & cum ignotus illi eſſet, grauiter excuſſum exciuit de ſomno. Iam redegerunt in memoriam, qui illum prodire viderant, ante ſeptennium diſparuiſſe iuuenem; quem eundem, non mutata, nec macerata facie, certiſſimum indicarunt. Stupuerunt omnes, ad inſolitum ſpectaculum: diſceptantibus medicis, ſi poterat humidus ille locus fouere & continuare tam diuturnum ſomnum, ſine cibo, & corporis maceratione.

XXIV. Crudele et execrandum Comitis Mansfeldii facinus.

Iſto etiam tempore, crudele iſtud facinus patratum eſt. Gherardus Comes Mansfeldius, Monaſterium Ciſtercienſium S[illegible]chenbeke, cuius Fratribus erat infeſtiſſimus, funditus euertit, quod hoſtibus ſuis fauiſſe, hiſque hoſpitium non negaſſe dicerentur, quum tamen hoſpitalitas illi Ordini indicta, & qui venerant armati facile coegiſſent, ſi non prompte impetraſſent. Abbatem loci (dictu horrendum) perticæ alligatum inter duos iuſſit ignes torreri, fratribus per diuerſa ſupplicia crudeliter enecatis. *Crant. 3. Saxon. lib. 9. cap. 33. & Vandal. lib. 8. cap. 39.*

XXV. Mansfeldius excommunicatur.

Intorſit in Mansfeldium Comitem, anathema, Gregorius, & in Italiam profecturus, Franciſcum tituli S. Sabinæ Cardinalem Vicarium Apoſtolicæ Sedis, Romam præmiſit, qui Vrbi, Ducatui Spoletano, Patrimonio Diui Petri in Etruria, Maritimæ & Campaniæ prouincijs, pro Pontifice interim præeſſet, *VIII. Cal. Febr.* & bona Eccleſiaſtica ab inuaſoribus tueretur. Namque inter vehementiſſimos turbines Italiæ, etiam ab Ioanna Regina Neapolitana nonnihil metuebatur.

Ioan. Regina Otthoni Brunſuicē. nubit.

Hoc enim anno, illa, Otthonis Brunſuicenſis matrimonium, eius nobilitate virtuteque, tum vero maxime forma atque ætatis flore accenſa, expetiit: atque is ex Germania in Italiam profectus, Neapolim ad XXV. diem Martij cōceſſit, eoque die ſolenniis connubij peractis, fructum eius tulit: non tamen Regiam dignitatem adeptus eſt, quod officio tantum naturæ ſatisfacturum vidua deſpondiſſet, quæ paulo ante Iacobum Aragonum, eius Regis qui in altera, nempe maiore ex inſulis Balearibus dominabatur, ſtirpis maximum, quaſi alterius fœminæ amore captum; capitis ſupplicio affeciſſe diceretur. *Pigna de Rebus Ateſtinorum lib. 5.*

Pont. ad maturandam profectionū vrbanam inuitat eique ſex triremes mittit.

Ioanna, vt ſuſpicionem nouandarum rerum, quaſi aliquid aduerſus Romanam Eccleſiam, per nouum coniugem moliri vellet, è mente Pontificis eximeret, Gregorium ad maturandam profectionem vrbanam inuitauit. Inſuper, menſe Iulio, ſex triremes inſtructiſſimas, deuehendo miſit: deſtinato in occurſum venientis, non tantum Regni Siciliæ Admirato, verum etiam paulo poſt ipſo nouo marito Otthone Brunſuicano. *MS. Archiu. Vatican. de rebus Siculis.*

XXVI.

Quo anno cum Aſtorgius Manfredus Eccleſiæ Romanæ loca infeſta redderet, turbatis vndique rebus, Epiſcopus Oſtienſis. Æmiliæ tum Prouinciæ Comes, qui Faventiæ morabatur, eam varijs factionibus agitari cōſpicatus, veritusque ne reliquarum exemplo duceretur, Ioannem Augutum cum Britannorum cohorte euocauit.

Britāni ſub Aug. militantes tēpla diripiūt ac Cæſenæ magnā ſtragem edūt

Ibi poſtquam aliquot dies perſtitiſſent auſi magnū ſcelus, templo domoſque militari licentia diripuere. Cumque Cæſenæ, aduerſus ciues ad arma cucurriſſent, aduocatis ijs qui nuper ex Gallia confluxerant, ſimul in eos irrupere: & ingenti clade, ad tria millia illis obtruncatis, vrbem cruentauere.

Miraculum de Imagine S. Anton.

Accidit, vt quidam militum, imagini D. Antonij eremitæ eſſet, nefaria manu in eam extenta. Sed non impune. Namque ſtatim ignibus, quos S. Antonij vocant, correptus, quamquam in mare ſeſe deieciſſet, tamdiu vſtulatus eſt à cœleſti vindicta, donec carnibus ab oſſibus conſumptis, animam exhalauerit. *S. Antonin. 3. parte Rubeus hiſt. Rauennatis lib. 6.*

XXVII. Quæ ante ſuum Auenio-

Antequam Auinione Pontifex diſcederet, pro coercendis caſtigandiſque in Delphinatu hæreticis, Viennæ, carceres peculiares, quæ S. Officij eſſent, nec non & Palatium S. Inquiſitioni extrui præcepit. *XI. Cal. Aug.* Gaidoni, tituli S. Crucis in Hieruſalem Cardinali, Canonicam & Cuſtodiæ titulum, in Cracouienſi Baſil[ica], à morte Nicolai Grothi conſtituauit. 17. *Cal. Iul.* 3. Ioannem Sabinenſem Epiſcopum, Auinione, & in Comitatu Venayſino, pro Sede Apoſtolica Vicarium Generalem reliquit. *XII. Calend. Auguſt.*

Ne diſceſſum ordinauerit Greg.

Greg. Pp. in Italiam nauigat.

Ac tandem menſe Septembri Auinione egreſſus, ampliſſimi Ordinis Collegio comitatus, Rhodano flumine in Italiam nauigauit, vt Sacroſanctum Pontificium tribunal, Romæ, auguſta, conſecrataque in Sede, ex diuturno exilio, & ſumma indignitatum, & rerum difficilium perpeſſione, in communi omnium terrarum & gentium patria collocaret; & ſacræ, religioſæq; Sedes, ac templa diuina ope conſtituta, fundata, & Principum tot ſæculorum magnificentia & pietate amplificata, & ornata, totius terrarum Orbis concurſu, pie, ſancteque adirentur, atque colerentur. *Surita lib. 3.*

XXVIII. S. Catharina Senen. auctor præcipua cōſilii.

Catharina Senenſis virgo ſanctiſſima; ſalutaris conſilij auctor præcipua extitit, aduerſus diſſuadentes Cardinales, in re certa propriaque, proprio vt arbitrio vteretur, elegantiſſimis verbis perſuadens. *Mariana de rebus Hiſp. lib. 17. cap. 18.* Eam Pontifex, Florentinæ Reipub. nomine miſſam, honorifice accepit, præbita ei honeſtiſſima domo, in qua ſacellum erat; & ſorori eam ſuæ ſpectatæ fœminæ plurimum cōmendauit, quod eam præſtanti ingenio eſſe audierat. Hæc cum Senenſi per interpretem de ſtatu Italiæ familiariter collocuta, deque diuinis myſterijs, optauit intereſſe rei diuinæ, tunc cum virgo Euchariſtiam eſſet perceptura.

S. Cath. in extaſi dolorem acus in pede pungentis non ſentit.

Et vero interfuit, viditq; eam ſtatim extaſi mirabili correptam. Forte ad id ſpectaculum adduxit, Raymundi Vicecomitis Tureniæ vxorem iuuenculam mire pulchritudinis. hæc credere non poterat, virginem illam extra corpus ſuum eſſe. Itaque ſimulato aliquoties pedum oſculo eos acu transfixit. Sed ne tum quidem vllum dolorem Catherina ſentire viſa eſt. *Stephanus Carthuſian. in vita S. Catherinæ.*

Preces quas pro Pontif. mane ad Deum fundebat.

Preces quas ad Deum pro Gregorio, eius rogatu Auinione, ſummo mane fundebat exſcriptæ à Thoma Petreo Sedis Apoſtolicæ Notario adhuc extant, earumque hæc ſententia erat: *Vt Vicarius Dei Deum ipſum vnice amaret, eumque tota mente complecteretur, & Chriſtianas oues recte legitimeque paſceret.* Carolus Rex Galliarum, miſſo Andegauorum Duce fratre, conabatur, Pōtificem, Galliæ relinquendæ conſilio dimouere. Sed non potuit: quod is Catherina auctore, pollicitus eſſet immortali Deo, ad Petri cathedram Sedemque Romam quamprimum poſſet profecturum: cum iam ſatis abunde ſanctimoniam Catharinæ exploratam habuiſſet.

XXIX. Prælati quidam experimentū de S. Cath. facere volentes Spiritū S. in ea agnoſcūt.

Tres inſignes Prælati in quibus Archiepiſcopus quidam minorita longe doctiſſimus, poſtulauerant Gregorium conueniendi, & certo certius inquirendi Catharinam. Ad diuerſorium virginis iubente Pontifice venientes, verbis aſperiorib. illam ſtatim excepere: *Ecquid, requirentes, Florentini illam fœminea fragilitate & imbecillitate miſiſſent? Num viros conſilii, & eloquentiæ potentes non haberent? & an illa temerario auſu huic quam grauiſſimo negotio ſe non ingereret?* Addebant: *Quid eſſent ſuæ mentis raptus? quid extaſes? & an non ab illo qui ſe in Angelum lucis transfigurat, in tranſuerſum ſe agi ſuſtineret?* Mouebant & difficillimas Theologiæ, de incarnatione & paſſione Dominica, de SS. Euchariſtiæ veritate & vſu, deque cæteris redemptionis humanæ myſterijs, quæſtiones. His illa diuino ſpiritu illuſtrata, ingenti cum demiſſione, reſpondit. Et quamquam minorita ille Archiepiſcopus (quod ſolent aliqui de ſtercore ad dignitates euecti) Phariſaico ſupercilio, illius reſponſa primum deſpicere, vellicareque argutiis doctam ſimplicitatem voluiſſet: tamen collegarum exploratorum admonitioni aurem præbēs, humilitate Catharinæ victus in virgine Sanctum Spiritum agnouit, laudauit, & Gregorium in eo ſenſu confirmauit, vt exiſtimaret Catharinam rebus maximis gerendis deſtinatam cælitus eſſe. *Raymundus Capuanus in vita S. Catharinæ Senen. lib. 3. c. 19.*



XXX. Greg. Auinione diſceſſurus Cather. in Italiam præmittit.

Itaq; Gregorius Auinione diſceſſurus, Catharinam Senen. ante ſe in Italiam præmiſit, vt Florentinorum animos ad pacem diſponeret.

Sequebantur illam vna cum aliis, duo religioſiſſimi adoleſcentes Senenſes Nerius Landoccius, & Stephanus Corradi Maconius, eius amanuenſes ex quibus ille ſolitariam poſtea vitam duxit, alter Carthuſianis ſeſe addixit. Contigit Genuæ, vtrumq; morbis conflictari. Nerius dolore viſcerum torquebatur, adeo vt medici eius vitæ ſpem omnem abiicerent. Stephanus pro eo Catharinæ ſupplex erat, vt miſero ſanitatem impetraret. Recepit illa ſe facturam, modo in craſtinum ſacram Euchariſtiam ſumpturæ, in memoriam reuocaret.

Duo eius in itinere miracula.

Ille reuocauit, hæc cibo diuino ſumpto, in extaſim rapta orauit, & ad ſe reuerſa inquit: *Dominus nobis Nerium reſtituit:* atq; is conualuit. cum autem etiam Stephanus febribus torqueretur, Catharina, dixit; *Præcipio tibi in virtute ſanctæ obedientiæ, vt has febres deinceps minime patiaris:* & febris abſceſſit, iſque incolumis ſurrexit. *Stephan. Prior Carthuſiæ in epiſt. ad F. Dominicanum.*

XXXI.

Petrus Alectenſis Epiſcopus Senogalliæ, Auguſtinianus, eius nauigationem deſcripſit, quam, operæpretium fuit iſtic inſerere, propter multarum rerum cognitionem.

## ITINERARIVM GREGORII PAPÆ XI. incœptum XIII. Septembr. Anno Domini 1376. Pontificatus ſui anno 6.

*Floris pulchritudo, & tu tamen pauperum*
*Dulcoris origo, conſolamen mærentium,*
*Eboris rutilatio, & caſtitatis lilium,*
*Pudoris protectio, & exemplum decor virginum,*
*Maris Stella, viaque proficiſcentium,*
*Vocaris domina de Donis, Regina Auenionenſium.*
*De tua ciuitate, tuis donis mire prædita longis temporibus*
*Exiuit gemma grata, & clare prædita cœleſtibus*
*Nobili proſapia generata, annexa regalibus,*
*Deo accepta, & placita hominibus, ſacerdos altiſſimi Gregorius*
*Die tertia decima menſis ſeptimi,*
*Tibi Aſſignata à cunctis, vocataque dies Sabbathi*
*Seruis tuis grata pro electione ieiunii,*
*Heu fletus eſt, hæc imitata diem mœroris maximi.*
*Tibi virgo glorioſa explicare dolorem nequeo,*
*Dum amœna tempora colore immutata video,*
*Multum grata, rubicundioraque ebore antiquo,*
*Genas colla rubricata, ſplendidiora claro topatio.*
*Ciuitas ſpecioſa magnalia dicta ſunt de te,*
*Nunc iaces proſtrata in puluere & cinere,*
*Remanes orbata viro abſque ſcelere,*
*Ab omnibus ſpreta velut peccatrix abſque fœdere.*
*Oculi tui oculi columbarum obfuſcati ſunt lachrymis,*
*Dilecti filii tui vberum tuorum ablactati ſunt vberrimis,*
*Specioſi ſponſi filiarum tuarum lacerati iacent in viis,*
*Placidi tui introitus irrigati ſunt in verbis maximis.*
*In nouis noua ciuitas & noua habitatio.*
*In te prima cœna & prima ſtatio,*
*Pulchra & amœna grataque manſio,*
*Multis & amara & horribilis inuitatio.*
*Manet dies Dominica ſecunda diæta omnibus olim grata.*
*Conuenit turba magna quæ currit, vterque ſexus facie immutata.*
*Oriuntur ſuſpiria gemitusque, reſerantur cordis ſecreta,*
*Traditur familia, cum dolet dominus, franguntur viſcera cuncta.*
*Superſedeo de oſculis quoniam mixta ſunt lachrymis.*
*In Orgone terra abundans lapidibus, die tertia Petrus iacitur.*
*Sed in humo petrea ſpinoſaque granum inane ſeritur,*
*Arcta eſt via, ex vno latere alueo Druentiæ clauditur,*
*Et altera ripa ſaxea maceris inexpugnabili modo protegitur.*
*O Deus quare ergo non clauditur, ne vnquam ſemita inueniretur.*
*Mars Deus belli crudele ac mortale texitur bellum,*
*In ſolis ortu ad imperiale palatium acceſſit gemma ſacerdotum.*
*O mirabilis ſtructura, mirabile præſidium, ex te fulget magnanimitas principum,*
*Nec tu claudis ſemitas, ſed omnibus patefacis ingreſſum.*
*Merito colonus nuncupatus, quaſi de cœlo ſis, aut de cœlo deſcenderis,*
*Idcirco tellus fertilis, non arida ſtimulis, ſed prouiſionis vocaris,*
*Frondoſo ligno obumbraris, oliuetis arboribusq; pomiferis ſplendearis,*
*Tuo principe contenta ſis, cuius es chariſſima, ne duobus confundaris.*
*Læte obuiam principi cum omni genere muſicorum veniſti,*
*Recte conſonantiam feciſti promendo, cantantibus mœſtitia gemitus non oſtendiſti.*
*Placide crapulam nobis paraſti, multiplicia fuerunt pocula, plurima fercula miniſtraſti.*
*Donet tibi Deus de rore cœli benedictionem, & te magnificet, quoniam ſic nos recepiſti.*
*Dies Mercurii ſcientiarum dominus, tibi Deus debetur verus latriæ cultus,*
*Qui eam adduxiſti de nubibus, qui dediſti tuis ſeruis humilibus:*
*In Aquenſem regiam vrbem ante ſolis ortum viam direximus,*
*Longa lataq; fuit via ſed dulcis & amœnus aſcenſus.*
*Grata, amœna ciuitas regalis, cameraque, læta familia,*
*Turba magna occurrit Apoſtolorum principi: ſenex antiſtes cum lætitia,*
*In eam ingreditur ſummus Pontifex cum ſua comitiua,*
*Strata domicilia, parietes pannis ſericis, cooperta ſunt omnia.*
*Palatium admirabile quid de te efferam præconiis?*
*Ex tua ſtructura elucet magnanimitas tui principis,*
*Grata ſunt conuiuia, vina electa, obmuteſco de ferculis,*
*Geminata diæta, in te manſit dignitas ſacerdotalis.*
*Veneris dies Ægyptiaca liquido in ortu diei aue nuntiata,*
*In alpibus mula ceſpitat, campana frangitur via errata,*
*In Trecis paratur meridionalis manſio refectioq; grata,*
*Quia ſunt triplicia omni bonorum copiæ, quia ciuitas amœna.*
*Sancte præſul maxime in te capitur nocturnalis dormitio,*
*Super te ara ſancta Magdalenæ celebratur ſacra matutinalis libatio.*
*Proceſſit exinde antiſtes ſumpto ſabbatinali prandio,*
*Pergit per arbuſta ſqualentia deſerti, ſomnum capit in Auriolo.*
*In montibus & ſuper ſaxa conſtruitur nouella ciuitas,*
*In luſtris denſoſis ducitur agnina ſimplicitas,*
*Fructibus, ſeminibus, vinis electis pollet parua communitas,*
*In domibus fumo dealbatis tertia die manſit regalis dignitas.*
*Mane ante lucem non fuit nobis vanum ſurgere,*
*Tunc cum faculis, & ingenti lætitia, celeriter incendere,*
*Ad vrbem ſanctam Maſſilienſem accedere pro tanto munere,*
*Lætantes plaudentesq; manibus, incepimus loca ſancta viſere,*
*In ingreſſu meridionalis æſtas incœpit nos dure affligere,*
*In incenſu turma popularis nos atrociter opprimere,*
*In introitu occurrit omnis cœtus cœnobiticus cum canticis & honore.*
*Lætatus omnis conuentus, vtriuſq; ſexus de tanto principe,*
*Legislator Chriſtique vicarius Anachoretarum metas ingreditur.*
*Veritatis doctor, Chriſtianæ fidei anchora, cœnobitarum ſepta aggreditur,*
*Sanctitatis doctor, pudicitiæ titulus, inter monachorum clauſtra ſituatur,*
*Dignitatis Zelator à membris ſuis duxque mœſtè ſequeſtratur,*
*O ſplendor mundi, & lux lucis, caue ne obtenebreris,*
*Gubernator firmamenti fige pedem, rumina iter quo proficiſceris,*
*Rector cleri adhibe tibi conſilium ne irriteris,*
*Orator veri Dei pete vt mentem illuſtres ne confundaris.*
*Eia Chriſti milites, conſortes Apoſtolici, ſeculique rectores,*

Sponſi eccleſiaſtici nobiles ſurgite, vigilate, efficiamini paſtores vigiles,
Euangelii æmulatores caput conſulite, illi vos coniungite velut amatores.
Veri Iudices, mundi principes, cuſtodite Eccleſiam ne incurrent lupi raptores.
O nautæ ſanctiſſimi nauem Petri recte dirigite,
Anachoretæ veriſſimi, Eccleſiæ Apoſtoli, anchoretam firmiter tenete,
Lucerna mundi ſuper montem poſiti, radios veſtros pandite,
Eccleſiæ armamentum ad quem locum transfretatis attendite.
In Mercurii ſancto conſiſtorio quid nam egiſtis?
Caput omnium Romanum præſulem inuolui pelago permittitis?
Lemouicenſem virum perfectum in Epiſcopum Præneſtinum elegiſtis?
Deus illum protegat quem ſic periclitari ſinitis.
O glorioſa & nobilis ciuitas nunquid tibi ſufficiebat ſtructura mirabilis
Sacrarum reliquiarum abundantia, dominorum & mulierum ſpecioſitas amabilis.
Nauium ex omni mundi climate concurſus, portusque amœnitas affabilis,
Niſi ſuſcipere mereres Romanum Pontificem XII. diebus cum ſuis famulis.
Ecce ex hoc te beatam dicent omnes generationes.
Iouis, ſeptentrionale regnante, veſpera cunctis eſt amara,
Dum palatium cœnobitale egreditur legis ſanctæ norma,
Et ambitum nauilem ingreditur præſularis dignitas præclara,
Contubernium frangitur viſcerale, fluente oculorum acerba lachryma:
O cor triſte cur mœrore in exitu dulcis prouinciæ conſumeris:
Amor patriæ nunquam te deſeret, crede firmiter quocumque ieris,
Decor ſæculi vale, exoræ pro me loqui nequeo, obfuſcor lachrymis.
Durior eſt ſaxis, qui non demollitur in tuis congaudiis,
Deus quis vnquam cogitare poterit, quæ & quanta fuerint lamenta.
Gemitus, lachrymæ, rugitus, mugitusq; ſuſpiria nunquam extiterunt tanta,
Partus mulierum dolores excedunt receſſus tui terra benedicta.
Dominus lachrymatur, omnis maxilla lachrymis rigatur, franguntur viſcera cuncta.
In inſula ſomnum capit ante Palatium Galianæ,
Legiſlator, princeps orbis, qui ſceptrum tenet imperiale,
Anchoram regit nauis, & nauta efficitur genus regale,
Triſtis & flebilis dormitio cum ligamine frangitur cordiale,
O ventus flebile eſt tuum principium, finis quis ſequetur?
Ventus eſt nobis contrarius, & Papa portum Milonis aggreditur,
Deus iter noſtrum proſpicit, ſurgente aura proſpera via paratur,
Summus præſul ſumpto prandio ibidem ſancti Nazarii lectum ingreditur.
Suſcepta leui cœna noctis hora prima inuitat ſtationem,
In Plaga de Ronſellis ſummus Pontifex firmat ſtationem,
Patria eſt nobilis Tholonenſis diœceſis, non habet habitationem,
Trina dierum noctiumq; ſpatia peregimus ibi manſionem.
Serotina & dominicalis eſt pluuia, numquam fuit talis,
Tonitrua, inſurgunt, fulguræ, inuaſit nos timor mortalis,
Palpebra non dormitat, mens illecebra ruminat, mors eſt finalis,
Quietatur temporis malitia, opitulante Dei clementia, dies eſt lunaris
Crucem ſanctam fert miles ſtrenuus, ſancti Iohannis præcingitur balteo,
Gentem ſanctam regis, admirallusque pelago minatur ſuo baculo,
Barbam biſurcatam gerit ſenex, tyrioque pollet vultu procero,
Procellam ſuperat nocte Iohannes Caſtellanus Empoſte nobilis euaſo baratro.
Quid eſt Iohannes Euangeliſta tu in maris viam rete acquiſiſti?
Iohannes Baptiſta abſque labe leui in eremo locuſtas comediſti:
Iohannes Chryſoſtome tuo opere ſermoneque os aureum nominari meruiſti:
Et tu Ioannes Hieroſolymitani ordinis Ræmelli pelago fluctuare permiſiſti.
Die ipſa lunæ ſexta Octobris compulatur, & exinde exiuimus,
Flante vento boreali ante Tholonum nimis celeriter tranſiuimus,
Magnæ erant elationes maris nec propter hoc ceſſauimus,
Tandem in occaſus ſolis portum de Reneſſon vix intrauimus.
Dum medium ſilentium tenerent omnia in noctis medio,
Surrexit ventus horribilis borealis in Foroiulis pelago,
Timent nautæ, pauent turbæ, lamentantur omnes ſine remedio,
Inchoat ſenex vetulus proſequitur puer paruulus laudes Chriſto.
Omnes fundunt preces altiſſimo ſpondent vota ſancto Quiriaco.
Excitatur Antiſtes, & expaueſcit de tam magno periculo,
Quieſcente mari properat infra accedere ante locum de Grimaldo,
De naui celeriter egreditur, ſomnumque capit in ſancto Tropetio.
Mercurii octaua Octobris exiuimus portum de Vermigeneris,
Ventus erat ſeptentrionalis nobis valde placabilis,
Noſter tranſitus fuit ante Leones Foroiulienſis diœceſis,
Gauiſus Pontifex fortuna arridente largitur beneficia miſeris,
Defert munera abbas cœnobita ſancti Honorati magnifice,
Conferque gratiam retribuens illi, gerens vices Chriſti mirifice,
Affert nobis veſperam tempeſtas diei initiatæ clarificæ,
Defert cœnam Antipolis, obuiam ſibi Lemouices & Narbonenſes pelagiſtæ.
Antiſtes Chriſtophore vbi eſt tui generis nobilitas promulgata?
Abſorpta eſt in aduentu ſummi Pontificis largitas grata,
Mutat nomen tua diœceſis Graſſa Prouincia nuncupata
Quid nobis attulerit referat ſocietas diu fatigata.
Die Iouis clarificata ante Riciam velox fuit noſter tranſitus,
Cum hilaritate nimia Villam Francham ceu portum Oliuæ intrauimus,
Prandium, cœnamque late, abunde, quaſi famelici auide ſuſcepimus,
Nocte, eadem in tranquillitate, & ſilentio clareſcente hemiſphærio quieuimus.
Die Veneris minus bene conſulti mare intrauimus vento flante,
Prope Monachum mane peruenti, retro reuerſi ſumus mare impellente.
Ad locum vnde receſſeramus Oliuæ applicuimus fortuna obiiciente,
Diſpenſat Pontifex in gradu tertio conſanguinitatis lege contradicente.
Gaudet exercitus, credit ad propria cum gaudio remeare,
Sed non ſinit altiſſimus corda principum ſine cauſa mutare,
Expergiſcit plebs Niciæ ad pedum oſcula cum hilaritate,
Manſit ibi vſque Mercurium præſul cum humilitate.
Paupertatis profeſſor Franciſce modice cur proſperitati eccleſiæ inuides?
Alias in tua die fuit tectum capellæ Palatii Auenionenſis reductum in cineres,
Nunc vero in tua octaua gentem ſummi Pontificis nauigare non ſines?





Pugiæ nauis frangitur, & vela per aerem voluuntur lacerantur que funes
In barcha ſunt curſores, ianitoresq; lectiſterniis papalibus,
In banda iacent Sacerdotes votaq; ſpondent Deo cum ſuis promiſſionibus,
In hora noctis tertia frangitur anchora, & antenna cum ſuis ligaminibus,
In media nocte omnia deſperata, vociferantur cuncti validis clamoribus,
Regrediuntur nautæ deſperati de ſua ſaluatione,
Diſcurrunt hinc inde per mare ſine gubernatione,
Submerguntur merces & clericus incaute abſq; dilatione,
Mane inueniunt ſe nautæ in ſancta Margareta cum admiratione,
Calixtus fuit nobis charus & mihi propitius clareſcente ſole,
Viam patefecit Mercurius 15. Octobris relicto rure Oliuæ
Precioſa oliua, relictaq; in nauem extraneam mutata in Aue
Anchonenſi labeſcente altero ſole nos transfretauit in Ianuenſi littore,
O precioſa inter baccharum, & lilia ſacerdotum oliua.
Cur retro hac die pedem fixiſti deſiderio fraudata,
Et iter tuum non proſequeris iuuenili conſilio decepta,
Debilis exitus nunc tuus, nocturnus ſomnus in Monachali platea,
Iouis tibi fuit dies lætabunda cum ſole oriente hemiſphærium clarificauit.
Quæ te fortuna arridente in nobili littore abſque portu collocauit,
Cur timet noctis tenebras, qui menſium latebras patefacit,
Nam ei cuncta obediunt, mare, terræ & venti cum imperauerit,
Venus naturæ amicabilis decem milliaribus remeatis in lacum voluptatis collocauit.
Structura mirabilis benedictus opifex qui te ædificauit,
Verboſa curioſitas, & inanis iocunditas quæ te fraudauit,
Amœna ciuitas Sauona nuncupata in ea nocte præſul pernoctauit,
Dies Sabbati, dies celebris, grate placideq; initiata,
Lucæ medico, Chriſti Apoſtolo, Euangeliſtæque, eſt hæc conſecrata,
Mane mare ingreditur Chriſti Vicarius cum acie facie læta,
Mare dire erigitur prope lucernam, euaſit barathrum hora veſpertina.
Quare ventus iraſceris, & mare quid mane eleuaris,
Aut certe ignoras ditionem illiusq; dulcedinem quem tuleris,
Vel forte mores eorum iudicas ad quos eum geris,
Primus ipſe Ianua portum ingreditur cui colla ſubderis;
Mirabilis patria excelſa ædificia, montuoſa gibboſaque terra,
Petroſa, arbuſtuoſa, quaſi non deſcenderit in ea ros, aut pluuia,
Mercimonia ſunt multæ pluresq; diuitiæ populares, mixta tamen cuncta,
Apparatus eſt maximus, plus tamen in apparentia quam in exiſtentia,
Erigunt ceruicem, non reuerentur hominem fronte capillata,
Cupiunt ſibi cuncta ſubdere cæca menteq; elata
Spernunt pauperem, ſpondent ſe carere omni inopia,
Et tamen vix ſeritur, neq; nent in eorum patria.
Poteſtas ipſorum eſt maxima, non tamen naturale dominium,
Imperialis eſt ditio principatus atq; monarchale myſterium,
Veruntamen magna fuit ſagacitas quando acquiſierunt Cyprum,
Sed potior iuſtitiæ qua obtinuit merito triumphum,
Caue antiſtes, profer verbum tuum, vt luceat ſicut gemma,
Demulce corda flammantia emunge longe ad te venientia,
Benigne ſuſcipe cœtus Ianuenſium, affectionem confirma promiſſione.
Amplectere cunctos ad te venientes cum forti confœderatione.
O præſul magnifice non te decipiat cooperta & inflata nobilitas.
Nominalis vocaliſque dignitas in facto comprobatur & propalatur veritas,
Ruſticalis propago non nouit regalem nobilitatem fictaq; ingenuitas,
Accipe ligam ipſorum cum firma confœderatione quia ſolemnis eſt hæc communitas.
Recede & dirige greſſus tuos cum ſagacitate antiſtes magnifice,
Iam elapſus eſt dies duodecimus quo fuiſti in Ianuenſi ciuitate,
Rumores inſurgunt, ſtridunt dentibus ſpreta præſulis dignitate,
Cum eos non accepiſti in tuo ligamine cum benignitate.
Vale ergo nobilis ciuitas cum tuis opulentiis,
Perſeuera in tuis mercimoniis & ſta in tuis commerciis,
Precor te recole de antiquis Eccleſiæ amicitiis,
Adiuua ipſam ac protege cum tuis diuitiis,
Celebrata Apoſtolorum Simonis & Iudæ Eccleſiæ ſolemnitate;
Suſceptaque leui cœna iam clauſa die noctis obſcuritate,
Ingreſſa mare præſularis ſanctitas cum omnia celeritate,
In galea Anconenſi ſomnum cœpit cum hilaritate.
O ſtella mirabilis, ſitus tuus & ingreſſus tuus eſt inueſtigabilis.
Quænam ſcis aut quomodo vocaris ignota es & inſtabilis.
Fertur tamen quod Apoſtolos per dies tres antecedis aut ſubſequeris.
Quapropter planeta Apoſtolorum Simonis & Iudæ ab omnibus nominaris.
Tuæ influentiæ tamen ſunt horribiles, timent nautæ, tumet mare,
Surgunt venti, currunt nubes, eriguntur maris elationes, mouentur cometæ.
Magnæ ſunt tonitruæ, fulguraque, coruſcationes cum grandine,
Non eſt colonus qui audeat his diebus nauigare.
Sequens Mercurius Octobris XXIX. læti de lectulo ſurreximus
Preces gementes altiſſimo cum altis ſuſpiriis fundimus,
Quatenus in almam vrbem diu deſideratam proſpere applicaremus,
Sed fortuna obiiciente in ſolis ortu Delphini portum intrauimus
Quinta feria quare obdormitas, torpor ne inuaſit te aut ſomnolentia?
Surge propera egregie paſtor ſupra gregem tuum cum ſolertia vigila,
Inuade hoſtes tuos atque cunctos eorum ſeueritate penetra,
Non ſinas fœtus tuos torqueri tyranniceq; cruciari fame aut inedia.
Dies Veneris vigilia fuit celebris, fruſtra nauigare cepiſti,
Fere viginti milliaria extra portum Delphinum fœliciter nauigaſti,
Tertiarum hora fortuna impellente, retro verſus prælibatum portum intraſti,
Oſtendebant tibi illi quod hanc diem merito celebrare debuiſti.
In viſu mentis intellexit hoc antiſtes ſibi adeo ſpecialiter reſeruaſſe,
Patrono loci procurante ſancto Hieronymo anachoreta eximio doctore,
Vt in tuam celebrem memoriam ſanctorumq; omnium ſolemnitate,
Noui cœnobitæ loci ſancti Hieronymi gratularentur perpetuo papali viſitatione.
Pedeſter incedit per ſcaleriæ deſerti velut Romipeta,
Ad anachoretas die Veneris quaſi hora diei ſexta,
Columna & baſis præſulum de nocte audit Chriſti ſacramenta,
Quia ibidem recreantur tota die membra fatigata,
Mane Sabbati adſunt omnes ſancti miſſam celebrat Vicarius Chriſti,
Intrat oratorium ſanctum ad aram doctoris ſancti Hieronymi,
Confluunt omnes, nautæque obſtupeſcunt de amœnitate exigui loci,

*De tam ſolenni libatione ſacra, ſiue ſermone gaudent omnes ſancti.*
*Intellexit paupertatem Monachorumq́ inediam paſtoralis clementia,*
*Aſpexit quantitatem eremitarum, ſuppletque inopiam, confert iocalia,*
*Vidit exiguitatem redituum, & obtulit eis magnalia munera,*
*Exaudiuit vota precantium, largitur eiſdem pretioſa priuilegia.*
*Inſurrexit gens elata ſuſtinere non potuit inanem inflationem,*
*Inuida mens, ſuperbaque non compatitur æqualem proſperitatem,*
*Inuident ſe mutuo Catalonia, & Ianua, abhorrent correctionem,*
*Numquam inter ſe habuerunt veram & ſinceram æmulationem.*
*Poſt aſpera verba peruenerunt ad acerbiora crudeliaqua verbera,*
*Iacent in littore Ianuenſi lacerati, non fuerunt mortis vulnera,*
*Inſinuant ſuis conciuibus, volant hinc inde foreſacta*
*Excitatur antiſtes diſcuſſa ſomnolentia, mare ingreditur cum feſtinantia.*
*Adeſt dies celebris non fuit fas orare pro defunctis,*
*Prima dominica Nouembris non licuit nos officiare pro mortuis,*
*Completis duobus his diebus ingreditur mare nobilitas Præſulenis,*
*Quæ iterum mutat manſionem pro impenſis propriis ſuis ſeruitiis.*
*Quid eſt pelagus de te volo aliquid fari?*
*Nobis iam bina vice iter dulce paraſti,*
*Cur à tuo mundiq́ principe non vis dominari*
*Dominus ſæculi eſt, quem tu vehis, cui te oportet humiliari,*
*Vniuerſo orbi dominaris, & quos diligis dulce ſuſtines,*
*Quos odis deles, Anchonenſes cognoſcis & mite fers,*
*Nunc Ianuenſes, Maſſilienſes, Aragonenſes abhorres,*
*Quia Domini tui officiales Camerarium Theſaurarium, Senogallienſem proſpere ſuffers,*
*O Sancte Spiritus & anima defunctorum, qualis extitit dies veſtra,*
*Pelagi fluctus duos innocentes inuoluit barcha ſubmerſa,*
*Delphini portus alios ſuſcepit occurrendo Aragonum galea,*
*Gilberti nobilis de Crucellis auxilia omnia ſunt ſaluata.*
*Parat Martis quarta Nouembris omnibus viam in ortu de Aue initiata,*
*Exhilarat gentis faciem ſuperna gratia ſolis ſplendore radiata,*
*Claudicat retro galea Ruſa cum gente ſua nominata,*
*Firmat ſpem vas mirabile Anchonenſe cum ſua comitiua ſpreta.*
*Ante portum Veneris velox fuit tranſitus; quoniam non erat dominus:*
*Leue extitit prandium, verumtamen merum dulce, ſaporatusq́ cibus,*
*Ad Liuorna portum fuit noſtra ſerotina refectio, nocturnusque ſomnus,*
*Maneque illo remanſit ante litus Veneris omnium præſulum dominus.*
*O Leo de tribu Iuda tu feſtinas accedere ad indomitam gentem,*
*Tempus eſt vt oſtendas tuam ditionem clauiumq́ poteſtatem,*
*Vectes ferreos confringas, cum prudentia, & ſagacitate non reuerearis hominem,*
*Tuo rugitu cuneos penetres compagem ligaminis inimicorumque fortitudinem,*
*Piſanorum littus die Iouis ſexta Nouembris prandii hora applicuiſti,*
*In Liuorna ſequens remis mitem plebem ore inueniſti,*
*Ignoro quo concilio aut nutu ad inſidiatores tuos appropinquaſti,*
*Inebriati ſunt furore, crapulatique, eorum veneno affines eorum ſunt infecti,*
*Piſanorum eſt ſolemnis communitas cum ſuis gratioſis muneribus,*
*Lucanorum grata ciuitas cum ipſius populentiis & amœnitatibus,*
*Offerunt tibi encania magnificeq́ tuis fratribus dominis Cardinalibus,*
*Caue ne excæcetur oculus Eccleſiæ, aut decipiatur blandis ſermonibus,*
*Si meminiſſent antiquarum Eccleſiæ ſubuentionum nunc pro te firmiter decertarent,*
*Cum ſua acie tibi occurrerent pro ipſorum matre viriliter dimicarent,*
*Sibi ipſis profuturo prouiderent, atque ſeipſos non illuderent,*
*Excæcauit eos malitia noluerunt intelligere vt bene agerent.*
*Intelligite viri eruditi, attendite Iuriſperiti ſententiam noſtri codicis,*
*Vir duplex, animus inconſtans in omnibus viis ſuis,*
*Quamobrem verbum duplex in veſtro ore male geritis,*
*Apte nudeq́ loquimini de lingua pandite quæ latent in cordibus veſtris.*
*Caueatis ne circumueniamini in falſo negotio patrem noſtrum,*
*Attendatis ſi eſtne hoc verbum noſtrum, amiciſſimus omnium?*
*A Florentinis quidnam accepiſti, cur ergo manu tenetis partem ipſorum:*
*Ab ipſis dudum deſtructi fuiſtis, & adhuc ducemini propter eos in interitum,*
*Quid eſt ſe fingere contriſtari de delictis & perſeuerare in malitiis?*
*Veniunt quidam canibus rabidiores falſi religioſi in ouium veſtimentis,*
*Aiunt ſi populus non deliquiſſet, veniam non exigiſſet, miſericordia non eſt neganda miſeris,*
*Cupiunt excuſationem inuenire in peccatis, & nolunt confiteri de commiſſis.*
*Vorago peſſima & abyſſis verſutiæ profunda quid deglutire intendis,*
*Gentem ſanctam, Regale ſacerdotium, imperiale dominium, populum acquiſitionis.*
*Ab iſtis non perſequeris ſed à tuis iniquitatibus & malitiis,*
*Fruſtra ante innocentes laqueos tendis quia ab ipſis irretita eris.*
*Flos lilii falſo nuncupata, vtinam redoleres & te cognoſceres,*
*Et animum tuum à ſuperſtitione vana & à paganitate reuocares,*
*Deum qui in cælis & dominum qui in terris præeſt agnoſceres & coleres,*
*Tempus eſſet vt præterita peccata lugeres futuraque mala præuideres.*
*Conſummata die octaua Veneris 14. Nouembris Anchonenſes ſunt licentiati,*
*In Liorna vndecim diebus effecti fere frenaticique tertio ſunt illuſi,*
*Acerba ſequeſtratio quando membra copulantur alio capiti,*
*Anchonenſes Sabbatho fortuna ridente Plumbinum ſunt ingreſſi.*
*Cur ſic mundi facula te duci permittis, qui radios abſcondis*
*Caue ne tertia mutatione dire lugeas deſperatæ ſalutis,*
*Columbina ſimplicitas à ſuo volatu poteſt retardari pennis eleuatis,*
*Inordinata voluntas conuenit fraudari ſpretis conſiliis,*
*Serotina fuit pluuia dulcis & amœna propter rei euentum.*
*Dominica 16. Nouembris tota à Plumbino abſceſſimus ante ſolis ortum,*
*Hilarata facie ciboque roborata feliciter ingreſſi fuimus Herculinum,*
*Prima noctis vigilia cum ingenti lætitia ibidem cœpimus ſomnum.*
*Parat & hæc Apoſtolorum principi, iterq́ tota aciei,*
*Refutat eum Plumbinus vento & Orientali flante & contradicente ei.*
*Turbat nautas Thetis obſcuritas ſed applaudit Ferraria triſti faciei.*
*Dormitat antiſtes in Elba Ferraria intrat Lingonem prima hora diei.*
*Progreditur pedeſter præſul quærens requiem occurrit ei Chriſti templum,*





*Mane ingreditur egregius Paſtor cum fratribus ſuis oliua ſinum,*
*Ariditate loci obiiciente non decuit eum ibi triplicare tabernaculum,*
*Petrus Iohannes, & Iacobus non ſunt cubicularii, ſed totus grex ouium,*
*Deſert Iohannes Rogerii nobilis nouus cubicularius & primus Narbonenſis*
*Pollet ſacris dotibus, mores tenet regios, fulget virtutibus politicus,*
*Apparet ſenex caluitie iam ornatus magis, maturitate quam temporis,*
*Floret iam trina dignitate adepta ſibi merito à Deo collatis.*
*Nec defuit Petrus Monachus imbre cœleſtis pluuia irrigatus,*
*Doctorali dignitate inſignitus, multiplicibusque abbatiis iam decoratus,*
*Nunc referendarius Carpentoracenſis antiſtes ſolemniſq; paſtor egregius,*
*Iſti fuerunt comites peregrinationis aſſidui cum aliis nobilibus,*
*De Baro præclare Ioannes ſub Diuione ſenior cubicularie tunc abſens fuiſti,*
*Epiſtolas quas legis bene intellexiſti, quia ter naufragium pertuliſti,*
*Petre de Caſſaneis calue venerabilis tua probitate regiſtrum obtinuiſti,*
*Mane tuas bullas cum earum emolumentis refutare, vt vidiſti.*
*Doctor egregie Helia cum tua doctrina, claraque ſagacitate,*
*Antiſtitem quare non conſulis cum nobili præclara fraternitate*
*Ne terram benedictam mellifluam deſideret cum ſua grata amœnitate,*
*Videtur tibi ne hoc palatium fore Pariſienſe cum ſua nobilitate,*
*Cauallionenſis præpoſite Petre Guiraudone cum tua grata ſocietate.*
*Etiam præſens extitiſti leuemq́ cœnam ſuſcepiſti cum hilaritate,*
*Roberte fideliſſime tu etiam in ſtraminibus iacuiſti cum tua ſagacitate,*
*Romanum præſulem nunquam deſeruiſti quocunque ierit ſeruiens cum humilitate.*
*O pelagus infidele neminem reuereris nec vlli parcis,*
*Fluctus tuos nimis acerbe eleuas, inflauit te ventus aquilonaris,*
*Dominus Glandacenſis in thalamo patitur tuis limphis,*
*Hic homo ſanctus & eſt mundi princeps, quem tu abſorbere cupis.*
*Sanus incolumis ex te progreditur denudatus rebus,*
*Humerus ruſtici in terra tulit Apoſtolicum vnumque de Cardinalibus,*
*Dominus condolet de bonis euanutis, plane tamen de domeſticis humilibus,*
*Mercibus naufragatis in littore ſe gratulantur mutuo plaudentes manibus,*
*Mare præceptis ac nutibus tui principis in nullo obtemperas.*
*Per te conuenit habere Romanum præſulem quem tu mane refutas?*
*Nobilem Ambianenſem Cardinalem ſine cauſa cur ſic infeſtas?*
*Maſſilienſem ciuem de Brandis Stephanum cum galea naufragas?*
*Grandis fuit excubia, ſed incauta vigilia,*
*Inanis extitit ſola in mari anchora, turbata maria*
*In arduis negotiis geminata debuit fore ſapientia,*
*In magnis periculis non licuit nautam capere ſomnia.*
*Oritur tempeſtas horribilis, anchora frangitur, & galea latus aperitur,*
*Ingreditur galeam fluctus maris, & nauis in profundum demergitur,*
*Promerentur vota, funduntur que preces altiſſimo ſcelera illi panduntur,*
*Naufragantur omnia perſonis reſeruatis ibique iocalia perduntur.*
*Veneris feriata 21. Nouembris multis extitit amara,*
*Virginis Ceciliæ vigilia in Chriſto obdormiuit clara gemma,*
*Cardinalis Narbonenſis ſenex antiſtes humatur in Piſana Eccleſia.*
*Maris fractus laboribus ſpiritum eius ſuſcepit cœli gloria,*
*Bene memor Petre nobiliſſime reuerendiſſimeque Camerarie Apoſtolice cœli hoſpitalitate.*
*Digne in memoriam vertitur iugis beneficii accepti largitas grata cum humanitate,*
*Æmulatione paterna ſummum præſulem filialiq́ ſuſcepiſti cum humilitate,*
*Et me eius ſeruulum benigne in tua menſa recreaſti cum hilaritate.*
*Retribuat tuæ ditioni benignitatique perluſtret immenſitas ſupernalis,*
*Proficiat incœptam operationem dignitatemque adeptam pietas diuinalis,*
*Dirigat tuam celſitudinem cum probitate fraternali Trinitas ſupercœleſtialis,*
*Conſtituat tuam dignitatem in gloria Chriſti humanitas virginalis.*
*Inſula Maria non te decuit retinere mundi principem.*
*Silua deſerta & ſolitaria pro tanto exercitu non habuit habitationem.*
*Egreſſa acie de Ferrariæ alpibus mare tulit Romanum præſulem,*
*Arrepta via progreditur liberatus à turbine, firmat in Plumbino manſionem.*
*Gaudet immenſe Plumbinus de aduentu tam magnifici principis,*
*Lætatur exercitus hilarata facie liberatus de tantis periculis.*
*Inane extitit gaudium tantis oppidis cum nil ſequutum fuit muneris,*
*Quid tibi obtulerint, œconomi tui reponant in tuis theſauris.*
*Iouis XXIX. Nouembris multum celebris ac plurimis amabilis.*
*De Blumbini littore eleuatur præſul cum ſuis ſeruulis,*
*Feſtinat Clemens ac pius pater iungere ſe ſuis famulis,*
*Portum ſanctæ Reparatæ erga argentarium aggreditur cum ſuis domeſticis.*
*Sequens Veneris mare quaſi mediterraneum ingreditur*
*Orbi tellus à cunctis merito ac proprie nominatur,*
*Cum barcha Friuoli tranſit ſternuumque ſic oppidum aggreditur,*
*Vndique parua tellus dempto latere vno mari circumdatur.*
*Laureatur Comes Nolanus nobiliter coronantur omnes ſertis frondoſis,*
*Armatur malleus hæreticorum Petrus Auguſtienſis Epiſcopus Montis Flaſconis fidelis,*
*Accenditur lucerna quæ mons argentarius ſplendet velut ſol multiplicatis faculis,*
*Gaudet Roma Thuſcia Campania Anconaque fidelis intellectis ſignis.*
*Quid eſt crucifer Chriſti præclare ſigno eius frontem muniſti,*
*Subdiacone Apoſtolice nobiliſſime iugis in tuis epiſtolis legiſti,*
*Chriſtum fore pontificem & tu per pontem in mare cecidiſti,*
*Tunc non gerebas crucem ante præſulem cum ſubmergi dubitaſti.*
*Remeant ad propria galeæ illuſtriſſimæ ſereniſſimæque reginæ Siciliæ,*
*Feſtinant Romam accedere deſiderio fatigati cruciatique inedia dire,*
*Properat celeriter ſe iungere tutus ſtrenuus Dux Berroii ſuæ ſponſæ,*
*Anhelat grata ſeruitia impendere nobiliſſimæ dominæ Iohannæ delectæ ſuæ.*
*Eia commilitones mei nutriti in delitiis, comedite carnes de ſuibus,*
*Qui famelici nimis auide ſumitis animam de buſonibus,*
*Non adipe frumenti aut meri ſaturati eſtis vel lacte de ouibus,*
*Sed præſentia Romani præſulis velut manna cœleſti repleuit nos dominus,*
*Humatis iam aliquibus qui fracti laboribus infectiq́ malo aere.*

*Dimiſſis etiam ægrotantibus in magnis periculis feſtinauimus inde proſilire,*
*Viam cum ingenti hilaritate ingreſſi fuimus relicto exiguo rure,*
*Non enim decuit Papam in orbitello paruulo cum tanta acie remanere.*

*Calculo mari paruulo pedeſter progreditur paſtor cum ſuo baculo.*
*Spreto oppido ſuum gregem ducit per arbuſta in Herculio,*
*Recto itinere cum luminaribus properat accedere die Iouis clauſo,*
*Sero met illo nauem ingreditur quaſi conſummato curſus brauio.*

*O caſtitatis celator pudicitiæq; æmulator gemma omnium præſulum,*
*Veritatis prædicator Nicolae excelſe eſt nomen tuum,*
*Charitatis largitor, tua vigilia dulce tribuit de Herculio exitum,*
*Puritatis præſeruator hæc tua itineri marino impoſuit terminum.*

*Tellus Corneti nimis opulenta fertiliſque es decorata turribus,*
*Vicus tui læti exiſtunt, hinc inde eructant grauibus,*
*Rus tuum ſuſcepis die Veneris Romanum Pontificem cum validis clamoribus,*
*Zelus tui nos coegit obliti offenſionem in tuo littore deſcendere de nauibus.*

*Veſpera ipſius diei Veneris littus Corneti amicorum tuebatur cuneis,*
*Gens armata præſtolabatur dominum ſuum cum magnis ſuſpiriis,*
*Terram aggreditur Antiſtes cum lætitia ſumpto prandio euaſis periculis,*
*Clamitantibus viuat pax, miſericordiamque poſcentibus paruulis.*

*Terram aggreditur Antiſtes in littore acceptis patriæ clauibus,*
*Populus vociferatur dimiſſis offenſionibus tubis clangentibus,*
*Parce domine populo tuo & moriatur præfectus cum ſuis ſequacibus,*
*Ingreſſus oppidum Corneti cum ingenti gaudio pax vallatur perpetuis promiſſionibus.*

*In vinea domini Sabbaoths Gregorii Papæ vndecimi quaſi hora dubia veniſti,*
*In ea colonus es iam totam palmitibus tuis terram impleſti,*
*Sæculi terminum ſignificatum in vineæ cultoribus bene intellexiſti,*
*Ac etiam tu in ſero præ conſortibus tuis.*

*Certe ambigo an finis ſæculi in hora duodecima terminetur,*
*Expaueſco mundi turbine crebra vbi mala perpetrantur,*
*Inuoco inſpectoris clementiam quem latere nil poteſt vt Eccleſiam tueatur,*
*Imploro illius miſericordiam quod tua mens ab intentione ſua non fraudetur.*

*Confortare & eſto robuſtus te introduxit dominus in terram mell fluentem,*
*Euigila & expergiſcere, torpor ne inuadat te ſed deſtrue malignantem,*
*Aggredere in brachio extenſo in virga ferrea poſſide Petri hæreditatem,*
*Reminiſcere oro te prædeceſſorum tuorum, quæ iuſtitia deſtruxerunt Barbarorum ferocitatem.*

*Vade præſul ſanctiſſime Deus inſpirauit te,*
*Attende quid verbum ſcriptum ſit de te,*
*Surge ſenex & eſto iuuenis primam petram recole,*
*Intuere prædeceſſorum tuorum veſtigia mundus audiet te,*
*Sed tu conculcabis inimicos Chriſti fortiſſime.*

*Indulge mihi precor humilimaq; ſimplicitati ignoſce,*
*Si quid minus bene locutus ſum de tuo itinere,*
*Te & me reducat in patriam ſempiternam Chriſtus qui vocauit te,*
*In paſtorem gregis ſui qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum.*
*Amen.*

XXXII. *Fratribus, qui ſunt in Auinione afflicti, ſalutem & pacem bonam dicunt fratres veſtri per Italiam diſperſi. Benefaciat nobis Deus & meminerit teſtamenti ſui ſancti quod habuit ad Clementem ſextum qui illuſtrauit nos & annum iubilei conceſſit. Orationib. inſtate vigiliis, eleemoſynis precibusq; dominum pulſate, vt tandem aperiat cor nepotis ſui, eiusq; ſucceſſoris Gregorii vndecimi inclinet & inducat ad id faciendum. Scribimus vobis inſuper mala quæ merito venerant nobis his diebus, ex quo receſſit Iaſon à terra ſancta, quæ vos legentes magnifice gratias Deo immenſas agatis, qui liberauit nos de ſupradictis periculis, mihi quoq; indulgeatis, meæq; imbecillitati ac imperitiæ adſcribatis, quia paſſus Leoninos & Rhetoricos proſequutus non fui, propter minus bene intelligentes conſortes meos. Pro me peccatore Chriſti ſeruulo Senogallienſi indigno Epiſcopo exoretis, conſorte in veſtris tribulationibus. Scriptum & completum in Alueolo Corneti, in die S. Nicolai Antiſtitis, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Pontificatus prælibati Domini Gregorii Papæ XI. anno ſexto.*

SCRIBIT IDEM EPISCOPVS EPISTOLAM FRATRIB. IN AVENIONE RELICTIS.

XXXIII. Explicit itinerarium Marinum ſanctiſſimi ac beatiſſimi domini, domini Petri Rogerii de Belloforti, ſola Dei clementia Gregorii Papæ vndecimi vſq; Cornetum Thuſcanenſis diœceſis, vbi fuit curia à 5. Decembris vſque 13. Ianuarii.

## IESV CHRISTI
## Annus 1377.

GREGORII PAPÆ XI. ANNO 7.
Caroli IV. Roman. Imperat.
ANNO 22.

## INCIPIT DE CORNETO ITINERARIVM VSQVE Romam.

I. *Martis Ianuari XIII. nobis extitit paradiſi terreſtris ianua,*
*Attenuatis maxillis & fluctibus fatigatis ſuique vniſoli aruina,*
*Euanuit quinq; ſeptimanis in oppido Corneti cum mœſtitia,*
*Electis tribus Archiepiſcopis ſummus Antiſtes mare ingreditur cum lætitia.*

*Somnum cœpit in galea ante littus Corneti Pontificalis ſerenitas,*
*Populum ſuum recenſuit charitate Dei inflammata paſtoralis dignitas,*
*Ouium ſuarum curam gerit cum Clementia præſularis ſanctitas,*
*Paupertamque debilium omnem multitudinem in barcha iubet recipi paternalis pietas.*

*Quid eſt nobiliſſime Guiſcharde Tyro ephebus Vicecomes de Combornio omnem colorem mutaſti,*
*Nunquam patria nouit te cuius propaginis in trabem dulcem traxiſti,*
*Quod præſagium fuit cum mare ingredereris enſem tuum perdidiſti,*
*Non iubes velut Propheta quod ferrum nataret quinimo ipſum perquiri feciſti.*

*O mare, de tuo itinere hæſitans vaticinatus fui qualis finis ſequeretur,*
*Clare intueor quod mentiti ſunt aruſpices ariolique dum prophetantur,*
*Liquide conſpicio quod mutata ſit noſtra ſententia quod præſul Romam non ingrederetur,*
*Vnde nobis, loquor, quod obſtruxit veſtrum os altiſſimus dum mirabilia operaretur.*





*Multi etiam ſunt Philoſophantes loquentes de ſtabili principio male terminate,*
*Decepti ſunt Phyſici cum ſuis falſis conſtellationibus determinantes inepte,*
*Imperiti ſunt obloquuti falſe vaticinantes de ſæculi ſceptrum tenente,*
*Saluati ſunt Chriſticolæ hac die cum Summo Pontifice Dei clementia opitulante.*

*Tempus eſſet vt mare tuum dominum cognoſceres illique obedires,*
*Deus, in terris eſt quem vtero tuleris cui nunc arrides,*
*Ventus nunc culpam confitetur & tu aura eidem adhæres,*
*Dominus Antiſtes eſt quem abſorbere iugis ſatagiſti, cui modo applaudes.*

*Media nocte egredientes de littore Corneti ſeptentrionali flante,*
*Clara hemiſphæria rareſacientia aera, claritate nimia emicante,*
*Maria quietante proſpere nauigauimus tota ta nocte,*
*Fortuna obiiciente barcha equorum lapidatur vento impellente.*

*Mane Mercurii prandii hora cum ingenti gaudio ad fauces peruenimus,*
*Proſpere feliciterque prius trina anchora per iuſſionem ſuſcepta Tyberim introiuimus,*
*Læte cum immenſo gaudio ſuſcepto prandio Oſtia ingreſſi fuimus,*
*Murale præſidium mirabile eſt ciuitas venerabilis nullius exiſtentiæ ibi cœnauimus.*

*Sero illo properauerunt ſenes Romanorum venerabiles ad eorum præſulem accedere,*
*Gaudio immenſo repleti plaudentes manibus non valebant verbum proferre,*
*Deo teſte in terris tanta iubilatio non viſa fuit, nequeo explicare,*
*Accenſo lumine chorizabant cum tubis & faculis calui decrepiti cum ſonore.*

*Veneris ſequens ſurrexit media nocte Antiſtes, vt laudes Deo caneret,*
*Libatis ſacrificiis aliquali dormitatione ſuſcepta tuba cecinit vt omnes excitaret,*
*In galeam reuertitur Romanus Pontifex vt per alueum vrbem accederet,*
*Ventis & remis cum vela violentantur contra impetum fluuii vt Romam applicaret.*

*In ortu diei ingreſſo Antiſtite galeam Maſſiliæ omnes lætantur,*
*In exitu Oſtiæ galeæ Anchona & Maſſilia obiurgantur,*
*In aſcenſu aluei obuiam ſibi inuicem è contrario paulominus omnes periclitantur,*
*In progreſſu impeditur præſul ſanctiſſimus mœſtitia & dolore omnes anguſtiantur.*

*Euaſo baratro Chriſticolæ almam vrbem ſatagunt applicare cum labore nimio,*
*Relictis retro galeis celeriter properauimus ſumpto prandio in Portuenſi pelago,*
*Effuſis Deo precibus ſupplicibus nobis in ripa obuiantibus flentes præ gaudio,*
*Eleuatis vexillis equis oneratis tintinabulis cum aſcenſoribus in campo magno.*

*Currebant banderarii Romani velut dementes tubis clangentibus,*
*Veniebant ſenes pueri ac iuuenes clamantes viuat dominus,*
*Stabant in littore ſancti Pauli infiniti populi cum luminaribus,*
*Expectabant Romanum præſulem cum nimio apparatu viuat Papa vociferantibus.*

*Nocte præuentus non deſcendit in terram dominus ibidem pernoctauit in alueo,*
*Bene conſultus ſomnum cœpit Antiſtes in galea in Tyberio,*
*Mane autem facto confluebant Romani innumerabiles à ſancto Paulo,*
*Sole veſpero deſcendit de galea prius bis libato ſacrificio.*

*Die ipſa Sabbati XVII. Ianuarii Simone Petro Romam prius cathedrato,*
*Anteceſſore tuo, cuius tu veſtigia ſequeris ibidem cathedram tenuiſti primo,*
*Te ingrediente doctore gentium Eccleſiam tuæ ſanctitati occurrit mirabilis proceſſio,*
*Flectente te genua largito panno aureo miſſam audiſti à Senogallienſi Epiſcopo.*

*Facta viſitatione ſancti Pauli palatii ordinataque proceſſione domum præſul egreditur,*
*Via incepta obuiant Pontifici hiſtriones cum filozis via tractatur,*
*Læta ſunt omnia infinitus eſt apparatus chorizantes in iubilo omnes progrediuntur,*
*Tuba clangente conuocataque acie mirabili vexilla eriguntur.*

*Adeſt ſocietas nobiliſſimi ephebi tyronis Remundi Tureniæ multum grata,*
*Regaliſque nobilis & fortis acies erat militum bene armis decorata,*
*Multi milites plurima ſagacitas velut caſtrorum acies bene ordinata,*
*Nec defuerunt primicerii bandereriique etiam ſenator manu armata.*

*Egrediente Summo Pontifice ſancti Pauli palatium adfuerunt mille hiſtriones,*
*Progrediente præſule ante chorizabant induti omnes panno albo manibus plaudentes,*
*Canente tuba proceſſio incipitur & banderiæ eriguntur omnes iubilantes,*
*Mane hora prima iter omnes ingreſſi fuimus eundo lætantes.*

*Vexillum Eccleſiæ gerebat ſenex Tyro Empoſta Caſtellanus,*
*Domicilium quilibet egrediebatur proprium occurrit infinitus Populus Romanus,*
*Nobilium filii pileos ferebant ante dominum iſte eſt dominus quem ſperabamus,*
*Vociferantium vox erat etiam viuat Papa euntes late eamus.*

*In porta ciuitatis adfuerunt innumerabiles prælati induti Pontificalibus,*
*Signa gerebant papalia imperialiaque cum Clericis & Sacerdotibus,*
*Tintinabula cum omni genere muſicorum reſonabant cum ſonoribus,*
*Limina cum ingreditur Romanus Antiſtes dominium ei traditur cum clauibus.*

*Almæ vrbis conſiliarii ſenator Bandarenſes omnes cooperti ſunt pannis ſericis,*
*Vnde oſtendebatur magnanimitas Romanorum nobilium cum eorum opulentiis,*
*Vere non credebam in præſenti ſeculo videre tantam gloriam oculis propriis,*
*Dire fatigatur præſul prolixitate itineris cum ſuis ſeruulis.*

*Per medium vrbis proficiſcendo ambulantes mulieres præ gaudio lamentabantur,*
*Super tectum aſcendebant cum nimia deuotione præſulem intuebantur,*
*Hilariter colleridas ſpargebant velut roſarum flores omnes gratulabantur,*
*Celeriter per vicos currebatur ſicut Dei paranymphus Bertrandus Raphini mancionator.*

*Hora completorii ad gradus ſancti Petri ieiunii læte peruenimus,*
*Tota perlibata die in proceſſione & diuina laude inſudauimus,*
*Clauſa die nimium afflicti cum luminaribus prandium ſuſcepimus,*

*membra fatigata debilitataque magnifice gemmatis ferculis refocillauimus.*
*Tibi Chriſte ſplendor patris immenſas laudes refero*
*Tuæque virgini matri humilem veniam poſtulo,*
*Simoni Petro Pauloque Apoſtolo me recommendo,*
*Mihi indulge Gregori ſi minus bene loquutus ſum de tuo itinerario,*
*Loquar & vtinam in tui præſentia referam in conſpectu altiſſimi quæ geſta ſunt in futuro ſeculo, Amen.*

II. De Roma vſque Anagniam.

*Monitus ſancto Spiritu proficiſcitur Abraham de Aram verſus Plagam Orientalem,*
*Præmonitus priſtino caſu, non mutatur ſed viam aggreditur Campanialem,*
*Conſultus diuino nutu roboratur inter ipſum amicitia populumque eius cordialem,*
*Inflammatus diuino flatu ingreditur ſtratam verſus montem ſuperagionalem.*
*Illo tempore quo paracletus ſanctus corda diſcipulorum temperantia inflammauit,*
*Sabbato more ſolito XVI. Maii norma præſulum ſtationem mutauit,*
*Palatio ſancti Petri Tuſciæ derelicto Summus Pontifex almam vrbem intrauit,*
*Libato matutinali ſacrificio ad ſanctam Mariam maiorem accedere feſtinauit.*
*Mane orto iam ſole in vigilia Pentecoſtes celeriter currunt manipuli,*
*Romæ namque Bandarenſes cum ſuis cuneis acceſſerunt nobileſque mareſcalli,*
*Almæ vrbis conciues cum nobilibus confluebant late non more hoſtili,*
*Turba iubilantis erat ſonitus viuat Papa, zelo zelati ſeruiamus illi.*
*In exitu palatii ſancti Petri adfuit ſenator cum conciuibus nobilibus,*
*In progreſſu mirabili aſtitit Tyro nobilis dominus Raymundus de Turena cum militibus,*
*In egreſſu domicilii extitit Mareſcallus, ſtrenuuſque miles Hugo de Rocho cum baronibus,*
*In inceſſu nobili non defuit caluus ephebus miles Guido de Bruinis cum ſuis ſequacibus.*
*Equeſtres ſeu habenarum præſulis directores erant manipuli induti panno conſimili,*
*Hiſtriones ioculatoreſque erant innumerabiles qui præibant etiam & muſici,*
*Rectores vrbis & ſacræ ſocietatis tripudiabant omnes clerici & laici,*
*Conſeruatores antecedebant omnes induti loricis currebant periti & ſeruuli.*
*Traiecto ponte ſancti Angeli parietes ſtrati erant pannis aureis,*
*Incepto itinere verſus plateam Parionum hinc inde erant parata velis ſericis,*
*Orto ſole refulgebant vultus, velut meridies ac depicti manibus angelicis,*
*Recto itinere pleniora & exuberantia apparebant vſque ad finem itineris.*
*Prolixa fuit diata, ſed multum breuis propter ſui amœnitatem,*
*Ingrata imparilitas viarum, ſed grata nimis propter populi affabilitatem,*
*Arcta via repleta turbis non valens capere veneream ſpecioſitatem.*
*Peracta ſpatia peruenimus læte ad ſanctæ Mariæ maioris montem,*
*Quanta fuit inde almi ſpiritus in templo ſanctæ Mariæ iubilatio,*
*Tota vrbs ſacra congregata ibi interfuit mane in Papali ſacrificio,*
*Sancta & immaculata eſt Eccleſia Dei genitrix multum grata in ædificio,*
*Vlla lingua carnis non poteſt exprimere nec ego fari valeo.*
*Electa fuit à Deo & glorioſa Virgine Maria ab initio in monte ſuperagio,*
*Dotata & irrigata imbre cœleſti candoreque niueo in ſingulari exemplo.*
*Completa rore deitatis velut ara Gedeonis in Auguſti initio,*
*Conſtructa & ædificata per almæ vrbis Epiſcopum Liberium cum ciue patricio.*
*Feria ſequens tertia ad ſedem ſuam accedit Eccleſiam Lateranenſem,*
*Gemma feruens omnium præſulum vobis dans normam rectam præſularem,*
*Lucerna ardens ſuper candelabrum ibidem miſſam ſecrete celebrat ſingularem,*
*Sancta mens Sancta Sanctorum intrat poſt ſacrificii ſanctam libationem.*
*Surgit ab accubitu ſuo ſummus ſacerdos altiſſimi Gregorius completa oratione,*
*Exiuit palatium Lateranenſe cum ſua nobili comitiua incepta proceſſione,*
*Occurrit ei innumerabilis populus vtriuſque ſexus cum iubilatione,*
*Acceſſit iterum ad ſanctam Mariam turba lachrimante præ gaudio & dilectione.*
*Euanutis octo diebus Pentecoſtes adeſt dies ſanctæ Trinitatis,*
*Expletis omnibus diuina celebrat Antiſtes ibidem in tabernaculo ſummæ ſanctitatis,*
*Imbutis populi mentibus eius ſanctæ conuerſationis exemplo & honeſtatis.*
*Completis ſacris libationibus ad propria remeat turba in voce tubæ iubilantis,*
*Pulſatus deuotis precibus ſuorum canonicorum S. Ioannis Lateranenſis Eccleſiæ,*
*Deuotus paſtor gregem ſuum reuiſitat in ſolemnitate ſacratiſſimæ Euchariſtiæ,*
*Ornatus ſacris veſtibus ſolemnia peragit ſuper menſam Chriſti cœnæ,*
*Tantus populus Romanus adfuit quod ambitus loci nequiuerunt capere.*
*Reſeruata Euchariſtia repoſitaque per ſuas manus ſacratiſſimas in cuſtodia,*
*Largita benedictione ſolemni atque promulgata ſeptemnali annorum ſacra indulgentia,*
*Oſtenſa Apoſtolorum capita plaudendo manibus turba repatriat cum lætitia,*
*Apprehenſa habena equi non valebat præſul equitare impediente turba.*
*Patienter ferens egregius paſtor oppreſſionem à ſuis deuotis ouibus,*
*Lætanter iens benigneque ſuſcipiens vota à ſuis ſeruis humilibus,*
*Iter præbens profundæ humilitatis ſanctitatiſque deuotis ſuis ſequacibus,*
*Gratanter audiens publicam ſuſcipiens legem Moſaicam ſumptis Iudæorum ceremonialibus.*
*Ingreſſo templum ſanctæ Mariæ in monte ſuperagio cum lætitia,*
*Aggreſſo prandium ſolemne cum Romanis nobilibus totaque familia,*
*Completo conuiuio roboratur inter ipſum & Romanos ſincera amicitia,*
*Peracto ſpatio duorum dierum viam direxit in Anagniæ cum ſolertia,*
*Aue virgo Dei genetrix qui talem elegiſti locum pro tuo famulatu,*
*Salue templum dominicum à Deo decoratum dotatumque cum tuo tabulatu,*
*Vale mons & regio temperata multum grata cum tuo aſpectu,*
*Bene tibi ſit alma vrbs, ſacrata prædita cœleſtibus cum miro affatu.*

Quid



*Bene tibi ſit alma vrbs, ſacrata prædita cœleſtibus cum miro affatu.*
*Quid Virgilius agnitor virium regionum herbarum de te fari potuit,*
*Quid Solinus ſpeculator vrbium & climatum in te intueri valuit,*
*Quid Vegetius ſcrutator Tyronum nobilium de tui ſtrenuitate diſceptauit,*
*Quid Tullius compoſitor dictionum & verſuum de te fabulari debuit,*
*Quid Iudas Machabæus de tui prodigalitate in ſacro canone exarauit,*
*Quid Salluſtius ſcriba doctus de tui fundatione exordioque texere potuit,*
*Quid Lucillius Martialiſque doctus Seneca de te ſculpere potuerunt,*
*Quid ſexus fœmineus Sibyllarum futura vaticinantes de te prophetarunt,*
*Quid Valerius memorator geſtorum hiſtoriarumque de tui vetuſtate habuit,*
*Quid Ioſephus ſanctus antiquitatum vetuſtatumq; de tui nobilitate reſerare debuit,*
*Quid Tripertior temporum recollectorque chronicorum de te exarare valuit,*
*Quid Vincentius ſeminator geſtorum aſſignatorque temporum de te in ſuis codicibus inſeruit,*
*Quid omne genus poetarum & doctorum in laudem tui extollere potuit.*
*Intellectus menſque mea fere parui pendit quoniam veritatem tuam ſiluerunt,*
*Oculus meus intuitus eſt infra mœnea tua ſanctiſſima vrbſque corruerunt.*
*Verecundor quam plurimum quia & ego inſufficiens minuſqu eloquens ſuſcipere neſciui,*
*Imaginorque ipſa mirabilia & inenarrabilia de ſe teſtibus perhibent veritati,*
*Quod etiam ſi homines ſilerent ipſi lapides loquerentur cuilibet intuenti.*
*Quoniam diu ſtrenue pro vtilitate reipublicæ in agone certaſti,*
*Quia diu ſinceram fidem illibatam inuiolatamque ſeruaſti,*
*Quia diu fouiſti filios quos lacte proprio in tui decore nutriſti,*
*Quam diu fauiſti illis qui proprio cruore te ſunt mercati.*
*Tamdiu ſceptrum ditionis totiuſque mundi caput erectum tenuiſti,*
*Auertiſti faciem à Chriſto tuo interdum & non auxiliata ei in bello.*
*Receſſiſti ſponſa & fornicata es cum amatoribus multis à tuo dilecto.*
*Noluiſti te ſubmittere excæcata deceptaque inani conſilio domino legitimo,*
*Abiſti currens poſt viros alienos ſine robore orbata proprio viro.*
*Attende quæſo vbi proſtrata fueris & quanto tempore ibi iacuiſti,*
*Aduerte exoro vbi veſtem regalem ſordidaſti & diploidem in confuſionem induiſti,*
*Recole poſtulo celſitudinem dignitatis tuæ ditioniſque qua mundum rexiſti,*
*Intuere peto nunc vbi ſunt qui de beatam dicebant tibique arridebant in proprietate tui;*
*Abierunt, alienati ſunt retrorſum, teque velut deſertam ſpreuerunt,*
*Aduenerunt tibi dies mali nec fuit qui te adiuuaret, omnes receſſerunt,*
*Circumdederunt te inimici tui vallo & florem pulchritudinis tuæ abſtulerunt,*
*Clamauerunt, venite diſperdamus illam, teque deſtruere cogitarunt.*
*Audiuit Dominus & miſertus eſt tui pro paternitatis affectu,*
*Venit ad te ſponſus tuus facie rutilans cum grato aſpectu,*
*Reconciliauit traxitque te miſerans tui dilectus diuino nutu,*
*Leuauit dexteram ſuam, amplexatus eſt te paſtor charitatis amplexu.*
*Tenes eum filia Syon teque zelo ſinceritatis coniunges illi,*
*Poſſides nunc amorem ſuum, tene, nec dimittas quem tantum concupiſti,*
*Fulges iam ſplendore illius omiſſumque dominum ſi adhæres ei recuperaſti,*
*Læta nimium in aduentu ſponſa fuiſti extollens in iubilatione,*
*Oblita ſcelerum & miſerationum vetuſtarum plaudiſti manibus præ admiratione,*
*Turbata plurimum die Sabbathi penultima Maii in paſtoris tui perfectione,*
*Afflicta cogitationibus Antiſtitem in receſſu non tuiſti tua monitione,*
*Certe non te deſeret, ne turberis dilectus ſed mutat duntaxat ſtationem,*
*Crede firmiter, zelo zelatus eſt tui, nunquam te deſeret propter tui amorem,*
*Perge poſt illum, adhære ei qui non recedit, ſed quærit recentem ragionem,*
*Dirige greſſus tuos præſul ſanctiſſime incœptos ne dubites radium ſolarem.*
*Recedente ab alma vrbe ſummo Antiſtite mane primo diluculo,*
*Proficiſcente verſus Companiam nobilem per talem planitiem compatiebatur ſuo populo,*
*Pergente increpata cuſtodia vocabat fatas tradito pede pro ſancto oſculo,*
*Eunte præſule deprædatur quidam capitur latro nunc moritur in patibulo,*
*Sitienti aſperſo puluere præbuit diuinæ pietas ſolemne refrigerium,*
*Deficienti & laſſo ſubuenit Dei genitrix de grotta ferrata templum,*
*Intranti cœnobitale domicilium præbebat omni volenti aquam in poculum,*
*Cupienti & exuſto ſolis ardoribus præſtabat multum placabile ſolatium,*
*Sicut hic eſt in montibus ſupra mare in lucis denſoſis,*
*Conuentus iſte eſt cœnobitarum græcorum fundatus in honore Mariæ virginis,*
*Locus eſt valde amœnus diſtat ab vrbe decem milliaribus circumdatus limphis,*
*Domus eſt bene fundata ſupra firmam petram licet in locis aquoſis,*
*In ea manſit ſerena ſanctitas præſularis geminata dieta propter amœnitatem,*
*In in ipſa egregie collocati fuerunt duo Cardinales propter ipſius affabilitatem,*
*In ipſa Eccleſia ſtiterunt quatuor prælati propter loci fœcunditatem,*
*In qua tota ipſorum familia ſemper extitit propter illius capacitatem.*
*Primo mane Iunii ante lucanum corpus Chriſti omnibus viam patefecit,*
*Ingreſſo itinere eum ſequitur turma ſed incaute talis caſus euenit,*
*Percuſſo Salmerio antiſtitis Carpentoracenſis gladio crudeli manu interiit,*
*Orto iam ſole ſummus Pontifex egreſſo cœnobio Anagniam viam arripuit.*
*Produit exinde progrediens ſummus Pontifex recte per deſerti ſqualentia,*
*Abiit egregius paſtor cum amicis ſuis per heremum & nemora,*
*Venit turba per campeſtria plurima ad beatorum pedum oſcula,*
*Siluit tellus in aduentu principis pacificataque ſunt omnia.*
*Porro ſiluam grandem ingreſſus locus vehebatur caſtrorū diuerſis cuneis,*
*Credo illam fore vallem vmbroſam Ioſaphat in terra promiſſionis,*
*Puto quod nemus lignorum Coſdroe & ſaltus Libani non ſit ſimilis,*
*Spatio peracto tranſacta hora tertiarum applicuimus vallem Muntonis.*

Oppidum

*Oppidum illud ſolemne eſt in ingreſſu Campaniæ Praneſtinæ diœceſis,*
*Caſtrum forte eſt in montibus inter ſiluas obſitas filicis,*
*Caſtellum vnius dominæ nobilis eſt almaque vrbis conciuis,*
*Domicilium illius pulchrum cum aſpectu mirabili cum ornamẽtis ſericis,*
*Recreati in illo tota die hoſpitati egregie ſoſpitati pernoctauimus,*
*Excitati bono mane immenſas laudes Deo obtulimus ſacrificiumque libauimus,*
*Reſocillati iter noſtrum continuauimus per vallem opacem condenſis nubibus,*
*Roborati aſpere & cum celeritate illo mane XII. milliaria equitauimus,*
*Cum tertiarum hora finem daret diei Martis ſexta Menſis Iunii,*
*Dum turmarum concurſus appropinquaret ad pedum oſcula recedebant hilarati ieiuni,*
*Vrbium in voce tubarum populi ad eum confluebant præ gaudio exanimati,*
*Territorium Anagniæ applicamus optatum cum lætitia ingenti ſole exuſti.*
*Appropinquante ſummo Antiſtite ciuitatem Anagniæ cum nimia hilaritate,*
*Ingrediente paſtore gregem ſuum currebant oues cum nimia auiditate,*
*Progrediente præſule acceſſerunt populares choriZantes velut hiſtriones cum iucunditate,*
*Intrante ſuburbia, adfuit turba cum proceſſione iubilando cum ſonoritate.*
*Antiqua & ſolemnis eſt hæc ciuitas ſituata in alpibus Campaniæ,*
*Longa valde, nec lata, pollet vno vico inter alia communitas Anagniæ,*
*Amœna, grata, in aſpectu circumdata vallibus colliſque planitie,*
*Vicina fere ſideribus, caret fluminibus, pollet fontibus, ciſterniſq; pluuiæ,*
*Alta ædificia ſtructura lapidum maxima, terræ motu ruinaque diſſipata,*
*Grata domicilia fumo dealbata, lignis caſtaneis cooperta, & conſtructa,*
*Agmina hominum & mulierum in vultu ſunt colorata, pari forma,*
*Exuſta ſolis ardoribus facies non rutilat colore tetro aſſimiliata,*
*Quia alba, delicioſa, rubra, inuiſa & penitus ignota,*
*Grana optima cum fertilitate & fructuum copioſitate nimia,*
*Ænearia electa regio temperata gens bona cum ruſticali affabilitate grata,*
*Diuota plebs ſimplex grex fideliter ambulat in ſua prædia.*
*Secretum eſt, ô alma ciuitas Romana nobilis, in Campania illuſtri,*
*Subdolum depoſco ſi pandam in laudem ne imputetur referanti,*
*Saxum concauum in modum ſpecus latet in Anagnia in loca eminenti,*
*Stagnum reputo aquam abunde præbens omni volenti & haurire cupienti,*
*Retro matrem virginem iacet quæ nobis peccatoribus aquam tulit ſalutis,*
*Puto eius precibus illud ibidem præſeruatum ſuis fidelibus tempore ſterilitatis,*
*Credo quod in ſeculo non eſt ei ſimile in cuſpide montis,*
*Ergo ne terreamini vltramontani, nobiles ſitientes ibi lympham bonam haurietis,*
*Quæ ad æthereum thalamum aſcendiſti in Anagnia mirabile templum elegiſti,*
*Quod crebreſcentibus miraculis portentis prodigiiſq; oſtendiſti & mirabiliter decoraſti,*
*Tu etiam mentem ſummi Antiſtitis Gregorii vndecimi tua gratia perfudiſti,*
*Cum ſancto flamine ignito in tui deuotionem imbre cœleſti imbuto communiſti,*
*Paſtor egregius ſuſcepto mundi regimine feruentius in tui deuotione zeloque perſeuerauit,*
*Doctor eximius percepta tui gratia te in ſuam matrem adoptauit,*
*Rector pius vniuerſum perluſtrauit tua oratoria ingis ſui principio decorauit,*
*Sator honeſtatis tuam natiuitatem adamauit & ſacra vigilia primus adornauit,*
*Nutu ſpiritus almi, cuius ſeptiformis gratia inflammatus ſeptima Septembris ieiunium mandauit,*
*Ritu perpetuo ſua poteſtate celebrare cum miſſa ſtabiliuit & ordinauit,*
*Dictu ſuo firma promiſſione vallato etiam cum bulla vnde prædicta promulgauit,*
*Affatu diuinoque ſuo relatu hanc deuotionem inſerui quam ſuo munere amplificauit.*

III. ANAGNIÆ GREG. PACEM INTER POP. ROM. ET FRANC. VIC. VRBIS PRÆFECTVM STABILIT. ORATORES VENCESLAI ROM. REG ELECTI AVDIT

Iſtud eſt itinerarium, & nonnulla pars actionũ Gregorii in Italiam reducis, qui hoc anno Anagniæ, inter Populum Romanum, & Franciſcum Vicanum vrbis Præfectum pacem ſtabiliuit. Deinde Wenceslai Regis Romanorum electi Oratores, quorum princeps fuerat Amadæus Sabaudiæ Comes, confirmationem electionis poſtulantes, & iuramenta conſueta nomine Regio dicentes, nec non Imperialem vnctionem, conſecrationem & coronationem eidem decerni ab Apoſtolica Sede petentes audiuit: deque toto negotio, ad Patres retulit, & ex eorum matura deliberatione, diſpoſuerat (quemadmodum Clemens Antipapa Venceslao ſcribebat) Venceslai perſonam approbare & ipſam declarare ac decernere habilem & idoneam eſſe ad ſuſcipiendam Imperialis Celſitudinis dignitatem. Non potuit iſtud efficere, quod grauis eum corporalis ęgritudo inuaſiſſet, & anni ſequentis initio extinxiſſet. *Dat. Fundis Menſe Octobr.*

IV. CLEMENT. ANTIP. DECRETVM APPROBANTIS PERSONAM VENCESLAI PRO REGNO ROM.

Quo in loco, Clemens Antipapa, cum anno ſequente, eoſdem Venceslai Oratores & Procuratores, præſumpta authoritate audiuiſſet, pari præſumptione de ſuorum Anticardinalium conſilio, iſtud decretum pronunciauit: *Ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, Patris & Filii, & Spiritus ſancti, ac Beatæ & glorioſæ ſemper Virginis Mariæ, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, & exaltationem ac honorem Romanæ Eccleſiæ, & bonum ac promotionem Imperii, & proſperum ſtatum mundi, te in ſpecialem noſtrum, & dictæ Eccleſiæ filium ſuſcipimus; tibi noſtrum fauorem & gratiam concedentes, tuaque perſona idonea reputata, Te nominamus, denunciamus, aſſumimus, & declaramus Regem Romanorum, tuam approbantes perſonam, teque ſufficientem & habilem declarantes, ad ſuſcipiendam Imperialis Celſitudinis dignitatem, & decernentes vnctionem, & conſecrationem ac coronationem Imperialem per manus noſtras, tibi opportuno loco & tempore impendendas. Supplentes nihilominus omnem defectum, ſi quis forſan aut ratione formæ, aut ratione perſonæ tuæ, aut perſonarum, dictorum electorum, ſiue ex quauis alia ratione ſiue cauſa, in electione huiuſmodi interuenerit, quouis modo, ex certa ſcientia, & de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis: præcipientes etiam omnibus fidelibus & vaſallis Imperii, vt tibi ſicut Regi Romanorum in Imperatorem promouendo pareant efficaciter & intendant.* Dat Fundis Menſe Octobr.

V. DE IOANNE WICLEFFO IN ANGLIA VENENA IN ECCLESIAM SPARGENTE, CVM SVIS SEQVACIBVS.

In Anglia, hoc anno, & ſuperiore, Iohannes Wicleſus iam in apertum prodiens, venena in Eccleſiam ſpargebat. Hæc infraſcripta de hæreſiarcha, Thomas Walſingamus reliquit.

*Per idem tempus ſurrexit in Vniuerſitate Oxonienſi quidam borealis dictus magiſter Ioannes Wiclef ſecularis in Theologia tenens publice in ſcholis & alibi concluſiones erroneas & hæreticas, ac ſtatui vniuerſalis Eccleſiæ contrarias & abſurdas, & præcipue contra Monachos & alios religioſos poſſeſſionatos venenoſe ſonantes; qui vt ſuam hæreſim cautius palliaret, ac ſub exquiſito colore dilataret latius congregauit iniquitatem ſibi, videlicet comites atque ſocios vnius ſectæ inſimul Oxoniis & alibi commorantes, talaribus indutos veſtibus de ruſſeto, in ſignum perfectionis amplioris, incedentes nudis pedibus, qui ſuos errores in populo ventilarent, & palam, ac publice, in ſuis ſermonibus prædicarent. Qui inter cætera iſta quidem tenuerunt ad vnguem: videlicet, quod Euchariſtia in altari poſt conſecrationem, non eſt verum corpus Chriſti, ſed eius figura.*

Item,



HÆRETICÆ WICLEFFISTARVM CONCLVSIONES.

Item, quod *Eccleſia Romana, non eſt caput omnium Eccleſiarum, pluſquam vna alia Eccleſia: nec maior poteſtas per Chriſtum data fuit Petro, quam cuilibet alteri apoſtolo.*

Item, quod *Papa Romanus, non habet maiorem poteſtatem in clauibus Eccleſiæ, quam quiſcumque alius in ordine ſacerdotii conſtitutus.*

Item, quod ſi dominus eſt, *domini temporales poſſunt legitime ac meritorie, auferre bona fortunæ ab Eccleſia delinquente.*

Item, ſi *Dominus temporalis, nouerit Eccleſiam delinquentem, tenetur ſub pœna damnationis eius, ab ea temporalia auferre.*

Item, quod *Euangelium ſufficit, ad regulandum in vita iſta quemlibet Chriſtianum: & quod omnes aliæ ſanctorum regulæ, ſub quarum obſeruantiis degunt diuerſi religioſi, non plus perfectionis addunt Euangelio, quam addit albedo parieti.*

Item, quod *nec Papa, nec alius Prælatus Eccleſiæ, deberet habere carceres, ad puniendum delinquentes: ſed quilibet delinquens poſſet libere, quocumque vellet tranſire, & facere quæ ſibi placeret.*

Iſta & plura alia, in ſubuerſionem noſtræ fidei aſſeruerant & affirmauerunt dicti ſeductores: in tantum, quod Domini & magnates terræ, multique de populo, ipſos in ſuis prædicationibus confouerunt & fauerunt prædicantibus hos errores. Eo deinque maxime, quia poteſtatem tribuerunt laicis, ſuis aſſertionibus, ad auferendum temporalia à viris Eccleſiaſticis & religioſis.

VI. PONT. EX CONCL. HVIVSMODI 23. TANQVAM HÆRETICAS DAMNAT IPSVMQVE WICLEFF. COMPREHENDI ET SVPER ILLIS EXAMINARI MANDAT. INDICITVR WICLEFFO SILENTIVM AB ARCHIEPISCOP. CANTVAR. QVOD TAMEN NON PROFVIT

Cum autem concluſiones iſtæ & delicamenta fuiſſent exhibita & perlecta coram Papa, viginti tres earum tanquam hæreticas & vanas, ipſe damnauit; dirigens bullas ſuas, Archiepiſcopo Cantuar. & Epiſcopo Londinenſi, vt ipſorum auctoritate, dictum Ioannem facerent comprehendi, ac ſupra dictis concluſionibus diligenter examinari. Quo facto, atque habita declaratione ſuper iſtis, licet ficta, & vana, dictus Dominus Archiepiſcopus ipſi & omnibus aliis ſuper illa materia, præſente Duce Lancaſtriæ, cum domino Henrico Percy indixit ſilentium, prohibens ne de cætero illam materiam quouis modo tangeret, aut tractaret, & ne illam permitteret alios ventilare. Igitur tam ipſe quam ſequaces ſui aliquandiu ſiluerunt. Sed tamen contemplatione dominorum temporalium, eaſdem opiniones & alias multo peiores iis poſtmodum auſi ſunt reaſſumere, & latius ſpargere quam ſparſere prius. Hi vocabantur à vulgo Loliardi, incedentes nudis pedibus, veſtiti pannis vilibus: ſcilicet de ruſſeto, vt per vitam pœnitentialem, facilius incautos traherent ad ſectam ſuam.

VII. PONTIF. SCRIBIT VNIVERSITATI OXONIEN. INCREPANS EORVM DESIDIAM IN REPRIMENDO WICLEFFO

Paucis diebus ante natale dominicum, miſit dominus Papa bullam ſuam Vniuerſitati Oxoniæ, miniſterio magiſtri Edmundi Stafford; increpans eos correctione paterna, ſuper eorũ deſidia manifeſta: eo quod tanto tempore opiniones erroneas, ipſius Antichriſti diſcipuli, ſcilicet Magiſtri Ioannis Wiclef radicari permiſerant inter eos: dum non fuerat, qui ferrum doctrinæ Catholicæ aſſumere laboraret ad extirpandam tam peſtiferæ plantationis radicem. Cuius Vniuerſitatis, moderni procuratores ſiue rectores, quantum degenerauerint à prudentia ſeu ſapientia antiquorum, per hoc facile conicii poterit: quod audita cauſa aduentus dicti papalis nuncii, diu in pendulo hærebant, vtrum papalem bullam deberent cum honore recipere, vel omnino cũ dedecore refutare. Oxonienſe ſtudium generale quã grauii lapſu à ſapientiæ & ſcientiæ culmine decidiſti, quod quondam inextricabilia atque dubia toti mundo declarare conſueſti, iam ignorantiæ nubilo obfuſcatum dubitare non vereris, quæ quemlibet à laicis Chriſtianis dubitare non decet. Pudet recordationis tantæ imprudentiæ, & ideo ſuperſedeo in huiuſmodi materia immorari, ne materna videar vbera decerpere dentibus, quæ dare lac potum ſcientiæ cõſueuere. Igitur bullæ papalis tenor miſſæ Oxoniæ ſtudio talis eſt.

VIII. TENOR BVLLÆ GREG. MISSÆ VNIVERS. OXONIEN.

*Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei dilectis filiis, Cancellario & Vniuerſitati ſtudii Oxonienſis, Lincolnienſis diœc. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Mirari cogimur & dolere, quod vos propter gratias & priuilegia veſtra ſtudio Oxonienſi ab Apoſtolica Sede conceſſa, & propter ſcientiam ſcripturarum, in quarum pelago fœlici remigio (dante domino) nauigatis, tanquam pugiles & propugnatores orthodoxæ fidei (ſine qua ſalus animarum non prouenit) eſſe deberetis, Lollium inter purum triticum campi glorioſi, ſtudii veſtri prædicti per quandam deſidiam & ignauiam permittitis pullulare, & quod eſt pernicioſius etiam adoleſcere, nec circa extirpationem huius Lollii (ſicut nuper apud nos inſonuit) curam aliquam adhibetis, non ſine clari nominis obfuſcatione, & animarum veſtrarum periculo, & contemptu Eccleſiæ Romanæ, & memoratæ fidei detrimento. Et quod nos torquet acerbius, prius de incremento Lollii prædicti ſentitur in Roma quam in Anglia; vbi tamen extirpationis remedium apponeretur.*

*Multorum ſiquidem fide dignorum inſinuatione, admodum dolentium noſtris auribus intimatum, Iohannem Wiklef rectorem Eccleſiæ de Luttleworth Lincolnienſis diœc. ſacræ paginæ profeſſorem, vtinam non magiſtrum errorum, in illam deteſtabilem erupiſſe vecordiam, nonnullas propoſitiones, concluſiones erroneas & falſas, ac prauitatem hæreſeos, ſapientes quæ ſtatum totius Eccleſiæ & etiam ſæcularem politiam ſubuertere & eneruare nituntur, quarumque aliquæ licet quibuſdam mutatis terminis, ſentire videntur peruerſas opiniones, & doctrinam indoctam damnatæ memoriæ Marſilii de Padua, & Iohannis de Gandauo quorum liber per fœlicis recordationis Iohannem Papam XXII. prædeceſſorum noſtrum reprobatus extitit & damnatus, in regno Angliæ nempe glorioſo potentia & copia facultatũ: ſed glorioſiore pietate fidei rutilante ſacræ paginæ claritate, conſueto viros producere diuinarum ſcripturarum recta ſcientia illuſtratos, morum grauitate maturos, deuotione conſpicuos, & Catholicæ fidei defenſores, dogmatizare & publice prædicare, ſeu potius de virulento clauſtri ſui pectore euomere non veretur: nonnullos Chriſti fideles earum reſperſione commaculans, & à fidei præfatæ recta ſemita in præcipitium perditionis abducens.*

*Quare cum tam lethiferam peſtem, cui ſi citis non obſtetur principiis, & ipſa radicitus euellatur, ſero poſſet medicina parari, quum per contagionem plurimos infeciſſet, nolumus, prout nec velle debemus, ſub conniuentia pertranſire. Vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna priuationis omnium gratiarum indulgentiarum & priuilegiorum vobis ac ſtudio à dicta Sede conceſſorum diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus concluſiones & propoſitiones in bonis operibus & fide male ſentientes, licet eas proponentes, ſub quadam verborum ſiue terminorum carioſa implicatione nitantur defendere: de cætero non permittatis aſſeri vel proponi: dictumque Iohannem authoritate noſtra capiatis, ſeu capi faciatis, & ipſum venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Cantuar. & Epiſcopo Londonienſi, aut eorum alteri ſub fida cuſtodia tranſmittatis. Contradictores quoque de dicto ſtudio veſtræ iuriſdictioni ſubiectos ſi qui forſan (quod Deus auertat) eſſent huiuſmodi erroribus maculati, ſi in illis pertinaciter perſtiterint, ad ſimilem captionem & miſſionem aliaſque prout ad vos ſpectat firmiter & ſollicite procedatis, perinde veſtram ſuppleturi diligentiam hactenus in præmiſſis remiſſam, noſtramq; & dictæ Sedis præter diuinæ retributionis præmium & meritum gratiam & beneuolentiam adepturi. Dat. Romæ apud S. Mariam maiorem 11. Calendas Iunii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.*

IX. SCRIBIT ARCHIEP. CANT. ET EPISCOPO LONDONIEN. VT INFORMENT REGEM ET PROCERES REGNI DE PERVERSITATE DOCTRINÆ

*Venerabilibus fratribus Cantuar. Archiepiſcopo, & Epiſcopo Londonienſi ſalutem, &c. ſuper pericoloſis admodum erroribus quarundam deteſtabilium propoſitionum & concluſionum ad eneruationem totius Eccleſiaſtici ſtatus tendentium ſcriptas in ſchedula incluſa præſentibus Iohannes Wiklef rector Eccleſiæ de Luttleworth, Lincolnienſis diœc. dictus Theologiæ profeſſor aſſeritur tam impie quam temere ſuſcitaſſe, plenius vobis ſcribimus per alias noſtras patentes litteras, quas cum præſentibus deſtinamus. Volumus igitur & veſtræ fraternitati mandamus quatenus clariſſimum in Chriſto Edwardum regem Angliæ illuſtrem & dilectos filios nobiles viros natos dicti regis ac dictam in Chriſto filiam nobilem mulierem Iohannam Principiſſam A-*

quitaniæ

ET VOS AD EXTIRPANDVM ANIMENT.

quitaniæ ac Walliæ, & alios magnates de Anglia & conſiliarios Regis per vos & alios magiſtros & peritos in ſacra pagina non maculatos huiuſcemodi erroribus, ſed in fide ſinceros & feruidos ſtudeatis facere plenarie informari, ac eis oſtendi quanta verecundia deuoto regno Angliæ oriatur exinde, & quod non ſolum ſunt ipſæ concluſiones erroneæ in fide, ſed ſi bene aduertantur innuunt omnem deſtruere politiam. Et requiratis eos ſtrictiſsime, quod extirpationem tantorum errorum pro reuerentia Dei & Apoſtolicæ Sedis & noſtra ipſorumque merito apud Deum & honorem ſæculo tamquam Catholici principes & pugiles dictæ fidei omni qua poterunt efficacia, tribuant auxilium & fauorem. Dat. Romæ apud ſanctam Mariam maiorem 11. Calend. Iunii anno 7.

X. SCRIBIT EISDEM ARCHIEP. ET EPISC. VT WICLEF. AD CVR. ROM. CITENT VIGORE PRÆSENTIS BVLLÆ.

*Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Cantuar. & Epiſcopo Londonienſi ſalutem, &c.* Nuper per nos non ſine graui cordis turbatione & plurium fide dignorum relatione percepto, quod Iohannes Wiclef rector Eccleſiæ de Luttleworth. Lincolnienſis diœc. ſacræ paginæ profeſſor, vtinam non magiſter errorum in tam deteſtabilem veſaniam temere prorupit, quod nonnullas propoſitiones & concluſiones erroneas ac falſas & male in fide ſonantes, quæ ſtatum totius Eccleſiæ ſubuertere & eneruare nituntur, quarumq; aliqua (quibuſdam mutatis terminis) imitare videbantur, peruerſas opiniones & doctrinam indoctam, damnatæ memoriæ Marſilii de Padua, & Iohannis de Gandauo quorum liber per felicis recordationis Iohannem Papam 22. prædeceſſorem noſtrum reprobatus extitit, & damnatus non verebatur in regno Angliæ aſſerere dogmatiZare & publice prædicare illis nonnullos Chriſti fideles maligne inficiens, ac à fide Catholica (ſine qua non eſt ſalus) faciens deuiare. Nos attendentes, quod tam perniicioſum malum quod in plurimos ſerpere poterat, eorum animas læthali contagione necando non debebamus prout nec debemus ſub diſſimulatione tranſire, vobis per alias litteras noſtras commiſimus & mandauimus, vt vos vel alter veſtrum de dictarum propoſitionum & concluſionum aſſertione, quarum copiam ſub bulla noſtra miſimus intercluſam vos ſecrete informantes, ſi ita eſſe inueniretis præfatum Iohannem authoritate noſtra capi, & carceribus mancipari faceretis, eumq; ſub bona cuſtodia teneretis in vinculis, donec à nobis, ſuper hæc reciperetis aliud in mandatis, prout in dictis litteris plenius continetur. Conſiderantes vtiq;, quod præfatus Iohannes huiuſmodi captionem & carcerationem præſentiens poſſet (quod abſit) perfugere ſeu latitationis præſidio dictum noſtrum mandatum in grauiſſimum fidei detrimentum eludere. Nos ne tam damnabiles propoſitiones & concluſiones indiſcuſſæ, & earum temerarius aſſertor impunitus remaneret, in detrimentum grauiſſimum fidei prælibatæ fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus quatenus vos vel alter veſtrum per vos vel alium ſeu alios præfatum Iohannem ſi per vos capi & incarcerari non poſſit, per edictum publicum proponendum in ſtudio Oxoniæ Lincolnienſis diœc. & aliis locis publicis, de quibus ſit veriſimilis coniectura, quod ad dicti Ioannis notitiam peruenire valeat, & de quibus vos expedire videatur, ex parte noſtra peremptorie monere & citare curetis, quod infra trium menſium ſpatium à die citationis huiuſmodi in antea computandum, vbicumque tunc nos eſſe contigerit comparere, ac perſonaliter coram nobis ſuper propoſitionibus & concluſionibus huiuſcemodi reſponſurus ac auditurus, & facturus quicquid ſuper eis duxerimus ordinandum, & ordo dictauerit rationis prædicendo in huiuſmodi citationis edicto, quod ſiue idem Iohannes in huiuſmodi termino comparuerit ſiue non comparuerit, nos ſuper præmiſſis & contra eum vſque ad debitam condemnationem ipſius incluſiue procedemus, prout eius demerita exigent, ac nobis ſecundum Deum & conſeruationem fidei videbitur expedire. Voluimus autem & præſentium tenore ſtatuimus, quod prædicta citatio ſic facta prouide præfatum Iohannem arctet, ac ſi ſibi perſonaliter intimata & intimata fuiſſet, conſtitutione quacumq; contraria non obſtante. Diem vero citationis & formam & quicquid feceritis in prædictis nobis per veſtras litteras ſigillis munitas harum ſeriem continentes fideliter & quam citius poteritis intimare curetis. Dat. Romæ apud ſanctam Mariam maiorem 11. Calend. Iunii anno ſeptimo.

XI. SCRIBIT EISDEM VT ILLVM WICLEFVM CAPIANT ET EXAMINENT EXAMENQVE AD SED. APOSTOL. TRANSMITTANT.

*Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Cantuarienſi & Epiſcopo Londonienſi ſalutem, &c.* Regnum Angliæ glorioſum nempe potentia & abundantia facultatum ſed glorioſius pietate fidei & ſacræ paginæ claritate coruſcum conſueuit viros producere diuinarum ſcripturarum recta ſcientia præditos, maturitate graues, deuotione præclaros, & pugiles fidei orthodoxæ & qui non ſolum proprios, ſed alienos populos documentis inſtruebant veriſſimis & in mandatorum domini ſemitam dirigebant. Et ſicut ex effectu contingentium temporis antiqui colligitur, dicti regni præſules in ſpecula ſollicitudinis poſiti, proprias excubias exercentes, ſollicite non permittebant aliquod oriri erroneum, quod poſſet inficere oues ſuas, ſed ſi oriretur zizania ex inimici hominis inſperſione, illam protinus euellebant, creſcebat aſſidue purum triticum in dominicum horreum inferendum. Sed (proh dolor) nunc apparet quod in ipſo regno, officio vigiles, negligentia vero deſides, non circuunt ciuitatem, dum hoſtes ingrediuntur in eam, animarum theſaurum precioſiſſimum prædantur. Quorum latentes ingreſſus & patentes aggreſſus prius ſentiuntur in Roma, intercapedine longa remota, quam eis in Anglia reſiſtatur. Sane plurimum fide dignorum ſignificatione admodum dolenter audiuimus, quod Ioannes Wiclef rector Eccleſiæ de Luttleworth. Lincolnienſis diœc. ſacræ paginæ profeſſor, vtinam non magiſter errorum, in illam deteſtabilem veſaniam dicitur temere prorupiſſe, quod nonnullas propoſitiones & concluſiones erroneas, & falſas in fide maleſonantes, quæ ſtatum totius Eccleſiæ ſubuertere & eneruare conantur, quarumque aliquæ, licet aliquibus quibuſdam mutatis terminis, ſentire videntur peruerſas opiniones, & doctrinam indoctam damnatæ memoriæ Marſilii de Paduæ & Iohannis de Gandauo, quorum liber per fœlicis recordationis Ioannem Papam 22. prædeceſſorem noſtrum reprobatus extitit, & damnatus, non veretur in præfato regno aſſerere, dogmatizare, & publice prædicare, nonnullos Chriſti fideles eis maligne inficiens, ac à fide Catholica (ſine qua non eſt ſalus) faciens deuiare, de quibus ſic ſubortis, & non extirpatæ, ſeu ſaltem eis nulla facta reſiſtentia, quam ſciamus, ſed tranſactis ſeu toleratis conniuentibus oculis, tam negligenter tranſeundo, non immerito deberetis rubore perfundi, verecundari & in propriis conſcientiis remorderi. Quare cum tam pernicioſum malum, quod non præciſum ſeu radicitus extirpatum, ſerpere poſſet in plurimos in animabus eorum (quod abſit) læthali contagione necandos, nolumus (ſicut nec debemus) ſub diſſimulatione tranſire: fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, receptis præſentibus, vos, vel alter veſtrum de dictarum propoſitionum & concluſionum aſſertione, quarum copiam vobis mittimus ſub Bulla noſtra incluſam, vos ſecrete informantes, ſi inueneritis ita eſſe, præfatum Iohannem faciatis authoritate noſtra capi, & carceribus mancipari, eiuſq; confeſſionem ſuper eiſdem propoſitionibus ſeu concluſionibus recipere ſtudeatis, ac ipſam confeſſionem, & quæcumq; dictus Iohannes dixerit, ſeu ſcripſerit ſuper earundem propoſitionum, & concluſionum inductione, ac probatione, & quicquid feceritis in præmiſſis, ſub veſtris ſigillis clauſa, & nemini reuelata, nobis per fidelem nuncium tranſmiſſuri, eundemq; Iohannem ſub fideli cuſtodia teneatis in vinculis, donec à nobis ſuper hoc aliud receperitis in mandatis, Contradictores, &c. Inuocato, &c. Non obſtantibus fœlicis recordationis Bonifacii Papæ 8. prædeceſſoris noſtri conſtitutionibus, in quib. cauetur ne aliquis extra ſuam ciuitatem vel diœc. niſi in certis expreſſis caſibus, & in illis vltra vnam diætam à fine ſuæ diœc. ad iudicium euocetur, ſeu ne iudices à Sede Apoſtolica deputati aliquos vltra vnam diætam à fine ſuæ diœc. euocare præſument, & de duabus diætis in Concilio generali, ac exemptionibus, & aliis priuilegiis, conſtitutionibus, & litteris Apoſtolicis Prædicatorum, Minorum, & Heremitarum S. Auguſtini, & S. Mariæ de Monte Carmeli, & aliis quibuscumq; Mendicantium, vel aliis ordinibus, & locis, aut ſpecialibus perſonis, ſeu capitulis, & conuentibus ipſorum generalibus vel ſpecialibus quorumcumq; tenorum exiſtant, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus eorundem ordinum & locorum contrariis per quæ effectus præſentium impediri valeat quomodolibet vel differri, etiamſi de eis, eorumque totis tenoribus, ac de verbo ad verbum plena, & expreſſa mentio in noſtris litteris ſit habenda, ſeu ſi Iohanni prædicto vel quibuſuis aliis communiter vel diuiſim à dicta ſede ſit indultum quod perſonaliter capi aut quod in ius trahi ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Dat. Romæ apud S. Mariam maiorem 11. Calen. Iunii Anno 7.

Cariſ-



XII. SCRIBIT EDVARDO REGI VT ARCHIEP. ET EPISC. PRÆFATIS IN PROSECVTIONE NEGOTII CONTRA WICLEF VELIT FAVORE SVO ASSISTERE.

*Cariſſimo in Chriſto filio Eduardo Regi Angliæ illuſtri ſalutem, &c.* Regnum Angliæ, quod altiſſimus tuæ ſuppoſuit poteſtati, glorioſum, nempe potentia & abundantia facultatum, ſed glorioſius pietate fidei & ſacræ paginæ claritate coruſcum, conſueuit viros producere diuinarum ſcripturarum recta ſcientia præditos, maturitate graues, deuotione feruentes, & catholicæ fidei defenſores, qui non ſolum proprios, ſed alienos populos præceptis ſalutaribus inſtruebant, dirigebantque in diuinorum ſemitam mandatorum: ſed nuper, cum ingenti cordis amaritudine, plurimorum fide dignorum ſignificatione percepimus, Iohannem de VVicleff. rectorem Eccleſiæ de Luttlevvorth Lincoln. diœceſis ſacræ paginæ profeſſorem, vtinam non magiſtrum errorum, in illam nefandam & abominabilem prorupiſſe dementiam, quod nonnullas propoſitiones & concluſiones plenas erroribus, & manifeſtam hæreſim continentes, quæ ſtatum totius Eccleſiæ ſubuertere, & eneruare nituntur, quarumque aliquæ, licet quibuſdam mutatis terminis, ſentire videntur peruerſas opiniones, & doctrinam indoctam damnatæ memoriæ Marſiliæ de Padua & Ioannis de Gandauo, quorum liber per fœlicis recordationis Iohannem Papam XXII. prædeceſſorem noſtrum reprobatus extitit & damnatus, in dicto regno dogmatizare, & publice prædicare, ſeu potius de virulento clauſtro ſui pectoris euomere non veretur, nonnullos Chriſti fideles earum reſperſione commaculans, & à præfata fidei recta ſemita in præcipitium perditionis abducens. Nos itaque tantum malum, quod non præciſum, ſeu radicitus extirpatum ſerpere poſſet in plurimos, in animabus nec velle ſine noſtræ morſu conſcientiæ poſſumus conniuentibus † eorum (quod abſit) læthali contagione necandos, nolentes, prout oculis pertranſire, venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Cantuarienſi, & Epiſcopo Londinenſi per litteras noſtras commiſimus, & mandauimus, vt ipſi, vel alter eorum, receptis per eos dictis noſtris litteris de dictarum propoſitionum & concluſionum aſſertione, quarum copiam eis ſub bulla noſtra miſimus intercluſam ſe informantes (ſi inuenirent ita eſſe) facerent, præfatum Iohannem authoritate noſtra capi, & carceribus mancipari, eius confeſſionem ſuper eiſdem propoſitionibus ſeu concluſionibus recipere ſtuderent, ac ipſam confeſſionem, & quæcunque dictus Iohannes dixerit vel ſcripſerit ſuper earumdem propoſitionum, & concluſionum in deductione & probatione nobis per fidum nuncium tranſmittere non poſtponant. Cum itaque dicti Archiepiſcopus, & Epiſcopus, in proſecutione huius negotij noſcantur fauore & auxilio tuæ Celſitudinis indigere, Maieſtatem tuam, quam & tui primogenitores inclyti Catholicæ fidei, cuius in hac parte res agitur, ſemper conſueuerunt eſſe præcipui zelatores, requirimus & deprecamur attente, quatenus, ob reuerentiam dictæ fidei, & Apoſtolicæ Sedis & noſtrum intuitum digneris præfatis Archiepiſcopo, & Epiſcopo, & aliis qui huiuſmodi negotium proſequentur, in ipſa proſecutione tui fauoris & auxilij patrocinium exhibere: pro fide præter humanæ laudis præconium diuinæ retributionis præmium, noſtram & dictæ Sedis adepturus beneuolentiam ampliorem. Datæ Romæ apud Sanctam Mariam maiorem vndecimo Calendar. Iunij anno ſeptimo.

XIII. PROPOSITIONES SEV POTIVS DELIRAMENTA WICLEFFI QVÆ AD AVRES PŌT. TVNC PERVENERANT.

1. *Totum genus humanum citra Chriſtum non habet poteſtatem ſimpliciter ordinandi, vt Petrus, & omne genus ſuum dominetur politice in perpetuum ſuper mundum.*

2. *Deus non poteſt dare homini pro ſe & hæredibus ſuis in perpetuum ciuile dominium.*

3. *Chartæ humanitus adinuentæ de hæreditate ciuili perpetua ſunt impoſſibiles.*

4. *Quilibet exiſtens in gratia gratificante finaliter, ne dum habet ius, ſed in re habet omnia dona Dei.*

5. *Homo poteſt ſolum miniſtratorie dare tam naturali filio, quam imitationis in ſchola Chriſti, tam temporale dominium quam æternum.*

6. *Si Deus, Domini temporales poſſunt legitime ac meritorie auferre bona fortunæ ab Eccleſia delinquente.*

7. *Nunquid Eccleſia eſt in tali ſtatu, vel non, non eſt meum diſcutere, ſed dominorum temporalium examinare, & poſito caſu confidenter agere, & ſub pœna damnationis æternæ eius temporalia auferre.*

8. *Scimus, quod non eſt poſſibile, vt Vicarius Chriſti pure ex bullis ſuis, vel ex illis cum voluntate & conſenſu ſuo & ſui collegij vel habilitet vel inhabilitet.*

9. *Non eſt poſſibile hominem excommunicari, niſi prius & principaliter excommunicetur à ſeipſo.*

10. *Nemo ad ſui deteriorationem excommunicatur, ſuſpenditur, vel aliis cenſuris cruciatur, niſi in cauſa Dei.*

11. *Maledictio vel excommunicatio non ſimpliciter, niſi quātum fertur in aduerſarium legis Chriſti.*

12. *Non eſt exemplificata poteſtas à Chriſto vel ſuis diſcipulis excommunicandi ſubditos, præcipue propter negationem temporalium, ſed è contra.*

13. *Diſcipuli Chriſti non habent poteſtatem coacte exigere temporalia per cenſuras.*

14. *Non eſt poſſibile de potentia Dei abſoluta, quod ſi Papa vel alius prætendat ſe quouis modo ſoluere vel ligare, eo ipſo ſoluit vel ligat.*

15. *Credere debemus, quod ſolum tunc ſoluit vel ligat, quando ſe conformat legi Chriſti.*

16. *Hoc debet credi Catholice, quod quilibet Sacerdos rite ordinatus habet poteſtatem ſufficientem Sacramenta quælibet conferendi, & per conſequens, quemlibet contritum à peccato quolibet abſoluendi.*

17. *Licet Regibus auferre temporalia à viris Eccleſiaſticis ipſis abutentibus habitualiter.*

18. *Siue Domini temporales, ſiue Sancti Papæ, ſiue Petrus, ſiue caput Eccleſiæ, qui eſt Chriſtus, dotauerit Eccleſiam bonis fortunæ vel gratiæ, & excommunicauerit eius temporalia auferentes, licet tamen propter conditionem implicitam delicto proportionabiliter eam temporalibus ſpoliare.*

19. *Eccleſiaſticus imo & Romanus Pontifex poteſt legitime à ſubditis & laicis corripi, & etiam accuſari.*

XIV. GNAVIA ET NIMIA TIMIDITATE EPIS. QVIBVS NEGOTIVM A PONT. DEMANDATVM FVERAT EVADIT WICLEF.

Iſtæ fuerunt propoſitiones vel potius deliramenta ſæpe dicti Iohannis, quæ ad aures Domini Apoſtolici peruenere, vnde iuſte concitatus, præſcriptas bullas huius tanti negotii executores, & ſtatum contingentes vniuerſalis Eccleſiæ prædictis Epiſcopis demandauit. Qui quam indeuote quam ſegniter commiſſa ſibi mandata compleuerint, melius eſt ſilere quam loqui. Hoc tantum poſterorum notitiæ declarare ſtudumus, quod cum ipſi Epiſcopi tantæ dignationis fauorem & apicem ſuſcepiſſent, animati plurimum nec immerito profitebantur, ſe nullius precibus, nullius minis vel muneribus eſſe flectendos, quin in iſta cauſa recta iuſtitiam ſequerentur, etiam ſi periculum capitis immineret. Sed inſtante die examinationis ipſius apoſtatæ, à timore à vento arundinis agitatæ molliti ſunt ſermones eorum ſuper oleum, in iacturam publicam, propriæ dignitatis & totius Eccleſiæ detrimentum. Et qui nec ipſis dominis regnique principibus ſe obtemperare deuouerant, donec exceſſus ipſius hæreſiarchæ puniuiſſent, iuxta mandata Papalia, à facie cuiuſdam, nec nobilis militis, neque potentis de curia Principiſſæ Iohannæ, videlicet Ludouici Cliforde, pompoſe vetantis, ne præſumerent aliquid contra ipſum Iohannem ſententialiter diffinire: tanto timore concuſſi ſunt, vt cornibus eos carere putares, factos velut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Inſuper nec illud eſſe ſilendum æſtimo, cum Epiſcopi prædicti cum iſto ſchiſmatico in Capella Archiepiſcopi apud Lambheth conueniſſent, non dico ciues tantum Landonienſes, ſed viles ipſius ciuitatis, ſe impudenter ingerere præſumpſerunt, in eandem Capellam, & verba facere pro eodem, & iſtud negotium impedire; confiſi (vt reor) de ipſorum præmiſſa negligentia Prælatorum. Talibus occaſionibus ſeu commentis Pſeudopropheta & verus hypocrita, pro tunc euaſit, amplius non comparitutus coram dictis Epiſcopis citra mortem GREGORII Papæ. Cuius obitus non modicum fideles contriſtauit, ſed in fide falſos ipſum Iohannem & ipſius aſſeclas animauit



Tan-

Tandem coactus verſipellis; iſtud in ſcriptis vulgauit.

XV. SCRIPTV̄ WICLEFFI PRO DECLARATIONE SVARVM HÆRETICARVM ASSERTIONVM.

In principio proteſtor publice, ſicut ſæpe feci alias, quod propono & volo ex toto corde meo, mediante Dei gratia, eſſe integer Chriſtianus, & quamdiu manſerit in me halitus profiteri atque defendere quantum ſufficio legem Chriſti. Et quod ſi ex ignorantia vel quacunque alia cauſa in iſto defecero: rogo Deum meum de veniæ. Et nunc, prout ex tunc reuoco & retracto, ſubmittens me humiliter correctioni ſanctæ matris Eccleſiæ. Et quæ per pueros ſententia eſt fidei, quam dixi in ſcholis & alibi, ac magis per pueros etiam vſque ad Romanam Curiam tranſportata, ideo ne Chriſtiani ſcandalizentur in me, volo in ſcriptis dare ſententiam, ex qua impetitus ſum, quam volo vſque ad mortem defendere, ſicut credo omnes Chriſtianos debere, ſed ſpecialiter Romanum Pontificem & cæteros Sacerdotes Eccleſiæ. Intelligo autem concluſiones ad ſenſum & modum loquendi Scripturæ & Sanctorum Doctorum quem paratus ſum exponere, & dato quod ſunt fidei contrariæ, volo ipſas paratiſſime reuocare. Prima concluſio. Totum genus hominum concurrentium, citra Chriſtum non habet poteſtatem ordinandi ſimpliciter, vt Petrus & omne genus ſuum dominetur imperpetuum politice ſuper mundum, patetque non eſſe in hominum poteſtate impedire aduentum Chriſti, ad finale iudicium quod oportet credere, iuxta illum articulum fidei: Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Ex hinc enim ſecundum fidem Scripturæ ceſſabit hominum politia. Intelligo autem dominationem politicam vel ciuilem dominationem ſecularem pertinere laicis actiuis viantibus dum peregrinantur à Domino. De tali enim dominatione politica loquuntur Philoſophi. Et quamuis periodicum vocatur quandoque perpetuum, quia tamen in Scriptura ſacra in vſu Eccleſiæ & libris Philoſophorum, perpetuum ſumitur communiter pro æterno, aperte poſt in illa ſignificatione famoſiore ſuppono terminum illum capi: ſic enim canit Eccleſia: Deo Patri ſit gloria, eiuſque ſoli Filio, cum Spiritu Paracleto, & nunc & in perpetuum. Et tunc eſt concluſio immediata principiis fidei, cum non ſubiacet hominum poteſtati ordinare peregrinationem Eccleſiæ ſine fine. Deus non poteſt dare homini pro ſe & hæredibus ſuis imperpetuum ciuile dominium. Intelligo autem ciuile dominium, vt ſupra intellexi, dominationem politicam, & in perpetuum, vt ſupra, ſicut Scriptura intelligit in beatitudine, perpetuas manſiones. Tunc dixi primo, quod Deus de potentia ordinata non poteſt dare homini in perpetuum ciuile dominium. Dixi ſecundo, quod probabile videtur, quod Deus de potentia ſua abſoluta non poteſt dare homini in perpetuum tale dominium, eo quod non poteſt, vt videtur, ſemper incarcerare ſponſam ſuam in via, nec ſemper differre vltimum ſuæ beatitudinis complementum. Multæ chartæ humanitus adinuentæ de hæreditate ciuili potentia ſunt impoſſibiles. Iſta veritas eſt incidens, non enim oportet Catholicare omnes chartas, à quolibet iniuſte occupante. Sed hoc confirmato, fide Eccleſiæ daretur charitatis occaſio confidendi in temporalibus & petendi licentia: ſicut enim omne verum eſt neceſſarium, ſic omne falſum eſt poſſibile, ex ſuppoſitione, vt patet, teſtimonio Scripturæ & ſanctorum Doctorum, loquentium de neceſſitate futurorum. Quilibet exiſtens in gratia gratificante, finaliter, nedum habet ius ad rem, ſed pro ſuo tempore ius iure ſuper omnia bona Dei, patet ex fide Scripturæ Matth. 24. quia veritas promittit ciuibus intrantibus in gaudium ſuum. Amen dico vobis ſuper omnia bona conſtituet eum. Ius enim communionis ſanctorum in patria, fundatur obiectiue ſuper vniuerſitatem donorum Dei. Homo poteſt ſolum miniſtratorie dare tam naturali filio quam inuitationis, & temporale dominium & æternum, patet eo, quod omnis homo debet recognoſcere ſe in omnibus operibus ſuis humilem Dei miniſtrum, vt patet ex fide Scripturæ. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, imo Chriſtus ſic miniſtrauit & docuit ſuos præcipuos Apoſtolos miniſtrare. In patria vero dabunt ſancti confratribus dominia bonorum, vt patet de ſuis corporibus & bonis eis, inferioribus in natura, iuxta illud Luc. 6. Menſuram bonam & confertam & coagulatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Si Deus eſt, Domini temporales poſſunt legitime ac meritorie auferre bona fortunæ ab Eccleſia delinquente. Iſta eſt correlatiua, primo articulo fidei: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Intelligo autem poſſe modo Scripturæ concedentis, quod Deus de lapidibus poteſt ſuſcitare filios Abrahæ. Aliter enim omnes Chriſtiani Principes forent hæretici. Pro prima concluſione formatur ſic ratio: Si Deus eſt, ipſe eſt omnipotens, & ſi ſic, ipſe poteſt præcipere Dominis temporalibus ſic auferre. Et ſi ſic, poſſunt legitime ſic auferre, ergo à primo: vnde in virtute illius principij Chriſtiani Principes practicauerunt illam ſententiam, ſed abſit ex illo credere, quod intentionis meæ ſit, ſeculares Dominos licite poſſe auferre quandocunque & quomodocunque voluerint, vel nuda auctoritate ſua, ſed omnino auctoritate Eccleſiæ, in caſibus & forma limitatis à iure. Scimus, quod non eſt poſſibile, vt Vicarius CHRISTI pure ex bullis ſuis vel ex illis, cum voluntate & conſenſu ſuo ac ſui collegii, quenquam habilitet vel inhabilitet, patet ex fide Catholica, cum oportet dominum omni operatione vicaria tenere primatum. Ideo ſicut in omni habilitatione ſubiecti prius exigitur gratia & dignitas habilitati, ſic in omni inhabilitatione prius exigitur dignitas ex demerito inhabilitati, & per conſequens non pure ex miniſterio Vicarij Chriſti ſit talis habilitatio vel inhabilitatio. Sed deſuper aliunde non eſt poſſibile hominem excommunicari ad ſui damnum, niſi excommunicetur primo & principaliter à ſeipſo. Patet, cum oportet talem excommunicationem originari à peccato damnificati: vnde Auguſtinus de verbis Domini ſermone. 21. Tu te noli conculcare, & te non vincet homo. Et adhuc canit fides Eccleſiæ, quod nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas, ſuppoſitum habemus octaua. Omnis tamen excommunicatio ex cauſa multiplici eſt timenda, etiam licet excommunicatio Eccleſiæ ſit humili excommunicato non damnabilis, ſed ſalubris. Nemo debet niſi in cauſa Dei, excommunicare, ſuſpendere, interdicere, vel ſecundum quamcunque cenſuram Eccleſiaſticam vindicando procedere, patet, cum omnis cauſa iuſta ſit cauſa Dei, cuius ratio debet maxime ponderari, imo amor excommunicati debet ſuperare zelum vindictæ, & appetitum temporalium quorumcunque, cum aliter ipſe excommunicans ſe ipſum damnificet, ſuppoſitum nona. Iſti tamen congruit, vel prælatus excommunicet in cauſa hominis, principaliter tamen ſecundum rationem, quia ſit iniuria DEO ſuo, vt patet ex 13. q. inter querelas: Maledictio vel excommunicatio non ligat finaliter, niſi de quanto fertur in aduerſarium legis Chriſti, patet cum Deus ligat omnem ligatum ſimpliciter, qui non poteſt excommunicare, niſi propter præuaricationem legis ſuæ, ſuppoſitum decima. Iſti tamen conſonat, quod cenſura Eccleſiaſtica non liget ſimpliciter, ſed ſecundarie, ſecundum rationem, quia fertur in aduerſarium membri Eccleſiæ. Non eſt conceſſa poteſtas à Chriſto ſuis diſcipulis excommunicandi ſubditum propter negationem temporalium, ſed è contra. Patet ex fide Scripturæ, quæ creditur, quod Deus eſt ſuper omnia diligendus, & proximus, etiam inimicus, & pluſquam omnia temporalia huius mundi, neceſſario, quod Lex Dei non eſt ſibi ipſi contraria. Diſcipuli Chriſti non habent poteſtatem ad exigendum coactione ciuili temporalia per cenſuras, vt patet ex fide Scripturæ Luc. 22. qua Chriſtus prohibuit ſuos Apoſtolos ciuiliter dominari. Reges, inquit, gentium dominantur eis, vos autem non ſic. Et ad iſtum ſenſum exponitur à Beato Bernardo, Beato Chryſoſtomo & aliis Sanctis, ſuppoſitum habemus duodecimæ. Iſti tamen non obſtat, quod exigant temporalia per cenſuras Eccleſiaſticas acceſſorie ad vindicationem Dei ſui. Non eſt poſſibile de Dei potentia abſoluta, quod ſi Papa vel alius Chriſtianus prætendat, ſe quouis modo ſoluere vel ligare, eo ipſo ſic ſoluit vel ligat. Oppoſitum iſtius deſtrueret totam fidem Catholicam, tandemque implicaret blaſphemiam vſurpantem talem abſolutam potentiam Domini: ſuppoſitum habemus tertiodecimæ. Per iſtam concluſionem non intendo derogare poteſtati Papæ, vel cuiuſcunque Prælati Eccleſiæ, quin poſſint in virtute capitis ligare & ſoluere. Intelligo autem conditionalem negatam, vt impoſſibilem ad hunc ſenſum, quod non poteſt eſſe, quod Papa vel alius Prælatus Eccleſiæ prætendit, ſe quouis modo ſoluere vel ligare, niſi eo ipſo ſic ſoluerit vel ligauerit, & tunc non poteſt eſſe peccabilis. Credere debemus, quod tunc ſolum ligat, vel ſoluit Chriſti Sacerdos, cum ſimpliciter legi Chriſti paret, pro eo, quod non licet ſibi ſic facere, niſi in virtute legis illius, & per conſequens niſi quando eſt conformitas legi illi. Hoc de-

bet



bet credi pro Catholico, quod quilibet ſacerdos rite ordinatus ſecundum legem gratiæ habet poteſtatem, ſecundum quam poteſt Sacramenta quælibet ſecundum ſpeciem miniſtrare, & per conſequens ſibi confeſſum de quocunque peccato contritum abſoluere, patet ex eo, quod poteſtas ſacerdotalis non ſufficit maius vel minus in ſua abſentia, poteſtates tamen inferiorum ſacerdotum, nunc ſunt rationabiliter reſtrictæ, & alias in vltimo neceſſitatis articulo ſunt laxatæ: ſuppoſitum habemus quintodecimæ, & ſic ſecundum doctores eſt dare in prælato duplicem poteſtatem, ſcilicet poteſtatem ordinis, & poteſtatem iuriſdictionis ſiue regiminis, & quoad illam, ſunt prælati vt ſuperioris maieſtatis & regiminis, licet regibus in caſibus limitatis à iure auferre temporalia à viris Eccleſiaſticis ipſis habitualiter abutentibus, patet ex hoc, quod Domini temporales debent plus initi ſpirituali eleemoſynæ fructus vberiores ferenti, quam eleemoſynæ corporali, neceſſario quod foret in caſu opus eleemoſynæ ſpirituales clericos, damnificantes ſe in corpore & anima, per ſubtractationem huiuſmodi caſtigare. Caſus autem, quem iura limitant, foret defectus correptionis ſpiritualis præpoſiti, & demum fidei clerici corrigendæ, vt patet 16 quæſt. 7. filiis 40. di. Si Papa, ſiue Domini temporales ſiue quicunque alii dotauerint Eccleſiam temporalibus, licet eis in caſu auferre temporalia medicinaliter ad cauenda peccata, non obſtante excommunicatione vel alia cenſura Eccleſiaſtica, cum non niſi ſub conditione implicita ſunt donata: patet ex hoc, quod nihil habet impedire à præcipuis operibus charitatis, neceſſario, quod in omni opere humano debet ſubintelligi conditio diuini beneplaciti, neceſſaria quæ lege ciuili collationes decorandi can. 5. in fine collationis 10. ſuppoſitum habemus ſeptimæ decimæ. Abſit quod illis verbis detur occaſio temporalibus, ad auferendum bona fortunæ in detrimentum Eccleſiæ. Eccleſiaſticus etiam Romanus Pontifex poteſt in caſu à ſubiectis corripi, & ad vtilitatem Eccleſiæ tam à clericis quam à laicis accuſari, patet ex hoc, quod ipſe eſt peccabilis citra peccatum in Spiritum ſanctum, vt ſupponitur ex ſanctitate, humilitate & reuerentia debita tanto patri. Cum enim ſi frater noſter peccabilis ſubiacet legi correptionis fraternæ, & cum totum collegium patet eſſe deſes in correptione, pro neceſſaria proſperitate Eccleſiæ, patet quod reſiduum corpus Eccleſiæ, quod poſſibile eſt ſecundum plurimum ſtare in laicis, poteſt medicinabiliter eum corripere, accuſare, & ad frugem melioris vitæ reducere. Caſus autem poſſibilis tangitur diſtinct. 40. Si Papa fuerit à fide deuius, ſicut enim non debet ſupponi in domino Papa, ſine patenti euidentia tantus lapſus, ſic non debet ſuppoſitionem lapſo de poſſibili tanta obſtinatia, quin medelam ſuperioris ſui, quod ad Deum, humiliter acceptabit. vnde practicam iſtius concluſionis multæ chronicæ atteſtantur. Abſit ab Eccleſia Chriſti, quod damnetur veritas, quia male ſonat peccatoribus vel ignaris; quia tunc tota fides ſcripturæ foret damnabilis.

XVI. ASTVTIA VVICLEFFI.

Hoc eodem modo idem verſipellis I. Wickleff, ponendo intellectum in ſuis nefandis propoſitionibus, vt dictum eſt, fauore & diligentia Londinenſium, deluſit ſuos examinatores, Epiſcopos deriſit, & euaſit. Quæ omnes, ſi ſimpliciter caperentur, ſecundum modum, quo ipſe in ſcholis & in publicis prædicationibus eas protulit, hæreticam proculdubio ſapiunt prauitatem. Non enim circumlocutionem aliquam eis immiſcuit, quando eas laicorum auribus inſtillauit; ſed nude & aperte, vt præſcribuntur, eas docuit, captans per talia gratiam laicorum, qui libenter audiunt, quæ peruerſa ſunt, præcipue tamen de Eccleſia, & perſonis Eccleſiaſticis, & libentius impelluntur ad damna, vel iniurias inferendas religioſis & clericis, cum aliqua opportunitas ſe ingeſſerit, quæ omnino extat eis deſiderabilis & votiua.

XVII.

Idemque memoratus hypocrita, cum ab Epiſcopis mandata cepiſſet, ne vlterius in ſcholis ſeu ſermonibus propter laicorum ſcandalum tales propoſitiones frequentaret, ſpreto ſui Metropolitani præcepto, obſtinatus & inobediens, alias nouas concluſiones ponere non omiſit, adeo male vel peius quam priores ſonantes, vt patet.

ALIÆ EIVSDEM VVICLEFFI PROPOSITIONES PRIORIBVS PEIORES.

1. Dominium ciuile, dominium proprietarium actum viatoris ſuper bonis plene ſecundum leges humanas.

2. Non ſtat pure clericum abſque mortali peccato ciuiliter dominari, & intelligit per pure Clericos, Papam, Cardinales, Epiſcopos, Diaconos, & alios Sacerdotes.

3. Papa non poteſt diſpenſare contra Apoſtolum ſicut nec cum clerico, vt habeat ciuiliter proprium.

4. Dominium ciuile formaliter dictum, ſapit inſeparabiliter peccatum.

5. Actus ciuilis eſt actus rationalis creaturæ factus ſecundum legem humanam.

6. Sicut Deus non poteſt exercere actus ciuiles, nec homo in ſtatu innocentiæ, ſic illicitum eſt alicui pure clerico actus ciuiles exercere.

7. Quodcunque collegium clericorum, quod acquirit bona fortunæ, redditus, vel prouentus, vt eis ciuiliter dominetur, peccat mortaliter.

8. Eſt impoſſibile de Dei potentia abſoluta Chriſtum regnaſſe ciuiliter.

9. Monachi, ſicut Apoſtoli Chriſti, nil haberent ciuiliter, vt plane poteſt elici ex regula & profeſſione vnanimi monachorum.

10. Maior pars accumulationis bonorum fortunæ in manibus religioſorum eſſet diſſoluta, ſi iura regni Angliæ eſſent debite executa, & intelligit per illum terminum religioſorum, in dicta concluſione, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos & Canonicos, ac omnes pure Clericos.

XVIII. PROBROSVS EDVARDI REGIS OBITVS PELLICE IN ÆGRITVDINE SE PRÆSENTE ASSISTENTE.

Hæc Ioannes Wicclephus, contra Eccleſiaſticam Hierarchiam vomebat, Rege Edouardo tantum conniuente, & Pereſiæ pellici tantum permittente, vt ea ſui ſexus & fragilitatis immemor, auderet, etiam cauſis Eccleſiaſticis, iuxta Doctores præſidere. Non impune fuit Edouardo illud probrum. Namque hoc anno die 21. Iunii, diem clauſit extremum, non ſine grauiſſimo probro: cui per totum tempus decubationis aſſederat, illa infanda meretrix Pereſia. Referam, quæ Thomas Walſingamius retulit, de eius morte. Hæc Pereſia, inquit, cuncta quæ chariora ſunt, medio tempore ſemper ſuggeſſit eidem Regi ægrotanti; nihil omnino tractans, aut tractari permittens de animæ ſuæ ſalute, ſed ei iugiter ſanitatem ſui corporis repromittens, donec in eo vidiſſet indubitata mortis indicia per vocis recluſionem. Tunc nempe cum cerneret vocem ſibi ademptam, & oculorum acies hebetari, caloremque naturalem extremitates relinquere; mox inuerecunda pellex detraxit annulos à ſuis digitis & receſſit. Solus tunc quidam Sacerdos aſſidebat Regi moribundo: cæteris circa rerum direptionem intentis: qui illi, eo quod loqui non poterat, nec confeſſionem oretenus facere perſuaſit, vt veniam peteret pro commiſſis, afferens ſibi Crucis imaginem, quam dedit in manus eius. Eam Rex cum ſumma reuerentia accipiens deuotiſſime oſculabatur; nunc manus, vt poterat, in ſignum optandæ veniæ protendendo, nunc vero de ſuis oculis lachrymas vberes emittendo, & pedes imaginis frequentiſſime oſculando. Tandem cum ad nutum presbyteri, motibus & ſignis quibus potuit petiiſſet, primo & principaliter de peccatis à Deo remiſſionem, & ſecundo ab his quos vel ſcienter vel ignoranter offenderat, ſpiritum exhalauit. Eo ad ſenilem ætatem vergente, peccatis exigentibus, paulatim illi cuncta felicia decreſcebant, & infauſta cuncta ſuccreſcebant, alliciente eum ad cuncta infanda meretrice Pereſia.

XIX. FVSIOR DE STATV MORBI ET REGIS ET EIVS OBITV TRACTATVS.

Thomas VValſing. de Reb. Angl.

Copioſius hæc omnia auctor Manuſcr. Vaticani de Rebus Anglicanis narrauit. Quod Samſonem, inquit, illum tam fortem, quod Salomonem tam ſapientem, hoc etiam Edouardum Regem euertit. Hoc ille ſane vitium prouecta ſaltem ætate, & ad ingentium rerum præclare obitarum gloriam prouectus, ſumma contentione effugere debuiſſet. Quod cum non fecerit, valde veterem laudem commaculauit. Habuit præter cæteras mulieres, Aliciam Pereſiam in deliciis, quæ eum pene dementauit. adeo miſere in eam deperiit. Cumque Epiſcopi, proceres, aliique qui gloriæ & laudi eius animæque ſaluti fauebant, nullum pro re nata orandi, admonendique, vt famæ, dignitati, gloriæque ſuæ ſeruiret, eamque excuteret, locum relinquerent, neque tamen proficerent, adeo hæc indignitas illorum animos perculſit, vt per ampliſſima totius Regni Comitia cautum fuerit, vt eam abdicare

*cogeretur. Et quoniam iam Rex præſenio mentiſque infirmitate, Reipublicæ adminiſtrandæ atque procurandæ non ſatis idoneus videbatur, remotis iis qui Regem corruptis ſuis conſiliis deprauabant, & multa agebant in luculentum Reipublicæ detrimentum (è quibus fuit Ioannes Dux Lancaſtriæ) ſelecti ſunt communi omnium ordinum conſenſu, Epiſcopi quidam aliique Proceres, quibus Reipublicæ procreatio credita eſt, reiectaque eſt Alicia, ſuum Rege etiam conſenſum ad hoc accommodante. Sed vix tres menſes defluxerant, cum Lancaſtrius omnium rerum ad ſe procurationem reuocarit, Aliciaque rurſus ad Regem redierit: quæ contra muliebrem verecundiam, tantum ſibi arrogabat, vt non modo Regiis Iudicibus, ſed etiam Epiſcopis cauſas cognoſcentibus ſe petulanter ingereret, & ſimul aſſideret, & ea quæ concedi æqui ac boni ratio non patiebatur, importune flagitare auderet.*

*Cumque Rex poſtea in lethalem morbum incidiſſet, qui & eum abſtulit, ſemper eius lateri Alicia aſſidebat, ea continue ſuggerens, quæ ad carnis & externa ſolatia ſpectarent. De ſalute animæ ſummum ſilentium, omniſque ea cura quaſi abiecta. Cumque deinde Regis ſalus prorſus eſſet deplorata, & iam eſſet animam exhalaturus, annulis Regis digitis detractis, (quæ erat illius impudentia) eum deſeruit, Rex vero (quod dolendum) nulla exomologeſi expiatus, paulo poſt deceſſit. Obtulit vero illi Sacerdos quidam Chriſti Crucifixi imaginem, quam lachrymis ex oculis manantibus, rigando & ſæpe ſuauiando, quam ſolum poterat, piæ mentis ſignificationem dedit, & nutibus atque ſignis, ſacerdote ſuggerente peccatorum à Deo veniam poſtulabat. Ita rerum domeſticarum poſteriores euentus excellenti illius foris partæ gloriæ reſpondere neutiquam viderentur, maxime quod VVicleſſum, cum potuerat & debuerat, in ipſo ſtatim limine non repreſſiſſet.*

Wicleffi geſta ex Pol. Virg.

De Wicleffo iſta tradidit *Polydorus Virgilius. Extitere hoc tempore, inquit, & aliqui viri infamia inſigni, quorum caput & princeps fuit Ioannes VVicleffus. Is (vt fama eſt) à primo indignatus, quod non potuiſſet ad ſummos ſacerdotalis ordinis aſcendere honores, factus inde ſacerdotibus cunctis inimicior, cœpit diuina ſcripta peruerſe interpretari, atque nouam inſtituere ſectam, vſque eo, vt in nobili Oxonienſi Gymnaſio publice ſit in ſacerdotes quaſi legis euerſores eſſent, debacchatus. Et vt impune tantum facinoris, fautore pariter atque audacia armatus faceret, Regi ante omnes ſummum in cunctos Ordinis præfectos imperium, iuſque tribuit. Præterea homo nocendi cupidus, certum habens non facile viros doctos veneno infici vtpote qui rationes admittunt, cogitauit imperitum vulgus in ſuam imprimis ſectam ſibi trahendum, quod illud ſoleat pertinacius, id quod ſemel imbiberit, modis omnibus retinere. Non contentus itaque impleuiſſe codices Latine ſcriptos de ſua hæreſi, etiam ex illis Commentarios patria lingua conſcriptos fecit, atque protinus edidit, vt etiam agreſtes maleficæ ſuperſtitionis peritos redderet. Ad extremum homo nimium confidens, cum rationibus veris cogeretur ad bonam redire frugem, tantum abfuit, vt pareret, vt etiam maluerit voluntarium petere exilium, quam mutare ſententiam, qui ad Bohemos nonnulla hæreſi ante inquinatos profectus, à rudi gente magno in pretio habitus, eos in ea remanere ſententia hortatus eſt, vt Ordini Sacerdotali parum honoris, & ad Romanum Pontificem nullum reſpectum haberet.* Polydor. Angl. hiſtor. libro 19.

Edouardo ſuccedit Richardus II. filius.

Succeſſit Edouardo mortuo in Regnum filius, Richardus Secundus, *ad XVII. Calend. Auguſti*, ab Archiepiſcopis & Epiſcopis Regni, inauguratus. Idem VValſingamus, ritum coronationis, deſcribebat hanc in modum.

Deſcribitur ritus coronationis eius.

*Conuenientibus Archiepiſcopis & Epiſcopis, Regnique Proceribus ad VVeſtmonaſterium ſummo mane, ordinata proceſſione Monachorum in cappis, Epiſcopi cum monachis, ad oſtium Regii thalami peruenerunt: & paratum Regem reperientes ibidem, per manus qui eius lateribus aſtiterunt, perduxerunt in Eccleſiam S. Petri, cantantes antiphonam in honorem Apoſtoli, cum oratione competenti adiuncta & hac oratione;* Deus humilium viſitator, qui nos tua miſericordia conſolaris, prætende ſuper famulum tuum Regem noſtrum miſericordiam tuam, vt per eum, tuum in nobis adeſſe ſentiamus aduentum. *Rex vero, mox vt ad altare peruenit, proſtrauit ſe ſolotenus ante altare: pauimentum autem ſtratum fuit palliis & tapetis. Proſecuta, vt diximus, oratione, Archiepiſcopus, cum Epiſcopis qui aderant, proſtrauit ſe ſuper pauimentum circa Regem. Interim duo Epiſcopi, Litaniam cantauerunt. Qua expleta, erectus Rex, ductus eſt ad ſedem ſuam: Choro, hanc Antiphonam decantante;* Firmetur manus tua. *Tunc Epiſcopus ſermonem fecit, de materia Regis, & Regni ad populum; qualiter Rex ſe deberet habere in populo, & in quibus populus ſibi debuit obedire. Quo completo, iurauit Rex coram Archiepiſcopo & Proceribus qui ibi aderant, (quoniam ipſi ſoli eius iuramentum audire potuerunt) quod Eccleſiam permitteret ſuis gaudere libertatibus; & eam, & miniſtros eius honoraret, & fidem rectam teneret, & rapacitatem ac omnes iniquitates in omnibus gradibus interdiceret. Secundo, vt leges terræ bonas, vbique ſeruari faceret; & præcipue leges Sancti Eduuardi Regis & Confeſſoris qui in eadem requieſcit Eccleſia: & malas leges faceret abrogari. Tertio, vt non eſſet perſonarum acceptor, ſed iudicium rectam inter virum & virum faceret; & præcipue miſericordiam obſeruaret, ſicut ſibi ſuam indulgeat miſericordiam clemens & miſericors Deus.*

*Quibus expletis, Archiepiſcopus, præcedente eum Mareſcallo Angliæ, Domino Henrico Percy conuertit ſe ad omnes plagas Eccleſiæ, indicans populo Regium iuramentum, & quærens; ſi ſe tali Principi ac Rectori ſubiicere, & eius iuſſionibus obtemperare vellent. Et reſponſum eſt, à plebiſono clamore, quod libenter ſibi parere vellent. Poſt hæc Archiepiſcopus, Regem, his orationibus benedixit: Videlicet.*

Omnipotens & ſempiterne Deus, benedic Domine hunc Regem noſtrum, qui regna omnium moderaris à ſæculo, tali eum benedictione glorifica, vt Dauidicæ teneat ſublimitatis ſceptrum, & glorificatus in eius proficere reperiatur merito. Da ei, cum tuo ſpiramine, cum manſuetudine ita regere populum, ſicut Salomonem feciſti obtinere regnum pacificum. Tibi cum timore ſemper ſit ſubditus, tibique militet cum quiete. Sit tuo clypeo protectus cum proceribus, & vbique tua gratia victor exiſtat. Honorifica eũ præ cunctis Regibus gentium. Felix populis dominetur, & feliciter eum nationes adorent. Viuat in gentium cateruis magnanimus. Sit in iudiciis æquitatis ſingularis. Locupletet eum, tua prædiues gratia. Fructiferam habeat patriam; & eius liberis tribuas profutura. Præſta ei prolixitatem vitæ per tempora, vt in diebus eius oriatur iuſtitia. A te robuſtum teneat regiminis ſolium, & cum iocunditate & iuſtitia æterno glorietur in regno.

*Iſta præmiſſa benedictio poſt primam orationem, ad modum præfationis ab Archiepiſcopo cantabatur, qua cantata, dicta eſt & alia oratio ſuper eum, ſcilicet;* Deus ineffabilis, *cum Antiphona;* Confortare, & eſto vir fortis, &c. *Tunc Archiepiſcopus acceſſit ad eum, & veſtimenta ſua diſcindens manibus ſuis, à ſummo vſque ad imum, exuit eum præter camiſiam veſtimentis ſuis. Cuſtodes vero quinque portuum ex officio, tam in proceſſione, quam in vnctione & miſſa, & poſt miſſam, dum iret ad palatium ab Eccleſia, ſemper tenuerunt vmbraculum ſericum magnum, coloris aerii, quattuor faſciis per quattuor angulos colligatum. Sed non obſtante vmbraculo ſupradicto, allatus eſt pannus aureus à Comitibus, ſub quo latuit, dum vnctionis perciperet Sacramenta. Archiepiſcopus vero, vt diximus, eo nudato, vnxit manus eius de oleo ſanctificato, dicens;* Quemadmodum vncti fuerunt Reges & Prophetæ, & ſicut vnxit Samuel Dauidem in Regem, ſic ego te inungo, vt ſis benedictus, & conſtitutus Rex in Regno iſto ſuper populum iſtum, quem Dominus Deus dedit tibi ad regendum & gubernandum. *Item dixit orationem;* Proſpice omnipotens Deus, &c.

*Poſt hæc vnxit Archiepiſcopus caput eius, & pectus, & ſcapulas, ambaſque compages brachiorum de oleo ſanctificato vt ſupra. Et interim chorus cantauit Antiphonam;* Vnxerunt Regem Salomonem in Gyon, Sadoch Sacerdos & Nathan Propheta, & aſcendentes læti dixerunt, viuat, Alleluia. *Poſtea ſubiunxit Metropolitanus;* Deus Dei filius Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui à Patre oleo exultationis vnctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacri

vnguinis



vnguinis infuſionem Spiritum paracleti ſuper caput tuum infundat, benedictionemque eandem vſque ad interiora cordis tui penetrare faciat; quatenus hoc viſibili & tractabili dono inuiſibilia percipere, & temporali regno iuſtis moderaminibus executo; æternaliter cum eo regnare merearis. *Mox finita oratione Archiepiſcopus eum Epiſcopis hymnum,* Veni creator Spiritus. *Rege interim proſtrato in longa venia, & circa eum Metropolitano, cum ſuffraganeis ſuis. Expleto hymno erectus eſt Rex ab Archiepiſcopo, & indutus eſt primo tunica S. Edouardi, & poſt eiuſdem Dalmatica, proiecta circa collum eius ſtolla; Archiepiſcopo orationes competentes interim proſequente.*

*Poſt hæc Archiepiſcopus cum Epiſcopis tradidit ei gladium, ita dicens;* Accipe gladium per manus Epiſcoporum licet indignas, vice tamen & auctoritate Sanctorum Apoſtolorum conſecratas, tibi regaliter impoſitum, noſtræque benedictionis officio ad defenſionem Sanctæ Eccleſiæ diuinitus ordinatum, & eſto memor de Pſalmiſta, qui prophetauit dicens: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, vt per eundem vim æquitatis exerceas, molem iniquitatis potenter deſtruas, & ſanctam Dei Eccleſiam, eiuſque fideles propugnando protegas, nec minus ſub fide falſos, quam Chriſtiani nominis hoſtes execreris ac deſtruas, viduas & pupillos clementer adiuues & defendas, deſolata reſtaures, reſtaurata conſerues, vlciſcaris iniuſta, confirmes bene diſpoſita, quatenus hæc agendo, cum virtutum triumpho glorioſus iuſtitiæ cultor, cum mundi Saluatore, cuius typum geris in nomine, ſine fine merearis regnare. *Tunc duo Comites eum gladio accinxerunt: quo facto Archiepiſcopus dedit ei armillas dicens;* Accipe armillas ſinceritatis & ſapientiæ, diuinæque circumdationis indicium; quibus intelligas, omnes operationes tuas, contra hoſtes viſibiles & inuiſibiles poſſe eſſe munitas.

*Poſtea induit eum Archiepiſcopus Regali pallio, ita dicens:* Accipe pallium quattuor nunciis formatum, per quod intelligas quattuor mundi partes diuinæ poteſtati eſſe ſubiectas, nec quenquam poſſe feliciter regnare in terris, niſi cui poteſtas regnandi fuerit collata de cœlis. *Interim dum Archiepiſcopus benedixit coronam Regiam, duo Comites calcariauerunt Regem, ad quorum officium pertinebat. Benedicta corona, Archiepiſcopus impoſuit ſuper caput eius, dicens:* Coronet te Deus corona gloriæ atque iuſtitiæ, honore & opere fortitudinis, vt per officium noſtræ benedictionis, cum fide recta, & multiplici bonorum operum fructu, ad coronam peruenias Regni perpetui.

*Tunc dedit ei Archiepiſcopus annulum cum his verbis;* Accipe annulum Regiæ dignitatis, & per hunc veræ Catholicæ fidei ſignaculum, quia vt hodie ordinaris vt caput & Princeps Regni ac populi, ita perſeuerabis defenſor & conſeruator Chriſtianitatis & Chriſtianæ fidei, vt felix in opere, locuples in fide, cum Rege Regum glorieris.

*Statim poſt hæc acceſſit Dominus de Furnenal, ex officio offerens ei rubeam chirothecam, quam Archiepiſcopus benedixit, & impoſuit manui Regiæ, dans ei ſceptrum, his verbis dicens:* Accipe ſceptrum, Regiæ poteſtatis inſigne, ſcilicet virgam Regni rectam, virgam virtutis, qua te ipſum bene regas, ſanctam Eccleſiam tuearis, populumque Chriſtianum tibi à Deo commiſſum, Regia virtute ab improbis defendas, prauos corrigas, & vt viam rectam tenere poſſint, tuo iuuamine dirigas; quatenus de temporali regno, ad æternum regnum peruenias. *Tunc dedit ei Archiepiſcopus virgam in alia manu, habentem in ſummitate columbam. Nam ſceptrum quod ſuſceperat, conſurrexit de rotundo globo aureo, quem tenebat in manu chirothecata, & habebat in ſummitate ſignum Crucis. & accepit virgam prædictam, cum his verbis:* Accipe virgam virtutis & æquitatis, qua intelligas te mulcere pios, & terrere reprobos; errantes viam doce, lapſis manum porrige, diſperdas ſuperbos & releues humiles, vt aperiat tibi oſtium vitæ Ieſus Chriſtus Dominus noſter. *Poſt hæc Benedictus eſt Rex ab Archiepiſcopo dicente:* Benedicat te Deus, & cuſtodiat; atque ſicut voluit te ſuper populum ſuum eſſe Regem, ita in præſenti ſæculo felicem, æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem.

*His itaque peractis, oſculatus eſt Rex Epiſcopos omnes & Abbates, à quibus poſtea ſtatim ductus eſt ad regale ſolium, Epiſcopis inchoantibus hymnum,* Te Deum Laudamus. *Finito hymno Archiepiſcopus ita eum allocutus eſt:* Sta & retine amodo locum, quem hucuſque paterna ſucceſſione tenuiſti hereditarie. Indico tibi per authoritatem Dei omnipotentis, & præſentem traditionem noſtram, vt omnium Epiſcoporum, cæterorumque Dei ſeruorum rationem habeas. Et quando Clerum ſacris altaribus propinquiorem, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris: quatenus mediator Dei & hominum, te Rectorem plebis in hoc regni ſolio confirmet, & in regno æterno æternum regnare faciat Ieſus Chriſtus Dominus noſter.

*His itaque peractis, inchoata eſt miſſa congruens coronationi Regiæ, cuius officium fuit:* Protector noſter aſpice DEVS. *Epiſt.* Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. *Graduale,* Dirigatur Domine oratio mea. *Alleluia,* Domine in virtute. *Euangelium,* Abeuntes Phariſæi, *quod legit Epiſcopus Elienſis; epiſtolam Epiſcopus VVigornien. Offertorium;* Intende orationi meæ Rex meus. *Lecto Euangelio Rex de Regali ſolio ductus eſt ad offerendum. Primo igitur obtulit Archiepiſcopo gladium ſuum, quem ſuſceperat. & poſtea aurum quantum placuit, ſed non minus marca propter conſuetudinem: nam plus poteſt offerre Deo & Sancto Petro ſi placuerit. Poſt oblationem pecuniæ obtulit Archiepiſcopo panem & vinum ad modum Monachorum: vnde poſtea, tam Metropolitanus quam ipſe Rex, communicati fuerunt. Quo facto, Comes, ad cuius officium pertinebat portare gladium coram Rege, gladium quem obtulerat dato pretio redemit; & aſſumens eum portabat coram illo. Celebrata miſſa vſque ad communionem, reductus eſt Rex ad altare, & genu flexo coram Archiepiſcopo, dixit,* Confiteor: *quo abſoluto, communicatus eſt, & iterum reductus ad ſedem ſuam. Sacro abſoluto, in palatium reuerſus eſt. In craſtino facta eſt generalis proceſſio pro Rege & pace Regni, cui reueſtiti interfuerunt omnes Prælati, videlicet Archiepiſcopus cum Epiſcopis & Abbatibus, qui coronationi interfuerant, necnon ipſe Rex cum magnatibus & plebis multitudine copioſa. In progreſſu autem proceſſionis concionatus eſt ad populum Epiſcopus Roffenſis admonens, vt diſſenſiones ortæ & diu continuatæ inter plebem & Dominos ſopirentur; Domini, ne tantis exactionibus populum onerarent. populi ſine murmure & ſeditione, patienter, Regem & regnum ſi opus fore iuuarent. Illi qui Regi puero adhærerent, vt relictis ſtupris, fornicationibus, adulteriis & aliis vitiis quibus inhærebant, eius puritati & innocentiæ ſe conformare ſtuderent.*

XX. Caſus tragicus initio regiminis Richardi Reg.

*Accidit tunc res tragica ſtatim initio regiminis Richardi Regis.* Duo erant milites Angli, Robertus Haule, & Ioannes Schakel. Hi ante decem annos in prælio, ceperant Comitem Dena, & eo liberato filium eius primogenitum detinebant, donec Comes pretium redemptionis perſoluiſſet. Differebat, & Dux Lancaſtriæ, obſidem repoſcebat: nolenteſque, in turri Londinenſi, concluſerat. Ab hac cuſtodia euadentes, ad VVeſtmonaſterium confugerunt. Quod Dux grauiter ferens, & eorum æmuli conſiliarii, conſilium inauditum, vt videlicet ſpretis tot ſanctorum Regum ſanctionibus, tot Summorum Pontificum confirmationibus, & tot contrauenientium terribilibus ſententiarum comminationibus, poſtremoque diuino timore ac ſanctæ matris Eccleſiæ reuerentia, ſtatuerunt eos à ſanctuario perturbatos ad turrim vſque reducere, & ibidem cautius conſeruare, vel tot malis affligere, vt vitam deſerere cogerentur. Quinquaginta milites armatos, ad eos extrahendos, Dux miſerat. Hi ingreſſi ſanctuarium ſancti Petri, aſtu quidem Ioannem Schakelium circumuentum libertate Eccleſiæ exuerunt, & ad turrim illico reduxerunt. Ad Robertum cum veniſſent, & ipſe Miſſarum ſolenniis in craſtino S. Laurentii intereſſet, conuenerunt eum de ſatisfaciendo Regi ſuper his, quibus

eius offenderat maieſtatem, quia cum eius eſſet homo ligius, Regiis non tantum poſtulationibus, quantum eius precibus ſpretis, contra eum tergiuerſari tam procaciter auſus fuit. Ille vero dum non Regem, ſed eius conſiliarios, de iniuſtitia, auaritia, falſoque conſilio accuſare niteretur, & illi manus iniicerent, ad extrahendũ de Eccleſia violenter, extracto pugione, omnes armatos ipſe inermis in fugã conuertit, & ſaluare ſe cupiens, bis circa chorum Monachorum currendo pro refugio, tandem in ipſo choro à redeuntibus circumuallatus eſt: ac omni ex parte ſtrictis pugionibus impetitus, cum omnes vociferarentur, vt ſe redderet. Circũſtabant Monachi in choro, ſacrificio altaris adſiſtentes, Sacerdos etiam iam Euangelium miſſæ recitauerat apud aram; cum ſatellites dæmonis, pectoribus ſingulorum Monachorum figentes cuſpides gladiorum, prohibuerunt, ne opem ferrent illi, quem perimere laborabant. Tandem cum is pacem Eccleſiæ, & cauſam tanti ſceleris peteret, nec non cancellatis manibus hæc verba proferret:

Abominabilis templi prophanatio.

*Deo me reddo talium iniuriarum vindici, & libertati S. Matris Eccleſiæ*, vnus ex crudelibus miniſtris, prope altare illum excerebrauit, & alter à tergo gladio confixit. Quidam ex famulis Eccleſiæ, conatus erat eos à tanto ſcelere impedire monens, ne verendum illud templum miraculoſe ab Apoſtolorum Principe dedicatum, & hactenus impollutum fœdarent. At impii recta orantem, gladio traiecerunt; deinde cadauer Roberti, foras Eccleſiam eiecerunt, per pedes illud raptantes, & ſanguine illius cuncta fœdantes. Prædictum fuerat iſtud facinus, ſtatim à martyrio S. Thomæ Canthuarienſis nempe ſacrarium Weſtmonaſterienſ. aliquando humano ſanguine polluendum, in vindictam necis Sancti viri.

Violatores immunitatis Eccles. excommunicantur.

Metropolitanus Pontifex, cum quinque ſuffraganeis procedens in publicum, in omnes qui huic nephario operi interfuerant, & vel conſilium & auxilium tulerant, vel authores ſceleris extiterant, ſententiam excommunicationis tulit, Rege, matre illius, & Duce Lancaſtriæ exceptis. Cæterum Londonienſis Antiſtes, ne Ducem quidem exemit, ſed apud S. Paulum, diebus Dominicis, feriis quartis & ſextis, in malefactores die continuando publicauit. Aliqui eius fulminis aduſtione permoti, ad pacem Eccleſiæ, per pœnitentiam ſeſe conferebant. Dux Lancaſtrius ægre ferebat: præſertim quod Antiſtes, nec propter Regias preces aut litteras, aliquid de ſeueritate Eccleſiaſtica remittebat, ſed eaſdem diras in authorem ſceleris, conſtantiſſime diuulgabat. *Thomas VValſingh. hiſtor. Angl.*

XXI. Obitus Frid. Trinac. Reg.

Eodem anno, ad VI. Calend. Auguſti, Fridericus Trinacriæ Rex è vita exceſſit, relicta Maria filia Regni hærede, Athenarum & Neopatriæ Duce. Iſtud cum primum Petrus Rex Aragonum intellexiſſet, ſtatim Epiſcopum Segorbienſem, & Andream Valterram eius fratrem Legatos ad Gregorium Pontificem Maximum miſit, de Trinactiæ Regno à ſe, hæreditaria Regis Frederici maioris patrui actione vindicando, & repetendo. Orabant, ne ſineret, vt ius ſuum armis perſequi neceſſe haberet, pollicebanturque Regem, ſupremum eius regni Dominium exceptum.

Eccleſiæ benign. fœminæ ad iſtud Reg. arceſſitæ fuerũt.

Hæc à Pontifice reiiciebantur, qui legitimam excuſationem habuit, quod Petrus Rex Regis proauus nullo tempore ab Eccleſia ad regnum fuiſſet adſcitus, & vetuſtarum conceſſionum lege, quas Eccleſia benignitate ſua ſanxerat, fœminæ etiam ad hæreditarium regnum arceſſerentur: vti Reginæ Conſtantiæ Friderici Imperatoris parenti obuenerat. *Surita lib. 3.*

XXII. Greg. Petri ſedem Rom. in vrbe cõſcendit cum incredibili Pop. Rom. lætitia.

Hoc anno, Pontifex Gregorius, Petri Sedem Romanam, in vrbe conſcendit. Romæ præſertim in Aula Regia, elegantibus picturis eius exceptio exhibita eſt, vbi multitudo populi occurrentis, & mulierum turbæ cum teneris infantibus ſibi obuiantes, quæ lætari & plaudere Gregorio vrbem ingredienti, adhuc videntur: extantque in templis, porticibus, & publicis locis huiuſmodi picturæ, atteſtantes lætitiam, gaudiumq; ingens ciuium Romanorum, ſuſcipientium Gregorium, non vt Vicarium, ſed velut Deum aliquẽ in terras delapſum. Quam magno apparatu, quamque incredibili populi Romani lætitia ſuſceptus fuerit, non attinet ſcribere, cum vultu, geſtu, acclamationibus, omnem lætitiæ ſpeciem effuderint, quemadmodum filii ſolent redeunte peregre exoptato parente. Indigebant omnia aduentu Pontificis, nam & Baſilicæ, & mœnia, & publica ac priuata ædificia vbique ruinam minabantur. Labefactati etiam ciuitatis mores erant, vt vrbs nihil vrbanitatis habuiſſe videretur, vtque illi mores aliunde petendi eſſent, quæ totum orbem terrarum quondam ad vrbanitatem redegerat.

XXIII. Florentinorũ Legatos benigne excipit.

Pace inter principes vrbis familias reſtituta, etiã Florentinis eandem, primo ſtatim aduentu offerre cœpit. Quamobrem, vltro poſtulauit Oratores de pace ad ſe mitti. Iuerunt ad eum Florentinorum Legati, & ab eo grata fronte ſuſcepti, nec tantum ad oſculum, & conuictum, verum etiam ad diuina officia admiſſi, nihil tamẽ Pontifici perſuadenti permittere voluerunt, & à conditionibus, quaſi graues proponerentur, diſſentientes, pacem renuerunt. Reuertentes Florentiam Oratores, cum in concilio ciuium, poſtulata, reſponſa, & cuncta cum Pontifice ſigillatim agitata explicuiſſent, ad bellũ magis inferendum Pontifici, ciues inflammarunt. Aderat Petrus Gambacurtus, & Oratores Bernabouis, qui eos ad concordiam reuocarent.

Octo viri Floren. animos ad pacem inclinantes perturbant et contra Pon. irritant.

Cæterum necquicquã proficere potuerunt, octo viris maiorẽ in modum obduratis. Hi namq;, vt dominium Florentiæ deguſtatum ſibi ſtabilirent, Pontificẽ in inuidiam populo adducebant, nec vllũ iniuriæ contumeliæq; genus prætermittebant, quod in Pontificem non transferrent. qua ex re anathemate notati, hac quoq; inſolentia vtebantur, vt Sacerdotes ſuos quibus à ſacris interdictum erat, celebrare contra ius faſq; compellerent. Illi ipſi per Bernabouem Mediolanenſem, Augutum & non contemnẽdas eius copias pecunia corrupere, vt Anglorum multitudo, quæ apud Pontificem ſtipendio militabat, relicto Gregorio ad Florentinos tranſiuerit. Facti hac acceſſione ferociores, iam in pium vulgus ſæuire cœperant. Nãque congregationes eorum, qui in diuerſis templis religioſorum, ad diuinam iram placandam, propter ſanguinis multam effuſionem diſciplinati dicebantur, interdixere, atq; ſuſtulere: ne aliquid mali contra illorum tyrannidem molirentur. Propter iſtud factum, & alia quamplura, magnam ſibi apud multos ciues conflauerant inuidiam: adeo vt acta eorum iam carperentur, & ipſi factionibus oppugnarentur, multis qui auſcultandum Pontifici armarent.

XXIV. Studium octo virorum in auertendis Floren. a Pont. animis.

Quæ cum Gregorius intellexiſſet, Epiſcopum Vrbinatem, & quendam Fratrem Ordinis Minorum, & alterum Auguſtiniani inſtituti profeſſorem miſit Florentiam: qui populo ad concionẽ vocato, deſiderium Pontificis exponerent: quod nihil aliud, quam pacem ex æquo & bono cum eis cuperet: cui faciendæ, octo viri per ambitum impedimentum præſtarent: adeoque illi ſoli impotenter dominantes, iuſtam Eccleſiæ diſciplinam in ſe prouocarent. Videbant octo viri, quo populi intentio inclinaret. Itaque nihil non egere, vt Oratores fruſtrati, reuerterentur ad Pontificem. cuius authoritate iam propalam contempta, interdicti obſeruatio ſublata eſt: cum hactenus, nonniſi ianuis clauſis, propter reuerentiam qualem qualem Apoſtolicæ Sedis, Sacerdotes ſacra adminiſtraſſent. Ex tunc per vrbem, agrumque vniuerſum, baſilicis & Oratoriis apertis, ſacerdotes celebrare iuſſi, quod quidem temerarii non detrectauere, & magis homines quam Deum metuentes, crimẽ nequaquam euaſere. Iuris male periti aliqui perſuaſerant, Florentinos non teneri ad obſeruationem cenſurarum à Pontifice illatarum, quaſi ex odio & inimicitia illas protuliſſet: cum tamen Diuus Gregorius cenſeat, *Sententiam Paſtoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſit, timendam & ſeruandam eſſe: niſi contineat intolerabilem errorem*: Qualem Pontificia in præſens prolata non continebat. Timuit eam cenſuram Rodulphus Varamius Camerinenſ. qui





Varamius metu cenſuræ a Floren. ad Pon. deficit.

per id temporis Florentinis militauerat. Itaque ab eis ad Pontificem deficiens, eam contumeliam conſtanter tulit, quod Florentini illius imaginem, ad omnes vrbis portas, inque locis publicis verſo deorſum capite, quaſi fidei deſertoris, depinxerint. Eadem ignominia ille, vbique, Florentinorum octo viros affecit, depictos ſub imagine ſua in throno excelſo eminente.

XXV. Pax inter Põt. et Flor. certis conditionibus ſtabilitur.

Tandem cum Florentinos, tam diuturni belli, & ſumptuum ingentium, necnon execrationum ſatietas haberet, ad finem huius anni, Bernaboue ſuadente, & Vrbinate Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ Nuncio inuitante, ad pacem ineundam inclinarunt. Serazane Conuentu indicto, miſit eo Pontifex Cardinalem Ioannem Ambianenſem tituli Sancti Marcelli, vna cum Archiepiſcopo Narbonen. Adfuerunt à Carolo Rege Galliarum quattuor viri inſignes: duo proceres à Regina Siciliæ; quattuor à Florentinis: à Venetis, Genuenſibus, ac Principibus & vrbibus fœderatis, quamplurimi. Bernabos Vicecomes præſens intererat. Re in commune producta, inter alia Pontifex, octingenta millia ab omnibus Confœderatis poſtulabat, quæ is in ſumptus belli, quod ei Florentini & Vicecomites intulerant, & authores defectionis Vrbibus Eccleſiaſticis fuerant, profuderat. Conditio appoſita, vt CCCC. M. Florentini, reliqua alii ſocii numerarent. Florentini conditionem, ex communi conſilio octo virũm & populi probatam, ſuſceperunt; quod iam bello feſſi eſſent, atque multis diſpliceret contra Eccleſiam belligerare, & cenſuris illis manere irretitos. *Leonardus Aretinus, & Pogghius de reb. Florent. Bonincontr. in annalibus.*

XXVI. Cum quanta cõſtantia B. Cath. Senens. pro Floren. cum Pontif. conciliandis etiam cum maximo vitæ ſuæ periculo laborauerit.

Nicolaus Soderinus ciuis Florentinus, plurimum operæ ad eam reconciliationem Florentinorum contulit. Is namque Raymundo Capuano, & hic Catharinæ Senenſi, ac deindè ea iubente Summo Pontifici renunciauit, culpam hærere in octo viris; quorum non aliud fuerat deſiderium, quam ſub ſpecioſo libertatis nomine, tyrannidem exercere. Cæterum ciues ac populares, non amplius aut execrationes Pontificias, aut ſeruitutem intolerandam, poſſe ferre; nec aliquid magis, quam ſacra & pacem cum Pontifice expetere. Sciebat Gregorius, quantum Senenſis Catharina apud Florentinos poſſet. Itaque datis ad eam litteris iniunxerat, quò ſe Florentiam conferret, & reliquum negotii conficeret. Poſtquam etiam ipſi illi ſcriptis litteris Pontifici, præſentiam virginis poſtularent. Iuit Catharina perlibenter, & benigne à melioribus ciuibus habita, Nicolai Soderini opera, cum peruicacibus egit, vt tandem depoſita contumacia, Vicario Chriſti obtemperarent, neque amplius iuſtam illius vindictam in ſe prouocarent. Cum autem in ſuperbiam, ingratitudinem, & in dominandi ambitionem magiſtratus, inuecta fuiſſet, deque manſuetudine & facilitate Gregorii Põtificis, multis diſſeruiſſet, vnum præcipue ex octo viris adeo offendit, vt is virginem perdere voluerit. Ab eius furore, furorem nonnulli ſeditioſi mutuari, parum habebant Catharinam contumeliis verborum afficere, niſi etiam ad eius hoſpitiolum conuolarint, & ad necem illam quæſierint. Suadebatur, vt vel vrbe excederet, vel ſaltem ſe occuleret.

Cæterum illa fiduciæ plena, exemplum Saluatoris ſequens, obuiam quærentibus iuit; & in genua procumbens, ac *Ego ſum*, dicens, iugulum porrexit: vel ſanguine proprio tantum incendium odiorum reſtinguere exambiens. Obſtupuerunt ad eam virginis conſtantiam, dæmonis ſatellites, nec quicquam illi nocuerunt. Illa vero tanto ardentius curæ à Pontifice commiſſæ incubuit, ac tandem effecit, vt Florentini ſe totos voluntati illius permiſerint. *Raymund. Capuanus in vita S. Catharinæ Senen. lib. 3. c. 18.*

Hac tempeſtate cum multi præſertim in Germania aduerſus libertatem Eccleſiaſticam inſurgerent, Carolus Quartus eos compeſcuit, edita infraſcripta conſtitutione:

XXVII. Caroli IV. Imp. contra inſurgentes aduerſus libertatem Eccles. in Germ. conſtitutio.

*Carolus Quartus Diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, &c. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Etſi imperialis benignitatis clementia quorumlibet deuotorum fidelium, quos ſacrum Romanum ambit imperium, ex officii debito teneatur neceſſitatibus, & iniuſtis oppreſſionibus conſulere, & de opportunis remediis prouidere: ad illos tamen maximè dirigitur noſtræ mentis affectio, quos indebitè pati cognoſcimus, quorumque oppreſſionibus ſtatus Eccleſiaſticæ libertatis, quam ſemper noſtris temporibus augere volumus, in nihilum redigitur, & minus debite prægrauatur.*

§. 1. *Sane ad Imperialis Maieſtatis audientiam, pro parte honorabilium Præpoſiti, Decani, & aliorum Prælatorum, & Capituli Magdeburgenſis, Maguntinenſis & Colonienſis Eccleſiarum deuotorum noſtrorum dilectorum per inſinuationem queruloſam ſuppliciter deductum, quod ſæculares quidam in poteſtatibus & officiis publicis conſtituti, videlicet Duces, Comites, & Barones & alii Domini temporales, necnon Conſules ciuitatum, oppidorum, villarum, & locorum rectores dictarum Magdeburgenſis, Maguntinenſis, & Colonienſis prouinciarum Dei nomine poſtpoſito, ſtatuta ſingularia & iniquas ordinationes motu proprio, & de facto contra perſonas Eccleſiaſticas, Eccleſiarum libertates, & priuilegia condiderunt, eiſque publice & de facto inſiſtere præſumpſerunt, contra legitimas, ciuiles & canonicas ſanctiones, vtputa,* quod nulla bona temporalia in poteſtatem Eccleſiaſticam transferantur, neve Clerici in ſacris conſtituti ad agendum & teſtificandum in ciuilibus, & maxime in piis cauſis aliquatenus admittantur. Quodque excommunicati laici & publice denunciati, in ciuili foro minime repellantur. Item præfati Domini temporales Conſules, & Rectores per ſæcularem poteſtatem, res, & bona Clericorum occupant & arreſtant, oblationes fidelium diminuunt & reſtringunt, exactiones & tallias indebite de bonis Eccleſiæ & redditibus exigunt, & extorquent, poſſeſſiones Eccleſiæ & perſonarum earum deuaſtant incendiis & rapinis. Contractus inter Clericos, & laicos factos legitimos ad libros ciuitatum, villarum & locorum, recuſant inſcribere & ſigillare. Donata & legata ad fabricas, & Eccleſiarum ſtructuras contra Prælatorum voluntatem & aliorum, quorum intereſt, præſumunt vſurpare contra iuſtitiam, in fraudem & odium Clericorum; de rebus & bonis etiam Clericorum, quas non cauſa negotiationis, ſed pro vſibus propriis per terras ducunt, ſeu ducifaciunt, theloneum exigunt, & recipere non verentur. Et confugientes ad Eccleſias & Cæmeteria inde extrahere contra ſanctiones Imperiales præſumunt.

§. 2. *Quæ omnia, & qualibet abinde ſequuta, cum per ſacras & ciuiles & canonicas ſanctiones expreſſe reprobata ſint, & in fraudem Eccleſiaſticæ libertatis de facto præſumpta; de Principum, Ducum, Comitum, Baronum, fideliumque noſtrorum conſilio & certa ſcientia, authoritate Imperiali caſſamus, irritamus & annullamus, caſſaque, irrita, & nullius eſſe momenti, penitus declaramus & expreſſe pronunciamus. Præcipientes ſub indignatione Imperialis banni, vniuerſis & ſingulis, dictarum Magdeburgenſis, Maguntinenſis, & Colonienſis, prouinciarum & locorum vicinorum Principibus & Dominis temporalibus, Conſulibus & poteſtatibus, & in officiis publicis conſtitutis, quatenus mox viſis & intellectis præſentibus, dicta ipſorum ſtatuta & ordinationes ſicut in præiudicium Eccleſiaſticæ libertatis edita ſunt, omnino reuocent, & de luce tollant, quodque ſecundum ea non iudicent amplius, nec ſententias dictent, aut eiſdem in iudicio, aut extra iudicium quomodolibet pro ſe & contra Eccleſiaſticam libertatem potiantur. Item pronunciamus & declaramus Imperiali auctoritate, quod quicunque laicus, cuiuſcunque ſtatus vel conditionis exiſtat, auſu ſacrilego, & propriæ temeritatis audacia ſacerdotem vel clericum ſecularem, vel religioſum diffidauerit vel captiuauerit, proſcripſerit, ſpoliauerit, occiderit, mutilauerit, aut in carcere detinuerit, aut huiuſmodi maleficia perpetrantes ſcienter receptauerit,*

*vel fauorem in his eis præſtiterit, præter pœnas à ſacris Imperialibus & canonicis ſanctionibus eis inflictas, ſint ipſo facto infames, & omni honore priuati, nec ad placita vel concilia Nobilium admittendi quouis modo poſſint.*

*§. 3. Volumus etiam hortamur & requirimus ipſos Prælatos Eccleſiaſticos, vt hanc noſtram legem, & conſtitutionem in Synodis & Eccleſiis publicari procurent, & requiſiti pœnarum, & ſententiarum exequutiones denuncient, ne in præmiſſis excedentes, per ſimulatam ignorantiam ſuas malitias valeant excuſare.*

*§. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc noſtræ caſſationis, & immutationis, ſeu pronunciationis, denunciationis, & declarationis paginam auſu temerario infringere, aut quomodolibet ei contraire, ſub pœna quinquaginta marcarum puri auri, quas ab eo qui contrafecerit, totiens quotiens factum fuerit, irremiſſibiliter exigi volumus, & eorum medietatem noſtri Imperialis ærarii, reſiduam vero partem iniuriam paſſorum vſibus decernimus applicari.*

Data Tangerumdem, Anno Domini, Milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimo. Indictione quinta decima. Quinto Calend. Iulii. Regnorum noſtrorum Anno triceſimo, Imperii viceſimotertio.

**XXVIII. Petrus Rex Aragon. ad inſtantiam amicorum Lulli intercedit apud Pontif. vt libri eiuſdem Lulli non damnentur ſed iterum cenſeantur et comprobentur.**

Superiore anno Pontifex edixerat, vt Raymundi Lulli volumina conquirerentur, & ignibus vrerentur, quod damnatæ memoriæ errores & hæreſes continerent. Iſtud, cum perneceſſarii Raymundi Lulli intellexiſſent, Petro Regi Aragonum cognomento Cærimonioſo ſupplices fuerunt, qui apud Gregorium Pontificem intercederet, ne hac nota Lullum infamari toleraret, ſed libros iterum cenſeri, & in ſcholis probari iuberet. Petrus Rex, antea crudelis, (quod ſe ſuorum ſanguine fœdaſſet) vocatus, quod ad ſenium vergens, cum crudelis ingenii poſita feritate, cuperet amorem ſibi omnium conciliare, facile poſtulationibus Lulliſtarum conceſſit, iſtoque argumento Pontifici ſcripſit.

*Sanctiſſime Pater. Intelleximus relatu quorundam, quod Sanctitas veſtra ad inſtigationem Fratris Nicolai Eymerici Inquiſitoris prauitatis hæreticæ miſit ad has partes Barchinonæ, Valentiæ & Maioricarum quoddam reſcriptum continens, quod quicumque teneat de libris per Raymundum Lullium quondam Ciuitatis Maioricarum factis, intra certum tempus in ipſo reſcripto contentum, illos teneatur ſub excommunicationis pœna ponere in poſſe Vicariorum Epiſcoporum ipſarum ciuitatum. Nam fertur, quod dictus Inquiſitor opus dicti Raymundi examinare fecit, & quod in eo aliqua inuenit quæ contra fidem Catholicam exiſtunt. Cumque, Sanctiſſime Pater, conſanguinei ipſius Raymundi, qui ſunt in hac ciuitate, à qua ſuum genus traxit originem, cupiant valde quod ipſum opus in eadem examinetur ciuitate: Quod rationabile nobis videtur, & iuſtum. Primo, quia opus prædictum eſt in idiomate Cathalano. Ob quod abſque dubio melius intelligetur per Cathalanos, quam per homines alterius nationis. Secundo, quia in Cathalonia ſunt plures Clerici & etiam religioſi, qui in dicto opere diligenter ſtudent, cum plurima in eo addiſcant vtilia valde, quique ſuper ipſa examinatione poterunt multa dicere, per quæ veritas demonſtretur. Tertio, quia ſcientia dicti Raymundi habet principia valde diſſimilia aliis ſcientiis; vnde per ignorantes eam, quamuis aliarum ſcientiarum ſcientificos, poteſt de facili non intelligi. Quarto, quia magnum eſt intereſſe conſanguineorum prædicti Raymundi, an dictum eius opus comprobetur, vel reprobetur. Vnde rationabile valde exiſtit, quod ſuper hoc ipſi vocentur, & audiantur rationes eorum. Quocirca Sanctitati veſtræ humiliter ſupplicamus, vt prouidere dignemini, quod dictum opus in hac ciuitate examinetur, committendo examinationem ipſam Epiſcopo Barchinonæ, iuxta ſupplicationem quæ ſuper hoc noſtri parte veſtræ clementiæ offeretur. Nam de hoc nobis ſpecialem gratiam faciet benignitas veſtra. Nam ex quo dictus Raymundus erat Cathalanus & ſubditus noſter, multum nobis placebit, ſi eius ſcientia comprobetur, & proinde veſtræ Sanctitati gratias humiles referemus. Almain, &c. Datum Barchinonæ ſub noſtro ſigillo ſecreto, ſeptima die Ian. anno à Natiu. Dom. 1377.*

**XXIX. Greg. confirmat ſuũ decretum de libris Lulli [illegible] exurendis.**

Hæc Petrus Rex flagitabat à Gregorio Pontifice. Cæterum is tantum abeſt, vt decretum de libris Lulli reuocauerit, vt etiam illud authoritate Apoſtolica iterum confirmauerit; quod nulla tergiuerſatione poſſent hi libri, aut negari eſſe Raymundi, aut affirmari à quoquam vitiati fuiſſe. Itaque Lulliſtæ, in Gregorium odio concepto flagrantes, illum, ac Petrũ Oſtienſem, & XX. Theologos eorum librorum cenſores, ignorantiæ accuſabãt, quaſi ſublimen Lulli doctrinam non intellexiſſent, & ideo innocentem præiudicato animo prædamnaſſent, adeoque ipſi à vero aberraſſent.

**XXX. Eymericus contra Lulliſtarum calumnias coram Clem. et Benedicto libros Lulli ob contentos in illis hæreticales errores iure fuiſſe damnatos probat, et cauſam ſuam luculenter agit.**

Cum vero Gregorius anni ſubſequentis initio fatis conceſſiſſet, & Clemens Gebennenſis Antipapa pro Pontifice ſe gereret, illi, quod Gregorio incommodare iam non poſſent, in Eymericum Inquiſitorem, qui primus Sedi Apoſtolicæ Raymundi errores retexerat, odium conuerterunt, ſeu potius magis inflammarunt, atque apud Clementem illũ æquitatis poſtularunt: quaſi is non ex æquo Lulli memoriam condemnaſſet, & vel vitiata ab alio Lulli volumina protuliſſet; vel non tot errores quot numerabat, in eis reperiſſet. Tres tantum, ex ducentis defuiſſe, illi tunc potuerunt, idque ex circumciſo, ſeu tranſſcripto, correctoque libro, cui *Philoſophiæ amoris*, titulus eſt, demonſtraſſe: cum tamen Eymericus ex ipſiſſimo authographo Raymundiani libri, & hos tres ſingulariter, & alios CXCVII. ex aliis eiuſdem voluminibus coram Clemente oſtenderit, deque iiſdem erroribus, libro cui titulum præſcripſit, *Expurgate vetus fermentum*, ſcripto Clementi oblato, cauſam ſuam aduerſus Lulliſtas adeo luculenter egerit, vt manifeſte, Lullum, erroris & hæreſeos, coram Clemente conuicerit. Namque Clemens, cum librum Eymerici in publico Conſiſtorio oblatum accepiſſet, illum Cardinali S. Angeli examinandum dedit: atque is ex fide omnia Clementi retulit, affirmans, articulos Lulli, à Gregorio Pontifice damnatos, non ex Fidei Orthodoxæ ſenſu, in eius libris non vitiatis ſcriptos, erroneos & hæreticos eſſe. Actum Auinione, die 20. Maii, anno Dom. 1390. Cum iam Petrus Rex Arragonum, qui Eymericum inquiſitorem, in gratiam Lulliſtarum, officio mouerat, & Regno excedere compulerat, ante duos fere annos diẽ ſuum obiiſſet. Scripſit inſuper Eymericus contra Lulliſtas Dialogum; eumque primum Clementi, deinde Benedicto Antipapæ obtulit, conſtantiſſimis demonſtrationibus oſtendens, Raymundi Lulli libros erroribus & hæreſibus ſcatentes, iure merito à Sede Apoſtolica, poſt multam diſquiſitionem damnatos fuiſſe. *Franciſcus Diagus hiſt. Aragon. lib. 1. c. 26. & 27. & lib. 2. c. 91.*

## IESV CHRISTI Annus 1378.

### CLEMENTIS PAPÆ XI. Ann. vlt. CAROLI IV. ROM. IMP. Ann. vlt.

**I. Obitus Pontif. Greg. XI. Romæ.**

VIGESIMASEXTA die Martii huius anni, circa ſecundam noctis horam, Romæ in palatio Apoſtolico Sanct. Petri, Gregorius XI. intolerabili veſicæ dolore, extinctus eſt: cum pacificandæ Italiæ, vrbibuſque ad Pontificium Imperium reuocandis, inuigilaret. Ipſa ipſiſſima hora, Florentiæ, ad portam S. Fridiani oppeſſulatam, aliquis genius pulſans, Florentinis, quid tandem ad extremum in Conuentu Serezano de reliquis conditionibus pacis decerneretur, expectantibus, renunciauit, interrogatus (nam veredarium aliquem ex voce putabant: cui aperire portam noluerant) quis eſſet; *Paciferum ſe eſſe; oliuumque afferre.* Cumque aperto oſtiolo, neminem reperiſſent, populuſque ad mentionem pacis euigilans exultaret, compertum eſt poſtea, hac ipſa hora Pontificem obiiſſe. Luxerunt eum Romani tanto cum gemitu, quanto neminem Pontificum, quod Vrbem ingentibus beneficiis exornaſſet, ac omnes loco filiorum dilexiſſet. Fuit Gregorius, liberalis, honorabilis & verecundus. Omni petenti ſe tribuebat, neq; ſciebat aliquid iuſte poſtulanti denegare.





In publico & priuato maximus eleemoſynarius, & valde compatiens omnibus afflictis. Fratres & nepotes nullis titulis inſigniuit: neque aut eorum precibus emolliri, aut difficultate rerum deterreri potuit, quominus Sedem Pontificiam in Vrbem referret. Romani poſt annos CC. VII. memores beneficiorum ab eo acceptorum, hoc ei Epitaphium anno Domini 1584. poſuere.

CHRISTO SALVATORI.

**II. Greg. XI. Epitaphiũ.**

*Gregorio XI. Lemouicenſi, humanitate & doctrina, pietateque admirabili. Qui vt Italiæ ſeditionibus laboranti mederetur, Sedem Pontificiam Auenionem diu translatam, Diuino afflatus numine, hominumque maximo plauſu, poſt annos LXX. Romam feliciter reduxit. Pontificatus ſui Anno VIII. S.P.Q.R. tantæ religionis & beneficii non immemor, Gregorio XIII. Pont. Opt. Max. comprobante, anno ab Orbe redempto M.D.LXXXIV.*

Sepultus eſt Gregorius in Diaconia S. Mariæ in via noua. Cuius Eccleſiæ Diaconus ante Pontificatum extiterat. *Maſſonius & Ciacconus in Greg. XI. Theodoricus Niem, Baldus & S. Antonin.*

**III. Obitus Carol. IV. Imp. et eius ad filium ante obitum monita.**

Die ſequenti, videlicet XXVII. Martii, Carolus IV. Romanorum Imperator, Gregorium in fata ſecutus eſt; cum primum Wenceslaum filium ad ſe accitum monuiſſet, ne per ignauiam & negligentiam, exemplo Sardanapali Imperium partum fœdaret: neve ſe aut voluptatibus improbis, aut commeſſationibus & compotationibus inquinaret. Quod *luxurioſa res eſſet vinum & tumultuoſa ebrietas: ac nemini magis quam principibus turpis & dedecoroſa: vt quæ faciat impotes ſui Principes, & propinet omnibus deridendos vſque ad contemptum. Cuius ea ſit vis, vt dominis in ſubditos authoritatem adimat: qua adempta, perit ſimul obediendi parendiq; obſequium: ac vinolentiam violentia plerumque conſequatur.* Conditus eſt Carolus in Diui Viti templo; cum vltimum finem vitæ, cum ſumma gloria actæ clauſiſſet. *Dubrauius hiſt. Bohemiæ lib. 22.*

**IV. Vxor Carol. Imp. habitum tertii Ordin. Min. ſuſcipit.**

Mortuo Carolo Imperatore, relicta eius vidua Eliſabetha Imperatrix, habitum tertii Ordinis Minoritarum ſtatim induit, in quo reliquum vitæ, magna cum ſanctitatis opinione exegit. *Chron. Franciſcan.*

**V. Inſigne apud Aſſiſium miraculum.**

Circa quod tempus, iſtud inſigne miraculum apud Aſſiſium accidiſſe ferunt. *Aliquis mercatorum fœdiſſima lepra percuſſus, cum ab ea ciuitate, ne cæteros inficeret, excluſus fuiſſet, Fulginaum & inde Peruſium conceſſerat, vt apud aliquem amicorum diuerteret. Nullus recipere ſuſtinebat, quod luem illam contagioſam metuerent, ne alicui eorum noxæ eſſet. Aſſiſium ſub crepuſculum reuertens, cum quendam reperiſſet ſtraminis faſcem ligatum, in ciuitatem ferentem, vna cum fune ab eo emit. & mox nocte intempeſta, murum cœnobii Franciſcanorum tranſiliens, cuidam arbori funem appendit, vt infelix deſperatione adactus ſeſe ex eo ſuſpenderet. Dum collotenus laqueum nexuiſſet, & tantum volebat ſe demittere, Diuus Franciſcus, inſolitum lumen ex ſtigmatibus diffundens illi apparuit, & ecquid locum ſuæ dormitionis tam infami ſcelere contaminaret, curue de benignitate diuina ſpem depoſuiſſet, obiurgauit: ac pœnitentia ſalutari miſerum correptum, à lepra mundauit.* Chron. Franciſc. libr. 9. c. 32.

**VI. Monſtrum in Ciuitate Traiectenſi.**

Eodem anno, circa feſtum translationis S. Martini, monſtrum accidit in ciuitate Traiectenſi. Natus eſt infans, qui ante diem quadrageſimum ætatis, diſerte locutus eſt, præter alia plura, iſta verba: *Aperite ianuam, pater meus adeſt.* Parentes pueri exiſtimantes à malo dæmone illum moueri, exorciſtam ſacerdotem euocarunt, qui per ſolennia Eccleſiæ adiuraret, an quiſpiam nocens in corpuſculo deſideret. Venit confeſtim ille, & poſtquam ſacram hoſtiam ritu conſueto immolaſſet, vt erat ſanctiore cultu indutus, orationes præſcriptas ſuper infantem recitauit. *M. Chron. Belgicum.*

**VII. Inſtitutio Ord. Canon. Reg. S. Saluat. in agro Senen.**

Per id temporis, Ordo nouus Canonicorum Regularium S. Saluatoris in agro Senenſi, à Stephano, & Iacobo Andrea Senenſibus Ordinis Eremitarum profeſſis, initium ſumpſit, & breui temporis ſpatio, multis in locis magno pretio eualit. Eam congregationem Greg. XI. approbauit, ac inter Canonicos Regulares Beati Auguſtini, inſigni priuilegio annumerauit. Fuerunt in ea Religione, viri doctrina & religione, ac inſigni ſanctitate clariſſimi. Scopotinos vulgus appellat. Tunicam albam induunt, deinde ſuper camiſiam lineam, ſcapulare album ferunt; Clauſtralium aliorum in morem viuentes. *Supplem. Chron. lib. 14.*

## BREVIARIVM SÆCVLI XIV.

*Summi Pontifices.*

Bonifacius VIII. Caietanus Agnagninus, Sedit ann. 8. menſ. 9. dies 19.
Clemens V. Vaſco, Sedit an. 8. menſ. 10. d. 16.
Ioannes XXII. Cadrucen. Sed. an. 18. menſ. 3. d. 28.
Benedictus XII. Sauardun. Sed. an. 6. menſ. 4. d. 6.
Clemens VI. Lemouicen. Sedit annos 10. menſ. 7.
Innocentius VI. Lemouic. Sed. an. 9. menſ. 8. d. 26.
Vrbanus V. Griſacen. Sedit an. 8. menſ. 1. d. 17.
Gregorius XI. Lemouic. Sedit an. 7. menſ. 2. d. 26.

*Reges & Imperatores Romanorum.*

Albertus Auſtriacus Rex Roman. regnauit annos 8. menſ. 9. dies 5.
Henricus VII. Imp. imperauit ann. 3. menſ. 8. d. 6.
Fridericus Auſtriacus Rex Roman. regnauit ann. 15. menſ. 11. dies 27.
Carolus IV. imp. imperauit an. 23. menſ. 10. d. 20.

*Concilia.*

Viennenſe Concilium Generale, ſub Clemente V. in quo Templarii damnati.
Prouincialia quamplurima.

*Patres, quorum doctrina Nouatoribus contraria.*

1. *De Miſſæ officio, ritibus, & cæteris ſolenniis.* Radulphus Tungren. Ioannes Teneramundanus, Guillelmus Antiſiodoren. & reliqui Scholaſtici huius temporis. Pachymeres Græcus in Eccleſiaſticam Hierarchiam Dionyſii.
2. *Gratiam Dei fidem & iuſtificationem* docent. Pachymeres lib. 12. hiſtor. Nicephorus Calixtus lib. 11. c. 5. Scholaſtici in 2. diſt. 26. Cantacuzenus Apol. 4. & 11.
3. *Euchariſtiæ veritatem, tranſſubſtantiationem & ſacrificium.* affirmant. Niceph. Calixtus multis locis, ſed præcipue lib. 16. c. 36. & lib. 12. c. 41. lib. 11 c. 14. lib. 13. c. 7. & 19. Pachymeres in Eccleſiaſt. Hierarch. c. 3. de Synaxi & libr. 4. & 5. hiſtor. Aluarus libr. 2. de planctu animæ c. 52. Herueus in c. 7. ad Hebræos. Ioannes de Teneramunda libro de Sacramento altaris. Scholaſtici omnes lib. 4. ſentent. diſt. 10. & ſeqq. Ludolphus Carthuſ. parte 2. vitæ Chriſti capit. 56.
4. *Baptiſmi effectum, neceſſitatem, ceremonias, alienam fidem.* aſtruunt, Pachymer. ca. de Sacramento illuminationis, Cantacuzen. Apol. 4. Nicephorus Calixtus lib. 7. c. 33. lib. 14. c. 12. 17. lib. 16. c. 35. Scholaſtici omnes lib. 4. ſent.
5. *Pœnitentiam & eius tres partes.* oſtendunt. Pachymeres paraphr. in epiſtol. Areopag. ad Demophilum, & lib. 4. hiſt. Nicephorus Calixtus lib. 11. c. 34. & lib. 12. c. 28. & Scholaſtici in 4. Sent.
6. *Claues Eccleſiæ & abſolutionem.* demonſtrant. Pachymeres in Eccleſiaſt. Hierarch. c. 5. & epiſtol. ad Demophilum.

mophilum, Niceph. Calixtus lib.12.c.28.& 41. Niceph. Gregoras lib. 10.c.vlt. Cantacuzenus in Apologiis. Auguſtinus Triumphus lib. de poteſtate Papæ. Scholaſtici in 4. Sent.

7. *Confirmationem, extremam Vnctionem & reliqua Sacramenta.* Pachymeres libr. 11. hiſt. & c.4.& 5. Eccleſ Hierarch. & Scholaſtici in 4.

8. *Liberum arbitrium, bona opera.* Cantacuzenus contra Mahometem. Nicephorus Calixtus libr. 1. cap. 3. Sententiarii in 2. diſt. 25.26.28. Paulus Brugen. in Biblia.

9. *Primatum Sedis Apoſtolicæ.* Ioannes Cantacuzenus & Ioannes Palæologus Impp. in formula fidei. Barlaam Monachus in epiſt. ad Græcos. Pachymeres lib. 5. hiſt. Nicephorus Callixtus libr. 4. c.38.& libr. 9. c 37. Nicephorus Gregoras lib. 10. cap. vlt. Guido Carmelita in libr. de hæreſibus. Auguſtinus de Ancona lib. de poteſtate Eccleſiæ. Herueus lib. de poteſtate Papæ. Aluarus de planctu Eccleſiæ in proœm. & lib. 1. c. 6. 13. 36. 37. 68. Durandus in 4. ſent. diſt. 14. q. 5. Carol. IV. Henricus VII. Impp. in litteris.

10. *Sanctorum preces, ſuffragia, inuocationem, reliquias, imagines, feſta.* Niceph. Gregor. lib. 9. c. vlt. Cantacuzen. Apolog. 3. contra Mahometanos & orat. 3. contra eoſdem. Pachymeres libr. 4. & 6. item 9. 11. 12. & hiſt. Nicephorus Callixtus paſſim. Sed præcipue lib. 7. c. 33. 34. & in Eccl. Hierarch. libr. 14. c. 2. Sent. lib. 4. & plures alii.

11. *Purgatorium & ſuffragia pro defunctis.* Pachymeres in Eccleſ. Hierarch. c. 7. de dormientibus. Nicephor. Callixtus lib. 8. c. 31. Nicephorus Gregoras libr. 3. hiſt. & lib. 9. Ludolphus Carthuſian. c. 20 Sententiarii in 4. d. 45.

12. *Abſtinentiam à certis cibis, ac ieiunium Eccleſiaſticum, præſertim Quadrageſimale.* Ludolphus 1. part. vitæ Chriſti c. 22. Durandus de S. Portiano in 4. ſent. diſt. 15.

13. *Cœlibatum cleri, vota, & cerimonias profeſſionis Eccleſiaſticæ ac religioſæ.* Durandus in 4. diſt. 37. q. 1. 3. Nicephorus Gregoras lib. 7. hiſt. Ludolphus Carthuſian. c. 64.

14. *Eccleſiæ Romanæ authoritatem, erroriuq; immunitatem in eius traditionibus ac decretis.* Barlaam Monachus in epiſt. ad Græcos. Auguſtin. Triumphus paſſim. Durandus in 3. ſent. diſt. 25. q. 2. ad 1. Ægidius Romanus paſſim. & alii.

*Hæretici huius temporis.*

Beguardi, Beguini, Fratricelli, Templarii, Dulcinus, Iacobus Iuſti & Bononatus, Michael de Cæſena, Marſilius Patauinus, Ioannes Iandunus, Guillelmus Okam, Lollhardus Waltherus, Ioannes de Poliaco, Petrus Cugnerius, Richardus Armachanus, Bertholdus Borbachus, Bartholomæus Ianouezius, Turelupini ſeu Cynici, Ioannes Wicleſus, Flagellantes.

*Schiſma.*

1. A Ludouico Bauaro, qui Petrum Corbarium Antipapam Ioanni XXII. oppoſuit, & cum Ioanne XXII. Benedicto XII. Clemente VI. dimicauit.

2. A Græcis renouatum; cui tollendo, Innocentius VI. Vrbanus V. & Gregorius XI. operam poſuere non infelicem.

F I N I S.



# INDEX

# IN TOMVM DECIMVMQVARTVM ANNALIVM ECCLESIASTICORVM, CVIVS PRIOR NVMERVS ANNVM, POSTERIOR PARAGRAPHUM DENOTAT.

## A.

Abbas Ciſtercienſis Regi Galliæ inique agenti non conſentiens, captiuus detinetur. 1303.5
Abbas Ordin. Ciſtercienſ. fit Pont. Rom. 1334.4
Abbates aliquot excommunicantur, & quare. 1324.15
Abbati Ciſtercienſi epiſtola ſcripta à Clemente V. Pap. de cogenda Synodo vniuerſali. 1310.8
Abbatis cuiuſdam Germani petulantia & maledicta, in Ioann. XXII. 1318.5
Abdieſu Babylonius Patriarcha monachus Concilio Tridentino interfuit. 1330.21
Abomeſicus Maurorum rex in Hiſpania cum ſuis trucidatur. 1339.10
Abominabilis templi prophanatio. 1377.20
Actius Vicecomes Mediolanenſibus Imperii Vicarius præficitur à Ioanne Pont. 1330.15 Miraculoſam de Ioanne Boemiæ rege victoriam ope S. Ambroſii reportat. 1330.16
Acindynus Græcus cum Balaam monacho contra Græcos ſchiſmaticos diſputat. 1337.8
Adam monachus Vallis Sarnarii terribilem dæmonum viſionem videt. 1301.8
Adam Epiſcopus Herefordenſis à Rege Angliæ falſo accuſatus, capitur & omnibus bonis ſpoliatur 1324.20. agit contra regem apud reginam. ib. 21
Adam Archimandrita monachorum Chaldæorum Archidiaconi Patriarchæ Babylonis edit commentarium de conciliatione fidei Orientalis Eccleſiæ cum Romana. 1330.2[illegible]. eius ſermo de fide Catholica ad fratres ſuos Chaldæos. ibi. 35. eiuſdem ſermo contra hæreſes Rom. fidei contrarias. ibid. 42
Adulterorum inſignis pœna in aula Philippi regis Galliæ. 1313.22
Adulterium principis ab vxore eius in pellice punitum. 1353.29
Ægidius Columnius Auguſtinianus vir ſanctus & doctus. 1316.16. claret ſcriptis & miraculis. ibi. eius epitaphium & diſcipuli. ibid.
Agnes ſoror Irenes Imperatricis valde pia. 1300.18
Agnes Lodouici Bauari filia monialis valde pia. 1337.16
B. Agnes Politiana valde ſancta. 1300.33 ingenti coruorum examine vexatur a Sathana, ibi. loco lupanaris templum B. Virgin. extruit. ibid. totos quindecim annos pane & aqua ſemel in die victitat. 1317.1 varias habet viſiones. ibid. 2. accipit ſanctam communionem ab angelo in ſolitudine. ibid. 3. in morbo diuinis contemplationibus recreatur. ibid. 4. eius in pauperes liberalitas. ibid. 5. variæ Eccleſiæ ab ipſa ædificatæ. ibid. obitus. ibid. miracula. ibid. canonizatio & eius rei diploma. ibid. 6 mortua Carolum IV. Imperator. aſpicit. ibid.
S. Albani interceſſione puella mortua in Anglia reuiuiſcit. 1344.14
B. Albertus Germanus Dominicanus moritur. 1365.15
Albertus Habſpurgenſis Rex Rom. deſignatus à Bonifacio VIII. excommunicatus. 1303.14
Albertus Rex Roman. occiſus, & quis exitus percuſſorum eius 1307.5
Albertus Brixienſis Dominicanus vir ſanctus floret. 1314.29
B. Albertus Beſutius Confeſſor moritur. 1359 19
Albi Monachi quando & à quibus inſtituti. 1318.13. approbantur à Ioanne XXII. ibi. 14
Alexander Speiring, Philippi Ducis Burgundiæ & Comitis Flandriæ Conſiliarius quomodo diuinitus perierit. 1374.12
Alexandria à Chriſtianis capta, ſed relicta. 1365.4
Alexandri IV. Pont. ad Soldanum Perſarum hortatoria ad Chriſti fidem ſuſcipiendam epiſtola 1340.13
S. Alexii Falconerii res geſtæ & obitus. 1310.2
Algezira Hiſpaniæ vrbs Mauris erepta 1344.8
B. Algothi Franciſcani vita & ſanctitas. 1345.18
Alphabetum aureum Ioannis Thauleri. 1355.13
Alphonſus Arragonius Mauros inſigni prælio vincit. 1328.32. nouam militiam contra Saracenos excogitat. 1331.13. cum vxore auguratur. ibid. Auinione Pontificem conuenit. 1339.9
Alphonſus Caſtellæ rex inſignem de Mauris victoriam reportat. 1330.65. contra illos infœliciter pugnat. 1333.10. item 1339.1[illegible] valde anxius eſt de rerum ſtatu. ibid. fructus Eccleſiaſticos inuadit vnde & redarguitur à Pontif. ibid. 11. victus à Mauris confirmatur à Pont. 1340.16. Tariffam liberate conatur, & inſignem de hoſtibus victoriam reportat. ibid. decimis Eccleſiaſticis iuuatur à Clemente VI. 1342.21 ipſius de Mauris victoria. 1344.8. Heracleam obſidet. 1349.11. moritur. ibi. 12
Amadeus IV. Sabaudiæ Comes moritur. 1323 21 eius viſio, ibi. inſtituit collegium ſex infantium Cluniaci. ibi.
Amadeus V. Sabaudiæ Comes moritur. 1342.33
Amadeus VI. Sabaudus res nouas in Græciam parat. 1343.22
S. Ambroſius in equeſtri ſchemate in aere viſus Actio victoriam tribuit 1330.16 item Luchino Vicecomiti Mediolanenſi. 1337.21
Agnania varie punita ob Bonifacii Pont. captiuitatem. 1303.9
Annales inter Angl. & Gall. Reges induciæ. 1374.11.
Anathematis ſententia in omnes Matthæi Vicecomitis aſſeclas. 1321.11
Andreas Dandalus Venetorum princeps Pontifici victoriam de Turcis ſignificat. 1344.4
Andreas Seramita & Guilelma Mediolanenſes hæretici 1300.12. eorum horrenda turpitudo. ibid. capite damnatur. ibid.
B. Andreæ Seruitæ vitæ inſtitutio virtutes obitus. & miracula. 1315.14
B. Andr. Corſini, Epiſcopi Feſulani, Ordin. Carmelit. vita, parentes, obitus, miracula canonizatio & eius diploma. 1373. 7. 8. 9. & ſeqq.
Andreas Hungariæ regis filius Ioannam Calabriæ Ducis filiam vxorem ducit cum cõſenſu Pont. Rom. 1333.7. fit Siciliæ Rex. 1345.1. à coniuratis laqueo ſuffocatur. 1345.3. quomodo id factum ſit conſcia vxore Ioanna. ibid. paulo poſt. 4 eius epitaphium & exequiæ. ibid. 6
Andreas ciuis Senenſis in S. Franciſcum Senenſem contumelioſus, infirmitate percutitur: quam non recipit, niſi voto facto ipſi ſancto. 1316.21
Andreas Duratii Dux ambitioſus Siciliæ regnum affectat. 1345.1
Andronicus Græcorum Imper. Theodorum filium Italis mittit. 1306.19. à Clemente V. excommunicatur. 1307.1. Gibellinis Pontificis hoſtibus ſubſidium mittit. 1320.5. à filio oppugnatur. ib grauiſſimo morbo liberatur per aquam fontis B. Virg. 1328.41. moriturus petit habitum monaſticum ib. 45. 1332.1

Andronicus iunior ope S. Demetrii pedis ſanitatem recuperat.1328.40.eius in parentem inſignis pietas. 1326. 22. in Marcum calumniatorem clementia.1329.28. eius rei præmium.ibid.30.à Turcis cladem accipit.1330.64.moritur. 1341.12
Angela à fratre ad vitam reuocata aſperrimam agit vitam. 1300.32
B.Angeli Portaſolii Ord. Præd. ſanctitas & mors. 1334.7
Angelus reliquias S. Ioannis Baptiſtæ F.Petro de Aluna cuſtodiendas tradit. 1325.22
Angelus Aciaiolus Florentinus Epiſcopus Auinionem citatur.1346.30.quis fuerit.ib. 31
Angliæ Regis Legati miſſi ad Clementem V. contra Robertum Archiepiſcopum Cantuarienſem. 1306.6
Angliæ afflictus ſtatus.1310.20 in ea horrenda fames & peſtis. 1314.7
Angli innouant decretum contra immunitatem Eccleſiaſticam.1343.7.eorum querelæ ad Pontificem. ib.
Annibaldus Cardinalis Legatus Apoſtolicus grauiſſimam perſecutionem patitur.1350.3.veneno extinguitur. ibid.
Antilulliſtarum ad memoriale comprobationis articulorum Lulli oblatum ſacræ inquiſitioni reſponſio. 1372.29
Antilulliſtæ quibus rationibus veritatem vitæ Raym Lulli in dubium vocent. 1372.25
Antiſtites Germaniæ Lodouicum Bauarum Benedicto Pontifici conciliare ſtudent. 1338.1.
eorum ad Pontificem epiſtola. ibid.
Antonia Ducis Audriæ filia, Friderico Trinacriæ Regi deſponſa, moritur. 1373.29
Antonii Viterbienſis pius obitus. 1309.26
Antonius Grimaldus Genuenſium contra Venetos Dux, nimis ſibi confidens inſigni clade afficitur. 1353.8
Fr.Antonius Paccouius Dominic. occiditur. 1375.15.qualis fuerit.ib.16.à martyrio miraculis claret. ib.
Apparitio S.Auguſtini. 1326.18. item S.Ambroſii. 1330.16
Apologia F. Michaelis Cæſenatis Minoritarum Generalis contra Ioannem XXII cui reſpondetur à Gerardo Odonis Generali 1331.1
Apocaucus Dux Græcus Imperium affectat. 1342.28. falſas ſub alieno nomine literas ad Pontificem mittit, ibid. eius dolus & fraus.ibid impoſturæ ſuæ pœnas luit.ibid, aliæ eius fraudes. ib.30
Aquarum maxima inundatio 1306.20
Aquenſes cum Lud. Bauaro ſentiunt. 1346 8
Argenta Archiepiſcopo Rauennat. reſtituta. 1344.20
Archiepiſcopatus ob cereuiſiæ defectum à quodam repudiatus. 1300.22
Aretini Robertum Siciliæ Regem ſibi præficiunt, ſed certis conditionibus. 1315.4. eorum Epiſcopus excommunicatur.1326. 2
Ariminum Roman. Eccleſiæ ſeruatum 1326. 5
Armeniorum ſchiſmaticorum hæreſes. 1318. 16. ab hæreſibus & gentiliſmo conuerſi ibi.17.1330.56. Rex Legatum mittit ad Pont.1338.21. item anno 1341.9. eorum varii errores. ibid.
Armeni ad abiurandos ſuos errores & Catholicæ religionis amplexum inuitantur à Benedicto XII. 1341.9
Arnaldus Raſſachius Archiep. collector decimarum in Sicilia, Sardinia, Corſica & aliis inſulis. 1313.32
Arnaldus Montaneſius quondam minoritarum Ord. profeſſus, fit hæreſiarcha. 1372. 30
Arnandi Villanouani hæreſiarchæ origo & dogmata. 1310.14
Aromata, ſericum & gemmæ à Venetis in Italiam inuectæ. 1339.7
Arragoniæ Regis filius D. Franciſci inſtitutum amplectitur. 1367.11
Arragoniæ reges quo titulo Siciliam poſſideant 1338.15
Arragonum & Maioricarum reges diſſidentes à Pontifice ad concordiam inuitantur. 1342.20
Arragonii regis ambitio & fallacia. 1344.9. Legatio ad Clementem Pont. 1345.12
Articuli à Bonifacio VIII. Pontif. ad Philippum regem Galliæ miſſi. 1303.4
Articuli noſtræ fidei. 1339.34
Ateſtini ob bellum Patauinis indictum excommunicantur.1319.4. pacem inire cum Pontifice renuunt.1323.6. auerſi à Ludouico Pontifici reconciliantur. 1327.14
Auguſtiniani reformantur à Raynaldo Epiſcopo Rauennæ. 1321.15
Auguſtinianus quidam à ſuo Generali ferreæ caueæ incluſus & cur 1360.7
Auguſtinus Teranus Auguſtinianus. 1308. 23. eius admiranda vocatio, ſanctitas & miracula ibid.
Auguſtinus Vngarus Zagrabienſis Epiſcop. Ord.Prædicatorum miraculis clarus.1332. 16
S.Auguſtini admiranda apparitio. 1326.18
Auinione ad inuocationem B. Mariæ Virg, quidam igni adiudicatus illæſus abit.1320 31
Author conqueritur Bonifacii VIII epiſtolam ad regem Galliæ Philippum Pulchrum impietatis eius indicem ex regiſtro à quopiam eſſe eraſam. 1301.7
Authores ſchiſmatis & calumniarum in Ioannem Pont. 1330 8
Auxilia Principum contra Bauarum implorat Ioannes Pontifex. 1324.5
Aychardus Mediolanenſis Archiep. Vicecomites perſequitur ex mandato Pont.1324. 13
Aymericus Archiep. Rauennæ 1322.21 conſtanter agit contra Lodouicum Bauarum, 1328 20. monet Eſtenſem vt Argentum Eccleſiæ oppidum interceptum reſtituat. 1324.12
Aymericus Cardinalis Prorex ſeu Vicarius Siciliæ nomine Pontificis. ibid.


B.


Babylonius Patriarcha Romanæ Eccleſiæ reconciliatur ſub Paulo V.1330.22.qua occaſione id factum ſit. ibid.
Balduinus Archiep. Treuirenſ. 1307.10
Balearum Rex Aragonio ſe dat, & ab eo decipitur. 1344.9. ad Pontificem profugit. ibid.
Banda noua militia in Hiſpania contra Saracenos. 1332.13
S.Barbaræ corpus à Sultano Turcico impetratum 1366.15
Barducius vir ſanctus Florentiæ moritur.1331 15
Barlaam monachus & Hieracenſis Epiſcopus.1309.30.eius literæ ad Alexium Calochetum pro reductione ſchiſmaticorum. 1330. 59. exagitat ſolitarios monachos Græcos.1331.12.ad eum legatio à ſolitariis ſeu quieſcentibus.ibid. eius ad legatos reſponſio. ibid. qualis fuerit, ſchiſmaticus an Catholicus.ibi.13.eius de vnione Græcorum cum Rom. Eccleſia epiſtolæ. ibid. item de proceſſione Spiritus ſancti, ibi. & 1333.12.
à Benedicto XII. in Orientem ad ſchiſma tollendum mittitur.1337.8. eius cum Gregorio Palama altercatio.ibid. Græcorum in eum conuitia. ibid. eius doctrina Catholica. ibid. quot Synodos Græci eius cauſa congregauerint.ibid.de eo quorundam doctorum errata.ibid. ex Oriente A uinionem ad Pontif. redit. 1339.18. petit auxilium pro Græcis à Pontifice aduerſus Turcas & Concilium.ibid.22. quid apud Pont. egerit latius explicatur.ibid.24. eius oratio habita in Conſiſtorio pro negotio vnionis Græcorum cum Rom. ibid.25. accipit reſponſum à ſacro collegio. ibid.26. replicat eique ſimiliter reſpondetur. ibid. 27.nouæ eius rationes & ad eas reſponſio. ibid. 28.29. Conſtantinopolim reuerſus cum Græcis de viſione Dei decertat. 1341. 12
eius cauſa Synodus indicitur & re infecta diſſoluitur. ibid.
Barladori Florentini, iniqua ad Deum appellatio. 1376.16
Barnabas ſeu Barnabos Vicecomes hoſtis Pont. excommunicatur.1356.30. Pontifici & Imperatori illudit.1363.10. abſoluitur. ibid. iterum tumultuatur. 1366.1. quibus pactis Pontifici reconciliatus fuerit. 1364. 10. pacem impetrat certis conditionibus. 1368.3. iterum Italiam turbat, & à Greg. XI. excommunicatur.1371.8. in agro Ceſſio propugnaculum extruxit, Nicolao Ateſtino, aliud pari magnitudine opponente.1372.1. iterum Eccleſiæ illudere tentat. ibid.5. eius in ſubditos carnificina & tyrannis.1373.6. pacem cum nuncio Apoſt. init.1374.6. progreſſus copiarum Eccleſ. contra eundem 1372.6
B. Barnabæ reliquiis donantur Florentini. 1311.22. ope Genuenſes vincunt Mauros. 1342.22
Baſileenſes Legatum Apoſtolicum interficiunt. 1325.1
Baſilica Lateranenſis combuſta & reſtaurata 1308.12
Bartholomææ Senenſis Ord. Seruorum vita & obitus. 1348.35
S.Bartholomæi Parui prædicationes & obitus.1318.16 Armenos conuertit. ibi.17
Bartholomæus Ianouczius hæreſiarcha & eius dogmata. 1359.9
Bauarus. Vide Lodouicus Bauarus. ib.
Begardi & Fratricelli. Ioann. Wicleffi hæreſim in German. & alibi diſſeminant, 1372. 7
Beguardorum & Beguinarum hæreticorum origo & blaſphemiæ. 1310. 12. error de Chriſti paupertate. 1332. 1. diſcutiendus committitur à Pontifice.ibid.2. quid de ea definitum in Comitio Peruſino. ibid. 3. errores, negantium Eccleſiaſtica Sacramenta.1372. 35. diabolicæ fraudes & ſuperſtitiones. ib.
Bellum inter Gallum & Anglum, eiuſque origo.1336.6. & 7. admodum calamitoſum, eiuſq; ſigna præſaga.ibi. 8. item inter Caſtellæ Arrag. & Luſit. Reg. 1357.1.& 1371. 31.inter Venetos & Ianuenſes.1373.3. & quare. ib.
Benamanius Rex Maurorum Alphonſum Regem Caſtellæ oppugnat. 1342.21
Benedictini reformantur ab Epiſcopo Raynaldo, Rauennæ. 1521.15
Benedictus XI. creatur Pontifex.1303.13. laudabili facto matrem ſuam ſplendide veſtitam repellit, & pannoſam ſuſcipit.ib.14. audit Legatos Patriarchæ Orientalium Chriſtianorum & Tartarorum. ib.16 pacem Hetruriæ reddere ſatagit. ib.17 expeditionem in terram ſanctam molitur. 1304.1.in Chriſtianos cum Saracenis confœderatos anathema ſtringit. ibid.2 Bonifacianam conſtitutionem temperat. ibid.4. moritur.ibid.6.7. eius animi magnitudo & conſtantia.ib.3. miracula, ib.6.
Benedictus XII. fit Pontifex ex monacho Ciſtercienſi.1334.4. diuinitus præmonſtratus.ibid.2. quid initio Pontificatus egerit. ibid.5. Legatos pro pace mittit ad Bauarum, ſed Fratricellos iterum excommunicat.1335.1.2. quid ipſis cum adhuc Cardinalis eſſet ſcripſerit.ibid.3. res vrbis & Italiæ curat.ibi.5. Ferrariam in Feudum concedit.ibi. homagium à Rege Siciliæ exigit. ibi. Eccleſiaſticis pecuniam imperat contra Saracenos.ibi.6. Mediolanenſes & alii confœderati ab eo abſoluuntur & Bauari Legati audiuntur.ib.7. Prælatos & Paſtores Eccleſiarum ad reſidentiam compellit. ib 8. ſcripta ſua de viſione animarum examinari imperat. ibid.
Beneficia non niſi dignis vult conferri, nec cognatos vult agnoſcere.ibid. 9. Siciliæ regnum in feudum conceſſum confirmat ib 1 . idem facit cũ Sardinia & Corſica.ib motus inter Anglos & Scotos ſola authoritate componit. ibid. 11. Legatos & iudices mittit in Poloniam.1335.14. cunctanter agit in cauſa Lod. Bauari. 1336. 3.& 5. pacem inter principes Chriſtianos facere curat. ib.7
Præfectum aulæ ſuæ ob proditionem ſuſpendi curat. 1336. 8. Fratricellos publicæ quietis turbatores ad cauſam dicendam euocat. ibid. eius Decretalis pro aſſertione dogmatis de viſione animarum. ibid.9. alia eius acta.ibid.12. legationem in Angliam mittit pro pace componenda. 1337.2 Bononienſes quoſdam ob violatum Legatũ Apoſtolicum excommunicat.ib.4. Boemiæ regem excommunicat ibid 6, Barlaamum monachum in Orientem ad ſchiſma tollendum mittit. ibid. 8. aulam reformat, ibid 9. Dominicanis non admodum æquus.ibid.10. Roberto Bauariæ Duci 10 ſam mittit, & pacem cum Lodouico optat.1338.2. legatos mittit ad Anglum pro pace, qui re infecta diſcedunt. ibid. 11. & 12 electionem Epiſcoporum ad biennium ſibi reſeruat. 1339.1. Vicarios vrbibus in citeriori Gallia imponit. ibid.2. tumultus in vrbe compeſcit. ibid. 3. diuerſa feuda concedit in Italia. ibid. reſcribit Eduardo Angliæ regi ſuper controuerſia Lodou. Bauari. ibid.4. Venetis poteſtatem dat commercia exercendi in Ægypto. ibid. 7, tres reges illum Auinione conueniunt & qui. 1339.9
Alphonſum Caſtellæ regem ob inuaſa bona Eccleſiaſtica redarguit. ibid. 11. indulgentias concedit contra Tartaros militaturis.ibid. 12. Eccleſiaſticos animat ad euulganda edicta contra Lod. Bauarum.ib. 15.petita à rege Daniæ concedere recuſat. 1339. 18. magnopore cupit Græcos cum Latinis vniri. ibid.22. proponit modum quo id fieri poſſit Barlaamo Abbati Græco.ib.27.liberalitas.1340.2. minæ in Lod. Bauarum ob quoddam factum. ibid.9. pacem inter Arragonios & Luſitanos facit. 1340.17. Senenſes arguit & cur. ibid.20. falſum Archiepiſcopum capi curat. ib.21. bonorum Eccleſiaſticorum curam habet. ibid. 22. eius ſtudium pro conciliatione pacis inter Anglum & Gallum.1341.1. Luchino titulum Vicarii Mediolanenſis permittit, & Vicarios diuerſis Italiæ vrbibus imponit.ibid.3. Romanis facultatem eligendi Senatorem concedit. ibid. 4. Legationem regis Caſtellæ audit ibid. 5. Nuncium in Sardinam & Corſicam contra bonorum Eccleſiaſticorum vſurpatores mittit. ibid. regis Poloniæ legatum contra Cruciſeros audit.ibid 6.ad Tartaros conuertendos Minoritas mittit,ibid.10. palatium Auinione Pontificibus addicit. ibid. 11. conſtitutionem edit de Patriarcharum ſurrogatione. ibid 16. moritur. 1342. 1. omnibus vitiis fuit infectus. ibid. doctorum & artium amator. ibid.
Ordinem Ciſtercienſem & alios reformauit. ibid.
Bernardinus Polentanus Rauennas hoſtis Eccleſ. diuina vindicta extinctus. 1350.5
B.Bernardus Senenſis ordinis Montis Oliueti conditor, vir ſanctus peſte obit, 1348.33 eius vita, ibid.
Bernardus Politianus Ord Prædicat. falſo inſimulatus de nece Imp. Henrici VII. defenditur. 1313.5
Bertholdi Korbachii præcurſoris Caluini errores.1359.4.mors. ib.
Bertrandus Patriarcha Aquilegienſis pro defenſione iurium Eccleſiæ occumbit. 1350. 25.claret miraculis poſt obitum. ib.
Bertrandus Burdegalenſis Epiſcopus vt Pontificatum Rom. adipiſcatur, regi Galliæ ſub aliquot conditionibus ſe obſtringit. 1305.1. fit Pontifex dictus Clemens V. ib. 2. Cardinales Lugdunum conuocat. ib. 3. vide Clemens V.
Bertrandus Cardinalis Ioannis Pontificis Legatus recuperat parmam & Bononiam. 1326.4 ſtipendium procurationis à Rauennatibus exigit. 1326. 21 Fauentinam vrbem deditione recipit. ibid. Bononiæ periculum capitis ſubit. ibid. 22. Bononia pulſus Florentinæ honorifice ſuſcipitur. 1334.6. Lodouicum opprimere valens negligit, & ob id male audit. 1327. 10. regno Siciliæ præficitur. 1346.18
Bertrandus Artuſius inter patricidas Andreæ regis Siciliæ primus. 1346.18
S.Birgitta Sueca floret.1362.7.origo ib. viſio de ipſius natiuitate. ib. trima perfecte loquitur.ibid. viſiones videt.ibid. nubit.ibi. eius continentia in matrimonio. ib. exercitia & miſericordia in pauperes. ib. cum marito Compoſtellam proficiſcitur. ibid. ordinem monaſticum inſtituit.ibid. Romam & Hieroſolymam ire iubetur. ibid. plura, eius viſio de Vrbano Auenionem redire volente. 1370. 2. Obitus & ſummarium illius vitæ, in diplom. Pont. Canonizationis repetitum. 1373.10
Bizarri de expugnatione Chii relatio. 1346. 21.
Blancæ Arragonum reginæ laudatiſſimæ obitus & liberi. 1310.21.
Blanca Borbonia Petro Caſtellæ regi nupta ab eo contemnitur. 1353.11.
Bocatii error de Iacobo Mola Templariorum Magiſtro exuſto. 1311.8
Boemiæ regnum penitus exhauſtum ad Germanos transfertur 1307.15. eius reges non à Moguntino ſed Pragenſi Archiepiſcopo conſecrantur. 1343.2
Boccanegrius Dux Genuenſium cultus diuini ſtudioſus. 1342.22
Boemundus Treuirenſis Archiepiſc. ſenio confectus coadiutorem accipit. 1362.6
Boleslaus Princeps Brigenſis in Sileſia moritur. 1342. 26. eius inſignis voracitas. ibid.
Bombardæ inuentio quando & à quo facta, & quomodo. 1365.16
Bonifacius VIII. ſeculare iubileum ſolemniter celebrat. 1300. 1. ſcribit encyclicam de ſolennitatis huius indictione.ibid. alio diplomate hoſtes Eccleſiæ ab indulgentiis excludit. ib. 2. quid cum prægnante vxore Agapeti Columnienſis. ibid. 5. Fridericum Arragonium diris deuouet & Siciliam interdicto ſubiicit.ib.6. barbarę crudelitatis abuſum in defunctorum corpora, abrogat ibid. 8. Hermannum Pongilupum Ferrarienſem, hæreſis conuictum exhumat & comburi facit. ib. 10. pro terra ſancta recuperanda ſollicitus eſt.ib.14. in Galliæ regem Philippum Pulchrum ſeueritas. ib.15. Carolum Comitem Andegauenſem contra Fridericum in Siciliam euocat. 1301.1 Wenceslaum Boemię regem coercet, 1302 1. Siciliæ pacem confirmat.ib.3. eius decretalis de vnitate Eccleſiæ.ib. 4. Fratribus Prædicatoribus officium inquiſitionis commendat. 1301. 10. Philippum pulchrum Galliæ regem excommunicat. 1303. 5 per proditionem captus liberatur, 1303.6. eius corpus integrum quando repertum. 1303.6. res geſtæ, ib.10. innocens pronunciatur in Concilio Viennenſi contra importunam inſtantiam Philippi regis Galliæ & aliorum calumniatorum. 1312.1
Bononia venditur à populo. 1350. 11
Pontifici reſtituitur & munitur, 1360.5
Bononienſium in Neapoleonem Cardinalem iniuriæ & furor. 1306.2. pœna excommunicationis.ib. ſubiiciunt ſe Beltrando Cardinali. 1326. 4. ſeditionem excitant. 1337.13. interdicto ſubiecti. 1338.17. magnis promiſſis factis abſoluuntur. 1340.5
Boſina vrbs Dalmatiæ conuerſa ope Gerardi Generalis Minoritarum. 1332.14
Boſonis Carthuſiani ſanctitas, res geſtæ, virtutes, miracula, & obitus. 1313.31
Britanni ſub Auguro militantes templa diripiunt ac Cæſenæ magnam ſtragem edunt. 1376.26
Brugis Flandriæ vrbe Franci necati. 1300 17 conuentus inter Gallum & Anglum reges de pace concilianda, indictus. 1371. 11 quid pro concordia inter Reges poſtmodum ſucceſſerit. 1374.14
Brugenſes Comitem Ludouicum capiunt, & ſacris interdicuntur. 1325.19
S.Brynolphi Epiſcopi Scarenſis in Suecia primordia, vitæ inſtitutum, obitus, & canonizatio. 1317.39. de eo Chriſti & B.Mariæ Virg elogium. ibid
Bulla aurea Caroli IV. cum Ordine procedendi inter Electores, per Titulos diuiſa. 1356.1
Titulus 1. Qualis debeat eſſe conductus Electorum, & à quibus.
2. De electione Rom. Reg. & iuramento Electorum dum ad electionem deuenire volunt.
3 De ſeſſione Treuirenſ. Colonienſ. & Moguntinenſ. Archiepiſc.
4. De Principib. Electorib. in communi, & de modo votandi ex officio cuiuslibet Electoris.
5. De iure Comitis Palatini, & Ducis Saxoniæ.
6. De Comparatione Principum Electorum ad alios Principes communes.
7. De ſucceſſione Principum.
8. De Regis Bohemiæ & Regnicolarum immunitate.
9. De auri, argenti & aliarum ſpecierum mineris.
10. De monetis.
11. De immunitate Principum Electorum.
12. De Congregatione Principum.
13. Reuocatoria priuilegiorum.
14. De his quibus vt indignis auferantur bona feudalia.
15. De Conſpirationibus.
16. Phalburgeriis.
17. De diffidationibus.
18. De forma intimandi Principib. Electorib. electionem Reg. Rom.
19. De forma Procuratorii mittendi per eum Principem Electorem, qui Nuntios ſuos ad electionem faciendam duxerit deſtinandos.
20. De vnione Principum Electorum & iurium eis connexorum.
21. De ordine proceſſionis inter Archiepiſcopos.
22. De ordine proceſſionis Principum Electorum, & per quos inſignia deportentur.
23. De benedictionibus Archiepiſc. in præſentia Imperatoris.
24. Leges aliæ promulgatæ in curia Metenſi per Carol. Imp. contra eos qui in vitam Principum Electorum attentauerint.
25. De officiis Principum in ſolemnibus curiis Imperatorum vel Reg. Rom.
26. De iuribus officialium, dum Principes feuda ſua ab Imperatore vel Rege Romanorum recipiunt.
Bulla Clementis VI. ad Patriarcham Armenorum. 1351.21
Burchardus Magdeburgenſis Archiepiſcopus à ciuibus ſuis crudeliter occiditur & inhumatus in carcere computreſcere permittitur. 1315.8


C.


Calendarium nouum Gregorianum miraculo confirmatur. 1330.60
Caletum ab Anglo obſidetur. 1346. 10
Caletianorum ciuium pietas & calamitas.ib. 11.
Caluini mendacium & calumnia in Ioann. XII Pontif. 1331.11.& 1334.3
Caluiniani violant ſepulchrum Clementis V. Pontif. 1314.10
Calumniatores Bonifacii excuſantur à Clement.V. 1312.1
Cameracum ab Edouardo Anglo obſidetur, 1338.12
Relinquitur. 1339.6
Canis Scalanus Veronæ Dominus, per

miſſione Pontificis. 1324.28. Vicentiam & Patauium occupare ſtudet. ib.
Vir aſtutus & ambitioſus. 1327.4
adhæret Lodouico Bauaro. ib.
& paſſim Vicentinis grauis eſt. 1324.12
Canonicorum Regul. S. Saluatoris in agro Senenſi inſtitutio. 1378.7
Cantacuzenus ex Imperator. Conſtant. pro primatu Sedis Apoſt. ſtrenue adlaborat. 1375 1
Canuenſes Canonici in Pomerania non admittunt Epiſcopum à Pontifice deſignatum. 1331.10
Capita grauaminum ab Edouardo Angliæ Rege Eccleſiis & clero illatorum. 1306. 6.
Capita præcipua Templariorum horrendæ idololatriæ, hæreſis, blaſphemiæ, & libidinis. 1308 3
Capita decretorum concilii Viennenſis. 1313. 1.
Cardinales in eligendo Pontifice diſcordes multum nocent reipubl. Chriſtianæ. 1315. 1.
Caroli Cunctatoris Neapolitani Regis res geſtæ & obitus. 1304.28.
Caroli Calabriæ Ducis obitus & epitaphium. 1328.35
memoranda eius geſta in adminiſtratione iuſtitiæ. ib.36
Carolina rogatio hæreticos male habet. 1356 3.
Carolus filius Ioannis Boemiæ regis vrbibus Italiæ præficitur. 1331.6
veneno impetitur, ſed fruſtra ib.
Carolus Comes Andegauenſis euocatur à Bonifacio Pontif. contra Fridericum Aragonium Siciliæ inuaſorem. 1301.1
Italiæ pacem reſtituit. ib.2
Carolus Comes vltionem diuinam experitur ob necem Engerranni Principis. 1314. 25.
Carolus Duratii dux iugulatur & è feneſtra deiicitur. 1348.2
Eius vxor in habitu Minoritæ fugit. ib.
Carolus IV. Morauiæ Marchio regis Bohemiæ filius in Imper. eligitur. 1346.2
Legationem mittit ad Clementem VI. ib. 6.
Eius electio approbatur. ib.7
Bonnæ regni inſignia accipit. ib.8
Diploma confirmationis & electionis eius. ib.14
Eius pietas in patrem & Sedem Apoſtolicam. ib.15
Promittit obedientiam & priuilegia Eccleſiæ confirmat. 1347.33 & 34
Vendit ius ſuum Pontifici quod habebat in Auinionem 1348.11
Et Principes Germaniæ reconciliantur. ib. 24.
Matrimonium contrahit. ib.25
Coronatur Aquiſgrani. ib
Brandeburgicum ſolerti artificio Inducit ad aucupandam ſuam gratiam. ib.26
Inquietatur à rebellibus. 1349.7
Ex veneno vitæ periculum adit. 1350.13
Sollicitatur vt in Italiam veniat. 1354.1
Mediolani diadema ſuſcipit. 1355.3
Permittitur Romam venire. ib.4
Romam ingreditur. ib.5
Contra hæreticos in curia Metenſi diuerſa ſtatuta edit. 1357.5
Coronatur in Imperatorem. 1355.7
Præſtat iuramentum, eiuſque forma. ib. 8.
Mandat Romanis vt ſint quieti & præſtent Pontifici obedientiam. ib.9
Vniuerſitatem Pragenſem inſtituit. 1360 10.
Ei naſcitur filius Wenceslaus, & circa eum prodigium. 1361.10
Graues inter eum & Hungariæ regem inimicitiæ componuntur. 1363.1
Expeditionem Hieroſolymitanam recuſat & cur? ib.8
Legatum Apoſtolicum in recuperatione bonorum Eccleſiæ abunde iuuat. 1355.22
Ei inſidiæ Piſis ſtructæ. ib.25
Tumultus popularis contra eum. ib.
Bullam auream edit. 1356.1
Monetur vt violatores Eccleſiaſticæ libertatis puniat. 1356.17
Mittit Vrbano diploma confirmationis iurium Eccleſiæ. 1368.1
In Italiam venit & ad vrbem contendit, cui Pontifex obuiam procedit. ib.2.3
Repetit literas pro exactione denarii S. Petri à Regib Bohemorum & polon. Sedi Apoſt datas. 1356 12
pro filio ſuo Venceslao, Seſquiannum agenti, in Regem Rom. deligendo, laborat. 1376.1
Literas ad Greg. pont. deſtinat, quibus ipſi ſignificat filium ſuum in reg Rom ab Electoribus eſſe concorditer electum, petitq; munus & diadema Imperii ei conferre ſuis loco & tempore velit. ib.4
Iuramentorum & ſponſionum literas Sed. Apoſtolicæ permittit. ib.7
à Greg. monetur, ne ad coronationem filii ante conſenſum Sed. Apoſt. properet. ib.8
Inſurgentes aduerſus libertatem Eccleſiaſt. in Genn. Conſtitutione edita compeſcit. 1377.27
Eius obitus, & ad filium ante obitum monita. 1378.3
Vxor poſt obitum eius habitum tertii Ord. Min. ſuſcipit. ib.4
Eius pietas & deuotio. 1356.4
Carolus pulcher Galliæ rex ſacro oleo inungitur. 1321.10
Eius ſollicitudo pro bona regni adminiſtratione. ib.
Supplicio afficit Iordanem Ioannis papæ affinem. ib.11
Repudiata vxore Blancha aliam ducit ex diſpenſatione pontif. 1322.27
Moritur. 1325.17
Carolus Hungariæ rex diuinitus necem à Sicario intentatam euadit. 1327 24
Walachiæ principem temere ad prælium laceſcens ingenti clade afficitur. 1330.19
Imperrat à Pontifice tertiam partem fructuum beneficiorum vacantium. 1331.9
Eius ſtudium in extirpandis hæreſibus. 1340. 19
Moritur. 1342.35
Carolus Comes prouinciæ quomodo corpus B. Mar. Magdalenæ inuenerit. 1370. 24.
Carolus rex Nauarr. Edouardo regi Angl. pro pace ineunda, pateram argenteam, & alia nonnulla à Conſtantino M. olim Eccleſiæ donata miſit. 1372.33
Se apud Gregor. XI. de concepta ſuſpicione mortis Guidonis Card. portuenſis, per oratores purgat. 1374.10
munera mittit Baſilicis Vrbanis. 1373 17
Caſimirus poloniæ rex in Ruſſia multa oppida capit. 1340.15
Iniquam pacem facit cum Crucigeris. 1335 14.
Eos apud pontificem accuſat. 1341.6
Cum Boemiæ rege fœdus init contra eoſdem. ib.
Adulteriis ſe fœdat. ib.
Sacerdotem occidit. 1348.13
Ab excommunicatione abſoluitur. 1349. 21.
In Ruſſia Eccleſiam Metropolitanam, Cracouiæ academiam extrui curat. 1362.4
Totus in libidinem effuſus. 1365.10
moritur. 1370.18. eius res geſtæ. ib.
Caſtellæ Templarii armis ſe defendere nituntur. 1311.9
Caſtellæ, Arragoniæ & Luſitaniæ reges fœdus contra Mauros ineunt. 1319.
Intercedente Legato Apoſt. fœdus iciunt. 1373.4.
Item inter Caſtell. regem & Vaſcones pax compoſita. ib.
Caſtitatis conſeruatæ exemplum quoddam non imitandum. 1352.21
Caſtrucius Lucenſium tyrannus Pontifici aduerſus & fautor hæreticorum. 1326.2 excommunicatur ib. tyrannidem in Pontificios exercet ibid. 3. multa caſtra obtinet 1324.12. varia eius crimina & damnationis in eum ſententia. 1324. 14. eius infelix obitus. 1328.3
Caſus admirandus. 1335.12. alius horribilis. ibid.
Item tertius de mortuo qui ad vitam rediit. ib.
Caſus mirabiles in tutelam Ord. S. Franciſci. 1375. 8
Catalogus blaſphemiarum Neſtorii. 1330. 45.
Cathelani, Athenarum Principem, eiuſque exercitum fundunt. 1311.15. totam Atticam prouinciam occiſo principe occupant. 1314.1
Catherinæ Alberti Regis filiæ obitus & Epitaphium. 1323.22
S. Catherinæ Senenſ. vita, Sanctitas, miracula & canonizatio. 1370.20
peſte inguinaria laborantes ſuis precibus ſanat. 1374.16. diuerſa de ſtatu Eccleſiæ prophetizat. 1375. ib. Sacra ſtigmata Redemptoris noſtri in ſuo corpore excipit. ibid. 17. Chriſtus cor eius aufert, & aliud ei in locum illius reponit, ib. Chriſtus multa ei abdita myſteriorum paſſionis ſuæ reuelat. ib. inſtat apud pontif vt Florentin. ignoſcat, & Sedem Romam referat. 1376. 18. auctor præcip. conſilii fuit, vt Greg. pont. in Italiam nauigaret. ib. 28 in extaſi conſtituta, dolorem acus in pede pungentis non ſentit. ib. quales preces pro pontif. matutinis temporibus fuderit. ib. prælati quidam de ea experimentum facere cupientes, Spiritum S in ea agnoſcunt. ib 29. ea in Italiam abeunte, duo miracula Genuæ patrat. ib 30. magna conſtantia & maximo vitæ ſuæ periculo Florentinos cum pontif. reconciliare nititur. 1377.26
Ceſena Rom. pontif. ſeruata. 1320.5
Chaldæorum hoc tempore natio, errores & patriarcha. 1330.21
Charemez ciuitas inſignis Meſopotamiæ Iacobitarum hæreticorum patriarchæ reſidentia. 1330.21
Chriſti paupertas qualis, & de ea B. guardorum error ſeu hæreſis. 1322.1
Chriſtiani in Syria periclitantur. 1306. 1. inteſtinis bellis digladiantes à Turcis vincuntur. 1311.16
affliguntur in Oriente. 1343.14
Chriſtianorum progreſſus intra Saracenos. 1366 8
Ciacconi narratio de controuerſia mota à Ioanne pontifice de animarum viſione. 1331.11
Ciccus Ordelafus Foroliuienſium tyrannus contemptæ pontificiæ maieſtatis dat pœnas. 1331.9
Ciccus Aſculanus ob Magiam exuſtus. 1342. 36.
S. Clara moritur. 1328.14. eius admiranda caſtitatis cuſtodia ib.15. modeſtia, & virtutes ib 16. ieiunia & mortificationes. ib. 17. aliæ virtutes 18 19. diſputationes pro fide, prophetiæ & viſiones. ib.20. effigies & in ſingulis corporis partibus myſteria. ib 21. miracula. ib.22.
Clementis IV. diploma de regno Siciliæ. 1338. 15.
Clemens V. in pontificem electus, poſt quaſdam conditiones regi Galliæ promiſſas. 1305. 1.2. accipit legationem pro confirmatione ipſius electionis, ib. profectus Lugdunum ad inaugurationem Cardinales coaccerſit ib 3
Omina de infœlici ipſius electione. ib.
Eius animus erga Bonifacium & pontificatus initia. ib.4
Declaratio de conſtitutione Bonifaciana. ibid.
Agit pro mittendis ſubſidiis terræ ſanctæ. 1305.5. 1306.1.
Arragoniæ regi contra piſanos fert auxilium. 1306 9
Angliæ regis legatos contra Archiepiſcopum Cantuarienſem audit. 1306.6
Andronicum Græcorum Imp. excommunicat. 1307.1
Contra eundem incitat regem Raſciæ. ib. 2.
De Templariis inquiſitionem Epiſcopis committit. 1308.2. & 3
Fratribus Prædicatoribus inquiſitionis commiſſionem confirmat. 1308.5
Hungaros ad Carolum regem ſuſcipiendum anathematis comminatione confirmat. ib.6
Diuerſa diuerſis data ab ipſo priuilegia. 1308.7
Literę de rebus Henrici Rom. regis ante & poſt electionem geſtis & de iuramento fidelitatis. 1308.10
Baſilicam Lateranenſem combuſtam, reſtaurari curat. 1308.12
Venetos excommunicat ob occupatam Ferrariam. 1309.1
Robertum Caroli cunctatoris filium Siciliæ regem creat. ib.4
Indulgentias promulgat in ſubſidium terræ ſanctæ. 1309.5. 1310.18
Eius epiſtola ad Rectorem Comitatus Venayſini. ib.9
Item aliæ ad Comites, Barones & nobiles eiuſdem comitatus. ib.11
Conſtitutio contra fautores Saracenorum 1309.22
Sollicitatus à variis regibus & principibus indicit Conſilium in cauſa Templariorum. 1310.8
Eius Epiſtola ad Abbatem Ciſtercienſem. ibid.
Ad regem Galliæ. ibid. 9. diſſidia Anglicana componere ſtudet. 1311. 19. Henricum VII. Imper. perfide agentem fruſtra placare conatur. 1312.9. conſtitutio de Beguinis. 1313.1. de celebratione feſtiuitatis Corporis Chriſti, ibid. Robertum regem Neapol. defendit contra Henricum VII. Imp. 1313.3. reiecto Thoma Cothamio Walterum Vigornenſem Epiſcopum ad Cantuarienſem ſedem transferr. 1313. 25. ſcribit Iacobo Arragoniæ regi de euocandis ex Attica Catellanis. 1314. 2. eius obitus & res geſtæ, ibid. 3. ritus creandi Pontifices ab ipſo præſcriptus. ib. 4. quæ fabulæ ipſi affictæ. 1314. 10. eius ſepulchrum à Caluinianis violatum. ibid.
Clemens VI. fit Pontifex. 1342. 2. Fuit Lemouicenſis, & qualis ante Pontificatum. ibid. beneficii memor. ibid. inuitatur vt Romam veniat. ibid. iubilæum à centeſimo ad quinquageſimum reduxit. ibid. 4. eius viſio de hac re. ibid. 5. cur in Italiam venire non potuerit. ibid. 6. excommunicat. Lod. Bauarum turbantem ſtatum Italiæ. ibid. regno Siciliæ adminiſtratorem pro Sede Apoſtolica perficit. ib. 12. inducias facit inter Regem Angliæ & Galliæ. 1342. 17. Arragonum & Maioricarum reges ad concordiam inuitat. ibid. 20. decimationem redditum Eccleſiaſticorum in vſum belli contra Mauros concedit Caſtellæ regi. ib. 21. diſpenſat cum filio regis Cypr. 1342.23 res Poloniæ curat. ibid. 25. auxilia in Orientem contra Turcas mittit. ibid. 27 Lodouicum Bauarum hæreticum declarat & Imperio per ſententiam priuat. 1343. 1. eius rei cauſæ. ibid. regnum Siciliæ Romanæ Eccleſiæ vindicat. 1343 3. cauſæ cur conceſſionem regni Siciliæ aliquandiu diſtulerit. ibid. 5. Legatos in Angliam mittit & cur? ibid. 7. litteras ſcribit ad regem Angliæ pro immunitate Eccleſiaſtica. ib.9
Alphonſum Caſtellæ regem pecuniis contra Mauros iuuat. ib 12
Chriſtianis Aſiaticis ſuccurrit. ib.14
Mittit Palæologo auxilium contra Turcas. ib.17
Ad eum legatio regum Angliæ & Franciæ. 1344 12.
Creat Principem inſularum Fortunatarum. ib.16
Ioannam reginam Siciliæ creat. ib.17
& Legatum ſuum ab adminiſtratione eius regni reuocat. ib.19
Legatos mittit ad Electores. 1346.1
Carolum Morauiæ Marchionem vna cum patre rege Boemiæ euocat. 1346.2
Sacram militiam prædicari curat. 1345.13
Cenſus eccleſiæ debitos exigit. 1345.16
Moguntinum Epiſcopum ſubmouet & alium inſtituit. 1346.4
Italiam tumultibus plenam curat. ib.16
Excommunicat occiſores Andreæ regis Siciliæ. 1346.17
Ioannam Neapolis reginam ſeuere monet 1346.18
Legatos Lod. Hungariæ regis in publico non audit. ib.19
In omnes Siciliæ regnum inuadentes anathema pronuntiat. ib.20
Laborat pro vnione Orientis cum Occidente. ib.23
Diſcordiam inter poloniæ & Boemiæ reges compeſcit. ib.24
Raſciæ regem ad communionem Sedis Apoſtolicæ inuitat. 1346.28
In occupatores bonorum Sedis Apoſtolicæ ſententiam tulit. 1346.33
Vicarios & epiſcopos in Italia creat 1347. 27.
Inſtat pro liberatione principum à Lodouico Pannonio captorum. 1348.7
Emit Auinionem à Ioanna regina. ib. 8. & 10.
Eius acta circa regnum Siciliæ. ib.9
pietas erga ægrotos. ib.19
Committit abſolutionem fautorum Lodouici Bauari. ib.20
Vnionem eccleſiæ Græcæ cum Latina promouet. 1349.13
pro conuerſione Lithuanorum ſollicitus eſt. ib.19
pro pace inter Francum & Anglum conciliandi multum ſed fruſtra laborat. ib.21
Iubilæum celebrat. 1350.1
Ioannæ regnum Siciliæ concedit. ib.8
Armenis negat ſuppetias, niſi ad Orthodoxam fidem redeant. ib.22
Alphonſo Portugalliæ regi excommunicationem minatur. ib.23
Armenis auxilium petentib. articulos fidei tranſmittit. 1351.20
Sollicitudo eius pro quiete regni Siciliæ. 1352.4
Mors & prodigia mortem antecedentia. ibid.23
Clementis VIII. literæ ad deputatos vrbis Neapolitanæ, D. Thomam Aquinatem inter tutelares ſuæ vrbis aſcribentes. 1322. 33 aliæ eiuſdem ad Proregem Neapol. ib. 34.
Clerus Colonienſ. vrbe excedit ob immunitatem Eccleſiaſt. inter ipſum & ciues exortam. 1369.8
Cœleſtinus Pontif. canonizatur deque ea re diploma Clementis V. 1313.24
Collegium infantium Cluniaci inſtitutum à Duce Sabaudiæ. 1323.21
Colonienſ. ciues cum clero ob libertates & immunitates Eccleſiaſticas abrogatas paciſcuntur. 1369.8
Colonienſibus butyrum, oua, & lacticinia feriis ſextis extra Quadrageſimam indulta & cur? 1344.3
Comes Penbrokius adoleſcens Anglus, infeliciter contra Carolum Franc. Reg. præliatur, & capitur. 1372.33
Concilia plurima Prouincialia celebrata pter Templarios. 1309.12
Item vnum generale. 1310.8
Concilium Viennenſe ſub Clemente V. 1311.1
Eius cauſæ. ib.
In eo Templariorum ordo extirpandus decernitur. 1311.2.
Eius decreta confirmantur. 1313.1
Concilium Valli Soletanum in Hiſpan. celebratum. 1321.0
Quid in eo conſtitutum. ib.
Concordata inter Clementem VI. & Marchionem Morauiæ in Imper. eligendum. 1346.3
Concordia inter Piſanos & Iacobum Aragonum ſtabilitur. 1324.27
Conradi Offidani Monachi S. Franciſci, miracula & obitus. 1306.9
Ei apparet frater defunctus, iuuari ab eo petens. ib.
Conradi Placentini Ordin. Tertiarii S. Franciſci vita, miracula, obitus. 1351 24
Conradus Gibboſus Archiepiſcopatum Salisburgenſem ob cereuiſiæ defectum ſolide repudiat. 1300.22
Conſpiratio Andronici filii in Andronicum patrem Imp. vnde orta & quomodo facta? 1320.6.7
Eius præſagia. ib.8
Progreſſus & exitus. ib.9
Conſtantinopolitanus patriarcha diſcordias gliſcentes inter Andronicum Imp. & nepotem ſedare ſatagit. 1318.37
Repulſus ab Imp. quid reſponderit. ibid. 38.
Patriarchatu eiicitur. ib.39
Conſtitutiones Ioann. Epiſc. Toletani quæ? 1311.9
Conſtitutio Ioan. XXII. aduerſus monetæ adulteratores. 1324.25
De paupertate Chriſti aduerſus Fraterculos quoſdam. 1324 8
Controuerſiæ inter Robertum Sicil. & Fridericum Trinacr. reges compoſitæ. 1316 6.
Inter Iacobum Aragonium & Frider. Trinacr. reg. de poſſeſſione Sardiniæ. 1323. 13
Inter Orientales de celebratione Paſchæ. 13.0.63
à Ioann. XXII. Pontif. motæ de viſione animarum à corpore ſeparatarū, cui ſe Dominicani & alii opponunt. 1331.11
De lumine in monte Thabor, & eius orig. contra Quieſcentes. 1331.12
Inter Arag. & Caſtell. reg. arbit. Apoſt. Legat. permittit. 1373 4
Conuentum Principum Orient. indicit Gregor. Pap. 1373.2
Conuentus Pariſienſ. in cauſa terræ Sanctæ. 1323.21.
Corpora humana in ſalis ſtatuas terræ motu mutata. 1348.17
Creſciacenſis pugna Gallis admodum funeſta. 1346.9
Quot & qui Principes in ea occubuerint. ibid.
Eius ſecuturæ prodigium. ib.13
Cretenſes aduerſus Venetos rebelles oſtento terrentur. 1362.5
à Venetis vincuntur. 1363.9
Crucigeri in regno Poloniæ inſolentes. 1310. 17.
Item in Liuonia. ib.
Apud Ioannem XXII accuſantur. 1316. 9.
Iidem apud Ioannem Boemiæ Regem agunt contra Polonos. ib.10
Ob ereptam Vladiſlao Regi Pomeraniam anathemate percuſſi. 1320.18
In Polonia funditus deleti. 1328.31
Regi Poloniæ terram Dobrinnenſem eripiunt & Vratislauiam incendunt. 1329.22
Eorum inſignis perfidia in regem poloniæ 1331.15. item, 1335.14
Ob non paritionem condemnantur & excommunicantur. ib.
Crudele Iudæorum pragenſium facinus in Chriſtianum. 1305.8
in S Euchariſtiam. 1306.8
Crudelitas Ludouici Bauari in vxorem & fœminas domeſticas. 1340.3
Cultus & inuocatio B. Virgin. quam nobis ſalutaris. 1328.43
Cunon. Archiepiſc. Treuirenſ. Eccleſ. Colon. adminiſtrator, eiuſque res geſtæ, 1369. & 10.
Cypariſſiotus ſcriptor Græcus à Turriano tranſlatus, quid de lumine quo Chriſtus ſplenduit in monte Thabor, ſenſerit. 1337 8.
Cyprii regis filius victoriam de Turcis miraculoſam reportat 1344 5

D.

DAlmatius Moner Ord. Prædicatorum, ſanctitate & miraculis clarus, moritur. 1341.18
Dantis Aldigerii Florentini elogium. 1303.18
Mortuus eſt Rauennæ exul, immatura morte ob calumnias in Rom. Pontifices. 1321.21
Author hæreſis quam poſtea defendit Guilielmus Ockam. 1338.8
Dauid Scotiæ Rex Anglis bellum infert, ſed infœliciter, ob violatos agros S. Luthberti. 1347.42.
Negligit ſomnium ea de re habitum. ibid.
Decretalis Bonifacii VIII. Pontif. de vnitate & poteſtate Eccleſiaſtica. 1301.4.
Decretum ſuum confirmat Gregor. XI. de libris Lulli exurendis. 1377.29
Delphini Allobrogum cædes mirabilis. 1342.32.
Delphinus Viennenſis Ordinem Prædicatorum ingreditur. 1344.11
Delphinatus emptus à Rege Philippo. 1348.28.
S. Demetrii ope Andronicus Iunior pedis ſanitatem recipit. 1328 40. eius celebris memoria & plurima circa eius conditorium miracula. ib.41
Demetrius Theſſalonicenſis cupit informari de proceſſione Spiritus ſancti. 1332.5 ſcribit ad Barlaam monachum epiſtolam ibid. accipit reſponſum. ib.7
Diabolus Fridericum Rom. Regem educere volens è captiuitate ſigno crucis fugatur. 1323.8.
Didymotichi Epiſcopi dictum ad Ioan. Cantacuzenum Imp. 1341.15
Dietherus Naſſauius Archiepiſc. Treuirenſ. homo inquietus. 1307.10. eius obitus, ibidem.
Diluuium Florentiæ horribile. 1333.5.
Dionyſius Portugalliæ Rex moritur. 1325 18. eius pietas ibid. ibi.
Diploma electionis Ludouici Bauari à ſuffragatoribus ad futurum Pontif. præſcriptum. 1314.13
Diploma Innocentii III. ad Bertholdum Zaringæ ducem de iuribus ſedis Apoſtolicæ in cognoſcenda electione Imperatorum. 1314 15
Diploma canonizationis S. Thomæ de Aquino. 1322 38
Diſpenſatio matrimonialis pro filio regis Angliæ. 1361.8
Diſſenſio in Hetruria, & bellum inteſtinum apud Florentinos. 1305.14
Inter Robertum Siciliæ regem & Comitem Flandriæ. 1313.21
Inter Cardinales de electione Pontif. 1314.11.
Inter Electores de electione Imper. 1314 12.
Diſſidia inter Guelfos & Gibellinos in ſuſcipiendo Henrico Imp. 1310 5
Diſſidia inter Robertum & Fridericum Siciliæ & Trinacriæ reges recrudeſcunt. 1317 26.
Inter Iacobum Arragonum & Fridericum Trinacriæ regem de poſſeſſione Sardiniæ 1323.13.
De bonis Templariorum. ibidem. 16.
Inter Carolum Galliæ, & Edouardum Angliæ reges. 1324.19. eadem compoſita. 1325 16.
Inter Fridericum Aragoniæ Regem & Ioannam Siciliæ Reginam. 1371.10
Inter Florentinos & Sed. Apoſt. & quare. 1374.8
Inter Carol. Gall. & Edouard. Angl. Reg. 1371.2.
Diuortium à Ludouic. Bauaro celebratum inter filium regis Boemiæ & Duciſſam Carinthiæ, eiuſque forma. 1340.37.
Doctrina Eccleſiæ Rom. an noua ſit & recens contra Græcos diſſeritur. 1345.15.
Dominicani perſecutionem patiuntur à ſchiſmaticis ob defenſionē Ioannis XXII. 1330.11.
Opponunt ſe Ioanni in controuerſia de animarum viſione. 1331.11. eorum elogium. ibid.
multa acerba in Germania patiuntur 1338 22.
Dominicus Luſitanus monachus Prædicator canonizatur. 1300.29
Draco miro commento occiſus. 1346.22.
Dulcinus & Margarita coniuges hæreſiarchæ emergunt. 1307.8
Eorum horrendæ turpitudines. ibid. dogmata. ibid.9
Eorum primordia, progreſſus, propudioſæ turpitudines & exitus. 1310.13
Durandus de S. Portiano Ord. Prædicatorum periculum à Franciſcanis incurrit ob controuerſiam de viſione animarum. 1331.11.

E.

ECcleſia Romana conuenit cum antiquiſſimis Patribus Græcis in re Sacramentaria, & aliis dogmatibus. 1339.21.
Eccleſiæ benignitate fœminæ ad Regnum Caſtellæ accerſitæ. 1377.21.
Eckardus Theologus floret. 1337.14. eius pulchra hiſtoriola de mendico quodam & matrona Colonienſi. ib.
Eckii in Thaulerum iniqua ſententia refellitur. 1355.22
Edmundus Kantii Comes calumniam paſſus innocens necatur. 1329.15
Edouardus Angliæ Rex pro Pontifice Rom. contra Regem Galliæ Philippum. 302.8.
Per legatum accuſat Robertum Archiepiſcopum Cantuarienſem, ſed iniuſte, 1306.6. & ſeq.
Capita grauaminum ab illo Eccleſiis & clero illatorum. 1306.6. eius obitus & ad inferos damnatio. 1308.9
Effera crudelitas etiam in extremis. ibidem.
Eduardus filius Eduardi à proceribus in anguſtias redactus. 1314.6
Ad euadendum præſens periculum voto ſe obſtringit. ibid.
pietas circa S. Albani reliquias. 1315.6.
Diſſenſio cum Pontif. Ioanne de bonis Templariorum. 1323.16
Epiſcopum Herefordenſem arreſto detinet, proditionis falſo accuſatum, quem reliqui Epiſcopi liberant. 1324.20.
Epiſcopum innocentem omnibus bonis ſpoliat. ibid.21
Ab vxore Iſabella capitur & exauctoratur. 1326.10.
In varios carceres detruſus tandem à miniſtris ſuffocatur. ibidem. eius acta. ibidem.
Edouardus Iunior patri in regnum ſurrogatur. 1326.10.
Matrem ob adulterium occidit. ib.11
á Gallis in regem electus regno excluditur. ib.13
Cum Gallo bellum gerit. 1336.6.7.& 1372.33.
Bona Eccleſiæ rapit. 1337.11
Se regem Galliæ ſcribit. 1338. 9. ad eum epiſtola Benedicti. XII. Pontif. ibid. 10.
Eius ad Pontificis epiſtolam reſponſio. ibid. 11.
Cameracum obſidet. ib.12
Literæ ad Collegium Cardinalium. 1339.4.
Accipit reſponſum à Benedicto XII. ibid.
Cameracum reliquit. ib. 6.
à Venetis fruſtra contra Gallos ſuppetias petit. 1339.6
Gallos ad Sluſas vincit, & Tornacum obſidet, ſed relinquere cogitur. 1340.9.10.
Garterium Ordinem inſtituit. 1344.13.
Diploma publicat pro libertate Eccleſiæ. ib.15
Inſigni victoria Gallos fundit. 1346.9.
Caletum obſidet. ib.10
Compeſcit tumultum Oxonienſem. 1354 10.
Iniquus in eccleſiaſticos. 1370.19
Infeliciter pugnat contra Carolum Franc. Regem. 1372.33
Pecunias à Clero extorquet. 1371.1. probroſus eius obitus, pellice in ægritudine ſemper ei aſſiſtenti. 1377.18.& 19
Succedit ei Richardus 2. filius. ibidem 19.
Pacem facit cum Galliæ rege eumque dimittit. 1360.2
Auaritiæ notatur 1362.2
Egidius Carillius Eccleſiæ Toletanæ à Benedicto XII. præficitur. 1337.5
qualis is fuerit. ib.
Egidius Cardinalis S. Clementis Legatus Rom. Pontificis in Italiam ad recuperandas prouincias miſſus cito omnia recuperat. 1351.4.5.6.7
Monet Petrum Caſtellæ regem intemperantius agentem. ib.11
Eius inſignis & fœlix progreſſus contra Eccleſiæ rebelles. 1356.28
Moritur. 1367.4.
Eius res geſtæ in Italia. 1359.5
Franciſcus Ordelaffus tyran. ei ſe dedit & facinora ſua eiurat. 1359.5
Elias Babylonius Chaldæorum Patriarcha abiurata Neſtorii hæreſi Catholicæ Eccleſiæ ſub Paulo V. reconciliatur. 1330.22.
Qua occaſione id factum ſit. ibidem.
eius epiſtola ad Paulum V. ibid.
F. Elias Gallus Ord. S. Dominic. in antro D. Mar. Magdalenæ ſanctiſſime diem ſuum obit. 1470.21
Ante obitum ſecreta reuelat, quæ ei in antro contigerunt. ib.22
Eliſabetha Caroli IV. Imp. vxor, habitum tertii Ordin. Minor. ipſo mortuo induit. 1377.4
Eliſabetha Boemiæ regis ſoror pauperrima impar coniugium ſubire recuſat. 1307.15. & 16.
Eliſabethæ Petri Arragoniæ regis filiæ natalis, educatio, pietas & virtutes. 1309.29.
Totius vitæ acta. 1336.14.& ſeq.
Clariſſarum habitum induit. ibidem. 20.
Mors. ib,26
miracula. ibid.
Eliſabet Vngariæ Regina, Neapolim & Romam inuiſit, eiuſque magnificentia & liberalitas. 1343 4
S. Elzearii Comitis Ariani primordia parentes & vitæ inſtitutio. 1325.23
Adoleſcentia & nuptiæ cum Delphina virgine. ib.25
Ardor in amore diuino. ib.26
Leges quas familiæ præſcribit. ibid. 27. & 1351.15.
Mortificationes. ib,28
Virtutes & liberalitas in pauperes. ibid. 29.
Varia miracula. ib.30
Patientia. ib.31





Virginitatis votum cum vxore. ibid.32.
obitus ibid 33. canonizatio, & ſummarium vitæ eius. 1351.14.15
Engerrannus valde exoſus Carolo Valeſio 1314.23. in eum conuitia Ioannis Annalis. ibid. eius ad calumnias obiectas modeſta reſponſio. ibid. 24. innocentis ſupplicium ibidem. 25. vltio diuina ob eius necem. ibidem.
Epiſcopus Boſanienſis regis Angliæ Legatus ad Venetos. 1339.6
Epiſtola S. Cyrilli & Alexandrinæ Synodi ad Neſtorium. 1330.46. Pauli V. ad Patriarcham Babylonium. ibid.34
Epiſtola Electorum ad Papam Benedictum XII. ſuper Ludouico Bauaro. 1338.5
Errores & hæreticæ aſſertiones Michaelis de Ceſena quondam Generalis Ordinis Minorum. 1331.2. Lulliſtarum numerantur 1372.15.
Euangelizantium in Oriente fructus. 1370.11.
Euboeam inſulam Genuenſes vaſtant. 1351.4.
S. Eulaliæ corpus transfertur. 1339.9
S. Euphemia Domicilla Ord. Prædicatorum claret miraculis. 1359.13
Eymericus Inquiſit. hær. prau. contra Lulliſtarum calumnias, coram Clemente & Benedicto libros Lulli, ob errores iure fuiſſe damnatos probat, & cauſam ſuam luculenter agit. 1377.30
Execrandum Iudæorum ſcelus in SS. Euchariſtiam. 1329.19. vide Iudæi.
Exempla quædam eorum qui fœminarum vſum ſanitatis gratia non admiſerunt 1328 34.
Exemplum fidelitatis in dominum & charitatis in hoſtem. 1327.25
Clementiæ in calumniatorem. 1329 28
moroſitatis in condonandis culpis reorum Patriarchæ Conſtantinopol. 1329.29

F.

FAbulæ à maleuolis Clementi V. Pontifici afflictæ. 1314.10
Falſus quidam Archiepiſcopus captus. 1340.21.
Fames horrenda in Anglia. 1314 7. 1315.7 item in Polonia. 1315.13
Felicianus Regi Hungariæ charus, eum occidere tentat. 1327 4. eius & omnium conſanguineorum inſignis pœna. ibid.
Fœminæ Eccl. benignitate ad regnum Caſtellæ accerſitæ fuerunt. 1377.21
Ferdinandus Caſtellæ Regis de Mauris victoria, & in eos clementia. 1309. 21. in ſuos ſeueritas, ei ſubitam mortem attulit. 1312.11.
Ferdinandus & Alphonſus fratres de regni Caſtellæ poſſeſſionibus contendunt. 1319.7.
Ferraria dominio Eccleſiaſtico iterum acquiſita. 1308.7
Ferrarienſes tumultuantes inſigni cæde reprimuntur. 1309. 10. iis adminiſtratores conſtituti. 1318.7. rebelles excommunicantur. ib.8.
Feſtiuitas Corporis Chriſti celebranda præcipitur. 1313.1
Filii in matrem crudelitas. 1351.19
Flagellantium ſecta oritur à Sacerdotis cuiuſdam pellice 1340 24. extinguitur. 1348.14. alia eiuſdem generis per Vngariam & Germaniam pullulat. 1349.2. eorum errores Caluiniſtarum erroribus ſimiles. ibid.3 graſſatur per Germaniam. 1351.8
Flandria recuperata a Carolo Valeſio honorificentiſſime Francos ſuſcipit. 1300.16 ſacris interdicta. 1340.11
Flandri tributis nimium grauati Francos crudeliter necant. 1302.17. interdicto ſubiiciuntur ob captum Ludouicum Comitem Flandriæ. 1325.19
Florentia mœnibus cingitur. 1324 24. diluuio fere ſubmergitur. 1335.5
annonæ caritate laborat. 1375.5
Florentini rebellant aduerſus Henricum reg. Rom. 1309.1
ſtant pro Pontifice contra factionem Cæſarianam. 1310.7
donantur reliquiis B. Barnabæ. 1311.22
veſtium luxum interdicunt 1330.66. ex falſis opinionibus aduerſus Eccleſiam ſe erigunt. 1375.5. à Gregor. XI. monentur, ad reſipiſcentiam. 1375.8. Eccleſiæ ciuitates ad rebellandum incitant ibid 9. maximas calamitates Eccleſiæ Rom. inferunt. 1376.10.& 17.
Florentini & Feſſulani cenſuram Pontificis contemnentes, Auinionem citantur. 1346.30. rebelles anathemate feriuntur. 1374.8 & 1376.14.
Florentinis Greg. XI. rebelliones ipſorum exprobrat. 1375.6
Florentinus Boninſegna & Andreas Peruſinus Etruſci martyres apud Tartaros. 1300.31.
Florentinorum inteſtinum bellum & inſignis vaſtatio. 1305.14. fides in Rom. Eccleſiam. 1322.18. vitia varia. 1333.5. lex iniqua contra clerum, & ingrata in populum. 1346.29. indignatio in Pontificem. 1351.2 abominanda eorum facinora. 1376.10. atrociſſima eorum ſcelera in Eccleſiam repetuntur. ibi.13
Fons B. Virginis miraculis celebris. 1328.44.
Forma diuortii inter filium regis Boemiæ & Duciſſam Carinthiæ à Ludouico Bauaro celebrati. 1340.7. item diſpenſationes cuiuſdam inter quoſdam principes. ibidem. 8.
Formula mandati procuratorii Venetorum pro impetranda abſolutione. 1310.16. homagii ligii & Sacramenti fidelitatis præſtand. Rom. Pont. per Regem Trinacriæ. 1373.23. Item Ioannæ Regin. & eius in Regn. Sicil. ſucceſſoribus per Frid. & eius in Regno Trinac. ſucceſſorib. 1373.24
Formula electionis Ludouici Bauari. 1314.13.
Eius cenſura. ibi 14
Formula conuerſionis Petri Corbarii Antipapæ. 1330.10
Franci aſtu à Siculis victi, occiduntur, & eorum cadauera coquuntur, & cocta venduntur. 1300.9
Franciſci Senenſis Ordinis Seruitarum vita, mors & miracula. 1326.21
Franciſcus Petrarcha floret. 1318.18. qualis 1355.24
Franciſcus Aſculanus dæmoniacus comburitur. 1327.16
Franciſcus Baroncellus nouus Romæ Tyrannus. 1353.1. Tumultum popularem in vrbe excitat. ibid. ad concionem populum conuocat. ibid. inuehitur in Pontificem. ibid. leges tyrannidi viam ſternentes euulgat. ibid. populum ſacramento ſibi aſtringit. ibid. literas ad Italiæ principes deſtinat. ibid. aliquot vulneribus deformatur. ibid. ſæuit crudeliter in diuerſos. ibid. à populo deſeritur & occiditur. ibid.
Franciſcus Ordelaffus Foroliuienſis Tyrannus excommunicatur. 1354.17. immaniter in ſacerdotes & cruce ſignatos ſæuit. ibid. eius obſtinatio. 1355.22
Franciſcus Neapoleon Cardinalis moritur. 1312.17.
Fraterculorum hæreſis quando exorta. 1303.11
prodigioſa turpitudo. ibid.
dogmata. 1317.19
ſcripta condemnata à Ioanne Pontif. 1321.8.
eorum obſirmata peruicacia. 1323.12
Ioannem Pontificem ſcriptis & armis oppugnant. 1325.17
Contra eos ſanctiones Pontif. 1331.3
item. 1317.15 errores. 1335.2
Fratricelli & Begardi Ioan. VVicleffi hæreſim per Germaniam & alibi diſſeminant. 1372.7 & 55
Fridericus Aragon. Siciliæ inuaſor excommunicatur à Bonif. VIII. 1300.6
Carolus Comes Andegauenſis contra eum euocatur. 1301.1
Fridericus Trinacriæ Rex ob vſurpatam Siciliam à Roberto Siciliæ Rege bello appetitur. 1314.26
Ob bellum contra Guelphos ſuſceptum excommunicatur. 1320.13.& 1321.4
Reconciliatur. 1322.14
Robertum & Carolum necare conatur. 1325 10.
Nubit cum Antonia Ducis Andriæ filia coramque Ioannis Salernitano legato Apoſt. iuramentum fidelitatis præſtat. 1373.29. moritur. 1377.21
Fridericus Lichtenbergius Argentinenſis Epiſcopus vir ſanctus. 1302.13
Fridericus Monteſeltrius Rom. Pont. hoſtis ab Vrbinatibus occiſus. 1322.17
Fridericus Tholoſatius Epiſcopus albo Sanctorum inſcribitur à Ioanne XXII. 1317.24
Eius rei diploma, in quo variæ eius ſancti virtutes recenſentur. ib.25
Fridericus Cunonis Archiepiſcop. Treuirenſ. nepos in Archiep. Colonienſ. a Sede Apoſtol. poſtulatur, Imperatore nequicquam obſiſtente. 1309.13

G.

GAbalus Logotheta ab Apocauco illuſus ex corpulento gracilis cupit fieri. 1342 30
Varie exagitatus fit monachus. ibidem.
Galeatii Matthæi Vicecomitis Mediolanenſis filii varia facinora. 1322.9. in eum ſententia. ib.
Galeatius Mediolanenſi dominio potitus illud deſerere cogitur. 1322.14
Ab exilio à Germanis militibus reductus Mediolani turbas excitat. 1323.1
Abſolutus ab anathemate redit ad flagitia, ideoque dnuuo excommunicatur. ib. 2
Modo etiam euertere volens deterretur à S. Ioanne Baptiſta. 1324.16
Subdole pacem petens à Pontifice, ſuis rebus conſulit. 1325.5
Fœdifragus arma conuertit in pontificios ib 6.
à fratre apud Lodouicum Bauarum traductus, in carcerem coniicitur, & inobedientiæ ſuæ dat pœnas. 1327.4
Eius infœlix obitus. 1328.3
Galliæ Regum ſepeliendi mos. 1314.21
Ritus eoſdem coronandi. ib.22
Galliæ rex Philippus monet Ioannem pontif. vt à controuerſiæ de animarum viſione deſiſtat. 1331.11
Galliæ Regis filius vnde Delphini cognomen habeat. 1344.11
Gallæ Placidiæ Theodoſii Imperatoris filiæ miraculum apud Rauennates. 1336.27.
Garterius Ordo in Anglia inſtitutus. 1344.13.
Eius ſymbolum. ib.
Cauſa inſtitutionis. ib.
Gedeon princeps Lithaniæ infidelis, pontificis nuncios ad euangelizandum miſſos repellit & eiicit. 1329.21
Genuenſes clade affecti Vicecomiti Mediolanenſi ſe ſubiiciunt. 1354.1
Ingenti clade Venetos domi foriſque afficiunt. ib.6
Eubœam inſulam vaſtant. 1351.4.
Genuenſes factionibus diſtracti fruſtra à pontifice ad concordiam hortantur. 1323.5.
Eorum virtus & victoria ope S. Barnabæ. 1342.22
Scytas ſeu Tartaros vincunt. 1344.6.

Chium inſulam inuadunt. 1346.20. victoria de Venetis. 1352.9. cum Græcis pacta ib. 11.

Genuenſium quorundam res præclare geſtæ & virtus. 1357.8

Georgiani vnde dicti eorumque errores & in Armenios odium 1330.57

S. Georgius Garterii Ord. patronus. 1344. 13.

Georgius Comes Morauiæ fit monachus Benedictinus & ſancte viuit. 1302. 13.

Gerardi Moguntini Archiepiſcopi obitus, & Petri Aihſpadii medici creatio, res geſtæ & obitus. 1305.13

Gerardi Comitis Mansfeldiæ crudele & exſecrandum facinus. 1376.24

Gerardi Valentini Franciſcani miracula & obitus. 1345.18

Gerardus Segarellus Parmenſis hæreticus comburitur. 1300.13 Comes Mansfeldius excommunicatur. 1376.25

Geraſinus quidam ex monacho ſimplici & indocto Patriarcha Conſtantinopolitanus. 1320.27

S. Gerechini Ord. Ciſtercienſ. vita & obitus. 1345.22

Gerlacus Naſſouius fit Archiepiſcopus Moguntinus. 1346.3

Germania diuiſa. 1346.9

Germani & Hungari milites de bello contra Lodouicum Bauarum pro Friderico Rom. rege ſuſcipiendo deliberant. 1324. 18.

Gertrudis ab Oeſten Batauæ vita. 1340.25 fit monialis in ciuitate Delphenſi. ibid. ſtigmata vulnerum Chriſti in corpore ſuo percipit. ibid. humilitas, abſtinentia, prophetiæ. ibid. Obitus. ibid.

Gesleri Heluetii tyranni petulans crudelitas & pœna. 1314.30

Gibellini & Guelphi in Hetruria tumultuantur, & cur? 1300.19

Gibellini Henricum Friderici Imperat. fratrem corrumpunt. 1320.3. aduerſus Fridericum Trinacriæ regem reliquoſque Pontificios copias mouent. 1320.4. ob hæreſim quandam à Ioanne Pontif. excommunicati. 1322.6. lacerant diplomata contra factioſos lata. 1322.12. Eccleſiaſtica inuadunt. 1324.12

Glirium copia in diœceſi Oſnabrugenſi. 1348 32.

Gorius Vrbeueranus Iuriſperitus Regem Boemiæ ad leges ſcripto tractandas inuitat, ſed à proceribus reiicitur. 1301.6

Gozo equitum Rhodiorum præfectus draconem miro commento conficit. 1346. 22.

Græci pro leui iugo Rom. Eccleſiæ ferreum ſuorum Imperatorum impoſuerunt. 1332. 3.

Græcorum Imperatores poſtquam ſchiſmatici facti ſunt quiduis ſibi in Eccleſiaſticos licere arbitrati ſunt. 1322.3

Græcorum ſacerdotes vxorati. 1332.4. nullo modo tamen Monachi vxores ducunt. ibidem.
Eorum diſcrimen & modernorum Prædicantium hæreticorum. ibid.
Epiſcopi etiam debent eſſe cœlibes. ibid.
non admittuntur bigami. ibid.
plura de eorum conſuetudinibus. ibid. & ſeq.
vnde fluxerit eorum hodierna conſuetudo. ibid.
Irrationabili paſſione ducti à Latina Eccleſia defecerunt. ib. 7. eorum hoc tempore ruditas. 1337.8
Obſtinatio. 1339.19. Verſutia, ib. 22 mos confitendi in Quadrageſima. 1341.29
Stulta perſuaſio. 1349.14. ſeruitus & calamitas ſub Turcis. ib. 16

Granatæ Rex Maurus à ſuis occiditur. 1333. 10.

Gregorius Palamas Græcus diſputat contra Barlaam monachum. 1337.8. eius errores. ib. impietas & nequitia. 1339.19
Inſulſe à Græcis recentioribus inter ſanctos recenſetur. ibi.

Gregorius Papa XI. creatur. 1370.17. coronatur 1371.1. Legatos mittit pro diſſidiis inter Carolum Galliæ, & Edouardum Angliæ Reges componendis. 1371.3. Fridericum Aragon. Regem & Ioannam Siciliæ Reginam diſſidentes componere ſtudet. 1371.10. eius ſummarium diuerſorum geſtorum. 1371.11. & 16. Petrus Rex Aragonum ligium homagium pro regnis Sardin. & Corſicæ eidem dicit. 1371.12. pro conciliandis Hiſpaniarum Regibus, & illis Henrico regi Caſtellæ vniendis, laborat. 1371.14. pacta fœderationis à Carolo IV. Rom. Imper. Florentinis, Piſanis, Senenſibus, Lucanis, Aratinis, & aliis expetit. 1372 2. auxilia eidem qualia à confœderatis ſubmiſſa. 1372.4. in vniuerſa Germania, Boemia, Vngaria, Polonia, Dania, Anglia, Suecia & Noruegia, decimationem in vnum annum omnium Eccleſiæ redditum impoſuit. 1372.4. Comiti Amedæo, contra Beinabonem Vicecomitem dimicanti, ex Aguti parta victoria, animum addit. 1372.6
Raymundi Lulli opera condemnat, & legi aut teri vetat. ib. 13.
ſcribit Archiepiſcop. Tarraconenſi ſuper libris Raymund. Lulli. ib. 19
Item officialibus Epiſcopi Barcinonenſis. ibid. 20.
Bella & motus in Hiſpaniis, miſſa legatione ſedare laborat. ibid. 31. prælium inter Francum & Anglum renouatum componere nititur ſed fruſtra. ibid. 33. variæ eius decreta. ib. 32
Res geſtæ. ib. 34
Palæologo, ſubſidia belli ſacri ſubmittit. 1373.1
Conuentum Principum Orientis indicit. ib. 2
In Religioſorum & aliorum Eccleſiaſt. reformationem ſtrenue incumbit. 1373.6 eiuſque pro tuenda Eccl. auctoritate ſtudium. ib.
Pace firmata, inter Frider. Trinacriæ, & Ioannæ Siciliæ regibus, Salernitanum Epiſcopum in Siciliam deſtinat, pro cenſuris tollendis. 1373.24. eius ſollicitudo de Lituanis, vt ad fidem Chriſti redeant. 1373. 3.
Agapitum Columnam Epiſcopum Vliſſiponenſem, mittit in German. ad cognoſcendam controuerſiam de Marchionatu Brandeburgenſi ortam. 1373.31
pro Orientali Eccleſia vigilat, & pro reductione ſchiſmaticorum ad vnionem laborat. 1374.1
Valachis, & Armenis Fratres Ord. Prædic. alioſque cooperarios mittit, eos vt eiurato ſchiſmate ad vnitatem fidei reducant. 1374.2
Hæreſes in German. ex lectione libri qui Speculum Saxonum dicitur, ortas, & alias à quodam Mallæſio diſſeminatas euellere conatur. 1374.3
Encyclicas de ſuo in vrbem reditu, Imper. Reg. Vngar. Sicil. & omnibus German. I. ral Principibus & Prælatis mittit. 1374.4
Spinello Regni Sicil. Cancellario. poteſtatem facit, contrahendi fœdus cum quibuſuis contra hoſtes Eccleſ. 1374.9
agit cum Edouardo rege, vt decretum contra auctoritatem Pontificiam latum tollat. 1374.14
Cantacuzeni ingenuam Orthodoxiam laudat. 1375.2
Imperatori Palæologo ſcribit, ne Turcis nimium fidat. ib. 3
animat à ſe in Armeniam ablegatos pro conuertendis gentibus. ib. 4
Exprobrat Florentinis rebelliones ipſorum. ib. 6
proſequitur ſuam contra Florentin. exprobrationem. ib. 7
Monet paterne Florentinos vt ad cor redeant, calumniaſque contra ſe & Legatum ſuû emenritas & confictas refellit. ib. 8
In Italiam transfretare cogitans grauiſſimis negotiis impeditur ibid. 11. Inquiſitoribus auxilium aduerſus hæreticos in Delphinatu præſtari petit. ibid. 12. Ducem Venetam vt legem obſeruari iubeat hortatur, & ne Cretenſes Schiſmatici alior- ſum eant pro ordinibus accipiendis, poſtulat ib. 13
Controuerſiam ratione quarundam Eccleſiarum Ruſſiæ componit. ibid. 2. monet Arragon. Regem, vt Infant. Luſitan. pro contrahendo matrimonio cum Frid. Trinacr. reg. ire permittat. ib. 22. Ioannam Reginam contumacem anathemate ferit. ib. 22
Quibus conditionibus aſſenſus fuerit, vt Electores ad electionem Regis Romanor. Venceslai deuenirent. 1376.2. Nuncios in German. ad iurament. audienda & literas recipiendas deſtinat. ib. 3. voluit vt Carolus cum filio ad Sedem Apoſtol. venirent. ib. 7
Monet Carolum ne ad coronationem Filii Venceslai ante conſenſum Sedis Apoſt. properet. ib. 8
Cauſæ propter quas ſe difficilem in Filii electione præbebat. ibid. Florentinos anathematis ſententia ferit. ibid 14. auxilia contra Florentinos à regibus poſtulat. ib 19.
Mittit vndique pro ſubſidiis corrogandis. ib 21
Quæ ante ſuum Auinione diſceſſum ordinauerit. ib. 2
In Italiam nauigat. ibid. Auinione diſceſſurus Catherinam Senenſem in Italiam præmittit. ib. 30
Eius Itinerarium in Ital. ib. 31
Anglos & Gallos reges reconciliare ſtudet. 1373.14
Contra Begardos & Beguinas ac Waldenſes laborat. ibi.
Hæreticos de ſocietate pauperum in Galliis extinguit. ibid, diuerſa pro rebus Italiæ & bello ſacro curat. ibid. 16. Summarium eius epiſt. ad Nicolaum Spinellum. ib. 17.
pacta inter Ioan. Sicil. Reginam & Frider Aragonium approbat & corrigit. ib. 21. & & quomodo. 22
Sedem B. Petri Romam in vrbe conſcendit, cum incredibili pop. Rom lætitia. ib. 12. Florentinorum Legatos benigne excipit. ibid. 23. confirmat ſuum decretum de libris Lulli exurendis. ibid. 29. eius obitus 1378.1. Epitaphium. ib. 2. Anagniæ pacem inter pop. Rom. & Franciſc Vicanum vrbis præfectum ſtabilit: & oratores Venceslai Roman. regis electi audit. 1377. 3.
Scribit vniuerſitati Oxonienſi, increpans eorum deſidiam in reprimendo Wicleffo. ibid. 7
Item Archiep Cantuarienſ. & Epiſcopo Londinenſ. vt informent Regem & Proceres regni, de peruerſitate doctrinæ Wicleff. & vt eamdem extirpent, eumque ad Curiam Rom. citent, capiant, examinent, & ad Sedem Apoſt. tranſmittant, ibid. 9. 10 & 11.

Gualtherus Gallus titulo Dux Athenarum Florentiæ dominium arripit. 1342.14. quis fuerit. ib.
Conſilium capit quomodo dominium adeptum retinere queat. ibid. pacem cum Piſanis firmat. ibid. conſtituit corporis cuſtodes. ib. peſſimum eius regimen, auaritia, crudelitas. ib. obſidetur à ciuibus, ib. dedit ſe ib. & plura.

Gualtherus Brugenſis defunctus ſchedam appellationis manu continet. 1307.13

Gualtherus Teutonicus cœlitibus additur. 1300.30. propheria. ib.

Guido Tarlatus Lodouici fautor in extremis reſipiſcit & Pontifici ſe ſubiicit. 1327. 9.
Cardinal. Portuenſis, Gregor. Pontif. Legatus moritur. 1370.10

Gvilielma hæretica Mediolanenſis defuncta exhumatur, & comburitur. 1300 12.




Index.


Guilielmi Mimarenſis Epiſcopi libellus de rebus in Concilio Viennenſi definiendis. 1311.1.

Guilielmus Anglicus ſanctitate floret. 1358. 12.

Guilielmi Ockami Minoritæ in Rom. Pontificem calumniæ. 1323.10. ſcripta atrocia & maledica. 1325.17. mors. 1347.36

Guilielmus Coruus è purgatorio precibus FF. prædicatorum liberatur. 1324.29

Gundiſaluus hæreticus & eius hæreſes. 1359. 8.

Guntherus Schuartzenburgii Comes à rebellibus Imperium oblatum acceptat, ſed veneno hauſto moritur. 1348.24

H.

HÆreſiarchæ plurimi ſe Ludouico Bauaro coniungunt, eorumq hæreſes, & in Ioan. XXII. conuitia. 1327.2

Hæreſis nefanda Vratislauiæ graſſatur Rege Ioanne Boemiæ diſſimulante. 1341.8. eius varii errores. ib.

Hæretici plurimi in Auſtria eorumque nefanda dogmata. 1315.10. 11. anteſignani. ib. 12

Hæretici & ſchiſmatici quinam dicendi. 1330.59. in German. & Ital. diuerſi. 1375. 14

Hæreticos male habet Carolina rogatio. 1256.3

Hamburgenſes 22. annos interdicto ſubiecti tandem relaxantur. 1350.30

Hebraica lingua in Academ. Oxonienſi profiteri cœpta. 1314.5

Heidelbergæ Vniuerſitas fundatur, & à Pontif. Benedicto XII. confirmatur. 1339. 15

Helcanus Edouardi Angliæ regis frater ob ſacrilegium in templo ab ipſo rege fratre ſuo confoſſus. 1347.43

B. Henningi Epiſcopi Aboenſis in Suecia vita. 1367.19

Henrici Mutii ſcript. German. nugæ. 1357. 4

B. Henrici eremitæ Bocenſis, vitæ inſtitutum, pietas & obitus. 1315.15

Henrici Petri regis Caſtell. frater ad milites inſignis oratio. 6369.13. pugna. ibid. 14

Henricus Buſmannius Moguntinus Archiepiſcopus creatur. 1330.62

Henricus Lucelburgenſis Comes contra Philippum Galliæ regem in regem Romanorum eligitur. 1307.6. ad ſedandas Italiæ diſcordias mittitur. ibid. 7. Romam vocatur à Clemente V. Pontifice. 1308. 8
Auſtriæ Ducatum occupare cogitat. ibid. exercitu in Boemiam ducto Henricum Carinthiæ Ducem a regni adminiſtratione priuat. ibid.
Imperator acclamatur, in Italiam pergit, & à Guelphis & Gibellinis excipitur. 1310. 4. turbat pacem Italiæ contra iuſiurandum. ib. 6
Mediolani ob militum graſſationes in capitis diſcrimen venit. 1311.13, varias vrbes capit. ib. 14. mittit Legatos ad Clementem. ib 16. inaugurandus Romam petit reſiſtentibus Guelphis & aliis. 1312.5. explorat Vrſinorum erga ſe animum ib. noua in vrbe contra eum excitata ſeditio. 1312.4 edit profeſſionem fidei ib & præſtat iuramentum fidelitatis. ibid. 6. alia eius iuramenta pro Eccleſiæ Catholicæ defenſione. ib. inunctus Imperator quam fraudulenter egerit. ib 7. Roma diſcedens omnia ferro & flamma deformat. ib. 8. infeſtus Roberto Neapolitano regi. ibid. in eum ſententiam priuationis omnium dominiorum & decapitationis promulgat 1313. 2. moritur. ibid. 4. idque morte naturali non veneno. ibid. 5. quæ cauſa obitus ipſius. ibid. de ipſius obitu diuerſæ narrationes. ib. 7

Henricus VI. qua forma à Cæleſtino III. Imperator coronatus fuerit. 1328.8

Henricus Friderici Imp. frater à Gibellinis corruptus exercitum in Germaniam ducit. 1320.3
à Lodouico Bauaro vincitur & capitur. 1323.7

Henricus Suſo Dominicanus floret. 1337. 15
Eius epiſtola ad moribundum. ib.
vita, miracula & obitus. 1365.14

Henricus Wirnbergius a Sede Apoſtolica Archiepiſcopus Moguntinus deſignatus contra Capituli electionem. 1331.10
citatur ad Sedem Apoſtolicam ob contemptum cenſuræ Pontificiæ. 1342.7
excommunicatur & cur? 1343.1
deponitur. 1346.3
etiam mortuo Lodouico res Imperii turbat. 1348.24
ſubito moritur. 1353.18

Henricus Lincolnienſis Epiſcopus violentus poſt mortem apparet in habitu venatorio. 1343.10

Henricus Caſtellæ rex nuncios ad Greg. XI. mittit pro pactorum inter reges Aragon. Luſitan. & Nauarr. conuentorum confirmatione. 1374.10

F. Hermannus Dominicanus prophetiæ ſpiritu illuſtris. 1300.30

Hermannus Pongilupus Ferrarenſis, impietatis & hæreſis conuictus poſt obitum exhumatur & comburitur. 1300.10
Eius ſectatorum in Bonificium VIII. Pont. calumniæ. ib. 11

Hiſpaniæ citerioris miſerabilis ſtatus. 1369. 11.

Hiſpanorum Metus à Mauris. 1338.19
De Mauris inſignis victoria. 1339.10

Hiſtoria Philippæ Catanenſis & Raymundi eius mariti. 1345.3

Horrendæ turpitudines hæreticorum Mediolanenſium detectæ. 1302.11

Hugo Caturcenſis Epiſcopus ob varios exceſſus a Ioanne XXII. depoſitus. 1317. 16
in carcere moritur. ib. 17

Hugo Luſignanus Cypri Rex caput S. Barnabæ regi Arragonum dono mittit. 1342. 22.

Hugucio Piſanorum Dux Lucenſes fundit. 1315.4

S. Humilitas vbi nata. 1310.1
eius vitæ inſtitutum, virtutes, miracula & obitus. ib.

Hyberni accuſant Angliæ Regem apud Summum Pont. 1321.14

I.

IAcobi Golumnii laudabile factum aduerſus Ludouicum Bauarum. 1328.13

Iacobi Veneti Dominicani educatio, vitæ inſtitutum, miracula & obitus. 1314. 17.

S. Iacobi Apoſtoli templum compoſtellanum deſcribitur. 1336.21
veſtigia ſaxo impreſſa. ib. 21

Iacobitæ hæretici Orientales qui & quales. 1330.20
Vnde dicti. ib. 21.
eorum mores, inſaniæ & hæreſes. ib. 53 & 1349.18
Nili accolæ admodum potentes. 1349.17

Iacobus Arragoniæ Rex Clementi V. iuſiurandum præſtat. 1306.5
Templarios oppugnat. 1308.4
Robertum Siciliæ Regem fruſtra tentat ad deponendum titulum regni Hieroſolymitani. 1309.5
Mauros inſigni victoria profligat. 1309.21
obſiſtit Philippo Regi Galliæ ne damnaretur memoria Bonifacii Papæ. 1310.3
pacem inter Fridericum & Robertum Siciliæ & Trinacriæ Reges ſtabilire conatur. 1320.13
Offenſus ob excommunicatum filium Epiſcopum à Pontifice placatur. ibid. 15. 16
Sardiniam occupat, & ob luem relinquit. 1323.13
obitus & laudes. 1327.23

Iacobus Aragoniæ regis filius Calatrauæ religionem, regno abdicato, ingreditur. 1319 11

B. Iacobus Ordinis Prædicatorum, naſcitur, variaque circa eum prodigia. 1301.11

Iacobus Benefactius Epiſcopus Mantuanus Ordinis Prædicat. miraculis clarus. 1332. 16

F. Iacobus Funerius Ordinis Ciſtercienſis fit Papa 1334.4. Vide Benedictus XII.

Iacobus de Viuiaco Carthuſianus floret. 1337 18

Iacobus Gerius Ord. Camaldulenſis vir ſanctus moritur. 1345.21

Ielitorum familiæ in Polonia origo. 1331. 16
vnde ita dicta. ib.

Imago Chriſti Crucifixi ita læſa ſanguinem emittit Neapoli. 1300.21
B Virgo lac cum ſanguine emittit. 1302 11.
Item in Hannonia. 1326.20

Imago B. Mariæ Virg. mirabiliter inuenitur in Hiſpaniis. 1313.30.
multis miraculis claret. ib.

B. Imeldæ Ordin. Prædicatorum obitus. 1333. 13

Impia Parlamenti Anglicani contra immunitatem Eccleſiaſticam decreta. 1351. 17

Immunitatis Eccleſiaſt. violatores excommunicantur. 1377.20

Inauguratio Imperatoris quomodo fiat. 1328 7.

Induciæ inter Angl. & Franc. Reges 1347.40. & 1350 17
Cum Vicecomitibus prorogatæ. 1375. 21.

Informatio congregat. S. offic. Romæ de Raymundo Lullo porrecta, cum cenſura de vniuerſis eius libris in generali. 1372. 16.

Ingratitudo notabilis. 1340.1

Innocentius VI. fit Pontifex. 1352.24
qualis ante Pontificatum fuerit. ib.
quid initio Pontificatus egerit. ib. 25
Legatum mittit pro rebus Eccleſiæ vindicandis. 1353 4.
Eius ea de re litera. ib.
donationes in præiudicium Eccleſiæ factas reuocat. ib. 15
Hæreticos in Sicilia emergentes opprimi curat. ib. 17
ſcribit Cantacuzeno & Philadelphienſibus literas. ib. 20
alias item ad Philadelphenſes. ibid 22
hortatur Cantacuzenum ad vnionem Eccleſiæ Rom. ib. 24
Carolo IV. in Italiam venturo iter parat. 1354.4
feſtum lanceæ & clauorum inſtituit ib. 5
laborat pro conciliandis Venetis & Genuenſibus. ib. 8
Caſtellæ Regem ad ſanam mentem reducere laborat. ibid. 12. literæ ad eum ib. 13. Stephanum Raſciæ Regem cum ſuo patriarcha ad vnionem Eccleſiæ datis literis hortatur. 1354.20. eiuſdem aliæ literæ ad Nuncios Apoſt. in eodem regno, & ad patriarcham ibid. 21. 22. item aliæ ad Petrum Regem Caſtellæ de conuerſione Regis Abdalæ. ibid. 23. item literæ ad ipſum Abdalam. ibid. 24. edictum contra Franciſc. Ordelaffum Foroliuienſem. ibid. 16
Carolum IV. Romam venire permittit. 1355.3. varia mandata Carolo præſcribit. ibid. 26. ſtudium pro Smyrniis iuuandis. ibid. 27. Legatum mittit ad Regem Caſtellæ ad faciendam concordiam & ſedandos tumultus. ibid. 28. diuerſa geſta ratione Regni Siciliæ. ibid. 36. Venetis ſcribit vt inquiſitorem hæreticæ prauitatis offi-

cio ſuo fungi ſinant. 1356.22. cura Orientalis Eccleſiæ. ib. 25. inquiſitionem de miraculis Leopoldi IV. Auſtriæ Ducis Epiſcopo pragenſi & Olomucenſ. committit. 1358.11. ſcribit pro filiabus Regis Trinacriæ captiuis, 1359. 14. piam militiam contra Turcas indicit. ib. 17. ad turbas Italicas compeſcendas animum adiicit. 1360.4 res Orientis curat 1361.1.1362.2. ſubſidium pecuniarium petit à Clero Anglicano. 1361.10. victoriam de hoſtib. refert ib. 11. Treuirenſi Archiepiſc. ſenio confecto coadiutorem dat. 1362.6. moritur. ib.10 Eccleſiam & Diœceſim Vratislauienſem à ſolutione denarii S. Petri abſoluit 1357.3 Carolum IV. officii ſui admonet ob vſurpatam in clericos auctoritatem. 1359.2. tenor literarum Innocentii ad Carl. Imp. ib. committit Archiepiſcopis quibuſdam clericorum caſtigationem. 1359.3. laborat, pro componendis diſſidiis, intra Caſtellæ & Aragoniæ Reges, ſed fruſtra. 1359.6. diuerſæ eius res geſtæ 1356.5. Monitoria Epiſtola ad Ioan. Reg. Gall. 1356.7. laborat pro liberatione Ioan. Reg. & vtriuſque regni pacificatione. ib.10
Inſtitutio Ord. Canon. Reg. S. Saluatoris in agro Senenſi. 1377.7
Interrogatoria Templariis propoſita. 1308.3
Ioachimi Senenſ. confeſſoris, vita, obitus, & miracula. 1305.6.
Ioanna Regina Sicil. & Frid. Arragon. certis pactis inter ſe conueniunt. 1373.17
B. Ioanna Cremonenſis Ord. Seruor. moritur. 1352.23
Ioanna Regina Neapolitana Otthoni Brunſuicenſi nubit. 1376.15. Pontificem ad maturandam profectionem Vrbanam inuitat. ib. ſed triremes ei mittit. ib.
Ioanna Caroli Ducis Calabriæ filia regnum Siciliæ iure fiduciario accipit à Clemente VI. & quibus conditionibus. 1344.17. iurat homagium in manibus Legati Apoſt. ib.18 infrenatę libidinis. 1345.2. funem facit quo vir ſuus fuit ſuffocatus. ib. eius adulteria. ib.4. ſtupri ſuſpecta cum Principe Tarentino. ib.18. fugam init cum marito. 1348.1 capitur. ib.2. cauſam dicit coram Pontifice. ib. 6. vendit Pontifici ius ſuum quod habebat in Auinionem. ib. 8 à Ludouico marito ſuo auerſa, 1352. 5. iterum nubit. 1347.24. pacta cum Ioanne Duce Meſſanenſium. 1347.30. diſſentit cum viro ſuo. 1351.10. Maioricatum Regi nubit. 1363. 5. Romam veniens honorifice excipitur. 1368.4.
Ioanna Regis Aragoniæ filia monialis valde pia. 1337.16
Ioanna Florentina moritur. 1367.18
Ioannam Reginam contumacem anathemate ferit Greg. 1375.23
Ioannes XXII Rom. Pontifex creatur 1316.1 eius primordia & progreſſus. ib. Neapoleoni Cardinali cum de itinere Romano admonenti quomodo illuſerit. ibid. 2. pacem inter Robertum Siciliæ regem & Matthæum Vicecomitem conciliare conatur. ibid. 3. Matthæum Vicecomitem excommunicat. ib. Cæſarauguſtam & Toloſam Metropolitanas facit. 1316.7. Ioannem Aragoniæ Regis filium Tarraconenſem Epiſcopum electum reiicit. 1316.7. ſanctionem aduerſus Italiæ vſurpatores promulgat. 1317.10. diſſidia inter Gibellinos & Guelfos fruſtra componere ſtudet. ib.11 Friderico & Lodouico Bauaro diem ad cognoſcendam vtriuſq; electionem condicit. ibid. eius decretum contra raptores theſauri Ecclecſiæ Rom. ibid.12. alia eius conſtitutio contra ambitioſos & auaros clericos. ib.13. ſuggillatur ob hæc edicta à maleuolis, anno 1317.15. depoſitionis ſententiam fert in Hugonem Caturcenſem Epiſcopum ob varios exceſſus. ib. 16. reformat collapſam diſciplinam Eccleſiaſticā, ib. 18. eius reſcriptum aduerſus Fratricellos hæreticos. ib. ad Saracenos è Granatenſi regno expellendos conſtitutionem euulgat. ib. 20. Fridericum Tholoſatium Epiſcopum albo ſanctorum inſcribit. 1317.24 legatos mittit pro pace Italiæ, & alios in Angliam ob varias cauſas. ib. 27. quomodo Regem Galliæ & Flandriæ Comitem reconciliauerit 1317.31. ſumma eius in Lod. Bauarum rebellionis authorem clementia. 1318.9. legem contra rebellantes Sedi Apoſtolicæ promulgat. 1318.5. & 6. contra Iudæos decreta ſuorum prædeceſſorum innouat. 1319.9. agit contra Waldenſes hæreticos 1319.10. Fridericum Imp. inaugurare differt. 1320.3. aduerſus Eccleſiæ hoſtes ſe armat. 1320.10. Pictauienſem & alios quoſdam Epiſcopatus diuidit. ib. 12 conſtitutio pro Iudæis conuerſis aut conuertendis ib. 23. contra Lod. Bauarum Imperatoris officia vſurpantem Fridericū euocat. 1321.1. conſtitutionem euulgat cōtra proſcriptos 1321.6. Fratricellos & eorum ſcripta condemnat. 1321. 8. Michaelis Cathari Græcorum Imp. nepotis confeſſionem fidei accipit. 1321.12. Kiouienſibus Ruthenis Epiſcopum conſtituit. ib. annihilat alienationem bonorum Eccleſiæ, 1321.13. Regem Angliæ monet vt corrigat grauamina populo Hiberniæ illata. ib.14. edictum edit de vſu rerum à dominio diſtincto. 1322. 4. item alia de eadem controuerſia. ib. 5. Venetos à Rom. Eccleſiæ perduellium clientela deterret. 1322.19 multi perduelles & refractarii ei reconciliantur. 1322.21.22.23. Regi Galliæ poteſtatem facit repudiata vxore aliam ducendi. ib. 27. edit conſtitutionem contra falſos monetarios ib. 28. pacem Eccleſiæ procurat. ib. 29. inſolentes clericos compeſcit. ib. 30. raptores theſauri Eccleſiæ excommunicat. ib. 31. Lodouicum Bauarum excommunicat. 1323.3. Genuenſes ad cōcordiam fruſtra hortatur. ib. 5. conſtitutionem innouat de rerum vſu contra quoſdam Minoritas, 1323.11. & 1324.8. diploma pro priuilegiis monaſterii Meſſanenſis in Sicilia. 1323.19. iterum Lod. Bauarum excommunicat & quare. 1324.1. varias ea de re ad diuerſos ſcribit epiſtolas, ib. 2. & ſeq. conſtitutionem aduerſus monetarum adulteratores edit. 1324.25 Carolum Galliæ reg. in Imp. Rom. eligere cogitat 1325.1. Poſtillam Ioannis Stringii Begoardi exurit. ib. 8 hæreticis & ſchiſmaticis in teris Saracenorum ſine licentia prædicantes excommunicat. 1325.10. vigilantia pro conſeruatione fidei. ib. 12. contra Tartaros & Lithuanos tunc adhuc infideles indulgentias cōcedit. ib. 14. denarium S. Petri à Polonis exigit. ib. 15. ſanctionem edit cōtra vſuras Iudæorum. ib. 19. Romanos à Lodouici ſocietate abſtrahere conatur. 132[illegible].1. conſtitutiones edit contra hæreticorum fœderatos 1326.8. & 9. Brugenſes excommunicat & cur. 1326.14. Marſilium Paduanum excommunicat 1327.6. & 7. Lodouicum ab ingreſſu Romanæ vrbis retardare conatur. ib. 10. decē Cardinales creat. ib. 12. reiecto Lodouico diem Electoribus pro eligendo Imp. deſignat. ib. 13. eius contra Fratricellos ad Prælatos Poloniæ epiſtola. 1327.18. 19. 20. Monitoria ad Chriſti fideles. 1328. expeditionem parat in terram ſanctam. 1329.13. contentiones inter Reges Arragoniæ ortas componit & iuramentum fidelitatis exigit & accipit ib. 14. ſanctiones de hæreditate regni Valconum. ib. 16. conſtitutiones edit aduerſus artes magicas. ib. 17 fidei miniſtros mittit in Lithuaniam. 1329. 21. literæ ad regem Boemiæ de rebus geſtis Lodouici. 1330. 1. literæ de erroribus Petri Gorbarii Antipapæ, quas per totam Germaniam promulgari curat. ib. 10. à Ludouico confœderatos Principes abſtrahere nititur. ib. 12. Regi Galliæ ne Auinionem veniat interdicit. 1331. 8. controuerſiam de viſione animarum à corpore ſeparatarum mouet, cui ſe opponunt FF Prædicatores & alii. 1331.11. monetur a Galliæ & Siciliæ Regibus vt ab ea deſiſtat. ibid. nihil tamen de ea definit. ib. factiones in Italia componere ſtudet. 1332.11. Dunelmenſi Eccleſiæ Epiſcopum præficit. ib. 12. fratres minores mittit in Armeniam. 1332.14. Legatos Cōſtantinopolim mittit pro pace Eccleſiæ. 1333.1. Legatum Lod. Bauari audit, ſed poſtulata eius de Imperio reiicit. ibid. 4. cenſum Eccleſiæ ex diuerſis regnis percipit. 1332.15. & 1333.6. opinionem de viſione animarum multum remittit. ib. ſententiam ſuā de animarum purgatarū viſione paulo ante mortem edita Conſtitutione declarat. 1334.1. moritur. ib. 2. literarum ſtudioſiſſimus ib. & iuris peritiſſimus & Eccleſiaſtici iuris tenaciſſimus. ib. miraculum ante eius obitum. ib. viſio de eius obitu & ſucceſſore. ib. defenditur à Caluini Calūniis ib. 3 eius diploma de recipiendis nunciis Apoſtolicis. ib. à calumnia hæreſis à Benedicto XII. ſucceſſore vindicatus. 1336. 10.
Ioannes de Rupeſciſſa Minorita falſus vates. 1357.4
Ioannes Suencfeldius Dominicanus inquiſitor fidei occiditur. 1341.8. miraculum de veſte occiſi. ibid.
Ioannes Patriarcha Alexandrinus Archiepiſcopus Tarraconenſis, regis Iacobi filius vir inſigni pietate moritur. 1334.8
Ioannes Thaulerus Dominicanus floret 1357 15. eius pro moribundis conſilia. ib. obitus. 1355.10. vita, alphabetum, vis in concionibus admiranda. ib. 11.12.13. & ſeq.
Ioannes Vicecomes Bononiā occupat 1341.2 fit Archiepiſcopus Mediolanenſis. ib. eius verſutia ſingularis, & faſtus. ib. eius ſuperbum & inſolens reſponſum 1351.1. paciſcitur cum Pontifice. ib. 2. moritur. 1354.2
Ioann. Wicleff. hæreſiarcha emergit, & Angliam hæreſibus fædat 1352. 16. & 1371.6 & 1377.5. eius articuli. ib. quis? & quare à fide Catholica deſciuerit. 1371.7. quas opportunitates habuerit virus ſuum ſpargēdi. ib. eius propoſitiones ſeu deliramenta. 1377.13. ſcriptum pro declaratione ſuarum hæreticarum aſſertionum. ib. 15. eius aſtutia, & aliæ eiuſdem propoſitiones & errores prioribus peiores. ib. 16. & 17. geſta & Polyd. Virg. ib. 20. eius hæreſim Berguardi & Fratricelli in Germania & alibi ſemināt. 1372.7. à Pont. Greg. XI. ob hæreticas concluſiones comprehenditur, & ſuper illis examinatur. 1377.6. ſilentium ei indicitur ab Archiep. Cantuarienſi, ſed fruſtra. ib.
Ioannes Auguſtus plurimas ditiones Placentinæ & Papienſ. diœceſ. Vicecom. Bernaboui eripit. 1372.6. ſpemque victoriarum Greg. Pontifici meliorem iniicit. ib.
Ioannes Cantacuzenus aſtute Ioannē quendam in patriarcham Conſtantinop. euehi curat contra Epiſcoporum ſententiā. 1332. 2. eius quædam verba examinantur. ib. 3. per inuidiam eundem apud Imperatricem accuſat. 1341.13. Imperator acclamatur cū vxore. ib. quid in creatione eius acciderit. ib. 15. ſomnium ib. & 1343. 15. oratio contra ſententiam patriarchæ Conſtantinop. 1342.31. Orchanem Turcam euocat. 1343. 14. coronatur. 1343.16. eius res geſtæ. ib. 21 de eo epiſtolæ duæ vna ad Pontificem, altera ad Delphinum Viennenſem. 1343.23. 24. eius relatio de legatione ſua ad Pontif. 1345.14. mendacia confutantur. ibid. 15. Lazarum Hieroſolymitanum patriarcham depoſitum reſtituere ſtudet. 1349.15. mittit Legatum ad Carolum IV. 1353.23. eius fallacia. & diuina vltio. ib. 25. perfidia. 1351 6. Imperium abdicare cogitur. 1355 37
Ioannes Veccus patriarcha Conſtantinop. vir doctus prius vnioni Græcæ Eccleſiæ aduerſarius, poſtea conuertitur, & eā magnopere promouet. 13[illegible].9.19. eius inſcriptiones in ſententias patrum de proceſſione Spiritus ſancti, refutatæ à Gregorio Palamæ, defenſæ à Beſſarione. ib. 19 in pſeudoſynodo à ſchiſmaticis Epiſcopis in palatio coram Auguſta condemnatur. 1343. 16 è throno eiicitur & relegatur. ib. 25
Ioannes Matthæus Cydonius poemata ſcribit in D. Thomam de Aquino. 1359.20.
Ioannes Dux Burgundiæ naſcitur. 1371.4





Ioannes Columbinus floret. 1358.13
Ioannes Dux Gerundenſ. filiæ Philipp. reg. Gall. nubit. 1367.18
Ioannes Galliæ rex Auinionem ad Pontificem venit, 1351.11. infeliciter cum Rege Edouardo Anglorum prælio decertat, & capit cum filio Philippo. 1356.6. Bonorum Eccleſiaſticorum vſurpator ibid. in auaritia, ſacrilegio, & crudelitate perſiſtit. ibid. 19. Carbunculo fidens. victoriam ſibi promittit. ib. è captiuitate Anglicana liberatur. 1360.2. moritur. 1364.1
Ioannes Salernitanus Sed. Apoſt. ad Frid. Trinacr. Regem nuncius. Siciliam anathemate abſoluit. 1373.29
Ioannes Baptiſta Galeatio apparens ne Modoetiam excindat, imperat. 1324.16
Ioannes Archiep. Cantuarienſis vir conſtans regi Angliæ ipſam veritatem aperit. 1340. 10
Ioannes Bohemiæ rex Fraterculorum, Dulcianorum vigilias nocturnas reprimit. 1331 5. fuit nihilominus vitæ deprauatæ ibi. excōmunicatur & cur. 1337. 6. malis artibus Poloniæ partem ſibi acquirit. 1325.15. ſequeſtrem agit inter Pontif. & Lodouicum Bauarum, 1330.1. in Italiam penetrat & multas vrbes Pontifici conciliat. ibi. 3. ſub Pacificatoris nomine aliud agit. 1330.16. eius progreſſus in Italia, 1331. 4. fœdus contra eum. ib.
Ioannes Baptiſta Prolomæus Dominicanus claret ſanctitate & miraculis. 1320.29
Ioannes Caietanus Legatus Caſtrutium excommunicat. 1326.2
Ioannes Pingentius Dominicanus miraculis clarus moritur. 1301.12
Ioannes Coruinus Minorita Archiepiſcopus Cambalenſis creatur. 1306.6
Ioannes de Janduno excommunicatus. 1327. 7
Ioannes Hannonius raræ humilitatis. 1311. 22
Ioannes quidam Poidraſius ſe Angliæ Regis filium iactat. 1314.5. punitur. ib
Ioannis Tornierii Carthuſiani ſanctitas & miracula 1319.14
Ioannes Glycys ex vxorato in ſedem Conſtantinopolitanam ſuccedit Niphoni. 1314 29
Ioannes ex presbytero fit Patriarcha Conſtantinop. 1332.2
Ioannes Veſpiguianus miraculis clarus obit. 1331.15
Ioannes Zamoſcius regni Poloniæ Cancellarius & eius elogia. 1331.16
Ioannes Augut cum ſociis, ob violatas vrbes Sedis Apoſtolicæ, anathemate damnatur. 1369.4
Ioanninus Sanguinacius medicus, ob magiam in exilium relegatur. 1316.15
Ioannis Bockii Decani Bremenſis liberalitas & pia viſio. 1415.9
Ioan. Firmiani Lauernicolæ, incunabula, vitæ inſtitutum, ſanctitas, viſiones diuinæ & obitus 1312.40
Ioannis Pariſienſ. Epiſcopi, & Ioannæ Vrbeuetanæ virginis ſanctitas, miracula & obitus. 1306.18
Ioan. Vicecomitis valde potentis mors. 1354. 2. epitaphium. ib.
Iordanes Ioan. Pontif. affinis ob flagitia ſupplicio afficitur. 1321.11
B. Iordanis Piſani eruditio, obitus & miracula. 1311.20
Iorlai Archiepiſcopi Gneſnenſis res geſtę, pro bonis Eccleſ. 1374.15
Irene Imperatrix Græcorum Catholica ſchiſmaticorum hiſtoricorum ſtylo acriter perſtringitur. 1300.27. defenditur. ibid. moritur. 1315.30
Iſabella Arragonii Regis filia, vxor Friderici Auſtriac. 1315.3
Iſabella Fuſca Luchini Vicecomitis Mediolanenſis præfecti vxor impudica. 1339.8
Iſabella Angliæ regina viro ſuo diffidens cum filio profugit in Galliam. 1325.16 rediens illum capi & exauctorari curat. 1326.10
à filio ob adulterium necatur. ibi.11
Iſaias Patriarcha Conſtantinop. admodum moroſus in condonandis culpis. 1329.29. moritur 1332.2
Iſidoriani monachi vnde profecti. 1373.5
Iſidorus Patriarcha Conſtantinop. intruditur 1343.25
B. Iſrael Summo frater B. Birgittæ moritur. 1348.37
Iſuardus Dominicanus in Sedem Antiochenam reſtituitur. 1325.12
Italiæ ſtatus miſerabilis. 1317.9
Italiæ Principes fœdus faciunt, contra Ioan. Bohemiæ regem. 1331.4
Plurimæ vrbes ab Eccleſ. deficiunt. 1374. 8
Pontificiæ poteſtati ſe permittunt. 1373. 17
Jubilæum ſeculare inſtituitur à Bonifacio VIII. 1300. 1. à centeſimo ad 50. reducitur à Clemente VI. 1342.4. ab eodem celebratur. 1350.1. Rex Angliæ celebrat. 1361. 8
Judæus à B. Virgin. detectus quod imaginem eius læſiſſet, pœnas luit ſacrilegii. 1326. 20
Judæi è Gallia eiiciuntur & cur. 1306.8. à Joanne XXII. decreto inſectantur. 1319. 9
Ob maleficia & ſcelera in Gallia perpetrata ſupplicio afficiuntur 1320.21
Judæorum crudele facinus in hominem Chriſtianum 1305 8 in S. Euchariſtiam 1306.8 execrandæ in Deum blaſphemiæ. 1319.9. item aduerſus ſanctos veteris teſtamenti. ibid. aduerſus legem Moſi. ibid. aduerſus charitatem & humanitatem. ibid. eorum aliæ ſuperſtitiones. ibid. ob ſcelera, perſecutiones. 1320. 22. execrandum ſcelus in SS. Euchariſtiam. 1329. 19 aliud ab iiſdem patratum ibid. 20. in hoſtias ſacras nefanda atrocitas. 1337.22. & 1338.20. ob puteos veneno infectos ſupplicium. 1348. 18
Judicium impugnatorum doctrinæ Lullianę de eius libris. 1372.14
Julianæ Falconeriæ Florentinæ Ord. Seruitarum vita & obitus. 1341.17
S Juonis pauperum aduocati origo & ſtudia 1347.23
Opera charitatis, vitę auſteritas, miracula, obitus & canonizatio. ib.
Juramentorum & Sponſionum litteras Sed. Apoſt. permittit Carolus. 1376.7
Jus eligendi Imperatoris ad Septemuiros perueniſſe à Sede Apoſt. agnitum ab ipſis Eccleſiæ hoſtibus. 1314.16

K.

KEiſtutus Lithuanorum Princeps Chriſtianum ſe fore ſimulat, & cur? 1349. 19
Kiouienſes, Rutheni, à Pontif. Rom. Epiſcopum accipiunt. 1321.12

L.

LActicinia butyrum & oua Treuirenſibus & Colonienſibus feriis ſextis extra quadrageſimam indulta & cur. 1344.3 non autem Moguntinenſibus & vnde? ibid.
Ladiſlaus Vernerii filius ſupplicium ſumit de rebellantibus contra Sedem Apoſtolicam 1305.11
Ladiſlaus Locticus fit Poloniæ Rex. 1320. 17
Crucigeros Lithuanorum debellat. 1326. 16
Eorum perfidiam experitur. 1331.15
Eius oratio & victoria de Crucigeris. ib.
Laici bannientes ſeu relegantes aut proſcribentes perſonas Eccleſiaſticas, excommunicationis ſententiam incurrunt. 1368. 12
Lamperiani hæretici à Wicleffo oriundi. 1352 18
Lancea Carolina quæ? 1350.14
Lancea Chriſti eſt Romæ, & qua pompa ibi recepta? 1350.15
Lauretana B. Virg. ædes frequentatur & variis miraculis illuſtratur. 1300.25 & ſeq. circa eius reſtaurationem ingens miraculum. 1304.8. renouata à Joanne XXII. Pont. 1322.16. ornatu aucta & indulgentiis. 1335.15
Lazarus Patriarcha Hieroſolymitanus deponitur à Joanne Conſtantinop. ob ſchiſma & falſa dogmata. 1349.14. à Sultano reſtituitur. ib. 17. diuina in eum vindicta. ibid.
Lectio Theologica Valentiæ aſſignatur Ord. Prædicatorum 1346.23
Legatus regis Armenorum ad Benedictum XII. 1338.21
Legatus Innocentii VI. magno honore in Italia exceptus. 1353.6
Legatus Apoſtolicus à Philippo rege Galliæ in cuſtodiam datus. 1303.3. à Baſilecuſibus interfectus. 1325.1
Leopoldus IV cognomēto Pius Auſtriæ Dux miraculis clarus. 1358.11.12
Leopoldus Friderici & Henrici fratrum calamitatem deplorat. 1323.7. necromanticum conſulit ſuper fratris liberatione. ibid. 8. anathematis ſententiam in Lodouicum Bauarum vbique euulgat. ib. 9. Alſatiæ ciuitates à Lodouico Bauaro alienat. 1325.1 conuenit cum eodem certis conditionibus quæ reſcinduntur à Joanne Pont. ibid. 2. 3.
Leucius Borontinus Epiſc. à Bonif. excommunicatur. 1300.14
Lex apud Rauennates contra nimium cultum ſeu luxum mulierum. 1331.9
Liberatæ & Fauſtinæ ſororum virginum vitæ inſtitutio, & obitus. 1317.8
Litani & Pruſſi Crucigeros in Liuonia & Pruſſia affligunt. 1300.23. eoſdem debellant. 1326.16. eorum crudelitas. ibi. adhuc pagani ſeu infideles. 1329.21
bello ad Chriſtianiſmum amplectendum à Caſimiro Poloniæ rege tentatur, ſed fruſtra. 1344.7. vincuntur à militibus Teutonicis. 1351.8
Locuſtæ horribiles Germaniam vaſtant. 1337 23. item Italiam 1365.3
Lodouici Comitis Flandriæ, memorabile in matrem pietatis exemplum. 1368.12
Lodouicus Hungariæ Rex, eiuſque virtutes. 1342.35. Tartaros profligit. 1344.7
Legatos mittit ad Pontificem qui tamen non audiuntur. 1346.19. vlciſcuntur mortem Andreæ Regis Siciliæ. ib. & ſeq. 1348.2 crudelitas & arrogantia. ibi. 3. Romam ad Jubilæum venit, & Pontificis monitis acquieſcit. 1349.5.6.7. item 1352.3. coronatur & inaugitur in regem Siciliæ. ibi. 5. Venetos ingenti bello caſtigat. 1356.23. rogat Pontificem vt regnum Raſciæ ei occupare permittat. ibid. 24. ad bellum contra Turcos ſe parat. 1466.10
Lodouicus Bauarus fraudulenter eligitur in Imp 1314.12. mittit Legatum ad Joannem XXII. pro diademate. 1316.4. cum Friderico Auſtriaco de ſumma rei depugnat. 1315. 2. Guelphorum factionem penitus excindere conatur. 1314.9.
rebus Eccleſiaſticis ſe immiſcet. 1317.45
varios ſcriptores ad calumniandum Pont. Rom. conducit. 1321.7. Galeacio ſubſidia mittit contra Pont. 1323.3. excommunicatur. ibid. ad eum Pontificis monitorium, ibid. 4. ingenti prælio Henricum & Fridericum vincit & capit. 1323.7.
iterum excommunicatur & cur. 1324.1
ſæuiſſima ira & calumniæ in Joan. Pont. ib. 6 appellat ad futurum Concilium. ibid 7. appellationem interponit. 1324.11. perſeuerat in pertinacia & rebellione. ib. 12 viro principi vxorem eripit, & iterum ob id excommunicatur. 1324.28 ad occupandā Italiam fraudulenter omnibus pacem pollicetur. 1325.4. Romam ſeditionibus turbat. 1326.1. criminationes in Joannem Pont. ib. 2. comitium cogit ad ſuſcipiendum diadema Imperii. 1327.1
eius machinæ ad conuellendam maieſta-

tem pontificiam.ibid. 2. Imperii diadema Mediolani ſuſcipit à quodam Pſeudoepiſcopo. ibid.4. Galeatium Vicecomitem in carcerem trudit.ibid.inuidiam ſuorum incurrit ibid 5. inaugurationem à pontifice petens repellitur, & vt ſchiſmaticus damnatur.ibi.6. Romam petens in Hetruriam contendit. 1327 9. vrbes expilat & ingentem pecuniam corradit. ib.11 maxima cæde ciuium Romam ingreditur. 1328.1. Imperator inauguratur à Jacobo Epiſcopo Veneto.ib 2 illopræſente clerus rem diuinam agere detrectat. ibid. qualis ipſius ibi fuerit comitatus.ibid.omnibus libertatem facit calumniandi Joannem pont.ib 5. depoſitionis ſententiam fert in Joannem. ib. 6.leges præſcribit Rom pontifici ib Antipapam conſtituit. 13 8.10 à Romanis expellitur: 1328.12. fugiens Roma maledictis impetitur.ibi.14. eius rapinæ ibid.15. impietas. 1329.1. paſſim ab omnibus excommunicatur ibi 9. Nurenbergæ in Comitiis agit pro Antipapa ſuo, contra Joannem Pontif. 1330.9. conatus contra eundem. 1331.3. indignatur Bohemiæ Regi. ib 5.Legatum mittit ad Pont. 1333.3. infidus ibid. 4.à Benedicto XII ad pacem inuitatur, & Legatos ad eum mittit. 1335 7 item alios, petens abſolutionem. 1336.1. eius epiſtola ad Benedictum. ib 2. dat legatis ſuis poteſtatem reuocandi & annullandi omnia acta contra Joannem XXII.ibid item reuocandi proceſſus & pœnas promulgatos contra eos qui Henrico Imper. non adhæſerant. ib. item reuocandi donationes terrarum Eccleſiæ ab ipſo factas.ib promittendi non occupare terras Eccleſiæ, eiuſque ſubditos non moleſtare ib vbi plura talia Eius tamen legati nihil obtinent præter admonitiones ib 3 iterum Legatos mittit & valde ſubmiſſe veniam petit ibid. 4. fœdus facit cum Anglo contra Gallum ib 7 precibus fatigat Pontificem, ſed nihil obtinet. 1337.1. illum Germaniæ Antiſtites Pontifici conciliare ſtudent 1338 1. inſurgit aduerſus Pontificem, & Antipapam in Germania conſtituit. ib.3. Wilhelmum Comitem Juliacenſem Ducem creat ibid. eius conſtitutio de Imperii dignitate contra Pontificis poteſtatem. ibid.eius infame decretum contra proceſſus Joannis XXII 1338 7 perſequitur omnes qui Pontifici obſequuntur.ibi.8. fœdus ſancit cum Rege Angliæ contra Gallum.ibid 9. illum inſtigat contra Gallum.1339. 4, relicto Anglo fœdus facit cum Gallo. ibi.16. eius nouum facinus.1340, 3 horrenda lanienа in vxorem & alias fœminas domeſticas.ibid. ab eo ciuitates Italiæ deficiunt.ib.4.iterum turbat ſtatum Italiæ & vrbibus Pontificiis mortuo Benedicto præfectos conſtituit. 1342 6. excommunicatur à Clemente VI. & paſſim vt talis denunciatur.ibi.Imperio per ſententiam priuatur. 1343.1. Eccleſiæ ſtatum miſerrimum facit.ibid.2. mittit tamen Legatos ad Pontificem quorum pactis ſtare non vult ib Comitia Francoforti celebrat, in quo ſe magis contumacem in Pontificem oſtendit. 1344.1. iterum excommunicatur & deponitur ibi 2 & 1346. 1. eius varia crimina quorum eum Pontifex accuſabat.ib.2.cancro laborat,1346 14. moritur non ſine ſuſpicione veneni. 1347, 31.qualis eius pœnitentia. ibi.

Lodouicus Hutinus rex Galliæ. 1314.20. Judæos à patre expulſos ſuo & populi ſui malo recipit. 1320.21

Lodouicus Brugenſium Princeps iura Eccleſiæ defendit. 1327.24

Lodouicus Niuernenſis Comes patri toxicum parans incarceratur, & multa patitur à patre Flandriæ Comite. 1320 25

Lodouicus Siciliæ regis, & Iacobus Iacobi Balearici regum filii ordinem S. Franciſci profitentur. 1319.11

Lolhardus hæreſiarcha, & eius dogmata. 1307.9 Coloniæ exuritur. 1322.43

Lollardorum errores quidam 1360.11

Londinenſes Oxonienſem Epiſcopum ſecuri percutientes, excommunicantur. 1329 16

Londonenſia Comitia in cauſa rerum Angliæ 1311,18

Lubecæ præſagium & peſtis. 1351.7 mirum de iouene quodam, qui per ſeptennium dormiuit. 1376.23

Luchinus Vicecomes Præfectus Mediolanenſis habet vxorem impudicam à quo veneno interficitur. 1339.8

Ludolphus Saxo Carthuſianus floret.1337.19

Lulliſtarum errores numerantur. 1372.15

Lupoldus Bambergenſis intruſus Epiſcopus ſcribit contra Pontificis poteſtatem.1338.5

Luſitaniæ Rex concubinam ſuam in vxorem ducit. 1371.14

Lutetia tumultuatur & Regnum grauiter affligitur. 1356.10

M.

Magicæ artes inualeſcentes à Joanne XXII.Pont prohibentur. 1329 17

Magiſtri ſuprema Templariorum exurendi ſuprema vox. 1311 8

Magnus terræ motus in Aragonia. 1373.29

Maniaca paſſio, S. Joannis chorea dicta, quã exitioſa in Germ.inferiori extiterit. 1374. 13

Manuelis Cantacuzeni filii de patre ſuo ſomnium ſeu verius figmentum. 1343.15

Marcus Epheſius Schiſmaticus S. Thomam Aquinatem carpere audet, & à Græcis inter Sanctos computatur. 1339. 19

Margaritæ Caſtellanæ virginis primordia ſanctitas, miracula & obitus 1320.30

B.Mariæ Magdalenæ antrum à F.Elia Gallo Ord.Præd.incolitur. 1370.21. eius reliquiæ ibid.23. quomodo corpus eius à Carolo Comite Prouinciæ repertum fuerit, ibid. 24

Mariæ Reginæ Caſtellæ laudatiſſimæ obitus 1312.42

Mariæ Veronenſis virginis primordia, vitæ inſtitutum, miracula & obitus 1320 28

Mariæ Venetæ Ordin. Prædicatorum vita & obitus 1339 35

Maronitarum hæreſis 1330.51

Marquardus Epiſc Auguſtanus Pontificis ditiones infeſtans à Deo punitur. 1356.20

Marſilius Paduanus à Joanne XXII.Pontif. excommunicatus & cur 1327.7 eius interitus. 1328.15

Martinus Falerius Dux Venet.creatur. 1354.6 Dominium Reip. occupare conatur, cum coniuratis ſupplicio afficitur 1355.1

Matthæus Cantacuzenus Imp renunciatur. 1355 40

Matthæus Vrſinus Card. Ord Præd. vir inſignis & ſanctus, moritur. 1340.26

Matthæus Palicius Regis Siciliæ tutor, muliebri tumultu occiditur 1312.6

Matthæus Vicecomes ab Henrico Rege Mediolanenſibus præpoſitus 1311.14. ob varia flagitia excommunicatur. 1318.2 ob id iratus arma corripit. ibid.3. tyrannidem in Pontificios proſequitur. 1319 1. Genuam obſidens profligatur.ibi.2.iterum excommunicatur.ibid.3.bellum continuat.1320. 4.iterum excommunicatur ibi.2 fraudulenter cognitionem hæreſis & ſuæ cauſæ effugere conatur. 1321.2. iterum excommunicatur.1322.6 item eius filii & aſſeclæ ib. 9.deficientibus ab eo Mediolanenſibus timore fractus abſolutionem petit, ſed morte præuenitur ibi 13

Matthæus Cantacuzenus Imperiũ affectans, à Palæologo capitur. 1361.1. à patre ſibi perſuaderi patitur vt credat ib 2.&4

Matthias Cracouienſis Dominicanorum Orator ad Benedictum XII. 1337.11

Matthias Archiep. Moguntinenſis moritur, eiuſque laudes 1328.24

Matthias S. Brigittæ in ſpiritualibus præceptor vir ſanctus.1306 6 moritur. ibid.

Mauri & Arragoniæ & Caſtellæ Regibus vincuntur. 1309.21.1329 1 cum ingenti exercitu in Hiſpaniam ex Africa traiciunt. ib.apud Tariffam inſigni prælio vincuntur 1340.16

Mauri cuiuſdam querela 1309.22

Mauritii Vngari Dominicani vita, & miracula 1336.28

Medici Lenones cenſendi, qui ſanitatis ſeruandæ vel recuperandæ gratia vſum fœminarum ſuadent iis quibus id non conuenit 1328.34

Mediolanenſes rebellant aduerſus Henricum Regem Rom. eique tranſitum in Italiam negant. 1309.1. interdicto ſubiiciuntur. 1320.5.reconciliantur.1329.4.ad obedientiam Pontificis redeunt, & abſoluuntur. 1341.2

Mendacium Caluini de Joanne XXII.Pontifice. 1334.3

Metochites Theodorus Græcus inſignis eruditionis & memoriæ vir floret 1314.30

B.Michaela vidua Ord. Tertiarii S. Franciſci moritur 1356.32

Michael Ceſenas Generalis Minoritarum, Guilielmus, Ocham, Joannes Jandunus, Marſilius Patauinus mali conſiliarii & flabella ſeditioſa Lodou.Bauari contra Pon. Joannem 1324.6

Michael Ceſenas Generalis Minoritarum deponitur à Pont. 1327.15.item 1328.17. Joanni Pont.octo errores aſcribit. 1329.5 Pontificis in eum ſententia.ibid.6 eius peruerſitas & in Joannem Pont.contumia. 1330. 6.excommunicatur.ibi.& 7. apologiam edit, cui reſpondetur à Minoritarum Generali.1331.1. in eum ſententia, Capituli Generalis. 1331. 2. errores & hæreticæ aſſertiones ib.

Michael Palæologus moritur, vnde magnæ turbæ in Oriente. 1305.12. pro vnione vtriuſque Eccleſiæ multum laborauit.1339. 18 accipit reſponſum ab Vrbano IV.ad ſea petita. 1339.33.item à Gregorio X ibi.34

Milites Hoſpitalarii accuſantur apud Clementem VI. 1343,19

Militia noua in Hiſp. à Baudæ nomine contra Saracenos. 1312.13

Militis cuiuſdam deſperati vox impia eiuſq; pœna 1350.26

Militum Hieroſolymitanorum de Turcis victoria 1310.22

Fr. Minores miſſi in Armeniam 1332.14

Minorita comburitur & cur 1337.3

Minoritæ multa falſa dogmata ſpargunt contra Summ. Pont. 1311.18

Minoritarum quorundã peruicacia dogmata & blaſphemiæ. 1318.1. contra eos decretum.ibid.de paupertate Chriſti ſententia. 1322.13.nimis contentioſe de ea diſputant 1323.10

Mirabilis interitus Citizẽſis Epiſcopi.1352.22

Miracula plurima tempore iubilæi Bonifaciani 1300.4

Miracula cur aliquando fiant in Ethnicis & infidelibus 1328.4

Miracula Joachimi Senenſis 1305.6

B.Andreæ Seruitæ 1315.14

Auguſtini Terani 1308.23

Benedicti XI 1304.6

Boſonis Carthuſiani 1313.31

S.Claræ 1308.22

Conradi Offidani Franciſcani 1306.9

S Humilitatis 1310.1

Jacobi Dominicani 1301.11

Imaginis B.Virg. 1313.20

Joannæ Vrbeuetanæ 1306.18

Jordanis Piſani 1311.20

B Mariæ Virg Lauretanæ 1300.25

Nicolai Tolentini 1306.17

Roberti Dominicani 1317.7

Zachariæ Romani Minoritæ 1319.13

Joannis Tornerii Carthuſiani ib.14

Simonis Dominicani 1319.15

Jacobi Veneti 1314.27

S Albani martyris 1315.6

Agnetis Politianæ 1317.5

Friderici Tholoſatii Epiſcopi 1317.25

Thomæ Herephordenſis 1320.26

Mariæ Veronenſis 1320.28

Joannis Baptiſtæ Ptolomæi 1320.29

Margaritæ Caſtellanæ 1330.30

Petri Fulginatis 1323.20

Eleazarii Comitis Ariani 1325.29





Franciſci Senenſis Ord. Seruorum B.Virg. 1326.21

S.Rochi. 1327 26

Eliſabethæ Luſitaniæ reginæ. 1336 26

Mauritii Vngari Dominicani 1336.28

Dalmatii Monerii Dominicani 1341.18

Venturini Dominicani. 1346.27

Catharinæ Senenſis Genuæ. 1376.30

S.Birgittæ, vide Brigitta.

Miraculum circa S.Euchariſtiam à Iudæo in bullientem aquam coniectam. 1306.8

Miraculum pro confirmatione Calendarii Gregoriani. 1330.63

Miraculum Galliæ Placidiæ. 1336.27

Miraculum in hoſtia conſecrata à Iudæo gladio læſa. 1338.20. à ſacrilegis in cœnum demerſa. 1346.25

Miraculum Bruxellis de ſacris hoſtiis à Iudæis pugionibus confoſſis. 1369.7

Miraculum ingens in Oriente de probatione per ferrum candens. 1341.19

Miraculum in imagine Chriſti Crucifixi. 1303.21

Aliud in B.Virgine 1301.11.1326.20

Miraculum de S.Albano. 1314.14

Miraculum de imagine S.Antonii. 1376.26

Miraculum inſigne apud Aſſiſium. 1378.5

Modoetia à Galeatio capta. 1324.16. eius theſaurus à ſacrilego ablatus diuinitus reſtituitur. ib.

Modus inſtituendi inquiſitores hæreticæ prauitatis. 1347.29

Moguntinenſibus oua, butyrum, lacticinia feriis ſextis prohibita. 1344.3

Mompellerium quomodo ad Reges Galliæ peruenerit. 1344.9. venditur Regi Galliæ. ibid.

Monachorum Ord.S Hieron. viuendi mos à Greg XI.approbatur. 1373.5

Monachus quidam Carthuſianus poſt mortem miraculis clarus, illa à Priore ſuo facere prohibetur, & obedit. 1333.12

Monialis cuiuſdam ad euadendum ſtuprum forte facinus. 1326.16

Monſtrum in agro Florentino. 1312.13. item alia.ib.14.in agro Volaterrano. 1318.19 in ciuitate Traiectenſi. 1377.6

Motus in Polonia Ladislao monacho regnũ affectante 1475.19

Muliebris tumultus contra Palitium quendam. 1352.6

Mulieres Rauennæ olim coronas in capite geſtare ſolebant. 1331.9 earum luxus lege reprimitur. ibi.

N.

Nanckerus Epiſcopus Vratislauienſis regem Bohemiæ ob caſtrum Miebiez occupatum & reddere recuſantem excommunicat.1337.6.veneno necatur ab eodem 1341.7.eius laus. ib.

Narratio ſummaria de Raymundo Lullo. 1372.16

Neapoleo Vrſinus Clementis V. Legatus à Bononienſibus violatus. 1306. 2. eos excommunicat.ib. 3. moritur. 1337.20

Neapolitani S. Thomam Aquinatem inter patronos ſeu tutelares vrbis ſuæ aſſcribunt 1322 32.de ea re epiſtola Clementis VIII. ad ipſos.ibid.& ſeq.item Pauli V.ibid. 37

Neapolitani regni ſtatus. 1343.6. ob ſcelera tempeſtate & terræmotu diuinitus puniuntur. ibi.28

Necromantici quidam ignibus adiudicati. 1337.4.

Nerſes Armenus Epiſcopus Romæ conſecrationem petit. 1338.21

Neſtorianorum Patriarcha Babylone reſidet 1330 21

Neſtorianorum blaſphemum dogma. 1330. 54

Nicephorus Gregoras ſchiſmaticus Græcus Irenem Catholicam Imperatricem acriter perſtringit. 1300.27. Patriarcham Conſtantin. a diſputatione cum Legatis Rom. Pont auertit. 1333.1

S. Nicolai Ord. S. Auguſtini natalis prophetiis illuſtris. 1306.10. infantia & præclara pueritia.ibid.11. adoleſcentia & vitæ inſtitutum.ibi. 2. Sacerdotium & ſanctiſſimus vitæ curſus.ibid.13.14.15.16.miracula. ib.17.mors illuſtris. ib

Nicolai Volmerii Dominicani peregrinatio, obitus & pœnitentia. 1330.60

Nicolai Pratenſis vitæ inſtitutio, progreſſus, res geſtæ & obitus 1322.39

Nicolaus Pſeudopontifex captiuus mittitur ad Ioannem XXII.Pont & errorem deteſtatur. 1330.3.abſolutionem impetrat. ibi. 4.prodigium in eius conuerſione. ibi.5

Nicolaus Gabrinus ſcriba publicus audacia inaudita Capitolium Rom. occupat, & libertatem populo promittit 1347 1.facit ſe Tribunum.ib.curat ſe rebaptizari.ib.Pontifici minatur, & Carolum Rom. Regem itemque Lodouicum Bauarum ad ſua ſubſellia citat.ib. 2.eius ſequaces ibi.dominus vrbis ſalutatur.ib.11. inuitat omnes Italiæ Principes ad fœdus.ib. 14.tyrannice dominatur.ibi.15.qua pompa baſilicam Lateranenſem acceſſerit ib.16.excommunicatur. ibi. 20.fuga & captiuitas. ibi. cum Legato Pontif.Romam redire permittitur. 1353.2. iterum tyrannidem vſurpat, ſed paulo poſt à populo crudeliter & ignominioſe occiditur ib.

Nicolaus Calaber hæreſiarcha comburitur 1309.7.eius errores. ib

Niphon Patriarcha Conſtantinop. ob varia flagitia deponitur. 1314.29

Nobile exemplum fidelitatis in dominum & charitatis in hoſtem 1327 25

Nobilis cuiuſdam inſignis aſtus ad corrigendum Regem Angliæ 1317.30

Noruegiæ Regi de præpoſito Capellarum priuilegium conceſſum. 1308.7

Notabile pro Regiſtro anni 6. Pont. Gregor. XI. Auenione facto & deperdito 1372.18

Nunnius Alcantaræ Magiſter à Rege ſuo deficiens & ad Mauros confugere volens igne comburitur. 1339.10

Nuptiæ Friderici Trinacr.Reg cum filia Ducis Andriæ, & eiuſdem Reginæ obitus 1373 29

Nurſini ob interceptas Pont.literas excommunicati. 1330.17

O.

Obedientiæ poſt mortem præſtitæ mirabile exemplum. 1333.12

Octo viri Flor. animos ad pacem inclinantes, perturbant, & contra Pontificem irritant. 1377.22.eorum ſtudium in auertendis Florentinorum à Pontif.animis. ib.24

Odium inter Iſabellam & Eduardum Angliæ Regem quanta mala procrearit. 1326.10

Odorius Ordin.Minorum per Aſiæ regiones peregrinatus prædicat.1331.14. vir ſanctus ibid.& 1332.14

Oldradi J Cti de Petro Corbario & Lodouico Bauaro iudicium 1328.18

Olyſippone horribilis terræmotus ob violatã Eccleſiaſticam immunitatem. 1344.10

Omina de infœlici electione Clementis V. 1305.3

Opiliones quidam terram ſanctam ſe recuperaturos iactantes, cum prædas agerent ſupplicio afficiuntur 1320.2

Opizo Marchio Ferrariæ impetrat abſolutionem ab excommunicatione. 1344.20

Orchanes Turcarum Princeps à Cantacuzeno Græco euocatus multas regiones in Aſia Chriſtianis adimit.1343.14. item 1345. 13

Ordines mẽdicantium priuilegiis ornantur, quæ etiam decreto confirmantur à Benedicto XI. 1304.7

Ordines duo militares inſtituti, vnus titulo Monteſiæ, alter ſub inuocatione S. Georgii Afamenſis. 1317.22

Ordo S.Pauli I. Eremitæ confirmatus à Clemente V. 1308 24

Ordo eligendi Reges Galliæ. 1314.22.eoſdem ſepeliendi ib.21

Ordo eligendi Reges Romanorum breuius recenſetur. 1356 2

Orientales de celebratione Paſchæ decertant 1330.63

Oſorius virtutis ergo ab Alphonſo Rege Arragoniæ Comes rudi ceremonia renunciatus. 1328.22 paulo poſt interficitur. ibid.

Ottomannus I. Turcicum Imperium fundat. 1300.24

Oxonii in Anglia tumultus inter ciues & ſcholaſticos. 1354.10

P.

Paganus Genuenſium Dux inſignis moritur, & ob paupertatem ſumptu publico effertur. 1354.7

Palæologus Imp. auxilium contra Turcas ab Innocentio VI.poſtulat. 1355.38. felices eius ſucceſſus in Oriente. 1357 7. Amurathem Principem Turcarum metuens, in Italiam properat. 1369.1.Romæ Fidem Orthodoxam ex formula Rom. Eccleſ. profitetur.ibid. eius articuli profeſſionis & iuramenti, aliorumque Græcorum. 1369.2 Pontifici venienti obuiam procedit, frenum equi illius tenet, & ſtratoris officio eo deſcendente fungitur 1369.3 declarat quam Rom. Eccleſ. nomine velit intelligi Eccleſiam. 1370.8. ſacram militiam in Germania, Vngaria, Polonia, & Bohemia aduerſus Turcos prædicari facit. 1373.1.Ioan.Laſcarim, ad Pontificem, & Principes Europæos pro ſubſidiis belli ſacri deſtinat. ib.

Pariſiis ſeditio exoritur. 1358 1

Parmenſes ſeſe Beltrando ſubiiciunt. 1326.4

Paſſarinus Bonacoſſa Mantuanorum tyrannus occiditur 1328.15

Paſſio Manica, vulgò S.Ioan. Chorea dicta, quam pernitioſa in inferiori Germ. fuerit. 1374.13

Patriarcha Babylonis Eccleſiæ reconciliatur ſub Paulo V. 1330.22. confeſſio fidei ipſius ibid. 24

Patriarchæ Conſtantinopolitani Serui Turcarum. 1332.3. in pœnam ſchiſmatis dure habentur. ibid.

Patres Concilii Viennenſis decernunt ordinem Templariorum extirpandum. 1312. 2

B.Paulæ Camald.Virg.vita.1368.13. diuerſæ eius viſiones. ib. obitus. ib.

Paulus Guaſterius Aſiam peragrat pro reducendis ad Eccleſiam ſchiſmaticis. 1330. 60

Paulus V. permittit fieri inquiſitionem vitæ & miraculorum Pii V. 1326.19. Babylonium Patriarcham Eccleſiæ reconciliat. 1330.22. eius epiſtola ad Eliam Patriarcham Babylonis, qua correctionem fidei poſtulanti reſpondet. 1330.34

Pauperis cuiuſdam verba ad Theologum. 1337.14

Pax inter Robertum Siciliæ & Fridericum Trinacriæ Reges coaleſcit. 1317.24. inter Vladislaum Locticum Regem Poloniæ & Lithuanos. 1325.14. inter Arragoniæ & Galliæ Reges.1336.13. inter Bernabouem Vicecomitem cum Guilielmo Cardinale Legato initur. 1374 6. inter Pont.& Florentinos certis conditionibus ſtabilitur. 1377.25

Peccatricis cuiuſdam mirabilis contritio pœnitentia & mors 1335 12

Populi Bononienſes, excommunicati & cur? 1337.4

Peregrinantium ſocietas quæ & quando exorta, & à Pontif confirmata. 137

B.Peregrini Ord. Seruorum, vita, mirac[illegible] obitus. [illegible]

Perſecutio in Germania contra eos [illegible] tificis mandato obſequebantur [illegible] Ger-

Peſtis & fames horrenda in A[illegible] mania. 1315.7

Petri Ioann. Stringii Mino[illegible] exuſta. 1325.8.dogmata [illegible] ib.9

Petri Fauerii Carthuſi[illegible] obitus. [illegible]

Petrus Aponius Medicus necromantiæ &hæreſis delatus poſt obitum à Joanne Papa cremari iubetur 1316.14
Petrus Arcadius Corcyrenſis Catholicus ſcripſit librum de concordia Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ in Sacramentorum adminiſtratione. 1339.21
Petrus Bonhomo monachus vir ſanctus. 1305 7
Petrus Podienſis monachus vir ſanctus. 1305. 7
Petrus Caſtellæ princeps ad Mauros Granatenſes ſubigendos implorat auxilium Pontificis. 1316.8. Mauros profligat. 1317.21. cladem accipit. 1319.6
Petrus Joannes hæreſiarcha eiuſque impia dogmata. 1310.1 13.11.11. damnata decreto Concilii Viennenſis 1311.12
Petrus Fulginas vitæ ſanctitate & miraculis claret 1323.20
Petrus Corbarius Antipapa. 1328.10. Cardinales creat. ibi. eius varia impietas. 1329 2. Joannem Pont. excommunicat ibi 3. à Piſanis cuſtodiæ mancipatur. ibid. 4. Joanni Pont. ſe ſubiicit ibid. 8. capitur & Joanni mittitur, ibique reſipiſcens errorem deteſtatur. 1330.4. formula confeſſionis eius. ib. 10. complices. 1328.14
Petrus Cunerius Eccleſiaſticam iuriſdictionem labefactat. 1327.8. refutatur. ib.
Petrus Olerius cum complicibus ob hæreſim igne exuritur 1324.10
Petrus Trinacriæ rex excommunicatus. 1338 14. moritur. 1342.19
Petrus Rogerii Benedictinus fit Pontifex nomine Clemens VI. 1342. 2 vide Clemens VI.
Petrus Caſtellæ Rex parricida & crudelis. 1350. 15. monetur à Pontifice vt reſtituat bona Eccleſiaſtica. ibid. 21. in ſua ſæuitia pergit. 1353. 11. pellicis amore æger nouam nuptam faſtidit. ibi. monetur à Cardinale Toletano ibid. reginam abduci & cuſtodiri præcipit. ib. monetur à Pontifice ibi. 12 arte magica Iudæi cuiuſdam creditus reginam odiſſe. ibid. 13. ad eum literæ Pont in cauſa conuerſionis regis Abdalæ. 13 4.23. excommunicatur & regnum eius interdicto ſubiicitur. 1357. . eius alia ſcelera 1354. 11. in eum coniuratio ibid. iterum in Principes deſæuit. 1360.8. vxorem inſontem veneno perimit. 1361.4. Maurum regem contra fidem datam cum multis ſociis occidit. 1362. 9. cum coniuratis res geſtæ, 1355 29. poteſtati matris ſe dat. ibid. 30. fugit & populos excitat ad vindicandas iniurias ſuas. ib. ad eum literæ monitoriæ Innocentii Pontif. 1356.14. eius in ſuos & Regni Principes crudelitas. 1359.6. regno à fratre illegitimo, diuina vltione pellitur, 1366. 7. a Pontifice anathematizatur. 1367. 11. Mauri cuiuſdam de eius morte vaticinium, 1369.12. eius fuga. ibi. 15. mors. ib.
Petrus Blonca proditor, proditionis mercedem accipit 1349 10
Petrus Luſitaniæ Rex moritur. 1367.12
Petrus Aragonius in Clerum iniurioſus excommunicatur. 1343.13. pœnitens abſoluitur. ibid. obedientiam Pontifici promittit. 1353.10 Ligium homagium Innocent. XI. pro Regnis Sardiniæ & Corſicæ dicit. 1371.11. pro libris Lulli apud eundem intercedit. 1377 28
Philippa Angliæ Regina valde pia ſex nobiles occidendos à marito ſuo precibus redimit. 1346.10 11. eius mors & res geſtæ. 1368 14
Philippa Cantanenſis conſcia cædis Andreæ Siciliæ Regis. 1345. 2. quæ fuerit. ib. 3. eius connubium cum Raymundo Æthiope. ib. fit cuſtos Joannæ reginæ. ib. eius filius fit Seneſcalcus regni Siciliæ, ibid. cum filio & filia in carcerem trahitur & poſtea flammis exuritur. ib.
Philippus Pulcher expeditionem in terram ſanctam impedire conatur. 1300.15 in Bonifacium VIII. refractarius. 1301.7. literas Bonifacii comburit. ibid. eius execranda flagitia in eundem & alios antiſtites 1302.4 cenſuram Eccleſiaſticam in ſe ferendam quomodo impedire conatus. 1302.5. eius alia ſcelera. 1303.4 articuli ipſi à Bonifacio VIII. propoſiti. 1303. ibi. excommunicatus contumax permanet. 1303.5 Bonifacium Pont capi procurat. ib. 6. ſcribit gratulatoriam ad Benedictum XI. Pont. 1303.15. ab eodem abſoluitur & reconciliatur. 1304. 4. & 5 Judæos è Gallia eiicit & cur. 1306.8. Bonifacii VIII. memoriam condemnari petit, ſed non obtinet. 1307.3. Templariorum ordinem apud Clementem V. accuſat 1307.4 Imperii diadema quando ſuſceperit, ib. 5 coronã petit. ib 6. iterum Clementem vrget ad damnandam memoriam Bonifacii 1310 3. Lugdunum ſui iuris facit. 1312.12. crucem ſuſcipit in ſubſidium terræ ſanctæ. 1313 21. filios ſuos baltheo militari cingit. ibid. 22. domeſticus dolor de nuruum ipſius adulterio ibid. mors miſeranda. ibi. 23. eius vita breuiter & egregie depingitur ibi.
Philippus Valeſius rex Francorum Maſſiliam ad Joannem Pont. proficiſcitur. 1329.1. ſtat pro iuribus Eccleſiæ, ibid. 23. inauguratur magna cum ſolemnitate. 1327 12. gerit bellum calamitoſum cum Rege Angliæ. 1336. 6, 7. ad Pontificem vocatus venit. ib. 11
Philippus Princeps Tarentinus moritur. 13 2 17
Philippus Indus Ordin. Prædicatorum floret ſanctitate & miraculis. 1340.23
Philippus Sabinenſis Cardinalis Legatus moritur. 1372.4
Philotheus Patriarcha Conſtantino ſchiſmaticus à Græcis pro Sancto habitus. 1339.19
Piſani Sardiniam, & Corſicam infeſtant. 1306 4. cum Jacobo Arragonio concordiam faciunt 1324.27
Piſani ob belli metum Friderico Trinacriæ regi principatum deferunt. 1313.19. Joanni Pont. reconciliantur. 1329.4. pſeudopapam cuſtodiæ mancipant ib.
Poloni ad Pontificem contra Crucigeros recurrunt 1335.14
Polonia regio honori reſtituta Ladislaũ Loкticum Regem accipit. 1320 17. quamdiu coronato rege caruerit & cur. ib denarium S Petri ſoluere tenetur. 1325.15
Poſtilla F Joannis Stringii Begoardorum ſectarii igne crematur 1325.8
Pragenſis Eccleſia qua occaſione facta metropolitana. 1337 6
Prædicatores quidam opponunt ſe Joanni XXII. in controuerſia de animarum viſione. 1331. 11. in carcerem coniiciuntur, ibi à Lod. Bauaro laudantur. ibi.
Prædicatores quomodo in Polonia & aliis regionibus fidem Chriſti propagauerint 1325 11
Prædicatorum ordo defenditur quo ad modum ſumendi S. Euchariſtiam. 1313.6 perſecutionem patitur à Bauarianis ſchiſmaticis 1330.11
Prælium inter Francum & Anglum renouatur, fruſtra pro pace Pontifice laborante. 1372.33
Præſtigiatores viginti Conſtantinopoli & paſſim multa miranda faciunt 1322.44
Principes Electores, coronam Imperialem à Sum. Pont pro Venceslao Carol. IV. Rom. Imp. filio per litteras poſtulant. 1376.6
Procerum & prælatorum Galliæ in cauſa Philippi Pulchri regis ad Bonifacium epiſtola 1302 6
Proceſſus canonizationis B. Andr. Corſin. Epiſ Feſulam Ord. Carmel. 1373.9. & ſeqq
Prodigium in aere Italiæ perturbationis præſagium 1309.27
Prodigium de miſerando caſu Vladiſlai Boemiæ regis 1305.8. aliud de ipſius corona. ibi. 10
Proditio memoranda & ſupplicium Joannis Cumein in regem Scotiæ electi. 1305.17
Progreſſus copiarum Eccleſi. contra Bernabouem Vicecomitem 1372.6
Propoſitiones aliquot pro abolendis Raymundi Lulli libris 1372.17
Propoſitiones eorum qui Raym. Lulli opera approbanda cenſent, refutantur ib. 18
Publicæ preces habitæ pro concordia Principum Chriſtianorum 1345.11
Pugna ingens inter Guelphos & Gibellinos. 1311.4. inter Henricum & Petrum Reg. Caſtellæ fratres 1369.14
Purgatio per ferrum candens miraculo illuſtratur 1341.19 per ſacros tamen Canones prohibita. ibi.

Q

QVatuor Fratres Minores martyrium aſſequuntur ſub Saracenis. 1219.12. in igne illæſi perſiſtunt ibi.
Quatuor Fr. Minores martyrio coronantur apud Tartaros 1321.23
Quatuor Fr. Minores Maſſiliæ combuſti ob hæreſin de paupertate Chriſti. 1323.12
Quærimonia aduerſus Clerum Gallicanum, exorta. 1328.29. eius rei cauſa & origo. ibi. 30. item 1326.23. aduerſus milites Hoſpitalarios apud Pontificem. 1343.19
Quieſcentes monachi Græci eorumque imperitia & error de lumine increato. 1331. 12. exagitantur à Barlaam monacho poſtea Epiſcopo. ibi.
Quis rerum in Italia ſtatus. 1372.1 & 2

R.

RAptor theſauri ſacri diuinis viſionibus territus ſacrilegii pœnas dat. 1324.16
Raſciæ rex contra Andronicum Græcorum Imp. à Clemente V. incitatur 1307.2
Raymundi Lulli vita, mores, ſtudia & vitæ curſus. 1312.18. & 1372.9.10.11.12. de eius ſcriptis edictum Gregorii XI. ibi. 19. ea damnata à Gregorio. ibid. 20. & 1372.12 aliorum de eodem cenſuræ ib. 21
Raymundus Æthiops ex popinario miles. 1345. 3. fit regni Siculi Mareſchallus, ibid. moritur ibid.
Errores ſparguntur ex *Mariana.* 1392 9
Item *ex Genebrardo Iacob. Gualth. Soc. Ieſ. Theol.* ibid. 10. & aliis hæreſes in opuſculis ſuis contentæ, ib. 14. libri qui à pauco tempore Romam allati fuerint. ibid. 21. & 22. contenta in prologo libri, cui arbor ſcientiarum titulus ibi 23
Raynaldus Archiepiſc. Rauennas Friderico Guidoni & Sperantiæ Comitis Montefeltrani filiis ſacris interdicit, & cur. 1321. 5 Benedictinos & Auguſtinianos reformat. ib. 15. item ſanctimoniales. ibi. 16 moritur & claret miraculis. ib. 17. eius origo & res geſtæ. ib. 18. 19
Raynaldus Polentanus Rauennæ Archiepiſcopus crudeliter ab Hoſtaſio occiditur. 1322.20
Raynaldus Ateſtinus Gibellinus Argentum Eccleſiæ oppidum intercipit 1324.12
Raynaldus Paſſarinus varia committit ſcelera, quæ recenſentur 1324 13
Recinetenſium deuotio in Virg. Lauretanam 1335. 15
Rex Arragonum ob vſurpationem bonorum Eccleſiaſticorum excommunicatur. 1364 4
Richardus Armacanus in Hybernia hæreticus. 1360. 12. in monachos mendicantes iniquus. 1356.17
Richardi ſecundi Edouardi reg. Angl. filii ritus coronationis. 1377.19. caſus tragicus initio ſui regiminis ib 20
Ritus eligendi Pontifices à Clemente V. præſcriptus. 1314.4. coronandi reges Galliæ. 1314.21. ſepeliendi Reges & Reginas. ibid. 21. ſanciendæ ſocietatis inter Proceres in Hiſpaniis. 1322. 42. inaugurationis Imperatoris. 1328.7
Roberti Ord Præd obitus & miracula. 1317 7 prophetia ibi
Roberti Scotiæ Regis obitus. 1329. 31. pietas & religio erga ſepulchrum Chriſti ib.
Robertus Comes Atrebatenſis ob literas Pontificis exuſtas diuinitus punitus. 1304. 5





Robertus Bruis Scotus Anglos vicit. 1315.5 Legatos Apoſtolicos aditu Scotiæ prohibet. 1316.13. & excommunicatur. 1318.11
Robertus Cantuarienſis Archiepiſcopus à rege Angliæ accuſatus apud Clementem V. 1306.6. eiectus poſt mortem Regis reſtituitur. 1308.11. inſignis vindex Eccleſiaſticæ libertatis, & ſeuerus caſtigator delictorum. ib. laus & conſtantia ib.
Robertus Scotus excommunicatur. 1318.11
Robertus Comes Flandriæ excommunicatur. 1318.12 pacem petit. 1319.8
Robertus Neapolis rex ab Henrico VII. impetitus & ſententia lata dominiis exutus. 1313.2. à Clemente V. defenſus. ibid. 3 Fridericum Trinacriæ regem bello impetit & cur 1314.26
Robertus Siciliæ rex dæmonis reſponſo inſigniter ludificatur. 1313.27. ſcribit ad centum equites Rom. ibid. 28. cenſum ſoluit Rom. Eccleſiæ. 1317.26. eius fides in Rom. Eccleſiam 1322. 8 inſigni claſſe Genuam & Neapolim contendit. 1324.22. claſſem in Siciliam mittit. 1326.7. literæ ad Bertholdum Vicarium, 1330.13. fœdus facit cum Italiæ principibus contra Bohemiæ regem, 1331.4. Pontifici fidelis eſt, 1317.10 Siciliæ regnum à Benedicto XII. in feudũ accipit. 1335.10. rem Eccleſiæ promouet. ib. moritur, 1342.9. eius virtutes. ibi. epitaphium. ibi. 10. ſtudiorum amantiſſimus ib. 11. qualis in fine vitæ fuerit ibid.
S. Rochi Narbonenſis vitæ ſanctitas, obitus & miracula. 1327.26
Rhodus inſula Turcis erepta. 1309.19
Roma ſeditionibus agitatur à Lud. Bauaro. 1326 7
Romæ ingens cædes ob aduentum Henrici Imp. 1312 2. motus. 1340.2
Rom. Eccleſia non peccat circa pietatis dogmata 1332.7
Romanæ ſedis translatio in Gallias quam fuerit noxia toti Chriſtianitati 1305.3
Romanorum Pontificum eſſe electionem Imperatoris cognoſcere 1316 4
Ruperti Bauariæ Ducis erga ſedem Apoſtol. zelus. 1372 4

S.

SAcerdotes Græcorum vxorati. 1332.4. in quibus differant à nouis Euangelicis ib.
Sacrilegorum quorundam pœna, 1347.42. 43
Salices roſas proferunt 1338.11
Saltantium hominum greges in Belgio. 1373 12
Sanctia Siciliæ & Ieruſalem Regina Ordinem S. Claræ ingreditur 1343.3 moritur 1345.7
Sanctio Regis & Procerum Angliæ, ſuper prouiſionibus Cathedralium vacantium, quę tamen non fuit ſeruata. 1376.20
Sanguis ex corpore D. Thomæ Comitis Lancaſtriæ 1359.11
Saraceni in Africa & aliis regionibus Chriſtianos armis impetunt. 1340.12. vincuntur nauali prælio ib. 14
Saraceni Nucerini Italiam perturbantes coercentur à Carolo rege. 1300.20
Sardinia à Jacobo rege Aragoniæ occupata relinquitur ob luem 1323. 13
Scalanus Veronenſis titulo Vicariatus ſe abdicans fit ſupplex Rom. Pont. 1322 21
Schiſmatici & hæretici qui dicendi. 1330.59 & 1332.7
Scotia interdicto ſupponitur. 1318. 11. relaxationem eius petunt 1323.17
Scoti ſicarium ſubornant, qui Edouardum Angliæ regem trucidet, ſed pœnas dat. 1323 17
Scotorum de Anglis miraculoſa victoria. 1309 15 circa illam victoriam miracula ib. 16
Sebaſtiani Munſteri teſtimonium de iure ſedis Apoſt in electione Imp. 1314.17
Seberthi Angliæ Regis reliquiæ integræ repertæ. 1309.25
Sectarii in Arragonia. 1351. 19. contra eos decretum Clementis VI. ib. 20
Sedis Romanæ translatio admodum detrimentoſa vrbi Romæ & toti Eccleſiæ. 1305. 3
Seditio ex pecuniæ æſtimatione enata. 1313. 22
Senenſes fidei inquiſitores impediunt & ob hoc à Benedicto XII. arguuntur. 1340. 20
Sententia in Galeatium Matthæi Vicecomitis Mediolanenſis filium. 1322.9. alia in reliquos eius filios ib. 10
B. Sibillinæ Virg. Papienſ. tertii Ord. S. Dominici vita 1367 17
Sicarii regem Hungariæ occidere volentis pœna 1327.24
Sicilia quibus conditionibus paci reſtituta. 1302.2. à Clemen. V. Robertum Regem accipit. 1309. . tota diris deuouetur ſub Benedicto XII. 1340.1. decernitur Andreæ Regis Hungariæ filio. 1345.
Siculorum crudelitas in mortuorum cadauera 1300.9
Simon Iſlepius Archiepiſ. Cantuarienſis acer Eccleſiaſticæ libertatis vindex 1351. 7
Simon Archiep. Cantuarienſis excommunicat interfectores Epiſcopi Oxonienſis. 1328 33. libertatem Eccleſiaſticam contra Eduardum tuetur 1356.11
Simon Poilletus ob temerarium dictum diras pœnas luit 1344 12
B. Simonis vitæ inſtitutio, miracula, ſanctitas & obitus 1317.1
B. Simon Tuders miracula edit 1333.12
Simon Saltarellus Ord. Præd. Piſanus Antiſtes moritur 1342. 34. eius humilitas, pia ſtudia & opera ib. vitæ curſus ib.
Simonis Vignoſii Liguſticæ claſſis præfecti in proprium filium ſeueritas. 1346.20
Simultas inter Joannem XXII. Pont. & Neapoleonem Cardinalem vnde orta. 1316.2 inter Dionyſium Regem Luſitaniæ & Alphonſum eius filium qua occaſione orta. 1317.13
Smyrnæum à Chriſtianis captum. 1344.4
Societas coniuratorum in Galliis augetur 1357.3
Spoletani redeunt ad ſedem Apoſtolicam. 1322.32
Stephanus Columna Bonifacii VIII. hoſtis regi Galliæ Pontificis capiendi conſilium dat. 1303.6
Stillicidium ex corpore S. Walburgis 1359.11
Sulacha Chaldæorum Patriarcha Catholicus S. Pachomii monachus. 1330.21
Suriani Chriſtiani, qui & quales, eorumque ſacra & errores 1330 52
S. Sylueſter Monachus Camaldulenſis floret. 1348. 34. eius vita & mors ibid.

T.

TAriffa à Mauris obſeſſa ab Alphonſo Rege liberatur 1340.16
Tartari in Poloniam à Ruſſis inuocati irrumpunt 1140.15. eorum crudelitas. ibi. ad fidem miſſis Minoritis à Benedicto XII inuitantur 1341.10
Templariis interrogatoria propoſita. 1308.3
Templariorum ordinis origo, & officium. 1310.10
Templariorum ordo accuſatur à Philippo Pulchro rege Galliæ apud Clementem V. 1307. 4. vna die in Galliis comprehenſi, plurimi aliis locis & alio tempore, vniuerſi deleti ſunt. ib. quid eis obiectum & à quib. ib. de iis Clementis V. literæ ad Epiſcopum Rauennatem & Piſanum. 1308.2. articuli iis propoſiti. ib. 3. eorum ſcelera detecta. ib. 4. propter eos varia nationalia concilia celebrata. 1309.12. & vnum generale. 1310 10 in Concilio generali Viennenſi eorum nefaria ſcelera examinantur. 1311.7. compræhenſi aliquot eorum in Gallia igne cremantur ibid. 8. alii rebellantes iuſſu Clementis vincti. ibid. 9. eorum ordo extirpari decernitur in Concilio Viennenſi. 1312. . quid cum iis actum poſt publicatum edictum. ib. 3. quidam eorum ad matrimoniũ conuolabant temere. ibi. 4 eorum ſupremi Magiſtri morituri dictum. 1311.8
Templum S. Jacobi quod eſt Compoſtellæ deſcribitur. 1336.21. ſeptendecim lychni ſemper in eo ardentes. ibid. Weſtmonaſterienſe ciuitatis Londinenſis prophanatur. 1371.7
Templi abominabilis prophanatio. 1377.20
Terræmotus Oliſippone ob Eccleſiaſticam immunitatem violatam. 1344 10. Romæ. 1348.16. in Germania. ibi. 11
Thaclauareth Indus Ordin. Præd. ſanctitate floret. 1340.23. eius mira vita. ib.
S. Thomas Aquinas canonizatur. 1322.32. à Neapolitanis inter patronos vrbis ſuæ recipitur. ib. diploma canonizationis. ibi. 28. varia eius miracula. ib. corpus eiuſdem in monaſterium Ordin. Præd. Fundam transfertur. 1370.14 poſtmodum ſolemni pompa conſentiente Vrbano Pp. V. Tholoſſam translatum 1370. ib.
S. Thomas Herephordienſis canonizatur. 1320.26. eius miracula ibid.
Tornacum ab Anglis fruſtra obſeſſum. 1340. 11. miraculoſe à B. Virg. defenſum ib.
Translatio corporis S. Eulaliæ. 1339 2 S. Roberti Abbatis caſæ Dei 13 1 12
Treuirenſibus lacticinia feriis ſextis extra Quadrageſimam indulta & cur 1334.3
Tridentinum Conciliabulum à Lod. Bauaro celebratum 1327.3
Turbæ in Hungaria ob ſucceſſionem regni. 1302.1. in Bohemia vnde ortæ & quomodo ſedatæ. 13 6.11. in Polonia, Ladislao monacho regnum affectante. 1375.19. in Sicilia contra Joannam Reginam. 1375.23
Turbæ in Oriente inter Venetos & Genuenſes progreſſum contra Turcas impediunt, 1350 19. nouæ Tyrannorum in Italia reprimuntur. 1374.5
Turbæ in Galliis ob Joan regem Galliæ, in Anglia captiuum. 1358.1
Turbatio ingens inter ciues & Clerum Colonienſ. ob immunitatem Eccl. 1369.8
Turcæ Chriſtianis profligatis omnia infeſtãtes coercentur à Venetis & militibus Joan. Pont. 1321.14
Turcarum exercitus ingenti victoria diuinitus profligatur. 1311.23 à claſſe vnionis vincitur. 1347.19
Turcici Imperii initia, & primi Imperatores. 1310.22. à quo primum in Aſiam inducti. 1362.1
Turpe lupinorum ſecta in Allobrogib. eraditur. 1372.7. eorum errores ib. 7. Caluinianis ſimiles ibid.
B. Tuſcanæ Veronenſis vita, miracula & obitus. 1343.27. in eam hymnus. ibid.
Tyranni in Italia omnia pene Eccleſiæ bona occupant 1353.3

V.

VAlachi eiurato ſchiſmate ad vnitatem fidei redeunt. 1374.2
Valentini de Narnia vitæ ſanctitas & obitus. 1321.24
Varauius Camerinenſis, motu cenſuræ à Florentinis ad Pontificem deficit. 1377.34
Variæ clades diuinitus immiſſæ 1309.13
Vdalricus Auguſtauus Epiſcopus qualis fuerit. 1333.9. diſcordiarum inter Joan. XXII. & Lodouicum Bauarum ſeminator. 1335. 16. moritur. ibi. ob ſuas nequitias non vult in loco ſacro ſepeliri, timens effoſſionem. ibid.
Venceslaus Carol IV. Imp. filius, quibus conditionibus, ab Electoribus in regem Rom. electus fuerit. 1376.2. procurationes conſtituit, ad petendum à Pont. Imp. coronam, & ad alia ad hoc requiſita faciendum. ib. 5 mittit in eandem rem Greg. Summ. Pont. alias ſupplices literas. ibid. 6. cum patre ad ſedem Apoſt. venire iubetur. ib 7
Veneti à Clem. V. excommunicari ob inuaſam Ferrariam. 1309. 2. perſiſtentes in contumacia pœnis ſubiiciuntur & Principes in res commouentur 1309.17. & 18 ſupplices facti abſoluuntur. 1310.13. formula abſolutionis eorum 1313.29. à Rom. Eccleſię perduellium clientela deterrentur à Jo. Pont. 1322.19 Turcas omnia vaſtantes & mare infeſtum reddentes coercent. 1323 14. eorum vrbs ab infernali diluuio ope S. Marci liberatur. 1332.9. à Benedicto XII. accipiunt poteſtatem nauigandi in

Ægyptum & ibi commercia exercendi. 1339.7. aromata & gemmas itemque ſericum, in Italiam inuehunt ibi.eorum Princeps Pontifici victoriam de Turcis ſignificat. 1344. 4. contra Genuenſes pugnant. 1352.9. eos vincunt inſigni victoria 1343. 8. tres oratores Auin. ad Vrb Pap. V. mittunt. 1366.8

B. Venturini Dominicani vita, humilitas, miracula, patientia, acumen. 1334. 7. mors. 1346.27

Vicecomes Galeatius, affinitatem cum Rege Gall. & Angl contrahit. 1371.9. quam ex ceſſiuum fuerit eiuſdem nuptiale epulum & admirabiles expenſæ. ibid.

Vicecomites Mediolanenſes excommunicati & cur. 1341.2. diu formidoloſi, tandem euaneſcunt 3 4. 1. Italiam turbantes, à Gregorio X I. excommunicantur. 1371.8 victoria Chriſtianorum de Turcis. 1334.6. Gallorum de Anglis. 1372.33

Viennenſe Concilium ſub Clemente V. 1311.1 eius cauſæ ib. capita ſeu decreta. 1313.1 conſtitutio de Beguinis. ibid.

Viennenſis Delphinus Ordin Prædicatorum ingreditur. 1344.11

Vindicta diuina in quendam calumniatorem 1302. 3. in Regem Sueciæ & Canuti Principem Eccleſiarum violatores. 304 9. in Regem Angliæ Edouardum & eius conſiliarium quendam. 1309. 14. in Carolum Comitem ob necem Engeranni Principis 1314. 25. in violatores monaſterii S. Albani 1321. 22. in perduelles & hoſtes Sedis Apoſtolicæ. 1329.11

Violatores immunitatis Eccleſiaſticæ excommunicantur. 1377.20

Viſio Clementis VI de iubilæo celebrando 1341.5. iuuenis cuiuſdam Angli. 1343. 11. S Brigidæ de Greg. X I. 1371 17. eiuſdem de Vrbano Auenionem redire volente. 1370. 11.

Vladislaus Locticus Poloniæ Rex ob deſidiam deponitur. 1300.22

Vltio diuina effuſi ſanguinis Chriſtiani 1333. 10 in vxoricidam 1344.13. in ſacrilegos. 1346. 2 & 4. in regno Poloniæ ob ſacerdotem à Rege ſubmerſum. 1348. 13. in ſacrorum violatorem. 1355.34. in violatorem nominis Deiparæ. ib. 35 ob manuum iniectionem in duos ſacerdotes. 1367.20. in exercitum Anglicum in Galliis, quod Eduardus Rex ſtipendia in militem ex bonis Eccleſiaſt. extorſiſſet. 1373.11

Vltio regiæ fœminæ de viro ſuo ſumpta ob vim antea ſibi illatam. 1353.14

Vngari factioſi Regi Carolo Roberto regnū abrogant, 1301.3. eos ad concordiam reducere ſatagit Bonifacius VIII. Pont ibid 4. excommunicatur & eorum regnum interdicto ſupponitur. ibi. 5. eodem Pſeudopresbyteri in Bonif execrandum euulgant edictum. ibi. apud eos turbæ ob ſucceſſionem Regis. 1302. 1. compulſi comminatione excommunicationis à Clemente V. Pontif. Carolum Regem ſuſcipiunt 1308.6

Vratislauiæ nefanda hæreſis graſſatur. 1341. 8 eius errores. ibid.

Vratislauienſis Eccleſiæ res componitur Pontifice arbitro. 1342. 24. ciuitas tota ardet. ib.

Vrbinates Rom Eccleſiæ fideles 1322. 17 Fridericum Montefeldrium Rom. Pontificis hoſtem occidunt ibid

Vrbani I V. ad petita Michaelis Palæologi Imp. Græc. reſponſio. 1339.33

Vrbanus V. fit Pont. 1362. 12. ad eum F. Petrarchæ epiſtola. ibid encyclicam ſcribit. ibid. alia eius geſta initio ſui Pontificatus ibid. diuerſos Principes inter ſe diſſidentes conciliare ſtudet. 1363. 1. 2 3. Robertum Conſtantinop. Imp. à cenſuris abſoluit. 1363 6 bellum ſacrum contra Turcas indicit. ib. 7. Sedem Romam referre cogitans quomodo impeditus fuerit. 1364. 3. obſeſſus à prædonibus auro ſe redimere cogitur ibi. collegium Bononiæ condit. ibid 10. turbis in Sicilia occurrit. ibid. 12. eius turbas ſedat. 1365. 1. hæreſes extinguit. ibi 8. diſpenſat cum Rege Caſtellæ in gradibus prohibitis. 1365. 11 pacem inter Piſanos & Florentinos confirmat. ibi. 12. Bononienſibus admodum addictus. ibid. 13. Carolum Imp. de diuerſis monet. 1366. 3. in Italiam redire decernit. ibi. 5 varia eius acta, ibi. 6 & 1367. 13. 14. 15 & 16. & 1370. 16. eius Auinione diſceſſus Romā verſus. 1367. 1 ei in Italiā reuertenti Petrarcha ſcribit. ibid 2. diuerſas legationes audit. ib 3. Romam intrat. ibid. 5. eius ad Regem Siciliæ literæ pro ſecuritate Græcorum Romam venientium. ibid. 7. ad Græcorum Patriarcham literæ. ibid. 8 Palæologi Imp. internuncium audit & formam Imper. pro abiurandis erroribus præſcribit. 1366. 10. Palæologo Imp. hortatoriam, pro reductione Græcorum ad vnitatem Eccleſ. Rom. mittit. 1366 11 præſcribit eidem formulam articulorum fidei 1366. 12. Agnos Dei tranſmittit. 1367. 9. eius res geſtæ Romæ. 1367. 10. mœnia Auenione perfici mandat, per Philippum Patriarcham Conſtantinopolitanum. 1368. 5. Bononiæ Legatum Cardinalem Legationis dignitate exuit. 1368. 6. Seditione Viterbii orta in magno periculo conſtitutus fuit. 1368. 7. eius res geſtæ apud Montem Faliſcum. 1368. 8. 9. 10. eius conſtitutio pro immunitate Eccleſiaſtica. 1368. 11. Pacem inter Carolum Imperatorem & Ludou. Hungar Reg. procurat, & auxilia aduerſus Bernabouem, noua molientem poſtulat. 1369. 5. varias difficultates ab aduerſariis Eccleſiæ ſuſtinuit. 1369. 6. eius obitus & epitaphium. 1370. 1. qualis in morte & vita fuerit. ibid. 4. acta eiuſdem ante diſceſſum ſuum ex Italia ibid. 5. & 7. Peruſinos rebellantes ad obedientiam redire cogit. ibid. 6. diuerſos ad Euangelizandum in Oriente & Septentrione mittit, ibid. 9. nuntios in Hiſpanias pro turbis de poſſeſſione regni Caſtellę exortis, componendis deſtinat ibid. 10. formulam confitendi & abiurandi Neophitis præſcribit. ib. 12. D. Thomæ Aquinat. corpus, fratribus S. Dominici reſtituit. ibid. 13. eius ſanctio de doctrina eiuſdem. ibid. 14. vita, ſanctitas, res geſtæ & miracula. ib. 16

Vrſini Henrico VII. Imp. minus addicti. 1312. 3. Pontificis partes tuentur. 1326. 1. Roma eiecti reuertuntur & egregie pugnant. 1328 1. cum Columniis de Senatoria dignitate digladiantur. 1337.3

W

WAltherus Cantuarienſis Archiepiſcop. Scotos excommunicat & ſupplicationes inſtituit. 1314.8

Wandalorum barbaries & impietas etiam in parentes, & de eo hiſtoria 1307.17

Wenceslaus Bohemiæ Rex moritur & pia ipſius ad obitum præparatio. 1305.8

Wenceslaus alter Bohemiæ Rex ob varia crimina ad extremam inopiam redactus miſere necatur. 1307.14

Wenceslaus filius Caroli I V. naſcitur. 1361.10 mala omina de eo. ibi.

Wicleffiſtarum hæreticæ concluſiones. 1377 5

Wichardus Salisburgenſis Epiſcop. eruditione & pietate floret. 1308.13

Wilhelmus Nogaretus vir callidus Bonifacium VIII. capit, & à Pont. perſtringitur. 1303.6

Wilhelmus Tellus Heluetius à centum viginti paſſibus pomum filii ſui capiti impoſitum configit. 1324.30

Wormatia excommunicata. 1335.13

Wladislaus Poloniæ Rex Crucigeros funditus delet. 1328. 31. ſcribit pro extirpandis hæreticis. 1327.21

Y.

YVo aduocatus pauperum floret. 1341. 20

Z.

ZAcharias Romanus Franciſcanus ſanctitate & miraculis floret. 1319.13

FINIS.